image
not
available

HUGONIS
DE SANCTO CHARO
S. Romanæ Ecclesiæ Tituli S. Sabinæ
PRIMI CARDINALIS
ORDINIS PRÆDICATORUM,
TOMUS SEXTUS.
In Evangelia secundùm Matthæum, Lucam, Marcum, & Joannem.

OPUS ADMIRABILE, OMNIBUS Concionatoribus, ac Sacræ Theologiæ Professoribus pernecessarium, in quo declarantur sensus omnes, Litteralis scilicet, Allegoricus, Tropologicus, & Anagogicus, maxima cum studentium utilitate.

EDITIO ULTIMA PRÆ CETERIS RECOGNITA, a mendis expurgata, pristinoque candori restituta.

VENETIIS, MDCCLIV.
Apud Nicolaum Pezzana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

EPISTOLA B. HIERONYMI AD DAMASUM PAPAM,

IN QUATUOR EVANGELISTAS INCIPIT.

BEATISSIMO Papæ Damaſo, Hieronymus. Novum opus me facere cogis ex veteri, ut poſt exemplaria Scripturarum toto orbe diſperſa, quaſi quidam arbiter ſedeam, & quia inter ſe variant, quæ ſint illa, quæ cum Græca conſentiant veritate, decernam. Pius labor, ſed periculoſa præſumptio, judicare de ceteris ipſum ab omnibus judicandum, ſenis mutare linguam, & caneſcentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter, vel indoctus, cum in manus volumen aſſumpſerit, & a ſaliva, quam ſemel imbibit, viderit diſcrepare, quod lectitat, non ſtatim erumpat in vocem, me falſarium, me clamans eſſe ſacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere. Adverſus quam invidiam duplex cauſa me conſolatur: quod & tu, qui ſummus Sacerdos es, fieri jubes: & verum non eſſe, quod variat, etiam maledicorum teſtimonio comprobatur. Si enim Latinis exemplaribus fides eſt adhibenda, reſpondeant, quibus tot ſunt exemplaria pene quot codices. Sin autem veritas eſt quærenda de pluribus, cur non ad Græcam originem revertentes, ea, quæ vel a vitioſis interpretibus male ædita, vel a præſumptoribus imperitis emendata perverſius, vel a librariis dormitantibus, aut addita ſunt, aut mutata, corrigimus. Neque vero ergo de Veteri diſputo Teſtamento, quod a Septuaginta ſenioribus in Græcam linguam verſum tertio gradu ad nos uſque pervenit. Non quæro, quid Aquila, quid Symmachus ſapiant, quare Theodotion inter novos, & veteres medius incedat, ſit illa vera interpretatio, quam Apoſtoli probaverunt. De Novo nunc loquor Teſtamento, quod Græcum eſſe non dubium eſt, excepto Apoſtolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium CHRISTI Hebraicis litteris edidit, hoc certe cum in noſtro ſermone diſcordat, & in diverſos rivulorum tramites ducit, uno de fonte quærendum eſt. Prætermitto eos codices, quos a Luciano, & Heſychio nuncupatos paucorum hominum aſſerit perverſa contentio, quibus utique nec in toto Veteri Teſtamento poſt Septuaginta Interpretes emendare quid licuit, nec in novo profuit emendaſſe, cum multarum gentium linguis ſcriptura ante tranſlata doceat falſa eſſe, quæ addita ſunt. Igitur hæc præſens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia, quorum ordo eſt iſte: Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, codicum Græcorum emendata collatione, ſed & veterum, quæ nec multum a lectionis Latinæ conſuetudine diſcreparent, ita calamo imperavimus, ut his tantum, quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant. Canones quoque, quos Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus Alexandrinum ſecutus Ammonium in decem numeros ordinavit, ſicut in Græco habentur, expreſſimus. Quia ſi quis de curioſis voluerit noſſe, quæ in Evangeliis, vel eadem, vel vicina, vel ſola ſint, eorum diſtinctione cognoſcet. Magnus ſiquidem hic in noſtris codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius Evangeliſta plus dixit, in alio, quia minus putaverint, addiderunt. Vel dum eumdem ſenſum alius aliter expreſſit, ille, qui unum e quatuor primum legerat, ad ejus exemplum ceteros quoque æſtimaverit emendandos. Unde accidit, ut apud nos mixta ſint omnia, & in Marco plura Lucæ, atque Matthæi. Rurſum in Matthæo plura Joannis, & Marci, & in ceteris reliquorum, quæ in aliis propria ſunt, inveniantur. Cum itaque canones legeris, qui ſubjecti ſunt, confuſionis errore ſublato, & ſimilia omnium ſcies, & ſingulis ſua quæque reſtitues. In canone primo concordant quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes. In ſecundo tres, Matthæus, Marcus, Lucas. In tertio tres, Matthæus, Lucas, Joannes. In quarto tres, Matthæus, Marcus, Joannes. In quinto duo, Matthæus, Lucas. In ſexto duo, Matthæus, Marcus. In ſeptimo duo, Matthæus, Joannes. In octavo duo, Lucas, Marcus. In nono duo, Lucas, Joannes. In decimo propria unuſquiſque, quæ non habentur in aliis, ediderunt. Singulis vero Evangeliis ab uno incipiens uſque ad finem librorum, diſpar numerus acceſcit. Hic nigro colore perſcriptus, ſub ſe habet alium ex minio diſcolorem numerum, qui ad decem uſque procedens, indicat prior numerus, in quo ſit canone requirendus. Cum ergo aperto codice (verbi gratia) illud, ſive illud capitulum ſcire volueris, cujus canonis ſit, ſtatim ex ſubjecto numero doceberis, & recurrens ad principia, in quibus canonum eſt diſtincta congeries, eodemque ſtatim canone, ex titulo frontis invento, illum, quem quærebas, numerum ejuſdem Evangeliſtæ, qui & ipſe ex inſcriptione ſignatur, invenies, atque e vicino ceterorum tramitibus inſpectis, quos numeros e regione habeant, annotabis, & cum ſcieris, recurres ad volumina ſingulorum, & ſine mora repertis numeris, quos ante ſignaveras, reperies loca, in quibus, vel eadem, vel vicina dixerunt. Opto, ut in Chriſto valeas, & memineris mei, Papa Beatiſſime.

Explicit Epiſtola Beati Hieronymi ad Damaſum Papam.

INCIPIT PROLOGUS SANCTI Hieronymi ad Euſebium.

PLURES fuiſſe, qui Evangelia ſcripſerunt, & Lucas Evangeliſta teſtatur dicens: Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis completæ ſunt, ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt ſermonem, & miniſtraverunt ei, & perſeverantia uſque ad præſens tempus monimenta declarant, quæ a diverſis auctoribus edita diverſarum hæreſum fuere principia, ut eſt illud juxta Ægyptios, & Thomam, & Matthiam, & Bartholomæum, duodecim quoque Apoſtolorum, & Baſilidis, atque † Apollinis, [al. † Apellis.] ac reliquorum, quos enumerare longiſſimum eſt, cum hoc tantum impræſentiarum neceſſe ſit dicere, extitiſſe quoſdam, qui ſine ſpiritu, & gratia Dei conati ſunt magis ordinare narrationem, quam hiſtoriæ texere veritatem. Quibus jure poteſt illud propheticum coaptari: Væ qui [Ezech. 13.] prophetant de corde ſuo, qui ambulant poſt ſpiritum ſuum, qui dicunt: Hæc dicit Dominus, & [Joan. 10.] Dominus non miſit eos. De quibus & ſalvator in Evangelio Joannis loquitur: Omnes, qui ante me venerunt, fures fuerunt, & latrones. Qui vene- [Matth. 7. Cant. 2.] runt, non qui miſſi ſunt. Ipſe enim ait: Veniebant, & ego non mittebam eos. In venientibus præſumptio temeritatis, in miſſis obſequium ſervitutis eſt. Eccleſia autem, quæ Domini voce ſupra petram fundata eſt, quam introduxit Rex in cubiculum ſuum, & ad quam per foramen deſcenſionis occultæ miſit manum ſuam, ſimilis damulæ, hinnuloque cervorum, quatuor flumina paradiſi inſtar eructans, quatuor & angulos, & annulos habet, per quos quaſi arca teſtamenti, & cuſtos legis Domini lignis † mobilibus vehitur. Primus [al. † immobilibus.] omnium Matthæus eſt Publicanus cognomento Levi, qui Evangelium in Judæa Hebræo ſermone edidit, ob eorum vel maxime cauſam, qui in Jeſum crediderant ex Judæis, & nequaquam legis umbra [1. Cor. 8.] ſecedente Evangelii veritatem ſervabant. Secundus Marcus interpres Apoſtoli Petri, & Alexandrinæ Eccleſiæ primus Epiſcopus, qui Dominum quidem Salvatorem ipſe non vidit, ſed ea, quæ audierat magiſtrum prædicantem, juxta fidem magis geſtorum narravit, quam ordinem. Tertius Lucas Medicus, natione Syrus, Antiochenſis, cujus laus in Evangelio, qui & ipſe diſcipulus Apoſtoli Pauli in Achaja, † Bœotiæque partibus volu- [al. † Bithyniaque.] men condidit, quædam altius repetens, & ut ipſe in proœmio confitetur, audita magis quam viſa [Joan. 13. & 21.] deſcribens. Ultimus Joannes Apoſtolus, & Evan- [Joan. 19.] geliſta, quem JESUS amavit plurimum, qui ſuper pectus Domini recumbens puriſſima doctrinarum fluenta potavit, & qui ſolus de cruce meruit audire. Ecce mater tua. Is cum eſſet in Aſia, & jam tunc hæreticorum ſemina pullularent Cerinthi, & Ebionis, & ceterorum, qui negant Chriſtum in carne veniſſe, quos & ipſe in epiſtola ſua Antichriſtos vocat, & Apoſtolus Paulus frequenter percutit, coactum eſt ab omnibus pene tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus de divinitate Salvatoris altius ſcribere, & ad ipſum (ut ita dicam) Dei verbum non tam audaci, quam felici temeritate prorumpere, ut Eccleſiaſtica narrat hiſtoria, cum a fratribus cogeretur, ut ſcriberet, ita facturum ſe reſpondiſſe, ſi indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur. Quo expleto revelatione ſaturatus, in [Joan. 1.] illud proœmium de cœlo veniens eructavit. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. Hæc igitur quatuor Evangelia multo ante [Ezech. 1.] prædicta Ezechielis quoque volumen probat, in quo prima viſio ita contexitur. Et in medio ſimilitudo quatuor animalium, & vultus eorum: Facies hominis, & facies leonis, & facies vituli, & facies aquilæ. Prima hominis facies, Matthæum [Marc. 1. Matth. 1.] ſignificat, qui quaſi de homine exorſus eſt ſcribere: Liber generationis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham. Secunda Marcum, in quo vox leonis in eremo rugientis auditur: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Tertia vituli, quæ Evangeliſtam Lucam a Zacharia ſacerdote ſumpſiſſe initium præfigurat. [Ezech. 1.] Quarta Joannem Evangeliſtam, qui aſſumptis pennis aquilæ, & ad altiora feſtinans de verbo Dei diſputat. Cetera, quæ ſequuntur, in eumdem ſenſum proficiunt. Crura eorum recta, & pennati [Apoc. 4.] pedes, & quocumque ſpiritus ibat, ibant, & non revertebantur, & dorſa eorum plena oculis, & ſcintillæ, ac lampades in medio diſcurrentes, & rota in rota & in ſingulis quatuor facies. Unde & Apocalypſis Joannis poſt expoſitionem viginti quatuor ſeniorum, qui tenentes citharas, & phialas adorant Agnum Dei, introduxit fulgura, atque tonitrua, & ſeptem ſpiritus diſcurrentes, & mare vitreum, & quatuor animalia plena oculis, dicens: Animal primum ſimile leoni, & ſecundum ſimile vitulo, & tertium ſimile homini, & quartum ſimile aquilæ volanti. Et poſt paululum. Plena, inquit, erant oculis, & requiem non habebant die, ac nocte dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Quibus cunctis perſpicue oſtenditur, quatuor debere tantum Evangelia ſuſcipi, & omnes Apocryphorum nænias mortuis magis Hæreticis, quam Eccleſiaſticis vivis canendas.

Explicit Prologus S. Hieronymi ad Euſebium.

SEQUITUR ALIUS PROLOGUS.

MATTHÆUS cum primo prædicaſſet Evangelium in Judæa, volens tranſire ad gentes, primus Evangelium ſcripſit Hebraice, quod fratribus, a quibus ibat, ad memoriam reliquit. Sicut enim neceſſe fuit ad confirmationem fidei Evangelium prædicare, ſic & contra Hæreticos ſcribi. Cum autem plures Evangelium ſcripſerint, quatuor tantum habent auctoritatis teſtimonium, quia per quatuor mundi partes fidem nuntiant Trinitatis, & ſunt quaſi quatuor rotæ in quadriga Domini, quæ vehit eum per prædicationem Evangelii; & genus humanum, quadrifida morte peremptum, eorum erat prædicatione vivificandum, unde & aliorum Evangelia deciderunt, nec recepta ſunt, quia nolebant præfinitum numerum caſſari propter virtutem Sacramenti. Deſignantur etiam Evangeliſtæ quatuor figuris, quæ non ſunt deceptoriæ, ſed jucundi myſterii ſibi conſciæ. Matthæus in homine intelligitur, quia circa humanitatem Chriſti principaliter immoratur. Marcus in Leone, quia agit de Reſurrectione. Lucas in vitulo, agens de ſacerdotio. Joannes in Aquila ſcribens ſacramenta divinitatis. Chriſtus vero, quem deſcribunt, homo fuit de virgine natus, vitulus in immolatione, leo in reſurrectione, aquila in aſcenſione. Vel in Homine humanitas, in Vitulo ſacerdotium in Leone regnum, in Aquila exprimitur divinitatis ſacramentum.

Explicit Prologus.

RE-

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRIS, ET DOMINI, DOMINI

Hugonis de Sancto Caro: Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, Tituli S. Sabinæ primi Cardinalis de Ordine Prædicatorum, in Postillam super quatuor Evangelistas.

PROLOGUS.

QUATUOR sunt minima terræ,] & ipsa sunt sapientiora sapientibus; Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi. Lepusculus plebs invalida, qui collocat in Petra cubile suum. Regem locusta non habet, & egreditur universa per turmas: Stellio manibus nititur, & moratur in domibus Regum, &c. *Prov.* 30. Hæc sunt quatuor Evangelia, sive eorum eloquia, quæ modica, vel nulla reputamur a terrenis, quia & ea audiunt, non tamen faciunt, qui sunt auditores tantum. Contra quos *Jacob.* 1. Estote ergo factores verbi, & non auditores tantum: Et Evangelistæ dicuntur sapientiores a sapore, & hoc respectu sapientum, de quibus *Isaiæ* 29. & in *Abdia* 1. Perdam sapientiam sapientum. *Jerem.* 4. Sapientes sunt, ut faciant malum: Item per sapientiora intellige contemplativos, per sapientes activos. Hi quatuor sunt: Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes. Per hominem, Matthæus, & sic de cæteris. Matthæus, scripsit Hebraice in Judæa. Marcus Græce in Italia: Lucas Græce in Achaja. Joannes Græce in Asia. Ideo Evangelia numero quaternario recepta sunt, quia per doctrinam quatuor Evangelistarum a morte quadruplici liberamur, scilicet transgressionis, legis naturalis, legis scriptæ, legis Evangelicæ. Evangelia sunt quatuor divisim, & altero ordine scripta, tamen unum sunt in una fidei summa, sicut plures sunt Ecclesiæ varietate nationum, & linguarum, & tamen una participatione fidei, & sacramentorum. Solet tamen quæri, quare istorum Evangelia recepta sunt, & non aliorum, ut Bartholomæi, Thomæ, & Pauli, & Nazaræorum. Sol. Quia isti Evangelicam historiam diligentius sunt prosecuti, licet diversa dixerunt, non tamen adversa. Dicitur autem Evangelium ab Eu, quod est bonum, & Angelus, quod est nuncians. Et licet tota S. Scriptura possit dici bona nuncians, sola tamen Evangelica historia, quæ de gestis Christi, & doctrina antonomastice dicitur Evangelium. Et sic potest competenter diffiniri: Evangelium est annunciatio humanæ salutis, facta proprio ore Salvatoris. Hæc enim super omnem aliam pollet prærogativa dignitatis. Materia quatuor Evangelistarum sunt septem signacula, quibus signatus erat liber: *Apoc.* 5. Incarnatio videlicet, Baptismus, Passio, Descensus ad inferos, Resurrectio, Ascensio; Adventus ad judicium. Intentio eorum est per gesta Christi, & doctrinam fidelium vitam instruere. Item omnium intentionem ostendit Joannes dicens: Hæc autem omnia scripta sunt, ut credentes vitam habeatis. Modus, sive ordo agendi eorum talis est: Primo enim Matthæus texit genealogiam, agens de Christi nativitate, & de notritura ejus, de adventu Magorum, de fuga in Ægyptum, & de morte puerorum. Deinde de baptismate, & jejunio, & de tentationibus in deserto. Postea de sermone Domini in monte. Deinde gesta, & miracula Christi exponit, Tandem de Passione, Resurrectione, & Ascensione agit: Et sic terminatur liber Matthæi.

A

Joan. 20.

Moraliter. Moraliter. Potest elici ex ordine ipsorum Evangelistarum, & nominum interpretatione. Matthæus primus de humanitate agit, quia primo debet quisque se esse hominem advertere, & dignitatem suam attendere. Unde dicit *Aug.* Utinam homo esses ut Matthæus. *Mich.* 6. Indicabo tibi homo, &c. Secundo Marcus de resurrectione, quia cum considerat homo, quis sit, & qualis & a quo, & propter quid resurgit. *Ephes.* 5. Surge, qui dormis, &c. Tertio Lucas de sacrificio, sive de immolatione, quia cum primo sese cognoscit quis per solicitam sui circumspectionem, & surgit a vitiis per mentis contritionem, & vitiorum detestationem, statim immolat semetipsum per bonorum operum continuationem. *Psalm.* 53. Voluntarie sacrificabo tibi, &c. *Luc.* 2. Cum autem obtuleris Domino holocaustum coctum in clibano, &c. Quarto, Joannes de ascensione, quia post tria prædicta incipit homo elevari per contemplationem.

Explicit Prologus Auctoris.

EJUSDEM REVER. PATRIS, DOMINI HUGONIS CARDINALIS

Argumenti S. Hieronymi in Evangelium secundum Matthæum.

EXPOSITIO.

a MATTHÆUS, & Sanctorum, quidem præcipue tamen peccatorum Evangelista, qui non solum sermone, sed & vitæ confessione Evangelium prædicavit, ut dicit *Chrys.* Ex hoc habetur quis.
b Ex Judæa] Ecce unde, & notatur loci dignitas.
c Sicut primus in ordine] idest in catalogo Evangelistarum ponitur. *d* Ita Evangelium] Ecce quid.

Incipit Argumentum S. Hieronymi in Evangelium secundum Matthæum.

a MATTHÆUS ex *b* Judæa *c* sicut in ordine primus ponitur, *d* ita Evangelium in *e* Judæa *f* primus scripsit, *g* cujus vocatio ad † Deum *h* ex publicanis actibus fuit, *i* duorum in generatione Christi principia præsumens, *k* unius, cujus prima circumcisio in carne, *l* alterius, cujus secundum cor *m* electio fuit, Ex *n* utrisque enim patribus *o* Christus. *p* Sicque *q* quaterdenario numero triformiter posito *r* principium a *f* credendi fide, in *t* electionis tempus *u* porrigens, *x* & ex electione usque in *y* transmigrationis diem *z* dirigens, *a* atque a transmigrationis die *b* usque in Christum definiens, *c* decursam adventus Domini ostendit generationem, ut *d* numero satisfaciens, *e* & tempori, *f* ut se quid esset ostenderet, & *g* Dei in se opus

e In Judæa] Ecce ubi.
f Primus scripsit,] ante quem nullus, post quem alii.
g Cujus vocatio ad Dominum] *infr.* 9.
h Ex publicanis, &c.] factus discipulus, Apostolus Evangelista primus ut nullus desperet. Publicani dicuntur a Publio, qui primus Judæam fecit tributariam. Unde dicuntur publicani, qui recipiunt hujusmodi vectigalia. Matthæus autem causa lucri se subjecerat ad ea recipienda. *i* Duorum in generatione, &c.] idest duos homines quasi principia, Abraham, sc. & David. Duorum dico: *k* Unius cujus, &c.] *Gen.* 17. Abraham, sc. qui fuit præcipuus Patriarcharum.
l Alterius, &c.] sc. Dei *m* Electio fuit.] idest, qui est electus secundum cor Dei. 1. *Reg.* 13. Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum. *Act.* 13. Inveni David filium Jesse virum secundum cor meum. Saul enim in ira Dei electus est *Os.* 13. Dabo tibi regem in futuro meo.

Inf. 9.

A

† Dominum.

n Ex utrisque enim patribus] Patriarchis, sc. & regibus.
o Christus] supple natus est.
p Sicque] præmissis duobus principiis, Patriarchis, & regibus, quasi a præcipuis ortus est secundum carnem.
q Quaterdenario, &c.] i. triplicato, i. positus in hac genealogia tribus quaterdenis.
r Principium] generationis. *f* A credendi fide] i. Abraham, qui est fides, & via credendi, & qui præcipue a fide commendatur. *t* In electionis tempus] i. ad tempus David, qui primo electus est a Deo in regem 1. *Reg.* 16. *u* Porrigens,] i. extendens unam quaterdenam. Ab Abraham enim incipit prima quaterdena, & terminatur in David inclusive.
x Et ex electione,] i. a David. *y* Usque in transmigrationis diem.] 4. *Reg.* 24. *z* Dirigens] aliam quaterdenam a David enim i. post David incipit quaterdena, & terminatur in transmigratione.
a Atque a transmigrationis die,] i. post diem transmigrationis. *b* Usque in Christum definiens,] i. terminans usque ad Christum inclusive.
c Decursam,] i. completam, adventus Domini ostendit generationem. Decursam dicit, quia descendendo procedit, ad differentiam Lucæ, qui eamdem ponit ascendendo. *d* Ut numero satisfaciens,] quaterdenario, cujus quatuor ad Novum Testamentum, decem ad Vetus Testamentum pertinent. *e* Et tempori] triplici, sc. ante legem, ut Abrahæ, sub lege, ut David, post legem, ut Joseph. *f* Ut se, quid esset ostenderet] sc. publicanum, & quare faciem hominis haberet in visione Prophetæ. *Ezech. cap.* 1. *g* Et Dei opus in se monstrans,] idest misericordiam Dei per vocationem suam *infra* 9.

a Etiam in his] patribus. *b* Quorum genus posuit,] i. per eos quorum generationem narravit. *c* Christi operantis, &c.] i. Christi, qui operatur a principio cum patre. *Joan.* 5. Pater meus usque modo operatur, & ego operor. *d* Testimonium non negaret, i. assereret. Liptote est. Omnes enim patres prædicti, vel in se, vel in filiis boni homines fuerunt. *e* Quarum omnium rerum] i. quarum prædictarum generationum. *f* Tempus] quia ponit patres trium temporum. *g* Ordo,] Primo, ponit eos, qui fuerunt ante legem, & sic deinceps. *h* Numerus,] trium tesseradecadum, quæ faciunt quadraginta duo. Quod significat, quod sicut filii Israel quadraginta duabus mansionibus terram promissionis intraverunt, sic & nos per virtutes designatas nominibus patrum in genealogia positis intrare possumus in idem regnum.

al. tuum.

monstrans, etiam *a* in his *b* quorum genus posuit, Christi *c* operantis a principio *d* testimonium non negaret. *e* Quarum omnium rerum *f* tempus, *g* ordo, *h* numerus, *i* dispositio, vel ratio, quod *k* fidei necessarium est, *l* Deus Christus est, qui factus est ex muliere, factus sub lege, *m* natus ex virgine, passus in carne, *n* omnia in Cruce fixit, ut *o* triumphans ea in *p* semetipso resurgens in corpore, & patris *q* nomen in patribus *r* filio, & filii *s* nomen patri restituens in filiis, *t* sine principio, sine fine, ostendens unum *u* se cum patre esse, *x* quia † unus est. In *y* quo Evangelio *z* utile est desiderantibus Deum, sic *a* prima,

i Dispositio, vel ratio] i. rationabilis dispositio, secundum mysterium, quia omnes dicti patres Christum significant.

k Quod fidei necessarium est,] i. quantum fidei necessarium. Unde [Quod] idest quantum.

l Deus Christus est,] idest omnia, quæ intelliguntur per ista, spectant ad Christum. Ad Christum enim spectat, quare talibus temporibus, quare sic ordinati, quare tot, quare sic dispositi. *f* Tempus] ut ostendatur, quod omnium temporum homines, ante legem, sub lege, post legem per ipsum salvandi sunt.

g Ordo,] ut ostendatur, quod sicut abundavit tempus legis a tempore ante legem, & tempus gratiæ ab utroque: sic superabundant beneficia ejus in nobis de die in diem, ut ostendatur, quod nos primo fuimus filii iræ, & quasi ante legem.

h Numerus] ut sic ostendatur, quod sicut populus Israel per quadraginta duas mansiones ingressi sunt in terram promissionis, sic nos per Christum, qui per quadraginta duas generationes ad nos descendit, ingressuri sumus terram salvationis. *i* Dispositio, vel ratio] quare enim sic sint disposita mysteria, spectat ad Christum.

l Christo] dico, qui factus est ex muliere, factus sub lege. *Gal.* 4. *m* Natus ex Virgine, passus in carne,] *ad litteram*. *n* Omnia in Cruce fixit] idest destruxit. Crucifixa enim sunt hæc quinque: Caro Christi, mortis chirographum, diabolus, detractio veniæ, vetustas culpæ. *o* Ut triumphans ea,] idest de eis. *p* In semetipso] idest, semetipso, [resurgens in corpore.] *q* Et patris nomen in patribus] supradictis, i. nomen patris faciendo, scilicet filios bonos. Et hoc t *r* Filio] idest honorem filii, ut patres possint dicere, nos habemus alios imitatione, nec eos per regenerationem amiseramus. Et ut filii similiter possint dicere, patrem habemus Abraham; cujus fidem tenemus, & imitamur. Et hoc est, quod sequitur:

s Et filii nomen patri restituens in filiis,] faciendo patres bonos. Tunc enim filii nomen habent filiorum, quando habent patres bonos ad quos relative dicantur; & hoc filio, quasi ad honorem filii.

t Sine principio sine fine ostendens,] *Apoc.* 1. Ego sum alpha, & omega.

u Unum se cum patre esse] *Joan.* 10. Et 17. Ego & pater unum sumus. *x* Quia unus est,] supple cum illo.

y In quo Evangelio] Matthæi, scilicet.

z Utile est desiderantibus Deum,] ex corde.

a Sic prima] historia. *b* Vel media] allegorica.

c Vel perfecta] moralia. *d* Cognoscere,] affectu, & intentu attendere. Vel *a* Prima] ea quæ continentur a principio usque ad prædicationem Christi.

b Vel media,] idest, prædicationem, & miraculorum operationem. *c* Vel perfecta] i. finalia Christi, scilicet Passionem, & resurrectionem, & ascensionem.

e Ut & vocationem Apostoli,] i. Matthæi *infr.* 9.

f Et opus Evangelii] scilicet gesta, & doctrinam Christi, in secunda partæ historiæ. Vocatio enim Apostoli in prima parte continetur.

g Et dilectionem Dei in carne nascentis] in fine, scilicet ubi de Passione legitur.

h Per universa legentes] idest, intus legentes.

vel *b* media, vel *c* perfecta *d* cognoscere, ut & *e* vocationem Apostoli, & *f* opus Evangelii, *g* & dilectionem Dei in carne nascentis *h* per universa legentes *i* intelligant, *k* atque id in eo, in quo *l* apprehensi sunt, & *m* apprehendere expetunt, recognoscant. *n* Nobis enim hoc in studio *o* argumentum fuit, & fidem *p* factæ rei tradere, & *q* operantes Dei *r* intelligendam diligenter † *s* dispositionem quærentibus non tacere.

Explicit Argumentum.

Incipit Evangelium secundum Matthæum.

CAP. I.

LIBER *a* generatio-

i Intelligant] idest, instructi fiant.

k Atque id in eo,] Christo, vel Evangelio.

l In quo apprehensi sunt] a Christo.

m Et apprehendere expetunt,] a Christo, scilicet misericordiam recognoscant, misericordiam Dei apprehendimus ab eo, & hanc ab ipso habere cupimus. Vel *k* In eo,] Evangelio.

al. † est.

l In quo apprehensi sunt,] idest in Christo, qui nos apprehendit secundum humanitatem. *Hebræor.* 2. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. *Isa.* 41. Et tu Israel semen Abrahæ amici mei, in quo apprehendam te.

A

m Et apprehendere expetunt,] scilicet Christum. *Phil.* 3. Sequor si, quo modo comprehendam, a quo & comprehensus sum, scilicet Jesum Christum.

n Nobis enim hoc est in studio] idest hæc intentio.

o Argumentum fuit,] idest, rationis, vel brevis comprehensionis, vel prologi. Hæc enim tria sæpe solet significare argumentum.

p Et fidem factæ rei tradere,] idest, de re notitiam legentibus explanare.

q Et operantes Dei,] Deus enim pater, imo tota Trinitas operata est, id quod in Evangelio narratur.

r Intelligendam diligenter] per expositionem facile intelligitur, quod fideliter exponitur.

s Dispositionem quærentibus non tacere,] qua nos disposuit salvare in carnem veniendo, prædicando, miracula faciendo, moriendo, resurgendo, ascendendo, Spiritum Sanctum mittendo, & Apostolos ad prædicandum destinando.

Explicit expositio argumenti in Evangelium secundum Matthæum.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRIS, ET DOMINI, DOMINI

Hugonis de Sancto Caro: Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, Tituli S. Sabinæ primi Cardinalis de Ordine Prædicatorum, in postillam super Evangelium secundum Matthæum.

EXPOSITIO CAP. I.

LIBER generationis, &c.] *August.* in principio satis declarat se agere de humanitate Christi, cum incipiat a generatione carnali. Et dicit enclerice, [Liber generationis, &c.] ut ostendat concordiam Veteris, & Novi Testamenti. In Veteri enim Testamento, scilicet in *Gen.* 1. agit de generatione cœli, & aliorum elementorum, in principio Novi de generatione Christi, & aliorum. *Matth.* 1. Liber generationis, idest, Christi, &c. *Genes.* 5. Hic est liber generationis Adam, &c. 1. *Cor.* 15. Primus Adam de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis. *Genes.* 2. Istæ sunt generationes cœli, & terræ. *Galat.* 4. Abraham duos filios habuit, i. duo Testamenta, unum in servitutem, &c. Unde *Glosſ.* Plenior sensus esset: Hic est liber generationis, sed hic mos est in multis, maxime in prophetis, ut Visio Isaiæ subaudi, hæc est [Liber generationis] *Chrys.* Sicut in apotheca divitis omnis homo, quod desiderat, invenit, sic in isto libro omnis anima, quod necesse habet, invenit.

Intellectus

Intellectus enim instruitur doctrinis, & affectus impinguatur Sacramentis. Hæc apotheca parat animæ panem virtutum, qui justificat; panem Sacramentorum, qui justificat panem Angelorum, qui beatificat.

nis *a* Jesu Christi filii *b* David, filii *c* Abraham. *d* Abraham genuit Isaac, *e* Isaac autem genuit Jacob, *f* Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus, *g* Judas autem genuit *h* Phares, & Zaram de

Gen. 21. Gen. 25.

Hier. [Generationis] dicitur singulariter, quamvis multæ replicentur per ordinem, unius tantum Christi generatio quæritur propter quam ceteræ inducuntur. Item licet parva pars voluminis sit de generatione, ab ea tamen denominatur more Hebræorum, qui voluminibus suis a principiis imponunt nomina, ut liber Genesis a suo principio nominatur, ubi dicitur *Gen.* 5. Liber generationis Adæ. Et 2. Istæ sunt generationes cœli, & terræ. Notandum, quod quadtuplex est generatio. Prima dicitur de terra, quia de terra sumptus est Adam, *Gen.* 2. Formavit Deus hominem de limo terræ. Secunda de viro, quia de eo sumpta est Eva. In *eod.* Ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem. Tertia de viro, & muliere, qua generatus est Cain. *Gen.* 4. Adam vero cognovit uxorem suam, quæ concepit, & peperit Cain. Quarta vero est de muliere sine viro, ut in Virgine, quæ concepit Christum [Generationis,] *Chrys.* Quare vocat hunc librum generationis, cum alia multa contineat? Responsio, quoniam totius dispensationis hoc capitulum sit principium, i. radix omnium bonorum est in illo. Idem. Quare Joannes in principio statim Deitatis monstravit naturam? Responsio, quia græco sermone scripsit causam gentium, quæ non cognoscebant, si Deus habet filium. *a* Jesu Christi] Salvatoris, non perditoris, ut Adam, Christus Græce, dicitur Messias Hebraice, Salvator Latine. Hoc nomine retunditur infidelitas Judæorum, qui Messiam, i. regem suum nondum venisse credunt. At vero Evangelista hunc probat sic esse Christum, quoniam hic est, qui de patriarcharum, & regum stirpe progenitus, de Virgine mirabiliter est editus, sicut eisdem longe ante fuerat promissus. Hic est enim spiritualis Josue, qui spiritualem Israel introduxit in terram promissionis, scil. in cœlum.

Quadruplex generatio.

b Filii David,] Propter quatuor causas David Abrahæ præponitur: Prima est, quia aliter series genealogiæ turbaretur. Secunda, quia profundus fuit peccator David, ideo ut ex misericordia ostendatur natus; David peccator Abrahæ justo præponitur. Et est hoc argumentum, quod activa præponitur contemplativæ, & pœnitens innocenti. Tertia, quia firmiter, & cum juramento David promissio facta est. *Ps.* 131. Juravit Dominus David, & non frustrabitur eum, &c. Et alibi: Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, Semen ejus in æternum manebit. Unde etiam Judæi interrogati de Christo cujus filius esset, dixerunt David *inf.* 22. Sed si objicitur, quod utrique juravit Dominus. Unde *Luc.* 1. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, &c. Respondendum quod hoc dixit Zacharias ad majorem confirmationem. Non enim legitur, quod juraverit Abraham in veteri testamento. Quartam causam ponit *Chrys.* Prior ponitur David, quia regni dignitas est major, quam naturæ. David etiam, & Rex eximius fuit, & propheta. *c* Filii Abraham.] *Chrys.* Quare non sufficit illum dicere solius Abrahæ filium, aut David solius? Quia Christus tres dignitates erat habiturus. Rex, Propheta, & Sacerdos. Abraham fuit Propheta. *Gen.* 20. Redde uxorem viro suo, quia Propheta est. Sacerdos, quia obtulit arietem pro filio suo. *Gen.* 22.

Quatuor de causis David præponatur Abrahæ.

d Abraham genuit Isaac.] Ab eo autem congrue fit generationis exordium, cui promissus est primum, in quo est benedictio omnium: *Matt.* autem posuit [genuit] & non generavit, ut ostenderet Christum esse terminum generationis. De quo dicitur: Ego hodie genui te. Item Matthæus posuit [genuit] quia naturæ tantum filios numeravit. *Luc.* vero aliquando legales filios interponit. Filii autem naturales sunt, qui secundum naturam de aliquibus nati sunt, legales, qui a mortuo sine hærede generati sunt, ut fratribus suscitaretur semen, & ascribuntur tales eis, qui mortui sunt sine hæredibus. Et in signum hujus non potuit dicere *Luc.* qui genuit, sed qui fuit: [Abraham genuit Isaac] *Interl.* fides, spem. Sed contra: Virtutes a Deo infunduntur, has enim Deus operatur in nobis, sine nobis ergo neutra aliam generat. Præterea, simul sunt, quia qui habet unam, habet omnes. Sol. Simul sunt, & a Deo infunduntur, inquantum habitus, actus tamen, sive usus virtutum libero subjacet arbitrio. Unde actus unius potest generare actum alterius, licet non habitus habitum [Abraham genuit Isaac.] *Chrys.* Isaac, risus, typus est Christi, qui in ultima senectute donatus, non naturæ filius, sed gratiæ. Sic noster Isaac Christus in extremis temporibus gratis datus est. Oblatus enim est; quia ipse voluit. *Isa.* 52. Et hoc, quando venit plenitudo temporis, misit Deus, &c. Et alibi. Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt. *Luc.* 2. Angelus ad pastores ait;

Gen. 29. & 30. Gen. 18.

Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, &c.

Et sicut mater non cognovit, quando Isaac est immolatus, sic synagoga non cognovit, quando Christus est immolatus. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.

Gal. 4. 1. Cor. 10.

Item sicut ille dixit, pater, liga mihi manus, & pedes, ne quando insurgam in impugnationem, sic Christus Patri, non renuit venire ad Passionem.

Unde *inf.* 26. Fiat voluntas tua. Quod significatum est in Jona dicente. Mittite me in mare, &c. *Jo.* 1. *e* Isaac autem genuit Jacob] *Chrys.* Esau asper, & hispidus. *Gen. cap.* 25. Hoc pravum, & nequam sæculum significat. Jacob lenis, & nitidus, qui tenens plantam sequitur, sæculum futurum.

1. Cor. 2.

Et quemadmodum Esau persequebatur Jacob, sic filii hujus sæculi filios lucis persequuntur. Sic Jacob evasit manus Esau fugiendo, sic filii ejus non resistendo, sed cedendo malos superant.

Et sicut Jacob Rebecca mater adjuvit, sic mater nostra divina gratia nos custodit.

Mystice. Autem per istos, virtutes Theologicæ intelliguntur.

Mystice.

Per Abraham fides, qui dicitur prima via credendi, non quod primus crediderit, vel quod fidem unius Dei solus habuerit, imo Noe ante diluvium, & Enoch orationem ad unum Deum direxit, sed hoc dicitur, quia sine omni hæsitatione, & murmuratione credidit. Unde cum filium unicum haberet, Domino præcipienti immolare parere non dubitavit, de quo tamen sciebat Christum nasciturum. Credebat enim pro certo, quod qui præcipiebat immolare, immolatum poterat suscitare. Aliter etiam dicitur prima via credendi, quia primus hominibus sui temporis publice prædicavit fidem unius Dei. Per Isaac, qui interpretatur risus, spes intelligitur, per quam in tribulationibus ridemus. *Rom. cap.* 12. Spe gaudentes. Per Jacob, charitas, quæ habetur in via, deinde in visione in patria,

f Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus,] *Gen.* 29. & 30.

Ponitur autem solus Judas, ne numerus ultra quadragintaduo extenderetur, & quia de eo solum descendit Christus. *Chrys.* Jacob noster duodecim genuit Apostolos, spiritu non carne, & verbo non sanguine.

Et sicut Jacob cum suis, ut multiplicatetur, descendit in Ægyptum, sic Christus cum suis in mundum.

Item ille manducavit medullam Ægypti. *Gen.* 45. & Christus mundi. Medulla enim mundi sunt homines Sancti.

Sicut enim quamdiu est medulla in arbore sana semper floret, cum autem comesta fuerit tota paulatim marcendo siccatur, sic quamdiu sunt fideles, stat iste mundus. Nam sicut egredientibus Israelitis exterminata est Ægyptus, sic sancti cum de isto mundo decesserint, casurus est mundus.

g Judas autem genit Phares, & Zaram de Thamar,] Nota historiam. *Gen. cap.* 28.

Quod Judas habuit tres filios, Her, Onam, Sela. Primogenito dedit Thamar, sed mortuus est sine semine.

Secundus, cum nequam esset, nolens suscitare semen fratri suo, interfectus est a Domino.

Quo mortuo dixit Judas ad Thamar. Sede in domo tua vidua, donec adultus sit filius meus Sela. Post aliquot dies videns Thamar, quod defraudaret eam, sciens quod iturus erat Judas ad tonsores, assumpto habitu meretricio sedit in bivio, & inventa a Juda, pacto inito cognovit eam, & concepit.

h Phares, & Zaram de Thamar.] *Chrys.* Revera neque ex nuru neque ex meretrice. Meretrix enim non erat, cum propter amorem seminis Israel se finxerit meretricem. Nurus etiam non erat, quia nullus filiorum Judæ habuit eam.

Nam cum Judas suo experimento exterritus, noluisset fi-

lio suo Her accipere uxorem de filiabus Chanaam, sed dedisset ei Thamar ex filiabus Aram, mater ejus cum esset Chananæa hortaretur eum de genere suo accipere uxorem, ille consilio matris usus non contigit eam, propter quod percussit eum Dominus. Alter sciens non sibi nasci filios, semen fudit in terram, propter quod a Domino percussus est, Sic factum est, ut Thamar integra maneret. Hæc ita gesta nesciens Judas, cum diu lamentaretur, astitit ei Angelus, & hæc omnia exposuit ei. Item *Chrys.* Secundum Dei providentiam hæc nomina posita esse credimus. Qua autem causa, vel ratione, sciunt, qui posuerunt, & Deus. Nota quod de ipsis interpretationibus nominum potest elici sensus mysticus, & moralis. Judas confitens, Thamar amaritudo interpretatur, Phares, divisio, Zara, oriens.

Thamar, *a* Phares autem genuit Esron, *b* Esron autem genuit Aram, *c* Aram autem genuit Aminadab, *d* Aminadab autem genuit Naason, *e* Naason autem genuit Salmon, *f* Salmon autem genuit Booz de Rahab, *g* Booz autem genuit Obed ex Ruth, *h* Obed autem genuit Jesse, *i* Jesse autem genuit David Regem, *k* David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ, *l* Salomon autem genuit Roboam,

Mystice. Mystice. Ergo de Thamar, i. synagoga amara, de ira, virga matris Evæ natus est Phares, i. Christus oves finaliter ab hœdis divisurus. *Inf.* 25. Et Zara, i. Christus, de quo *Zach.* 6. Ecce vir oriens nomen ejus.

Moralit. Moraliter. Exponitur, quia Judas interpretatur, confessio. In confessione enim est gravis, & magna amaritudo, Amarum enim est, & molestum crimen suum aliis facere notum. Confessio ergo de amaritudine cordis generat divisionem vitiorum, & ortum virtutum.

a Phares autem genuit Esron,] Iste genitus fuit in Ægypto. *Matt.* enim texens genealogiam Christi orditus est eam a tribus principalibus Patriarchis, post quos statim descendit ad illos, qui nati sunt in Ægypto, consequentes per ordinem ad eos, qui nati sunt in deserto, & demum ad eos, qui nati sunt in terra promissionis. Esron sicut alii, secundum nominis interpretationem significat Christum. Interpretatur enim sagitta in amorem Dei hominum vulnerans corda. Unde 4. *Reg.* 13. Sagitta salutis Domini contra Syriam. *Isa.* 49 Posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me, i. in nidulu humanitatis. Hæc sagitta aliis est salubris, aliis lætalis. Esron etiam interpretatur atrium, & Christus atrium est, charitatem dilatans usque ad dilectionem inimicorum, *inf.* 5.

b Esron autem genuit Aram,] in Ægypto. Aram, Christus, electus, vel excelsus dicitur. Electus, de quo *Isa.* 42. Ecce puer meus, quem elegi. Puer a puritate dicitur, & ab obedientia. *Cant.* 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus, i. ex universa multitudine hominum, & Angelorum ad nostram redemptionem. De hoc excelso dicit *Ps.* 112. Excelsus super omnes gentes Dominus.

c Aram autem genuit Aminadab] similiter in Ægypto. Interpretatur autem Aminadab spontaneus, vel voluntarius, per quem designatur Christus, qui dicit. Voluntarie sacrificabo tibi. *Isa.* 53. Oblatus est, quia voluit. Aminadab etiam interpretatur gens desiderata, quia usque nunc, qui desiderabiles sunt, & voluntarii Deo irritant ad invidiam sui tenebrarum virtutes. Unde *Job* 3. Qui parati sunt suscitare Leviathan.

d Aminadab autem genuit Naason] in Ægypto similiter. Naason interpretatur, augurium in bono, i. præscius futurorum. *Gen.* 44. An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia? Hic est Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. *Col.* 2. Qui novit præsentia, præterita, & futura. Item Naason interpretatur, serpentinus, & Christus prudenter more serpentis diaboli, & membrorum ejus insidias cavit, *inf.* 10. Estote prudentes sicut serpentes. Unde & *Nu.* 21. significatus est per serpentem æneum. Christus enim serpens per mortalitatem, æneus per divinitatem. *Gl.* In Ægypto Pharez genuit Esron, Esron Aram, Aram Aminadab, & Aminadab Naason, & tunc Moyses eduxit eos de Ægypto. Et hoc significatum est *Gen.* 15. ubi dicitur. In quarta generatione revertentur huc. Naason fuit dux sub Moyse in tribu Juda per desertum, ut dicitur *Nu.* 2. Sed postea forte suspendi jussus est cum aliis principibus, ut habetur *Nu.* 25. & tunc videtur filius ejus ei substitutus. Vel forsan si non fuit suspensus, quia cessavit ira Domini propter Phinees, constat tamen, quod mortuus fuit in deserto, quia a viginti annis, & supra nullus intravit in terram promissionis, ut habetur *Nu.* 13.

e Naason autem genuit Salomon] qui interpretatur sensibilis, & Christus secundum divinitatem invisibilis, & incomprehensibilis, factus est pro nobis visibilis, & passibilis. *Phil.* 2. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu.

f Salmon autem genuit Booz de Rahab,] quæ excepit exploratores Josue. Secundum enim *Gl.* Salmon princeps tribus Judæ, Rahab sibi copulavit, & significat Ecclesiam de gentibus, quæ principi ex Juda, i. Christo copulatur, & sola cum suis salvatur, dum Hiericho, i. præsens sæculum septem vitiorum muris vallatum, septem dierum tempore tubis prædicationum circumvallatur, donec in novissima tuba muri corruant, & novissima mors destruatur. 1. *Cor.* 15. Rahab fames, vel latitudo, vel impetus interpretatur, & significat Ecclesiam gentilium esurientem, & sitientem justitiam, *inf.* 5. Hæc patiebatur famem audiendi, & faciendi verbi Dei. *Amos* 8. Hæc nunc est dilatata, secundum illud *Isa.* 54. Dilata locum tentorii tui. Impetuosa etiam fuit in † conversione. Juxta illud. Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur & rotæ. *Ezech.* 1. Ipsa enim reges fortes, & peritos, & magnos philosophos in brevi tempore traxit.

Ruth. 4. *2. Reg.* 12. *al.* † *conversatione.*

g Booz autem genuit Obed ex Ruth,] Nota, quod Salmon genuit Booz, ille Booz genuit secundum Booz, & ille Booz secundus genuit tertium, & ita erant tres continui Booz, scil. pater, filius, nepos, tamen quia illorum trium unum erat nomen. Matthæus semel posuit, sicut *inf.* Jechonias semel ponitur pro patre, & filio. De Booz patre Obed agitur *Ruth* 4. Aliis duobus *Jos.* 6.

Mystice. Mystice. Ruth Moabitis significat Ecclesiam de gentibus, quæ est de Moab, i. patre diabolo. *Jo.* 8. Et de petra deserti filios Abrahæ suscitavit, ut habetur *inf.* 3. Booz fortis interpretatur.

Et de Christo legitur. Dominus in fortitudine veniet. *Isa.* 40.

Et *Ps.* 22. Dominus fortis, & potens. *Chrys.* Qui secundum Dei præceptum accipiunt uxores, in virtute generant filios in seipsis virtutem habentes, qui autem divitias eligunt, & non mores, pulchritudinem, & non fidem, quod in meretricibus solet quæri, hoc in conjugibus optant, generant filios non Deo subditos, sed sibi, & Deo contumaces, unde filii eorum non sunt fructus justæ conjunctionis, sed pœna condigna irreligiositatis eorum.

h Obed autem genuit Jesse,] Iste Jesse fuit binomius. Dicebatur enim Isai, ut habetur 2. *Reg.* 23. Et Jesse, ut scites eum venisse, de quo *Isa.* 11. Egredietur virga de radice Jesse, &c. Jesse interpretatur, incendium, & Christus dicit *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram.

i Jesse autem genuit David Regem] non quod solus Rex in hac genealogia fuit, sed quia primus Rex de tribu Juda, per quem ordo generationis decurrit usque ad Christum.

Mystice. Mystice. David manus fortis, Christus, qui Goliam, idest, diabolum vicit. 1. *Reg.* 17. Qui infernum spoliavit. *Ps.* 106. Quia contrivit portas æreas. Ipse etiam aspectu desiderabilis. *Ps.* 44. Speciosus forma præ filiis hominum. 1. *Pet.* 1. In quem desiderant angeli prospicere.

k David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ] uxor, ut legitur. 2. *Reg.* 12. Nota, quod prædictæ mulieres tres nominatæ sunt, quia ex generationibus suis laudari meruerunt, hæc autem Bersabee non nominatur, quia peccavit ipsa cum David, & David cum ea, & in viro suo, quem interfici fecit. Bersabee, puteus satietatis, vel etiam puteus septimus interpretatur, hæc est Ecclesia munere septiformis gratiæ Spiritus Sancti sacrata, a qua hauritur fons aquæ salientis in vitam æternam. *Jo.* 4. Urias, lux mea Dei interpretatur, & significat diabolum, qui transformat se in angelum lucis, & lucem Dei se facit, 2. *Cor.* 11.

Hic etiam dixit Similis ero altissimo. *Isa.* 14. Cui Ecclesiam conjugatam Christus de solatio paternæ majestatis adamavit, & pulchram factam sibi matrimonio copulavit.

l Salomon autem genuit Roboam] qui Princeps fuit duarum

tribuum

tribuum, ut legitur 3. *Reg.* 12. Et interpretatur latitudo populi.

a Roboam autem genuit Abiam,] qui regnavit super Judam, 4. *Reg.* 15. Et interpretatur pater Dominus: Et de Christo dicitur 2. *Reg.* 7. Ego ero illi in patrem.

b Abias autem genuit Asa.] 3. *Reg.* 15. Et interpretatur attollens: Hic est Christus, qui abstulit peccata mundi, *Jo.* 1. Vel attollens humanam naturam ad dexteram Patris, *Ps.* 109. Sede a dextris meis, *Heb.* 1. Sedet ad dexteram majestatis in excelsis.

Item *Chrys.* Asa interpretatur unguentum floriquum, quod est boni odoris, & suo odore delectat, & impinguat. Sic Christus in tempore tentationis, & historia scripta de eo legentem delectat, & impinguat.

a Roboam autem genuit Abiam, *b* Abias autem genuit *c* Asa, Asa autem genuit Josaphat, *d* Josaphat autem genuit Joram, *e* Joram autem genuit Oziam, *f* Ozias autem genuit Joathan, *g* Joathan autem genuit Achaz, *h* Achaz autem genuit Ezechiam, *i* Ezechias autem genuit Manassen, *k* Manasses autem genuit Amon, *l* Amon autem genuit Josiam, *m* Josias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus *n* in transmigratione Babylonis. Et *o* post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel, *p* Salathiel autem genuit Zorobabel, *q* Zorobabel autem genuit Abiud, *r* Abiud autem genuit Eliacim, *s* Eliacim autem genuit Azor, *t* Azor autem genuit Sadoc, *u* Sadoc autem genuit Achim, *x* Achim autem genuit Eliud, *y* Eliud autem genuit Eleazar, *z* Eleazar autem genuit Mathan, *a* Mathan autem genuit Jacob,

c Asa autem genuit Josaphat] qui interpretatur judicans. Et Christus est Judex *Jo.* 5. Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, *Ps.* 95. & 97. Judicabis orbem terræ in æquitate.

d Josaphat autem genuit Joram] qui excelsus interpretatur. Hic est Christus, qui ait. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, *Jo.* 3.

e Joram autem genuit Oziam.] Nota 4. *Reg.* 8. quod Joram genuit Ochoziam. Ochozias autem genuit Joas, Joas autem genuit Amasiam, Amasias autem genuit Oziam. Hi tres reges sunt prætermissi, vel ideo quia propositum fuit Evangelistæ tres tessera decades ponere, vel quia Jotam se miscuit generi Jezabel, 4. *Reg.* 8. & dictum est per Prophetam, 3. *Reg.* 21. in throno regni quempiam non esse sessurum de domo Achab nisi in quarta generatione, ideo memoria ejus a sancta generatione tollitur usque ad tertiam generationem. Purgata vero labe gentilis familiæ in quarta origo Christi numeratur. Omnes autem, quos ponit hic aut boni, aut patres boni, aut filii bonorum fuerunt.

Mystice. Mystice Ozias robustus Domini interpretatur. Hic est Christus, de quo *Ps.* 117. Fortitudo mea Dominus.

f Ozias autem genuit Joathan. De quo 4. *Reg.* 15. Et interpretatur perfectus: *inf.* 5. Estote perfecti, sicut & pater vester perfectus est.

g Joathan autem genuit Achaz] 4. *Reg.* 16. Et interpretatur comprehendens *inf.* 11. Nemo novit Patrem nisi filius.

h Achaz autem genuit Ezechiam] Iste fuit valde bonus, & pius, De quo 4. *Reg.* 18. Et interpretatur fortis Dei, *Ps.* 23. Dominus fortis, & potens.

i Ezechias autem genuit Manassen.] De quo 4. *Reg.* 21. Et interpretatur obliviosus. Hic est Christus, qui peccatore converso omnium iniquitatum ejus non recordatur amplius, *Ezech.* 18.

k Manasses autem genuit Amon] Uterque fuit malus, sicut legitur 4. *Reg.* 21. Amon autem interpretatur nutricius. Hic est Christus, *Osee* 11. Ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis, &c.

l Amon autem genuit Josiam.] Iste fuit valde bonus, De quo 4. *Reg.* 22. Josias salus Domini interpretatur, vel incensum. Hic est Christus, qui operatus est salutem in medio terræ. Qui dicit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

m Josias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus.] De quibus, 4. *Reg.* 23. & 24.

n In transmigratione Babylonis] idest, prope transmigrationem. Et ponitur, [in] pro ad q.d. genuit eos ut transmigrarent ad Babylonem, ita ut hæc dictio notet consecutionem, & non causam. Nota, quod Josias tres habuit filios, Joachin, qui dictus est Jechonias a filio, secundus Joachaz, qui & Sellum dicitur *Jer.* 22. Tertius Matathias qui postea dictus est Sedecias. *Rab.* quærit, quare Jechonias dicitur filius Josiæ, cum Josias genuerit Joachim, & Joachim genuit Jechoniam. Si autem eundem Jechoniam bis numeremus, in fine sc. præced. tessera decadis, & in principio sequentis, ad hoc ut plenius tres tessera decades inveniantur, jam non erant quadraginta duo patres. Hoc diversis modis solvitur, *Hier.* quod uterque pater, sc. & filius, Joachim, sc. major, & Joachim minor Jechonias vocatur, & ita habemus unum in fine præced. tesseradecadis, & alterum in principio sequentis, at cum dicitur: Josias genuit Jechoniam, Joachim, sc. majorem intelligamus. Cum vero dicitur. Jechonias genuit Salathiel, Joachin, sc. minorem intelligamus. Joachin pater scribitur per. *m* Joachim, filius per. *n* August. tamen dicit quod unus bis numeratur Jechonias, qui & Joachim dictus est, a quo facta est quædam in exteras gentes deflectio, i. prima transmigratio, quando, sc. in Babyloniam transmigratum est.

Ubi ergo ordo a rectitudine deflectitur, & in diversa tendit, angulum facit, & id, quod in angulo est, bis numeratur. Jechonias, præparatio Domini interpretatur, quod Christo convenit, *Jo.* 14.

Vado parare vobis locum, &c. Transmigratio autem in Babyloniam, significat transitum Apostolorum ad gentes, *Act.* 13.

o Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel] qui interpretatur petitio mea Deus. Quod Christo convenit, qui dicit, *Jo.* 17 Pater serva eos, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut nos.

p Salathiel autem genuit Zorobabel] Hoc legitur in multis locis in Scriptura, *Aggæi cap.* 2. In die illa dicit Dominus, assumam te Zorobabel fili Salathiel serve meus, &c.

Et 3. *Esdræ* 5. Zorobabel filius Salathiel, & fratres ejus: Tamen 1. *Paral.* 3. legitur contrarium. Filii Jechoniæ, Asir, Salathiel, Melchiram, & Phadaja, &c. de Phadaja orti sunt Zorobabel, & Semei.

Sed tradunt Hebræi trinomium fuisse, Asir, Salathiel, & Phadaja.

Sed scimus, quod *in lib. Paral.* multa sunt truncata, & vitio scriptorum depravata. Zorobabel autem magister confusionis interpretatur. Hic est Christus magister exeuntium de confusione peccati, & mundi *inf.* 23. Unus est magister vester.

q Zorobabel autem genuit Abiud] qui pater meus iste interpretatur, quod Christo convenit, *Ps.* 88. Ipse invocabit me, pater meus es tu.

r Abiud autem genuit Eliacim,] qui Dominus resuscitans interpretatur, *Jo.* 6. Qui videt filium, & credit in eum, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.

s Eliacim autem genuit Azor] qui adjutus interpretatur, *Ps.* 53 Ecce enim Deus adjuvat me, & dominus susceptor est animæ meæ.

t Azor autem genuit Sadoc] qui justus interpretatur. Hic est Christus, *Ps.* 10. Justus Dominus, & justitias dilexit, *Sap.* 10. Justum deduxit Dominus per vias rectas, &c.

u Sadoc autem genuit Achim] qui interpretatur frater meus iste. Hic est Christus, qui voluit homo fieri, ut haberet fratres, De quibus *Ps.* 21. Nunciabo nomen tuum fratribus meis, *Cant* 8. Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, &c. *inf.* 12. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.

x Achim autem genuit Eliud] qui interpretatur Deus meus. Hic est Christus, qui dicit, *inf.* 27. Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti.

y Eliud autem genuit Eleazar,] qui interpretatur Deus adjutor meus. Hic est Christus, qui in persona hominis dicit: Deus meus sperabo in eum, *Jer.* 17. Benedictus, qui confidit in Domino.

z Eleazar autem genuit Mathan] qui interpretatur donans vel donatus Hic est Christus donans dona hominibus, *Jo.* 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.

a Mathan autem genuit Jacob] qui luctator, & supplantator interpretatur, Hic est Christus, qui mundum, & diabolum vicit.

vicit. Qui mortem occidit, 1. *Cor.* 15. Ubi est mors victoria tua? Qui infernum spoliavit, *Osee* 13. Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne.

a Jacob autem genuit Joseph] qui interpretatur augmentum. De quo *Ephes.* 5. Qui omnia in omnibus adimpletur.

nem cohabitationem, & interim erat uxor sub custodia mariti, & frequenti visitatione donec solemnia nuptiarum celebrarentur. Propter multas autem causas voluit Christus matrem suam desponsari. Unam causam ponit *Chrys.* aliæ extrahuntor a *Gloss.*

a Jacob autem genuit Joseph virum *b* Mariæ, *c* de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. Omnes *d* itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim, & *e* a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, *f* & a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim. Christi *g* autem generatio sic erat. Cum esset *h* desponsata Mater Jesu Maria Joseph, *i* antequam convenirent, *k* inventa est in *l* utero habens de Spiritu sancto. *m* Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere, *n* voluit occulte dimittere eam. Hæc *o* autem eo cogitante,

27. q. 2. Somnis.

C

b Virum Mariæ,] quæ interpretatur stella maris, vel amarum mare *Glossa*. Quid ad Christum generatio ex David deducta ad Joseph? Nunquid Christus ex semine Joseph? Non, supple, sed non est consuetudo Scripturarum, ut ordo mulierum in generationibus texatur, ideo non per Mariam, sed per Joseph inducitur, cum de una tribu Joseph, & Maria fuerint, unde & eam quasi proximam cogebatur accipere, ne tribus se in aliam confunderet.

Unde *Num.* 36. Omnes viri ducent uxores, & de tribu, & de cognatione sua, & cunctæ feminæ maritos de eadem tribu accipiant, ut hæreditas permaneat in familiis.

Sed contra hoc, *Exod.* 6. Accepit Aaron sororem Nason filiam Aminadab, idest, Elisabeth in uxorem, de qua constat, quòd erat de tribu Juda, & Aaron de tribu Levi.

Item David duxit Michol filiam Saul, quæ erat de tribu Benjamin, ut habetur 1. *Reg.* 18. David autem de tribu Juda. Solutio. Sola illa mulier non poterat nubere viro de alia tribu, ad quam deveniebat hæreditas parentum. Unde cum ad Elisabeth non deveniret hæreditas patris, quia habebat fratres priores se, bene potuit nubere viro de alia tribu, quia nulla fiebat permixtio sortium.

Idem habetur de aliis. Sed quia Maria fratres non habuit, vel sorores, ad eam devenit hæreditas, unde habuit necesse secundum legem nubere viro de cognatione sua. Quod autem ad filias transiret hæreditas, habetur *Num.* 27. ubi dicitur. Cum mortuus fuerit homo sine filio, ad filias transibit hæreditas. Quæritur autem quare *Matthæus* dicat Jacob patrem Joseph, cum Lucas eum Heli nominet, & Heli filium Mathat? Sed sciendum quod Mathat qui descendit de David per Mathan, habuit uxorem, quæ dicta est Jescha, de qua genuit Heli: post mortem vero Mathat, Mathan, qui descendit per Salomonem, accepit eamdem uxorem, & genuit inde Jacob, ita uterini fratres fuerunt Heli, & Jacob, Heli vero duxit uxorem, & mortuus est sine semine, Jacob autem duxit eamdem uxorem, & suscitavit semen fratri suo, & genuit Joseph. Itaque Joseph secundum legem filius Heli, secundum naturam filius Jacob dicitur.

c De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus] Christus natus est de patre substantialiter, de matre materialiter, de Spir. Sancto potentialiter, sive virtualiter.

d Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David] inclusive, ut in illa generatione tam David quam Abraham contineantur, generationes quatuordecim.

e Et a David usque ad transmigrationem Babylonis] ut David non sit de ista generatione, sed transmigratio Babylonis, [generationes quatuordecim] Similiter.

f Et a transmigratione Babylonis usque ad Christum] ut Christus contineatur sub hac generatione, non transmigratio Babylonis [generationes quatuordecim] Ecce in universo quadragintaduæ.

g Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater Jesu, &c.] Multa præter mittuntur hic, quæ Lucas narrat. Annunciatio sc. Domini per Gabrielem, & qualiter facta annunciatione, exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth, & exultavit infans præ gaudio in utero ejus. Et qualiter mansit ibi tribus mensibus, & reversa est in domum suam. Post reversionem autem illam inventa est habens de Spiritu sancto. Et ab hoc loco incipit *Matth.* dicens.

h Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph] Desponsatio enim fiebat per aliquod tempus ante commu-

Propter multas causas voluit Christus matrem suam desponsari. 27. q. 2. c. Priusquam, & c. Lectum. 24, & c. Genuit. De con. §. 14.

Prima est, quia futurum erat, ut omnes sancti de virgine nascerentur Ecclesia Christo desponsata, unde Christus de desponsata natus est, ne indignius nasceretur Dominus quam servi.

Secunda, ut per Joseph genealogia Mariæ texeretur, quia de eadem tribu erant, & per mulieres genealogia non texitur.

Tertia, ut Joseph esset testis castitatis ipsius, & defendens eam ab infamia suspicionis.

Quarta, ne ut adultera combureretur *Lev.* 21. De alia tribu lapidabantur, *Deut.* 22. Quintam causam dicit *Origenes*, ut virgo viri solatio sustentaretur, & tam puer quam mater officio viri sustentarentur.

Sextam ponit *B. Ignatius*, sc. ut diabolo partus ejus occultaretur, qui nequivit discernere, an de virili semine, an ex virgine nasceretur.

Septima causa, ne fatuis virginibus daretur causa, vel occasio se excusandi de infamia, dicendo quod & mater Christi infamata fuerit.

Octava causa potest assignari, ut per hoc, quod de virgine, & desponsata natus esset, uterque status approbaretur, sc. conjugatorum, & virginum. *i* Antequam convenirent] commuoi cohabitatione. Sed non sequitur, quod postea convenerint, sicut non sequitur. Ille non pœnitebit, donec mortuus sit, ergo post. Et est similis modus loquendi, *Gen.* 8. Corvus non est reversus, donec siccarentur aquæ super terram. Neque enim postea reversus est.

Et in *Ps.* 108. Donec ponam inimicos tuos, &c.

Item. Oculi nostri ad Dominum, donec misereatur nostri.

k Inventa est] a Joseph sicut a viro curioso circa uxorem. Ipsa dico. *l* In utero habens de Spiritu sancto,] idest, opere Spiritus sancti conceperat. Non quia hoc Joseph cognoverat, sed ipsa habens in utero de Spiritu sancto, inventa est a Joseph habens in utero.

Vel sic distingue. Inventa est in utero habens: & hoc fuit de Spiritu sancto, idest, de Sp. sancto erat habens in utero, *Chrys.* Confundantur vani inquisitores, quando natus est Christus de Spiritu sancto, cum nesciant naturam suam explicare. Neque Gabriel, neque Matthæus amplius potuerunt dicere, quam quod de Spiritu sancto natus est, & tu vis linguam tuam super Gabrielem, & Mattheum erigere? *Is.* 53. Generationem ejus quis enarrabit? Ecce illud novum, mulier circumdabit virum, *Jer.* 22. *m* Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere] idest, in damnum suum ducere. *n* Voluit occulte dimittere eam.] Nota, quod priusquam Angelus virginem salutasset, & priusquam de montanis rediisset, Joseph eam desponsaverat per verba de præsenti, quod patet per illud *Luc.* 1. Missus est Gabriel ad Virginem desponsatam Joseph, & diligenter eam custodiens apprehendit gravidam. Erat ergo in ambiguo, quia poterat res bona, & poterat esse mala. Credebat enim Joseph filium Dei Virgine nasciturum, & poterat esse, quod de ista, quod si contigisset, reputabat se indignum cohabitatione ejus. Si autem aliunde concepisset, videretur conscius adulterii, & adulterium celare, si cohabitaret ei, & ideo eligens viam mediam, voluit occulte dimittere eam. Aliter potest distingui, & accipitur, traducere, pro propalare. Et notantur tria circa Joseph, scilicet justitia, pietas, & prudentia. Justitia notatur in hoc, quod volebat innocentem servare ab infamia. Pietas, quia nolebat eam traducere, idest, propalare, idest, publice adulteram promulgare. Prudentia, quia volebat eam occulte dimittere. *o* Hæc autem eo cogitante] quia pie, & prudenter præcogitat, consolari meretur, & consilium suum a meliori

Moral. *o* Hæc autem eo cogitante, &c.] Quilibet justus debet

Moralis.

a ecce Angelus b Domini c apparuit in somnis Joseph, dicens: d Joseph fili David, e noli timere f accipere Mariam conjugem tuam. g Quod enim in ea natum est, de h Spiritu sancto est. i Pariet autem filium, & k vocabis nomen ejus Jesum, l Ipse enim salvum faciet m populum suum n a peccatis eorum. o Hoc autem totum factum est, ut p adimpleretur, quod dictum est a Domino per q prophetam, dicentem: r Ecce virgo in utero habebit, f & pariet filium, & t vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est u interpretatum nobiscum Deus. x Exurgens autem Joseph a somno y fecit, sicut praecepit ei Angelus Domini, & z accepit conjugem suam, & a non

a melioni consilio mutatur. a Ecce Angelus, &c.] *Gl.* Ne ulterius premeret dubietas, quem commendabat æquitas. b Domini] Non ille, qui transfigurat se in Angelum lucis 2. *Cor.* 11.

c Apparuit in somnis,] scilicet corporis, & dubietatis: In somnis. *Chrys.* Sicut dormienti Adam creavit mulierem, sic isti dormienti divinitus consignavit uxorem. Nota, quod dicit, apparuit. Apparere enim proprie dicitur subita, & invisibilis rei visibilis exhibitio. Et quandoque apparent Angeli invisibiliter, idest, sine subjecta creatura, ut in somnis, ubi nihil videt homo, sed videtur videre.

Et eleganter apparuit ei in somnis, ut ostenderet eum sopitum quasi somno ambiguitatis, quodam enim modo dormit animus, cum in ambiguo fluctuat. d Dicens: Joseph fili David.] Notum, & familiarem se ostendit, cum genus, & nomen dicit. *Exod.* 33. Ego novi te ex nomine. Filium David vocat, ut revocet ad memoriam se, & Mariam ex eadem tribu esse, & ideo nullatenus diffidat hanc promissionem posse compleri in Maria.

e Noli timere.] Nota, quod quater dixit Angelus: Ne timeas. Zachariæ. *Luc.* 1. Mariæ. *Luc.* 1. Joseph, ut hic. Pastoribus. *Luc.* 2.

f Accipere Mariam conjugem tuam] *Gl.* Conjux erat non cubitu, sed affectu, non commixtione corporis, sed in unione, sive copulatione animorum. Unde *Aug.* Hoc exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis servata pari consensu continentia, posse permanere arctarique conjugium non mixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. g Quod enim in ea natum est] non de ea. Aliud enim est nasci de ea, & aliud in ea. De ea nasci, est in lucem produci, in ea vero nasci, est concipi. h De Spiritu sancto est.] Non dicit de Patre, vel Filio, quia de sola bonitate Dei fuit, quod incarnaretur, quod attribuitur Spiritui sancto.

moraliter. ¶ debet habere Mariam conjugem, idest, amaritudinem pœnitentiæ. Accipienda enim est pœnitentia in uxorem, quia pulchra, quia dives, quia nobilis, soror enim regis cœlestis est. Dolorem enim, & miseriam Christus ab utero habuit. Sed multi dormiunt cum Joseph. Quibus ait Apostolus *Eph.* 5. Surge, qui dormis, & illuminabit te Christus. Sicut autem non curatur de verbo dormientis, sic non multum ædificantur homines in prædicatione prælati in peccato jacentis. Multi autem timent accipere Mariam, quousque timor Domini, quasi Angelus, monet eos, dicens. Noli timere, fili David, scilicet, si vis esse imitator Christi, qui fuit tristis, flagellatus, crucifixus *Jesus* t. Noli timere, sed confortare, & esto robustus. Hoc matrimonium inchoatur per contritionem. *Osee* 2. Sponsabo te mihi in judicio. Quando enim homo dijudicat se per contritionem, tunc contrahuntur sponsalia. Ratum fit per confessionem. *Joan* 1. Rabbi, ubi habitas? venite, & videte, & venerunt, & manserunt apud eum. Consummatur autem per satisfactionem *inf.* 3. & 4. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Et tunc quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Tres enim filios genuit pœnitentia. Testimonium conscientiæ 2. *Cor.* 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Prælibationem jucunditatis æternæ. *Ps.* 33. Gustate, & videte. Adeptionem gloriæ. *Psal.* 30. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. *Psal.* 127. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Quia ducunt ad epulas satietatis æternæ. Item mater Jesu, idest, salutis, est religio, quæ est amarum mare per pœnitentiam, quia non potest in se mortuum pati. Hæc habet in utero de Spiritu sancto, quando, scilicet, de inspiratione divina aliqui intrant. Uterus ejus conventus. Sed hodie habet quosdam similes Jacob, idest, bonos, qui luctantur cum Domino, & habitant in tabernaculis, & ideo obtinent benedictionem. Et Esau habet, idest, malos. hi invicem colliduntur, ut dicere possit religio. Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? *Gen.* 25. Nota monachi, vel claustrales in conventu, sunt quasi pueri in utero, quia non sunt curiosi de cibo, & vili cibo utuntur. Secundo, quia calidi sunt, nec timent frigus, nec videntur: silentium tenent. Tunc nascuntur, quando mittuntur ad Prioratum, vel fiunt Abbates. Sed multi sunt progenies viperarum, tempus nascendi non expectantes. Hinc Rachel periclitatur in ortu Benjamin. Hodie fit contentio, quis nascatur prior. Sed Esau primo nascitur, quia prius promoventur mali, quam boni, *inf.* 27. Non hunc, sed Barrabam. i Pariet autem filium,] non filios. *Chrys.* Non dicit: Pariet tibi filium sicut dicit Zachariæ: *Luc.* 1.

k Et vocabis nomen ejus Jesum] in circumcisione, quoniam tunc imponuntur nomina. Vocabis, dicit, non impones, quia ab æterno impositum est [Jesum] Salvatorem: Ista vocatio significata fuit *Gen.* 41. ubi legitur de Joseph: Vocavit eum lingua Ægyptiaca Salvatorem mundi. l Ipse enim salvum faciet.] Causam nominis subdit, quando dicit: bene dicitur Jesus, quia salvabit non quoslibet, sed *Isa.* 9.

m Populum suum] quos, scilicet prædestinavit. *Rom.* 8. Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, & quos justificavit, hos & magnificavit. Et bene dico, salvum faciet, in fide, & spe, non ab hostibus corporalibus, sicut Josue, & David, sed

n A peccatis eorum,] quod non est hominum, sed solius Dei. *Luc.* 5. Quis potest peccata dimittere nisi solus Deus? *Isa* 43. Ego sum, ego sum ipse, qui iniquitates tuas deleo propter me.

o Hoc autem totum factum est.] Quod prætaxaverat confirmat auctoritate, ut Evangelicæ veritati quasi columnæ basim supponat testimonium Prophetæ. Dicit igitur.

ö Hoc autem totum factum est] ut scilicet virgo propinquo suo desponsaretur, ut casta servaretur, ut Angelus per somnium Joseph loqueretur, ut eam sponsam accipere juberetur, ut pueri nomen Jesus vocaretur, ut virgo Salvatorem mundi generaret.

p Ut adimpleretur, quod dictum est a Domino.] Illud, ut, finem connotat, quasi ut finem acciperet prophetia. Vel etiam consecutionem, non causam finalem. Simile habetur *Gen.* 40. Suspendit alterum in patibulo, ut veritas conjectoris probaretur.

q Per Prophetam dicentem.] *Isa.* 7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Matthæus autem sensum sequitur Isaiæ, non verba.

r Ecce virgo in utero habebit.] Vide, quod licet non esset præsens, quod prædicebat Propheta, nec in proximo futurum, sed longe post, usus est tamen adverbio demonstrativo ad oculum pro duobus, tum ad exprimendam admirationem pro sibi facta revelatione, tum pro certa Spiritus sancti demonstratione, qui quasi præsens ei demonstrabat, quod post multa tempora futurum erat.

f Et pariet filium] non filios. *Isa. ult.* Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus ejus, peperit masculum, quis audivit unquam tale?

t Et vocabitur nomen ejus Emmanuel] Primo ab Angelis psallentibus, deinde ab Apostolis prædicantibus, post vero a credentibus fidelibus.

u Quod est interpretatum nobiscum Deus,] Per naturam. *Psal.* 107. Ephraim susceptio capitis mei cohabitationem *Baruc.* 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Per gratiam *inf. ult.* Vobiscum sum usque ad consummationem seculi.

x Exurgens autem Joseph a somno] dubietatis, dicit *Glossa*.

y Fecit sicut præcepit ei Angelus] non solum quod præceperat, sed sicut. In quo notatur perfecta obedientia. *Prov.* 21. Vir obediens loquitur victorias. z Et accepit] Mariam conjugem suam, propter prædictas causas.

a Et non cognoscebat eam.] In Evangelio Nazaræorum legitur, ut dicit *Chrys.* quod Joseph Mariam videre facie ad faciem non poterat, quoniam Spiritus sanctus eam a conceptione pœnitus impleverat, ita quod non cognoscebat eam propter splendorem vultus ejus. Sicut legitur, quod discipuli non poterant videre faciem Domini propter splendorem *inf.* 7.

Donec

a Donec peperit filium suum] non quod postea cognoverit, sed donec, ponitur pro, & quasi dicat, non cognovit, & ita peperit. Vel pro æterno. Sicut hic: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et nota similitudinem per contrarium, quasi hic ponitur donec pro nunquam, sicut ibi ponitur pro semper *Genes.* 8. Corvus non est reversus, donec siccata est terra. *Psal.* 109.

b Primogenitum.] *Glos.* Primogenitum dicitur omne, quod aperit vulvam, sive aliud sequatur, sive non. Et hoc habetur *Exod.* 13. Hic autem dicitur primogenitus, ante quem nullus alius genitus, post quem nullus. Simile *Rom.* 8. Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. *Hebr.* 1. Introducit primogenitum in orbem terrarum. *Ps.* 88. primogenitum ponam illum.

c Et vocavit nomen ejus Jesum] die octava, quo fiebat circumcisio, & nomen imponebatur.

cognoscebat eam, a donec peperit filium suum b primogenitum, & c vocavit nomen ejus Jesum.

C A P. I I.

Cum d ergo natus esset Jesus in Bethlehem Judæ in diebus Herodis regis e ecce Magi f ab Oriente g venerunt Jerosolymam, h dicentes: Ubi est qui i natus est Rex Judæorum? k Vidimus enim stellam ejus in Oriente: &

EXPOSITIO CAP. II.

d Cum ergo natus esset Jesus, &c.] In cap. agitur de nativitate Christi, de adventu Magorum, de fuga Joseph cum puero in Ægyptum, de interfectione innocentum, de reditu de Ægypto in Nazareth. De circumcisione Matthæus subticet, sed Lucas supplevit secundo c. Matthæus de nativitate transit brevius, sed Lucas narrat diffusius. Nam Matthæus tribus brevibus verbis nativitatem insinuavit. Nam in tribus locis verbo nativitatis usus est. In fine, scilicet genealogiæ ubi ait: De qua natus est Christus. Et paulo post ait. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Et hic. Cum natus esset Jesus, &c. Et ponitur hic quatuor a Prophetis roborata Nativitas. *Isa.* 7. Ecce virgo concipiet. Et 9. Parvulus natus est nobis. Nomen cum dicitur [Jesus] *Isa.* 7. Vocabitur nomen ejus Emmanuel. Et 9. Vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus fortis, &c. quæ circumloquuntur hoc nomen Jesus. Tertius est locus, cum dicitur [In Bethlehem Judæ] ad differentiam illius, quæ est in Galilæa. *Mich.* 5. Et tu Bethlehem Judæ, &c. Tempus (In diebus Herodis) Sed potius videtetur dicendum, tempore Augusti Imperatoris. A digniori enim fit denominatio. Sed hoc ponitur ad ostendendum prophetiam Jacob esse completam. *Gen.* 49. Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium, Jam ablatum erat sceptrum de Juda, quia iste Herodes erat alienigena, & ideo patet, quod ille natus erat, qui promissus erat in lege.

e Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam] Non magici, vel malefici, ut quidam autumant, hi fuerunt, sed Magi dicuntur, vel quia de stirpe Balaam, secundum quosdam nati sunt, vel Magi, quia fefellerunt Herodem. Dicunt autem alii, quod Magi per subtractionem litteræ dicuntur, quasi a magnitudine sapientiæ dicti. Erant enim sapientes, & Philosophi, & reges in terra Persarum. Et sicut dicitur, distabant a Jerusalem itinere unius anni, qui venerunt, non post annum, quia tunc non invenissent puerum in præsepio, sed in Ægypto, sed secundum *Hier.* die nativitatis iter aggressi sunt, & decimaquarta die ejusdem venerunt in dromedariis. Vel potest dici, quod miraculose venerant. *Chrys.* dicit, quod aggressi sunt iter per annum unum ante nativitatem visa stella, & Herodes occidit pueros anno secundo post nativitatem. Ideo cum sic transissent duo anni usque ad occisionem puerorum, occidit omnes pueros a bimatu, & infra. Et hoc videtur consonare textui sequenti. *Aug.* dicit, quod Christo nato orta est stella, qua visa magi in 13. diebus miraculose venerunt. Ideo forte est, quod Armeni in die Epiphaniæ nativitatem Domini celebrant. Ideo etiam in illa nocte non cantatur, Venite, exultemus Domino, quia Magi venerunt non vocati: h Dicentes, ubi est qui natus est rex Judæorum] Mira res, hi peregrini nativitatem prædicant, etsi locum ignorant, Judæi autem locum scientes natum negant. i Ubi est, qui natus rex Judæorum] q. d. quærimus regem recenter natum, non Herodem jam dudum in solio collocatum. Non est credibile, cum isti reges fuerint, quod tres soli venerunt, imo potius multis comitibus stipati fuerunt. Evangelista tamen tantum de tribus, regibus, & muneribus mentionem facit quasi de principalioribus. Vel quia in ternario, numerus mysticus est positus. Per istos enim tres, gentes, quæ ex tribus filiis Noe natæ sunt, venturæ ad fidem præfigurantur.

k Vidimus enim stellam ejus in Oriente.] Hinc gloriantur Astrologi, & ex hoc loco dicunt, quod lex astrologiæ sit firma. Contra quos *Isidorus*. Idem est semper stellarum cursus, quare non idem hominis status? *Idem* injustus est Deus, si ex necessitate stellarum punit. *Idem*. Quæ fuit stella, quæ diluvium adduxit, quæ omnes homines occidit? *Idem*. Ante adventum Christi, quæ stella omnes gentes idola colere compellebat? *Idem Isid.* Si stellæ est, quod boni simus, vel mali, ergo nec bonum nostrum laudabile, nec malum vituperandum. *Idem*. Si adulter, & homicida per stellas fiunt, magna est illarum iniquitas, major autem illius, qui ad hoc eas creavit.

k Vidimus stellam ejus,] idest, ab eo creatam ad suæ nativitatis indicium, & specialiter deputatam ad hoc officium, & ideo dicit, Stellam ejus, quasi per appropriationem, quia etsi ceteræ stellæ ab ipso creatæ a mundi principio, hæc specialiter deputata est ad nativitatis ejus ostensionem. Solet autem hic distingui duplex littera: Vidimus stellam ejus in Judæa, nos dico, existentes in Oriente. Vel, vidimus stellam ejus, existentem in Oriente. Hæc stella, sicut dicit *Fulgentius* differebat ab aliis in situ, quia non erat fixa in cœlo, sed vicina terræ, Item in fulgore, quia lucebat de die, quod non aliæ. ▲ Item

Moraliter. Moraliter. d Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Judæ] idest, in corde illo, quod est domus panis doctrinæ, vel lacrymarum. In tali nascitur Jesus, idest, salus. Sed multi possunt dicere illud *Isa.* 3. Non sum medicus, & in domo mea non est panis.

e Ecce Magi] a magnitudine. Debet enim homo magna dicere, magna facere, & magna cogitare. Vel magi, quasi magici Unde *Ps.* 57. Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium. *Eccl.* 12. Quis medebitur incantatori a serpente percusso? E contra diabolus habet suos Magos, qui significantur per Magos Pharaonis. *Exod.* 8. qui deficiunt in tertio signo. Bene enim proponunt, & bonum se facturos, dicunt, sed in tertio signo deficiunt, quia nihil habent in opere. Sed Magi Salvatoris plus habuerunt in opere quam in sermone. Plus enim non dixerunt, nisi quod veniebant adorare, sed non solum adorant, sed munera offerunt. Item deficiuntur in tertio signo, quoniam ad faciendum bonum habent bene scire, & bene posse, sed non habent velle. Sed scienti bonum, & non facienti, peccatum est illis. *Jacob* 4.

f Ab Oriente venerunt] quæ est calida, & splendida regio, & significat intelligentiam, quæ splendet, & charitate ardet. *Bern.* Qui amat ardentius, currit velocius, & pervenit citius. Vel, ab Oriente, idest, a gloria parentum, & luce mundanæ prosperitatis, quæ debent relinquere post dorsum. *Ezech.* 8. Viri habentes faciem ad Orientem, & dorsum ad templum. Hi sunt abutentes quinque sensibus, qui habent faciem ad ortum suum, sed tergum vertunt Christo. g Venerunt Jerosolymam] in religionem. Sed sicut dicitur *Ezech.* 16. In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus. Propter hoc petit *Job* 3. Pereat dies, in qua natus sum.

h Dicentes ubi est, qui natus est rex Judæorum] Iste enim solus natus est rex. Nota autem quod tres quæstiones fiunt de filio Dei, scilicet Ubi est, ut hic. Ubi pascit. *Cant.* 1. Ubi habitet. *Joan.* 1. Et sicut quidam quærunt de rege terreno, ubi est, quando scil. de novo regnanti debent facere homagium, sic isti fecerunt Magi. Quidam quærunt, ubi pascat, qui sunt de mensa ejus. Quidam ubi habitat, qui magis familiares sunt. Sic adapta ista ad regem cœlestem, qui dicit, ubi habitat. Ubi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, &c. Similiter tres quæstiones fecit Dominus homini. Prima facta fuit ad Adam. Ubi es? *Gen.* 3. Hæc pertinet ad spiritum. Secunda ad Cain, quando dixit. Ubi est Abel frater tuus. *Gen.* 4 Hæc fit cuilibet homini de proximo suo. Tertia ad Abraham. *Gen.* 18. Ubi est Sara uxor tua, idest, caro tua. Et ille respondet. Ecce post ostium. *Infra* 18.

k Vidimus enim stellam ejus in Oriente, &c.] Prima stella est gratia præveniens, quæ ducit ad perfectionem,

▲ & tan-

a Item in motu, quia aliæ immobiles, hæc autem præcedebat eos, & creata est de novo, ut novum hominem nunciaret, expleto autem officio suo, resoluta est in pristinam naturam.

a Et venimus adorare eum.] In hoc insinuant, ipsum esse Deum *Deuter.* 6. Dominum Deum tuum adorabis.

Moraliter. Hæc est lucifer, de quo *Job* 38. Nunquid Luciferum producis in tempore suo? Qui bene significat gratiam, quia sicut Lucifer præcedit diem, sic gratia gloriam *Psal.* 131. Paravi lucernam Christo meo. *Gen.* 32. Dimitte me, jam enim aurora ascendit, dicit *Gloss.* Jam habes gratiam. Sed iste ait. Non dimittam te, nisi benedixeris mihi prius. Et statim ortus est ei Sol. Stella etiam illuminat hominem interiorem. *Apoc.* 2. Qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi stellam matutinam. *Job* 36. In manibus abscondit lucem, & præcipit ei, ut rursus adveniat, annunciat de ea amico suo, quod possessio ejus sit. Item Lucifer per quindecim gradus distat a sole, sic per novum, & verus testamentum pervenitur ad Christum. *Eccl.* 11. Da partes septem, nec non & octo. Vel per illa quindecim, quæ enumerat Apostolus 1. *Cor.* 13. Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet, omnia sperat. Unde per quindecim stadia distabat Jerusalem a Bethania. Quarto, quia sicut antequam oriatur sol, demittitur lux Luciferi, sic ad hoc, quod perfecti simus, necesse est, nos humiliter sentire de gratia nostra *Eccl.* 18. Cum consummaverit homo, tunc incipit *Job* 11. Cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer. *Eccl.* 43. Luminare quod minuitur in consummatione. Videt ergo in Oriente stellam, qui recognoscit gratiam, quæ data est in principio, & gratias inde agit. Nam sicut dicit *Bern.* Ingratitudo est ventus urens, exiccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.

a Et venimus adorare.] Quomodo autem adorandus sit, dicitur *Joan.* 4. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Spiritu, quantum ad affectum, veritate, quantum ad intellectum. Et nota, quod in his tribus verbis continetur summa salutis æternæ. [Vidimus,] recta fide, [& venimus,] bona operatione, [adorare,] mentis devotione.

b Audiens autem Herodes rex turbatus est] audiens, scilicet alium regem Judæorum, quam se quæri. Turbatus enim fuit, & propter se, quia timebat excidium regni sui, & propter iram Romanorum, quam incurreret, si consentiret novo regi, decreverant enim Romani, ne quis Rex, vel Dominus sine consilio eorum diceretur. Turbatus est etiam propter astantem multitudinem Magos concomitantem, quasi erubescens alium, quam se regem quæri. Et nota, quod Herodes rex dicitur, ut ex collatione ejus, qui quæritur hic, extraneus intelligatur. Volebat enim Herodes, cum esset alienigena, & de Idumæorum genere natus, legitimus rex videri, & ob hoc etiam, & propter amorem Mariannes uxoris suæ filiæ Hyrcani sese fecerat circumcidi. Ob hoc etiam codices, quibus genealogia texebatur, fecit cremari, secundum quosdam. Item turbatus est, timens ne aliquis de semine filiorum suorum, quos susceperat de uxore nobili, quæ erat de semine regio, & sacerdotali, quos omnes occiderat, aliquis suscitaretur in ultionem sanguinis paterni.

c Et omnis Jerosolyma cum illo.] Sed quare, cum potius deberent gaudere de rege nato, & regio semine. Dicendum quod in veritate turbati non sunt, sed turbationem simulaverunt, ut Herodis haberent favorem, qui multum Judæorum effuderat sanguinem, & jugum eis imponebat importabile. Unde dicit quidam Sanctus. Solet enim plebecula illorum principum studiosius captare benevolentiam, quorum importabilem sustinet violentiam.

d Et congregans,] idest, simul vocans. Ecce Herodis sollicitudo, & formido. [Congregans,] ut requireret consilium. Ecce sollicitudo [Congregans,] ut ei ferrent testimonium Romanis, quod nihil omisisset de contingentibus investigando de novo rege. Ecce formido.

e Omnes principes sacerdotum.] Hi a David instituti fuerunt ad serviendum in tabernaculo. f Et scribas populi,] qui in moralibus præceptis populum instruebant.

a venimus adorare eum. b Audiens autem Herodes rex turbatus est, c & omnis Jerosolyma cum illo. Et d congregans e omnes principes sacerdotum, f & scribas populi, g sciscitabatur ab eis, ubi h Christus nasceretur. At illi i dixerunt ei. In k Bethlehem Judæ. l Sic enim scriptum est per prophetam. Et m tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda. Ex n te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel, o Tunc Herodes clam vocatis Magis, p diligenter didicit q ab eis r tempus stellæ, quæ apparuit eis. Et s mittens eos in Bethlehem, dixit. t Ite, & interrogate diligenter de puero, u & cum inveneritis, renunciate mihi, ut x & ego veniens adorem eum.

Joan. 7. Mich. 5.

g Sciscitabatur ab eis,] palam quasi ex bono affectu.

h Ubi Christus nasceretur.] Nota diligentiam inquirentis. A Judæis quærit locum, a Magis tempus, ut de utroque fiat certus, & sic Magis nocere possit. i At illi dixerunt] prius inter se deliberantes.

k In Bethlehem Judæ] ex hoc patet quod non ex ignorantia, sed ex cordis duritie credere noluerunt.

l Sic enim scriptum est, &c.] *Mich.* 5.

m Et tu Bethlehem terra Juda, &c.] idest in excellentia dignitatis principum Juda. Matthæus ponit veritatem, & si non verba. Littera Hebræa habet. [Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda.] Bethlehem vicus minimus est.

n Ex te enim exiet Dux] Christus, [qui regat populum meum Israel.] Nota, quod scribæ, qui sic de ortu Christi locuti sunt; quia non crediderunt, inexcusabiles sunt. o Tunc Herodes clam vocatis Magis] remotis Scribis, & Pharisæis, sive Sacerdotibus. Timebat enim, ne Judæi quasi ex Dei oraculo promissum occultarent regem, si se eum velle perimere præsentirent.

p Diligenter] ut non possit falli.

q Didicit ab eis] scilicet Magis.

r Tempus Stellæ quæ apparuit eis.] Quia locum didicerat, tempus explorat. s Et mittens eos in Bethlehem,] idest ire permittens, vel ire commonens dixit.

t Ite, & interrogate diligenter de puero.] Nota cognito loco, & tempore, restat cognitio personæ.

u Et cum inveneritis, renunciate mihi.] Ecce præsumptuosa præceptio. Superbus enim credit, quod omnes ei debeant obtemperare. Vel quasi orando loquitur, & est petitio fraudulenta. Acuit enim interius nequitiam, scilicet cum exterius ostendat innocentiam. x Ut & ego veniens, &c.] *Rab.* Finxit se vultu, & verbis adorare eum, quem invida mente cogitabat occidere. [Adorem eum.] Hoc dicit, ut per ipsum Magi alacrius redirent, & ne Judæi.

Moraliter. Moraliter. b Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo.] Per Herodem, qui diligenter locum, & tempus inquisivit, & fraudulenter misit, significatur diabolus, qui turbatur, quando Jesus, i. salus, nascitur in corde hominis. Et diligenter inquirit tempus, & locum, ut occidat adhuc ipsum in infantia, hoc est in principio, ne si salvus creverit in virum, auferat ei regnum suum. *Thren.* 1. Facti sunt hostes in capite, i. in principio. d Et congregans omnes principes sacerdotum, &c.] Hoc facit adhuc diabolus. Unde *Ps.* 67. Congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento. E contra de bonis prælatis. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. i At illi dixerunt in Bethlehem Judæ,] idest, in domo panis. Esto igitur domus panis, ut in te nascatur Christus. Si dicis. In domo mea non est panis. *Isa.* 3. vade ad amicum, & dices: Amice, accommoda mihi tres panes *Luc.* 11.

k In Bethlehem.] Ecce illi bene docent, *inf.* 23. Omnis, quæcunque dixerit vobis, facite.

n Ex te enim exiet Dux, &c.] De studio enim debet exire, qui elegitur ad prælaturam, vel ad prædicandum, non semper ibi manere. Unde *Isa.* 28. Qui egredientur impetu a Jacob, florebit, & germinabit Israel. A lucta enim studii debet exire. *Eccl. ult.* Anima mea colluctata est in sapientia, *inf.* 13. Exiit, qui seminat seminare semen suum. t Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum.] Iste significat hypocritas, qui aliud habent in corde, aliud in ore. *Eccl.* 1. Noli esse hypocrita in conspectu hominum,

y Qui cum audissent

a rent, & ne Judæi, quia eorum erat Rex futurus, eum ab ipso absconderent.

a Qui cum audissent Regem,] ut obedirent, pium æstimantes, non propter eum tamen, sed propter Deum.

b Abierunt,] in Bethlehem Judæ, alacriter, & velociter.

a qui cum audissent regem, b abierunt. Et c ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque d dum e veniens staret supra, f ubi erat puer. g Videntes autem stellam, h gavisi sunt gaudio magno valde. Et i intrantes domum, k invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & l procidentes m adoraverunt eum. Et n apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, &

c Et ecce stella, quam viderant in Oriente antecedebat eos,] more viatoris. *Chr.* Si peccanti elementa ministrant, quid mirum, si Christo Stella obsequitur.

d Usque dum,] idest, donec.

e Veniens staret supra,] locum, supple, [f ubi erat puer] q. d. Stella, hic est, quem natum esse restabat. Hinc apparet, quod stella in aere posita erat. g Videntes autem stellam.] Magi. Quædam *Gloss.* videtur innuere, quod Magi ingressi Judæam deseruntur indicio stellæ, ut cogantur Christum ex ipsa lege inquirere, & ita habeant duplex testimonium, legis scilicet, & stellæ. Dicit etiam, quod signum Gentilibus datum non debuit apparere domesticis legis, & prophetarum, idest, Judæis, quia si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. *Luc.* 16.

h Gavisi sunt gaudio magno valde.] Invento, quod tantum desideraverant.

i Et intrantes domum] diversorium illud, de quo dicitur *Luc.* 2. Non erat locus in diversorio.

k Invenerunt puerum cum Maria matre ejus.] Non dicit cum Joseph, quia divina dispositione actum est, ut illa hora absens esset, nec crederent de ipso Christum natum. Unde dicit *Hilarius* super locum istum, quod Joseph non legitur post nativitatem Christi vir Mariæ dictus. In quo innuitur, quod ante nativitatem vir ejus dicebatur quasi nuncius ad officium, sed post natum puerum non est dictus vir, ut per hoc insinuaretur, quod Christo nato poterat ei pueri solatium sufficere.

l Et procidentes.] Hoc fuit signum humilitatis.

m Adoraverunt eum,] tam corpore, quam mente. Tunc adimpletum est illud *Isa.* 45. Subjiciam ante faciem ejus gentes, *Psalm.* 1. Et adorabunt eum omnes reges.

n Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.] Nec aperuerunt, donec venerunt ad Christum. Deprædari enim desiderat, qui thesaurum publice in via portat. *Interl.* Fidem suam mysticis profitentur muneribus. Aurum Regi, thus Deo, myrrham mortali. *Isa.* 50. Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes. Omnes dicit, quia aliqui de omnibus. Vel figraliter omnes, quia per ipsos significatur totum genus humanum, quod de tribus filiis Noe est procreatum. Quare non nominat Isaias myrrham? Quia ejus mortalitas satis erat aperta, & manifesta, sed divinitas, quæ per thus, & regia dignitas, quæ per aurum designatur, erant latentia. Unde per prophetiam *Isaiæ* confunduntur Judæi, qui eum purum hominem credunt. Nomina autem trium Magorum Hebraice sunt hæc. Appellius, qui interpretatur fidelis, & significat contritionis fidem, quæ justificat. Amerus, qui humilis, & significat confessionem. Damasius, qui misericors, & significat satisfactionem, quæ per misericordiam fit.

Item Græce Magalaath, qui interpretatur nuncius, significat prædicationem, quæ est nuncius Domini. Galgalath, devotus. Saracbin, gratiosus. Vel Latine Gaspar,

a Balthasar, Melchior. Et

Moraliter. t ansaqua re alius aliquo antecedat.

a Qui cum audissent Regem, abierunt.] Ecce obedientia. *Proverbiorum* 21. Vir obediens loquetur victorias.

c Et ecce stella, quam viderant in Orientem antecedebat eos.] Tribus de causis aliquis antecedit alium, vel ut viam demonstret, vel viam præparet, vel ad ambulandum alliciat: Sic gratia Dei antecedit nos, ut viam demonstret. *Psal.* 24. Vias tuas demonstra mihi. *Isa.* 2. Docebit nos vias suas. Ad præparandum etiam viam. Unde Joannes, idest, gratia parat viam Domino. Præcedit etiam nos ad alliciendum. Unde misericordia Domini prævenit nos, ut velimus, sequitur autem nos, ne frustra velimus.

Joan. 1.

d Usque dum veniens staret supra, ubi erat puer] Postquam enim gratia induxit nos in domum veri Salvatoris, idest, in patriam, ibi stat, quia tunc gloria confirmamur. Vel supra domum, ubi nascitur Christus, idest, salus, stat gratia, quando confirmat eam in homine. Unde 2. *Thessal.* 3. Fidelis Deus est, qui confirmabit vos, & custodiet a malo.

g Videntes autem stellam] Magi.

h Gavisi sunt gaudio magno valde.] Naturaliter gaudet mens hominis, cum succedunt ei prospera, sed gaudio gaudet, cum æqualiter sustinet adversa, sed valde magno gaudio gaudet, cum ei contumeliæ sunt gratæ, sicut *Act.* 5. Ibant Apostoli gaudentes, &c. Primum gaudium habuit Isaac, Deo manens gratus in prosperis. Secundum Job, qui innocentiam suam defendit in adversis. Tertium, Laurentius, atque Vincentius, qui carnifices irriserunt in tormentis.

Item gaudium est in vita naturali, ut per Ezechiam patet. *Isa.* 38. Morientium enim est pœna, & tristitia. Majus autem gaudium est in vita gratiæ. Sed maximum gaudium est in securitate conscientiæ. In gaudio enim illius non miscebitur extraneus. *Proverb.* 14. 2. *Cor.* 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Incomparabiliter majus gaudium est vita gloriæ. De quo *Joan.* 16. Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

i Et intrantes domum] Ecclesiam. De qua *Isa.* 56. Domus mea domus orationis vocabitur.

k Invenerunt puerum cum Maria matre ejus.] Puer mitis est, facile iras deponit, & injurias remittit, & sua libenter tribuit.

Sic illi, qui libenter venit ad Ecclesiam, hæc facit Dominus, sed hoc non sine Maria, idest, sine amaritudine contritionis. *Job* 7. Confabulabor cum amaritudine animæ meæ. Vel.

i Intrantes domum,] idest religionem, de qua *Psalm.* 92. Domum tuam decet sanctitudo, Domine.

k Invenerunt puerum.] Jesum, vel salutem, [cum Maria,] Amaritudine pœnitentiæ, ut habetur 2. *Timoth.* 3. Qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. Ecce Maria. *Actor.* 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.

Unde *Exod.* 3. Moyses invenit domum Domini in rubo ardente. Item.

i Intrantes domum] conscientiam. *Isa.* 28. Vade popule meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te; abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio mea.

Intrat autem, qui perscrutatur eam. *Thren. cap.* 3. Scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum. *August.* Conscende, o homo, tribunal mentis tuæ, & statue te coram te, sit ratio judex, accusatrix, conscientia, testis, memoria, tortor, timor, &c. l Et procidentes adoraverunt eum.] In quo notatur humilitas. *Eccl.* 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit.

n Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.] Prælati aurum offerunt Sapientiæ. *Ecclesiast.* 28. Aurum tuum, & argentum tuum confla. Conjugati thus, idest, fragrantiam bonorum operum. *Gen.* 27. Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Continentes, sive abstinentes, myrrham. *Cant.* 5. Manus meæ distillaverunt myrrham primam.

Vel per aurum, eleemosyna, quæ sicut aurum aliis metallis præponderat, sic ipsa ceteris virtutibus. *Tobiæ* 4. Eleemosyna a peccato, & a morte liberat. *Luc.* 11. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Thus oratio. Thus debet esse redolens, fumigans, & ardens in igne, sic oratio frequens, humilis, & devota. Frequens. *Luc.* 18. Oportet semper orare, & nunquam deficere. 1. *Thessal.* 5. Sine intermissione orate. Humilis. *Eccl.* 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Devota. 1. *Cor.* 14. Psallam spiritu, psallam & mente. Myrrham carnis mortificationem, ut alia sit myrrha prima, alia electa, alia probatissima. Carnis enim mortificatio triplex debet esse, ut sit alia in disciplinis, alia in jejunio, alia in vigiliis. De prima. *Hebr.* 2. In disciplina perseverate, tanquam filiis vobis se offert Deus. De secunda. *Joel* 2. Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, De tertia. *Eccl.* 31. Vigilia

* honestatis tabefaciet

myrrham. Et *a* responso accepto in somnis, *b* ne redirent ad Herodem, *c* per aliam viam reversi sunt in regionem suam. *d* Qui cum recessissent: Ecce *e* Angelus Domini apparuit in somnis *f* Joseph, dicens: *g* Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, *h* & fuge in Ægyptum, *i* & esto ibi, usque dum dicam tibi. *k* Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. *l* Qui consurgens accepit puerum, & matrem ejus nocte, *m* & secessit in Ægyptum, & erat ibi usque ad obitum Herodis, ut *n* adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. *o* Tunc Herodes videns, *p* quoniam illusus esset a Magis, *q* iratus est valde. *r* & mittens

Baltassar Melchior. *a* Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem,] In dubio enim erat, an ad ipsum redirent, & de ortu pueri prænunciarent. Unde super hoc certificari volebant, & postulabant a Domino, non vocali sono, sed ardenti desiderio. *Gloss.* autem dicit, quod hæc responsio non fuit per Angelum, sed per ipsum Deum. Sed quare non dixit eis puer? Ne videretur phantasia. Item ne per ipsum puerum jam loquentem Deum esse cognoscerent, & sic fidei meritum eis diminueretur, quæ non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

c Per aliam viam reversi sunt in regionem suam.] *Ad lit.* Dicitur enim, quod Magi intraverunt mare navibus conductis, & ad patriam suam pervenerunt, quæ naves, cum inde recessissent, Herodes putans eos assequi, audito transitu illorum, naves, quæ eos asportaverant, combussit. De quo solet exponi illud *Psalm.* 47. In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Moraliter. * honastatis tabefaciet carnes.

a Et responso accepto in somnis,] contemplationis. *Cant.* 5. Ego dormio, & cor meum vigilat.

9.q.1.c. adversitas, & 35.q.1.c.1.

b Ne redirent ad Herodem,] ad diabolum. 2. *Petr.* 2. Melius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitionem retrorsum converti. Unde *Ezech.* 1. Animalia ibant, & non revertebantur.

c Per aliam viam reversi sunt in regionem suam.] idest Paradisum. Si enim homo recessit per superbiam, debet redire per humiliationem, si per inobedientiam, per obedientiam, si per luxuriam, per castitatem. *Chrysost.* Venisti per viam luxuriæ ad Herodem, ambula de cetero, per viam castitatis: venisti, per viam avaritiæ ambula de cetero, per viam eleemosynarum. Si enim per primam vitam redieris, iterum sub regnum Herodis vadis. *Prov.* 7. Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes semitæ ejus pacificæ. *Cant* 6. Revertere, revertere, Sunamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.

d Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens:] Præterit Matthæus de circumcisione, & oblatione pueri in templo, quæ diligenter prosequitur Lucas. Transit etiam breviter Magorum reditum, statim subdens de fuga Domini in Ægyptum, quod tamen longe post factum est. Herodes enim videns Magos ad se non rediisse, putavit eos delusos, & ideo ad eum noluisse redire, præ erubescentia confusos, & deceptos tanquam nihil esset, quod quærerent. Sed post tempus oblationis audiens prophetiam Annæ, & Simeonis, statim intellexit non esse deceptos, sed se delusum, & cogitabat de morte pueri, audiens, quod de eo prophetaverat Simeon. *Luc.* 2. Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, &c. Et cum hoc cogitaret,

e Angelus Domini apparuit] *Interl.* Impleto prius tempore purgationis,

f Joseph,] qui hic, non quasi maritus, sed nutritius, & custos ascisciitur.

g Surge, & accipe puerum, & matrem ejus,] *Chrysost.* Non dicit accipe matrem, & puerum, sed e converso. Non enim propter matrem iste filius natus est, sed propter filium hunc illa mater est præparata. Nec puer erat gloria illam matrem habere, sed illius erat beatitudo, illum habere filium. Unde: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *Hilarius*: Non dicit filium tuum, nec dicit conjugem tuam, post natum enim Dominum, non legitur vir ejus.

h Et fuge in Ægyptum,] Mira humilitas, quod ille, qui est refugium omnium, fugit, ut ostendatur verus homo, quod enim fugit, non fuit timoris, sed exempli, at doceret suos fugere. Non enim fugit mortem, qui mori venerat. *Inf.* 10. Si vos persecuti fuerint in unam civitatem, fugite in aliam. De hac fuga prædixit *Isa. decimonono* Ecce Dominus ascendet super nubem levem, idest; carnem levem a peccato, ingredieturque Ægyptum, & commovebuntur simulachra ejus. Tradidit autem Historia, quod sic Domino procurante factum est ut in nocte, qua egressi sunt filii Israel ex Ægypto. *Exod.* 12. In qualibet domo moreretur primogenitum aliquod, ut homo, vel pecus, sic eodem procurante factum est, quod Domino in Ægyptum ingrediente, non fuit templum in Ægypto, in quo non corrueret, & confrigeretur aliquod idolum. Dicitur autem, quod in Heliopoli steterit, quæ interpretatur civitas Solis.

Nota autem, quod est fuga
- Prudentiæ. 1. *Reg.* 20. Fugit David de Najoth, &c. *Inf.* 10. Si vos persecuti fuerint, &c.
- Cautelæ. 1. *Corinth.* 6. Fugite fornicationem.
- Misericordiæ. 4. *Reg.* 19. Fugit Elias, & petiit animæ suæ, ut moreretur.
- Pusillanimitatis. *Prov.* 28. Fugit impius nemine persequente.
- Humilitatis, ut hic *Chrysost.* Descendit in Ægyptum, non ut mortem fugiens, sed ut mortifera idola dissiparet.

i Et esto ibi, usquedum] idest donec dicam tibi. Argumentum, quod inter malos possumus manere.

k Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.] *Interl.* Ecce, quod fraudes non latent Deum. 1. *Reg.* 16. Deus autem intuetur cor.

Allegor. Allegorice, iste transitus significat transitum ad gentes, &c.

Moraliter. Moraliter. *e* Ecce Angelus, &c.] Loquitur Angelus, in somnis, quia homo nescit utrum a gratia, vel a diabolo inspiretur ei. *Zachar.* 4. Angelus, qui loquebatur in me puer est veritas vitæ. Mater puritas conscientiæ. Puritas enim conscientiæ generat veritatem vitæ.

h Et fuge in Ægyptum,] idest in religionem, vel in statum pœnitentiæ. *Isa.* 50. Induam cœlos tenebris, & saccum ponam opertimentum eorum. De hac fuga, *Zachar.* 2. O, o, o, fugite de terra aquilonis, Dicit autem ter, o, propter tria, quæ impediunt fugere de mundo, scilicet timor, pudor, amor.

k Et futurum est, ut Herodes, &c.] Pharao enim contemptus surgit in scandala. Hoc significatum est *Apoc.* 12. Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret. Vel Herodes vanagloria, quæ persequitur bonum opus, vel bonum propositum. Sed fugiendum est in Ægyptum, in abscondito facere, *infr.* 6. Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito.

Ad litteram. *l* Qui consurgens accepit puerum, & matrem ejus nocte.] Puerum dicit primo, matrem secundo, quia unum propter alterum, & non e converso. Ecce statim mandatum exequitur. In quo arguitur tarditas pigrorum.

m Et secessit in Ægyptum, & ibi erat usque ad obitum Herodis,] scilicet septem annis.

n Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: [Ex Ægypto vocavi filium meum.] *Osea* 11. Vel, ut quidam volunt, *Numer.* 24. Ubi dixit Balaam: Deus eduxit illum de Ægypto, &c.

Moraliter. Moraliter. *l* Qui consurgens de nocte, &c. Hoc est, quod occulte debemus surgere de mundo. *Eccl.* 37. Zelantibus te non reveles consilium, idest parentibus carnalibus, sicut Jacob nesciente Laban recessit. *Gen.* 31. Et expecta obitum Herodis. *Eccl.* 7. Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.

Ad litteram. *o* Tunc Herodes videns,] post annum, & quatuor dies a Nativitate Christi. Tantum enim in pueros desævire distulit, quod patet ex solemnitate eorum, quia intermedio tempore Romam profectus est accusatus a filiis suis Aristobulo, & Alexandro, qui erant filii Mariamnes, qui erant nobiles, & de regio genere.

p Quoniam illusus esset a Magis,] quia non redierunt ad eum.

q Iratus est valde,] accumulatur ira de facili prius turbato, per nativitatem. E contra dicitur de viro justo. *Prov.* 12. Non contristabit justum, quicquid acciderit ei. *r* Et mittens occidit, idest occidere

Moraliter. Moraliter. *o* Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset] * Hoc fit, quando

a occidit,] i. occidere fecit. Ille enim facit, cujus auctoritate fit.
a Omnes pueros,] ut qui natus erat, non effugeret.
b Qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus] ut in tanta multitudine latere non posset.
c A bimatu, & infra secundum tempus, quod exquisierat a Magis.]
Hæc dictio, *infr.* quandoque dicit ordinē numeri, quandoque ordinem temporis. Major pars Sanctorum convenit in hoc, quod hic dicat ordinem temporis. Et est sensus. Occidit a bimatu, & infra, i. a *biennio* usque ad unum diem, i. omnes, qui habebant duos annos, vel minus. Majores enim semper sunt posteriores tempore, *Chrysostomus* vero vult, quod *infra* dicat hic ordinem numeri. Et est sensus. Occidit omnes pueros a bimatu, & infra, idest, a biennio, & post natos usque ad quinque annos. Sed quæritur, cum sciret, Christum esse anniculum, & quatuor dierum, quare non occidit anniculos solos? *Gregor.* determinat, & ponit primam causam ejus sævitiam, quia ex effrenata crudelitate excessit numerum annorum. Vel ideo, quia puero nato audierat stellas famulari, & ideo timebat ne staturam suam transformaret in aliam infra, vel supra ætatem. Notandum autem secundum litteram, quod licet innocentes descenderint ad limbum, sicut Moyses, Job, & alii Veteris Testamenti: tamen non agit Ecclesia festum illorum, sed istorum. Fuerunt enim Martyres, licet non proprie. Martyr enim idem est quod testis Christi. Ipsi autem non loquendo, sed moriendo confessi sunt. Fuerunt enim Martyres actu, non voluntate. Voluntate autem, non actu, fuit Martyr Joannes Evangelista, & hoc magis martyrium. Sed proprissime actu, & voluntate, ut Stephanus. Unde ordinantur festa istorum trium secundum majorem, & minorem dignitatem. Quia enim dignius est esse Martyrem actu, & voluntate quam voluntate solum: Ideo antecedit festum B. Stephani festum B. Joann. Evangelistæ. Quia etiam plus est esse Martyrem voluntate quam actu, & non voluntate: Ideo præcedit festum Joannis festum Innocentum. Multis autem de causis fit Martyr. Pro justitia occisus, ut Abel; pro lege, ut Machabæi, pro salute populi, ut Christus; pro fide Christi, ut Laurentius; pro Christo, ut Innocentes; pro libertate Ecclesiæ, ut Thomas Cantuariensis; pro assertione veritatis, ut Jeremias, & Isaias; pro argutione peccati, ut Joannes Baptista.

Mar. 3. & 7.

Triplex martyrii.

Multis modis fit martyr.

occidit a omnes pueros, b qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus c a bimatu, & d infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis. e Tunc adimpletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem. f Vox in Rama audita est, g ploratus & h ululatus multus. i Rachel plorans filios suos, & k noluit consolari, quia non sunt. l Defuncto autem Herode, m ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, in Ægypto, dicens: n Surge, & accipe puerum, & o matrem ejus, & p vade in terram Israel,

Moraliter.

* Hoc fit, quando diabolo instigante aliquis intrat religionem, vel aliud bonum facit, ut cum apostataverit, pejor fiat. Sed si perseverat, tunc Herodes illuditur, *Job* 40. Numquid illudes ei quasi avi; *Ps.* 103. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei. Et tunc exaggerat diabolus persecutionem. Unde *Gl. super Exod.* 8. Pharao contemptus surgit in scandala. Et cum non potest invadere perfectos, invadit minores, sicut Herodes pueros *Jer.* 51. Replevit ventrem suum teneritudine mea Nabuchodonosor Rex Babylonis, dicit religio, idest, novitius: in Bethlehem autem sunt, qui in Ecclesia sunt numero, & merito. In finibus autem sunt, qui numero, & merito. In finibus autem, qui numero tantum. Sed utrosque occidit Herodes.
c A bimatu,] idest, illos, qui dum mandata charitatis implent, vel qui vita, & scientia pollent. Sed pauci sunt tales. Plures autem sunt.
d Infra,] de quibus *Zachar.* 11. Brachium ejus ariditate siccabitur, & obtenebrescet ejus oculus dexter. Per ariditatem brachii, amissio boni operis designatur. Per oculum dexterum vita significatur, per sinistrum scientia.
e Tunc adimpletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem,] *Jer.* 31. *Int.* Adimpletum dicitur: quia antequam fieret, legentibus erat semiplenum. Nam quod in littera sonabat, aliquid futurorum occulte promittebat. Nota autem historiam, ut melius possit adaptari prophetia. Legitur *Jud.* 20. quod propter uxorem Levitæ propter fornicationem peremptam, & secundum numerum Tribuum in duodecim partes divisam, omnis Israel in tribum Benjamin præter trecentos viros delevit. Dicitur tamen *in fine ejusd. c.* quod remanserunt sexcenti viri. Eorum autem, qui superfuerunt, ploratus, & ululatus auditus est usque Rama, qui est locus juxta Gabaa duodecimo milliario a Bethlehem. Audita, exaggerat etiam, ut hyperbolice Rachel jam mortua doleutis affectu filios flere dicatur. Per hoc etiam de Chaldæis historia texitur, quod sicut illi ploraverunt, sic Judæi interfectos fratres a Nabuchodonosor. Sed verius revelante per Evangelistam Spiritu, prophetia de nece puerorum accipitur. Dicit ergo. f Vox in Rama audita est,] Rama locus est juxta Gabaa. *Gl.* In Rama, in excelso. g Ploratus,] Lacrymarum. h Et ululatus multus.] singultum, sive planctum. Nota, quod ululatus proprie est irrationabilium, in quo notatur dolor excessisse modum.
i Rachel plorans filios suos,] i. Bethlehem sic dicta propter Rachel ibi sepultam. Sed quare dicitur Rachel plorasse filios suos: cum tribus Juda, quæ Bethlehem tenebat, non de sorore sua Lia fuerit orta? Responsio, quia non tantum in Bethlehem, sed in omnibus finibus ejus pueri occisi sunt. Tribus autem Benjamin, quæ de Rachel orta est, proxima fuit tribui Judæ. Unde credi potest, multos de tribu Benjamin fuisse occisos, quos progenies Rachel ploravit. Secundum autem, quod de nece puerorum prophetia intelligitur, ideo Rachel plorasse dicitur: quia juxta Bethlehem uno milliario sepulta est, *Gen.* 25. Et more prophetico dicitur egisse illa, quæ in illo gerebantur loco. Vel secundum quemdam modum loquendi, q. d. tantus fuit dolor, & luctus, ut etiam mortui lugere, & compati deberent.
k Et noluit consolari, quia non sunt.] revocandi supple ad vitam, quasi dicat, mortui sunt.

Allegorice.

Allegorice. f Vox in Rama audita est, &c.] Rachel videns principium est Ecclesia, quæ plorat tria genera filiorum. Quosdam miserabiliter passos, sed quia scit illos esse beatos, non vult consolari hic, sed omne solatium transmittit ad æternam vitam. Unde *Ps.* 76. Renuit consolari anima mea. Alios videt præ immensitate suppliciorum apostatasse, & de his non consolatur, scit eos ipsos esse damnatos, *Osee* 13. Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres dividet. Alios vult parere, & non potest propter eorum malitiam, unde non consolatur, quia non sunt. Sunt enim socii ejus, qui non est, *Job* 18. *Is.* 37 Venerunt filii usque ad partum, & non est virtus pariendi.

Moraliter.

Moral. Rachel prælatus videns qualitatem subditorum diligenter agnoscere debet vultum pecoris sui. Hic debet flere interfectos populi per mortale, *Jer.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei, *Jer.* 13. Educet oculus meus lacrymam, quia captus est grex Domini. Dic Regi, & dominatrici, idest, Abbati, & Abbatissæ, Humiliamini, & sedere, quia corona de capite vestro descendit, Corona sunt subditi.
k Et noluit consolari,] *Osee* 13. Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres dividet.

Ad litter.

Act. 12.

l Defuncto autem Herode,] Ascalonita, de quo prædictum est. Defuncto, toto corpore corrupto, & a Domino plaga gehennali percusso, itant de carne ejus vermes scaturirent. Unde cum ipsemet præ nimio dolore sibimet manum immitteret, vindicta facta est de Innocentum occisione, & de aliis iniquitatibus ejus. m Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israel.] Quia non distinxit in quam partem ire debeat, intellexit eam, quæ dignior est, sc. Jerusalem.

Δ Defuncti sunt enim

Moralis.

Jo. 10.

Moral. m Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph,] ut non quæramus manifestas apparitiones sicut Judæi. Si tu es Christus, dic nobis palam. n Surge, & accipe puerum,] i. purificatum animum.
o Et matrem ejus,] i. conscientiam depuratam. Sicut enim mater puerum errantem castigat, & quid faciendum sit instruit, sic conscientia animam reprehendit, & quid sit faciendum, demonstret.
p Et vade in terram Israel.] i. in statum perfectorum, exiens de Ægypto, i. de imperfectorum statu. Terra autem

* Israel, religio

a Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.] Hærodes, scilicet, & fautores ejus. Scribæ enim, & Pharisæi mortem pueri cum Herode meditabantur. Unde Scribæ mortui sunt, quoad potestatem, quia non audebant istud facere.

Moraliter. * Israel, religio Israel vir videns Deum, vel Princeps cum Deo, *Psal.* 15. Providebam Dominum in conspectu meo semper. *Prov.* 16. Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium, ecce Princeps. Nota autem, quod modo dicit, Vade non dicit, fuge sicut *supra*, quando ivit in Ægyptum, quia ad statum contemplationis non debet festinare, ne fiat præcipitatio, *Prov.* 19. Qui festinus est, pedibus, offendet.

a Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui b consurgens c accepit puerum, & matrem ejus, & d venit in terram Israel. e Audiens autem, quod f Archelaus regnaret in Judæa g pro Herode patre suo, h timuit illo ire, & i admonitus in somnis k secessit in partes Galilææ. Et l veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut m adimpleretur, quod dictum est per Prophetas, n quoniam Nazaræus vocabitur.

C A P. III.

IN o diebus autem illis,

a Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri,] scilicet, malæ cogitationes, & mala desideria.

b Qui consurgens] mente, & corpore.

Ad litteram. c Accepit puerum, & matrem ejus,] sedulus, & ufficiolus utrique.

d Et venit in terram Israel.] in terram Judæorum.

e Audiens autem,] a communi fama.

f Quia Archelaus regnaret in Judæa] de qua credebat, quod fuisset admonitus. Nota autem, quod interdum dicitur Judæa terra promissionis, & tunc dicitur a Judæis, ut in *Psal* 75. Notus in Judæa Deus. Aliquando pro sola sorte Judæ, ut 2. *Paral.* 20. Judæa, & Jerusalem nolite timere. Aliquando pro terra duarum tribuum, ut in hoc loco, super quas regnavit Roboam, Jeroboam super decem.

g Pro Herode patre suo,] non statim patre mortuo regnavit Archelaus, quia a superioribus tractus est in causam, & per quatuor menses ventilata est coram Augusto, & sic post mortem patris potuit transire dimidius annus. Tunc factus est Diarchus super Idumæam, & Judæam. Herodes frater ejus habuit Galilæam, Philippus, Idumæam, & Trachonitidem regionem. Erat tamen Monarcha in spe, quia promiserat ei Augustus Monarchiam integram, si crudelitatem patris deponeret, quod non fecit, & ideo numquam in veritate Monarcha fuit, nisi opinione tantum: quia populus putavit eum futurum Monarcham propter promissionem Augusti. Et sic intelligenda est illa *Gloss* quæ dicit, quod post mortem patris Archelaus totius regni Monarchiam obtinuit, spe, sc. non re. Ipse postea insolescens etiam super iniquitatem patris, a Tyberio Cæsare dejectus est, & in Lugduno, sive Vienna secundum aliquos relegatus est in exilium.

h Timuit illo ire,] ubi Archelaus regnabat.

i Et admonitus in somnis secessit in partes Galilææ.] *Interl.* Non mutat Angelus præceptum, sed manifestius corrigit errorem pietatis. Argumentum, quod peccata erroris facilius condonantur, maxime si intuitu pietatis committuntur.

l Et veniens habitavit in civitate, quæ dicitur Nazareth,] quæ est terra Israel, nam & ipsam populus Israel incolebat. Erat enim in Galilæa sita, ubi est incarnatio per Angelum nunciata, *Luc.* 1. Ab ista civitate discipuli primo Christi dicti fuerunt Nazarei, sed post cathedrationem B. Petri in Antiochia decretum fuit a communi Concilio, ne a nomine civitatis modicæ amplius denominarentur, sed a nomine capitis. Sicut apud gentiles fieri solet, ut sicut a Platone Platonici, ab Epicuro Epicurei, ita a Christo Christiani dicerentur. *Act.* 11. Civitas erat parva Nazareth, & raro ibi veniebat Rex, ideo securius ibi moratus est.

m Ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas,] Pluraliter dicit Prophetas, quia non est fixum in scripturis quantum ad verba, sed quantum ad sententiam.

n Quoniam Nazaræus vocabitur.] Nazareth, interpretatur germen. Et sic dicitur *Jer.* 23. Suscitabo David germen justum. Item Nazareth, flos. Sic dicitur *Isa.* 11. Flos de radice ejus ascendet. Item Hebræus habet. De radice ejus ascendet Nazaræus. Item Nazaræus sanctus. Sic *Dan.* 9. Inungatur sanctus sanctorum. Vel Nazaræus floridus. *Cant.* 2. Ego flos campi, & lilium convallium.

Moraliter. e Audiens autem, &c.] Archelaus interpretatur cognitio Leonis, & significat diabolum, & hypocritas, qui gloriabuntur de victoria vitiorum. *Greg.* Valde timendum est vitium, quod nascitur ex victoria vitiorum. Item regnat, quia diabolus est princeps hujus mundi. k Secessit in partes Galilææ,] quæ transmigratio, vel commigratio interpretatur, ut transmigret homo de vitus ad virtutes, & commutetur, & renovetur per pœnitentiam. Sic terra renovatur tempore Quadragesimæ, in signum, quod pœnitentia renovat, & commorat. Sic accipiter mutat colorem oculorum. Oculi intentio, *Infra* 6. Lucerna corporis tui oculus tuus, ut quod fiebat propter inanem gloriam, fiat propter Deum. *Cant.* 4. Oculi tui columbarum, sicut aquila rostrum mutat, ira detractionem, & vaniloquia. Unde claustralibus fit quasi amputatio linguæ, qui loquuntur per signa. *Ps.* 16. Ut non loquatur os meum opera hominum. 1. *Petr.* 4. Si quis loquitur quasi sermones Dei. Ecce mutatio linguæ. Sic Dominus mutavit linguas Apostolorum. *Act* 2. Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei: Omnes etiam seculus mutari dicuntur a loquela suo modo. *Isa.* 19. In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chananæa, idest, commotata. Mutatur etiam aquila in plumis, & significat mutationem exterioris conversationis, vel mutationem habitus in claustro. 1. *Reg.* 28. Mutavit habitum suum, vestitusque est aliis vestimentis. *Psalm.* 102. Renovabitur ut aquila juventus tua. Mutant etiam cervi cornua, sic isti superbiam malam in superbiam sanctam. De qua *Isa.* 60. Ponam te in superbiam sæculorum. Et *Proverb.* 8. Mecum sunt opes superbæ. Debet etiam mutari, qui prius fuit fortis in sæcularibus, ut fortis fiat in spiritualibus, imo, qui non poterat jejunare, vel frigus sustinere in mundo, postea sit ad hæc sustinenda pro Deo fortis. Unde *Isa* 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Sed de multis potest dici. Non est illis commutatio, & non timuerunt Deum.

l Et veniens habitavit in civitate Nazareth,] In claustro habitando. Hoc dicit contra illos, qui non sunt ibi nisi ad horam. *Psalm.* 26. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini. Nazareth virgultum interpretatur. Talis est religio propter disciplinam virgarum. *Proverb.* 13. Noli subtrahere a puero disciplinam.

n Quoniam Nazaræus vocabitur,] quod interpretatur separatus. Sic claustrales. *Num.* 8 Separate mihi Levitas de medio populorum Israel ad ministrandum Deo. Sed modo commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum. Ita Nazaræus interpretatur unctus, sic religiosi debent habere unctionem pietatis, & compassionis erga fratres. Si enim non habuerint oleum, excludentur cum fatuis Virginibus, *Infra* 25. Item interpretatur flos, qui redolet, & pulcher est. Sic religiosus debet esse, ut odore suo occidat vermes in aliis, *Ecclesiast.* 24. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, 2. *Corinth.* 2. Aliis sumus odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Item pulcher debet esse ad videndum *Isai.* 61. Omnes, qui viderint eos, cognoscent eos, quia sunt isti semen, cui benedixit Dominus. Item nota, quod Christus nutritur in Nazareth, idest, in florida conscientia *Cant.* 1. Lectulus noster floridus est, &c.

E X P O S I T I O C A P. III.

IN diebus autem illis, &c.] De his, quæ gessit Dominus in pueritia, prætereunt Evangelistæ sub silentio, & nihil ab eis fere traditum est in Evangelio. Solus Lucas dicit. Cum esset Jesus duodecim annorum, *Luc.* 3. De pueribus factis Domini multa quidem tradita sunt in libro, qui inscribitur de infantia Salvatoris, sed apocryphus est, & incertum, a quo conditus. His igitur prætermissis transit Matthæus ad prædicationem ejus. Et primo ad prædicationem Joannis, dicens.

o In diebus autem illis.

a Non ipsa tempora quibus puero timebatur, exprimit, nec dies illos commemorat, de quibus *supr.* habitavit in civitate, quæ dicitur Nazareth, sed omnes annos usque ad prædicationem Joannis comprehendit. Lucas significantius tempora exprimit, & more historiographi circumstantias apponit, cum dicit: Anno quinto decimo Tyberii Cæsaris, &c. *Lucæ* 3.

Marc. 1.

a venit Joannes Baptista b prædicans in deserto Judææ, & dicens: c Pœnitentiam agite, d appropinquabit enim regnum cœlorum. Hic e est enim, de quo dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Vox f clamantis in g deserto, h parate viam Domini, i rectas facite semitas ejus. k Ipse autem Joannes

Nota tamen, quod hoc pronomen illis simplicem demonstrationem facit.

Isa. 40. Marc. 1. Luc. 3. Joann. 1. Gen. 41. 2. Reg. 5. Ezech. 1.

a Venit Joannes Baptista] non jam puer, sed quasi annorum triginta. Tunc enim incepit prædicare, tunc est tempus idoneum prædicandi. Sic *Joseph* triginta annorum erat, quando constitutus est Rex Ægypti, sive Rector. Et David eadem ætate regnare cœpit. Et Ezechiel in eadem ætate prædicare cœpit. Venit, idest, manifestavit se, qui prius latuerat, baptizando, & prædicando, viam præparans Christo.

b Prædicans in deserto Judææ, & dicens:] ad differentiam deserti Ægypti. Qui locus bene convenit genti Judæorum, desertæ a Deo. Hoc est contra quosdam, qui nolunt prædicare in desertis, sed tantum in claustris. Per hoc autem quod in deserto fit prædicatio pœnitentiæ, notatur desertum pœnitentibus convenire. Unde ad litteram sancti Patres solebant in desertis habitare.

c Pœnitentiam agite,] Nota, quod aliud est pœnitere, aliud pœnitentiam agere. Pœnitere est intus dolere, & de peccatis conteri. Et sic solet describi. Pœnitere est anteacta mala deflere, & deflenda iterum non committere. Pœnitentiam agere est exterius pro peccatis condigne satisfacere. *Chrysost.* Pœnitentia cor emundat, sensus illuminat, animas sanctificat, & ad susceptionem Christi præparat.

d Appropinquabit enim regnum cœlorum.] non vos regno, quia per gratiam Dei regnum intra vos est. *Luc.* 17. Regnum autem cœlorum dicuntur decem præcepta: *infra* 21. Auferetur a vobis regnum. Item Christus dans regnum æterna beatitudo, Evangelium etiam invitans ad Regnum. Hic autem suggillantur curiosi prædicatores, qui ponunt in cœlum os suum loquentes de linguis Angelorum, & de differentia Hierarchiarum, & hujusmodi. Iste autem eximius prædicator nihil tale prædicavit, sed tantum quod informabat populum. Quid fugiendum innuit Joannes per primum, cum dicit. Pœnitentiam agite, fugiendo peccatum. Quid eligendum cum subjungit. (Appropinquabit enim Regnum cœlorum.] Ista enim duo prædicanda sunt, declinare a malo, fugiendo peccatum, facere bonum regno Dei appropinquando.

e Hic est enim, de quo dictum est per Isaiam Prophetam,] *Isa.* 40. dicentem, vox clamantis in deserto, *Augustinus* dicit, quod non satis elucet an sub persona sua hoc dicat Evangelium, an sub persona Baptistæ. Secundum tamen *Hieron.* verba sunt Evangelistæ. Joannes autem dicitur vox, Christus verbum, qui in Joanne clamat. Vox, quæ auditur, cito transit, sic Joannis fama non multum duravit. Item Joannes vox Christi dicitur, Christus verbum, quia sicut vox manifestat mentis conceptum, Joannes manifestat Christum.

f Clamantis] dicit, non loquentis tantum, non prædicantis sed clamantis, ut majorem affectum mentis exprimat. (Clamantis) etiam dicit: quia surdi erant Judæi. *Isa.* 42 Quis surdus nisi servus meus? Hæc vox excitavit a somno peccatores, arguit delinquentes, invitavit ad fidem Christi.

g In deserto,] non in palatio. In omnibus Joannes est forma pœnitentibus, quibus desertus locus est congruus, ubi non molestat hominum intuitus, ubi sedet pœnitens non mollibus vestitus, cujus cibus aridus. Ibi enim apparet Dominus. *Osee* 2. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. Unde *Psalm.* 62. In terra deserta, & invia, & inaquosa: sic in sancto apparui tibi. *Exod.* 3. Moysi existenti in deserto apparuit Dominus.

h Parate viam Domini,] bene vivendo, prava abjiciendo, verbum Dei libenter audiendo.

i Rectas facite semitas ejus.] recta opera faciendo, non pro terrenis serviendo, mores in melius mutando, consilia sequendo. Semitæ Domini sunt strictæ, mundæ, altæ, pacificæ. *Proverb.* 3. Viæ ejus pulchræ, omnes semitæ ejus pacificæ.

k Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum,] ad litteram. *August.* Non de lana, quia illud austeritatis indicium est, hoc luxuriæ mollities idest, aliquantulum mollis procurationis.

habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. m Esca autem ejus erat locustæ, n & mel silvestre. o Tunc exibat ad eum p Jerosolyma, q & omnis Judæa, r & omnis regio circa Jordanem, & f baptizabantur ab eo in t Jordane u confitentes peccata sua. x Videns autem multos pha-

B

l Et zonam pelliceam circa lumbos suos,] quæ erat, de pelle cruda, & pilosa, quia enim prædicavit pœnitentiam, illam etiam prætendebat in vestitu, & victu.

Marc. 1.

m Esca autem ejus erat locustæ,] quoddam genus magnarum locustarum, quod erat in deserto Judææ, quæ erant incommestibiles. n Et mel silvestre.] de truncis, vel herbis. Mel silvestre inveniebat in truncis, & in arundinibus. Sunt enim quædam arundines plenæ melle naturaliter. Vel sicut dicit Rabanus *in dictis Asmphes Galliarum Episcopi* in deserto illo erant arbores habentes folia lata, & rotunda lactei coloris, & mellei saporis, quæ natura fragilia manibus confricantur, & eduntur, & hoc dicitur mel silvestre. Joannes tenet formam prædicatoris, qui non debet uti pretiosis vestibus. *Jerem.* 15. Si separaveris pretiosum a vili quasi os meum eris. *Ecclesiastic.* 11. In vestitu ne glorieris unquam. 1. *Timoth.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, non oremur, his contenti simus. 4. *Reg.* 1. Cujus figuræ, & habitus est, vir ille occurrit vobis, & locutus est verba hæc? At illi dixerunt. Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est, Elias robustus domino, Thesbites convertens: illi autem, qui pretiosis sunt induti, non erogant panem prædicationis populo, quod figuratur in divite, qui induebatur purpura, & bysso. *Luc.* 9. & non dabat de micis Lazaro.

m Esca autem ejus erat locustæ,] peccatores, quod incorporat Ecclesiæ. *Act.* 10. Macta, & manduca. *Greg.* Esca sanctorum collisio est peccatorum.

n Et mel silvestre.] In melle dulcedo prædicationis, vel contemplationis. *Proverb.* 25. Mel invenisti, comede, quod sufficit tibi. Silvestre est mel, quando recordatur præsentis miseriæ, vel peccatorum præteritorum. Unde bene hic sequitur.

o Tunc exibat ad eum Jerosolyma, & omnis Judæa,] hic ostenditur in littera, quando, ad quem, qui, quo, quales ad quid exibant. Evangelista cœpit agere de prædicatione Præcursoris, sed ad ejus commendationem interserit prophetiam Isaiæ, per cujus interpositionem inceptam dimiserat narrationem, qua finita redit ad propositum. Et continuatur ex eo, quod dictum est. Venit Joannes in desertum Judææ prædicans, & dicens. Agite pœnitentiam, &c. Tunc exibat ad eum audita fama prædicationis.

p Jerosolyma,] illi de tribu Juda propter nativitatem prædicationis, quia prædicabat novum modum remissionis, cum Moyses prædicaverit de victimis Levi, & propter asperitatem vestimenti, & alimenti.

q Et omnis Judæa,] de tribu Benjamin, quia proximi erant illis. r Et omnis regio circa Jordanem,] scilicet, de terra illa, quæ data est duabus tribubus, & dimidiæ tribus Ephraim.

f Et baptizabantur ab eo in Jordane] *Hieron.* quia in eo figura Baptismi præcessit, quando enim filii Israel transierunt sicco pede: *Josue* 3.

u Confitentes peccata sua.] novo modo, cum prius hoc facerent per sacrificia. In confessione autem peccata dimittebantur non in baptismo Joannis.

Moraliter. Si talis esset prædicator, ut *supra* dictum est. Moraliter.

o Omnis Jerosolyma,] claustrales.

q Omnis Judæa,] Clerici.

r Omnis regio] secularium.

f Baptizarentur] idest, Mundarentur.

t In Jordane] in humili prædicatione.

u Confitentes peccata sua.] tam mortalia, quam venialia. Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad Baptismum suum non confitentes peccata sua. Nota autem, quod tres erant sectæ famosæ

A Judæorum, scilicet, secta

a Judæorum, scilicet secta Pharisæorum, Sadducæorum, & Essæorum. Essæi erant religiosissimi vitæ, & longe arctioris quam Monachi nostri temporis. De quibus tamen in Evangelio non fit mentio. Pharisæi autem arctæ, & austeræ vitæ leguntur fuisse, imo superstitiosæ, qui in fimbriis vestimentorum spinas ponebant, ac si per hoc dicerent: Nos punctionibus, & aculeis carnem nostram affligimus. In fronte autem, & in brachiis portabant quædam phylacteria, & cartulas, in quibus erat Decalogus scriptus, ut viderentur mandata Decalogi observare. Isti credebant resurrectionem, dogmatizantes animas salvandorum statim post obitum transferri ad corpora meliora, & in eis usque in diem judicii permansuras, animas vero reproborum statim descendere ad infernum. Isti adinvenerunt traditiones pro captando populi favore, quibus determinabant traditionem Moysi. Imo tunc Decalogum, & præcipue illud mandatum de honorandis parentibus. Erantque divisi ab aliis vita, & doctrina, & ideo Pharisæos, quasi divisos se vocabant. Sadducæi autem non credebant resurrectionem; ideoque objiciebant de muliere septem viros habente, dogmatizantes animas cum corporibus interire, docentes nullum Angelum esse. Hi tantum quinque libros Moysi recipiebant, & Prophetas respuebant.

Iud. 15. Luc. 3.

al. † demergebantur.

al. † quoniam.

Ioseph. 14.

Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad Baptismum suum, dixit a eis: Progenies viperarum, b quis † demonstravit vobis fugere a ventura ira: c Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Et d ne velitis dicere intra vos: e patrem habemus Abraham. f Dico enim vobis † g quia potens est Deus de h lapidibus istis i suscitare k filios Abrahæ. l Jam enim securis m ad ra-

a Dixit eis, progenies viperarum Israel. Venenati filii veneratorum. Isti enim sicut patres eorum bonis invidebant, & proximos lædebant. Vipera autem dicitur quasi vi pariens, Gloss. Rab. Vipera parrem suum occidit, sic Judæi Prophetas, qui erant patres eorum. Sed quare maledicebat Joannes patribus eorum, cum in absentia non debeat maledici de aliquo. Chrys. solvit, dicens. Laudari debuerant, qui ad ipsum de civitatibus venerant: quare igitur genitoribus detrahitur? Solutio: Quia magna sapiebant in progenitoribus. Joan. 8. Pater noster Abraham est, &c.

b Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?] idest a vindicta sine confessione. De hac ira Soph. 1. Dies illa, dies iræ. Hanc iram non potest fugere quis, nisi prius fugerit divitias cum Jacob fugiente Laban. Genes. 39. Delicias cum Joseph fugiente Ægyptiam. Genes. 39. Honores cum Jesu, qui proposito gaudio regni fugit. Joan. 6. Item non effugiunt iram venturam, nisi qui senserint præsentem. Mich. 7. Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Psalm. 2. Cum exarserit in brevi ira ejus, quasi dicat, volumus fugere, dicit:

c Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ] ut sic effugiatis. Non autem dicit, facite pœnitentiam, vel opera pœnitentiæ, sed fructum, qui dicitur a fruendo. Ille autem fructus pœnitentiæ facit, qui inundationes maris, idest pœnitentiæ, quasi lac sugit. Deuteron. 33. Vel fructum dignum, idest fructuosam pœnitentiam, quæ scilicet fit in charitate. Arbor est ipsa pœnitentia radix contritio cordis, remi opera bona, folia confessio integra, fructus satisfactionis pœna. Ille ergo facit pœnitentiam, sed non dignos fructus, qui dolet tantum de commissis. Ille vero agit pœnitentiam, & fructus, sed non dignos, qui & dolet, & in parte satisfacit. Sed ille facit dignos fructus, qui in dolore cordis tantum affligitur per pœnam, quantum deliquit per culpam, secundum illud Apocal. 10. Quantum se glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, & luctum. Deuter. 25. Pro mensura peccati erit & plagarum modus.

d Et ne velitis dicere intra vos:] cogitando scilicet:

e Patrem habemus Abraham] quasi dicat, in semine Abrahæ non confidatis, quasi ex hoc sit salus, quia non filii carnis sunt semen Abraham, sed qui filii Dei sunt, idest qui imitatur fidem Christi. Roman. 9. Chrysost. Quid prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara, aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Quid profuit Cham, quod filius fuit Noe. Aurum de terra nascitur, sed non terra est. Et sequitur: Melius est, ut in te glorientur parentes, quam tu glorieris in parentibus.

f Dico enim vobis] quasi dicat, nolite gloriari, quia patrem habetis Abraham.

g Quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ] Ostendebat Joannes lapides, quos Josue de Jordane transferri fecit. Josue 4. & Josue enim duodecim lapides de alveo Jordanis fecit exportari, & totidem de terra illuc reportari. In quo præfigurata est excæcatio Judæorum, & illuminatio gentium. Per duodecim enim lapides, qui de medio fluminis extractæ sunt, significantur gentiles, qui de profundo cæcitatis, in qua immerserant, & quasi de tenebris ad lucem prodierunt, quia cum erant prius in fluxu confusionis, acceperunt gratiam illuminationis. Per duodecim lapides de sicco in medium fluminis deportatos, intellige amissa gratia Judæos excæcatos, & in profundum cæcitatis, unde gentiles emerserant, immersos. Dicit ergo:

f Dico enim vobis, quia potens est Deus] Deo enim nihil est difficile, vel impossibile.

h De lapidibus istis] idest de gentilibus significatis per istos lapides.

i Suscitare] tanquam mortuos in peccato. Vel (Suscitare,) quia Abraham, & Moyses mortui erant sine semine, & paucos reliquerant filios, ideo Christus semen suscitavit.

k Filios Abrahæ,] ut sint veri filii Abrahæ. Roman. 9. Non filii carnis semen sunt Abrahæ, sed qui filii Dei sunt.

l Jam enim securis] quasi dicat, cito faciatis. Jam enim securis, idest sententia.

m Ad radicem arboris posita est] Arbor dicitur Judaicus populus radix appellatur

Moral.

Moraliter. d Ne velitis dicere, patrem habemus Abraham] Hi sunt, qui confidunt in genere suo. Osee 9. Gloria eorum a partu, & ab utero, & a conceptu. Sed si volunt fugere ad iram, & ad Christum venire, oportet eos venire cum Magis ab Oriente, idest suum Orientem relinquere. 1. Cor. 15. Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt. f Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis] idest de peccatoribus, qui sunt duri per obstinationem cordis.

i Suscitare filios Abrahæ] idest facere justos. Juxta illud Ezech. 11. Auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Psalm. 77. Percussit petram, & fluxerunt aquæ. Quod bene in Paulo impletum est in via Damasci, de quo fluxit torrens doctrinæ. De quo Prov. 18. Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ. Job 28. Lapis solutus calore, idest Paulus vertitur in æs prædicationis. Unde significatur per scyphum argenteum, qui positus in sacco Benjamin. Gen. 44. Suscitat eos ad vocem prædicationis, sicut leo. 1. Reg. 2. Suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Hos filios suscitatos Dominus pascit. Psal. 22. Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Erudit. Isa. 2. Docebit vos vias suas. Balneat, & vestit. Unde Ezech. 16. Lavi te aqua, & emundavi sanguinem tuum ex te, & unxi te oleo Spiritus sancti, vel olei lætitiæ, & vestivi te discoloribus, idest varietate virtutum. Unde Psal. 44. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Item per duodecim lapides, qui de alveo ponuntur in siccum, significantur religiosi, qui de cursu mondanæ voluptatis transeunt ad religionem. Unde inf. 12. Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida. Per alios duodecim significantur illi, qui de sicco religionis ad prælaturas assumuntur propter suam sanctitatem. Isa. 13. Ecce ego suscitabo super vos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis parvulos interficient. Medi religiosi sunt, qui sunt bene mensurati, & morigerati. Sed modo contingit illud Thren. 4. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides, scilicet Religiosi in capite omnium platearum.

Ezech. 16.

l Jam enim securis ad radicem arboris posita est] arbor unusquisque homo. Ps. 1. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Jer. 17. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum, quod transplantatum est super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit, cum venerit

a populus, radix appellatur extremitas, quæ fuit captivata sub Tito, & Vespasiano, quasi dicat, sententia Dei jam est ad hoc, ut radicitus extirpet genus Judæorum, vel radix, illi jam ab Assyriis capti erant. Vel securis est Christus, qui jam ortus erat radix Judæorum, Jerusalem, arbor cæremoniæ, quæ omnia destructa sunt in captivitate a Romanis. Hæc est securis, de qua 4. Reg. 6. dicitur, quod ferrum securis cecidit in aquam. Hæc est Christi Divinitas, sive anima, quæ descendit ad inferos. Lignum remansit in manu, quia ejus humanitas comprehensibilis est, & remansit in sepulchro. Sed postea ferrum supernatavit, cum Dominus eam a mortuis suscitavit. Vel radix Adam arbor genus humanum, securis præsens calamitas. Hæc securis non est audita in templo Salomonis. Unde illud satis nos debet terrere, quia jam sustinemus quasi æternæ damnationis præsagia. Zachar. 13. Adam exemplum meum ab adolescentia mea. Ezech. 9. Sex viri veniebant a porta Orientali, & vas interitus in manibus eorum Sex viri, sed defectus. Fames, sitis, frigus, æstus, infirmitas, mors.

Infr. 7. *3. Reg. 6.*

dicem arborum posita est. Omnis a ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, b excidetur, & in ignem, c mittetur. d Ego quidem baptizo vos in e aqua in f pœnitentiam, qui g autem post me venturus est, h fortior me est, i cujus non sum dignus calceamenta portare,

Moraliter. * Æstus. Et erit folium ejus viride in tempore siccitatis, non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Hæc arbor debet in fide radicari, in spe erigi, in charitate dilatari, in doctrina verborum frondosa, in bonorum fœcunditate fructuosa. Securis est prædicatio. Deut. 19. Si abierit vir, cum proximo suo simpliciter ad silvam, ad ligna cædenda, & securis fugerit manum, ferrumque lapsum de manubrio amicum occiderit, ad unam supradictarum urbium fugiet. Securis ergo ad radicem posita est, quando homo prædicando fidem defendit. 1. Petr. 3. Parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in vobis est fide, & spe. Vel quando Prædicator arguit, quod non servant fidelitatem Deo. Vel securis sententia est, & tunc radix est cogitatio, locutio, & opus, quia pro his damnabitur. Vel si per securim intelligatur prædicatio, tunc est sensus: [Jam enim securis, &c.] idest, prædicatio in promptu est ad arguendum pro peccato cogitationis, locutionis, & operis. Ezech. 22. Dupliciter gladius, ac tripliciter.

Sex notantur in prædicatione Joannis. a Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur,] Ecce metuenda conclusio. Nota autem sex in prædicatione Joannis. Increpatio, ibi: (Progenies viperarum.) Monitio benefaciendi, ibi: (Facite dignum fructum.) Dissuasio gloriandi, ibi: (Ne velitis dicere, &c.) Utriusque confirmatio, ibi: (Dico enim vobis, &c.) Comminatio de præsenti, ibi: (Jam enim securis, &c.) Comminatio de futuro, ibi: (Omnis ergo arbor, &c.) Beda Arbor est genus humanum, cujus rami, alii sunt aridi, ut pagani incendio apti, alii virides, sed sine fructu, ut hypocritæ exterius nitidi, interius vacui; alii sunt fructuosi, sed venenosi, ut Hæretici, qui etsi prædicando faciunt fructum, tamen reddunt mortiferum, alii faciunt fructum bonum, ut Catholici, qui catholice vivunt. Isti excidentur ab Ecclesia per excommunicationem, maxime Hæretici, anima a corpore per mortem, anima & corpus a Deo per judicis sententiam, Dan. 13. Ecce Angelus Dei accepta sententia scindet te medium, &c.

Moraliter. Tria genera arborum. Moraliter. a Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum,] Sunt tria genera arborum, de quibus Jud. 9. Vitis, ficus, & oliva. Vitis Prælati. Eccl. 24. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, suavitatem conscientiæ, & odorem bonæ famæ. Sed modo potest dici illud Jerem. 2. Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum, quomodo conversa es in pravum vinea aliena? Per ficum, Religiosi, qui debent habere dulcedinem & in verbis, & in factis. Cant. 4. Favus stillans labia tua sponsa. Jer. 24. Quid tu vides Jeremia? ficus bonas, bonas valde, ficus malas, malas valde. Hieron. Sicut non inveni meliores quam eos, qui in monasterio proficiunt, sic non inveni pejores quam eos, qui ibi deficiunt. De hac ficulnea. Luc. 13. Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens in ficulnea, & non invenio, succide ergo eam. Hi tres anni sunt, continentia, obedientia, & abrenunciatio proprietatum. Per olivam laici, qui debent facere opera misericordiæ. Sed multi sunt, ut salices infructuosæ, olivæ similes foliis,

b Excidetur] in morte. c Et in ignem mittetur] gehennæ. Hoc dixit ad differentiam arboris bonæ, quæ licet excidatur a morte, non tamen in ignem mittitur. Unde Job 13. Lignum habet spem, si præcisum fuerit rursum virescit, & rami ejus pullulant. Si senuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cum primum plantatum est. d Ego quidem baptizo vos.] Post habitum sermonem de succensione arboris, redit ad materiam, & de baptismo agens, modus ejus exprimens, & illius ostendit potentiam, a quo commonendi sumpserat audaciam. Prius tamen suam manifestat impotentiam, dicens. Ego quidem baptizo vos, idest, corpora lavo, non possum tamen a peccatis solvere. e In aqua] tantum non spiritu. Sed contrarium dicit Lucas, quod Joannes prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, non ergo solum in aqua. Solutio. Intelligendum est sic, quod Joannes prævenit suo Baptismo Baptismum Christi, qui est in remissionem peccatorum. Vel dicitur: est in remissionem peccatorum propter hoc, quod pœnitentiam prædicabat, quæ dat remissionem peccatorum. Fiebat autem baptismus Joannis duabus de causis. Prima, propter devotionem suscipientium. Secunda, propter assuefactionem ad baptismum Christi.

Marc. 1. Luc. 3. Joann. 1. Luc. 3.

f In pœnitentiam,] idest, propter pœnitentiam, vel in signum pœnitentiæ. g Qui autem post me venturus est] ad prædicandum ad baptizandum, ad moriendum.

h Fortior me est] & secundum deitatem, & secundum humanitatem.

i Cujus non sum dignus calceamenta portare.] Alii dicunt solvere corrigiam calceamenti ejus. Marc. 1. Luc. 3. Joann. 1. Et potuit Joannes dicere utrumque, vel continuo, vel temporum diverso. Vel quia modus loquendi accipit utrumque sensum, & non verba. Unde Aug. Utilis est modus, & memoriæ commendandus, qui dicitur hic, & ab aliis Evangelistis, cujus non tantum alia sunt verba, sed sententia, ut scilicet, pluribus narrantibus eamdem rem non arguatur mendacii, si ab altero discrepaverit, quemodus potest exemplo Evangelistarum defendi. Per calceamentum significatur Evangelium, quia loquitur de pelle mortua, idest, morte Christi. Item quia munit pedes, scilicet, affectum, & intellectum. Dicit ergo. Cujus non sum dignus calceamenta portare, idest, Evangelii sacra verba circumferre. Se autem indignum dicit, quia non est ad hoc deputatus, sed Apostolis est commissum illud officium. Dignus tamen erat ex merito, etsi non ex officio; quia non erat Apostolis inferior. Allegorice. Calceamentum est incarnationis mysterium. Psalm. 59. In Idumæam extendam calceamentum meum. Deut. 33. Ferrum, & æs calceamentum ejus. Unde venit ad nos calceata divinitas. Et nota quare dicatur calceamentum. Calceamentum enim fit de pelle animalis mortui, idest, de vetustate nostræ mortalitatis. Thren. 3. Vetustam fecit pellem meam. Corrigia est mysterii ligatura. Solea, per quam terrena, idest, terrenas pœnalitates calcavit, fuit gloria immortalitatis post resurrectionem. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur. Filum, quo hæc solea assuitur calceamento, fuit ipsa resurrectio. Psalm. 56. Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cythara, &c. Subula, qua facta sunt foramina, ut posset intrare filum, angustia Passionis. Infr. 19. Facilius est camelum intrare per foramen acus, &c. Seta, per quam intromissum est filum, potentia divinitatis, per quam, quando voluit, resurrexit. Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Cultellus, cum quo præcisa sunt superflua ab hoc calceamento, operatio Spiritus Sancti, qui carnem ejus ab omni labe mundavit. Lucæ primo. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Forma, ad quam factum est illud calceamentum, fuit formatio Adæ. Nam sicut ille de terra pura, sic ille de pura virgine, Psalm. 48. Veritas de terra orta est. Sutor, Pater, cui Christus obedivit, sicut sutor disponit, de suo calceamento secundum suam voluntatem. Philip. 2. Christus factus est Patri obediens usque ad mortem; mortem autem crucis. Sensus ergo est. i Cujus non sum dignus, &c.] idest, non sufficio mysterium Incarnationis enodare. Isa. 53. Generationem ejus quis enarrabit? Vel de hoc dicit Joan. se excusando, q. d. [Cujus non sum dignus, &c.] idest nomen sponsi nolo mihi usurpare, nec sponsus volo credi, vel dici, sed amicus sponsi.

Allegorice. *Thren. 4.* *Joann. 10.*

Δ Mos enim erat

Moraliter. Moraliter. i Cujus non sum, &c.] Calceamenta sunt temporalia. Debet ergo dicere prædicator. Non competit dignitati meæ portare hujusmodi calceamenta. Eccl. 46. Samuel pecunias, & usque ad calceamenta ab omni carne non accepit

* Luc. 10. No-

Mos enim erat, ut si quis eam, quæ sibi jure propinquitatis competeret, in uxorem accipere nollet, ille ei calceamentum solveret, qui ad hanc sponsus jure propinquitatis accederet. Aliter. Calceamenta sunt exempla Patrum Novi, & Veteris Testamenti. *Deut.* 33. Ferrum, & æs calceamentum ejus. Corrigia, concordia utriusque Testamenti. Est ergo sensus. Non sufficio concordiam utriusque Testamenti enodare. De his calceamentis *Cant.* 7. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis, *Jerem.* 2. Prohibe pedem tuum a nuditate.

Moraliter. * *Luc.* 10. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.

a Ipse] discretive.

a ipse *b* vos baptizabit in Spiritu *c* sancto, *d* & igni. *e* Cujus ventilabrum in *f* manu sua, *g* & permundabit *h* aream suam, & *i* congregabit triticum suum in *k* horreum, *l* paleas autem *m* comburet igni *n* inextinguibili. *o* Tunc *p* venit Jesus *q* a Galilæa in *r* Jordanem, *s* ad Joannem, ut *t* baptizaretur ab eo *u* Joannes autem prohibebat eum *x* dicens: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me.

b Vos baptizabit] quia a peccatis sanctificat. Baptizat autem Christus in verbo, vel in se, vel in forma Baptismi, vel in forma prædicationis, vel invocatione Trinitatis.

c In Spiritu, & igni.] idest, in Spiritu Sancto, qui est ignis, in quo fit inflammatio ad bonum. Vel [in Spiritu Sancto,] in Baptismo.

d Et igni.] triplici amoris, tribulationis, & purgatorii. De primo, *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat? De secundo *Psalm.* 16. Igne me examinasti. *Thren.* 1. De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me. De tertio, 1. *Corinth.* 3. Salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Vel per spiritum, gratia baptismalis. Per ignem, ignis purgatorii, ubi purgabitur, quod hic non purgatur. Aqua necessaria est propter peccata amoris male accendentis, ignis, qui terret propter peccatum timoris male humiliantis.

e Cujus ventilabrum] idest, discretio judicii.

f In manu sua,] idest, in potestate, vel in filio. *Jo.* 5. Omne judicium dedit filio. *Jerem.* 15. Dispergam eos ventilabro in portis terræ. Ventilabrum est instrumentum, in quo grana a paleis excutiuntur.

g Et permundabit] idest, perfecte mundabit. Quotidie enim mundat per verbum suum, *Joan.* 15. Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Per tribulationes. *August.* Quod lima ferro, quod fornax auro, quod flagellum grano, hoc tribulatio justo. Per fletum. *Psalm.* 50. Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor. Sed non perfecte mundat, sed in futuro judicio erit perfecta mundatio, quando separabit malos a bonis. *Thren.* 4. Facies Domini divisit eos.

h Aream suam.] idest, Ecclesiam, in qua grana sunt, cum paleis. Et bene dicit: suam, quia emit eam sanguine suo pretioso. 1. *Cor.* 6. Empti estis pretio magno. *Psalm.* 46.

i Et congregabit triticum suum] quod modo est in pluribus locis dispersum. *Psalm.* 147. Dispersiones Israel congregabit. Triticum dicuntur boni, quia constantes, & immobiles a fide, spe, & charitate.

k In horreum,] idest, in cœleste habitaculum.

l Paleas autem] idest, malos, qui sunt palea, quia sunt sine fructu bonorum operum, leves spiritu exsuflante, idest, aliquo verbo malo. Vel qui vento inanis gloriæ capiuntur, & sunt aridæ a devotione, & compassione. *Eccl.* 6. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur tua virtus per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo. *m* Comburet igni extinguibili.] Active, quia eos omnino extinguit, quos punit. *Psalm.* 48. Mors depascet eos. Vel passive, quia ille ignis extinguitur. *Isai. ult.* Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. [Inextinguibili,] dicit, ad differentiam illius, de quo dicitur: Igne me examinasti, &c. Ille enim præterita tribulatione non sentitur.

Allegorice. Allegorice. *e* Cujus ventilabrum] idest, excommunicatio. *Jerem.* 25. Dispergam eos ventilabro in portis terræ. *f* In manu sua,] idest, in opere. Debet enim servare Prælatus excommunicationem suam, quam fecit, ut non loquatur cum excommunicatis. *Eccl.* 34. Unus ædificans, & alius destruens, quid utile in utrisque? *g* Et permundabit aream suam,] idest, Ecclesiam a sordibus peccatorum, & meretricibus, & aliis peccatoribus. *Osee* 13. Erunt quasi nubes matutina, & sicut matutinus ros præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario, *Mal.* 3. Sedebit conflans, & emundans argentum suum, & purgabit filios Levi. Dicitur de Prælato. *i* Et congregabit triticum suum in horreum, idest, ad Prædicationem in Ecclesiam suam.

l Paleas autem comburet] idest, comburendos prædicet. *n* Igni inextinguibili,] in Inferno. Item aliter. Area est continentia. Hæc est area Ornan, vel Areuna Jebusæi, idest, conculcati per peccatum. 2. *Reg. ult.* Ventilabrum est pœnitentia. *Psalm.* 43. In te inimicos nostros ventilabimus cornu. Triticum sunt virtutes. *Job* 5. Cujus messem famelicus comedet. *In eodem.* In abundantia ingredieris sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. Paleæ sunt peccata. *Gen.* 24. Paleæ quoque, & fœni plurimum est apud nos. Aliter. Area est Scriptura, in qua Gedeon, idest, Prælatus excutiebat triticum. *Jud.* 6. *Isai.* 30. Mixtum migma comedent, sicut in area ventilatum est. Ventilabrum studium, vel prædicatio. Triticum moralis, vel mysticus sensus. Palea littera, vel figuræ. *Osee* 9. Area, & torcular non pascet eos, & vinum mentietur eis. Loquitur de Judæis. *Isa.* 62. Si dedero inimicis triticum tuum, idest, moralem sensum Judæis. *Infr.* 12. Apostoli fricabant spicas, idest, spiritualem sensum denudabant a palea litterali intelligentiæ. Item aliter. Area, uterus virginalis, de quo *Jud.* 6. Ponam vellus hoc lanæ in area, si ros in vellere solo fuerit, &c. idest, Christus in Virgine. Triticum Christus, *Joan.* 12. Nisi granum frumenti cadens in terram, &c. Palea, Mariæ tribulationes, & dolores ejus quæ ipse removit.

o Tunc venit JESUS] quando Joannes prædicabat, & baptizabat, quando, scilicet, Jesus erat triginta annorum, & tredecim dies habebat. Anno autem revoluto eadem die mutavit aquam in vinum. Et sequenti Pascha Joannes est incarceratus, & in alio anno revoluto decollatus, & in Pascha proximo Christus crucifixus. Sic Dominus secundum Eusebium, & alios Sanctos vixit per triginta duos annos, & dimidium, idest, a Natali usque ad Pascha. Secundum *Chrysost.* vixit per triginta duos annos, & dimidium. Dicit ergo: Tunc quando, scilicet, Joannes baptizabat, & prædicabat.

p Venit Jesus] qui diu latuerat. *q* De Galilæa] idest, a Nazareth. *r* In Jordanem] Venit autem, ut baptisma Joannis consecraret, ut ei robur, & auctoritatem præberet, ut omnem justitiam impleret, ut aquas sanctificans in lavacro sancti Spiritus adventum visibiliter ostenderet, ut nemo quantumcunque sanctus Baptismi gratiam superfluam reputaret. *s* Ad Joannem, ut baptizaretur ab eo] Dominus a servo, major a minore. Nullus ergo dedignetur inferiorem. Dicunt autem quidam, quod tunc incepit sexta ætas, quando, scilicet, Christus baptizatus est. Alii dicunt, quod incepit ab ipso Joanne propter illud. Lex, & Prophetæ usque ad Joannem. Secundum autem alios ab Incarnatione Domini, unde computamus annos ab Incarnatione. Secundum alios a Passione, ut tunc amota romphæa, simul currant sexta, & septima ætas, quæ tunc primo incepit. Secundum *Eusebium* autem cui fere omnes moderni consentiunt, a primo anno Tyberii Cæsaris, scilicet, a 25. anno ætatis Domini. Nota autem, quod est Baptismus in verbo. *Joann.* 15. Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. In aqua. *Joan.* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, &c. *Act.* 1. Joannes quidem baptizabat aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto. In igne, idest in præsenti tribulatione. *Isa.* 4. Si abstulerit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu judicii, & spiritu ardoris. In morte. *Luc.* 12. Baptisma habeo baptizari, &c. *Multiplex baptismus.*

Moraliter. Moraliter. Christus proximo prædicaturus venit ad baptismum, sic quilibet debet se prius lavare lacrymis pœnitentiæ, & tunc prædicare. A Nazareth Galilææ venit, sic prædicator florem mundi debet relinquere, qui bene dicitur Galilææ, quia deciduus est, *Jer.* 48. Date florem Moab. *r* In Jordanem] fluvium judicii, ut quilibet judicet seipsum per pœnitentiam. *Ps.* 118. Feci judicium, & justitiam, &c. *s* Ad Joannem,] idest, ad gratiam Dei. *t* Ut baptizaretur ab eo] Per baptismum Christi contemplativa, per baptismum Joannis activa designatur. Uterque vult ab alio baptizari, quia una alia indiget. Sed baptizati a Joanne rebaptizabantur, quia activa per contemplativam mundatur. *u* Joannes autem prohibebat eum] præ humilitate. *x* Dicens, ego a te debeo baptizari,] *Gl.* ab Originali mundari. Sed contra: Circumcisus fuit, & in utero sanctificatus. Sol. Secundum illos, qui dicunt, quod idem est Originale, & fomes, sic intelligitur ab Originali mundari, quia magis, & magis

a fomes credendus est ab homine debilitari. Vel ab originali mundari quoad pœnam debitam. Originali, scilicet, carentiam visionis Dei. Vel ab originali mundari, quoad apertionem januæ, quia descendit ad lymbum. Vel licet sit mundus, & dignus, reputat se indignum causa humilitatis. a Respondens autem, &c.] idest permitte impleri id, ad quod veni, scilicet baptizari.

a Respondens autem Jesus dixit ei: Sine modo: sic b enim decet nos c implere omnem justitiam. d Tunc dimisit eum. e Baptizatus autem Jesus confestim f ascendit de aqua. Et g ecce aperti sunt ei cœli, h & vidit Spiritum Dei i descendentem, sicut columbam, venientem super se. Et k ecce vox de cœlis dicens? l Hic est m filius n meus o dilectus, in p quo mihi complacui.

C A P. IV.

TUnc q Jesus r ductus est in s desertum t a spiritu, ut u tē-

b Sic enim decet nos] idest, me, & te. [c Implere omnem justitiam:] idest, perfectam humilitatem secundum tres sui gradus. Primus est subdere se majori, & non se præferre æquali, hic dicitur sufficiens, & omni justo necessarius. Secundus est, subdere se æquali, nec præferre se minori, & hic dicitur abundans. Tertius est se subdere minori, in quo est omnis justitia. Hunc implevit Christus: Et hic dicitur superabundans. Unde dicit [Sic enim, &c.] idest, supremum gradum humilitatis. Beatus autem Bernardus ponit tredecim gradus humilitatis. Primus est corde, & opere humilitatem prætendere defixis in terra oculis, sive aspectibus. Secundus, pauca, & rationabilia loqui. Tertius est non esse facilem in risu. Quartus, taciturnitas usque ad interrogationem. Quintus, tenere communem regulam monasterii. Sextus, credere, & pronunciare omnibus se viliorem esse. Septimus, ad omnia se indignum, & inutilem confiteri, & credere. Octavus, humilis confessio peccatorum, quando debet, & cui debet. Nonus, in duris facilis obedientia. Decimus, in asperis hilaris patientia. Undecimus, cum omni obedientia subdi omnibus. Duodecimus, propriam non habere voluntatem, vel non amare. Decimus tertius, se omni tempore custodire ab omni peccato timore Domini. d Tunc dimisit eum.] idest, consensit. e Baptizatus autem Jesus confestim] sine mora. f Ascendit de aqua.] In hoc apparet, quod non in alio liquore, quam in aqua debeat fieri baptismus. Sed objiciunt Hæretici, si gratia Spiritus Sancti mundat interius, quid necesse est aquæ tinctio? Solut. Quia homo ex duobus constat, corpore, scilicet, & anima, & utrumque contaminatum est per peccatum, unde anima Spiritu Sancto, & corpus aqua debet lavari.

Tres gradus perfectæ humilitatis.

Tredecim gradus humilitatis secundum Bernardum.

Moraliter. Moraliter. Sic homo post baptismum prædicationis, vel lacrymarum statim debet ad cultum virtutum conscendere. Qui enim mollis, & remissus est in operibus suis, frater est sua opera dissipantis: *Prov.* 18. Vel confestim, de aqua voluptatum debet pedem retrahere. Et hoc est confestim conscendere aqua. g Et ecce aperti sunt ei cœli,] ad litteram quidam fulgor resplenduit super Christum, & duravit quandiu vox duravit. Aperitur autem cœlum per secretorum revelationem, ut Stephano, Paulo, Joanni, per apertionem aditus, in Ascensione, per splendorem, ut hic.

Mystice. Mystice, autem quia renatis patet aditus.

h Et vidit Spiritum Dei] Jesus vidit, & Baptista. *Joan.* 1. i Descendentem, &c.] idest, in specie columbæ. *Greg.* In columba Spiritus Sanctus apparuit, quia non veniebat, ut jam secundum cœlum peccata percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret.

Moraliter. Moraliter. Quia baptizati sunt per verbum Dei, vel per lacrymas debent esse columbini. *Cant.* 2 Columba mea, dilecta mea. Columba enim sine felle est per mansuetudinem. *Job* 5. Virum stultum interficit iracundia. Item non lædit ore. *Hieron.* 9. Sagitta vulnerans lingua eorum. Neque anguibus. Ecce innocentia. Item minimas aviculas non invadit. In quo prohibetur rapina. Item puro vescitur grano: Ecce abstinentia. Item alienos pullos tanquam suos fovet, & nutrit: Ecce charitas. Item gemitum dat pro cantu: Ecce compunctio. Item super aquas sedet, ut visa umbra accipitris fugiat: Ecce sollicitudo. k Et ecce, &c.] *Aug.* Hæc vox, non ut ei indicet, quod nesciat, sed quod auditoribus proficiat. *Rab.* Spiritus in columba, filius in homine, pater in voce, ita Trinitatis præsentia baptismum consecravit. Ecce demonstrative ad homines. l Hic] singulariter discretionem importat, quasi dicat hic, & non alius.

Proprietates columbæ.

m Est filius meus] consubstantialis.

o Dilectus,] quia unicus, quia per animam bonus.

p In quo mihi complacui.] idest, beneplacitum meum constitui, idest, per quem voluntatem meam implere disposui, salutem, scilicet, humani generis. Prius enim in Adam mihi displicuit. *Genes.* 6. pœnitet me fecisse hominem. Loquitur autem metaphorice ad similitudinem pictoris, qui cum videt picturam suam bonam, & pulchram, placet ei. In Evangelio Nazaræorum legitur hanc vox fuisse. Expectabam te, fili mi, in prophetis, ut in te spiritus meus requiesceret.

Moraliter. Moraliter. Postquam homo est baptizatus in lacrymis, vel in verbo, tunc potest ei dicere Dominus. l Hic est filius] per fidem. n Meus] per spem. o Dilectus] per charitatem.

p In quo mihi complacui.] *Isa.* 42. Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus: Complacuit in illo anima mea *ibidem* 62. Vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino habitare in te. 1. *Cor.* 7. Qui sine uxore est, quæ Domini sunt cogitat, quomodo placeat Deo, &c.

E X P O S I T I O C A P. IV.

TUnc Jesus, &c.] Post baptismum Christi subjungit Evangelista de tentatione ejus, ut rectum ordinem conversandi nobis ostendat. Nam post acceptam gratiam Spiritus Sancti, dolens se diabolus derelictum acrius insurgit. Unde *Eccl.* 2. Fili accedens servitutem Dei, &c. Agitur ante in hoc capite. Primo de jejunio, & de tentatione Christi. Secundo, de recessu in Capharnaum audita incarceratione Joannis. Tertio de vocatione Petri, & Andreæ, Jacobi, & Joannis. Quarto, de curatione multorum, & circuitu Galilææ. Prætermittit autem Matthæus multa, & non prosequitur rectum ordinem. Nota tamen, quod secundum rectum ordinem post tentationem quadam die dixit Joannes videns Jesum ambulantem. Ecce agnus Dei, & secuti sunt Jesum Andreas, & quidam alius discipulus Joannis. Postea Andreas duxit fratrem suum Simonem ad Jesum. In crastinum rediens Jesus in Galilæam vocavit Philippum. Philippus autem adduxit ad Jesum fratrem suum Nathanaelem. Hucusque idem est ordo historiæ apud omnes, sed deinceps variatur, Quidam enim sicut *Amonius, &* *Alexandrinus, & Eusebius, & Theophilus Antiochenus,* dicunt Dominum post tentationem statim prædicasse aperte, & discipulos congregasse. Sed communior opinio est, quam tenet Ecclesia, quod Dominus post Baptismum suum, anno revoluto, eodem die convertit aquam in vinum in nuptiis architriclini, & in Pascha sequenti post miracula ascendit in Jerusalem, & ejecit ementes, & vendentes de templo, *Joan.* 2. Et tunc venit ad eum Nicodemus. Deinde rediens in Galilæam vocavit quosdam discipulos, & docuit, & miracula quædam fecit, sed non ita publice: nondum enim erat Joannes incarceratus, sed baptizavit in Ennon, ut dicitur. *Joan.* 3. Sed paulo post incarceratus est Joannes, & tunc cœpit Jesus publice prædicare. Et ambulans secus stagnum vocavit Petrum, & Andream, Jacobum, & Joannem. Et hæc fuit secunda vocatio, de qua agitur *Luc.* 5. Triplex enim fuit vocatio Apostolorum. Prima fuit in cognitionem, secunda fuit in familiaritatem, tertia in discipulatum, de qua agit. *Matth. infr. eod. & Marc.* 6. *& Luc.* 5. In Pascha sequenti fuit Joannes decollatus, & in alio Pascha Dominus crucifixus. Et hic est verus ordo Evangelicæ historiæ. Dicit ergo. q Tunc] statim post baptismum. r Ductus est Jesus] ductus non coactus. *Marc.* 1. dicit. Expulit, *Luc.* 4. Agebatur spiritu. *Matth.* dicit hic, ductus est: In quo ostenditur, quod indivisa sunt opera Trinitatis. Expulsus enim est potestate patris, ductus sapientia filii, agebatur benignitate Spiritus Sancti. s In desertum] ad litteram. In illud quod est inter Jerusalem, & Jericho, ubi ille incidit in latrones. *Luc.* 10. t A Spiritu,] Sancto. u Ut tentaretur a diabolo,] Non dicit, ut diabolus tentaret. Malus enim Angelus homini datur ad exercitium, ut exerceatur homo, non ut diabolus exerceat. Tentatio enim passiva placet Deo, ut, scilicet, homo exerceatur. Moraliter. Hic est ordo rectæ conversationis, ut post acceptam Spiritus Sancti gratiam sæculum deserentes, desertum claustri veniamus, quia quamvis dicatur desertum a mundo: tamen in veritate est paradisus, & hortus deliciarum. *Isaiæ* 52. Ponet desertum ejus, quasi delicias, & solitudinem ejus quasi hortum Domini.

Moraliter.

Moraliter. * tum Domini. *Hieron.* Oppidum mihi carcer est, solitudo Paradisus. In deserto autem solent quæri tria. Flores, arbores, bestiæ. Flores sunt virtutum, & bonorum operum fragrantiæ in claustro. *Eccl.* 24. Flores mei fructus honoris. *Eccl.* 39. Obaudite me divini fructus, quasi rosæ plantatæ super rivos aquarum fructificate, quasi libanus suavitatem odoris habete, florete flores, quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam. Arbores altæ sunt viri excellentissimæ vitæ. *Ecclesi.* 24. Quasi cedrus exaltata sum in Libano. Sed nota, quod arbores, quæ sunt secus viam, damnificantur in foliis, & fructibus.

a taretur a diabolo, & *b* cum jejunasset quadraginta diebus, & *c* quadraginta noctibus, postea esuriit. *d* Et accedens tentator, dixit *e* ei: Si *f* filius Dei es: dic, ut *g* lapides isti panes fiant. Qui *h* respondens dixit: Scriptum est: *i* Non in solo pane vivit homo, *k* sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Psal. 79. Exterminavit eam aper de silva, & singularis ferus depastus est eam. *Bestia est claustralis.* Bestiæ sunt viri claustrales. Primo quia venantur. *Eccl.* 13. Venatio leonis onager in eremo. Secundo, quia est indomabilis, sic & religiosus non curat de adulatione mundana. Item fugit homines. Fuga autem tria bona facit, scilicet, familiaritatem Domini, libenter vident ipsum homines, pulchriorem conversationem habet. Tertio, quia corpus negligit, non curat bestia, ubi jaceat. Quarto, pulchram pellem habet, idest, conversationem, 1. *Petr.* 2. Conversationem vestram inter gentes habentes bonam. *Cant.* 7. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis. Quidam autem in hoc desertum compelluntur intrare timore mortis, vel inopiæ, quidam dicuntur propria voluntate bonum propositum prosequentes, quidam spiritu Dei aguntur, qui de die in diem crescunt in virtutibus. *a* Ut tentaretur] permittit autem hominem Deus tentari propter majus exercitium, & cautelam. *Psal.* 54. Contristatus sum in exercitatione mea. Secundo, ut duram servitutem diaboli expavescat, quam quodammodo in tentatione præsentit. *Jerem.* 16. Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem. *Tentatio utilis est ad multa.* Tertio, ut diabolus victus confundatur, *Psalm.* 103. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei. Nota autem, quod tentatio erudit. *Jud.* 3. Hæ sunt gentes, quas reliquit Dominus, ut his erudiret Israel. Item humiliat. *Gregor.* Dum vitia nos tentant, proficientes virtute humiliant. Tertio, negligentia repellit. *Gloss.* super illud: Proba me, Domine, & tenta me; quia nisi tentares negligentes essemus. Quarto fortiorem reddit. *Seneca.* Multum adjicit sibi virtus lacessita. Quinto, hominem custodit. *Gloss.* super *Psalm* 25. Nisi per tribulationes se melius servari nosset, non dixisset. Proba me, Domine, & tenta me. *Osee* 2. Sepiam viam tuam spinis. Ubi non est sepes diripietur possessio. Sexto purgat. *August.* Quod flagellum granum, &c. Septimo Deum glorificat. *Psalm.* 49. Eruam te, & honorificabis me. Octavo coronat. *Jac.* 1. Beatus vir, qui suffert tentationem, &c. *Sap.* 10. Certamen forte dedit illi, ut vinceret. Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. 2. *Tim.* 2. Et cum, &c.] Nota, quod Moyses, & Elias jejunaverunt non ex virtute, ut Christus, sed Moyses sustentabatur eloquio Dei. *Ad litteram.* *Exod.* 33. Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loquitur homo cum amico suo. Nec hoc mirum, cum fabulæ hominem delectent, & aliquando oblivisci faciunt. Elias autem in fortitudine cibi jejunavit. 3. *Reg.* 19. Nec dicuntur illi esuriisse, sed Christus, ut homo esuriit. *c* Et quadraginta noctibus,] hoc addit, ne in nocte comedisse putet. Si enim plus jejunasset, eum diabolus non tentaret, quem super hominem cognosceret. Nec minus ne Hæretici purum hominem assererent, dicentes: Nec hoc egit quod purus homo egit, scilicet, Moyses, vel Elias. Item ut ostenderet convenientiam legis, Prophetarum, & Evangelii: In jejunio enim quadraginta dierum convenit legi, quæ intelligitur per Moysen, & Prophetas, qui per Eliam, hoc est contra Manichæos, qui dicunt. Vetus testamentum a diabolo. Dominus autem jejunat, ante mortem quadraginta diebus cibo indigens, ut nos instruat, in tempore agonis a carnalibus desideriis abstinere, post mortem autem, scilicet, post resurrectionem comedit quadraginta diebus, cibo non indigens, quasi dicat, ego vobis sum consolatio, & cibus omnibus diebus, *inf. ult.* Nota autem, quod quinque de causis commendatur jejunium. *Jejunium quinque de causis commendatur.* Primo a sui institutione in statu innocentiæ in paradiso. *Genes.* 2. De fructu ligni vitæ ne comedatis. Secundo a jejunantium auctoritate, a Moyse, & Elia, & Christo. Tertio ab ordine, quem habet in bello spirituali. In bello enim agitur contra gulam, quia nisi hæc prius refrænetur, frustra contra alia laboratur. Quarto ab hoste, quem devincit, scilicet, diabolum, & carnem. *Hier.* Nihil vilius, quam a carne vinci, nihil gloriosius, quam carnem vincere. Quinto a multiplici ejus effectu. Fugat enim diabolum, sicut fames lupum de nemore. Et multa alia, quæ *infra* dicentur. *d* Et accedens tentator,] idest, diabolus, cujus officium est tentare. Habet etiam usum tentandi. Unde *Chrysost.* Tentatus autem est Christus suggestione tantum, non consensu, vel delectatione. Unde *Prov.* 30. Tria sunt mihi difficilia, &c. via colubri supra petram, idest, Christum. *d* Et accedens] in specie humana. *e* Dixit ei, si filius Dei es:] Tentabat ad dejiciendum, & explorabat ad sciendum. Noverat autem venisse in mundum per concentum Angelorum, per adventum Magorum, per Joannis testimonium, & per Patris vocem in baptismo, sed fastu superbiæ discredit, cum ejus infirmitatem cernit. *g* Dic, ut lapides isti panes fiant.] Nota, quod diabolus suadet relevare esuriem, non quod curet salutem, sed, ut cognoscat virtutem. *Chrysost.* O cæcitas diaboli, post quadraginta dies sentit esurientem, & quadraginta diebus jejunantem non intellexit. Nam sicut esurire hominis est, sic per quadraginta dies jejunare, & non esurire, hominis non est.

Moraliter. Diabolus persuadet prædicatori, ut doceat lapides, idest, comminationes emollire propter temporale emolumentum. *Moraliter.* *Prov.* 20. Suavis est homini panis mendacii. Modo enim versi sunt in panes, nec invenitur lapis, quo percutiatur peccator. Si lex adducitur, cæremonialia sunt, jam cessaverunt. Si prophetia, ad pœnam obligat, non ad culpam. Si Evangelium, consilium est, non præceptum. *Job* 41. Versi sunt ei lapides fundæ in stipulam. Vel lapides sunt austeritas pœnitentiæ. Diabolus dicit ad religiosum, satis fuisti in conventu, si filius Dei es, vade in infirmariam ad recreandum. Tunc Libanus convertitur in Chermel, & Chermel in saltum. Chermel mollities, vel deliciæ, per saltum sterilitas. Unde filii Israel concupierunt carnes in deserto, & delicias in religione. Vel in bono.

f Si filiua Dei es, &c.] Lapides in panes vertunt, qui austeritatem pœnitentiæ sustinent hilariter. *Ecclesi.* 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum. *Corinth.* 9. Hilarem datorem diligit Deus. Item lapides in panem vertit, qui dura verba patienter implet, ut habetur *Thren.* 3. Saturabitur opprobriis. Quando infirmus non potest sumere panem, tunc timetur de morte: Sed non est modo, qui emolliat multitudines lapidum, idest, qui consolentur per verba Sacræ Scripturæ illos, quibus detrahitur. *Eccles.* 11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas. Masticatur iste panis, quando docetur quid tenendum, quid faciendum. In ventrem trajicitur, quando tenetur memoriter. Decoquitur, quando per fervorem charitatis digeritur. *Eccli.* 3. Quæ præcepit Dominus, cogita illa semper. Assimilatur, per Sanctorum imitationem. Tertio lapides in panes vertit, qui lapides domorum mutat in eleemosynas. *h* Qui respondens dixit, &c.] *Deut.* 18. *i* Non in solo, &c.] Intentio Moysi in hoc verbo fuit, quia Judæi credebant, quod Dominus non posset eos saturare nisi pane materiali. Sed Moyses dicit, quod in solo verbo potest Dominus procurare eis alimenta. Nota autem, quod Dominus non utitur potestate, sed scripturarum auctoritate, docens nos magis doctrina, quam miraculis pugnare.

k Sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei,] idest, de filio, vel in beneplacito Domini, quod manifestatur per scripturas, quæ sunt os, per quod Dominus loquitur. Dominus autem noluit mutare lapides in panes propter tres causas. Prima est, ut diabolum lateret ejus divinitas, quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. 1. *Corinthior.* 2. Secunda, ut doceret nos opera bona, malis & maxime talibus, qui nihil inde proficiunt, abscondere. *Infr.* 7. Non sunt margaritæ projiciendæ ante porcos. Tertia est, ut nihil ad imperium diaboli faciamus.

Moraliter. *k* Sed in omni verbo, &c.] Os Dei prædicator. *Moraliter.* *Jerem.* 15. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Triplex verbum debet exire de ore ejus, scilicet, verbum confessionis peccatorum, & laudis. De hac duplici confessione. *Psal.* 74. Confitebimur tibi, Deus, confitebimur. Secundum est verbum orationis. Unde sequitur: Et invocabimus nomen tuum. Tertium est verbum correctionis: Unde sequitur: Narrabimus mirabilia tua, idest, vindictas aliis comminando. Dicitur autem os Domini verbum patris.

a Cant. 1. Osculetur me osculo oris sui. Scriptura sacta, *Isa. 30.* Os meum non interrogastis. Prædicator. *Jer. 15.* si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. *a* Tunc] post primam tentationem, licet non statim. Hæc enim tentatio ultima fuit historialiter, ut narrat *Luc. 4. Matth.* enim narrat secundum congruentiam ad tentationes Adæ.

diaboli, qui etsi victus est, non tamen cessat, quia tamen non potest de uno vitio tentare, saltem tentat de alio. *r* In montem excelsum valde,] Locus tentationi convenit, & vitio, de quo tentat, quia avaritia, & ambitio semper alte petunt. *1. Timoth. 6.* Præcipe divitibus non alta sapere.

a Tunc *b* assumpsit eum *c* diabolus in *d* sanctam civitatem, *e* & statuit eum *f* supra pinnaculum templi, *g* & dixit ei: Si *h* filius Dei es, *i* mitte te deorsum. *k* Scriptum est enim: *l* quia Angelis suis mandavit de te, *m* & in manibus tollent te, ne forte *n* offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi *o* Jesus rursum: Scriptum est: *p* Non tentabis Dominum Deum tuum, *q* Iterum assumpsit eum diabolus in *r* montem excelsum valde, *s* & ostendit ei omnia regna mundi, *t* & gloriam eorum, *u* & dixit ei. Hæc omnia tibi dabo, si *x* cadens adoraveris *y* me.

Prima tentatio fuit in deserto inter Jerusalem, & Jericho juxta aquas sanatas ab Eliseo, secunda duobus milliariis prope illum locum, tertia in Jerusalem. Nescitur tamen utrum in eadem die. In deserto autem, ubi non sunt cibi, quasi non posset aliquid habere, tentavit eum de gula, & juxta fontem, ut biberet. Item supra montem tentatio fuit de avaritia, quia pecunia superbire facit. Tertia fuit super pinnaculum templi, ubi sacerdotes prædicabant, quia sæpe inanis gloria surgit de prædicatione.

b Assumpsit eum] brachiis suis. Alii dicunt, quod duxit eum per manum. Diabolus enim incertus remanens in prima tentatione, Domino caute respondente, transiit ad secundam.

c Diabolus] in forma hominis, hoc fuit ex permissione non ex imbecillitate.

d In sanctam civitatem,] idest, Jerusalem, quam ideo sanctam dicit, quia templum Domini in ea fuit, & cultus ipsius in ea viguit. *Dan. 9.* Super populum tuum, & super urbem tuam sanctam, &c.

e Et statuit eum] idest, suggessit, ut iret, Dominus tamen non suggestione ejus, sed Spiritu Sancto ductus ascendit.

f Supra pinnaculum templi,] idest, super deambulatoria templi, in quo erant quædam appodiatoria, ubi prædicabant sacerdotes, vel domos erant planæ secundum morem terræ. *Deut. 22.* Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, &c. Sed nunquid videbat Christum populus? Respondit *Chrys.* Diabolus forsitan sic assumpsit credens, ut ab hominibus videretur, Christus autem ipso nesciente sic agebat, ut a nemine videretur.

g Et dixit ei:] sed quomodo loquebatur diabolus? *Aug.* dicit quod in forma hominis erat.

h Si filius Dei es.] ad explorandum dixit hoc. *i* Mitte te deorsum.] Non poterat eum præcipitare, neque nocere ei. In quo notatur debilis virtus inimici. *Hier.* Debilis est hostis, qui non potest vincere nisi volentem. Sed numquid prius tentasset de vana gloria, si dixisset, si filius Dei es, ascende in cœlum? Sed ita affligitur diabolus in exaltatione hominis, ut nec tentando ascensum velit persuadere cœlestem. *Eccl. 36.* Extolle adversarium, & afflige inimicum. Omnes enim cadere inimicus optat, ut saltem aliquando possit dicere. Prævalui adversus eum.

k Scriptum est enim:] *Interl.* Scripturis utitur, non ut virtutes instituat, sed ut errores ingerat, sic & sui faciunt, idest hæretici. Nota calliditatem inimici, auctoritatem Scripturæ sumebat, quia *sup.* Dominus auctoritate usus est. *l* Quia Angeli, &c.] ut custodirent te quasi nihil mali habentem. *m* Et in manibus, &c.] Hoc dicit, quia per hoc dubitare se ostendebat, utrum esset Deus.

n Ostendas ad, &c.] ut nihil mali habeas. Nota, quod diabolus partem Scripturæ, quæ pro se videtur, inducit, & quæ contra se omittit: Tacet enim: Super aspidem, & Basiliscum, &c. Nota autem, quod ille Psalmus partim convenit membris, partim capiti.

Moraliter. Moraliter, hoc convenit viris sanctis, quorum pedes sunt affectus, lapis offendiculum tentationis, in qua viri sancti custodiuntur ab Angelis. *o* Ait illi JESUS rursus. Scriptum est:] *Deut. 6.* A quo profert omnia testimonia, ut secundum legis sacramenta confirmaret.

p Non tentabis Dominum Deum tuum.] quasi dicat, tu suggeris mihi, ut tentem Deum, sed non acquiesco, quia homo sum. Et homini dictum est: Non tentabis Dominum Deum tuum: *Eccl. 18.* Noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

q Iterum assumpsit eum diabolus] Hæc tentatio ordine præcessit, sed præpostere narratur. Nota impudentiam

Moraliter. Moraliter. Nota, quod multi tulerunt Jesum. Maria, & Joseph tulerunt eum in Ægyptum, quando prædicantes vadunt prædicare nomen filii Dei. Idem Spiritus Sanctus fert, vel ducit in claustrum Jesum, idest, spiritum hominis in claustrum. Item asinus fert Jesum in Jerusalem, quando ille, qui fuit asinus, idest, peccator, & stolidus fit Domini jumentum, & permittit se domari dicens: Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.

Item diabolus fert Jesum super pinnaculum templi, ubi erat cathedra scribarum, & illorum, qui docebant populum, quando aliquis sublimatur in magistrum, ut vocetur ab hominibus Rabbi, & ut habeant primos recubitus in cœna, & salutationes in foro, *infr. 23.* Super cathedram Moysi, &c. De talibus dictum est: Tulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum. Item diabolus fert super montem excelsum. Mons excelsus, Episcopatus, vel alia magna dignitas, ubi diabolus defert Jesum, cum ambitio honoris, vel dominandi, & gloriandi fert hominem, vel spiritum hominis in speculam dignitatis. Alii portant in utero cum Maria, qui humiliati per fidem habent humilitatem interiorem, & exteriorem, facientes amaram pœnitentiam. Item alii portant in brachiis cum Simeone, qui faciunt opera misericordiæ.

s Et ostendit ei omnia regna mundi,] sicut Moysi ostendit Dominus in momento totam terram promissionis. *Deut. ult.* Vel ostendit ei in terram depingendo, ut faciunt Geometrici, vel verbaliter ostendit ei loquendo, omnia regna mundi, & omnia concupiscibilia, & ostendit ei, quomodo dominaretur per totum mundum. *Chrys.* tamen dicit, quod solas partes terræ, in quibus unumquodque regnum positum erat, ostendit. Sicut si aliquis super montem dicat: Ecce tibi Roma, non ipsam ostendendo, sed partem terræ, in qua posita est. Similiter Franciam, Lombardiam, & alias terras.

t Et gloriam eorum,] divitias, delicias, & honores. *u* Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo,] non veretur mentiri pater mendacii, quasi dicat, regem te faciam, non quod hoc possit, sed de arrogantia hoc dicit. *Chrys.* Et si alii mentiebatur omnia esse sua, apud se tamen sciebat, quod non. *x* Si cadens adoraveris me] Notabiliter dicit cadens; non enim potest adorari sine casu. *y* Me ut superiorem.] Hic nititur sibi diabolus divinum cultum usurpare, qui ab initio se volebat similem Deo facere *Isa. 14.* Ero similis Altissimo. In tentatione autem Christi nostra tentatio signatur, quia triplici gladio nos impugnat diabolus, Gula, avaritia, superbia. *Chrys.* Diabolus habet apud se tria retia, de quibus se jactat. Hæc expansa sunt super omnem terram, ut quicquid evaserit de retibus gulæ, incidat in retia inanis gloriæ, & quicquid evaserit de retibus inanis gloriæ, incidat in retia avaritiæ: *Isa. 24.* Et erit, qui fugerit a facie formidinis, eadet in foveam, & qui se explicuerit de fovea, tenebitur laqueo. Iste est ille ternarius infaustus, qui transit coram Elia. *3. Reg. 19.* In quorum nullo fuit Dominus, ubi ita dicitur: Ecce Dominus transit, & spiritus fortis, & grandis subvertens montes, & conterens petras, in quo honor mundi notatur, non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio gulæ, vel luxuriæ. Venter enim, & genitalia sibi sunt vicina, ut dicit *Hier.* Non in commotione Dominus, & post commotionem ignis, avaritiæ. Non in igne Dominus. *Job 28.* Non invenitur in terra suaviter viventium, ecce gula, vel luxuria. Abyssus dicit, non est in me, idest, avaritia, mare loquitur, non est mecum. Mare est tumultuosa cogitatio superborum, quæ fluctus elationem ebullit. Hæc sunt tria media inter nos, & Deum, ne Deum videamus, scilicet. Sartago. *Ezech. 4.* Murus David, de quo *Psal. 17.* In Deo meo transgrediar murum. Nubes Jeremiæ, de qua *Thren. 3.* Opposuisti nubem ne transeat oratio, Per sartaginem, in qua carnes frixantur, gula.

▲ Murus fit de terra tenaci, ecce avaritia. Nubes in altum volat, & evanescit, ecce superbia. Contra hunc triplicem gladium debemus opponere scutum triangulatum. Jejunium contra gulam, orationem contra superbiam, Eleemosynam contra avaritiam. In his tribus exercetur militia Christiana, maxime in quadragesima.

a Tunc dixit ei Jesus: Vade Satanas. *b* Scriptum est enim, *c* Dominum *d* Deum *e* tuum adorabis: *f* Et illi soli servies. *g* Tunc *h* reliquit eum *i* diabolus, *k* & ecce Angeli *l* accesserunt, *m* & ministrabant ei. *n* Cum autem *o* audisset JESUS, quod *p* Joannes *q* traditurus esset, *r* secessit in Galilæam, & *s* relicta civitate Nazareth, *t* venit, & *u* habitavit in Capharnaum *x* maritima in *y* finibus Zabulon, & Nepthali

a Tunc dicit ei JESUS Vade, idest recede retro [Satana,] quia adversarius saluti. Non est dictum: Vade post me, sicut Petro. *Infra* 16. quia Petrus ex amore adversabatur ad tempus, diabolus vero ex invidia semper, & quantum potest, ideo non addit: vade ante, vel post. Nota autem, quod audita blasphemia in Deum, quasi indignabundus respondit Dominus, & dure aliquantulum. Unde *Chrysost.* In duabus tentationibus mitis permansit Dominus, in tertia exasperatus est, & quasi iratus dixit: Vade retro, Satana. Hoc exemplo discamus nostras magnanimiter sustinere injurias. Dei autem injurias neque ad auditum sufferre, quoniam in propriis injuriis esse quempiam patientem laudabile est, injurias autem Dei dissimulare, impium est.

b Scriptum est enim] *Deut.* 6, & 10. secundum aliam translationem.

c Dominum Deum tuum adorabis] Quædam *Gloss.* dicit, quod potest sermo iste ad Diabolum dirigi, licet hoc non ex devotione sit impletorus, sed ut Ecclesiæ, contra quam ipse moliebatur, esse scriptum ostendatur, quod non ipse, sed Deus sit adorandus. Vel potest in generali sermo intelligi de homine dici, cui soli de Deo adorando datum est præceptum in lege Moysi. In his autem exprimitur Trinitas personarum. *c* Dominum] Ecce Pater. *d* Deum] ecce Filius.

e Tuum] ecce Spiritus sanctus.

f Et illi soli servies] *Gloss.* dicit hic, quod λατρεία lattia Græce, Latine dicitur servitus. Servitus autem communis, quæ Deo, & homini, & quicumque Græce dicitur δουλεία dulia. Illa vero, quæ soli Deo λατρεία, latria dicitur; unde idololatria, quæ quod soli Deo debet, dat idolis. *g* Tunc] jam non inveniens quid ageret.

h Reliquit eum] ad tempus per Judæos, postea pugnaturus usque ad diem passionis rediens, & putans ipsum dejicere timore mortis.

i Diabolus] Lucifer.

k Et ecce Angeli accesserunt] non quod tunc primum adeuntes, sed quasi ad agonem Domini procul aspicientes, ne viderentur eorum præsidio eguisse, vel vicisse.

l Accesserunt] ut dignitas Christi ostenderetur. Item, ut gloria tentatorum noteturː ita enim faciunt victoribus.

m Et ministrabant ei] non dicit adjuvabant. *Hebr.* 1. Omnes enim sunt administratorii spiritus in ministerium missi, &c. *Dan.* 7. Millia millium ministrabant ei, &c. *Chrys.* Quoniam ministrabant Angeli, scimus, in quibus autem ministrabant, scire non possumus. *n* Cum autem audisset Jesus] Quamdiu servus prædicabat, expectabat eum Dominus, posito autem eo in vinculis incepit publice prædicare. Reliqua autem fecerat privatim, quia non locutus fuerat ad turbas, sed quasi in occulto. Tres Evangelistæ incipiunt a publica prædicatione Christi, ex quo captus est Joannes. Joannes vero Evangelista refert multa, quæ prætermissa fuerant ab aliis, quæ facta sunt, antequam Joannes traditus esset. Joannes refert *cap.* 1. quod post reversionem de deserto erat Christus juxta Jordanem, ubi Joannes baptizabat, tunc dixit Joannes. Ecce agnus Dei. Et in crastinum similiter ibi dixit iterum Joannes: Ecce agnus Dei, & secuti sunt Jesum, Andreas, & alius discipulus. In crastino, vel eadem die venit Petrus ad Jesum: In crastinum ivit Jesus in Bethsaida, & invenit Philippum. In crastino, Philippus adduxit Nathanaelem. His vocatis mansit in Galilæa. Anno revoluto mutavit aquam in vinum. Revoluto iterum anno ivit in Capharnaum cum matre, & cum his discipulis. In Pascha sequente ascendit in Jerusalem, & ejecit vendentes, & ementes. Jesus autem remansit in Judæa, & baptizabat ibi per discipulos, non per se, hoc audierunt discipuli Joannis, & dixerunt Joanni invidentes Jesu. Tunc Dominus aliquantulum cessavit, & mansit usque circa Majum in Judæa, & tunc captus, & incarceratus est Joannes, & venerunt discipuli Joannis, & narraverunt Jesu. Tunc rediit Dominus in Galilæam, & intravit Synagogam in Nazareth. *Luc* 4. & legit in *Isai.* Spiritus Domini super me, &c. Tunc prædicavit aperte. Et tunc voluerunt eum Sacerdotes præcipitare: Et ivit in Caphatnaum, & in via illa vocavit Petrum, & alios. *Luc.* 5. Tertio, vocavit eos binos. De prima vocatione loquitur Joannes, de secunda solus. *Luc.* 5. de tertia *Matth.* hic, & *Marc.* 1. Joannes vero probato Evangelio aliorum, de veritate dictorum vidit aliquid deesse, & maxime quæ primo anno prædicationis gesserat Jesus, pro quibus a fratribus rogatus scripsit Evangelium, quod alii prætermiserant. Hæc fuit una causa, quare scripsit Joannes. Alia causa fuit propter quasdam subortas hæreses. Dicit ergo:] Cum autem audisset Jesus] a discipulis Joannis, vel a fama populari, quæ cito volat.

o Audisset] more hominum loquitur: Nihil enim latebat eum, quia homo Deus. *Hebr.* 4. Omnia nuda, & aperta oculis ejus.

p Quod Joannes traditus esset] Hoc fuit prima die Maji post Pascha anni trigesimi Domini, & occilus imminente Pascha sequente. Nam audita morte ipsius, Dominus fecit miraculum quioque panum, ut habetur *Joann.* 6. ubi subditur; Erat enim proximum Pascha. Idem *Marci* 6.

q Traditus] captus propter Evangelium dicit *Gloss* Imo verius propter prædicationem legis Moysi, quam objiciebat Herodi, qui receperat circumcisionem. Quod ergo in *Gloss.* dicitur, ad etymologiam nominis refertur, propter Evangelium, idest propter bonum nuncium, vel bonam annonciationem. *Infr.* 19. Qui dimissam duxerit, mœchatur.

r Secessit in Galilæam] quasi fugiens a Pharisæis sibi insidiantibus. Tum quia major erat Joanne, tum quia ementes, & vendentes ejecerat de templo. Hoc idem fecit hostibus parcendo, discipulis providendo, proximum instruendo, ut fugiat pro affectu aliorum. *Ezech.* 12. Fac tibi vasa transmigrationis. Nota, quod duæ sunt Galilææ. Una Judæorum, in qua erat Nazareth, ubi secessit, & mansit Jesus, altera gentium, propter inhabitationem gentium, quam partem dedit Salomon regi Tyri, qui gentes ibi posuit, quam terram ipse Chabul vocavit. 3. *Reg.* 9. *Isa.* 9. Trans Jordanem Galilææ gentium.

s Et relicta civitate Nazareth] ad litteram.

t Venit, & habitavit in Capharnaum] Capharnaum oppidum est in Galilæa gentium juxta stagnum Genezareth.

x Maritima] juxta mare positam, ad litteram, Capharnaum dico situm.

y In finibus Zabulon, & Nephtalim] Isti fuerunt filii Jacob, a quibus dictæ fuerant regiones, quas inhabitaverunt. Capharnaum autem erat in confinio Zabulon, & Nephtalim. Erat autem Nephtalim in Galilæa gentium, & in parte data Hiram. Zabulon ex parte Jerusalem, & vocabatur Galilæa Judæorum. Et in confinio illo incepit Dominus prædicare, ut Judæi, & Gentiles confluerent ad prædicationem suam propter mysterium vocationis gentium, & Judæorum. Item quia prima fuit ibi captivitas, 4. *Reg.* 15. Unde incepit ibi reparatio. Theglathphalasar enim duas Tribus, & dimidiam, quæ ibi habitabant, captivavit, & tantum de aliis, quod possent facere dimidiam Tribum. Unde quandoque legitur duas Tribus captivasse, quandoque tres. Postea venit Salmanasar tempore Oseæ, qui totam terram captivavit. 4. *Regum* 17. Ubi ergo fuit legis oblivio, prima fuit Evangelii prædicatio.

Moralit. Moraliter. *s* Relicta civitate Nazareth] Sic prædicator florem mundi debet derelinquere. De quo *Jerem.* 48. Date florem Moab. Florem juventutis, reputans eam marcidam. De qua *Sap.* 2. Non prætereat nos flos temporis. Item florem pulchritudinis temporalis. *Isai.* 40. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Item florem divitiarum: Væ flori decidenti.

u Et habitavit in Capharnaum] villa pulcherrima, Ecclesia, quæ est [maritima,] quia contunditur fluctibus mundi. Vel religio. *Cant.* 5. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum. *y* In finibus Zabulon, & Nephtalim. Zabulon habitaculum fortitudinis, Nephtalim dilatio charitatis. *Deuter.* 33. Lætare Zabulon in exitu tuo, idest religiose in exitu a mundo, quoniam facta est Judæa, idest confessio, sanctificatio tua, & Israel, idest

▲ Con-

a contemplatio, potestas tua, populos ad montem vocabis.

b Ut adimpleretur Ut] non causaliter ponitur, sed consecutive, quasi dicat, ut eventus rei probaret, quod dixerat Propheta.

b Quod dictum, &c.] hujus rei seriem prævidentem, & dicentem, *Isa*. 9. *c* Terra Zabulon, &c.] Principium illius auctoritatis, scilicet primo tempore alleviata est, & quod in medio, scilicet & novissimo aggravata est, omittit Evangelista, quasi non curans, quod pertinet ad prophetiam eversionis, quia ostendere intendit initium prædicationis Christi jam præteritæ captivitatis; & ideo quod mysticum est tangit. Dicit enim. In primo tempore per Theglathphalasar, alleviata est a pessimis habitatoribus. [Terra Zabulon, & terra Nephtalim.] Et novissimo, idest in captivitatis consummatione, reliquum decem Tribuum per Sennacherib captivatum est. Et terra, quæ ad litteram dicta est.

C

ut *a* adimpleretur quod *b* dictum est per Isaiam Prophetam. *c* Terra Zabulon, & terram Nephtali: via *d* maris *e* trans Jordanem *f* Galilæ Gentium, *g* populus, *h* qui ambulabat in tenebris, *i* vidit *k* lucem magnam, *l* & sedentibus in regione umbræ mortis *m* lux orta est eis. *n* Exinde cœpit Jesus prædicare, & *o* dicere: Pœnitentiam *p* agite: *q* Appropinquavit enim regnum cœlorum. *r* Ambulans autem JESUS juxta mare *s* Galilææ, *t* vidit *u* duos *x* fratres, *y* Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus *z* mittentes rete in mare. *a* Erant enim piscatores. Et *b* ait illis: venite post me, *c* faciam vos fieri

d Via maris] quia juxta mare, & plaga illa dicta est maritima, per quam fit transitus in mare, aggravata est ab Assyriis.

e Trans Jordanem] ad litteram, idest juxta Jordanem, & erat trans Jordanem existenti in Jerusalem.

f Galilææ gentium] ad differentiam Galilææ Judæorum, primo tempore, scilicet prædicationis Christi, alleviata est.

c Terra Zabulon, &c.] ab onere peccatorum. Et novissimo aggravata est fides plurimis permanentibus Judæis in errore.

d Via maris] idest regio eadem juxta mare existens.

e Trans Jordanem] existenti in Jerusalem.

f Galilææ gentium] Non quia Dominus in illa sola prædicaverit, sed hoc dicitur propter mysterium, quia plures vocandi erant de gentibus, quam de Judæis.

g Populus Judæorum, & gentium.

h Qui ambulabat, &c.] ignorantiæ, & vitiorum.

i Vidit lucem magnam] idest Christi doctrinam, vel ejus miracula. Vel [Vidit] idest credidit.

k Lucem magnam] idest Christum, vel Joannis, & Apostolorum prædicationem.

l Et sedentibus,] idest in peccatis. Peccata dicuntur umbra mortis, quia sicut umbra ducit ad corpus, sic peccata ad mortem æternam. Vel quia sine corpore non est umbra, sic nec peccata sine morte æterna. Qui ergo vult fugere mortem, evitet hanc umbram. Item umbra reddit putridum, & ignorantem. *Psalm*. 37. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ.

m Lux orta est eis] idest agnitio veritatis, idest prædicatio Christi, & Apostolorum.

n Exinde, &c.] Postquam baptizatus est, & tentatus. [Exinde] tradito, scilicet Joanne, quia lege desinente, sequitur Evangelium, ut Sol auroram. In hoc autem, quod Dominus non prædicavit ante traditionem Joannis, innuitur, quod sermo inferioris non debet contemni. 1. *Cor*. 14. Si cui revelatum fuerit sedenti, idest minori, taceat prior. *o* Et dicere: Pœnitentiam agite] Triplex notatur curialitas circa Jesum, qui non prædicavit aperte nisi prius Joanne incarcerato, nolens impedire fructum prædicationis ejus. Secundo, quia non est dedignatus ab eodem inchoare prædicationem, a quo & Joannes. *Num*. 20. Via publica gradiemur. Tertio, quia quando venerunt dicentes ad eum, quod Joannes plures baptizabat, recessit in Galilæam nolens obfuscare famam ejus.

Triplex curialitas Jesu.

p Pœnitentiam agite] non dicit, dicite, contra illos, qui nolunt facere aliquid, sed dicere psalteria. Contra illos etiam, qui volunt facere per vicarium. Est enim agenda Pœnitentia. Primo, ut hic æternam damnationem evitet. *Luc*. 13. quando nunciatum est de Galilæis, dixit Jesus: Nisi pœnitentiam egeritis, & vos similiter peribitis. Secundo, ut proximum ædificet. Tertio, ut Angelum lætificet. *Luc*. 15. Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, &c Quarto, ut regnum cœlorum appropinquet, ut hic dicitur. Quinto, ut Deum honorificet. *Prov*. 14. In multitudine populi gloria regis. Agere ergo pœnitentiam tibi est securum, proximo fructuosum, Angelo gaudium, Deo honorificum. Sunt autem septem, quæ impediunt pœnitentiam agere. Ignorantia, timor, mala societas, fiducia vivendi, sanitas, amor carnalis, larga Dei misericordia. Ignorantia, quam Dominus detestatur. Legitur enim pro ignorantia flevisse, & non pro aliis peccatis: flevit enim per Lazarum. *Joan*. 11. Et hoc fuit ideo, quia revocandus erat ad miserias. Flevit & super civitatem, dicens: Si cognovisses, & tu, subaudi, fleres. Secundum est timor, qui est quadruplex. *Psal*. 90. Non timebis a timore nocturno, &c. Tertium est mala societas. Unde *inf*. 16. dixit Jesus Petro, qui volebat eum impedire. Vade retro, Satana. Quartum est fiducia vivendi. *Luc*. 12. Anima mea multa habes bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. *Eccl*. 29 Repromissio nequissima multos perdidit. Quintum est sanitas. Unde *Luc*. 17. Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt: Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena, idest simplex laicus. Sextum est amor carnis. *August*. Major sum, & ad majora natus, quam ut sim mancipium corporis mei. Septimum est larga misericordia Dei. *Eccl*. 5. Ne dicas, miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim, & ira cito ab illo proximant, & in peccatores respicit ira illius.

Agenda pœnitentia multis de causis.

Septem impediunt agere pœnitentiam.

q Appropinquavit enim regnum cœlorum] idest Christus, qui dat regnum cœlorum, quasi propter hoc debetis facere pœnitentiam non propter bursam. *Hieron*. Amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat, pericula maris spes delectat, dolorem medicinæ spes salutis mitigat, qui desiderat nucleum, nucem frangat, similiter iste, qui vult adhærere Deo, pœnitentiam agat.

r Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ] quod dicitur stagnum Genesareth, mare Tyberiadis, lacus Salinarum. Sic prædicatores per sollicitudinem, & compassionem prope mundanos debent esse. *Psal*. 1. Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursum aquarum, non in via peccatorum.

s Galilææ] idest mundi, qui dicitur mare, quia projicit mortuos, idest religiosos. 1. *Cor*. 2. Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc. Item tumescit per superbiam. *Jonæ* 1. Mare ibat, & intumescebat super eos. *Prov*. 30. Generatio, cujus excelsi sunt oculi. Item amarum est. *Isa*. 47. Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. *Act*. 8. In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. Item turbidum. *Eccl*. 30. Tristitiam repelle a te. Item mare non est locus mansionis, sed motionis. *Hebr*. 13. Non habemus hic manentem civitatem. *r* Ambulans, &c.] Prædicatores enim vocat ad ambulandum. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, &c.

t Vidit duos fratres] In hac vocatione videntur tres Evangelistæ dissentire, tempore, loco, modo. Matthæus post adventum Capharnaum, Joannes ante. Matthæus, Marcus, & Lucas in Galilæa: Joannes juxta Jordanem. Matthæus dicit vocatos binos; Lucas simul istos quatuor. De contrarietate temporis verior solutio, qua distinguuntur diversæ vocationes; Una vocatio ad discipulatum, & est secunda, ut hic. Prima vocatio ad familiaritatem, 1. *Joan*. 1. Tertia fuit ad Apostolatum, *inf*. 10.

Manifestatur discordantia.

u Fratres] quia vocat charitatem.

u Duos] propter duo præcepta.

t Vidit] *Chrys*. [Vidit] non ad facies eorum, sed ad corda respiciens: sicut artifex si viderit gemmas pretiosas, & non dolatas, eligit illas, non quod sunt, sed quod fieri possunt. *y* Simonem, qui vocatur Petrus] hic vocatus est, quando Andreas duxit eum ad Jesum. *Joan*. 1. [Et Andream fratrem ejus.

Moraliter. Simon, obediens interpretatur. Andreas virilis. Obedientes enim, & viriliter operantes, vult Dominus habere. *z* Mittentes rete in mare] ad acquirendum victum; erant enim pauperes.

Moraliter.

a Erant enim piscatores] ad litteram. *b* Et ait, &c.] non tam pedibus corporis, quam imitatione, & affectu mentis. *c* Faciam vos fieri] non dicit esse innuens, quod debet homo laborare ad hoc, quod sciat prædicare.

a piscatores hominum. At illi b continuo c relictis retibus d secuti sunt eum. Et e procedens inde vidit f alios duos fratres, g Jacobum Zebedæi, & h Joannem fratrem ejus i in navi, cum k Zebedæo patre eorum, l reficientes retia sua, & m vocavit eos. Illi n autem statim relictis retibus, & patre o secuti sunt eum. Et p circuibat Jesus totam Galilæam, q docens in r synagogis eorum, & s prædicans t evangelium regni, & u sanans omnem languorem, x & omnem infirmitatem in y populo. Et z abiit opinio ejus in totam Syriam, & a obtulerunt ei omnes male habentes

▲ a Piscatores hominum] non præbendarum, non rerum temporalium. 2. *Corinth.* 12. Non quærimus vestra, sed vos. *Isa.* 13. Ecce ego suscitabo super vos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis parvulos interficient. De istis piscatoribus *Jerem.* 16. Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabantur eos. *Hab.* 1. Facies homines quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentes ducem.

b At illi continuo] *Ambr.* Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia, *Act.* 2. Factus est repente de cœlo sonus.

c Relictis retibus] Ecce perfecta obedientia. Isti reliquerunt retia, & si postea resumpserint, non ex cupiditate, sed ex necessitate vitæ hoc fecerunt.

d Secuti sunt eum] *Eccles.* 23. Gloria magna est sequi Dominum.

e Et procedens inde] a loco illo ad alium locum.

f Vidit alios duos fratres] a prædictis.

g Jacobum Zebedæi] filium. Ex usu enim loquendi ponitur genitivus, sicut cum dicitur: Mattia Catonis, Dalila Samsonis uxor sua, vel filia.

h Et Joannem fratrem ejus] Jacobi.

i In navi] ad litteram.

k Cum Zebedæo patre eorum] secundum carnem. Ipse erat senex, & tenebat remum.

l Reficientes retia sua] ut piscarentur.

m Et vocavit eos] Sciendum tamen, quod in ista vocatione vocavit duodecim, sed tamen de his solum facit mentionem, quia per istos dat intelligi ceteros.

Moral. Moraliter. Zebedæus interpretatur fugitivus, & significat mundum, qui continue deficit, & in interitum tendit. *Hebr.* 8. Omne, quod antiquatur, & senescit, prope interitum est. *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus. Duo fratres, intellectus, & affectus, qui fugiunt mundum. Intellectus fugit, cum tendit in verum, sciens mundum esse falsum, & vanum. *Eccl.* 11. Si enim secutus fueris, non apprehendes, quia umbra est, & fugit insequentes. Affectus fugit, & odit, quia mundus malus. 1. *Joan.* 5. Totus mundus in maligno positus est.

l Reficientes] retia cupiditatis. Maculæ hujus retis, diversi modi acquirendi temporalia. Retia cupiditatis reficiunt, qui Jericho iterum construunt. Vel in bono [Reficientes retia sua.] Rete prædicatio, quæ debet refici contemplatione, studio, & confessione. Jeremias autem reficiebat, cum post prædicationem peccata populi flebat. *Jerem.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, &c. 2. *Machab.* 25. Hic est fratrum amator, & populi Israel: Hic est, qui multum orat pro populo. Unde *Luc.* 5. dicit: Piscatores descenderant, & lavabant retia. Lavate retia vestra a favore, scilicet populi, & quæstu. *Proverb.* 25. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum, Reliquerunt patrem, carnalem affectionem; rete, appetitum honoris; navem cupiditatis.

n Illi autem statim relictis retibus, & patre] reliquerunt retia sua, & patrem, sic contemplativus.

o Secuti sunt eum] *Chrysost.* Relinquentes retia sua Apostoli, nos docuerunt, quia nemo potest terrena possidere, & ad cœlestia perfecte properare. Inter cœlum, & terram medius est aer, ut ostendatur, quod inter cœlestia, & terrena nulla conjunctio potest esse. Cœlestia spiritualia sunt, & levia, & semper sursum tendunt, terrena gravia, & deorsum descendunt. Si cœlestia tenueris, sursum te ducunt, si terrena, deorsum te deprimunt. [Secuti sunt eum] *Chrys.* Sciebant quam pretiosa est anima, quam grata apud Deum salus ipsius, quanta merces hominum ædificare secundum Deum. Concupierunt, & secuti sunt, tu autem non concupiscis talia hæc: Quomodo enim desideras alium posse salvare, qui teipsum salvare non curas?

p Et circuibat Jesus totam Galilæam] ad litteram. Vocatis enim coadjutoribus prædicationi insistit Dominus, docens impigrum esse doctorem, & non acceptorem personarum. Debet enim circuire totam Galilæam, idest Ecclesiam, non solum prædicare in uno loco. *Psal.* 58. Famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem. *Job* 2. Consurgens diluculo offerebat holocausta per singulos. Sic prædicator pro quolibet orare debet. *Cant.* 5. Invenerunt me vigiles, qui circuibant civitatem, contra insidias diaboli, qui circuit quærens, quem devoret. *Petr. ultim.* Debet autem prædicator, & quilibet alius bonus circuire beneficia Dei, ut bona naturalia, gratuita, consilium, mandata, & pro his laudare Deum *Eccles.* 24. Gyrum cœli circuivi sola. Item conscientiam propriam, ne quid lateat inhonestum. Quod significatum est *Judic.* 6. ubi Gedeon purgabat triticum. Gedeon circumiens in utero interpretatur. Item opera sua per circumspectionem, ne per illicitum tradat se diabolo. *Isa.* 23. Sume tibi citharam, circui civitatem. Item Ecclesiam Dei, ut hic.

q Docens in Synagogis eorum] ubi plures conveniebant.

s Et prædicans Evangelium regni] per quod scilicet docemur regnare in præsenti, & in futuro. Argumentum est hic, quod potius prædicandum est, ubi sunt plures quam ubi sunt pauciores. Sic Prædicator debet prædicare.

r In Synagogis] *Gloss.* Synagoga est congregatio irrationabilium, idest peccatorum, quia non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. *Infra* 9. *Psal.* 39 Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam a concilio multo.

t Evangelium regni] non fabulas. *Hieronym.* Omne quod non est ad ædificationem, in periculum vertitur audientium. *Job* 13. Nunquid indiget Deus vestro mendacio. 2. *Tim.* 4. A veritate auditum avertent, & ad fabulas convertentur.

u Et sanans omnem languorem] corporum. Languor est morbus inveteratus.

x Et omnem infirmitatem] aliam, quam inveteratam.

y In populo] in numero pauperum, insinuans, quod specialiter pauperum medicus est. *Psalm.* 9. Tibi derelictus est pauper. Sunt autem septem infirmitates. *Septem infirmitates.* Prima est infirmitas naturæ. *Gen.* 3. Pulvis es, & in pulverem reverteris. Secunda pœnæ. *Psalm.* 37. Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. *Job* 6. Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. Tertia est culpæ. *Psalm.* 6. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. Quarta pravæ consuetudinis. *Psalm* 40 Infirmata est in paupertate virtus mea. Quinta fidei. *Rom.* 14. Qui infirmus est, olus manducet. Sexta gratiæ. 2. *Corinth.* 12. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Septima conscientiæ turbatæ. *Ps.* 67. Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ, & infirmata est. Has sanat Dominus. Unde *Psal.* 102. Qui sanat omnes infirmitates tuas. Item nota, quod septem sunt, quæ sanant infirmitates. *Septem sunt quæ sanant infirmitates.* Primum est baptismus. *Joan.* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Secundum est eleemosyna. *Eccles.* 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Tertium est martyrium. *Augustin.* Omnia falce martyrii resecantur. Quartum est conversio fratris errantis. *Jacob.* 5. Si quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum, salvabit animam suam. *Jerem.* 15. Si converteris, convertam te. Quintum est remittere in se peccanti. *Luc.* 6. Dimittite, & dimittetur vobis. Sextum est fletus, & satisfactio, *infr.* 5. Beati, qui lugent, &c. Septimum est perceptio corporis Christi. *Joan.* 6. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

z Et abiit opinio ejus] idest fama [In totam Syriam,] quam Judæi obsidebant. Syria est omnis regio ab Euphrate usque ad mare magnum, a Cappadocia usque in Ægyptum, continens inter alias provincias Palestinam, in qua Judæi habitant. Quandoque autem strictius sumitur. Unde *Isa.* 7. Caput Syriæ Damascus. Et sic non comprehendit Judæam. Sic prædicatores bonam famam debent appetere. 2. *Corinth.* 2. Christi bonus odor sumus, &c. *Eccles.* 41. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam multi thesauri.

a Et obtulerunt ei omnes male habentes] *Interlin.* Curat corpora, ut paratius audiant invisibilia.

▲ Variis languori-

a Variis languoribus] naturalibus, scilicet contractis ab inæqualibus humoribus.
b Et tormentis comprehensos] tormenta sunt momentaneæ passiones non diuturnæ.
c Et qui, &c.] Ad litteram, qui vexabantur a dæmonibus.
d Et lunaticos] Lunaticos dicit illos, quorum morbus in ascensione lunæ crescit, non quod hæc insania fit per lunam, sed diabolus, qui insaniam facit, lunaria tempora observat, ut infamet creaturam in creatoris blasphemiam.

a variis languoribus, & b tormentis comprehensos, c & qui dæmonia habebant, & d lunaticos, & e paralyticos, & f curavit eos. Et g secutæ sunt eum turbæ multæ, de h

e Et paralyticos] Paralytici sunt membris contracti, vel dissoluti.
f Et curavit eos] idest valetudini corporali restituit.

Moraliter. [Moraliter.] a Variis languoribus] peccatis carnis, b Et tormentis] peccatis spiritualibus, quæ valde torquent propter vermem conscientiæ. c Dæmonia] Dæmon interpretatur sufficiens iniquitas, hæc est superbia. *Job* 31. Si osculatus sum manum meam ore meo, quod est iniquitas maxima.
d Lunaticos] avaros, qui crescunt, & decrescunt secundum res suas, quando domus combusta est, dicit se combustum, quando crescit fructus, dicit se crevisse. *Eccl.* 43. Luminare, quod minoitur in consummatione. e Paralyticos] Paralysis est dissolutio membrorum. Hi sunt luxuriosi. g Et secutæ, &c.] ad instructionem discipuli, ad curationem infirmi, ad ejus observationem invidi, ad refectionem famelici, propter miraculorum operationem curiosi. h De Galilæa, & Decapoli] Decapolis est regio decem urbium, quarum homines secuti sunt eum. i Et de Jerosolymis, & Judæa] idest illi de tribu Juda, qui specialiter habent loca ista.
k Et de trans Jordane] idest de duabus tribubus, & dimidia. Nota, quod quinque generibus sequentium respondent hæc quinque loca. De Galilæa, idest rota, veniunt curiosi, quibus dicitur *Actor.* 1. Viri Galilæi, quid statis, &c. De Decapoli veniunt infirmi, ut per observantiam decem mandatorum curentur, quibus dicitur *infra* 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. De Jerosolymis, invidi, & observantes, *infra* 23. Jerusalem Jerusalem, quæ occidis prophetas, &c. De Judæa famelici, ut confitendo peccata tua, & laudes Deo reddendo, quinque panibus, idest doctrina legis Moysi, & duobus piscibus, idest doctrina Evangelii Christi satientur. De quibus dicitur *Ose:* 10. Arabit Judas, & confringet sibi sulcos Jacob, De trans Jordane veniunt discipuli, ut instruantur a Jesu, & postea instruant. Unde Naaman dicitur: Vade, & lavare septies in Jordane, idest in doctrina Apostolorum, & mundaberis a lepra peccati.

EXPOSITIO CAP. V.

Videns autem, &c.] In hoc cap. instruit Dominus discipulos suos, quos missurus erat in prædicationem. Primo ostendens quales debeant esse, scilicet pauperes, mites, lugentes, justi, misericordes, mundi, pacifici, patientes. Hic pauper, mitis, flens, esuriens, misericors, mundus, pacificus, patiens tibi Christe cliens est, & quid premii pro hujusmodi sunt habituri? scilicet beatitudinem, quæ etsi diversimode nominetur, tamen una est. Et procedit Dominus ascendendo, sicut videbitis in lectione. Videtur autem, quod Matthæus, & Lucas dissonent in relatione hujus sermonis in quatuor. In loco sermonis, in statu prædicantis, in numero populi audientis, & in quantitate sermonis. *Luc.* enim 6. c. dicit, Dominum hunc fecisse sermonem in campo, sive in loco campestri. Matthæus in monte. Item Lucas dicit Dominum stando prædicasse: Matthæus sedendo. Item Lucas dicit fecisse Dominum hunc sermonem ad turbas, Mattheus ad discipulos. Item Mattheus plura ponit, quam Lucas. Ad hoc dicunt quidam, quod Dominus duos sermones fecit. Unum solis discipulis in cacumine montis sedendo, & hunc narrat Matthæus hic. Postea alium in campo, sive in planitie montis ad omnes, & discipulos, & turbas, in quo multa de alio sermone interseruit, & hoc fecit stando, sicut narrat Lucas, & ita nulla est contrarietas. Alii dicunt, quibus videtur consentire *August.* quod unus sermo fuit. Turbis enim irruentibus ascendit Dominus in supercilium montis, & erat ibi pernoctans in oratione. Et cum dies esset factus, vocavit ad se discipulos, & elegit ex illis duodecim, quos & Apostolos nominavit, in hoc insinuans, quod non est facienda electio ex improviso, & oratio debet præcedere. Unde in electionibus invocatur Spiritus sanctus. *Apoc.* 12. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim, & clamabat invocando Spiritum sanctum parturiens, ut pareret. Descendit deinde cum illis in quamdam montis planitiem, & tunc stetit ibi, donec ad eum congregatæ fuerunt turbæ, quod totum tacet Matthæus. Et postea sedit, quod tacet Lucas. Et cum sedisset accesserunt propinquius discipuli quasi familiares, & tunc fecit sermonem suum ad discipulos principaliter coram omnibus turbis, ad quas secundario erat sermo. Et ita unum, eumdemque sermonem narrat Matthæus, & Lucas diverso ordine, sed eadem rerum veritate. Antequam accedamus ad litteram, breviter prælibemus. Sicut Dominus dedit legem Moysi in decem præceptis, quæ postea Moyses latius explicavit, ita hic dedit Apostolis novum Testamentum in septem virtutibus, quæ postea ipsi latius explicarunt. Notandum enim, quod de singulis septem virtutibus provenit beatitudo, ut patebit inferius. Inter has autem virtutes primo ponitur paupertas spiritus, quæ consistit in animi humiliatione, in rerum abdicatione, & in subjectione. Huic redditur regnum cœlorum: Justum est enim, ut qui terram propter Deum deserit, habeat cœlum, & qui se humiliat in terra, sublimetur in cœlo. Hanc paupertatem spiritus operatur in nobis donum timoris, quod illa petitione impetratur: Sed libera nos a malo, & exsufflavit spiritus superbiæ. De paupertate nascitur mititas, sive mansuetudo, quæ nec injuriis, nec contumeliis commovetur, Verus enim pauper, sicut nec habita amavit, ita nec de amissione dolet. Hanc operatur spiritus pietatis, qui impetratur illa petitione. Et ne nos inducas in tentationem, & exsufflatur spiritus invidiæ, qui pietatem excludit. Has duas virtutes sequitur luctus. Quamvis enim omnes res abdicaveris, & de contumeliis, vel injuriis non doleas, tamen quia septies in die cadit justus, necessarius est luctus, qui semper abluit, quia semper peccatur. Hunc luctum operatur in nobis spiritus scientiæ, quando cognoscit homo miserias, in quibus est, quod impetratur illa petitione: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & exsufflatur spiritus iræ, qui conturbat sicut scientia illuminat. Hæ tres virtutes a sæculo nequam educunt. Paupertas divitias abjicit, mansuetudo injurias non sentit, luctus commissa diluit. Quatuor, quæ sequuntur, ad cœlum erigunt, quarum prima est justitia, cujus est, unicuique, quod suum est, reddere, Deo, sibi, & proximo. Deo cultum debitum; sibi creationem Dei servare in se per victum, & vestitum necessarium, carnem spiritui subjugando, proximo, ut ei facias, quod tu ab illo tibi vis fieri. Sed hæc justitia in se non dicitur justitia, sed esuries, sive desiderium justitiæ, quia in presenti perfecta justitia non potest haberi, donec in patriam veniamus, ubi erit Deus omnia in omnibus. Sic Pythagoras sapientiam rerum non sophiam, sed Philosophiam vocavit. Hanc justitiam operatur in nobis spiritus fortitudinis, quem impetrat illa petitio: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & exsufflatur spiritus acediæ. Fortitudinis enim donum est ille panis, in cujus fortitudine ivit Elias quadraginta diebus usque ad montem Dei Horeb. Sed quia justitia sine misericordia crudelitas est, sequitur misericordia. Cujus tres sunt partes, dare, dimittere, commodare. Hanc operatur in nobis spiritus consilii, dicens nobis: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est, quod impetrat illa petitio: Fiat voluntas tua sicut in celo, & in terra, i. ut simus misericordes aliis, sicut celestes sunt misericordes, & exsufflatur spiritus avaritie. Sexto loco ponitur mūditia cordis, quā homo ad imagine Dei conditus sexta die perdidit, quam Christus ætate sexta reparavit. Hanc munditiam operatur spiritus intellectus, quem impetrat illa petitio: Adveniat regnum tuum, i. da nobis spiritum intelligentiæ, quo mundatur cor, ut videamus te regnare in nobis, & exsufflatur vitium gule. Septimo loco ponitur pax, que in sabbato septime etatis dabitur habentibus virtutes supradictas. Hanc operatur spiritus sapientie, quem impetrat illa petitio: Sanctificetur nomen tuum, i. detur nobis sapientia, qua & filii tui nominemur, & simus, & exsufflatur spiritus luxuriæ. He septem virtutes beatum faciunt. Octava vero communis est omnibus.

Galilæa, & Decapoli, & de i Jerosolymis, & de Judæa, & de k trans Jordane.

CAP. V.

VIDENS l autem Jesus

A Nihil enim est nisi

a turbas, ascendit in montem, & cum b sedisset, c accesserunt ad eum discipuli ejus. Et d aperiens os suum docebat eos, e dicens: f Beati g pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

a Nihil enim est nisi probatio supradictarum. Verus enim pauper, verus mitis, verus lugens, verus misericors, verus justus, verus mundus, verus pacificus tribulatione probatur, & purior, & fortior efficitur, sicut aurum in fornace, Et inde sicut accensus est in virtutibus, sic & in remanerationibus. Pauperibus datur regnum cœlorum, quia minus non potest habere, quam id, quod est commune omnibus bonis, & omnium præmium generale. Differenter tamen habent regnum prima, & octava virtus. Prima habet in spe, octava in re. Qui enim pro Christo terrena abjiciunt, non statim cum moriuntur evolant, sed quandoque igne purgantur, qui vero Christo moriuntur, statim ascendunt in cœlum, quia falce martyrii resecatur quicquid purgandum invenitur. Mitibus, qui se hic recte possederunt, congruit possidere regnum, quod plus est, quam habere. Multa enim habere dicimur, quæ non possidemus, quia statim amittimus, vel quia nostra non sunt. Lugenti promittitur consolatio, quod plus est, quam possidere regnum. Plus enim est gaudere in regno, quam possidere; multi enim multa cum dolore, & timore possident. Esurienti justitiam promittitur saturitas, & hoc etiam plus est, quia majus est saturari in palatio, quam gaudere in eo. Misericordi promittitur misericordia, ut plus recipiat in præmio, quam habuit in merito, & hoc plus est. Ultra enim saturitatem dabitur misericordi gloria; sicut dicitur *infr.* 25. Habenti dabitur, & abundabit. Mundo corde promittitur visio Dei, ut qui mundum habet oculum mentis, clare videat Deum. Et hoc omnibus præcedentibus majus est, sicut ille, qui in curia regis prandet, & saturatur, dignior judicatur, quia facie ad faciem videt regem. Sed inter omnes & summus, & maximus judicatur, qui regis filius nominatur, quam dignitatem habent pacifici. Item tria prima exuunt veterem hominem, ne sit homo filius iræ: quatuor sequentia induunt hominem, ut sit filius Dei. Quæ quatuor ultima respondent quatuor corporis elementis. Ut homo ex fortitudine sit stabilis. *Eccl.* 1. Terra in æternum stat. Et misericordia fœcundet aridam sicut aqua. Unde eleemosyna dicitur aqua. *Eccl.* 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Aereus sit propter spiritualem intellectum. Igneus sit per cognitionem, & ardorem sapientiæ, unitus spiritu Deo, qui ignis est, *Deut.* 4. Dominus Deus tuus ignis consumens est. Dicit ergo.

a Videns autem, &c.] vitans multitudinem. *Osee* 11. In medio tui sanctus, & non ingrediar civitatem. *Hier.* Mons iste fuit mons Thabor, vel alius in Galilæa. Et quærit *Chrys.* Nunquid non poterat ibi docere, ubi jam erat populus? Sed ut impleret prophetiam. *Isa.* 40. Super montem excelsum, &c. Ascendit autem Christus in desertum, ut tentaretur a diabolo, *sup.* 4. Item in montem, ut doceret, & intelligeretur, sicut hic. Item in montem Thabor, ut transfiguraretur, *inf.* 17. Item in asinam, ut humilis, & mansuetus inveniretur, *inf.* 21. Item in montem Oliveti, ut oraret, antequam pateretur. *Luc.* 22. Item in crucem, ut exaltaretur, *inf.* 27. Item in cœlum, ut elevaretur *Luc. ult.* Sic prædicator debet prius ascendere in eminentia vitæ, quia cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. *Nahum.* 1. Ecce super montes pedes evangelizantis, & annunciantis pacem, idest affectus prædicatoris sit in alto sanctæ conversationis. *Greg.* Qui corporalibus actibus adhuc inhæret, aliorum vitam spiritualiter necesse est erubescat. *Exod.* 19. Moyses ascendit in montem, ut daret legem populo. Et hoc meretur, cum ipsa prædicatione prædicator ad majora proficit, dum sensus audientium ad Dei desiderium provehit. Hoc super illud *Ezech.* 3. Spiritus Domini elevavit me, & assumpsit me. Dicit *Nahum:* Super montes, quasi ad comprimendum, ne elevetur inde.

b Et cum sedisset] Ex hoc loco tenetur, quod quando sermo fit laicis, stat prædicator, quando contemplativus sedet. Unde *Luc.* 10 Martha stat, Maria autem sedet. *Act.* 2. Stans autem Petrus.

b Et cum sedisset] tanquam magister. *August.* Sedere pertinet ad dignitatem magistri.

c Accesserunt, &c.] Vocati discipuli, significant fideles in Christum incarnatum credentes, qui prius, dum staret tantum Deus, in eum non crediderant. Sedit enim Christus per incarnationem, & tunc accesserunt, quod ante non audebant. Sicut dicit Apost. ad *Hebr.* 12. Non enim portabant, quod dicebatur, & si bestia tetigerit montem, lapidabitur, & ita terribile erat, quod videbatur. Moyses dixit: exterritus sum tremebundus. Sed postquam præparatus est mons, fluxerunt ad eum omnes gentes. Unde postquam dicit: Descendet sicut pluvia in vellus, post sequitur: Et adorabunt eum omnes reges. Sic prædicator sedeat per humilitatem, ostendendo se subjectum simili fragilitati. *Ezech.* 3. Sed ubi illi sedebant. 1. *Tim.* 1. Fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum.

b Et cum sedisset, &c.] *Chrysost.* In altitudine spiritualium virtutum consistere debet, qui docet justitiam pariter, & qui audit. Nemo potest in valle stare, & de monte loqui, sed ubi stas inde loquere, aut unde loqueris ibi sta. Si in terra est animus tuus, ut quid de cœlo loqueris. Si de cœlo loqueris, in cœlo consiste. Si justitiam facere non vis, ut quid prædicatorem justitiæ audis? Quare magistrum vocas, cujus non vis esse discipulus? Et *infra*: Nunc autem populus seipsum, non videt, quod primum videre debet, sed semper sedens judicat de moribus sacerdotum. Ergo hæc Scriptura docet, ut tam doctor, quam populus super montem ascendant.

d Et aperiens os suum docebat eos] Aperuit os quasi magna dicturus. *Job* 3. Aperiens Job os suum. *Act.* 10. Aperiens Petrus os suum. Item significat apertionem secretorum. *Eccl.* 43. Aperti sunt thesauri, & evolaverunt nebulæ, idest secreta aperta sunt, sed quasi nebulæ, quia videmus per speculum in ænigmate. 1. *Cor.* 13. Præterea supra proximo sermo brevis præmittitur, hic prolixior subjungitur. Unde & Dominus os aperire dicitur. Pœnitentia enim facit homines beatos beatitudine quadam imperfecta, quæ tamen in spe perficitur. Notatur, hic etiam in apertione oris profunditas dicendorum, apertio doctrinæ, reseratio secretorum, longitudo sermonis, exemplum instructionis.

e Dicens] *Chrys.* Non solum ad Apostolos dicta sunt hæc, sed scripta sunt ad nos. Non enim dixit: Beati vos pauperes. Nota, in candelabro erant septem brachia, septem lucernæ, septem infusoria; & hæc sibi invicem subservientia. Sic hic distinguuntur tria, scilicet septem petitiones orationis Dominicæ, septem dona, septem beatitudines, quæ dicuntur virtutes, quibus devenitur ad beatitudines. Et hæc sibi adaptantur. Per petitiones venitur ad dona, per dona ad virtutes. Nec tamen in hoc faciamus vim, quod per unam petitionem petitur unum tantum, imo & omnia; sed familiarius unum. Sed hæc retrograde debent adaptari, ultima petitio, & ultimum donum primæ beatitudinis sic: Sed libera nos a malo, idest, da nobis timorem, qui nos expediat a sæculari desiderio, & hoc est, a malo. Et qui habet timorem habet paupertatem spiritus, qui consistit in animi humiliatione, & rerum abdicatione. Lex neminem duxit ad perfectum, ideo Christus addit perfectionem meriti, & præmii.

f Beati pauperes spiritu, &c.] Omnis miseria est propter præsentiam disconvenientis rei, & nocentis, vel propter absentiam convenientis, & proficientis, sic beatitudo ex absentia mali, & præsentia boni. Docens igitur summus Magister viam ad perfectam beatitudinem, septem ponit virtutes, quarum primæ tres hominem interiorem mundant a malo, quatuor sequentes mundatum ordinant, & informant. Paupertas enim purgat concupiscibilem, mititas, sive mansuetudo quietat irascibilem, luctus autem ex scientia vim rationabilem illuminante derivatur. Item esuries justitiæ vim concupiscibilem ordinat, & informat, misericordia irascibilem compatiendo miseris, munditia cordis per donum intellectus rationabilem illustrat, pax, idest sapientia omnes quietat, & pacificat. Unde *Psalm.* 147. Qui posuit fines tuos pacem: Tres primæ exuunt veterem hominem, quatuor sequentes induunt novum, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis. *Col.* 3. g Pauperes] *Isa.* 14. Pascentur primogenita pauperum, & pauper fiducialiter requiescet. h Spiritualiter. 1. animi reputatione, & voluntate. Paupertas enim spiritus uno modo dicitur sancta timoratio, sive diffidentia de seipso, quæ ex timo-

h re procedit

a re procedit. Unde vulgariter dicitur, pauper, corde timidus, qui beatum efficit, quia quanto magis quis, de seipso diffidit, & infidit, & insufficientem se reputat, tanto amplius in Deo abundat. Et ista diffidentia sui primus gradus est ascendendi ad regnum cœli. *Prov.* 28. Beatus homo, qui semper est pavidus. Item *Prov.* 14. In timore Domini fortitudinis. *Psalm.* 111. Beatus vir, qui timet Dominum. *Luc.* 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Alio modo dicitur paupertas ipsa virtus humilitatis, quæ proprium subjectum evacuat, vel extenuat in nihilum, faciens pulchrum. De quo dicitur *Job* 26. Qui extendit aquilonem, idest diabolum super vacuum, idest hypocrisim, & appendit terram, idest Ecclesiam super nihilum, idest super humilitatem. Et est istud nihilum magnificatio, & extensio, & firmitas terræ, idest Ecclesiæ. *Psal.* 103. Qui firmavit terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi. Ista sola capax est Dei, qui est plenissima beatitudo, quia plenitudo nihil recipit, nisi quod nihil est. Ideo superbia, quæ sui reputatione aliquid est cœlo non potuit capi, quia illud impleverat jam gloria Domini. Sed nec in terra locum invenit, quia & illam impleverat gloria Domini. Unde *Jerem.* 23. Cœlum, & terram ego impleo. Et *Isa.* 6. Plena est omnis terra gloria ejus. Non ergo restat locus superbiæ nisi infernus. Unde *Isa.* 14. dicitur de superbo Lucifero: Detracta est ad inferos superbia tua. Cedit ergo plenitudini divinæ gloriæ humilitas, dans ei in seipsa locum amplissimum, quam superbia tumore suo a seipsa expellit, quia plenitudo in pleno capi non potest. Prima ergo causa, qua humilitas regnum cœlorum suum facit, est ejus capacitas, idest veritas. Secunda est ejus fidelitas, quia de bonis Domini suis manibus nihil adhærere permittit, sicut dicit *B. Bern.* sed totum Deo attribuit, censum debitam laudam, & gratiarum actiones fideliter persolvens. Hic enim est census, qui Deo pro omni feudo suorum Beneficiorum debetur. Vide, quod omnia bona gratiatum, superbum quasi furem Domini fugiunt. Tertia causa est justa vicissitudo. Dignum enim, & justum est, ut divina majestas in se recipiat humilitatem, quæ se evacuavit, & annihilavit, ut toto sinu capacitatis eum reciperet. Unde *Isa.* 67. Ad quem adspiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu. Tertio modo dicitur paupertas spiritus mendicitas spiritualis, qua pauperes spirituales improbos se exhibent divitibus spiritualibus pro eleemosynis spiritualibus obtinendis, nunc panem doctrinæ, nunc aquam sapientiæ flagitant, nunc ad ignem orationum calefieri postulant. Istorum est regnum cœlorum ipso jure paupertatis. Omnis enim domus Dei, ubicumque sit, pauperum est, & omnia, bona ejus. Item omnia, quæ sunt in regno cœlorum, possidet pietas, etiam ipsum Regem cœlorum. Quod inde appatet, quia ipsam vendidit pro redemptione captivorum, ipsum spoliavit pro indutione nudorum, ipsum in cruce assavit pro refectione egenorum. Quicquid autem pietas possidet, pauperum est. Patet ergo regnum cœlorum pauperum esse. Et ideo beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Quarto modo dicitur paupertas spiritus, ipsa temporalis, voluntaria, & amata, & electa. Unde *Gloss.* dicit: Spiritu, idest voluntate. Istorum pauperum est regnum cœlorum titulo emptionis ex pretio jam soluto. *Isa.* 19. Omnis, qui reliquerit domum, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Isti sunt beati, quia eis ad votum succedit, quod amant, idest paupertas, ipsam habent, quantum volunt, & quandiu volunt, secure, & pacifice possidentes. Hic est thesaurus pretiosissimus, quo sapientissimus mercator Jesus Christus regnum cœlorum venaliter exposuit. Quinto modo dicitur paupertas spiritu, idest animo, qui omnino nihil habere se reputant, nec seipsos, sive corpus, sive animam, sive membra, sed omnia commodata habent, & quasi alienis utuntur. Hæc est vera paupertas, quæ neque linguam, neque oculos, neque pedes, neque sensum, neque voluntatem, & ideo nihil ei molestum est. Solus iste verus est monachus in claustro Domini, si tamen claustrum est regnum cœlorum. Manifestum est regnum cœlorum hujusmodi pauperum esse, & hi beati, quia securi. *Seneca*: Paupertas est bonum sine calumnia. Adaptatur autem paupertas spiritus dono timoris, quia paupertas semper timida est, inopem, indefensam, immunitam, omnibus odiosam, se semper existimans. Item timor custodit, & humilitas abscondit. Item habent quodammodo beatitudinem, quæ consistit in dotibus corporis, & animæ. Sunt enim impassibiles, quia non sentiunt dolorem pro amissione mobilium, vel immobilium, nec etiam carnalium amicorum. *Greg.* Qui non in mundo habet, quod diligit, nihil in mundo est, quod pertimescat. *Prov.* 12. Non conturbabit justum quicquid ei acciderit. Item agiles sunt per eorumdem depositionem, quia non habent pondus terrenum, sed pondus spirituale, quod sursum elevat, sicut dicit *B. Bern.* *Esdræ*: Abjicite auri, & argenti pondera. Item sunt subtiles per potestatem, & dignitatum abrenunciationem. Ille enim, qui magna pompa famulorum, & sociorum stipatus est, per arctum foramen intrare non potest. Arcta enim est via, quæ ducit ad vitam, *inf.* 7. Isti sunt lucidi per curæ abrenunciationem. Ex cura enim, & interiori sollicitudine fiunt homines nigri, ad litteram, quod patet in mercatoribus. Vel lucidi sunt per bonam opinionem. Item habent arrhas animæ, lucem scilicet, in rationabili; pacem, in irascibili; satietatem, in concupiscibili.

e Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

e Beati mites, &c.] Mititas, & rabies opposita sunt. Sed constat, quod in corde humano rabies miseria est; ergo & mititas beatitudo. Secundum *Philosophum*, mitis est, qui patitur, & non dejicitur, idest læsiones non sentit. Hæc est in lecto conscientiæ hominis culcitra mollis, ubi molliter, & suaviter anima requiescit, quæ etiam lapides contumeliarum, & detractionum, & injuriarum quarumcunque inflictos sibi amplexatur leviter, & sine sui læsione recipit. Hæc est armatura fortissima, quæ nec lædi, nec vulnerari patitur deferentem. Hæc est virtus, quæ proprie facit hominem sui dominum, & possidere seipsum. Plato venditus, major emente se fuit, sicut legitur in prologo Bibliæ. Hæc est, quæ ab omni liberat perturbationum incursu, sicut dicit Poeta: *Nobile vincendi genus est patientia, vincit: Qui patitur: si vis vincere, disce pati.* Unde hæc recte facit beatum, quia vere beatus est, qui ab omni malo liber est. Per hanc terram liberi arbitrii quiete, & pacifice rationi subjicimus, per hanc etiam terrenam substantiam pacifica, & magnifica dominatione possidemus, quia per hanc pro amissione temporalis substantiæ non dolemus, neque turbamur. Unde hic *Gloss.* [Beati mites] sine asperitate mentis, & sine livore. Qui enim amissionem hujus pertimescunt, verius se possideri, quam possidere, fatentur. Amor enim amatum possessorem facit amantis. [Beati] ergo [mites,] quia mititas lapides vituperationis convertit in panes suavissimæ refectionis, plagas in medicinam. Hæc est virtus, quæ terræ viventium suos efficit possessores. *Augustinus*: Nullius erit Deus possessio, nisi illius, quem ipse possederit. Mites autem ipse quiete, & pacifice possidet, ideoque lege vicissitudinis dominum possidebunt, & habitationem terræ viventium. De qua *Jerem.* 2. Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructus ejus. Item merito stabilitatis, & quietis placidæ mentis, mites possidebunt stabilem terram viventium. Justum enim est, ut merito præmium respondeat, idest gratia gloriæ. *Joann.* 1. Gratiam pro gratia. *Zach.* 4. Adæquabit gratiam, idest gloriam gratiæ ejus. Item [terram,] idest seipsos. Iracundi enim seipsos, non possident. *Genes.* 3. Terra es, & in terram ibis. Item [terram] ad litteram. *Eccles.* 10. Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere facit mites pro eis. *Psalm.* 36. Mansueti autem hæreditabunt terram. Nam multi per tyrannidem suam, ad litteram, ejecti sunt a regno. Aptatur autem hæc virtus spiritui pietatis, sicut suum contrarium, idest rabies crudelitati. Si autem hic accipitur pro theosebia, quæ est cultus divinus, & veneratio Sanctorum, merito ei aptatur mititas, sive mansuetudo, quoniam cultus Dei nihil aliud est, quam subjici jugo Christi, cui hæc virtus gratis, & gaudenter se subjicit, sicut animal mansuetum. Adaptatur etiam illi petitioni: Et ne nos inducas in tentationem, idest, da nobis spiritum pietatis, per quem vitemus tentationes, & sic erimus mites. Mansueti autem, ut dicit *Cassiodorus* *Psalm.* 24. dicuntur manu consueti, hoc est tolerantes injurias, non reddentes malum pro malo. Mites vero sunt, qui nulla furoris accensione turbantur, sed in animi lenitate jugiter perseverant. Secundum hoc, mitis in affectu, mansuetus in effectu sonat. Unde quidam sanctus mitis est, quem mentis asperitas, impatientia, sive amaritudo non afficit, sed simplicitas

▲ fidei ad omnem injuriam sustinendam patienter instituit. Commendatur autem hæc virtus. Quia ejus magisterium sicut & humilitatis Dominus sibi retinuit specialiter. Unde *inf.* 11. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, quod non faceret, nisi summæ perfectionis esset schola in terris, cujus est cathedra in cœlis. Secundu, quia placet Deo. *Eccles.* 1. Beneplacitum est Deo, fides, & mansuetudo. Tertio, quia facit hominem diligi.

> *a* Beati, qui lugent, *b* quoniam ipsi consolabuntur. *c* Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi *d* saturabuntur. *e* Beati misericordes,

Ecclesi. 3. Filii, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. Quarto, quoniam ipsa est via, & præparatio ad suscipiendum verbum Dei. *Jac.* 1. In mansuetudine suscipite insitum, verbum, quod potest salvare animas vestras. Quinto, quia de hac singulariter laudatur Moyses. *Num.* 12. Erat Moyses mitissimus omnium hominum, qui in terra morabantur. Sexto, quia facit hominem sui memorem. *Psal.* 131. Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus. Septimu, quia facit illud, cujus est facere sanctum. *Eccl* 45. In fide, & lenitate sanctum fecit illum. Octavo, quia hæreditas terræ ei promittitur, ut hic. Et in *Psalm.* 36. Mansueti autem hæreditabunt terram. Et *Beda*: Si cœlorum regnum pauperibus, & terra mitibus compromittitur, quid ergo superbis, & contentiosis nisi infernus. Nono, quia dignitas, quæ superbis aufertur, mitibus confertur. *Eccl.* 10. Sedes ducum superborum destruxit Dominus, & sedere fecit mites pro eis. Nota autem profectum in mercede. Plus enim est regnum cœlorum possidere, quam habere. Possunt enim aliqua nostra esse ad tempus, & momentanee, non tamen possidemus. *a* Beati, qui lugent] Post pacificationem mansuetudinis, recte sequitur donum luctus. Homo enim vacans, & videns se, quid aliud habere potest nisi lugere seipsum, cum nihil in se inveniat nisi mortem, & abyssum peccatorum. Luctus enim est Ecclesiæ spiritualis, idest mentis humanæ baptisterium. Quid enim est aliud lavacrum lacrymarum nisi secundus Baptismus? *Greg. super Job* Mens lacrymis baptizata in contemplatione videt limpidius. Hic est labium, sive mare æneum templi, vel tabernaculi, in quo lavantur Sacerdotes hostias oblaturi. *Exod.* 30. Hic est claustri spiritualis lavatorium, palatii regalis balnearium, horti voluptatis, sive paradisi irrigatorium. Hic est cisterna Bethlehem, cujus aquas desiderat verus David. 2. *Reg.* 23. Hæc omnia, quæ diximus, est mens humana, scilicet Ecclesia spiritualis, templum, tabernaculum, & regale palatium. Ipsa est hortus voluptatis. De quo *Cant.* 5. Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructus pomorum suorum. Donum vero luctus est fons illius horti. Unde: Fons hortorum puteus aquarum viventium, &c. Hoc est, natatorium Siloe, ubi missus cæcus usum recipit. *Joan.* 9. Hic est Jordanis, in quo Naaman septies baptizatus mundatur. 4. *Reg.* 5. Hæc est cella vinaria, in qua vinum contritionis, compunctionis, & devotionis, ceterorumque vinorum genera propinantur. *Cant.* 2. Introduxit me rex in cellam vinariam. Et umbilicus sponsæ, sicut crater tornatilis nunquam indigens poculis. *Cant.* 7. Hoc est mare rubrum, in quo Pharao, idest diabolus cum toto exercitu suo submergitur. *Exod.* 15. Hæ sunt aquæ, de quibus *Psalm* 73. Contribulasti caput draconis in aquis. Hoc est omnium sacrificiorum impinguatorium. *Greg. super Ezech.* Holocaustum aridum, est bonum opus, quod orationis lacrymæ non infundunt. Hæc est Probatica Piscina, in qua lavatur hostia, antequam Domino offeratur quinque porticus habens. *Joann.* 5. Harum quinque sunt genera. Primæ sunt pro incolatu hujus miseriæ. *Ps.* 119. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Hæ potant animam sitientem. *Ps.* 79. Potum dabis nobis in lacrymis in mensura. Secundæ sunt pro commissione culpæ propriæ, & hæ lavant, & mundant. *Psalm.* 6. Lavabo per singulas noctes lectum meum. Tertiæ sunt pro horrore gehennæ. *Psalm.* 114 Eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis. Quartæ sunt pro desiderio patriæ. *Psalm.* 136. Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus. Hæc rigant, & fæcundant. *Psal.* 6. Lacrymis meis stratum meum rigabo. Quintæ sunt pro peccatis, & miseriis proximorum, *Ezech.* 3. Mansi ibi septem diebus mærens in medio eorum. Hæ charitatem animæ demonstrant. *Jerem* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die, ac nocte interfectos filiæ populi mei. Triplex est autem lacrymarum efficacia in Deum. Prima, quia Deum inebriant. Unde *Isa.* 43. Adipe lacrymarum tuarum non ebriasti me, idest devotione lacrymarum. Secunda, quia Deum pungunt. Unde *Gloss. super Tob.* Oratio Deum lenit, lacryma pungit. Tertia, quia Deo quasi molestiam faciunt. *August. super illud Psal.* 38. Auribus percipe lacrymas meas, dicit, quia violentæ sunt in precibus. Adaptatur autem hæc virtus dono scientiæ, sicut dicit *August. in* 1. *de Doctr. Christ.* Quia sententia facit hominem intus lamentantem, & foris lætantem. Et hoc ostendit per illud *Eccl.* 1. Qui addit scientiam, addit & dolorem. Non potest scire, ubi, & quid sit, si non sit in fletu, & lacrymis. Adaptatur etiam petitioni illi: Dimitte nobis debita nostra, idest, da nobis donum scientiæ, quo lugeamus peccata nostra, ut tunc dimittas illa. Quod autem saporis, quid suavitatis habent lacrymæ, novit ille, qui gustavit. Sed sicut dicitur vulgariter, rusticus non gustat, inde. *Prov.* 14. Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus. *b* Quoniam ipsi, &c.] Unde *Isa.* 66. Quomodo si cui mater blandiatur, ego consolabor vos, videbitis, & gaudebit cor vestrum. Contra fletum enim alienorum peccatorum consolatur profectus fratrum. 2 *Cor.* 8. Consolatus sum pro Tito. Contra fletum dilationis patriæ consolatur adeptio gloriæ. Unde *Apoc* 21. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum. Ubi *Bern.* Felix lacryma, quæ pia manu creditoris meretur abstergi. Contra fletum criminum propriorum consolatur plena remissio. *Psal.* 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Contra fletum gehennæ evasit pœna. Unde *Isa.* 40. Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester. Contra fletum tribulationum consolabitur depressio inimicorum. Unde *Psal.* 57. Lætabitur justus, cum viderit vindictam. Et *Isa.* 66. Et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. E contra vero mali non habebunt consolationem. Unde *Luc.* 16. Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala, nunc vero hic consolatur, tu vero cruciaris. Et *Thr.* 1. Deposita est vehementer non habens consolatorem. Vide autem profectum, & augmentum respectu præcedentium. Magis enim est consulati Jerusalem, quam possidere. [Beati] ergo, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.] Sequitur. *c* Beati, qui esuriunt, &c.] majorem scil. & perfectam, cum habeant imperfectam. De his esurientibus dicitur *Eccl.* 24. Qui edunt me, adhuc esurient. *Joan.* 4. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiatur opus ejus. Non autem dicit: Beati, qui esuriunt prudentiam, vel temperantiam, vel fortitudinem, sed justitiam, quia justitia est virtus communis ad omnes alias, quæ tribuit cuilibet, quod suum est. Deo enim tria debemus. Reverentiam cultus inquantum Dominus, timorem inquantum judex, amorem inquantum homo incarnatus. Proximis similiter tria. Patribus auxilium, majoribus obedientiam, inferioribus consilium. Nobis tria. Cordis munditiam, carnis substantiam, utrique solicitudinem [Beati,] ergo [qui esuriunt, & sitiunt justitiam] idest, qui se reputant semper insufficientes, sicut David, qui dicebat: Ecce dixi, nunc cepi. *Eccl.* 18. Cum consummaverit homo, tunc incipiet. Et *Jer.* 3. Post me ingredi non cessabis. *d* Quoniam ipsi saturabuntur] quando super mensam Domini sedentes intellectum eorum lux divinæ veritatis implebit, & affectum lex divinæ bonitatis, ut dicit *B. Bern.* Dominus enim ebrios non potat, nec cibatos cibat. Unde *Isa.* 65 Servi mei comedent, & vos esurietis, servi mei bibent, & vos sitietis. Et *Luc.* 1. Esurientes implevit bonis. 1. *Reg.* 1. Famelici saturati sunt. *Is.* 45. Omnes sitientes venite ad aquas. Aptatur autem hæc virtus dono fortitudinis. Ad perfectionem enim bonorum operum, sequitur fortitudo virtutum. Vel sicut ex fortitudine bellica oritur fames certaminum, sic ea fortitudine justitiæ fames, & sitis bonorum operum, quæ sunt spiritualia certamina. *Job* 7. Militia est vita hominis super terram. Sed videtur potius esse aptanda sapientiæ, in qua est delectatio, quam dono fortitudinis. Sol. In cibo aliud quærit gula, aliud natura, aliud voluptas, aliud necessitas. Natura quærit sustentari, gula deliciari. Hæc igitur virtus cibum bonorum operum appetit inquantum nutrit, & sustentat, quod est secundum opus fortitudinis, sapientia autem appetit cibaria inquantum delectant. *Sen.* Palatum tuum fames excitet, non sapores, quasi dicat, in cibo, quære sustentationem, non delectationem gulæ. Aptatur etiam illi petitioni. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quasi dicat, da nobis spiritum fortitudinis, quo possimus expectare beatitudinem, & non deficere propter dilationem. Iste enim est panis, in cujus fortitudine ivit Elias usque ad montem Dei Oreb. Nota profectum. Plus enim est in palatio satiari, quam a luctu consolari. Sequitur. *e* Beati misericordes] Misericordia est miseria cordis

▲ de malo

Lacrymarum 5. genera.

Triplex efficacia lacrymarum in Deum.

Deo tria debemus, Proximis debemus etiam tria, Nobis debemus tria.

3. Reg. 19.

a de malo alieno, sed ita ordinata, ut primo misereatur de suo proprio malo, postea de aliis. Hæc facit modo lugentes, & miseros de malis aliorum, sed in futuro beatos faciet de bonis propriis, & omnium. Pro eo enim quod viri misericordes miserias alienas tollunt, vel mitigant, vel saltem per compassionem portant jure vicissitudinis immunes erunt a propriis. Commendatur autem hæc virtus. Primo, quia duplicem mercedem sui obsequii obtinet, scilicet promissionem vitæ, quæ nunc est, & futuræ. 1. *Timoth.* 4. Secundo, quia domina est in regno cœlorum. Quod patet, quia ipsum regem cœlorum, tanquam suum proprium vendidit pro redemptione captivorum. Quæ major dignitas, quam filium Dei habere suum: Adeo enim misericordia regni cœlorum est domina, quæ sicut dicitur in vulgari, ipsum fecit cubare de cœlo in utero Virginis, de utero in præsepe, de præsepe in Ægyptum, in desertum, in Crucem, in sepulchrum, in infernum. Tertio, quia in foro judicatio Domini, locum superiorem obtinet. *Jacob* 2. Misericordia superexaltat judicium. Et ideo a foro justitiæ licitum est appellare ad forum misericordiæ, & necesse habet justitia deferre appellationem tanquam legitimam, imo etiam necesse est, ut sententiam suam, si quam tulit justitia, retractet misericordia. In hoc foro non feruntur nisi sententiæ absolutionis, unde solum refugium reorum. Quarto, quia ipsa est ostiaria Paradisi. Quod patet ex ejus officio. Officium enim Ostiarii est, unicuique facere locum, & distribuere mansionem. Et hoc facit ipsa. *Eccl* 16. Omnis misericordia faciet unicuique locum secundum intellectum peregrinationis ipsius, & secundum meritum operum suorum. Hæc est illa ostiaria, quæ in die Parasceves ostium Paradisi fregit, & in duo frusta volare fecit, ut vulgo dicitur, nos introducens. Hoc ostium est Christus. *Joan.* 10. Ego sum ostium, &c. Duo frusta corpus, & anima, quorum alterum in sepulchru, alterum, scilicet anima, fuit in inferno. Hæc ostiaria nulli negat cœleste ostium, imo omnes transeuntes intrare compellit. Unde *Luc.* 14. Exi cito in vicos, & plateas civitatis, & compelle intrare. Hæc sepit vias, ne aliquis alio valeat declinare. Unde *Oseæ* 2. Sepiam viam tuam spinis. Hæc est, quæ de cœlo Deum deponit, & carnem induit, ut dicit *August.* quia omnium onera, ut sua portat, & ideo sola implet legem Christi. Unde *Galat.* 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Omnium enim damnis, & perditis communicat, & in omnibus luctis est socia, & particeps. Nihil potest facere cum divitibus. Quinto, quia omnes agri steriles, & aridi illi fructificant. In illis enim sua semina spargit. *Luc.* 14. dicit. Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent, unde retribuere valeant, retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. In agris pinguibus alius semina suffocantur. Sexto, quia Deum debitorem, imo servum facit omnium miserentium. *Prov.* 19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Sed qui recipit mutuum, servus est fœnerantis, ut dicitur *Prov.* 22. Ergo Deus servus est omnium miserentium, cum ipse mutuum accipiat, sicut ipsemet dicit *infra* 25. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Septimo, quia potest dicere Domino: Libera me ab omnibus tormentis, quia omni genere tormentorum punita sum. Quia sicut dicebat Apostolus 2. *Corinth.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non uror? Sic ista potest dicere: Quis affligitur, & ego non torqueor? Quis patitur, & ego non patior? Octavo, quia ipsa assecutata est habendæ promissionis. Per hoc enim, quod omnia dimisit, certa est, quod quicquid debuit, dimittetur ei. De hoc enim habet litteras Evangelii patentes. *Luc.* 6. Dimittite & dimittetur vobis. Nono, quia in ipsa est prudentia negotiandi. Nam pro luto temporalium, quod dat, recipit æternas divitias. Decimo, quia ipsa omnes miserias, & angustias vult revelare, quod si non potest facere, sociam se exhibet, ut sic saltem patienter consoletur. Levius enim fertur, quod cum alio fertur. Est autem hominis triplex misericordia. Propria, fraterna, paterna. Propria, est hominis ad seipsum per contritionem. *Eccl.* 30. Miserere animæ tuæ placens Deo. Fraterna, est fratris ad proximum per compassionem. De qua *Luc.* 10. Videns eum Samaritanus misericordia motus est super eum. Paterna est patris ad filium per correctionem. Hæc dimittit reatum. *Luc.* 15. Cum adhuc longe esset, vidit eum pater suus, & misericordia motus est. Mitigat iratum Deum. *Habac.* 3. Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Item consolatur amaricatum. *Luc.* 7. Cum vidisset Jesus mulierem flentem misericordia motus est super eam, & dixit: Noli flere. Item misericordia Prælati in subditos triplex est. In compassione cordis, in consolatione verbi, adjuvando in opere. Unde *Luc.* 7. Maria Magdalena pedes Domini lacrymis lavit, ecce compassio. Et unguento unxit, ecce verbi consolatio, & capillis tersit, hoc est subsidium in opere. Item misericordia Dei triplex est. Prima in justificatione peccatoris, quæ a culpa liberat, & dicitur spatiosa, quia hominem, qui in carcere peccati jacebat liberans, ampliat, & dilatat usque ad cœlum. De qua *Psal.* 32. Misericordia Domini plena est terra. Secunda in tribulatione liberans a pœna, & dicitur speciosa, quia animam liberans a pœna efficit speciosam. De hac *Eccl.* 35. Speciosa est misericordia Dei in tempore tribulationis, sicut nubes pluviæ in tempore siccitatis. Tertia erit in resurrectione liberans ab omni miseria, & dicitur pretiosa. De qua *Ps.* 88. Misericordia ædificabitur in cœlis. Qui triplicem misericordiam hominis habuit in via, triplicem Dei misericordiam habebit in patria. Et hoc est, quod sequitur.

Misericordia a multis commendatur.

Triplex hominis misericordia.

Triplex misericordia Prælati in subditos.

31. q. 2. c. noli. Triplex misericordia Dei.

a quoniam ipsi misericordiam consequentur. b Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. c Beati pacifici,

a Quoniam ipsi misericordiam, &c.] Hæc aptatur dono consilii. Bene enim sibi consulit, qui miseretur proximo. Adaptatur etiam illi petitioni: Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Voluntas enim Domini est, ut misereamur pauperum. Nota profectum: Saturabantur esurientes justitiam quasi satisfaciendo necessitati, sed isti habebunt fercula ad superabundantiam, ultra enim saturitatem dabitur misericordi gloria, sicut dicitur *inf.* 25. Habenti dabitur, & abundabit.

b Beati mundo corde] Hæc virtus in duobus consistit, scilicet in munditia intellectus, & in munditia affectus. Munditia intellectus est puritas, scilicet a curiositate inquisitionis, ab inutilitate cogitationis, a falsitate opinionis, vel erroris. Hæc enim tria inquinant intellectum. Munditia affectus est puritas a tribus, a primo motu pravæ delectationis, a consensu noxiæ delectationis, ab amore carnalis affectionis. Mundanum autem est cor hominis, ut vas, ut speculum, ut oculus: Ut vas ad recipiendum pretiosum liquorem. *Isa.* 51. Mundamini, qui fertis vasa Domini. Ut speculum, ut Deo inspectori faciem tuam exhibeat intuendam. Unde *Cant.* 2. Ostende mihi faciem tuam. Mundatur autem speculum abstersione, defricatione, ablutione. Abstersio est puritas confessionis, & orationis, defricatio est disciplinæ austeritas, ablutio lacrymarum, & eleemosynarum largitas. Item ut oculus mundandum est cor a pulvere terrenæ cupiditatis, a macula carnalis voluptatis, ab albugine mundanæ dignitatis. Munditia oculi, & speculi Dei faciunt visionem, munditia vasis impletionem operum. [Bene ergo dicitur: Beati mondo corde, quoniam ipsi Deum videbunt] Unde *Isa.* 33. Regem in decore suo videbunt. *Hebr.* 12. Pacem sequimini cum omnibus, & Sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Item *Chrys.* Secundum quod quis eripuerit se a malis, & fecerit bona, secundum hæc & Deum videt aut turbulente, aut munde, aut modice, aut amplius, aut interdum, aut semper. Qui autem male agit, aut cogitat, diabolum videt, quia diabolus in omni opere malo figuratur. Hæc virtus aptatur dono intellectus. Munditia enim cordis intellectui convenit, sicut puritas pupillæ oculi visioni, & munditia speculi speculationi. Adaptatur etiam illi petitioni: Adveniat regnum tuum, idest, da nobis spiritum intellectus, quo mundatur cor, ut scilicet videamus te regnare in nobis. Profectus patet, quia longe major est omnibus aliis, sicut ille, qui in curia regis prandet, & saturatur, dignior, judicatur, quia facie ad faciem regem videt. Quia hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Hæc sexto loco ponitur, quia per ipsam homo ad Dei imaginem reparatur, quem sexta die condidit; perditum, sexta ætate recuperavit, Sequitur.

Munditia intellectus, munditia affectus. Mundandum est cor.

Joan 17.

d Beati pacifici.] Non dicit placati animo, hoc enim pertinet ad secundam beatitudinem, quæ est: Beati mites, sed dicit [pacifici] quia scilicet paci faciendæ, reformandæ, & reservandæ sive in se, sive in aliis vigilant. Pax autem quinque habet contraria. Bella, lites, tumultus, inquietudinem, molestiam. Pacifici ergo sunt, qui in bellis sopiendis, litibus dirimendis, tumultibus sedandis, inquietudinibus quietandis, molestiis mitigandis vigilant, & insistunt. Hæc sunt officia, quæ pro nobis Dei filius exequenda suscepit. De illo enim scriptum est *Psalm* 75. Ibi, idest in mundo, vel in carne, confregit potentias arcuum scutum, gladium, & bellum. Quinque dicit prædictis

Pax quinque habet contraria.

A quinque

▲ quinque respondentia: & imo ipse non solum pacificus, sed & pax ipsa nominatur. *Eph.* 2. Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Bella, quæ in mundo erant, ipse veniens sopivit. Unde propter ipsum dictum est. *Isa.* 2. Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Item litem, quæ erat inter nos, & Deum Patrem ipse diremit. *Eccl.* 4. In judicando esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis, quam mater. De utroque, idest, de bello sopiendo, & lite dirimenda, dicit ipse *Isa.* 63. Ego sum, qui loquor justitiam, ecce litis direptio, & propugnator sum ad salvandum, ecce bellorum sopitio. Item tumultus ipse sedavit, verbo, facto, & exemplo. Exemplo, quia coram tondente se non aperuit os suum. *Isa.* 53. Et coram Herode nihil omnino respondit. *Luc.* 23. Item facto, *inf.* 9. Cum venisset Jesus in domum principis, & audisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, & ejecta turba, intravit, Verbo. *Isa.* 30. In silentio, & spe erit fortitudo vestra. Et 32. Erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium. Item inquietudines quietare venit. *Jo.* 15. Manete in me, & ego in vobis. Et quare? Quia in mundo pressuram, in me autem pacem habetis: *Jo.* 16. In ipso enim est vera quies, ut dicit *Aug. in libro Confess.* Inquietum est cor meum in me, donec quiescat in te, Domine. Item molestias tam spirituales, quam corporales mitigare venit Dominus. Propter quod Crucis signum oleo fit in baptizatis, & confirmatis, & ordinatis, & in principibus honore regio sublimatis, ad innuendum, quod omnes cruciatus per suam Passionem mitigantur, & dulcorantur. Unde *B. Bern.* Multi vident nostras punctiones, sed non vident nostras unctiones. Qui igitur in his quinque faciendis in se, & in aliis vigilant, pacifici merito, ac per hoc filii Dei vocabuntur, quia sunt similes patri suo. Hi sunt cubicularii Domini, qui præparant ei lectum. Mens enim pacata lectus est Domini. Unde *Ps.* 75. In pace factus est locus ejus. Et alibi. In pace in idipsum dormiam, & requiescam. Item [Beati pacifici] idest, facientes pacem inter carnem, & spiritum suum, vel alienum. *Gen.* 16. Revertere Agar ad dominam tuam. Item in proprio corde inter cogitationes, & desideria, quæ dicitur pax pectoris. In corde enim justi misericordia, & veritas obviaverunt sibi, justitia, & pax osculatæ sunt eum. Item inter se, & Deum. *Isa.* 27. Pacem faciet mihi, hic per pœnitentiam. Item inter Deum, & peccatores. *Ps.* 121. Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te. Et 1. *Reg.* 25. Abigail pacificavit verba David. Item inter hominem, & hominem. *Ps.* 33. Inquire pacem, & persequere eam. *Rom.* 12. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus pacem habentes. Et tunc tales erunt filii Dei, qui venit in terram, ut pacem faceret.

> *a* quoniam filii Dei vocabuntur, *b* Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. quoniam *c* ipsorum est regnum cœlorum. *d* Beati estis, cum *e* maledixerint vobis hominės,

1. Petr. 3.

Psalm. 4.

Psalm. 84.

a Quoniam filii Dei vocabuntur,] i. similes, quia his nihil repugnat, quia similes patri suo sunt, in quo summa quies est. Hæc virtus aptatur dono sapientiæ. Cordi enim pacifico revelat Dominus sacra sua. *Ps.* 33. Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. *Eccl.* 38. Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, percipiet eam. Et *Eccl.* 9. Verba sapientum audiuntur cum silentio. Aptatur etiam illi petitioni: Sanctificetur nomen tuum, q.d. da nobis spiritum sapientiæ, i. saporem de æternis, per quem confirmetur nomen tuum. Judas autem fuit filius Dei, sed non fuit in ipso nomen ejus confirmatum. Nota profectum: Inter omnia enim præcedentia maximum judicatur, filius Dei vocari. Bene autem ponitur septimo loco, quia sabbatizat, & septima ætate dabitur habentibus virtutes supradictas. Sequitur. Beati, qui persecutionem, &c.] Non est hæc octava beatitudo solum, sed præcedentium illuminatio, & ad singulas referenda. Sic beati pauperes spiritu, si persecutionem patiuntur propter justitiam, beati mites, si persecutionem patiuntur propter justitiam, & sic de aliis. Non enim omnis, qui persecutionem patitur, beatus est, nec transit ad cœlum, sed qui propter Deum. Dicit ergo: [Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.] Patitur autem quis aut a se, aut ab alio. A se quando novus homo, i. ratio per gratiam innovata cruciat suum veterem hominem, quod facit, vel subtrahendo, quæ placent, & hoc facit per spiritualem paupertatem, vel inferendo, quæ displicent, & hoc facit per luctus disciplinam. Vel ab alio patitur, & hoc cum mansuetudine, & mentis lenitate, esuriendo justitiam, & fortiter tolerando. Item propter justitiam conservandam, defendendam, propugnandam, ut Jo: Bapt. non propter scelera, ut malefici, Hæretici, latrones. Unde 1. *Pet.* 3. Sed & si quid patimini propter justitiam, beati. Et iterum 4. Nemo autem vestrum patiatur quasi homicida, aut fur. Sicut faciebant illi duo latrones, qui suspensi sunt cum JESU. *Luc.* 23. Et nos, quidem juste, nam digna factis suscipimus. Et latro a Pharaone suspenditur. *Gen.* 40. *Dan.* 12. Eligentur, & dealbabuntur multi. Et supponit causam. Et quasi ignis probabuntur. *c* Quoniam ipsorum, &c.] per successionem, quia si filii, & hæredes. Item per dationem. *Luc.* 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Item rationem emptionis. Isti enim, ut vulgo dicitur, bene, & legaliter emerunt, *inf.* 13. Præ gaudio illius vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum. *Aug.* Venale habeo. Quid Domine? Regnum cœlorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, ignominia gloria, morte vita. Item per direptionem, *inf.* 11. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Isti enim, qui persecutionem patiuntur, propter justitiam, sunt, qui cum Christo comedunt in via panem doloris, & bibunt aquam tribulationis. *Isa.* 30. Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam brevem. Unde cum eo comedent pinguia in die solemnitatis, *Isa.* 25. Faciet Dominus Deus exercituum omnibus populis in monte hoc, i. in Paradiso convivium pinguium, convivium vindemiæ, convivium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Isti sunt socii passionum Christi in via, unde erunt socii consolationis in gloria. 2. *Cor.* 1. Scientes, quoniam socii passionum estis, ita eritis & consolationum. Isti cum Christo permanent in paupertate: & ideo permanebunt cum eo in hæreditate. *Luc.* 22. Vos estis, qui permansistis mecum in tentatione mea, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo. Octo hic tanguntur, quæ faciunt convivium jucundum. Primum est nobilitas, vel dignitas ministrantium, quod tangitur ibi: Ego scil. qui sum filius regis, sum minister, nec solum ego, sed & Angeli mei mecum. Secundum ordo ferculorum, ibi: Dispono. Tertium bonitas convivarum, unde dicit: Vos, qui amici mei estis, & ita boni. Quartum hilaritas, ibi: Sicut disposuit mihi Pater, qui mihi dat hilariter, & lætanter, sic ego vobis. Quintum pretiositas epularum, ibi: Regnum. Sextum abundantia, ibi: Ut edatis, & bibatis, sc. usque ad satietatem. Septimum est honestas, unde: Super mensam meam. Octavum, est saturitas, unde: In regno meo, qui potens sum vos defendere. Unde dicit *Eccl.* 6. Si possides amicum in tentatione, posside illum. Item isti sunt, qui onus pro cælesti hæreditate in præsenti ferunt: & ideo habebunt emolumentum in futuro. Isti ergo merito sunt beati, qui die judicii justitiam patronam, & advocatam sunt habituri, pro qua hic advocati fuerunt, & patroni. Justitia enim non potest esse injusta sicut nec albedo nigra, ideo jure vicissitudinis stabit pro advocatis, & propugnatoribus suis, & non poterit judicari contra eam: quia tunc erit forum justitiæ, quod modo est misericordiæ. Notandum autem, quod eadem promissio fit paupertati, quæ est minima virtus, & patientiæ, quæ est maxima hac ratione, quia tantum gaudebit quilibet de alterius bono in patria sicut de suo. Differt autem hæc beatitudo a prima. Prima enim regnum Dei habet in spe, hæc autem in re. Bene autem ponitur octavo loco, quia significat generalem resurrectionem, ut dicit *Aug.* quæ per octavas etiam designatur. Unde & propriæ non fiunt octavæ, nisi in festis, quæ fiunt de morte. Unde octavæ nativitatis, & resurrectionis Domini, quæ sunt ad decorem, non habent proprium officium, nisi officium, octavarum. *d* Beati estis, &c.] Sicut Moyses propositis decem mandatis Decalogi explanationem subdidit breviatim. Sic Christus post præfatum sermonem subdit prolixiorem ejus expositionem, & inchoat ab explicatione octavæ beatitudinis, sicut etiam solet fieri in disciplinis mechanicis, quod ultimum in compositione, primum est in resolutione. Et quia breviter sub quadam generalitate dixerat, [Beati qui persecutionem patiuntur,] distinguit species persecutionis. Et cum primo communiter ad omnes, tunc specialiter sermonem dirigit ad Apostulos, quia congruum erat, ut eos ad tolerantiam persecutionum animaret, & armaret, quos velut agnos inter lupos missurus erat, ut mundum ab idololatria revocaret. Dicit ergo.

Rom. 8.

Octo in auctoritate Luca tanguntur quæ faciunt convivium jucundum.

d Beati estis,] quasi bene apti, sive magnificati.

e Cum maledixerint vobis homines,] quia peccatores. In hoc enim peccant homines, quia maledicunt, & hoc est signum, quod illi, quibus maledicunt, sunt boni, & beati. Peccatores enim laudant sibi similes. *Psalm.* 9. Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.

A *a* Et persecuti vos fuerint.] *Interl.* Persequi est vim inferre, vel insidiis, appetere. Et potest distingui triplex persecutio: Cordis, oris, & operis. Cordis ibi: [Cum maledixerint.] Maledicta enim ex odio cordis procedunt. Operis, ibi: [Et persecuti vos fuerint.] Oris, ibi: [Adversum vos mentientes]

& *a* persecuti vos fuerint, & *b* dixerint omne malum adversum vos *c* mentientes propter me. *d* Gaudete, & *e* exultate, quoniam *f* merces vestra *g* copiosa est in *h* cœlis. Sic enim *i* persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. *k* Vos estis sal terræ. Quod si *l* sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum *m* valet ultra, nisi ut mittatur foras, & *n* conculcetur ab hominibus. *o* Vos estis *p* lux *q* mundi

Isa. 51. Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemiam eorum ne timeatis. Factis autem dupliciter. Aut in præsentia, aut in absentia. Si in præsentia, tunc ex violentia manifesta, si in absentia tunc insidiis. Dictis etiam dupliciter. In præsentia, tunc in contumeliis, in absentia, tunc detractionibus.

B

b Et dixerint omne, &c.] *Inter.* Omnia genera verborum malignantium. *Chrys.* Qui gloriam cœli concupiscit, opprobrium non timet in terra. Et *inf.* Et quantum, quis de laude hominum lætatur, tantum de eorum opprobrio tristatur. Nam quem laus extollit, vituperatio deprimit. Ubi quis quærit gloriam, ibi timet confusionem, sed qui gloriam quærit, tantum apud Deum non timet confundi in conspectu hominum. *c* Mentientes propter me,] quasi non propter peccata, non propter terrena, non propter favorem hominum. *Chrys.* Qui mendaciter blasphematur, & propter Deum beatus est, sed si alterum deest, non est merces beatitudinis. *Philo.* Si non quæris gloriam, non doleb[i]s inglorius. Translatio antiqua habet. Cum oderint vos homines, & dixerint omne malum, & expulerint. Idem tamen sensus est in nostra. *d* Gaudete.] Ecce additur novum, & inauditum. Justi enim olim persecutiones passi sunt, sed forte in habitu gavisi non sunt. [Gaudete] mente in illa die, qua tribulationem patiemini. Illa dicit, quasi desiderabili, & jucunda. *e* Et exultate,] corpore, propter exemplum, gaudium exterius ostendite. Sic Apostoli. *Act.* 5. Ibant Apostoli gaudentes a conspectu Concilii, &c. *Rom.* 12. Spe gaudentes, in tribulatione patientes. 1. *Pet.* 4. Communicantes Christi passionibus gaudete. *Hebr.* 12. Ideo & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum. *f* Quoniam merces vestra,] i. jucunditas æterna: De qua *Gen* 15. Ego sum merces tua magna nimis. Vel merces est aureola, vel aurea. 1. *Cor.* 3. Unusquisque secundum laborem mercedem accipiet. *g* Copiosa est. Magna est merces pro patientia in tribulatione, sed longe major pro exultatione. Unde dicit. *Interl.* Tanto merces uberior, quanto gaudio, & exultatione in tribulatione fides erit devotior. Vel, [Copiosa,] quia rem suam dat in plenitudine. *h* In cœlis,] idest in cœlo empyreo. *Rab.* Non hic cœlos puto dici superiores partes aeris, sed de quibus Lucifer est ejectus. De quibus Apostolus. Nostra conversatio in cœlis est. *Phil.* 3. Dicitur tamen pluraliter, [cœlis,] propter multitudinem gaudiorum. *Rab.* Nescio, quis nostrum hoc implere possit, ut laceretur opprobriis fama nostra, & nos in Domino exultemus, hoc, qui vanam sectatur gloriam, implere non potest. Sed ad hæc sustinenda proponit eis exemplum Prophetas. Unde sequitur. *i* Si enim persecuti sunt, &c.] q. d. non est novum, si vos, qui servi mei estis, patiamini, quia & Prophetæ mei, propter eandem causam passi sunt prius. Et si illi libenter passi sunt propter me, qui non habuerunt exemplum, neque me viderunt, & vos libentius deberetis pati, qui habetis exemplum meipsum, & Prophetas, quorum exempla vos invitant, & verba informant, quorum prophetias in me impletas videtis, cur ergo, quod illi sine exemplo potuerunt, non potestis? *Aug. super Ps.* 119. Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, dicit. Incipit tibi dicere Deus? Tu non potes, quare ille potest, quare aliter potuit? Nunquid tu delicatior illo Senatore? Nunquid tu infirmior illo, aut illo invalidior? Nunquid tu imbecillior es feminis? Feminæ potuerunt, viri non possunt, delicati potuerunt, & divites, pauperes non possunt? 1. *Pet.* 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Unde *Mac.* 6. Ostenditur Elephantibus sanguis uvæ, idest, exempla Martyrum, & sanguis mori? i. exempla aliorum, qui non fuerunt martyres. Fructus mori, primo candidus, deinde rubicundus. *Cant.* 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus. Ultimo niger. *Cant.* 1. Nigra sum, sed formosa. Sic illi Sancti candidi per munditiam vitæ, rubei charitatis igne, nigri dura, & assidua persecutione, vel carnis maceratione. *k* Vos estis sal terræ.] Hæc est secunda pars hujus capitis: Dominus more boni exhortatoris, exhortatione sua miscet læta tristibus, & tristia lætis. Quia igitur prædixerat eis de pena persecutionum, quæ poterat esse causa desolationum, subdit remedium consolationum, q. d. non debetis in tribulationibus deficere, quia defectus vestri multis essent occasio ruinæ, quia vos estis sal terræ, unde verbo, & exemplo alios debetis condire, & ad tolerantiam persecutionum animare. Vos enim habetis totius orbis legationem, vos estis condimentum universæ carnis, videte ergo, ne in aliquo periculo, vel incommodo deficiatis. *k* Vos estis sal terræ,] i. humanæ naturæ, quæ per vos sapientia verbi debet condiri. Apostoli autem, & Prædicatores dicuntur sal, quia debent verbo fluxum peccati exsiccare, & vermes vitiorum abigere. *Marc.* 9. Omnis victima sale conditur. Unde significantur per sapphyrum, qui stringit fluxum. *Isa.* 54. Fundabo te in sapphyris. Item sal reddit terram sterilem. Imperatores enim solebant seminare urbes sale, ne quod in eis germen oriretur. Unde *Ps.* 106. Terra fructifera in salsuginem, &c. Sic Apostoli destructo regno peccati, germen vitiorum compescebant. Item cibus non est aptus, nisi sit sale conditus, sic nec utilis sermo, sine Apostolica doctrina dictus. Ideo *Lev.* 2. dicitur. Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui a sacrificio tuo. Item sal maris solis calore fit. Hi sunt Apostoli, & primitivi martyres, qui inundationes maris, quasi lac sixerunt. Sal ex aqua, & igne fit per longam decoctionem. Hi sunt prælati, & prædicatores, qui igne tribulationis, & charitatis decocti debent alios condire. *l* Quod si sal, &c.] i. si doctor, vel prædicator erraverit, aut in tribulatione defecerit, per quem populus infirmus confirmabitur? Similiter. *Eccl.* 12. Quis medebitur, vel miserebitur incantatori a serpente percusso? Et 34. Ab immundo quis mundabitur? Evanescit autem per tribulationem. Ante enim videbatur aliquid esse; sed nunc patet, quod nihil sit. *Job* 4. Venit super te plaga, & defecisti. Item [evanuerit,] per inanem gloriam. *Osee* 10. Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ, quæ cito evanescit per ventum. Item [evanuerit] timore male humiliante, vel amore male inflammante: *Ps.* 79. Incensa igni, & suffossa, &c. Item [evanuerit,] errando a veritate, ut Hæretici *Sap.* 5. Erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis. *m* Ad nihilum valet, &c.] Ab officio prædicandi, & ab Ecclesia per excommunicationem, si est publicus peccator, vel Hæreticus, vel merito extra sit, si occultus. *Isa.* 22. Expellam te de statione tua, hoc est de Ecclesia, & de ministerio tuo deponam te, idest, de officio tuo. Hoc enim est commune hæreticis, et qui cedit tribulationi, quod uterque ejicitur, ille ne alios corrumpat, iste autem quia ejus prædicatio contemnitur. *Eccl.* 26. Qui transgreditur a justitia ad peccatum, paravit eum Deus ad romphæam.

n Et conculcetur, &c.] i. simul cum subditis calcetur, vel subtus omnes alios in profundo inferni projiciatur. *Mal.* 4. Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, *inf.* 15. Si cœcus cœcum ducat ambo in foveam cadunt. Dux enim, qui præcedit, prius cadit, & alius eum deprimit. Calcatur autem anima primo in inferno, conculcabitur autem corpus cum anima. Boni autem calcantur per pressuras, & tribulationes, sed non conculcantur, licet enim quis in corpore multa sustineat in terra, mente tamen fixus est in cœlo. *o* Vos estis, &c.] Prædicta particula scilicet, [Vos estis sal terræ, sicut pertinet ad septimam beatitudinem per donum sapientiæ, sic ista,] Vos estis lux mundi, ad sextam beatitudinem pertinet per donum intellectus. Dicit ergo: [Vos estis lux mundi,] *Interl.* percipientes in Christo lumen veritatis, per quos omnes illuminantur a tenebris ignorantiæ. *Joan.* 8. dicit Dominus, ego sum lux mundi, quasi dicat Dominus, ego sum lux primitiva, vos autem estis quasi lumina a me derivata, & quasi radii ad illuminandum, & calefaciendum, *Phil.* 1. Inter quos lucetis tanquam luminaria in firmamento. Isti duodecim discipuli possunt dici duodecim horæ diei. *Jo.* 11. Nunquid horæ duodecim sunt diei? *Seneca.* Non licet principi plus latere, quam soli. *p* Lux.] Secunda causa, quare non debent deficere, quia illuminantur a Christo, quocunque fuerint illati. Unde *Ps.* 31. In via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Unde sicut sal, quia debent corruptionem pellere, sic quia lux, debent tenebras effugare. *q* Mundi.] Nomine

mundi,

Marc. 9. *Luc.* 14. 39 *dist. c. sanctitatis.* 2. q. 7. *nam omnes, &* 3. q. 7. c. *sic.* 24. q. 1. c. *quoniam Apost. & prædicatores dicuntur sal.*

Deut. 13.

mundi, vel universi, vel qui sunt de mundo electi accipiuntur, & maxime illi, qui per eorum doctrinam sunt mundati. *Chryf.* Sal potest carnem servare incorruptam, putridam autem mundare non potest. Item bona conversatio Sacerdotum est condimentum populi, propter hoc sunt sal, sed propter verbum doctrinæ sunt lux. Prius sal postea lux, quia oportet prius bene vivere, quam bene docere. Nam per bonam conversationem ascenditur ad scientiam sine dubio, per scientiam autem nescio, si ad bonam omnino conversationem veniatur. Propter hoc scientes multos sine timore Dei videmus, timentes autem Deum sine scientia nullos videmus. *Psal.* 118. A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis. Et *alibi.* Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi.

Matt. 4. Luc. 8. & 11.

C

21. q. 1. c. quaesitur.

a Non potest civitas abscondi supra montem posita. *b* Neque accendunt lucernam, & *c* ponunt eam sub modio, *d* sed super candelabrum, ut *e* luceat omnibus, qui in *f* domo sunt. Sic *g* luceat lux vestra *h* coram hominibus, ut *i* videant opera vestra bona, & *k* glorificent *l* patrem vestrum, qui in cœlis est. *m* Nolite putare, *n* quoniam veni solvere legem, aut prophetas. *o* Non veni solvere, sed *p* adimplere. Amen *q* quippe dico vobis, *r* donec transeat cœlum, & terra,

Luc. 10. Abscondisti hæc a sapientibus, & revelasti ea parvulis. *Ps.* 110. Initium sapientiæ timor Domini. *Job* 28. Timor Domini ipse est sapientia, & recedere a malo intelligentia. *a* Non potest civitas, &c.] q. d. aspicite, quid sitis, & ubi, & ad quid positi sitis, ac si dicere velit. Vos estis civitas in protectionem, & defensionem aliorum, pro quibus debetis vos opponere tanquam murum. Et talis civitas non potest, i. non debet abscondi. Hæc enim est familiaris expositio hujus verbi potest, scil. manifestari in regimine existentium in civitate, & in repressione foris impugnantium. *Jer.* 1. Ego quippe dedi te hodie in civitatem, munitam. Hæc civitas regenda est interius per donum consilii, & defendenda exterius per donum fortitudinis. Sed quid est, quod Apostoli dicuntur civitas, cum non sint civitas, sed fundamentum civitatis. Siquidem Ecclesia civitas est. De qua dicitur: Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Apostoli vero ejus fundamenta. Unde fundamenta ejus in montibus sanctis, idest, Apostolis. Sed intelligas nomine totius partem, nomine sc. civitatis fundamentum. Mons, super quem ponitur hæc civitas Christus. De quo *Isa.* 2. Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium. Vel eminentia virtutum dicitur mons, vel culmen doctrinarum. *b* Neque accendunt lucernam.] Idem, quod prius astruit, per similitudinem lucernæ, idest, quod non debent lucem doctrinæ abscondere, quia sicut lucerna in eminenti ponitur, ut lumen circumquaque diffundat, & lucis usum præbeat, sic & ipsi positi sunt, ut doctrina eorum luceat, &c.

Mystice.

[Mystice.] Christus lucernam accendit, dum testam humanæ naturæ divinitatis suæ flamma implevit, quam nec credentibus ascondit, nec modio, idest, mensuram legis, qua structa erat secundum superficiem litteræ, terminis unius gentis inclusit; sed super candelabrum, idest, super Ecclesiam fidem suæ Incarnationis affixit, ut omnes possint omnes intueri, qui in domo, idest, in Ecclesia, vel in mundo sunt. *c* Et ponunt eam sub modio,] *ad lit.* Hoc est enim contra lucernæ usum. Docet eos domesticis exemplis, ut communicent lucem prædicationis. Prædicatio enim avarum dedignatur possessorem, & dispersa recipit incrementum, & ideo venerabilis est thesaurus. *d* Sed super candelabrum.] *Interl.* Candelabrum est Ecclesia, quæ verbum vitæ præsentis bajulat, quam sicut lucerna divinum verbum illuminat. Lucerna etiam dicitur Christus, crux candelabrum, super quam erat levandus. *e* Ut luceat omnibus] tam pauperibus, quam divitibus, sine acceptione personarum. Malis tamen abscondita est lux. De quibus *Ps.* 113. Oculos habent, & non videbunt. *Jo.* 1. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et ideo dicit. *f* Qui in domo sunt] idest, in Ecclesia Catholica. Hæreticis enim, Judæis, & gentibus, quia extra domum sunt, absconditus est Dominus. De quibus ipse ait. *Deut.* 32. Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum *Zach.* 4. Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, hæc est, Ecclesia & lampas ejus super caput ipsius, hic est Christus. Corporis enim Ecclesiæ caput est Christus, & septem lucernæ, i. universitas doctorum super illud, & septem infusoria lucernis erant, septem dona Spiritus S. *Exod.* 25. Facies candelabrum ductile ex auro purissimo, facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso, i. peccatoribus, qui aversi sunt a Deo. *Soph.* 1. Scrutabor Jerusalem in lucernis. Commendatis Apostolis in quatuor. In vita, & doctrina, ab utilitate, ibi [Non potest civitas,] & prudentia, subdit. *g* Sic luceat lux vestra,] sic sup. ut prædictum est in exemplis evidentibus. *h* Coram hominibus,] ut scil. informentur tam vita, quam doctrina. Doctrina enim, sine vita lucerna est, sine oleo, ignis evanescens in fumum, uva detumescens in acino. *i* Ut videant opera vestra bona.] Bonum enim opus, bona doctrina est. *Interl.* Bene docet, qui facit, quod docet. [Bona] bono animo facta. Vel [bona] Deo grata, vel bona utilia. Charitas enim ab utili opere non vacat. *k* Et glorificent] in vobis, non vos. *l* Patrem vestrum, &c.] cui soli est gloria. *Isa.* 42. Gloriam meam alteri non dabo, q. d. Dominus. Et bona agatis, & finem in laudibus hominum non constituatis. Opus enim a Domino requiritur, ut doctrina confirmetur. *Bern.* Lingua magniloquia, manus otiosa, doctrina lucida, vita tenebrosa, est res monstruosa. *m* Nolite putare.] Ostenso quales, & quanti sunt Apostoli, quia sal terræ, lux mundi, civitas, & lucerna, in hac tertia parte hujus capituli instruit eos de modo prædicandi, ostendens, quid debent prædicare, quia non solum Evangelium, sed etiam legem Mosaicam. Unde dicit. [Nolite putare.] Antypophora est responsio ad tacitam objectionem, quam noverat jam Dominus in mentibus eorum conceptam, quia audierunt Dominum, quædam nova præcipientem, cœperunt dubitare, utrum vellet legem solvere, & aliam legem introducere. Et quia hæc dubitatio volvebatur in cordibus eorum, prævidens hoc Dominus præoccupavit eos ponens solutionem dicens. [Nolite putare] ne in errorem incidatis. *n* Quoniam, &c.] i. ne fiat impedire. Solvit eam, quę spiritualiter facere vetat. *Int.* Christus est legis & prophetarum virtus, per quem omnia spiritualiter adimplentur. *o* Non veni solvere,] i. cassare legem. *Ps.* 88. Neque prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt a labiis meis, non faciam irrita. *Isa.* 55. Verbum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum. *p* Sed adimplere,] i. perfecte implere in meipso, & in aliis docendo, ut [ad] sit intensivum. [Adimplere præfiguratam veritatem exhibendo, consilia superaddendo, vel quę occulta erant explanando. *Is.* 10. Verbum abbreviatum faciet Dominus super terram, i. Evangelium. Et 28. Consummationem, & abbreviationem audivi a Domino. Nota, quod in lege erant quædam mortalia, quæ condienda erant sapore charitatis, ut ex dilectione fierent. Unde enumeratis præceptis legis concludit Apostolus. *Rom.* 13. Plenitudo legis est dilectio. Et hoc potest respondere illi, quod supra dixit: Vos estis sal terræ. Sal enim interiora condit, & conservat, non solum exteriora. Sic doctrina Evangelica cohibet a malo, non solum manum, sed etiam animum, & utrumque condit, & informat ad bonum. Item in lege, & prophetis sunt figuræ, & prophetiæ, quæ adimplentur per amotionem velaminis, & exhibitionem interioris veritatis, quod fit per intellectum fidei corda mundantis, ut videatur Deus, qui absconditus erat in figuris Sacramentorum, & in umbra prophetarum. Et potest respondere ei, quod supra dixit: Vos estis lux mundi. Item in lege promissa, & comminationes. Promissa sc. de se, & de Ecclesia, quę docet jam partim impleta, & omnimodo implenda in patria, quorum impletio ex misericordia. Et ad hoc respondet spiritus consilii, & consilium est in fugiendis, & eligendis. Et potest hoc respicere ad id, quod supra dixit. Non potest abscondi civitas. Cives enim consilio sunt regendi, & adversarii fugandi. Item in lege sunt judicialia, quæ docet Christus implere, prout valent ad perfectionem, & professionem familię domus Dei, quæ habet donum scientiæ, quo docemur conversari in medio pravæ, & perversæ nationis. Et respicit ad hoc, quod supra dixerat. Neque accendunt lucernam, &c. *q* Amen quippe, &c.] Amen nec Græcum est, nec Latinum, sed Hebræum, & interpretatur verum. Sed ideo nec Græcus, nec Latinus ausus est interpretari, ne vilesceret mutatum. Amen quandoque ponitur nominaliter. *Apoc.* 3. Hæc dicit Amen testis fidelis, i. veritas. Quandoque ponitur verbaliter pro fiat, ut in orationibus. Sed sæpius ponitur adverbialiter, ut hic. Sed quæstio est, quare solus Joannes geminat, amen, amen. Sol. Secundum *Hier.* Amen interpretatur vere, vel fideliter, vel fiat. Joannes autem complevit Evangelium ad supplementum, & munimentum contra hæreticos, & ideo dicitur bis amen, quasi vere ad fidelium instructionem, & ad hæreticorum expulsionem. Item quia expresse, & conjunctim loquitur de Christo secundum duas naturas, qui verus est in promittendo, fidelis in reddendo. *r* Donec transeat cœlum, &c.]

De consec. dist. 4. c. propter. Luc. 16.

Amen tripliciter ponitur.

idest, donec elementa mutabuntur de hac mutabili forma in immutabilem, non enim transibunt secundum substantias, sed species immutabuntur. *Luc.* 21. Cœlum, & terra transibunt. 2. *Pet.* 3. Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli cum magno impetu transient, elementa vero calore solventur.

a Jota unum, *b* aut unus apex non *c* præteribit a lege, *d* donec omnia fiant. *e* Qui ergo solverit unum de mandatis istis *f* minimis, & *g* docuerit sic homines, minimus *h* vocabitur in regno cœlorum, *i* qui autem fecerit, & docuerit, *k* hic *l* magnus *m* vocabitur in regno cœlorum. *n* Dico autem *o* vobis, *p* quia nisi abundaverit justitia vestra *q* plus quam Scribarum, & Phariseorum *r* non intrabitis in regnum cœlorum. *s* Audistis, quia dictum est *t* antiquis. Non occides:

a Jota unum,] quia vere implebitur lex, quia non præteribit a lege, non dico unum verbum, quin fiat tempore suo, sed nec unum Jota, aut unus apex. Jota littera Græca est. Jod vero Hebræa. Et licet Evangelista scripserit Hebraice, non tamen Jod sed Jota nominavit. Et hujus ratio est, quia Jota apud Græcos decima littera est, & significat decem, & ita per Jota intelligitur Decalogus: dicit ergo: [Non præteribit unum Jota,] idem est ac si diceret, non præteribit unum de decem mandatis. *b* Aut unus apex,] i. minimum significantium legis. Apex enim non est littera, sed distinctio litteræ. Hebræi enim diversa elementa signant eadem figura, v. g. Per Aleph repræsentant a & e, sed per quosdam punctos infra, vel supra positos distinguunt, puncti illi dicuntur apices. Igitur neque apex, neque Jota præteribit a lege, idest, nec minimum preceptum, nec pars precepti evacuabitur, quin compleatur, vel in capite, vel in corpore tempore suo. Non omnia impleta fuerunt in primo adventu Domini, sed adhuc quotidie implentur, & in fine omnia implebuntur. *c* Non præteribit a lege] quin spiritualiter impleantur, aut imperfecta perficiantur. *d* Donec omnia fiant] in consummatione sæculi, scilicet tunc cessabit fieri omnino, ut *Deuter.* 32. Adesse festinant tempora. Nota, quod ad Jota referunt moralia, ad apicem mystica. Sicut enim allegoris locum altiorem tenet, ita apex tenet in figurarum distinctionibus. *e* Qui ergo solverit, &c.] Ostendit Dominus se nolle solvere legem, modo determinat sententiam contra illos, qui solvunt. Solvitur autem tripliciter. Non agendo, non credendo, alios in errorem trahendo. Solvit simpliciter, non implens, non simpliciter docens, solvit nullum figurale esse putans, vel docens. Transgressor, qui nullum solvit; malus, qui solvit; & solvere docet, deterior. Facit tantum bonus; facit, & facere docet melior. *f* Minimis] ut sunt moralia, vel legalia aliqua. *Aug.* Minima præcepta loquuntur adversus vitia, qualia sunt. Non occides, non mœchaberis. Vel minima possunt dici illa mandata legis, quibus significatur crux, & Passio Christi, quæ minima sunt quantum ad signum. Vel minima possunt dici, quia quod parvum fuit, & infirmum in Christo significabant, scil. pati, mori, crucifigi. Vel possunt dici minima, i. contemptibilia, quo ad infideles, quia Judæis scandalum, gentibus stultitiam 1. *Cor.* 1. *g* Et docuerit sic homines,] i. male docendo perverterit. Minimus vocabitur, &c.] *Gl.* despectissimus in Ecclesia Sanctorum, vel ab illis, qui sunt in Ecclesia Sanctorum. *Ps.* 51. Super eum ridebunt, & dicent, ecce homo, &c. [Vocabitur] dicit, non quod ibi sit, ubi non sunt nisi magni, sed ab illis, vel inter illos judicabitur, vilissimus, & despectissimus illic, ubi erit. Quia autem in cœlo non sunt nisi magni, significat piscatio Petri post resurrectionem, ubi rete legitur impletum centum quinquaginta magnis piscibus. *Jo.* 21. *Cassiod.* Qui majora negligens docere præsumpserit, consequens est, ut nec jam minimus in cœlo, sed in gehennæ supplicio maximus habeatur. Et ideo cavendum, ut qui peritiam disputandi, ac sermonis assiduitatem consecuti sunt, spiritualem scientiam habere videantur. Item *Chrys.* Mandata Moysi in actu facilia sunt, non occides, non adulterabis, & ideo in remuneratione modica, in peccato autem magna. Mandata vero Christi, i. non irascaris, neque concupiscas, in ipso actu difficilia sunt, & ideo in remuneratione magna, in peccato autem minima videntur. Et *infr.* Qui ergo doctor est, si ab omnibus se abstinuerit, magnus est, si autem vel levia hæc peccaverit, nihil ei prodest sacerdotalis dignitas. Aliter potest intelligi, quod dicit; [Docuerit] autem [sic] i. qui non egerit, & tamen bene docuerit. De istis. *Deut.* 28. Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut facias, maledictus eris in civitate, i. in Ecclesia triumphante, & maledictus in agro, idest, in Ecclesia militante. *i* Qui autem fecerit, &c.] Nota ordinem, prius dicit facere, deinde docere. *Eccl.* 29. Quæ in manu habes, ciba ceteros. *Act.* 1. Cœpit JESUS facere, & docere. Hæc duo significantur per duos lapides onychinos, in quibus scribebantur veritas, & doctrina. Hæc sunt malogranata, & tintinnabula. *Exod.* 28. *k* Hic] singulariter, & demonstrative, in quo excellentia significatur. *m* Vocabitur,] & erit non tantum nomine, sed re. *l* Magnus in regno cœlorum] laudabilis, & reverendus, quod magnum est, ubi soli magni sunt. *Aug.* Magnus vocabitur, & erit, licet in præsenti abjectus sit. *Ps.* Elegi abjectus esse in domo Dei, &c. *n* Dico autem vobis.] Dixerat Dominus, se venisse implere legem, quod & discipulis faciendum prædixit, ut scil. habeant abundantiorem justitiam, quam Scribæ, & Pharisæi, qui non solum præcepta Moysi, sed etiam superadditas traditiones implere se ostendebant. Sed contra hoc videtur esse illud *Act.* 15. Hoc est onus, &c. Item alibi dicitur, quod manus Moysi erant graves. Dicimus quod manus Moysi dicuntur esse graves, propter tria; propter pœnæ crudelitatem, propter ceremonialium multiplicitatem, propter spiritualis intelligentiæ obscuritatem. Dicimus etiam, quod eadem legis sit, & Evangelii substantialis perfectio. Sicut enim Evangelium prohibet manum, & animum, ita & lex. Sed dicitur non cohibere animum, quia in lege non infligebatur pœna pro peccato animi, quia lator ejus purus homo fuit, non potens videre corda, lator vero Evangelii Christus corda videt, & ideo punit utraque peccata, cordis sc. & operis. Debet autem justitia nostra in duobus abundare a Scribis, & Pharisæis, scil. in omnium præceptorum exteriorum observatione, & interiorum, quorum neutrum ipsi faciebant, ut patebit in littera. Dicit ergo: [Dico autem vobis.] Certificavit prius de implenda lege, de implentium mercede, de transgressorum indignitate. Nunc certificat de modo implendi, & qualitate, ostendens, quod non solvit, imo magis superaddit. *Gl.* Dum ait [Dico] magnam vim, & profundam intelligentiam cogitandi innuit, ostendit quomodo superaddit, & non quæ prius mandaverat absolvit. Plus enim est non cupere, quam non adulterari, non irasci, quam non occidere. *n* Dico autem, q. d. ego, cujus verba mutari non possunt, hæc prædico. Et ideo magis attendite, & cavete. *o* Vobis,] quasi in partem solicitudinis specialiter vocatis. *p* Quia nisi abundaverit, &c.] *Chrys.* Justitiam hic vocat omnem, sive universalem virtutem. *q* Plus quam scribarum, &c.] quorum justitia semiplena erat. Erant enim tanquam abecedarii, quos Dominus, tanquam rudes grossa, & rudi doctrina erudivit, in qua ipsi pertinaces doctrinæ veritatis, scil. Christo neglecto, ulterius procedere noluerunt. Item signa exteriora amplectebantur. Unde in materialis templi ædificatione, & ornatu tota eorum intentio consistebat, quod non fuit nisi signum, & pictura veri templi Dei, scil. fidelis animæ, de cujus ornatu non curabant. Erant ergo similes alicui imaginem Crucifixi honoranti, ipsum vero corpus Dominicum conculcanti. Tales sunt & hodie multi Christiani, qui bene procurant asinum suum, scilicet corpus suum, de anima vero non curant. Item habebant exterius speciem pietatis, veritatem ejus abnegantes. Unde erant falsarii, ut falsum argentum dicitur, quod cum videtur esse argentum, veritatem argenti non habet. Christianus autem non debet esse contentus his justitiis, sed totus debet esse fons justitiæ ex omni parte fluens, & reddens virtutum opera. Quælibet enim virtus fons est, opera sunt rivuli de fontibus emanantes. Debet ergo in nobis abundare virtus, & gratia intantum, quod omnia obstacula diaboli dirumpat. Ponit enim inimicitias, malefacta, & injurias quasi obstaculum amori, ne in proximum a nobis effluat. Divitias ponit quasi murum, quæ cor avari detinent, ne amor, aut beneficium ad proximum effluat. Ponit etiam superbiam tanquam montes a Deo, & a proximo nos dividentes, & gratiam a Deo ad nos, vel amorem a nobis in proximum defluere non sinentes. Hæc omnia obstacula debemus dirumpere. *Prov.* 15. In abundanti justitia virtus maxima est. *r* Non intrabitis in regnum cœlorum,] idest, in Ecclesiam triumphantem. *s* Audistis quia dictum, &c.] Ecce perfectionem, quam venit supplere, incipit explanare, ostendens primo, quomodo justitia eorum debet superabundare.

t Antiquis] quibus data est lex. *u* Non occides. *Exod.* 20. *Hilarius.* Pulchro ingressu opus legis cœpit excedere, non dissolvere. Nota autem, quod est homicidium voluntatis, ut odii. 1. *Jo.* 3. Omnis, qui odit fratrem suum homicida est. Item oris. Quidam enim interficiuntur in ore gladii ut Amalechitæ. *Exod.* 17. *Ps.* 5. Lingua ejus acuta

quasi

C *Jac.* 2.

Lex solvitur tripliciter.

Sand. 20.

Exod. 20.

Exod. 19. *de consil. dist.* 4. *c non dubito.*

2. *Tim.* 3.

Multiplex homicidium.

a quasi gladius biceps, hoc de Hæreticis. De adulatoribus. *Prov.* 30. Est generatio, quæ pro dentibus gladios habet. *Job* 5. Salvum faciet Dominus egenum de gladio oris eorum. Item operis, ut qui faciunt aliquid, propter quod non vivat, ut Onan: *Gen.* 38. Vel qui procurant venena, ut occidant infantes. *Amos* 1. Dissecuerit prægnantes Galaad, vel alio modo injusto occidunt.

Qui autem *a* occiderit, reus erit judicio. *b* Ego autem dico vobis, quia omnis, *c* qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. *d* Qui autem dixerit fratri suo Racha, *e* reus erit concilio, *f* Qui autem dixerit fatue, *g* reus erit gehennæ ignis. Si *h* ergo *i* offers *k* munus tuum ad altare, & ibi *m* recordatus fueris, quia *n* frater tuus *o* habet aliquid adversum te, *p* relinque ibi

Item est homicidium exempli. *Osee* 5. Audite hæc sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus regis ausculta te, quia vobis judicium est, quia laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Thabor. Item scandali. 1. *Corinth.* 8. Peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est, sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christo peccatis. Item negligentiæ. 3. *Reg.* 3. de illa, quæ dormiens nocte oppressit filium suum. *Job* 39. Dereliquit ova sua in terra. Et *infra*: Obliviscitur, quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat, duratur ad filios suos quasi non sint sui. Item taciturnitatis. *Ezech.* 33. Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel: Audiens ergo ex ore meo sermonem, annunciabis eis ex me. Si me dicente ad impium, impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Item fraudis. *Prov.* 26. Sicut noxius est, qui mittit lanceas, & sagittas in mortem, ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus, dicet, ludens feci. Item avaritiæ. *Aug.* Pasce fame morientem, si non paveris occidisti. *Prov.* 11. Qui abscondit frumenta maledicetur in populis. Item incautæ reprehensionis. *Deut.* 19. Qui percusserit proximum suum nesciens, &c. si in succisione lignorum securis effugerit manum, ferrumque elapsum de manubrio amicum ejus percusserit, & occiderit, hic ad unam supra dictarum urbium confugiat. *a* Qui autem occiderit, &c.] *Interl.* Accusatione legis, ut judicio puniatur legis. *b* Ego autem dico vobis] plus impono, scil. *Gl.* Superadditio Christi, non irasci, non concupiscere, a quibus difficile est abstinere. Concupiscentiæ enim nobis contemporaneæ sunt, & innatæ, & ideo laboriosum est eas expugnare. *Eccl.* 18. Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere. Ex hoc arguunt quidam, quod manus Christi graviores sunt quam Moysi. Sed non est sic, quia charitas adjuvat sacramenta, Evangelica doctrina aperta, & magna promissa etiam, & data, quia antiquis promittebantur, & dabantur temporalia, Christianis autem æterna. *c* Quia omnis, qui irascitur, &c.] i. dignus accusatione. Nota autem, quod est ira per zelum, ut Phinees contra coeuntes. *Num.* 25. Arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul. Et *inf.* 21. De Christo, qui ejecit ementes, & vendentes de templo. Zelus autem, qui immunditias non sustinet, comparari potest mari, quod projicit cadavera. Item patellæ S. Germani de Pratis, quæ projicit ova putrida. Item est ira, quæ est veniale peccatum. *Ps.* 4. Irascimini, & nolite peccare. Et est quasi spuma, quæ statim transit. Item est ira, quæ est peccatum mortale, & hæc aufert homini rationem. Unde. Impedit ira animum, ne possit cernere verum. Item senescere facit. *Prov.* 17. Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa. Et comparatur furioso, qui portat clavam. Item aeri turbinoso. Item tempestati maris. Item ira hominem interficit. *Job* 5. Virum stultum interficit iracundia. Item infatuat. *Eccl.* 7. Ira in sinu stulti requiescet. Item societatem aufert. *Pr.* 22. Noli esse amicus homini iracundo. Item excæcat. *Eph.* 4. Sol non occidat super iracundiam vestram. Item concordiam extinguit. *Prov.* 29. 2. Vir iracundus provocat rixas. Item spiritum extinguit. *Isa. ult.* Super quem requiescet spiritus meus, &c. *Ps.* 75. In pace factus est locus ejus. *d* Qui autem dixerit, &c.] i. qui de motu in vocem damnationis prorumpit. Racha enim interjectio est, indignationem significans proferentis. *e* Reus erit concilio] consessu judicum de danda sententia in eum. *f* Qui autem dixerit fatue] i. qui usque ad specialia convicia processerit contra fratrem, quem Deus salem vocat *sup. eod.* Vos estis sal terræ. *Gloss.* non modicus furor est, quem Deus sapientiæ sale condivit, infatuatum dicere, & sapienti derogare. *g* Reus erit gehennæ ignis,] infernalis, sc. Nota, quod judicium, concilium, gehenna, pœnam significant infernalem. Sed quia secundum qualitatem culpæ variatur qualitas pœnæ, voluit Dominus nominum varietate, varietatem pœnæ significare. Minus est enim ira cordis, plus est Racha, i. affectus iræ in vocem prorumpens, plus etiam est fatue, i. certa expressio convicii, propter quam redditur aliquis infamis, primo judicium, secundo concilium, tertio debetur gehennam. Judicium est, quando cum reo agitur, & adhuc locus defensioni conceditur. Concilium dicitur, quando de sententia danda agitur inter judices. Gehenna dicitur illatio pœnæ. Grave est de culpa agere, gravius est sententiam dare; gravissimum est pœnam irrevocabiliter infligere. Racha interjectio est, & significat affectum iræ in vocem consonam prorumpentem. Gehenna dicitur a ge, quod est terra, & hennon quasi terra. Hennon locus erat juxta Jerusalem valde delectabilis, ubi Judæi idolis immolabant, sed tempore captivitatis repletus est locus ille cadaveribus mortuorum, secundum vaticinium *Jer.* 19. Et versus est in fœtorem maximum, cui Dominus comparat ignem gehennalem vocando ipsum gehennam. Hanc vallem Hennon legitur Josias contaminasse. 4. *Reg.* 23. Item secundum quosdam dictio est Hebraica, & interpretatur vacuus Latine, & cenos Græce, quod dicimus, sine cerebro, quod est magna contumelia. Unde *Hilar.* Qui fratri credenti in Deum dixerit fatue, sed vacue, impius est in religione. Qui ergo, quem Dominus salem nuncupat, vitio infatuati sensus lacessierit, pabulum est ignis æterni, nisi pœnitentiam egerit. Nota autem, quod contumelia comparatur ollæ bullienti. *Pr.* 15. Os fatuorum ebullit stultitiam. Item apostemati, quod maturum persæpe non continet saniem. Item musto ferventi. Item ferrato, quod ventum, non habet, & repagula frangit. *h* Si ergo offers.] Primo prohibuit, propter homicidium iram latentem. In corde: & iram prorumpentem in contumeliam, & hoc dupliciter, vel generalem, vel specialem. His tribus solet addi quartum, quod ex his solet nasci odium, sc. quod est ira inveterata, sicut stupor in carnibus nascitur, qui solet dici a medicis tumor, sive rancor ex vetustate, item ex vetustate iræ, quidam rancor in anima nascitur, qui dicitur odium. Et primo agit de odio tollendo a fratre, quem læsimus, post ab inimico, a quo læsionem accepimus. Dicit ergo. *h* Si ergo] concludit Dominus quasi a majori. Si enim non licet fratri irasci, multo fortius non licet in animo tenere, quod possit in odium converti. *i* Offers] i. offerre proposueris. *k* Munus tuum] boni operis. *l* Ad altare] ad litteram, si præsens est, & competenter fieri possit debet petere veniam. Vel sicut dicitur *Interl.* in fide, vel ad Christum, ad quem nisi per fidem attingat, nemo indigne offert. *Heb.* 11. Sine fide impossibile est, Deo placere. Notandum autem, quod unusquisque prius se debet offerre Deo, quam sua, nec placet Deo si sua offert, & se Deo subtrahat, quod fit per iram. *Hebr.* 10. Si se subtraxerit, non placebit animæ meæ. Unde videtur esse irrisio, sive subsannatio. Unde *Eccl.* 34. Non sunt beneplacitæ coram Deo subsannationes impiorum. Hic ordo notatur *Gen.* 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain vero, & ad munera non respexit. Unde dicit *Ps.* Lavabo inter innocentes manus meas, ne oblatio fiat de raptu, vel mala intentione. *Exod.* 30 Filii Aaron lavabant manus, & pedes, quando ingrediebantur tabernaculum ad offerendum in altari. Pro mari æneo habemus confessionem. Est autem altare materiale. De quo *Ps.* 25. Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, Domine. Item Christus *Thr.* 2. Repulit Dominus altare suum Christum, se in Passione. Unde. Deus meus, ut quid dereliquisti me. Item fides. *Ps.* 50. Tunc imponent super altare tuum vitulos. *Isa.* 1. Ne offeratis ultra sacrificium frustra, scil. quia infideles estis. Item cordis devotio. Hoc altare significatur per altare thymiamatis. *Exod.* 30. In hoc hymni, cantus spirituales offeruntur. *Coloss.* 3. Commonentes vosmetipsos in hymnis, & psalmis, & canticis spiritualibus cantantes in cordibus vestris Domino. Item bona actio, & significatur per altare holocaustorum, de quo. *Exod.* 38. In hoc offertur mortificatio carnis, vigiliæ, jejunia, & hujusmodi. *Isa.* 58 Ecce in diebus jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Et post. Nunquid tale est jejunium, quod elegi, per diem hominem affligere animam suam, &c. *m* Et ibi recordatus fueris] i. si in mente, & notitia tibi venerit. *n* Quia frater tuus] quem tu læsisti. *o* Habet aliquid, &c.] pro contumeliæ affectione, pro corporali læsione, pro famæ denigratione detrahendo, pro animæ læsione adulando, pro temporalium subtractione rapiendo, furando. *p* Relinque ibi] coram altari, sive coram

31. dist. c. fin. De hæret. c. cum ex injuncto.

De ira multiplici, cui comparatur & ejus effectu.

Cato.

Contumelia multis comparatur.

Multiplex altare.

Matth. 27.

a Deo. *a* Munus tuum ante altare,] non alienum munus. *Tob.* 4. De tua substantia fac eleemosynam. *Eccl.* 34. Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris. *Isa.* 58. Frange esurienti panem tuum: Non dicit alienum.

a Munus tuum ante altare, & *b* vade prius *c* reconciliari fratri tuo, & *d* tunc veniens *e* offeres munus tuum. *f* Esto consentiens *g* adversario tuo *h* cito, *i* dum es in via cum eo, *k* ne forte tradat te *l* adversarius *m* judici, & *n* judex *o* tradat te ministro, & in *p* carcerem mittaris. *q* Amen dico tibi, non *r* exies inde, donec *s* reddas novissimum quadrantem. *t* Audistis, quia dictum est antiquis, non *u* mœchaberis. *x* Ego autem dico vobis, *y* quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, *z* jam mœchatus est eam in corde

b Et vade prius,] non pedibus corporis, si absens est, sed motibus animi prius quam offeras.

Isa. 12.

c Reconciliari fratri tuo,] petendo ab eo veniam, vel si læserit te, dimittendo ei rancorem cordis. Ad quod etiam tenetur imperfectus, sive reus petat, sive non petat veniam, perfectus autem tenetur ei dicere, Ave: & si necesse est temporalia ministrare, imperfectus autem tenetur nullum eorum facere, nisi in extrema necessitate.

B

d Et tunc veniens,] quasi primo Domino placens, quia dona iniquorum non probat Altissimus. *Eccl.* 34.

e Offeres munus tuum,] tunc enim est tempus opportunum.

f Esto consentiens.] Dixerat Dominus, quod concordia cum fratribus est habenda, & non tantum cum illis, imo etiam cum adversarius, quia potest adversarius nobis nocere, dum sumus cum eo in via hujus sæculi. Unde *Eccl.* 8. Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala sua in te. Dicit ergo: [Esto consentiens,] idest, benignus, vel benevolus.

g Adversario tuo,] homini ad litteram. Unde: Diligite inimicos vestros.

h Cito,] sine mora.

i Dum es in via cum eo,] idest, dum vadis ad judicium cum injuria, consenti adversario tuo.

Mystice.

k Ne forte,] tradat te.

l Adversarius,] qui habet justam causam.

m Judici,] sæculari. Vel adversarius est sermo divinus voluntati carnis contrarius. 2. *Reg.* 11. De Viro, qui portavit litteras mortis suæ. *Zach.* 5. Ecce volumen volans, in quo judicium, idest, condemnatio. *Joan.* 5. Est qui accusat vos Moyses. Consentiat ergo adversario in spe promissi, in timore supplicii, in opere præcepti, in declinatione prohibiti. Hæc innuuntur 2. *Tim.* 3. Omnis enim Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, quid facere debeamus, ad arguendum pro declinatione prohibiti, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne bonum instructus. *h* Cito.] *Eccl.* 5. Ne tardes converti ad Dominum. Vel adversarius Christus. *Jerem.* 28. Ego sum judex, & testis, dicit Dominus. Item adversarius, conscientia remordens. Conscientia enim cujuscumque intantum est fidelis, quod etiam contra se stat pro adversario suo. Unde *Psalm.* 49. Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Unde pacem animi habere non potest, qui lædit animum, quia conscientiam habet, quæ semper contra eum interpellat. Unde *Rom.* 2. Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium.

i Dum es in via cum eo,] innocentiæ. De qua *Psal.* 100. Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat. Item *Psal.* 118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. *Prov.* 3. Viæ ejus pulchræ. Item, in via, pœnitentiæ, *Isa.* 30. Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram. *Ps.* 31. In via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos. *Exod.* 8. Viam trium dierum pergemus in solitudinem, &c. Item [in via,] sacræ Scripturæ. *Ps.* 24. Vias tuas, Domine, demonstra mihi. Item *Psal.* 106. Viam civitatis habitaculi non invenerunt, Item errare fecit eos in invio, & non in via. Item [Dum es in via,] sapientiæ, quæ est Christus. *Joan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita. Item [in via,] mundi *Prov.* 14. Est via, quæ videtur homini recta, & novissima illius ad inferna deducunt. *Osee* 2. Sepiam viam tuam spinis. *Eccl.* 21. Via peccantium complanata est lapidibus. Item [Dum es in via,] inferni, *infra* 7. Lata est via, quæ ducit ad perditionem, & multi ingrediuntur per eam. *Sap.* 5. Ambulavimus vias difficiles: Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis.

k Ne forte tradat te,] occasionaliter, idest, ne sit causa, quare tradaris.

l Adversarius,] sermo divinus Christus, conscientia remordens.

m Judici,] Christo: Cui pater dedit omne judicium. *Joan.* 5. Sed quare dicit [forte?] Ne si simpliciter dixisset, [Tradat te adversarius judici,] putare posset aliquis, quod postquam homo peccavit, postea non posset assequi misericordiam.

n Et judex] idest, Christus: qui judicabit fines terræ 1. *Reg.* 2. Idest, illos judicabit, qui ponunt finem in terrenis.

Exod. 22. Ps. 109.

o Tradat te ministro,] idest, exactori diabolo.

p Et in carcerem mittaris,] idest, in infernum, qui dicitur carcer, quia ibi inclusi ligabuntur, in tenebris erunt, fœtorem habebunt, vermium corrosionem, pœnarum angustiam. *Isaiæ* 24. Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcerem.

32. q. 5. c. ... c. si v ... & c. qui ... dotis.

q Amen dico tibi,] idest, vere.

r Non exies inde, donec,] idest, nunquam. Vel, [donec,] idest, semper sicut ibi: Donec ponam inimicos tuos, q. d. semper sedebis. *Aug.* Donec non significat hic finem pœnæ, sed continuationem miseriæ, q. d. semper solves, nunquam persolves.

s Reddas novissimum quadrantem.] Quadrans genus nummi habens duo minuta. Unde *Luc.* 21. Dicit pauperculam misisse duo minuta in corbonam. *Marc.* 12. Dicit quadrantem, quod idem est. In novissimo ergo quadrante intelligitur nihil remanere impunitum, sicut dicitur usque ad fæces. *Sap.* 4. Dirumpet illos inflatos sine voce, & commovebit illos a fundamentis, & usque ad supremum desolabuntur. Vel per quadrantem voluit intelligi terrena peccata. Primus quadrans mundi est ignis, quo charitas significatur. Secundus aer, qui spiratur a nobis, quo vitæ gratia significatur, per quam vivimus. Tertius aqua, qua renascimur, & significat baptismalem innocentiam. Novissimus terra, per quam carnalis vita. Unde *Gen.* 3. *secundum aliam translationem*: Terra es, & in terram ibis, quasi dicat, lues, quia noluisti igneus esse per charitatem, aereus per boni operis strenuitatem, aqueus per baptismalem innocentiam, sed fuisti terrenus inhærendo terrenis. *Ps.* 43. Humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster.

t Audistis, quia dictum est antiquis.] Transit Dominus ad ampliorem manifestationem superadditionis, ostendens non tantum esse prohibitum actum mœchiæ, sed etiam voluntatem. Et exponitur hoc de mœchia spirituali, & etiam de mœchia generali. Interdum enim nomine mœchiæ solus actus exterior accipitur, interdum voluntas interior, interdum generalis mœchia animæ, quæ mœchatur a Christo sponso. Dicit ergo. [Audistis, quia dictum est antiquis,] Judæis sub præceptis legis degentibus.

u Non mœchaberis,] q. d. hoc in actu non facies. Nam, quod præcepit lex *Exod.* 20. Non concupisces uxorem proximi tui, putabant implere Judæi: dum alienam non raperent uxorem.

x Ego autem dico vobis.] Ego, cui credendum est, qui mentiri non possum.

y Quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,] idest, si aspexerit, ut eam concupiscat, & si facultas detur in ea satietur.

z Jam mœchatus est eam in corde suo,] idest, mœchiæ reus est in corde suo. *Threnor. tertio* Oculus meus deprædatus est animam meam. *Genesis tertio*. Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu ejus, & comedit. Ideo *Job primo tertio* Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem quidem de virgine. *Gregorius*. Non licet intueri, quod non licet concupisci. *Chrysost.* Quid si videro, & concupiero, nec plus fecero; Cum adulter eris. Item si semel, & bis, & ter videris, fortassis poteris continere, si autem continue hoc feceris, capieris omnino, non enim extra humanam naturam es. Quemadmodum si viderimus puerum gladium tenentem, etsi non percutientem, flagellamus, & prohibemus tenere,

A mus tenere,

a mus tenere, ita Deus visum incontinentem, aut actam ne labatur. Qui enim flammam accendit, etiam absente muliere visa plasmat apud semetipsum continue idola flagitiosarum actionum. Et postea subjungit: Ne adulteraveris oculis, & non adulterabis mente. Item mulier si se decoraverit, & vocaverit ad se oculos hominum, etiamsi plagam non intulerit, vindictam dabit extremam, venenum enim obtulit, & si nullus, qui bibat, inventus sit. Unde & ad has loquitur. *Isa.* 3. Pro eo, quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant, & decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.

E *Infra* 18. 24. 5. 3. 6. *Ibid.*

suo, quia si *a* oculus tuus dexter *b* scandalizat te, *c* erue eum, & *d* projice abs te. *e* Expedit enim tibi, ut *f* pereat unum membrorum tuorum, quam *g* totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si *h* dextera manus tua scandalizat te *i* abscinde eam, & k projice abs te. *l* Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam *m* totum corpus tuum eat in gehennam. Dictum *n* est autem, *o* quicumque dimiserit uxorem suam, *p* det illi libellum repudii: *q* Ego autem dico vobis, quia *r* omnis qui *s* dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis *t* facit eam mœchari, & qui *u* dimissam duxerit, adulterat. *x* Iterum audistis, quia dictum est antiquis,

a Quia si oculus tuus dexter scandalizat te,] q. d. Dominus, supra prohibui vobis mœchiam, & voluntatem mœchandi. Et quid plus? Per omnia prohibeo vobis omnem malam voluntatem, quæ per oculum significatur, & actionem, quæ per manum. *Chrys.* Si de membris dixisset, non tantum de dextro dixisset, sed de utroque. In *Ecclesiastica historia* legitur, ubi arguitur quidam, qui oculum sibi exemit ex hac causa. Et *Origenes* reprehensibilis fuit, eo quod genitalia sibi abscidit. Primus oculus amicus consiliarius iter demonstrat: secundus, mentis sensus: tertius, vita contemplativa: quartus, cognatus, vel parentes.

b Scandalizat te] in hæresim trahere volendo, vel illicita concupiscendo, vel in tædium, vel arrogantiam vertendo, vel vitæ sanctitatem impediendo.

c Erue eum] reprobando, malum visum frangendo, dimittendo, resistendo.

d Et projice abs te] manifeste contradicendo, ex toto annihilando, ad activam transeundo, a te separando.

e Expedit enim tibi,] q. d. magis necesse, vel minus inutile est tibi.

f Ut pereat unum membrorum tuorum,] idest, consiliarius aliquis, vel familiaris. *Jerem.* 12. Fratres tui, & domus patris tui, ipsi pugnaverunt adversum te, & clamaverunt adversum te plena voce, ne credas eis, cum locuti tibi fuerint bona.

g Quam totum corpus, &c.] idest, & tu ipsi. Nota, quod *Exod.* 4. Moyses pene occisus est a Domino, quia ducebat secum uxorem, & filios. *Hieron.* autem quemdam juvenem, qui impediebatur a patre, ne intraret claostrum, alloqoitur dicens: Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, gladium tenet, &c. *Mich. ult.* Inimici hominis domestici ejus.

h Et si dextera manus tua scandalizat te.] Dextera, familiaris in spiritualibus operatio exterior activa, vel sanguine conjunctus. Si hæc manus scandalum tibi est, ut prædictum est de oculo.

i Abscinde eam,] dimittendo, fugiendo.

k Et projice abs te] longe abs te ex toto relinquendo.

l Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum,] idest, vel familiaris, vel operatio exterior, vel activa, vel sanguine conjunctus. *m* Quam totum corpus tuum eat in gehennam,] ita cum illis supradictis, *infra* 10. Qui amat patrem, aut matrem, plus quam me, non est me dignus. *Deut.* 33. Qui dixerit patri suo, aut matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum. *Chrys.* autem sic exponit: Dextera manus voluntas animæ, sinistra voluntas corporis. Hæc autem corporea manus organum est illius manus. Si dextera scandalizat, sinistra quid facit? Et *infra* v. g. Erat mulier religiosa, respexi, & dixi, debeo visitare eam assidue, ut instruam illam, & confirmem in bono? Bonus est iste respectus, & oculus dexter. Sed dum assidue visito, decidi in laqueum desiderii ejus, & ille bonus respectus, & dexter factus est mihi in scandalum: Ejiciam ergo illum bonum respectum, qui generaturus est malum. *n* Dictum est autem.] Adhuc prosequitur Dominus de additionibus Evangelii: sed distat inter additionem, quam hic subdit, & alias additiones præmissas, quoniam præmissæ additiones factæ sunt circa prohibitionem, hæc autem facta circa promissionem. Non enim præcepit Moyses uxores dimittere dato libello repudii, sed propter ipsorum duritiam permisit timens ne forte uxores, quæ displicerent eis, occiderent, si eas inviti haberent. Sed videtur hoc potius subtractio, quam additio, quia cum multis causis in lege determinatis permissum sit Judæis divortium, Dominus eliminat omnes præter solam causam fornicationis, quæ erat una de causis in lege determinatis: Non igitur videtur additio, sed subtractio. Proprie enim additio est, quando quod præceptum est, in lege permanet quasi non subtractum, & remanente superadditur aliud. Unde si remanentibus causis determinatis in lege, Dominus aliam superadderet, tunc vere additio esset. Vide ergo cum Dominus omnes causas excludit præter causam fornicationis, eo ipso addit ad cumulum perfectionis. Et ita cum videatur subtractio magna, tamen est additio, quia longe perfectius est non dimittere uxorem, nisi sola causa fornicationis, quam dimittere propter quaslibet causas. Dicit ergo: Dictum est autem: Non dicit a quo, vel cui, innuens quasi alienos a Deo, & ignotos, quibus hoc dictum est. *Deut.* 24.

Deut. 24. *infra* 19. *Marc.* 1. *Luc.* 16.

o Quicumque dimiserit, &c.] idest, dimittere voluerit. *Chrys.* Qui secundum legem dimittit, quatuor committit iniqoitates, quia quantum ad Deum existit homicida. Item quia dimisit non fornicantem: Item quia facit eam adulterari. Item quia accipientem eam facit adulterari.

p Det illi libellum repudii] hoc est præceptum, sed dimittere permissio est. *Marc.* 10. Permisit Moyses, non præcepit. Unde nota, quod est permissio concessionis, quando licita conceduntur. Dispensationi, quando non licita fiunt licita, ut quando Abbas permittit monachum comedere carnes. Item tolerantiæ, quando illicita permittuntur, Ut hic. Item sustinentiæ, ut Deus permittit mala fieri. Quid autem scriptum esset in libello repudii non invenitur in biblia. Sed dicunt, quod in eo scripta erat causa divortii, & dos quam dabat ei, & licentia nubendi alii. *q* Ego autem dico vobis:] aliter illud Moysi explano, quia illud mandatum Moysi nunquam fuit concessum, sed a Moyse, ne majus malum fieret, toleratum. Et ita probat Judæos errasse, & transgressores, quia aliter intelligebant, & agebant. *r* Quia omnis,] nullo excepto. *s* Qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis,] supple mulieris, vel viri, & supple corporalis, vel spiritualis fornicationis.

t Facit, &c.] *Chrys.* Omnis res secundum quas causas nascitur, per eas absolvitur. Matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas, & ideo non solvit illud separatio corporis, sed separatio voluntatis. Non qui dimittit, mœchatur, sed qui alteram ducit. Sicut autem crudelis est, qui dimittit castam, sic fatuus est, qui retinet meretricem. Nam patronus est turpitudinis, qui crimen celat uxoris. Sic Dominus agit cum Ecclesia. *Isa.* 50. Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam. *Eccl.* 7. Mulier si est tibi secundum animam tuam, ne projicias illam, & odibili ne credas te in toto corde tuo. *Prov.* 18. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, qui autem tenet adulteram, stultus est, & insipiens. Et nota, quod adultera quatuor peccata committit. Exhæredat filios, fidem violat, virum dimittit, fornicatur, sive adulteratur. *Eccl.* 23. Omnis mulier relinquens virum suum peccavit, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio. Primo enim in lege altissimi incredibilis fuit, & secundo virum suum dereliquit, tertio in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi. *u* Et qui dimissam duxerit, adulterat,] quia debet manere innupta, vel reconciliari viro suo, sicut dicitur. 1. *Cor.* 7.

x Iterum audistis, quia dictum est, &c.] Adhuc ostendit Dominus se non solvere legem, sed adimplere, Moyses quidem perjurium prohibuit. *Lev.* 19. Non perjurabis in nomine meo. Causa hujus est, quia illum, per quem jurant homines in reverentia habent, ideo ne creaturas adorarent ut Deos, præcepit jurare per solum Deum, *Deuteronomio sexto* Dominum tuum timebis, & per nomen illius jurabis. Dominus autem plus facit, omnino jurare prohibet. Juramentum autem in se nec bonum, nec malum, sed sicut cohabitatio mulierum prohibetur propter suspicionem, ita juramentum prohibetur propter perjurium, quod sæpe jurantes incurrunt. Unde *Chrys.*

a Nemo est, qui frequenter jurat, qui non aliquando perjuret. *Eccl.* 23. Jurationi non assuescat os tuum. multi enim casus in illa. Permittitur autem jurare propter incredulitatem hominum, ne peccent male suspicando de nobis, quia crudelitas est contemnere famam, in qua crudelitas occiditur.

Conceditur autem jurare
- Pro veritate confirmanda. 2. *Cor.* 1. Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo, est & non, sed in illo, est.
- Pro pace reformanda, ut Jacob juravit Laban. *Gen.* 31.
- Pro amicitia contrahenda. *Gen.* 26. dixerunt viri Geraræ ad Isaac: Sit juramentum inter nos.
- Pro veritate declaranda. *Deut.* 19. In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.
- Pro calumnia sopienda. *Hebr.* 6. Omnis controversiæ finis est ad confirmationem juramentorum.
- Pro fidelitate servanda, ut principes regi. 2. *Reg.* 5. Venerunt seniores de Israel ad regem, & percussit cum eis fœdus David.
- Pro subjectionis recognitione, ut Abbates Episcopis. *Jud.* 11. Dominus, qui hoc audit mediator, ac testis est, quia promissa nostra faciemus.
- Pro purgatione. *Deut.* 21. Quando inventum fuit cadaver, &c.
- Pro consuetudine Ecclesiæ servanda, ut canonici. *Exod.* 24. Data lege omnes Filii Israel juraverunt se servaturos juramentum. Dicit ergo: Iterum audistis, quia dictum est antiquis. *Lev.* 19. Non perjurabis in nomine meo, nec polluas nomen Dei tui, ego Dominus.

E *Levit.* 19. *c.* 22. *q.* 1. *§ habemus, & c. § praecavum.*

a Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. b Ego autem dico vobis, non jurare omnino, c neque per cœlum, quia d thronus Dei est, e neque per terram, quia scabellum pedum ejus est, f neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis, g neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit h autem sermo vester, i est est, k non non, quod l autem his abundantius est, a malo est. m audistis, quia dictum est, oculum pro oculo, dentem pro dente: n Ego autem dico vobis, non o resistere malo

a Non perjurabis: reddes autem Domino] non idolo, non creaturæ, juramenta tua. *Chrys.* Qui non reddit Deo juramenta sua, sed elementis, dupliciter peccat. Primo, quia non reddit Deo jus suum. Secundo, quia deificat, per quod jurat. Cœlum, & terram creavit Deus ad ministerium sibi, non ad jurandum hominibus.

b Ego autem dico vobis] *Alex.* Istud præceptum datum est Apostolis solis, cum primitivam ædificarent Ecclesiam. Si enim tunc jurassent, tunc scandalum oriretur, quia reputarentur Apostoli non tam perfecti. Apostolus autem tempore debito juravit. *Rom.* 8. Vel (omnino,) idest, sine causa legitima, vel non apparente. Prohibet autem Dominus juramentum, ne quis quasi bonum appetat jurare. Item ne quis labatur in perjurium. *Eccl.* 23. Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non recedet a domo ejus plaga, sc. perjurii. Item ne fiat pro nihilo juramento. *Exod.* 20. Non assumes nomen Dei tui in vanum. c Neque per cœlum,] credens aliquid numinis inesse, vel ex hujusmodi juramento non nasci obligationem. (Cœlum,) supple cum contentis. *Chrysost.* Qui per cœlum jurat, cœlum deificat, & ideo similiter, qui jurat per terram, non vitat idololatriam.

d Quia thronus Dei est.] *Isa. ult.* Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. *Psalm.* 10. Dominus in cœlo sedes ejus.

e Neque per terram, &c.] *Rab.* Considera, quod salvator, non per Deum jurare prohibuerit, sed per cœlum, & terram, & Jerosolymam, & per caput tuum, Et hoc quasi parvulis fuit concessum. f Neque per Jerosolymam, &c.] Juxta consuetudinem Hebræorum loquitur, qui jurabant per civitatem Jerusalem, & religionem templi, & sanctuarii Regis magni. *Ps.* 76. Quis Deus magnus sicut Deus noster. g Neque per caput tuum juraveris, &c.] Sed objicitur de offuscantibus capillos suos. Solutio. Hoc intelligitur de albedine, sive nigredine naturali. h Sit autem sermo vester,] supple, quando necesse est loqui. i Est est,] de re, scilicet, quæ est. Bis ponitur est, propter veritatem existentis rei, & propter veritatem conscientiæ.

k Non non,] de re, scilicet, quæ non est. Unde ipsa geminatio pondus habet, quasi dicat, quod dicis verbo, dic opere ipso, & quod negas verbo, noli confirmare facto, 2. *Cor.* 1. Sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo, est, & non. l Quod autem his abundantius est, a malo est] ex infirmitate compellentis jurare. Nota, quod omne juramentum debet habere tres comites, sicut dicitur *Jer.* 4. Et jurabis, vivit Dominus in veritate, in judicio, & justitia. Sed est veritas rei, & est veritas conscientiæ. Si verum sit, & conscientia sic dictat, vere jurat, justum jurat, qui licitum jurat, in judicio, qui pro causa sufficiente.

Omne juramentum debet habere tres comites.

m Audistis, quia dictum est, &c.] Adhuc docet abundantem justitiam Dominus discipulos suos, quæ fuerit justitia antiquorum circa injurias tolerandas. Moyses quidem temerarios ab injuria, & læsos a vindicta retrahere volens, nec valens, pœnam saltem vindictæ temperavit ne super injuriam sibi illatam aliquis se vindicaret, sed & plus pro pari parem redderet talionem. Solent enim injuriam passi gravius vindicare. Christus autem, qui non venit legem solvere, sed adimplere, perfectiorem justitiam docens, monet omnino non resistere malo, sed humiliter pati. Et ponit tres species injuriæ, quas omnes sustinere hortatur. Prima est personæ læsio. Secunda rerum ablatio. Tertia angaria servitutis. De prima agit, ubi dicit. Sed si quis percusserit te in maxillam dexteram, &c. De secunda, ubi dicit. Et ei, qui vult tecum in judicio contendere, &c. De tertia ubi dicit: Et quicumque te angariaverit, &c. Sciendum autem, quod non prohibetur justitia † judicandi. David enim, qui dixit: Si reddidi retribuentibus mihi mala, &c. multos legitur punivisse, sed non, ut homo, sed ut judex. Sunt enim sæculares potestates in terra, quasi vicarii Domini, quæ vice Domini puniunt reos, & bonos defendunt. Unde Apostolus. *Rom.* 13. dicit de potestate sæculari: Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est vindex in iram ei, qui malum facit. Illis ergo licitum est injurias vindicare ad pacem bonorum, & terrorem malorum, non livore vindictæ, sed amore justitiæ. Ceteris autem omnibus vindictam accipere prohibetur, & maxime læsis, qui non amore justitiæ, sed odio, vel livore injurias suas vindicare solent. Omnium ergo vindictam vult sibi Dominus, vel suo vicario reservari. Unde *Ezech.* 9. Secundum aliam editionem: Mihi vindictam, & ego retribuam. Et *Deut.* 32. Mea est ultio, &c. *Eccl.* 28. Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam. *Rom.* 12. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Item: Noli vinci a malo, sed vince in bono malum, idest, in patientia. Ille solus vincitur, qui impatiens invenitur. Quamvis autem non absurdum sit, ad litteram accipere, quod dicit: Si quis percusserit te, &c. ut legitur de quodam eremita, tamen quia Dominus, non legitur hoc fecisse, sed potius percussus in maxillam, dixit: Si male locutus sum, testimonium perhibe de me, si autem bene, quid me cædis? Et Apostoli hoc fecisse leguntur. Et ideo exponitur aliter: Et per maxillam dexteram intelligitur læsio aperta in re digna. Per maxillam enim, quæ omnibus patet, aperta per dexteram; res digna intelligitur. Unde sensus est: Si quis improperaverit, quod Christianus es, vel religiosus, & pauper, aut stultus; quia non sequeris alios, aut aliquid hujusmodi, percussio est in maxilla dextera, & tu præbe ei & alteram, non quidem sinistram, sed alteram dexteram, idest, patare libenter, vel paratus sis aliam pati læsionem pro dextro opere, ut si improperat, quod es papellardus, paratus sis iterum pati, si vocet te hypocritam, aut furiosum, aut stultum, quia dimisisti redditus tuos, aut dignitates. Et hoc est.

al. † vindicandi. Psalm. 7.

Jac. 5. *c.* 22. *i. e. ira ergo, & c. § poena. & q.* 1. *c. § fin. De offic. d. significasti. De jurejurando c. & § Christus. Exod.* 21. *Deut.* 19.

Joan. 18.

m Audistis, quia dictum est:] *Exod.* 21. *Deut.* 19. Oculum pro oculo, dentem pro dente.] Nota, quod hoc est præceptum, judici permissum tamen injuriato, scil. ut agat cum injuriante si venit ad pœnam talionis. Sed non videtur, quod fiat hic aliqua additio a Domino, quia dicitur *Lev.* 19. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Ad hoc potest dici, quod additio est respectu interpretationis Judæorum, qui putabant ulcisci posse, sicut adhuc carnales Christiani, & Judæi. n Ego autem, &c.] quasi dicendo sic vos doceo. o Non resistere malo.] Non dicit peccato, cui usque ad mortem est resisten-

A dum

a dum. *Gloss.* Malum temporale, dicit: Quod tribus modis fit. Cruciatu corporum, *inf.* Si quis te percusserit, &c. Damno rerum. Unde *inf.* [Ei qui vult tecum in judicio, &c.] Angariis operum. Unde ait, & quicumque, &c.] Ecce jubet non resistere patiens, & misericors Dominus, qui hoc fecit: Unde *Thren.* 3. Dabit percutienti se maxillam. *Isa.* 50. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. *Chrys.* Si incipimus secundum legis mandatum omnibus reddere mala pro malis, omnes efficimur mali, & solum est propositum legis, quæ dum malos voluit facere bonos, bonos fecit malos. Iracundia enim per iracundiam non compescitur. *Prov.* 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, da illi potum aquæ; prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi. Item nota, quod est injuria triplex. Cordis, oris, & operis. Cordis quod est odium. Contra quam est dilectio injuriantium. Unde *inf.* Dicitur: Diligite inimicos vestros. Oris scilicet detractio, & hujusmodi. Contra quam est benedictio. Unde: Benedicite maledicentibus vobis. Operis: Contra quam est beneficium. Unde: Benefacite persequentibus vos. Injuria operis triplex. Corporis: Contra quam est. Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei, & alteram. Indebitum servitium exigendo. Contra quam est: Et quicumque te angariaverit, &c. Rebus propriis spoliando. Contra quam est: Et ei qui vult tecum in judicio contendere, &c. Unde sequenti.

Malum temporale tribus modis fit. — *Luc. 6. 29.* — *al. † mutuari.* — *24. q. 1. c. 2.* — *Triplex injuria.*

a Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, b præbe illi & alteram. Et c ei, qui vult tecum in judicio contendere, d & tunicam tuam tollere, e dimitte ei, & pallium. Et quicumque f te angariaverit g mille passus, h vade cum illo, & alia duo. i Qui petit a te, k da ei, l & volenti † mutuare a te, ne avertaris.

Injuria operis triplex.

a Sed si quis, &c. dexteram maxillam,] ad litteram. b Præbe ei & alteram.] Hoc congruit solis perfectis illius temporis. Dominus enim pro tempore loquebatur, quia in universum mundum missurus erat Apostolos tanquam spirituales medicos, sciens quod invenirent ægros phreneticos, præcepit eis, ut patienter sustinerent læsiones corporibus inflictas. Hoc enim congruit bono medico, ut patienter sustineat ab ægro phrenetico læsiones. Unde quia Ecclesiam in sanguine suo erant fundaturi, & debebant sustinere primos impetus persecutorum, congruum erat, ut in bono humilitatis vincerent rabiem tyrannorum, qui videntes inopinabilem mentis eorum patientiam, & mansuetudinem, sæpe conversi sunt ad fidem. Nunc autem modernis non congruit hujusmodi patientia in læsione corporum, nec habent locum hodie, imo si ita sustinerent afflictiones corporum, abuterentur Pagani patientia eorum, & ita quod primo voluit dicere ad Ecclesiæ fundamentum, nunc esset ad Ecclesiæ detrimentum.

b Præbe & alteram.] *Rab.* Non tantum non repercutias, sed si vult alteram ferire, patienter feras. *Chrys.* Qui mandatum legis implet, non simul implet & Christi: qui autem Christi, simul implet & legis. Nam qui repercutit, legis implet mandatum, non Christi. Sed dicis, dignus est illi repercuti. Etiam, sed tu non es dignus repercutere, quia illius es discipulus, qui cum malediceretur, non maledicebat. 1. *Petr.* 3. Si oculum alterius eruis, nunquid tuum recuperasti? Non, sed cum membro etiam patientiam perdidisti. Diabolus vulnera corporum propter vulnera animarum procurat. Si tu non repercusseris; ab homine quidem victus videris, diabolum autem vicisti.

Moraliter. Moraliter. Max illa est auctoritas S. Scripturæ. *Cant.* 4. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, sic auctoritates expositæ albæ per misericordiam, rubeæ per justitiam. Et *Jud.* 45. De Samsone, qui maxilla asini occidit mille viros. Qui ergo percutit in dexteram maxillam, idest in aliqua auctoritate S. Scripturæ, aut Hæreticus. b Præbe illi, & alteram] reddendo, & solvendo ei per aliam auctoritatem. c Et ei, qui vult tecum in judicio contendere] idest contentiose agere, quod omnibus prohibetur, allegare autem imperfectis licitum est. d Et tunicam tuam tollere] idest vestes viliores, quæ sunt camisia, pellicea, & hujusmodi corpori proxima. e Dimitte ei, & pallium,] i. vestes exteriores, sicut capam, supertunicale, & homini exteriora. Et est summa. Si quis vult tibi auferre vestes interiores, prius quam contentiose agas, dimitte ei vestes exteriores. Apostolus enim contentionem vituperat in cunctis. 1. *Cor.* 6. Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos, quare non magis injuriam accipitis quare non magis fraudem patimini? *Chrys.* Indigna res est, ut homo fidelis stet in judicio ante conspectum judicis sæcularis fidelis, vel infidelis. Qui enim te venerari debuerat propter dignitatem fidei, judicat te propter necessitatem, sive indignitatem causæ, & perdis dignitatem Christi propter negotium mundi. Omne judicium irrigatio cordis est, si semel judicium ingressus fueris, jam non cogitas, ut veritas causæ appareat, sed ut quocumque modo victor existas. Hæc Deus illis mandat, qui magis diligunt Deum quam mundum. Nam qui lucrum animæ magnum æstimat, damnum rei modicum putat, difficile est rem dimittere, sed difficilius est sine peccato de judicio exire. Nota autem, quod perfectis licet sua repetere sine lite sine judicio, sed non convenit inde movere causam coram judice. Infirmis vero licet sua repetere, movendo causam ante judicem, & judicium habendo contra fratrem, sed non contentiose, vel fraudulenter. Unde versus: Expedit infirmis licet absque dolo, sine lite: Prælatis licet hoc, non expedit Anachoritæ: Non licet ut per eum res sine in jure petitæ. f Et quicumque te angariaverit] i officio, & inhonesto servitio, sine peccato tamen servire coegerit, in proprio corpore supple, *inf.* 27. Angariaverunt Simonem Cyreneum. Angariæ proprie dicuntur coactio servitii corporalis in persona alicujus propria: Perangariæ vero in rebus aliis, ut in equo, vel in asino, vel in aliquo tali. Angaria dicitur compulsio, vel injusta exactio. Vel secundum Papiam: Angaria, publica officia dicuntur. g Mille passus] quod est iter sabbati q. d. sicut hoc non est contra sabbatum legis, ita & in his, quæ non sunt contra sabbatum pectoris, angarias sustine. h Vade cum illo, & alia duo,] sc. millia, i. patienter feras, si ire te oporteat alia duo. Nota autem, quod in hoc hortatur nos ad perfectionem, cum dicit, mille passus, quia millenarius est numerus perfectionis. Item nota per hoc, quod Dominus millenario addit alia duo, significat, quod in his tribus consistit perfectio patientiæ, sc. corpore, voluntate, & ratione. Ut si hortaris, vel cogeris alicui impendere corporale officium, sit rationabile sit voluntarium. Unde *Rom.* 12. Rationabile sit obsequium vestrum. De hoc triplici millenario perfectæ patientiæ, habetur *Job* 1. Erant Job tria millia camelorum. Camelus ungulam findit, in hoc discretio: Oneribus imponendis se voluntarie submittit, in hoc opus, & voluntas. i Qui petit a te, da ei.] Quia poterat quis dicere, nonne omnia, quæ petierit, debeo ei dare? Respondet *Gloss.* Quæ honeste, & juste possunt dari, si deest facultas, da ei affectum verbo, vel obsequio. *Aug.* Ita da, ut nec datum tibi noceat, nec alii, pensanda enim est justitia. Ita enim omni petenti dabis, etsi non id, quod petat, sed melius cum injuste petentem correxeris. Qui petit a te, da ei. Debemus dare de corde compassionem. *Greg.* Plus est compati ex corde quam dare, quia cui compatitur, de seipso dat lacrymas, sc. sanguinem, quia de pecunia, de alieno. Item debemus dare de ore verbum. *Eccl.* 18. In omni dato non des tristitiam verbi mali. De manu substantiam temporalem. *Deut.* 15. Præcipio tibi, aperias manum tuam fratri tuo egeno. *Tob.* 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum, etiam exiguum libenter impertiri stude. Hæc sunt illa tria, quæ dedit Maria Magdalena pedibus Christi, i. pauperibus Capillos, idest, bona temporalia, & lacrymas, compassionis, & unguentum, dulcis verbi. k Da ei,] non vende? Quod facit, qui multas preces expectat. Contra quod dicitur *Cant.* 6. Manus ejus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Manus tornatilis de levi volvitur. Item vendit, qui beneficium procrastinat: Contra quod *Eccl.* 4. Non protrahas datum angustianti. Item qui improperat pauperi. *Eccl* 29. Datio insipientis non erit tibi utilis, oculi enim illius septemplices sunt. Exigua dabit, & multa improperabit, & apertio oris illius inflammatio est. Item vendit, qui dat tristi vultu. Contra quod *Eccl.* 31. Splendidum in epulis benedicent labia multorum. Item vendit, qui aliud beneficium expectat. l Et volenti mutuare a te, ne avertaris] idest, volenti accommodare a te. *Eccles.* 4. Oculos tuos ne avertas a paupere. *Rom.* 12. In tribulatione patientes, necessitatibus Sanctorum communicantes. *Luc.* 6. Mutuum date, nihil inde sperantes. Et volenti mutuare. *Chrys.* Jubet mutuum dare, non tamen sub usuris. Qui dat sub usura videtur prima facie dare, sed revera non dat sua, sed

43. q. 1. c. 3.

a aliena

a aliena tollit. Viderant fuccurrere necessitati, sed in majorem immittit. Solvit ab uno vinculo, sed pluribus ligat. Similis est pecunia usuraria morsui aspidis. Percussus ab aspide quasi delectatus vadit in somnum, & per suavitatem soporis moritur, venenum latenter per omnia membra discurrit. Si quis sub usura accipit, sub tempore quasi beneficium sentit, sed usura per omnes facultates ejus discurrit, & convertit totum in debitum. Et sicut fermentum totam massam corrumpit, & in se convertit, ita cum usura domum alicujus intraverit, totam substantiam convertit in debitum.

a audistis, quia dictum est. Diliges proximum tuum, b & odio habebis inimicum tuum. c Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, d benefacite his, qui oderunt vos, e & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, f ut sitis filii patris vestri, qui in g cœlis est, qui h solem suum oriri facit super bonos, & malos, & i pluit super justos, & injustos. Si enim k diligitis eos, qui vos diligunt l quam mercedem habebitis? m Nonne & Publicani hoc faciunt? Etsi n salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? o Estote ergo vos perfecti, p sicut & q pater vester cœlestis perfectus est.

CAP. VI.

r ATtendite, ne justitiam

Lev. 19. Deut. 23.

a Audistis quia dictum est, &c.] Supra satis executus est Dominus de additamento justitiæ, quæ multipliciter fit, ut dictum est, nunc exequitur de additamento charitatis, quæ totius cumulus est perfectionis. *Gal.* 5. Omnis lex in uno sermone completur. Diliges proximum tuum sicut teipsum. *Rom.* 13. Plenitudo legis est dilectio. Dicit ergo: [Audistis, quia dictum est, diliges proximum tuum,] *Lev.* 19.

Exod. 17. 1. Reg. 15.

b Et odio habebis inimicum] In toto corpore legis non est scriptum hoc. Vide ergo, quia nomine legis intelligitur traditio scribarum, qui totam legem ea posuerunt. In quorum traditionibus dictum est. Odio habebitis inimicum, quod ideo visum est eis addendum, quia Dominus præcepit inimicos persequi. Præcepit enim filiis Israel ut delerent Amalec de sub cœlo. Et Saul habita victoria de Amalecitis, quia reservavit regem ad vitam, & quædam pecora de præda, punitus est a Domino, translatumque est regnum ab eo. Videntes igitur Dominum offensum, quia parcebatur inimicis, putabant odio habendos inimicos, ideoque cum in lege præceptum esset. Diliges proximum, in traditionibus suis addiderunt odio habebis inimicum.

Inimici diligendi sunt propter tria.

c Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros,] ad litteram, consulendo, auxiliando, beneficia largiendo. Diligendi autem sunt propter Deum, propter nos, propter seipsos, quia omnia dilecti diligenda sunt, non solum, & agri, & segetes, sed & spinæ, & sepes. Item quia filii Dei sunt, licet insani, & fratres nostri, licet ægroti. Item quia Deus faber, ipsi mallei, & lima. Propter nos, quia utiles nobis, quia ducunt nos ad portum, quia debita nostra persolvunt, & rubiginem removent, & hujusmodi. Propter se, quia magis indigent. *Deut.* 23. Non abominaberis Idumæum, &c.

d Benefacite his, qui oderunt vos,] propter duas causas Propter naturæ conformitatem, quia homines sunt. *Isa.* 58. Frange esurienti panem tuum; Cum videris nudum, cooperi illum, & carnem tuam ne despexeris. Ecce naturæ conformitas. Et propter charitatem. 1. *Joan.* 3. Qui viderit fratrem suum, &c. *Rom* 12. Benedicite persequentibus vos. *Chryf.* Si benefeceris inimico tuo, tibi amplius fecisti. *Hier.* Noli negare, quod Deus nulli negat, quamvis sit blasphemus, & impius.

e Et orate pro persequentibus, & calumniantibus vos,] idest, falso criminantibus. 1. *Cor.* 4. Maledicimur, & benedicimus. *Greg.* Ille suas preces multum invalescere facit, qui eas pro inimicis effundit. *Idem*: Juste quod quisque petit, adipiscitur, cum ejus animus nec in petitione odio inimici fuscatur. Nota, quod Ecclesia tribus modis impugnatur. Odio, verbis, & cruciatu corporis. Ecclesia e converso diligit, orat, & benefacit.

Ecclesia tribus modis impugnatur.

f Ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est] Filii debemus esse imitatione. Imitari enim debemus patrem nostrum Deum, qui diligit inimicos suos] 1. *Cor.* 4. & 11. Imitatores mei estote. Si autem filii, & hæredes. *Rom.* 7. *Chryf.* Filii carnales frequenter sunt similes patribus in facie, vel loquela, vel risu, aut in aliquo corporis signo, filii autem spirituales in sanctitate. Et illi quidem si similes fuerint, nullam laudem merentur, si dissimiles nullum vituperium, quia non est in potestate hominis, quam qualitatem corporis accipiat. Filii autem Dei si similes fuerint, laudandi sunt, si dissimiles nimis vituperandi, quia in potestate cujuslibet est mensura justitiæ faciendæ. g Qui in cœlis est] In cœlis dicitur esse Deus, quia ibi maxime relucet ejus potentia, sapientia, bonitas. Potentia in magnitudine, sapientia in pulchritudine, bonitas in motus uniformitate. h Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos] Ad litteram, de sole materiali verum est, ubi notatur beneficium Dei. i Et pluit super justos, & injustos,] ad litteram. Vel pluit imbrem doctrinæ, ut fructificet. *Psalm.* 84 Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. *Hebr.* 6. Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo, proferens autem spinas, ac tribulos reproba est, & maledictioni proxima. k Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis] Amare amantem naturæ est, inimicum amare charitatis est. Ideo dicit: l Quam mercedem habebitis?] Hanc sc. de qua *infr.* 6. Recepistis, inquit, mercedem vestram. *Chryf* Qui amicos diligit, propter se diligit, qui autem inimicos diligit, non propter se, sed propter illum diligit. m Nonne & publicani hoc faciunt] q. d. non est hoc magnum. Publicani sunt, dicit *Gloss.* quia publicani vectigalia exigunt, vel publica sæculi negotia, vel lucra sectantur. Et dicuntur isti traxisse nomen a Publio Romano rege, qui prius eos instituit. n Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis?] *Int.* Salutatio est quædam species orationis, q. d. si tantum oraveritis pro his, qui aliqua affinitate vobis conjuncti sunt, quid amplius habet beneficium vestrum beneficio infidelium? Si diligenter inspicias, tria in hac serie respondent tribus prædictis. Ei enim, quod dictum est: Benefacite his, qui oderunt vos, respondet id, quod dictum est. Ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est, q. d benefacite amicis, & inimicis, quia pater vester beneficus est tam bonis amicis quam malis. Ei autem quod dictum est: Diligite inimicos vestros, respondent, quod prius dictum est. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, &c. q. d. diligite inimicos. Quam enim mercedem putatis habere, si diligitis amicos? Ei autem, quod dictum est. Orate pro persequentibus vos, respondet quod hic subditur: Et si salutaveritis fratres vestros, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt] q. d. Dominus, quid plus facitis in hoc quam gentes ex humano affectu hoc facientes. Ethnos Græce, gens Latine. inde: Ethnici a gentibus geniti. o Estote ergo perfecti] sed obiicitur. Ergo tenemur omnes esse perfecti, quia est in principio, ut videtur. Ad hoc dicendum, quod multiplex est perfectio? Prima est sufficientiæ, ad quam tenentur omnes, ut hic, & *Luc.* 6. Ad pœnitentiam enim tenentur omnes. Secunda comparationis, ut clerici respectu laicorum *Gen.* 6. Noe erat perfectus in generationibus suis. Tertia est perfectio ordinis, ut munditia carnis in Eunuchis. *Isa.* 3. Mandamini, qui fertis vasa Domini. Quarta est perfectio professionis, sive religionis. *Inf.* 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes. Quinta est perfectio prælationis, cujus est pro subditis animas ponere. *Jo.* 15. Majorem hac dilectionem nemo habet, &c. Sexta est perfectio tranquillitatis, cujus est habere mortem in desiderio & vitam in patientia. 1. *Jo.* 4. Perfecta charitas foras mittit timorem. *Phil.* 1. Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Unde *versus*: Sufficit ordo, refert claustrum prælatio totum. p Sicut] imitationem notat, non æqualitatem. q Pater vester cœlestis perfectus est] q. d. ita faciatis, & ut mereamini effici filii patris cœlestis per gratiam adoptionis, &c.

Luc. 6.

Multiplex est perfectio.

EXPOSITIO CAP. VI.

r ATtendite ne justitiam vestram, &c.] Determinavit super de operibus justitiæ, & de operibus misericordiæ, in quibus debent ultra Scribas, & Pharisæos abundare. Opera enim misericordiæ sunt, inimicis benefacere, & pro eis orare. Nunc autem determinat de ipsorum operum fine. Et quia horum operum finis est duplex, unus malus, ut in hypocritis, alius bonus, ut in Sanctis, utitur agricola animorum nostrorum more prudentis agricolæ, qui prius extirpat nociva, quam plantet, & superseminet utilia, sic prius Dominus tangit de fine vitando, & consequenter de fine appetendo. De fine vitando hic cum dicit: Attendite, &c. De fine appetendo. *Inf.* Cum dicit: Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, &c. Nota, quod pravum finem tollit a tribus, eleemosyna, sc. jejunio & oratione, quasi secundum triplicem

vestram *a* faciatis coram hominibus, ut *b* videamini ab eis: *c* alioquin *d* mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in coelis est. *e* Cum ergo facis eleemosynam, *f* noli tuba canere *g* ante te, *h* sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. *k* Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *l* Te autem faciente eleemosynam, *m* nesciat sinistra tua, quid *n* faciat dextera tua, *o* ut sit eleemosyna tua in abscondito, & *p* pater tuus, qui videt in abscondito, *q* reddet tibi. Et cum *r* oratis,

cem rationem ad triplicem vim animæ. Ad proximum enim fit eleemosyna ex compassione vis irascibilis. Ad Deum fit oratio ex devotione vis rationabilis. Ad seipsum jejunium ex continentia concupiscibilis. Et hoc facimus secundum triplex bonum nostrum, quod circa nos, de quo eleemosyna, quod nos sumus, in quo oratio, quod infra nos est, in quo jejunium. Et per hæc tria opera intelliguntur omnia opera bona. Dicit ergo, *r* Attendite, ne justitiam vestram] Per justitiam intellige jejunium, eleemosynam, orationem. Jejunium contra concupiscentiam carnis, eleemosynam contra concupiscentiam oculorum, orationem contra superbiam vitæ, attendite, q. d. estote attenti, & cauti. Superbia enim bonis operibus insidiatur, ut pereant. Ideo dicebat, *Job* 9. Verebar omnia opera mea.

a Faciatis coram hominibus,] i. ne finem justitiæ ponatis in hominum laude. Et ne simpliciter crederetur debere abscondi ab hominibus, subdit:

b Ut videamini ab eis:] appetendo supple laudem eorum. *Rab.* Qui sua bona opera faciunt coram hominibus, similes sunt virginibus fatuis. *Aggæi* 1. Qui congregavit mercedes, misit eas in saccum pertusum. Propter autem exemplum dandum aliis debemus opera nostra manifestare. *Chrys.* Sicut lampas abscondi non potest, sic nec opus justitiæ celari.

c Alioquin] nisi ita feceritis, *d* Mercedem non habebitis, &c.] cujus amore non fecistis, q. d. hoc reputatur pro mercede, quod gloriati estis in laude. *Hieron.* Non virtus, sed causa virtutis apud Deum mercedem habet. *e* Cum ergo facis eleemosynam;] Docuerat Dominus supra vitare finem malum in operibus justitiæ in generali; Nunc autem specificat de operibus singulariter. Unde dicit *Gloss.* quædam. A toto in partes descendit, ut exponat, quæ bona sint pro hominum laude facienda. Et primo determinat hic de eleemosyna, quæ est pars justitiæ, sicut dicit: *Interl.* Sed contra. Eleemosyna est pars misericordiæ, non ergo justitiæ, diversarum enim virtutum diversæ sunt species. Sol. Justitia est hic generale nomen ad virtutes: Nota autem, quod octo ornant eleemosynam.

Octo ornant eleemosynam.

- Primum est compassio cordis. *Isa.* 58. Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua.
- Secundum est dulcedo sermonis. *Eccles.* 18. Nonne ardorem refrigerabit ros, sic verbum melius quam datum.
- Tertium facultatis quantitas. *Tob* 4. Si multum tibi fuerit, & abundanter tribue.
- Quartum hilaritas dantis. *Eccles.* 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum.
- Quintum humilitas dantis. *Eccl.* 4. Fili eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transvertas a paupere.
- Sextum discretio. *Eccl.* 12. Si benefeceris, scito, cui benefeceris, & erit gratia in bonis tuis multa.
- Septimum velocitas. *Prov.* 3. Ne dicas amico tuo vade, & revertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare.
- Octavum intentio recta, *infr. eod.* Nesciat sinistra tua quid faciat dextera.

f Noli tuba canere,] i. noli innotescere ad gloriam tuam. *g* Ante te] ut glorieris in laude tua. *Gloss.* Ante se tuba canit, qui ante alios vult laudari, ut appareat major illis. *Chrys.* Tuba est omnis actus, vel sermo, per quem operis jactantia demonstratur. Aliquando enim ipsa absconsio tuba est. *h* Sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis,] *Aug.* Hypocrita est, qui simulat, quod non est, repræsentator alterius personæ. *Job* 39. Penna struthionis similis est pennis herodii. Istos comparat *Rab.* fatuis virginibus dicens: Virgines fatuæ lampades habent, non oleum, gloriam foris, non intus. Hypocrita autem dicitur ab hypos, quod est sub, & crisis, quod est aurum, quasi extra aurati, interius lutei. *i* Ut honorificentur ab hominibus.] Eo enim fine per vicos, & synagogas vocant concilium, ut si quid boni faciunt, sit hominibus spectaculum. *Chrys.* Non est ingrata Deo eleemosyna, quæ visa fuerit, sed quæ ideo facta est, ut visa sit: Qui enim propter Deum facit eleemosynam, neminem videt in corde suo, nisi Deum, propter quem facit, ideo etsi præsentibus aliquibus faciat, tamen animus ejus non videt illos, etsi videtur ab eis. Potest tamen, & e converso fieri, ut nemo sit, tamen ille in corde suo gerit personas, quibus desiderat ostentare.

k Amen dico vobis, receperunt mercedem suam] q. d. Dominus, sine dubitatione sciatis, quod merces sua laus humana est. De his dicitur: *Apoc.* 3. Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es. *l* Te autem faciente eleemosynam,] Posset aliquis dicere: Ergo non faciam tantum eleemosynam pro favore humano, sed mixtim pro commodo terreno, & pro præmio æterno. Ad hoc obviat dominus dicens, quod non sic faciendum est. *Int.* Quia sunt aliqui, qui favorem aliquem quærunt cum mercede æterna. Ideo dicit:

m Nesciat sinistra tua,] i. prava intentio, vel appetitus temporalium. *Lev.* 19. Poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec comedetis ex eis, quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur, laudabilis Domino, quinto autem anno comedetis fructus. Primus annus adolescentia, secundus juventus, tertius senectus, quartus finis, & tunc debet sanctificari Domino; quintus post mortem. Ibi *Greg.* Nec debet hoc pascere animum operantis, ne dum laus suaviter capitur, fructus operis intempestive comedatur. *n* Quid faciat dextera tua,] Dextera est bonum opus, q. d. cum facis opus virtutis, cave, ne se admisceat pulvis inanis gloriæ, vel ineptæ lætitiæ, vel elationis. *o* Ut sit eleemosyna tua in abscondito,] i. in secreto conscientiæ. *Eccl.* 29. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa exorabit pro te ab omni peccato. Unde comparatur semini, quod occultatur in terra. *p* Et pater tuus, qui videt in abscondito,] *H.b.4.* 1. *Reg* 16. Homo videt ea, quæ parent, solus autem Deus intuetur cor. *Chrys.* Impossibile est, ut bonum opus in abscondito dimittat Deus, quia gloria ejus est. Si vis ergo omnes tuas directiones videri, vel donationes, absconde eas. Si studueris nunc latere, tunc te Deus famose prædicabit orbe terrarum præsente. *q* Reddet tibi,] & si non nunc, tamen tempore opportuno. *Eccl.* 5. Altissimus enim est patiens redditor. *Sap.* 10. Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum. Nota, quod duodecim sunt fructus, sive effectus eleemosynæ.

Eleemosyna enim

- De peccatis præteritis veniam impetrat. *Eccl.* 3. Eleemosyna patris non erit in oblivione. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, & sicut in sereno glacies solventur peccata tua.
- Peccata præsentia purgat. | Æternum supplicium vitat. | De his duobus dicitur *Tob.* 4. Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patitur animas ire in tenebras.
- Fomitis ardorem mitigat. *Eccl.* 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.
- Animam reficit. | Gratiam conservat. | De his dicitur *Eccl.* 17. Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit.
- Impugnat diabolum. *Eccl.* 29. Super scutum potentis, & super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.
- Absolvit a poena peccati. *Dan.* 4. Redime peccata tua eleemosynis. *Lucæ* 11. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.
- Intercessores multiplicat. *Act.* 9. Circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes tunicas, quas faciebat eis Dorcas.
- Prolongat vitam præsentem. | Meretur vitam æternam. | 1. *Tim.* 4. Pietas ad omnia valet, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.
- Inimicos mitigat. *Romanor.* 12. Si esurierit inimicus tuus, &c.

r Et cum oratis, &c.] Hic docet de pravo fine vitando in oratione.

Matth. 25.

de prædict. 1. c. æternum dum.

▲ In

a In medio autem ponit da oratione, quia eleemosyna, & jejunium sunt quasi alæ orationis. Unde *Tob.* 12. Bona est oratio cum eleemosyna, & jejunio. Sunt autem multi fructus orationis, & effectus.

Oratio enim

- Desiderium accendit. Unde 4. *Reg.* 1. & 3. *Reg.* 18. Descendit ignis ad orationem Eliæ.
- Cor serenat. Unde quando malignus spiritus agitabat Saul, David canebat in cithara, & bene erat ei. 1. *Reg.* 16.
- Casum evitat. *Isa.* 48. Laude mea infrænabo te, ne intereas.
- Diabolum fugat. 1. *Mach.* 4. Tuba cecinerunt hi, qui erant cum Juda, & congressi sunt, & contritæ sunt gentes, & fugerunt in campum, novissimi autem ceciderunt in gladio.
- Torporem animi excitat. *Eccl.* 18. Ne impediaris orare semper.
- Veniam peccati impetrat. 2. *Reg.* 12. De David, postquam oravit, audivit: Translatum est peccatum a te.
- Vitam ad pœnitentiam faciendam prolongat. Sicut legitur. 4. *Reg.* 20. De Ezechia, cui, facta oratione, additi sunt quindecim anni vitæ ejus.
- Sanitatem corporis impetrat. *Eccl.* 38. Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Deum, & ipse curabit te. *Jac. ult.* Oratio fidei curabit infirmum.
- Deum iratum mitigat. Unde super *Tob.* 3. ibi: In oratione persistens, dicit *Gloss.* Oratio Deum lenit.
- Gratiam impetrat. Unde Zacharias orando Joannem impetrabat. *Luc.* 1.
- Sapientiam, & scientiam impetrat. 3. *Reg.* 5. De Salomone. *Jac.* 1. Si quis indiget sapientia, &c.
- A carcere peccati liberat. Unde Jonas, postquam oravit, evomuit eum cetus. *Joan.* 2.
- Temporalia multiplicat bonis, & aufert malis. Unde 3. *Reg.* 17. Elias oratione oravit, & clausum est cœlum. Et iterum oravit, & apertum est. 3. *Reg.* 18.
- Confortat, & audaciam præstat. Ut *Jud.* 9.
- Opprobrium tollit. *Tob.* 3. De Anna filia Raguelis.
- Pacem, & quietem conservat. 1. *Tim.* 2. Obsecro primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus.
- Docet quid agendum. 2. *Par.* 20. Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, ut oculos nostros dirigamus ad te.

Dicit ergo: Et cum [oratis,] affectu mentis. *Chrys.* Solam orationem quasi spirituale tributum anima offert Deo de suis visceribus. *a* Non eritis sicut hypocritæ,] foris lucentes, intus fœtentes, quia pleni enim spurcitia, *infr.* 23. *Exod.* 30. Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino, homo quicumque fecerit simila, ut odore illius perfruatur, peribit de populo suo. *Et loquitur* de thymiamate, quod significat orationem, quam in usum nostrum convertimos, quando eam pro inani gloria damus. Et nota quod fiebat ex quatuor, stacte, i. gutta myrrhæ, quæ servat corpus a putredine, hoc est ad salutem, galbano, quæ fugat odore serpentes, hoc est, in fide, onycha similis ungui, in quo persecutio, & thure lucidissimo, quod dicitur masculum, eo quod sit ad modum testiculi, & in hoc significatur, ut generet orationem per se. *b* Qui amant in synagogis] ut melius videri possint. Et in angulis platearum] In hoc quod in angulis, notatur abscondite, in hoc quod dicitur platearum manifestatio, q. d. abscondunt se, ut appareant, sicut perdix, quę abscondit caput sub alvo, corpus ponit in aperto. *d* Stantes orare,] Notat morem Judæorum, qui stantes orant, quia legem stando acceperunt. *Exod.* 10. Steterunt ad radicem montis. *Chrys.* Quærunt se abscondere, ut dupliciter laudentur. Primo quia orant, secundo quia absconse orant. *e* Ut videantur ab hominibus] In hoc est finis orationis. *Chrys.* Non intendunt exaudiri, sed videri. *Dan.* 6. Quia oravit apertis fenestris, missus est in lacum leonum. Item *Chrys.* De hypocrita quid vis, ut videaris orans? Nonne quia laudabilis res est orare, ut quid non vis esse laudabilis, qui vis ut lauderis? O insania vanitatis, esse nolunt, quod desiderant apparere. Mendaciter orant, cum non orent, & mendaciter laudantur, cum non sint laudabiles, speciem vacuam religionis vendunt, & verbum vanum laudis emunt, finito verbo finitur bonum, quod positum erat in verbo. Item *Chrys.* Orans nihil novum faciat, quod aspiciant homines, nec voce clamet, nec manus expandat, nec impudenter oculos tollat ad cœlum, ut notabilis fiat. *f* Amen dico vobis, receperunt mercedem suam,] sc. laudem hominum, tandem recipient meam, sc. pœnam inferni. *g* Tu autem cum oraveris,] Amoto malo fine ab oratione, docet quomodo orandum, qui prius docuerat, quomodo eleemosynandum. Dicit ergo: Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum] in loco secreto, ad litteram, ut *Jud.* 9. *Act.* 10. de Petro. *Tob.* 3. De uxore Tobiæ, quæ intravit cubiculum. Vel: In cubiculum, i. in secreto conscientiæ. *Psal.* 4. Et in cubilibus vestris compungimini. 2. *Par.* 20. Josaphat timore perterritus totum se contulit ad orandum, ut totus homo interior colligatur in se, qui Deo debet offerri in oratione, ut vis rationabilis contempletur Dei sapientiam, vis irascibilis magnitudinem, vis concupiscibilis bonitatem.

De pru&tio e. cavendum.

non *a* eritis sicut hypocritæ, *b* qui amant in synagogis, & in *c* angulis platearum *d* stantes orare, ut *e* videantur ab hominibus, *f* Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *g* Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, *h* & clauso ostio, *i* ora patrem tuum in abscondito, k & pater tuus, qui videt in abscondito, *l* reddet tibi. *m* Orantes autem nolite multum loqui *n* sicut Ethnici faciunt. *o* Putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur. *p* Nolite ergo assimilari eis: Scit *q* enim pater vester, quid opus sit vobis, *r* antequam

h Et clauso ostio,] i. sensibus extrinsecis. Unde 2. *Reg.* 4. Isboseth fuit occisus ostiaria dormiente. *i* Ora patrem tuum in abscondito,] qui adoratur in spiritu, & veritate. *Joan.* 4. *Phil.* 4. Petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Isid.* Longe est a Deo animus, qui in cogitationibus sæcularibus fuerit occupatus. *k* Et pater tuus, qui videt in abscondito,] *Heb.* 4. Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus. *l* Reddet tibi] fructum orationis. Reddet quia pater est, quia beneficus, quia dignus, quia justus.

c. 9. 3. & audi. B

m Orantes autem, &c.] Ostendit ubi sit orandum, quia in absconditum, & qua intentione, sive quo fine, quia non vanæ laudis gratia, ut hypocritæ faciunt, docet, quomodo sit orandum. Et primo removet malum modum orandi: Deinde docet bonum modum orandi, ubi dicit: Si ergo orabitis: Pater noster, qui es in cœlis, &c. Quia vero modus orandi gentilium malus erat, & quasi jam ab omnibus, & maxime a Scribis, & Pharisæis tenebatur, ideo primo removet modum, & intentionem eorum ab oratione nostra. Gentiles vero, qui serviebant dæmonibus, & idola adorabant, orabant in multiloquio confidentes. Et hoc triplici de causa. Primo, ut Deos absentes, vel aliud facientes ad se revocarent: Sicut legitur. 3. *Reg.* 18. De sacerdotibus Baal, quibus, cum orassent diu, dixit Elias: Clamate voce majore, Deus enim vester est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur: Secundo, ut per multiloquium, intentionem, & desiderium ipsis dæmonibus indicarent. Non enim intelligunt cogitationes hominum, aut desideria, nisi signis exterioribus. Tertio, ut verborum compositione, & multiplicatione Deos suos ad miserendum, & compatiendum sibi inclinarent. Hoc ergo removet Dominus ab oratione nostra, non multiplicationem orationis, quia & ipse legitur in oratione pernoctasse. *Luc.* 6. Et imminente passione prolixius orasse, *inf. eod.* 26. *Luc.* 22. Et Apostolus hoc idem docet. 1. *Thess. ult.* Sine intermissione orate. Sed hac intentione fieri longas orationes, qua Ethnici faciebant, prohibet Dominus dicens: Orantes autem nolite multum loqui, i. ne confidatis de multiloquio. *n* Sicut Ethnici faciunt] tribus de causis, ut dictum est. *o* Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.] sicut judex sæcularis quandoq; verbis persuasibilibus, & potentibus flectitur. *p* Nolite ergo assimilari eis:] in multiloquio, ut putetis Deum nescire, quid petituri estis, sicut dæmones nesciunt. *q* Sic enim, &c.] Objiciunt Hæretici: Cur igitur scienter loquimur, & precamur? Solvit *Gloss.* Non ut faciamus nostrę indicium voluntatis, sed ut excitemus obsequium piæ devotionis. *Hier.* tamen respondet ad hoc. Non narratores esse volumus, sed rogatores. Multæ sunt aliæ causæ propter quod orandum, quia in oratione cor accenditur, devotio augetur, animus in precibus servatur, & etiam illuminatur. Scit enim pater vester, quid opus vobis sit. Ergo non verbis multiplicibus petendum est, sed devotione cordis. *Isid.* Non in multiloquio exaudiunt homines, quasi plurimis verbis conentur Deum inflectere. *Aug.* Ipsa intentio orationis cor serenat, capaciusq; efficit ad accipiendum divina munera. Et hęc potest esse una causa, quare orandum. *r* Antequam petatis eum *Int.* Ergo docendi estis, quid petatis, & ideo non est opus multum narrare, sed obsecrare. *Hier.* Aliud est

Gentiles orabant in multiloquio confidentes triplici de causa.

narrare

narrare nescienti, aliud rogare scientem. In illo judicium, hic autem obsequium.

a Sic ergo orabitis, &c.] Reprobata hypocritarum ostentatione, & ethnicorum multiloquio, & infidelitate, tradit Dominus discipulis suis rectam formam orandi brevem, & utilem, & novam. Et hoc propter septem: Primum est, ut Deus honoretur. Mal. 1. Si ego pater, ubi est honor meus? Secundum est, ut ab ipso solo, quod necessarium est, postuletur. Unde 4. Reg. 1. Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub? Tertium est, ut rogatus quod petitur, largiatur. Unde infra 7. Petite, & dabitur vobis. Ibi dicit Gloss. Non denegat se petentibus, qui sponte obtulit se non petentibus. Quartum est, ut quid petendum sit, instruat. Nam quod oremus sicut oportet, nescimus Rom. 8 Quintum est, ut humiliemur. Omnis enim petens ei quem petit, se humiliat. Eccl. 25. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Psal. 85. Exaudi me, Domine, quoniam inops, & pauper sum ego. Sextum est, ut nova petamus. Nam novis supervenientibus vetera projicietis. Lev. 26. Septimum est, ut cultus Dei ostendatur dissimilis cultui idolorum. Exod. 20. Non habebis Deos alienos coram me. Commendatur autem hæc oratio, & præcellit in tribus, sc. in dignitate, brevitate, fœcunditate. In dignitate, quia ab ipso Deo, qui oratur, edita est, & edocta. In brevitate, ut cito sciatur, & facilius memoriæ commendetur, ut frequentius dicatur, ut tædium non faciat, ut de ignorantia ejus nemo se excusare valeat, ut cito Deum exaudire innuat. In fœcunditate etiam commendatur, quia omnia petenda continet. Unde septem tantum ibi sunt petitiones, septimus enim numerus est universitatis. Et sunt distributæ istæ septem petitiones secundum duas vitas, i. temporalem, & cœlestem. De temporali enim fit transitus ad cœlestem, si bene utitur temporali viator. Tres primæ petitiones pertinent ad vitam cœlestem: Ibi enim consummabuntur, & dabuntur plenarie, sed hic inchoantur. Tres ultimæ pertinent ad vitam temporalem. Media quasi confinium est utrarumque contortans, & dividens transeuntem de terrena vita ad cœlestem. Sufficientia autem petitionum sic patet. Omnis petitio aut est de bonis adipiscendis, & dicitur oratio, aut de malis amovendis, & dicitur deprecatio. Omne autem bonum, aut est cœleste, aut spirituale, aut temporale. Cœleste petitur, ibi [Adveniat regnum tuum] Spirituale, ibi [Fiat voluntas tuas] Temporale, ibi [Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie] Et ita in hac oratione petitur omne bonum. Item omne malum, aut est præteritum, aut præsens, aut futurum. Amotio præteriti petitur, ibi [Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris] Cautela futuri petitur, ibi [Et ne nos inducas in tentationem] Liberatio a præsenti petitur ibi [Sed libera nos a malo] Septima petitio, sc. [sanctificetur nomen tuum] est quasi omnium confirmatio. Quidam tamen dicunt, quod est quasi proœmium, non ponentes nisi sex petitiones. Sed hoc est contra Glossas, quæ ponunt septem petitiones, sicut septem dona, & septem virtutes prius numeratas in principio sermonis Domini. Per septem enim petitiones impetrantur septem dona, & per septem dona venitur ad septem virtutes, ut dicunt Sancti. Sed quomodo hoc fit, disputationi relinquimus. Antequam Dominus veniat ad petitiones, more boni oratoris præmittit quasi breve proœmium, in quo captatur benevolentia: Primo, a persona rogata, cum dicitur [pater] Secundo, a persona rogantis, dum dicitur [noster] Tertio, a persona assessoris, cum dicitur [Qui es in cœlis] Inducitur autem unusquisque orans, ut non sibi sed omnibus oret, ut charitas, & unitas Ecclesiæ designetur, in qua nihil proprium esse debet, sed omnia communia, sicut in primitiva Ecclesia. Sicut legitur Act. 4. Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid esse suum dicebat, sed erant illis omnia communia. Ponit autem Dominus in principio orationis suæ. b Pater] non Dominus, quia amari appetit, non timeri. Unde Jer. 3. Ergo saltem amodo voca me pater meus; dux virginitatis meæ tu es. Item ut daret oranti fiduciam impetrandi. Unde B. Bern. Oratio, quæ patris dulcescit nomine, omnium petitionum mearum impetrandarum fiduciam mihi præstat. Unde Isa. 49. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri? Item ut vocans eum patrem, se monstret filium per imitationem, non degenerans a tali, & tanto patre, qui affectu, & benevolentia pater est. Unde Isa. 51. Attendite ad petram, unde excisi estis, per creationem, sc. & ad cavernam laci, de qua præcisi estis, per recreationem. Unde sequitur: Attendite ad Abraham patrem vestrum, ad Christum, & ad Saram, quæ peperit vos, i. ad Ecclesiam. Item ut sic excitet ad orandum, & honorandum se. Unde Eccl. 3. Gloria hominis ex honore patris sui. Item ut ostendat sic orantes jam non servos, sed filios esse, qui non mobilia cum Ismaele, sed immobilia cum Isaac percipere petunt. Unde Joan. 15. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat dominus ejus: Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audivi a patre meo, nota feci vobis. Item c Noster] dicit, non meus, ut ostendat, quod non unius, sed multorum pater est. Prius erat pater unius, sc. Christi per naturam, sed & tempore factus est pater multorum per gratiam. Quam differentiam innuit Dominus Joan. 20. Ubi dicit: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum. Item per hoc invitat nos ad humilitatem, ut nemo applaudat sibi de nobilitate generis. Omnes enim filii Dei sumus. Unde Mal. 2. Numquid non pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque fratrem suum? Item per hoc invitat nos ad fraternitatis amorem, ut quilibet pro alio quasi pro se oret. Jac. ult. Orate pro invicem, ut salvemini. Item per hoc innuit Dominus, quod oratio quanto est communior, tanto est acceptior. Unde sup. 5. Præcepit eam extendi usque ad inimicos. Unde dixit: Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Item per hoc invitat nos ad pacis concordiam. Non enim debet esse jurgium, vel contentio inter fratres. Unde Gen. 13. Quæso ne jurgium sit inter me, & te, & pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus. Item per hoc invitat nos ad mutuum honorem, qui debet esse inter fratres. Rom. 12. Honore invicem prævenientes. 1. Tim. 6. Qui fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant. Item per hoc invitat nos ad mutuum auxilium, quod debet esse maxime inter fratres. Prov. 18. Frater, qui adjuvatur a fratre quasi civitas firma. Item per hoc innuit Dominus, se esse fratrem nostrum: Alioquin non vere dixisset: Pater noster. Et in hoc sublevat & confortat spem nostram, ut tantæ simus nobilitatis, quod sumus fratres Filii Dei. Unde Gen. 45. Ego sum Joseph frater vester, infr. ult. Ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. Heb. 2. Qui sanctificat, & qui sanctificatur, ex uno omnes, propter quam causam non confunditur vocare eos fratres, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis. d Qui es in cœlis] Per hoc innuit Dominus, quod potens est dare quicquid petitur, sicut pater existens in cellario pleno, & referto omnium bonorum affluentia. Unde cum dicimus: Qui es in cœlis, idem est, ac si diceremus: Da nobis, quod petimus, quia potens es in cellario tuo, ubi omne bonum redundat, & affluit. Unde 1. Tim. 6. Beatus, & solus potens, rex regum, & Dominus dominantium, qui solus habet.

Dominus tradit discipulis formam orandi propter multa.

Oratio ista commendatur & præcellit in tribus.

petatis eum. Sic ergo a vos orabitis: b Pater c noster, d qui es in cœlis.

Luc. 11. De pan. dic. i. e. de quotidianis.

a immortalitatem,

Aliter.

b Pater noster, &c.] Modo breviter petitiones percurramus, secundum quod descendendo ordinantur. Ille enim, qui petit, quia illum, a quo petit, vocaverat patrem, ideo illam petitionem præmittit, quæ patri vicinior est, quæ scilicet est de pace, quia homines filii Dei efficiuntur. Unde dicit: Pater noster, qui es in cœlis.

a Sanctificetur

Secundum Chrysost.

b Pater noster, &c.] Nunc breviter qualiter Chrys. exponat hanc orationem dominicam videamus, ut melius appareat difficultas literæ, & Glossarum. [Pater noster] Patrem magis se voluit dici, quam Dominum, ut nobis fiduciam daret impetrandi, quia servi non semper impetrant. Si filium Dei te credis, illa pete, quæ tibi expediunt accipere, & illum decet dare. Si terrena petas, quomodo illa tibi libenter præstat, quæ etsi habeas, præcipit, ut contemnas. c Noster] dixit, non meus. Libenter exaudit Deus, quando Christianus non solum pro se, sed pro altero orat. Pro se orare, naturæ est, pro altero gratiæ. Pro se orare cogit necessitas, pro altero charitas. Dulcior autem est ante Deum oratio, quam non necessitas mittit, sed charitas fraternitatis commendat.

d Qui es in cœlis.] Erubescant se terrenis substernere, scientes se patrem habere cœlestem. Sicut enim, degener filius ad opprobrium pertinet generosi patris

e sic, &

▲ immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. *Rom.* 10. Idem Dominus omniam, dives in omnes, qui invocat illum. Unde cum sponsa dixisset. *Cant.* 1. In odorem unguentorum tuorum currimus, ad se pervenisse congratulans dicit: Introduxit me rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te. Item *Cant.* 2. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem, videns abundantiam suavitatis cellarii, dixit: Fulcite me floribus. Et cum sit ubique Deus, dicit tamen [Qui es in cœlis.] in cœlis dicit propter quinque.

a Sanctificetur nomen tuum. *b* Adveniat *c* regnum tuum.

Deus dicitur in cœlis propter quinque.

Primo ut oretur in Spiritu Sancto, & mundo. Unde *Jo.* 4. Spiritus est Deus, & omnes, qui adorant eum in spiritu, & veritate, oportet adorare.

Secundo, ut ad cœlestia tendatur, ut cum eo sis in cœlo. *Cant.* 1. Trahe me post te.

Tertio, ut spiritualia petas, non terrena. *Joan.* 16. Usque modo non petistis quicquam in nomine meo, petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

Quarto, ut confidas in altissimo, cui assistunt Angeli, & ministrant. *Psalm.* 124. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.

Quinto, ut sanctum imiteris. *Luc.* 19. Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus Deus vester. Ecce hoc est proœmium, in quo docemur captare benevolentiam. Deinde subjungit petitiones sed alio ordine, quam in nobis impleantur. Præmittuntur enim illæ petitiones, quæ in futuro consummabuntur, eo quod digniores sunt, & ideo priores in intentione. Similiter fecit Isaias, qui dona digniora præmisit, descendens de sapientia ad timorem, *Isa.* 21. Sic etiam fecit Moyses, mandata de Deo colendo præponens mandatis de proximo honorando. *Exod.* 20. Ut autem melius videamus dignitatem petitionum, quomodo una ex alia quodammodo nascitur, naturalem ordinem, secundum quem in nobis implentur, prius exequemur, & postea ad illum ordinem revertemur breviter exponendo. Prima petitio, quæ hic ultimo ponitur, est] Libera nos a malo.] Hæc prima est, quia homo volens ascendere post patrem suum, videns quod non potest ascendere, nisi prius liberetur a malis hujus mundi, clamat [Libera nos a malo,] idest, a peccato originali, & actuali, & amore mundi, & a proprio sensu, & propria voluntate, quibus depositis, fit homo pauper spiritu, quod totum fit per spiritum timoris. Unde cum dicis [Libera nos a malo,] rogas tibi *dari* spiritum timoris, per quem factus spiritu pauper liberatus es a malo. Et ita hæc petitio petit donum, quod efficit virtutem, & complet ipsam petitionem. Abdicatis autem his omnibus, tunc fortiores insurgunt tentationes, quia Pharao contemptus surgit in scandala, ut dicit *Gloss. Exod.* 5. Propter quod dicit *Eccl.* 2. Fili accedens ad servitutem Dei sta in timore, &c. ideo necessaria est mansuetudo, quæ nec irritat, nec irritatur, nec aliquibus injuriis lacessitur. Unde secundo dicitur [Et ne nos inducas in tentationem,] sc. ne permittendo succumbat homo, idest, da nobis spiritum pietatis, per quem mites effecti, injurias contemnentes nullis tentationibus succumbamus. Nec orat, ut non veniant tentationes, sed ne inducatur in tentationem, quod est succumbere tentationi. Sed quamvis homo sit liberatus a malo, nec frangatur tentationibus, adhuc in multis offendit, quia nemo est, qui non peccat, ut dicit Salomon 4. *Reg.* 8. & *Eccl.* 7. Et ideo necessarius est luctus, quo peccata quotidiana, & etiam præterita abluantur. Unde tertio petitur: [Et dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris,] quod fit, per spiritum scientiæ. Scientia enim facit cognoscere quantæ sint miseriæ præsentis vitæ, quibus cognitis facit lugere, & clamare [Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,] idest, da nobis donum scientiæ, quo peccata nostra, atque miserias cognoscamus, & cognita lugeamus: & sic lugentibus dimittantur. Debitores nostri sunt, qui debent nobis pecuniam, vel qui fecerunt nobis injuriam. Si debetur tibi pecunia, & perfectus es, dimitte, si imperfectus es, licite requirere potes, si ille habeat, unde reddat, si non habet, dimittere debes. Si facit injuriam tibi, & veniam petit, dimitte. Si non petit, in corde dimitte, paratus dimittere etiam ei, cum locus fuerit. Hæ tres petitiones ad vitam temporalem pertinent, quia liberatio a malis, non frangi adversis, lugere pro peccatis, seperant a mundo. Sequentes autem ad cœlum. Unde in primis petitur panis cœlestis, quo in via confortatur viator, ne deficiat.

g Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.] Et hic de cœlo datur, sed in terra comeditur. Et ideo petitio ista confinium est, & conveniens transeunti de temporali vita ad æternam, quia res cœlestis petitur, ut hic habeatur. Et hic panis Deus est, qui pascit Angelos. Et sicut panis, qui a matre comeditur, in lac in ea vertitur, ut puer illo fruatur, sic Deus quo integro, ut ita dixero: Angeli fruuntur, versus est nobis in lac, ut illo frui possimus. Assumpsit enim formam visibilem, ut homines erudiret. Comeditur autem his panis in scriptura per cognitionem, in sacramento per fidem, in contemplatione per dilectionem. Et dicitur supersubstantialis hic panis, quia super omnes substantias, & etiam super humanam intelligentiam est, & quia de cœlo est. Unde *Joan.* 6. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. *Lucas* dicit: Panem quotidianum quia quotidie comedimus illum aliquo supradictorum modorum [Hodie] autem vocat vitam præsentem, sicut in *Psalm.* 94. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. In Græco dicitur epiusion. In Hebræo dicitur sogolla, quod est egregius, vel peculiaris, Egregius, hoc est supersubstantialis, peculiaris, hoc est quotidianus. Per istum panem esurimus justitiam futuram. Habebitur autem panis iste per spiritum fortitudinis. Unde sensus est. *g* Panem nostrum] idest, nobis necessarium.

h Da nobis, hodie.] idest, da nobis spiritum fortitudinis, quo tuam justitiam esuriamus, & esurientes eadem reficiamur, & roboremur, quousque esuries nostræ justitiæ satietur.

d Fiat voluntas tua.] Istæ tres petitiones, quæ sequuntur, non possunt impleri in terra, possunt tamen inchoari. Pastus enim homo illo pane supersubstantiali, sentiens dulcedinem bonæ voluntatis divinæ, petit ut voluntas Dei fiat in terra sicut in cœlo, i. sicut in civibus cœli, sic in civibus terræ. Hoc est: Sicut Angeli conformant voluntatem suam voluntati Dei, sic faciant & homines. Vel, [Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra] i. ▲ sicut in

Aliter a

▲ *a* Sanctificetur nomen tuum,] idest, da nobis ut sanctum tuum nomen sit firmum in nobis, ut in cœlo tecum maneamus in pace, & filii tui efficiamur. Quod ut fiat.

b Adveniat regnum tuum,] idest, Ecclesia militans uniatur triumphanti. Vel aliter:

a Sanctificetur nomen tuum,] idest, sanctum appareat in nobis per triplicem notitiam. Quarum prima est, credere, quod Deus est. *Hebr.* 21. Oportet accedentem ad Deum credere, quia est. Secundum est scire quid non est Deus. *Aug.* Si non comprehendis quid sit Deus, multum comprehendis, si comprehendis, quid non sit Deus. Tertia est scire quid sit, & quomodo sit, quod erit, quando cognoscimus eum, sicut & cogniti sumus 1. *Cor.* 13. Prima liberat ab insipientia, qua dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Secunda liberat ab idololatria. Tertia a miseria: Et hoc erit in patria. Unde 1. *Joan.* 3. Scimus, quoniam cum apparuerit similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est. Sed non potest regnum venire ad regnum, nisi omnino consentiamus voluntati divinæ. Et ideo;

▲ *d* Fiat voluntas

Secundum Chrysost.

⊙ sic & Christianus injustus ad blasphemiam pertinet Dei justi: Nam sicut per bonos Deus glorificatur, sic per malos blasphematur. *Rom.* 2. Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.

a Sanctificetur nomen tuum,] Quomodo sanctificatur ab homine, qui sanctificat omnes? Aut quod sanctum est, quomodo sanctificatur? Sed in se quidem sanctum est, hoc autem quæritur, ut sanctificetur in nobis, i. ut cum nos illum sanctificaverimus in nobis, tunc ille sanctificet nos in se. Nam qui non sanctificat Deum, non sanctificatur a Deo, sanctificamus autem Deum in nobis, quando scientes eum Sanctum timemus, & solicite vigilamus, ne forte violemus Sanctitatem nominis ejus in nobis per opera mala. Sicut qui præclara veste indutus est, fugit omnem rem sordidam ne perdat gratiam candoris ejus, sic qui ipsum induit. *Gal.* 3. Sollicitus esse debet ne contaminet eum. Ipse quidem incontaminabilis manet, tamen contaminationis injuriam graviter nostro vindicabit interitu. *b* Adveniat regnum tuum,] Regnum Dei dicitur retributio justorum pro justitia, & peccatorum pro culpa. Item regnum dicuntur sancti. Unde *infra decimo tertio*, Colligent zizania de regno ejus, id-

⊙ est, de

d Fiat voluntas tua, e sicut in cœlo, & in f terra. g Panem nostrum supersubstantialem h da nobis hodie,

▲ sicut in Christo, ita in Ecclesia. Vel e Sicut in cœlo,] in anima justi, sic: f Et in terra,] idest, in carne, ut scilicet caro consentiat spiritui. Vel e Sicut in cœlo,] idest, in viris sanctis, sic: f Et in terra,] idest, in peccatoribus. Vel per cœlum gratia, per terram liberum arbitrium intelligitur. Et est sensus.

De conf. dist. 5. c. in capite. ▲

d Fiat voluntas tua,] sc. in cœlo, & in terra, idest, fac, ut liberum arbitrium gratiæ consentiat, quod totum fit per spiritum consilii, qui consulit nobis, ut si volumus misericordiam consequi, simus misericordes. Unde sensus est. [Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra,] idest, da nobis spiritum consilii, quo misericordes effecti, tam voluntatem in terra impleamus pro modulo viæ, sicut impletur in cœlo pro modulo patriæ. Postquam vero homo jam misericordiam consecutus est, & se totum subjicit voluntati Domini, statim ad ulteriora suspirat, ut, sc. illum videat, cujus voluntati obtemperat remotis omnibus nebulis phantasmatum, quod non implebitur nisi in futuro. Hæc petitio sexta loco ponitur, quia homo sexta die conditus, sexta die divina visione se privavit: Sed Dominus sexta ætate, & sexta die ad suam visionem reformavit: & ideo sexto loco postulat visionem, quam sexta die amisit, quod fit per cordis munditiam, quam spiritus intellectus operatur in nobis. Unde sensus est: b Adveniat regnum tuum,] idest, da nobis spiritum intellectus, quo mundo corde facti. c Regnum tuum,] idest, te regnantem in sanctis tuis videamus. Visionem autem Dei, & regnum ejus sequitur pax, & quies, & delectatio summa, quæ fit per spiritum sapientiæ, quam in cognitis cœlestibus delectamur, quia spiritus sapientiæ postulatur, cum dicitur: a Sanctificetur nomen tuum,] in nobis, scilic. ut pater noster dicaris, & nos filii tui in æternum. Hoc est: Da nobis spiritum sapientiæ, quo pacati mente filii Dei nominemur, & simus. Et ecce ascenditur de terra in cœlum. Et hoc ordine complentur in nobis hæ septem petitiones, secundum quod dicit: *Psal.* 83. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Alber.

▲ d Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra,] ut expositum est. Sed quia voluntati tuæ per omnia obedire non possemus, nisi viaticum haberemus. Ideo: g Panem nostrum] supersubstantialem. h Da nobis hodie,] quamdiu sumus in hac vita præsenti. Sed quia hoc pane sumus indigni, quamdiu sumus peccatorum sordibus inquinati. Ideo;

▲ Et dimitte nobis

Secundum Chrysost.

Θ est, de populo Christiano. Item regnum dicitur S. Scriptura. Unde *infr.* 21. Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. De omnibus unus est intellectus. Aliud est regem esse, & aliud regnare. Ecce Deus naturaliter rex est, sed non in omnibus regnat, nec omnes homines sunt regnum ejus, quia nec faciunt omnes voluntatem ejus. Nam in omnibus iniquis, non Deus, sed diabolus regnat, qui facinat ejus voluntatem. Unde *Eph.* 6. Rectores mundi tenebrarum harum. Non dicit mundi tantum, sed addit tenebrarum. Tenebræ autem dicuntur iniqui, lux sancti. *Eph.* 5. Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, quia sicut per Sanctos Deus ostenditur in hoc mundo, sic per iniquos obscuratur. Diabolus & mali homines sunt in potestate Dei, tamen nolunt esse sub Deo, non sunt regnum Dei. Nam justum regnum est, quando & rex vult habere homines sub se, & illi volunt esse sub eo, quando autem rex cogit per violentiam esse sub se, illud quantum ad veritatem non est regnum, sed tyrannides. Ideo Deus quamvis habeat omnes in potestate, tamen volentes tantum recipit, ut non sit tyrannus, sed rex. Diabolus plene Tyrannus est, qui etiam nolentes suam compellit facere voluntatem. Quid est ergo, quod dicit, quod interim duo sunt regna in mundo, Dei, & diaboli, idest, justi, & iniqui, & hic quæritur, ut tollatur de medio regnum diaboli, idest, iniqui, ut veniat tantummodo regnum Dei, i. justi. Quod tunc fiet, quando omnes iniqui cum principe suo mittentur in stagnum inferni, omnes autem sancti resurgent, & euntes obviam Domino in aere semper cum ipso erunt. 1. *Thess.* 4. Sic etiam intelligendum est de justitia. Modo enim & justitia, & iniquitas regnant, tunc extincta iniquitate sola justitia regnabit. d Fiat voluntas tua,] Numquid non facit Dominus ubique quod vult? *Psal.* 113. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit. Sed hoc quæritur, ut in nobis fiat voluntas Dei, idest, ut eam nos faciamus. Quamdiu ergo ejus regnum mistum est in terra, fit quidem voluntas Dei, sed non sicut in cœlo. In cœlo enim Angeli faciunt voluntatem solius Dei. Non sic est in terra, sed hoc fit in fine. Communiter autem accipi debet, quod ait: e Sicut in cœlo, & in terra. Adveniat regnum tuum, sicut in cœlo, & in terra. Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra.] Et vide, quam caute locutus est. Non dixit: Pater Sanctifica nomen tuum in nobis, adhuc regnum tuum super nos, fac voluntatem tuam in nobis, ne seipsum videatur Deus in hominibus sanctificare, aut regnum suum, super quos vult adducere, aut voluntatem suam, in quibus vult facere, & per hoc inveniretur Deus personarum acceptor. Nec iterum dixit: Sanctificemus nomen tuum, suscipiamus regnum tuum, faciamus voluntatem tuam sicut in cœlo, & in terra, ne hominum tantummodo videatur esse, quod sanctificant Deum, aut quod suscipiunt regnum ejus, aut quod faciant voluntatem ejus, sed medie dixit, & impersonaliter: Sanctificetur, adveniat, fiat, ut utriusque opus necessarium demonstraret, quia & homo Deum necessarium habet, ut Deus hominem ad justitiam faciendam. Nam sicut homo non potest facere bonum, nisi habeat Dei adjutorium, ita nec Deus operatur bonum in homine, nisi homo voluerit. Sicut nec semen sine terra, nec terra sine semine fructificat, sic nec homo sine Deo, nec Deus sine homine justitiam operatur in homine. g Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,] Videtur, quod qui petit quotidianum, non habeat in crastinum: Quomodo enim petit quotidianum, vel diurnum, qui habet præparatum in quinque, vel decem dies? Illud enim petitur, quod non habetur. Quod si est, oratio ista paucis potest convenire, aut forsitan nulli. Quis enim tam fidelis, ut cum possit amplius habere tantum amplius sibi non servat nisi quotidianum? Forsitan solum conveniebat Apostolis, qui omni tempore vagabantur; ut ipsa vagatio amplius quotidiano victu possidere non poterat. Sed ita debemus aptare Christi doctrinam, ut omnes in ea proficiant. Ne forte communis medicina dum paucis, aut nulli prodest, inveniatur superflua, quæ ad omnium salutem est præparata. Ergo non ideo oramus panem, ut habeamus, quod manducemus, sed ut quod manducamus, de manu Domini accipiamus. Nam habere ad manducandum commune est inter justos, & injustos, & frequentius habeat peccatores quam justi, de manu autem Dei accipere panem non est commune, sed tantum sanctorum. Præparare ergo non vetant hæc verba, sed cum peccato præparare. Nam qui cum justitia panes præparat, illi Deus dat panem, quem manducat, qui autem cum peccato, non illi dat Deus, sed diabolus. Nam omnia quidem a Deo † dantur, non tamen omnia a Deo subministrantur. Vel, ita, ut dum a Deo datur, sanctificatus accipiatur. Et ideo non dixit, panem quotidianum da nobis, sed addit nostrum, i. quem jam habemus peratum apud nos, illum da nobis, ut dum a te datur, Sanctificetur: Ut puta, laicus offert sacerdoti panem, ut benedicat, & porrigat illi, quod panis est, offerentis est, quod Sanctificatus est, beneficium sacerdotis. Numquid non sufficit dicere: Panem nostrum da nobis hodie, quare addit quotidianum? Ut luxuriosos cibos compescat, ut tantum quis manducet, quantum natura exigit, non quantum lascivia carnis impellit. Si enim tu in uno convivio tantum expendas, quantum sufficere poterat centum hominibus moderate viventibus, aut tibi ipsi centum diebus disciplinate viventi, jam non quotidianum cibum manducas, sed multorum dierum. Christiano, si possibile est, pane quotidiano non plus habeat, quod possibile non est quantum ad possibilitatem humanam. Item quare dixit: [nostrum?] Propter duas rationes. Primo, quia omnia, quæ dat nobis Deus sive orantibus, sive militantibus, non nobis solis dat, sed etiam aliis per nos. Qui ergo de laboribus suis indigentibus non præstat, non potest dicere, panem meum da mihi, nec enim tantum suum panem manducat, sed & alienum. Deinde qui juste acquisitum panem manducat, suum panem manducat, qui autem cum peccato, alienum. h Da nobis hodie] ut non pro crastino simus solliciti. Cum enim ignores, si vives cras, qua de causa ita sollicitus es? Accinctos, & alatos nos vult esse tantum cedentes naturæ non luxui vel avaritiæ.

al. † creantur.

▲ a Et dimitte

Δ *a* Et dimitte nobis debita nostra,] i. peccata nostra. *b* Sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris.] i. da, ut nos dimittamus aliis, quod in nos peccaverunt, & tu dimitte nobis, quod in te peccavimus. Sed quia per nos stare, & resistere hosti non sufficimus, petimus. *c* Et ne nos inducas in tentationem,] i. induci permittas. Et non tantum hoc facias nobis. *d* Sed libera nos a malo:] id est, a mundo, vel a peccato, & a purgatorio. *e* Amen,] idest vere, vel fideliter. Vere, quo ad intellectum, fideliter, quo ad effectum. Et ideo Dominus in fine posuit, [Amen] quia hæc oratio potissime ex intellectu, & affectu dicenda est.

Alias.

De pœn. dist. 1. c. Fratres sunt & dist. 3. c. si enim, & dist. 3. c. de quotidianis, &c. Adhuc. De conf. 2. c. iteratur. Marc. 11.

Et *a* dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, *d* sed libera nos a malo: *e* Amen. Si *f* enim dimiseritis *g* hominibus peccata eorum, *h* dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si *i* autem non dimiseritis hominibus, *k* nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Cum *l* autem jejunatis,

stitui te Deum Pharaonis. Hæc sunt opera, quæ proprie operatur in nobis Dominus. *Isa.* 27. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine, &c. Omnia, idest, perfecta vel excelsa. *g* Hominibus peccata eorum,] quia in hoc quod peccant homines sunt. *Gen.* 6 Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Homo enim ab humo est. *h* Dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra.] Ecce magna fiducia. 2. *Reg.* 19. David de facili dimittit Semei et maledicenti. Item 1. *Reg.* 25. ad petitionem Abigail dimittit injurias illatas a Nabal. Et ideo ei Dominus facile dimisit triplex peccatum contra Uriam commissum 2. *Reg.* 12. *Luc.* 6. Dimittite, & dimittetur vobis. *i* Si autem non dimiseritis hominibus.] Procedit conditio quasi ab oppositis, q. d. sicut ad dimissionem vestram dimittitur vobis, ita non ad dimissionem vestram non dimittitur vobis. *k* Nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.] ut sit negatio extinctiva totum negans, q. d. nec peccata vestra vobis dimittet, nec pater vester est. Bene dicit [vestra] quia hæc est sola possessio, & operatio hominis. In bonum enim per se non potest, sed potest in malum. *Jac.* 2. Judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam.

De pœn. dist. 1. c. sicut Dominus; De conf. dist. 2. pœnam infra 18.

Θ *a* Et dimitte nobis, &c.] Cum qua spe orat, qui inimicitiam servat etiam adversus lædentem? *Eccl.* 28. Homo homini servat iram, & a Deo quærit medelam. Si ergo qui læsus est, frustra orat, nisi indulserit, quomodo putas, orat, qui læsus non est, si ipse per injustitiam alios lædit, & gravat? Sed multi nolentes dare veniam peccantibus in se fugiunt hanc orationem. Stulti primum, quia non sic orant, ut docuit Christus, nec sunt Christi. Secundo, quia nec pater exaudit orationem, quam filius non dictavit. Cognoscit enim pater filii sui sensum, & verba non suscipit, quæ usurpatio humana excogitavit, sed quæ sapientia Christi exposuit. Non dixit: Sicut & nos dimittemus, sed dimittimus, ut prius dimittamus, & postea petamus remissionem. Rememorat hic peccatorum ut humiliet, jubet remittere, ut conscientiam purget, promittit veniam, ut statuat in spe, & te facit dominum suum: Sicut decreveris inquit de te, & ego de te decernam, tu conservo dimittis, ego servo, & ego de te decernam, tu obnoxius peccato, ego sine peccato. Sed dices: injuste passus sum. Hæc sunt peccata. Si enim juste, peccata non sunt, & tu talium venis accepturus remissionem. Poterat quidem Deus sine hoc dimittere, sed vult salutarem nostram expellere, & philotropiæ occasiones studet dare. *c* Et ne nos inducas in tentationem,] Quia multa magnifica supra posuit, nunc addit humilitatis doctrinam, ut dum dicit: [Ne nos inducas in tentationem,] cognoscant se esse infirmos, & consideratio infirmitatis causam gloriationis extinguat. Duo ergo petimus, ut nos inducat, & ut inductos nos liberet de periculo tentationis. Nam si secundum veritatem justitiæ homines examinaret, nullus poterit fieri salvus, ideo aut difficile tentat, aut si tentat, non tamdiu tentat, donec nos vincamus tentationem, sed quamdiu nos vincere velle ostenderimus, non virtutem nostram tentat, sed voluntatem. 1. *Cor.* 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, &c. Volens autem glorificare hominem tentat eum, non ut eum magno judicio glorificet, sed ne sine causa glorificet, docet humiliter timere, agones non insilire. *d* Libera nos a malo:] pernicioso. Perniciosum diabolum vocat, jubens nos ad ipsum implacabile habere prælium. Et monstrans, quod non natura talis est, sed propter superabundantiam malitiæ sic vocatur, & quia a nobis nihil passus nos persequitur. Et non dixit, a malis libera, sed a malo, ut non odiamus proximos, cum ab ipsis mala passi fuerimus, sed ab illis ad istum transponamus inimicitias sicut ad causam malorum. *Chrys.* Tuum est regnum, & virtus, & gloria in secula seculorum. Amen. Tria hæc ad tria, quæ superius dixerat introducit. Quoniam dixerat: [Adveniat regnum tuum.] Ac si dicat quis: Non habet Deus regnum in terra? Resp. Tuum est regnum. Non potest Deus facere in terris, quod oratis: [Fiat voluntas tua, &c.] Respondet: Tua est virtus, &c. Item dicit, Gloria est, si dimittentibus dimittit. *f* Si enim dimiseritis hominibus.] Postpositam orationem subdit Dominus ipsius commendationem per insertam conditionem, q. d. Dominus, justa est hæc conditio, ut dimittentibus dimittatur, & non dimittentibus non dimittatur. *Eccl.* 28. Dimitte proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Et *ibid.* Homo homini servat iram & a Deo quærit medelam? Dicit ergo: Si enim dimiseritis hominibus. Nota, quod non ait: Si autem vos homines dimiseritis hominibus peccata eorum, id ait simpliciter, dimiseritis, non addens vos homines, in hoc ipso inveniens condonantes injurias, benefacientes inimicis, orantes pro eis quodammodo esse supra homines, quia peccare in fratrem humanum est, sed rancorem odii dimittere, & pro injuriis beneficia reddere quasi divinum est. Unde dicit: *Interl.* Vos, qui estis quasi dii. *Psalm.* 81. Ego dixi dii estis. Et *Exod.* 7. Con-

Secundum Chrysost.

l Cum autem jejunatis.] Supra admonuit Dominus de eleemosyna, & oratione, ut recta intentione fierent, non humanæ laudis appetitu, nunc idem admonet de jejunio. De quo non removet Dominus tristitiam omnimodam, sed tristitiam hypocritarum, quæ non solum meritum non habet, sed supplicium promeretur. Notandum autem, quod jejunium aliud est spirituale, aliud corporale. Spirituale est, quod abstinet a peccato. De quo *Isa.* 58. Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis. Jejunium corporale est abstinere a cibo corporis tempore certo. Quod multa bona efficit, cum recte fit. Primo pauperem reficit. Tunc enim refectum jejunium, quando quod ventri subtrahitur, pauperi datur. Unde *Isa.* 58. Postquam monuit ad jejunium subjungit. Frange esurienti panem tuum. Item intellectum subtiliat. *Dan.* 1. Malasar, qui interpretatur despectio angustiarum, tollebat cibaria, & vinum potus eorum, dabatque eis legumina: pueris autem dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & in omni scientia, Danieli autem intelligentiam omnium visionum. Item gratiam docendi impetrat. Unde *Exod.* 24. legitur, quod Moyses jejunavit quadraginta diebus, & tunc suscepit legem, quam doceret populum. Item revelationes secretorum meretur. Unde *Dan.* 9. Post jejunium audivit ab Angelo. Tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem. Item ad visionem Dei perducit: Unde 3. *Reg.* 19. legitur de Elia, qui jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & venit ad montem Dei Horeb, ubi vidit Deum. Item auctoritatem, & gratiam apud homines confert. Unde *sup.* 3. legitur de Jo: Baptista, quod omnes exibant ad eum propter vitæ austeritatem, & jejunium durum. Item pœnam evitat. Unde *Joan.* 3. Jejunio misertus est Dominus Ninivitis. Item carnis lasciviam domat. Unde *Hier.* Oratione sanantur pestes mentis, jejunio pestis corporis. *Marc.* 9. Hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione, & jejunio, Item hominem cum Deo servat. *Isa.* 30. Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam brevem, & non faciet avolare a te doctorem tuum. Item sanitatem corporis conservat. *Eccl.* 31. Vigilia, & cholera, & tortura viro infrunito, somnus sanitatis in homine parco. Item tentationem dæmonis eliminat. Unde *Jud.* 13. post jejunium amputavit caput Holofernis, i. suggestionem dæmonis. Item liberationem a morte pro aliis impetrat. Unde *Esth.* 7. post jejunium impetravit apud regem liberationem Judæorum, de quibus data erat sententia mortis. Item gratiam, vel augmentum gratiæ impetrat. Unde *Act.* 2. post jejunium quadraginta dierum datus est Apost. Sp. Sanctus. Item exemplo informat. Et ideo jejunavit Dominus in deserto, *sup.* 4. Dicit ergo [Cum autem jejunatis] in tempore certo, & determinato. Non enim semper est jejunandum, quia omnia tempus habent. *Chrys.* Eleemosynas præcedit quasi meretrix, ut locum habeat oratio. Jejunium sequitur orationem, quia non oratio jejunii adjutorium est, sed jejunium orationis

Duplex jejunium.

Jejunium corporale multa bona efficit.

Δ Nolite fie-

a Nolite fieri ficut hypocritæ.] Non folum prohibet facere, fed velle, cum dicit. [Nolite.] In voluntate enim prima radix merendi, vel demerendi eft. a Triftes,] in apparentia. Ipfa enim vultus triftitia eft oftenfio jejunii, quafi dicat, nolite jejunare ea intentione, qua illi, fcilicet, pro jejunii

a nolite fieri ficut hypocritæ b triftes. c Exterminant enim d facies fuas, ut e pareant hominibus jejunantes. f Amen g dico vobis, † h receperunt mercedem fuam. i Tu autem k cum jejunas, l unge caput tuum, & m faciem tuam lava, n ne videaris hominibus jejunans, fed patri o tuo, p qui eft in abfcondito: & pater q tuus, qui videt in abfcondito, r reddet tibi. f Nolite thefaurizare vobis thefauros in terra, ubi t ærugo, & u tinea demolitur, x & ubi y fures effodiunt, & furantur. z Thefaurizate autem vobis a thefauros in cœlo,

al. † quia.

C

De facta unctione, cap. ...

oftentatione per triftitiam. c Exterminant enim,] ideft eatra terminos proprios ponunt, quafi neque exquifitæ delitiæ, neque affectatæ fordes decent Chriftianum. d Facies fuas,] non brachia, fed facies in quibus magis apparent. e Ut pareaut hominibus jejunantes,] qui non vident nifi exteriora. Sed Dominus intuetur cor 1. *Reg.* 16. *Eccl.* 1. Noli fieri hypocrita in confpectu hominum. *Chryf.* Si deftructio faciei eft ad vanam gloriam, ubi idem apparet, quid dicemus mulieribus, quæ coloribus, & lubfcriptionibus faciem corrumpunt in periculum incontinentium juvenum? Illi enim fibi folt nocent, iftæ autem & fibi, & videntibus. *Bern.* Non tutum eft labiis hominum committere gloriam fuam, arcæ utique fiae fera, & fine clave. Nam fi ponitur in us meum non jam in tua poteftate, fed in mea eft poteflate, eum meo libito poffum laudare te, vel derogare tibi. a Nolite fieri ficut hypocritæ triftes.] *Chryf.* Sciens Dominus, quod non poteft effe hilaris, qui jejunat, non dixit: Nolite effe triftes, fed nolite fieri. Aliud enim eft effe, aliud fieri. Affiduum jejunium naturaliter facit effe triftem, quia autem per impofturam, vel hypocrifim pallentes apparent, non funt triftes, fed fiunt. Si ergo qui jejunat, & triftem fe facit, hypocrita eft, quanto iniquior eft, qui non jejunat, fed in facie fua argumentis quibufdam pingit venalem pallorem. f Amen,] ideft, vere. g Dico vobis,] amicis meis. h Receperunt mercedem fuam,] laudem, fcilicet fuam, quam intendebant. Hoc jejunium perniciofum eft, & Deo contrarium. *Ifa.* 58. Nunquid eft jejunium, quod elegi? *Greg.* fuper *Amos* 4. Incaffum enim caro atteritur, fi a pravis voluptatibus non refrænatur. *Ifidorus.* Qui cibis abftinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus non efca, fed nequitia femper adeft. i Tu autem, &c.] ex quo removit removendum, docet, quid faciendum. Dicit ergo: [Tu autem.] Ifte enim dignus eft demonftratione, alius non. Propter hoc dictum eft in plurali fupra. Cum autem jejunatis. Mali enim funt in pluralitate. k Cum jejunas.] *Verfus.* Abftinet æger, egens, cupidus, gula fimia, virius. l Unge caput tuum,] oleo. Metaphora eft a Palæftinis fumpta. Ifti enim in feftis caput fuum ungebant. Senfus eft. Unge caput tuum oleo, ideft, feftivum, & hilarem te exhibe, 2. *Cor.* 9. Hilarem datorem diligit Deus, *Eccl.* 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum. Vel. Unge caput tuum, ideft, mentem tuam oleo gratiæ. Caput, ideft mens inungitur, ne diabolus per capillos, ideft, cogitationes retineat, *Ifa.* 10. Computrefcet jugum a facie olei. Item oleo fpiritualis lætitiæ contra triftitiam fæculi. *Pfal.* 44. Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, &c. Item oleo mifericordiæ, contra avaritiam, *Luc.* 10. Samaritanus vulneribus fauciati infudit oleum. Item oleo nitidæ, & mundæ confcientiæ contra negligentiam. Hoc caruerunt fatuæ virgines, *Infr.* 25. Item carnem unguento, ideft, maceratione carnis *Judith* 10. Unxit fe myrto optimo, *Joan.* 12. Domus repleta eft ex odore unguenti. m Et faciem tuam lava,] *Chryf.* Facies animæ confcientia eft. Projice a te fordes avaritiæ, perjurii ftercora, malitiæ putredinem, & lavafti faciem aqua prophetica, *Ifa.* 1. Lavamini, mundi eftote, auferte malum cogitationum veftrarum. Caput tuum Chriftus eft. Efurientem ciba, fitientem pota, & fic caput tuum unxifti pretiofo myrto, ideft, Chriftum oleo mifericordiæ, qui clamat in Evangelio. Quod uni ex minimis meis feciftis, mihi feciftis. *Infr.* 25. Item juftitia in duobus, ne facias malum, ut facias bonum. Ad illud pertinet, [lava;] ad aliud, (unge.) Non dicit: lava caput. Caput enim tuum lotionem neceffariam non habet, noftra autem confcientia femper fordida eft in peccatis, quamdiu fumus in hoc corpore. Lava faciem tuam, ideft, intellectum a curiofitate, affectum ab illicito amore. In hac autem facie infpiratur homini anima vivens. n Ne videaris hominibus jejunans.] Non prohibet fimpliciter videri, fed velle videri, & inde laudari. o Sed patri tuo,] per creationem, per recreationem, per confervationem. p Qui eft in abfcondito,] *Ifa.* 45. Vere tu es Deus abfconditus. q Et pater tuus, qui videt in abfcondito,] ideft in humili, & pura confcientia, quæ cœlum dicitur: *Ifa. ult.* Cœlum mihi fedes eft. r Reddet.] *Sap.* 10. Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum fuorum. f Nolite thefaurizare, &c.] Supra prohibuit Dominus jejunium pro humano favore captando, & adhuc idem prohibet fieri pro lucro temporali acquirendo. Sunt enim quidam avare jejunantes, ut parcant rebus fuis, & multiplicent fibi thefauros, & tale jejunium prohibet Deus. Vel poteft fic continuari, ut fit fumma, & brevis conclufio omnium prædictorum, quafi dicat, nolite dare eleemofynam, jejunare, orate pro commodo terreno, & quid dicerem per fingula, nolite thefaurizare, &c. ideft, aliqua opera mifericordiæ, vel de genere bonorum agere vobis in terra, ideft, pro emolumento terreno. Dicit ergo: f Nolite thefaurizare vobis in terra,] ideft, fpem vobis collocare in terrenis, divitias reputando. t Ubi ærugo & tinea demolitur,] ad litteram, ideft, confumit, & deftruit, *Jac.* 5. Argentum veftrum, & aurum æruginavit. x Et ubi fures effodiunt, & furantur,] ad literam fæpe. Unde *Eccl.* 29. Non abfcondas eam, ideft, pecuniam fub lapide in perditionem, ficut fecit quidam fubfcribens lapidi, hic funt, & alter veniens, & accipiens, fubfcripfit, hic non funt, & mortuus eft ille, qui abfconderat præ dolore. Alius eft thefaurus fcientiæ. De quo *Eccl.* 20. Sapientia abfconfa, & thefaurus invifus, quæ utilitas in utrifque? *Prov.* 11. Qui abfcondit frumenta maledicetur in populis. Item gratiæ, *Prov.* 21. Thefaurus defiderabilis, & oleum in habitaculo jufti. Et malus Thefaurus culpæ, *Rom.* 2. Secundum duritiam tuam, & cor impœnitens thefaurizas tibi iram, in die iræ, & revelationis jufti Judicii Dei. t Ubi ærugo.]

Moraliter.

Moraliter. Omnis thefaurus, aut eft de metallis, aut de veftibus, aut de lapidibus pretiofis. Primum demolitur ærugo, fecundum tinea, tertium fures. Quod ergo dicit Dominus, hic de his thefauris, præcipue tangit clericos: *Eccl.* 5. Noli attendere ad poffeffiones iniquas, nihil enim proderunt tibi in die vindictæ, & obductionis. In his prædictis tribus triplex notatur tentatio mundi, carnis, & diaboli. Hæc funt tria jacula diaboli. Ærugo, quæ in auro eft, & argento; concupifcentia mundi, *Job* 20. Divitias quas devoravit per cupiditatem fuam, evomet per amiffionem. *Prov.* 23. Ne erigas oculos tuos ad divitias, quas habere non potes. Tinea, quæ nafcitur de vefte plicata, & in quiete, gula eft, & luxuria in carne. Fures funt fuperbia, & dæmones, quæ omnes virtutes furantur. Inter quos occiditur defcendens a Jerufalem in Jericho, *Luc.* 10. Notabiliter autem dicit: effodiunt primo, & furantur, fecundo. Effodiunt enim per oftentationem, ut demum furentur, cum appetit humanum favorem. *Joel* 1. Ficum meam decorticavit. *Greg.* Deprædari defiderat, qui thefaurum in via publice portat.

Allegorice.

Allegorice. u Tinea] fignificat invidiam, quia tinea latenter veftes confumit. t Ærugo,] fuperbiam, quæ omnem decorem virtutum offufcat. y Fures,] Hæretici, vel dæmones, qui femper ad hoc tendunt, ut fpiritualibus fpolient. z Thefaurizate autem vobis.] Non dicit mihi, nihil enim prodeft fibi, fed vobis, *Job* 22. Quid prodeft Deo, fi juftus fueris, aut quid conferes ei, fi immaculata fuerit vita tua? *Pfal.* 15. Bonorum meorum non eges. a Thefauros in cœlo,] quafi in proprio loco. *Chryf.* Ibi fubftantiam tuam colloca, ubi patriam habes. In cœlo dicit, quafi dicat. Incorruptibiles funt divitiæ fanctorum, & in cœlo, ubi nihil corrumpitur, funt quærendæ, & ponendæ *Eccl.* 14. Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operabitur, ibit cum ipfo. *Chryf.* Quæ ftultitia eft illic relinquere, unde exiturus es, & illuc non præmittere, quo iturus es? Quicquid pro anima tua feceris, hoc tuum eft, quod autem reliqueris, perdidifti. Nam quod corporaliter congregatur, fpiritualiter difperfum videtur, & perditum, quod autem corporaliter difpergitur, bene fpiritualiter congregatur in cœlo. Qui collocat thefauros in terra, non habet, quod fperet in cœlo. Ut quid refpiciat in cœlum, ubi nihil habet repofitum? Unde *Pfal.* 72. Quid enim mihi eft in cœlo, & a te quid volui fuper terram?

ubi *a* nec ærugo, nec tinea demolitur, *b* & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi enim est *c* thesaurus tuus, ibi est cor tuum. *d* Lucerna corporis tui est *e* oculus tuus. Si fuerit *f* oculus tuus *g* simplex, *h* totum corpus tuum *i* lucidum erit. *k* Si autem oculus tuus nequam *l* fuerit, *m* totum corpus tuum tenebrosum erit. *n* Si ergo lumen quod in *o* te est, *p* tenebræ sunt, ipsæ *q* tenebræ, quantæ erunt? *r* Nemo potest *s* duobus Dominis servire. *t* Aut enim unum odio habebit

▲ *a* Ubi neque ærugo, neque tinea demolitur,] ad literam, quia nihil mali ibi admittitur, &c.

Moraliter. Moraliter.

Per æruginem superbia, quæ de bono oritur, sicut ærugo de metallo. Per tineam invidia, quia sicut tinea sine sonitu vestem corrumpit, sic invidia virtutes. Fures sunt Hæretici, qui furantur veritatem sacræ Scripturæ, vel dæmones, qui effodiunt, in tentatione, furantur in consensu, *Jacob* 5. Agite nunc divites, plorate ululantes. Agite dicit contra æruginem, plorate contra tineam, ululate, contra fures, qui sunt Lupi contra quos ululandum est. *(Jac. 5.)*

b Et ubi fures non effodiunt, nec furantur.] *Chrys.* Omnia bona mundi triplex interitus tollit, aut ex seipsis veterascunt, aut dominorum luxu consumuntur, aut extraneis dolo, vt, vel calumnia diripiuntur, quia omnes fures dicuntur, qui per iniquitatem festinant aliena facere sua. Vel. [Ubi fures, &c.] quia ibi adversus electos Dei nulla fraus prævalebit. *Nahum* 1. Celebra Juda festivitates tuas, non adjiciet ultra, ut pertranseat in te Belial: universus interiit.

c Ubi enim est thesaurus tuus,] quasi dicat, cave, ubi thesaurizas. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum, idest, cordis meditatio, *Ecclef.* 10. Cor sapientis in dextera ejus, idest, in æternis, & cor stulti in sinistra, idest, in transitoriis. *Deut.* 33. Oculis Jacob in terra frumenti, idest, in cœlo. *Prov.* 17. Oculi stultorum in finibus terræ. *Eccl.* 2. Oculi sapientis in capite ejus. Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *Hier.* Cor habet gulosus in ventre, lascivus in ludicris, amator in libidine, avarus in pecunia. Qui vult thesaurizare, tria sibi sunt necessaria. Providentia in reponendo, discretio in congregando, diligentia in servando. Providentia, ut provideat, ubi reponat in locum tutum, idest, in cœlum, & arcam fortem, scilicet, Christum, vel beatam Virginem. Corpus est mala arca, quia omnia putrescunt ibi. Aliquando diabolus vult auferre thesaurum istum per violentiam, scilicet tentationem. Quod significatur. 2. *Machab.* 3. quod Heliodorus, qui diabolum significat, voluit spoliare templum. Sed quid faciendum est, docetur ibi optime. Tria sunt, quæ vim ejus debilitant. Oratio, timor, & dolor. De oratione dicitur ibi. Invocabant de zelo eum, qui de depositis legem posuit, ut his qui deposuerant ea, salva custodiret. Si ita fiet, veniet ille sedens super equum, habens, ut videbatur, arma aurea scilicet Christus paratus ad pugnandum, quem sequuntur duo juvenes optimi decore, scilicet, Angeli missi a Deo, scilicet, timor de pœna futura, & dolor de præterita culpa. Discretio etiam necessaria est. *Rom.* 12. Rationabile sit obsequium vestrum. *(Thesaurizantis sunt tria necessaria.)*

d Lucerna corporis tui.] Dixerat, ubi thesaurus tuus est, ibi & cor tuum, ideo cavendum est in reponendo thesaurum. Sed quia cautela ab intentione incipit: ideo determinat intentionem, ut non vertatur ad inanem gloriam, vel lucrum temporale. *Chrys.* Post eleemosynas convenienter docet mentem habere ad Deum. Qui enim cor habet ad Deum, illius oculus lucidus est. Unde *supr.* 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Eccl.* 11. Dulce lumen, & delectabile oculis videre solem. Vocans ergo intentionem oculum, comparat eum lucernæ: sicut enim oculus membra ad operandum dirigit, & lucerna gressus ambulantis, sic intentio congeriem operationis. Et sicut nomine oculi duo accipiuntur, ut dicit *Glos.* scilicet intentio, & lux fidei, sic nomine corporis duo similiter, scilicet congeries operum exteriorum, & congeries operum interiorum, sive virtutum. Primo oculo respondet primum corpus, & secundo secundum. Lucerna igitur intentio recta, vel fides formata, opera dirigunt, & informant. Dicit ergo: [Lucerna corporis tui.] Corpus dicit congeriem operum exteriorum, & interiorum.

e Est oculus tuus, &c.] idest, fides, vel intentio, ut non ad lucernam hominum judices opera, sed propriæ conscientiæ. *Apoc.* 11. Lucerna ejus est agnus. Quia agnus simplex significat rectam intentionem, & simplicem.

f Si fuerit oculus tuus,] Per hoc, quod dicit, oculus, singulariter, significat quod intentio debet esse ad unum, 4. *Reg. ult.* Sedechias excæcatus est in Reblatha. Similiter fides debet dirigi ad Deum. *Cant.* 4. Vulnerasti me, soror mea, in uno oculorum tuorum.

g Simplex,] sine errore ad fidem, sine prava delectatione, ex charitate informante. Vel, simplex, sine duplicitate. *h* Totum corpus tuum,] idest, congeries bonorum operum interiorum, & exteriorum.

i Lucidum erit,] a tenebris peccati remotum.

k Si autem oculus tuus,] idest, intentio tua.

l Nequam fuerit,] idest, perversa.

m Totum corpus tuum tenebrosum erit,] id opus demeritoriam erit. *Chrys.* Sicut qui graves habet oculos, si ponas eum in loco tenebroso, melius videt, si autem ponas in sole, nihil videt, quia oculus non suffert solis candorem: Sic & homo mundialis, qui oculum, idest mentem terrenis desideriis sordidam habet, & turbulentam, si ponas eum in rebus mundialibus sapit, & astutus est, si autem trahas eum ad res spirituales nihil sapit, quia mens ejus terrenis desideriis corrupta justitiæ bonum non sentit, dico non nescit, scit enim, quod non sentit.

n Si ergo lumen,] idest intentio, quæ debet esse lumen operum.

o Quod in te est,] in libero arbitrio. *p* Tenebræ sunt,] mala intentione facta, quia tunc mala.

q Ipsæ tenebræ,] idest ea, quæ per se mala sunt, quantæ erunt? Et est sensus in summa. Si bona, quæ agis, quia mala intentione, fiunt, tenebræ sunt, ea, quia per se mala sunt, & mala etiam intentione fiunt, majores tenebræ sunt. Vel secundum *Aug.* Lumen est intentio prava, dictum vel factum dicuntur tenebræ. Unus est sensus. Si intentio corrupta est tenebræ, multo magis dictum, vel factum procedens ex illa intentione. *Chrys.* Nun eligeres aurum, & sericas vestes, ut oculis oraberis, quia nulla reliquæ vitæ tibi esset utilitas, ita in anima custodi intellectum.

r Nemo potest duobus Dominis servire,] adhuc utitur Dominus quasi quadam antypophora. Posset enim dicere aliquis; si propter intentionem temporalium, & hujusmodi mala fiunt quæ sunt bona, ego faciam bona simul, & propter cœlestia, & propter temporalia. Et potest hoc respicere tria, quæ prædicta sunt, scilicet, nemo potest servire pro temporalibus simul, & terrenis. Vel simul thesaurizare in cœlo, & in terra. Vel. Nemo potest simplici oculo, & nequam facere aliqua.

s Duobus dominis,] contrariis. Non enim potest quis exercere opus diaboli, & placere Deo. 3. *Reg.* 18. Usquequo claudicatis in duas partes? Duo Domini sunt virtutes, & vitia, cœlestia, & terrena, Deus, & diabolus, vana gloria & vera gloria.

t Aut enim,] subjungit causam prædictorum.

u Unum odio habebit,] diabolum tanquam singulariter malum, non creaturam sed vitium.

▲ Et alterum

r Nemo potest, &c.] scilicet, Deo, & diabolo [servire.]

Diabolus significatur per Pharaonem, qui facit servire suos in luto luxuriæ latere cupiditatis, palea vanitatis. Et invitat ad ædificandum tres civitates in Ægypto. Phyton, Ramesse, Heliopolis. De duabus primis, *Exod.* 1. De tertia Isaiæ decimonono, In die illa erunt quinque civitates, in terra Ægypti, civitas Solis vocabitur una. Phyton, interpretatur os abyssi, vel cupiditas. *Prov.* 31.

Tria sunt insatiabilia: Infernus, os vulvæ, & terra, quæ non satiatur aqua, quartum vero, scilicet, ignis, nunquam dicit sufficit.

Ramesse, interpretatur malitia detinens: Hæc est, luxuria. *Prov.* 2. Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur.

Heliopolis, civitas Solis, superba. *Job* 31. si vidi solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clare, lætatum est in abscondito cor meum. Solem videre, cum fulget, est lætari de honore temporali, & vani nominis claritate. Lunam videre incedentem clare, est exultare de mundi prosperitate. Item servientes diabolo in panibus sunt detractores.

† Unde *Prov.*

▲ *a* Et alterum diliget,] scilicet Deum. *b* Aut unum sustinebit,] scilicet diabolum, jugum ejus portando.
c Et alterum contemnet] scilicet Deum, opera ejus delicis, & concupiscentiis postponendo. Et nota, quod dicit: [contemnet,] non odiet. In omni enim peccato mortali contemptus est.

D

& *a* alterum diliget, *b* aut unum sustinebit, & *c* alterum contemnet. Non *d* potestis Deo servire, & mammonæ. Ideo *e* dico vobis, ne *f* soliciti sitis animæ vestræ, quid *g* manducetis, *h* neque corpori vestro, quid induamini, *i* Nonne anima plus est quam esca, & *k* corpus plus quam vestimentum: *l* Respicite volatilia cœli, quoniam

Nota, quod nulla creatura Deum odit affectu, etsi effectu. Nec etiam diabolus odit, Deum, inquantum Deus est, sed inquantum puniendus est. Sicut latro non odit Judicem quia homo, sed quia judex, & vindex. *d* Non potestis Deo servire, & mammonæ,] Manifestatio ejus est, quod dixerat: Non potestis duobus Dominis servire. Non dicit habere, quod fieri licet, ut bene dispenset. Abraham enim divitias habuit, & Job, sed non eis servierunt. Servire enim divitiis avari est. Nota autem quod Syra lingua, mammonæ divitiæ dicuntur. Secundum quosdam dicitur nomen dæmonis, qui præest divitiis, non quod in ejus ditione sint, sed quia laqueis divitiarum utitur ad decipiendum. *Chrys.* Non solum in hoc nocent divitiæ, quia latrones armant contra nos, & intellectum obtenebrant, sed quia a servitute Dei nos expellunt in suam captivitatem. Ideo qui vult Deum amare, necesse est ut odiat divitias, & qui vult mandata avaritiæ facere necesse est, ut contemnat Dei mandata.

† Unde *Prov.* 20. Suavis est homini panis mendacii, & postea os ejus implebitur calculo. In potu, prædicatores falsi in lecto luxuriæ, *Job* 40. Sub umbra dormit, in secretu calami, in locis humentibus. In utroque illi, qui ventri deserviunt. *Phil.* 3. Quorum Deus venter est. Iste Dominus gravis exactor est, jurgiosus, crudelis, infidelis. Gravis exactor operũ, & servitiorum. *Exo.* 5. Præfecti operum instabant dicentes: completa opus vestrũ quotidie ut prius facere solebatis. Item Jurgiosus est. *Pr.* 17. Semper jurgia quærit malus. Crudelis est qui nec parcere, nec misereri potest. *Pr.* 5. Fili, ne des, alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. Infidelis est, quia seductor, & mendax. *Joan.* 8. Ipse mendax est, & pater ejus, &c.

Multiplex solicitudo.

e Ideo dico vobis] quia scilicet Deo, & mammonæ non potestis servire: [Ideo dico vobis.] Quia possent forte dicere: Tu prohibes divitias, sed saltem indigemus cibis, & possumus solliciti esse de illis habendis. Hoc prævenit, & removet cum dicit.
f Ne soliciti sitis animæ vestræ] Idest vitæ vestræ. Multiplex est solicitudo. Est enim quædam providentiæ spiritualis: Et hæc præcipitur. *Prov.* 6. Vade ad formicam o piger, & disce sapientiam. Est & solicitudo temporalis necessitatis, quæ est tolerabilis. De qua *Gen.* 3. In Sudore vultus tui vesceris pane tuo. Est etiam solicitudo superfluitatis, & curiositatis: Hæc provenit ex amore inordinato terrenorum, & diffidentia æternorum: De hac *Prov.* 11. Expectatio solicitorum peribit. De hac etiam dicit. *Luc.* 8. super illum locum: Semen est verbum Dei. *Glos.* Solicitudo hujus sæculi suffocat verbum Dei. Ibi *Bernardus*. Circumit sedulus explorator, sequitur, obsequitur, simulat, dissimulat pedibus, ac manibus repens, si quo modo se possit ingerere in patrimonium crucifixi. *Chrys.* Solicitudo desperationis filia. Prima solicitudo est commendabilis, secunda tolerabilis, tertia vituperabilis.

Phil. 3.

g Quid manducetis.] Hic sigillantur gulosi, quorum Deus venter est: sicut de guloso Esau dicitur, *Gen.* 25. *Aug.* Pascebat contemnentem se, & non pascit obsequentem. *Chrysostomus*. Escam, etsi solicitus non fueris, habebis, justitiam vero nisi solicitus fueris, non habebis. Quæ ergo sapientia de hoc solicitum esse, quod sine solicitudine etiam apprehendes, & non esse solicitum de eo, quod nisi solicitus fueris, perdes? *Phil.* 4. Gaudete in Domino semper.
h Neque corpori vestro quid induamini.] De duobus loquitur, de quibus est maxima solicitudo, scilicet cibo, & vestitu. 1. *Tim.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, &c. De his duobus solicitus erat, qui induebatur purpura, & bysso, & quotidie epulabatur splendide, *Luc.* 16. Habentes igitur victum, & quibus tegamur, his contenti simus. *Hier.* Ornatus pariter, & sordes fugiendæ sunt, al enim enim gloriam, alterum ignominiam sapit.
i Nonne anima plus est, quam esca, &c.] q. d. qui dedit animam, quæ magis est, dabit & escam, quæ minus est. Quantum ad escam dat exemplum de volatilibus, quantum ad vestimentum de liliis. Nonne anima plus est quam esca, i. vita vestra. Simile *Jo.* 12. Qui amat animam suam, perdet eam, idest, vitam, q. d. Dominus, ne timeatis, qui dedit animam, dabit escam. *k* Et corpus plusquam vestimentum] q. d. sic & longe majus, quia hoc propter illud est datum, vel factum.

non *m* serunt, *n* neque metunt, *o* neque congregant in *p* horrea, & *q* pater vester cœlestis pascit illa. Nonne *r* vos magis pluris estis illis? *s* Quis autem vestrum cogitans potest *t* adjicere *u* ad staturam suam cubitum unum? Et de *x* vestimentis, quid soliciti estis? *y* Considerate *z* lilia agri, quomodo crescunt, *a* non laborant, neque nent.

Chrys. Anima non moratur, nisi in corpora cibato. Multi tamen de anima sunt soliciti parum, quid manducent. Et maxime Theologi, qui cibum animæ ori apponunt, nec inde comedunt, dum quod in scholis audiunt, non faciunt, sed pro laude, aut temporali mercede vendunt.

Luc. 12.

l Respicite volatilia cœli] quæ non perpetuo erunt, & ideo minora, & indigniora sunt. *Chrys.* Confirmat primo ab anima ut a majori, deinde a minori, ut a volatili. *m* Quoniam non serunt] ad victum suum curandum. *n* Neque metunt] laborando. *o* Neque congregant] laborum solicitudinem addendo. In primo sugillantur timidi, in secundo avari, & inquieti, in tertio raptores, & tyranni. *p* In horrea] quod fecit ille dives stultus. *Luc.* 12. dicentes: Quid faciam qui non habeo, quo congregem fructus meos, hoc faciam, destruam horrea mea, & majora faciam illa, &c. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te. *Chrys.* Animalia omnia fecit Deus propter hominem, hominem autem propter seipsum. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo hominibus non ministrabit propter seipsum? *q* Et pater vester cælestis pascit illa,] non Deus meus, sed pater, ut illis consideratis multo magis vos pascat, qui estis filii. *Psal.* 146. Qui dat jumentis escam ipsorum. *Job* 38. Quis præparat corvo escam? *Rab.* Quis Rex devotis militibus debitam non procurat alimoniam? Quis Dominus servis suis non ministrat cibaria? Quis pater non dat filiis? Noli homo exacerbare Deum pro te taliter cogitando. Dato regno suspiras panem, indutus immortalitatis gloria, plangis corporis vestimentum? *Aug.* & *Rab.* hæc *ad litteram* intelligunt. Verisimiliter tamen possunt exponi de religiosis, qui nec serunt, nec metunt, & nihil in terra quærunt, & ab omni mundana solicitudine semoti, sola contemplatione in coelo degunt. De quibus. *Isa.* 60. Qui sunt hi, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas.
r Nonne vos magis pluris estis illi.] Modus loquendi est, respondens translationi, quasi dicat, majoris enim pretii estis. Si igitur de illis curat, & de vobis. *s* Quis autem vestrum cogitans,] solicitudine, & studio animæ.
t Potest adjicere] corporali sagacitate, & labore.
u Ad staturam suam cubitum unum, quasi dicat, nullus quasi dicat, qui dedit corpori augmentum, dabit & vestimentum. *Alia littera* dicit: Ad ætatem suam. Et sic probat Dominus per rationem augmenti, quod de cibo non debent esse soliciti, quia si cibus est ad augmentum vel nutrimentum; Deus autem utrumque operatur, ad quid igitur cibus cum tanta solicitudine acquiritur, *Chr.* Sicut solicitudo corpori non potest apponere, ita nec cibum congregare.
x Et de vestimentis quid soliciti estis?] quasi dicat, si corpori addere non potestis, de vestibus non curetis, quia in his, & in aliis providebit eis, qui ea fecit.
y Considerate lilia agri, quomodo crescunt,] quasi scilicet tam coloribus pretiosis induta sunt.
a Non laborant] coloribus se ornando.
b Neque nent,] indumenta sibi conficiendo. *Chrysostomus*. Quod dicit: Laborant, ad viros pertinet, quod dicit: nent, ad feminas. Item cur non dicit pavonem, & cygnum? propter utilitatem majorem: & ideo & lilia fœnum vocat.

z Lilia agri,] Virgines. *Cant.* 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

▲ Dico autem

Moraliter.

Moraliter. Per lilia activos, per volatilia contemplativos, per fœnum intellige præscitos.

a Dico autem vobis] ego, scilicet de cujus verbis dubitare non deberis. *b* Quoniam nec Salomon] qui præ aliis hominibus floruit, qui dicit: *Eccl.* 2. Supergressus sum operibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem. *c* In omni gloria sua] triplici. Divitiarum, scientiarum, potentiarum *Alia littera* In omni regno suo. *d* Coopertus est sicut unum ex istis] idest, tam pulchre. Vel quia in Salomone fuerunt vestes alienæ, in lilio vero propriæ vestes, quas natura dedit ei. *Chrys.* Salomoni homines ministrabant vestes, istis autem Deus. *e* Si enim fænum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur,] idest, in fornacem, vel in acervum factum ad modum clibani. Cras autem pro futuro ponitur, Simile *Gen.* 30. Respondebit mihi cras justitia mea. *h* Deus sic vestit,] idest, tam pulchre ornat, quasi dicat si ista, quæ tantum ad usum temporis sunt, & tam cito decidua sunt, ut ipsa cras cremabuntur, a Domino tam venuste ornantur, *i* Quanto magis vos] supple vestiet. *k* Modicæ fidei,] qui de promissione Dei dubitatis. *Interl.* Quicumque in aliqua promissione dubitat modicus est fide, & quanto plus dubitat, minus invenit ea, pro quibus solicitus fuit, &c. *l* Nolite ergo soliciti esse] Supra dixit quod solicitudo curiositatis removenda est, quia cum majora dederit, minora dabit. Et posuerat tria exempla. Inde concludit. Nolite ergo soliciti esse, quia in voluntate vestra est. *m* Dicentes] quia major est solicitudo, quando procedit in sermonem, quia tunc datur in exemplum. *Thren.* 2. Matribus suis dixerunt: ubi est triticum, & vinum, cum deficerent. *n* Quid manducabimus] *Num.* 11. Quis dabit nobis carnes ad vescendum, recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porri, cæpæ, & alia. *o* Aut quid bibemus,] ecce solicitudo stulta. Provisa enim sunt hæc omnia ab eo, qui novit hæc in via esse necessaria. *Eccl.* 31. Sanitas est animæ, & corporis sobrius potus. *Seneca*. Natura minimis contenta est. *p* Aut quo operiemur,] Hæc cura Deo relinquenda est. *q* Hæc enim omnia] quæ supra dicta sunt.
r Gentes inquirunt] qui infideles sunt, & qui de futurorum bonorum promissione non confidunt. *Rom.* 8. Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt, qui vero secundum spiritum sunt, quæ spiritus sunt, sentiunt. *Aug.* Scit enim cœlestis medicus quid vobis daturus est ad consolationem, quid vero subtracturus ad exercitationem. Non enim homo jumento suo sine causa cibaria detrahit.
f Scit enim pater vester, &c.] Quia ergo pater diligit vos filios, & quia indigetis procurabit vobis hæc. Hucusque prohibuit Dominus solicitudinem propter multas causas. Prima est, quia verbum Dei suffocat. *Infr.* 13. Solicitudo hujus sæculi, & fallacia divitiarum suffocat verbum. Secunda est, quia fructificationem bonorum operum exterminat. *Jerem.* 4. Novate vobis novale, & nolite serere super spinas. Tertio, hominem illaquear. 1. *Tim. ult.* Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. *Cant.* 5. Expoliavi me tunica mea. Dicit *Beda*. Recepta solicitudine temporalium subsidiorum quamlibet eximius prædicator difficile mittit peccatum. Quarto, a spiritualibus retrahit. *Greg.* Amor temporalium æternarum viscus est pœnarum. Quinto inebriat. *Thr.* 3. Inebriavit me absinthio, idest, solicitudine pungitiva, & amaricante animam. Sexto, animam affligit, & quo separabatur, non inducit. *Eccl.* 1. Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem spiritus. Septimo, dormire non permittit. *Eccles.* 31. Vigilia, & tortura, & cholera viro infrunito, idest, cupido. Octavo, vigilando somniare facit. *Eccle.* 5. Multas curas sequuntur somnia. Et nota, quod sicut somnianti videtur, quod multa faciat: ita soliciti multa cogitant, & pauca faciunt. Nono animam excæcat. Unde *Jerem. ult.* & 4. *Reg.* 25. habetur de Sedecia, qui excæcatus fuit in Reblatha, quæ interpretatur multa hæc. Decimo evacuat pœnitentiam. *Gen.* 4. Cain, idest, possessio temporalium, postquam eduxit Abel, idest, luctum, in agrum solicitudinis, scilicet occidit eum.

Iuc 12. 13. 4. 7. 8. *habebat*.

a Dico autem vobis, quoniam *b* nec Salomon in *c* omni gloria sua *d* coopertus est sicut unum ex istis. Si enim *e* fœnum agri, quod hodie est, & *f* cras in *g* clibanum mittitur, *h* Deus sic vestit, *i* quanto magis vos *k* modicæ fidei. *l* Nolite ergo soliciti esse, *m* dicentes: quid *n* manducabimus, *o* aut quid bibemus, *p* aut quo operiemur? Hæc enim *q* omnia gentes inquirunt. Scit *f* enim pater vester, quia his omnibus indigetis. *t* Quærite ergo primum *u* regnum Dei, *x* & justitiam ejus, *y* & hæc omnia *z* adjicientur vobis. *a* Nolite ergo soliciti esse in crastinum. *b* Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. *c* Sufficit diei malitia sua.

t Quærite ergo primum regnum Dei.] Nota, quod tria sunt genera bonorum: Æternum, spirituale, temporale. Primum est maximum bonum, secundum minus, tertium minimum. Dicit ergo: Quærite primum, idest, primo vel principaliter. Vel. Primum, quod est inter alia primum. *u* Regnum Dei.] Hoc unum, & solum cum solicitudine est quærendum. Et ideo dicit: Quærite, idest, ad quærendum attendite. Quærite, quia tempus breve. *Deut.* 32. Adesse festinant tempora. *Ezec.* 7. finis venit, venit finis. Item quia longævum. *Psal.* 144. Regnum tuum regnum omnium sæculorum. Item quia jucundum. *Psal.* 30. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine. *Isa.* 21. si quæritis, quærite. Quærite, oratione, & opere. Item quia gloriosum, & copiosum. *Prov.* 8. Mecum sunt divitiæ, & gloria, &c. *x* Et justitiam ejus.] Ecce bonum spirituale, quod est via ad regnum. *Chrys.* Justitia est via pietatis, per quam itur ad regnum, *y* Et hæc omnia.] Ecce de bonis temporalibus, quæ ultima sunt, & minima. *z* Adjicientur vobis] non dicit dabuntur, ne putentur æquiparanda regno, vel virtutibus. Et non dicit quærenda esse, ne putentur terminus esse humanæ viæ. [Adjicientur,] adjectivo modo, non substantivo. Væ autem illis, qui faciunt de adjectivo substantivum, & e converso. *Aug.* Væ autem illis qui relinquunt te, Domine, & aberrant in vestigiis, & nutus pro te nutus amant, & obliviscuntur, quid innuant. Nutus tui sunt omne genus creaturarum. *Chrysost.* Non dixit: dabuntur, quia quasi nihil sunt, & ita quære futura, & accipies præsentia. Sed ais: Nonne jussit panem petere: Ita; sed addit, supersubstantialem & hodie. Et ideo bene sequitur: *a* Nolite ergo soliciti esse in crastinum.] Supra prohibuit solicitudinem rerum temporalium præsentium, modo autem prohibet solicitudinem futurorum. In crastinum, dicit: quasi ultra annum, in quo semel metimus, & vindemiamus. *Hier.* Gratis suscipientes curam futurorum, quæ incerta est, Deo relinquamus. *Chrys.* Qui ad fontem vadit, non est solicitus de bibendo, nec qui ad prandium copiosum, quid times, stulte? Dei providentia largior est fonte. Et *infr.* Non enim propter hoc nati sumus ut comedamus, sed ut Deo placeamus. *b* Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi.] Nota quod in supradictis hoc nomen solicitus significat anxietatem: hic vero providentiam, quam futurum affert secum. *Chrysostomus*. Si dixeris, oportet me solicitum esse, quia necessaria sunt. Contrarium ego ajo, quia propter hoc, quod necessaria sunt, ne sis solicitus. Item quia necessaria sunt, non oportet dubitare. Qualis enim pater est, qui non necessaria tribuit pueris, maxime cum nec ignoret, nec egeat?
c Sufficit enim diei malitia sua,] idest, solicitudo sua, quasi dicat. Pro se suam habebit solicitudinem. Unde non expedit aliam addere in præsenti. *Chrys.* Malitiam afflictionem appellat solicitudinum, & laborum præsentium, non sicut Manichæi debent malam ipsam creaturam. *Gen.* 47. Dies peregrinationis vitæ meæ super terram centum triginta anni parvi, & mali. *Ephes.* 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

Tria genera bonorum.

d Coopertus est sicut unum ex istis] Ornamentum corporis purpura, & byssus. Munditia autem, & patientia sunt quasi duæ puellæ, quæ vestiunt animã purpura & bysso. Byssus ad munditiam pertinet, purpura ad patientiam. *Pr. c.* 31. Purpura & Byssus indumentum ejus, &c. *e* Fœnum] divites. *Jac.* 1. Dives sicut flos fœni transibit, exortus est Sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit, sic, & dives in itineribus suis marcescet. *f* Cras] i. subito vel instanti die judicii. *g* In clibanum] gehennæ. *h* Deus si vestit] *sup.* 1. Qui solem suum facit oriri super bonos, & malos. De hoc fœno sic vestito, & postea in clibanum projecto legitur, *Luc.* 16. Homo quidam erat dives, & induebatur purpura, & Bysso. Ecce vestimentum, & postea sepultus est in infernum, ecce clibanus, &c.

Dominus prohibet solicitudinem propter multas causas.

E X.

CAP. VII.

Nolite *a* judicare, & *b* non judicabimini, *c* nolite condemnare, & non condemnabimini. In quo enim judicio *d* judicaveritis, judicabimini, & in *e* qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. *f* Quid autem vides festucam in *g* oculo fratris tui, & *h* trabem in *i* oculo tuo *k* non vides? *l* Aut quomodo dicis *m* fratri tuo, *n* frater a fine ejiciam festucam de oculo tuo, & *p* ecce † trabes est in oculo tuo? *q* Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & *r* tunc videbis *s* ejicere *t* festucam de oculo fratris tui.

al. † trabs.

EXPOSITIO CAP. VII.

Nolite judicare, &c.] *Supr.* prohibuit Dominus solicitudinem temporalium curiosam, ex qua judicia temeraria, & suspiciones pravæ ac inordinatæ correctiones oriuntur. Qui enim terrena diligit, videns aliquem justum, vel religiosum ad usum suum, vel suorum temporalia reservare ad tempus, vocat eum avarum vel hypocritam, & a se abjicit, atque de sua conscientia judicat fratrem suum. Nam qualis est, putat alios esse. Ista judicia temeraria prohibet Dominus. Ad intelligentiam autem dicendorum notandum, quod est judicium Dei, & judicium hominis. Dei multiplex est, scilicet, judicium auctoritatis, *Isa.* 3. Stat ad judicandum Dominus. Examinationis, *Dan.* 7. Judicium sedit, & libri aperti sunt. Damnationis, *Joan.* 3. Qui non credit, jam judicatus est, &c. Adjudicationis *Psalm.* 9. Quoniam fecisti judicium meum, & causam meam, &c. Officii, *Joan.* 5. Omne judicium dedit filio. Probationis *Petr.* 4. Tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei. Retributionis, *Joan.* 6. Ego in judicium veni in mundum. Judicium autem hominis multiplex, scilicet, judicium discretionis; 1. *Cor.* 11. Si nosmetipsos dijudicaremus; non utique judicaremur. Item confessionis, *Psal.* 42. Judica me, Deus, & discerne causam meam. Item comparationis, *Infr.* 12. Regina austri surget in judicio cum gente illa, & condemnabit eam. Item approbationis, *Infr.* 19. Sedebitis & vos super sedes duodecim, &c. Item certitudinis, quod est Prælatorum. Item suspicionis. *Rom.* 14. Tu qui es, qui judicas alienum servum? Item temeritatis, 1. *Cor.* 4. Nolite ante tempus judicare. Item notandum, quod judicium suspicionis ex fragilitate provenit, & est veniale quando, scilicet, aliquis suspicatur malum de alio in incertis, non tamen consentiendo, sed potius dubitando. Et est hæc tentatio humana. De qua 1. *Cor.* 10. Tentatio non vos apprehendat, nisi humana. Judicium temeritatis triplex. Definitionis, argutionis, assertionis, quæ omnia prohibentur hic. Judicium definitionis est, quando de incertis quasi de certis quis firmat sententiam, idest, quando de malo desperat, quod non possit corrigi. Et hoc dupliciter fit. De persona, & de re, *Joan.* 9. Non est hic homo a Deo, ecce persona, qui sabbatum non custodit, ecce res. Judicium argutionis est, quando quis judicat de alio arguendo, quod malus sit, cum ad eum non pertineat. Judicium assertionis est, quando aliquis, ut appareat bonus, judicat alios esse malos in eo, in quo ipse malus est. Et hoc est pessimum. Unde *Rom* 2. In quo alium judicas, teipsum condemnas. *Glos.* Qui te non observas ab his unde alios reprehendis. Dividitur autem istud cap. in septem partes. In prima agitur de cautela habenda in judiciis, & correctionibus faciendis. In secunda agitur de cautela habenda in dispensatione verbi divini, ibi [Nolite sanctum dare canibus.] In tertia docet Dominus necessaria postulare, ibi [Petite, & dabitur vobis.] In quarta de justitia naturali, quæ est via apta veniendi ad Deum, ibi [Omnia ergo quæcumque vultis, &c.] In quinta agitur de impedimentis hujus viæ, ibi [Attendite a falsis Prophetis.] In sexta, & ultima ostendit Dominus, quod qui fecerit prædicta assimilabitur Christo, qui autem non fecerit, assimilabitur diabolo, ibi. Omnis ergo qui audit verba hæc] dicit ergo.

Luc. 6. b. 6. 1. Deut. Rom. 2. Matt. 4. De accu. 6. qualiter 1. Duplex judicium. Judicium Dei est multiplex.

Judicium hominis est multiplex.

a Nolite judicare.] De malis judiciis planum est, scilicet, de incertis rebus & personis. *Glos.* vero una exponit de judicio bono, ut sit sensus. O vos prælati nolite appetere judicare, idest, judicando condemnare, sed quando oportet judicare ex officio compatimini judicandis, sicut dicitur. *Isa.* 1. Heu consolabor ego super hostibus meis? *b* Et non judicabimini,] a Deo pro peccatis vestris. *Chrysostomus.* Hoc peccatum est, sicut in peccatorum dimissione, *supr.* Dimittite, & dimittetur vobis. *c* Nolite condemnare, & non condemnabimini. In quo enim judicio,] idest, pro quali justo, vel injusto. *d* Judicaveritis.] alios. [Judicabimini.] Largitas autem hic accipitur judicium quam ante, ut comprehendat voluntates, & opera, quasi dicat. In qua voluntate benefeceris, in ea liberaberis, & in qua mala, in eadem punieris, *Jud.* 1. sicut feci, sic reddidit mihi Deus. Item Esther 7. Suspensus est Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo. Item 3. *Reg.* 21. In quo loco linxerunt canes sanguinem Naboth, & tuum lambent. Et 2. *Reg.* 12. Quia dormivisti cum uxore proximi tui, proximus dormiet cum uxore tua, *Zachar.* 4. Exæquabit gratia gratiæ.

Luc. 6. 1 9. 3. e. marc. 4. 9. 7. b. item infra. sup.

e Et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis,] idest, secundum quantitatem culpæ, quam habuisti judicando, erit quantitas pœnæ, quando judicaberis a Deo, Si parum peccasti, parum punieris, si parum meruisti, parum remuneraberis, si multum, multum. *Isa.* 27. In mensura contra mensuram cum abjecta fuerit, judicabit eam, *Prov.* 11. Statera dolosa abominatio est apud Deum. *Apoc.* 18. Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, & luctum.

12. 3. 6. in prin.

f Quid autem vides festucam, &c.] Quoniam ex temerario judicio sæpe oritur illicita correctio, ideo sicut ab omnibus judicium temerarium, sic ab omnibus hic removet illicitam correctionem. Illicita autem correctio est quando non amore justitiæ, sed vindictæ, vel odii, vel simulationis fit, ut justus videatur, qui corrigit malum. Vel quando qui corrigit æque vel plus reprehensibilis est, quam ille qui corrigitur. Qui enim amore justitiæ alium corrigit, prius in se corrigat quod malum est, & post in fratre cum lenitate, & dilectione personæ, & odio vitii, & puritate intentionis. Dicit ergo.

f Quid autem vides festucam,] idest, minimum vel leve peccatum? Quid.] Idest, quomodo.

g In oculo fratris tui,] idest, in intentione.

h Et trabem] idest, magnum peccatum.

i In oculo tuo,] in intentione tua.

k Non vides,] quasi dicat, cur habes oculum apertum ad judicandum alia crimina, & clausum ad judicandum tua majora? *Isa.* 23. Erubesce Sidon, ait mare. Retorquendum enim est os ad ascellas, *Lev* 1. ut ad se oculis cordis conversis prius se corrigat. *Chrysostomus.* Qualiter in alienis vides tam parva: & in tuis tam magna transcurris? Si te magis diligis quam proximum, quare ipsum procuras, & non magis teipsum? si autem teipsum contemnas, manifestum est, quod non est procuratio, quod ipsum judicas: Sicut hydropicus corripit eum cui digitus tumet, & ipse sui ventris immemor est.

l Aut quomodo,] idest, qua conscientia, sive qua fronte. *m* Dicis fratri tuo,] minus peccanti vel forte innocenti.

n Sine ejiciam festucam,] negligentiam, vel aliam hujusmodi culpam minimam de oculo tuo. Vide quod alium accusat, ut se extollat. *Chrys.* Videre festucam, & ejicere non est omnium, sed doctorum.

p Et ecce trabes est in oculo tuo,] idest, magnum aliquod peccatum. Nota, quod festuca cito transit in combustionem, trabs magis durat. Quidam auctor dicit: quod Prælatus, qui est in peccato mortali, non debet corripere, quod si corripit, peccat mortaliter, *Psal.* 49. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas? Alii dicunt, quod non peccat eo quod corripit, sed eo quod prælaturam non deponit, aut de peccato non satisfacit.

q Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo.] Hic est ordo. Mundamini & mundate alios, *Joan.* 8. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, *Rom.* 2. Confidis teipsum ducem cæcorum esse, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, qui ergo alium doces, teipsum non doces, 1. *Machab.* 4. dicitur: quod Sacerdotes prius seipsos purificarent, 1. *Paral.* 22. Non ædificabis mihi domum, quia multum sanguinem fudisti. *Greg.* Superjectas sordes manus tergere non valent, quæ luctum tenent. Mundos enim in se debet esse, qui curat aliena corrigere, 4. *Regum* 2. legitur de Eliseo qui posuit sal in vase novo, idest, mundam, & post hoc dulcoratæ sunt aquæ, idest, homines prius flaxibiles.

r Et tunc videbis,] quia ante hoc cæcus es nube, & caligine peccati pressus. *s* Ejicere,] idest, ad ejiciendum.

A e Festucam de oculo fratris tui] *Interl.* Non enim est prius idoneus doctor aliis mederi, nisi prius se sanaverit, *Luc.* 4. Medice, cura teipsum.

a Nolite sanctum dare canibus,] Dicto de cautela habenda in judicando, & corrigendo, subjungit de cautela habenda in prædicando vel docendo, q. d. mundi debent mundare, sed non indifferentes, quia non omnibus omnia sunt dicenda. Et hoc est.

a Nolite sanctum b dare c canibus, d neque mittatis margaritas vestras e ante porcos, f ne forte conculcent eas pedibus suis, & † g conversi h dirumpant vos. i Petite, & dabitur vobis, k quærite, & l invenietis, m pulsate, & n aperietur vobis. Omnis o enim, qui petit accipit, & p qui quærit invenit, & q pulsanti aperietur. r Aut quis est ex vobis homo, s quem si petierit filius suus panem, t numquid lapidem porriget ei?

a Nolite sanctum,] Sacræ scripturæ. Alia littera habet, Agios, idest sine terra, *Psal* Eloquia Domini, eloquia casta, &c. b Dare,] non dicit: non dare, sed nolite dare. Aliquando enim oportet indignis dare sanctum, sed nunquam ex voluntate. Vel, sanctum, vocat Ecclesiastica sacramenta. Dare, idest, prædicare, vel credere mysteria publicando, dispensando. c Canibus] Hæreticis oblatrantibus, *Eccl.* 19. Sagitta infixa in femore canis, sic verbum in corde stulti. Vel, canibus, detractoribus, *Prov.* 9. Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit, & qui arguit impium, sibi maculam generat. Vel, canibus prius conversis, & postea relabentibus vel hujusmodi. 2. *Pet.* 4. Canis reversus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti. d Neque mittatis margaritas vestras.] Idem vocat sanctum, & margaritam, & canes & porcos. Sicut enim margaritæ inveniuntur in conchis quæ politæ pretiosæ sunt, ita mysteria scripturarum de figuris sumpta, & bene exposita pretiosa sunt, nec communicanda canibus, vel porcis, idest, indignis. e Ante porcos.] Idest contemptores verbi Dei, licet fideles, qui eo ipso quod audiunt, fiunt detractores. Vel porcos, idest, nondum conversos, sed in luto vitiorum adhuc manentes. Vel porcos, idest, luxuriosos, *Eccl.* 21. Verbum sapiens quodcumque audierit scius laudabit, & ad se adjiciet, audivit luxuriosus, & displicebit illi, & projecit illud post dorsum suum. f Ne forte conculcent eas, &c.] affectum fastidiendo, sive despiciendo verbum. *Prov.* 23. In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui. g Et conversi,] ad vomitum. Vel [conversi] ab eo quod audierunt a vobis. Vel [conversi] ad audiendum vos. h Dirumpant vos] idest fidei simplicitatem impugnando. Vel Hæretici. *Psal.* 21. Erue a framea, Deus, animam meam [Vos] dicit, non arcana Dei, quæ incorruptibilia sunt *Psalm.* 32. Consilium Domini in æternum manet. i Petite, & dabitur vobis] docuerat Dominus non omnibus omnia prædicare, sed quia non est ab homine, quod prædicet, ostendit, ubi invenitur, & qualiter quod valeat prædicari: invenitur in Domino, in quo omnis sapientia. Invenitur autem oratione. *Jacob* 1. Si quis indiget sapientia, &c. Tria vero innuit Dominus esse petenda per tria verba, quæ ponit. Peccati remissionem, bene operandi facultatem, & Intelligentiam, qua venitur ad æternam beatitudinem. Et hoc est. i Petite] peccati remissionem, quia in malevolam animam non introibit sapientia. *Sap.* 1. k Quærite] facultatem bene operandi, quia intellectus bonus omnibus facientibus eum. m Pulsate,] ut sapiatis gustu experientiæ in contemplatione. Petite,] pertinet ad incipientes. [Quærite] ad proficientes. [Pulsate] ad perfectos, qui jam venerunt usque ad ostium. Vel sic.

i Petite] intellectu. k Quærite] affectu. m Pulsate,] lacrymis. De primo *Phil.* 4. Petitiones vestræ innotescant apud Deum. De primo, & secundo *Ephesios* 6. Orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis. De tertio super illud *Tob.* 3. Ingemuit Tobias cum lacrymis, dicit *Gl.* Oratio Deum lenit, lacryma cogit, hæc angit, illa pungit. Item [petite] orando. [Quærite] eleemosynando. [Pulsate] jejunando. Item [Petite.] Conjugati. *Esther* 5. Quæ est petitio tua, Esther? [Quærite,] Virgines. Quæ sequuntur agnum quocumque ierit. [Pulsate,] martyres, quia inter martyrium & ingressum nihil est medium. [Petite.] Nota quod petitores tria consueverunt facere, ut exaudiantur. Ostendunt enim manus, & pedes, & alia membra nuda, & infirma. Sic nos in confessione debemus ostendere pedes nostros, idest, affectus nudos a bonis, & manus, idest, operationes. Item petentes solent mittere exenia illis, a quibus petere volunt, & postea venire cum majori fiducia impetrandi. Sic nos orationes, jejunia, vigilias, & opera misericordiæ. Alii solent mittere amicos, & familiares eorum, a quibus petunt, ad eos, ut ipsi orent pro eis. Sic nos sanctos, & sanctas. *Job quinto*, Et ad aliquem sanctorum convertere.

i Petite,] *Chrysostomus*. Omnem creaturam sensibilem Deus armatam, & munitam creavit. Alias velocipedum cursu, alias unguibus, alias pennis velocibus, hominem solum sic disposuit, ut virtus illius sit Deus ipse. Et in eo, quod infirmiorem eum fecit, in ipso fortiorem esse voluit in se, ut infirmitatis necessitate coactus semper necessarium habeat dominum suum. Vel sic. k Quærite] viam. *Psalmo* 24. Vias tuas, Domine, demonstra mihi. l Et invenietis] vitam, *Joan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita.

m Pulsate] charitate.

n Et aperietur vobis] Charitas enim Deo proximum facit. *Joan.* 4. Deus charitas est. o Omnis, qui petit, accipit.] Dat confidentiam petendi, omnis, qui petit, accipit, non dicit, accipit illud, quod petit, sed vel illud, vel æquale. Omnis enim, &c. *Chrysostomus*. Non dicit justus tantum, sed & peccator non dubitet petere, non negligat quærere, non cesset pulsare. Et *infr.* Si enim tantum bonos audit Deus, dicamus de eo, sicut dicit de nobis. Si diligitis diligentes vos, quam mercedem habebitis, nonne Gentiles hoc faciunt? Si Deus tantum justos, & amicos exaudit, quam laudem bonitatis meretur, nonne & mali hoc faciunt? Ipse Solem suum facit oriri super justos, & injustos.

p Et qui quærit, invenit] etiam in præsenti. Sed contra. *Cant.* 3. Quæsivi, & non inveni illum. Solutio. Illud Canticorum dicitur de intentione plenæ cognitionis.

q Et pulsanti aperietur] quando sponsa traducetur, cum dicetur. Percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi, *Infr. vigesimoquinto*. Nota propter hæc tria dicitur. *Cant.* 4. Veni de Libano sponsa, veni de Libano, veni coronaberis. Nota autem, quod petit bonus bene, & bonum, ut Christus, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. *Lucæ* 23. Malus, malum, male, ut Balaam, qui voluit maledicere populo Israel, & mente male petiit. *Numerorum* 22. Sanctus malum bene. Ut Paulus bene postulans sibi auferri stimulum carnis. 2. *Cor.* 12. Pessimus bonum male. Ut satan permissus tentare Job, quod fuit ad ejus probationem. *Job* 1. Istud bonum fuit Job, sed diabolo malum, quia petiit ex invidia. Item nota hæc tria, Accipietis, invenietis, aperietur vobis. Aperitur nobis per cognitionem, invenitur per dilectionem. Unde *Cant.* 3. Paululum cum pertransissem eos inveni, quem diligit anima mea. Accipitur per fruitionem, quando immediate possidebitur & videbitur facie ad faciem.

r Aut quis est ex vobis homo] Ostendit per simile, quod qui petit accipit, quid quod minus est, sic est in patre carnali; quia cum pater carnalis non det plus quam petitum, sic & pater cœlestis, qui multo magis diligit [Aut] Ponitur pro ut. Vel sic continua. Supra docuit quærere regnum Dei, cum dixit:

Primum quærite regnum Dei. Postea hortatus est ad instantiam petitionis, ibi [Petite, quærite, pulsate.]

Subdit etiam impetrandi fiduciam, ibi. [Omnis qui petit accipit.] Quibus etiam petendum sit, scilicet, fide, spe, In his enim petendum est regnum, quia per hæc venitur ad regnum. In hoc autem loco docet petitionem istorum. Dicit ergo:

r Aut quis est ex vobis homo] quasi dicat, si vos, qui estis homines carnales ignorantes.

s Quem si petierit filius suus panem,] idest, charitatem, quæ dicitur panis, quia facit fortem, & firmum. *Ps.* 103. Panis cor hominis confirmat. *Cant.* 8. Fortis est ut mors dilectio. Sine pane mensa inops est, sic sine charitate cetera vacua sunt, 1. *Cor.* 13. si linguis hominum loquar, & Angelorum. Et *infr.* parum. Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Panis materialis reficit, & satiat, sic charitas *Psalm.* 147. Ex adipe frumenti satiat te.

t Nunquid lapidem porriget ei, idest,] cordis duritiam, quæ contraria est charitati? quasi dicat, non *supra*

A 3. Potens est

Dominus tria innuit esse petenda.

Apoc. 14.

Petitores tria faciunt ut exaudiantur.

▲ 3. Potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. *a* Aut si piscem petierit,] idest, fidem. Sicut enim piscis in aqua nutritur, sic fides in Baptismo. *b* Nunquid serpentem porriget ei,] venenum hæreseos, vel perfidiæ, quæ se non compatiuntur cum fide? q. d. non

a Aut si piscem petierit, *b* nunquid serpentem porriget ei? Si *c* ergo vos, *d* cum sitis mali, *e* nostis bona *f* data *g* dare filiis vestris, *h* quanto magis pater vester, qui in cœlis est *i* dabit bona *k* petentibus se. *l* Omnia ergo quæcunque vultis, ut *m* faciant vobis homines, & *n* vos facite illis. Hæc *o* est enim lex, & Prophetæ. *p* Intrate per *q* angustam portam, *r* quia lata porta, & *s* spatiosa via est, *t* quæ ducit ad perditionem, & *u* multi sunt, qui intrant per eam. Quia *x* angusta porta, & *y* arcta via, quæ *z* ducit ad vitam, & *a* pauci sunt, qui inveniunt eam. *b* Attendite *c* a falsis prophetis,

Chrysost. Si præstat nociva petenti, non est pater, sed inimicus. *c* Si ergo vos,] Dirigit sermonem ad illos, qui errant in sermone. *d* Cum sitis mali, comparatione. Vel, mali: consuetudine, vel corruptione naturæ. Omnis enim creatura aliquo modo malitiæ, sive defectui subjecta est, ut in se est. Unde *Job* 4. In Angelis suis reperit pravitatem, multo fortius in aliis. *Rom.* 7. Non habitat in me, idest, in carne mea bonum. *Is.* 64. Omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ. *e* Nostis bona,] idest utilia. *f* Data] vobis a Deo. *g* Dare filiis vestris] carnalibus. *h* Quanto magis pater vester, qui in cœlis est,] qui verius filios suos diligit, & ab alio non recipit. *i* Dabit bona,] temporalia, spiritualia, & æterna. De primo bono dicitur *Isa.* 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. De secundo bono. *Ps.* 118. Bonum mihi, Domine, qui humiliasti me. De tertio. *Exod.* 33. Ostendam tibi omne bonum. *k* Petentibus se,] non sua, idest, temporalia. *l* Omnia ergo, &c.] q. d. si vultis vobis dari petita, & invenire quæsita, si vultis & vobis aperiri: facite ergo ea aliis, quæ vultis vobis fieri ab illis. *Interl.* sic continuat. Quia regnum cœlorum quærendum est, & ejus justitia. *l* Omnia ergo quæcunque vultis,] idest, quæ debetis velle voluntate rationali. Latro enim tenetur velle de jure, quod judex suspendat. *Seneca.* Ab alio expecta, quod alteri facia. *Tob.* 4. Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu alteri aliquando facias. *m* Ut faciant vobis homines] *Interl.* Ad utilitatem vestram, quia si quis petat indiscrete negandum est ei. *n* Et vos facite illis] eadem bona, quæ vultis accipere ab illis. *o* Hæc est enim lex, & Prophetæ,] idest, in hoc est completio legis, & Prophetarum. *Rom.* 13. Qui diligit proximum, legem implevit, Dilectio enim proximi comprehenditur sub dilectione Dei, & e converso, 1. *Joan* 4. Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. *Chrys.* Lex & Prophetæ in hoc comprehenduntur sub compendioso mandato, quia inumerabiles rami in una radice. *p* Intrate per angustam portam] Postquam pulsatur, & pulsanti aperitur, non restat, nisi quod ingrediatur. Cum ergo supra docuerit pulsare, hic docet intrare. Vel sic continua: Dixi ut omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & hoc videtur angustum, & grave, sed si vultis duci ad vitam, intrate per angustam portam. Dicit ergo. *p* Intrate] faciendo bona opera meritoria, in fide, & charitate, faciendo proximo quod velletis vobis fieri ab eo. Sic enim pulsatur, & aperitur, & inde intratur. Sed cum supra dixerit: Pulsate, & aperietur, non autem aperitur, quomodo ergo dicit. [Intrate] in præsenti, scilicet. Ergo qui introitus per meritum, & per præsentem justitiam præcedit introitum in gloriam. Hic enim introitus incipitur, qui per inceptionem gloriæ terminabitur. Unde *Eccl.* 1. Ingressus sapientiæ mandata æterna. Iste introitus angustus in principio, arctus in medio, sed amplior est in fine. *Ps.* 27. Dilatasti gressus meos subtus me. *Prov.* 4. Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui. In *eadem* Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem. *q* Per angustam portam,] idest, Christum *Joan.* 10. Ego sum ostium. *Chrys.* Porta perditionis est diabolus, porta vitæ Christus. Lata porta diabolus, non magnitudine potestatis, sed effrenatæ superbiæ licentia dilatatus. Porta angusta Christus, non parvitate potestatis, sed ratione humilitatis collectus. Item latus dicitur diabolus, quia apud ipsum sine lege sunt omnia. Angustus Christus, quia apud Christum sub legis ratione omnia consistunt. Vel angusta porta est charitas, quia facit diligere inimicum, quod angustum est, & facit diligere Deum, quod est latum in fine. Item angusta porta dicuntur Sacramenta, quorum fides angusta est, sed præmium latum, quia fluxerunt de angusta porta, idest, de latere Christi.

r Quia lata porta] est errantium via, vel sæculi voluptas perniciosa. *s* Et spatiosa via est] *Chrys.* Spatiosa est via, quia omnia, quæ sunt, uxor, filii, amici, aurum, honores, & quicquid in hoc sæculo est, quod sensus delectat, via perditionis sunt. *t* Quæ ducit ad perditionem] idest, ad infernum. *Eccl.* 21. Via peccantium complanata est lapidibus, & in finem illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. *u* Et multi sunt, qui intrant per eam] *Eccl.* 1. Stultorum infinitus est numerus. *x* Quia angusta porta] scilicet, in ingressu. *y* Et arcta via] in processu. *z* Quæ ducit ad vitam,] æternam. *Chrys.* Si quis viam laboriosam æstimat, suæ desidiæ est accusatio. Si enim tempestas pelagi nautis, vulnera militibus, frigora, & glacies agricultoribus levia, & portabilia sunt propter spem præmii temporalis, multo magis cum cœlum placet, nullum debet sentiri periculum. Maxime labores mitigat in benignum finem venire. Ne aspicias inquit quo aspera est via, sed quo ducit, nec aliam, quæ lata est, sed ubi desinit.

a Et pauci sunt, qui inveniunt eam,] quia non est in quærendo sedulitas, quia in quærentibus est rationis cæcitas, concupiscibilis perversitas, diaboli fallentis subtilitas, in nobis cadendi pronitas, resurgendi difficultas, resistendi debilitas, retrahentium a via multiplicitas, *Mich.* 7. Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendum, *Isa.* 24. Quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt de oleo, excutiantur ex olea, & racemi, cum fuerit finita vindemia. Et tamen mirum est, quod quilibet credit esse de ista paucitate. Sequitur.

b Attendite a falsis Prophetis.] *Supr.* dixit Dominus de angusta via. Hic autem dicit de præcipuis ejus impedimentis. Quæ quatuor sunt. Aperta, scilicet, persecutio tyrannorum, deceptio Hæreticorum, simulatio falsorum fratrum, astutia Antichristi, & suorum. Hæc quatuor significata sunt *Apocal.* 6. Ubi loquitur de apertione sigillorum. Ecce equus albus, idest, Hæretici, & qui sedebat super eum, habebat arcum. Alius equus rufus, & qui sedebat super eum datum est ei, ut sumeret pacem de terra, & datus est eis gladius magnus. Hi sunt persecutores. Tertius niger, & qui sedebat super eum, habebat stateram venditionis, & dolositatis in manu sua. Hi sunt falsi fratres. *Osee* 12. Chanaam, in manu ejus statera dolosa. Quartus erat pallidus, & qui sedebat super illum nomen ejus mors, & infernus sequebatur eum. Hic est Antichristus, & sui. *Ps.* 90. Non timebis a timore nocturno, idest, de tribulatione persecutorum, a sagitta volante in die, idest, ab hæresi, a negotio perambulante in tenebris, idest, a falsis fratribus, ab incursu, & dæmonio Meridiano, idest, a persecutione Antichristi. Primum autem fuit magis ad Ecclesiæ augmentum, quam impedimentum. Occiso enim uno capite, idest, uno martyre, surgebant multa, & ideo de primo omittit. & de aliis tribus dicit. Et sunt significata hæc tria in libro Regum, per tria bella David, contra Philistæum, contra Saulem, contra Absalonem. Primo ergo docet quomodo cavendi sunt Hæretici, secundo quomodo falsi fratres, tertio quomodo Antichristus, & sui. Dicit ergo. *b* Attendite] quasi dicat quod arcta est via, & pauci inveniunt eam, sed quia multi volunt retroire ab ea, dico. *b* Attendite] cum diligentia, idest, attente cavete. *c* A falsis Prophetis] idest, Hæreticis dolosis. Unde dicuntur vulpes. *Jud.* 15. De vulpibus Samsonis, *Cant.* 2. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.

b Attendite.] Ecce vigilantia in cognoscendo, & cautela, quia ut dicit *Chrysostomus*: Magna virtus boni est cognoscere malum, & firma tutela salutis scire, quem fugias.

c A falsis Prophetis,] idest, falsis prædicatoribus, vel hæreticis 1. *Joann.* 4. Nolite omni spiritui credere, sed probare spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi Pseudo-prophetæ exierunt in mundum. 2 *Petr.* 2. Fuerunt pseudo-prophetæ in populo, scilicet, Judæorum, sic & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis. Illi comparantur falsatoribus litterarum, sigillorum, monetarum clavium.

C

Tob. 4. Luc. 6. 1. dist. in prin. 50. dist. c. Ponderet. in. qu. 1. 8. ...

Luc. 13

a Litterarum, quia prædicant novas doctrinas, & novas traditiones. *Job* 13. Ostendam vos fabricatores mendacii, & cultores perversorum dogmatum. Falsatores litterarum, sigillorum, & monetarum in occulto fabricant, sic isti in occulto prædicant. *Prov.* 9. Aquæ furtivæ dulces sunt, & panis absconditus suavior.

Falsatores sigillorum sunt quantum ad habitum. *Zach.* 13. Non operientur pallio saccino, ut mentiantur.

a qui veniunt ad vos in b vestimentis ovium, c intrinsecus autem sunt d lupi rapaces. A e fructibus eorum cognoscetis eos f Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus.

Vel sigillorum, idest, Sacramentorum, quia nuptiis detrahunt, 1. *Timoth.* 4. In novissimis temporibus discedent quidam a fide, &c. prohibentium nubere.

Moneta sunt bona opera, quibus emitur regnum cœlorum, quæ falsa sunt in eis, licet aurea videatur.

Unde hypocrisis subauratio, *Dan.* 14. Ne erres mi Rex. Iste enim est intrinsecus luteus, & forinsecus æneus. Moneta autem sunt, jejunium, eleemosyna, oratio: Et hæc dicuntur moneta Regis nostri Christi, quia in his invenitur imago ejus secundum tres substantias in ipso, carnem, animam, naturam Verbi, Jejunium, in quo est mortificatio carnis, cum Christi carne conformitatem habet, quæ morti tradita est, *Gal.* 6 Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, 2. *Cor.* 4. Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.

Hæc moneta percutitur in afflictione carnis. Eleemosyna ad animam pertinet, quam quasi in eleemosynam dedit, & in pretium redemptionis nostræ, *Isa.* 53. Tradidit in mortem animam suam.

Hæc gerit imaginem Christi ad inferos descendentis, ut de miseria educet miseros, & captivos. Eleemosyna autem dicitur ab eleos quod est miserere, *Prov.* 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Oratio pertinet ad verbum nam & ipsa est verbum mentis. Et de verbo dicitur 1. *Joan.* 2. Advocatum habemus apud patrem Jesum Christum justum. Et oratio est advocatus noster ad Deum, *Luc.* 1. Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua.

Hæc gerit imaginem Christi ad cœlum ascendentis.

Quid enim est orare, nisi mente cœlum conscendere? *Eccl.* 35. Oratio humiliantis se nubes penetrat.

Hanc triplicem monetam falsant hypocritæ. Unde *sup.* 6. de eleemosyna. Cum facies eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorentur ab hominibus.

De oratione post. Cum oraveritis, non eritis sicut hypocritæ tristes, &c. De jejunio post orationem. Cum jejunaveritis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Falsatores etiam sunt clavium, quia non intrant per ostium, *Joan.* 10. Quotquot venerunt, fures sunt, & latrones. Clavium etiam confessionis, quia licet non sint sacerdotes, tamen audiunt confessiones.

a Qui veniunt ad vos,] *Joan.* 10. Quotquot venerunt fures sunt, & latrones.

b In vestimentis ovium.] Ecce quales exterius.

c Intrinsecus autem sunt lupi rapaces.] Ecce quales interius. *Chrysostomus*. Quæ sunt vestimenta ovium? Species simulatæ religionis. Ovis dum vivit, sua pelle contegitur, mortua autem ove alius contegitur. Ovis viva vere innocens, qui propria pelle, idest, bona conversatione ornatur, sed innocentia hujusmodi justitiam in se occidit.

d A fructibus eorum cognoscetis eos,] quando, scilicet sunt in dignitatibus, tunc ea fructu apparat quales prius extiterunt, utrum hypocritæ. Unde cum quidam dixisset: Honores mutant mores. Alius correxit, imo monstrant mores. Unde Domino illusum est in clamyde coccinea, *Infr.* 27. vel purpura, *Marc.* 15. Coronam de spinis habens in capite, & arundinem in dextera, ut ibidem, quod fit, quando per hypocrisim assumitur in prælatum. Chlamys coccinea Pontificalis infula, corona spinea, sollicitudo Pontificalis officii, baculus arundineus transitoria potestas baculi pastoralis.

Vel. [A fructibus eorum cognoscetis eos,] idest, a filiis. Hi significantur per Loth, qui filias suas corrupit, & ex eis filios genuit. *Gen.* 19. Hi comparantur scorpionibus, *Apocalypsis* 9. Quia in facie, idest, in principio blandiuntur, cauda, idest, in fine pungunt, *Joan.* 2. Omnis homo primum bonum vinum ponit, *Prov.* 7. Irretivit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. (Falsis,) quia impunitatem promittunt peccatoribus. *Jerem.* 6. Curabant contritionem filiæ populi mei ignominia, dicentes: pax, pax, & non erat pax.

a Qui veniunt ad vos,] In præsenti, quasi dicat, etsi non eatis ad eos, ipsi ibunt ad vos.

b In vestimentis ovium,] *ad litteram*, quia habent simplicem vestem, 2. *Tim.* 3. Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, & hos devita. Vel vestimenta ovium vocat blanda verba innocentum, & alia signa religionis. Unde *August.* Vestimenta ovium sunt blanda verba innocentum, cæteraque religionis signa. Pluraliter autem dicit: vestimentis, quia multas habent varietates.

c Intrinsecus autem,] idest, in intentione.

d Sunt lupi rapaces,] quia volunt vos rapere de ovili Domini. De his dicitur *Act.* 20. Scio, quod intrabunt post discessum meum lupi rapaces non parcentes gregi, idest, hæretici, *Habac.* 1. Leviores pardis equi ejus, & velociores lupis vespertinis. Notat eorum famem de pervertendis Christianis. Vespertinus dicit: quia advesperascente fide maxime prædicant. *Chrys.* Lupus tectus pelle ovina per vocem cognoscitur, & per actum. Ovis balat inclinata deorsum, lupus ululat contra cœlum. Hoc superbiæ, illud humilitatis signum. Ovis herbam manducat, lupus carnem, Qui ergo sanguine gaudet & bellis, est lupus.

e A fructibus eorum cognoscetis eos,] idest, ab operibus. Sed nunquid multa bona opera faciunt, quæ sunt fructus eorum? Ergo reputandi sunt boni. Solut. Hic Hæretici habent duo genera operum. Occulta, & manifesta. Manifesta non sunt fructus eorum, sed vestimenta sunt ovium. Occulta autem sunt fructus eorum, quia eos intendunt generare in illis, *Proverbiorum* 27. Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus, *Ecclesiastici undecimo* In filiis suis agnoscetur vir.

f Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?] quasi dicat. Non sic neque bona opera ab Hæreticis debent expectari, quasi si aliquando ornatu verborum ungunt, in fine tamen pungunt. *Jacobi* 3. Nunquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. Tamen sicut vitis aliquando exuberat super spinas, & facit ibi uvas, sic Hæretici quandoque bona opera. Unde, sicut colligimus uvas intactis spinis, sic opera hæreticorum, & consilia aliquando debemus assumere, si nobis sunt utilia: nihil tamen de spinositate hæresis: sicut *Exod.* 18. Moyses fecit consilium Jethro, qui erat Gentilis, *infr. trigesimo-tertio* Quæ dicunt facite, &c. *Chrysostomus*. Sub spinis nullum animal requiescit nisi serpens, ita juxta malos homines nemo potest pacem habere, sed dæmones habent ibi cubilia. Dicuntur autem spinæ, & tribuli Hæretici, quia sauciant animas per verborum blanditias.

Moraliter.

Moraliter.

(f Nunquid colligunt de spinis uvas,) aut de tribulis ficus.] Tria sunt genera spinarum de quibus non colliguntur uvæ, & duo genera de quibus colliguntur. Primum genus sunt peccata. Secundum ipsi peccantes. Tertium divitiæ. Quartum tribulationes. Quintum spinæ quas Christus habuit in capite. De ultimis colliguntur uvæ. De primo *Proverbiorum* 24. Per agrum hominis pigri transivi, & per viam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ. Dicuntur autem peccata spinæ, quia pungunt, & adhærent, quia esca sunt ignis, & ædificatio sepis. Peccata enim pungunt usque ad mortem. *Prov.* 33. In novissimo mordebit ut coluber. Leviter adhærent. Leviter enim committuntur, & difficile dimittuntur, *Jerem.* 13. Si potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas. Ignem conscientiæ accendunt, *Psal.* 20. Pones eos ut clibanum ignis. Ædificatur sepes, ne possit aliquod bonum opus transire ad eos. *Ecclesiastici decimo*, Qui dissipat sepem, idest, obstinationem peccati, mordebit eum coluber, idest, detractor. De his spinis non colligitur nisi uva acerba, *Jeremiæ trigesimo-primo*.

Nota quinque genera spinarum.

Peccata dicuntur spinæ.

Omnis homo qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus. Secundo per spinas significantur peccatores. 2. *Regum* 23.

A Prævaricatores

Sic *a* omnis arbor bona fructus bonos facit, *b* mala autem arbor fructus malos facit. Non *c* potest arbor bona fructus *d* malos facere, *e* neque arbor mala *f* fructus bonos facere,

Luc. 6.

a Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur. Isti pungunt bonos. *Cant.* 2. Sicut lilium inter spinas. Facile adhærent temporalibus. *Psalm.* 118. Adhæsit pavimento anima mea. Materia sunt ignis. 2. *Reg.* 23. igneque succensæ comburentur usque ad nihilum. Et *Isa.* 23. Spinæ congregatæ, igni cumburentur. Ædificantur sepes ædificatoribus, idest, obstinata malorum congregatio. Unde *Nahum* 3. Custodes tui quasi locustæ, & parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ consideat in sepibus in die frigoris. Quærit ergo Dominus, Nunquid ex istis spinis uva colligitur, idest, eligitur aliquis bonus? quasi dicat non.

Uva enim vocatur justus. *Osee* 9. Quasi uvas in deserto inveni Israel. Tertio divitiæ vocantur spinæ. *Marc.* 4. Hæ spinæ pungunt per curiositatem, adhærent per amorem.

Materia sunt ignis, scilicet, cupiditatis. Sicut enim ligna augent ignem, sic divitiæ cupiditatem. *Prov.* 26. Cum defecerint ligna extinguetur ignis. Ædificatio sunt sepis, idest, fragilis firmitatis.

Nunquid de istis spinis colligitur uva, idest, jucunditas? Non, nisi illa, de qua *Deuter.* 32. Uva eorum uva fellis, scilicet inebriatio iniquitatum, quæ sequitur ex divitiis.

Quartum genus spinarum sunt tribulationes. *Osee* 2. Sepiam viam tuam spinis. Istæ spinæ pungunt sua afflictione, sed tamen ad salutem. *Eccl.* 22. Pungens oculum deducet lacrymas, & qui pungit cor, profert sensum. Unde vir justus vocatur hic herinacius, *Psal.* 103. Petra refugium herinaciis. Adhærent. Unde pœnitentia dicitur quasi pęnæ tenax. *Job* 27. Justificationem meam, quam cępi tenere, non deseram. Accedunt in ignem amoris, *Lev.* 6. Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna. Ex his ædificatur sepes, idest, defensio religionis, & bonæ conversationis. *Eccl.* 36. Ubi non est sepes, diripietur possessio. Ex his spinis colligitur uva spiritualis jucunditatis. 2. *Cor.* 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. *Psal.* 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Similiter prosequere de quintis spinis, scilicet, de corona spinea Christi, & facile est invenire.

a Sic omnis arbor bona fructus bonos facit.] Idest, sicut de arboribus malis prædictis, vel herbis non expectantur boni fructus? sic ab arbore bona expectantur boni fructus. Arbor bona, vir bonus est, sive voluntas bona. *Jerem.* 17. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus, & erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit, cum venerit æstus, & erit folium ejus viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet fructum facere. Radices sunt cogitationes, aquæ fluenta gratiæ, folia verba bona, fructus opera, terra plantationes Ecclesiæ.

b Mala autem arbor fructus malos facit] Idest, malus homo, *infr.* 12. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala, *Sap.* 4. Fructus eorum inutiles, & acerbi ad manducandum. Vel arbor mala, mala voluntas est. Ideo hæretici mala opera faciunt, quia mala volunt. *Ambrosius.* Affectus tuus nomen operi tuo imponit.

Nota autem, quod quidam fructus sunt, quorum medulla comeditur, & cortex ejicitur, ut nuces, & castaneæ, isti sunt penitentes. Quidam quorum cortex comeditur, & medulla ejicitur, ut sunt pruna, & dactyli, isti sunt hypocritæ. Quidam sunt, quorum cortex, & medulla totum comeditur, ut sunt ficus, isti sunt martyres, quorum animæ glorificantur in cęlis, & reliquiæ venerantur in terris. Quidam quorum nec cortex, nec medulla comeditur, ut sunt glandes, quæ cibi sunt porcorum, isti sunt usurarii.

c Non potest arbor bona] idest, justus homo, vel bona voluntas.

Fructus justitiæ in præsenti sunt duodecim.

d Fructus malos facere] Conjunctim intellige manent bona, scilicet, fructus bonos, fructus justitiæ, *Jacob. tertio*, Fructus justitiæ in pace seminatur. Fructus autem justitiæ in præsenti sunt duodecim, & in patria similiter duodecim. In præsenti bonorum temporalium multiplicatio, *Isa.* 1. Si hæc feceritis, bona terræ comedetis, *Prov.* 13. Custoditur justo substantia peccatoris.

Secundus, usus omnium ad salutem tam in adversis, quam in prosperis, 1. *Cor.* 4. Maledicimur, & benedicimus. Tertius continuum crementum spiritualium bonorum. *Prov* 4. Justorum semita quasi lux splendens, procedit, & crescit usque ad perfectum diem, *Ps.* 33. Timentes Dominum, non minuentur omni bono.

Quartus radicatio eorumdem, *Ephes. tertio*, In charitate radicati. Quintus consolationum spiritualium multiplicatio, *Isaiæ ultimo*, Ecce ego consolabor vos, *secundo Cor. primo*, Deus totius consolationis, *Psalm. nonagesimotertio*. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, &c. Sextus secretorum revelatio, *Joan.* 15. Quæcumque audivi a patre meo nota feci vobis. *Amos tertio*, Non faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.

Septimus fructus est jucunditas in bene operando, *Psalmo decimoctavo*. In custodiendis illis retributio multa. *Ecclesiast. vigesimoquinto*, Homo, qui jucundatur in filiis. Octavus, gaudium de diabolo victo. *Jacobi quarto*, Resistite diabolo, & fugiet a vobis, *Psalmo duodecimo*. Nequando dicat inimicus meus prævalui adversus eum. Nonus debilitatio fomitis, Hoc fuit significatum, *Josue undecimo*, Ubi præcepit Dominus Josue, ut equos subnervaret. Decimus experientiæ eruditio, *Ecclesiast. trigesimoquarto*, Qui non est expertus, qualia scit? Undecimus cognitionis Dei prælibatio per contemplationem, *Genes. vigesimotertio*, Vidi Dominum facie ad faciem. Duodecimus perfectio in charitate, & confirmatio in spe, *Psalm. trigesimosexto*. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. *Gregorius*. Tanto spes in Dominum solidior surgit, quanto quis pro ea graviora sustulit. Fructus justitiæ in patria, de quibus. *Sap. tertio*. Habebit fructum in respectione animarum sanctarum: sunt duodecim.

Fructus justitiæ in patria duodecim.

Primus est gaudium de exilii egressione. *Psalm.* 119. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, *Jerem. trigesimoprimo*, In misericordia reducam eos, Secundus de carceris corporis absolutione. *Psal.* 141. Educ de carcere animam meam, *Roman. sexto*, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore, &c. Tertius de laqueorum, idest, tentationum evasione. *Psal.* 122. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est. Quartus de vinculorum absolutione, ut sunt fames, sitis, frigus, calor, lassitudo, ægritudo, necessitas moriendi, *Isaiæ vigesimoquinto*, Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, *Psalm.* 115. Dirupisti, Domine, vincula mea. Quintus de diaboli dejectione, *primo Cor.* 15. Ubi est mors victoria tua? *Roman.* 16. Deus autem pacis conterat Satanam. Sextus de pœnæ æternæ evasione, *Psalm.* 57. Lætabitur justus, cum viderit vindictam.

Septimus plena libertas, quia modo in servitute est omnibus indigens, *Rom.* 8. In libertatem gloriæ filiorum Dei. Octavus desiderata satietas, *infr.* 8. Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, &c. Nonus consummata charitas. Tunc enim ex toto corde diligemus, 1. *Cor.* 13. Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est. Decimus desideratissima Christi fraternitas, *Cant.* 8. Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat? Undecimus omnimoda pacis tranquillitas, *Ps.* 4. In pace in idipsum. Et *alibi Ps.* 147. Qui posuit fines tuos pacem. Duodecimus confirmata securitas, *Psal.* 90. Non timebis a timore nocturno.

c Non potest arbor bona fructus malos facere,] idest, voluntas bona, cujus fructus dicit Apostolus *Galat.* 5. Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex.

e Neque arbor mala] idest, mala voluntas. *f* Fructus bonos facere] manens mala. Malæ autem arboris fructus, sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi,

Malæ arboris fructus.

quoniam

A quoniam, quia talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Sup. 3. De decimis, cap. quamvis.

a Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum] Hæc sunt verba Joannis Baptistæ *supra tertio*, Hic suggillantur prædicatores, qui dicta aliorum dedignantur dicere.

Omnis a arbor, quæ non facit fructum bonum, b excidetur, c & in ignem mittetur. Igitur d ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, f intrabit in regnum cœlorum, sed g qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, h ipse intrabit in regnum cœlorum. i Multi dicent mihi in k illa die, l Domine, Domine, m nonne in nomine tuo prophetavimus, n & in tuo nomine dæmonia ejecimus, & in o nomine tuo virtutes multas fecimus, p & tunc confitebor illis, q quia nunquam novi vos.

Luc. 6.

b Excidetur,] de numero fidelium, inter quos computatur in Ecclesia militante, in qua non est merito, sed numero, *sup. tertio*, Jam securis ad radicem arborum posita est. Vel. [Excidetur,] per excommunicationem, per mortem, per Judicii examinationem. *Eccl. 9.* In quocunque loco ceciderit, ibi erit.

c Et in ignem mittetur.] qui paratus est diabolo, & Angelis ejus, *infr. 25.* *Chrys.* Duæ sunt pœnæ, excidi, & in ignem mitti. Qui enim comburitur, etiam a regno exciditur. Multi gehennam horrent, ego autem casum illius gloriæ multo majorem gehenna pœnam esse ajo. Intolerabilis est gehenna, verum etiam mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicet, quale est a beata gloria illa excidere, odio Christi haberi, audire, non novi vos. Etenim decem millia sustinere fulmina melius est, quam faciem mansuetam videre aversam a nobis, & tranquillum illum oculum non ferentem videre nos.

Circa fructum multa attenduntur.

d Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.] Infert hoc Dominus ex prædictis, scilicet, quia mala arbor non potest fructus bonos facere, &c. Nota, quod circa fructum attenduntur multa, per quæ cognoscitur, qualis est fructus. Primo requiritur in bono fructu utilitas: unde arbores steriles solent appellari salices, fagi, quercus, quia eorum fructus inutilis. Quod est contra otiosos, qui senescunt, & vagantur per campos licentiæ, & nihil acquirunt sibi utile. De talibus dicitur *Jeremiæ vigesimosecundo*, Scribe virum illum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur. *Ecclesiastici trigesimotertio*, Multam enim malitiam docuit otiositas. *Proverbiorum vigesimoquarto*, Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, quæ sunt herbæ steriles, & nocivæ. Item debet esse fructus integer: Si enim interius est putridus, extra nitidus, non est bonus fructus. Quod est contra hypocritas, quorum exterius vita est pulchra, interius autem est vermiculosa conscientia, & plena nequitia. *Infra vigesimotertio*, Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris apparent hominibus speciosa, interius autem plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Debet etiam fructus esse sapidus, idest, ordinabilis, & sociabilis in conversatione. Quod est contra acidiosos, quibus præ amaritudine mentis alii sunt oneri, & ipse onus aliis. Contra quod *Sapient. octavo*, Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius. *Ecclesiastici trigesimo*, Tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo. Debet etiam fructus esse sanus effective, ut nihil dicas, nihil agas, quod non sit ad honorem Dei, & instructionem proximi. Quod est contra dissolutos, & intrepidos, qui absque timore Dei, & reverentia hominis omnia agunt. *Job nono*, Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti. Et 13. Posuisti in nervo pedem meum, & observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti. Contra istos dicit *Augustinus in regula. Sup.* In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum. Item debet fructus bonus esse durabilis, ut non tantum duret per hyemem. Quod est contra luxuriosos, qui nunc florent, cras ardebunt, *Sup. sexto*, Si enim fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur. Isti sunt, qui dicunt, *Sap. secundo*, Venite, fruamur bonis, quæ sunt, coronemus nos rosis, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. *Eccl.* 14. Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui facit illud, ibit cum illo *Hebr.* 13. Fornicatores, & adulteros judicabit Dominus.

e Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine.] Posuit unum impedimentum ad viam vitæ, scilicet, hæreticos consequenter subjungit de falsis fratribus, qui Deum ore confitentur, factis autem negant. *Tit. 1. Corinth.* 12. Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Dicit ergo.

1. 9. 1. 4. prophetavit.

[Non omnis, qui dici mihi, Domine, Domine.] Nota, quod semel dicit: [Domine,] qui eum habet tantum in ore; bis, qui in ore, & opere; ter, qui corde, ore, & opere. Sed multi deficiunt in tertio signo, ut magi Pharaonis. *Exod.* 8.

e Ore, & opere tantum dicunt hypocritæ.] In quorum persona dicitur. *Malach. tertio*. Vanus est, qui servit Deo, & quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, & ambulavimus tristes coram Deo?

Hoc supple dicunt, quando non adipiscuntur ea, quæ intendunt. Alii ore tantum. Unde *Isaiæ vigesimonono*.

Appropinquat populus iste suo ore, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me. Hi comparantur ficui tantum folia habenti. *Marc.* 11. *infr.* 21. *Exod.* 28. præcipitur, quod rationale conjunctum sit superhumerali.

f Intrabit in regnum cœlorum.] Contra *Joel* 2. Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit, Solutio. Qui invocaverit, ut dictum est tripliciter, corde, ore, opere, vel fide, spe, & charitate. Invocatio enim parum prodest, quæ tantum est in verbis. *Beda*. Quid folia rectæ confessionis jactatis, qui bonos fructus non ostenditis?

g Sed, qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est.] Ille, supple, intrabit. Voluntas autem Dei est vestra sanctificatio, ut dicitur 1. *Thess.* 4. *Psalm.* 14. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. Qui ingreditur sine macula.

h Ipse [non alius] intrabit in regnum cœlorum.]

i Multi dicent mihi in illa die] Ponit tertium impedimentum, scilicet, alios falsos, qui bene prædicant. Et potissime hoc retorquendum est ad discipulos Antichristi, qui miracula facient cum meritis suis, sed invocatione divini nominis ad damnationem suam, & ad Dei gloriam.

k In illa die] notabili, *Sophon.* 1. Dies illa dies iræ. *Chrys.* In qua die? Quando opera loquentur, & ora tacebunt, quando non persona interrogatur, sed conscientia discutitur, & persona confunditur. Ubi non erunt testes adulatores homines, sed Angeli veraces.

i Dicent] quia videbuntur habere confidentiam in miraculis, quæ fecerunt. Vel sub hypocrisi, si dicerent.

l Domine, Domine,] ore, & exteriori opere tantum.

m Nonne in nomine tuo prophetavimus?] 1. *Cor.* 14. Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus. *Hieron.* Saul, Balaam, & Caiphas prophetaverunt, nescientes quid dicerent, Balaam *Numer.* 23. & 24. Caiphas *Joann.* 11. Saul 1. *Reg.* 10. Nonne Saul inter prophetas?

n Et in tuo nomine dæmonia ejecimus] sicut *Luc.* 9. Vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Et ait Jesus. Nolite prohibere eum, qui non est adversus vos, pro vobis est. *Luc.* 10. Nolite gaudere, quia spiritus immundi subjiciuntur vobis. *Act.* 19. Erant autem scenæ cujusdam principis sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant.

1. Reg. 19.

o Et in tuo nomine virtutes multas fecimus?] Non est magnum sine charitate facere miracula virtutum, quia exorcistæ hoc faciebant exorcismis Salomonis, & virtute quarumdam herbarum 1. *Cor.* 13. Si habuero fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, &c. *Interl.* Ecce non est magnum virtutes operari. *August.* Magi Ægyptiorum Moysi resistentes multa fecerunt miracula. *Exod.* 7. Simon etiam Magnus de quo *in libro Clementis*, & multi alii. Antichristus etiam multa miracula faciet. Ab his ergo maxime cavendum est.

p Et tunc confitebor illis,] idest, faciam, ac si confiterer, quasi dicat, modo dissimulo. *Sap.* 11. Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. *Isaiæ* 42. Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar.

q Quia numquam novi eos,] idest, in nulla re approbavi, sicut illud. Requiem, quam semper optaverunt, piis

a supplicationibus

a supplicationibus consequantur. Optat, qui finaliter optat, *Psalm.* 100. Declinantem a me malignum non cognoscebam.

Vel, [nunquam novi vos] idest, approbavi approbatione prædestinationis, vel electionis.

Multis modis aliquis non cognoscitur ab alio.

Augustinus. Non novit eos, apud quos fidei suæ, & dilectionis characterem non invenit.

Nota, quod non cognoscitur aliquis ab alio, quia diu, longe fuit ab eo: sic peccator non cognoscitur a Deo, quia diu fuit in regione dissimilitudinis.

Item non cognoscitur, quando mutatus est. *Threnorum*, 4.

Quomodo mutatus est color optimus.

Item, quando est extra sensum. *Osee* 7. Cœperunt principes furere quasi e vino.

Item, quia in tenebris est, *Psalm.* 18. Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. *Sap.* 5. Lumen justitiæ non illuxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. *Infr.* 25. Amen dico vobis, non novi vos, *Job* 8. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet. Non novi te. Sed e contra de bonis. *Exod.* 33. Et teipsum novi ex nomine, 2. *Timoth.* 2. Cognovit Dominus, qui sunt ejus.

D

a Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem. Omnis b ergo, qui c audivit d verba mea hæc, e & facit ea, f assimilabitur g viro sapienti, h qui ædificavit domum suam i supra petram:

a Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.] Tunc enim non facient, quomodo ergo dicit. [Operamini ?] quia affectus malus adhuc remanet cum eis.

Unde [qui operamini,] affectu interiori. Non dicit, qui operati estis, ne locum pœnitentiæ tollat, quia non est homo, qui non peccet, *Ecclesiastici septimo*, *Chrysostomus*. Non dicit: Discedite a me, qui operati estis, sed, [qui operamini,] quia iniqui post mortem non desinent esse iniqui, quia etsi peccare non possunt, peccandi tamen voluntatem non amittunt.

b Omnis ergo, &c.] Finito sermone commendat eum, ut invitet ad implendum. Et subdit de præmio observantium, & de pœna contemnentium. *Chrysostomus*. Frequenter miramur, quia homines, aut promissionibus flexi, aut terroribus fracti, aut persuasionibus falsorum doctorum circumventi relinquunt fidei veritatem, & ad mendacium infidelitatis transmigrant, quod si vel hanc unam Christi sententiam caute intelligeremus, & recordaremur, nunquam de perditione talium hominum stuperemus. Quomodo enim permaneat apud Deum, qui nunquam stetit in Christo, aut quomodo illum teneat veritas, qui nunquam tenuit veritatem, aut quomodo servet eum justitia, qui justitiam non servavit: Dicit ergo.

b Omnis ergo] ut non excludatur gentilis.

c Qui audit] auditu interiori, *Ps.* 17. In auditu auris obedivit mihi.

d Verba mea,] quæ locutus sum, supple [Hæc,] digna demonstratione. Simile, *Apoc. ult.* Beatus, qui custodit verba prophetiæ libri hujus.

e Et facit ea,] affectu charitatis, non hominum intuitu.

f Assimilabitur] Non dicit, assimilatur, quia nondum apparet, quid erimus.

g Viro sapienti] provido, vel prædicatori.

h Qui ædificavit domum suam,] idest conscientiam, Ecclesiam.

i Supra petram,] 1. *Cor.* 10. Petra autem erat Christus, *Ps.* 103. Petra refugium herinaciis, *Prov.* 30. Lepusculus plebis invalida, qui collocat in petra cubile suum. Vel per virum sapientem intelligitur Christus, *Isa.* 4. Apprehendent septem mulieres virum unum, *Jerem.* 31. Novum faciet Dominus super terram, femina circundabit virum. Domus ejus est Ecclesia, *Prov.* 9. Sapientia ædificavit sibi domum. Hujus domus, idest, Ecclesiæ fundator Deus est, qui ab æterno prædestinando, quasi eruderavit eam. *Ephes.* 1. Qui elegit nos ante constitutionem mundi. Nonne eruderabat, quando dicebat? Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam? *Osee secundo*, In structuram ordinavit in tempore congregando. *Rom.* 8. Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit. Quasi quos prius eruderavit, idest, purgavit, postea ordinavit. Nonne ordinavit in structura lapides eruderatos, quando ambulans juxta mare Galilææ, videns duos fratres, Simonem, & Andream, & Jacobum, & Joannem, vocavit eos? *Sup.* 4. Imo quando elegit duodecim, quos & Apostolos nominavit. *Luc.* 6.

Deinde incepit structura domus, quando una die conversi sunt tria millia. *Act.* 2. Et alia die quinque millia, *Act.* 4.

Hujus domus fundamentum est Christus, *primæ Corinthiorum tertio*, Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Nonne fundamentum ponebat ipse Jesus, quando dicebat: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam? *Infra decimosexto*, Posuit & Paulus *primæ Corinthiorum tertio*, Ut sapiens architectus fundamentum posui. Fundamenta etiam hujus domus dicuntur Apostoli. *Psalm. vigesimosexto*. Fundamenta ejus in montibus sanctis. *Ephes. secundo*, Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum. Quasi ergo duodecim fundamenta hujus fuerunt duodecim Apostoli, & quasi unicum fundamentum fuit Christus.

Unde *Apocalyps. vigesimoprimo*, Vidit Joannes civitatem habentem fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum, & Agni. Hujus domus parietes sunt duo populi. Gentiles, scilicet, & Judæi. Vel activi, & contemplativi. *Joann. decimo*. Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere: & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor. Murus e parte posteriori, fuerunt antiqui patres, qui dum lucem veram aperte videre non poterant, quasi ad Occidentalem plagam posita erant, *Lucæ decimo*, Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Nonne in Occidentali parte erant illi, de quibus dicitur: *primæ Corinthiorum* 10. Patres nostri omnes sub nube fuerunt? Murus anterior fuerunt Patres Novi Testamenti, qui dum radios veri Solis susceperunt, quasi in Oriente steterunt. *Lucæ ult.*

Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Tectum quotidie impletur in muro fidelium, qui cum impletus fuerit, erit domus perfecta, *Apocal. sexto*, Dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi. *Lucæ* 14. Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Quatuor anguli hujus domus fuerunt quatuor Evangelistæ. Primus angulus Matthæus, secundus Marcus, tertius Lucas, quartus Joannes. *Job primo*, Repente ventus vehemens irruit e regione deserti, & concussit quatuor angulos domus. Columnæ domus sunt Prælati. *Cant. quinto*, Columnæ ejus marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases argenteas. Ostium hujus domus est Christus. *Joan. decimo*, Ego sum ostium, per quod, qui non intrat in ovile, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Fenestræ sunt doctores, per quos illuminatur Ecclesia. Has fenestras fecit in Templo Salomon obliquas, & intrinsecus latiores, *tertio Regum sexto*, Cortinæ, quibus ornatur domus, sunt decem præcepta, quibus sancti intrinsecus ornantur. *Exod. vigesimosexto* Decem cortinas de bysso retorta, & hyacintho, ac purpura coccoque bis tincto variatas opere plumario facies.

Mensa in hac domo, est sacra Scriptura. *Exod. vigesimoquinto*, Facies & mensam de lignis Sethim. *Psalmo vigesimosecundo*. Parasti in conspectu meo mensam. Cibus mensæ, quatuor sensus sacræ Scripturæ, historicus, allegoricus, tropologicus, anagogicus. *Prov.* 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Lectus in domo hac est claustrum, sive religio, *Cant.* 1. Lectulus noster floridus. Minister, prælatus, familia, omnes justi. *Luc. duodecimo*.

Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam? Nonne hæc est familia Sancti Job, de qua dicitur *Job primo*, Et erit ei familia multa nimis? Sunt & vasa in hac domo. Quædam in honorem, boni prædicatores: quædam in contumeliam, falsi prædicatores, *secundæ Timoth. secundo*, In magna autem domo sunt, non solum vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, alia quidem in honorem, alia vero in contumeliam.

A a Et descendit

a Et descendit pluvia,] idest, aeriæ potestatis impugnatio, ut dicit *Interl.* Intentio enim diaboli semper est, ut descendamus.

b Et venerunt flumina,] potentum persecutio.

c Et flaverunt venti,] minæ, sive blanditiæ, vel detractiones.

a & descendit pluvia, & b venerunt flumina, & c flaverunt venti, d & irruerunt in e domum illam, f & non cecidit; g Fundata enim erat supra petram. Et h omnis, qui audit verba mea hęc, & i non facit ea, k similis erit viro stulto, l qui ędificavit domum suam super arenam, & m descendit pluvia; & n venerunt flumina, & o flaverunt venti, p & irruerunt in domum illam, & q cecidit & r fuit ruina ejus magna. Et s factum est, cum t consummasset Jesus verba hęc, u admirabantur turbę, x super doctrina ejus. y Erat enim docens eos z sicut potestatem habens, & a non sicut Scribę, & Pharisęi.

d Et irruerunt] quantacunque potuerunt violentia. Simile *Job* 1. Repente ventus vehemens irruit a regione deserti: Irruerunt, idest, simul ruerunt, vel cum impetu.

e In domum illam,] supra ædificium virtutum, vel in Ecclesiam.

f Et non cecidit,] *Prover.* 10. Justus quasi fundamentum sempiternum. *Ecclesiastici* 26. Fundamenta sempiterna supra petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ. *Chrysostomus*. Christianum, qui se ædificat super Christum nulla adversitas diruere potest. *Roman.* 8. Quis separabit nos a charitate Christi.

g Fundata enim erat supra firmam petram,] idest, Christum.

Moraliter. [Moraliter.] Pluvia, quæ venit de aere, tentatio diaboli habitantis in hoc aere caliginoso. Vel pluvia, quæ videtur, & mollit terram, peccata carnalia sunt. Ventus, qui non videtur, sed sentitur peccata spiritualia. De primo *Isa.* 8. Adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes, & multas, De secundo *Isa.* 32. Et erit, sicut vir, qui absconditur a vento, & celat se a tempestate. Vel per ventum, superbia, blanditiæ, comminationes, & inanis gloria. De primo dicitur *Ezech.* 1. Ventus turbinis veniebat ad Aquilone. De secundo *Amos* 4. Percussi vos in vento urente, idest, adulatione. De vento comminationis. *Job* 1. Ventus vehemens irruens, &c. De vento inanis gloriæ. *Jerem.* 4. Ventus urens in viis, quæ sunt in deserto. *Chrysost.* Pluviam, flumina, ventos, humanas dicit calamitates, puta, calumnias, mortes, rerum ablationes. *Infr.* petram vocat stabilitatem suæ doctrinæ: Etenim petra fortiora sunt præcepta.

h Et omnis, qui audit] Ponit sententiam contrariam superiori dicens: Et omnis, qui audit verba mea hæc, scilicet, quæ loquor, & supra locutus sum. *Joan.* 15. Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. *Hebr.* 2. Propterea abundantius oportet nos, servare ea, quæ audivimus, ne forte pereffluamus: Si enim, qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & si omnis prævaricatio justam accepit retributionem mercedis, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem.

i Et non facit ea,] non attendens, aut non intelligere volens, *Psal.* 35. Noluit intelligere, ut bene ageret.

k Similis erit viro stulto,] Judæo, vel gentili; vel diabolo, qui dicitur vir ab homine devicto, sicut Scipio Africanus ab Africa devicta. Similis erit in pœna, sicut similis est culpa.

l Qui ædificavit domum suam super arenam,] idest, domum conscientiæ stabilivit in vitiis, quæ significantur in arena, quæ sterilis est, & fluida. Super hanc dicitur draco stare, *Apoc.* 10. *Chrysostomus*. Arena sterilis est, terra minuta est, grana sibi non conveniunt, nec adhærent. Omnes, qui sub diabolo sunt, nec sunt unum, nec unum sapiunt, sed sunt per opiniones dispersi. Sicut dogmata Philosophorum docent, quæ sunt sibi semper contraria, sic hæretici nonquam sapiunt unum. Item arena innumerabilis est, ita & diaboli populus, Dei autem populus pauci, & electi.

m Et descendit pluvia] concupiscentia, a qua quisque tenetur, & tentatur, *Jacob* 1.

n Et venerunt flumina,] abundantia temporalium. *Apocal.* 12. Misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine. Vel, [flumina,] malorum operum frequentia.

o Et flaverunt venti,] adulationum, vel minarum. *Chrysostom.* Pluviæ proprium est emollire, ecce blanditiæ, ventorum proprium urgere, ecce minæ. Item flumina sunt ex mala parte verbosi, ut Philosophi, & Oratores, & hujusmodi ceteri scientiæ professores, de quorum ventre exeunt flumina aquæ mortuæ. Ex parte bona sunt Evangelistæ, & Doctores, de quorum ventre flumina fluunt aquæ vivæ. *Joann.* 7.

p Et irruerunt, &c.] subito cum impetu.

q Et cecidit,] quia in puncto ad inferna descendunt. *Job* 21. & 22. Viri iniqui, qui sublati sunt ante tempus suum, & fluvius subvertit fundamentum eorum. *Job* 8. Innitetur super domum suam, & non stabit. *Psal.* 36. Vidi impium superexaltatum & elevatum, sicut cedros libani, & transivi, & ecce non erat, &c.

r Et fuit ruina ejus magna,] quia sciens, & prudens male egit: Et melius est viam veritatis non agnoscere, 2. *Petr.* 2. Quam post agnitionem retrorsum converti. Item magna, quia loquitur viro, idest, Prælato, imo quanto gradus altior, tanto gravior. *Augustinus*. Quanto in loco altiore, tanto in periculo majore versatur. *Gregorius*. Sciant Prælati, quoniam tot mortibus digni sunt, quot ad posteros perditionis exempla transmittunt. Contra proverbium vulgare: Non possunt mori nisi una morte.

s Et factum est] Duobus modis potest accipi sententia hujus litteræ. Si enim dicamus eumdem esse sermonem quem Matthæus, & Lucas referunt, tunc evidens est littera, [cum consummasset Jesus verba hæc admirabantur turbæ super doctrina ejus,] quia interfuerunt huic sermoni turbæ. Si autem intelligamus fuisse duos sermones, tunc dicendum est ad solos discipulos Jesum in cacumine montis sermonem habuisse, & postea ad locum campestrem, qui erat in latere montis descendisse, & ibi eumdem sermonem recapitulasse populo, quædam tamen intermiscendo, & quædam jam dicta prætermittendo. Et hunc ultimum sermonem Matthæus prætermittit, & tamen quasi quodammodo innuit, cum dicit.

t Cum consummasset, &c.] quasi dicat, cum hæc discipulis semel protulisset, & eadem repetendo, in secundo sermone consummasset, quæ consummatio secundum Lucam in loco campestri facta est.

u Admirabantur turbæ,] vel aliqui in turba, vel potius omnes de excellentia. *Chrysostomus*. Quicquid digne laudare non possumus, admiramur.

x Super doctrina ejus,] quæ aliis dissimilis erat, & prius inaudita. Item *Luc.* 4. *Marc.* 2. *Joan.* 7. Nunquam sic locutus est homo. *Chrysostom.* Consequens erat eos dolere, & torpere ad tam alta, & onerosa: Sed tanta erat virtus docentis, ut etiam caperet multos, & etiam totum theatrum secutum est descendentem. Mens benevola facile suadetur a sermonibus veritatis.

y Erat enim, &c.] potestatem, scilicet, addendi vel mutandi, sicut Imperator, qui addit, & mutat, quæ volt. Vel.

z Sicut potestatem habens,] explanandi figuras, commutandi scripturas, perscrutandi legis ænigmata, & solvendi. Et hæc præfigurata sunt per ænigmata Reginæ Saba: De quibus 3. *Reg.* 10. Hic est enim leo de tribu Juda, qui aperuit librum, quem nullus alius aperire potuit: *Apoc.* 5. Vel, [sicut potestatem habens] sanandi *Psal* 67. Dabit voci suæ vocem virtutis. Sic debet esse sermo prædicatoris, & doctoris, & Prælati. *Beda*. Sermo doctoris in potestate sit, cum ea, quæ docet, operatur. *Gen* 47. Salus nostra in manu tua est, idest, in opere. *Beda*. Monstruosa res est lingua magniloqua, & manus otiosa.

a Et non sicut Scribæ, & Pharisæi, qui dicunt, & non faciunt *inf.* 23. *Chrysost.* Scriba, & omnis doctor servus est legis, quia nec addere potest, nec subtrahere. Nec enim potest mens humana vertere, quod sapientia divina dictavit. *Hieron.* Scribæ, qui tantum ea, quæ sunt in lege infirmis ad instructionem data tractabant Pharisæi, qui tantum litteram corrodebant carnaliter. Hæc autem duo respondent illis, quæ supra dixit: Audit, & facit. Scribæ enim docent superficialiter; Pharisæi faciebant opera exterius bona, non habentia charitatem, &c.

EXPOSITIO CAP. VIII.

CAP. VIII.

CUm *a* autem descendisset Jesus de monte, *b* secutæ sunt eum turbę multę, & *c* ecce leprosus veniens *d* adorabat eum dicens:

CUm autem descendisset Jesus, &c.] Præterit Matthæus potestatem curandi, & prædicandi datam discipulis post sermonem habitum in monte. Postponit etiam vocationem suam: Præcessit enim vocatio ejus miracula, quæ hic narrat: Nam electus fuit cum aliis undecim in monte, ut esset unus de duodecim. Hoc autem fecit Matthæus, quia continuo disposuit miracula Christi narrare post sermonem Domini. Vel etiam Evangelistæ sicut Prophetæ nullum servant ordinem in scribendo, sed gesta, & dicta Christi in laudem ejus, secundum quod Spiritus sanctus mentibus eorum inspirabat, scribebant. Quod notavit Salomon: *Cant.* 2. Ubi dixit: Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Dividitur autem hoc capitulum in quatuor partes. In prima agit de curatione leprosi, & servi Centurionis, & socrus Petri, & multorum dæmoniacorum. In secunda agit de Scriba, qui dixit Domino: Sequar te, & non est secutus. Et de alio, qui dixit. Permitte me sepelire patrem meum, & postea sequar te, & statim jussus est sequi, ibi [Videns autem Jesus turbas.] In tertia agit de motu maris, & timore discipulorum, & ejus dormitione in navicula, & salvatione eorum, ibi [Et ecce motus magnus factus est in mari.] In quarta agit de curatione dæmoniacorum, & de legione intrante in porcos, & præcipitante in mari, ibi [Et cum venisset, &c.] Recte ergo post sermonem miracula narrat Matthæus, quia per miracula sermo apud auditores confirmatur, sicut dicitur *Marc. ult.* Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Unde *Chrys.* A miraculis transiit ad sermonem, iterum a sermone transit ad miracula, ut quasi potestatem habens docuit, quasi potestatem habens curet. Curat autem tres. Primo leprosum: secundo, servum paralyticum: tertio, socrum Petri febricitantem, non sine magno mysterio. Primo, enim sanabat Judæum leprosum, secundo servum gentilem, tertio socrum Petri. Quia primi credentes fuerunt de Judæis post gentiles, in fine reliquiæ Israel salvæ fient. Hoc notatur in fine Missæ, quia officium incipit in dextro, & transit ad sinistrum, & redit ad dextrum. Vel quia lepra hæresis contra fidem, acedia paralysis contra spem, calor materialis socrus febricitantis per libidinosum amorem contra charitatem: Et ideo sanat secundum ordinem virtutum. Primus sanatur tactu, & verbo, secundus solo verbo, tertius tactu, quia gentes quasi per medium facile crediderunt. Unde *Psalm. decimoseptimo.* Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. Unde in Epiphania. Venite, psallendo dicitur, non cantando, sicut in aliis festis, quando fit vocatio Judæorum.

a Cum autem, &c.] idest, de loco campestri, qui erat in latere montis.

b Secutæ sunt eum turbæ multæ.] Alii propter charitatem, ut Apostoli, alii sequebantur propter doctrinam, alii propter admirationem, ut curiosi, *Joan.* 7. Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur. *Chrys.* [Turbæ,] non principes: per totum enim Evangelium vides eos esse afflictos. Turba eum cum silentio audivit, Pharisæi, ut calumniarentur.

c Et ecce leprosus veniens,] corpore, & fide.

d Adorabat eum dicens.] Nota, eum esse Deum. Hic leprosus ad altiora montis non potuit ascendere, nec cum lepra tam alta poterat audire. *Chrysostomus.* Sed ne forte diceret populus apud se. Verba terribilia opera nulla, dicere granditer non est multum, facere vero multum est: ideo excitavit leprosum, ut mundationis illius miraculo præcedentibus auctoritatem præstet, ut in verbis mirabilis mirabilior esset in opere. Sed quare igitur non ascendit in montem? *Psalmo vigesimotertio.* Quis ascendet in montem Domini, &c. Innocens manibus, & mundo corde, non leprosus in anima.

A *a* Domine. Nota se

Moraliter. Moraliter.] *e* Et ecce leprosus veniens,] 2. *Reg.* 3. Dicit David ad Joab, quod de domo ejus non deficiet leprosus. Joab interpretatur inimicus, idest, de domo diaboli non deficiet peccator. In lepra peccati notantur multa. Lepra per totum corpus diffunditur, sic peccatum per totum hominem ad modum cancri, vel morbi, qui dicitur lupus. *Num. cap.* 12. Dicit Aaron ad Moysen de Maria, quæ propter murmurationem percussa est lepra: Jam medium carnis ejus devoratum est. Idem *Thren. cap.* 3. Misericordia Domini, quia non sumus consumpti. Item lepra contagiosa est, alios inficiendo, sic peccatum. *Eccl.* 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Ideo prohibuit Dominus familiaritatem Judæis cum Hevæis, Hethæis, & Jebusæis, &c. *Deut.* 7. *Psalm.* 105. Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, &c. Item leprosus habet anhelitum fœtidum, & inficientem, sic peccator est fœtidus, per verba scurrilitatis, detractionis, adulationis. De fœditate, *Ecclesiast.* 12. Sicut æramentum eruginat nequitia illius. *Proverbiorum* 15. Cor stultorum ebullit stultitiam 1. *Corinthiorum* 15. Corrumpunt bonos mores colloquia prava. *Ecclesiastici* 9. Colloquium ejus exardescit quasi ignis. Item leprosus sitim patitur. *Isaiæ* 5. Multitudo eorum siti exaruit. Nunquam enim est satietas in peccato. *Proverbiorum* 13. Venter impiorum insatiabilis. *Hieron.* Libido famem patitur sui. Item abominabilis est sanis, sic peccator bonis inquantum talis. *Psalm.* 118. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. *Eccles.* 9. Mulier fornicaria quasi stercus in via ab omnibus conculcabitur. *Osee* 9. Intraverunt ad Beelphegor, idest, ad peccatum luxuriæ, & abalienati sunt in confusione peccatorum, & facti sunt abominabiles. Item leprosus fœtet, & peccator per infamiam. *Job* 20. Quasi sterquilinium in fine perdetur. *Deuteron.* 32. Peccaverunt, & non filii ejus in sordibus. Item amittit pedes, & manus, & peccator affectiones, & bonas operationes. Quod significatur *Judicum* 1. Adonibezech, qui interpretatur doctor egestatis, vel Dominus flagitans, vel diabolus fulgurans suos per pœnam æternam, & ducens etiam eos in præsenti ad egestatem spiritualem, amputavit septuaginta regibus summitates pedum, & manuum. Et 2. *Reg.* 19. Habetur de Miphiboseth: qui claudus utroque pede noluit venire ad David. Sic peccator ad Christum. Et ideo dixit quod, Siba qui interpretatur egressus vehemens, quod est mors, condivideret hæreditatem secum. Mors enim sic dividit delitias peccatoribus, quod in præsenti paucas eis dimittit, etiam in futuro penitus aufert. Item lepra aufert oculos, sic lepra peccati peccatoribus. *Psal.* 57. Super cecidit ignis, & non viderunt Solem justitiæ, scilicet, Christum. Item amittit aures, ne legem Dei audiat, vel mandatis obediat, & nares, ne odorem Christi, & Paradisi sentiat. *Ezech.* 13. Nasum tuum, & aures tuas præcident tibi. De odore Christi. *Eccl.* 24. Ego quasi Libanus non incisus evaporavi habitationem meam. *Cant.* 1. In odorem unguentorum tuorum currimus. Item barbam amittit. Et peccator virilitatem bene agendi, vel operandi. *Psalm.* 51. Sicut novacula acuta fecisti dolum. *Isaiæ septimo*, In die illa radet Dominus in novacula acuta caput, & barbam, idest, cogitationes, & viriles operationes. Item maculatur leprosus per varietates vitiorum. *Lev.* 21. De hostia, quæ offerri debet in sacrificio. Omnis macula non erit in ea: Si cæcum fuerit per indiscretionem, si fractum per duplicitatem, si cicatricem habuit per antiquæ consuetudinis saporem, si papulas habuit per contemptum, & superbiam, si scabiosum per incorrigibilitatem, si impetiginem per obstinationem. Item lepra mutat colorem. *Threnorum quarto*. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Item lepra est morbus incurabilis, sic peccatum quantum in se est. *Jeremiæ capit.* 30. Insanabilis est fractura tua. Unde sicut lepra non curatur, nisi per miraculum, sic neque peccatum. *Isaiæ quadragesimotertio*, Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me. Augustinus. Majus est de impio facere pium, quam de nihilo cœlum, & terram. Dicit ergo.

a Cum autem, &c.] Paradisi. De quo *Isaiæ vigesimoquinto*, Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, convivium pinguium medullatorum vindemiæ defecatæ.

b Secutæ sunt eum turbæ multæ] idest, peccatores 1. *Reg.* 22. Convenerunt ad David ad speluncam, qui erant in angustia constituti.

c Et ecce leprosus veniens] passibus pœnitentiæ, & fidei. [Adorabat eum dicens.]

* *a* Domine, si

a Domine, si vis, b potes me mundare. Et c extendens Jesus manum d tetigit eum, e dicens: Volo, f mundare, & g confestim mundata est lepra ejus. Et h ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris: i sed vade, k ostende l te m Sacerdotibus, & n offer munus, quod præcepit o Moyses in testimonium illis.

a a Domine] Notat se esse obedientem.
b Si vis, potes me mundare,] quasi dicat, de potestate non dubito, sed de tua voluntate: non quia tu immisericors, sed quia ego indignus: & ideo peto misericordiam tuam, ut tu velis præter merita mea. *Chrysost.* De voluntate Christi parata ad omne bonum non dubitat, sed de judicio voluntatis. Non enim expedit omnibus corporalis integritas, & ita Christus cum sit bonus, nociva non vult præstare, etiamsi rogetur. [Potes,] quasi dicat, credo te esse Deum, & si omnipotentem. *Job* 23. Anima ejus quodcumque voluit hoc fecit. *Ambr.* Verecundia confessionem non repressit, ostendit vulnus, remedium postulavit, & ipsa religionis fidei plena est confessio.
c Et extendens, &c.] Nota, quod prætendit misericordiæ affectum. Primo, corporali manus extensione, secundo voce, tertio opere, idest, qua curavit eum jussione. Dicit ergo. [Et extendens Jesus manum.] *Prov.* 31. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.
d Tetigit eum,] Tetigit propter duo. Ad ostendendum, quod non erat sub lege. *Lev.* 13. prohibentur leprosi, & ejici extra castra jubentur, & immundus est, qui tangit leprosum. Et ut ostenderet nobis, quod nullum debemus abhorrere leprosum, vel infirmum. *Job* 5. Visitans speciem tuam non peccabis. Exemplum de Sacerdote leprosorum, qui fecerat murum inter se, & leprosos, & in muro fecerat foramen per quod audiebat confessiones eorum, & porrigebat corpus Domini. Et accidit, ut narrat *Cantor Parisiensis*, quod parte quam vertebat ad illos remanente sana, alia fieret leprosa. Et quidam servus abhorrebat leprosos, ut nec tantum eis eleemosynam vellet portare, & factus est leprosus. *Chrysostom.* 4. *Reg.* 5. Eliseus noluit videre Naaman, legem observans, tetigit autem Christus, quia legi non subjacet. Et quia omnia munda mundis, nec manus fit immunda, sed corpus a manu sancta fit mundum.
e Dicens, volo:] Contra Photinum, qui dicebat, quod voluntas Christi erat inefficax, sequendo illud Philosophi: Propter nostrum dicere, aut velle nihil in re mutatur.
f Mundare,] idest, mundus esto: Contra Arrium, qui dicebat Christum tantum Deum adoptivum, & nihil posse imperando, sed orando. Contra Manichæum dicit [tetigit] qui ponebat Christum tantum habere corpus phantasticum. g Et confestim, &c.] idest, leprosus a lepra. Simile *Isa.* 1. Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. *Gen.* 18. Nunquid Deo quicquam est difficile? *Sap.* 16. Omnipotens sermo tuus, Domine, qui sanat omnia. *Psal.* 32. Dixit, & facta sunt. *Chrys.* Si blasphemia erat, non debebat opus sequi, sed cessit natura cum majori velocitate, quam dicat Evangelista. h Et ait illi Jesus: Vide nemini dixeris,] quasi dicat, ita manifesta est sanatio, ut non oportet, quod aliis dicas. Nota autem, quod quandoque ponitur præceptum, & in præcepti forma, ut *Exod* 20. & in multis locis sacræ Scripturæ. Aliquando etiam proponitur præceptum, sed non in præcepti forma, ut *Marc.* 2. Non sinebat ea loqui, idest, impetrabat, ne loqueretur. Quandoque etiam proponitur præceptum sub præcepti forma, sed non est præceptum, ut hic. i Sed vade, ostende te Sacerdotibus] Præcepit Dominus ostendere se Sacerdotibus, propter humilitatem, ut eos honoraret. Propter utilitatem, ut videntes miraculum credentes salvarentur. Item propter inexcusabilitatem, ut videntes, nec credentes, juste damnarentur. Item propter veritatem, ne legem frangere videretur. Item propter ostendendam majestatem, ut non legis ordine, sed gratia sanatus monstraretur. Item propter eruditionem, ut nos similiter faciamus. n Et offer, &c.] scilicet, duos passeres vivos. *Lev.* 14. o In testimonium illis] idest, ut illud sit in testimonium, in signum mundationis, quia munera testificabantur esse curatum. Vel, [In testimonium illis,] idest, ut illorum testimonio mundus habearis. Vel, [in testimonium illis] suæ salutis, vel justæ damnationis si miraculo, tam aperto non credunt.

Dominus præcepit leproso, ut ostenderet se Sacerdotibus multis de causis.

a a Domine, si vis potes me mundare;] Ecce humilis deprecatio, & confidentia. Confidit enim, quod possit eum mundare si vult.
c Et extendens Jesus manum,] gratia: De qua *Ezechiel.* 1. Facta est super me manus Domini. Sed *Proverb.* 1. Extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret me.
d Tetigit eum] *Psalmo* 143. Tange montes, & fumigabunt.
e Dicens: volo, mundare] Ecce quia humiliter petiit, obtinuit. *Eccl.* 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. *Judith* 9. Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.
g Et confestim mundata est lepra ejus] postquam enim Dominus tangit peccatorem per gratiam gratum facientem, statim recedit lepra peccati.
h Et ait illi Jesus; Vide, nemini dixeris] In hoc docet nos fugere jactantiam.
i Sed vade] per contritionem.
k Ostende te] per confessionem. *Proverb.* 28. Qui abscondit peccatum suum non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Cant.* 5. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo, at ille declinaverat, atque transierat. Apertio pessuli est propositum confitendi. Ostium firmatur pessulo, quia plus est aperire ostium, quam tollere pessulum: Hoc est dum mens per confessionem aperitur, sed tamen in apertione pessuli Christus declinat in corde hominis ad quiescendum. Unde *Psalmo* 31. Dixi confitebor, & tu remisisti.
l Te] non alios, peccata tua, non aliena.
m Sacerdotibus] pluribus confitere, quia plures erubescentiæ diminuunt. Vel quia quod videt unus, non videt alius. Nota autem quod

Confessio debet esse

- Voluntaria. *Psalm.* 53. Voluntarie sacrificabo tibi.
- Discreta in circumstantiis exprimendis. *Lev.* 2. In omni sacrificio offertur sal.
- Dulcis, & devota. *Cant.* 2. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.
- Nuda, & aperta. *Is.* 47. Denuda turpitudinem tuam.
- Integra. *Is.* 14. Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem.
- Humilis. *Gen.* 24. Rebecca viso Isaac, idest, Christo per fidem, & contritionem descendit de camelo, idest, de gibbositate vitiorum.
- Verecunda. *Eccl.* 4. Est confessio adducens gloriam. Sed *Jer.* 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, & noluisti erubescere.
- Detestatoria, & indignativa. *Jer.* 8. Attendi, & auscultavi, nemo quod bonum est loquitur; nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens, quid feci? *Ps.* 4. Irascimini contra peccata, & nolite peccare. *Psal.* 37. Rugiebam a gemitu cordis mei.
- Amara. *Isa.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos.
- Lacrymosa, *Ps.* 6. Lavabo per singulas noctes lectum meum. *Thr.* 2. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.
- Accusatoria. *Psal.* 50. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.
- Festina. *Eccl.* 5. Ne tardes converti ad Dñm. Sed *Sophon.* 2. Vox cantantis in fenestra.
- Universalis. *Ps.* 8. & 110. & 130. Confitebor tibi in toto corde meo.
- Frequens. *Is.* 23. Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita, bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.
- Pura ab hypocrisi, *sup.* 6. Cum jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, ut pareant hominibus jejunantes.

n Et offer, &c.] De quo *Lev.* 14. Offerat pro se duos passeres vivos, quibus vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculumque, & hyssopum. Duo passeres, corpus, & anima. Corpus debet mortificari per pœnitentiam. 1. *Petr* 3. Mortificatus quidem carne. *Ps.* 43. Quoniam propter te mortificamur tota die. Anima autem debet avolare per contemplationem. *Ps.* 54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, &c. Per cedrum

significatur

* significatur odor bonæ opinionis ad proximum. Per vermiculum fervor charitatis ad Christum, Per hyssopum, humilitas ad seipsum. *Tit.* 2. Sobrie, juste, & pie vivamus in hoc sæculo. Postea sequitur *in Levit*, quod debet radere

Moraliter.

pilos corporis sui, & lavara se aqua, & septima die radere capillos capitis, & barbæ, & supercilia, & pilos totius corporis, & post offerre duos agnos immaculatos, & nvem anniculam absque macula, & tres decimas simile conspersas oleo. Pilos radere, est superfluitates temporalium resecare. Lavare se aqua, est flere peccata, Radere pilos capitis, & barbæ, est cogitationes superfluas, & locutiones vanas a se movere rasorio confessionia. *Isa.* 7. Radet Dominus in novacula acuta Caput, ideſt, cogitationes superfluas, pilos pedum, affectiones vanas, & barbam universam, ideſt, locutiones otiosas. Duo agni sunt duplex innocentia, ut nullum miserum faciat, & ut miserum non deserat. Ovis autem significat mansuetudinem. Tres decimæ similes, tres compassiones, cordis, oris, & operis. Simila farina est immaculata, & mundata a surfure, ideſt, inani gloria. Hæc debent conspergi oleo hilaritatis. *Ps.* 44. Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. 2. *Cor.* 2. Hilarem datorem diligit Deus. *Rom.* 12. Qui miseretur in hilaritate.

Cum *a* autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, *c* rogans eum, *d* & dicens: *e* Domine, *f* puer *g* meus *h* jacet in *i* domo *k* paralyticus, & *l* male torquetur. Et *m* ait illi Jesus: *n* Ego veniam, & *o* curabo eum. Et *p* respondens Centurio, ait, *q* Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum,

a Cum autem introisset Capharnaum.] Post miraculum de curatione leprosi, subjungit de miraculo servi Centurionis. Matthæus autem non sequitur ordinem historiæ, sed mysterium, ut dicit *Aug. in libro de ordine Evangeliorum*. Mysterium autem dictum est *supra*. Dicit ergo: [Cum autem, &c.] princeps eorum militum. *Luc.* 7. refert, quod Centurio non vanit ad Jasum, sed misit seniores Judæorum, quia gentilis diffidebat per sa. Et ideo dixerunt seniores Judæorum: Multa bona fecit genti nostræ, & Synagogam nobis constituit. Sed Matthæus per fidem eum accessisse dicit. Vel, [accessit] per amicos: Qui enim per amicos, accedit, satis dicitur accessisse. Vel hoc dicit, quia corpore venit, sed familiarea Judæi intercesserunt pro eo. Iste Centurio fuit gentilis alienigena, rogans eum per nuncios, ut dicunt aliqui. Alii dicunt, quod in propria persona interfuit, sed verbum commisit senioribus rogans, scilicet pro servo suo, quod fuit humilitatis, & misericordiæ. *Chrysost.* Post Judæos venit ad gentes. Centurio primus fructus ex gentibus. *Orig.* Accessit aliena generatione, sed domesticus corde, alienus natione, sed alacri fida, princeps militum, sed socius Angelorum. Et dixit. *e* Domine.] In hoc reverentia. *f* Puer] ideſt, servus. In hoc humilitas, & pietas. *Ezech.* 33. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem, sic eum tracta.

g Meus] Ecce compassio, quasi dicat, morbus est meus. 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor?

h Jacet] unde non poteſt venire, quasi dicat, non potast surgere.

k Paraliticus] quod pejus est.

i In domo.] Contra illos, qui statim famulos ægros ejiciunt, & ad hospitale mittunt. *l* Et male torquetur] ideſt, graviter affligitur. *Chrysost.* Quare non adduxit eum, vel fecit portari, sicut illi. *Marc.* 2. Qui submiserunt paralyticum per tectum? Responsio. Major fuit fides hujus quam illorum. Credidit enim, quod absens potuit curare. *m* Et ait illi Jesus] salvator illius ad litteram. *n* Ego veniam, &c.] Domini enim ast salus, ut dicit *Ps.* 3. In hoc autem magna confusio medicorum, quia tantus medicus descendit ad pauperem servum non quærens de pecuniæ quantitate. Nostri autem medici ad pauperes, nonnisi prætaxato pretio descendunt, & ad divites non requisiti se offerunt. *Chrys.* Omnes medici pecuniis, iste solus oratione placatur. *Beda.* Ad filium Reguli venire noluit Dominus. *Joan.* 4. Ne videretur divitias honorare, & servilem conditionem spernere.

p Et respondens Centurio, ait illi] per internoncios, ut dictum est, dum Dominus esset in itinere non longe a domo. *Chrys.* Quidam dicunt, quod non est ille, de quo, Lucas agit. Et hoc habet multas conjecturas. Et ita decens est volentem ire prohibere a Judæis blandientibus, & dicentibus: Non eum adducemus, ita decens est eum postea venisse. Etsi Lucas non dicit, Matthæus dicit *q* Domine, non sum, &c.] Hoc dicit: quia forsan erant in domo ejus idola, & timebat eum offendera, quia credebat Deum asse, & omnia scire. *Aug.* Dicendo se indignum, præstitit se dignum, non in cujus parietes, sed in cujus cor Christus intrat. [Sub tectum] non dicit palatium, cum asset Centurio. Item non dicit tecta, sed tectum, ut notetur singularitas, & simplicitas. *Chrysost.* Hoc audiamus quicumque sumus Christum suscepturi: Non dicit sub palatium, sed sub tectum, cum tamen esset Centurio. *Eccl.* 26. 2. Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpidinem. *Jerem.* 22. Væ, qui ædificant domum suam in injustitia, & cænacula sua non in judicio. Qui dicit, ædificabo mihi domum latam, & cænacula spatiosa, qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina: pingitque synopide, ideſt, sanguine Christi.

▲ sed tantum

Mystice.

a Cum autem introisset Capharnaum, &c.] Capharnaum interpretatur villa consolationis, val ager pinguedinis. Unde poteſt significare eos, qui de pinguedine temporalium consolantur hic. In Capharnaum jacet paralyticus, quia in pinguedine, & consolatione gloriæ temporalis accipit paralypsis animam gloriantem, prosternens eam. Unde *Jerem.* 2. In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso prosternaberis meretrix. Ad animam superbientis ex abundantia divitiarum loquitur. Per collem sublimem superbia: unde signanter dicit in colle, & non supra collem. Humilis enim supra superbiam sedet, superbus in ea prosternitur. Per lignum frondosum, pinguedo, sive superabundantia temporalis, sub qua, & non supra prosternitur amator divitiarum. Et nota, quod dicitur lignum frondosum: Lignum enim non dicitur, nisi cum jam præcisum est, & non recipit jam beneficium humoris unde fructus nascatur, cum frondes adhuc retinet, sed cito cadent, sic abundans in temporalibus, humorem charitatis non sentit: Nam qui videt fratrem egestatem habentem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo. 1. *Joan.* 3. Et cito cadent divitiæ. *Psalm.* 89. Mane sicut herba transeat, &c. *Hieron.* Amœna, & excelsa semper idolis consecrantur. Igitur appetitus temporalium est animæ paralysis, sicut dicitur. *Prov.* 21. Desideria occidunt pigrum. Ingreditur autem Dominus Capharnaum, cum timorem incutit. Et nota, quod Jesu ingressu in Capharnaum, Centurio rogat eum pro servo suo sanando. Iste Centurio cujus servus, ideſt, caro infirmatur, jacens in domo, qui centum milites habet sub se, significat prælatum, cujus caro debet infirmari, & in servitutem redigi. 1. *Cor.* 9. Castigo corpus meum, &c. qui debet habere centum sub se, ideſt, quinque sensus Deo militantes sub se, ut ad imperium rationis omnes quiescant, vel operentur: Ut si jubeat ratio, claudatur oculus, ne videat vana, si jubeat, aperiatur, ne videat bona. Dicit ergo. *a* Cum autem introisset] Non apponitur hic Jesus, quia quando nondum timor Dei est in anima, nec est ibi salus. *b* Accessit ad eum Centurio] fide. *c* Rogans eum] opere.

d Et dicens] in corde per devotionem, & charitatis ardorem. *e* Domine,] ecce fides, qua Dominum vocat.

f Puer meus] ideſt, caro mea, quæ a me habetur, jacet, & torquetur: ideo dico [meus.] De hoc servo. *Eccl.* 33. Cibaria, & virga, & onus asino, panis, opus, & disciplina servo. *h* Jacet in domo] ideſt, in conversatione sæculari. *i* De qua domo] *Amos* 3. Percutiam domum hyemalem, ideſt, adversa cum domo æstivali, ideſt, prospera, & peribunt domus eburneæ, ideſt, religiones.

k Paralyticus] non potens aliquid operari.

l Et male torquetur] jejuniis, vigiliis, & orationibus. *Eccl.* 33. Servo malevolo tortura, & compedes.

m Et ait illi Jesus:] Hic dicitur Jesus, quia post accessum fidei, statim adest salus.

n Ego veniam.] in die judicii. *Apoc. ult.* Ecce venio cito. *o* Et curabo eum] cum mortale hoc induet immortalitatem. Et nota, quod dicitur, [Ego] personaliter, non per vicarium, quod est contra quosdam Sacerdotes, qui personaliter ad ægros suos parochianos ire etiam ad communicandum dedignantur, sed si dives asset, & vellet condere testamentum, tunc libenter irent. Et hoc est signum, quod plus curant de lacte, & lana, quam de ove, a qua recipiunt, & lac, & lanam. [veniam] dicit, non ibo, quia ire in malo sonat, venire in bono. *infr.* 25. Venite, benedicti. Ite, maledicti.

p Et respondens Centurio, ait illi: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.] Sic debent quilibet Sacerdotes se reputare indignos accipiendi Corpus Christi.

A Sed tantum

a sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus: Nam *b* & ego homo sum sub potestate constitutus, *c* habens sub me milites, & *d* dico huic: vade, & *e* vadit, & *f* alio: *g* veni, & *h* venit, & *i* servo meo: *k* fac hoc & *l* facit. *m* Audiens autem Jesus *n* miratus est, & *o* sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. *p* Dico autem vobis, quod *q* multi ab Oriente, & *r* Occidente venient, & *s* recumbent cum *t* Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cœlorum, filii *u* autem regni *x* ejicientur in tenebras exteriores: ibi *y* erit fletus, *z* & stridor dentium. Et dixit *a* Jesus Centurioni, *b* vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et *c* sanatus est puer ex illa hora.

▲ *a* Sed tantum, &c.] *Chrysost.* Omnis sermo ejus virtus est viva.

b Nam & ego, &c.] Probat a minori, quod solo verbo potest Dominus servum curare, quia si ipse, qui homo purus est, potest militibus imperare, & servis suis, multo magis cum ipse sit Deus, potest Angelis suis imperare, ut eorum ministerio curetur. [Nam & ego homo sum sub potestate constitutus.] Ecce non dedignantur habere superiorem.

c Habens sub me milites] ad litteram. *Roman.* 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Nota autem, quod habebat centum milites, & erat sollicitus pro servo ægro, quid ergo de illis, qui non habent centum milites, & non curant de servis suis? *d* Et dico, &c.] ad litteram.

f Et alii] antiqua est Grammatica. *g* Veni,] esto scilicet paratus venire. *h* Et venit] quasi dicat, obedit. *i* Et servo meo,] minoribus quasi de familia.

k Fac hoc, & facit] idest, adimplet opere, quod dicitur ei, quasi dicat, sic Angeli tibi serviunt, sic ire, & venire ad præceptum tuum parati sunt.

m Audiens autem] hoc [Jesus] scilicet, quod sub velamento carnis agnovisset excellentiam majestatis.

n Miratus est] idest, animum mirantis prætendit.

o Et sequentibus, &c.] Contra. Nonne majorem fidem invenerat in Beata Virgine, & in Apostolis? Solutio. Majorem dicit in hoc, quia a nullo doctus. Unde dicitur primitiæ gentium, quia primus cecidit sine exteriori documento, quia edocti per libros Balaam, & per judicium novæ stellæ, [Vel tantam] dicit, excludens, ad quos loquebatur, sicut dicimus: Nemo est in hac domo, excludendo eos, ad quos loquimur. *Chrysostom.* Quare leprosus laudatus non est, qui non dixit, dic verbo: sed velis tantum? Solutio. Non erat æquale Judæum credere, & gentilem. Quod non erat Judæus, patet, quia centurio. Et quia sequitur [Non inveni &c.]

p Dico autem vobis,] & si non aliis, quia vobis secreta revelavi. *Joan.* 15. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi a patre meo, nota feci vobis.

q Quod multi &c.] *Orig.* dicit. Ex omni parte venient ad fidem. In omnem terram exivit sonus eorum. *Malach.* 1. A solis ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco, & offertur nomini meo oblatio munda.

s Et recumbent] idest, requiescent feliciter, non solum iste Centurio.

t Cum Abraham, &c.] quia istis specialiter facta est promissio de Verbo incarnando: ideo principaliter ab istis incipit. *Chrys.* Patriarchas laudat contra Manichæos, & hoc ipsum mordet Judæos. Ideo hoc prophetans dixit de gentibus: Etenim erant ibi sequentes de Galilæa Gentium. Sed quare non gemi dicit, sed Orientem nominat, & Occidentem? Solutio. Quia non credis sanitati servi, crede prophetiæ, quam vides completam hodie: Ideo non statim servum curavit, ut ista perscrutaretur. *u* Filii autem regni,] idest, Judæi, in quibus ante regnabat Dominus, idest, quorum Deus erat per cultum. *Ps.* 75. Notus in Judæa Deus.

x Ejicientur in tenebras exteriores,] quia quam cito quis peccat, habet tenebras exteriores. De his tenebris. *Exod.* 10.

y Ibi erit fletus] proveniens ex affectu mentis angustiato. *z* Et stridor dentium] ex dolore corporis extrinseco. Vel, (fletus) propter calorem. Stridor) propter frigus. *Job* 24. Ad nimium calorem transiet ab aquis nivium. *a* Et dixit Jesus Centurioni,] idest, suis rogatoribus, vel sibi, si personaliter fuit ibi.

b Vade, & sicut credidisti, fiat tibi,] idest, servo tuo per te: Ecce quanti meriti est fides, *infra* 17. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, &c. Et sequitur: Nihil impossibile erit vobis, *Marc.* 9. Omnia possibilia sunt credenti.

c Et sanatus est puer ex illa hora] ad litteram, quia rogavit Centurio cum fide, & devotione.

Θ *a* Sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus] in futuro: quia in præsenti fomes extingui non potest, nisi Deus hoc faceret, sicut in B. Virgine *Psalm.* 67. Dabit voci suæ in die judicii, scilicet vocem virtutis, ut salventur corpora. *Mystice.*

b Nam & ego, &c.] Sic prælatus debet confiteri se esse sub altero. Nec quærit exemptionem, quia non timet potestatem. Et revera non est timenda potestas, quæ facit bene, sicut dicitur *Rom.* 13. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Et si non ostendat, tamen laudabit te. *Rom.* 18. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Item dicit [constitutus.] Sic prælatus, sicut David: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. *Seneca.* Sic cum inferiore vivas, quemadmodum cum superiore te vis vivere.

c Habens sub me milites] bonos, & sanctos, qui militant Christo. 2. *Tim.* 2. Nemo militans Deo se implicat negotiis sæcularibus. Attendant hic Sacerdotes, & clerici, qui habent tot animas ad curandum, in quibus fere vix est unica sana, & ita solliciti, ut iste Centurio, qui centum milites habens sub se, & propter unum servum ægrum sollicite, tam devote rogabat Jesum, ut veniret, & sanaret eum: Sic debent & ipsi facere rogare aliquos, vel aliquem ut veniret, & verbo prædicationis sanaret ægros suos. Et hoc quidem facerent, si ei essent pretiosi, sicut Centurioni erat pretiosus servus, ut dicitur *Luc.* 7. *d* Et dico huic vade] idest, declina a malo.

e Et vadit] idest, declinat.

f Et alii veni] fide, & affectu.

h Et venit] idest, obedit. Vel (vade) ad activam [veni] ad contemplativam. *Prov.* 30. Stellio manibus nititur, & in domibus Regum habitat, ecce contemplativa. Sic sunt parochiales obedientes bono Prælato.

i Et servo meo, fac hoc] opus purum, & demonstrabile.

l Et facit] idest, obedit.

p Dico autem, &c.] ut confessores.

r Et Occidente] ut Martyres.

s Venient, & recumbent, &c.] Per hos tres significantur omnes salvandi, qui habent fidem, spem, & charitatem. Per Abraham enim fides, per Isaac spes, per Jacob charitas.

u Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.] Nota, quod est quadruplex regnum; regnum triumphantis Ecclesiæ, regnum militantis, regnum diaboli, regnum mundi. Triumphans, tres habet provincias, scilicet, tres Angelorum hierarchias. In prima habitant Seraphim, Cherubin, Throni. In secunda, Principatus, Potestates, Dominationes. In tertia, Virtutes, Archangeli, Angeli. Militans similiter habet tres provincias, scilicet provinciam conjugatorum, continentium, virginum. Hi sunt Job, Daniel, & Noe, de quibus *Ezech* 14. Pro his orat Ecclesia, dicens: Manifestare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse. Ephraim, fructifer, conjugati, qui fructus hujus vitæ congregant propter necessitatem familiæ. Unde 1. *Corinth.* 7. Qui habet uxorem divisus est, & cogitat ea, quæ mundi sunt. Benjamin, filius dexteræ, continentes, qui in terris vitam ducunt Angelicam, & de sinistra præsentis vitæ jam quodammodo transierunt ad dexteram beatorum. In carne enim præter carnem vivere Angelicum est, non humanum. Manasse, oblivio, Virgines quæ obliviscuntur carnis suæ, & domus patris sui. *Psalm.* 44. Audi, filia, & vide, &c. Regnum diaboli similiter tres habet provincias: Superbiam, avaritiam, luxuriam, quæ fere totum regnum occupant. 1. *Joan.* 2. Omne, quod est in mundo, &c. Regnum mundi similiter, scilicet, divitias, delitias, & honores. Et sunt valde propinqua hæc ultima regna, ut de facili fiat transitus de regno mundi ad regnum diaboli. Facile enim de honoribus transit homo ad superbiam, de delitiis ad luxuriam, de divitiis ad avaritiam. Filii itaque regni sunt clerici, & religiosi. De primis duobus regnis sunt filii nominaliter. Unde & ipsi dicunt: Dominus pars hæreditatis meæ. De duobus ultimis sunt filii realiter. Abundant enim in divitiis, delitiis, & honoribus. Sunt etiam luxuriosi, superbi, & avari. Et ideo [ejicientur in tenebras exteriores] in infernum. *Quadruplex regnum.*

▲ Et cum venisset

a Et cum venisset Jesus in domum Petri] Ista miracula, quæ sequuntur, facta sunt ante sermonem Domini in monte. Sicut *Luc.* 4. refert *Marc.* 1. Sed Matthæus mysterium sequitur.

c Vidit] oculo misericordiæ.

d Socrum ejus jacentem, & febricitantem] *ad litt.*

Et *a* cum venisset Jesus in domum *b* Petri, *c* vidit *d* socrum ejus *e* jacentem, & *f* febricitantem, & *g* tetigit manum ejus, & dimisit eam febris, *h* & surrexit, & ministrabat eis. *i* Vespere autem facto, *k* obtulerunt ei *l* multos dæmonia habentes, & *m* ejiciebat spiritus verbo, & *n* omnes male habentes curavit, ut *o* adimpleretur, quod *p* dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: *q* Ipse infirmitates nostras *r* accepit, & *s* ægrotationes nostras

g Et tetigit manum ejus, & dimisit eam febris] *Chrysost.* Numquid tetigit pulsum? Forte sic, & refrigeravit eos. Quare non caput? quia levavit eam.

Marc. 1. *Luc.* 4.

h Et surrexit, & ministrabat eis] *Ad litteram Chrysostom.* Ministratio signum est ægritudinis mulieris. Idem. Quia ægritudo vilis erat, in modo curationis virtutem ostendit, & subito eam fortem fecit; sic & in mari subito tranquillum fecit, quod solet etiam ventis cessantibus usque ad tumultum.

Moraliter. Moraliter. *a* Cum venisset Jesus] idest, ut Salvator gratiam infundens Dominus.

b In domum Petri] idest in conscientiam agnoscentis peccatum suum. Tunc enim venit Jesus, quando quis peccatum suum agnoscit.

c Vidit socrum ejus] idest carnem suam.

d Jacentem] per torporem. Caro enim est mater uxoris Petri, idest carnalis concupiscentiæ.

e Vidit] idest, videri fecit. Hæc est magna gratia, quam Deus dat homini, ut videat, & agnoscat fragilitatem carnis suæ.

f Et febricitantem] idest frequenter ad luxuriam incitantem, vel jam igne multiplici luxuriæ exustam. Vel febris potest dici avaritia, quæ facit non solum febrientem, sed febricitantem, idest frequenter tremente timore, quem habet avarus, ne minuantur divitiæ, & post calescentem nimio ardore acquirendi, & augendi divitias. Hæc febris curatur per tactum manus, quando Dominus, scilicet manum tangit, idest quando facit avarum manum pauperi porrigere eleemosynam largiendo. Unde *Eccles.* 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Item sanatur febris luxuriæ si Jesus tangit manum, idest otiosum, facit operari, quia

Remedium de remedio amoris. *Otia si tollas, periere cupidinis arcus.*

h Et surrexit, & ministrabat eis] Sic caro si mundata sit febre servet spiritui, & ministrat ei obedientiam ad vigilandum, & jejunandum. Nota autem, quod primo sanavit leprosum extra civitatem, secundo servum in civitate, tertio socrum Simonis in domo, ut nullus locus, nulla conditio, nullus sexus sit immunis a misericordia Dei, & quia omnis homo peccat in commune, vel in propriam familiam, vel in seipsum. Debet enim homo vivere pie apud Deum, & sic est sanatus a lepra hæresis, juste ad proximum in civitate, sobrie ad socrum febricitantem in domo.

i Vespere autem facto] & ipso nihilominus stante cum populo.

k Obtulerunt ei multos dæmonia habentes] *Chrysostom.* Vide fidem, nec tempore impellente recedere patiebantur, nec intempoaneum æstimabant in vespere infirmos adducere.

Mystice. Mystice. *i* Vespere autem facto] idest Christo in cruce moriente.

k Obtulerunt ei] discipuli.

l Multos dæmonia habentes] idest multos converterunt ad fidem. Vel.

Moraliter. Moraliter. *i* Vespere autem facto] ejecit Jesus dæmonia, quia cum prosperitas temporalis jam in mente deficit, quod jam temporalia non jam nimis amantur, tunc Jesus est in mente, & necesse est dæmonia exire. Unde *Luc. ult.* Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est dies.

m Et ejiciebat spiritus verbo] prædicationis. Non dicit verbis, quia omnia verba prædicatorum a verbo uno virtutem ejiciendi dæmonia habent. Inde est, quod plerique nostrum in suis prædicationibus nunc ejiciunt dæmonia, quia non prædicant verbo, sed verbis excogitatis, & politis. Ideo Dominus dicebat Apostolis: Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Ideo nos sumus sicut canes muti non valentes latrare, idest latratu fures, idest dæmones effugare, sicut habetur *Isa.* 56. Sed dicet aliquis: Nemo modo languidus, quia Dominus omnes sanavit. Ideo sequitur:

Infr. 10.

n Et omnes male habentes curavit,] idest malum suum cognoscentes, & manifestantes, Sed pauci sunt tales. Unde *Isa.* 1. Omne caput languidum, & omne cor mœrens: A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.

o Ut adimpleretur] consecutive.

p Quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem] *Isa.* 53. secundum aliam translationem. *Isa.* 53.

q Ipse infirmitates nostras,] i. pœnalitatum miserias.

r Accepit] sponte.

s Et ægrotationes nostras portavit] idest peccata nostra, quæ fecerunt eum ægrotantem in cruce, ubi sanguinis guttas sudavit. 1. *Pet.* 2. Peccata nostra in corpore suo super lignum portavit. *Exod.* 28. Aaron iniquitates eorum portabit, qui obtulerunt, & sanctificaverunt Domino, quæ obtulerunt, scilicet hostiam vivam, sanctam, Deo placentem. Ipse enim est agnus, qui tollit peccata mundi. *Joan.* 1. Nota, quod per quatuor prædictas curationes monstratur aperte perfecta curatio peccati. Neminem enim curat Jesus, quem perfecte non curet. Unde *Isa* 14. Perdam Babylonis nomen, idest ipsam peccati infamiam, & reliquias, idest impedimenta ad bene agendum, & germen, idest pravam voluntatem, & progeniem, idest opera prava: Nomen perdidit, quando lepram curavit, reliquias, quando paralyticum; germen, quando socrum; progeniem, quando dæmoniacos curavit.

Rom. 12.

i Vespere autem facto, &c.] Nota versus:

Vespere stella micat, cœlum rutilat, ceditque dies, Sol,
Noctis aves volitant, cantant, reticentque diurnæ:
Fur, lupus exit, ovis, homo tecta petit, canis anceps.
Littera parva latet, & adulter, bestia, piscis.

Versus.

Stella micat, idest Sancti, qui latebant, ostendent se Antichristo, ad contradicendum ei. *Judic.* 5. Stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt. *Baruch* 3. Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt: adsumus, & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Cœlum rutilat in Occidente, quia in Francia, & Anglia viget fides, & ibi erunt multi martyres eo tempore. *Apoc.* 13. Datum est illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos. Ceditque dies, idest lux fidei. *Thessal.* 5. Omnes vos filii lucis estis, & filii diei. *Luc.* 18. Filius hominis veniet, putas, inveniet fidem in terra? Sol, idest ordo Prælatorum non erit. *Joel.* 2. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Sol, idest ordo Prædicatorum, & Luna, idest Ecclesia mutabitur. Nocturnæ aves volitant, cantant. *Joan.* 3. Omnis, qui male agit, odit lucem: Bubo videtur habere magnum caput, & non est ibi nisi pluma, sicut hypocrita. Reticentque diurnæ, idest clerici tunc non cantabunt. *Amos* 6. Finis est, & dicet ei: Tace, & non recorderis nominis Domini. Fur, lupus exit, idest diabolus, qui prius latuit. *Job* 24. Mane, idest in primitiva Ecclesia, primo consurgit homicida, & interficit egenum, & pauperem, per noctem vero, idest in fine mundi erit quasi fur, Lupus est hæreticus. *Abacuc* 1. Equi ejus velociores lupis vespertinis, quia famelici sunt, quia volunt interficere corpus, ut devorent animas. Ovis, homo tecta petit, i. rationalis, & innocens intrabit religionem. *Isa.* 32. Erit sicut qui absconditur a vento, & celat se a tempestate persecutionis. Vel *ad litt.* speluncas, ibi homines, ubi non timetur ventus. Canis anceps, idest dubius, qui sit lupus. Canis est prædicator, qui tunc dubitator, cum credatur, quod est nunc, licet ululent hæretici, *infra* 24. Ecce si quis vobis dixerit: ecce hic est Christus apud Anabaptistas, aut illic, idest Valentes, nolite credere. Littera parva latet, quia tunc nolent audire subtilem expositionem de Christo, & de Sanctis, Et adulter. *Daniel.* 11. Et erit in concupiscentiis feminarum, & nullum deorum curabit, idest nullum Deum adorabit. Bestia, idest Vastia. *Job cap.* 40. Omnes bestiæ agri ludent ibi. Piscis Antichristus. *Is.* 27. Occidet cetum, qui in mari est.

a Videns autem Jeſus turbas multas, &c.] Ex quo oſtendit ſe potentem in terra, oſtendit ſe potentem in mari. Unde dicit: Videns autem Jeſus turbas multas circum ſe] Hoc factum eſt tertia die a curatione ſoerus Simonis. Nam in die ſecunda ivit in deſertum, ſicut dicitur *Marc.* 1. & *Luc.* 4. Poſtea in alia die cum cum illuc ſecutæ eſſent turbæ, juſſit diſcipulos ire trans fretum. Sed quod ivit in deſertum, tacet Matthæus.

C

c Juſſit diſcipulos ire trans fretum] ut a turbis ſe, & diſcipulos expediret. *Pſalm.* 54. Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. *Chryſoſt.* Quare non abegit turbas? ut non offenderet: argumentum contra bajulatores Epiſcoporum.

a portavit. Videns autem Jeſus turbas multas *b* circum ſe, *c* juſſit diſcipulos ire trans fretum. Et *d* accedens unus Scriba, *e* ait illi: Magiſter ſequar te, *e* quocumque ieris. *f* Et dicit ei Jeſus: *g* Vulpes foveas habent, *h* & volucres cœli nidos, Filius autem hominis, non habet, ubi caput ſuum reclinet. *i* Alius autem de diſcipulis ejus ait illi: *k* Domine, *l* permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum. *m* Jeſus autem ait illi: *n* Sequere me, *o* & dimitte mortuos *p* ſepelire mortuos ſuos. Et *q* aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli

Moraliter. *a* Videns autem Jeſus turbas] Turbæ ſunt multitudo curarum temporalium, quæ turbant animam ex omni parte, unde ſequitur,

b Circum ſe] Solicitudo enim temporalis turbat a parte anteriori, ut non quærat æterna, quæ ſunt anteriora, ſicut dixit Apoſtolus: Poſteriorum oblitus, ad anteriora me extendo. *Philipp.* 3. A parte poſteriori, ut non recogitet vitam præteritam, pro qua dolere deberet, quia male vixit. A parte dextera, ne cogitet de gaudiis cœli. A parte ſiniſtra ne cogitet de pœnis inferni. Turbam docet Dominus declinare. *Joan.* 5. Jeſus autem declinavit a turba conſtituta in loco. Hæc turba non ſinit videre Jeſum. *Luc.* 19. Zachæus quærebat videre Jeſum, quis eſſet, & non poterat præ turba, de quo *infra* 9. dicitur: Cum ejecta eſſet turba, intravit Jeſus, & tenuit manum puellæ, & dixit: Puella ſurge. Et ſurrexit puella.

c Juſſit diſcipulos ire trans fretum,] ut turbas fugeret. Seneca: Quoties inter homines fui, minus homo redii.

d Et accedens unus Scriba,] ideſt legiſperitus.

e Ait illi: Magiſter, ſequar te, quocumque ieris] Hoc dixit, non voluntate imitandi, vel obediendi, ſed cupiditate, ut ſcilicet diſceret, quomodo faceret miracula, ut poſſet lucrari, quod patet per hoc, quod dicit: [Magiſter ſequar te,] ac ſi diceret: Sequar te, ut diſcam a te magiſtro facere miracula.

f Et dicit ei Jeſus: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet,] *Ad litteram*, quaſi dicat Dominus, cur me propter divitias, & lucra ſequi deſideras, cum tamen ſim pauper, ita ut nec habeam hoſpitiolum? Nota autem, quod in tribus locis exprimitur paupertas Chriſti, hic, & quando miſit Petrum, ut mitteret hamum in mare ad habendum ſtaterem, *infra cap.* 17. & *Marc. cap.* 11. Cum prædicaſſet uſque ad veſperam circumſpiciebat utrum aliquis eum invitaret in hoſpitio. Item nota, quod Chriſtus pauper fuit in ingreſſu, pauperior in progreſſu, pauperrimus in egreſſu, &c.

Moraliter. Iſte Scriba tenet typum Gabaonitarum. *Joſue* 9. qui videntes proſperari Iſrael, & dominari, voluerunt inire fœdus cum filiis Iſrael. Hujuſmodi ſunt hypocritæ, qui habent ſotulares veteres, paneſque duros, & muſcidos, ideſt male veſtiuntur, & dure vivunt; ſed cognita fraude eorum, admittendi ſunt, ut aquarii, & lignarii, non ut fratres.

g Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos] Per vulpem, quod eſt animal rapax, & doloſum, cupidi, qui de cœlo, cum aliter non poſſunt, nituntur ſibi acquirere divitias. Per volucres cœli, ſuperbi. Et eſt ſenſus: [Vulpes foveas habent,] ideſt cupidi terram poſſident, & ſuperbi cœlum, ita filium hominis, qui & cœlum, & terram fecit, volunt ejicere de terra, & de cœlo. Unde ſequitur: [Non habet, ubi caput ſuum reclinet.] Vel vulpes ſunt meretrices, albæ in gutture, in dorſo rubeæ, ſcarlato veſtitæ, & caudatæ ſunt, & blando, & compoſito greſſu procedunt, & de nocte hæ foveas habent. *Prov.* 23. Profunda fovea eſt meretrix, & puteus anguſtus aliena. Vel fovea ſunt ſectatores occulti, qui ſovent eas.

h Et volucres cœli nidos] Per volucres clerici ſignificantur, qui pennis meditationis debent volare ad cœlum. De quibus dicit, quod nidos habent, non nidum, ideſt plures redditus, cum deberet unus redditus ſufficere, ſicut Job, qui dicebat, In nidulo meo moriar. *Job* 29. Nota autem, cum Jeſus ſit filius Dei, & filius hominis, non ſe filium Dei dicit, ſed filium hominis, quod eſt valde contra nos, qui ſemper a majori generis noſtri nos nominamus, licet remotiori. Unde quidam dixit cuidam Epiſcopo, qui cum diceret ſe eſſe de decem regibus, qui fuerunt in genere ſuo, & non poſſet invenire, niſi ſeptem, reſpondit, bene ſcio, quia tres deſunt, ſcilicet tres reges coloni. Sic non faciebat Job, qui cum eſſet de genere regio dicebat: Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus. *Job* 17. & *Eſther* 2. dicitur, quod nolebat indicare & populum, & patriam ſuam. *Eccli. decimo*. Quid ſuperbis terra, & cinis?

i Alius autem de diſcipulis ejus] ſupple futuris, quia nondum erat diſcipulus [Ait illi] Bene dicit [alius] non tantum corpore, ſed moribus, alius a primo.

k Domine] honorem conceptum in mente exprimendo non tantum Magiſter, ut alius.

l Permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum] qui defunctus erat, volens ei honorem extremum exhibere.

m Jeſus autem ait illi] animo corripiendi.

n Sequere me] non obſtante prædicta occaſione. *Chryſoſtomus*: Alius inverecunde dixit: Sequar te hic, & ſanctam rem petens, non ſinitur recedere, quia alii erant, qui ſepelirent, & hunc a magis neceſſariis ſecedere oportebat.

o Et dimitte mortuos] in culpa.

p Sepelire mortuos ſuos] morte naturali [Suos] natura, cognationis vinculo, vel affinitatis, ſibi conjunctos. Iſte non cupiditatis vinculo, ſed obedientia Jeſum volebat ſequi. Nota, quod ingerentem ſe Dominus repulit, illum autem ſequi differentem monuit, utriuſque animum recognoſcens, ut Deus. *Pſalm.* 7. Scrutans corda, & renes Deus. 1. *Regum* 16. Deus autem intuetur cor.

Moraliter. Iſte tenet typum quorumdam, qui differunt clauſtrum intrare propter parentes, unde eos prius ſepelire, ideſt prius eſſe mortuos, quam intrent. Contra quod *Deuteron.* 33. Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt, &c. *Pſalm.* 44. Obliviſcere populum tuum, & domum patris tui. Mirabile eſt de multis, qui multis annis conceptum boni propoſiti in utero portat, & parere non poſſunt, quia nolunt. Certe ſunt multi, qui duobus annis, vel pluribus portaverunt in utero monachum unum. De his dicit *Iſai.* 37. Venerunt filii uſque ad partum, & non erat virtus pariendi. Forte parerent, ſi diligenter attenderent verba Domini, *infr.* 24. Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Sed adhuc magis mirabile eſt, quod quidam ante partum de monacho nondum nato, ſed conceptu tantum, faciunt canonicum ſæcularem.

q Et aſcendente eo in naviculam] Poſt miracula facta in terra, ponit Evangeliſta miracula facta in mari, ut ſic oſtendat Jeſum potentem in terra, & in mari. Dicit ergo, quod eo cum diſcipulis aſcendente in navim, & ipſo dormiente, factus eſt motus magnus in mari, ut fere navis mergeretur, ſed diſcipuli eum evigilaverunt, & facta eſt tranquillitas magna.

Moraliter. Per navim ſignificatur anima. *Prov. ult.* Facta eſt quaſi navis inſtitoris. Hæc navis mediocriter onerata ſecurius incendit, quia nimio onerata a vento tollitur. Onus, eſt pœnitentia moderata, *infra* 11. Jugum meum ſuave, & onus meum leve. Navis modico foramine perit. Ideo dicit Salomon *Prov.* 4. Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit. *Eccl.* 28. Sepi aures tuas ſpinis, & noli

ejus. Et *a* ecce motus magnus *b* factus est in mari, *c* ita ut navicula operiretur fluctibus. *d* Ipse vero dormiebat. Et *e* accesserunt ad eum discipuli ejus, & *f* suscitaverunt eum, *g* dicentes: Domine, *h* salva nos, perimus. Et dicit *i* eis Jesus: *k* Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc *l* surgens, imperavit ventis, & mari,

& noli audire linguam nequam, & ori tuo facito ostia. *Psal.* 118. Averte oculos meos, ne videant vanitatem. *Job* 13. Pepigi fœdus cum oculis meis, non ut cogitarem quidem de virgine. Hæc est navis Salomonis, quæ afferebat de Tharsis aurum, & argentum, & dentes Elephantorum, & Simias, & Pavos, ut dicitur 3. *Reg.* 10. Aurum lucidum est, & significat fulgorem bonorum operum. Supra *cap.* 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Item aurum rubeum est per verecundiam. *Eccles.* 26. Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata, *Thren.* 4. Rubicundiores ebore antiquo. Item aurum non corrumpitur, propter ignem, in quo significatur patientia. *Luc.* 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Sed *Ezech.* 22. Versa est domus Israel in scoria. Omnes isti æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis, scoria argenti facti sunt. Æs sonat, quia in verbis solum est religio. Stannum habet speciem argenti, & mentitur se argentum, & non est, per quod hypocrisis significatur. Ferrum lædit, plumbum maculat. Argentum autem, quod afferebat navis, significat cordis, & corporis munditiam. Per dentes Elephantorum significantur verba casta, & munda. *Psal.* 11. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, &c. *Ephes.* 4. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Simiæ volunt imitari, quod vident, sic Sancti. 2. *Corinth.* 4. Rogo vos fratres, imitatores mei estote, sicut & ego Christi. *Exod.* 25. Fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Pavus oculatus est, & significat provisionem. Unde *Ezech.* 1. Animalia plena erant oculis ante, & retro, *infra* 10. Estote prudentes sicut serpentes. Hæc debet afferre de Tharsis, quia debet considerare cœlestia, ut secundum ea vivat. *Job* 38. Numquid nosti ordinem cœli? Gubernaculum hujus navis, sapientia. *Proverb.* 14. Qui patiens est, multa gubernatur sapientia. Remi, opera præceptorum. *Ezech.* 87. Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos. Velum, castitas. *Ezech.* 87. Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum, ut poneretur in malo. Chordæ, vel funiculi tribulationes. *Osee* 10. In funiculis Adam traham eos. Hauritorium, confessio. In hanc navim ascendit Jesus per gratiam cum discipulis, idest sanctis cogitationibus, & affectionibus. Et tunc veniunt tentationes. *Eccles.* 2. Fili, accedens ad servitutem Dei sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Sed tunc evigilandus est Jesus precibus, & bonis operibus. *Proverb.* 6. Suscita amicum tuum, qui aliquando in nobis dormit per torporem, & statim fiet tranquillitas, quia Jesus, aut talibus dat cum tentatione proventum, idest fortitudinem resistendi, sicut dicitur 1. *Corinth.* 10. Aut etiam tentationes sedat. *Isaia* 43. Cum transieris per aquas tecum ero.

Apoc. 4.

Mystice. Mystice. Per naviculam intelligitur Ecclesia, quia sicut navis in principio, & in fine arcta est, & in medio lata, sic & Ecclesia in principio arcta fuit, quia pauci crediderunt, & in fine similiter, cum refrigescet charitas multorum, sed in medio, idest nunc plures credunt. Hæc navis fluctibus, idest Hæreticorum insultibus sæpe concutitur, sed numquam demergitur, quia Jesus precibus sanctorum virorum suscitatur. *Aliter.* Hanc naviculam ascendit Jesus in Baptismo suo. Baptismus enim est janua Ecclesiæ. Item per naviculam significatur Crux, qua mare hujus mundi, sine periculo pertransitur. Unde *Sapient.* 14. Exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt. Hæc navis, scilicet crux, stricta fuit in summo, quia Jesus non habuit, ubi caput suum reclinaret, & in imo similiter, habens pedem super pedem. Lata fuit in medio, quia ibi expandit manus suas. Malus Deitas. *Cantic.* 2. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Velum humanitas. Ventus persecutio Judæorum, *Ezechiel.* 1. Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone. Iste ventus, quinque locis perforavit velum, & duxit ad littus mortis. Hanc navem ascendit Jesus in Parasceve cum discipulis, non quod tunc ipsi ascenderint cum eo, sed postea. Tunc enim ostendit exemplum ascendendi. Unde *prima Petr.* 2. Christus passus est pro nobis, &c. Hanc naviculam ascendente Jesu, & in ea dormiente, idest moriente, sed citius surrecturo, factus est motus magnus, quia omnia elementa contra naturam suam mota sunt, sicut habetur *infra* 27. De hac dormitione, sive somno dicitur *Jonæ* 1. Descendit Jonas ad interiora navis, & dormiebat sopore gravi, quia nullus somnus, nulla mors, tam ignominiosa, tam dolore plena: Unde *Threnor.* 1. O vos omnes, qui transitis per viam, &c. Excitavit autem gubernator navis Jonam, sicut ibi dicitur, & Deus pater, qui est Ecclesiæ suæ gubernator excitavit Jesum a mortuis, & sedatum est mare, idest dolor, & amaritudo passionis Jesu in discipulis propter gaudium resurrectionis. Item per naviculam Beata Virgo, quæ parva fuit per humilitatem. Hanc naviculam ascendit Jesus in Nazareth, quando ipsa dixit: Ecce ancilla Domini. *Luc.* 1. In hac navi dormivit Jesus mensibus novem, sed ipso excitato, idest nato, facta est tranquillitas magna, quia tanta fuit ubique pax, ut etiam tunc fieret descriptio universi orbis. Et quod Beata Virgo navis dicatur, dicitur *Proverbior. ult.* Facta est quasi navis institoris, idest Christi, qui nos in hoc mari venit de longe emere sanguine suo, de longe portans panem suum, idest seipsum, qui est panis noster quotidianus, *sup.* 6. Vide ergo litteram.

Matt. 8. Luc. 8.

Aliter.

q Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus] ad litteram.

a Et ecce motus magnus] qui non naturaliter ortus est, sed ad imperium Christi.

b Factus est in mari] *Psalm.* 64. Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus. Ideo autem voluit Dominus hanc potestatem fieri in mari, ut rogarent eum discipuli, & rogantibus ostenderet potestatem.

c Ita ut navicula operiretur fluctibus] supple, fera, vel quia fluctus transibant navem.

d Ipse vero dormiebat] *Hieronymus*. Hic homo verus ostenditur. *Marc.* 4. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens.

e Et accesserunt ad eum discipuli ejus] Similiter gubernator navis accessit ad Jonam, *Jonæ* 1. Quasi adhuc parvuli dicit *Interl.* Hoc est in fide minus firmi, quia dubitabant eum esse potentem in mari. Nondum enim confirmaverat eos Spiritus sanctus.

f Et suscitaverunt eum] ut rogarent eum. *Interl.* Vult enim Dominus semper rogari. Et hoc, quia vult habere occasionem dandi, quia largissimus, quia ditissimus, *sup.* 7. Petite, & dabitur vobis.

g Dicentes: Domine, salva nos perimus] idest perire timemus. *Chrysostom.* Typus erat futurarum tentationum, postea enim permisit in difficiliores hyemes incidere.

h Salva nos] Ecce confidentia. *Chrysostom.* Confidere oportet, & si magnæ surgant procellæ, quoniam utiliter omnia dispensat.

Moraliter. Moraliter. Nota, quod in tempestate tentationis tria facienda sunt. Debet exonerari navis, sicut *Jonæ primo*. Miserunt vasa, quæ erant in navi in mare. Hoc est exonerare conscientiam, scilicet per confessionem. Secundo velum dimittendum est, idest amor terrenorum. Tertio anchora figenda est, idest spes. *Hebr. sexto*. Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis. Hæc facit stare navem, idest animam in loco suo. *Eccles. undecimo*. Confide in Deo, & mane in loco tuo. *Eccl. decimo*. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.

i Et dicit eis Jesus] more arguentis. *k* Quid timidi estis modicæ fidei] Ecce quod dubitabant eum potentem in mari. *Chrysostom.* Ecce eos increpat prius, quam mare. Nam hunc timorem non operatur tentationum inductio, sed mentis imbecillitas. Sed objicit idem: Quod enim excitaverunt eum, nonne fuit imbecillitas fidei? Et respondet: Non. Credebant enim, quod posset salvare vigilando, & non dormiendo. *Marc.* 4. Quid timidi estis? nondum fidem habetis? *l* Tunc surgens imperavit ven-

a & facta est tranquillitas magna. *b* Porro homines mirati sunt, *c* dicentes: Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei. Et *d* cum venisset Jesus trans fretum in regionem Gerasenorum, *e* occurrerunt ei duo habentes dæmonia exeuntes de *f* monumentis, *g* sævi nimis, *h* ita ut nemo posset transire per viam illam. Et *i* ecce clamaverunt, *k* dicentes: Quid nobis, & tibi, Jesu *l* fili Dei? *m* Venisti huc ante tempus torquere nos. *n* Erat autem non longe ab illis grex porcorum multorum pascens, Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et *o* ait illis: Ite. At illi *p* exeuntes *q* abierunt in porcos. Et *r* ecce magno impetu abiit totus grex per præceps in *ſ* mare, & *t* mortui sunt in aquis. *u* Pastores autem fugerunt, & venientes in civitatem nunciaverunt hæc omnia, & de his, qui dæmonia habuerant. Et *x* ecce tota civitas exiit obviam Jesu, *y* & viso eo rogabant eum, ut transiret a finibus eorum.

D

tis, & mari] idest fecit, ac si imperasset. Obedivit enim mare ac si sentiret.

a Et facta est tranquillitas magna] *Origen.* Magna potestas, quia de magna potestate fit magna tranquillitas. *Psalm.* 88. Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas. *Nahum* 1. Dominus in turbine, & tempestate venit increpans mare, & exsiccans illud. *Eccles.* 43. In sermone ejus siluit ventus, cogitatione sua placavit abyssum, & plantavit illum Dominus Jesus. *Tob.* 3. Post tempestatem tranquillum facis.

Marc. 5. Luc. 8.

b Porro homines mirati sunt] Homines vocat discipulos adhuc mortem carnalem timentes. *Hieronym.* Si quis contentiose voluerit eos, qui mirabantur fuisse discipulos, respondebimus recte fuisse homines appellatos, quia nec dum potentiam noverant salvatoris. Vel homines vocat existentes in littore maris, vel nautas.

c Dicentes, qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei] *Chrysost.* Somnus hominem monstrabat, tranquillitas Deum. Ideo dicunt [qualis est hic] quasi dicat, Moyses virgam tendebat, & manum, & nihilominus orabat, hic autem tantum præcipit.

d Et cum venisset Jesus trans fretum in regione Gerasenorum] Gerasa est urbs Arabiæ trans Jordanem juncta monti Galaad, in quo Laban comprehendit Jacob. *Genes.* 31. non longe a stagno Tyberiadis, in quo porci præcipitati sunt. *Luc.* 8.

e Occurrerunt ei duo habentes dæmonia] *Marc.* 5. & *Luc.* 8. dicuntur unum occurrisse. Et hoc, quia unus eorum fuit clarior, & famosior, pro quo maxime dolebat illa regio [Dæmonia] scilicet legionem. *Marc.* 5. Quod tibi nomen est. Legio. Item *Luc.* 8.

f Exeuntes de monumentis] ad litteram.

g Sævi nimis] sibi & aliis, & in seipsis sævientes, & aliis execrabiles, unde subdit:

h Ita ut nemo posset transire per viam illam] *Luc.* 8. dicit: Ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserta. De istis expresse dicitur in *Psalm.* 67. Qui educit vinctos in fortitudine similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Moraliter.

Moraliter. Per monumenta, claustra significantur, in quibus mortui mundo debent vivere Deo. *Colossen.* 3. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Dæmon interpretatur sciens. Unde per istos duos habentes dæmonia significantur quidam religiosi, qui cum inter alios videntur esse sapientiores, numquam in claustris sunt, sed semper in caussis omnibus aliis pejores. Unde & hic dicitur: [Sævi nimis] Omnes enim alios trahunt in causam, & magis placitant, quam laici. Unde de his conqueritur Dominus per *Michæam* 2. Populus meus in adversarium consurrexit, desuper tunicam, pallium sustulistis, & eos, qui transibant simpliciter, convertistis in bellum. Unde volunt habere omnem campum, qui conjungitur eis, Unde maledictionem incurrunt. *Isa.* 5. Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio terræ? In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum. Dicuntur autem duo, quia divisi sunt voluntate, & opere.

i Et ecce clamaverunt] ipsi dæmones in illis Dei virtutem sentientes.

k Dicentes quid nobis, & tibi, Jesu fili Dei] quasi dicat, nihil est commune. Tu enim venis salvare, nos perdere. *Interlin.* Ne ergo dicat quis, quod in principe dæmoniorum ejiciat dæmonia. 2. *Cor.* 6. Quæ conventio Christi ad Belial.

l Fili Dei] Diabolus Jesum nominat filium Dei, ipse autem Jesus nominat se filium hominis propter humilitatem. Sed numquid sciebant dæmones ipsum esse Deum? Hoc non videtur, quia 1. *Cor.* 2. Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent, idest crucifigi permisissent. Responsio. Quando videbant eum miracula operantem credebant eum esse Deum, quando videbant eum famem patientem comedere, & bibere, credebant eum esse purum hominem.

Marc. 5. Luc. 8.

m Venisti huc ante tempus torquere nos] Sed nonne semper torquentur dæmones? Sic, sed hoc erat eis læsio, quod ab obsessis exire cogebantur. Vel forte ex præsentia Domini aliquam læsionem sustinebant. Ita etiam præsentia boni tormentum est malo, *Sap.* 2. Gravis nobis est etiam ad videndum.

n Erat autem non longe ab eis grex porcorum multorum pascens, dæmones autem rogabant eum, dicentes, si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum] Ecce quod dæmones sua potestate, non possunt nocere hominibus, cum nec etiam porcis.

o Et ait illis, ite] Permissive dicitur, non imperative.

p At illi exeuntes] de corporibus obsessorum.

q Abierunt in porcos] *Chrysostom.* Quare fecit, quod rogaverunt dæmones; propter tria, non tamen persuasus ab eis. Unum, ut doceantur curati ab eis, magnitudinem jacturæ, idest, quam nocentes fuerunt, qui insidiabantur eis. Aliud, ut discant omnes, quod neque adversus porcos possunt etiam nisi permissi. Tertium, quia difficilius afflixissent homines, quos plus habent odio, quam porcos si licuisset, quare, qui porcis non parcebant, nec uno momento, multo magis hominibus hoc operaturi essent, quos per solitudines agebant, & ita Deus non communiter, sed singulariter provider unicuique.

r Et ecce magno impetu abiit totus grex per præceps] idest valde præceps.

ſ In mare] propinquum.

t Et mortui sunt in aquis] ad litteram. Sic porcini homines gulæ dediti, & luxuriæ. Unde etiam dicitur de hoc grege, quod pascebat irruente hora mortis præcipitantur in infernum. *Job* 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

u Pastores autem fugerunt, & venientes in civitatem] Gerasenorum [nunciaverunt hæc omnia, & de his, qui habuerunt dæmonia,] quomodo scilicet curati erant. Sic boni Prælati debent annunciare supplicia damnatorum, ut caveantur, & curationem bonorum, ut alios ad bonum invitent.

x Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu,] scilicet, ut viderent, quod factum est, sicut dicitur *Luc. octavo*.

y Et viso eo rogabant eum, ut transiret a finibus eorum] Pro damno enim, quod sustinuerunt, volebant eum amoveri ab eis. Vel potest dici, quod hoc non faciebant ex superbia, sed conscii fragilitatis suæ, præsentia Domini se videant indignos. Et propter peccata sua potius credebant præsentiam tanti viri eos gravare, quam juvare. Sicut mulier, quæ propter Eliam, quem hospitata fuerat, credebat, Deum peccata sua rememorasse, & ideo filium suum amisisse. Quæ, inquit: Quid mihi, & tibi vir Dei ingressus es ad me, ut rememorentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum, 3. *Regum cap. decimoseptimo*. Similiter Petrus, *Lucæ quinto*, dixit ei: Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. Sed quare non petebant porcorum restitutionem? Fortassis ne dæmonia rehaberent. Sed quæritur, quare damnificavit porcorum Dominos. *Chrysostomus* sic solvit: Dominus dedit, Dominus abstulit, *Job* 1.

Job 1. Item ad melioraticionem eorum hoc fieri, Dominus permisit. 2. *Pet.* 2. Pascuntur dæmones foetore criminum squalore vitiorum. Sciant ergo porcorum amissores, quomodo quærunt mortes hominum, qui sic porcos, ut sic perderent quæsierunt, &c.

EXPOSITIO CAP. IX.

ET ascendens Jesus in naviculam] Dividitur autem hoc cap. in quinque partes. In prima agitur de sanatione paralytici. In secunda, de evocatione Matthæi, ibi: [Et cum transiret, &c.] In tertia, de conquestione discipulorum Joannis, & responsione Domini, ibi: Tunc accesserunt ad eum, &c.] In quarta de curatione Hemorrhoissæ, & suscitatione filiæ Jairi, ibi: [Hæc illo loquente, &c.] In quinta de illuminatione duorum cæcorum, & curatione unius dæmoniaci, surdi, & muti, ibi: [Et transeunte inde, &c.] Dicit ergo.

A — *Marc.* 2. *Luc.* 5. *Joan.* 5.

CAP. IX.

ET *a* ascendens Jesus in naviculam transfretavit, & *b* venit in civitatem suam. Et *c* ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Videns autem Jesus fidem illorum, dixit *d* paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. *e* Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic *f* blasphemat. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? *g* Quid est facilius dicere, *h* dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge, & ambula? Ut *i* autem sciatis, quoniam filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc *k* ait paralytico: *l* surge, *m* tolle lectum tuum, & *n* vade in

a Et ascendens Jesus in naviculam transfretavit] quia in fine redibit Dominus per fidem ad Judæos, sicut secundum carnem. *Cant.* 8. Apprehendam eum, nec dimittam, & ducam in domum matris meæ. Primo, ostendit potestatem suam in terra secundum omne genus locorum, sanans leprosum foris paralyticum in civitate, socrum Petri in domo, post in mari, & aere imperando ventis, & mari, post in aetais, scilicet dæmonibus, qui habitant in hoc caliginoso aere, ejiciendo eos ab hominibus, & permittendo intrare porcos. Hic ostendit divinam potestatem, scilicet dimittere peccata, quod solius Dei est, ut dicitur *Mar.* 2. *Luc.* 5. Et in re spirituali, scilicet animæ. Unde primo sanavit ab intrinsecis, postea ab illatis. Unde *Psal.* 18. Ab occultis meis munda me, Domine, &c. Hic sanat a culpa, & pœna, qui dicitur omnis creatura.

c Et ecce offerebant] prælati pro subditis orando, ut *Dan.* 9. Exaudi, Domine, placare Domine, attende, & fac. Et eorum miserias ei offerendo. *Thr.* 5. Recordare, Domine, quid acciderit nobis, & respice opprobrium nostrum. Paralyticus, idest luxuriosus, & desidiosus. *Jer.* 31. Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? *Heb.* 12. Manus remissas, & genua debilia erigite. *Hier.* Paralyticum sanavit, non sua fide cum sensu caperet, sed pro fide offerentium. Vocavit filium, quia dimissa sunt ei peccata, scilicet,

b Et venit in civitatem suam] Capharnaum metropolim patriæ suæ, in qua nutritus fuit. *Aug.* Quis dubitet Capharnaum fuisse civitatem Domini, quam non nascendo, sed miraculis illustrando suam fecerit? Denique in comparatione ceterarum regionum recte diceretur, quodcumque oppidum Galilææ civitas Domini nedum Capharnaum, quia ita excellebat in Galilæa, ut tamquam Metropolis haberetur, vel si non liceret civitatem suam aliam dicere, quam Nazareth, diceremus hic Matthæum repetere, quod prætermisisset de paralytico, qui antequam veniret Nazareth, sanatus est in Capharnaum. *d* Paralytico]

Primo	Medicus humores Agricola frutices Christus peccata	tollit

e Peccata.] *Aug.* Potuit quidem ita dici: Confide, homo, dimittuntur tibi peccata tua, fili, vel a converso, more periti medici causam morbi prius expellit. *g* Quid est facilius dicere, &c.] *Job probat, inclinat Paulum, se se manifestat.*
In cæca, purgatque Mariam, punit Herodem.

h Dimittuntur tibi peccata] quæ septem modis dimittuntur.

Peccata dimittuntur.
- Primo, Baptismo. *Marc.* 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.
- Secundo, martyrio. *Apoc.* 7. Hi sunt, qui venerunt.
- Tertio, eleemosyna. *Eccl.* 3. Sicut aqua extinguit ignem, &c.
- Quarto, abundantia charitatis. 1. *Pet.* 4. Charitas operit multitudinem peccatorum.
- Quinto, in convertendo hominem ab errore viæ suæ. *Jac.* 5. Qui converti fecerit hominem ab errore, &c.
- Sexto, in remittendo hominibus: Si dimiseritis, &c. *sup.* 6.
- Septimo, cum affligimus nos vigiliis, jejuniis, & orationibus, &c.

Chrysost. Quanto anima est corpore potentior, sic curatio animæ plus quam corporis. Sed quia illud occultum est, addit quod manifestum est; idest utrum levius est verbo dimittere peccata, an curare infirmitatem.

i Ut autem sciatis, quoniam filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra] Si sunt verba Domini † interpositio est: [Tunc ait paralytico] Si est verbum Evangelistæ, supplendum est, dico. Vel est suppletio. Et est sensus: O vos posteri. *i* Ut autem sciatis, &c.] Tunc ait paralytico; & sanavit eum.

al. † interpositio. *Marc.* 2. *Luc.* 5.

k Tunc ait] i. dicto effecit, quod surgeret, per visibile probans invisibile, quod visibile, mirabilius est, quoad nos, non tamen majus, quæ duo paria sunt, quoad Deum. *l* Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam,] *Mich.* 2. Surgite per bona desideria, & ite per bona opera, quia non habetis hic requiem, sursum corda.

f Hic blasphemat] *Eccl.* 13. Pauper locutus est, & dicunt, quis est hic? Et si offenderit subvertent illum. Ita hi, qui offendebantur in Domini verbo, interpretabantur in malam partem de Isaia dixerunt? Hic homo blasphemus est, & quia dixerat se vidisse Deum. Blasphemare autem, est Deo injuriam irrogare, quod fit, cum Deo attribuitur, quod ei non convenit, & cum homo sibi, quod Dei est, proprium tribuit, & cum a Deo removetur, quod ei convenit.

m Tolle lectum] idest carnem. *Amos* 3. Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, idest molle, sic eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, & in Damasci grabato; quia luxuriosi via possunt accipi ad hoc, ut aliquando bene agant, vel saltem, ut in extremis Deo obediant, vel velint audire etiam quæ mollia sunt de prædicatione. [Tolle] *Job* 7. Suspendium elegit anima mea, idest animalitas, & mortem ossa mea. *Psal.* 40. Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. [Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.]

Multiplex est lectus
- Caro ut hic.
- Abundantia temporalium. *Cant.* 3. En lectulum Salomonis, &c.
- Anima fidelis. *Cant.* 1. Lectulus noster floridus.
- Abundantia, vel quies. Unde *Psalm.* 40. Dominus ferat opem illi super lectum doloris.
- Sensualitas. *Psalm.* 4. Et in cubilibus vestris compungimini.
- Conscientia. *Psal.* 6. Stratum meum lacrymis meis rigabo.
- Contemplatio, *infra* 24. Duo in lecto, &c.
- Beatitudo æterna. Unde *Luc.* 11. Ecce ego, & pueri mei tecum sunt in cubili.
- Pœna æterna. *Isa.* 14. Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.

m Tolle lectum] idest ostensionem sanitatis, ad litteram, &c.

n Vade in domum tuam] utilitatem corporis considerando. *Nahum* 3. Intra in lutum, & calca, & subigens tene laterem. Vel conscientiam per sollicitam discussionem. *Is.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. *Psal.* 100. Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ. Vel in cœlum per jugem meditationem. Unde *Psal.* 76. Annos æternos in mente habui. *Prov.* 1. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Ibi *Bed.* Facile vitat laqueos in terris, qui semper habet oculos

n Vade in domum tuam,] per quatuor vias † Elias it paradisum. Prima in Bethel, domus Dei, religiose vivere. Secunda in Jericho, defectum, frequentare confessionem. Tertia ad Jordanem, humilis descensus, humiliter vivere. Quarto raptus in curru igneo, † ferven-

domum ſuam. Et a ſurrexit, & abiit in domum ſuam. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. Et b cum tranſiret inde Jeſus, c vidit hominem ſedentem d in Telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: e Sequere me. Et f ſurgens g ſecutus eſt eum. Et h factum eſt, diſcumbente eo in i domo, ecce multi k publicani, & peccatores venientes diſcumbebant cum Jeſu, & diſcipulis ejus. Et videntes Phariſæi dicebant diſcipulis ejus: Quare cum publicanis, & l peccatoribus manducat magiſter veſter? At Jeſus audiens, ait: m non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus. Euntes autem diſcite, quid eſt, n miſericordiam volo,

a los in cœlis. Vel ſacerdos ad parochiam, vel canonicos ad canonicam, ſed non redeunt, donec fuerint coacti, ut accipiter, quando dejiciuntur carnes. Prov. 30. Non ait vir in domo ſua, abiit via longiſſima. Sacculum pecuniæ ſecum tulit, in die plenæ lunæ reverſurus eſt in domum ſuam. a Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus] Eſther 8. dicitur, quod aliquæ gentes videntes Judæos liberatos timuerunt, & converſi ſunt ad Judaiſmum. Gloſſ. Interlin. In Nazareth, in quo Chriſtus nutriebatur a tempore reditus de Ægypto, ut ſit occaſio, ſupple, porcos ire in mare per interfectionem hoc miraculo converſorum: Et ſic damnum porcorum profuit ſuis poſſeſſoribus. Vidiſti: Ecce porci in abditis, quia non audent eſſe idololatræ palam: Fides propria: Sic in Baptiſmo valet pueris fides aliena, non tamen fide aliena ſanatus eſt, ſed propria, quæ eſt ei infuſa merito alienæ. Sanatet, non tamen ſine propria. Hominem per cauſam. Prophetis multis per † ſententiam, ſed per hæc verba Iſa. 44. Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas. Civitatibus conſtitutum, in civitatem, ſicut collectio Eccleſiarum dicitur una civitas, & collectio duodecim tribuum domus Iſrael. Rab. Sicut populus in tot civitatibus conſtitutus dicitur Iſrael, ita Galilæa dicitur. Oſee 8. Projectus eſt vitulus Samariæ. Civitas Metropolis. Hic videtur aſſignari alia ratio, quare dicitur ſua, quia Metropolis dicitur eſſe civitas omnium, quæ pertinent ad ejus juriſdictionem. Aug. [Confide, fili.] Nota ordinem. Lucas dicit homo, Luc. 5. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua. Notat Auguſt. ut ſalus reſtituatur. Argumentum, quod medicus hortari debet ægrum ad pœnitentiam, & confeſſionem, ne per peccatum irritetur medicinæ effectus, vel per pœnitentiam augeantur juſtis merita, ut Job 1. & 2. Et Tobias, & Martyres: Tamen Job pro peccato veniali punitus fuit. Unde qui primo dicit, non peccavi, alibi dicit: Supple ergo, ut Job plus puniatur, quam meruit, duplici, idest pœna duplicis temporis ante mortem, & poſt. Contra. Naum 1. Non judicabit Deus bis in idipſum. Solutio, ſupple ſufficienter. Non ſurget duplex tribulatio. Solut. Supple una eſt continuata.

† ferventer vivere. 4. Reg. 2. debet homo primo miſereri ſibi. Eccl. 30. Miſerere animæ tuæ. Magna crudelitas eſſet, qui videret pauperem nudum, cæcum, vulneratum, & non compateretur. Talis eſt anima tua: Eſurit ad Deum fontem vivum, da ergo ei potum lacrymarum. Item nuda virtutibus, & non vis eam induere. Sine hoſpitio, & eam neque paradiſo vis collocare. Item in carcere peccati, & illam non vis viſitare. Job 5. Viſitans ſpeciem tuam non peccabis. Item infirmatur, & illam non vis curare, vel viſitare. Item mortua per peccatum, & eam non vis ſepelire, ne pravo exemplo alios corrumpat, &c.

b Et cum tranſiret inde Jeſus, &c.] Secunda pars. Hieron. in originali. Arguit in hoc loco Porphyrius, & Julianus Auguſtus hæreticus, vel imperitiam hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum, qui ſtatim Salvatorem quaſi irrationabiliter vocantem, quemlibet hominem ſunt ſecuti. Sed reſpondet Hieron. Tantæ virtutes, tantaque ſigna præceſſerunt, quæ Apoſtoli viderunt, antequam crederent. Certe fulgor ipſe, & majeſtas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu. Si enim in magnete lapide hæc vis eſſe dicitur, ut annulos, & ſtipulam, & feſtucas ſibi copulet, quanto magis Dominus rerum omnium ad ſe trahere poterat, quos volebat.

c Vidit] orationem ſuam prætermiſſam. Hic recordatur, quod Luc. 6. duodecim Apoſtoli in monte electi ſunt. [Vidit] Sap. 4. Reſpectus

c Vidit hominem ſedentem in Te-†

ejus in electos ejus. Luc. 22. Converſus Dominus reſpexit Petrum. Pſalm. 13. Domine de cœlo reſpexit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.

d In Telonio] Telonium, domus, in qua ſolvebantur tributa, vel vectigalia. Telon enim ſpecies vectigalis, quod ſolvitur pro mercimoniis contractis [Telonio] Hic eſt Sacerdos, qui recipit tributum animarum, ſedens per terrena deſideria, vel otium. Prov. 6. Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo defixiſti apud extraneum manum tuam, &c. diſcurre, feſtina. Thren. 2. Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filiæ Sion.

e Sequere] Matthæus, populus gentium. De quo Pſal. 17. In auditu auris obedivit mihi: Oſee 2. Dicam non populo meo, populus meus es tu. Matthæus. Donatus. Et pater dicit filio. Pſal. 2. Poſtula a me, & dabo tibi gentes, &c. Act. 10. Petro offeruntur immunda animalia, idest gentes, ut mactet, & manducet, idest Eccleſiæ incorporet, quaſi dicat: ſi vultis ſedere, prius bibite calicem Domini. Monachi diaboli prius ſedent, quam bibant. Jerem. 25. Rex Seſach bibet poſt eos. Job 23. Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus, viam ejus cuſtodivi, & non declinavi ex ea.

h Et factum eſt, ut diſcumbente eo, &c.] Job 1. Faciebant convivia per domos unuſquiſque in die ſuo, & mittentes vocabant tres ſorores, ſcilicet [illegible], cogitatione, verbo, & opere, ut comederent, & biberent cum eis. Luc. 14. Cum facis convivium, voca pauperes, & debiles, cæcos, & claudos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Eſther 9. Decimoquarto vero die adimplentes Decalogum, & Evangelium celebraverunt convivia cum gaudio, partes ſibi invicem mittentes majores minoribus. Exodi vigeſimoſexto. Cortina cortinam trahit.

l Et peccatoribus] Geneſ. 27. Affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam eſcas patri tuo, quibus libenter veſcitur, &c.

m Non eſt opus] Hoc addit, ut ſuperbos judicet, idest de valetudine præſumentes exponit. [Non eſt opus.] idest non eſt utile, quia ipſi non crederent, ſed reſpuerent, reputantes ſe ſanos eſſe. Eccleſ. 38. Honora medicum, propter neceſſitatem, etenim illum creavit Altiſſimus. Jerem. 8. Numquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi?

n Miſericordiam volo, & non ſacrificium] Proverbiorum 21. Facere miſericordiam, & juſtitiam, plus placet Deo, quam ſtultorum victimæ. Unde Pſalm. 39. Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti. Item Pſalm. 50. Utique holocauſtis non delectaberis. Item Pſalm. 49. Numquid manducabo carnes taurorum. Erant autem ſacrificia legis inſtituta, ut eſſent ſigna, & acceſſus ad ſacrificium Crucis, in quo ſalus mundi, & ut populum Dei revocaret ab idololatria. Dæmo-

▲ nis namque

† lonio Matthæum nomine] Marc. hic. Luc. 5. Mar. 2. non appellant eum vulgato nomine, idest Matthæum propter verecundiam, ſed Levi. Binominis enim fuit. Ipſe autem publicanum ſe nominat inf. 10. Accuſator ſui. Prov. 18. Juſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui: Et ne quis etiam a ſalute deſperet. f Et ſurgens] Luc. 5. plenius dicit: Relictis omnibus, non reddens rationem vectigalium. Sed contra inf. 22. Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Reſponſio: Si debes præpoſito, & reddas regi, abſolutus es. Sed eſt ne hodie ſic? Non quia hoc ſpeciale. g Secutus] Ambroſ. Reliquit propria, qui rapere ſolebat aliena. i In domo] ſua ut dicit Luc. 5. Publicani exemplo ejus converſi. Ap. ult. Et qui audit, dicat, veni, &c. Exod. 26. Cortina cortinam trahit. k Publicani, &c.] Tertullianus dicit hos fuiſſe ethnicos, ob id enim 2. Paralipom. 8. nullus

† erat

Marc. 2. Luc. 5.

ut ſententiam.

a aliis namque, si non Deo victimas immolarent. Vel sic, [misericordiam volo] peccata condonando.
a Et non sacrificium] idest punitionem peccatorum.
b Sed peccatores] *Ezech.* 34. Quod perierat, requiram, & quod abjectum fuerat, reducam.
c Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis dicentes] Tertia pars [Quare nos, & Pharisæi] Sicut prius apud discipulos, ita Dominum nunc e converso arguunt.
d Discipuli autem tui non jejunant] nobiscum in tempore jejunii.

- **Jejunium**
  - **Corporale**
    - Detestabile, superstitiosum hypocritarum, vel cupidorum. *Isa.* 58. Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.
    - Commendabile mœroris, vel vitæ veteris, quod consistit in maceratione carnis, pro absentia sponsi corporalis. Sic jejunabant antiqui Patres expectantes primum adventum Christi. Sic Apostoli post Ascensionem. Et jejunat Ecclesia expectans judicem venturum in corporali præsentia, vel spirituali, sive præsentia peccati. Utrumque removet a suis, cum neutrum sit eis necessarium.
  - **Spirituale**
    - Commendabile exultationis, scilicet novæ vitæ, pro desiderio vitæ æternæ. Et consistit in abstinentia cibi corporalis. Sic jejunat Ecclesia post Pentecosten in quatuor Temporibus. Unde & tunc canit Alleluja in Missa, quod non in aliis jejuniis, vel amotis temporalibus, scilicet in contemptu mundi. Sed in his idonei non erant Apostoli, ut sic inhiarent cœlestibus, & desiderio cœlestium abstinerent a corporalibus.
    - Detestabile a bonis spiritualibus. *Isa.* 55. Servi mei comedent, & vos esurietis, &c

k Nemo autem, &c.] Hic probat, quod non debeat jejunare jejunio exultationis. Et primo, quod non debet eis indici pars jejunii, postea quod nec totum. Hinc docuit *Montanus*, post Pentecosten fieri Quadragesimam, non ante: Alii ante, scilicet post Pascha. Ecclesiæ autem consuetudo per humilitatem carnis ad resurrectionem venit. [Nemo autem, &c.] discrere operans. Ex hoc textu, & *Gloss.* videtur, quod neophitis non sit injungendum jejunium a cibis, neque jejunium mœroris. Sed contra, *inf.* 17. *Marc.* 9. Hoc genus non potest ejici, nisi in jejunio, & oratione. *Gloss.* Jejunio sanantur pestes corporis. Solutio: Jejunium particulare, ut a cibis, vel a vino potest neophytis aliquando indici, sed hic intelligit de jejunio universali, quod est abstinentia ab omni sensualitatis delectatione, ut potu, cibo, vestitu, &c. sicut fit in claustris, quod ligat ad semper. Unde signatur in *Marc.* 2. per assumentum, quod est quasi assutum. De hoc jejunio habetur *Luc.* 2. quod Anna non discedebat de templo jejuniis, & obsecrationibus serviens. *Judith* 8. quod jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbata, & Neomenias, & festa domus Israel. Secunda pars hujus jejunii ad interiora refertur, ut dicit illa *Gloss.* ibi: Distat inter novum, &c. Discipuli autem Joannis jejunavere, sed non semper. Sed de integro jejunio dicitur *Isa.* 58. Nonne hoc magis jejunium, quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt liberos; & omne onus dirumpe: Frange esurienti panem tuum, &c, *Zach.* 8. Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi erit domui Judæ in gaudium, & lætitiam, & in solemnitates præclaras: Sed Pharisæus *Luc.* 18. dicit: Jejuno bis in Sabbato [Nemo autem, &c.] Hoc contra quosdam claustrales, qui statim recipiunt quoscumque. Unde *inf.* 23. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos, &c.

e Et ait illi Jesus: nunquid possunt filii sponsi lugere, &c.] Respondet verbis Joannis magistri eorum. *Joan.* 3. Qui habet sponsam, sponsus est, ut eos facilius convincat. *Isa.* 61. Quasi sponsam decoravit me corona. Item *Psalm* 18. Dominus tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Luc. 5. *Marc.* 2.

a & non sacrificium. Non veni vocare justos, sed b peccatores. c Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes: Quare nos, & Pharisæi jejunamus frequenter, d discipuli autem tui non jejunant? Et e ait illis Jesus: Numquid possunt filii f sponsi g lugere, quamdiu cum illis est sponsus? h Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc i jejunabunt. k Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus. l Tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, & m pejor scissura fit. n Neque mittunt vinum o novum

Item hoc contra rigorem, & austeritatem Prælatorum erga subditos infirmos. *Ezec.* 34. Quod infirmum erat, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, & quod fractum, non alligastis, & quod abjectum, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, &c. Item hoc contra duplices, qui vestem exterioris conversationis habent multicolorem. *Deut.* 22. Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea: abominabilis enim est apud Deum, qui facit hoc.
l Tollit enim, &c.] idest late dirumpit illud.
m Et pejor scissura fit] idest damnabilior, quia & particula panni rudis, idest damnosa, in reliqua massa scinditur, & in veteri panno fit majus foramen, quam prius esset ex dissimilitudine novi, & veteris.

f Filii sponsi] *Isa.* 66. Numquid, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem aliis tribuo, sterilis ero? Hoc ideo, quia per legem, & Evangelium sibi filios generavit. *Hieron.* Qui lugere non possunt, quamdiu sponsum in thalamo vident, cujus præsentia longe plus proficit, quam temporalis abstinentia.
g Lugere] idest jejunio luctus jejunare, & supple compelli. Unde *Luc.* 5. Numquid filios sponsi potestis facere jejunare, dum sponsus cum illis est.
h Venient] *Joel.* 1. Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ. Hoc dicitur ad animam fidelem. *Ruth* 1. Ne vocetis me Noemi, quod est pulchra, sed vocate me Mara, quod est amara. Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus. Anima enim sine Deo vacua est, quia animam Dei capacem non implet, quod Deo minus est. Hoc dixit, quia amiserat verum Elimelech, qui interpretatur Deus meus rex. Vel [Allegorice] de Christo mortuo ploraverunt Apostoli. Unde David carmen lugubre composuit de Saule mortuo, & Jonatha, idest de Christo.
i Et tunc jejunabunt] jejunio mœroris,

Alleg.

† erat ex Israel in pondere recipiens vectigal. Sed *Hieron.* hic improbat. Primo, quia ex hoc sequeretur, quod Matthæus non fuisset Judæus, nec ille, qui ascendit in templum. *Luc.* 18. Quod non licebat gentili. Secundo per illud *Luc.* 7. Omnis populus audiens, & publicani justificaverunt, idest glorificaverunt Deum, quod non gentiles, &c. Tertio, quia hoc prohibuerat discipulis, *inf.* 10. In viam gentium ne abieritis. Unde intelligenda est auctoritas, recipiens, idest red-† dens quasi si servirent Deo, nulli tributum darent, sed peccatores. De hac misericordia tres parabolæ adducuntur, *Luc.* 15. de ove, & drachma, & duobus filiis. *Luc.* 5. Istos in pœnitentiam ducit, &c.

n Neque mittunt vinum novum in utres veteres] Hic probat, quod jejunium gaudii non sit discipulis indicendum. Adhuc enim erant carnales, & ideo quasi utres veteres, quod patet ex Petri negotiatione, & filiorum Zebedæi petitione. Sic ergo indicto hoc jejunio infirmi deficerent, & injunctum jejunium cederet in irritum, cum nondum perfecte cœlestibus inhiarent. Unde Petrus de qualitate præmii dubitans dicit *infra* 19. Quid erit nobis? Et alii sperabant in regno mundi dominaturos. Prius ergo mens ad æterna est dirigenda, & post gravia injungenda, alioquin onus injunctum, quod invenit, destruit. Et est aliud bonum, quod Christo præcipiente temporalia reliquerunt, quamvis ad gloriam temporalem adhuc per eum suspirarent.
o Vinum novum] Hoc contra eos, qui dicunt peccatoribus: Pax, pax, & non est pax. *Ezechiel. cap.* 13. Et ipsi ædificabant parietem, illi autem linebant

in *a* utres veteres: Alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, *b* & ambo conservantur. Hæc *c* illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum dicens: Domine, filia mea modo *d* defuncta est, *e* sed veni, *f* impone manum tuam super eam, & vivet. Et *g* surgens Jesus sequebatur eum, & discipuli ejus. Et *h* ecce mulier, quę *i* sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis *k* accessit retro, & *l* tetigit fimbriam vestimenti ejus. *m* Dicebat enim intra se: Si *n* tetigero tantum vestimentum ejus,

acum luto absque paleis, Item contra eos, qui habentes vinum divinæ scientiæ ducunt vitam veteris hominis, & fit per eos vinum auditoribus reprobum, quia vulgo dicitur, vinum est infuscatum, & sapit vas. *Eccl.* 22. Feci mihi, dicit Salomon, scyphos, & urceolos ad vina fundenda. [Novum] candidum per charitatem. *Cant.* 8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Movet se per exercitium, inebriat per temporalium oblivionem. Unde Apostolus *Phil.* 3. Posteriorum oblitus in anteriora me extendens.

Marc. 2. Luc. 5.

a In utres veteres] Utres veteres Apostolos adhuc carnales, vel Scribas, & Pharisæos. *Psal.* 118. Factus sum sicut uter in pruina. *Josue* 9. Gabaonitæ tulerunt utres vinarios veteres consutos, ut nihil novi prætenderent. Gabaonitę valles mœstitiæ, vel proclives iniquitatis. *Interl. Gen.* 2. Abraham dedit Agar utrem aquæ. Agar, advena, vel convertens. Sed 1. *Reg.* 25. Abigail mittit David utres vini. Abigail pater meus exultans. Prius sanatur. *Chrysost.* Curam corporis, idest, non legitur egisse, vel tanquam indiscretus ratione sensualitatis, temporales pœnas resolutæ corporis sic deflebat, in æternas pœnas resolutionis animæ non deflerct, gratiorem judicans præsentem vitam, quam futuram. Plus. Ergo non habebat charitatem, sed sine ea non sanatur anima, nec dimittuntur peccata. Solut. Ly plus tenetur nominaliter, & adjective. Distulit ergo gratias, quousque se Deum dilectorum perciperet, scilicet, sanitatem corporis. Vel quod hic dicitur, plus desideravit, refertur ad tempus ante curationem animæ. Vel plus desiderat, idest plus movetur ad desiderandum, quod tanquam, qui novit in se morbum spiritualem, sicut corporalem. Vel plus, idest ferventius propter dolores, quos sentit, non tamen intensius. *Rab.* Ex vobis intelligite, quid paraclytus iste consequetur. Quid est facilius inter facere, & dicere magna distantia, utrum peccata dimissa ipse solus novit. Surge, & ambula, tam ille, qui surgebat, quam alii. Item *Rab.* Errant Judæi, qui Christum dicunt esse, & peccata posse dimittere dicunt, & Jesum-Christum negant. Dementiunt Arriani, qui Christum esse, & peccata dimittere dicunt, Deum autem negant. Quid est facilius. Secundum manducatorem, utrum facilius videtur vobis, vel solo verbo dimittere peccata, vel opere efficere, ut infirmus surgat. Dicit *August.* Magis est facere pium, quam creare cœlum, & terram, quia in primo est contradictio hominis repugnantis, & rigori divinæ justitiæ derogatio; in secundo non, vel quoad Deum æqualia. Sed primum dicitur majus, quia nobis utilius, & in majori re, quia in anima, qua nulla creatura est major. Vidit hominem. *August.* Prætermissa, quasi dicat, hoc dicitur per recapitulationem. Cum duodecim, idest, qui elegit. *Jerem.* 6. Telos. *August.* Donatus, idest reconciliatus. Munus gratiæ, quia de publicano factus est discipulus, de discipulo Apostolus, de Apostolo Evangelista. Electio, de massa perditorum. In domo. *Ambrosius super Lucam:* Reliquit propria, qui rapere solet aliena. Quia rationes vectigalium imperfectas reliquit. Contra, *inf.* 22. Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari. Solutio: Si debeo præposito, & reddo regi, absolutus sum. Licetne hodie sic? Non, quia hoc speciale. Sed videtur, quod Dominus fecerit contra illud *Tob.* 4. Non facias alii, quod tibi non vis fieri.

Solut. Quod debes velle fieri, sed quilibet deberet velle, quod sic vocaretur, alii tantum sunt dispensatores, & ipse Dominus.

b Et ambo conservantur] *Eccl.* 15. Si volueris mandata conservare, conservabunt te.

c Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit] *Marc.* 2. & *Luc.* 8. Nomen personæ, & dignitatis exprimunt. Nominatur enim ab eis Jairus Archisynagogus,

d Defuncta est] *Marc.* 5. dicit: Filia mea in extremis est. *Luc.* 8. Et hæc moriebatur. Sed quando primo venit Jairus ad Dominum, non erat mortua, sed postea erat mortua, antequam Dominus venisset ad domum Jairi. Matthæus autem non scripsit verba patris, sed cogitationem; cogitabat enim, quod esset mortua. Sic dicit *Gloss.* [Defuncta est,] *August.* Nihil in cujusquam verbis debemus inspicere, nisi voluntatem, cui debent servire, nec mentitur quemquam, si illis verbis dixerit, quod ille voluerit, cujus verba non dicit, nec miseri ancipites apicibus quodammodo litterarum putant ligandam esse veritatem, cum utique non in verbis tantum, sed in ceteris signis omnibus animorum non sit, nisi animus requirendus.

e Sed veni] Simile *Joan.* 4. ubi dicit Regulus: Descende, priusquam moriatur filius meus. Et sicut ibi in *Gloss.* arguitur Regulus ut minus fidelis, sic iste princeps videtur arguendus.

f Impone manum tuam super eam, & vivet] Hæc manus est potentiæ, vel misericordiæ, ut dicit *Interl.*

g Et surgens Jesus sequebatur eum, & discipuli ejus] *Jac. ult.* Multum valet oratio justi assidua. *Chrysostom.* Vidit ea qua domo exivit, scilicet publicanus, & ideo sperat, audivit, quod etiam mulieres curat.

5 dist. c. ad ejus De pen dist. 3. c inter hæc tibi. cum s.

h Ecce mulier] De hac muliere dicit *Eusebius*, quod postquam sanata est, fecit statuam ad imaginem Christi in curia sua, quæ vestem, & fimbrias sculptas habebat, ut videtur Christum habere, & hanc habebat in magna reverentia. Contigit enim, quod subtus imaginem crescentes herbæ nullius virtutis ante, cum ad fimbriam attingerent, tantæ virtutis erant, ut multi infirmi inde sanarentur. *Ambros. in tract. de Salomone:* Christus largum sanguinis fluxum siccavit in Martha, dæmones etiam expulit de Maria.

i Quæ sanguinis fluxum patiebatur] *Marc.* 5. & *Luc.* 8. dicunt hanc mulierem omnem substantiam in medicos erogasse, nec tamen potuit curari. Filia Jairi, prælatus occulte peccans. Hemorroissa aperte, qui ejectus de Ecclesia, & est in via. *Prov.* 1. Pedes eorum ad malum currunt, & festinant, ut effundant sanguinem. Peccatum in aperto, sanguis est effusus. Et tunc potest maculare alios. *Thren.* 1. Foris interficit gladius, & domi mora similis est. Vel per filiam, & Hemorrhoissam, idest peccator, prima peccans corde, post opere. Duodecima hora est ultima diei, Hoc est peccator usque ad senium. *Isai.* 46. Usque ad senectam, ego ipse, & usque ad canos ego portabo. Hoc est quod dicitur hic duodecim annis.

k Accessit retro] sic Magdalena.

l Et tetigit fimbriam vestimenti ejus] *Isai.* 60. Adorabunt vestigia pedum tuorum, scilicet gentiles, Apostolos.

Moraliter. In hoc notatur humilitas. Vel fimbria Apostoli, vestimentum, caro. *Isa.* 63. Quis est iste, qui venit de Edom, idest terrenus, tinctus vestibus de Bosra, i. munita, ideo non mirum, si sanguinolentus. Vel vestimenti fimbriam tangere, est aliquod mandatum minimum implere. *Zachar.* 8. Apprehendent fimbriam viri Judæi dicentes, ibimus vobiscum, audivimus enim, quod Dominus vobiscum est, hinc est, quod tintinnabula, quę pendent de extremis oris tunicæ summi sacerdotis. *Exod.* 28. Confessionem, & mala punica voluntatem martyrii significant, & virtutum decorem. Fluxus sanguinis sterilitatem facit. Unde ad Ecclesiam gentium, *Isa.* 54. Lætare sterilis, quæ non paris. *Bernard.* Fons sanguinis est origo peccati, idest, primordium cogitationis, ex quo peccatum nascitur. Et Dominus non solum mala opera extirpat, sed etiam cogitationum nequam radicem. Item *Bernard.* Fimbriæ vestis sunt verba dependentia de Incarnatione Christi, qua divinitas est investita. *m* Dicebant enim intra se] *Rom.* 10. Corde creditur ad justitiam.

l Et tetigit fimbriam, &c.] Quidam tangunt vestimenta solum, dicentes, Dominus habuit plures tunicas. Sed videant miseri, quod non legitur nisi in passione habuisse plures tunicas, & tunc ad illusionem. Alii tangunt solam carnes, dicentes: Comedamus, & bibamus. Unde potator vini dicebatur: Alii tangunt ossa, idest opera fortia, & revivificant. Ad tactum ossium Helisæi in sepulchro resuscitatus est mortuus. Sepulchrum claustrum. 3. *Reg.* 13. Cum mortuus fuero sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est, quando scilicet sunt senes, vel infirmi, tunc volunt intrare religionem.

Moraliter 4.

Isa. 21.

4. Reg. 13.

n Si tetigero tantum vestimentum ejus] 4. *Reg.* 2. Leva-

Avit

a vir Eliseus pallium Eliæ. [Vestimentum,] quasi dicat, si possem aliquod bonum facere.
a Salva ero.] Nota, credidit, dixit, tetigit, quia his tribus, fide, verbo, opere, omnis salus acquiritur. *Rom.* 10. Corde creditur ad justitiam.
b Confide filia:] id est, habe spem *Ps.* 26. Viriliter age, & confortetur cor tuum.
c Fides tua] Ideo filia, quia fides tua te salvam fecit.

Moraliter. Moraliter. Princeps superior pars rationis, filia caro. *Eccles.* 13. Super filiam luxuriosam confirma custodiam. *Judic.* 11. Jephte immolavit filiam suam. *Marc.* 5. Mulier hemorroissa est inferior pars rationis, *Marc.* 5. cujus sanatio natura præcedit sanationem carnis. *Prover.* 14. Vita carnium sanitas cordis. Vel princeps ratio domus conscientia, gratia veniens ejicit turbas, idest, cogitationes, & affectiones inordinatas clamantes. *Job* 39. Onager clamorem exactoris non audit, scilicet carnis, vel diaboli. Sed de clamore sanctorum desideriorum. *Isai.* 19. Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis.

dum in locum, ubi jacebat mortua.
Moraliter. Moraliter. Primo venit Dominus pulsando, prædicando, inspirando per gratiam gratis datam, & homine cessante a malis actibus, & se præparante, intrat per gratiam justificantem. Item primo dicit: Recedite, post: Cum ejecta esset turba, quia quædam levius recedunt, quædam autem vi ejici oportet. 2. *Reg.* 5. Non ingredieris huc nisi abstuleris cæcos, & claudos. Et ita proposuerat David præmium, qui percussisset Jebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos, & claudos odientes animam David. Jebusæus præsepe, vel conculcatio, vel adulnator. [*l* Et surrexit puella.] *Marc.* 5. Et ambulabat, ut & a sceleribus surgat, & a bonis operibus proficiat. Unde *Psal.* 14. Qui ingreditur sine macula, &c. *Raban.* Quartum mortuum jam suscitavit, quia qui pro ejus suscitatione deprecarentur, vivi defuerunt. *Infra* 10.

a salva ero. At Jesus conversus, & videns eam dixit: *b* Confide, filia: *c* fides tua salvam te fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora. Et cum venisset Jesus in domum principis, & vidisset *d* tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: *e* Recedite, non est enim mortua puella, *f* sed dormit. Et *g* deridebant eum. Et cum ejecta esset *h* turba, intravit, & *i* tenuit manum ejus, & dixit: *k* Puella, surge. Et *l* surrexit puella, & *m* exiit fama hæc in universam terram illam. Et *n* transeunte inde Jesu, secuti sunt eum *o* duo cæci *p* clamantes *q* & dicentes: Miserere nostri, fili David. Cum *r* autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci, & dicit eis Jesus: *s* Creditis, quia hoc possum facere vobis? *t* Dicunt ei: Utique, Domine. Tunc *u* tetigit oculos eorum dicens: Secundum *x* fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum. Et comminatus est illis Jesus, dicens: *y* Videte, ne quis sciat. Illi *z* autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa. *a* Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, de-

d Tibicines] Tibicines sunt carmen lugubre canentes. Isti sunt dæmones carmen lugubre canentes, idest, tentationes, & delectationes suggerentes, quæ in luctu terminantur. *Proverb.* 14. Extrema gaudii luctus occupat. Vel tibicines mundi tentationes. *Hieron.* Nos ad patriam tendentes mortiferos Sirenarum cantus surda aure prætereamus. Vel tibicines sunt adulatores, & detractores. *Isai.* 5. Cithara, & lyra, & tympanum, & vinum in conviviis vestris. *Ezech.* 13. Ipsi ædificabant parietem, illi autem liniebant eum, &c. *Boetius.* Quis, inquit, has scenicas meretriculas ad hunc ægrum permisit accedere? Sunt enim hæc, quæ infructuosis affectuum spinis uberem fructibus segetem rationis necant. *Bern.* Ad puellam pergens a turba comprimitur, quia Judæam visitans a noxia carnalium consuetudine gravatur. Item quæ turba comprimunt, una Ecclesia tetigit, quia Dominus diversis hæresibus comprimitur, sed sola fideli corde tangitur. Multi tangentes non tangunt sicut videntes non vident, audientes non audiunt.

b Confide, filia:] *Chrysostomus.* Formidans erat mulier, ideo dicit. Confide. Et filiam vocat: Fides enim filiam suam fecit *Joann.* 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri.
c Fides tua te salvam fecit,] quasi dicat, quia credidisti, sanitatem accepisti. *Chrysost.* Ex hoc patet, quod illam voluit glorificare non se, non enim eam vocasset ab eis his privatam laudibus, &c.
Juven. 5. *Satyr.* h Turba,] Tria sunt quæ turbant, servus superbiæ oculos mentis, terra arenosa infructuosa mare, humor lutosus viam. Hæc sunt illa tria. 1. *Joan.* 2. Quicquid est in mundo.
i Et tenuit manum ejus, &c.] Manus potentiæ, & misericordiæ. *Job* 26. Obstetricante manu eductus est coluber tortuosus. Diligere se suscitat Lazarum, quia aufert consuetudinem. Diligere

e Et turbam tumultuantem,] Turba amicorum carnalium. Item cogitationum immundarum, vel sollicitudo curarum. Item affectionum libidinosarum. Item hæresum. Item turba dæmonum, vel reproborum. Joven.

Maxima quæque domus servis est plena superbis.

Seneca. Multi illum sequuntur, mel muscæ sequuntur, cadavera lupi.
f Sed dormit,] idest, ita de facili possum eam suscitare, ut a somno. Similiter *Joann.* 11. Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum.
g Et deridebant eum.] *Jer.* 20. Factus sum in derisum, omnes subsannabant me, &c. Sic sæculares contemnunt prædicatores. Nota, licet Dominus derideatur, non desistit a proposito.
k Puella, surge.] Argumentum, quod prius dimittitur peccatum, & post intrat gratia. Sed aunquid dixerat primo, quod venit in domum, ergo jam intraverat. Sed non

m Et exiit fama, &c.] Coram autem turbis non suscitavit, quia *sup.* 7. Nolite sanctum dare canibus. *n* Et transeunte inde Jesu,] inde, i. de domo principis in Nazareth, scilicet. *o* Secuti sunt eum, &c.] De illis duobus cæcis, & de muto dæmoniaco solus Matthæus ponit. Nec sunt illi duo cæci, de quibus *Marc.* 10. De uno, quem dicit Barthimeum in Jericho. *Luc.* 18. de altero in ingressu in Jericho. *p* Clamantes] *Aug.* Quid est clamare ad Dominum nisi gratiæ ejus bonis operibus congruere? Clamat ad Christum, qui spernit sæculi voluptates. *q* Et dicentes: miserere, nostri fili David.] Hi duo cæci sunt, in quibus excæcati sunt oculi cognitionis, & affectionis. Quidam habeat tantum unum oculum excæcatum. *Num.* 24. Dixit homo, cujus obscuratus est oculus, dixit auditor sermonum Dei. Et post. Et cadens apertos habet oculos, quia tales descendunt in infernum viventes. 1. *Reg.* 11. In hoc vobiscum feriam pactum, ut eruam omnium vestrum oculos dexteros, ponamque vos opprobrium in universo Israel.

Marc. 9. *Luc.* 18. *De pen. d.* 1. *c. sunt plures.*

v Cum autem venisset domum,] *Chrysost.* quare protrahit eos? quia prope erat domus, nolebat eos extra multitudinem curare, docens vitare gloriam. In domo sunt cæci, idest, in Ecclesia. *Isa.* 42. Quis cæcus nisi servus meus? Hi sunt Lamech bigamus, qui dixit: Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum. *Gen.* 4. Lamech percutiens, hic est Prælatus exemplo suo alios scandalizans, cum debeat esse non percussor. 1. *Tim.* 3. *Luc.* 21. Prohibetur, ne sacerdos cæcus offerat hostias Domino. *Deutor.* 34. Non caligavit oculus Moysi, nec dentes ejus moti sunt, scilicet ad ruminandum Sacram Scripturam.
s Creditis, quia hoc possum facere vobis?] Quærit, ut pluribus salutis exemplum daretur.
t Dicunt ei, utique Domine.] *Chrysost.* Non modo vocat filium David sed Dominum. Corde creditur ad justitiam, &c.

proximum suscitat juvenem. *Rab.* Non est ante portam, qui aufert actum, ne lædatur proximus. Diligere Deum, puellam in domo suscitat, quia aufert peccata in voluntate. Ad puellam resuscitandam, Christus introducit secu Joannem, gratiam præparantem, & Petrum, i. fidem cooperantem, patrem, & matrem, i. paternæ severitatis increpationem, & maternæ pietatis consolationem. *o* Duo cæci] qui non videant gaudia dextro oculo & pœnas æternas sinistro.

u Tunc tetigit oculos eorum] Tangere oculos est per prædicatores mentes eorum divinis verbis illuminare.
x Secundum fidem vestram fiat vobis, &c.] ut sicut erant illuminati interius per fidem, quæ est collyrion, ita exterius essent illuminati. *y* Videte, ne quis sciat.] dant nobis exemplum jactantiæ fugiendæ. Horatius. *Rom.* 10.

——— *Neque ut miretur turba labores.*

z Illi autem, &c.] Nota, quod non fuit eis præceptum ne dicerent, sed sub forma prohibitionis datum. Vel prius fuit prohibitum, & postea revocatum. Vel exponatur, idest, nolite me credere vanam gloriam ex vestra quærere revelatione, Similiter expositio *Sup.* 8. Egressis autem illis, a ecce obtu-

a ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem] Ideo mutus, quia dæmoniacus. *Cant.* 2. Sonet vox tua in auribus meis. Naturaliter surdus, & mutus. *Isa.* 33. Ubi est legis verba ponderans, ubi est doctor parvulorum? Item 41. Non est annuncians, neque prædicans, neque audiens sermones vestros. Item 42. Surdi audite, &c. Item 43. Educ foras populum cæcum, & oculos habentem surdum, & aures ei sunt. Mutus, cujus intellectus non loquitur, & affectus bonus. Vulgo dicitur: *Le cueur il me disoit bien*, cor mihi bene dicebat.

monium habentem *a* & ejecto dęmonio locutus est mutus, & miratę sunt turbę dicentes: *b* Nunquam apparuit sic in Israel. pharisęi autem dicebant: In *c* principe dęmoniorum ejicit *d* dęmones. Et *e* circumibat Jesus omnes civitates, & *f* castella, docens in synagogis eorum, *g* & prędicans Evangelium regni, *h* & curans *i* omnem languorem, & *k* omnem infirmitatem. *l* Videns autem turbas *m* misertus est eis, *n* quia erant vexati *o* & jacentes, *p* sicut oves non habentes pastorem.

a Et ejecto dæmonio locutus est mutus.] Nota ordinem. *Cant.* 4. Surge aquilo, & veni auster, &c. Hic impletur illud *Isa.* 35. Aperta erit lingua mutorum, quia scissę sunt in deserto petrę. *Eccl.* 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris.

b Nunquam apparuit sic in Israel,] quasi dicat, talia miracula non sunt visa inter Judæos. *c* In principe dæmoniorum] i. in virtute principis. *d* Ejicit dæmones.] Quod vult facere, qui unum vitium vult expellere, unum attrahit, non expellit aliud. *Psalm.* 41. Abyssus abyssum invocat.

e Et circumibat Jesus civitates omnes] In hoc strenuitas sine acceptione personarum: Non enim solum nobilibus prædicabat, sed æqualiter villis, & urbibus.

f Et castella, docens in Synagogis eorum,] frequentans sabbatum, in quo conveniebant populi. *g* Et prædicans Evangelium regni,] idest, ducens ad regnum. *h* Et curans] In hoc utilitas, & benignitas. De hoc. *Supr.* 4. Simile *Marc. ult.* Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante. Sequitur. *i* Omnem languorem,] morbum diuturniorem. [Languorem majorem.] *k* Et omnem infirmitatem.] minorem. *l* Videns autem turbas] oculo misericordiæ. *m* Misertus est eis,] viam veritatis aperiendo, & molestias corporales auferendo. Misertus est eis, idest, compassus est eis. *n* Quia erant vexati] propter labores. *o* Et jacentes,] idest, vana securitate torpentes. Pseudo enim operibus torpebant. *Hier.* super hunc locum. Quoties evenerit vexatio ovium, culpa est pastorum, vitium est magistrorum. De malis pastoribus. *Ezech.* 33. & 34.

p Sicut oves non habentes pastorem. 1. *Petr.* 2. Eratis sicut oves sine pastore, nunc autem conversi estis ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum. *Isa.* 53. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit. *Ezech.* 34. Factæ sunt oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor. 3. *Reg.* 22. Michæas ait: Vidi cunctum Israel sicut oves non habentes pastorem. *Luc.* 15. Ovis centesima errabunda humeris pastoris reportatur.

q Messis quidem multa,] quia multi sunt, quos potestis metere, & in aream Domini congregare, tandem in horreis. *Joan.* 4. Videte regiones, quoniam albæ sunt jam ad messem. *Joel.* 3. Mittite falces, quoniam maturavit messis. *Apoc.* 14. Mitte falcem tuam & mete, quoniam maturavit messis terræ. *r* Operarii autem pauci,] *Chrysost.* Quos vocat operarios duodecim Apostolos, dicens paucos esse, quare non adjecit, etsi adjicere voluit, quare dixit; rogate? Solut. Duodecim existentes multos fecit, non numero adjiciens, sed virtutem largiens, & quia pauci.

s Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios] Messores sunt Apostoli, qui messuerunt completa, quæ Prophetæ seminaverunt, idest, implenda prædixerunt. Item messores sunt Angeli, messis electi cum palea in adventu primo, ut hic, sine palea in adventu secundo, *infra* 13. *t* In messem suam.] *Chrysost.* Latenter se Dominum ostendit: Si enim metere jussit, manifestum est: quod non aliena, sed quæ per Prophetas seminaverat, &c.

EXPOSITIO CAP. X.

ET *u* convocatis duodecim discipulis suis, &c.] Dividitur autem hoc caput in sex partes. In prima agit de data potestate duodecim Apostolis, & nominatione eorum. In secunda agitur de missione eorum in prædicationem, ibi: [Hos duodecim misit Jesus, &c.] In tertia docet eos Dominus, quales esse debeant, ibi: [Nolite possidere aurum, &c.] In quarta prædicit eis Dominus instantiam tribulationum, quas passuri erant, ibi: [Ecce ego mitto vos, &c.] In quinta consolatur eos dicens tyrannos non esse timendos, qui tantum corpus affligere possunt, ibi: [Ne ergo timeatis.] In sexta removet carnalem affectum ab Apostolis, & quoad se, & quoad amicos suos, qui multos impedit ab imitatione Christi, ibi: [Nolite arbitrari, &c.] Legitur *Apoc.* 21. Murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum, & Agni. Supra executus est Matthæus duodecim miracula Christi, scilicet de sanato leproso, servo Centurionis, socru Petri, & vespere sanatis omnibus, imperavit vento, & mari, de duobus dæmoniacis, de paralytico jacente in lecto, de vocatione Matthæi, de Hemorroissa, de filia principis, de duobus cæcis, de muto dæmoniaco. Per horum igitur sanationes intelligi possunt duodecim virtutes, quæ etiam per duodecim Apostolorum nomina intelligi possunt. Primum hominis peccatum fuit per inobedientiam quæ ejecit eum, ut leprosum de Paradiso, sicut ubi dicitur. *c* Primus Simon] i. firma obedientia. *Proverbior.* 12. Vir obediens loquitur victorias. *Seneca.* Qui se vincit, contra omnia fortis est. Et ideo frater Petri est Andreas, viri-

Tunc dicit discipulis suis: *q* Messis quidem multa, *r* operarii autem pauci; *s* Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in *t* messem suam.

CAP. X.

ET *u* convocatis duodecim discipulis suis, *x* dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, *y* & curarent omnem languorem, *z* & omnem infirmitatem. *a* Duodecim autem † discipulorum *b* nomina sunt hęc. *c* Primus *d* Simon, qui dicitur Petrus,

A

Luc. 10. & 11. *Act.* 4. *aucto*, 4.

al. † Apostolorum, *Marc.* 3. *Luc.* 9. *Marc.* 3. *Luc.* 6. *Act.* 1.

u Et convocatis duodecim, &c.] *Bern.* Vocavit, quos voluit, quia non illorum studia, sed divinæ gratiæ, ut in Apostolatum vocarentur. *Chrys.* Non ab initio misit eos, sed postquam viderunt paralyticum curatum, mortuum suscitatum. *x* Dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos,] Plenius dedit potestatem, quia prius dederat. *Hieron.* Deus potestative fugabat languores, discipuli vero in nomine ejus. *y* Et curarent, &c.] majorem. *z* Et omnem, &c.] minorem. *Chrysost.* Velut quosdam pullos molles ad volandum adducens, primum medicos corporum facit. *a* Duodecim,] &c. præter Paulum, qui Christi vocatione, & Barnabam, qui Ecclesiæ ordinatione facti sunt Apostoli. *Act.* 13. Segregate mihi Paulum, & Barnabam. [Duodecim discipulorum] duplex perfectio, in opere scilicet, & sermone. Item ter quatuor faciunt duodecim, hi gradus, quibus ascenditur in thronum Salomonis; Hæ septem columnæ, quibus sapientia ædificat domum.

b Nomina sunt hæc.] Hic ponitur catalogus Apostolorum. Catalogus est brevis enumeratio aliquorum singulos nominatim exprimens. Et ponuntur hic nomina eorum, ut præter hos pseudo, qui futuri erant, excludantur. Unde *Ps.* 68. Deleantur de libro viventium, & cum istis non scribantur. Secunda ratio est, ut tam nomina eorum, quam eis credentium in libro vitæ scripta esse significentur, per hoc quod nomina eorum in Evangelio scribuntur. Hac de causa. *Ex.* 1. Ponuntur hic nomina filiorum Israel. *Ps.* 4. Quorum nomina sunt in libro vitæ. *c* Primus] dignitate non vocatione. *d* Simon, qui dicitur Petrus,] binomius fuit. *Gen.* 32. Jacob dicitur Israel. Sic nomen Abrahæ mutatum est. Et vicario Petri, idest Papæ mutatur ab Ecclesia nomen. Per facilem nominis ejus mutationem, notatur strenuitas, & facilitas officii ejus. *Hier.* Violenter quidem Latino, vel Greco nomine Hebręam quærentes etymologiam, dicunt Petrū dissolventem, vel discalciantem, vel agnoscentem interpretari, cum Hebręa lingua p. non habeat. Dicit autem *Gl. sup. Gen.* Tantum tribus leguntur nomina mutata a Domino, scilicet Abrahæ, Jacob, & Petro.

Gen. 17.

a Et Andreas

Θ a Andreas] virilis, vel respondens pabulo. Hoc contra paralysim servi Centurionis, qui non poterat deservire panem suum. Sed Andreas non solum obedit præceptis, sed viriliter superogat. *Eccles* 18. Ne fueris mediocris in contentione ex timore. *Psal.* 26. Item. Viriliter age, &c. b Philippus] os lampadis, vel os manuum. Hic post Andream, quia a mandatis tuis intellexi. Et hic prædicare potest verbo, & exemplo: Hoc contra socerum Petri, cujus manum Dominus tetigit, ut ministraret, vel contra mutum. c Bartholomæus,] filius suspendentis aquas, *Joan.* 7. Suspendium elegit anima mea. *Josue* 8. Suspendit regem Hai, idest, vita vallium, vel quæstio vitæ. Hoc contra carnis concupiscentias, scilicet incontinentias, quæ maxime reprimuntur ex desiderio æternorum, quia gustato spiritu desinit omnis caro. Et hoc est quasi primum, & principale in spirito gaudii. Reliquum est luctari contra carnem, disciplina, & affectione ejus, unde sequitur.

& a Andreas frater ejus, b Philippus & c Bartholomeus, d Jacobus Zebedei, & e Joannes frater ejus, f Thomas, & g Matthæus publicanus, & h Jacobus i Alphei, & k Thadeus, l Simon m Chananeus & n Judas o Iscariothes, qui & tradidit eum, p Hos duodecim misit q Jesus r præcipiens eis, & dicens: In f viam gentium s ne abieritis;

d Jacobus] idest, luctator, quæ lucta suscipitur per memoriam dominicæ Passionis. Unde 1. *Petr.* 4. Christo igitur in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini, & sic est filius Zebedæi, & sic est vas mundum, & dignum, in quo sit gratia. Unde.
e Joannes] in quo est gratia, frater ejus. Sed quia Eleazar cecidit sub bellua, quam devicit, licet esset frater Joannis, ut dicitur 1. *Machab.* 6. Quia ex victoria carnis sæpe surrepit superbia, vel torpens securitas. Sequitur. f Thomas,] i. timor, qui nascitur ex incertitudine judiciorum Dei. *Psal.* 35. Quia judicia Dei abyssus multa. Thoma abyssus interpretatur. Sed quia timor solus in desperatione dejicit, ideo sequitur. g Matthæus] i. spes, quæ ex larga benignitate Dei habetur, quæ vocavit Matthæum publicanum, & fecit Apostolum, & Evangelistam. Unde & Matthæus, donum festinationis interpretatur. Hæ sunt duæ molæ non separandæ secundum legem, ne spes sine timore fiat præsumptio, & ne spes nimis elevet. Sequitur. h Jacobus Alphei] qui interpretatur millesimus, vel doctus. Hæc est humilitas, quæ se reputat ultimum, & per hoc fit docta, quia Dominus intellectum dat parvulis. Hæc est lucta Jacob contra Angelum quasi contra spirituales nequitias in cœlestibus. Unde bene sequitur. k Et Thadæus,] qui interpretatur attendens principem, scilicet, hujus mundi. Sic Aman appenditur in ligno quod paraverat Mardochæo. *Esther* 7. Sed ne humilitas fit pusillanimis, ei conjungitur Thadæus, qui dicitur corculus, quasi colens cor: Sed cultura cordis maxime est in claustrali obedientia, unde sequitur. l Simon] obediens. m Chananæus] idest, Zelotes, vel scilicet commutatus est; qui scilicet, ex amore commutat mores suos in melius, sicut promisit in professione ordinis. Ultimus est. n Judas] scilicet confessio laudis, Confessio enim domestica est in claustralibus, & ultimum officium rationalis creaturæ ad creatorem erit confiteri, & laudare. Sicut dicitur. *Isa.* 51. In ea erit gratiarum actio, & vox laudis. o Scarioth,] idest, memoria mortis, scil. Christi. Unde semper jacent in suo desiderio, & vivunt quasi mortui. Recte ergo quasi post duodecim miracula ordinatur vocatio duodecim Apostolorum.

Δ a Et Andreas frater ejus,] primo se illuminat. *Roman* 2. Qui ergo alium doces, cur teipsum non doces. 1. *Cor.* 10. Non quæro, quod utile est mihi, sed quod multis. *Habac.* 2. Scribe visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum. b Philippus] *Rab.* Ita ordinat textum. Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus. Hunc ordinem tenet, *Marcus, Lucas, & Hieronym.* [Philippus] os lampadis, scilicet suscipientis, vel prædicantis lumen, vel ministrantis. c Et Bartholomæus,] *Amos* 9. Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, & Dominus nomen illi. d Jacobus Zebedæi,] Zebedæus, memoria, vel sacrificium Domini vel fluens iste, ut sit lucta contra carnem, sicut Jacob contra fratrem in utero matris. [Et Joannes frater ejus.] f Thomas,] Abyssus. De quo *Gregor.* Plus mihi profuit dubitatio Thomæ, quam credulitas Mariæ. g Matthæus] Alii Evangelistæ præponunt Matthæum Thomæ quasi digniorem, sed præ humilitate se postponit. h Et Jacobus] De quo *Esychius historicus.* De utero matris sanctus vocatus fuit, vinum & siceram non bibit; nullam carnem comedit, nunquam accensus fuit, nec unctus unguento neque balneo, huic soli licebat intrare sancta sanctorum, vestibus lineis non utebatur, sed laneis, solusque ingrediebatur templum, & flexis genibus pro populo deprecabatur, tantum ut in camelorum duritiem ejus genua cederentur, qui dicitur frater Domini.

i Alphæi,] iste enim Jacob, doctus fuit, & filius docti, unde & post constitutus est Episcopus Jerosolymorum [Alphæus] doctus sugeivus, vel millesimus, qui docet hominem scientiam. *Col.* 2. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Et vel millesimi, idest, perfectissimi. Et debet sociari corculo, idest, discretioni.
k Thadæus,] corculus, idest, cordis cultor. Et Thadæus, idem secundum. *Aug.* Judas, qui confitens, Thadæus, qui appendens, Jebusæus, qui corculus.
l Simon Chananæus] a Chana vico Galileæ, ubi Dominus convertit aquam in vinum. *Jo.* 2.
n Et Judas Iscariothes,] idest, confitens, cui successit Matthias, idest, donatio Domini providi: [Qui & tradidit eum:] Simon obedientia, cui associatur Andreas, idest, virilitas, & sic unum jugum Domini in aratro Evangelii. Secundum jugum est Philippus, os lampadis, & Bartholomeus a quarum suspensio, i. devota oratio, & contemplatio. Tertium jugum est Jacob, & Joannes, i. supplantatio vitiorum, & gratiæ Dei. Quartum jugum est Thomas, & Matthæus, i. admiratio judiciorum Dei, & gratiarum actio de donatione peccatorum. Quintum jugum est Jacob. Alphei, & Thadeus, i. lucta in studio, & intellectus non errans. Sextum jugum est Simon Chananeus, & Judas Scarioth, i. zelus animarum, & confessio laudis. Hæc sola cecidit, quia alium zelum habuit, scil. pecuniæ. Erat enim loculos habens, & ea, quæ mittebantur, asportabat. 2. *Cor.* 6. Nolite jugum ducere cum infidelibus.
p Hos duodecim misit Jesus] prædicare. Secunda pars. In hac prima missione his duodecim præcipit duodecim respondentia duodecim nominibus Apostolorum. Primum est, [In viam gentium ne abieritis:] Hoc est quod *sup.* 7. dicitur. Nolite sanctum dare canibus, quia Judæi reputabant gentes pro canibus. Hoc convenit Simoni, quia prima obedientia est. Declina a malo. Et Petro qui Θ inter-
Item nota, quod ea, quæ ibi dicuntur, septem donis spiritus sancti respondent, quod enim dicitur, [In viam Θ gentium, &c.
p Hos duodecim] principaliter.
q Misit Jesus] prædicare. Hæc missio differt ab illa, quæ post resurrectionem facta est in duobus, quia hic tantum mittit ad oves, &c. ibi ad omnes gentes. Unde *inf. ult.* Ite, docete omnes gentes. Item hic prohibet, ne tollant necessaria, quia ipse corporaliter præsens corporaliter eis providet, in secunda permisit. r Præcipiens eis, &c.] Ecce ubi non debent ire. Nota, quo eant, ad Israel, quo non eant in viam gentium, quid faciant, curare, quomodo faciant gratis. Item determinat personas, dum dicit oves, &c. locum, dum dicit Judæam, officium, dum dicit prædicare, officii utilitatem, dum dicit, curate. s Ne abieritis] idest,

p Hos duodecim misit, &c.] Hi sunt duodecim filii Jacob. *Genes.* 30. & 31. spiritualem populum Dei generando. Item duodecim principes. *Numer.* 2. præcepta salutaria pronunciando. *Exod.* 15. In nobis per exemplum suum ignem, & sitim cupiditatis extinguendo. Item duodecim lapides, in veste sacerdotis. *Exod.* 28. virtutes, & miracula faciendo. Duodecim panes propositionis. *Levit.* 24. Nos pane verbi Dei reficiendo. Duodecim exploratores. *Numer.* 13. viam veritatis ostendendo. Duodecim lapides altaris. *Josue* 8. orationes, & opera nostra Deo præsentando. Duodecim lapides de Jordane elevati. *Josue* 4. redemptionem nostram, & salutem restituendo. Duodecim boves sub mari æneo. 3. *Regum* 7. Baptismum per universum orbem prædicando. Duodecim stellæ in corona sponsæ. *Apoc.* 12. mutuum honestare Ecclesiam decorando. Duodecim fundamenta. *Apoc.* 12 Ecclesiam plantando, & pro fide martyrium patiendo. Duodecim portæ civitatis. *Apoc.* 21. potestate ibi tradita cœli regnum aperiendo, & bona exempla hominibus proponendo.

Joan. 15.

O interpretatur dissolvens, ut dissolvat se a pravorum imitatione. Unde & *in primo Psalm.* dicitur. Beatus vir, qui non abiit, &c. Signum autem fuit hoc, quod Petrus principaliter præficeretur conversis ex circumcisione, secundum quod dicitur. *Galat.* 2. Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis. Secundum est.

te, & vita gentilis ignorantiæ. Non intrare civitates Samaritanorum, non adire Ecclesias Hæreticorum.

a Et in civitates Samaritanorum ne intraveritis,] quibus non contenebantur Judæi, *Joann. cap. quarto* Non erant de filiis Abrahæ, qui legem, & non prophetas receperunt, 2. *Corinth.* 6. Nolite jugum ducere cum infidelibus.

& in *a* civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed *b* potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel. *c* Euntes autem *d* prædicate dicentes: Quia appropinquabit regnum *f* cœlorum, *g* Infirmos curate, *h* mortuos suscitate, *i* leprosos mundate, *k* dæmones ejicite. *l* Gratis accepistis, *m* gratis date.

a Et in civitates Samaritanorum non intraveritis,] Hoc est quod *supra* 7. dicitur. Neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Porcus ungulam findit sicut munda animalia, sed non ruminat, ideo immundus. Sic Samaritani in parte conveniebant cum Judæis. Unde & Pentateuchum recipiebant, in multis autem dissentiebant. Hi sunt Hæretici, vel hypocritæ, qui exterius ungulam findunt, sanctitatem exterioris conversationis præferentes, sed intus non ruminant, vitæ spiritualis dulcedinem minime sentientes. Unde bene Samaritani dicuntur, qui interpretantur lana Domini, vel custos, quia de ove lanam solam custodiunt. Unde *supra* 7. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, &c. Contra hos Andreas, qui interpretatur respondens pabulo, vel decorus in statione, hypocrita autem decorus est sedendo sicut claudus. Tertium est.

Marc. 6. *Luc.* 9. & 10.

b Sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel.] Hoc est quod *supra* 9. dicitur. Videns turbas misertus est eis, &c. Nota in hac prima missione dicit: Ite ad oves, sed in secunda post resurrectionem mitti sunt sicut oves in medio luporum, quia prius non erant adhuc confirmati sicut post. Item ut primo ponerent columnam Evangelii super basim legis, ut sint tabulæ auratæ super bases argenteas in tabernaculo. *Exod. vigesimo sexto* Nondum enim positus erat lapis angularis in angulo parietum, qui per fidem resurrectionis suæ fecit utraque unum. Huic tertio respondet Philippus, quia lampas in domo poni debet, ut sic sit Israel, id est, Deum videns. Quartum est.

c Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquabit regnum cœlorum,] In veteri testamento terrena, sed nunc cœlestia promittuntur. Et hoc convenit Bartholomæo, ut aquæ, quæ prius erant sub firmamento suspendantur supra per spem. Quintum est.

g Infirmos curate,] Hoc Jacobus: qui motus infirmitatis suæ carnis, & delectationis reprimit. *Genes. cap.* 32. Sextum est.

h Mortuos suscitate,] Hoc Joannes, idest, sola Dei gratia. Septimum.

i Leprosos mundate,] idest, aperta operis peccata. Hoc Thomas, qui timorem significat, ut supra dictum est, quia timor Domini expellit peccatum. *Eccles.* 1. Vel leprosi sunt Hæretici, quos mundat Thomas tangendo Christum tactu fidei. Unde *Joann.* 20. dicit, Dominus meus, & Deus meus. Octavum.

k Dæmones ejicite,] idest, peccata consuetudinis, quia humanum est peccare, diabolicum autem perseverare. Hoc ejicit Matthæus, quia de publicano factus est Apostolus, qui etiam sanatus fuit interius in spiritu, magis credens consilio Christi vocantis quam scientiæ propriæ. Unde Matthæus interpretatur donatus consilio. Nonum est.

l Gratis accepistis, gratis date,] Hoc Jacobus Alphæi. Jacobus, interpretatur populus victus, Justitia autem est dare unicuique, quod suum est, non vendere.

O Decimum

Isaiæ, 42.

A tium, &c.] ad donum timoris pertinet quo, scil. fugitur malum. Quod dicit: [Ite ad oves, &c.] ad pietatem: [Prædicate,] ad scientiam: [Dæmones ejicite,] ad fortitudinem: [Gratis date,] ad spiritum consilii, qui consulit spernere temporalia pro æternis: [Interrogate quis in ea dignus sit, &c.] ad intellectum quo conversantur in cœlis cum sanctis Angelis: [Pax huic domui] ad sapientiam, quæ pacificat totum hominem interiorem.

a idest, ne prædicetis, *supr.* 7. Spatiosa est via, quæ ducit ad mortem. *Gregorius.* Erant de Judæis tunc, qui vocandi erant, de gentibus nondum, sed post resurrectionem dicitur: Ite, docete omnes gentes. *Hieronymus.* Primum quidem oportebat evangelizare Judæis, ne haberent excusationem se esse rejectos. *Joan.* 15. *Hilarius.* Juxta tropologiam abstinere a viis gentium, est abstinere ab ope-

b Sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel.] Ecce ubi., *Isaiæ cap.* 61. Ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem. *Ezech. capit.* 3. Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris.

c Euntes autem] *Gregorius.* Si mundus cadit ad similitudinem domus ruentis, & nos eum amando complectimur, opprimi volumus potius quam habitare, quia nulla nos ratio illius separat, quos ejus passionibus amor ligat.

d Prædicate] Ecce quid facere,

e Dicentes quia appropinquabit regnum cœlorum,] i. prope est, ut homines fiant tales, ut in eis regnet Christus per fidem. Vel, Appropinquabit, idest, prope est, ut aperiatur janua cœli imminens, scilicet mea passione, *supra* 8. Joannes sic inchoat: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum, idest, Christus dans regnum, vel Evangelium invitans ad regnum, vel ipsa beatitudo æterna. Idem *supra quarto* dicit Dominus. Hic vero dicitur regnum quælibet anima, quæ per justificationem facta est regnum, in qua regnant tres personæ per fidem.

g Infirmos curate,] *Hieronymus.* Ne hominibus rusticanis, & absque eloquii venustate nemo crederet pollicentibus regnum cœlorum, dat potestatem miracula faciendi, ut magnitudinem promissorum probaret. [Infirmos,] per delectationem.

h Mortuos] per consensum [suscitate.] *Beda.* Infirmos curat, cum per sacerdotes suos oleo sacrato infirmitates perungit in nomine Domini simul, & orationes pro eis fundens ad Deum, ut recipiant sanitatem. Necnon, & cetera turba fidelium facere idem solet, cum quamlibet a statu boni operis infirmari conspicit, & pia exhortatione, atque exemplo ad statum pristinum reparare satagit.

i Leprosos] per actum, qui jam apparet, [mundate]

k Dæmones ejicite,] idest, consuetudinem peccandi, quia humanum est peccare, sed diabolicum perseverare.

l Gratis accepistis,] a me, [gratis date.] Ecce qualiter ne si sit venalis, contemnatur. Unde Petrus Simoni Mago dixit, *Act.* 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. *Greg.* Sunt nonnulli, qui nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, sed pro humana gratia sacros ordines largiuntur. Hi nimirum non gratis dant, qui nimirum favoris expetunt. Unde propheta describit justum esse, qui excutit manus suas ab omni munere. Et bene adjungit, ab omni, quia aliud munus est ab obsequio, & a subjectione indebite expensa, aliud a manu, quod est pecunia, aliud a lingua, quod est favor.

f Regnum cœlorum,] In regno Dei tres sunt civitates. Prima, justitia. In hac habitant peccatores pœnitentes puniendo peccata sua, *primo Corinthiorum undecimo* Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur. A civitate, in qua servatur justitia, fugiunt latrones, & in qua non fit justitia, abundant, *Isaiæ vigesimo sexto* Quis justitiam non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ. Boni homines libenter habitant, & securi in civitatibus justitiæ: Sic bonæ cogitationes, & boni motus in justo homine. De civitate justitiæ ad civitatem pacis pervenitur. In hac habitat Deus. *Psalmo septuagesimo quarto.* Et factus est in pace locus ejus. Istæ duæ civitates propinquæ sunt. *Psalmo octuagesimo quarto.* Justitia, & pax osculatæ sunt. De civitate pacis pervenitur ad civitatem gaudii, &c.

l Gratis accepistis,] *primo Corinthiorum quarto* Quid, habes quod non accepisti?

m Gratis date.] *Isaiæ quinquagesimo quinto* Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione. Neque pecuniam *secundo Timothei* Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.

Tim. 2.

A a Nolite

⊙ Decimum est. *a* Nolite possidere aurum,] Hoc Thadeus, qui interpretatur insignis, vel appendens principem, De primo. *Eccl.* 31. Beatus vir, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris: Quis est hic, & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua. De secundo, quia princeps hujus mundi non habet, per quid teneat ipsum. Temporalia enim quasi vestimenta sunt hominis, ut dicit *Gregorius*.

⊙ Undecima *a* Nolite possidere aurum.] Qui enim alios ad contemptum divitiarum excitant, pauperes esse debent, ne dicatur eis illud: *Rom.* 2. Qui alium doces teipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris. Hæc est tertia pars, ubi docet discipulos quales esse debent. Docet autem ne sint cupidi præsentium. [Nolite possidere aurum.] Item ne sint soliciti futurorum vitæ necessariorum. [Non peram.] Item a quibus sumant necessaria. [Dignus est enim operarius cibo suo.] Item de electione hospitum. [Interrogate, &c.] Item de electione hospitandi, [Intrantes.] Item de salute recipientium. [Et siquidem.] Item de contestatione non recipientium. [Exeuntes.] Hæc sunt octo, in quibus eos instruit.

Marc. 6. *Luc.* 9. & 10. *a.* 10. 9. *L.* 6. *præsenti.*

a Nolite possidere *b* aurum, *c* neque argentum, *d* neque pecuniam in *e* zonis vestris: Non *f* peram in via, *g* neque duas tunicas, *h* neque calceamenta, *i* neque virgam. Dignus est *k* enim operarius cibo suo. In *l* quamcumque civitatem, aut castellum intraveritis, *m* interrogate, *n* quis in ea dignus sit, *o* & ibi manete, *p* donec exeatis. *q* Intrantes autem in domum, *r* saluta-

a Nolite possidere aurum,] Sed heu hodie nihil aliud quærunt. *Isa.* 1. Principes tui infideles socii furum, Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Nolite portare. Tot cophinos portant, tot summarios ducunt, &c.

c Neque argentum,] *Act.* 20. Aurum & argentum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis. Sed modo auferunt, & accepta præda fugiunt sicut aves tatier, quæ capiunt mures.

a Nolite possidere aurum,] *Bern.* Tanta prædicatori debet esse fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sumptus non ferat. *a* Aurum,] idest sapientiam. *Hieron.* Prius mittuntur piscatores, idest, illiterati, ut fides in virtute Dei esse credatur, non in eloquentia. *Isaiæ* 13. Ecce ego suscitabo super vos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint. *Hier.* [Aurum, &c.] Hæc historice. Secundum anagogem aurum pro sensu, argentum pro sermone, æs pro voce sæpe invenitur, quæ a Domino data possidere debemus, & non suscipere a disciplina Hæreticorum. Hoc præceptum ad litteram implevit Petrus. *Act.* 3. Argentum, & aurum non est mihi. Nunc vero verum aurum, & vera signa ab Ecclesia recesserunt, quia in potestate succeditur, Petro, non in paupertate, & tamen paupertati promittitur regnum cœlorum, non potestati. *d* Neque pecuniam] appensam, scilicet. *e* In zonis vestris:] ad emendum necessaria. *f* Non peram in via,] Hoc in prima tantum, non in altera. Unde. *Lucæ* 22. Qui habet sacculum tollat & peram, quasi dicat, prius ego providi, nunc vos, scilicet post resurrectionem, cum absens ero corpore provideatis vobis.

g Neque duas tunicas,] *Hieronym.* Hoc non dicit in Scythiæ frigore, ut quis una tunica contentus esse debeat, sed quod in tunica vestimentum intelligamus, ne alio vestitu aliud nobis futurorum timore reservemus. 1. *Tim. ult.* Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. *h* Neque calceamenta, ad litteram.] *Hieron.* Et Plato præcipit duas corporis summitates non esse velandas, nec assuefieri debere mollitiei capitis. Cum hæc enim habuerit firmitatem, cetera robustiora sunt. Tamen necessarium fuit Apostolis ligare soleas sub plantis, quia Palæstina terra arenosa est, & nimis calida in æstate. Nota, curam prohibet, quia ideo portanda cogitantur ne desint.

i Neque virgam.] *Augustinus*. Ideo posuit, neque virgam, ostendens a fidelibus omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. *Exod.* 3. Solve calceamenta de pedibus tuis. Idem *Josue* 5. Sumitur tamen in bono calceamenta, scilicet pro bonis mortuorum exemplis. *Exod.* 12. Ubi præcipitur agnus comedi pedibus calceatis. Et *Cantic.* 7. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. Neque virgam. *Isaiæ* 13. Væ, qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes. Sæpe colligunt virgam unde verberantur. *Jer.* 17. Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, Qui fert virgam, facit de manu dextra quasi pedem. Ecce quod nimiorum solicitudinem tollit eis Dominus. *Lucæ* 10. Dicit similiter. Neque virgam. *Marc. cap.* 6. Non nisi virgam. *Lucæ* 3. Qui habet duas tunicas det unam non habenti. *Augustinus*. Non est præter tunicam, qua indutus est, alia portanda. Proinde Diacono deferenti Evangelium alius fert pulvinar, quod supponitur. *Cantic.* 2. Leva ejus sub capite meo. 1. *Corinthior.* 9. Ordinavit Dominus his, qui Evangelium annunciant de Evangelio vivere. *Galat. ultim.* Communicetis, qui catechizatur verbo ei qui se catechizat in omnibus bonis. *Deuteronom.* 25. Non alligabis os bovis triturantis.

k Dignus est enim operarius cibo suo,] idest, potestatem habet a Deo, ut sumat necessaria ab his, quibus prædicat. 1. *Corinth. cap.* 9. Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. *Philipp. quarto* Scitis vos ex debito dati, & accepti [Dignus enim est.] *Hieron.* Tantum accipite quantum est necessarium in victu, & vestitu. 1. *Timoth. quinto* Presbyteri, qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant verbo, & doctrina. 2. *Timoth.* 2. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Hoc est, quod Diaconus a Presbytero procedit ad pulpitum, quasi missus a Domino ad prædicandum. Cui fert Subdiaconus pulvinar, quo liber sustentatur, quia alii debent prædicatorem sustentare. 1. *Corinth.* 9. Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: Et qui altari deserviunt cum altari participant. Item *Hieronymus*. Considerandum, quod uni operi nostro duplex merces debetur: Una in via, alia in patria. Una, quæ nos in labore sustentat, alia, quæ nos in resurrectione remunerat. *Bern.* Hic merces prædicationis inchoat, & in cœlo perficitur. *Cant.* 2. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *Deuter.* 25. *Galat. ultim.* 1. *Corinth.* 9.

l In quamcumque civitatem, aut castellum intraveritis,] Hic instruit Dominus discipulos de jure hospitandi, & prohibet inconstantiam per inconstantiam in hospitio, a patre per totum.

m Interrogate,] 1. *Timoth. cap.* 3. Oportet Diaconum, & Episcopum testimonium habere ab his, qui foris sunt.

n Quis in ea dignus sit,] adventu vestro, & mora. *Hieronymus*. Fama populi, & testimonio vicinorum eligendus est hospes, ne in ejus infamia prædicatio lædatur: Ergo multo magis socius.

o Et ibi manete,] *Bern.* Alienum est a prædicatore per domus cursitare, & hospitium mutare. *Eccles.* 29. Vita nequam hospitandi de domo in domum. *p* Donec exeatis,] supple de civitate vel castello.

q Intrantes autem in domum,] Hic instruit in modo intrandi hospitium, *Proverb.* 15. Responsio mollis frangit iram. *r* Salutate eam,] idest, familiam,

l Cibo suo,] quia qui non laborat, nec manducet. Et hoc est, quod dicit, operarius cibo suo, non delitiis, vel carne. *Habac. tertio* Qui devorant pauperem in abscondito, idest, claustrales. Item: *Psalm.* 78. Quia comederunt Jacob, & locum ejus desolaverunt, faciendo sicut bruchus, quia una nocte substantiam unius anni devorant: Hi faciunt de aliena cute corrigias largas. Isti sunt vaccæ, quæ impinguantur ad mortem. Sed timendum est, ne diabolus eos occidat sicut filios Job. *Job primo* Item dignus est operarius, idest, prædicator cibo suo. Primus cibus, contritio. *Psalm.* 78. Cibabis nos pane lacrymarum. De hoc comedit Magdalena. Secundus est bona opera. *Joannes sexto* Operamini cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, &c. Item *Joann. quarto* Meus cibus est, ut faciam voluntatem patris mei. Primus cibus purgatorius, secundus autem tentatorius. Tertius verbum Dei oratio, vel meditatio: Et iste consolatorius: *Apocalyps. decimo* Cum Joannes devorasset librum, factus est in ore ejus sicut mel dulcis. Quartus cibus patientia. Iste est probativus. *Job cap. decimo* † Si justus

ɵ Undecimum est de cautela hospitandi. Unde dicentes.

a Pax huic domui:] Hoc Simon Chananæus, idest, obedientia ex amore. Unde *Augustinus*. Pax domus est ordinata concordia imperandi, atque obediendi. Duodecimum est. g Excutite pulverem de pedibus vestris,] per humilitatem. Hoc Scarioth in bono, scilicet confessio venialium cum memoria mortis, ut supra. In malo autem ipse Judas quasi pulvis inutilis fuit ab Apostolis, qui suot pedes Domini, excussus, & divisus.

Marc. 6. Luc. 9.

ʌ miliam, ut sit lata relatio, quia antecedens pro continente, relativum pro contentis.

oves in medio luporum Simile, *Joann. decimo septimo* Sicut misit me pater ad passiones, & ego mitto vos. *Exod.* 3. Ecce ego vadam ad filios Israel, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos.

l Estote ergo prudentes sicut serpentes,] *Genes.* 4. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. *Proverbior.* 19. Doctrina viri per patientiam noscitur. *Lucæ* 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Psal.* 91. Bene patientes erunt, ut annuncient.

1.9 Joanni infra 11. Luc. 10.

Luc. 10.

te eam, a dicentes: b Pax huic domui: & si quidem fuerit domus illa digna, c veniet pax vestra super eam, si autem non fuerit digna, pax vestra d ad vos revertetur. Et e quicumque non receperit vos, f neque audierit sermones vestros exeuntes foras de domo vel civitate, g excutite pulverem de pedibus vestris. h Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii quam illi civitati. Ecce i ego k mitto vos sicut oves in medio luporum. l Estote ergo prudentes sicut serpentes, m & simplices sicut columbæ.

m Et simplices sicut columbæ.] *Cantic.* 5. Oculi ejus columbarum super rivos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, idest, doctrina Christi. Unde *Joannis decimo quinto* Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. *Isaiæ* 60. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas, idest, ad Ecclesias, in quibus pullos generunt. Item dicit, Ecce. In hoc notatur celeritas officii. *Isaiæ* 6. Ecce ego, mitte me. Quia ecce nunc tempus acceptabile *primo Regum tertio* Dicit Samuel: Ecce ego quia vocasti me. Dominus enim est in lite contra nos, ideo nuncius ejus non debet quærere inducias.

16. dist. & qui Ecclesiasticis.

a Dicentes, pax huic domui:] idest, familiæ. *Hieronym.* Occulte salutationem Hebræi, ac Syrii sermonis expressit, quod enim Græce dicitur chere, Latine ave, hoc Hebraico Syroque sermone Salomlach sive Salamalach, idest, pax tecum.

† Si justus fuero non levabo caput, saturatus afflictione, & miseria *Threnorum* 3. Saturabitur opprobriis. Quintus est lætificativus, conversio peccatorum ad Deum. Unde & Dominus in Cruce dixit Sitio. *Gl.* Non tantum cibum corporalem quam vestiam conversionem. *Ad. decimo* Macta, & manduca. Sextus, corpus Christi. *Joannis capitulo sexto* Caro mea vere est cibus. Hic confirmativus. *Psalmo* 103. Panis cor hominis confirmet. Septimus, quem Dominus ministrabit super mensam suam.

Joan. 19.

a Pax huic domui:] Sed hodie tumultus ubi jacebit dominus noster, quid comedet, quod vinum bibet? &c. Isti sunt canes immundi, qui dispergantur ad manducandum, si vero non fuerint saturati, & murmurabunt, & suspendunt.

c Pax vestra] Sed hi turbant eam, dicunt, quod non valet obolum quia ludit non ridet. Sed Deus non irridetur.

d Ad vos revertetur,] sed non potest ad eos reverti, quia non portant pacem, sed odium, ut habeant carnis primum suum. Pulvis est sterilis, dispergibilis, informabilis, inquinat & cæcat, &c.

b Et si quidem fuerit domus illa digna,] idest, si fuerint prædestinati ad vitam, idest, si fuerit familia ejus prædestinata ad vitam.

c Veniet pax vestra super eam, si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertetur,] idest, merces optatæ pacis. Vel pax vestra quasi merces prædicationis vobis a Deo recompensabitur, ut dicit *Gloss.*

e Et quicumque non receperit vos,] in hospitio. Hic agit de pœna repellentium eos.

f Neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.] Opera Judæorum signa erant, & ideo hęc pręcipit in signum. Hoc enim signum erat, quod nihil de terrenis operibus eorum quærerent, qui suas spirituales non quęrebant. *Hieron.* In testimonium quod prædicatio usque ad illam civitatem pervenit, signum pulvis in pedibus, laboris excussio, laboris inutilitatem, quia inutilia solent abjici, & excuti. Item.

g Excutite pulverem] idest, minima itineris, & laboris, quem pro illis sustinuistis, exponite, & annunciate, quia occasio erunt majoris damnationis, nisi receperint vos, vel majoris amoris si audire voluerint.

h Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii quam illi civitati.] Sodomitæ inhospitales erant, sed non ibi tales quales erant Apostoli, & prophetæ erant hospites. Unde cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Item Sodomitæ non frangebant nisi legem naturæ, isti vero legem naturæ, & legem scriptam, & dicta Prophetarum, & Apostolorum.

i Ecce ego mitto vos] Quarta pars. Posita refocillatione temporali, ne nimia adversitas frangat, hic prædicit instantiam passionum, ne continua prosperitas emolliat, quia jacula prævisa minus lædunt: Ideo etiam, ne de potestate sibi data superbiant. Dicit ergo, Ecce ego, Deus.

k Mitto vos] homines, sicut

i Ecce ego] Deus.

k Mitto vos] *Romanor.* Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? A solo Jesu mittenti, & semel sufficit mitti. *Joannis septimo* Miserunt principes, & Pharisæi ministros, ut apprehenderent Jesum. *Jerem.* 23. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant. Si habet quis, quæ prædixit Dominus instruendo, dignus est, ut sit missus Domini. [Mitto vos,] ut cursores. Cursor debet habere pixidem depictam insignibus mittentis. Pixis est cor. *Osee quarto* Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. Tales dimittunt pixidem in vadio in taberna mundi *supra sexto* Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Multi depingunt arma diaboli in pixide, per quod ostendunt se esse nuncios ejus. Multi volunt mitti sine litteris, vel ferunt literas Uriæ *secundo Regum undecimo* Sigillum est charitas. Hæc est impressio Spiritus Sancti. *Eph.* 4. Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis. *Jo.* 13. In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinvicem. Ideo *supra eodem* Dicitur: Convocatis duodecim, &c. Ideo dicit, [Vos,] scilicet, convocatos. Item mittit ut milites. Omnis autem pugna unanimiter aggressa parit victoriam, ut dicit *Ambrosius*. Item mittit ut advocatos ad defendendum causam Ecclesiæ suæ sponsæ. *Isa.* 1. Defendi te viduam. Item ut testes. *Act.* 1. Et eritis mihi testes. Item sicut oves. *Cantic.* 6. Dentes tui sicut greges ovium, quæ ascenderunt de lavacro. Oves, quia, in se fœcundi per bona opera. Oves si bene custodiantur, pariunt fere per totam vitam suam. *Isa* 60. Arietes Nabajoth ministrabunt tibi.

m Et simplices sicut columbæ,] idest, fideles osculum amicitiæ porrigentes, quasi prudentes estote ad intelligendas fraudes, simplices ad ignoscendum injurias. Simplices sicut columbæ. Septem sunt simplicitates.

Prima fidei 2. *Corinthior.* 11. Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo, idest, in fide Christi. *Gloss.* a paradiso simplicis fidei, &c.

1. Cor. 11. Septem sunt simplicitates.

Secunda intentionis. *Ephes.* 6. Obedite Et post: In simplicitate cordis vestri, *Sapient.* 1. In simplicitate cordis vestri quærite illum. Tertia innocentia. *Proverbiorum* 2. Protegit gradientes simpliciter, idest, innocenter, ut vulgariter dicitur de hujusmodi homine. Quarta mansuetudinis. *Proverb.* 2. Et simplices permanebunt in ea, idest, mites qui terram possidebunt. Quinta est paupertatis. *Prov.* 28. Melior est pauper ambulans in simplicitate. Sexta est obedientiæ. *Job* 2. Adhuc tu permanes in simplicitate tua, i. obedientia. Septima humilitatis. *Proverbior.* 3. Et cum simplicibus sermocinatio ejus.

a Cavete autem ab hominibus: *b* Tradent enim vos in *e* conciliis, *d* & in synagogis suis flagellabunt vos, *e* & ad reges, *f* & ad præsides *g* ducemini *h* propter me in *i* testimonium illis, k & gentibus.

▲ Nabajoth, prophetia, idest, filia prophetarum, aretes, alios fœcundantes. Ovis mansueta, patiens, humilis, innocens dat lac doctrinæ, lanam, quia nos defendit oratione, carnes, quia pro nobis passi sunt Apostoli, firmum per bonum exemplum. [In medio luporum.] Contra eos qui volunt mitti in medio ovium. *Isa.65.* Lupus, & agnus pascentur simul [In medio luporum,] ut patientia eorum sit quasi centrum immobile ad omnem injuriam. Retro mordetur, cum dicitur, hæc mala fecit. Ante, cum dicitur, tendit ad quæstum temporalem. A dextris, cum dicitur, hæc facit, ut parentes promoveat. A sinistris, cum dicitur, occulte agit mala. [In medio,] ut omnibus communis sit. Unde *primo Thessalon. capit.* 2. Facti sumus parvuli in medio vestrum tanquam si nutrix foveat filios suos, ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis, non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras. [Luporum.] *Sophoniæ cap.* 3. Judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane. *Gloss.* aliis quod possent rapere. Tamen Lupus valde timet ignem prædicationis. Mirabilis venator Christus, qui oves mittit ad capiendum lupos. Unde *Genesis capite trigesimo quinto* Rachel, idest, ovis, parit Benjamin. De quo *Genes. cap. quadragesimo nono* Benjamin, lupus rapax. [Estote ergo prudentes,] contra sapientiam mundi. [Simplices,] contra concupiscentiam temporalium. *Chrysostomus*. [Estote prudentes sicut serpentes] ad intelligendas fraudes: [Simplices sicut columbæ,] ad ignoscendas injurias. Nolo semper columbas esse, ne propter simplicitatem vestram laqueum incurratis, nec semper serpentes, ne aliquando venena infundatis, sed secundum tempus, & personas, & mores immutetis. Item: Estote serpentes, ne comprehendamini, sed si comprehensi fueritis: Estote columbæ ut non mordeatis. Item. [Estote prudentes sicut serpentes.] Astutia serpentis in bono commendatur, quia pro capite corpus exponit, & ad deponendum veterem pellem in arcto se exponit, sic & nos corpus pro fide capitis nostri, qui est Christus, exponere debemus, & in arcto pœnitentiæ ad exeundum veterem hominem peccati ponere. Unde *Ephesios cap quarto* Deponite secundum pristinam conversationem veterem hominem. Isti significati sunt per serpentem Moysi, qui devoravit serpentes magorum, *Exod. cap.* 7. quia astutia spiritus devorat astutiam, & sapientiam mundi. *Ps.* 106. Omnis sapientia eorum devorata est, 1. *Corinthior. cap.* 1. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentum reprobabo. Nota, quod serpens multum timet hominem nudum, & mali illius, qui omnia pro Christo reliquerunt. *Genesis cap.* 1. Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ, dicitur ad primos parentes, antequam haberent vestes. Deponit pellem, & non venenum, & homo in ægritudine totus depilatus vitia non deponit, cum tamen dicatur *Ephesios cap.* 4. Deponite secundum pristinam conversationem veterem hominem. Item caudam non curat, & nos nativitatem nostram, & mortem non curamus. *Ecclesiast. cap.* 7. Fili memorare novissima tua. Item habet oculos a dextris, & a sinistris, & non ante, sic nos consideramus adversa, ut caveamus; prospera, ut habeamus, sed non consideramus judicium, infernum, nec præmium bonorum, cum tamen dicatur, *Proverbior. cap* 4. Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Item venenum non reputat esse venenum, & nos peccata non reputamus esse aliquid, & irascimur si reprehendamur, *Proverbiorum cap.* 12. Qui odit increpationes, insipiens est. Item habet linguam bifurcatam, ita habent homines bilingues. *Ps.* 139. Acuerunt linguam suam sicut serpentes. Item pectore, & ventre repit, & nos adhæremus terrenis voluntate, & opere. *Ps.* 118. Adhæsit pavimento anima mea. Item pulverem terræ lingit. *Isaiæ cap.* 65. Serpenti pulvis panis ejus. *Ps.* 71. Inimici ejus terram lingent. Item avibus insidiatur, sicut malus homo prædicatoribus. *Threnor. cap.* 1. Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum. Item multum timet spiritum hominis jejuni, sic mali verba boni hominis sobrii. *Ecclesiastic. cap.* 28. Et si expueris super illam extinguetur. Sequitur: [Et simplices sicut columbæ.] *Chrysostomus*: Quid proficiet columba tantis insidiantibus accipitribus? Idem. Nec simplicem solum præcipit esse, ut rusticum, nec prudentem, sed utrumque committeut.

Matt. 12. Ioa. 16. & 21.

Prop. scrpens in peccatis.

[Sicut columbæ.] Quando crescunt pullis plumæ fugit masculus terram fallam, & quod fugit, ponit in ore pullorum, ut assuescant cibo. Felle caret, circa fluenta residet, rostro non lædit, cadaveribus non insidet, potiora grana eligit. *Isaiæ sexagesimo* Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas, idest, Ecclesias. Ut ibi generent pullos spirituales.

Proprietates columbæ.

a Cavete autem ab hominibus:] idest, cauti estote. In hoc sitis serpentes, idest, astuti ab hominibus fraudulenter persuadentibus. *Proverbiorum decimo secundo* Dolus in corde cogitantium mala. *Ibidem*. Qui autem dissimulat injuriam, callidus est. *Chrysostomus*. Suffecerat dicere, attendite vobis, sed addit ab hominibus, quia præ hominibus malis homo est pessimum malum. Unaquæque enim bestia unum, & huic proprium malum, homo autem omnia. Denique homo malus pejor est, quam diabolus. Diabolus enim si videt justum, non audet accedere, homo malus illum non timet, sed contemnit, *infra*. Sicut homo sine armis non potest aliquid contra hostes, sic diabolus sine homine non potest aliquid contra sanctus.

b Tradent enim vos] In hoc sitis columbæ, non ad mordendum, sed ad mansueta sustinendum, quia in patientia vestra possidebitis animas vestras.

c In conciliis,] Consuetudo erat Judæorum, ut si quis faceret contra eos, vocabant in concilium suum, & nisi vellet se corrigere, flagellabant eum, quod si flagellare non poterant, ad præsidem ducebant. De his conciliis dicit *Psalmo trigesimo quarto*. Dominus dissipat consilia gentium, idest, Judæorum gentiliter viventium. *Actuum capitulo quinto* Si ex hominibus consilium hoc, aut corpus, dissolvetur, si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere. Et sequitur ibi: Convocantes Apostolos, cæsis denunciaverunt eis, ne amplius loquerentur in nomine Jesu. Unde sequitur.

a Cavete autem, &c.] *Chrysostomus*. Proprium est serpentis ab hominibus caute prospicere. *Genesis* 3. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. *Cantic. quinto* Oculi ejus columbarum super rivos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, idest, doctrina Christi. Unde *Joan.* 15. Jam vos mundi estis, &c.

Luc. 10.

d Et in synagogis suis flagellabunt vos,] sub specie correctionis. Ibi enim erat correctionis locus. *Chrysostomus*. Ubi orationes, & sacrificia offerebant, quasi sacrificium offerebant flagitium, Revera sacrificium erat, non ad coronam Judæorum, sed suam.

e Et ad reges, & ad præsides ducemini] propter me. Littera ista respicit ordinem, & processum in corripiendo. Primo enim in conciliis conveniebant pro enormi excessu, & nisi se corrigere voluissent, flagellabant, & tunc nisi corrigerentur, ad præsidem trahebant. Et hoc est, quod sequitur.

e Et ad reges,] idest, ad regnorum dominatures.

f Et ad præsides] minores principes, sive eorum balivos.

g Ducemini] Sicut factum est de Jacobo *ad litteram*, *Actor. cap.* 12. qui ductus est ad Herodem, & ab ipso interfectus.

h Propter me] non peccata vestra, sicut nec ego passurus sum pro peccatis meis. *Petr.* 4. Nemo igitur vestrum patiatur quasi homicida, aut sicut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Magna est gloria a Deo pati, ut dicitur *Job cap.* 6. Hæc sit consolatio mea, ut affligens me dolore non parcat. Ergo magna est gratia pati pro Deo. *Philipp. capit.* 1. Et hoc ideo, quia vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro ipso patiamini.

i In testimonium illis,] in suam damnationem.

k Et gentibus,] ad eorum utilitatem, ut inde electi exemplum capiant, unde perversi sine excusatione pereant. *Beda*. Hæc in testimonium sunt illis gentibus de perversitate, scilicet Judæorum, & de correctione gentium. Mors quippe justorum bonis in adjutorium est, malis in testimonium, ut inde perversi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiant, & vivant.

▲ *a* Cum autem

A *a* Cum autem tradent vos, nolite cogitare,] Ecce prædicit tristia, ne evanescant, sed cum irruerit adversitas, tolerabilius sustineant. Jacula enim prævisa minus lædunt.

b Nolite] ergo, sed omnem sollicitudinem in Deum projicite.

a Cum autem tradent vos, *b* nolite *c* cogitare, *d* quomodo, *e* aut quid loquamini. *f* Dabitur enim vobis in illa hora, *g* quid loquamini. *h* Non enim vos estis, qui loquimini, *i* sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. *k* Tradet autem frater fratrem in mortem, & *l* pater filium, & *m* insurgent filii in parentes, & *n* morte eos afficient, & *o* eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. *p* Qui autem *q* perseveraverit *r* usque in finem, hic *s* salvus erit.

c Cogitare,] *Psalmo* 54. Jacta cogitatum tuum in Domino.

d Quomodo,] ornate, vel inornate. Non enim attendit Deus ad ornatum verborum. *Job* 41. Non parcam ei verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.

e Aut quid loquamini,] quasi dicat, nec de materia sermonis soliciti sitis, quia Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa, unde sequitur.

f Dabitur enim vobis in illa hora,] a patre luminum, a quo omne datum optimum est. *Jac.* 1. [Quid loquamini. In illa hora] dicit, quia nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. *Job septimo* Visitas eum diluculo, & subito probas illum. Hoc adimpletum est: *Actor.* 2. Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, &c. *Luc.* 21. Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri. *Psal.* 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, idest, Apostoli. Hoc impletum est etiam in Beato Stephano. *Actor.* 6. Non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur. Exemplum etiam de Beata Catharina, cui non poterant oratores resistere. *Exod.* 4. Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem, & cæcum? Nonne ego? Perge igitur, ego ero in ore tuo, & docebo, quid loquaris. *Ecclesiast.* 15. Sapientiæ Dei astabit laus, & in ore fideli abundabit. *Chrysostomus*. Ædificator potest prævidere, quibus lignis indigeat, sed tu nescis, qualis interrogatio futura sit, præsertim cum diabolus in judicibus loquatur. Ita si ex vobis loquamini, secundum verba respondebitis, si autem ex spiritu, secundum cogitatum. Item *Chrysostomus*. Qui sollicitus est, quid loquatur, in sua confidit sapientia, quæ est prima causa ruinæ.

g Quid loquamini.] *Psalm* 84. Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. *Zachar.* 1. Dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me. Nec mirum igitur, si non sitis soliciti de sermone.

h Non enim vos estis, qui loquimini,] idest, non vos ex industria vestra loquimini. *Hieronymus*. Vos ad certamen acceditis, sed ego prælior, vos verba traditis, sed ego sum, qui loquor.

i Sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis,] velut in organis, dicit *Interl.* Et est modus loquendi, quia sicut organa emittunt modulationes ad nutum temperantis, ita homo loquitur ad voluntatem patris inspirantis. *Rom.* 9. Non est volentis, aut currentis, sed Dei miserentis. Nec mirum, si Apostoli loquantur a spiritu patris, cum ipse Jesus testatur. *Joan* 8. Et ego, quæ audivi a patre, hæc loquor in mundo. Et *postea*. A meipso facio nihil, sed sicut docuit me pater.

k Tradet autem frater fratrem in mortem,] Ecce aggravatio persecutionis discipulorum specificata, scilicet quod a domesticis essent passuri. Unde *Psal* 54. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Item. Homo pacis meæ, in quo speravi, &c. *Mi hea ultim.* Filius contumeliam facit patri, filia consurget adversus matrem suam, nurus contra socrum suam, & inimici hominis domestici ejus. Sed tanto crescit merces operis, quanto eis virtutum lucrum ex alienæ proxiem damno charitatis. *Jeremiæ* 9. Unusquisque se a proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam. *Mich.* 7. Omnes sanguini insidiantur, & vir fratrem suum venatur ad mortem. *Chrysostomus*. Cain interfecit fratrem, sed quid quod pater filium nulla injuria existente perimit? Ecce fortior est conflictio inimici, quam virtus naturæ. Corruptibilis est enim omnis carnis delectatio, mendax est sæcularis amicitia, quæ simoris divini vinculo non est ligata. Non est fides in servis diaboli. Diabolus enim nec generat, nec generatur, nec scit servare jura propinquitatis. O inæstimabile diabolici furoris incendium. Idem. Nemo speret in patronis, & amicis.

l Et pater filium,] ad litteram.

Moraliter. Hoc hodie fit inter Prælatos, & subditos. Alter excommunicat, & alter appellat, & mutuo Romam vadunt, & redeunt, & mutuo de suis locis se expellunt. *Zachar.* 13. Dicent ei pater ejus, & mater ejus, qui genuerant eum, non vives, quia mendacium locutus es.

m Et insurgent filii in parentes,] idest, contra. *Mich.* 7.

n Et morte eos afficient,] Hoc totum contigit ad litteram. Quia autem in tertia persona loquitur, significat quod non tantum intelligit de Apostolis, sed & de postea missis, scilicet de Martyribus. *Chrysost.* Si in natura deficit amicitia, quomodo invenietur extra naturam? Ovid.

Filius ante diem patrios inquirit in annos. Et paulo ante. *Ovid.* 1. *Metamor.*

Fratrum quoque gratia rara est.

o Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.] *Joannis* 15. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si enim de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret. *Jacob quarta* Quicumque voluerit esse amicus hujus mundi, inimicus Dei constituitur.

p Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.] *Chrysostomus*. Assueverunt multi in initio ferventes esse, in fine remitti, & dissolvi: Quæ utilitas est seminum primo florentium, postea autem tabescentium? Et post. Ne quis dicat, omnia Deus fecit, & mirabile nihil factum est, & si sunt tales non est mirum. Ideo dicit: [Qui autem perseveraverit.] In hoc notatur animi fortitudo. *Ezech.* 9. Omnem autem super quem videritis Tau, ne occidatis. Tau est ultima littera in alphabeto Hebræo, quæ habet formam crucis, & significat perseverantiam in pœnitentia. *Genes.* 37. Jacob fecit Joseph tunicam polymitam. *Alia translatio* dicit, talarem, & significat perseverantiam. Item *Exod.* 28. Sacerdos induebatur podere, & Sacerdos noster nunc induitur alba. *Apocal.* 1. Joannes vidit vestitum podere. *Levitic. vigesimo secundo* Bovem, & ovem aure, & cauda amputatis voluntarie offerre potest, votum autem ex his solvi non potest, idest, peccatum baptismale. *Cap.* 18

r Usque in finem hic salvus erit.] *Chrysostomus*. Incipere multorum, finire paucorum. Semper in principio delectatio est, in fine probatio, quod propter Deum fit, æternum est, sicut Deus æterne est. Sed nunquid perseverantia est in præcepto? Si sic. Ergo nullus reprobus habet gratiam in præsenti, quia transgressor est præcepti obedientiæ. Ad hoc dicunt, quod duplex est perseverantia. Una est continuatio in bonis operibus, ad hanc nullus tenetur. Et est perseverantia, propositum sive voluntas bene agendi, & hæc est in præcepto, & de hac fit hic mentio. Et de hac dicitur *Lucæ cap.* 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Glossa*, dicit: Dum nobis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere, quod sumus. Mali quidem corda, idest, animas, quarum usum non habent, amiserunt. *Osee cap.* 7. Ephraim factus est quasi columba seducta non habens cor. *Isaiæ cap.* 46. Recedite prævaricatores ad cor. *Beda*. Perseverantia sola meretur viribus gloriam, coronam virtutibus. Prorsus absque perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur, vigor virium, virtutum est consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Perseverantiam tolle, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseveraverit, salvus erit. Saul cum esset parvulus in oculis suis, Rex est super Israel constitutus: Non perseverans in humilitate, & regnum amisit, & vitam. Si cautela Samson, si Salomon devotio perseverantiam retinuissent, nec hic sapientia privaretur, nec ille viribus. 1. *Reg.* 15

p Qui autem] Ecce consolatio.

q Perseveraverit] In hoc fortitudo.

r Usque in finem,] vitæ. *Chrysost.* Dictus, in finem, significat omnem vitam, non duos annos, vel tres.

s Hic salvus erit.] Idem *infr.* 24.

A *a* Cum autem

a Cum autem persequentur vos in civitate ista, b fugite in aliam. c Amen dico vobis, d non consummabitis civitates Israel, e donec veniat Filius hominis. f Non est discipulus super magistrum, g nec servus super dominum suum. h Sufficit i discipulo, ut sit sicut magister ejus, & † k servus sicut dominus ejus. Si l patremfamilias Beelzebub m vocaverunt, quanto n magis domesticos ejus. Ne o ergo timueritis eos. Nihil enim p opertum, quod non reveletur, & q occultum: quod non sciatur. Quod dico r vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in s aure auditis, prædicate t super tecta. Et u nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam x autem non possunt oc-

A a Cum autem persequentur, &c.] Supra eodem dixerat dominus discipulis, cum mitteret eos: In viam gentium ne abieritis, sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel, postea mala, quæ passuri erant in mundo prædixit, nunc autem quid debeant in persecutione facere ostendit, dicens, quod non debent desistere, sed ad tempus declinare. Et hoc est,

D

a Cum autem persequentur vos in civitate ista.] *Int.* Non debetis desistere, sed ad tempus declinare, ut aliis possitis prodesse. *Philos* Dum furor in cursu est, currenti cede furori.

Luc. 6. Joan. 13.

al. † servo.

b Fugite in aliam,] ut amplius nomen meum publicetur, & vestra prædicatio cognoscatur. *Gen.* 28. Jacob fugit Esau. *Et* 31. Idem fugit a facie Laban. 1. *Reg.* 20. David fugit Saul. 3. *Reg.* 19. Elias fugit Jezabel. Fugere debemus duo, ut parcamus hostibus, quia magis peccarent nobis nocendo, & ut aliis proficiamus. Hoc autem, scilicet fugere, præceptum fuit, tum quia Apostoli tunc erant rudes, & tenelli, tum quia personalis eorum fuga futura aliorum erat persecutio. Cum vero quæritur grex, debet pastor se opponere. *Joan.* 10. Bonus pastor animam suam dat, &c. Vel mystice, civitates Judææ debent inhabitari, ut domus refugii. Unde 1. *Reg.* 24. David fugit ad tutissima loca Engaddi.

c Amen dico vobis.] Respondet Dominus ad ipsorum anthypophoram, q. d. supra dixisti, ne excederemus fines Judææ, ibi, scil. In viam gentium ne abieritis; nunc autem dicis, Fugite de civitate in civitatem, fortassis numerus earum quia paucus, non sufficiet nobis fugientibus. Ad hoc respondet. d Non consummabitis civitates Israel donec veniat filius hominis.] Non consummabitis, prædicando fidem. e Donec veniat,] resuscitatus. Veniat inquam resuscitatus, dicit *Int.* q. d. consummatio prædicationis fidei non fiet, donec filius hominis resuscitatus veniet ad succurrendum vobis. 1. *Cor.* 10. Fidelis est Deus, qui non patitur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum. Vel hoc intelligi potest, de consummatione finali, quæ non nisi in secundo erit adventu, quia omnia hæc tormenta, quæ supra dixit, non omnia sunt Apostolis audita, sed in eis pro parte, & pro parte eorum sequacibus, qui eodem modo fugeruut, & consimilia frequenter passi sunt. *Chrys.* Ad mansuetiora ducit sermonem, nec jubet audacter ire, sed fugere. Sed quid ait, si de alia, & alia civitate pulsantur? Respondet. Non explebitis civitates Israel. Ita non solvit mala, sed abstrahit a periculis. Similiter nec eos simpliciter jussit fugere, sed cum abigerentur, secedere. f Non est discipulus super magistrum.] Consolatur eos per exemplum suum, invitans eos ad patientiam, q. d. non debetis vim facere de sustinendo, quia ego qui magister vester sum, ampliora sustinebo. *Aug.* Magna consolatio membris ex capite *inf.* 23. Unus est magister vester. g Nec servus super Dominum suum.] *Isa.* 42. Ego Dominus, hoc est, nomen meum. *Jo.* 13. Vos vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis. Sum etenim. Et sequitur. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos faciatis. Unde subdit. h Sufficit,] i. sufficere debet. i Discipulo, ut sit sicut magister ejus,] leviter sustinens injuriam. *Rom. c.* 12. Nulli malum pro malo reddentes. Vel non quærens vindictam. *Deut.* 32. Mea est ultio. Vel, [sicut magister,] prius faciens quam docens. *Act.* 1. Cœpit Jesus facere, & docere, *sup.* 5. Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur. *Luc. ult.* Vir propheta potens opere, & sermone. *Exod.* 28. Præponitur superhumerale rationali. k Et servus sicut Dominus ejus.] Apostolos, & imitatores eorum usque ad finem sæculi dicit discipulum, & servum, se autem magistrum, & Dominum. *Beda*. Si magister non suas vult vindicare injurias, qui Deus est, sed ipsos magis vult insecutores patiendo reddere mitiores, eamdem necesse est discipuli, qui puri homines sunt, regulam sequantur. *Jo.* 15. Ego dixi vobis: Non est major servus domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur. Sequitur.

l Si patremfamilias,] i. me, qui pater vester sum, qui de vobis paternam gero solicitudinem.

m Beelzebub vocaverunt,] idest, operari in Beelzebub *inf.* 12. Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.

Marc. 9. Luc. 6. & 10. ... De heret. cap. cum ex injuncto.

n Quanto magis domesticos ejus.] *Chrys.* Non dixit, quanto magis servos, sed domesticos. *Joan.* 15. Jam non dicam vos servos, sed amicos.

o Ne ergo timueritis eos.] Ex prædictis infert, ex quo domestici estis magni patris, ne timeatis ab inimicis fragilibus. *Isa.* 51. Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis, sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis. Et *eodem*. [Quis tu, ut timeas ab homine mortali, & a filio hominis, qui quasi fœnum sic arescet, & oblitus es Domini creatoris tui. 1. *Machab.* 2. A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus, & vermis est, hodie extollitur, & cras non invenietur.

11. qu. 3. c. nolite, 2. 2. q. 9. in prim.

p Nihil enim opertum, quod non reveletur.] Hoc ad bonos pertinet, dicit *Glos. Hier.* Sensus est: Nolite timere persecutorum sævitiam, neque æmulemini simulatores, quia veniet dies judicii, in quo & vestra virtus, & eorum nequitia demonstrabitur.

q Et occultum, quod non sciatur.] Hos ad malos dicit, *Interl.* Et potest opertum referri ad cogitationes, occultum ad opera. 1. *Cor.* 4. Nolite ante tempus judicare, quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. *Psal.* 73. Cogitatio hominis confitebitur tibi, &c. *Malach. ult.* Dies Domini non relinquet in eis neque radicem, neque germen, idest, nec impunitam relinquet cogitationem, nec opus. *Dan.* 7. Judicium sedit, & libri aperti sunt.

r Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine,] idest, quod dico vobis obscure, & sub ænigmate, prædicate aperte. Ad hoc enim misi vos inter lupos, ut per apertam prædicationem faciatis agnos. *Chrys.* Non solum ille proditor est veritatis, qui mendacium pro veritate loquitur, sed etiam, qui non libere pronunciat veritatem quam pronunciare oportet, aut non libere defendit veritatem, quam defendere oportet. Istud Sacerdotum est, illud autem laicorum. Item tacere veritatem coram infidelibus multi non putant peccatum.

s Et quod in aure auditis,] idest, privatim, & solitarie.

t Prædicate super tecta,] i. palam, & publice. Mos enim erat in Palæstina, quod ibi non sunt tecta cacuminata, sed desuper plana, & inde habere solent prædicatores sermonem ad populum. Et secundum horum morem loquitur Dominus. *Chrys.* Non erant tenebræ, cum hoc dicebat, neque in aure loquebatur, sed quia eis solum, & in angulo Palæstinæ loquebatur, hoc tenebras vocat, respectu propalationis futuræ. Et *inf.* Hoc non tantum injungentis est, sed etiam prædicatio est.

u Et nolite timere, &c.] quod infidelium est. *Jer.* 10. Nolite metuere, quæ timent gentes. *Seneca*. Mors, exilium, luctus non sunt supplicia, sed tributa vivendi, quod debeo solvere paratus sum, ubi me fœnerator appellaverit. *Eccl.* 29. In tempore redditionis postulabit tempus. Strenuus miles non timet mortem equi, ut faciat ingens factum, vel pulchrum ictum, maxime cum est de familia, & scit meliorem equum sibi retribuendum pro amisso in bello Domini sui. Unde *cap.* 2. *Machab.* 7. Tertius linguam postulatus cito protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait. E cœlo ista possideo, sed propter leges Dei ista despicio, quia ab ipso me ea recepturum spero.

x Animam autem, &c.] *Seneca*. In mores fortuna jus non habet. *Aug.* Nihil fortius anima habente charitatem, quæ facit se vinci, cum vincitur. *Beda*. Duo sunt genera persecutorum. Unum palam sævientium, & aliud ficte blandientium, quod pertinet ad hypocrisim Pharisæorum. Utrumque præcipit Dominus non timeri, quia non habent potestatem in animas justorum. *Sapient.* 3. Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.

cidere, sed *a* potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. *b* Nonne duo passeres *c* asse væneunt? Et unus *d* ex illis non cadet *e* super terram *f* sine patre vestro *g* Vestri autem capilli capitis omnes *h* numerati sunt. *i* Nolite ergo timere, *k* multis passeribus meliores estis vos. Omnis *l* ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, *m* qui est in cœlis. *n* Qui autem negaverit me coram hominibus *o* negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. *p* Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram. Non *q* veni pacem mittere, sed gladium. *r* Veni enim separare hominem adversus patrem suum, *s* & filiam adversus matrem suam, *t* & nurum adversus socrum suam, *u* & inimici hominis domestici ejus. *x* Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus,

A *a* Sed potius timete eum, qui potest corpus, & animam mittere in gehennam.] *Jer.* 10. Quis non timebit te, o rex gentium? *Hier.* Duplicem gehennam ignis, & frigoris in Job plenissime legimus 24. Ad nimium calorem transibunt ab aquis nivium, &c. *Chrysost.* Cum qui potest animam perdere, non timemus, eum, qui potest corpus non perdere, sed interficere, timemus. *Prov.* 29. Qui timet hominem cito corruet, qui sperat in Domino, sublevabitur. Sequitur.

Matt. 8. Luc. 9. & 11. [illegible]

b Nonne duo passeres asse væneunt, &c.] Removit ab eis, quod timore humano, vel mundano non debent a prædicatione divini nominis cessare, nunc idem ostendit eis per exemplum, & quasi a minori procedit, q. d. si passeres non venduntur, aut moriuntur sine providentia patris vestri, multo fortius nec aliquid sine ejus providentia fiet vobis. Dicit ergo.

b Nonne duo passeres,] aves, & quasi pro nihilo nocientes.

c Asse væneunt,] idest, venduntur.

As pondus est individuum, non ratione quantitatis, sed in distinctione ponderum. Et potest esse as in ponderibus, quod unitas in numeris. *Isidor.* Pondus communiter pro libra accipitur, & complectitur duodecim uncias. *Luc.* 12. Dicit. Nonne quinque passeres væneunt dipondio. Nec multum distat dicere, duo, asse, & quinque, dipondio. Dipondius enim est ex duobus assibus. Et simile est, si pro uno denario tantum detur quinque ova, & pro obolo duo.

d Et unus ex illis] scil. passeribus.

e Non cadet super terram,] i. non moritur.

f Sine patre vestro,] i. sine providentia Patris vestri, in quo sunt omnia. *Sap.* 6. Pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. Ponit autem exemplum de passeribus, quia sunt aves notæ, & circumspectæ, & civitatenses.

g Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.] Numerare duo importat, notitiam, & conservationem. Unde dicit *Gloss.*

h Numerati sunt,] non actu computationis, sed facultate cognitionis, a similitudine pecuniæ, quæ numeratur, ut servetur. Unde dicit *Interl.* Ut taceam de massa corporis etiam minimæ particulæ Dei providentia conservantur. Secundum *Aug.* & *Bedam*, materia capilli redibit in totum corpus ad eamdem partem, vel aliam, sicut in statua, quando refunditur.

i Nolite ergo,] timere, imo projicite omnem curam in eum, apud quem nec capillus perit. 1. *Pet. ult.* Omnem sollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. *Chrys.* Timidorum est mortem formidare. Mors enim munus est necessarium naturæ jam corruptæ, quæ non est fugienda, sed tanquam malorum terminus amplectenda. *Cato*. Ne timeas mortem, quæ vitæ est ultimus finis. *Chrys.* Fiat voluntarium, quod futurum est necessarium. Offeramus Deo pro munere, quod pro delicto redditur.

Cato.

k Multis passeribus meliores estis vos] quoad statum naturæ, quia ratione ditati, quoad statum gratiæ per adoptionem filii Dei, in futuro in statu gloriæ beatificandi. Unde sequitur.

l Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est.] Continuatio hæc est. Ex quo non sunt tortores timendi, quia nihil faciunt, nec facere possunt sine permissione, & providentia Dei. Ergo qui confitebitur, &c. ore, & opere. *Rom.* 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Sed adhuc relinquitur tertium, quia fides sine operibus mortua est. *Jac.* 2. Et hic est funiculus triplex, qui difficile rumpitur. *Eccl.* 4. *Chrys.* Si sufficit Christo, quia cognoscis eum, etsi non confessus fueris coram hominibus, ergo & tibi sufficit, quod cognoscit te Christus, etsi non confiteatur te coram Deo, *inf.* Si sufficeret fides tantum cordis, tantum cor tibi creasset Deus, & non os.

m Qui in cœlis est,] in consortio Sanctorum, *sup.* 6. Pater noster, qui es in cœlis. *Psal.* 121. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.

n Qui autem negaverit me coram hominibus.] *Luc.* 9. Qui erubuerit me, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.

o Negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est.] *Interl.* Ubi maxime prodesse debet mei nominis confessio, cum dicetur. Ite maledicti, *inf.* 25. *Chrysost.* Prius dicit, præmium, post pœnam, quia misericors Deus paratior est ad remunerandum, quam ad puniendum. Item: Si magnum est esse testem Christi, quanto magis est testem habere Christum? Sequitur.

Luc. 11.

p Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram.] Hic removet tertium impedimentum, scil. carnalem affectum, q. d. Dominus, non tamen volo, ut timore mortis non cessetis a confessione nominis mei, sed etiam volo, ut propter amorem mei omnem affectum amicorum carnalium rumpatis. Sed objicitur *in Psal.* 17. Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis. Et *Ephes.* 2. Ipse est pax nostra, &c. Ibi loquitur de pace spirituali, hic de corporali, quam vult separari ab Apostolis. *q* Non veni pacem mittere, sed gladium,] verbi Dei, de quo *Hebr.* 4. Vivus sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. *Jer.* 48. Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine. *Cant.* 3. En lectulum Salomonis, i. Ecclesiam, vel conscientiam, sexaginta fortes ambiunt, &c. super femur, ut scil. omnis lascivia carnis abscindatur. Rusticus non super latus gladium fert, sed retrorsum post humerum. *Ps.* 49. Projecisti sermonem meum retrorsum. Histrio autem fert in ore, ut inde ludat, & lucretur. *Ps.* 58. Et gladius in labiis eorum, quoniam quis audivit. Mercator autem fert gladios involutos, non ut pugnet, sed ut vendat. Sic multi scholares, & presbyteri verbum Dei habent involutum in cistis suis, & quaternis, qui significantur per Abimelec. 1. *Reg.* 21. Qui habebat gladium Goliæ involutum. Sed timendum est eis, quia gladius ille sui et occasio mortis. *r* Veni enim separare hominem adversus patrem suum,] ad literam. *s* Et filiam adversus matrem suam,] illa, sc. Christiana effecta, illa manente incredula.

Luc. 14.

Moraliter. Pater diabolus, mater concupiscentia. *Ps.* 26. Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, &c. *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus, idest, amaricans, & mater tua Cethæa, idest, gulosa, scilic. caro, quæ semper conqueritur de insufficientia ciborum, & vestium.

Moralit.

Mystice. Filiam adversus matrem,] Ecclesiam a synagoga.

Mystice.

Moraliter. Hodie in multis locis filia separatur a matre,] idest, Abbatia ab Episcopatu, ut sit exempta, & hujusmodi. *t* Et nurum adversus socrum suam.] Secundum *Bed.* quæ mater est filii, socrus est uxoris ejus, & sic eadem contra filiam, & contra nurum est divisa. *Isa.* 18. Concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios, &c.

Moralit.

Moraliter. Nurus ratio est, filia sensualitas, cujus sponsus, & rector debet esse spiritus. In his beneplacitum est Deo si concordant. *Eccl.* 25. Vir, & mulier sibi bene consentientes.

Moraliter.

u Et inimici hominis domestici ejus.] De his omnibus expresse dicitur. *Mich.* 7. Filia consurget adversus matrem, & nurus adversus socrum, & inimici hominis domestici ejus. *Chrys.* Non dicit separare filium a patre, sed adversus patrem, quia non corporalem jubet separationem sed spiritualem. Qui enim corporaliter separatur a patre, separatur contra patrem, qui autem spiritualiter separatur, corpore quidem cum patre est, fide autem adversus patrem. Non enim credibile est, ut corporaliter jubeat relinquere patrem, qui dixit. Honora patrem, &c. *Exod.* 20. Sequitur.

x Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, &c.] sc. ut

a propter

a Propter eos dignitas venire ad fidem, ut acceptam dignitas. *Deut.* 33. Qui dixit patri suo, & matri suæ, nescio vos, &c. *Gen.* 22. Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti unigenito tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. Ibi *August.* Computa Christum inter filios tuos, & debet esse primogenitus.

Et qui *a* amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non *b* accipit crucem suam, & sequitur *c* me, non est me dignus. *d* Qui invenit animam suam perdet illam, *e* & qui perdiderit animam suam *f* propter me, *g* inveniet eam. *h* Qui recipit vos, me recipit, & *i* qui me recipit, recipit eum, qui me misit. *k* Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, *l* mercedem Prophetæ accipiet: & *m* qui recipit justum in nomine justi mercedem justi accipiet: *n* & quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, *o* Amen dico vobis, *p* non perdet mercedem suam.

Jud. 11. *Matt.* 8. *Luc.* 9. & 14.

a Et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.] Ad litteram verum est hoc. Sub Deo enim & propter Deum, quicquid amatur, amandum est.

Luc. 10. *Matt.* 9. *Joan.* 13.

Crux tribus modis tollitur.

b Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus,] quia solæ privationes non salvant, hic invitat ad bene agendum. Nota autem, quod tribus modis crux tollitur. Aut cum propter fidem Christi martyrium sustinetur, aut cum pœnitentiæ onus assumitur, aut quando quis proximis compatitur. Primum pertinet ad Martyres, secundum ad Confessores, & claustrales, sive prædicatores, tertium ad conjugatos fideles, qualis fuit Tobias, qui Gabelo indigenti misertus, & pecuniam sub Chirographo commisit. *Tob.* 1. De pœnitentibus dicitur. *Ezech.* 9. Super quem videritis Tau, ne occidatis, &c. Tau interpretatur erravi, & significat pœnitentiam. Et est signum, quod pœnitens erravit contra Deum. [Suam,] dicit, notando virtutis mensuram non nimiam, non remissam, sed congruam. Unde *Luc.* 2. Simeon accepit puerum in ulnas suas.

c Et sequitur] quia Dominus antecedit ponens se exemplum sicut Gedeon. *Jud.* 7. Et sequitur, Non bene sequitur, qui invitus facit rem, ut Simon Cyreneus. Aut murmurando, ut filii Israel. Aut propter lucrum temporale, ut ille scriba, scilicet, 8. Vel propter inanem gloriam, ut Simon Magus.

d Qui invenit animam suam, perdet eam,] Nomine animæ vita præsens significatur. Res, quæ invenitur, quasi pro nihilo, & quasi sine labore habetur, sic ab impiis in hac miseria cum delectatione vivitur. De quibus. *Psal.* 72. In labore hominum non sunt, &c. Hi sunt, qui dicunt. *Sap.* 2. Quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam si non fuerimus. Et *inf.* Venite igitur, & fruamur bonis, quæ sunt, &c. non attendentes, quod dicitur: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat. *Prov.* 14. Bene ergo dicit, *d* Qui invenit animam suam,] i. qui se inventa abutitur, perdet illam. Et quando? Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit. *Prov.* 1.

Qui ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. *Job* 21.

e Et qui perdiderit animam suam,] i. vitam suam abjecerit. Et loquitur Dominus more illorum carnalium, qui statim quando homo religiose vivit, aut de mundo exit, dicunt, ille perdidit se. Quod legitur *Sap.* 5. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, &c. Et de Christo paupere dicitur. *Isa.* 53. Unde nec reputavimus eum.

f Propter me,] non propter se, vel propter inanem gloriam, sicut legitur de Diogene, qui nudus manens in dolio, vitam ducebat austerissimam. Bene ergo dicit, propter me, non propter luxuriam, aut avaritiam, aut superbiam, & hujusmodi, quia martyrem non facit pœna, sed causa.

g Inveniet eam,] in vita, scil. æterna. De qua inventione dicit *Ps.* 80. Ibunt in adinventionibus suis. *Eccl.* 29. Et quasi inventionem reputabit illud.

h Qui recipit vos, me recipit.] Hic Dominus austeritatem mandatorum temperat spe promissorum, q. d. Dominus non erit susceptio vestra, quia ego sum, qui suscipior in vobis. In quo notantur duo, & dignitas Apostolorum, & meritum recipientium. *Hebr.* 13. Hospitalitatem nolite oblivisci, propter hoc enim quidam placuerunt Angelis in hospitio receptis.

Moraliter.

Moraliter. Apostoli possunt dici infirmitates corporales, flagella, tribulationes, quas mittit Dominus quasi correctores, ut ab errore revocent homines, vel ut eos, qui boni sunt, efficiant meliores, sicut *Job*. Sed multi hos Apostolos non credunt: & licet credant, tamen nolunt recipere, aut cum murmure recipiunt. Quod legitur *Prov.* 1. Despexisti omne consilium meum, &c.

i Et qui me recipit, recipit eum, qui me misit,] quia ego, & pater unum sumus. *Joan.* 10. Unum dico, per identitatem essentiæ, non personæ.

Moraliter. Qui recipit Christum in altari, recipit Patrem, & Spiritum sanctum. Præparet ergo unusquisque mundæ conscientiæ domum. *Joan.* 14. Ad eum faciemus & mansionem apud eum faciemus. Sequitur.

Moraliter. 71. *dist. c. In nomine Patris.*

k Qui recipit prophetam in nomine Prophetæ.] Quod præcipit Apostolus, *Gal.* 6. Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat in omnibus bonis. Et respondet antipophoræ. Posset enim dicere, qua ratione vos recipiet, ideo subdit, nomine Prophetæ, quasi dicat, eo quod nominatur Propheta. Sed ne hoc videatur onerosum, subdit præmium, dicens.

Matt. 9.

l Mercedem Prophetæ accipiet.] Abdias, quia pavit centum Prophetas in tempore Achab, & Jezabel, meruit habere spiritum prophetiæ. 3. *Reg.* 18. Rahab quia recepit exploratores, meruit communicari populo Dei, *Jos.* 2. *Bernard.* Laicus unum, vel duos suscipiendo hospitalitatis beneficium implevit. Episcopus si non omnes recipit, inhumanus est. Ideo docebat Apostolus. 1 *Tim.* 3. Episcopum esse hospitalem. Sed quia non omnes sunt Apostoli, aut Prophetæ, consequenter primo dixerat.

k Qui recipit Prophetam, &c.] *Chrysost.* idest, quasi Prophetam. Item. Quid est mercedem Prophetæ accipiet, idest, qualem mercedem ille habet, qui propter Deum peregrinatur, talem habet & ille, qui suscipit peregrinantem. Et sunt ambo æquales, & qui propter Deum refrigerat, & qui propter Deum laborat.

m Et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet,] quando Dominus secundum propria merita retribuet. *Isa.* 3. Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedit. *Chrysost.* Prophetæ doctores intelliguntur, nomine justi omnes ceteri Christiani, *Joan.* 1. Nos debemus suscipere hujusmodi, ut simus cooperatores veritatis. Sed quæritur, quomodo aliquis Pseudoprophetam, vel PseudoApostolum ignoranter suscipiens Christum in eo suscipiat, cum Christus in eo non sit? Est enim membrum diaboli, & longe ab eo est Christus. Responsio. Dicendum, quod quamvis in illo membro Diaboli non recipiatur Christus, tamen in receptione illa, qua pius ille recipit impium, & Christum recipit, non tamen in ipso Christum recipit, & mercede non privatur, quia in eo, quod non recipit personam, sed nomen recipit, scil. quia Propheta, justus Apostolus, vel discipulus nominatur.

n Et quicumque potum dederit uni ex istis minimis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli.] Ne quis paupertatem causaretur, ut per eam ab hospitalitate impediretur, addit Dominus id, quod facilius habetur.

Ab aqua enim habenda nullus arcetur. Dicit enim, *Philos.* Communis est usus aquarum. Et ideo fortasse dicit, frigidæ, ne si dixisset calidæ, ignis, & ligna quærerentur *Chrys.* Minimi sunt, qui modicæ justitiæ, vel fidei modicæ sunt.

o Amen dico vobis:] idest, vere.

p Non perdet mercedem suam,] imo bene conservabit, non in saccum pertusum, ut dicit *Aggæus* 1. Exemplum de muliere Sareptana. 3. *Reg.* 17. quæ quia dedit buccellam panis prophetæ, meruit cum filio a fame liberari. *Chrys.*

Qui aquæ frigidæ mercedem constituit, puto quod, & sine opere bonæ voluntati reddet mercedem. Ex hoc loco satis potest retundi sumptuositas prædicatorum, cum potum ponit aquæ suis prædicatoribus apponi. Timeant ergo Archidiaconi, & illi, qui nimis laute volunt recipi, ne fiant plures prædicatores Bel. Plures autem sunt prædicatores Bel. *Dan.* 14. Nonne videtur tibi esse Bel vivens Deus?

EXPOSITIO CAP. XI.

ET factum est, cum consummasset, &c.] Istud caput dividitur in quatuor partes. In prima agitur de interrogatione Joannis per discipulos suos, & commendatione Joannis. In secunda agitur de exprobratione Judæorum, qui nec Joannis prædicatione, nec Christi moti sunt ad pœnitentiam, ibi. [Cui autem similem, &c.] In tertia agitur de exprobratione civitatum Juda, in quibus miracula fecerat Dominus, nec tamen crediderunt, ibi. [Tunc cœpit exprobrare, &c.] In quarta de commendatione humilium, & exhortatione discipulorum ad mansuetudinem, & humilitatem, ibi. [In illo tempore respondens] Jesus, &c. Dicit ergo.

A
Luc. 7.

CAP. XI.

ET *a* factum est, cum consummasset Jesus, *b* præcipiens duodecim discipulis suis *c* transiit inde, ut *d* doceret, & *e* prædicaret in *f* civitatibus eorum. *g* Joannes autem cum audisset in vinculis *h* opera Christi, *i* mittens duos de discipulis suis, ait † illi: Tu *k* es, qui venturus es, *l* an alium expectamus? Et *m* respondens Jesus, ait illis: *n* euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis. *o* Cæci vident, claudi ambulant, *p* leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, *q* pauperes evangelizantur:

Al. † illis.

a Et factum est cum consummasset Jesus] sermones. Simile *sup.* 7. Et factum est cum consummasset Jesus verba, &c.

b Præcipiens] prædicta [duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret.] Et sic retorsit os turturis ad ascellas. *Lev.* 1. idest, sermonem ad opera. Et super humerali rationale conjunxit, i. opus sermoni, per catenas aureas, i. duo præcepta charitatis. *Exod.* 28.

Mystice. Mystice. *c* Transiit inde,] i. per nos venit in cognitione populorum. *Act.* 9. Vas electionis mihi est iste, ut portet, &c.

Moraliter. Moraliter. Transit] in nobis de timore in amorem, ut de statu servorum transeamus in statum amicorum. *Joan.* 15. Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia servus, &c.

d Ut doceret] quæ sunt fidei.

e Et prædicaret] quæ sunt moralia. *Ambr.* Per fidem scientia assumitur, per scientiam disciplina.

f In civitatibus eorum.] Civitates discipulorum dicit, in quibus erant vel nati, vel eruditi. *g* Joannes autem cum audisset, &c.] Joannes sciens se in proximo moriturum, volens omnem dubitationem amovere a cordibus discipulorum suorum de Christo, mittit eos ad Christum, ut sic certificentur. De hoc autem Evangelio diversi auctores diversimode sentiunt. *Hilar. Pictaviensis.* dicit, Joannem non dubitasse sibi, sed discipulorum ignorantiæ consuluisse. Neque enim credi debet Spiritus sancti gratiam posito in carcere defuisse. Et ille, qui dixerat. *Joan.* 1. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et iterum. Non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti: Item & illud. Illum oportet crescere, me autem minui. Sed videns proximam mortem suam voluit discipulos suos Christo conjungere antequam decederet. Et quia discipuli sui adhuc dubitabant illum, scil. Christum, esse Messiam, cui tamen testimonium perhibuerat Joannes, mittit eos ad Jesum quasi sub specie sua, ut interrogarent eis; non sibi. Duos mittit, quia sub ore duorum testium stat omne verbum. *Deut.* 19. Mittit ergo discipulos, quasi discipulis diceret. Si vos dubitatis illum esse Messiam, cui testimonium perhibui, ite ad eum, & quærite sub nomine meo, [Tu es, &c.] *Greg.* refert Joannem dubitasse, quamvis non dubitaret in propria persona, & in mundum venisse, & baptizatum esse, aliis prædicasse, tamen ignorabat, utrum esset moriturus, & ad inferos descensurus. Cum ergo Joannes mortem sibi imminere videret, & ad inferos descensurum cognosceret, voluit scire adventum ad inferos, ut qui præcursor fuerat nativitatis ejus, ejus fieret nuntiator ad inferos descensionis. Quærit ergo Joannes per discipulos. Tu qui venisti in mundum nascendo, es ad inferos venturus moriendo, an alium expectamus demorantes in inferis? Dicit ergo. [Joannes autem.] Continuatio, quasi transiit, ut prædicaret, & dum prædicaret Joannes audivit, quæ faciebat. Et hoc est.

Joan. 3.

g Joannes autem cum audisset in vinculis] positus scilicet ab Herode ad instantiam Herodiadis.

h Opera Christi] i. miracula.

i Mittens duos de discipulis suis, ait illis,] idest, discipulis. Vel [illi,] idest, JESU. Et quid dixit? Hoc scilicet.

k Tu es, qui venturus es] i. prædictus esse venturus Messias in lege promissus. Simile *Joan.* 1. Ipse est, qui post me venturus est, &c.

l An alium expectamus.] *Chrys.* Ostendit duos esse venturos, Christum, & Antichristum, *Joan.* 3. Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me, alius veniet in nomine suo, & illum recipietis.

Moraliter. Moraliter. *g* Joannes in vinculis] peccati, est gratia Christi gratis data, quæ vinculis peccatorum retinetur, ne proficiat. *Rom.* 1. Qui veritatem Dei in injustitia detinent. Vel [in vinculis] carnis, non potest ita pure accedere ad Jesum. *Sap.* 9. Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Vel [in vinculis] tribulationum. *Actor.* 16. Paulus, & Silas incarcerati, & pedibus illorum in ligno strictis laudabant Deum. *Gen.* 22. Isaac in oculis offertur Domino, i. risus, & gaudium in tribulationibus. De his vinculis. *Job* 36. Si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis indicabit eis opera eorum, & scelera eorum. Vel in vinculis, religionis. De quibus. *Job* 39. Quis dimisit onagrum liberum, & vincula ejus quis solvit? [Cum audisset] *Isa.* 28. Sola vexatio dat intellectum auditui. *Eccl.* 6. Injice pedem tuum, in compedes illius, idest, sapientiæ, pedes affectus, & in torques illius, idest, doctrinam, collum tuum, idest, loquelam, subjice humerum tuum, & porta illam, & non acidieris in vinculis illius, item audit Jesum in vinculis, qui intelligit ipsa disciplinæ vincula esse Christi opera. Vel ipsa Christi opera esse nobis vincula ad eum amandum, & obediendum ei, & adhærendum. *Osee* 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.

i Mittens duos de discipulis suis] intellectum, & affectum ad Christum, qui est Magister, & Dominus. *Jo.* 13. *k* Tu es, qui venturus es.] in deserto aperto confessus veritatem de Christo, in vinculis Herodis dicit quasi dubitans. [Tu es, qui venturus es.] Sic quidam scholares dum sunt in deserto paupertatis, veritatem profitentur in moribus, sed jam ditati; mutant opinionem, & jam dubitant, vel negant, quod prius asserebant. *Rom.* 1. Qui mutaverunt veritatem Dei in mendacium. Et sic alligatum est in eis verbum Domini Contra quos. 2. *Tim.* 2. Verbum Dei non est alligatum in me. *Eph. ult.* Legatione fungor in catena ista. Qui autem in vinculis Herodis sunt, i. mundi, non erunt, sed mittant alios ad Jesum. *k* Tu es, qui venturus es,] i. tu es venturus in salutem nostram, si aliud non expectamus. *Ps.* 39. Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi. *Thren.* 3. Bonum est præstolari cum silencio salutare Dei. *m* Et respondens Jesus, ait illis] non statim, sed visis miraculis. *Ambr.* Dominus respondet potius factis, quam dictis. Utique vita miracula plenum testimonium dant, quod sit filius Dei.

n Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis.] Hæc omnia, quæ hic dicuntur de Joanne. *Luc.* 7. ponit, sed non eo ordine. Sed quis ordinem rei gestæ teneat, non apparet, & tamen Lucas magis sequendus est, qui magis præparatus erat in scribendo Evangelii historias. Unde historia actuum authentica est.

o Cæci vident.] Hæc autem ante Evangelium rara vel nulla fuerunt. Unde *Tob.* 11. Oculos recepit, & hæc fuit Angeli, non hominis medicina. Elias 3. *Reg.* 17. Mortuum suscitavit, ipse tamen rogavit, & flevit. Eliseus, 4 *Reg.* 5. Leprosum mundari fecit. Non tamen hoc valuit præcepti auctoritas, sed mysterii figura. Dicit ergo. [Cæci vident, claudi ambulant.] Hoc prophetaverat. *Isa.* 35. Tunc saliet sicut cervus claudus.

p Leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.] Hæc sunt signa, & miracula, quæ petebat. *Eccl.* 36. dicens, innova signa, immuta miracula; glorifica manum, & brachium dexterum.

q Pauperes evangelizantur,] i. Evangelio instruuntur passive. *Isa.* 61. Ad annunciandum mansuetis misit me. Vel, Evangelizantur, ut dicit *Hieronym.* idest, Evangelio attrahuntur, & ad fidem convertuntur. Vel active, i. Evangelizant. Unde *Hier.* Et quod his non minus

A est, pauperes

a est, pauperes evangelizantes commemorat. *a* Et Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.] *Hilar.* Beati, quorum affigit fidei crux, mors, & sepultura. *Beda* : Nuncios Joannis, qui eum esse Christum credebant a perfidiæ scandalo castigat. *Greg.* Visis tot signis, & virtutibus, fidelis non potuit de morte ejus dubitare, sed admirari, sed infidelium mens scandalum in illo pertulit, cum & post miracula mori vidit. Unde 1. *Cor.* 1. Nos autem prædicamus Christū crucifixum: Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Mira faciebat Dominus, sed tamen mori non dedignatur.

& *a* beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis *b* autem abeuntibus, cœpit Jesus *c* dicere ad turbas de Joanne. *d* Quid existis in desertum *e* videre, arundinem vento agitatam? *f* Sed quid existis videre, *g* hominem mollibus vestitum? *h* Ecce qui *i* mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt, k Sed quid existis videre, prophetam; Etiam *l* dico vobis, & plus quam Prophetam. Hic *m* est enim, de quo scriptum est. *n* Ecce ego mitto Angelum meum *o* ante faciem tuam, *p* qui præparabit viam tuam ante te. *q* Amen dico vobis *r* non surrexit inter natos mulierum *s* major Joanne Baptista: *t* Qui autem minor est in regno cœlorum, *u* major est illo.

[Scandalizatus] dubitando, scil. de mea Deitate, quod vos fuistis. *Job* 5. In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.

b Illis autem abeuntibus,] scil. discipulis.

c Cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne.] *Hier.* Quia turba circumstans mysterium interrogationis nesciebat, & putabat Joannem dubitare de Christo, ut intelligeret Joannem non sibi, sed discipulis suis interrogasse, inquit illud ad laudem Joannis, sicut voluit Joannes discipulos suos de magistro certificare, ita magister certificare voluit turbas de suo discipulo, scil. Joanne. *Chrys.* Certificati jam sunt discipuli Joannis, modo oportet salvari plebem. Discipuli enim nihil suspicati sunt de magistro, sed turba.

Et quare non arguit turbam, & discipulos Joannis, sed Judæos: *Sap.* 9. Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quia non ex malitia, sed ex ignorantia quærebant. *d* Quid existis in desertum videre,] quia quidam audierant quæstionem a discipulis Joannis, putabant Joannem inconstantem esse, qui Christum solebat commendare, modo aliter videtur sentire. Alii putabant, quod invidus esset, & cum sciret ipsum esse Messiam ex invidia quæreret, tanquam nesciret. Alii dicebant eum adulatorem, quia eum præsentem commendaret, absenti detraheret. Hujusmodi falsas opiniones a Joanne removet Christus. Dicit ergo:

[Quid existis in desertum,] ubi Joannes prædicabat, & baptizabat. Unde & ipse dicitur vox clamantis in deserto. *Marc.* 1.

e Videre arundinem vento agitatam,] i. hominem inconstantem, qui prius me commendavit, modo autem videtur contradicere sibi.

f Sed quid existis videre, hominem mollibus vestitum,] idest, adulatorem.

h Ecce] quasi in præsenti est, non in futuro.

i Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt,] i. potentum, vel divitum. *Ps.* 104. Edidit terra eorum ranas in penetralibus Regum ipsorum.

Moralit. Moraliter. *d* Quid existis in desertum videre arundinem vento agitatam,] i. magnum litteratum. Arundine enim scribitur, sed agitatur vento inanis gloriæ. *Job* 40. Sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus. *Hilarius*. Per arundinem designat animum cogitatione Dei vacuum, & ad immundorum spirituum flatum vagantem, quem nec habebat Joannes, qui nec prosperis erigebatur, nec adversis declinari noverat. Commendatur autem Joannes a severitate vitæ, carnem domando a mentis rigore, minas principum non timendo. Item arundo significat hypocritam, quia extra nitet, intus est vacuus. *Job* 59.

Sub umbra dormit in secreto calami.

Omni vento tentationis agitatur, sicut dicitur. *Eph.* 4. In luto crescit. *Job* 8. Numquid virescere potest scirpus sine humore, aut crescere carectum sine aqua: [illegible] siccum reddit, facile confringitur. *Job* 8. Innitetur super domum suam, & non stabit, fulciet eam, & non consurget. *Sap.* 5. Spes impii quasi lanugo est, quæ a vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur, & tanquam fumus, qui a vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis.

g Hominem mollibus vestitum.] Contra eos, qui detrahunt claustralibus, & exemplum sumunt in pravis *Eccl.* 36. Qui pessimant plebem tuam, invenient perditionem. *Greg.* Joannes non fuit mollibus vestitus, quia vitam peccantium non blandimentis fovit, sed aspere increpavit. *Eccl.* 12. Verba sapientium quasi stimuli, & quasi clavi in altum defixi. Vel delicias carnis quærentem, & ideo adulantem. *Exod.* 10. Locustæ omnem virorem Ægypti consumunt, i. adulatores omne residuum virtutis, quas adducit Auster, i. prosperitas. *Osee* 12. Ephraim in Ægyptum oleum deferebat [Hominem mollibus vestitum.] *Greg.* Nemo existimet in studio pretiosarum vestium peccatum deesse. Unde 1. *Pet.* 3. Non in veste pretiosa. Petrus in atrio præsidis mollis effectus, flexit se ad vocem ancillæ.

Malac. 3. Marc. 1. Luc. 7.

k Sed quid existis videre.] Illa duo, [sed] leguntur pro, & repetit, ut addat [Prophetam,] quia cum venturum prædixit, & in hoc fuit Propheta.

l Etiam dico vobis, & plus quam Prophetam,] quia Christum digito demonstravit, & in hoc fuit plus quam Propheta. *Joan.* 1.

m Hic est enim, de quo scriptum est.] *Malac.* 3. Commendatur autem hic Joannes, primo a testimonio Scripturæ, ibi [De quo scriptum est.] Secundu a testimonio Prophetæ, ibi [Ecce ego mitto Angelum meum.] Tertio a testimonio Christi, ibi [Amen dico vobis, &c.] Item commendatur a triplici collatione, scil. cum omnibus generaliter, & nulli postposito, ibi [Non surrexit inter natos.] Specialiter autem Eliæ parificando. Item a commoditate temporis commendatur, ibi [A diebus autem Joannis,] q.d. venit tempore gratiæ, in quo primus Regnum cœlorum prædicavit. Dicit ergo.

n Ecce ego mitto Angelum meum,] Verba sunt Patris ad filium, & commendatur a Patre. *Chrysost.* Puto, si non est audaciæ dicere, quod gloriosior est Joannes, quia fuit homo, & quia propter meritum virtutis Angelus est vocatus, quam si nomine angelus, & natura fuisset. Angelus enim, quod Angelus est, non est tantum virtutis præmium, sed proprietatis naturæ, iste obtinuit per gratiam quod habuit per naturam.

o Ante faciem tuam,] i. præsentiam, o tu fili.

p Qui præparabit viam tuam ante te,] prædicando, baptizando.

Moralit. Moral. *n* Ecce ego mitto Angelum meum, &c.] *Greg.* Omnes etiam, qui Sacerdotii nomine censentur, Angeli vocantur. *Malac.* 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, quia Angelus Domini exercituum est. Necnon unusquisque fidelis, si a pravitate proximum revocat, & ad bonum exhortatur, si regnum æternum, vel supplicium erranti denunciat: Profecto Angelus, i. nuncius Domini existit, cum hoc facit. Esto igitur Angelus Dei, ut videas faciem Patris, qui in cœlis est *inf.* 18.

q Amen dico vobis.] Hæc est tertia commendatio Joannis a Christo.

r Non surrexit inter natos mulierum.] Mulier notat hic corruptionem, quia Christus eo major fuit. *s* Major Joanne Baptista,] in hoc tamen non præfertur Patriarchis, & cunctis hominibus, sed æqualis ceteris Sanctis ostenditur. *t* Qui autem minor est in regno cœlorum,] i. Christi, qui minor fuit tempore, vel multorum opinione. Et secundum hoc regnum cœlorum est Ecclesia militans.

u Major est illo] dignitate. [Item qui minor in regno cœlorum,] ut Angelus cœli novissimus, & secundum hoc regnum cœlorum est Ecclesia triumphans. [Major est illo,] quantum ad charitatem. *Isa.* 31. Dixit Dominus cujus ignis est in Sion, & caminus in Jerusalem. Item *Gl.* i. omnis Sanctus, qui jam cum Deo est, &c. Sed quomodo hoc dicitur, cum adhuc nullus esset cum Deo? Si dicas, quod hoc dicat de Angelis, ergo male dicitur in alia *Gl.* Vel novissimus. Sic intelligendum est de Sanctis existentibus in sinu Abrahæ, qui propter certitudinem spei, & carentiam pœnæ dicuntur esse in regno cœlorum, vel loquitur *Hier.* in respectu sui temporis. [Major est illo,] i. securior quantum ad statum. Est enim in certa expectatione carne exutus, alius in lubrico carnis, & statu

A a diebus autem Joannis Baptistæ b usque nunc c regnum cœlorum vim d patitur, & violenti † rapiunt illud. e Omnes enim Prophetæ, & lex usque ad Joannem prophetaverunt, f & si vultis recipere, g ipse est Elias, qui venturus est. h Qui habet aures audiendi, i audiat. k Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis l est pueris m sedentibus in foro, n qui clamantes coæqualibus,

A pœnali. a A diebus autem Joannis Baptistæ.] Hic commendatur a commoditate temporis, lo quo notatur, quod tempus adventus ejus commodum fuit humano generi. [A diebus,] i. postquam Joannes cœpit prædicare. Et commendatur hic ab officio prædicationis.

b Usque nunc,] i. tempus gratiæ. Et sumitur [nunc] inclusive. 2. *Cor.* 6. Ecce nunc tempus acceptabile, &c.

c Regnum cœlorum,] i. Ecclesia militans, vel triumphans.

d Vim patitur, & violenti rapiunt illud.] Grandis enim violentia est, ut dicit *Gloss. Hier.* in terra nasci, & cœlum rapere, & habere per virtutem, quod per naturam non possumus.

pl. † diripiunt. *Luc.* 16. *De panit. dist.* 1. c. *si enim vers. paulisper.*

e Omnes enim Prophetæ, &c.] Dixi, quod erat plus quam Propheta, & vere. [Omnes enim prophetæ, & lex usque ad Joannem prophetaverunt,] vel [prædicaverunt.] *Deut.* 28. Dicit Moyses, Prophetam suscitabit vobis Dominus, idest, Christum.

f Et si vultis recipere,] i. credere verbo meo.

g Ipse est Elias, qui venturus est,] quia venit in spiritu, & virtute Eliæ, & ambo in eremo vixerunt. Contra *Joan.* 1. Non sum Elias. Sol. Verum est personalis, sed mysticus. Item ibi. Non sum propheta. Sol. i. non annuncio futura, sed præsentia.

h Qui habet aures audiendi,] i. ad audiendum, i. ad intelligendum, quod dico.

i Audiat] quia hoc mystice intelligendum est. *Seneca.* Sine aures assuescere senioribus verbis. *Ezech.* 23. Nasum tuum, & aures tuas præcident tibi. Quidam abortiuntur, i. adulterant verbum Dei, sicut dicitur 2. *Cor.* 2. *Isa.* 43. Educ foras populum cæcum, & oculos habentem, surdum, & aures ei sunt. *Greg.* Dum aures exterius aperit, interius obsurdescit.

Moraliter.

Moraliter. a A diebus Joannis, &c.] Non est regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. *Rom.* 14. *Gl.* Si non potes, vel rapere, vel emere, saltem vim patere, & ingredere, vel compulsus. Ab Oriente portæ tres comparantibus regna cœlorum, per opera misericordiæ, per officia justitiæ, per studia sapientiæ. Ab Occidente portæ tres furantibus, per occultas afflictiones, per humiles confessiones, per secretas orationes. *Prov.* 20. Malum est, malum est, dicit omnis emptor, & cum recesserit, tunc gloriabitur. Ab Aquilone portæ tres patientibus, cum subtrahitur, quod delectat, imponitur quod affligat, quod terreat intentatur. Ab Austro portæ tres compulsis, dum pravitas voluntatis, longinquitas consuetudinis, naturæ fragilitas fugatur. Patet itaque regnum cœlorum. Et sibi homines infernum mercantur, rapiunt, furantur, & compelluntur intrare. Pusillanimitas cogitur, intemperans animositas rapit, iniquitas comparat, furatur fatuitas oleo carens.

c Regnum cœlorum vim patitur,] i. vim pati videtur. Et est dictum per simile. Sicut si regnum aliquod daretur extraneis, & filius Regis auferretur, videretur esse violentia, sic Pharisæi, & Scribæ justi apparebant hominibus, & filii regni videbantur, Publicani, & Meretrices, & ceteri peccatores extranei videbantur. Regnum ergo cœlorum vim patitur, cum Publicani, & peccatores regnum Dei rapiunt, & Scribæ, & Pharisæi ejiciuntur, *sup.* 8. Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cœlorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, *inf.* 21. Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Item cum terrigenæ cœlum rapiunt, unde Angeli ceciderunt, regnum cœlorum vim pati videtur. Quasi enim rapere est, ubi nullum jus habemus, & quod Angelorum est acquirere. Nota, quidam rapiunt, ut perfecti vita, & signo, quidam furantur, ut qui carnem latenter affligunt, & sub mollibus asperis induuntur, quidam emunt per eleemosynam. *Isa.* 55. Qui non habetis argentum, properate, emite. De rapientibus. *Gen. penult.* Catulus leonis Juda, ad prædam ascendisti, fili mi. *Ibid.* Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, reficiendo se in hac vita bonis operibus, & vespere dividet spolia. Super *Tob.* 3. *Gl.* Oratio Deum lenit, lacrimas cogit, hæc ungit, illa pungit. Terra promissionis per violentiam occupatur in Josue. Et Jerusalem, 1. *Reg.* 5. Obsideamus ergo cœlum, & ineamus obsidionem, jam sumpsimus litteras & primum ejus balivum, scil. Ecclesiæ Sacramenta. *Greg.* Machinantis vis amoris, lapides, i. opera misericordiæ, stipendiarios cives nobis associet. *Hebr.* 12. Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum per patientiam, curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio Crucem sustinuit confusione contempta. *Job* 7. Militia est vita hominis super terram. Uncti sumus in Reges. *Inf.* 25. Percipite regnum acquisitum, scil. per opera misericordiæ.

Luc. 9.

Item *Bernard.* Quatuor sunt genera hominum regnum cœlorum possidentium. Alii violenter rapiunt, alii mercantur, alii furantur, alii compelluntur ad illud. Qui relinquunt omnia, & Christum sequuntur, violenter rapiunt. Unde *sup.* 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Mercantur, qui dant in præsenti temporalia pauperibus, ut in futuro recipiantur ab eis in æterna tabernacula, quæ nonnisi per eos merentur habere. *Luc.* 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Necesse est enim omnes, qui in judicio futuro examinandi sunt, vel esse judicis amicos, vel apud judicem amicos habere intercessores. Habent ergo primum locum beatitudinis, qui intercedunt, habent & hi, pro quibus intercedunt, secundum. Furantur, qui bona occulte faciunt, laude hominum vitantes, solo testimonio contenti. Hic est latro, qui pendet cum Domino a dextris, cui dicitur.

Quatuor genera hominum cœlum possidentium.

Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Compelluntur intrare pauperes necessarii, quos hic ignis paupertatis Domino dispensante probat, ut in futuro ignis judicii damnabiliter non puniat. Hi nimirum variis necessitatibus, & oppressionibus afflicti compelluntur intrare. Unde *Luc.* 14. Exi in vicos, & plateas civitatis, & pauperes, & debiles, cæcos, & claudos introduc huc. Et ait servus: Domine, factum est, ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus servo. Exi cito in vias, & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. *Hilar.* Regnum cœlorum vim patitur, quia gloria domus Israel a Patribus debita, a Prophetis nunciata, a Christo oblata, fide gentium occupatur, & rapitur, dum per pœnitentiam, quam Joannes prædicavit, reviviscunt ad patriam cœlestem, quasi in alienum locum penetrantes. *Aug.* Simplices, & indocti regnum cœlorum diripiunt, nos autem cum litteris nostris descendimus ad inferna.

Luc. 14.

k Cui autem similem æstimabo generationem istam?] aptatur similitudo non in parte negotii, sed in toto, quia sicut in illo continentur arguentes, & arguti, ita & in hoc. Item quia negotium contra generationem tempore Prophetarum factum est, nunc tempore Christi simile est negotiu, quod contra pueros vel fit, vel fieri potest, ita quod totum toti comparetur, alioquin magis comparanda esset generatio ista argutis, quam arguentibus. Si etiam pars parti, incongruum esset, quia pueri sumuntur hic in bono, ut patet in *Gl.* l Similis est pueris, m Sedentibus in foro.] Comparat negotium negotio, non personas personis.

n Qui pueri clamantes coæqualibus dicunt.] Potuit enim esse, quod pueri haberent cantica lætitiæ, vel lamentationes, & dicerent aliis pueris in hunc modum. [Cecinimus, &c.] q. d. male facitis, quod ludentibus non colluditis, & dolentibus non condoletis. Joannes prædicabat lamentationes pœnitentiæ, Jesus vero exultationes [illegible] Deo, quia comedebat cum illis, & comedentium est exultare.

l Moraliter. Similis est pueris.] De quibus. *Isa* 8. Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Dominus in signum, & portentum. m Sedentibus in foro.] *Prov. ult.* Facta est quasi navis, de longe portans panem suum.

Moraliter.

n Qui clamantes coæqualibus,] ut prædicatio secundum facultatem auditorum temperetur. *Psalm.* 10. Æquitatem vidit vultus ejus.

A Dicunt.

A *a* Dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis. *Isa.* 62. Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. *Hilar.* Quoniam ad cantantium voces, saltantium modus officio corporis aptatur, dictum est: Cecinimus vobis, & non saltastis, hoc est, ad confessionem psallendo provocavimus, & non obedistis captando & conformando vos doctrinæ. Item [Cecinimus,] promittendo bona. *Osee* 11. In funiculis Adam traham eos, i. alliciam per prospera, & adversa. Item, [Cecinimus] vobis nuptiale carmen, ut verbo Dei anima, & spiritui caro nuberet. *b* Et non saltastis,] i. non estis applausi. *Greg.* Saltant animæ, quæ pennulis virtutum fultæ per celeste desiderium saliunt ad contemplationem, quamvis in se relabantur per carnis fragilitatem. Item, Non saltastis. Ad litteram, in veteri Testamento in laudibus Dei solebant uti quibusdam gestibus corporis, ut David saltabat totis viribus. 2. *Reg.* 6. *August.* Non saltationis verbo, non histrionis motibus corporis rotatis, sed impigri cordis devotio, & religiosa membrorum designatur agilitas. *c* Lamentavimus, &c.] *Jer.* 8. Super contritione filiæ populi mei contritus sum, & contristatus, stupor obtinuit me. *Joel.* 2. Canite tuba in Sion. Per canite, cecinimus, per tuba, quod est signum belli, lamentavimus. Moyses cecinit benedictiones adimplentium legem, lamentatus est maledictiones transgredientium. *Deut.* 28. *Ezech.* 2. Expandit librum coram me, qui erat scriptus intus, & foris, & scriptæ erant in eo lamentationes, carmen, & væ. Summa autem totius est, quod generatio ista, neque plorat cum Joanne plorante, neque gaudet cum Christo gaudente. Contra quos *Rom.* 12. Flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus.

d Venit enim Joannes, &c.] Exponit præmissam similitudinem, dicens, [Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens,] quasi unus puerorum lamentantium, i. Prophetarum ad pœnitentiam provocantium, & comminantium.

e Et dicunt dæmonium habet.] Idem dixerunt Judæi de Domino. *Joan.* 8. *Reg.* 21. Achis Rex David furiosum dixit, quia impingebat in ostia.

f Venit filius hominis,] quasi unus puerorum gaudentium, i. Prophetarum læta promittentium.

g Manducans, & bibens] *sup.* 9. Quia cum publicanis, & peccatoribus manducabat. *h* Et dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini publicanorum, & peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis,] q. d. quicquid de me puteris, ero tamen Dei virtus, & Dei sapientia, ut dicitur 1. *Cor.* 1. juste intelligor facere ab Apostolis. *Hier.* Dispensatio, atque doctrina a fidelibus comprobata, quæ superbis resistit, & humilibus dat gratiam. *i* Tunc cœpit exprobrare civitatibus.] In speciali, quæ prius exprobraverat in generali. *Cassiodor. super Ps.* 44. Exprobrare, est in faciem maledicere, obloqui vero in absentem dolose mordere. *l* Væ tibi Corozaim] erit. *m* Væ tibi Bethsaida] erit. *n* Quia si in Tyro, & Sydone, &c.] Corozaim, & Bethsaida caput erant Judæorum. In his fecit Dominus multa miracula; quia sicut legitur. *Sup.* 9. quod Jesus circuibat omnes civitates, curabat omnem languorem, & omnem infirmitatem, inter quas fuerunt hæ civitates, Tyrus, & Sydon, gentium civitates sunt, quarum comparatione illæ pessimæ ostenduntur. Unde & eis væ dicitur, quod æternam pœnam innuit. Bene autem conjunguntur Tyrus, & Sydon angustia, & venatio, quia dicitur. 1. *Tim.* Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueos diaboli. Nota tamen, quod non dicit eis conjunctim væ; sed divisim væ tibi, væ tibi, &c. quia singulis sua propria pœna reddetur. *Inf.* 13. Colligite zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum. *Isa.* 24. Visitabit Dominus super malitiam cœli in excelso, & super reges terræ, qui sunt super terram, & congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum. Præferantur autem Tyrus, & Sydon, quia tantum legem naturalem habuerunt.

[margin: 15. dist. c. 6. — C — Luc. 10.]

dicunt. *a* Cecinimus vobis, *b* & non saltastis, lamentavimus, & non *c* planxistis. *d* Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, *e* & dicunt dæmonium habet. *f* Venit filius hominis *g* manducans, & bibens *h* & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis. *i* Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in *k* quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi *l* Corozaim, væ tibi *m* Bethsaida: quia si in *n* Tyro, & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, *o* olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. *p* Verumtamen dico vobis, Tyro, & Sydoni remissius erit in die judicii quam vobis. Et *q* tu Capharnaum, *r* numquid usque in cœlum exaltaberis? Usque in *s* infernum descendes. *t* Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. *u* Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi.

o Olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent,] cinis, & cilicium sunt ad memorandum peccata, ad puniendum, ad cavendum. *Job ult.* Nunc oculus meus videt te, idcirco me ipse reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere. *Jud.* 9. Induit se cilicio, & posuit pulverem super caput suum. *Hier.* Cinis, & cilicium arma sunt pœnitentium. *Gen.* 3. Terra es, & in terram ibis. *Ps.* 103. Et in pulverem suum revertentur.

p Verumtamen dico vobis, &c.] quia minus peccaverunt: Non enim habuerunt legẽ scriptam neque prædicatores, qui monerent eas, quæ habuerunt istæ civitates. *Joan.* 15. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. 2. *Petr.* 2. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti.

[margin: D — 1. q. 1. cap. Nunc. (?)]

[Allegorice] *p* Verumtamen, &c.] *Jac.* 4. Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. *Luc.* 12. Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. [margin: Allegor.]

q Et tu Capharnaum,] q. d. non solum Corozaim, & Bethsaida væ erit, sed & tibi Capharnaum. Numquid usque in cœlum exaltaberis? Usque in infernum descendes, sicut & caput tuum diabolus. *Isa.* 14. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo: Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. *t* Quia si in Sodomis factæ fuissent, &c.] forte mansissent usque in hanc diem, i. subversæ non fuissent. [Forte] notat dubitationem, quæ possit in aliis esse, non quæ esset in Deo, vel arbitrii libertatem. *u* Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi] quia minus peccavit, ut supra *Thr.* 4. Major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento. *Ezech.* 15. Justificata est Sodoma soror tua ex te, i. ex tui comparatione.

[Allegorice.] *q* Et tu Capharnaum, &c.] Per Corozaim Bethsaida, & Capharnaum possunt intelligi reprobi gentiles, qui legem naturalem, & falsi Judæi, qui legem Dei; & falsi Christiani, qui legem Evangelii habuerunt. Væ primis, væ aliis magis, maxime autem væ Christianis, in eodem genere peccati. [margin: Allegor.]

Moraliter. Corozaim, hoc secretum mihi interpretatur contra clericos, qui secretarii, & de consilio Domini sunt, & eum vendunt cum Juda: *Jer.* 5. Ibo ad optimates, & loquar eis. Ipsi enim cognoscunt viam Domini, & judicium Dei sui. Et ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. Bethsaida domus venatorum, contra advocatos vel cupidos. Capharnaum, villa pulcherima, hoc ad milites, vel superbos. *r* Usque in cœlum exaltaberis.] *Job* 20. Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. *Jer.* 49. Si exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. *Amos* 9. Si ascenderint usque in cœlum, inde detraham eos. *Abdiæ* 1. Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. [Exaltaberis] bona operatione per famam mei hospitis tui, & per famam signorum meorum. Sed, *s* Usque in infernum descendes] i. usque ad summam pœnarum miseriam. [Descendes] secundum *Hier.* remissive secundum *Rab.* interrogative, quia quanto plus ela- [margin: Moraliter.]

In *a* illo tempore *b* reſpondens Jeſus dixit: Confiteor tibi, pater, Domine cœli, & terræ, quia *c* abſcondiſti hæc a ſapientibus, & *d* prudentibus, & *e* revelaſti ea *f* parvulis, *g* Ita pater quoniam ſic fuit placitum ante te. *h* omnia tibi tradita ſunt a patre meo: Et *i* nemo novit filium niſi *k* pater, *l* neque patrem quis novit niſi filius, & *m* cui filius voluerit revelare, *n* Venite ad me omnes, *o* qui laboratis, & *p* onerati eſtis, & *q* ego reficiam vos, *r* Tollite jugum meum ſuper vos, & *ſ* diſcite a me, quia mitis *t* ſum, & *u* humilis corde, & *x* invenietis

A ta, tanto plus humiliata. *a* In illo tempore,] ſcil. cum ita exprobraſſet Judæis.
b Reſpondens Jeſus,] tacitæ objectioni, vel cogitationi, quam velut interrogantem vidit, quare non prædicavit credituris, & prædicavit non credituris? Huic cogitationi, vel objectioni [reſpondens Jeſus dixit: Confiteor tibi, pater, Domine cœli, & terræ.] Contra Manichæum. Eſt autem confeſſio fidei. *Rom.* 10. Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Confeſſio peccatorum. *Jacob ultim.* Confitemini alterutrum peccata veſtra. Item confeſſio laudis, & gratiarum actionis, ſicut hic. Et in *Pſ.* 106. & 117. Confitemini Domino quoniam bonus, &c.

Triplex confeſſio.

Jac. 10.

c Quia abſcondiſti hæc,] ſupradicta, i. illa ſecreta, quæ in meo ſunt adventu impleta.
d A ſapientibus, & prudentibus,] i. a Scribis, & Phariſæis, & qui ſibi ſapientes videntur. *Job* 5. Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum. *Joan.* 4. Puteus ſcilic. Scripturæ altus eſt, nec habes in quo haurias, ſcil. humilitatem, quia intellectum dat parvulis. *Eccl.* 5. Eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei, ut intelligas. *Iſa.* 32. Cor ſtultorum intelliget ſapientiam, & lingua balborum loquetur velociter & plane.
e Et revelaſti ea] Per me. *Iſa.* 29. Erit vobis viſio omnium ſicut umbra libri ſignati, quem cum dederint ſcienti litteras, dicent: Lege iſtum, & reſpondebit. Non poſſum; ſignatus eſt enim. Et dabitur liber neſcienti litteras, diceturque ei: Lege, & reſpondebit. Neſcio litteras, nemo enim poterat ſolvere ſeptem ſignacula, præterquam leo de Tribu Juda. *Apoc.* 5.
f Parvulis,] i. humilibus. 1. *Cor.* 1. Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes. *Jacob* 4. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. *Pſ.* 118. Intellectum dat parvulis. *Beda*. Humilitas enim clavis eſt ſcientiæ. *Luc.* 11. Tuliſtis clavem ſcientiæ, ideſt, humilitatem fidei Chriſti, qua ad Deitatis ejus cognitionem poteratis pervenire.
g Ita pater, quoniam ſic placitum fuit ante te. In quo notatur, quod ſecreta Dei diſcutere non præſumamus. Non enim rationem reddit, quare hos eligit, & illos reprobat, ſed ſic Deo placitum eſſe dicit, oſtendens, quod injuſtum eſſe non poteſt, quod Deo placet. *Proverb.* 16. Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. *Gloſſ.* ideſt, ſecundum voluntatem.
h Omnia mihi tradita ſunt a patre meo,] ideſt, omnes prædeſtinati erudiendi.

Et eſt accommodata diſtributio. Et continuatur illi textui.

[Revelaſti, &c.] & illi. *Interl.* Et hoc per me. Item [Omnia,] ideſt, omnes creaturæ. Et eſt generalis diſtributio, & continuatur primæ parti illius. *Interl.* Gratias ago, q. d. tui æqualis, quia omnia mihi tradita ſunt. Item [omnia] quicquid habet pater, & ego habeo. Et continuatur ſecundæ parti illius, gratias ago, ubi ſequitur in te exulto. Dicitur autem, [omnia,] propter diverſas nominum rationes, quæ de Patre dicuntur. Item [Omnia,] i. omnium poteſtas non ſolum cœli, & terræ, ſed hominum, qui per me habent acceſſum ad Patrem. *Joan.* 14. Nemo venit ad patrem, niſi per me. Item [Omnia,] ideſt, omnium notitiam. Quæcumque enim nota ſunt patri, & mihi.
h Omnia mihi.] Hic aperit, quomodo humilibus revelaverit, quæ ſuperbis abſcondit. Et primo oſtendit, quod poſſit, ibi [Omnia, &c.] Item quod ſciat, ibi. [Nemo novit.] Relinquit autem, quod velit, cum dicit. [Venite] *Beda*. Ideo confiteor patri, quia omnia mihi tradidit pater. Nota autem, quod Chriſtus in eo, quod homo eſt, confitetur, i. gratias agit Trinitati. In hoc quod Deus, nullas refert gratias, licet omnia a Patre habeat, quia per naturam habet.
i Et nemo novit filium niſi pater:] Non removet perſonam ſed naturam. Et eſt, q. d. nulla natura novit Patrem, niſi filii natura, ſed Spiritus & filii natura eſt eadem, & ideo non removetur Spiritus a cognitione Patris. Similiter intellige de cognitione filii, & Spiritus ſancti. Continuatio, q. d. ita tradita, quod tamen & nota mihi, & Patri. Dicit ergo.
l Et nemo novit filium] ſupple ſubſtantialiter, & naturaliter, & plene. *k* Niſi Pater.] Ideo hic permutatur ordo, ut oſtendatur, nullos gradus eſſe in Trinitate, nihil prius, aut poſterius, aut majus, aut minus, &c. Unde *Cor. ult.* Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis.
l Neque patrem, &c.] hoc intelligitur de notitia increata, qua novit pater filium ſibi conſubſtantialem, & econverſo. *m* Cui filius voluerit revelare.] Unde *Joan.* 15. Omnia, quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Et hæc notitia eſt gratiæ. De gratia enim filii eſt, ſi quis habet notitiam patris notitia creata. Et hoc eſt contra Eunomium, qui volebat ex hoc textu eamdem eſſe nobis Trinitatis notitiam, quæ Patri, & Filio.

1. qu. 6. c. qui ſine tiuer. 6.

n Venite ad me omnes,] paſſibus mentis. *o* Qui laboratis] in peccatis. *Jer.* 9. Ut inique agerent, laboraverunt. *p* Et onerati eſtis] peccatis, vel jugo legis. De quo *Pſ.* 73. Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. De quo *Act.* 15. Hoc eſt onus, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus. *q* Et ego reficiam vos. *Eccl.* 24. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & a generationibus meis adimplemini.
r Tollite jugum meum ſuper vos,] ideſt, Evangelium, quod duas gentes conjungit.
ſ Et diſcite a me,] *Joan.* 13. Exemplum dedi vobis.
t Quia mitis ſum] exterius.
u Et humilis corde,] interius.
x Et invenietis requiem animabus veſtris,] hic per ſpem, tandem per

n Venite ad me.] 1. *Reg.* 22. Convenerunt ad David omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo. *Cant.* 6. Revertere, revertere, &c. *o* Omnes, qui laboratis.] *Iſa.* 57. Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt. *Apoc.* 14. Non habebant requiem die, ac nocte, qui adoraverunt beſtiam. *Jer.* 5. Laſſati ſumus in via perditionis, ambulavimus vias difficiles. Sed de bonis. *Sap.* 17. Et ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens. *Gloſſ.* Quanto magis Chriſtum ſequeris, tanto minus laboras.
p Et onerati eſtis,] peccatis, quæ ſignificantur per undecim onera. *Iſa.* *Pſ.* 37. Sicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. *Hebræor.* 12. Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. *p* Et ego reficiam vos.] *Ezech.* 34. Ego paſcam oves meas, & ego accubare faciam eas, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram, quod abjectum fuerat, reducam, quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum, conſolidabo, quod pingue, & forte, cuſtodiam, & paſcam illas in judicio. *Pſalm.* 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c. *Prov.* 9. Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit ſibi columnas ſeptem. Immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. *r* Tollite] quantum ad exteriorem converſationem. *ſ* Jugum meum ſuper vos,] tanquam vobis dominans, & vobis dignum. *Eccl.* 13. Pondus ſuper ſe tollit, qui honeſtiori communicat. Vel [ſuper vos,] i. in veſtro ſuperiore, quod eſt ratio, quaſi rationabile ſit obſequium. *Rom.* 12. *Zach.* 13. Homo agricola ego ſum, quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea. *Eccl. ult.* Comparate vobis ſine argento ſapientiam, & collum veſtrum ſubjicite jugo ejus. *u* Et diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde] quia nullum deſpicio. *Beda*. Nihil arduum humilibus, nihil aſperum mitibus, & facile præcepta veniunt in affectum, quando, & gratia præcedit auxilium. *Pſ.* 144. Suavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Et verus, quia non fictus. *Eccl.* 19. Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora ejus plena ſunt dolo. *Eccl.* 24. Spiritus meus ſuper mel dulcis. *x* Et in-

O venietis

a spem, tandem per rem. Unde *Apoc.*14. Jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis.

a Jugum enim meum suave est,] Sed contra *sup.* 7. Arcta est via, quæ ducit ad vitam. Solutio. Gravat in principio, quia grave est consuetudinem deserere. Sic etiam in stupore dentium gravat primo comedere, sed post delectat: sic processu temporis ineffabilis delectationis dulcedine fit suave, & dilatatur. Unde *Prov.* 4. Ducam te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui. [Et onus meum leve.]

Matt. 11. *Jer.* 6.

requiem animabus vestris, a jugum enim meum suave est, & b onus meum leve.

C A P. XII.

IN c illo tempore d abiit Jesus per sata sabba-

Aliter.

O venietis requiem animabus vestris.] *Jer.* 6. Invenietis refrigerium animabus vestris. *Eccles. ult.* Modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. *Sap.* 2. In paucis vexati, in multis bene disponentur.

a Jugum enim meum suave est.] 2. *Cor.* 6. Nolite jugum ducere cum infidelibus. *Exod.* 17. Manus Moysi graves erant. *Thren.* 3. Bonum est viro, cum portaverit jugum Domini in adolescentia sua. *Bern.* Multi vident nostras unctiones, sed non vident nostras punctiones. Et leve fit, quando bene defertur onus. *Eccl.* 40. Jugum grave super filios Adam. *Is.* 10. Auferetur onus ejus de humero tuo, & computrescet jugum a facie olei, idest, a præsentia gratiæ. b Et onus meum leve.] Quia dat gratiam, & magna promittit. Nota autem, quod onus Domini leve dicitur multipliciter. A facultate implendi, respectu multitudinis, & oneris legalium. De quo: *Act.* 15. Quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque Patres nostri portare potuimus? *Gal.* 3. Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim; Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus his, quæ sunt scripta in libro legis, ut faciat ea. *Deuteron.* 27. Item in Evangelio sufficit voluntas, quod non in lege, cum facultas non suppetebat. Item natura secandi leve est per Sacramentorum susceptionem, quia ibi circumciduntur pueri, hic lavantur salvandi, ibi adulterium punitur per dilapidationem, hic purgatur per pœnitentiam. *Eccl.* 38. In his curans mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis. Item leve amanti. *August.* Quod jumentum per se non veheret, vehit in biga. *Genes.* 29. Videbantur Jacob dies pauci, quibus servivit pro Rachele, præ amoris magnitudine. *Beda*: Sicut avicula sine plumis, & sine alis seipsam ferre non potest, pondere autem plumarum, & alarum addito volat sine labore: Sic & panis durus, qui per se non potest transglutiri, adjectione lactis, vel alterius liquoris collabilis fit in gutture. Item leve adjutorio Sacramentorum, quia nostra conferunt gratiam, illa non, *Ezech.* 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Item explicatione doctrinæ Evangelii, & legis. *Proverb.* 11. Salus, ubi multa consilia: item jucundus comes, quasi vehiculum in via: item imitatione Dominicæ Passionis. *Hebr.* 12.

Onus Domini dicitur multipliciter.

Aspicientes in auctorem fidei, &c. Item exemplis Sanctorum, qui prius portaverunt. 1. *Mach.* 2. Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis. *Gregor.*

Si facta præcedentium recolamus, difficilia non erunt, quæ toleramus: item coadjutorum pluralitate. 4. *Reg.* 9. Plures nobiscum sunt quam cum illis. *Num.* 14. Recessit ab illis omne præsidium, Dominus nobiscum est, nolite timere: item adversariorum debilitatione; numero, & potentia, quia Christus delevit chirographum decreti. *Gloss.* 2. Et devicit principatus, & potestas dæmonum, & mori in infernum sunt retrusi, victi & aboliti, ut dicit *Origen.* Item promissorum, & præmiorum majoritate. *Romanorum octavo.* Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 2. *Cor.* 4. Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Olim enim terrena, modo æterna sunt in promisso, &c.

Alæ confessionis.
- Veritas,
- Orationis devotio,
- Satisfactio,
- Puritas mentis, } Hę sunt
  - Integritas, firmitas, humilitas, simplicitas.
  - Eleemosynarū largitio, carnis maceratio, lacrymarum effusio, peccati abrenunciatio.
  - Affectus sinceri.
  - Rectitudo mentis, in Domino delectatio, munda, & ordinata delectatio, voluntatis sanctitudo, simplex, & pura intentio.
- Carnis mūditia, } Hę sunt
  - Visus pudicitia, auditus castimonia, olfactus modestia, gustus temperantia, tactus sanctimonia.
- Dilectio Dei,
- Dilectio proximi. } Hę sunt
  - Nulli nocere, omnibus prodesse, rerum detrimenta non sentire, animam pro fratre ponere, in his perseverare.
  - Aliena non concupiscere, sua distribuere, nihil sibi reservare, seipsum abnegare, in his perseverare.

E X P O S I T I O C A P. XII.

IN illo tempore abiit Jesus, &c.] In capite præced. egit de miraculis ante mortem Joannis a Christo factis, hic de post factis. Et quia in hoc capite agitur de mutatione sabbati litteralis in spirituale, dicit: [In illo tempore,] quia tempus est mensura motus. Dividitur autem illud caput in sex partes. In quarum prima agitur de argutione Pharisæorum contra discipulos Domini, qui die sabbati spicas vellebant, & manibus confricabant. In secunda agitur de curatione manus aridæ, & cujusdam dæmoniaci muti, & cæci, ibi [Et cum inde transisset.] In tertia agitur de invectione Domini in Pharisæos, qui in eum blasphemias dixerunt propter infirmorum sanationem, ibi [Jesus autem sciens cogitationes, &c.] In quarta, de exprobratione Scribarum, & Pharisæorum super petitione signorum, ibi: [Tunc responderunt ei quidam.] In quinta de spiritu immundo, qui ejectus revertitur cum septem spiritibus nequioribus se in mentem vacantem, in quo docet nos otium fugere, ibi: [Cum autem immundus spiritus, &c.] In sexta agitur de matre Domini, & Joseph, qui eum quærebant, ibi: [Adhuc eo loquente, &c.] Dicit ergo: c In illo tempore] Nota, quod statim post jugum, & onus subjicit de fructu. Unde *Gen.* 1. Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum juxta genus suum. *Psalm.* 18. In custodiendis illis retributio multa. *Prov.* 13. De fructu oris sui homo satiabitur bonis. *Joan.* 4. Alius est, qui seminat, alius qui metit.

d Abiit Jesus per sata sabbato,] Sciendum est, quod Joannes prius occisus fuit, quam discipuli hoc fecissent. Sed ut contineret disputationes Christi, hoc præmisit.

Discipuli autem

f Abiit Jesus per sata.]

Mystice.

Mystice. Sacræ Scripturæ sata sunt semen litteralis intelligentiæ. Per hæc sata Christus abiit, dum Scripturam spiritualiter exposuit, & hoc in sabbato pectoris. *Aug.* Israel sabbatum accepit in munere. Ægyptus repletur muscarum multitudine. Discipuli evellunt spicas, dum sententias inde potiores eligunt. Grana vero comedunt, dum opere complent, quod corde tenent.

Moraliter.

Moraliter.] Sata sunt auditorum corda. De hac messe, *sup.* 9. *Joan.* 4. Fructus, opera bona reficiunt peccatores esurientes ea. Discipuli vellunt verbis, fricant exemplis, trajiciunt Sacramentis. *Eccl.* 2. Tor-

rebis

A b Discipuli autem ejus esurientes] quia ut *Marc. 3.* dicitur, non habebant locum vescendi præ turbis propter nimiam importunitatem. *d* Cœperunt vellere spicas, & manducare.] *Luc. 6.* addit, quod confricabant manibus. Nota autem, quod Apostoli litteram sabbati destruunt, non solum Paulus quem tanquam legis destructorem despiciunt Ebionitæ.

Myst.

O rebus primitias frugum igne, & confringes in morem farris, i. primitiva opera tua bona charitate informabis, vel incipientes, quos ad fidem converteris, & confringes, i. mola timoris conteres, ut palea inanis gloriæ, & concupiscentiæ exufletur. De mola spei & timoris. *Deut. 24. Cant. 6.* Descende in hortum nucum, i. Ecclesiam, ut viderem poma convallium, i. Confessores, & inspicerem si floruissent vineæ, idest, Prædicatores, & germinassent mala punica, idest, Martyres. *a* Sabbato;] *Eccl. 38.* Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur, actu sapientiam percipiet. *c* Esurientes] *Prov. 27.* Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.

Lev. 2. 14. feri. 3. Ideo. 1. Reg. 25.

Isa. 6.

Ruth. 2.

d Cœperunt vellere spicas,] Sic elevantur a terra, *Lev. 23.* Feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad Sacerdotes, qui elevabunt fasciculum coram Domino. Ruth collegit spicas in agro Booz post messores, idest, in agro S. Scripturæ. *1. Cor. 3.* Neque, qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.

e Pharisæi autem videntes, &c.] De vinea, vel fruge licet edere, sed falce non metere, neque foras efferre. *Deuter. 23.*

Moralit.

Moraliter. Hi sunt, qui Prælatos reprehendunt, quod nimis solliciti sint circa gregem suum, dicentes.

Ovid. in ep.

Quod caret alterna requie durabile non est.

Unde *2. Reg. 11.* David dicit Uriæ: Vade in domum tuam, & lava pedes tuos.

Vel, qui reprehendunt eos, qui exponunt Sacram Scripturam. *f* At ille dixit eis. Non legistis, quid fecerit David,] *1. Reg. 21.*

g Quando esuriit, & qui cum eo erant quomodo intravit,] idest, Abimelech pro eo, quia ipse non legitur intrasse. *h* In domum Dei, & panes propositionis comedit quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant nisi solis Sacerdotibus] *Lev. 24.* Eruntque Aaron, & filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto, quia Sanctum Sanctorum est. Item 22. Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo, quod comedit, & dabit Sacerdoti in Sanctuario; Quidam dicunt, quod Abimelech dispensavit, qui summus erat Sacerdos, & necessitas per se non excusat sine dispensatione. Idem dicunt de Matathia, qui pugnavit in sabbato. *1. Mach. 2.* Sed contra dicit *Beda super Marcum 2.* quod occiso Abimelech a Saule Abiathar filius ejus postea, regnante David, summi Sacerdotii gradum accepit majoris excellentiæ quam pater ejus. Item *Beda super Marc. 3.* Ita Sabbatum, &c. *Leo Papa.* Ubi necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset. *Beda*: Iniquum esset, si statuta pro charitate contra charitatem tenerentur. Versus:

Hæc sua cuique facit, in promittendo voluntas.

Hæc præcipientis auctoritas, ut non occidas, &c. Hæc præcepti dignitas, ut quæ in sermone in monte. Nota autem, quæ primæ necessitatis sunt, dispensationem solum recipiunt ab eo, qui præest, quæ secundæ a Deo tantum, quæ vero tertiæ a nullo mutari possunt. *Bern. de consideratione.* Non sum tam rudis, ut ignorem vos dispensatores esse positos, sed in ædificationem, non in destructionem, ubi necessitas urget, excusabilis est dispensatio, ubi utilitas provocat dispensationem, laudabilis est dispensatio. Utilitas dico communis, non propria. Ubi nihil horum est, non est dispensatio, sed crudelis dissipatio. Sensus ergo litteralis expositionis, quod si David, & Abimelech non reprehenduntur de transgressione mandati propter necessitatem, sic nec Apostoli debent reprehendi. Super mensam enim propositionis ponebantur duodecim panes, & aliis substitutis tollebantur. *Num. 28. Lev. 23.* Et quando David comedit, erat dies Neomeniæ.

De pond. & Marc. 2. Luc. 6.

Marc. 2. Luc. 6.

a to; discipuli *b* autem ejus, *c* esurientes *d* cœperunt vellere spicas, & manducare. *e* Pharisæi autem videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere sabbatis. At *f* ille dixit eis. Non legistis, quid fecerit David, quando *g* esuriit, & qui cum eo erant, quomodo intravit in *h* domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus? *i* Aut non legistis in *k* lege, *l* quia sabbatis Sacerdotes in templo sabbatum violant, *m* & sine crimine sunt? *n* Dico autem vobis, quia templo major est hic. Si *o* autem sciretis, *p* quid est, *q* misericordiam volo, & non sacrificium, *r* nunquam condemnassetis innocentes. Dominus enim *f* est filius hominis etiam sabbati: Et *t* cum inde transisset, *u* venit in synagogam eorum. Et *x* ecce homo manum habens aridam, & *y* interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare, ut accusarent eum. *z* Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? Quanto magis melior est homo ove. *a* Itaque licet sabbatis benefacere. Tunc ait homini: Extende manum tuam.

i Aut non legistis.] Secunda excusatio. *k* In lege.] *Num. 28 Lev. 23.*

l Quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant] idest, non observant, ita quod violare videntur,

m Et sine crimine sunt] hoc faciendo.

n Dico autem vobis, quia templo major est hic,] i. in loco illo, quia Jesus Christus, qui erat Dominus templi. *o* Si autem sciretis.] Tertia excusatio per misericordiæ prælectionem.

p Quid est] idest, quid significetur hac auctoritate.

q Misericordiam volo, & non sacrificium.] *Os. 6 supr. 9* Euntes autem discite, quid est, misericordiam volo, & non sacrificium. *r* Nunquam condemnassetis innocentes,] idest, Apostolos. *Beda Marc. 2.* Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum, & ideo major cura adhibenda est saluti hominum, quam custodiæ sabbati. Sic enim mandatum est sabbatum custodiri, ut si necessitas esset non fieret reus, qui solveret, hodie si quis æger corruperit jejunium, non tenetur reus.

ſ Dominus enim filius est hominis etiam sabbati.] Quarta excusatio per Domini dispensationem. Unde cum Dominus sit, potest mutare, quod instituit.

t Et cum inde transisset,] idest, ab ipsis, alioquin videretur esse factum eodem sabbato. Unde *Luc. 6.* Factum est autem, & in alio sabbato, ut intraret in synagogam. *u* Venit in synagogam eorum.] In altero sabbato, ut ait. *Luc. 6.*

x Et ecce homo habens manum aridam] supple, erat ibi, vel advenit. *Hier.* super hunc locum. In Evangelio, quo utuntur Nazaræi, hæc vox precantis. Cæmentarius eram manibus victum quærens, precor te, Jesu ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos. *y* Et interrogabant eum dicentes. Si licet sabbatis curare, ut accusarent eum,] *Marc. 3. Luc. 6.* Dicunt illos interrogatos esse a Domino. Unde *Luc. 6.* Interrogo vos, si licet sabbato benefacere, an male? Sed dic, quod illi prius interrogaverunt a Domino. Intelligens autem Dominus cogitationes, & accusationes eorum constituit in medio sanandum, & tunc quæsivit, quod *Luc.* & *Marcus* ait: Et tunc illis tacentibus proposuit similitudinem de ove, & conclusit, quod licet sabbato benefacere. Deinde enim circumspectis illis cum ira, ut dicit *Marcus*, specialiter prætendens vultuositatem quamdam ad modum irati, quia *Is. 42.* Non erit tristis, neque turbulentus, dixit: Extende.

z Ipse autem dixit illis. Quis erit ex vobis homo, qui habeat unam ovem, &c. Quanto magis melior est homo ove.] Locus a majori. *Gloss.* Competenti exemplo solvit quæstionem eorum, ut eos ostendat sabbatum violare in opere cupiditatis, quod est res minima, qui eum violare arguunt in opere charitatis, quæ est res maxima.

a Itaque licet sabbatis benefacere. Tunc ait homini, &c.] *Eccl. 4.* Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta, Unde *Gl.* Hic frustra pro peccatis rogaturus

A turus

A turus manus ad Deum expandit, qui has ad pauperes pro posse non extendit. Unde *Prov.21.* Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, & non exaudietur.

a Et extendit,] Hic est avarus. 3. *Reg.* 13. Jeroboam contra Addo, qui eum reprehendit de idololatria, extendit manum, ut apprehenderet illum & aruit manus ejus. Jeroboam causa populi interpretatur. Avarus enim causatur a toto populo, quia dona Dei communia sibi appropriat. Et avaritia idololatria est, quia idolorum servitus. Addo, serviens ei, Synderesis. Sed dum vult eam capere, & subjugare, ejus manus arescit a bono opere.

Ephes. 5.

b Et restituta est sanitati sicut altera.] Planum est.

c Exeuntes autem Pharisæi concilium faciebant, &c.] Isti sunt noctuæ diaboli. *Joan.* 3. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis, quam lucem. *Ps.* 33. Accedite ad eum, & illuminamini.

Et *a* extendit, & *b* restituta est sanitati sicut altera. *c* Exeuntes autem Pharisæi concilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum, *d* Jesus autem sciens recessit inde, & *e* secuti sunt eum multi, & curavit eos omnes, & *f* præcepit eis ne manifestum eum facerent, ut *g* adimpleretur, quod dictum est per *h* Isaiam Prophetam, dicentem: *i* Ecce puer meus, *k* quem elegi *l* dilectus meus, in *m* quo bene complacuit animæ meæ: *n* ponam spiritum meum super eum, & *o* judicium *p* gentibus nunciabit. *q* Non contendet, neque clamabit, *r* neque audiet quis in plateis vocem ejus, *s* arundinem quassatam non confringet, *t* & † lignum fumigans non extinguet, *u* donec ejiciat ad victoriam judicium, *x* & in nomine ejus gentes sperabunt. *y* Tunc oblatus est ei dœmonium habens *z* cœcus, & *a* mutus, & *b* curavit eum, *c* ita ut loqueretur, & *d* videret. Et *e* stupebant omnes turbæ, & dicebant. Numquid hic est filius David? *f* Pharisæi autem audientes dixerunt: Hic *g* non ejicit dœmones, nisi in Beelzebub Principe dœmoniorum. *h* Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis:

Marc. 3. Jo. 10. — *Isa. 42.* — *al. † linum*

d Jesus autem sciens] insidias eorum, [recessit inde] propter exemplum, propter humilitatis judicium, propter etiam miseris parcendum. Recessit enim ut homo, quia hoc erat verum signum humanitatis. *Luc.* 6. Ipse benignus est super ingratos.

e Et secuti sunt eum multi, & curavit eos omnes.] Nota simplices sequuntur, docti vero persequuntur.

f Et præcepit eis ne manifestum eum facerent.] *Hilarius*: Jubendo secretum Dominus gloriandi de se jactantiam declinat, & per hanc tacendi voluntatem dictorum Isaiæ effectus impletur.

g Ut adimpleretur,] causative, vel consecutive. Sic pepercit eis, ne invidia trucidarentur, ut impleretur illud. *Isa.* [Arundinem, &c.] Et secundum hoc præcuntia, in hac auctoritate ex abundanti inducta sunt.

h Quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem.] *Is.*42. Ibi est litteraliter.

i Ecce puer meus.] Vox Patris loquentis de filio. [Puer] idest, servus. *Phil.* 2. Exinanivit semetipsum formam servi accipiens electus.

k Quem elegi] *Cant.*5. Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus.

l Dilectus meus,] *Cantic.* 5. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? *Gloss.* ex dilecto, ex Patre.

m In quo bene complacuit animæ meæ,] nihil in eo videns, quod displiceret. Simile *supra tertio*, & *infra decimo septimo*.

n Ponam spiritum meum super eum,] *Isaiæ* 11. Requiescet super eum spiritus Domini. Et 61. Spiritus Domini super me, eo quod unxit me: Et hoc in quantum homo.

o Et judicium] futurum.

p Gentibus nunciabit,] per prædicationem suam.

q Non contendet, neque clamabit,] contra: *Jo.*7. Stabat Jesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Sol. Non clamabit, idest, non clamosus erit. Sed in secundo adventu. *Is.*42. Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar.

r Neque audiet aliquis in plateis vocem ejus.] 1.*Pet.*2. Cum malediceretur, non maledixit, cum pateretur non comminabatur. *Jer.*11. Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. *Is.* 53. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperuit os suum.

s Arundinem quassatam non confringet,] idest, Judæos omni vento tentationis, vel doctrinæ cedentes, ut dicitur *Ephes.* 4. non statim damnabit. Per arundinem hypocritæ, ut *sup. proximo*. *t* Et lignum fumigans non extinguet.] Per lignum, qui quædam bona agunt, quædam mala, utroique expectat Dominus.

Item per arundinem gentes vento vanitatis agitatæ, & in peccatis quassatæ, & in salutem per Christum reservatæ. [Lignum fumigans,] idest, exiguum spiritum ex reliquiis veteris gratiæ, & quem resumendi totius in tempore pœnitentiæ sit facultas. [Lignum,] vel [linum,] de quo facta est vestis Domini. *Chrys.* Facile erit ei, omnes illos sicut arundinem frangere, & sicut lignum inflammatum extinguere illorum furorem.

u Donec ejiciat ad victoriam judicium,] Active, ut judicet, vel passive, ut judicetur. Ad victoriam dicit, quia idipsum, quod judicatus est, cessit ei ad victoriam. *Joann. duodecimo*. Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. Vel judicium inter se, & diabolum. Vel judicium adhuc hominibus occultum, quod vicit moriendo.

Sup. 9. Luc. 11. De pæn. d. 1. c. sunt plures. Marc. 3. Luc. 11.

x Et in nomine ejus gentes sperabunt.] quia non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat salvari. *Actorum quarto*.

g Tunc oblatus est ei,] unus dœmonium habens cœcus, & mutus. Tria signa simul facta sunt in isto.

Moral.

Moraliter. *y* Tunc oblatus] Oblatio partim erat Sacerdotis, partim offerentis. Sic partim sumus nostri quoad quærenda necessaria, sed principaliter Dei. 1. *Cor.* 6. An nescitis, quoniam membra vestra sunt templum Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri?

z Cœcus.] 1.*Reg.*11. Dixit Naas obsessis Jabes Galaad. In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dexteros, ponamque vos opprobrium in universo Israel. Naas, serpens. *Ps.*47. Supercecidit ignis, & non viderunt solem.

a Et mutus] a confessione peccati. *Ps.* 31. Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Ecce cœcus: In camo, & fræno maxillas eorum constringe, permissive, qui non approximant ad te. Per confessionem, vel a confessione laudis. *Ps.*49. Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, &c. Item humiliaverunt in compedibus pedes ejus, donec veniret verbum ejus, sc. confessionis.

b Et curavit eum] Hoc refertur ad illud: [Donec ejiciat ad victoriam judicium.] Curavit enim ejiciendo dœmonem.

c Ita ut loqueretur.] Hoc refertur ad illud *sup.* Arundinem quassatam, &c.

d Et videret.] Hoc ad illud, [lignum fumigans, &c.] Nota autem ordinem. *Greg.* Principium illuminationis est humilitas veræ confessionis.

Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Nunquid hic est filius David?] Mansuetus contra dœmonium, desiderabilis aspectu contra cœcum, manu fortis contra mutum. Filius David, qui misericors, & beneficus fuit.

f Pharisæi autem audientes dixerunt,] in corde.

g Hic non ejicit dœmonia nisi in Beelzebub principe dœmoniorum,] quasi participium, & familiaritatem habet cum Principe dœmoniorum, & ita ex consensu, & auctoritate ejicit omnes dœmones, sicut secretarius Regis auctoritate multis nocet.

h Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis:] *Hier.* Ad cogitationes Pharisæorum respondet, ut vel sic compellerentur credere potentiæ ejus, qui cordis videbat occulta. *Jer.* 17. Ego Dominus scrutans corda, & probans renes.

a Omne regnum † contra se divisum desolabitur, & *b* omnis civitas, vel domus divisa contra se non stabit. *c* Etsi Satanas Satanam ejicit, adversus se divisus est, quomodo ergo stabit regnum ejus? Etsi *d* ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii *e* vestri in quo ejiciunt? *f* Ideo ipsi judices vestri erunt. Si *g* autem ego in spiritu Dei *h* ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. *i* Aut quomodo potest quisquam intrare in *k* domum fortis, & *l* vasa ejus diripere, nisi prius *m* alligaverit fortem? Et *n* tunc domum illius diripiet. *o* Qui non est mecum, contra me est: & *p* qui non congregat mecum, dispergit. *q* Ideo dico vobis: Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus, *r* spiritus autem † blasphemiæ non remittetur.

pl. † In. Marc. 3. Marc. 11. as 92. est pa.

vel † blasphemia.

A *a* Omne regnum contra se divisum desolabitur,] Regnum solidum, & firmum, si per partes dividitur, & alii ab aliis perimuntur, vel opprimuntur, in solitudinem redigitur, vacuatum ab habitatoribus. Infirmat Dominus, quod de eo dixerant Pharisæi: Primo indirecte dupliciter per synetesim, vel hypozeusim, sumpto quod dixerant, & ex hoc deducens eos ad inconveniens, & secundum ordinem literæ, licet *Magister in Postillis* hoc modo permutet textum: ut sit propositio major; [Etsi Satanas.] Assumptio: [Omne regnum. Omnis civitas:] Assumptionis probatio. [Vel domus] probationis subprobatio. [Quomodo ergo] hæc conclusio, quasi nullo modo stare potest. De hoc plenius. *Marc.* 3. Dicit ergo.

a Omne regnum contra se divisum desolabitur,] *Hier.* Concordia namque res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Nota regnum Christus, dans regnum, Evangelium, invitans ad regnum, æterna beatitudo, ipsum regnum.

b Et omnis civitas, vel domus] idest, [familia, divisa contra se stabit.]

c Et si Satanas, &c.] Quomodo ergo stabit regnum ejus?] q. d. nullo modo potest stare.

d Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt?] Exorcistæ Judæorum ad nominis Dei invocationem ejiciebant dæmones. Unde si filiis vestris non ascribitis, quod in Beelzebub ejiciant dæmonia, quare hoc mihi imponitis?

f Ideo ipsi Judices vestri erunt,] comparatione melioris facti, quia Deo ascribunt, quod vos Beelzebub. Vel

e Filii vestri] idest, Apostoli, qui erant de Judæis.

f Ideo ipsi Judices vestri erunt] *Inf.* 19. Sedebitis super sedes judicantes duodecim Tribus Israel.

g Si autem ego, &c.] Altera pars complexionis. Et infert ex proposito, cum reliqua pars sit falsa, & est probatio directa. Dicit ergo: [si ego in spiritu Dei.] *Lucæ* 11. ait: In digito Dei.

h Ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei] *Aug.* Regnum Dei idem est, quod potestas, qua damnantur impii, & a fidelibus secernuntur.

i Aut quomodo potest quisquam, &c.] Quod probaverat indirecte, vult probare directe, q. d. si ego non in spiritu Dei ejicio dæmonia, sed in Beelzebub, [quomodo potest quisquam intrare ad domum fortis,] *Job* 41. Non est potestas super terram, quæ ei comparetur. *Chrys.* Diabolum fortem facit nostra negligentia, non illius potentia.

k Domum] hypocritæ maxime. *Job* 40. Umbræ, idest, hypocritæ protegunt umbram ejus?] i. peccatum celant, in quo apparet imago diaboli. *Jerem.* 31. Liberabit eum de manu potentioris.

l Et vasa ejus diripere] i. arma ejus, sc. homines, *Isa.* 10. Apud Magmas commendabit vasa sua. Magmas interpretatur motus, & in tactu maxima est delectatio, quæ custodit peccatorem diabolo. *Rom.* 6. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. [Vasa] in quibus habitat, & quibus quasi ministris utitur.

m Nisi prius alligaverit fortem,] quia tunc minorem vim tentandi sanctos habuit intrinsecus per fomitem, etsi forte majorem extrinsecus. Diabolus enim est religatus in inferno, & manus impellens debilitata est. Manus vero trahens abscissa, quia non trahit simul bonos, & malos.

n Et tunc domum illius diripiet] idest, ad diversos ordines rapiet. *Eph.* 4. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem pastores, & doctores.

o Qui non est mecum, contra me est] idest, qui dissimilia meis opera facit, mihi contrarius est.

p Et qui non congregat mecum, dispergit,] q.d. opera mea non possunt operibus Beelzebub comparari, quia ego congrego, ille dispergit.

Nota, opus Christi est, congregare ad cultum unius Dei, & ad unitatem fidei, & ad unum singulare bonum, De quo *Ps.* 26. Unam petii a Domino. Ad dilectionem Dei, & proximi, Unde *Is.* 11. Dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ. Disperguntur quidam per nobilitatem, hæc est Oriens. Quidam per timorem mortis, hic est Occidens. Alii per prosperitatem, hæc est Auster. Alii per adversitatem, hæc est Aquilo. Hos congregat Dominus. *Ezech.* 37. A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant. Opus autem diaboli est dispergere monstra dæmoniorum, varietates hæresum, vanitates terrenorum, discordias fratrum.

Marc. 3. Luc. 12.

q Ideo dico vobis.] quia dicitis me ejicere dæmonia in Beelzebub principe dæmoniorum. [Ideo dico vobis, omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus.] Hoc contra Novatianos, qui lapsis in martyrio veniam negabant.

r Spiritus autem blasphemiæ non remittetur.] Hoc est contra Origenem, qui dicit omnes veniam consecuturos, post universale judicium translactis multis sæculis. Dicitur autem illud peccatum irremissibile octo de causis, sicut potest colligi ex *Gloss.* super *Matth.* 5. & in hoc loco, & aliis dictis Sanctorum.

Peccatum irremissibile dicitur octo de causis.

Primo, quia adversatur fonti remissionis. Unde *Aug. super Matth.* 5.

Peccatum ad mortem est, cum post agnitionem Dei per gratiam Christi oppugnat aliquis fraternitatem, & adversus gratiam Dei, qua reconciliatus est Deo, invidiæ facibus agitatur, quod fortasse est peccatum in Spiritum Sanctum.

Secundo, quia non habet colorem excusationis. Unde *Richardus de Sancto Victore.*

Quædam peccata hominum pertinent specialiter ad corruptelam propriam, ut ebrietas, & stupra, quædam specialiter ad injuriam proximi, ut homicidia, furta, quædam specialiter ad divinam contumeliam, ut blasphemia. Sed quidam blasphemant ex coactione, & hi peccant in patrem: alii ex deceptione, & hi peccant in filium: alii ex sola malignitate, & hæc est pessima species in Spiritum Sanctum.

Est autem, & hoc in genere sceleratissimum, & in quo malitia crevit usque ad summum, quando quis in Dei vituperiis delectatur, & gloriatur. Quid ergo videtur aliud spiritus blasphemiæ, quam affectatio, & desiderium vituperationis divinæ? Spiritus blasphemiæ spirat ad odium Dei, Sp. Sanctus spirat ad amorem Dei. Eo igitur, quod hoc malum nihil habet in se excusationis, non meretur habere excusationem remissionis.

Tertio, quia talis vix potest se humiliare ad veniam petendam, vel ad bonum. Unde *Aug. super Matth.* c. 5. Ibi: Orate pro persequentibus vos. Tanta est labes illius peccati, ut deprecandi humilitatem habere non possit, & si peccatum suum mala conscientia recognoscere, & enunciare cogatur, ut Judas cum dixit: Peccavi, facilius desperans cucurrit ad laqueum, quam humilitatis veniam petiit, quod propter magnitudinem peccati, jam ea damnatione peccati talis habere credendum est. Et hanc pœnitentiæ non ignoscit Deus, cum & se peccasse fateantur, & fecisse mala vehementer eos pœniteat, tamen hujuscemodi affectionem mentis habent, ut se non humilient ad petendam veniam.

Quarto, quia paucis, & raro remittitur, ut dicit *Gl. Rom.* 2. super illud. Secundum duritiam tuam, & cor impœnitens, &c.

Quinto, quia nunquam legitur remissum, imo legitur contrarium in *hoc* 12. & *Marc.* 3. Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum. Ibi: *Infra* Quia ipse æterne delinquit, qui nunquam pœnitet. Et *Luc.* 12. Qui in Sp. Sanctum blasphemaverit, nunquam remittetur ei. *Gloss.* Hic blasphemus

A exigentibus

a exigentibus malis meritis suis, sicut nunquam ad remissionem, ita nec ad pœnitentiam perventurus est.

Sexto, quia gravius punitur, quasi nihil de pœna debita dimittitur. Unde *Richardus de Sancto Victore.* Peccatum diaboli inexpiabile est, quia nullo remedio expiari potest. Illud autem irremissibile est, cui pœnæ nulla relaxatio fit, quæ in peccatis actualiter similibus fieri consuevit.

Et a quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: b qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Aut c facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, d aut facite arborem malam, & fructum ejus malum, e Siquidem ex fructu arbor cognoscitur: f Progenies viperarum, g quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex h abundantia enim cordis os loquitur. i Bonus homo de bono thesauro k profert bona: & l malus homo de malo thesauro m profert mala, n Dico autem vobis:

Septimo, quia meretur talis non pœnitere. Unde *Marci 3.* Qui blasphemaverit in Sp. Sanctum, non habebit remissionem. *Gloss.* Ideo, quia non meretur pœnitentiam agere, ut recipiatur.

Octavo, quia etiam post mortem remanet, etiam quoad actum, sicut charitas.

Unde *Richardus de Sancto Victore.* Sicut nunquam excidit amor Dei, ita nunquam excidit odium Dei. Et tamen charitas potest amitti, sic & odium Dei in præsenti admitti. Sicut autem fides, & spes cessabunt, sic sunt quædam mala, quæ locum habent solum in hac vita, ut adulteria, furta, quædam vero in hac vita simul, & in futura. Nota, qui cum odio Dei ex hac vita discedit, sub eodem morbo in æternum tabescit, & sic in æternum delinquit, & sine cessatione delinquendo meretur, ut sine cessatione puniatur. Qui ergo reus est divini odii, reus est æterni delicti. Sed blasphemia, quæ est in Sp. Sanctum, nunquam est præter odium Dei.

De hoc etiam, *Eusychius super Lev. c.10. & 12.* Hoc sancti Patres irremissibile peccatum, & blasphemiam in Sp. Sanctum dixerunt, in sceleribus usque ad finem vitæ perseverare, de salute sua desperare, de misericordia, & potentia redemptoris diffidere.

Idem *Aug. in Enchirid.* Qui in Ecclesia non credens peccata dimittit, contemnit tantam divini muneris largitatem, & in hac mentis obstinatione diem claudit extremum, reus est ille irremissibili peccato in Sp. Sanctum, in quo Christus peccata dimittit.

Adversum purum vix raro non legis unquam,
Plene punitur, remanet, non punitet unquam.

Peccatur autem in Spiritum Sanctum isto peccato sex modis: Duobus modis in Deum, duobus in proximum, duobus in seipsum.

In Deum, desperando, præsumendo.

In proximum, impugnatio agnitæ veritatis, & fraternæ charitatis. Duplex enim est effectus bonitatis divinæ in homine. Unus quoad intellectus perfectionem, & quoad hoc est impugnatio agnitæ veritatis.

Alius quoad perfectionem affectus, & quoad hoc est impugnatio fraternæ charitatis.

In seipsum finalis impœnitentia, & quando pœnitet de pœnitentia.

Item nota ad hoc, quod ut aliquid sit peccatum in Sp. Sanctum, tria exiguntur, sc. quod sit ex certa malitia, quod divinam bonitatem oppugnet, & quod sit cum finali pertinacia mentis induratæ in malitia. [Spiritus autem blasphemiæ non remittetur.]

Aug. Blasphemia est, per quam de Deo falsa dicuntur. Et ideo pejus est blasphemare, quam perjurare, quia perjurando false adhibetur testis Deus, blasphemando de ipso Deo falsa dicuntur.

a Et quicumque verbum dixerit contra filium hominis remittetur ei,] idest, ad remittendum facile est, si pœnitet, qui ignoranter hoc dixit.

b Qui autem dixerit contra Sp. Sanctum,] verbum non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro, ut expositum est.

c Aut facit,] idest, dicite, sicut vulgariter dicitur. Iste facit se bonum, i. dicit: [Arborem bonam, & fructum ejus bonum.]

d Aut facite,] idest, dicite. Arborem malam, & fructum ejus malum,] q. d. Secundum naturam judicate, & dicite de arbore bona, scil. me, quod faciat bonum fructum, de arbore mala, scil. diabolo, quod fructum malum faciat. *Sup. 7.* Non potest arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos facere. Quod autem Christus dicatur arbor, habetur *Cantic. 2.* Sicut malus inter ligna silvarum, sic amicus meus inter filios. Sic diabolus. *Jud. 7.* Ligna agri constituerunt Rhamnum super se. *Hieron.* Christus seipsum dicit arborem, suum opus, fructum.

e Siquidem ex fructu cognoscitur arbor, *sup. 7.* A fructibus eorum cognoscetis eos. *Eccl.27.* Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis. *Luc.*

f Progenies viperarum,] quia occiderunt Christum patrem, sic mali Christiani occidunt Ecclesiam matrem. *Isid.* Sicut vipera a filiis in utero positis perimitur lacerata, ita nos cogitationes nostræ intra nos positæ occidunt, quia eas, quasi fœtus diaboli lactamus, & papillam facimus delectando.

g Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali,] quasi non potestis bonum fructum facere, cum sitis arbor mala.

h Ex abundantia enim cordis os loquitur,] sicut olla ex plenitudine redundat, *Job 41.* Fervescere faciet, quasi ollam profundum maris, & ponet, quasi cum unguenta bulliunt. *Proverb. 15.* Os stultorum ebullit stultitiam.

i Bonus homo de bono thesauro] Continuatio. Vere ex abundantia cordis os loquitur, quia bonus homo de thesauro bono, idest, de bona intentione.

k Profert bona:] verba.

l Et malus homo de malo thesauro] idest, perversa intentione.

m Profert mala verba.] *Prov.18.* Mors, & vita in manibus linguæ. *Inf. 15.* Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia. Nota autem, quod est triplex thesaurus bonus. Doctrinæ, gratiæ, & gloriæ. Primus admirabilis, secundus desiderabilis, tertius inæstimabilis. De primo *Is.45.* Dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, idest, Sac. Scripturas, ut scias, quia ego Dominus. Hoc dicitur Cyro, qui interpretatur hæres, clericus, qui dicit: Dominus pars hæreditatis meæ. De secundo: *Prov.21.* Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo justi. *2.Cor.4.* Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. De tertio: *Deut.28* Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cœlum, ut pluviam tribuat terræ in tempore suo, benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Hos tres thesauros aperit Dominus. De primo dicitur, *Luc. 21.* Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri. *Ps.50.* Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. De aliis duobus. *Ps.83.* Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Similiter est triplex thesaurus malus. Cupiditatis, iniquitatis, & pœnæ gehennalis. Primus contemptibilis, quia de stercoribus. Secundus miserabilis. *Prov. 14.* Miseros facit populos peccatum. Tertius intolerabilis. De primo dicitur *Hebr.11.* fide Moyses grandis effectus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Æthypticorum improperium Christi. *Eccl.31.* Beatus dives, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. *Prov.21.* Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus, & excors est. De secundo: *Mich.6.* Adhuc ignis in domo impii, thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena. Iste thesaurus fit de subtilioribus, pretiosioribus, & durabilioribus, sicut alii thesauri, idest, de subtilioribus peccatis sc. spiritualibus, quæ pretiosa sunt diabolo, quia majoris sunt culpæ, quam carnalia. *Greg.* Carnalia peccata minoris sunt culpæ, sed majoris infamiæ, & eo durabiliora, quia occultiora, quia tunc non possunt reprehendi. De tertio dicitur *Roman. secundo*, secundum duritiam tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei.

Thesaurus bonus triplex. *Ps. 15.* *Thesaurus malus triplex.*

n Dico autem vobis:] Anthypophora est. Ne pa-

a quoniam de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex b verbis enim tuis justificaberis, & c ex verbis tuis condemnaberis. Tunc d responderunt ei quidam de Scribis, & Pharisæis, dicentes, e Magister volumus a te signum videre. f Qui respondens, ait illis: Generatio mala, & g adultera h signum quærit, i & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ, k Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic l erit filius hominis in corde terræ,

... rigendeant verbum blasphemiæ. a Quoniam de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.] Sed quare non similiter de opere? Responsio. Quia verbum ex oratione oritur, quod non omne opus. Item omne verbum comprimere possumus, non omne aliud opus. Et hoc notat Dominus, cum dicit: reddent rationem.] Quid autem sit otiosum verbum, dicit Gregor. super Jacobi ult. Verbum otiosum est, quod caret ratione justæ necessitatis, & intentione piæ utilitatis. Hier. super Lev. 21.] Quicquid non ædificat audientes, in periculum vertitur eloquentium. Item qui scurrilitatem replicat, & cachinnis ora dissolvit, & aliquid profert turpitudinis, hic non otiosi sermonis, sed criminosi reus tenebitur.

Item in verborum pondere, probatio existit humanæ vitæ. Orig. super Num. 12. Inanis est omnis sermo, in quo non est intrinsecus aliquid de Deo, vel Dei mandato. Gloss. hic: Quod sine utilitate loquentis dicitur, aut audientis. Verba enim instructionis, & correctionis utilia sunt animæ, verba recreationis, vel consolationis sunt corpori, hæc tamen indifferentia sunt, nisi fiant eo fine, ut mediante corpore prosint animæ.

b Ex verbis enim tuis justificaberis] idest, mereberis, ut justus remunieraberis.

c Et ex verbis tuis,] si mala sint, [condemnaberis] Unde Prov. 18. Mors, & vita in manibus linguæ. Nota, in locutione quinque sunt inquirenda. Quid dicatur, cui dicatur, ubi quid dicatur, quando quid dicatur, & qualitas, idest, modus loquendi. Quid dicatur, determinat Apostolus. Col. 4. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, idest, semper sit gratus, & utilis sine ulla otiositate. Otiosa sunt omnia, quæ sunt nociva, aut inhonesta, aut inutilia sunt, quæ nec audientibus, nec loquentibus prosunt. Inhonesta sunt, quæ non conveniunt dignitati illius, qui loquitur, vel illius, cui loquitur, vel illius, de quo loquitur. Nociva sunt, quæ suis suasionibus animo auditorum, sive ad errorem, sive ad depravitatem ducunt.

Senes itaque loqui debent, de discretione bene consulendi, juvenes de instantia benefaciendi, sapientes de mysteriis Scripturarum, simplices de exemplo bonorum operum, hi, qui quietam vitam ducunt, de disciplina modi recte vivendi, hi, qui exteriora tractant negotia, de industria acquirendi: Prælati de promissione, subditi de obedientia præceptorum, & unusquisque, qui loquitur secundum qualitatem personæ, sive materiæ requirat congruam, de qua loquatur, materiam. Secundum est, cui quid dicatur: Eccl. 22. Cum stulto ne multum loquaris, quia qui arguit impium, generat maculam sibi. Qui ergo cum alio loquitur, primo consideret si pro se, aut propter alium loquatur. Si propter suam utilitatem loquatur, videat utrum ipse sit talis, de cujus colloquio utilitas ei provenire possit. Si propter alium loquatur, caveat ne talis sit ille, quod vel sua exhortatione non indigeat, vel ita in malo obstinatus sit, ut correctione alterius se corrigi non permittat: Alioquin & sapientes velle docere, superbia est, & obstinatos corrigere, insipientia est.

Exhortentur igitur ad confortationem timidos, ad temperantiam prodigos, ad humanitatem parcos, ad consilium temerarios, ad silentium verbosos, ad alacritatem segnes, ad mansuetudinem impatientes, ad justitiam negligentes, ad timorem superbos, ad liberalitatem avaros, ad parcitatem gulosos, ad fervorem tepidos, ad verbum exhortationis nimis tacitos, ad indulgentiam crudeles, ad quietem præcipites, ad prudentiam incautos, ad modestiam inverecundos, ad sollicitudinem obliviosos.

Tertium est, ubi quid dicatur. Est enim locus, ubi perpetuum servandum est silentium, ut sanctuarium; dormitorium. Quartum est, quando quid dicatur. Est enim tempus tacendi, scil. si alius loqui cœperit. Eccl. 3. Job 29. Qui me audiebant expectabant sententiam meam. Est autem tacendum propter infirmitatem auditorum. Joann. 16. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Item propter præcipitationem vitandam. Prov. 18. Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat. Item Eccl. quinto. Si est tibi intellectus, responde proximo tuo, sin autem manus tua sit super os tuum. Item propter reverentiam personæ. Eccles. undecimo. Prius quam, interroges, non vituperes quemquam, & cum interrogaveris, corripe juste. Item propter malitiam auditorum. Ecclesiastic. vigesimo secundo. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno. Cum dormiente loquitur, qui narrat stulto sapientiam, & in fine narrationis dicet, quis est hic? Proverb. 23. In auribus insipientium ne multum loquaris, supra septimo. Nolite spargere margaritas ante porcos. Item qualitas, idest, modus loquendi in tribus consistit. Hoc est, quo gestu, quo sono, qua significatione, quid dicatur. Sit ergo gestus modestus, humilis, sonus mitis, & suavis, quia de Christo dicitur in hoc cap. Non contendet, neque clamabit, neque aliquis in plateis audiet vocem ejus. Significatio vera, & dulcis, quia falsus testis non erit impunitus, & qui mendacium loquitur, non effugiet. Dulcis, quia sermo dulcis multiplicat amicos. Isti sunt quinque digiti linguæ.

d Tunc responderunt ei quidam de Scribis, & Pharisæis, dicentes,] Confusi Pharisæi in calumnia tam verborum, quam factorum convertunt se ad figmenta. Promptuaria enim eorum plena, eructantia ex hoc in illud, quasi tu ejicis dæmones invisibiliter, exhibe nobis aliquod signum visibile.

e Magister volumus a te signum videre,] Luc. 11. dicit, alii tentantes, signum de cœlo quærebant. 1. Corinth. 1. Judæi signa quærunt. Græci sapientiam. [Signum, ut tonitruum tempore Samuelis. 1. Reg. 7. Ignem, ut tempore Eliæ 3. Reg. 18. Adhuc autem Scribæ, & Pharisæi nostri signum petunt de cœlo, idest, signum sublimitatis volunt habere in se, & in aliis venantur, sed signa paupertatis, & humilitatis contemnunt. Unde Lucæ 2. Positus est hic in ruinam, & in signum, cui contradicetur. Item ibid. Et hoc vobis signum, invenietis infantem positum in præsepio pannis involutum. Jam signa hæc non sunt multis credibilia, sed suspecta, unde eis detrahunt.

f Qui respondens ait illis. Generatio mala,] per invidiam. Job 28. Terra de qua oriebatur panis, i. doctrina, in loco suo igne subversa est, idest, per invidiam.

g Et adultera,] cum idolis. Ezech. 16. Multiplicasti fornicationem ad irritandum me. Eodem judicabo te judicio adulterarum. Jerem. 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, & ego suscipiam te.

h Signum quærit,] de cœlo.

i Et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.] Contra. Nonne signum fuit Lazari suscitatio? Jo. 11. Item Joann. 12. Vox de cœlo audita est, quasi tonitruum. Et sol obscuratus est. Inf. 27. Sol. Idest, dabitur eis signum mortis, non potentiæ, ut resurrectionis, & ascensionis, quia resurgentem non viderunt, neque ascendentem in cœlum. [Signum] idest, partem signi. Absorptio enim Jonæ mortem Christi figurabat, quæ visibiliter exhibita fuit Judæis. Evomitio resurrectionem, quæ non fuit eis exhibita, sed Apostolis solum. In suscitatione Lazari dedit Dominus signum potentiæ, sed in terra. Signa autem mortis illius, quæ erant de humana natura, data sunt eis tam de cœlo, quam de terra. Ut petrarum scissio, & velum templi, & monumentorum apertio, de terra. Solis obscuratio, de cœlo. Vel exponatur, [ei,] i. ad utilitatem ejus, quo, scil. signo convertatur, & credat. k Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ,] i. in sepulchro, A a Tribus diebus

Moraliter. l Sic erit filius hominis in corde terræ;] idest, Christus, i. fides ejus in corde eorum, qui per amo- * rem sunt in centro

a tribos diebus, & tribus noctibus. Viri *b* Ninivitæ resurgent in judicio, *c* cum generatione ista, & *d* condemnabunt eam, *e* quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. *f* ecce plus quam Jonas hic. *g* Regina Austri *h* surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam, *i* quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plus quam Salomon hic. *k* Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, *l* ambulat per loca arida, *m* quærens requiem, & non invenit, *n* tunc dicit. Revertar in domum meam, unde exivi. Et *o* veniens invenit eam vacantem, *p* scopis mundatam, & *q* ornatam, Tunc *r* vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se,

A *a* Tribus diebus, & tribus noctibus.] Nota, ab initio mundi usque ad Resurrectionem Christi præcessit dies *ad litteram*, & Mystice, quia iam Angelus, quam homo cecidit a luce in tenebris. Sed de Christi Resurrectione nox præcessit, in cujus figura Sabbatum in lege servabatur a vespera usque in vesperam, secundum quosdam. Sic Christus fuit in sepulchro sexta feria pro parte, & nocte illa, quæ tunc erat sexta diei, & in Sabbato, & in sequenti nocte, quæ tunc erat sabbati, & principio diei Dominicæ, & tunc nox precedens Christo resurgente, facta est diei Dominicæ, & sic computatur pro duabus noctibus. Et merito, quia simpla nocte sua, duplam nostram abstulit, & ita nox illa fuit, quasi angularis. Quidam tenebras a sexta usque ad nonam seputant pro una nocte, sed tunc non fuit in corde terræ, i. in sepulcho. *Hier.* Tribus diebus, & tribus noctibus, ut a parte totum intelligas, idest, intra tria spatia, quæ constant ex tribus diebus, & tribus noctibus Dominus fuit in sepulchro quasi in corde terræ.

Moral. * rem sunt in centro terræ. Læso quoque membro cor læditur, sic læsa quacumque participatione ejus avarus læditur. *Ezech.* 27. Ad Tyrum. In corde maris sita es, idest, amaritudinis.

Hic Christus mortuus est.

a Tribus diebus, & tribus noctibus,] i. infantia, pueritia, adolescentia. Juventute, senectote, senio. Vel Tribus diebus, in prosperitate, quia offertur ille super æquales, superiores, & inferiores.

a Et tribus noctibua,] idest, in adversitate deprimitur sub omnibus. *Jer.* 36. Cadaver ejus projeicetur ad æstum per diem, & gelu per noctem. Primum elationis, secundum torporis.

b Viri Ninivitæ resurgent in judicio] generali.

c Cum generatione ista,] 1. *Cor.* 15. Omnes quidem resurgemus,

d Et condemnabunt eam] comparatione.

e Quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ,] qui solis tribus diebus prædicavit, nec etiam viderunt signa a Jona, fuit etiam minor Christo.

f Et ecce plus quam Jonas hic.] secundum *Hier.* [hic] adverbium est. *Hier.* Jonas triduo prædicavit, nihil signorum fecit, acceptus est peregrinus, Christus vero prędicavit multo tempore, fecit tot, & tanta, reprobatus est tandem à suis.

g Regina Austri,] i. Sibilla 1. *Par.* 9. venit cum magnis opibus, & camelis, qui portabant aromata, & auri plurimum, gemmasque pretiosas.

Idem 3. *Reg.* 10.

. Notabilia autem in hac regina. Sexus fragilis, de remotis, cum difficultate relicto Imperio, cum muneribus ad putum hominem sola fama cognitum venit, e contra Pharisæi dominum negligunt, viri præsentem, gratis oblatum, sui generis beneficum, Deum & hominem miraculis approbatum.

h Surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam.] *Chrys.*

Regina Austri venit a finibus terræ, & Christiani nolunt de plateis, ubi nihil agitur, venire ad audiendom Christum.

Multi etiam de Ecclesia exeunt, & Christum solum relinquunt.

i Quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plus quam Salomon hic,] ut expositum est,

k Cum autem immundus, &c.] Ostenso quibus non sunt similes, ostendit, quibus sunt similes. Dicit ergo:

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine.] In baptismo.

Unde dicitur: Exi, immunde spiritus.

l Ambulat per loca arida,] quia quærit male humectare eos, quos Dominus siccavit.

Unde 1. *Par.* 4.

Erat Jabes inclytus præ fratribus suis. Jabes interpretatur exsiccans, hic est Christus. *Ps.* 142. Factus sum sicut terra sine aqua tibi.

Unde Dominus desiccavit rubrum mare. *Ezech.* 29. Ecce ego ad te, Pharao Rex Ægypti Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum. Castum in terra arida positum non potest obsideri.

m Quærens requiē, & non invenit,] Unde *Job* 3. Qui parati sunt suscitare Leviathan. Nota, diabolus in quibusdam, quasi in privatis domicilis, sc. quasi balneat, minuitur, ventosatur, & cum magnis luminaribus, & tripudio deducunt eum, quasi Dominum suum per villam, & obviam ei procedunt tyrocinando, hastas frangendo, & hujusmodi. *Job* 40. Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus. *n* Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi.] Hinc timeant sibi incipientes, & novitii, quia facilius recidivant.

Unde *Jud.* 6. Madianitæ castrametati sunt in valle Jezrael, i. semeo Dei. Madian, fluxus, vel iniquitas. *Is.* 37. Per viam, qua venit Sennacherib per eam revertetur; & civitatem hanc non ingredietur.

o Et veniens invenit eam vacantem.] Domus vacans, est, ubi non fit ignis charitatis, & homines, idest, motus rationales non habitant.

Hæc ruinosa fit, & habitaculum murium, canum, & immunditiarum, sicut legitur de templo. 1. *Mach.* 4. Item 2 *Reg.* 12. de David otioso. *Ezech.* 16. Hæc fuit iniquitas sororia quæ Sodomæ superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius. *Prov.* 23.

. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentor. *Act.* 17. Athenienses autem omnes, & advenæ hospites ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi. Vel in bono.

a Vacantem] orationi, contemplationi, & lectioni. De ead. 1. *Cor.* 7. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. De secundo *Ps.* 33. Vacate, & videte, quoniam suavis est Dominus. De tertio: *Eccl.* 39. Sapientiam antiquorum omnium exquiret sapiens, & in prophetis vacabit.

p Scopis mundatam.] *Ezech.* 16. Lavi te aqua, & emundavi. Vel scopis, idest, doctoribus, juxta illud *Jerem.* 17. Erit quasi myricæ in deserto. *Isaiæ decimo quarto.* Scopabo eam in scopis. Vel scopis confessionis. *Ps.* 76. Exercitabar, & scopebam spiritum meum. Vel scopis instructionis, & correctionis, vel virtutum apparentium.

q Et ornatam] cortina alba, i. mundiria. Cortina viridi, i. fide *Hab.* 2. Justus in fide sua vivet. Cortina coccinea, i. verecundia. Cortina hyacinthina, i. spe. *Ezec.* 16. Ornavi te ornamento. *Eccl.* 32. Ornamentum gratię accipias. Item ornamentum est doctrina. *Eccl.* 12. Ornamentum aureum prudenti doctrina. Item virtutes. *Eccl.* 50. Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso. Vel: [Ornatam] simulata virtute. *Ps.* 143. Filiæ eorum compositæ.

r Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se.] Non quia nequiores sint diabolo, sed ab effectu, quia homo eos habens efficitur nequior. *Beda*: Quæ merito dicuntur nequiora diabolo, comparatione prioris inhabitationis. Septem, quia *Isa.* 4. Apprehendent septem mulieres virum unum, i. septiformis Spir. Sanctus, qui dicitur propter 7. operationes septiformis. Prima, quia generat spem, i. certitudinem spei, & certitudinem de æternis, dicitur spiritus sapientiæ. Secunda, quia certificatam mentem vitiis expulsis illuminat, dicitur spiritus intellectus.

Tertia, spiritus consilii dicitur, quia mentem, ne præceps sit, ratione replet.

Quarta, spiritus fortitudinis, dum formidanti animo confidentiam infert. Quinta, spiritus scientiæ,

A dum a nesciente,

a dum a neſciente cæritatem ignorantiæ expellit. Sexta ſpiritus pietatis, dum ſeparata impietate, operibus miſericordiæ fœcundat. Septima ſpiritus timoris, dum premens mentem ne de præſentibus elevetur, ſpe illa futurorum confortat. Spiritus etiam nequam ſeptiformis dicitur in malo. Hinc eſt, quod ſeptem dœmonia, de Maria Magdalena Dominum ejeciſſe Scriptura teſtatur. Sunt autem vitia in quibus aperte velut † fronte ſpiritus malus bono reſiſtit. Sunt alia deteriora, quæ velut adlaterata. De his *Greg.* ſuper *Job* 39. Procul odoratur bellum exhortatione Ducum, &c. Septem vero, quos ſecum aſſumit deteriores Dominus dicit: quia ſub mentita ſpecie veritatis imprudentes illaqueant. Videmus ergo malus bonis oppoſitos aliquos, quia deteriores, qui inviſibili fraude ſeducunt. Spiritus bonus ſanctus ſapientiæ, cui opponitur ſpiritus inſipientiæ. Alter pejor, ſc. ſimulatio ſapientiæ per hypocriſim. Spiritus bonus intelligentiæ, ſpiritus malus oppoſitus, ſcil. ſtultitiæ. Alter pejor, ſcilicet, ſimulatio diſciplinæ. Spiritus bonus, ſc. conſilii, malus, ſc. imprudentiæ. Alter pejor, ſc. ſimulatio prudentiæ. Spiritus bonus, ſcilicet, fortitudinis, cui opponitur malus apertæ ignaviæ. Alter pejor, ſcil. infirmitas fallens obumbratione virtutis manſuetudinis. Spiritus bonus, ſc. ſcientiæ, malus ignorantiæ. Alter pejor, ſcilicet, uſurpatio ſcientiæ. Spiritus bonus, ſc. pietatis, malus impietatis. Alter pejor, falſæ pietatis obtentus. Spiritus bonus, ſcilic. timoris, cui contrarius eſt ſpiritus temeritatis. Alter pejor, dolus fictæ religioſitatis. *Eccl.* 1. Timor Domini ſcientiæ religioſitas.

(al. † ſponte. *Marc* 1. *Luc.* 8.)

a Et intrantes habitant ibi.] In quo notatur mora eorum.

b Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus,] unde 2. *Pet.* 2. Melius eſt, ideſt, minus malum viam veritatis non agnoſcere, quam poſt agnitam retrorſum converti.

c Sic erit & generationi huic peſſimæ.] Immundus enim ſpiritus exivit a Judæis, quando legem receperunt, & ambulavit ad gentes, quæ cum crederent, reverſus eſt immundus ſpiritus ad Judæos, ſpiritus inquam blaſphemiæ. Sed quare toties dicit: [generatio?] Senſus eſt. *Eccl.* 1.

Generatio præterit, & generatio advenit, &c. [Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus.] Primus ſpiritus eſt ingratitudo veniæ.

Secundus ruptura fœderis, quod non peccaret mortaliter, nec Dominus puniret æternaliter.

Tertius ſubſannatio miſericordiæ, quia agit cum miſericordia, quaſi cum meretrice.

Quartus contumelia Sacramenti confeſſionis, & matrimonii inter ſe, & Deum.

Quintus iniquitas retributionis ejiciendo Dominum.

Sextus iteratio paſſionis, quia acetum fuit conſummatio paſſionis, ideſt, peccatum.

Septimus dolus, quia reddit diabolo caſtrum Domini. *d* Adhuc eo loquente ad turbas. Ecce mater ejus, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei.] Hic oſtendit, cui bona generatio debet eſſe ſimilis.

Chryſ. Vidit diabolus, quia perſuadebat Chriſtus populo, quod eſſet filius Dei, dicens: Ecce plus quam Salomon hic, & plus quam Jonas, timens, ne derelinquatur, ad impediendos ſermones ejus introduxit parentes ejus carnales, ut per illorum contemplationem divinitatis ejus obſcuraret verba.

Ideo venit aliquis, quaſi diaboli advocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur. [Ecce mater tua, &c.] q. d. quid gloriaris in cœlo, qui radices habes in terra? Non poteſt eſſe filius Dei, quem homines genuerunt.

Tunc Jeſus, quaſi ad homines aſpiciens, ſed vere diabolo loquebatur. Quæ eſt mater mea, &c.] non ſper-

& *a* intrantes habitant ibi, & *b* fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Sic *c* erit, & generationi huic peſſimæ. *d* Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & fratres ſtabant foris quærentes loqui ei, Dixit *e* autem ei quidam, Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te. At *f* ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. *g* Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, *h* ipſe meus frater, & ſoror, & *i* mater eſt.

C A P. XIII.

IN *k* illo die *l* exiens Jeſus de domo *m* ſedebat ſecus mare. Et *n* congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ.

nens carnalem generationem, ſed volens ſpiritualem præponi carnali. Et hoc eſt:

e Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te.] *Hier.* Quidam ſequentes deliramenta Apocryphorum, ſuſpicantur fratres Domini eſſe filios Joſeph de quadam muliercula. Fratres autem hic vocantur conſobrini Domini. Quidam volens eum ſeducere per carnalem affectum, ſed dominus, nec ab opere ſpirituali ceſſat, nec locum calumniæ dat. Nota, quæritur Dominus, & per fidem invenitur. *Jo.* 1. Invenimus Meſſiam. Item invenitur per bonam operationem. *Iſ.* 55. Quærite Dominum, dum inveniri poteſt. Dum tempus eſt operandi. Item per rationem, ut Philoſophi. *Act.* 17. Quærere Deum, ſi forte attractent eum aut inveniant, quamvis non longe ſit ab unoquoque noſtrum. *Sap.* 9. Quæ in proſpectu ſunt, i. curſus ſiderum, invenimus cum labore, quæ autem in cœlis ſunt, quis inveſtigabit? Item per charitatem, vel cultum. 2. *Par.* 15. In tota voluntate ſua quæſierunt Deum, & invenerunt. Item invenitur per vigiliam. *Prov.* 8. Qui mane vigilaverit ad me, inveniet me. *Sap.* 6. Qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit, aſſidentem enim foribus ſuis inveniet.

(*Dominus quæritur, & invenitur multis modis.*) A

(*Marc.* 4. *Luc.* 8.)

Item per diſciplinam. *Cant.* 3. Paululum cum pertranſiſſem eos, inveni, quem diligit anima mea.

Item per peregrinationem. *Bar.* 3. Quis transfretavit mare, & invenit illam, ideſt, ſapientiam.

Item per introitum religionis, *ſup.* 2. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus.

f At ipſe reſpondens dicenti ſibi ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.] *Hier.* Non negat matrem quaſi de phantaſmate natus, ut volunt Martiani, & Manichæi, ſed inſidianti reſpondet. *g* Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt,] Hæc eſt enim voluntas Dei Sanctificatio veſtra. *h* Ipſe meus frater, & ſoror] geniti a Deo ſpiritualiter, ut ego naturaliter. Ponit autem ſexum femineum, ne videatur excludi. *i* Et mater eſt,] quia in cordibus credentium me generant verbo, & exemplo.

(1. *Theſſ.* 4.)

E X P O S I T I O C A P. XIII.

IN illo die exiens Jeſus, &c.] In præcedenti capite tranſiit Dominus per ſata corporaliter, hic tranſit ſpiritualiter, agens in parabolis de ſpirituali ſemine verbi Dei. Dixerat ergo Scribas, & Phariſæos contemptores verbi ſui, quaſi a ſeptem ſpiritibus immundis poſſideri, hic autem doctrinam Evangelicam comparat ſeptem rebus in ſeptem parabolis: Primo ſemini cadenti in viam, petram, terram bonam. Secundo bono ſemini, & ſic deinceps, ut ſic innuat bonos auditores donis Sp. Sancti ſeptemplicis erudiri. Primo autem agit de ſemine, quod habet impedimentum ex parte recipientium. Secundo de eo, quod habet exterius detrimentum. Tertio de non impedimento. Et poſt receptionem Judæorum non videntium, neque audientium ſpiritualiter commendat Apoſtolos videntes, & audientes. Dividitur autem caput hoc in ſeptem partes ſecundum numerum ſeptem parabolarum. Et ſunt ſex rationes, quare Dominus loquitur parabolice. Prima ut ſtudioſi exerceantur, ſecunda, ut jejunent deſidioſi ante cibum, tertia, ut per cognita trahat ad incognita, quarta, ut ſervet morem Palæſtinæ, ubi prædicabat, quinta ut meliorem memoriam ponat. Hanc aſſignat *Chryſ.* Sexta, ut veritas indignis celetur. Dicit ergo:

k In illo die,] poſt ſermonem in domo.

l Exiens Jeſus,] de domo.

Allegorice. A Judæis. *Jer.* 12. Reliqui domum meam. *m* Sedebat ſecus mare.] gentium. *n* Et congregatæ

(*Alleg.*)

a sunt ad eum turbæ multæ,] idest, multitudo gentium ad prædicationem Apostolorum.

a Ita ut naviculam ascendens sederet, & omnis turba stabat in litore,] Littera plana est.

a ita ut † naviculam ascendens sederet, & omnis turba stabat in littore, & b locutus est eis multa in parabolis, c dicens: Ecce exiit, d qui seminat seminare † semen suum. Et e dum seminat, quędam ceciderunt secus viam, & f venerunt volucres cœli, & g comederunt ea, h Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam, & i continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem k terrę. l Sole autem orto m ęstuaverunt, & n quia non habebant radicem, o aruerunt. p Alia autem ceciderunt in spinas, & q creverunt spinę, & r suffocaverunt ea. ſ Alia vero ceciderunt in terram bonam,

al. † in.

al. † non habet semen suum. Luc. 8.

Moraliter. Navis est quilibet justus, in quem Deus ascendit. Navis enim in principio, & in fine arcta est, sed in medio lata, sic principium hominis, & finis arctus est, medium vero latum. Malus in hac navi est spes, per quam elevatur. Coloss. 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, sapite. Velum, charitas est, quæ anta per desiderium futurorum, dextrorsum per amorem fidelium, sinistrorsum infidelium extenditur. Duo ligna veli, quorum unum superius est, reliquum inferius, rationem, & sensualitatem significant. Charitas enim superius debet firmari per rationem, & immobiliter teneri, inferius vero non solum teneri, sed moveri, per sensualitatem enim debet bona opera exercere. Chordæ sunt virtutes, humilitas, patientia, compassio, modestia, mansuetudo, bonitas, prudentia, fortitudo, justitia, temperantia. Hæ extenduntur per exercitationem, ne malus vacillando declinet, & navem ducat ad naufragium. Habeat remos per bonorum operum exhibitionem, qui in aquis emittuntur, quia ad omnes bona opera extenduntur a bonis. Bene autem dicuntur homines aquæ, quia oriuntur per nativitatem, fluunt per sæculi vanitatem, effluunt per mortem. A dextris, & a sinistris extenduntur. Inimicis extenduntur, juxta illud: Benefacite his, qui oderunt vos. Amicis etiam, juxta legem Moysi. Gubernaculum est discretio, quæ non sinit nos declinare ad dexteram per prospera, nec ad finistram per adversa, sed in directum ducit. Anchora est humilitas, quæ ad ima dimittitur, ne navis vento suggestionum diaboli elevetur, vel fluctuatione malarum cogitationum concutiatur, firmiter stabilitur, Hauritorium confessio: Ecce verbum Dei.

Sup. 5.

b Locutus est eis multa in parabolis,] Hieronym. Parabola est rerum in natura discordantium sub aliqua similitudine facta comparatio.

c Dicens: Ecce exiit,] comparatur hic persona personæ, & negotium negotio, quod fuit, vel esse potuit. (Exiit,) de sinu patris in mundo, idest, de invisibilitate patris visibilis apparuit. Joannis capitulo decimo sexto. Exivi a patre, & veni in mundum. Genes. decimosecundo. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi. Jerem. capitulo decimoquarto. Quare, quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, & fortis, qui non potest salvare? Et per Apostolos Isaiæ capitulo vigesimoseptimo. Qui egredientur impetu a Jacob, florebit, & germinabit Israel, idest, Ecclesia, & implebunt faciem orbis semine.

d Qui seminat seminare semen suum.] Psalm. Seminaverunt agros, & plantaverunt vineas, & fecerunt fructum Nativitatis. Item, (Exiit, &c.) Contra eos, qui nolunt ad humiliora descendere, ut seminent verbum Dei, vel ad extraneos. Genes. capitulo vigesimo sexto. Exiit Isaac in Gerara, idest, advena, vel ruminans. Item contra inveteratos in studio. Mich. capitulo quarto. De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem. Et concident gladios, scilicet, disputationum, in vomeres, prædicationum moralium, sive moralitatum. (Qui seminat,) qui habet gratiam, & scientiam seminandi. Joann. decimooctavo. Pilatus quæsito, quid est veritas, statim exiit, non expectans responsionem. Nescientis est quærere. (Semen suum,) per intellectum, & affectum Genes. primo. Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, cujus semen sit in semetipso. Ecclesiast. decimoprimo. Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua. Vel semen est Christus, scilicet, granum frumenti, de quo Joan. decimosecundo. Quod seminatum est in Sacra Scriptura, & inde crevit messis intelligentiæ. Levitic. 19. Non seres agrum diverso semine, quod facit, qui bene prædicat, & malum exemplum dat Act. 17. Quid vult seminiverbius iste dicere? De Paulo. Qui seminat paleam de grano, voces sine utilitate enuncians.

e Et dum seminat, quædam] semina, (ceciderunt secus viam.) Isaiæ capitulo quinquagesimoprimo. Posuisti corpus tuum, ut terram, & quasi viam transeuntibus, ut meretrix, & propter hoc non potes concipere. Job decimonono. Venerunt latrones, & fecerunt sibi viam per me.

f Et venerunt volucres cœli, & comederunt ea.] Ezech. 39. Feris, & avibus, omnique volatili, & bestiis terræ dedi te ad devorandum. Deut. 32. Devorabunt eos aves morsu amarissimo, idest, prædicatores in præsenti, vel dæmones in futuro.

g Et comederunt ea.] Judic. 6. Cum seminasset Israel, ascendebat Madian, & Amalech, & ceteri orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant, Osee 8. Culmus stans, non est in eo germen, non faciet farinam. Quod & si fecerit, alieni comedent eam. Psalm. 79. Vindemiaverunt eam omnes, qui prætergrediuntur viam.

h Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam,] idest, dura corda. Ezech. trigesimosexto. Auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Item 26. Dabo te in limpidissimam petram, Et loquitur Tyro.

i Et continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem] idest, profunditatem.

k Terræ.] idest, patientiæ, De qua Ecclesiast. primo. Generatio præterit, generatio advenit, terra autem in æternum stat.

l Sole autem orto] idest, fervore persecutionis. Jac. 1. Exortus est sol cum ardore.

m Æstuaverunt,] per impatientiam.

n Et quia non habebant radicem,] charitatem firmam Ephes. 3. In charitate radicati, & fundati. Item radicem timoris. Eccles. 1. Radix sapientiæ timere Deum. Hæ radices radicantur in justis. Eccles. 24. In electis meis mitte radices.

o Aruerunt.] Lucæ octavo Et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Isaiæ decimoquinto. Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit. Job 30. Ossa mea aruerunt præ caumate.

p Alia autem ceciderunt in spinas,] idest, in corda ambitione divitiarum sollicita. Job cap. 30. Esse sub sentibus delicias computabant, filii stultorum, & ignobilium. Jerem. 4. Novate vobis novale, & nolite serere super spinas.

q Et creverunt spinæ,] idest, solicitudines temporales.

r Et suffocaverunt ea.] quia, pluribus intentus minor est ad singula sensus. ſ Alia vero ceciderunt in terram bonam,] De qua, Versus,

Nigra, rotunda, capax, medians circumdata, fœta,
Integra, stans, humilis, cibat, omnia continet aurum.

Sic sanctus homo. Nigra Cant. 1. Nigra sum, sed formosa. Rotunda. Cant. 6. Una est columba mea, perfecta mea. Capax, in visceribus charitatis, per compassionem. Si compatimur, & conregnabimus. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Medians, reconciliando discordes. Unde Apostoli, & sancti dicuntur nubes, quæ est inter nos, & cœlum. Isaiæ 50. Qui sunt isti, qui ut nubes volant. Circumdata, Oceano, idest, tribulationibus. Psalm. 17. & 114. Circumdederunt me dolores mortis. Fœta, per bona opera. Genes. 1. Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, facientem fructum juxta genus suum. Integra, quia non patitur sectionem. Jacobus cap. 1. Ut sitis perfecti, & integri in nullo deficientes. Stans. Ecclesiast. 1. Terra autem in æternum stat. Qui stat, videat, ne cadat. Humilis, supr. 11. Discite a me, quia mitis sum, &

2. Tim. 2.
2. Cor. 11.
2. Cor. 10.

a humilis corde. Cibat omnia; verbo, exemplo, & subsidio. Ideo pasce, pasce, pasce, ter dictum est Petro. *Joan.* 21. Continet aurum divinæ sapientiæ, *Cant.* 4. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es, oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet, quasi dicat, pulchrior es intus, quam extra. Talis est terra bona.

al. † fructus.

a Et dabant fructum aliud centesimum,] idest, virginibus. *Gen.* 26. Seminavit Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum. *Job* 42. Dominus autem benedixit novissimis Job magis, quam principio ejus.

B

Marc. 4. *Luc.* 8.

b Aliud sexagesimum,] in viduis.

al. † quod hoc.

c Aliud trigesimum.] in conjugatis.

d Qui habet aures audiendi, audiat,] quasi dicat, hoc mysticum est. *e* Et accedentes discipuli dixerunt ei] Dolentes Apostoli, quia populus non intelligebat, & quia talium verborum declaratione fraudabatur, moti charitate, quæ non solum suam, sed alienam salutem quærit, ut potest, scientes, quod non sine causa, ita obscure populo loqueretur, & alia in corde suo haberent, quærunt sibi aperte ostendi. Primo respondit Dominus, ut sic ostenderat eis se esse Deum, & non sine causa, ita loqui populo. Et in hoc facto invitant nos discipuli, ut de aliorum salute, plus quam de nostra simus solliciti, quia ut dicit *Chrysostom.* perfecta gratia charitatis est, quæ amplius festinat aliis utilis, & lucrosa esse, quam sibi. In hoc etiam instruit nos Dominus, ut indignis mysteria scripturæ non pandantur. Unde *supr.* 7. Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos. Dicit ergo.

e Et accedentes discipuli] ad litteram, vel mente. *Psal.* 33. Accedite ad eum, & illuminamini.

f Dixerunt ei:] *Chrysostomus*. Cupientes discere, oportet interrogare.

g Quare in parabolis] idest, per ænigmata, idest, & obscuram allegoriam.

h Loqueris eis?] supple dicentes etiam corde, & nobis non parabolice, sed aperte.

i Qui respondens, ait illis:] primo eorum quæstioni tacite respondens.

k Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum,] *Beda* illis, qui foris sunt, ut *Marc.* 4. Scribit in parabolis omnia fiunt. Foris quidem dicit, non solum illos, qui non curabant intrare navem, neque cognoscere veritatem, sed etiam omnes illis similes corporis sensum tantum sequentes, ut nihil spiritualiter intelligant. Illi enim digni erant audire mysteria in intimo penetrali sapientiæ, qui remotis cogitationum tumultibus in solitudine virtutum permanebant. Hoc autem, quod dicit, (vobis,) significat eos præsentes esse in navi. Per hoc, quod dicit, (illis,) significat non esse præsentes, sed a remotis. *Num.* 4. Cumque involverit Aaron, & filii ejus sanctuarium, & omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta. Aaron montanus, hi sunt majores in Ecclesia. Caath pœnitentia, hi sunt minores.

l Mysteria regni cœlorum,] idest, abdita scripturarum. Hinc est, quod codex Evangelicus a sacerdote deosculatur apertus, & ab aliis clausus.

m Illis autem non datum.] quasi dicat, vobis revelanda sunt mysteria regni Dei, & abdita scripturarum pandenda, quia ex amore auditis, fidem dictis adhibetis. Illi vero credere nolunt, & ideo indigni sunt, ut eis mysteria revelentur. Item, (illis,) quasi a longe positis tam fide, quam loco.

n Qui enim habet,] amorem, & hoc per naturalem cognitionem, secundum primam expositionem, & generalem. Vel per inspirationem, idest, sapientiam, scilicet, conditam scientiam secundum expositionem secundam, & minus generalem. Item.

n Qui habet,] fidem. *o* Dabitur ei, abundabit,] quod augmentum virtutum. Tertia expositio hæc, & specialis de Apostolis. Aliter.

& *a* dabant † fructum, aliud centesimum, *b* aliud sexagesimum, *c* aliud trigesimum. *d* Qui habet aures audiendi, audiat. Et *e* accedentes discipuli *f* dixerunt ei: *g* Quare in parabolis *h* loqueris eis? *i* Qui respondens, ait illis: *k* Quia vobis datum est nosse *l* mysteria regni cœlorum, illis *m* autem non est datum. *n* Qui enim habet, *o* dabitur ei, & abundabit, qui *p* autem non habet, † id, quod videtur habere, auferetur ab eo. *q* Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes *r* non vident, & *s* audientes *t* non audiunt, *u* neque intelligunt, ut *x* adimpleatur in eis prophetia Isaiæ, dicentis. *y* Auditu audietis, & non intelligetis, & *z* videntes *a* videbitis, *b* & non videbitis: *c* incrassatum est enim cor populi hujus, & *d* auribus graviter audierunt, & *e* oculos suos clauserunt, ne *f* quando oculis

n Qui habet enim,] gratiam. *o* Dabitur ei, & abundabit,] scilicet, gloria. *Isai.* 30. Miserans miserebitur tui. *Psal.* 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Item.

n Qui habet,] desiderium audiendi.

o Dabitur ei,] intellectus. *Eccles.* 6. In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conserva vias ejus, investiga illam, & manifestabitur tibi, Item.

n Qui habet,] fidem.

o Dabitur ei,] visio manifesta. 1. *Corint.* 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Item.

n Qui habet,] voluntatem.

Isa. 6. *Joan.* 12. *Act.* 28.

o Dabitur,] opus. *Philip.* Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere. Item.

n Qui habet,] opus.

Psalm. 118.

o Dabitur,] intelligentia. *Psalm.* 118. A mandatis tuis intellexi. Et alibi. Intellectus bonus omnibus facientibus eum. *Chrysostomus*. Si aliquis desiderium habuerit, & studium, dabuntur ei universa, quæ a Deo sunt.

p Qui autem non habet, id quod videtur habere, auferetur ab eo.] *Chrysostomus*. Benedicit, (quod videtur habere.) Neque enim hoc ipsum habet. Idem. Quomodo procedit. Si enim tollatur ab eo, quomodo non habuit? Et si non habuit, quomodo tollitur ab eo? Sed ita procedit. Qui habet aliquem intellectum, & non facit cum illo justitiam pertinentem ad gloriam Dei, sed e contra circa res terrenas occupat eum, habens non videtur habere, quia quantum ad Deum nihil habet, qui Deo nihil facit. Sicut homo cujus oculi iniquitatem vident, quantum ad Deum videns dicitur cæcus esse. Unde *infra* 15. Cæci sunt, & duces cæcorum. Et sic peccatis vivens, mortuus dicitur, quia ille talis diabolo, non Deo vivit. Sic qui habet intellectum, & non operatur bonum, quantum ad Deum, nec habet intellectum, & ideo tollitur ab eo, & ipsum, quod habet, ut nec intelligat, quod est bonum, & ideo ut cæcus ducitur a dæmonibus per omnia opera mala.

q Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes,] foris miracula.

r Non vident,] intus me Deum. *Isaiæ vigesimosexto*, In terra Sanctorum iniqua egit, ideo non videbit gloriam Dei.

s Et audientes] foris.

t Non audiunt,] intus.

u Neque intelligunt,] legem Moysis, & prophetas, licet exponam eis.

x Et adimpleatur in eis prophetia Isaiæ, dicentis.] *Is.* 6.

y Auditu audietis,] *Hieronymus*, prædicationem Christi, (& non intelligetis.)

z Et videntes] oculo corporis.

a Videbitis,] *Hieronymus*, miracula Christi.

b Et non videbitis:] oculo interiori.

c Incrassatum est enim cor populi hujus,] idest, Judæorum. *Psalm.* 72. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. *Deuteronom.* 32. Incrassatus est dilectus, & recalcitravit.

d Et auribus graviter audierunt,] Graviter audiunt, qui ea, quæ audiunt, contemnunt, & ideo sunt molesta eis. *Sapient.* 2. Gravis est etiam nobis ad videndum. *Joan.* 6. Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?

e Et oculos suos clauserunt,] *Interlin.* Intuitum mentis per invidiam averterunt. *Hieronymus*. Ideo oculos suos clausisse dicuntur, ne arbitremur culpam naturæ esse, non voluntatis. Cum enim possent cogitare, & intelligere averterunt.

f Nequando oculis videant,] idest, numquam, idest, non aliquando, & ad totum sequens retorquetur expositio ista. Item (nequando,) nunquam, quoad hæc verba, videant, audiant, intelligant. Vel, (ne quando,) idest, aliquando, quoad hæc verba, convertantur, & sanem. Simile 2. *Tim.* 2. Corripientem eos, qui resistunt veritati, nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam

veritatem. Et

a veritatem. a Et auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur,] ad pœnitentiam.
b Et sanem eos,] qui sum verus medicus, sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem.
c Vestri autem beati oculi,] interiores, & exteriores.
d Qui vident,] oculis interioribus me Deum, oculis exterioribus me hominem.

Luc. 10. al. † quia. al. † quia.

e Et aures vestræ,] interiores, & exteriores.
f Quæ audiunt.] prædicationem meam.

C

Marc. 4. Luc. 8.

g Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ, & justi cupierunt videre, quæ vos videtis,] Isai. 64. Utinam dirumperes cœlos, descenderes, a facie tua montes defluerent.
h Et non viderunt:] nisi a longe per aliquas species, Heb. 11. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes, &c. Abraham, pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gavisus est. Joan. 8. Item Moyses per rubum ardentem, & incombustum prævidit partum Virginis. Sed dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Et audire, quæ,] vos, (auditis, & non audierunt.) Job 24. Auditu auris audivi te, nunc oculus meus videt te.

videant, & a auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & b sanem eos, c vestri autem beati oculi, † d qui vident, & e aures vestræ, † f quæ audiunt. g Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ, & justi cupierunt videre, quæ videtis, h & non viderunt: & i audire, quæ auditis, & non audierunt. k Vos ergo audite parabolam seminantis. Omnis, l qui audit verbum regni, m & non intelligit, n venit malus, & o rapit, quod p seminatum est in corde ejus, hic est, qui secus viam seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud. Non q habet autem in se radicem, sed r est temporalis. s Facta autem tribulatione, t & persecutione u propter verbum x continuo scandalizatur. y Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum Dei audit, & solicitudo seculi istius, & z fallacia divitiarum a suffocat verbum, b & sine fructu c efficitur d Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, & intelligit, & e fructum affert, & f facit aliud, quidem centesimum, g aliud autem sexagesimum, porro h aliud trigesimum,

k Vos ergo audite parabolam seminantis.] Non singula verba, sed summam sententiæ. Non omnino exponit, ut habeas, in quo desudare possis, more nutricis, quæ nuces alumnis portans mirantibus frangit, & nucleum ostendit.
l Omnis, qui audit verbum Dei,] idest, per quod promittitur regnum. Nota autem, quod est verbum cœli, verbum Christi, verbum terræ, verbum Justiniani, & Gratiani, verbum carnis, verbum Galeni.
m Et non intelligit,] idest, ad opus non perducit. Hoc enim est fideliter intelligere, unde fides dicitur, eo quod per eam fiant dicta.
n Venit malus,] idest, diabolus.
o Et rapit,] statim, ita quod in verbo nullam delectationem habent, nec incipiunt bene agere.
p Quod seminatum est in corde ejus,] granum, scilicet, verbi Dei, & seminant semen carnis, de quo Galat. 6. Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. Aggæi 1. Seminastis multum, & intulistis parum. Nota, quod est semen seminatum, scilicet, verbum Dei. Hoc Christus in Judæa, & Apostoli in universo mundo seminaverunt, de quo agitur hic. Item semen inspiratum voluntas, vel virtus. Hoc Deus in nobis sine nobis seminat, de quo in secunda parabola. Item coopertum, fervor charitatis cooperante gratia ad bonorum operum multiplicationem, de quo in tertia. Quartum apponit, Cantor, scilicet, innatum bonum propositum, quod dicit bonam voluntatem. Item est semen datum, eleemosyna. 2. Cor. 9. Qui parce seminat, parce & metet. Item semen, oratio. Psal. 125. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Item semen est, quicquid boni feceris. Galat. 6. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. Ecclesiast. 11. Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua. Item semen Christus, quem seminavit Deus in utero Virginis, quem seminant prædicatores in agro Ecclesiæ, Genes. 22. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Nota, quod melius seminant rustici, quam reges. (Hic est, qui secus viam seminatus est, &c.)

Semen multiplex.

q Non habet autem in se radicem,] charitatis radicatæ, & timoris, ut supra.
r Sed est temporalis.] Job. 15. Non mittet in terra radicem, & auferetur spiritu oris sui, scilicet, per verbum jactantiæ. Osee 8. Ventum seminabunt, & turbinem metent, culmus stans non est in eo germen, non faciet farinam, quod si fecerit, alieni comedent eam. s Facta autem in tribulatione,] in loco suo. De quo supr. 10.
t Et persecutione] de loco ad locum.
u Propter verbum] fidei.
x Continuo scandalizatur.] cadens a statu rectitudinis.
y Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum Dei audit, & solicitudo seculi istius,] idest, qui semen recipit in corde angustiato solicitudinibus mundanis. Et nota, quod est solicitudo laboris in acquirendo, timoris in possidendo, doloris in amittendo.
z Et fallacia divitiarum] quia promittunt, & non solvunt. Prov. 10. Qui innititur mendaciis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aves volantes. Eccli. 34. Quasi, qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia. Psal. 32. Fallax equus ad salutem. Boetius. Quid aliud fortuna fallax, quam initium futuræ calamitatis.
a Suffocat verbum,] quasi sub faucibus vocat, vel necat, viam spiritus præcludens.
b Et sine fructu] scilicet, boni operis.
c Efficitur.] talis, scilicet.
d Qui vero in terram bonam seminatus est, &c. Et intelligit,] idest, ad opus perducit.
e Et fructum affert,] bonarum cogitationum, & affectionum, bonorum verborum, & sanctorum operum. De primo. Isaiæ 3. Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum ad inventionum suarum comedet, Galat. 4. Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. De fructu oris. Hebr. 13. Offeramus hostiam laudis Deo semper, idest, fructum labiorum confitentium nomini ejus. De tertio. Psalm. 103. De fructu operum tuorum satiabitur terra. Jerem. 17. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus, & erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Origen. Actus nostri sunt seminum fructus.
f Et facit aliud, quidem centesimum,] Nota, centesimus fructus, triplex est perfectio: Contemplatio, virginitas, Martyrium.
g Aliud autem sexagesimum,] Sexagesimus, triplex est perfectio. Activa vita, vidualis, virginitas.
h Porro aliud trigesimum.] Trigesimus duplex, scilicet, fides Trinitatis, vita conjugalis. k Vos ergo audite parabolam seminantis. &c.] Seminis iteratio est ratione seminis quadruplici, quam seminavit. Primum seminavit in cœlo empyreo, scilicet, Angelos, quod cecidit secus viam, Christum, cum appetiit esse similis ei in natura, & claritate, quod notatur Isa. 14. In cœlum conscendam, supra astra cœli exaltabo solium meum. In potestate. Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. In scientia Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo, in plenitudine donorum, & gratiarum. Sed cecidit. Lucæ 10. Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem. Et conculcatum est a Sanctis. Isai. 14. In montibus meis conculcem eum. Et 4. Reg. 14. Joas rescripsit Amasiæ regi Judæ. Carduus, idest, diabolus petiit filiam Cedri, idest, æqualitatem divinitatis, & bestiæ saltus, idest, sancti ipsum mundum vastantes conculcaverunt carduum. Et volucres cœli, idest, prædicatores, & contemplativi comederunt illud. Job 40. Concident eum amici, divident illum negotiatores. Secundum semen Adam, quod in Paradiso seminavit, quod cecidit supra petram Christum, orto sole tentationis diaboli aruit, quia non habuit radicem nominis Dei,

Aliter. De quadruplici semine.

a Aliam parabolam proposuit illis, dicens: *b* Simile *c* factum est *d* regnum cœlorum *e* homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, *g* venit inimicus ejus, & *h* superseminavit zizania in *i* medio tritici, & abiit. Cum *k* autem crevisset herba, *l* & fructum fecisset, *m* tunc apparuerunt & zizania. Accedentes *n* autem servi patrisfamilias, *o* dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et *p* ait illis, Inimicus homo hoc fecit. *q* Servi autem dixerunt ei. Vis, imus, & *r* colligimus ea? Et *s* ait. Non. *t* Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum. *u* Sinite utraque cresce-

A Tertium semen, Judæi. *Psal.* 104. Semen Abraham servi ejus. Hoc seminatum est in terra promissionis, sed spinæ, idest gentiles suffocaverunt, captivando eos ultra montes Caspios, & per totum mundum dispergendo. *Jer.* 4. Nolite serere super spinas. Quartum semen, seipsum seminavit in terra Virginis. Item in terra Crucis fuit seminatum, in terra deserta, ubi latrones, invia, quia ibi habuit unum pedem super aliam, inaquosa, quia sitiit. Item seminatum fuit per Apostolos in cordibus fidelium. In prima seminatione fecit fructum trigesimum, sexagesimum, centesimum. Nam beata Virgo fuit conjugata, vidua, & virgo. Vel in prima seminatione fecit trigesimum, quia ex conjugata natum. Sexagesimum in Cruce, quia tunc vidua. In tertia autem seminatione centesimum in prædicatoribus, Martyribus, Virginibus. Item semen est quilibet homo, qui seipsum debet seminare sicut Christus seipsum. Sed illud secus viam cadit, cum aliquis alterius exemplo, maxime Prælati, peccat. *Isa.* 3. Corruet populus vir ad virum. Item supra petram Christum cadit, qui de ejus misericordia præsumit. *Eccles.* 40. Nepotes impiorum, idest, imitatores dæmonum non multiplicabunt ramos, & radices immundæ super cacumen petræ sonant. Cacumen petræ Christi misericordia, quæ superexaltat judicium, super hanc radices immundæ, scilicet cogitationes sonant de misericordia præsumendo. Illi non habent radicem timoris Domini, ideo orto sole tentationis æstuant, & arescunt. Inter spinas cadit, quando in mala societate moratur. *Nahum* 1. Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium, quia quilibet alium pungit, & excitat ad malum. Sed quandoque est aliquis inter tales; sicut lilium inter spinas. Item in terram bonam cadit, qui religionem intrat, vel quando pœnitentiæ humilitatem amplectitur. 1. *Cor.* 15. Seminatur in corruptione laborum passibilitatis, surget in incorruptione impassibilitatis, seminatur in ignobilitate vilitatis, surget & in gloria claritatis, seminatur in infirmitate tentationum, surget in virtute subtilitatis, seminatur corpus animale in statu bestiali, surget spirituale in agilitate. *a* Aliam parabolam, &c.] adhuc sedens in navi. *Prov.* 9. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Sic Dominus proponit hic septem parabolas. *Psal.* 77. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Assumptio erit in judicio, quia Domini est assumptio nostra. Conclusio cum retributione. *Ezech.* 7. Fac conclusionem. *b* Simile factum est, &c.] Exposita parabola superiori solis Apostolis, iterum Dominus istam parabolam, & alias sequentes dixit ad turbas, quod notatur *infra* ubi dicitur. Hæc omnia locutus est Jesus ad turbas in parabolis. In hac autem parabola secunda suadet Dominus nobis bonam voluntatem, quæ sola remuneratur, cautelam, patientiam, discretionem, longanimitatem, justitiam, ut dicit hic *Gl.* Docet bonam voluntatem, ibi: (Bonum semen.) Cautelam, ibi: (Cum autem dormirent.) Patientiam, ibi: (Inimicus homo,) non enim exarsit in iram. Discretionem, ibi: Ne forte,) Longanimitatem: ibi: (Sinite) justitiam, ibi: (Et in tempore,) Item, (Simile) est hic de semine inspirato. Hic autem non comparatur persona personæ, cum regnum cœlorum sit Ecclesia, & Christus seminans bonum semen, sed negotium comparatur negotio, quod factum fuit, vel fieri potuit. *c* Factum est] Hoc dicit in hac parabola sola, quia ipse est semen bonum, scilicet granum frumenti. *Joan.* 12. & hoc secundum humanitatem, secundum quam factum est, quia secundum divinitatem infectus erat. Vel quia insperato fit homo justus, & habet regnum cœlorum. *d* Regnum cœlorum] idest, Ecclesia. *e* Homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.] *Gen.* 24. Eo tempore deambulabat Isaac, idest, Christus, ad meditandum in agrum per viam, idest, humilitatem, quæ ducit ad puteum, idest, profunditatem Scripturæ, cujus nomen est videntis, & viventis, idest, quo cognoscitur, & vivitur. Vel, (In agro,) idest, in mundo inclinato jam die, idest, sexta ætate. (Agro suo.) Hoc *sup.* non dixit, quia semen seminatum sermo exterior communis est bonis, & malis, sed inspiratum tantum bonis, qui sunt ager Domini. *f* Cum autem dormirent homines,] idest, pravi prælati. *Prov.* 6. Usquequo piger dormis? *Amos* 6. Væ, qui opulenti estis in Sion. Et sequitur post. Qui dormitis in lectis eburneis, idest, mundi delectationibus, quæ nitent, & infrigidant, tamen duræ, & asperæ sunt. Unde *Deut.* 3. legitur lectus Og fuisse ferreus. Og interpretatur congregans. *Luc.* 2. Pastores erant in eadem regione vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. *Apoc.* 3. Esto vigilans, & confirma reliqua, quæ moritura erant. *g* Venit inimicus ejus,] idest, diabolus. *h* Et superseminavit zizania] idest, hæreses.

Moraliter. Seminante triticum, idest, seipsum, vel virtutes in agro, idest, in corde hominum diabolus superseminat zizania, idest, venialia cum virtutibus charitate informatis, vel mortalia cum virtutibus informibus, vel hæreses super semen verbi Dei. 1. *Petr.* 5. Sobrii estote, & vigilate. &c. *infr.* 26. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. *i* In medio tritici, & abiit.] Nota, quod zizania in singulari producit penultimam, in plurali vero corripit. Zizanium nomen est cujusdam specialis herbæ, hic ponitur pro qualibet immunditia segetum. *Gen.* 3. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. *k* Cum autem crevisset herba. *Psal.* 146. Qui producit in montibus fœnum, & herbam, servituti hominum, idest, scientiam. Vel (herba,) sancti. Crescit, cum proficit. *l* Et fructum fecisset,] id est bona opera ostenderet. *m* Tunc apparuerunt & zizania.] idest Hæreticorum dogmata. *n* Accedentes autem servi patrisfamilias, qui custodiebant messem illam, *o* Dixerunt ei, Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania?] Zizania, & lolium idem est. *Gen.* 25. Dedit Dominus conceptum Rebeccæ, idest, Ecclesiæ in principio, sed collidebantur in utero parvuli, idest, fideles, & hæretici. Quæ ait, si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? *p* Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit.] Idest, diabolus, qui dicitur homo ab homine devicto, sicut Scipio Africanus ab Africa devicta. *Hier.* Diabolus ideo inimicus homo dicitur, quia Deus esse desiit. Unde *Psal.* 9. Scriptum est de eo. Exurge, Domine, ne confortetur homo. *Gen.* 3. Inimicitias ponam inter te, & mulierem. Vel quia primas inimicitias voce significativa, quæ solius hominis naturaliter est, exercuit, ideo dicitur, inimicus homo. Vel quia sub similitudine rationis humanæ decepit. *q* Servi autem dixerunt ei, vis imus,] idest, ut eamus. *r* Et colligimus ea?] excommunicando, vel eos de medio tollendo. Eodem fervore hoc dicunt servi, quo Petrus amputavit auriculam Malchi. *Marc.* 14. Item *Luc.* 14. Vis dicamus, ut descendat ignis de cœlo, & consumat illos? Et respondit: Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare: *s* Et ait. Non.] Ecce discretio, *t* Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum] Ita erunt primi novissimi, & novissimi primi. *Deut.* 28. Ipse erit in caput, & tu eris in caudam. *Gen.* 18. Absit a te, ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius. Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram. Nota autem, quod prohibetur hic festinata, damnosa, suspiciosa eradicatio. Festinata, quia prius debet corrigi. Damnosa, ut cum multitudo sit in causa, vel princeps, nisi fuerit manifesta, & redundans in injuriam Ecclesiæ. Unde *August. super illud*. 2. *Corinthior.* 6. Propter quod exite de medio eorum, dicit. Exire, est facere, quod pertinet ad correctionem malorum, quantum licet pro gradu cujusque salva pace, quia aliquando tolerandi sunt mali pro pace Ecclesiæ. Suspiciosa, quando latent hæretici, vel de eorum infidelitate dubium est, excludendi non sunt, sed cum contumaces sunt, in cujus figura judicii, non propter suspicionem, sed propter sanam manifestam damnabit. *u* Sinite utraque crescere,] Ecce longanimitas, quæ est in expectando, patientia autem in tolerando. Ordinante enim Deo fit quædam mirabilis translatio, ut electorum peccata transeant ad detrimenta, & confusionem reproborum, & reproborum dona transeant ad honorem, & gloriam electorum. Unde 2. *Regum* 12.

A cum David diceret

a cum David diceret: Peccavi Domino, respondit Nathan: Transtulit Dominus peccatum tuum a te. In Genes. 1. cum sola secunda dies careat benedictione, in tertia die duplicatur: Et hoc innuitur: Vidit Deus, quod esset bonum, &c. (Utraque.) Urticæ proxima sæpe rosa est, Jacob, & Esau fratres uterini sunt. Sed videtur dici contrarium huic sententiæ, illud 1. Cor. 5. Auferte malum ex vobisipsis, idest, fornicationem. Sed littera se exponit, vel antecedens, ubi dicitur: Si is, qui frater nominatur inter vos fornicator, aut avarus, &c. cum hujusmodi, nec cibum sumere, nominatus per notitiam, vel infamiæ notam, vel sententiam. Unde Gloss. Apostolus hic dicit de manifesto, vel volente perseverare in malo.

E

Matt. 4. Luc. 13.

re usque ad a messem, b & in tempore messis, c dicam messoribus. d Colligite primum zizania, & e alligate ea in f fasciculos g ad comburendum, triticum h autem i congregate in horreum meum. Aliam k parabolam proposuit eis; dicens. Simile est regnum cœlorum l grano sinapis, m quod accipiens homo n seminavit in agro suo, o quod minimum quidem est omnibus seminibus. Cum p autem creverit majus est omnibus oleribus, q & fit arbor, r ita ut volucres cœli veniant, & s habitent in ramis ejus. t Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum cœlorum fermento, u quod acceptum mulier x abscondit in farinæ satis tribus, y donec fermentatum est totum.

a Usque ad messem,] judicii. Apoc. 14. Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit messis terræ.

b Et in tempore messis,] judicii.

c Dicam messoribus.] idest, Angelis (colligite.) Isa. 34. Ipse, idest, Dominus congregabit ea, idest, monstra, idest peccatores, & ipse mittet eis sortem, & manus ejus divisit eam ab illis. Idem trigesimotertio. Spinæ congregatæ igni comburentur.

d Colligite primum zizania,] Contra infra 25. primis dicitur, idest, agnis: Venite benedicti: Postea hœdis: Ite maledicti. Solutio: Ibi subjungitur: Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

e Et alligate ea] Isidorus. Similis culpæ reos, consimilis cruciatus constringet.

f In fasciculos] Interl. non unum fascem, quia promodo perversitatis suæ unusquisque punietur. Contra Isaiæ vigesimoquarto, In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, & super reges terræ, qui sunt super terram, & congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum. Interl. Unde Dominus: Colligite primum, &c. Solutio: Et unus, & plures erunt fasciculi, quia communiter omnes reprobi damnabuntur. Licet diversitas sit in pœnis, omnium tamen una erit pœna damni, scilicet, visionis Dei carentia, pro criminum autem diversitate, diversæ erunt actuales pœnæ.

g Ad comburendum,] igne inextinguibili.

h Triticum autem] idest, bonos.

i Congregate in horreum meum.] idest, in cœlestem gloriam, supr 3. Triticum congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili.

k Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum cœlorum, &c.] Supra de ædificatione, & profectu Ecclesiæ, hic de dilatatione agit. Nota, dicitur regnum cœlorum justorum vita, infra eodem. Simile est regnum cœlorum fermento charitatis, quæ fermento comparatur. Doctrina Evangelii, vel fides secundum Bedam. Item Ecclesia, ut supr. eodem. Simile est regnum cœlorum homini, &c. Dicit ergo: (Simile est regnum cœlorum,) idest, prædicatio Evangelii: De qua infr. 21. Auferetur a vobis regnum, & dabitur genti facienti fructum ejus.

l Grano sinapis,] Huic non tantum grano, sed toti huic negotio. Grano autem sinapis comparatur prædicatio propter fervorem. Sed nota, quod vulpes abscondit se in sabulo, & extrahit linguam rubeam, & ita decipit aves: Sic hypocrita abscondit se in exercitio pœnitentiæ, & trahit verba prædicationis, quasi flammantia, ut aliquod emolumentum inde recipiat. Raban. Granum sinapis corpus Christi seminatum in agro, sepultum in horto, crevit resurgendo, ramos expandit, cum prædicatores per mundum dispersit. Vel granum sinapis charitas, quæ calefacit, venenum peccati expellit, purgat caput, idest, mentem doctrina Evangelica. Item granum sinapis notitia Scripturarum; secundum Hieronymum. Christus incarnatus, secundum Bedam. Unde dicit: Potest in grano sinapis humilitas Dominicæ Incarnationis intelligi, quo accepto misit in hortum suum homo; quia corpus Crucifixi Salvatoris accipiens Joseph, in horto sepelivit: Joan. 19. Expandit ramos, in quibus volucres cœli requiescerent, quia prædicatores dispersit in mundum, in quorum dictis, & consolationibus fideles ab hujus mundi fatigatione respirarent. Et factum est in arborem, quia surrexit, & ascendit in cœlum.

m Quod accipiens homo] idest, cujus signum est, scilicet, doctrinam Evangelii.

n Seminavit in agro suo,] idest, in mundo.

o Quod minimum quidem est omnibus seminibus.] Theologia in principio nulla videtur, sed post apparet difficillima. Et etiam, quia non habet colorem rhetorici eloquii, sicut vetus alicubi, &c. quia prædicat ea, quæ sunt vilia mundo.

Luc. 13.

p Cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor,] Istud, & id, quod sequitur, non potest intelligi ad litteram. Unde dicit Beda super Luc. 13. Crevit, non sicut herbæ, quæ cito arescunt, & corruunt, sed sicut arbor, quæ longa annositate, & optima fertilitate gaudet, &c. Exponitur autem sic.

q Et fit arbor,] idest, arbori similis.

r Ita ut volucres cœli veniant,] idest, viri spirituales. Hieron. animæ credentium. Prov. 1. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.

s Et habitent in ramis ejus.] Rami diversitates dogmatum, ut pro varietate morborum varia sit medicina. Ezech. 47. Erit fructus ejus in cibum, & folia ejus ad medicinam. Psalm. 103. Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantavit, illic passeres nidificabunt. Ibidem. Super ea volucres cœli habitabunt. Eccles. 14. Statuet prælatus, scilicet, filios suos sub tegmine illius, scilicet sapientiæ, & in ramis illius morabuntur. Protegentur sub tegmine illius a fervore, & in gloria ejus requiescet.

t Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cœlorum fermento,] Nota, fermentum sumitur in malo; Exod. 12. De agno Paschali. Azymum, quia fermento est contrarium, dicit Gloss. hic, quia corrumperet fermentum a fervore. Zyma Græce, acredo Latine. Item in bono, quia fermentum pastam elevat, sic charitas mentem. Gregorius: Machina mentis vis amoris, & ideo igni comparatur, cujus est ascendere. Item reddit sapidam, sic charitas. Unde: Leve fit, quod bene fertur onus. Deuteron. 33. Inundationes maris, quasi lac sugent. Item trahit ad suum saporem, sicut ignis ad suum calorem, quia est forma virtutum, Item fermentum in bono sumitur hic: Et Exod. trigesimo quarto. Alia Glossa, idest, fervor charitatis. Item in malo sumitur, primo Corinth. 5. Non in fermento malitiæ, & nequitiæ. Galat. 5. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Item Levit. 2 Omnis oblatio absque fermento fiet. Luc. 12. Attendite a fermento Pharisæorum.

u Quod acceptum mulier,] idest, divina sapientia, vel gratia.

x Abscondit in farinæ satis tribus,] Satum ad litteram est genus mensuræ, juxta morem Palæstinorum, modium, & dimidium capiens.

y Donec fermentatum est totum.] Tria sata sunt spiritus, & anima, & corpus. In his tribus satis miscuit divina sapientia, vel gratia, charitatem, ut anima, & corpus serviant spiritui. Vel tria sata sunt tres vires animæ, in quibus Dominus miscet charitatem, ut in unum consonent. Item tria sata, triplex genus hominum, qui per Noe, Job, & Danielem significantur. Ezech. 14. Item, lex, Prophetiæ, & Evangelium secundum Hilarium, secundum Bedam, vel Hieronymum: Diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Hilarius. Fermentum de farina est, quod acervo sui generis virtutem acceptam reddit. Huic se Dominus comparavit. Quem acceptum mulier, scilicet, Synagoga, per judicium mortis abscondit, arguens legem, & Prophetas Evangelio dissolvi. Ipse autem farinæ mensuris trinus, idest, legis, prophetarum, & Evangelii æqualitate coopertus omnia facit unum, ut quod lex constituit, prophetæ nuntiaverunt, ad ipsum Evangelii profectibus expleatur. Fiunt namque omnia

h per Dei spiritum ejusdem virtutis, & sensus. Item *Hieronym.* Farina, Deitas, tria sata, tres personæ, quia mensuraliter de eis loquendum est. Item farina, Sacra Scriptura, quia reficit, secundum *Hilarium*. Item populus, quia ex diversis, secundum *Hieronymum*, qui mollitur spei, & timoris molis. Item secundum *Hilarium*, tria sata, genus humanum est ex tribus filiis Noe reparatum. Cui sapientia Dei, fidem, dilectionem, sanam doctrinam commendat, donec totum fermentetur, id est, donec in fine mundi fideles ad gloriam perfectæ resurrectionis veniant.

Matt. 4

Hæc *a* omnia *b* locutus est Jesus in parabolis ad turbas, & *c* sine parabolis non loquebatur eis, ut *d* impleretur, *e* quod dictum est per Prophetam, dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi. *f* Tunc dimissis turbis venit in domum, & accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes. *g* Edissere nobis parabolam zizaniorum agri, *h* Qui respondens ait. Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Ager autem est mundus. *i* Bonum vero semen hi sunt filii regni. Zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero consummatio sæculi est. *k* Messores autem Angeli sunt. Sicut ergo zizania colliguntur, & igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi. Mittet *l* filius hominis Angelos suos, & *m* colligent de regno ejus *n* omnia scandala, *o* & eos, qui faciunt iniquitatem, *p* & mittent eos in caminum ignis. Ibi *q* erit fletus, & stridor dentium. Tunc *r* justi fulgebunt, sicut sol in regno patris eorum. *s* Qui habet aures audiendi, audiat. *t* Simile est regnum cœlorum thesauro *u* abscondito in *x* agro, *y* quem, qui invenit homo, *z* abscondit, & præ *a* gaudio illius vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum.

F

a Hæc omnia] supra dicta.

b Locutus est Jesus, &c.] sed discipulis aperte loquebatur.

c Et sine parabolis non loquebatur eis,] *Chrysost.* nunc.

d Ut adimpleretur.] Ut, consecutivum est.

e Quod dictum est, &c.] in *Psalm.* 77. (dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi) *Colos.* 1. Mysterium, quod absconditum fuit a sæculis, & generationibus, nunc autem manifestum est Sanctis ejus.

f Tunc dimissis turbis venit in domum, &c.] tanquam familiares, & noti.

g Dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.] *Chrysost.* Considerant, quod dictum fuerat ad illos; Vobis datum est, &c.

h Qui respondens: Qui seminat bonum semen, est filius hominis: Ager autem est mundus.] *Joan.* 1. Mundus per ipsum factus est.

i Bonum vero semen hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam, &c. Messis vero consummatio sæculi.] In primo adventu Dominus per discipulos messuit zizania cum tritico. De quo *Sapr.* 9. Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. In secundo adventu per Angelos messores separabit loco ea, quæ separata erant merito hic. Quæ separatio erit quædam ventilatio: De qua *Apoc.* 14. Mitte falcem tuam, & mete, quoniam venit hora, ut metatur.

k Messores autem Angeli sunt. Sicut ergo zizania colliguntur, & igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi.] idest, in fine mundi. Cum igne enim, qui comburet faciem mundi, concludentur impii in infernum.

l Mittet filius hominis angelos] scilicet, bonos, per quos exercebitur hæc vindicta.

m Et colligent de regno ejus] idest, de Ecclesia.

n Omnia scandala,] idem est, quod zizania, idest, malos. Unde exponit se, cum subdit.

o Et] idest, eos, qui faciunt iniquitatem,) non qui fecerunt.

p Et mittet eos in caminum ignis.] idest, in infernum.

q Ibi erit fletus, & stridor dentium.] Pœna caloris est fletus, pœna frigoris est stridor, ut transeat ab aquis nivium ad calorem nimium. *Job* 24.

r Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.] Idest, in Paradiso. In Sole autem quatuor dotes corporis glorificati intelliguntur. In claritate lucidiras. Item quia exiens ab Oriente statim apparet in Occidente, & in hoc agilitas. In hoc, quod transit per vitrum, subtilitas. In hoc, quod radius ejus armis non læditur, impassibilitas. *Sapient.* 3. Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. *Eccles.* 27. Homo sensatus in sapientia sua manet, sicut sol.

s Qui habet aures audiendi audiat.] *Ezech.* 12. Oculos habent ad videndum, & non vident; aures ad audiendum, & non audiunt, quia domus exasperans est.

t Simile est regnum cœlorum thesauro] Thesaurus scientia Christi, *Genes.* 27. Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni. *u* Abscondito] *Coloss.* 2. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & absconditi. *Job* 38. Num ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? Scriptura nix est, ubi promittit; grando, ubi comminatur. Ager Scriptura, quia agendo, & laborando acquiritur scientia. *Job* 28. Abscondita est ab oculis omnium viventium. Latet enim Christus in cortice litteræ, ut Moyses in fiscella stupea. *Exodo secundo*. Vel thesaurus est vita æterna. *Job* 3. Expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint sepulchrum. Et loquitur de illis, qui mortem habent in desiderio, & vitam in patientia.

u Abscondito]. *Isaie* 74. Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.

x In agro,] idest, in cœlo, quem debemus emere. *Proverbiorum* 31. Consideravit agrum, & emit illum. Et hic est argumentum, quod possumus mereri vitam æternam ex condigno creatam, non increatam, quia non emit thesaurum, sed agrum. *Jerem.* 32. Emi agrum de Ananehel filio patrui mei, qui est in Anathot, & appendi ei argentum septem stateres, & decem argenteos. Ananehel donum, vel gratia Dei, quia quicquid habes meriti, præventrix gratia donat, quæ est filius patrui, idest, Christi, qui fuit frater patris nostri Adam. In Anathot, idest, obedientia. Septem stateres sunt septem opera misericordiæ. Decem argentei, observatio decalogi. (Thesauro,) *Hilarius*. Quem invenisse gratuitum est, Sed quia cœlestes divitiæ non nisi damno sæculi possidentur, qui invenit contemnere sæcularia debet, (in agro.) *Gregorius*, Quem venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuntiat, & terrena desideria per cœlestis disciplinæ custodiam calcat, ut liberius se applicet studio intelligentiæ. Item thesaurus cœleste desiderium, secundum *Gregorium*, ager disciplina studii cœlestis. Item thesaurus Christus, ager caro, vel Scriptura, secundum *Hieronymum*. Item thesaurus utrumque testamentum, secundum *Ambrosium*, ager tota Ecclesia. De hoc dicit *Glossa*. Thesaurus potest accipi, &c. Et *Interlin.* illa. Thesaurus cœleste, &c.

y Quem qui invenit homo,] Quem thesaurum. Nota autem, quod solet quæri, & inveniri res abscondita, res perdita, res projecta. Absconditus fuit Christus per humilitatem. *Isaiæ* 45. Vere tu es Deus absconditus: Perditus per carnis mortificationem. Qui amat animam suam perdet eam. Abjectus per paupertatem. *Psalm.* 83. Elegi abjectus esse in domo Dei mei. *Lucæ secundo*. Invenietis infantem positum in præsepio pannis involutum.

Joan. 8

z Abscondit,] Quia sicut dicit *Greg.* deprædari desiderat, qui thesaurum in via publice portat. Unde *Isai.* 39. & 4. *Reg.* 20. Ezechias thesauros templi amisit, quia nunciis regis Babylonis revelavit.

a Et præ gaudio illius vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum.] Hoc maxime faciunt claustrales, *Luc.* 18. Omnia, quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. *Ezech.* 2. Qui vendit, ad id, quod vendidit, non revertetur. *August.* in persona Domini. Venale habeo. Quid? Regnum cœlorum, &c. Item de virginibus potest exponi. Thesaurus absconditus est virginitas abscondita per humilitatem in agro carnis. *Job* 39. Nunquid ingressus es thesauros nivis, idest, virginitatis? Quæ nix dicitur propter candorem, & frigiditatem. Aut thesauros grandinis aspexisti, propter motus carnis, quos frequenter habent isti. *Hier.* Libido honestas mentes libentius persequitur. De hoc etiam thesauro. *Prov.* 21.

Aliter,

A Thesaurus

a Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, *b* quærenti bonas margaritas: *c* Inventa autem una pretiosa margarita, *d* abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & *e* emit eam. *f* Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ *g* missæ in mare, *h* & ex omni genere piscium congreganti, Quam *i* cum impleta esset, educentes, *k* & secus litus *l* sedentes *m* elegerunt bonos in vasa † sua. *n* malos autem foras miserunt. Sic *o* erit in consummatione sæculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & *p* mittent eos in caminum

▲ Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo justi. Dicitur autem thesaurus, quia de raris sit, & non omnes capiunt hoc verbum. Item de pretiosis. *Eccles.* 26. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ. Item de durabilibus: Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei. Virgines autem proprie sunt sponsæ Christi, & ideo reginæ, quarum est habere coronam. De qua *Apoc.* 12. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim. Prima stella dicitur deformitas. *Cyprianus*. Quomodo portavimus imaginem ejus, qui de limo est, sic portemus imaginem ejus, qui de cœlo est. Hanc imaginem portat virginitas, non luxuria, quæ limosa est. Secunda Angelorum conformitas. *Hieron.* In carne præter carnem vivere angelica est vita, non humana, *infra c.*22. Neque nubent, neque nubentur, sed erunt, sicut Angeli Dei. Tertia, integritas. *Cyprianus*. Virginitas est opus integrum, atque incorruptum, imago Dei resplendens ad sanctimoniam Domini. Quarta munditia. *Apocal.* 14. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Quinta, fragantia. *Cyprianus*. Virginitas est flos propter odorem suum. *Cantic. secundo.* Sicut lilium inter spinas, &c. Sexta est raritas, 1. *Corinthior. septimo.* De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Septima pretiositas. *Ecclesiast.* 27. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ. Octava solitudinis amotio, 1. *Cor.* 7. Quæ innupta est cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu. Nona est observandi eam difficultas. *Hieron.* Libido in virginibus majorem patit famem, dulcius æstimatur, quod nescitur. Decima remuneratio. *Isaiæ* 56. Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus. Undecima est ejus significatio, quia significat Ecclesiam triumphantem. Unde non potest consecrari, nisi virgo, licet Episcopus corruptus consecretur, qui significat militantem. Duodecima est, quia est sponsa Christi, 2. *Cor.* 11. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Hæc sunt duodecim laudabilia, duodecim stellæ in virgine.

Infr. 22.

al. † non habet sua.

a Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori,] qui negotiando laborat, ut dicetur: Sic sancti vigiliis, orationibus, & bonis operibus. *Proverb. c.* 31. Gustavit, & vidit, qui bona est negotiatio ejus de malis: *Apocal. cap.* 18. Negotiatores ejus amare flebunt. *Psalm.* 70. Quoniam non cognovi negotiationem. *Ezech.* 7. Qui emit, non lætetur, & qui vendit, non lugeat. Ementibus temporalia pro cœlestibus lugendum est. E contrario vero gaudendum. *Luc.* 29. Negotiamini, dum venio. *Isai. c.* 55. Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum, & lac.

b Quærenti bonas margaritas:] Nota, quod margarita est dulcedo vitæ cœlestis, secundum. *Gregorium*. Speciale præceptum charitatis, secundum *Augustinum*. Intellectus de incarnatione Christi, vel Christus habitus, secundum eumdem. Lex & prophetæ, secundum *Hieron.* Sacramentum passionis, & resurrectionis, secundum eumdem. *Apocal.* 21. Singulæ portæ ex singulis margaritis erant.

c Inventa autem una pretiosa margarita,] idest, Christo. *Ephes.* 5. Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. Semetipsum hoc est, quod hic dicitur: Abiit, vendidit, emit. Abrenuntiando omnibus suis, quasi abiit homo a se, & a mundo. Quando vero propriæ voluntati, tunc vendidit se, & sua. Quando vero propriæ rationi, tunc emit quasi suam rationem Dominus dans aliam. Margarita in conchis reperitur. Sic Christus in eis, qui clauso ostio in cubiculo orant patrem. Unde & Christus natus est in diversorio: *Luc. c.* 2. Et Dominus super antiquis apparuit in caligine. Fertur etiam, quod Margarita nascitur ex rore cœli in concham maris se aperientem: Sic Christus de Spiritu Sancto in Beatam Virginem verbis Angeli consentientem. *Isai. c.* 45. Aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Item dicitur, quod margarita valet contra morbum caducum, sic Christi gratia contra mortale peccatum. *d* Abiit, & vendidit omnia, quæ habuit,] *August.* Venditis rebus nostris nihil magis earum accipimus, quam nos ipsos, quia talibus implicati nostri non erimus. Rursum nos proprios pro illa margarita demus, non quia tantum valeat, sed quia plus dare non possumus. *e* Et emit eam.] *Proverb.* 20. Malum est, malum est dicit omnis emptor, & cum recesserit, tunc gloriabitur. Nota in septem parabolis per ordinem, ædificationem Ecclesiæ, profectum, dilatationem, fervorem, operum conservationem, sollicitudinem amoris, sollicitudinem timoris.

21. q.7 c.1. c.24. q.1. c. quisquis.

f Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ] Sagena est prædicatio Evangelica. Hanc sagenam traxerunt Apostoli, & Apostolici viri. Unde 3. *Reg.* 7. Dicitur, quod capitella columnarum vestibuli, idest, Ecclesiæ militantis erant ærea, & erant reticula superposita. *Jer. c.* 16. Mittam piscatores multos dicit Dominus, & piscabuntur eos, *supr. c.* 4. Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. De sagena autem diaboli dicitur. *Habac.* 1. Totum in hamo suo sublevavit, traxit illud in sagena sua. *Eccles.* 7. Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, sagena cor ejus. Sagenæ dico. *g* Missæ in mare,] idest, in mundum. *h* Et ex omni genere piscium congreganti.] Unde *Actor.* 10. In disco Petri erant animalia munda, & immunda. Similiter in arca Noe: *Gen. c.* 7. Moyses non tantum homines duxit secum, sed & jumenta. *Exod.* 12. Circa templum etiam, non tantum erat atrium mundorum, sed immundorum. Et sicut non est acceptor personarum Deus, ita nec doctrina Evangelica.

i Quam, cum impleta esset, educentes,] Hoc erit in fine sæculi. *Proverb. c.* 7. Non est vir in domo, abiit via longissima, sacculum pecuniæ secum tulit, in die Lunæ plenæ reversurus.

k Et secus litus.] litus ut dicit *Gloss.* est finis sæculi. *Genes.* 49. Zabulon in litore maris habitabit, & faciet habitaculum fortitudinis in alia vita, & in statione navium, idest, Ecclesiarum pertingens usque ad Sidonem, quia tunc spolia dividet.

l Sedentes] idest, judicantes. *Remigius*. Angeli officio, sibi injuncto, quomodo judicabunt, quod per sedere intelligitur.

m Elegerunt bonos in vasa sua] idest, in eterna tabernacula.

n Malos autem foras miserunt.] *Apocal.* 22. Foris canes, & venefici.

o Sic erit in consummatione seculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum,] Filiis Israel transeuntibus divisum est mare a mari.

Exod. 14.

p Et mittent eos in caminum ignis:] idest, in infernum. *Gen.* 15. Cum ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas. *Psalm.* 20. Pones eos ut clibanum ignis. *Malach.* 4. Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem stipula. Nota autem, quod est triplex caminus bonus. Tribulationis, contra luxuriam, paupertatis, contra avaritiam, humiliationis, contra superbiam: De primo: *Prov.* 17. Sicut in igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Deus. Hic est caminus, in quo positi fuerunt tres pueri, nec tamen læsi: *Dan.* 3. De secundo: *Eccles.* 2. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum, & argentum homines vero receptibiles in camino humiliationis. De tertio: *Isai. c.* 48. Elegi te in camino paupertatis. Qui autem in hoc triplici camino fuerint bene purgati, ponentur in camino cœlestis patriæ: De quo *Isaiæ* 31. Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, & caminus ejus in Jerusalem.

Caminus bonus triplex.

A *a* Ibi erit fletus, & stridor dentium.] idest, in pœna gehennali non erit in camino stridor dentium, sed ex frigore, vel indignatione.

b Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam, & ait illis. Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum] idest, in Ecclesia. [*Infra 22. & 25.*]

ignis; ibi *a* erit fletus, & stridor dentium. *b* Intellexistis hęc omnia? Dicunt ei. Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum similis *c* est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo *d* nova, & vetera. Et *e* factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde. Et veniens in patriam suam *f* docebat eos in *g* synagogis eorum, *h* ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia hæc, & virtutes? *i* Nonne hic est fabri filius; *k* Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas, & sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? *l* Unde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo. *m* Jesus autem dixit eis. Non est propheta sine *n* honore, nisi in patria sua, & in domo sua. Et non *o* fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.

CAP. XVI.

IN *p* ILLO TEMPORE

c Similis est homini patrisfamilias, qui profert de thesauro suo] idest, de scientia sua *Proverbiorum capitulo* 21. Secundum aliam translationem: Thesaurus desiderabilis requiescet in ore sapientis.

d Nova, & vetera.] idest, auctoritates novi, & veteris testamenti. Unde *Cantic. capitulo* 7. Omnia poma nova, & vetera, dilecte mi, servavi tibi. Vel, (Nova, & vetera,) idest, promissa, & minas. *Apocal. cap.* 4. De throno Dei exibant tonitrua, & voces. Vel arguit vitia, monet ad virtutes. *Coloss. capit.* 3. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nuvum eum, qui renovatur in agnitionem Dei. [*Marc. 6.*] Nota autem, quod in istis tribus ultimis parabolis tria genera perfectorum significantur, scilicet, virgines, martyres, prædicatores. Virginitas enim est thesaurus absconditus. Secunda, quæ est de margarita, qui est lapis pretiosus, & per multas tunsiones fit pretiosus, Martyres significantur. Tertia de sagena, quæ est instrumentum piscatorum, significat confessores. Hi tres habebunt aureolam, quod significatur in coronula arcæ altaris thymiamatis, & mensæ. Prima significat aureolam virginum. Virginitas enim est arca. *Exod. cap.* 37. Secunda, lex Evangelii approbatur. Lauda sterilis, quæ non paris, & decanta laudem, & hymnum, quæ non pariebas, quoniam multi filii desertæ magis, quam ejus, quæ habet virum. *Isaiæ cap.* 54. In lege enim maledicebatur sterilis. Item virga disciplinæ, quæ castigat corpus suum, & castum agit. Item tabulæ, ut sit una de numero prudentum, non fatuæ. Item manna, dulcis conversationis. Ista significantur per illos, qui dixerunt ad Ismael, *Jerem. cap.* 41. Habemus thesaurum in agro frumenti, quoad ad primum; hordei, quoad secundum, propter punctiones disciplinæ; olei lucentis, quoad tertium; mellis, quoad quartum. Secunda corona altaris thymiamatis significat aureolam Martyrum, qui se obtulerunt Deo in odorem suavitatis. Tertia aureola prædicatorum, qui debent esse mensa habens panes propositionis calidos positos in sabbato; & in Dominica familiæ Domini distribuant. Sed multorum panes sunt jam frigidi, & muscidi, sicut Gabaonitarum. Hos autem infrigidat ventus triplex, scilicet, solicitudo temporalium. [*Triplex ventus infrigidans.*] *Ecclesiastic. articulo* 34. Quasi, qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia. Secundus ventus est verborum. *Bernardus*: Quid instaris, qui irasceris ad flatum unius venti? *Job* 15. Nunquid sapiens respondebit, quasi in ventum loquens? Tertius ventus est superbia. *Proverbiorum* 25. Ventus aquilo dissipat pluvias prædicationis, quas pluunt nubes.

e Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde: Et veniens in patriam suam] scilicet, Nazareth. *f* Docebat eos] non per parabolas, ut prius.

g In synagogis eorum,] ubi congregabantur.

h Ita ut mirarentnr, & dicerent: Unde huic sapientia hæc, & virtutes,] idest, miracula, 1. *Reg.* 10. Num, & Saul inter Prophetas? *Joan.* 7. Numquam sic locutus est homo. *Eccl.* 13. Pauper locutus est sensate, & non est ei datus locus.

i Nonne hic est fabri filius?] *Marc. capitul.* 6. Dicit: Nonne hic est faber? Hic dicitur: Fabri filius. Utrumque potuit dici. Eo enim, quod erat filius fabri, credebatur esse faber, sed in eorum errore veritas latet. *Hieronymus*. Vere enim erat filius fabri, qui per ipsum in principio omnia fecit cooperante Spiritu Sancto, & igni, qui fabricatus est Anroram, & Solem, Ecclesiam primitivam, & sequentem. *Psalm.* 73. Tu fabricatus es Auroram, & Solem.

k Nonne mater ejus dicitur Maria, & frater ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas, & sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?] Fratres, & sorores dicuntur hic consanguinei, more Scripturæ. Unde *Genes. capitulo* 20. Dixit Sara de Abraham, frater meus est. Et *Genes. capit. decimotertio* Ne quæso sit jurgium inter me, & te, inter pastores tuos, & pastores meos, fratres enim sumus.

l Unde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo.] [*Genes. 37.*] *Hilarius*. Huic magna, huic humilia cernens veritatem judicii non recipit, sed scandalizatur, quod est impediri meatus arbitrium.

m Jesus autem dixit eis: Non est propheta] idest, ego, de quo *Deuteronom.* 18. Prophetam suscitabit Dominus vobis de fratribus vestris: Vel propheta dicitur, quilibet alius.

n Sine honore nisi in patria sua, & in domo sua.] [*Genes. 41.*] Josephus in patria a fratribus affligitur, sed in Ægypto ab extraneo sublimatur. Et *Genes. decimosecundo*. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, &c. *Numer. capitulo* 12. Locuti sunt Maria, & Aaron contra Moyses propter uxorem ejus Æthiopissam. *Numer. capitulo decimosexto*. Chore, & alii de genere Levi surrexerunt contra Moysen, quia cognati ejus. Nota de illo, qui noluit adorare imaginem crucifixi, quia facta fuerat de piro sua. *Hilarius*. Inhonoratur Deus a suis, quamquam & docendi, & prudentia, & operandi virtus admirationem admoneret.

o Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.] Facit tamen aliquas, sed non multas, Pauca enim fecit miracula de misericordia, ne increduli amplius damnarentur. Aliqua tamca fecit de justitia, ut inexcusabiles juste damnaret.

EXPOSITIO CAP. XIV.

IN illo tempore audivit, &c.] *In capit. præcedenti* egit Evangelista de septem parabolis, quibus quasi septem panibus spiritualibus Dominus pavit turbas; In hoc capitulo agit de quinque panibus, & duobus piscibus, quibus corporaliter pavit eas. In quo ostendit Dominus, quod non solum pane spirituali tenetur prælatus pascere subditos, sed etiam materiali, præcipue tamen de spirituali. Unde & de tali prius actum est. Dividitur autem istud capitulum in quatuor partes. In prima agit de convivio Herodis, ubi Joannes occiditur, ubi quinque panes diaboli, & duo pisces convivis apponuntur. Et hi sunt: Primus superstitio, luxus, & petulantia saltatricis; secundus, illicitum juramentum; tertius, fictio, vel hypocrisis; quartus, innocentis homicidium; quintus, duo pisces, vanitas, & voluptas. In secunda parte agit de discessu Jesu in desertum audita morte Joannis, & de pastu quinque millium hominum, de quinque panibus, & duobus piscibus, ibi: (Quod cum audisset Jesus:) In tertia agitur de ambulatione Domini super mare, ibi: (Et statim compulit discipulos.) In quarta agitur de curationa multorum, qui ad solum tactum fimbriæ ejus curabantur, ibi: (Et cum transfretassent.) Dicit ergo.

p In illo tempore] Hoc factum est in ultimo anno prædicationis Dominicæ. Sed hoc interserit Matthæus, ut de incarceratione Joannis agat, quam prætermiserat.

A *a* Audivit

a Audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu, & *b* ait pueris suis: Hic est *c* Joannes Baptista, ipse surrexit a mortuis, & *d* ideo virtutes operantur in eo. *e* Herodes enim tenuit Joannem, & *f* alligavit eum, & *g* posuit in carcerem propter *h* Herodiadem uxorem fratris sui. *i* Dicebat enim illi Joannes. Non licet tibi *k* habere eam. Et *l* volens eum occidere *m* timuit populum, quia *n* sicut Prophetam eum habebant. *o* Die autem Natalis Herodis, *p* saltavit filia Herodiadis in

a Audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu,] Nota, quod Herodes Ascalonita totum regnum obtinuit dolo. Tres enim erant Herodes. Ascalonita, sub quo pueri occisi sunt. Antipas, sub quo Christus passus est, & Joannes decollatus. Agrippa, a quo Jacobus occisus. Iste Herodes varietatem fortunæ sæpe expertus, tandem quartam tetrarchiam habuit. *Job 9.* Terra data est in manus impii. Tetrarcha, qui regnat in deliciis, vel quadraturis, scilicet carnis. Vel hypocrita, qui tantum domat carnem, & non tres virtutes animæ. Antipas paupertatis transitio, significat avaritiam, quæ facit transire paupertatem. Vel superbiam, quæ transit pauperes. *1. Mach. 6.* Exivit rex Antiochus ab Antiochia, & perambulabat superiores regiones. Antiochus paupertas silens. Fama autem, quam audivit de Jesu, sunt miracula, & doctrina. *b* Et ait pueris suis] *Chrysost.* Non est ausus foras dicere, sed famulis suis.

Matth. 6. Luc. 6.

c Hic est Joannes Baptista, ipse surrexit a mortuis] Hinc potest perpendi malitia Judæorum. Hunc enim alienigena resurrexisse dicit, quamvis nullum miraculum coram eo fecisse legatur, Judæi vero, qui Jesum tot miraculis coruscare viderunt, resurrexisse negarunt.

d Et ideo virtutes operantur in eo] quia scilicet, est majoris virtutis, quam non resuscitatus. *Chrysostomus*: Quam magnum quid est virtus, quoniam & defunctum Joannem formidat, & præ timore de resurrectione mortuorum prophetatur. Virtus etiam apud malos admiratione, & laudibus digna est. [Operantur] passivo, vel active. Et est hypallage, idest nunc operatur virtutes, sicut dicitur: Iste magister habet bonos quaternos, & ideo bene legit.

e Herodes enim, &c.] Redit ad historiam. Continua: Herodes opinatus est Joannem resurrexisse, quoniam jam mortuus erat. [Herodes enim tenuit Joannem, & alligavit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui] Sicut dicit *Gloss.* Herodias ista fuit filia Aretæ regis. Unde 2. *Corinth.* 11. Damasci præpositus gentis Aretæ regis, &c. Pater autem ejus abstulit eam Philippo, & ad augendum dolorem ejus dedit eam Herodi, qui erat inimicus illius, scilicet fratris sui. *Egesippus* autem longe aliter narrat secundum *Josephum*. Dicit enim: Herodias fuit filia Aristoboli soror Agrippæ. Herodes autem iste, & Philippus fuerunt filii Herodis Ascalonitæ, sub quo Dominus fugit in Ægyptum: arguebat autem eum Joannes, quia forsitan legem Judæorum servabat, & ideo eum redarguebat de adulterio.

i Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi] converso ad legem Judæorum.

k Habere eam,] fratre adhuc vivente, quia lex prohibet hoc. *Levit. cap.* 17. Sed frater superstes debebat suscitare semen fratri suo defuncto sine semine. *Deuter.* 25 *Levit. cap.* 18. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis. *Exod.* 20. Qui duxerit uxorem fratris sui rem illicitam facit, turpitudinem fratris sui revelavit, absque liberis erit.

Moraliter.

Moraliter. *e* Herodes enim tenuit Joannem] Herodes pelliceus, idest dolosus. *Luc. cap.* 13. Ite, dicite vulpi illi; Hic est hæreticus. Philippus os lampadis, Christus. *Isa. cap.* 40. Os Domini locutum est. *Cant.* 1. Osculetur me osculo oris sui. Herodias gloria, quæ debet esse uxor solius Dei. *Isa. cap.* 42. Gloriam meam alteri non dabo. *Proverb. cap.* 12. Gloria viri uxor ejus. Hic incarcerat Joannem, quia dona gratiæ, quæ habet, ad terrena inflectit. *Roman. cap.* 1. Qui detinent veritatem in injustitia. Aufert ei caput, cum putat eam a se habere, non a Deo. Vel Herodes, pellibus glorians, superbus est litteratus, & confidens in libris suis, ut præsumat. Aufert uxorem Philippi, cum bene dicta bonorum Prædicatorum sua facit inventa. Unde *Jerem.* 23. Ecce ego ad Prophetas dicit Dominus, qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo. Incarcerat Joannem, cum malis exemplis prædicationis, vel doctrinæ gratiam obfuscat. Vel Herodes, cupidus, fraudulentus, superbus ex temporalibus. *Eccli.* 11. In vestitu ne glorieris unquam. Herodias carnis concupiscentia. Illa sibi facit pelliceum ad dentes, sicut Eva per pomi comestionem. Unde *Genes. cap.* 3. Fecit eis Dominus tunicas pelliceas. Filia ejus est petulantia, quæ aufert caput Joannis, idest gratiam incipientium. *Eccli. cap.* 9. Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.

16. dist. 4 una

f Et alligavit eum] *infra cap.* 23. Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeris hominum, digito autem suo nolunt ea movere. [Alligavit] Sic malus prælatus bonos alligat oneri obedientiæ.

h Propter Herodiadem] idest detractionem, vel adulationem pravorum. Vel hoc facit, qui Jesum flagellat, & Barrabam dimittit. Item Joannem incarcerat, qui talentum abscondit, qui libros includit, qui bonis prædicatoribus silentium imponit.

g Et posuit] ipsum [in carcerem] *Chrysostomus*. Considerata primum lascivia, & ebrietate, secundo inspectores corruptos, & Dominum convivis omnibus nequiorem, tertio puellam, postquam nuptiæ iniquæ erant, & occultari oportebat propter convivium matris, sed & meretrices separavit virgo, quarto tempus Natalis, scilicet quando ligatos solvere oportebat, tunc vinculis adjecit occisionem.

h Propter Herodiadem uxorem fratris sui] Frater vester diabolus. *Job cap.* 40. Ecce Behemoth, quem feci tecum, uxor ejus superbia. *Isai. cap.* 14. Quomodo cecidisti, &c.

i Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam] idest uxorem fratris tui.

Moraliter.

Moraliter. Caro, & spiritus fratres sunt. Uxor carnis concupiscentia. Hanc non debet sibi ducere spiritus. Filia concupiscentiæ delectatio. *Levit.* 18. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis. *Eodem* 20. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem illicitam facit, turpitudinem fratris sui revelavit, absque liberis erit, idest filii non hæreditabunt. Sic opera talia non sunt meritoria. Item Joannes Synderesis. Hanc tenemus captivam, cum contemnimus peccare. Unde *Hieronymus super Ezechiel. cap.* 1. Hanc conscientiam, sicut dicitur *Proverb.* 18. Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnit, &c. sæpe præcipitari videmus, & suum locum dimittere, cum quidam sine pudore peccant. *Judic. 16.* Dalila, situla, scilicet concupiscentia, per tonsorem diabolum tasit septem crines, idest septem dona Spiritus sancti, quæ ornant caput rationis Samsonis, scilicet Solis eorum, scilicet Synderesis, & clauserunt eum Philistæi in carcerem, idest consuetudinem peccandi.

l Et volens eum occidere] *Amos 5.* Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominati sunt. *Proverbiorum caput* 9. Noli arguere derisorem, ne oderit te. *Jeremiæ caput* 38. Siquidem homo iste non quærit populo pacem, sed malum. Et dixit rex Sedechias: Ecce ipse in manibus vestris est, neque enim est fas, regem quicquam vobis negare. Tulerunt ergo Jeremiam, & projecerunt enim in lacum, &c. *Sapient.* 2. Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, &c. contrarius operibus nostris, & improperat nobis peccata legis.

m Timuit populum] Ad litteram mali timent bonos, ut Nero Senecam. *Genes.* 9. Terror, & tremor vester sit super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cœli, idest superbos.

n Quia sicut prophetam eum habebant] Non solum populus, sed Herodes.

o Die autem Natalis Herodis] *Hieron.* Nullum alium invenimus observasse diem Natalis sui, nisi Herodem, & Pharaonem, ut quorum erat par impietas, esset & una solemnitas. *Rab.* Qui mundi voluptate excæcati tenentur, de futuris non cogitant, & ob hoc, nec præsentia bene ordinat, quod bene in luxuria conviviorum suorum Herodes demonstravit.

p Saltavit filia Herodiadis] *Chrysostomus*: Ubi est saltatio ibi est diabolus. Neque enim Deus dedit nobis ad hoc pedes, ut cum Camelis saltemus: Etenim &

A illi.

▲ Illi indelectabiles sunt saltantes, sed ut cum Angelis chorum faciamus. In talibus saltant dęmones, in talibus lætantur demonum ministri.

a In medio] ut omnes. Vel quia talis mediatrix est ad infernum. Vel quia saltatio ejus fuit medium ad habendum caput Joannis in disco.

b Et placuit Herodi] *Chrysostomus*: Duplex inculatio, & quia saltavit, & quia placuit.

c Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo] *Gloss.* Ad hoc forte juravit, ut occasionem pareret, quia videretur facere invitus, quod faciebat spontaneus. Non enim hoc implesset de aliquo amato, ut filio, vel consanguineo, quod implevit de propheta, quod & ante fecisset, si excusabiliter posset.

a medio, & *b* placuit Herodi. *c* Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. At *d* illa pręmonita a matre sua: da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistę. *e* Et contristatus est rex; *f* propter jusjurandum autem, & eos, qui pariter recumbebant, jussit dari. Misitque, *g* & decollavit Joannem in carcere. Et *h* allatum est caput ejus in disco, & datum est puellę, & illa attulit matri suę. Et *i* accedentes discipuli ejus tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud, *k* & venientes, *l* nunciaverunt Jesu. Quod *m* cum audisset Jesus, secessit inde in navicula in locum desertum seorsum. Et *n* cum audissent turbę, secutę sunt eum *o* pedestres de civitatibus. Et *p* exiens vidit turbam multam, & *q* misertus est eis, & curavit languidos eorum. *r* Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: *s* Desertus est locus, & *t* hora jam pręteriit,

d At illa præmonita a matre sua: da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ] Discus dicitur scutella magnæ capacitatis in superiori parte lata. Dicitur etiam superior mensa in triclinio, & dicitur mensale superpositum mensæ. Unde & Petru. *Act.* 10. Oblata sunt animalia in disco. Dicitur etiam asser ad supportandum libros, scilicet lectorin Hic supponit pro scutella.

Moraliter. Natalis dies Herodis est creatio mali prælati. *Job cap.* 3. Pereat dies, in qua natus sum. Idem *Jeremiæ cap.* 20. Tunc saltant histriones, & hujusmodi, qui dicuntur filia Herodiadis, idest inanis gloriæ, recipiuntur enim propter famam, & sic inflatur ille, ut pellis musæ, qua inflata, cantant fistulæ. *Eccl.* 8. Melior est dies mortis die nativitatis, &c.

e Et contristatus est rex] simulatorie cum lætaretur in † mente.

f Propter jusjurandum autem, & eos, qui pariter discumbebant, jussit dari,] Excusat scelus sub specie occisionis per juramentum, cum tamen non esset observandum, quia illicitum. Unde I. *Regum cap.* 25. Juravit David, quod occideret Nabal, nec tamen occidit, & bene fecit.

g Misitque, & decollavit Joannem in carcerem] Joannes apud Sebasten est occisus, apud Macheronta sepultus. Sebaste quondam Samaria dicebatur, ubi Herodes fecit domum regiam. Macheronta oppidum est ultra Jordanem in regno duarum tribuum, & dimidiæ. Hæc *Glossa* videtur concordare cum Josepho, & obloqui historiæ Evangelicę, & Chronicis Eusebii, ubi dicitur: Joannes in Macheronta occisus, in Sebaste sepultus. De capite non est dubium, quia fuit translatum in Jerusalem, & sepultum inter Eliam, & Abdiam.

h Et allatum est caput ejus] Joannis [in disco, & datum est puellæ, & illa attulit matri suæ.] *Beda*: In luxurioso convivio cruentæ epulæ deferuntur.

Allegorice. *Hieron.* Caput Joannis est caput legis, quod est Christus. Abscinditur a corpore proprio, idest populo Judaico, & datur puellæ de gentibus, idest Romanæ Ecclesiæ, & puella dat matri suæ adulteræ, idest synagogæ in fine crediturae.

i Et accedentes discipuli ejus tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud] Corpus Joannis sepelitur, sed caput in disco levatur, quia littera quasi humo tegitur, sed spiritus in altum honoratur, & sumitur.

Moraliter. Sic diabolus decollat claustralem in carcere, cum aufert ei gratiam, quia caput viri Christus, caput autem mulieris, idest sensualitatis, vir, idest spiritus. 1. *Cor.* 11. Et tamen manet corpus in conservatione claustrali alterius, vel in carcere pœnitentiæ exterioris. *Job.* 1. Sabæi tulerunt boves, & asinos Job, & pueros occiderunt. Non tamen asinas, quia innocentia ablata asserit omnia alia sua esse. Hoc caput, idest Christus absconditur per mortale peccatum, in disco ponitur per peccati manifestationem. *k* Et venientes] discipuli, scilicet Joannis.

l Nuntiaverunt Jesu] passionem scilicet Joannis.

m Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula in locum desertum seorsum,] Secessit autem triplici de causa. Prima, ut parceret inimicis, ne homicidium ipsius Domini jungerent homicidio Joannis. Secunda, ut daret exemplum vitandæ temeritatis, *supra cap.* 10. Si vos persecuti fuerint, &c. Tertia, ut probaret, an bene crederent, qui eum sequebantur. Unde.

n Et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum, &c.]

Allegorice. In hoc significatur transitus a Judæis ad gentes. *Isai. capur* 54. Lætare sterilis, quæ non paris, &c. Idem *Galat.* 4. [Secessit inde] *Chrysostom.* Quando traditus est Joannes secessit Jesus, *supra cap.* 4. Et quando interrogatus est Joannes, recedit Jesus. Et quando audierunt Pharisæi, quod plures discipulos facit, in desertum abiit, & navigio, ut nullus sequeretur: Cur non recessit, antequam sibi nunciarent? monstrans carnis veritatem, & ut doceat in locum desertum fugere.

n Et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum] Gloria magna sequi Dominum.

o Pedestres de civitatibus,] ostendentes ardorem mentis. *Proverbiorum cap.* 6. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?

p Et exiens vidit turbam multam] Sic prædicator exire debet de contemplativa ad activam, de studio ad turbas. *Mich.* 4. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. Vel per compassionem.

q Et misertus est eis] Jesus [& curavit languidos eorum] Ecce retributio laboris eorum.

r Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes: Desertus est locus,] & hora] comestionis [jam præteriit, &c.] Sic carnales mundi tempore caristiæ duriores se exhibent pauperibus. His verbis *Marc. cap. sexto*, & *Luc. cap.* 9. consentiunt. Tamen Matthęus dicit: Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire. *Joannes cap.* 6. dicit: Prospectis autem turbis, Dominum quæsisse a Philippo tentando: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc solus Joannes dicit.

Mystice. *r* Vespere autem facto accesserunt ad eum] idest, circa finem sæculi, vel peracto mysterio passionis, quando verus Sol per mortem occubuit, transivit Christus per Apostolos de Judæis ad gentes. Idem dictum est supra, ubi audita morte Joannis seccessit in locum desertum idest ad gentes a Deo desertas. Nunc autem vespere facto, idest, peracta Dominica passione accedunt discipuli, dicentes:

s Desertus est locus] idest prædicatores Ecclesiæ primitivæ, de conversione gentium desperantes, dicunt: Gentilitas sine lege est, & sine Dei cognitione.

t Et] ideo jam hora præteriit] quia usque in finem sęculi in infidelitate permansit.

▲ Dimitte

Moraliter. *r* Vespere autem facto] idest transacto die culpæ, qui potius nox est. Unde *Job* 3. Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. *Jerem.* 20. Maledicta dies, in qua natus sum, dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. *Levit. decimoquinto* Immundus ex contactu menstruatæ morabatur extra castra ad vesperum. His postea in deserto pœnitentiæ constitutis dandi sunt panes verbi Dei. Unde *Exod. cap.* 16. Pluit Dominus manna filiis Israel. Et 3. *Regum cap.* 17. Elias eguit pane in deserto.

* *a* Dimitte

a dimitte turbas, ut *b* euntes in castella *c* emant sibi *d* escas. *e* Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire, *f* Date illis vos manducare. *g* Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces. *h* Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. Et *i* cum jussisset turbam discumbere *k* super fœnum, acceptis *l* quinque panibus, & *m* duobus piscibus, *n* aspiciens in cœlum *o* benedixit, & fregit, & *p* dedit discipulis suis panes, *q* discipuli autem dederunt turbis. Et *r* manducaverunt omnes, & *ſ* saturati sunt; & *s* tulerunt reliquias *u* duodecim cophinos fragmentorum plenos. *x* Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.

a Dimitte turbas] ideſt noli incassum ad eas convertendas laborare.
b Ut eant in castella] ideſt ad Philoſophorum ſuorum rationes.
c Emant ſibi] ſtudio, & labore.
d Escas] a ſuis Philoſophis, ideſt alias ſcientias, quarum paſtu delectentur, & potius inflentur, quam reficiantur, ſicut filius prodigus, qui comedit ſiliquas porcorum. *Lucæ* 15.
e Jeſus autem dixit eis: Non habent necessa ira] ideſt non eſt eis utiles alios quærera cibos, & me panem cœleſtem dimittere.
f Date illis vos manducare,] ideſt ſcripturarum intelligentiam aperite.
g Reſponderunt ei: Non habemus hic niſi quinque panes, duos piſces] ideſt quinque libros Moyſi, & Pſalmos, & Prophetas: Totum vetus teſtamentum in his comprehenditur, ideſt lege, Pſalmis, & Prophetis. Unde Dominus poſt reſurrectionem dixit: Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me: *Luc.* 24.
h Qui ait eis: Afferta mihi illos huc,] ideſt intelligentiam legis, Pſalmorum, & Prophetarum, & doctrinam a me vos habere, cognoſcite, & propter me alios inſtruite.
i Et cum juſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum] docens calcandam carnem ſtudio abſtinentiæ. *Iſai.* 40. Omnis caro fœnum. *Nahum* 3. Intra in lutum, & calca, ſubigens tene laterem.
l Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, aſpiciens in cœlum] in hoc inſtruit eos habere corda ſurſum: *Jo.* 5. Pater diligit filium, & omnia ei demonſtrat, quæ ipſe faciet.
o Benedixit, & fregit] quod eſt, quia non alia, quam quæ dicta arant, prædicavit.
p Et dedit diſcipulis ſuis panes] *Jacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens; &c.
q Diſcipuli autem dederunt turbis] ideſt intelligentiam ſcripturarum expoſuerunt.
r Et manducaverunt omnes] ideſt intellexerunt, & ſibi incorporaverunt. Apoſtolorum enim miniſterio intellexerunt.
ſ Et ſaturati ſunt] *Pſalm.* 21. Edent pauperes, & ſaturabuntur.
s Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos] ideſt ſecretiora Scripturæ, quæ non potuit populus capere, Apoſtoli ſibi retinuerunt.
x Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum exceptis mulieribus, & parvulis] ideſt omnes activi minores, & majores, quinque ſenſibus bene utentes. Nota autem de littera, quod hoc miraculum panum circa Paſcha factum, & ſequenti anno imminente Paſcha Chriſtum crucifixum fuiſſe.

Moraliter. * *a* Dimitte turbas, ut euntes in caſtella emant ſibi eſcas] Diſcipuli, qui dicunt hoc, ſignificant prælatos negligentes, qui non docentes permittunt ſubditos perire ad pravam doctrinam, vel prava exempla, vel ſæcularia ſpectacula, & vanitates.
e Jeſus autem dixit ais: Non habent neceſſe ire, date illis vos manducare] 1. *Petr. ult.* Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Domini. *Joan. ult.* dicitur Petro ter: Paſce. Sed econtra fit. Unde *Ezech.* 34. Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: Nonne greges a paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, &c. *Zachar.* 11. Paſce pecora occiſionis, quæ qui poſſiderant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus, divites facti ſumus. [Vaſpere, &c.] *Hilarius.* Nota ordinem myſterii. Poſt defectum legis, Evangelicus cibus incipit, ſed prius per emiſſionem peccatorum, vulneribus medicina tribuitur, & poſtea menſæ cœleſtis alimonia expenditur.
k Super fœnum] ſcilicet temporalium.

l Acceptis quinque panibus] Dat quinque panes, refectionem quinque ſenſuum. *Eccleſ.* 1. Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. Dat ergo Dominus præſentia, ut panem, ſaturatur viſus, aſpiciens omnia eſſe vana. *Eccleſ.* 1. Vidi cuncta, quæ fiebant ſub Sole, & ecce omnia vana. Unde David quaſi ſaturatus dicit: Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Saturatur auditus per præterita. Unde *Pſal.* 77. Quanta audivimus, & cognovimus ea. Olfactus per futura. *Job* 39. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus, ideſt diem judicii. Os prædicatione, & confeſſione. *Cant.* 4. Mel, & lac ſub lingua tua: Ecce prædicatio. *Job.* 10. Loquar in amaritudine animæ meæ: Ecce confeſſio. Tactus per flagellum. *Cantic. caput* 5. Venter meus, ideſt conſcientia, contremuit ad tactum ejus, ideſt, ad flagellum, reputans hoc eſſe pro peccato meo.
m Et duobus piſcibus] Duo piſces, cognitio illuminans intellectum, & dilectio inflammans affectum. Cognitione enim præſentia vana eſſe conſpicimus, per præterita quaſi per quædam præſagia de futuris conjicimus. Dilectione inflammati, dilecto noſtro reconciliamur per confeſſionem, & ejus laudes attollimus, & libenter pro ea ſuſtinemus.
r Quinque panibus] *Hilarius*: Quinque panes ſunt quinque libri Moyſi, quia in operibus legis tanquam ex pane erat vita. Per legem enim divinæ æternitatis cognitio, mundi creatio, curſus labentis ſæculi, & ubique Deo ſerviendi religio humano generi innotuit. Aliter ſatis diſtinguuntur iſti panes, & piſces, *Marc.* 6.
n Aſpiciens in cœlum] *Hilarius*: Honorem patris, a quo erat confeſſus, ut quia adeſſent intelligentia, quo tantæ virtutis ſumpſiſſent effectum dirigentes, & illuc ipſi oculos mentis [In cœlum.] quia omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt deſurſum deſcendens a patre luminum. *Jac.* 1. *Joel.* 1. Beſtiæ agri quaſi area ſitiens imbrem, ſuſpexerunt ad te: Ecce enim benedictio menſæ. In principio enim cibus ſanctificatur per verbum, & orationem. 1. *Timoth.* 4. *Thren. cap.* 3. Levemus corda noſtra cum manibus ad Deum. *Jerem.* 3. Leva oculos tuos in directum. *Thren.* 3. Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.
o Benedixit, & fregit] quia oratione imperratus Scripturæ, expoſitus. *Jacob* 1. Si quis indiget ſapientia, poſtulet a Deo, &c. *Eſther* 14. Tribue, Domine, ſermonem compoſitum in ore meo. *Coloſſ.* 4. Orationi inſtante, &c. orantes ſimul, & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti. Item [Benedixit] quod facit, qui prius fecit bona, & poſt prædicat. [Fregit.] *Hieronymus*: Integri non in fruſta diſcerpti non alerent tantam turbam, ſic & lex, ſi non aperiretur, non paſceret multos, quos aperta paſcit. *Iſa.* 58. Frange eſurienti panem tuum.
q Diſcipuli autem dederunt] non vendiderunt, *ſupra* 10. Gratis accepiſtis, gratis date. Ita Dominus legem dedit Moyſi, & Moyſes plebi. *Pſalm.* 71. Suſcipiant montes pacem populo, &c. Alibi *Pſalm.* 75. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.
ſ Et ſaturati ſunt] Hoc non facit ſcientia ſæcularis. *Aggæi* 1. Comediſtis, & non eſtis ſaturati, bibiſtis, & non eſtis inebriati. Econtra. *Pſalm.* 131. Pauperes ſaturabo panibus. In hoc apparet largitas Domini. *Prov.* 13. Juſtus comedit, & replet animam ſuam, venter autem impiorum inſaturabilis.
s Et tulerunt reliquias] *Exod. cap.* 12. Si quid reſiduum fuerit, igne comburetis. Hæ ſunt micæ, quæ cadunt de menſa, quas catelli, ideſt humiles comedunt. *Infra* 15. *Proverbior.* 11. Ubi humilitas, ibi ſapientia.
u Duodecim cophinos] Duplex ſenarius duplex perfectio, activæ, & contemplativæ, & poſt præmium ſui corporis, & animæ, vel cognitionis, & dilectionis.

Et *a* statim † compullit Jesus discipulos ascendere in naviculam, & *b* præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et *c* dimissa turba *d* ascendit in *e* montem *f* solus *g* orare. *h* Vespere autem facto solus erat ibi: *i* navicula autem in *k* medio mari jactabatur fluctibus: *l* erat enim contrarius ventus, *m* Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos *n* ambulans supra mare. Et *o* videntes eum supra mare ambulantem turbati sunt, *p* dicentes, quia phantasma est. Et præ *q* timore clamaverunt, *r* statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam, ego sum, *f* nolite timere. Respondens *s* autem Petrus, dixit; Domine, si *t* tu es, jube me venire ad te super aquas. At ipse ait: Veni.

† jussit.

a Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam] Hic docet nos fugere honores. *Job* 34. Qui dicit regi apostata. Ibi *Greg.* Superbus rector toties ad culpam apostasiæ dilabitur, quoties hominibus præesse delectatur. *Eccli.* 9. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. *Luc.* 12. Nolite in sublime tolli. Perfecti vero per gratiam moventur, ut Deo devotius vivant. *Prov.* 23. Noli esse in convivio potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur. *Gloss.* Potibus vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ se inebriant. Simbolum dare est confabulationibus verba afferre. Hi faciunt de verbis detractionis inter ferculum, sicut dicitur in vulgari: [Compullit] quasi vi, quia imbecillis est natura ad contemnendum potestatem, ut dicit *Tullius*.

Luc. 9. & 6. Joan. 6.

b Et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas] *Marc.* 7. dicit, quod præcesserunt Bethsaidam [Præcedere eum.] Misericordia enim Dei prævenit, & sequitur. Unde *Exod.* 13. legitur, quod Dominus præcedit filios Israel in columna nubis. Et *post* 14. Quod secutus est. Neophytos enim, ut a prioribus hostibus defendat, præcedit, unde & populum exeuntem de Ægypto dicitur præcessisse. Perfectiores vero sequitur, ut servet a dæmonum tentationibus. Unde quasi anteriora Job exposuit, posteriora servans Dominus: Ecce omnia, quæ habet, in manu tua sunt, veruntamen animam illius serva, E converso 3. *Reg.* 14. Dixit Dominus ad Baasa: Suscitavit te de pulvere, & ambulasti per viam Jeroboam, ecce ego demetam posteriora Baasa, Jeroboam, temporalitas.

Job 1.

c Et dimissa turba ascendit in montem solus orare] Notas ascendit Christus in montem, ut docet *sap.* 5. Ascende & tu in montem tuæ conversationis, ut docere valeas. *Isai.* 40. Ascende in monte in, qui evangelizas Sion. Item ascendit in montem, ut oraret, ut hic: Ascende & tu in monte contemplationis, ut orare valeas. *Isai.* 2. Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, &c. Item ascendit in montem, ut gloriam suam transfiguratus ostenderet, *infr.* 17. Ascende & tu in montem perfectionis, ut transfiguratus gloriosus appareas. Item ascendit in desertum, ut tentaretur a diabolo, *sap.* 14. Ascende & tu in claustri desertum, ut diabolum vincas, Item asinam ascendit, ut humilis, & mansuetus videretur, *infr.* 12. Ascende & tu asinam simplicitatis, ut humilis appareas, & stultus propter Christum, & Evangelium. 1. *Corinth.* 3. Qui vult esse sapiens, stultus fiat, ut fiat sapiens. Item ascendit in montem Oliveti, ut oraret antequam pateretur, *inf.* 24. Ascende & tu in clivum misericordiæ, ut indigentibus subvenias. *Luc.* 6. Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Item in crucem ascendit, ut exaltaretur, *infr.* 27. Et tu crucem ascende pœnitentiæ, ut etiam post ipsum ascendas. *Luc.* 9. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, &c. Item in cœlum ascendit, ut glorificaretur. *Luc. ult.* Ascende & tu in cœlum per desiderium, ut tandem pervenias mente, & corpore.

Dominus ascendit in montem multis de causis.

d Ascendit] *August.* Fugit ad exemplum fugiendæ vanæ gloriæ, & insinuans, quod altitudo sua non potest intelligi. *Joan.* 6. Dicitur, quod turbæ volebant eum facere regem, tanquam non possent sub tali rege egere.

f Solus] sponsa scilicet adhuc laborante in terra. 2. *Corinth.* 5. Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino.

g Orare] *Interl.* Non pro se, idest non necessitate, vel impotentia sua, sed nostra: Non quasi infirmus, sed quasi pius. Item ut formam hominis exprimeret.

e In montem] idest in cœlum, ut oret pro nobis. 1. *Joann.* 2. Advocatum habemus apud patrem Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

h Vespere autem facto solus erat ibi] In hoc informans hominem plene ad orandam.

i Navicula autem,] idest Ecclesia in principio, idest tempore Martyrum arcta, & in fine, idest, tempore Antichristi, in medio ampla. *Sapient.* 13. Transeuntes mare per ratem liberati sunt.

Marc. 6.

k In medio mari jactabatur fluctibus.] Ex una parte impugnant Hæretici, ex alia falsi fratres. Primi fidem, secundi substantiam rerum, tertii mores auferre conantur, *supra* 10. Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. *Gen.* 7. Factum est diluvium, & multiplicatæ sunt aquæ, & levaverunt arcam in sublime. *Psal.* 92. Elevaverunt flumina, idest tyranni, fluctus suos, idest persecutiones, a vocibus aquarum multarum, idest a suggestionibus populorum.

l Erat enim contrarius ventus] illis. Ventus, idest diabolus. *Jerem.* 4. Ventus urens in viis, quæ sunt in deserto. Fluctus autem, qui de aqua, homines sunt mali, per quos alios infestat.

m Quarta autem vigilia noctis venit ad eos] *Marc.* 6. dicit: Volens præterire eos, idest vultum prætendens.

n Ambulans supra mare] idest mundum. Mundus enim dicitur mare tumens per superbiam, fremens per invidiam, tentans per iracundiam. *Isaiæ* 57. Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Submergens per acidiam, scandens per avaritiam, absorbens per castrimargiam, spumans per luxuriam.

o Et videntes eum supra mare ambulantem turbati sunt] Tunc impletum est illud. *Psalm.* 92. Mirabiles elationes maris, &c.

p Dicentes, quia phantasma est] Sic quidam audientes de aliquo, quod calcaverit illecebras carnis, dicunt hoc nihil esse.

q Et præ timore clamaverunt] Clamor enim indicium est timoris.

r Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam, ego sum] Non dicit enim quis: Ex voce enim sibi nota poterant eum cognoscere. *Chrysostom.* A visu non cognoverant eum propter noctem, & hiemem, & mirabilem incessum, sed a voce.

f Nolite timere] *Joann.* 16. Confidite, ego vici mundum. *Isai.* 43. Cum transieris per aquas, tecum ero. *Jeremiæ* 1. Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum.

s Respondens autem Petrus dixit] *Chrysostom.* Petrus ubique erat calidus, & semper alios præveniebat.

t Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.] *Chrys.* Non dicit simpliciter, jube me venire, vel ire super aquas, sed addit, [ad te] propter amorem, scilicet non propter ostentationem faciens. [At ipse ait: Veni.]

▲ Et descep-

Allegorice. *h* Vespere autem facto,] idest ingruente tribulatione, Ecclesia fluctibus tunditur post ascensum Christi in montem, idest in cœlum, *supra* 10. Tradent enim vos, &c. *Joan.* 16. Plorabitis, & flebitis vos. *Proverb.* 3. Quem diligit Dominus corripit. *Isai.* 21. Venit mane, & nox: si quæritis quærite, convertimini, & venite.

Allegor.

m Quarta autem vigilia noctis] Prima vigilia est persecutio tyrannica, secunda hæretica, tertia falsorum fratrum, quarta Antichristi. Ex tribus primis conflata, postquam veniet Dominus Ecclesiam plene liberaturus. De his autem vigiliis plenius habetur *Marc.* 6.

Moraliter. Prima hora, tentatio infidelitatis. *Psalm.* 136. Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. Secunda, tentatio carnis. Tertia, concupiscentia oculorum. Quarta, superbia vitæ. 1. *Joann.* 2. Dominus ambulat super mare, quia omnes mundi tribulationes voluntati ejus subjectæ sunt. *Psalm.* 32. Congregans sicut in utre aquas maris. *Isai.* 43. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.

Moraliter.

▲ Et de-

Et a descendens Petrus de navicula ambulabat super aquas, ut b veniret ad Jesum. c Videns vero ventum validum timuit. Et d cum coepisset mergi, clamavit, dicens: Domine, salvum me fac. Et e continuo Jesus extendens manum apprehendit eum. Et ait illi: Modicæ fidei quare dubitasti? Et f cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus. Qui g autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Vere filius Dei es. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes, & rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.

C A P. XV.

TUnc h accesserunt ad eum a Jerosolymis Scribæ, & i Pharisæi, k dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducant. Ipse l autem respondens, ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam m Deus dixit: Honora patrem

a a Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquas] Non sub, quia in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

Psal. 31.

b Ut veniret ad Jesum] In hoc confunduntur Manichæi, qui credunt Jesum ob hoc habuisse phantasticum corpus, quia ambulavit super aquas. Sed hoc patet esse falsum, cum etiam hoc idem fecit Petrus.

aliq. aquam.

c Videns vero ventum validum timuit] *Chrysost.* Tale quid est humana natura, multoties, quæ sunt magna, dirigens, in minoribus redarguitur. 3. *Regum* 19. Elias fugit Jezabel. *Exod.* 2. Moyses fugit Pharaonem. 2. *Reg.* 15. David Absalon. Petrus super aquas non timuit, ventum timet.

D

d Et cum coepisset mergi, clamavit, dicens: Dominus, salvum me fac] *Chrysostom.* Cum, quæ nobis sunt, defecerint, quæ Dei sunt, stant. 2. *Paralipom.* 20. Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, ut oculos nostros dirigamus ad te.

Marc. 6.

e Et continuo Jesus extendens manum apprehendit eum.] Sicut avis pullum de nido casurum ad nidum reducit, sic Christus fecit. *Isa.* 30. Ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi. Et ait illi, modicæ fidei, quare dubitasti.

Moraliter.

* a Et descendens Petrus de navicula, &c.] Nota, quod Moyses cum suis ambulavit inter undas maris, & evasit submersis Ægyptiis. *Exod* 14. Hi sunt imperfecti, qui abutuntur temporalibus, quibus abundant. Petrus ambulans super aquas coepit mergi, quia saltem venialiter peccant perfecti. Solus Christus ambulans super aquas non mergitur, quia nec dolus in eo inventus. 1. *Petr.* 2.

Item Petrus, agnoscens, vir religiosus calcat aquas, idest divitias temporales, sed tamen timet, & clamat, & liberatur. Moyses non calcavit aquas, sed per medium transiens, habuit eas pro muro a dextris, & a sinistris, *Exod.* 14. Ideo volunt prælati nostri divitias habere, quia dicunt, quod aliter Ecclesia non posset stare. Unde *Eccle.* 7. Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio, & sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo.

Item *Proverb.* 28. Substantia divitis urbs fortitudinis ejus, & quasi murus validus circumstans eum. Sed forte murus iste magis attrahit latrones, quam arceat, sicut impletio fossatorum, ut liberum accessum habeant hostes. Ideo dicunt boni. *Isa.* 26. Urbs fortitudinis nostræ Sion: Salvator ponetur in ea murus, & antemurale. *Job.* 31. Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea. *Ecclesi.* 5. Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.

f Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus] *Joan.* 6. Voluerunt eum accipere in navim, & statim navis fuit ad littus. *Psalm.* 75. In pace factus est locus ejus. *Supra* 8. Imperavit ventis, & mari, & dixerunt: Qualis est hic, &c.

g Qui autem in navicula erant, &c.] Littera plana est.

EXPOSITIO CAP. XV.

TUnc accesserunt ad eum, &c.] In præcedenti capit. egit Matthæus de convivio Herodis, idest peccatoris, ubi natalis Herodis celebratur, & Joannes occiditur, ubi quinque panes diaboli sumuntur, de quibus ibi dictum est, & duo pisces similiter, qui dicti sunt ibi vanitas, & voluptas, & ideo, quia piscis in aqua melior apparet quam sit, & de nocte lucet squamis, in hoc vanitas. Piscis etiam non vivit nisi in aquis, & maxime appetit dulces, in hoc voluptas. Quoniam autem primus gradus redeundi ad Deum est declinare a malo, ideo Dominus audito eventu prædicti convivii recessit in locum desertum, & ibi pavit suos contrariis cibis. *Job* 6. Quæ prius nolebant tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. Hi panes fuerunt fidei religio, quæ est de non apparentibus, carnis castigatio, oratio, intentionis simplicitas, pietas. Duo pisces, veritas, & charitas. Sed quia panes hordacei servorum sunt, qui in domo non manent in æternum, ut dicitur *Joan.* 8. Post hunc pastum transit Dominus. Unde *Galat.* 4. Ejice ancillam, & filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ, quia de statu timoris, qui servus est sicut Ismael, transeundum est ad statum amoris, ubi risus Isaac. Unde & in hoc capitulo decimoquinto transit ad refectionem filiorum. Quod caput dividitur in quatuor partes. In prima docet, quæ munditia exigitur a reficiendis, & quæ non. In secunda, qui sunt digni hac refectione, & qui non, ibi: [Non est bonum, &c.] In tertia, quomodo non digni fiant digni, scilicet si spiritualiter sanentur, ibi: [Et accesserunt ad eum turbæ, &c.] In quarta de refectione. Dicit ergo:

Marc. 9. A *Exod.* 21. *Deut.* 5. *Eccl.* 3.

h Tunc accesserunt ad eum a Jerosolymis Scribæ, & Pharisæi] *Chrysostom.* Tunc quando tacta fimbriæ sanaverat, ideo dicit Evangelista tempus, ut eorum malitiam ostendat inexcusabilem.

i Pharisæi] *August.* Pharisæi vocantur nobiliores, & doctiores Judæi.

k Dicentes, quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum, &c.] Seniores tradiderant quasdam traditiones scilicet de se, & vasis abluendis, intelligentes carnaliter illud, *Isa.* 1. Lavamini, mundi estote, & hujusmodi. *Lev.* 15. ubi præcipitur, quod lavetur, qui legalem contraxit immunditiam. *Chrysost.* Ab ipsa interrogatione capiuntur. Non enim dicunt legem Moysi transgrediuntur, sed traditiones, quas Moyses fieri prohibuit. *Deut.* 32. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas. Terribiliores esse volebant, quia & ipsi legislatores erant, ulciscebantur sua, quæ Dei erant non curantes. Simile *supra*. Quare nos & Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant, dicunt discipuli Joannis. Illi quærebant sicut isti, volentes culpam refundere discipulorum in magistrum. Similes hi sunt, qui magis offenduntur, & arguuntur si transgrediatur homo constitutiones mundanas, quam si mandata Dei, *infra* 23. Duces cæci excolentes culicem, & deglutientes camelum.

l Ipse autem respondens ait illis, quare & vos transgredimini, &c.] Non directe respondet illis, sed inquisitivam objicit interrogationem, qua sugillat eos tacite, ostendens ipsos potius esse arguendos, quam discipulos, quasi dicat, non oportet manus corporis aqua materiali lavari, sed manus cordis eleemosynis. Unde *Luc.* 11. Date eleemosynam, &c. Sic lavant post prandium manus dantes fragmenta. Arguit itaque eos sic de avaritia. *Hieron.* Latratum Judæorum sureptationis obtundit, Moysi, & Isaiæ auctoritatibus. Quare, &c. Ad eos enim pertinet peccata arguere, qui nec æquali, nec inæquali, nec majori involuti sunt crimine. *Joan.* 8. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Lapidem objurgationis, & reprehensionis. *Eccl.* 21. In lapide luteo lapidabitur piger, idest arguetur pro amore terrenorum, & sordida vita. Quare & vos, &c. *August.* Hoc etiam contra illos, qui corporalia peccata quasi gravissima detestatur, spiritualia autem non. m Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem] *Exod.* 20. & *Ecclesi.* 3. Honora patrem tuum. Nota, quod grues dicuntur

fovere

& matrem. Et *a* qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos *b* autem dicitis, *c* quicumque dixerit *d* patri, vel matri *e* munus quodcumque est *f* ex me, tibi *g* proderit, & *h* non honorificabit patrem suum aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei *i* propter traditionem vestram. *k* Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me *l* honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine *m* causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. Et convocatis *n* ad se turbis, dixit eis, *o* audite, & *p* intelligite. Non *q* quod intrat in os, coinquinat hominem, sed *r* quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc *s* accedentes discipuli ejus dixerunt ei: Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc *t* scandalizati sunt. At ille *u* respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur. *x* Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum, cæcus *y* autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. *z* Respondens

fovere parentes in senectute. Honorant autem in duobus necessaria dando, & reverentiam exhibendo. Quæ duo Paulus vocat honorem debitum senibus, scilicet Presbyteris. 1. *Tim.* 5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habentur. *Hieron.* Honor in Scripturis non tam in salutationibus, & officiis deferendis, quam in eleemosyna, & munerum collatione sentitur. Unde 1. *Timot.* 5. Viduas honora, quæ veræ viduæ sunt.

a Et qui maledixerit patri, vel matri morte moriatur] *Levit.* 5 *Eccles.* 3. Maledictio matris eradicat fundamenta.

i Propter traditionem vestram] scilicet leges humanas, vel decretales. *Isai* 29. Timuerunt me mandato hominum, & doctrinis; ideo ecce ego addam, ut admirationem, idest pœnam mirabilem faciam populo. *Isa.* 24. Dissipaverunt, vel mutaverunt fœdus sempiternum, transgressi sunt legem. Propter traditionem vestram. Consimilis fraus fit hodie in Ecclesia, sicut habetur super *Marc.* 7 *in postillis*. Item hi sunt, qui colant calicem, & camelum glutiunt. *Thren.* 4. Polluti sunt in sanguine, idest peccato, cum non possent intrare, tenuerunt lacinias suas, idest unus tenuit alium, ne intraret, polluti clamaverunt eis, recedite, abite, idest alios pollutos reputare. *Dan.* 13. Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus judicibus, *infra* 23. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis, quod de foris est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapina, & immunditia. Sic Archidiaconi quasi lorrices tantum inquirunt, si linea, & vestimenta altaris alba sint, & similia, & magis puniunt transgressorem synodalium præceptorum quam Dei.

b Vos autem dicitis] quasi quilque dicat, vos illos instruitis ad dicendum.

c Quicumque dixerit patri, vel matri, munus quodcumque est ex me, tibi proderit,] quasi dicat, munus quod a me datur tibi ad victum, & vestitum proderit tibi ad salvandum animam? minime, quia non curas nisi de corpore. Vel

g Proderit tibi] Aposiopesis est, idest defectiva locutio, quasi hic talis non transgreditur. Vel ita legitur, ut non fit Aposiopesis. [Quicumque] idest unusquisque.

d Dixerit] idest dicere poterit.

e Munus quodcumque est ex me, tibi proderit] idest quodcumque munus a me acceperis, non tibi prodesset, imo obesset, quia sacrilegus esses, si acciperes. Vel

g Proderit] quasi ego vovi omnia Domino, & quicquid vovi, tibi proderit, sicut & mihi.

f Ex me] idest voluntaria oblatio. Sic quidam sub specie religionis cognatis suis nolunt subvenire. *Chrysostom.* Neque Deo offerebant, & parentes nomine oblationis privabant genitores convitiantes propter Deum, & Deo propter genitores.

h Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei] scilicet de patribus sustentandis. *Proverb.* 28. Qui subtrahit aliquid a patre suo, & a matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.

k Hypocritæ bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me] Nostra littera habet: Pro eo quod appropinquat populus iste in ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, &c.

l Honorat] legem tantum superficialiter custodiens.

m Sine causa autem colunt me, &c.] Sine causa dicit, quia inde non habebunt mercedem.

n Et convocatis ad se turbis, dixit eis:] Simplicibus loquitur, quia *Proverb.* 3. Cum simplicibus sermocinatio ejus.

o Audite] mandata Dei, non traditiones hominum.

p Et intelligite] *Apoc.* 2. & 3. Qui habet aures audiendi audiat, idest intelligat.

q Non quod intrat in os, coinquinat hominem] quasi dicat, non solum non lotis manibus manducare non coinquinat hominem, sed nec cibus quisque, quia cito cessabunt legalia. Et aperte hic habetur, quia Dominus omnes legales observantias eliminat, quia tollit discretionem ciborum, quæ erat in lege melior religio, & ita a parte intelligitur totum, ut dicit *Gloss. Tit.* 1. Omnia munda mundis.

r Sed quod procedit de ore, hoc coinquinat hominem] *Aug.* Hæc sententia si tota de ore corporis accipiatur, absurda est, neque enim quem non coinquinat cibus, coinquinat vomitus, sed proculdubio priora verba pertinent ad os carnis, posteriora ad os cordis. *Chrysost.* Videmus multos, ut intrent ad Ecclesiam lavantes manus, & os; qualiter autem mundam Deo præsentent animam nullam curam facientes. Sordes manuum sunt rapina, homicidium, sordes, oris maledictio, blasphemia, contumelia. Stercus in manibus tenens nunquam auderes orare, & nimirum hoc nulla jactura est, quid inaniter irrigas linguam perniciosam circumferens stercus? Si quis stercore manus implens tuos teneret pedes supplicans, non solum non audires, sed pedibus conculcares. Qualiter igitur audes ad Dominum accedere? Est enim manus in linguis orantium, & per eam detinemus genua Dei? *Isai.* 1. Cum multiplicaveritis orationes vestras non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.

s Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt: Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc,] quod est contra discretionem ciborum.

t Scandalizati sunt] *Isa.* 57. Impegerunt in meridie. *Jo.* 6. Multi ex discipulis ejus audientes dixerunt, &c. *August.* Oculis ægris odiosa est lux, quæ sanis est amabilis. Scandalon Græce, vel scandalum est obex pedis.

u At ille respondens, ait, omnis plantatio, &c.] Quia plantationes dicit mandata, & doctrinas hominum, quæ a Deo non sunt, quasi pro scandalo non est omittenda veritas, quæ fit ad ædificationem aliorum, quia obstinati sunt, & de terra eradicandi. Quia omnis plantatio, &c. *Job* 15. Non dilatabitur, neque perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam. *Sap.* 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt. Hæc sunt quasi supercrementa arborum, quæ non sunt de arbore semper virent, & nunquam fructificant. *Isa.* 51. Posui verba mea in ore tuo, & sub umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, & fundes terram. *Eccl.* 24. Rigabo hortum plantationum mearum. *Psal.* 73. Ejecisti populos, & plantasti eos. Alibi *Psal.* 93. Qui plantavit aurem, non audiet. Quærit ex plantis fructum. *Judæ* 1. Arbores autumnales, infructuosæ, eradicatæ, bis mortuæ. *x* Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum] *Isa.* 56. Speculatores ejus cæci omnes. Et 42. Quis cæcus nisi servus Domini? *Eccl.* 10. Qualis rector civitatis, tales & inhabitantes in ea.

y Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam] peccati inferni [cadunt] *Isa.* 24. Formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terræ. 2. *Reg.* 4. Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos. Sic mali ponunt cæcos super muros ad se defendendum, ut non arguantur ab eis. *Greg.* Cum pastor per abrupta graditur, necesse est, ut grex in præcipitium ducatur.

z Respondens autem Petrus] unus pro omnibus, [dixit ei: Edissere nobis parabolam istam] Hoc videtur quærere Petrus ut idiota. Vel forte cum præcepisset Dominus discretionem ciborum, videbatur, quod parabolice loqueretur renovans eumdem. Per hoc significantur illi, qui legem conversioni suæ contrariam perverse exponunt, vel interpre-

Isai. 29.

Infra 23.

Isai. 29.

interpretantur, dicentes allegorice, vel parabolice dictum, quod ad litteram intelligendum est.

a At ille dixit, adhuc & vos sine intellectu estis] quia putatis mystice dictum, quod proprie est dictum.

b Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur] *Hieron.* Omnium Evangeliorum loca apud Hæreticos, & perversos plena sunt objectionibus, & scandalis. Ex hac enim sententiola calumniantur quidam, quod Dominus physicæ disputationis ignarus putet omnes cibos in ventrem ire, & in secessum digeri, cum statim infusæ escæ per artus, & venas ac medullas, nervosque diffundantur. *Marc.* 7. Non intelligitis, quia omne intrinsecus introiens in hominem non potest eum coinquinare, &c. Ibi *Beda* dicit, quod secessus hic appellatur omnis evacuatio per quoscumque meatus corporis fiat. Nota autem tres digestiones. Prima in stomacho, secunda in hepate, tertia in membris. Secundum *Avicen.* autem quatuor, Prima in ore, & postea tres aliæ.

c Quæ autem procedunt de ore] ut verba turpia, & nociva. *Ephes.* 4. Omnis sermo malus de ore vestro non procedat. *d* Coinquinant hominem] Inquinatam enim cogitatione magis inquinant sordidæ locutiones.

e De corde enim exeunt cogitationes malæ] contra seipsum.

f Homicidia] contra proximum. 1. *Joan.* 3. Qui odit fratrem suum, homicida est.

g Adulteria] in idololatria.

h Fornicationes] in traditionibus. *i* Furta] in avaritia. *k* Falsa testimonia] in falsa doctrina. *Proverb.* 19. Falsus testis non erit impunitus, &c.

l Blasphemiæ] contra Deum. Nota autem, quod hic ponuntur septem panes diabolici, quos habebant Pharisęi, Definitiones autem horum patent. *Marc.* 7.

m Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem] quasi dicat, ex quo nullus cibus coinquinat hominem, ergo a majori non lotis manibus, &c.

n Et egressus inde Jesus] secundum carnem de Judæis, ut nos salvaret, quod est res hujus nominis Jesus.

o Secessit] voluntate.

p In partes Tyri, & Sidonis] Tyrus fortitudo, vel tribulatio. Sidon venatio mœroris. Venit enim fortis in tribulationibus venari in silvam nostram pœnam, & hujusmodi. Unde: Tribulationem, & dolorem inveni. Vel [Egressus] de observantia legalium venit ad angustiatos. Venit enim quærere, quod perierat. Sic prædicator debet egredi, ut Domino venetur peccatores. *Gen.* 27. Egredere foras, cumque venatu aliquid acceperis, fac mihi pulmentum, &c. *Ezech.* 3. Egredere in campum. *Jo.* 15. Posui vos, ut eatis, &c. *Jer.* 16. Mittam venatores, & venabuntur vos, non burias vestras. In Tyro autem venatus Dominus, quia angustia est saltus ubi tristes, ubi capiuntur pœnitentes. *Osee* 2. Sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inveniet. *Baruch* 3. Anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te. Unde sequitur. *r* Et ecce mulier Chananæa] *Marc.* 7. addit, quod Jesus erat in domo.

s A finibus illis egressa] non tantum a civitatibus. *Gen.* 12. Egredere de terra tua, &c. Loth. *Gen.* 18. Ne stes in omni circa regione. 1. *Reg.* 22. Abiit inde David, & fugit in speluncam Odollam, quod cum audissent fratres ejus, & omnis domus patris ejus descenderunt ad eum illuc, & convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia. *u* Clamavit dicens ei] *Hier.* Quia Chananæa, idest commutata, & verba misericordiæ proferens non clamans. Unde *Nehemiæ* 9. In tempore tribulationis clamaverunt ad te, & tu de cœlo exaudisti eos. Et 8. Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula.

x Miserere mei] Magnus affectus, quia malum filiæ dicit esse suum. Et in hoc notatur compassio. 2. *Corint.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? *y* Fili David.] Confitetur eum esse Messiam promissum in lege, qui nasciturus erat ex David.

z Filia mea male a dęmonio vexatur] Vulnera medico detegit, & qualitatem, & magnitudinem morbi ostendit, cum dicit, male vexatur. Qualitatem, cum subjungit, a dęmonio.

---

autem Petrus, dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. At *a* ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis. *b* Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Quæ *c* autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea *d* coinquinant hominem. De *e* corde enim exeunt cogitationes malæ, *f* homicidia, *g* adulteria, *h* fornicationes, *i* furta, *k* falsa testimonia: *l* blasphemię. Hęc sunt, quæ coinquinant hominem. *m* Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem. Et *n* egressus inde Jesus *o* secessit in *p* partes Tyri; *q* & Sidonis. Et ecce *r* mulier Chananæa *s* a finibus illis *t* egressa, *u* clamavit dicens ei: *x* Miserere mei, Domine, fili *y* David, *z* filia mea *a* male a *b* dęmonio *c* vexatur. *d* Qui non respondit ei verbum. Et *e* accedentes discipuli ejus roga-

---

d Qui non respondit ei verbum] Nota, differt ei Dominus curationem ne opus doctrinæ contrairet, *supra* 10. In viam gentium, ne abieritis, ut fidem orantis probaret, & ut suos in orando perseverare doceret. Item,

r Et ecce mulier Chananæa, &c.] Joseph de carcere eductus, mutatoriis indutus est. *Genes.* 41. Jesu sordida vestimenta auferuntur, & mutatoriis induitur, *Zach.* 3. *Isa.* 19. In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chananæa. *Mich.* 1. Non est egressa, quæ habitat in exitu. *Isa.* 24. Cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari, supple egressi. *Isa.* 48. Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis in voce exultationis, quia tales possunt orare pro aliis, alii non. Quia cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.

t Et egressa Chananæa] Uterque egreditur, Jesus, & mulier, & sic colloquuntur, & recipit mulier sanitatem. *Isa.* 64. Utinam dirumperes cœlos, & descenderes, a facie tua montes defluerent. *Cant.* 7. Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum. *u* Clamavit] *Job* 35. Clamabunt, & non exaudiet. *Cant.* 5. Vocavi, & non respondit mihi. *Greg.* Quo voces medicus ægri audire dissimulat, eo finem ægritudinis procurat. Unde: Clamabo per diem, & non exaudies. Differt enim, ut homo desideret, & etiam, quia facilitas veniæ incentivum parit delinquendi. *Isai.* 26. Misereamur impio, & non discet facere justitiam.

Moraliter. *r* Mulier Chananęa] idest anima negotiatrix, vendens cęlum pro peccato, *Apoc.* 18. Negotiatores terrę flebunt. Hæc est negotiatio pilarum, unde hæc est in finibus Tyri, idest angustiæ. *Ezech.* 27. In corde maris, & in aquis multis adduxerunt te remiges tui. *q* Et Sidonis] idest venationis. *Thren.* 3. Venatione ceperunt me quasi autem inimici mei gratis, scilicet dęmones, qui significantur per Nemroth robustum venatorem. *Gen.* 10. De his finibus egreditur anima, cum detestatur peccatum suum, & sic sentit languorem filiæ, idest carnis. *Eccl.* 46. Super filiam luxoriosam firma custodiam. *e* Et accedentes discipuli ejus rogabant eum.

Moraliter.

Item *r* Mulier Chananęa] Ecclesia, quæ dicitur mulier propter viri tui, id est Christi fęcundationem, sementis, idest sancti propter conceptionem, prolis, idest boni operis educationem, domus Dei, idest conscientię humanæ provisionem. Hæc mulier commutata est, quia habet in oculis pudicitiam, in auribus obedientiam, in naribus prudentiam, in palato temperantiam, in ore sapientiam, in corde munditiam, in manibus innocentiam, in pedibus providentiam. *s* A finibus] Tyrus peccatum, quod angustat hominem propter castri sui occupationem, propter patris familias incarcerationem, propter familiæ interfectionem, propter rerum omnium dissipationem. Fines autem peccati sunt voluptuosa recogitatio, damnosa cohabitatio, contagiosa petitio, vel recitatio, illecebrosa recidivatio. *u* Clamavit] confidenter, ibi: [Miserere mei.] Compatienter, ibi [Filia mea, &c.] Infatigabiliter, ibi [At illa venit] Humiliter ibi [Nam, & catelli edunt, &c.] *z* Filia mea] i. peccatrix anima, quę dicitur filia propter subjectionem, subministrationē, dilectionem, imitationem. *a* Male] propter diaboli subiannationem, ipsius incompassionem, mentalem afflictionem, bonorum damnificationem, Dei provocationem, cęlestis curię offensionem. *b* A dęmonio] qui sciens interpretatur. Diabolus enim scit cogitationes mentium per exterius indicium, vires herbarum propter antiquum exercitium, cultum, vel statum super cęlestium propter pristinam societatem. *c* Vexatur] Est vexatio curiosa in divitiis acquirendis, laboriosa

Mystice.

Multiplex vexatio.

O in voluptatibus

ejus rogabant eum] Ignorabant enim mysterium, vel misericordia movebantur, vel importunitate ejus carere cupientes.

a Dicentes, dimitte eam, quia clamat post nos] Nota, quod hæc mulier primo venit in domum, & ibi rogavit Jesum, & in domo noluit ei respondere, ne objiceretur ei, quod perhibuerat, In viam gentium ne abieritis. Postquam vero Jesus egressus est de domo, clamavit, sic Sancti instante matre pro filia, idest carne rogant pro ea.

Supra 10.

b Ipse autem respondens ait, non sum missus] corporali missione.

c Nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel,] idest ad Judæos. Unde ipsi dicunt, *Isai.* 53. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit.

Marc. 7.

bant eum, *a* dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. *b* Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad *c* oves, quæ perierunt domus Israel. At illa *d* venit, & adoravit eum, *e* dicens: Domine, adjuva me. *f* Qui respondens ait: Non est bonum sumere *g* panem filiorum, & *h* mittere canibus. At illa *i* dixit: Etiam Domine. Nam & *k* catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc *l* respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua, *m* fiat tibi, sicut vis. Et sanata est filia ejus in illa hora. Et *n* cum *o* transisset inde Jesus, venit secus mare Galileæ, & *p* ascendens in montem sedebat ibi. Et *q* accesserunt ad eum turbæ multæ, *r* habentes secum mutos, *f* claudos, cæcos, *s* debiles, & alios multos, & projecerunt eos *u* ad pedes ejus, & *x* curavit eos, ita ut turbæ mirarentur, *y* videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes, & *z* ma-

d At illa venit, & adoravit eum] ut Deum, *supra* 4. Dominum Deum tuum adorabis.

e Dicens: Domine adjuva me.] Supra humanitatem confessa est, ibi: [Fili David] hic Deitatem confitetur.

f Qui respondens ait, non est bonum sumere panem filiorum] idest Judæorum, qui erant filii Dei. *Exod.* 4. Primogenitus meus Israel. Panem hic vocat operationem miraculorum, quam quærebat.

h Et mittere canibus] idest gentibus immundis. *Sap.* 7. Nolite sanctum dare canibus, ne evomant. Quia melius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retrorsum converti. Nota, canis vomit, & vomitum recomedit. 2. *Petr.* 2. Canis reversus ad vomitum. Item non patitur parem. Unde *Phil.* 3. Videte canes, videte concisionem. Item lingit posteriora sua. 71. Inimici ejus terram lingent. Item rabiosus fit luna plena. *Apoc. ult.* Foris canes, & venefici. Item ante mordet, & latrat, retro applaudit cauda. Item gulosus est, luxuriosus, & mingit ad parietem.

g Panem filiorum] Vulgariter omnis panis dicitur hominum, vel canum. Primus de similagine, & significat spiritualia. Secundus de sursure, quod exterius est, & vanum, & significat temporalia.

i At illa dixit etiam, Domine] idest, verum est.

k Nam & catelli edunt de micis, &c.] *Chrysostom.* Non oves, non filios, sed canes vocat, quid igitur mulier complicat ab ipsis verbis ejus opitulationem? Si enim canis sum, ait, non sum aliena, quod necessarius est cibus filiis, novi: unde nec ego canis prohibeo. Propter hoc tractabat Christus. Sciebat enim eam esse hoc dictantam, quod in Centurione scivit. Ego veniam, inquit, & curabo eum, ut audiamus. Non sum dignus, &c. *Luc.* 15. Fac me sicut unum de servis tuis. *Isai.* 57. Pacem his qui longe. Nota, mica inter crustas latet, tinatus fragmentium fugit, cibus etiam est parvulorum. Item nota, quod Dominum dicere: [Non est bonum, &c.] est ad tempus animæ immundæ tanquam cui panem gratiæ suæ denegare. Tamen anima catello se comparat per humilitatem, idest cogitationem suæ immunditiæ, si non potest habere panem integrum, idest gratiam gratum facientem, petat saltem micam, idest gratis gratiam datam, qua saltem a consuetudine peccandi liberatur, & nondum a reatu. *Eccl.* 26. Leo venationi insidiatur semper, sic peccatum operantibus iniquitatem. Et 13. Venatio leonis onager in eremo, sic & pascua divitum sunt pauperes.

Supra 8.

Mystice. O in voluptatibus explendis, frustratoria in honoribus ambiendis, consolatoria in tribulationibus amplectendis, deliciosa in peccatis puniendis, perniciosa in dæmonibus sustinendis. Item aliter. Chananæa a finibus suis egreditur, quando negotiatio clericos occupat.

Aliter. *Ezech.* 28. Cum iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam. *Nehemiæ ultim.* Manserunt negotiatores & vendentes universa venialia foris Jerusalem.

l Tunc respondens Jesus ait illi] Primo nihil respondit, postea respondit, quasi negando quod petebat, dilatione sic excitans desiderium.

m O mulier, magna est fides tua] *Jerem.* 3. Amodo voca me, pater meus, dux virginitatis meæ tu es, &c. Fides dicitur magna, scientia potens contra omnem altitudinem extollentem se, 2. *Cor.* 10. Fiducia potens miracula facere, *infr.* 17. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, &c. Item devotione potens lacrymas producere. *Hebr.* 11. Fide Moyses grandis effectus. Item constantia potens vincere omnia mundi blanda, & adversa. 1. *Joann.* 5. Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.

n Fiat tibi, sicut vis, &c.] *Luc.* 11. Et ille, si perseveraverit pulsans, dico vobis, & si non resurrexerit, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget. *Chrysost.* Quantum quid est instantia orationis, quod Apostoli non obtinuerint, ipsa perfecit. Etenim pro nostris nobis magis vult a nobis rogari, quam ab aliis pro nobis, quamvis magis liberam præsentiam habeant. Nota autem, quod hic datur exemplum catechizandi, & baptizandi infantes, qui nec facere, nec sapere possunt, & in hoc sunt quasi absentes, per fidem autem patrinorum liberantur.

o Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ] *Marc.* 7. dicit: Inter medios fines decapuleos, & adducunt ei surdum, & mutum.

p Et ascendens in montem sedebat ibi] Per hoc docens nos ascendere in altitudinem vitæ. *Gen.* 19. In monte salvum te fac. *Judic.* 20. Illi soli de Benjamin salvati sunt, qui ascenderunt petram Remmon, quod interpretatur sublimis. Occiderunt enim uxorem Levitæ, idest animam Deo desponsatam. [Et ascendens in montem, &c.] *Deut. ult.* Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab, idest de campo licentiæ, & mortuus est ibi. Item in sessione notatur ejus, & delectatio. *Psalm.* 67. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, idest facit, ut nobis placeat habitare in monte. Item qui sedet, se humiliat, *q* Et accesserunt ad eum turbæ multæ] Propter tria, ut scilicet ejus potentia gauderent, ut miracula viderent, ut doctrinam audirent.

r Habentes secum mutos, &c.] Mutus a laude Dei, & peccatorum confessione. *f* Claudos, cæcos] 1. *Reg.* 5. Non intrabis huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos. 2. *Reg.* 5. Cæcus, & claudus non intrabunt in templum. Mutilat diabolus multis dextrum pedem, & facit eos loripedes, quando quis beneficiatus procurat per seipsum sua temporalia, & per vicarium spiritualia. *Lev.* 21. Claudus, vel fracto pede non offeret panes Deo suo.

s Debiles] In Græco habetur cyllos, idest debiles manibus. *Luc.* 14. Cum facis convivium, voca pauperes, & debiles, & claudos, & cæcos, & beatus eris.

u Ad pedes ejus] idest doctores. *Isa.* 52. Quam pulchri sunt super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem. *Deut.* 33. Qui appropinquant ad pedes ejus, accipient doctrinam. *x* Et curavit eos, &c.] *Eccl.* 38. Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis. *y* Videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes] *Isa.* 35. Deus ipse veniet, & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Et 29. ejusdem: Audient in die illa surdi. *z* Et magnificabant Deum Israel] ejus magnitudinem prædicando. *Psalm.* 35. Magnificate Dominum mecum. Seipsos humiliando. *Ps.* 63. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Ejus magnitudinem admirando. *Luc.* 1. Magnificat anima mea Dominum. *Chrys.* Mulierem cum tarditate, hos confestim curavit, quia fidelior illa fuit. Item. Quanto majus beneficium quis accipit

gnificabant Deum Israel. a Jesus autem convocatis discipulis suis, dixit: Misereor b turbæ, quia c triduo jam perseverant mecum, & d non habent, quod manducent, & dimittere e eos jejunos nolo, ne deficiant in via. Et f dicunt ei discipuli. Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam? Et g ait illis Jesus. Quot panes habetis? At illi h dixerunt, septem, & paucos pisciculos. Et præcepit k turbæ, ut discumberent super terram. Et l accipiens septem panes, & pisces, & gratias m agens fregit, & n dedit discipulis suis, & o discipuli dederunt populo, & p comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod q superfuit de fragmentis, r tulerunt septem sportas plenas. Erant s autem, qui manducaverunt, quatuor millia † hominum, extra t parvulos, & mulieres. Et dimissa u turba ascendit in naviculam, & x venit in fines Magedan.

al. † virorum.

C A P. XVI.

ET y accesserunt ad eum Pharisæi,

Marc. 8. Joan. 6.

neficium quis accipit, tanto magis pœnæ obnoxius est, ingratus existens. Propter hoc, & divites magis puniuntur quam pauperes mali existentes, quia neque in copia facti sunt mansueti. Et non dicas, dederunt eleemosynam. Si enim secundum dignitatem substantiæ non dederunt, non effugient.

a Jesus autem convocatis discipulis suis dixit.] In hoc instruens eos, dicit *Gloss.* quod majores minoribus debent communicare consilia sua. Unde *Eccl.* 32. Fili, sine consilio nihil facias. b Misereor turbæ,] Sic innuit eos debere compati subjectis. Unde *Ps.* 91. Senectus mea in misericordia uberi. *Cor.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor: in hoc, quod misceretur, ostendit se, esse verum hominem. c Quia triduo jam perseverant mecum,] in deserto penitentiæ. Triduum jejunium, oratio, & eleemosyna. *Tob.* 12. Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna. His dat Dominus panes Catholicæ doctrinæ. *Isa.* 21. Cum panibus occurrite fugienti a triplici hoste. Pisciculi, triplex spiritualis intelligentia. Dominus gratias agit, quia pro his gratias agere debemus. Fregit, quia *Apoc.* 5. Vicit leo de tribu Juda radix David aperire librum, & solvere septem signacula ejus. Item triduum, contritionis, pœnitentiæ, justitiæ. *Num.* 33. Profecti ergo de Ramesse, idest, tinea, mense primo, castrametati sunt in Socoth, idest tentoria, & de Socoth in Ethan, idest ascendens, vel robustus gratiæ, scilicet per contemplationem. *Gen.* 40. Tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, &c. *Exod.* 5. Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem. Item triduum, cogitatio, locutio, opus.

Marc. 8.

d Et non habent, quod manducent.] Quare non petebant cibum a Domino? *Chrys.* Ob medicinam turbæ venerant, cibum, vel panes petere non audebant, sine indigentia non fecisset Dominus mira. Et ne dicerent Apostoli viaticula portant, ait tres dies, &c. quasi, si quid habuerunt, consumptum est.

e Et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.] *Act.* 9. Saulus illuminatus cum accepisset cibum confortatus est. 3. *Reg.* 19. Surge, comede, grandis enim tibi restat via.

f Et dicunt ei discipuli, unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?] *Isa.* 3. Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum. *Jerem. ultim.* Obtinuit fames civitatem, & non erant alimenta populo terræ, & dirupta est civitas. *Thr.* 1. Facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua. *Chrys.* Ne putes, quod prope esset castellum, nominatus est locus, idest desertum. Unde dicit: In deserto. Item *Chrysost.* supra dixerunt discipuli. Dimitte turbas, hic post tres dies, nec hoc dicunt.

Supra 14.

g Et ait illis Jesus, quot panes habetis?] Ignorat panes, *Gen.* 39. Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non sit in mea potestate, præter te, quæ uxor ejus es.

h At illi dixerunt, septem,] Septem panes, septem spicæ in culmo uno, idest Christu, quæ reddunt uberem Ægyptum. *Gen.* 41. Item septem panes sunt septem pœnitentiæ partes, quas enumerat Apost. 2. *Cor.* 7. dicens: Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. Item primus panis est malæ vitæ sollicita emendatio. Secundus veræ & humilis confessionis accusatio. Tertio pro commisso excessu jugis indignatio. Quartus timor anxius relabendi. Quintus desiderium amplius proficiendi. Sextus sanctorum virorum imitatio. Septimus suorum malorum, & aliorum

punitio digna. Ideo dicit *Eccl.* 20. Est qui multa redimat modico pretio, & restituens in ea septuplum. Hi sunt septem gradus in scala, per quam in cœlum ascenditur, septem mortalium culpa diluitur, septiformis spiritus gratia infunditur, septenarius virtutum coalitur, septem graduum templum ascenditur. *Exod.* 40. Septima die requies acquiritur, septem spirituum societas tribuitur.

i Et paucos pisciculos] scil. timorem, & amorem. Primus capitur in aquis inferni. De quibus. *Job* 24. Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium. Secundus in flumine Paradisi. De quo *Apoc.* 22. Ostendit mihi fluvium aquæ vivæ splendidum tanquam cristallum procedentem de sede Dei, & agni. Dicitur autem timor pisciculus, quia humiliat hominem. Amor etiam dicitur pisciculus, quia parvus est in præsenti statu respectu futuri status. *Is.* 31. Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, & caminus ejus in Jerusalem.

k Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram,] ut notetur constantia in contemptu mundi. l Et accipiens septem panes, & pisces.] Primo enim faciebat, & post docebat. *Act.* 1. Cœpit Jesus facere, & docere. *Thessal* 3. Ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum. *Gloss. Ambr.* Magis suadent opera quam verba.

m Et gratias agens fregit,] aperiendo S. Scripturam. *Apoc.* 5. Vicit leo de tribu Juda, &c.

n Et dedit discipulis suis.] *Jer.* Ecce dedi verba in ore tuo.

o Et discipuli dederunt populo,] non vendiderunt.

p Et comederunt omnes, & saturati sunt,] ut supra *Joel.* 2. Implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo.

q Et quod superfuit de fragmentis,] Fragmenta sunt consilia, quæ catelli, idest, humiles edunt. Vel subtiles sententiæ.

r Tulerunt septem sportas plenas.] *Chr.* Quare supra cophini duodecim superfuerunt, ubi plures manducaverunt? Forte sportæ cophinis sunt majores. Item differentia memoriam erigit, ut recordetur, & illius miraculi, & istius, ideo tunc discipulos æquales cophinis facit, nunc autem panibus sportas. s Erant autem, qui manducaverunt quatuor millia hominum,] propter quatuor virtutes, principales, propter quatuor Evangelia, quibus creditur, propter quatuor partes mundi.

t Extra parvulos, & mulieres,] idest, exceptis parvulis, & mulieribus. *Ambr.* Non otiosis, non in civitate synagogæ, vel sæcularis dignitatis residentibus, sed inter deserta Christum quærentibus cælestis gratia alimonia impertitur.

u Et dimissa turba ascendit in naviculam,] *Chr.* Ita post refectionem intravit navigium, tyrannidis fugit suspicionem. *Joan.* 6.

x Et venit in fines Magedan.] *Joann.* 18. Egressus est Jesus trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, idest, tristis mœror.

EXPOSITIO CAP. XVI.

ET accesserunt ad eum Pharisæi, &c.] Post refectionem populi agit de refectione populorum. Sunt autem hujus capituli quatuor partes. Primo, confutat Pharisæos quærentes signum de cœlo, occasione prioris miraculi ductos. Secundo, instruit discipulos, cavere sibi ab hæresi. Tertio, fide divinitatis suæ pascit eos. Quarto, fide passionis, & quia in hac fide fundatur Ecclesia, interserit de fundatione ipsius, & clavibus. Dicit ergo: y Et accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducæi] Nota, quod accedit Dominus ad hominem tribus modis, & similiter homo ad Deum. Accedit enim Dominus inspirando

Dominus accedit ad hominem tribus modis, & e converso.

& Sadducæi *a* tentantes, & *b* rogaverunt eum, ut signum de cœlo ostenderet eis. At ille *c* respondens, ait eis. *d* Facto vespere, dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cœlum, & mane, *e* hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis, signa *f* autem temporum non potestis scire. Generatio *g* mala, & *h* adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi *i* signum Jonæ prophetę. Et relictis illis abiit. Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, *k* obliti sunt panes accipere. Qui dixit illis. Intuemini, & *l* cavete a fermento Pharisęorum, & Sadducęorum. At illi *m* cogitabant inter se dicentes, quia panes non accepimus. *n* Sciens autem Jesus, dixit *o* eis. Quid cogitatis inter vos modicę fidei, quia panes non habetis? *p* Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis? Neque septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis? Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis, cavere a fermento Pharisęorum, & Sadducęorum. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisęorum, & Sadducęorum. Venit *q* autem Jesus in *r* partes Cęsaręę Philippi: *s* & inter-

A *Job* 9. Si venerit, vel accesserit ad me, non videbo eum, & si abierit non intelligam. *Jo.* 3. Spiritus ubi vult spirat, & nescis, unde veniat, vel quo vadat. Sic accessit ad Joannem in utero matris, scilicet quando audita salutatione Mariæ, exultavit infans in utero Elisabeth. *Luc.* 1. Item accedit Deus ad homines ejus capacitati condescendendo, *Ps.* 134. Inclina cœlos tuos, & descende. Sic accessit ad Danielem, ejus spiritum suscitando, ut Susannam de morte liberaret. *Dan.* 13. Item accedit a periculo liberando, 4. *Reg.* 4. Surrexit Elisæus, & secutus est eam, &c. Sic accessit dominus ad suscitandam filiam Archisynagogi. *Lucæ* 8. Item homo accedit ad Deum ejus inspirationi acquiescendo, credendo, & operando. *Ps.* 33. Accedite ad eum, & illuminamini. Sic accessit Nathanael ad Jesum. *Jo.* 1. vel Nicodemus. *Jo.* 3. Item accedit per intelligentiam, & contemplationem ascendendo, *Ps.* 63. Accedet homo ad cor altum. Sic accessit Paulus ad Deum in raptu, 2. *Cor.* 12. Item accedit pro sua, & aliorum liberatione orando, *supr.* 15. Accesserunt ad eum turbæ multę habentes mutos, &c. Sic accessit Sonamitis ad pedes Elisæi orans pro filio, 4. *Reg.* 4. In primo accessu Hemorrhoissa, id est, Ecclesia sanatur, sive peccatrix anima, *Luc.* 8. in secunda cæcus illuminatur, *Joann.* 9. In tertio ovis perdita reportatur, *Luc.* 15. Item in primo populus Israel de Ægypto egreditur, *Exod.* 52. In secundo lex suscipitur. *Exod.* 20. In tertio terram promissionis ingreditur, *Josue* 3. In primo incipit homo, in secundo proficit: in tertio pervenit, 1. *Cor.* 15. Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit.

a Tentantes] contra legem, *Deut.* 6. Non tentabis, &c. Et *Eccl.* 18. Noli esse quasi homo qui tentat Deum.

b Et rogaverunt eum, ut signum de cœlo ostenderet eis] ut fulgura, vel pluvias, vel hujusmodi.

c At ille respondens ait eis.] Quamvis esset ita digna hæc interrogatio: tamen Philanthropos, id est, amator hominis non irascitur, sed miseretur, & miseros vocat. Non enim quærebant ut crederent, sed ut reprehenderent; alioquin enim dedisset.

d Facto vespere, dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cœlum, & mane] facto, scilicet dicitis.

e Hodie tempestas] erit, [rutilat enim triste cęlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis,] idest, qualitates futuras per præsentes.

f Signa autem temporum non potestis scire.] Primus, & secundus adventus sunt duo tempora. Verbum enim Græcum dualitatem notat, q. d. ex signis ordinatis in elementis dierum qualitates cognoscitis, sed signa adventus mei ignoratis, cum lex, & Prophetæ adventus mei indicem per opera, quæ gero, testimonium perhibeant.

Allegorice.

d Facto vespere.] Per vesperum, in quo cęlum rubicundum est, passio Christi significatur proprio sanguine rubicundati. *Cant.* 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus. Matutina serenitas significat gaudium resurrectionis, *Ps.* 29. Ad vesperum demorabitur fletus, &c. In tempestate sequente mane, significatur Sanctorum persecutio. In tristi rutilatione, futurum judicium designatur. *Moraliter*. Vespera est senectus hominis, mane juventus. *Is.* 38. De mane usque ad vesperam finies me. Rubor est fervor charitatis. Serenitas, tranquillitas. Quando vero in mane juventutis ruber, signum est fortunæ tribulationis, sed post tempestatem tribulationis sequitur serenitas consolationis. *Tob.* 3. Non delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem, & fletum exultationem infundis. *Joan.* 16.

Mundus gaudebit, vos autem, &c. *Eccl.* 3. Est tempus flendi, &c. *Chrysost.* Neque suavia durabilia sunt, neque tristia. Sicut enim quandoque est nox, quandoque dies, quandoque hyems, quandoque æstas; ita & nobis quandoque est lætitia, quandoque tristitia, quandoque sanitas quandoque ægritudo. Impossibile est, aliquem continuo in tristitia esse, neque enim sufficit natura. Sed quia in lætitia volumus semper esse, propter hoc æstimamus in tristitiis semper esse. Et quia bonorum consilium obliviscimur, tristium autem semper rememoramur.

d Facto vespere, &c.] quasi dicat, ruborem cœli serotinum signum futuræ serenitatis, matutinum signum esse dicitis tempestatis, cum de his non sitis edocti, signa autem adventus mei, de quibus edocti estis, non attenditis. Ideo hoc exemplo eos arguit, quos tamen de sua passione, & resurrectione instruit.

g Generatio mala,] quia non credit mihi. *h* Et adultera.] quia errori gentium adhæret, *Jerem.* 2. Duo mala fecit populus meus, &c.

i Nisi signum Jonæ] idest, quod significatum est in Jona, scilicet mors Christi, & non ejus resurrectio. Idem *supra* 12.

k Obliti sunt panes accipere,] dulcedine veri panis illecti. *Phil.* 3. Posteriorum oblitus, &c.

l Et cavete a fermento Pharisæorum, & Sadducæorum.] Fermentum Pharisæorum est legem Dei traditionibus hominum postponere. Prædicare legem verbis, & factis impugnare. Dominum tentare, nec operibus, vel dictis ejus credere. Fermentum Herodis est adulterium, homicidium, temeritas jurandi, simulatio religionis. *Chrysostomus*. Quare non dicit manifeste a doctrina? Noverat eos oblitos esse, & vult rememorari factorum.

m At illi cogitabant inter se dicentes, quia panes non accepimus,] quasi hoc ideo dicit, quia panes non accepimus,] nec vult, quod de pane Pharisæorum accipiamus.

n Sciens autem Jesus,] cogitationes eorum. *Jerem.* 17. Ego Dominus scrutans cor, &c.

o Dixit eis, quid cogitatis modicæ fidei, &c.] Modicæ fidei dicit, quia spiritualis intellectus de facto miraculo fidem non habuerunt. Vel quia timebant de materialis panis inopia.

p Nondum intelligitis] spiritualiter miraculum.

q Venit autem Jesus,] ut Dominus ad servum liberandum, ut magister ad discipulum erudiendum, ut sponsus ad sponsam fecundandam.

r In partes Cæsaræ Philippi.] Hæc primo dicta est *Dan.* in qua vitulum aureum posuit Jeroboam, 3. *Regum* 12. *Interlin.* Quam in honorem Tiberii Cæsaris Philippus frater Herodis extruxit. Iste locus est, ubi Jordanis oritur ad radicem Libani ex Jor, & Dan, duobus fontibus, ut dicit *Glos.* Nota tamen, quod dicit *Hieronymus*, qui fuit in terra illa, & sicut novit, dicit, quod Dan est nomen oppidi trans Jordanem, & Jor nomen fontis juxta illud oppidum, ut sint duæ dictiones Jordanis. *Josephus* dicit, esse quemdam locum remotum a radice montis Libani, & in modum phialæ rotundum, & absorbetur a terra, & postea emergit ad radicem montis Libani, quod inde compertum est, quia absorbetur a terra, positæ sunt paleæ signatæ, & post ad radicem montis, ubi emerserant, inventæ.

s Et interrogabat discipulos, &c.] In hoc innuit, quod Prælati de fide interrogari debent respondere. 1. *Petr.* 3. Estote parati omni poscenti vos reddere rationem de ea, quæ

A in vobis est, fide

rogabat discipulos suos, dicens. Quem *a* dicunt homines esse *b* filium hominis? At illi dixerunt *c* Alii Joannem Baptistam, *d* alii autem Eliam, *e* alii vero Jeremiam, *f* aut unum ex prophetis. Dicit illis Jesus. *g* Vos autem *h* quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei vivi. Respondens *k* autem Jesus dixit ei. *l* Beatus es Simon Bariona, quia *m* caro, & sanguis non revelavit tibi, sed *n* pater meus, qui in cœlis est. Et ego *o* dico tibi, quia tu es Petrus, & *p* super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & *q* portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo *r* claves regni cœlorum. Et *ſ* quodcumque *t* ligaveris super terram, *u* erit ligatum & in cœlis, & *x* quodcumque *y* solveris super terram, erit *z* solutum, &c.

a in vobis est fide, & spe. *Mal.* 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam. Ideo habet Episcopus quasi duas linguas in mitra, ut sciat, scilicet novum, & vetus Testamentum. *a* Quem dicunt homines] de Christo carnaliter loquentes quasi de puro homine. *b* Filium hominis.] *Gen.* 15. In quarta generatione revertentur hoc *supr.* 11. Discite a me. *c* At illi, &c.] sicut Herodes *supr.* 14. & *Marc.* 6. Joannem quem ego decollavi, surrexit a mortuis. *d* Alii autem Eliam] de quo *Malac.* 4. *e* Alii vero Jeremiam.] *Jo:* 6. Murmur multus erat de illo in turba: quidam enim dicebant, quia bonus est: alii vero dicebant non, sed seducit turbas. *Jer.* 15. Væ mihi mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in universa terra.

ſ Aut unum, &c.] idest, Eliseum, quia sicut Elias Jordanem transivit sicco vestigio in signum vestigii, & Joannes baptizavit, & audierunt Messiam baptizatum.

g Dicit illis, &c.] discreti, & non de mundo.

h Quem me esse dicitis? &c.] *Chrys. sup.* 14. in navicula dixerunt. Vere filius Dei es, & tamen non sunt beatificati, non enim talem confessi sunt filiationem. *Jo:* 1. dixit Nathanael: Rabbi, tu es filius Dei, & non solum non est beatificatus, sed etiam redargnitus. Iste beatificatur, quia proprie eum confessus est. Et ne putes Petrum adulari, pater traducitur revelator.

i Tu es Christus filius Dei vivi.] Ecce cognitionem fidei sequitur confessio. *Rom.* 10. Corde creditur, &c. Ideo autem unus respondet, & uni respondetur, ut unitas in omnibus observetur. [Vivi] dicit ad differentiam falsorum deorum, qui non vivunt.

k Respondens autem Jesus dixit ei.] In Petro omnibus respondet.

l Beatus es Simon Bariona.] Filius columbæ, Syriace: quæ lingua affinis est Hebrææ.

m Quia caro, & sanguis non revelavit tibi.] 1. *Cor.* 15. Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt. *Eccl.* 18. Quid nequius quam quod excogitavit caro, & sanguis.

n Sed pater, &c.] *Phil.* 3. Si quid autem sapitis, & hoc Deus vobis revelavit.

o Et ego dico tibi, quia tu es Petrus,] non vocaberis, sed es. Et hoc est argumentum pro eis, qui dicunt, quod modo imponitur, sed melius dicitur, quod innovat. Unde *Marc.* 3. Et imposuit Simoni nomen Petrus. Ibi enim imponit, hic confirmat. Sed contra, *Hier.* Hic ex confessione sortitur vocabulum. Responsio, idest, vocabuli confirmationem *sup.* 10. Qui dicitur Petrus. *Gl* primus scribitur. *Hier.* in fine illius dicit. Idem est Latine, & Græce Petrus, quod Syriace Cephas, nomen a petra derivatum, quæ est Christus. Item *Hier. super. Epist. ad Galat.* Hebræi, & Græci Cepham vocant Petrum.

p Et super hanc petram,] idest, super hoc fundamentum. 1. *Cor.* 10. Petra autem erat Christus, *Ejusd.* 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus, [Super hanc petram,] idest, fidei firmitatem. *Isa.* 28. Ecce mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, &c.

q Et portæ inferi, &c.] Portas pluraliter, quia varia peccata: Portæ cœli de cœlo, portæ inferi de inferno. *Thr.* 2. Defixæ sunt in terra portæ ejus. Dominus internum fecit, & murum ex mandatis, & laboribus & sumptibus, & aliis difficultatibus ad peccandum, sed peccator facit portam. *Osee* 2. Sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, cum multo labore, & expensis, & hæret quandoque portæ diu, quasi infernus ei sit refrigerii domus, nec patitur inde se evelli. Hæ portæ lapidibus bonorum operum, & cæmento lacrymarum, & spinis asperæ pœnitentiæ sunt obstruendæ. Sed quidam obstruunt festucis. *Jos.* 10. Volvite saxa ingentia ad os speluncæ *Habac.* 1. Ipse super omnem munitionem ridebit. *Hier.* Sed & prava infidelium opera, ineptaque colloquia portæ utique sunt inferi, inquantum suis, vel auctoribus, vel sequacibus iter perditionis osten-

dunt. *r* Et tibi dabo claves regni cœlorum.] Claves sunt potentia, & scientia discernendi, qua dignos recipere, & indignos excludere debet a regno. Et idem habetur *Jo:* 20. Quorum remiseritis peccata, &c. *Gl.* duabus clavibus, idest, discretionis, & potestatis. Hæ sunt significatæ per claves ostiariorum templi, qui immundos abjiciebant.

ſ Et quodcumque ligaveris, &c.] Sensus est, [Quodcumque super terram,] idest, dum vivit. *t* Ligaveris,] eliminando ab Ecclesia. *u* Ligatum erit & in cœlis,] idest, universæ Ecclesiæ, quibus notum erit, vitabunt eum. Vel [ligatum erit & in cœlis,] idest cœlestis sententia confirmabit, quod eum præsens Ecclesia vitet.

x Et quodcumque solveris super terram] dum vixeris.

y Solveris] ab excommunicatione reconciliando.

z Erit solutum & in cœlis,] idest, Ecclesiæ, quæ hoc scient communicabunt ei. Vel [solutum erit & in cœlis] quia cœlestis sententia confirmabit, ut a præsenti Ecclesia recipiatur. Nota autem, quod est multiplex vinculum peccati. Et sumitur hæc distinctio *ex tractatu magistri Hugonis*. Est enim quoddam vinculum culpæ, & est quoddam vinculum pœnæ. Primum est vinculum captivitatis, quo quis tenetur, ut fugere non possit, prout dicitur, quod homo est spiritus vadens, & non rediens. Secundum est vinculum servitutis, quo compellitur reddere usuras Diabolo. De quibus. Ex usuris, & iniquitate redimet animas eorum. Tertium est vinculum æternæ damnationis. Quartum est vinculum expiationis. Quintum est vinculum perpetuæ detestationis. Sextum est vinculum pronitatis ad male operandum, vel difficultatis ad bene operandum. Dicitur ergo, quod Dominus, cum dimittit culpam in contritione, solvit a vinculo captivitatis, & servitutis absolute, sed a vinculo æternæ damnationis conditionaliter, ut scilicet digne confiteatur, si facultatem habet, aliter non absolvit ab illo vinculo. Cum autem absolvit ab illo vinculo æternæ damnationis, tenetur tamen ad vinculum expiationis per pœnitentiam sibi injunctam.

Multiplex vinculum peccati.

Unde dicit *Magister Hugo*, quod Deus, & Sacerdotes obligant, & uterque solvit. Sed in opere Dei absolutio est causa obligationis, in opere Sacerdotis e converso. Hinc est, quod cum ad Petrum dicitur. Quodcumque solveris super terram præmittitur, quodcumque ligaveris. Præterea pœnitens de mortali peccato ligatur ad vinculum detestationis perpetuæ, absolvitur autem a vinculo pronitatis ad male operandum, vel difficultatis ad bene operandum per exercitium operis gratiæ, in quo confertur virtus consuetudinalis. Per jam dicta patet, quod dimissio reatus pœnæ æternæ est a Deo, sed propter vinculum expiationis, ad quod tenetur, sive confessionis, a quo absolvitur suscepta pœnitentia ex vi clavium, a Sacerdote dicitur dimitti a Deo per ministrum.

Et hæc est causa quare quidam dixerunt, quod Deus per Sacerdotes dimittit reatum pœnæ æternæ, non quia reatus pœnæ æternæ esset simpliciter, sed a Deo dimissus.

Item triplici modo membrum Christi esse solemus. Prædestinatione, præparatione, compagine. Prædestinatione, quando aliquis ad vitam divinitus prædestinatur. Præparatione, quando paganus, vel falsus Christianus veraciter compungitur, & ad veritatem, & ad charitatem imbuitur. Compagione, quando ille per corporis absolutionem, iste per Sacerdotis absolutionem Ecclesiæ Christi consociatur.

Primum agitur proposito divinæ voluntatis.

Secundo proposito propriæ deliberationis.

Tertium officio Sacerdotis. Sic de silva lignum eligitur, ut in ædificio ponatur, postea dolatur, & ad modum, formamque propriam dolando præparatur, ad ultimum ædificationi connectitur.

Item [quodcumque ligaveris.]

Tripliciter exponitur secundum triplex genus ligationis. Ligatur enim peccator vinculo culpæ, quando peccat. Ligatur etiam vinculo pœnæ, cujus

a debitor efficitur. Postea ligatur injuncta satisfactione vinculo pęnitentiæ. Vinculo culpæ, & pęnæ debitæ non potest eum Sacerdos ligare, vel solvere, sed tantum ligatum, vel absolutum ostendere. Sicut Sacerdos Leviticus non faciebat, vel mundabat leprosum, sed tamen infectum, vel mundum ostendebat. Ligatum ostendit ad pœnitentiam non admittendo, solutum satisfactionem jungendo, & sic ligando solutum ostendit. Item Sacerdos potest ligare, & solvere pœnitentiam injungendo grandem relaxando. Item Sacerdos potest ligare, & solvere excommunicando, & ab eadem excommunicatione absolvendo. Una *Glos.* exponit de ostensione, alia de pœnæ injunctione, tertia de excommunicatione.

Tunc pręcepit discipulis *a* suis, ut *b* nemini dicerent, quia ipse esset Jesus-Christus. *c* Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia *d* oportet eum ire Jerosolymam, & *e* multa pati a *f* senioribus, & scribis, & principibus Sacerdotum, & *g* occidi, & tertia die resurgere. Et *h* assumens eum Petrus, cępit *i* increpare illum, *k* dicens: Absit a te, Domine *l* non erit tibi hoc. Qui *m* conversus dixit Petro: vadé post me Sathana, *n* scandalum es mihi, quia non *o* sapis ea, quę Dei sunt, sed ea, quę hominum. Tunc *p* Jesus dixit discipulis suis, Si quis *q* vult post me venire *r* abneget semetipsum, & *f* tollat crucem suam & *t* sequatur me. Qui *u* enim voluerit animam suam salvam facere, *x* perdet eam,

a Tunc præcepit discipulis suis] scilicet in fide, & contra tribulationem confirmatis. *b* Ut nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus.] *Amb.* Jubet taceri, quod sit filius Dei, ut fallat principem mundi, ut declinet jactantiam, & ut doceat humilitatem, & ne adhuc rudes, & imperfecti discipuli majoris prædicationis mole opprimerentur.

c Exinde cępit Jesus ostendere discipulis suis] non omnibus, sed perfectioribus, quia non infirmis, qui abierunt retro, nec forte Judæ.

d Quia oporteret, &c.] ut melius tenerent discipuli præceptum Domini. Cœpit enim Jesus ostendere Passionis atticulum, & gloriam Resurrectionis, ne horreant mortis periculum. *Aug.* Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo recte viveremus, suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam ea, quæ non sunt metuenda non metuere, mors autem non est metuenda. Oportuit ergo idipsum hominis, quod Dei sapientia suscepit, mori. Sunt autem homines, qui quamvis mortem ipsam non metuant genus tamen aliquod mortis horrescunt, Nihilominus tamen ut ipsa mors, ita nullum genus mortis bono, & recte viventi est metuendum. Nihilominus ergo hoc quoque illius hominis fuit: Nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius, & formidolosius. Ideoque venit Dominus in carne, ut spem resurgendi nobis ostenderet: quod autem non poterat fieri, nisi carnem indueret mortalem, Deus enim mori non poterat.

e Et multa pati:] Ecce via eundi ad Jerusalem. *Act.* 14. Per multas tribulationes, &c. *Luc. ult.* Nonne oportuit Christum pati. *Psalm.* 109. De torrente in via bibet, quasi dicat, debetis clavem habere in humero, sicut ego, qui pro vobis ponere volo animam meam. *Is.* 22. Dabo clavem domus David super humerum ejus. Hoc autem eis dicit, ne de potestate superbiant, quasi dicat, ibi est honor, sed & onus.

f A senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum.] *Jerem.* 5. Ibo ad optimates, & loquar eis. Ipsi enim cognoverunt viam Domini, & judicium Dei sui. Et ecce magis hi confregerunt jugum, ruperunt vincula. *Jerem.* 12. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva, dedit contra me vocem.

g Et occidi, & tertia die resurgere.] *Osee* 6. Vivificabit nos post duos dies, & tertia die suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. Primus dies, quo Jesus interficitur, est dies culpæ. Secundus, quo sepelitur, est dies placentiæ. Tertius dies, quo resurrexit, est dies pęnitentiæ *Chrys.* Si in prælius sensibilibus qui præparatus est ad occisionem, strenuior est, vel probior, & hostibus terribilior, quamvis eum rex non possit suscitare post mortem sub quo militat, multo magis in his prælius, quando & resurrectionis tanta spes est.

h Et assumens eum Petrus] separatim, ne coram aliis magistrum arguat.

i Cepit increpare illum] ex amore.

k Dicens, absit a te, Domine.] Tullius de amicitia. Nec enim ut ad fabulas redeam, Trojam Neoptolemus capere potuisset, si Lycomedem, apud quem nutritus fuerat multis cum lacrymis iter suum impedire volentem audire voluisset. Hoc est consilium David ad Uriam. 2. *Reg.* 11. Vade in domum tuam, & lava pedes tuos.

l Non erit tibi hoc] ut patiaris. *Hier.* dicit, quod in Gręco habetur. Propitius sit ibi, Domine, quod melius est.

m Qui conversus dixit Petro, vade post me Satana.] *Hier.* Multi putant, quod Petrus non sit correptus, sed malignus spiritus, qui hæc dicere Apostolum suggerebat: Sed mihi hic error Apostolicus de pietatis affectu veniens nunquam incentivum diaboli videbitur. Hoc satis etiam potest perpendi per verba, cum dicit Dominus: Vade post me: Hoc enim non dixisset diabolo. Dixit autem hæc verba Petrus ex nimio fervore, quia non poterat de passione ejus audire. Vel forte hoc dixit ex perturbatione mentis sicut amicus audito grandi malo amici dicit: Nunquid hoc erit? Item *Chrys.* Qui revelationem accepit, quia beatificatus est, ita cito cecidit, quod filius Dei est didicerat, quod crucis est, & resurrectionis non noverat. Si Petrus Satanas vocatus est, quid patientur; qui postea infirmi sunt in mysterio crucis? Et non dixit, satanas locutus est per te: Etenim desiderium diaboli erat non pati Christum, quasi dicat, tu æstimas indignum esse pati, ego dico consilium esse non pati.

n Scandalum es mihi,] idest, causa offensionis. Et dicitur hic Petrus Satanas, quia adversatur Domino, sed ex amore, & zelo. Diabolus *supr.* 4. quia adversatur Domino, & suis ex malitia, & odio. Et nota, quod non ideo repellitur Petrus, sed sequi jubetur.

o Quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum,] carnalium. Contra illud *Colos.* 3. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

p Tunc Jesus dixit discipulis suis.] *Chrys.* Tunc quando Petrus audierat vade, quasi dicat, non solum noli prohibere passiones: quia etiam oportet te eas subire, si vis salvari. Unde subjungit.

q Sed qui vult post me venire.] *Chrys.* Si qui aurum daret, aut thesaurum proponeret, non vocaret cum violentia sed omnes currerent homines, multos magis, quę sunt promoventia in cœlum. Si enim natura non persuadet tibi currere, neque dignus es accipere, ideo non rogo, sed si quis vult venire, hunc voco.

r Abneget semetipsum] sensum, affectum, & intellectum. 1. *Cor.* 10. *Chrys.* Non dicit neget, sed abneget, parva hac adjectione multam ostendens superabundantiam. Usque ad quantum oportet abnegare te? Usque ad mortem exprobabilissimam, tollat crucem. *Chrys.* Nullus verecundetur crucem, circumferamus eam, ut coronam. Etenim omnia, quæ secundum nos sunt, per crucem perficientur: regum consecratio, propter hoc in domo, in januis, & in fronte scribamus eam. Quando igitur sigillaris, excogita causam, & conditionem crucis. 1. *Cor.* 6. Empti estis pretio magno. Pretium crucem dicit: Nec simpliciter eam digito insignire oportet, sed prius cum multa fide. Si ita insignieris vultu tuo, nullus prope stare poterit dęmonum, videns ensem in quo plagam accepit. Si enim loca horrescimus in quibus inciduntur damnati, excogitare debemus qualiter videns diabolus arma, quibus caput ejus abscidit. Crux dęmones non terribiles, sed contemptibiles facit.

f Et tollat crucem suam,] non meam, ne putes Christi crucem sufficere sine tua. *Gr.* Crux tollitur, vel cum per abstinentiam corpus, vel cum per compassionem proximi animus affligitur, item cum sanguis effunditur.

t Et sequatur me.] *Chrys.*

Latrones, & sepulchrorum violatores multa difficilia patiuntur: ideo causam adducit, & propter eum sustineas.

Item ut alias virtutes adducas: Ideo dicit [sequatur me,] ut non solum fortitudinem, quæ est in malis, sed & sobrietatem, & mansuetudinem, & omnem ostendat prophetiam, Hoc enim est sequi, ut oportet. Sunt enim, qui diabolum sequuntur, & animas tradunt propter ipsum, vos autem propter Christum magis, aut propter vos. *u* Qui enim voluerit animam suam,] idest, vitam suam præsentem, vel sensualitatem [salvam facere.]

x Perdet eam,] i. e. vitam, vel animam proprie. Et est simplex relatio. Vel sic. Perdet] idest, perditioni exponet, & persecutioni. *Actor.* 14. Per multas tribulationes oportet, &c.

a Qui

a Qui autem perdiderit animam suam *b* propter me, *c* inveniet eam. *d* Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? *e* Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? *f* Filius enim hominis *g* venturus est in gloria patris sui cum Angelis suis: *h* & tunc reddet unicuique secundum opera ejus. *i* Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, *k* donec videant filium hominis venientem in regno suo.

CAP. XVII.

ET post dies sex *m* assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, *n* & eduxit illos in montem excelsum *o* seorsum: & *p* transfiguratus est ante eos: Et *q* resplenduit facies ejus *r* sicut sol, *s* vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

a Qui autem perdiderit animam suam] hic,
b Propter me,] non propter aliud.
c Inveniet eam] in futuro, vel etiam in præsenti. Tempore enim persecutionis invenit cor suum. 2. *Reg.* 7. Invenit servus tuus cor suum, ut adoraret te.
d Quid enim. &c.] emollitus per prospera?
e Aut quam dabit, &c.] est commutatio retributionis, & commutatio redemptionis pro anima salvata. *Ps.* 115. Calicem salutaris accipiam. Pro anima damnata, nihil, idest, quam retributionem potest solvendo dare pro anima sua redempta? Certe non sunt condignæ passiones &c. *Rom.* 8. Aut pro anima perdita in inferno. Si enim daretur pro ea totus mundus, non liberaretur. *Rab.* quasi non aliam dabit commutationem, quam prædictum est, scilicet, ut ponat animam. Calicem salutaris accipiam. Vel nihil terrenum poterit homo pro anima dare. *Prov.* 11. Non proderunt divitiæ in die ultionis.
f Filius enim hominis.] *Hier.* Nolite timere, quia tristibus læta succedunt, quasi dicat, times mortem, audi gloriam triumphantis.
g Venturus est in gloria, &c.] qui prius venit humilis ostendens signa humilitatis, & infirmitatis. *Chrys.* Ego semper horresco hoc audiens.
h Et tunc, &c.] *Apoc.* 14. Opera enim illorum sequuntur illos. *Sap.* 6. Virtus ab Altissimo interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur.
i Amen dico vobis.] Quia dixerat nullam commutationem posse dari pro anima, subdit consolationem. Consolatur enim contra timorem passionis, ibi. [Tunc reddet.] Contra tædium dilationis, ibi. [Amen dico vobis sunt quidam, &c.] scilicet temporalium, quæ est quasi quidam gustus respectu æternæ.
k Donec videant, &c.] idest, in claritate, quam habiturus est in regno, quia statim ostendit eis eam in transmigratione. Vel hoc dixit quantum ad Joannem, qui plus aliis vixit, & vidit Ecclesiam dilatatam. Unde in regno, idest, in Ecclesia dilatata regnantem. Nota, quod est regnum, cœlum, vita æterna, præsens Ecclesia, claritas, quam habiturus erat Christus.

EXPOSITIO CAP. XVII.

ET post dies sex, &c.] In hoc capite agitur de fide, & effectu fidei. Et primo de transitu passionis ad gloriam innuit.

Secundo, infidelitatis ad fidem vel culpæ in gratiam,

Tertio, mortis in resurrectionem.

Quarto, scandali aliorum ad pacem. Dicit ergo.

l Et post dies sex.] Item dicit *Marc.* 9. Sed *Luc.* 9. ponit octo dies. Sed Lucas ponit primum, in quo promisit, & extremum, quo complevit. Matthæus & Marcus, medios. *m* Assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus.] *Ambros. super Lucam* 9. Qui primus inter Apostolos solium sacerdotale accepit. Et ita fuit Jacobus Alphæi. Idem videtur sentire *Aug. super Epist.* ad *Gal.* Sol. Qui primus inter Apostolos, hoc dicit ad differentiam Stephani. Solium sacerdotale, idest, solium veri Sacerdotis, scilicet cœlum, in quo est Christus Sacerdos interpellans pro nobis. Quod autem dicit *August.* opinio est Chrysost. Quare istos præ ceteris elegit? Propter præeminentiam, quam habebant. Item non fuit invidus Matthæus, qui istos scripsit sibi prælatos, quilibet enim inter illos alterius gloriam diligebat.
n Et duxit illos in montem excelsum,] idest, in vitam æternam. *Exod.* 15. Introduces eos, & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ.
o Seorsum] a strepitu mundi *supr.* 13. dimissis turbis, Apostolis parabolas aperit. *p* Et transfiguratus est ante eos.] *Joan.* 14. Qui diligit me, diligetur a patre meo, & manifestabo illi meipsum.
q Et resplenduit facies ejus,] idest, divinitas. *Exod.* 33. Videbis posteriora mea; idest, humanitatem meam, faciem autem meam videre non poteris, idest, divinitatem.
r Sicut sol.] *Chrys.* Tantum splendoris aperuit, quantum poterat ferre. *s* Vestimenta autem &c.] Vestimenta humanitas Christi, quibus indutus Jacob benedicitur a patre, & sicut solis splendor in infinitũ splendorem nivis excedit, ita splẽdor deitatis splendorem humanitatis. *Ber.* Qui vestitus in terra despectus, in monte refulget. Nota autem, quod in hac transfiguratione significatur transfiguratio corporis mystici: facies sunt clerici, quia sicut per faciem cognoscitur homo, sic per clericos debet cognosci Christus. Præterea in nulla parte corporis ita indecens est macula, sicut in facie. *Lev.* 21. Qui habuerit maculam, non offerat panes Deo suo. Hæc facies debet transfigurari in solem. Unde *Apoc.* 1. Facies ejus sicut sol lucet in veritate sua, idest, in meridie, quando calcet, & lucet. Sic debent lucere per scientiam, ardere per amorem. *Eccl.* 13. Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala. *Prov.* 15. Cor gaudens exhilarat faciem. Per vestimenta laici. *Isa.* 49. Vivo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris. Et debent consui unitate fidei, & charitatis. Quicumque ergo se, vel alium separat a Deo, dilacerat vestem suam. Hæc vestis debet se coaptare Christo per imitationem, *Eph.* 5. Imitatores Dei estote sicut filii charissimi. Sufficit huic tunicæ, quod sit alba in se, & munda, sed hoc non sufficit faciei, imo oportet, ut alios illuminet sicut sol. Sed *Isa.* 13. Obtenebratus est sol in ortu suo. Item quando sol patitur eclypsim, cetera discolorata apparent. Quidam autem sunt, qui transfigurari non possunt, vel alterari. De quibus *Jerem.* 13. Nunquid potest Æthiops mutare pellem suam, &c. *Amos ultim.* Nunquid non ut filii Æthiopum estis vos? Item nota, quod quidam se figurant, alii defigurant, alii transfigurant. Figurant se mulieres, quæ se pingunt. Talibus dicitur. *Isa.* 57. Ornasti te regio unguento. Tales volunt Domino contradicere dicenti, *supr.* 5. Non potes unum capillum album facere neque nigrum. Defigurant se hypocritæ, & tristani *sup.* 6. Exterminant facies suas. Et alii se transfigurant, modo de una forma in aliam. Hi sunt inaniter gloriantes, qui sunt sicut cameleon. Sic transfigurati non est bonum, sed sicut transfiguratus est Dominus. Quod fit post sex dies, qui sunt figurati per opera sex dierum, & per sex personas, quæ interfuerunt transfigurationi. Prima die, lux facta est, quæ significat cognitionem, ut homo cognoscat se. *Psalm.* 81. Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Huic operationi adaptatur Petrus, qui agnoscens interpretatur. In secunda die factum est firmamentum, & divisæ sunt aquæ ab aquis. Hoc fit, quando homo separat cor suum a delitiis carnis. Per firmamentum, cor, quod debet esse firmum. Per aquas quæ sub firmamento, deliciæ carnis. Per aquas quæ sub firmamento, spirituales deliciæ intelliguntur. Huic Jacobus respondet, qui luctator dicitur: Ad hoc enim faciendum, magna lucta indigemus. Tertia die protulit terra herbam virentem facientem semen. Hæc est bona operatio, ad quam homo post cognitionem sui, & delectationem carnalium refrænationem se accingit. Huic respondit Joannes. Sicut enim terra sine semine fructificare non potest, sic nec cor sine gratia. Quarta die facta sunt luminaria, ut præsint diei, & nocti. Hoc est, quod cor humanum illustratur sapientia de divinis, quæ per solem designatur, & scientia de terrenis, quæ per lunam, & stellas. Postquam enim homo seipsum cognovit, & a delectationibus se separavit, & in bonis operibus exercitatus est, cum his duobus donis ordinatur. Unde *Isa.* 28. Quem docebit Dominus scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. Huic respondit Elias. *Eccl.* 48. Surrexit Elias propheta quasi ignis, hoc quantum ad cognitionem de divinis, quæ inflammat, & illuminat, & trahit

ad superiora, & verbum ipsius quasi facula ardebat, quantum ad scientiam de inferioribus. Quinta die fiunt pisces, & aves de aqua, quia habita cognitione prędicta homo fastidit temporalia, & desiderat æterna. Avis nunquam descendit ad terram nisi propter necessitatem. Huic operationi respondet Moyses, qui sumptus ab aquis. Sexta die homo factus est ad imaginem, & similitudinem Dei. In hoc significatur, quod omnia præcedentia secundum rationem debent fieri In hoc enim homo est similis Deo, qui omnia fecit in numero, pondere, & mensura. Huic respondet Jesus, quia in filio æqualitas, ut dicit *Hilar.* & *Aug.* Si homo habeat ista sex, recte transfiguratur, & facies ejus erit sicut sol. Per faciem homo interior: Si enim facies hominis turpis, & ipse totus turpis: Per faciem enim cognoscitur homo. *Psal.* 44. Omnis gloria ejus filiæ regis. Et vestimenta ejus erunt candida, sicut nix, idest, corpus. *Eccl.* 9. Omni tempore vestimenta tua sint candida. Vel vestimenta sunt opera, quæ calefaciunt, turpitudinem regunt, & ornant, sicut vestes. Propterea vestes non debent multum elongari in hieme, ne lutum contrahant, sic opera nostra non debent elongari, ut videantur. *a* Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes.] Super *Num.* dicit *Orig.* quod in hac apparitione oravit Moyses pro populo suo. Item *Joann. Scot.* Elias non in suo corpore, non in aliqua materia aliunde assumpta apparuit, sed quadam ineffabili virtute soli Deo cognita invisibilis spiritus per se visibilis factus est. *Hier.* Dat signum de cœlo, Elia inde descendente, quo & descenderat, & Moyse ab inferis resurgente. Unde *Isa.* 7. Pete tibi signum a Domino Deo tuo, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra. Ideo autem vivus, & mortuus apparent, ut significent Christum moriturum, & iterum victurum. Et ut nos simus vivi Deo, mortui mundo, *Col.* 3. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Loquebatur autem Elias, & Moyses cum Domino de passione ejus, & resurrectione. Unde *Luc.* 9. dicit: dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. Excessum vocat mortem, in qua ejus humilitas omnem excessit, vel ipse omnem hominem per humilitatem.

b Respondens autem, &c.] *Marc.* 9. *Luc.* 9. dicunt. Nesciebat, quid diceret. Si stilla compellebat eum ita dicere, quid ergo erit de abyssali plenitudine? *Eccl.* 24. Consilium illius in abysso multa. 1. *Cor.* 2. Oculus non vidit, &c. Stola enim corporis non gustat nisi superflua quædam stolæ animæ.

c Si vis] *Chrys.* Timens increpari, sicut supra, si vis. Idem. Si voluerimus, videbimus, & nos Christum multo splendidius quam tunc illi. Tunc venit cum Moyse, & Elia, post veniet cum millibus Angelorum, & plebium non nube super caput ejus, sed cœlo contracto, sicut vela judicis retrahuntur, ut possit audiri tempore causæ.

d Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.] Hoc in lege, in prophetis, & in Evangelio contemplabimur. *Hier.* Unum tabernaculum est Evangelii, si tria quæris, fac unum quasi tria, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, nequaquam conferens servos Domino. *Bernard.* Adhuc hodie notatur, quicumque legi, Prophetis, & Evangelio tria facere tabernacula cupit, cum hæc nequaquam valeat ab invicem separari.

e Adhuc eo loquente: ecce nubes lucida obumbravit eos,] & ex luciditate obumbratur, sicut lupus ex radiis solis.

f Et ecce vox de nube, dicens.] Vox de nube, vox gratiæ pulsantis, & loquentis in corde. *Cant. caput* 2. Sonet vox tua.

g Hic est filius meus.] *Gl.* Certe si filius aliud esset, quam pater, non posset pater in filio sibi complacere. Quid est dicere complacui mihi, nisi sicut placui mihi in meipso, ita placui in filio.

h Dilectus.] *Cant.* 2. Dilectus meus mihi, & ego illi.

Et *a* ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes. *b* Respondens autem Petrus dixit ad Jesum. Domine, bonum est nos hic esse, si *c* vis *d* faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum. *e* Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos, & *f* ecce vox de nube dicens: Hic *g* est filius meus *h* dilectus, in *i* quo mihi bene complacui, *k* ipsum audite. Et *l* audientes discipuli ceciderunt in faciem suam: *m* Et timuerunt valde. Et *n* accessit Jesus, *o* & tetigit eos *p* dixitque eis. Surgite, nolite timere. *q* Levantes autem oculos suos neminem viderunt nisi solum Jesum. Et *r* descendentibus illis de monte præcepit Jesus dicens: *s* Nemini dixeritis visionem, *t* donec filius hominis a *a* mortuis resurgat,

i In quo mihi complacui.] Sic notatur identitas essentiæ, & diversitas personarum, quasi quomodo complacet Patri in Filio, sic in Filio complacet Spiritu sancto. E converso. Adam sibi displicuit. Unde *Gen.* 6. Pœnitet me fecisse hominem. *k* Ipsum audite.] Hoc idem præcepit Moyses. *Deut.* 18. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audite. *l* Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam.] Tum præ fulgoris magnitudine, tum prę voce. *Chrys. sup.* 3. nullus cecidit, tamen eadem vox est. Et *Jo:* 12. quando tonitruum factum esse dicebant, quia altitudo montis, & solitudo, & silentium, & transfiguratio plena erant horrore hic, & audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, quia discipuli debent humiliari intellectu, & affectu. *Prov.* 2. Inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. *Ezec.* 2. Vidi, & cecidi in faciem meam. *Greg.* In quantam miseriam cecidimus, qui ipsum bonum scire non possumus, ad quod creati sumus. *Dan.* 10. Vidi visionem hanc grandem, & non remansit in me fortitudo. *Hier.* Quanto quis ampliora quæsierit, tanto magis ad infima collabitur, si ignoraverit mensuram suam. *Job* 26. Cum vix audierimus unam stillam sermonis ejus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri? *Dan.* 8. Pavens corrui in faciem meam. *Jud.* 13. Achior præ pavore cecidit in faciem suam super terram. *Tob.* 12. Ceciderunt super terram in faciem suam, isti in faciem. Econtra Heli retro cecidit. 1. *Reg.* 4.

m Et timuerunt valde.] *Chrys.* Non solum timentes, sed adorantes.

n Et accessit Jesus.] *Joan.* 14. Nemo venit ad patrem nisi per me.

o Et tetigit eos,] *Dan.* 10. Manus tetigit me, & erexit me super genua. *Ezec.* 2. Statuit me super pedes meos. *Genes.* 27. Accede huc, & tangam te, fili mi. *p* Dixitque eis, surgite, nolite timere.] Ecce consolatio.

q Levantes autem, &c.] Si enim Moyses, & Elias perseverassent cum Jesu, vox patris videretur esse incerta, cui dedisset testimonium, an Moysi, an Eliæ, an Christo.

Allegorice. Ablata nube vident Jesum, & Moysen, & Eliam evanuisse, quia postquam legis, & prophetarum umbra discessit, quæ velamento suo Apostolos texerat, Apostoli enim Judæi fuerunt, & eis fuit velata Scriptura. Unde. Operuit cedros umbra Dei. *Luc. ult.* Aperuit eis sensum, notum lumen in Evangelio reperitur. *r* Et descendentibus, &c. visionem] hanc. Prima causa fuit, ne incredibilis esset gloria futuri regni, quam illis ostenderat propter ignominias passionis, quas in proximo erat passurus. Secunda causa, ne apud rudes crux sequens scandalum faceret, scilicet majoris culpæ 1. *Petr.* 2. Melius erat illis, &c.

t Donec filius hominis a mortuis resurgat:] Tunc erit tempus narrandi. *Eccl.* 8. Omni negocio tempus est, & opportunitas. *Eccl.* 11. Ne laudes hominem in vita sua. *Luc.* 12. Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illi in tempore tritici mensuram. *Prov.* 25. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.

Moraliter. *r* Et descendentibus illis.] *Psal.* 103. Ascendunt montes, & descendunt campi, de contemplativa ad activam, & hoc cum Jesu.

s Nemini dixeritis] quasi non prædicent transfigurationem, qui non fuerunt transfigurati. 1. *Cor.* 15. Qualis cœlestis, tales & cœlestes. Et dicant Christi visionem, quia ostendunt in se ad videndum, quod prædicant auditoribus. *Habac.* 2. Scribe visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum.

a A mortuis.] Sic prædicator debet resurgere a mortuis, ut novus sit in anima, & exteriori conversatione. Hæc est perfecta transfiguratio, ut splendeat facies mentis Deo, & vestimenta proximo.

Allegor.

Moraliter.

a Et interrogave-

Et *a* interrogaverunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo scribæ *b* dicunt, quod Eliam oporteat primum venire? At ille *c* respondens, ait illis: Elias quidem venturus est, & *d* restituet omnia. Dico *e* autem vobis, quia Elias jam venit, & *f* non cognoverunt eum, sed *g* fecerunt in eo, *h* quæcumque voluerunt. Sic & *i* filius hominis passurus est ab eis. Tunc *k* intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis. Et *l* cum venisset ad turbam: *m* accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, *n* dicens: Domine, miserere filio meo, quia *o* lunaticus est, & male patitur: Nam sæpe cadit in *p* ignem, & crebro *q* in aquam. Et *r* obtuli eum discipulis tuis, & *s* non potuerunt eum curare. Respondens *t* autem Jesus ait, O generatio *u* incredula, *x* & perversa, *y* quousque ero vobiscum? *z* Usquequo patiar vos? *a* Afferte huc illum ad me. Et *b* increpavit illum Jesus, *c* & exiit ab eo dæmonium, *d* & curatus est puer ex illa hora. Tunc *e* accesserunt discipuli ad Jesum *f* secreto & *g* dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum? Dicit illi Jesus: propter incredulitatem vestram. Amen *h* quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dicetis monti huic, transi hinc, & transibit:

a Et interrogaverunt, &c.] idest, legis interpretes, & doctores.

b Dicunt, quod Eliam oporteat primum venire?] Credebant Apostoli, hanc transfigurationem esse ultimam resurrectionem, & quærunt, quare si jam venit in gloria, quomodo præcursor ejus Elias disparuit.

c At ille, &c.] in propria persona ante secundum adventum. Sed tamen jam venit Elias, idest, similis Eliæ, in austeritate vivendi, in preventu Domini, in fortitudine animi, qua resistit Herodi, scilicet Joannes.

d Et restituet omnia.] *Chr.* Elias restaurabit omnia, non tantum quia notus est, sed quia poterat usque ad diem illam. Multum enim prædicatus est Christus ante hoc, & ideo facilius ipse suadebit.

e Dico autem vobis, quia Elias jam venit,] scilicet Joannes *Lucæ* 1. Ipse præcedat ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.

f Et non cognoverunt,] Idest, despexerunt Herodes, & hi, quorum consilio decollatus est, *supr.* 14.

g Sed fecerunt in eo,] non in eum, idest, contra eum.

h Quæcumque voluerunt,] in hoc notatur Joannis humilis patientia. *Chrys.* A passione Joannis remunerat ei passionem suam mitigans exemplo.

i Sic & filius hominis passurus est ab eis,] scilicet a Judæis Herode consentiente. *Lucæ* 33. Quando illuserunt ei in veste alba.

k Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis,] quia videbant hoc impletum, in eo, quod dixerat.

l Et cum venisset ad turbam.] In activa est turbatio. *Lucæ* 10. Martha, Martha, sollicita es, &c. *Cant.* 7. Egrediamur in agrum. *Psalm.* 143. Inclina cœlos tuos, & descende. *Isa.* 64. Utinam dirumperes cœlos, & descenderes.

m Accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum.] *Eccl.* 32. Rectorem te posuerunt, noli extolli.

n Dicens: Domine, miserere, &c.] exponit incommoda. *Chrysost.* Infirmus valde erat hic homo, ut patet ex multis. *Marc.* 9. Attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum. In hoc autem surdo, secundum Marcum, significatur, quod populus Judaicus fuit surdus, idest, inobediens Deo. *Isai.* 42. Quis surdus, nisi ad quem nuncios meos misi? Et mutus. *Isa.* 56. Universi canes muti non valentes latrare. Unde comparat eos Sodomæ, quæ interpretatur muta, & Gomorrhæ, quæ interpretatur aspera, & distorta, & inobediens, & surda.

Moraliter. Moraliter. *o* Quia lunaticus.] instabilis est lunaticus, vel ex deliciis, sive divitiis furiosus. Crescente Luna mare crescit. *Eccl.* 43. Mensis, idest, defectus secundum nomen ejus, idest, Lunæ. Bene dicitur nomen, quia si nominatur dives, oportet, ut multa expendat. *Eccl.* 17. Stultus ut Luna mutatur. Luna quolibet mense æstatem facit, & hiemem, sed stultus quolibet die.

p In ignem,] cupiditatis.

q Sæpe, & crebro in aquam,] luxuriæ. Nota ordinem. Post ignem cupiditatis aquam luxuriæ.

r Et obtuli eum discipulis tuis,] his, qui interfuerunt transfigurationi. 2. *Cor.* 3. Nos autem revelata facie gloriam Dei speculantes in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini spiritu.

s Et non potuerunt eum curare.] *Chrys.* Discipuli infirmati sunt, sed non omnes. Columnæ enim istæ non aderant, ideo dicit, Non potuerunt.

t Respondens autem Jesus ait,] non tædio affectus Dominus, nec iratus homini, sed vitio.

u O generatio incredula,] dictis, & factis meis.

x Et perversa,] idest, in pejorem partem versa. Hæc sunt ergo duo peccata, incredula, & perversa. *Osee* 10. Corripientur propter duas iniquitates suas.

y Quousque ego vobiscum,] per corporalem præsentiam, per miraculorum efficaciam, per necessariorum providentiam, per infirmitatis vestræ patientiam.

z Usquequo patiar vos,] idest, vestram sustinebo obstinationem.

a Afferte huc illum ad me.] *Hier.* Propter peccatum suum a salute longe positum, vel factum, & ob hoc dæmonio traditum. *Chrys.* Si infidelitas patris fuit causa, quare non exiit dæmon quare accusat discipulos? Quia impossibile est eis, sine eis, qui offeruntur cum fide in multis locis curare. Ab Eliseo nullo credente mortuus suscitatus est 4. *Reg.* 13.

b Et increpavit illum Jesus.] *Luc.* 9. videtur *in Glos.* quod non puer vim patiens, sed diabolus vim inferens, increpetur, vel ipse puer, ut vult *Rab.* Nota autem, quod Dominus increpat per flagella. Virga enim divisum est mare, quia malitia unius horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ. *Eccl.* 11. Item per minas. *Psal.* 76. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. Super montes etiam contemplativos quandoque stabunt aquæ luxuriæ. *Psal.* 103. Ab interpretatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt.

c Et exiit ab eo dæmonium,] clamans, & discerpens, ægro prius conturbato, & in terram eliso. *Marc.* 9.

d Et curatus est puer ex illa hora.] *Hier.* Puer, idest, purus, quia curatus. *Colos.* 3. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum hominem, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit eum. *Eccl.* 38. Honora medicum propter necessitatem. *Jerem.* 8. Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi, &c.

e Tunc accesserunt discipuli ad Jesum.] Post increpationem accedunt, & non fugiunt arguentem. *Job* 5. Increpationem Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat, & medetur; percutit, & manus ejus sanabunt. *Prov.* 15. Stultus irridet disciplinam patris, qui autem custodit increpationes, astutior fiet.

f Secreto.] *Chrysostomus*. Forte timebant, ne gratiam perdidissent miraculorum, quam acceperant, *supr.* 10. Ideo secreto interrogabant non propter verecundiam. *g* Et dixerunt, quare nos non potuimus ejicere illum? Dicit illis Jesus propter incredulitatem veram,] idest, propter fidei modicitatem. *Hilarius*. Domino in monte demorante, & cum turba residentibus fides tepuerat.

h Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti transi hinc, & transibit.] Hic insultant quidam Hæretici fidelibus, quasi si fidem habebitis, hoc possetis, quia ergo non potestis signum est, quod fidem non habetis. Sed mons dicitur hic diabolus. Item arguunt quidam Apostolos fuisse infideles, penitus male intelligentes. Dicunt enim. [Si habueritis fidem, sicut granum sinapis,] idest, quam modicam, quasi dicat Dominus, vos nullam fidem habetis. Sed Dominus grano sinapis fidem comparavit propter humilitatem, & fervorem, quasi dicat, si habueritis fidem humilem ad alios, & ferventem apud vos, tunc potestis hoc facere 1. *Corinthiorum capite* 13. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Nota autem, quod *ad litteram* sancti leguntur fecisse hoc, quamvis Dominus intelligat de monte diabolo. Legitur enim, quod ad preces Beati Bernardi lapis quidam translatus est, qui impediebat ejus hortum. Et ad petitionem Gregorii Cæsariensis restrictus est mons magnus, ut dilataretur ejus Ecclesia.

a Et nihil impossibile erit vobis.] *Marc.* 9. Omnia possibilia sunt credenti. *Psalm.* 45. Transferentur montes in cor maris.

b Hoc autem genus,] idest, peccata, quibus impugnat hoc genus dæmonii, scilicet luxuria, & cupiditas.

m Dicens: quid tibi videtur Simon, &c.] idest, seditus de capite.

n A filiis suis, an ab alienis.] Judex mundi judicium quærit Petri, ut nullus contemnat alterius hominis sententiam, si bona est. Hoc autem est contra multos, qui damnant, quicquid ab alio dicitur.

D *Marc.* 9. *Luc.* 9.

c Non ejicitur nisi per orationem, & jejunium.] Contra. *Luc.* 11. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Sol. Omnia, quæ in prandio excessimus, scilicet in modicis. Vel omnia per orationem impetrantium vobis gratiam. Vel in eleemosyna ordinata est jejunium. *Tob.* 12. Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna. *Hieron. super Marc.* 9. Jejunio passiones corporis, oratione sanantur pestes mentis. *Chr.* Nihil est homine potentius sobrio, & orante. Qui orat cum jejunio, duplices alas habet, neque ocitat, neque torpet. d Conversantibus autem, &c.] *Ber.* Conversantibus in Galilæa ostendit transmigrationem suam. Galilæa enim interpretatur transmigratio. e Et tertia die resurget.] Læta tristibus miscet. f Et contristati sunt vehementer.] *Chry.* Neque Moyses, neque Elias, neque vox patris, neque resurrectio prænunciata, & post paucos tres dies poterat eos cohibere a tristitia. g Et cum venisset Capharnaum, accesserunt, qui didrachmam accipiebant] ad opus Augusti Cæsaris. Per Augustum Cæsarem Judæa facta est tributaria, prius tamen per Pompejum, & omnes censi capite tenebantur. Unde *Luc.* 2. Joseph cum Maria profectus est in Bethlehem, ut profiteretur. Pompejus autem quamvis eam fecisset tributariam, tamen non redegit eam ad tributum capitale, sed reddebant singulæ civitates summam pecuniæ. Didrachma autem dicebatur censi caput, scilicet denarius qui solvebatur pro capite. *Beda* dicit, quod drachma drachmæ nummus est certæ quantitatis habens inscriptam regis imaginem, & superscriptionem, & valebat decem nummos usuales. Drachma drachmatis nomen est ponderis, & continet didrachmata, scilicet quatuor stateres. *Manducator.* Drachma drachmæ moneta ut prædictum est secundum *Beda*, de quo *Luc.* 15. Drachma drachmatis, vel indeclinabile secundum *Raban.* genus est ponderis, scilicet quarta pars stateris, vel septem unciæ. Item drachma drachmatis genus est carminis, scilicet canticum Persarum, quo composita sunt cantica secundum carmen amoris. Unde *Manducator in Postillis.* Mallem audire, quam docere, quomodo declinetur quod dicitur, dulcia cantica drachmatis, vel drachmis.

Item aliter. Drachma drachmæ nomen est ponderis, scilicet septima pars unciæ, vel cantus, qui in choro cantatur, cum scilicet alii præcinunt, & alii respondent. Dragma dragmatis idem, quod interrogatio. Unde dragmaticum genus loquendi, quod fit per interrogationem, & responsionem.

Item nota, stater est siclus habens obolos viginti. Drachma quarta pars stateris habens obolos quinque. Didrachma duo drachmata habens obolos decem. Jesus autem libertatem dat. *Joan.* 8. Si filius liberaverit vos, vere liberi estis. h Ad Petrum.] Præ signorum multitudine non audent ipsum aggredi, sed Petrum. Quærebant enim fideliter, vel malitiose, volentes scire an Cæsari contradiceret, & ut caperent denegantem.

i Et dixerunt ei, magister vester non solvit didrachmam] In Capharnaum, idest, in agro pinguedinis petitur tributum a Domino: Ideo dicit *Luc.* 6. Væ vobis divitibus, qui habetis hic, &c.

k Ait: etiam] quasi non. Simile *sup.* 15. Etiam Domine, idest, verum est.

l Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens:] Prævenit Jesus interrogationem Petri, ne discipuli scandalizarentur ad postulationem tributi, cum videant eum scise, quæ eo absente gesta erant.

& a nihil impossibile erit vobis. Hoc b autem genus non c ejicitur nisi per orationem, & jejunium. Conversantibus d autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & e tertia die resurget. Et f contristati sunt vehementer. Et cum venissent Capharnaum, accesserunt, qui g didrachmam accipiebant h ad Petrum, & dixerunt ei, i Magister vester non solvit didrachmam. Ait, k Etiam. Et l cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens, m Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, a quibus accipiunt tributum, vel censum, a n filiis suis, an ab alienis? At ille o dixit ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ut p autem non scandalizemus eos, vade q ad mare, & r mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascendit, tolle. Et s aperto ore ejus invenies staterem, illum u sumens da eis pro me, & te.

CAP. XVIII.

IN illa x hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas major est in regno cœlorum? Et y ad-

o At ille, &c.] ergo multo magis Dominus regum, & ejus filii. *Apocal.* 19. Habet in vestimento, & in femore suo scriptum Rex Regum, & Dominus dominantium.

11. q. 1. c. magnum & q. 3. c. duo sunt verba. 23. q. ult. c. tributum.

Marc. 9. *Luc.* 9.

p Ut autem non scandalizemus eos.] Tamen *sup.* 15. ubi dixit. Omnis plantatio, &c. Non vitavit scandalum.

q Vade ad mare.] contritionis.

A

r Et mitte hamum] compunctionis. Vel hamus Christus, ferrum Deitas, esca caro, linea generatio Christi secundum carnem. *Job* 40. An extrahere poteris Leviathan hamo?

s Et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle,] idest, Christum, qui primus voluit ascendere.

t Et aperto, &c.] Os ejus aperitur, cum intentio persuasionis ejus per confessionem revelatur. *Job* 41. In medium oris ejus quis intrabit? Stater est confessio de commissis, & omissis contra decalogum. Hoc pretio redimitur Jesus, idest, gratia recuperatur salutis, & peccator liberatur.

u Illum sumens, da eis pro me, & pro te.] *Chrysost.* Cur non ex reconditis jubet dare tributum? Ut se ostendat etiam Dominum maris. Magnum enim erat prædicere, quoniam incidet piscis, qui tributum solvet. *Origenes.* Si ille, qui nihil in se obtinuit, Cæsaris solvit tamen tributum, cum liber esset ex omnibus, quanto magis est necessarium nos tributa carnis expendere, & negotiationis nostræ vectigalia penstare? *Senec.* Mors, & exilium, luctus, dolor, non sunt supplicia, sed tributa vivendi. *Roman. cap.* 13. Cui tributum, tributum, *infr.* 22. Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari.

EXPOSITIO CAP. XVIII.

IN illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes, quis putas, &c.] Supra egit Matthæus de ascensu, & descensu discipulorum de monte cum Jesu, hic determinat, qualia debent esse opera descendentium de monte contemplationis ad activam prædicationis, ubi sunt maxime cavenda scandala. Unde prædixit: Ut autem non scandalizemus eos, &c. Primo ergo dicit in hoc capitulo, quis possit intrare in regnum, sine scandalo, scilicet vere humilis: Unde. Nisi conversi fueritis, &c.] Secundo ne scandalizemus, ibi. [Qui autem scandalizaverit, &c.] Tertio, ne scandalizemur, ibi. [Si autem manus, &c.] Quarto, ut caveamus pusillis, ne ab aliis scandalizentur, ibi. [Videte, ne contemnatis unum, &c.] Quinto, ut scandalizatos, idest, lapsos, quantum in nobis est, relevemus, ibi. [Si autem peccaverit, &c.]

Sexto, de reliquiis scandali a nobis amovendis, ibi [Domine quoties, &c.] Dicit ergo.

x In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas major est in regno cœlorum?] Putabant enim Apostoli Petrum esse Prælatum omnibus. *Chrys.* Vide, quia de primatibus terrenis non contendunt, nos neque ad infimitatem eorum pervenimus: Non enim quærimus, quis major est in regno cœlorum, sed quis major in regno terræ, quis potentior, quis copiosior.

y Et advocans Jesus parvulum, quem secundum Marcum complexus est. *Marc. cap.* 9. Parvulus dicitur in respectu parvulus, qui se humiliat etiam sine respectu aliorum. Tales vocat quasi sibi similes. *Isa. cap* 9. Parvulus natus est nobis. *Senec.* Pueri hos amant, cum quibus ludere

consueverunt

consueverant. *Eccl.* 13. Omnis homo simili sui sociabitur. *Luc.* 14. Recumbe in novissimo loco: ecce parvulus. Amice ascende: ecce advocatio.

a Statuit eum in medio eorum,] quia vera humilitas stabilis est, ut terra, & ipsa est centrum aliarum virtutum: Imo humilitas virtus est, cujus centrum ubique est, circumferentia nunquam. Ubicumque enim sit humilis semper se corde tenet, imo nunquam reputat se in summo. *Phil.* 3. Ego non arbitror me comprehendisse.

b In medio,] idest, in corde, quod in medio est. Unde *supra* 11. Discite a me, &c. Nota, quod est puer bonus, & malus. De bono Versus: *Credulus, inculpans, simplex, placabilis, insons: Cassus, ovans, plorans, humilis, retinens, cito credit.* De malo: *Nare torvo, sinu sordens, parvus pero ejca: Debilis, insipiens, sine dente, pila, ratione.*

Luc. 14.

c Et dixit, amen dico vobis, nisi conversi fueritis,] a vestra elatione, quasi dicat, vos altercamini de primatibus; ego autem non ingressu regni dignum inquio nisi valde humilem. (Nisi conversi, &c.) *Psal.* 113. Jordanis conversus est retrorsum. *Josue* 3. Steterunt aquæ Jordanis descendentes in loco uno, & ad instar montis intumescentes. Quia qui se humiliat, exaltabitur.

d Et efficiamini sicut parvuli,] idest, humiles.

e Non intrabitis in regnum coelorum,] Per ostium Ecclesiæ, idest Christum. *Joan.* 10.

f Quicumque ergo humiliaverit se,] quasi dicat, Parvuli intrant, sed qui intrant sunt magni, ergo quanto minor, tanto major in regno coelorum.

g Sicut parvulus iste] ut talis fiat per gratiam, qualis puer est per naturam.

h Hic est major,] idest, erit, vel est habens causam, quæ facit eum majorem. [Major] aliis, non sic se habentibus. *Luc.* 18. Omnis, qui se exaltat humiliabitur. *Prov.* 29. Humilem spiritu suscipiet gratia.

i In regno coelorum,] dupliciter, Ecclesiastica, vel Evangelica Doctrina. *Chrys.* Momentaneæ invidiæ Apostolorum occasio, æternum mundo humilitatis præstat refrigerium.

k Et qui susceperit, &c.] In honore, quasi dicat, non solum hic major, sed etiam suscipiens eum remunerandus, & scandalizans puniendus, *supr.* 10. Qui recipit justum, &c.

l Me suscipit;] *supra* 10. Qui recipit vos, me recipit.

m Qui autem scandalizaverit unum de pusillis his,] Id est, humilibus, & tamen infirmis. Magnus enim non potest moveri de facili. *Prov.* 12. Non contristabit justum, quicquid ei acciderit.

n Qui in me credunt,] Per quod notatur, quod habent fidem, & charitatem, & possunt ita scandalizari in via fidei, & charitatis. Et hoc patet, quod pejus est scandalizare stantem, quam jam lapsum.

o Expedit ei,] idest, multo utilius est, vel minus malum.

p Ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.] Loquitur secundum ritum Palestinæ, ubi est illa poena majorum criminum. Et est congruus ordo, ut poenæ respondeant culpæ, ut qui fuit aliis poena scandali in via, puniatur in lapide suspenso, ne viam occupet.

[Moraliter.]

Moraliter.

Sicut habetur *super Marc.* Per molam asinariam significatur pena scandalizanti debita. Mola autem asinaria multis aliis proficit per laborem asini, sic talis multum debet aliis proficere per exemplum bonæ conversationis, & opera misericordiæ, ut sic peccatum ejus per poenitentiam deleatur. Hoc autem est demergi in profundum maris. *Jud.* 9. Mulier fragmen molæ desuper jaciens occidit Abimelech. *Apoc.* 18. Unus Angelus fortis sustulit lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, &c. Item mola asinaria habet motum violentum a motu asini voluntario. *Eccl.* 18. Post concupiscentias tuas non eas. Item asinus crucem habet super se, ut omnia fiant in fide Crucifixi. *Hebr.* 11. Sine fide impossibile est placere Deo

vocans Jesus parvulum a statuit eum in b medio eorum, & dixit: c Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & d efficiamini, sicut parvuli, e non intrabitis in regnum coelorum: f Quicumque ergo humiliaverit se g sicut parvulus iste, hic h est major in i regno celorum. Et k qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo l me suscipit. m Qui autem scandalizaverit unum de pusillis his, n qui in me credunt, o expedit ei, ut p suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris, Væ q mundo a scandalis: r Necesse est enim, ut veniant scandala: f Verumtamen, væ homini per quem scandalum venit.

q Væ mundo a scandalis,] quasi cum ita sit grave peccatum scandalizare, sicut patet per comminationem poenæ: ergo, væ mundo, &c. idest, damnatio gehennæ, & tamen non erit, quin veniant scandala. r Necesse est enim, ut veniant scandala,] 1. *Cor.* 11. Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. *Hier.* Sicut necesse est ignem calere, nivemque frigere: Ita necesse est ut iniquitas mundi erronibus pleni scandala pariat, perfectorum vero charitas pietatis operibus luceat. Verumtamen, quia nulla necessitas cogit humana corda esse iniqua, quæ tamen, quia iniqua sunt, scandala movent. Ideo væ illi, cujus vitio veniunt. *Lev.* 19. Non ponas coram cæco offendiculum. f Verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit.] Sed si latro furetur cappam meam, & videam illum scandalizari de repetitione, debeone repetere, vel hujusmodi? Ad hoc nota, quod quatuor modis potest fieri repetitio suarum rerum. Primo modo, simplici postulatione facta ei, qui abstulit. Secundo modo, simplici denuntiatione facta Presbytero, vel Judici. Tertio modo, in foro judiciali. Quarto modo, cum jurgio, & bello. Primo modo, & secundo repetere sua licet omnibus. Tertio modo licet imperfectis, religiosis non. Quarto modo nulli licet. Ita nota, quod est duplex scandalum, activum, & passivum. Activum est dictum, vel factum minus rectum, quo aliquis alium scandalizat dans ei occasionem ruinæ. Passivum dicitur dupliciter. Uno modo actualiter, quo ruit in peccatum exemplo alterius, & dicitur passivum, non quia passio, sed quia ab actione illatum. Alio modo dicitur scandalum passivum ipsa læsio intuentis: v.g. cum comedo carnes, alius murmurat, & judicat, vel maledicit, & sic amittitur, vel remittitur charitas ejus, ipsa murmuratio, vel judicium, vel maledictio, vel irritatio sunt scandalum, vel amissio, vel læsio charitatis est scandalum, utrimque passivum, sed & aliter, quia primum dicitur passivum, quia illatum ab actione, secundum dicitur passivum, quia passio est illata, vel ipsa comestio, qua tu offenderis, dicitur scandalum activum, quo ego te scandalizo, Nota ergo, quod cum scandalo activo omnino nihil faciendum est, pro scandalo vero passivo aliquando bonum dimittendum est, aliquando non. Triplex est veritas, scilicet vitæ, justitiæ, doctrinæ, quæ nunquam dimittenda est pro vitando scandalo. Unde. Versus: *Vita, justitia, doctrinæ, scandala cedunt*, alia vero bona aliquando dimittenda sunt, aliquando non. Quando enim alicujus boni omissio nulli præjudicat, neque personæ, neque reipublicæ, tunc dimittendum est bonum. Unde si repetitio rerum mearum scandalizat aliquem, & possum dimittere sine repetitione, & præjudicio personæ, & reipublicæ, salva triplici veritate, debeo cessare a repetitione. Sunt autem sex causæ, quibus licet repetere sua etiam cum scandalo passivo. Prima est refrenatio malorum. Si enim boni non repeterent sua, sed dimitterent propter scandalum, mali semper prætenderent signa scandali, & ita boni amitterent omnia bona sua, & mali semper fierent deteriores, unde in hoc casu consulitur etiam malis. Secunda causa est conservatio unitatis, & pacis Ecclesiæ, quia nisi liceret repetere sua, furtum, & rapina dissiparent pacem Ecclesiæ, & unitatem. Tertia causa est consolatio infirmorum, quibus data sunt temporalia, non solum ad sustentationem, sed etiam ad consolationem, quibus nisi liceret repetere sua, præ nimia tristitia desperarent. Quarta causa est zelus justitiæ. Justum enim est, ut quilibet sua habeat, & hoc zelo potest quis repetere sua, sed non ex cupiditate, vel odio. Quinta causa est ignorantia probabilis. Nescitur enim, utrum ille, a quo fit repetitio scandalizetur, & præsumendum, quod non: Sexta causa est sublatio acidiæ, Omnes enim vacarent otio, & fierent acidiosi. Cum scandalo autem activo nunquam licet repetere. Unde 1 *Cor.* 8. Si esca mea scandalizat fratrem meum, idest si ego scandalizando comedero, non manducabo carnem in æternum. Item nota, quod scandalum dicitur obex, vel positio obicis, vel casus, vel impactio pedis. Obex in via morum omne dictum, vel factum minus rectum, ad quod offendi potest spiritualis pes proximi. Positio obicis est scandalizantis operatio, quæ dicitur scandalum

Marc. 9. *Luc.* 17. *De renunt. c. nisi §. pro graves.*

De novi oper. nunc. c. 5.

Nota quatuor modis fit repetitio.

Nota duplex scandalum.

Nota sex modis licet sua repetere etiam cum scandalo passivo.

nit. Si *a* autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, *b* abscide eum, & projice abs te. *c* Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si *d* oculus tuus *e* scandalizat te, *f* erue eum, & projice abs te. *g* Bonum tibi est cum uno oculo in *h* vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. *i* Videte, ne contemnatis unum *k* ex his *l* pusillis. *m* Dico enim vobis: quia Angeli eorum in cœlis semper vident *n* faciem patris mei, qui in cœlis est, *o* Venit enim filius hominis salvare, quod perierat, *p* Quid vobis videtur. Si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis, *q* nonne † *r* relinquet nonagintanovem in montibus, & *s* vadet quærere eam, quæ erravit: Et si *t* contigerit, ut inveniat eam: Amen dico vobis, quia gaudebit super eam magis, quam super nonagintanovem, quæ non erraverunt, Sic *u* non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. Si *x* autem peccaverit in *y* te *z* frater tuus, *a* vade, & corripe eum

sum activum. Impactio pedis, operatio mala, vel affectio mentis. Casus est impletio peccati, quæ dicitur scandalum passivum.

a Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te,] De hoc *supr.* 5. Supra docuerat, ne scandalizaremus infirmos, hic autem docet, ut caveamus illos, qui scandalizare nos possunt.

b Abscide eum, & projice abs te.] Cum castigatus non vult respicere. *Eccles.* 19. Corripe amicum tuum: ne forte non intellexerit, & dicat non feci, aut si fecerit, ne iterum addat facere. Hoc quia non fecit Roboam, amisit maximam partem regni sui 3. *Reg.* 12. *Prov.* 22. Noli esse amicus homini irato, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas illius, & sumas scandalum animæ tuæ. *Seneca.* Qui non curat, quid de se alius dicat, vel sentiat, aut flagitiosus est, aut dissolutus. Docet ergo hic fugere pravam societatem.

c Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum] quasi dicat, melius est tibi esse sic hujusmodi amicis, & esse in Paradiso, quam habere hujusmodi amicos, & esse in inferno.

d Et si oculus tuus,] idest, aliquis provisor in consiliis.

e Scandalizat te,] volens te inducere in peccatum.

f Erue eum, & projice abs te.] De hoc oculo *Thr.* 3. Oculus meus deprædatus est animam meam. *Job.* 29. Oculus fui cæco, & pes claudo. *Prov.* 30. Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodient eum corvi de torrentibus.

g Bonum tibi est cum uno oculo.] *Cant.* 4. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in uno oculorum tuorum.

h In vitam intrare,] æternam (quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.)

i Videte, ne contemnatis, &c.] Hic agit de scandalo vitando, post amovendo jam facto, idest, de fratre corripiendo, ibi (Si autem peccaverit.) Post de concordia servanda, ibi (Iterum dico vobis.) Dicit ergo. (Videte, ne contemnatis.) *Chrys.* Nihil ita est adversum charitati, ut elatio. *Isa.* 33. Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris. *k* Unum ex his.] De quibus *supr.* ut non scandalizeris, sicut & non scandalizamini.

l Pusillis.] *Chrys.* Qualiter parvus est, qui toto mundo dignus est adæquari? Qualiter parvus est, qui Dei amicus est? Sed opinione multorum sunt. *m* Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis,] qui tunc eis deputati ad custodiam (semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est,) quasi dicat, si contemnitis unum de pusillis, Angeli vident, & pater meus ulciscetur. *Chrys.* Ne dicas, ille faber est, ille sutor, ille insipiens agricola, ab Angelis, quibus commissi sunt, viles venerabiles facit. Qualiter tu contemnis, quæ Deo tam studiosa sunt, cum docet, & animam perdere pro uno de pusillis his? Studiosissimum quid est anima Deo, pro qua proprio filio non pepercit. Nulli ergo sufficiat propria salus. Sicut enim in præliis, qui se cupit salvare fugiendo pericula, & sibi officit, & alios perdit, ita & hic. Et sicut miles virilis, qui pro aliis pugnat, se, & alios salvat, ita & hic. *n* Faciem patris.] Faciem more humano ponit pro manifestatione, sive pro manifesta visione, sive cognitione. *o* Venit enim Filius hominis salvare, quod perierat.] *Ezech.* 34. Quod perierat requiram, & quod abjectum erat, reducam, & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo. *p* Quid vobis videtur: si fuerint centum oves alicui, & erraverit una ex eis.] Ovis centesima est humana natura, sive contritus de peccatis præteritis, quicumque peccator per humilitatem quoquo modo reconciliatus.

q Nonne relinquet nonagintanovem in montibus.] Pro ove nonagintanovem, status angelicus, cui aliquid deficit ad perfectionem, mediocriter boni, vel superbi, & elati. *r* Relinquet,] Impœnitentes relinquet, quia nonagintanovem non perveniunt ad perfectionem centenarii.

s Et vadet quærere eam, quæ erravit.] Non dicit, si erraverit, statim excommunica, vel expelle, vel abjice: sed potius, vade, & require. *Ezech.* 34. Quod infirmum fuerat, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod fractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis, quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Exemplum de Abbate, qui secutus est monachum fugitivum, & reduxit. *Sap.* 11. Parcis omnibus, quia tua sunt omnia qui amas animas. Quod patet, quia non solum dedit Angelos custodes, sed etiam filium Redemptorem, & reductorem, & præterea quemlibet alteri custodem deputavit. *Eccl.* 17. Mandavit illis unicuique de suo proximo. Sed multi dicunt: Cum Cain, *Gen.* 4. Nunquid custos fratris mei sum, 1. *Joan.* 4. Qui diligit Deum, diligit fratrem suum.

t Et si contigerit, ut inveniat eam, &c. magis quam super nonagintanovem, quæ non erraverunt,] idest magis, & pluribus argumentis se gaudere ostendet, de reparatione generis humani, quam de eorum stabilitate. Vel idest magis gaudere nos facit. Item potest hoc intelligi de fervente pœnitente, & justo torpente. Unde *Eccl.* 9. Melior est canis vivus leone mortuo. Vel quia majus est de injusto justum facere, quam justum in justitia conservare. *Num.* 28. Oblationem meam, & panes, & incensum odoris suavissimi, &c. Ibi *Glos. Origenis.* Per singulos, qui convertuntur ad Deum, & in fine proficiunt, festivitas oritur Deo. Lætificat eum impudicus, si fit castus, & injustus cum justitiam colit. Agit festum Christus, qui pro salute nostra sanguinem suum fudit, cum videt prodesse, quod se humiliavit, factus obediens usque ad mortem. Agit festa Spiritus sanctus, cum in his, qui convertuntur, videt sibi templa parari. Lætantur Angeli, ad quorum festivitatem accedunt conversi. *u* Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis] *Ezech.* 18. Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus? Ergo multo fortius nec de pusillis.

x Si autem peccaverit in te frater tuus,] secundum *Hier.* sic continuatur. Monuit de pusillis recipiendis, & defendendis, prohibuit ne quis scandalizaret, nec scandalizaretur, adhuc volens præscindere effectum scandali, docet vitare causam illius, scilicet, offensam, dicens. (Si peccaverit in te,] idest, te sciente. Ita exponitur. 1. *Tim.* 5. ubi quæritur, quid est, fratrem in te peccare, Et respondet. Te sciente. Et sic (te,) est ablativi casus. Vel potest esse accusativi casus. Et exponitur duobus modis. *y* In te,] idest, contra te injuriis, & contumeliis afficiendo. Vel (In te,) idest, contra te, scilicet malo suo exemplo, & corrumpendo quantum in se est. *z* Frater tuus,] qui possit tibi materiam scandali ministrare, ne scandalizeris, quod est peccare.

a Vade,] non solum per scriptum corripe. Quia ut dicit *Hier.* nescio quid latentis energiæ vivæ vocis actus habet. Energia est vis efficax effectus. *Ambros.* super *Psalm.* 118. Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur. Plerisque justis aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero lætitia est. Item (vade,) ut noverit te compati sibi, & solicitudinem habere erga se. *Ezech.* 3. Fili hominis vade ad domum Israel, &c. *b* Et corripe eum,] *Eccl.* 19. Corripe amicum tuum, ne forte non intellexerit, & dicat, non feci, aut si fecerit ne iterum addat, *Prov.* 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. *Exod.* 23. Si occurreris bovi erranti, vel asino inimici tui,

reduc

reduc ad eum. *a* Inter te, & ipsum solum.] Sed contra: Aut hoc intelligitur de peccato occulto, aut de manifesto. Si de manifesto, ergo manifeste corripiendus est. 1.*Tim.*5. Peccantes coram omnibus argue: Non ergo inter te, & ipsum solum. Si de occulto, quomodo adhibebit unum, vel duos testes, cum ipse solus sciat, & quomodo testificabuntur illi, qui nesciunt? Solutio. Hoc intelligitur de occulto, & manifesto peccato, idest, aliquibus noto, ut postea ostendetur.

> *a* Inter te, & ipsum solum. Si *b* te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si *c* autem te non audierit, *d* adhibe tecum unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si *e* non audierit eos, dic *f* Ecclesiæ. Si *g* autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut *h* Ethnicus, & Publicanus

b Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum,] idest revocatio ejus tibi cedet in lucrum. 1. *Cor.* 9. Omnium me servum feci, ut omnes lucrifacerem. *Jer. c.*15. Si converteris convertam te,

c Si autem te non audierit] paratus satisfacere.

d Adhibe tecum unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.] Contra *Deut.* 19 Non stabit testis unus contra aliquem, sed in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum; Non ergo unus testis sufficit. Solutio. Duobus modis potest quis agere contra proximum, scilicet per modum denuntiationis, vel per modum accusationis. In denuntiatione sufficit unus testis, in accusatione oportet, quod ad minus sint duo: Et sic intelligitur illud. *Deut.*

In quinque casibus non tenetur quis corripere fratrem.

e Quod si non audierit eos,] corripientes, & monentes. *f* Dic Ecclesiæ.] Si privata persona corripit, sic exponendum est. (Dic Ecclesiæ,) idest, coram prælato Ecclesiæ eum convince per testes, quos prius audire noluit corripientes. Si vero Prælatus corripit, sensus est, (Dic Ecclesiæ) idest coram Ecclesia illum excommunica, idest, coram congregatione fidelium. *g* Si autem Ecclesiam non audierit] ut se corrigat, *h* Sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus] supple solet haberi apud Judæos, qui eis quasi immundis non communicabant. *Joan. c.*4. Non enim coutuntur Judæi Samaritanis; *Deut.*7. Non inibis fœdus cum eis, quasi dicat, excommunica eum, si Prælatus es, alioquin cum vita in occulto, vel in manifesto, maxime si excommunicatus est, Nota autem, quod corripere fratrem homini est præceptum, & ad hoc non tenentur omnes semper, sed pro loco, & tempore, quando scilicet vacat, & licet, & credit, quod sua correctio sit utilis ei, qui corripitur.

Verumtamen nota, quod quinque sunt casus, in quibus non obligatur aliquis hoc præcepto.

Primus est, cum non est spes correctionis. Unde *Hier. ad Salustium*. Frustra niti, & nihil aliud quam odium quærere, extremæ dementiæ est. Et *Prov.* 9. Noli arguere derisorem, ne forte te oderit.

Secundus est, cum timetur defectus probationis, & criminaliter agitur, ubi scilicet obligatur actor ad talionem, si deficiat in probatione.

Tertius est, cum Prælato tanquam Judici notum est factum, quia notorium, vel ille convictus est, vel confessus.

Quartus, cum meliori operi, vel ad minus æque bono vocat aliquis.

Quatuor attendenda sunt in correctione unde 4. modis contingit male corripere.

Quintus est, cum multitudo, vel potestas est in culpa, ubi correctio plus noceret, quam prodesset Ecclesiæ. Quatuor enim debent attendi in correctione fraterna, scilicet, discretio, lenitas, charitas, utilitas; unde quatuor modis contingit male corripere.

Primo, per indiscretionem, ut si aliquis manifestaret crimen alterius sine præmonitione, vel quod probare non posset, vel quod posset in eum replicari. *Rom.* 2. Qui prædicas non furandum furaris. Qui alium doces, teipsum non doces. Et *sup.*7. Quomodo dicis fratri tuo, frater, sine ejiciam, festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. Tales significantur per Ozam, qui cum jacuisset nocte cum uxore sua, præsumpsit extendere manum suam ad arcam cadentem. 2. *Reg.* 6. & ideo percussus est a Deo. Vel quia non portabat eam propriis humeris, sicut præcipitur. *Num.* 7.

Secundo, peccat correptor per nimiam asperitatem, sive per asperam objurgationem. Unde *Gal.* 6. Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. *Num.* 22. Aperuit Dominus os asinæ, & locuta est. *Hieron.* sic potest Prælatus a subdito corripi, non manifeste, neque aspere.

Ideo Maria percussa est lepra, quia non leniter corripuit Moysen. *Num.*12. Tertio peccat corripiens, si non ex charitate, & compassione corripiat; sed malitiose, & derisorie. Sicut Cham. *Gen.*9.

Quarto modo peccat corripiens, si inutiliter corripiat, quod fit, quando scienter corripit incorrigibilem, vel multitudinem, vel potestatem, ubi magis nocet, quam prosit correctio, Unde *Prov.* 9. Qui arguit impium, ipse sibi maculam generat. 2. *Cor.* 6. Propter quod exire de medio eorum. Ibi *Aug.* Exire de medio eorum, est facere, quod pertinet ad correctionem malorum, quantum licet pro gradu cujusque salva pace. Quantum licet dicitur, quia facta correctione in privato licet correctus, non corrigatur sustinendum est, quandoque pro gradu cujusque, quia correptor debet attendere, qualis est, qui corripi debet, & utrum utilis sit ei sua correptio. Salva pace dicitur, quia quandoque tolerandi sunt mali, & est dissimulanda correptio pro pace Ecclesiæ, ut dicit *Aug.* Quidam tamen dicunt, quod Prælati tenentur corripere corrigibilem, & incorrigibilem, quia habent officium, Privata persona tantum illum, de quo sperat correptionem. Et hoc verum est de publica correptione, quæ pertinet ad officium Prælati, ubi speratur aliorum correctio: In privato enim non tenetur Prælatus corripere subditum, si scit incorrigibilem, & sine discretione, sed sapienter dissimulare debet, sicut Dominus Judam non corripuit. Item nota ordinem correptionis.

Nota ordinem correptionis.

Primo enim debet revocari amore, & ideo primo singulariter admoneri debet. Post timore, & ideo secundo dicuntur adhiberi testes, quos timeat. Et tandem pudore, & ideo ad ultimum dicit, ut vitetur sit Ethnicus, & Publicanus. Unde prima correptio est amoris, secunda timoris, tertia pudoris. Et hunc ordinem debet servare quicumque vult corripere hoc modo: si tu scis peccatum illius, debes ipsum primo corripere inter te, & ipsum solum amicabiliter, si te audierit, lucratus es illum, si autem te non audierit, siste ibi, donec habeas aliam viam procedendi. Potest autem haberi alia via dupliciter, quia illud peccatum aut est iterabile, aut non. Si est iterabile debes aliquibus bonis dicere, qui cum deprehenderint tecum, corripiant eum. Si vero peccatum non est iterabile, nihilominus debes dicere alicui, vel aliquibus, qui possunt prodesse, & non obesse, & coram illis corripe illum. Si te audierit bene est, si autem non audierit, nuncia Prælato ejus, ut admoneat eum, & sic liberabis animam tuam, nec proditor criminis fueris, si hoc modo reveles. Unde super illud *Lev.*5. Si peccaverit anima, dicit *Glos. Aug.* Videtur mihi, quod a tali peccato se exuit, qui talibus indicat, qui magis prodesse, quam obesse possunt convincendo, vel ejiciendo. Si vero aliqui sciunt peccatum, quod tu vis corripere, ne publice correptus verecundiam perdat, qua perdita remaneat in peccato. Si te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos de illis, qui sciunt, ut qui unius vocem audire noluit, multorum admonitione corrigatur. Si autem non audierit, multis est dicendum, ut qui pudore salvari noluit, salvetur opprobriis plurimorum, ut dicit *Glos.* Si autem nec te sic audierit, sit tibi sicut Ethnicus, ut sequestrationis pudore emendetur. Si vero peccatum manifestum est omnibus, coram omnibus est corripiendus, sicut docet Apostolus. 1. *Tim.* 5. Sic facere debes, si es privata persona.

Si vero Prælatus es, & scis per visum, eo ordine procedere debes.

Si vero per famam, debes eum corripere secrete. Si te non audierit, debes adhibere unum, vel duos ad corripiendum, ut plurium admonitione convincatur. Si vero nec illos audierit, sed jurgaverit, debes de officio tuo inquirere, utrum ita sit, ut fama dicitur, & si inveneris sic se habere, debes punire. Et si ille non vult emendare se, debes dicere Ecclesiæ, idest, coram Ecclesia excommunicare, ut sic tanquam hæreticus evitetur. Si vero non potes invenire testes ad procedendum in inquisitione, potes ei indicere purgationem. Intelligitur autem hoc præceptum non solum, cum jam factum fuerit, sed etiam quando est in promptu, ut fiat. Observari autem debet iste modus in criminalibus, non in venialibus. Quod si prætermiserit quis ex simplicitate, & zelo, non credo, quod peccet mortaliter. Si vero prætermiserit ex malitia, peccat mortaliter.

a Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, *b* erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Iterum *c* dico vobis, *d* quia si duo ex vobis *e* consenserint super terram *f* de omni re, quamcumque petierint, *g* fiet illis a patre meo, qui in cœlis est. Ubi *h* enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum *i* in medio eorum. Tunc *k* accedens Petrus *l* ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Usque *m* septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. *n* Ideo *o* assimilatum est regnum cœlorum *p* homini regi, qui *q* voluit rationem ponere cum servis suis. Et *r* cum cœpisset rationem ponere, *s* oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. *t* Cum autem non haberet, unde redderet, *u* jussit eum Dominus

a Amen dico vobis.] Adveait correctio fraterna secundum processum in littera usque ad sententiam Ecclesiæ: Ne autem hujusmodi sententiam aliqui contemnant tanquam ab homine factam, ostendit non esse contemnendam, quia robur habet, & firmitatem a Deo confirmante in cœlo, quod minister ejus facit in terra: Et hoc est. (Amen dico vobis, &c.) Juste, & discrete. Si tamen injuste ligat Prælatus, idest, excommunicat, sententia ligat, quoad Ecclesiam, etsi non forte quoad Deum. Unde super illud *Lev.*24. Ecce autem egressus, &c. *Gl.* Interdum foras quis mittitur, & intus est. Alia est ligatio injustæ satisfactionis, quæ sæpe indiscrete fit, de qua, *infr.*33. Super cathedram Moysi, &c.

b Erunt ligata & in cœlo, &c.] Hoc expositum est, ut supra. *c* Iterum dico vobis.] Confortat per præmium, & respicit hoc utramque clausulam præmissam.

d Quia si duo ex vobis] *Gregorius*. Ubi sunt, qui Ecclesiæ conventum præsumunt contemnere, & venerandæ congregationis preces solitarias anteferre? Si duobus, vel simul tribus positis Jesus medium se futurum, & omnia promitrit, quæ postulatus fuerit præstiturum, quid non dabit plurimis? Exemplum de manuali.

e Consenserint super terram,] de corrigendis peccatoribus, vel excommunicandis rebellibus, vel per charitatis concordiam in quamlibet rem.

f De omni re, quamcumque petierint,] Pie perseverantet pro se, & ad salutem.

g Fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est] Habebunt enim illud, vel æquale tunc, vel quando expedierit.

h Ubi enim sunt duo, vel tres congregati, &c.] idest, ad salutem propriam, vel ad alienam quærendam, vel gloriam nominis ejus manifestandam.

i Ibi sum in medio eorum.] *Pet. Raban.* Amat medium mediator Dei, & hominum, qui in medio doctorum inventus est. *Luc.* 2. Medius stetit ad Baptismum. *Joan.* 1. Medius pependit in Cruce. *Joan.* 19. Resurgens quoque stetit in medio discipulorum. *Joan.* 2. Medius etiam ad judicium veniens segregabit hædos ab agnis, *infr.*25 Sunt duo, vel tres, sed non congregati, qui contra se invicem invehuntur, invicem mordent, & ab invicem consumuntur. Sunt congregati, sed non in nomine Domini, quorum consensus in fraudulentia, in malitia, in vanitate, in augendis divitiis, in cubilibus, & impudicitiis, & injuriis suis ulciscendis. In nomine Domini congregati sunt, qui ipsius gloriæ æmulantur, ipsius spiritu fervent, ipsum in omnibus, & per omnia fidei oculis, & mundo corde non desinunt intueri. Ibi prorsus in medio est, sese omnibus offerens, omnes attrahens, & seipsum impertiens universis. Unde *Joan.* 20. Cum fores essent clausæ, stetit Jesus in medio. Item in medio, quasi communis adjutor. *Genes.* 2. Lignum vitæ plantatum est in medio Paradisi.

k Tunc accedens Petrus] Dixerat: Videte, ne contemnatis unum ex istis pusillis, adjecerat: si peccaverit, corripe, & præmium promiserat: Si duo ex vobis, &c. provocatus ergo Petrus, quærit quoties dimittat. Dicit ergo: (Tunc accedens Petrus,) intellectu mentis magis, quam motu corporis. Unde dicitur in *Glos.* provocatus, ideo bene dicitur hic Petrus, idest, cognoscens.

l Ad eum dixit, Domine, quoties peccabit in me frater meus,] idest, contra me, vel me sciente, vel publice, quia omne peccatum publice factum in totam Ecclesiam est, (& dimittam ei?) Et quia videbatur ei, quod satis erat dimittere septies, dicit ipsemet.

m Usque septies? Dicit illi Jesus, non dico tibi usque septies, sed usque septuagiesseptíes.] Hyperbole est, idest, quotiescumque peccaverit, idest, semper. *Augustin.* accipit septuagies septies, idest, septuagintaseptem vicibus.

[Septuagiesseptíes.] *Gen. cap.* 4. Septenplum dabitur de Cain, de Lamech vero septuagiesseptíes. Cain possessio, vel lamentatio, Lamech disciplinatio cordis, vel cor, vel humiliatus. Cain peccavit in fratrem corde, ore, opere. Corde, quia invidit ei; ore, quia seduxit; opere, quia occidit. Et beneficium ei subtraxit, cum dixit: Nunquid custos fratris mei sum ego? Item quia male tulit, & quia mentitus est. Domine nescio. Et quia desperavit: Major est iniquitas mea, &c. Et ita septies peccavit, invidendo, seducendo, occidendo, mentiendo, debitum subtrahendo, male offerendo, & in desperando, & tamen si illum penituisset, dimissum ei fuisset. Sic quis peccat contra fratrem septempliciter, idest, in animam, intellectum seducendo, affectum corrumpendo, corpus affligendo, necessaria auferendo, sua non conferendo, famam ejus lædendo, & malum exemplum præbendo. Sic & Lamech, idest, humiliato dimittendum, quoties Deus dimittit, quia fit nobis disciplina cordis. *Isaiæ* 28. Sola vexatio intellectum dabit auditui. Et quia servit nobis dans patientiæ nostræ materiam, & misericordiæ *Genes. cap.* 25. Major serviet minori. *Proverb. cap.* 11. Qui stultus fuerit, serviet sapienti.

n Ideo,] idest, propter hoc, & in hoc.

o Assimilatum est regnum cœlorum,] idest, vita justorum, vel Ecclesia militans. Adaptat negotium negotio, non omnes circumstantias omnibus circumstantiis. Dominus enim revocat dimissa, sicut & hic, & ideo expedit dimittere.

Chrysostomus. Ne videatur onerosum toties dimittere, adjecit parabolam, & comparationem servi. Quantum enim gutta aquæ, ad pelagus, imo in infinitum, multo plus deficit amor hominum ad infinitam charitatem Dei.

p Homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis] *Remigius*. Christus meritorum examinator jam per scripturam rationem cum servis ponit. Allegoria patet ex *Glossa*.

Moraliter. Autem docemur hoc adinvicem condonare, alioquin nec Deus, in quem quotidie peccamus, condonabit nobis. *Eccl. cap.*28. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini servat iram, & a Deo quærit medelam.

Chrysostomus. Audite hic, qui pro pecuniis hoc facitis. Si enim pro peccatis hoc facere oportet, multo magis pro pecuniis.

n Ideo] scilicet, ut sciatis fratribus esse condonandum.

o Assimilatum est regnum cœlorum homini Regi] idest, omnia mansuete regenti. *Sap. cap.*8. Attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. *Exod.* 21. Tu dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos. Quod est contra austeros, & immisericordes prælatos. De quibus *Ezech. c.* 34. Quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.

q Qui voluit rationem ponere cum servis suis.] *Interl.* Qui merita examinat scilicet in judicio. *Lucæ cap. decimosexto*, Redde rationem villicationis tuæ. In præsenti ponit rationem Dominus cum servis suis per Scripturas, per creaturas, per doctores, per confessores, per illuminationem propriæ conscientiæ. In quo etiam docentur Prælati, ut non sint negligentes inquirere de statu subditorum suorum. *Prov. cap.* 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, &c.

r Et cum cœpisset rationem ponere] *Interl.* examinare, scilicet intus in conscientia, vel exemplum per alium, vel doctorem, vel confessorem.

s Oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta] *Interl.* Populus Judaicus, qui Decalogo instructus, multarum transgressionum erat reus.

t Cum autem non haberet, unde redderet,] Potest enim homo per se ruere in peccatum, sed non resurgere.

u Jussit eum Dominus venundari] *Joan. cap.* 18. Qui facit peccatum, servus est peccati. 2. *Petr.* 2. A quo quis convincitur, hujus & servus est.

A Nota autem

venundari, *a* & uxorem ejus, *b* & filios, c & omnia, quæ habebat, & reddi. *d* Procidens autem servus ille, *e* rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. *f* Misertus autem Dominus servi illius dimisit *g* eum, & debitum dimisit ei. *h* Egressus autem servus ille, *i* invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum dicens: Redde, quod debes. Et k procidens conservus ejus rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. *l* Ille autem noluit, sed *m* abiit, & *n* misit eum in carcerem, *o* donec redderet debitum. *p* Videntes autem conservi ejus, quæ fiebant, *q* contristati sunt valde, & *r* venerunt, & narraverunt Domino suo omnia, quæ facta fuerunt. *s* Tunc vocavit illum Dominus suus, & *t* ait illi: Serve *u* nequam, *x* omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: *y* nonne ergo oportuit, & te misereri conservi tui, *z* sicut & ego tui misertus sum. Et *a* iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, *b* quoadusque redderet universum debitum. Sic & *c* pater meus cœlestis faciet vobis, si *d* non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

C A P. XIX.

ET *e* factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, *f* migravit a Ga-

a Nota autem, quod est venundatio duplex, scilicet, spiritualis in servitutem peccati, vel pœnæ in servitutem corporalem.

a Et uxorem ejus] cupiditatem, vel Prælatos Judæorum. *Remigius*. Pretium quippe venditi, supplicium damnati intelligo *Isa.* 50. In iniquitatibus venundati estis. 4. *Reg.* 4. Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.

b Et filios,] opera, vel subditos.

c Et omnia, quæ habebat, & reddi,] *Chr.* Terrere vult, ut per minas ad supplicationem ducat. Unde subditur.

d Procidens autem servus ille,] quasi coactus.

e Rogabat eum dicens, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi,] sic multi antequam infirmitate, vel necessitate cogantur, nolunt incipere pœnitentiam, & cum jam non possint aliud facere, tunc primo incipiunt pœnitere. Tarda est ista pœnitentia, non tamen contemnenda, *Psalm.* 15. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accoleraverunt. *Isa.* 26. Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. Misereamur impio, & non discet facere justitiam. Timere debent illi, qui peccata fecerant, & nondum pœnitentiam inceperunt, quia quanto diutius expectantur ad pœnitentiam, tanto gravius punientur in gehenna. *Eccl* 5. Ne dixeris, peccavi, & quid accidit mihi triste? Altissimus enim patiens redditor est, de propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.

B

f Misertus autem Dominus servi illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.] *Chrysostomus*. Quare ante ratiocinationem non dimisit ei debitum? Ut ad conservum mansuetior fiat. (Misertus, &c.) Ecce quantum valet humilis oratio, veniam impetrat, & vitæ prolongationem, ut satisfacere possit. *Eccl.* 36. Oratio humiliantis se nubes penetrat. *g* Dimisit eum.] *Joan.* 11. Solvite eum, & dimittite. *h* Egressus autem servus ille,] id est, de captivitate liberatus. *i* Invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, &c.] *Remigius*. Centum denariorum debitor erat, quem de aliquibus commissis in fratrem satisfacere oportebat. Conservum autem suffocare, in fratrem est vindictam exercere. k Et procidens conservus ejus, rogabat eum dicens, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi:] Emendabo consilio, vel judicio Ecclesiæ, quæ deliqui, *l* Ille autem noluit,] seipsum considerare, ut misericorditer ageret.

m Sed abiit,] a bono gratiæ, quod conceperat.

n Et misit eum in carcerem,] diræ tribulationis.

o Donec redderet debitum,] idest, ut debitum peccati solveret, ne quid in futuro gravius ulciscendum remaneret.

Nota utile est, qui mortem meruit, ut promptus sit ad redemptionem, & datur ei redemptio. *Proverb.* 13. Redemptio animæ viri divitiæ suæ. *Chrys.* Famulus petit dilatationem, & accipit dimissionem. Volebat enim a principio dare, sed nolebat suum donum esse solum, sed hujus servi supplicationem, ut non incoronatus ascendat.

p Videntes autem conservi ejus, quæ fiebant.] Conservi sunt Angeli, qui nunciant gesta hominum. *Tob.* 12. Vel Judæi boni, & gentiles.

q Contristati sunt valde.] *Chrys.* Non solum Deo, sed & hominibus displicebat valde.

r Et venerunt, & narraverunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant.] Narrant enim ei Angeli, & Sancti, quæ fiunt in terris conquerendo de persecutoribus, vel orando pro eis. *s* Tunc vocavit illum Dominus suus.] *Remigius*. Vocatio hæc intus in conscientia est, cum quis in desperationem incidit. *t* Et ait illi, serve nequam,] quasi non æquus in misericordia facti exhibenda, quæ tibi prius exhibita est. Unde *super*: Deus ultionum *Glos.* Noli misericordiæ pontem subvertere, quem transisti. *u* Nequam,] *Chrys.* Quando decem millia talentorum debebat, non vocavit eum nequam, nec conviciatus est, quando autem ingratus factus est, tunc dicit, serve nequam. Audiamus avari, quantus ad nos sermo factus est, audiamus & immisericordes, quoniam non aliis sumus crudeles, sed nobis ipsis. Vis rememorari malorum, tibi ipsi rememoraris, non alii. *x* Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.] Orationes, jejunia, eleemosynæ, & similia, cum sint directe quærentibus summum bonum remedia peccatorum, sed de vaga fluctuatione mentis vertuntur, in falsæ spei securitatem, & in peccati somnum. Hinc est illud. Et oratio ejus fiat in peccatum. *Chrys.* Duo quærit a nobis Dominus. Et nostram partem recognoscere, & aliis dimittere. Qui enim sua intelligit, facilius conservo dimittit. Quanto majora injusta tibi fecit, tanto majorum peccatorum dimissionis causa tibi existit. Si diabolus factus est Job, & aliis Sanctis occasio coronarum, cur, o homo, & tu formidas inimicum?

Psal. 93.

Sup. 6. *Marci* 11.

A

Marc. 10.

y Nonne ergo oportuit, & te misereri conservi tui,] *Tob.* 4. Quod ab alio oderis, &c. *Eccl.* 28. *a* Homo homini servat iram, &c.] *Luc.* 6. Dimittite, & dimittemini. *Jacob* 2. Judicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam. *Eccl.* 31. Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso. *Job* 5. Visitans speciem tuam non peccabis. *z* Sicut & ego tui misertus sum.] *Chrys.* Et si grave videtur damnum, oportebat aspicere lucrum, quod factum est. Si grave videtur præceptum, cogita præmium. Et si grave est reconciliari ei, qui contristavit, hoc est gravius incidere in gehennam. *a* Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus.] Romanis. Vel tartareis ministris, *b* Quoadusque redderet universum debitum.] Universum debitum quidam dicunt, non illud, quod jam condonatum est, sed potius misericordiam, quam aliis impendere debuit pro eo, quod misericordiam acceperat. *c* Sic & pater meus cœlestis faciet vobis,] idest, repetet a vobis dimissa.

d Si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris,] non solum de ore.

E X P O S I T I O CAP. XIX.

ET factum est, cum consummasset, &c.] Postquam docuit discipulos in fide, & moribus, nunc migrat ad passionem docens, quæ sunt necessaria singulis in suo statu. Primo quid conjugatis ibi (Quod ergo conjunxit &c.) Secundo quid omnibus, quoniam mundiria ibi (Sunt enim Eunuchi, &c.) Tertio, quid perfectis ibi (Si autem vis ad vitam ingredi, &c.) Ultimo subdit præmium perfectorum, ibi (Amen dico vobis, quod vos, &c.) Dicit ergo. *e* Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos,] quia fecit, quod docuit: *Act.* 2.

f Migravit a Galilæa.] In hoc docet prædicatores fugere mundum, & mundi curam, *secundo Timoth. cap. secundo*. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. *Luc.* 9.

latibus. *Luc.* 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum, &c. *Isa.* 40. Super montem excelsum ascende. *Joan.* 15. De mundo non estis.

a Et venit in fines Judææ.] Confessio laudis in contemplativis, confessio fidei in prædicatoribus, initium Judææ confessio peccatorum in poenitentibus.

b Trans Jordanem,] quia tales non timent judicii rivum. De quo *Dan. cap.* 7. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus.

Bou. 1.

c Et secutæ sunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi,] *Rab.* Hic conveniunt ex pietate, ut doceantur, & infimi sanentur. Hos devotio pietatis, illos stimulus adduxit.

Gen. 2. Ephes. 5. 1. Cor. 6.

d Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum,] ut deciperent.

e Et dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa] supple, & vivente ea aliam ducere. Plus enim delinquunt in subintelligentia, quam in superficie sermonis. *Eodem infr.* Qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur. Si diceret, quod dimittenda esset, contra prædicationem faceret, si diceret non, contra legem Moysi faceret.

f Qui respondens ait illis, non legistis, quia qui fecit ab initio, &c. & dixit.] Per Adam, scilicet in persona Dei.

g Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ,] inseparabiliter, idest, ad aliam non transibit, ea vivente.

h Dimittet patrem, & matrem] quia cum his personis tantum contrahere prohibitum est a Domino.

i Et erunt duo in carne una] procreanda. Vel quia efficitur cum uxore una caro.

k Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii.] *Deut.* 24. Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fęditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu ejus, & dimittet eam de domo sua. Libellus repudii continebat repudiationem repudiantis, causam repudiatæ sufficientes assignatam, & quod nunquam cognoverit eam.

l Et dimittere?] *Chrys.* Repudium malum est, tamen cum ratione licitum erit. Vir quidem meretricem dimittat, alias autem male morigeratam castiget, & teneat, tribus modis, primo docendo secundum Deum, si timorem Dei non sentit, improperando, ut vel sic erubescat, si nec pudorem sentit frequenter confusa, faciat, quod dicit Salomon: Cor durum baculo percute.

m Et ait illis, quoniam Moyses,] non Dominus.

n Ad duritiam cordis vestri.] *Chrysostomus*. In ipsorum caput retorquet peccatum & hic, & semper quando accusant.

o Permisit vobis dimittere uxores vestras] idest, quasi jubet dimittendi modum, non dimissionem.

p Ab initio autem non fuit sic] q. d. nec sic se habuit lex naturalis. *Chrys.* Si filius Dei es, inquiunt, quare confundis ministrum tuum? Si homo purus es, quare reprehendis tuum auctorem? Si malum est, quare præcepit? Si vero bonum, quare destruis? Respondet. Propter duritiam vestram. Sic hodie multis propter duritiam eorum promittitur dimittere Ecclesias, de quibus vixerunt. Ab initio autem non sic fuit, quia antiquitus solebant accipi Ecclesiæ propter zelum animarum, & præbendæ propter zelum Dei principaliter. *Prov. cap.* 21. Qui suscipit animas sapiens est. Nunc autem non propter animas suscipitur Ecclesia, sed propter divitias: Cujus signum est, quod propter ditiorem dimittitur pauper. *Jerem. cap.* 2. Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus, & optima illius, & ingressi contaminastis terram meam.

lilæa, *a* & venit in fines Judææ *b* trans Jordanem, *c* & secutæ sunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi. Et *d* accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, *e* & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? *f* Qui respondens, ait illis: Non legistis, quia qui fecit ab initio masculum, & feminam, fecit eos. Et dixit: *g* Propter hoc *h* dimittet homo patrem, & matrem, & adhęrebit uxori suę, *i* & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi: *k* Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii, *l* & dimittere? Et *m* ait illis. Quoniam Moyses *n* ad duritiam cordis vestri, *o* permisit vobis dimittere uxores vestras, *p* ab initio autem non fuit sic: *q* Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, *r* & aliam duxerit, mechatur. Et *s* qui dimissam duxerit, mechatur. *t* Dicunt ei discipuli. Si ita est causa hominis cum uxore, *u* non expedit nubere. *x* Qui dixit illis, *y* Non omnes capiunt verbum istud, *z* sed quibus datum est. Sunt *a* enim eunuchi, *b* qui de matris utero sic

q Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem.] Ob fornicationem enim corporalem, aut spiritualem debet se dividere.

r Et aliam duxerit,] dimissa viva, (mechatur.) *Ambrosius, super primam Epistolam ad Corinth.* Non permittitur mulieri, ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit. Idem. Non subjecit de viro, sicut de muliere Dominus, quod si dimiserit manere sic, quia vero licet ducere uxorem, si dimiserit suam peccantem, quia non ita lege constringitur vir, ut mulier, caput enim mulieris est vir. *Rab.* Verba sunt Ambrosii operti non veri, eadem enim lege tenetur vir, & uxor & quoad hoc pares sunt.

1. Cor. 7. Deut. 24. Supr. 5. Marc. 10. Luc. 16.

s Et qui dimissam duxerit, mechatur.] Præter eum, qui dimisit eam. Idem. Vivente viro. Et hoc totum subintelligendum est quæstione supra dicta.

t Dicunt ei discipuli, si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.] Hoc dupliciter legitur. (Si ita est causa,) idest, si tanta est occasio manendi cum uxore, ut nullo modo sit dimittenda, nisi pro fornicatione, non expedit nubere. Vel, idest, si una est causa tantum, pro qua dimittitur uxor, scilicet fornicatio, non expedit nubere. Hoc vult *Glossa Augustini*.

u Non expedit nubere] Levius est præliari ad concupiscentiam naturæ, quam ad mulierem perniciosam. *Hier.* Si fuerit iracunda, si malis moribus, luxuriosa, gulosa, vaga, ebriosa, jurgatrix, & maledica, seu quolibet hujusmodi, velimus, nolimus, sustinenda. Cum enim liberi essemus, voluntate subjecimus nos servituti. Unde 1. *Corinth.* 7. Vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.

x Qui dixit illis, non omnes capiunt verbum istud,] scilicet, ut contineant, quasi acceptum non habent continere 1. *Cor.* 7. Melius est nubere, quam uri.

y Non omnes capiunt] ut impatientes libidinis, naturaliter frigidi, vel sine instrumentis nati, quibus non est meritorium continere.

z Sed quibus datum est,] ex gratia.

a Sunt enim eunuchi:] Quorum sunt multa genera. Quidam sunt sine instrumentis nati, hi proprie castrati dicuntur, quasi castinati, horum nullum est meritum, vel demeritum.

Multa genera eunuchorum.

Item facti propter captivitatem, vel propter matronarum delicias, scilicet spadones a spatha genere ferri. *Eccl cap.* 30. Bona abscondita in ore clauso, sic spado complectens virginem, & suspirans. Et *c.* 20. Concupiscentia spadonis devirginavit juvenculam.

Item frigidæ naturæ, vel senes, vel pueri.

Item abstinentes tantum propter pollicitam justitiam, vel culturam idolorum, vel detestantes omnem concubitum, ut quidam hæretici 1. *Thessalonicens. cap.* 4. In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, & abstinere a cibis, quos Deus creavit. Et abstinentes etiam tantum pro favore humano.

Item continentes solo intuitu mercedis æternæ, quasi bene vincentes. Eunuchus enim dicitur ab, eu, bonum, & nichos, victoria. *Isaiæ capitulo* 56. Non dicat eunuchus, ego lignum aridum, & cet. Ibidem. Hæc dicit Dominus eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quod volui, dabo eis in domo mea, & in muris locum, & nomen melius a filiis, & a filiabus.

b Qui de matris utero sic nati sunt] idest, castrati proprie, idest castinati. Et cum his computantur senes, & pueri.

nati sunt, *a* & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus, *b* & sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. *c* Qui potest capere, capiat. *d* Tunc *e* oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret, *f* Discipuli autem increpabant eos. *g* Jesus vero ait illis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire, *h* talium enim est *i* regnum cœlorum. Et *k* cum imposuisset eis manus, abiit inde. Et *l* ecce unus accedens, ait illi: *m* Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? *n* Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus. Si *o* autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit illi; *p* Quæ? *q* Jesus autem dixit. Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum, & matrem, & diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dicit illi *r* adolescens: Omnia hæc custodivi a juventute mea, *s* quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, *t* & da pauperibus, & habebis thesaurum in cęlo, & veni sequere me. *y* Cum audisset autem adolescens verbum, *z* abiit tristis: erat enim habens multas possessiones. *a* Jesus autem dixit discipulis suis. Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cęlorum.

a Et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus,] *Interl.* idest, favore hominum abstinentes, & continentes, ut hypocritæ, qui licet contineant, non tamen propter Deum. Hi sunt claustrales, & obedientiarii mundi, & inanis gloriæ. *Hier.* Qui persuasione hæretica simulant castitatem, ut mentiantur veritatis religionem. Hi ab hominibus proprie dicuntur spadones a spatha, quasi spathones.

Marc. 10. Luc. 18.

b Et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt, &c.] Hi dicuntur eunuchi, ab eu quod est bonum, & nichos, quod est victoria, quasi boni victores. *Chrys.* Maledictioni obnoxius est, qui abscindit membrum. Abscindere enim membrum, dæmoniacæ actionis est, & diabolicarum insidiarum a principio opus fuit, ut Dei operibus detrahant, ut homini noceant, ut naturæ imputetur vitium, non electioni, ut dupliciter noceant, & membra abscindantur, & naturalia putent peccata. Si mens sobria fuerit, naturalium motuum documentum nullum erit. Argumentum, quod primi motus non sunt peccata.

Marci 10. Luc. 18.

C

c Qui potest capere capiat,] scilicet, ut sit castus, vel intelligat, quæ dico.

d Tunc.] *Rab.* Quando de castitate faciebat sermonem.

e Oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret,] idest, voce benediceret.

f Discipuli autem increpabant eos.] *Hieron.* Non quod nollent eis salvatoris & manu, & voce benedici, sed quod necdum habentes plenissimam fidem, putarent eum in similitudinem hominum offerentium importunitate lassari.

g Jesus vero ait illis, sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire,] *Prov.* 3. Noli prohibere benefacere eum, qui potest, si vales, & ipse benefac. *Bed.* Herodiana crudelitas, & Ægyptiaca malitia est nascentem prosequi salvatorem, & allidere parvulos Israel.

h Talium enim,] idest, simplicium, non superborum. *Jacob cap.*4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

i Est regnum celorum,] idest, vita æterna.

k Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.] *Hilarius*: Munus enim, & donum Spiritus sancti per impositionem manus, & prædicationem, cessante legis opere, dandum erat gentibus. Unde infantes gentis forma sunt, quibus per fidem, & auditum salus redditur, regnum Dei, id est, doctrinam Evangelii sicut pueri accipiamus, quia nec puer in discendo contradicit auctoribus: nec ponit rationes adversus eos, sed fideliter suscipit, obtemperat, & acquiescit. Unde *supr. capit.* 18. Nisi conversi fueritis, &c.

l Et ecce unus accedens ait illi,] *Marc.* 10. Dicitur, quod iste habebat multas possessiones. Et *Luc.* 18. Contristatus est, quia dives erat valde.

m Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam.] *Joan.* 7. Quid faciemus, ut operemur opera Dei.

n Qui dixit ei, quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus,] essentialiter, alii participatione.

o Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata,] pertinentia ad dilectionem proximi, quod est certum signum dilectionis Dei, 1. *Joan. cap.*4. Si diligimus invicem, Deus in nobis manet. *Rom.* 14. Qui diligit proximum, legem implevit.

p Dicit illi, quæ] Tentando quærit: quasi non legerit, vel ne possit jubere contraria.

q Jesus autem dixit, non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, & cet.] *Lev. cap.*19. Diliges inimicum tuum sicut teipsum. *Interlin.* *Septuaginta* proximum. *Hieronymus, super Epistolam, Eph. cap.*5 Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat. Quæ est ergo differentia inter proximi, & uxoris dilectionem? Sol. In proximo, sicut est adverbium similitudinis, in uxore autem approbationem, & confirmationem, cum pondere quodam sonat. Sicut dicitur: Ille fecit sicut vir. Et illud. Vidimus gloriam ejus, quasi unigeniti a Patre. Nota autem secundum *Hier.* iste malus fuit, quia juxta *Luc.* 18. Non animo discentis, sed tentantis accessit, quod colligitur, ex eo, quod fuit Judæus & Princeps, & decalogo legis instructus. Sciens etiam, quod illius observantia sufficiebat ad salutem, & ad vitæ æternæ merita. Videtur etiam fuisse avarus, quia audito Domini consilio, abiit tristis tanquam moleste sustinens sua dare. Cujus etiam occasione Dominus statim subdit de avaro, dicens, quod difficilius, &c. *Beda*, aliter sentit de eo, adhærens verbo. *Marc.*10. Dicentis: Intuitus Jesus eum, dilexit eum. Sed intelligas prius accessisse animo tentandi, & post contritus animo discendi. Vel non est curandum, si dissonent expositores in hujusmodi, quæ sunt de articulis fidei, nec semper tangit Spiritus sanctus corda expositorum.

Job 1.

r Dicit illi adolescens, omnia hæc custodivi a juventute mea.] *Hier.* Mentitur. Si enim diligeret proximum suum sicut seipsum, idest, opere complesset, non esset tristis, cum sua dare pauperibus juberetur.

s Quid adhuc mihi deest? ait illi Jesus. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes,] non partem.

t Et da pauperibus;] Non divitibus. *Psalm.* 111. Dispersit, dedit pauperibus.

u Et habebis thesaurum in cœlo,] idest, retributionem multam.

x Et veni, sequere me.] *Chrys.* & *Hilarius* exponunt de populo Judaico, qui adolescens erat, non ætate, sed levitate, moribus immaturis, non annis: Cujus nativitas fuit a tempore Abrahæ usque ad exitum de Ægypto, usque tunc quasi infans fuit. Juventus a tempore Moysi usque ad reges. Virilitas autem usque ad transmigrationem Babylonis. Senectus autem usque ad Christum. Jesus tamen intuebatur eum, ut reliquiæ salvæ fiant. Hic vendere confidentiam legis, & sacrificiorum, quibus carnaliter utebatur, relinquere jubetur, & admonetur. Omnia enim mandantur fælici commercio mutari, ut illa deinceps gentibus spiritualiter pauperibus sub ipsius veritate corporis sint dividenda. Sed Judaicus populus his auditis tristis abscessit.

y Cum audisset autem adolescens verba hæc.] *Chrys.* Hæc sunt verba, quæ contemptum mundi in universo mundo, & voluntariam persuasere paupertatem. Iste adolescens tum significat populum Judæorum, tum laudatores aliorum, aut imitatores. In quorum persona dicit Balaam, *Num.* 23. Moriatur anima mea morte justorum. Tum etiam eos, qui quærunt consilia, & contristantur, si sibi non placeant. *Prov.* 18. Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versatur in corde suo. Vel iterum eos, qui volunt melius per viam mandatorum ire onerati, quam levius, & expeditius currere per viam consiliorum. *z* Abiit tristis.] Et quare? Erat enim habens multas possessiones,] quæ suffocant verbum Domini *supr. cap.* 13.

a Jesus autem dixit discipulis suis: amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum.] *Luc.* 18. Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt, *Marci* 10. Quam difficile est confidentes in pecuniis introire in regnum Dei.

a Et

Et *a* iterum dico vobis: *b* Facilius est, *c* camelum *d* per foramen acus transire, quam *e* divitem intrare in regnum cœlorum. *f* Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, *g* dicentes: Quis ergo poterit salvus esse? *h* Aspiciens autem Jesus, dixit illis: *i* Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt, *k* Tunc respondens Petrus, dixit ei: *l* Ecce nos reliquimus omnia, & *m* secuti sumus te, Quid ergo erit nobis? *n* Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me in *o* regeneratione, *p* cum sederit filius hominis in sede majestatis suę, sedebitis & vos super sedes duodecim *q* judicantes duodecim *r* tribus Israel. Et *s* omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, *t* centuplum accipiet, *u* & vitam æternam possidebit. *x* Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi.

a Et iterum dico vobis, facilius est,] idest, minus impossibile est, quia hoc non repugnat Dei justitiæ, & potentiæ, sed divitem intrare in regnum cœlorum magis repugnat.

Marc. 10. Luc. 18. D

c Camelum per foramen acus transire,] Porta erat in Jerusalem, quæ acus dicebatur, per cujus foramen non nisi inonerati transire poterant, sic nonnisi depositis divitiarum curis intrant in regnum cœlorum. Nota, quod habere, & amare divitias malum est, & hoc est avari. Non habere, & amare, deterius, hoc ærumnosi. Habere, & non amare bonum, sicut Abraham. Nec habere, nec amare melius, ut Pauli perfecti.

e Quam divitem.] Dives populus Judaicus. Item divitiis mundi oneratus, & inflatus. *b* Facilius est camelum,] idest, quemcumque peccatis onustum. Camelus licet magnum sit animal, tamen quasi adhuc vellet esse majus, habet gibbum in dorso, in hoc superbia. Item super camelo sine ligamine jacet sarcina, sic super peccatores sarcina peccatorum. Item facile ad terram inclinatur, & sursum non potest caput erigere propter gibbum. Oculi stultorum in finibus terræ.

Prov. 17.

d Per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cęlorum.] Per foramen acus, idest, fidem vulnerum Christi, qui in adventu primo perforatus est, & in secundo perforabit ad modum acus. *Cant.* 2. Veni columba mea in foraminibus petræ. *Isa.* 2. Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo a facie timoris Domini, &c. De hac acu, *Exod.* 26. Ubi cortinæ tabernaculi leguntur factæ ab opere plumario acuali, scilicet, Prælati protegentes, & ornantes Ecclesiam, facti sunt boni opere acus Christi. *Proverb.* 11. Qui confidit in divitiis suis, corruet, & 28. Qui festinat ditari, non erit innocens.

f Auditis autem his discipuli mirabantur valde] ex Dei responsione, quod servantibus mandata ingressus in cœlum, facientibus consilia thesaurus in cœlo promittitur. Hæc enim mira videntur, & quod, scilicet sequentes Christum judicabunt.

g Dicentes, quis ergo poterit salvus esse,] cum pauci sint, qui non habeant, vel non ament divitias,

h Aspiciens autem Jesus,] idest, radios gratiæ suæ ad eos transmittens contra tentationem cupiditatis. Videt enim Dominus extra mittendo. *Sap.* 4. Respectus ejus in electos illius.

i Dixit illis apud homines impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt,] *Luc.* 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. *Gen.* 18. Nunquid Deo quicquam est difficile.

k Tunc respondens Petrus dixit ei.] Audito præmio mandata servantium, & omnia vendentium, provocatus audire vult omnia, & etiam voluntatem habendi relinquentium præmia, si tamen etiam sequantur Dominum.

l Ecce nos reliquimus omnia.] *Interlin.* idest, voluntatem habendi.

m Et secuti sumus te, quid ergo erit nobis,] quasi dicat, quod præmium inde consequemur?

n Jesus autem dixit illis, amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me.] Non dicit, qui reliquistis omnia, sed cum duo dixisset, Petrus alterum sumit. Notatur autem in hac serie thesaurus, & thesauri locus.

o In regeneratione,] idest, in resurrectione.

p Cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim.] *Chrys.* De sede Dei audi Prophetam: Regnabit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. Omnes credentes sunt sedes majestatis ejus. Unde quia non hic de tempore futuri judicii dicit, sed de vocatione omnium gentium, non tantum dixit. Cum venerit filius hominis sedens, sed cum sederit. Ex eo cœpit sedere in sede maiestatis, ex quo credere in eum cœperunt gentes. Ex eo etiam tempore Apostoli sederunt super duodecim Thronos; idest, in omnibus Christianis secundum diversitates animarum: Suscipientes verbum Petri, Thronos ejus fuerunt, & sic de aliis. Apostoli sunt sedes Dei, fideles homines sedes Apostolorum. Doctrinis itaque, & exemplis condemnantur, quotidie nolentes credere de duodecim tribubus Israel. Tribus autem Levi, quæ duodecima est, subintelligitur in duodecim, quæ est in divisione terræ promissionis, non accipiens partem, divisa est per duodecim tribus, quarum decimas, & oblationes retinuit.

Psalm. 46.

q Judicantes duodecim tribus Israel] contra. *Joan.* 3. Qui non credit, jam judicatus est. Item secundum *August.* Infideles, nec judicabuntur. Solut. Duplex est credere, & tunc duplex judicium, scilicet discussionis, & condemnationis.

Marc. 10. Luc. 18.

r Tribus Israel,] idest, reprobos de duodecim tribubus.

s Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum,] idest, nominis mei exaltationem. Vel, idest, honorem meum.

t Centuplum accipiet,] in præsenti pro uno fratre carnali centum spirituales, quia omnes bonos. *Psal.* 118. Particeps ego sum omnium timentium te. Vel gratiam, quod in centuplum valet.

u Et vitam æternam possidebit,] tanquam hæreditatem.

x Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi,] idest, multi, qui erant in primo statu, & eminentiori omnia propter Deum relinquentes, erunt in statu novissimo, & inferiori, scilicet a priori descendentes, & e converso. Vel, primi idest, qui prius fuerunt in charitate habentes reperiuntur in perversitate, & e converso. Quia ita sit, patet per sequentem parabolam. Non tamen usquequaque est expressa similitudo, in parabola enim ponuntur primi, & novissimi.

EXPOSITIO CAP. XX.

Simile est regnum cęlorum, &c.] Istud cap. dividitur in tres partes. In prima ostendit parabolam, quam in proximo dixerat supra, scilicet, quod erunt primi novissimi, &c. In quo docet fugere otium, invitans nos ad laborem. In secunda prædicit discipulis imminere, scilicet passionem, redarguens ibidem filios Zebedæi, in quo invitat nos ad humilitatem, ibi [Et ascendens Jesus Jerosolymam, &c.] In tertia agitur de curatione duorum cæcorum, ubi exhortamur ipso facto ad constantiam orationis, ibi: Et egredientibus, &c.

Mystice.

Mystice.

Paterfamilias est Deus, operarii ab eo conducti in vineam sunt creditores ad Ecclesiam excolendam constituti, quæ nomine vineæ solent intelligi. *Isa. c.* 5. Vinea Domini Sabbaoth domus Israel est. Mane, hora tertia, sexta, nona, intelliguntur anteactæ ætates in quibus vocatus est populus Judaicus, undecima vero ætas, in qua & gentilis, & Judaicus populus vocatus est. Et exponitur de ætatibus Macrocosmi, & etiam Microcosmi. Et exponitur primo mane, idest, prima ætate mundi, vel intelligentiæ humanæ, quæ in primis fuit modica ad cognoscendum Deum. *c* Exiit primo mane, &c.] idest vocavit prædicatores, ut eos, qui adhuc in ætate tenella sunt, vocarent de macrocosmo. Secundum *Hieron.* Mane usque ad diluvii inundationem, operarii Adam, & alii Patriarchæ. Hora tertia usque ad circumcisionem, operarii Noe, &c. Hora sexta usque ad

legisdationem

legis dationem, operarii Moyses, & ceteri. Hora nona usque ad Regum unctionem, operarii David, & ceteri Prophetæ. Undecima usque ad Christi, & Apostolorum prædicationem operarii Christus, & Apostoli, & ceteri prædicatores, Dicit ergo:

C A P. XX.

Simile *a* est regnum cœlorum *b* homini patrifamilias, qui *c* exiit primo mane *d* conducere *e* operarios in *f* vineam suam. *g* Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit *h* eos in vineam suam. Et *i* egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, & *k* dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit, dabo vobis. Illi autem abjerunt. Iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam, & fecit similiter. *l* Circa undecimam vero horam exiit, & *m* invenit alios stantes, & dicit illis? *n* Quid hic *o* statis *p* tota *q* die otiosi? Dicunt *r* ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: *s* Ite & vos in vineam meam. Cum *t* sero autem factum esset, dicit *u* Dominus vineæ *x* procuratori suo: *y* Voca operarios, & redde *z* illis mercedem, *a* incipiens a novissimis usque

A

a Simile est, &c.] i. præsens Ecclesia, i. negotium, quod fit in Ecclesia præsenti, negotio, quod ab homine patrefamilias fit, vel fieri potuit.

b Homini patrifamilias,] *Chrys.* Paterfamilias Christus est, cujus domus est cœlum, & terra. Familia omnis creatura. *Phil.* 2. Ut in nomine Jesu omne genu flectatur. Qui quasi trigestam ædificavit. *Gen.* 6. Ut super terram essent certantes. *Job* 8. Militia est vita hominis super terram. In inferno victi, in cœlo victores. Utriusque dedit nobis quasi modicum gustum, noctem de inferno, lucem de cœlo. Vinea justitia est, vires castitas, mansuetudo, patientia, & similia. Adam positus est ad colendum, non coluit, & projectus est. Nos positi sumus ad colendum justitiam, si neglexerimus, projiciemur, sicut & Judæi projecti sunt. Ruina præcedentium admonitio debet esse sequentium. Minus digni venia erunt secundi, quam primi. Secundum *Greg.* exponitur de Microcosmo. Mane est intelligentia puerorum, quæ parum claret, ut lux matutina. Hora tertia, intelligentia adolescentum, quæ proficit in calore charitatis, & splendore cognitionis. Hora sexta, intelligentia juvenum. Nona intelligentia senectutis, quando sol, i. calor ætatis descendit. Undecima, intelligentia ætatis decrepitæ.

c Qui exiit, &c.] *Greg.* Quando non cognoscitur in secreto est, sed quando cognoscitur, exit conducere operarios, ex occulto progrediens ad notitiam.

d Conducere operarios] *Is.* 61. Filii peregrinorum agricolæ, & vinitores vestri erunt.

e In vineam suam,] *Jerem.* 2. Ego te plantavi vineam electam.

f Operarios] *Chrys.* Mercenarii sumus. Mercenarius sine opere esse non potest. Opera autem nostra sunt opera justitiæ, non ut agros colamus, & vineas, non ut divitias acquiramus, & honores congregemus. Et quamvis hoc sine peccato facere possumus, tamen non sunt opera nostra, sed diaria nostra. Sicut ergo nemo conducit operarium, ut hoc solum faciat, quod manducat, sic nos non ideo vocati sumus, ut hoc solum operemur, quæ ad nostrum pertinent usum sed ad gloriam Dei. Et sicut mercenarius totum diem impendit circa opus, modicam horam circa cibum, sic & nos debemus omne tempus impendere circa gloriam Dei, & modicam partem circa terrenos usus. Et si mercenarius ea die, qua opus non fecerit, erubescit intrare domum, & petere panem, quomodo tu non confunderis intrare Ecclesiam, & stare in conspectu Dei, quando nihil boni gessisti.

g Conventione, &c.] Ille denarius valebat decem nummos olualеs.

Allegorice. Autem significat vitam æternam,

h Misit eos, &c.] ut sc. eam colerent, & custodirent. *Gen.* 2. Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum. *Cant.* 1. Posuerunt me custodem in vineis. *Chrys.* Mercenarius positus est in vinea, si neglexerit, non solum mercedem perdit, sed & desertæ vineæ damnum exigitur ab eo. Vinea Domini non extra nos est, sed in nobis plantata est. Qui peccatum facit, dissipat eam, qui bona facit, colit.

i Et egressus, &c.] *Chrys.* Peccatores mortui sunt, non otiosi. Qui diabolo servit, mortuus est, qui Dei opus non operatur, otiosus est. Qui aliena tollit, mortuus est, quia sua non dat, otiosus est. Coluisti vitem misericordiæ, si das, & jejunii, si jejunas. Si invides meliori, mortuus es, si nec invides, nec congaudes, otiosus es.

k Et dixit illis: Ite, &c.] Unicuique enim reddetur secundum quod meruit. *Jo.* 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt. [Illi autem abjerunt.] *l* Circa undecimam vero horam exiit.] *Chrys.* Jam nos in novissima mundi margine stamus. 1. *Jo.* 2. Filioli novissima hora est. Duodecima hora non est jam integra. Unde putas, quia candor justitiæ jam recessit de mundo, & sol gratiarum radios revocavit, & totam terram nigredo mendaciorum, & iniquitatum, quasi nox fusca cooperuit, nisi quia jam duodecima hora finitur? Ubique tenebras vides, & dubitas diem transire? Prius in vallibus fit obscuritas, die declinante, sic prius in laicis, & sæcularibus incipit obscuritas, nunc autem, quando vides, quod sacerdotes positos in summo vertice dignitatum, qui montes dicuntur apprehendit iniquitas tenebrosa, quomodo dubitetur, quia finis mundi est? *m* Et invenit alios stantes, & dixit illis: quid hic statis] Hic, i. in hoc loco tam periculoso, laborioso, tam monstruoso, suspicioso, lutoso.

n Quid] cum habetis conductores collaboratores, temporis opportunitatem, laboris suavitatem, mercedis securitatem.

p Statis] mandatorum Dei obliti, rugitu leonis stupefacti, carnis illecebris contracti.

p Tota die] idest, tota vita.

q Otiosi] vobis nihil proficientes, proximis non subvenientes, Deo non servientes, hostibus non resistentes, pœnitentiam non agentes, in posterum non providentes.

r Dicunt ei, quia nemo nos conduxit.] Conductores sunt prædicatores, qui debent operarios congregare, ipsos de mercede certificare, vineam primo intrare. *Chr.* Nescitis, quia qui non operatur in hoc sæculo non manducat in futuro? Dies iste dies operationis, dies, qui sequitur, feriarum est.

s Dicit illis: ite & vos in vineam meam,] *Chr.* Qui vocati sunt in prima, & tertia, sexta, & nona non dicunt hoc, quod isti, quia omnes isti conducti sunt, & sciverunt Dei promissa, gentes vero non. *Idem*: Certum pactum ex denario non fecit, nisi cum primis. Cum Adam enim pepigit, cum ceteris post ejus lapsum non, quia tantum paratus est tribuere, quantum mercenarii recipere non sperabant.

t Cum sero autem factum esset.] *Chr.* Considera, quod sero reddit mercedem, non mane. *Ps.* 127. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. *Prov.* c. 20. Hæreditas ad quam festinatur in principio, &c. Lucifer mane voluit habere mercedem, antequam laborasset. *Is.* c 14. Quomodo cecidit de cœlo lucifer, &c. Ascendam in cœlum, &c. Sero autem, est mors hominis, propter obscuritatem, frigiditatem, oblivionem, retributionem, completorium. *u* Dicit Dominus vineæ,] Pater. *x* Procuratori suo:] i. filio, qui propitius curat a spirituali miseria, promius curat in temporali angustia, pro nihilo curat, i. salvat in gloria.

y Voca operarios] i. fideles, qui operantur instanter ne tempus pereat, lætanter, ut opus Deo placeat, perseveranter ut præmium æternum accipiant. *Job* 14. Vocabis me, & ego respondebo tibi. Hos vocat Dominus quatuor modis, sc. per sanctorum prædicationem, per beneficiorum largitionem, per internam inspirationem, per flagellorum correctionem. *Prov* 1. Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Operarios autem ideo vocari præcipit, quia non potest fodi, vel putari vinea verbis, sed factis. Vel ideo vocat operarios, ut tu facias eodem modo. *z* Et redde illis mercedem,] 2. *Tim.* 4. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex 1. *Cor* 3. Unusquisque mercedem suam accipiet secundum suum laborem.

Fideles vocat Dominus quatuor modis.

a Incipiens a novissimis usque ad primos,] i. prius remuncians eos, qui tardius vocati sunt, vel, i. non potetius remunerans novissimos. *Chrysostom.* A novissimis incepit,

incepit, quia qui ante Christi adventum fuerunt, quasi ex operibus suis facti sunt sancti, gentes autem ex misericordia. Reddens ergo prioribus justus apparuit, novissimis apparet misericors, misericordia ergo incipit a novissimis. Unde *Rom. c.* 15. Gentes super misericordia honorate Deum.

qui postea venit ad vitam. Nunc autem, cum Dei sit potestatis, quando hominem producat in mundum, nec ille sibi priorem honorem defendere debet, qui prius natus est, nec ille contemptibilior esse, qui postea.

Moral. [Moraliter.] Isti murmurantes figuram teneot quorumdam claustralium, qui, eo quod diutius fuerant in claustro, murmurant, quod sibi preponuntur juniores, vel parificantur.

a ad primos. *b* Cum venissent ergo, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. *c* Venientes autem, & primi, *d* arbitrati sunt, quod plus essent accepturi, acceperunt autem, & ipsi singulos denarios. Et *e* accipientes *f* murmurabant adversus patremfamilias, dicentes: Hi *g* novissimi una hora fecerunt, & *h* pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstus. At *i* ille respondens uni eorum, dixit: *k* Amice, *l* non facio tibi injuriam. *m* Nonne ex denario convenisti mecum? *n* Tolle, quod tuum est, & *o* vade. *p* Volo autem, & huic novissimo dare sicut, & tibi. Aut non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic *q* erunt novissimi primi, & primi novissimi, *r* Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Et *s* ascendens Jesus Jerosolymam

B

1. *Thr. c.*14. Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Justitia vero incipit a maximis. *Ezech.* 19. A sanctuario meo incipite. 1. *Pet.* 4. tempus est, ut judicium incipiat a domo Dei. Item *Chrys.* Nimia misericordia ordinem non aspexit.

a Ad primos.] *Augustinus* de concordia Evangelistarum. *De Magistris c. fin.* Quamvis felicitatem resurrectionis omnes simul accepturi sint, tamen quia alii accipient post unam horam, alii post multas, illi dicuntur priores accipere, qui post modicum temporis accipient. Itaque novissimi in labore erunt primi in præmio.

b Cum venissent ergo, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.] Denarius est vita æterna, quæ sine cruce non tribuitur, in qua littera tua imprimitur, ubi Regis imago cognoscitur.

c Venientes autem & primi.] idest, Judæi.

d Arbitrati sunt, quod plus essent accepturi, acceperunt autem & ipsi singulos denarios.] i. singula merita: *Jo.* 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt.

e Et accipientes murmurabant adversus Patremfamilias dicentes:] quidam, sc. ex eis murmurabant, ut primitivi illi fideles, quorum erat cor unum, & anima una in Deum, qui audientes Apostolos transisse ad gentes, usque dum sic ordinatum a Deo esse didicerunt. Murmurabant Judæi, sc. ab initio Ecclesiæ nascentis ad fidem conversi, quorum murmuratio causa fuit, quare Apostolus epistolam scripsit ad Romanos, sed a murmure post destiterunt aliis manentibus in murmure. Alii vero ex eis acceperunt, alii murmuraverunt, juxta regulam Ticonii, secundum quam fit sermo, secundum alios, & alios de eadem multitudine non mutata voce. Sic in *Ps.*77. Cum occideret eos, quærebant eum. Vel potest dici, quod in præsenti murmurant tanquam in futuro accepturi. Vel per Synchesim, idest, spontaneam confessionem, quasi esto, quod sic murmurabant, tamen paterfamilias in nullo injuste egit. Vel in judicio, quasi murmur, & oculus nequam erit, quasi admiratio Judæorum de gloria gentium, vel diuturna antiquorum bonorum a visione Dei cum desiderio, quod habebant, suspensio potest intelligi quædam murmuratio, idest, admiratio.

f Murmurabant.] *Chrys.* Non ex invidia gratiæ murmurant, sed ex ignorantia secretorum, quasi quærant novissimi, cum tempora nostra non habuerunt, quare dispari vocationi par datur præmium? Dicentes:

g Hi novissimi una hora fecerunt,] Synchesis est, q. d. concedatur, quod sic dixerint, tamen sic posset eis responderi, ut subjungitur: Dici etiam potest, quod hæc dictio est quædam admiratio.

h Et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstus.] *Chr.* Pondus significat opus justitiæ, æstus concupiscentiam sæculi. Hoc ideo dicitur, quia olim omnibus bonis mundus prosperabatur, & ideo, qui tunc fuerunt cum majori difficultate justitiam servaverunt, quia felicitas mundi impedimentum est animæ. Multum ergo tunc erat bonus, qui justus poterat esse. Multum vero malus, qui non fugit ad Deum, cum plurimis adversitatibus premi videat mundus. Pondus etiam dici possunt onerosa præcepta, propter quæ, & alibi Dominus hortatur Judæos, & dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego vobis requiem dabo. Æstus vero urens calor tentationum, quam conflabant maligni spiritus in antiquos ad æmulationem gentium eos irritantes. Item *Chrys.* Si in homine est, quando nascatur prius, aut postea, justa ratione primam habebit mercedem, qui prius nasci voluit, secundam

i At ille respondens uni eorum dixit:] Similiter *Marc. c.* 13. Quod vobis dico, omnibus dico:

k Amice,] Per fidem, non amice per operationem. Simile, *inf.* 26. Amice, ad quid venisti?

l Non facio tibi injuriam.] *Chr.* De dato ejus nemo murmurat juste, qui amplius dat, quam omnis homo desiderat. *m* Nonne ex denario divino convenisti mecum] quasi sic: *n* Tolle, quod tuum est,] Dirigitur sermo ad murmurantes, & exponitur totum in malo, i. tollens, quod tuum est, sc. pœnam æternam, quam meruisti.

o Et vade,] i. vades in ignem æternum. Sic vult illa *Interl.* Reddo tibi, &c. Vel sit sermo ad eos, qui non fuerunt in murmuratione pertinaces, & exponitur totum in bono: Ac si dicat Dominus: Paratus sum tibi reddere mercedem tuam, sc. vitam æternam. [Et vade] i. vades in regnum Dei. Vel primum referatur ad murmurantes, secundum ad denarium recipientes. *Hier.* Vade, i. persevera in adepta justitia.

p Volo autem & huic novissimo dare, sicut & tibi, aut non licet mihi, quod volo, facere? An oculus tuus, nequam est, quia ego bonus sum?] ut *sup.*6. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. *Eccl. c.* 35. In bono oculo adinventionem facito manuum tuarum, quoniam retribuens est Dominus, & septies tantum reddet tibi.

q Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi.] *Chr.* Sicut in corona nec initium est, nec finis, ita inter sanctos, quantum ad tempus in illo sæculo, nemo novissimus dicitur, nemo primus.

r Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.] *Chrys.* Tandem sententiam repetit, ut doceat, quare introducta est parabola. *Remigius.* Quod tam multi, & jam novissimi, quam primi reprobentur, terribili sententia subditur: Multi enim sunt vocati, &c.

Moral. Moraliter. *r* Multi enim sunt vocati.] Omnes canonici vocantur ad electionem, sed tantum unus eligitur in Episcopum. 1. *Corinth.* 9. Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. In universo ergo quinque modis exponitur. De primo murmure, vel per Synchesim, vel per regulam Ticonii, de præsenti, de murmuratione admirationis, de gemitu patrum in limbo.

s Et ascendens Jesus Jerosolymam,] secundum situm loci. [Et ascendens, &c.] Inceperat Matthæus narrare ea, quæ Dominus fecerat in Judæa. Narratis ergo his quæ fecerat ultra Jordanem, accedit hic ad ea, quæ fecit citra. Moraliter.

Moral. *s* Et ascendens] sex saltibus. De cœlo in uterum virginis, de utero in mundum, de mundo in patibulum, de patibulo in infernum, de inferno in mundum, de mundo in cœlum. *Cant. cap.* 2. Ecce, iste venit saliens in montibus, & transiliens colles, *Psalm.* 18. Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus. Primum saltum, & secundum humilitas facit. *Cant. c.* 1. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea, i. humilitas, dicit Ecclesia, dedit odorem suum, qui traxit filium de sinu patris. *Lucæ c.* 1. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Tertium, & quartum fecit charitas. *Joan. c.* 15. Majorem charitatem nemo habet, &c. Quintum, & sextum fecit veritas, sive deitas. Humilitas enim eduxit de cœlo, & induxit in mundum, charitas deduxit ad patibulum, & usque ad infernum, veritas vero reduxit ad mundum, & de mundo in cœlum. *Joan.*

Exivi

Exivi a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. *Psal.* 42. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.

a Assumpsit duodecim discipulos suos,] Discipuli autem Domini sunt, qui ejus audiunt lectiones, Quarum prima est humilitatis, secunda mansuetudinis, ut *supra* 11. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Tertia charitatis. *Jo. c.* 13. In hoc scient omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinvicem.

b Secreto,] Hoc contra hypocritas, qui quando vadunt ad crucem poenitentiæ, non secreto dicunt hoc, sed publice, ut *sup.* 6. Cum oratis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Ad litteram, [secreto] quia noluit adhuc omnibus indicare suam passionem, ne scandalizarentur. Item [secreto,] Propter exemplum, ut tu veniens ad claustrum, non multis manifestes. *Gen. c.* 31. Non salutavit Laban, sed eo ignorante fugit Jacob. Item in hoc instruimur, quod revelandum est consilium antiquioribus, & bonis. Revelandum est enim consilium, ut elatio caveatur, ut veritas magis discutiatur, ut Scripturæ Sanctæ obediatur, ut auctoritas rei præbeatur. Antiquioribus autem revelandum est consilium, ut senectus honoretur, ut juventus non infletur, ut sententia non præcipitetur, ut homo non infametur. Et bonis revelandum est, quia hi magis vera loquuntur, scripturæ consilio utuntur, bona quæque amplectuntur, vix, aut nunquam decipiuntur.

c Et ait illis: ecce ascendimus Jerosolymam,] *Chrys.* Quasi dicat, nemo me vocat, nemo compellit. Igitur cum videritis me in Cruce pendentem ne æstimetis purum hominem: Nam etsi posse mori est hominis, tamen velle mori non est hominis. *Isa. c.* 53. Oblatus est, quia ipse voluit.

d Ecce ascendimus.] Per scalam Jacob. *Genes. cap.* 28. idest, per crucem. *Chrysost.* Prædicit passionem suam, quia omnis adversitas, quæ subito venit nimis gravis est, quam vero prænoscimus, & expectamus, levior invenitur. Item prædicit, ut ex præscientia intelligatur Deitas vera.

e Et filius hominis,] non hominum.

f Tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis,] cooperante filii obedientia, diaboli nequitia, Judæ avaritia, Judæorum invidia, Gentilium sævitia.

g Et condemnabunt eum morte,] *Sap. c.* 2. Morte turpissima condemnemus eum.

h Et tradent eum,] Judæi, scilicet:

i Gentibus,] Pilato, sc. & ministris Romanorum.

k Ad illudendum,] *Inf.* 27. Ave Rex Judæorum. *Chr.* Et nunc traditur Christus ad deludendum. Christus enim est verbum veritatis, &c.

l Et flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.] Ecce subjunxit causam consolationis.

m Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans, & petens aliquid ab eo.] *Chrysost.* Hæc est Salome, vel pacifica, quæ filios genuit pacis. Magna laus est hujus mulieris: Nam relicto viro, secuta est Christum, quia ille temporalis maritus erat, iste autem perfectus sponsus. Ætate perfecta Christum sequebatur, quia si nunquam Deus senescit, & religio fatigationem non sentit. *Chr.* Item tempus vocationis Apostolorum, & passionem Domini, mortuus est Zebedæus, & sic illa secuta est Christum.

Item qui Adam spoliavit per mulierem, istos separare volebat per matrem. Sed jam non poterat perditio intrare per mulierem, ex quo de muliere salus nostra processerat. Nota autem, quare petiit: Audierat enim resurrectionem, & statim credidit eum regnaturum,

a assumpsit duodecim discipulos *b* secreto, *c* & ait illis: *d* Ecce ascendimus Jerosolymam, & *e* filius hominis *f* tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & *g* condemnabunt eum morte, & *h* tradent eum *i* gentibus ad *k* illudendum, & *l* flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. *m* Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo. *n* Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic, ut *o* sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. *p* Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis, *q* quid petatis: *r* Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? *s* Dicunt ei: Possumus. Ait illis: *t* Calicem quidem meum *u* bibetis, *x* sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram *y* non est meum dare vobis, sed *z* quibus paratum est *2* patre meo. Et *a* audientes decem indignati sunt de duobus fratribus. *b* Jesus autem vocavit eos ad se, & ait:

unde aviditate feminea hoc petit. *n* Qui dixit ei: quid vis?] Non quia ignorat, quærit hoc:

o Ait illi: dic, ut sedeant hi duo filii mei; unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.] *Chrys.* Alii filiis suis divitias provident, alii honores; nemo salutem filiis suis providet, perditionem illorum magno pretio comparant, salutem autem illorum nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes tristantur, si viderint potentes, nemo tristatur, ut ostendant, quia corporum sunt parentes, non animarum.

p Respondens autem Jesus dixit: Nescitis, quid petatis:] *Chrys.* Ego vocavi vos de sinistra ad dexteram, & vos curritis ad sinistram.

q Quid] idest, quale petatis, idest, petere debeatis.

r Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?] Per calicem fere ubique intelligitur passio, quia quasi mensuratur, cum non permittit hominem tentari supra id, quod potest. 1. *Corinth.* 10. Unde *Psalm* 79. Potum dabis nobis in lacrymis in mensura. Item quia delectat. *Roman. cap.* 12. In tribulatione patientes, spe gaudentes.

s Dicunt ei, possumus.] Credebant hoc dici sibi de calice materiali.

t Ait illis: calicem quidem meum biberis,] *Cassiod. super Ps.* 10. Calix dicitur a calida potione, qua utuntur convivantes. Item *Ps.* 115. Calix dicitur passio, & martyrium, quia cum mensura bibitur.

u Bibetis.] *Jerem. c.* 25. Cumque noluerint accipere calicem de manu tua, ut bibant, dices ad eos, hæc dicit Dominus exercituum: Bibentes bibetis, quia ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incepi affligere, & vos quasi innocentes, & immunes eritis? Non eritis immunes. [Bibetis] tamen dissimiliter. Alter enim martyrium sustinendo, scilicet Jacobus ab Herode truncatus. *Act. c.* 12. Alter crucem, scilicet tollendo. Alter actu, alter affectu. *Augustinus de bono conjugali.* Sicut enim non est impar meritum patientiæ in Petro, qui passus est, & in Joanne, qui passus non est, sic nec est impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios generavit,

x Sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis,] quia consanguineis, sed quia bonis. Vel:

y Non est meum dare vobis,] talibus scilicet superbis, & terrena petentibus, & non ad cœlestia festinantibus, *Chr.* Si non impetraveris, graviter ferre non debes, nec desperare, quia nec istorum facta est fidentia. Item *Chr.* Non dixit, non sedebitis, ne illos confunderet, nec dixit, sedebitis, ne alios irritaret. Item velle esse super omnes, vituperabile, sustinere autem alium super se nimis gloriosum. *Isidor. in originali. Gen. cap.* 49. Simeon, & Levi fratres, &c. Mos est S. Scripturæ, dum de adhærentibus sibi loquitur, ea, quæ non omnibus, sed quibusdam solent evenire, generaliter prædicere, unde de duobus fratribus Dominus prædixit: Calicem quidem meum bibetis, non tamen Joannes sanguinem fundendo calicem bibit.

z Sed quibus paratum est a patre meo,] sc. victoribus, & humilibus. *Ps.* 67. Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.

a Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.] *Chrys.* Si nos petimus, forsitan dum duobus providere volumus, inter fratres scandalum excitamus, nam & sancti sunt, tamen homines.

b Jesus autem vocavit eos ad se, & ait:] Si turbati sunt Apostoli, quia isti sunt ausi hoc per matrem petere, quanto magis turbarentur, si petitio exaudita, vel suscepta fuisset? Item neque dixit, sedebitis, ne illos, &c.

Scitis, *a* quia principes gentium *b* dominantur eorum, & *c* qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos? Non ita erit *d* inter vos. Sed *e* quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter, & *f* qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus: *g* Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & *h* dare animam ſuam, *i* redemptionem pro multis. Et *k* egredientibus illis ab Jerico, *l* ſecuta eſt eum *m* turba multa. Et *n* ecce duo cæci ſedentes ſecus viam *o* audierunt, quia Jeſus tranſiret, & *p* clamaverunt dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David. *q* Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi *r* magis clamabant, *ſ* dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David. Et *t* ſtetit Jeſus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis, ut faciam vobis? *u* Dicunt illi: Domine, ut *a* aperiantur oculi noſtri. *x* Miſertus autem eorum Jeſus, *y* tetigit oculos eorum, & *z* confeſtim viderunt, & *a* ſecuti ſunt eum.

Sed tanquam benignus pater, ſic reſpondit, ut inter fratres concordia non rumperetur, & omnes ſperarent; Nam, quod uni, aut duobus ſpecialiter non promittitur, a cunctis ſperatur.

a Scitis, quia Principes gentium] idest, qui inter gentes habent principatum.

b Dominantur eorum] idest, populorum, gentium. Et ſit relatio ad intellectum.

c Et qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos? Non ita erit inter vos.] *Chryſ.* Frequenter Dominus patitur diſcipulos, nec recte dicere, nec recte petere, ut ex illorum culpa occaſiones inveniat docendi, & exponendi regulam pietatis: Nec eſt error periculoſus præſente magiſtro. *Idem* O error ſalutis, qui totius mundi ſolvit errorem. Si iſti non erraſſent, unde ſcire poteramus, quod non omne, quod videtur bonum, bonum eſt deſiderare?

d Inter vos.] Non ſolum Apoſtolos demonſtrat, ſed omnes Eccleſiæ Prælatos. *Eccleſ. cap.* 32. Rectorem te poſuerunt, noli extolli, eſto in illis quaſi unus ex ipſis. *Chryſoſt.* Quod in hoc ſæculo differentia dignitatis facta eſt inter ſanctos, ut unus ſit Epiſcopus, alter miniſter: contumacia carnis coegit, & perverſitas mundi, & operatio inimici. Honores videntur eſſe honores, ſed revera non ſunt, imo miniſteria, ſicut oculus, quod illuminat corpus, non eſt honor, ſed miniſtrum, & actus ejus.

e Sed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter.] Quaſi nullus erit major, niſi fuerit humilior. *Chryſ.* Quaſi dicat: Quicumque deſiderat primatum cœleſtem, ſequatur humilitatem terreſtrem. Non qui major fuerit in honore, ille juſtior eſt, ſed qui fuerit juſtior, ille major eſt:

f Et quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus,] non ex conditione, ſed ex charitate.

g Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.] *Eccl.* 10. Secundum Judicem populi, ſic & miniſtri ejus. *Prov. c.* 29. Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. *Job* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. *Chryſoſt.* Bonum opus eſt deſiderare bonum, primatum autem honoris concupiſcere vanitas eſt. Primatus fugientem ſe deſiderat, deſiderantem quoque ſe horret. Qui humilis eſt corde, omnibus ſe inferiorem arbitratur. Sed tamen qualiter potuit hoc eſſe in Chriſto, qui falſum non potuit arbitrari?

h Et dare animam ſuam.] *Jer. cap.* 12. Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum. *Apoc. c.* 1. Dilexit nos, & lavit nos.

i Redemptionem pro multis.] *Interl.* Non omnibus, ſed pro prædeſtinatis. Sed contra. *Rom. c.* 8. Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. *Sol.* Sufficienter, non efficienter.

k Et egredientibus illis ab Jerico.] Jerico mundus, qui deficit in ſano conſilio, in præſenti ſubſidio, in futuro auxilio, in ſpirituali gaudio, in vero amore, in intimo decore. Prætermittit ingreſſum in Jerico, & tranſitum per eam, quando Zachæus aſcendens ſuper arborem vidit eum. *Luc. c.* 19. Jerico urbs eſt, quam tranſgreſſo Jordane ſubvertit Joſue, Rege illius interfecto. Pro qua extruxit aliam aram de Bethel ex tribu Ephraim, quam Dominus, ac Salvator ſua præſentia illuſtrare dignatus eſt. Sed & hæc eo tempore, quo Jeruſalem oppugnabatur a Romanis, propter perfidiam civium capta, atque deſtructa eſt, pro qua ædificatur dicta civitas, quæ adhuc hodie permanet & utriuſque nobis oſtenduntur veſtigia uſque in præſentem diem. Ad litteram. Dominus de Jerico aſcendit in Jeruſalem, qui myſtice de Jeruſalem deſcenderat in Jerico, alioquin non ſequerentur eum turbæ multæ. *Hier.* Multi latrones erant in Jerico, qui deſcendentes de Jeruſalem in Jerico interficere, & vulnerare conſueverant; ideo Dominus venit illuc, ut vulneratos liberaret, & multam turbam ſecum traheret.

l Secuta eſt eum turba multa.] *Chryſ.* Amor ſpiritualis fatigationem non ſentit. Vere non habet ſuper terram, quod amet, qui bonum cœleſte in veritate guſtaverit. Qui ſemel de dulcedine Chriſti guſtaverit, terrenorum de cetero, non multum ſentit ſaporem. *Greg.* Guſtato ſpiritu deſipit omnis caro.

m Turba multa,] *Chryſ.* Teſtimonium ſtudioſi agricolæ eſt meſſis fœcunda, aſſidui doctoris ſignum eſt Eccleſia plena. *Proverb.* 14. Ubi non ſunt boves, præſepe vacuum eſt, ubi autem apparent plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bovis.

n Et ecce duo cæci ſedentes ſecus viam] Conjunguntur hic duo propter myſterium.

o Audierunt, quia Jeſus tranſiret,] *Chryſ.* Roſa, antequam videatur, ſentitur, cæci antequam viderent, ſenſerunt Deitatis fragrantiam. *Eccl.* 24. Quaſi plantatio roſæ in Jerico.

p Et clamaverunt, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David.] Ac ſi dicerent: Tu qui es Deus humanatus miſerere noſtri. *Chryſ.* Nihil ſolutum habebant, niſi vocem, ideo qui pedibus non poſſunt, voce ſequuntur.

q Turba autem increpabat eos, ut tacerent.] *Chryſ.* Videbant ſordidas veſtes, non conſiderabant conſcientiæ claritatem.

r At illi magis clamabant,] *Chryſ.* Talis eſt natura fidei, quanto magis vetatur, tanto magis accenditur. Virtus fidei in periculis ſecura eſt, in ſecuritate periclitatur. Quid enim aliud ſic laxat vigorem fidei, ſicut longa tranquillitas?

ſ Dicentes: Domine, miſerere noſtri fili David.] *Chryſ.* Abuſive dicuntur homines Domini, vere autem nemo dicitur, niſi Deus.

t Et ſtetit Jeſus, & vocavit eos, & ait: quid vultis, ut faciam vobis?] *Chryſ.* Quaſi filius David cæcos illuminare non poteſt, filius autem Dei poteſt, & ideo interrogo, quid vultis. Tunc illi jam non dixerunt: fili David, ſed Domine, &c. Quamdiu dixerunt: fili David, ſuſpenſa eſt ſanitas, mox ut dixerunt tantum, Domine, ſanitas infuſa eſt. Ad hoc etiam interrogat, ut cor ad orationem excitet. Vel ideo requirit, ut credamus, nonniſi confitentes poſſe ſalvari.

y Tetigit oculos eorum,] carnaliter non verbo, quia David filium eum dixerunt, ſanavit ut Deus, quia crediderunt. Item *Chryſ.* O Domine, quid interrogas, quod oculis vides? Infirmitas clamat, ut quid vocem perquiris? Non quæro propter paſſionem, ſed propter fidem. Filius David cæcos illuminare non poteſt, &c. Item *Rab.* Oportebat tamdiu clamare eos, donec reſiſtentis ſibi turbæ ſtrepitum vincerent, i. tam perſeveranter intendere, orando, & pulſando, quouſque conſuetudinem carnalium deſideriorum, quæ tanquam turbæ obſtrepunt cogitationi lucem veritatis æternæ videre conanti, vel ipſam hominum carnalium turbam ſtudia impedientem ſpiritualia, fortiſſima intentione ſuperarent.

u Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi noſtri.] Ad te contemplandum, ad nos cognoſcendum, & ad proximum. *Tit. c.* 2. Sobrie, juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo.

x Miſertus autem eorum, tetigit oculos eorum,] *Chr.* Miſericors eſt, & tetigit, ut filius David, & ſanavit ut Deus.

z Et confeſtim viderunt,] Ideſt, cognoverunt Deum, ſe, & proximum.

a Et ſecuti ſunt eum.] *Chryſ.* Non reſilierunt poſt beneficia, quod multi faciunt ingrati, *Greg.*

Vidit,

Vidit, & sequitur præsentem Jesum, qui bonum, quod intelligit, quantocyus operatur, hic talis etiam & proficit, & ad Dei laudem alios accendit.

EXPOSITIO CAP. XXI.

ET cum appropinquasset, &c.] Dividitur hoc caput in sex partes. In prima agitur de pullo, & asino, & adventu Domini in Jerusalem. In secunda de ejectione ementium, & vendentium in templo, ibi: [Et intravit Jesus in templum Dei] In tertia de maledictione, & arefactione ficus, ibi [Mane autem revertens in civitatem, &c.] In quarta de quæstione potestatis suæ facta sibi a Pharisæis, & de baptismo Joannis, ibi [Et cum venisset in templum, &c.] In quinta de parabola duorum filiorum, ibi: [Homo quidam habebat duos filios, &c.] In sexta de parabola cultoris vineæ, qui nuncios patrisfamilias, tandem filium occiderunt, ibi: [Homo erat paterfamilias, &c.] Dicit ergo.

CAP. XXI.

ET *a* cum appropinquasset Jerosolymis, & venisset Bethphage ad montem *b* Oliveti, tunc *c* Jesus misit duos discipulos, *d* dicens eis: Ite in *e* castellum, *f* quod contra vos est,

a Cum appropinquasset Jerosolymis, & venisset Bethphage ad montem Oliveti.] Bethphage erat viculus sacerdotum in monte Oliveti, ubi alebant pecora sua, non enim habuerunt portionem hæreditariam in terra promissionis. *Num. c.* 35. Bethphage domus buccæ interpretatur. Et est compositum ex Hebræo, & Græco, Beth enim est Hebræum, & sonat domus. Phage Græcum est, & interpretatur comedere. De hoc *Marc.* 11. *Luc.* 19. *Joann.* 12.

Alleg. Allegorice Bethphage, B. Virgo in devota responsione. *Luc. cap.* 1. Magnificat anima mea Dominum. *Proverb. c.* 15. Responsio mollis frangit iram. Item in blanda conquestione. *Lucæ c.* 2. Fili, quid fecisti nobis sic? Item in supplici obsecratione. *Joan. cap.* 2. Fili, vinum non habent. Item Bethphage confessio, in qua debet bucca nostra moram facere, intrare caute, & exire, spirituales epulas sumere, se ab inimicis defendere, filios, idest, bona opera procreare, procreatos hæreditare, ventos, & procellas declinare, somnum vitæ præsentis degustare.

Dominus misit duos discipulos multis de causis. Tunc Jesus misit duos discipulos.] Duos misit propter fraternam charitatem. *Lucæ cap.* 10. Misit illos binos, & binos. *Eccles. c.* 4. Melius est duos esse, quam unum propter verbi auctoritatem. *Joan. c.* 8. Duorum hominum testimonium verum est. Item propter duplicem humilitatem, ut *supra* 11. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Item propter geminam charitatem, *infr.* 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.

d Dicens eis, ite.] *Isa. c.* 18. Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, gentem expectantem, & conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus: Ecce instanter eundum. [Ite] religiose, ut *supra quinto*. Luceat lux vestra coram hominibus: Item *Eccl.* 36. Si est lingua curationis, est & mitigationis, & misericordiæ. Item libenter: *Rom.* 12. Qui miseretur in hilaritate 1. *Petr.* 5. Providentes non coacte, sed spontanee, secundum Deum. *Zachar.* 9. Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes, & revertentes.

e In castellum,] idest, mundum diminutum, quia diminutæ sunt veritates a filiis hominum, scilicet veritas vitæ, justitiæ, doctrinæ. Vitæ: Unde *Apoc. cap.* 3. Nomen habes, quod vivas, & mortuus es. Doctrinæ, *inf.* 24. Multi Pseudo-prophetæ surgent, & seducent multos *Thren. c.* 2. Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut ta ad pœnitentiam provocarent. Veritas etiam justitiæ. *Eccl. c.* 3. Vidi sub sole in loco judicii impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem. Item dicitur castrum mundus, quia impugnat Deum erroribus. Unde *Roman. capit.* 1. Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis. Item impugnat fictionibus. 2. *Timoth. cap.* 3. Habentes quidem speciem veritatis, virtutem autem ejus abnegantes. Item voluptatibus. 2. *Timoth. cap.* 3. Voluptatum amatores magis, quam Dei, &c. *Lucæ* 2. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur.

f Quod contra vos est,] Dissimili conversatione, ut *supra* 14. Videntes eum supra mare ambulantem putaverunt esse phantasma. *Sap. cap.* 15. Æstimaverunt lusum vitam nostram. Item pudibunda objurgatione. *Isa. c.* 30. Qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt, ut *supra* 8. Quid nobis, & tibi, Jesu fili Dei. Item tumida mentis obturatione. 2. *Timoth.* 4. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt. *Ps.* 57. Furor illis secundum similitudinem serpentis; &c. Item

c Misit duos.]

Moral. Moralit. isti sunt timor, & amor: Timor solvit asinam, & pullum. Nam timor Domini expellit peccatum. *Eccl.* 1. Amor veniam impetrat, & sic ad Jesum adducit. *Luc.* 7. Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Isti sunt, quibus Dominus apparuit euntibus in Emaus. *Luc.* 24.

e Castellum.]

Moral. Moraliter cor peccatoris est, excusationibus quasi muris, & propugnaculis munitum. *Psalmus* 59. Quis deducet me in civitatem munitam? Ad quod prædicti discipuli mittantur, ut solvant asinam, & pullum, & adducant ad Jesum. Asina est caro lasciva, pigra, stolida, onerifera. Pullus, carnalis affectus. Uterque ligatur, idest, voluptatum illecebris irretitur. *Proverb.* 7. Dicit mulier lasciva: Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto. Et *infra* Irretivit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit eum. Lectulus meretricis est voluptas, funes, qui tetinent, & illaqueant sunt lascivia, juventus, sanitas corporalis, prosperitas mundialis, funiculus triplex, qui difficile rumpitur. *Eccl.* 4. Si a prædictis funibus soluti fuerint asina, & pullus, poterit eis Dominus insidere, vestimentis virtutum superpositis, & turbarum vestibus in via stratis, idest, Sanctorum Martyrum exemplis consideratis. Sicut dicitur *Jac. ult.* Exemplum accipite exitus mali, & longanimitatis, idest, diuturnæ expectationis, & laboris, & patientiæ tribulationum prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Et sic Dominus cum asina, & pullo ingreditur supernam Jerusalem.

△ Nota autem

Moral. Moraliter, *a* Et cum appropinquasset Jerosolymis.] Dominus Jerosolymam appropinquavit, cum genus humanum, quod a dæmonibus fuerat conculcatum, misericorditer visitavit. *Lucæ cap.* 1. Visitavit nos oriens ex alto. Visitavit, inquam, ut videret Angelum pacis, idest, ipsum Dei filium. De quo *Isaiæ cap.* 27. Quis dabit me spinam, & veprem? In prælio gradiar super eam, succendam eam pariter, an potius tenebo fortitudinem meam? quasi dicat, quis dabit me misericordem, & impium, crudelem, & asperum? quasi dicat, iniquitas vestra de misericorde faciet crudelem, in prælio diræ correctionis, gradiar super eam dejiciendam, succendam eam igne ultionis, an potius tenebo fortitudinem meam, quasi dicat, tenebo, & mittam angelum meum, qui faciet mihi pacem cum vinea mea. Unde *Job* 33. Si fuerit Angelus pro eo loquens unum de similibus, ut annunciet hominis æquitatem, miserebitur ejus, quasi dicat, si Angelus magni consilii unus de tribus fuerit locutus Deo patri pro homine supplicando, ut annunciet hominis æquitatem, idest, in se veræ naturæ humanæ veram conformitatem ostendat, miserebitur ejus pater. Venit autem Bethphage, quod interpretatur domus buccæ, & significat confessionem, ut supra. In qua debemus esse mansionarii, non hospites unius noctis prætereuntes, & sic ad nos venit Jesus. Nam veritati confessionis occurrit pax reconciliationis. *Psalmus* 84. Misericordia, & veritas obviaverunt sibi, justitia, & pax osculatæ sunt. Nam si in ore peccatoris fuerit veritas confessionis, occurit ei misericordia Domini peccata remittentis, & ita justitia condemnans, & accusans peccata, & pax remittens, & reconcilians, se invicem osculantur. *Isaiæ capite* 47. Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longe est, & qui prope est. De multis tamen potest dicere Dominus: O Juda, filium hominis osculo tradis? *Luc.* 22.

b Ad montem Oliveti.]

& *a* statim invenietis asinam *b* alligatam, & *c* pullum cum ea *d* solvite, & adducite mihi. Etsi quis *e* vobis aliquid dixerit: *f* dicite, *g* quia Dominus his opus habet, & *h* confestim dimittet eos. *i* Hoc autem factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam, k dicentem: Dicite filiæ Sion: ecce rex tuus venit tibi mansuetus *l* sedens super asinam, & pullum filium subjugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Jesus. Et adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. *m* Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via. Alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Osanna *n* filio David, *o* benedictus, qui venit in nomine Domini: *p* Osanna in altissimis. *q* Et cum intrassent Jerosolymam, commota est universa civitas, *r* dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus Propheta a *f* Nazareth Galilææ. *t* Et intravit Jesus in templum Dei, *u* & ejiciebat

▲ Nota autem quantum ad litteram, quod Domino veniente in Jerusalem a Jerico, prætermittit Matthæus, quomodo venerit in Bethaniam, & parata sibi cœna in domo Simonis leprosi, & ministrante Martha, Maria unxit pedes ejus, quod factum est in sabbato ante ramos palmarum. In crastino vero de Bethania per Bethphage venit in Jerusalem. Et cum esset in via misit duos, &c. Castellum *ad litteram* vocat Jerusalem despective.

a Et statim invenietis asinam,] *Ad litteram*, in Jerusalem erat asina communis, sive deputata communibus usibus, pauperes enim non poterant habere jumenta, & erat ante domum alicujus ligata, & qui ea indigebat, die, qua habuit usum ejus, pabulum ei dabat. Secundum *Rab.* & *Chr.* asinus animal immundum est, & præ ceteris jumentis magis irrationabile, & stultum, & infirmum, & ignobile, & magis oneriferum, sic fuerunt homines ante Christi adventum, idololatriæ, passionibus diversis immundi, & irrationales, verbi ratione carentes, quantum ad Deum stulti. *b* Alligatam,] *Chr.* Liberum est nobis antequam peccemus, sequi diaboli voluntatem, aut non, sed si semel peccantes obligaverimus nos ei, jam nostra virtute evadere non possumus. Sicut navis fracto gubernaculo ducitur, ubi vult tempestas, sic & homo perdito Dei auxilio, non quod vult, agit, sed quod diabolus: Et nisi Deus solverit eum, in vinculis usque ad mortem permanebit. Sicut videmus in istis mundialibus regnis. Nemo potest facere seipsum regem, sed populus creat ipsum, & cum fuerit rex factus, jam habet potestatem in homines, & non potest populus jugum de cervice sua repellere, sic prima voluntas in necessitatem convertitur, postquam homines posuerunt thronum diaboli in cordibus suis, jam nemo potest eos eripere, nisi solus Deus.
c Et pullum cum ea.] Habuerat enim asina pullum.
d Solvite, & adducite mihi.] Dominus hic exprimit potestatem, quam discipulis tradidit, *supra cap. decimo sexto & decimo octavo.*

Moral. * Oliva signum est pacis. Unde columba ad arcam rediens in signum pacis, & reconciliationis Ramum Olivæ portavit. *Gen. c.* 8. Mons autem Oliveti est excellentia, vel cumulus pacis, quæ offertur confitenti, & perseveranti reservatur. *Joann. cap.* 14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, &c. Pacem cumulavit Dominus, quia injuriam passus, pacem oblatam non solum non renuit, sed injurianti eam humiliter obtulit, & ad eum personaliter venit, & quod majus est, de injuria sibi facta pacem comparavit. *Isa. cap.* 53. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum. Ut autem veraciter nos Deo patri reconciliaret, sororem nostram sibi matrimonio copulavit. Item per montem Oliveti significatur cumulus medicinæ: Nam oleum lenitivum est, & medicinale. Laudabilis est infirmis medicus, qui sanat infirmum sumptibus suis, laudabilior, qui propriis, superlaudabilis vero, qui de seipso facit medicinam. Sic fecit Dominus, qui quasi theriacam carnem suam nobis contulit. De qua medicina. *Eccl. c.* 45 Medicina omnium in festinatione nebulæ, & ros obvians ab ardore venienti. Nebula ardorem solis temperat, refrigerium præstat, terram fœcundat, solem invisibilem facit, sic Christi humanitas. Item per montem Oliveti significatur cumulus misericordiæ. Magna quidem misericordia est, peccatorem non punire, vindictam differre, peccatorem expectare, revertentem clementer recipere. Major vero est offensam in reconciliationem offendentis, & exaltationem convertere. Cumulata est misericordia offendenti semper dimittere, & sua dare. Sic fecit Dominus, quia similitudinem Dei, quam homo perdidit peccando, assumendo carnem reddidit, & sic offensam in exultationem ipsi offendenti convertit, ipsas injurias relaxavit, & inimicum secum in gloria sublimavit. Unde *Eccles.* 36. Glorifica manum, & brachium dextrum, extolle adversarium, & affige inimicum. De prima misericordia. *Thr. c.* 3. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. De secunda. *Ps.* 50. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. De tertia: *Ib.* Et secundum multitudinem miserationum tuarum, &c.
e Et si quis vobis aliquid dixerit,] idest, in prædicatione aliquod impedimentum fecerit.
f Dicite,] prædicando.
g Quia Dominus his] idest, peccatoribus [opus habet,] ut impleatur sedes Paradisi.
h Et confestim dimittet eos.] Hoc est, quod dicitur de viro justo: Et folium ejus, idest, verbum non defluet. Non sic Pharao, qui noluit dimittere populum Domini. *Exod.* 5.
i Hoc autem factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam.] *Zach.* 9.
k Dicentem, dicite filiæ Sion: ecce rex tuus venit tibi mansuetus.] Tibi acquisitive, vel dialytice, sc. tibi venit, vel tibi mansuetus.
l Sedens super asinam, & pullum,] successive [filium subjugalis. Eumtes autem discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Jesus, &c.] *Chrys.* Vis cognoscere mansuetudinem venientis, considera speciem adventus ejus. Non sedet in curru aureo pretiosa purpura fulgens, nec ascendit super fervidum equum discordiæ amatorem, & litis, qui gloriæ jactantia pectus habet repletum, qui de longe odoratur bellum, & gaudet ad vocem tubæ, & cum viderit sanguinem, pugnam, vel tubam, dicit in corde suo, benefactum est, sed sedet super asinam tranquillitatis, & pacis amicam. Non autem vides in circuitu ejus splendentes gladios, aut cetera ornamenta armorum terribilium. Sed quid? Ramos frondentes testimonia pietatis. Venit ergo mansuetus, non ut propter potentiam timeretur, sed ut propter mansuetudinem amaretur.
m Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via, alii autem cedebant ramos de arboribus, & sternebant in via, &c. Osanna] Hebræum est, idest, salva obsecro. *Isidorus*: Osanna interjectio deprecantis est.
n Filio David,] Ita exponitur, secundum quod oblative ponitur. [Filio,] idest, a filio, vel per filium.
o Benedictus, qui venit in nomine Domini,] idest, ad honorem ejus.
p Osanna in altissimis,] idest, salva in altissimis, qui prius salvabis ab inferis.
q Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas,] *Interl.* Mirans frequentiam, nesciens veritatem. *Ps.* 59. Sana contritiones ejus.
r Dicens, quis est hic? Populi autem dicebant: hic est Jesus Propheta.] *Deut.* 18. Prophetam suscitabit Dominus, &c.
f A Nazareth Galilææ.] *Chrys.* Pueri laudem loquebantur, viri infamiam.
t Et intravit Jesus in templum Dei.] Ingressus in urbem primo adiit templum, dans formam religionis, ut quoquo imus, primo domum orationis adeamus, si ibi est.
u Et ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo] Ejecit alia vice, sicut dicit solus Joannes. *Jo.* 2. Sed de hac ultima ejectione dicit *Marcus c.* 11. *Luc. c.* 29.

▲ *a* Et mensas

omnes vendentes, & ementes in templo, & *a* mensas nummulariorum, & *b* cathedras vendentium columbas evertit, & *c* dicit eis: Scriptum est: domus mea domus orationis vocabitur, *d* vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et *e* accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanavit eos. *f* Videntes autem principes sacerdotum, & scribæ mirabilia, quæ fecit, & *g* pueros clamantes in templo, & dicentes: Osanna filio David, *h* indignati sunt, & dixerunt ei: audis, quid isti dicunt? *i* Jesus autem dixit eis. Utique nunquam legistis, quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? Et *k* relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit. *l* Mane autem *m* revertens in civitatem esuriit. Et *n* videns fici arborem unam *o* secus viam *p* venit ad eam, & nihil invenit in ea, nisi folia tantum, & *q* ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: Et *r* arefacta est continuo ficulnea. Et *s* videntes discipuli

A *a* Et mensas nummulariorum,] Illa *Gloss.* Menses nummulariorum, &c. exponit litteram. *Hier.* Secundum mysticos sensus quotidie Jesus ingreditur templum patris, & ejicit omnes, tam Episcopos, quam Presbyteros, & tam Diaconos, quam laicos, & universam turbam de Ecclesia sua, & unius criminis habet vendentes pariter, & ementes: Scriptum enim est: Gratis accepistis, ut *sup.* 10. Mensam, quoque nummulariorum subvertit propter avaritiam sacerdotum. Altasia Dei mensam nummulariorum appellari ostendit in templo, quia prædicta ruina maxime ex culpa sacerdotum fuit, & inde processit radix perditionis. Unde *Ez.* 9. A sanctuario meo incipite. *Gl.* idest, a sacerdotibus. Qui enim in populo fuerunt causa peccati, præmeruerunt supplicia. Item *Chrys.* Cor, & stomachus Ecclesiæ sacerdotes, qui si peccaverint, totus populus convertitur ad peccandum. Unusquisque enim Christianus pro suo peccato reddet rationem, sacerdotes autem non tantum pro suis, sed etiam pro omnium subditorum peccatis. Quemadmodum videns arborem pallentibus foliis marcidam intelligis, quod aliquam causam habet circa radicem, ita cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium ejus non est sanum. *a* Mensas nummulariorum,] idest, Scripturas. Novo enim testamento succedente priori eversæ sunt scripturæ eorum.

b Et cathedras, &c.] *Zach. ult.* Non erit ultra mercator in domo Domini. *Eccl.* 26. Duæ species difficiles, & periculosæ mihi apparuerunt. Difficile exuitur negotians a negligentia sua. *Chrys.* Qui voluerit esse mercator, projiciatur de Ecclesia, dicente Propheta: Quia non cognovi negotiationem, introibo in potentiam Domini. 2. *Tim* 2. Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis. Sicut qui ambulat inter duos inimicos volens ambobus placere, sine maliloquio esse non potest, quia necesse est, ut illi de isto, vel isti de illo male loquatur, sic qui emit, vel vendit, sine perjurio esse non potest. Sed nec stabilis est eorum substantia, aut enim ipsis viventibus peritura est, aut a malis hæredibus dissipanda, aut ad extraneos, & inimicos ventura. Non potest ad bonum proficere, quod congregatur de malo. Sicut cum cribratur triticum, tandem nihil remanet in cribro, nisi pulvis, & stercus, sic substantia negotiatorum inter emptionem, & venditionem perit, & nihil remanet, nisi peccatum. Unde *Eccl.* 27. Sicut in percussura cribri permanet pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius. Antiqui artificia laudaverunt, Apostoli piscatores fuerunt, Paulus sutor tabernaculorum. Ego ostendam, qui non sunt negotiatores, ut intelligas omnes alios esse negotiatores. Quicumque rem comparat, non ut integram & immutatam vendat, sed ut opus faciat ex ea, ille non est negociator, quia non tantum vendit rem, sed artificium: Ut faber non vendit ferrum, sed artificium. Super omnes negotiatores plus maledictus est usurarius, propter causas multas, de quibus alibi.

Versus.

Qui sacrum vendunt, vel pro sacris pretium dantes:
Hos procul expello facto de fune flagello.

c Et dicit eis: scriptum est, &c.] *Is.* 56.
d Vos autem fecistis illam speluncam latronum.] *Jer.* 7 Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris?
e Et accesserunt ad eum cæci, &c.] *Joan.* 9. In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. *Isa.* 42. Quis cæcus nisi servus meus? *f* Videntes autem principes, quæ fecit,] Jesus, maxime in ejectione hominum per se solum. *g* Et pueros clamantes in templo, & dicentes: Osana filio David,] *Chrys.* Si voces clamantium mentiuntur, interrogate, o sacerdotes, sanitates ægrotantium. *h* Indignati sunt, & dixerunt ei: audis, quid isti dicunt?] q. d. si justus esses, talem famam declinares. *i* Jesus autem dixit eis, utique: Nunquam legistis, &c.] Non respondet, unde calumniari possent: Non enim dicit, faciunt bene, quia me laudant, vel errant, quia pueri sunt, sed modeste respondet, & verba puerorum testimonio S. Scripturæ confirmat. *k* Et relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit.] Quidam libri non habent extra civitatem, sed *Rab.* ponit. *l* Mane autem] *Mar.* 11. narrat hoc factum ante ejectionem vendentium de templo. Sed *Gloss. super Exod. c.* 12. videtur velle, quod ejecit bis, ipsa, sc. die palmarum, & sequenti. Dicit ergo: [Mane autem] secundæ feriæ.
m Revertens in civitatem esuriit.] *Raban.* Jesus ostendens veritatem carnis. Vel esuriit salutem credentium. Item *Chrys.* Esuriit, non quasi homo cibum, sed quasi Deus salutem humanam. Mane esuriit, quia semper esuriit etiam in Cruce. *Jo.* 19.
l Mane autem, &c.] *Eccl.* 11. Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua, *Ps.* 54. Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo. *Chrys.* Vide mutationes hujus mundi per singula sæcula, & mane invenies, & vespere. Ecce factum est mane super Adam, quando dedit ei Deus præcepta justitiæ, quasi lucem; post crescente iniquitate, justitia quasi lux recessit. Item mane sub Noe, sub Abraham, Moyse, Esdra, & Zorobabel, & lux testamentum. Tandem sexto mane Christus, & jam Christianorum iniquitate crescente aufert Deus gratiam, quasi sol radios. *Lucæ* 18. Putas, cum venerit filius hominis inveniet fidem in terram? Septimo mane daturus est gaudium. *Ps.* 29. Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia. Ergo per istos sex dies laboravit, septimo requiescet, sententia est *Chrys.* quamvis non verba omnino. *n* Et videns fici arborem unam.] *Hilarius.* Arbori fici primus flos in pomis est, quæ communiter grossi nuncupantur; postea internæ fœcunditatis virtute exuberante, ejusdem formæ poma prorumpunt, & usque ad maturitatem fructuum provehuntur, quibus prorumpentibus priora decidunt, solutis eorum radicibus, si tamen acciderit, ut in summitate virgularum hærentes non decidant a radicibus, poma cetera maturitatem præveniunt. Igitur propria est synagogæ similitudo. Primos enim fructus, quos ab exordio protulerat grossorum exemplo amisit, quia plebem ejus inutilem, plebs fidelis, & usque ad consummationem temporum manens protraxit. Verumtamen primi credentes ex Israel, sc. Apostoli inter legem, & Evangelium grossorum more inhærentes, ceteros resurrectionis gloria, & tempore anteibunt. Item *Chrys.* Arbor fici synagoga est, quia multa grana sub uno cortice. *Psal.* 67. Qui habitare facit unius moris in domo. Folia fici viridia sunt, & ad similitudinem manus formata. *Job c.* 39. Penna struthionis, &c. *o* Secus viam] & ideo non in via, quæ est Christus. *p* Venit ad eam, & nihil invenit in ea nisi folia tantum,] i. verba.

Est ficus sterilis hypocrita, vel balanita:
Qui proferre solet bona verba, bona sine vita.

Versus.

De bonis foliis. *Ezech.* 47. Et folia ejus ad medicinam. *q* Et ait illi: nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum:] Nescitur, an hæc maledictio fuerit die sequente. Non autem incongrue loquitur fico, per hoc innuens, quod in signum Judææ hoc faciebat pro majori parte synagogæ, quam sciebat non convertendam. [Fructus] quasi nullus justus delectetur in fructu suo. Unde *Marc.* 11. Jam non amplius in æternum ex te, &c. *r* Et arefacta est continuo ficulnea] *Chr.* Sermo ejus quasi flamma descendit ad radices ejus. *s* Et videntes discipuli mirati sunt.] *Chr.* Mirati sunt, quia inconsuetum erat ei punire, quod nunc primo ostendit, & non in alia planta, sed omnium abundantissima.

mirati sunt, *a* dicentes: Quomodo continuo aruit? *b* Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non *c* solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, tolle, & jacta te in mare, fiet. Et *d* omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. Et *e* cùm venisset in templum, *f* accesserunt ad eum docentem, *g* principes sacerdotum, & seniores populi, *h* dicentes: In qua potestate hæc facis: Et *i* quis tibi dedit hanc potestatem? *k* Respondens autem Jesus, dixit eis: Interrogabo vos & ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam, in qua potestate hæc facio. Baptismum Joannis unde erat, e cœlo, *l* an ex hominibus? At illi *m* cogitabant inter se, dicentes: Si dixerimus, e cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si *n* autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam: Omnes enim habebant Joannem sicut prophetam, Et *o* respondentes Jesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis & *p* ipse: Nec ego dico vobis, in qua potestate hæc facio. *q* Quid autem vobis videtur? *r* Homo, quidam *ſ* habebat duos filios, & *t* accedens ad primum dixit: Fili, *u* vade hodie operare in vineam meam. *x* Ille autem respondens ait: Nolo *y* Postea autem pœnitentia motus abiit. *z* Accedens autem ad alterum dixit similiter, At *a* ille

a Dicentes quomodo continuo aruit?] post maledictionem.

b Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaveritis] *Jac.* 1. Postulet in fide nihil hæsitans, ut *supra* 17. Si habueritis fidem, &c.

c Non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, tolle te, & jacta te in mare, fiet.] *Apoc.* 8. Secundus Angelus tuba cecinit, & ecce mons magnus igne ardens missus est in mare. *Hier.* Credimus Apostolos hoc fecisse, sed ideo scriptum non esse, ne infidelibus major daretur contradicendi occasio, quandoquidem minoribus signis, quæ scripta sunt non credunt.

d Et omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes] non hæsitantes [accipietis] Hoc continuatur, ad id quod dicitur *Luc.* 17. Domine adauge nobis fidem. Et dixit Jesus, omnia, &c. *Jos.* 1. Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri vobis tradam. Ut igitur innitamur fortius, ut pes alter enervetur, quo mens ad terrena graditur, juxta quod Angelus benedicens Jacob fecisse legitur. *Gen.* 32.

e Et cum venisset in templum,] ut oraret, & doceret, & exemplum nobis daret, sicut dixit superius illa *Gloss.* Et intravit, &c.

f Accesserunt ad eum docentem,] non ut docerentur cum populo, sed ut docentem caperent in sermone. Unde interrogant tentando.

g Principes sacerdotum, & seniores populi.] *Jer.* 23. A prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram. *Dan.* 13. Egressa est iniquitas a Babylone, a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum. *Chrys.* Cogitabant sacerdotes in dolore apud se. Nos fueramus columnæ templi, & ecce super eum recumbit tota Ecclesia. Nos fuimus tacentium Scripturarum quasi lingua visibilis, & ecce ille resonat in medio templi, & nos contempti tacemus, quasi cithara dissipata. Nos fuimus patres populi, modo ille generat filios & nos steriles sumus.

h Dicentes: In qua potestate hæc facis,] quasi non Dei, sed diaboli, ut *supra* 12. In Beelzebub principe dæmoniorum, &c. *Joan.* 2. Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?

i Et quis tibi dedit hanc potestatem.] *Hier.* Diversis verbis eamdem calumniam struunt, quam, ut *supra* 12. Hic non ejicit dæmonia, &c. *Jac.* 1. Omne datum optimum, &c.

k Respondens autem Jesus, dicit illis: interrogabo vos & ego unum sermonem, &c. Baptismus Joannis unde, erat e cœlo,] idest, a Deo.

l An ex hominibus] idest, ex fictione hominum? *Chrys.* Proposuit eis quæstionem undique catenatam, non ut respondentes audiret, sed ut impediti non interrogarent. Unde, ut *sup.* 7. Nolite sanctum dare canibus. Et nondecebat, ut ipse transgrederetur præceptum, quod ipse dederat.

m At illi cogitabant inter se, dicentes, si dixerimus e cœlo, dicet: quare ergo non credidistis illi,] Et revera ipsi non crediderant ei. Unde, ut *sup.* 11. Venit Joannes, neque manducans, neque bibens, & dixerunt: dæmonium habet. Et *inf. eod.* Non credidistis illi.

n Si autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam, omnes enim habebant Joannem sicut Prophetam,] præter sacerdotes, & seniores populi, qui omnes bonos persequebantur.

o Et respondentes Jesu, dixerunt: nescimus,] *Chrysostom.* Mendacia si non habent, quos decipiant, ipsa sibi mentiuntur.

p Ait illis & ipse, neque ego dico vobis, in qua potestate hæc facio,] q. d. postquam non vultis dicere, quæ scitis, nec ego dico vobis, quæ scio.

q Quid autem vobis videtur?] *Chrys.* Quis reos proponit in causa, & ipsos judices petit? Magna fiducia est justitiæ, ubi adversario causa committitur.

r Homo quidam habebat, &c.] Ad idem proponitur hæc parabola, ad quod illa, ut *supr.* 20. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane, &c. In utraque enim insinuat Dominus Judæos elatos, & superbos, a fide Catholica ejectos, & exclusos, gentiles vero humiles, & pœnitentes admissos. Sub parabola ergo arguit eos Dominus ostendens regnum ab his auferendum, qui apertæ veritati obviant. Et exponitur parabola de populo gentium, idest, intelligitur per primum filium, qui fuit de Noe & de populo Judæorum, qui per secundum, qui fuit de Abraham. Exponitur etiam de justis, & peccatoribus. Secundum hoc expositio procedit. *Chrys. Rab.* Vel primus filius populus sæculariter vivens, alter clerici, qui videntur, cum constituuntur præesse aliis promittere se vineam colere. Sed melior est laicus, qui in prima facie profitetur vitam sæcularem, revera autem plus studet in spirituali, quam sacerdos, qui in prima facie profitetur vitam spiritualem, & revera complectitur vitam carnalem. Quis aliquando videt clericum cito pœnitentiam agentem, & si reprehensus humiliaverit se, non ideo dolet, quia peccaverit, sed confunditur, quia perdidit gloriam suam. Citius convertuntur, qui desiderium in mundialibus, & voluptatibus carnalibus seipsos mancipaverunt. Item *Chrys.* Melius est apud Deum non promittere, & facere, quam non facere, & promittere. *Eccl.* 5. Si quid vovisti Deo ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis, & stulta promissio. Duo filii sunt laicorum conditio, & ordo sacerdotum. Prior filius populus, deinde sacerdotes, alioquin ante creati sunt rectores, quam regerent. Non enim populus propter sacerdotes creatus est, sed sacerdotes propter populum: Nam & mundus prius factus est, deinde rector homo. Dicit ergo: [Homo quidam] *Chrys.* Nemo existimet Christum ideo habuisse humanam naturam tantum, nam & pater dictus est homo, ut sic liberaretur filius ab Hæreticorum blasphemiis. Item *Chrys.* In parabolis significat personas eorum, ut ipsi adversus se sententiam dictent: Sicut David. 2. *Reg.* 12.

ſ Habebat duos filios] populum gentilem, & Judaicum.

t Et accedens ad primum] *Interl.* gentilem, qui a Noe. Sed contra. *Exod.* 4. Primogenitus meus Israel. Respon. Gentilis est primus tempore, origine, multitudine: Judæus dignitate, fide, familiaritate. Unde *Chrys.* Gentiles erant ex tempore Noe, Judæi ex Abraham.

u Dixit: fili vade, hodie operare in vineam meam.] *Chrys.* Quid est operari in vinea? Justitiam facere.

x Ille autem respondens, ait: Nolo.] Cum naturali legi non obedit, & liberi arbitrii divitiis abusus est:

y Postea autem pœnitentia motus abiit.] In adventu Christi.

z Accedens autem ad alterum dixit similiter.] *Job cap.* 19. Servum meum vocavi, & non respondit mihi, ore proprio deprecatus sum illum, halitum meum exhorruit uxor mea. *a* At ille respondens, ait: eo Domine.] *Exod. capite decimo*, & 24. Omnia quæcumque

locutus est,

a locutus est, faciemus. *a* Et non ivit:] Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus.] *Chryf.* Adversus se sententiam ferunt, quam & ipse confirmat dicens: Amen, &c.

b Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani,] ut Matthæus *sup. 9.*

b Novissime autem misit ad eos filium suum,] Christum.

c Dicens, verebuntur forsitan filium meum.] forsitan dicit, quia in eorum arbitrio est, ut revereantur, vel non.

d Agricolæ autem videntes, &c.] *Gen. 37.* Ecce somniator venit. *Jeremiæ 11.* Mittamus lignum in panem ejus. *Sap. 2.* Circumveniamus justum, quia inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris.

respondens ait: Eo, Domine, & *a* non ivit: Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis *b* Jesus: Amen dico vobis, quia publicani, & *c* meretrices *d* præcedunt vos in † *e* regnum Dei. Venit *f* enim ad vos Joannes in via justitiæ, *g* & non credidistis ei. *h* Publicani autem, & meretrices crediderunt ei, *i* vos autem videntes, *k* nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei. *l* Aliam parabolam audite. *m* Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & *n* sepem circumdedit ei, *o* & fodit in ea torcular, *p* & ædificavit turrim, & *q* locavit eam agricolis, & *r* peregre profectus est. *ſ* Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. Et *t* agricolæ, *u* apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, *x* alium occiderunt, *y* alium vero lapidaverunt. *z* Iterum misit alios servos plures prioribus, *a* & fecerunt illis similiter. *b* Novissime autem misit ad eos filium suum, *c* dicens: Verebuntur forsitan filium meum. *d* Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & *e* habebimus hæreditatem ejus. Et *f* apprehensum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt. *g* Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? *h* Ajunt illi: Malos male perdet, *i* & vineam suam locabit aliis

c Et meretrices] ut Magdalena: *Luc. 7.* *d* Præcedunt vos.] De præsenti dicit, quia ubi aliquis præcedit, videtur esse qui sequitur. Sic ergo innuitur, quod Judæi quandoque ingressuri, & credituri sunt.

D

† *ab regno.*

e In regnum Dei,] cœlum vel Ecclesiam.

f Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ] i. in præceptis Dei.

Marc. 12. Luc. 10.

g Et non credidistis ei] *Chryf.* Vos sacerdotes quasi judices non personarum sed rerum, debueratis ei credere, etsi non quasi justo, tamen quasi justa dicenti. Quid enim pertinet ad auditorem vita prædicatoris? Si enim male vivit, ipsius solius damnum est, si autem bene docet, omnium est lucrum.

h Publicani autem, & meretrices crediderunt ei] *Chryf.* Puto ex persona omnium peccatorum publicanus, & ex persona omnium meretricum meretrix ponitur. Et quamvis multa peccata sint in utroque sexu: tamen avaritia præcipue abundat in viris, fornicatio in mulieribus. Potest etiam in publicanis, & meretricibus intelligi gentium populus. *i* Vos autem videntes] viam justitiæ, quam prædicabat Joannes.

k Nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei,] ut sic salvi essetis.

l Aliam parabolam audite.] Hic improperat eis mortem suam, quasi non solum rei estis, nec ideo a vobis solum auferetur regnum, quia non credidistis Joanni, sed quia rei estis sanguinis, quod pejus est.

m Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam] De qua *Isa. 5.* Vinea Domini Sabaoth domus Israel est. *Jer. 12.* Plantasti eos, & radicem miserunt.

n Et sepem circumdedit ei,] i. Angelorum custodiam, qui pro eis pugnabant, & ab alienigenis, ut a Philistæis, defendebant. *Jerem. 51.* Curavimus Babylonem. *Gloss.* Auditæ sunt voces Angelorum in aere. Migremus ab his sedibus. Vel sepes fuerunt reges, qui eos defendebant.

o Et fodit in ea torcular] altare holocaustorum.

p Et ædificavit turrim,] in medio ejus, idest, templum.

q Et locavit eam agricolis,] qui *sup. 20.* dicuntur operarii in vinea.

r Et peregre profectus est,] Judæos propter eorum superbiam suo arbitrio relinquens.

ſ Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos, &c.] *Psalm. 105.* Irritaverunt Moysen in castris: Aaron sanctum Domini; Et vexatus est Moyses propter eos, &c. Hic servus, scilicet, Moyses de fructu hujus vineæ dicit: Uva eorum uva fellis, &c. *Deuter. 32.*

t Et agricolæ,] i. legis custodes.

u Apprehensis servis ejus, alium ceciderunt,] ut Jeremiam. *Jer. 38.*

x Alium occiderunt,] ut Isaiam.

y Alium vero lapidaverunt] ut Zachariam 2. *Par. 24.* Et Neboth. 3. *Reg. 21.*

z Iterum misit alios servos plures prioribus] i. prophetas, David, & alios.

a Et fecerunt illis similiter] sicut & aliis.

e Et habebimus hæreditatem ejus] Unde *Joan. 11.* Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.

f Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam,] quia extra portam passus. Unde *Hebr. 13.* Propter quod & Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. In signum autem hujus statuit Moyses altare holocausti, in quo fundebatur sanguis in vestibulo tabernaculi: *Exod. ult.* Hoc totum exponit *Chryf.* Paterfamilias, cui cœlum, & terra una domus est, qui Angelorum, & hominum natura Dominus est, benevolentia pater, plantavit vineam, quam de Ægypto transtulit. De qua *Isa. 5.* Vinea Domini Sabaoth domus Israel est, i. Ecclesia. Quomodo plantavit? Sicut studiosus vinitor primum in circuitu ejus excidit infructuosas arbores, ne forte lascivientes tenerum adhuc suffocarent malleolum. Sic Deus exterminavit Amorrhæos, & plantavit Israel novitium. Sepes, Angeli custodes: ut *sup. 18.* 1. *Cor. 11.* *Act. 12.* Torcular, verbum Dei, in quo torquetur carnalis natura timore judicii, vel crux. Turris, fides: quæ hostes facile conterit, & parum timet ruptionem.

Allegor.

Allegorice. Sepes, merita patrum. Torcular, unde multum eliquatur, Prophetæ. Turris lex, de turre speculabantur sacerdotes Christum venturum. Coloni, qui curam populi susceperunt ad magnam gloriam, & magnum periculum. Ad gloriam, si diligenter, ad periculum si negligenter. Si enim ille, qui procuratorem suscipit terrenarum rerum de manu alicujus hominis potentis, debet pro negligentia timere periculum, quanto magis, qui de manu Dei susceperunt animas sanctas. Non enim sacerdotes præstant Deo docentes populum ejus, sed Deus sacerdotibus committendo eis populum. Mercedem enim doctrinæ acquirere non poteramus, nisi procuratio populi nobis commissa fuisset. Colonus habet ferrum, quo duram terram emollit, eradicat herbas, &c. Sicut colonus quantumvis de suis obtulerit munera, non sic placat Dominum suum, sicut si de vinea sua redditus offerat, ita Sacerdos non tantum placet Deo propter suam justitiam, quomodo si populum Dei sanctitatem docuerit.

De hoc *Isa. 5.* Plantavit vineam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in ea, & expectavit, ut faceret uvas, & fecit labruscas.

g Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?] Non quia ignoret quærit, sed ut sua responsione eos condemnet.

h Ajunt illi: Malos male perdet.] Hoc fuit per Titum, & Vespasianum.

i Et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis,] Fructum, sc. cordis, oris, & operis. *Ps. 1.* Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Fructus cordis, contritio, divinæ legis meditatio,

tatio, beneficiorum Dei recordatio, mortis memoratio, proximi compassio. Fructus oris, confessio, prædicatio, gratiarum actio, consilium. Fructus operis, pœnitentia, eleemosyna, obedientia, obsequiorum diligentia, difficilium tolerantia. *Lucas* autem 20. dicit: Quo audito dixerunt illi: Absit.

Marcus autem 12. dicit: Veniet, & perdet colonos, & dabit vineam suam aliis. *Chrys.* Secundum *Luc.* 20. sacerdotes contradicunt sententiæ Christi: Secundum *Marcum* confirmant. Sed ille responsiones eorum exposuit, iste autē responsiones cordis. *a* Dicit illis Jesus, Numquam legistis in scripturis, &c.] Hic explanat per effectum, quis sit ille lapis.

Psal. 117. Marc. 12. Luc. c. 20. — *M. 9. 3. c. 2.* — *Marc. 11. cap. 12. Luc. 19. & 20. & 31. Joh. 9.*

b Regnum] sacra Scriptura.

b Et dabitur genti facienti fructus ejus] i. opera.

agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Dicit illis Jesus: Numquam legistis in scripturis. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? ideo dico vobis, quia auferetur a vobis *a* regnum Dei, & *b* dabitur genti facienti fructus ejus. Et qui *c* ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem vero ceciderit, conteret eum. Et cum *d* audissent principes sacerdotum, & Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt, quod de ipsis diceret, & *e* quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.

C A P. XXII.

ET *f* respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: *g* Simile factum est regnum cœlorum *h* homini regi, qui *i* fecit nuptias filio suo. Et misit *k* servos suos *l* vocare invitatos ad nuptias, & *m* nolebant venire. *n* Iterum misit alios servos, *o* dicens, Dicite invitatis, ecce prandium meum paravi, *p* tauri mei, & *q* altilia *r* occisa sunt, & *s* omnia parata, *t* venite ad

c Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, &c.] *Chrys.* Quod cadit fortiter, cadit propter duas causas. Aut propter pondus suum, aut propter altitudinem. Christiani cadunt super lapidem peccando, nec tamen conteruntur quantum potest eos conterere Christus, sed secundum peccata sua, aut propter magnitudinem peccati criminalis, aut propter altitudinem dignitatis, ut clerici, monachi, viduæ, virgines. Lapis vero, i. Christus cadit super non credentes, qui non secundum opera sua pereunt, neque secundum suas personas, sed tantum pereunt, quantum potest eos perdere Christus, qui non credunt in eum. De quibus *Ps.* 1. Non sic impii, &c.

d Et cum audissent principes Sacerdotum, &c.] illas parabolas,

Luc. 14.

e Quærentes eum tenere timuerunt turbas,] qui non timebant Deum, [quoniam sicut prophetam eum habebant.]

EXPOSITIO CAP. XXII.

ET respondens Jesus, dixit iterum, &c.] Hic addit quartam parabolam, quæ sicut tertia spectat ad Judæorum improperium, ut de hoc sint similiter duæ, sicut, & de exclusione Judæorum, & introductione gentium. Veruntamen in hoc est differentia, quia in tertia improperat eis mortem propriam, in hac vero mortem Apostolorum. Hujus autem continentia consistit in tribus. Quia primo agitur de Apostolorum morte: de Judæorum futura captivitate, & de eorum æterna damnatione. Consequenter, ibi. [Tunc abeuntes Pharisæi, &c.] determinat tres quæstiones. Primam de censu reddendo Cæsari, secundam de resurrectione, tertiam de maximo mandato legis. Tertio de Deitate Christi, ibi, [Congregatis autem Pharisæis.] Dicit ergo. *f* Et respondens Jesus dixit iterum in parabolis eis dicens] Obscure loquebatur, ut non intelligerent, qui apertæ veritati obloquebantur. *g* Simile factum est regnum cœlorum,] i. præsens Ecclesia, i. negotium Ecclesiæ, simile est negotio, quod saltem potuit esse. *Chrys.* Supra dixit, Dabitur genti facienti fructus ejus, hic dicit, cui genti. *h* Homini regi.] *Chrys.* Homo rex, Deus pater, quia nomen hominis præjudicium non facit divinæ naturæ. *i* Qui fecit nuptias filio suo,] i. Christo. *Apoc.* 19. Venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit se byssino splendenti, & candido. Byssinum sunt justificationes sanctorum. Et dixit mihi: Scribe, beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.

k Et misit servos suos,] i. Prophetas.

l Vocare invitatos ad nuptias] *Chrys.* Quare nuptias vocat? Ut nihil sit triste, nihil calamitosum.

m Et nolebant venire,] credendo, operando.

n Iterum misit alios servos,] Apostolos, & prædicatores. *Romanor.* 10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur.

o Dicens: Dicite invitatis, &c.] *Prov.* 9. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, & posuit mensam suam: Misit ancillas suas, ut vocarent, ad arcem, & ad mœnia civitatis. *Isa.* 25. Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc cōvivium pinguium, convivium vindemiæ, convivium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. *Chrysost.* Prandium est doctrina justitiæ, multas enim proprietates habet sermo ad escam. Sicut enim qui non masticat cibum, non sentit ejus saporem, ita verbum, quod audimus, nisi masticaverimus tractantes, non intelligimus verbi virtutem: Ideo manna interpretatur, quid est hoc, ut quotiescumque audimus, quæramus quid est hoc. Item quod masticatum est, mittitur in stomachum, i. memoriam, aliter non prodest. *Lev.* 11. Animal, quod non ruminat, immundum est, & ille homo immundus est apud Deum, qui non recordatur aliquando, nec tractat, quod audit. Item *Chrys.* Convivium paratur ex tempore Moysi, scil. lex. *Exod.* 20. ex decem speciebus, i. ferculis. Ex eo tempore exierunt invitatores, i. Prophetæ, quando misit servos suos, jam invitati erant.

p Tauri mei] i. patres veteris testamenti, tauris comparabiles, quia in modum taurorum ventilabant cornibus inimicos. *q* Et altilia.] *Greg.* Altilia saginata dicuntur. Ab eo enim, quod est alere, altilia, quasi aletilia vocamus, scil. ab alendo. Altilia ergo sunt patres novi Testamenti, pinguedine charitatis saginati, pennis virtutum alati, & ad superna mente erecti.

r Occisa sunt] *Chrys.* Pro salute populi occiduntur sancti. 2. *Cor.* 12. Libenter ego impendam, & superimpendar pro animabus vestris. *Ps.* 65. Holocausta medullata offeram tibi, &c. *Chrys.* Sicut nullius animalis viventis viscera manducantur, ita viventium Prophetarum sermones nemo suscipit, sed post mortem eorum. *s* Et omnia parata.] *Chrys.* in Scripturis. Ibi enim invenit ignorans quid discat, contumax quid timeat, laborans præmia, pusillanimis mediocris justitiæ cibos, qui etsi pinguem non faciunt animam, tamen mori non permittunt. Qui magni animi est, invenit ibi spirituales escas, continentioris vitæ, quæ perducant eum prope ad Angelorum naturam, qui vulneratus est a diabolo, invenit ibi spirituales medicinas, vel cibos medicinales, & salutem per pœnitentiam. [Et omnia parata,] cibus, locus, vestimenta. De primo *Ps.* 67. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. De secundo. *Jo.* 14. Vado parare vobis locum. *Hebr.* 11. Paravit illis civitatem. De tertio. *Exod.* 28. Filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, ac tiaras in gloriam, & honorem.

t Venite ad nuptias,] credendo, operando. Vocat Dominus voce propria in Evangelio, vel prædicatore. *Jer.* 15. Si separaveris pretiosum a vili; &c. Item tuba, i. minis, sicut solent vocari milites ad pugnam. *Isa.* 58. Quasi tuba exalta vocem tuam. Item sibilo, & grandis promissionibus, aut consolationibus, sicut solent vocari aves. *Cant.* 1. Sonet vox tua in auribus meis. Item reclamatorio, idest, corpore suo cruentato, sic solent vocari aves nobiles. *Proverb.* 1. Extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Item intersigno, ut solent vocari clanistrales, & latrones a latronibus, ut velatione pallii, vel hujusmodi exterior ejus conversatio, & sanctorum suorum. *Isa.* 8. Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & portentum Israel. Item exhibitione temporalis beneficii, ut gallina

Dominus vocat multipliciter.

pane,

prae, & aves carne vocari solent, *Prov.* 1. Extendi manum meam, &c.]

a Isti autem neglexerunt] *Chr.* Non dicit malignati sunt, sed [neglexerunt,] quia quidam non odio, non invidia, sed mundi negotiis impediti non venerunt ad Christum. *b* Et abjerunt, alius in villam suam.] *Chr.* Honestum quidem est villæ cultura, *Eccl.* 7. Non oderis laboriosa opera. Honesta res est negotiatio, sive dignitatis, sive militiæ, si impedimentum religionis non facit. Villa non est peccatum, si impedit, fit peccatum. Non ergo ipsa cultura peccatum est, sed tu facis eam peccatum præferendo eam Deo. *Idem.*

nuptias, Illi *a* autem neglexerunt, & *b* abjerunt, alius in villam suam; *c* alius vero ad negotiationem suam. *d* reliqui vero tenuerunt servos ejus, & contumelia affectos occiderunt. *e* Rex autem cum audisset, iratus est *f* & missis exercitibus suis *g* perdidit homicidas illos, & *h* civitatem illorum succendit. *i* Tunc ait servis suis. Nuptiæ quidem paratæ sunt, *k* sed qui invitati erant non *l* fuerunt digni. *m* Ite ergo ad exitus viarum, & *n* quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et *o* egressi servi ejus in *p* vias. *q* congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos, & bonos, & *r* impletæ sunt nuptiæ discumbentium. *ſ* Intravit autem rex, ut *t* videret discumbentes *u* & vidit ibi *x* hominem non *y* vestitum veste nuptiali, & *z* ait illi: Amice, quomodo huc intrasti *a* non habens vestem nuptialem? At *b* ille

Villa mundus, negotiatio avarorum prædicatio Sacerdotum. Ergo per villam populares homines separantur a Deo, per negotiationem Sacerdotes. Illos mundi delectatio, hos lucri ambitus separavit. *Ezech.* 28. In iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam.

Item *idem*. Villa mundus, Miserrimus mundus, & miseri, qui sequuntur eum.

Item *Chryſ.* In villa intelligitur omne opus terrenorum, sive in agro, sive in vinea, sive in ligno, sive in ferro, & quicquid manuum labore fit, quod autem non labore manuum, sed aliis lucris consequimur, ut in honoribus permanere, aut in militia, aut in mercatione, omne hoc negotiatio appellatur. Nota autem, quod prætermittit hic *Matt.* excusationes istorum, quas *Luc.* 14. ponit. *c* Alius vero ad negotiationem suam.] *Eccl.* 26. Difficile exuitur negotians a negligentia, &c. *Ojee* 11. Circumdedit me Ephraim in negotiatione sua.

d Reliqui vero tenuerunt, &c.] *Chryſ.* De morte sua tacet, quia in priori parabola dixerat. *Hier.* Magni criminis rei arguuntur, qui servos suos occiderunt.

Item *Chryſ.* Quare misit ad eos, quos sciebat injuriam facturos? Docens nos omnia complere, quæ ad nos pertinent, etsi nullus aliquid lucraturus sit. *e* Rex autem cum audisset, iratus est.] Non in textu apponitur determinatio ejus, quod audivit, ex quo innuitur, quod manifesta non indigent probatione. Supplet tamen *Isa.* vocem sanguinis, quod sumitur ab illo *Gen.* 3. Vox sanguinis fratris tui Abel, &c. *Heb.* 12. Accessistis ad Sion montem civitatem Dei, &c. Et postea. Et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. *f* Et missis exercitibus suis] sub Titu, & Vespasiano, *g* Perdidit homicidas illos] captivitate, & æterna damnatione. *Luc.* 19. Inimicos meos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, &c. *h* Et civitatem illorum] scil. Jerusalem [succendit] Unde *Thren.* 2. Succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro. *i* Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt.] Nota historiam Assueri. *k* Sed qui invitati erant] Judæi, sc. per legem, & prophetas. *l* Non fuerunt digni] *Sap.* 6. Qui vigilaverit propter illam cito securus erit, quoniam dignos se circuit ipsa quærens, & in viis suis ostendet se illis hilariter. *m* Ite ergo ad exitus viarum] i. transite ad gentes per diversos errores vagantes. Vel, i. ad pauperes quibus deficit, quid agant] Ad exitus. *Chryſ.* Christus est via generalis, puto, quod & Sancti, qui ducunt ad Christum, viæ sunt. *Thren.* 1. Viæ Sion lugent. Item diabolus publica via est ad mortem, & viæ sunt professiones hujus mundi, professio malitiæ, professio luxuriæ, professio ludorum, quæ omnes ducunt ad diabolum viam perditionis. Dicit ergo [Ite ad exitus viarum] i. cujuslibet conditionis homines vocate ad fidem. Item castitas via est ad Christum, fornicatio via est ad diabolum. Item omnia opera nostra sunt via, sive ad cœlum, sive ad infernum. *Job* 31. Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat? *n* Et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias] quia non est acceptio personarum apud Deum. *Rom.* 2. *Act.* 10. *o* Et egressi, &c.] *Isa.* 27. Qui egredientur impetu a Jacob, florebit, & germinabit Israel, & implebunt faciem orbis semine. *p* In vias,] i. in diversos errores gentium. *q* Congregaverunt omnes, &c.] qui modo simul sunt in Ecclesia, quia media est inter cœlum, ubi boni; & infernum, ubi mali. *Greg.* Mali miscentur bonis, quia nunquam perducitur ferrum animæ ad subtilitatem acuminis, si hoc non eraserit lima alienæ pravitatis. In horreo sunt grana cum palea. In arca Noe animalia immitia cum mitibus, *Gen.* 7. *r* Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.] Hoc erit in fine sæculi *Prov.* 7. Vir non est in domo sua, abiit via longissima, sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam. *ſ* Intravit autem rex] *Chr.* Rex, i. Deus intravit, non quia ubique sit, sed ubi vult aspicere, ibi dicitur præsens esse, ubi non vult, ibi absens videtur. *t* Ut videret discumbentes] i. videri faceret. Simile *Gen.* 22. Nunc cognovi, quod timeas Dominum, dicit Dominus ad Abraham. *u* Et vidit] i. videri fecit. *Dan.* 7. Judicium sedit, & libri aperti sunt. 1. *Cor.* 4. Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. *x* Ibi hominem] Singulariter dicit, significans quod multi colligentur, sicut vulpes Samsonis. *Jud.* 15. *y* Non vestitum veste, &c.] i. operibus, licet fide, cum tamen fides sine operibus mortua sit. *Jac.* 2. Et *Gal.* 5. Fides, quæ per dilectionem operatur. Item non vestitum charitate, quæ operit multitudinem peccatorum. 1. *Pet.* 4. *z* Et ait illi, &c.] Nota tres quæstiones, quas faciet Dominus in die judicii omnibus Prælatis. Prima erit quæstio: O homo, quomodo in prælationem intrasti, i. quis introduxit te nummus, vel Deus. Et ad quid; ad onus, vel ad honores. Et per quam portam sive ostium, quia ego sum ostium. *Jo.* 10. Et bene scirem, si transisses per me.

Tres quæstiones faciet Dominus Prælatis in die judicii. Psal. 2 [illegible]

b At ille obmutuit,] quia non cogitaverat de ista quæstione respondere in tantis scolis non provisus. Ideo jucundus homo, qui miseretur, & commodat, &c. Secunda quæstio erit, quomodo vixisti, sicut Episcopus, aut sicut rusticus, vel sicut homo, vel sicut equus, sicut pastor, aut sicut pecus. Hanc quæstionem recitat *Isa.* 22. Quid tu hic, aut quasi quis hic? *Zach.* 11. O pastor, & idolum derelinquens gregem, vel potius o pastus, &c. *Ezech.* 33. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, Nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum est, occidebatis; &c. Tertia quæstio erit, quomodo rexisti, in quibus pascuis pavisti gregem meum, quomodo a lupis, & latronibus custodisti, quantas vigilias, & quantos labores pro grege meo sustinuisti? *Gen.* 31. dixit Jacob ad Laban. Viginti annis tecum fui, oves tuæ, & capræ tuæ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi, ego omne damnum reddebam, quicquid furtim peribat, a me exigebas, die, noctuque urgebar æstu, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Sed estne quæstio hæc in Biblia facta? *Jer.* 13. Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quæret enim Dominus gregem, & secundum numerum, & secundum qualitatem. *Jer.* 13. Adhuc transibunt greges ad manus numerantis, ait Dominus. Et ne credas, quod Dominus intelligat de grege pecudum, & non potius hominum, dicit *Ezech.* 34. Vos greges mei, hæc dicit Dominus Deus. Has tres quæstiones simul habemus. *Jud.* 18. ubi exploratores de Dan dicunt Sacerdoti Michæ. Quis te huc adduxit? Quid hic agis? Quam ob causam huc venire voluisti? Et satis competit responsio ejus Prælatis nostri temporis. Hoc, & præstitit mihi Michas, & mercede me conduxit, ut sim ei Sacerdos. Pauci enim hodie gratis Deo serviunt in prælatione, Unde *Malac.* 1. Quis est in vobis, qui claudat ostia mea, & incendat altare meum gratuito: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum.

a Non habens vestem nuptialem.] *Chryſost.* Vestimentum nuptiale est fides vera, & justitia. *Eph.* 4. Indui-

A te

a obmutuit. *b* Tunc dixit rex ministris: *c* Ligatis pedibus ejus, & manibus *d* mittite eum in tenebras exteriores, ibi *e* erit fletus, & stridor dentium. *f* Multi autem sunt vocati, pauci vero electi. Tunc *g* abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent eum in sermone: & *h* mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, *i* dicentes: Magister, scimus quia verax es, & *k* viam Dei in veritate doces,

A te novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis. Quod dicit, in justitia ad conversationem pertinet, quod dicit, & sanctitate veritatis, ad fidem. Vestimenta veteris hominis pannosa, & sordida, idest, opera carnis immunda. Si aliquis cum nigra veste inveniatur in nuptiis, sordidat nuptiarum gloriam, ita qui habet opera tenebrosa inter Christianos, ipse Christianitati facit injuriam. Homo igitur aut secundum locum eligat vestem, aut secundum vestem eligat locum, i. aut secundum opera eligat professionem, aut secundum professionem faciat opera. Alioquin audiet: [Amice, quomodo, &c.] Hic celamus invicem corda nostra, in illa vero die cœlum, & terra, aquæ, sol, & luna, dies, & noctes, & totus mundus stabit adversus nos in testimonium peccatorum nostrorum. Et si omnia taceant, ipsæ cogitationes nostræ, & ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros accusantes nos coram Domino, dicente Apostolo, Cogitationibus invicem se accusantibus aut etiam defendentibus in die, cum judicaverit Dominus occulta hominum. *Rom. cap.* 2. Audite, mulieres, non opus est aureis indumentis, dum hic vivimus, de facili illa circumponere, & convenit simul ornare animam, & corpus domum animæ, i. corpus ornas aureis velis, illam autem dimittis sedere in ciliciis. Nescis, quia regem magis oportet ornare, quam civitatem, i. intellectum, quam carnem, cujus est purpura, vel diadema regis? Monachi induti ciliciis præ ceteris habent hæc indumenta nuptiarum. [Vestem] *Isa. c.* 9. Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. *Sophon.* 1. Visitabo super eos, qui induti sunt veste peregrina. *Eccl.* 9. Omni tempore vestimenta tua sint candida. *Apoc.* 16. Beatus, qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.

Infra 25. [illegible]

a At ille obmutuit,] *Greg.* Omnino obmutescemus qui nunc operis mali excusationem prætendimus. Nec dabitur nobis locus audientiæ, ubi nos arguunt propriæ conscientiæ. Item *Rab.* Omne argumentum cessat excusationis, quippe quia ille foris increpat, qui testis conscientiæ, intusque animam accusat.

b Tunc dixit rex ministris.] & *Jer.* 59. Ego sum judex, & testis Dominus.

c Ligatis pedibus ejus, & manibus.] Hoc de justitia factum est. *Sap. c.* 11. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Pedes enim veloces fuerunt ad effundendum sanguinem. *Ps.* 13. Veloces pedes eorum.

Item manus non extendit ad pauperes. *Eccl. cap.* 4. Non sit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta. *Rom. cap.* 6. Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

Item nota, ligati erunt pedes, & manus omnium reproborum in inferno, quia non potuerunt bene facere, nec bene velle. *Eccl. cap.* 9. Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas. *Greg.* Pedes, qui visitare ægrum negligunt, manus, quæ nihil indigentibus tribuunt, a bono opere jam ex voluntate ligati sunt. Qui ergo nunc sponte ligantur in vitio, tunc in supplicio ligabuntur invite. *Prov. cap.* 5. Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur.

d Mittite eum in tenebras exteriores,] quia hic habuit interiores. *Ps.* 48. Introibit usque in progenies patrum suorum, & usque in æternum non videbit lumen.

e Ibi erit fletus, & stridor dentium] In fletu calor, in stridore frigus notatur. *Job c.* 24. Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium. [Ibi erit fletus, & stridor dentium.] Hoc verbum in septem locis in Evangelio legitur, & maxime contra Prælatos. Considerata enim in quolibet loco littera præcedenti, redditur causa, quare subjungatur.

Prima causa, quia male intrant, ut hic.

Secunda, quia male vixerunt. Unde *sup. cap.* 13. de sagena. Malos foras miserunt. Et subditur. Ibi erit fletus, &c.

Tertia, quia alios scandalizaverunt *sup.* 13. in parabola, zizaniorum. Colligent de regno ejus omnia scandala. Et subditur. Ibi erit fletus, & stridor dentium.

Quarta causa, quia inutiles in docendo fuerunt. Unde *inf. cap.* 25. de illo, qui talentum abscondit, dicitur. Inutilem servum projicite in tenebras exteriores; Et subditur. Ibi erit fletus, &c.

Quinta causa est, quia subditos oppresserunt. Unde *inf. cap.* 24. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo, moram facit Dominus, &c. ibi subjungitur: erit ibi fletus, & stridor dentium.

Marc. 12. *Luc.* 10.

Sexta causa est, quia in his omnibus præsumpserunt. Unde *Luc. c.* 13. dicent mali: Manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vos, unde sitis. Discedite a me omnes operarii iniquitatis. Ibi erit fletus, & stridor dentium.

Ultima causa impœnitentia. Unde *sup. cap.* 7. dicitur de Centurione: Non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cœlorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus, & stridor dentium, &c.

f Multi autem sunt vocati, pauci vero electi.] *Origen. sup. num.* 14. Timendum est Christianis, ne eo modo introeant in regnum cœlorum, quo filii Israel in terram promissionis, scil. duo tantum, præter Sacerdotes. 1. *Cor.* 19. Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.

g Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent eum in sermone.] *Chrys.* Quo abeuntes? Ad Herodianos. Nec dicit consiliati sunt, sed consilium inierunt. Nam qui habet consilium, nullius consilio indiget nisi Dei. Colonus Dei consilium non quærit diaboli, colonus autem diaboli etsi Dei auxilium quærat, non invenit. Vide furem euntem ad furtum orantem, ut prosperetur, & fornicator signum Crucis sibi facit, ut non comprehendatur, & tamen citius capitur, quia nescit justum Dei judicium patrocinium criminibus dare. Consilium tale, quales consiliatores.

h Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis.] Tunc Herodes erat in Jerusalem. *Chrys.* ut si respondisset pro Herodianis, illi accusarent, si pro Pharisæis e converso. Isti discipuli magistris suis erant ætate juniores, sed malitia pares.

Nam pulli serpentum natura breviores sunt, sed virus æquale habent. Catuli luporum etsi prædam adhuc capere non possunt, tamen & sanguine gaudent, & morsibus ludunt. *Luc. c.* 20. Observantes Pharisæi miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone. *Marc. c.* 12. Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis, ut caperent eum in verbo. Stulti, qui eum volunt capere in verbo, cum non possit verbum errare in verbo. *Prov. c.* 1. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.

i Dicentes. Magister scimus, quia verax es] *Prov.* 27. Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit.

k Et viam Dei in veritate doces.] Hæc via pœnitentia est. Hæc via munda est per temperantiam. *Prov. c.* 3. Viæ ejus viæ pulchræ.

Luminosa est, & splendens per prudentiam. *Proverb. c.* 4. Justorum semita, quasi lux procedens procedit, & crescit usque ad perfectam diem.

Recta per justitiam. *Isa. c.* 40. Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.

Plana per fortitudinem. *Isa.* 40. Erunt prava in directa, & aspera in vias planas. In hac autem via sunt quatuor necessaria.

Primum est viaticum, idest, corpus Christi. 3. *Reg.* 19. Ivit Elias in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb.

Secundum est baculus sustentationis, vel virga, i. memoria Crucis, & B. Virg. *Ps.* 22. Virga tua, & baculus tuus. Tertium est pera, i. eleemosyna. *Eccl.* 29. Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit. Quartum est cantilena ad consola-

tionem

ctionem viæ, i. oratio, & psalmodia, *Psal.* 118. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Et alibi. *Ps.* 137. Et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

a Et non est, &c.] imo de omnibus in esse conservando. *Sap. c.* 6. Cui cura est de omnibus. Vel de rationalibus disciplinando, non de aliis, ut 1. *Cor. c.*9 Numquid de bobus cura est Deo?

b Non enim, &c.] *Rom. c.* 2. Non est personarum acceptio apud Deum. *Gal.* 2. Deus personam hominis non accipit. *Act.* 10. In veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus. *Greg. in moral.* personam hominis accipere est hominem, non quia homo, sed propter aliquid, quod circa ipsum est, honorare.

c Dic ergo nobis quid tibi videtur,] *Chrys.* Non dicunt, quid est bonum, vel quid expediens, sed, [quid tibi videtur.]

d Licet censum dari Cæsari, an non?] *Rab.* & *Hieronymus.* Omnes Reges Romani a primo Cajo Cæsare, qui imperium arripuerat, Cæsares appellati sunt.

& non *a* est tibi cura de aliquo. *b* Non enim respicis personam hominum. Dic *c* ergo nobis, quid tibi videtur: *d* Licet censum dare Cæsari an non? *e* Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: *f* Quid me tentatis hypocritæ? *g* Ostendite mihi numisma census. At illi *h* obtulerunt ei denarium. Et *i* ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, & superscriptio? *k* Dicunt ei: Cæsaris. *l* Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & *m* quæ sunt Dei Deo. Et *n* audientes mirati sunt, & *o* relicto eo abierunt. In *p* illo die *q* accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & *r* interrogaverunt eum, dicentes: Magister, Moyses dixit: si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. *s* Erant autem apud nos septem fratres: & primus, uxore ducta, defunctus est, & non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo; similiter secundus, & tertius usque ad septimum. Novissime autem omnium, & mulier defuncta est. In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? Omnes enim habuerunt eam. *t* Respondens autem Jesus ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In *u* resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo. De *x* resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo, dicente vobis: Ego sum *y* Deus

e Cognita autem Jesus nequitia eorum,] i. dolositate, ait, *Chrys.* Sicut non potest ligna mittendo in ignem extinguere, ita non potest fieri, ut secundum rationem placeas homini malo. *Eccl.* 19. Amico, & inimico noli narrare sensum tuum.

f Quid me tentatis hypocritæ] *Hieron.* Hypocrita est, qui aliud agit, & aliud simulat, i. aliud intendit in corde, & aliud agit in opere. *Eccl.* 1. Noli esse hypocrita in conspectu hominum.

g Ostendite mihi numisma census] nummum, qui pro censu solvitur.

Proprie autem ponitur numisma pro ipso nummo. Numisma enim proprie dicitur ipsa exaratio Scripturæ facta, scil. inscriptio imaginis regiæ, & superscriptio in regis nomine.

h At illi obtulerunt ei denarium.] Iste denarius valebat decem nummos usuales: qui scribebatur pro censu capite vel pro censu capitis.

i Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, & superscriptio;] Hanc quæstionem attendant, qui putant, Dominum aliquid ex ignorantia interrogasse: Nam cum nummum inspiceret palam, satis patet quod non dubitavit cujus imago illa esset, sed interrogat, ut ad sermonem eorum competenter respondeat.

k Dicunt ei, Cæsaris] Tyberii, sub quo passus est Dominus.

l Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari] i. tributum, pecuniam.

m Et quæ sunt Dei Deo,] i. decimas, & victimas. *Rom.* 13. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

n Et audientes mirati sunt] *Luc.* 20. Mirati in responso ejus tacuerunt. *Luc.* 4.

Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.

o Et relicto eo abierunt] quasi recedentes mente, quod innuitur ex recessu in corpore.

p In illo die,] scil. secunda feria, in qua juxta persecutionem Matthæi arefacta est ficulnea.

q Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem.]

Credebant enim Sadducæi animam simul interire cum corpore: Pharisæi autem credebant corporis, & animæ resurrectionem. *r* Et interrogaverunt eum, dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & suscitet semen fratri suo.] Hoc habetur in *Deut.* 25. Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis defunctus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui.

s Erant autem apud nos septem fratres, & primus uxore ducta defunctus est, & non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo. Similiter secundus, & tertius usque ad septimum. Omnes enim habuerunt eã.] Hoc finxerunt Sadducæi, vel ita esse potuit. *t* Respondens autem Jesus ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.] *Chr.* Sapienter primo arguit stultitiam eorum, quia non legebant. Secundo ignorantiam: quia non Deum cognoscebant, quia ex diligentia lectionum nascitur scientia Dei: ignorantia autem negligentiæ filia est.

Si enim non omnes, qui legunt, cognoscunt Dominum, quomodo cognoscet, qui non legit? Qui enim legens de Deo vult invenire Deum, festinet vivere digne Deo, & ipsa bona conversatio fit ei lampas luminis ante oculos cordis ejus viam veritatis aperiens. Qui autem legit scientiam Dei ad gloriam vanam, & si semper legat, nunquam inveniet. Talis est Scriptura nolenti vivere secundum Deum, sicut si quis agricolæ nolenti pugnare exponat bellicam disciplinam, vel militi agriculturam nolenti colere terram. Neuter enim proficit, quia non habet desiderium illius disciplinæ.

Ubicumque enim fuerit desiderium hominis: illuc sensus illius dirigitur.

u In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo] idest, cœlestes. *Philip. cap.* 3. Nostra conversatio in cœlis est, *Chrys.* In hoc sæculo ideo morimur, quia nascimur, ideo ducimus uxores, ut quod moriendo minuitur, nascendo suppleatur.

Tolle moriendi necessitatem, & nascendi utilitatem, & ducendi causa soluta est. Et *infra*. Sicut anima in hoc mundo est peregrina, ita caro in illo extranea est. Hic anima carni subjecta est, quoad passiones, ibi caro animæ. Unaquæque res fortior est in sua patria, & dominatur.

Hoc modicum, quod anima sapit in hoc sæculo, nimia potestas animæ sibi vindicat, sicut dives hospes in domo pauperis, & si non potest jubere, quod vult, quia hospes, magnam tamen fiduciam sumit, quia potens. Et e converso pauper peregrinus nihil sibi potest defendere. Hoc diximus secundum rationem moralem, alioquin in resurrectione mutanda est carnis natura, ut nihil habeat in se carnis nisi forma, 1. *Cor. decimoquinto*. Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale.

x De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis.] *Chrysostom.* Calumniatoribus in quæstione aliqua, primo oportet auctoritatem aliquam afferre, postea rationem, & non e converso, quare ergo hic Christus facit e converso? Solut. Interrogantibus prius dicenda est ratio, deinde auctoritas, quia calumniatores oportet convincere, interrogantes vero docere. *y* Ego sum Deus Abraham, &c.] Hos nominat, quia his facta fuit promissio de incarnatione filii, & de vita æterna habenda

Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. *a* Non est Deus mortuorum, sed viventium. Et *b* audientes turbæ mirabantur in doctrina ejus. *c* Pharisæi autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducæis, *d* convenerunt in unum, & interrogavit *e* eum unus ex eis legis doctor tentans eum: *f* Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi *g* Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, *h* & in tota anima tua, *i* & in tota mente tua, *k* hoc est maximum, *l* & primum mandatum. *m* Secundum autem simile est huic: *n* Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his *o* duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ. *p* Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? *q* Dicunt ei: David. Ait illis, *r* Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum?

D

Matt. 22.

Deut. 6.

Levit. 19. Marc. 12. Rom. 13.

abenda specialiter. *Exod. c.* 3. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, misit me ad vos.

a Non est] autem [Deus mortuorum, sed viventium.] Si ergo animæ æternæ sunt, constat per consequens, quod corpora eorum resurgent. *Ezech. c.* 37. Ossa arida audite verbum Domini. *Dan. c.* 12. Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper. *Job. c.* 19. De terra surrecturus sum. *Isa. c.* 25. Vivent mortui tui, & interfecti mei resurgent.

b Et audientes turbæ mirabantur in doctrina ejus] quod ita prudenter responderet.

c Pharisæi autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducæis.] *Prov.* 26. Qui imponit stulto silentium, mitigat iras.

d Convenerunt in unum.] Hoc conventiculum malorum significatum est. 1. *Reg.* 17. Ubi dicitur, quod Philisthiim convenerunt in Socoth Judæ.

Item *Jud.* 16. Per vulpes Samsonis colligatas. *Chrys.* A veritate se esse nudos professi sunt, qui se multitudine armaverunt.

e Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans eum.] *Chrys.* Interrogavit tentans a principio, ex responsione vero utilitatem capiens laudatus est. *Marc.* 12.

f Magister, quod est mandatum magnum in lege?] *Chrys.* De magno mandato interrogat, qui nec minimum observat. Ille debet interrogare de majori justitia qui jam minorem complevit. Et ita si interroget aliquis, quæ para est melior in domo, dicis, fundamentum, sed tamen fundamentum non est, nisi domus fuerit subsecuta, sic & caput dignius est, quam membra, tamen nec membra sine capite, nec caput sine membris, ita hoc mandatum dignius est, tamen utilitas una, quia sibi cohærent. *g* Ait illi Jesus. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.] *Chrys.* q. d. non sicut tu, qui devotionem ostendis in ore, & fraudam meditaris in corde. Et ita diliges, inquit, non timebis, quia diligere majus est quam timere. Inchoatio enim culturæ Dei habet timorem, perfectio autem dilectionem. 1. *Joan.* 3. Perfecta charitas foras mittit timorem. Et ita timor sub necessitate est, dilectio in libertate.

Item *Chr.* Non dicit. Cognosces Deum, sed [diliges] quia cognoscere Deum unum, proprium est humanæ naturæ, diligere autem eum, religiosi cordis, & recti.

Item *Chrys.* Quid est diligere Deum ex toto corde? Ut cor tuum ad nullius rei dilectionem magis sit inclinatum quam Dei, nec delecteris in specie mundi amplius quam in Deo, non in honoribus, non in auro, non in amicis, &c. sed præ his omnibus Deum ames. Si autem in aliquo horum occupatus fuerit amor cordis tui, jam ex toto corde Deum non amas. Pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliam rem, pro tanta parte minus est ad Deum. Exemplum de uxore bona. *h* Et in tota anima tua.] *Chrys.* Quid est diligere in tota anima? Certissimum animum habere in veritate, & firmum esse in fide. Alius est amor cordis, alius est amor animæ. Amor cordis quodammodo carnalis est, ut etiam carnaliter Deum amemus, quod facere non possumus, nisi recesserimus ab amore mundalium, & ita amor cordis non intelligitur, sed sentitur in corde. Amor animæ intelligitur, non sentitur, quia amor animæ judicium ejus est, puta, intelligis unum Deum, sed si cœperis dubitare, jam non ex tota anima diligis Deum. *i* Et in tota mente tua.] *Chrys.* Quid est in tota mente? Ut omnes sensus tui Deo vacent, intellectus, sapientia, cogitatio, memoria. Qui ergo occupat aliquod eorum circa temporalia, jam non tota mente diligit Deum. *Aug.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, i. intellectu sine errore, ex tota anima, i. voluntate sine contradictione ex tota mente, i. memoria sine oblivione. *Bern.* Ex corde, sapienter, ex anima, dulciter, mente, perseveranter, totis viribus fortiter. *Hugo.* Corde devotione, hoc ad virgines: anima discretione, hoc ad Confessores: mente perseverantia, hoc ad Martyres.

k Hoc est maximum] dignitate.

l Et primum] ordine [mandatum.] Item *Bern.* Disce, Christiane, quomodo Christum diligas. Dilige dulciter, prudenter, fortiter. Dulciter, ne illectus, prudenter, ne deceptus, fortiter, ne depressus ab amore Dei averteris. Dulciter amandus est sponsus in remissione peccatorum. *Ps.* 144. Suavis Dominus universis. *Luc. c.* 10. Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.

Item dulciter in recordatione beneficiorum Dei. *Ps.* 144. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.

Item dulciter in prægustatione æternorum bonorum. *Ps.* 33. Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.

Item amandus est prudenter, insidias diaboli prævidendo. 2. *Cor. c.* 2. Ut non circumveniamur a Satana, non enim ignoramus cogitationes ejus.

Item prævisas insidias præcavendo. *Prov.* 20. Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum.

Item prudenter in prævidendo, & præcavendo strenuiter, & fortiter perseverare. *Sap. c.* 8. Attingit a fine usque ad finem fortiter.

Item amandus est fortiter, expellendo omnem timorem, 1. *Jo. c.* 4. Perfecta charitas foras mittit timorem.

Item in appetendo laborem. *Ps.* 37. Quoniam ego in flagella paratus sum.

Item amandus est fortiter in non fugiendo opprobrium, & mortem. *Luc. c.* 9. Qui me erubuit. *Ps.* 68. Quoniam propter te sustinui opprobriam.

Item amandus est sponsus, quia de nobili stirpe. *Prov. ult.* Nobilis in portis vir ejus.

Item quia sapiens. *Col. c.* 2. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. *Job c.* 9. Sapiens corde est.

Item quia fortis. *Ps.* 25. Dominus fortis, & potens.

Item quia dives. *Rom. c.* 10. Dives in omnes, qui invocant illum. *Jo.* 17. Omnia tua mea sunt.

Item quia largus. *Jac.* 1. Qui dat omnibus affluenter.

Item quia pulcher. *Psal.* 44. Speciosus forma præ filiis hominum.

Item quia benignus. *Tit.* 3. Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri. *m* Secundum autem simile est huic,] quia de re simili i. homine, quia ad imaginem, & similitudinem Dei factus est. Item quia de dilectione. Item simile quia de eo sicut de alio pendet lex. *n* Diliges proximum tuum sicut teipsum.] *Chr.* Proximus, Christus homo factus. *Luc. c.* 10. Quis est meus proximus? Vel proximus, omnis fidelis. Et ita sicut rex in imagine sua honoratur, sic Deus in homine diligitur, vel oditur. Non potest hominem odire, qui Deum amat, nec potest Deum amare, qui hominem odit. 1. *Jo.* 4. Qui dicit se Deum diligere, & fratrem suum oderit, mendax est. Et in fine volens Dominus ostendere Pharisæis, quia non sufficit solius patris cognitio, requisitus de uno mandato, respondit de duobus. Item *Chr.* Qui diligit proximum, non occidit eum, non mentitur ei, non uxorem invadit, &c.

o In his duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ.] *Gl.* Ideo duæ tabulæ legis datæ sunt. *Deut.* 10. In quibus erant decem præcepta, tria in una, quæ ad Deum, septem in altera, quæ ad proximum. Secundum quosdam sunt quinque in una, & quinque in alia. *Rom.* 12. Plenitudo legis dilectio. *Gal.* 5. Omnis lex in duo sermones completur. Diliges proximum tuum sicut teipsum. *p* Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens. Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est] secundum carnem. *q* Dicunt ei David. Ait illis] Jesus. *r* Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum?] In directa ratiocinatione con-

futat

futat eos ostendens ex concesso, sequi David dixisse falsum, quod est inconveniens, & Spiritum sanctum, quod est impossibile. Est autem hæc quæstio Domini cum pondere intelligenda. Vos putatis Christum filium David, & hominem purum, ergo perperam locutus est David vocans eum Dominum, cum pater filium hominem purum non consueverit appellare Dominum. *a* Dicens: Dixit Dominus] pater. *b* Domino meo] i. Christo, *c* Sede a dextris meis,] i. in potioribus bonis, *Heb.* 1. Cui Angelorum aliquando dixit. Sede a dextris meis? *d* Donec ponam,] exclusive. *e* Inimicos tuos, &c.] *Isa.* 60. Locum pedum meorum glorificabo, 1. *Cor.* 15. Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus, *Heb.* 10. Sedet in dextera Dei, de cetero expectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Si ergo David, &c.] cum filius propter propagationem sonet in subjectionem, & maxime secundum usum antiquorum Patrum.

Ps. 109. Matt. 22. Luc. 20.

11 dist. cap. secundum. A

g Et nemo poterat ei respondere verbum, &c.] quia confutaverat eos verbis.

EXPOSITIO CAP. XXIII.

TUnc Jesus locutus est ad turbas, &c.] docens populum. Primo arguit Scribas, & Pharisæos de superbia, & suos provocat ad humilitatem. Secundo, arguit eosdem de hypocrisi multipliciter, sicut patet in littera. Imprecatur autem eis octies væ æternum, ibi [Væ autem vobis Scribæ, & Pharisæi, Tertio, rationem damnationis eorum innuit, scil. occisionem justorum, ibi [Itaque testimonio estis.] Prima pars capituli est contra Prælatos: Secunda contra magistros: Tertia contra hypocritas, in qua etiam mors Domini prophetatur: Dicit ergo.

h Tunc,] scil. imposito illis silentio: Sicut Dominus ejectis turbis, & tibicinibus, sanavit puellam, *Marc.* 5. Sic Isajas, mortuo leproso Ozia vidit Dominum in solio excelso, & dixit: Væ mihi, quia tacui, *Isa.* 6. ubi dicit *Gloss.* Dum rex leprosus, i. diabolus regnat in nobis, nec Deum in sua majestate videre, nec mysteria Trinitatis possumus agnoscere. Sic filii Israel mortuo Pharaone potuerunt ad Deum clamare. *Exod.* 3. Sic Ezechiel mortuo impio principe Pheltia, excelsa voce clamavit ad Dominum. *Ezech.* 11.

i Jesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos.] *Chrys.* Ideo Dominus ad suos convertit sermonem, ut confusio Scribarum, & Pharisæorum illorum fieret disciplina. Infructuosum namque est verbum, in quo sic alter confunditur, ut alter non erudiatur. Nam & Dominus non propter malos castigationem super terram transmittit, sed propter bonos. Scit enim, quia malos flagella non corrigunt, sed malos castigat, ut bonos corrigat, quia bonus nisi fuerit admonitus, per negligentiam evanescit: Sic & Christus numquam potuit eorum interrogationes contemnere, sed voluit indignos digne docere, ut dignos digne doceret.

k Dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi.] *Chrys.* quasi dicat, multi sederunt Sacerdotes, multi in nomine, pauci in opere. Videte ergo quomodo sedeatis super eam, quia non cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis Sacerdos sanctus est, sed omnis Sanctus est Sacerdos. Et ita qui male sederit, injuriam cathedræ facit. *Prov.* 25. In loco magnorum ne steteris.

Item *Chrys.* In judicio sedens, si bene vixeris, & bene docueris, omnium judex eris, si male vixeris, & bene docueris, tui solius: Nam bene docendo ostendis quomodo populus debeat vivere, male vivendo Deum instruis, quomodo debeas condemnari.

l Omnia ergo.] *Chrys.* Omnia dicit, quæ corrigunt mores. *m* Quæcumque dixerint vobis, servate, & facite, &c.] *Chrys.* Accipite, quod vestrum est, nolite discutere, quod alienum est.

Item *Chrys.* Sicut Sacerdotes etiam docent infideles propter fideles, ne bonos negligant propter malos, sic & vos etiam malos Sacerdotes honorate propter bonos ne propter malos etiam bonos contemnatis. Melius est malis injusta præstare, quam bonis justa subtrahere. Frequenter enim de malo bona doctrina procedit. Ecce enim & terra vilis pretiosum aurum producit. Numquid propter vilem terram pretiosum aurum contemnitur. Sed sicut aurum eligitur, & terra contemnitur, sic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite, Nam & apibus herbæ necessariæ non sunt, sed flores: ideo flores colligunt, & herbas relinquunt. Et ita bene dicere omnium est, bene facere autem paucorum.

1. q. 1. c. omnia ... justificatus, & c. non quales ... ; Luc. 22. ... c. Alligant. De consec. dist. 4. c. baptism.

n Dicunt enim, & non faciunt.] Hi sunt ficus, in qua Dominus non invenit nisi folia, *sup.* 21. Et ideo maledicti. *Aug. in libro Prosperi.* Bene dicere, & male vivere, nihil est aliud quam se sua lingua damnare. Nota quod Dominus arguit eos hic de dolo, & duplicitate. Hi enim habent pondus, & pondus, aliud in ore, aliud in opere. Contra quos *Prov.* 20. Pondus, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum, *Lev.* 19. Statera justa, & æqua sint pondera. *o* Alligant enim onera gravia, & importabilia.] Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parva mandantem, & gravia facientem. Item *Chrys.* Si erramus aliquando modicam pœnitentiam injungendo, nonne melius est de misericordia rationem reddere, quam de crudelitate? Ubi paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus est benignus, ut quid Sacerdos est austerus? Item *Rab.* Hæc generaliter contra omnes magistros, qui grandia docent, & faciunt minora. Similiter Sacerdotes, qui grande pondus venientibus ad confessionem imponunt, & sic dum pœna præsentis peccati constringitur, pœna futuri contemnitur. Si enim fascem super humerum adolescentis, quem non potest bajulare, posueris, necesse habet, aut fascem rejiciat, aut sub pondere confringatur. Sic ille cui grave pœnitentiæ pondus imposueris, necesse est, aut pœnitentiam rejiciat, aut suscipiens deferre non potest scandalizatus amplius peccet. Deinde si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam dare rationem, quam propter crudelitatem deficere pœnitentem? [Alligant.] Contra quos *sup.* 15. Quare transgredimini mandata Dei propter traditiones hominum? Tot enim constituunt, quod dimidium sustinere non possunt. *Act.* 15. Hoc est onus, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus, imo tota die per consuetudinem abrogantur. De his *Prov.* 19. Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate, quam dives torquens labia sua.

p Et imponunt in humeros hominum.] Hi significantur per regem Roboam dicentem 3. *Reg.* 12. Pater meus cæcidit vos flagellis, ego aut cædam vos scorpionibus. *q* Digito autem suo] i. levi motu. *r* Nolunt ea movere.] Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.] Tales recipiunt hic mercedem suam, ut *sup.* 6. Amen dico vobis: receperunt mercedem suam. *Hier.* Quicumque quodlibet facit, ut videatur ab hominibus, Scriba, & Pharisæus est. *s* Dilatant enim philacteria sua,] Philacteria vocat chartulas pro simulatione fronti eorum, & sinistræ manui impositas, in quibus erat scriptus Decalogus. Propter illud. *Deut.* 6. Ligabis ea quasi signum in manu tua. Secundum quosdam vero, sed non authentice, philacteriæ dicantur capsulæ, in quibus reservantur extremitates Sanctorum, i. articuli manuum, & pedum, a thorat quod est extremitas.

a dicens: Dixit Dominus *b* Domino meo, *c* sede a dextris meis, donec *d* ponam *e* inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si *f* ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et *g* nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare,

CAP. XXIII.

TUnc *h* Jesus *i* locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, dicens: *k* Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, *l* Omnia ergo, *m* quæcumque dixerint vobis, servate, & facite, secundum vero opera eorum nolite facere: *n* Dicunt enim, & non faciunt, *o* Alligant autem onera gravia, & importabilia, & *p* imponunt in humeros hominum, digito *q* autem suo *r* nolunt ea movere. Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. *s* Dilatant enim philacteria sua,

mitas. Alio modo dicuntur philacteria a philaxe, quod est servare, & thorat, lex, quasi custodia legis. Tempore Hieronymi, ut ipse refert aliquid de superstitione Judæorum retinuerunt homines, erantque mulierculæ chartulas ferentes, in quibus scripta erant brevia Evangelia. Multi adhuc hodie deferunt chartulas, in quibus scripta est epistola quam detulit Angelus Domino Agaro regi.

Marc. 12. Luc. 12. & 18.

a Et magnificant fimbrias] Nu. c. 15. & Deut. c. 22. Jussit Moyses, ut in quatuor angulis palliorum facerent fimbrias, ut per hoc discernerentur ab aliis populis in habitu exteriori, sicut erant oatione discreti. Illi autem faciebant fimbrias magnas, & in eis ligabant spinas pungentes, ut eundo, vel sedendo quandoque pungerentur, ut sic commoniti recolerent beneficia Dei. Propter hujusmodi autem fimbrias dicitur, cognovisse Samaritana, quod Dominus Judæus esset.

& a magnificant fimbrias. b Amant autem primos recubitus in c cœnis, & d primas cathedras in synagogis, & e salutationes in foro, & f vocari ab hominibus Rabbi. g Vos autem nolite vocari Rabbi. Unus h est enim magister vester: i omnes autem vos fratres estis. Et k patrem nolite vocare vobis super terram, l unus est enim pater vester, m qui in cœlis est. n Nec vocemini magistri, o quia magister vester unus est Christus. p Qui major est vestrum, erit minister vester. q Qui autem se exaltaverit, r humiliabitur, & f qui se humiliaverit, exaltabitur. Væ t autem vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, u qui clauditis regnum cœlorum ante homines:

b Amant autem primos recubitus. Luc. 14. Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos. Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, &c.

c In cœnis.] Hic arguit eos de gula. Phil. 3. Quorum Deus venter est.

d Et primas cathedras in synagogis.] Hic de ambitione. Eccl. 7. Noli quærere ab hominibus ducatum, neque a rege cathedram honoris.

e Et salutationes in foro.] Raban. Quamvis & hoc culpa non careat, si iidem in foro litibus interessent, qui in cathedra Moysi synagogæ magistri cupiunt appellari.

f Et vocari ab hominibus Rabbi.] Chr. vocari volunt, non esse, nomen appetunt, officium negligunt. Isa. 41. Adducit magistratum quasi lutum.

g Vos autem nolite vocari Rabbi.] Dominus hic ambitionem, quæ fuit causa vitiorum, propter quæ arguebat Pharisæos, extirpat a discipulis suis. Sufficit enim causam extirpare, qua cessante cessat effectus. Exponitur autem illud dupliciter. De ambitione magisterii, quam prohibet Dominus, non autem honorem, vel nomen inhibet, sed ne quis indebitum sibi nomen magisterii velit usurpare per ambitionem.

Exponitur autem de auctoritate sciendi, & suppletur. [Vos autem, &c.] nec alios vocare, i. nolite vobis adscribere, vel aliis attribuere auctoritatem scientiæ. Homo enim magister est in ministerio doctrinæ, quia solus Deus animam illuminat lumine sapientiæ, sicut homo pater est in ministerio geniture, solus Deus auctoritate naturæ. Exod. cap. 20. Non assumes nomen Dei tui in vanum.

h Unus est enim magister vester] auctoritate, qui docet interius Osee 2. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.

i Omnes autem vos fratres estis,] quia ab uno patre, & unam hæreditatem expectamus. Malac. c. 2. Numquid non unus pater omnium nostrum? Numquid non unus Deus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque fratrem suum.

k Et patrem nolite vocare vobis super terram,] idest, alii non ascribatis auctoritatem sciendi, vel etiam generandi.

l Unus est enim pater vester] auctoritate.

m Qui in cœlis est.] Unde sup. 6. Pater noster, qui es in cœlis.

n Nec vocemini magistri.] Jacob 3. Nolite plures magistri fieri.

o Quia magister vester unus est Christus.] Joan. cap. decimotertio.

Vos vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis. Sum etenim.

p Qui major est vestrum, erit minister vester.] Gen. 25. Major serviet minori.

q Qui autem se exaltaverit] incaute se elevando. Proverbior. 16.

Ante ruinam exaltabitur spiritus.

r Humiliabitur.] i. minimus reputabitur. Prov. c. 29. Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria, Eccl. 11. Sapientia humiliati exaltabit caput illius. f Et qui se humiliaverit, exaltabitur.] Proverb. 18. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, & antequam glorificetur, humiliatur. Job 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Nota autem, quod illud verbum ter ponitur in Evangelio, ut hic, & Luc. 14. & 18. ad denotandum triplicem humilitatem. Cordis oris, & operis. De humilitate cordis, sup. 11. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Jud. 8. Humiliemus illi animas nostras, & in spiritu contrito, & humiliato serviamus illi.

Jacob 1.

Luc. 14. & 18.

De humilitate oris. Jud. 9. Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Et Eccl. c. 35. Oratio humiliantis se nubes penetrat.

De humilitate operis. Eccli. c. 19. Est, qui nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo. Phil. 3. Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Ephes. 4. Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, scil. cordis, oris, operis. Humilitatem autem custodiunt, assiduitas subjectionis, quam non habuit Adam, comparatio melioris, quam non habebit antichristus.

Væ autem vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ.] De perversa doctrina, quantum ad dissonantiam oris, & operis arguit eos Dominus sup. ubi dixit. Dicunt enim & non faciunt. Nunc arguit de iniquitate, quia cum æqualitas debeatur proximo, ipsi inique agebant erga proximum, cum doctrina, qua negabant adventum Christi, per quem aperitur aditus cœli, claudebant aditum regni.

Unde dicitur eis a Domino, [Væ autem vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ,] quia jam patimini tenebras interiores finaliter passuri exteriores. Et nota, quod Matthæus ponit octo væ, quæ respondent quasi per contrarium octo beatitudinibus, sup. c. 5. positis, a quibus privati sunt propter, scil. octo peccata de quibus reprehendit eos Dominus per ordinem.

Primum est exempli pernicies.

Secundum castimargia, sive spoliatio subditorum sub prætextu prolixæ orationis.

Tertium perversitas doctrinæ. Quartum assertio falsitatis.

Quintum, vitium cupiditatis.

Sextum, & septimum simulatio sanctitatis.

Octavum est pietas simulata Luc. c. 6. ponit quatuor beatitudines, & quatuor væ illis respondentia. 11. ponit quinque væ. u Qui clauditis regnum cœlorum ante homines.] Arguit hic a malo exemplo. Error enim sapientis facile trahitur in exemplum. Hoc autem est inæqualitas ad proximum. Chr. Clavicularii sunt Sacerdotes. Clavis est verbum scientiæ Scripturarum, per quam aperitur hominibus janua veritatis. Apertio est vera interpretatio. Vide ergo, quia non dixit: Væ vobis, quia non aperitis regnum cœlorum, sed quia clauditis. Ergo non sunt Scripturæ clausæ, sed obscuræ, sicut dixit Petrus. 2. Pet. 1. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, idest, non sicut voluit homo, locutus est spiritus, sed sicut voluit spiritus, locutus est homo. Ratio autem obscuritatis multiplex est, sed duas dicimus. Primum, quia Deus voluit alios esse doctores, alios discipulos. Si enim omnes scirent, doctor necessarius non esset, & ideo tunc ordo confusus. Deuter. 32. Interroga presbyteros, & annunciabunt tibi. Et ita sicut Sacerdos dabit rationem in die judicii, si non docuerit, ut dicitur Ezech. cap. 3. Sic populus si non didicerit. Prov. 1. Extendebam sermones meos, & non audiebatis, ideo in perditione vestra ridebo. Sicut paterfamilias non omnibus exponit cellarium suum, aut vestiarium suum, sed habet in domo sua aliquos, qui dant, alios, qui accipiunt,

piunt in domo Dei, aliqui sunt, qui docent, alii, qui discunt. Item obscura est, ne sit contemptibilis. Contemptibilis enim est, si ab illis intelligitur, a quibus non amatur: Igitur non clausa est, sed obscura. Qui quærunt inveniunt ad suam gloriam, quia quæsierunt: qui non quærunt, inveniunt ad suam condemnationem, quia non quæsierunt. Nec potest esse eis excusatio veritatis, quibus fuit inveniendi facultas si fuisset quærendi voluntas: Quomodo claudebant Scripturas Sacerdotes, aliud pro alio interpretante. *Chrysost.* Personæ Pharisæorum recesserunt de mundo, non mores. Quidam nomina Hebraica, quidam partem Evangelii scribunt, & alligant circa collum. Die Sacerdos insipiens, nonne Evangelium quotidie legitur in Ecclesia? Cui ergo Evangelia in auribus posita non prosunt, quomodo collo suspensa sanabunt? Deinde, ubi est virtus Evangelii? In figuris literarum, an in intellectu sensuum. Si in figuris, bene ergo suspendis in collo, si autem in sensu intellectus, ergo melius prosunt in corde posita, quam circa collum suspensa. [Clauditis regnum cœlorum,] mysteria sacræ Scripturæ non aperiendo. *Eccl.* 2. Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & intelligentiam, peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, &c. *Chrys.* Regnum cœlorum dicuntur Scripturæ, quia illis insertum est.

Antiqui libri non habent illa: sed.

† Væ vobis &c. usque ad proximum Væ, &c.

a Vos enim non intratis,] *Supra* 18. Nisi conversi fueritis.

b Nec introeuntes] idest volentes intrare.

c Sinitis intrare,] sed impeditis. Contra quod *Proverb.* 3. Noli prohibere benefacere eum, qui potest, si vales, & ipse benefac.

d Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ,] Hic arguit eos de simulatione sanctitatis propter lucrum, vel castrimargia.

e Qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes,] *Chrysost.* Orationibus quasi magnis retibus facultates viduarum piscatis. Væ igitur vobis, primum, quia estis iniqui. Alterum, quia figmentum assumitis sanctitatis. Item *Chrysost.* Qui avaritiam vestram religionis colore depingitis, quasi diabolo arma Christi præstatis, ut armetur iniquitas, dum pietas æstimatur. *Osee* 4. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem sublevabunt animas eorum. Contra tales pastores, *Ezech.* 34. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, &c. Sexus muliebris facilis ad decipiendum.

f Orationes longas orantes,] supple, & sic mulierculas decipientes.

g Propter hoc amplius accipietis judicium,] idest majorem damnationem. *Sap.* 6. Judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet.

h Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ,] Hic arguit eos de falsitate doctrinæ, vel perversitate. Scribæ sunt Prælati, qui deberent esse scripti intus, & foris. Pharisæi clerici divisi a se, quia volunt videri, quod sint in tonsura, & veste, & similibus.

i Qui circuitis mare,] *Isai* 57. Impii quasi mare fervens.

k Et aridam,] *Gen.* 1. Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum, & appareat arida, [circuitis] prædicando legalia.

l Ut faciatis unum proselytum,] Proselytus dicebatur, qui de gentilitate ad Judaismum convertebatur.

m Et cum fuerit factus,] scilicet proselytus.

n Facitis eum filium gehennæ] propter opera, quæ facit, quæ sunt vestris operibus similia, & patris gehennalis. Unde *Joan.* 8. Vos ex patre diabolo estis. Simili modo dicitur Antichristus filius perditionis. 2. *Thess.* 2. *Galat.* 5. Testificator omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ.

a Vos enim non intratis, *b* nec introeuntes sinitis *c* intrare. † Væ *d* vobis, scribæ, & Pharisæi hypocritæ; *e* qui comeditis domos viduarum, *f* orationes longas orantes, *g* Propter hoc amplius accipietis judicium. *h* Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, *i* qui circuitis mare, & *k* aridam, ut *l* faciatis unum proselytum, & *m* cum fuerit factus, *n* facitis eum filium gehennæ *o* duplo quam vos. Væ *p* vobis, duces cæci, qui dicitis: *q* quicumque juraverit per templum, nihil est, *r* qui autem juraverit in auro templi, debitor est. *s* Stulti, & cæci, *t* quid enim majus est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum? Et *u* quicumque juraverit in altari, nihil est, *x* quicumque autem juraverit in dono, *y* quod est super illud, debet. Cæci, *z* quid enim majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum? *a* Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt: Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso. Et *b* qui jurat in cœlo, jurat in

o Duplo quam vos.] quia visa pravitate vestra resipiscit, & tamquam canis ad vomitum redit. Unde 2. *Petr.* 2. Melius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitionem retrorsum converti.

p Væ vobis duces cæci,] Hic arguit eos, de assertione falsitatis, vel fraudulentia. Pharisæi enim alliciebant homines ad faciendas oblationes, dicentes, non esse reum perjurii, qui falsum juraret per templum, nec ad executionem juramenti astrictum, sed qui per oblationes factas in templo juraret, & non exequeretur, reus perjurii fieret, quia juramento constrictus erat. Quos confutat Dominus, quia accidit oblationibus sanctificatio potius, ex eo, quod oblatæ sunt in templo, quam e converso. Dicit ergo: Væ vobis duces cæci, *supra* 15. Si cæcus cæco ducatum præstet, &c.

q Qui dicitis: quicumque, &c.] Dei, [nihil est,] quasi dicitis, eum non esse reum perjurii, & astrictum per juramentum suum.

r Qui autem juraverit, &c.] idest in pecunia oblata sacerdotibus.

s Stulti, & cæci,] *Isa.* 42. Quis cæcus, nisi qui venundatus est, & quis cæcus nisi servus Domini. 1. *Reg.* 11. In hoc feriam vobiscum pactum.

t Quid enim majus est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum?] idest causa, cujus Dominus sanctificat aurum? quasi dicat, quod est majus, sanctificatum, an sanctificans?

u Et] dicitis repente, [quicumque juraverit in altari, nihil est,] idest non est reus perjurii vestri reputatione.

x Qui autem juraverit in dono] i. in oblationibus, ut victimis, & ceteris, quæ offerebantur. *Soph* 1. Jurant in Deo, & jurant in Melchon, quod interpretatur rex mœroris. *Isa.* 65. Qui jurat in terra jurabit in Deo, amen, &c. *Jer.* 4. Jurabis: *Vivit* Dominus in veritate, & judicio, & justitia. *Hieron. ibi*: Hos tres comites habet juramentum, qui si defuerint, perjurium est.

y Quod est super illud, debet.] i. tenetur ad id, quod juravit.

z Cæci, quid enim majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum?] quasi, quid est majus, sanctificatum, an sanctificans. *Machab.* 5. Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit.

r Qui autem juraverit in auro, &c.] *Chrys.* Judæi aurum, quo ipsi delectabantur, & dona, quibus pascebantur sanctiora dicebant esse, quam ipsum templum, & altare, ut homines promptiores fierent ad offerendum dona, quam preces fundendas in templo. Multi etiam nunc Christiani sic insipienter intelligant. Et *infra* Modicum videtur facere, qui jurat per Deum, qui autem jurat per Evangelium, majus aliquid fecisse videtur. Quibus dicendum est: O stulti, Scripturæ propter Deum sunt, non Deus propter Scripturas. Major est, qui sanctificat Evangelium, quam qui sanctificatur ab eo.

Marc. 8.

a Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt, &c.] Occasione erroris, quam introducebant Pharisæi, addit amplius de juramento Dominus, quia æque se astringit juramento jurans per unam, sicut per aliam creaturam, quia qui jurat per creaturam, jurat per creaturæ auctorem. *August.* Quanto sanctius est illud, per quod juratur, tanto pœnalius est perjurium. Ergo pœnalius est jurare per Deum, quam per oculos Dei. Solut. Loquitur *Aug.* paribus aliis, sed jurans per oculos Dei ingratus est Deo, de eo, quod factus est homo, præterea Deum contemnit, & membrum Dei.

b Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum,] idest in Deo. *Isa.* 66. Cœlum mihi sedes est

sedes est. *a* Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ,] Quotum væ, ubi Dominus arguit specialiter scribas, & Phariseos de avaritia, & superstitione. Nam occasione decimarum, quas Dominus Levitis dari jusserat, etiam minutissima decimabant, vel dando, vel recipiendo. Erant enim inter eos quidam populares, & quidam Levitæ, vel Sacerdotes, illi decimas dabant, isti recipiebant etiam de minutis, utrique autem maxima præcepta negligebant. Propter quod reprehendit eos Dominus, magis attendens tempora moderna, quam illa. Nunc enim omnes fere tam Prælati, quam doctores, quam Ecclesiastici Judices contemptis operibus charitatis student ambitioni, & avaritiæ, & cupiditati. Unde *Isaiæ* 56. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt: unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum. *Jer.* 6, A minori usque ad majorem omnes avaritiæ student, & a Propheta usque ad sacerdotes cuncti faciunt dolum.

Luc. 11. *Luc.* 12. *al.* † *sunt.*

throno Dei, & in eo, qui sedet super eum. Væ *a* vobis, scribæ, & Pharisæi *b* hypocritę, *c* qui decimatis *d* mentham, & anethum, & cyminum, & *e* reliquistis, quę graviora sunt legis, *f* judicium, & *g* misericordiam, & fidem: *h* Hæc *i* oportuit facere, & *k* illa non omittere. *l* Duces cęci excollantes culicem, *m* camelum autem glutientes. Væ *n* vobis scribę, & Pharisęi hypocritę, *o* qui mundatis, quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni † estis rapina, & immunditia. *p* Pharisęe cęce, *q* munda prius, quod intus est calicis, & paropsidis, ut fiat & id, quod de foris est, mundum. Vę *r* vobis scribę, & Pharisęi hypocritę, quia *s* similes estis sepulchris *t* dealbatis, quę *u* a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia: Sic & vos, & foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate. Vę *x* vobis scribę, & Pharisęi hypocritę, *y* qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & *z* ornatis monumenta justorum:

b Hypocritæ,] De hypocritis *Luc.* 12. *Job* 15. 17. & 20.

c Qui decimatis] idest decimas datis, vel exigitis. Sensus dubius est.

d Mentham, & anethum, & cyminum,] ista vilia.

e Et reliquistis] idest incorrecta relinquitis, [quę graviora sunt legis.]

f Judicium] *Isa.* 59, Conversum est judicium retrorsum. *Job* 29. Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam. *Jerem.* 5. Quęrite in plateis Jerusalem, an inveniatis virum facientem judicium, &c. Et *infra ibid.* Magnificati sunt, & ditati, incrassati sunt, & impinguati, & pręterierunt sermones meos pessime. Causam viduę non judicaverunt, causam pupilli non dixerunt, & judicium pauperum non judicaverunt. *Isa.* 1, Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, causa viduę non ingreditur ad eos. *Mich.* 6. Indicabo tibi, o homo, quid Dominus requirat a te, utique facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.

g Et misericordiam, & fidem] *Prov.* 15. Misericordia, & fide purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat omnis a malo.

h Hęc] majora, scilicet. *i* Oportuit] vos, vel alios [facere.] Hoc addit, ne videretur eleemosynas fructuum terrę respuere. *k* Et illa non omittere,] Argumentum, quod decimę dandę sunt de omnibus etiam de minutis. Solut. Sic tunc quando non solum ad substantiam decimę tenebantur, sed etiam ad taxationem, cum taxata esset tribus, cui decimę solvebantur, sed non sic modo, sicut in Concilio habetur constitutione in aliquibus regionibus illę decimę sunt necessario solvendę, quę debentur ex lege divina, vel loci consuetudine approbata. Sed objiciunt Hęretici, [oportuit,] dicunt, non oportet, quia tunc oportuit, sed non modo. Item objiciunt, cur non dant Levitę decimas decimarum summo Sacerdoti? Responsio, quia non est modo unicus pontifex, nec unicum templum, sed plura loca sacrificiorum, & pręsules multi, qui accipiunt.

l Duces cęci excolantes culicem] idest minora disquirentes. *m* Camelum autem glutientes] idest subticentes majora. *Chrys.* Omnes sacerdotes, qui propter decimas corripiunt, & majora peccata videntes tacent, docent populum colare culicem, & glutire camelum, idest a modico abstinere, & majora committere. Item, *B. Bernard.* Sic Prelati nostri temporis culicem eliquant, & camelum deglutiunt, dum majora prętermittentes, minora discutiunt, optimi scilicet rerum ęstimatores, qui magnam in minimis, parvam, aut nullam in maximis adhibent diligentiam, quod facile liquet in exemplis. Sic etiam est hodie in claustris: Plus punitur,

aliquis pro omissione, vel transgressione unius adinventæ constitutionis, quam ipsius regulæ. Unde *supra* 15. arguuntur tales: Quare transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras, &c.

n Væ vobis, &c.] Quia Pharisęi faciebant quæque simulatorie, repetit de eorum simulatione, & mendacio, sive hypocrisi, de qua diffusius agens arguit eos metaphorice, comparans calici, & paropsidi super eo, quod religionis superficiem prætendebant exterius, cum interius spurcitiam conscientiæ celarent. Arguit itaque eos in tribus. In exteriori munditia, interiori immunditia, & apparenti misericordia.

Luc. 11.

o Qui mundatis, &c.] *Chrys.* Tales, & multi sunt nunc, decorati quidem exterius, interius iniquitate pleni. Item *Chrysostom.* Nunc exteriorum purgationum multa est cura: interiorum vero nulla. Et si quis conscientias scinderet, multos vermes, multam saniem inveniret. 2. *Cor.* 4. Abdicamus occulta dedecoris. *Ephes.* 5. Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere. *Ezech.* 8. Fili hominis fode parietem, & vide abominationes, quas isti faciunt, *supr.* 7. Attendite a falsis prophetis, &c.

Luc. 11.

p Pharisæe cæce] Mutat Dominus numerum, innuens ex hoc a quolibet esse intelligendum, illud ad ipsum esse dictum. In quibusdam tamen codicibus *Hieronymi* reperitur in plurali, Pharisæi, &c.

q Munda prius, quod intus est calicis, & paropsidis, &c.] quasi dicat, utrumque mundari oportet, & corpus, & animam, sed mondatio hæc debet incipere ab interiori. *Luc.* 11. Stulte, nonne qui fecit, quod de foris est, etiam id, quod deintus est, fecit?

r Væ vobis, &c.] *Chrys.* Dic hypocrita, ut quid non vis esse, quod vis apparere? Nam quod turpe est apparere turpius est esse. Ergo aut esto quod appares, aut appare, quod es. *s* Quia similes estis sepulchris] *Chrys.* Corpora justorum templa dicuntur Dei, corpora autem peccatorum sepulchra, quia anima mortua est in corpore peccatoris. Neque enim vivens putanda est, quę nihil vivum, nihil spirituale agit in corpore. *Chrysost.* Si idolum pertransiret mortuum circumferens, nonne omnes fugerent, nonne omnes resilirent? Nota autem, quod sepulchrum dicitur quasi semipulchrum, sic Prælati, & magistri nostri temporis exterius nitidi, interius fœtidi. Unde patet, quod non sunt filii sponsę Christi, quæ dicit *Cant.* 1. Nigra sum, sed formosa. *Ps.* 44. Omnis gloria filiæ regis ab intus, &c. *Ps.* Sepulchrum patens, &c. Sepulchrum non solet fieri in civitate, ut dicit *Chrysost.* Unde certum est, si sepulchrum es, non poteris esse in civitate superiori, ubi nullus mortuus, sed omnes vivi, unde & dicitur terra viventium.

t Dealbatis] *Act.* 23. Percutiet te Deus, paries dealbate. *u* Quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero, &c.] propter prædictas similitudines, [hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate.] Unde isti significantur per Bel, qui extra æreus, intus luteus erat. *Dan.* 14. *Psal.* 143. Filiæ eorum compositę, circumornatæ ut similitudo templi.

x Vę vobis scribę, &c.] Pharisęi hypocritę. Hic de simulatione pietatis arguit eos.

y. Qui ędificatis sepulchra Prophetarum] Sepulchra ędificant, quando in se corrupti corrumpunt alios, vel mortificant detrahendo. Corpora justorum templa dicuntur, peccatorum vero sepulchra, ut dicit *Chrys.* Quid est ergo ędificare sepulchra aliqua, nisi corrumpere ea, vel eis detrahere, quod proprie est hypocritarum, & postea ornant ea, quoniam postquam detraxerunt, dicunt aliqua bona de eis, ut videantur, non causa detractionis, sed compassionis animo, & affectu hoc dixisse? *z*. Et ornatis monumenta justorum] idest honoratis. Simulabant in quidem ob favorem vulgi captandum, patrum suorum horrere perfidiam.

diam monumenta Prophetarum, qui ab eis occisi sunt magnifice ornando, sed ipso opere testificantur, quantum paternæ consentiant nequitiæ. Ideo frustra Sanctos honorat, qui Sanctorum semper sanctitatem contemnit. *a* Et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum] *Chrysost.* Semper Judæi fuerunt præteritorum Sanctorum cultores, præsentium contemptores, quia non sustinebant increpationes Prophetarum, sed occidebant eos.

Luc. 11.

b Non essemus socii, &c.] *Chrysost.* Quæ ista justitia, sanctos colere, & contemnere sanctitatem, Primus gradus pietatis est sanctitatem diligere, deinde Sanctos, quia non sancti ante sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante sanctos.

D

c Itaque testimonio estis vobismetipsis] *Hieron.* idest, contra vosipsos testes. Opere enim vos esse imitatores patrum vestrorum testificamini, quorum facinora detestamini verbo, & ideo pejores, quia homicidæ, & simulatores. *Augustinus*: Simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas.

d Quia filii estis eorum] *Chrysost.* Regula naturæ est, ut de bonis boni nascantur, de malis mali, sicut regula naturæ est, ut homo nascatur habens duos oculos, & quinos digitos, aliquando tamen Dominus, sed raro, aliter facit, ut ostendat potentiam suam, & ita si de justis parentibus justi nascantur, perhibent testimonium, quia sunt filii eorum. Item *Chrysost.* Quæ sit arbor, ex fructu cognoscitur, & fructus per arborem demonstratur. *Psal.* 111. Generatio rectorum benedicetur.

e Qui Prophetas occiderunt] Et nunc quidem multi occidunt, non permittentes eis dicere veritatem. *Isa.* 30. Filii, nolentes audire verba Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, aspicientibus nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores.

f Et vos implete mensuram patrum vestrorum] idest implebitis, non præcipit, sed prædicit. *Joan.* 2. Solvite, idest solvetis templum hoc. 1. *Thess.* 2. Prohibentes nos gentibus loqui, ut salvi fiant, ut impleant peccata sua semper.

Conditio serpentum.

g Serpentes, genimina viperarum] *Chrysost.* Serpentes astuti sunt, sed in malo tantum. Semper aspiciunt quomodo mordeant, & cum momorderint, quomodo se occultent, sic hypocritæ cum aliquem læserint, ita simpliciter ambulant, ac si nulli nocuerint. *Eccli.* 10. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. Item serpentes varii sunt, & hypocritæ variores, quia nunquam os consonat cordi. Ideo enim dicuntur hypocritę, quia aliud habent in ore, aliud in corde, ut dicit *Hieron.* Huic serpenti dicitur *Genes.* 52. Pectore, & ventre repes, quia hypocritæ omnia faciunt propter ventrem, & inanem gloriam, quod est super pectus repere. *Philipp.* 3. Quorum Deus venter est. Sed & eidem dicitur: Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ, quia hypocritæ nihil aliud, quam terrena concupiscunt. Item serpentes venenum portant in lingua, sic omnes hypocritæ detractores sunt. Item serpentes colunt umbras, unde & colubres dicuntur. *Job* 40. Sub umbra dormit. Sic hypocritæ otium, & latibula diligunt, quia qui male agit, odit lucem. *Joan.* 3. Item viperarum filii rumpunt ventrem matris, & hoc idem patiuntur a filiis suis, & ita viperæ parentes comedunt, & comeduntur a pullis. Sic hypocritę condemnant, & condemnantur ab aliis. Item vipera dicitur quasi vi pariens, & hypocritæ vi, idest cum magna cordis, & remorsionis angustia pariunt bona opera. Item *Rab.* Sicut de viperis nascuntur viperæ, sic de homicidis homicidæ. *Chrysost.* Regula naturæ est, ut de bonis boni nascantur, & de malis mali.

h Quomodo fugietis a judicio gehennæ] *Chrysost.* An forsitan nomen vacuum liberabit vos? quasi dicat, non, quia ibi secundum ea, quæ intus sunt, judicabitur. *Apoc.* 20. Libri aperti sunt, & alius liber apertus, qui est vitæ, & ju-

a & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, *b* non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum. *c* Itaque testimonio estis vobismetipsis, *d* quia filii estis eorum, *e* qui Prophetas occiderunt, & *f* vos implete mensuram patrum vestrorum. *g* Serpentes, genimina viperarum, *h* quomodo fugietis a judicio gehennæ? *i* Ideo ecce *k* ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & *l* ex illis occidetis, & crucifigetis, & *m* ex eis flagellabitis in *n* synagogis vestris, & *o* persequimini de civitate in civitatem, ut *p* veniat super vos *q* omnis sanguis justus, qui *r* effusus est super terram, *s* a sanguine Abel justi usque *t* ad sanguinem Zacharię filii Barachię, quem occidistis inter templum, & altare. *u* Amen dico vobis, venient hęc omnia *x* super generationem istam. *y* Jerusalem, Jerusalem, *z* quę occidis Prophetas, *a* & lapidas eos, *b* qui ad te missi *c* sunt, quoties *d* volui congregare filios tuos,

dicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris. *i* Ideo] potest esse consecutivum tantum, vel causativum, idest propter prærogativam vitæ eorum bene meritorum, & vestram exaggeratam malitiam.

k Ecce ego mitto ad vos, &c.] Hinc dicitur *Act.* 5. Ibant Apostoli gaudentes, &c. Vel ideo, quia dicitis: [Non essemus socii eorum, &c. Ideo, ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas] Apostoli, & Prophetæ erant, & sapientes, & scribæ.

l Et ex illis occidetis, & crucifigetis] *Hebr.* 11. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, quasi dicat, patres vestri occiderunt eos, qui annunciaverunt Christum venturum, & vos eos, qui annunciant Christum venisse] Et ex eis flagellabitis, ut legitur de Apostolis. *Act.* 22.

2. Par. 24

n In synagogis vestris] *Apoc.* 2. Blasphematis ab his, qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed synagoga Satanæ. *o* Et persequimini de civitate in civitatem] *sup.* 10. Cum vos persecuti fuerint in unam civitatem, fugite in aliam. *p* Ut veniat super vos] idest super omnem congregationem malorum. Istud [ut] effectivum est, quasi hoc effectum est, & inde consecutivum, non autem effectivum, quia non eo effectu omnes occiderunt, ut judicarentur in eos. *q* Omnis sanguis justus] idest pœna pro effusione sanguinis justorum. *r* Qui effusus, &c.] *Chrys.* Quantum ad homines multæ sunt generationes, quantum ad Deum duæ, scilicet bonorum, & malorum. Bonis promisit Deus per singulas generationes Christum venturum, præstitit autem novissimis Sanctis, ita per singulas generationes comminatus est malis, reddidit autem generationi novissimæ. Nunquam ab initio mundi talis gratia data est hominibus, qualis in Christo, & talis interitus venit super impios, sicut super Judæos repulso Christo. *s* A sanguine Abel justi] Non dicitur Zachariæ justi, sed [Abel] quia Abel justitia evidentius meruit a Deo aperte approbata, a Deo scilicet, quod Deus inter manus Abel munera ejus inflammavit. De isto *Gen.* 4. *t* Usque ad sanguinem, &c.] Iste non potest accipi duodecimus Prophetarum, qui natus est in transmigratione post templi eversionem, nec de morte Zachariæ patris Joannis hoc legitur, sed dicit historia, quod iste fuit filius Jojadæ, vel Barachiæ, quod idem est ratione interpretationis. Sed 4. *Reg.* 12. videtur, quod non fuerit sic occisus. Sol. 2. *Paral.* 24. in *Gloss.* *u* Amen dico vobis, venient hæc omnia] scelera. *x* Super generationem istam] *Psal.* 77. Generatio prava, & exasperans, generatio, quæ non direxit cor suum, &c.

y Jerusalem, Jerusalem] Metonymia est. Geminatur autem, quia dupliciter Sanctos lapidat, corporaliter, & spiritualiter, & duplicem pœnam meretur, corporis, & animæ, vel sensus, & damni, vel præsentem, & futuram. Plangit autem affectu pietatis. *z* Quæ occidis prophetas] Apostolos, & alios, qui viam veritatis tibi ostendebant. *a* Et lapidas eos] ut de Stephano legitur. *Act.* 7. *Chrys.* Non dicit, quæ occidisti, & lapidasti, sed quæ occidis, & lapidas, quasi dicat naturalem consuetudinem habes. *b* Qui ad te] instruendam, castigandam. *c* Missi sunt] a me. Unde *sup.* 10. Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Adhuc etiam quotidie lapidantur Prophetę a Jerusalem, non solum lapidibus detractionum, qui sunt durissimi lapides, sed etiam lapidibus offensionum, & quod pejus est, lapidibus stercorum, idest temporalium divitiarum. *Eccli.* 22. In lapide luteo lapidabitur piger, & omnes loquentur super aspernatione illius. De stercore boum lapidatus est piger, & omnis, qui tetigerit eum, excutiet manus. *d* Quoties volui congregare filios tuos,] Domini est congregare, diaboli autem dispergere. *Gen.* 1. Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum. *Is.* 52. Congregabit vos Deus Israel. *Ps.* 146. Dispersiones Israel congregabit. *Ex.* 5 Dispersus est omnis populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.

Evangelium secundum Matthæum.

a Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti] Metaphorice exprimit affectum suum in colligendo filios Jerusalem. Hæc enim avis circa pullos suos ceteris solicitior est, & affectuosior. *Hieron.* Pulchre qui Herodem de morte sua tractantem vulpem vocaverat, *Luca* 13. seipsum gallinæ comparat. Fraudulenta enim vulpes semper insidias avibus tendere non cessat.

b Sub alas,] idest protectione. *Psalm.* 35. In tegmine alarum tuarum sperabunt.

c Et noluisti] *Actor.* 7. Dura cervice, & incircumcisi cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, ita & vos: Item: [Quemadmodum gallina, &c.] *Chrysost.* Ecclesia gallinæ tenet similitudinem multis rationibus. Primo vagantes pullos propter cibum congregat, sic Ecclesia errantes. *Isa.* 45. Congregamini, & venite, & accedite simul, qui salvati estis ex gentibus. Item *Isa.* 40. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. Item nunquam cessat vocare pullos, sic Ecclesia nunquam debet cessare a doctrina. *Isa.* 62. Super muros tuos Jerusalem constitui custodes tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Item cujuslibet avis pullos quasi proprios diligit, sic Ecclesia alienos sibi suppositos fidei calore vivificat, & magna charitate diligit, *supr.* 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Item sic afficitur gallina ad pullos suos, ut ipsis infirmantibus infirmetur, sic Ecclesia compassionis affectu infirmitates suorum suas reputat. 2. *Corinth.* 1. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Item alis pullos protegit, & cum illis contra milvum pugnat, sic Ecclesia alis sui verbi, & exempli filios suos defendit, & pro ipsis contra diabolum pugnat. *Apoc.* 12. Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum locum suum. Item gallina hispida est, sic Ecclesia hispida vilis. *Thren.* 1. Vide, Domine, & considera, quoniam facta sum vilis. Item gallina præ clamore raucescit, sic & Ecclesia. *Psalm.* 68. Laboravi clamans raucæ factæ sunt fauces meæ. Item scalpendo quærit grana, sic Ecclesia rejiciendo temporalia, spiritualia quærit, & sub littera sensum spiritualem invenit. *Philipp.* 3. Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Item in alto de nocte quiescit, sic Ecclesia mente habitat in cœlo, dum corpore in terra versatur. *Philipp.* 3. Nostra conversatio in cœlis est. Item in pulvere volutatur, sic Ecclesia pulvere pœnitentiæ, & humilitatis se involvit. *Isa.* 47. Descende, sede in pulvere filia Babylonis. Item *Isa.* 52. Excutere de pulvere, consurge, sede Jerusalem. Versus:

Hispida, raucescit, scalpit, super alta quiescit,
Affectu plena dolet, ova fovens aliena,
In milvos mota, macra, closcida, pulvere plena.

A

Marc. 13. Luc. 19. & 21. Ecclesia gallinæ tenet similitudinem multis rationibus.

d Ecce relinquetur vobis domus vestra, [templum vestrum, vel civitas] deserta *Chrysost.* Sicut ante mortem præcedit insanabilis infirmitas, sic & ante ruinam aut hominis, aut loci, aut civitatis inemendabilia præcedunt peccata. Item *Chrysost.* Quia pulli non audierunt matrem vocantem, venit rex Romanus, & partem Judæorum quasi accipiter comedit, & partem gladio dispersit per provincias. Item *Chrys.* Sicut corpus anima recedente prius frigescit, & solvitur, deinde putrescit, sic templum vestrum Dei spiritu recedente prius seditionibus replebitur, deinde veniet ad ruinam.

e Dico enim vobis, non me videbitis amodo] quasi vere deseram vos, quia post Passionem non videbitis me, donec videatis venientem ad judicium. *Joan.* 16. Modicum, & jam non videbitis me, &c.

f Donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini] idest donec confiteamini Christum venisse in carnem. *Isa.* 36. Ecce nomen Domini de longinquo venit, &c.

a quemadmodum gallina congregat pullos suos *b* sub alas, & *c* noluisti, *d* Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. *e* Dico enim vobis, non me videbitis amodo, *f* donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

CAP. XXIV.

ET *g* egressus Jesus de templo ibat. Et *h* accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi. Ipse *i* autem respondens, dixit illis: Videtis hæc omnia: Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. k Sedente autem eo super montem Oliveti, *l* accesserunt ad eum discipuli *m* secreto dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi? Et *n* respondens Jesus dixit eis: *o* videte, ne quis vos seducat. *p* Multi enim *q* venient

EXPOSITIO CAP. XXIV.

g ET egressus Jesus de templo ibat] Sufficisset forte dixisse, [egressus] sed addidit, [ibat] quasi offensus ibat, sicut aliquis, qui, quod separabat, non invenit.

h Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi] *Interl.* Non ignotas, sed tanquam admirandas. Ac si tacite dicerent. Ædificia solida dirui non poterunt.

Marc. 13. Luc. 21. Ephes. 5. Coloss. 2.

i Ipse autem respondens, ait illis: Videtis hæc omnia. Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.] Hoc factum est in parte quadragesimo secundo anno post passionem Domini a Romanis, postea ex toto per Ælium Adrianum. *Chrysost.* Si civitas aliqua regi terreno facta fuerit rebellis, nonne mittit milites, ut fiat deserta? Ut quia potestatem regis sui non cognovit in bono, cognoscat in malo. Hoc est contra illos, qui pulchra faciunt ædificia, maxime de patrimonio Crucifixi. *Jer.* 22. Væ, qui ædificat domum suam non in justitia, & cenacula sua non in judicio. Qui dicit, ædificabo mihi domum latam, & cenacula spatiosa, qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitque synopide, i. sanguine Christi. Ad quid ergo tam magna, & sumptuosa ædificia postquam destruentur? *Eccl.* 14. Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cum illo. *Habac.* 2. Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit.

k Sedente autem eo super montem Oliveti] Locus, in quo sedit, ut habetur super *Marc.* 13. dicebatur locus offensionis, & erat e regione contra templum, ut ipso corporis situ ostenderet ruinam civitatis, & templi, scilicet, eo ipso quod erat oppositus templo.

l Accesserunt ad eum discipuli] *Marc.* 13. dicit: Petrus, & Jacobus, & Joannes, & Andreas.

m Secreto dicentes: dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?] Nota, quod idem sit tempus judicii, & consummationis sæculi, quia tunc transibit mundus, & gloria ejus, nihilominus ipsi adhuc tanquam indiscrete tria proponunt. Videntur enim quærere signa eversionis civitatis, & adventus judicii, & consummationis sæculi. *Chrys.* Illud primum interrogant propter se, sed secundum propter nos. Nobis enim expedit scire signa consummationis. Omnibus enim laborantibus dulcis est finis. Viator libenter interrogat, ubi sit mansio. Mercenarius frequenter computat, quando annus completur. Agricola semper tempora messis expectat. Mulier prægnans de decimo mense semper cogitat. Et servi Dei libenter, de consummatione requirunt. Quia ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum, *supra* 6.

n Et respondens Jesus, dixit illis] Respondet tanquam supererogans magister præmuniens discipulos, ne seducantur ab Hæreticis præsentibus, vel futuris, crescente fide, vel tepescente.

o Videre, ne quis, &c.] *Ephes.* 5. Nemo vos seducat inanibus verbis. 2. *Tim.* 3. Mali autem homines, & seductores proficiunt in pejus errantes, & in errorem mittentes. *Coloss.* 2. Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum. *Jerem.* 29. Non vos seducant Prophetæ vestri, qui sunt in medio vestri, & Divini vestri.

p Multi enim] Vocatur in unum multitudo, & mutua eorum contrarietas. Unde significatur per vulpes Samsonis, quæ facies habent diversas, sed caudas colligatas. *q* Venient] sua auctoritate. *Joann.* 10. Quotquot venerunt fures sunt, & latrones, *supra* 7. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Judic. 15.

in *a* nomine meo, *b* dicentes: Ego sum Christus, & *c* multos seducent. *d* Audituri enim estis *e* prælia, & opiniones præliorum, *f* videte, ne turbemini. *g* Oportet enim hæc fieri, sed *h* nondum est finis, *i* Consurget enim gens contra gentem, & regnum in regnum, & *k* erunt pestilentiæ, & *l* fames, & terræmotus per loca. Hæc *m* autem omnia initia sunt dolorum. *n* Tunc *o* tradent vos in tribulationem, & *p* occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter *q* nomen meum. Et tunc *r* scandalizabuntur multi, *s* & invicem tradent, & *t* odio habebunt invicem, Et *u* multi Pseudoprophetæ surgent, *x* & seducent multos, & *y* quoniam abundabit iniquitas, *z* refrigescet charitas multorum. *a* Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

a In nomine meo] idest nomen meum sibi usurpantes. *b* Dicentes: Ego sum Christus] Sic fecit Simon Magus, cui in Samaria omnes auscultabant dicentes: Hic est virtus Dei magna. *Act.* 8. Et sicut dicit *Gloss.* Imminente excidio Jerusalem, multi principes dicebant se esse Christos, & tempus liberationis a tributo Romanorum prope esse, &c.

Marc. 13. *Luc.* 21.

c Et multos seducent] *Chrysost.* Sicut cum domus comprehenditur incendio, omnes latrones surgunt quærentes quilibet, quod rapiant, sic quando casus Judæorum, specialiter Christianorum generaliter fieri cœpit, omnes dæmones insurrexerunt per ministros suos, quærentes quid perdant. Unde *Ps.* 103. Posuisti tenebras, & facta est nox, &c. Item homo circa mortem phantasias videt, sic & mundus in exitu suo multos patietur errores. Unde 2. *Thess.* 2. Rogamus vos, fratres, per adventum Domini, ut non moveamini cito a sensu vestro, neque terreamini, neque per spiritum, neque per epistolam tanquam per nos missam quasi instet dies Domini, ne quis seducat vos ullo modo. Nota autem, quod sunt tria genera hostium. Seductores Hæretici, auferentes fidem Ecclesiæ, prælati tyranni, auferentes substantiam Ecclesiæ, corruptores domestici, idest falsi fratres corrumpentes mores. *Thren.* 1. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit gentes ingressas sanctuarium tuum. *d* Audituri enim estis] ante excidium, *e* Prælia, & opiniones præliorum] *Chrysost.* Si volumus hæc signa tantum corporaliter intelligere, non proficiunt ad manifestationem consummationis mundi, nam bella corporalia semper fuerunt, & erunt, & fames, & terræmotus. Nec potest esse signum rei futuræ, quod semper est in visu, sed quod novum fit, illud dicitur signum. Sicut ergo fuit Jerusalem corporalis, quæ jam expugnata est, & altera spiritualis, idest Ecclesia Christi, quæ tentatur, & in fine tentabitur, sic & signa, quæ Dominus dicit, & spiritualiter intelligenda sunt, & carnaliter, ergo ad utrumque porrige mentem, qui audis. *f* Videte, ne turbemini] *Chrys.* In auditione, sive corporalium, sive spiritualium præliorum sancti inturbabiles manent, quia ea, quæ fiunt in mundo non possunt nocere eis, qui sunt extra mundum, sicut qui est in tabernaculo sonum tempestatis audit, & vexationes silvarum videt, ipse autem flatum non sentit. Unde *Prov.* 28. Fugit impius nemine persequente, justus autem quasi leo confidens. Et 12. Non contristabit justum, quicquid ei acciderit. *g* Oportet enim hæc fieri] 1. *Corinth.* 11. Necesse est, ut veniant hæreses. *h* Sed nondum est finis] idest orbis desolatio finalis, vel dies judicii. *i* Consurget enim gens contra gentem, & regnum in regnum] *Isa.* 19. Pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, & regnum adversus regnum. *Chrys.* Spiritualiter hæresis contra hæresim, Episcopatus contra Episcopatum. Et hoc est signum expugnationis Ecclesiæ, sicut tunc fuit civitatis Jerusalem. *k* Et erunt pestilentiæ] Pestis dicitur quæcumque, quæ late depascit homines, proprie pestis a pastu herbæ nocivæ proveniens, quasi pastulentia. *l* Et fames, & terræmotus per loca] *Chrys.* Quales fames, & quales terræmotus præcesserunt captivitatem Judææ, scire potest, qui *Josephum* legit: Spiritualiter autem in Ecclesia pestilentiæ carnalium vitiorum, fames verbi Dei, terræmotus tribulationum. Si hæc non essent, non essent schismata nostra. Et *infra*: Initia parturitionum sunt hæc, sed oppressio Ecclesiæ. *m* Hæc autem omnia initia sunt dolorum] *Chrys.* Alia littera parturitionis. *n* Tunc] *Chrys.* Existimo, quod hic jam defecit expositio carnalis, quia dicit: [Tunc, &c.] Non enim tunc cœperunt pati Apostoli, quando civitas est destructa, sed ab ascensione Domini, sicut dicitur *Act.* 4. 5. 6. Spiritualiter plane convenit. *o* Tradent vos in tribulationem] *Job* 5. In sex tribulationibus liberabit te; in septima autem non tanget te malum. *p* Et occident vos, & eritis, &c.] humana sapientibus,

Nota, quod sunt tria genera hostium.

Primo, quia corripitis eos. *Proverb.* 15. Non amat pestilens eum, qui se corripit, nec ad sapientes graditur. Secundo, quia dissimiles eis. *Exod.* 1. Oderant filios Israel Ægyptii, & affligebant illudentes, & invidentes, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum. Tertiam rationem assignat *August.* Oculis ægris odiosa est lux, quæ puris est amabilis. *Sap.* 2. Gravis est nobis etiam ad videndum. *Gen.* 27. Oderat semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixit ei pater.

q Propter nomen meum] non propter delicta vestra. *Luc.* 6. Beati eritis, cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis.

B

1. q. 1. c. Salvator. De rebus eccles. non alien. c. sin. Supra 10. Marc. 13. 7. q. 1. c. suggestum. De poenit. dist. 2. c. non revertebantur, & de Apost. loc.

r Et tunc scandalizabuntur multi] *Luc.* 12. Dividentur duo in tres, & tres in duo. *Chrysost.* Quando pauci erant Christiani, non scandalizabantur, nec invicem tradebant, sed erant unum cor. *Act.* 4. Sed nunc oderunt se ad invicem, ita ut nec in duobus sinceram invenias charitatem, ne dicam in multis. Item *Chrysostom.* Facientes persecutiones, quomodo hæc legere non erubescunt?

s Et invicem tradent] Frater infidelis fratrem fidelem. Unde *Jer.* 9. Omnis frater supplantans supplantabitur. Et 12. Fratres tui, & domus patris tui etiam ipsi pugnabunt contra te.

t Et odio habebunt invicem] *Luc.* 12. Dividentur duo in tres, & tres in duos.

u Et multi Pseudoprophetæ surgent] qui prius quasi mortui erant. *Marc.* 13. Exurgent PseudoChristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa, & portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. *Chrys.* Prophetæ dicuntur doctores. 1. *Cor.* 14. Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & ceteri dijudicent. Ergo pseudoprophetæ, pseudodoctores.

x Et seducent multos] per miracula, & falsam doctrinam. Unde *Chrys.* Quem ex parte non moveat Antichristus faciens signa Christi, movent & Antichristiani officia Christianorum explentes, nisi forte considerantem, quod ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis. 2. *Corinth.* 11. Et ministri ejus, &c. quorum finis est secundum opera eorum, non secundum schemata, *supra* 7. Attendite a falsis Prophetis, &c. Dicit autem, multos, non omnes. Unde *Chrys.* Non omnes, quia non est seducentium virtus, sed negligentia seductorum, alioquin omnes seducerent, & ita mendacium nec rationem, nec virtutem habet. *Chrys.* Videte triplex prælium, a seductoribus, ab inimicis, a pseudofratribus.

y Et quoniam abundabit iniquitas] *Osee* 4. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.

z Refrigescet charitas multorum] Argumentum, quod charitas potest remitti. Solut. Fervor remittitur, de quo *Apoc.* 3. Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.

a Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.] *Chrys.* Sicut non sanis, sed ægris datur medicina, sic consolatio non periculum facientibus, sed periclitantibus datur. Est autem commendabilis perseverantia exemplis sanctorum, testimoniis scripturæ, sui contrarii detestatione, quarto per hoc, quod diabolus insidiatur ei, quinto a multiplici suo effectu. De primo *infr.* 28. Si filius Dei est, descendat de cruce, & credimus ei. Christus tunc prætulit perseverantiam muneri fidei, quod Judæi offerebant, cum tamen fides placeat Deo. *Eccl.* 1. Quod beneplacitum est Deo, fides, & mansuetudo. De testimonio scripturæ sufficiat, quod dicitur hic: [Qui perseveraverit, &c.] Tertio commendabilis est sui contrarii detestatione, quod est desistere ab opere inchoato, & non consummato. Hoc autem plenum est erubescentia, & valde nocivum. De primo. Iste incepit ædificare, & non potuit consummare. *Luc.* 14.

Perseverantia commendabilis multis modis.

Et *a* prædicabitur hoc *b* Evangelium regni in universo *c* orbe in testimonium *d* omnibus gentibus, & tunc *e* veniet consummatio. Cum *f* ergo videritis abominationem desolationis, quę *g* dicta est a *h* Daniele propheta *i* stantem in loco sancto, *k* qui legit, intelligat. Tunc, *l* qui in *m* Judęa sunt, *n* fugiant ad montes; Et qui *o* in tecto, non descendat tollere aliquid de *p* domo sua, & qui in *q* agro, non *r* revertatur tollere tunicam suam. *s* Vę autem pręgnantibus, & nutrientibus in illis diebus. *t* Orate autem, ut non fiat fuga vestra hyeme, vel *u* sabbato. Erit *x* enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.

a De secundo. *Proverb.* 18. Qui mollis est, & dissolutus in opere suo, frater est opera dissipantis. Quarto, commendabilis est per hoc, quod diabolus insidiatur ei. Unde *Genes.* 3. Tu insidiaberis calcaneo ejus. Quinto, commendabilis est a multiplici suo effectu. Primus est, quod in oratione impetrat, quod vult a Deo. *Luc.* 11. Et si ille perseveravit pulsans, &c. Secundus est, quod succursum meretur a Domino. *Psalm.* 24. Universi, qui te expectant, non confundentur. Tertio, quia meretur consolationem. *Supra* 15. Misereor turbæ, quia jam triduo perseverant mecum. Quarto, quia meretur vitam æternam. *Apoc.* 2. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Quinto, virtus est, quod bona acquisita custodit. E contrario desistere ab opere inchoato, bonum inchoatum destruit. Unde *Petr.* 2. Melius erat illis viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retrorsum converti. Et post: Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti. Sexto, quia perseverantia difficilia, & aspera ad suavitatem convertit. *Seneca*: Optima forma vivendi eligenda est, quam jucundam reddit assuescendo. Septimo, quia nihil ei resistit. *Seneca*: Non despero, induratum, nihil est, quod non impugnet pertinax. Quid aqua mollius, quid lapide durius? & tamen gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo. Octavo, quia perseverantia quasi nihil imperfectum relinquit. Attende, ex qua modica nuce, quam magnam arborem natura perficiat. In multis aliis exemplis idem invenies. Nono, quia perseverantia ad cumulum sapientiæ perducit. Unde *Bernard.* Summa sapientia est perseverantia, somma stultitia ejus oppositio. Tria autem impediunt perseverantiam. Levitas, remissio, & pusillanimitas. De primo *Bernard.* Quid tantæ levitati, & æternitati? De secundo *Prov.* 12. Manus remissa tributis serviet. Item *Proverbiorum* 10. Egestatem operata est manus remissa. De tertio. *Prov.* 18. Pigrum dejicit timor. *a* Et prædicabitur] Hoc factum fuit per Apostolos. *b* Hoc Evangelium regni] idest Ecclesiæ, vel ducens ad regnum.

Effectus perseverantiæ multiplices.

Daniel 9. Marc. 13. Luc. 21.

Prov. 15.

Tria autem impediunt perseverantiam.

c In universo orbe] *Chrysost.* Ante captionem Jerosolymis dicit Paulus: Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum. *Rom.* 10. *Col.* 1. Pervenit ad vos Evangelium sicut & universo mundo: Nunc autem ante faciem mundi prædicatur ubique.

d In testimonium omnibus gentibus] idest gentiliter viventibus. *Chrysost.* idest in redargutionem, quia qui crediderunt, condemnabunt incredulos.

e Et tunc veniet consummatio] civitatis, vel mundi. *Isa.* 18. scilicet: Consummationem, & abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum super universam terram.

f Cum ergo videritis abominationem desolationis] scilicet finalem, quæ facta est ab Ælio Hadriano. Primo enim vastata est civitas a Titio, & Vespasiano, postea suscitatæ sunt ruinæ ejus, & qui prius aufugerant, & latuerant in montibus, & speluncis, reversis Romanis habitaverunt in Patietinis civitatis. Deinde Ælius Hadrianus imaginem suam posuit in muris templi, idest in loco, ubi fuerat templum, ut adorarent eam, quam Judæi confregerunt, nolentes tantam sustinere. Ex quo indignatus Ælius, funditus evertit civitatem, & ibi juxta ædificavit civitatem modicam, quam nomine suo vocavit Æliam, forte nunc ibi civitas sita est, & edictum dedit, ne quis Judæus habitaret ultra mare. *Hieronym.* Abominatio secundum veterem scripturam idolum nuncupatur. Et idcirco additur [desolationis,] quia in templo desolato, atque deserto idolum positum est, ut dicit illa *Gloss.* Abominationem, &c. Vel abominationem vocat Antichristum abominabilem, qui stabit in templo extollens se, &c. De quo *Zach.* 11. O pastor, & idolum: Non est major abominatio, quam idolum, in quo erit maxima potestas diaboli stare in templo sancto Dei. 2. *Corinth.* 6. Quæ communicatio templi ad idolum. *Dan.* 8. Dolus in manus ejus dirigetur, Contrarium dicitur de Christo, *Isa.* 53. Voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Christus plenus gratiæ, & veritatis, Antichristus cupiditatis, & falsitatis. Credo, quod hæc sint verba *Chrysostomi*.

Moraliter. Abominatio desolationis malus Prælatus. *Prov.* 16. Abominabiles regi, qui agunt impie. Et 11. e. Abominabile Domino cor pravum. Et etiam vita eorum, & oblationes eorum. *Proverb.* 15. Abominatio est Domino vita impiorum. Et in *eod.* Victimæ impiorum abominabiles, idest in loco sancto,] idest in Ecclesia. *Ecclesiast.* 10. Est & malum, quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens a facie principis, positum stultum in dignitate sublimi.

Moraliter.

Marc. 13. Luc. 21.

g Quæ dicta est] idest prædicta. *h* A Daniele propheta] 9. *i* Stantem in loco sancto] idest in templo Dei. Tunc *k* Qui legit, intelligat] prophetiam impletam. *l* Tunc] Tempore obsidionis, vel Antichristi. *m* Qui in Judæa sunt, &c.] *Hieron.* Ad litteram, tanta erit urbis obsidio, quod nulli erit tutum se permittere includi in civitatem propter aliquam occupationem. Unde subdit: *o* Et qui in tecto non descendat, &c.] idest non revertatur, ut recipiat aliquid de domo sua. [Et qui in tecto] *Prov.* 19. Tecta perstillantia mulier litigiosa. Et 27. Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur. *p* De domo sua] *Gen.* 12. Egredere de terra tua, &c. *q* Et qui in agro] scilicet Ecclesiastico, vel prædicator, cujus est officium ipsum extollere, malas herbas extirpare, & bonas plantare. *Jer.* 1. Ecce constitui te super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdes, & dissipes, & ædifices, & plantes. Sed *Prov.* 24. Per agrum hominis pigri transivi, & ecce totum repleverant urticæ. *r* Non revertatur tollere, &c.] Et rem sæcularem, qua se exuit, ut nudus sequeretur Christum, ut dicit *Interl.* De hac tunica *Cantic.* 5. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? *Luc.* 9. Nemo mittit manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei. *n* Fugiant] *Prov.* 6. Eruere quasi damula, & quasi avis, de insidiis aucupis. *Isa.* 13. Et erit quasi damula fugiens. *Zach.* 2. O, o, o, fugite de terra Aquilonis, &c. *s* Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus] *Chrys.* Pecunias contemnere, facile est facere, & de tunica providere, sed quæ sunt a natura, quis effugiet? Qualiter prægnans fiat levis, qualiter despiciat nutrix quem lactat? Item [Væ prægnantibus.] *August.* Quadruplex est charitas. Incipiens, quæ nascitur: proficiens, quæ nutritur: perfecta, quæ roboratur: perfectissima, quæ mortem desiderat. Væ æternum erit duobus primis, quia imperfectis, & ideo stare non potentibus. Prægnantes autem sunt, qui bonum concipiunt. *Isai.* 26. A facie tua, Domine, concepimus, & parturivimus, & peperimus spiritum salutis.

Quadruplex est charitas.

t Orate autem, ut non fiat fuga vestra hyeme] quia tunc non possetis fugere propter aeris intemperiem.

u Vel sabbato] quia ex statuto legis non licebat eis de sabbati ultra mille passus ire.

Moraliter. Orate autem, ut non fiat fuga vestra hyeme] idest in peccato. *Proverb.* 20. Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. In hyeme est ventus, idest superbia, obscuritas, hæc est invidia, fit ignis, hæc est ira, frigus, tristitia, gelu, avaritia, tunc magis solet consumi gola, tunc est via lutosa, luxoria.

Moraliter.

u Vel sabbato] De quo *Thren.* 1. Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata ejus.

x Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo neque fiet. *Chrysost.* Mira virtus Christi, & fortitudo Apostolorum, qui a gentibus habebantur odio, ut Judæi, vel seditiosi a Cæsare abigebantur, a Judæis lapidabantur quasi legis inimici, contra Apostolos omnes præliabantur, princeps, dux, idiota, plebs, infinita millia Judæorum, tunc ceperunt Romani, & duodecim viros inermes non superaverunt. Duo sunt necessaria docenti, ut scilicet sit fide dignus, ut diligatur ab his, quos docet, & ut liberum tempus sit a tumultu.

Omnia

Et nisi *a* breviati fuissent dies illi, non *b* fieret salva omnis caro, sed propter *c* electos breviabuntur dies illi. Tunc si *d* quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, *e* aut illic, *f* nolite credere. *g* Surgent enim Pseudo-Christi, & Pseudo-prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, *h* ita ut in errorem inducantur, si *i* fieri potest, etiam electi. Ecce predixi *k* vobis. Si *l* ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere. *m* Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, *n* ita erit adventus filii *o* hominis. Ubicumque *p* fuerit corpus, *q* illuc congregabuntur & aquilæ. *r* Statim autem post tribulationem dierum illorum, Sol obscurabitur, & *t* Luna non dabit lumen suum, & *u* Stellę cadent de cœlo, *x* & virtutes cœlorum commovebuntur. Et *y* tunc parebit signum filii hominis in cœlo, *z* & tunc plangent omnes Tribus terrę,

Marc. 13. Marc. 13. Luc. 17.

▲ Omnia autem tunc contraria erunt. *Apocal.* 12. Væ terræ, & mari, quia descendit ad vos diabolus, habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet.
a Et nisi breviati fuissent, &c.] quia Antichristus non regnabit nisi per tres annos, & dimidium. Vel sicut dicitur *Genes.* 29. videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.
b Non fieret salva omnis caro] quia in illa tribulatione caderent. Nota autem, quod ille, qui metu mortis, vel alterius tribulationis Deum deserit, valde insipienter agit. Primo, quia regem in porta regni deserit. Porta regni est tribulatio. *Actor.* 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Lucæ ultim.* Nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam. Non ut regnum cœlorum velle intrare, qui regem cœlorum in porta regni relinquit. Secundo insipienter agit, quia cum cœlestis succursus ei mittitur, tunc primo de bello fugit. Cœlestis succursus missus ad spiritum contra carnis tribulationem. *Prov.* 28. Fugit impius nemine persequente. Tertio, infideliter, & insipienter, & proditorie agit, quia Dominum legitimum relinquit. *Eccli.* 22. Fidem possidе cum amico tuo in paupertate illius, ut in bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut & in hæreditate illius cohæres sis. Quarto, insipienter agit, quia vult vitam servare, quam relinquit. *Joan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita. Quinto, quia civitatem refugii, & fortitudinis in adventu hostium suorum relinquit. *Isa.* 26. Urbs fortitudinis nostrę Sion, Salvator ponetur in ea murus, & antemurale. *Psalm.* 30. Dominus fortitudo mea, & refugium meum. Sexto, quia ad hostem crudelissimum, & implacabilem vadit. *Jerem.* 6. Crudelis est, & non miserebitur. *Greg.* Stultum est servire diabolo offenso, qui nullo placabitur officio. Septimo, quia fugiens virgam vadit ad gladium. *Job* 19. Fugite a facie gladii, quia ultor iniquitatis est gladius. *c* Sed propter electos, &c.] *Rab.* Talis tribulatio tunc erit in circuitu areæ Domini, ubi omnibus paleis velut cribro examinationis ad purum sequestratis, solum frumentum colligendum in horreum Domini remaneat. Cujus temporis præscios, ac cautos, quia Dominus nos esse voluit protinus addidit:
d Tunc] idest in illa pressura, & tribulatione, si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, apud Donatistas.
e Aut illic] apud Arrianos, & hujusmodi.
f Nolite credere] *Joan.* 4. Nolite credere omni spiritui.
g Surgent enim Pseudo-Christi, & Pseudo-Prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia] *Apoc.* 13. Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia agni, & loquebatur sicut draco, & potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus. Et post parum. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum.
h Ita ut in errorem inducantur] idest in errorem finaliter ducantur.
i Si fieri potest, &c.] *Greg. in homilia 9. supr. Ezech.* Per hoc quod dicitur: Si fieri potest, exprimitur, quod electi, in corde tentabuntur. Nutant enim, sed non cadunt. Dicitur ergo: Si fieri potest, idest trepidabunt, & tamen dicuntur electi, quia non cadunt. Dubitatio itaque sermonis a Domino in electis exprimit trepidationem mentis, quos & electos nominat, quia cernit, quod in fide, & in bonis moribus persistunt. *Job* 41. Sub ipso erunt radii Solis, & sternet aurum quasi lutum.
k Ecce prædixi vobis] & ideo minus debebat lædere vos, quia *Greg.* teste, jacula prævisa minus lædunt.
l Si ergo dixerit vobis, ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere] *Prov.* 26. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quia septem nequitię sunt in corde illius. *m* Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, ita erit adventus, &c.] quasi dicat, temporibus Antichristi, scil. adventu judicis imminente, nolite credere Hæreticis, vel aliis de Christo sentientibus, ut prędictum est, quia ejus adventus erit ita manifestus, & evidens, quod omnibus innotescet in cunctis partibus orbis. *Chrys.* dixit qualiter veniet Antichristus, nunc dicit, qualiter veniet Christus. Fulgori autem comparatur secundus adventus propter manifestationem. *Isa.* 52. Videbit omnis caro salutare Dei. Propter subitationem. 1. *Thess.* 5. Cum dixerint, pax, & securitas, tunc repentinus superveniat eis interitus. Item, quia nulli parcet. *Sap.* 6. Non subtrahet personam cujusquam Deus, qui est omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cujusquam. Item, quia scindet, idest separabit, *infr.* 25. Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor separat oves ab hedis.

Luc. 17.

C

n Ita erit adventus] idest prædicari debet, quasi dicat, sicut manifeste veniet, ita & manifeste prędicandus est ejus adventus primus, & secundus. *o* Filii hominis,] i. ita veniet, i. homo verum corpus habens, non phantasticum. Et loquitur Dominus emphatice ad expressionem humanæ naturæ, in qua judicaturus est in extrema die. *p* Ubicumque fuerit corpus] i. Christus homo emphatice. *q* Illuc congregabuntur & aquilæ] idest Sancti, qui prius obviam Christo in aere rapti, cum eo venient ad locum judicii, qui peracto judicio sublevabuntur ad eum in cœlum Empyreum. Nota autem, quod aquila vel vultur sentit odorem cadaveris transmarinum, & advolat. Irreverberatis oculis suis solem in rota sua conspicit, & plene intuetur. In senectute rostrum allidit petræ, & juvenescit, ita homo in præsenti vetustatem culpæ deponens, & in futuro pœnæ veniens ad judicium renovabitur in gloria Dei. *Ps.* 102. Renovabitur ut aquila juventus tua. Item, *p* Ubi fuerit corpus] idest Christus sub sacramento altaris. *q* Illuc congregabuntur & aquilæ] i. Sancti. Vel de peccatore, & prædicatoribus. *r* Statim autem post tribulationem dierum] idest post adventum Antichristi, & mortem ejus. Hæc propositio [post] notat tribulationem inchoatam, nondum tamen finitam, quia mortuo Antichristo, & terminata ejus gravi persecutione, & alia judicii signa. Ut autem fertur. *Hier.* ponit quindecim signa, quæ Dominus breviter transit. *s* Sol obscurabitur] ad litteram, non eclypsi naturali, sed per accidens, ut accidit in passione Domini. *Joel.* 2. Sol convertetur in tenebras, &c. *t* Et luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo] *Chrys.* Patrefamilias moriente, domus ejus turbatur, familia plangit, & nigris se vestimentis induit, sic humano genere, propter quod facta sunt omnia, circa finem constituto, totus destruitur mundus; cœli mysteria lugent, & pro candore tenebris induuntur.

Emphasis est expressio loquentis, & fit cum volentes exprimere aliquod accidens, utimur nomine substantivo pro adjectivo significante illud accidens ad majorem expressionem, ut hic ponitur, filii hominis pro humanæ naturæ. Et si ponatur scelus pro scelerato, virtus pro virtuoso.

Mystice, *s* Sol obscurabitur] idest notitia Christi silebit. *t* Et luna non dabit lumen suum] idest Ecclesia sanctitatis suæ lumen non demonstrabit. *u* Et stellæ cadent de cœlo] idest cœlesti conversatione. *x* Et virtutes cœlorum commovebuntur] idest Angeli. *Chrys.* Si quando rex terrenus eat in expeditionem, tota civitas fervet, exercitus excitatur, quanto magis rege cęlesti exurgente judicare vivos, & mortuos, virtutes angelicæ commovebuntur? *y* Et tunc apparebit signum filii hominis in cęlo] idest Crux in aere. Unde *Chr.* Crux apparebit Sole luculentior existens, & non est necessitas accusationis, cum viderint crucem. Item *Chr.* Quidam putant crucem Christi ostendendam esse in cœlo. Verius autem Christum ipsum habentem in corpore suo testimonia Passionis, i. vulnerum, lanceæ, & clavorum, ut impleatur illud *Zach.* 12. Videbunt, in quem pupugerunt. *z* Et tunc plangent omnes

Mystice.

a Tribus terræ] idest decedentes cum terrena voluptate, qui in terra scripti sunt. *Jer* 17. Recedentes a te in terra scribentur. De hoc planctu *Sap.* 5. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, &c. *Apoc.* 18. Plangent se super illam omnes reges terræ. *Rom.* 2. Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum. *Chr.* Plangent Judæi, plangent Gentiles, plangent Christiani, qui magis dilexerunt mundum, quam Christum. E contra, Tribus cœli laudabunt Deum. *Psalm.* 83. Beati, qui habitant in domo tua, Domine.

Marc. 13. *Marc.* 13. *Luc.* 17.

a Et folia nata] in oratione, prædicatione, & exhortatione. a Scitis, quia prope est æstas] fervor devotionis. *Psal.* 73. Æstatem, & ver tu plasmasti ea. Vel [æstas] æternitatis. De qua *Prov.* 20. Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.

& a videbunt filium hominis venientem in b nubibus cœli, cum c virtute multa, & majestate. Et d mittet Angelos suos cum e tuba, & f voce magna, & g congregabunt electos ejus a h quatuor ventis i a summis cœlorum, usque k ad terminos eorum. Ab l arbore autem fici discite parabolam, cum m jam ramus ejus tener fuerit, & n folia nata, scitis, o quia prope est æstas: p Ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote, quia prope est in januis. q Amen dico vobis, r quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant: Cœlum, f & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. t De die autem illa, & u hora nemo scit, x neque Angeli cœlorum, nisi y solus pater. z Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus filii hominis. a Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, b nubentes, & nuptui tradentes usque c ad eum diem, quo intravit in arcam Noe, & non cognoverunt, d donec venit diluvium, & tulit omnes, ita erit & adventus filii hominis. e Tunc f duo erunt in agro,

a Et videbunt filium, &c.] ad literam, ut sicut ascendit, sic veniet. *Actor.* 1. quemadmodum vidistis eum, &c. Vel.

b In nubibus] idest cum Sanctis. *Isaiæ* 3. Dominus ad judicium veniet cum Senatoribus populi sui. *Prov.* ult. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum Senatoribus terræ. c Cum virtute multa, & majestate] qui prius quasi infirmus, & humilis judicatus est. d Et mittet Angelos suos cum tuba] *Chrys.* Per Angelos vocat honorans eos. *Chrys.* Terribiles ministri terribilem Dominum præcedentes, Cherubim, & Seraphim præparatur ad sedem unius, & rationabilis thronus, nec enim potest esse res mortua, quæ bajulat vitam. Ante ipsum pro candelabris fulgura viva procedunt, & pro tuba, horrenda tonitrua. Qualis rex, talis & præparatio ejus. e Cum tuba] 1. *Cor.* 15. Canet enim tuba, &c. 1. *Thess.* 4. Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo. *Hier.* Sive manducem, sive bibam, &c. f Et voce magna] *Chrys.* Vere magna vox tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, portas æreas conterit, vincula mortis dirumpit, & de profundo abyssi animas liberatas corporibus suis alligat. Hæc omnia citius consummat in opere, quam sagitta transit in aere, dicente Apostolo 1. *Cor.* 15. In momento, in ictu oculi. In illa voce mare discutitur, ut si quid apud se retinet, de humanis ossibus sine contradictione restituat. *Joan.* 5. Mortui audient vocem filii Dei; & qui audierant, vivent. g Et congregabunt, &c.] *Chr.* Congregabunt Angeli, & congregatos rapient nubes. h quatuor ventis] ecch.. Ergo in figura Crucis, quasi dicat, qui in figura Crucis fuerint, congregabuntur. *Ezech.* 37. A quatuor ventis veni spiritus. i A summis cœlorum] idest ab extremis terræ finibus per directum. k Usque ad terminos eorum] ultimos, ubi circulus videtur terræ adhærere, quasi dicat, ab omnibus finibus terræ congregabuntur. l Ab arbore autem fici, &c.] Invitat eos parabolice, ut signis his apparentibus sciant adventum Domini imminere, quia sicut arboris floritio, & foliorum productio est signum proximæ æstatis, ita prædictorum signorum exhibitio erit indicium judicii imminentis.

Mystice. Mystice. Per ficum hanc intelligitur perversa Judæorum aviditas, quæ fuit tempore Christi. Hæc enim est sterilis illa ficulnea, cui maledixit Dominus, & statim exaruit, & adhuc in eadem ariditate manet. De hoc *sup.* 21. *Chrys.* Quare plus de ficu, quam de alia arbore ponit similitudinem? Quia pene post omnes arbores vernat, & difficile frigus post ficum vernantem venit. Item *Chrys.* Ecclesia per ficum significatur, quia sub uno cortice multa grana intus viscera dulcedinis habet inclusa. m Cum jam ramus ejus tener fuerit] Rami proximo adhærentes stipiti, sunt Prælati. Illi modo teneri sunt, & ideo nihil possunt pati, quia delicati, ut pueri, & feminæ. *Isa.* 3. Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. n Et folia nata] Folia sunt doctores, & prædicatores. Modo sunt multa folia, quia multa verba. Sed nota, quod quanto plura sunt folia in arbore, tanto minus fructificat. *Osee* 10. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei. o Scitis, quia prope est æstas] idest fervens persecutio. *Joan.* 4. Percussit Sol super caput Jonæ, & æstuabat. Vel in bono. m Cum jam ramus ejus tener fuerit] per compassionem.

p Ita & vos, cum videritis hæc omnia, scitote, quia prope est] Christus, [in januis] *Jacob* 5. Ecce judex ante januam assistit.

q Amen dico vobis] hoc subdit ad verborum suorum confirmationem, ut eis fides adhibeatur. Et nota, quod alio verbo ad hoc utitur Dominus in veteri Testamento, scilicet, vivit Dominus, & hoc ad fugillationem gentium idola colentium. *Jer.* 4. Jurabis, vivit Dominus.

Ia 9.10.11. D *Luc.* 17. *Jer.* 4.

r Quia non præteribit, &c.] *Chrysost.* Non illos homines dicit, qui in illo tempore fuerant nati, sed familiam generis illius. Hæc est generatio, aut facientium tentationem, aut patientium, quæ utraque non desistet, donec dicetur: Ite maledicti. Vel generationem Christianorum dicit, quæ non transibit ad immortalitatem, donec fuerit consummata. *Sup.* 5. Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. f Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.] *Rab.* Transibunt per commutationem innovationis, sed verba Domini sine effectu completionis nullo modo transibunt. t De die autem illa] tam nominabili. 2. *Tim.* 4. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa justus judex. *Soph.* 1. Dies illa dies iræ, dies tribulationis, & angustiæ, &c. u Et hora nemo scit] i. nihil aliud, ut sit essentialis, non personalis [Scit] scientia acquisita, quæ proprie dicitur scientia, sed forte revelatione, i. scientiæ dono [Scit] *Chrys.* quasi dicat, inopinate veniet. Idem dicit Apost. 1. *Thess.* 5. Repentinus superveniet interitus quasi dolor parturientis. x Neque Angeli cœlorum] nisi revelatione forte, non scientia acquisita. y Nisi solus pater] in quo filius, & Spiritus sanctus intelligitur. *Act.* 1. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, &c. 1. *Thess.* 5. De temporibus autem, & momentis fratres non indigetis, ut scribamus vobis: Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. z Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus filii hominis] i. ita repentine veniet. Unde 1. *Thess.* 5. Cum dixerint pax, & securitas, tunc repentinus ejus superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis. *Chrys.* Non dixit, cum pax erit, & securitas, sed cum dixerint, quia lascivia erit, & non pax his, qui sensibiliter sunt dispositi. Nota autem, quod supra adventus Domini fulguri comparatur, quia ad judicium manifeste veniet, hic vero ostenditur, quod repente. Completis enim quadragintaquinque diebus electis ad pœnitentiam concessis, reprobis, juxta Apostolum, sibi pacem, & securitatem pollicentibus, repente superveniet judicii tempus, sicut in diebus Noe cum fabricaret arcam, malis eum deridentibus subito diluvii aquæ supervenerunt. a Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes] idest gulæ, & ebrietati dediti. b Nubentes, & nuptui tradentes] & in his toti dediti, & judicia Dei contemnentes persisterunt in hoc. c Usque ad eum diem, quo intravit in arcam Noe, & non cognoverunt] idest cognoscere noluerunt, tanquam arridente mundi felicitate, dicentibus impiis, pax, & securitas. d Donec venit diluvium, & tulit omnes, ita erit & adventus filii hominis,] idest tam subito.

Infr. 25. *Luc.* 17.

e Tunc] idest in adventu Domini. f Duo erunt in agro.] Præmissis signis antecedentibus ad judicium, adjungit hic de sequentibus, & hoc, ut præmuniat degentes in præsenti.

f Duo erunt in agro, &c.] Mystice. Per laborantes in agro intelliguntur Ecclesiastici, & activi agentes eamdem

Mystice.

a Unus

speciem

> unus *a* assumetur, † alter relinquetur. Duæ molentes in mola, una assumetur, & † altera relinquetur. Duo in lecto, unus assumetur, & *b* alter relinquetur. *b* Vigilate ergo, *c* quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. *d* Illud autem scitote, quoniam si *e* sciret *f* paterfamilias, qua *g* hora fur venturus esset, *h* vigilaret utique, *i* & non sineret perfodi domum suam. Ideo & *k* vos estote parati, quia *l* nescitis, qua hora filius hominis venturus est. *m* Quis putas est *n* fidelis *o* servus, & *p* prudens,

▲ *a* Unus assumetur, & alter relinquetur.] Duæ (erunt molentes in mola, una assumetur, &c.) q. d. de omni genere, aliqui salvabuntur, & aliqui damnabuntur. *Osee* 13. consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres dividet. *Chrysost.* Et servi, & domini assumentur & qui in otio, & qui in labore, quia dixerat quod divites difficile salvarentur, monstrat, quia non omnino pereuat, neque pauperes universi salvantur, *Exod.* 12. Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum Pharaonis, qui sedebat in solio ejus usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere. ⊙ speciem negotiationis. Per molentes activi sæculares in rota fortunæ, & super volubilitate conversantes. Per jacentes in lecto, in otio contemplationis manentes.

al. † unus.

al. † una.

Marc. 13. Luc. 12.

Mystice.

b Vigilate ergo,] Hortatur Dominus omnes ad vigilandum, & maxime Prælatos ad vigilantiam, & diligentiam, quos non tantum vult esse vigilantes, sed etiam vigiles, quasi super se, & super gregem suum curam habentes. Et causa subditur, quare vigilare teneantur.

c Quia nescitis, qua hora, &c.] ad judicium particulare, vel generale. *Ecclesiast.* 9. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves comprehenduntur laqueo, sic capiuntur homines tempore malo. *Chrys.* Si noscerent homines, quando morerentur, &c. ut igitur non solum circa illam horam studeant, non dicit nec eam, quæ communis est, nec eam, quæ singulorum. Nota autem, quod ea, quæ dicuntur usque ad finem capitis, debent nobis incutere memoriam mortis, quæ multum valet ad fugandum exercitium vitiorum, vel saltem terrendum: Sicut enim timent latrones judicis adventum, sic vitia mortem. Terribilis est ei locus iste quasi porta inferni. *Chrysost.* 1. Sordes ejus in pedibus ejus, & non est recordata finis sui. *Eccl.* 7. Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Item valet ad regendum se in ista vita præsenti: Sicut aves cauda regunt se per aera, & pisces natando per aquam, sic gubernator navem. Stultus esset gubernator, si esset in principio navis, quando debet eam regere.

Quatuor faciunt hominem vigilare.

b Vigilate] Quatuor sunt, quæ faciunt hominem vigilare. Galli cantus, idest, prædicatio divini Verbi: Solis ortus, idest, Christi gratia: Timor furis, idest, consideratio mortis: Solicitudo rei familiaris, idest, desiderium regni cœlestis. *d* Illud autem scitote,] Probat, quod debent vigilare. *e* Quoniam si sciret] *Chrysostom.* Hic confundit desides, qui non tantum studium faciunt pro anima, quantum illi pro pecunia, qui fures expectant. Illi enim vigilant, vos autem non vigilatis, ut parati hinc auferamini. *f* Paterfamilias] quicumque tenetur solicitus esse in custodia domus suæ, sic homo domicilium mentis suæ debet cautius custodire.

g Qua hora fur venturus esset,] hæreticus vel diabolus *Joan.* 10. Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat. *h* Vigilaret utique,] Nota autem, quod si homo dormiat, tribus modis potest excitari. Virga scilicet divinæ justitiæ: De qua *Jerem.* 1. Virgam vigilantem ego video. Hæc virga est pœna præsens inflicta pro peccato primi parentis, vel pœna purgatorii, vel etiam inferni. Secundo, excitari potest clamore prædicationis. *Isa.* 58. Clama ne cesses. Tertio, excitari potest quis consideratione periculorum. Unde *infr.* 26. Vigilate, & orate ne intretis in tentationem. Tria genera periculorum solent hominem excitare a somno, scilicet latrones, ignis, & aquæ. Aquæ malæ cogitationes, quæ multoties operiunt caput rationis, ignis concupiscentiarum, latrones sensus nostri, qui deberent nos custodire. *Thren.* 3. Oculus meus deprædatus est animam meam. Item nota, quod hic exponit *Chrysost.*

Dormiens tribus modis potest excitari.

d Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias,] dicens. Paterfamilias anima, domus corpus, janua os, & aures, fenestræ oculi, fur diabolus. Per fenestras, & januas apertas cito fur ingreditur, & spoliat. Unde *Jerem.* 9. Ascendit mors per fenestras vestras. Si vis ergo securus esse, pone seram ori tuo, idest, legi divini timoris, ut dicas cum *Psal* 38. Posui ori meo custodiam. *Eccl.* 28. Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam, & ori tuo facito ostia. Et quia fragiles sunt feræ nostræ sine Domino, oremus cum *Psal.* 140. Pone, Domine, custodiam ori meo. *Job* 32. Pepigi fœdus cum oculis meis, &c. *i* Et non sineret perfodi domum suam.] *Chrys.* Non repelleret homo † finem suum, si non perfoderetur sententia, sed vocaretur quasi paratus ad exitus. Quando animæ peccatrices delectantur in corpore, veniens cum sententia Dei angelus mortis perfodit corpus, & animam violenter divellit ab eo. Animæ autem justæ, quæ non delectantur in corpore, sed quasi in exilio sunt, veniente sententia non perfodiuntur morientes, sed vocantur gaudentes. *k* Ideo & vos estote parati,] sicut sponsus circa sponsam. Item nota, quod homo debet esse paratus ad pugnandum contra diabolum. *Prov.* 21. Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit. Item debet esse paratus ad reddendum rationem de fide contra Hæreticos. 1. *Pet.* 3. Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, fide, & spe. Item ad bene operandum contra detractores, *Tit.* 3. admone illos, principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. Item parati ad prædicandum contra mundum, *Jer.* 50. Præparamini contra Babylonem per circuitum, omnes, qui intenditis arcum debellate eam, non parcatis jaculis, quia Domino peccavit, clamate adversus eam, ubique dedit manum. Item paratus debet esse ad recipiendum Christum in corde suo sicut *Ps.* 107. Paratum cor meum Deus. 1. *Reg.* 7. Præparate corda vestra Domino. Item in flagella. *Ps.* 37. Quoniam ego in flagella paratus sum. *l* Quia nescitis, qua hora filius hominis venturus est,] ad judicium generale, vel particulare. *m* Quis putas] *Chrys.* Quis raritatem notat. Quanto autem rarior invenitur, tanto beatior est, qui invenitur. *n* Est fidelis] *Prov.* 20. Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet. *o* Servus,] 1. *Cor.* 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi. *Ibi.* Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. *p* Et prudens,] *Prov.* 14. Acceptus est regi minister intelligens. *Chrys.* Fidelis est, qui nihil domini suum facit, nec inaniter consumit: prudens, qui venit ad id, quod oportet dispensare: Si alterum abfuerit, alterum claudicat. *Philip.* 2. Omnes quærunt, quæ sua sunt. 1. *Cor.* 13. Charitas non quærit, quæ sua sunt. *Bern.* Fidelis est servus, qui diligit, prudens, qui intelligit. Servus Domini est, qui desiderat ejus voluntatem habere, audire, & satagit facere. Ista fidelitas primo attenditur, in hoc, quod sibi jura non vindicet, quæ Dominus retinuit in terra sua, scilicet gloriam, & vindictam. Secundo, attenditur in hoc, quod sibi tradita ad dispensandum non facit sua proditorie, quæ facit ille, cui sola administratio tradita est, cum transit ab administratione ad dominium. 2. *Cor.* 6. In omnibus exhibeamus nosmetipsos, &c. Tertio consistit in hoc, ut in deprædationibus, aut tentationibus castrum Domini nostri non reddamus diabolo: Cum dicat Apostolus. 1. *Cor.* 10. Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari ultra id, quod potestis. Quarto, consistit in hoc, quod servus strenue operetur, & opus suum non destruat postea. *Prov.* 18. Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Mollis est, qui duris cedit, qui cum occurrit aliquid difficultatis, opus inchoatum imperfectum relinquit. Dissolutus est, qui non est ligatus ad opus amore. Item destruit opus male vivens, & bene docens. *Eccl.* 34. Unus ædificans, & alter destruens, quid prodest eis nisi labor? Nota autem, quod servus infidelis multum displicet Domino. Unde *Prov.* 25. Deus putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ. Dies angustiæ præsens tempus, in quo Sancti pressuras patiuntur. Servus, in quo sperare potest, est clerus, qui cum infidelis invenitur, est dens putridus, qui dolorem infert, & fœtorem, & sicut dicitur: Non est dolor sicut dolor dentium. Os etiam Ecclesiæ reddit fetidum, quod multum displicet in ore sponsæ. Est etiam pes lassus. Multum affligitur aliquis, dum vult pervenire ad aliquem locum, & præ lassitudine pedis non potest, sic clericorum lassitudo impedit, ne Christi nomen deferatur per mundum. Unde ipse dicit in *Psal.* 59. Quis deducet me in civitatem munitam?

al. † furem.

Luc. 12. De pond. 3 § si sacerdos.

Homo debet esse paratus ad multa.

Fidelitas servi in pluribus attenditur.

▲ Quem

14 *a* Quem constituit Dominus] non ipse se. *Psal.* 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. *Jerem.* 1. Ecce constitui te super gentes, & regna, &c. Christus autem dicitur antonomastice Dominus, quia nos redemit sanguine suo. *Isa.* 42. Ego Dominus, hoc est nomen meum.

b Super familiam suam,] i. Ecclesiam. *c* Ut det illis] non vendat. *Thren.* 5. Aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparavimus. *d* Cibum] *Chrys.* Cibos spirituales, & corporales. Item Christus. In persecutionibus, quando naturalis intellectus timore deficit, necessarius est sermo doctoris, sicut navi gubernator in tempestate maxima.

a quem constituit Dominus *b* super familiam suam, ut *c* det illis *d* cibum in *e* tempore. *f* Beatus ille servus, *g* quem, cum venerit Dominus ejus, *h* invenerit sic facientem. *i* Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Si *k* autem dixerit malus servus ille in corde suo, *l* moram facit Dominus meus venire, *m* & cœperit percutere conservos suos, *n* manducet autem, & bibat cum ebriosis, *o* veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, & hora, qua ignorat, & dividet eum *p* partemque ejus *q* ponet cum hypocritis, illic erit *r* fletus, *s* & stridor dentium.

e In tempore,] idest, habita temporis opportunitate; hæc enim est prudentia, ut in tempore suo quilibet loquatur. *Eccl.* 20. Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore suo. *Psal.* 1. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum quod fructum suum dabit in tempore suo. Esca autem extra tempus oblata nocet.

f Beatus ille servus,] Benevolum reddit, & attentum, assignando utilitatem. Nihil enim est, quod adeo moveat filios Adæ, ut propria utilitas. *g* Quem cum venerit Dominus ejus,] idest, Christus. *h* Invenerit sic facientem,] idest, prudenter, & fideliter. *Chrysost.* Hæc dicta sunt de sermone, de virtute, de pecuniis, & de omni dispensatione, quæ unicuique commissa est. Unumquemque enim ad communem utilitatem, uti oportet his, quæ habet, sive sapientia, sive principatu, sive divitiis, non ad nocumentum conservorum. *i* Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.] *Chrysost.* Quid huic honori æquale? Cœlorum rex omnia habens, hominem constituit super omnia. (Super omnia bona,) quia habebunt ex propriis meritis auream, & ex acquisitione aureolam subditorum. Primum, quia bene vixerunt, secundum, quia alios bene vivere fecerunt. *Chrysost.* Omnium bonorum magna est, super omnes autem maxima est sacerdotalis dignitas, si quis eam immaculate custodiat. Nam si super omnia opera sua pretiosiores æstimat Deus animas, credibile est, ut super omnia bona sit, qui offert Deo lucrum animarum. Dominus autem non solum bonis suis, sed etiam suæ impassibilitati præposuit salutem animarum.

k Si autem dixerit malus servus ille in corde suo,] Explanat præcedens per anthitesim mali servi. *l* Moram facit Dominus meus, &c.] ad judicium. *m* Et cœperit percutere, &c.] idest affligere minores. Vel percutere, verbis falsorum præceptorum, vel exemplo pravæ vitæ. *n* Manducet autem, & bibat, &c.] idest, sicut ebriosi. Non enim jubet nos Scriptura personas malorum abominari, sed voluntates. Nam & Christus cum publicanis comedit, *sup.* 9 Sed non quomodo Publicani. *Deut.* 23. non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est, nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus. Hæc sunt duo propria talium, sc. oppressio minorum, & castrimargia. *o* Veniet Dominus servi illius, &c.] illa, (qua non sperat, & hora, qua ignorat, & dividet eum a consortio fidelium.) *Job* 28. lapidem caliginis, & umbram mortis dividet torrens a populo peregrinante. *p* Partemque ejus] *Rab.* Partem suam duplicem. *q* Ponet cum hypocritis.] *Raban.* Quia adventum desperavit, quia præsentibus studuit, quia desperatione judicii communem sibi familiam fame, siti, cæde vexavit. Et si insipiens ponetur cum hypocritis, ubi ponetur, qui numquam cessavit. *r* Illic erit fletus,] præ calore. *s* Et stridor dentium,] præ frigore. *Job* 24. Transibunt ab aquis nivium, ad calorem nimium. Idem *sup.* 13. & 22. &c.

EXPOSITIO CAP XXV.

Tunc simile erit regnum cœlorum, &c.] in fine præcedentis capituli exhortatus est Dominus Prælatos, & pastores ad vigilias super greges suos, & quemlibet super seipsum, tria distinguens hominum genera, rectores, continentes, conjugatos, quorum omnium aliquos dixit salvandos, aliquos damnandus. Nunc idem ostendit parabola decem virginum, quarum quinque intraverunt cum sponso ad nuptias, quæ significant omnes bonos, & aliæ quinque exclusæ remanserunt, quæ significant omnes malos. Secundo, ostendit idem per parabolam servorum. Tertio Domini cum utrisque. Et ita hoc capitulum dividitur in tres partes. In prima ostendit quosdam hominum salvandos, & quosdam damnandos per parabolam 10. virginum. In secunda ostendit hoc idem per parabolam de servis, qui acceperunt pecuniam Domini sui, ut in ea vigilarent ibi: (Sicut enim homo peregre proficiscens.) In tertia ponitur disceptatio Domini cum utrisque, & malorum condemnatio, & bonorum electio, ibi: (Cum autem venerit filius, &c.) Dicit ergo: *t* Tunc] i. in die judicii. *u* Simile erit regnum cœlorum] idest, Ecclesia.

C A P. XXV.

t Tunc *u* simile erit regnum cœlorum *x* decem virginibus, quæ accipientes lampades suas *y* exierunt obviam sponso, & *z* sponsæ. Quinque *a* autem ex eis erant fatuæ, & *b* quinque prudentes. *c* Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, *d* non sumpserunt oleum secum. *e* Prudentes vero acceperunt oleum in *f* vasis suis cum lampadibus.

A

x Decem virginibus, quæ accipientes lampades suas] idest, opera, quæ secundum continentiam fiunt. *Luc.* 12. Sint lumbi vestri præcincti, ecce virgines, & lucernæ ardentes, ecce lampades. *Chrysost.* Decem virgines sunt omnes homines, quorum vita decem sensibus sustentatur quinque carnalibus, & quinque spiritualibus: Nam omnes homines, aut sunt peccatores, aut justi, peccatores secundum carnales sensus, justi secundum spirituales ambulant. Et ita non possunt Judæi, vel hæretici, virgines appellari, sed soli Christiani. Illi etsi oleum operum habeant, lampadem tamen fidei non habent. Item *Chrys.* Lampas est fides, quia sicut lampas illuminat domum, ita fides animam. Accenditur autem hæc lampas igne verbi Dei: De quo *Luc.* 12 Ignem veni mittere in terram. Hanc lampadem venientes ad Christum in Baptismo per sacerdotes accipiunt.

y Exierunt obviam sponso,] idest, Christo.

z Et sponsæ,] idest, Ecclesiæ, quæ modo desponsata est Christo, & nupta, sed nondum ad amplexum sponsi traducta.

a Quinque autem ex eis erant fatuæ,] In tribus fatuæ, quia in præsenti operantur ad laudem, in adventu sponsi quærunt testimonium laudis a prudentibus, sic putantes intrare ad nuptias, & post clausam januam quærunt dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. Dicuntur autem, quinque quia vanitati quinque sensuum servierunt. *b* Et quinque prudentes,] quia servientes Deo mente, & corpore. Et dicuntur quinque, quia abstinent a voluptate, quæ consistit in quinque sensibus. *c* Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus,] idest, ostensione bonorum operum. *d* Non sumpserunt oleum secum,] idest lætitiam bonorum operum in corde. De quo oleo. *Osee* 44. Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, *sup.* 6. Unge caput tuum oleo. *Eccl.* 9. Oleum, de capite tuo non deficiat. Vel oleum significat charitatem, quæ est super omnes virtutes, sicut oleum supernatat. 1. *Cor.* 12. Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Oleum pietatis, puritatis, intentionis, jucunditatis, mentis.

e Prudentes vero acceperunt oleum] gaudii, vel charitatis. *f* In vasis suis] idest, in conscientiis. *g* Cum lampadibus,] idest, cum bonis operibus, q. d. ex charitate servabant corpora sua caste, & gaudenter operabantur. *Chrysost.* Virgo est, quæ nec habet virum, nec habere desiderat. Quia si voluntatem quidem nubendi habet, corpore quidem virgo est, animo autem nupta, quia corpus sordidatur opere, anima voluntate. Vere fatua, quæ per carnis solam virginitatem putat placere Deo. Sed ne desperare faciamus bonas Virgines, sciendum est, quod aliud est concupiscere, aliud velle concupiscere. Concupiscere passionis est, velle arbitrii. Frequenter enim concupiscimus, quod nolumus. Si ergo non consentit voluntas, concupiscentia sola non damnat, magis autem gloriosiorem facit virginitatis coronam.

h Moram

a Moram autem faciente sponso, b dormitaverunt omnes, & c dormierunt. d Media autem nocte e clamor factus est, f Ecce sponsus venit, g exite obviam ei. Tunc h surrexerunt omnes i virgines illæ, & k ornaverunt lampades suas. l Fatuę autem sapientibus m dixerunt: n Datę nobis de oleo vestro, quia o lampades nostrę extinguuntur. Responderunt p prudentes, dicentes: Ne fortę non sufficiat nobis, & vobis, q ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum r autem irent emere, f venit sponsus, & s quę paratæ erant, u intraverunt cum eo ad nuptias, &

▲ a Moram autem faciente sponso,] idest, Christo differente extremum judicium. Sed *Hab.* 2. Si moram fecerit, expecta eum.
b Dormitaverunt omnes,] idest, infirmitatibus ante mortem languerunt. c Et dormierunt.] somno mortis. *Daniel.* 12. Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper. Vel. b Dormitaverunt omnes, &c.] i. in peccatis involuti sunt. Dicit autem, (omnes,) pro majori parte. Unde *Chrysost.* Tardante consummatione sæculi, non solum peccatores, sed etiam multi spirituales ad negligentiam sunt devolvendi, sua virtute relicta, & ad carnalia delectamenta transituri, ut impleatur illud *Ps.* 11. Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. Et *Luc.* 18. Cum venerit filius hominis, putas inveniet fidem in terra?

B

d Media autem nocte] idest, subito, nullo sciente. 1. *Thess.* 5. dies domini sicut fur, ita in nocte veniet. *Apocal.* 16. Ecce venio sicut fur. Vel Media nocte, cunctis quasi securis quiescentibus, & ebrietati vacantibus. Unde. 1. *Thess.* 5. Cum dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. *Jud.* 18. Venerunt in Lachis sexcenti viri ad populum quiescentem, atque securum, & percusserunt eos in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt. e Clamor factus est,] turbantium Angelorum. 1. *Thess.* 4. In voce Archangeli, & in tuba Dei, &c. f Ecce sponsus venit,] ad sociandam sibi perpetuo sponsam. Et qualis erit clamor ille? Talis.
g Exite obviam ei.] occurrite ei in aere. 1. *Thess.* 4. Rapiemur in nubibus obviam Christo in aera. (Exite) non de domibus, sed de sepulchris. Modo necesse est exire de mundo, de carne, de peccato. *Jer.* 50. Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini.
h Tunc surrexerunt] idest, surgent.
i Omnes virgines illæ,] idest, boni, & mali. 1. *Cor.* 15. Omnes quidem resurgemus.
k Et ornaverunt, &c.] idest, ornabunt, idest, diligenter cogitabunt, & numerabunt opera sua pro quibus remunerationem expectant. l Fatuæ autem sapientibus, &c.] *Chrysost.* quasi dicat, sanctis vestra justitia sufficiens est vos glorificare, & nos excusare. l Fatuæ autem, &c.] Introducuntur, ac si faceret. m Dixerunt:] in corde suo. n Date nobis, &c.] idest, feratis nobis testimonium, de operibus, quæ vidistis, idest, merita vestra suffragentur nobis. Quare? o Quia lampades nostræ] idest, opera nostra (extinguuntur.) *Hier.* Quę lampades suas conqueruntur extingui, ostendunt eas ex parte lucere, tamen non habent lumen indeficiens, nec opera perpetua. Si quis ergo habeat animam virginalem, & amator est pudicitiæ, non debet mediocribus esse contentus, quæ cito exolescunt, & orto caumate arescunt, sed perfectas virtutes sequatur, ut lumen sempiternum habeat. p Responderunt prudentes dicentes. Ne forte non sufficiat nobis, & vobis,] *Hieron.* Hoc non de avaritia, sed de timore respondent. Unusquisque enim pro operibus suis mercedem accipiet, neque possunt in die judicii aliorum virtutes aliorum vitia sublevare. Et quomodo tempore Babylonicæ captivitatis Jeremias peccatores adjuvare non potuit, & dicitur ad eum, ne oraveris pro populo isto, sic formidolosa erit dies illa, cum unusquisque pro semetipso sollicitus erit.
q Ite potius ad vendentes, & emite vobis.] *Chrysost.* Venditores olei sunt Sacerdotes, qui vendunt doctrinam pro fide populorum, indulgentiam pro pœnitentia confessionis. Alius dicit venditores, pauperes, quia per eos oleum, idest, misericordiæ merces acquiritur.
r Dum autem irent emere,] idest, dum vellent facere pœnitentiam. f Venit sponsus, &c.] Unde *Chrys.* Cum non sit docendi licentia, nec tempus faciendæ justitiæ, vel angendæ pœnitentiæ, festinatio vacua erit. Hoc quotidie videmus. Sacerdotes clamant, finis adest, mors venit, & nemo audit; Cum autem ægrotant ad mortem, vocant Sacerdotes, pœnitentiam volunt agere,

x clausa est janua. y Novissime vero veniunt, & reliquæ virgines, z dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At a ille respondens ait? Amen dico vobis: Nescio vos. b Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. c Sicut enim homo peregre d proficiscens e vocavit f servos suos, & g tradidit illis bona sua. Et uni h dedit quinque talenta, i alii autem duo, k alii vero unum, l unicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim. Abiit m autem, qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque.

quando jam locus non est; & vadunt vacui, quia non propter odium peccati, sed propter mortis timorem volunt pœnitentiam agere. f Venit sponsus.] *Greg.* O si sapere possent in palato cordis, quid admirationis habet, quod dicitur, (venit sponsus,) quid dulcedinis, (intraverunt cum eo,) quid amaritudinis, (& clausa est janua.) s Et quę paratæ erant,] i. quæ habebant testimonium bonæ conscientiæ. u Intraverunt cum eo ad nuptias,] De his nuptiis, & apparatu dicitur. *Apoc.* 19. Venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit se, & datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido.

Luc. 15. *Marc.* 13.

Luc. 13.

x Et clausa est janua.] misericordiæ, scil. nullis precibus aperienda, adeo ut ejus misericordia ineffabilis tunc videatur inexorabilis. *Aug.* Non enim post judicium patet precum, aut meritorum locus. *Apoc.* 3. Qui habet clavem David claudit, & nemo aperit. y Novissime vero veniunt & reliquæ virgines,] Nec *Hier.* nec *Rab.* ponit (vero vel autem.) Novissime veniunt, qui tardant pœnitentiam agere, & prius nolunt, Contra illud. *Eccl.* 5. Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. *Chrysost.* Nihil prodest, ex necessitate repetita confessio ejus, qui ex voluntate, nec confessus est semel: Nam voluntaria confessio etiam modica sufficit, ex necessitate autem, nec magna. z Dicentes: Domine, Domine, &c.] Tertium, Domine, deest de quo Apostolus. Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. 1. *Cor.* 12. a At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.] idest, non agnosco. *Chrysost.* Hoc verbum gehennæ difficilius est. Ubi sunt, qui dicunt, circa finem dabo, quæ habeo.
b Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.] i. de adventu judicis, & obitu vestro incerti estis. (Vigilate.) Propter hoc verbum totam parabolam dixit.
c Sicut enim homo, &c.] Alia parabola de eodem. Continua: Quasi vere nescitis horam, neque diem, sicut peregre proficiscens, & servis suis talenta distribuens, incertum est, de sui reditus tempore: Et hoc est.
c Sicut enim homo] idest, Christus.
d Peregre proficiscens] ad patriam cœlestem. Unde *Prov.* 7. Non est vir in domo sua, abiit via longissima, sacculum pecuniæ secum tulit, &c.
e Vocavit] inspirando, prædicando, promovendo.
f Servos suos,] Doctores, Prædicatores, Prælatos, ut servirent sibi, & suis. g Et tradidit illis bona sua.] Bona fortunæ, bona naturæ, bona gratiæ ad dispensandum, tandem traditurus bona gloriæ ad fruendum. h Et uni dedit quinque talenta,] Quinque talenta data *Prælatis*, sunt officium instructionis, coertionis, institutionis, interpellationis, sacramentationis. Dedit etiam quinque talenta, naturam in operationem, gratiam in cooperationem, Scripturas in eruditionem, figuras in educationem, exempla Sanctorum in imitationem. Item quinque talenta sunt paupertas, Infirmitas, contumelia, injuria, mors. i Alii autem duo,] Duo data sunt minoribus, officium interpellationis, & sacramentationis. k Alii vero unum,] Unum datum omnibus, cura sui ipsius. l Unicuique secundum propria, &c.] *Ephes.* 4. Unicuique enim nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi secundum propriam virtutem. *Chrysostom.* Ne supra virtutem opus insurgens, ipsa causa ruinæ existeret. (Et profectus est statim.) m Abiit autem, qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus, &c.] Primi talenti, idest paupertatis sunt quinque lucra, scilicet, munditia,

▲ secu-

a Similiter, qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & b abscondit pecuniam Domini sui. c Post multum vero temporis d venit Dominus servorum illorum, & e posuit rationem cum eis. Et f accedens, qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens: Domine, 5. talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. At illi dominus g ejus: Euge serve bone, & fidelis, quia h super pauca fuisti fidelis, i supra multa te constituam, k intra in gaudium domini tui. l Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone, & fidelis, quia m super pauca fuisti fidelis, n supra multa te constituam intra in gaudium Domini tui. o Accedens autem, & qui unum talentum acceperat, & ait: Domine, scio, quia homo durus es, p metis, ubi non seminasti, & q congregas, ubi non sparsisti, r & timens f abii, & t abscondi taleotum tuum in terra. Ecce habes, quod tuum est. u Respondens autem dominus ejus dixit ei: Serve male, x & piger, y sciebas, quia meto, ubi non semino, & z congrego, ubi non sparsi: a oportuit ergo te pecuniam meam b committere nummulariis, & c veniens ego recepissem utique, quod meum est cum usura. d Tollite itaque ab eo talentum, & e date ei, qui habet decem talenta: Omni f enim g habenti h dabitur, & i abundabit:

a securitas, pax, humilitas, expeditio. Secundi talenti, idest, infirmitatis, sunt qoatuor lucra: Sui cognitio, fratris compassio, carnis humiliatio, spiritus exaltatio. Tercii talenti, idest, contumeliæ sunt tria lucra, scil. superbiæ repressorium, patientiæ aspersorium, culpæ exversorium. Quarti talenti, idest, injuriæ duo suot lucra, scil. curarum alienatio. cordis coadunatio. Quinti talenti, scilicet, mortis, unum est lucrum, scil. timor Dei.

a Similitee, qui doo acceperat, lucratus est alia doo.]

Luc. 19. Multi fodiunt.

b Qui autem onom acceperat, &c.] Nota, quod fodit piger prædicator, sicut hic dicitur. Item felicitas. *Ps.* 93. Donec fodiatur peccatori fovea. *Gloss* dicit. Felicitas fovea est. Item luxuriosus. *Prov.* 23. Fovea profunda est meretrix. Item fur. *Job* 24. Perfodiont in tenebris domos. Item avarus. *Ps.* Incoe-fa igoi, & suffossa. *Isai.* 34. Ibi habuit foveam hericius. Item mors. *Luc.* 12. si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, & vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Item diabolos. *Isai.* 37. Egu fodi, & bibi aquam, dicit diabotos. Item Judæi. *Psalm.* 21. Foderuot manus meas. Item, qui addiscunt prudentiam sæculi. *Exod.* 7. Foderunt Ægyptii per circoitum fluminis aquam, ut biberent. Item adulator. *Tob.* 8. Accersiti jussit Raguel servos suos, & abierunt cum eo, ut foderent sepulchrum. Tobias interpretatur bonus, servi Raguelis adulatores. Item stultus. *Prov.* 26. Vir insipiens fodit malum. Item in bono Deus fodit. *Isai.* 6. Non putabitur, & non fodietur.

Item prædicatur ferro increpationis. *Luc.* 13. Dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illa. *Eccl.* 48. Fodit ferro rupem, dicitur de Ezechia, idest, durum cor. Item scholaris scrutinio. *Gen.* 26. Foderont in torrente, & repererunt aquam vivam. Torrens Sacra Scriptura. Sed *Luc.* 17. Fodere non valeo, dicit malus servus. Item confessor inquisitione. *Gen* 35. dederunt ei omnes deos alienos, & inaures, quæ habebant in auribus eorum, at ille fodit eos sub terebintho, quia peccator dicit Sacerdoti peccata sua, & ipse in nomine Christi fodit sub terebintho Crucis. Item Sacerdos ferro compunctionis. 3. *Reg.* 18. fossa aquæductus repleta est. Item claustralis sepulchrum. *Job* 11. Defossus securus dormies. Et *ejusd.* 3. Quasi effodientes thesaurum, gaudeotque vehementer, cum invenerint sepulchrum. Item expositor. *Numer.* 21. puteus, quem foderunt principes.

b Et abscondit pecuniam domini sui.] Contra illud. *Eccl.* 20. & 41. Sapientia absconsa, & thesaurus invisus, quæ utilitas in otrisque? Item *Exod.* 16. manna servatum computruit.

c Post multum vero temporis] quod est ab Ascensione Domini usque ad judicium.

d Venit Dominus servorum illorum,] ad judicium.

e Et posuit rationem cum eis.] *Luc.* 16. redde rationem villicationis tuæ.

f Et accedens, qui quinque talenta acceperat, &c.] *Chrysost.* Confitentur gratitice, & totum ei reportant, quoniam ab ipso sumpserunt, q. d. nec modicam justitiam facere potoissemus, nisi fuisset gratia tua nobiscum. 1. *Cor.* 15. plus omnibus laboravi. Non autem ego, sed gratia Dei mecum.

g At illi Dominus ejus: Euge, serve bone, & fidelis,] Hoc est contra illos, qui etiam post benefacta provocant servientes suos. Contra quos *sup.* 24. Qui putas, &c. *Isai.* 70. Minimus erit in mille, & parvulus in gente fortissima: Euge. *Chrysost.* idest, bonum sit ibi. h Quia super pauca fuisti fidelis,] Ecce quod Dominus vocat, & dicit parva, quæ dat homini, licet sint magna. i Sopra multa te constituam.] *Isai.* 64. Quod oculus non vidit, &c. k Intra in gaudium Domioi tui,] ut ex omni parte sit gaudium. Sursum visio Dei, deorsum visio inferni, iotus gloria conscientiæ, exterius decor omnis creaturæ. *Chrys.* Noo diait, intra ad gaudiom, sed io gaudium, ut possessor sit gaudii, non spectator, jam non minister in gaudio, sed particeps gaudiorum. *Jo.* 12. Volo, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus. l Accessit aotem, & qui doo talenta acceperat, &c. Euge serve bone, & fidelis.] Est euge exultatorium. *Ezech.* 25. Pro eo, qnod dixisti, euge, euge, super sanctuarium meum, &c. Irrisorium. *Ps.* 34. Dilataverunt super me os suum, dixerunt, euge, euge. Adulatorium, *Ps.* 39. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, euge, euge. Nec dicant, devorabimus eum. m Quia super pauca fuisti fidelis,] 2. *Cor.* 4. Id, quod in præsenti est momentaneum, & leve, &c. *Rom.* 8. Non sunt condignæ passiones, &c.

Sup. 7. Matt. 4. Luc. 7.

n Supra multa te constituam, iotra in gaudium Domini tui.] Similiter gaudium habent, qoi de quinque, & duobus lucrum fecerunt, quia retributor non considerat lucri magoitudinem, sed studii voluntatem. o Accedens autem & qui unum talentum, &c.] quia ardua est via, quæ ducit ad vitam, *sup.* 7. p Metis, obi non seminasti,] præcedens falce judicii eos, quibus legem non commisisti. q Et congregas, ubi non sparsisti,] i. congregans in regno tuo gentiles, quibus non sparsisti margaritas Scripturarum, sicut Judæis per te, scil. r Et timens] duritiam tuam. f Abii,] per liberum arbitrium. s Abscondi talentum, &c.] *Chrys.* Et si talentum non perdidit, tamen reus est damni, sicut qui causa seminandi semen accipiens tempore seminationis non seminaverit, Domino suo damnum facit; & si semen non perdiderit, quantum poterat lucrum facere, si opportuno tempore seminasset. u Respondens autem Dominus, &c.] *Chrys.* Vere malus, qui largitatem vocat violentiam. x Et piger.] *Prov* 6. Usquequo piger dormies. Quando consurges de somno tuo? y Sciebas quia metu, ubi non semino,] multo fortius, ubi semino. z Et congrego,] ubi non sparsi. *Interl.* Quia ab his exigo, quibus non commisi ad erogandum. a Oportuit ergo te pecuniam meam] i. sermonem meum. b Committere nummularis,] idest auditoribus, qui, quod audiunt, operantur. c Et veniens ego recepissem utique, quod meum est cum osura.] i. te, & illos quos acquisisset. *Prov.* 19. Feneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei. *Eccl.* 29. Qui facit misericordiam, feneratur proximo suo. *Jerem.* 15. Non feneravi, nec feneravit mihi quisquam. d Tollite itaque, &c.] Posita duplici culpa servi inutilis, scil. tempore in exequendo, & superbia in excusando, subdit de ejus duplici pena. Una in præsenti, quia talentom intelligeotiæ ei aufertur, i. pro ejus abusu infatuatur, vel, i. ex iotelligentia scientiæ, nullam percipit conscientiæ jucunditatem, non habens sapientiam a sapore. Alia in futuro, quando patietur tenebras exteriores. Dicit ergo: (Tollite itaque talentum ab eo,) idest, intellectum. e Et date ei, qoi habet decem talenta:] *Prov* 10. Tolle pignus ab eo, qui spopondit pro extraneo. f Omni enim habenti dabitur] solicitudinem ministrandi verbum Dei g habenti] charitatem.

h Dabitur,] gratia, vel augmentum charitatis.

i Et abundabit:] idest post augmentum, perfectionem charitatis habebit. Eo etiam, quod dicitur:] habenti dabitur, & abundabit,] notantur tria, scil. habitus cha-

A titatis,

ritatis, & ejus augmentum, & perfectio. Charitas enim sine merito habetur, habita augeri meretur, aucta perficietur. *a* Ei autem, qui non habet,] sulicitudinem ministrandi verbum Dei. Vel. (Qui non habet charitatem.) *b* Et quod videtur habere, auferetur ab eo.] *Hier.* Eleganter etiam, quod videtur, inquit, habere auferetur ab eo. Quisquis enim sine fide Christi est, ei debet imputari, quod male eo usus est.

c Et inutilem, &c.] Idem *supra* 8. 13. & 22. 24.

d Cum autem venerit] Dicto quid ante judicium, dicit quid in judicio. Dicit ergo. (Cum autem venerit filius hominis.) Nota, quod venit filius Dei in mundum per carnis assumptionem ad salvandum. Unde *Joann.* 12. Non veni, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. Item in mentem per gratiæ infusionem ad justificandum. *Job* 9. Si venerit ad me non videbo eum. Item ad judicium ad disceptandum. *Joann.* 16. Cum venerit ille, arguet mundum.

D

e In majestate sua] Idest, in Divinitate sua, qua judicabit, qui prius venit in humilitate.

f Et omnes Angeli ejus cum eo,] *Isai.* 3. Dominus ad judicium veniet, cum senioribus populi sui, & Principibus ejus.

Ei *a* autem, qui non habet, & quod *b* videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem *c* servum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium. Cum *d* autem venerit filius hominis in *e* majestate sua, & *f* omnes Angeli ejus cum eo, tunc *g* sedebit super sedem majestatis suæ, & *h* congregabuntur *i* ante eum omnes gentes, & *k* separabit eos ab invicem, sicut *l* pastor segregat oves ab hædis. Et *m* statuet oves quidem a *n* dextris suis, *o* hædos autem a sinistris. Tunc *p* dicet Rex his, *q* qui a dextris ejus erunt: Venite, benedicti patris mei, *r* possidete *s* paratum vobis regnum a *t* constitutione mundi. Esurivi *u* enim, & *x* dedistis mihi manducare. *y* Sitivi, & *z* dedistis mihi bibere. *a* Hospes eram, & collegistis me. *b* Nudus, & cooperuistis me. Infirmus, & visitastis me. In *c* carcere eram, & *d* venistis *e* ad me. Tunc *f* respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus; sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te, aut nudum, & cooperuimus te, aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens rex dicet illis. Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi *g* fecistis. Tunc *h* dicet rex & his, qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti in ignem æternum, qui *i* paratus est diabolo, & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare. Sitivi, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me. Nudus, & non operuistis me. Infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei, & ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, vel in carcere, & non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni *k* de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

s Paratum vobis regnum] Ergo omnes boni erunt Reges? Verum est. *Apocal.* 1. Princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Reges, & sacerdotes. 1. *Petr.* 2. Vos estis genus electum, regale sacerdotium.

t A constitutione mundi.] *Eph.* 1. Benedictus Deus, & pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. *u* Esurivi enim,] Esurivi in me salutem hominum, *Joan.* 19. Sitio. *x* Et dedistis mihi manducare,] vos ipsos, credendo, operando. *Actor.* 10. Macta, & manduca. Item. *u* Esurivi] In meis justitiam *sup.* 5. Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam. (*Sup.* 7. *Luc.* 11.)

x Et dedistis mihi manducare,] eos adjuvando, invitando, congratulando. Item *u* Esurivi] in meis panem doctrinæ. *Amos* 8. Mittam famem in terram, non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. *x* Et dedistis mihi manducare,] eos erudiendo. *Prov.* 25. Si esurit inimicus tuus, ciba illum. Item.

u Esurivi] in meis panem materialem. *x* Et dedistis mihi manducare,] pauperes reficiendo. (*Joann.* 6.) *y* Sitivi,] In meis potum sapientiæ. *z* Et dedistis mihi bibere.] *Eccl.* 15. Aqua sapientiæ salutaris potavi illum. *a* Hospes eram, & collegistis me.] *Eccl.* 29. Transi hospes, & orna mensam, & quæ in manu tua habes, ciba ceteros. *b* Nudus, & cooperuistis me. Infirmus, & visitastis me.] *Eccl.* 7. Non te pigeat visitare infirmum. *Jacob* 1. Religio munda, & immaculata apud Deum, & patrem, hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. *c* In carcere eram,] miseriæ, culpæ. *d* Et venistis] mente, & corpore.

e Ad me,] consolandum, liberandum. Sex autem opera misericordiæ hic tanguntur, scilicet, visitare infirmos, potare sitibundos, cibare famelicos, redimere captivos, vestire nudos, recipere peregrinos. Septima est *Tob.* 2. Sepelire mortuos. Unde:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo. (*Versus.*)

f Et tunc respondebunt ei, &c.] Usque ibi, (de his fratribus meis minimis.) Hoc dicit, quia non omnes minimi sunt fratres ejus. *Eccl.* 19. Est, qui nequiter se humiliat, *supr.* 12. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

g Tunc sedebit super sedem, &c.] idest, super Ecclesiam, in qua tunc apparebit omnipotentia ejus. *Isai.* 66. Cœlum sedes mea est, & terra scabellum pedum meorum. *h* Et congregabuntur] per angelos, scilicet.

i Ante eum omnes gentes,] Unde *Joel* 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in valle Josaphat, & disceptabo ibi cum eis super populo meo, & hæreditate mea Israel. *Rom.* 14. Omnes stabimus ante tribunal Christi 1. *Corinth.* 15. Omnes quidem resurgemus. 2. *Corinth.* 5. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, &c. *k* Et separabit eos, &c.] merita omnium discernendo, loca varia assignando. Nam hos a dextris, illos a sinistris ponet, diversis appellationibus nominando. Nam istos oves, illos hædos vocabit. Illos damnando in inferno, istos glorificando in Paradiso. *Osee* 13. Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres dividet. *Prov.* 16. Judicium determinat causas.

l Sicut Pastor segregat, &c.] idest, bonos a malis. Ipse enim est Pastor. *Joann.* 10.

m Et statuet oves quidem] idest, fetosas, idest, operibus fecundos, & simplices sine malo, *supr.* 10. Ecce ego mitto vos, sicut oves inter lupos.

n A dextris] suis. *Chrysost.* A dextris sunt, qui quærunt æterna, a sinistris, qui quærunt præsentia. Nam per dexteram significantur æterna, per sinistram temporalia. *Cant.* 2. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *o* Hædos autem a sinistris,] sic notat, quod gloriam temporalium habuerunt.

p Tunc dicet Rex] Regum *Apocal.* 19. Rex Regum, & Dominus dominantium. *q* His, qui a dextris ejus erunt. Venite, benedicti patris mei,] *Prov.* 22. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur, de panibus enim suis dedit pauperi. *r* Possidete] Hæc possessio sequitur benedictionem. Sed *Gen.* 2. Cain possessionem sequitur maledictio. Maledictus eris super terram.

g Mihi fecistis.] *Isai.* 28. Hæc requies mea, reficite lassum, & hoc est refrigerium meum.

h Tunc dicet Rex, &c.] *Rab.* Si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur? Et si judicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam, quale judicium erit ei, qui fecit rapinam? Aut quid recipiet, qui aliena tulit, si semper ardebit, qui sua non dedit? (In ignem æternum.) *Hier.* Prudens lector intende, quod supplicia æterna sunt, & quod vita æterna non habet ruinam.

i Qui paratus est diabolo, & angelis ejus.] *Isai.* 30. Ab heri præparata est Tophet a Rege præparata.

k Uni de minoribus his, *Chrysostomus*. Quid dicis? Fratres tui sunt, & eos minimos vocas? Propter hoc enim fratres sunt, quia humiles, quia abjecti.

EXPO-

EXPOSITIO CAP XXVI.

ET factum est, &c.] Eleganter postquam præmisit de adventu suo in majestate, subdit de Passione, quam sustinuit ex summa humilitate, conjungens gloriam æternitatis merito passionis, ut effectum causæ. Passionis enim effectus, vel causa finalis, est gloria æternitatis. Dicit ergo.

C A P. XXVI.

ET a factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit b discipulis suis: Scitis, c quia post biduum Pascha fiet, d & filius hominis e tradetur, ut f crucifigatur. g Tunc b congregati sunt principes sacerdotum, & i seniores populi in k atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, l & consilium fecerunt, ut Jesum m dolo tenerent, & n occiderent. o Dicebant autem: Non in die festo,

A

Matt. 14. Joan. 11. Luc. 22.

a Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, quos de consummatione mundi, vel de discretione judicii proferebat. Vel omnes sermones ab initio Evangelii usque ad tempus passionis suæ, docendo, vel exhortando, seu etiam futura prædicendo in auditu discipulorum, aut turbarum consummaverat, hoc est faciendo, & prædicando compleverat.

b Dixit discipulis suis,] hæc scilicet, quæ sequuntur.

c Scitis, quia post biduum Pascha fiet, &c.] sic dicit *Joannes* 1. quod in sabbato ante ramos Palmarum venit Jesus in Bethaniam, ubi Maria unxit eum. In crastino venit Jerusalem, sedens super asinam, *sup.* 21. Feria secunda geruntur ea, quæ narrantur post hunc adventum Jerosolymis acta, vel gesta. Tertia feria ante Pascha dixit Dominus hoc: (Scitis, quia post biduum, &c.) Littera plana est.

Moraliter.

Moraliter. Christus in Passione sua Typum gerit peccatoris, & pœnitentis. De utroque dicitur: Scitis, quia post biduum Pascha fiet. Biduum peccatoris est mala cogitatio, & delectatio noxia. Post quod biduum fit Pascha, idest, transitus de terra virtutum, & æternæ promissionis in Ægyptum peccatorum, & æternæ reprobationis. Fit etiam immolatio hœdi per consensum peccati.

d Et] sic (filius hominis) peccator, qui a seipso generatur in peccato, illa misera nativitate, de qua *Job* 3. Pereat dies, in qua natus sum, nox, in qua dictum est, conceptus est homo. Idem, *Jerem.* 20.

e Tradetur,] diabolo.

f Ut crucifigatur.] In patibulo infernali.

g Tunc] In quarta feria ante Pascha.

h Congregati sunt Principes sacerdotum,] idest vitia, vel peccata in nobis Christum persequentia, quæ quasi sacerdotes infernales immolant nos diabolo.

i Et Seniores populi] Principes sacerdotum dicuntur tria capitalia peccata, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ. Seniores populi dicuntur septem criminalia. Populus, ceterorum turba vitiorum. Hæc congregantur.

k In atrium Principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas,] qui interpretatur ore vomens, & significat peccatorem, qui omnia bona tam naturæ, quam gratiæ a se, quasi vomens peccando ejicit. Hujus atrium, idest domus forinseca, ubi vitia congregantur, est caro, unde fomes oritur.

l Et consilium fecerunt, ut Jesum] idest, hominem ad salutem creatum.

m Dolo tenerent,] quia vitia se palliant vestimento virtutum, alioquin numquam reciperentur *supr.* 7. Attendite a falsis Prophetis, &c. Tenerent, dicit, quia postquam quis illaqueatus est vinculis peccatorum, vix evadit. *Proverb.* 6. Iniquitates suæ capiunt impium, & vinculis peccatorum suorum constringitur.

n Et occiderent,] morte duplici. Primo morte culpæ, secundo morte gehennæ, quæ est secunda mors. *Apoc.* 20. Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. In his non habet potestatem secunda mors.

p Non in die festo,] Non timent scandalum populi, sed timent ne tollatur ab eorum manibus in impetu populi. Hæc sunt verba Matthæi secundum quosdam.

o Dicebant autem. Non in die festo, &c.] dies festus peccatoris est gaudium peccati, clamor vitiorum. In hoc festo est mutua advocatio unius ad alterum. Luxuria quidem advocat avaritiam, ut ab ea pascatur, avaritia advocat superbiam, ut per eam extollatur. *Isa.* 34. Occurrent dæmonia, onocentaurus, & pilosus clamabit alter ad alterum. In hoc festo concinunt simul comessatio, & ebrietas, triplicat cantum renum voluptas. *Hier.* Venter, & genitalia, &c. *Prov.* 37. Duæ sunt filiæ sanguisugæ, quæ semper clamant, affer, affer. Affer cibos, affer vina, & statim admiscet se renum voluptas, ut diximus, quæ triplicat cantum, quadruplicat exterior lascivia, organizat garrula jactantia. Quæ organizatio multum displicet Deo. *Isa.* 1. Iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea. In hoc festo legunt lectiones, garrulitas, & vaniloquium, quasi ranæ Ægypti. Responsoria, cantant corvus, & porcus, idest, procrastinatio pœnitentiæ, & delectatio peccati. *Soph.* 2. Vox cantantis in fenestra corvus in superliminari. Invitatorium cantant mendacium, & adulatio. *Soph.* 2. Convenite, congregamini gens non amabilis. Thuribulum portat detractio, fumum peccatorum aliorum circumferens, & naribus omnium suffumigans ubique, diffundens per totam Ecclesiam malignantium. *Isai.* 1. Incensum abominatio est mihi. Cereos portant simulatio, & dissimulatio hypocrisis. Simulatio falsi boni, & dissimulatio veri mali. Crucem elevatam portat ambitio, sicut dicit *B. Bern.* O ambitio ambitiosorum crux, quomodo omnibus places, quæ omnes torques? Aquam maledictam portat oppressio prælatorum, quæ lacrymis dolorum aspergit facies subditorum. *Eccl.* 35. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? *Job* 24. De civitatibus viros gemere fecerunt, & animæ vulneratorum clamabunt, & Deus inultum abire non patitur. Librum ante sacerdotem portat ostentatio, quæ omnia bona si qua habeat, ostendit aliis, ut laudetur. Maledicamus Domino, dicunt rixa, & contentio: Hoc est festum stultorum, ubi omnia præpostere, & inverse fiunt. Ubi quanto quis inordinatius se habet, tanto melius solemnizat. Ibi enim pro sericis, & palliis virtutum induunt se saccis, & notis peccatorum. *Isa.* 3. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, &c. Et erit pro suavi odore fœtor, ecce Thus, & pro Zona funiculus, ecce Balteus, & pro crispanti crine calvitium, ecce mitra Episcopi.

Secunda expositio.

c Scitis, quia post biduum Pascha fiet,] Secunda expositio de pœnitente. Hoc biduum est bona cogitatio, & bonum propositum. Pascha transitus de Ægypto vitiorum in terram virtutum, per desertum pœnitentiæ, ubi fit immolatio agni per carnis macerationem.

d Et] sic, (filius hominis,) idest, rationis cum cum gratia generatus in lucem, idest, in sui, & Dei cognitionem.

e Tradetur,] Prætori cœlestis Imperatoris, idest, sacerdoti.

f Ut crucifigatur,] idest, Cruci pœnitentiæ affigetur. De qua *Gal.* 6. Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, &c. Et *Luc.* 9. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, &c.

g Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum,] idest, virtutes nos Deo immolantes.

i Et seniores populi] qui dant consilia, idest, prudentia, fides, sapientia, & donum consilii, quæ consulant, ut vetus homo crucifigatur.

k In atrium Principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas,] ore vomens, idest, in corde pœnitens, per confessionem omnia peccata vomentis, *Ecclesiast.* 31. Si coactus fueris in edendo multum, surge e medio, & vome, & refrigerabit te.

l Et consilium fecerunt, ut Jesum] idest, a peccatis jam pœnitentem salvatum. m Dolo tenerent,] captum, & ligatum vinculis præceptorum.

n Et occiderent,] peccato, & mundo. Dolus virtutum est astutia earum, per quam pœnitentem occultant intra se, ne aliqua occasione redeat ad peccata. De hac congregatione virtutum ad veterem hominem crucifigendum dicitur. *Isa.* 16. Ini consilium, coge concilium, pone quasi noctem umbram tuam in meridie.

o Dicebant autem:] virtutes, quarum dictio est bona affectio, vel bona cogitatio.

p Non in die festo,] Dies festus virtutum, est dies festus verorum Judæorum, idest, vere confitentium peccata, & laudes Deo. In hoc festo habet unaquæque virtus diem suum, idest, illuminationem, & confectionem propriam, ut dicit *Greg. super Job* 1. In hoc festo purpura induta intexta carbunculis, quasi summus Pontifex rutilat charitas,

A bysso

a Ne forte tumultus fieret in populo. *b* Cum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi, *c* accessit ad eum *d* mulier habens alabastrum unguenti *e* pretiosi, & *f* effudit super caput ipsius recumbentis. *g* Videntes autem discipuli indignati sunt dicentes. Ut quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus. *h* Sciens autem Jesus, ait illis. *i* Quid molesti estis huic mulieri? *k* Opus enim bonum operata est in me. *l* Nam semper pauperes habetis vobiscum, *m* me autem non semper habebitis. Mittens *n* enim hæc unguentum hoc in *o* corpus meum *p* ad sepeliendum me fecit. *q* Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, quod hæc fecit in memoriam ejus.

a bysso induta, & margaritis ornata refulget castitas; in albis incedit innocentia, quæ dicitur puritas; hyacintho vestitur patientia, violis decorata procedit humilitas, fides, & spes charitati assistunt, ceteros portant sapientia, & scientia, aquam benedictam portat luctus, Crucem portat disciplinæ correctio, thuribulum portat devotio, librum donant intellectus, præcinuat autem spes veniæ, spes gratiæ, spes gloriæ, succinunt timor pœnæ, timor offensæ, timor reverentiæ, decantant confessio, & oratio, invitatorium cantat benignitas, & patientia prædicationum, lectiones leguat prudentia, & consilium, psalmos cantant pietas, & fortitudo, & misericordia in choro uno, in alio choro continentia, & abstinentia, & modestia, chorum regit temperantia, quæ observat: ne quis nimis, vel parum organizet: benedicamus Domino, dicunt gratiarum actio, & vox laudis. Hoc festum ter agitur in anno benignitatis, idest in contritione, in oratione, & contemplatione. Unde *Exod.* 23. Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. In his tribus diebus consilium est vitiorum, & dæmonum, ut quæratur novus homo ad occidendum.

a Ne forte tumultus fieret, &c.] virtutum, idest contemptus omnium virtutum, quem dæmones, vel vitia sustinere non possunt, sed potius, quasi lupi, vel latrones, eo exterreatur. Imminente enim tentatione unaquæque virtus tumultum facit, & clamat. Cogitatio enim mala fur est, affectio noxia ignis est. Tunc una virtus clamat, ad arma, ad arma, sc. disciplina; alia clamat, latronem, latronem, sc. timor; alia clamat, aquam, aquam, sc. luctus, & dolor; alia invocat auxilium, sc. oratio. Et sic fit tumultus in corpore pœnitentis, velut in civitate, cum in eam hostes irruerint, vel ignis immissus apparuerit. Hoc tumultu eripitur homo a manibus inimicorum ejus. Vel tumultus in populo virtutum est turbatio concentus spiritualis, quem faciunt virtutes in oratione, vel contemplatione. Et est consilium virtutum, ut quæratur Jesus, idest pœnitens ad crucifigendum, ne per tristitiam afflictionis turbetur concentus, & gaudium contemplationis. *Nehemiæ* 8. Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere, & nolite flere, ito comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes eis, qui non præparaverunt sibi, idest, justitiæ, vel dolori, quia dies sanctus est Domini, & nolite contristari. Gaudium enim Domino est fortitudo vestra. Recapitulatio est usque ad illud: [Tunc abiit unus] Quia illud factum est sabbato ante ramos Palmarum, ut dicit *Jo.* 12. *b* Cum autem esset Jesus, &c.]

Mystice. Mystice. Simon leprosus, peccator conversus est, & obediens ponens sibi tristitiam de peccatis suis. *Jerem.* 31. Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines. Qui & auditor mœroris interpretatur. *Eccl.* 7. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. In domo hujus recumbens Dominus, tot ferculis pascitur, quot motus virtutum in ipsa conversione peccatoris ei offerimus. Et tot generibus vini inebriatur, quot sunt genera lacrymarum. *Cant.* 7. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum. Mulier, quæ unguentum effudit, est anima pœnitentis. Unguentum est oratio. *Apoc.* 5. Et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. *Eccl.* 10. Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Hoc unguento mulier ungit caput Jesu orans, & adorans ejus divinitatem. Ungit & pedes ejus, ut dicit *Luc.* 7. ejusdem humanitatem fideliter credens. Vel prædicatores ejus, & pauperes pietatis operibus reficiens. Alabastrum, in quo unguentum est, ipsum est cor pœnitentis, quo fracto unguentum effunditur. Et tota domus impleta est ex odore unguenti, ut dicitur *Marc.* 14. *Eccl.* 24. Quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, & quasi balsamum non mistum odor meus. *Apoc.* 8. Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu Angeli coram Deo. Frangitur autem alabastrum, quia cor in oratione comminuendum est, si larga sit effusio unguenti. Unde *Thren.* 2. Effunde sicut aquam cor tuum, ante conspectum Domini, ut sic in corde nihil remaneat diabolici liquoris, idest peccati. Vel, ut totum cor redigatur in pulverem aromaticum, ut bene redoleat coram Deo. *Cant.* 3. Quæ est ista oratio, sc. quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii? Bethania interpretatur domus obedientiæ, vel domus glorificans Dominum, vel domus Domini. Hæc est anima in omnibus Deo obediens, & in omnibus Deum glorificans. Ibi est Jesus, idest salus, quia in domo inobedientiæ est perditio. *Psalm.* 29. Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus. Dicit ergo.

Marc. 14. *Joan.* 12.

b Cum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi] non modo, sed prius, idest in corde peccatoris obedientis, & peccatum agnoscentis.

c Accessit ad eum,] mentis devotione.

d Mulier habens alabastrum unguenti,] idest, ipsa anima pœnitentis habens suavitatem orationis. Alabastrum, idest hujus generis vas plenum unguenti, sicut dicitur vas vini, vel olei. Et dicit *Bern.* quod in hoc genere marmoris unguenta servantur illibata.

e Pretiosi] idest de speciebus pretiosis factum.

f Et effudit super caput ipsius recumbentis,] idest divinitatem ejus oravit, & adoravit.

g Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: Ut quid perditio, &c.] sic multi, & maxime magni, quasi perditum reputant, quod datur orationi, & contemplationi. Et hoc dicunt, non quia multum curant de pauperibus, sed magis faventes propriis cupiditatibus. Unde *Joan.* 12. Maria accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit capillis suis pedes ejus, & domus repleta est ex odore unguenti. Dicebat ergo unus ex discipulis ejus Judas Scariotes, qui eum erat traditurus, quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis? Dicebat hoc, non quia ad eum pertinebat de egenis, sed quia fur erat, & loculos habens, & ea, quæ mittebantur, portabat. Sic etiam Martha Mariam a contemplativa solicitat. *Luc.* 10. Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet.

h Sciens autem Jesus, ait illis] i. Judæ, & Marthæ volentibus excitare Mariam contemplationi vacantem.

i Quid molesti estis huic mulieri?] quæ me suis orationibus, ac suspiriis mollit?

k Opus enim bonum operata est in me,] devotionis, & pietatis, qua sui ipsius miserta est primo. *Eccl.* 30. Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate.

l Nam pauperes semper habetis vobiscum,] *Deut.* 15. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. *m* Me autem non semper habebitis,] præsentia corporali præsentem. In contemplatione Dominus quæritur, & tarde invenitur, & citu amittitur. *Bern.* Felix hora, sed brevis mora. *Cant.* 5. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo, at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est, quæsivi, & non inveni illum, vocavi, & non respondit mihi.

Marc. 14.

n Mittens enim hæc] mulier [unguentum hoc,] sanctissimæ devotionis.

o In corpus meum,] discutiendo passiones, & angustias, quas pro illa in corpore meo sustinui.

p Ad sepeliendum me fecit] in corde suo. Mens enim devota nihil aliud est quam sepulchrum Jesu. *Job* 3. Gaudent vehementer, cum invenerint sepulchrum. Item *Job* 5. Ingredieris in abundantia sepulchrum. *Gen.* 49. dicit Jacob, idest Christus: Sepelite me in spelunca duplici, propter intellectum, & affectum, vel propter divinitatem, & humanitatem, quæ debent ibi sepeliri.

q Amen dico vobis, ubicumque prædicatum, &c. quod hæc fecit in memoriam ejus,] idest obsequium hoc, quod mihi fecit. Inde enim gloriam acquisivit per totum mundum, quia ex officio sedulæ contemplationis acquiritur non solum gloria apud Deum, sed etiam bona fama per

totum

[illegible] mundum. Quamdiu claustrales clausi steterunt in claustris suis vacantes orationi, & contemplationi, habuerunt gratiam Dei, & hominum, exeuntes ad publicum, utrumque amiserunt. 3. *Reg.* 2. Ædifica tibi domum in Jerusalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc atque illuc, quocumque autem die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito, te interficiendum.

B

a Tunc abiit *b* unus de duodecim, *c* qui dicebatur Judas Scarioth, *d* ad Principes Sacerdotum, & *e* ait illis, *f* Quid vultis mihi dare, & *g* ego vobis eum tradam? At illi *h* constituerunt ei triginta argenteos. Et *i* exinde quærebat *k* opportunitatem, ut *l* eum *m* traderet. *n* Prima autem die Azymorum *o* accesserunt discipuli

Marc. 14. *Luc.* 22. *a.* 21 qu. 5. c. *abiit Judas.*

a Tunc abiit, &c.] finita recapitulatione, redit ad continuandum historiam.

a Tunc abiit] spontaneus. *b* Unus de duodecim,] Apostolis. In hoc notatur, quod nemo in se confidat, quantumcumque bonus sit. *a* Tunc abiit, &c.] Judas statim post consilium factum abiit ad Principes sacerdotum. Audierunt enim Principes sacerdotum Dominum supra in proximo dicentem. Non me videbitis amodo, &c. Putantes ergo, quod quæreret manibus eorum elabi, congregati sunt, ut inirent consilium, quomodo Jesum dolo traderent. Quos audiens Judas congregatos venit ad eos. Qui enim audierat in proximo Dominum de se dicentem. (Filius hominis tradetur, ut crucifigatur,) voluit magistrum tradendo recompensare, quod in unguenti pretiosi effusione super caput ipsius sustinuerat incommodum. *a* Tunc] idest feria quarta. Die enim, qua congregatio Principum fuit facta, venditus est Dominus a proditore Juda, quod consuetudo probat ecclesiastica. Quarta enim feria ante passionem legitur prophetia de *Isa.* 62. Ecce merces ejus cum eo, &c. quod prophetatum est de Juda. Hinc etiam in jejuniis secundum locum post sextam feriam, qua Dominus crucifixus est, obtinet quarta feria, in qua venditus est. Judas autem gerit hic typum Simoniacorum, qui de vendendo Christo, & gratia ejus laborant. Qui dicunt. (Quid vultis, &c.) gerit etiam typum Prælatorum, qui Christum spiritualiter tradunt in mortem, quia subditorum peccata comedunt, sed non curant, sed vel blanditiis palpant, vel accepto quovis pretio dissimulant. *Osee* 4. Peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem sublevabunt animas eorum. Gerit etiam typum Judicum, qui Christum in innocentibus tradunt obtentu pecuniæ. Principes sacerdotum, ad quos vadit Judas Dominum traditurus, sunt dæmones, vel peccata. Principes sacerdotes minores, sunt alia peccata, quæ animas peccatorum immolant dæmoniis, & non Deo. *e* Et ait illis,] Judas, dæmoniis, vel peccatis. *f* Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?] occidendum. *h* At illi constituerunt ei triginta argenteos,] idest, omnimodam voluptatem, quæ argento potest haberi, secundum spiritum, secundum animam, secundum corpus. Vel corde, ore, & opere. *i* Et exinde quærebat proditor, sc. *k* Opportunitatem,] loci, & temporis, & societatis. *l* Ut eum traderet.] Multa enim de Christo tradendo fiunt consilia. *Joannes* 11. Collegerunt Pontifices, & Pharisæi consilium adversus Jesum.

Moraliter.

Moraliter. Judas, idest, peccator pœnitens. *b* Unus ex duodecim,] idest, unus ex numerosa universitate peccatorum. In quo notatur paucitas pœnitentium, & multitudo impœnitentium. *c* Qui dicebatur Judas,] idest, confitens. *d* Ad Principes sacerdotum,] idest, ad principales sacerdotes, idest in potestate judiciaria, vitaque, & scientia præeminentes. e Et ait illis,] accusans suum veterem hominem in judicio penitentiali. *f* Quid vultis mihi dare,] idest, quantam penitentiam injungetis mihi, & quid utilitatis mihi inde consequar, & quod adjutorium mihi dabitis? *g* Et ego eum vobis tradam?] idest, latronem crucifigendum pro vestro arbitrio. Sacerdotes enim sunt judices, & crucifixores latronum spiritualium, idest, peccatorum, & seipsos accusantium. *h* At illi constituerunt ei triginta argenteos,] idest, promiserunt ei æternam remunerationem, quæ pro denario mandatorum debetur, & triplex reddetur in tribus, scilicet viribus animæ, vel in corpore, & anima, & spiritu. Et præter hoc addunt consolationem, quæ in argento significatur. *i* Et exinde quærebat] Judas. *k* Opportunitatem, ut eum] idest veterem hominem. *m* Traderet,] idest, voluntati sacerdotum crucifigendum exponeret. Hæc autem opportunitas, scilicet tradendi suum veterem hominem consistit in multis. Primo enim in idoneitate confessoris, ut sit affabilis, discretus, expertus, compatiens, humanæ fragilitatis gnarus, & expertus, quia qui non est tentatus, quid scit? Vir autem expertus in multis cogitabit multa. *Eccles.* 34. Deinde patiens sit ad omnes, consolans pusillanimes, vir dolorum, & sciens infirmitatem, sicut legitur de Christo. *Isai.* 53. Deinde ungat suaviter, ut bonus medicus vulnera peccatorum blandis exhortationibus. Liget ea suaviter vinculis facilium, & utilium præceptorum. Peccatores enim sunt, quasi vasa argentea fracta, quæ traduntur Confessori religanda. Unde *Isai.* 22. Vocabo Eliachim servum meum, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo illum, & potestatem tuam dabo in manus illius, & erit quasi pater habitantibus in Jerusalem, & domui Juda, & dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat: claudet, & non erit, qui aperiat, & figam illum paxillum in loco fideli, & erit in solium gloriæ domus patris ejus, vasorum diversa genera. Blandis ergo consolationibus, & exhortationibus velut quibusdam filis argenteis religandi sunt. Sed sacerdotes impatientes, & inexperti hæc Domini vasa, quæ sibi religanda traduntur, malleis increpationum omnia conterunt, & confringunt, & fit scissura deterior. Item sacerdotes parvulos Christi ad petram suæ duritiæ crudelissime allidunt. Pro pane charitativæ consolationis porrigunt lapidem durissimæ objurgationis. Pro pisce exhortationis porrigunt serpentem duræ increpationis. Pro ovo suavis correctionis porrigunt scorpionem venenantis percussionis. Unde Dominus *Jun.* 7. & *Luc.* 11. Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius ejus panem, numquid lapidem porriget ei, &c. q. d. qui talis est, non est homo, quia nihil humanitatis habet. Secundo quærenda est opportunitas in bona præparatione confitentis, quam faciunt, recogitatio peccatorum, & abominatio eorumdem, pudor de commisso, dolor de amisso, timor judicii, amor Dei, conceptio boni propositi. *Psal.* 37. Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. *Job* 7. Non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ. Multi vero veniunt ad confessionem in nullo prædictorum præparati, qui veniunt potius ad ludendum, & ad Deum provocandum contra se, quam invocandum pro se. Tertio etiam exquirenda est opportunitas loci, & temporis, propter hoc differri potest salubriter confessio, quæ nihil aliud est, quam veteris hominis, sive latronis accusatio, & traditio. Si non est Sacerdos, qualem præscripsimus, deest Judex, cui tradendus est latro. Si deest notitia peccatorum, deest accusatio, & testes accusationis. a Prima autem die Azymorum] non quinta decima Luna Aprilis, quando fiebat magnum festum, sed hic dicitur vespera quartadecima Lunæ, quando comedebatur Azyma secundum mandatum Domini. *Exod.* 12. Erant autem septem dies, in quibus non licebat comedere fermentatum, ut dicitur *Exod.* 12. *Lev.* 23. *Num.* 28. *Deut.* 16.

Moraliter. Septem dies Azymorum sunt septem virtutes, quarum operationes sunt veteris hominis afflictiones, & novi hominis reparationes. Vel dies est timor. In hac configitur vetus homo. Unde *Psal.* 118. Configo timore tuo carnes meas. *Eccles.* 1. Timor Domini expellit peccatum. Secunda est justitia, qua tentationi peccator resistit. *Eccles.* 2. Fili, accedens ad servitutem Dei, &c. Tertia est magnificentia, qua contraria assumuntur, quasi ad medicinam. *Psal.* 95. Sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus. Quarta est odium vitiorum, quo peccata derelicta non resumuntur, sed potius abominantur. *Psal.* 118. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. In his quatuor diebus omnino occiditur vetus homo. Quinta dies est cognitio fidei, in qua incipit vivere novus homo. *Habac.* 2. Justus ex fide sua vivit. Sexta est donum scientiæ, in qua pascitur novus homo pane lacrymarum, & dolorum. *Eccl.* 1. Qui addit scientiam, addit & dolorem. *August. in lib. de doctrina Christiana*. Scientia non facit hominem jactantem, sed interius lamentantem. Septima est spes veniæ, in qua roboratur, & confortatur novus homo in suis tribulationibus. *Rom.* 12. Spe gaudentes, in tribulationibus patientes. Bene ergo dicit. *n* Prima autem die Azymorum] hoc est in die timoris. *o* Accesserunt discipuli,] alii boni, non Judas, idest, timoratæ mentis cogitationes.

Opportunitas tradendi veterem hominem consistit in multis.

ad *a* Jesum dicentes. Ubi vis paremus tibi comedere Pascha: At *b* Jesus dixit: Ite in civitatem *c* ad quemdam, *d* & dicite ei. Magister dicit, *e* tempus meum *f* prope est, *g* apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et *h* fecerunt discipuli, sicut † præcepit illis Jesus, & *i* paraverunt Pascha: *k* Vespere autem facto *l* discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et *m* edentibus illis dixit. *n* Amen dico vobis, quia unus vestrum *o* me *p* traditurus est. Et *q* contristati valde *r* cœperunt singuli dicere. Numquid ego sum, Domine? At *f* ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. *t* Filius quidem hominis *u* vadit, *x* sicut scriptum est de illo. Væ *y* autem *z* homini illi, per quem filius hominis *a* tradetur. *b* Bonum erat ei, si natus non *c* fuisset homo ille. *d* Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit. Numquid *e* ego sum Rabbi? Ait illi: *f* Tu dixisti. Cœnantibus *g* autem eis, *h* accepit Jesus panem, *i* & benedixit *k* ac fregit, *l* deditque discipulis *m* suis, & *n* ait: Accipite, & *o* comedite,

Marc. 14. Luc. 22. Joan. 13.

Marc. 14. Luc. 22.

C

A *a* Ad Jesum dicentes, &c.] Bene quærunt discipuli, [ubi vis,] quia duo loca sunt in anima, in quorum utroque Dominus potest habitare, sc. intellectus, & affectus. Sed intellectus locus tumultuosus est, velut publicum consiliorum judiciorum, ubi omnes causæ, & omnia judicia ventilantur, & ideo non est locus aptus refectioni. Peccata ibi volant passim. Muscæ morientes, i. immundæ cogitationes, quæ cibum maculant. *Eccl.* 10. Muscæ morientes, &c. Ibi non comeduntur, nisi folia volantium cogitationum, ideo affectus est aptus refectioni Domini. Unde bene dicitur discipulis missis a Domino. *Luc.* 22. Magister dicit. Ubi est diversorium, i. affectus secretorum, ubi Pascha cum discipulis meis manducem, i. cum sanctis desideriis, quæ sunt aliquando discipuli Domini. Hoc idem quærit sponsa. *Cant.* 1. Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie. Item *Deut.* 16. Non poteris immolare phase, in qualiber urbium tuarum, sed in loco, quem elegerit Dominus. *Ps.* 131. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. 2. *Par.* 7. Elegi mihi domum istam in locum sacrificii. Idem est locus sacrificii & divertorium, & refectorium animæ, scil. affectus. Unde *Marc.* 14. Quærunt discipuli missi. Magister dicit. Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? Dominus autem nobiscum comedit Pascha duobus modis, scil. de nostra pœnitentia gaudendo, & nos sibi incorporando. Nos vero comedimus cum eo tribus modis. Primo, hœdum veteris hominis consumendo. Secundo, agnum novi hominis in nostram reparationem assumendo. Tertio, agnum immaculatum in Sacramento Altaris accipiendo. *Apoc.* 3. Ego sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. *b* At Jesus dixit. Ite in civitatem] i. in Ecclesiam, extra quam Dominus Pascha non facit. In hanc nesciunt ire stulti. *Eccl.* 10. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. *Ps.* 106. Viam civitatis habitaculi non invenerunt. *c* Ad quemdam] indeterminate: quia nullus est, ad quem Dominus aliquando discipulos suos non mittat. *Job* 37. Nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant cuncta per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit ad omne, quod præceperit illis super faciem orbis terrarum, sive in una tribu, sive in terra sua, sive in quocumque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri. *d* Et dicite ei. Magister dicit,] singulis, & authentice *sup.* 23. Unus est magister vester. *e* Tempus meum] passionis, scil. quod suum specialiter dicit, & suorum. *f* Prope est,] mihi, & meis. *g* Apud te facio Pascha cum discipulis meis.] *Luc.* 19. Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. *h* Et fecerunt discipuli sicut præcepit illis Jesus.] Non solum, quod, sed sicut præceperat, qui nihil præcipit, nisi salubre. Ideo faciendum est, sicut præcipit, festinanter, læranter, & perseveranter. Festinanter, quia tempus breve est. Lætanter, quia merces magna est. Perseveranter, quia sola perseverantia remunerari digna est, *sup.* 10. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *i* Et paraverunt Pascha.] i. transitum, vel mortem veteris hominis, vel transitum de mundo ad cœlum. *k* Vespere autem facto] i. lege veteri deficiente, vel vero sole ad occasum mortis appropinquante, vel sæculi consummatione jam instante. *l* Discumbebat cum duodecim discipulis suis.] i. cum universitate electorum, vel virtutum vel sanctarum cogitationum, & piorum desideriorum. *m* Et edentibus illis,] cum Jesu, i. de veteris hominis crucifixione gaudentibus. *n* Dixit. Amen dico vobis, quia unus vestrum] scil. Judas, i. confessor. *o* Me] veterem hominem. *p* Traditurus est] blanditiis ad crucifigendum cruce pœnitentiæ.

q Et contristati valde] omnes discipuli, qui Jesu paraverunt Pascha, i. omnes cogitationes de duritia pœnitentiæ. Bona est hæc tristitia. 2. *Cor.* 7. Contristati estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam operatur stabilem in salutem.

r Cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum domine?] traditor, & proditor veteris hominis?

f At ipse respondens, ait. Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Bene dicit. Confessor enim cum pœnitente in eadem paropside miseriæ manum tingere debet, i. per humanæ fragilitatis experientiam similem peccatoribus se reputare, & per compassionis affectum miseriæ ejus sibi partem assumere, & tunc potest salubriter tradere, & prodere confitentem, quia tali confessori libenter crederetur. *Greg.* Inclinare se debet, qui vult erigere jacentem. 1. *Cor.* 9. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaciam. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.

t Filius, quidem hominis,] qui jam ab humana natura non degenerat, sicut prius.

u Vadit,] per viam pœnitentiæ. *x* Sicut scriptum est de illo,] i. sicut mandatum est ei a confessore. Quicquid enim confessor præcipit confitentibus, debet scriptum esse in corde ipsius, ut non negligat per oblivionem. *Deut.* 8. Observa, & cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui, & negligas mandata ejus.

y Væ autem] doloris, & laboris erit in præsenti.

z Homini illi, per quem filius hominis tradetur.] Judici cœlestis curiæ, i. confessori crucifigendus. Vel aliter. *y* Væ autem,] æternæ damnationis.

z Homini illi, per quem filius hominis] i. pœnitens.

a Tradetur.] bestiis infernalibus devorandus, i. peccatis, vel dæmonibus.

b Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.] nativitate regenerationis, qua homo senex nascitur a seipso. De qua dicitur *Job* 3. Pereat dies, in qua natus sum. *Jer.* 20. Maledicta dies, in qua natus sum, dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Vel sic.

b Bonum erat ei, &c] q. d. bonum erat ei si Christus non fuisset natus per notionem, quia melius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitionem retrorsum converti. 2. *Petr.* 2. *c* Respondens autem Judas] i. confessio. *d* Qui tradidit eum, confessori.

e Dixit. Numquid ego sum Rabbi?] Ipsa responsione sua crimen prodit. Quippe ipsa confessio nihil aliud est, quam criminis proditio. Unde competenter sequitur.

f Ait illi. Tu dixisti.] Ipse enim peccator sua peccata debet dicere, & proprio ore confiteri, non scripto, vel nuncio, si potest, *sup.* 12. Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

g Cœnantibus autem eis,] In triplici cœna Domini, i. sacræ Scripturæ, Eucharistiæ, Beatæ vitæ. Quarum prima vita fit in consummatione Veteris Testamenti, secunda in occasu veri solis, tertia in consummatione sæculi, postquam non est alia.

h Accepit Jesus panem] Angelorum, i. proprium corpus. *i* Benedixit] non solum sanctificando, sed etiam virtutem sanctificandi sumentibus tribuendo.

k Ac fregit] i. frangendum in cruce signavit.

l Deditque] non vendidit, *m* Discipulis suis] Aliter jus edendi non habent de illo, nisi qui scholas suas intrant, scil. humilitatis, mansuetudinis, & charitatis. Quo primo docuit verbo *sup.* 11. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Et exemplo. *Joan.* 13. Lavando pedes discipulorum. Charitatem docuit verbo. *Joan.* 13. In hoc scient omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Tertio in cruce pro nobis moriendo. *Joan.* 15. Majorem hac dilectionem, &c. *n* Et ait. Accipite] corde credendo, ore confitendo, manu vicem reddendo. *o* Et comedite] vos ei per amorem, & unitionem jungendo.

a Hoc est corpus meum,] quod vobis do in cibum. *b* Et accipiens calicem gratias egit] pro liberatione generis humani per mortem, scil. & agendas esse in omni tribulatione ostendit. *c* Et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes,] quia pro omnibus effundetur. *d* Hic est enim sanguis meus,] quem ego do vobis in potum. *Jo.* 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Sanguin dico dedicator.

Marc. 14. *Luc.* 22. 1. *Cor.* 11.

e Novi testamenti,] Utrumque enim testamentum sanguinis effusione confirmatum est. *Hebr.* 9. Testamentum in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet dum vivit, qui testatus est. Unde nec primũ quidem dedicatum est sine sanguine.

Marc. 14. *ac dist.* 2. *quando* 1 *de consf. dist.* 1 *de Hymnis.*

a Hoc est corpus meum. Et *b* accipiens calicem, gratias egit, & *c* dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic *d* est enim sanguis meus *e* novi testamenti, qui pro *f* multis effundetur in *g* remissionem peccatorum. *h* Dico autem vobis; non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in *i* diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei. Et *k* hymno dicto *l* exierunt in *m* montem Oliveti. *n*

f Qui pro multis effundetur] Pro omnibus sufficienter, pro multis efficienter. *g* In remissionem peccatorum.] *Hebr.* 9. Omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio peccatorum. *Apoc.* 1. Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. *h* Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis.] Vitis est plebs Judaica, genimina, ejus cæremoniæ. *Jer.* 2. Quomodo conversa es mihi in pravum vitis aliena? *i* Usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.] i. in Ecclesia militante, Illud vinum novum credulitas est gentium. Vel vitis, est humana natura, genimina ejus, mortalitatis, & legis vetustas, novum genimen immortalitatis. *k* Et hymno dicto.] Forte aliquo Psalmi versiculo ad gratiarum actionem, vel sermone Domini in cœna completo, *Chrys.* Audiant quinque velut porci manducantes, simpliciter calcitrant mensam sensibilem, cum deceret gratias agere. Audiant, & qui ultimam orationem in missa non expectant. Hoc enim illius orationis symbolum est, idest, signum. Hymnum dixit, ut nos idipsum faciamus, 1. *Thess.* 5. In omnibus gratias agite. *l* Exierunt.] Ideo exit processio de refectorio post prandium in oratorium gratias agens. *m* In montem Oliveti.] *Chrys.* Venit in montem manifestum, se dans ad capiendum, venit in locum Judæ notum. In montem Oliveti. Hic ostenditur virtus hujus sacramenti, qua in altitudinem internæ unctionis ascenditur. Ad litteram vero post Sacramentorum susceptionem, post laudum divinarum decantationem, ad opera misericordiæ exire oportet, ut docuit *Ps.* 41. In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. *Jo.* 18. Hæc cum dixisset Jesus, i. sermonem fecisset, egressus est trans torrentem Cedron, ubi erat hortus. *n* Tunc dicit illis Jesus.] Talibus enim, qui cum Domino ascendunt in montem internæ unctionis, & vacant operibus misericordiæ, & cum Domino se Passioni pro fratribus exponere non formidant, revelat Dominus secreta sua. *Jo.* 14. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi a patre meo, nota feci vobis. *o* Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte,] q. d. bona facere incipitis, præparate vos ad tentationem *Eccl.* 2. Fili accedens ad servitutem Dei sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Et dicit [Omnes] ita quod quicumque de fratribus læsus fuerit, suum reputent. 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur, &c. [Omnes vos, &c.] Ibi erat mater ejus. Numquid ipsa? Non. [In ista nocte,] dicit, i. in præsenti vita, in qua omnes electi scandalum tribulationis, & persecutionis patiuntur pro Christo. 2. *Tim.* 3. Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. Vel in nocte tentationis, & lapsus, omnes virtutes scandalum patientur. *Jac.* 2. Qui in uno offendit, omnium factus est reus. Et econtra, in nocte pœnitentiæ, omnia moriuntur vitia *sup.* 18. Væ mundo a scandalis. Necesse enim est, ut veniant scandala. *Isa.* 21. Venit mane, & nox, si quærite, *p* Scriptum est enim.] Quare? *Chrys.* Docet nos Scripturis attendere semper. Item intra se non alienum a veteri Testamento. Item ostendit, quod vetus est consilium de crucifixione sua. Item docet nosse, quales fuerunt discipuli ante Passionem, & quales post. *q* Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.] Littera nostra habet *Zach.* 13. Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute pastorem, & dispergentur oves *Septuag.* sic habent. Percute pastorem, & eripe oves.

Tunc dicit illis Jesus, *o* Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte, *p* Scriptum est enim. *q* Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis, *r* Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. *s* Respondens autem Petrus, ait illi. Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi *t* Jesus. Amen dico tibi, quia in hac nocte, *u* antequam gallus cantet, ter me negabis.

Moraliter.

Moraliter. Percusso Prælato spirituali, i. morte peccati, disperguntur subditi, & lupis infernalibus exponuntur. Ideo Prælatis maxime insidiantur. 1. *Reg. ult.* Totum pondus prælii versum est in Saul. Vel Pastorum, liberum arbitrium, quo percusso gladio diabolicæ suggestionis, disperguntur virtutes, & dona. *r* Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.] Sic quilibet justus surgens in prælationem, & surgens in eminentiam vitæ, debet subditos præcedere in transmigratione de Judæa ad cœlum per contemptum mundi, & desiderium cœli, *Job* 10. Bonus pastor cum proprias oves miserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur. *r* Respondens autem Petrus] *Chr.* Triplex est Petri incusatio, quia Christo contradicit, quia aliis se prætulit, quia totum sibi imposuit. Petrus hic gerit typum quorumdam, qui inexperti tribulationem petrinæ fortitudinis se esse præsumunt, sed tentationis præsentia, quales sint, manifestat. *Eccl.* 27. Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. Item *Eccl.* 34. Qui non est tentatus, qualia scit? Docemur autem hic non plus sentire de nobis, quam de aliis. Permisit autem Dominus cadere Petrum multiplici de causa, ut dicit *Chrys.* Primo, ut confundatur Marcion Hæreticus. Secundo, ut nemo de se præsumat. Tertio, ut plus Christo, quam sibi credat. Unde dicit *Chrys.* Quid autem, o Petre? Propheta prædixit, Christus certificat, & tu dicis nequaquam? Non sufficit, quod increpatus es, *sup.* 16. Absit a te, Domine, non erit tibi hoc. Propter hoc permisit te cadere, docens in omnibus credere Christo, & propria conscientia credibiliorem æstimare illius pronunciationem? Quarto, ut comprimatur audacia. Quinto, ut Petrus convinceretur. Sexto, ut alii instruerentur. Septimo, ut sciret Petrus, qualiter aliis misereretur. Unde *Greg.* Omnipotens Dominus ipsum Apostolorum Principem permisit cadere, ut in sua culpa disceret, quantum aliis misereri deberet. *Eccl.* 31. Intellige, qui sunt proximi tui ex teipso. *Job* 5. Visitans speciem tuam non peccabis.

Marc. 14. *Zach.* 13.

Marc. 14. *Joan.* 13.

Dominus Petrum permisit cadere multiplici de causa.

Moraliter.

Moraliter. Petrus est confidentia spei, quæ ante tentationum insultus præsumit de perseverantia, in tribulatione vero nulla virtus facilius succumbit. Unde & rarissimos atque debilissimos spei motus sentiunt in se etiam illi, quos perfectos reputamus, non solum in morte, sed etiam in qualibet tribulatione. Sequitur.

Proprietates galli.

t Ait illi Jesus. Amen dico tibi, quia in hac nocte] præsentis tribulationis. *u* Antequam gallus cantet, ter me negabis.] Gallus est prædicator, vel doctor populi propter galli proprietates, quæ doctori, vel prædicatori conveniunt. Pugnax est, calcaria habet in pedibus, & barbam, & cristam rubeam in capite, alis se percutit, ut cantet, scalpit terram, ut grana inveniat, horas noctis determinat, in senectute facit ova, unde nascitur basiliscus, super crucem ponitur, vertit rostrum ad ventum, caudam elevat. Unde *versus*:

Pugnax, calcar habet, barbam, cristamque, rubentem.
Se ferit, ut cantet, scalpit, noctis docet horas.
Decrepitus facit ova, quibus basiliscæ foveris.
Insidet Ecclesiis, & rostrum torquet in auras.
Caudam subtollit, habet ista notanda magister.

Habet & alias, quas diximus super illud *Job* 38. Quis dabit gallo intelligentiam, Item *Prov.* 30. Gallus succinctus lumbos. Ante cantum hujus galli, idest, ante prædicationis sonitum, quid est in homine, nisi negatio Christi? Et hoc propter tria, i. propter triplicis potentiæ aversionem a Deo. Vel tres negationes Christi, sunt erronea cogitatio, perversa affectio, sive operatio ad *Titum* 1. Factis Deum negant, cum sint abominabiles affectionibus, & incredibiles cogitationibus, & ad omne

A opus

a opus bonum reprobi. a Ait illi Petrus. Etiamsi oportuerit me mori secum, non te negabo.] Reg. 8. Quis nos separabit a charitate Christi?

Ait illi a Petrus. Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. b Similiter & omnes discipuli dixerunt. c Tunc venit Jesus cum illis in villam, quę dicitur † Gessemani. Et dixit d discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem, & assumpto Petro, & duobus filiis Zebedęi cœpit contristari, & mœstus esse. Tunc e ait illis: Tristis est f anima mea usque g ad mortem: h sustinete hic, & i vigilate k mecum. Et l progressus pusillum procidit in faciem suam m orans, & n dicens: o Pater mi, si p possibile est, transeat a me calix iste. q Verumtamen non, sicut ego volo, sed sicut tu.

Moraliter. Moraliter. Petrus typum gerit spei, & confidentiæ, quæ ante tentationes de statu, & perseverantia præsumunt de facili. In tribulatione vero nulla virtus facilius succumbit, nullius virtutis casus facilior, & nullius virtutis status debilior. Unde etiam motus sanissimos, & debilissimos etiam in viris perfectissimis habet spes.

Marc. 14. Luc. 22

al. † Gethsemani.

b Similiter, & omnes discipuli dixerunt.] i. omnes virtutes ad tentationes perseverantiam promiserunt. Sed adveniente cohorte tentationum, sæpissime fugam arripiunt omnes. Unde *inf. eod.* Tunc relicto Domino, omnes discipuli fugerunt.

D

c Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gessemani.] Hæc erat villa in radice montis Oliveti, juxta campum, qui sic dicebatur. Et ideo sic vocata, quia fertilis valde vallis est, & illa villa. *Joan.* autem 18. scribit. Egressus est Jesus trans torrentem Cedron. Vetus quidem homo semper foris est, & semper egreditus, unde homo exterior appellatur, quia per visibilia evagatur. Et e converso homo novus semper intus est, & semper ingreditur, unde homo interior appellatur. *Jer.* 2. Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis. *Psal.* 37. Tota die contristatus ingrediebar. Sed vetus homo istum educere semper conatur. *Gen.* 4. Dixitque Cain ad Abel fratrem suum. Egrediamur foras. Cumque essent in agro, Abel occisus est. Sic etiam Dina egressa, oppressa est, & corrupta. Item 3. *Reg.* 2. dixit Salomon ad Semei. Quacumque die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum. Torrens Cedron præsens est tribulatio, quam semper transire contendit vetus homo, non curat de eo bibere. E converso de novo dicitur. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Gessemani interpretatur villa pinguedinis. Hæc est hæreditas divitiarum, atque deliciarum, ad quam venit vetus homo per desiderium. Sed ibi miser peccator caterva vitiorum comprehenditur, & ligatus in horto voluptatis, ut dicitur *Joan.* 18.

Gen. 4. *Psal. 109*

Moraliter. Moraliter. Villa Gessemani est pœnitentia. Interpretatur enim torcular, quia sicut in torculari compressis vinaciis, vinum exprimitur, sic in pœnitentia compressis peccatis intus corde per contritionem, vinum compunctionis exterius per oculos eliquatur. In hanc venit Jesus cum discipulis, quia sicut fugatur per peccatum de corde hominis peccatoris cum turba virtutum, sic redit per pœnitentiam in corde pœnitentis cum eadem turba virtutum, quia pœnitentia omnia ablata restituit.

d Et dixit discipulis suis. Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi cœpit contristari, & mœstus esse.] In hoc facto docemur.

Moraliter. Moraliter, tempore orationis a turba recedere, & secretum quærere, quod ipsemet Dominus docet *sup. 6.* Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & claude ostium, & ora ad patrem tuum in abscondito. Quod autem secum assumpsit Petrum, Jacobum, & Joannem tempore tentationis, significat tribus virtutibus maxime innitendum. Per Petrum enim, qui agnoscens dicitur, significatur prudentia. Per Jacobum, qui luctator, vel supplantator dicitur patientia, & humilitas, quæ solæ luctandi, & supplantandi diabolum astutiam habent. Per Joannem charitas designatur. Aliis virtutibus dicitur. Sedete hic, tempore passionis. Vel. Sedete hic, i. fungatur unaquæque officio suo. Maxime autem tempore orationis debent sedere virtutes in suis gradibus. Sicut sacerdote accedente ad altare, ut oret cum paucis, sedet conventus in stallis suis. Et hoc insinuat nobis, cum dicit. [Sedete hic, donec vadam illuc, & orem.]

e Tunc ait illis. Tristis est anima mea usque ad mortem,] q. d. ultra mortem non extendetur tristitia passionis, sed cum morte morietur. *Eccl.* 38. Consolare propter tristitiam, & fac luctum secundum meritum ejus, &c. *Joan.* Tristitia vestra vertetur in gaudium. E converso gaudium hujus mundi cum morte moritur, & finitur. *Luc. 6.* Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram. *Proverbiorum* 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat. Vel aliter.

f Tristis est anima mea] dolore compassionis, qui mundo compatior.

Marc. 14. Joan. 12. De cel. miss. in quadr. Marc. 14. Luc. 22.

g Usque ad mortem,] i. quousque pro ipso sustineam mortem. In quo, quid pœnitens debeat facere demonstratur. Debet enim esse tristis, usque ad mortem veteris hominis. Hoc est contra eos, qui tantum ad mutilationem ejus contristantur, quales sunt illi, qui a peccato cessant, sed emendare non curant.

h Sustinete hic,] i. in hac vita Dominum quantumcumque gravem, & ponderosum se exhibeat in tribulationibus. *Eccl.* 2. Sustine sustentationes Domini, & conjungere illi ex corde. Item [sustinete hic] fasciculum tribulationum, & tentationum verborum, & necessitatum, quia sustinet sustinentes se. Unde sponsa. *Cant.* 1. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. *Amos 9.* Fasciculum suum super terram fundavit, idest, super Ecclesiam. Sustinete ergo hic me, dicit Dominus, & onera vobis imposita. Etiam sustinete onera fratrum. *Gal. 6.* Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

i Et vigilate] Bene sequitur, quia diabolus semper insidiatur laborantibus. 1. *Pet.* 5. Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, &c. *Job* 30. Qui me comedunt, non dormiunt. Vigilandum est ergo, sicut lepores, i. apertis oculis, per timorem, vel sicut leones, apertis oculis propter fortitudinem. *Cant.* 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. Corpus ergo dormiat, & cor vigilet. Sed quidam toti dormiunt & corde, & corpore, quibus dicitur *Prov. 6.* usquequo piger dormies? Alii corde dormiunt, sed corpore vigilant, qui torpent in spiritualibus, solliciti de temporalibus, quibus dicitur *Isaiæ* 51. Levate in cœlum oculos vestros.

k Mecum.] Contra eos, qui cum diabolo vigilant ad facienda peccata. De quibus *Job* 24 Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis, & sic in tenebris, quasi in luce ambulant.

l Et progressus pusillum procidit in faciem suam,] Progressus iste est tentationum profectus. Quem progressum sentiens esse profectum, dicit *Jac.* 1. Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes incideritis. Quippe tentatio est vita gratiæ. *Job 7.* Tentatio est vita hominis super terram, non in terram. Signanter autem dicit. *Luc.* 22. Avulsus est ab eis quantum est jactus lapidis. Ibi enim in oratione jaculantur dæmones lapides tentationum. In faciem autem suam procidere, est in anteriora se extendere per sanctum desiderium. *Phil.* 3. Posteriorum oblitus, ad ea, quæ antesunt meipsum extendens. Vel in faciem suam procidere, est in sui cognitione humiliari, & seipsum ante oculos præsentem habere. Et bene sequitur.

m Orans,] docens orationem in humilitate esse faciendam. *Ecclesiast.* 35. Oratio humiliantis se nubes penetrat.

n Et dicens.] Orans corde, & dicens ore.

o Pater mi] qui solus adorandus, & orandus es.

p Si possibile est, transeat a me calix iste.] Non orat, ut non veniat, sed ut transeat, ita quod in discipulis suis transeat, non remaneat per timorem.

q Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.] Hic docet nos Dominus in omnibus voluntatem nostram subjicere voluntati divinæ. Hæc enim est pax, & gloria voluntatis nostræ, ut sit per omnia conformis voluntati divinæ. Unde *Psalm.* 142. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. [Transeat.] *B. Bernardus.* Agnosco vocem ægroti in medico, considero charitatem, stupeo miserationem, expavesco dignationem. *Chrys.* In dicendo [transeat,] monstrat, quod humanum est. In dicendo, [Verumtamen,] educit virtuosum. Et *Philosophus.* Erudit etiam natura reluctante sequi Deum.

Et *a* venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes, *b* & dicit Petro sic, non *c* potuistis una hora vigilare mecum? *d* Vigilate, & orate, ut *e* non intretis in tentationem. *f* Spiritus quidem promptus est, *g* caro autem infirma. *h* Iterum secundo abiit, & oravit, dicens. Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et *i* venit iterum, & invenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum gravati. Et *k* relictis illis, iterum abiit, & oravit tertio eumdem sermonem, dicens. *l* Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite jam, & requiescite: *m* ecce † appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. *n* Surgite, *o* eamus. *p* Ecce appropinquavit, qui me tradet. *q* Adhuc eo loquente, *r* ecce Judas unus de duodecim venit, & *s* cum eo turba

[Marc. 14. Luc. 22.]

▲ *a* Et venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes.] Juxta literam planum est. Adventus enim ad discipulos, significat adventum, quo suos visitat in tribulationibus. Quod autem ter visitat dormientes, & nunc increpat, nunc quietem indulget, significat tria beneficia, quæ visitando tribulatos operatur in eis. Primum est admonitio doctrinæ, quæ per se inspirando, vel per hominem admonendo illuminat. Secundum est stimulatio tribulationis, qua torpentes, & negligentes excitat, quod insinuat increpatio discipulorum. Tertium est consolatio, qua tentatos, & tribulatos refovet, & hæc est quies, quam dormientibus indulget. In hoc autem, quod semper invenit dormientes, demonstrat, quod omnes in tentatione dormiunt per torporem, velut nihil videant spiritualiter. Potest jam ista trina visitatio ad tres vires animæ referri. Rationabilem enim in nocte visitat, dum bonis cogitationibus in tentatione illuminat. Concupiscibilem vero visitat, dum molestiis, ut cæcitatus, pulsat. Irascibilem etiam visitat, dum promissionibus consolatur, ne cadat. Et hoc est, quod dicit. *Job* 33. Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas eorum a corruptione, & illuminet in lucem viventium.

[Mystice.] Mystice autem, quod Apostoli ad regnum, & custodiam præordinati in ipso discrimine Passionis dormiunt, significat nimiam negligentiam Prælatorum, qui ad vigilandum super gregem Domini ab ipso Domino sunt constituti, & tamen in medio tribulationum, & periculorum in sentina carnalium deliciarum dormire non formidant. Unde *Jonæ* 1. Facta est tempestas in mari, & navis periclitabatur conteri, & timuerunt nautæ, &c. Jonas descendit ad interiora navis, & dormiebat sopore gravi.

[Moraliter.] Moraliter, autem refertur hoc ad virtutes, ad quas excitandas peccatorum trina visitatione debet attendere. Primo, sollicitans eos suppliciorum comminatione. Secundo, consolans præmiorum pollicitatione. Tertio, pulsans pudore succumbendi, dicens ironice: Dormite jam, & requiescite, q. d. non est tempus modo dormiendi, & requiescendi, sed potius laborandi, & vigilandi.

b Et dicit Petro sic,] *Chrys.* Universi dormiunt, & Petrum increpat. *c* Non potuisti una hora vigilare mecum?] hoc dixit Petro, quia dixerat: Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo.

[Moraliter.] Moraliter. Bene dicit, una hora, quia brevis est molestia tentationis respectu remunerationis. 2. *Cor.* 4. id, quod est in præsenti, momentaneum, & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *Tullius* Omnia, quæ sunt brevia, tolerabilia debent esse, etiamsi magna sint.

d Vigilate, & orate,] *Chrys.* Qui somnum elegerant, neque contristari, neque vigilare poterant.

[Moraliter.] Moraliter. *d* Vigilate, & orate,] q. d. fures insidiantur, sed vigiliarum sollicitudine, & orationis clamore in fugam vertentur. Unde *sup.* 24. Si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, &c. Qui ergo in tentatione non clamat orando, se socium furum, & Domini proditorem demonstrat. Qui furtum videt, Domino suo denunciat, ut custodiat domum suam. *e* Ut non intretis in tentationem,] per consensum. In id enim intramus, in quod voluntarie consentimus. Foris ergo remanendum est per dissensum, & orando. Unde *Exod.* 17. Moyses orando devicit Amalech. Et *Dan.* 3. Tres pueri liberati sunt per orationem. Per hoc autem, quod dicit, vigilate, notatur, quod vigilantia, i. discretio debet esse in oratione. Unde *Ps.* 46. Psallite Regi nostro, psallite, &c. psallite sapienter. *f* Spiritus quidem promptus est,] ad resistendum tentationi.

[Moraliter.] Moraliter. *f* Spiritus quidem,] i. spiritualis homo, promptus est ad bonum faciendum, ad malum sustinendum. Unde *Ps.* 56. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

g Caro autem infirma.] i. carnalis homo carnalibus deliciis assuetus. Quod autem Dominus tertio oravit; ad ipsam Trinitatem orationes nostras dirigendas esse monstravit. Aut tres vires animæ esse attentas. Aut tria in oratione esse petenda, scil. culpæ remissionem, gratiæ collationem, gloriæ adoptionem. Vel tria, quæ orationem dignam exauditione efficiunt, commendavit, scil. quod sit charitate fervida, humilitate devota, spei securitate firma. *h* Iterum secundo abiit, & oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua,] ut prius. *i* Et venit iterum, & invenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum gravati.] longitudine vigiliarum. Gravantur etiam fumo vanarum cogitationum. Item longa lucis absentia, ut patet in captivis. Item nimia lucis vehementia, ut patet in aspicientibus solem. Item lippitudinis ægritudine. *k* Et relictis illis, iterum abiit, & oravit tertio eumdem sermonem, dicens:] eumdem sensum, scil. in oratione. Per hoc, quod tertio oravit eumdem sermonem, ostendit, non esse nugatoriam, vel fastidiosam repetitionem ejusdem orationis coram Domino, quia nihil sonat dulcius in aure Dei. *Cant.* 2. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis. *l* Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis, Dormite jam, & requiescite:] Per aliquantulam moram recesserat ab eis, sed sciens, quoniam appropinquabat, qui eum debebat capere, venit ad eos, dicens.

[al. appropinquabit.]

[E]

[Marc. 14. Luc. 22. Joan. 18.]

m Ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.] Hic docet nos Dominus omnem horam tentationis tanquam proximam expectare, & ideo semper nos deberemus esse paratos. Unde *Eccl.* 2. Fili accedens ad servitutem Dei, &c. Qui ergo pigri sunt ad præparandum se, aut pacem se habere cum tentatore æstimant, aut quod longe sit tentator, putant, aut de salute sua non curant, hi sunt, qui nolunt se armare, antequam sint vulnerati, cum tamen eis dicatur *Eccl.* 18. Ante languorem adhibe medicinam. Hi sunt, sicut stulti advocati, qui nolunt parare allegationes suas, nisi post latam sententiam, cum etiam eis dicatur. *Eccl.* 18. Ante judicium para justitiam. Hi sunt, qui amisso equo serant stabulum, quibus dicitur.

[Versus.] *Cum jam damna feras, ostia sero seras.*

n Surgite] de somno ad litteram. *o* Eamus,] obviam proditori, & persecutoribus. In quo, quod sponte accederet ad mortem demonstravit.

[Moraliter.] Moraliter autem in tentationibus surgendum esse demonstravit, quia stando non jacendo pugnatur. Unde & Stephanus in sua lapidatione Jesum stantem, quasi cum eo pugnare paratum vidit. *Act.* 7. Eundum est obviam ipsis tentationibus repellendis, & declinandis. Quod autem dicit indistincte [Eamus] docuit, quibus tentationibus e directo debemus occurrere, ut sunt tentationes de ira, invidia, superbia, avaritia, & generaliter omnes illæ, quæ molestiam habent. Aliæ vero declinandæ, & fugiendæ sunt, quia sola declinatione fugæ vincuntur, qualis est tentatio carnis. Unde 1. *Cor.* 6. Fugite fornicationem. Quando ergo spiritus fornicationis tentat, transeundum est statim ad alias occupationes. Vel *n* Surgite, &c.] in cœlum per considerationem præmiorum, *Jac.* 1. Omne gaudium existimate, &c. In Infernum per considerationem tormentorum. *Ps.* 106. Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos. Hæc sunt refugia, in quibus eundum est in tentationibus. Bene autem dicit, eamus, quia tentatio stimulus est, qui debet accelerare gressum. *p* Ecce appropinquavit, qui me tradet.] dæmonibus, vel vitiis. *q* Adhuc eo loquente,] i. deliberante, & præparante armari contra hostem. *r* Ecce Judas unus de duodecim] i. diabolus, vel vitium, in quo notatur repentinus adventus hostis. Ideo enim eo loquente, ut numquam nimis celerem putes præparationem tuam, & ut scias, quantum abhorret diabolus consilium salutis. *s* Venit, & cum eo turba multa,]

multa *a* cum gladiis, & *b* fustibus missis a *c* Principibus sacerdotum, & senioribus populi, *d* Qui autem tradidit eum, dedit eis signum, dicens. Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et *e* confestim accedens ad Jesum, dixit. Ave, Rabbi. Et *f* osculatus est eum. Dicitque illi *g* Jesus. Amice ad quid venisti? *h* Tunc accesserunt, & manus injecerunt in Jesum, & *i* tenuerunt eum. Et k ecce unus ex his, qui erant cum Jesu, *l* extendens manum exemit gladium suum, & *m* percutiens servum Principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus. Tunc *n* ait illi Jesus: Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim, qui acceperint gladium, *o* gladio peribunt. An *p* putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum? *q* Quomodo ergo implebuntur scripturæ, *r* quia sic oportet fieri. In *s* illa hora dixit Jesus turbis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus comprehendere me, *t* quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. *u* Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturæ prophetarum. x Tunc di-

ba multa,] vitiorum, *sup.* 12. Assumit secum septem spiritus nequiores se. *a* Cum gladiis,] qui sunt tres concupiscibiles. Unde *Hier.* Gladius flammeus, spiritus mulieris. Vel gladii sunt verba detractionum, & adulationum. *Psal.* 56. Filii hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. *Prov.* 25. Jaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo, qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.

Marc. 14.

b Et fustibus,] i. terroribus.

c Missi a Principibus sacerdotum, & senioribus populi,] i. a dæmonibus majoribus. *d* Qui autem tradidit eum, dedit eis signum dicens, quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.] Os diaboli suggestio est noxia. *Job* 41. de ore ejus lampades procedunt, sicut tædæ ignis. Os nostrum affectus. Os ergo suum diaboli ori peccator conjungit, dum suggestioni ejus consentit. Istud osculum tanquam excommunicatum, & adulterinum sponsa Dei, i. anima, debet cavere. *Marcus* autem 14. addit. Et ducite caute. In quo notatur, quod astute ducit diabolus peccatorem ad patibulum inferni. *Exod.* 1. Venite, sapienter opprimamus eum. Juxta autem litteralem sensum, dedit eis signum osculi, ne loco illius caperetur Jacobus Alphei, qui simillimus erat Domino, & inde dictus est frater Domini. Vel quia nox erat. Unde & qui per diem noscerent Jesum, non tamen tunc per noctem.

Marc. 14. *Luc.* 22. *Joan.* 18.

11. qu. 1. c. pro membris, & q. fin. 2. & 24. q. 1. c. si Petrus.

e Et confestim accedens ad Jesum, dixit. Ave, Rabbi.] ecce quomodo blande suggerit diabolus. *Prov.* 27. Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit. 2. *Reg.* 20. Dixit Joab ad Amasan. Salve, mi frater, & tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum.

f Et osculatus est eum.] Consuetudo erat Judæorum osculari, ad significandum, quod ingressus erat pacificus. Unde 2. *Corinth. ult.* Salutate invicem in osculo pacis. Et propter hoc institutum est, quod Sacerdos osculetur librum accedens ad altare. Sed plerumque ingressus ejus non est pacificus, quia est in mortali. Quando autem traditus fuit Dominus in die Jovis in cœna dicitur versus ille.

Agnus cantatur, in cœna, paxque negatur.

g Dicitque illi Jesus. Amice, ad quid venisti?] Amicum dicit ironice. In hoc autem moraliter instruitur homo, ut consideret finem adventus tentationis, i. finem peccati, qui est mors æterna. *Rom.* 6. Nam finis illorum mors est. Et per hanc considerationem liberatur homo. *Eccl. cap.* 7. Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.

h Tunc accesserunt, & manus injecerunt in Jesum,] *Job* 9. Terra data est in manus impii.

i Et tenuerunt eum,] In hoc adimpletum est illud *Thren.* 4. Spiritus oris nostri Christus dominus captus est in peccatis nostris: quasi propter latrocinium nostrum. *Sap.* 12. dixerunt impii Judæi. Comprehendamus virum justum.

Joan. 18.

k Et ecce unus ex his, qui erant cum Jesu, extendens manum exemit gladium suum, & percutiens servum Principis,] idest, cœtus Prælatorum, qui per Petrum significatur. Unde dicit *Joannes*. Simon Petrus habens gladium, &c.

l Extendens manum exemit gladium suum,] idest, verbum Dei de vagina venusti eloquii. *Eccl.* 4. Non abscondas sapientiam in decore ipsius. De hoc gladio dicitur *Hebræorum cap.* 4. Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Qui sine hoc gladio incedunt, ostendunt, se nolle nocere hosti-

bus. Mirum etiam, qui temeritate ad præliandum accedunt. Memores esse debent, quia bellatores conducti, quando Principibus se offerunt ad agenda bella, & conveniunt cum eis de stipendiis, armatos se offerunt, unusquisque in illis armis, in quibus habet usum, & peritiam. *m* Et percutiens servum Principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus.] Nota, quod Petrus non aliam partem corporis perdidit, vel percussit, quam aurem: Verbum enim primo, & maxime percutit aurem. Aurem itaque percutere, est prædicare ad aures subditorum. *Lucas* vero 22. dicit: Domine, si percutimus in gladio? Per hoc significatur, quod nullus debet prædicare, nisi auctoritate superioris.

23. q. 3. § 1. & q. fin. § 1. Gen. 9. Apoc. 13.

F

Marc. 14. *Luc.* 22.

n Tunc ait illi Jesus, converte gladium tuum in locum suum: omnes enim, qui acceperint gladium,] verbi Dei ad defendendum errores suos, vel gladium excommunicationis propter iram, vel odium, vel gladium vindictæ.

Marc. 14.

o Gladio peribunt.] i. sententia divina. De qua *Job* 19. Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum est gladius. Et *Apoc.* 1. Ex ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat.

p An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo, plus quam duodecim legiones Angelorum?] q.d. stulte per gladium passionem meam conaris avertere, pro qua declinanda, nec preces volo ad patrem effundere. Legio continet sex millia, sexcentos, sexaginta sex. *Chrys.* Si unus Angelus interfecit centum octogintaquinque millia armatos, quid facerent duodecim legiones?

Moraliter. Autem in hoc arguuntur, qui ad vindictam proni sunt, ad patiendum vero tardi.

Moraliter.

q Quomodo ergo implebuntur scripturæ,] Prophetarum, per quas pax, & reconciliatio generi humano per mortem meam promissa est?

r Quia sic oportet fieri,] ut patiar. *Luc. ult.* Nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam?

s In illa hora dixit Jesus turbis. Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus comprehendere me.] Nec mirum, quia omnia habebat latronis insignia. Vestem, idest, carnem.

Unde *Rom.* 8. Misit Deus filium suum in mundum in similitudinem carnis. Post sacco etiam indutus est, ut ribaldi. *Ps.* 29. Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.

Cauterium etiam latronis habuit, idest, signum circumcisionis.

Habebat etiam alia insignia latrocinii, scil. pœnalitates toti generi humano pro latrocinio Adæ, & Evæ, inflictas, velut quædam latrocinii cauteria, & ideo quasi merito inter latrones pependit, & cum sceleratis reputatus est, ut dicitur *Isa.* 53.

t Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.] In hoc instruit prædicatores prædicare in Ecclesiis, non in cavernis, ut Hæretici faciunt, *Psalm.* 67. In Ecclesiis benedicite Domino Deo de fontibus Israel.

u Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturæ Prophetarum,] de salute generis humani. Totum itaque, quod factum est circa Dominum, factum est, ut salus promissa generi humano in scripturis Prophetarum impleretur.

x Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.] Tunc impletum est illud, *Job* 19. Obsederunt in gyro tabernacu-

lum meam, fratres meos longe fecit a me. Ista fuga Apostolorum in denudatione altarium significatur. Altare Christus, altaris ornamenta Apostoli, qui Christi quodammodo prima vestimenta fuerunt. Significatur etiam in extinctione lucernarum in matutinis horis. *Ps.* 37. Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, &c. Oculi, Apostoli. *Gen.* 49. Pulchriores sunt oculi ejus vino. Lumen oculorum, fides Apostolorum.

Mar. 14.

Moraliter. Moraliter autem per fugam Apostolorum insinuatur, quod Dominus paucos socios habet ad compatiendum, etsi multos habeat ad conregnandum, non attendentes, quod non est regressus ad lignum vitæ, nisi per gladium flammeum, atque versatilem. *Gen.* 3. Neque est transitus in cellarium, nisi per torcularis pressurá, Nec grana recipiuntur in horrea, nisi per ventilationem, & trituram. *Act.* 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Quomodo ergo intrabant, qui regni introitum fugiunt, i. tribulationes? Hi sunt, qui civitatem refugii fugiunt tempore guerræ. De qua *Isa.* 26. Urbs fortitudinis nostræ Sion, salvator ponetur in ea murus, & antemurale. Hi sunt dimidii amici Dei. De talibus dicitur *Eccl.* 6. Est amicus secundum tempus, & non permanebit in die tribulationis. *Psalm.* 87. Elongasti a me amicum, & proximum, & notos meos a miseria, idest, propter miseriam. Item, per discipulos intelliguntur virtutes, quæ fugiunt, quando homo in tentatione cadit in mortale.

Marc. 14. Luc. 22. Joan. 18.

Marc. 14. Luc. 22.

Marc. 14. Joan. 4.

b At illi tenentes Jesum, duxerunt eum ad Caipham Principem sacerdotum, ubi scribæ, & seniores convenerant.] nota sicut dicitur. 1. *Par.* 25. David constituit vigintiquatuor sacerdotes, & unum summum, sed postea destructum fuit rutum. Sed Esdras restituit, & duraverunt usque ad Herodem, qui videns dignitates magnas sacerdotii, & oblationum, vendidit illud duobus Annæ, & Caiphæ. *Jo.* 18 dicitur, quod primo ductus est ad Annam. Quatuor genera hominum persequuntur Christum. Principes sacerdotum, i. Episcopi. Scribæ, i. doctores legis. Pharisæi, i. claustrales separati. Seniores, i. advocati, qui dant consilia.

Quatuor genera hominũ persequentium Christum.

c Petrus autem sequebatur, &c.] Ideo sequebatur a longe, ne videretur esse de suis.

Moraliter. Moraliter autem per Petrum significantur clerici, & monachi, qui eum a longe sequuntur tam in conversatione, quam in habitu, cum tamen dicat: *Eccl.* 23. Gloria magna est sequi Dominum.

d Et ingressus intro sedebat cum ministris] *Jo.* 18. dicit, quod quidam notus Pontifici introduxit eum, [ut videret finem.]

e Principes autem sacerdotum, & omne consilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, &c.] Hic adimpletur illud *Prov* 21. Anima impii desiderat malum, & non miserebitur proximo suo.

f Novissime autem venerunt duo falsi testes.] Hic adimpletum est illud. *Psalm.* 26. Insurrexerunt in me testes iniqui.

g Et dixerunt, hic *dixit, possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud] Mentiuntur. Non dixit hoc Dominus. Sed dixit. Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. *Joan. cap.* 2. *Osee cap.* 7. Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia.

scipuli omnes relicto eo, fugerunt. At illi *b* tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham Principem sacerdotum, ubi Scribæ, & seniores convenerant. *c* Petrus autem sequebatur eum a longe usque in atrium Principis sacerdotum, Et *d* ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem: *e* Principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent. Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent, *f* Novissime autem venerunt duo falsi testes, & *g* dixerunt: Hic dixit, Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. Et *h* surgens Princeps sacerdotum, ait illi. Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur? *i* Jesus autem tacebat. Et princeps *k* sacerdotum ait illi, Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei. Dicit illi *l* Jesus. Tu dixisti. *m* Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem *n* in nubibus cœli. *o* Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens, *p* blasphemavit. *q* Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam, *r* Quid vobis videtur. At illi *s* respondentes, dixerunt: Reus est mortis. *t* Tunc expuerunt in faciem ejus, & *u* colaphis eum ceciderunt. Alii *x* autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit? *y* Petrus vero sedebat

h Et surgens Princeps sacerdotum ait illi, nihil respondes ad ea, &c.] *Greg.* Motus exterior indicat, quod nulla stabilitate animus subsistat. *Eccl.* 19. Amictus corporis, & risus dentium, & incessus hominis enunciant de illo. *i* Jesus autem tacebat.] Hic adimpletum est illud. *Isa.* 53. Quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. *Ps.* 37. Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

k Et princeps sacerdotum ait illi, adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei,] Provocat ad respondendum, ut qualibet occasione locum accusandi inveniat. *Hier.* Quid adjuras impiissime, Sacerdotum, ut accuses, an ut credas? Si ut accuses, arguit te condemnare tacentem. Si ut credas, quare confitenti credere noluisti?

Marc. 14. Luc. 22.

G

Marc. 14. Luc. 22.

l Dicit illi Jesus, tu dixisti.] i. dixisti in lege, ut dicit *Interl. c.* 18.

Marc. 14. Luc. 22.

m Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei] q. d. licet ignominiose me tractetis, adhuc tamen me judicem vestrum videbitis. *Zach.* 12. Et aspicient ad me, quem confixerunt. *n* Et venientem in nubibus cœli.] Ad judicium. *Dan.* 7. Ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis, veniebat. *o* Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: blasphemavit.] Mos erat Judæorum, quando horribile factum, vel blasphemiam audirent, scindere vestimenta sua, in signum quod corda † eorum similiter scindebantur.

al. † sacerdotum,

p Blasphemavit,] Blasphemia fit dupliciter. Vel quando id, quod Dei est, attribuitur creaturæ, sic videbatur facere, cum dixit. Videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli. Vel quando, quod est creaturæ tantum, attribuitur Deo.

q Quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam.] *Job* 16. Suscitatur falsiloquus contra faciem meam contradicens mihi.

r Quid vobis videtur,] Nota, postquam pronunciavit, concilium quærit, & ita, vel stulte, vel inique pronunciavit.

s At illi respondentes dixerunt, reus est mortis.] Hic adimpletum est illud *Isa.* 5. Expectavi, ut faceret judicium, & ecce iniquitas; & justitia, & ecce clamor.

t Tunc expuerunt in faciem ejus.] *Isa.* 50. Faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me *Job* 30. Faciem meam conspuere non verentur.

u Et colaphis eum ceciderunt.] *Isa.* 50. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. *Ps.* 34. Congregata sunt super me flagella, & ignoravi, causam, scil. i. peccata, *Ps.* 37. Quoniam ego in flagella paratus sum. Colaphizare est percutere in collo. *x* Alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes, prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit.] Hic impletum est illud *Thren.* 3. Dabit percutienti se maxillam, judicis, scilicet Israel. *Job* 16. Exprobrantes percusserunt maxillam meam. *Proverb.* 17. Non est bonum, damnum inferre justo, nec percutere Principem, qui recta judicat. Et nota in hac serie triplicem ignominiam Christi, scilicet, quod conspuebant in faciem ejus, & Colaphis eum cædebant, & palmas in faciem dabant. Unde fecerunt contra illud præceptum. *Exod.* 20. Honora patrem tuum. *Malach. cap.* 1. Si ego pater sum, ubi honor meus? *y* Petrus vero sedebat foris in atrio.] Recapitulatio est usque ibi [Mane autem facto, &c.]

a facto, &c.] Sequitur. *a* Et accessit ad eum una, &c. nescio.] *Ambr.* i. non approbo, [quid dicis:] Nota quod Petrus semel intravit curiam, & ibi vigorem animi perdidit, & Christum negavit, quid, si diu permansisset in curia? Etiam non ibi, sed foris pœnituit. Unde. *Inf. eod.* Et egressus foras, flevit amare. Quid est Petrus agnoscens, nisi clericus? *Supr.* 2. Stella disparuit regibus ingressis ad regem. Sed Petrus, idest, agnoscens clericus Christum sequitur de prope ad beneficia, sed ad passionem de longe. *Ps.* 72. Qui elongant se a te, peribunt *Job* 6. Necessarii mei recesserunt a me.

Marc. 14. *Luc.* 22. *Joan.* 18.

b Exeunte autem illo januam, &c.] *Jud.* 9. Ubi est nunc os tuum, quo loquebaris, quis est Abimelech, ut serviamus ei? 2. *Reg.* 17. Fortissimus quisque cujus est cor quasi leonis, pavore solvetur. Prima ostiaria, quæ facit Petrum Christum negare in curia Principis est caro. Caro enim ancilla debet esse de jure spiritui. De hac *Prov.* 30. Per tria movetur terra, & quartum, quod non potest sustinere. Per servum, cum regnaverit; per stultum, cum saturatus fuerit cibo; & per odiosam mulierem, cum matrimonio fuerit assumpta; & per ancillam, cum fuerit hæres Dominæ suæ. Ostiaria autem dicitur, quia ostia quinque sensuum continet, & per ipsam Deus & diabolus ad spiritum ingrediuntur. Secunda ancilla, est spes merendi aliquid a Domino. Sed *Gen.* 2. Ejice ancillam, & filium ejus: Tertii qui faciunt Christum negare in curiis sunt ministri. De quibus dicitur. *c* Et post pusillum accesserunt, qui stabant,] scilic. ad serviendum. *d* Et dixerunt Petro, vere & tu ex illis es,] q. d. pepelardus es. *e* Nam & loquela tua te manifestum facit,] quia loqueris de Deo. Sed nonne Hebræus erat, & Galilæus, quæ Galilæa erat in terra Hebræorum? Verius est, quod Hebræus erat, sed tamen Galilæa in pronunciatione differebat a Jerosolymitis. *f* Tunc cœpit detestari, & exprobrare] idest, jurare. Detestari enim est obligare se juramento, *Amos* 6. Detestor ego superbiam Jacob, i. præsumptionem Petri. *Prov.* 8. Os bilingue detestor. *Prov.* 17. Qui vertit linguam suam, in malum incidet.

al. *gu.* 4. *r.* *actione.* *al.* *lexprobare.*

g Quia non novisset hominem:] *Prov.* 17. Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur. Nota autem, quod primo dixit, nescio quid dicis, secundo cum juramento negavit, tertio cœpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem. Hoc est, quod dicitur *Prov.* 18. Peccator cum in profundum peccatorum venerit, contemnit. *Chrysostom.* Cadit Petrus, ut confundatur Marcion, ut non præsumat de se, ut Christo in omnibus credat, ut reliqui caveant, & Christo credant, ut comprimatur audacia, & convincatur, ut sciat qualiter aliis parcat. *Ezech.* 7. septem causæ.

h Et continuo gallus cantavit.] Post Petri negationem statim gallus cantat, quia in gallo Prædicator significatur, sicut dicitur *Prov.* 30. Tria sunt, quæ bene gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum: Gallus succinctus lumbos, &c. Nulla igitur mora debet esse inter peccatum, & prædicantis exhortationem, quasi vel intus a conscientia sua reprehenditur, & exhortatur foris a Prædicatoribus. Ter vero gallus cantasse dicitur, quia de tribus est omnis prædicatio, scil. de malis culpæ vitandis, de malis pœnæ fugiendis, de bonis gloriæ acquirendis. Et hoc est, quod dicitur *Job* 33. Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas a corruptione, & illuminet in luce viventium. *Proverbior.* 22. Ecce descripsi eam tibi tripliciter.

foris in atrio. Et *a* accessit ad eum una ancilla, dicens. Et tu cum Jesu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens. Nescio, quid dicis. *b* Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem. Et *c* post pusillum accesserunt, qui stabant, & *d* dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es. *e* Nam & loquela tua te manifestum facit. *f* Tunc cœpit detestari, & † jurare, *g* quia non novisset hominem. Et *h* continuo gallus cantavit. Et *i* recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat, priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare.

C A P. XXVII.

k MAne autem facto, † *l* concilium inierunt omnes principes sacerdotum, *m* & seniores populi *n* adversus Jesum, ut *o* eum morti traderent. Et *p* vinctum adduxerunt eum, & *q* tradiderunt Pontio Pilato præsidi. *r* Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod *s* damnatus esset, *t* pœnitentia

i Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat, priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare.] Idest, ex amaritudine cordis. Lucas dicit, quod Dominus respexit Petrum. Et quærit *Aug.* quomodo hoc potuit esse, quia jam exierat foras, & Dominus erat intus, & etiam velatos habebat oculos. Et solvit. Quia respexit oculo misericordiæ, non materiali.

Luc. 22. *Marc.* 14. *Luc.* 22.

EXPOSITIO CAP. XXVII.

k MAne autem facto concilium, &c.] Capitulum istud dividitur in novem partes. Prima est de exitu, & fine Judæ proditoris. Secunda de accusationibus Christi ibi [Jesus autem stetit, &c.] Tertia de electione Barrabæ latronis, ibi. Per diem autem solemnem.] Quarta de sententia, & illusionibus Christi, ibi [Videns autem Pilatus.] Quinta de bajulatione Crucis, & aceto, & vestibus sortitis, ibi [Exeuntes autem invenerunt, &c.] Sexta de blasphemiis latronum, & Judæorum, ibi [Tunc crucifixi sunt] Septima de tenebris, & signis, & de morte Christi, ibi [A sexta autem hora.] Octava de sepultura Domini, & officio Joseph, & Nicodemi, ibi [Cum sero autem factum esset.] Nona de custodia sepulchri, ibi [Altera autem die, quæ est post Parasceven.] Dicit ergo:

Marc. 15. *Joan.* 18. *al.* † *consilium.*

k Mane autem facto.] Redit ad seriem narrationis. Et continuatur illi supra: Quis est, qui te percussit?

l Concilium] vel [consilium inierunt omnes Principes sacerdotum.] Ergo nullus bonus in eis. *Isa.* 56. Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum. De hoc concilio *Gen.* 49. Simeon, & Levi vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea.

m Et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent.] De his *Dan.* 13. Iniquitas egressa est a senioribus, qui videbantur regere populum. *Jer.* 23. A prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram.

p Et vinctum adduxerunt eum.] *Aug.* Ligatur, qui solvit compeditos.

q Et tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.] Mos erat Judæorum, ut quem morti adjudicassent, ligatum judici traderent. Quia autem mane adductus fuit ad Pilatum, ut judicaretur, ideo cantatur in Prima *Psal.* iste: Deus in nomine tuo salvum me fac, &c. *Psal.* 53.

Moraliter. Jesus pœnitens, vel confitens. Dicit ergo. *Moraliter.*

k Mane autem facto] gratiæ *Ps.* 5. Mane astabo tibi, &c.

l Concilium inierunt omnes Principes sacerdotum, &c.] idest, Prælati Ecclesiæ.

n Adversus Jesum] pœnitentem scilicet.

o Ut eum morti traderent,] i. mortificationem carnis. De qua mortificatione dicitur *Col.* 3. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. *Ps.* 115. Pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

p Et vinctum adduxerunt] vinculis peccatorum. De quibus *Prov.* 5. Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur. 2. *Tim* 2. Ne resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

q Et tradiderunt Pontio Pilato Præsidi,] i. confessori. Pilatus, os malleatoris, confessor est, qui ore debet contundere peccatores conviciis, & objurgationibus, & etiam consolationibus. *r* Tunc videns Judas, qui eum tradidit,] Judas confitens, qui peccando tradidit, quia de hospitio suo, i. de corde suo, ubi per gratiam habitabat, proditorie expulit, & adversarium ejus ibidem receptavit. Hic videns.

s Quod damnatus esset,] i. merito peccati æterna damnatione dignus. *t* Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos,] i. confessionem triplicis transgressionis decalogi,

ductus, retulit triginta argenteos principibus *a* sacerdotum, & senioribus, dicens: *b* Peccavi, *c* tradens *d* sanguinem justum. At illi *e* dixerunt: Quid ad nos? *f* Tu videris. Et *g* projectis argenteis in templo recessit, & *h* abjens laqueo se suspendit. *i* Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: k Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. *l* Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in *m* sepulturam peregrinorum, propter hoc vocatus est ager ille Acheldemach, hoc est, ager sanguinis usque in hodiernum diem. Tunc *n* impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium *o* appretiati, *p* quem *q* appretiaverunt a filiis Israel, *r* & dederunt eos in agrum figuli, sic constituit mihi.

De pœn. d. 6. c. 1. & dist. 3. c. inter hæc. 2. & c. Judas, & c. nihil rude, & cap. sequent. 1. q. 1. c. qui studet. 23. q. 5. c. si non licet.

A vel pretium mortis suæ, i. peccatum, *a* Principibus sacerdotum, &c.] i. illis, qui habent clavium potestatem ad judicandum, & puniendum, secundum eorum discretionem. In quo arguuntur, qui proprio arbitrio propria peccata emendari, & judicari volunt, non secundum arbitrium confessorum. *b* Dicens. Peccavi] in me, diabolo me tradendo. in Deum, rem suam, i. meipsum ei auferendo; in proximum, malo exemplo corrumpendo. *c* Tradens] diabolo, scil. *d* Sanguinem justũ] i. pretium sanguinis justi, i. meipsum, pro quo effusus est sanguis. *Heb.* 6. Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei & ostentui habentes. Nota autem ad litteram, quod Juda pœnitentia ductus non propter amorem Dei, sed magis propter factum enorme. Item nota, quod si Judas resignat pecuniam male acquisitam, qua fronte simoniacus retinet præbendam, vel usurarius usuram? *e* At illi dixerunt, quid ad nos] q.d. nihil. Imo ad te pertinet.
f Tu videris,] i. tu vidisti, quid faceres eum tradendo, & pretium tibi propositum approbasti. Et est præteritum subjunctivi, i. tu videbis, quid inde tibi contingat. *Chrys.* Accusatio sacerdotum est in hoc, quod pœnitentiam non egerunt, etiam Juda pœnitente. *g* Et projectis argenteis in templo recessit, & abjens laqueo se suspendit.] Utrum autem ipsa die crucifixionis Dominicæ statim, scil. ex quo recessit a Principibus sacerdotum, vel in crastinum, non est expressum. Quod autem ante Resurrectionem Domini se suspenderit, planum est ex *Hier.* dicente, quod post suspendium Judæ Dominus resurrexit. *Chrys.* Vide veritatem Judæ, quia sufficientem traditor adversus semetipsum fert sententiam, & eorum, qui condemnaverant, ora opilat. Item *Chrys.* Cognoscere delictum, projicere argenteos, non vereri Judæos, omnia hæc laudabilia fuerunt; suffocari, non hoc ignoscibile, & dæmonis fuit opus. Simile 2. *Reg.* 17. de Achitofel. Ideo autem suspensus est laqueo, ad innuendum, quod erat socius dæmonum, qui erant in aere, & propter hoc, ut arteriæ, quæ vocem proditionis emiserunt, punirentur.

Moraliter. Projicienda sunt peccata.

Moraliter. *h* Et projectus, &c.] Bene dicit projectus, quia projicienda sunt peccata a corde velut stercora, & spurcitiæ intolerabiles a domo, non velut thesauri abscondenda. Quod faciunt illi, qui peccata sua non relinquere, sed nec etiam videri volunt fideles, thesauri diaboli. *Eccl.* 29. Perde pecuniam propter fratrem, & amicum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis, quam aurum. Projicienda sunt peccata velut onera gravissima, quæ portantem nimis gravant, & comprimunt, sicut dicit *Ps.* 31. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. *Isa* 58. Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Et projicienda sunt velut præda a prædonibus, vel furtum a furibus projiciuntur, ne fugam eorum retardet, cum hostes eos subsequuntur. *Eccl.* 27. Leo venationi insidiatur semper, sic peccata operantibus iniquitatem. Projicienda sunt peccata velut sarcina, quæ nimis onerat navem periculo imminente. *Prov* 27. Grave est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior. Item projicienda sunt peccata velut viperæ manibus adhærentes, Sicut Paulus fecit. *Act.* 28. Recte autem dicitur: Projectis in templo, quia in Ecclesia, non in cameris facienda est confessio peccatorum. Vel in Ecclesia, in fide Sacramentorum, in spe suffragiorum Ecclesiæ, & in confidentia potestatis clavium, quæ soli Ecclesiæ traditæ sunt in Petro, *sup.* 16. *h* Et abjens laqueo se suspendit.] Ecce Judas in facto suo ostendit, quid faciendum sit pœnitenti. Adire debet ad confessorem, & recedere a peccato. *Prov.* 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Et in patibulo pœnitentiæ se suspenderet. De quo suspendio dicit. *Job* 7. Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea. Patibulum illud ex tribus lignis fit, scil. ea spe veniæ, ex spe gratiæ, ex spe gloriæ. Et funiculus quo ligatur pœnitens patibulo suspendendus, ex tribus rebus fit, i. desiderio recuperandi gratiam, desiderio custodiendi, bene mendi ea. De quo funiculo. *Eccl.* 4. Funiculus triplex difficile rumpitur. *i* Principes autem sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt.] Accipere debent gratanter Principes sacerdotum, i. Prælati & confessores, triginta argenteos, i. lucidam, & sonoram cõfessionem peccatorum. Abominantur autem, quod sequitur. *k* Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est] Figurat eos, qui peccata adeo abominantur, ut auditum confessionis peccatorum, pollutionem aurium reputant, & in corde suo reponere dedignantur. Corbona enim est arca in qua dona, sive oblatio sacerdotum reponebatur, ubi debent reponi peccata confitentium, quæ quotidie debet confessor Deo offerre. Item. [Non licet eos mittere in corbonam.] *Prov.* 15. Victimæ impiorum abominabiles Domino. *Eccl.* 34. Dona impiorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationibus impiorum. Corbonam, *ut sup.* 4. *Reg.* 16. dicitur, erat gazophylacium, in quo reponebantur sacerdotum oblationes, & Levitarum. Musach erat gazophylacium, in quo oblationes Regis, & Principis tribuum reponebantur. Gazophylacium appropriato vocabulo erat illud, in quo oblationes peregrinorum, & transeuntium ponebantur. De primo sumptum est pretium. *l* Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli] figuli potest esse proprium nomen. Vel ad litteram figulus erat. *m* In sepulturam peregrinorum, propter hoc vocatus est ager ille] lingua eorum Acheldemach, hoc est ager sanguinis usque in hodiernum diem.] Figulus ille Deus est, fictor & formator omnium, sicut dicit *Isa.* 64. Et nunc Domine pater noster es tu, nos vero lutum, &c. *Jer.* 18. Sicut lutum in manu figuli, sic omnes vos in manu mea domus Israel. Ager hujus figuli est Christus, secundum quod homo, sicut dicit Isaac de Jacob. *Gen.* 27. Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. De fructibus, & frugibus hujus agri pascuntur in præsenti omnes electi per fidem, & spem, in futuro pascentur per rem, & speciem. Ille enim ager est terra illa, de qua dicit *Isa.* 4. Et erit fructus terræ illius sublimis. Illum agrum emunt quotidie Principes sacerdotum triginta argenteis, i. emptum, & emendum ostendunt confessione triplicis transgressionis Decalogi in sepulturam peregrinorum, i. omnium electorum, qui se reputant peregrinos, & advenas. De quibus dicitur *Job* 28. Lapidem caliginis, & umbram mortis, i. reprobos, dividit torrens gratiæ, vel pœnitentiæ, vel sententiæ divinæ, a populo peregrinante, qui est populus cruce signatus, per mare hujus mundi ad cœlestem Jerusalem tendens. In hoc agro quasi in cœmeterio benedicto sepeliuntur, & requiescunt solummodo mortui mundo. Extra hoc cœmeterium non est sepultura, nisi excommunicatorum, qui sepultura asini sepeliuntur, ut dicitur *Jer.* 22. avibus, & bestiis infernalibus devorandi. Ager ille vocatur Acheldemach, i. ager sanguinis, quia proprio sanguine irrigatus. Vel ager figuli est Ecclesia, in qua duas sepulturas eligit suo cadaveri, qui duas cupiens habere præbendas, ubi non sepelitur vivus, sed mortuus, non civis, sed peregrinus. *Col.* 3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. 2. *Cor.* 5. Dum sumus in hoc corpore, &c. *n* Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem. Et acceperunt triginta argenteos] Principes sacerdotum de gazophylacio. *o* Pretium, &c.] i. Christi, quem velut vile mancipium appretiaverunt. *p* Quem,] Christum. *q* Appretiaverunt a filiis Israel] i. a Juda, & a complicibus suis. *r* Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus,] idest, constitutum revelavit. Nota autem, quod *Hieronym. in minori breviario super Matthæum* dicit de vitio scriptoris hoc introductum subdens: quod quidam Latini codices habent per Asaph Prophetam, quod Latini scriptores non intelligentes emendaverunt ponentes per Isaiam, alii per Jere-

Act. 1.

Zach. 18.

Jeremiam, alii simpliciter per Prophetam. Verumtamen addit ibidem, se verbo ad verbum hoc legisse, in quodam libro Jeremiæ, sed Apocrypho, & sibi potius videri de Zacharia sumptum sensu, etsi non verbis. In *Zach. n.*11. ita habetur. Appenderunt mercedem meam triginta argenteis, & ita pretium decorum ironice quo appretiatus sum. Vel potest dici quod suas prophetias Sp. Sancto revelante in unam conjunxit. Est autem hæc littera *Jer.*32. Venit ad me Anachel filius patrui mei secundum verbum Domini ad vestibulum carceris, & ait ad me. Posside agrum meum, qui est in Anathot, qui in terra Benjamin, quia tibi competit hæreditas, & tu propinquior es, ut possideas. Intellexi autem, quod verbum Domini esset, & emi agrum ab Ananehel filio patrui mei, qui est in Anathot. Et appendi ei argentum septem stateres, & decem argenteos, &c. In hac igitur emptione agri Matthæus intelligens præfiguratam esse emptionem agri a principibus sacerdotum factam, posuit per Jeremiam Prophetam.

Marc. 15. *Luc.* 23. *Jo.* 18.

B

Dominus, *a* Jesus autem stetit ante Præsidem, *b* & interrogavit eum Præses dicens. Tu es rex Judæorum? Dicit illi *c* Jesus. Tu dicis. Et *d* cum accusaretur a principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi *e* Pilatus. Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer. *f* Per diem autem solemnem consueverat præses dimittere Populo unum vinctum, quem voluissent. *g* Habebat autem tunc unum vinctum *h* insignem qui *i* dicebatur Barrabas. *k* Congregatis ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barrabam, an Jesum, qui dicitur Christus? *l* Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum. *m* Sedente autem illo pro *n* tribunali, misit *o* ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, & justo illi: Multa enim passa sum hodie per visum propter eum,

Marc. 15. *Luc.* 23. *Jo.* 18.

a Jesus autem stetit ante Præsidem] docens suos stare securos ante tyrannos, non cadere per timorem, *sup.* 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Tribulatio enim, & persecutio, & mors non contra nos electos, sed pro eis a Deo immittitur, velut succursus contra amorem præsentis vitæ, & velut nuncius gratissimus de præsenti miseria vocans ad fælicitatem æternam. Ideo standum est secure.

b Et interrogavit eum præses, dicens, tu es rex Judæorum?] *Luc.* 23. dicit, quod duo objecerant, quod prohibebat tributum dari Cæsari, & quod dixerat se regem. De regno ergo interrogavit Pilatus, quia nesciebat, an esset, secundam quæstionem non interrogavit, quia habuit eam pro nihilo. Audierat igitur eum respondisse. Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. *sup.* 22.

c Dicit illi Jesus, tu dicis.] non ego: Vel verum est, quod dicis. *Hier.* Sic temperat responsum, ut sermo ejus calumniæ non pateat, & tamen verum dicat.

Moral. Moral. *b* Et interrogavit eum præses] Quod tam crebro Jesum interrogat præses, ut causam ejus diligenter examinet, & ne iniquam sententiam in eum ferat, omnes confessores, & judices instruit, ut causas, quas nesciunt, diligenter investigent. Quod autem Dominus respondet, tu dicis, insinuat, quod confitens sacerdoti interroganti debet confiteri simpliciter veritatem.

d Et cum accusaretur a principibus sacerdotum, &c.] *Chr.* Quia corruptum judicium erat. *Is.* 53. Quasi agnus coram tondente se obmutuit. *Thr.* 3. Ex ore Altissimi non egredientur neque bona, neque mala. Ex hoc accipitur consuetudo religiosorum, quod, quando proclamantur in capitulis suis, non respondent. *Luc.* 23. Dicit, quod accusabant eum de doctrina, de destructione templi, de blasphemia, quia dicebat se esse filium Dei. Præterit autem hic Matthæus, quod Pilatus audito quod Galilæus esset, eum remisit ad Herodem, ne inconsulto Tetrarcha suo Galilæum judicaret, Herodes vero remisit illum cum veste alba.

e Tunc dicit illi Pilatus, non audis quanta adversum te dicunt testimonia, &c.] *Chrys.* Etenim admiratione dignum erat videre silentem, qui tot habebat dicere. In hoc autem docet, accusationes, & criminationes etiam falsas silenter, & patienter esse audiendas. Hoc enim patientiam sanctorum reddit mirabilem magis, quam defensio. Unde dicitur [& non respondit, &c.]

f Per diem autem solemnem consueverat præses dimittere populo unum vinctum, &c.] In signum, & memoriam eductionis suæ de Ægypto.

g Habebat autem tunc unum vinctum] propter seditionem & homicidium, ut *Marc.* 15.

h Insignem] *Chrys.* diffamatum in malitia.

i Qui dicebatur Barrabas.] Quidam libri habent Barnabas, quod dupliciter potest componi a Bar, quod est filius, & Abbas quod est pater, vel Rabbi, quod est magister.

Moraliter. *h* Insignem,] idest, signatum charactere bestiæ. *Apoc.*13. Non signo Tau: *Ezech.* 9.

k Congregatis ergo illis dicit Pilatus, quem vultis dimittam vobis, Barrabam, an Jesum, qui dicitur Christus?] Hoc dicitur propter assertionem per anticipationem, quia prius quam sic quæreret, audivit consilium uxoris suæ: Quid tibi, & justo illi. Et nota, quod magis flagitiosum præponit eis, ut eum petere erubescant.

Moral. Moraliter. Barrabas, vetus homo, filius patris, idest, diaboli. *Jo.* 8. Vos ex patre diabolo estis. *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus. Jesus novus homo. Uterque ligatus est: ille vinculis peccatorum, iste vinculis præceptorum. Bonus præses debet absolvere, & dimittere liberum novum hominem, sed populus clamat pro veteri dimittendo. Et quis est ille populus, qui novum condemnari, & veterem hominem petit absolvi? Peccatoris infirmitas, erubescentia, juventus, nobilitas, timor pœnitentiæ, societas, confusio mundi, carnis voluptas. Et ex parte præsidis, idest, confessoris, similis voluptas, cupiditas, ignorantia, amor carnalis. *Exod.* 23. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiescas.

l Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum.] Quare ergo non liberabat eum? *Chr.* Si dicis, non erat ei tutum dimittere illum, cui imponebatur, quod faciebat se esse regem, esto oportebat ergo demonstrationes quærere, & conjecturas, puta, si exercitum colligebat, si pecunias, si arma. [Per invidiam] *Gen.*37. Fera pessima devoravit filium meum Joseph. *Gloss.ibid.* Fera pessima, idest, invidia. Et dicitur fera, quia facit hominem crudelem.

m Sedente autem illo:] Pilato.

n Pro tribunali,] idest, in tribunali.

o Misit ad eum uxor ejus, dicens, nihil tibi, & justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum.] Diabolus forsitan per gaudium animarum, quæ erant in limbo applaudentium, conjecturavit Christum ad inferos descensurum, & propter magnam patientiam, quam non viderat in alio homine, & quia prædictum erat *Isa.* 53. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente, &c. timens amittere dominium, quod habebat super homines, & animas, consideravit, quod multipliciter crudelitatem viri posset emollire. Unde immisit phantasiam aliquam uxori Pilati, ut peteret Christum non occidi. *Chr.* Cujus gratia Pilatus non videt? Quoniam illa digna erat. Vel forte ipse non dixisset, nec simpliciter videt, & si patitur, ut vir ejus compellatur, &c.

Moral. Moraliter. Uxor Præsidis pœnitentialis est justitia, cui toto amore debet conjungi. Unde *Sapient.* 1. Diligite justitiam, qui judicatis terram. Ex hac uxore debet judex pœnitentialis generare filios rectorum judiciorum. De quibus *Psalm.* 111. Generatio rectorum benedicetur. Hæc uxor mittit ad præsidem per nuncium, idest, rectam cogitationem pro Jesu liberando, dicens: [Multa passa sum hodie per visum propter eum.] Omnes enim iniquæ allegationes, & iniqua judicia, quæ fiunt homini in causis, jacula sunt, quibus justitia perfoditur usque ad mortem. Et omnia patitur per visum, quia omnia illa manifeste fiunt, & nullus est, qui clamorem justitiæ exaudiat, nec etiam præses: *Isaiæ* 59. Conversum est retrorsum judicium, & justitia longe stetit, quia corruit in plateis veritas, & æquitas non potuit ingredi, & facta est veritas in oblivione. Spadones vero, vel fornicatores reputandi sunt præsides, qui hanc uxorem non habent, qui non sobolem rectorum judiciorum quærunt, sed voluntatem. *Ecclesiast.* 10. Concupiscentia spadonis devirginavit juvenculam.

a Principes autem sacerdotum, & seniores *b* persuaserunt populis, ut peterent Barrabam, *c* Jesum vero perderent. *d* Respondens autem præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? *e* At illi dixerunt, Barrabam. Dicit illis *f* Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? *g* Dicunt omnes, Crucifigatur. Ait illis præses: *h* Quid enim mali fecit? At illi *i* magis clamabant dicentes. *k* Crucifigatur. *l* Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo, *m* dicens. Innocens ego sum a sanguine hujus justi, *n* vos videritis. Et *o* respondens universus populus, dixit: *p* Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.

Marc. 15. Luc. 23. Joan. 18. C

a Principes autem sacerdotum, & seniores.] *Dan.* 13 Egressa est iniquitas a senioribus judicibus.

b Persuaserunt populis, ut peterent Barrabam.] *Jer.* 50. Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos.

c Jesum vero perderent.] Juxta litteram isti populis præerant, ut eos ab iniquitate averterent, & justitiam suaderent, & ipsi ut salutem abjiciant, & perditionem expectent, persuadent. Quorum nequitiam multi Prælatorum nostri temporis imitantur, qui subditos suos vel suggestionibus, vel exemplis a veritate, & a vita simul avertunt. De quibus dicitur *Dan.* 13. Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.

Marc. 15. Luc. 23.

d Respondens autem præses ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti?] *Eccl.* 15. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod voluerit, dabitur ei:

e At illi dixerunt, Barrabam,] *Prov.* 17. Et qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. [At illi dixerunt, Barrabam] Sic est forma electionis in multis capitulis, quia aliqui eligunt magis seditiosum, crudelem, clamosum. Et hujus facti judex est Pilatus, os malleatoris, idest, os litigantis in capitulis. Cum tamen dicatur, 3. *Regum* 6. quod in ædificatione templi non sit auditus sonitus mallei. Similiter in electione Episcopi, qui debet ædificare templum, non debet audiri aliquod litigium. Hi sunt, qui non intendunt eligere in Episcopum nisi aliquem, qui possit conculcare, & domare omnes, bonum autem recusant. Sed ad ultimum accidit, quod uxor Pilati, idest, conscientia remordet eum dicens, quare fai contra istum probum? Quid enim mali fecit? Nam bene videt, quod propter invidiam noluerunt eligere illum, qui bonus est. Si autem quæritur, quid fiet de illo bono homine, quem aliqui elegerunt? Resp. Crucifigatur, idest, agat pœnitentiam. Magis deberent dicere, quod pœnitentiam ageret Barrabas, quem elegerunt. Qui dicitur Christus, q. d. non est, ut sic bonitatem ejus diminuant. Qui autem talem seditiosum eligunt, nunquam postea sine seditione sunt, imo plus persequitur eos quam alios. In hoc est, quod habetur *Jud.* 9. quia relinquente olivæ pinguedine, &c.

f Dicit illis Pilatus, quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?] Utinam hoc dicerent judices nostri, qui innocentes condemnant. Quid faciam de Jesu, qui in suis judicari, & condemnari testatur, *sup.* 25. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Act.* 9. Saule, quid me persequeris?

g Dicunt omnes, crucifigatur.] Jesum crucifigis, quandocumque mortaliter peccas. *Heb.* 6. Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei. Et hoc dicit tota multitudo pravarum suggestionum, vitiorum, & dœmonum, ut Christus crucifigatur.

h Quid enim mali fecit:] *Jo.* 18. Dicit Pilatus. Ego nullam in eo invenio causam. Quibus verbis manifeste Dominum Jesum absolvit.

i At illi magis clamabant, dicentes, crucifigatur.] Hic est clamor, de quo *If.* 5. Expectavi, ut faceret judicium, judicans melius esse dimitti Jesum quam Barraham, & ut faceret justitiam, Christum omnino liberando, & ecce clamor.

k Crucifigatur.] *Threnor. tertio*. Aperuerunt super me os suum omnes inimici mei. *Jerem. duodecimo*. Facta est hæreditas mea quasi leo in silva, dedit contra me vocem suam.

l Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo,] ostendens hoc signo innocentiam, sicut aqua operatur munditiam. In hoc autem insinuat Pilatus judicibus, ut manus suas aqua pœnitudinis, & lacrymarum lavent, & innocentes a sanguine Christi se efficiant. Cujus quidem rei sunt, dum justitiam, & veritatem non defendunt, pro quibus sanguis Christi effusus est, dum Ecclesiam aut opprimunt, aut opprimi patiuntur, quæ pretium est sanguinis Christi. Sacerdotes in fine Missæ manus lavant aqua, hoc ipso facto dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus. Sed in multis aqua illa reatum non tollit de manibus eorum, sicut nec de manibus Pilati tulit. Unde dicitur eis, *I.* Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Recte etiam in hoc facto confessores manus suas lavare docentur, quia sunt recte, etiam quia officium via sine aliqua pollutione peragitur, via enim mundis manibus attrectantur immunditiæ, via tumores saniosi, & vulnera sanguinolenta premuntur absque pollutione prementium. Sed propter hoc bonus medicus non dimittit officium. In lege etiam sacerdotes, qui mundabant, eo ipso immundi fiebant.

I. 9. 4. Esai.

m Dicens, innocens ego sum a sanguine hujus justi,] Non satisfecit, debuit enim resistere contra eos. *Eccl.* 4 Libera eum, qui injuriam patitur. *Job cap.* 29. Conterebam malos iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.

n Vos videritis,] idest, vos videatis, quid faciatis, q. d. summi ministri legis attendite, qualem mihi traditis occidendum, vobis tantum imputetur. Sic confessores debent dicere confitentibus. [Vos videritis,] i. videte, quid dicatis, quia ex dictis vestris oportet vobis consuli. Sic judices debent dicere litigantibus. Vos videritis, idest, videte, qualia in judicium deduxeritis, quia ex testimoniis vestris, non ex conscientiis oportet proferre sententiam.

o Et respondens universus populus dixit, sanguis ejus super nos, & super filios nostros.] *Hieron.* Optimam hæreditatem dimiserunt filiis suis, dicentes. Sanguis ejus, &c. Verbum autem optimum, & salutiferum responderunt Judæi, sed intentione pessima, & mortifera, sicut sæpe accidit, quod male bonum dicitur, & fit. Intellexerunt enim. Sanguis ejus super nos, & super filios nostros, idest, culpa, & pœna effusionis sanguinis ejus veniant super nos. Optandum quidem erat immundis, ut sanguis ille mundissimus super illos veniret ad emundationem. Sicut legitur *Hebr.* 9. Si sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat, quanto magis sanguis Christi, qui per Sp. Sanctum seipsum obtulit immaculatum Deo, emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis. *Apoc.* 1. Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Hoc est, quod dixit Jacob *Gen.* 49. Lavabit Judas, idest, Christus in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum: Stola, & pallium Christi est Ecclesia, quæ lota est vino, & sanguine uvæ, idest, sanguine Christi eliquato in torculari crucis. Hoc est, quod legitur *Apoc.* 19. Vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis, & verax, & cum justitia judicat, & pugnat. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen ejus verbum Dei. Ecclesia vestis Christi est, quæ ideo aspersa est sanguine muricis, ut vestis regalis esset. Sanguis aspersus est super totam Ecclesiam in ablutionem, in sanctificationem, in tinctionem. Sed Judæi nec in ablutionem, cum essent immundi, nec in sanctificationem, cum essent peccatores pessimi, nec in tinctionem, ut essent vestes regis, sanguinem super se venire petierunt, sed quasi belluæ sanguinem ejus sitierunt. Unde Dominus leones, & canes vocat eos in *Psal.* 21. Quid est petitio sanguinis nisi rugitus leonis sanguinem sitientis? *Jerem.* 12. Facta est hæreditas mea quasi leo in silva, dedit contra me vocem, ideo odivi eam. Potest autem hæc vox esse vere pœnitentium.

p Sanguis ejus super nos, & super filios nostros,] i. majus est pretium sanguinis Christi, quem pro nobis obtulit in ara crucis, quam debitum nostrum, & aliorum qui post nos venient. *Job* 6. Utinam appenderentur peccata mea, i. meorum, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret. Et ita fuit, quia positus in statera crucis, lana sue

cala-

calamitas præponderavit, & extulit lancem omnium peccatorum totius mundi, propter quod dicitur agnus Dei qui tollit, idest, extollit peccata mundi, sicut majus pondus extollit minus positum in altera lance.

a Tunc dimisit illis Barrabam, &c.] Flagellatus autem fuit manibus ministrorum & militum, ut flagellis mitigaretur rabies eorum, & pietate super flagellatum moverentur. Vel secundum Romanorum morem, crucifigendi enim prius flagellabantur, ut sic extorqueretur ab eis, si quis esset socius in scelere.

a Tunc dimisit illis Barrabam, Jesum vero flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. Tunc *b* milites præsidis suscipientes Jesum in prætorio, congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum, *c* chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et *d* plectentes coronam de spinis *e* posuerunt super caput ejus, & *f* arundinem in dextera ejus, *g* & genu flexo ante eum illudebant ei dicentes: Ave, Rex Judæorum.

Mystice. Flagellatur Christus in se, & in membris suis blasphemiis iniquorum. *Prov.* 14. Virga superbiæ in ore stulti. *Job* 5. A flagello linguæ absconderis, in pœnitentibus. Flagella sunt pœnitentiæ. Quod autem ligatus ad columnam cæditur, & in Ecclesiis pingitur, significat, quod pœnitens debet alligari ad columnam, quæ est Ecclesia, vinculis charitatis. De qua columna. 1. *Tim.* 3. Ut scias, inquit, quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis.

b Tunc milites, &c.] propriis vestibus. Tunc adimpletum est illud *Genes.* 37. Exuerunt Joseph, tunica polymita.

c Chlamydem coccineam circumdederunt eum] in contumeliam, quia dixerat se esse regem. Hæc enim erat vestis regia, &c.

Moraliter. Milites Pilati, sunt mali prælati, qui militant per avaritiam, & rapinam. Hi veste sua Christum exuunt, i. cœtum fidelium, quos suggestionibus, & exemplis pervertunt. Chlamys coccinea, qua Christum induunt, est multitudo nepotum, & consanguineorum, quos in Ecclesia instituunt ad ejus illusionem, & contumeliam. Unde *Mich.* 3. Audite hæc principes domus Jacob, judices domus Israel, qui abominamini judicium, & omnia recta pervertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus, idest, in consanguineis.

d Et plectentes coronam de spinis] idest, juncis quibusdam asperis, & pungitivis, ut spinæ.

e Posuerunt super caput ejus,] *Cant.* 3. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate suo, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. *B. Bern.* Non decet sub spinato capite membrum esse delicatum, quare ergo clerici serta de floribus in capite suo portant? *Is.* 28. Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim, & erit flos decidens.

f Et arundinem in dextera ejus,] pro sceptro.

g Et genu flexo ante eum illudebant ei, &c.] Ter fuit Dominus illusus. Primo quando sputis, & colaphis eum ante Pontificem verberaverunt, ut *sup.* 26. Secundo coram Herode, ut dicit Lucas, quando indutus fuit veste alba. Tertio autem quando indutus fuit clamyde coccinea, ut hic: Ad quam triplicem illusionem a cordibus fidelium extirpandam antequam discooperiatur Crux, repræsentatur triplex glorificatio, cantando: Agios: sanctus Deus, lingua Græca, & Latina, non Hebræa, quæ adhuc silet a laude Dei. Et contra genuflexiones illusorias facimus nos recompensantes genuflexiones cum orationibus, sed ad orationem pro Judæis non facimus.

Moraliter. *d* Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus,] i. multitudinem avarorum, ambitiosorum, & aliorum peccatorum plus quam spinæ pungentium in Ecclesiastica dignitate instituunt. Tot spinas enim in coronam Christi plectunt Prælati, quot malus in Ecclesiastica dignitate instituunt. Quod autem mali spinæ dicantur, patet 2. *Reg.* 23. Prævaricatores, inquit David, quasi spinæ evellentur universi, quæ non tollentur manibus: *Is.* 33. Spinæ congregatæ igni comburentur.

f Et arundinem in dextra ejus] posuerunt, ad majorem illusionem, i. litteratos intus vacuos, & exterius nitentes omni vento credentes etiam in regimine Ecclesiæ constituerunt. *g* Et genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: [Ave, Rex Judæorum.] Sic illudunt omnes, qui ore laudant, & opere vituperant. De quibus *Is.* 29. Eo quod populus iste appropinquat ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eorum longe est a me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis, ideo ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo: peribit enim sapientia a sapientibus ejus.

Et *h* expuentes in eum, acceperunt arundinem, & *i* percutiebant caput ejus. Et *k* postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis ejus, & *l* duxerunt eum, ut crucifigerent. *m* Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariaverunt, ut tolleret Crucem ejus. Et *n* venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. Et *o* dederunt ei vi-

h Et expuentes in eum, acceperunt arundinem,] Hic impleta est illa prophetia: Faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me. *i* Et percutiebant caput ejus.] In quo significatum fuit, quod Hæretici auctoritate Scripturæ ejus divinitatem erant impugnaturi. *k* Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde coccinea, & induerunt eum vestimentis ejus. Chlamys Christi coccinea, cœtus Apostolorum, quomodo Christum exuerunt Judæi, quando Apostolos morte Christi deterritos fugere compulerunt, sed iterum vestibus suis indutus ad Crucem ducitur, quia reversi ad fidem Apostoli cum eo Crucis martyrio affiguntur. Unde sequitur: Et duxerunt eum ut crucifigerent.] *Chrys.* Quæ nobis cura contumeliæ, postquam Christus passus est? Etenim ultimus terminus contumeliæ erat, quod fiebat ei: Neque enim una particula, sed universum corpus per totum injurias patiebatur. Caput per coronam, manus per arundinem, os per acetum, facies inspuebatur, genæ vellebantur. *m* Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem, hunc angariaverunt, ut tolleret Crucem ejus,] ut citius irent ad crucifigendum Christum. Angariare est aliquod servitium rusticis imponere, ut qui debent colere agrum domini sui, vel aliquid hujusmodi.

Moral. Simon, obediens claustralis, qui venit de villa, idest, mundo, quem relinquendo debet portare in angaria, i. ex debito, Crucem ejus, i. pro eo. Omnes enim debemus ex debito portare Crucem ejus. *Heb. ult.* Exeamus ad eum extra castra. Solus autem Christus sine angaria tulit, quia non fuit debitor alicujus peccati. Crux autem claustralis constat ex tribus brachiis, sicut & ad litteram Crux Domini, quæ sunt abdicatio proprietatis, continentia, obedientia. Clavi, quibus affigitur sunt votum, & promissiones. Hæc tria evidenter habitus eorum designat. Continentiam sc. stamina, quæ carni mortificandæ e proximo junguntur. Paupertatem cuculla, quæ manicis caret, ut eo ipso se manus non habere, quibus temporalia tractantur, ostendat, nec ad largiendum, nec ad recipiendum. Fluctus obedientiam aperte figurat, eo enim ipso quod caputio caret, obedientiam, quæ caput in se non habet, ostendit. Sed alium caput habet, quia obedientia alienum magistrum, sive caput debet habere. Crux vero omnium pœnitentium est contritio, confessio, satisfactio. Væ illis, quorum sola vestis in Cruce pendet, ut sunt vestes monachorum, qui in Cruce sunt per similitudinem, & figuram. *n* Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est calvariæ locus.] Golgotha Syrum est, & interpretatur calvariæ. Syra lingua erat affinis Hebrææ. Et dicitur calvariæ, quia decalvata capita damnatorum, & decollatorum ibi videbantur, &c.

Moral. Autem mundus dicitur calvariæ locus, ubi corda malorum decalvata sunt, i. ornatu rectarum cogitationum, & affectionum nudata. Hæc capita sunt amputata gladio tentationis. In mundo itaq; Dominus Jesus in membris suis crucifigitur. Unde *Ap.* 11. Jacebunt corpora eorum in plateis civitatis, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus illorum crucifixus est, *sup.* 25. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Item nota, quod Dominus crucifixus est in Calvaria, sic qui cum eo volunt crucifigi, debent crucifigi in Calvaria, i. in pauperibus religionibus, non in divitibus. Sed multi nolunt intrare nisi capillatas. Calvus ab anteriori parte non habet capillos, sed a posteriori. Posteriorum, inquit Apost. *Phil.* 3. Oblitus ad anteriora me extendo. 2. *Cor.* 6. Tanquam nihil habentes de temporalibus & omnia possidentes spiritualia. Temporalia enim debent esse a posteriori, ut sint in oblivionem. *o* Et dederunt ei vinum

a bibere

num bibere cum felle mixtum. *a* Et cum gustasset, *b* noluit bibere. *c* Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes, ut impleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, *d* & super vestem meam miserunt sortem. Et *e* sedentes servabant eum. Et *f* imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam. Hic *g* est Jesus Rex Judæorum. Tunc *h* crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris, & unus a sinistris. *i* Prætereuntes autem blasphemabant eum movētes capita sua, & dicentes. *k* Vah, qui destruis templum Dei, & in *l* triduo illud reædificas. Salva temetipsum. Si filius *m* Dei es, descende de cruce: *n* Similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribis, & senioribus, dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israel est,

a bibere cum felle mixtum.] *Ps.68.* Dederunt in escam meam fel. *Thr.* 3. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absinthii, & fellis. *Hab.2.* Væ, qui dat potionis meæ, absinthii, & fellis. *Hab.*2. Væ, qui dat potum, amico suo fel miscens suum, & inebrians, ut videat nuditatem ejus. *a* Et cum gustasset,] i.ad os apposuisset. *b* Noluit bibere.] Nam sicut *Job* 6. ait, Bibet quis, quod gustatum affert mortem? *c* Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, &c.] *Jo:*19. dicitur, quod fecerunt quatuor partes. *d* Et super vestem meam miserunt sortem] Videtur plane quod Dominus habuit quinque vestimenta, quia *Jo:*19. dicitur: Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. Nullo enim modo videri potest pallium in quatuor partes divisum, eo quod quælibet pars hujus esset inutilis partientibus. Quia tamen super hoc textus nihil determinat, nec Sancti super hoc alicubi, nihil temere deffinire præsumimus.

Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19. al. † Nazarenus.

Moralit. Moral. *d* Et super vestem meam] i. Ecclesiam [miserunt sortem.] Sic enim modo in electionibus Prælatorum sicut faciunt ludentes ad taxillos, qui plura potest jactare, i. plura testimonia, lucratur Episcopatum. *e* Et sedentes servabant eum.] i.observabant, sicut post in sepulchro positum. *f* Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam.] sc. pro qua causa Judæi eum Pilato tradiderunt. *Is.* 19. Erit altare in medio Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus, idest, caput. *g* Hic est Jesus Nazarenus Rex Judæorum.] Hic est titulus, de quo in *Ps.* Ne corrumpas tituli inscriptionem. Iste titulus est quasi sigillum, in quo debet reformari imago hominis. Sed nota, quod in hoc sigillo transversæ sunt litteræ. Nam ibi scribitur Jesus, idest, Salvator, ergo perdi non debuit, perditur tamen hic, ergo transversa litera est. Item Nazarenus, i. flos, ergo deturpari non debuit. Rex Judæorum, non ergo debuit crucifigi a Judæis. Si autem te ponas in Cruce, rectas invenies litteras, quia invenies te perditum per peccatum, sterilem sine flore, & sine fructu bonorum operum, & ideo debere de terra abscindi. Item servum diaboli, & ideo debitum ad patibulum inferni.

Moral. Moral. autem, Pilatus est os malleatoris, i. confessor, super caput pœnitentis, idest, intentionem, debet titulum scribere hunc, sc. [Jesus Rex Judæorum.] ut sc. per pœnitentiam intendat pœnitens sibi præstari carnis munditiam, & regnum æternum. Causam ipsius debet scribere, i. peccata, quæ sunt causa crucifixionis ejus, sive pœnitentiæ, ut legat ea crebra memoratione. Sicut David, qui dicebat, peccatum meum contra me est semper. Et hoc tribus linguis, quia in corde ejus debet esse causa scripta per memoriam, in ore per confessionem, in spe per lugubracitatem. Sive in tribus viribus. In rationabili per memorationem, in concupiscibili per dolorem, & lamentationem, in irascibili per iram, & detestationem. In his enim tribus quasi triplici scriptura peccata, evidenter leguntur, i.cognoscuntur. Una autem tantum lingua causam suam scriptam habet, qui eam recolit, sed non luget, vel detestatur. *h* Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris, & unus a sinistris.] *Is.*53. Et cum iniquis reputatus est. Hi duo significantur per illos duos, qui cum Joseph fuerunt in carcere. *Gen.*40. Et isti cum vero Joseph in Cruce.

Mystice. Mystice. Duo latrones, duo populi, qui seipsos furati fuerunt Deo, inter quos medius Jesus crucifigitur, sicut dicitur *Jo:*19. quia pro salute utriusque crucem pertulit. Sed alter in cruce pœnitet, & confitetur, i. gentes, alter adhuc blasphemus existit, ut Judæi. Totum ergo humanum genus in cruce præsentis miseriæ positum, sed altera pars, a dextris crucifixa est, quæ pro æternis patitur, altera a sinistris, quæ pro terrenis. *Supra* 24. Duo erunt in agro, unus assumetur, & alter relinquetur. [Tunc crucifixi sunt, &c.]

Moral. Moraliter, quod Dominus in medio crucifixorum crucifixus est, significat, & docet, quod in medio pœnitentium est agenda pœnitentia, inter disciplinatos disciplina servanda. Aliter enim læsionem, & scandalum aliorum, & periculum proprium non effugies. Unde *Sen.* Nihil tam fugiendum quam dissimilium societas. *Eccl.* 13. Omnis caro ad similem sui conjungitur, & omnis homo simili sibi sociabitur. *Ecclesi.* 27. Volatilia ad sibi similia congregantur. Quod autem duo latrones cum Domino sunt crucifixi, insinuat, quod nobis debemus duos latrones, idest, mundum, & carnem crucifigere. Sicut dicit Apostolus de carne. *Gal.* 6. Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Caro a dextris, quia ei spiritus cum ea crucifixus per compassionem salutem promitrit dicens: Hodie mecum eris in paradiso. Latro sinister mundus est, qui Christo Domino insultare non cessat, & Crucem ejus irridere, quia Crucem pœnitentiæ ad imitationem Christi portantibus exprobrare non cessat. Tres igitur cruces sunt, Crux carnis, Crux mundi, & in medio Crux spiritus. Crux carnis est disciplina, cujus quatuor ligna, sunt quatuor partes disciplinæ, vigiliæ, abstinentiæ, labor manuum, disciplinæ. Crux mundi est contemptus ejus, cujus sunt brachia quatuor. Primum est cogitatio brevitatis, & vanitatis ejus, & est brachium illud ramus præcisus de ligno scientiæ. Secundum est & dextrum desiderium æternorum, quod super omnia in nobis mortificat amorem mundi, desiderium, & meditatio æternorum. Tertium brachium est, & sinistrum aspernatio temporalium. Quartum, quod est principale, est assidua mortis meditatio. *Hieron.* Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum: Crux spiritus est imitatio Christi. Cujus quatuor brachia sunt, Superius obedientia ad superiores, inferius est humilitas ad inferiores, dextrum benignitas in prosperitate, sinistrum est patientia in adversitate. De qua Cruce dicitur. *Ephes.* 3. Ut possitis comprehendere, &c. Item nota, quod Dominus in Cruce faciem habuit ad Occidentem, in signum, quod Ecclesia Occidentalis debebat permanere. Tunc etiam erat meridies. Unde signum Crucis ipsius cadebat super latronem, qui fuit salvatus, ad innuendum, quod patientes pro se, & pœnitentes salvat, & refrigerat æstum tribulationum eorum.

Marc. 15. Marc. 15. Luc. 23. Triplex crux.

i Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua,] *Ps.* 21. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput. Et *alibi*: Ego factus sum opprobrium illis, videbant me, & moverunt capita sua. In hac autem serie dicitur tripliciter improperium Christi. A prætereuntibus, a latronibus, a sacerdotibus. Unde *Ps.* 68. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Vel ex circumstantiis improperantium notatur eorum triplex inconstantia. Operis, ibi, [Prætereuntes] Cordis, ibi, [Moventes capita sua] Oris, ibi [Et dicentes:] *k* Vah, qui destruis templum Dei] Vah interjectio derisoria est. *Job* 39. Cum audierit sonitum buccinæ, dicit vah. *Isaiæ* 44. Saturatus est, & calefactus est, & dicit, Vah, calefactus sum, vidi focum.

l Et in triduo illud reædificas, salva temetipsum.] *Jerem. c.* 14. Quare futurus es ut fortis, qui non potest salvare? Verum quidem est, quod subsannabant, quia proprium corpus destruebat, destructionem, & dissolutionem voluntarie suscipiendo, & tertia die resurrectionis gloriosum effecit.

m Si filius Dei es, descende de Cruce:] Nunc escam mordere cœperat diabolus humanæ naturæ in Christo, & jam hamum, quo capiebatur, sentiebat & ideo fauces retrahere volens, mare rubrum, i.sanguinem Christi super se inundans videbat, etiam imminere in proximo sibi submersionem, & ideo vocationem ejus suadebat, in certamine illo se inferiorem concipiens per blasphemos de pace tractabat *Is.*25. Humiliabit gloriam ejus cum allisione manuum ejus. *n* Similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribis, &

cum scribis, & senioribus dicebant, alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere, si rex Israel est, descendat nunc de Cruce, & credimus ei.] Ecce quomodo moliebatur diabolus per ora detractorum, & blasphemantium, ut non solveretur pretium redemptionis nostræ, ut captivos non redimeret, ut in sempiternum nos detineret. Nolebat offerri sacrificium nostræ reconciliationis, ut nos ei semper servire liceret. Nolebat quod biberet calicem passionis, & antidoti, quo omne venenum ejus expurgandum erat. Mirabiliter autem allegabat diabolus contra se dicens: [Si rex Israel est, descendat nunc de Cruce.] Mira stultitia, si rex Israel est, desistat certare pro Israel, & cedat hostibus suis, ut sit eis Israel in captivitatem. Si rex est, sceptrum dimittat, quod utique Crux est. *Is.* 9. Factus est principatus super humerum ejus. Si rex est, dimittat baculum, in quo pro Israele pugnat valde propugnator ad salvandum.

descendat nunc de Cruce, & credimus ei. *a* Confidit in † Deum, liberet eum nunc, si vult: Dixit *b* enim, quia filius Dei sum. *c* Idipsum autem, & latrones, qui crucifixi erant cum eo improperabant ei. A *d* sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. Et *e* circa horam nonam *f* clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli *g* lammasabathani: Hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? *h* Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant: Eliam vocat iste. Et *i* continuo currens unus ex eis *k* acceptam spongiam implevit aceto, & *l* imposuit arundini, *m* & dabat ei bibere. *n* Ceteri vero dicebant: Sine, videamus, an veniat Elias liberans eum. Jesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum.

al. † *Deo.* — *Mat. c.* 15. *Luc.* 23. — F — *Mat. c.* 15.

a Confidit in Deum, liberet eum nunc, si vult:] *Ps.* 21. Speravit in Domino, eripiet eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum. *Luc.* 23.

b Dixit enim, quia filius Dei sum.] Hoc patet in *Jo.*

c Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.] Hoc videtur falsum, quia in servitium diaboli quasi latro bonus dixit: Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. Ad hoc dicitur, quod hic ponitur plurale pro singulari. Vel potest dici, & melius, quod primo conviciatus est cum alio latrone, sed Christo Domino miserante visitatus est, & pœnituit.

d A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.] *Orig.* dicit, quod solummodo in terra Judæorum tenebræ factæ sunt, sicut per triduum factæ sunt tenebræ per universam terram Ægyptiorum, nisi in terram Gessen, ubi erant Hebræi, sic per spatium trium horarum in Judæa. Et hoc visum est ei, quia si in terra gentilium aliquid tam mirandum contigisset, illud in eorum scriptis relictum fuisset. Veruntamen ut *in historiis* habetur. Athenienses visis tenebris his, dixerunt Deum naturæ pati, & aram ei construxerunt. Hoc prophetatum fuit *Amos* 7. Occidet sol in meridie, & obtenebrescere faciam terram in die luminis. *Job* 5. Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie. Merito autem sexta hora crucifigi voluit Dominus, quia venerat legem perficere, *sup.* 5. Et ideo tempus perfectionis elegit, quæ per senarium designatur. Sexta ætate venit, sexto mense post Joannem. *Luc.* 1. Et hic mensis sextus est illi, &c. Sexta hora crucifigitur, & sexta feria.

Moral. Moraliter. Tenebræ fiunt super universam terram cordis pœnitentis crucifixi, dum tenebras suas agnoscit, & hæc est nona plaga, qua percutitur nobis Ægyptus juxta *Orig. super Exod.* Tenebris enim tenebras nostras percutimus, dum ignorantiæ nostræ tenebras in nobis agnoscimus, & condemnamus. Sol in nobis obscuratur, dum mundi gloria a nobis despicitur. *Job* 31. Si vidi solem, cum fulgeret. *Psal.* 120. Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem.

d A sexta autem hora, &c.] Nota, quod Sole naturali patiente eclipsim, omnes res suum mutant colorem: Sic vero Sole eclipsato omnes mutare debemus colorem compatiendo, & dolendo. 2. *Reg.* 1. Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro, i. sacramenta charitate plena. Item debemus mutare colorem ad similitudinem ejus patiendo. *Gal.* 6. Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Item debemus mutare colorem erubescendo, considerando, quod cum inimici ejus essemus, ipse tot, & tanta est pro nobis passus, & nos pro eo nihil. *Isa.* 24. Erubescet luna, & confundentur sol, idest, sancti in die judicii, videntes, quæ passus est pro eis: His modis facta tenebrosa sponsa dicit: *Cant.* 1. Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Item nota, quod Dominus passus est pro nobis *Rom.* 5. maximo fervore diei, ad innuendum, quod ex maximo fervore charitatis patiebatur, & quod per hoc maxime accendi debebat terra cordium nostrorum.

e Et circa horam nonam] Quia per ejus mortem novem ordines Angelorum reparantur.

f Clamavit Jesus voce magna dicens:] *Heb.* 5. Cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia. *Marc.* 15. *Jo.* 23.

g Eli, Eli, lammasabathani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?] i. pœnis exponi permisisti. *Is. c.* 54. Ad punctum in modico dereliqui te. *Is. c.* 60. In indignatione mea percussi te, & in reconciliatione mea misertus sum tui. Quidam dicunt, quod Dominus in Cruce dixit centum quinquaginta versus psalterii a vigesimo primo Psalmo, Deus, Deus meus, usque ad huoc versum: In manus tuas commendo spiritum meum, & hoc in commendationem psalmorum, qui tot sunt. Quia ibi geminat, Deus meus, Deus meus, congruit ei, quia ipse erat filius ejus per naturam, & per gratiam. *Marc.* 15.

h Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant, Eliam vocat iste.] Forte ibi erant aliqui Romani, qui non intelligebant Hebræum, & audierant aliquando loqui de Elia, ideo crediderunt, quod tunc ad litteram vocaret Eliam in auxilium. Vel etiam ipsi Judæi potuerunt hoc dicere, non intelligentes, quid diceret propter tumultum.

Moral. Moraliter. Sic multi audita perverse recitant. *Eccles.* 11. Bona in mala convertens insidiatur, & in electis ponit maculam.

i Et continuo currens unus ex eis] *Prov.* 1. Pedes eorum ad malum currunt.

k Acceptam spongiam implevit aceto.] Sed quid concordat hoc ad præcedentia? Dicendum est, sicut habetur in alio Evangelio, quod dixit: Sitio. Vel tædebat eos ibi tantum morari, unde ut citius moreretur, dederant ei acetum in spongia, ut sugeret. Dicitur enim, quod acetum propinatum pendentibus in Cruce facit eos citius mori. Vel forte crucifixores detulerunt secum vinum ad bibendum, quod ex calore factum acidum ei propinaverunt. *Joan.* 19.

l Et imposuit arundini,] ut posset ei porrigere, quia Christus elevatus erat a terra.

m Et dabat ei bibere.] *Ps.* 68. In siti mea potaverunt me aceto.

Moral. Moraliter: Sic justis pendentibus in Cruce pœnitentiæ, objurgationes, & maledicta propinant, quæ sunt quasi potus amarus, & acidus.

n Ceteri vero dicebant: Sine, videamus, an veniat Elias liberans eum. Jesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum.] *Jo. cap.* 10. Ego pono animam meam, & iterum sumo eam, nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso. *Lucas* dicit 24. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Hoc exemplo edocens, quid faciendum sit suis in omni periculo tentationis, & in ipso discrimine mortis. Tunc enim pater vocandus est, tunc ei filiali amore medullitus adhærendum est, tunc potissimum est ei spiritus commendandus, quia tunc dæmones circa nos assistunt tanquam leones præparari ad escam. In manus Dei Patris commendat spiritum suum, qui se totum ponit in voluntate ejus. Sic claustrales in professione spiritum, i. voluntatem suam commendent in manibus Prælati, nec debent resumere usque in diem resurrectionis, sicut Jesus. Claustralis igitur, qui suam facit voluntatem, aut nunquam deposuit, aut Christi resurrectionem prævenit. *Sap. c.* 3. Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis: Visi sunt claustrales in oculis insipientium mori, illi autem sunt in Pace.

o Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum. Illud, quod erat ante faciem templi, &c.

Mystice. Velum templi scissum est in morte Christi,

quia

Quia per mortem ejus aperta est nobis intelligentia Scripturæ, quæ prius erat clausa Judæis. Unde 1. *Cor.* 3. Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. *Ps.*28. Revelabit condensa Scripturæ, & ideo in templo ejus omnes dicent gloriam. *b* In duas partes,] quia tunc aperuit, qualiter Novum Testamentum erat in veteri, & e converso. *c* A summo usque deorsum.] quia magna, & parva Sacramenta sunt manifestata. Item velum peccati dividitur in culpam, dum culpa tollitur per pœnitentiam, & pœna pœnitentialis tenetur. Item velum dividitur, cum totum malum, quod in nobis est, nobis attribuimus, & Deo totum bonum, quod habemus.

Marc. 15. Luc. 23.

Et *a* ecce velum templi scissum est in *b* duas partes *c* a summo usque deorsum. Et *d* terra mota est, *e* & petræ scissæ sunt, & *f* monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et *g* exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis. *h* Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere filius Dei erat iste. *i* Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa ministrantes ei: *k* Inter quas erat Maria Magdalenæ, & *l* Maria Jacobi, & *m* Joseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Cum se-

d Et terra mota est,] *Psal.* 17. Commota est, & contremuit terra.

e Et petræ scissæ sunt,] Adhuc apparent scissuræ, & in eis deponunt peregrini Cruces suas.

f Et monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.] Hoc dicitur per anticipationem, quia Christus prius resurrexit. Unde seq.

g Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.] Dicitur *in Evangelio Nazaræorum*, quod duo, qui fuerunt mortui ante circiter annos quadraginta, boni, & sancti viri, venerunt in templum post resurrectionem Domini, & non loquentes petientes Pergamenum, & incaustum, scripserunt, quomodo illi, qui erant in limbo, exultaverunt in descensu Domini ad inferos, & dæmones tristabantur.

Moral.

Moraliter. *d* Et terra mota est, &c.] Terræ motus significat terrenorum cordium mutationem de feudo diaboli in feudum Christi, ut mutaretur de malo in bonum. *Ps.* 76. Hæc mutatio dexteræ excelsi. Et alibi: *Ps.*67. Terra mota est, etenim cœli distillaverunt, &c. Item *Ps.*59. Sana, Domine, contritiones ejus, quia commota est. Item terræmotus, terreni populi, idest, Judaici motum significat, qui movendus, & dispergendus erat inter gentes: Sicut dicitur *Isa.* 24. Ecce Dominus nudabit terram, & dissipabit eam, & affliget faciem ejus, & disperget habitatores ejus.

e Et petræ scissæ sunt,] idest, corda obstinatione obdurata ad pœnitentiam scissa. De quo *Joel.* 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta.

f Et monumenta aperta sunt,] idest, corda, sive vita gratiæ, quæ oratione, & confessione debent aperiri, ut inde prodeant mortui in resurrectione vitæ. Nota ordinem. Terra, idest, cor peccatoris movetur per timorem, petra scinditur per contritionem, monumenta aperiuntur per confessionem, corpora Sanctorum, qui dormierunt, resurrexerunt, idest, congeries sanctorum operum, & totus cœtus virtutum, quæ omnia per peccatum dormierant, per satisfactionem iterum revixerunt. Et venerunt in sanctam civitatem, idest, in animam sanctificatam, unde exierant. Item ibi ipsi peccatores mortui fuerunt per peccatum, resuscitati per pœnitentiam venerunt in sanctam civitatem, idest, Ecclesiam. Et tunc debent apparere multis, ut sicut multos per malum exemplum corruperant, sic multos per bonum exemplum ædificent.

Marc. 15. Luc. 23.

h Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, &c.] *Chrysost.* Centurio maxime credidit propter hoc, quia cum potestate mortuus est, idest, clamans. Centurio est, qui habet sub se centum milites, huic tradita erat executio crucifixionis, Marcus sic dicit. Centurio autem, qui ex adverso stabat, videns, quod sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo filius Dei erat. Lucas autem sic: Videns autem Centurio, quod factum erat, glorificavit Deum dicens: Vere hic homo justus erat. Recte autem dicunt, videns vel viso, quia mysteria Dominicæ passionis, videntibus, idest, intelligentibus timorem incutiunt & ad glorificandum Deum inducunt. Unde *Is.* 19. Erit terra Juda, idest, corpus Domini, Ægypto, idest, peccatoribus in pavorem. Et *Hab.*3. Domine, audivi auditum tuum, & timui, in medio duorum animalium, idest, duorum latronum. Cæci ergo sunt, & surdi, qui ex lectione Dominicæ passionis nec timorem concipiunt, nec glorificationem. *Is.* 42. Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum: Quis cæcus, nisi servus meus, & quis surdus nisi ad quem misi nuncium meum? *i* Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa ministrantes ei:] *Chrys.* Discipuli fugerunt, istæ affuerunt, & omnia consideraverunt, qualiter clamavit, qualiter expiravit, qualiter petræ scissæ sunt. *Job* 19. Pelli meæ, i. mulieribus, quæ exteriora ministrabant, consumptis carnibus, i. Apostolis fugientibus, adhæsit os meum, i. Christus sustentamentum Ecclesiæ, sicut os carnis, & pellis. Unde *versus*:

Marc. 15. Luc. 23.

Os Christus, caro discipuli, pellis mulieres.
Os remanet, caro disparet, tu pellis adhæres.

k Inter quas erat Maria Magdalena,] De qua *Luc.* 7. Et *Marc. ult.* *l* Et Maria Jacobi,] idest, mater Jacobi minoris, sc. *m* Et Joseph mater, & mater filiorum Zebedæi.] sc. Jacobi, & Joannis.

Moralit.

Moraliter autem istæ mulieres, quæ Christum sunt secutæ, & ei ministrabant, significant Prælatos, qui in S. Scriptura mulieres dicuntur, quia matrum, & nutricum spiritualium debent habere affectum, & sollicitudinem. 1. *Thess.* 2. Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam ut nutrix foveat filios suos. Debent etiam ministri esse totius Ecclesiæ Dei. 1. *Cor.* 4. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Debent etiam sequi Jesum euntem ad passionem per imitationem, & compassionem, *supra* 4. Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Bene autem a Galilæa dicuntur secutæ, hoc est a rota, vel revolutione, vel transmigratione, quia tales assumendi sunt Prælati, qui revelatos oculos habent ad spiritualia contemplanda, & transmigraverunt de veteri conversatione ad novam, & mundi circuitus, atque pericula sunt experti. *Eccl.*34. Vir in multis expertus cogitabit multa, & qui didicit multa, enarrabit intellectum. Inter quas prima nominatur Maria Magdalenæ. Maria illuminata, & illuminatrix, & stella maris, & amarum mare. Primum enim oportet esse illuminatos, deinde illuminatores. Primo doctos, postea doctores. Deinde oportet esse stellas maris, i. in cœlo fixos per amorem, & desiderium, & contemplationem, & per humilitatem parvos videri, longe a terra per contemptum terrenorum, lucidos per doctrinam, portum, & patriam hujus mundi venientibus, & navigantibus ostendentes: deinde mare oportet esse prælatus, s. congregationem aquarum, ut omnia fluenta gratiarum & doctrinarum in ipsos fluant, & ipsi non redundent per superbiam, & inanem gloriam: Sicut legitur. *Eccl.* 1. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Omnia etiam flumina tentationum, & tribulationum debent in ipsos intrare, ita tamen, ut ipsi non redundent per impatientiam. Omnia flumina aliorum peccatorum debent intrare in ipsos per alveos confessionis, ita ut ipsi non redundent per contemptum, & aspernationem confitentium, Magdalena interpretatur magnifica, vel præmunita, vel turrensis, seu defensibilis, quæ omnia bene congruunt Prælatis. Debent enim esse magnifici, idest, magna facientes, non tantum magnidici, idest, magna dicentes; Debent etiam esse præmuniti, idest, præ aliis muniti munitione virtutum. Debent etiam esse turrenses, idest, in turre speculationis, & provisionis, & vitæ eminentia existentes. *Isaiæ* 40. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. Secunda est Maria Jacobi, & Joseph mater. Jacobus interpretatur luctator, vel supplantator consilii: Sic Prælatus debet esse mater omnium luctantium, contra mundum, carnem, & diabolum, & supplantantium eos, hoc est, vere pœnitentium, qui cum carne luctantur jejuniis, cum mundo eleemosynis, cum diabolo orationibus. Et sic supplanta-

supplantatur festinans, ideft, diabolus, ideft, dejicitur, & ejus consilium dissipatur: Sicut legitur, 2.*Reg.*17. Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel. Debet etiam prælatus esse mater Joseph, ideft, omnium, qui in seipsis spiritualibus dimensionibus crescunt, vel aliorum generatione, sicut sunt doctores, & prędicatores. Tertia fuit filiorum Zebedæi, qui interpretatur donatio, vel donatus, & significat claustrales, qui specialiter donati sunt Deo. Unde de Levitis dicitur *Num.*8 Dona donati sunt mihi. Horum igitur omnium, pœnitentium, doctorum, prædicatorum, & claustralium, debet esse mater Prælatus, & eos fovere, & nutrire. Hoc etiam advertendum est, quod Maria bis dicitur, ut duplex amaritudo insinuetur, quæ debet esse in prælatis. Prima est amaritudo zeli: De qua *Ps.*68. Zelus domus tuæ comedit me. Secunda est amaritudo compassionis. De qua 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non scandalizor? Similiter mater bis dicitur propter duplicem solicitudinem, quam debent gerere de subditis, spiritualem, sc. & temporalem. Vel propter duplex officium, pariendi, sc. & educandi, quod debet esse in Prælatis. *Gal.*4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. 1.*Cor.*3 Lac dedi vobis potum, non escam. *a* Cum sero autem factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathia] quæ Ramatha dicitur, 2.*Reg.* 1. *b* nomine Joseph, qui & ipse discipulus erat Jesu, hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu.] quia non licebat deponere suspensos, sicut nec modo, nisi de licentia. Nota, quod datum fuit isti Joseph, qui erat nobilis, ut dicit *Marc.*15. ut deponeret Christum de Cruce. Et ideo inolevit consuetudo, ut novi milites habeant jus deponendi primum suspensum. Quia autem ille erat dives, & bonus, sunt damnandi divites, quia non res in vitium, sed malefacta cadunt. Dicitur *in Evangelio Nazaræorum*, quod Judæi istum Joseph in carcere posuerunt, alligantes eum ad columnam, eo quod ita honorifice sepelisset eum: Et quod prius post resurrectionem apparuit ei in carcere, quam Mariæ Magdalenæ, & liberavit eum de carcere.

Marc. 15. *Luc.* 24. *Joan.* 20.

De oral. & c. consilio. Matt. 25.

Moral. Moraliter. *Marc.*15. dicit: Nobilis Decurio, i. de curia. Quæ autem sit nobilitas, quæve divitiæ ejus, dicit *Luc.*23. Qui erat decurio vir bonus, & justus, qui non consenserat consilio, & actibus eorum: Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Corpus Jesu est Ecclesia, *Col.*1. quæ pendet in cruce miseriæ, & pœnitentiæ. Joseph Prælatus, qui debet esse crescens duobus modis, quos diximus, in se, & in aliis. Et debet esse nobilis decurio, i. nobilis, in decalogi intelligentia, & observantia. Debet etiam esse dives auro cœlestis sapientiæ, & argento sacræ eloquentiæ, & margaritis bonorum operum. Debet esse discipulus Jesu, ideft, de schola ejus, mitis, & humilis corde. Debet etiam esse ab Arimathia, quæ interpretatur vigilia donationis, ideft, vigilans circa subditos sibi datos ad custodiam. Hic petiit Corpus Jesu a Pilato, ideft, a tyrannis Ecclesiam, quam multis afflictionibus affligunt. Idem est ergo accedere ad Pilatum, & petere Corpus Jesu, quod ingredi ad Pharaonem, & dicere: Dimitte populum, ut sacrificet mihi in deserto.

Exod. 5.

c Tunc Pilatus jussit reddi Corpus.] Pejores sunt principes, & tyranni nostri temporis quam Pilatus, quia ille jussit reddi Corpus Jesu, isti autem incessanter affligunt Ecclesiam. *d* Et accepto Corpore Joseph posuit illud in monumento suo] i. præparato sibi, [novo,] Hinc est, quod Corpus debet poni in pixide immediate, quæ non sit ad alios usus constituta. *f* Quod exciderat in petra.] *Is.*22. Excidisti memoriale in excelso, diligenter tibi in petra tabernaculum.

g Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.] *Thr.*3. Lapsa est in lacum, ideft, in limbum vita mea. Et anima lapsa dicitur, quia voluntarie ibi descendit. Posuerunt lapidem super me. De hoc sepulchro dicitur *Is.*11. Quem gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum ejus gloriosum.

ro *a* autem factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathia, *b* nomine Joseph, qui & ipse discipulus erat Jesu. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. *c* Tunc Pilatus jussit reddi corpus. Et *d* accepto corpore Joseph, involvit illud in sindone munda, & *e* posuit illud in monumento suo novo, quod *f* exciderat in petra. Et *g* advolvit saxum magnum ad ostium monumenti: & abiit. Erant *h* autem ibi Maria Magdalenæ, & altera Maria sedentes contra sepulchrum, *i* Altera autem die, quæ est post Parasceevem, *k* convenerunt principes sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum dicentes. Domine, *l* recordati sumus, quia seductor ille dixit, *m* adhuc vivens, post tres dies resurgam. *n* Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi, surrexit a mortuis, & erit novissimus error pejor priore. Ait illis *o* Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite, sicut scitis. Illi *p* autem abeuntes, munierunt sepulchrum, *q* signantes lapidem cum custodibus.

Marc. 16.

h Erant autem ibi Maria Magdalenæ, &c.] aspicientes ubi poneretur Corpus Jesu. Propter hoc dicunt quidam, quod tantum duæ Mariæ venerunt ad monumentum. Sed contra eos est consuetudo Ecclesiæ, quæ repræsentat tres in die Paschæ. Præterea *in Marco* habetur de tribus. Maria Magdalenæ, & Jacobi, & Salome. Potest autem dici, quod in principio non fuerunt, nisi duæ, sed in resurrectione fuerunt tres.

Moral. Moraliter, autem insinuatur hic, qualiter recipi debeat Corpus Christi in Pascha. Per hoc autem quod posuit eum Joseph in sindone munda, notatur, quod debet poni in munda conscientia. De qua sindone dicitur *Prov.ult.* Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. Netur autem hoc sindon cogitando, deliberando, consiliando, orditur operando, texitur retractando, & decorando. *e* Et posuit illud in monumento suo novo,] i. in corde innovato per pœnitentiam. *Ephes.* 4. Renovamini spiritu mentis vestræ.

f Quod exciderat in petra:] i. in Christo. *Is.* 21. Excidisti memoriale in excelso diligenter in petra tabernaculum tibi. *Isa.* 51. Attendite ad petram de qua excisi estis. Saxum autem magnum, quod advolvitur ad ostium monumenti, est magna pœnitentia, quæ tenet in nobis Jesum per gratiam. *Is.* 30. Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam brevem, & non faciet ultra avolare a te doctorem tuum. Duæ Mariæ sunt duæ amaritudines pro irriguo inferiori, & superiori. Vel pro male gestis, & bonis non factis.

i Altera autem die, quæ est post Parasceevem,] i. post sextam feriam, i. in die sabbati. *k* Convenerunt principes sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum dicentes, Domine.] Nunc primum vocant Dominum. *l* Recordati sumus, quia seductor ille] Invidia non patitur proprium nomen dicere, sed ille. *m* Dixit, adhuc vivens, post tres dies resurgam.] Nota, quod vocant eum seductorem. Tunc adimpletum est illud *Jer.* 12. Facta est hæreditas mea quasi hiena, secundum aliam litteram, quæ sævit in mortuis. *n* Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium, &c.] In hoc adimpletum est illud *Jer.*11. Eradamus eum de terra viventium, &c.

o Ait illis Pilatus, habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis.] q.d. non tractabo de hoc faciendo, vos, si vultis, hoc tractetis. *p* Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus.] Sed nonne erat sabbatum? Potest dici, quod non fuit opus servile signare, vel sigillare lapidem, sicut nec sigillare litteras.

q Signantes lapidem] annulis suis.

Moral. Moral. Attendenda sunt tria diligenter, quæ custodiæ Dominici corporis apposita sunt, scil. lapis de quo jam diximus, signaculum, sive sigillum, cujus fractura ostendit Dominici corporis sublationem, tertio custodes. Et hoc in omni sepultura spirituali observat Ecclesia spiritualiter. Primum in Baptismo, ubi est veteris hominis sepultura, unde & interrogatur baptizandus, utrum abrenunciet diabolo, & omnibus pompis ejus. Lapis ad ostium monumenti est firmitas propositi de non relabendo. Secundo imprimitur sigillum, i. character. Tertio custodes, sc. patrini. Quod autem baptismus sit sepultura, & dominicæ mortis figura, testatur Apost.*Rom.* 6. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Sic & in sepultura pœnitentiæ. In contritionem enim moritur vetus homo. Lapidis avolutio est firmum propositum perseverandi. Signaculum est confessio. Ratione

enim

enim confessionis pœnitentia maxime est sacramentum, idest, sacrum signum. Custodes sunt Consistores, & Doctores per exhortationes, & consilia sua. Sic etiam 10 sepultura religionis, prima traditione, quam facit in manus abbatis, seipsum sepelit quasi monumentum ingrediens, obligatio autem voti est lapidis advolutio ad ostium monumenti, signaculum tonsura, & habitus; custodes, magister novitiorum, & Abbas, vel Prior.

A

C A P. XXVIII.

a VEspere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, b venit Maria Magdalenæ, & altera Maria c videre sepulchrum. Et d ecce terremotus factus est magnus. e Angelus enim Domini descendit f de cœlo, & g accedens h revolvit lapidem, s & sedebat super eum. k Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix.

E X P O S I T I O CAP. XXVIII.

Marc. 16. Luc. 24. Jo. 20.

VEspere autem sabbati, &c.] Hoc capitulum dividitur in quatuor partes. In prima parte agitur de adventu mulierum ad monumentum, & apparitione Angeli, qui misit eas ad Apostolos resurrectionem Domini nunciare. In secunda agitur de apparitione Domini ad mulieres jussum Angeli peragentes, ibi [Et exierunt cito de monumento.] In tertia agitur de fraudulentia principum Sacerdotum, qui pretio dato corruperunt custodes, ut dicerent Jesum furatum a discipulis ipsis dormientibus, ibi [Quæ cum abiissent, &c.] In quarta agitur de apparitione Domini ad undecim discipulos in Galilæam, ibi [Undecim autem discipuli abierunt.] Dicit ergo:

a Vespere autem sabbati,] Nota, quod postquam Dominus fuit sepultus, sabbatum erat, & ideo non potuerunt eum mulieres inungere, sed stellis incipientibus apparere, quia tunc licebat eis operari, sicut e converso, sexta feria multis apparentibus non licebat eos cibos amplius præparare. Stellis ergo apparentibus in sabbato præparaverunt se, & unguenta emerunt, sed quia nox erat dimiserunt usque in mane, Dixit ergo, [Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati,] i. in parte noctis sabbati, idest, in initio sive prima parte lucis Dominicæ. Unde accipitur hic vespera non pro prima parte noctis, sed pro ultima. Prima autem sabbati secundum Hebræos dicitur dies dominica, i. prima dies post sabbatum, & secunda sabbati, & tertia sabbati, &c.

b Venit Maria Magdalenæ, & altera Maria videre sepulchrum: Et ecce terræmotus factus est magnus.] Similiter in crucifixione factus est.

c Angelus enim Domini descendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem.] Ergo removit eum a monumentu. Aug. Quia Angelus advenit, obsequium suæ servitutis, quod Domino debebat, impendit.

d Et sedebat super eum:] Ergo non erat intus, sed extra. Contrarium tamen est in Marco. Resp. Potest dici, quod ibi erant duo Angeli, unus extra, & alius intra. Vel potest de eodem Angelo intelligi, sed Matthæus vocat hic monumentum ipsum sepulchrum, & sic patet, quod sedebat extra: Marcus autem vocat monumentum totam illam cameram, in qua erat sepulchrum, & sic sedebat Angelus intra monumentum. Sepulchrum enim Domini erat factum ad modum cameræ per excisionem in petra. In hoc autem, quod sedebat, Christum regnantem indicat. Sedere enim regnantis est.

k Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nia.] candida. In quo significatur, quasi Dominus in communi resurrectione terrorem incutiet reprobis, & blandus erit electis. Unde Psalm. 24. Dulcis & rectus Dominus. Malac. 3. Quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum.

b Præ timore

Moral.

Moraliter. a Vespere autem Sabbati, &c.] quando licebat primo operari, idest, in juventute. Thr. 3. Bonum est viro, cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua. Prov 22. Proverbium est, adolescens juxta viam suam, &c. b Venit Maria Magdalenæ, & altera Maria,] idest, peccator habens dolorem pro commissis, & omissis, vel pro irriguo duplici.

c Videre sepulchrum.] i. religionem. De hoc sepulchro dicitur 4. Reg. 13. Quidam sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt in sepulchrum Elisæi, & ad tactum ossium ejus suscitatus est. Homo mortuus peccator, latrunculi dæmones, sepulchrum vero Elisæi, idest, Dei nostri Salvatoris, idest, Christi est claustrum. Ossa Christi tangere, est fortia opera imitari, ut quod jejunavit quadraginta diebus, quod pauper fuit, & hujusmodi. Sed quidam nolunt tangere ossa, sed carnem, dicentes contra abstinentiam, Dominus bene comedebat, quia potator vini dicebatur. Alii tangunt vestimenta dicentes: Dominus habuit plures tunicas. Sed videant, quod non legitur habuisse plures vestes nisi in passione, & hoc ad illusionem. Tangat ergo peccator ossa, si vult resuscitari. Et tunc stabit super pedes suos, idest, dominabitur affectibus conculcans. De hoc sepulchro etiam dicitur. 3. Reg. 13. De Abdo facto propheta. Cum mortuus fuero, inquit, sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est. Sic aliqui, quando mortui sunt vel per infirmitatem, vel per senectutem volunt intrare religionem. Sed nota, quod in hoc sepulchro multi suscitantur a phytonissa, ut dicitur de Samuele. 1. Reg. 28. Phyton ventriloquus, vel Abyssus, & significat aliquos claustrales, qui largi sunt in epulis, qui etiam habent abyssum pecuniæ, per quæ suscitantur in prælationes. Quidam veniunt videre sicut exploratores, quibus potest dici illud Gen. 42. quod dixit Joseph fratribus suis. Per salutem Pharaonis exploratores estis. Alii autem veniunt videre, ut intrent. Et hi boni sunt, de quibus dicitur Jo. 1. Magister, ubi habitas, veni, & vide. d Et ecce terræmotus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de cœlo,] Hoc est postquam intravit claustrum, & videt quantitatem suorum peccatorum, & pœnarum, quas meruerat pro illis, tunc movetur cor ejus, & hoc quia Angelus Domini, idest, gratia descendit de cœlo. Jac. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, &c. Et hoc est, quod dicit: Psalm. 113. A facie Domini mota est terra. Exod. 19. Totus mons, i. cor hominis prius elatum per superbiam cœpit fumigare, i. resolvi in compunctionem, & lacrymas. Psal. 143. Tange montes, & fumigabunt. Jo. 5. Angelus Domini descendebat in piscinam, & movebatur aqua. g Et accedens revolvit lapidem,] i. duritiam claustri, ut possit eam sustinere. Hoc facit gratia. Job 28. Lapidem caliginis, i. duritiam claustri, & umbram mortis, quia tentatis de austeritate claustri videtur, quod claustrum sit quasi mors, dividit torrens, i. gratia a populo peregrinante, i. a claustralibus, qui non reputant se habere hic manentem civitatem; ingratia inebriat, ut non sentiant aliquam duritiam in claustro. Ps. 35. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.

s Et sedebat super eum:] Lassus seder, & quiescit, sic gratia facit hominem sedere, & quiescere in duritia claustri. Job 6. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. k Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix.] Candida. Tangit duplicem effectum gratiæ quia mundat, quod notatur, cum dicit: [vestimenta ejus, &c.] Item accendit, & inflammat. Unde dicit: [Erat aspectus ejus sicut fulgur.] Hic est spiritus duplex Elisæi, quem petiit fieri in se. 4. Reg. 2. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, ecce munditia; in spiritu judicii, & spiritu ardoris, ecce inflammatio. Is. 4. Aliter: e Angelus enim Domini descendit de cœlo,] Angelus prædicator, qui debet descendere per compassionem, & corporalem visitationem ad peccatores, qui sunt in mundo. f De cœlo,] i. de altitudine contemplationis, & sanctæ conversationis.

g Et accedens] ad monumentum, idest, ad peccatores per mansuetudinem, & affabilitatem. Eccl. 4. Congregationi pauperum affabilem te facito.

h Revolvit lapidem,] idest, velamen Scripturæ, & duritiam a cordibus peccatorum per consolationem, & remissionem veniæ, & gloriæ. Deinde sedere super lapidem, idest, cum peccatoribus moram facere quousque plenius informentur to bono. h Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix.] Debet enim prædicator luminositate scientiæ esse coruscans, & ardore zeli flammeus, puritate autem conversationis niveus. Item fulgor fulger, urit, findit, & fæter. Sic prædicator debet esse fulgens, urens, findens, & fœtens. Doctrina fulgeat, exemplo urat, discretione findat, sibi fœteat memoria peccatorum. Debet etiam habere vestium niveum, idest, candidum per innocentiam, frigidum per continentiam. Et tunc fiet, quod seq.

* Præ timore,

A *a* Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.] Ecce quod terribilis malis. *b* Respondens autem Angelus dixit mulieribus, nolite timere vos.] discretive, quasi dicat, vos estote securæ, non custodes. *d* Scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis, non est hic,] per præsentiam carnis. *f* Surrexit enim sicut dixit:] *Hier.* dicit quod media nocte resurrexit. Quod probat duabus rationibus. Una est, quia resurrectio significata est. *Judic.* 16. per Samsonem, qui tulit media nocte portas Gazæ, quæ munita interpretatur, idest, corpus Christi, quod fuit castrum munitum contra diabulum, in supercilio montis portavit, idest, in gloria Resurrectionis. Hoc etiam probat ex institutione Apostolorum, qui instituerunt in primitiva Ecclesia missam decantandam in Pascha media nocte, in signum Resurrectionis Domini, unde & nos in sancto sabbato Paschæ in missa, quæ tarde cantatur, facimus memoriam de illa nocte, & in benedictione cerei. *Aug.* autem dicit, quod surrexit diluculo. Quod probat, quia quadraginta horis fuit in sepulchro, in die Parasceve per quatuor horas, & tota nocte sequenti, & die, ecce vigintiocto horæ, & tota die sabbati per duodecim horas, quæ cum prædictis faciunt quadraginta. *Psal.* 56. Exurge gloria mea, exurgam diluculo.

Marc. 16. *Luc.* 24.

B

Marc. 16. *Luc.* 24.

g Venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus.] De Resurrectione Domini hoc advertendum est, quod nec visa est, nec scita nisi ex post facto testimonio Angelorum vacuitate monumenti in signis linteaminum, tandem ipsius Domini testimonio confirmata, miraculis vero tribus glorificata. Primum fuit, quod clauso monumento, & integro signaculo exivit. Secundum terrifica Angelorum apparitio. Tertium terræmotus.

k Et cito euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, &c.] In monte Thabor eum viderunt, qui est in Galilæa.

Moraliter.

* Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, &c.] Milites custodes Pilati sunt principes, & tyranni. Omnes enim adventu boni prædicatoris terrentur, & sunt velut mortui. *Rom.* 13. Vis non timere potestatem? Bonum fac &c. *b* Respondens autem Angelus dixit mulieribus] idest, pœnitentibus. *c* Nolite timere vos.] *Luc.* 12. Nolite timere pusillus grex. *d* Scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis.] Crucifixum quærit, qui per pœnitentiam Jesum quærit, non purpuratum, ut quidam. Contra quos *Bern.* Nimis delicatus est miles qui vult gaudere cum mundo, & regnare cum Christo. Sic etiam debent prædicatores, & claustrales volentibus intrare claustrum: Scio, quia vos crucifixum quæritis. *Aug. in libro quarto de symbolo.* Si amatur vita, quare non quæritur vera? Quæritur a quibusdam, sed non invenitur, quia ubi non est, quæritur. *Osee* 5. In gregibus suis, & in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient. Quid mirum? Non est ipse custos porcorum, vel boum. 1. *Cor.* 9. Nunquid de bobus cura est Deo? *Luc.* 24. dixit: Quid quæritis viventem cum mortuis? idest, vitam in loco mortis, scilicet in sepulchro. Quod potest referri ad illos, qui in claustro quod est monumentum, vel locus mortuorum, delicias mundi quærunt. Hoc enim in claustro quærere, est vitam in morte quærere. *e* Non est hic, surrexit enim sicut dixit.] Hoc veraciter de multis claustralibus potest dici, quod surrexit Dominus, & abiit, & non est ibi, tamen locus, & habitus ejus est ibi. Et hoc est, quod sequitur. *g* Venite,] operando. *h* Et videte,] intelligendo. *Psal.* 118. A mandatis tuis intellexi. Et alibi. *Psal.* 110. Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Vel. *g* Venite,] credendo. *h* Et videte,] intelligendo. *Isa.* 7. Nisi credideritis, non intelligetis. *i* Locum ubi positus erat Dominus,] *Joan.* 20. dicit, corpus autem Jesu non invenerunt, sed tantum sudarium, & linteamina, quæ erant signa, quod ibi fuerat. Sic in multis claustralibus, sudarium & linteamenta, idest, habitum monachalem, qui est sudarium monachorum, quia in eo sepeliuntur, & claustrum, idest, locum ipsum qualemcumque posses reperire, sed Jesum non reperies, quia surrexit, non est hic. 1. *Reg.* 19. Porro David abiit, & aufugit, & salvatus est, tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum ad caput ejus, & operuit eam vestimentis, cumque venissent nuncii Saul inventum est simulachrum super lectum, & pelles caprarum. *k* Et cito euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam] idest, in revelationem pœnitentiæ, vel æternæ gloriæ. Talis enim debet esse finis prædicationis. *l* Ibi eum videbitis sicut prædixit vobis.] Ibi enim Dominus revelabitur. 1. *Cor.* 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. *Isa.* 60. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum. Similiter videbitur in monte Thabor in pœnitentia. *m* Et exierunt de monumento.] scilicet Maria Magdalenæ, & altera Maria: Sic claustrales non debent esse prompti ad exeundum de claustro, quod est monumentum, sed ad vocem gratiæ, vel prælati debent exire. *Cant.* 5. Vox dilecti mei pulsantis, &c. *n* Cum timore] ne elevetur, quando exhibetur ei honor. *o* Et gaudio] ne deprimatur per contemptum. Machabæi præliabantur prælia Domini cum lætitia. Ecce duo molæ, timor, & gaudium, de quibus *Deut.* 24. *Psal.* 2. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. *p* Currentes nunciate discipulis,] qui pigros significant, qui torpent Parisius. *Prov.* 6. Usquequo piger dormies. *Prov.* 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & eos, qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses. Si dixeris vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit, & salvatorem animæ tuæ nihil fallit. *q* Et ecce Jesus occurrit simul.] Occurrentes mutuo se vident. *Isa.* 64. Occurristi lætanti, & facienti justitiam. Facile potest currere, cum quo via currit, & cui illa occurrit. *Amos* 6. Nunquid currere queunt in petris equi? [Dicens, avete,] Sic Booz ait messoribus, idest, prædicatoribus, qui colligunt frumentum Domini, idest, animas sanctas. *f* Et tenuerunt pedes ejus.] in quo notatur esse verus homo. *t* Et adoraverunt eum.] In quo ostenditur esse verus Deus. *supr.* 4. Dominum Deum tuum adorabis, &c.

C

Præ *a* timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. *b* Respondens autem Angelus dixit mulieribus: *c* nolite timere vos: d scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis: *e* non est hic, *f* surrexit enim, sicut dixit. *g* Venite, & *h* videte *i* locum, ubi positus erat Dominus. Et *k* cito euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam: ibi *l* eum videbitis: ecce prædixi vobis. Et *m* exierunt cito de monumento cum *n* timore, & *o* gaudio magno *p* currentes nunciare discipulis ejus. Et *q* ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, & *f* tenuerunt pedes ejus, & *t* adoraverunt eum. Tunc *u* ait illis Jesus: Nolite timere. *x* Ite nunciate fratribus meis, ut *y* eant in Galilæam, ibi *z* me videbunt. *a* Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nunciaverunt principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant. Et *b* congregati cum senioribus consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes:

Moraliter.

Moraliter. Pedes Domini sunt prædicatores, *Deut.* 33. Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ejus. *Chrys.* Vellet aliquis vestrum esse secundum illas mulieres, potest nunc non solum pedes tenere, sed & manus, & pedes. *u* Tunc ait illis Jesus, nolite timere.] *Prov. ult.* Lex clementiæ in ore ejus. *x* Ite nunciate fratribus meis.] De quibus *Ps.* 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis. *y* Ut eant in Galilæam] quæ interpretatur transmigratio, scilicet, ut transeant de vitiis ad virtutes. Galilæa ergo est pœnitentia. *z* Ibi me videbunt.] Hoc est quod Dominus videtur in rubo ardente, scilicet in pœnitentia. *Exod.* 3. *a* Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus, &c.] Custodes boni Prælati, qui videntes sanctitatem claustri nunciant in civitatem mundi, ut per exemplum suum revocentur ab immunditiis suis. De hac civitate. *Nahum* 3. Væ civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena. Sed nota, quod nunciaverunt principibus sacerdotum, non turbis. Si enim nunciassent turbis, non divertissent eos a veritate, & ipsi mansissent in bono, unde in principio non est prædicandum magnatibus, sed minoribus. *Psal.* 136. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Salices per superbiam erecti sunt, qui habent humorem temporalium & infructuositatem bonorum operum, qui sunt in fluxu deliciarum. *b* Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes.] Supra emerunt veritatem ad perdendum, modo redimunt falsitatem ad perdendum: Nec dicitur pro quanto,

a Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc *b* auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, & *c* securos vos faciemus. At illi, *d* accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et *e* divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem. *f* Undecim autem discipuli abierunt in *g* Galilæam in montem, ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum *h* adoraverunt, *i* quidam autem habitaverunt. *k* Et accedens Jesus *l* locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in *m* cœlo, & in terra. *n* Euntes ergo docete *o* omnes gentes, *p* baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; *q* docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Et *r* ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque *s* ad consummationem sæculi.

Explicit Evangelium secundum Matthæum.

a Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.] Si vellent furari, nondum custodito sepulchro hoc fecissent in prima nocte, quia tunc nullus affuit sepulchro. Quid autem volunt sudaria myrrhæ affixa, non solum injuriam fecissent ei nudantes corpus, sed & periculo se immisissent tardantes, quia glutea tenaa est myrrha. *Chryf.* Neque formam mendacii habebat, quod dicebant, qualiter furarentur homines pauperes, & idiotæ neque appropinquare audentes? *Chryf.* Ad minus confortentur, quod non erat ibi corpus. Moraliter. per incuriam Prælatorum multoties furatur diabolus animas subditorum. *Isa.*56. Dormientes, & amantes somnia. 3. *Reg.* 3. Mortuus est filius mulieris hujus nocte, dormiens quippe oppressit eum. Nota autem, quod Dominum aliqui furantur, alii emunt, alii rapiunt violentia, aliis gratis datur. Furatur Dominum, qui occultam pœnitentiam agit sub habitu sæculari, & pulchritudine vestium. De hoc furto. 4. *Reg.* 11. Tollens autem Josaba Joas, furatus est eum. Joas memoria Domini interpretatur, hic est Christus, qui infixit in cordibus nostris memoriam Dei Patris. Josaba securitas, & signat paupertatem, qua est pœnitens filius Dei Patris. Illud pretiosissimum furtum emunt, qui aperte pœnitent. *Isa.*55. Venite, emite absque argento vinum, & lac, idest, Christum, & regnum cœlorum, absque ulla commutatione, quia incompatabile est præmium gloriæ pretio pecuniæ. Violenter rapiunt, qui inæstimabiles faciunt pecunias. Hi significantur per Jacob, qui luctatus est cum Angelo, & noluit illum dimittere, antequam habuisset benedictionem. *Gen.*32. *sup.*11. A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Datur pusillis gratis, qui moriuntur post Baptismum, qui nunquam aliquid meruerunt. *Luc.* 12. Nolite timere pusillus grex, complacuit enim patri vestro dare vobis regnum. *b* Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei,] ne quicquam a vobis exigat. *c* Et securos vos faciemus.] quia eritis absque periculo. *d* At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti,] *Chr.* Non mireris si pecuniæ milites superaverunt, quæ apud discipulum tantam ostenderunt feritatem. *Eccl.*10. Pecuniæ obediunt omnia. *Eccl.* 10. Nihil iniquius quam, &c. Moraliter. Sicut dona fecerunt illos custodes a veritate obmutescere, sic pluries de prædicatoribus accidit. Quod signatum est. *Dan ult.* quod Daniel posuit adipem, & pilos in ore draconis, & sic eum occidit. Os draconis, os prædicatoris, qui flatu suo debet omnes accendere. In ore cujus aliquando ponitur adeps, idest, possessionum dilatatio. Pili, qui tenaciuntur sunt redditus annui, & sic mutus fit a prædicatione. Pix tenax est pecunia, quæ adhæret super omnia. Tales non possunt sonare sicut nec chordæ unctæ.

e Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.] Adhuc mundo dicunt Judæi, quod discipuli furati sunt Dominum, & dixerunt, eum resurrexisse a mortuis. *Jerem.*8. Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti. *f* Undecim, &c.] de Jerusalem.

g In Galilæam, &c.] vivum [adoraverunt] *Eccl.*35. Qui adorat Deum, in oblectatione suscipietur. Moraliter. *f* Undecim autem discipuli, &c.] Undenarius numerus est transgressionis, & imperfectionis. Transgressionis, quia denarium transit. Imperfectionis, quia ad duodenarium numerum non pervenit. Per quod duo notantur, scilicet, commissio, & omissio, quæ sunt in discipulis Domini, id est, in Prælatis, & Doctoribus. 1. *Esd.* 8. Manus Principum, & Magistratuum in hac transgressione prima fuit. Et tamen ipsi laborant, ut videant Christum in monte, cum nondum abierint in Galilæam, idest, in transmigrationem, ideo non vident eum gloriosum, sed sicut Ægyptii parvulum, & profugum. *Sup.* 2. Claustrales jam in Galilæa transmigraverunt de mundo non amplius redituri. Ascendant igitur in montem contemplationis. & videbunt Dominum, gloriosum. *i* Quidam autem dubitaverunt,] putantes eum esse spiritum, quem videbant, ut dicit *Luc.*24. Vel sicut alii putabant phantasma esse, quia ambulabat super aquas, *sup.*14. Nota autem, quod est dubitatio tarditatis, sicut Thomas dubitavit. *Joan.*20. Thomas qui dicitur Dydimus. Item admirationis, sic omnes. *Luc. ult.* Illis autem non credentibus, & admirantibus præ gaudio. Item ratiocinationis, sic Maria. *Luc.* 1. quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Item erroris, sic Judæi. *Joan.*10. Si tu es Christus, dic nobis palam. Item pietatis, sic Joannes Baptista. *sup.* 11. Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

Et accedens Jesus, &c.] Non solum corporaliter, sed magis spiritualiter. *Gen.* 17. Accede ad me, & da mihi osculum. *Jac.*4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. *l* Locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas,] *Joan.*16. Omnia, quæcumque habet pater, mea sunt, *sup.* 11. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Quare non dicit omnis sapientia vel charitas? Nunquid melior est potestas, quam charitas? Non: Sed de illa magis dubitant. *Sap.*12. subest tibi, cum volueris posse. *m* In cœlo, & in terra, &c.] *Chryf.* Cur non dicit, & in inferno? Quia planum erat. *Phil.*2. Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, &c. *Apoc.* 1. Qui habet claves mortis, & inferni.

n Euntes ergo docete omnes gentes,] Revocat hoc, quod *sup.*10. præceperat: In viam gentium ne abieritis. Dicit ergo, [Euntes ergo docete:] Contra ignavos, qui officium prædicationis assumunt. Quid docebunt? Non computare in annos, sed.

o Omnes gentes,] contra acceptores personarum.

p Baptizantes eos in nomine Patris, &c.] Hic datur forma baptizandi. *q* Docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.] Omnia dicit, fidem, spem, & charitatem *Jo.* 14. Qui habet mandata mea & servat ea, ille est, qui me diligit. *Lev.*18. Facietis judicia mea, & præcepta servabitis. *r* Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus] *Chryf.* Quia magna injunxerat confortans ait: [Et ecce ego vobiscum sum.] *Isa.*7. Ecce virgo concipiet, & pariet, &c. *Prov.*9. Delitiæ meæ sunt esse cum filiis hominum. *Chr.* Moysi dicit Dominus: Ego ero tecum. *Exod.*3. Et Jeremiæ: Ego sum tecum. *Jer.* 1. *Ezec.* similiter 2. Illi ad unam gentem missi sunt, & tamen multoties recusabant, nihil tale loquuntur transmissi in orbem terrarum. Nonne una tunica induti, & calceati circumeunt, & omnes superati sunt? *s* Usque ad consummationem sæculi.] Non dicit, usque ad finem vitæ, sed usque ad consummationem sæculi, in quo omnes sequaces eorum connumerat. *Chr.* Rememorat eis consummationem, ne præsentia solum inspiciant, quæ simul cum præsenti vita dissolventur, sive tristia, sive jucunda, sed futura bona sine falsa mensura. Non meminit Judæorum, non improperavit Petro negationem, nec ceteris. *Lev.* 19 Non memor eris injuriæ civium tuorum. *Gen. ult.* Pater tuus antequam moreretur præcepit nobis, ut hæc tibi verba illius diceremus: Obsecro, ut obliviscaris scelerum fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te.

Decem Christi appari- tiones.
- Prima Mariæ Magdalenæ. *Joan.*20.
- Secunda eidem cum alia, *hic ult.*
- Tertia Petro, *Luc. ult.*
- Quarta duobus discipulis euntibus in Emaus, *Luc. ult.*
- Quinta ipsis reversis in Jerusalem. *Luc. ult.* & decem Apostoli absente Thoma, *Joan.* 20. Hæ quinque apparitiones fuerunt in die resurrectionis.
- Sexta post octo dies in Jerusalem omnibus Apostolis præsente Thoma, *Joan.*20.
- Septima ad mare Tyberiadis. *Joan.* 21.
- Octava omnibus undecim in Galilæa, *hic ult.*
- Nona in cœnaculo ipsis cœnantibus, *Marc. ult.*
- Decima in monte Oliveti, *Act.* 1.

Explicit Postilla Domini Hugonis Cardinalis super Matthæum.

RE-

Dubitatio multiplex.

Moraliter.

Moraliter.

Moraliter.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRIS, & D. DOMINI HUGONIS

Cardinalis, &c.

In Postillam super Marcum.

P R O L O G U S.

Consummatio abbreviata inundabit justitiam. *Isa.* 10. Ad litteram, quia quæ Matthæus profusius dicit, iste colligit in summa. Allegorice: Item hæc consummatio est filius Dei, qui abbreviatus in carne consummavit Scripturas in sua Passione dicendo: Consummatum est. *Joan.* 19. Inundavit justitiam in Resurrectione, & quando sanctos Patres eduxit in sanguine Testamenti, ut dicit *Zach.* 9. Alibi: Eripuit a servitute. Ad hujusmodi similitudinem liber iste, qui de eo scriptus est, consummatio abbreviata dicitur. Agit igitur de ejus Incarnatione, licet perpauca, quod patet, quia dicitur *in Prologo*: Non solum verbum carnem factum esse, &c. Latius tamen de Passione, & Resurrectione. Hujus libri abbreviatio designata est. *Dan.* 9. ubi dicitur. Septuaginta hebdomades abbreviatę sunt super populum tuum, &; supple septuaginta hebdomades super urbem sanctam tuam ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna. In qua auctoritate breviter notatur continentia hujus libri, & divisio. Septuaginta hebdomades, septem ut ita dicam, propter denominationes sunt, duo septenarii super populum, & duo super urbem, & sic tertio sequitur finis in Passione Christi. Habet itaque tres partes liber iste. In prima ponit quatuordecim beneficia, sive miracula, usque ad decimum capitulum, & hæc per modum abbreviationis breviter pertransit usque ad trigesimum annum Christi, & hoc super populum, quia pertinent ad confirmationem propter Deum. In secunda parte ponuntur quatuordecim ad institutionem civitatis Jerusalem pertinentia, & hoc a decimo capitulo usque ad quindecimum. Hi sunt duo septenarii super urbem. In tertia parte agitur de Passione Christi, & resurrectione. In quorum primo, scilicet, Passione, consummatur prævaricatio in Judæis reprobis, & peccatum finem accepit in electis. In secundo, scilicet in Resurrectione adducit justitiam sempiternam. Causa efficiens est ipse Marcus, vel gratia Dei, vel rogatus discipulorum Petri, ad quorum petitionem scripsit Evangelium, quod & Petrus confirmavit. Unde *in secundo libro Ecclesiasticæ historiæ*, Petrus ut per Spiritum sanctum religiose spoliatum se comperit, furto delectatus est, fidem eorum per hoc devotionemque considerans, factumque confirmavit, & in perpetuum legendam Scripturam Ecclesiis tradidit. Sic dicit *Clem. in 6. disp. lib.* Causa materialis est Christus, & opera ejus. Causa formalis modus agendi, multus enim est in sententiis, sed paucus in verbis. Causa finalis assumitur *Jo.* 20. ubi dicitur. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, & ut credendo vitam habeatis.

Explicit Prologus Auctoris.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRIS, & Domini, D. Hugonis Cardinalis, &c.

Prologi S. Hieronymi in Evangelium secundum Marcum.

E X P O S I T I O.

Marcus Evangelista Dei, &c.] Huic autem operi præmittitur prologus, qui dividitur in quinque partes. In prima parte commendatur auctoritas. In secunda locus ostenditur, ubi scripsit, ibi [in Italia, &c.] In tertia, quomodo scripsit, ibi [Ostendens in eo, &c.] In quarta, qua de causa [Denique cum perfecti Evangelii, &c.] In quinta, redit ad commendationem authoritatis, ibi [Denique amputasse, &c.] In prima parte commendatur a quinque. Primo, a dignitate, ibi [Evangelista.] Secundo, a professione, ibi [Et Petri in baptismate filius.] Unde 1. *Petr. ult.* Salutat vos Marcus filius meus. Tertio, a statu ante fidem, ibi. [Sacerdotium in Israel.] Quarto, a genere ibi [Secundum carnem Levita. Quinto, a fide, ibi [Conversus ad fidem Christi.] Et notandum quod hic procedit secundum ordinem artificialem, in quo magis dignum præponitur minus digno. E converso secundum ordinem naturalem, &c. Dicit ergo. *a* Marcus] quod interpretatur excelsus mandato. Et est commendatio a nomine. *b* Evangelista Dei] a

dignitate officii in fide. *c* Electus] non se ingerens. *Hebr.* 5. Nemo sibi assumat, &c. *d* Et Petri in baptismate filius] a professione. 1 *Petr.* 6. Salutat vos Marcus. *e* Discipulus] ab authoritate magistri. *g* Sacerdotium in Israel agens] a dignitate prioris officii, vel ab ordine. *g* Secundum carnem Levita] Hoc a genere, quia Leviticus fuit. *h* Conversus] a fidei professione. *i* Evangelium] ab officio ministerii. k In Italia.] ecce secunda pars, quæ ostendit, ubi scripsit, Græce secundum quosdam, cujus signum est, quia diversas haber translationes. *l* Ostendens in eo.] Ecce tertia pars. *m* Quid & generi suo deberet, & Christo. Quid generi suo scilicet reverentiam, quia ab Isaia incipit *Inf. c.* 1. sup. quod ex genere debeat Christo hoc, scilicet Evangelium scribere, & ejus utramque naturam aperire credentibus: vel generi, idest prophetis, quorum prophetias debet exponere, & aliis prædicare. *n* Nam initium] quod proprie est tituli, & incipit ibi (Initium, &c. Principii] quod proprie est narrationis, & incipit ibi. (Fuit Joannes.) Unde sic exponendum est. (Initium principii,) idest, initiale præmissum principio. Et loquitur metaphorice: Sicut semen, quamdiu latet sub terra, dicitur initium, quando emergit principium, quando per articulos distinguitur, exordium vel per Endiadim (Initium principii) idest, initiale principium vel principale initium. Vel, (Initium principii) quia ad confirmandum principium narrationis sunt prophetiæ præmissæ summa expositionis. Et hoc (Initium principii in voce propheticæ exclamationis instituens) idest a testimoniis Prophetarum incipiens, quibus tanquam præconibus convenit clamare quasi in modum tubæ. *o* Ordinem Leviticę electionis] idest dignitatem Tribus Leviticę in ministerium suum a Deo electæ. Vel, (Ordinem Leviticæ electionis,) idest Levitici ordinis, de quo ordine, scilicet Prophetæ electi sunt, & præcursor Domini. *p* Ostendit] hoc ipso. *q* Ut prædicans prædestinatum Joannem filium Zachariæ,] idest, sola Dei gratia creatum, sicut prædestinatio est ex sola Dei gratia. *r* In voce contra usum, & legem naturæ, quia uterque parentum processit in diebus suis. *Luc.* 1. *s* Angeli] Gabrielis scilicet. *t* Annunciantis emissum,] idest, edictum, vel promissum, Angeli, dico, annunciantis, quia ejus nativitas, vel promissio prænunciata est ab Angelo. Et hæc eadem per duas prophetias ostenditur, scilicet, Ecce ego mitto. Et vox clamantis in deserto. *u* Non solum verbum carnem factum) hoc scilicet. Et respicit hoc, quod sequitur, scilicet. *x* Sed & corpus Domini,) materiale, quod de Virgine sumpsit, & in Virgine. *y* In omnia) scilicet charismata, idest, omni charismate Spiritus sancti repletum. *Col.* 2. In quo inhabitat plenitudo Divinitatis corporaliter. De cujus plenitudine omnes accipimus *Joan.* 1. *z* Per verbum,) idest, filium hominis, assumptio, initium, qui est (verbum divinæ vocis,) idest, Joannis, qui est vox divina. Christus enim verbum etiam vocis, Joannes vox verbi, idest, declarans verbum etiam vocis, Joannes vox verbi, idest, declarans verbum. Vel. *x* Corpus Domini,) scilicet, mysticum, unde intelligi debet Christi, vel Ecclesiæ animatum, & etiam non animatum, quia Ecclesia per filium incarnatum omni munere Spiritus sancti est repleta, in singula habens singula, & non omnia. Et hoc est per verbum Dei, &c. idest, per verbum Joannis. Vel. *z* Per verbum divinæ vocis) Christi. *Matth.* 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Per hanc enim animatum corpus spirituale Domini, idest, mysticum, ad hoc ut sit idoneum ad percipiendum omnia charismata Spiritus sancti. Vel. *q* Ut prædicans) ostendit, idest, ut Marcus prædicans Joannem prædestinatum filium Zachariæ. *r* In voce Angeli) idest, in nomine Angeli, (emissum) ad prædicandum. *Mal. cap.* 3. Ecce ego mitto Angelum meum. Ostendens, (non solum Verbum carnem factum,) idest, non solum divinam

Malach. 3. *Isa.* 40.

Explicit Prologus.

SANCTI HIERONYMI In Evangelium secundum Marcum.

MARCUS *b* Evangelista Dei *c* electus, & *d* Petri in baptismate filius, atque in divino sermone *e* discipulus, *f* Sacerdotium in Israel agens secundum *g* carnem Levita, *h* conversus ad fidem Christi *i* Evangelium in k Italia scripsit, *l* ostendens in eo *m* quid & generi suo deberet, & Christo. *n* Nam initium principii in voce prophetice exclamationis, instituens *o* ordinem Levitice electionis *p* ostendit, ut *q* predicans predestinatum Joannem filium Zacharię in *r* voce *s* Angeli *t* annunciantis emissum. *u* Non solum verbum carnem factum, *x* sed & corpus Domini in *y* omnia *z* per verbum

divinam naturam. [Sed & corpus Domini,] idest, humanam naturam.] Per verbum divinæ vocis,] idest, per prædicationem Joannis. Verbum dico animatum in anima, quia Joannes nulli pepercit, nec militi, nec Herodi, nec Sacerdotibus. *a* Divinæ vocis.] *Interl.* id est, Joannis, qui fuit vox verbi.

a divinæ vocis *b* animatum *c* initio Evangelicæ prædicationis ostenderet, ut *d* qui hęc † legens sciret *e* cui *f* initium carnis in *g* Domino, & *h* Jesu advenientis habitaculum *i* caro *k* deberet agnoscere, *l* atque in se *m* verbum vocis, quod in *n* consonantibus perdiderat, *o* inveniret. *p* Denique cum perfecti Evangelii opus *q* intrasset, a baptismo Domini prædicare Deum inchoans, non laboravit *r* nativitatem carnis, *s* quam in prioribus viderat, dicere, sed totius exprimens *t* expositionem desertis, *u* jejunium numeri, *x* tentationem diaboli, *y* congregationem bestiarum, & ministetium protulit *z* Angelorum, ut *a* instituens nos *b* ad intelligendum *c* singula in brevi compingens, ne auctoritatem factę rei demeret, *d* & perficiendi operis plenitudinem *e* non negaret. *f* Denique *g* amputasse sibi *h* post fidem *i* pollicem dicitur, ut sacerdotio reprobus haberetur, *k* sed tantum consentiens fidei prędestinata potuit electio, ut *l* nec sic in opere *m* verbi perderet, quod *n* prius meruerat in *o* genere. *p* Nam Alexandrię Episcopus fuit. *q* Cujus per singula *r* opus fuit *s* scire

al. † legeret.

b Animatum.] *Int.* idest, charismatum donis impletum.

c Initio Evangelicæ prædicationis ostenderet.] Fere in initio, quia præmisso de præcursore, statim, subdit de mediatore.

d Ut qui,] idest, quicumque [hæc legens] supple esset, vel [legere sciret,] scilicet quis esset ille.

e Cui] *Int.* scilicet, Joanni.

f initium carnis.] *Int.* idest, principium carnis. *g* In Domino] in virtute Domini, & operatione, quia etsi omnes habeant initium carnis a Domino, specialiter tamen Joannes, qui contra usum, & legem naturæ miraculose conceptus est. Et hoc consonat ei, quod dictum est supra. Prædestinatum Joannem. Vel. [In Domino,] idest, ad honorem Domini, ut adhuc existens in utero testimonium perhibuit, eum de adventu matris ejus exultavit. *Luc.* 2. Vel hoc dicitur de Joanne, quia sanctificatus fuit in utero.

h Et Jesu advenientis habitaculum caro deberet agnoscere.] Hoc multipliciter exponitur. Secundum *Interl.* repete Ut qui hæc legeret, sciret quod.

i Caro,] idest homo [deberet agnoscere] se esse habitaculum Jesu advenientis per gratiam.

l Atque in se verbum vocis,] idest, Christum Dei filium.

n Quod in consonantibus perdiderat, inveniret,] quia eo ipso, quod adveniens inhabitavit carnem, potuit caro, idest, quilibet justus agnoscere se esse habitaculum ejus. Unde 1. *Cor.* 3. Templum Dei sanctum est. Vel adveniens per unionem Deitatis ad humanitatem, quia per hoc, quod Deus fuit miraculose initium conceptionis, caro, idest, homo posset agnoscere, quod & ipse Jesus conciperetur, etsi caro inveniret verbum, idest, Dei filium, vocis, id quod secutum est vocem, idest, Joannem. [Quod] scilicet Verbum [perdiderat in consonantibus,] idest, in primis parentibus peccato consentientibus. Vel.

i Caro,] idest, Joannes ostendit habitaculum per gratiam, [Et] sic [inveniret in se,] scilicet, Joanne nato. [Verbum vocis] in Zacharia patre suo, cui cum natus est Joannes, loquela reddita est. [Quod verbum,] id est, loquelam [perdiderat] [Zacharias vel Joannes, in Zacharia] in consonantibus quas proferre non poterat, sine quibus non est verbum. Muti enim etsi vocales possint proferre, non tamen consonantes. Vel, [Caro,] idest, carnalis intelligentia legis, vel carnalis intelligens legem. [Deberet agnoscere] se esse habitaculum Christi spiritualiter, idest, in ejus adventu fuit hoc declaratum. [Et sic inveniret verbum vocis,] idest, Christum Dei filium [Quod in consonantibus perdiderat,] idest, quod significatum fuit in amissione consonantis, idest, vocis Zachariæ. Inveniret, inquam, quod facit in paucis credentibus in exitu gratiæ, quod significatum est in hoc, quod in ortu Joannis vox reddita est Zachariæ.

k Deberent agnoscere.] *Int.* idest, præparare se.

l In se.] *Int.* Zacharia.

m Verbum vocis.] *Int.* idest, Joannis, imo.

n Quod in consonantibus perdiderat] consentiendo diabolo.

o Inveniret.] *Int.* idest, recuperaret in Christo.

p Denique, &c.] Ostendit usque huc ubi, & quomodo scripsit. Hic ostendit qua de causa. Et est tertia pars. [Denique cum perfecti Evangelii opus] Matthæi, vel quoad effectum.

q Intrasset,] idest, inchoasset ab ipso Joanne, qui fuit a Domino. Vel, [Denique,] idest, post baptismum Joannis. Et sic planum, quod sequitur.

r Nativitatem carnis,] idest, Christum, secundum carnem.

s Quam in prioribus viderat,] scilicet in Matthæo, & in multis aliis, qui scripserunt Evangelia, quæ forte auctoritatem habuerunt, sed indiscretionem habuerunt.

t Expositionem deserti] historiam.

u Jejunium numeri] Hypallage, idest, numerum jejunii, vel pensandum ex numero, qui numerus magnum continet mysterium, scilicet sacratum.

x Tentationem diaboli] *Marc.* 4.

y Congregationem bestiarum] quæ in deserto venerunt ad Christum, & tamen expresse non legitur.

z Angelorum] victo tentatore Christo ministrantium, *Matth.* 4. Et *Ps.* 90. Angelis suis mandavit de te, &c.

a Ut instruens nos.] Anthypophora est, quasi dicat quis, cur dicta a Matthæo præterit? Et respondet, ut si omnia dimitteret, videretur modo detrahere: si autem sua propria non apponeret, perfectum vel plenum opus non esset. *b* Ad intelligendum] Evangelium Matthæi. *c* Singula in brevi compingens, ne auctoritatem rei factæ demeret,] ea scilicet, penitus destituendo.

d Et perficiendo operis plenitudinem,] idest, præmissi ab eo suppleret.

e Non negaret] propria addendo.

f Denique.] Quinta pars, ubi redit ad commendationem auctoris *Hier.* Et commendat eum præcipue in humilitate dicens: [Denique.] Ut demum ostendat humilitatem, narrat, quod sequitur.

g Amputasse sibi, &c.] Hoc ex humilitate & timore considerans gradus altitudinem, & casus gravitatem, unde dictus est in cęlo bodactilus amputasse. Simile dicit *Paschas.* in libro, qui dicitur Paradisus, de Antonio Anachoreta, quem cum vellent quidam cives vi rapere, ut facerent ipsum Episcopum suum, cum ille videret, sibi non pepercit, sed cunctis videntibus aurem sibi sinistram ferro secuit, dicens Jubet lex divina nullum aure præcisa optare fieri Sacerdotem. Qui cum Timothæo Episcopo ista dixissent, respondit ille, a Judæis lex ista servatur, ego autem si dederitis mihi aliquem truncatum naribus, sed moribus probum, non eum Episcopum constituere dubitabo. Hoc audito redibant ad Antonium post preces non acquiescens, vim ei inferre tentantes: Quibus jurans ille respondit, si me ulterius cogere volueritis, & linguam meam, quia propter illam mihi molesti estis, abscindam, & reliquerunt eum.

h Post fidem,] idest, conversus ad fidem.

i Pollicem.] Videtur, quod peccavit, [ut Sacerdotio reprobus haberetur] quia secundum canones non promoventur ad sacros ordines mutilati. Sed contra. Iste postea fuit Episcopus Alexandriæ, ut statim patet in littera. Responsio, quia forte non fuit læsio enormis, & sic fuit cum ipso dispensatum, & potuit fieri propter devotionem populi: Et tunc aliquid licuit, quod modo non liceret, erat enim suaviter lactanda, & blandienda adhuc tenera, & recens Ecclesia. Contra *Lev.* 21. Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedat offerre hostiam, &c. Responsio, hoc fuit cæremoniale, unde bene potuit dispensari cum isto.

k Sed tantum consentiens fidei prædestinata potuit electio.] Hoc facit, quia tantum potuit, &c.

l Ut nec in opere.] *Int.* idest, in ministerio.

m Verbi] prædicandi.

n Meruerat] scilicet ut esset Sacerdos.

o In genere,] idest, ei congruebat.

p Nam Alexandriæ Episcopus fuit] scilicet primus.

q Cujus per singula dicta,] idest, singulorum dictorum intelligere veritatem. *r* Opus,] idest, propositum. *s* Scire] dona, [Evangelii in se.] Et sic dicta est nomen. Vel, [Dicta,] intelligentia, & sic habet vim participii. Est ergo sensus

sensus est. *a* Evangelii in se dicta disponere] idest, simpliciter en mores informare suos. *b* In se] idest, in vita sua legis simpliciter intellectæ. *c* Et disciplinam in se legis agnoscere] idest, observare. *d* Et divinam in carne Domini intelligere naturam,] idest, intelligere, & credere duas naturas in Christo. *e* Quæ in nos,] studium ejus fuit, hæc omnia scire, [quæ.

a Evangelii in se *b* dicta disponere, c & disciplinam in se legis agnoscere, *d* & divinam in carne Domini intelligere naturam, *e* Quæ in nos primum oportet requiri, dehinc inquisita *f* volumus agnosci, *g* habentes mercedem *h* exhortationis. *i* quoniam qui plantat, k & qui rigat, *l* unum sunt, qui *m* autem incrementum præstat, Deus est.

Explicit Prologus.

INCIPIT EVANGElium secundum Marcum.

C A P. I.

n INitium *o* Evangelii *p* Jesu Christi *q* filii Dei, sicut

& in nos, &c.] in eum, ut prius faciamus opera bona, quam doceamus. *f* Volumus,] idest, velle debemus, [agnosci] ab aliis per nos, ut qui audit, dicat, veni. *g* Habentes mercedem,] si aliis prædicaverimus libenter. 1. *Cor.* 9. Si autem volens hoc ago, mercedem habeo. Hæc merces est aureola quæ prædicatori debetur. *h* Exhortationis] idest ministerii, & laboris, quem exercemus exhortando, curæ scilicet non curationis, quia solus Dominus dat gratiam curando. *i* Quoniam qui plantat] idest, prædicat. k Et qui rigat] idest, baptizat. *l* Unum sunt] idest, in hoc indifferentes, quia neuter gratiam præstat, sed uterque ministrat. *m* Qui autem incrementum præstat,] gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. [Deus est.] *Hieronym. in ista Glos.* Marcum pene intactum, &c. ponit canones Evangeliorum. De hoc *Isidorus sexto Ethymologiarum*. Ammonius Alexandriæ Episcopus primus excogitavit, quem postea Eusebius Cæsariensis secutus plenius explanavit. Est autem canon regularis collectio, quibus communiter omnes, vel aliqui Evangelistarum conveniunt, proprium singulorum munus proprie dicitur canon, quia canon est regularis collectio capitulorum. Secundo dicitur proprie plurium in aliquo convenientia. Sic autem ordinantur canones. Primus est, in quo quatuor conveniunt, scilicet Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes. In secundo tres, scilicet Matthæus, Marcus, Lucas. In tertio tres, Matthæus, Lucas, Joannes. In quarto tres, Matthæus, Marcus, Joannes. In quinto duo, Matthæus, Lucas. In sexto duo, scilicet Matthæus, Marcus. In septimo duo, Matthæus, Joannes. In octavo duo, Marcus, & Lucas. In nono duo, Lucas, & Joannes. In decimo quilibet solus. Marcus, Lucas, Joannes, nullum ternarium faciunt. Marcus, & Joannes nullum binarium. Unde

Versus.

Est quatuor primus, primis tribus alter opimus.
Marce tribus terno, Luca canone cede quaterno.
Quinto vir mugit, sexto vir canone rugit.
Septimus est vir, avis, octavus bos, leo mavis.
Bos volat in nono, decimo sua cuique repono.

Explicit expositio Prologi Sancti Hieronymi.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRIS, & D. DOMINI HUGONIS Cardinalis, &c.

Postilla super Evangelium secundum Marcum incipit.

E X P O S I T I O CAP. I.

INITIUM Evangelii, &c.] Dividitur hoc capitulum in duas partes. Prima pars agit de præcursore Christi. Secunda de Christo. In prima parte commendatur Joannes per prophetiam de eo prænunciatam. Secundo per opera, ibi [Fuit Joannes, &c.] Tertio per victum, & vestitum, ibi (Et erat Joannes,) Quarto per humilitatem suæ professionis, ibi [Venit fortior.] Marcus in hoc libro, ut operi suo gratiam præberet, & auctoritatem, præmittit testimonia prophetarum, quod illa doctrina Evangelica non est vana. *n* Initium Evangelii,] idest, consecratio, vel confirmatio: *Exod.* 29. Postquam initiaveris, &c. *o* Evangelii,] Evangelium bona annuntiatio dicitur, quod proprie ad regnum Dei, & remissionem peccatorum pertinet. Unde. Pœnitemini, & credite Evangelio, & appropinquabit regnum cœlorum. *n* Initium.] Hoc est, ibi est. Fuit Joannes. *p* Jesu.] *Glos. Hier.* Jesus Hebraice, soter Græce, Salvator Latine. *q* Christi.] *Glos. Hier.* Christus Græce,

Infr.

scriptum est in Isaia *r* Propheta. Ecce *s* mitto Angelum meum ante faciem tuam qui *t* præparabit viam tuam ante te. *u* Vox *x* clamantis in deserto: *y* Parate *z* viam Domini, *a* rectas facite semitas ejus. Fuit Joannes in *b* deserto *c* baptizans, & prædicans *d* baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad illum omnis Judææ regio, & Jerosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in † *e* Jordanis flumine, confitentes peccata sua. Et *f* erat Joannes vestitus pilis came-

Malach. 3. *Matth.* 11. *Luc.* 7.

messias Hebraice, & unctus Latine, idest, rex & sacerdos dicitur de genere David regis, & Levitico. *r* In Isaia.] Exclamat Porphyrius Hæreticus, quod veritas non subest Evangelistis, cum Marcus dicat hanc auctoritatem esse Isaiæ, quæ est Malachiæ. Sed solutio duplex, quia Isaias idem dicit; licet aliis verbis, & etiam eisdem ab hoc loco. Vox clamantis, &c. Secunda, quia omnes Prophetæ idem dixerunt, licet unus expresse, & alius implicite. *Hier.* tamen dicit *super Psal.* hoc ex vitio scriptoris accidisse. Ponuntur autem hæc duo testimonia propter Judæos, ne dicant evangelium esse novam adinventionem. Et propter Gentiles, ne putent verus testamentum reprobatum esse.

Isa. 4. *Matth.* 3. *Joan.* 1.

Matth. 3. *Luc.* 3. *Joan.* 3.

al. † Jordane.

Matth. 3.

s Ecce mitto Angelum.] 1. *Cor.* 11. Mulier velet caput suum propter Angelos. *Malach.* 2. Angelus enim Domini est.

t Qui præparabit viam.] *Is.* 30. Hæc est via.

u Vox clamantis in deserto] idest, vox excitantis a somno infidelitatis, arguentis de malitia manifesta, invitantis ad verbum audiendum. [Vox.] Vox transit sicut Joannes, verbum manet sicut Christus. Hæc vox quasi naturaliter Christum significavit, cum exultavit in utero obviam ei. Item generaliter. Parate viam Domini. Item spiritualiter. Ecce agnus Dei. Item discrete. Hic est qui baptizat, digito suo ipsum ostendens. *Aug.* Vox. Item duo verba medium animæ incorporale, & oris corporale, sic Joannes venit inter nativitatem Christi divinam, & humanam. (Vox,) sicut legitur *in lib. Aug. de constitutionibus Eccl.* & non elucet, an sub persona sua dicat hæc Evangelista, an sub persona Joannis Baptistæ. Secundum *Hier.* verba sunt ipsius Evangelistæ.

Moraliter. *u* Vox prædicatorum vocans ad pœnitentiam vita, & doctrina.

x Clamantis in deserto] idest peccatoribus per ipsam vocem, qui longe sunt, & surdi sunt, & ideo clamore indigent. *y* Parate] in vobis. *z* Viam Domini] idest vitam conjugatorum, vitam virginum, vitam rectorum peccata removendo. *Jerem.* 50. Tollite de via, &c. *Prov.* 4. Via impiorum, &c. Viam domini. *Hier.* Hæc referuntur ad status Ecclesiæ, via ad statum pœnitentiæ, semita ad statum justitiæ, qui est in consiliis, tertius erit gloriæ. *a* Rectas facite semitas ejus,] idest vita religiosorum, quæ debet esse brevis, recta, secura. *Prov.* 3. Viæ ejus viæ pulchræ, &c. *Psal.* 24. Vias tuas, &c. *b* In deserto.] Desertum dicitur Judæa. *Matth.* 23. Relinquetur vobis domus vestra deserta. *Osee* 3. Dies multos, &c. Cœlum. *Luc.* 15. Reliquit nonagintanovem in deserto. Paradisus terrestris, a quo primi parentes expulsi sunt. Totus mundus. *Cant.* 8. Quæ est ista, &c.

y Parate.] Paratur via ab homine firmiter credendo, vel ad hoc se præparando, peccata abjiciendo, verbum Dei libenter audiendo. *a* Rectas facite, &c.] Rectas facit semitas, bene vivendo, recta opera faciendo, non pro terrenis serviendo, mores in melius commutando, consilia sequendo. *c* Baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ] quæ pœnitentia est in relinquendo peccatum vel in baptizando dans baptismum pœnitentiæ, idest baptismum suum, qui pœnitentibus solis dabatur, ideo baptismus pœnitentiæ dicitur. Vel.

d Baptismum pœnitentiæ,] idest, qui dicitur pœnitentiæ. Vel ad litteram, quia solis pœnitentibus adultis proderat hic. Vel pœnitentiam prædicat, per quam est reditus ab errore & post vitiorum pudorem desinendi professio.

e In Jordanis flumine.] Jordanis componitur ex Jor,

quod interpretatur rivus, & dam, quod interpretatur judicium quia in confessione debet esse rivus lachrymarum, & judicium sacerdotis. *f* Erat Joannes.] Hic datur forma prædicatoribus, ne pretiosis se induant, *Judic. c.*8. Fecit ex eo, scilicet auro Gedeon Ephod, & posuit illud in civitate sua Ephra, &c. Gedeon, circumiens in utero, hic est prædicator, qui debet ventrem, idest debiles, & infirmos circumire. Ephod, super indumentum. Ephta, videas. Excessus enim prælatorum quasi in propatulo sunt. Et factum est ei hoc in ruinam. *Isa.* 20. Vade, inquit Dominus, ad prophetam: solve saccum de lumbis tuis.

Matth. 3. Luc. 3.

li *a* & zona pellicea *b* circa lumbos ejus, & *c* locustas, & mel silvestre edebat, & prædicabat dicens; *d* Venit fortior me *e* post me, *f* cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam *g* calceamentorum ejus. Ego *h* baptizavi vos aqua, *i* ille vero baptizabit vos Spiritu sancto. Et

Joan. 1.

In quo patet, quod Isaias sacco indutus erat, qui tamen nobilissimus erat. Et 4. *Reg* 1. dicitur de Elia. Vir pilosus, & accinctus zona pellicea. Et ait rex; Elias Thesbytes est. Elias robustus dominator, Thesbytes convertens. Quando enim quis prælatum suum tam asperam videt ducere vitam, convertitur. *Zach.* 13. In die illa confundentur, &c. Qui enim paupertatem prædicat, mentitur, nisi ut pauper induatur. Et 4. *Reg.* 6. Si ex Israel circumjeus, &c. Beda. Pilos cameli deponis, ut vestias Joannem, debueras magis deponere gibbum. Et dicit hoc contra divites, qui pauperes vestiunt, & peccata non dimittunt. *a* Et zona pellicea.] Humile quidem est indicium austeritatis, non luxuriæ. 4. *Reg.* 1. Vir pilosus zona pellicea accinctus. *Hier.* Ad luxuriam mortificandam. *Hilarius.* Ad zonæ præcinctionem monet, ut ad omne ministerium voluntatis Christi simus accincti.

b Circa lumbos ejus] *Luc.* 12. Sint lumbi vestri præcincti, &c. *c* Et locustas, & mel sivestre edebat.] Locustæ serras habent inter crura, quibus herbas secant, unde serratæ dicuntur, & capite amputato esibiles fiunt, & cum rege careant bene se regunt. Quæ locustæ in lege non erant probibitæ. *Lev.* 11. Hic datur prædicatoribus in cibis forma. *Hier.* Non refert servo Dei de quam pretiosis cibis stercora conficiat. Idem. Non decet buccis rubentibus jejunia prædicare. *Psal.* 101 Panem tanquam cinerem manducabam, idest, nigrum sicut cinerem, *Ezech.* 4. Cibus tuus erit, &c. Ubi tria notat, Vilitatem cibi de faba, modicitatem in pondere, & charitatem de tempore ad tempus comede illud, scilicet semel in die. Similiter de potu innuit ibid. *Dan.* 10. Panem desiderabilem, &c. *Isa.* 30. Dabit tibi Dominus panem, &c. Contra *Luc.* 10. Comedentes, & bibentes quæ apud illos sunt. Præterea, omnis Christi actio nostra est instructio. Ipse autem bona comedebat. *Matth.* 11. Venit filius hominis manducans, & bibens, &c. Responsio. Joannes peccatores invitabat ad penitentiam, & ideo signa pœnitentiæ ostendebat. Christus vero, & illi quos mittebat, principaliter invitabant ad fidem, unde ne terrerentur homines ex vitæ asperitate, omnia manducabant. Prædicatio ergo Joannis lamentatio erat: Christi vero cantus. *Hilarius.* Locustæ fugaces, & in esum electæ, significant nos qui prius quasi quibusdam corporum saltibus efferebamur, voluntate vagi, operibus inutiles, ab eis queruli, sedinm peregrini: nunc autem sumus sanctorum alimonia, & societas Prophetarum electi simul Israel cum melle silvestri, quia dulcissimum cibum præbituri sumus, non ex adventitiis legis, sed ex verbis velut ex truncis silvestrium arborum gentilitatis. Et erat Joannes.

Versus.

Baptistæ domus humilis, sunt esca Locustæ,
Pellis zona pilis sunt toga, potus, aqua.

Per hæc quatuor circa Joannem distincta, idest, pilos cameli, zonam pelliceam, locustas, & mel silvestre, significantur quatuor genera hominum ad fidei gratiam venientium, scilicet divites, pauperes, sapientes, & idiotæ. Propter istorum quatuor conversionem, dicitur quater revertere. *Cant.* 6. *d* Veniet fortior.] *Luc.* 11. Cum fortis armatus custodit atrium suum, &c. Per Joannem significatur hic gratia Baptismi, per Christum gratia pœnitentiæ, quæ fortior dicitur, quia sæpe peccata dimittit, alia semel tantum.

e Post me] Joannes præcessit nascendo, baptizando, prædicando, moriendo, sed non resurgendo.

f Cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam.] Venit ad nos calceata deitas, dicit auctoritas, ex qua videtur, quod deitas incarnata sit, & ita si filius Dei incarnatus sun, videtur, quod in quantum est homo non sit, quid ergo? nec aliquid, quod est contra Alexandrum. Responsio, quod non est omnimoda similitudo calceamenti ad humanitatem, sed in hoc, quia sicut calceamentum vel vestis non mutat hominem quem vestit, sed ab eo potius mutatur sicut habitus, sic humanitas non mutavit filium Dei, sed potius e converso. Præterea vero calceamentum fit de pelle mortui animalis, per quod significatur mortalis caro, quam Christus assumpsit. *g* Calceamentorum ejus.] *Gl.* Mos fuit apud veteres, ut si

k factum est in diebus illis, venit Jesus *l* a Nazareth Galilææ, & baptizatus est in *m* Jordane a Joanne. Et statim ascendens de aqua, vidit apertos coelos, & Spiritum tanquam columbam descendentem, & manentem in ipso. Et vox facta est de cœlis: *n* Tu es filius meus dilectus, in *o* te com-

Matth. 3. Luc. 3.

quis eam, quæ sibi competeret accipere uxorem nollet, ille ei calceamenta solveret, qui ad hanc sponsus jure propinquitatis veniret. *h* Baptizavi vos aqua.] *Glos.* Nondum Joannes dicit Deum, aut Dei filium esse aperte, quia rudes erant auditores, sed paulatim per glorificatam humanitatem, ad fidem deitatis ducit dicens. Ille vero vos baptizabit Spiritu sancto. Postea vero cum capaciores jam videret, Dei filium aperte prædicat, dicens. Testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.

i Ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.] Multiplex est Baptismus. Lotio exterior. *Eccles.* 34. Qui baptizatur a mortuo, &c. Christi Passio. *inf.* 10. Potestis baptizari Baptismo, quo ego baptizor? Item exterior figurativa ablutio, *Joan.* 1. Ego baptizo in aqua. *Matth. ult.* Baptizantes eos in nomine patris, &c. Item interior sanctificatio. *Joan.* 1. Hic est, qui baptizat, &c. Item augmentum gratiæ. *Actor.* 1. Vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Est & alia littera: Vos autem genuit Spiritus sanctus. Item perfecta purgatio. *Luc.* 3. Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto, & igni, idest igne purgatoris.

Multiplex Baptismus.

k Et factum est.] In hac secunda parte agit specialiter de Christo. Et primo, commendat eum de tribus, scilicet in visione cœli aperti, a Spiritu sancto super ipsum descendente, a voce patris ipsum commendante. Secundo, ducitur in desertum quasi diabolum impugnaturus, ibi. Et statim spiritus.

Mystice. Per hoc factum significatum est, quod potentes de volubili foro sæculi transituri essent ad gratiam Baptismi. Et hoc considerat etiam *Glos. Interlin.*

Mystice.

Moraliter.

Moraliter.

l A Nazareth.] Qui vult baptizari, idest, de peccatis mundari, veniat de Nazareth, idest, de flore mundi exeat. *Jerem.* 48. Date florem Moab. *Isa. cap.* 28. Væ flori, &c.

m In Jordane.] *Gamfredus.* Jordanis interpretatur descensus, quia descendit Christus, ut nos descendamus. *Isa.* 2. Fluent ad eum omnes gentes. *Idem.* Nec simulata, nec indevota, & tristis Humilitas habet gratiam apud Deum. Ipse est veritas, nec complacere ei potest, ut verbum super eo, quod non placet nobis, tanquam expressivum est veritatis. Ipse enim fuit vera columba. Aliqua columba sumitur in malo, quia avis stolida est. *Osee* 7. Factus est Ephraim quasi columba seducta, &c. *Jerem.* 25. Facta est terra eorum in desolationem, &c. In bono vero sæpius propter illas proprietates.

Grex, visus, pulli, gemitus, fel, basia, pugna.
Immunis amans mundus partus cibus unda.

Versus.

In baptismate tria sunt visibilia, sacerdos, baptizandus, aqua. Et tria invisibilia eis respondentia, spiritus scilicet interior, ablutio, & fides. *Glos.* Non quod nesciebat docetur, sed nobis, quid credere debeamus, ostenditur, ipsum scilicet, quia homo cum aliis ad Baptismum venit.

n Tu es filius] non Joannes.

o In te complacui,] idest, placitum redemptionis humanæ in te complacere decrevi. *Luc. c.* 3. In te complacui mihi. *Ps.* 109. Juravit Dominus, & non penitebit eum. *Augustinus de concordia Evangelistarum.* Intelligas Evangelistas, qui non eamdem locutionem retulerint, eamdem retulisse sententiam, quæ diversitas locutionum ad hoc etiam utilis est, ne uno modo dictum minus intelligatur, & aliter quam se res habet, interpretetur.

a Expulit

cui. Et statim spiritus *a* expulit eum in desertum. Et *b* erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & *c* tentabatur a Satana. Eratque cum bestiis. & Angeli ministrabant illi. *d* Postquam autem *e* traditus est Joannes, venit Jesus in *f* Galilæam prædicans Evangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, *g* & appropinquavit regnum Dei. Pœnitemini, & credite Evangelio. Et *h* præteriens secus *i* mare Galilææ, *k* vidit Simonem, & Andream fratrem ejus, *l* mittentes retia in mare: erant enim *m* piscatores. Et dixit eis Jesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores *n* hominum, Et *o* protinus *p* relictis retibus, *q* secuti sunt eum. Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, & ipsos componentes retia in navi, & statim vocavit illos: & relicto patre suo Zebedeo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum. Et *r* ingrediuntur Capharnaum, & *s* statim sabbatis ingressus in Synagogam docebat eos. Et

a Expulit eum in desertum.] Non sonat in modi violentiam, sed in amoris vehementiam. *Matth.* 3. dicit. Ductus est. *Luc.* 4. Agebatur in deserto, ad denotandum, quod indivisa sunt opera Trinitatis, Expellere potestatis est, ducere sapientiæ, agere benignitatis.

Moraliter. Moraliter autem desertum claustrum est. Sed dubium est, a quo spiritu aliqui ducantur in claustrum. Alii enim a spiritu phytonico, at qui propter pastum intrant. Phyton enim ventriloquus dicitur. *Isa* 29. Et erit vox phytonis. Alii a spiritu Baal, qui ideo intrant, ut majores fiant, vel propter inanem gloriam. Baal enim superior interpretatur. Alii a Spiritu sancto, qui quosdam impellit, ut qui propter infirmitates, & necessitates temporales coguntur intrare. Unde *Bern.* Felix necessitas, quæ ad meliora compellit. Et *Matth.* 22. compelluntur quidam intrare ad nuptias. Et *Lucæ decimoquarto* dicitur. Exi in vicos, &c. Aliquos ducit, qui solo amore intrant, ut fruantur dulcibus sponsi amplexibus. *Cantic. primo.* In odorem unguentorum tuorum currimus. *Psalm.* 54. Quis dabit mihi pennas, &c. Alios agitat, ut qui de bono in melius proficiunt. Sed multi sicut filii Israel propinquiores sunt terræ promissionis primo anno egressionis. *Numeror. primo.* Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, æstuabat desiderio carnis sedens, & flens.

(Margin: B; *Matth.* 4. *Luc.* 4.; *Matth.* 4. *Actor.* 1.)

b Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.] Vita claustralium tota debet esse in pœnitentia. Sed quidam sunt quadraginta diebus, sed non quadraginta noctibus, qui scilicet diebus morantur in claustro, sed noctibus vagantur ad pravitates suas. Et potest fieri hic quadrimembris divisio.

c Et tentabatur.] Similiter filii Israel in deserto multas sustinuerunt tribulationes, & tentationes. *Exod.* 17. De bellis eorum. *Num.* 21. & 31. *Gregorius.* Illos pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. *Deut.* 1. Super montes persecuti sunt vos. [Quadraginta diebus.] Contra illos, qui dedignantur cum turbis, & cum malis habitare. *Deuteron.* 23. Non abominaberis Idumæum, &c. Et quia superatos est Job in laude dicit. 30. Frater fui draconum, & socius struthionum. *Ezech.* 2. dicit Dominus, &c. Increduli, & subversores sunt tecum, &c. *Genes.* 31. Postquam venit Jacob, &c.

d Postquam autem traditus est.] *Glos.* Nemo putet traditum Joannem statim post tentationem quadraginta dierum, & jejunium Domini. Invenitur enim in Evangelio Dominum ante multa docuisse, & miracula fecisse. (Postquam, &c.) Jesus annorum triginta, & tredecim dierum batizatus est, & post illum annum totum occulte prædicavit, ut non prædicatio diceretur. Anno revoluto mutavit aquam in vinum, post adhuc per menses tres occulte prædicavit, & discipulos convocavit. Recursis autem tribus mensibus circa Pascha decollatus est Joannes. Post etiam toto anno Jesus aperte prædicavit, & anno revoluto in Pascha passus est. Tres igitur primi Evangelistæ gesta secundi anni, qui incepit ab incarceratione Joannis, sufficienter prosecuti sunt, sed gesta primi anni, & trium mensium post Baptismum omnia prætermiserunt, & ultimi anni quædam majora, ut sermonem ad Nicodemum, & illum, quem in cœna fecit, qui superstat. Joannes vero acta secundi anni ab eis diligenter perscrutatos, penitus dimisit. Si ergo reperis Jesum tribus annis, & dimidio prædicasse, dic quod tres menses pro dimidio anno computentur.

f In Galilæam.] *Rabanus.* Prædicavit in finibus Zabulon, & Nephtalim, ubi primo captivitas fuerat ab Assyriis inchoata. Terram Zabulon intellige Galilæam, quæ est circa mare Tyberiadis, & stagnum Genesareth. Terra vero in qua tribus Nephtalim vicina Tyrus, terra Galilæa gentium dicta est, postquam Salomon in ea viginti civitates dedit regi Tyri de sorte tribus Nephtalim. *e* Traditus est Joannes.] Tradito Joanne, idest, gratia Dei incarcerata, in alia regione surgere debent prædicatores. Non enim egent, qui sani sunt, medico. *Lucæ capitulo quinto.* Ubicumque fuerit corpus, &c. *Matth. capitulo vigesimoquarto.* Corpus mortuum peccatores, aquilæ prædicatores.

g Et appropinquabit regnum Dei.] idest, apertio januæ principio Evangelii cognitio Christi.

(Margin: *Matth.* 4. *Luc.* 5.; *Luc.* 4.)

h Et præteriens,] Marcus, & Matthæus videntur in electione discipulorum dissentire ab aliis in tempore, in loco, in modo. In tempore, quia dicunt vocatos post incarcerationem, Joannis. In loco, quia ambolante Jesu juxta mare Galilææ, *Lucæ cap.* 5. quia in magna piscium captura cum sederet Jesus in navicula Petri. In modo, quia isti dicunt binos, & binos vocatos. Lucas vero simul. Solut. Tres sunt vocationes. Prima ad notificationem, de qua *Joann. capitulo primo.* Secunda ad familiaritatem. *Lucæ capitulo quinto.* Tertia ad discipulatum, de qua *Matthæi capitulo quarto*, & hic. Similiter agit hic de vocatione majorum, & primitivorum. Non enim omnium Apostolorum vocatio exprimitur in Evangelio, sed tantum istorum, de quibus hic agitur, & aliorum trium discipulorum, scilicet, Philippi, & Nathanael. *Joan. cap.* 1. & *Matth.* 9.

i Mare Galilææ.] *Osee capitulo undecimo.* Disperdam Ephraim, &c.

k Vidit,] intuitu misericordiæ.

l Mittentes retia.] Ecclesiam pro nave regia: tria climata mundi sunt mare: scripturæ, retia, piscis, homo.

m Piscatores.] *Hilarius.* Ex eorum arte opus eorum futurum proditur, ut quemadmodum pisces e mari, ita homines e sæculo in superiorem locum, idest, in locum cœlestis habitaculi protrahendi sunt.

n Hominum,] non ranarum, & præbendarum, vel temporalium dignitatum.

o Et protinus.] *Actorum secundo.* Factus est repente de cœlo sonus. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia, *Augustinus.* Obediens, &c. Exemplum de marito.

p Relictis retibus,] In tertia vocatione non solum retia, sed etiam omnia reliquerunt.

q Secuti sunt eum.] *Hilarius* In his docemur Christum sequi, & ad sæcularis vitæ solicitudinem, ac paternæ domus consuetudinem non retrahi. *Glossa in Matthæum.* Non irrationabiliter, ut arguit *Porphyrius*: & *Julianus. Augustinus.* Apostoli statim secuti sunt Salvatorem, sed creduntur plura signa vidisse, antequam crederent. Majestas quoque divinitatis occultæ, quæ est in humana facie relucebat, ex quo aspectu poterat ad se trahere, quos volebat, sicut vis est in magnete, ut ferrum sibi copulet.

r Ingrediuntur.] *Glossa. Hieronym.* Marcus dicta Evangelii in semetipso disponens, ordinem historiæ non secutus, mysteriorum ordinem servat. Unde in sabbatis primam virtutem narrat dicens. Ingrediuntur, &c.

s Et statim.] *Ambros.* super Lucam. Quia nescit tarda, &c. ut in actum ingrediantur, multa tanquam cervus transiliens. Marcus nihil agit de sermone in monte, sed transit ad miracula, nec servat ordinem historiæ. Primo de arrepto in Synagoga sanato loquitur. Secundo, de socru Petri. Tertio, de leproso, cum e contrario factum sit. Sed hæc ad nostram instructionem fecit, ut ait *Beda*, quia hæc tria significant peccatum in consensu, & opere, & consuetudine, quod est quasi lepra incurabilis.

stupebant super doctrina ejus. Erat enim docens eos quasi *a* potestatem habens, & non sicut Scribæ. Et erat in *b* Synagoga eorum homo in *c* spiritu immundo, & exclamavi, dicens: *d* Quid nobis, & tibi Jesu Nazarene? *e* Venisti *f* perdere nos? *g* Scio, quia sis Sanctus Dei. Et comminatus est ei Jesus, dicens: *h* Obmutesce, & *i* exi de homine. Et *k* discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo. Et mirati sunt omnes, & ita ut conquirerent inter se, dicentes. *l* Quidnam est hoc? Quænam doctrina hæc nova? Quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei. Et processit *m* rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ. Et protinus egredientes de Synagoga, venerunt in *n* domum Simonis, & Andreæ cum Jacobo, & Joanne. *o* Recumbebat autem socrus Simonis febricitans, & statim dicunt ei die illa. Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus, & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis. *p* Vespere autem facto cum occidisset Sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & demonia habentes. Et erat omnis civitas congregata ad januam. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus. Et demonia multa ejiciebat, & non sinebat loqui ea, quoniam *q* sciebant eum. Et *r* diluculo valde surgens, *s* egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. Et *t* prosecutus est eum Simon, *u* & qui cum illo erant. Et cum invenissent eum, dixerunt ei, quia *x* omnes quærunt te. Et ait illis: *y* Eamus in proximos vicos, & civitates, ut & ibi prædicem: ad *z* hoc enim veni. Et *a* erat prædicans in Synagogis eorum, & omni Galilæa, & demonia ejiciens. Et *b* venit ad eum leprosus deprecans eum, & genuflexo dixit: *c* Si vis, *d* potes

a Potestatem habens.] *Eccl.* 8. Sapientia hominis lucet in vultu ejus, &c. *Matth.* 23. Dicunt enim, & non faciunt.
b In Synagoga.] hic subdit opus pietatis. Primo posuit Marcus opus pietatis in vocatione discipulorum: postea opus sapientiæ in prædicatione, & doctrina, nunc opus potentiæ ponit in miraculorum operatione.
c In spiritu immundo,] detentus scilicet. — Matth. v.
d Quid nobis, & tibi, Jesu Nazarene?] 2. *Cor.* 6. Quæ conventio Christi ad Belial? *Eccl.* 13. Quæ communicatio sancto homini ad canem?
D
e Venisti] *Beda*. Præsentia Jesu tormenta dæmonum sunt, 2. *Petr.* 2. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, &c.
f Perdere nos?] *Hieron.* Magnum tormentum est ei a læsione hominis cessare, quia tanto gravius dimittit, quanto diutius possedit.
g Scio,] idest, opinor. — Matth. 8. Luc. 4.
h Obmutesce,] Et si aliquod utile dixerint dæmones, non eis intendant. *Eccl.* 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris.
i Et exi de homine.] *Eccles.* 13. Sicut communicabit lupus agno, si. peccator justo.
k Et discerpens, &c.] Quia diabolus discerpit in exitu, vehementem dolorem diabolo ostendit. Signum autem, ut dicit *Gregorius*, quod tentatio gravior in fine. Unde *Apoc.* 12. Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam.
l Quidnam est hoc, &c.] Duo quærunt, de facto, & doctrina.
m Et processit rumor ejus] 1. *Timoth.* 3. Episcopus oportet habere bonum testimonium, &c. *Eccl.* 41. Curam habe de bono nomine. 2. *Corint.* 2. Christi bonus odor sumus, &c.
n Venerunt in domum Simonis.] *Joan. cap.* 1. dicitur, Petrum fuisse de Bethsaida, quod quamvis verum sit, poterat habere domum in Capharnaum ex parte uxoris suæ.
o Recumbebat autem socrus Simonis,] *Rabanus*. Allegorice, domus Petri circumcisio ejus est Apostolatui commissa. Socrus est Synagoga, quæ quodammodo mater est Ecclesiæ Petro commissæ. Hæc febricitat, quia invidiæ æstibus laborat persequens Ecclesiam. Socrus, cujus manum tangit Dominus, quando carnalia ejus opera in spiritualem usum convertit Ecclesia erecta ministratur ea spiritu.
p Vespere autem facto] *Malach. cap.* 3. Orietur vobis timentibus Sol justitiæ, &c. *Ecclesiast. cap.* 15. Non est speciosa laus in ore ejus. *Psal.* 49. Peccatori autem dixit Deus, &c.
q Quoniam sciebant eum.] *Philip. cap.* 1. Sive per veritatem, sive per occasionem, &c. *Lucæ cap.* 9. Domine, vidimus quemdam, &c. Et ait Jesus. Nolite prohibere, qui non est adversum vos, pro vobis est. Et Apostolus, & Dominus loquitur de mercenariis, qui male vivunt, & bene docent, qui non sunt arcendi, nec tamen amplectendi. Alii vero male vivunt, & male docent ubique, nam etiam hi sunt fures cavendi, & prohibendi. In quo figurate Dominus hæc dæmonia loqui prohibet.
r Et diluculo.]
Moraliter. Omnis Christi actio, nostra est instructio. Mane igitur nobis surgendum est ad bene operandum. Unde. Non sit vobis vanum, &c. *Psal.* 87. Et mane oratio mea præveniet te *Isa.* 26. Anima mea desideravit te in nocte. *Sap.* 16. Oportet namque Solem prævenire, &c. — Moraliter.
s Abiit in desertum.] Determinato tempore, determinat locum. *Exod. quinto.* Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto. *Job* 39. de onagro. Cui dedi in solitudine domum &c. Dominus turbas reficit in deserto. *Lucæ capitulo nono.* De quinque panibus. *Exod. decimosexto.* Filii Israel manducaverunt Manna in deserto. *Jerem.* 31. Invenit gratiam in deserto populus, &c. — Luc. 4.
Moraliter. Desertum est pœnitentia, quia sicut in deserto non inveniuntur delitiæ carnis, sic nec in vera pœnitentia. Item quia a paucis inhabitatur, & pœnitentia a paucis suscipitur. *Jerem. capitulo octavo.* Non est, qui agat penitentiam super peccato suo, dicens, quid feci. — Moraliter.
t Et prosecutus est eum Simon,] idest obediens. Tales apti sunt sequi Dominum. — Matth. 8. Luc. 5.
u Et qui cum illo erant] scilicet Andreas frater ejus, Joanes, & Jacobus, idest, vitilis, obediens, & simplicitas, & gratia.
x Omnes quærunt te.] Surgentes a somno cordis peccati. *Ephes.* Surge, qui dormis. *Proverbiorum sexto.* Usquequo piger dormis, quando consurgens a somno?
s Egressus,] Egredi docens a carne per contemptum deliciarum, a mundo per abjectionem divitiarum, a diabolo per odium dignitatum. *Isa.* 55. In lætitia egrediemini, & in pace deducemini.
x Omnes quærunt te,] quia tu es omne bonum. *Exod.* 33. Ostendam tibi omne bonum, &c. Omnes, quæ sua sunt, quærunt, sed non omnes bene quærunt, & ideo non inveniunt. *Osee* 5. In gregibus, & armentis suis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient. *Joann.* 6. Quæretis me, &c. — Philip. 2.
y Eamus, &c.] *Cantic. septimo.* Egrediamur in agrum, &c. Per villas, quæ absque omni munimine sunt, intelliguntur peccatores, qui absque divina defensione expositi sunt dæmonibus. *Isaiæ capitulo quinto*, de vinea mala, &c. Idem etiam significatur per agros. Debent ergo egredi prædicatores, & commorari, quod est contra illos, qui statim redeunt. 1. *Machabæorum capitulo tertio.* Judas perambulavit, &c. *Psalm.* 67. Benedicite de fontibus Israel, idest, aquas ad bibendum attrahite. Vos potate de fontibus, idest, doctrinis Scripturarum.
z Ad hoc enim veni.] *Isai. cap.* 61. Spiritus Domini super me.
b Et venit ad eum leprosus] Hoc idem dicitur *Matth.* 8. *Lucæ cap.* 5. Lepra est error. *Levit.* 13. Est superbia. 2. *Paralipom.* 26. De Ozia Rege, qui percussus est lepra. Et 4. *Regum cap.* 5. de Naaman. Erat Naaman dives, & fortis, sed leprosus. Per lepram significatur cupiditas. *Num. c.* 12. de lepra Mariæ. Et 3. *Reg. c.* 5. de lepra Giezi, &c.
a Et erat,] quod refert *Matth.* 4. [Si vis.] Brevis oratio, sed magna fides.
d Potes me mundare] idest, Ecclesiæ conformare.

In ,

In hoc enim se immundum judicat. *Boetius*. Si medicum expectas oportet, ut vulnus detegas. Mali e converso vulnera sua tegunt, & defendunt. [*Psal.* 41.] *Job* 41. Corpos ejus quasi scuta susilia, &c. Sed Dominus scuta ejus comburet.

me mundare, *a* Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam, & *b* tangens eum, ait illi. *c* Volo, mundare, Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est, Et *d* comminatus est ei, statimque ejecit illum, & dicit ei. *e* Vide, *f* nemini dixeris, sed vade, ostende te principi sacedotum, & offer pro emundatione tua, *g* quę pręcepit Moyses in testimonium illis. At ille egressus cœpit prędicare, & diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifeste in civitatem *h* introire, sed foris in desertis locis esse, & conveniebant ad eum undique.

C A P. II.

ET *i* iterum intravit Capharnaum post dies octo, & auditum est, quod in domo esset, & convenerunt multi, *k* ita ut non caperet neque ad januam, & loquebatur eis verbum. Et venerunt ferentes ad eum *l* paralyticum, *m* qui a quatuor portabatur. Et *n* cum non possent offerre eum illi prę turba, nudaverunt tectum, ubi erat, & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat. *o* Cum autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, *p* dimittuntur tibi peccata. Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis. *q* Quid hic sic loquitur? *r* Blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Quo statim *s* cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis

a Jesus autem misertus ejus extendit manum.] *Psal.* 144. Aperis tu manum tuam.

b Et tangens eum,] qui tangebatur fide illius. 1. *Cor.* 6. Qui adhæret Deo, unus spiritus est.

[D] *c* Ait illi, volo, mundare.] Ecce pietas, quæ fides excommunicat.

a Jesus autem misertus ejus.] tangendo. Tactus leprosi Christum non esse subjectum legi ostendit, ad humilitatem, & opera misericordię provocat, errorem Manichæi confutat.

d Et comminatus est ei.] *Beda*. Ubi leprosus mundatur, certus non exprimitur locus, ut ostendatur non unum populum specialiter alicujus civitatis, sed multos populos fuisse sanatos. *e* Et dicit ei. Vide] idest, considera, quomodo curatus es, nec est opus dici, quod exclamat ei natura rei, *infr.* 5. dicitur, & *Luc.* 9. Narra, quanta tibi fecerit Deus. *Origenes*. Non jubet supertacere principibus Israel, qui vident leprosum mundatum, sanantur a lepra peccatorum, & offerent se Deo, si credunt, aut si non credunt, inexcusabiles sunt. Vel ita munus, quod præcepit Moyses illis idest, sacerdotibus offerri in testimonium, idest, in signum spiritualis prohibitionis, sicut curatio lepræ contestatur curationi peccati, illius inquam munus offerant, non solum in signo, sed in re, ut turpem, a sacerdotibus peccati mundatus in sacrificium Dei transeat. Moyses enim præcepit.

f Nemini dixeris.] *Hier.* Nunc humilitas jussit latere. Solet tamen sic exponi. Ita evidenter curatus es, quod non oportet dicere alicui. Unde *Hier.* Noverat, ut sermonem jactaret, quod corpore præferebat. *Hilarius*. Jactantia invitata facit, ne lepra transire possit in medicum.

g Quæ præcepit Moyses in testimonium illis.] scilicet duos passeres. Unum in sacrificium, alterum in agrum.

h Ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem,] *Osee* 11. Ego Dominus & civitatem non ingredior.

E X P O S I T I O C A P. II.

ET iterum intravit Capharnaum.] *Sup.* egit de his, quæ mystice congruunt ordini restaurationis humanæ, idest, de increpatione dęmonis, de sanatione mulieris, de curatione leprosi hominis. In hoc secundo capitulo, iterum agitur de manifestatione potestatis, sapientiæ, & bonitatis ipsius Christi. Et dividitur in quatuor partes. In prima sanat paralyticum. In secunda vocat Matthæum, ibi [Et egressus.] Tertio, respondet accusantibus discipulos de jejunio, ibi [Et erant discipuli.] Quarto, respondet arguentibus discipulos super apparenti transgressione sabbati, ibi [Et factum est iterum. In prima, potentia. In secunda, sapientia. In tertia, sapientia, & bonitas. In quarta bonitas, & potestas declarantur. Dicit ergo, *i* Et iterum intravit Capharnaum, &c.] *Apoc.* 3. Ego sto ad ostium, & pulso. *Cant.* 5. Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi, soror mea, sponsa mea, amica mea, immaculata mea.

k Ita ut non caperet,] idest, capi non possent, quia nec etiam omnes tangere poterant januam domus, qui significant, quod Domino prædicante in Judæa, nec ad januam intraverunt, idest, ad pœnitentiam.

l Et venerunt ferentes ad eum paralyticum.] Paralyticus avarus, quia tremulus. *Dan.* 5. Compages renum ejus, idest, Balthasar, absorbens divitias, dissolvebantur, & genua ejus ad se collidebantur. Item quia insensibilis. *Jer.* 5. Percussisti eos, & non doluerunt, attrivisti eos, & renuerunt disciplinam accipere. Item quia dissolutus. *Is.* 35. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Item quia piger. *Prov.* 21. Desideria occidunt pigrum, noluerunt enim quicquam manus ejus operari. *Prov.* 19. Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet. *Luc.* 16. De divite. Item quia eloquens. *Isai.* 29. Erit quasi pythonis de terra vox tua, & de humo mussitabit eloquium tuum. [*Matth.* 9. *Luc.* 5. *Joan.* 5.]

m Qui a quatuor portabatur.] Moraliter. [*Luc.* 5. *Moraliter.*] Quatuor portatores, sunt cognitio criminis, memoria mortis, timor supplicii, spes præmii. Isti quatuor dicuntur super *Ps.* In te, Domine, speravi, &c. Vel quatuor portatores sunt bona operatio, eleemosyna, venia aliis facta, oratio Sanctorum, quatuor baculi. Bona operatio. *Gregorius*. Iterum fac, &c. Eleemosyna. *Dan.* 4. Peccata eleemosyna redime. Venia aliis concessa. *Matth.* 6. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester, qui in cœlis est. Sanctorum oratio. 1. *Reg.* 15. Peccavi, sed nunc porta, quæso, peccatum meum. Lectus, quo paralyticus defertur, est Dei patientia. *Is.* 46. Usque ad canos ego portabo.

n Et cum non possent offerre eum illi præ turba,] De impedimento turbæ, quære super *Luc.* 5.

o Cum autem vidisset Jesus fidem illorum,] *Gloss.* Multum valet apud Deum fides propria, ubi tantum valuit aliena, ut homo interius, & exterius sanatus repente exurgeret, aliorumque meritis sua ei relaxarentur peccata.

p Ait paralytico, fili dimittuntur tibi peccata.] Ex textu litteræ patet, quod ex merito fidei illorum inspiravit illi paralytico, fidem, qua infusa dimissa sunt illi peccata. Subtracta autem causa morbi, statim sanatus est. Et nota quod fides non dicitur prima gratia, quia semper sine meritis infunditur, sed quia sine propriis meritis. Unde *Hier.* Paralyticum sanavit, non pro sua fide, cum sensu careret, sed pro fide offerentium. Item videtur per *Interl.* quod infirmitas, quæ venit propter peccata, non sanatur nisi dimisso peccato, ergo furiosus, qui propter peccata in furiam incidit, nunquam sanabitur, cum non possit pœnitere nisi a furia liberatus. Contra *Dan.* 4. Sic Nabuchodonosor redditus est sensus ejus. Solut. Habebat lucida intervalla, & tunc poterat pœnitere. Et nota, ut dicitur. Elevavi ego Nabuchodonosor oculos ad cœlum, & sensus meus redditus est mihi. Ita per merita aliorum posset talis curari.

q Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis, quid hic loquitur.] *Eccl.* 13. Pauper locutus est, & dicitur quis est hic.

r Blasphemat. Quis potest dimittere peccata, &c.] Hoc dicendo, idest, quod solius Dei est, sibi usurpat. *Is.* 43. Ego sum, qui deleo iniquitates, &c.

s Quo statim cognito Jesus spiritu suo, &c.] *Heb.* 4. omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus, &c. *Paral.* 28. Omnia corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit. Cum tamen *Jerem.* dicat 17. Profundum est cor hominis, & inscrutabile, & quis cognoscet illud? [Cognito,] &c. 1. *Reg.* 16. Homo videt in facie ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor. *Prov.* 16. Omnes viæ hominum parent oculis ejus.

a Quid

in cordibus vestris? *a* Quid est facilius dicere paralytico, dimittuntur tibi peccata, an *b* dicere, surge, tolle grabatum tuum, & ambula? Ut *c* autem sciatis, quia potestatem *d* habet *e* filius *f* hominis in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi *g* dico, *h* surge, *i* tolle grabatum tuum, k & vade in domum tuam. Et *l* statim ille surrexit, & sublato grabato abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, & † honorificarent Deum, dicentes: Quia nunquam sic vidimus. Et *m* egressus est rursus *n* ad mare, *o* omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos. Et *p* cum praeteriret vidit Levi *q* Alphei *r* sedentem ad telonium, *s* & ait illi: Sequere me. Et *t* surgens secutus est eum. Et *u* factum est, cum accumberet in domum illius, multi publicani, & peccatores simul discumbebant *x* cum Jesu, & discipulis ejus. Erant enim multi, qui sequebantur eum, & Scribae, & Pharisaei videntes, quia manducaret cum publicanis, & peccatoribus, dicebant discipulis ejus: *y* Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit magister vester? Hoc audito, Jesus ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui male habent. *z* Non enim veni

Marc. 2. Luc. 5. — Matth. 9. Luc. 5. Joan. 5. — al. † glorificarent. — Matth. 9. Luc. 5. — Moraliter. — Galat. 2. — Matth. 9. Luc. 5.

a Quid est facilius dicere, &c.] idest dicto sanare paralyticum in anima.
b An dicere, surge, &c.] idest, dicto facere, ut surgat, & sanetur in corpore. *c* Ut autem sciatis, &c.] Possunt esse verba Evangelistae ad nos legentes, & audientes. [Ait] scilicet Christus. Vel possunt esse verba Christi ad Judaeos invidos, Scribas, & Pharisaeos. Loquitur autem de se in tertia persona vitando arrogantiam. Et tunc convertit ad paralyticum sermonem, unde interponit Evangelista. Ait paralytico, quasi praedicta dixit ad Judeos, haec scilicet. Ut autem sciatis, &c. sed hoc dixit paralytico [Surge, tolle, &c.] Secundum hoc videtur, quod probatio Domini nulla sit, quia majus est sanare animam quam corpus. Sol. Sicut dicit *Beda*, aequalis potentiae est utrumque, sed sanatio corporis omnibus notior est, unde ipsum hoc posse, poterant scire, quod illud poterat. *d* Habet.] non dicit accepit, sed habet. *e* Filius] idest, Christus.
f Hominis] idest, virginis, non hominum.
g Tibi dico surge,] *Interl.* A carnalibus desideriis. 1. *Petr.* 2. Obsecro vos tanquam advenas &c. *Eph.* 5. Surge, qui dormis. *i* Tolle grabatum tuum,] *Hier.* Ut quod fuit testimonium infirmitatis, fit probatio sanitatis.
h Surge, tolle grabatum tuum,] idest lectum, a graba, quod est caput, lectus, scilicet pauperum, ubi scilicet nihil sternitur nisi caput.

Moraliter.] Primum est, surgere, peccatum dimittere. Secundum, lectum tollere, est delectationem peccati sibi in onus poenitentiae convertere. Tertium est, ut hoc non agat pro laude, vel lucro temporali, sed spe coelestium. Hoc est.

k Et vade in domum tuam,] idest, sursum ad patriam coelestem, quae est domus tua per fruitionem, & affectionem tuam. Haec tria signantur *Matth.* 16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, idest, veterem hominem, idest, peccata, hoc primum ut dicat. Vivo ego, jam non ego, & tollat crucem suam, ecce secundum, scilicet poenitentia, & sequatur me, ecce tertium, scilicet intentio recta. Quidam lectum suum dimittunt, qui scilicet de corpore suo nullam curam gerunt. Contra quos dicitur hic. [Tolle lectum tuum.] Et *Nahum* 3. Intra in lutum, & calca subigens, tene laterem. *Ephes.* 5. Nemo unquam suam carnem odio habuit. Illi autem lectum secum tollunt, qui corpus suum trahunt ad servitium Spiritus. *Job* 7. Si dixero, consolabitur me lectulus meus, & relevabor mecum loquens in strato meo, terrebis me per somnia. *Cant.* 3. In lectulo meo per noctem quaesivi, quem diligit anima mea. *k* Et vade in domum tuam,] idest, discute conscientiam. *Isa.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos, &c. *Psalm.* 100. Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meae. Vel [Vade in domum tuam] idest, cogita de sepulchro tuo. *Psal.* 48. Sepulchra eorum domus illorum in aeternum. *Eccl. ult.* Ibit homo in domum aeternitatis suae. Item, [Vade in domum tuam,] idest, considera fragilitatem tuam, & vilitatem. *Nahum* 3. Intra in lutum, &c. In primam domum debes ire, idest in Paradisum, ut spes erigatur. In secundam, idest conscientiam, ut totum, quod turpe est, ejiciatur. In tertiam, idest sepulchri, ut ad peccata praeterita reditus timeatur. In quartam, idest utilitas, ut humilitas cordis custos virtutum augeatur. *l* Et statim ille surrexit, & sublato grabato abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, &c.] *Luc.* 5. Et stupor apprehendit omnes. *Ambr.* Malunt timere, quam credere. Ergo non credebant: quomodo ergo dicitur hic, quod honorificabant Deum? Solut. Non credebant auctoritati facientis, scilicet, quod Christus esset Deus, tamen credebant factum, & reverebantur, & Deum magnificabant.

m Et egressus est rursus] post curationem paralytici in Capharnaum.
n Ad mare,] egreditur, qua non solum cives, sed & maris habitatores instruit, & fluctuantis mundi motus fidei firmitate contemnere docet. *o* Omnisque turba veniebat ad eum, &c.] sicut ad Joannem in desertum egrediebantur omnes. *p* Et cum praeteriret.] *Matth.* 20. Stetit Jesus. *Gl.* Praeteriens audit ut homo, stans illuminat ut Deus.
q Vidit Levi Alphei] scilicet filium. *r* Sedentem ad telonium.] Telonium domus, in qua solvuntur tributa, vel vectigalia. Vis est in visu, quia & caladrius visu sanat, & struthio visu fovet ova. Unde *Ambrosius super Psa.* 118. Plerisque justi aspectus admonitio correctionis est. *Sap. cap.* 4. Respectus ejus in electos illius. *Luc.* 22. Conversus Dominus respexit Petrum. *Ps.* 13. & 52. Dominus de coelo prospexit, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. [Sedentem ad telonium.] Levi sedens ad telonium, ut recipiat tributa, est Sacerdos recipiens tributa animarum, & sedens per otium, & torporem, cui dicitur, sequere me. *Prov.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum. *Thr.* 2. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiae Sion.
s Et ait illi, sequere me.] *Job* 28. Ferrum de terra tollitur, idest, Matthaeus de telonio *Roman.* 5. Ubi abundavit delictum, &c.
t Et surgens secutus est eum.] 3. *Reg.* 19. Cum venisset Elias ad Elisaeum, misit pallium suum super eum, qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam. *Job* 23. Vestigia ejus secutus est pes meus.
u Et factum est, cum accumberet in domo illius, &c.] 1. *Cor.* 5. Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, dolosus, aut avarus, cum hujusmodi nec cibum sumere. Sed iste erat raptor, & avarus. *Ambros.* Reliquit propria, qui rapiebat aliena. Solut. Jam poenitens erat excommunicatus, unde nec vitandus. 1. *Cor.* 5. *Glos.* Nos a communione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo judicio ecclesiastico, vel saeculari nominatum, atque convictum. Item *ibid.* Modicum fermentum, &c. *Gloss.* Judicis non est sine accusatore damnare, ut nec Christus Judam abjecit. Item *Ps.* 100. Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam. *Glos.* communicando in peccato. *Hier.* Discumbentes viderunt publicanum a peccatis ad meliora conversum, locum invenisse poenitentiae, & ob id non desperant de salute, praesertim illi, qui jam poenitentes sequebantur.
x Cum Jesu, & discipulis ejus.] *Job* 1. Faciebant convivia per domos, unusquisque in die sua, & mittentes vocabant tres sorores suas, idest infirmos cogitatione, verbo, & opere, ut comederent, & biberent cum eis. *Luc.* 14. Cum facis convivium, voca pauperes, & debiles, caecos, & claudos, & beatus eris, quia non habent, unde retribuant tibi. *Esther ultim.* Tertia decima die mensis, &c. idest, post impletionem decalogi, & Evangelii, celebraverunt convivia cum gaudio, partes sibi invicem mittentes, majores minoribus. *Exod.* 26. Cortina cortinam trahit. *Apocal. ult.* Et qui audit dicat veni. *y* Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit Magister vester?] Vadit ad convivium peccatorum, ut occasionem docendi plures haberet. Item ut cibos spirituales daret. Item, ut humilitatem doceret. Item, ut potentiam suam ostenderet. *z* Non enim veni vocare justos, idest falso se justificantes, dum tales sunt. *Joan.* 6. Quia dicit, videmus,

videmus, peccatum vestrum manet in aeternum.

a Sed peccatores,] idest, peccata sua agnoscentes. *Ezec.* 34. Quod perierat, requiram, & quod abjectum fuerat, reducam. *b* Et erant discipuli Joannis.] *Gl.* Alii Evangelistae. *Matt.* 9. *Luc.* 5. dicunt Pharisaeos, & discipulos Joannis hoc quaesivisse. Sed hic videtur dicere, quod alii quaesierunt, quos ejusdem rei cura movisset. Unde colligitur hoc a pluribus fuisse objectum a Pharisaeis, a discipulis Joannis, a convivis, & a quibuslibet aliis. [Et erant discipuli Joannis, & Pharisaei jejunantes, &c.] *Gl.* super Mattheum, In tribus erat reprehendendi discipuli Joannis. Primo, quia de jejunio se jactabant. Secundo, quia Christum, quem Joannes laudaverat, calumniabantur, volentes obliquare in eum culpam aliorum. Tertio, quia erant familiares Pharisaeis, quos Joannes condemnaverat. *Matth.* 3. Progenies viperarum.

c Quare discipuli, &c.] Jejunat hypocrita, ut appareat pauper, cum egeat, fastidiosus ut appetat, bonus ut proficiat, aegrotus ut valeat, avarus ut pereat.

vocare justos, sed *a* peccatores. Et *b* erant discipuli Joannis, & Pharisaeorum jejunantes, & veniunt, & dicunt illi: *c* Quare discipuli Joannis, & Pharisaeorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant? Et *d* ait illis Jesus: *e* Nunquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare. Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt in illis diebus. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri, alioquin aufert supplementum novum a vetere, & major scissura fit. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres, alioquin dirumpent vinum utres, & vinum effundetur, & utres peribunt.

Versus. *Falsus, inops, plenus, bonus, abstinet, aeger, avarus.*

d Et ait, &c.] Nota, quod isti arguentes discipulos Christi de jejunio, tacite crimen obliquabant in magistrum, ideo excusando discipulos, excusat pariter seipsum, ostendens eis per partes jejunii, quod non debent jejunare, quia nec jejunio moeroris, nec jejunio exultationis debent jejunare, ergo nullo. Est enim jejunium duplex, scilicet moeroris, & exultationis. Jejunium moeroris est in duobus, scilicet, in abstinentia cibi, & a vitiis. Secundum quosdam & pro absentia sponsi corporalis, & pro ejusdem absentia spirituali, quae fit per peccatum. Jejunium autem exultationis est in duobus, & pro uno, idest, in abstinentia ab alimonia ciborum, & ab amore mundanorum, & pro desiderio celestis patriae. Utrumque repraesentat Ecclesia. Primum scilicet moeroris in quadragesima, cum jejunat, & cantica laetitiae subticet, scilicet Alleluja. Jejunium exultationis in septimana Pentecostes, cum jejunat, & cantica laetitiae frequentat. Tunc enim cantatur Alleluja.

Primum ergo probat Dominus, quod non debent jejunare jejunio moeroris dicens.

e Nunquid possunt, &c.] idest, debent, quasi dicat, non, quia non habent absentiam sponsi corporalem, neque spiritualem. Postea per duas similitudines ostendit, vel probat, quod non debent jejunare jejunio gaudii, nec est eis injungendum simpliciter illud jejunium, quod ostendit per similitudinem de vino novo. Nec etiam particula est eis injungenda, quod ostendit per similitudinem de panno novo. Per vinum enim novum simpliciter jejunium gaudii significatur, per pannum novum ejus pars, scilicet abstinentia a cibis. Si enim injungeretur eis jejunium exultationis, vel quo ad abstinentiam cibi, vel mundi amoris, possent cito recedere a fide, sicut quidam fecerunt. *Jo.* 6.

f Et factum est iterum, &c.] De hoc *Matth.* 12. *Luc.* 6.

Mystice. Mystice.] In sabbato, quia in otio, & quiete. *Eccl* 38. Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, &c. Et factum est, &c. Sata sunt codices sacrae Scripturae. Semen est spiritualis intelligentia. Spicae sunt auctoritates, sive sententiae. Per haec sata Christus abiit, dum Scripturam spiritualiter exposuit. Et nos similiter si volumus esse discipuli ejus, debemus frequenter ire per haec sata, studendo, meditando, & colligere spicas, idest, auctoritates, quibus populus reficiatur. *Isa.* 17. Brachium ejus spicas leget.

Moraliter. Moraliter. Sata mundus, qui seminatus est triplici semine, idest concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitae. 1. *Joan.* 2. Omne, quod est in mundo, &c. Vel certe tot habet semina, quot sunt hominum genera. *Matth.* 13. Exiit, qui seminat seminare semen suum, Per quod debent ire discipuli: Spicae, homines, quos debent avellere a terra, idest, ab amore terrenorum per praedicationem, & manibus confricare per boni exempli informationem, & manducare, idest, in corpus Ecclesiae trajicere per Sacramentorum exhibitionem. De hac messe *Jo.* 4. Levate oculos vestros, & videte regiones, quia albe sunt jam ad messem. *Luc.* 10. Messis quidem multa, operarii vero pauci, rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Item, *g* Spicas.] *Luc.* 6. Et manibus confricantes manducabant. Non quaerebant isti Episcopi alimentorum delicias, ferculorum varietates, spicae satae erant cum sapore Clarevallensi. *Prov.* 27. Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. *h* Ecce quid faciunt, &c.] Non de cibo accusant, sed de tempore, quia de venia, & fruge licet edere, sed non falcem mittere. Unde *Deut.* 23. Si intraveris segetem amici tui, franges spicas, & manibus conteres, falce autem non metes. Hi sunt reprehensores fratrum studentium, qui nimia sunt intenti circa studium Scripturarum. Dicunt Morales, non est bonum in Theologia tot quaestiones implicare. Dicunt Quaestionistae, non est bonum tot moralitates fingere, & quilibet reprehendit quod nescit.

Sed vinum novum in utres novos mitti debet. Et *f* factum est iterum, cum sabbatis ambularet per sata, & discipuli ejus coeperunt progredi, & vellere *g* spicas. Pharisei autem dicebant ei: *h* Ecce quid faciunt discipuli tui sabbatis, quod non licet. Et ait illis: Nunquam legistis, quid fecerit *i* David, quando necessitatem habuit, & *k* esuriit ipse, & qui cum eo erant, *l* quomodo introivit in domum Dei sub *m* Abiathar principe Sacerdotum, & *n* panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi Sacerdotibus, *o* & dedit eis, qui cum eo erant? Et *p* dicebat eis: Sabbatum propter homines factum est, & non homo propter sabbatum. Itaque Dominus est filius hominis etiam sabbati.

Dicunt alii, non licet in sabbatis, idest diebus festivis studere. *Apoc.* 1. Ego Joannes fui in spiritu in dominica die. *i* David] fugiens Saulem.] 1. *Reg.* 21.

k Esuriit ipse, & qui cum eo erant.] Quatuor modis excusat Dominus discipulos. Primo per famis necessitatem, exemplo David. 1. *Reg.* 21.

Secundo per officii dignitatem, exemplo Sacerdotum. *Lev.* 23.

Tertio, per misericordiae praelectionem, auctoritate *Osee* 6. Quia misericordiam volui, &c.

Quarto per Domini dispensationem.

Mystice. Mystice.

David Christus est, qui esuriit salutem nostram. Et qui cum eo sunt, quasi omnes boni esuriunt salutem aliorum. 1. *Tim.* 2. Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. *Joan.* 19. Sitio. *Mat.* 25. Esurivi, & dedistis mihi manducare.

l Quomodo introivit] Abimelech pro eo.

m Sub Abiathar, &c.] *Glos.* dicit super *Matth.* 12. quod hoc factum est sub Abimelech patre Abiathar. *Chr.* solvit quod binomius erat. *Beda* dicit, quod ambo tunc aderant Abimelech pater, & Abiathar filius, sed quia Abiathar majoris dignitatis erat sub David, quam pater ejus constitutus sub Saule, ideo jam Dominus mentionem facit de eo. *n* Et panes propositionis, &c.] *Exod.* 25. Pones super mensam meam panes propositionis in conspectu meo semper. *o* Et dedit eis, &c.] Nota, quod Abimelech urgente necessitate dispensavit cum David, ut posset comedere de sacris panibus, quos aliter non liceret ei comedere, nisi cum dispensatione, nec Abimelech, qui erat summus sacerdos, posset aliter dispensare, nisi ex necessitate, vel utilitate. Unde *B. Bern.* Non sum tam rudis, ut ignorem vos dispensatores esse positos, sed in aedificationem, non in destructionem. Ubi necessitas urget, excusabilis est dispensatio, ubi utilitas provocat dispensationem, laudabilis est dispensatio. Utilitas dico communis, non propria. Ubi nihil horum est, non dispensatio, sed potius crudelis dissipatio est. *Leo Papa.* Ubi necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiae, qui potestatem habet, ea dispenset. *p* Et dicebat eis, Sabbatum propter, &c.] Secunda excusatio.

Alias duas dimittit, quae sunt in *Matth.* 12.

EXPO-

EXPOSITIO CAP. III.

ET introivit iterum, &c.] In capite præcedenti egit Evangelista de ostensione potentiæ, sapientiæ, & bonitatis Christi, ut dictum est. Hic agit iterum de eisdem. Nam per hoc ostenditur præcipue ejus deitas, quod maxime intendit Marcus. Unde in principio dixit: Initium Evangelii Jesu Christi filii Dei. Primo agit de sanatione manus aridæ. Secundo de vocatione discipulorum, ibi. [Et ascendens in montem] in quo sapientia. Tertio de mansuetudine, & zelo ejus, in quo bonitas, ibi [Et convocatis.] Dicit ergo. *a* Et introivit, &c.] Tangit in hoc maxime Sacerdotes, & Prælatos, quos nimis tenet domina avaritia. *Jer.* 6. A minore usque ad majorem omnes student avaritiæ. *Zac.* 11. Brachium ejus ariditate siccabitur. *b* Habens manū aridam.] *Amb.* & *Orig.* super introducunt eum sic clamantem, Domine, cæmentarius eram arte, & manu victum quærebam.

E *Matth.* 12. *Matth.* 12. *Luc.* 6.

CAP. III.

ET *a* introivit iterum in Synagogam, & erat ibi homo habens manum aridam, & *c* observabant eum, si sabbatis curaret, ut accusarent illum. Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium. Et *d* dicit eis: Licet sabbatis bene facere, an male? Animam salvam facere, an perdere? At illi tacebant. Et circumspiciens eos cum ira, *f* contristatus super cæcitatem cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et *g* extendit, & restituta est manus illi. *h* Exeuntes autem statim Pharisæi cum Herodianis consilium faciebant adversus eum, *i* quomodo eum perderent. Et *k* Jesus cum discipulis suis *l* secessit ad mare, & multa turba a Galilæa, & Judæa *m* secuta est eum, & ab Jerosolymis, & ab *n* Idumæa, & trans Jordanem, & qui circa *o* Tyrum, & Sydonem multitudo magna audientes, quæ faciebat, venerunt ad eum. Et dixit discipulis suis, ut in navicula sibi deservirent propter turbam, ne *p* comprimerent eum. Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent quotquot habebant plagas. Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes: Tu es filius Dei, *q* & vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum, *r* & ascendentes in *s* montem *t* vocavit ad se, quos voluit ipse, & venerunt ad eum. Et *u* fecit, ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi *x* infirmitates, & ejiciendi *y* dæmonia. Et *z* imposuit Simoni nomen Pe-

c Et observabant, &c.] *Glos.* Quia discipulos probabiliter excusaverat, ipsum observant, ut si in Sabbato curet transgressionis, si non curet, crudelitatis, aut imbecillitatis arguant.

d Et dicit, &c.] *Glos.* Arguit eos, qui legis præcepta prava intentione violabant, æstimantes in sabbato a bono feriandum esse, cum dicat lex: Omne opus servile non faciet in eo, idest, peccatum, &c. *Gl.* itaque si David rex, & Sacerdotes secundum alium Evangelistam propter templi ministerium sabbatum violantes crimine carent, quanto magis filius hominis verus rex, & Sacerdos, & ideo Dominus sabbati in sabbato vulsarum spicarum crimine non tenetur reus. Item alia *Glos.* Ita sabbatum custodiri præceptum est, ut si necessitas fuerit non sit reus, qui violaverit. Sabbato circumcidere non est prohibitum, quia necessarium. Josue muros Jericho septem diebus circuivit *Josue* 6. Et Machabæi in sabbato pugnaverunt. 1. *Mach.* 2. Quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit. Sic & hodie in jejuniis, si quis jejunium fregerit ægrotus, non tenetur reus.

f Contristatus, &c.] *Luc.* 19. Vidit Jesus civitatem Jerusalem, flevit super illam: *Isa.* 6. Excæca cor populi ejus. *g* Et extendit] *Prov.* 31. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperes. *h* Exeuntes autem, &c.] *Interl.* Similis similem quærit. *Eccl.* 13. Omne animal sibi simile diligit, sic & omnis homo proximum suum. Item *Eccl.* 27. Volatilia ad sibi similia conveniunt. *Gl.* Matthæus dicit illos interrogasse. Marcus, & Lucas interrogatos fuisse. Sed illi prius interrogaverunt, & Jesus cognita nequitia eorum statuit in medio sanandum, & interrogavit, quod Marcus, & Lucas dicunt, & tunc illis tacentibus proposuit similitudinem de ove, & conclusit, quod licet sabbatis bene facere. Et sic circumspiciens, &c. *e* Perdere.] *Glos.* Non quod summe prius quemquam possit perdere, sed ejus non salvare est perdere, sicut dicitur cor Pharaonis indurasse, non quod obduravit, sed quod obduratum non emollivit. *i* Quomodo eum perderent.] *Gloss.* Magnum studium nequitiæ, in crimen reputant, quod ad verbum illius manus sanata est. Nec in sabbato potest convinci laborasse, qui dixit, & facta sunt, cum ipsi in sabbatis cibos portent, calices porrigant, & cetera victui necessaria. *k* Et Jesus cum discipulis suis.] Ostendit facto, quod docuit verbo. *Matth.* 10. Si persecuti vos fuerint in unam civitatem, fugite in aliam. *l* Secessit] *Luc.* 13. Non capit prophetam perire extra Jerusalem. *m* Secuta est. *Rab.*

Sequuntur Dominum alii propter { Cœleste mysterium discipuli. / Sanationem infirmi. / Novitatem miraculorum curiosi. / Invidiam Pharisæi.

Mystice. Hoc significat, quod a Judæis ad gentes transiturum erat regnum. Unde *Matt.* 21. Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus *Actor.* 13. Quia vos repellitis verbum Dei, & indignos vos judicatis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes. *Mystice.*

Moraliter.] Instruit nos Dominus, ut in omni tribulatione, & persecutione convertamur ad pœnitentiam. Mare enim amaritudinem pœnitentiæ significat. Sic faciebat. *Ps.* 34. Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio, ecce vestis asperitas: Humiliabam in jejunio animam meam, ecce cibi ariditas. In his duobus consistit pœnitentia. Et significantur septem, quæ sunt in vera pœnitentia. Peccati detestatio Galilæa; peccati confessio, Judæa; satisfactio Jerusalem, idest, pacifica fragilitatis, & vilitatis consideratio; Idumæa idest, sanguinea humiliatio; Jordanis, idest, rivus judicii, timor supplicii; Tyrus, idest, angustia desiderium regni, Sidon, idest, venatio. *Moraliter.* *Septem sūt in vera pœnitentia.*

n Idumæa] sanguisuga. *Osee* 4. Sanguis sanguinem tetigit.

o Tyrum] angustiam. *Prov.* 11. Justus de angustia liberatus est, &c.

p Ne compri.] *Luc.* 8. Præceptor, turbæ comprimunt te. *q* Et vehementer, &c.] Moraliter.] Instruit nos, ne velimus laudari a turpibus. *Ps.* 140. Oleum peccatoris non impinguet caput meum. *Sen.* Tantundem est laudari a turpibus, & ob turpia, nec curanda est laus hominis, quia opera in fine manifestant, qualis quisque fuerit. Unde *Eccl.* 11. Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis suis cognoscitur vir.

r Et ascendens, &c.] Ubi primo, & principaliter agit de Apostolorum electione. Secundo de zelo suo ab illis cognito, ibi: Et venerunt, &c. Tertio de calumnia Pharisæorum in ipsum, ibi. Et scribæ, &c.

Ascendit Christus in { Desertum, ut tentaretur, *Matth.* 4. / Montem, ut doceret: *Matth.* 5. / Montem Tabor, ut transfiguraretur: *Matth.* 17. / Asinam, ut humilis videretur: *Matth.* 21. / Montem Oliveti, ut oraret. *Matth.* 26. / Crucem, ut exaltaretur. *Matth.* 27. / Celum, ut glorificaretur. *Luc. ult.*

s In montem] Mons solidus est Christus firmamentum. *Col.* 2.

Mons est Christus ob tria. { Mons radios solis recipit primo, sic Christus gratiam Spiritus sancti. *Joan.* 3. Non ei datur ad mensuram. / De monte fluunt aquæ, sic de Christo ad nos omnes gratiæ. Unde *Jo.* 1. Et de plenitudine, &c.

Hier. Mons ille est mons Tabor, vel alius mons in Galilæa.

t Vocavit, &c.] *Heb.* 5. Hi non assumpserunt sibi honorem, sed vocati a Deo tanquam Aaron.

u Et fecit,] ut essent duodecim cum illo,] Duplex perfectio in vita, & scientia. Item ter quatuor septem columnæ, quibus sapientia ædificat sibi domum. *Prov.* 9. *Apoc. ult.* Murus civitatis habens fundamenta duodecim, &c.

x Infirmitates] tam corporales, quam spirituales.

y Dæmonia,] idest, dæmones, peccata. *z* Et imposuit Simoni, &c.] *Gen.* 17. Immutatur nomen Abrahæ, qui primum dicebatur Abram, postea dictus est Abraham. Et quæ prius dicebatur Sarai, postea Sara vocata est.

Item

Item *Gen.* 32. Jacob prius, postea Israel appellatus est. Similiter hic prius Simon, postea Petrus. Similiter in canonizatione Papæ proprium mutatur nomen. Ad quid? Ut nominis mutatio vitæ mutationem, & officii ostendat celeritatem. Et nota, quod Dominus illis tribus discipulis, qui secum fuerant in transfiguratione, in puellæ suscitatione, in oratione, idest Petro, Jacobo, Joanni nomina mutavit, in quibus tota substantia religionis consistit. Simon obedientia, Joannes gratia, Jacobus continentia, quia plantam a terris levat abdicatio proprietatis. De Simone fecit Petrum, idest, de obediente agnoscentem. Joannem, & Jacobum vocavit Boanerges, idest, filios tonitrui. Unde *Ps.* 76. Vox tonitrui tui in rota, idest, in novo Testamento tonuit, *Jo:* 1. In principio erat verbum. Tonat Jacobus modo, per fratres sancti Jacobi tonat. *Is.* 27. Qui egrediuntur impetu a Jacob, implebunt faciem orbis semine. Et nota, quod Petrum, idest, agnoscentem occidit Nero, idest, lucens, idest, inanis gloria, vel lucida sermonis. Unde *Eccl.* 4. Non abscondas sapientiam in dedecore suo, Jacob, idest, scholarem in studio luctantem, occidit Herodes, idest, gloria pellis. Omnia enim, quæ audit, ponit in pelle, & nihil in corde: Quater nos implet, & cor vacuum remanet. *Job* 24. Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt. Joannem autem nullus interficit, quia qui gratiæ habendæ causa student, salvantur, & salvant. Tamen in exilio mittitur, quia tales hodie contemnuntur, nec libenter audiuntur, & in exilio videt Apocalypsim, idest, revelationem. Boanerges, unum nomen dat duobus, ut invicem uniantur res, & corda inter fratres. *Actuum quarto* Multitudinis credentium erat cor unum.

b Tonitrui] quod est in nubibus, idest, Apostolis. *Is.* 60. Qui sunt isti, qui ut nubes volant.

c Et Matthæum.] Hic ostenditur, qualis debet esse prælatus: Matthæus, idest donatus, idest, gratia electus Dei, non se gerens. *Heb.* 5. Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Vel donatus, ut non sit suus, sed subditorum. 1. *Cor.* 9. Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci. *Rom.* 1. Sapientibus, & insipientibus debitor sum.

d Et Thomam.] Thomas abyssus profunda intelligens, peccatorem se cognoscens sine candore vestium. *Habac.* 3. Dabit abyssus vocem suam.

e Et Jacobum Alphæi.] Jacobus luctator cum diabolo. *Gen.* 32. *Eccl. ult.* Colluctata est anima mea cum sapientia (Alphæus doctus) *Isai.* 28. Quem docebit scientiam, &c.

f Thadæum] *Gloss.* custos cordis. Huc Lucas in Evangelio, & in Actibus Apostolorum Judam Jacobi nominat, quia frater Jacobi fratris Domini est, inde frater Domini dicitur.

Unde dicitur filius Mariæ matris Jacobi, & Joseph, & Judæ, & Simonis, ad differentiam Simonis Petri [Thadæus] custos cordis. *Prov.* 4. Fili, omni custodia serva cor tuum, &c. *Osee* 7. Ephraim, &c.

g Simon Zelotes] idest, zelo domus Dei ponens sibi testimonia. *Rom.* 9. Optabam anathema esse pro fratribus, &c. [Judas] glorificans Deum, non se habens memoriam mortis ante oculos, ne quando superbiat. Unde ante Papam comburitur stupa.

a Jacobum Zebedæi.] *Glos.* qui & frater dicitur Domini, quia Maria Alphæi fuit soror matris Domini, quam Joannes Maria Cleophæ dicit, fortasse, quia idem Alphæus, & Cleophas.

Vel defuncto Alphæo post natum Jacobum Cleophæ nupsit, qui merito filius Alphæi dicitur, idest, docti.

[Simonem.] *Gloss.* Simon Chananæus, qui Zelotes dicitur a Chana vico Galilææ.

trus, & *a* Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filii *b* tonitrui. Et Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & *c* Matthæum, & *d* Thomam, & *e* Jacobum Alphei, & *f* Thadæum, & *g* Simonem Chananæum, & *h* Judam Scarioth, qui & tradidit illum. Et *i* veniunt ad domum, k & convenit iterum turba, ita ut non possent neque *l* panem manducare, & *m* cum audissent sui exierunt *n* tenere eum: Dicebant enim, quoniam in furorem versus est. Et Scribæ, qui ab Jerosolymis descenderant, dicebant, quoniam *o* Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo potest Satanas Satanam ejicere? Et si regnum in se dividatur, non potest stare regnum illud. Et si domus super semetipsum dispertiatur, non potest domus illa stare. Et si Satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est,

a Judas Scarioth.] *Glos.* a vico, in quo ortus est, aut a Tribu Issachar. Issachar interpretatur merces, vel pretium, scilicet proditionis, Scarioth, a memoria mortis, quia non repente, sed præmeditatus Dominum tradidit.

i Et veniunt ad domum.]

Moraliter. Post laborem activæ vitę ducit ad quietem contemplativæ Jacob: sic enim de amplexibus Lię transit ad amplexus Rachel, &c. *Gen.* 29. *Ezec.* 3. dicitur. Egredere, &c. Et postea subditur. Ingredere, & includere in medio domus tuæ. Docet etiam, post promotionem redire ad sui considerationem, ne superbia surrepat cū dignitate. *Ezec.* 3. Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, quasi dicat, attende, quod filius hominis es, quamvis speculator, &c. k Et convenit iterum turba.

Turba impedit:
- Languidum, ne Jesum agnoscat. *Joan.* 5.
- Cæcum increpando, ut taceat. *Matt.* 20.
- Zachæum obstans, ne videat Deum. *Luc.* 19.
- Ferentes paralyticum, ne ante Dominum veniat, *sup.* 2.
- Retardans parentes adire Jesum, *inf. eod.*
- Differens suscitationem mortuæ. *Matth.* 9.
- Prorogans illuminationem cæci, *inf.* 8.
- Volens Jesum in regem rapere. *Joan.* 6.
- Jesum comprimens, & affligens. *Luc.* 8.
- Apostolos manducare prohibens. Ut hic.

l Neque panem.] In hoc docet prælatos, & Doctores propter cibum spiritualem debere dimittere corporalem. *Joan.* 4. Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis Cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

m Et cum audirent sui exierunt.] Utinam essent discipuli sui, qui eum tenerent precibus, ne ultio ejus in furorem verteretur. *Isa.* 64. Non est, qui invocet nomen tuum, qui consurgat, ut teneat te. Placet enim Domino sic teneri. Unde *Ezec.* 22. Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, *Exod. c.* 32. Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos.

Sui:
- Creatione.
- Reparatione. *Jo:* 1. Sui eum non recepêrunt.
- Origine. Salus ex Judæis est. *Joan.* 4.
- Electione. *Deut* 7. Te elegit Dominus Deus tuus.
- Legatione. *Matth.* 15.
- Familiaritate. *Is.* 5. Quid ultra debui facere.

n Tenere eum,] tanquam furiosum dicit *Bern.* [Quoniam in furorem versus est.] Ita etiam hodie fit, quando parentes vident aliquem suorum audire Theologiam, dicunt, quod insanit, & stultus est, vellent enim potius, quod audirent lucrativas scientias, nec curarent, si animam perderet, dummodo dilataret parentes. *Eccl.* 39. Adhuc consiliabor, ut enarrem, &c.

Nota, quidam dicunt Dominum furiosum, ut hi. Alii phantasma. *Matt.* 14. Et videntes eum super mare ambulantem turbati sunt dicentes, quia phantasma est. Alii potatorem vini, & devoratorem. *Matth.* 11. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini. Alii seducentem turbas. Alii filium fabri. *Luc.* 4. Nonne hic est filius Joseph. Alii hortulanum. *Joann.* 20. illa existimans, quod hortulanus esset, &c. Alii spiritum. *Luc. ult.* Conturbati vero, & conterriti existimabant se spiritum videre. Sic & nos ipsum dicimus furiosum, cum ejus famulum bene facientem, & bene prædicantem stultum reputamus. *Luc.* 10. Qui vos spernit, me spernit. *Matth.* 25. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

De hoc dicitur *primo Regum vigesimoprimo* Defluebant David salivæ in barbam, in qua prædicationis abundantia significatur. Et dixit Achis ad servos suos. Vidistis hominem insanum? Et 4. *Reg.* 9 Quid venit insanus iste ad te? Illi vero reputant phantasma, qui abstinentem

quasi

quasi non sit homo, admirantur, & irrident. *Matth.* 11. venit Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt dæmonium habet. Illi vero voratorem dicunt, qui viros religiosos, quos vident, dicunt in occulto vacare delicis. *Job*, 30. Esse sub sentibus delicias reputabant. Illi reputant Dominum seductorem, qui monentes ad introitum religionis dicunt seductores. *Jo.* 7. Nunquid & vos seducti estis? Et bona seductio ista. *Jer.* 20. Seduxisti me, Domine, & seductus sum, fortior me fuisti, & invaluisti, factus sum in derisum tota die. Illi dicunt filium hominis filium fabri, qui propter generis ignobilitatem contemnunt alios, & promovere nolunt. 1. *Reg.* 10. Nunquid Saul inter prophetas, & quis pater ejus? Item 2. *Reg.* 20. Non est pars nobis in David, neque hæreditas in filio Isai.

Illi hortulanum æstimant, qui propter laborem magnum, quem in religione habent, negotiationes adducunt. *Joan.* 2. Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.

Illi spiritum dicunt, qui propter divinum opus, vel sermonem aliquem spiritualem reputant. *Act.* 32. Videntibus autem illis, nihil mali fieri in eos conjicientes, dicebant esse Deum.

a Et non poterit stare] *Isai.* 43. Post me non erit, &c. *b* Vasa fortis.] *Isa.* 49. Nunquid tolletur a forti præda? *Job* 40. Non est potestas super terram, &c. *c* Diripiet.] *Chrysostom.* Non dicit rapiet, sed diripiet.

d Amen dico vobis.] De hoc. *Luc.* 12. *Matth.* 12. c. 2.

e Non habet remissionem.] Nunne statim ante dixerat, quod blasphemiæ in Deum dimittuntur? Item nonne dicit auctoritas de nemine desperandum esse dum vivit? Item alia peccata dimittuntur peccatoribus, si pœniteant, eodem modo & hoc peccatum, aut immisericordia esset in Deum, si pœniteret, nec alia peccata dimittuntur, sicut nec illud. Nota ergo, quod peccatum in Spiritum sanctum, est peccatum ex certa malitia, sed non est tale, scilicet, quod ex certa malitia peccatum non in Spiritum sanctum, scilicet, ut si forte, quis scienter se provocat ad fornicandum: sed peccatum in Spiritum sanctum determinat, sive importat in se duo, scilicet, obstinationem, & impugnationem. Et obstinatio in duobus consistit, in desperatione, & præsumptione.

Præsumptio, cum quis dicit neminem damnandum: sic enim evacuat misericordiam Dei.

Impugnatio etiam, quæ est peccatum in Spiritum sanctum, duplex est, scilicet, veritatis agnitæ, ut in hæreticis, qui eum in Ecclesia Dei veritatem audierint, eam impugnant. Et invidentia gratiæ, ut in Pharisæis, qui dicebant, quod Dominus in principe dæmoniorum ejiceret dæmonia, cum non possent operi detrahere, modo operandi detrahebant, sciebant enim, quod non posset tanta signa facere, nisi esset a Deo, ut dicitur. *Jo.* 9. circa finem, & tamen dicebant opera Beelzebub. Solutio. Ego dico, quod istud peccatum etiam dimittitur, si digne pœniteat, sed quia aut vix, aut nunquam pœnitet, quia Dominus non visitat talem, dicitur non habere remissionem, aut vix, sive difficile habere. Vel dic, quod accidentale est peccato, quod sit peccatum in Spiritum sanctum, secundum enim, quod importat impœnitentiam, est peccatum in Spiritum sanctum, & sic nullo modo habet remissionem. In universo quinque partium est peccatum in Spiritum sanctum, desperatio, præsumptio, impugnatio veritatis agnitæ, impugnatio fraternæ charitatis, propositum non pœnitendi, sive finalis impœnitentia. Dicitur autem irremissibile, quia adversatur fonti remissionis.

Item, quia non habet colorem excusationis.

Item, quia vix se potest parare talis ad pœnitentiam.

Item, quia raro dimittitur hoc peccatum.

Item, quia non legitur, alicui esse remissum. Item quia meretur talis non pœnitere.

Item quia nihil de pœna dividitur. Unde versus:

Adversans purum vix raro non legit usquam.
Plene punitur non pœnituisse meretur. *Versus.*

f Et foris stantes.] Ecce vide, quod pater, & mater vellent nos foris stare, & sæcularibus intendere.

& *a* non poterit stare, sed finem habet. Nemo potest *b* vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, & tunc domum ejus *c* diripiet. *d* Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blasphemiæ, quibus blasphemaverunt. Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non *e* habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti, quoniam dicebant, spiritum immundum habet. Et veniunt mater ejus, & fratres, *f* & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum. Et sedebat circa eum turba, & dicunt ei: Ecce mater tua, & fratres tui quærunt te. Et respondens eis, ait, *g* quæ est mater mea, & *h* fratres mei? Et circumspiciens eos, qui in circuitu ejus sedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei. *i* Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.

C A P. IV.

ET *k* iterum *l* cœpit Jesus *n* docere ad *o* mare, & con-

g Quæ est mater mea.] Hoc debent dicere clerici, & maxime Prælati: [Quæ est mater mea, & fratres mei,] sicut & Levitæ dixerunt. *Deut.* 33. Qui dixit patri suo, & matri suæ, nescio vos, &c. *h* Et fratres mei.] His enim, qui foris erunt, dicet: Nunquam novi vos *Matt.* 7. Amen dico vobis nescio vos. *Matth.* 35. *i* Qui enim fecerit voluntatem Dei] Voluntas Dei est hominum sanctificatio. 1. *Thess.* 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Veritatis agnitio. 1. *Tim.* 2. Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem suæ veritatis venire. Credentium salvatio. *Jo.* 6. Hæc est voluntas patris mei, &c. Discipulorum secum habitatio. *Joan.* 17. Volo, pater, ut ubi sum ego, &c. Filii Passio. *Matth.* 26. Non sicut ego volo, sed sicut tu. Præceptorum impletio. *Matth.* 6. Fiat voluntas tua, idest, gloriosa voluntas Dei præceptorum impletio.

E X P O S I T I O   C A P. IV.

ET iterum cœpit Jesus, &c.] Supra egit de electione discipulorum, quos elegerat ad prædicandum. In hoc quarto capite docet eos officium suum verbo, & exemplo, ut illud exequendo, mereantur spiritualiter mater, & soror, vel frater Christi vocari. Et dividitur hoc caput in quatuor partes. In prima agit de diversitate auditorum verbi Dei.

In secunda agit de modo fructificandi verbi.

In tertia de fertili humilitate eibi.

In quarta placato mari, discipulis timorem excutit.

Vel in prima docet eos discretionem fidei.

In secunda rectitudinem, & erectionem spei.

In tertia fervorem charitatis. In quarta constantiam securitatis, In prima parte primo dicitur ubi docentur. In secunda, quomodo ibi. (In parabolis.) Tertio quid ibi: (Audite.) Quarto exponit parabolam ibi: (Vobis datum.) Quinto dicit, cur Apostolis exposuerat, ibi (Et dicebat.) Sexto hortatur ad impletionem verbi in opere, ibi: (Si quis habet.) Dicit ergo:

k Et iterum, &c.] quia semper iteranda est prædicationis doctrina. Sapientia enim clamitat, ut dicitur. *Prov.* 8. Cœpit] non puduit Dei sapientiam quasi alphabetum, &c.

Moraliter. *Moraliter.*

n Docere] simplices rudimenta timoris Domini, quod est principium sapientiæ. *Prov.* 1.

m Jesus] in quo notatur recta intentio prædicationis, quia prædicabat ad salutem animarum, *Jac.* 1. cum mansuetudine suscipite insitum verbum, &c. Timor enim laborat sicut bonus miles Jesu Christi.

n Docere ad mare,] idest, peccatores, non Angelos. *Psalm.* 50. Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Et *Psalm.* Dixi iniquis, &c. Ecce profectus simplicis prædicationis. *Eccl.* 4. Congregationi pauperum affabilem te facito. (In navim ascendens,) ut exemplo operis doceret eos ascendere. *Nehem.* 8. Stetit Esdras super gradum, &c. Vel.

o Ad mare,] quia dicitur *Eccl.* 43. Qui navigant mare, enarrant pericula ejus, idest, mundi.

o Ad mare.] Mare mundus. Unde *Psal.* 103. Hoc mare magnum, & spatiosum.

Moraliter. *Moraliter.*

(Mare) eos significat, qui sunt in amaritudine peccati. Isti multum pauperes sunt, unde talibus est prædicandum. Et hoc est, quod dicitur. *Matth.* 11. Pauperes evangelizantur. Et *Prov.* 31. Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo.

a Turba

gregata est ad eum *a* turba multa, ita ut in navim ascendens, sederet in *b* mari, & omnis turba circa mare super terram erat, & docebat illos in *c* parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua. *d* Audite, ecce exiit seminans ad seminandum. Et dum seminat, aliud *e* cecidit secus viam & *f* venerunt volucres, & comederunt illud. Aliud vero cecidit *g* super petrosa, ubi *h* non habuit terram multam, & i statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ, & quando exortus est Sol exæstuavit, & eo quod non habebat radicem, exaruit. Et aliud cecidit in *l* spinas, & ascenderunt spinæ, & suffocaverunt illud, & fructum non dedit. Et aliud cecidit in *m* terram bonam, & dabat fructum *n* ascendentem, & *o* crescentem, & afferebat unum triginta, & unum sexaginta, & unum *p* centum. Et dicebat: Qui habet *q* aures audiendi, audiat. Et cum esset *r* singularis, interrogaverunt eum hi, qui cum eo erant duodecim, parabolam. Et dicebat eis: Vobis datum est † *s* nosse mysterium regni Dei: *t* illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, ut *u* videntes videant,

a Turba multa.] Quia multi sunt peccatores. *Eccl.* 1. Stultorum infinitus est numerus.

b In mari.] Sic prædicator dum prædicat peccatoribus, sedere debet in amaritudine cordis per compassionem. 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? *Gl.* Parabola est rerum natura discrepantium sibi sub aliqua similitudine facta comparatio.

c In parabolis] Parabola alia metaphorice, quæ scilicet in verbis est, ut cum de aliquo dicimus, ferreus est. Allegorica, quæ in facto, quando per unum factum docemus aliud, & utroque modo docet Dominus in parabolis. Sic enim sapientes sermones suos incorporant, ut sensibiles auditores ex fidei voce ad spiritualiũ notitiam valeant manu duci. *Eccl.* 39. Sapiens in absconditis parabolarum conversabitur.

B

al. † circa.

d Audite, ecce, &c.] *Supr.* 1. Eamus in proximas civitates, ut ibi prædicem. Ad hoc enim veni.

e Aliud cecidit secus viam,] idest, in illos, qui se viam dæmonibus, & malis cogitationibus retinent, qui nec prædicatione compunguntur, nec bene agere incipiunt. *Is.* 51. Posuisti corpus tuum, ut terram, & quasi viam transeuntibus. *Job* 20. Vadent, & venient super eum horribiles.

f Et venerunt volucres.] *Judic.* 6. Cum seminasset Israel, ascendebat Madian, & Amalech, & ceteri Orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis, cuncta vastabant. *Ose.* 8. Culmus stans non est in eo germen, non facient farinam, quod si fecerit, alieni comedent eam. *Agg.* 1. Seminastis multum, & intulistis parum. *Ezec.* 39. Feris, avibus, omnique volatili cœli, & bestiis terræ dedi te ad devorandum. *Deut.* 32. Devorabunt eos aves morsu amarissimo, &c.

g Super petrosa, &c.] Moraliter. Per viam, & petrosa, per spinas, & terram bonam, quatuor genera hominum intelliguntur.

Per viam luxuriosi. *Eccl.* 9. Omnis mulier fornicaria quasi stercus conculcabitur in via. *Is.* 15. Posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus. Per petrosa superbi, qui duri sunt, sicut diabolus. *Job* 40. Cor ejus indurabitur quasi lapis. Et illud franget Deus, idest omnem superbum.

Per spinas significantur avari. De quibus *Job* 30. Esse sub sentibus delicias computabant. *Jer.* 4. Nolite serere super spinas. Patet, quia pungunt multipliciter. In acquisitione, conservatione, diminutione. Cum labore enim acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore dimittuntur, vel amittuntur.

Per terram bonam boni: quibus dicitur *Jacob* 1. Suscipite in mansuetudine insitum verbum, &c. De qua terra *Heb.* 6. Terra sæpe super se venientem bibens imbrem germinans herbam opportunam his, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo, proferens autem spinas, & tribulos reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem veniet. Et de hoc notatur similiter supra *Matt.* 13. Semen est verbum Dei. Seminans prædicator. *Act.* 17. Quid vult seminiverbus hic dicere? Hic debet exire ab amore mundi, & ab amore parentum, & ab amore sui. *Gen.* 12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi. Hoc est contra illos, qui nolunt exire ad extraneos, ut ibi seminent verbum Dei. *Genes.* 26. Seminavit Isaac in Geraris, idest, advena.

Item contra inveteratos multos in studio Parisiis. *Mic.* 4. De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem.

Et concident gladios, idest, subtiles disputationes in vomeres, idest, grossas moralitates.

Est autem semen multiplex. Semen seminatum, idest, verbum Dei. Hoc Christus in Judæa, & Apostoli in mundo seminaverunt, *Isa.* 27. Qui egrediuntur impetu a Jacob, florebit, & germinabit Israel, & implebunt orbem semine. *Lev.* 19. Non seres agrum tuum diverso semine. Quod facit, qui bonum prædicat, & malum exemplum dat.

Item est semen inspiratum, idest virtus. Hoc seminat solus Deus in corde hominis. *Gen.* 22. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Item semen cooperatum, fervor charitatis cooperante gratia, & bonorum operum multiplicatio. 2. *Corint.* 9. Qui parce seminat, parce & metet. Item semen datum, eleemosyna. *Eccles.* 11. Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua.

Item semen oratio. Qui seminat in lacrymis, &c. Item semen carnalis concupiscentiæ. *Gal.* 6. Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem. Fructus vero triplex, centesimus, sexagesimus, tricesimus. Centesimus triplex, scilicet perfectiu contemplationis, integritas virginitatis, palma martyrii. Item sexagesimus duplex, scilicet perfectio activæ, vita vidualis. Trigesimus duplex fides Trinitatis, vita conjugalis.

al. † scire.

h Ubi non habuit.] *Ezech.* 36. Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri. *Amos c.* 6. Nunquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis? *Exod.* 32. Iratus Moyses projecit tabulas lapideas ad radicem montis.

i Et statim exortum est.] Hoc modo est contra similitudinem facti, quia ubi sunt petræ, ibi est ariditas, ubi non statim oriuntur segetes. Abundantia enim humiditatis facit citius exoriri.

Sol. In principio veris quando humor abundat, citius oriuntur segetes in terra petrosa, sed statim deficiunt, quia humor statim deficit: Unde dicit: [Quoniam non habebat altitudinem terræ.]

k Et quando exortus est Sol.] *Jonæ ult.* Percussit Sol super caput Jonæ, & æstuabat. *Ps.* 18. In Sole posuit tabernaculum suum.

l In spinas,] *Jerem.* 4. Nolite serere super spinas.

m In terram bonam.] Ecce tres partes seminis pereunt, & sola quarta fructificat. In quo docemur, non debere desistere a prædicatione, etsi pauci proficiant.

n Ascendentem.] *Psalmo octuagesimotertio.* Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, &c. Et ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus deorum in Sion.

o Et crescentem.] *Genes.* 27. Seminavit Isaac in terra illa, & invenit in illo anno centuplum. Unde secundum diversitatem terrarum magis, vel minus multiplicatur seges.

p Centum,] in virginibus. Ex hoc videtur, quod majus præmium habeant virgines quam conjugati. Contradicit auctoritas, quæ dicit, quod cœlibatus Joannis non præfertur conjugio Abrahæ.

Dicitur ergo, quod se habent ut excedentia, & excessa quoad essentiam meriti, & quoad essentiam præmii, non status.

q Aures audiendi,] *Job* 42. Auditu auris audivi te.

r Singularis.] *Eccl.* 38. Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, idest actione, idest non multum est occupatus, sapientiam percipiet. *Isai.* 8. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.

s Nosse,] vel [scire.] *Psal.* 2. Et nunc Reges intelligite. Et *Sap.* 6. Audite Reges, & intelligite, discite judices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines.

t Illis,] idest, ceteris.

u Ut videntes videant.] *Isai.* 6. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.

a Et non

& *a* non videant, & audientes audiant, & non intelligant, ne quando convertantur, & dimittantur eis peccata. Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? Et quomodo omnes parabolas cognoscetis? Qui *b* seminat, verbum *c* seminat. Hi autem sunt, qui circa viam ubi seminatur verbum, & cum audierint, confestim venit satanas, & aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum. Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur, qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud, & *d* non habent radicem in se, sed temporales sunt: deinde orta tribulatione, & persecutione propter *e* verbum confestim scandalizantur. Et alii sunt, qui in spinis seminantur, hi sunt, qui verbum audiunt, & ærumnæ sæculi, & *f* deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine *g* fructu efficitur. Et hi sunt, qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, & suscipiunt, & fructificant, unum triginta, unum sexaginta, & unum centum. Et dicebat *h* illis: nunquid venit *i* lucerna, ut sub *k* modio *l* ponatur, aut sub lecto? Nonne ut super candelabrum *m* ponatur? non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur. nec factum est occultum, sed ut in *n* palam veniat: Si quis *o* habet aures audiendi, audiat: Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In qua *p* mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis. Qui enim habet, dabitur illi, & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Et dicebat: *q* Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat semen in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & *r* semen germinet, & increscat, dum *s* nescit ille. Ultro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spicam: Et cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis. Et *t* dicebat:

a Et non videant] *Hier.* Ingenio præsumentes se videre priventur spirituali intellectu.
c Verbum.] Semen est verbum Dei. *Luc.* 8. De quo *Isa.* *inf.* Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha simile essemus. *b* Qui seminat,] idest, *Cor.* 9. Si nos vobis spiritualia seminamus.
d Et non, &c.] *Job* 15. Non mittet in terram radicem, auferetur spiritu oris sui, idest, verbum jactantiæ.
e Propter verbum.] *Marc.* 5. Beati, qui persecutionem patiuntur, &c.
f Deceptio, &c.] *Aug.* Pes animæ timor est, qui si rectus sit, dicitur charitas, si non, vel tortuosus est, concupiscentia est.
g Et sine, &c.] Deceptio divitiarum, idest, falsæ, & fallentes divitiæ, quia falsæ non sunt veræ divitiæ, quæ remanent in æternum. *Prov.* 10. Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aves volantes fallentes, quia promittunt satietatem & pariunt famem, *Eccles.* 5. Avarus non implebitur pecunia. Item promittunt voluptatē, & pariunt anxietatem. *Eccl.* 6. Satietas divitis non finit eum dormire. Item promittunt securitatem, & pariunt timiditatem. *Job* 15. Sonitus terroris semper in auribus ejus, & cum pax sit semper insidias suspicatur.

Item promittunt firmitatem, & pariunt formidinem. *Ps.* 88. Posuisti firmamentum ejus formidinem.

Item dominium, & pariunt servitutem. *Thr.* 5. Ægypto dedimus manum, idest, homagium fecimus diabolo, sive mundo. 1. *Tim. ult.* Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli. Item promittunt refrigerium, & pariunt æstum. *Eccl.* 34. Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia: Propter hoc dicit *Ps.* 61. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.
h Et dicebat illis, &c.] Supra dixit Marcus, quomodo omnibus posuit parabolam, & Apostolis exposuit sensum. Hic vero dicit, quare eis exposuit, ut scilicet per eos aliis innotescat, per hoc innuens, quod ipsis quasi secretariis suis aperienda erant abdita Scripturarum, & committenda secreta mysteriorum, quia & ipsi futuri erant seminatores verbi Dei. Per hoc etiam instruit eos, & nos, ut sicut ipse propter malos, qui aderant, non desiit ab eorum instructione, ita nec nos.
i Nunquid venit, &c.] *Ps.* 110. Lucerna pedibus meis verbum tuum, &c. Et *Prov.* 6. Mandatum Dei lucerna est, & lex lux. *k* Ut sub modio.] *Luc.* 8. & 11. *Matt.* 5. Nemo accendit lucernam. *Matt.* 6. Lucerna corporis tui est oculus. *l* Ponatur.] 2. *Cor.* 4. Si opertum est Evangelium nostrum, in his, qui pereunt, est opertum. *Prov.* 11. Qui abscondit frumentum, &c. *m* Candelabrum.] Hoc est quod *Mat.* 10. dicitur: Quod in aure auditis, prædicate super tecta. *Eccl.* 20. Melior est, qui celat insipientiam suam, quam qui abscondit sapientiam suam. *Eccl.* 30. Bona abscondita in ore clauso, quasi oppositiones epularum circumpositæ sepulchro. *Zach.* 4. Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas super caput ejus, & septem lucernæ super illud, *Is.* 62. Salvator ejus ut lampas accendatur.
n In palam veniat,] *Hier.* Nolite timere persecutionem eorum, neque æmulemini simulatores, quia veniet dies judicii, in quo & virtus vestra, & eorum demonstrabitur nequitia. Unde 1. *Cor.* 4. Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. *Mal. ult.* Dies Domini non relinquet in eis radicem, neque germen, idest, cogitationem, vel opus impunitum. *Sap.* 6. Data est a Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes vestras scrutabitur.
o Si quis, &c.] Hic hortatur seato ad impletionem, & receptionem verbi.
p In qua mensura, &c.] sed culpa est temporalis: ergo & pœna. Sol. In contractu fit temporalis actio, & jus perpetuum empturum. Item vulneratio momentanea dat mortem. Item casus in foveam temporalis detentio perpetua. Item jus divinum perpetuam acquirit servitutem. Item *Aug. de civ. Dei lib.* 21. octo genera pœnarum esse in legibus scripsit. Damnum, vincula verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem. Quid bonum est, quod durius vindicet quod commissum sit præter talionem? Item præterea peccans offendit infinitum bonum. Item *Aug.* Fatuus est, & malo dignus æterno, qui in se peremit bonum, quod poterat esse æternū. Item *Sap.* 14. Factum cum illo, qui fecit tormenta, patietur. Sed æterna erit macula, quæ non poterit tolli, ergo & pœna. Unde *Is.* 14. Operimentum tuum vermes. Sicut enim quamdiu humor est in cadavere, vermes nascuntur ex putredine, sic ex ipsa materia peccatorum supplicia gignuntur.

Matth. 5. *Luc.* 5 & 16 *Matth.* 10. *Luc.* 8. *Matth.* 7. *Luc.* 6. *Matth.* 13. & 25. *Luc.* 8. & 19. *Matth.* 25. *De pœn. dist.* 2. *dum sanctam.*

Item *Aug.* Vel [Quia mensura mensi, &c.] In voluntate quippe propria metitur bonus homo bona opera, in eis remetietur ei beatitudo.

Item in voluntate propria metitur malus mala opera, in eis metietur ei miseria. Igitur in eadem quævis non æternorum malorum æterna supplicia mereantur. Et quia voluit æternam habere peccatorum servitutem, æternam inveniet & vindictæ severitatem.
q Et dicebat] secunda parabola de semine, in quo comparatur non persona personæ, sed negotium negotio, ubi Ecclesia dicitur regnum Dei, quia in ea Dominus regnat, & per eam regit homines, & vitia calcat. Semen vero dicitur verbum Dei sicut prius. Et est sensus. Ita procedit status Ecclesiæ, quemadmodum si homo jaciat semen suum, & dormiat, & eo nesciente semen crescat, primo nascitur, deinde crescit, deinde maturescit, & tandem colligitur, & reponitur in horreum. Ita Ecclesia primo seminatur semine verbi Dei: Deinde nascitur in herbam per timorem, deinde crescit in spicam per amorem, tandem colligitur, & reponitur in horreum Domini. Unde *Matth.* 3. Permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet inextinguibili igni. Homo semen jacens est filius Dei, qui corda hominum seminavit prædicando, deinde dormivit moriendo.

Post somnum ejus, idest, post obitum ejus, semen surrexit, & crevit ipso nesciente, idest, scire nos non faciente.

Dicit ergo [Et dicebat, &c.]
r Et semen germinet] *Eccl.* 15. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit, dabitur ei. Et modicum ante: Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum.
s Nescit.] *Eccl.* 19. Nescit homo an amore, an odio dignus sit. *t* Et dicebat.] Hic tertio agit de humili fructificatione verbi Dei.

a Cui assi-

A *a* Cui assimilabimus regnum Dei, aut cui parabolæ comparabimus.] Tertia parabola est, in qua Dominus verbum comparat grano sinapis. In prima quidem comparavit verbum semini, quia facit affectum. In secunda lucernæ, quia illuminat intellectum. In hac tertia grano sinapis, quia castificat sensum. Et fit hæc comparatio sicut aliæ secundum progressum Ecclesiæ, quia sicut granum sinapis jactum in terram minimum est omnium seminum, deinde excrescit in arborem magnam, ut omnium arborum excedat magnitudinē, ita verbum Dei in principio nascentis Ecclesiæ minimum erat reputatione, sed tandem crevit, quia disseminatum est per Apostolos in omni terra, & factum est majus omnibus herbis: idest, doctrinis Philosophorum, quæ tanquam olera herbarum cito decidunt, quia quanto magis crescunt; tanto magis vilescunt. Diversæ igitur scientiæ diversa semina. *Lev.* 19. Non seminabis agrum tuum diverso semine. Inter omnes alias scientias Theologiæ congruentius comparatur granum sinapis, quia in superficie apparet vilissima, sed si conteratur dente disputationis, tunc sentitur acumen subtilitatis, atque difficultatis. Comparatur etiam spiritualiter, &c.

[*Matth.* 13. *Luc.* 13.] D [*Matth.* 13.] [*Matth.* 13. *Luc.* 8.]

a Cui assimilabimus regnum Dei, aut cui parabolæ comparabimus illud? *b* Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quæ sunt in terra, & cum natum fuerit, ascendit in arborem, & fit *c* majus omnibus oleribus, & *d* facit ramos magnos, ita ut *e* possint sub umbra ejus aves cœli habitare. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire: Sine parabola autem non loquebatur eis, Seorsum autem discipulis suis disserebat omnia. Et ait illis in die illa, cum sero esset factum. *f* Transeamus contra: Et dimittentes turbam *g* assumunt eum, ita ut erat in navi, & aliæ *h* naves erant cum illo. Et facta est procella magna venti, & *i* fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis. Et erat *k* ipse in puppi super cervical dormiens. Et excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus? Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et *l* cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna. Et ait illis: Quid timidi estis? Necdum habetis fidem. Et *m* timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas est iste, quia & ventus, & mare obediunt ei.

C A P. V.

ET *n* venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum. Et † *o* exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis *p* homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis. Et *q* neque catenis jam quisquam poterat eum ligare, quoniam sæpe compedibus, & catenis vinctus dirupisset catenas, & *r* compedes comminuisset, & *ſ* nemo poterat eum do-

[† al. exeunte eo.]

b Sicut granum sinapis, &c.] Granum sinapis prædicatio Evangelii est, ex qua charitas, quæ est major omnibus, quia omnia reputat stercora, ut patet in Apostolo. *Philipp.* 3. Et per hanc parabolam dat intelligere, quod prædicatores debent esse humiles. Unde Dominus docuit eos dicere, quod habetur *Luc.* 17. Servi inutiles sumus, &c. Et per prædicationem crescunt in arborem magnam. Qui enim fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum, ut dicitur. *Matth* 5. Et hujus arboris, idest, prædicationis fructus est in cibum, & folia in medicinam, ut dicitur *Ezech.* 46.

Granum sinapis verbum Evangelii.
- Parvum in humilitate.
- Subpurpureum in patientia.
- Siccum in abstinentia.
- Solvit paralysim linguæ in prędicatione.
- Dissolvit duritiam cordis compassione.
- Attrahit exemplo.
- Extinguit carnem domando.
- Multiplicatum est semen in spirituali prole.
- Contritum dilatat odorem per bonam famam.

c Et fit majus omnibus oleribus,] id est, aliis scientiis. 3. *Reg.* 12. Locutus est Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum. Sic multi Theologiam vertunt in alias scientias.

d Et facit ramos magnos.] 1. *Cor.* 13. Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, &c. Ibi quindecim rami sunt charitatis.

e Ita ut possint sub umbra ejus aves cœli habitare,] idest, contemplativi, quorum conversatio in cœlis. *Dan.* 4. Ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia, magna arbor, & fortis, & proceritas ejus usque ad cœlum attingens, aspectus ejus erat usque ad terminos universæ terræ, folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea, subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis ejus volucres cœli conversabantur, & ex ea vescebatur omnis caro.

f Transeamus contra,] idest, ad ripam oppositam.

g Assumunt eum:] Nautæ, vel Apostoli.

h Et aliæ naves.] Naves insipientium, proficientium, pervenientium.

i Et fluctus mittebat in navim.] *Isai.* 51. Ego Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumescunt fluctus ejus, & sic posuisti profundum maris viam. *k* Et erat ipse in puppi super cervical dormiens &c.] Hæc est causa procellæ, & tempestatis *Jonæ* 1. Facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri, &c. Sic continua, quia Jonas dormiebat sopore gravi, sc. sopor naturalis mors ejus, tepor fidei. *l* Et cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna.] *Nahum.* 1. Dominus in turbine, & tempestate viæ ejus, increpans mare, & exsiccans illud. *Tob.* 3. Post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem, & fletum exultationem infundis. *m* Et timuerunt timore magno.] *Hier.* Non discipuli, sed nautæ, & ceteri, qui in navi erant. Si autem quis contentiose voluerit eos, qui mirabantur fuisse Apostolos: respondebimus, homines recte fuisse appellatos, quia necdum potentiam noverant Salvatoris.

[*Matth.* 8.] [*Luc.* 8.] [*Matth.* 8. *Luc.* 8.] A

E X P O S I T I O   C A P. V.

n ET venerunt trans fretum maris, &c.] Quintum capitulum, in quo prosequitur Marcus de miraculis Christi, per quæ divinitas demonstratur, quod maxime intendit. Unde dividitur hoc capitulum in tres partes, propter tria miracula, de quibus agit in in hoc capitulo. Primo, de sanatione dæmoniaci, a quo ejecit legionem. Secundo, de curatione Hemorrhoissæ, ibi. [Et cum transcendisset Jesus.] Tertio, de suscitatione filiæ Archisynagogi, ibi. [Adhuc eo loquente, &c.]

o Et exeunti ei, &c.] *Luc.* 8. *Matth.* 8.

p Homo in spiritu immundo.] *Matth.* 8. dicit, quod occurrerunt ei duo habentes dæmonia. *Luc.* 8. dicit, quod unus, sicut Marcus. Et revera duo occurrerunt, ut dicit *Matth.* sed unus eorum clarior erat, & famosior, pro quo maxime dolebat illa regio, & quo sanato fama latior exiit, & ideo de illo faciunt mentionem Marcus, & Lucas. Præterea per duos idem significatur, quod per unum, scilicet, gentilis, de duobus filiis Noe natus. Ita dicit *Augustinus*.

Moraliter,] autem per illum dæmoniacum, qui neminem per viam transire sinebat, ut dicitur *Matth.* 8. significatur cæcus advocatorum, qui omnes simpliciter gradientes convertunt in bellum, & lites. Unde *Mich.* 2. Populus meus in adversarium consurrexit, desuper tunicam pallium sustulistis, eo quod illos, qui simpliciter transibant, convertistis in bellum. *Psal.* 67. Dissipa gentes, quæ bella volunt.

q Et neque catenis, &c.] *Jerem.* 5. Ibo ad optimates, & loquar eis: Ipsi enim cognoverunt viam Domini, & judicium Dei sui: Et ecce magis hi simul confregerunt jugum, & ruperunt vincula.

r Et compedes.] De quibus. *Ecclesiastici cap.* 6. Injice pedem tuum in compedes illius.

ſ Et nemo poterat eum domare,] eo quod erat sine timore Dei, *Jac.* 3. Linguam autem nullus hominum doma-

mare. Et semper *a* nocte, *b* ac die in *c* monumentis, *d* & in montibus erat *e* clamans, & *f* concidens se lapidibus. Videns autem Jesum a longe cucurrit, & adoravit eum, & clamans voce magna, dixit: Quid mihi, *g* & tibi, Jesu fili Dei † altissimi? Adjuro te per Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi: Exi, spiritus immunde, ab homine isto. Et interrogabat eum: Quod tibi *h* nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia *i* multi sumus. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem. *k* Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus pascens in agris. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: *l* Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Et concessit eis statim Jesus. Et *m* exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos, & *n* magno impetu grex præcipitatus est in *o* mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari. Qui autem pascebant eos fugerunt, & nunciaverunt in civitatem, & in agros. Et *p* egressi sunt videre, quid esset factum, & veniunt ad Jesum, & vident illum, qui a dæmonio vexabatur sedentem *q* vestitum, & sanæ mentis, *r* & timuerunt. Et *s* narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis. Et *t* rogare cœperunt eum, ut discederet de finibus eorum. Cumque *u* ascenderet navim, cœpit illum deprecari, qui *x* a dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo, & *y* non admisit eum, sed ait illi: *z* Vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis, *a* quanta tibi Dominus fecerit, &

al. † summi.

re potest, est enim inquietum malum. *Eccl.* 28. Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem. *a* Nocte,] adversis. *b* Ac die] prosperis. In *c* monumentis,] In fœditate operum. *d* Et in montibus erat,] In fastibus superbiæ. *e* Clamans,] per verba durissimæ infidelitatis. *f* Et concidens se lapidibus,] superbi enim duri sunt, frangi possunt, flecti nequeunt. Hi sunt, de quibus *Eccl.* 21. Via peccatorum complantata lapidibus. Hi sunt etiam, qui dicunt: Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, ambulavimus vias difficiles. *Sap.* 5. *g* Quid mihi, &c.] *Hier.* Non est voluntatis ista confessio, sed necessitatis extorsio: Item ridiculose, putant quidam dæmonia nosse filium Dei, & diabolum ignorare, eo quod minoris malitiæ sint satellites, quam ipse, sed tam dæmones, quam diabolus magis suspicantur filium Dei esse quam noscant. *Greg. in moralib.* Aliquando sciebant ipsum esse filium Dei, ut audientes vocem in Baptismo, & transfiguratione, aliquando revocabant in dubium, memores ejus infirmitatis. *h* Quod tibi nomen est?] Vult Dominus, ut nomen peccati in confessione exprimatur. *Isa.* 14. Perdam nomen Babylonis. *Zach.* 13. Disperdam nomina eorum. Quia multi sumus. Quorum unum peccatum non est sine altero. Qui enim in uno offendit, factus est omnium reus. *Luc.* 2. Sicut enim una virtus non est sine alia, quia filius Dei solus non est, cum sit nobilis, sic diabolus, cum sit nobilis solus non venit. Ipse enim est rex super omnes superbos. *Job* 41. Ita peccatum, quod est filius diaboli, eum se nobilem reputet, solum non venit, si diu maneat. Peccatum enim suo pondere ad aliud trahit, nisi cito pœnitentia diluatur. *Isai.* 34. Illic congregati sunt milvi alter ad alterum. *k* Erat autem ibi, &c.] Ecce quod hic tria genera hominum significantur. Per montem superbi, in quibus habet diabolus potestatem. *Job* 40. Huic montes herbas ferunt. Per illud: Pascens in agris avari. De quibus *Luc.* 14. Juga boum emi quinque. Per porcos luxuriosi. 2. *Petr.* 2. Sus lota in volutabro luti. Et de his tribus simul, *Job* 40. Huic montes herba ferunt, ecce superbi omnes bestiæ agri ludent ibi, ecce avari, sub umbra dormit, in secreto calami, ecce luxuriosi: In locis humentibus, idest in luxuriosis dormit, in aridis requiem non inveniens. *l* Mitte nos in porcos, &c.] sic dicit advocatus: Non amplius advocabo, sed juvabo amicos. Alius dicit: Non ero Sodomita, sed habebo focariam. *Isa.* 24. Qui fugerit a facie formidinis, i. avaritiæ, cadet in foveam luxuriæ, & qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo superbiæ, quæ suspendit homines superbos. *m* Et exeuntes spiritus immundi, &c.] Sed quomodo concessit eis Dominus, ut intrarent porcos, cum sit peccatum, & Dominus nemini præcipiat, vel mandet male agere, sive impie, ut dicitur *Eccl.* 15. Item nonne sic damnificati sunt domini porcorum? Sed dic intrare in gregem, non est peccatum, licet diabolo peccatum esset. Item Christus est major Dominus rerum, quam possessores, unde eis non fecit injuriam, cum porci essent sua creatura. *n* Et magno impetu, &c.] *Apoc.* 18. Hoc impetu mittetur Babylon illa magna civitas, & ultra non invenietur. *o* In mari ad duo millia,] idest juxta duo millia. *p* Et egressi sunt videre, &c.] In hoc egressu significatur mystice cooperatio liberi arbitrii. Unde *Beda super Luc.* 8. Occurrerunt per liberum arbitrium credentes.

De pœn. dist. 5. c. sunt plures.

Matth. 8. Luc. 8.

Moraliter autem significatur, quod non potest quis videre Jesum, vel facta ejus, nisi prius fuerit egressus a carne, a mundo, ab amore parentum. Unde *Gen.* 12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi. *q* Vestitum, & sanæ mentis,] *Luc.* 10. Homo quidam descendebat, &c. *r* Et timuerunt] timore mundano, propter damnum porcorum. Vel potius timore reverentiæ, propter miraculum sanitatis, non tamen secuti sunt Jesum. Unde significant illos, qui videntes alios pœnitentes, & pœnitentiam facientes admirantur Dei gratiam, & illorum pœnitentiam non assumunt, quibus dicitur *Isa.* 58. Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. *s* Et narraverunt illis, &c.] i. custodes, per quos significantur doctores, & prædicatores, qui peccatoribus narrant facta Domini, & usque ad Jesum videndum adducunt, qui tamen non curant. Unde possunt dicere illud *Jer.* 51. Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus ergo eam, & eamus unusquisque in terram suam. *t* Et rogare, &c.] *Hier. super Matth.* 8. Non ea superbia, sed ex humilitate judicantes se indignos ejus præsentia, sicut Petrus, *Luc.* 5. Exi a me Domine, quia homo peccator sum. 3. *Reg.* 18. Numquid venisti ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & occideres filium meum? *Matth.* 8. Non sum dignus, ut intres sub tectum meum. *Aug.* dicendo se indignum, præstitit se dignum, non intus parietes, sed intus cor Christus verteret. Hoc est contra multos, quod licet immundi, Christi, & sacramentorum ejus præsentiam non verentur, qui significantur per Ozam, qui indignus arcam tetigit, & percussus a Domino interiit. 2. *Reg.* 6. Significantur etiam per Bethsamitas, qui videntes arcam nudam, interierunt percussi a Domino septuaginta viri, & quinquaginta millia plebis. 1. *Reg.* 6. 1. *Cor.* 11. Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit non dijudicans Corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Hoc est etiam contra multos, qui ex tumore superbiæ expellunt a se pauperes, & humiles, in quibus & Christus expellitur. De quibus *Job* 21. Quare impii vivunt, qui dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Prov.* 29. Abominantur impii eos, qui in recta via sunt.

Luc. 8.

u Cumque ascenderet,] Navis Ecclesia. *Gen.* 6. Fac tibi arcam, &c. Navis crux. *Sap.* 14. Exiguo ligno committunt homines animas suas, transeuntes mare per ratem liberati sunt. Navis virgo Maria. *Matt.* 9. Ascendens Jesus in naviculam, venit in civitatem suam. *Prov. ult.* Facta est quasi navis institoris. Navis religio. *Job* 9. pertransierunt quasi naves poma portantes. In hac navi Jesu rogat esse liberatus a dæmone, sed non præmittitur, ne propter secretum contemplationis impediatur officium prædicationis. Unde *Gloss. Bedæ*: Quisque potest remissionem, &c. *x* Qui a dæmonio, &c.] Vexatus doctor, vel quilibet, qui longo tempore in studio fuit, & laboravit, aptus prædicationi, & regimini animarum. *Phil.* 1. Cupio dissolvi, & esse cum Christo. *y* Et non admisit eum,] *Cant.* 7. Egrediamur in agrum. *z* Vade in domum tuam ad tuos, &c.] Domus conscientia. *Sap.* 8. Intrans in domum meam conquiescam cum illa. *Eccl.* 32. Præcurre prior in domum tuam, & tunc advocare, & illic lude, & age conceptiones tuas. Debet quilibet scrutari conscientiam suam, quia delicta quis intelliget, ut dicit *Ps.* 18. Non enim quis de facili potest intelligere peccata sua, quia diabolus tortuosus est. Unde *Isa.* 27. In die illa visitabit Dñs super Leviathan serpentem tortuosum. *Job* 26. Obstetricante manu eductus est coluber tortuosus. *a* Quanta tibi Dñs, &c.]

Multiplex navis.

In se

misertus sit tui; & *a* abiit, & cœpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Jesus, & omnes mirabantur. Et cum transcendisset Jesus in navi rursus transfretum convenit turba multa ad † eum, & erat circa mare. Et *b* venit quidam de Archisynagogis, nomine Jairus, & *c* videns eum procidit ad pedes ejus, & deprecabatur eum multum, dicens: quoniam filia mea in *f* extremis est, *g* veni, impone manum tuam super eam, ut salva sit, & vivat. Et *h* abiit *i* cum illo, & sequebatur eum turba multa, & *k* comprimebant eum. Et *l* mulier, quæ, erat in profluvio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpessa a compluribus medicis, & erogaverat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat, cum audisset de Jesu, *m* venit in turba retro, & *n* tetigit vestimentum ejus, dicebat enim: Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero. Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus, & sensit corpore, quod sanata esset a plaga. Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conversus ad turbam, ajebat. Quis tetigit vestimenta mea? Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicis, quis me tetigit? Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. Mulier autem timens, & tremens, sciens quod factum esset in se, *o* venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. Ille autem dixit: Filia, fides tua te salvam fecit, vade in pace, & esto sana a plaga tua. *p* Adhuc eo loquente veniunt nuncii ad Archisynagogum, dicentes, quia filia tua mortua est, quid ultra vexas magistrum? Jesus autem audito verbo, quod dicebatur, ait Archisynagogo: Noli timere, *q* tantummodo crede. Et non admisit quemquam sequi se nisi Petrum & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi. Et veniunt in domum Archi-

Marginal notes: † illum. *Matth.* 8. *Luc.* 8. *Matth.* 9. *Luc.* 9.

In se prædicat, qui in se haurit, quod aliis effundit. *Prov.* 5. Bibe aquam de cisterna tua, & post deriventur fontes tui foras. *a* Et abiit, & cœpit prædicare, &c.] Decapolis est regio continens decem civitates, & significat Ecclesiam decem præceptis legis imbutam, & denario, i. regis imaginem in Baptismo insignitam. In qua debet fieri omnis prædicatio, non in occultis locis, sicut hæretici faciunt. *Jo.* 7. Nemo in occulto aliquid facit, & quærit in palam esse. *Jo.* 18. Ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. *b* Et venit quidam, &c.] qui interpretatur illuminans, vel illuminatus, & est Prælatus. Unde: Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis. Montes æterni sunt, Prælati per hoc, quod dicit. *c* Et videns eum, &c.] duo notantur, quæ debent esse in Prælato, scientia, & humilitas, idest, bona vita, providens scientia. (Procidit.) Bona vita. Hoc est, quod in *Psal.* 98. dicitur Moyses, idest, lex, vel scientia, & Aaron montanus, l. excelsus per opera, in Sacerdotibus ejus. *e* Quoniam filia mea in extremis est.] Anima, quæ laborat in extremis quasi in turpitudine temporalium, quæ extrema, i. vilia sunt. *Philipp.* 3. Omnia hæc detrimentum feci, & arbitror ut stercora. *d* Et deprecabatur eum multum.] *Matth.* 6. Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt: Putant enim quod multiloquio suo exaudiantur. *f* In extremis,] scilicet, laborat, quia in acquisitione temporalium est labor, in conservatione timor, in amissione, vel dimissione dolor. Hoc est, quod habetur. *Joan.* 16. In mundo pressuras, in me pacem habebitis. In extremis. *Luc.* 8. dicitur: & hæc moriebatur. *Matth.* 9. Modo defuncta est, & *Marc.* hic. (In extremis est.) *Aug.* de concordia Evangelistarum. Nihil in cujusquam verbis demus inspicere nisi voluntatem, cui debent verba servire: nec mentiri quemquam, si aliis verbis dixerit, quod ille voluerit, cujus verba non dixit, ne miseri aucupes vocum apicibus quodammodo litterarum putent esse ligandam veritatem, cum utique non verbis tantum, sed etiam in ceteris omnibus signis amicorum, non sit nisi animus ipse requirendus, q. d. illi tres Evangelistæ etsi diversa verba protulerint, tamen eodem sensu, in extremis erat, quando Jairus venit ad Christum, ut dicit Marcus, & moriebatur, ut dicit Lucas: & postea mortua est, ut dicit Matthæus. *g* Veni, impone manum tuam super eam, &c.] Simile *Joan.* 4. ubi dicit Regulus. Descende, priusquam moriatur filius meus. Et sicut ibi in *Gloss.* redarguitur Regulus, ut minus fidelis, sic iste princeps videtur arguendus. Sed Centurio commendatur, qui dixit: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, &c. *Matth* 9. *h* Et abiit,] quia missus est ad oves, quæ perierunt domus Israel. *Matt.* 15. *i* Cum illo, & sequebatur, &c.] *Ezech.* 1. Rota in medio rotæ. *k* Et comprimebant eum.] turba vexat Deum, sc. turba peccantium. Unde *Isai.* 1. Laboravi sustinens, & 43. Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. *Amos* 2. Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno. *l* Et mulier, quæ erat, &c.] idest, de peccato in peccatum, *Osee* 4. Sanguis sanguinem tetigit. *Amb.* in tractatu de Salomone. Dominus largum sanguinis fluxum siccavit in Marta. *Hier.* in *hist. tripartita lib.* 9. *cap.* 41. dicit, quod cum Julianus Apostata cognovisset in Cæsarea Philippi Christi esse simulacrum, quod sanguinis liberata profluvio femina construxerat, eo deposito suam ibi imaginem collocavit, quæ fulminis ictu fracta est. Statuam vero Christi nunc quidam paganorum trahentes confregerunt, post, Christiani collegerunt, & in Ecclesia condiderunt. Quod simulacrum, ut refert Eusebius, omnium ægritudinum noscitur esse medicamentum, juxta quod quædam herba germinavit omnibus medicinalis. Ista mulier.

Mystice, est Ecclesia de gentibus fluxu sanguinis continuo, sc. peccato idololatriæ maculata. Filia Jairi Synagoga, ad quam sanandam Jesus ibat, quia non fuit missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. *Matth.* 15. Sed illa primo sanatur, quia gentilitas primo credidit. *Ps.* 67. Æthiopia præveniet manus ejus Deo, &c.

Moraliter. Per puellam mortuam domo significatur peccator occultus. Per sanguinariam peccator apertus. *Threnor.* 1. Foris interficit gladius, & domi mors similis. Illa prius sanatur, quia peccata aperta citius sanantur. *Psal.* 92. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine. *Mich.* 2. Venies usque ad Babylonem, & ibi, liberabis. Duodecima hora est ultima hora diei, hoc est, peccatum usque ad senium, quod etiam sanat Dominus. *Isai.* 46. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo. *Gen.* 7. In articulo diei illius ingressus est Noe, & filii ejus in arcam. *l* Duodecim,] *Bed.* Quia transgressi sunt Decalogum, pactum baptismale, & legem naturalem. De quibus. *Isai.* 24. transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt pactum sempiternum. *m* Venit, &c.] Post Dominum eundum est. Unde *Psalm.* 126. Vanum est vobis ante lucem surgere. Unde Petro volenti ire ante Dominum, scilicet, cum Petrus increparet eum, ne pateretur, ait Dominus. *Matth.* 16. Vade post me, Satana. *n* Et tetigit, &c.] Tactus vestimenti fides incarnationis. Salvatur per fidem quicumque salvatur. Non est enim aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri, ut *Act.* 4. Vestimentum: de quo *Isa.* 63. Quare ergo rubrum est indumentum tuum? *o* Venit, & procidit ante eum, &c.] *Esth.* Esther procidit ad pedes Assueri. *p* Adhuc eo loquente, &c.] Isti nuncii moraliter significant eos, qui peccatores contemnunt, sicut Pharisæi. *Matth.* 9. Quare cum peccatoribus, & publicanis manducat magister vester? Et *Luc.* 7. Hic si esset propheta, sciret utique, quæ, & qualis, &c. *Eccl.* 8. Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei, memento, quoniam in corruptione omnes sumus.

q Tantummodo crede,] fides enim mirabilia fecit, ut patet ad *Hebr.* 11. per totum. Sed si fides sufficit, quare dicitur *infr. ult.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. Dicit ergo (tantummodo crede,) idest, non contemnas Sacramenta. Sufficit enim ei, qui credit, si non contemnat, si talis decedat, nec copiam habeat, ut baptizetur, bene salvabitur. Crede. Sic est in nobis si credimus, Dominus suscitat nos. Si enim potes credere, omnia possibilia sunt credenti. *Infr.* 9. De nemine enim desperandum est, dum vivit.

Marginal notes: Mystice. *Matth.* 8. *Luc.* 9. Moraliter.

a Et vidit tumultum, & flentes, & ejulantes multum,] 1. *Thess.* 4. Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent. *Eccl.* 22. Modicum plora super mortuum.
b Quid turbamini, & ploratis? Puella non est mortua, sed dormit.] Unde eos ejicit, quia in consortibus dormit. Simile *Joan.* 11. Lazarus amicus noster dormit. Et hoc est verum, licet mortuus quoad nos, non tamen quoad Deum, aut facile est eum, vel eam suscitare, ac si dormiret. *c* Et irridebant eum,] unde eos ejicit, quia irrisoribus non sunt communicanda mysteria, *Matth.* 7. Nolite sanctum dare canibus. *Prov.* 22. Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium, & *Prov.* 3. Abominatio Domini est omnis illusor (Irridebant.) *Jer.* 20. Factus sum in derisum tota die, omnes subsannabant me. Sed licet Dominus derideretur, non destitit a proposito bono. *e* Surge.] *Eph.* 5. Surge, qui dormis, &c. *d* Puella,] *Sap.* 16. Tu, Domine, vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis.
f Jussit dare illi,] regnum in signum veræ resurrectionis ut tangitur in *Gloss.* super aliis Evangelistis. Quando enim in quadragesima homo confitetur, & dimittit peccatum, & post ambulat proficiendo, & sic in Pascha datur ei cibus coelestis.

Matth. 9.

synagogi. Et vidit *a* tumultum, & flentes, & ejulantes multum, & ingressus ait illis: *b* Quid turbamini, & ploratis? Puella non est mortua, sed dormit. Et *c* irridebant eum, ipse vero ejectis omnibus assumit patrem, & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingrediuntur, ubi puella erat jacens, & tenens manum puellæ, ait illi: Tabitacumi, quod est interpretatum: *d* Puella, tibi dico *e* surge. Et confestim surrexit puella, & ambulabat. Erat autem annorum duodecim, & obstupuerunt stupore magno. Et præcepit illis vehementer, ut nemo id sciret, & † jussit *f* dare illi manducare.

21. † dixit dari.

CAP. VI.

A

ET *g* egressus inde abiit in patriam suam, & sequebantur eum discipuli sui. Et facto Sabbato, cœpit in Synagoga docere, & *h* multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia? Et quę *i* est sapientia, quę data est illi, & virtutes tales, quę per manus ejus efficiuntur? *k* Nonne hic est *l* faber, filius *m* Marię, frater Jacobi, & Joseph, & Judę, & Simonis? Nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt? Et *n* scandalizabantur in illo. Et *o* dicebat eis Jesus, *p* quia non est propheta sine honore nisi in *q* patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. Et *r* non poterat ibi *f* virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit, & mirabatur propter incredulitatem illorum. Et *t* circuibat *u* castella in circuitu docens. Et convocavit duodecim, & cœpit eos mittere *x* binos, & *y* dabat illis po-

Matth. 13. Luc. 4.

Matth. 13. Luc. 6. Joann. 6.

EXPOSITIO CAP. VI.

ET *g* egressus inde abiit in patriam suam, &c.] *Exod.* 39. In extrema parte tunicæ sacerdotis intertexta erant mala punica, & tintinnabula. Sic & hic post miracula intexit se Christi doctrina. Et dividitur hoc caput in septem partes. In prima agitur de dignitate prædicationis, & indignitate, sive ingratitudine auditorum. Secundo de missione discipulorum, ibi: (Et convocavit.) Tertio, de morte Joannis Baptistæ, ibi: (Et audivit.) Quarto, de reditu discipulorum de prædicatione ad ipsum, ibi: (Et convenientes.) Quinto de refectione spirituali, & corporali quinque millium hominum, ibi: [Et escendentes.] Sexto de liberatione discipulorum a tempestate maris, ibi: [Et statim coegit.] Septimo, de communi sanatione ægrorum ipsum contingentium, ibi: [Cum transfretassent.]
h Et multi audientes, &c.] *Joan.* 7. Numquam sic locutus est homo.
i Et quæ est sapientia, &c.] 1. *Reg.* 10. Num & Saul inter prophetas, & quis pater ejus?
k Nonne hic] despective dicunt, sicut & *Isai.* 2. Quid hic sic loquitur: Et *Eccl.* 13. Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum ejus usque ad nubes perducent, pauper locutus est, & dicunt, quis est hic?
l Faber,] *Mal.* 3. Sedebit conflans, & emundans argentum.
m Mariæ,] Notatur qualis esse debet prædicator. [Filius Mariæ] per carnis mortificationem. 1. *Cor.* 9. Castigo corpus meum, &c. Et [faber] ædificans se virtuosis operibus, & alios exemplis, & sermonibus. *Proverb.* 24. Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, & postea ædifices domum tuam, ne sis testis frustra contra proximum tuum. Idem ordo. *Eccl.* 38. Qui tenet aratrum, &c. & sic omnis faber, & architectus, &c. ergo oportet, ut habeant quatuor fratres, idest, virtutes illis nominibus designatas, scilicet, sit Jacobus per fortitudinem, ut luctetur contra tentationes, & tribulationes. Doctrina enim viri per patientiam cognoscitur, & gloria ejus est iniqua prætergredi. *Prov.* 19. Item sit Joseph addens supererogationem consiliorum impletioni præceptorum. *Prov.* 8. Ego sapientia habito in consilio. 1. *Reg.* 10. Saul altior fuit universo populo ab humero, & sursum. Item fit Judas glorificans Deum per humilitatis confessionem. *Eccl.* 3. Deus ab humilibus honoratur. Item fit Simon eu-diens mœrorem per compassionem. 1. *Machab.* 14. Simon quæsivit bona gentis suæ. Sint sorores, scilicet, sapientia, intelligentia.
n Et scandalizabantur in illo.] Hinc magna, hinc humilia cernens, veritatem judicii non recipit, sed scandalizatur, quod est impedire mentis arbitrium.
o Et dicebat illis, &c.] *Hilar.* Inhonoratur Dominus a suis, quamquam & docendi prudentia, i. operandi virtus admirationē moveat. Joseph in patria sua affligitur a fratribus: in Ægypto ab extraneis sublimatur. *Num.* 12. Maria, & Aaron Moysi objurgant propter uxorem Æthiopissam. Item *Num.* 16. Chore, Nadab, & Abiu: ceteri Levitæ contra Aaron, & Moysen surrexerunt. Abraham in Chaldæa affligitur, ideo dicitur ei: Egredere de terra, &c. *Gen.* 12. Nota de rustico, qui nolebat adorare Crucifixum, quie factus erat de piro sua. *p* Non est propheta, &c.] idest, raro contingit. *q* In patria, &c.] *Mich.* 7. Inimici hominis domestici ejus. *r* Et non poterat] de justitia, quia digni non erant. Vel [Non poterat] de misericordia, quia si plura faceret, contemnerent, & plus delinquerent, & ita plus punirentur. *f* Virtutem ullam facere,] idest, miracula. *t* Et circuibat] *Rab.* ut doceret doctorem esse expeditum, & non acceptorem personarum. Debet autem esse doctor commendabilis in strenuitate, impiger in instruendo. Ad hanc invitat per hoc, quod dicit, [Circuibat] In utilitate commodus ad hoc invitat per hoc, quod dicit [Docens] In charitate compatiens, ad quod invitat per hoc, quod dicit. [Et convocavit, &c.] *Ps.* 58. Et famem patientur ut canes, &c. *Job* 1. Consurgens diluculo offerebat holocausta per singulos. *Chrys.* Nos, qui sumus unius regionis pastores, singulas populi passionum species circuire debemus. Studiosus medicus circuit graviter ægrotantes. His, qui avaritia laborant, de malo avaritiæ faciamus sermonem ad medicamentum sanitatis illius. His, qui etiam ardentibus febribus libidinis æstuant, aliquod remedium de apotheca materiali Apostoli proferamus. 1. *Corinth.* 3. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, &c. Alteri medicamentum est increpatio, alteri consolatio. *Cant.* 5. Invenerunt me custodes, qui circuierunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum, &c. *Act.* 2. Nonne omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? *Psal* 79. Vox tonitrui tui in rota. *Prov.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum.
u Castella in circuitu docens.] Non tantum civitates magnas. *Matthæi* 21. Ite in castellum, quod contra vos est.
x Binos,] charitate concordes. *Eccl.* 4. Melius est duos simul esse, quam unum: Habent enim emolumentum societatis suæ, si unus ceciderit, ab alio fulcietur: Væ soli, quia si ceciderit, &c.
y Dabat illis potestatem] Sed aut increatam, quod esse non potest, cum idem sit, quod Deus. Aut creatam, quod iterum non videtur, quia contra *Lucæ cap.* 24. dicitur in *Gloss.* super illud: Stetit Jesus, &c. Transiens audit, stans illuminat, quia per humanitatem misertus,

misertus, per æternitatem, quæ non movetur, lumen reddit. Et ita divinitas, per quam facit miracula, immobilis, & ita nulli dedit. Dicit ergo: (Et dabat illis potestatem spirituum immundorum,) idest, dabat eis, quod ad preces, & invocationem nominis Christi ejicerentur dæmonia.

testatem spirituum immundorum. Et præcepit *a* eis, ne quid tollerent in via nisi virgam tantum, *b* non peram, non panem *c* neque in zona æs, sed calceatos sandaliis, & *d* ne induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis. *e* Quocumque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde. Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, *f* excutite pulverem de pedibus vestris in *g* testimonium illis: Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & *h* ungebant oleo multos ægros, & sanabantur. Et *i* audivit Rex Herodes, manifestum enim factum est nomen ejus, *k* & dicebat: Quia Joannes Baptista resurrexit a mortuis, & *l* propterea virtutes operantur in illo. Alii autem dicebant, quia Elias est, alii vero dicebant, quia propheta est, quasi unus ex prophetis. Quo audito Herodes ait, Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit. Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Joannes Herodi. *m* Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. *n* Herodes autem metuebat Joannem, sciens eum virum justum, & sanctum, & custodiebat eum. Et audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Et *o* cum dies opportunus accidisset. Herodes *p* natalis sui cœnam fecit Principibus, & Tribunis, & primis Galilææ. Cumque *q* introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & *r* placuisset Herodi, simulque recumbenti-

a Et præcepit eis, ne &c.] Virga potestas accipiendi necessaria, ita hic. Item auxilium sustentationis, incitamentum virgarum, instrumentum ultionum. Sic prohibetur. *Matth.* 10. *Isai.* 31. Qui descendunt in Ægyptum in equis sperantes. *Jer.* 15. Maledictus, qui confidit in homine. *Beda*. Item in aliis Evangelistis contradicit. Sed illa *Gloss.* solvit. Matthæus, & Lucas memorant, Dominum discipulis dixisse, ut nec virgam ferrent. Marcus, ne quid tollerent, nisi virgam tantum. Sed illi realiter virgam accipiunt. Marcus per virgam potestatem accipiendi necessaria a subditis intelligit. *b* Non peram,] Contra. *Luc.* 22. Qui habet sacculum, tollat similiter & peram. Sed distingue tempora, & concordabit Scriptura, si certi sunt, quod nihil deficiat eis illo tempore, non debent ferre, alio tempore possunt. *c* Neque in zona æs,] *Hier.* Si possiderent aurum Apostoli, crederentur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicare. *d* Et ne induerentur duabus tunicis.] Prohibetur duplicitas, *Jacob* 1. Vir duplex animo, *Eccl.* 2. Væ duplici corde, & labiis scelestis.

Matth. 10. Luc. 10. — B — Matth. 14. Luc. 9.

e Quocumque introieritis in domum, illic manete, &c.] *Hier.* Hospes fama eligendus est, ne prædicatio suscipientis infamia deturpetur. 1. *Timoth.* 3. Oportet Episcopum testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt. *f* Excutite pulverem de pedibus vestris,] idest, temporalia, quia si volunt in spiritualibus vobis credere, temporalia ab eis non recipiatis, cum aliunde vivere possitis. *g* In testimonium illis,] idest, etiam minima itineris, & laboris vestri, quem pro illis sustinuistis, exponite, & annunciate, quæ occasio erunt eis majoris damnationis. *h* Et ungebant oleo multos ægros, & sanabantur.] Ex hoc, & ex illo. *Jac. ult.* Infirmatur quis in vobis, &c. traxit originem extrema unctio. *i* Et audivit Rex Herodes,] Non re, sed spe. Vel (Rex,) idest, filius Regis. *k* Et dicebat] *Matth.* 14. Notatur de hoc. *l* Et propterea virtutes operantur in illo.] Quod negare non potest, ex invidia minuit. *Sap.* 4. Fascinatio nugacitatis offuscat bona. (Herodes) Ascalonita occidit pueros, *Matth.* 2. Antipas decollavit Joannem. *Matth.* 14. Agrippa Jacobum occidit, *Act.* 12. Herodes interpretatur pelliceus, idest, deceptorius, vel pelliceus, idest, glorians in pellibus, & significat scholarem, vel magistrum de libris suis confidentem, & gloriantem. Cui dicitur *Eccl.* 11. In vestitu ne glorieris unquam. Antipas dicitur transitio paupertatis, quod ei bene convenit, quia talis, quantum potest, videtur transire paupertatem, 1. *Machab.* 6. Exivit Antiochus, idest, silentium paupertatis ab Antiochia, & perambulabat superiores regiones, & audivit esse civitatem nobilissimam, & copiosam in auro, & argento in Perside, templumque in ea locuples valde, & venit, & quærebat ea prædari. Tetrarcha est talis, quia regit, & domat tantum carnem, & non tres vires animæ, Philippus frater ejus, os lampadis, Christus est, *Isai.* 40. Os Domini locutum est. Uxor ejus Herodias, gloria, quæ solius Dei, *Prov.* 11. Mulier gratiosa inveniet gloriam, & 12. Mulier diligens corona est viro suo. *Isai.* 42. Gloriam meam alteri non dabo. Herodes igitur uxorem suam aufert Philippo, cum aliquis de sua scientia gloriatur 1. *Cor.* 4. Quid habes, quod non accepisti, &c. Item quando bene dicta alterius sua inventa facit, *Jer.* 23. Ecce ego ad Prophetas, dicit Dominus, qui furantur verba mea, unusquisque a proximo suo. Hic Herodes alligat, & incarcerat Joannem, quia dona gratiæ, quæ habet, ad se inflectit, *Rom.* 1. Qui detinent veritatem Dei in injustitia. Postea decollat eum, cum non a Christo sed a se putat habere, quod habet. Item. Herodes est Princeps malus, & dicitur Joannes prædicator veritatis, quem, quia redarguit, occidit Herodes, quia Joannes corripiebat eum, & viros ejus. *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, *Jer.* 38. Homo iste non quærit populo pacem, sed malum. Et dixit Rex Sedechias. Ecce ipse in manibus vestris est, neque enim fas est Regem vobis negare quicquam. Tulerunt ergo Jeremiam, & projecerunt eum in lacum. *Prov.* 9. Qui erudit derisorem, ipse sibi injuriam facit, & qui arguit impium, sibi maculam generat. *m* Non licet tibi, &c.] *Lev.* 20. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, &c. *Gloss.* Ibi determinat contrarietatem, quæ videtur esse *Deut.* 25. Accipiet frater uxorem fratris sui, scilicet, cum mortuus est. Dicit textus, & *Gloss.* Non accipiat uxorem fratris sui nesciens. Vel ita expone, ut moraliter conveniat. Joannes interpretatur gratia, quæ suadet, & dicit Herodi, idest, cuilibet fideli, ne ducat uxorem fratris sui. Frater noster diabolus est. Unde *Job* 40. Ecce Behemoth quem feci tecum. Sed diaboli uxor superbia est, quia ab initio duxit eam, cum dixit *Isai.* 14. Ascendam in cœlum, &c. Hanc dicit nobis gratia, ne non ducamus.

Matth. 14. Luc. 23. — C

n Herodes autem metuebat Joannem, &c.] *Isai.* 29. In die illa erit terra Juda Ægypto in pavorem. Omnis de Ægypto, qui recordatus fuerit illius, pavebit. *Rom.* 13. Vis non timere, &c.

o Et cum dies opportunus accidisset, &c.] *Hieron.* Nullum alium legimus observasse diem natalis sui nisi Herodem, & Pharaonem, ut quorum erat una impietas, esset una solemnitas.

p Herodes natalis sui, &c.] Divites hujus sæculi divitibus faciunt cœnam. Hoc est quod dicitur. *Isai.* 34. Occurrent dæmonia, onocentauris, & pilosus clamabunt alter ad alterum, Sed Dominus non divites, sed pauperes dicit debere vocari, ut *Luc.* 14. Cum facis convivium, &c. Unde divites sese invitantes Herodiani sunt, qui de sua nativitate festum faciunt, non de morte sanctorum, quia per istam intrarent in gaudium, sed per nativitatem temporalem in pœnam, & miseriam. *Sap.* 7. Ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. Tamen esse subsequentibus delicias reputabant. *Job* 30. Natalis Herodis creatio mali prælati, ubi histriones, & saltatrices ad litteram saltant, & Joannes occiditur. Unde *Job* 30. Pereat dies, in qua natus sum, *Eccl.* 7. Melior est dies mortis die nativitatis.

q Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, &c.] *Chrysost.* Ubi est saltatio, ibi est diabolus. Neque enim Deus ad hoc dedit nobis pedes, ut cum camelis saltemus, sed ut cum Angelis chorum faciamus. *r* Et placuisset] *Seneca*. Prius videndum est, cum quibus comedas, quam quid comedas.

comedas. *a* At illa dixit.] Per hoc consilium impiorum significatur, cum ipsa quærit, (quid petam.) De quo *Prov.* 1. Abscondamus tendiculas contra innocentem frustra. *b* Caput Joannis Baptistæ.] *Hieron.* Optabat in potestate linguam habere, quæ illicitas nuptias arguebat. *c* Volo, ut protinus des mihi] Per hoc significatur, quod quædam mala cum impetu fiunt, ut *supra* 5. Grex cum magnô impetu præcipitatus est in mare. Et *Jerem.* 8. Omnes conversi sunt ad cursum suum quasi equus vadens impetu ad prælium. *d* In disco caput Joannis] Discus quandoque vas, quod dicitur vulgo *Grael.* Item mensa illa in triclinio, quæ vulgo dicitur *Chois*. Item mappa, quæ ponitur super mensam. Unde Petro oblata sunt animalia diversa in disco.

D

Act. 10.

a At illa dixit. Caput Joannis Baptistæ.] Hic moraliter instruimur vitare saltationes, & convivia luxuriosa, *Isai.* 5. cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris, & opus Domini non respicitis: Item instruimur, ne cum saltatrice assidui simus, ne caput Joannis, idest, gratiæ, Christum, scilicet, amittamus, *Eccl.* 9. Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias eam, ne forte pereas in efficacia illius. *Job* 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus? q. d. nullam. Qui enim adhæret meretrici, unum corpus cum ea efficitur. 1. *Cor.* 6. Et ita nihil cum eo habet Deus. *e* Et contristatus est Rex,] idest, ad modum contristati se habet. *f* Et decollavit, &c.] *Hieron.* Legimus in Romana historia: Flaminium ducem Romanum, quod accubanti juxta se meretriculæ, quæ numquam se vidisse diceret hominem decollatum, assensus sit, ut reus quidam capitalis criminis in convivio truncaretur, a Censoribus pulsum curia, quod epulas sanguini miscuerit, & mortem quamvis noxii hominis in alterius delicias præstiterit, ut libido, & homicidium pariter miscerentur. *g* Renunciaverunt illi omnia,] Argumentum, quod minores doctores, & prædicatores debent dicere suis majoribus, quomodo prædicaverunt, & docuerunt, *Gal.* 2. Contuli cum illis, qui videbantur esse aliquid, evangelium, quod prædico, &c. sed si ille edoctus tantum timuit, quid & nos? *h* Quæ egerant, &c.] Primo egerant, postea docuerunt. *Matth.* 5. Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *i* Venite seorsum, &c.] ne malis consentiatis.

Matth. 14.

Moraliter. Moraliter. Post activam redeundum est ad contemplativam.

Mystice. Mystice. Reliquit Judæam, & rediit ad gentes, ut tangit. *Gloss.* *k* Erant enim, qui veniebant, & redibant multi,] sicut patet de his, qui ibant, & redibant, *Joann.* 6. *l* Et pedestres.] In terra Syriæ venientem unum solum Prophetam invenimus equitasse, & a leone devoratum fuisse. 3. *Reg.* 13. Balaam equitavit, & ei mors imminebat. *Num.* 22. Item (Pedestres,) non in curribus, & in equis. Ecce, quod notat magnum desiderium, scilicet, quod pedestres, quod currebant, quod ad locum desertum.

m De omnibus civitatibus cucurrerunt illuc, &c.] Civitas quandoque in malo accipitur. Unde *Osee* 11. Civitatem non ingrediar, *Jer.* 48. Relinquite civitates, &

bus, rex ait puellæ: Pete a me, quod vis, & dabo tibi. Et juravit illi, quia quicquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ cum exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At *a* illa dixit, *b* Caput Joannis Baptistæ. Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit, dicens. *c* Volo, ut protinus des mihi in *d* disco caput Joannis Baptistæ. Et *e* contristatus est rex propter jusjurandum, & propter simul recumbentes noluit eam contristare, sed misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco, & *f* decollavit eum in carcere. Et attulit caput ejus in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ. Quo audito discipuli ejus, venerunt & tulerunt corpus ejus, & posuerunt illud in monumento. Et convenientes Apostoli ad Jesum, *g* renunciaverunt illi omnia, *h* quæ egerant, & docuerant. Et ait illis: *i* Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant *k* enim, qui veniebant, & redibant, multi. Et nec spatium manducandi habebant. Et ascendentes in navim abierunt in desertum locum seorsum. Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi, & *l* pedestres *m* de omnibus civitatibus cucurrerunt illuc, & prævenerunt eos. Et *n* exiens vidit turbam multam Jesus, & misertus est super eos, quia *o* erant sicut oves non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa. Et cum jam *p* hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, & jam *q* hora præteriit, dimitte illos, ut euntes in proximas villas, & vicos emant sibi cibos quos manducent. Et respondens, *r* ait illis: Date illis manducare. Et dixerunt ei. *s* Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare. Et dicit eis. Quot panes habetis. Ite, & videte. Et cum cognovissent, dicunt: Quinque, & duos pisces. Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum *t* contubernia, *u* super viride fœnum. Et *x* discubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos. Et *y* acceptis quin-

habitate in petra. *n* Et exiens, &c.] sic debet prædicator exire de studio ad turbas mente ad compatiendum. *Mich.* 4. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. *o* Quia erat, &c.] 3. *Reg.* 22. Vidi cunctum Israel in montibus dispersum quasi oves errantes, non habentes pastorem. Verba sunt, 1. *Petr.* 2. Eratis aliquando sicut oves errantes, sed conversi, &c. *r* Et respondens ait, &c.] *Act.* 20. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Et 1. *Petr.* 5. Pascite, qui in vobis est, gregem. *Joan. ult.* Ter dictum est, pasce. Pasce verbo, pasce, exemplo, pasce temporali præsidio, scilicet, si opus est. *Ezech.* 34. Pastores non quærierunt gregem meum, sed pascebant semetipsos, & gregem meum non pascebant.

E

Matth. 9.

p Et cum jam, &c.] Jam hora præteriit, quia usque in finem sæculi gentiles in cæcitate perstiterunt. Hora fieret, idest, vespere facto, sicut dicit *Matth.* 14. In quo significatur, quod post occubitum solis mundanæ prosperitatis in deserto, pœnitentiæ apponendus est ipse panis doctrinæ, & Eucharistiæ. Unde Judæis post transitum maris rubri in deserto constitutis dicitur. *Exod.* 11. Ecce pluam vobis, panes de cœlo: & 3. *Reg.* 19. Elias in deserto invenit ad caput suum panem, & aquam. Cui dixit Angelus, ut surgens comederet. *q* Et jam hora præteriit,] comedendi, nescientes quid dicerent, videntur loqui sicut Petrus, cum dixit *Luc.* 5. Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. Ex quo enim locus desertus erat, oportebat, quod eos pasceret. *s* Euntes, &c.] *Joan.* 6. dicunt: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt his, quid ergo dicitur hic, (euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis.) Sed hic quasi non sufficiant, emamus tamen panes, & demus.

Matth. 14. *Luc.* 9. *Joann.* 6.

Mystice, hi quinque panes, sunt quinque libri Moysi, quia in operibus legis tanquam ex pane erat vita. *Augustinus*. Quinque panes lex, quinque libros Moysi continens. Et duo pisces, Psalmi, & Prophetæ fortissimum legis saporem temperantes. *Bernard.* Quinque panes, vilitas vestium, maturitas sensuum, temperantia gulæ, custodia linguæ, labor manuum. Duo pisces, fides, & pœnitentia. *Augustinus*. Quinque panes contritio, confessio, satisfactio, perseverantia. Duo pisces, exempla confessorum, & exempla Martyrum. Primus elixus, secundus assus. *Augustinus*. Quinque panes, cognitio sui, pudor commissi, dolor amissi, timor inferni, desiderium cœli. Duo pisces, fides, & spes. *Mystice.*

t Et præcepit illis, &c.] Contubernia intellige diversas hominum societates, quia de diversis villis venerant. Juxta quod milites in eodem tabernaculo societatem habentes, contubernales solent dici.

u Super viride fœnum.] Per hoc patet, quod proximum erat Pascha. *Joan.* 6. Quia solent herbæ tunc virescere. *x* Et discubuerunt in partes per centenos, &c.] *Sap.* 1. In malevolam animam, &c. *Eccl.* 38. Sapientiam scribe, &c. *y* Et acceptis quinque panibus, &c. Intuens in cœlum.] *Hilar.* In cœlum Dominus respexit, honorem Patris, a quo erat ipse confessus, ut qui adessent, intelligerent, a quo tantæ virtutis accepissent

pissent officium dirigentes, & ipsi oculos mentis illuc. Sic & nos facere debemus, quoniam omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum, &c. *Jac.* 1. *Thren.* 3. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum *Joel.* 1. Bestiæ agri quasi area sitiens imbrem suspexerunt ad te.

que panibus, & duobus piscibus intuens in cœlum *a* benedixit, & fregit panes, & *b* dedit discipulis *c* suis, ut ponerent ante eos: & duos pisces divisit omnibus. Et *d* manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et *e* sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. Erant autem, qui manducaverunt, quinque millia virorum. Et *f* statim *g* coegit discipulos suos ascendere navim, ut *h* præcederent eum trans fretum *i* ad Bethsaidam, *k* dum ipse dimitteret populum: Et cum dimisisset eos, *l* abiit in montem orare. Et cum sero esset, *m* erat navis in medio *n* mari, & *o* ipse solus in terra. Et videns *p* eos laborantes in remigando: erat enim ventus contrarius eis. Et *q* circa quartam vigiliam *r* noctis *s* venit ad eos ambulans *t* supra mare, & *u* volebat præterire eos. At illi, ut *x* viderunt eum ambulantem supra mare, *y* putaverunt phan-

a Benedixit, & fregit panes,] *Isai.* 58. Frange esurienti panem tuum, &c. Quia nisi S. Scriptura frangatur, minores parum inde ædificantur. *Thr.* 4. Parvuli petierunt panem, &c.
b Et dedit] sic dedit legem Moysi, ut daret populo. *Psal.* 71. Suscipiant montes pacem populo.
Matth. 14. *Joann.* 6. *c* Discipulis suis,] qui sunt dispensatores verbi, 1. *Cor.* 4. Sic nos existimet homo, &c. Unde & in signum hujus missus est Ananias ad Paulum, &c. *Act.* 9. *d* Et manducaverunt omnes, &c.] Verbum Dei, seu scientia Theologica expellit famem & sitim. Unde *Joan.* 4. Qui biberit ex hac aqua, non sitiet in æternum. Sed aliæ scientiæ non satiant, sicut nec siliquæ filium prodigum: *Luc.* 15. *Aggæi* 1. Comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati, *Prov.* 13. Justus comedit, & replet animam suam, venter autem impiorum insatiabilis est. *Psal.* 131. Pauperes ejus saturabo panibus. *e* Et sustulerunt reliquias, &c.] Hæc sunt vasa vilia, sc. Apostoli. Unde dicit Apostolus. 1. *Cor.* 4. Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc. Sed tamen ipsis revelantur Dei secreta, ut *sup.* 4. Vobis datum est nosse, &c. *Matth.* 13. *f* Et statim, &c.] Hic docet nos fugere laudes hominum, & honores mundi. *Jo:* 5. Claritatem ab hominibus non accipio. Item *Joan.* 6. Cum vidisset Jesus, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit. Ibi *Chrysost.* Christus fugit, erudiens nos mundanas contemnere dignitates. Quare ergo dicit propheta: Ecce Rex tuus venit? Responsio. Quia regnum dicit, quod in cœlis est. Discamus igitur honores mundi contemnere, quia sicut divitiæ ad illos sunt inopia, & vita ad illam mors, sic honor iste ad honorem æternum est derisio, & contumelia. *Job* 34. Qui dicit Regi apostata. Ibi *Greg.* Superbus rector toties ad culpam apostasiæ labitur, quoties præesse hominibus delectatur. *Isai.* 3. Nolite constituere me principem populi. *Eccl.* 7. Noli quærere fieri judex, &c. *g* Coegit discipulos suos, &c.] quasi vi, quia imbecillis est natura hominis ad contemnendum potestatem, ut dicit *Tul.* *h* Ut præcederent eum trans fretum.] Misericordia præcedit novitios protegendo, provectos sequitur adjuvando. Unde *Exod.* 14. Tollens se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel abiit post eos, & cum eo pariter columna nubis priora dimittens, post tergum stetit inter castra Ægyptiorum, & castra Israel. *i* Ad Bethsaidam,] Contra dicit *Joan.* 6. Cum ascendissent navem, venerunt trans mare Capharnaum. Sed non est contra, quia de una civitate ad aliam venit. Bethsaida domus venationis. Per hoc, quod ad domum venationis mittit, ostendit, quod pastores debent venari peccatores scientia, & doctrina. *Jerem.* 3. Dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent, &c. *Jerem.* 16. mittam eis multos venatores, & venabuntur eos, de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.
k Dum] idest, donec. *l* Abiit in montem orare,] insinuans, quod qui vult orare, debet ad superna mentem levare. *n* Mari,] quia post Ascensionem Domini in cœlum, ingruente tribulatione, Ecclesia multis tribulationibus est afflicta. *m* Et cum sero esset, &c.] Ex una parte impugnant hæretici, ex alia tyranni, ex alia falsi fratres, ex alia dæmones. Primi fidem: Secundi substantiam: Tertii mores: Quarti animas auferre nituntur. *Matth.* 10. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. *o* Et ipse solus in terra,] quia solus sine timore casus, sive submersionis. *p* Et videns eos, &c.] Quam difficile est regere Ecclesiam, propter quod excusans se dicebat, *Jerem.* 1. A, a, a, Domine Deus ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et Moyses. *Exod.* 4. Obsecro, Domine, non sum eloquens.
q Et circa quartam vigiliam,

Quatuor sunt vigiliæ.
- Conticinium: Sero.
- Intempestum. Idem *infr.* 13. An media nocte galli cantus. Mane.
- Gallicinium:
- Antelucanum

Matutinum: Funiculus triplex, qui difficile rumpitur, sed tamen rumpitur. *Exod.* 14. Jam advenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus, &c. *Psal.* In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. *Psalm.* 100.
- Hæreticorum,
- Falsorum fratrum.
- Antichristi:

Vigilant
- Adolescentes:
- Juvenes:
- Senes.

Quatuor vigiliæ.
- Prima suggestio dæmonum,
- Secunda tentatio carnis.
- Tertia concupiscentia oculorum.
- Quarta superbia vitæ.

Quatuor vigiliæ.
- Scrutinium peccati. *Threnor.* 3. Scrutemur vias nostras. *Soph.* 1. Scrutabor Jerusalem, &c.
- Detestatio peccati. 2. *Reg.* 13. Majus erat odium, quo oderat Amnon Thamar.
- Propositum pœnitendi. *Ps.* 31. Dixi confitebor, &c. Idem concupiscit anima mea, &c.
- Actus pœnitentiæ: hic.

s Venit] Dominus (ad eos ambulans supra mare.) Ad has vigilias tenetur communis status hominum.

Quatuor vigiliæ.
- Contemptus temporalium. 1. *Joan.* 2. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Hujus vigiliæ sunt tres horæ: Contemptus divitiarum: contemptus dignitatum, contemptus deliciarum.
- Mortificatio carnis. *Col.* 3. Mortificate membra vestra, &c. Hujus vigiliæ sunt tres horæ: Victus tenuitas, vestitus asperitas, laborum diuturnitas.
- Appetitus virtutum. Hujus vigiliæ sunt tres horæ: Largitio eleemosynarum, effusio lacrymarum, instantia orationum. *Tob.* 12. Quando orabas, &c.
- Desiderium æternorum. Hujus vigiliæ sunt tres horæ. Oblivio temporalium, contemplatio cœlestium. *Phil.* 3. Ea quæ retro sunt, &c. Studium Scripturarum. Ad has

tenetur perfectus status hominum. Unde notandum, quod duo sunt status hominum, qui vigilare debent. Primus communis: Secundus perfectus.
q Circa quartam vigiliam] Quatuor vigiliæ distinguuntur hic, & supra, *Matth.* 14. Prima conticinium: Secunda intempestum: Tertia gallicantus: Quarta antelucanum. Et aliis nominibus nominantur, *infr.* 13. Sero, an media nocte, an galli cantu, an mane. In quarta vigilia, scilicet, mane, interficit Dominus peccatores quoad peccatum. *Ps.* 100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. *Exod.* 14. Jamque advenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, & interfecit exercitum eorum. *r* Noctis

Hilarius. Vigilia.
- Prima legis.
- Secunda Prophetarum.
- Tertia corporis adventus.
- Quarta in reditu claritatis.

t Supra mare,] *Ps.* 92. Mirabiles elationes maris, &c. *Isai.* 63. Torcular calcavi solus. *u* Et volebat preterire eos.] i. ad modum volentis se habebat. Sic & *Luc.* 24. Finxit se longius ire, idest, ad modum fingentis se habuit, non tamen duplex erat, quia faciendum erat, ut ita compellerent eum ad hospitium. *August.* de concordia Evangelistarum. Quomodo intellexerunt Apostoli Dominum velle præterire eos, nisi quia in diversum ibat, quod ad eliciendum illum clamorem volebat, cui subveniri oportebat. *x* At illi, &c.] supra mare. Ex hoc voluit quidem dicere, quod ad tempus sumpsit agilitatem. Sed non est ita, quia non esset miraculum. *y* Putaverunt phantasma.] Sic multi cum vident aliquem benefacere, dicunt phantasma est, non facit nisi propter hypo-

tasma esse, & exclamaverunt: Omnes *a* enim viderunt eum, & conturbati sunt. Et *b* statim locutus est cum eis, & dixit illis: Confidite: *c* ego sum, nolite timere. Et *d* ascendit ad illos in navim, & cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant. *e* Non enim intellexerunt de panibus, *f* erat enim cor eorum obcæcatum. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genezareth, & *g* applicuerunt. Cumque *h* egressi essent de navi, *i* continuo cognoverunt eum, & *k* percurrentes universam regionem illam *l* cœperunt in grabatis eos, qui se *m* male habebant circumferre, ubi audiebant eum esse. Et quocumque introibat in vicos, vel in villas, aut civitates, in *n* plateis ponebant infirmos: & *o* deprecabantur eum, ut fimbriam vestimenti ejus tangerent, & *p* quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

C A P. VII.

ET *q* conveniunt ad eum Pharisæi, & *r* quidam de Scribis venientes ab Jerosolymis: Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus *s* manibus, id est, non lotis manducare panes, *t* vituperaverunt. *u* Pharisæi enim, & omnes Judæi, nisi crebro lavent *x* manus, non manducant, tenentes traditiones seniorum. Et *y* a foro nisi *z* baptizentur, non comedunt, & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis, servare, *a* baptisinata calicum, & urceorum, & aramentorum, & lectorum. Et interrogabant eum Pharisæi, & Scribæ: *b* Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem? At ille respondens, dixit eis: Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis: sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me. In vanum autem me colunt docentes doctrinas, & præcepta hominum: Relinquentes enim mandatum Dei tenetis traditiones hominum, *c* baptismata urceorum, & calicum, & alia *d* similia his facitis multa. Et dicebat illis: Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis.

hypocrisim. *a* Omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt.] *Hieron.* Magni timoris indicium est confusus clamor, & incerta vox: & statim juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Et clamavit ad me, & ego exaudiam eum. *Isa.* 30. Ad vocem clamoris tui statim, ut audierit, respondebit tibi. Et statim locutus est, &c. Confidite] *Joan.* 16. Confidite, &c. *Jer.* 1. Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum. *Isa.* 43. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. *c* Ego sum, nolite timere.] *Hier.* Non subjungit quis esset, quia ex nota voce poterant eum intelligere. *d* Et ascendit, &c. & cessavit ventus.] *Eccl.* 43. In sermone ejus siluit ventus. *e* Non enim intellexerunt de panibus,] *Prov.* 20. Aperi oculos tuos, & saturare panibus.

Psalm. 18. *Psalm.* 90. *Matth.* 14.

f Erat enim cor eorum obcœcatum,] quia non intelligebant deitatem. *Eccl.* 43. Sol refulgens radiis suis, idest, miraculis obcæcat oculos. *g* Et applicuerunt,] post transfretationem præsentis maris. *g* Cumque egressi essent de navi] militantis Ecclesiæ electi cognoscent Christum. Unde *Bar.* 3. Quis transfretavit mare, & invenit illam? *i* Continuo cognoverunt.] 1. *Cor.* 13. Tunc cognoscam sicut cognitus sum. *k* Et percurrentes, &c.] sic deberent Prælati, & prædicatores discurrere, & infirmos ad Christum adducere. *Proverb.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum. Sic fecit Josaphat. 2. *Paralip.* 17. Docebant populum in Juda habentes librum legis Domini, & circuibant urbes Juda, atque erudiebant populum, illi, scil. quos jussit Josaphat. *l* Cœperunt in grabatis eos,] *Isai. ult.* Afferent donum Domino in equis, & quadrigis, & lectis, &c. *m* Qui se male habebant,] infirmos. *n* In plateis ponebant infirmos:] sicut. *Act.* 5. In plateis ponebant infirmos, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur. *o* Et deprecabantur, &c.] Vestimentum Christi est caro ejus. *Isai.* 63. Quare ergo rubrum est indumentum tuum? Fimbria ultima pars vestis, passio Christi. Ad tactum ejus, idest, fidem, & imitationem sanantur omnes infirmi. *Matth.* 9. Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. *Zach.* 8. Apprehendent fimbriam viri Judæi dicentes. Ibimus vobiscum, audivimus enim, &c. *p* Et quotquot tangebant eum, salvi fiebant,] *infr. ult.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.

A

EXPOSITIO CAP VII.

ET *q* conveniunt, &c] *Eccl.* 32. Qui quærit legem, replebitur ab ea, & qui insidiose agit, scandalizabitur ab eo. Sic & Pharisæi de odore vitæ faciunt sibi odorem mortis, contra quos. *Eccl.* 11. Bona in mala convertens insidiatur, & in electis ponet maculam. In hoc igitur capite agitur de translatione beneficiorum Christi a Pharisæis, & Scribis, quibus missus fuerat ad gentiles humiles. Et dividitur hoc capitulum in tres partes. In prima agitur de accusatione eorumdem facta a Deo. In secunda de sanatione filiæ mulieris Chananææ, ibi: Et inde surgens. In tertia de sanatione surdi, & muti, qui erat de finibus Decapoleos, ibi: (Et iterum exiens.) Et conveniunt, & in hoc concordes sunt, ut Christum, & discipulos arguant. *Act.* 4. Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

r Et quidam de Scribis, &c.] quasi recedens a pace. Sic *Gen.* 11. Proficiscentes ab Oriente conati sunt facere turrim contra Deum. *Beda.* Non ad verbum audiendum, non quasi medicum, sed quasi ad quæstionum pugnas cucurrerunt. *t* Vituperaverunt.] Contra quod *Eccl.* 11. Priusquam interroges, non vituperes. *Matth.* 15. Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Sic hodie multi magis moventur, si quis transgrediatur humanas traditiones, quam mandata Dei. De quibus *Matth.* 23. Cæci colantes culicem, & glutientes camelum.

B

Matth. 15.

s Communibus manibus, &c.] Hoc dicit quia illos dicebant immundos, qui cibis communibus vescebantur, & non distinguebant, scilicet, gentiles. Judæi enim distinguebant: ut patet *Lev.* 11. per totum. *u* Pharisæi] *Aug.* de verbis Domini. Pharisæi vocantur nobiliores, atque doctiores Judæi. *x* Lavent manus,] suas in quorum persona dicitur, *Job* 9. Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me. *y* Et a foro] redeuntes. *z* Nisi baptizentur,] idest, laventur. *Eccl.* 43. Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodest lavatio ejus, &c. baptizentur. Multi extra lavantur, & immundi sunt interius. *Matth.* 23. Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi, qui mundatis, quod deforis est, intus autem pleni estis rapina, & immunditia. Ipsi enim intelligebant carnaliter, quod dicitur *Isai.* 52. Mundamini, qui fertis vasa Domini, de exteriori lavatione, cum Dominus de interiori lavatione intelligat. Unde statim post illud. *Isai.* 1. Lavamini, &c. dicitur. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Vel Pharisæi spiritualia verba carnaliter intelligentes, Lavamini, & mundi estote, non recte accipiebant hanc munditiam.

Isai. 29. *Matth.* 15.

a Baptismata] *Hebr.* 9. In variis baptismatibus, & justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.
b Quare discipuli, &c.] seniorum. Tota querimonia est de seniorum transgressione, de transgressione mandatorum Dei nullus conqueritur. *Isai.* 29. Timuerunt me mandato hominum, & doctrinis, & ecce ego admirationem faciam populo huic. Item *Isai.* 24. Mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum, transgressi sunt leges. *c* Baptismata urceorum, & calicum,] *Beda.* Calix est vas vitreum, urceus fictile de terra. *d* Et alia similia his facitis] vel, (fecistis, ut traditionem vestram servetis.) *Luc.* 11. Rogavit Jesum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se, reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Et ait Dominus ad illum: nunc vos Pharisæi, quod deforis est calicis, & catini mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate. Stulte: nonne qui fecit, quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit? Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Sic docet Dominus lavare manus post prandium, dando fragmenta pauperibus.

a Moyses

a Moyses enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam, b & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si c dixerit homo patri, aut matri d Corban quod est donum quodcumque ex me tibi profuerit, & ultra non dimittitis eum, quicquam facere patri suo, aut matri rescindentea verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistia, & similia hujusmodi multa facitis. Et e advocans iterum turbas dicebat illis: f Audite me omnes, & intelligite: Nihil g est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare, h sed quæ de homine procedunt, illa sunt, quæ † coinquinant hominem. Si quis habet aures audiendi, audiat. Et cum introisset in domum a turba, i interrogabant eum discipuli ejus k parabolam: Et ait illis: Sic l & vos imprudentes estis. Non intelligitis, quia m omne extrinsecus n introiens in hominem, non potest eum communicare, quia non intrat in o cor ejus, sed in ventrem vadit, & in p secessum exit purgana omnes escas. Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa † communicant hominem. Ab q intus enim de corde hominum cogitationes r malæ procedunt, ſ adulteria, t fornicationes, u homicidia, x furta, avaritiæ, y nequitiæ, z dolus, a impudicitia, b oculus malus, blasphemia, c superbia, d stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem. Et e inde surgens abiit in finea Tyri, & Sidonis, f & ingressus domum neminem voluit scire, & g non potuit latere. Mulier enim statim, ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, & procidit ad pedes ejus.

Exod. 20. Deut. 5. Lev. 20.

al. † communicant. Matth. 15.

C

a Moyses enim dixit: Honora patrem, &c.] Exod. 20. Eccl. 3. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis. Tob. 4. Honorem habebis matri tuæ.
b Et qui maledixerit patri, &c.] Levit. 20. Exod. 21. Prov. 30. Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, suffodiant eum corvi de torrentibus.
c Si dixerit homo patri, &c.] consimilis fraus fit hodie a Sacerdotibus. Injungunt enim pœnitentibus pro satisfactione Missarum multitudinem, monent ad Ecclesiæ fabricationem non ad compassionem pauperum, non ad eleemosynas indigentium. Mich. 3. Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem. Et si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium. Similiter canonici suos concanonicos morientes moneat omnia sua dimittere Ecclesiæ suæ, eo quod male deserviunt. Isa. 1. Principes tui infideles, socii furum. Omnes enim diligunt munera, sequuntur retributiones.
d Corban, &c.] Corban videtur proprie arca, in qua oblationes ponuntur, nisi aliud dicatur corbam, & corbonam. De quo Matth. 27. Non licet eos mittere in corbonam, &c.
e Et advocans iterum turbas, dicebat illis:] Quæ mandata Dei sitiebant, non traditiones hominum. f Audite omnes, & intelligite:] non traditiones Pharisæorum. g Nihil est extra hominem introiens, &c.] Hoc falsum videtur, quia pomum vetitum nonne coinquinavit Adam, & quoad corpus, & quoad animam, ut Genes. 3. patet. Item cum Dominus hoc dixit, adhuc durabant legalia, ergo adhuc discretio ciborum. Ergo si Judæus carnem porcinam comederet, coinquinatus esset. Sed dic, quod non possunt coinquinare secundum se, sed propter transgressionem prohibitionis dicitur. Unde & Adam, & Judæi sic potuerunt coinquinari. 1. Tim. 4. Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum est, &c. Tit. 1. Omnia munda mundis. h Sed quæ de homine procedunt, &c.] Propter hoc dicit Apostolus, Eph. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, &c.
i Interrogabant eum discipuli ejus] Pr. 6. Si videris sensatum, evigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus. k Parabolam:] idest interpretationem verbi, quod credebant parabolam. Per quos significantur illi, qui Scripturas perverse exponunt. Unde Beda, vitiosum auditorem esse dicit, qui obscura manifeste, aut manifeste dicta obscura vult intelligere. l Sic & vos imprudentes estis,] qui tanto tempore fuistis mecum, & jam deberetis esse magistri. Hebr. 5. Imbecilles facti estis ad audiendum, etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, ut doceamini. Joan. 14. Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me. m Quia omne intrinsecus, &c.] Duæ sunt opiniones, ut videtur in Gloss. de hac materia, quia dicunt quidam, quod nihil de cibis transit in veritatem humanæ naturæ, sed in sanguinem, & virtutem, quæ non sunt de veritate naturæ, unde crescat homo secundum multiplicationem naturæ suæ, sicut panes creverunt. Joan. 6. Sed si sic inesset homini, fieret incrementum miraculose, & cresceret sicut panes creverunt miraculose. Ob hoc dicunt aliqui, quod aliquid de cibis transit in veritatem humanæ naturæ. Unde dicit, omne introiens in secessum exit, sed non totum. Unde dicit: [Omne,] i. aliquid de omni, vel de quolibet aliquid. August. de civit. lib. 22. cap. 20. Si quispiam confectus fame, atque compulsus vescatur cadaveribus hominum, non quisquam contendat totum fuisse digestum per imos meatus, nihilque inde in ejus carnem mutatum, atque conversum, cum ipsa macies, quæ fuit, & non est, satis indicet, quæ illis escis detrimenta suppleta sint.
n Introiens in hominem.]
Moraliter, Cibus qui vadit in ventrem, non coinquinat hominem, sed nutrit.
o In cor ejus,] Si enim non est voluntarium, non est peccatum, ut ait Aug.
p In secessum] Secundum Avicennam prima digestio fit in ore, secunda in stomacho, tertia in epate, quarta in membris.
q Ab intus enim de corde hominum] Job 37. Ab interioribus progreditur tempestas.
r Malę cogitationes procedunt,] Matth. 12. Ex abundantia cordis os loquitur.
ſ Adulteria,] adulterari est thorum alterius violare.
t Fornicationes,] fornicatio est amor a legitimo connubio solutus, & vagus explendę libidinis consectando † illicita. Dicitur autem fornicatio a fornicibus, in quibus pagani turpitudinem exercebant. u Homicidia,] idest Joan. 3. Qui odit fratrem suum homicida est.
x Furta,] Furtum est omne, quod alterius damno acquiritur. y Nequitię] Nequitia est defectus boni, quod nequam servus dicit se facere nequire. August. Nequitia est intemperantia, sive dolus. z Dolus,] est occulta malitia, blandis verbis adornata. Aug. Dolus est, quando quis machinatur damnum alteri.
a Impudicitia,] August. Impudicitia est impudice vivere. Item impudicitia est omnis continentia ad libidinem pertinens, velut illicitus carnis tactus, & turpia verba, & turpis cogitatio. b Oculus malus,] est invidia, quod est aliena felicitate torqueri. c Superbię,] species sunt velle preesse, nolle subesse, velle potestatem habere. August. Superbia est amor proprię excellentię. d Stultitia,] insipiens est, qui Dei sapientia privatur, stultus vero nec in temporalibus astutiam habet. a Impudicitia,] Eccli. 19. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis annunciant de eo. Et Matth. 26. Loquela tua manifestum te facit. Et Aug. in regula: Impudicus oculus impudici cordis est nuncius.
b Oculus] Eccli. 13. Nequam est oculus invidi, & avertens faciem, & despiciens animam suam. e Et inde surgens abiit,] secunda pars. In fines Tyri, & Sidonis. Sed nonne facit contra hoc, quod præceperat. Matth 10. In viam gentium ne abieritis? istæ autem civitates gentium erant. Sed dic: Non intravit civitates eorum, sed in fines eorum ivit, ubi Judæi erant. f Et ingressus domum, neminem voluit scire,] idest ad modum non volentis se habuit, ut exemplum nobis daret. g Et non potuit latere,] de misericordia. Sicut dicitur de homine largo, qui non potest comedere solus, quia largitas sua quodammodo compellit eum quærere commensales. Job 31. Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, &c.
Moraliter. e Et inde surgens, &c.] Tyrus interpretatur angustia, Sidon venatio. Est autem angustia bona, scil. pœnitentiæ. De qua Isa. 26. Domine, in angustia requisierunt te, & in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Est & angustia mala, scilicet avaritiæ, quæ cor hominis nimis angustat. De qua Isa. 49. Angustus est mihi

a.15 q.5 c.2

al. † coinquinant.

Matth. 15.

al. † illecita.

a Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere. Et b rogabat eum, ut dæmonium ejiceret c de filia ejus. Qui dixit illi: Sine prius saturari filios: non d est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At e illa respondit, f & dixit ei: Utique, Domine: g nam & h catelli sub mensa comedunt de micis puerorum. Et ait illi: i Propter hunc sermonem vade, exiit k dæmonium a filia tua. Et cum abiisset domum, invenit puellam jacentem supra lectum, & dæmonium exiisse. Et l iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem m ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos, & adducunt ei surdum, & mutum: & n deprecabantur eum, ut o imponat illi manum. Et p apprehendens eum de turba seorsum, misit q digitos suos in auriculas ejus, & r expuens tetigit linguam ejus, & f suspiciens in cœlum s ingemuit, & ait illi: u Ephetha, quod est adaperire. Et x statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & y loquebatur recte. Et præcepit illis, nec cui dicerent. z Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

C A P. VIII.

IN illis a diebus iterum cum turba multa esset † cum Jesu, b nec haberent, quod manducarent, c convocatis d discipulis: ait illis:

A

al. † non habet cum Jesu.

mihi locus, fac mihi spatium ut habitem. Item est venatio bona, scil. prædicationis. *Jer.* 6. Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum. Item est venatio mala, scilicet cupiditatis. *Eccli.* 3. Venatio leonis onager in eremo, sic pascua divitibus pauperes. Jesus venit in finibus Tyri, & Sidonis, idest in illos, in quibus finitur mala angustia, & mala venatio per bonam angustiam, & bonam venationem.

Matth. 15.

a Erat enim mulier gentilis Syrophœnissa genere.] Contra: Imo erat Chananæa, ut *Matth.* 15. Ergo erat de terra promissionis. Sol. *Hil.* Chananæi in terra, in quibus Judæa est, incoluerunt, qui vel bello consumpti, vel in loca vicina dispersi, vel in servitutem conditione devictorum subjecti, nomen tantum sine patria circumferunt. Ex illa ergo dispersione inter cetera contigit, quod hæc Chananæa est Syrophœnissa genere, hoc est ex Syris, & Phœnicibus orta, etsi Judæis admixta proselytorum formam præferebat. Merito namque existimabatur ex lege cognovisse, quod Christum, & Dominum, & David filium confitetur. b Et rogabat, &c.] Fides, patientia, & humilitas in hac muliere commendantur, ut patet in *Glossa*.

D

Moraliter.

Moraliter. c De filia ejus. Mater ratio rogat pro filia sensualitate, ut concupiscentiis liberetur. *Eccli.* 28. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Item *Eccli.* 42. Super filiam luxuriosam firma custodiam, &c. d Non est enim bonum, &c.] Sed contra. Non petebat panem, sed sanitatem filiæ, ad quid ergo Dominus de pane loquitur? Sed Dominus verbum Dei panem vocat, quia sicut panis corpus, ita verbum Dei animam sustentat, & verbum Dei peccata sanat. Unde *Sap.* 16. Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed omnipotens sermo tuus, Domine, qui sanat omnia. Et ideo, quia sanitatem petebat de verbo, respondit per panem. e At illa respondit,] Nota, quod hæc mulier erat Syrophœnissa, i. Tyrophœnissa, i. in angustia, & ob hoc veniebat ad verum David, i. pacificum Christum, scilicet, sicut omnes, qui erant in angustia veniebant ad David. 1. *Reg.* 22. f Et dixit ei: Utique Domine] Quasi, verum est, quod dicis, sed ideo non desisto præcari tuam misericordiam, quoniam mihi similitudinem canis, & panis convenienter facere potes.

g Nam &] pro etiam, idest certe. h Catelli comedunt, &c.] ergo si sum indigna, cui integrum panem tribuas, saltem mihi filiæ meæ sanitatem, quasi unicam comparatam multorum miraculorum, quæ fecisti, tribue.

i Propter hunc sermonem, &c.] Quia Dominus puerum Centurionis, & filiam Chananææ non veniens ad eos, sanat, significat gentes, ad quas non venit per præsentiam corporis, salvandas per verbum suum.

k Vade, exiit dæmonium a filia tua,] sicut ista salvatur in fide matris, sic parvuli in fide parentum.

l Et iterum exiens, &c.] Tertia pars, in qua agitur de sanatione surdi, & muti, per manus impositionem. Surdus, & mutus mystice est genus humanum, quod in Adam est surdum per inobedientiam, & mutum in confessione laudis divinæ, quia non est speciosa laus in ore peccatoris, ut dicitur *Eccl.* 15. Unde dicit *Psal.* 49. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, &c. Specialiter surdi sunt clerici, quia verbum Dei audire nolunt. Et muti, quia prædicare nolunt, nec in Ecclesia cantare. Et hi etiam cæci sunt, non videntes unde veniunt, ubi sunt, & quo vadunt. *Isa.* 42. Quis cæcus nisi servus meus, & quis surdus, nisi ad quem misi nuncios meos? Item *Isa.* 43. Educ foras populum cæcum, & oculos habentem: surdum, & aures ei sunt. Et nota, quod omnis surdus naturaliter est mutus, quia qui non audit, non potest loqui. *Jerem.* 8. Nemo, quod bonum est, loquitur.

m Ad mare Galilææ, &c.] *Isa.* 57. Impii quasi mare fervens, &c. n Et deprecabantur eam,] *Matth.* 21. Euntes discipuli fecerunt sicut præceperat illis, & adduxerunt ei asinam, & pullum.

o Ut imponat illi manum.] Et hoc est, quod dicitur in *Psal.* 118. Fiat manus tua, idest Christus, ut salvet me.

p Et apprehendens eum de turba seorsum,] Qui vult sanari a peccatis, debet tumultum mundi evitare, quia corrumpunt bonos mores colloquia mala, ut dicitur 1. *Cor.* 15.

q Misit digitos suos in auriculas ejus,] *Isa.* 50. Dominus Deus aperuit mihi aurem.

r Et expuens tetigit linguam ejus,] *Isa.* 50. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo. [Linguam] *Hier.* Bona lingua est, quæ nunquam nisi de divinis novit constituere sermonem. f Et suspiciens in cœlum] Omnis enim sapientia a Domino Deo est, ut *Eccl.* 1. *Jacob* 1. Omne datum optimum, &c desursum est, &c. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, &c. s Ingemuit,] *Jud.* 1. Axa cum suspirasset, &c. u Et ait illi. Ephetha,] *Prov.* 20. Aurem audientem, sc. sacram Scripturam, & oculum videntem, i. docentem, scil. si quis illuminat, utrumque fecit Deus. x Et statim apertæ sunt aures ejus, &c.] *Isaiæ* 35. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.

y Et loquebatur recte,] prius audit, post loquitur, sic faciendum est, quia prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat. *Prov.* 18. Nolite plures magistri fieri, fratres mei. z Quanto autem eis præcipiebat tanto magis plus prædicabant,] Quanto enim minus quis appetit gloriam, tanto magis habet, & quanto magis quis appetit, tanto magis fugit. Ut de pecunia. Quanto enim quis magis eam secutus fuerit, tanto minus apprehendet, & sic percurrerit, non effugiet. *Eccl.* 11.

E X P O S I T I O C A P. VIII.

IN illis a diebus cum turba, &c.] *Supra* in ultima parte de sanatione duorum sensuum, scilicet surdi, & muti, hic de tribus aliis agit, quæ pertinent ad tres sensus spirituales. Unde hoc caput dividitur in tres partes. Primo de his, quæ pertinent ad gustum. Secundo, quæ ad visum, ibi: [Et veniunt Bethsaida.] Tertio, de his, quæ ad odoratum, i. famam, ibi [Et egressus,] in primo prædicit reficiendorum indigentiam. Secundo reficituri misericordiam, ibi: [Convocatis.] Tertio, rationem miserendi, ibi: [Quia ecce.] Quarto, est responsio humanæ insufficientiæ ad reficiendum, ibi: [Et responderunt.] Quinto, præparatio ad reficiendum: [Et præcepit.] Sexto, viatici dispensatio, primo per se, post per discipulos, ibi: [Et accipiens.] Septimo fragmentorum reservatio, ibi: [Et sustulerunt.] Octavo arguit eos, qui indigentes lacte solidum cibum quærebant, i. signum de cœlo, ibi: [Et statim.] Nono docet, a quo cibo abstinendum, ibi: [Et præcipiebat.] Decimo arguit discipulos de diffidentia pro cibo, ibi: [Et cogitabant.] b Nec haberent, quod manducarent,] & quare non quærebant cibum a Domino? *Chrys.* Ob medicinam venerant turbæ, cibum, vel panes petere non audebant. c Convocatis] *Hier.* Convocat discipulos, ut doceat. Vel ideo ut ex collocutione intelligant signi magnitudinem. d Discipulis,] scilicet suis.

a Misereor,

a Misereor b super turbam, quia c ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent, & si d dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in e via: f quidam enim ex eis de longe venerunt. Et responderunt ei discipuli sui. Unde g istos quis poterit hic saturare panibus in h solitudine? Et interrogavit eos: i Quot panes habetis? k Qui dixerunt: Septem. Et l præcepit turbæ discumbere super terram. Et m accipiens septem panes gratias agens, n fregit, & o dabat discipulis suis, ut p apponerent, & apposuerunt turbæ, & q habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & jussit apponi. Et r manducaverunt, & f saturati sunt, & t sustulerunt, quod superaverat de fragmentis septem sportas. u Erant autem, qui manducaverant, quasi quatuor millia, & dimisit eos. Et x statim ascendens navim cum discipulis suis, y venit in partes Dalmanuta. Et exierunt Pharisæi, & cęperunt conquerere cum eo, quærentes ab illo signum de cęlo.

a Misereor] Ecce pius pater misericordia motus est, sicut pater filio prodigo. *Luc.* 15. 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur, &c. b Super turbam, &c.] Illi enim novitii, qui dicunt, *Exod.* 3. Ibimus viam trium dierum in solitudinem, videlicet, qui pœnitent a peccato, scil. cogitationis, locutionis, & operis, dum noviter conversi sunt, non debent dimitti jejuni a verbo Dei, sed sæpe est eis prædicandum, cum enim cibum accipiunt, confortantur, ut Paulus cum tribus diebus non manducasset, accipiens cibum confortatus est, ut habetur *Actor.* 6. Et ob hoc etiam Dominus filiæ Archisynagogi, *supra* 5. jussit dari manducare. Et nota, quod tunc scitur, si quis bene pœnitet, scilicet si sitit in audiendo verbum Dei, sicut scitur de eo, qui accipit medicinam corporalem, quia talis multum sitit. Non tamen multum onerandi sunt tales, quia soror nostra adhuc parvula est, ut *Cant. ult.* In signum hujus inter Pascha, & Pentecosten parvum † servitium cantatur octavo die Paschæ, quod habetur 1. *Petri* 2. Quasi modo geniti, &c.

Matth. 15. — al. † officium.

c Quia ecce jam triduo, &c.

Triduum:
- Contritionis, confessionis, satisfactionis. *Exod.* 5. Deus Hebræorum, &c.
- Jejunium, oratio, eleemosyna. *Tob.* 12. Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna, &c.
- Cogitatio, locutio, operatio. *Gen.* 40. Tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur, &c.
- Cogitatio veri, amor boni, detestatio mali. *Jo.* 2. Secundum aliam litteram: Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur, &c.
- Confessio, prædicatio, contemplatio. *Luc.* 13. Ecce ejicio dæmonia, &c.
- Passio Christi, Sepultura Christi, Resurrectio Christi. *Osee* 6. Vivificabit nos post duos dies, & tertia die suscitabit nos.

d Et si dimisero eos, &c.] *Thren.* 1. Facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua, & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.
e In via] pœnitentiæ. *Isa.* 30. Hæc est via, ambulate in ea. *Isa.* 21. Cum panibus occurrite fugienti.
f Quidam enim ex eis, &c.] Longe enim a peccatoribus salus. *Ps.* 118. Beati immaculati, &c. *Isa.* 60 Filii tui de longe venient, &c. Et hoc est, quod dicit *Isa.* 43. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. *Ephes.* 2. Nunc autem in Christo Jesu, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. g Unde istos, &c.] Mystice prædicatores immittentes profectum Ecclesiæ dicunt: Unde nobis tanta facundia? ut tot, millibus, tanquam avidis auditoribus sufficere possumus, in hujus sæculi deserto? *Isa.* 3. Non sum medicus, & in domo mea non est panis.
h In solitudine?] *Ambr. super Luc.* 6. c. 37. Non otiosis, non in civitate quasi in synagoga, vel seculari dignitate residentibus, sed inter deserta Christum quærentibus cœlestis gratiæ alimonia impertitur. Item imo melius videtur, quod dicitur *Osee* 2. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. *Eccl.* 38. Sapientiam scribe in tempore vacuitatis. Et *Act.* 8. Eunuchus edoctus est a Philippo in deserto. Et in *Prologo illo: Frater Ambrosius*. Plus in deserto Ecclesiæ, quam in aurato Synagogæ templo reperit. i Quot panes habetis?] Ignorat Deus panes? *Gen.* 39. Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non sit in potestate mea, vel non tradiderit mihi præter te, quæ uxor ejus es. Illam nulli vult dare Dominus. *Isa.* 42. Gloriam meam alteri non dabo. Propter hoc mortuus est Joannes, quia dicebat Herodi: Non licet tibi, &c. *Matth.* 14.
k Qui dixerunt: Septem.]

Mystice. Mystice. Septem dona Spiritus sancti, quæ sunt septem mulieres. *Isa.* 4. In die illa apprehendent septem mulieres virum unum. Hæ sunt septem lucernæ super candelabrum. *Zach.* 4. Septem lucernæ sunt super caput candelabri aurei, idest Ecclesiæ. Hi sunt filii Job, filiæque. Et pisciculi, ecce filiæ.

Job 1. — Moraliter. Moraliter. Primus panis spiritualis paupertas, quæ necessariis contenta est. *Gen.* 39. Joseph non quicquid aliud noverat, nisi panem, quo vescebatur. Secundus panis est pœnitentiæ dolor, *Psal.* 41. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, &c. Tertius obedientiæ facilitas. *Joan.* 4. Meus cibus est, ut faciam voluntatem patris mei. Quartus misericordiæ largitas. *Isa* 58. Frange esurienti panem tuum. Quintus abstinentia. *Psalm.* 36. In diebus famis saturabuntur. Sextus doctrina. *Eccl.* 31. Splendidum in panibus benedicent labia multorum. Septimus Eucharistia. *Jo.* 6. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Hæc sunt septem spicæ uberes, quæ Ægyptum a famis periculo liberant. *Gen.* 41. Discipuli sunt triplex intelligentia spiritualis, quæ latet in aquis Scripturæ, allegoria, tropologia, anagoge.

Matth. 14. Joan. 6.

Anagogice, septem panes, tres dotes animæ, & quatuor corporis. Pisciculi, gaudia particularia beatorum.
l Et præcepit turbæ, &c.] nudam. In quo notatur constantia in contemptu mundi.
m Et accipiens, &c.] Ecce panatarius fuit Jesus hic, & *sup.* 6. Vinatarius semel. *Joan.* 2. Piscator pluries, carnifex nunquam. [Septem panes accipiens,] idest in se capiens. Primo faciens, & postea docens. *Act.* 1. Cępit Jesus facere, &c. n Fregit,] Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. *Luc.* 24. *Apoc.* 5. Leo de Tribu Juda aperuit librum. o Et dabat discipulis suis,] non vendebat, ut ipsi similiter faciant. *Marc.* 10. *August. de doctr. Christiana*: Omnis res, quæ dando non deficit, dum habetur, & non datur, nondum habetur, quomodo habenda est. Illi quinque panes erant, & isti septem, antequam inciperent dari, quod ubi fieri cępit, duodecim cophinos, & septem sportas impleverunt. *Pr.* 11. Alii dividunt propria, & ditiores fiunt, alii rapiunt aliena, & semper in egestate sunt. p Ut apponerent, &c.] Quia non licet abscondere frumentum necessitatis tempore, ut dicitur *Prov.* 11. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium. Unde *Luc.* 19. Negotiamini, dum venio.
q Et habebant pisciculos paucos,] bona opera, & squamas, idest pœnitentiam, hi possunt comedi.
r Et manducaverunt,] *Beda*: Comedimus attente audiendo, & exempla intuendo, saturamur memoriæ recondendo, & operando.
f Et saturati sunt,] *Joel.* 2. Implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo. *Prov.* 13. Justus comedit, & replet animam suam. t Et sustulerunt, quod superaverat de fragmentis, septem sportas.] *sup.* 6. habetur, quod duodecim cophinos. *Ambr. supra Luc.* Cur quinque millibus hominum plus redundat, quatuor minus? Quia quatuor millia ista triduo cum Christo fuerunt, & ideo amplius cęlestis pabuli receperunt.
u Erant autem, qui, &c.] In prima refectione dicitur cophinos, qui sunt vasa stercoraria, quæ pertinent ad statum pœnitentiæ, hic sportas, quę sunt vasa panum propter statum justitię. De septem panibus septem sportę, quia pręmium respondebit merito. *Matth.* 7. In qua mensura mensi fueritis, &c. *Gen.* 30. Respondebit mihi cras justitia mea. x Et statim ascendens navim, &c.] *Chrys.* Post aliam refectionem intravit navigium, tyrannidis fugiens suspicionem. *Joan.* 6.
y Venit in partes Dalmanuta.] *Matt.* 15. Magedan. Dalmanuta, idest paupertas requiescens. *Isa.* 66. ad quem respiciam nisi ad pauperculum. Magedan annuneratio gratię. *Isa.* 61. Ad annunciandum mansuetis misit me.

a Tentantes

a tentantes eum. Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signum quærit? Amen dico vobis, si *b* dabitur generationi isti signum. Et dimittens eos ascendit iterum navim, & abiit trans fretum. Et *c* obliti sunt sumere *d* panes, & nisi unum panem non habebant secum in navi. Et præcipiebat eis, dicens: *e* Videte, & *f* cavete a fermento Pharisæorum, & fermento Herodis. Et cogitabant ad alterutrum dicentes, quia *g* panes non habemus. *h* Quo cognito, Jesus ait illis: Quid cogitatis, quia panes non habetis? Nondum cognoscitis, nec intelligitis: Adhuc cæcatum habetis cor vestrum? oculos habentes non videtis, & aures habentes non auditis? *i* Nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia, & quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? dicunt ei: duodecim. Quando & septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem. Et dicebat eis: *k* Quomodo nondum intelligitis? Et *l* veniunt Bethsaida, & *m* adducunt ei cæcum, & *n* rogabant eum, ut illum tangeret. Et apprehensa *o* manu cæci, eduxit eum extra vicum, & *p* expuens in oculos ejus, *q* impositis manibus suis,

Matth. 12. Luc. 11.

Matth. 15. Luc. 12.

Sap. 6. Joan. 6. Matth. 14. Luc. 9. Matth. 15.

C

a Tentantes eum.] Facientes contra legem. *Deuter.* 5. Non tentabis Dominum Deum tuum. *Eccl.* 18. Noli esse quasi homo, qui tentat Deum suum. Si enim quæsivissent ad credendum, utique dedisset eis signum de cœlo, sed quærebant ad reprehendendum, ut dicit *Chrys.* & ideo non dedit petens eis. Nota vero, quod Moyses accepit signum de terra, ranas, locustas, & sciniphes. *Ex.* 8. Jonas vero de abysso, & mortis faucibus liberatus, signum de inferno, & dedit, & accepit. *Jo.* 2. Ezechias accepit signum de cœlo, quando Sol decem lineis est reversus. 4. *Reg.* 20. Josue similiter accepit signum de cœlo, Sole stante in Gabaon. *Josue* 10. Achaz vero nec de cœlo, nec de inferno vult accipere signum. *Isa.* 7. Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam. Et de terra forte petiisset. Interpretatur autem apprehendens temporalia. 1. *Cor.* 1. Judæi signa petunt. Et nos cum ipsis signa petamus de inferno. Primo, idest timorem pœnæ, ut a peccato revocemur. *Psal.* 64. Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos a signis tuis. Petamus etiam signum de cœlo, scilicet spem gloriæ, ut provocemur ad bonum. *Psal.* 85. Fac mecum signum in bonum. *Luc.* 21. Erunt signa in Sole, & Luna, & in terris pressura gentium. Ambitiosi quærunt signum de cœlo, idest sublimitatem honorum, & datur eis. *Luc.* 10. Videbam satanam quasi fulgur de cœlo cadentem. *Isa.* 14. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris. Avari de terra petunt signum divitiarum abundantiam, & datur eis. *Luc.* 6. Væ vobis divitibus. Et dicit *Apoc.* 8. Væ, væ, væ, habitantibus in terra. Boni petunt signum amoris, & datur eis. *Joan.* 15. Majorem hac dilectionem nemo habet. Et signum timoris, & datur eis. *Luc.* 23. Si in viridi hæc faciunt, in arido, quid fiet? Et statim post miraculum quinque panum, fugit Dominus, ne fieret rex. *Joan.* 6. Hic similiter facto miraculo septem panum, fugit, docens nos de bene factis nostris non debere quærere gloriam hominum. Per hoc etiam, quod fugit in Dalmanuta, docet prædicatores ministrato verbo turbis, intra cubiculum cordis, suis pomis virtutum debere refici. Dalmanuta enim interpretatur poma, vel nuncia, & significat hortum, i. Ecclesiam, sive animam. De quo dicitur *Cant.* 4. Hortus conclusus. *Gen.* 30. Justum est, ut aliquando provideam domui meæ. *Dan.* 13. Dixit Susanna: Claudite ostium pomarii, ut laver. Susanna interpretatur labium, vel lætitia responsionis, i. prædicator. *Sap.* 8. Intrans in domum meam conquiescam cum illa. Sic Ezechiel post egressum in campum ingreditur domum. *Ezech.* 3. Sic Ruben egressus in agrum, quando messis erat, inventis mandragoris revertitur in domum suam, dant matri mandragoras suas, unde Rachel fœcundatur, sic B. *Bern.* ut dicitur, semper post prædicationem disciplinabat se. Et gallus post cantum verberat se. De quo *Job* 39. Quis dedit gallo intelligentiam, 1. *Cor.* 9. Castigo corpus meum, &c. *b* Si dabitur generationi isti signum,] idest non dabitur. Simile in *Ps.* 88. Si David mentiar, &c. Sed contrarium videtur *Matth.* 27. ubi dicitur, quod a sexta hora tenebræ factæ sunt super totam terram usque ad horam nonam. Et ita patet, quod Sol obscuratus est. Sed dicitur, quod non fuit de cœlo, sicut ipsi quærebant. Vel dic, non dabitur modo petentibus, quia male quærebant. *Jac.* 4. Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis.

c Et obliti sunt] dulcedine veri panis illecti.

d Sumere panes,] *Psal.* 101. Oblitus sum comedere panem meum. *Nehem.* 9. Panem de cœlo dedisti eis in fame eorum. *e* Videte,] *Phil.* 3. Videte canes.

f Et cavete a fermento,] quia modicum fermentum totam massam corrumpit. *Gal.* 4. *Os.* 7. Quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum. 1. *Cor.* 5. Expurgate vetus fermentum, quod est hypocrisis. Fermentum quidem pastam elevat, & modicam facit videre magnam, sic hypocrisis opera sua facit videri majora, quam sint. *Osee* 7. Quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum, sic hypocritæ quiescunt a malis exemplis, donec totum corrumpatur intus. *Exod.* 12. Septem diebus azyma comedetis. In die primo non erit fermentum in domibus vestris. Quicumque comederit fermentum, peribit anima ejus de cœta Israel.

g Quia panes non habemus,] doctrinæ. De quibus dicitur *Isa.* 21. Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. *Deuteron.* 23. Ammonites, & Moabitæ non intrabunt Ecclesiam Dei etiam post decimam generationem in æternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via, quando egressi estis de Ægypto.

h Quo cognito, &c.] *Jerem.* 18. Ego Dominus scrutans corda. 1. *Reg.* 16. Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor.

i Nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia, & quot cophinos fragmentorum, &c.] In hoc miraculo conveniunt omnes Evangelistæ. *Matth.* 16. *sup.* 6. *Luc.* 9. *Joan.* 6.

k Quomodo nondum intelligitis?] *Sap.* 6. Audite ergo reges, & intelligite. *Matth.* 16. Et non intellexerunt, quia non dixerat eis cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum. Unde *Chrys.* Quantum valet increpatio, dormientem mentem erexit, a Judaicis abduxit, attentiores fecit, a modicitate fidei eruit, ut non formidarent, si panes quandoque videantur non habere. *Ps.* 103. Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt.

l Et veniunt Bethsaida,] idest domus venatorum. *Jer.* 16. Mittam eis multos venatores, &c.

m Et adducunt] verbo, & exemplo. *Matth.* 21. Solvite, & adducite.

n Et rogabant eum,] *Lev.* 26. Ipsi, scilicet Prælati rogabunt pro peccatis suis, idest subditorum.

o Et apprehensa manu cæci, &c.] *Act.* 9. Dans illi manum erexit eam, &c. *m* Et adducunt ei cæcum,] Tobias excæcatus fuit stercoribus hirundinum, idest amore temporalium, quæ sancti viri ut stercora reputant. *Phil.* 3. Omnia arbitror, ut stercora. Recte autem viri sancti hirundines dicuntur, quia nigri sunt per pœnitentiam, sed candidi per innocentiam. *Cant.* 1. Nigra sum, sed formosa filiæ Jerusalem, &c. Item hyeme præsentis vitæ latent, sed æstate futura Sancti apparebunt. *Isa.* 16. Habitabunt apud te profugi mei, Moab esto latibulum eorum. Item hirundines citissime volant, nec capi possunt ab avibus rapacibus, sic viri sancti velocissime volant per contemplationem. *Isa.* 40. Assument pennas sicut aquilæ. Et ideo non timent dæmones. *Prover.* 1. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Legitur *Gen.* 4. quod Lamech cæcus occidit Cain, & puerum, quia cæcitas spiritualis sine discretione bonos, & malos interficit. *Jer. ult.* Sedechias excæcatur in Rebblatha, quod interpretatur multa, i. solicitudo mundana. *Psal.* 109. Conquassabit capita in terra multorum. *o* Manu cæci eduxit,] *Isa.* 43. Educ foras populum cæcum. *Act.* 12. Exeuntes processerunt vicum unum, scilicet ignorantiæ. Et Petrus ad se reversus dixit, &c.

Sancti viri comparantur hirundinibus.

p Et expuens in oculos ejus,] per exprobrationem peccati. *Eccl.* 28. Si expueris super illam extinguetur, idest pravam linguam. *q* Impositis manibus suis,] misericordiæ. *Actor.* 8. Imponebant manus super illos, & accipiebant

Spiritum

a interrogavit eum, si aliquid videret. Et aspiciens, ait: *b* Video homines velut arbores ambulantes. *c* Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, & cœpit videre, & restitutus est, *d* itaut clare videret omnia. Et misit illum in domum suam, dicens: *e* Vade in domum tuam, *f* & si in vicum introieris, nemini dixeris. Et *g* egressus est Jesus, & discipuli ejus in castella Cesareæ Philippi, & in via interrogabat discipulos suos, dicens eis. *h* Quem me dicunt esse homines? Qui *i* responderunt illi, dicentes. Alii Joannem Baptistam, *k* alii Eliam, *l* alii vero quasi unum de Prophetis. Tunc dicit illis: *m* Vos vero, quem me esse dicitis. Respondens Petrus, ait ei: *n* Tu es Christus. Et *o* comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. Et cepit docere illos, quoniam oportet filium hominis multa pati, & reprobari a senioribus, & a summis sacerdotibus, *p* & Scribis, & occidi, *q* & post tres dies *r* resurgere. Et *s* palam verbum *t* loquebatur. *u* Et apprehendens eum Petrus cepit *x* increpare eum. Qui conversus, & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens; *y* Vade

Matth. 15. Luc. 9.

Matth. 16. Luc. 9.

D

Spiritum sanctum. *a* Interrogavit eum si aliquid videret.] *Sap.* 6. Altissimus interrogabit opera. *Eccl.* 33. Qui interrogationem manifestat, parabit verbum. Interrogat autem eum Dominus, ut paratus sit reddere rationem de eis, quæ sunt in fide, & spe. 1. *Pet.* 3. Quod maxime requiritur a sacerdotibus. *Malac.* 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus requirent. Item *Hier.* Sacerdotes requirantur de lege, errantes instruant, rebelles convincant, alioquin sibi frustra jactant dignitatem, cujus non exhibent operationem. *Aggæi* 2. Interroga Sacerdotes legem.

b Video homines velut arbores ambulantes.] Quomodo non sanavit cæcum sicut socrum Petri, ut *sup.* 1. quæ statim ministravit? Sed die, forte noluit, designans impeditionem ex parte hominis. Difficile enim surgit, quem moles pravæ consuetudinis premit, ut dicit *Gloss. Joan.* 11. super illud: Voce magna clamavit. Et incipit *Gloss.* Fremuit.

c Deinde iterum imposuit manus, &c.] Per hoc quod bis imposuit manus, seu bis illuminavit: secundo verius, significat quod hic videmus, & Deum cognoscimus in ænigmate, tunc autem verius facie ad faciem, & cognoscemus, sicut & cogniti sumus, ut 1. *Cor.* 13. Bonus motus, nec interior nec exterior potest in nobis esse sine eo. Unde *Philipp.* 2. Deus in nobis operatur & velle, & perficere pro bona voluntate. *Joan.* 15. Sine me nihil potestis facera. *d* Itaut clare videret omnia.] Hæc est perfecta sapientia de omnibus, secundum valorem proprium existimare, & secundum saporem proprium saporare. *e* Vade, &c.] Pater enim tuus, qui videt in abscondito reddet tibi. *Matth.* 6. *Eccl.* 32. Præcurra prior in domum tuam, &c. *Sap.* 8. Intrans in domum meam conquiescam, &c.

f Etsi in vicum introieris,] civitatis mundi. *Eccl.* 9. Noli circumspicere in vicis civitatis. Unde sponsa non invenit amicum suum per vicos, & plateas. *Cant.* 5.

g Egressus est Jesus, & discipuli ejus in castella Cæsareæ Philippi,] Philippus, os lampadis, Cæsarea possessio principalis. Fides enim primam, & principalem de anima facit Deo possessionem. Unde & ibi fit interrogatio de principali fundamento fidei.

h Quem me dicunt esse homines?] 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.

i Qui responderunt illi, dicentes, Joannem Baptistam, &c.] Omnes, ut dicit *Boetius in lib. consolat.* quærunt beatitudinem, sed diversimode, unus in divitiis, qui putat summam felicitatem esse divitias; alius in deliciis, ut Epicurus; alius in honoribus, ut ambitiosus. *Osee* 10. Secundum ubertatem terræ suæ Ephraim exuberavit simulacris. *Sap.* 13. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, nec operibus attendentes agnoverunt, qui esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut Solem, aut Lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Ignem ponunt Deum avari, qui in divitiis quærunt beatitudinem. *Ecclef.* 23. Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat. Spiritum ponunt Deum superbi, qui de potestate gloriantur. *Osee* 4. Nolite ingredi in Galgala, neque ascendatis in Bethavem, quod interpretatur domus idoli, idest prælatio. Aerem citatum ponunt Deum, qui de vento laudis humanæ gloriantur. *Osee* 12. Ephraim pascit ventum. Gyrum stellarum ponunt Deum Prælati, qui de multitudine subditorum gloriantur. *Eccl* 19. Non jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur, nec oblecteris super ipsos. Solem faciunt Deum, qui de generis claritate gloriantur. *Isa.* 19. In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chananæa, & jurantes per Dominum exercituum. Civitas Solis, idest nobilitas generis, vocabitur una, aliæ sunt quatuor prædictæ. Lunam faciunt Deum hypocritæ, qui portant fasciculum spinarum sicut rusticus, qui est in Luna, sed non pungit, sicut Hæreticus, qui habet spinas exterius, interius nullas. 2. *Reg.* 23. Prævaricatores quasi spinæ evellentur, & si quis eas tangere voluerit, armabitur ferro.

k Alii Eliam,] *Jer.* 15. Væ mihi mater mea, quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in universa terra. *Hieron.* Quærenti quare hæc opinio fuerit de Joanne, vel Jeremia, respondetur: Alieni erroris non est nostrum rationem reddere.

l Alii vero quasi unum de prophetis.] *Joan.* 8. Murmur multus erat de eo in turba, quidam enim dicebant, quia bonus est, aliis autem non, sed seducit turbas.

m Vos vero, quem me esse dicitis?] *Joan.* 15. De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo.

n Tu es Christus.] *Hilarius*: Fides Petri non filium, sed hominem videns, utrumque complectitur.

o Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo.] Et hujus triplex est ratio. Prima, humilitatis exemplum. Secunda, ne differatur passionis beneficium. Tertia, ne rudes discipuli majori prædicationis mole premerentur. Quarta etiam ratio est, ne si modo converterentur aliqui, postea videntes eum crucifigi, scandalizarentur in eo, & pejores efficerentur. Juxta illud 2. *Pet.* 2. Melius erat illis non agnoscera, &c. *Ambr.* Jubet taceri, quod sit filius Dei, ut fallat principem mundi, ut declinet jactantiam, doceat humilitatem, & ne adhuc rudes, & imperfecti discipuli majoris prædicationis mole premerentur. *Hier.* Completo autem passionis Sacramento opportunius dicetur Apostolis: Ite, docete omnes gentes, &c. *Matth. ult. Eccl.* 8. Omni negotio tempus est, & opportunitas. *Eccl.* 10. Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore suo.

p Et Scribis,] *Jer.* 12. Facta est hereditas mea mihi, quasi leo in silva dedit contra me vocem. *Jer.* 3. Ibo ad optimates, & loquar eis: & ecce ipsi magis confregerunt jugum, &c.

q Et post tres dies] Post tristitiam passionis gaudium Resurrectionis adjunxit. *Luc.* 10. Samaritanus infundens vinum, & oleum. *r* Resurgera.] *Osee* 6. Vivificabit nos post duos dies, & tertia die suscitabit nos.

s Et palam] *Eccl.* 4. Non abscondas sapientiam in decore suo. *t* Verbum loquebatur,] solis discipulis.

u Et apprehendens eum Petrus,] seorsum. In hoc docet, subditos non debere publice reprehendere, vel arguere facta Prælatorum, sicut Cham. *Gen.* 9. Cum vidisset Cham pater Chanaan verenda patris esse nudata, nunciavit duobus fratribus suis foras, ideo autem maledictus servus effectus est.

x Cepit increpara eum.] *Hier.* Sciat pius lector Petro hanc beatitudinem: Quodcumque ligaveris, &c. in futuro promissam: nam si statim data esset, nunquam in eo pravæ confessionis error locum invenisset. *y* Vade retro Satanas,] Ecce quod hic reprehensus fuit. Similiter *Joan.* 18. Calicem, quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum? Hic videtur facere Dominus contra doctrinam suam, quam dedit. *Matth.* 18. Si peccaverit in te frater tuus, &c. Et *sup.* 5. *in Gloss.* quæ incipit.

Moraliter, quod Christus tres mortuos suscitavit, dicitur. Publica noxa publico eget remedio: Levia autem, & secreta possunt deleri pœnitentia levi, & secreta. Et ita Dominus, qui eum arguit coram discipulis de occulto peccato, videtur contra se facere. Sed hic Dominus fecit sicut paterfamilias, qui filium suum vult coram omnibus aliis filiis corripere, ut alii castigentur, quia multa loquebatur, & non intelligens, ideo reprehensus est. Non enim

observabat

observabat illud. *Eccl.* 5. Si est tibi intellectus responde proximo, &c.

a Quoniam non sapis, quæ Dei sunt,] cujus voluntas est vitam corporalem exponere pro spirituali.

b Sed quæ sunt hominum,] quorum sapientia est servare vitam corporalem.

c Et convocata turba, &c.] Postquam de passione sua discipulos docuit, omnes ad sui imitationem invitat, dicens generaliter quid faciendum tempore pacis, quia caro refrænanda, quid tempore belli, quia morti pro fide exponenda est.

Matth. 16. *Luc.* 9.

d Si quis vult,] Quidam recedunt, quidam antecedunt, quidam cum eo vadunt, quidam post eum. Recedunt, qui via opposita currunt ad inferos, idest per delicias, divitias, & honores. *Jerem.* 2. Verterunt ad me tergum. Antecedunt, qui propriæ voluntati, & sensui proprio innituntur, *supra eod.* Vade retro me, Satana, non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. *Prov.* 3. Ne innitaris prudentiæ tuæ. Cum eo vadunt, qui de salute sua, & aliorum solliciti sunt. *Mich.* 6. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Deus requirat a te, utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicite ambulare cum Deo tuo. Sequuntur Jesum vere obedientes. *Matth.* 26. Simon Petrus sequebatur eum a longe. [Si quis] Nota, quidam angariantur sequi Christum, quidam conducuntur, quidam voluntarie sequuntur. Angariantur, qui timore serviunt. *Matth.* 27. Exeuntes invenerunt hominem Cyrenæum venientem de villa, hunc angariaverunt, ut tollerent crucem ejus. Et tulit, sed non fuit crucifixus in ea, quia tales per suam crucem non retardantur a malis suis. 1. *Pet.* 4. Nemo vestrum patiatur quasi fur, aut homicida. Conducuntur hypocritæ, qui minimo laudis humanæ, vel commodi temporalis pœnitentiæ crucem portant, qui significantur per latronem crucifixum a sinistris, qui in cruce Dominum blasphemavit. *Luc.* 23. quia vita hypocritarum est blasphemia. Voluntarie sequuntur, qui cum gaudio propter Deum pœnitentiam agunt. De quibus *Jud.* 5. Qui sponte obtulistis animas vestras, benedicite Domino. *e* Me] non mea, ut ambitiosi. *f* Sequi,] non præcedere, ut superbi, [Sequi] eamdem viam. *Psal.* In via ejus. *g* Deneget] Adam cecidit per peccatum a libertate, quia a sui potestate effectus est servus peccati. *Joan.* 8. Qui facit peccatum, &c. Item a felicitate recedendo a Deo, ad cujus similitudinem factus erat. Sed homo, cum in honore esset non intellexit, &c. Item a dignitate, quia si stetisset, mox comes Angelorum futurus erat. Ideo Dominus hic triplicem casum reparari docet. Libertatem docet posse recuperari per spontaneam sui, & suorum abnegationem, ibi: [Deneget semetipsum.] Felicitatem per voluntariam carnis afflictionem, ibi: [Tollat crucem suam.] Dignitatem propter rectam intentionem, ibi: [Et sequatur me.] Unde *Beda*: Nisi quis a semetipso deficiat, ad Deum, qui supra ipsum est, non appropinquat, & non valet apprehendere, quod ultra ipsum est, si nescierit mactare, quod est. *Judic.* 5. Qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis in judicio, & ambulatis in via, loquimini. *h* Semetipsum,] idest se, suos, & sua. De primo *Isa.* 58. Si glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem. De secundo *Deut.* 33. Qui dixit patri suo, & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, &c. De tertio *Matth.* 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, &c. *i* Et tollat] supra se, non trahat post se. *Matth.* 11. Tollite jugum meum super vos. *k* Crucem suam,] non alienam. *Matth.* 23. Super cathedram Moysi, &c.

Blas. 48.

Crux { Mortificationis. in pace. / Compassionis. / Passionis. in persecutione.

retro me, Satana, quoniam *a* non sapis, quæ Dei sunt, sed *b* quæ sunt hominum. Et *c* convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si *d* quis vult *e* me *f* sequi, *g* deneget *h* semetipsum, & *i* tollat *k* crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, & Evangelium, salvam eam faciet. *l* Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum faciat animæ suæ? *m* Aut quid dabit homo commutationis *n* pro anima sua? *o* Qui enim me † confessus fuerit, & *p* verba mea in generatione ista adultera, & peccatrice, & filius *q* hominis † confitebitur eum, cum *r* venerit in gloria patris sui cum Angelis sanctis.

al. † confusus.

al. † confundetur.

CAP. IX.

ET *s* dicebat illis: Amen *t* dico vobis, *u* quia sunt quidam de hic stantibus, *x* qui non gustabunt mortem *y* donec videant regnum Dei veniens in virtute. Et *z* post dies

A *Matth.* 16. *Luc.* 9.

l Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum.] *Prov.* 11. Non proderunt divitiæ in die ultionis: justitia autem liberabit a morte. Mirum est, quod homo dat animam suam pro rebus, cum e contra facere debeat. *Prov.* 13. Redemptio animæ viri divitiæ propriæ. *Eccl.* 10. Nihil est iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet.

m Aut quid dabit homo commutationis.] *Job* 2. Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. *Eccles.* 26. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.

n Pro anima sua?] salvata. *Psalm.* Quid retribuam Domino, &c. Vel salvanda? *Roman.* 8. Non sunt condignæ passiones, &c. Vel damnata? nihil, quia si pro ea daretur totus mundus non liberaretur.

o Qui enim me confessus fuerit,] corde, ore, opere. *Matth.* 5. Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *p* Et verba mea in generatione ista adultera, &c.] *Deuteron.* 32. Generatio prava atque perversa. *q* Et filius hominis confitebitur eum.] 1. *Cor.* 9. Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit. Sed si filius hominis confitetur in gloria Dei patris, gloria est, & ita contra hoc est. Sed dic: Non est mihi gloria, idest lacio, quod debeo, sed non supererogo, quia sapientibus, & insipientibus debitor sum, ut *Rom.* 1. sed quod temporalia non capiebat, supererogatio erat. Unde sequitur *ibidem*: Si volens hoc ago, mercedem habeo. *r* Cum venerit in gloria, &c.] idest in statu sine omni miseria. *Philipp.* 2. Christus in gloria est Dei patris, &c.

1. *Cor.* 9.

EXPOSITIO CAP. IX.

ET dicebat illis:] Prædixerat de Passione, & Resurrectione sua. Hic agit de judicio gloriæ suæ in se, & expositione ejus in nobis per merita. Et dividitur hoc cap. in tres partes. In prima agit de ostensione gloriæ suæ. In secunda de jejunii, & orationis efficacia, ibi: [Et respondens unus, &c.] Tertio, de humilitate discreta, & pacifica. Dicit ergo. *s* Et dicebat illis:] quasi dicat, ne durum videatur vobis pati hic, quia non sunt condignæ passiones, &c. *Rom.* 8.

t Amen dico vobis,] Consolatoria promissio. Moraliter etiam in istis tribulationibus dat Deus arras gaudii. Unde *Psalm.* 18. In custodiendis illis retributio multa, scilicet in gustando æterna. Item *Psalm.* 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. 2. *Corinth.* 1. Sicut abundat passio Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.

u Quia sunt quidam de hic stantibus,] discipulis.

x Qui non gustabunt mortem,] temporalem. Mors quidem temporalis quidam modicus gustus est respectu æternæ. *Eccl.* 41. O mors, quam amara est memoria tua.

y Donec videant regnum Dei, &c.]

Regnum Dei { Vita æterna. / Claritas Christi. / Ecclesia præsens.

z Et post dies sex, &c.] Ab illo, quo dixerat. Sunt quidam de hic stantibus. *Chrysostomus*: Quare expectat post sex dies? Ut vehementius desiderarent ostensionem, quæ licet corporalis, tamen concupiscentiam habebat. Primus cognitio sui, tunc creatur cahos confusionis. Secundus attritio cordis, tunc fit firmamentum, & dividentur aquæ ab aquis. Tertius est consideratio status, tunc congregantur aquæ in unum locum, & vocantur maria. Quartus confessio, tunc fiunt in cœlo luminaria. Quintus satisfactio, tunc de aquis fiunt aves, & pisces. Sextus contemplatio, tunc fit homo, & in hoc tria significantur. Dominus vero in septimo requiescet. [Et post dies sex.] *Richardus de S. Victor.* Sex dies, sunt sex genera contemplationum, in quorum septimo videtur Dominus transfiguratus. Primus est

in imaginatione

in imaginatione secundum imaginem, quando scil. visibilium imago consideratur cum admiratione, & creatoris veneratione. Secundus est in imaginatione secundum rationem, quaodo scilicet mens imaginarione sensus rationem quærit, & cum imaginatione invenit. Tertius est in ratione secundum imaginationem, quando scilicet mens pet rerum visibilium similitudinem, in rerum invisibilium speculationem sublevatur. Quartus est in ratione secundum rationem,

Matth. 17. Luc. 9.

sex assumpsit *a* Jesus Petrum, & *b* Jacobum, & *c* Joannem, & *d* ducit illos in montem excelsum seorsum solos, & *e* transfiguratus est coram ipsis. Et *f* vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis velut nix, *g* qualia fullo super terram *h* non potest candida facere. Et *i* apparuit illis *k* Elias cum Moyse, & erant loquentes cum

quando scilicet mens in visibilibus per experientiam vocis alia, & alia invisibilia colligit, quæ per experientiam non novit. Quintus est supra rationem, non tamen præter rationem, quando animus per mentis sublevationem ita sublevatur, quod metas capacitatis transcendit, & quod per intelligentiæ aciem ratio ei sua attestatione alludit. Sextus est supra rationem, & præter rationem, seu etiam contra rationem, in hoc animus veraciter exultat, atque tripudiat, quando illa sublimia ex divini muneris irradiatione agnoscit, quibus omnis humana ratio reclamat. Talia sunt omnia, quæ de personarum Trinitate credere jubemur. In hoc genere transfiguratur Jesus in monte, sed cum attestatione Moysi, & Eliæ, idest Scripturarum, sine quibus suspecta esset hujusmodi revelatio. Hic ad tonitruum divinę vocis auditor cadit, idest humana ratio deficit. Et per casum trium discipulorum, sensus memoriæ, rationis defectus ostenditur. Ibi moritur Rachel in partu Benjamin. *Gen.* 35. Rachel visio, idest ratio videns: Benjamin, filius dexteræ. Septimus gradus contemplationis, cum filius ad dexteram patris videtur, Domino loquente, nubes lucida obumbrat, sed nubes propter mentis reverberationem, lucida propter intelligentiæ illustrationem. [Et post dies sex] *Gloss.* Post commiorationem crucis, gloria resurrectionis ostenditur. Unde sequitur: [Et post dies, &c.] ut non timerent opprobria Crucis, qui oculis suis visuri erant gloriam resurrectionis futuræ.

a Assumpsit Jesus Petrum, &c.] Per quod significatur, quod nullus intrabit in regnum cœlorum, nisi qui fuerit de ordine alicujus istorum. Per Joannem Virgines significantur, per Daniel similiter. Per Petrum conjugati, similiter per Job. Per Jacobum rectores Ecclesiæ, similiter per Noe. De istis tribus *Ezech.* 14. Si fuerint isti tres viri in medio ejus, Noe, Daniel, & Job ipsi liberabunt animas suas. Alii non intrabunt in montem excelsum, scilicet in gloriam Dei, nisi qui fuerint de istis.

b Jacobum,] *Gloss. super epistolam ad Coloss.* 1. Alium Apostolorum, &c. Ibi: Nunc videndum, ut dicitur, videtur velle, quod iste fuerit Episcopus Jerosolymitanus. Sed dic, quod *Gloss.* solum propter nominis convenientiam hoc dicunt, quia allegoria largas habet habenas.

c Et Joannem,] *Hieronym.* In tribus vocatis Apostolis ostenditur privilegium dignitatis eorum. *Bernard.* Tres secum ducit Dominus, ut tribus idoneis mundus credat, *Deut.* 19. Et propter fidem Trinitatis.

d Et ducit illos in montem, &c.] Similiter duxit Dominus Ezechielem in montem excelsum nimis, ut *Ezec.* 40. quia Dominus bonos prædicatores ducit ad excellentiam vitæ, & ad excellentiam scientiæ.

Moraliter. Moraliter enim per montem vitæ eminentia significatur, per hoc quod dicit, excelsum, eminentia scientiæ. Hæc duo debet habere prædicator, & prælatus. *Isa.* 40. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. Hi sunt Prælati Domini. Et similiter diabolus facit suos malos ignaros, ut Nabuzardan principem cocorum, idest luxuriosum, qui ignorantes sunt, quia fornicatio, & vinum auferunt cor, ut dicitur *Osee* 4. Sic & Nabuchodonosor, qui diabolum significat, Holofernem, qui interpretatur infirmans vitulum, ut patet *Judith* 2. Sic Prælati mali sunt, qui omnia devorant. De quibus *Amos* 6. Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.

e Et transfiguratus est, &c.] Volunt dicere quidam, quod Dominus omnes dotes ab initio accepit. In nativitate subtilitatem, quia exivit clauso utero. Unde *Matth.* 2. Ecce Virgo concipiet in utero, & pariet filium, &c. Agilitatem, quando ambulavit supra mare, ut *Matth.* 14. Claritatem in transfiguratione, ut hic, & supra *Matth.* 17. *Luc.* 9. Impassibilitatem in cœna. Dixerunt enim quidam, quod Christus naturaliter fuit impassibilis, & immortalis, & splendens, quod hic ostendit, utcumque factum est. Alii dicunt, quod splendor iste fuit in aere circumfusus. Alii, quod in corpore suo mortali factus. Unde *Hier. in originali*: Transfiguratus Salvator non substantiam veræ carnis amisit, nec aereum corpus assumpsit, sed gloriam creaturæ suæ resurrectionis veræ ostendit.

f Et vestimenta ejus facta sunt, &c.] Vestimenta Domini splendentia, sunt omnes electi glorificati, quibus in futuro quasi vestimento pulcherrimo vestietur. *Job* 40. In sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus.

e Et transfiguratus.] *Beda in Gloss.* Non veram substantiam carnis amisit, sed gloriam futuræ suæ vel nostræ resurrectionis ostendit, & talis post judicium cunctis apparebit electis. In judicio in forma servi bonis, & malis, ut impii quem sprevere, Judæi, quem negavere, milites, quem crucifixere, Pilatus, & Herodes, quem judicavere queant judicem agnoscere. Contra. *Matth.* 24. Ita erit & adventus filii hominis, secundus non in humilitate, ut primus, sed in gloria Dei manifestabitur. *Apocal.* 1. Videbunt, in quem pupugerunt. *Gloss.* Cum videbunt Judęi Christum regnantem in sua, & patris claritate, dolebunt. Idem *August. de Trinitat.* 13. Ergo mali videbunt judicem in claritate, in qua judicabit, non in humilitate, in qua judicatus est. Item *August. super Joan.* Cum forma servi clarificata judicantem viderint boni, & mali, tolletur impius, ut non videat Dei claritatem. Item *Job* 6. Venerunt usque ad me. *Gloss.* In judicio mali ad bonos perveniunt, quia eorum gloriam videbunt ut gravius doleant videntes, quod perdiderunt. Ergo & gloriam Christi. Solut. In judicio non apparebit in forma servi, idest, ut servus, qui scilicet, ut male tractetur.

g Qualia fullo.] *Job* 15. Homo, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere. Fullo, Deus, prædicator, persecutor, quilibet justus.

h Non potest, &c.] idest, non decet eum.

i Et apparuit illis Elias cum Moyse, &c.] Tres loquuntur. Moyses, Elias, Jesus, idest, lex, prophetia, Evangelium. Et tres audiunt, Petrus, Jacobus, & Joannes, idest fides, spes, charitas.

k Elias]

Moraliter. Moraliter. Per Eliam, qui vir pilosus erat, zona pellicea accinctus renibus. 4. *Reg.* 1. Pœnitentes significantur. Per Moysen autem, qui de aqua sumptus est, ut *Exod.* 2. Baptizati significantur, & utrique salvabuntur. De pœnitentibus, *Ezech.* 18. Si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis, quæ operatus est, & custodierit mandata mea, omnium iniquitatum ejus non recordabor. De baptizatis. *Infra ult.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. *Chrys.* Quia dixerat: Si quis vult me sequi, tollat crucem suam, Moysen, & Eliam, qui pro plebe se tradiderant, in medium ducit. *Sup.* 8. Etenim ad tyrannos uterque liberam præsentiam habuit, & pro ingratis hominibus, & uterque idiota, & uterque renuncians possessionibus. Item, quia turbæ dicebant, alii Eliam, alii Joannem Baptistam. *Matth.* 16. Item ut appareat servorum, & Domini differentia. Item quia dicebant ipsum transgressorem legis, quasi inimicum Moysi, ideo inducitur quasi amicus. Elias etiam zelator fuit gloriæ. Si ergo non esset æqualis Deo, non obedisset sicut Elias. Item ut discant, quia mortis, & vitæ habet potestatem; ideo Moysen mortuum, & Eliam vivum inducit. Item ut mitigaret gloria crucis scandalum in Apostolis. Item quia volebat Apostolos fieri mansuetos secundum Moysen, & zelantes secundum Eliam. Item, quia uterque orabat pro peccatoribus. Moyses, *Numeror.* 16. Elias, 3. *Regum* 18. Item, quia Moyses, & Elias significant omnes, qui regnaturi sunt. Moyses mortuus significat illos, qui mortui reperientur. Elias vivus, illos, qui vivi invenientur. Item quia significant duas generationes. Moyses aquaticus primam, quæ est Baptismo: Elias secundam, quæ erat in futuro, quando omnes electi fulgebunt sicut Sol. *Matth. decimotertio* Item in hoc docuit Prælatos, quales socios habere debeant, sicut Moyses, & Elias.

B Matth. 17.

Jesu, Et *a* respondens Petrus *b* ait Jesu: Rabbi, *c* bonum est nos hic esse, *d* & faciamus tria tabernacula, tibi unum, & Moysi unum, & *e* Eliæ unum. *f* Non enim sciebat quid diceret, *g* Erant enim timore exterriti. Et facta est nubes obumbrans eos, *h* & venit *i* vox *k* de nube dicens: Hic est filius meus charissimus, audite illum. Et statim circumspicientes, *l* neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum. Et *m* descendentibus illis de monte, *n* præcepit illis, ne cui, quæ vidissent, *o* narrarent ipsi, *p* nisi cum filius hominis a mortuis resurrexerit. Et *q* verbum continuerunt apud se, *r* conquirentes quid esset, cum a mortuis resurrexerit. Et interrogabant eum, dicentes: *s* Quid ergo dicunt Pharisæi, & Scribæ, *t* quia Eliam oportet venire primum? Qui respondens ait illis: *u* Elias cum venerit primo, restituet omnia, & *x* quo modo scriptum est in filium hominis, ut multa patiatur, & contemnatur. Sed dico vobis, quia & Elias venit, & fecerunt illi, quæcumque voluerunt, *y* sicut scriptum est de eo. Et *z* veniens *a* ad discipulos suos, vidit

& Elias. *a* Et respondens Petrus] stupefactus tanta claritate effulsit Petrus loco, statu, ædificio.

b Ait:] *Chrys.* Cave, ne requiras quam indiscretus, sed quam ardens erat Petrus, qui audierat eum moriturum in Jerusalem, dixit;

c Bonum est nos hic esse,] Non audiebat dicere manifeste. Propitius esto tibi, Domine. [Bonum] *Bernard.* Felix hora, sed brevis mora. *Numerorum* 32. Rubeo, & Gad volunt remanere citra Jordanem, sed Moyses respondet eis; Nunquid fratres vestri ibuot ad pugnam, & vos sedebitis io otio contemplationis?

d Et faciamus tria tabernacula,] Tria tabernacula faciebat Arrius, tres gradus ponens in Trinitate. Unde prius io Ecclesia diceretur, gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto. [Tabernacula.] *Hieronymus*. Qui Deo vult facere tabernaculum, præparet ei penetralia cordis sui. Tria tabernacula sunt tres animæ vires. *August.* Quid dicis, stulte Petre, mundus perit, & tu secretum quæris, vides tenebras mundi, & tu lumen abscondis. *Matth.* 5. Nemo accendit lucernam.

e Et Eliæ unum.] Ecce largitas Petri. Unam solam guttam vioi acceperat, & tres tabernas volebat facere. *Cant.* 2. Introduxit me rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.

f Non enim sciebat, &c.] *Matth.* 20. Nescitis, quid petatis.

g Erant enim timore exterriti.] *Matth.* 5. Nullus perterritus fuit, quando vox audita est. Et *Joan.* 12. quando tonitruum factum esse dicebant. *Chrysost.* Altitudo montis, & solitudo, & silentium, & transfiguratio horrore plena erant.

h Et venit] *Interl.* Patris pro filio respondentis.

i Vox] quod significat, quia nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. 1. *Cor.* 13. Ut tunc possimus vere dicere: Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domioi virtutum, in civitate Dei nostri.

k De nube.] Nubes lucida est gratia, quæ mentem illuminat, & refrigerat. *Luc.* 1. Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hæc nubes obumbrat, dum Deus loquitur intus in corde per inspirationem, vel exterius in corpore per flagellationem, vel in aure per prædicationem. De prima dicitur *Job* 4. Porro ad me factum est verbum absconditum. De secunda, 2. *Corinth.* 4. Mors operatur in nobis, &c. Et licet is, qui de foris est, &c. De tertia, *Cant.* 2. Sonet vox tua io auribus meis, &c.

l Neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum,] quia ipse solus est, de quo lex, & prophetę usque ad Joannem, & quia ipse est sufficientia omnium. 1. *Cor.* 15. Est Deus omnia in omnibus. Et ne vox patris ad alterum illorum facta putaretur.

m Et descendentibus illis.] *Psal.* 103. Ascendunt montes, & descendunt campi. Ascendunt ad contemplationem, & postea descenduot ad prædicationem.

n Præcepit illis, ne cui, quæ vidissent, narrarent.] Ne mole prædicationis altissimæ gravarentur, ne incredibile præ rei magnitudine videretur, ne apud rudes post tantam gloriam crux sequens scandalum generaret, ut exemplum humilitatis non quærendi propriam gloriam daret, ut tempus prædicationis quærere doceret, ut arcana celanda judicibus demonstraret, ut non cito quemquam laudandum esse ostenderet, quia discipuli nondum transfigurati, transfigurationis rationem prædicare non debebant. 1. *Corinthior.* 15. Qualis cœlestis, tales & cœlestes. Est autem multiplex transfiguratio, qua debent transfigurari discipuli Domini, antequam sint apti prædicare Domini transfigurationem. *Multiplex transfiguratio.* Prima est in baptismo, ut de filiis iræ transfigurentur in filios gratiæ. *Sapient.* 16. Omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebant. Secunda est in confessione, ut de filiis diaboli fiant filii Dei. *Philipp.* 3. Configurati morti ejus, si quo modo occurramus ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. Tertia est in profectu doctrinæ, ut de idiotis fiant doctores. *Matth.* 4. Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Quarta est in contemptu terrenorum, ubi deponitur onus ad bene currendum. *Matth.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Et tunc primo sunt apti ad prædicandum transfigurationem Domini, quasi facti impassibiles.

Moraliter. Moraliter. *o* Narrarent.] Est tempus loquendi, & tempus tacendi. *Eccles.* 3. Unde *Dan.* 12. Clausi sunt sermones, & signati usque ad tempus præfinitum. Tu, Daniel, claude sermones, signa librum, &c.

Moraliter. Moraliter. Instruit nos, ne denudemus arcana. De talibus *Eccles.* 27. Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inveniet amicum ad animum suum. Et *infr.* Denudare amici mysteria desperatio est animæ infelicis.

p Nisi cum filios hominis a mortuis resurrexerit.] Tunc est tempus narrandi. *Eccl.* 8. Omni negotio tempus est, *Ibid.* & opportunitas. *Eccl.* 11. Non laudes quemquam io specie sua, neque spernas pauperem in visu suo.

q Et verbum continuerunt, &c.] nemini dicentes.

r Conquirentes quid esset,] hoc scilicet.

s Quid ergo dicunt Pharisæi, & Scribæ,] legisdoctores.

t Quia Eliam oportet venire.] *Gloss.* Tradunt Scribæ, & Pharisæi secundum Malachiam ult. quod Elias veniat ante adventum Christi Salvatoris, & reducat corda patrum ad filios, & filiorum ad patres, & restituat omnia in antiquum statum. Æstimabant ergo discipuli hanc adventus gloriam esse, quam viderunt in monte. De hoc dicit *August.* 20. *de civitate Dei*. *Cap.* 19. Sic cor patrum convertetur ad filios, cum intelligentia patrum perducetur ad intelligentiam filiorum, & cor filiorum ad patres eorum, dum in id, quod senserunt illi, consentiant & isti. *Malach. ult.* Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Semper occidit parvulos invidia, & magnos percutiunt fulgura.

Parvulos { Pauperes, vermis pauperum invidia. / Pusillanimes. / Humiles spiritu, quibus iovident mali. / Hæreticos.

Magnos { Divites. / Superbos. / Hæreticos. / Prælatos.

Fulgura { Ignis indiviæ. / Terribilis judicis sententia. / Altitudo sacræ Scripturæ. / Fastus, & arrogantia Hæreticorum.

u Elias cum venerit.] *Eccl.* 48. Qui raptus in turbine ignis in curru equorum igneorum, qui inscriptus est in judiciis lenire iracundiam Domini, & conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Jacob.

x Et quomodo scriptum est in filium] idest de filio. Vel [in filium] idest contra filium.

y Sicut scriptum est de eo.] *Chrysostom.* A passione Joannis regnavit usque ad passionem suam, exemplo mitigans eos.

z Et veniens] de monte.

a Ad discipulos suos,] qui non interfuerunt transfigurationi. Non enim omnes secum duxit Dominus. Exemplum, quod non omnibus

non omnibus revelanda sunt secreta. *Eccl.* 6. Multi pacifici sint tibi, & consiliarius tibi sit unus ex mille.
b Cum illis.] cum discipulis, quos malos reputabant, quia lunaticum non poterant sanare. *a* Conquirentes] idest, disputantes. *Gloss.* Quid conquirerent, Evangelista non dicit, sed potest intelligi, de hoc quæstionem motam fuisse, quare discipuli dœmoniacum, qui in medio erat, non possent liberare. Hoc enim ex sequentibus potest conjici. *c* Stupefactus,] quasi stultus. *d* Et expaverunt,] quasi servi timore non charitate. *e* Magister attuli, &c.] quasi per se non poterat venire, vel ire.
f Habentem spiritum mutum,] unde non potest clamare, & significat peccatorem, qui mutus est a laude Dei *Eccl.* 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Et dicit *Matth.* 17. quod erat lunaticus, idest, mutabilis. *Eccl.* 27. Stultus ut Luna mutatur. Crescente Luna crescit mare. Talem, quia indefensum, apprehendit diabolus spiritu suggestionis, & delectationis. *Prov.* 7. Apprehensum deosculatur juvenem. *g* Allidit illum,] per consensum, & opus. *Is.* 13 Infantes eorum allidentur in oculis eorum.

Matth. 17. Luc. 9.

turbam magnam circa eos, & Scribas, *a* conquirentes *b* cum illis. Et confestim omnia populus videns † Jesum *c* stupefactus est, & *d* expaverunt, & accurrentes salutabant eum. Et interrogavit eos. Quid inter vos conquiritis? Et respondens unus de turba, dixit: *e* Magister, attuli filium meum ad te *f* habentem spiritum mutum, qui ubicumque eum apprehenderit, *g* allidit illum, *h* & spumat, & stridet *i* dentibus, *k* & arescit. Et dixi discipulis tuis, ut *l* ejicerent illum, & *m* non potuerunt. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero, *n* quamdiu vos patiar? Afferte illum ad me.

h Et spumat,] per peccati jactantiam. *Juda* 1. Despumantes suas confusiones. *i* Et stridet dentibus,] per impatientiam, & iram. *Act.* 7. Dissecabantur cordibus suis, & stridentibus in eum. *k* Et arescit,] per obstinationem, & simulationem. *Eccl.* 37. O præsumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia, & dolositate illius. Hæc est mala ariditas, sc. ab humore gratiæ. Unde: *Nahum* 1. Increpans mare, & exsiccans illud, & omnia flumina ad desertum deducens. Est & alia ariditas bona ab humore peccati. *Luc.* 11. Ambulans per loca inaquosa quærit requiem, & non invenit. Vel per hæc quatuor, significantur quatuor genera peccatorum, quibus totus mundus immergitur. Per allisionem ambitio. Ideo enim diabolus elevat peccatorem, ut gravius ruat sicut ipse. *Ps.* 101. A facie iræ indignationis tuæ, quia elevans allisisti me. *Job* 24. Elevati sunt ad modicum, & non subsistent, & humiliabuntur sicut omnia. *Job* 30. Elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me. Per spumam significatur luxuria. *Hier.* Venter mero æstuans cito despumat in libidinem. *Osee* 10. Transire fecit Samaria regem suum, quasi spumam super faciem aquæ. Per stridorem invidia. *Ps.* 36. Observabit peccator justum, & stridebit. Per arescentiam, avaritia. *Joel.* 1. Omnia ligna agri aruerunt: quomodo confusum est gaudium a filiis hominum.
h Spumat,] Et de hac spuma. *Sap.* 5. Transierunt tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur.
l Ut ejicerent illum, & non potuerunt.] Contra *Luc.* 9. Dedit illis potestatem super omnia dœmonia. Solut. In eis, qui digni erant, vel non indigni curari, infidelitas autem potentum fuit impedimentum curandi. Unde subditur: *Luc.* 9. O generatio infidelis. Item modicitas fidei Apostolorum. Unde *Matth.* 17. Si habueritis fidem. Item difficultas morbi. Unde hic subditur: Hoc genus dœmoniorum non ejicitur nisi per orationem, & jejunium. Item culpa sanandi. Unde *Gloss.* Puerum non dœmonem, ut ostendat illum dœmoni traditum propter peccatum suum, vel parentum. Item violenta diaboli vexatio. Unde super *Luc.* 9. Non puer vim patiens, sed diabolus vim inferens, &c. Eædem sunt causæ increpationis Domini.
m Et non potuerunt] quia interfuerunt transfigurationi.
n Quamdiu vos patiar?] *Is.* 46. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo. *Rom.* 2. An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? *Is.* 1. Laboravi sustinens. Et 44. Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. *Job* 33. Oculi ejus super via

Domini. Sed cum Dominus sciat, quod isti reprobi pejores efficientur, quare tantum expectat? Solut. *Eccl.* 8. Peccator, ex eo quod centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognovi, quod erit bonum timentibus Deum.
o Statim spiritus conturbavit eum,] *Gloss.* Quia dum post peccatum ad Deum converti volumus, magis a diabolo impugnamur, ut vel excutiat virtutem, vel vindicet suam expulsionem. De impugnatione diaboli dicitur *Job* 3. Qui parati sunt suscitare Leviathan, sc. justi. *Gloss.* In aliis, quos secure possidet, dormit. Item, *Job* 40. Sub umbra dormit. *Gl.* Illos inquietare negligit, quos jure quieto possidere se cernit. *Eccl.* 2. Fili, accedens ad servitutem Dei. *Matt.* 12. Cum immundus spiritus. *Gloss.* Cum anima verbo Dei se sociat, patitur inimicos statim, quos ante habuerat amicos. *Josue* 10. Audito, quod Gabaonitæ confœderati essent cum Josue, insurgunt contra eos omnes reges Amorrhæorum. Contra *Joan.* 16. In mundo pressuras, in me autem pacem habebitis. Sol. Justi plures habent tentationes exteriores, sed pauciores intus, vel si habent, vincunt spei fortitudine, & præmii consideratione. Item: 2. *Tim.* 3. Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Et dicit auctoritas: Pharao contemptus surgit in scandala. *Hieron.* Appropinquantes ad salutem discerpit diabolus, quos in ventrem suum velut escam, sibi dilectam trahere desiderat per terrores, & damna. *Hab.* 1. Incrassata est pars ejus, & cibus ejus electus. *Job* 40. Absorbebit fluvium.

Et attulerunt eum, Et cum vidisset eum, *o* statim spiritus conturbavit eum, & *p* elisus in terra *q* volutabatur spumans. Et *r* interrogavit patrem ejus. Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab *s* infantia: & frequenter eum in *t* ignem, & in *u* aquam misit, ut eum *x* perderet. *y* Sed si quid potes, *z* adjuva nos misertus nostri. Jesus autem ait illi. Si potes credere, *a* omnia possibilia sunt *b* credenti. Et *c* continuo exclamans pater pueri *d* cum lacrymis, ajebat: *e* Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. Et cum vidisset Jesus concurrentem turbam

D

p Et elisus,] in sensibus. *Nahum* 3. Parvuli ejus elisi sunt in capite omnium viarum.
q Volutabatur spumans,] tentatione carnis. 2. *Petr.* 2. Sus lota in volutabro luti.
s Ab infantia:] Mala, quæ nescit de Deo fari, lacte illecebrarum allidit, magna contemnit, inutilia, & nociva elidit. *Prov.* 1. Usquequo parvuli diligitis infantiam, & stulti, ea, quæ sibi sunt noxia cupient?
r Et interrogavit, &c.] Non quia ignorans interrogat, sed ut diuturnitas infirmitatis curationem gratiorem faciat.
s Ab infantia:] *Psal.* 50. Et in peccatis meis concepit me mater mea. *Ephes.* 2. Eramus natura filii iræ.
t In ignem,] horroris, iræ, vel libidinis. De qua *Job* 31. Ignis usque ad consumptionem, &c.
u Ut eum perderet.] *Prov.* 6. Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam.
y Sed si quid potes,] *Matthæi octavo*. Leprosus dixit: Si vis, potes me mundare. Et ideo Dominus dixit. Volo, mundare. Iste dicit: Si potes. Ideo respondetur ei: [Si potes credere,] quasi dicat, & tu poteris curari, si credideris.
z Adjuva nos.] *Eccl.* 34. Adjutorium casus exaltans animam. *u* Et in aquam,] cupiditatis. De qua *Ps.* 68. Salvum me fac, &c.
a Omnia possibilia sunt credenti,] quæ in nomine Jesu postulantur, quæ ad salutem pertinent. *Matth.* 21. Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed etsi dixeritis monti, i. diabolo dicit *Gloss.* tolle te, & mitte te in mare, fiet.
b Credenti.] 1. *Jo.* 5. Hæc est victoria, &c.
c Et continuo exclamans, &c.] *Tob.* 3. In oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum. *Gloss.* Oratio ungit, lacryma pungit. *Os.* 12. Invaluit Jacob ad Angelum, & confortatus est, flevit, & rogavit eum, & in Bethel invenit eum.
d Cum lacrymis ajebat.] Unde dicere potest. Exaudivit Dominus vocem fletus mei. *e* Credo, Domine, adjuva,] &c. Credebat, & in comparatione fidei consummatæ incredulum se dicebat.

Ps. 6.

a comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi: *b* Surde, & mute ſpiritus, *c* ego tibi præcipio, exi ab eo, & *d* amplius ne introeas in eum. Et clamans, & multum *e* diſcerpens eum exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ut multi dicerent, quia *f* mortuus eſt. *g* Jeſus autem tenens manum ejus *h* elevavit eum, & ſurrexit. Et cum introiſſet in domum, diſcipuli ejus ſecreto interrogabant eum. Quare nos non potuimus ejicere eum? Et dixit illis. *i* Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in *k* oratione, & *l* jejunio. Et *m* inde profecti prætergrediebantur Galilæam, *n* nec volebat, quemquam ſcire. Docebat autem diſcipulos ſuos, & dicebat illis: quoniam filius hominis tradetur in manus hominũ, & *o* occident eum, & occiſus tertia die *p* reſurget. At illi *q* ignorabant verbum, & timebant eum interrogare. Et *r* venerunt Capharnaum. Qui cum domi eſſent, interrogabat eos. *ſ* Quid in via *t* tractabatis? At illi tacebant. Si quidem in via inter ſe *u* diſputaverant, *x* quis eorum major eſſet. Et *y* reſidens vocavit duodecim, & ait illis. Si quis *z* vult *a* primus eſſe, *b* erit omnium noviſſimus, & *c* omnium miniſter *d* Et accipiens *e* puerum ſtatuit eum in medio eorum: *f* quem eum complexus eſſet, ait illis: *g* Quisquis unum ex hujuſmodi

dulum ſe dicebat. *a* Comminatus eſt, &c.] Ecce ad onam comminationem Domini diabolus obedit, nos nec ad multas. *Iſ.*30. Terrorem brachii ſui oſtendet in comminatione furoris, a voce enim Domini pavebit Aſſur. *b* Surde, &c.] ab effectu, quia hæc eſt tota intentio diaboli, ut homini auditum verbum Dei, & confeſſionis loquelam auferat.

c Ego tibi præcipio,] Cujus præcipere eſt facere, ergo Dñs fecit exitum illum, ſed ille exitum fuit peccatum, ergo fecit peccatũ. *d* Et amplius ne introeas.]

Moralit. formam pœnitendi dat nobis ſc. propoſitum nunquam poſtea peccandi. *e* Diſcerpens eum,] Idem *ſup.* 1. *f* Mortuus] eſt, mundo *Col.*3. Mortui eſtis mundo, & vita veſtra &c.

g Jeſus autem tenens manum, &c.] Quem non poterant curare diſcipuli, Salvator curavit, quia ottorumque incredulitas impedivit ſalutem. *h* Elevavit eum.] *Zach.*9. Lapides ſancti elevabuntur ſuper terram. *g* Jeſus autem tenens.] Hoc morale eſt, quia prius excludit Dominus diabolum, poſtmodum tenet manum. Prius enim a peccato defendit, & poſt oritur lux, quod ſignificatum fuit *Gen.* 38. Primo natus eſt Phares, i. diviſio, poſt Zara, i. Oriens *Pſ.*72. Tenuiſti manum dexteram meam, &c. *i* Hoc genus in nullo poteſt exire,] Sed quæro, an hoc intelligatur de exitu culpæ, vel pœnæ. Si de exitu culpæ, hoc falſum eſt, quia ſola gratia expellit culpam. Si de exitu pœnæ, hoc falſum eſt, quia per contritionem pœna deletur, imo tanta poteſt eſſe contritio, quod deleatur & culpa, & pœna. Dicit ergo: [Non poteſt] i. vix poteſt. Et intelligitur de exitu pœnæ. *k* Niſi in oratione,] Oratio eſt pius affectus mentis in Deum pro ſalute, & his, quæ ad ſalutem ex nimietate ſui in vocem minorem prorumpens. Jejunium eſt abſtinentia a cibo, & potu, pro ſalute animæ, *Tob.* 3. Sara in jejunio, & oratione meruit exaudiri, ut dæmonium Aſmodeus a ſuis nuptiis amoveretur. *l* Et jejunio] *Chryſ.* Si jejunare non potes, non laſcivire potes, non parum eſt hoc, neque multum diſtat a jejunio. Non illi dæmoni, aliquid ita amicum eſt, ut eſt ebrietas, & laſcivia, quia magis omnium morborum, irrationalibus irrationabiliores ſunt, ſufficientiæ terminos excedentes. Aſinus enim, & equus terminum ſufficientiæ novit, & quamvis cogatur, non ſuſtinet ultra bibere, vel manducare. Jumentis tuis caves, unde non noceat eis ſuperfluitas cibi, vel potus, quare teipſum illis æſtimas viliorem? *m* Et inde profecti, &c.] Ne dicant, qua de cauſa converſamur hic, continue dicit eis de paſſione ſua, quod audientes diſcipuli, neque videbant Jeſum. *n* Nec volebat, quemquam ſcire.] Tunc docens aliquando latere, aliquando in publicum prodire. *o* Et occident eum, &c.] *Gloſſ. Hier.* Proſperis miſcet triſtia, ut cum venerint non in præmeditatis ferantur animis. Si contriſtat eos, quia occidendus eſt, debet lætificare, quia die tertia reſurrecturus eſt. *Jo.* 16. Triſtitia veſtra vertetur in gaudium. *Prov.*14. Riſus dolore miſcebitur. *p* Tertia die reſurget.] *Oſ.*6. Die tertia ſuſcitabit nos. *q* At illi ignorabant verbum,] *Beda.* Quia per figuras ſæpe loquebatur eis, putabant hoc figurative dictum. *r* Et venerunt Capharnaum.] Ad Capharnaum pertinebat Nazareth, in qua Dominus fuit nutritus, unde Nazarenus appellatur. *ſ* Quid in via.] *Prov.*25. Cauſam tuam tracta cum amico tuo. *Eccl.*8. Hæc omnia tractavi in corde meo. *Eccl.*9. Cum prudentibus tracta. *t* Tractabatis] *Gloſſ.* In via tractabant de principatu, ſimilis tractatio loco. Principatus enim, ut ingreditur ſic deſeritur, & dum tenetur labitur, & incertum eſt, in qua manſione, i. in qua die finiatur. Unde dicit: Qui vult eſſe primus. *Eccleſ.*7. Quid neceſſe eſt homini majora ſe quærere, cum ignoret, quid conducat ſibi vita ſua. *x* Quis eorum major eſſet.] *Beda.* Hinc orta videtur diſputatio, quia viderant Petrum, & Jacobum, & Joannem ſeorſum ductos in montem, & aliquid ſecretum ibi creditum eſſe eis. *u* Siquidem in via inter ſe diſputaverant,] *Eccl.*6. Verba plurima ſunt multam in diſputando vanitatem habentia. *Luc.*9. Intravit cogitatio cor eorum, quis eorum eſſet major. *Marcus* hic: diſputaverant. *Luc.* 22. Facta eſt contentio inter ipſos quis eorum eſſe videretur major. *Pſ.*106. Orta eſt contentio inter principes, & errare fecit eos in invio, & non in via. *Matth.* 18. In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum dicentes. Quis putas major eſt in regno cœlorum? *Chryſ.* Paſſi ſunt aliquod humanum diſcipuli, ideſt, invidiam. *Hier.* dicit. In illa hora, quando, ſc. præhonoratus erat hic, i. Petrus. *y* Et reſidens, &c.] *Prov.* 20. Rex, qui ſedet in ſolio ſuo intuitu ſuo diſſipat omne malum. *z* Si quis vult, &c.] Ergo peccabant. Quare ergo non arguit eos, vel private ſecundum regulam. *Matth.*18. Si peccaverit in te frater tuus, &c. Vel publice ſecundum illud. 1.*Tim.* 5. Peccantem coram omnibus argue. Sol. Sciebat plus prodeſſe eis doctrinam, quam correctionem. Unde *Matth.*20. ſuper illud. Vocavit eos ad ſe, &c. ait *Gloſſ.* Humilis magiſter, & pius, & mitis, nec immodicæ cupiditatis arguit duos, per decem indignationis increpat, & livoris, ſed convenienti exemplo docet, &c. *Beda.* Rectorem ſubditus præbet pietas, & patrem exhibet diſciplina.

a Primus eſſe,] *Bern.* Eja nunc ſequere ducem tuum, multiplica præbenda, accelera ad Archidiaconatum, ad Epiſcopatum aſpira, paulatim aſcendis, ſed non paulatim deſcendis. Videbam, inquit, Dominus ſatanam tanquam fulgur deſcendentem de cœlo. *Luc.*10. *b* Erit omnium noviſſimus,] *Eccl.*4. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Et 32. Rectorem te poſuerunt. *c* Et omnium miniſter:] *Num.* 8. Erunt Levitæ miniſtri fratrum ſuorum in tabernaculo fœderis. *Matth.* 20. Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Hic fercula gratiæ, in futuro fercula gloriæ, *Luc.*12. Beati ſunt ſervi illi. *d* Et accipiens puerum ſtatuit, &c.] Quia vera humilitas ſtabilis eſt, ſicut terra, quæ eſt infimum elementorum, & viliſſimum, & tamen ſtabiliſſimum. Unde: Qui firmavit terram ſuper ſtabilitatem ejus, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. *Eccl.* 1. Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum ſtat, ſic humilitas centrum eſt virtutum. In medio autem ſtatuitur puer, vel quia ſedes humilitatis eſt in corde, quod eſt in medio. Unde *Matth.*11. Diſcite a me, &c. Vel quia humilitas centrum eſt omnium virtutum, ut terra elementorum, ſicut dictum eſt. Vel quia omnibus ſe conformat, quantum poteſt, ſine peccato. Unde ſic ſtetit Jeſus in medio diſcipulorum. *Jo.*20. Sic Paulus in medio ſubditorum. 1. *Theſſ* 2. Facti ſumus ſicut parvuli in medio veſtrum.

e Puerum] ætate, & innocentiæ puritate, & cordis humilitate, qui dicitur fuiſſe Martialis: Hunc ſtatuit in medio, ideſt, in exemplum Apoſtolis propoſuit. Vel: [Puerum,] ideſt, ſeipſum ſtatuit in medio, ideſt, poſuit ſe in exemplum dicens. *Matth.*20. Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. *Joan.* 13. Exemplum dedi vobis, &c. *Matth.* 11. Diſcite a me, &c. Vel. [Puerum,] ſtatuit in medio, ideſt, Spiritum Sanctum puritatis auctorem poſuit in corde eorum, ut humilitate ſuperbiam commutarent. *f* Quem cum complexus eſſet.] *Beda.* Significans humiles dignos ſuo complexu, & familiaritate. Pueri enim cum pueris libenter ſunt, & ludunt. *Seneca.* Pueri hos amant, cum quibus ludere conſueverunt. Si perſonatos videant, expaveſcunt. *Eccl.*13 Omnis homo ſibi ſimili ſociabitur. *g* Quiſquis unum ex hujuſmodi pueris, &c.] qui mihi ſunt ſimiles in innocentia, & humilitate. Sunt autem decem, & octo, quæ bonis pueris conveniunt

Moral. — *Matth.* 17. — *Matth.* 17. *Luc.* 9. *ſup.* 1. & *inf.* 10. — *Matth.* 18. *Luc.* 9. — *Matth.* 20. *Matth.* 18. *Luc.* 9. — *Pſ.* 103. — *Decem, & octo ſunt, quæ bonis pueris conveniunt.*

pueris recepit in nomine meo me recipit. Et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui me misit. Respondit illi Joannes, dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, quia non *a* sequitur nos, & prohibuimus eum. Jesus autem ait: *b* Nolite prohibere eum: nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, *c* & possit cito male loqui de me. *d* Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. Quisquis *e* enim potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis, Amen dico vobis: non *f* perdet *g* mercedem *h* suam. Et *i* quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis *k* credentibus in me, *l* bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo ejus, & in mare mitteretur. Et si *m* scandalizaverit te manus tua, *n* abscide illam: Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in *o* ignem inextinguibilem,

pueris conveniunt, & Christo assimilant. Primum est, quia innocentes sunt. Secundum, quia parvo contenti sunt. Tertium, quia in pulvere sedent. Quartum, quia motus carnis non sentiunt. Quintum, quia largi sunt etiam canibus. Sextum, quia obediunt parentibus. Septimum, quia amant se mutuo. Octavum, quia non confidunt in se. Nonum, quia clamorem de injuriis sibi factis ab aliis referunt ad parentes. Decimum, quia non sunt solliciti de aliquo. Undecimum, quia cito, & de modico placantur. Duodecimum quia homines personatos expavescunt, & fugiunt. Decimum tertium, quia verecundi sunt. Decimum quartum, quia veraces sunt. Decimum quintum, quia inculti sunt. Decimum sextum, quia simplices sunt, & sine dolo. Decimum septimum, quia libenter plorant, & libenter rident. Decimum octavum, quia plorando nascuntur. De primo dicitur. 1. *Cor.* 14. Malitia parvuli estote, non sensu. De secundo: *Eccl.* 29. Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem. *Tim.* 6. Habentes alimenta, &c. De tertio *Is.* 47. Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon. De quarto dicitur. Castitas facit approximare Deo. Et *Sap.* 6. Custodia legum consummatio incorruptionis est, incorruptio autem facit esse proximum Deo. De quinto dicitur *Prov.* 22. Victoriam, & honorem acquiret, qui libenter dat munera, *sup.* 7. Catelli edunt de micis puerorum. De sexto dicitur *Eccl.* 3. Filii sapientiæ Ecclesia justorum, & natio illorum obedientia, & dilectio. 1. *Petr.* 1. Quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus, &c. De septimo dicitur *Eccl.* 13. Omne animal diligit simile sibi. De octavo dicitur *Jer.* 17. Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. De nono dicitur in *Ps.* 119. Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, &c. De decimo dicitur *Matth.* 6. Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. De undecimo dicitur. *Ephes.* 4. Sol non occidat super iracundiam vestram. De duodecimo dicit *Sen.* Pueri hos amant, cum quibus ludere consueverunt, si personatos videant, expavescunt. Et *Eccl.* 9. Longe esto ab homine potestatem occidendi habente, & non suspicaberis timorem mortis. De decimotertio dicit *Sen.* Verecundia bonum est in adolescente signum. Et alius Philosophus, cum vidisset juvenem exeuntem de lupanari, erubuisse ad ipsum, dixit: Erubuit, salva res est. *Eccl.* 6. Verecundiæ illius super aurum. De decimo quarto dicitur *Ephes.* 4. Deponentes mendacium, unusquisque loquimini veritatem cum proximo suo. Hi sunt quatuordecim anni pueritiæ. Alia, quæ sequuntur, pertinent ad adolescentiam. De decimoquinto dicitur *Eccl.* 11. In vestitu ne glorieris unquam. De decimosexto dicitur 1. *Pet.* 2. Sicut modo geniti infantes sine dolo. *Matth.* 10. Estote prudentes sicut serpentes. De decimoseptimo dicitur *Joan.* 16. Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. De decimo octavo dicitur *Sapient.* 7. Primam vocem similem omnibus emisi plorans. Supperadditur & decimum nonum, quia non pudet eos mendicare panem. De hoc dicitur *Thr.* 4. Parvuli petierunt panem.

a Qui non sequitur nos,] i. non imitatur moribus, & vita. Quomodo ergo miraculum faciebat? Resp. Propter salutem aliorum permittitur, & suam confusionem. *Matt.* 7. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos *Job* 8. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum & dicet, non novi te. *b* Nolite prohibere eum.] *Prov.* 3. Noli prohibere benefacere eum, qui potest:

c Et possit cito male loqui] Contra, Antichristus multa miracula faciet in nomine ejus, & tamen mala Christo dicet, ut dicit *Ambr.* Resp. Ipse homo non dicet, sed diabolus, quo repletus erit. Vel dic, quod non facit miracula in nomine Christi.

d Qui enim, non est adversum vos,] Contra *Matth.* 22. Qui non est mecum, contra me est. Solutio. *Aug.* de concordia Evangelistarum. In quantum est cum illo, inquantum est adversus illum, non est intantum cum illo.

e Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ, &c.] *Is.* 21. Occurrentes sitienti ferte aquam.

f Non perdet] quia nullum bonum irremuneratum.

g Mercedem.] Exemplum habemus. 3. *Reg.* c. 18. Abdias, quia pavit centum Prophetas Domini tempore Achab, & Jezabel, hinc meruit spiritum prophetiæ. Item Abdimelech, quia liberavit Jeremiam, liberatus est a Chaldæis, sicut dicitur *Jer.* 29. Item Rahab meretrix, quia recepit nuntios Josue, & abscondit, meruit recipi in populo Dei Josue 2.

h Suam.] Exemplum habemus. 3. *Reg.* 17. De muliere in Sarepta, quæ pro buccella panis, quam dedit Eliæ, liberata est a periculo famis, & filius ejus.

i Et quisquis scandalizaverit, &c.] *Gloss* Quia, quam hoc generale sit, potest tamen secundum consequentiam sermonis contra Apostolos dici, qui de primatu disputabant, & eos, quos ad fidem vocabant exemplo suo, perdere poterant. k Credentibus in me,] quod iniquius est, quam incredulum scandalizare.

l Bonum est ei magis, si circumdaretur, &c.] *Hier.* Secundum morem provinciæ. Hæc enim pœna majorum criminum erat. Et revera melius est, innoxium pœna atrocissima temporaliter finire vitam corporalem, quam lædendo fratrem mortem animæ mereri perpetuam.

m Et si scandalizaverit te manus tua,] Oculus amicus, consiliarius iter demonstrans, necessaria providens, sensus mentis, voluntas propria, & proprium consilium, vita contemplativa, vel activa, cognati, sive consanguinei, sive parentes.

Scandalizat { In hæresim, vel in peccata trahere volendo. / Illicita concupiscendo, vel cogitando. / In tædium, vel arrogantiam, vel tristitiam. / Vitæ sanctitatem impediendo. }

Erue { Reprobando. / Contradicendo. / Comminando. / Expellendo. }   Projice a te omnia separando.

Chry. Dextera manus, voluntas animæ, sinistra, voluntas corporis. Hæc vero corporea manus organum est manus illius. Si dextera scandalizat, ut dicitur *Matth.* 6 Nesciat sinistra, quid facit dextera. Similiter de oculo, v.gr. Erat mulier religiosa, respexi, & dixi: Debeo illam visitare assidue, ut instruam illam, & confirmem in bono? Bonus est ille respectus, & oculus dexter est. Sed dum assidue visito, decidi in laqueum desiderii ejus, & ille respectus dexter factus est mihi in scandalum. Ejiciam ergo illum bonum respectum, qui generaturus est malum. Item vidi orphanam; dixi, educabo eam, donec veniat tempus nubendi. Bona est ministratio ista, & manus dextera est. Sed dum educo, concupisco, & vertitur opus in scandalum. Ejiciam ergo illam, omne enim opus bonum, quod nos, vel alios scandalizat, præscindere debemus. Nam quale est istud bonum, ex quo nascitur malum? [Si scandalizaverit te, &c.] *Gl.* Quia supra docuit, ne scandalizemus eos, qui credunt in eum, admonet, quantum debeamus eos cavere, qui scandalizant.

n Abscide illam:] *Matth.* 5. *o* In ignem inextinguibilem,] Omnis ignis, qui in præsenti vita est, absumit cuncta, quæ recipit. Ignis vero æternus quos susceperit semper cruciat, & pœnæ suæ integros servat. Propterea enim & inextinguibilis dicitur, non solum, quia ipse non extinguitur, sed quia nec eos, quos susceperit, extinguet. Ignis ille sicut naturam non consumendi habet, ita nec illuminandi, sed est ignis obscurus, & flamma

F *Luc.* 9. — 1. *Cor.* 12. — G *Matth.* 5. & 8. — *Is.* 66.

ma tenebrosa. *a* Ubi vermis eorum non moritur] conscientia † sera, sc. dolor interius accusans eos. *al. † fera.*

b Et ignis] pœna externus sæviens inconsumpta,

c Non extinguitur.] *Jud.* 16. Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum. *Eccl.* 7.

Vindicta carnis impii ignis, & vermis. *Job* 21. In pulvere dormient, & vermes operient eos. *Is.* 14. Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum vermes.

d Et si pes, &c.] *Gloss.* Amicus necessarius cujus tibi quotidianus usus servit, Scandalon, Græce, offendiculum, vel ruina, vel impactio pedis, ut alii, scrupulus. Ille ergo scandalizat fratrem, qui ei dicto, vel facto occasionem ruinæ præbet.

e Non extinguitur,] pœna inconsumpta. Unde Propheta. Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis vobis.

f Quia si oculus, &c.] *Thr.* 3. Oculus meus deprædatus est animam meam. Melior est unus oculus Aquilæ, quam duo oculi noctuæ, & tamen volunt Prælati magis habere secum oculos noctuarum, quæ non vident nisi in nocte, quam oculos Aquilarum, quæ vident Solem in tota. Per Aquilam significatur sapiens in spiritualibus, qui videt escam suam ultra mare. *Job* 39. Nunquid ad præceptum tuum elevabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum, in petris manet, in præruptis silicibus commoratur, inde contemplatur escam, de longe oculi ejus prospiciunt. Per noctuam, quæ non videt, nisi de nocte, significantur sapientes hujus mundi, qui de spiritualibus nihil sciunt, & inde plus diliguntur. *Lucæ* 16. Filii tenebrarum sapientiores sunt filiis lucis in generatione sua. *Joann.* 3. Magis dilexerunt homines tenebras, quam lucem. [Quia si oculus tuus scandalizat te,] *Zach.* 11. Gladius super brachium ejus ariditate siccabitur, & oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur. *Matt.* 18. *Ψ.* 50.

g Ejice eum:] *Eccl.* 9. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.

h Omnis enim, &c.] Tertio mentionem fecit ignis, & vermis, ostendit, quomodo utrumque valeamus vitare, Omnis, &c.] Dicit, quod amputanda sunt membra scandalizantia, quod est magna severitas, & asperitas, tamen necessaria est.

Omnis enim, &c.] idest, omnis homo ad hoc, quod sit hostia Deo grata.

k Salietur,] idest, per sapientiam a vitiis conservabitur amputando membrum scandalizans.

i Igne salietur,] tribulationis. *Eccl.* 27. Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.

l Et omnis victima sale salietur.] *Matth.* 5. Dicitur de Apostulis. Vos estis sal terræ. Bis ponitur sal, ut notetur, quod caro sale continentiæ, & anima sale sapientiæ saliri debent, & propter duplicem continentiam, corporis scilicet, & animæ, quam significat byssus retorta. *Exod.* 26.

Sal {
- Continentiam, ut in illa *Gloss.* Fœtor.
- Sapientia, ut in illa *Gloss.* Mire.
- Prædicator, ut in illa *Gloss.* Bonum est, &c.
- Correptio, ut illa *Gloss.* Sal correctionis.

Ignis {
- Gratia Spiritus Sancti, in illa *Gloss.* Mire.
- Tribulatio.
- Ignis purgatorius, ut *Int.*
- Abnegatio carnis, amicorum. *Gloss.* Mire, &c.

Victimam salsam diligit Dominus. Unde *Job* 6. An poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? Caro mortua salitur, aliter non salvatur, sic caro nostra mortua est propter peccatum, ut *Rom.* 8. debet saliri amaritudine pœnitentiæ sale timoris.

m Bonum est sal:] ne discipuli declinarent effectum saliendi, & ne viderentur immunes a pœna, commendat officium prædicandi, post addit de diligenti cautela in hoc adhibenda, sc. in prædicando, vel administrando.

n Quia si sal] idest, prædicator, [fuerit insulsum,] vel evanescit secundum *Matth.* 5. cupiditate effluens, timore succumbens, errore subversus, tribulatione victus, vel territus, prosperis elatus, adversis depressus, sal correctionis insulsum est, quia sine humilitate est. *Gal.* 6. Fratres si præoccupatus fuerit, &c. Sal sapientiæ fit insulsum, quando nimis investigat. *Rom. c.* 12. Non plus sapere, &c. Sal continentiæ fit insulsum, quando non propter Deum, sed propter mundum continet quis, ut fatuæ virgines, quæ aptatas lampades habuerunt sine oleo charitatis, *Matth.* 25. *o* Insulsum fuerit, &c.] Quæstus, amor, timor mundanos, caro, mundus, Quem sal insulsum faciunt, ab amore repellunt. *p* Habete in vobis sal,] *Col.* 4. Sermo vester in gratia sale sit conditus. Sal terram facit sterilem. *Soph.* 2. Siccitas spinarum, & acervi salis, & desertum, usque in æternum. *Matth.* 5. *Luc.* 14. A *Matth.* 19.

Sal hæc duo designat. *Gal. ult.* Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite, hoc ad sal pertinet, in spiritu lenitatis, hoc ad pacem, considerans teipsum, ne & tu tenteris.

Vel sal, & pacem, i. scientiam, & charitatem, ne scientia inflet, si sine charitate sit. Scientia enim inflat, charitas ædificat. 1. *Cor.* 8. *q* Et pacem, &c.] *Ephes.* 4. Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, &c.

a ubi vermis eorum non moritur, *b* & ignis *c* non extinguitur. Et si *d* pes tuus te scandalizat, amputa illum: Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non *e* extinguitur. Quod si *f* oculus tuus scandalizat te, *g* ejice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur: Omnis *h* enim *i* igne *k* salietur, & *l* omnis victima sale salietur. *m* Bonum est sal. Quod si *n* sal insulsum *o* fuerit, in quo illud condietis? *p* Habete in vobis sal, *q* & pacem habete inter vos.

CAP. X.

ET *r* inde exurgens venit in fines Judææ *s* ultra Jordanem, *t* & conveniunt iterum

EXPOSITIO CAP. X.

ET inde exurgens, &c.] Sal tria facit. Carnes conservat a corruptione, saporem suum condiendo communicat, & terram sterilem facit. Docet ergo in hoc capite, quomodo habeatur sal spirituale in tribus. Unde hoc caput dividitur in tres partes.

In prima agit de duplici castitate, conjugali, & virginali. In secunda de misericordi temporalium distributione, ibi. [Et cum ingressus esset, &c.] In tertia de humilitate suæ passionis, cujus humilitatis vox est. *Lucæ* 17. Servi inutiles sumus. Hæc pars incipit hic. [Et assumens, &c.] Dicit ergo: *r* Et inde exurgens,] i. extra surgens, sc. in aliquorum eruditionibus, & profectibus. *Ps.* 43. Exurge, Domine. Item tu exurgens misereberis Sion. *s* Ultra, &c] Quia primo notus in Judæa, sed modo in Israel magnum nomen ejus. *Ps.* 101. *Ps.* 71.

t Et conveniunt iterum turbæ.] 1. *Mac.* 3. Judas nominatus est usque ad novissimum terræ, & congregavit pereuntes. In hoc docet prædicatores non semper in eodem loco stare, sed discurrendo prædicare, ubicumque proficere possunt. *Luc.* 4. Detinebant eum, ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. *Prov.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum. *Gloss.* sic continuat, Hucusque ea, quæ in Galilæa fecit, & docuit, hinc narrat, quæ in Judæa fecit, & docuit, & passus est. Et primo quæ trans Jordanem ad Orientem, deinde quæ cis Jordanem, quando venit Jericho, & Bethaniam, & Jerusalem.

Judæa {
- Tota terra. *Psalmus* 75. Notus in Judæa Deus.
- Sors Judæ tantum, ut 2. *Par.* 20. O Juda & Jerusalem.
- Sors duarum Tribuum Judæ, & Benjamin.

Matth. 2. Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Judæa. Sic sumitur hic: [Et conveniunt.]

Quidam sequebantur {
- Ad vitæ informationem, ut discipuli.
- Ad morborum curationem, ut infirmi.
- Ad observationem fidei, ut Pharisæi.
- Ad corporalem refectionem, ut egeni.
- Ad novorum miraculorum considerationem, ut curiosi.

a Et sicut

turbæ ad eum : *a* & sicut consueverat, *b* iterum docebat illos. Et *c* accedentes Pharisæi, *d* interrogabant eum. Si *e* licet viro uxorem dimittere, tentantes eum. At ille respondens dixit eis : Quid vobis præcepit Moyses ? Qui dixerunt : *f* Moyses permisit libellum repudii scribere, & dimittere. Quibus respondens Jesus ait : Ad *g* duritiam cordis vestri scripsit *h* vobis præceptum istud. Ab initio autem creaturæ, *i* masculum, & feminam fecit eos Deus. *k* Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit ad uxorem suam, *l* & erunt duo in carne *m* una. Itaque jam *n* non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. Et ait illis. Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, *o* mœchatur. Et offerebant illi *p* parvulos, ut *q* tangeret illos : discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Jesus, *r* indigne tulit, Et ait illis : Sinite parvulos venire ad me, & ne *s* prohibueritis eos, *t* Talium enim est *u* regnum Dei. Amen dico vobis : quisquis non receperit *x* regnum Dei

Deut. 24. Matth. 5. & 19.

Gen. 2. Marc. 19. Eph. 5. 1. Cor. 6.

Matth. 5. & 19. Luc. 17.

a Et sicut consueverat,] Beati erant illi. *Ps.93.* Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. In bono dicto occupatus fuerat, non in otiosis, vel malis. Unde *Ephes.* 4. Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus est.

b Iterum docebat illos.] *Job* 27. Docebo vos per manum Dei, q.d. docebo per opera.

c Et accedentes Pharisæi,] *Eccl.*13. Ex multa loquela tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis, &c. *d* Interrogabant] tentantes [eum] sicut dicit. *Matth.* 19. & Marcus hic. Semper cum bonis aliqui mali. *Job c.*1. Quadam die cum convenissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos, & Satan : *Jo*: 6. Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est ?

e Si licet, &c.] Hanc quæstionem sæpe faciunt nostri Pharisæi, & solvunt eam, sicut volunt, quando scilic. offertur pinguior præbenda, vel parochia, tunc oportet priori dare libellum repudii, cui abstulit florem virginitatis. Et cum dicunt se hoc facere propter majorem utilitatem Ecclesiæ Dei, sæpe faciunt propter cupiditatem sui. Unde recte potest dici eis illud. *Dan.* 13. Semen Chanaam, & non Juda, species decepit te. *Eccl.*7. Noli discedere a muliere sensata, & bona, quam sortitus es in timore Dei. 1. *Cor.* 7. Alligatus es uxori, noli quærere solutionem 1. *Prov.* 19. Domus, & divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens. Igitur, quod Deus conjunxit, homo non separet. *Matth.*5. Qui dimiserit uxorem suam, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, mœchatur.

f Moyses permisit libellum repudii] *Deut.* 24. [Si licet viro uxorem dimittere.] *Gloss. litteralis* Cornuto syllogismo tentant, & quicquid respondeat, capere putant. Si dicit dimittendam, & aliam ducendam, pudicitiæ prædicator sibi videtur contradire.

Si dimittendam, reus sacrilegii, & contra doctrinam Moysi, & per Moysen contra doctrinam Dei facere. Igitur sic Dominus responsum temperavit, ut transeat decipulam, Scripturam sane intellectam in testimonium adducens, & naturalem legem, primamque Dei sententiam secundæ legi componens, quæ non voluntate Dei, sed peccantium necessitate concessa est.

g Ad duritiam cordis vestri] *Deut.* 31. Scio contentionem tuam, & cervicem tuam durissimam. *Exod.* 32. Cerno, quod populus iste duræ cervicis sit. *Act.* 7. Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus vos semper Spiritui Sancto restitistis.

h Scripsit vobis] Hæc repudiatio concessa a Moyse, fuit concausa repudiationis, qua Dominus erat repudiaturus Synagogam. De qua *Is.* 50. Quis est liber hic repudii matris vestræ, quo dimisi eam ?

i Masculum, & feminam fecit eos.] Modo masculum, & feminam fecit eos, quia & unus habet plures potestates. *k* Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit ad uxorem suam.

Propter hoc { Conjugium, & est simplex demonstratio.
Uxorem, & est simplex demonstratio.
Prolem de uxore susceptam. }

Relinquet { Contrahendi facultate.
Cohabitatione.
Affectione. }

Chrys. Fratres & sorores de uno utero exeunt, sed vir, & uxor non. Sed fortior est Dei constitutio, quam virtus naturæ.

l Et erunt duo in carne una.] Sed nonne in fornicario coitu eodem modo fiunt coeuntes una caro ? Constat quod sic. Unde 1. *Cor. c.* 6. Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur.

In fornicario coitu unam carnem effici peccatum est, sed in matrimonio prœmium est, idest, prœmium meritorium, cum sine debito fit.

m Una.] idest, in uno carnali opere, vel carnali delectatione, ut uterque alteri provideat, vel faciendo unam carnem, scilic. prolem, vel quia una lege astringuntur ad carnis debitum solvendum, vel quia mulier ex viro. *Hier.* Propter hoc quia ea viro. *Chrys.* Sicut animæ multorum, quia spiritualiter se intelligunt, quasi una dicuntur : *Act.*4. Multitudinis autem credentium cor erat unum, & anima una : Sic vir, & uxor, quia carnaliter se diligunt, una caro dicuntur.

n Itaque jam non sunt duo, sed una caro.] *Chrys.* Una femina non putet masculum factum, in hoc sæculo præter unum, & unus masculus non putet feminam esse factam præter unam : Non enim duas costas, vel tres tulit Deus de latere viri, & duas, aut tres fecit mulieres.

o Mœchatur] *Prov. c.*2. Ut eruaris a muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos, & relinquet ducem pubertatis suæ, & pacti Dei sui oblita est.

q Ut tangeret,] *Hier.* idest, ut mano, & voce benediceret eis. Nota, tangit Dominus flagellando. *Job* 19 Miseremini mei, miseremini mei saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me.

Tangit consolidando. *Dan.* 8. Cum loqueretur ad me, lapsus sum pronus in terram, & tetigit me, & statuit me in gradu meo.

Tangit beneficia conferendo. *Gen.*27. Accede, fili mi, ut tangam te.

Tangitur autem fide. *Luc.* 8. Tetigit me aliquis.

Tangitur oratione. *Isa.*64. Non est, qui invocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te.

Vulneratur charitate. *Cantic. quarto.* Vulnerasti cor meum, &c.

p Parvulos,] *Chrys.* Infantes, & pueros castitate mundos obtulerunt, putabant enim, ut corpore tantum mundos laudaret, & non voluntate.

r Indigne tulit.] idest, vultum indignantis ostendit, quia ipsi malum faciebant.

s Et ne prohibueritis eos.] *Chrys.* Si Sancti futuri sunt, quid vetatis ad patres filios venire ? Si peccatores futuri sunt, ut quid sententiam condemnationis profertis, antequam culpam videatis ? Quales modo sunt, meum : quales futuri, ipsorum, quod meum est honorate, quod ipsorum erit, miseremini.

t Talium enim est] quia angusta est via, quæ ducit ad vitam. *Matth.*7.

u Regnum Dei.] Quod regnum Dei, regnum cœlorum dicitur, sensus est.

Talium] idest, parvulorum, idest, spiritu humilium est regnum Dei.

Unde *Matth. c.*5. Beati pauperes spiritu, quorum ipsorum est regnum cœlorum.

Unde *Matth. c.*11. Pauperes, idest, mansueti, regnum cœlorum evangelizantur, quod patet. *Is.*61. Ad annunciandum mansuetis misit me.

Unde *Jacob cap.* 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. *Matth.* 18. Nisi conversi fueritis, & efficiamini, sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum. *x* Regnum Dei.] Illud male intelligunt, qui pueros in Ecclesia introdu-

introducunt, & Ecclesiis, perficiunt. *a* Velut parvulus.]

Parvulus:
- Purus corde, a malitia. 1. *Cor.* 14. Malitia parvuli estote. *Sap.* 1. In malevolam animam non introibit sapientia.
- Simplex. *Prov.* 3. Cum simplicibus sermocinatio ejus. *Sap.* 1. In simplicitate cordis quærite illum.
- Innocens. *Job* 22. Salvabitur innocens in munditia manuum suarum. *Eccl.* 1. Fili concupiscens.
- Verecundus. Philosophus: Erubuit, salva res est, Dei sapientia lucet in vultu ejus.
- Nihil habet pudendum. *Sap.*4. Quam pulchra est casta generatio, &c. *Osee* 2. Deducam &c.
- Non perseverat in ita. *Ephes.*4. Sol non occidat, &c.
- Largus. *Gal.* 2. Tradidit seipsum pro me.
- Verax. *Apoc.*14. In ore ipsorum non est inventum mendacium, &c.
- Castus. 1. *Tim.* 5. Teipsum castum custodi. *Matth.* 19. Sunt eunuchi, qui castraverunt se, &c.
- Obtemperat. *Prov.*9. Quis est parvulus, declinet ad me. *Ephes.* 6. Filii obedite parentibus vestris.
- Promissio hilarescit. *Num.*14. Parvulos introducam in terram, quæ displicet vobis, &c.
- Obediens. *Hebr.* 11. Accedentem ad Deum oportet credere.

b Et complexans eos.] *Gal. ult.* Læva ejus sub capite meo, &c. *c* Et imponens, &c.] Manus impositio, gratiæ operandi collatio, oris benedictio, orandi, & prædicandi gratiæ collatio: Quæ duo dat Dominus parvulis, i. humilibus. *Jac.*4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Luc.* 20. Confiteor tibi, patet, &c. *d* Et cum &c.] De hoc *Matth.*19. *Luc.*18. *e* Procurrens, &c.] 2. *Par.* 36. Nunc flecto genua cordis mei precans ad te bonitatem, Domine. *f* Magister bone, &c.] Bene quærit iste adolescens, quia faciendo, non loquendo tantum acquiritur regnum Dei. *Matth.* 19. Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam. *Luc.* 10. Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo. Item *Luc.* 18. Magister, quid faciens vitam æternam, &c. *Jo.*6. Quid faciemus, ut operemur opera Dei bona. Sed in hoc errat, quia non Deum, vel Dei filium vocat, sed magistrum tantum, quia in principio plus volebat donum, quam justificari. *g* Quid me dicis bonum] Quare bonum me dicis, q. d. non sum ita bonus, ut putas. Vel, [quid] i. cur me dicis bonum cum me non credis esse Deum? Ita enim non arguit eum, quia dicit magistrum, vel bonum, sed quia non credit Deum. *Aug.* De concordia Evangelistarum. Quid me dicis bonum. Et secundum *Matth.*19. Quid me interrogas de bono, ut alterum referatur ad illud quærentis. Quid boni faciam, alterum ad illud. Magister bone, &c. [Quid me dicis bonum.] Ideo redarguit eum, ut inducat ad cognitionem deitatis. *Job* 4. Nunquid homo comparatione Dei justificabitur? *Idem* 25. Item *Ps.* 142. Non justificabitur in conspectu tuo, vel ex se, vel ex affectione, quia solus Deus dat omnia bona. *h* Nemo bonus, &c.] *Is.* 1. Bona terræ comedetis. *Job* 25. Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis. *Ps.* Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Is.*64. Facti sumus, ut immundus, omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. *i* Præcepta nostri, &c.] hoc fac, & vives, ut *Luc.*10. Quia præcepta Dei vita sunt invenientibus ea, & universæ carni sanitas, ut *Prov.*4. *k* Ne fraudem feceris.] *Exod.*22. *m* Dilexit eum] i. signa benevolentiæ ostendit. *l* Jesus autem, &c.] arcana cordis ejus oculis misericordiæ, quibus dignatus est impium justificare, quibus respexit Petrum flentem amare. *Luc.*22. Item dilexit in eo, non quod prius erat per superbiam, sed quod cœpit esse per gratiam. *n* Unde quæcumque, &c.] omnia omnino, non in parte, sicut Ananias. *Act.* 5. *Gloss.* Magister omnia hæc, &c. Non putandus est voto tentantis, ut quidam putant Dominum interrogasse, & de vita sua mentitum esse, cum se legis mandata custodisse dixerit. *Hier. super Matth* 19. Mentitur, si enim diligeret proximum sicut seipsum, i. opere complesset, non esset tristis, cum sua pauperibus dare juberetur. *Chrys.* Adolescens hic populus Judaicus, qui adolescens non ætate, sed levitate immaturus moribus, non annis: considera, quia non interrogat, quid credat, sed quid faciendo vitam æternam possideat, quia Judæus omnino spem habet in operibus sine fide. *Hil.* In eo quod bona sua vendere, vel dare pauperibus ad perfectionem jubetur, confidentiam legis, & sacrificiorum, quibus carnaliter utebatur, relinquere admonetur, omnia mandantur felici commercio mutare, & ut memineris umbram veritatis in eis esse, ut deinceps gentibus spiritualiter pauperibus, sit sub ipsius veritate corporis dividenda, hoc autem neminem efficere posse indicat, nisi qui sequi cœperit Christum: Sed Judaicus populus auditis his tristis recessit: multam enim opulentiæ fiduciam habebat ex lege.

velut *a* parvulus, non intrabit in illud. Et *b* complexans eos & *c* imponens manus super illos benedicebat eos. Et cum *d* egressus esset in via *e* procurrens, quidam genuflexo ante eum, rogabat eum dicens: Magister *f* bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? Jesus autem dixit ei: *g* Quid me dicis bonum? *h* Nemo bonus, nisi unus Deus. *i* Præcepta nosti: Ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, *k* ne fraudem feceris, honora patrem tuum, & matrem. At ille respondens, ait illi, Magister, omnia hæc observavi a juventute mea. *l* Jesus autem intuitus eum, *m* dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi deest: *n* Vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & *o* habebis thesaurum in cœlo, & *p* veni, *q* sequere me. *r* Qui contristatus in *s* verbo, *t* abiit mœrens: erat enim habens multas possessiones. Et *u* circumspiciens Jesus, ait discipulis suis: Quam *x* difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. *y* Discipuli autem obstupebant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens ait illis: *z* Filioli, quam difficile est, *a* confidentes in pecuniis, in *b* regnum Dei introire.

o Et habebis, &c.] *Eccl.*11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, i. pauperes, & post multa tempora invenies illum. Unde *Eccl.*29. Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso, pecuniæ sc. quam defert secum maritus in die plenæ Lunæ reversurus, ut *Prov.*7 *p* Et veni,] quia hoc solum non sufficit. *q* Sequere me] imitando, sicut ego ambulo. *r* Qui contristatus in verbo] *Hil.* Hæc est tristitia, quæ adducit mortem. Causaque tristitiæ redditur, quia erat habens multas divitias, sive possessiones, i. spinas, & tribulos, quæ spiritum divinum suffocant. *s* In verbo,] Hoc est verbum, quod contemptum mundi in universo mundo, & voluntariam omnibus persuasit paupertatem. *t* Abiit mœrens:] Ergo nec habebat gratiam, vel occiderat, quare ergo dicitur, quod Dominus intuitus arcana cordis sui dilexit eum? Sol. secundum *Hier.* & *Chr.* In illa vota intuitus. Secundum *Bedam*: Multi divitias amore Dei relinquunt, dolentes tamen, & flentes, Deum sibi præferunt: Sic & martyres carnem suam nimirum, quam diligunt, inviti martyrio tradunt, sed tamen propter Deum tradere, non dubitant. Unde *Ps.* Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. *u* Et circumspiciens] i. radios solis suæ gratiæ ad discipulos suos dirigens contra tentationem cupiditatis. *x* Quam difficile, &c.] *Matth.* 19. Dives difficile intrabit in regnum cœlorum. *Luc.*18. Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. *y* Discipuli autem, &c.] Quia si hoc diceret de habentibus divitias, sciebant Abraham, & Job, & David, & multos alios divites fuisse, & justos. Si de amantibus adhuc mirabantur, quia omnes fere illas amant. *z* Filioli, quam difficile est] *Gl.* Non ait impossibile, quod enim impossibile est, omnino fieri non potest, quod difficile, cum labore juvante Dei gratia. Vel pecunias habentes, vel etiam in eis confidentes exutis philargyriæ retinaculis, intrare possunt regnum Dei. *a* Confidentes, &c.] 1. *Tim.* 6. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, &c. *b* In regnum Dei introire.] *B. Bern.* Excusant se aliqui, dicentes: Abraham, Isaac, & Jacob, terrenas divitias habuerunt, sufficit esse, sicut illi fuerunt, quid respondebimus novis imitatoribus SS. Patrum? veniant, imponant vitulos super altare, & hircos immolent, si Abraham fecit, & patres, quibus meliores non sumus. Sed dicunt, ubi veritas revelata est, ista transire. Quid, si ipsas divitias temporales umbram fuisse diximus futurorum, denique, quid nisi terrena possident, quibus sola terrena promissa sunt?

C

D

a Facilius]

a Facilius est, *b* camelum per foramen acus *c* transire, quam divitem intrare in *d* regnum Dei: *e* qui magis admirabantur dicentes ad semetipsos: & *f* quis potest salvus fieri? Et intuens illos Jesus ait: Apud homines impossibile est: sed non *g* apud Deum. Omnia enim possibilia sunt apud Deum. Et cœpit Petrus dicere, *h* Ecce nos dimisimus omnia, *i* & secuti sumus te. Respondens Jesus, ait: Amen dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut filios, aut agros, propter me, aut propter *k* Evangelium, qui non accipiet *l* centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam. *m* Multi autem erunt primi *n* novissimi, & novissimi primi. Erant *o* autem in via ascendentes *p* Jerosolymam, & *q* præcedebat illos Jesus, & *r* stupebant, & sequentes *s* timebant. Et *t* assumens a iterum duodecim, cœpit illis dicere, quæ essent ei ventura. Quia *x* ecce ascendimus Jerosolymam: & *y* filius hominis tradetur *z* principibus Sacerdotum, & Scribis, & senioribus, & damnabunt eum morte: Et tradent eum gentibus, & illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum, & tertia die resurget,

a Facilius] Vere difficile, quia [facilius, &c.] Hic facilius non ponitur comparative, nec elective: tunc enim removeret ab uno e multis, & poneret in aliu, sed dic [facilius] i. minus impossibile: [Facilius] *Gl.* Quomodo ergo in Evangelio. *Matth.9.* & Matthæus, & Zachæus. *Luc.19.* & Joseph ab Arimathia, & in veteri Testamento, quamplurimi divites intravere? Forte quia divitias pro nihilo habuere, vel ex toto didicerunt contemnere, Unde David. Unicus & pauper sum ego. Et idem, Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. *b* Camelum per foramen] *B. Bern* Camelus unum pondus habet sed dives duos, unum terrenarum possessionum, aliud peccatorum, illud deponitur, illud removetur. [Foramen] *Chr.* Facilius est gentes tortuosas animo intrare per angustum ostium regni cœlestis, quam Judæos divites visos in lege, & prophetis. Ideo acus est filius Dei, cujus una pars subtilis, & acuta, & non perforata significat divinitatem, quæ impassibilis est, alia pars, quæ perforata est significat humanitatem, quæ passa est ab eo consuta in mortis tunica, quæ concissa erat in Adam, hæc acus consuit spiritum carni, & Judaicum populum gentili, & copulavit diruptam amicitiam Angelorum, & hominum, &c.

Arcus. { Ad litteram. | Porta Jerusalem. | Passio Christi. | Angusta via. | Christus. }

Camelus. { Ad litteram. | Christus. | Peccator. | Populus gentilis. }

c Transire] vel [intrare divitem] divitias amantem. *d* In regnum Dei,] quod est pauperum. *Matth.* 5. *e* Qui magis, &c.] quam ante, quia idem repetendo confirmavit. *f* Et quis potest salvus fieri,] cum pene omnes cupiant fieri divites. *g* Apud Deum,] quia non est impossibile apud Deum omne verbum. *Luc.1.* Sed quæro, a it confidentem in divitiis conjunctum intelligas, Dominus potest salvum facere. Constat, quod non: Aliud divitum possibile est apud Deum. Et si sic, hoc etiam possibile est apud homines, i. ut ille, qui modo confidit, intret. Sed dic, quod solus Deus hoc potest. Cum enim homo sit spiritus vadens, & non rediens, maculam peccati per se expellere non potest, nec resurgere, &c.

h Ecce nos dimisimus omnia,] Quæ omnia? Navem, & retia. Unde ergo jactat se Petrus? *Greg.* quia voluntate habendi omnia resignavit. Unde *Hier.* Grandis fiducia Petrus piscator erat, dives non fuerat, victum manu, & arte quærebat, & tamen confidenter dicit: Ecce nos reliquimus omnia. *Bern.* Recte, Petre, vel quia sequi currentem non poteras oneratus, qui exultat, ut gigas ad currendam viam. *Prov.4.* Currens non habebis offendiculum. *i* Et secuti sumus te] *Gl.* quia non sufficit sic dimittere, jungit, quod perfectum est. [Et secuti sumus te,] quasi fecimus, quod jussisti, quid ergo dabitur nobis præmii? [Secuti sumus te,] *Bern.* Non enim sequi poterat Petrus oneratus, sed nec inutilis commutatio pro eo, qui super omnia est omnia reliquisse, nam cum eo donantur omnia, & ubi apprehendis eum, erit unus ipse omnia in omnibus. Pro eo omnia reliquerunt Apostoli, omnia, inquam, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maxime, plus enim mundi concupiscentia, quam substantia nocet, & hoc fugiendarum divitiarum causa præcipua, quod aut vix, aut nunquam absque avaritia licuit possideri limosa, siquidem, & glutinosa nimis, non modo exterior, verum etiam interior substantia nostra videtur, & facile cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. Felices ergo liquet esse, qui exonerati sunt, & sequuntur expediti, arctissimum enim foramen nos expectat, & si ea, quæ sequitur, consequi volumus, per angustam portam ingredi necesse est, quid tu camele gibbum, quid tu pecuniose proditoris loculus tollis, non sic impie, non sic ingredieris, foramen acus hujus sarcinas non admittit. Et *infr.* Noli inquit, præcipitanter agere, diu considera, diligenter intuere, magnum est, quod proponis, & habes opus magna deliberatione, experire, quid possis, amicos consule, ne post facta pœnitere contingat. Hæc est sapientia mundialis, terrena, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater cupiditatis ejus, quæ Deo solet vomitum provocare, sed cum Domini verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione, vocat magni consilii Angelus. Quid ergo aliena consilia præstolaris, quis fidelior, aut sapientior illo. A pœnis gehennæ eripior, & consilium petam? Amicos consulat, qui non legit, inimici hominis domestici ejus. *k* Evangelium] prædicandum. *l* Centies tantum] In præsenti pro uno fratre carnali, centum spirituales, i. omnes bonos. *Ps.118.* Particeps ego sum omnium timentium te. *Gen.12.* Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & crescere te faciam in gentem magnam in præsenti, per gaudiorum cœlestium prægustationes, quæ excedit omnia temporalia bonitate. *Ps.33.* Gustate, & videte, &c. *Gen.14* Crescere me fecit in terra paupertatis meæ, in futuro præmium multo magis merito. *Job ult.* Omnia ei duplicata fuerunt. *Luc.6.* Mensuram, bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. *2.Cor.4.* Quæ videntur, temporalia sunt, &c. *m* Multi autem erunt, &c.] Multi prius fervent, & postea torpent, multi prius frigidi, inardescunt postea. Aliter: multi in sæculo despecti, in futuro sunt glorificandi. Apud homines alii gloriosi, in futuro damnandi. Vel gentiles, qui diu sine lege vixerant, ad fidem sunt vocandi, & Judæi excæcandi. *Deut.* 28. Advena ascendet super te, eritque sublimior, tu autem descendes, & eris inferior, ipse erit in caput, & tu eris in caudam. *n* Primi novissimi] *Gen.48.* Ipse quidem erit in populos, & multiplicabitur, sed frater ejus minor, major eo erit. *1.Reg.16.* David ultimus fratrum suorum factus est rex. *Eccl.11.* Multi tyranni sederunt in throno, & insuspicabilis portavit diadema. *o* Erant autem, &c.] Potionem primo bibit medicus, ut eam non abhorreat ægrotus. *Mich.2.* Ascendet pandens iter ante eos. *p* Jerosolymam,] In Ægyptum descenditur. Unde *Is. c.62.* In Ægyptum descendit populus meus, ut colonus esset ibi. *q* Et præcedebat] sicut caput membra, sicut pastor oves, sicut dux exercitum. *Mich.2.* Ascendet pandens iter ante eos. *r* Et stupebant,] Ideo sc. quia meminerant, quod se passurum multa a summis Sacerdotibus, & Scribis prædixerat, & occidendum, metuebant ergo, ne vel ipsi cum eo occiderentur, vel ille, cujus vita & magisterio gaudebant, occideretur. *s* Timebant,] *Ps.13.* Trepidaverunt timorem, ubi non erat timor. *B. Bern* Timuerunt, quæ non oportet, amarunt, quæ non decet, dolent vane, gaudentque vanius. *t* Et assumens] *Gl.* Prævidens discipulorum animos ex passione sua conturbandos, longe ante & passionis pœnam, & resurrectionis gloriam prædicit, ut cum morientem viderint, resurrecturum non dubitent. *u* Iterum, &c.] Iterum dicit, quia de eodem docuerat Apost. *sup.9. Matt.20.* *x* Ecce ascendimus] *Chr.* q.d. nemo nos compellit. *Is.53.* Oblatus est, quia voluit.

y Et filius hominis tradetur principibus, &c.] *Chr.* Christum verbum veritatis est, quando igitur vides Scripturas Prophetarum, & Evangelii traditas esse in manibus falsorum sacerdotum, & Scribarum, non intelligis, quia verbum veritatis traditum est principibus iniquis, & scribis? *Thr.3.* Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die. *z* Principibus Sacerdotum, & Scribis, &c.] *Genes. cap.37.* Tradiderunt Joseph Ismaelitis,

D E *Matt. 19. Luc. 9.*

Et *a* accedunt ad eum *b* Jacobus, & Joannes filii *c* Zebedæi, dicentes: Magister volumus, ut quodcumque petierimus, *d* facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis, ut faciam vobis? Et dixerunt. Da nobis, ut unus ad *e* dexteram, *f* & alius ad sinistram tuam sedeamus in *g* gloria tua. Jesus autem ait eis. *h* Nescitis, *i* quid petatis: Potestis bibere *k* calicem, quem ego bibo, aut *l* baptismo, *m* quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei: *n* Possumus. Jesus autem ait eis. Calicem *o* quidem meum † bibetis, & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini, sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram non est meum dare *p* vobis, sed quibus *q* paratum est. Et audientes decem † *r* indignati sunt de Jacobo, & Joanne. Jesus autem vocans eos, ait illis? Scitis, quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes eorum potestatem habent ipsorum. *s* Non ita est autem in *t* vobis, sed quicumque voluerit fieri *u* major, erit vester minister, *x* & quicumque voluerit in vobis primus esse, *y* erit omnium servus. *z* Nam, & filius hominis non venit, ut ministraretur ei, *a* sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionem pro *b* multis.

al. † quem ego bibo.

al. † cœperunt indignari.

F

G

Jud. 16. Uxor Samsonis, i. Synagoga tradidit eum allophylis. *a* Et accedunt ad eum] qui putabant eum futurum regem in mundo. Sic faciunt multi. *Exod.* 3. Quamdiu fuit Moyses in Ægypto in vilitate, nunquam Jethro, & cognati ejus venerunt ad eum, sed quando est magnificatus, submerso Pharaone, & hostibus. *Is. ult.* Nunquid parturiet terra in die, &c. Tot enim fiunt parentes clerici alicujus. *Prov.* 19. Fratres hominis pauperis oderunt illum, insuper & amici procul recesserunt ab eo. Et parum supra. Divitiæ addunt amicos plurimos, a paupere autem & hi, quos habuit, separantur. *Jud.* 11. Dicit Jephte fratribus suis: Nonne ejecistis me de domo patris mei, & odistis, nunc venistis ad me? [Et accedunt] Continuat *Gl.* Audita resurrectione immemores secundi adventus putant eum more hominum regnare. *b* Filii Zebedæi,] Matthæus dicit, matrem postulasse, sed Marcus dicit ipsos, desiderium eorum volens aperire, quorum consilio mater petebat. Et in utroque Evangelista Matthæo, & Marco Dominus non matri, sed ipsis respondit.

Et calix
- Eruditionis, S. Scriptura. *Psal.* 22. Et calix meus inebrians.
- Benedictionis, Eucharistia. 1. *Cor.* 10. Calix benedictionis.
- Salvationis, pœnitentia. *Psal.* 115. Calicem salutaris accipiam.
- Passionis, mortis angustia. *Matth.* 25. Pater, si fieri potest, &c.
- Mundanæ voluptatis. *Jer.* 51. Calix aureus Babylon.
- Judiciariæ potestatis, justitia. *Ps.* 54. Calix in manu, &c.
- Ebrietatis. *Prov.* 23. Cui suffossio oculorum? Nonne, &c.

[Calicem.] *Interl.* Unde appropinquante passione. *Matth.* 26. Pater si fieri potest, &c.
l Baptismo] i. tinctura passionis. *m* Quo ego baptizor.] *Interl.* Idem quod calix. Unde alibi de passione sua dicit. *Luc.* 12. Baptismo habeo baptizari, &c.
n Possumus] *Chrys.* Non expertis levius videtur, quod experti timescunt. *Matth.* 20. *Eccl.* 24. Qui non est expertus, qualia scit? *o* Calicem quidem, &c.] secundum alios libros, [baptizabimini] *Hieron.* in majori breviario. Monachi debent habere puritatem martyrum, siquidem & ipsi martyres sunt: quod enim faciunt Angeli in cœlis psallentes nocte, & die, isti faciunt in terris. *p* Vobis] potest notare ætatem, dignitatem, qualitatem. *q* Paratum est] humilibus. *Lucæ* 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro vobis dare regnum.

c Zebedæi,] vel donati, vel dotati. *Ps.* 25. Dextera eorum repleta est muneribus. *d* Facias nobis.] qui sumus cognati tui. *e* Et unus ad dexteram] idest, decanus. *f* Et alius] cantor in Ecclesia tua [ad sinistram tuam, &c.] Isti sunt de genere Luciferi, qui prius voluit sedere in monte Prælationis, quam laborasset in valle subjectionis *Is.* 14. Exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo, verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.

g In gloria tua.] *Chrys.* Quis athleta idoneus ad certamen de præmio pactum facit? vadens ad prælium, & de præda victoriæ cogitans difficile vincit, qui autem vadit, quasi ad mortem facile superat: Sic & nos non debemus cogitare, qualem gloriam consequamur, sed qualiter evadamus minas peccati. Qui autem de gloria cogitat, & non timet magis de casu, ille nec infirmitatem cognoscit carnis suæ: nec versutias diaboli considerat, nec intelligit, quod dicit Apostolus: Non est nobis colluctatio, &c. Super illam *Gloss.* Latro in Cruce.

Paradisus
- Terrestris. *Genes.* 2. Plantaverat Dominus, &c.
- Cœlum empyreum. *Ezech.* 28. In deliciis Paradisi.
- Ecclesia militans. *Cant.* 4. Emissiones tuæ.
- Expectatio sanctorum Patrum. *Eccl.* 44. Henoch translatus.
- Gratia. *Eccl.* 30. Gratia sicut Paradisus.
- Tertium genus visionis. 2. *Cor.* 12. Raptus supra.
- Pater. *Eccl.* 24. Ego quasi aquæductus.
- Ecclesia triumphans. *Apoc.* 2. Dabo edere.

h Nescitis] Honores enim excæcant. *Psal.* 48. Homo, cum in honore esset, non intellexit. Item honores, & divitiæ præstant occasionem peccandi. *Jer.* 5. Incrassati, impinguati. Item momentanei sunt. *Eccl.* 10. Rex hodie est, & cras morietur. Item ærumnosi sunt. Salomon cum fuit in optima pace, Dominus suscitavit ei tres inimicos, ut 3. *Reg.* 11. Primus est remorsus conscientiæ. Secundus cura, & solicitudo circa suos, & sua. Tertius est casus emergens. *i* Quid petatis:] q.d. illud, quod petitis, non est quid *Jac.* 4. Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis. *Chrys.* Ego vocavi vos de sinistra ad dexteram, & vos curritis ad sinistram. *Proverb.* 4. In sinistra illius divitiæ, & gloria.
k Calicem,] 2. *Cor.* 1. Sicut socii passionum estis. *Lucæ* 22. Vos estis, qui permansistis, &c.

r Indignati sunt] Quemadmodum illi carnaliter petierunt, ita isti conturbati sunt carnaliter.

Chrys. Est Baptismus
- In verbo. *Jo.* 15. Vos mundi estis, &c.
- In aqua tantum. *Matth.* 3. Ego quidem, &c.
- In aqua, & Spiritu. *Jo.* 3. 2. Nisi quis renatus, &c.
- In spiritu tantum. *Actor.* 11. Joannes quidem, &c.
- In igne præsentis tribulationis. *Is.* 4. Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion.
- In morte. *Luc.* 12. Baptismo habeo baptizari.

s Non ita est] *Petr.* 5. Neque, ut dominantes in clero. *Jud.* 8. Dominare nobis, quia liberasti nos. Quibus ille ait: Non dominabor vobis, sed Deus dominabitur vobis. *Chrys.* Principes Ecclesiæ fiunt, ut serviant minoribus, ut suas utilitates negligant, & illorum procurent. Primatum sæcularem appetere, etsi ratio non est, vel causa est; primatum autem Ecclesiasticum concupiscere, neque ratio est, neque causa, quia neque justum, neque utile. Quis enim ultro sapiens festinet se subjicere servituti, & tanto periculo, nisi forte, qui non credit Dei judicium, neque timet.
t In vobis.] idest, inter vos.
u Major,] in cœlo, minor in terra.
x Et] pro, idest: *y* Erit omnium servus.] *Luc.* 14. Qui se humiliat, exaltabitur. *Prov.* 15. Gloriam præcedit humilitas. *Eccl.* 11. Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum consedere illum faciet. *Job* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.
z Nam & filius hominis, &c.] *Hier.* exemplum ponit de se, ut si verbis non credunt, erubescant ad opera. *Jo.* 10. Si mihi non vultis credere, operibus credite. *Jo.* 13. Exemplum dedi vobis. *Eccl.* 10. Secundum judicem populi, sic & ministri ejus.
a Sed ut ministraret,] in tantum, [& daret] *Jo.* 10. [animam suam redemptionem.] *Jer.* 12. Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ejus.
b Pro multis] non pro omnibus, sed his, qui credere voluerunt.

Contra 3. *Jo.* 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Ergo pro omnibus quoad sufficientiam, non pro omnibus quoad justitiam. *a* Et veniunt Jericho.] quod interpretatur Luna, & significat mundum. Unde sic transeamus per bona temporalia. *Jer.* 58. Relinquite civitates, &c. *Eccl.* 43. Luna est lumen, quod minuit in consummatione, sic avarus quanto abundat magis, tanto magis videtur sibi pauper. *Eccl.* 31. Qui sequitur consumptionem, replebitur ex ea.

Et *a* veniunt Jericho. Et *b* proficiscente eo de Jericho, & discipulis ejus, *c* & plurima multitudine, filius Thimæi *d* Bartimæus cæcus sedebat *e* juxta viam *f* mendicans. Qui cum *g* audisset, quia Jesus Nazarenus esset, cœpit *h* clamare, & dicere: Fili David *i* Jesu, miserere mei. *k* Et comminabantur illi multi, ut taceret. At *l* ille multo magis clamabat, fili David, miserere mei.

b Et proficiscente, &c.] In introitu Jericho virum cæcum illuminavit, quod Marcus transit, *Luc.* 18. supplet. Item prætermittit Marcus transitum per Jericho, quando Zachæus de ficu vidit eum, quod iterum *Luc.* 19. supplet. *c* Et plurima multitudine.] *Apocal.* 7. Post hæc vidi turbam magnam. Sic Christo incarnato, & passo, multi secuti sunt eum. *d* Filius Thimæi Bartimæus] Bartimæus filius floridi. Thimæus floridus. Floridi in temporalibus sedent, & cæci sunt. *e* Juxta viam] i. bonam voluntatem habens. *f* Mendicans.] quia semper avarus eget. Permultis indigent, qui permulta possident. Vel [Per viam] Sacra Scriptura, quæ est via eundi ad Dominum. *Isa.* 35. Hæc erit vobis recta via, ita ut stulti non errent per eam. Sed multi juxta eam cæci sunt. *Isa.* 29. Cum dederit scienti litteras, dicit, nescio litteras. Mendicans, quia non impinguatur pinguedine devotionis, sicut ipsi non erant Theologi. *Eccl.* 6. Nihil deest animæ suæ ea omnibus, quæ desiderat. *g* Qui cum, &c.] vel, [est.] *Matt.* 20. dicit, quia Jesus transiret *inf. ult.* Jesum quæritis Nazarenum crucifixum. *h* Cœpit clamare] per fidem.

i Fili David Jesu, miserere mei.] peccatoris. *k* Et comminabantur, &c.] *Prov.* 3. Noli prohibere benefacere eum, qui potest, si vales, & ipse benefac. Per istos significatur tumultus cogitationum, quæ retardant hominem a bono, turba divitiarum, turba carnalium amicorum. *l* At ille, &c. *Gl.* Conveniens ordo salutis, audimus primo, deinde clamamus per fidem, vocamur per Apostolos, surgimus per pœnitentiam, exuimur per baptismum, interrogamur per voluntatem. *m* Cæcus autem, &c.] *Beda*. Parvipendit enim extra lucem cæcus aliquid quærere, quia etsi haberet cæcus quodlibet potest sine luce, non potest videre, quod habet. *Hieron.* Considerans autem Jesus promptam voluntatem, completione desiderii remunerat. *Origen. super Marcum*. Dignius autem est dicere. Rabboni, vel sicut in aliis dicitur, Domine, quam fili David. Unde propter illud, quod filius David, non præstitit ei sanitatem, sed propter hoc, quod dicit, Rabboni. Unde sequitur.

n Jesus autem, &c.] *Chrys.* Grata enim est anima cæci, in eo quod sanus effectus Jesum non reliquit, sed secutus est eum. *Beda*.

Mystice. Mystice autem Jericho, quæ interpretari dicitur Luna, defectum nostræ mutabilitatis designat. Appropinquans Dominus Jericho, lumen cæco reddidit, quia veniens in carne, & passioni appropinquans, non multos ad fidem adduxit; Non enim primis incarnationis suæ temporibus, sed paucis antequam pateretur annis, mysterium verbi mundo exhibuit. *Hier.* Cæcitas etiam ex parte facta Judæis illustrabitur in fine, quando eis mittet Eliam, & Henoch. *Beda*. Quod autem appropinquans Jericho, unum illuminavit, ac proficiscens de Jericho duos, hoc insinuavit, quod ante passionem suam uni tantum populo Judæorum prædicavit, post resurrectionem vero, atque ascensionem suam per Apostolos & Judæis, & gentibus divinitatis, & humanitatis suæ arcana patefecit. Quia vero Marcus unum illuminatum scribit, ad gentium salutem respicit, ut eorum, quos instituebat ad fidem, salvationi figura congrueret. Matthæus vero, qui credentibus ex Hebræis suum scribebat Evangelium, quod in gentium quoque notitiam erat perventurum, recte duos dicit illuminatos, ut ad utrumque populum fidei gratiam pertinere doceret. Proficiscente igitur Domino, & discipulis ejus, & plurima multitudine de Jericho, cæcus sedebat juxta viam mendicans. *Bed.* Quia ascendente ad cœlos Domino, & multis fidelium sequentibus, imo cunctis ab initio mundi electis una cum illo januam regni cœlestis ingredientibus, mox gentium populus cœpit suæ illuminationis spem habere. Qui mendicabat juxta viam sedens, quia nec dum iter veritatis agnoscens, ad hoc pervenire contendit. *Hier.* Populus etiam Judæorum, qui Scripturam conservat, nec complet juxta mensuram, mendicans esurit. Clamat autem, fili David, miserere mei, quia per merita Patriarcharum Judaicus populus illuminatur.

Et stans Jesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum, dicentes ei: Animæquior esto: surge, vocat te. Qui projecto vestimento suo, exiliens venit ad eum. Et respondens Jesus dicit illi. Quid vis tibi faciam? Cæcus *m* autem dixit ei: Rabboni, ut videam. *n* Jesus autem dixit ei: Vade: Fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum in via.

Matt. 20. *Luc.* 18.

Comminantur autem ei multi, ut taceat, quia peccata, & dæmonia compescunt clamorem pauperis. Sed ille magis clamabat, quia ingravescente bello vitiorum manus ad lapidem adjutorii, hoc est ad Jesum Nazarenum, cum clamore levandæ sunt. *Beda*. Populus etiam gentium agnita fama nominis Christi, particeps ejus fieri quærebat. Cui contradicebant multi. Primo Judæi, deinde etiam gentiles, ne illuminandus mundus Christum invocaret, nec tamen impugnantium furor eos, qui ad vitam erant præordinati, valebat salute privare. Clamantem autem cæcum transiens audivit per humanitatem suam, misertus est, qui stando, per divinitatis potentiam mentis nostræ tenebras exclusit. Quod enim propter nos natus, & passus est, quasi transiit Jesus, quia hæc actio temporalis est: Stare autem Dei est immutabiliter cuncta disponere. Clamantem autem cæcum Dominus vocat, cum populo gentium per prædicatores verbum fidei mittit. Qui vocantes cæcum animæquiorem esse, & surgere, atque ad Dominum venire præcipiunt, cum prædicando indoctis, spem eos salutis habere, ac de torpore vitiorum erigi, atque ad virtutum studia se accingere jubent. Projecto autem vestimento exilit, qui abjectis mundi curis expedito mentis gressu, ad largitorem æternæ lucis properat. *Hier.* Venit etiam Judaicus populus, exiliens nudus veteri homine, ut hinnulus saliens super montes, quia segnitiem deponens Prophetas, & Apostolos in altis considerans ad superna se extendit. Quam conveniens autem est ordo salutis. Audivimus primo, per Prophetas: deinde clamamus per fidem, postea vocamur per Apostolos, surgimus per pœnitentiam, exuimur per baptismum, interrogamur per voluntatem. Cæcus autem interrogatus hoc requirit, ut videat voluntatem Domini. *Beda*. Imitemur ergo & nos eum: non divitias, non terrena bona non honores a Domino, sed lucem quæramus, quam videre cum solis Angelis possumus, ad quam via fides est. Unde & cæco respondetur. Fides tua te salvum fecit. Videt autem, & sequitur, qui bonum intelligit, & operatur. Jesum enim sequitur, qui bonum, quod intelligit, operatur, qui imitatur, qui prosperari in hoc mundo noluit, opprobria, irrisiones toleravit. Et quia rerum corporalium delectatione a gaudio interno recedimus, cum qua amaritudine illuc redeatur, ostendit, cum dicitur. Et secutus est Dominum in via, scil. in hac vita, quia post hanc excluduntur omnes, qui hic eum non sequuntur ad operanda mandata ejus. *Hier.* Vel via ista est, qui dixit: Ego sum via, veritas, & vita. Hæc est via angusta, quæ ducit ad ardua Jerosolymæ, & Bethaniæ ad montem Olivarum, qui est mons luminis, & consolationis. [Ut videam.] *Ps.* 26. Unam petii a Domino, &c. Reliqua verba textus exposita sunt superius. *Matth.* 20.

EXPOSITIO CAP. XI.

ET cum appropinquarent, &c.] In capitulo præced. narravit Marcus, qualiter Dominus in exitu de Jericho veniens Jerusalem sanavit cæcum. In hoc capitulo qualiter venit Jerusalem, & quid ibi fecerit. Et dividitur hoc capitulum in quatuor partes.

In prima parte qualiter duo discipuli missi a Domino pullum, & asinam adduxerunt ei.

In secunda narrat, qualiter Dominus veniens Jerusalem non invenit, qui reciperet eum hospitio, jam facto vespere

redit

redit cum duodecim in Bethaniam, ibi: [Et introivit, &c.] In tertia parte narrat, qualiter in crastino rediens in Jerusalem maledixit ficum in via, & statim aruit, propter quod Apostolos admirantes instruxit in fide, & oratione, ibi. [Et alia, &c.] In quarta agit de conquestione Pharisæorum, & baptismo Joannis ibi: [Et veniunt rursus.]

C A P. XI.

ET cum *a* appropinquarent Jerosolymæ, & *b* Bethaniæ ad montem Olivarum, mittit *c* duos *d* ex discipulis suis, & ait illis. *e* Ite in castellum, quod contra vos est, & *f* statim introeuntes illuc *g* invenietis pullum *h* ligatum, *i* super quem nemo adhuc hominum sedit, *k* solvite illum, & *l* adducite, Et si quis vobis dixerit, quid facitis, dicite, quia Domino *m* necessarius est, & continuo illum dimittet huc. Et *n* abeuntes invenerunt pullum ligatum *o* ante januam foris in *p* bivio, *q* & solvunt eum. Et *r* quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis solventes pullum? *s* Qui dixerunt eis, sicut præceperat illis Jesus, & dimiserunt eis. Et duxerunt pullum ad Jesum *t* & imponunt illi vestimenta sua, *u* & sedit super eum. *x* Multi autem vestimenta sua straverunt in via, Alii *y* autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via. Et *z* qui præibant, & qui sequebantur, clamabant dicentes: Osanna: benedictus qui venit *a* in nomine Domini: benedictum, quod venit

Illud Evangelium duabus Dominicis servit secundum Matthæum, sc. Dominicę ramorum quantum ad sensum historicum, & primæ Dominicæ Adventus quantum ad allegoricum. Nam per adventum Christi in Jerusalem significatur adventus ejus in carnem. Et nota, quod illa die intravit Dominus tres domos, sc. Bethaniam, Bethphage, templū Domini. Hæc sola domus Domini, hæc est Ecclesia. In hac ultima invenit Dominus ementes, & vendentes, & nummularios. *Luc.* 19. Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis eam speluncam latronum. Vel certe Bethania est capitulum, Bethphage est refectorium, domus Domini oratorium. Dicit ergo. *a* Et cum, &c.] Narrat, quomodo ante passionem venit in Jerusalem. Sed Joannes alio modo narrat, quia Magdalena ad eum libram unguenti portavit, &c. *b* Et Bethaniæ, &c.] *Gl.* Bethania villa est, sive civitas in latere montis Oliveti, quæ stadiis duodecim distat a Jerusalem, ubi Lazarus suscitatus est: *Jo.* 11. *c* Mittit duos,] charitate junctos propter dilectionem Dei, & proximi. *Gl.* Bini vocantur. *Matt.* 4. Bini mittuntur. *Matt.* 10. *Luc.* 10. Quia charitas non in uno, scil. consistit. Unde væ soli, &c. *Eccl.* 4. *d* Ex discipulis suis,] qui ejus lectiones erudiunt, quarum prima fuit octo versuum. *Matt.* 5. Beati pauperes spiritu, &c. Secunda duorum. *Matt.* 11. Discite a me, &c. Tertia unius. *Joan.* 13. In hoc cognoscent omnes, &c. *e* Ite in castellum,] Jerusalem, quia murata. Vel hoc dicit despective, ut *Isa.* 22. appellatur vallis visionis.

Mystice mundum Christo, & ejus discipulis oppositum, ad quem mittit Dominus duos discipulos suos, i. prædicatores vita, & scientia decoros, charitatis vinculo conjunctos, geminam charitatem habentes. Vel duos prædicatores, duos populos ad Christum vocaturos. Sed nota, unde missi fuerint: Certe de monte Oliveti. Oliva signum est pacis. Unde columba ad arcam rediens in signum pacis, & reconciliationis ramum Olivæ portavit: *Gen.* 8. Mons igitur Oliveti est excellentia, vel cumulus pacis, quam habere in se, & in aliis nunciare debent prædicatores. *Isa.* 57. Creavi fructum labiorum pacem, pacem his, qui longe, & pacem his, qui prope, & sanavi eum. *Jo.* 14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Pacis cumulum fecit Dominus, qui injuriam passus pacem de suo sanguine comparavit. *Isa.* 53. Disciplina pacis nostræ super eam, cujus livore sanati sumus. Item per montem Oliveti significatur cumulus medicinæ, oam oleum medicinale est. Laudabilis est medicus, qui gratis sanat. Sed laudabilior, qui inimicum suum propriis sumptibus sanat. Superlaudabilis est, qui de suo sanguine medicinam facit. Ita fecit in festinatione nebulæ. Item per montem Oliveti significatur cumulus pietatis, quem debent habere nuncii Domini, & aliis prædicare. *Luc.* 6. Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Vel certe duo discipuli, quos præmittit Dominus, sunt timor, & amor. Primus solvit asinum. *Eccl.* 1. Timor Domini expellit peccatum. Secundus adducit ad Jesum. *Luc.* 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Isti sunt illi duo discipuli, quibus euntibus in Emaus apparuit Dominus. *Luc. cap. ult.* Castellum istud est cor peccatoris, rationibus, & excusationibus quasi muris, & propugnaculis munitum. Unde *Ps.* 59. Quis deducet me in civitatem munitam? Et hoc est, [Ite, &c.] *f* Et statim introeuntes illuc] *Isa.* 40. Loquimini ad cor Jerusalem. *g* Invenietis pullum] Revera, ut in Matthæo habetur, primo super pullum, sed quia recalcitrabat, postea super asinam. *h* Ligatum,] Pullus carnalis affectus, triplici vinculo ligatus est, quod est lascivia juventutis, sanitas corporalis, prosperitas mundialis, *Eccl.* 4. Funiculus triplex difficile rumpitur. Tamen duo dicti discipuli solvunt, scil. timor & Amor. *i* Super quem, &c.] Quidam asini sunt in aliquibus locis, super quos nullus hominum unquam ascendit, sed tantum super eos defertur aqua, & hujusmodi, & significant inobedientes, qui nolunt recipere disciplinam. *Job* 11. Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat. *k* Solvite illum] corrigendo. *l* Et adducite] prædicando. Vel. *k* Solvite] comminando. *Job* 39. Quis dimisit onagrum liberum, & vincula ejus quis solvit? *Matth.* 18. Quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cœlis. *l* Et adducite] consolando. *Job* 39. Numquid alligabis rhinocerontem ad arandum loro tuo? *m* Necessarius est:] *Job* 22. Quid prodest Deo, si justus fueris. *Job* 35. Si juste egeris, quid donabis ei? *n* Et abeuntes,] prompta obedientia prædicatorum. *Job* 38. Numquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi: adsumus? *o* Ante januam.] Janua, Christus. *Jo.* 10. Ego sum ostium. Janua fides. *Jo.* 20. Maria stabat ad monumentum foris plorans.
p In bivio,] i. in libertate arbitrii. *Eccl.* 15. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, & quod placuerit, dabitur illi. *q* Et solvunt eum.] *Ps.* 115. Dirupisti, Domine, vincula mea. *r* Et quidam, &c.] Hi sunt otiosi, qui nihil boni faciunt, sed alios judicant, & condemnant: *Prov.* 3. Noli prohibere benefacere eum, qui potest, &c. *s* Qui dixerunt, &c.] 2. *Tim.* 4. Prædica verbum, insta opportune. *t* Et imponunt, &c.] i. virtutum ornamenta, quibus ipsos vestierat Dominus. *Matth.* 5. paupertate, mansuetudine, luctu, justitia, misericordia, judicio, pace, patientia. *Job* 37. Numquid vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro? *u* Et sedit super eum] prius appositis vestimentis. *Isa. ult.* secundum aliam litteram. Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & contritum, & trementem sermones meos?
x Multi autem vestimenta sua] i. sua corpora per abstinentiam humiliaverunt in vita sua *Apoc.* 16. Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet. Vel vestimenta sua sternere, est exempla bona sequentibus relinquere. 2. *Mach.* 6. Vitam excedendo senectute quidem dignus apparebo, adolescentibus exemplum forte relinquam. 4. *Reg.* 2. Elias pallium suum reliquit, i. suæ charitatis exemplum. *Eccl* 8. Omni tempore vestimenta tua sint candida, i. exempla clara, & imitatione digna.
y Alii autem, &c.] i. sententias veritatis, vel exempla virtutis de libris patrum. Arbor est sacra Scriptura, cujus fructus cibus animarum, & folia medicina. *Ezech* 47. *Apoc. ult.* Ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim. *z* Et qui præibant, & qui sequebantur, &c.] *Num.* 13. Duo portant botrum, unus præcedit, alter vero sequitur.

Moraliter.] autem Jesum venturum in Jerusalem, i. ad animam pœnitentem, præcedunt synderesis, fides, beneficia Christi: quæ clamant, Osanna, idest, salva obsecro. Sequuntur, spes, charitas, patientia, longanimitas: quæ similiter clamant Osanna. *a* In nomine Domini, &c.] scilicet filii. In nomine patris addit, quod promissum est Patri nostro David, cujus regnum sit benedictum, scilic. regnum in Ecclesia in nomine patris, quod est filios. *Jo.* 5. Ego veni in nomine patris mei, & non accipitis, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Item [In nomine Domini] i. in honore patris mei. *Joan.* 8. Ego honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me, & ego gloriam meam non quæro.

Item

Item. [In nomine Domini,] quod est servus. *Isa.* 49. Parum est tibi, ut sis mihi servus? *a* Regum patris,] s. regnum futurum. *Matt.* 6. Adveniat regnum tuum, *Jo:* 18. Regnum meum non est hinc. Regnum hujus mundi non est benedictum, sed maledictum: ideo cum quæreretur a turba, ut fieret rex, fugit. *Jo:* 6. Hic autem cum passurus erat, non respuit rex vocari. *b* Osanna in excelsis] i. inter excelsos Angelos. [In excelsis,] non tantum in terra Dominus Christus salutaris fuit, sed infernalibus, & cœlestibus. *c* Et introivit, &c.] *Beda.* Templum Dei in civitate, vita religiosa in plebe.

Moraliter. Moraliter. Dominus intravit in Jerusalem per Bethaniam, & montem Oliveti. Jerusalem significat supernam civitatem, ubi videbitur iste, qui est pax. *Eph* 2. Ipse est pax nostra *Gal.* 4. Mater nostra Jerusalem. Bethania, obedientia, hæc est via ad paradisum. 1. *Reg.* 15. Melior est obedientia, quam victimæ. 3. *Reg.* 5. Naaman non potuit curari, donec obediens fuit Elisæo. Sed nullus in Jerusalem vadit nisi curatus. Per oleum olivarum intelliguntur misericordia, & pietas. *d* Et circumspectis, &c.] Dicit enim: Cum jam vespera esset: In vespera mundi visitat nos Dominus. *e* Et alia, &c.] salutem hominum æstuans ad incredulitatem Israel, *Jo:* 19. Sitio. *Jo:* 4. Cibum habeo manducare quem vos nescitis. Et nota, quod statim, ut exiit de Bethania, esuriit, quia sola obedientia pascit eum. *f* Cumque vidisset, &c.] Sed nunquam dubitavit Dominus, utrum ficus fructus haberet? Non, sed qui secum erant, poterant dubitare, libertatem arbitrii eorum, qui per ficum significantur, notavit per [forte.] *g* Non enim erat tempus ficorum.] Quare ergo maledixit ficum? Item nonne fecit injuriam domino ficus? Resp.

Mystica fuit maledictio, nec injuriam fecit alicui, quia re sua suo arbitrio ad aliorum utilitatem usus est. Ideo tamen maledixit, quia folia sine fructu invenit. *Chrys.* Non quia maledixit arborem, ideo fructum non dedit, sed quia non dabat fructum, ideo maledixit. Nec ideo Judæi perdiderunt justitiam, quia dereliquit eos Dominus, sed ideo dereliquit, quia perdiderunt justitiam.

Mystice. Mystice. Ficus est synagoga vel Ecclesia, vel claustrum, quia sicut ficus sub una cortice multa grana continet, sic Synagoga, vel Ecclesia, vel claustrum sub uno jure vivendi multos homines habet. Unde *Ps.* 67. Qui habitare facit unius moris in domo. Item folia ficus similitudinem manus habent, & verba Synagogæ Ecclesiæ, claustri debent de bonis operibus informari. Sed folia sine fructu sunt verba sine operibus. *Matt.* 23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæ dicunt facite, secundum opera eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt q. d. folia habent sine fructu. *Jer.* 8. Non est uva in vitibus, & non est ficus in ficulnea. Ficus ubi bona est, optima est, ubi mala, pessima est, sic de viris Ecclesiasticis, & maxime claustralibus. *Jer.* 24. Quid tu vides, Jeremia? Et dixi, ficus bonas, bonas valde, & malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eo quod malæ sunt *Mich.* 2. Ficus præcoquas desideravit anima mea. Item flores sicut fructus sunt, & desideria operibus adæquantur. *Osee* 10. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei. *Cant.* 2. Ficus protulit grossos suos. Item ficus juxta viam plantata numquam maturos facit fructus, sic homo in mundo radicatus numquam bona opera facit. *Chrys.* Sicut impossibile est arborem juxta viam fructus usque ad maturitatem servare, sic difficile est hominem juxta mundum viventem justitiam immaculatam usque ad finem tenere.

h Jam non amplius, &c.] i. intellectus justus in suo opere de cetero delectetur. *i* Et cum, &c.] *Matth.* 21. narrat maledictionem ficus post ejectionem vendentium de templo. Marcus econtrario. Quare? Sol. *Exod.* 12. *Gl.* quædam innuit, quod Dominus bis ejecit, ipso die palmarum, quod fuit ante maledictionem ficus, & hoc narrat *Matt.* & sequenti die post maledictionem ficus, & hoc narrat *Marcus*. *k* Cœpit ejicere, &c.] ardore spiritus concitatus. *Ps.* 68. Zelus domus tuæ comedit me. *Gl. Bed. Isa.* scil. quæ qui de longinquo venerant ab indigenis offerenda emebant. Si ergo hoc prohibet, quanto magis risum, & vaniloquium, & hujusmodi. *l* Et mensas, &c.] qui honores vendunt, & gradus emunt. Per vendentes, & ementes columbas in templo, significantur simoniaci, qui emunt, vel vendunt sacramenta, & beneficia Ecclesiastica. Per nummularios significantur clerici mercatores. Utrique ab Ecclesia expelluntur & simoniaci, & mercatores. *Chrys.* Qui voluerit esse mercator, projiciatur de Ecclesia, dicente propheta. Quia non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini, i. in prælationem. *Eccl.* 2 *Tim.* 2. Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis. *Zach. ult.* Non erit mercator ultra in domo Domini. *Isa.* 43. Educ foras populum cæcum, & oculos habentem.

Marc. 11. Joan. 2.

Versus.

Qui sacra vendunt, vel pro sacris pretium dant,
Hos procul expello, facto de fune flagello.

Super *Jo:* 4. dicitur. Illos quoque pariter Dominus intra sanctam Ecclesiam detestatur, qui per sacros ordines ad eum propinquantes, non in eisdem ordinibus virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt. *August.* Ita damnabilis negotiatio in clerico, sicut usura in laico. *Chrysost.* Sicut cum cribratur triticum, tandem nihil remanet in cribro, nisi pulvis, & stercus, sic substantia negotiatorum inter emptionem, & venditionem perit, & nihil remanet nisi peccatum. Unde *Eccl.* 27. Sicut in percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius. *Item* 26. Duæ species difficiles, & periculosæ mihi apparuerunt, difficile exuitur negotians a negligentia sua, &c.

m Evertit.] Hoc figuratum fuit 1. *Machab.* 4. ubi legitur. Elegit Judas sacerdotes sine macula, &c. Evertit. Hoc alia vice fecerat in Pascha sequente post baptismum, quod solus Joannes narrat.

n Et non, &c.] Vas immundum, cor immundum, clericus immundus, quod transferri non permittit Dominus, quanto magis nec manere. *Isa.* 22. Figam illum paxillum in loco fideli, & suspendam super eum omnem gloriam domus patris ejus, vasorum diversa genera 2. *Tim.* 2. In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, quædam quidem in honorem, alia autem in contumeliam. *Thren.* 4. Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea.

o Nonne scriptum est *Isa.* 56.

p Quia domus, &c.] *Isa.* 51. Gaudium, & lætitia invenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.

q Vos autem fecistis eam, &c.] *Jer.* 7. Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum? [Speluncam latronum.] *Greg.* Latro est, qui lucra sectatur, qui & non dantes corporaliter persequitur. Unde *Mich.* 3.

Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium, idest, secum prælium faciunt, i. excommunicant. *Hier.* Latro est, & templum Dei in latronum convertit speloncam, qui lucra de religione sectatur, cujusque non tam causa Dei quam negotiationis causa est. *r* Timebant enim eum, &c.] *Rab.* Mirabile est, ut flagello unius, & viliis tot ejici, mensas evertit, quo nihil egit mirabilius, igneum, & sidereum aliquid radiabat ex ejus oculis, & lucebat in facie majestas divinitatis. *Hier.* Plerique dicunt maximum signorum, quod Lazarus suscitatus, quod cæcus ex utero lucem accepit, & transfiguratus est, mihi inter alia signa mirabilius hoc videtur.

a regnum patris nostri David: Osanna in *b* excelsis. Et *c* introivit Jerosolymam in templum, *d* & circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim, Et *e* alia die cum exirent a Bethania, esuriit. Cumque *f* vidisset a longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea. Et cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia. *g* Non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei: *h* Jam non amplius in æternum quisquam ex te fructum manducet. Et audiebant discipuli ejus, & veniunt Jerosolymam. Et cum *i* introisset in templum, cœpit *k* ejicere vendentes, & ementes in templo: *l* & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas *m* evertit. Et *n* non sinebat, ut quisquam transferret vas per templum, & docebat dicens eis: *o* Nonne scriptum est, quia *p* domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus? *q* Vos autem fecistis eam speluncam latronum. Quo audito, principes sacerdotum, & scribæ quærebant, quomodo eum perderent: *r* Timebant enim eum,

C

a Quoniam

quoniam *a* universa turba admirabatur super doctrina ejus. Et *b* cum vespera esset facta, egrediebatur de civitate. Et cum *c* mane transirent viderunt ficum aridam factam a radicibus, Et recordatus Petrus dixit ei. Rabbi, *d* ecce ficus, cui maledixisti, aruit, Et respondens Jesus ait illis. *e* Habete fidem Dei. *f* Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti tollere, & mittere in *g* mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, *h* fiet ei.

Propterea dico vobis, *i* omnia, quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & *k* venient vobis: Et cum *l* stabitis ad orandum, *m* dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut & *n* pater vester, qui in cęlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos nō dimiseritis, nec pater vester, qui in cęlis est, dimittet vobis peccata vestra: Et veniunt rursus Jerosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, & scribæ, & seniores, & dicunt illi; In *o* qua potestate

a Quoniam universa, &c.] quia docebat vera, & utilia, non solum verbo, sed & facto. *Matt.* 7. Erat autem docens eos, sicut potestatem habens, non sicut Scribæ, & Pharisæi. *b* Et cum vespera, &c.] Primo fit vespera, i. peccatum in civitate, i. in anima, & sic egreditur Sol ortus, & fit nox obscura in media die. Unde *Amos* 8. Occidet Sol in Meridie, & obtenebrescere faciam terram in die luminis. *Isa.* 99. Impegimus in Meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. Sol materialis occidens facit vesperam, sed vespera spiritualis primo facta facit occidere solem spiritualem, quia nisi peccatum Christum eapelleret, numquam ab anima eatret. Et hoc est, quod dicitur: *Osee* 12. Deus ego, & non homo, in medio tui sanctus, & non ingrediar civitatem. *c* Et cum, &c.] Aresacta est ficus, quia synagoga a primis patribus suis cœpit aresieri. Cain radia arida, & sic de aliis. Item [A radicibus aresacta est, quia totaliter easiccata est ab humore gratiæ. Non enim pars modo vivit, modo arida est, sed tota arida marcescit in infidelitate. Item, [A radicibus,] arida est, quia irreparabiliter easiccata est. Item, [A radicibus,] arida est facta, quia non in conspectu hominum, qui exterius vident, sed in conspectu Dei, qui interius videt, exsiccata est. Perdidit enim gratiam Dei, & gratiam hominum: & etiam terram suam. Radices Ecclesiæ sunt Prælati, & doctores, de quibus debet procedere humor fidei, morum, & intelligentiæ ad ramos, per quos debet totum corpus Ecclesiæ vivificari, & in terram viventium radicari: Sed heu ficus aresacta est a radicibus, & a radicibus ascendit usque ad ramos: *Jer.* 23. A Prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram. *Dan.* 13. Iniquitas egressa est a Babylone a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum. *Osee* 9. Percussus est Ephraim, radia eorum exsiccata est, nequaquam fructum facient. *Ps.* 51. Evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium. *Sap.* 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas. *Chrys.* Cor, & stomachus Ecclesiæ sunt sacerdotes, qui si peccaverint, totus populus convertitur ad peccandum. Unusquisque enim Christianus pro suo peccato reddet rationem, sacerdotes autem non tantum pro suis sed pro omnium subditorum peccatis. Quemadmodum videns arborem pallentibus foliis marcidam, intelligis, quod aliquam causam habet circa radicem, ita cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognoscis, quod ejus sacerdotium non est sanum. *Osee* 4. Et erit sicut populus, sic sacerdos. *d* Ecce ficus, &c.] *Chr.* Sermo ejus quasi flamma descendit ad radicem ejus. *Ps.* 101. Defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt. [Aruit] *Gl.* Hoc fuit factum, quando diaerunt Apostoli. Digne transferimur ad gentes, quia vos indignos judicatis *Act.* 13. *e* Habete fidem Dei,] q. d. miramini, quia ficus maledicta aruit, sed dico vobis, si fidem habueritis, majora facietis, *Jo.* 14. Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet. *f* Amen dico vobis, &c.] De hæc opponunt nobis Hæretici, quod non habemus fidem, quia non facimus miracula: Constat enim, quod verbum Domini verum est. Sed idem replicatur in eos, quia nec ipsi faciunt miracula. Præterea ipsi mentiuntur, quia legitur, quod *Greg.* † Necreponti Episcopus volens ædificare Ecclesiam, sed spatium habens angustum, quia ex una parte mons, & ea alia parte arctabat mare, venit nocte ad locum, admonuit Dominum istius promissionis, & flexis genibus oravit ad Dominum, & mane inventus est mons tantum spatium reliquisse, quantum necessarium erat. Præterea Dominus loquitur hic secundum statum primitivæ Ecclesiæ, in quo fides sanctorum indigebat miraculis propter infidelium conversionem, modo autem non indiget, quia multi sunt conversi. Et forte si modo prædicarent credentes Sarracenis, credo, quod facerent miracula quia signa data sunt infidelibus, non fidelibus, ut dicitur 1. *Cor.* 14. Mystice autem per montem significatur diabolus. Unde *Hier.* Nos montem intelligimus diabolum, qui de anima hominis possessa, ab Apostolis, & eorum similibus transferri potest in mare, i. in loca amara. *Ps.* 45. Non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Dicitur autem diabolus mons propter sea rationes, ut dicit *Chrysost.* Primo propter altitudinem superbiæ. Unde *Isa.* 14. dicit: Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo. Secundo propter immobilitatem malitiæ, quia obstinatus est in malo. Unde *Job* 41. Cor ejus indurabitur quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. Tertio, propter asperitatem, & inæqualitatem: quia nulla planities est in eo ad quietem. *Jer.* 6. Crudelis est, & non miserebitur. Quarto, quia arbores infructuosas producit, idest, superbos, qui crescunt in hoc monte. *Isa.* 2. Dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur, & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan. Quinto, propter præcipitii impellentiam. *Matt.* 8. Dæmones rogabant eum dicentes, si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos, & ecce magno impetu abiit grex per præceps in mare. *Isa.* 9. Et erunt, qui beatificant populum istum seducentes, & qui beatificantur, præcipitati. Sexto, propter foveas sævarum bestiarum, quæ ibi habitant, *Isa.* 34. Ibi habuit foveas Ericius, ibi congregati sunt multi alter ad alterum.

Matt. 21.

al. † necessitate.

Mystice.

Matt. 11. Joan. 14.

g In mare] *Ps.* 76. In mari via tua.

h Fiet ei] *inf. ult.* Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient.

i Omnia quæcumque, &c.] *Jac.* 1. Si quis vestrum. *Matt.* 7. Omnis, qui petit, accipit.

k Et venient vobis.] Propter hoc dicit *Ecclesiast.* 18. Ne impediaris orare semper, & ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces domini manet in æternum.

l Et cum, &c.] recti corda, stabiles fide. 1. *Cor.* 15. Stabiles estote, & immobiles.

m Dimittite, si quid habetis, &c.] Hæc est præparatio orationis, dimittere injurias tibi factas. *Matt.* 5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris: &c. *Eccl.* 28. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini, &c.

n Ut & pater vester, &c.] *Malach.* 2. Numquid non pater unus omnium nostrum?

Deus pater est {
Omnium per creationem generaliter.
Justorum per adoptionem specialiter.
Christi per generationem singulariter.

Dicendo pater, roborat fidem, dicendo, vester dilatat charitatem, dicendo, qui in cœlis est, elevat spem. Per pater significatur spes obtinendi peritum. *Isa.* 49. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, &c. Item cautela a peccato, ut si non ei degeneres. *Isa.* 31. Attendite ad petram, unde excisi estis. Item amor *Malac.* 1. Si ego pater, ubi amor meus? Per vester, invitat nos ad humilitatem. *Malac.* 2. Numquid non Deus unus creavit nos, quare ergo despicit, &c. Item ad mutuam charitatem. *Gen.* 13. Ne quæso sit jurgium inter me, & te, &c. Item ad mutuum honorem. *Rom.* 12. Honore invicem prævenientes. Item ad mutuum auxilium. *Prov.* 18. Frater, qui juvatur a fratre, quasi civitas firma.

o In qua potestate,] quasi in Beelzebub ejicis dæmonia. *Chrysost.* Omnis homo secundum se æstimat alterum, nec potest minus sentire de alio quam sentit de seipso. Fornicarius neminem æstimat castum, castus de fornicario non de facili suspicatur, superbus neminem putat humilem, humilis neminem superbum, sic qui

A non est

hæc *a* facis, *b* & quis dedit tibi hanc potestatem, ut ista facias? Jesus autem respondens, ait illis. *c* Interrogabo vos & ego unum *d* verbum, & respondete mihi, & dicam vobis in qua potestate hæc faciam: Baptismus Joannis de cęlo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. At illi cogitabant secum, dicentes. Si dixerimus de cęlo, dicet nobis. Quare ergo non credidistis ei? Si dixerimus ex hominibus, † *e* timemus populum. Omnes enim habebant Joannem, quia vere Propheta esset. Et respondentes dicunt † Jesu: Nescimus. Et respondens Jesus ait illis: *f* Neq; ego dico vobis, in qua potestate hæc faciã.

C A P. XII.

ET cœpit illis in *g* parabolis loqui. *h* Vineam *i* pastinavit *k* homo, & *l* circumdedit sepem, & *m* fodit lacum, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregre profectus est. Et misit *n* ad agricolas in tempore servum, ut *o* ab agricolis acciperet de fructu vineæ. Qui apprehensum eum ceciderunt, *p* & dimiserunt vacuum. Et iterum misit ad illos alium servum, & illum in capite vulneraverunt, & contumeliis affecerunt. Et rursum alium misit, & illum occiderunt, & plures alios quosdam cædentes, *q* alios vero occidentes. *r* Adhuc ergo unum habens filium charissimum, & illum misit ad eos novissimum, dicens, quia † vere-

al. † timebant.

al. † ei.

al † verebuntur.

a non est ex Deo sacerdos, nullius sacerdotium putat esse ex Deo. *a* Hæc facis.] *Gl.* De Dei dubitant potestate, & volunt subintelligi diaboli esse, quod facit. *Jo:* 2. Quod signum ostendis nobis, quia hoc facis? *c* Et quis dedit tibi, &c.] *Gl.* Aperte Dei filium negant, quem putant non suis, sed alienis viribus signa facere. *Chrys.* q.d. de sacerdotis familia nō es, senatus non concessit tibi, Cæsar non donavit tibi. Si autem credidissent, quod omnis potestas a Deo est, numquam interrogassent, quis dedit tibi hanc potestatem. *c* Interrogabo vos.] Poterat aperta responsione calumniam tentatorum confutare, sed prudẽter interrogat, ut vel silentio suo, vel sententia condemnentur. *d* Unum verbum.] *Ambr.* Noluit Dominus secretum suum judicium revelare. Unde *Isa.* 35. Secretum meum mihi. Sed eos arguit perverse respondendo. *Prov* 26. Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. *e* Timemus] vel, timebant. Jesu, vel, ei, nescimus. *Gl.* Duabus de causis scientia veritatis occultatur quærentibus, cum aut is, qui quærit, minus intelligi, i. minus capax est, aut odio, aut contemptu veritatis indignus est, cui debeat aperiri. Propter alterum dicitur. Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo. *Jo:* 16. Propter alterum dicitur. Nolite sanctum dare canibus, *Matt.* 7. *f* Neque ego.] *Hier.* hic, cum perverso pervertitur Deus. *Eccl.* 26. Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.

E X P O S I T I O   C A P. XII.

ET cœpit illis] In *c. præc.* narravit Evangelista qualiter appropinquante tempore passionis, appropinquavit Dominus loco passionis. In hoc cap. agit de malitia Judæorum in Christi passione consummata, quam passionem ipsemet Christus prædicit eis, ne ignarus ad passionem accedere videretur, loquens parabolice illis, quia justum erat, ut obscure eis loqueretur, quia veritati manifeste obviabant. Dividitur autem hoc cap. in septem partes. In prima arguit Judæos, maxime Scribas, & Pharisæos de morte sua, & suorum sub metaphora cultoris vineæ, qui servos patrisfamilias, & tandem & ipsum filium occiderunt. In secunda agit de dolo, & fasto Pharisæorum, qui missi erant cum Herodianis, ut Jesum caperent in sermone, ibi [Et mittunt ad eum.] In tertia parte agit de subdola quæstione Sadducæorum, qua volebant ostendere resurrectionem mortuorum non fore, ibi [Et venerunt.] In quarta parte agit de alia quæstione, quam fecit unus de scribis Domino, qui audivit illum bene respondisse aliis Pharisæis, & Sadducæis, ibi [Et accessit unus.] In quinta palam se dominum ostendit Dominus, ut inexcusabiles sint Judæi, ibi [Et respondens Jesus.] In sexta docet turbam, & discipulos cavere a scribis, & Pharisæis, ibi [Et multa turba.] In septima agit de commendatione viduæ, quæ duo minuta posuit in Gazophylacium, & plus omnibus teste Domino dicitur posuisse, ibi [Et sedens.] Agitur autem de hoc *Matt.* 21. *Luc.* 20.

g Et cœpit illis, &c.] vel parabolice loqui. *Greg.* Qui non aperte volebant respondere, in parabolis capiuntur. *h* Vineam] i. Synagogam, vel certe Ecclesiam. De qua *Isa.* 5. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei, & sepivit illam, & lapides elegit ex ea, & plantavit vineam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, torcular extruxit in ea, & expectavit, ut faceret uvas, & fecit labruscas. *Jer.* 2. Ego te plantavi vineam electam, omne semen verum, quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena? *i* Pastinavit] i. plantavit. Vel secundum alios. [Pastinavit,] i. pastum dedit. Tunc enim pastinatur proprie vinea, cum foditur circa vites, & stercora apponuntur, sic pastinavit Deus pater vineam suam, i. Ecclesiam, quia primo fodit eam fossorio prædicationis, deinde stercora multa apposuit, i. multas divitias temporales contulit. [Vineam,] i. domum Israel. *Isa.* 5. Vinea domini Sabaoth, domus Israel est. *k* Homo.] *Chrys.* Nemo æstimet Christum habuisse humanam naturam tantum, quia dictus est homo. Nam & pater dictus est homo, ut sic liberaretur filius ab hæreticorum blasphemiis. *l* Et circumdedit sepem.] Sepes, quæ fit ex spinis est congeries tribulationū, quibus sepitur Ecclesia, ne superbia extollatur, & humilis custodiatur. *Eccl.* 10. Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber, i. diabolus. *m* Et fodit lacum] i. legem. Lex dicitur lacus sive torcular, quia torquebat transgressores. *Hebr.* 10. Irritam faciens legem Moysi, &c. Vel propter multitudinem & duritiam præceptorum, quibus Judæi premebantur, sicut uvæ in torculari, dans liberum arbitrium operandi non mutatione loci, quia ubique Deus, & omnia complet. *Sap.* 1. Lacus, sive torcular est crux, sive tribulatio. *Isa.* 66. Torcular calcavi solus. Turris, prælatio, quæ debet esse munimentum Ecclesiæ. *Mich.* 4. Et tu turris nebulosa filia Sion usque ad te veniet. *n* Et misit ad agricolas in tempore servum] i. prophetas, Moysen, & Aaron. *o* Ut ab agricolis, &c.] Agricolæ sunt prælati, qui agrum Ecclesiæ debent excolere, & a spinis, & tribulis peccatorum mundare, & bonis seminibus seminare. Unde *Aug. in libro contra quinque hæreses.* Ubi estis, o boni agricolæ, quid agitis, quare vacatis, videtis, quo malo plena sit terra, hinc spinæ, hinc tribuli, hinc fœnum surgit. Spinas incendite, tribulos eradicate, fœnum siccate, semina bona spargite. Sed quibus hoc dico? O ubi estis fontes lacrymarum? Quibus agricolis loquar? Alii sunt mortui, alii sunt fugati, terra tradita est in manus impii. *Prov.* 24. Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerunt superficiem ejus spinæ. *p* Qui apprehensum eum ceciderunt, & dimiserunt vacuum.] Per istum servum, & secundum, & tertium, significatur bona cogitatio, bonum propositum, sanctum desiderium, quod dominus sæpe immittit, & bonis, & malis, & pluit super justos, & injustos. Sed isti servi occidunt, cum per contraria suffocantur, vel contumeliis afficiuntur, cum dæmonum suggestionibus, vel detractionum objurgationibus retardantur. Vel sicut dicit *Beda*, tres servi sunt, lex, psalmodia, prophetia, quæ ad bonum admonent, quasi contumeliis afficiuntur. Vel cæsi ejiciuntur, cum sermo auditus vel contemnitur, vel vituperatur. Filius autem, qui ultimo mittitur, & occiditur, est gratia, quæ a Deo mittitur, & occiditur, cum peccatum admittitur. *Jer.* 11. Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium.

q Alios vero occidentes] *Hebr.* 12. Alii ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, &c. *r* Adhuc ergo unum habens filium charissimum] idest, Christum. *Gloss.* Probat Judæorum principes non per ignorantiam Christum crucifixisse, quia intellexerunt eum esse, de quo dicitur. Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. Sed contra. *Act.* 3. Nunc scio, fratres, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Item. 1. *Cor.* Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Solut. Ibi innuit *Gloss.* quod majores bene sciebant, quod ipse erat Messias in lege promissus, non tamen credebant, quod esset Deus, vel Dei filius naturalis, minores autem nesciebant, quod esset Messias. Forte, *Matt.* 21. & *Luc.* 20. habent forsitan. Marcus non habet, forte, nec forsitan.

Quia verebuntur, &c.] *Gl.* Interrogemus Arrium,

a & Euno-

A & Eunomium, qui dicebant Christum puram creaturam. Pater dicitur ignorare, & sententiam temperat, cum dicit, [Forte,] & quantum in nobis est, i. quantum ad ea, quæ videntur nobis secundum illorum sententiam, dicitur esse mentitus, quicquid pro patre responderit, hoc intelligant pro filio, qui se dicit ignorare consummationis diem.

Matt. 21.

buntur filium meum. *a* Coloni autem dixerunt adinvicem: Hic est hæres: *b* venite, occidamus eum, *c* & nostra erit hæreditas. Et *d* apprehendentes eum occiderunt, & ejecerunt *e* extra vineam: *f* Quid ergo faciet Dñs vineæ? *g* Veniet, & perdet colonos, & dabit vineam aliis. Nec scripturam hanc legistis: *h* Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: a Dño factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Et quærebant eum tenere, & timuerunt turbam. Cognoverunt enim quoniam *i* ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt. Et mittunt *k* ad eum quosdam ex Pharisæis, & *l* Herodianis, ut *m* eum caperent in verbo. Qui venientes dicunt ei: *n* Magister, scimus quia verax es, *o* & non curas quemquam. *p* Nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate *q* viam Dei doces. Licet *r* dari † tributum Cæsari, an non dabimus? Qui sciens versutiam illorum ait illis: Quid me tentatis?

a Coloni autem, &c.] i. Judæi majores, qui vere sciebant, quod Messias erat promissus in lege, *Jo.* 7. Et me scitis, & unde sim scitis. *b* Venite occidamus eum.] *Gen.* 37. Ecce somniator venit, venite occidamus eum. *Sap.* 2. Circumveniamus virum justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris.

Ps. 117. *Matt.* 21. *Zach.* 10. *Matt.* 21. & *Luc.* 19.

c Et nostra erit hæreditas] *Ps.* 126. Ecce hæreditas Domini merces fructus ventris. *d* Et apprehendentes, &c.] *Gl.* Notat pertinaciam eorum, qui nec crucifixo, nec resuscitato Domino ad prædicationem Apostolorum credere voluerunt, sed quasi vile cadaver projecerunt, quia quantum in se erat, a suis finibus excludentes gentibus suscipiendum dederunt. *e* Extra vineam,] ad litteram, extra Jerusalem. *Hebr.* 13. Propter quod & Jesus, ut sanctificaret populum per suum sanguinem, extra portam passus est. Exeamus igitur extra castra improperium ejus portantes. In figuram hujus statuit Moyses, extra sub dio altare holocaustorum, ubi sanguis animalium fundebatur, ut dicitur *Exod. ult.* *f* Quid ergo faciet, &c.] *Hier.* Non ignorans quærit, sed ut ex responsione sua eos condemnet.

g Veniet, & perdet, &c.] *Matt.* 21. habetur, quod ipsi scribæ, quibus Dominus loquebatur, dixerunt hoc. Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis. *Luc.* 20. dicitur, quod scribæ hoc audito dixerunt. Absit, *Aug.* de concordia Evangelistarum. Hoc dixit Dominus primo, & quidam audientes hoc dictum, contra se dixerunt. Absit, ut dicit *Luc.* Alii non intelligentes dixerunt, Malos male perdet, ut dicit *Matt.* *Chrys.* aliter solvit. Dicit enim, quod ore responderunt, absit, sicut dicit *Luc.* sed in corde habebant, quod ita fieret, sicut dicit *Matth.* Lapidem, &c.] Hoc dicit prophetice. Non enim ædificavit templum, neque tempore suo fuit ædificatum, sed cum ædificaretur a Salomone, fuit allatus lapis magnus a loco, ubi lapides ponebantur, nec inventus est ei locus in toto ædificio, & ideo quasi reprobatus ab ædificantibus dicitur. Sed tandem in summo inventus est locus idoneus inter duos parietes, & ideo angularis dicitur, ita per illum lapidem significatur Christus, duos populos, & duo testamenta, quasi duos parietes in se conjungens, sicut dicitur *Eph.* 2. Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Et recte per istum lapidem in summo positum significatur Christus. Cum enim in ædificio corporali fundamentum sit in imo, & ideo talis ædificatio semper ascendat ad summum. De hoc lapide dicitur *Job* 38. Quis demisit lapidem angularem, probatum, pretiosum in fundamento fundatum. *Isa.* 8. Et erit in sanctificationem in lapidem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel.

Isa. 28. 1. *Petr.*

i Quoniam ad eos,] i. propter eos, *k* Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis.] Per Pharisæos, & Herodianos, qui mittuntur ad seducendum Jesum, significantur duo genera tentationum, sive cogitationum, quas diabolus sæpe immittit, ut capiat Jesum, idest, salutem auferat. Pharisæi interpretantur divisi, & significant tentationes, sive cogitationes singularitatis, quas sæpe immittit diabolus, ut homo a communitate se separet, vel plus, vel minus aliis faciendo. Utrobique singularitas, & utrobique periculum. *Exod.* 9. Lignum, & hordeum læsa sunt eo, quod hordeum esset virens, & linum folliculos germinaret, triticum autem, & far non sunt læsa, quia serotina erant. *Deut.* 25. Memento, quæ fecerit tibi Amalech in via, quando egrediebaris de Ægypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, occiderit. 1. *Reg.* 17. dicit Goliath. Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen. Herodiani, gloriantes in pellibus, scil. motus inanis gloriæ, qui de pella macerata insurgunt, vel de habitu vili, qui & Jesu, i. saluti insidiantur. *Isa.* 50. Omnes quasi vestimentum conterentur, & tinea comedet eos, i. inanis gloria de vestimentis nascens. *Eccl.* 42. De vestimentis procedit tinea. *Act.* 18. Cum congregasset Paulus sarmentorum multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera a calore cum processisset, adhæsit manui ejus.

l Et Herodianis.] Secundum *Joseph.* Herodiani dicuntur ducenti milites, quos Cleopatra Regina Ægypti dedit Herodi, quorum aliqui forte erant Jerusalem cum Herode, qui venerat tunc in Jerusalem, ut purificaretur, & purificatus interesset solemnitati Paschæ, quæ instabat. Quos Pharisæi cum suis ad Dominum miserunt, quærentes, an Judæi deberent reddere tributum Cæsari, quod si negaret, caperetur ab Herodianis, si concederet, legi contrarius esset. *Beda*, & *Hier.* Herodianos vocant omnes milites Herodis, qui cum eo erant. Tamen *Hier.* Alibi dicit. Herodianos vocant illos Judæos, qui dicebant, quod tributa erant Cæsari tribuenda. *m* Ut eum caperent in verbo.] Stulti sunt, qui volunt capere verbum in verbo. *Prov.* 1. Frustra jacitur rete, &c. [Verbo,] ubi de facili capitur homo. *Jac.* 3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.

B

Matt. 22. *Luc.* 20.

al. † censum.

n Magister scimus, &c.] *Chrys.* Hæc est prima hypocritarum potentia, simulata laudatio. Qui taurum non potest viribus subjugare, mollibus manibus fricat caput ejus, ut per blandimenta comprehendat. Et completur prophetia Jacob de Levi, de quo erant exituri Sacerdotes. *Gen.* 49. In ira sua occiderunt hominem, & in furore suo subnervaverunt taurum. *Ps.* 54. Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula. *Prov.* 27. Qui benedicit voce grandi proximo suo de nocte consurgens, maledicenti similis erit.

o Et non curas quemquam.] imo de omnibus curat. *Sap.* 6. Cui cura est de omnibus. Sed ipsi volunt dicere non accipis personam hominis.

p Nec enim vides in faciem hominum,] i. non secundum faciem exteriorem judicas, sed secundum veritatem. Nec enim nobilitas generis, nec divitiæ, &c. 1. *Reg.* 16. Non respicias vultum ejus, nec altitudinem staturæ ejus, quoniam, &c. *q* Viam Dei doces,

Via { Virtutes. *Prov.* 3. Viæ ejus, &c.
Mandata. *Psal.* 118. Viam mandatorum, &c.
Pœnitentia. *Isa.* 30. Hæc est via, ambulate in ea.

Prima docuit *Matth.* 5. Aperiens Jesus os suum, docebat.

Secunda *Matt.* 19. Serva mandata. Tertiam *Matt.* 4. Jesus cœpit prædicare, & dicere. Pœnitentiam agite.

r Licet dari tributum, &c.] Cæsar interpretatur possessor principatus, vel possidens principes. Juxta primam interpretationem significat diabolum, qui principatum, quasi Deus voluit possidere. *Isa.* 14. Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo. Juxta secundam, significat mundum, vel mundi gloriam, quæ omnes fere principes hodie possidet, quasi servos, *Hab.* 1. Ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi ejus erunt. Huic triplici Cæsari multi solvunt tributum.

Moraliter.

Primo de feudo superbiæ, quod tenent ab eo, reddunt triplex tributum, arrogantiam, jactantiam, indignationem.

Secundo, de feudo avaritiæ, quod tenent ab eo, reddunt triplex tributum, proditionem, inquietudinem, impietatem. Tertio, de feudo luxuriæ, & gulæ, quod tenent ab eo, reddunt quadruplex tributum, ineptam lætitiam, scurrilitatem, inconstantiam, præcipitationem. *Thren. primo.* Princeps provinciarum facta est sub tributo. Sed ab hoc tributo liberavit nos Dominus. A primo per exemplum humilitatis, a secundo per effectum charitatis, a tertio per munditiam castitatis. A primo nascendo humiliter, a secundo prædicando utiliter, a tertio prædicando viriliter: 2. *Reg. octavo.* Tulit David frænum tributi de

A manu

A manu Philiſtiim. *Iſa.* 14. Quomodo ceſſavit exactor, quievit tributum, contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium cædentem populos. Licet, &c.] *Gloſſ.* Blanda, & fraudulenta interrogatio ad hoc provocat reſpondentem, ut magis Deum, quam Cæſarem timeat, ut dicat, non debere tributa ſolvi, ut audientes Herodiani, vel Romani ſeditionis contra Romanos auctorem teneant. *a* Afferte mihi, &c.] In denario ſunt quatuor, ſcilic. veritas materiæ, gravitas ponderis, imago regis, littera circumſcriptionis. Sic in anima ſunt quatuor. Materia, pondus, imago, ſuperſcriptio. Materia animæ eſt nihilum, ſicut dicit *Aug. in lib. confeſſ.* Pondus eſt affectio mentis. Imago, bona naturalia. Superſcriptio bona gratuita. Ex primo habet anima humilitatem. Ex ſecundo mutabilitatem *B. Bern.* Timent, quæ non oportet, amant quæ non decet, dolent vane, gaudentque vanius. Ex tertio habet operandi poteſtatem. Ex quarto proficiendi facultatem. Et ſicut denarius licet habeat tria prima, ſine quarto tamen non cognoſcitur, ſimiliter & anima ſi non habeat quartum, in die judicii non cognoſcetur, ſed dicetur. Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio. Si ſuperbus es, vel avarus, vel luxurioſus, neceſſe habes reſpondere, Cæſaris, ſicut dictum eſt, & ſtatim datur ſententia irrevocabilis. Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.

Matt. 22. Luc. 20. Rom. 13. Matth. 22. Joan. 20. Deut. 25.

a Afferte mihi denarium, ut videam. At illi attulerunt ei. Et ait illis: *b* Cujus eſt imago hæc, & inſcriptio? Dicunt ei? Cæſaris. Reſpondens autem Jeſus dixit illis. *c* Reddite igitur, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, *d* & quæ ſunt Dei, Deo. Et mirabantur ſuper eo. Et *e* venerunt ad eum Sadducæi, *f* qui dicunt reſurrectionem non eſſe, & interrogabant eum dicentes: Magiſter, *g* Moyſes nobis ſcripſit, ut ſi cujus frater mortuus fuerit, & dimiſerit uxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipſius, & reſuſcitet ſemen fratri ſuo. *h* Septem ergo fratres erant, & primus accepit uxorem, & mortuus eſt, non relicto ſemine. Et ſecundus accepit eam, & mortuus eſt, & nec iſte reliquit ſemen. Et tertius ſimiliter. Et acceperunt eam ſimiliter ſeptem, & non reliquerunt ſemen. Noviſſima omnium defuncta eſt & mulier. In reſurrectione ergo cum reſurrexerint, cujus de his erit uxor? Septem enim habuerunt eam † uxorem. Et reſpondens Jeſus, ait illis. *i* Nonne ideo erratis, non *k* ſcientes Scripturas, neque virtutem Dei? *l* Cum enim a mortuis reſurrexerint, neque nubent, neque nubentur, ſed *m* ſunt *n* ſicut Angeli Dei in cœlis. De mortuis autem, quod reſurgant, non legiſtis in libro Moyſi ſuper rubum, quomodo dixerit illi Deus inquiens. Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum. Vos ergo multum erratis. Et *o* acceſſit unus

b Cujus eſt imago hæc, &c.] *Gl.* Qui putant interrogationem ſalvatoris ignorantiam eſſe, non diſpenſationem ex hoc quod dicit. Quid me tentatis, diſcant, quod potuit ſcire, cujus imago eſſet, ſed interrogat, ut ad quæſtionem illorum competenter reſpondeat.

c Reddite igitur, &c.] Hoc ipſe fecit pro ſe, & pro Petro ſolvendo tributa. *d* Et quæ ſunt Dei Deo,] *Rom. c.* 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, &c. *e* Et venerunt, &c.] Phariſæi, & Sadducæi ſignificant duo genera hominum Eccleſiæ, ſcil. apertos, & occultos. Quidam enim aperte impugnant Eccleſiam, ut hæretici, qui ſunt extra Eccleſiam. Alii ſunt occulti, ut falſi Chriſtiani, qui ſunt intra Eccleſiam. Illi fidem, iſti mores Eccleſiæ auferre nituntur. Iſti ſunt domeſtici, & ideo magis nocivi, ſicut dicit *Gl.* 2. *Cor.* 7. Nulla peſtis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus. *Mich.* 7. Inimici hominis domeſtici ejus. *Jer.* 9. Unuſquiſque a proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in fratre ſuo non habeat fiduciam. Phariſæi interpretantur diviſi, & ſignificant hæreticos ab Eccleſia diviſos. Sadducæi interpretantur juſti, & ſignificant falſos Chriſtianos, qui ſe ſimulant juſtos. De his dicitur *Deut.* 32. Foris vaſtabit gladius, & intus pavor. *Jer.* 14. Si egreſſus fuero ad agros, ecce occiſi gladio, ſi introiero civitatem, ecce attenuati fame. *Ezech.* 7. Gladius foris, peſtis, & fames intrinſecus 2. *Cor.* 7. Foris pugnæ, intus timores. *Thren.* 1. Foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt. [Et venerunt,] *Gloſſ.* Duæ hæreſes erant in Judæis, Phariſæorum, & Sadducæorum. Phariſæi traditionum, & obſervationum, quas illi vocant deuteroſis, juſtitiam præferebant. *Rom.* 10. Unde & diviſi vocantur a populo. Sadducæi autem, i. juſti, corporis, & animæ reſurrectionem negant, 23.

f Qui dicunt, &c.] Phariſæi credebant reſurrectionem, tamen errabant circa ipſam, qui putabant poſt reſurrectionem ſe habituros uxores, & liberos, & vineas, & agros, & Jeruſalem auream de cœlo venturam, & mille annis duraturam, & poſt illos mille annos dicunt ſe in cœlum transferendos. Et hinc habuit ortum quæſtio Sadducæorum, cui quæſtioni Phariſæi neſciebant reſpondere. *g* Magiſter, &c.] *Deut.* 25. Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex illis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubat alteri, ſed accipiat eam frater ejus. Frater omnium noſtrum eſt Chriſtus. Unde *Cant. ult.* Quis mihi det fratrem meum ſugentem ubera matris meæ. Uxor ejus Eccleſia. *Cant.* 4. Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea, ſponſa mea. Hic frater mortuus fuit, & reliquit uxorem ſine liberis, & ideo qui frater eſt, tenetur ei ex ea filios ſuſcitare, alioquin frater non eſt. *Oſee.* 1. Vade, ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationis. *Gen.* 38. Fornicata eſt Thamar, quia frater viri ſui defuncti non volebat intrare ad ipſam. *h* Septem ergo fratres erant.] Septem fratres ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti. Uxor eſt anima ſterilis infœcunda, quæ amiſſo Spiritu ſeptiformi quaſi ſeptem viris ſuis mortuis, moritur, & ipſa morte ſpirituali, quia hoc ipſo ſeparatur a viro. Uxor eſt Eccleſia ſicut dictum eſt. Septem fratres ſunt univerſitas prælatorum, qui quaſi nullos filios relinquunt Domino morientes, ideo moritur paulatim & ipſa Eccleſia. Neceſſe eſt enim cito deficere, ex quo nulli filii ex Domino generantur. Spadones, ut videtur, ſunt omnes filii Eccleſiæ, & ideo corrumpere poſſunt, ſed generare non poſſunt. Sicut dicitur *Eccl.* 20. Concupiſcentia ſpadonis devirginavit juvenculam. *Deut.* 23. Non intrabit Eunuchus attritus, vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro Eccleſiam Domini. Sunt autem aliqui, qui generare poſſunt, ſed fundunt ſemen ſuum in terram, quia totam ſcientiam ſuam terrenis applicant. *Gen.* 38. Dixit Judas ad Onam filium ſuum: Ingredere ad uxorem fratris tui, & ſociare illi, ut ſuſcites ſemen fratri tuo. Ille ſciens non ſibi naſci filios introiens ad uxorem ſui fundebat ſemen in terram, ne liberi nomine fratris naſcerentur. *i* Nonne ideo erratis,] *Chryſ.* Primo arguit ſtultitiam eorum, quia non legebant. Secundo ignorantiam, quia non cognoſcebant Deum, quia ea diligentia lectionum naſcitur ſcientia, ignorantia autem negligentiæ eſt filia. *k* Non ſcientes Scripturas, neque virtutem Dei.] *Jo:* 5. Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam habere, ipſæ enim loquuntur de me. *l* Cum enim, &c.] *Gl.* Græco idiomati latina conſuetudo non reſpondet. Nubere enim proprie mulieres dicuntur, & viri ducere. Sed nos ſimpliciter dictum intelligamus; neque nubent viri, neque nubentur mulieres. *m* Sed ſunt ſicut Angeli, &c.] *Gloſ.* Nemo ibi moritur, nemo naſcitur, nec infans, nec ſenex, ibi. *Chryſ.* In hoc ſæculo quia morimur, ideo naſcimur, & quia naſcimur, uxores ducimus, ut qui moriendo minuitur, &c. Tolle moriendi neceſſitatem, & naſcendi utilitatem, & ducendi cauſa ſublata eſt.

n Sicut Angeli,] ideſt, incorruptibiles, & ingenerabiles. *Jerem.* Sine labe corruptionis viſione Dei fruuntur. *Raban.* Spiritualis nobis promittitur converſatio. Sunt enim Angeli in cœlis, qui gloria reſurrectionis innovati, abſque ullo mortis metu, abſque ulla labe corruptionis, abſque ullo terreni ſtatus actu perpetua Dei viſione fruuntur, ad quam neceſſe eſt Angelicæ dignitatis æqualitatem, quiſquis aſcendere deſiderat, minimis fratribus pie agendo condeſcendat. Angeli ſunt alati, in quo notatur velocitas obedientiæ. *Hebr.* 1. Omnes Angeli Dei.

Item ſunt ingenerabiles, in quo munditia vitæ. *Iſa.* 52. Mundamini. Item ſemper vident faciem Dei, in quo rectitudo intentionis. *Matt.* 18. Angeli eorum. *Pſ.* 103. Qui facit Angelos, &c. *o* Et acceſſit unus, &c.] Confutatis

Myſtice.

al. † non habet uxorem.

C

Exod. 3. Matth. 3.

Matth. Moraliter.

A tatis

A tatis Sadducæis lo sua ficta fallaci quæstione, & prius Pharisæis tn denarii ostensione, iterom convenerunt Pharisæi ad tentandum Dominum, malevolentia, & livore incitati, onus pro omnibus loquens, ut dicitur *Matt.* 22. Tamen ex responsione Domini videtur, quod non tentando sed discere volendo quæsierit, & potuit esse, ut qui tentans advenit responso Domini sit correctus. Vel tentatio illa non fuit mala, quia non animo decipiendi, sed aoimo addisceodi quæsivit. Fuit autem occasio dubitationis suæ, qoia præcepta aliter ordinantur in prima traditione. *Exod.* 10. *Lev.* 19. aliter in recapitulatione. *Deut.* 6. a Qui audierat illos] Sadducæos, vel Pharisæos. b Interrogavit Jesum] Commendabilis est ista,

al. Levo.

Deut. 6. Matt. 22. Luc. 10.

Luc. 10. al. † tanquam.

de Scribis, qui a audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene illis responderit, b interrogavit † Jesum, quod c esset primum omnium mandatum. Jesus autem respondit ei, quia primum omniũ mandatum est. d Audi, Israel, Dominus tuus Deus unus est. Et e diliges Dñm Deum tuum f ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota g virtute tua. Hoc est primum mandatum. Secundũ h autem simile est illi. i Diliges proximum tuum † sicut teipsum. Majus horum aliud mandatum non est. Et k ait illi Scriba: Bene, magister, in veritate dixisti, quia unus Deus est, &

quando in duobus. In prudentia, qoia Ia bono magistro fit. Io materiæ utilitate, quia de mandato legis fit. *Agg.* 2. Interroga Sacerdotes legem *Malac.* 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus requirunt. c Quod esset primum omnium mandatum,] cum in diversis libris diverse ordinentur.

[Primum] dignitate, primum ratione, quia io prima tabula scriptum erat, ubi scripta erant tria mandata, quæ pertinent ad dilectionem Dei, & hoc erat primum ioter illa. d Audi, Israel, &c.] *Deut.* 6. *Rom.* 10. Ex auditu fides. e Et diliges Dominum Deum tuum.] De his duobus uberibus, i. de mandatis, quæ traduntor in Exodo, & Levitico, quæ directe dicuntur ubera, quia de illis ubertas lactis, i. doctrinæ emanat levatis super pectora sponsæ, i. super doctores Ecclesiæ, qui dicuntur pectora Ecclesiæ, quia in pectore est sapientia. Et aliter de his duobus uberibus, i. fide & charitate, ibi. [Audi Israel.] Et charitate, quæ tangitur ibi, [Et diliges,] levatis super pectora sponsæ, i. super Doctores Ecclesiæ, io quibus præ omnibus aliis debent esse fides, & charitas, quia debent in his alios informare. 1. *Pet.* 3. Parati omni poscenti, &c. [Diliget.] Fidem conjungit, & charitatem, quia fides sine charitate nihil valet. 1. *Cor.* 13. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, &c. f Ex toto, &c.

Hugo de S. Victore.
- Toto corde, i. devotione, hoc ad Virgines.
- Tota anima, hoc ad Confessores.
- Tota meote, idest, perseverantia, hoc ad Martyres.

B. Bernard.
- Toto corde, sapienter.
- Tota anima, dulciter.
- Tota mente, fortiter.

Augustin.
- Toto corde, i. intellecto, sine errore.
- Tota anima, i. voluntate, sine contrarietate.
- Tota mente, i. memoria sine oblivione.

Chrysost.
- Toto corde, ot cor tuum ad nullius rei dilectionem magis inclinatum sit quam Dei.
- Tota anima, ut certissimum animum habeas in veritate, & firmissimum in fide.
- Tota mente, ut omnes sensus tui Deo vacent. Intellectus, cognitio, memoria.

Qui igitur aliquid horum circa temporalia occupat, non tota mente diligit Deum.

Alius.
- Toto corde, ut omnes cogitationes tuas io Deum reflectas.
- Tota anima, ut omnes affectiones in Deum habeas.
- Tota mente, vel virtute, ot omnia opera tua in Deum referas.

Gregorius.
- Ex toto corde.
- Ex tota anima, quasi super omoia, & est inculcatio verborum, quæ signant excellentiam amoris.
- Ex tota mente.

g Et ex tota virtute tua,] i. perseverantia tua. Hoc refertur ad tria prima. h Secundum autem simile est illi,] quia de homine est facto ad imaginem, & similitudinem Dei, vel quia est de simili, i. de dilectione, io qua consistit lex. *Rom.* 13. Plenitudo legis est dilectio. *Gal.* 5. Omnis lex io uno sermone completur, diliges proximum tuum, &c. i Diliges, &c.] i. ad id, quod teipsum, scil. ad gloriam, & gratiam, vel sine respectu retributionis, vel citra Deum, & super creaturas, & supra corpus tuum: vel [sicut teipsum,] i. quomodo teipsum, i. opere, & veritate, non verbo, & signo. Item. [Sicut teipsũ,] i. non quia frater, non quia cognatus tibi est, sed qoia homo: nemo enim diligit se, quia frater vel cognatus sibi est, sed qoia homo est imago Dei. Vel. [Sicut teipsom,] i. omni tempore. *Pr.* 17. omni tempore diligit, &c. Vel [sicut teipsum,] i. propter Deum. Vel. [Sicut teipsum,] i. ad id, & in quo teipsom. Primum convenit militantibus, secundum triumphanti-

non est l alius præter eum. Et ut diligatur ex toto corde & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & diligere proximum tanquam seipsum m majus est omnibus holocaustomatibus, & n sacrificiis. Jesus autem videns, quod sapienter respondisset, dixit illi. o Non es longe a regno Dei. Et p nemo jam audebat eum q interrogare. Et respondens Jesus dicebat r docens in s templo. t Quomodo dicunt Scribæ, Christum filium esse David? Ipse enim David dicit in Spiritu sancto: Dixit u Dominus x Domino meo, y sede a dextris meis, z donec ponam inimicos tuos

D

Matt. 22. Luc. 12.

Psal. 109.

bus. Unde sic solet dividi, militans diligit militaotem, & triumphans triumphaotem, & permutatim militans triomphantem, & triumphans militantem. Militans diligit militaotem, i. ad id, ut quandoque fruatur Deo. Triumphans diligit triumphantem in eo, in quo se. Et alternatim militans diligit triumphantem io eo, ad quod se, & triumphans militantem ad id, in quo se. k Et ait, &c.] *Gl.* Ostendit Scriba hac responsione inter Scribas, & Pharisæos gravem quæstionem diu versatam esse, quod esset primum mandatum, & maximum in lege. Alii enim hostias, & sacrificia laudabant. Alii fides, & dilectionis opera præferebant, &c. l Et non, &c.] *Isa.* 44. Ego sum primus, & novissimus, & absque me non est Deus. m Majus est, &c.] *Gl. Matth.* dicit, quia tentando quærebat, cui secundom Marcum dicitur. Non es longe a regno Dei, cum Scriptura dicat *Sap.* 1. In simplicitate cordis quærite illom, quooiam invenitur ab his, qui non tentant illum. Sed forte audit o responso Domini, mox ad pietatis gratiam rediit, &c. n Et sacrificiis] 1. *Reg.* 15. melior est obedientia quam victimæ. *Ps.* 39. Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. o Non es, &c.] *Gl.* Quamvis ad tentantem venerit, longior namque est ignorantia, quam scientia, ut Sadducæis dicitur. Erratis, nescientes Scripturas, oeque virtutem Dei. [Non longe es,] *Chrys.* Dicens, [non longe,] monstrat adhuc detestaotem. p Et nemo, &c.] *Gl.* Quia in sermonibus confutantur, ultra non interrogant, sed aperte comprehensum Romanæ potestati traduot, *inf.* 15. Unde patet, venena invidiæ superari posse, sed difficile quiescere. q Interrogare.] *Jo.* 16. In illo die noo interrogabitis quicquam. r Docent,] scil. palam de se loquitur, ut inexcusabiles siot. s Io templo.] *Isa.* 45. Non io, &c.] t Quomodo, &c.] Marcus causa brevitatis prætermittit de ipsa perfectione locutionis, quæ *Matth.* 22. ibi præmittit, Congregatis Pharisæis interrogavit eos Jesus dicens: Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est, & dicunt ei: David. Ait illis Jesus. Quomodo ergo, &c. Unde illud continuatur ei, quomodo prætermittit Marcus, quod ponitur in Matthæo. *Gl.* Scribæ non reprehenduntur, quia filium David dicunt, sed quia filium Dei esse non credunt. u Dixit, &c.] *Aug.* Illud dicere, est æqualem patri filium ponere. y Sede a dextris, &c.] Tria notat verbum sedere. Post laborem quiescere, post servitium conregnare, in occulto non esse. Sedere tunc decens est, ante indecens est. Sed ante voluit sedere Lucifer. *Isa.* 14. Supra astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, &c. *B. Bern.* O impudens, & imprudens, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, & tu aliis stantibus, & ministrantibus, solus sedere præsumis? Donec ponam.] Non in hoc infirmitatem filius, sed quia alter in altero operatur. Nam & filius subjicit inimicos patri, & patrem glorificat super terram. Donec. Hunc versum cantavit Eliezer servus Abrahæ reverenti a cæde quatuor regum, secundum Hebræos, sed fabula est. z Domino] ejusdem nominis repetitio notat pluralitatem personarum, &

Gen. 14

A essentiæ

▲ essentiæ unitatem. *a* Scabellum pedum,] i. donec subjiciam tibi omnes rebelles. Bona subjectione, ut credant tuam deitatem, & obediant. Vel mala subjectione, ut in die judicii puniantur, & credant inviti tuam divinitatem. Per pedes enim significatur divinitas, quæ portat omnia, & sustentat. *Hebr.* 1. Portans omnia verbo virtutis suæ. *Isai.* 63. Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. 1. *Cor.* 15. Oportet illum regnare donec ponat inimicos sub pedibus ejus. Pedes etiam Domini sunt prædicatores, qui portant eum per mundum. *Nah* 1. Ecce super montem pedes Evangelizantis pacem. His pedibus subjicit Dominus omnia mundana. Unde *Ps.* 8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Sed plenius subjiciet in futuro, quando erunt cum eo judices Tyrannorum, qui modo persequuntur eos. *Malac. ult.* Egrediemini, & salietis, sicut vitulus de armento, & calcabitis super impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum. *b* Ipse ergo David,] & tantum, & non Deus? quia non est consuetum patrem filium Dominum appellare, maxime regem qualis erat David, & ita vel David male dixit, quod est inconveniens, vel Spiritus sanctus male eum docuit, quod est impossibile, vel scribæ male dicunt ipsum esse purum hominem, & David tantum filium, & non Dei; quod est verum, & sic Christus est Deus, & ita probavit eis Dominus suam deitatem.

Matth. 13. Luc. 11. & 20.

a scabellum pedum tuorum *b* ipse ergo David dicit eum Dominum, & unde est filius ejus? *Et c* multa turba eum libenter audivit. Et *d* dicebat eis in doctrina sua. *e* Cavete a scribis, & qui volunt in stolis ambulare, & *f* salutari in foro, & in primis cathedris sedere in Synagogis, & *g* primos discubitus in cœnis, qui devorant domos viduarum sub *h* obtentu prolixæ orationis, hi *i* accipient prolixius judicium. Et k sedens Jesus contra *m* Gazophylacium aspiciebat, quomodo turba jactaret æs in Gazophylacium, & multi divites jactabant multa. Cum *n* venisset autem una vidua † pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. Et convocans discipulos suos, ait illis. Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in Gazophylacium. Omnes *o* enim ex eo, quod abundabant illis, miserunt, hæc vero de penuria sua omnia, quæ habuit, misit totum victum *p* suum.

Luc. 21. Al. † paupercula.

c Et multa turba,] i. minores libenter audiunt eum, sed principes, & majores dedignantur, vel indignantur audire. *Jo.* 7. Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo, loquitur. Responderunt sic Pharisæi, nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis. Sed turba hæc, quæ non novit legem maledicti sunt. *d* Et dicebat eis] non aliena. Et qualis est doctrina Jesu, nisi doctrina salutis? *Jac.* 3. Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, &c. *Is.* 26. Domine, in tribulatione murmuris, &c. *Prov.* 19. Doctrina viri, idest, Christi per patientiam prædicatoris noscitur. *e* Cavete,] *Matt.* 7. Attendite a falsis prophetis. *Luc* 20. Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis primis. *Matth.* 23. Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro.

Primo { Tempore, & ordine. / Altiori voce. / Inclinato capite. }

f Et salutari.] *g* Et primos discubitus in cœnis.] *Luc.* 14. Dicebat autem Jesus ad invitatos parabolam intendens quomodo eligerent primos recubitus dicens. Cum invitatus fueris ad nuptias, non recumbas in primo loco. *Chrys.* Quidam in novissimo loco recumbunt, qui videntur sibi mentis elatione in coma recumbere, sed sine causa se loco humiliat, qui se præfert corde. *Matth.* 11. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. *h* Sub obtento prolixæ orationis.] *Matth.* 6. Orantes nolite multum loqui sicut Ethnici faciunt. [Orationis.] Modo devorant sub obtentu nullius orationis, sed violentia apertæ prædicationis. *Mich.* 3. Audite principes Jacob, & duces domus Israel, qui violenter tollitis pelles desuper eos. *Is.* 3. Vos depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra. Contra tales pastores dicitur *Ezec.* 34. Non quærierunt pastores greges meos, sed pascebant semetipsos, & greges meos non pascebant. *Zach.* 11. Pastores eorum non parcebant eis, & ego non parcam ultra super habitantes terram pastoribus illis. 2. *Mach.* 4. Sacerdotes jam non circa altaris officia dediti erant, sed contempto templo, & sacrificiis neglectis festinabant participes fieri palestræ. *i* Hi accipient prolixius judicium.] *Gl.* quam, qui amant in angulis stantes. *Matth.* 6. orate. Hi enim non solum laudem hominum, verum etiam pecuniam quærunt. *k* Et sedens,] *Gl.* Sicut appetitores primatus, & vanæ gloriæ cavendos esse dixit, & simulatorie orantibus prolixius judicium prædixit, sic etiam offerentes justo examine discernit, ut retribuat singulis secundum cor, & opera, quod & hodie facit in Ecclesia. k Et sedens Jesus.] De hoc *Luc.* 21. *m* Contra Gazophylacium.] *Gl.* Philaxe, Græce, servare Latine. Gazophylacium locutus, ubi divitiæ servantur, & arca, scil. in qua populi donaria congregabantur ad usus templi. Unde 4. *Reg.* 12. Tulit Joiada Pontifex Gazophilacium unum, aperuitque foramen desuper. Item dicitur porticus, in quibus servabantur, unde hæc verba Dominus locutus est in Gazophylacio, &c. *n* Cum venisset autem, &c.] *Gl.* Quadrantẽ vocant calculatores quartam partem cujuslibet rei, sc. locis, temporis, pecuniæ. Forsitan ergo quartam partem sicli, idest, quinque obolos significat. *o* Omnes enim, &c,] *Tob.* 4. quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. *Hier.* Non quantum, sed ex quanto desiderio dederis, considerat Dominus. *Gen.* 4. Respexit Dominus ad Abel, & & ad munera ejus. *p* Victum suum.] *Chrys.* Nullus dicat, non possum facere. Potes quidem, non es illa vidua pauperior, non es illa justior.

Matth. 14. Luc. 21.

A

C A P. XIII.

Et cum *q* egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, *r* aspice quales lapides, & *s* quales structuræ? Et respondens Jesus, ait illi. Vides has omnes magnas ædificationes? Non *t* relinquetur lapis super lapidem, qui non *u* destruatur. Et cum *x* sederet in monte Oli-

EXPOSITIO CAP. XIII.

Et cum egrederetur de templo.] Egresso Domino de templo, & prædicante de eversione Jerusalem, & de adventu suo ad judicium, quærunt discipuli signa tam eversionis, quam adventus. Sed Dominus antequam respondeat, præmunit eos monens, ut caveant sibi a pseudoprophetis, quos prædicit multos esse futuros, tempus judicii imminere dicturos, postea quæstioni discipulorum respondet, primo ponens signa omnia eversioni, & adventui, deinde propria utriusque. Dividitur autem illud caput in quinque partes. In prima ponit Evangelista signa communia eversioni, & adventui ad judicium. In secunda propria adventus ad judicium, ibi. [Et respondens, Jesus.] In tertia ponit signa propria eversionis Jerusalem, ibi. [Cum autem videritis.] In quarta agit de persecutione Sanctorum, quæ erit tempore antichristi, ibi. Orate vero.] In quinta ostendit nullum certum tempus adventus ad Judicium, licet signa præcedentia sciantur, quia visis signis non statim necesse est diem judicii imminere, ibi. [De die autem illa.] Dicit ergo.

q Et cum egrederetur, &c.] *Ezech.* 10. Egressa est gloria Domini a limine templi. Bene dicit a limine, quia ædificium stabat, quod erexerant homines, sed sanctitas ceciderat, quam constituerat Dominus. *Hebr.* 7. Translato sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat. *r* Magister, aspice quales lapides,] i. quam fortes, & quam magni, quasi, tacite, dicerent, dirui non poterunt. *s* Et quales structuræ.] Sic in cœnobiis lapides congregantur, sed melius esset eis de lapidibus suis facere filios Abrahæ pauperibus largiendo. De quibus dicitur *Jere.* 22. Ædificabo domum latam, &c. *Bern.* Ita Dominus ordinavit, ut hi, qui evangelizant, de Evangelio vivant, vivant, inquit, non insolescant, non ditentur, non ampla palatia fabricent.

t Non relinquetur.] *Habac.* 2. Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod est inter juncturas ædificiorum respondebit. *u* Qui non destruatur,] ad litteram, quia fere totum fuit destructum a Tito, & Vespasiano, sed postea ab Ælio Adriano, quia ejus imaginem, quam in Templo posuerat, confregerunt Judæi. *x* Et cum sederet in monte, &c.] Sessio Domini in mõte.

Mystice. { Pacifica Domini in humilibus mansio. / Superborum, & arrogantium depressio. / Ecclesiæ fructiferæ altitudo. }

a In monte sedet, significans per montem Oliveti, quorum viscera fluunt pietate, & misericordia. *Cant.* 1. Indica mihi, ubi cubes in meridie. Et 5. Veniat dilectus meus in hortum, &c. *a* Contra templum.] *Gl.* de ruina templi, & excidio gentis disputans. *Gl.* Ipse situs corporis congruit verbis. *b* Interrogabant, &c.] quia prædixerat omnia esse destruenda, discipuli secreto tempus, & signa destructionis quærunt. [Et cum sederet, &c.] *c* Et Andreas.] Hic significantur duo genera hominum Domino familiarium. Petrus agnoscens, Jacobus luctator. Hi sunt scholares boni, qui in studio luctantur cum sapientia, ut agnoscentes fiant. *Eccl.* 51. Colluctata est anima mea cum sapientia, & in faciendo illam confirmatus sum, tangit aliam interpretationem, Petri, idest firmus, & Jacobus supplantans, quia nisi firmi sint in studio, & vitia supplantent, sapientiam non acquirent. *Sap.* 1. In malevolam animam, &c. Joan. In quo est gratia. Andreas, virilis, in quo sunt boni activi, qui viriliter insistunt operibus pietatis, & sic respondent parabolæ. *d* Dic nobis, &c.] q. d. dic nobis tempus eversionis, & signum adventus tui ad judicium. Tempus enim judicii non audent quærere, sed signa tantum, quia audierant ab eo, Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quę pater posuit in sua potestate. *Chrys.* Omnibus laborantibus dulcis est finis. *Eccl.* 5. Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat. Viator interrogat libenter, ubi sit mansio. Mercenarius frequenter computat, quando annus completur. *Job* 7. Sicut cervus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, &c. Agricola semper tempore messis expectat pretiosum fructum terræ. Mulier prægnans semper de decimo mense cogitat. *Jo:* 16. Mulier, cum parit, tristitiam habet, &c. Sic servi Dei libenter de consummatione requirunt. Quia, ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. *Matth* 6. *e* Et respondens Jesus.] Christus duo respondet, de futuro præmonet, quasi præscius Deus, de præsenti monet quasi benignus magister. *f* Videte, ne quis vos seducat.] *Col.* 2. Videte, ne quis vos decipiat. *g* Multi enim &c.] Primus fuit Simon Magus in primitiva Ecclesia præcipuus, sicut in finali antichristus erit maximus. Unde hæresis Simoniaca inter hæreses primo ponitur in catalogo hæresum. Qui, ut dicit *Hier.* se magnam dicebat Dei virtutem, hoc quoque inter cetera in suis voluminibus scriptum dimittens. Ego sum speciosus, ego sum paracletus, ego sum omnipotens, ego sum anima Dei, ego sum sermo Dei. *Jo:* 4. Multi pseudo-prophetæ exierunt in mundum. *Sap.* 4. Multigena impiorum multitudo non erit utilis, & spuria vitulamina non dabunt radices altas. Et nota, quod dicit, multos seducent. Simon enim, i. Simonia multos seducit, quia pauci sunt hodie, qui beneficia Ecclesiastica non accipiant, vel conferant Simoniace, quia vel prece carnali, vel servitio temporali, vel amore sanguinis, vel amore pecuniæ. *Act.* 8. Cum vidisset Simon, quod per manus impositionem Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens. Date mihi hanc potestatem. Et pauci sunt, qui non ament pecuniam. *Eccl.* 10. Pecuniæ obediunt omnia. Item antichristus multos seducit jam. Quis enim est antichristus, nisi Christo contrarius, i. amor dignitatum? Christus quando quærebatur, ut fieret rex, fugit *Jo:* 6. Quando quærebatur, ut crucifigeretur, obtulit se: *Jo:* 18. Modo fit e contrario. Christus in una persona duas habuit naturas, modo multi in una substantia plures habent personas. Multi tales sunt, ideo dicitur 1. *Jo:* 2. Nunc Antichristi multi sunt. *h* Venient,] sua auctoritate non missi. *Jo:* 10. quotquot venerunt, &c. *Matt.* 7. Attendite a falsis prophetis: *Jer.* 23. Non mittebam eos, & ipsi currebant. 1. *Jo:* 2. Et sicut audistis, quia Antichristus venit, nunc Antichristi multi sunt. *i* In nomine meo,] nomen meum sibi usurpantes, *k* Cum audieritis, &c.] Duo genera tentationum tangit hic. Bella sunt persecutiones Tyrannorum, opiniones bellorum, impugnationes hæreticorum. Per primum probatur patientia Sanctorum, per secundum sapientia. Hæc enim sunt duæ alæ Ecclesiæ, quibus volat, & fugit ante diabolum. *Apoc.* 12. Postquam Draco vidit, quia projectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum, & datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, i. Christi, ut volaret in desertum locum suum. 1. *Petr.* 2. Cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. *l* Ne timueritis.] *Matt.* 10. Nolite timere, &c. *Luc.* 10. Nolite timere pusillus grex. *Prov.* 28. Fugit impius nemine persequente, justus autem quasi leo confidens absque terrore erit. *Proverb.* 12. Non contristabit justum, quidquid acciderit ei. *m* Oportet enim hæc fieri.] 1. *Cor.* 10. Necesse est, ut veniant hæreses. *Matth.* 18. Necesse est, ut veniant scandala. *n* Exurget enim gens, &c.] *Is.* 19. Pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum, & destruetur spiritus Ægypti. *Isa.* 9. Unusquisque carnem brachii sui vorabit, Manasses Ephraim, & Ephraim Manassen, & simul ipsi contra Judam. Ita fit in capitulis. *Is.* 3. Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.

Matth. 24. *Luc.* 21. 1. *Thess.* 5.

...varum *a* contra templum *b* interrogabant eum separatim Petrus, & Jacobus, & Joannes, & *c* Andreas. Dic *d* nobis, quando ista fient, & quod signum, erit quando hæc omnia incipient consummari? Et *e* respondens Jesus, cepit dicere illis: *f* videte, ne quis vos seducat. *g* Multi enim *h* venient in *i* nomine meo dicentes, quia ego sum, & multos seducent. Cum *k* audieritis autem bella, & opiniones bellorum, *l* ne timueritis; *m* oportet enim hæc fieri, sed nondum finis. *n* Exurget enim gens super gentem, & regnum super regnum, *o* & erunt terræ motus per loca, & fames. Initium *p* dolorum hæc. *q* Videte autem vosmetipsos. Tradēt enim vos in conciliis, & in Synagogis vapulabitis, & *r* ante præsides, & *s* reges stabitis propter me in *t* testimonium illis.

Luc. 21. *Matth.* 10. & 24. *Luc.* 21.

o Et erunt terræmotus, &c.] *Luc.* 21. *Gloss.* A tempore Dominicæ Passionis in populo Judæorum, qui latronem seditiosum elegerunt, & Christum salvatorem abjecerunt, nec bella hostium, nec seditiones civium cessaverunt. Sed Apostoli, ne his advenientibus terreantur, & ne Jerosolymam, Judæamque deserant, admonentur, quia non statim finis. In quadragesimo enim secundo anno desolatio provinciæ, & ultimum urbis, ac templi excidium protelatum est. *p* Initium dolorum hæc.] Qualis ergo, & quanta consummatio doloris reproborum erit? Dolebunt siquidem de magnitudine tormentorum, ad quæ vadent. *Matt.* 25. Ite maledicti. Item dolebunt de amissa societate Sanctorum, a quibus descendent. *Matth.* 25. Separabit eos, sicut pastor segregat oves ab hœdis. Item dolebunt de perpetua societate dęmonum. *Job* 18. Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est. Item dolebunt de bonis omissis, quæ facere debuerunt. *Sap.* 5. Dicent intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum. Et quicquid est materia doloris, ministrabit eis. *Sap.* 5. Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. *q* Videte autem vosmetipsos.] *Gl.* Quare hæc omnia eis inferantur, dicit, [videte, &c.] Ea enim, vel sola, vel maxima causa est excidii, qui post occisionem Domini, nominis quoque ac fidei præcones simul, & Confessores impia crudelitate vexabant. [Videte, &c.] Non solum Apostolis, sed omnibus dicitur. Hæc est enim vera sapientia, scil. cognitio sui. Unde *Macrob.* Sapientia est sui ipsius cognitio. *Aug.* Brevis, & perfecta oratio. Domine, noverim me, noverim te. Philosophus. De cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν, idest, cognosce teipsum. *Eccl.* 51. Multam in me ipso inveni sapientiam, & multum profeci in ea. *Job* 5. Visitans speciem tuam non peccabis. *Eccl.* 31. Intellige, quæ sunt proximi tui ex te ipso. *Cant.* 1. Si ignoras te, o pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum. *r* Tradent enim vos in conciliis, &c.] Littera ista respicit ordinem in corripiendo. Primo enim conveniebatur reus in conciliis, ubi admonebatur, quod si nollet resipiscere, deinde data sententia, contra ipsum ducebatur in Synagogam, ubi est locus correctionis, & ibi flagellabatur, & ita in conciliis ducebantur Apostoli judicandi, & in Synagogis flagellandi.

s Et ante præsides, & reges stabitis propter me,] idest, amore mei, vel vice mei, vel pretio mei, *Luc.* 6. Beati eritis, cum vos oderint homines, &c. *t* In testimonium illis,] i. testificantes me illis. *Act.* 1. Eritis mihi testes, &c. *Is.* 43. Vos testes mei, dicit Dominus. [Vel in testimonium,] malitiæ, & damnationis. [Illis,] idest, contra illos. Vel in testimonium vestri laboris, quia ipsi noluerunt recipere vestram prædicationem. Vel in testimonium charitatis meæ, & vestræ sollicitudinis, qui misi vos ad illos vocandos, & adducendos ad me. *Luc.* 14. Homo quidam fecit cęnam magnam, & vocavit multos, & misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent. *Prov.* 9. Sapientia ædificavit sibi domum, & excidit columnas septem, immolavit victimas suas,

▲ miscuit vinum, & proposuit mensam suam, misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem. *a* Et in omnes gentes.] *Gl.* Quia noverat Dominus corda discipulorum de perditione suę gentis esse tristanda, hoc modo consolatur, ut sciant amissis Judęis se socios regni cœlestis ex toto orbe habituros.

Et in *a* omnes *b* gentes primum oportet prædicari Evangelium. Et cum *c* duxerint vos tradentes, nolite præcogitare, quid loquamini, sed quod *d* datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini. *e* Non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. *f* Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & consurgent filii in parentes, & morte afficient eos. Et *g* eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui *h* autem sustinuerit in finem, hic salvus erit. Cum *i* autem videritis *k* abomina-

b Gentes.] Hic ponit signum commune eversionis, & adventus. Ante enim excidium Judææ omnes Apostoli ad prædicandum per totum urbem missi fuerunt præter duos Jacobos, quorũ alterum occiderat Herodes, alter erat Episcopus Jerosolymitanus.

Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21.

c Et cum duxerint, &c.] ut non sitis tristes subornati a sensu mundi, vel carnis. 2. *Cor.* 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *d* Sed quod datum est, &c.] *Luc.* 21. Dabo vobis os, & sapientiam, quibus non poterunt contradicere omnes adversarii vestri. *e* Non enim vos estis, &c.] *Beda.* Voluntatem vestram pro Christo offerte, & ipse loquetur pro se. *Ps.* 48. Audiam quid loquatur in me Dominus. *Exod.* 14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Vos ad certamen accedetis, sed ego prælior, vos verba editis, sed ego sum, qui loquor. 2. *Cor. ult.* An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? Sicut enim organum modulationem emittit, secundum quod temperatur ab artifice, sic prædicator loquitur, secundum quod temperatur a Christo. Unde *Is.* 16. Venter meus ad Moab, quasi cithara sonabit. Cithara enim nunquam sonaret, nisi moveretur. *f* Tradet autem, &c.] *Jer.* 9. Unusquisque a proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit. *Mich.* 7. Omnes sanguini insidiantur, & vir fratrem suum venatur ad mortem. *g* Eritis odio omnibus,] hominibus, idest hominum sapientibus. Omnes enim amatores mundi, inimici sunt Dei, & servorum ejus. *Jac.* 4 Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. *h* Qui autem sustinuerit, &c.] *Ezech* 9. Omnem, super quem videritis Tau, ne occidatis. Tau est ultima littera in alphabeto, & formam crucis habet, unde significat finalem pœnitentiam, quæ sola salvat. Hæc est talaris vestis, quam fecit Jacob filio suo charissimo Joseph, ut dicit Aquila. *Gen.* 37. Et *Apoc.* 1. Vidi similem filio hominis vestitum podere. *Matth.* 10. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *i* Cum autem videritis, &c.] Antichristum, qui adversatur, & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus. 2. *Thessal.* 2.

Matth. 10. & 24. Matth. 24. Dan. 9.

k Abominationem, &c.] i. imaginem Adriani, vel Cæsaris, qui fuit principale signum eversionis Jerusalem. Et quid est idolum abominationis in templo, nisi puer, aut prælatus mutus, & inutilis in Ecclesia, qui revera est principale signum destructionis Ecclesię, *Is.* 3. Ecce dominator dominus exercituum auferet a Jerusalem, & a Juda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, & consiliarium, & sapientem architectis, & prudentem eloquii mystici, & dabo pueros principes eorum. *Eccl.* 9. Positum stultum in dignitate sublimi, & divites sedere deorsum.

l Qui legit] *Gl.* in prophetis, qui hoc prædixerunt. *Dan.* 9. *m* Intelligat,] qui legit hanc prophetiam in *Dan.* 9. intelligat esse impletam. Vel, qui legit impletam, intelligat sequentia esse implenda, quia rerum præteritarum exhibitio est futurarum probatio. *m* Tunc,] i. tempore eversionis, vel ultimæ persecutionis.

n Qui in Judæa sunt, i. in Ecclesia, ubi fit confessio veritatis. *o* Fugiant in montes,] i. ad culmen virtutum ascendant, ut ibi salventur. *Gen.* 19. Non stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac. *Is.* 2. Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Jacob, i. ad religionem. *m* Tunc, qui in Judæa.] *Gl.* Hæc facta sunt, cum appropinquante Romano bello, & Judææ exterminio, qui in provincia erant Chri-

stiani admoniti oraculo, ut ecclesiastica narrat historia, trans Jordanem secedentes sub Agrippæ regno manebant ad tempus in Pella civitate: qui cum ea, quæ sibi obtemperare voluit parte Judæorum semper parebat imperio Romanorum. *p* Et qui super tectum.]

tionem desolationis stantem, ubi non debet, qui *l* legit *m* intelligat. Tunc, qui in *n* Judæa sunt *o* fugiant in montes, & qui *p* super tectum, non descendat in domum, nec introeat, ut tollat quid de domo sua, & qui in *q* agro erit, non *r* revertatur retro tollere vestimentum suum. Væ *s* autem prægnantibus, & nutrientibus in illis *t* diebus. *u* Orate vero, ut hieme non fiant. Erunt *x* enim dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus usque nunc,

Mystice, per tectum significatur caro, qua tegitur anima. *Prov.* 19. tecta jugiter perstillantia litigiosa mulier. Super tectum est, qui carnem spiritui subjicit. Talis non debet descendere in domum, i. ad curam carnis, vel mundi solicitudinem inclinari. Christus enim noluit descedere de Cruce. 2. *Tim.* 2. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. *Cant.* 5. expoliavit me tunica mea, quomodo induar illa? *q* Et qui in agro erit.] i. in Ecclesia. De quo *Prov. ult.* Consideravit agrum, & emit eum. *Prov.* 24. Per agrum hominis pigri transivi, & ecce totum repleverant urticæ.

Mystice. C Luc. 23. Matth. 24. Luc. 21.

r Non revertatur retro tollere vestimentum suum.] *Hier.* Ad litteram tanta fuit urbis obsidio, & tam arcta, quod nulli erat licitum intrare civitatem, vel exire aliqua necessitate.

s Væ autem prægnantibus, &c.] *Gl.* Quia, vel uteri pondere, vel filiorum sarcina gravatæ fugere non poterunt.

Prægnantibus.
- Terrenas divitias concupiscentes, non habentes.
- Pondere peccatorum graves, superbia turgentes. Propositum bonum habentes, sed nondum perficientes.
- Divitias habitas avare custodientes.

Nutrientes.
- Peccata sua publicantes, excusantes, defendentes.
- Propositi exitum differentes omnibus.

t In illis diebus.] 4. *Reg.* 15. Percussit Manahen Thersam, & omnes, qui erant in ea, noluerunt enim ei aperire, & interfecit omnes prægnantes ejus, & scidit eas. Manahen consulens, vel consolatio Christus. Thersa pulchra, vel placens mundus. *Jer.* 31. Congregabo eos, inter quos erunt cæcus, & claudus, & prægnans, & pariens simul. Nullum animal ultra novem menses portat in utero fętum, nisi miser homo. *Is.* 37. Filii venerunt usque ad partum. *u* Orate vero, &c.] *Matth.* 24. Orate, ne fuga vestra fiat hieme, vel sabbato, i. quod non sit tanta necessitas, quod oporteat vos fugere hieme, vel sabbato, quia frigus, & nix, & pluvia, & aeris intemperies prohibet fugere in hieme, & in montibus latitare, secundum quod ipse prædixerat super eodem. Tunc, qui in Judæa sunt, fugiant in montes. In sabbato vero prohibet fugere lex, secundum quam non licet ire ultra mille passus, &c.

Mystice.] Per hiemem significatur finis pœnitentiæ fructuosæ, quia in hieme finiuntur fructus. Per sabbatum significatur finis temporis, quia sabbatum est finis dierum. Unde sensus est secundum *Hier.* Orate, ut non fiat fuga vestra hieme, vel sabbato, idest ne fructus vestrorum operum, cum tempore finiantur, ut non dicatur de vobis: Amen dico vobis receperunt mercedem suam: *Matt.* 6. Et *Luc.* 16. Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua. Item Judæi consueverunt affluere deliciis in sabbato: hiems vero tristitiam generat. Unde sensus est. Orate, ne fiat fuga vestra hieme, vel sabbato, i. invigilate orationi, & sobrietati, ne gravati crapula, vel ebrietate, vel tristitia sæculi, fugere non valeatis tribulationem futuram. *Luc.* 21. aperit illum sensum. Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa. *x* Erunt enim dies illi tribulationis tales, &c.] Triplex fuit persecutio in Ecclesia. Prima Tyrannorum, qui Martyres occiderunt. De qua *Matthei* 10. Cum persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam. Secunda fuit Hæreticorum, qui Confessores impugnaverunt. De qua *Matt.* 7. Attendite a falsis prophetis, &c. Tertia, fuit, & est adhuc falsorum fratrum Christi, & ideo omnibus major erit. Unde *Greg.* Ultima tribulatio multis tribulationi-

neque fient. Et nisi *a* breviasset Dominus dies, non fuisset salva *b* omnis caro. Sed propter electos, quos elegit, *c* breviavit dies. Et *d* tunc si quis vobis dixerit. Ecce hic est Christus *e* ecce illic, ne credideritis. *f* Exurgent enim pseudo-Christi, & pseudo-prophetæ, & dabunt signa, & *g* portenta *h* ad seducendos, si fieri potest, etiam *i* electos. Vos ergo videte. *k* Ecce prædixi vobis omnia. Sed in illis diebus post tribulationem illam *l* sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum, & stellæ coeli erunt decidentes, & *m* virtutes, quæ sunt in cęlis, movebuntur. Et tunc *n* videbunt filium hominis *o* venientē in *p* nubibus cum virtute multa *q* & gloria. Et tunc mittet Angelos suos, *r* & congregabit electos suos *s* a quatuor *t* vētis, a summo terræ usque ad summum cęli. A *u* ficu autē discite

bulationibus prævenitur. De qua dicitur. *Is.* 19. Pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum, & dirumpetur spiritus Ægypti. Hæ sunt quatuor venti, & quatuor bestiæ, de quibus dicitur *Dan.* 7. Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in magno mari, *Matth.* 24. & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se. Prima quasi leæna, secunda similis urso, tertia quasi pardus, hi sunt hypocritæ, quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habens ceteris dissimilis, hic est antichristus. *Matth.* 24. *Luc.* 17. *Matth.* 24. *a* Et nisi breviasset.] Consolatur Dominus brevitate temporis hos quos terruerat acerbitate tribulationis. *c* Sed propter electos, &c.] i. potentiam persequentium continuit, ne tamen nocere possent, quantum vellent. *Job* 38. Circumdedi illud, scil. mare terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi, usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Ibi *Gl. Greg.* Dum electus quilibet tentatur a vitiis, & tamen tacere male suggesta renititur, quasi mare clausum tenetur, quod etsi intus tumultuosis cogitationum fluctibus percutit mentem, statuta tamen bene vivendi litora non excedit. Unde *Prov.* 8. Circumdabat mari, &c. *Jer.* 5. Posui arenam terminum mari præceptum sempiternum, quod non præteribit, & commovebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus ejus, & non transibunt illud. Item dies breviavit, i. justos de medio tulit, ne malitia immutaret cor eorum. Secundum quod dicitur *Sap.* 4. Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est, raptus est, ne malitia immutaret intellectum ejus. *a* Et nisi breviasset.] *Gl.* Hæc tribulatio quanto ceteris gravior, tanto brevitate moderatur tribus annis, scil. tantum & dimidio, quantum ex Daniele, & Apocalypsi Joannis conjici potest, Ecclesiam per orbem impugnatura est. *b* Omnis caro,] i. nullus, vel rarus. *d* Et tunc si quis] *Gl.* Quidam ad captivitatem Judaicam hoc referunt, quando multi Christos se esse dicentes, populum post se deceptum trahebant. Sed nullus ibi erat fidelis, quem Deus exhortaretur, ne perversos magistros sequeretur. Omnes & obsidentes, & obsessi alieni a Christo obdurabant. Unde melius, de hæreticis accipiendum est, qui contra Ecclesiam venientes, se Christos esse mentiuntur, quorum primus Simon magus, extremus Antichristus. *Act.* 8. & 2. *Thess.* 2. *e* Ecce illic ne credideritis.] quod Christus sit hic, vel illic, ut Donatistæ dicunt, ipsum esse in Africa tantum, & Judæi. Notus in Judæa Deus, quia in omnem terram exivit sonus eorum. *f* Exurgent enim, &c.] Pseudo-Christi sunt hæretici, qui se Christos esse mentiuntur. Pseudo-prophetæ sunt schismatici, qui semper mala prophetizant de aliis. Primi dividunt fidei unitatem, contra quos dicit Apostolus *Eph.* 4. Unus dominus, una fides, unum baptisma. Secundi dividunt charitatis unitatem, de quibus dicitur. *Psalm.* 75. *Pr.* 6. Sex sunt, quæ odit Deus, & septimum detestatur *Psalm.* 48. anima ejus, &c. & eum, qui seminat discordias inter fratres. Item Pseudo-Christi sunt mali Prælati. Christus enim idem est, quod unctus. Unde *Ps.* 104. Nolite tangere Christos meos. Pseudo-prophetæ sunt mali prædicatores. Unde sequitur in *Ps.* Et in prophetis meis nolite malignari. Tales hucusque venerunt, & veniunt multi. *Mat.* 7. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. *Jer.* 5. Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. *g* Portenta.] *Bern.* Prodigia putativa. *h* Ad seducendos] *Jer.* 5. Inventi sunt in populo meo impii insidiantes, quasi aucupes ponentes laqueos, & pedicas ad capiendos viros. *i* Etiam electos.] *Job* 41. Sub ipso erunt radii solis, & sternet sibi aurum, quasi lutum. *k* Ecce prædixi vobis omnia] quia, ut dicit *Greg.* jacula, quæ prævidentur minus feriunt. *l* Sol contenebrabitur.] Nota illam *Gl. Bed.* Sidera in judicio, &c. Nomine Solis, & Lunæ significantur Ecclesia, quæ illuminat in prælatis, & illuminatur in subditis. Unde *Cant.* 6. Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol. Sol igitur est cœtus Prælatorum, Luna congregatio subditorum, stellæ, quæ de nocte illuminant, sunt prædicatores, de quibus dicitur *Jud.* 5. Stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt. Tunc Sol luxit, Luna resplenduit, & stellæ noctem illuminaverunt, sed nunc obtenebratus est Sol tenebris ignorantiæ, & ideo Luna versa est in sanguinem, antequam veniat dies Domini. *Joel.* 3. Sol, & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suū. *Joel.* 2. *Matth.* 24. *Is.* 13. Obtenebratus est Sol, in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo. Item *Is.* 24. Erubescet Luna, & confundetur Sol, cum regnaverit Dominus. *Matth.* 24. *Luc.* 21. *Apoc.* 6. Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & Luna tota facta est sicut sanguis & stellæ ceciderunt de cęlo super terram.

m Et virtutes, &c.] *Ambr.* Tremebunt Angeli, quanto magis homines. *Matth.* 24. *Luc.* 21. Unde *Job* 25. Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, quanto magis homo putredo. Sed quid est hoc, nunquid Angeli sunt confirmati, quomodo ergo tremebunt? Responsio. Ad modum trementium se habebunt, quia pro nullo tunc rogabunt, Christi justitiam inflexibilem scientes, vel timor, & pavor eorum dicitur admiratio novitatis, *Job* 26. Columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus. *Beb.* Quid patietur virgula deserti, ubi concutietur cedrus Libani? Et tunc videbunt. *Gl.* Quid mirum tremere homines, cum aspectu judicii tremant angelicæ potestates? *Job* 26. Columnæ coeli, &c. [Videbunt,] quem non videre volunt. *Sap.* 2. Gravis est nobis ad vivendum. *Isa.* 53. Vidimus eum, & non erat ei aspectus neque decor. Sed tunc videbunt decorem. *Is.* 33. Regem in decore suo videbunt. *o* Venientem.] *Gl.* Ad iram vindictæ, quando mittetur a filio hominis veniente in nubibus coeli cum virtute, qui prius, sicut pluvia descendit cum humilitate. *p* In nubibus,] Ad litteram, sicut ascendit, sic descendit, sic dicitur *Act.* 1. Item [in nubibus,] i. cum Sanctis. *Is.* 3. Dominus ad judicium veniet, cum Senatoribus populi sui, & principibus ejus. *Deut.* 33. Apparuit Dominus de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia. Et dicuntur nubes, quia pluunt doctrinis. Unde *Is.* 5. Mandabo nubibus meis, ut pluant imbrem super eam. Item tonant nimis. *Isa.* 45. Rorate cęli desuper, & nubes pluant justum, i. justitiam. Coruscant miraculis, & alte volant per contemplationem. *Isa.* 60. Qui sunt hi, qui, ut nubes volant. Item aquis gratiarum pleni sunt. *Eccl.* 11. Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. *Proverb.* 3. Sapientia illius eruperunt abyssi, & nubes rores concrescunt.

q Et gloria,] qui in primo adventu venit, cum humilitate, & ignominia. *Is.* 53. Vidimus eum, & non erat aspectus, desideravimus eum despectum, & novissimum virorum. *Ps.* 9. Cognoscetur Dominus judicia faciens. *B. Bern.* qui non fuit agnitus injuriam patiens. *r* Et congregabit electos suos.] *Hier.* Sicut triticum in horreum de area totius terræ ventilatum. Unde *Rab.* Talis tribulatio tunc erit in circuitu areæ Domini, ut omnibus paleis velut cribro examinationis sequestratis a grano, solum frumentum in horreum Domini colligendum remaneat. Unde *Matth.* 3. Cujus ventilabrum in manu ejus, & permundabit aream suam, & triticum congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

s A quatuor,] *Gl.* Ab Oriente, & Occidente, Aquilone, & Austro, & non tantum ab his, sed a summo terræ usque ad summum cœli, idest, ab extremis finibus terræ per directum usque ad ultimos terminos ejus, ubi longe aspicientibus circulus cœli terræ videtur insidere. *t* Ventis] *Aug.* i. quatuor climatibus terræ, quibus præsunt Angeli, vel a quibus oriuntur quatuor venti. *Ezech.* 37. A quatuor ventis veni spiritus, & insufla super interfectos istos, &c.

Moraliter. Moraliter. Quatuor venti, quadruplex consideratio sui, nascentis, morientis, in prosperitate, & adversitate existentis. *u* A ficu autem discite, &c.] multa signa ponit supra Dominus de die judicii, hic adaptat per similitudinem ficus, ut his signis visis sciant omnes diem

judicii

a judicii imminere, quia ficut arborum floritio, & foliorum productio certum eft fignum proximæ æftatis, ita prædictorum fignorum exhibitio erit certum indicium imminentis judicii. Tamen *Hier.* dicit, quod fub exemplum arborum docet de adventu confummationis. De ficu autem potius ponit similitudinem, quam de alia arbore, quia fere inter omnes arbores ultimo vernat, & poftquam fructificare cœperit, ufque ad hiemem fructificare non ceffat: & fub uno cortice multa grana continet, ut dicit *Chr.* fic Ecclefia, quam myftice fignificat ficus, fub uno jure vivendi multos habet filios, & ita ficus ipfe cœpit, licet ufque ad finem fæculi non ceffabit, ficut dicitur *Matt. ult.* Vobifcum fum omnibus diebus ufque ad confummationem fæculi. Spiritualiter autem per ficum fignificatur magifter Theologus, cujus fructus, i. opera, debent effe in cibum aliorum, & folia, i. verba in medicinam, *Ezec.* 47. erunt fructus ejus in cibum, & folia in medicinam. Sed de multis timendum eft, ne fit illa ficus maledicta, & fterilis, quam Dominus fine fructu foliatam invenit. De qua dicitur *fup.* 11. Cum exiret Jefus de Bethania, efuriit, cumque vidiffet a longe ficum folia habentem, venit, fi quid forte inveniret in ea, & cum veniffet ad eam, nihil invenit in ea præter folia. Ficus, ubi bona, optima eft, ubi mala, peffima, fic Theologus, *Jer.* 24. Qyid tu vides, Jeremia? Et dixi ficus bonas, bonas valde, & malas, malas valde. Bona ficus noluit promoveri fuper ligna filvarum. Unde *Jud.* 9. Dixerunt ligna ad arborem ficum: Veni, & fuper nos regnum accipe. Quæ refpondit: Nunquid poffum deferere dulcedinem meam, fructufque fuaviffimos, & ire, ut inter cetera ligna promovear? fic bonus Theologus non debet deferere dulciffimos fructus doctrinæ, fc. ut promoveatur in mundo. Et tales Theologos quærit Dominus, *Mich.* 7. Ficus præcoquas defideravit anima mea. Sed certe de foliis ficus texerunt Adam, & Eva pudibunda fua: ficut dicitur *Gen.* 3. Cum cognoviffent fe effe nudos confuerunt folia ficus, & fecerunt fibi perizomata. Sic multi nudi virtutibus, & operibus bonis, verbis tegunt turpitudinem fuam. Ab hac igitur difcite parabolam, quia cum florere, & fructificare cœperit, fcitote, quoniam prope eft æftas. *a* Cum ramus ejus, &c.] Primo ramus boni operis, & poftea nata folia fermonis. *Ofee* 10. Vitis frondofa Ifrael fructus adæquatus eft ei. *b* Sic & vos cum videritis, &c.] quafi nondum eft, fed prope eft, ficut qui in oftio domus ftat, nondum eft in domo, fed prope eft, ut fit in domo, *Jac. ult.* Ecce Judex ante januam, *Soph.* 1. Juxta eft dies Domini magnus, juxta eft, & velox nimis. *c* Quoniam non tranfibit, &c.] vel omne genus hominum, vel fpecialiter Judæorum. *d* Donec omnia ifta fiant.] *Hier.* quæ fcripta, vel dicta a Domino. *Matth.* 5. Jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. *e* De die autem illa,] quafi figna illius diei prænuntia dixi *f* Nemo fcit, &c.] *Hier.* oftendit non de unigenito, fed de adoptivo filio hoc dixiffe. Nulli enim fanctorum hominum hujus diei notitiam conceffum eft habere, quod folus pater, & filius, & fpiritus fanctus hoc eft unus Deus, in fua fcientia habet, aliis incognitum. Unde *Col.* 2. In quo funt omnes thefauri fapientiæ, & fcientiæ abfconditi. Non enim expedit nobis fcire. Unde *Act.* 1. non eft veftrum fcire tempora, vel momenta, &c. *Hil.* Filius, & Spiritus fanctus, quia non funt a fe, de die illa nefciunt a fe, Pater autem quia a fe eft, fcit a fe. *g* Videte, vigilate, & orate.] In his tribus fignificatur officium totius hominis interioris. Videte, quod officium eft rationabilis, vigilate irafcibilis, orate concupifcibilis, quia oratio eft pius affectus mentis in Deum tendens. Vifio operatur vigiliam, & orationem, vigilia excitat vifionem, & orationem, oratio impetrat vigiliam, & vifionem. Sed nec vacat myfterio, quod Dominus, in hoc capitulo inftante tempore paffionis quater dixit difcipulis, videte. Primo dixit: Videte, ne quis vos feducat. Secundo dixit. Videte vofmetipfos. Tertio dixit: Videte, ecce prædixi vobis omnia. Quarto: videte, vigilare, orate. Primo ponit, videte, ad cavendam malorum feductionem, fecundo ad fui cognitionem, tertio ad penitentium confiderationem, quarto ad futurorum præconfiderationem. Videte præterita, videte præfentia, videte futura, omnia vana funt. *Eccl.* 1. Vanitas vanitatum. Videte furfum gaudia Paradifi, videte deorfum fupplicia inferni, videre retro, qualiter vixiftis, videte ante, qualiter vivatis, videte a dextris falfas delicias, videre a finiftris crebras, & veras miferias, videte interius modicum, vel nullum profectum, videre exterius continuũ defectum. *Apoc.* 4. Animalia erant plena oculis ante, & retro. Dicit ergo. *g* Vigilate,] ut paftores *Luc.* 2. Paftores erant in regione eadem vigilantes, & cuftodientes vigilias noctis fuper gregem fuum. Vigilate, ut cuftodes caftrorum, *Cant.* 3 Invenerunt me vigiles, qui cuftodiunt civitatem. *Is.* 62. Super muros tuos Jerufalem conftitui cuftodes, die, ac nocte non tacebunt. Vigilate, ut faber in fabrica. *Eccl.* 38. Faber ferrarius fedens juxta incudem, & confiderans opus ferri. Vigilandum eft autem propter tria. Propter latrones, qui infidiantur, ut interficiant, & furentur. *Jo.* 10. Fur non venit, nifi ut furetur, & mactet, & perdat. Unde *Matth.* 24. fi fciret paterfamilias, &c. Secundo quia juxta non funt ferpentes. Unde *Hier.* Non eft fecurum inter ferpentes dormire, i. in cœtu adulatorum, qui fibilant, vel detractorum, qui venenant, *Eccl.* 10. Si mordeat ferpens in filentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. Vel certe per latrones, & ferpentes fignificantur dæmones, & peccata, quæ juxta nos funt. *Eccl.* Quafi a facie colubri fuge peccata, & fi acceffferis ad illa, fufcipient te. Tertio propter longitudinem viæ, & temporis brevitatem. Unde Eliæ dormienti dixit Angelus 3. *Reg.* 19. Surge, comede, grandis enim tibi reftat via. Sunt autem quinque caufæ fpeciales, quare prælati debeant vigilare. Prima eft, quia funt vigiles obfefforum. Secunda quia cuftodiunt tabernaculum. Tertia, quia ducunt navem Domini per mare procellofum. Quarta, quia pafcunt gregem Domini in medio luporum. Quinta, quia cuftodiunt lectulum Salomonis. De primo dicitur *Is.* 21. Vade, & pone fpeculatorem, & quodcumque viderit, annunciet, & vidit currum duorum equitum, afcenforem afini, & afcenforem cameli, & contemplatus eft diligenter multo intuitu, & clamavit ut leo. Et *inf.* Super fpecula Domini ego fum ftans jugiter per diem, & fuper cuftodiam meam ego fum ftans totis noctibus. *Cant.* 3. Invenerunt me vigiles, qui cuftodiunt civitatem. Sed quid fiet de fpeculatore, fi per ejus fomnolentiam, & negligentiam civitas Domini capiatur, oftendit *Ezech.* 33. fi fpeculator viderit gladium venientem, & non infonuerit buccina, & populus fe non cuftodierit, venietque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate fua captus eft, fanguinem autem ejus de manu fpeculatoris requiram, non populus certe, fed ego. De fecundo dicitur *Num.* 1. Excubabunt fcil. Levitæ in cuftodiis tabernaculi teftimonii. Item 2. *Paral.* 5. Janitores in divifionibus fuis per portam, & portam. Sed dicitur *Is.* 56. Speculatores ejus cœci omnes, nefcierunt univerfi, canes muti non valentes latrare, videntes vana dormientes, & amantes fomnia. De tertio dicitur in *Ps.* 103. Qui defcendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis. Mare mundus, navis generalis Ecclefia, naves particulares Ecclefiæ. Rector primæ navis eft Dominus Papa, rectores vero aliarum funt alii Prælati. Sed heu jam pluribus competit, quod dicitur *Prov.* 23. Eris ficut dormiens in medio maris, & quafi fopitus gubernator amiffo clavo, & dices, verberaverunt me, fed non dolui, traxerunt me, & non fenfi, quando evigilabo? De quarto dicitur *Gen.* 31. Fugiebat fomnus ab oculis meis, &c. De quinto dicitur *Cant.* 3. En lectulum Salomonis, &c. *Job* 24. Quafi onagri in deferto egrediuntur ad opus fuum, vigilantefque ad prædam præparant panem liberis, i. fubditis. Dicit ergo. *g* Videte,] fide. *h* Vigilare,] fpe. *i* Et orate,] charitate. *k* Vigilate, &c.] *Gl.* Præmiffo patrisfamilias exemplo cur confummationis diem reticeat? Dicit. [Vigilate ergo, &c.] *l* Quod autem vobis, &c.] Non folum rectores Ecclefiæ, fed omnes vigilare præci-

parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, & nata fuerint *a* folia, cognofcitis, quia in proximo fit æftas. Sic & *b* vos cum videritis hoc fieri, fcitote, quod in proximo fit in oftiis. Amen dico vobis, quoniam non *c* tranfibit generatio hæc, *d* donec omnia ifta fiant. Cœlum, & terra tranfibunt, verba autem mea non tranfibunt. *e* De die autem illa, vel hora *f* nemo fcit, neque Angeli in cœlo, neque filius, nifi pater.

g Videte, *h* vigilate, & *i* orate: Nefcitis enim, quando tempus fit. Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum fuam, & dedit fervis fuis poteftatem cujufque operis, & janitori præcepit, ut vigilet. *k* Vigilate ergo: Nefcitis enim, quando Dominus domus veniat, fero, an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis *l* dico, omnibus dico, vigilate.

D

Matth. 24. *Luc.* 21.

Matth. 25. *Luc.* 19.

Ezech. 3. *Matth.* 24. & 25.

præcipimus, januas cordium custodientes, ne antiqui hostis mala suggestio subintret, ne nos Dominus dormientes inveniat. Unde *Paul. 2.Cor* 15. Evigilate justi, & nolite peccare. *Alia Gl.* Hoc fine concludit sermonem, ut commune omnium præceptum novissimi per primos audiant.

C A P. XIV.

Erat *a* autem Pascha, & *b* Azyma post biduum, *c* & quærebant summi Sacerdotes, & scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant enim non in die festo, *d* ne forte tumultus fieret in populo. Et cum *e* esset † Bethaniæ in domo Simonis *f* leprosi, & recumberet, *g* venit mulier habens *b* alabastrum unguenti *i* nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro effudit super caput ejus. Erant *k* autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, & dicentes: Ut *l* quid perditio ista unguenti facta est? *m* Poterat enim unguentum istud venundari plus quam trecentis denariis,

Al. † Jesus.

E X P O S I T I O
C A P. XIV.

A

Matth. 26. Luc. 22. Joan. 11. Matth. 26.

Erat autem Pascha, & Azyma, &c.] In hoc capituli præcedentis egit Evangelista de adventu Domini ad judicium, qui erit in gloria, & majestate omnibus manifestus, cum prius fuerit in humilitate, & multis occultus. In hoc autem cap. adjungit de Domini Passione, quid sustinuit ex summa charitate conjungens gloriam majestatis merito Passionis, per hoc ostendens, quæ sit via ad gloriam, scil. angustia Passionis. Unde *Luc. ult.* Nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam? quanto magis ergo oportet nos peccatores pati, si volumus intrare in gloriam alienam. Unde *Act.* 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Dividitur autem hoc capitulum in quatuor partes. In prima parte agitur de refectione Domini in domo Simonis in Bethania, & unctione Mariæ. In secunda de agni paschalis manducatione in Jerusalem, ibi. [Ite in civitatem.] In tertia de Domini oratione, & discipulorum dormitione, ibi. [Et veniunt in prædium.] In quarta agitur de Domini captione, & illusione, ibi.] Adhuc eo loquente.]

Allegor. Allegorice, autem post consummationem duorum testamentorum, quæ per biduum significantur, quæ Dominus in morte continuavit, celebrato Paschæ typo, consequenter instituit Eucharistiæ Sacramentum; tropol. ostendens per hoc post illuminationem, quæ est ex duobus testamentis, & non ante edendum agnum Paschalem, idest corpus Domini, dicit ergo. *a* Erat autem Pascha.] Est enim Pascha vespera quartadecima Lunæ. *Matth.* 26. Scitis, quia post biduum Pascha fiet, Agnus immolatus. *Luc.* 22. Ubi vis paremus tibi comedere Pascha. Prima dies Azymorum, quintadecima luna Aprilis. *Joan.* 13. Ante diem festum Paschæ. Azyma *Joan.* 18. Quando non introierunt prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Christus 1.*Cor.* 5. Pascha nostrum immolatus est Christus. Est autem Pascha, sed *Aug.* Hebraicum, & phase similiter, & utrumque interpretatur transitus. Secundum *Ambr.* Phase Hebraicum est, & interpretatur transitus, Pascha vero Græcum est, & interpretatur passio. *b* Et Azyma] idest dies, in quo primo Azyma comedebatur, idest decimaquarta Luna ad vesperam, tunc enim comedi præcipitur agnus Paschalis, qui hic dicitur Pascha, cum Azymis, & lactucis agrestibus, *Exod.* 12. erat ergo, quando hoc dixit Dominus, tertia feria post Dominicam Palmarum, sicut dicit *Aug.* quia sexta die ante Pascha, idest sabbato ante Dominicam Palmarum venit Jesus in Bethaniam, & fecit ei Simon hoc convivium, ubi Maria lavit pedes ejus lacrymis, & unguento unxit, sicut dicitur *Jo:* 12. Inde venit Jerusalem in Dominicam Palmarum super asinam, ut dicit Joannes *in eod. cap.* Et ex sabbato usque ad diem, quo hoc dixit, consummatum est quatriduum, ut dicit *Aug.* Unde patet, quod hoc dixit die Martis, post ramos palmarum. *c* Et quærebant summi sacerdotes, & scribæ, quomodo eum dolo tenerent, &c.] idest ad occidendum tenerent: Non sicut sponsa tenet. *Cant.* 3. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ. *d* Non in die festo, &c.] Non ponit bonam causam, scil. vitationem scandali, sed timebat, ne forte tolleretur a manibus eorum impetu populi. *e* Et cum esset Bethaniæ, &c.]

Mystice. Mystice. Domus Simonis est domus obedientiæ, in quam venit antequam pateretur, per hoc ostendens, quod per obedientiam erat mundum redempturus, & ad gloriam transiturus. Unde *Phil.* 2. Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum. *Eccl.* 11. Sapientia humiliati exaltabit illum. Ibi recumbit Dominus, ibi reficitur, ibique peccatrici propitiatur. Ideo, qui vult eum propitium habere, necesse est, ut in domo obedientiæ eum quærat. Ibi eam invenit recumbentem, ibi enim variis ferculis reficitur, idest gemitibus orationum, suspiriis meditationum, gaudiis contemplationum, ibi inebriatur lacrymis plorantium, Mulier, quæ effudit unguentum, est anima pœnitentis; Unguentum autem est devotio orationis. Unde *Apoc.* 5. Et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. *Eccl.* 10. Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Hoc unguento pœnitens ungit caput Jesu, quando orat, & adorat ejus divinitatem, Pedes vero ejus ungit, quando fideliter credit ejus humanitatem, vel quando pauperes reficit operibus pietatis. Alabastrum, in quo unguentum est, cor pœnitentis, quo fracto per contritionem veram effunditur unguentum devotæ orationis, & impletur tota domus Paradisi ex odore unguenti, ut dicit *Jo:* 12. Unde *Eccl.* 24. Quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, & quasi balsamum non mistum odor meus. *Apoc.* 8. Ascendit fumus incensorum, de orationibus sanctorum, de manu Angeli coram Deo. Maxime autem in oratione, & meditatione frangendum est alabastrum, idest cor, ut larga sit effusio, & perfundatur tota domus Paradisi. Unde *Thren.* 2. Effunde quasi aquam cor tuum ante conspectum Domini. Talis oratio ascendit libere coram Deo, imo quasi mirari facit. Unde *Cant.* 3. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii, *f* Leprosi.] *Gl.* Nomen pristinum manet, ut virtus curationis appareat, leprosus enim fuerat, sed a Domino curatus erat. *g* Venit mulier.] *Gl.* Maria Magdalena soror Lazari, quem suscitavit Dominus: *Jo:* 11. Hoc Joannes. 12. Dicit esse factum ante sex dies Paschæ pridie, quam asino sedens venit Jerusalem. Ipsa est enim, non alia, quæ quondam adhuc peccatrix, & *Luc.* 7. Scribitur, pedes Domini lacrymis rigavit, & unguento unxit, nunc justificata, & familiaris facta, non tantum pedes, ut Joannes dicit, sed & caput, ut *Matth.* 26. & Marcus perhibent, oleo sancto perfudit.
b Habens alabastrum,] *Gl.* Alabastrum marmor candidum variis guttis distinctum, unguenta incorrupta servat, *i* Nardi spicati, &c.] Spicata nardus dicitur mista quia non solum de radice, sed de spicis, & foliis compositum erat, quod est pretiosius. *k* Erant autem quidam indigne, &c. Per Synecdochen plurale pro singulari posuit, Joannes Judam hoc dixisse dicit, quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. Forsitan & alii discipuli, aut senserunt hoc, aut Juda dicente persuasi sunt, & omnium voluntate Matthæus, & Marcus verbis expresserunt, sed Judas, quia fur, & nihil propter curam pauperum. Joannes autem illum solum commemorare voluit, cujus hac de causa furandi consuetudinem intimare curavit. *l* Ut quid perditio ista unguenti? &c.] Perditus de salute perditionem invenit, ut in ficu fructifera mortis laqueum nancisceretur. *m* Poterat enim unguentum istud venundari, &c.] *Gl.* Sub prætextu avaritiæ mysterium loquitur fidei. Et enim fides nostra trecentis emitur denariis. Fides nostra, idest, res fidei, scil. vita æterna, trecentis emitur denariis, idest, trecentis observantiis, quæ ideo denarii dicuntur, quia in observantibus eas nomen, & imago summi regis reformatur, ut a Christo Christiani, & a Deo dii dicantur. Decem autem sensus sunt, quinque interiores, & quinque exteriores. Per istos decem sensus implentur decalogus mandatorum, per quorum impletionem triplicatam, scil. per corpus, & animam, & spiritum, per decem sensus emitur fides nostra, i. vita æterna. Unde si quis vult emere vitam æternam, impleat decem mandata. Oportet autem, ut ad impletionem cujuslibet decem mandatorum applicentur omnes decem sensus, & ita ad impletionem decem mandatorum decem sensus decies replicantur, & sic fiunt centum, quia decies decem sensus semel replicati ad singula mandata fiunt centum denarii, secundo replicati ducenti, tertio replicati trecenti, replicantur secundum corpus, animam, & spiritum, hoc modo oportet, ut quicumque vult habere vitam æternam, quam credimus, ad impletionem Decalogi, ita ea impleat, applicet decem sensus, scilic. corporis, idest, ipsa corporis administratione voluntatis, & desiderii, & secun-

dum

dum spiritum, i. judicio rationis. Tunc enim perfecte implentur mandata, quando decem sensus ita applicantur, & corpus ministrat, voluntas desiderat, & spiritus judicando comprobat. *a* Et dari pauperibus.] *Jo.* 12. Dicit solum Judam hoc dixisse. Unde habetur ibi: Dixit ergo unus ex discipulis ejus Judas Scariotes, qui enim erat traditurus, quare hoc unguentum non venditur trecentis denariis, & datum est egenis? Ad hoc dicit *Rab.* quod omnes discipuli dixerunt hoc diversis causis. Judas causa cupiditatis, alii gratia pietatis. *Beda* dicit quod synecdochice dicit hoc Marcus, attribuens dictum unius pluribus. Vel certe potuit esse, quod quidam eorum, qui ibi erant verbis Judæ persuasi dixerunt, vel corde, vel ore, & quia dixerat Judas, quod poterat trecentis denariis vendi, ideo triginta argenteis vendidit ipsum Deum, qui valent trecentos denarios usuales. In hoc facto significantur multi, qui tempus perditum reputant, quod impenditur orationi, aut contemplationi. Sic & Martha *Luc.* 10. Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? *b* Bonum opus, &c.] devotionis, pietatis, qua primo misetta sui vacat orationi, quod valde placet Deo, *Eccl.* 30. Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate ejus. *c* Semper enim pauperes, &c.] *Deut.* 15. non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. Ex hoc enim dispensare facit misericors Dominus, ut pauperes, qui hic inediam patiuntur a divitibus, bona præsentia recipiant, quibus sustententur, & divites, qui hic abundant, bona sua pauperibus communicent, ut per ea bona æterna inveniant. *Luc.* 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *d* Me autem non semper habebitis] præsentem præsentia corporali. Nec autem in orationibus semper præsens est, nec in contemplatione, imo diu quæritur, & tarde invenitur, & inventus cito amittitur. *B. Bern.* Felix hora, sed brevis mora, *Cant.* 5. Pessulum ostii meiaperui dilecto meo, at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est, quæsivi, & non inveni illum, vocavi, & non respondit mihi. *e* Quod habuit,] in corde [hoc fecit,] i. exhibuit in opere non, ut multi semper prægnantes, & nunquam parientes. *Is.* 38. Venerunt filii usque ad partum, & non erat virtus pariendi. *Matth.* 24. Væ prægnantibus, & nutrientibus in istis diebus. *f* Prævenit ungere, &c.] i. ante diem sepulturæ meæ paravit sibi unguentum, ut tunc ungeret me. Unde *Joan.* Sinite eam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. Vel. [Prævenit ungere corpus meum in sepulturam.] i. unxit me dum potuit, timens ne tunc non posset propter Judæos.

Matth. 14. *Joan. 12.* *Al. † hæc.*

Mystice. Mystice. *g* In sepulturam.] Sepulchrum Jesu est mens devota, ubi Jesus multum desiderat sepeliri. Unde *Gen.* 49. dicit Jacob filiis suis, i. Christus. Sepelite me in spelunca duplici, in intellectu, scil. & affectu. Spelunca superior est affectus, inferior intellectus. Multi cum mulieribus sepeliunt eum in spelunca inferiori per solam cognitionem, habentes eum in spelunca cordis sui, sed vult etiam sepeliri in superiori per nimiam dilectionem, ubi enim viri sepeliuntur. *h* Narrabitur in memoriam ejus,] celebrandam. *Prov.* 10. memoria justi cum laudibus. *Ps.* 111. In memoria æterna erit justus. Et certe ex officio contemplationis non solum acquiritur gloria apud Deum, sed etiam bona fama per totum mundum. Quamdiu claustrales steterunt clausi in claustris suis vacantes contemplationi, & orationi, habuerunt gratiam coram Deo, & coram hominibus, exeuntes ad publicum, & frequentes curas, amiserunt utrumque 3. *Reg.* 2. Dicit Salomon Semei: Ædifica tibi domum in Jerusalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc, atque illuc, quo autem die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum. *i* Et Judas Scariotis, &c.] Hoc fuit in quarta feria. Tunc enim Scribæ, & sacerdotes inierunt consilium, quomodo Jesum dolo tenerent, & occiderent. Quos audiens Judas congregatos, venit ad eos, & vendidit illis Jesum triginta argenteis, recompensans incommodum, quod sibi factum putavit in effusione unguenti. Et hoc approbat consuetudo Ecclesiastica. Quarta enim feria ante cœnam ante epistolam legitur prophetia. *Is.* 62. quæ dicit, ecce merces ejus cum eo. Et prophetavit Isaias de Juda. Hinc etiam secundum locum post sextam feriam, qua Dominus crucifixus est, obtinet quarta feria in jejuniis, & afflictionibus celebrandis, quia in ea fuit Dominus venditus.

& *a* dari pauperibus. Et fremebant in eam. Jesus autem dixit: Sinite eam. Quid illi molesti estis? *b* Bonum opus operata est in me: Semper enim *c* pauperes habetis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis benefacere, me *d* autem non semper habebitis. Quod *e* habuit, † hoc fecit, *f* prævenit ungere corpus meum in *g* sepulturam. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in *h* memoriam ejus. Et *i* Judas Scariotis, unus de *k* duodecim, abiit *l* ad summos sacerdotes, ut proderet eum *m* illis. *n* Qui *o* audientes *p* gavisi sunt, & *q* promiserunt ei pecuniam se *r* daturos. Et *s* quærebat, quomodo illum opportune traderet. Et *t* prima die Azymorum quando Pascha immolabant *t*

Moraliter. Matth. 26. Luc. 22. B

Moral. Judas est peccator pœnitens, confiteri volens, mortis memoriam, vel suam futuram, vel Christi præteritam præ oculis habens, hæc enim maxime operatur voluntatem confitendi peccata. *k* Unus de duodecim abiit,] sponte. *l* Ad summos sacerdotes,] i. in potestate judiciaria vitaque, & scientia præeminentes. *m* Ut proderet eum illis.] i. Jesum quem in corde suo gerit occisum. *n* Qui] scil. sacerdotes. *o* Audientes] veram peccatoris confessionem. *p* Gavisi sunt] de salute confitentis. *Luc.* 15. Gaudium est Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente. *q* Et promiserunt ei, &c.] i. absolutionis beneficium, & orationis suffragium, & etiamsi necesse fuerit temporale subsidium. Tunc bene vadit res, quando peccator dicit sacerdoti peccata sua, & sacerdos dat ei, si opus fuerit, vitæ necessaria. Modo fit e contrario, sacerdotes accipiunt pecuniam a pauperibus, & peccata eorum comedunt, & occidunt per malum exemplum. *Osee* 4. Peccata populi mei comedunt sacerdotes, & ad iniquitates sublevabant animas eorum. *r* Pecuniam] triginta argenteos, ut dicitur *Matt.* 26. qui valent trecentos denarios usuales. *s* Et quærebat quomodo illum, &c.] sic peccator confiteri volens debet quærere opportunitatem tradendi sacerdotibus suum veterem hominem, quasi latronem, pro eorum arbitrio torquendum. Ista enim opportunitas consistit in tribus. In Confessoris sufficientia, in confitentis obedientia; in loci, & temporis convenientia. Est autem Confessor sufficiens, si sit discretus, expertus, compatiens, ut ungat suaviter, sicut bonus medicus blandis exhortationibus vulnera peccatorum, & liget ea vinculis utilium præceptorum, & involvat panniculis, i. exemplis sanctorum, infundatque oleum blandæ consolationis, & vinum asperæ increpationis, sicut Samaritanus: *Luc.* 104. Sunt enim peccatores quasi vasa argentea fracta, quæ traduntur Confessoribus religanda, quæ sacerdotes debent blandis consolationibus, & excitationibus quasi quibusdam filis argenteis religare. Sed multi sunt indocti, & inexperti, qui Domini vasa, quæ sibi tradita sunt religanda, malleis increpationum, & objurgationum omnino conterunt, & confringunt, & fit scissura deterior. Confitentis obedientia tunc erit, quando confitens paratus est in omnibus obedire Confessori suo, ut vere dicat, detis pecuniam, & ego tradam veterem hominem puniendum. Sic dixit Paulus, *Act.* 8. Domine, quid me vis facere? Loci, & temporis convenientia quærenda est in confessione, quia nec in omni loco, nec in omni tempore confitendum est. *t* Et prima die, &c.] Prima dies Azymorum potest dici dupliciter. Uno modo dicitur dies Azymorum, quando primo Azyma comedebatur, hoc est quartadecima Luna ad vesperam, sic accipitur hic. Unde aliquando primam diem Azymorum dicunt eam, quæ ante Azyma est: Assueverant enim a vespera numerare diem. Alio modo dicitur prima dies Azymorum, dies in quo primo non erat fermentatum in domibus eorum, hoc est, quintadecima Luna. A quartadecima usque ad vesperam licebat comedere fermentatum, sed in vespere ejiciebatur ab omnibus usque ad vigesimumprimum diem. *Exod.* 12. Prima die, &c.

Moraliter. Moraliter. Septem dies Azymorum sunt septem virtutes, quibus vetus homo exuitur, & novus induitur: sicut præcepit Apost. *Col.* 3. expoliantes vos veterem hominem, cum actibus suis & induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem Dei. Prima dies est timor. In hac die configitur vetus homo. Unde *Ps.* 118. Confige timore tuo carnes meas. Secunda est justitia, qua peccato resistitur. Peccatum enim confixum adhuc palpitat. *Eccl.* 2. fili, accedens ad servitutem, &c. Tertia est magnificentia, qua contraria assumuntur quasi ad medicinam. *Ps.* 95. Sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus. Quarta est odium vitiorum, quo peccata semel relicta non resumuntur, sed potius abominantur. *Ps.* 118. Iniquitatem odio habui, & abominatus.

minatus sum. In his quatuor diebus perfecte occiditur vetus homo. In aliis tribus reviviscit novus. Quorum primus est cognitio fidei, in hoc incipit vivere novus homo. *Habr.* 2. Justus autem ex fide sua vivet. Secundus est donum scientiæ, in quo pascitur novus homo adhuc infans pane doloris, & potatur aqua lachrymarum. *Eccl.* 1. Qui addit scientiam, addit & laborem. De quo *Is.* 30. Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquã brevem. Tertius dies est spes veniæ, in quo novus homo jam grandiusculus factus in suis tribulationibus confortatur. *Rom.* 12. Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Bene ergo dicit: [Prima die Azymorum,] hoc est in die timoris, quando Pascha immolatur, quia tunc factum occiditur, *Eccl.* 1. Timor Domini expellit peccatum. *a* Dicunt ei discipuli,] i. e. timoratæ mentis cogitationes. *b* Quo vis eamus, &c.] Valde bene quærunt discipuli, quia duo loca sunt in anima, in quorum utroque Dominus habitare potest, scil. intellectus, & affectus, sed affectus magis quietus est, magis secretus, & magis idoneus refectioni Domini. De quo *Ps.* 131. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam, 2. *Par.* 7. Elegi mihi domum istam in locum sacrificii. Prudenter autem quærunt discipuli. [Quo vis eamus, & paremus tibi comedere Pascha.] Hoc idem quærit sponsa. *Cant.* 1. Indica mihi, ubi cubas, ubi pascas in meridie. Item. *Deut.* 16. Non poteris immolare phase, in qualibet urbium tuarum, sed in loco, quem elegit Dominus Deus tuus. *c* Et mittit, &c.] Duos, scil. timorem, & amorem. Hi sunt, qui adduxerunt asinam, *Sap.* 11. *d* Ite in civitatem, &c. † spiritus rationalis. *e* Lagenam aquæ bajulans,] idest conscientiam aquis lachrymarum plenam. *f* Dicite Domino domus,] rationi, *Prov.* 20. rex, qui sedet, &c. *g* Ubi est refectio, &c] i. cum sanctis desideriis, quæ sunt aliquando discipuli Jesu. *h* Et ipse vobis, &c.] Cœnaculum est superior pars domus. Domus enim significat legem, pars superior est spiritualis intellectus, pars inferior litteralis, quæ arctior est, illa latior. *i* Grande] affectu. Grande, quia potest accipere Dominum cum familia sua tota. *k* Stratum,] virtutibus. Discipuli timor, & amor. *l* Et abierunt, &c.] i. animam rationalem. *m* Et paraverunt] timor paravit lactucas agrestes, idest amaritudinem peccatorum. Amor vero paravit agnum, & Azyma, idest mentis mansuetudinem, & sanctitatem meritorum. *n* Vespere autem facto] non tantum temporali, sed etiam spirituali, quia verus sol jam appropinquaverat ad occasum: Qui duplex est, sc. occasus mortis, & peccati. Primum scivit, quia mortem sustinuit, secundum nescivit, quia peccatum non fecit, nec facere potuit. De hoc sole dicitur *Malac. ult.* orietur vobis nomen meum timentibus sol justitiæ. [Vespere autem facto,] i. sole justitiæ ad occasum mortis appropinquante, vel lege veteri deficiente, vel veteris hominis interitu immineate, vel sæculi consummatione jam instante, secundum quod dicitur 1. *Jo:* 2. filioli novissima hora est. *o* Venit cum duodecim.] Per quos universitas electorum significatur, quia denarius numerus est perfectus. *p* Et discumbentibus eis.] *Chrys.* Qualiter discumbebant, si Pascha manducabant? quia dicitur *Exod.* 12. Sic comedetis illum, renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus vestris tenentes baculos in manibus, & festinanter comedetis. Sol. [Post recubuerunt.] Discumbentibus, in domo aliena, quia filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet: *Matt.* 8. *q* Et manducantibus,] i. de veteris hominis consummatione, & novi reparatione gaudentibus, vel manducantibus panem Angelorum. De quo *Luc.* 14. Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. *r* Amen dico vobis,] *Gl.* sicut de passione prædixerat, ita de proditore prædicit, dans locum pœnitendi, ut cum intellexisset cogitationes suas præsciri a Deo, pœniteret eum facti sui. Non tamen ex nomine eum designat, ne aperte redargutus impudentior fiat. Mittit crimen in numerum, ut conscius pœnitentiam agat. *s* Unus ex vobis, &c.] Dum falsitas arguitur, veritas comprobatur, & impletur: Tu vero unanimis, dux meus, &c. *t* Et dicere singillatim.] *Chr.* Elegit certe universos, ut unum salvaret. *u* Nunquid ego?] *Gl.* Sciunt undecim Apostoli, quia nihil male contra Dominum cogitaverant, sed plus credunt magistro, quam sibi, & timentes fragilitatem suam tristes de peccato interrogant, cujus conscientiam non habebãt. *x* Et filius quidem, &c.] Per viam rectam in civitatem habitationis, i. per tribulationẽ in gloriam. *z* Si natos:] simpliciter dictum est, idest vulgariter, quia ei, qui non est, nec bene, nec male esse potest. *y* Bonũ erat ei,] i. nullum malum, *Hier.* Multo melius esset omnino non esse, quam male esse. Vel [bonum erat ei, si non esset natus ex utero.] Quia dicit *Aug.* Melius est sic esse, quam non esse. Loquitur de parvulis. Item [Bonum erat ei, si non esset natus,] nativitate regenerationis, qua senex nascitur a diabolo, & seipso. *Jo.* 8. Vos ex patre diabolo estis. De hac nativitate dicitur *Job* 3. Pereat dies, in qua natus sum. *Hier* 20. maledicta dies, in qua natus sum. Vel [bonum erat ei] i. minus malum erat ei, si natus non fuisset Christo per notionem, 2. *Pet.* 2. Melius est viam veritatis non agnoscere, &c. Vel [bonum erat ei,] i. Judæ. *z* Si natus non fuisset homo ille, &c.] i. Christus non fuisset incarnatus, i. minus malum: *a* Et manducantibus illis,] vetus Pascha terminantibus, novum inchoantibus, & ideo post cibum, non ante. *p* Accepit Jesus panem, &c.] sicut dicit *Beda*, ipse ordo verborum convenit mysterio, corpus enim suum per panem significatum in conceptione benedixit, i. virtutum, & divinitatis plenitudine implevit, quia in ipso corporaliter habitat plenitudo divinitatis? *Col.* 2. Et postea. *c* Fregit] i. sponte sua frangendum, & crucifigendum exposuit *Is.* 53. Oblatus est, quia ipse voluit. *Jo:* 10. Potestatem habeo. Et etiam idem corpus, quod induit. *Ps.* 92. Dominus regnavit, decorem indutus est. *d* Et dedit,] i. non vendidit. *e* Eis,] i. discipulis. Alii non habent jus edendi de illo pane, nisi soli discipuli, qui ejus scholas intrant, & lectiones ejus ruminant, humilitatis, mansuetudinis, charitatis? *Matth.* 11. Discite a me, &c. *Jo:* 13. In hoc scient omnes. *f* Sumite,] edite credendo, ore confitendo. *Rom.* 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. 1. *Reg* 22. Non est, qui vicem meam doleat. *g* Hoc est corpus meum.] Hic solet quæri, quibus verbis Dominus panem transsubstantiavit in corpus suum, & quando, utrum, scil. ante fractionem, aut post. Si dicatur, quod his verbis confecit Dominus: [hoc est corpus meum] secundum hoc videtur, quod confecit post fractionem, quia hæc verba sequuntur verbum fractionis, & ita Ecclesia non tenet formam Domini. Si dicatur, quod aliis verbis confecit, ex hoc iterum habetur, quod Ecclesia non tenet formam Domini in conficiendo, quod videtur inconveniens. Sol. Super hac quæstione quadruplex opinio est. Nam quidam dicunt, quod Dominus bis dixit hæc verba. [Hoc est corpus meum.] Primo secrete, & tunc per illa verba secreta prolata confecit, postea eadem verba iteravit aperte, formam conficiendi tradens Apostolis. Et secundum hoc sic construitur littera. Jesus accepit panem, & benedicens secreto, dixit, [hoc est corpus meum,] & fregit, & dedit eis, & ait super hoc alte, [hoc est corpus meum.] Secundi dicunt, quod Dominus tantum semel dixit illa verba, & simul confecit, & tradidit formam conficiendi. Et secundum hos sic debet fieri constructio: Jesus accepit panem, & benedicens aliquo signo expresso super panem sicut modo fit, & fregit, & dedit eis, & ait: Sumite. [hoc est corpus meum,] & hoc dicendo, simul confecit, & tradidit formam conficiendi. Secundum hanc opinionem fractio panis præcessit confectionem. Tertii dicunt, quod Dominus virtute divina prius confecit sine aliquibus verbis, & postea tradidit Apostolis formam conficiendi

Matth. 26. *Luc.* 22.

Dicunt *a* ei discipuli. *b* Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? Et mittit *c* duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in *d* civitatem, & occurret vobis homo *e* lagenam aquæ bajulans: Sequimini eum, & quocumque introierit, *f* dicite Domino domus, quia magister dicit: Ubi est refectio *g* mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis *h* demonstrabit cœnaculum *i* grande *k* stratum, & illic parate nobis. Et *l* abierunt discipuli ejus, & venerunt in civitatem, & invenerunt sicut dixerat illis, & *m* paraverunt Pascha. *n* Vespere autem facto, *o* venit cum duodecim. *p* Et discumbentibus eis, & *q* manducantibus ait Jesus: *r* Amen dico vobis, quia unus *s* ex vobis tradet me, qui manducat mecum. At illi cœperunt contristari, & *t* dicere singillatim. Nunquid, *u* ego? Qui ait illis: unus ex duodecim, qui intingit manum mecum in catino. Et filius quidem *x* hominis vadit, sicut scriptum est de eo. Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. *y* Bonum erat ei, si non esset *z* natus homo ille. Et *a* manducantibus illis, accepit *b* Jesus panem, & benedicens *c* fregit, & *d* dedit *e* eis, & ait: *f* Sumite, hoc *g* est corpus meum.

Joan. 13.

Al. † spiritualis.

C

ſciendi, & virtutem verbis. Secundum hos ordo litteræ planus eſt: Accepit Jeſus panem conficiens ſola voluntate ſine verbis, fregit, & dedit eis, poſtea dicens: Sumite, &c. Quanti dicunt, quod Dominus tantum ſemel dixit illa verba: Hoc eſt corpus meum, & quod ſimul confecit, & tradidit formam conficiendi, & tradidit virtutem verbis, & quod conſecratio panis præceſſit fractionem, & omnino ſic fecit Dominus, ut facit Eccleſia, & ſit conſtructio hoc *Matth. 26* modo: Accepit Jeſus panem, & benedicens ait: Hoc eſt corpus meum, & fregit, & dedit eis. *a* Et accepto calice,] ſalutati. De quo *Pſ.*22. Calix meus inebrians, &c. *b* Dedit,] de officii ſui conſummatione, de humani generis ſalvatione, & de hoſtis dejectione. *c* Et biberunt ex illo omnes,] quia pro omnibus eſt effuſus. *Gloſ.* Ebrietas fœlix, ſalutaris ſatietas, quæ quanto copioſius ſumitur, tanto ſobrietatem mentibus donare dignatur. *d* Hic eſt ſanguis meus,] quem do vobis in potum, ſicut corpus in cibum. *Joan.*6. Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Sed Judas, & ei ſimiles non ſatiantur hoc cibo, nec ſitis eorum ſedatur: *Eccl.*14. Sanguis dico Novi Teſtamenti dedicatur. Utrumque enim teſtamentum ſanguinis effuſione confirmatum eſt: *Heb.*9. *e* Amen dico vobis, &c.] Hoc exponitur multis modis. Primo modo ad litteram ſic: Dedit Dominus diſcipulis ſuis bibere, & poſſent ei dicere, vel forte dixerunt: Dediſti nobis bibere, & tu quare non bibis? Et reſpondens Dominus ait: Amen dico vobis, quod non bibam amodo de hoc genimine vitis, ideſt, de vino. *f* Uſque in diem illum,] ſc. poſt reſurrectionem. *g* Cum illud bibam novum in regno Dei.] i. innovatus in gloria immortalitatis poſt reſurrectionem, quando comedit, & bibit cum diſcipulis. Et hoc Evangelium non dicit, quod Dominus biberit tunc, tamen hoc dicit quædam *Gl. in Act.* Secundo modo ſic:

Myſtice. Myſtice ſecundum quem modum, vitis eſt Synagoga. Unde *Iſa.* 5 Vinea Domini exercituum domus Iſrael eſt: *Jer.* 2. Quomodo converſa es mihi in pravum vitis alienæ. Genimina vitis, ſunt cæremonialia legis. Et eſt ſenſus: Huc uſque bibi de genimine hujus vitis, i. delectatus ſum in ſacrificiis, & cæremoniis Synagogæ, in qua erant multi boni. Sed amodo non bibam, ideſt non erit mihi accepta, nec delectabor in eis uſque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei, i. donec eodem populo fonte baptiſmatis innovato, & ejus cæremoniis ſpiritualiter innovatis delecter in illis. Tertio modo ſecundum *Ambr.* Vitis eſt humana natura, genimen vitis, mortalitas. Genimen hujus vitis bibit, quando corpus mortale aſſumpſit. Et eſt ſenſus: [Non bibam amodo, &c] ideſt, poſt Paſſionem, cum corpus depoſuero, ideſt, ab anima ſeparavero, non aſſumam illud, quod modo eſt mortale, donec reſumam illud immortalitatis, & impaſſibilitatis gloria innovatum. Et vobiſcum dicit, ſecundum Matthæum, ſignificans ipſos diſcipulos ſua corpora immortalia reſumpturos, licet non eodem tempore. Per hoc autem, quod dicit: De hoc genimine, notat eadem corpora reſurrectura, ſubſtantia quidem eadem manentia, ſed qualitas mutabitur. Quarto modo exponitur ſic: Vitis eſt populus Judaicus, genimen eſt inveterata malitia illius. De qua bibit Dominus ante calicem Paſſionis, poſtea vero bibet de eodem in fine gaudium de ejus converſione. Unde ſenſus eſt: [Non bibam amodo de hoc genimine vitis,] ideſt, de malitia Judæorum non bibam amplius calicem Paſſionis, ſed poſtea in fine mundi bibam de eodem converſo calicem exultationis. *h* Et hymno dicto,] Forte aliquo pſalmo pro gratiarum actionibus dicto, ſicut modo dicitur: Miſerere mei, Deus. In quo reprehenduntur multi, qui tanquam bruta nec ante cibum, nec poſtea gratias agunt. Unde *Chryſ.* Audiant quicumque veluti porci manducantes, ſimpliciter calcitrant menſam ſenſibilem, cum deceret gratias agere. Audiant, & qui ultimam orationem in miſſa non expectant. Hoc enim illius orationis ſymbolum eſt, i. ſignum. Hymnum dixit, ut nos idipſum faciamus. Unde 1. *Theſſ.*5. In omnibus gratias agite. 1. *Tim.*4. Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Exemplum de lactuca. Vel hymnum vocat ſermonem illum quem recitat *Joan.* 13. 14. 15. Quo conſummato exiit in montem. Hoc exemplo proceſſio fit de refectorio ad Eccleſiam cantando poſt refectionem. *i* Exierunt in montem Olivarum.]

Et *a* accepto calice gratias agens *b* dedit eis: Et *c* biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic eſt *d* ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur. Amen *e* dico vobis, quod jam non bibam de hoc genimine vitis uſque in *f* diem illum, cum *g* illud bibam novum in regno Dei. Et *h* hymno dicto, *i* exierunt in montem Olivarum. Et *k* ait eis Jeſus. Omnes *l* ſcandalizabimini in *m* me in *n* nocte iſta, *o* quia ſcriptum eſt: *p* Percutiam paſtorem, & *q* diſpergentur oves. Sed *r* poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. *ſ* Petrus autem ait illi? Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed non ego. Et ait illi Jeſus:

Moraliter. Moral. Poſt cœnam, & hymnum aſcendit in montem Oliveti, ſignificans, quod per ſacramenti Dominici ſuſceptionem, & orationis devotionem aſcenditur *Zach. 13.* ad eminentiam donorum Sp. Sancti, quæ per oleum ſignificantur. Et per hoc etiam innuens, quod merito orationis, & virtute Sacramenti aſcenditur ad laudes glorificati corporis, quæ per oleum deſignantur, quia oleum ſupernatat, in hoc agilitas. Item penetrat, in hoc ſubtilitas. Item ſanat, *Matth. 19.* in hoc impaſſibilitas. Item illuminat, in hoc claritas. Unde *Iſa.*61. Dabo eis coronam pro cinere, ideſt, gloriam æternam pro carnis mortificatione, oleum gaudii pro luctu, ideſt, dotes corporis pro luctu pœnitentiæ. *k* Et ait eis Jeſus.] qui cum eo exierunt in montem. Talibus enim, qui cum Domino exeunt, vel aſcendunt in montem contemplationis, & ſe cum Domino paſſioni, vel morti pro fratribus non formidant exponere, revelat Dominus ſecreta ſua. Unde *Joan.*15. Vos autem dixi amicos, quia quæ audivi a patre meo, nota feci vobis. *l* Omnes ſcandalizabimini.] Poſt egreſſum ad montem Oliveti, poſt dominici corporis, & ſanguinis ſuſceptionem prædicitur eis caſus eorum, quaſi per hoc diceret nobis, qui ejus diſcipuli ſumus, bona facere incepiſtis, ideo præparate vos ad tentationem. Unde *Eccl.*2. Fili, accedens ad ſervitutem Dei ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Illud etiam notat, quod nemo, quantumcumque bonum faciat, ſecurus eſt in hac vita. Unde 1. *Cor.* 10. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat. Omnes, dicit, quia omnes boni caſum cujuslibet reputant ſuum 2. *Cor.*21. Quis infirmatur, & ego non infirmor? *n* In nocte iſta,] dicit, ideſt, in vita præſenti, in qua omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur. *m* In me,] ideſt, ad me, quaſi ad lapidem offendetis. *Iſa.* 8. Erit autem in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael. *Matth.* 18. Væ mundo a ſcandalis. *o* Quia ſcriptum eſt:] *Zach.*13. Sed aliter: Ibi enim dicitur: Percute paſtorem ex perſona Prophetæ, imo omnium antiquorum deſiderantium Domini paſſionem, q. d. Deo patri, mitte filium in carnem, ut percutiatur, & genus humanum ex morte ejus ſalvetur. Pater autem exaudit eorum orationes, reſpondens, cujus reſponſionem ponit Evangeliſta. *p* Percutiam paſtorem,] i. mittam filium, & percuſſioni exponam. Sed eo percuſſo. *q* Diſpergentur oves.] i. Apoſtoli ab unitate fidei diſſolventur. *Sept.* habet. Percute paſtorem, & eripe oves, quod ſatis convenienter peti poſſet modo, quia ipſi paſtores devorant, & diſpergunt oves ſuas. *Ezech.*34. Diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non eſſet paſtor. Sed multi ſunt, qui paſcuntur, *Zach.*11. Sume tibi vaſa paſtoris ſtulti, quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id, quod ſtat non enutriet, & carnes pinguium comedet.

Moraliter. Moraliter.] Percuſſio Prælato morte peccati, diſperguntur ſubditi, & ideo dæmones maxime inſidiantur Prælatis, 1. *Reg. ult.* Totum pondus prælii verſum fuit in Saul. Et ipſo mortuo diſperſus eſt populus meus 3. *Reg* 22. Rex Syriæ præceperat Principibus curruum dicens: Non pugnabitis, &c. *o* Scriptum, &c.] *Chryſ.* In hoc nos docet Scripturis intendere. Item monſtrat, ſe non eſſe alienum a veteri teſtamento. Item oſtendit, quod vetus eſt conſilium de crucifixione ſua. Item docet quales fuerunt Apoſtoli ante paſſionem, & quales poſt. *r* Sed poſtquam reſurrexero præcedam, &c.] ſic bonus paſtor ſurgens a terrenorum amore, reſurgens etiam in eminentia vitæ debet ſubditos præcedere, & tranſvehere de mundo ad cœlum. *Jo.* 10. Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis: Et cum emiſerit oves, ante eas vadit, & oves eum ſequuntur. *ſ* Petrus autem ait illi, & ſi omnes, &c.] *Chryſ.* O Petre, modo timebas, ne eſſes traditor, & cogebas Joannem interrogare

tomo

rogate quis esset, nonc Christo clamante toties contradicis. Unde hoc? A multo amore. Et in hoc loco gerit Petrus typum multorum, qui inexperti tentationum, vel tribulationum, pertinæ fortitudinis esse præsumunt, sed tentatio adveniens quales sunt manifestat. Unde *Eccl.* 27. Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. Item 34. Qui non est expertus, pauca recognoscit.

Amen dico tibi, quia tu hodie in hac nocte, *a* priusquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur: Et si *b* oportuerit me simul commori † tibi, non te negabo, *c* Similiter autem, & omnes dicebant, Et *d* veniunt in prædium, cui nomen † Gethsemani, & ait discipulis suis: *e* Sedete hic, *f* donec orem. Et assumit Petrum, & Jacobum, & Joannem secum, & cœpit pavere, & tædere. Et ait illis: Tristis est *g* anima mea usque ad mortem. *h* Sustinete hic, & *i* vigilate † mecum. Et cum *k* processisset paululum, procidit *l* super terram, & *m* orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora, & dixit; Abba pater, omnia possibilia tibi sunt, *n* transfer calicem hunc *o* a me, sed non quod ego volo, *p* sed quod tu. Et *q* venit, & invenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon

a Priusquam bis, &c.] Matthæus, Lucas, & Joannes simpliciter dicunt: Antequam gallus cantet, ter me negabis, non ponentes bis, vel ter: solus Marcus dicit: Priusquam bis vocem dederit, per quod innuitur, quod trina negatio fuit incepta ante primum galli cantum, quod tres prædicti attendentes dixerunt simpliciter: Antequam gallus cantet, ter me negabis, idest, trinam negationem inchoabis, & ante secundum fuit consummata, quod attendens Marcus ait: Priusquam bis gallus vocem dederit, ter me negabis, idest, tertiam negationem consummabis. Gallus est prædicator, vel doctor populi propter galli proprietates, quæ prædicatori vel doctori conveniunt. De quibus *Matth.* 26. super illud: Antequam cantet, &c. Et super illud *Job* 38. Quis dedit gallo intelligentiam. Ante cantum hujus galli, quid est in homine nisi trina negatio, idest, triplicis vis aversio? *b* Et si oportuerit, &c.]

Matth. 26. Luc. 22. — al. † tecum. — al. † Gessemani. Matth. 26.

Moraliter. Moraliter.] Petrus typum gerit spei, & confidentiæ, qui ante tentationes de statu, & perseverantia facile præsumit, in tribulatione vero nulla virtus facilius cadit, unde motus rarissimos, & debilissimos habet etiam in viris perfectissimis. *c* Similiter autem, &c.] Omnes virtutes ante tentationem perseverantiam promiserunt, sed adveniente nocte tentationum, & tribulationum fugam accipiunt sæpe. Unde *Matth.* 26. Tunc relicto eo omnes discipuli fugerunt. *d* Et veniunt in prædium, &c.] Hoc est, quod Joannes dicit 18. Egressus est Jesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus. Interpretatur autem Gethsemani, torcular, quia sicut in torculari compressis uvis vinum exprimitur, ita in pœnitentia compressis peccatis intus in corde per puram contritionem vinum compunctionis exterius per oculos eliquatur. In hanc venit Jesus cum discipulis suis, quia sicut fugatur a corde peccatoris per peccatum cum omni turba virtutum, sic redit per pœnitentiam cum eadem turba, quia pœnitentia omnia ablata restituit. Gethsemani. *Gloss.* idest, vallis pinguium, ubi tauri pingues obsederunt illum, & vituli multi circumdederunt eum. *e* Sedete hic, donec orem.] hic docemur, tempore orationis secretum quærere, & tumultum fugere, Unde *Matth.* 6. cum oraveris, intra cubiculum, & claude ostium, & ora patrem tuum in abscondito. Quia autem secum assumpsit Petrum, Jacobum, & Joannem, significat tempore orationis tribus virtutibus maxime innitendum esse, idest, prudentiæ, patientiæ, charitati. Petrus agnoscens interpretatur, & significat prudentiam, quæ docet, quid petendum prout oportet. Jacobus luctator, & significat patientiam, quæ sustinet hostis impugnationes in oratione. Joannes gratia, & significat charitatem, quæ orationem informat. *f* Donec orem.] contra *Isa.* 42. non erit tristis, neque turbulentus. Sol. Duplex est tristitia passionis, & compassionis. *g* Tristis est anima mea, &c.] exclusive, q. d. ultra mortem non extenditur tristitia mea, & mœror, sed in morte morietur. Unde *Joan.* 16. Tristitia vestra vertetur in gaudium. E converso gaudium hujus mundi in morte morietur. Unde *Prov.* 14. Risus dolore miscebitur. Aliter: *g* Tristis est anima mea usque ad mortem.] tristitia compassionis, qua etiam eis compatior usque ad mortem. Hoc est contra multos, qui tantum usque ad mutilationem veteris hominis tristantur, quales sunt illi, qui de uno peccato dolent, vel ii de omnibus, cessant tamen, & emendare non curant. *h* Sustinet hic,] idest, in hac vita præsenti Dominum quantumcumque gravem, & ponderosum se exhibeat in tribulationibus. Item [sustinete hic,] fasciculum tribulationum, & tentationum quantumcumque graves sint, & quanto gravior tribulatio, tanto copiosior erit postea consolatio, Unde *Psalm.* 94. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. *Tob* 3. Hoc habet pro certo omnis, qui colit te, quia vita ejus si in probatione fuerit, coronabitur, si autem in tribulatione fuerit, liberabitur, quia post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem, & fletum exultationem infundis. Ideo dicit sponsa *Cant.* 1. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, &c. *Amos* 9. Fasciculum suum super terram fondavit Dominus, idest, super Ecclesiam. Vel [Sustinete hic,] onera fratrum. *Gal.* 6. Alter alterius onera portate. *i* Et vigilate mecum.] Mecum dicit, non cum diabolo, sicut illi, qui vigilant ad peccata, *Job* 24. sic in tenebris quasi in luce ambulant. *k* Et cum processisset paululum,] separans se a discipulis suis, docens secretum quærere ad orandum. Unde *Matth.* 6. Cum oraveris, intra in cubiculum, &c. Item docens fugere laudes hominum. *Matth.* 6. Attendite, ne justitiam vestram, &c. *Chrys.* Consuetudo erat ei sine eis orare, hoc autem faciebat docens secretum quærere in oratione. *l* Procidit super terram,] *Matth.* 26. dicit: & procidit in faciem suam. In quo notantur duo. Extensio mentis in anteriora per sanctum desiderium. *Philip.* 3. Quæ retro sunt obliviscens in ea, quæ ante sunt, meipsum extendens. Et humiliatio mentis in sui cognitione. Unde & bene sequitur:

al. non habet † mecum. — *Matth. 18. Luc. 22.*

m Et orabat,] docens orationem in humilitate esse faciendam, *Eccl.* 35. Oratio humiliantis se nubes penetrat.

n Transfer calicem hunc a me,] In hoc verbo exprimitur infirmitas humanæ naturæ in Christo, & datur nobis forma orandi, & exemplum, ut quantum possumus, cum Deo mortem vitemus, si non possumus, voluntatem nostram divinæ subjiciamus. Exponitur autem multis modis. Primo sic: [Transfer calicem hunc,] idest, Passionem hanc. *o* A me,] ut sc. non bibam illum. Et est illa petitio naturæ infirmæ, sed expressio rationis ad nostram eruditionem. Secundo sic: *n* Transfer calicem hunc a me,] non ut non veniat, sed ut cito transeat. Tertio sic: [Transfer calicem hunc a me,] idest, a meis, scil. discipulis, ut scilicet non remaneat, sed transeat scandalum passionis. Quarto sic [Transfer calicem hunc,] idest, timorem mortis. *o* A me,] idest, a meis discipulis, ut non timeant mori pro nomine meo. Quinto modo sic: *n* Transfer calicem hunc] idest, dolorem mortis. *o* A me,] idest, muta in gaudium immortalitatis, quod factum est in die resurrectionis. Sexto modo. *n* Transfer calicem hunc,] idest, peccatum illatæ passionis. a A me,] a meis, scil. Judæis, ut non remaneat in eis finaliter, sed pœniteant, & revertantur ad me. Idem oravit in Cruce. Dicitur autem passio, vel tentatio, vel tribulatio quælibet temporalis, calix, quia mensurate datur a Deo. B. *Bern.* Agnosco vocem ægroti in medico, considero charitatem, stupeo miserationem, expavesco dignationem. *Chrys.* In dicendo [transfer,] monstrat, quod humanum est. In dicendo [non quod ego volo,] edocuit quod virtuosum. Et *Philos.* Erudit etiam natura reluctante sequi Deum. *Eccl.* 23. Gloria magna est sequi Dominum. *p* Sed quod tu.] Ecce vera obedientia. *Act.* 8. Domine, quid me vis facere.

Moraliter. *q* Et venit, & invenit eos dormientes.] non solum corpore, sed magis mente, nam torpores, & timores, & tristitiæ mentem eorum occupaverant, & oculos cordis opprimebant. Moral. autem adventus Christi corporalis ad discipulos dormientes, significat adventum ejus spiritualem, quo suos visitat in tribulatione. Quia autem ter visitat, & primo, & secundo loquitur, tertio quietem indulget, significat tria beneficia, quæ Dominus visitando tribulatis operatur in eis. Primum illumina-

illuminatio mentis ad cognoscendum. *Isa.* 28. Sola vexatio tantummodo dabis intellectum auditui. *Psalm.* 138. Et nox illuminatio mea. Secundum est corporis extnanitio. Unde dixit Petro: Non potuisti una hora, &c. Et de hoc duplici beneficio dicitur. *Act.* 12. In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, & ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri excitavit eum dicens: Surge velociter. Tertium beneficium, consolatio, qua Deus tentatos, & tribulatos refovet in ipsa tentatione. *Tob* 3. Post tentationem tranquillum facis, &c. Et hæc est requies, quam dormientibus indulsit dicens, [dormite jam, & requiescite.] In hoc autem, quod semper invenit eos dormientes, ostenditur, quod etiam fortissimi in tentatione quasi nihil vident. Refertur autem hæc triplex Domini visitatio ad tres vires animæ. In nocte enim tribulationis visitat Dominus rationabilem, bonas cogitationes inspirando, concupiscibilem, sancta desideria inflammando, irascibilem zelum excitando. Et hoc est, quod dicit *Job* 33. Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas eorum a corruptione, & illuminet luce viventium.

Matth. 26. al. non habet † mecum.

Mystice. Mystice. Dormitatio Apostolorum significat negligentiam, & somnolentiam Prælatorum, quos Dominus ad vigilandum trina visitatione hortatur. Primo sollicitans eos suppliciorum comminatione. Secundo consolans præmiorum pollicitatione. Tertio pulsans succumbendi pudore, dicens ironice: [Dormite jam, & requiescite,] q. d. non modo tempus est dormiendi, aut quiescendi, sed potius vigilandi, & laborandi. *Eccl* 3. Tempus belli & tempus pacis. In hoc etiam, quod dicit: Dormis, eadem quæstio fit Jonæ, idest, prælato: quid tu sopore deprimeris, surge, & invoca Deum tuum. *Jonæ* 1. *Prov.* 6. Usquequo piger dormis, quando consurges e somno tuo, *a* Non potuisti una hora, &c.] Una dicit; quia brevis est molestia tribulationis, quæ est in tentatione respectu jucunditatis, quæ erit in æterna remuneratione 1. *Cor.* 4. Id quod est in præsenti momentaneum, & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.
b Vigilare mecum?] non cum diabolo. *Job* 24. Mane primo consurgit homicida, &c. *c* Vigilate,] 1. *Petr.* 5. sobrii estote, & vigilate, &c. *d* Et orate, &c.] Clamore orationis fur perterritus fugit, & vicini succurrunt, idest, S. Angeli. Qui igitur in tentatione non clamat orando, socium furis, & domini sui proditorem se esse demonstrat, quia fures videt, & insidias, quæ parantur castro domini sui, & non denunciat ei, ut custodiat castrum suum 1. *Reg.* 11. Dixerunt seniores Jabes Galaad concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios ad universas terras Israel, & si non fuerit, qui defendat nos egrediemur ad te. *e* Spiritus quidem, &c.] Hic arguit Dominus Apostolorum præsumptuosas promissiones, q. d. vos dicebatis vos promptos ad moriendum pro me, quia fuit facile, quia spiritus promptus ad promittendum, sed dormitio indicium est vestræ fragilitatis, quia caro est infirma. Unde ideo, quantum de ardore spiritus confidimus, tantum de carnis fragilitate timeamus. Item *Hier.* Hoc contra Eutichianos, qui dicunt, tantum unam voluntatem, & operationem fuisse in Christo. Cum enim dicit: Spiritus quidem promptus, caro autem infirma, duas voluntates ostendit: Unam humanam, quæ est carnis, & aliam divinam, quæ est deitatis, ubi humana propter carnis infirmitatem recusat passionem, divina promptissima est, quia formidare in passione, fragilitatis est, perficere autem dispensationem divinæ voluntatis atque virtutis est.

Mystice. Mystice. *e* Spiritus] idest, homo spiritualis promptus ad bona facienda, & ad mala pro Domino sustinenda. *Psalm.* 107. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. *f* Caro vero infirma.] idest, homo carnalis infirmus ad utrumque. *Gen.* 6. Non permanebit spiritus meus in homine. *g* Erant enim oculi eorum gravati,]

dormis. Non *a* potuisti una hora vigilare *b* mecum? † *c* Vigilate, & *d* orate, ut non intretis in tentationem: Spiritus *e* quidem promptus est, *f* caro vero infirma. Et iterum abiens oravit, eumdem sermonem dicens: Et reversus denuo invenit eos dormientes. Erant enim *g* oculi eorum gravati, & *h* ignorabant, quid responderent ei. Et *i* venit tertio, & ait illis: Dormite jam, & requiescite. Sufficit: Venit hora, ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. *k* Surgite, *l* eamus. *m* Ecce qui me tradet, prope est. Et adhuc eo loquente, venit Judas Scarioth unus ex duodecim, & cum eo turba multa cum *n* gladiis, & lignis missi *o* a summis Sacerdotibus, & Scribis, & Senioribus, *p* Dederat autem traditor eis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum,

Interiores timore, exteriores vigiliarum longitudine. *h* Et ignorabant, quid responderent ei.] erubescentes, quia non poterant modicum vigilare cum eo, pro quo se mori paratos jactaverant. Unde *Chrys.* Qui commori elegerant, neque simul tristari, neque vigilare poterant. *Job* 9. Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei unum pro mille. *i* Et venit tertio,] *Rab.* Tribus vicibus oravit Dominus, ut nos a peccatis preteritis veniam & a malis presentibus tutelam, & a futuris periculis cautelam oremus. Item ut omnem orationem nostram ad tres personas, i. patrem filium, & Spiritum S. dirigamus. Item ut contra triplicis peccati tentationem, i. concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum, ambitionis sæculi clypeum orationis opponamus. Item ut orationis virtute triplicem timorem, sc. mortis, vilitatis † doloris abjiciamus. Item propter trinam tentationem passionis: Caiphæ, Pilati, Herodis. Item ut tres vires animæ in oratione attentas esse debere doceret, ut rationabilis accensa sit in meditando, concupiscibilis fervida in desiderando, irascibilis fortis peccata sua abominando. Item ut tria in oratione esse petenda monstraret, sc. peccatorum remissionem, virtutum conservationem, gloriæ adeptionem. Item ut tria genera hominum orare doceret, sc. Noe, Daniel, Job, idest, Prælatos, continentes, conjugatos. Omnibus enim necessaria est oratio, &c. Sequitur: *k* Surgite eamus.] Hic docet in tentatione surgendum esse, quia stando, non jacendo, pugnatur. Unde & Stephanus in sui lapidatione vidit Jesum stantem. *Act. c.* 7. Eundum est etiam obviam tentationibus. Quia autem indistincte dicit; [Eamus] docet, quibus tentationibus e directo occurrere, ut sunt tentationes spirituales. Unde *Jac. c.* 4. Resistite diabolo, & fugiet a vobis. Aliæ sunt fugiendæ, ut carnales. Unde 1. *Cor.* 6. Fugite fornicationem. *l* Eamus] *Gloss.* Postquam tertio oravit, & Apostolorum timorem pœnitentia corrigendum docuit, securus ad passionem pergit dicens: Surgite, eamus, &c. quasi non nos inveniant timentes, sed ultro eamus obviam, ut passuri gaudium, & confidentiam videant. *m* Ecce, qui me tradet, prope est.] Prope Dominum sunt, qui tradunt eum, idest, clerici, supra eodem. Qui insingit mecum, &c. *Jer.* 11. Quid est, quod dilectus meus in domo mea, &c. *n* Cum gladiis, &c.] Non dicit cum gladio spiritus, quod est verbum Dei, quod revera decet Apostolorum, sed cum gladiis, idest, lingua nequam, & corde malevolo. De primo: *Psal.* 56. Lingua eorum gladius acutus. *Jer.* 9. Sagitta vulnerans, lingua eorum dolum locuta est, in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occulte ponit ei insidias. De secundo dicitur *Prov. c.* 12. Est qui promittit & quasi gladio pungitur conscientiæ. In reprehensione Judæ dicitur; Et cum illo turba multa. Et certe si hoc in Juda proditore reprehenditur, in Episcopis, qui illius locum tenent, non commendatur: Sed sicut dicit *Sen.* Mel muscæ sequuntur, cadavera lupi, turba hæc prædam sequitur non hominem. *Amos* 6. Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum ingredientes pompatice domum Israel. *o* Missi a summis sacerdotibus, & scribis, & senioribus.] Ab istis mittitur turba contra Jesum, qui exemplo istorum, id est, Prælatorum, doctorum, consiliariorum populi occidunt in se Jesum, idest salutem. *Jer.* 23. A Prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram. 1. *Esdr.* 9. Manus Principum, & magistratuum fuit in transmigratione hac prima. *p* Dederat autem traditor eis signum,] *Chrysostom.* Cur signum dedit? Timebat ne sicut alia vice per medium illorum transiret. *Luc.* 4. Quod fecisset, si voluisset. Unde & excæcavit eos quamvis haberent lucernas, ita ut quæreret ipse: quem quæritis? *Joan.* 18. [Signum,] dedit, osculum. Tale est osculum mundi: Illum enim solum decipit, & prodit, quem osculatur. *Prov.* 27. Meliora sunt vulnera diligentis Longini, quam fraudulenta oscula odientis, idest, Judæ.

Quare ter oravit Dominus.

Matth. 17. Luc. 19. Joan. 18.

Matth. 26.

al. † terum.

a Et ducite

a & ducite caute. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Ave, Rabbi. Et *c* osculatus est eum. At illi manus injecerunt in eum, *d* & tenuerunt. Unus *e* autem quidam de circumstantibus educens gladium percussit servum summi sacerdotis, & amputavit illi auriculam. Et respondens Jesus, ait illis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & lignis comprehendere me: *f* Quotidie eram apud vos in templo docens, & *g* non me tenuistis. Sed ut impleantur scripturæ, Tunc discipuli ejus relinquentes eum, *h* omnes fugerunt. *i* Adolescens autem quidam sequebatur eum, *k* amictus syndone super nudo, & tenuerunt eum. At ille † *l* relicta syndone, nudus profugit ab eis. Et *m* adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem. Et *n* convenerunt omnes Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores. *o* Petrus autem a longe *p* secutus est eum usque intro in *q* atrium Summi Sacerdotis, *r* & sedebat cum ministris, & *s* calefaciebat se

Matth. 26. Luc. 22. Joan. 18.

a Et ducite caute.] *Chryſ.* Timebat, ne sicut in monte se transformaverat, tali modo nunc de eorum manibus laberetur. Sed quid est hoc, nunquid putabat eum alicui latere, nunquid credebat eum esse Dei filium? discipulus quidem ejus erat, & miracula ejus viderat, quæ solus Deus facit. *Chryſ.* Resp. Putabat signa, quæ viderat non divinitus, sed magice facta. *b* Ave, Rabbi.] *Matth.* 26. Ave, Rabbi, &c. Ubi *Chryſ.* Quantam nequitiam demonstravit animo proditionis? Talis est ista salutatio iniqua, dolosa. 2 *Reg.* 20. Salve, mi frater, dixit Joab, & tenuit manu dextera mentum Amasæ quasi osculans eum, qui percussit eum. *Pr.* 27. Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis est. *c* Et osculatus, &c.] Quare suscepit Dominus osculum proditoris, & permisit os pollutum contingere labia sua? *Hier.* Non ut doceat nos simulare proditionem, sed ne proditionem fugere videatur, & ut prophetiam impleret, quæ dicit: *Psal.* 119. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. Et alibi: *Psal.* 40. Qui edebat panes meos, &c. *d* At illi manus injecerunt, &c.] sicut dixerat eis proditor, ut dicit *Aug.* ligatus qui solvit compeditos. Significata fuit ista captio, & ligatio Jesu in Joseph, qui captus, & ligatus a fratribus suis. *Gen.* 37. *e* Unus autem quidam, &c.] Hic fuit Petrus, qui ardore mentis, quo cetera zelatus est, Malchi auriculam amputavit, sicut Phinees, qui cum Madianitide coeuntem pugione percussit: *Num.* 25. Significat autem auris dexteræ amputatio, spiritualem legis intelligentiam a Judæis auferendam. Unde *Matt.* 21. Auferetur a vobis regnum Dei. Restitutio autem significat spiritualis intelligentiæ renovationem, quæ ablato legis velamine in primitiva Ecclesia facta est in quibusdam, & fiet plenius in fine, quando Elias converteret corda patrum ad filios: *Mal. ult.* *f* Quotidie eam apud, &c.] Stultitiam, & malitiam eorum arguit, qui semper præsentem eum habuerunt, & modo quasi fugitivum quærunt, & de nocte capiunt, cum omni die doceret apud eos. Sed factum eorum tempori consonat, & personis, quia ipsis tenebrosis in tempore tenebroso factum faciunt tenebrosum, Unde *Joan.* 3. Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem, erant enim eorum mala opera. Qui enim male agit, odit lucem. *Luc.* 22. Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. *g* In templo doceas, &c.] In templo securus fuit Dominus, in horto fuit captus, modo & in horto, & in templo crucifigitur, idest, inter clericos, & rusticos. *Jer.* 15. Quid est, quod dilectus meus, &c. *Jer.* 15. Omnes maledicunt mihi, dicit Dominus. *h* Tunc discipuli ejus relinquentes eum, &c.] qui prius simpliciter promittebant se cum eo morituros. Et impletum est verbum Domini, quod dixerat *sup. eod.* Omnes scandalizabimini in me in nocte ista. Impleta est prophetia: Elongasti a me amicum, & proximum, &c. Et *Job* 19. Simul venerunt latrones ejus, & fecerunt viam per me, fratres meos longe fecerunt a me, & noti mei quasi alieni recesserunt a me. *Prov.* 19. Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici ejus procul recesserunt ab eo. Significant autem discipuli in hoc loco illos, qui tempore pacis se fortes ad omnia credunt, & in tempora tentationis, vel etiam ante, solo timore fugiunt. De quibus *Luc.* 8. Hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Qui etiam fugiendo docent fugere illos, qui se minus idoneos sentiunt ad supplicia sustinenda, quibus tutius est latere, quam se discrimini opponere, ut dicit *Hier.* Unde & eis dicitur *Luc. ult.* Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto. Alius vero discipulus, qui relicta syndone aufugit, significat illos qui mundum, & omnia, quæ mundi sunt, a se abjiciunt, & nudi nudum sequuntur Dominum. Unde seq. *i* Adolescens autem quidam sequebatur cum amictus syndone super nudo,] idest, nihil indumenti habens nisi solam syndonem, idest, sola

Psalm. 17.

necessaria vitæ, nulla superflua; & etiam tenuerunt eum. Sed ille relicta syndone nudus profugit ab eis, ostendens temporalia omnia etiam necessaria tutius dimittere, & nihil habere, quam in mundo aliqua possidere. Unde illi adolescenti, qui omnia mandata a juventute servaverat, & dixerat, quid adhuc mihi deest, respondet Dominus: si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, &c. *Matth.* *c.* 19. Et hic est adolescens, i. in bono crescens, qui a multitudine separatus sequitur mente, & corpore. *k* Amictus syndone] idest sola vitæ necessaria in mundo habens, quæ per syndonem, quæ est vestis simplex, designantur. De qua *Prov. ult.* Syndonem fecit fortis mulier, idest anima fortis, & vendidit ad litteram, dedit pauperibus, & secuta est Salvatorem. *l* At illa relicta, &c.] Juxta exemplum Joseph, qui relicto adulteræ pallio suo maluit nudus Deo, quam indutus meretricis cupiditatibus servire: *Gen.* 39. [At ille, &c.] *Gloſs.* Quis iste fuerit, Evangelista non dicit, quia vero plus cetaris Dominum amaverit, res ipsa indicavit. Contra: Imo Petrus, ut dicit *Auguſt.* Sol. Forte omnes æqualiter amaverunt Jesum, sed Petrus ardentius, & iste, idest Joannes, vel Jacobus secundum quosdam naturalius, ut ita dicam, quia cognati ejus erant. Vel Joannes plus amasse Dominum dicitur, quia familiarior omnibus ei fuit, & Dominus eum plus dilexisse dicitur, quia majora signa familiarioris amoris ostendit. Sequitur: *m* Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem, &c.] sed prius ad Annam dicit *Joann.* 18. quia domus ejus primo occurrit eis, & quia socer erat Caiphæ Pontificis. Isti duo a Romanis emerant sibi sacerdotium, in quo sibi vicissim succedebant. Postea adduxerunt ad domum Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius, & in sacerdotio ministrabat in illo anno.

Matth. 19.

al. †† relicta.

F Matth. 26. Luc. 22. Joan. 18.

n Et convenerunt omnes sacerdotes, & scribæ, &c.] Ad quid? Certe ut tractarent de morte Jesu. Adhuc sæpe conveniunt hæc tria genera hominum, scil. sacerdotes, legis doctores, & abbates tractantes de morte Jesu. *Job* *c.* 15. Congregatio hypocritæ sterilis. *Eccl. c.* 21. Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis. *Psalm.* 67. Congregatio taurorum in vaccis populorum, &c.

o Petrus autem a longe,] *Gloſs.* Quia negationi proximus, si Christo proximus fuisset, non negasset. In hoc tamen admirandus est, quod Dominum non reliquit, etsi timeat, Quia timet, naturæ est, quod sequitur, devotionis, quod negat, objectionis, quod pœnitet, fidei.

p Secutus est eum, &c.] Quia secutus est, fuit amoris, quod autem a longa, timoris. Inter has duas molas terebatur, ut granum, amor trahebat, timor retrahebat, quod autem timuit, fuit fragilitatis, quod secutus est, fuit fervoris, quod negavit, obreptionis, quod pœnituit, misericordiæ. Item quod sequitur a longe, significat Ecclesiam imitantem Christi passionem, sed longe differunt, quia Ecclesia pro se patitur, Christus autem non pro se, sed pro Ecclesia. *q* Usque intro in atrium, &c.] ubi Christum negavit, & tamen valde modicum fuit ibi, quid ergo fecisset, si diu permansisset? Quid est domus Caiphæ, nisi curia principum? Quid Petrus, i. agnoscens nisi clericus? *Matth.* 2. Stella disparuit magis introgressis ad Herodem. Ad litteram: Atrium summi sacerdotis est curia Romana, quam Petrus primus Papa habitavit. *r* Et sedebat cum ministris,] Petrus expectans quid Pontifex judicaret de Jesu, vel amore discipuli, vel humana curiositate. *s* Et calefaciebat se ad ignem.] *Beda*: Est ignis charitatis, de quo *Luc.* 12. Ignem veni mittere, &c. Qui descendens super Apostolos, eorum ignorantiam illuminavit, eorum peccata cremavit, eorum tepiditatem inflammavit, eorum fragilitatem solidavit. Hæc enim quatuor facit ignis. Illuminat, purgat, inflammat, solidat. Est ignis cupiditatis, de quo *Psalm.* 17. Supercecidit

ad ignem. Summi vero *a* sacerdotes, & omne concilium *b* quærebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. *c* Multi enim testimonium falsum dicebant adversum eum, & *d* convenientia testimonia non erant. Et quidam *e* surgentes falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes: Quoniam nos audivimus eum dicentem: *f* Ego dissolvam templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificabo. Et non erat conveniens testimonium illorum. Et *g* exurgens summus sacerdos in medium interrogavit Jesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his? Ille *h* autem tacebat, & nihil respondit. *i* Rursum summus sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu *k* es Christus filius Dei benedicti? Jesus *l* autem dixit illi: Ego sum, & *m* videbitis filium *n* hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & *o* venientem cum nubibus cœli. Sum-

cecidit ignis, & non viderunt solem. Hic ardet in domo Caiphæ Pontificis. Ad hunc se calefaciunt ministri Pontificis, imo ardet in eis, *Job* 15. Ignis devorabit &c. *Mich.* 6. Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, Ad hunc ignem sedit Petrus cum ministris, quando negavit Dominum, Hic ignis multa mala facit Petro, & sociis ejus, qui etiam multorum domos comburit, idest conscientias. Ad minus quindecim mala facit. Primo solicitudinē parit. *Eccl.* 5. Saturitas divitis non sinit eum dormire: Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & curis multis, & in ærumna, atque tristitia. Secundo turbationem mentis facit. *Prov.* 15. Conturbat domum suam, quia sectatur avaritiam, qui autem odit munera, vivet. Tertio perditionem animæ inducit. *Prov.* 1. Aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet eos. Quarto gravedinem mentis operatur, *Gen.* 13. Ubi nos habemus: Abraham descendit de Ægypto dives valde, alia littera habet, gravatus vehementer. Quinto inquinationem mentis facit. *Eccl.* 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. *Habac.* 2. Væ qui congregat non sua, usquequo aggravat densum lutum? Sexto facit inflationem. *Job* 20. Cum saturatus fuerit, arctabitur, & æstuabit, & omnis dolor irruet super eum. *Aug.* Dives extra plenus est, intus vacuus, Carne crepat, corde medicat. Septimo facit præcipitium. *Job* 18. Arctabuntur gressus virtutis ejus, & præcipitabit eum consilium suum, immisit enim in rete pedes suos. Octavo mentem lacerat sicut spina. Unde Dominus *Matth.* 13. *Luc.* 8. Divitias appellat spinas. Ubi *Gregor.* Profecto spinæ sunt, quia cogitationum suarum aculeis mentem pungunt. Unde *Job* 30. Sub sentibus delicias computabant. *Prov.* 24. Per agrum pigri hominis, &c. Nono mentem excæcat. Unde *Tob* 1. Excæcatus est stercore hirundinum, idest, amore temporalium. Et Sedechias in Rebblatha, quod interpretatur multa. 4. *Regum* 25. *Psalm.* Mane astabo tibi, & videbo. *Gloss.* Non videt Deum, qui terrenis adhæret. *Gen.* 20. Saræ autem dixit Abimelech: ecce dedi fratri tuo, &c. Decimo spoliat virtutibus. *Job* 26. Nudus est coram eo infernus, idest avarus. *Luc.* 12. Qui sibi thesaurizat in Deo, dives non est. *Apoc.* 3. Dicis, quia dives sum, &c. Undecimo mentem evacuat omni bono *Luc.* 1. Esurientes implevit bonis. *Isa.* 29. Sicut somniat esuriens. Duodecimo ligat hominem, ut non possit recte ambulare. *Tim.* 6. Qui volunt divites fieri, &c. *Job* 6. Involutæ sunt semitæ gressuum eorum, ambulabunt in vacuum & peribunt. Tertio decimo afflictionem, & dolorem generat. *Eccl.* 5. Est & alia infirmitas, quam vidi sub sole, divitiæ conservatæ in malum Domini sui, pereunt enim in afflictione pessima. Item *Eccl.* 10. Labor stultorum, idest amatorum mundi, affligit eos. Quartodecimo inviscat pennas animæ, ne possit volare in cœlum per contemplationem. *Psalm.* 121. Lætatus sum in his, &c. *Gloss.* Amor terrenarum rerum multis est inviscatio pennarum spiritualium. *Gen.* 14. Vallis silvestris, idest, mundus multos habet puteos bituminis. Quintodecimo, multa scandala, sive obstacula ponit in via Domini, *Sen.* Munera, quæ fortunæ imputantur, insidiæ sunt. *Job* 18. Abscondita est in terra pedica ejus, & decipula ejus super semitam. Hæc quindecim mala facit ignis avaritiæ. Unde, *Versus*:

Sollicitat, turbat, damnat, gravat, inquinat, inflat.
Præcipitat, lacerat, excæcat, nudat, evacuat.
Alligat, affligit, inviscat, scandala tendit.

a Summi vero, &c.] *Chrys.* Quis posset credere, quod tot sacerdotes, & tot religiosi viri, & Pharisæi possent concordare in unum peccatum mortale?

b Quærebant adversus, &c.] *Glossr.* Falsus est, qui non eodem sensu dicta intelligit, quo dicuntur. Dominus enim dixerat de templo corporis sui, sed in ipsis verbis calumniantur paucis additis, vel mutatis. *c* Multi enim, &c.] Idem contra Naboth, de quo 3. *Reg.* 21. facite sedere Naboth inter primos populi, & submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant. Sed vere falsus testis non est impunitus, & qui loquitur mendacia, peribit. *Prov.* 19 *August.* Testis falsidicus tribus personis obnoxius est. Primo Deo, cujus præsentiam contemnit. Secundo judici, quem mentiendo fallit. Postremo innocenti, quam falso testimonio lædit vel dicendo falsitatem, vel tacendo veritatem. Uterque enim reus est, qui dicit falsitatem, & qui tacet veritatem: Ille quia vult nocere, iste, quia non vult prodesse. *d* Et convenientia, &c.] quia varia, quod autem variatur, incertum est, ut dicit *Hier.* Sic testimonia sacerdotum contra Susannā non erant convenientia. *Dan.* 13. Sic etiam testimonium adulteræ contra Joseph non fuit conveniens. *Gen.* 39. Quatuor requiruntur ad verum testimonium, scil. quod testes sint rogati, jurati, volentes, scientes deponant. Isti etiam nec rogati, sed sponte se offerentes, nec jurati, nec volentes, sed conducti, nec scientes, sed fingentes deposuerunt, & ideo non erant convenientia eorum testimonia. *e* Et quidam, &c.] Propter tria, propter mutationem, propter additionem, propter discussionem. Propter mutationem, quia Dominus non dixit: solvam, sed solvite, nec ædificabo, sed suscitabo, quod tantum templo viventi, non materiali convenit. Propter additionem, quia addiderunt manufactum, quod Dominus non dixerat. Propter discussionem, quia non eodem sensu, quo Dominus dixerat, retulerunt. *f* Ego dissolvam, &c.] *Gloss.* Hoc addunt, ut proprie de templo Judaico videatur dixisse. *g* Et exurgens, &c.] *Glos.* Iratus, quia non invenit locum calumniæ, motu corporis insaniam mentis demonstrat. *h* Ille autem, &c.] Propter tria. Primo ut sua taciturnitate apologiam Adæ solveret, hæc fuit sapientia. Secundo ne calumniando per ejus responsionem pejores fierent, hæc fuit misericordia. Tertio, ut indignos sua allocutione ostenderet, hæc fuit justitia. *Isa.* 53. Sicut ovis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. *Psal.* 38. Obmutui, & humiliatus sum, & silui. *i* Rursum summus, &c.] *Hieron.* Quid interrogas impiissime sacerdotum, an ut accuses, an ut credas? Si ut accuses, arguit te condemnare tacentem. Si ut credas, quare confitenti credere noluisti? *k* Tu es Christus, &c.] sacerdos iste adhuc Christum longe futurum expectabat, quem juxta se videbat, sed non cognoscebat, sic populus. *l* Jesus autem dixit, &c.] ut inexcusabiles sint. *Joan.* 15. Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent. [Ego sum] *Gloss.* Marcus. Ego sum. Matthæus: Tu dixisti, quod idem est. *m* Et videbitis, &c.] *Gloss.* Sacerdos interrogat filium Dei? Jesus respondit filium hominis, ne quaternitatem faciamus in Trinitate, sed homo in Deo, & Deus in homine sit. *n* Filium hominis, &c.] *Dan.* 7. Ecce filius hominis cum nubibus cœli veniebat, i. cum sanctis significatis per nubes, quia elevati a terra, & suspensi in cœlum per contemplationem. *Isa.* 60. Qui sunt isti, qui ut nubes volant. Item quia plent pluvia, i. gratia, & doctrina, terram, i. Ecclesiam fœcundant. *Eccl.* 11. Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Item, quia pluunt doctrinis, *Isa.* 5. Mandabo nubibus meis, ne pluant imbrem super terram. Item quia coruscat miraculis, & tonat minis: unde fulgura, & tonitrua appellantur. *Job* 38. Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent, adsumus? *o* Et venientem, &c.] q.d. licet me modo ita tractetis viliter, adhuc tamen me videbitis in majestate mundum judicantem. Unde *Zach.* 12. Videbunt, in quem pupugerunt. Et vide, sacerdos interrogavit de filio Dei, & Dominus respondit de filio hominis. Quare hoc? triplici ratione. Primo ad ostendendam identitatem, ut intelligamus eundem esse filium hominis, & filium Dei. Secundo ad informandum nos in humilitate,

humilitate, ut non erubescamus inferiores nostri generis: Ipse enim cum duplex genus habeat, unum ex parte patris, & aliud ex parte matris, fere ubique se nominat ex parte inferiori. Tertio ad ostendendam humanæ naturæ dignitatem, quæ talis est, ut ab ea filius Dei filius hominis nominetur. *a* Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua,] *Hier.* Quem de solio sacerdotali furor excusserat eum rabies ad scindendas vestes provocat. Erat autem mos Judæorum, ut audita aliqua blasphemia in Deum, scinderent vestimenta sua. Unde etiam Paulus, & Barnabas cum in Licaonia quasi dii adorarentur, sciderunt vestimenta sua. *Act* 4.

G

Mystice.

Mystice] autem in scissione vestis Summi sacerdotis, figurata est amissio sacerdotalis dignitatis, sicut in divisione pallii Samuelis fuit figurata amissio regiæ potestatis. 1. *Reg.* 15. Et quod milites, qui Dominum crucifixerunt, non sciderint tunicam ejus, significat, quod unitas Ecclesiæ in sæculum integra permanet. Unde *Cant.* 6. Una est columba mea. Item vestimenta sunt virtutes, vel opera virtutum. Unde *Eccl.* 9. Omni tempore sint vestimenta tua candida. *Apoc.* 16. Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Hæc vestimenta scidit, quia virtutes in Christum peccando amisit.

mus *a* autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: *b* Quid adhuc desideramus testes? *c* Audistis blasphemiam, quid *d* vobis videtur? *e* Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis. Et *f* cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cœdere, & dicere ei: *g* Propheriza. Et ministri alapis eum cædebant. Et *h* cum esset Petrus in atrio deorsum, *i* venit una ex ancillis summi sacerdotis, & cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum ait: Et tu cum Jesu Nazareno eras. At ille negavit, dicens: *k* Neque scio, neque novi, quid dicas,

a Quid adhuc desideramus testes?] q. d. sua confessio damnat eum, qui blasphemavit se dicendo filium Dei: Et in lege scriptum est: Quicumque blasphemat, moriatur. *Lev.* 24. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.

c Audistis blasphemiam.] Blasphemia est attribuere homini, quod soli Deo convenit.

d Quid vobis videtur?] Ecce nequitia, & iniquitas, sacerdotes contra Dominum jam pronuntiaverunt, & postea quærunt consilium.

e Qui omnes, &c.] quia blasphemum putaverunt, sequentes arbitrium Principis sacerdotum *Osee* 7. Ego redemi eos, idest redimere veni, & ipsi locuti sunt contra me mendacia. *Job* 16. Rugæ meæ, idest viri duplices, testimonium dicunt contra me, & suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi. *Jer.* 12. Facta est hæreditas mea quasi leo in silva, dedit contra me vocem, ideo odivi eam.

f Et cœperunt, &c.] Hoc fecerunt iniqui Judæi in contemptum Christi scientes, sed nostram salutem, & suam damnationem nescientes. Ipse autem omnia sustinuit patienter, dans nobis exemplum, sicut dicitur *Isa.* 50. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Alia editio habet: Dorsum meum dedi ad verbera, & maxillas meas ad alapas. *Thren.* 3. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. *Mich.* 6. In virga percutient maxillam Judicis Israel. *Job* 16. Exprobrantes percusserunt maxillam meam, saturati sunt pœnis meis. *Hieron.* Conspui voluit Dominus, ut nos lavaret; velari voluit, ut velamen culpæ, & ignorantiæ a cordibus nostris auferret. In capite voluit percuti, ut caput nostrum, idest Adam restitueret sanitati. Alapis voluit cædi, & verbis derideri, ut nos ei labiis, & manibus, idest verbis, & operibus applaudamus. Unde *Psalm.* 46. Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.

Mystice.

Mystice, autem, colaphi, & sputa Judæorum, significant blasphemias, & opprobria falsorum Christianorum, quibus frequenter Dominum inhonorant. Unde dicit: *Beda*. Qui tunc cæsus est colaphis Judæorum, nunc cæditur blasphemiis falsorum Christianorum, & qui conspurus est salivis infidelium, nunc velatis opprobriis fidelium exhonoratur. Unde *Job* 30. Abominantur me, & longe fugiunt a me, faciem meam conspuere non verentur. *Prov.* 17. Non est bonum damnum inferre justo, & percutere Principem, qui recte judicat. Secundum *August.* Conspuentes significant falsos Christianos, Christi gratiam respuentes. Colaphizantes significant ambitiosos, honores suos Christo præponentes. Velantes ejus faciem, significant Hæreticos Christum negantes, vel dividentes. Unde *Ambr.* Error Hæreticorum de Christo tribus generibus annumeratur, quia ejus divinitatem denegant, aut humanitatem, aut eas separant.

g Prophetiza.] *Matth.* 26. Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit? Et hoc faciebant Judæi in Christi contumeliam, & irrisionem, quia pseudo-prophetam dicebant. *Aug.* Non minus peccant, qui nunc blasphemant Christum regnantem in cœlis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris.

h Et cum esset, &c.] idest remotus a Jesu non appropinquans ei, ne a ministris aliqua suspicione, quod esset ejus discipulus crederetur.

i Venit una, &c.] Quærit *Beda*: Quare ancilla primo prodidit Petrum, cum viri magis possent eum cognoscere, & prodere? Et respondet, ut ostendatur, in necem Domini & sexum femineum peccasse, & per ejus passionem redemptum esse a morte, contra quosdam Hæreticos, qui dicunt beneficium passionis Christi feminis non profuisse. Propter quod etiam Dominus post resurrectionem primo apparuit mulieribus, ut ostenderet veterem prævaricationem Evæ abolitam in ejus passione. Item recte Principem Ecclesiæ primo compulit ad Christi negationem femina, quæ humani generis propagatorem compulit ad transgressionem. Secundo & prodidit Petrum alia ancilla, ut dicit *Matth.* 26. Et tertio viri.

Mystice.

Mystice.] Prima ancilla, est titubatio mentis, secunda consensio, viri sunt opera mala. Aut prima ancilla summi sacerdotis, est cupiditas in acquirendo, secunda, avaritia in retinendo. Utraque facit negare Jesum. Hæ duæ ancillæ in domo summi sacerdotis famulantur, vel potius expulsa domina domus, idest charitate dominantur, & imperant. *Gen.* 16. Dixit Sarai, idest, cupiditas, Abraham, idest summo sacerdoti, inique agis contra me, ego dedi ancillam meam in sinu tuo, idest, concessi providentiam acquirendi, & conservandi necessaria vitæ usque ad tempus, quæ videns, quod concepit filium, idest multam pecuniam, despectui me habet, judicet Dominus inter me, & te. *Pr.* 30. Per tria movetur terra, & quartum, quod non potest sustinere, per servum, cum regnaverit, per stultum, cum saturatus fuerit cibo, per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta: Hæc est superbia, quæ est odibilis Deo, & hominibus, ut dicitur *Eccl.* 10. Et per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ, idest successerit dominæ suæ: Hæc est cupiditas, quæ sæpe succedit charitati. Quod autem hæ ancillæ habitent in domo summi sacerdotis, idest cupiditas, & avaritia, dicitur *Jer.* 6. A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student, & a Propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum, male acquirendo: Hoc enim docet secunda ancilla. Viri, qui tertio faciunt Petrum Apostolorum Principem negare Jesum, sunt adulatores, quorum magna multitudo habitat in domo summi sacerdotis. *Matth.* 11. Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Unde dicit *Hier.* Ecce qui ponunt pulvinaria sub omni cubito, qui vitam peccantium palpant, non pungunt, habitant in domibus Regum, sed vita rigida, & prædicatio vera debet declinare mollium palatia, quæ frequentant mollibus induti. *Gregor.* Joannes Baptista non fuit mollibus vestitus, quia vitam peccantium blandimentis non fovit, sed aspere increpavit, & ideo in desertis habitavit. *Prov.* 29. Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. *Ezech.* 13. Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ carnis. *Eccl.* 20. Fatuo, idest Prælato tali, non erit amicus, & non erit gratia in bonis illius, qui enim edunt panem, illius falsæ linguæ sunt. *k* Neque scio, &c.] Secundum *Ambr.* Nescio, quid dicas, idest, non approbo. Sed non oportet excusare Petrum, quia aperte negavit Christum, quia ut dicit *Beda*, vere negat Christum, qui se negat ejus discipulum esse. Et dicit *Chr.* Triplex est incusatio Petri. Prima, quia Domino contradixit: Secunda, quia aliis se prætulit. Tertia, quia sibi totum imposuit, & postea negavit. Sed quare permisit Dominus Petrum negare, qui tantum diligebat eum? *Chrys.* Ut confundatur Marcion, ut de se nemo præsumat, ut Christo

in om-

In omnibus credat, ut alii sibi caveant, & Christo credant, ut comprimatur ejus audacia, idest, superbia, ut sciat qualiter alios instruat. Unde *Eccl.* 31. Intellige, quæ sunt proximi tui ex teipso. *Gal.* 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis considerans teipsum, ne & tu tenteris.

Et *a* exiit foras ante atrium, & gallus cantavit. *b* Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus, quia hic ex illis est. At *c* ille iterum negavit. Et *d* post pusillum rursus, qui astabant, dicebant Petro: Vere ex illis es, nam & Galilæus es. *e* Ille autem cœpit anathematizare, & jurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis. Et statim iterum gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Jesus. Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis: Et *f* cœpit flere.

a Et exiit foras ante atrium, &c.] hic fuit primus galli cantus, de quo omnes alii Evangelistæ tacent, ante quem fuit inchoata trina negatio Petri, & ante secundum consummata, ut dicit *Hier.* Marcus ponit primum, ante quem fuit inchoata trina negatio, omnes alii ponunt tantum secundum, ante quem fuit consummata. Et nota, quod sicut sancti de tempore negationis Petri diversimode sentiunt, licet veritas sit, ut dictum est, quod ante primum galli cantum fuit inchoata, & ante secundum consummata, ita & de loco dissentiunt. *Aug. in lib. de concord. Evangelistarum* videtur velle, quod omnes tres negationes fuerint in atrio Annæ. *Hier.* & *Beda* volunt, quod semel negavit Petrus in domo Annæ, & bis in domo Caiphæ: Et hoc videtur secundum seriem litteræ. *Joan.* 18. Sed intellige *Aug.* dixisse præoccupando, alios recapitulando.

b Rursus autem cum vidisset illum ancilla, &c.] cum quibus calefaciebat se Petrus, ut dicit *Aug.*

c At ille iterum negavit.] inquisitus ab illis. *Aug.* Quam noxia sunt colloquia pravorum, quæ cogunt Petrum negare Deum, vel hominem se non nosse, quem inter discipulos confessus fuerat Dei filium. Unde 1. *Cor.* 15. Corrumpunt bonos mores, &c. *d* Et post pusillum,] In hoc pusillo exivit Petrus, & reversus stans ad locum, ut dicitur *Joan.* 18. Iterum negavit. Lucas ait, quod facto intervallo unius horæ. *e* Ille autem cœpit anathematizare,] Non est ista vox ut illa: Et si omnes scandalizati fuerint, sed non ego. *Jud.* 9. Ubi est nunc os tuum, quo loquebaris, ubi est Abimelech, ut serviamus ei? Item 2. *Reg.* 17. Fortissimus quisque, cujus cor est quasi leonis, pavore solvetur. *Amos* 6. Detestor ego superbiam Jacob, idest, præsumptionem Petri. *Prov.* 8. Os bilingue detestor. *Prov.* 17. Qui invertit linguam suam, incidet in malum. Et nota processum Petri. Primo dixit: Non scio, neque novi quid dicas. Secundo cum juramento negavit, ut dicit *Matth.* 26. Tertio cœpit anathematizare, & jurare, nescio hominem: *Remigius*. Quia immorari in peccatis dat incrementum scelerum, & qui spernit modica paulatim decidet. *Greg.* Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox pondere suo ad aliud trahit.

f Et cœpit flere.] Sic ad prædicatoris vocem peccator peccati sui reminiscetur, &c.

CAP. XV.

Et *g* confestim mane *h* consilium facientes summi sacerdotes cum *i* senioribus, & scribis, & universo concilio k vincientes Jesum duxerunt, & tradiderunt *l* Pilato. Et *m* interrogavit eum Pilatus: Tu es rex Judæorum? At ille respondens, ait illi: *n* Tu dicis:

EXPOSITIO CAP. XV.

Et confestim mane consilium facientes, &c.] Istud cap. dividitur in quinque partes. In prima agitur de Christi ligatione, & traditione, & accusatione, quia vinctum tradiderunt præsidi, in multis accusantes eum. In secunda agitur de Christi adjudicatione ad mortem, & multiplici ejus illusione, ibi [Pilatus autem volens satisfacere.] In tertia agitur de Christi crucifixione, & latronum, ac Judæorum multiplici irrisione, ibi [Et postquam illuserunt ei.] In quarta agitur de Christi expiratione, & solis obscuratione, ibi [Jesus autem emissa voce.] In quinta, & ultima agitur de officio sepulturæ, ibi [Et cum jam sero esset factum.] Narrata ergo serie negationis Petri, redit Marcus ad narrationem Dominicæ passionis, & continuatur superiori facto, ibi [Et cœperunt quidam conspuere eum.] Et si per totam noctem illuserunt, & verberaverunt, & etiam sine somno, in quo ostenditur immensitas malitiæ eorum, qui per totam noctem vigilaverunt ad illudendum, & verberandum. Et mane facto ad idem, & pejus conveniunt. *Jer.* 9. Docuerunt linguam suam loqui mendacium, ut inique agerent, laboraverunt. *Prov.* 4. Non dormiunt nisi, cum male fecerint, & non capitur somnus ab eis nisi supplantaverint. *g* Et confestim mane,] Hoc idem mane dicitur *Eccl.* c. 10. Væ tibi terra, cujus rex puer est, & cujus Principes mane comedunt. *Isa.* 5. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem. Illi autem jam ebrii erant. *Job* c. 24. Mane primo consurgit homicida. *h* Consilium facientes,] de quo dicit Jacob *Gen.* 49. Simeon, & levi vasa iniquitatis, in consilium eorum non veniat anima mea. *i* Cum senioribus, & scribis,] de quibus *Dan.* 13. Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populũ. *k* Vincientes Jesum,] Ista vinculatio Christi figurata fuit. *Jud.* 16. in Samsone vincto a Dalila, & tradito Philistæis occidendum, Dalila enim situla interpretatur, & significat Synagogam, quæ ad modum situlæ purum liquorem non retinet, sed quisquilias tantum. *Eccl.* c. 21. Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. Et 27. Sicut in percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius. Samson interpretatur sol eorum. Hic est Christus, qui est verus sol omnium electorum. *Mal. ult.* Vobis timentibus Deum orietur sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus. Samson maxilla asini mille Philistæos prostravit, & de eadem fontem aquæ vivæ produxit, ita Christus simplici prædicatione sua, & Apostolorum, dæmones, & Judæos convicit, & sitienti populo fontem doctrinæ aperuit. Hic tamen ligatus a Dalila traditur Philistæis, idest, Christus ligatus a Synagoga traditur gentilibus. *l* Pilato.] Pilatus os malleatoris interpretatur, & significat hæreticos, per quos diabolus malleat Ecclesiam. De quo *Jerem.* 50. Confractus est, & contritus malleus universæ terræ. Herodes interpretatur glorians in pellibus, & significat Judæos, qui in lege scripta gloriantur: sicut dicit Apostolus *Rom.* 2. Qui gloriaris in lege, per legis prævaricationem Deum inhonoras: Uterque Jesum illuserunt, & illuditur adhuc in membris. Et utrisque summi sacerdotes illudendum tradiderunt, quia ipsi sunt causa utriusque illusionis, propter malum exemplum. *Rom.* c. 2. Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes, &c.

m Et interrogavit eum Pilatus, &c.] *Joan.* c. 18. legitur, quod Pilatus Jesum sibi traditum introduxit in domum suam Judæis non intrantibus prætorium, ne contaminarentur. Cui secreto tunc locutus est Pilatus, & postea exivit ad Judæos ad ostium domus Domino intus remanente, & dixit eis Pilatus. Quam accusationem haberent adversus hominem istum, qui dixerunt, nisi malefactor esset, non tradidissemus eum tibi. Introivit ergo Pilatus ad Jesum, & ibi locutus est cum eo, & egrediens iterum ad Judæos adduxit Jesum foras, & coram Judæis dixit: Tu es Rex Judæorum? Nullum crimen imponens ei, sicut sacerdotes, qui etiam falsos testes contra eum conduxerunt. Quod autem tantum verbo interrogat præses Jesum fecit, ut causam ipsius diligenter examinaret, sicut dicit *Job* 49. De seipso: Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam.

k Vincientes] *Gloss.* Mos erat Judæis, ut quem morti adjudicasse, vinctum judici traderent. Et notandum, quod non tunc primo ligaverunt, sed mox comprehensum nocte in horto, ut *Joan.* 18. dicit, & sic adduxerunt eum ad Annam primum.

n Tu dicis:] Non dicit: Ego sum, ne calumniandi occasionem daret. Nec dicit: Non sum, quia falsum diceret, sed sic temperat responsum, ut utraque pars elici possit, scilicet tu dicis, q. d. ego non dico, sed tu, & ego non nego. Et nota, sacerdoti respondens, dixit: Tu dixisti, ut dicit *Matth.* 26. hic Pilato respondens, ait: Tu dicis:] Quare hoc? *Hilarius*. Quia Sacerdos legem viderat, quæ Christum futurum prædixerat: Pilatus significat gentilitatem, quæ legis ignara per fidem præsentem

præsentem consecuta est salutem. *a* Et accusabant eum, &c.] Hoc supplet *Luc.*23. quomodo eum accusabant de doctrina dicentes: Commovit universam gentem incipiens a Galilæa, &c. Et quomodo Pilatus audito, quod Galilæus esset, misit eum ad Herodem Tetracham Galilææ, ne inconsulto eo Galilæum hominem judicaret. Herodes autem remisit eum veste alba indutum quod est secunda illusio. Prima enim fuit, quando operientes faciem ejus, & percutientes eum dicebant, Prophetiza, Christe, quis te percussit?

b Vide in quantis te accusant,] In tribus maxime accusabant eum. Primo quia se filium Dei faciebat, unde & secundum legem eorum debebat mori. Secundo quia dicebat se esse Regem, & omnis talis Cæsari contradicit. Tertio, quia prohibebat tributum dari Cæsari, hoc tamen, quasi apertum mendacium neglexit Pilatus, qui audierat eum respondisse: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. *Matth.* 22 Sed tantum de regno eum quæsivit, dicens: Tu es Rex Judæorum? *c* Jesus autem amplius, &c.] *Gloss.* Ne crimen diluens a præside dimitteretur, & crucis utilitas differretur. Secundo, ut sic ostenderet eos indignos sua collocutione. Tertio ut suos doceret criminationes, & accusationes falsas magis tacendo, quam defendendo esse superandas. *Thr.* 3. Ex ore Altissimi non egredientur neque bona, neque mala. *Rom.*12. Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ.

d Ita ut miraretur,] *Chrys.* Etenim admiratione dignum erat videre silentem eum, qui tot habebat dicere.

e Pilatus.] Triplici ratione noluit ei Dominus respondere. Prima fuit, quia, ea in quibus accusabant ipsum, erant manifeste falsa, & ideo responsione indigna. Secunda ratio fuit, quia volebat adimplere scripturam, quia de eo erat prophetatum. *Isa.*53. Sicut agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Tertio, quia noluit impedire suam passionem, ut prædictum est.

f Et cum ascendisset, &c.] *Hieron.* Idem nomen propter convenientiam soni reputatur Bar abas, & Barrabas & tamen Barrabas interpretatur filius magistri, a bar, quod est filius, & rabi quod est magister. Barrabas vero filius patris, a bar, quod est filius, & abbas, quod est pater, & significat Antichristum, quem Judæi Christo præferent. Unde *Joan.* 8. Vos ex patre diabolo estis, & voluntatem patris vestri vultis facere.

Moraliter. Moraliter. Barrabas est vetus homo, Jesus novus homo. Uterque ligatus est. Sed ille vinculis peccatorum. *Prov.*5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum quisque constringitur. Iste vero ligatus est vinculis præceptorum. Unde *Eccl.* 6. Decor vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutis. Bonus præses laborat solvere novum, & dimittere liberum, sed turba clamat pro veteri dimittendo, & novo condemnando. Quæ est ista turba? Certe mala societas, carnis voluptas, mundi vanitas, dæmonis iniquitas, propria fatuitas, parentum carnalitas. *Exod.* 23. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum sententiæ acquiesces.

g Sciebat enim, &c.] *Chrys.* Quare ergo non liberabat eum? Si dicis, non erat ei tutum dimittere illum, cui imponebatur, quod se regem faciebat. Esto, oportebat ergo oportunitates quærere, & conjecturas, puta si exercitum colligebat, si pecunias, si arma.

h Pilatus autem, &c.] *Hier.* Multas quærit Pilatus occasiones, ut Jesum cum benevolentia populi liberaret. Ad minus ponuntur tres ad litteram. Prima est collatio Barrabæ. Secunda est dilatio sententiæ. Tertia remotio culpæ. Primo enim contulit Barrabam latronem Christo innocenti, ut ex ipsa collatione ostenderet, Christum

B

Et *a* accusabant eum summi sacerdotes in multis. Pilatus autem rursum interrogavit eum dicens: Non respondes quicquam? *b* Vide, in quantis te accusant. *c* Jesus autem amplius nihil respondit, *d* ita ut miraretur *e* Pilatus. Per diem autem festum dimittere solebat illis unum ex vinctis, quemcumque petiissent. Erat autem, qui dicebatur Barrabas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cum *f* ascendisset turba, cœpit rogare sicut semper faciebat illis. Pilatus autem respondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis regem Judæorum? *g* Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barrabam dimitteret eis. *h* Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam Regi Judæorum? At illi iterum clamaverunt: Crucifige eum. Pilatus vero dicebat illis. Quid enim mali fecit? *i* At illi magis clamabant: *k* Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barrabam, & tradidit *l* Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur. *m* Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & *n* imponunt ei plectentes spineam coronã,

potius esse dimittendum. Secundo quasi de sententia hesitans, ait: Quid vultis, ut faciam regi Judæorum? Tertio culpam ab eo removet dicens: Quid enim mali fecit? q. d. nihil. Utinam hoc dicerent Judices nostri, qui reos absolvunt, & innocentes condemnant. *Prov.* 17. Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.

i At illi magis clamabant:] *Gloss.* Insaniæ suæ satisfacientes, non interrogationi respondentes præsidis.

k Crucifige eum.] similiter clamas tu, quoties peccas mortaliter. *Hebr.*6. Rursum crucifigentes in semetipsis filium Dei. Hic est clamor, de quo. *Isa.* 5. Expectavi, ut faceret judicium, & ecce clamor, & iniquitas.

l Et tradidit, &c.] *Chrys.* Quare flagellis cæsum? Respondet: Vel gratiam facere volebat, vel judicii stemma componere, vel Romanis legibus servire, quæ crucifigendos jubent prius flagellari, ut sic extorqueatur ab eis, si quos in scelere socios habuissent, vel ut Judæi pœnis illius satiati mortem illius ultra non sitirent. Ipse autem Christus flagellari voluit, ut nos a flagellis liberaret. Unde *Isaiæ* 53. Disciplina pacis nostræ super eum.

m Milites autem, &c.] *Hier.* dicit, quod objiciebant Domino, quod usurpasset imperium in populo Judæorum. *Hieron.* Coram omni populo illusionibus Dominum exponunt exuentes eum vestibus suis, & induentes eum chlamyde coccinea, qua reges utuntur, pro diademate imponentes ejus capiti coronam spineam, pro sceptro regali calamum, sive arundinem in manu ejus dederunt, & deinde quasi Regi flectentes genua dicebant, Ave, Rex Judæorum, & percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant in eum. Et post multas illusiones exuerunt eum chlamyde coccinea, & induentes eum vestibus suis, duxerunt eum ad locum crucifixionis.

Mystice. Mystice.] Milites Pilati sunt dæmones, qui spoliaverunt Jesum vestibus suis, idest, Judæis, & induerunt occasionaliter eum chlamyde coccinea, idest, gentili Ecclesia, fide passionis rubricata. Rursus ea exuitur, & veste sua induitur, quia in fine temporum gentilitate recedente Judæa convertetur. Et hoc est, quod dicitur *Rom.* 11. Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salus fieret.

Moraliter. Moraliter, vero milites Pilati sunt mali Prælati, qui Pilato, idest, diabolo militant per avaritiam, & rapinam. Hi veste sua Christum exuunt, idest, cætum fidelium, quos exemplis malis ei auferunt. Chlamys coccinea, qua Christum induunt, est cætus consanguineorum, quos in Ecclesia instituunt ad ejus illusionem, & contumeliam. Unde *Mich.* 3. Audite hoc principes domus Jacob, & judices domus Israel, qui abominamini judicium, & omnia recta pervertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus, idest Ecclesiam de consanguineis. Sed hoc mirum est, quia eunte ad crucem exuunt eum chlamyde coccinea, quia tales Domini passionibus communicare non volunt, sed de bonis ejus ditari, & delectari volunt, sicut dicitur *Amos* 6. Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Joseph.

n Et imponunt ei plectentes spineam coronam, &c.] sicut per chlamydem coccineam cœtus consanguineorum intelligitur, quibus Prælati Christum induunt, eos in Ecclesia instituentes, sic per coronam spineam cœtus ambitiosorum, & aliorum peccatorum, plus, quam spinæ congregatæ pungentium accipitur. Unde 2. *Reg.*23. Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi. *Isaiæ* 33.

Spinæ

Spinæ congregatæ igne comburentur. Caput Christi est Ecclesiastica dignitas, idest locus superior in corpore Christi, quod est Ecclesia. Quid ergo est corona spinea in Christi capite, nisi ambitiosi, & avari in Ecclesiastica dignitate? Et certe tot spinas ponunt Prælati in corona Domini, quot malos constituunt in Ecclesiastica dignitate. Unde sponsa Christi admirans, & dolens de tali corona sponsi sui, dicit *Cant.* 3. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. *B. Bernard.* Non decet sub spinato capite membrum esse delicatum, quare ergo clerici in capite suo serta de floribus portant in contumeliam Salvatoris? *Isa.* 28. Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim, & flori decidenti.

& *a* cœperunt salutare eum: Ave, rex Judæorum: & *b* percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant eum, & ponentes genua adorabant eum. Et *c* postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis, & *d* educunt illum, ut crucifigerent eum. E *e* angariaverunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum venientem de villa, *f* patrem Alexandri, & Rufi, ut tolleret crucem ejus. Et *g* perducunt eum in Golgotha locum, quod est interpretatum Calvariæ locus. Et *h* dabant ei bibere myrrhatum vinum,

a Et cœperunt salutare eum:] Ista salutatio derisio est. Sic multi eum salutando, idest horas cantando derident, idest blasphemant. Sicut dicit *Augustinus*: Lingua laudant, vita blasphemant. *Eccl.* 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Sapientiæ enim Dei astabit laus in ore fideli. Nunquid derisio esset salutare regem, dorso verso ad eum, & facie aversa ab eo? Sic salutatur, idest laudatur Christus a multis. Dorsum habent ad Christum, sed faciem cordis habent aversam, aliud cogitantes, & aliud intendentes. *Isa.* 29. Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me. *Ezech.* 8. Ecce in ostio templi Domini inter vestibulum, & altare vigintiquinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis.

Mystice. *b* Et percutiebant caput ejus arundine,] Mystice. Caput Christi Deus est, ut dicitur *prima Corinthior.* 11. Arundo autem est sacra Scriptura, quia arundine scribitur. Christi ergo caput arundine percutiunt hæretici, qui Christi divinitatem negantes, errorem suum auctoritate sacræ Scripturæ defendunt. In faciem ejus conspuunt, qui verba contumeliosa de corde maligno in eum, vel in membra ejus evomunt. Et irrident hypocritæ, qui corde superbo, & doloso ante Christum se humiliant. De quibus dicitur *Ecclesiast.* 19. Est, qui nequiter se humiliat, & plena sunt interiora ejus dolo. Propter hanc genuflexionem Judæorum, qua Dominum irriserunt, non facit Ecclesia in die Parasceves genuflexionem pro ipsis, cum tamen faciat pro Hæreticis, & Paganis. Et hæc fuit tertia illusio Christi. Prima siquidem fuit in domo Caiphæ summi sacerdotis, quando in ejus faciem expuentes, & velantes, & alapas inferentes dicebant: Prophetiza Christe, quis est, qui te percussit? Secunda fuit in domo Herodis, quando induerunt eum veste alba. Tertia fuit hic, scilicet, in prætorio judicis, quando indutus est chlamyde recompensanda, triplex honor in die Parasceves Domino exhibetur, trina genuflexione, & laudum decantatione, & hoc in lingua Latina, & Græca. Tertia enim lingua, idest Hebraica silebit a laudibus Christi usque in finem sæculi, & tunc primo solvetur. De qua dicitur *Ecclesiast.* 28. Lingua tertia multos commovit. Verba Græca, quæ dicit Ecclesia Deum laudando, & genuflectendo sunt ἅγιος Agios ὁ θεὸς o Theos, ἰσχυρὸς Ischyros. Verba latina sunt: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis. Significat autem hæc triplex illusio Christi triplicem illusionem, qua illuditur. Primo a clericis, hæc fuit in domo pontificis. Secundo a laicis Christianis, hæc fuit in domo Herodis principis sæcularis. Tertia ab Hæreticis, & infidelibus, hæc fuit in prætorio judicis infidelis. *Job trigesimo* Nunc derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei, quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni, hoc ad hæreticos. Egestate, & fame steriles, hoc ad laicos. Et *infra*: Filii stultorum, & ignobilium, & in terra penitus non parentes, nunc autem in eorum canticum versus sum, hoc ad clericos.

c Et postquam illuserunt ei, &c.] Ecce in prætorio indutus clamyde coccinea Christus illuditur, vadens ad crucem, suis vestimentis induitur, & quid hoc significat, nisi quia nobiles, & divites Dominum in prosperitate, & percipiendis ejus beneficiis, quasi boni comites undique circumstant, sed in tribulatione, & passione dimittunt? Unde ipsemet dicit in *Psalm.* 16. Projicientes me nunc circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis. *Eccl.* 6. Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in tempore tribulationis. E contrario dum fuit in prætorio exutus fuit vestibus suis, sed vadens ad crucem reindutus est illis, & quid, nisi quia sancti, qui sunt vestes Domini curias principum, & dignitates, & delicias fugiunt, sed Dominum crucis martyrio comitantur. In veste aliena illuditur Christus, sed in propria ad crucem ducitur. Et certe, quod hic factum est ad litteram, fit hodie spiritualiter. *Chrysostom.* Quæ nobis est cura contumeliæ, postquam Christus passus est? Etenim ultimus terminus contumeliæ erat, quod fiebat ei: Neque enim una particula, sed universum corpus per totum injurias patiebatur, caput per coronam, manus per arundinem, os per acetum, facies conspuebatur, genæ vellebantur.

d Et educunt illum, &c.] extra civitatem. *Hebr.* 13. Exeamus ad eum, &c.

e Et angariaverunt, &c.] Mystice. Per istum Simonem, qui portat crucem Domini in angaria, significantur hypocritæ, qui labores multos sustinent in hoc mundo pro laude humana. Sicut dicit Dominus *Matth.* 6. Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes: Amen dico vobis, acceperunt mercedem suam. *B. Bernardus*: Væ portantibus crucem, non sicut Salvator suam, sed sicut ille Cyrenæus aliam *Amos* 9. Nunquid non ascendere feci Syros de Cyrene? Crucem igitur alienam portant omnes, qui in hoc mundo non pro Christo, sed pro mundo laborant. Suam portant crucem, qui pro Christo laborant, & pro suis excessibus diluendis. Unde *Luc.* 9. Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, non alienam, & sequatur me. Secundum *Hieronym.* Per Simonem significatur Gentilis populus, tum quia Gentilis fuit, & quia obediens interpretatur. Et de illo populo dicitur: Populus, quem non cognovi, servivit mihi. Simon igitur crucem Domini portat, quia populus Gentilis fide passionis suscepta passionem pro Christo sustinuit. Et bene dicitur Cyrenæus, quod interpretatur, quia obediendo hæres Dei, & cohæres Christi effectus est. Sicut dicitur *Rom.* 8. Si filii sumus, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *Ephes.* 2. Jam non estis hospites, & advenæ, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei. Mystice.

f Patrem Alexandri, & Rufi,] magnæ opinionis.

g Et perducunt eum in Golgotha locum,] Golgotha nomen Syrum est, & interpretatur Calvariæ, ut dicit *Hieronymus*. Non propter calvitium Adæ, quod quidam dicunt ibi sepultum, sed propter decapitationem damnatorum. Adam enim juxta Hebron sepultus est, ut dicitur *Josue* 24. Calvaria autem proprie dicitur os capitis carne, & capillis nudatum, quod solet inveniri in sepulchris mortuorum: Sed quia frequentes homines ibi decollabantur, & remanebant ibi capita, ideo locus dicebatur Calvaria. Fuit autem significata illa eductio Christi in Golgotha, in lege, & ante legem, sicut dicit *Hieronymus*: Primo per Abel, quem eduxit Cain in agrum, ubi occidit eum. *Genes. capit.* 4. Secundo per Isaac portantem ligna, super quibus immolatus est aries. *Genes. cap.* 22. Tertio per Joseph, cujus tunica tincta sanguine hœdi reportatur ad patrem ipso remanente vivo. *Genes. cap.* 37. Quarto per serpentem æneum suspensum in palo in deserto. *Num* 21.

h Et dabant ei bibere myrrhatum vinum,] *Matth.* 27. dicitur, cum felle mixtum. *Augustinus* de concordia quatuor Evangelistarum: Fel posuit Matthæus pro amaritudine, & Marcus myrrhatum similiter, utrumque enim amarum est, & fel, & myrrha. Vel potuit esse, ut utrumque miscuissent, & fel, & myrrham, ut amarissi-

Et *a* non accepit. Et *b* crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. *c* Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Et *d* erat titulus causæ ejus inscriptus, rex Judæorum. Et *e* cum eo crucifigunt duos la-

amarissimum potum ei darent, quod fugit signum maximæ malitiæ. Etiam dicitur, quod ob hoc portaverunt secum tale vinum, ut pendentes in cruce inde potarent, ut citius morerentur. Vel forte vinum, quod secum tulerunt milites crucifixores propter calorem acuerat, & illud dederunt ei, quando dixit: Sitio. Et significat illud vinum amaritudinem malitiæ Judæorum, qua potaverunt eum in cruce sitientem salutem eorum. Unde *Beda*: Amara vitis amarum vinum propinat Jesu. Et sumit hoc de *Jerem*. 2. Quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena. *Psal*. 68. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Adhuc multi Christo sitienti vinum charitatis, propinant vinum iniquitatis, de quo dicitur *Proverb*. 4. Panem impietatis comedunt, & vinum iniquitatis bibunt. Et ideo potabuntur ab ipso in fine vino iræ, & indignationis, sicut dicitur *Apocal*. 14. Hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius. Item *Apoc*. 16. Date illi calicem vini indignationis iræ ejus. *a* Et non accepit.] ut biberet. Accepit quidem in ore, sed noluit bibere. Unde *Matth*. 27. Cum gustasset, noluit bibere. In quo significatur mystice, quod amaritudinem mortis gustaverit, sed cito, idest die tertia resurrexit. Unde *Psalm*. 109. De torrente in via bibet, idest in transitu. Significat etiam in hoc, quod non acceperit, quia peccatum, pro quo punitus est, non fecit. Unde *Psalm* 68. Quæ non rapui, exolvebam, &c.

b Et crucifigentes eum, &c.] *Joan*. 19. expressius, & plenius narrat hanc historiam. Dicit enim, quod secundum numerum militum diviserunt sibi vestimenta Domini, ut unusquisque haberet suam partem, præter tunicam inconsutilem, quæ non fuit divisa, sed sortita cujus esset. Secundum *Bedam*, vestis Domini quadripartita est Ecclesia, per quatuor partes diffusa, Christi nuditate induta, Christi paupertate ditata, Christi morte vivificata. Unde *Ezech*. 37. A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant. Quod autem tunica inconsutilis non est divisa, sed integra sortita, significat, quod unitas Ecclesiastica erit usque in finem sæculi duratura, & ita & indivisa, & quadripartita est corpore. Quod autem Ecclesia dicatur vestis Christi, dicitur *Isa*. 49. Vivit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris. Secundum *Hieron*. Vestimenta Christi sunt mandata Dei, quibus tegitur corpus ejus, quod est Ecclesia. Unde *Job* 29. Justitia indutus sum, & vestivi me, sicut vestimento. Quatuor milites, quibus vestimenta distribuuntur, sunt quatuor genera hominum, quibus præcepta dominica dantur, scilicet conjugati, viduati, prælati, separati, idest religiosi, quia Christo, vel diabolo militant, quia vita hominis est militia super terram. *Job* 7. Unde 1. *Tim*. 2. dicit Apostolus: Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Et postea docet, qualiter, & in quibus debeamus militare: Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis. *Job* 25. Nunquid est numerus militum ejus? Per tunicam inconsutilem indivisam significatur unitas charitatis, de *Eccles*. 4. Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Quæ recte sorte datur, idest occulte, & sine personarum acceptione. *Joan*. 3. Spiritus ubi vult spirat, & nescis unde veniat, aut quo vadat, *Proverb*. 16. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur. *c* Erat autem hora tertia, &c.] *Joan*. 19. Erat autem hora quasi sexta, quomodo ergo dicit Marcus, quod erat hora tertia? Ad quod dicit *Beda*, quod utraque hora crucifixus est Dominus, hora tertia linguis Judæorum, qui pejores, & priores in Domini crucifixione, & hoc narrat Marcus. Hora sexta fuit crucifixus manibus militum, quod narrat Joannes. Sed opponit *Hieron* contra hanc solutionem, quia videtur, quod non possit stare, quia hora sexta tactæ sunt tenebræ usque ad horam nonam, quia cum non possent milites videre, qualiter eum crucifigerent, neque Judæi illusiones facere, quas ei faciebant. Unde non videtur probabile, quod tunc fuerit crucifixus. Ad hoc potest dici, quod Dominus fuit crucifixus inter tertiam, & sextam a militibus, & a Judæis, & potest ab utroque extremorum in diversis respectibus nominari. Verbi gratia. Si aliqua seditio fieret in civitate inter tertiam, & sextam, si quæreretur ab aliquo, qui interfuit principio, quando fuit facta hæc seditio, responderet, hora tertia, alius, qui interfuisset fini, diceret hora sexta, & uterque verum diceret; Ita est hic, & hoc innuit Joannes, qui non dicit præcise hora sexta, sed hora quasi sexta. Et quod Marcus simpliciter dicit, hora tertia, debet intelligi quasi tertia, tamen dicit tertia simpliciter, quia crucifixionem linguarum Judæorum voluit comprehendere simul. Inde est, quod in Ecclesiis cathedralibus Missa major de Domini passione celebratur inter tertiam, & sextam, & si forte aliquo casu præveniatur hora, debet dici tertia ante Missam. Sequitur. *d* Et erat titulus causæ ejus inscriptus, rex Judæorum.] Titulus dicitur, quia continet causam crucifixionis ejus, idest rex Judæorum. Hæc enim fuit præcipua causa crucifixionis ejus, quia dicebat se regem Judæorum. Alius etiam dicitur titulus esse, qui scilicet indicat triumphum Christi, & causam triumphi. Per hoc enim, quod dicitur: Rex Judæorum, ostenditur, quod nec in morte perdidit regnum, & dominium Judæorum, imo magis acquisivit. Unde dicitur triumphalis. *Hieron*. enim *super illum Psalm*. 58. Eripe me Domine de inimicis meis, &c. distinguit triplicem titulum, scilicet memorialem, præconialem, triumphalem. Memorialis est, ut epitaphia, quæ fiunt super tumulos mortuorum. Et dicitur memorialis, quia fit in memoriam eorum, ut oretur pro eis. Præconialis titulus est, qui solet scribi in portis civitatum, vel liminibus domorum in laudem, & præconium civitatum, vel domorum, ut civitas solis. *Isai*. 19. ut domus Julii, & hujusmodi. Titulus triumphalis est, qui continet causam, & ordinem triumphi, qui solet describi in arcubus, quod antiquitus solebat fieri, & describebatur causa, & ordo triumphi, & illa scriptura dicebatur titulus triumphalis. Talis fuit ille titulus, de quo prophetavit *Isai*. 19. Erit altare in medio Ægypti, idest crux in medio mundi, & titulus Domini juxta terminum ejus. Erat autem scriptus tribus linguis, scilicet, Latina, Græca, & Hebraica, quia hæ tres super alias excellebant. Græca propter sapientiam Græcorum. Latina propter potentiam Romanorum. Hebraica propter religionem, & clementiam Judæorum, & ut omnes, qui erant tunc simul possent legere, & ut pro omnibus pati, & omnibus dominari ostenderetur. Unde Pilatus dixit: Quod scripsi, scripsi, idest indelebilem titulum apposui, quia indelebilis est memoria ejus. *Prov*. 10. Memoria justi cum laudibus.

e Et cum eo, &c.] Mystice. Duo latrones, sunt duo populi, qui seipsos Deo turati sunt, inter quos Jesus crucifigitur, quia pro salute utriusque populi mortuus est Christus. Sed alter in cruce pœnitet, & confitetur, idest populus Gentilis, alter adhuc blasphemus remanet, & incredulus, idest populus Judaicus. Unde *Habac*. 3. In medio duorum animalium cognosceris, idest in medio duorum latronum. Vel secundum *Augustinum*, per duos latrones significatur genus humanum in cruce præsentis miseriæ positum. Sed alter est a dextris, & alter a sinistris, quia altera pars hominum pro terrenis patitur, altera pro æternis. Unde *Matth*. 24. Duo erunt in agro, idest in labore mundi, unus assumetur, & alter relinquetur. *Proverb*. 4. Vias, quæ a dextris sunt, novit Dominus, perversæ autem, quæ a sinistris sunt.

Mystice.

Moraliter, autem, quod Dominus in medio crucifixorum est crucifixus, significat, quod in medio pœnitentium est agenda pœnitentia, inter disciplinatos disciplina salvanda. Alter enim læsionem, & scandalum aliorum, & periculum proprium non effugiemus. Unde *Sen*. Nihil tam lugiendum, quam dissimilium societas. *Eccl*. 27. Volatilia ad sibi similia conveniunt, & veritas ad eos, qui operantur eam, revertetur. Quod autem duo crucifixi sunt cum Domino, significat, quod nobiscum debemus duos latrones crucifigere, idest mundum, & carnem. Sicut docet Apostol. *Gal*. 5. Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis mundi, & concupiscentiis carnis. Latro dexter caro est, cui spiritus crucifixus cum ea compatiendo, idest consolando salutem promittit, dicens: Hodie mecum eris in Paradiso, idest cito transibit passio tua, & pro ea æternaliter remuneraberis in cœlo. 2. *Corinth*. 4. Id quod in præsenti est momentaneum, &c. Latro sinister est mundus, qui Christo crucifixo, idest membris ejus Christi crucem portantibus insultare non cessat. Sicut dicitur *Job* 12. Deridetur justi simplicitas. Igitur tres cruces hic insinuantur. Crux carnis, crux mundi, crux spiritus in medio est. Crux carnis est pœnitentialis disciplina: Cujus quatuor sunt brachia:

Moraliter.

Vestis

trones, unum a dextris, & alium a sinistris ejus: Et *a* impleta est scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est. Et prætereuntes blasphemabant eum moventes capita sua, & dicentes: *b* Vah qui *c* destruis templum Dei, & *d* in tribus diebus reædificas. *e* Salvum fac teipsum descendens de Cruce. Similiter & summi sacerdotes illudentes ad alterutrum cum Scribis dicebant? *f* Alios salvos fecit, *g* seipsum non potest salvum facere. *h* Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, & credamus. Et *i* qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei. Et *k* facta hora sexta, *l* tenebræ factæ sunt per *m* totam terram usque in horam nonam.

a Vestis asperitas, victus tenuitas, vigiliarum instantia, disciplinarum frequentia. Crux mundi, est contemptus mundi: Cujus quatuor sunt brachia. Primum assidua mortis cogitatio. *Hieron.* Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. Secundum cogitatio brevitatis, & vanitatis deliciarum mundi. *Nahum* 3. Qui viderit te, resiliet a te. Tertium est consideratio miseriarum, & ærumnarum mundi. *Hieron.* Cum mundus tot calamitates ingeminat, quid aliud, nisi ut fugiatur clamat? Quartum est contemplatio æternitatis, vel tormentorum, vel gaudiorum, quod super omnia mortificat amorem mundi. Unde Paulus postquam raptus fuit ad tertium cœlum, dixit: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Crux spiritus, est bona conversatio: Cujus quatuor brachia sunt. Obedientia ad superiores, charitas ad inferiores, humilitas in prosperitate, patientia in adversitate, de qua dicitur *Ephes.* 3. In charitate radicati, & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. *a* Et impleta est scriptura.] *Isai.* 53. Et cum iniquis reputatus est. *b* Vah] interjectio insultantis, & exultantis. *Job* 39. Cum audierit sonitum buccinæ, dicit vah. *Jer.* 5. Saturavi eos, & mœchati sunt.

c Qui destruis templum,] 1. *Corinth.* 3. Si quis violaverit templum Dei, disperdet illum Deus, templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. *d* Et in tribus diebus reædificas,] Tres dies reædificationis templi spiritualis, sunt tres partes pœnitentiæ: Contritio, confessio, satisfactio, de quibus *Luc.* 13. Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor. [Templum] *Hieron.* Fatuus populus concordat voci falsorum testium: De quibus *Matth.* 26. Novissime venerunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dicit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. Notatur autem in hac serie triplex Christi improperium. Et a tribus. A prætereuntibus, a latronibus, & a sacerdotibus, idest, a laicis, & clericis, & Prælatis, qui latrones dicuntur. *Isa.* 1. Principes tui infideles socii furum. De omnibus his dicitur in *Psal.* 68. Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Et ex circumstantiis eorum triplex inconstantia notatur, idest, operis, cordis, & oris. Operis, ibi. [Prætereuntes.] Cordis, ibi [Moventes capita.] Oris, ibi [Et dicentes] *Chrys.* Super hoc legamus, multum enim lucrum est, & magna utilitas. *e* Salvum fac teipsum descendens de Cruce.] Credo, quod a diabolo suggestum est eis, ut hoc modo illuderent ei, & irriderent eum, ut sic per eorum illusionem de cruce descenderet, nec tamen salvaretur genus humanum. Cognoverat enim jam crucis mysterium, quod prius fuit ei occultum, quando mortem Christi persuasit. Sed Dominus non acquievit eorum illusioni, neque de cruce descendit, docens in tribulatione perseverantiam. [De cruce.] *B. Bern.* Immo si rex Israel est, titulum regni non deserat. *f* Alios salvos fecit,] Hoc verum dicunt nolentes tamen, quia multos salvos fecit a culpa, & a pœna, quia ad hoc venerat, & ob hoc nomen habet Jesus, id est, Salvator. *Matth.* 1. Vocabis, nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. *g* Seipsum non potest salvum facere.] Si de salute a culpa intelligunt, verum dicunt, quia qui peccare non potuit, salvari a peccato non potuit. Si de salute a pœna intelligunt, plane mentiuntur, quia qui de morte se suscitavit, ne pateretur, facere potuit. *Joan.* 10. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo, &c. *h* Christus rex Israel descendat nunc de Cruce, ut videamus, & credamus:] *Beda* dicit: Fraudulenta promissio, majus fecit surgens de sepulchro, nec tamen crediderunt. *i* Et qui cum eo crucifixi erant, &c.] *Luc.* 23. dicit, quod unus latro blasphemabat, dicens: Si tu es Christus, salva teipsum, & nos. Alter vero eum redarguit, & dicit: Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum. Ponit ergo Marcus plurale pro singulari, ut dicit *Hieronymus*. Vel forte uterque primo blasphemavit, vel corde, vel ore, sed visis signis alter pœnituit. Dominus autem, non respondit sinistro latroni, dicenti: Si tu es Christus, salva teipsum, & nos, dextro vero dicenti: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum, respondit, dicens: Hodie mecum eris in Paradiso. Sic hodie omnes in Cruce sumus, idest, in miseriis, & ærumnis, & infirmitatibus. Sæpe a quibusdam rogatur, & volunt quidam salvari, ut in præsenti gaudeant, hi dicunt cum latrone sinistro: Si tu es Christus, salva teipsum, & nos: Non dicunt in futuro, sed modo. Sed quid factum est illi latroni? Certe nec a cruce præsenti liberatus est, & crucem æternam invenit post mortem. Ita & hi. *Jacob* 5. Agite nunc divites, plorate, & ululate in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Bonus latro, qui se non petit a præsenti tribulatione liberari, & ideo salutem æternam invenit. *Augustinus*. Domine, hic ure, hic seca, dummodo in futuro parcas.

k Et facta hora sexta, &c.] Notandum, quod sol ad meridiem ascendit, deinde usque ad vesperam descendit. Quod ergo Dominus mortuus est, & crucifixus in declinatione, ostendit, quia mortuus est pro declinatione, idest, pro peccato, ad quod declinaverat homo. Quod autem diluculo resurrexit, ostendit, quod propter justificationem nostram, & quod nos mane, idest, illarim a peccato resurgere debemus. Unde Apostol. *Roman.* 4. Mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Item illa hora peccavit Adam, idest, post meridiem. *Genes. cap.* 3. Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso post meridiem, abscondit se Adam, & uxor ejus a facie Domini, Justum ergo fuit, ut eodem tempore janua Paradisi reseraretur Domino moriente, quo fuerat clausa Adam prævaricante. Et merito sexta hora tenebræ fiunt, quia cum homo venerit ad vitæ perfectionem, quæ per senarium designatur, tunc ei omnia temporalia, quæ prius lucida apparebant, tenebrescunt. Unde *Amos* 8. Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.

l Tenebræ factæ sunt,] *Hieronym.* Hic adest Noe inebriatus, ac nudatus cœlo, ac terra tenebroso pallio rectus, & ab homine irrisus, hic stillavit de ligno sanguis. Hic *Gloss.* quatuor facta circa nos adaptat aliis quatuor, quæ sunt facta circa Christum. Inebriatus est, & nudatus, & irrisus, & pallio filiorum coopertus. Inebriatio fit ex multiplici potione, & ideo significat Christi passionum multiplicitatem. Unde cum dicit: Adest Noe inebriatus, idest, Christus multipliciter flagellatus. Nudatio Noe, in qua ejus pudenda apparuerunt, significat evidentiam ignominiosæ mortis Christi. Non enim in terra, neque in cœlo occisus, sed inter cœlum, & terram, idest in aere, ut omnibus appareret opprobrium mortis ejus. Et hoc est, quod dicit: Nudatus cœlo, & terra, idest, nec in cœlo, nec in terra, sed in medio crucifixus. Item duo filii ejus cooperuerunt pudenda Noe pallio, & duo elementa, idest, sol, & luna retrahentes radios suos, operuerunt ignominiam mortis. Et hoc est, quod dicit: Tenebroso pallio tectus, idest, sicut Noe pallio filiorum est tectus, ita Christus solis, & lunæ tenebris obvolutus. Item Noe fuit irrisus a filio suo Cham, & Christus a Judæis. Unde Cham ridet dum membra videt detecta parentis: Judæi risere Dei pœnam patientis. Hic, idest, in cruce stillavit de ligno, idest de latere Christi, qui est lignum vitæ. *Prov.* 3. Sanguinis. *Joann.* 19. nostri Redemptoris.

m Per totam terram,] supple Judæorum, idest, per totam Judæam. *Origen. super Exod.* ubi adaptat plagas Ægypti operibus recreationis dicit, quod sicut per triduum factæ sunt tenebræ per totam terram Ægypti, non tamen in terra Gessen, ubi erant Hebræi, sic per spatium trium horarum factæ sunt tenebræ per totam Judæam, & non alibi. Hoc ita visum est Origeni, quia si in terra gentilium tam mirandum aliquid contigisset, illud

illud in eorum scriptis relictum fuisset. Sed *in historiis* dicitur contrarium, quia Athenienses visis tenebris, quæsierunt causam: Et respondit Dionysius, quia aut elementa patiebantur, aut Deus naturæ vim patiebatur, unde aram ignoto Deo construxerunt. Tunc enim non potuit fieri eclipsis, quia luna plena erat, eclipsis non fit, nisi in ortu lunæ. Præterea eclipsis non durat tantum. Unde *Chr.* Non erat eclipsis, tribus enim horis permansit eclipsis tantum in una temporis raptione. Unde *Hieronym.* Nulli dubium est lunam fuisse plenissimam Paschæ tempore, & ne forte videretur

Et *a* hora nona *b* exclamavit Jesus voce magna, dicens: Eloi, Eloi, lammasabactani, quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut *c* quid dereliquisti me? Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: *d* Ecce Eliam vocat. *e* Currens autem

umbra terræ, vel orbis lunæ soli fuisse oppositus, & breves, & ferrugineas fecisse tenebras, trium horarum spatium ponitur, ut omnis causantium occasio tolleretur. Et dicit *Hieronym.* Compatiuntur elementa conditori suo, refugit Sol, quia non potest videre mortem Christi, collaborant laboranti, & blasphemantibus suæ lucis beneficium subtrahit. Omnis creatura compatitur Christo morienti, Sol obscuratur, terra movetur, petræ scinduntur, velum templi dividitur in duas partes, sepulchra aperiuntur, solus miser homo non compatitur, pro quo solo Christo patitur. *Amos* 6. Et nihil compatiebantur super contritione Joseph. De his tenebris dicit *Job.* 5. Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie. *Joel ult.* Sol, & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt lumen suum. *Amos* 8. Occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. Sequitur. *a* Et hora nona exclamavit Jesus voce magna.] *Hieronym.* Hora nona mori voluit, ut ostenderet per mortem suam novem Angelorum ordines reparari. *b* Exclamavit] præ dolore magno, in quo & veritas humanitatis, & virtus ostenditur divinitatis. Si enim esset purus homo in morte, fortiter clamare non posset. *Hebr.* 5. Cum clamore valido, & lacrymis exauditus est. Et est forma pœnitentis, qui moritur peccato per contritionem, clamat per confessionem, & plorat per satisfactionem & sic exauditur. *Osea* 12. Directus est Jacob cum Angelo, &c. *c* Ut quid dereliquisti me?] idest, passioni, & morti exposuisti? Vel, [quid dereliquisti me,] idest, cur meos, idest, Apostolos me relinquere permisisti? Et exprimit hic Dominus statum, & mentem tentati, & tribulati, qui dum est in tribulatione, putat se a Deo derelictum, cum tamen Dominus propior sit homini, quem videt in tribulatione. Unde *Psal.* 90. Cum ipso sum in tribulatione. *Isai.* 43. Cum transieris per aquas, flumina non operient te. Derelinquit autem Dominus amicos suos, idest, tribulationibus exponit ad tempus, ut in æternum misereatur: Sicut dicitur *Is.* 54. Ad punctum in momento dereliqui te, & in miserationibus multis congregabo te. Item *Isa* 40. In indignatione mea percussi te, & in reconciliatione mea misertus sum tui, q. d. juste exposui, sed misericorditer liberavi. Dicitur autem, quod Dominus in cruce, antequam moreretur, dicit centum quinquaginta versus psalterii, i. a vigesimo primo psalmo, scil. Deus, Deus meus, respice in me, &c. usque ad illum versum: In manus tuas commendo spiritum meum. Et hoc in commendationem psalmorum, qui hoc numero continentur. Sequitur. *d* Ecce Eliam vocat.] *Hieron.* Non omnes, sed quosdam arbitror fuisse de Romanis militibus, qui nescientes proprietatem idiomatis Hebraici putaverunt, quod vocaret in auxilium Eliam. Vel forte Judæi more solito verbum Domini pervertentes imposuerunt ei, quod Eliam vocaret in auxilium, quasi minor ipso. Et significat quamplures in Ecclesia nomine existentes, qui audita perverse recitant: De quibus dicit *Eccl.* 11. Bona in mala convertens insidiatur, & in electis, ponit maculam. *e* Currens autem unus, &c.] *Joan.* 19. plenius narrat hoc. Dicit enim sic: Postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dicit: Sitio: Vas autem erat positum aceto plenum, ad illud cucurrit unus de militibus audito, quod dixerat, Sitio. Et quia in alto erat Dominus, nec poterat ei miles ille propinare in manu, ideo accepit arundinem, & in summitate ligavit hyssopum, & hyssopo circumposuit spongiam aceto plenam, & sic propinavit ei. Est autem spongia mollis, & cavernosa munda accepta. Unde *Martialis.*

Vers. *Tonsorem capiti non est adhibere necesse,*
Radere te melius spongia sola potest.

Significat autem acceptos cœtum malorum, qui festinant currere in infernum male vivendo. Unde *Prov.* 1. Prohibe pedem tuum a semitis peccatorum, pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant, ut effundant sanguinem. Per spongiam cavernosam significantur corda malorum iniqua, & dolosa: Per hyssopum, quæ est herba humilis, & purgat pectus, significatur Christi humilitas. Unde *Psalm.* 50. Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor. Recte igitur hyssopo spongia circumponitur, quia dolosis, & cavernosis hominibus Christus humilis undique, & ubique circumdatur. Unde *Psalm.* 21. dicit. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Per hoc autem, quod arundini utrumque apponitur, i. spongia, & hyssopus, significatur, quod sacra Scriptura, quæ nomine arundinis designatur, utrumque continet, & Christi humilitatem, & iniquorum circumventionem. *Sap.* 2. Circumveniamus virum justum, quoniam inutilis est nobis. Significatur etiam, per hoc, quod spongiam arundini apponunt, quod multi ad sanctam Scripturam falsam apponunt. Unde *Isa.* 1. Caupones tui miscent aquam vino. *Aug. in lib. de quatuor virtutibus.* Ligno suspenditur, qui erigit elisos, aceto potatur fons vitæ, disciplina cæditur, vita moritur, ad tempus vita morti traditur, ut mors in æterna vita moriatur. Et hoc est, quod dicitur, 1. *Cor.* 15. Absorpta est mors in victoria. *Osee* 13. Ero mors tua, o mors. *Versus.*

unus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus, si veniat Elias ad deponendum eum. *f* Jesus autem emissa voce magna expiravit. Et *g* velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum.

Sputa, flagella, minæ, crux, clavi, lancea, spinæ:
Felici fine, nostra sunt meta ruinæ. — Versus.

Sequitur. *f* Jesus autem, &c.] *Luc.* 23. dicit, quæ fuerit illa vox magna: Hæc, scilicet, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Hoc dicto, inclinato capite tradidit spiritum, ut dicitur *Joan.* 19.

Quatuor meruit Christus morte sua. {
- Incorruptionem suæ carnis.
- Declarationem sui nominis.
- Accelerationem suæ rationis.
- Dignitatem judicandi.

Et revera magna fuit vox illa, quia magna ostendit. In hoc enim, quid faciendum sit nobis in omni periculo tentationis, & in ipso articulo mortis edocuit bonus magister: Tunc enim pater vocandus est, tunc ei filiali amore medullitus adhærendum est, tunc potissimum ei spiritus commendandus est, quia tunc maxime dæmones circa nos tamquam leones rugientes circumeunt præparati ad escam, sicut dicitur *Eccles.* 51. Sed quomodo tunc patrem vocabit, qui nunquam vixit ut filius? Nec tamen adhuc respuit audire, imo monet clamare. *Jerem.* 3. Frons mulieris meretricis facta est mihi, erubescere noluisti, scilicet in vita tua, ergo saltem amodo voca me pater meus, dux virginitatis meæ tu es. In manus Dei commendat spiritum suum, qui se totum ponit in voluntate ejus. Sic claustrales spiritum suum idest, voluntatem, & sensum suum ponunt, & commendant in manus Prælati, quando profitentur, nec debent sumere usque in diem resurrectionis, exemplo Domini. *Sapient.* 3. Sanctorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Claustrales ergo, qui volunt facere suam voluntatem, & sequi suum sensum, aut nunquam deposuerunt spiritum suum, & mendaces inveniuntur, aut Christi præveniunt resurrectionem, & Antichristi sunt.

g Et velum templi, &c.] Ad litteram, velum exterius, quod appensum erat in introitu templi, scissum fuit Domino moriente, ut dicit *Remigius.* Item velum interius, quod erat appensum inter sancta, & sancta sanctorum similiter fuit scissum, ut dicit *Hieronymus.*

Mystice. Mystice: Veli exterioris scissio intelligitur ænigmaticæ cognitionis evacuatio, quæ erit quando facies Dei, nunc velata, nobis revelabitur. Unde 1. *Cor.* 13. Cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est. Interius vero veli scissio est Judaicæ excæcationis terminatio, quæ in parte facta est post resurrectionem per Apostolorum prædicationem, & plenius fiet, in fine per Eliam, & Enoch. Item duo vela, duo sunt testamenta. Utrumque divisum est in duas partes, i. in sensum litteralem, & spiritualem, qui prius permixti fuerant, sed post per Christum, & Apostolos, & alios sanctos expositores discreti fuerunt.

Prius

Prius enim erat calix sacræ Scripturæ in manu Domini plenus mixto, idest, littera, & spiritu, sed post passionem inclinavit ex hoc in hoc, idest ea veteri expressit novum, sicut mel ea favo, fæx autem, quæ non est eainanita, remansit Judæis, quam bibunt adhuc, & nos bibimus vinum merum.

a Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait, *b* Vere homo hic filius Dei erat. Erant *c* autem & mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalenæ, & *d* Maria Jacobi minoris, & Joseph mater, *e* & Salome;

Item duo vela, duorum peccatorum genera sunt, spiritualia, & carnalia. Velum interius significat peccata spiritualia, velum exterius peccata carnalia, quorum utrumque velat io nobis faciem animæ, ut non possit videre veritatem. Unde clamat *Psalm.* Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Utrumque velum dividitur in culpam, & pœnam, dum culpa tollitur per gratiam, & pœna deletur per pœnitentiam. Item velum utrumque dividitur, cum totum malum, quod in nobis est, nobis attribuimus, & totum bonum, quod habemus, Deo attribuimus. Terræmotus significat terreni populi, idest Judaici motum, qui movendus, & dispergendus erat inter gentes. Sicut dicitur *Isa.* 24. Ecce Dominus nudabit terram, & dissipabit eam, evertet, & affliget ejus faciem, & disperget habitatores ejus. Petræ scissæ sunt, idest corda dura ad pœnitentiam scissa. De quo *Joel.* 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Monumenta aperta sunt, idest peccata in confessione revelata. *a* Videns autem Centurio,] Centurio est miles habens centum in potestate, & significat peccatorem, qui videns tormentum Dominicæ passionis, compungitur ad timorem, & Dei glorificationem. Unde *Isa.* 19. Erit terra Juda, idest Christus, Ægypto in pavorem, idest peccatori. *Thren.* 3. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. *b* Vere homo, &c.] Hominem, & Deum confitetur Centurio audito clamore Jesu. *Habac.* 3. Domine, auditum tuum audivi, & timui, in medio duorum animalium, idest duorum latronum cognosceris. Valde ergo est surdus, qui audita lectione Dominicæ passionis, nec timorem concipit, nec glorificationem. *Isa.* 42. Surdi audite, & cæci intuemini, & quis cæcus, nisi servus meus, & quis surdus, nisi ad quem misi nuncios meos? *c* Erant autem, &c.] *Joan.* 19. dicit mulieres juxta Crucem Domini stetisse. *Matth.* 27. & *Luc.* 23 & *Marcus* hic, dicunt eas a longe stetisse. Ad hoc dicit *August.* Tanto intervallo aberant, ut & juxta dici possent, quia præsto erat in conspectu eorum, & longe in comparatione turbæ propinquioris. Vel forte primo fuerunt prope B. Virginem existentes, quando Dominus commendavit eam Joanni, & postea longius recesserunt a turba, ut melius possent videre, quæ fiebant Jesu. *Chrys.* Discipuli fugerunt, istæ affuerunt, & omnia consideraverunt, qualiter clamavit, qualiter expiravit, qualiter petræ scissæ sunt.

d Et Maria Jacobi minoris, &c.] ad differentiam Jacobi Zebedæi, qui inter primos Apostolos vocatus est, & electus a Domino. *e* Et Salome:] Maria Salome dicitur filia Salome, mater Joannis, & Jacobi. Maria Jacobi, & Joseph mater est Maria Cleophæ, idest filia Cleophe. Unde Versus,

Ex Joachim Cleophæ Salome tres Anna Marias:
Quas junxerat Joseph Alphæo Zebedæo.
Hæc unius mater est, hæc quatuor, illa duarum.

f Et cum esset, &c.] *Gloss.* Mos erat, ut mulieres præceptoribus de substantia sua ministrarent.

Moraliter. Mulieres istæ, quæ Christum secutæ sunt, & ei necessaria ministrabant, significant Prælatos, qui ideo mulieres dicuntur in sacra Scriptura, quia matrum, & nutricum spiritualium debent habere officium, & affectum, atque sollicitudinem, sicut ille, qui dicit: Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. 1. *Thess.* 2. Debent etiam esse ministri totius Ecclesiæ Christi. 1. *Cor.* 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi. Debent etiam sequi Jesum euntem ad passionem per compassionem, & imitationem. *Matth.* 4. Venite post me, &c. Bene autem dicuntur eum secutæ a Galilæa, idest a mundi volubilitate, quam debent corde relinquere, qui volunt Christum sequi. Inter has mulieres prima nominatur Maria Magdalenæ. Maria interpretatur illuminata, vel illuminatrix, vel stella maris, vel amarum mare, quia primum oportet eos esse illuminatos, deinde illuminatores, Primo doctos, deinde doctores: Tandem stellas maris, idest in cœlo exos, per mare hujus mundi navigantibus, portum, & patriam ostendentes. Ad ultimum debent esse amarum mare, idest tales, ut in ipsos omnia flumina gratiarum, & scientiarum influant, nec ipsi redundent per superbiam.

Et cum esset *f* in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ, quę simul cum eo ascenderant Jerosolymam. Et cum *g* jam sero esset factum, quia erat parasceve, quod est ante sabbatum, venit Joseph ab Arimathea nobilis Decurio, qui & ipsę erat

Sicut dicit *Eccl.* 1. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Omnia etiam flumina tentationum, & tribulationum debent in ipsos intrare, ita tamen, quod ipsi non redundent, per impatientiam. Item omnia flumina peccatorum aliorum debent in ipsos intrare per alveum confessionis, ita ut ipsi non redundent per aspernationem confitentium. Magdalena interpretatur magnifica, præmunita, turrensis defensibilis, quæ omnia bene conveniunt prælatis, Debent enim esse magnifici, idest magna facientes, non tantum magni dici, idest magna dicentes. Debent etiam esse præmuniti, idest præ aliis muniti munitione virtutum. Item debent esse turrenses, idest in turre contemplationis, & provisionis, & conversationis existentes. *Isa.* 40. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. Secunda Maria est mater Jacobi, & Joseph. Jacobus interpretatur luctator, supplantator, supplantans festinantem, supplantator consilii: Sic Prælatus debet esse mater omnium luctantium contra carnem, mundum, & diabolum, & eos supplantantium, hoc est omnium vere pœnitentium, qui contra carnem luctantur jejuniis, contra mundum eleemosynis, contra diabolum orationibus, & sic festinans, idest diabolus dejicitur, & supplantatur, & ejus consilium dissipatur. Sicut legitur 2 *Regum.* 17. Domini nutu dissipatus est consilium Achitophel. Debet etiam Prælatus esse mater Joseph, idest omnium, qui in seipsis spiritualibus dimensionibus crescunt, vel aliorum generatione, ut sunt doctores, & prædicatores. Tertia fuit Maria Salome, quod interpretatur pacificans eum, vel retributio ejus, & significat eos, qui omnia dimittentes pacem fecerunt cum Domino, idest claustrales. Horum omnium, idest pœnitentium, doctorum, prædicatorum, claustralium debet mater esse, quicumque est Prælatus, & eos defendere, & nutrire. Hoc etiam advertendum est, quod Maria bis nominatur hic, ut duplex amaritudo insinuetur, quæ debet esse in Prælatis. Prima est amaritudo cœli, de qua *Psalm.* 68. Zelus domus tuæ comedit me. Secunda est amaritudo compassionis, de qua 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? *g* Et cum jam sero, &c.] Post mortem Domini subditur de officio sepulturæ ejus. Secundum enim legem non decebat in patibulis remanere corpora damnatorum in sabbato; ideo facto vespere Joseph Christi discipulus, sed occultus, dives, & nobilis decurio, idest officio curiæ administrans, intravit ad præsidem, & postulavit corpus Dominicum sibi dari, quo obtento diligenter sepelivit in sepulchro novo, quod sibi exciderat in horto suo hora vespertina Parasceve. Est autem Parasceve nomen Græcum, & interpretatur præparatio. Unde sextam feriam sic appellabant Judæi, quia ea, quæ sabbato erant necessaria, præparabant, secundum quod de manna dicitur *Exod.* 16. In die autem sexta collegerunt cibos duplices, idest duo gomor per singulos homines, &c. Sexta die Dominus est crucifixus, & mortuus, & septima requievit sepultus, sexta die perfecit Deus mundi creationem, & septima die requievit ab omni opere, quod patrarat. Parasceve ergo vitam præsentem significat, in qua præparari debent necessaria vitæ futuræ. Unde *Prov.* 8. Vade ad formicam, o piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam, quæ, cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat. Item *Prov.* 10. Qui congregat in messe, filius sapiens est, qui autem stertit æstate, filius confusionis est. Et notandum, quod sexta feria Dominus crucifixus est, septima sepultus, octava resurrexit in gloria: sic & nos necesse est in hac vita in Cruce pœnitentiæ crucifigi, & in septima ætate, idest post hanc vitam corpus in sepulchris, animam in cœlo quiescere, & gaudere, ut tandem octava ætate simul in corpore, & anima conjunctionis accipiamus coronam, & incorruptionem hæreditatis æternæ.

a Et audacter, &c.] *Chrysostomus*. Qui primitus occultabatur, nunc denique aliquid magnum ausus est. In mortem enim seipsum tradidit hostilitatem omnium suscipiens.

Mystice. *a* Et audacter.] Mystice. Joseph ab Arimathia est populus Judaicus deponens pristinam conversationem, qui in fine temporum accedet ad Pilatum, idest, ad populum, qui ne suo calicis malleum miscet, & petit corpus Jesu, idest, viaticum salutare. *Isa.* 10. Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris reliquiæ, &c.

Moraliter. Matt. 27. Luc. 23. Joan. 19. Moraliter. Joseph est prælatus, quilibet crescens in virtutibus quantum ad se, & quaotum ad alios. Nobilis Decurio, idest, nobilis Decalogi observantia, & intelligentia expectans regnum Dei, gratia, & meritis suffultus, Hic audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu, ut sepeliret, spiritualiter ut liberaret. Pauci sunt, qui ita faciunt, idest, qui se opponunt principibus, & tyrannis pro Ecclesia, quæ est corpus Jesu. Unde *Eccl.* 13. Quasi vulpes in deserto Prophetæ tui Israel erant, non ascendisti ex adverso, nec opposuisti te murum pro domo Israel. *b* Pilatus autem, &c.] Adhuc sunt multi Pilati, qui mirantur, quando aliquis moritur mundo, cum tamen magis mirandum sit, quod aliquis vivit mundo, cujus amicitia est inimicitia Dei, sicut dicitur *Jacob.* 4. Nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Deo: Quicumque ergo voluerit esse amicus hujus mundi, inimicus Dei constituitur. Sic certe quicumque mundo vult vivere, Deo, qui est vita moritur. *c* Joseph] Noluit enim ei negare Pilatus, quia ille dives erat, & nobilis, & notus. Ignotus enim, aut pauper nec accessum posset habere ad præsidem, nec corpus Dominicum asportare, & quia justus erat, dignus fuit reponere in sepulchro. *d* Mercatus] nummo veræ humilitatis. Unde *Psal.* 50. Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor. *e* Et posuit, &c.] novo, ut dicit *Matth.* 27. Quia si in veteri, ubi alius positus fuisset, non ipse Christus, sed alius diceretur resurrexisse. In petra fuit excisum, ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffosso tumuli fundamento ablatus furtim putaretur. Lapidem magnum advolvit ad ostium monumenti, ne posset aperiri sepulchrum sine auxilio multorum testium. Erat autem monumentum Domini, quasi domus rotunda in rupe quadam excisa tantæ altitudinis, ut homo extenta manu vix tangeret culmen, habens introitum ab Oriente, in parte autem Aquilonari erat locus sepulti corporis de ipsa petra factus, septem pedes habens longitudinis tribus palmis a terra eminens, a parte Meridiana omnino patens, unde corpus inferebatur. Marmor autem, in quo monumentum erat excisum, erat colore rubeo, & albo permixtum, quod satis bene congruit, quia ipse Dominus, & candidus fuit per innocentiam, & rubicundus per patientiam. *Cant.* 5. Dilectus meus candidus, &c. Monumenti sepulturæ Domini interfuit Nicodemus, ut dicit *Joann.* 19. ferens mixturam myrrhæ, & aloes quasi libras centum, & sicut dicitur linteamina, quibus involutum fuit corpus Jesu in sepulchro, alia a sindone, quam emit Joseph, ut dicit Marcus. Qui secundum *Hieron.* dicitur † Bobotes, idest, consiliarius, idest, homo magni consilii, quia non acquievit pravo consilio Judæorum. Traditur etiam, licet non sit authenticum, quod Judæi audita honorificentia sepulturæ Domini detinuerunt eum in carcere, ubi Domini resurrectionis primus habere meruit visionem. Hic commendatur a duobus, scilicet, quia nobilis, & quia expectans regnum Dei. Significat autem, quemlibet justum, qui Christum involvit in sindone munda, idest, in conscientia pura, & ponit in monumenti lapidem, idest, liberum arbitrium, quod est cordis ostium, spei constantia, & fidei firmitate obfirmat.

al. † Poletis.

Moraliter. Moraliter. Per hoc, quod in sola syndone fuit involutum corpus Dominicum, damnatur dives, & pretiosa sepultura divitum. Unde *Hieron.* In simplici sepultura Domini condemnatur ambitio divitum, qui nec mortui divitiis carent. *Isai.* 22. Quid tu hic, aut quasi, quis hic, quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelso memoriale tuum in petra diligenter. *f* Maria autem Magdalenæ, &c.] Marcus breviloquus multa præterit, quæ alii Evangelistæ interserunt, scilicet, de corpore Domini de Cruce deposito, & in sepulchro reposito. Fere omnes ad propria redierunt, solæ mulieres, quæ cæteris arctius Dominum diligebant, remanserunt, inspicientes ubi corpus poneretur, ut tempore congruo ei possent impendere officium sepulturæ. Et significant istæ mulieres, sicut dicit *Beda*, animas humiles, & devotas, & quæ quanto amplius suam recognoscunt fragilitatem, quæ per sexum muliebrem designatur, tanto ferventius adhærent Domino, & ordinem Passionis ejus sedula intentione perquirunt, & pia diligentia pro suo modulo imitantur in parasceve, idest, in vita præsenti, quæ est præparatio ad futuram, &c.

expectans regnum Dei. Et *a* audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. *b* Pilatus autem mirabatur si jam obiisset, & accersito Centurione interrogavit eum, si jam mortuus esset, & cum cognovisset a Centurione, donavit corpus Joseph. *c* Joseph autem *d* mercatus syndonem, & deponens eum involvit syndone, *e* & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & advolvit lapidem ad ostium monumenti. *f* Maria autem Magdalenæ, & Maria Joseph aspiciebant, ubi poneretur.

CAP. XVI.

Matt. 28. A

Et cum *g*. transisset Sabbatum, Maria Magdalenæ, & *h* Maria Jacobi, & *i* Salome *k* emerunt

EXPOSITIO CAP. XVI.

Et cum transisset sabbatum, &c.] Finita narratione Passionis, & sepulturæ Dominicæ, subjungit Evangelista de ejus gloriosa resurrectione. De qua hoc ordine agit, Primo narrat adventum trium mulierum ad sepulchrum. Secundo de Angelo, qui apparuit eis, & misit eas ad Apostolos narrare Domini resurrectionem, ibi [Et respicientes.] Tertio de triplici apparitione Domini subjungit. Primo ostendit, quomodo apparuit Mariæ Magdalenæ, deinde duobus discipulis euntibus in Emmaus, ut dicit Lucas, postea undecim recumbentibus, quæ fuit in die ascensionis, ibi [Surgens autem Jesus.] Quarto, & ultimo agit de missione Apostolorum in prædicationem, ibi [Et dixit eis.] Et nota, quod resurrectio Domini nulli nota fuit, nisi post factum, per quod designatur, quod nostra resurrectio spiritualis, qua resurgimus a morte peccati, nulli nota est, nisi soli Deo. Unde *Eccles.* 9. Nemo scit utrum amore, vel odio dignus sit. Item nota, quod resurrectio Domini tribus miraculis confirmata est. Primum fuit, quod clauso sepulchro, & integro signaculo exivit. Secundum, quod Angelus terrificus apparuit. Tertium, quod in adventu Angeli terra tremuit, & quievit, sicut dicit *Psalm.* 54. Terra tremuit, cum exurgeret in judicium Deus, &c. Quod autem Dominus clauso sepulchro exivit, significat, quod natus fuit de virgineo utero inviolato, & clauso. Unde *August. in lib. de Symbolo*. Castitas uteri virginalis ornatur ex convenientia inviolabilis sepulchri. Terræmotus in adventu Angeli significat, quod totus mundus movendus erat ex novitate doctrinæ Christianæ. Angeli vultus fulgurans, & habitus niveus ostendit, quales debent esse nuncii Dominicæ resurrectionis, scilicet, summe doctrinæ, & ardore cœli fulgurei: sanctitate conversationis nivei, malis terribiles, quod notatur in fulgore, & bonis mansueti, quod notatur in nive. Quod autem Marcus de uno solo Angelo loquitur, & Joannes de duobus significat, quod prædicatores Domini debent esse unus per fidei unitatem, & duo per geminam charitatem. Dicit ergo. [Et cum transisset sabbatum, &c.]

h Maria Jacobi] quæ Maria Cleophæ dicitur, *Joan.* 19. Mater Jacobi minoris, & Joseph, & Simonis, & Judæ. *i* Et Salome.] Salome secundum *Chrysost.* est nominativi casus, & nomen mulieris. Secundum alios sanctos est genitivi casus. Et est sensus. Maria Salome, idest, filia Salome, scilicet, mater Jacobi, & Joannis. *k* Emerunt,] *Luc.* 23. dicitur, quod mulieres revertentes a monumento paraverunt unguentum, usque ad solis occasum, & postea Sabbato siluerunt usque ad alium solis occasum, quia mandatum erat in lege, ut Sabbatum a vespera usque in vesperam servaretur. *Levit. vigesimo tertio*. Et tunc recuperata licentia operandi iterum emerunt alia aromata, quia non sufficiebant, quæ habebant, & tota nocte illa paraverunt, ut venientes mane ad sepulchrum ungerent corpus Jesu. Et licet parare unguenta ad opus mortui non esset opus servile, tamen religiosæ mulieres ab hoc opere siluerunt in Sabbato.

Moraliter. Moraliter. Tres Mariæ sunt mens, lingua, manus. Et habet quælibet unguenta sua. Unguenta mentis, contritio, compassio, devotio: Unguentum contritionis conficitur de

specicbus

speciebus vilissimis, idest de peccatis propriis, quæ crescunt in horto nostro. Unguentum compassionis conficitur de speciebus amatissimis, idest, de omnibus miseriis proximorum, quæ crescunt in horto vicino, Unguentum devotionis conficitur de speciebus pretiosissimis, idest de omnibus beneficiis Dei, quæ crescunt in horto Dominico: Unguenta linguæ sunt discreta locutio, devota oratio, integra confessio. Herbæ, unde primum conficitur, sunt necessitas loquentis, & audientis utilitas, veritas dicendorum. Herbæ unde secundum conficitur, sunt recta intentio, firma attentio, pia affectio. Herbæ unde tertium est, sunt pudor culpæ, dolor offensæ, spes veniæ. Unguenta tertiæ mulieris, scil. manus, sunt septem opera misericordiæ.

Versus. *Collige, poto, cibo, redimo, tego, visito, condo.*

aromata, ut *a* venientes ungerent Jesum. Et *b* valde mane una sabbatorum *c* veniunt ad monumentum orto jam sole, & dicebant ad invicem: Quis *d* revolvet nobis *e* lapidem ab ostio monumenti? Et *f* respicientes viderunt revolutum lapidem. *g* Erat quippe magnus valde. Et *h* introeuntes in monumentum *i* viderunt juvenem sedentem in dextris coopertum stola candida, & *k* obstupuerunt. *l* Qui dicit illis:

a Ut venientes ungerent Jesum.] Sed quomodo ungere poterant, quia lapis immanissimus erat appositus ad ostium monumenti? Contra, vis amoris non sinebat de hujusmodi cogitare. Secundum *Gregorium*: Mulieres sunt animæ fideles, quæ debent offerre Domino tria unguenta, idest odorem virtutum, opinionem bonorum operum, suavitatem sanctarum orationum.

b Et valde mane] *Ps.* 5. Mane astabo tibi, & videbo. *Ecclesiast.* 11. Mane semina semen tuum. [Et valde mane, &c.] *Matth.* 28. dicis: Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalenæ, & altera Maria videre sepulchrum. *Lucas* autem 23. dicit sic. Una sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum portantes aromata. *Joan.* 20. dicit sic: Una sabbati Maria Magdalenæ venit ad monumentum, cum adhuc tenebræ essent. Inter quos videtur multiplex contrarietas. Prima inter Matthæum, & Marcum, quia Matthæus dicit, quod vespere venerunt mulieres ad monumentum, & Marcus dicit, valde mane. Secunda inter Joannem, & Marcum, quia Joannes dicit, cum adhuc tenebræ essent, Marcus dicit, orto jam sole. Tertia inter Joannem, & alios tres, quia Joannes solam Mariam Magdalenam dicit venisse, alii dicunt plures. Quarta inter Lucam, & Marcum, quia Lucas dicit valde diluculo, & Marcus dicit, orto jam sole. Has contrarietates sic determinat *Augustinus*. Matthæus a parte noctis prima, idest a vespera noctem significat, cujus fine venerunt mulieres ad monumentum. Ideo autem sic nominat, quia ab ipsa vespera sabbati cœperunt venire, idest unguenta parare, & mane lucente pervenerunt, sic determinat primam contrarietatem. Et secunda solvitur, quod mulieres, cum adhuc essent tenebræ, cœperunt venire, sed orto sole pervenerunt. Similiter solvitur quarta, cum dicit *Augustinus*, quod diluculum valde erat, & tamen sol jam erat ortus, sed nondum super terram apparebat. Tertia contrarietas solvitur, quia etsi Joannes non dicat venisse nisi Mariam Magdalenam, tamen non negat alias venisse. Dicitur autem Dominica dies una sabbati, & prima sabbati, & una sabbatorum. Una sabbati, idest prima post sabbatum, similiter prima sabbati, idest prima a sabbato, similiter una sabbatorum, idest prima post sabbatum. Sed pluraliter dicitur, propter plures requietiones, quæ in sabbato servabantur. Unde dicitur una sabbati antonomastice, idest una dies septimanæ, similiter prima, scilicet Dominica, similiter una sabbatorum, idest una dierum septimanæ, similiter prima sabbati, idest præcipua dies septimanæ, quæ a nomine sabbati denominatur.

c Venerunt ad monumentum.] Mystice. Monumentum est sacra Scriptura, in qua latebat olim Christus, quasi mortuus, & sepultus. Ostium ejus, i. Christus, per quem solum intratur in ipsam. *Joan.* 10. Ego sum ostium, per me si quis introierit, ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. Lapis est velameo litteræ, ac figurarum, quibus Christus in Scriptura celabatur. Et bene per lapidem littera legis, & figuræ designantur, quia lex dura erat, & nemini parcebat. Unde & in lapide scripta fuit. *Exod.* 32. Mulieres sunt scholares ad studium venientes, qui videntes Scripturæ difficultatem, & obscuritatem, atque ingenii sui tenuitatem, dicunt.

d Quis revolvet nobis] idest ad nostram utilitatem.

e Lapidem ab ostio monumenti?] idest obscuritatem, & difficultatem a Scriptura. *Thren.* 4. Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Contra præsumentes, qui nolunt doceri. *Act.* 8. Quomodo possum intelligere, si non aliquis ostenderit mihi? *Eccl.* 3. Est tempus tacendi, & tempus loquendi, &c. Ibi *Gloss.* Docemus in Ecclesiis, quod nescimus, omnes artes absque doctore non discimus, sola hæc tam vilis est, tam facilis est, ut præceptore non egeat.

B

f Et respicientes] idest, iterum, & iterum aspicientes forma studendi. *Prov.* 2. Si quæsieris sapientiam, quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies,

g Erat quippe magnus valde.] *Joan.* 4. Puteus altus est. *Psal.* 17. Tenebrosa aqua in nubibus aeris.

h Et introeuntes in monumentum, &c.] Mystice, per monumentum significatur Ecclesia militans, intra quam sepulchrum Christi continetur, quia fides passionis ibi prædicatur, & veneratur. De quo *Gen.* 23. Nullus te prohibere poterit, quia in monumento ejus sepelias mortuum tuum. Per tres mulieres significantur omnes fideles, fide sanctæ Trinitatis insignes, monumentum intrantes, idest passionem Domini pro modulo suo imitantes. Per juvenem sedentem in dextris, & coopertum stola candida significatur doctor, vel Prælatus Ecclesiasticus, qui debet esse juvenis, non puer per simplicitatem, quia væ terræ, cujus rex puer est. *Eccles.* 10. Non senex, per imbecillitatem, quia omne, quod antiquatur, & senescit prope interitum est. *Hebr.* 8. Sed juvenis, idest fortis, & robustus ad portanda onera subditorum. Unde Josue, cum fieret dux populi, dictum est ei a Domino: Confortare, & esto robustus valde, ut custodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus, idest Christus. Et quæ est illa lex? *Galat.* 6. Alter alterius onera portate, &c. Ideo dicit *Eccles.* 7. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. Debet etiam esse hilaris, quia juvenes semper sunt hilares. Unde *Eccles.* 11. Lætare juvenis in adolescentia tua, & in bonis sit cor tuum in diebus juventutis tuæ. Item debet esse audax, ut audacter se opponat hostibus Ecclesiæ. Sicut dicitur *Job* 39. Gloria narium ejus terror, terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio. Debet autem esse juvenis, non discurrens, sicut ille, de quo dicitur *Proverb.* 7. Considero vecordem juvenem, qui transit per plateas juxta angulum: Sed sedens, ut doctor, ut judex, ut rex. Unde *Proverb.* 20. Rex, qui sedet in solio judicii intuitu suo dissipat omne malum. Sed vir sedens a dextris, non a sinistris. Per sinistram significantur temporalia, per dextram spiritualia. Unde *Cant.* 2. & 8. Læva ejus sub capite meo, & dextera ejus amplexabitur me. Quid est ergo, quod Angelus sedet in dextris, nisi quod Prælatus Ecclesiæ judex, & rector factus est spiritualium? Unde *Psalm.* 109. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, idest, Prælato, sede a dextris, non a sinistris. *Exod.* 18. Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent. Item sedere debet in dextris, idest, se, & alios regere in prosperis. 2. *Regum* 23. David sedens in cathedra sapientissimus Princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. Debet etiam stola candida esse coopertus, idest vita innocente, & perseverante est ornatus. *Proverb. ult.* Stragulatam vestem fecit sibi, byssus, & purpura indumentum ejus & ita sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo: Si talem viderent homines Prælatum, obstupescerent.

i Viderunt juvenem sedentem in dextris.] *Matth.* 28. dicit, quod Angelus sedebat super lapidem, quem revolverat ipse ab ostio monumenti: Non ergo intus sedebat. *August.* dicit ad hoc, quod duo fuerunt Angeli, unus, qui revolvit lapidem, qui erat foris, de quo loquitur Matthæus. Et alius, qui erat intus, de quo loquitur Marcus. Et eadem dixerunt mulieribus.

k Et obstupuerunt.] *Psalm.* 118. Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.

l Quid dicit illis:] *B. Bern.* Sicut in sepulchro astiterunt Angeli, ita & corpori consecrato quotidie assistunt in altari,

Matth. 28. Luc. 24.

a Nolite expavescere: *b* Jesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic. *c* Ecce locus, ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis ejus, & Petro, quia *d* præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. At illæ exeuntes fugerunt de monumento: invaserat enim eas tremor, & pavor, & *e* nemini quicquam dixerunt: timebant enim. *f* Surgens autem Jesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua *g* ejecerat septem dæmonia. *h* Illa vadens nunciavit, his, qui cum eo fuerant *i* lugentibus, & flentibus, & illi audientes, quia viveret, & visus esset ab ea, non *k* crediderunt. Post hæc autem duobus ex eis ambulantibus ostensus est in *l* alia effigie euntibus in villam. Et illi euntes nunciaverunt ceteris, nec illi crediderunt.

a Nolite expavescere:] *Luc.* 12. Nolite timere pusillus grex.

b Jesum quæritis] Ideo timere non deberis. Et bene quæritis eum, quia quæritis Nazarænum, & crucifixum. Multi enim, quærunt tantum Jesum Nazarænum, i. salutem floridam. Volunt enim hic gaudere cum mundo, & in futuro regnare cum Christo. Sed non invenitur Nazarenus sine crucifixo. *Act.* 14. Per multas tribulationes, &c. *Cant.* 7. Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus. *Galat.* 6. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. *August. in 4. lib. de simbolo*: Si amatur vita, quare non quæritur vera? *c* Ecce locus, ubi posuerunt eum.] qui erat in signum, quod ibi fuerat Dominus. Et linteamina, & sudarium invenerunt in loco, in signum, quod ibi fuerit Dominus. Sic est in multis claustris, & in multis Ecclesiis, sudarium, & linteamina, idest habitum exteriorem, qui est sudarium claustralium, qui in eo sepeliuntur, & locum qualemcumque posses invenire, sed Jesum non reperies, surrexit, non est hic. Ideo Angelus dicit mulieribus, ut eant, & dicant discipulis ejus, & Petro, idest Cardinalibus, & Papæ, ut apponant consilium. Satis bene significatum fuit hoc 1. *Reg.* 19. Abiit David, & aufugit, atque salvatus est, tulit autem Michol statuam, & operuit eam vestimentis, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum ad caput ejus, &c. *d* Quia præcedet vos in Galilæam.] Quare non constituit eis Angelus diem certum, sicut locum? Quia non erat causa ventilanda, ut contumax puniretur. Vel ideo locum determinat, & non tempus, quia corpus glorificatum extra tempus est, sed non extra locum. Tempus enim peribit, sed non locus. Unde *Apoc.* 10. Tempus non erit amplius.

Joan. 20.

Mystice. Mystice autem in Galilæa Dominum videndum prædicit Angelus, idest in patria post transmigrationem a mundo isto; Galilæa enim transmigratio, vel revelatio interpretatur, quia illis, qui transmigrant a vitiis ad virtutes se revelat Dominus. *e* Et nemini quicquam dixerunt:] Imo nunciaverunt omnia undecim discipulis, & aliis, qui erant cum illis, sicut dicit *Luc. ult.* Sed dic, quod nemini quicquam dixerunt, idest nemini Angelorum quid responderunt præ gaudio. Vel nemini custodum, quos jacentes viderunt, quid dixerunt præ timore, & ita gaudium trahebat eas, & timor fugabat. Unde *Hier.* Duplex affectus erat eis, scilicet timoris, & gaudii: timor fugabat, gaudium trahebat, & uterque gaudium femineum concitabat. *f* Surgens autem Jesus mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ,] Sed quare primo Mariæ Magdalenæ, quinque rationibus patet. Primo, quia ardentius diligebat. *Luc.* 6. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Secundo, ut ostenderet, quod pro salvandis peccatoribus venerat in hunc mundum. *Matth.* 9. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Tertio, ut ostenderet, quod meretrices præcederent sapientes in regno cœlorum. *Matth.* 21. Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regno Dei. Quarto, ut sicut mulier fuerat nuncia nostræ perditionis, ita mulier similiter esset nuncia nostræ salutis. Quinto, ut ubi abundavit peccatum, abundare gratia monstraretur, & nulli de cætero peccatori desperationis locus relinqueretur. Et hæc fuit prima apparitio Domini, quam *Joan.* 20. plenius narrat. Sciendum autem, quod Dominus ipsa die resurrectionis quinquies apparuit, & postea pluries. Sed in universo decem leguntur ejus apparitiones in Evangelio. Prima Mariæ Magdalenæ. *Joan.* 20. Secunda eidem cum aliis mulieribus in via. *Matth. ult.* Tertia Petro. *Luc. ult.* sed nescitur ubi. Quarta duobus discipulis euntibus in Emmaus. *Luc. ult.* Quinta omnibus discipulis absque Thoma in Jerusalem. *Joan.* 20. Et istas quinque apparitiones repræsentat sacerdos in Missa, quia quinquies vertit se ad populum, & ostendit eis faciem suam: Et tertio vertit se cum silentio, quia illa versio significat apparitionem Petri, quæ nescitur ubi fuerit. Et fuerunt illæ quinque apparitiones ipsa die resurrectionis. Sexta fuit post octo dies in Jerusalem omnibus discipulis præsente Thoma. *Joan.* 20. Septima ad mare Tyberiadis septem discipulis, scilicet Petro, Thomæ, Nathanaeli, Joanni, & Jacobo, & aliis duobus, qui non nominantur. *Joan.* 21. Octava in Galilæa. *Matth. ult.* Nona in cænaculo in Jerusalem ipsis cœnantibus, *infr. eod.* Et *Act.* 1. Decima fuit in monte Oliveti in die Ascensionis. *Luc. ult.* Et *Act.* 1. Bene credo, quod matri suæ sæpissime apparuit, sed tamen non legitur. Sed quare? Ut carnalem affectum in his, qui sunt mundo mortui, & Deo vivi, mortuum ostenderet. Unde *Deut.* 33. Qui dixit patri suo, & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum. Decies apparuit, & undecima die post Ascensionem misit Spiritum sanctum in linguis igneis, ut mystice ostenderet se ad hoc venisse in mundum, & Apostolos misisse, ut ordo decimus ex hominibus per ejus adventum, & Apostolorum prædicationem reparandus esset.

Dominus primo apparuit Mariæ Magdalenæ quinque rationibus. — C — *Luc. 24.*

Moraliter. Moraliter etiam in hoc ostendit, quod per observantiam decalogi perveniatur ad ejus visionem. Unde *Matth.* 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. *g* De qua ejecerat septem dæmonia.] *Luc.* 8. Septem dæmonia sunt septem peccata mortalia, per quæ dicuntur dæmones inhabitare corda hominum, sicut Spiritus sanctus dicitur per gratiam inhabitare corda fidelium, Dæmon, qui præest superbiæ, inhabitat per superbiam, dæmon invidiæ per invidiam, Inhabitat autem, non per substantiam, sed per effectum. Spiritus sanctus vero inhabitat & per essentiam, & per effectum, idest per gratiam. *h* Illa vadens nunciavit his, qui cum eo fuerant,] sicut dixerant ei Angeli, & facta est Apostola Apostolorum, quæ prius erat fovea peccatorum. *i* Lugentibus, & flentibus,] Duplicem fletum, vel duplicem causam fletus ostendit Marcus fuisse in discipulis. Dolor de morte Domini erat una causa fletus, timor Judæorum erat alia. Unde *Joan.* 16. Amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos. Similiter in nobis est duplex causa flendi: culpa, & miseria, prolongatio vitæ, & elongatio patriæ. *k* Non crediderunt.] præ nimio desiderio, & amore ipsius. Nec tamen discrediderunt, quod patet per hoc, quod Petrus, & Joannes hoc audito cucurrerunt ad monumentum, ut dicitur *Joan.* 20. In quo docemur, quod narrantibus nova, licet bona, & placentia, non tamen cito sunt credenda, nec tamen omnino discredenda, licet magna sint, & mira, quæ narrantur, sed primo probanda. Unde 1. *Joan.* 4. Nolito credere omni spiritui, sed probate spiritus, si ex Deo sint. *Eccl.* 19. Qui cito credit, levis est corde, & minorabitur. *Sen.* Omni, & nulli credere, utrumque vitium est. *l* In alia effigie,] non in natura sua. Sed quæritur, quid erat illa effigies, & ubi erat? Et dicunt quidam, quod erat quædam forma non glorificata, quam ad tempus assumpserat, ut videri posset, & erat in aere circumfuso, quia si esset in corpore Domini, tunc corpus Domini simul esset obscurum, & clarum. Præterea si esset in corpore, ergo in eo esset, ne discipuli eum agnoscerent, & ita pro nihilo diceret oculos eorum teneri, ne eum agnoscerent. Sed contra. *Augustinus ad Valentinianum Episcopum*: Cum ex duobus cognoscatur homo, sc. lineamentis, & colore, miror, quod multos movet, quod Dominus post resurrectionem lineamenta, & claritatem suam in formam omnibus visibilem mutaverit, & multos non movet, quod ante resurrectionem, in tantam excellentiam lucis, & splendoris lineamenta sua, & colorem mutaverit. Ex hac auctoritate patet, quod illa effigies fuit in corpore Domini, & claritas similiter transfigurationis. Si enim esset in aere circumfuso, nulla immutatio fuisset facta in corpore Domini. Item si esset in aere, non viderunt Dominus sub illa forma, sed aer, quia aer non ostendit subjectum, nisi illud, in quo est. Item si videretur sub illa effigie, sicut Sol sub nube, ergo

cum

cum sol videatur in natura sua, similiter corpus Domini, quod est contra Glossam hic, quæ dicit. In alia effigie, non in natura sua. Solut. Quidam dicunt, quod Dominus quandam formam hominis non glorificati assumpsit in corpore suo. Alii dicunt, quod in aere fecit illam. Mihi videtur sine præjudicio tamen, quod nullam formam aliam a sua assumpsit nec in suo corpore, nec in aere, sed habitum peregrini habuit, propter quem videbatur alius, nec cognoscebatur, quia percussi erant aurisia, sicut dicit Lucas. Et quod dicit *Glossa*, quod apparuit in alia effigie non in natura sua, intelligitur quoad illos, quibus apparebat alia non sua forma. Vel forte aer circumfusus condensatus erat, ut non videretur in sua claritate. Et quod dicit *Augustinus*, quod sua lineamenta, & suam claritatem mutaverit in formam visibilem, intelligitur visibilem per aeris immutationem. Nulla enim mutatio erat in eo post resurrectionem, sicut probant *Gregor.* & *Augustin.* quia alteratio quædam mors. De Ipso etiam scriptum est. Mors illi ultra non dominabitur.

D

Rom. 6. 8.

a Novissime autem recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobravit incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis. *b* Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. *c* Qui crediderit, & *d* baptizatus fuerit, *e* salvus erit: qui *f* vero non crediderit, condemnabitur. *g* Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In *h* nomine meo dæmonia ejicient, *i* linguis loquentur novis.

a Novissime autem, &c.] Merito novissime apparuit undecim. Undenarius enim numerus est transgressionis, & imperfectionis. Transgressionis, quia denarium transcendit, & imperfectionis, quia ad duodenarium non pervenit, undecim ergo sunt omnes illi, qui per singularitatem alios excedere volunt, aut per ignaviam ultimi sunt. Utrumque vitium est, & alios excedere per singularitatem, & ultimum esse per ignaviæ tarditatem, extrema tenere, virtus autem in medio est. Cum recumbentibus ad mensam sacræ lectionis, vel devotæ orationis apparet, exprobrans eorum incredulitatem, quantum ad singulares, & duritiam cordis, quantum ad ignavos, quia nec hi, nec illi credere volunt illis, qui Dominum viderunt, idest, senioribus, & expertis. *Luc. ult.* O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ.

Notanda sunt quinque.

b Euntes in mundum universum.] Quinque sunt hic notanda. Primo, quod dicit [euntes] non enim equos, aut palefrænos dedit eis, ad equitandum, sed pedes ad ambulandum. *Joan.* 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. *Eccles.* 10. Vidi servos in equis, & principes ambulantes quasi servos super terram. De idolis dicitur in *Psal.* 113. Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo. Si forte aliquando clamant, clamant in gutture alieno. Secundo quod dicit [in mundum universum.] Totum enim mundum creaverat, totum redemerat, & ideo totum doceri volebat, quia totus in ignavia jacebat, & adhuc jacet, & tamen pauci volunt ire, non dico in universum mundum, sed nec etiam in parochiam, vel diœcesim suam. *Act.* 1. Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, in ordinatione, & eritis mihi testes, in prædicatione, in Jerusalem, idest, in claustris, & in omni Judæa, idest, in omni Ecclesia, & Samaria, idest, propria parochia, vel diœcesi, & usque ad ultimum terræ. Tertio, quod dicit [prædicate Evangelium] non Philosophorum vanitates, aut certe proprias fictiones. *Jerem.* 23. Usquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, & prophetantium seductiones cordis sui, qui volunt facere, ut obliviscatur populus meus nominis mei propter somnia eorum, quæ narrant, unusquisque ad proximum suum, Propheta qui habet somnium narret somnium, & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. *Roman.* 1. Non erubesco Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Quarto, quod dicit [omni creaturæ,] idest, omni generi hominum, sine acceptione personarum. *Roman.* 1. Græcis, & Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum. Dicitur autem homo omnis creatura, quia finis est omnis creaturæ, quia commune aliquid habet cum omni creatura. Esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum pecoribus, intelligere cum Angelis. Quinto, quando prædixit illos ituros, & omni genti prædicaturos, scilicet, post acceptionem Spiritus Sancti. Ante enim dixerat. In viam gentium ne abieritis. *Matth.* 10. quia fragiles erant, nec possent sustinere tot molestias, quot oportet sustinere gentiles prædicatores, sed accepto Spiritu sancto confirmati sunt, sicut vasa fictilia confirmantur per ignem. *Luc. ult.* Ego mitto, idest, cito mittam promissum patris mei in vos, vos autem sedete in civitate, quousque induamini virtute ex alto. *c* Qui crediderit,] fide formata per se, ut adulti, vel per alium, ut parvuli. Et. *d* Baptizatus fuerit,] baptismo flamminis, vel fluminis, vel sanguinis. *e* Salvus erit.] supple si perseveraverit, quod notatur in [credidit] quo amplectitur præteritum, & futurum. *f* Qui vero non crediderit,] idest, habitum non credendi habuerit, vel qui in fide non perseveraverit [condemnabitur.] *g* Signa autem, &c.] Primo assignavit credentium æternam remunerationem, cum dixit: [Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.] Et infidelium damnationem, cum dixit: [Qui vero non, &c.] Et ita per promissionem, & comminationem invitat ad fidem: Nunc ut facilius homines convertantur ad fidem, inter æternam remunerationem assignat mercedem temporalem multiplicem, scilicet, miraculorum operationem, quæ in exordio Ecclesiæ necessaria fuerunt, ut fides miraculis nutriretur. Modo non sunt necessaria, quia fides Ecclesiæ confirmata est, sed loco signorum debent esse bona opera, quæ non tantum sequi prædicationem, sed etiam præcedere debent. *h* In nomine meo, &c.] idest, in virtute nominis mei, vel invocatione nominis mei, vel in potestate mea nominabili. Hæc omnia ad litteram impleta sunt. Sæpe enim Apostoli dæmones ejecerunt. Paulus a puella: *Act.* 16. Linguis novis locuti sunt: *Act.* 2. Serpentes tulit Paulus. *Act.* 28. Viperam, quæ manui suæ adhæserat, projecit in ignem: venenum Joannes bibit, nec aliquod malum inde habuit. Multos ægros sanaverunt: *Act. fere per totum.*

Mystice.

Mystice. Nihilominus impleta sunt, & implentur quotidie in Ecclesia. Nam in virtute nominis Christi quotidie dæmones ab obsessis corporibus expelluntur, & per exorcismum virtus eorum ab infantibus exsufflatur. Linguis novis loquitur, quando verba sæcularia dimittit, & laudibus divinis prædicandis insistit: Serpentes tollit, dum fraudulentas suggestiones dæmonum docendo elidit. Mortiferum bibit, nec nocet ei, dum persuasiones pestiferas audit, sed ad opus, vel consensum non perducit. Super ægros manus imponit, & bene habebunt, dum per bona exempla majorum minores instruuntur. Dæmonium interpretatur scientia. Dæmonium ergo in nomine Jesu ejecit, qui scientiam de corde suo docendo, vel prædicando ad honorem Dei, & salutem proximi ejicit. Sed certe de multis potest dici illud. *Matth.* 12. Hic non ejicit dæmonia, nisi Beelzebub principe dæmoniorum, idest, propter ambitionem. Baal enim superior, vel devorator interpretatur. Sunt autem tria dæmonia, quæ omnino sunt ejicienda, dæmonium immundum, dæmonium mutum, dæmonium meridianum. Dæmonium immundum est sapientia animalis: dæmonium mutum, sapientia terrena: dæmonium meridianum, sapientia diabolica. De primo dicitur *Luc.* 4. In Synagoga erat homo habens dæmonium immundum. De secundo dicitur *Luc.* 11. Erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. De tertio dicit in *Ps.* 90. Non timebis a timore nocturno, &c. *i* Linguis novis, &c.] Tres sunt linguæ veteres, quibus multi loquuntur, & tres linguæ novæ, quibus pauci loquuntur. Prima vetus est lingua diaboli, quæ ab initio locuta est falsitatem, quando dixit primæ mulieri, *Gen.* 2. Nequaquam moriemini. Secunda est lingua mundi, quæ loquitur vanitatem, de qua dicitur *Prov.* 17. Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labiis mendacibus. Tertia est lingua carnis, quæ loquitur voluptatem, de qua dicitur *Eccl.* 28. Lingua tertia multos commovit. *Prov.* 5. Favus distillans labia meretricis, & lingua ejus acuta quasi gladius. Prima nova contraria linguæ diaboli, est lingua Dei, quæ locuta est veritatem, quando dixit *Genes.* 2. Quacumque hora comederitis, morte moriemini. Secunda lingua † nova contraria linguæ mundi, quæ loquitur pacem, sicut dicitur *Proverbiorum capit.* 15. Lingua placabilis lingua vitæ. Tertia est lingua Angeli, quæ loquitur curationem, de qua dicitur *Ecclesiast.* 36. Si est lingua curationis, est & mitigationis. Linguis igitur loquuntur novis, qui veritatem vitæ, justitiæ, & doctrinæ, & pacem temporis, & pectoris, & æternitatis, & curationem culpæ, pœnæ, & miseriæ docent, & prædicant.

al. † Christi.

b Et si

vis: serpentes *a* tollent, & si *b* mortiferum quid biberint, non eis nocebit, *c* super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, *d* assumptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei. Illi *e* autem profecti *f* prædicaverunt ubique *g* Domino cooperante, & sermonem confirmante *h* sequentibus signis.

Explicit Evangelium secundum Marcum.

b Et si mortiferum quid biberint,] potus mortiferus est detractio, adulatio, perversa doctrina. Hunc potum bibunt, qui audiunt, sed non eis nocet, si non consentiunt, nec applaudunt. Sed nimis difficile est, vel impossibile sine damno talia audire. Ideo dicit Salomon, *Prov.* 23. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes conferunt ad vescendum, quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur. *a* Serpentes tollent,] idest suggestiones dæmonum a cordibus suis, & aliorum fumma orationis, lectionis, & bonæ operationis expellent. *Job* 26. Obstetricante manu eductus est coluber tortuosus. *Isa.* 11. Super foramina aspidis, & in caverna Reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. *c* Super ægros manus imponent,] *Act.* 8. Tunc imponebant manus super illos, &c.

d Assumptus est in cœlum,] unde venerat. Sic prædicator postquam locutus est populo, debet redire in cœlum sacræ Scripturæ, & conscientiæ propriæ, & sedere sibi a dextris Dei, seipsum judicans, postea judicaturus alios. *Joan.* 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis, qui est in cœlo. *e* Illi autem profecti] virtute confirmati, sapientia eruditi, igne zeli inflammati, eloquentia præditi, a superiore missi.

f Prædicaverunt ubique] Aliter enim non possent, quia sine virtute essent infirmi, sine sapientia stulti, sine zelo tepidi, sine missione præsumptuosi. *Rom.* 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? *g* Domino cooperante,] *Isa.* 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis. *Joan.* 15. Sine me nihil potestis facere. *h* Sequentibus signis.] Tria signa debent sequi prædicationem. Primum est compunctio auditorum. Secundum conversio peccatorum. Tertium confirmatio justorum.

Explicit Postilla Domini Hugonis Cardinalis super Evangelium secundum Marcum.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRIS, & Domini, D. Hugonis Cardinalis, &c.

In Postillam super Lucam.

P R O L O G U S.

VIdi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes illi montes ærei. Hanc visionem revelavit Dominus *Zach.* 6. Et fuit visio imaginaria congruens illis temporibus, secundum quod exposuit Zachariæ Angelus latens inter fruteta, inquiens per quatuor quadrigas significari quatuor regna, a quibus passus est, & oppressus populus Judæorum, scilicet regnum Assyriorum, regnum Medorum, Græcorum, & Romanorum. Coloribus enim equorum satis congruunt idiomata populorum, ut dicit quædam *Glossa super xii. Prophetas*. Per hæc ergo, quæ ventura erant tempore illo populo Judaico, revelavit Dominus Zachariæ, & non tam hæc, sed per eadem etiam ostendit Dominus illi, quæ futura erant Ecclesiæ tempore gratiæ revelatæ. Duo igitur montes duo testamenta sunt, propter eminentiam spiritualis intelligentiæ, & veritatis immobilitatem montibus comparata. Juxta quod dicitur *Isa.* 40. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. Dicuntur autem ærei, tum propter sonoritatem, tum propter soliditatem. Æs enim sonorum metallum est, & solidum, & per resonantiam duorum testamentorum solidamur in lubrico hujus mundi. Quatuor autem quadrigæ egredientes de medio duorum montium sunt quatuor Evangelistæ, quorum doctrina emanat quasi de medio duorum testamentorum, fluens, & irrigans quatuor partes mundi. Prima quadriga trahebatur equis rufis, sive rubeis, secunda equis nigris, tertia albis, quarta equis variis. Per ruborem significatur sanguis Dominicæ passionis, de qua Lucas principaliter agit, & ideo recte per primam quadrigam præfiguratus est, quæ equis rubeis trahebatur. Per nigredinem, quam obscuritas comitatur, significatur divinitas humanata, quam non nisi obscure, & in ænigmate contemplamur, de qua Joannes principaliter agit, & ideo congrue per secundam quadrigam figuratur. Marcus vero, quia principaliter agit de resurrectione, per tertiam, præfiguratus est, quæ trahebatur equis albis. Per claritatem namque albedinis fulgor exprimitur resurrectionis. Unde & in resurrectione Angeli albis induti vestibus apparuerunt. Matthæus vero, qui duas in Christo asserit naturas, & varia ejus miracula diffusius narrat, eleganter per quartam quadrigam præfiguratus est, quæ equis variis trahebatur. Nam varietas equorum varietatem exprimit naturarum in Christo. Sic ergo & numerus quadrigarum, & color equorum, eleganter congruit significationi quatuor Evangelistarum, & merito per quadrigas præfigurati sunt, quia per eorum doctrinam quasi per quamdam quadrigam, per quatuor orbis climata fama Christi delata est, & quia per eorum doctrinam quadramur in præsenti quadratura virtutum, ut in futuro efficiamur rotundi æternitate fruitionis. Siquidem in quadriga est quadratura, & rotunditas, & quadratura soliditatem, rotunditas vero æternitatem designat. Quadratum enim stabile est quocumque vertatur, & rotundo nec finis, nec principium assignatur. Quadratura congruit luctantibus, rotunditas triumphantibus. Nobis siquidem in lubrico hujus vitæ contra carnem, & sanguinem, pariterque adversus aereas potestates colluctantibus necessarium est robur soliditatis, præcipue contra quatuor affectiones, quæ mentem hominis concutiunt, & dejiciunt, in hac vita, scilicet spes de adipiscendis, gaudium de adeptis, timor de amittendis, dolor de amissis. Pulchre ergo per quadrigas præfigurati sunt, per quorum doctrinam quadramur, & rotundi efficimur, idest in præsenti virtutibus roboramur, ut deinde æternitate perfruamur. Præfigurati sunt etiam quatuor Evangelistæ per quatuor annulos arcæ Mosaycæ. Per duos enim a dextris, figurati sunt illi duo, qui Domino jam immortali facto adhæserunt, idest Lucas, & Marcus. Per alios duos a sinistris figurati sunt illi duo, qui Domino adhuc mortali adhæserunt, scilicet Matthæus, & Joannes. Secundum quod Paulus, qui post ascensionem Domino adhæsit, ponitur a dextris in bulla Papæ, & Petrus, qui mortali adhæsit, ponitur a sinistris. Præfigurati etiam sunt per quatuor animalia in visione Ezechielis, & in revelatione Joannis, secundum *Hieron.* Per hominem Matthæus, qui de Christi humanitate principalius agit, & ab ea incipit. *Aug.* dicit Matthæum præfiguratum in Leone, qui ostendit Christum esse de regia tribu. Et variæ sunt opiniones de præfiguratione Evangelistarum, sed nos sequimur *Hieron.* Per Vitulum Lucas, qui plenius ejus passionem ostendit, & a sacerdotio inchoavit. Per Leonem Marcus, qui de resurrectione principalius agit, & a rugitu clamantis in deserto suum Evangelium inchoavit. Per Aquilam Joannes, qui præ ceteris Christi divinitatem altius intuitus ab ipsa inchoavit. Ordinata sunt autem Evangelia, non secundum ordinem dignitatis, sed secundum temporis rationem. Matthæus prima, quia primus scripsit, in Judæa. Marcus secundo, quia secundo scripsit Evangelium suum in Italia tempore Claudii Cæsaris. Tertio Lucas, quia tertio scripsit in Achaja. Quarto Joannes, quia ultimo scripsit in Asia. Et licet ita distincti sint Evangelistæ, tamen communem habent materiam, & intentionem, & finem. Unde Ezechiel unam faciem vidit in quatuor rotis. Materia igitur omnium Evangelistarum est utraque natura Christi, & facta ejus. Intentio omnium est, Christum verum Deum, & verum hominem demonstrare. Finem autem omnium ostendit *Joan.* 20. ubi dicit: Hæc autem scripta sunt, ut credamus, quia Jesus est filius Dei, & ut credentes vitam æternam habeamus in nomine ejus. Modus vero agendi cuilibet est specialis. De Matthæo, & Marco jam vidimus: nunc de Luca breviter videamus. Qui fuit natione Syrus, patria Antiochenus, arte medicus, Pauli discipulus in sacro eloquio, & ejusdem filius in Baptismo, historiographus optimus, unde ei traditi sunt actus Apostolici describendi. Qui & Evangelium scribere voluit, ut errores a Judæis seminatos narratione veridica extirparet, & etiam quædam ab aliis prætermissa suppleret, & hæc fuit ei causa scribendi Evangelium. Modus autem scribendi talis est. Primo præmittit toti operi suo prologum, quod alii Evangelistæ non faciunt, in quo modum propheticum imitatur. Postea incipit Evangelium suum a conceptione, & nativitate præcursoris, deinde subjungit de conceptione, & nativitate Salvatoris. Tertio agit de prædicatione ejus, & miraculorum admiratione. Quarto de passione, & morte, & resurrectione, & ascensione ejus. Ad ultimum terminat Evangelium Apostolorum expectatione expectantium S. Spiritus adventum.

Explicit Prologus Auctoris.

REVE-

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRIS, & Domini, D. Hugonis Cardinalis, &c.

Prologi S. Hieronymi in Evangelium secundum Lucam.

E X P O S I T I O.

LUCAS Syrus] Præmittit autem *Hier.* huic Evangelio prooemium, io quo ostendit quis, & qualis fuit auctor, & ubi scripsit, & quare. Quis fuit auctor? *Lucas*. Qualis? Medicus. Et ubi scripsit? In Achaja. Quare? Ut errores Judæorum extirparet, & minus explanata elucidaret: Commendat autem eum *Hier.* a tribus, sc. ab officio, a convictu, a virtute. Ab officio, & ante fidem, & post fidem. Ante fidem fuit medicus, post fidem Evangelista, ut qui fuerat medicus corporum, fieret medicus animarum. A convictu, quia diu fuit in consortio Apostolorum, tandem secutus est Paulum usque ad mortem. A virtute, quia fuit virgo. Deinde ostendit *Hier.* triplicem causam, quare post alios scripsit Evangelium Lucas, sc. ad ordinem, ad cautelam, ad completionem. Ad ordinem, ut seriatim disponeret, quæ alii dixetaot quodammodo confuse. Ad cautelam Græcis, sive Achaicis, ut a fabulis Judeorum, & erroribus pseudo apostolorum caverent. Jam enim intantum seducti erant, ut crederent sola legalia sine fide Evangelii sufficere ad salutem. Ad completionem, quia quædam ab aliis fuerant inchoata, sed non plene consummata, quædam etiam prætermissa, quæ Lucas apposuit, Sed quia rursus Lucas videtur confundere ordinem rei, & temporis. Computat enim genealogiam Christi ascendendo, in quo videtur confundere ordinem rei, cum genealogiæ descendendo soleant computari, sicut Matthæus computat. Et temporis, quia genealogiam Christi computat post baptismum, ideo subdit causam *Hieron.* quare Lucas ascendendo, & post baptismum texuerit Christi genealogiam. Hoc enim pro significatione fecit, ut sc. per hoc mystice monstraretur, quod in baptismo dantur pennæ, quibus ascenditur in cœlum. Dicit ergo:

(Margin: al. † Antiochensis. — al. consummationem.)

Incipit Prologus S. Hieronymi in Evangelium secundum Lucam.

LUCAS *a* Syrus *b* natione, & † *c* Antiochenus, *d* arte medicus, *e* discipulus Apostolorum, *f* postea Paulum secutus usque *g* ad confessionem ejus *h* serviens Domino sine crimine. Nam *i* neque uxorem unquam habens, neque filios, *k* septuagintaquatuor annorum *l* obiit in Bithynia plenus Spiritu sancto *m* Qui *a* cum jam *o* scripta essent *p* Evangelia per Matthæum quidem in Judæa per *q* Marcum autem in Italia, sancto *r* instigante Spiritu in Achajæ partibus hoc scripsit *f* Evangelium, significans etiam *s* ipse in principio *a* ante † hoc *x* alia esse *y* descripta. *z* Cui *a* extra ea, quæ ordo evangelicæ dispositionis exposcit, *b* ea maxime necessitas laboris fuit, *c* ut primum *d* Græcis fidelibus omni prophetatione *e* venturi in carnem Dei Christi manifesta *f* esset humanitas, *g* ne *h* Judaicis fabulis attenti, in *i* solo legis desiderio tenerentur, *k* vel ne hæreticis fabulis, & stultis sollicitationibus seducti exciderent a veritate, *l* elaboraret. *m* Dehinc ut in principio Evangelii Joannis nativitate *n* præsumpta, cui Evangelium scriberet, & in quo † *o* electus scriberet, *p* indicaret, *q* contestans in se *r* completa *f* esse, *t* quæ *a* essent ab aliis inchoata.

(Margin: al. † suum. — al. † electis.)

a Lucas] supple fuit. *b* Syrus natione,] i. natus in Syria. *c* Et Antiochenus,] i. natus in Antiochia Syriæ. Et hoc dicitur ad differentiam alterius Antiochiæ, quæ non est in Syria, imo in Perside. *d* Arte medicus,] Hic commendatur ab officio ante fidem. *e* Discipulus Apostolorum,] Hic a convictu, & intellige Petri, & Pauli per excellentiam. Eos enim antonomastice Apostolos intelligere consuevimus, ut cum dicitur. Disposuimus visitare limina Apostolorum. Sed maxime tamen adhæsit Paulo, unde dicit: *f* Postea Paulum secutus,] *Act.* 16.

g Usque ad confessionem ejus,] idest, usque ad martyrium, quod pro confessione nominis Christi sustinuit. Vel. [Usque ad confessionem] idest, ejus fidem, & confessionem per omnia imitando.

h Serviens Domino] fuit [sine crimine] mortali supple, idest, sine culpa. Et hoc probat subdens. *i* Nam neque uxorem, &c.] Hic commendatur a virtute.

k Septuagintaquatuor annorum] existens supple. *l* Obiit in Bithynia plenus Sp. Sancto.] idest, gratia Sp. Sancti. *m* Qui eum jam scripta] Hic ostendit ubi scripsit Evangelium. Sic construe (Qui) sc. Lucas. *r* Sancto instigante Spiritu] idest, inspirante, & ideo non superflue. *b* Scripsit hoc Evangelium in partibus Achajæ,] idest, Græciæ, & hoc Græco sermone, sive Græce. a Cum] pro quamvis. *o* Jam scripta essent Evangelia] tam a pseudu quam a veris Evangelistis. *p* Per Matthæum quidem in Judæa,] & hoc Hebraico sermone, sive Hebraice. *q* Per Marcum autem in Italia,] & hoc supple Latine, *r* Ipse] dico [etiam significans in principio] idest, in prooemio suo, illo, scilicet. Quoniam quidem, &c. quod dicit [suum] ad differentiam hujus, quod est *Hier.* Illud enim est prooemium Lucæ, istud non est prooemium Lucæ, sed in Lucam. a Alia] i. aliorum Evangelia. *y* Esse descripta] non solum Matthæi, & Marci, sed etiam quorundam pseudo-evangelistarum, quos io prooemio suo tangit. a Ante hoc:] idest, antequam ipse scriberet istud Evangelium. Quidam habent [ante] & non [hoc] & est idem sensus. *z* Cui, &c.] Subdit causas, quare scripserit ne superflue videretur scripsisse post alios. Unde dicit: [Cui] scilicet Lucæ, *a* Extra ea, quæ ordo evangelicæ dispositionis exposcit,] idest, præter eam causam, quæ est, ut evangelicam ordinaret historiam. Vel: [extra ea,] quæ scil. sunt veritas, utilitas, compendium, & ordo. *b* Ea maxime necessitas laboris fuit,] idest, ea maxima fuit, & necessaria causa sui laboris. *c* Ut humanitas Christi Dei] idest, filii. *e* Venturi in carnem omni prophetatione] i. de quo omnibus modis prophetatum erat, quod venturus esset in carnem, non tunc venturi, quando Lucas scripsit, sed quantum ad prophetas.] *f* Esset manifesta] i. ut Christi humanitatem aperiret. *d* Græcis primum] i. principaliter: Et maxime [fidelibus.] Pro fidelibus enim solummodo scripsit illud. Vel [primum esset manifesta] idest, apprime, idest, solide, & perfecte. Vel primum Græcis esset per Lucam manifestata, quam aliis per eum, idest, per ejus scriptum. Scripsit enim Græce. *g* Ne Judaicis fabulis attenti, &c.] Ecce cautela. *k* Vel ne hæreticis fabulis, &c.] Hic ostendit, quare voluit eis manifestare. Sic construe: *l* Ut elaboraret.] idest, labore suo hoc efficeret. *g* Ne] ipsi fideles Græci. *h* Judaicis fabulis attenti,] Sumptum est de 2. *Tim.* 2. & *ad Tim.* 1.

i In solo legis desiderio tenerentur,] i. crederent sola legalia ad salutem posse sufficere, quod eis prædicabant pseudo. Vel: (Ne exciderent a veritate.) Illi dico (seducti hæreticis fabulis, &c.) Inculcatio verborum est. *m* De hinc ut io principio Evangelii, &c.] Ecce tertia causa, quare scripsit Evangelium, sc. ad completionem, ut quæ ab aliis minus dicta fuerant, suppleret. Unde dicit: (De hinc) idest, ideo scripsit, ut:

a Præsumpta,] idest, præmissa (nativitate Joannis in principio Evangelii) sui, scilicet:

p Indicaret cui,] idest, ad honorem cujus, sc. Christi, [scriberet Evangelium] Per hoc enim, quod io principio Evangelii sui agit de nativitate præcursoris Christi, scilicet Joannis, qui erat ejus vox, vel præco, ostendit se ad honorem Christi scribere.

o Et] indicaret etiam [in quo] i. in cujus animalis figura, electus scriberet,] Per hoc enim, quod a Zacharia sacerdote incepit, cujus erat officium immolare, innuebat se Lucas per vitulum significari, qui solet immolari. Vel [In quo] i. ad quid, & ad quod opus esset electus, sc. ad evangelizandum verbo, & scripto. Vel secundum aliam litteram: [in quo electis scriberet,] sc. Theophilo, cui scribit, hic, & in eo omnibus electis. Alia non mutantur. *o* Et] indicaret [in quo] i. ad quid scriberet, sc. ut quæ ab aliis prætermissa fuerant, compleret. Ipse dico: *p* Contestans] in prologo suo, vel etiam in ipso opere. *r* Completa] idest plene scripta. *f* Esse in se,] idest, io libro suo. *t* Quæ ab aliis Evangelistis. a Essent inchoata.] & non consummata. Nota, quod ab hoc loco, [Dehinc] usque [contestans, quasi interpositio est, nec est de tertia causa, quam incipit assignare, ubi dicit: [Constans in se completa] Et hoc contestatur in prologo suo, dicens: Quoniam quidem multi conati sunt, &c. Et nota, quod non ait, a se, sed [in se] Non enim attribuit sibi, sed Deo. Unde non ait [completa] a se, sed a

Deo

Deo in se. *a* Cui ideo, &c.] Quia dixerat Lucam ideo scripsisse, ut evangelicam historiam ordinaret, ipse autem videtur ordinem confundere, quia genealogiam Christi retrograde computat, ascendendo a Joseph usque ad Deum. Ideo subdit causam *Hieron.* quare hoc faciat, scilicet, pro mysterio.

a Cui *b* ideo *c* post baptismum filii Dei *d* a perfectione generationis in *e* Christo † *f* impletæ, & *g* repetendæ a *h* principio nativitatis humanæ potestas permissa est, ut *i* requirentibus *k* demonstraret, *l* in quo apprehendens *m* erat per *n* Nathan filium David *o* introitu *p* recurrentis in Deum *q* generationis admisso, *r* inseparabilis Dei, ut prædicans *s* hominibus Christum suum, *t* opus perfecti hominis *u* redire in se per *x* filium *y* faceret, *z* qui per David *a* patrem venientibus iter *b* præbebat in *c* Christo. *d* Cui Lucæ non immerito etiam scribendorum Actuum Apostolorum potestas in ministerio datur, ut *e* Deo in Deum *f* pleno, & *g* filio perditionis extincto, oratione ab ipsis Apostolis facta, sorte † *h* dominicæ electionis *i* numerus compleretur. Sicque *k* Paulus *l* consummationem Apostolicis actibus daret, quamdiu contra stimulum recalcitrantem Dominus elegis-

al. † completa.

al. † non habet David.

al. † indisparabilis.

al. † Dei prædicans in hominibus.

Ideo enim genealogiam Christi computat post baptismum, & ascendendo, ut per hoc mystice monstretur, quod post baptismum datur facultas baptizatis ascendendi ad Deum. Et hoc est, quod dicitur hic. [Cui ideo, &c.] Sic ordina constructionem. *a* Cui] scilicet Lucæ. *b* Ideo] permissa potestas est, supple incipiendi.

d A perfectione generationis filii Dei] idest a perfecta generatione filii Dei, quam perfecte describit, ponens septuaginta septem generationes, & ita perfecte computat generationem Christi, incipiendo, inquam, post baptismum. Generationis dico. *f* Impletæ,] idest consummatæ. *e* In Christo,] secundum Mathæum, quia ultra Christum non protenditur series genealogiæ, quia Christus neminem genuit secundum carnem. Usque ad Christum vero filii succedunt patribus in genealogia secundum Matthæum. Ultra Christum enim non processit Matthæus, a quo incipit Lucas finiens in Deum. *g* Et repetendæ] quasi permissa est ei potestas incipiendi post baptismum texere generationem Christi, quam texuit Matthæus ante, & ita mutare ordinem temporis. Item permissum est ei, ut ascendendo generationem ejus computaret, quam Matthæus descendendo computavit, & ita mutare ordinem rei. (Et) hæc ei permissa potestas (repetendæ) idest revolvendæ, idest ordine præpostero narrandæ. Et bene ait: (repetendæ,) quia Matthæus genealogiam texuerat recto ordine, & ille repetit, idest retrograde petit. Repetendæ inquam. *h* A principio humanæ nativitatis] idest retrograde incipiendæ a Joseph, qui reputabatur principium nativitatis humanæ in Christo, quia putabatur pater ejus. Vel (Repetendæ a principio,) idest usque ad principium, quia ascendit a Joseph usque ad Deum, qui est primum principium. Unde in fine genealogiæ dicitur, qui fuit Dei. Vel [Repetendæ a principio,] idest a Deo, quia non computat descendendo, tamen ex eo ipso quod ascendit a Joseph, & usque ad Deum, & ibi terminat, ostendit ad Joseph deductam a Deo. Vel aliter, & parum mutatur. *a* Cui] idest post generationis (impletæ in Christo, & repetendæ a principio) idest retrograde narrandæ incipiendo. *c* Post baptismum filii Dei a perfectione] idest a primo, scilicet Christo, vel Joseph usque ad ultimum, scilicet Deum. Alia non mutantur. *i* Ut requirentibus, &c.] Quasi ideo inchoat post baptismum, & computat ascendendo. *k* Ut demonstraret] requirentibus, idest scire volentibus. *l* In quo] idest, per quem ipse Lucas, & quilibet alius. *m* Erat apprehendens] idest poterat apprehendere Deum, scilicet per Christum, a quo in genealogia ascendit usque ad Deum. Et est sensus, quasi dicat, ideo post baptismum, & ascendendo texuit Christi generationem, ut per hoc ostendat, quia in baptismo datur facultas ascendendi usque ad Deum per Christum, sicut in genealogia a Christo est ascensus ad Deum. *n* Per Nathan filium David, &c.] quasi ut demonstraret hoc modo, scilicet: *o* Introitu] idest principio. *q* Generationis admisso inseparabilis Dei,] idest filii Dei, qui est unum cum patre. Vel. (indisparabilis) idest non disparabilis, idest filii, qui est Deus, par patri, sive qui æqualis est patri. Generationis dico. *p* Recurrentis in Deum] idest retrograde procedentis usque ad Deum. *q* Admisso,] idest deducto. Et hoc (per Nathan filium David) Infra dicit (David patrem) vide, quia Matthæus, & Lucas conveniunt in patribus ab Abraham usque ad David. Deinde dissentiunt, quia Matthæus texuit genealogiam a David per Salomonem, Lucas a David per Nathan filium ejus adoptivum. Legitur enim, quod mortuo Sama fratre David, cujus filius fuit Nathan, Jesse pater David adoptavit nepotem, Item mortuo Jesse, David adoptavit Nathan. Item 1. *Paral.* 3. dicitur Nathan filius David de Bersabee. Sama, & Sobab, & Nathan, & Salomon quatuor de Bersabee. Alii dicunt eum filium fuisse David. Hoc autem non vacat a mysterio, quod genealogiam computat ascendendo per Nathan a David, & sic usque ad Deum, sed per hoc mysterium instruit, quod potes ascendere ad Deum, per Nathan, & David, idest per opera prophetæ si pro modulo tuo imiteris ea, & per humilitatem, in qua præminebat David. Nathan etiam interpretatur donans, vel donatus gratiæ. Et talis debet esse, qui vult ad Deum ascendere. *s* Ut prædicans hominibus, &c.] Illud, quod dixerat, explicat, quasi ideo permissa est prædicta potestas, sive ideo Lucas hoc fecit (ut prædicans hominibus Christum,) Christum dico (suum) Lucæ scilicet, idest sibi concessum ad prædicandum, quia ejus fidem prædicat, & servat. Vel, (suum) hominem, idest eis, datum ad salvandum eos. *Isa.* 9. Filius datus est nobis. *y* Faceret,] Lucas supple, idest ostenderet fieri. *t* Opus perfecti hominis,] idest hominem, idest Adam, sive humanum genus, quod est opus perfectum, idest in finali operum consummatione conditum. In homine enim perfecta sunt opera sex dierum. *u* Redire in se] idest ad statum perfectionis suæ, unde ceciderat. Vel (in se,) idest, in Deum. *x* Per filium] supple Dei. Vel (per filium) David, idest per Nathan. Et hoc mystice intelligendum. *z* Qui] scilicet Lucas. *b* Præbebat iter] idest præberi ostendebat. *c* In Christo,] idest per Christum iter ascendendi in † Deum. Et quibus? *a* Venientibus per David] idest per humilitatem David dico. *a* Patrem] Christi, vel Nathan. Vel. (Præbebat iter in Christo] idest ad Christum, qui est terminus generationis secundum Matthæum, & principium secundum Lucam, (Venientibus per David) idest descendentibus secundum Matthæum. *d* Cui Lucæ, &c.] Subdit ad commendationem Lucæ, quod dati sunt ei ad scribendum Actus Apostolici. Unde dicit: (Cui Lucæ non immerito etiam scribendorum actuum Apostolorum potestas in ministerio datur,] idest, ut sit minister illius operis. Et hoc merito, quia bene descripserat evangelicam historiam. *e* Ut Deo in Deum, &c.] Quasi ideo data est ei potestas describendi actus Apostolorum, [Ut Deo] idest Christo ostenso esse. *f* Pleno Deo in Deum] idest esse plenum Deum, idest exposita Christi Ascensione, per quam evidenter innotuit plenus Deus, qui in incarnatione servus apparuerat. Et nota, quod per hanc præpositionem [in] intelliguntur illi termini (Deo) & (Deum) poni hic personaliter. Significat enim transitum, qui est diversitatis. Oportet ergo, quod sit hic diversitas personarum. Et erit sensus [Deo] idest filio, reverso supple [in Deum,] idest ad patrem. Et per hoc [pleno,] quia in ascensione, sive reversione ad patrem ostendebatur esse plenus Deus. De hoc *Act.* 1. *g* Et filio perditionis extincto,] idest, exposita morte Judæ, qui dicitur filius perditionis. *Joan.* 17. Pater, quos dedisti mihi, custodivi, & nemo periit nisi filius perditionis.

i Numerus Dominicæ electionis compleretur.] idest ostenderetur, quomodo numerus Apostolorum, qui a Domino electi sunt duodecim, completus est Mathia substituto, qui fuerat imminutus in Juda. Compleretur, inquam. *h* Sorte] primo [oratione ab ipsis Apostolis facta,] *Act.* 1. Elegerunt namque duos, scilicet, Joseph, qui cognominatus est Barsabas, & Mathiam. Deinde sorte projecta, omnes prostrati sunt ad orationem, & cecidit sors super Mathiam. *k* Sicque Paulus consummationem Apostolicis actibus daret, &c.] Et est sensus [Sicque] idest executis omnibus istis, scilicet, exposita Ascensione, morte Judæ, substitutione Mathiæ, & reliquis. *l* Paulus consummationem Apostolicis actibus daret,] idest liber actuum Apostolorum terminaretur in Paulo, scilicet in prædicatione ejus Romæ, quia Dominus eum tandem per multas Ecclesiæ persecutiones consummavit in bono. Et hoc est, quod dicit: [Quamdiu, &c.]

Lucas ipse elegans vel conjungens, quia texuit genealogiam usque Adam in Deum.

Filii David fuerunt, quatuor, nomen; atque filii concubinarum.

Sed quem docuit Lucam ordinem per patrum in genealogia, nisi Dominus.

al. † Domino.

al. † cœlum.

Quod, &

fet. *a* Quod *b* & legentibus, ac quærentibus Deum, *c* etsi per singula expediri a nobis utile fuerat, sciens *d* tamen, quod operantem agricolam oporteat primum de fructibus suis *e* edere, *f* vitavimus *g* publicam curiositatem, *h* ne *i* non *k* tam *l* volentibus Deum demonstrare videremur, *m* quam *n* fastidientibus † prodesse.

Finit Prologi.

a Quod & legentibus, &c.] Sic construe. [Quod] idest, quare Dominus Judam destitui, & Mathiam substitui, vel Paulum recalcitrantem numero Apostolico apponi voluerit. *c* Etsi] idest, [quamvis utile fuerat expediri a nobis per singula] idest singillatim. *b* Et legentibus, &c.] idest hæc scire volentibus. *d* Tamen] ego, sciens quod oporteat agricolam operantem] idest quemlibet pro instructione aliorum laborantem. *e* Edere primum de fructibus suis,] idest de labore suo fructum percipere, quod fit, cum auditores ex ejus doctrina proficiunt. *f* Vitavimus] idest vitavi mihi, & aliis. *g* Publicam curiositatem,] idest superfluam verborum multiplicitatem, vel ostensionem. Et exquisite dictum est [Publicam curiositatem,] idest communem. Hoc est enim, in quo omnes publice, idest communiter fere peccant. Maxime enim sunt curiosi, sicut ut verba multiplicent, & inculcent, ut ex agmine verborum videantur scientes. *h* Ne non tam volentibus, &c.] quasi dicat, ideo non per singula hæc expedivimus [ne] pro ur. *i* Non videremur demonstrare Deum,] idest Dei notitiam tradere, vel Dei scientiam. *l* Volentibus Deum] supple videre, idest ad Dei pervenire visionem, & quærere, quæ prosunt ad salutem, ly [Deum] est diasynticum ibi. *k* Tam] i. intantum. *m* Quam] idest inquantum [videremur prodesse,] idest satisfacere. *n* Fastidientibus] idest curiosis, subtilia, & inutilia, & nova quærentibus, non quæ sunt ad ædificationem. Aliqui libri habent: [Prodidisse,] idest ministrare, sive demonstrare, quod quærebant. Et est summa, quasi dicat *Hieron.* Licet utile esset propter volentes requirere Deum, singula explanare, tamen ne fructum amitterem in fastidientibus, volui brevitate sermonis potius perstringere.

al. † prodidisse.

Explicit Expositio Prologi S. Hieronymi in Evangelium secundum Lucam.

EJUSDEM REVERENDISS. PATRIS, Domini Hugonis Cardinalis, &c.

In Procemium Sancti Lucæ.

E X P O S I T I O.

QUoniam quidem multi, &c.] Impingua oblationem, & da locum medico. *Eccl.* 38. Hoc fit, cum oratio, sive lectio conditur charitatis affectu. Sic enim effectum habet medicina, & tunc datur locus medico, idest Lucæ. Lucas enim medicus de corporibus ad animas, de herbis transivit ad verba, quæ sicut aromata trita, meliorem consequuntur effectum. Sed quoniam præparatio medicinam juvat, suo operi præponit ipse Lucas procemium, scribens Teophylo, qui potentissimus erat in Achaja, vel potius cuilibet amanti Deum. Hoc enim nomen Theophyli dicit. Hunc tenens ordinem. Primo ostendit, quibus de causis scripserit Evangelium, ne forte videretur superflue scripsisse post alios, scilicet propter pseudo-Evangelistas, qui pullulaverunt, & sub nomine Thomæ, & Mathiæ multa scripserant, errores multos continentia. Et cum ipse Lucas peritus esset historiographus, voluit tradere historiam, ut falsas eorum traditiones eliminaret, & excluderet ab eis errores seminatos. Secundo ostendit modum tractandi, quo scilicet modo sit tractaturus Evangelicam historiam. Tertio ostendit, quo fine scripserit. Dicit ergo, quoniam quidem, &c. Sed primo notandum, quod sicut per figuras quatuor animalium figuratus est Christus, ita & per nomina eorum. Est enim Mathæus, idest donatus in nativitate. *Isa.* 9. Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Marcus, idest excelsus mandatus in passione, quia ad mandatum patris exaltari in cruce non dubitavit. *Phil.* 2. Factus est obediens, &c. Lucas, idest, ipse consurgens in resurrectione. Joannes, in quo est gratia in Ascensione, & sancti Spiritus missione. *o* Quoniam quidem multi] Constructio litteræ dupliciter potest ordinari. Primo ita & prætermittens. [Quoniam,] ad tempus. *p* Multi conati sunt ordinare narrationem veram,]

Procemium S. Lucæ in Evangelium suum incipit.

o QUoniam quidem *p* multi *q* conati sunt ordinare † narrationem, quæ in *r* nobis † completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi *f* viderunt, & ministri *s* fuerunt sermonis, visum *u* est, & mihi *x* assecuto a principio omnia *y* diligenter ex ordine tibi *z* scribere, *a* optime Theophyle, *b* ut cognoscas *c* eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

al. † narrationes. al. † redundant.

Evangelii, scilicet: [Quæ in nobis sunt completæ] Completæ sunt inquam, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Modo sume, [quoniam. Et quoniam conati sunt,] idest, inutiliter aggressi, ut in lævam partem interpretetur hoc, quod dico [conati, visum est, & mihi assecuto omnia a principio scribere tibi, optime Theophyle] & hoc diligenter ex ordine, idest ordinate. Ecce aperit modum tractandi, subsequenter finem.

y Diligenter ex ordine] per hoc notat prolixitatem tractatus. Nemo enim potest commode servare diligentiam in brevitate nimia. Unde *Gloss.* Prolixiorem, &c. Finem notat, dicens:

b Ut cognoscas veritatem] idest ordinem.

c Eorum verborum, de quibus eruditus es] idest Evangelicæ historiæ, quam sciebat, sed ordinem ignorabat. Aliter potest ordinari, ut construas ita. *u* Visum est, & mihi assecuto a principio omnia scribere tibi diligenter ex ordine, optime Teophyle,] Scribere inquam ex ordine: Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Visum est inquam mihi: Modo resume a principio. *o* Quoniam quidem multi, &c.] Mali sunt, e contrario boni pauci sunt. *Matth.* 20. Multi sunt vocati, pauci vero electi. *Eccl.* 1. Stultorum infinitus est numerus. 1. *Cor.* 9. Omnes currunt, sed unus accipit bravium. *q* Conati sunt] Mali conantur propria virtute, ideo elaborant, & sine fructu, nec perficiunt. *Jer.* 9. Ut inique agerent, laboraverunt. E contrario boni facile agunt, & fructuose, & consummunt. *Num.* 23. Non est lassitudo in Jacob, & dolor in Israel. Alia littera, ubi nostra, habet: Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel. Sancti enim sine dolore luctantur, & sine lassitudine contemplantur. *Isa.* 40. Current, & non laborabunt. Quod spiritu Dei incipitur leviter fit, & bene perficitur: Deus enim operando non laborat, quia dixit, & facta sunt: Et quod incipit consummat, quia Dei perfecta sunt opera. *r* Quæ in nobis completæ sunt,] vel [redundant,] *Eccl.* 1. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, idest non augetur, neque affluit. Sic avarus pecuniæ, scientiæ, librorum multitudine non redundat. Res illæ, idest Christi mysteria in Apostolis abundabant, & ideo redundabant, per manus eleemosynæ, per oculos lacrymæ, per ora preces, & instructiones. *Psal.* 62. Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, &c.] Nota, quod non ait, a nobis, sed [in nobis] Deo attribuens non sibi: Ac si diceret: non a nobis impletæ sunt, sed a Deo in nobis. In nobis redundat, dicit, idest per nos, sive per officium nostrum per universum orbem more undarum fluentium mentes fidelium irrigant. *f* Ipsi viderunt,] intelligendo. *s* Et ministri fuerunt] opere exequendo, quasi non solum intellexerunt, sed etiam ministerio, idest opere impleverunt. Et bene jungit visionem, & ministerium. *Jerem.* 31. Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, q. d. sicut vidi, sic feci. *Isa.* 42. Qui vides multa, nonne custodies? *x* Assecuto a principio] ideo potest esse testis idoneus. *Joan.* 15. Vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis. *z* Scribere,] Vetula melius scribit Evangelium quandoque, quam Doctor, quia opere exequitur, & aliis præbet exemplum. *Is.* 44. Iste dicet, Domini ego sum, & hic scribet manu sua Domino. *Jo.* 8. Digito scribebat in terram. *a* Optime Teophyle] scribitur Teophylo, quia amicis consilia revelantur. *Prov.* 25. Causam tuam cum amico tuo tracta. *b* Ut cognoscas] quia amanti datur cognitio. 1. *Joan.* 2. Unctio ejus docebit vos de omnibus.

Explicit Expositio Procemii S. Lucæ.

REVE-

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRIS, & Domini, D. Hugonis Cardinalis, &c.

Postilla super Evangelium secundum Lucam incipit.

EXPOSITIO CAP. I.

Explicit Evangelium secundum Lucam.

C A P. I.

FUIT in *a* diebus Herodis regis Judææ *b* sacerdos quidam nomine *c* Zacharias, *d* de vice Abia, & uxor illi de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth. Erant *f* autem

FUit in diebus, &c.] *Job* 38. Nunquid producis luciferum in tempore suo? Joannes Baptista est lucifer, qui præcessit ortum solis. Sed absconsus est orto sole, quia non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine, *Joan.* 1. Hunc Lucas produxit, idest productum ostendit in tempore suo, idest tempore opportuno, scilicet diebus Herodis regis. Tempus enim luciferi est pars noctis extrema cum instante luce sequentis diei, & tunc quandoque sunt tenebræ densiores: Sic natu Joanne, & instante Christi nativitate fuit cæcitas in populo Judæorum, ita ut ipsum luciferum solem esse putarent. Sed confessus est Joannes, quia non sum ego Christus, & quia illum oportet crescere, me autem minui. *Joan.* 3. Ideo Lucas volens texere historiam de nativitate Domini, præmittit de nativitate militis, idest Joannis, ostendens quando, & de quibus parentibus natus fuerit, & regionem, & regem, cujus tempore natus fuerit. Unde sequitur convenienter morem historiographi, has determinando circumstantias, sicut dicit *Gloss.* Implevit, &c. Dicit ergo. *a* Fuit in diebus Herodis regis Judææ.] Iste Herodes fuit Ascalonita, qui fuit alienigena, qui primo finitu regno Judæorum regnavit in Judæa, secundum quod prophetatum fuerat a Jacob. *Gen.* 49. Non auferetur sceptrum de Juda, &c. Jam etiam sacerdotium vendebatur a Romanis, & ita quodammodo jam cessabat unctio sacerdotii. *b* Sacerdos quidam nomine Zacharias,] Nota etiam, quod Joannes primo commendatur a patre, secundo a matre. Sed ad solum patrem mittitur Angelus, quia vir caput est mulieris. 1. *Corinth.* 11. Christus a contrario primo commendatur a matre, & deinde a patre putativo, idest, Joseph. Sed ad solam matrem mittitur Angelus, quia de illa sola sine patre natus est Christus. Et in hoc plenissime respondet veritas umbræ. Duorum quidem in veteri testamento conceptio, & nativitas fuit per Angelum nunciata, idest Isaac, & Samsonis. Et duorum in novo, idest Joannis, & Christi. Isaac, qui interpretatur risus figura fuit Joannis, de quo scriptum est *infr. eodem*: Et multi in nativitate ejus gaudebunt. Et in ejus, idest Isaac conceptione nunciauda mittitur Angelus tantum ad patrem. Samson, qui interpretatur sol eorum figura fuit Christi, quia & Samsonis conceptio, prius per Angelum fuit soli mulieri nunciata. Tres Herodes fuerunt, Ascalonita, Antipas, Agrippa: Ascalonita necat pueros, Antipas Joannem, Agrippa Jacobum, claudens in carcere Petrum.

d De vice Abia,] idest de octava. 1. *Paralipomen.* 24. ut sit indeclinabile Abia. Vel de vice Abiæ, ut dicatur Abias Abiæ. Quid hoc sit, plenius dicetur inferius. *e* Et uxor illi de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth. In commendatione aliorum prophetarum, ut Isaiæ, Jeremiæ, Oseæ, & aliorum non præponuntur nisi nomina patrum, hic autem præponitur nomen patris, & matris, quia uterque propheta fuit. Elias autem præco secundi adventus introducitur subito sine patre, & matre. 3. *Reg.* 17. ideo fit, quia Joannes præcursor fuit in testimonium carnalis generationis: Elias præcursor erit in secundo adventu, ubi carnalis generatio locum penitus non habebit, sed spiritualis. De qua dicitur *Matth.* 19. In regeneratione cum sederit filius hominis, &c.

f Erant autem ambo justi ante Deum,] qui non fallitur

A Ut homines

Moraliter.

Moraliter. *a* Fuit in diebus Herodis, &c.] Dies Herodis suo sole illuminatur. Dies ejus est prosperitas spiritualis, quæ facit duos dies, potentiam opprimentem, sapientiam decipientem. *Jerem.* 17. Diem hominis non desideravi. Herodes interpretatur glorians in pellibus, & significat diabolum, qui gloriatur in hypocritis, qui pellibus ovium sunt induti, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. *Matth.* 7. Qui & rea dicitur, quia regnat super omnes filios superbiæ. *Job* 41. In diebus ejus fuit Zacharias, quia semper Dominus malis regnantibus aliquos bonos suscitat ad eorum malitiam reprimendam, Sic Elias tempore Achab. Non enim abiicit Dominus omnino populum suum, quia etsi malus sit princeps, tamen si sacerdos bonus est, potest esse ut Joannes, idest gratia Dei nascatur in populo. *Jerem.* 31. Inebriabo animas sacerdotum pinguedine, & populus meus adimplebitur bonis. Tunc est tempus pessimum, & abjectus populus, quando princeps malus est, & sacerdos. Sic fuit tempore passionis Domini, & forte est modo. *Jerem.* 2. Confusi sunt domus Israel, ipsi & reges eorum, principes, & sacerdotes, & prophetæ eorum.

c Zacharias,] Zacharias interpretatur memor Domini, quia propriam gloriam non quærit. 2. *Cor.* 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Magna laus est sacerdotis, qui in diebus Herodis, idest prosperitatis spiritualis, Domini tenet memoriam. Pincerna enim liberatus a carcere, & ministerio suo restitutus, oblitus est Joseph. *Gen.* 40. *Jerem.* 2. Ambulaverunt post vanitatem suam, & vani facti sunt, & non dixerunt, ubi est Dominus. Debet autem sacerdos, idest Episcopus esse memor Domini in triplici statu, idest patientis, judicantis, regnantis. Patientis, ut imitetur. 1. *Cor.* 9. Castigo corpus meum, &c. Judicantis, ut timeat, & si juste judicet subditos. *Sap.* 6. Audite reges, & intelligite, discite judices finium terræ: judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Regnantis, ut desideret contemplando. *Can.* 1. Trahe me post te. *Tit.* 2. Sobrie, & pie, & juste vivamus in hoc sæculo. In tribus autem maxime debet esse memor, scilicet in regiminis susceptione, ut intret per ostium, idest per Christum. In beneficiorum collatione, ut exeat per ostium propter Christum beneficia conferendo. In temporalium dispensatione, ut ea distribuat pauperibus propter Christum & sic iterum exeat per ostium. *Joan.* 10. Ego sum ostium, si quis per me introierit, ingredietur, & egredietur. Et ideo dicitur introeuntibus in *Psal.* 120. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.

d De vice Abia,] Hoc dicitur, quia Episcopus debet attendere, cujus vicem gerat, scilicet patris Domini, ut se amabilem exhibeat, & reverendum. Sed primo patrem amabilem, deinde Dominum reverendum. Sic Moyses. *Exod* 32. primo ut pater pro populo supplicavit, deinde ut Dominus populum judicavit. *Job* 29. Cum sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. Non est ergo [de vice Abia] prælatus, idest non gerit vicem Christi, qui tantum pater est, vel qui tantum Dominus est, sed pater, & Dominus simul esse debet. *Isa.* 22. Potestatem tuam dabo in manu ejus, & erit quasi pater habitantibus Jerusalem. In patre commendatur ætatis maturitas, sapientiæ dignitas, morum gravitas, charitatis affectus. In Domino justitiæ zelus, animi fortitudo, ut neminem timeat, sed timeatur, & largitatis virtus. Item [de vice Abia,] idest de vice octava debet esse, ut omnia fiant pro æternis. *Eccles* 11. Da partes septem, nec non & octo. *e* Et uxor illi de filiabus Aaron, &c.] Aaron interpretatur montanus, idest Christus. *Isa.* 2. Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini. Filiæ Aaron omnes scientiæ. *Eccl.* 1. Omnis sapientia a Domino Deo est. Elisabeth una de filiabus Aaron est scientia sacræ Scripturæ. Interpretatur enim Dei mei saturitas, quia aliæ scientiæ inflant. 1. *Cor.* 8. *Aggæi* 1. Comedistis, & non estis saturati, bibistis, & non estis inebriati. Sed hæc scientia & satiat, & inebriat. *Psal.* 21. Edent pauperes, & saturabuntur. *Prov.* 13. Justus comedit, & replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis. Hæc debet esse uxor & Episcopi, & aliæ debent esse ut famulæ. *Sap.* 8. Exquisivi sapientiam a juventute mea, & quæsivi sponsam mihi eam assumese, & amator factus sum formæ illius. Sed dicitur *inf. eod.* quod non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, quia nondum præceperat Angelus Zachariæ accedere ad eam, sine cujus mandato non debet aliquis accedere ad hanc uxorem. Sæpe tamen accesserat Zacharias ad eam, sed frustra, quia Angelus nondum præceperat. Sed ubi venit mandatum Angeli, concipit Elisabeth, & nascitur Joannes, & multi gaudebunt. *Prov.* 5. Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ cerva charissima, & gratissimus hinnulus, ubera ejus inebrient te omni tempore. Interpretatur etiam Elisabeth, Deus meus cognovit, idest fecit cognoscere. Ante Joannem, idest gratiam, cognitio Dei sterilis est in clerico, & memoria, idest Zacharia muto a laude. *f* Erant

autem ambo

▲ nt homines. Hoc ideo determinat, quia coram hominibus non videbatur justa Elisabeth, quia erat sterilis, & omnis sterilis maledicta fuit in lege. *Exod.* 23. Non erit infæcunda, &c. *Deut.* 7. Non erit apud te sterilis utriusque sexus. *Osee* 9. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, & ubera arentia.

ambo justi ante Deum, *a* incedentes in *b* omnibus mandatis, *c* & justificationibus Domini *d* sine querela. Et non *e* erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, *f* & ambo *g* processissent in diebus suis. *h* Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur † Zacharias

a Incedentes in omnibus mandatis,] idest, obedientes mandatis Dei, & facientes ea. *c* Et] incedentes [in justificationibus Domini] idest, in justitia Dei. *d* Sine querela.] proximorum. Justi quoad Deum, sine querela, quoad proximum,

al. † non habet Zacharias.

quia discretus erat Zacharias in judiciis. *Phil.* 3. Secundum justitiam, quæ ex lege est, conversatus sine querela. Quia nec aliquis de ipso, nec ipse de aliquo conquerebatur. Ecce multipliciter commendat parentes Joannis. Et comprehendit quædam *Gloss.* commendationem in quinque. Commendatur enim a genere, ubi dicitur, quod Zacharias fuit, [de vice Abdia] & Elisabeth [de filiabus Aaron] Ab æquitate, ubi dicitur [justi] Justus enim est, qui servat æquitatem, qui reddit sibi, quod suum est, & Deo, & proximo. Ab officio, ubi dicitur (Sacerdos.) A facto, ubi dicitur [incedentes in mandatis] A judicio, idest, a discretione inter causam, & causam, vel inter bonum, & malum, ubi dicitur [in justificationibus, & sine querela.] Sequitur.

e Et non erat illis filius, eo quod esse Elisabeth sterilis,] ut concipere non valeret. *Aug.* Ut vacare amplexibus non deceret. *Gen.* 18. Postquam senui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?

f Et ambo processissent in diebus suis.] Duæ causæ tanguntur hic, quare non haberet prolem, scilicet quia erat sterilis, & annosa, & hoc ideo, ut major appareret virtus. Hoc enim divinitus, & miraculose factum est, ut & parentes gratiores essent, & ceteri ex miraculosa Joannis nativitate eum tanquam prophetam audirent. Unde *inf. eod.* Quis putas, idest, quantus erit puer iste? Procuratum est etiam a Domino, ut Joannes esset unigenitus, & primogenitus sicut Christus, ut nuncius similis sit Domino, quia secundum judicium populi, sic & ministri ejus. *Eccles.* 10. Uterque sanctus, & in utero matris, sed Joannes sanctificatus, Christus vero sanctus natus. *Jer.* 23. Suscitabo David germen justum, &c.

Moraliter.

* autem ambo justi ante Deum.] Internam, & occultam, & sinceram notat justitiam: [Justi enim ante Deum,] idest, quos Deus justos reputabat, qui in Angelis suis reperit pravitatem, *Job* 4. In hoc intensio.

Item [ante Deum] idest, in abscondito, ubi Deus videt non coram hominibus, *Matth.* 6. Sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Prov.* 16. Revela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. Ecce occultatio.

Item [ante Deum] qui verus est arbiter operis, & intentionis. *Prov.* 16. Omnes viæ hominum, idest, omnia opera hominum patent oculis ejus, spirituum, idest, intentionum ponderator est Dominus. *Deuteron.* 16. Juste, quod justum est, exequeris. *a* Incedentes] recte postquam dixit [justi] dicit [incedentes] in quo profectus est operis. Sic *Psalm.* 118. Beati immaculati in via, &c. Sponsus enim non tam sessionem, aut stadium commendat in sponsa, quam incessum. *Cant.* 7. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis.

b In omnibus mandatis,] incedit, qui singulas virtutes in exercitio habet. Mandata possunt intelligi moralia, justificationes cæremonialia, hoc magis ad litteram pertinet. Vel secundum *Amb.* Mandata sunt præcepta Dei, justificationes judicia. Et bonus ordo, prius mandata, postea judicia. *Eccl.* 18. Ante judicium para justitiam.

c Et justificationibus Domini] non hominum. Judicium Domini est verum sine personarum, & munerum acceptione. *Deut.* 1. Quod justum est judicate, sive civis sit ille sive peregrinus, nulla erit distantia personarum, quia Dei judicium est. In hujusmodi ergo, idest, in judiciis, in confessionibus, in beneficiis Ecclesiasticis conferendis, deponit homo personam hominis, & induit personam Dei, & ideo in his nulla debet esse acceptio personarum. *g* Processissent in diebus suis.] Senes fuerunt antequam generarent. Oportet enim primo senescere in divina lege, quam officium docendi, vel prædicandi assumere. Et tunc primo promittit Angelus fructum, & consulit concubitum & non ante. Unde *Cant.* 2. primo dicitur sponsa amore languescere, in quo notatur diuturnitas, & senectus, & postea dicitur ei: Surge, propera, amica mea. *h* Factum est autem, &c.] Nota tempore David multiplicatus est Dei populus, & ideo voluit etiam ipse cultum Dei ampliare. Prius erat tantum unus summus Sacerdos, qui tunc non poterat sufficere propter multitudinem populi, & ideo constituit David vigintiquatuor summos Sacerdotes, sedecim de genere Eleazar, octo de genere Ithamar. 1. *Par.* 24. Hi vicissim ministrabant in templo per septimanas. Sed quia una septimana plus valebat quam alia, ne esset contentio inter Sacerdotes ex præcepto David, projecta est sors, & divisæ sunt septimanæ, & cujus sors primo cecidit, primo administravit, & eo defuncto filii ejus per successionem. Similiter cujus sors secundo cecidit, administravit in secunda septimana, & filius ejus per successionem, quia non nisi semel projecta est sors. Contigit ergo, quod octava septimana de sorte contigit Abiæ, de cujus genere fuit Zacharias. Unde & ei successit in octava vice, ideo supra dictum est de vice Abia, quia hujusmodi vicariæ administrationes dicebantur vices, ut sicut Abdias fuit octavus, sic & Zacharias, & quicunque ei succederet, octavam ageret septimanam. Tunc ergo erat forte ultima dies octavæ septimanæ, & decima dies Septembris, in qua triplex solemnitas concurrebat, unde & tribus nominibus censebatur. Dicebatur enim festum afflictionis, festum expiationis, festum propitiationis. Afflictionis, quia illa die se affligebant omnes usque ad pueros septennes, jejunando usque ad noctem. Expiationis, quia Sacerdos illa die intrans in sancta sanctorum aspergebat parietes, & utensilia templi sanguine vitulæ rufæ, quæ aspersio erat quædam expiatio figuralis. Fiebant etiam illa die cineres de vitula rufa cremata. Unde per totum fiebat aqua expiationis. Item propitiationis, quia illa die propitiatus est Dominus populo super peccato vituli, & Sacerdos hanc propitiationem illa die populo nunciavit. Intrabat autem singulis diebus Sacerdos in templum bis, scilicet in sacrificio matutino, & sacrificio vespertino, in cujus consummatione ponebat Sacerdos incensum super altare. Postea intrabat in sanctasanctorum cum pulvere thymiamatis, quem ponebat in thuribulo aureo, quod deferebat in manibus plenum prunis, ut sic caligo fumi oculos ejus involveret, ne sursum aspiciens, posset intueri duo Cherubim, ne si forte gloria Domini inter duos Cherubim appareret, & ea ipsa visione statim expiraret. Factum est autem, cum Zacharias posuisset incensum super altare incensorum, & egressus esset da sanctissanctorum, & staret a dexteris altaris incensorum quod erat in sanctis, ut dicit *Joseph*, & *Beda*, & *Hieron*. & omnes sancti præter *August.* apparuit ei Angelus, qui exauditam ejus orationem, quam pro populo faciebat, & Joannem nasciturum nunciavit. Et hoc est, quod dicitur hic: Factum est autem, &c. Hic autem notanda est duplex opinio.

Quidam enim dicunt, quod unus erat super illos vigintiquatuor summos Sacerdotes, quos constituit David, qui dicebatur princeps Sacerdotum, quo decedente, antequam sepeliretur, eligebatur forte alius de eadem Tribu. Alii dicunt, quod nullus erat supra illos vigintiquatuor Sacerdotes, sed ille, in cujus hebdomada incidebat decima dies Septembris, per totum illum annum erat summus Sacerdos, sive princeps Sacerdotum, quod tunc contigit Zachariæ. In secundo enim tabernaculo non intraret nisi summus Sacerdos semel in anno cum sanguine. Post Zachariam facti sunt duo summi Sacerdotes per ambitionem, qui sibi annuatim succedebat. Hæc opinio secunda magis concordat glossis.

Mystice.

Mystice. Per ingressum Zachariæ in sancta, significatur ingressus Christi in Mariam, & per ingressum Zachariæ in sancta sanctorum, significatur ingressus Christi in cœlum. Sicut enim summus Sacerdos intrabat in sanctasanctorum, ut interpellaret pro populo foris stante, sic Christus impletis omnibus introivit in cœlum, ut interpellet pro nobis patrem adhuc stantibus foris. Unde *Hebræor.* *nono* Non in manufacta sancta Jesus introivit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareant nunc pro nobis vultui Dei. Et dicit hic *Gloss.* quod pulchre ea die descensio ejus, idest, Christi per Angelum nunciatur, quia ejus per legem Ascensio figurabatur, & cave, quia illa die non fuit nunciatus adventus Christi, sed tamen tantum adventus præcursoris, in quo quodammodo intimatus fuit adventus Salvatoris. Quare dicit per legem intellige, idest, per introitum sacerdotis legalis in sanctasanctorum.

Factum

[Factum eſt autem, cum ſacerdotio fungeretur Zachariias,] idest, officium ſacerdotis exequeretur. Simile *Eccleſ.* 45. Fungi ſacerdotio.

Officium ſacerdotis conſiſtit in quinque.

Moraliter. Fungi ſacerdotio, ideſt, exercere officium ſacerdotis, quod conſiſtit in quinque, ſcilicet in oratione, prædicatione, Miſſarum celebratione, confeſſionum auditione, vaſorum templi conſervatione. Hæc enim ſunt quinque talenta, quæ tradidit Dominus ſervis ſuis. *Matth.* 25. Sunt autem multi, qui adhuc neſciunt officium ſuum, qui tamen dignitate, & nomine ſacerdotii gloriantur. 1. *Reg.* 2. Porro filii Heli filii Belial neſcientes Dominum, neque officium ſacerdotum ad populum. 2. *Matth.* 4. Sacerdotes non jam circa altaris officium dediti erant, ſed templo contempto, & ſacrificiis neglectis feſtinabant participes fieri paleſtræ, & præbitionis ejus injuſte.

in *a* ordine vicis ſuæ *b* ante Deum, ſecundum *c* conſuetudinem ſacerdotii, *d* forte *e* exiit, ut *f* incenſum poneret. *g* Ingreſſus in templum Domini, & omnis *h* multitudo populi erat foris orans hora incenſi. *i* Apparuit autem illi *k* Angelus Domini ſtans a dextris *l* altaris incenſi. Et *m* Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum. Ait *n* autem ad illum Angelus: Ne timeas, *o* Zacharia, quoniam *p* exaudita eſt † *q* oratio tua. Et *r* uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem.

al. † deprecatio.

a In ordine vicis ſuæ,] ideſt, ſecundum ordinem, & vicem ſuam 1. *Cor.* 14. Omnia honeſta, & ſecundum ordinem fiant. *b* Ante Deum,] ideſt, gratis, non pro gloria, neque pro lucro *Malach.* 1. Quis eſt ex vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito?

c Secundum conſuetudinem ſacerdotii,] ideſt, ſicut de conſuetudine pertinebat ad ſacerdotes.

d Sorte,] Non quod tunc mittebatur ſors, quando incenſum erat adolendum, ſed in ſorte, quæ primo poſita fuit, ſucceſſit Abiæ. Unde ſicut Abias fuit octavus in ordinem per ſortem electus, ſic Zacharias, & omnis ſucceſſor ejus. Et hoc eſt, quod dicitur hic: Sorte, ideſt, divina gratia. *Prov.* 16. Sortes mittuntur in ſinum, ſed a Domino temperatur.

e Exiit,] de ſanctis ſanctorum, rediens ad altare incenſi. Vel a turba, quam foris reliquit, ſic caper portans peccata populi in deſertum fugiebat. *Lev.* 16. *Matth.* 13. Exiit, qui ſeminat.

f Ut incenſum poneret.] ſuper altare incenſi. Ipſe dico.

g Ingreſſus in templum Domini, & omnis multitudo populi erat foris orans hora incenſi.] ideſt, quando ponebatur incenſum. Dicitur autem ſingulariter [hora incenſi] ut ſpecialiter intelligatur hora illa decimæ diei Septembris, quando ſacerdos intrabat ſancta ſanctorum cum ſanguine vitulæ rufæ, & hirci, & ponebat incenſum, & tunc orabat univerſus populus. Singulis namque diebus erant duæ horæ, in quibus ponebatur, nec tamen conveniebat populus ad orationem ſicut ad ſacrificium veſpertinum, in cujus conſummatione ponebat Sacerdos incenſum ſuper altare, & poſtea intrabat in ſanctaſanctorum, ſicut dictum eſt *ſupra*.

Moraliter.

Moraliter. Incenſum eſt devota oratio. *Pſalm.* 140. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: Quæ non dici, ſed poni dicitur, quia ſine dubio non valet oratio, quæ mano non ponitur ante Deum, ideſt, quæ operibus non juvatur. *Threnor.* 3. Levemus corda noſtra cum manibus ad Deum in cœlos. *Apoc.* 8. Aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo.

g Ingreſſus] mente, & corpore, quod debet fieri cum reverentia, & timore. Unde *B. Bern.* Quid aliud cogitare debet, qui intrat ad orationem, quam illud, quod dicitur *in Pſalm.* 41. Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei. Cum quanta ergo reverentia, & timore aſcendere debet de palude ſua progrediens ranuncula, miſer homuncio, *Amos* 6. Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum ingredientes pompatice domum Domini.

h Multitudo populi] de temporalibus ſolicita, ſed Prælatus intus vacans ſpiritualibus. *Matth.* 6. Ne ſoliciti ſitis, &c. *i* Apparuit autem illi] exequenti perſonaliter officium ſuum, ab amplexibus abſtinenti, pro populo oranti, a turba ſeparato.

k Angelus Domini ſtans a dextris altaris incenſi.] Nota, quod in templo, & juxta altare, & a dextris altaris apparuit Angelus. In templo quidem, quia nunciabat adventum veri ſacerdotis. Juxta altare, quia nunciabat myſterium ab univerſali Eccleſia celebrandum. A dextris, quia gaudium æternæ beatitudinis nunciabat.

l Altaris incenſi.] non altaris holocauſtorum, ubi animalia immolabantur, quia facilius, & frequentius exhibetur cœleſtis viſitatio internæ devotioni, quam corporali afflictioni 1. *Timoth.* 4. Exercitatio corporis ad modicum utilis eſt, pietas autem ad omnia utilis eſt. Sed tamen prius occurrit altare holocauſtorum, quia primo oportet mactare, quam mentis devotio poſſit haberi, ut quaſi poſt ſextam feriam ad ſabbatum veniamus. *Prov.* 24. Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, & poſtea ædifices domum tuam. Prius enim naſcitur homo exterior ad laborem, & poſtea homo interior avis efficitur ad volandum. *Job* 5. A dextris apparet Angelus, qui dat conſolationes ſpirituales, a ſiniſtris, qui dat temporales. *Proverb.* 4. Vias, quæ a dextris ſunt, novit Dominus; perverſæ vero ſunt, quæ a ſiniſtris. *m* Et Zacharias turbatus eſt videns,] Talis turbatio intelligitur quædam alienatio mentis, quam patitur homo ex improviſo alicujus incurſu, & tunc quodammodo perſtringitur homo, ideſt, quandam anguſtiam patitur. Unde dicit: Et timor irruit ſuper eum. Boni autem Angeli de ſui viſione paveſcentibus conſolationis remedio timorem excutiunt, dæmones timorem amplius incutiunt. *Gregor.* In quantam miſeriam cecidimus, qui ad bonorum Angelorum præſentiam formidamus. *Ezech.* 3. Ecce gloria Domini ſtabat quaſi gloria quam videram juxta fluvium Chobar, & vidi, & cecidi in faciem meam. *n* Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia,] quia timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem. 1. *Joan.* 4. *o* Zacharia,] qui es memor Domini. *Marc. ult.* Nolite expaveſcere, Jeſum quæritis.

p Quoniam exaudita eſt oratio,] *Gloſſ.* Facta pro populi redemptione, non pro ſobole, quam deſperabat ſe poſſe habere. Nunquid enim Zacharias oravit pro ſuſcipienda ſobole? Non, imo pro populi liberatione, quia tunc erat populus tributarius Romanis. Quid eſt ergo, quod dicit Angelus: Exaudita eſt oratio tua, tanquam hoc petiſſet. Ideo ſic expone.

q Exaudita] ideſt, extra quam peteres audita, quaſi amplius quam petieris, dabitur tibi. Petebas liberationem plebis, & præter hoc dabitur ſuſceptio prolis.

r Et uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem.] Nota quod duorum tantum in novo teſtamento prædicta ſunt nomina ante conceptionem, ſcilicet Joannis Baptiſtæ, & Jeſu. In veteri, ſex, Iſmael, Iſaac, Samſon, Joſias, Cyrus, & Agag. *Gen.* 16. De Iſmaele, & 37. *Judic.* 13. de Samſone, ſecundum aliam translationem, *tertio Regum* 13. de Joſia. *Iſa.* 45. de Cyro. *Num. vigeſimo quarto* de Agag. *Beda* autem dicit, hic, quod quoties alicui a Deo nomen imponitur ante conceptionem, vel mutatur, ex ipſa mutatione, vel impoſitione, ſingulare ejus meritum indicatur, ut qui primo dicebatur Abram, poſtea diceretur Abraham, ab Aba quod eſt pater, & Rama quod interpretatur excelſum, ut ipſa mutatio nominis indicaret excellentiam meriti. Unde & nomen Joannis hic prædictum eſt, ob ſingulare meritum ipſius. Et merito interpretatur, in quo eſt gratia, quia multipliciter in ipſo aſſignatur gratia. Fuit enim prænominatus a Domino. *Iſa.* 49. Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei. Item nunciatus ab Angelo, ut hic.

Item ſanctificatus in utero. *Jer.* 1. Priuſquam te formarem in utero, novi te, &c.

Item geſtiens in utero, *infr. eod.* Exultavit infans in utero ejus.

Item virgo, & in utero ſanctificatus. Item martyr. *Marc.* 6. Et decollavit eum in carcere. Item lucerna. *Joan.* 5. Ille erat lucerna ardens, & lucens.

Item vox verbi. *Joann.* 1. Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini, &c. Item teſtis. *Joan.* 1. Hic venit in teſtimonium, &c. Item Baptiſta Domini. *Matt.* 3. Venit Jeſus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Item pluſquam propheta. *Matth.* 11. Etiam dico vobis & pluſquam prophetæ. Item heremita. *Marc.* 1. Fuit Joannes in deſerto, &c. Item Angelus. *Mal.* 3. Ecce ego mitto Angelum meum. Item lucifer *Pſal.* 109. Ante luciferum genui te. Item præcurſor: *inf. eod.* Ipſe præcedet ante illum, &c. Item paranymphus. *Joann.* 3.

Qui

a Qui habet sponsam, &c. Item sagitta. *Is.* 49. Posuit me quasi sagittam electam. Ecce in quot privilegiatos. Item in ipso gratia data est parentibus: Mater videlicet soluta est a maledictione sterilitatis, & patri reddita est loquela.

Et *a* erit gaudium tibi, & *b* exultatio, *c* & multi in *d* nativitate ejus gaudebunt. Erit *e* enim magnus *f* coram Domino. Vinum, & *g* siceram non bibet, *h* & Spiritu sancto replebitur adhuc *i* ex utero matris suæ, & *k* multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et *l* ipse præcedet ante illum in spiritu, *m* & *n* virtute Eliæ, ut *o* convertat *p* corda patrum in *q* filios,

a Et erit gaudium tibi, & exultatio.] Præmissi nominis causam assignat hic Evangelista: Merito enim dicitur Joannes, quia in ipso gratia data est sterilibus, & peccatoribus, quorum corda convertit ad Dominum. Unde dicitur: [Et erit gaudium,] interius mentis. *b* Et exultatio] exterius corporis.

c Et multi] quia justi, & peccatores.

d In nativitate ejus gaudebunt,] quia per ejus prædicationem gaudebunt in æternum. Nato præcursore multi gaudebunt, de quo *Malac.* 3. Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. *Jerem.* 33. Erit mihi in nomen, & in gaudium, & in laudem, & exultationem cunctis gentibus.

Moraliter. Moraliter. Magnum, & multum gaudium debet esse, quando unus bonus homo nascitur in Ecclesia Dei. *Joan.* 16. Mulier, idest, Ecclesia cum parit laborando in peccatoribus convertendis, tristitiam habet, quia venit hora ejus, & adhuc non peperit, cum autem peperit, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum, *infra* 15. Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat, dico enim vobis, quia gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Tunc enim nascitur Joannes, cum peccator pœnitentiam agit. Concipitur autem Joannes, quando peccator conteritur, *infr.* 15. Epulari, & gaudere oportebat, &c. *Prov.* 23. Exultat gaudio pater justi, qui sapientem genuit, lætabitur in eo. Et nota, quod dicit, [Multi gaudebunt.] Vulgus enim gaudet de promotione justorum, ubi sæpe majores invident, & tristantur. *Prov.* 28. In exultatione justorum multa gloria est regnantibus impiis ruinæ hominum. *Prov.* 26. In multiplicatione justorum lætabitur vulgus. Item nota, quod dicit [in nativitate,] non in conceptione, quæ soli Deo nota est, sicut a solo Deo facta est. Loquor enim de conceptione spirituali, quæ fit per gratiam contritionis. 2. *Mach.* 7. Nescio qualiter in utero meo apparuistis, neque enim ego spiritum, & animam donavi vobis, sed mundi creator, qui formavit hominis nativitatem.

e Erit enim magnus coram Domino,] quia magnæ vitæ, & altæ fuit, in deserto prædicavit, & pœnitentiam prædicavit quam magis ipse implevit, Unde sequitur.

g Vinum, & siceram non bibet.] Sicera sicut dicit *Glossa* interpretatur ebrietas, & designat hic omnem potum, qui inebriare potest. Unde de omni tali abstinuit Joannes.

h Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ,] idest, manens in utero matris suæ. Cujus signum fuit, quod ad adventum matris Salvatoris in utero exultavit. Unde licet nondum esset ei spiritus vitæ, idest, licet nondum prodiisset in lucem, per quod cognosceretur habere vitam, tamen erat ei spiritus gratiæ.

k Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum.] Sed non convertit nisi ad Christum: Ipsum enim prædicavit, dicens: Qui post me venit, &c. Ergo Christus est Deus eorum.

l Et ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.] Præcedit illum nascendo, prædicando, baptizando, moriendo, ad inferos descendendo, sed non resurgendo, nec ascendendo. *Mich.* 2. Ascendet pandens iter ante eos, divident, & transibunt portam, egredientur per eam, & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.

m In spiritu,] *Gloss.* sancto.

n Et virtute.] *Gloss.* signorum. Contra *Joan.* 10. Signum fecit nullum.

o Eliæ,] quia in multis assimilatur Eliæ. Sicut enim Elias futurus erit præco judicis, sic Joannes præcursor fuit redemptoris. Item ambo in deserto. 3. *Reg.* 19. *Matt.* 1. Ambo victu parci, vestitu inculti, ambo regum insaniam tulerant. 3. *Reg.* 19. *Matth.* 14. Ille Jordanem divisit tangens pallio suo. 4. *Reg.* 2. hic ad lavacrum, idest, ad Baptismum homines convertit. Item Joannes cum Domino conversabatur in terris, & Elias visus est cum eo in transfiguratione. *Matth.* 17.

p Ut convertat corda patrum,] idest, fidem cordis patrum, idest, Patriarcharum.

q In filios,] in successores Judæos, i. convertet eos ad fidem Patriarcharum. *Malac. ult.* Ecce ego mittam vobis Eliam, & convertet corda patrum ad filios. Unde sicut prædicavit Elias, sic prædicavit Joannes. Unde hoc verbum Malachiæ satis bene de utroque dicitur Δ Et in Moraliter.

Moraliter. *e* Erit enim magnus.] *Glos.* Non virtute corporis, sed animi magnitudine. Hanc magnitudinem triplex dimensio spiritualis operatur. Prima longitudo longanimitatis, per quam animus futura bona expectat, & præsentia non curat. *Ps.* 26. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum. Per hanc se extendit animus semper interius. *Phil.* 3. Quæ retro sunt obliviscens, ad ea, quæ sunt priora, extendens meipsum. Secunda est latitudo charitatis, per quam animus se extendit ad dexteram, & ad sinistram, i. ad amicos, & ad inimicos. *Matth.* 5. Dictum est antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum, ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. 2 *Cor.* 6. Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. Tertia est profundum humilitatis, per quam animus descendit infra se, & coram se. *Infr* 14. Qui se humiliat, exaltabitur. In his tribus est magnitudo animi, de qua dicit *Seneca*, Magnus animus est, cui magno nihil est magnum.

f Coram Domino,] non coram sæculo. *Psal.* 44. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.

g Vinum, & siceram non bibet.] Vinum inanis gloriæ, & siceram ineptæ lætitiæ. Ab istis abstinet filius Zachariæ. Idest, qui Domini patientis, judicantis, regnantis memoriam tenet. Tunc enim nec apud se inepte lætatur, nec foris inaniter gloriatur. *Gen.* 39. &c. bis impetit adultera Joseph. Primo palam, secundo clam, & sine arbitris. *Thren.* 3. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Hoc vinum non bibunt Rechabitæ, idest, viri religiosi. *Jerem.* 35. Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens, non bibetis vinum vos, & filii vestri usque in sempiternum. *Num.* 6. Vir, sive mulier, cum fecerit votum, &c. *Prov.* 36. Noli regibus o Lamuel, noli regibus dare vinum. *Job* 1. Filiis tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente irruit ventus vehemens a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit eos. Est autem vinum bonum, scilicet bona gloria, & sicera bona, scilicet moderata lætitia, de quibus *Prov.* 31. Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo.

h Et Spiritu sancto replebitur,] quia vacuus fuit a spiritu suo. 4. *Reg.* 4. Elisæus replevit vasa vacua. Sic Maria omni gratia fuit plena, quia omni culpa fuit vacua, *infr. eod.* Ave gratia plena. *Beda*. Cui vini ebrietas tollitur, spiritus gratia cumulatur.

i Ex utero matris.] Mater Joannis est sapientia Dei, uterus ejus, in quo concipitur, est Ecclesia. Manens in utero matris replebitur Spiritu sancto. *Act.* 2. Erant omnes discipuli pariter, &c. *Judic.* 6. Spiritus Domini replevit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer. Et hoc est, quod sequitur hic.

k Et multos filiorum Israel, &c.] Sic Joannes cum nascitur ex utero matris, idest, cum promovetur in Ecclesia, multos convertet ad Dominum.

l Et ipse præcedet ante illum.] Sic prædicator, aut prælatus debet præcedere Jesum ad peccatores prædicando. Unde *infr.* 10. Misit illos binos ante faciem suam. Debet etiam præcedere peccatores ad Jesum orando. Unde *Joan.* 10. Bonus pastor cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves eum sequuntur. Utrobique.

m In spiritu, & virtute Eliæ] in spiritu prophetandi & virtute operandi.

p Ut convertat] verbo, & exemplo. 1. *Petr.* 3. Si qui non credunt verbo per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant considerantes in timore sanctam conversationem vestram.

q In filios.] *Beda*. Cor patrum in filios convertit, qui sanctorum antiquorum spiritualem intelligentiam populis prædicando infundit.

a Et incredulos ad prudentiam justorum,] supple convertet. Prudentia justorum est, non de legis operibus præsumere, sed ex fide salutem quærere. *Rom.* 10. Et præcedet, supple.
b Parare Domino plebem perfectam.] Nam ex prædicatione ejus multi ad perfectionem se præparabant.
a Et incredulos ad prudentiam justorum] Non carnis, quia prudentia carnis mors est. *Rom.* 8. Non mundi, nam stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi 1. *Cor.* 1. Sed.

Moral. al. † incredibile.

Genes. 18.

b Justorum] quæ in mundo stultitia reputatur. *B. Bern.* Sapientia sanctorum est in præsenti cruciari, & in æternum gloriari. Qui ergo vult esse sapiens, stultus fiat, ut sit sapiens. 1. *Cor.* 3. Sic fecit Salomon. *Prov.* 30. Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam mundi, scilicet & novi scientiam Sanctorum.

a & † incredulos ad prudentiam *b* justorum *c* parare *d* Domino *e* plebem perfectam. Et dixit *f* Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? *g* Ego enim sum senex, *h* & uxor mea processit in diebus suis. Et *i* respondens Angelus dixit ei; *k* Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & *l* missus sum *m* loqui ad te, & hæc tibi evangelizare. Et *n* ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, *o* quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.

c Parare,] increpando, docendo, exhortando.
d Domino,] non sibi.
e Plebem perfectam,] sicut paratur thalamus regi ad inhabitandum. Unde adorna thalamum tuum Sion, &c. Item sicut paratur equus militi ad pugnandum. *Job* 39. Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? Item sicut paratur virgo sponso suo. *Jer.* 31. Virgo Israel adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium. 2. *Cor.* 11. Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.
f Et dixit Zacharias ad Angelum.] Promisit Angelus Zachariæ filium nasciturum, multa futura circa puerum congessit, ut in conceptione tanti filii pater exultaret. Ille autem considerans se minus idoneum ad generandum. Considerans etiam, quod uxor sua infœcunda esset, & jam processit in diebus suis, credidit impossibile, quod ab Angelo promittebatur, unde sequitur: [Et dixit Zacharias ad Angelum, unde hoc sciam.] Quasi propone signum evidens, ut acquiescam. Consuetudo namque Judæorum est petere signa 1. *Cor.* 1. *Gen.* 15. Abraham petiit signum. Unde, inquit, scire possum, quod possessurus sum eam? *Judic.* 6. Gedeon. 4. *Reg.* 20. Ezechias *Isa.* 7. Pete tibi signum, &c. ad Achaz dixit. *Exod.* 4. Quid est, quod tenes in manu? Arguuntur autem in istis Zacharias, & æmulatores signorum ex curiositate, vel pusillanimitate, vel incredulitate. *Matth.* 12. Generatio prava, & adultera signum quærit, &c. Solet autem fieri, vel causari hujusmodi dubitatio propter magnitudinem promissorum, ut *Gen.* 15. Domine Deus, &c. Item propter difficultatem acquirendi promissa. *Num.* 13. Dubitaverunt, imo desperaverunt de promissione Domini, quia exploratores terruerunt eos, civitates muratas, & habitatores gigantes esse dicentes. Item propter considerationem fragilitatis suæ. *Judic.* 6. Obsecro, domine, in quo liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei. Item ex consideratione inhabilitatis. *Gen.* 18. Postquam ego senui, & Dominus meus, &c. Et hic similiter. Unde dicit.

Exclamatio solet fieri multipliciter.

g Ego enim sum senex.] Ecce causa dubitationis, q.d. impossibile est, quod dicis, quia ego sum senex. Sed quia senex potest gignere de juvencula, subdit.
h Et uxor mea processit in diebus suis,] idest, procul cessit a tempore conceptionis.
i Et respondens Angelus dixit ei, ego sum Gabriel, qui asto ante Deum.] Quomodo ergo missus? Respondet Beda in *Gloss.* dicens. Cum ad nos veniunt Angeli, sic exterius implent ministerium, ut tamen ante Deum interius per contemplationem assistant, quia etsi Angelus spiritu circumscriptus est, idest, ita eus in uno loco, quod non in alio circumscriptus est, idest, loci termino clausus, & interpositione sui faciens aeris ad aera distantiam, summus tamen spiritus, qui Deus est, incircumscriptus est, intra quem currit Angelus, quocumque moveatur, vel mittatur, quia ubique invenit ejus præsentiam. Item nota, quod idem Angelus scilicet Gabriel, nunciavit conceptionem præcursoris, & conceptionem salvatoris, Gabriel, idest fortitudo annunciat † humilitatem Christi, & Joannis. *Daniel.* 8. & 9. Gabriel fac intelligere, &c. Per hoc etiam, quod annunciavit Christum, significatur, quod Christus in fortitudine venturus esset ad debellandum diabolum.

al. † humanitatem.

l Et missus sum,] de cœlo empyreo. Aliquando enim sunt Angeli in cœlo, aliquando nobiscum in terra, sed ubique Deo assistunt per contemplationem, nec minuitur eorum contemplatio, vel gaudium propter loci mutationem.
m Loqui ad te, & hæc tibi evangelizare: Et ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo,] q. d. ut petis signum, sed deberet tibi sufficere pro signo, quod ego, qui sum Angelus Dei, loquor tibi, & quia non acquiescis verbis meis, pœna dubitationis, sc. taciturnitas, infligetur tibi. Unde dat ei Angelus signum, non tamen Zacharias tale petebat. Sed quare punitur magis quam Abraham, vel Gedeon, & multi alii, qui signum quæsierunt, & tamen non fuerunt puniti? *Beda*, dicit quia discredendo locutus est, ideo silentio plectitur, ut credere discat. Sed non videtur solutio sufficiens, quia non tenebatur credere. Unde 1. *Joan.* 4. Nolite omni spiritui credere, &c. Judæi dicunt, quod quando Angelus dicit, ego sum Angelus Domini, tenetur credere ille, cui loquitur, quia malus non habet potestatem dicere hoc. Sed hoc videtur falsum, quia potest dicere, ego sum Christus, ut dicit *B. Antonius*. Potest dici, quod peccavit, aperte loquenti non credidit. Unde dicit. *Beda*, quod sola Angeli visio, & allocutio debuerat ei sufficere, unde diffidentiæ merito, pœnam luit tacendi. Sic autem punitur, ut majus miraculum monstraretur in nativitate Joannis, qui tunc recuperavit loquelam. Vocem autem ideo amisit, quia vox nascebatur, & quia legi silentium imponebatur.

Moraliter.

Moraliter.

g Ego enim sum senex, &c.] Duo sunt, quæ Zachariam, idest, Prælatum solent mittere in desperationem fructus, scilicet propria infirmitas, & uxoris sterilitas diuturna, idest, plebis subjectæ inveterata malitia. Dies autem uxoris sunt vanitas, & voluptas, in quibus cum processerit plebs, semen verbi Dei non capit in ea, & ideo desperat Prælatus, dicens. Ego senex sum, idest, diu laboravi in uxore mea.
h Et uxor mea processit in diebus suis,] i. in vanitate, & voluptate diu permansit. Sed nec sic cessandum est prælato, sed magis insistendum. 2. *Tim.* 4. Prædica verbum, insta opportune, importune. Nota *Jerem.* 1. se excusat, quia puer est, & nescit loqui, nec punitur, quia justa est excusatio. Zachariæ vero, quia senex est, & aptus prædicationi, non recipitur excusatio, sed punitur. *Prov.* 11. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. *Hebr.* 5. Cum deberetis esse magistri propter tempus, rursum indigetis, ut vos doceamini. Sicut Zacharias, qui senem se fatetur, & tamen dicit.
g Unde hoc sciam?] *Eccl.* 25. Tres species odivit anima mea, &c.
k Ego sum Gabriel.] Gabriel interpretatur fortitudo Domini, q. d. confide, non de tuis viribus, sed de Domini fortitudine. 1. *Cor.* 15. Non ego, sed gratia Dei mecum. *Joel.* 3. Infirmus dicat, quia fortis ego sum. Infirmus in se, fortis in Domino. In hoc etiam apparet una prærogativa Joannis, quia idem Angelus ejus conceptionem, & Domini nunciavit, Gabriel scilicet, idest, fortitudo Dei, quia uterque fortiter acturus, non sibi, sed Deo attribuit.
l Missus sum loqui,] Aliter non debet loqui, qui missus non est. *Rom.* 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?
n Et ecce eris tacens, &c.] Moraliter in hoc innuitur, quod pusillanimis indicendum est silentium a prædicatione. *Deut.* 20. Quis est homo formidolosus, & corde pavido, vadat, & revertatur in domum suam. *Eccl.* 7. Noli quærere fieri judex, &c. Similiter nimis audax temeritas nocet exercitui. *Prov.* 22. Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis. Inter hæc igitur opus est discretione. Unde *Prov.* 24. Cum dispositione itur ad bellum.

Moraliter 4.

o Usque in diem, quo hæc fiant,] hoc est, quod aliquis prius timens, postea nato Joanne, idest, gratia, prædicat, quando videt aliquem converti ad Dominum. 1. *Reg.* 14. Ascendit Jonathas manibus, & pedibus repens, & armiger sequebatur eum, &c.

Et erat

Moraliter. A *a* Et erat plebs expectans Zachariam.] Littera patet.
Moraliter. *b* Zachariam,] idest, prælatum, ut renunciet eis voluntatem Dei. *Job* 29. Qui me audiebant, expectabant sententiam meam.
c Et mirabantur, quod tardaret ipse in templo,] idest in contemplatione, cum curam animarum habeat. *Exod.* 32. Cernens populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron, dixit. Surge fac nobis Deos qui nos præcedant; Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus, quid acciderit.

Et *a* erat plebs expectans *b* Zachariam, & *c* mirabantur, quod tardaret ipse in templo. *d* Egressus autem non poterat loqui ad illos. Et *e* cognoverunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse *f* erat innuens illis, *g* & permansit mutus. Et *h* factum

C *Prov.* 6. Fili, si spopondisti pro amico tuo, ne dederis somnum oculis tuis. *d* Egressus autem non poterat loqui ad illos.] Sic Paulus 2. *Cor.* 12. Scio hominem sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum, &c. *Exod.* 4. Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum. *e* Et] ipse hoc scilicet, quod non poterat loqui, [cognoverunt quod visionem vidisset in templo.] Taciturnitas enim certum signum est visionis, quia etiam stultus si tacuerit sapiens reputabitur, etsi oppresserit labia sua intelligens *Prov.* 17.
f Et ipse erat innuens illis,] idest, quibusdam nutibus sine voce suos actus eis exprimere volens, nec tamen valens voluntatem suam exprimere. Ex hoc etiam potest haberi, quod surdus fuerit, quia *inf. eod.* Innuebant ei, idest, nutibus loquebantur. [Innuens] manu. Ubi enim deficit vox, debet loqui factum: efficacius enim est verbum operis, quam oris. *Agg.* 1. Factum est verbum Domini in manu. *Agg. Act.* 21. Paulus stans in gradibus annuit manu ad populum, & magno silentio facto, allocutus est.
g Et permansit mutus] post visionem sapienter visa reservans, non jactanter, aut inaniter recitans. *Isa.* 42. Qui vides multa, nonne custodies, idest, celabis? Paulus celat per quatuordecim annos, & tunc revelat invitus. 2. *Cor.* 12. Si gloriari oportet, non expedit quidem, veniam ad visiones, & revelationes Dei, &c. Sic B. Virgo nec etiam Angeli salutationem, & cetera secreta legitur revelasse, sed conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. *inf.* 2. *Prov.* 25. Gloria Dei est celare verbum. Inde patet, non esse visiones, quæ tam cito publicantur. *Eccl.* 33. Præcordia fatui quasi rota carri, quæ non potest tacere. *Job* 32. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit. *Eccl.* 34. Somnia extollunt imprudentes.
h Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus,] idest dies administrationis ejus, idest, finita septimana.
k Abiit in domum suam.] quia eo tempore, quo erant divinis officiis mancipati, vacabant ab uxoris amplexibus nec in propriis domibus habitabant, sed habebant thalamos in templo in superiori parte ad Orientem, qui dicuntur exedræ, vel pastophoria. *l* Post hos autem dies] scilicet officii Zachariæ, concepit Elisabeth uxor ejus.
m Et occultabat se mensibus quinque.] *Gl.* Occultabat se propter † prudentiam, idest, scienter, & ex industria, nolens subito revelare conceptum. Falluntur enim sæpe mulieres putantes se concepisse, cum non conceperint, & ideo prius probare volebat, utrum verum esset, eam concepisse.

al. † pudicitiam.

Item ut dicit *Amb.* occultabat se, quia partus sui erubescebat ætatem, idest, erubescebat in tali ætate parere, ne videretur in senectute operam dare luxuriæ, cui etiam in juventute non est vacandum, intellige principaliter. Potest etiam causa vitandi casum, vel reddendi debitum. Occultabat se ergo, quia in senectute concipere quodammodo erat opprobrium apud homines, quia videretur luxuriæ operam dare.
n Dicens, quia sic fecit mihi Dominus.] Pleonasmus est, abundat enim, [quia.] Et est idioma Hebræum. Vel ita ut non sit pleonasmus, [dicens,] mirum est, [quia sic mihi fecit Dominus.] Vel merito me occulto, quia sic mihi fecit Dominus, respiciat ad hoc, quod dicit *Glos.* Occultabat se, quia erubescit in tali ætate parere.
o In diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum,] scilicet sterilitatis [inter homines.] *Beda.* Gesta sunt hæc inquit *Joannes Chrysost.* mense Septembri octavo Kalen. Octobris, luna undecima quando celebratur jejunium scenopegiæ in æquinoctio Autumnali, quando incipit nox crescere, idest, incipit esse productior die, quia ille, &c. Minorata autem fuerat lux a tenebris, &c. idest, minor erat lux quam nox, adhuc quando Joannes conceptus est, & tunc cœpit nox crescere, & dies minui. Sed de hoc dubitatur quod dicit, undecima luna, &c. Ex hoc elicitur, quod decima dies Septembris, fuit ultima dies administrationis Zachariæ, qua completa in ipsa vespera decimæ diei redit Zacharias in domum suam, & in ipsa nocte jacuit cum uxore sua, & ita undecima luna conceptus est Joannes Baptista in jejunio scenopegiæ.

est, ut impleti sunt dies *i* officii ejus, *k* abiit in domum suam. Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus, & *m* occultabat se mensibus 5. dicens: *n* Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum *p* inter

Nam decimaquinta die Septembris incipiebat festum scenopegiæ, in quo Judæi jejunabant, & decima die Septembris erat festum propitiationis, & ita inter illa duo festa erant quatuor dies, qui dicebantur jejunium scenopegiæ, sicut nos modo præmittimus jejunia vigiliarum solemnitatibus. Sed quis instituerit illud jejunium, non habetur expressum in lege. Erat etiam tunc æquinoctium, sicut dicit *Chr.* & 8. Kalend. Octobris: Quod videtur falsum, quia secundum hoc September non haberet nisi † vigintinovem dies, Sed dicendum, quod *Joan. Chr.* complectitur in hoc loco diversas mensium comparationes, nostram scilicet, & Judæorum, ut dicatur Joannes conceptus undecima luna Septembris legalis, idest, secundum legem computati, idest, secundum quod computant Judæi, scilicet secundum lunationem, & hoc potuit esse 8. Kalend. Octobris usualis, idest, nostri, idest, secundum nostram computationem, qui non computamus secundum lunationes. Impossibile est enim, quod undecima luna Septembris legalis sit. 8. Kalendarum Octobris legalis, ita poterit esse, ut referatur ad diversas computationes, quod dicitur Septembris, & Octobris.

al. † viginti septem.

Moraliter.
i Dies officii ejus, &c.] Dies officii Sacerdotis contemplatio & lectio. Reditus in domum suam, custodia sui. *Gen.* 30. Justum est, ut aliquando provideam etiam domui meæ.
Post illos duos dies, & post reditum in domum suam, impregnat Sacerdos uxorem suam, quia tunc primo, idest, post contemplationem, lectionem, sui custodiam, proficit sacerdos in plebe sua, & generat in ea Joannem idest, gratiam, non quidem auctoritate, sed ministerio. Unde non dicitur, quod Zacharias impregnaverit uxorem, sed quod ipsa concepit, quia totum gratiæ attribuendum est. *Cor.* 15. Gratia Dei sum id, quod sum. Hoc autem notabile est hic, quod Sacerdos mutus impregnat uxorem, & generat Joannem, sed non mancus, ad significandum, quod Sacerdos magis exemplo quam verbo ædificat plebem suam. In hoc etiam significatur, quod non ex virtute verbi vel doctrinæ ejus est profectus subditorum, sed ex gratia Spiritus sancti. *Matth.* 10. Non enim vos estis, qui loquimini, &c. *m* Occultabat se mensibus quinque.] *Exod.* 2. occultatur Moyses natus, hic occultatur Joannes conceptus, in signum, ut & opus, & propositum bonum abscondas, interim vacans scrutinio legis, ut soli Deo pateant, non hominibus. *Prov.* 16. Revela Domino opera tua non mundo, & cogitationes tuæ dirigentur. *Thren.* 2. Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini, leva ad eum manus tuas. Occultatur autem conceptus Joannes quinque mensibus usque dum sexto mense, qui est numerus perfectus, Jesus concipitur, quia nemo statim gratiam sibi datam præferet in publicum, donec post longam pœnitentiam oriatur spes salutis. Unde *Joan.* 11. non dicitur: Lazare, veni foras, nisi post tres dies sepulturæ, qui sunt, dolor, timor, labor. Dolor offensæ, timor gehennæ, labor pœnitentiæ. Bene quinque mensibus dicitur occultari Joannes. Mensis enim dicitur a mense, quod est defectus, & propter quinque defectus sensuum occultandum est bonum propositum cordis. Sæpe enim per sensus abortit conceptus boni propositi. *Jer.* 9. Ascendit mors per fenestras vestras, & ingressa est domus vestras disperdere parvulos de foris.
n Sic fecit mihi Dominus,] non maritus, qui gratia Dei attribuendum est totum ut non dicatur: Ego sum Cephæ, ego sum Pauli, sed cum *Isa.* 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis. Hæc omnia, quæ dicta sunt, allegorice possunt exponi, secundum quod patet in illa *Glos.* Per Zachariam sacerdotem sacerdotium Judæorum, &c. 1. *Cor.* 3.

homines. In *a* mense autem sexto, *b* missus est Angelus Gabriel a *c* Deo in *d* civitatem *e* Galilææ, cui *f* nomen Naza-

a **In mense autem, &c.**] Narrata serie conceptionis præcursoris, incipit Lucas narrare seriem conceptionis, & nativitatis Salvatoris, propter quem & de præcursore præmisit. More boni historiographi diligenter prosequens omnia, tempus, & locum conceptionis exprimens, nuncium conceptionis ex nomine manifestans, mittentem etiam & genus, & nomen illius, ad quam missus est nuncius describens, nihil penitus prætermittens. In quo invitat nos Lucas ad diligentem inquisitionem mysteriorum Incarnationis, & Passionis Dominicæ, quæ hic incipiunt. Unde *Exod.* 12. Caput cum pedibus vorabitis, i. Incarnationis, & Passionis mysterium diligenter inquiretis. Magdalena enim caput, & pedes Domini ungit, i. Ecclesia Incarnationis, & Passionis mysterium devote colit. Quæ non in capitis, sed pedum unctione lacrymas dicitur effudisse, quia Passio Christi compassionis affectum exigit. Incarnatio vero magis habet gaudium. Unde *inf.* 2. Nuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Et *Gen.* 21. dicit Sara in persona Beatæ Virginis, risum fecit mihi Dominus, in Incarnatione sc. Sed pro tempore passionis, dicitur *inf.* 2. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Prius autem lavit, & unxit Magdalena Jesum, quam sedens secus pedes ejus audiret verbum illius, quia non est dignus investigare mysterium Incarnationis, & Passionis, qui non prius effuderit super pedes, & caput Domini lacrymas, & unguentum, idest, devotionem, & compassionem. Plus autem super pedes flendum est, & magis immorandum, quia non ad capitis tactum, sed fimbriæ sanatur Hemorroissa. *Matth.* 9. Nam contra carnis lubricum plus valet memoria passionis.

Licet enim unguenta a capite descendant in barbam, in fimbria tamen vestimenti, i. in ultima parte vitæ Christi plenitudo decurrit. Unde *Zach.* 8. In diebus illis decem homines ex omnis linguis gentium apprehendent fimbriam viri Judæi, idest, Christi, non caput, quia plus passio Christi, quam vita trahit ad ipsum. Unde *B. Bern.* Hoc est, quod plus me movet, plus urget, plus accendit, calix tuus, Domine, quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Caput & pedes simul lavat, & ungit Lucas, idem tempus determinans conceptionis, quod & passionis, scilicet sextum mensem.

In eodem enim tempore scilicet in vere, in eodem mense scilicet in Martio, in eodem die, scilicet in sexta feria conceptus est, & passus Dominus, & forte in eadem hora, quod innuens Lucas ait.

a In mense autem, &c.] *Deut.* 14. *Exod.* 23. & 14. Non coques hœdum in lacte matris suæ. Hoc præceptum transgressi sunt qui Christum tempore † conceptionis occiderunt. Concipi autem in vere voluit Dominus, quia eo tempore conceptionis causa, i. peccatum Adæ commissum est. Solent enim eo tempore potissimum adhiberi remedia, quo vulnera sunt inflicta. 1. *Mach.* 4. Secundum tempus, & diem in qua contaminaverunt illud gentes, in ipsa renovatum est. Item in Vere incipit renovatio terræ nascentium, ideo in Vere debuit concipi, qui est principium, & auctor renovationis hominum. *Apoc.* 21. Ecce nova facio omnia. Item in Martio concipi voluit, quia in Martio factus est mundus, & ideo congruum fuit, ut recreatio mundi in eodem inciperet. Item in mense novorum concipi voluit, quia novum creavit Deus super terram, femina circumdabit virum. *Jer.* 31. Item tunc spicæ confricantur, cum Salvator concipitur, quia incepit tempus ut homines excussis paleis temporalium consectarentur Domino.

al. † *passionis.*

Quo tempore Dominus concipi voluit.

Item sexta die concipi voluit, quia sexta die hominem creavit, pro cujus reparatione homo fieri voluit. Bene dicit, [in sexto mense,] quia perfectus homo concipitur. *Isa.* 4. In die illa apprehendent septem mulieres virum unum. [In mense autem sexto] Hoc videtur falsum, quia Dominus nunciatus fuit in Martio vigesimaquinta die, ut dicit *Beda*. Martius vero septimus est a Septembri. Unde dicitur September quasi septimus imber a Martio: Sol. Mos Scripturæ est non curare minutias. Unde non computantur octo dies finales Septembris, & ita illis non computatis patet, quod a conceptione Joannis, Martius est sextus mensis, &c. *b* Missus est Angelus, &c.] i. nuncius de quo *Prov.* 25. Aqua frigida animæ sitienti, nuncius bonus de terra longinqua, i. de terra viventium, quæ valde longe est a terra morientium. Et vere nuncius iste fuit aqua frigida animæ sitienti, quia sitientibus fontem vitæ nunciavit adesse, de quo plus accepit, quæ plus sitiebat, i. B. Virgo. Unde *B. Bern.* Vehementia desiderii, fervore devotionis, puritate orationis fontem attigit pietatis, ut hauriret super Angelos, quam refunderet hominibus aquam vivam. Propterea enim tanto tempore fluenta gratiæ defuerunt, quia nondum intercesserat aquæductus. De quo *Eccl.* 24. Ego quasi fluvius Dorix, & sicut aquæductus exivi de paradiso. In tribus autem hic Mariæ dignitas commendatur. Primo, quia Angelus mittitur a Deo ad ea. Secundo in eo, quod eam salutavit ex nomine. Tertio in eo, quod ei loquitur in conclavi. Et bene ad Mariam missus est Angelus, quia ipsa prima angelicam vitam docere proposuit in terris. Item ut sicut Eva fuit a diabolo præventa, sic Maria ab Angelo se præventam valeat gloriari, ut possit vere dicere: Ab alio amatore præventa sum; qui nimio amore custodit corpus meum. Nota, duæ personæ sc. mulier, & Angelus dederunt occasionem perditionis mundo. Unde congruum fuit, ut eædem personæ darent ei occasionem salutis, ne mundus haberet occasionem minus amandi, vel honorandi personas istas. Unde *Glos.* Mulier a diabolo seducta mortem intulit, contra mulier ab Angelo edocta salutem edidit. Bene autem missus est Gabriel, quia ista vel sola, vel prima fortis mulier inventa est. Ante enim dicitur *Prov.* 33. Mulierem fortem quis inveniet? Et respondet Salomon pro se. *Eccl.* 7. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni. Quia potius dicit *ibid. sap.* Inveni amariorem morte mulierem. Missus est etiam Gabriel, quia fortiorem contra fortem pugnaturum nunciabit. De quo *inf.* 11. Cum fortis armatus, &c. *Jerem.* 26. Fortis impegit in fortem, & ambo, &c. *c* A Deo.] *B. Bern.* Hoc determinat Lucas, ne forte ut assolet, ab aliquo excellentiori Angelo missus putaretur. Forte enim fuit Gabriel de supremo ordine, vel si fuit de inferiori ordine, propter duas causas. Prima, ut nomine suo demonstraret, ad quid veniret Dominus, quem pronunciabat. Interpretatur enim Gabriel, uno modo confortavit me Dominus, quia ad hoc veniebat Dominus, ut dissolutum populum confortaret. *Isa.* 61. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, &c. Secunda ut ostenderet, quod se majoribus occultaret, & minoribus revelaret. *Matth.* 11. Confiteor tibi, pater, &c.

Mariæ dignitas in tribus commendatur.

d In civitatem] Civitas est collectio hominum sub uno jure, & loco uno viventium. Unde dicitur civitas, quasi civium unitas. Recte ergo in civitate voluit concipi Dominus, quia omnes homines ad unitatem Ecclesiæ reducere veniebat, ut unam faceret civitatem, sicut dicitur *Joan.* 10. Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile. *Matth.* 8. Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cœlorum, i. in Ecclesia, ubi omnes sub uno jure vivunt, sicut dicitur *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor unum, &c. Unde recte civitas dicitur. *Isa.* 1. Vocaberis civitas justi urbs fidelis.

e Galilææ] non Judææ. In quo significatur, quod ad gentes erat transiturus. Galilæa enim transmigratio facta interpretatur, vel revelatio, sive rota, quod totum convenit gentilitati. Hoc prævideral David, quando dixit. Vox tonitrui tui in rota, i. tua annunciatio, & tua prædicatio in Galilæa. Unde ad vocem tonitrui turbata est Maria, sicut dicitur *inf. eod.* Nota, quod Joannes conceptus est in Judæa, & passus in Galilæa, Christus e contrario. Judæa quidem locus est eminentior quam Galilæa, & Joannes dicit. Me oportet minui, illum autem crescere. *Joan.* 3. Nec voluit Dominus Galilæam, idest, gentes suo sanguine pollui, sed missus ad Herodem, reductus est ad Judæos, ut super ipsos esset, & super filios ipsorum sanguis ejus, sicut ipsi dixerunt. *Matt* 27. Sanguis ejus super nos, &c. *f* Cui nomen Nazareth,] quod bene ei congruit, quia prophetatum erat. Nazaræus vocabitur, idest, sanctus, Sanctorum: Nazareth enim interpretatur flos, vel germen, vel sanctitas. Et secundum ultimam interpretationem dicitur Sanctus Sanctorum. Cui nomen Nazareth. Ad litteram ita dicitur de ignotis, & humilibus locis. Loca vero nobilia prima fronte nominantur, ut, missus est in Jerusalem. Fortasse erant multæ civitates nobiles, quas poterat, si vellet Dominus, elegisse, sed propter hoc a regalibus sedibus venit. Revera Ecclesiæ dictum est in adventu Domini. Adorna, Sion, thalamum tuum, sed non tapetibus pretiosis Ægypti, sed paupertate, humilitate, charitate. In hoc enim, quod Dominus locum humilem elegit, humilitatem commendavit, & nos edocuit, ut nos illa loca eligamus, quæ possint de nobis magis, quam nos de ipsis gloriari. *B. Bernardus*. Injoria quædam est superiorum, de inferioribus gloriari. Et qui se humiliat, exaltabitur, *infr.* 14. *Cant. cap.* 3. Egredimini,

filiæ

filiæ Sion, de magna civitate Jerusalem, & videte regem Salomonem in diademate, i. in sancta carne, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis, i. conceptionis. Oportet enim, quod exeant de magnis palatiis, qui volunt videre Jesum in loco humili, i. in Nazareth coronatum Reges terreni magnas eligunt civitates, in quibus coronantur, sed Rex cœli elegit civitatem humilem Nazareth, in qua sc. forte a Nazareth potest aliquid boni esse. *Joan.* 1. In Nazareth ergo Rex cœli coronatus est in carne tanquam regali diademate, sed in Bethleem pannis involutus quasi purpura. Et hæc fuerunt prima insignia regni ejus. *Apoc.* 19. Habebat in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex regum, & dominus dominantium. Vestimentum ejus panni, femur, caro. In utroque sævierunt Judæi regno privare volentes, quia & vestimenta abstulerunt, & carnem cruci affixerunt. Sed in hoc magis consummatum est regnum ejus, quia additum est sceptrum regni, idest, crux, ideo dixit ibi. Consummatum est. *Heb.* 2. Videmus Jesum per passionem consummari. *B. Bern.* Quod dicunt Judæi. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, nihil consequantiæ habet, imo si rex Israel est, sceptrum non deserat regni. Amœnitas Nazareth adhuc nos transire non patitur. Nazareth enim interpretatur flos. Congruum ergo fuit florem cum flore, & in flore concipi, & de flore nasci, & in flore nutriri, & in tempore florum, idest, in vere nunciari. *Cant.* 2. Ego flos campi. In hoc verbo commendatur filii charitas, & mentis integritas. Nam flos campi omnibus est communis, & sine fossione nascitur. *Matth.* 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. & ego reficiam vos, hic odore floris, in patria satiabor sapore, & gustu. *Ps.* 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua.

Matt. 2.

reth, a ad Virginem desponsatam b viro, cui nomen erat Joseph de c domo David, & d nomen Virginis Ma-

Joan. 19.

Matt. 27.

Item Nazareth interpretatur sanctus. Congruum ergo fuit, ut in ea conciperetur, de quo dicitur *Dan.* 19. cum venerit Sanctus Sanctorum, &c.

Item interpretatur mundum, sive munditia, ideo justum fuit, ut in ea conciperetur, qui solus sine omni immunditia conceptus est.

Item Jesus in Nazareth civitate parva concipitur, & nutritur, in Jerusalem civitate solemni patitur, & crucifigitur. Et quid hoc? nisi quia salus in humilitate custoditur, in sublimitate periclitatur. Flos enim in alto ventis expositus non durat. 2. *Reg.* 1. Considera Israel pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati, inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt. Montes, & excelsa Israel, sunt prælationes Ecclesiæ, in quibus multi nobiles mortui sunt.

Nota, Maria in Nazareth concepit Jesum, in Jerusalem amisit Jesum, *inf.* 2. *B. Bernard.* Amat florigeram patriam flos de radice Jesse. Florem te reputat, & ad te divertit sicut ad Nazareth, si tibi vel honestas conversationis tanquam floris species, vel odor bonæ opinionis tanquam fragrantia floris, vel intentio æternæ retributionis tanquam spes fructus non desit. Hæc enim tria sunt in flore, fragrantia, species & spes fructus, idest, honestas conversationis, odor bonæ opinionis, intentio æternæ retributionis. *a* Ad Virginem desponsatam.] Non dicit ad desponsatam virginem, sed ad virginem desponsatam. Virgo cum præmittitur, ut ostendatur virginitas nuptiis præferenda. Desponsata subjungitur, ne per electionem virginitatis nuptiæ damnari videantur. Sed quare de femina, quare de femina virgine, quare de femina virgine desponsata nasci voluit? Non caret ratione. *B. Bern.* Cœlesti rore Dominus terram rigaturus, cum de viro produxisset feminam in perniciem, de femina virum producere voluit in salutem, & quæ principium fuerat humanæ damnationis, principium esset humanæ reparationis. *Jerem.* 31. Novum faciet Dominus super terram, femina circumdabit virum. De virgine autem nasci voluit. Primo, ut sicut primus Adam de terra virgine factus fuerat, ita secundus Adam de virgine homo fieret. Item sicut per Evam virginem facta fuit humani generis perditio, ita per Mariam virginem fieret ejusdem reparatio. Unde cantat Ecclesia: Paradisi porta per Evam cunctis clausa est, & per Mariam virginem iterum patefacta est. Item ut qui in cœlis habebat patrem sine matre, haberet in terris matrem sine patre, ut sic quasi duobus testibus probaretur Christi † divinitas, idest, Matris virginitate, & Patris divinitate. Item ut prophetiæ veritas responderet. *Is.* 7. Ecce virgo concipiet, &c. Quare autem de desponsata nasci voluit, plures causæ sive rationes assignantur in *Gloss.* Prima est, ut per virum generationis ordo texeretur. Secunda ne innupta prægnans quasi adultera lapidaretur, secundum quod dicitur *Lev.* 21. Sed ibi dicitur de filia Sacerdotis. Et in hoc est argumentum, quod Beata Virgo fuit de Tribu Levi. Item *Deut.* 22. de qualibet virgine. Tertia, ne impudicis virginibus occasio fornicandi daretur. Quarta, ut Mariæ infamia vitaretur. Quinta, ut virgo viri solatium, & testimonium suæ integritatis haberet. Joseph enim sibi testimonium perhibere poterat, qui eam virginem desponsaverat, & a tempore desponsationis diligenti eam custodia servaverat. Sponsa enim a tempore desponsationis in manu sponsi est.

Nota, quare Dominus de desponsata nasci voluit.

al. † Nativitas.

Sexta, ut diabolus partus Christi mysterium ignoraret.

Septima. ut MARIÆ verbis major fides adhiberetur, & omnis mentiendi suspicio tolleretur. Videretur enim mentiri innupta prægnans, neque crederetur ei, si diceret, se esse virginem. Sed causam mentiendi non habuit desponsata, cum conjugii præmium partus sit feminarum.

Octava ratio assignatur, ut matrimonium commendaret propter hæreticos futuros.

Nona ratio mystica est. In typum enim Ecclesiæ factum est hoc, quæ virgo, & mater est, carens macula, & ruga, quæ copulatur Joseph, idest, Christo. Unde Apostolus 2. *Cor.* 11. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Item de desponsata virgine nasci voluit, ut sicut prædixerat *Eccl.* 24 esset fructus honoris, & honestatis. Honoris, quia filius virginis, honestatis, quia filius desponsatæ.

Item de femina virgine desponsata nasci voluit, ut ab omni gradu mulieris opprobrium tolleretur, idest, a conjugatis, a viduis, a virginibus. Sequitur. *b* Viro, cui nomen erat Joseph.] Non sine ratione magna exprimit Lucas nomen viri. Magnum siquidem latet in hoc nomine mysterium. *B. Bern.* Quatuor sunt hujus nominis sancti celebres in Scriptura. Filius Jacob, vir Mariæ, Joseph ab Arimathia, Joseph justus in actibus Apostolorum. Primus in figuram Christi præcessit, secundus curam parvulo exhibuit, tertius mortuo sepulturam, quartus testimonium perhibuit suscitato. In primo commendatur prudentia, quia omnia veraciter exposuit. In secundo temperantia, quia vir cum uxore continuit. In tertio fortitudo, quia audacter ad Pilatum introivit, ut peteret corpus Jesu. In quarto justitia, quia justus etiam nominatur. Hi sunt quatuor fabri, qui deterrent quatuor cornua gentium, i. quatuor genera vitiorum *Zach.* 1. Item in primo commendatur providentia, contra mala imminentia. In secundo custodia parvulorum, i. matris, & pueri, nam ad perferendas molestias ætas parvulorum infirmior, & ad illecebras sexus muliebris proclivior est. In tertio compassio mortuorum, quia mortuum Jesum sepelivit. In quarto congratulatio, & testimonium veritatis, quia ille testimonium perhibuit suscitato. Ad hæc quatuor tenetur Joseph spiritualis, i. prælatus, sc. ad providentiam futurorum, ad curam infirmorum, ad luctum mortuorum, ad testimonium suscitatorum, idest, vere pœnitentium. Sequitur. *c* De domo David.] Quid necesse fuit, Evangelistam Joseph justum virum Mariæ de domo David adulteri, & homicidæ fuisse dicere? Tres sunt ad hoc rationes.

De quatuor Joseph.

Psal. 21. Matt. 13.

Prima, ut ostendat, quod Dominus peccatores non respuit, sed recipit pœnitentes. *Matt.* 9. Non veni vocare justos, sed peccatores.

Secunda, ut ostendat quod promissio cuilibet est implenda. Displicet enim Deo stulta promissio. *Ecclesiastici* 5.

Tertia, ut ostendat Mariæ nobilitatem, non carnis, sed magis animi. Maria enim hæres fuit humilitatis David. Dicit enim David: Ego sum vermis, & non homo. Dicit Maria. Ecce ancilla Domini. Quid ergo vobis videtur de Christo, cujus filius est? Responderunt, David. Vere, quia *Is.* attestatur 9. Super solium David, & super regnum ejus sedebit. Sic prælatus debet esse de domo David, i. de familia David, i. humilis, & mansuetus, *Eccl.* 10. Secundum judicem populi, &c. *d* Et nomen Virginis Maria,] stella, domina, amarum mare.

Stella fuit in filii nativitate. Tunc enim emisit radium totum mundum illuminantem. De quo dicit *B. Bernard.* Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec virgini filius suam integritatem. Item propter alia quatuor stellæ assimilatur: Primo, quia cum magna esset ad modum stellæ, modica apparebat per humilitatem. Secundo, quia sicut stella de nocte lucet, sic B. Virgo his lucet, qui

Maria virgo assimilatur stellæ.

sunt in tenebris peccatorum. Tertio in hoc, quod naufragantes hujus mundi ad portum salutis dirigit. Unde ipsa dicit *Eccl.* 24. In me omnis spes vitæ, & virtutis. Quarto, quia ad modum stellæ radios ex se profert, scil. bonorum exemplorum. Et in præsenti Evangelio possumus sex radios reperire. Primus est amor solitudinis, qui habetur ex hoc verbo. [Ingressus Angelus, &c.] Secundus est timor, vel erubescentia virginalis, quæ insinuatur ibi. [Turbata est.] Et item, [Ne timeas.] *Bern.* Solent virgines semper esse pavidæ, & ut caveant timenda, etiam tuta pertimescere. Tertius radius est prudentia, quæ insinuatur ibi. [Cogitabat, &c.] Prudens enim est, qui cavet, ne fallatur. Quartus, est amor castitatis, ibi. [Quomodo fiet istud, &c.]

Et *a* ingressus Angelus ad eam, dixit, *b* Ave, *c* gratia plena,

Quintus, humilitas, ibi. [Ecce ancilla Domini, &c.]

Sextus, obedientia, quæ insinuatur, ibi. [Fiat mihi secundum verbum tuum.] *Bern.* Quia tu dignus non eras, cui filius Dei daretur, datus est & Mariæ, ut per eam acciperes, quicquid haberes.

Item domina est in filii oblatione, amarum mare in ejusdem passione. Item stella est, quia illuminat, de qua *Num.* 24. Orietur stella ex Jacob. Domina, quia protegit. *Prov.* 18. Turris fortissima nomen Domini, dicamus Dominæ, idest, Mariæ, ad ipsam currit justus, & exaltabitur. Amarum mare est, quia aqua ejus salsa est, & sitim provocat. *Eccl.* 24. Qui bibunt me, adhuc sitient. Roganda est ergo Maria, ut nomen suum interpretetur in nobis, ut stella illuminet tenebras nostras, ut domina, comprimat, & compescat adversarios nostros, ut mare amarum amarificet noxias delicias nostras. *B. Bern.* Si insurgunt venti tentationum, si incurris scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam, si jactaris superbiæ ondis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam in periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat a corde, non recedat abore, ut impetres orationis ejus auxilium, ne deseras conversationis exemplum, ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis, & sic in temetipso experieris quam merito dictum sit. Et nomen V. Maria. Sequitur.

a Et ingressus Angelus ad eam, &c.] Quod missus fuerat Angelus ad Mariam, dicit Evangelista. Nunc autem ubi ipsam invenit, demonstrat. Non foris in plateis civitatis vagabundam, sed intus in domo solitariam. Illi enim qui foris sunt, idest, in publico, non merentur a Deo per Angelum salutari. Judas dicit Domino. Ave Rabbi, non in domo, sed in agro foris. *Mat.* 26. Et similiter Judæi foris dixerunt. Ave rex Judæorum. Dominus autem non foris in publico, sed intus in domo præcepit salutari, *inf.* 10. Neminem in via salutaveritis. Qui igitur foris sunt, divinæ salutationis expertes sunt. Unde Esau venator dum esset foris, Isaac benedictionem amisit. *Gen.* 27. Jacob autem benedictionem recepit, quia domi residebat, sicut dicitur *Gen.* 25. Factus est Esau vir gnarus venandi. Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Venator est, qui temporalia toto orbe fugentia corde, vel corpore sequitur. Et talis non meretur ab Angelo salutari *Amos* 5. In omnibus plateis planctus, & in cunctis, quæ foris sunt dicetur, væ, væ.

Sed Mariæ in conclavi dicitur. Ave. *Gen.* 34. Egressa est Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius, quas cum vidisset, &c. Ecce foris perdidit Dina virginitatem, intus manens Virgo recepit Angeli salutationem. *Os.* 2. Ducam eam in solitudinem, &c.

Matth. 15.

Nota etiam, quod solus Angelus dicitur ingressus ad Virginem, & hoc semel. In quo innuitur, quod qui non fuerit Angelicæ conversationis, frustra vel temere præsumitur ad eam ingredi salutandam, vel videndam. Quomodo enim luxuriosus virginem, vel superbus humilem salutabit? Et si forte salutaverit, non resalutabitur, quia indignus est. Unde dicit *Is.* 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. *Esther.* 2. Erat formosa valde, & incredibili pulchritudine, omniumque oculis gratiosa, & amabilis videbatur, ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri. Esther enim interpretatur abscondita. *Cant.* 4. dicitur de beata Virgine. Hortus conclusus soror mea. Et ideo non patuit ad eam ingressus, nisi nuncio desuper, idest, de cœlo venienti. *Bernard.* Suspicandum non est, quod apertum invenerit Angelus ostiolum, cum nimirum in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia, ne vel orantis turbaretur silentium, vel continentis castitas turbaretur. Et *Gloss. Bed.* Solam sine comite Angelus reperit, ne quo de genere hominis depravaretur affatu.

Multum timent illi, qui habent abundantiam gratiæ, colloquia mala.

Unde beatus Joannes Baptista deserta petiit, ne levi saltem maculare vitam flamine posset. Sed quare sine Angeli ministerio noluit Dei filius incarnari? Multiplex est super hoc ratio.

Dominus. An cum ministerio voluit incarnari multis rationibus.

Una est, ut modus nostræ reparationis responderet modo perditionis. Malus Angelus assumpto corpore Evam sermocinando decepit. Sic bonus Angelus assumpto corpore Mariam salutando edocuit. *Eccl.* 33. Contra malum bonum est, & contra vitam mors. *Proverbior.* 18. Mors, & vita in manibus linguæ. In manu, idest, in ministerio linguæ serpentis mors. In manu, idest, in ministerio linguæ Gabrielis vita. 2. *Cor.* 11. Timeo ne sicut serpens, &c. Eva voluit fieri Dea, & facta est ancilla: Maria voluit fieri ancilla, & facta est mater Dei.

Secunda ratio est, ut inter homines, & Angelos pax reformaretur, factis ambobus servis unius Domini, idest, Christi. *Apoc.* 19. Vide, ne feceris, dixit Angelus ad Joannem, conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu.

Tertia ratio est, ut ostenderetur dignitas pueri nascituri, cui Angelus famularur. *Malach.* 3. Ecce ego mitto Angelum meum ante te, &c.

Quarta ratio est, quia cœlestem regem cœlestis nuncius debuit prævenire, qui regem mandaret venturum. Non enim decuit tantum Dominum venire sine magno præcursore, & evidenti, qui ei hospitium faceret præparari.

Primo quidem præmisit Patriarchas ante legem, qui factis suis regem venturum significaverunt.

Secundo Moysen, & Prophetas, qui verbis regem venturum clamaverunt.

Tertio præmisit Gabrielem, qui eum jam venturum prædixit, & dominam hospitii ex parte Domini salutavit dicens. *b* Ave, gratia plena.] Et vere plena gratia, quia jam habebis in utero plenum gratiæ, & veritatis. Hujus salutationis forma, tanto pretiosior est, quanto rarior. Nusquam enim in Scripturis invenitur antea nec ab alio quam ab Angelo, nec alii quam Mariæ debebatur hæc salutatio. In omni enim salutatione fiebat prius aut vitæ imprecatio, ut *Dan.* 2. Rex in æternum vive. Aut salutis, ut 2. *Reg.* 16. Salve rex. Aut benedictionis, ut messores ad Booz. Benedicat tibi Dominus, qui prius salutando dixerat eis. Dominus vobiscum. *Ruth.* 2. Duas vero salutationes delatas ab Angelo viris. *Judic.* 6. Dominus tecum virorum fortissime. Et *Tob.* 5. Gaudium sit tibi semper. Hæc salutatio beatæ Virginis ex omnibus est conflata, & ideo est dignior: Ave sine væ, idest, sine dolore. Ecce salutatio Tobiæ. Gaudium sit tibi. *c* Gratia plena.] Hic notatur salutatio Apostolorum, qui semper in suis epistolis salutando præmittunt. Gratia vobis & pax. [Dominus tecum.] Hæc salutatio ad Gedeonem facta, & Booz ad Ruth. [Benedicta tu] a Domino. Ecce salutatio Booz ad *Rut.* 3. Bene autem præmittitur Ave, quia prius erat væ omnibus habitantibus in terra, nec salus locum habere poterat, nisi prius sublato væ. Nec benedictio, nisi prius sublata maledictione. Unde Gedeon elidens salutationem Angeli dicit. Si Dominus nobiscum, quare apprehenderunt nos tot mala? Et Tobias. Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video; Merito invenerunt eos tunc mala, quia nondum venerat, quæ gratiam inveniliet. Unde *B. Bern.* Fluenta gratiarum multo tempore defuerunt, quia nondum intercesserat aquæductus. Unde nondum recte Dominus Emmanuel dicebatur, i. nobiscum Deus. In hoc nomine Ave, fit nominis Evæ conversio. Triplicem quidem habuit Eva maledictionem. Corruptionis in conceptu, gravitatis post conceptum, doloris in partu. E contrario Maria triplicem in hac salutatione recepit benedictionem. Fuit enim sine corruptione fœcunda, sine gravedine gravida, sine dolore puerpera. Hoc est Ave sine væ triplici corruptionis, gravitatis, doloris, quod incurrit Eva per peccatum, quod ab ea omnes mulieres præter Mariam quasi jure hæreditario contraxerunt. *Genes.* 3. Mulieri dixit. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios tuos. Et est aliud triplex væ, de quo dicitur *Apoc.* 8. Væ, væ, væ, habitantibus in terra, scil. væ concupiscentiæ, væ culpæ, væ pœnæ æternæ. Primum est in carne; secundum in spiritu; tertium in utroque. De primo dicitur *Ecclesiast.* 10. Væ tibi terra, idest,

caro

caro, cujus rex, idest, animus, puer est. *Gen.* 3. Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos, i. carnales motus germinabit tibi. De secundo. *Os.* 7. Væ eis, quoniam recesserunt a me: De tertio dicitur. *Os* 9. Væ eis, cum recessero ab eis. Hoc erit, cum in inferno detrusi fuerint. Nam modo quantumcumque malus fuerit peccator, tamen nunquam omnino ab eo recedit Deus, imo gratiam offert omnibus. *Apoc.* 3. Ego sto ad ostium & pulso. Sine hoc triplici væ fuit Virgo gloriosa. Quippe habuit hoc triplex bonum huic triplici væ e contrario, idest, bonum continentiæ, bonum gratiæ, bonum perseverantiæ. Primum excludit concupiscentiam, secundum culpam, tertium pœnam æternam, quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *Mat.* 10.

Item est aliud triplex væ, scil. væ mundi, væ carnis væ diaboli, de quo dicitur *Apoc.* 18. Væ, væ, væ, civitas illa magna Babylon. Sine quo fuit omnino Maria; fuit enim pauper, contra primum; virgo, contra secundum; humilis, contra tertium. Ideo digna est salutari, non solum ab Angelo, sed etiam ab homine magis, qui per se perditus, per eam salutem invenit. Invitant autem nos ad salutationem Mariæ Gabrielis exemplum, qui eam primitus salutavit, etiam antequam esset mater Domini, Joannis tripudium, & resalutationis lucrum. Nam si eam salutaverimus, non est tam rustica, ut nos sine resalutatione dimittat. *Eccl.* 41. Erubesce a salutantibus de silentio. Quod si fecerit, exultabit in gaudio infans, idest, gaudium ineffabile in utero mentis nostræ, ut vere possimus dicere. Ecce ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo, &c. Hinc dicit Apostolus. *Rom.* 6. Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. Pro vobis orando, in Ægyptum fugiendo, paupertatem sustinendo. Sed qualiter salutabis? Frequenter, fideliter, sapienter. Frequenter, quia tota pulchra est, *Cant.* 4. *Is.* 23. Bene cane, &c. Fideliter, ut corde, ore, opere salutetur, ne merito possit dicere beata Virgo illud *Is.* 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sapienter, ut recta intentione salutetur. Quidam enim salutant nobiles puellas, ut de illarum familiaritate jactare se possint. Sic multi salutant frequenter Mariam, ut eam diligere videantur. Sed tales non resalutat, quia ipsa novit abscondita cordis, sicut dicit ipsa. *Eccl.* 24. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes. Nota, non sunt digni salutari a nobis Excommunicatus, homo alterius legis, hostis. Diaboli excommunicatus est, quia falsificat bullam summi pontificis, idest, formam suam, qui erat signaculum similitudinis Dei, ut dicitur *Ezec.* 28. Item incendiarius fuit sacrorum locorum, i. illorum duorum templorum, quæ fecerat Deus, scil. Adam, & Evæ. Omnes enim justi templa sunt Dei, ut dicitur 1. *Cor.* 3. & 6. Templum Dei sanctum est, quod estis vos.

Qualiter sit salutanda B. Virgo.

Qui non sunt a nobis salutandi.

Item manus violentas injecit in clericum, imo in ipsum Papam, i. Christum. Et quia non habet superiorem, a quo petat absolutionem, & ab illo non vult, ideo non potest absolvi. 1. *Reg.* 2. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Hic excommunicatus salutat nos, dum peccata spiritualia suggerit, ut interficiat. Sic Joab Amasam salutando occidit. 2. *Reg.* 20. Hunc resalutat, quia ejus suggestioni consensum præstat, & fit excommunicatus. *Rom.* 2. Non solum qui faciunt, sed qui eis consentiunt, digni sunt morte. Non est igitur salutandus, vel resalutandus, excommunicatus. 2. *Joan.* 1. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, &c. Homo alterius legis est caro, cujus lex contraria legi est spiritus. *Rom.* 7. Video aliam legem, &c. Horum autem, qui sunt alterius legis quidam sunt gentiles idola colentes, scilicet motus luxuriæ, qui in corde suo faciunt masculinas imagines, & femininas, sicut dicitur *Ezec.* 16. Fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis. Alii sunt Judæi, qui sacrificia & legem carnaliter servans, idest, motus gulæ. Alii Hæretici latenter corrumpentes, idest, motus sub virtutis, vel necessitatis specie ad peccatum inclinantes. Primi, i. pagani, sunt occidendi gladiu abstinentiæ. *Ps.* 44. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Judæi non sunt occidendi, sed fame, & miseria cruciandi.

Hæretici vero sunt comburendi igne, quia Spiritui sancto committendum est, ut revelet in talibus, utrum spiritus sint ex Deo. Hic homo alterius legis salutat, dum caro voluptatem suggerit. Hunc resalutat, qui consentit, & excommunicatus efficitur. *Eccles.* 9. Cum saltatrice ne sis assiduus, nec audias illam. Hostis est mundus. Unde *Jac.* 4. Quicumque voluerit esse amicus mundi hujus, inimicus Dei constituitur.

Hic salutat, dum divitias suggerit, vel honores, dicens cum Juda. Ave, Rabbi, & osculatur eum, & prodit simul. Sed non est resalutandus per consensum. Unde *Ps.* 61. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Horum trium salutationes non recipit Maria, quia humilis & pauper, & virgo fuit, ut dictum est, & ideo merito dixit ei Angelus. [Ave] idest, sine omni væ. [Gratia plena.] Forsitan nomen Mariæ tacet Angelus, ut ostendat, se ei novum nomen imponere scilic. [gratia plena.] *Isa.* 62. Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit, per Angelum, scilicet.

Tamen postea nomen Mariæ expressit Angelus, quando dixit. [Ne timeas, Maria.] Et recte primo [gratia plena] dicitur, & postea [Maria,] quia hoc habet ex gratia, ut Mariæ nomen, id est, illuminatrix interpretetur in nobis.

Et vide, quod in salutatione Virginis Angelus primo apposuit. [Ave gratia plena,] Ecclesia addit. [Maria] Elisabeth subjunxit. [Et benedictus fructus ventris tui.] Et quid significat hoc, nisi quod in salutatione Virginis Mariæ, conveniunt Ecclesia triumphans, & militans, & Synagoga, quæ per Elisabeth designatur? Et ideo gratia plena ad Deum per humilitatem, ad Angelos per virginitatem, ad homines per fœcunditatem. *Prov.* 10. Mulier gratiosa, idest, gratia plena, inveniet gloriam, illam sc. de qua dicitur *Prov.* 10. Gloria patris filius sapiens.

Et vere hanc gloriam invenit Maria, quia eumdem filium cum Deo Patre communicavit, quod fuit singularis gratiæ plenitudo. In hoc autem, quod dicit [plena] interior, non exterior gratia commendatur. Exterior enim vana est, ut est pulchritudo, nobilitas, & hujusmodi. Unde *Prov. ult.* Fallax gratia, &c. Hæc plenitudo gratiæ est fomitis extinctio, veritatis agnitio, virtutis dilectio.

Primum est fuga vitiorum, & parat animum, secundum perficit intellectum, tertium consummat affectum. Et ideo gratia plena, sed magis quam Stephanus, de quo dicitur *Act.* 6. Stephanus plenus gratia, & fortitudine, &c. Et minus quam Christus, de quo *Joann.* 1. Plenum gratiæ, & veritatis.

Stat igitur in medio Virgo Maria. Unde dicit *Eccl.* 24. In me gratia omnis viæ, & veritatis. Hoc cum Christo communicat. In me omnis spes vitæ, & virtutis.

Hoc cum Stephano. Stephanus fuit plenus plenitudine capta. Christus plenitudine cumulata. Maria medium eligens, fuit plena plenitudine æqua.

Prima sufficit, secunda effluit. Unde *Joan.* 1. De plenitudine ejus omnes accepimus, tertia perfecta est.

Ista plenitudo gratiæ refertur ad quatuor virtutes, quibus nihil melius est mortalibus in hac vita, ut dicitur *Sap.* 8. Quæ sunt temperantia, prudentia, justitia, fortitudo. Quas, sicut ait quidam Sanctus, singulas invenimus tripliciter in Maria. Et temperantia habuit carnis pudicitiam, sermonis modestiam, cordis, & corporis munditiam.

Ex prudentia siluit turbata, intellexit audita, respondit sapienter ad proposita.

Ex justitia reddidit omnibus, quod debebat. Duris corde gessit morem in sua desponsatione, in filii Circumcisione, in legali Purificatione.

Afflictis exhibuit compassionem. *Joan.* 2. Fili, vinum non habent.

Sanctis reddidit communionem, quia erat cum mulieribus, & discipulis in oratione perseverans. *Act.* 1. Ex fortitudine propositum virginitatis assumpsit, assumptam tenuit, rei tam immensæ fidem exhibuit. Fiat, inquit, mihi secundum verbum tuum. Hæ sunt duodecim stellæ in corona, de quibus dicitur *Apoc.* 12. Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona duodecim stellarum. Has tamen duodecim stellas dicit *B. Bernardus* duodecim prærogativas Virginis, propter quas etiam dicitur gratia plena. Quatuor sunt cœli, quatuor carnis, quatuor cordis. Fulserunt enim quasi stellæ de cœlo, Mariæ generatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti superventio, Filii Dei venerabilis conceptio. Fulserunt in carne quatuor, quod fuit virginitas primiceria, sine corruptione fœcunda, sine gravitate gravida, sine dolore puerpera. Fulserunt in corde quatuor, devotio humilitatis, reverentia pudoris, magnitudo credulitatis, martyrium cordis. Propter primas dicitur [dominus tecum,] propter secundas [benedicta tu inter mulieres] propter tertias [gratia plena.] Propter omnes dicitur. *Prov. ult.* Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Item in hoc, quod dicitur [gratia plena] notatur specialiter Mariæ virginitas, charitas, & humilitas. Gratia enim balsamum, &

a ideo purum, solidum, & profundum vas requirit. Et quid purius MARIÆ virginitate? Fuit enim virgo ante partum, virgo in partu, & virgo post partum. Quid solidius MARIÆ charitate? Dilexit enim continue, & perseveranter, toto corde, tota anima, tota virtute. Quid profundius MARIÆ humilitate? Habuit enim illos quatuor gradus, qui tanguntur in versibus B. Malachiæ,

Dominus a tecum, b benedicta tu in c mulieribus. d Quæ cum audisset, turbata

Spernere mundum Spernere nullum, Spernere sese, Spernere se sperni; quatuor hæc bona sunt. Primum pertinet, ad beati pauperes spiritu. Secundum ad beati mites. Tertium, ad beati qui lugent. Qui enim nihil nisi lugenda considerat in se, de facili sperait se.

Quartum pertinet, ad beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam. Qui enim vere sitit, & amat justitiam, haberi contemptui sustinet patienter. Propter hæc tria dicitur. *Cant.* 4. Tota pulchra es, amica mea, interius per humilitatem, exterius per virginitatem, & macula non est in te, propter perfectam charitatem. Si vis ergo ad virginem ingredi, & eam salutare, oportet te esse Angelum. Angelum autem te faciunt potissime puritas, charitas, humilitas. Puritas in carnis munditia. Unde *Hieron.* In carne præter carnem vivere Angelicum est, non humanum. Charitas in communione vitæ probatur, quia supernæ † civitatis participatio est ejus in idipsum. Humilitas Angelica probatur, in obedientia, & ministerio. Et in his tribus claustralis religio formam Angelicam repræsentat, quia per hæc tria de mundo exitur.

Quæ faciunt hominem Angelum.

al. † Charitatis.

Puritas abjicit concupiscentiam carnis, charitas concupiscentiam oculorum, humilitas superbiam vitæ. Et qui hæc abjecit, jam ingressus ad Virginem in cellam vinariam, secure potest dicere. [Ave, gratia plena.] Sequitur. a Dominus tecum.] Præmisit Dominus Gabrielem, sed prævenit ad Virginem. Unde sponsa *Cant.* Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles. Quod attendens Gabriel, non dixit, Dominus meus venit, præpara ei hospitium, sicut alii nuncii solent dicere, sed hospitium præparatum invenies, & Dominum prævenisse eum, dixit: [Dominus tecum] in mente, [tecum] in ventre, [tecum] ubique. De aliis Sanctis dicitur, quod sint cum domino. *Gen.* 5. Ambulavit Henoch cum Deo, quia obedivit ejus voluntati. Sed Dominus dicitur esse cum Maria, quia ejus fuit subditus voluntati. Unde *inf.* 2. Et erat subditus illis *B. Bernard.* Quis? quibus? Deus, hominibus. Ecce duo, quæ dicit Angelus de Maria. Gratia plena, & Dominus tecum.

Primum meruit humilitas Mariæ. Humilitas enim quasi vas vacuum est, & ideo impleri meruit, maxime cum esset mundum, quia virginitas socia fuit humilitatis. Sic Elisæus impleri fecit vasa vacua. 4. *Reg.* 4. Solitudo meruit secum habere Dominum, quia væ soli. *Eccles.* 4. Sic igitur [gratia plena,] propter humilitatem, [Dominus tecum,] propter solitudinem. *Sequitur.*

b *Benedicta tu,*] propter virginitatem. Et hoc merito, quia amore virginitatis maledictum legis contempsit. Sic Dominus vacuos replet, solitarios comitatur, eis, qui maledicta hominum vilipendunt, reddit benedictionem pro maledictione. E contrario plenos evacuabit. *Job.* 20. Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre ejus extrahet eas Deus, *infr. eod.* Esurientes implevit bonis, &c. Comitatos a turbis solitarios facit. *Sap.* 6. Discite judices finium terræ, &c. Illos, qui quærunt hominum benedictionem, maledicit, *inf.* 6. Væ vobis, cum benedixerint vobis homines. Contra hæc tria elegit sibi David solitudinem, vacuitatem, maledictionem. Unde in *Ps.* 24. Respice in me, & miserere mei, quoniam unicus, & pauper sum ego. Unicus, idest, solitarius, pauper, i. vacuus. De tertio dicitur alibi. Maledicent illi, & tu benedices, quasi dicat, solitarium comitare, vacuum reple, & benedic maledictum. In his tribus tria nobis æmulanda proponit Angelus. Primum, ut placeamus Domino, secundum, ut dirigamur ab eo, tertium, ut utiles simus proximo. Bene autem [Dominus tecum] ponitur in medio, quia gratiam conservat ad Deum, & fructificare facit ad proximum, c In mulieribus,] idest, supra mulieres, quia omnes aliæ maledictæ fuerunt in matre sua Eva. *Gen.* 3. Tu sola in mulieribus benedicta. *Judic.* 5. Benedicta inter mulieres Jael, idest, super mulieres, quia opera meliora fuerunt in te quam in aliis. Virgo peperisti, patrem tuum genuisti, portantem te portasti, nutrientem lactasti, vacua, & plena, humilis, & sublimis, pauper, & dives in unum fuisti, quod ante in nulla muliere potuit inveniri. *Prov. ult.* Multæ filiæ congregaverunt divitias, &c. Vel in mulieribus, id est, inter mulieres, sicut dicit *inf. eod.* Elisabeth, ut inter, dicat medium participatione. Quædam enim mulieres benedictæ, & virgines, sed infœcundæ, quædam benedictæ, & fœcundæ, sed non virgines, sola Maria benedicta virgo, & fœcunda, & ideo inter mulieres benedicta. *Eccles.* 10. Inter benedictos benedicetur, *infr.* 14. Maria optimam partem elegit, idest virginitatem, & fœcunditatem, quæ nunc pacem habuerunt, nunc in virgine concordaverunt. Unde quidam.

Psal. 108.

Partus, & integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Versus.

Sciebat beata virgo omnes maledictas esse in matre sua Eva, ideo audiens se in mulieribus benedici, turbata cogitabat, qualis esset ista salutatio, quæ mulierem dicebat, & benedictam. Hucusque durat Angeli salutatio, decem dictionibus consummata. Et merito, quia per illam erat Angelorum ordo decimus reparandus, & homo habens drachmas decem, & si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lumen, & evertit domum, & quærit diligenter, donec inveniat?

Infra 15.

d Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus,] pro insolita, & usque tunc inaudita salutatione. Audierat enim Angelos frequenter locutos mulieribus, & viris. Audierat etiam benedictiones legis in *Deut.* 28. Sed talem salutationem, talem benedictionem nusquam audivit, ideo turbata est, sed non est locuta, utpote filia, & imitatrix David, qui dicit. Turbatus sum, & non sum locutus. Et nota ordinem.

Psalm. 96.

Primo salutatur, & secundo audit, tertio turbatur, & tamen silet. Quia salutatur, divinæ est dignationis. Quia audit, virtus est mansuetudinis. Juxta illud *Jac.* 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum. Quia turbatur, virginei est pudoris, quæ non modica gratia est. *Eccl.* 26. Gratia super gratiam, mulier sancta, & pudorata. Quia autem tacuit, sapientiæ fuit, quia etiam stultus si tacuerit, sapiens reputabitur. *Prov.* 17. *Eccl.* 32. Audi tacens simul, & quærens.

Unde & beata Virgo postquam audiens tacuit, & tacens audivit, & quæsivit.

Nota, sex virtutes singulariter in beata virgine emicuerunt.

[Quomodo fiet istud.] Sed ne fatua reputetur ejus quæstio, subjungit rationem dubitationis suæ. [Quoniam virum non cognosco,] idest, me non cogituram proposui, & in proposito persevero. Et notantur in hac serie verborum beatæ Virginis sex virtutes, quæ in beata Virgine singulariter emicuerunt.

Verecundia, cum turbatur, prudentia, cum tacens cogitat quid dicatur, aut quid respondeat.

Istæ duæ conjunguntur, quoniam una sine altera sæpe & multis occasio fuit mali. Sunt enim aliqui ex verecundia indiscreti, ut audita minus discutiant, & ideo indiscrete respondent. Alii ex prudentia præsumentes, & inverecundi odiosi efficiuntur. B. Virgo utrumque servavit.

Tertia virtus est modestia sermonis, quæ notatur ibi. [Quomodo fiet istud.] Satis enim modesta fuit hæc quæstio. Et recte post prudentiam sequitur modestia, quia imprudentia properos facit ad loquendum, & prolixos.

Quarta virtus est immobile propositum castitatis, quæ notatur ibi. [Quoniam virum non cognosco.]

Quinta, est humilitas, quæ notatur ibi. [Ecce ancilla Domini.]

Sexta, fidei magnanimitas, quæ notatur ibi. [Fiat mihi secundum verbum tuum.] Et istæ duæ similiter recte junguntur, quia sæpe humilitas pusillanimes consuevit facere, vel magnanimitas arrogantes.

Istas virtutes Mariæ significavit Salomon 3. *Reg.* 16. ubi dicitur. Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus. Anima justi sedes sapientiæ. Sed beata Virgo quodam singulari privilegio thronus, idest, sedes regia dicitur, quæ regum regem concepit in utero, & portavit, & peperit. Ex ebore fecit, quia in Virginis castitate sibi complacuit. Ebur enim est os Elephantis candidum, carne, & cute carens, sic beata Virgo cute inanis gloriæ, & carne carnalis concupiscentiæ carens, tota candida fuit per omnimodam castitatem. Grandem apud Deum, licet apud se modicam. Et vestivit eam auro fulvo nimis, idest, charitate eximia decoravit. Quæ habebat sex gradus, idest, sex prædictas virtutes; Verecundiam, prudentiam, modestiam, immobile propositum castitatis, humilitatem, fidei magnanimitatem. Quatuor primas tangit. *Eccl.* 26. Mulier sensata, & tacita, non est immutatio eruditæ animæ, gratia super gratiam, mulier sancta, & pudorata. Sensata fuit beata

virgo

virgo in discussione salutationis, tacita in dilatione, & brevitate responsionis, sancta, i. firma, & munda in proposito castitatis, pudorata in motu turbationis. Hic locuta invenitur Virgo Maria. Sed numquam invenies, revolve libros, ipsam locutam nisi Angelo, & Elisabeth cognatæ suæ, & filio suo, & ministris nuptiarum. *Joan.* 2. Neque enim eum Joseph viro suo umquam invenies fuisse locutam. In quo notatur, quod puella juvenis, vel sanctimonialis, vel quælibet claustralis rarissime debet loqui, & tunc cum Deo in oratione, & lectione, aut cum Angelo, idest, cum sacerdote Angelicæ conversationis in confessione, aut cum Elisabeth vetula, idest, cum matura, & sancta muliere, mutua, sed rara consolatione, aut cum ministris in necessariorum postulatione, *Eccl.* 32. Adolescens loquere in tua causa vix cum necesse fuerit, &c. Ideo turbata est Maria, quia silentium diligebat. Sed quia silentium prudens cogitatio comitatur, vel comitari debet, ut sit cor otiosum ore tacente, ideo sequitur, *a* Et cogitabat, qualis esset ista salutatio.] Et merito cogitabat. Sciebat enim virgo prudentissima, quod Angelus Sathanæ sæpe transfigurat se in Angelum lucis. 2. *Corinth.* 11. Et quia nimium simplex, & humilis erat, nihil tale penitus sperabat, & ideo cogitabat, qualis esset ista salutatio, quam venerabilis, quam admirabilis, quam sublimis, quam salutaris, per eam enim totus sanatus est mundus, in quo non erat a planta pedis usque ad verticem sanitas. *Isa.* 1. Intuitus Angelus Virginem dubiam, & pavidam deprehendens, consolatus est pavidam, confirmavit dubiam, ac familiariter vocans ex nomine ait. *b* Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum,] quam nemo ante te potuit invenire. Invenisti, quod Eva amiserat, invenisti, quia quæsivisti, ubi erat, scilicet, apud Deum, qui est locus gratiarum, non apud mundum, cujus gratia est fatuorum. De qua *Eccl.* 20. Gratiæ fatuorum effundentur. Sed quam gratiam invenit beata Virgo? *B. Bern.* Dei, & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Nec dicit Angelus, habet gratias apud Deum, sed invenisti, quia res habita ut propria custoditur, res inventa restituitur illis, qui amiserant. Quia igitur non sibi soli retentura erat gratiam, sed omnibus, qui eam amiserunt, restitutura, ideo dixit Angelus [invenisti,] q. d. non debes tibi abscondere, quia non est tua, sed in aperto in communi ponere, ut cujuscumque fuerit, rem suam possideat, sicut justum est. Ideo plena gratia dicta est supra, quia gratiam omnium invenit. Currant igitur peccatores ad Virginem, qui gratiam amiserunt peccando, & eam invenient apud eam humiliter salutando, & secure dicant. Redde nobis rem nostram, quam invenisti. Nec negare poterit se invenisse, quia hoc Angelus attestatur. Ait enim. *c* Invenisti, &c.] Non meruisti, non emisti, quia jam non esset gratia, sed gratis accepisti, & ideo gratiam invenisti. Alii aurum, & argentum inveniunt fodientes in terra, sicut dicitur *Baruch* 3. Qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, &c. sed Maria gratiam invenit, quam quæsivit in cœlo. Sed ne dubia permaneret Virgo, angelicæ † propositionis signum certissimum, & propinquissimum dat ei Angelus, dicens. *d* Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum,] idest, omnium Salvatorem. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. *Matt.* 1. [Ecce] adverbium est demonstrandi, quia demonstrat indemonstrabilem, invisibilem, lucem habitantem inaccessibilem, sed jam factum visibilem, & demonstrabilem. Quia verbum caro factum est in utero virginali. Dicens igitur [Ecce] incitat nos ad intuendum aliquid novum, & mirabile. Quod diu ante intuitus *Jeremias* 31. dixit. Novum faciet Dominus super terram, femina, &c. *Eccli. cap.* 36. Innova signa, immuta mirabilia. Immutata sunt mirabilia. Homo voluit fieri Deus, & Deus factus est homo. De viro facta est mulier, nunc de muliere factus est vir. Numquid non hæc mirabilia immutata, idest, in melius mutata? Sed & signa sunt innovata. Olim virga floruit, modo virgo peperit. Olim serpens æneus in palo fixus aspicientes sanabat, nunc Christus in Cruce affixus credentes sanat.

Isa. 7.

al. † Promissionis.

ta est in sermone ejus, & *a* cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei; *b* Ne timeas, Maria, *c* invenisti enim gratiam apud Deum. *d* Ecce concipies in *e* utero, & *f* paries filium, & *g* vocabis nomen ejus Jesum: Hic *h* erit magnus, & *i* filius Altissimi vocabitur. Et k dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus;

e In utero,] dicit, idest, ex causa intrinseca, non sicut aliæ mulieres, quæ recipiunt ab extrinseco, unde concipiunt.

f Et paries filium,] sine parturitione media. In aliis mulieribus parturitio media est inter conceptum, & partum. In virgine vero conceptum sequitur partus immediate. *Isa. ult.* Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus ejus, peperit masculum, quis audivit umquam tale, aut quis vidit huic simile?

g Et vocabis nomen ejus Jesum.] Hoc enim est nomen novum, quod os Domini nominavit, *Isa.* 62. In istius Jesu typo duos legimus præcessisse Jesus, quorum unus populum Israel de Babylone eduxit, alius in terram promissionis introduxit. Uterque populum suum ab hostibus defendit, sed neuter a peccatis salvavit. Hic autem Jesus & de Babylone educit, & in terram viventium introducit, & a peccatis salvat populum suum, quod magnum est. Et ideo sequitur.

h Hic erit magnus.] Et quam magnus? Ita magnus, quod.

i Filius Altissimi vocabitur,] idest, Dei patris. An non magnus, cujus magnitudinis non est finis? Et quis tam magnus sicut Deus noster: & bene dixit; [Hic erit magnus,] quia ille idem, qui erat Deus magnus, futurus erat homo magnus? Bene ergo, [Erit magnus,] magnus Deus, magnus homo, magnus Doctor, magnus Propheta, magnus Sacerdos, magnus erit, magna faciet, quia potens est, & sanctum nomen ejus. Et vere sanctum, quia filius Altissimi vocabitur. Vel ideo dicit [Erit magnus,] quia primo factus est parvus, sicut dicitur. *Isa.* 9. Parvulus natus est nobis, ut nos magnos efficeret. Et in hoc qualiter possimus magni, fieri ostendit, scilicet, si primo fiamus parvuli, sicut ipse. Quia, qui se humiliat, exaltabitur. *Infr.* 14.

h Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus,] *Beatus Bernard.* Quomodo dedit Deus sedem David patris sui, cum regnavit in Jerusalem? Quinimo turbis volentibus eum constituere Regem aufugit. *Joann.* 6. Et ante Pilatum dixit. Regnum meum non est de hoc mundo. *Joann.* 18. Sed novimus aliam Jerusalem multo nobiliorem, multo ditiorem, in qua regnavit Jesus. De qua dicitur. *Gal.* 4. Illa, quæ sursum est Jerusalem: quæ est mater nostra. Illam puto hic significatam, illo usu loquendi, quo solet poni significans pro significato. Sedes ergo David, non figurativa, sed vera, non temporalis, sed æterna, non terrena, sed cœlestis est Ecclesia militans, & triumphans, quæ utraque dicitur sedes David, quia significata per illam. Primam sedem dedit ei Deus in gentium, & Judæorum conversione. Unde & in Matthæo, & Luca super pullum, & asinam, legitur sedisse. Secundam sedem dedit ei in ascensione. De prima dicitur *in Psal. centesimo trigesimoprimo* de fructu ventris tui

Matth. 21. *Infr.* 19.

ponam super sedem

Moraliter.] Exprimitur hic ordo, & progressus hominis a statu culpæ usque ad statum gloriæ. Primo dicitur Mariæ, idest, animæ peccatrici.

Moraliter.

e Ecce concipies in utero,] per contritionem.

f Et paries filium,] per confessionem.

g Et vocabis nomen ejus Jesum,] per satisfactionem. Non enim nomen Jesu habere potest, nisi per opera satisfactionis, quibus se, & alios salvat.

h Hic erit magnus,] per famam, & bonam opinionem, 1. *Tim.* 3.

Oportet eum bonum testimonium habere ab his, qui foris sunt.

i Et filius Altissimi vocabitur.] Per discordantium pacificationem, per odientium dilectionem, per indigentium subventionem.

In his enim tribus nomen filii Altissimi obtinetur. In pacificatione discordantium.

Unde *Matth.* 5. Beati pacifici, &c. In amore odientium. Unde *Matth.* 5. Diligite inimicos vestros, ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est. In subventione oppressorum. Unde *Eccl.* 3. In judicando esto pupillis misericors ut pater, & eris velut filius Altissimi. Et post hæc bene sequitur.

k Et dabit illi Dominus Deus sedem, &c.] Quia nisi prædicta habuerit

Mich. 4.

A ponam super sedem tuam. De secunda dicitur *Isa.* 9. Super solium David, & super regnum ejus sedebit. Sed quare potius dicitur Ecclesia sedes David, quam Abraham, vel Isaac, vel Jacob, & Christus filius David potius quam Abraham, vel Isaac, vel Jacob? Credo propter tria, quæ fuerunt in David, in quibus potentissime Christum repræsentat. Primum est pietas, qua suscepit inopes, 1. *Reg.* 22. Convenerunt ad David omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps. Sic Christus. *Psal.* 9. Tibi derelictus est pauper, &c. Secundum est humilitas 1. *Reg.* 24. Quem persequeris, Rex Israel, &c. Et Christus, *Psal.* 21. Ego sum vermis, & non homo. Tertium est mansuetudo, qua sustinuit patienter contumelias Semei, 2. *Reg.* 16. Et Dominus contumelias, & blasphemias Judæorum. *Matt.* 12. In Beelzebub, &c. *Jo.* 8. Nonne bene dicimus nos, &c. Quartum est, quod David fuit Rex, & Propheta, sic Christus, quod non alii. *a* Et regnabit in domo Jacob,] idest, in familia Jacob quæ est congregatio electorum, in quibus regnat hic per gratiam, in futuro per gloriam. Per hoc etiam quod dicitur [in domo] notatur paucitas, quia multi vocati, pauci vero electi, sed tamen regnum ejus manebit in æternum. *b* Et regni ejus non erit finis.] *Isa.* 9. Pacis ejus non erit finis. *Dan.* 7. Potestas ejus potestas æterna. *B. Bern.* Beati, in quibus regnabit Jesus, quia & ipsi cum eo regnabant, & regni eorum non erit finis. O quam gloriosum est regnum illud, in quo reges congregati convenerunt in unum ad laudandum, & glorificandum eum, qui super omnes est, Rex Regum, & Dominus Dominantium, de ejus splendidissima contemplatione fulgebunt justi, sicut Sol in regno patris eorum, *Matt.* 13.

D

a & regnabit in domo Jacob in *b* æternum, & *c* regni ejus non erit finis. Dixit *d* autem Maria ad Angelum. *e* Quomodo fiet istud, quoniam virum *f* non

Moraliter. A dicta habuerit quis, non debet in prælationem promoveri. Sicut illi, de quibus *Osee* 8. Regnaverunt, & non ex me.

a Et regnabit in domo Jacob in æternum,] non supra domum. 1. *Pet.* 5. Non quasi dominantes in clero. *Eccl.* 32. Rectorem te posuerunt, &c. Sed quomodo dicit [in æternum] cum omnis prælatio sit cessatura in futuro. Unde 1. *Cor.* 15. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & patri, cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Sed in prælatione duo sunt, honor, & onus. Bonis Prælatis, qui onus æmulantur, non honorem, tolletur onus, & remanebit honor æternus. E contrario malis, qui æmulantur honorem, & non onus, tolletur honor, & remanebit onus. Unde *Ezech.* 21. Profane impie dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita, hæc dicit Dominus Deus, aufer Cidarim, tolle coronam. Et ita etiam cessabit, & remanebit prælatio & bonis, & malis. Propter hoc dicit Salomon *Prov.* 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, &c. Non enim habebis jugiter potestatem, sed corona tribuetur tibi in generatione, & generationem. Si bonus fuisti, corona gloriæ, & honoris, de qua *Ecclesi.* 32. Rectorem te posuerunt, &c. Et *inf.* Curam illorum habe, ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipies coronam, & dignitatem consequeris congregationis. Si malus fuisti, coronam ignominiæ, & tribulationis, de qua *Isa.* 22. Coronans coronabit te tribulatione, &c. Sequitur. *c* Et regni ejus non erit finis.] Hic est fructus, & finis fidelis administrationis, ut in perpetuum regnet cum Domino, qui sibi fideliter ministravit. *Joan.* 12. Si quis mihi, non sibi ministraverit, me sequatur, & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Et notantur hic quatuor circa bonum prælatum. Canonica electio, ibi [Et dabit illi Dominus] Electi humilitas, ibi [Sedem David.] Regiminis dignitas, ibi. [Et regnabit in domo Jacob.] Laboris utilitas, ibi [Et regni ejus non erit finis.] *d* Dixit autem Maria ad Angelum,] Sicut dicit auctoritas *Bedæ*, verecundia soror est continentiæ, & adeo fideles sorores sunt, ut plerumque malit utralibet damnum proprium incurrere, quam sororis suæ incommodum sustinere. Semper tamen verecundia cedit continentiæ. Unde Susanna timens continentiæ periculum, verecundia cedente clamavit. *Dan.* 13. Sic & virgo Maria audito virginitatis periculo, idest, quod mater deberet fieri, rupto verecundiæ fræno præmeditata diu, nec modum reperiens, quomodo hoc posset fieri salvo virginitatis proposito, non de re dubitans, sed de modo, dixit ad Angelum. *e* Quomodo fiet istud.] *Gl.* ut concipiam, & pariam, quæ permanere in virginitate disposui. Unde dicit. *f* Quoniam virum non cognosco.] *Gl.* Liquet ergo, quod faciendum credit, quæ, quomodo fieret, quæris. Nec dubitabat virginem parituram. Legerat enim *Isa.* 7. Ecce virgo concipiet, &c. Sciebat quoque, quod impleri oportebat, quod ab Angelo audierat, sed quomodo fieret, non legerat, nec ab Angelo audierat, quo ordine impleri debeat, ideo requirit, quia hoc mysterium a sæculis absconditum, a prophetis non prædictum, Angelo est revelatum. Et ideo dicit ad Angelum. [Quomodo fiet istud.] In quo verbo satis servavit verecundiam, si quis advertat, cui, quid, ubi, quantum, quoties, quando, & quomodo sit locuta. Cui? Non cuilibet, sed Angelo. Ubi? In conclavi. Non enim debet mulier in publico loqui, sed tacere, & domi virum interrogare. 1. *Cor.* 14. Quoties? Septies. Quantum? Breviter. Bis locuta est Angelo, & utrobique breviter. Quomodo fiet istud. Et ecce ancilla Domini, &c. Bis Elisabeth. Primo salutando, postea in laudem Domini prorumpendo, Magnificat anima mea Dominum, &c. Bis filio. Semel in templo. Fili, quid fecisti, &c. Semel in nuptiis. Vinum non habent. Septimo locuta est ministris. Facite, quæcumque dixerit vobis: In nullo verbo dicitur effluxisse nisi in cantico. Sic mulier raro, & domi breviter loquatur, nisi in oratione, & divinæ laudis confessione. Tempus locutionis invenies si advertis, tarde, bis interrogata, diu præmeditata respondit. Quam invite præveniret virum loquendo, vel iret ad eum loqui, quæ ne Angelo venienti ad se, & salutanti, & bona promittenti, & ideo bis allocuto eam vix acquievit loqui unum verbum. In quo quies, & taciturnitas proponitur mulieribus æmulanda. *Eccl.* 32. Audi tacens, & pro reverentia accedes tibi bona gratia. Erubescat igitur mulier Salomonis, & ei similes. Garrula, & vaga, &c. *Prov.* 7. In modo etiam loquendi servanda est verecundia, ut tacite, non clamose loquatur mulier; sive respondens, sive quærens. 1. *Tim.* 2. Docere autem mulieri non permitto, &c. Tolerabile est autem verecundiæ detrimentum, tum propter castitatis periculum, tum propter devotionis affectum, tum propter divini amoris augmentum. Ex quo Maria jam amplius non valens silere. Dixit ad Angelum, [quomodo fiet istud.] Et nota, infirmus animus sic solet ad laudes proprias extolli, sicut pavo, sic ad magnas promissiones inani lætitia dissolvi, ut Sara. *Gen.* 18. Vel suæ infirmitatis conscias, de promissionis magnitudine dubitare, ut Zacharias. Maria vero super omnes est, quia nec ad laudem elata est, sed turbata, nec ad magnam promissionem inaniter risit, nec infideliter hæsitavit, sed modum, & ordinem prudenter interrogavit. *Eccl* 32. Audi tacens simul, & quærens. Audire fidei est, quia ex auditu fides, *Rom.* 10. Tacere spei. *Isa.* 30. In silentio, & in spe erit fortitudo vestra. Quærere charitatis, quia garrula res amor est. Sed quia prudens erat virgo, non solum quid loqueretur attendit, sed cui, & quid deceret eam loqui, consideravit. Ideo bene dicitur. *d* Dixit autem Maria ad Angelum] non illa, vel illi, q. d. ut Maria, & ut ad Angelum locuta est. Decebat enim Mariam breviter, & tacite loqui, & propositam continentiam protestari, maxime ubi ejus periculum videbatur imminere. Item ut ad Angelum quem interrogari breviter quasi sapientem oportebat. *Eccl.* 6. si videris sensatum, evigila ad eum. Sic mulier Samaritana sciens Jesum esse prophetam quæsivit. *Joan.* 14. Et Maria sciens esse Angelum Domini dixit. [Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.] *Eccl.* 19. Qui cito credit, levis est corde. Eva levis fuit corde, quia cito credidit, nec verbum, nec loquentem discutiens facile consensit. Quippe duplici funiculo trahebatur, quia promittebatur sublimitas, suadebatur voluptas, ad quæ homines facile inclinantur. Sed Maria neutrum voluit, quia humilis, & virgo fuit, sed utilitatem non solum propriam, sed communem desiderans prudenter quæsivit, [quomodo fiet istud] quod tu dicis, ut virgo concipiam, & pariam filium. *Int.* Ecce tangit, quod ipsa voverat castitatem, &c. [Quoniam virum non cognosco,] idest, me non cognituram proposui, & in proposito persevero. Felix propositum istud, in quo firmitas convenit puritati. Nam quantumlibet pura fuerit deliberatio, minus habet, si defuerit fortitudo, & consilii firmitas. Ubi non est puritas, non virtutis obtinet gratiam sed obstinationis incurrit offensam. Sed beata Virgo utrumque habuit, & propositi puritatem, & consilii firmitatem. *Prov. ult.* Fortitudo, & decor indumentum ejus. Decor in proposito continentiæ, fortitudo in consilii firmitate. *Cant.* 7.

mitate. *Cant.* 7. Collum tuum sicut turris eburnea. Collum Ecclesiæ, caput jungens corpori, est beata Virgo, turris propter firmitatem, eburnea propter castitatem. Nota, B. Virgo non in proprio studio commentata est, quomodo fieret mater Dei, sed credens, quod omnia possibilia sunt apud Deum, quærit modum, *Prov.* 12. Qui confidit in cogitationibus suis, impie agit. Item 28. Qui confidit in corde suo, stultus est. Sicut enim proni sunt sensus hominis in malum, ita cogitationes in errorem. *Pr.* 25.

cognosco. Et *a* respondens Angelus, dixit ei: *b* Spiritus sanctus *c* superveniet in te, *d* & virtus Altissimi *e* obumbrabit tibi. Ideoque & quod *f* nascetur *g* ex te *h* Sanctum, vocabitur *i* filius Dei. Et *k* ecce Elisabeth

Eccl. 8.

Gloria Regis est investigare sermonem, i. interrogare non commentari. Exemplum de Eremita, qui ivit, ut interrogaret, & habuit Angelum obvium, qui docuit eum, quod primo per se non potuit invenire, *Eccl.* 8. Non te prætereat narratio seniorum, &c. Nota hic tria circa Mariam matrem Jesu, quæ debent esse in Prælato, qui & debet Jesum primo concipere in se bene vivendo, & postea parere aliis prædicando. *Gal.* 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Primum est magnanimitas fidei in credulitate promissi, secundum prudentia in interrogatione modi, tertium stabilitas in firmitate propositi, *Matt.* 24. Quis putas est fidelis servus, & prudens, &c. 1. *Paral.* 12. Viri fortissimi, & optimi pugnatores tenentes clypeum, & hastam, facies eorum quasi facies leonis, & velociores quasi capreæ in montibus. In leone magnanimitas, in caprea prudentia per fortissimi stabilitas designatur. Igitur nec parvuli, i. insipientes, nec senes, i. pusillanimes, nec mulieres, i. instabiles sunt apti ad bellum Domini, i. ad prælationem. De primo dicitur *Ezech.* 1. Sancta animalia erant plena oculis ante, & retro. De secundo *Eccl.* 7. Noli quærere fieri Judex, nisi, &c. i. nisi sis magnanimus. De tertio 2. *Paral.* 10. Confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos. Qui ergo parvulus, vel senex, vel mulier fuerit, si vocetur ad hoc, ut fiat mater Jesu, i. ad prælationem, vel ministerium, dicat secure. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, i. viri proprietates non habeo, sc. magnanimitatem, prudentiam, stabilitatem. *Isa.* 3. Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite me constituere Principem populi. Sequitur. *a* Et respondens Angelus dixit ei.] Dixerat Angelus Virginem parituram filium, quæ sui propositi, conscia, & divinæ potestatis non ignara, rem non dubitans, sed modum nesciens, dixit. [Quomodo, &c.] Et respondens Angelus de modo certificavit, & hoc est.] Respondens, &c. *b* Spiritus sanctus,] i. gratia Spiritus sancti. Et idem intelligitur per hoc, quod sequitur. [Et virtus Altissimi, &c.] Unde dicit *Gl.* Spiritus nomen est omnis gratia, quæ a Deo inspiratur. Ideo merito quærit *B. Bern.* Superius dicta est, gratia plena, & nunc quomodo dicitur. Spiritus sanctus superveniet in te. Numquid potuit impleri gratia, & nondum habere Spiritum sanctum, cum sit ipse dator gratiarum? Si autem jam inerat, quomodo superventurus noviter repromittitur? An forte, ideo non dixit simpliciter [veniet] sed addit [super] quia & prius quidem inerat per multam gratiam, sed nunc superventurus nunciatur propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusurus est super illam? Sed cum plena jam sit, quomodo illud amplius capere poterit? Sed prior gratia mentem ejus tantum repleverat, sequens etiam ventrem replevit. *b* Spiritus sanctus.] *Chr.* exponit de filio Dei. *Joan.* 4. Deus Spiritus est. *Thr.* 4. Spiritus oris nostri, &c. *c* Superveniet in te.] Hoc dicitur ad differentiam mali spiritus, qui venit desubter. *Inf. ult.* Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? *Isa.* 54. Rorate coeli desuper. *d* Et virtus Altissimi] i. Spiritus sanctus, sive gratia Spiritus sancti. *e* Obumbrabit tibi,] i. refrigerabit te, fomitem extinguendo. Unde *Gloss.* Superveniens spiritus, in Virginem, & mentem illius a sorde vitiorum castificavit. Et nota, quod potest esse intransitio, ubi dictum est, a sorde vitiorum, i. a vitiis, quæ sunt sordes, vel transitio, ut sit sensus, a sorde, i. a fomite vitiorum. Unde dicit *Interl.* contra omnia incentiva vitiorum. Item [Obumbravit] contra omnem tribulationem protegendo. Unde *Glos.* Abscondet te in Ægyptum fugiendo. Et non est adhærendum verbo, quasi eam tantum in Ægypto protexerit, quia positum est pro exemplo, & est metaphora, quia sicut umbraculo tegitur aliquis a calore Solis, ne ei noceat, sic gratia Spiritus sancti Virginem protexit ab omni infestatione. Unde *Interl.* Dabit tibi umbram contra omnem tribulationem. Item [Obumbrabit tibi] non lædendo, sicut umbra nec lædit, nec gravat, sed refrigerium præstat. *Beda.* Virtus vegetans umbra refrigerans, Spiritus eam foecundavit, virtus a corruptione servavit. Item [obumbrabit tibi] i. de carne tua corpus quasi umbraculum sibi contemperabit. Item [obumbrabit tibi,] i. te, vel carnem sumptam in te in umbraculum Ecclesiæ præparabit. Item [Obumbrabit tibi] i. secretam hanc generationem te sola conscia operabitur. Unde *B. Bern.* Illi soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicatur igitur. *d* Et virtus Altissimi obumbrabit tibi] i. illum modum, quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus, & Dei sapientia Christus sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget, & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur, & tibi. Item [Obumbrabit tibi] i. in objectione carnis umbram faciet tibi, ut possis sustinere lumen divinitatis. *Gloss.* Virtus Altissimi obumbrabit tibi, dum incorporea lux divinitatis corpus in ea suscepit humanitatis, ut sic posset Deum pati, q. d. aliter non posse. Unde nota, quod umbra corporis solet fieri aliquo corpore interposito luminoso, veluti cum aliquod corpus objicitur corpori luminoso. Sic caro de Virgine assumpta objecta est, quasi nubes luci divinæ, & hæc objectio facta est opere Spiritus sancti, & ita obumbrabit Virginem, quia sine hac obumbratione non posset eum sustinere. Unde *Isa.* 33. quis poterit habitare de vobis cum igne devorante, aut, quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? *Hent.* 4. *Deut.* 12. Deus noster ignis consumens est, *Matth.* 17. Pater in nube apparuit, quæ habet umbram contra splendorem, refrigerium contra ardorem. Sequitur. *f* Ideoque & quod nascetur] utraque nativitate, sc. in utero in conceptu, & ea utero, sc. in partu. *g* Ea te] sola. *Jerem.* 31. Novum creavit Dominus super terram, &c. *h* Sanctum] *Glos.* Quia non per virilem coitum. Item [sanctum] ad differentiam aliorum, quia omnes nascuntur non sancti, sed filii iræ. *Eph.* 2. *Isa.* 1. Blasphemaverunt sanctum Israel, *Isa.* 47. Redemptor noster Dominus exercituum nomen illius sanctus, vel sanctus Israel, *Jer.* 13. Suscitabo David germen justum. Omnes tibi immundi sunt in germine. *B. Bern.* Attende, quam reverenter dixerit Angelus, quod nascetur ea te sanctum. Ut quid enim ita simpliciter dixit, sanctum, absque additamento? Credo, quia non habuit, quid proprie, digneve nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima Virginis carne, cum sua anima unigenito Patris erat uniendum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans, quicquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite, sanctum, quia quicquid illud sit, quod virgo genuit, sanctum procul dubio, ac singulariter sanctum fuit, & per Spiritus sanctificationem, & per verbi assumptionem, & per aliorum sanctificationem. *i* Vocabitur filius Dei] & filius tuus, ut non sint duo filii, sed unus amborum filius. Et hæc est singularis prærogativa Mariæ, quod eumdem filium habere meruit cum Deo patre communem, ut dicit *B. Bern.* *Isa.* 7. Ecce Virgo concipiet, &c. Sequitur. *k* Et ecce Elisabeth] Dixerat Angelus Virgini, quod conciperet, & pareret, & modum pariendi expresserat. Sed ne virgo de partu, i. de modo pariendi desperaret, accipit exemplum sterilis, & anus parituræ, ut discat omnia Deo possibilia, quæ ordini naturæ videntur contraria. Et hoc est, quod dicit [Ecce Elisabeth, &c.] ecce notat tria, admirationem, testificationem, manifestationem. Et quærit *B. Ber.* Quare conceptus Elisabeth Virgini nunciatur, numquid ut dubiam adhuc, & incredulam oraculo, recentiori confirmaret miraculo? Absit, sed ideo conceptus sterilis Virgini nuntiatur, ut dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Et hæc eadem ratio est *B. Ambrosii in Glos.* Dicit enim: Credenti quæ audierat ampliora replicat miracula, &c. Et tenetur hic ampliora additive non comparative. Secunda ratio est, quia decebat, ut verbum mox divulgandum ubique prius sciret Virgo per Angelum, quam audiret ab homine, ne mater Dei a consiliis filii videretur amota, si eorum, quæ tam prope gererentur in terris, remansisset ignara. *Gen.* 18. Num celare potero Abraham, &c. *Amos* 3. Non faciet Dominus Deus verbum, nisi prius revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas, multo fortius matri suæ. Tertia ratio est, ut dum nunc Salvatoris, nunc præcursoris edocetur adventum rerum tempus, & ordinem tenens, ipsa melius postmodum

scriptoribus,

Apoc. 4. *Is.* 4. *Beda.*

scriptoribus, & prædicatoribus Evangelii referet veritutem. Unde *inf.* 2. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Quarta ratio est, ut audiens cognatam vetulam gravidam, juvencula cogitet de obsequio ei imponendo: in hoc etiam instruit nos Angelus, quod bonum unius debet alteri nunciari, ut communiter gratias agant, & communiter gaudeant, & mutuo se juvent. *Prov.* 18. Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. Quinta ratio est, ut non dedignetur major a minori doceri. Unde 1. *Cor.* 14. Si aliquid revelatum fuerit sedenti, i. minori, prior taceat. Sexta ratio *Bedæ* est, ut magis confirmaretur exemplo novo, & hoc tangitur *in glossa illa*. Ne virgo desperet de partu, &c. *a* Cognata tua.] Sed quomodo cognata, cum Maria sit de Tribu Juda, & Elisabeth sit uxor sacerdotis? Et ita videtur, quod fuerit de Tribu Levi, quia *Num. ult.* prohibetur tribuum commissio. Solut. Hæc prohibitio fuit propter possessionum confusionem, sed Levi non habuit possessionem, ideo poterat contrahere matrimonium cum aliis tribubus. Unde etiam sicut dicit *Glos. Bedæ*, legimus *Exod.* 6. Quod Aaron, qui erat de Tribu Levi accepit uxorem de Tribu Juda, Elisabeth filiam Aminadab sororem Naason. Et 2. *Paralip.* 22. Josabeth erat filia Regis Joram uxor Jojadæ Pontificis.

a cognata tua, *b* & ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic *c* mensis est *d* sextus illi, quæ *e* vocatur sterilis, quia non *f* erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit *g* autem Maria: *h* Ecce *i* ancilla Domini, fiat mihi secundum ver-

Moraliter. Moraliter.] Elisabeth cognata Mariæ, idest, timor fidei, *Eccl.* 1. Qui addit scientiam, addit & dolorem. *b* Et ipsa concepit filium in senectute sua,] quæ non tam numero dierum, quam maturitate virtutum computatur, *Sap.* 4. Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani autem sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. *c* Et hic mensis,] idest, Martius. *d* Est sextus illi] sc. a conceptione illius. *e* Quæ vocatur sterilis.] Supra videtur contrarium, & ibi solutum est. *f* Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum,] idest, nullum verbum erit impossibile apud Deum, idest, nulla res digna verbo. Simile *Isa.* 39. Non fuit res, quam non ostenderim eis in thesauris meis. Quare ergo non dixit Angelus: Non erit impossibile apud Deum omne factum? *B. Bern.* ut ostenderet, quia soli Deo idem est facere quod loqui, idem loqui, quod velle. Unde *Ps.* 148 Ipse dixit, & facta sunt. Quale igitur verbum poterit impossibile esse ei, qui omnia creavit in verbo? *Ps.* 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, &c. Merito non erit impossibile apud Deum omne verbum. *B. Bern.* Quia apud eum nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est, nec modus a facto, quia sapientia est, ac per hoc non erit impossibile apud Deum omne verbum? *Genes.* 18. Numquid Deo quicquam est difficile? *Jerem.* 32. Numquid mihi difficile erit omne verbum? Vel ideo dixit: [Omne verbum] & non omnis res, quia non solum res aliqua, quæ fit, non est ei impossibilis, sed etiam nec aliqua, quæ possit verbo significari. *g* Dixit autem Maria] ad Angelum. Hucusque audivit virgo factum, audivit & modum, utrumque mirum, utrumque jucundum, propter quod dicitur ei *Soph.* 3. Lauda, filia Sion, jubila, filia Jerusalem. *B. Bern.* Quoniam auditui tuo datum est gaudium, & lætitia, audiamus & nos responsum tuum, quod desideramus, ut jam exultent ossa humiliata. Expectat Angelus responsum tuum, tempus enim est, ut revertatur ad Deum, qui misit eum. Expectamus, & nos o domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium nostræ salutis, statim liberabimur, si consentis in sempiterno Dei verbo, facti sumus omnes, & ecce morimur, in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat ad te, o pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua, exul de paradiso, hoc Abraham, hoc David, hoc ceteri flagitant Sancti patres tui, qui & ipsi habitant in regione umbræ mortis, hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat, hoc Angelorum chori. Unde *Cant.* 8. Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam. Nec immerito, quoniam ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam. Da, Virgo, responsum festinanter, o domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & superi: Ipseque omnium Rex, & Dominus, quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat, & responsionis assensum, in qua nimirum proposuit salvare mundum, & cui placuisti in silentio jam magis placebis in verbo, cum ipse clamet e cœlo. O pulcherrima inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem tuam.

Numquid non est hoc, quod quærebas, quod gemebas, quod diebus, ac noctibus orando suspirabas? Quid igitur? tu es, cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Imo tu ipsa es, non alia, tu, inquam illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Jacob morti appropinquans, vitam sperabat æternam, cum dicebat: Expectabo salutare tuum, Domine. *Gen.* 49. Quid ab alia speras, quod tibi offertur? Responde verbum, & suscipe verbum, profer tuum, & concipe divinum, emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Quid tardas? quid trepidas? Crede, confitere, & suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenus convenit nunc ut virginalis simplicitas obliviscatur prudentiam. In hac sola re, ne timeas, prudens Virgo, præsumptionem, quia etsi grata in silentio verecundia fuit, magis tamen nunc in verbo pietas necessaria est. Aperi ergo, B. Virgo, cor fidei, labia confessioni, viscera creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium. O si te immorante pertransierit, & rursus incipias dolens quærere, quem desiderat anima tua. Surge igitur, curre, aperi. Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per confessionem. Ecce inquit ancilla tua, fiat mihi secundum verbum tuum. Ecce humilitas respondet, ut sedes gratiæ præparetur, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Jac.* 4.

h Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum] *Isa. cap.* 45. Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Ros invisibilis est gratia, quæ ante Angeli missionem Mariam illustravit. Sed nubes justum pluit, quando Angelus incarnandum filium nunciavit. Terra se aperuit, quando Maria consensit. Et Salvatorem germinavit, quando concepit. In hoc, quod dicit: Ecce, notatur prompta obedientia. [Ancilla] vero perfectæ humilitatis nota est. Quæ enim major humilitas, quam quæ mater Dei eligitur, ipsa se ancillam nominat? *B. Bern.* Non est magnum esse humilem in objectione, magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata, *Eccl.* 43. Luminare quod minuitur in consummatione. Nota quatuor sunt in bona ancilla, quæ fuerunt in Beata Virgine. *Quatuor sunt in bona ancilla.* Prompta, humilis, obediens, prudens. Prompta fuit Virgo beata, unde dixit [Ecce] In quo reprehenditur tarditas nostra, quia tota die audimus verbum Angeli, idest, prædicatoris, & numquam dicimus [Ecce] 1. *Reg.* 3. Vocavit Dominus Samuel, qui respondens ait: Ecce ego. Item humilis fuit, unde dixit. [Ancilla Domini] In quo reprehenditur superbia multorum, qui de gratia sibi data superbiunt, & inflantur *Judæ* 1. Impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam. Item obediens fuit, Unde dixit. *i* Fiat mihi secundum, &c.] non meum. In quo multorum inobedientia reprehenditur, qui in eis, quæ sibi placent, obediunt, in aliis murmurant, quibus oportet dicere, sicut Dominus dixit cæco. *Marc.* 10. *Inf.* 18. Quid tibi vis faciam? Item prudens fuit, quod notatur per tria. Primo, quia cognovit de verbis Angeli illud, quod melius erat, sc. Dominus tecum. Unde dixit: Fiat mihi secundum verbum tuum, non meum. Secundo, quia scivit, quid inde sequebatur, sc. sua beatificatio. Unde. Ecce enim ex hoc beatam me dicent, &c. Tertio, quia prævidit in se totum mundum gavisurum. Unde. Omnes generationes, non una tantum, 1. *Reg.* 25. Misit David, & locutus est ad Abigail, ut acciperet eam sibi in uxorem, quæ consurgens adoravit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit in ancillam. [Fiat mihi secundum verbum tuum] cum magna devotione Angeli promissum optat impleri. *Aug. in lib. de virginitate.* Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. *B. Bern.* Fiat mihi secundum verbum tuum, non secundum meum desiderium. Non enim auderet hæc virgo petere, ut fieret mater Dei. Fiat mihi, inquit, non ad me. Multifarie quippe, multisque modis olim Deus locutus est patribus, & aliis quidem in aure, aliis in ore, aliis etiam in manu verbum Domini factum fuisse memoratur. Mariæ autem etiam factum est in aure per Angelicam salutationem, in corde per fidem, in ore per confessionem, in manu per contrectationem, in ventre per incarnationem

in

in gremio, per sustentationem, in brachiis, per oblationem. Ideo dicit: [Fiat mihi secundum verbum tuum,] non declamatorie prædicatum, aut † figuraliter figuratum, aut imaginaria somniatum, sed simpliciter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter invisceratum. Fiat quidem generaliter omni mundo; sed specialiter fiat mihi secundum verbum tuum. Unde *B. Bern.* [Fiat,] verbum est orationis: Nemo quippe orat, nisi quod credit, & sperat. Vult autem a se requiri Deus etiam, quod pollicetur; & ideo forte multa, quæ dari disposuit, prius pollicetur, ut ex promissione devotio excitetur; sic patet, ut quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Item *B. Bernard.* Fiat obsecro mihi verbum, non prolatum, quod transeat, sed conceptum, ut maneat carne indutum, non aere formatum. Fiat inquam mihi verbum, non tantum audibile auribus, sed etiam visibile oculis, & palpabile manibus, & gestabile humeris. Sequitur.

al. † singulariter.

bum tuum: Et *a* discessit Angelus ab illa. *b* Exurgens autem Maria in *c* diebus illis, *d* abiit in *e* montana cum *f* festinatione in *g* civitatem Juda, & *h* intravit in domum Zachariæ, *i* & salutavit Elisabeth. Et *k* factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus. Et *l* repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & *m* exclamavit voce magna, & *n* dixit; *o* Benedicta tu † inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui,

al. † In mulieribus.

a Et discessit Angelus ab illa,] consummato officio sibi injuncto. In quo constantiam nobis commendavit Angelus, & perseverantiam, *Matth.* 10. Qui perseveraverit usque in finem, &c. Sequitur.

b Exurgens autem Maria, &c.] quibus conceperat Jesum, & audierat cognatæ conceptum, & intellecto quare et Angelus nunciaverat conceptum Elisabeth.

d Abiit in montana,] pluraliter, quia Jerusalem est in montanis. Nec retardat eam asperitas itineris.

e Cum festinatione,] *Glos.* Propter gaudium. Vel quia non gaudet diu in publico videri. Unde satis patet, quod non gaudet de diuturna frequentia, quia sola festinabat in montana.

g In civitatem Juda,] idest, in Jerusalem, sicut vult *Beda in Gl.* super illud; Cum factus esset Jesus annorum duodecim, &c. *Inf.* 2. ubi dicit sic: Merito Lucas, &c. Et *inf.* Mariam concepto Domino Jerusolymam mittit ad domum Pontificis, idest, Zachariæ, &c.

h Et intravit, &c.] *Glos.* Ut grandævæ prægnanti juvencula deserviret.

i Et salutavit Elisabeth,] quasi congratulans de dono, quod eam accepisse didicerat.

Moralit.

Moraliter.] Maria concipit Jesum, cum anima pœnitens, dolens concipit bonum propositum, & salubre. *Isa.* 26. A facie tua concepimur, & quasi parturivimus spiritum salutis.

b Exurgens] a peccato, a torpore, *Isa.* 52. Consurge, consurge, *Eph.* 5. Surge qui dormis, & exurge a mortuis. *Prov.* 6. Usquequo piger dormis, quando consurges e somno tuo. *c* In diebus illis,] statim post salubris propositi conceptionem, *inf.* 21. Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.

d Abiit,] propositum in opus perducendo, *Joan.* 5. Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

f Cum festinatione,] *Prov.* 4. currens non habebis offendiculum, &c. *Eccles.* 5. Ne tardes converti ad Dominum, *Gen.* 18. Dicitur Saræ, Accelera, tria sata similæ commisce. Et *inf.* Ipse cucurrit, & tulit, &c. Et puer festinavit, & coxit. *Origenes.* Non est piger in domo sapientis.

e In montana,] ad vitæ altitudinem, *Gen.* 19. Ne stes in omni loco circa regione, sed in monte salvum te fac.

g In civitatem Juda,] idest, in claustrum, quod est civitas confitentium peccata, & laudes Domino, *Eccl.* 10. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. *h* Et intravit in domum Zachariæ,] ut serviret Elisabeth, mater regis matri militis: In quo dedit nobis humilitatis exemplum, *Matth.* 10. Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. 1. *Cor.* 9. Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Ob hoc Papa vocat se servum servorum Dei. Item domus Zachariæ senis, & muti, est domus infirmorum, ad quam debent ire fortiores, & sani fratres, ut infirmis ministrent. *Isa.* 40. Fœtas ipse portabit.

i Et salutavit Elisabeth,] bono proposito alterius agaudendo, *Eccl.* 41. Erubesce a salutantibus de silentio, *Glossa*. Hinc discant sanctæ mulieres, quam sedulitatem prægnantibus debeant exhibere cognatis. Væ ergo illis, qui prægnantes spiritualiter faciunt abortiri, & pravis consiliis suffocant partum in utero, *Amos* 1. Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor non convertam eum, eo quod dissecuerit prægnantes Galaad. *Exod.* 12. Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum fecerit, ipsa autem supervixerit, subjacebit damno, quantum maritus ejus expetierit.

Item [Salutavit] intus in domo. Nam qui extra vagantur indigni sunt salutatione Mariæ, *Inf.* 10. Neminem in via salutaveritis. *Amos* 5. In cunctis, quæ foris sunt, dicetur væ, væ. Ambitiosi amant salutationes forenses. Unde *Matth.* 23. Amant salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Esau, quia foris erat, amisit benedictionem paternam. *Gen. cap.* 25. Sequitur.

k Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus.] *Glos.* Quia sensit adventum Domini. Qui sicut illa Mariæ, sic iste adventum Domini sensit. Et quia lingua non poterat, animo exultante salutat, & suæ præcursionis officium inchoat. Unde sic satis apparet, quod Angelus dixerat de ipso. Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.

Supr. mod. moraliter.

Moraliter.] Notatur in hoc, quod solet dici: Virtus laudata crescit. Quando enim aliquis habet bonum propositum, & commendatur ab aliquo, ipsum propositum roboratur. Infans enim in utero, est bonum propositum in animo, qui exultat, quando ab alio commendatur.

l Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth,] ad vocem salutationis Mariæ: Ideo salutanda est frequenter, ut in ejus salutatione gratia repleamur. De ipsa enim specialiter dictum est: Diffusa est gratia in labiis tuis. Unde gratia ex labiis ejus fluit.

Psalm. 44.

m Et exclamavit voce magna.] *Glos.* Non tam clamosa, quam devota. Devotio clamor est: Nam *Exod.* 14. Moyses; & *Dan.* 13. Susanna, & 1. *Regum* 1. Anna sine voce clamaverunt. Unde non clamor, sed amor clamat in aure Dei. [Exclamavit,] autem, idest, ex pleno clamavit. Repleta enim tacere non potuit, *Mat.* 12. Ex abundantia cordis os loquitur.

n Et dixit] quæ sequuntur. *o* Benedicta tu in mulieribus,] idest, inter mulieres, & super mulieres. Inter, quia mulier sexus fragilitate. *Joan.* 2. Quid mihi, & tibi est mulier? Et 19. Mulier, ecce filius tuus. Super, quia virgo cum fecunditate, & mater cum virginitate. Item non solum benedicta inter mulieres, quia hoc parum videtur, sed inter benedictas majori benedictione insignis, *Eccl.* 24. In multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur.

Item [Benedicta tu] singulariter, quia præ omnibus prolis nobilitate glorificata, quia filium Dei genuit, & multitudine prolis fœcundata, quia in unico filio suo mater effecta est specialiter omnium electorum, quorum primogenitus Christus. Unde *inf.* 2. Peperit filium suum primogenitum. Tria vero fuerunt in ea, propter quæ specialiter benedicta. Primum est humilitas: quia se vacuam ostendit, & ideo impleri meruit. Unde dictum est ei: Ave, gratia plena. Secundum est solitudo, quia frequentias hominum fugit, propter quod Dominum comitem habere meruit. Unde dictum est: Dominus tecum. Tertium est virginitas cujus amore hominum maledicta contempsit: & ideo dicitur *supr.* & *hic* [Benedicta.] Benedicitur ab Angelo, quia triumphantem Ecclesiam reparavit. Benedicitur ab Elisabeth, quia Ecclesiam militantem jam fere mortuam suscitavit. Nos etiam si volumus a Domino benedici, hæc tria custodiamus: Humilitatem, ut gratia repleamur. *Inf. eodem.* Esurientes implevit bonis.

Item solitudinem, ut Dominum comitem habeamus, *Exod.* 3. legitur, quod Moyses solus erat, quando Dominus apparuit ei: Et Agar *Gen.* 16. Et Elias 3. *Reg.* 19.

Item castitatem, cujus amore debemus contemnere maledicta hominum, ut a Domino benedicamur. 3. *Ps.* 108. Maledicent illi, & tu benedices.

p Et benedictus fructus ventris tui.] De quo *Ps.* 131. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Et alibi. *Ps.* 84. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra, i. Maria, dabit fructum suum, i. sibi congruum, sc. benedicta, benedictum, sicut terra maledicta in opere Adam fructus

ctus parturis maledictus. *Gen.* 3. Maledicta inquit terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi. Et maledicti sunt, qui fructus hujuscemodi maledictos præponunt fructui benedicto. E contrario benedicti sunt illi, qui aliam mercedem non quærunt nisi esum hujus fructus, Unde *Ps.* 126. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini alii merces fructus ventris. *B. Bern.* Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui: Sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Et vere benedictus fructus ventris tui; in quo benedicti sunt omnes gentes. Dicitur benedictus vir, benedictus panis, benedicta mulier, benedicta terra, vel si quid tale in creaturis benedictum esse memoratur: Sed singulariter benedictus fructus ventris tui: cum sit super omnia benedictus Deus in secula, *Rom.* 9. Benedictus ergo fructus ventris tui: Benedictus in odore, benedictus in valore, benedictus in sapore, benedictus in specie. Et certe hujus fructus odoriferi fragrantiam sentiebat Isaac, cum dicebat: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: *Gen.* 27. Valorem hujus fructus noverat David cum dixit: *Psal.* 116. Filii merces fructus ventris. De sapore gustaverat & ipse, cum dixit: *Psal.* 33. gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Et alibi: *Ps.* 30. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, &c. Et Petrus 1. *Pet.* 2. Si tamen gustastis, quoniam suavis est Dominus. Et ipse fructus invitans ad se, de se ait: Qui edunt me, adhuc esurient, &c. *Eccl.* 24. Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat: qui gustatus semel magis excitat appetitum. Bonus fructus est, qui animarum esurientium, & sitientium justitiam & esca, & potus est. Audivimus de odore, & valore, & sapore fructus audiamus, & de specie, *Psal.* 49. Ex Sion species decoris ejus. Et alibi: *Psal.* 44. Speciosus forma præ filiis hominum, Nota, salutationem beatæ Virginis pro majori parte Angelus, pro minori Elisabeth fecit, quia acceptior est illi laus castorum, quam conjugatorum, & etiam ipsi filio, *Ap.* 14. Et nemo poterat dicere canticum istud, nisi illa centum quadragintaquatuor milia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Sequitur.

Et *a* unde *b* hoc mihi, ut *c* veniat mater Domini mei *d* ad me? *e* Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata, quæ *f* credidisti, quoniam *g* perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. Et *h* ait Maria: *i* Magnificat anima mea *k* Dominum,

a Et unde,] idest, qua mea justitia, vel quibus meis meritis accidit.

b Hoc mihi?] sterili, seni, maledictæ.

c Ut veniat mater Domini mei,] virgo fœcunda, juvenis benedicta.

d Ad me.] Non ego ad ipsam, mater Regis ad matrem militis?

e Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo:] quia sicut dicit *Gl. Bed.* Ipso momento quo vox intrat in aures corporis, virtus spiritualis cor intrat audientis, & non solum matrem, sed etiam sobolem amore advenientis accendit. Et revelante spiritu, quo impleta erat, intelligit, quid exultatio infantis significet, scilicet venisse matrem illius, cujus præcursor erat futurus. Sequitur.

f Et beata, quæ credidisti,] sicut dicit *Beda*, & *Ambrosius*. *Gl.* Apparet Mariam non dubitasse, sed credidisse, & ideo fructum consecutam esse. Apparet etiam Elisabeth ipsa verba Angeli ad Mariam dicta per spiritum intellexisse.

g Quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino.] *Num.* 33. Dixit ergo, & non faciet, locutus est, & non implebit? *Psal.* 88. Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.

Moraliter. Moraliter.] Non solum Maria, sed etiam beati omnes, qui crediderunt, *Joan.* 20. Beati, qui non viderunt & crediderunt. Quoniam adhuc perficientur in eis, quæ jam audiunt, & credunt, *Ps.* 47. Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum. Imo plus, 3. *Reg.* 10. Non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quod media pars mihi nunciata non fuerit. *Isa.* 64. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te. Sequitur:

h Et ait Maria.] Veniens Maria in domum Zachariæ, prior salutavit Elisabeth, quam resalutavit Elisabeth beatam prædicando, matrem Domini appellando, de fidei fortitudine commendando, beneficium sibi impensum ad ejus salutationem humiliter confitendo: Audita igitur responsione cognatæ suæ beata Virgo, non amplius potens reticere dona Dei jam percepta, quæ usque tunc pudore virginali celaverat, jam congruo tempore patefecit, & inde Domino canticum decantavit. Unde dicit *Beda*, & *Ambrosius*, & *Gl.* Congrue ante Joannem, idest, ejus nativitatem, Elisabeth, & ante Domini generationem prophetat Maria, idest, laudes decantat: [Simile. 1. *Reg.* 10. Insiliit Spiritus Domini in Saul, & prophetavit in medio eorum,] ut sicut peccatum in initio a muliere cœpit, ita in initio salutis bona a muliere inchoarent. Dividitur autem canticum istud in tres partes.

In prima confitetur beneficia Dei sibi specialiter collata.

In secunda commemorat beneficia Dei communiter toti humano generi collata, ut beneficia etiam appelles flagella quibus corripit superbos, ibi: [Et misericordia ejus.]

In tertia tangit singulare, & inenarrabile donum Dei, quo dignatus est in mundum venire, ibi: [Suscepit Israel, &c.] Dicit ergo.

i Magnificat anima mea Dominum,] non addendo aliquid ad ejus magnitudinem, quia immensa est, nec augeri potest, vel minui. Unde *Eccl.* 18. Quis investigabit magnitudinem ejus? Non est minuere, nec addere, nec invenire magnalia Dei. [Magnificat,] autem anima mea Dominum.

Multipliciter:
- Seipsam humiliando. Unde *Psal.* 63. Accedet homo ad cor altum, &c. *Joan.* 3. Me oportet minui, illum autem crescere.
- Eum omnibus præponendo, *Psal.* 114. Exaltabo te Deus meus Rex.
- Ejus magnitudinem nunciando, *Ps.* 33. Magnificate Dominum mecum.
- Corpus ejus mysticum augmentando. *Is.* 33. Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso, replevit Sion judicio, & justitia.
- Ipsum laudando, *Psalm.* 68. Magnificabo eum in laude, *Isa.* 24. Cum glorificatus fuerit Dominus, hinniet de mari, *Ecclesiast.* 43. Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis: major est enim omni laude, & quis magnificabit sicut est ab initio?
- Gratias referendo, *Eccl. ult.* Danti mihi sapientiam dabo gloriam.
- Ejus inimicos expugnando, *Exod.* 15. Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, 3. *Reg.* 10. 2. *Parel.* 9.

Magnificatus est ergo Rex Salomon, idest, pacificus super omnes Reges terræ.

Contemptores autem parvificant Deum, idest, parvi pretii reputant eum, anima avari magnificat aurum gulosi, & ebriosi vinum, luxuriosi scortum: Sed anima casta virum proprium.

Item possumus dicere de Christo, quia parvificatus est, quando puer factus est. *B. Bern.* Non laudatur hic magnus Dominus, & laudabilis nimis, sed parvus Dominus, & amabilis nimis.

Item nota, quod dicit, [anima,] quia lingua non sufficit. *Gl.* Quia tanto munere Dominus me sublimavit, ut nullo linguæ officio explicare possim, sed totum animi interioris affectum in agendis gratiarum laudibus offero, &c.

k Dominum.] Cui debetur timor. *Malach.* 1. Si ego Dominus, ubi est timor meus? Nota, quod dicit *Ambrosius in Glos.* Magnificatur Dominus, non quod humana vox ei aliquid adjungat, sed quia magnificatur in nobis, dum anima nostra, quæ ad imaginem Dei est creata, per justitiam se Christo conformat, qui est imago patris, & sic dum ipsum Christum imitando magnificat, quadam participatione magnitudinis ejus sublimior fit, ut illam imaginem splendido bonorum colore factorum, & quadam æmulatione virtutis in se videatur exprimere. Magnificatur ergo Deus, non in se, sed in nobis: sicut dicitur sanctificari, non in se, sed in nobis. Unde: Sanctificetur nomen tuum. Sequitur:

a Et exulta-

a Et exultavit spiritus, &c.] Magnificationem Dei sequitur necessario mentis elevatio. Non enim potest quis magnificare Deum, quin mente exultet. Unde cum dixisset beata Virgo, [Magnificat anima mea Dominum,] subjungit, *a* Et exultavit spiritus meus, &c.] i. anima, & spiritus, sed anima dicitur inquantum animat, & vivificat corpus: Unde hæc bene vivendo magnificat Deum, qui fecit eam: Spiritus autem dicitur inquantum super cœlestia contemplatur; cujus proprie est exultare in Deo. Et hæc exultatio multum displicet diabolo. Unde 1. *Reg.* 4. Philisthim ingemuerunt dicentes væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiustertius: væ nobis, quis nos salvabit de manibus sublimium Deorum istorum? Bis dicitur væ nobis, quia duplex est exultatio, quæ displicet eis. Unam contra tristitiam sæculi: De qua dicitur 2. *Cor.* 7. Tristitia sæculi mortem operatur. Aliam contra tristitiam carnis, quæ spiritum dejicit: de qua *Prov.* 15. In mœrore animi, idest, animæ dejicitur spiritus. Propter hoc dicitur *Phil.* 4. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.

> Et *a* exultavit spiritus meus in *b* Deo salutari meo. *c* Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: *d* ecce enim *e* ex hoc *f* beatam me dicent *g* omnes generationes. *h* Quia fecit mihi magna, qui *i* potens est,

Hæc exultatio, sive hoc gaudium, quod est in Deo; est contra gaudium diaboli, contra gaudium mundi, contra gaudium carnis. Gaudium enim diaboli est impietas contra Deum. *Prov.* 2. Lætantur, cum malefecerint, &c. Gaudium mundi, vanitas contra proximum. *Job* 21. Gaudent ad sonitum organi. Gaudium carnis est voluptas contra seipsum. *Prov.* 14. Extrema gaudii luctus occupat, & in his non gaudebat beata Virgo, sed in Deo. Unde dicit, [Et exultavit spiritus meus:] in qua nulla simulatio.

b In Deo salutari meo,] i. filio Salvatore, non in mundi honore, non in carnis voluptate, non in generis nobilitate, non in corporis pulchritudine, non in mundi prosperitate, sed in Deo salutari meo. *Ps.* 83. Cor meum, & caro mea, exultaverunt in Deum vivum. 1. *Reg.* 2. Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cor meum in Deo Jesu meo. Secundum *Aug.* exultat in Deo, qui terrena non curat, quem prosperitas non emollit, quem adversitas temporalis non frangit, quem sola Dei memoria delectat. *Thr.* 3. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea, idest, animalitas mea. *Psal.* 70. Memorabor justitiæ tuæ solius.

Potest & sic distingui. [Et exultavit spiritus meus in Deo salutari.] Deo dico, [meo,] idest, a me secundum carnem concepto, Unde ipsa sola, & specialiter poterat dicere eum suum. Sequitur.

c Quia respexit, &c.] i. me humilem ancillam suam, idest, me ancillam suam, idest, quia ei placuit humilitas ancillæ suæ, cui displicebat superbia Evæ: & sicut per superbiam Evæ mors intravit in mundum, sic per humilitatem Mariæ vitæ pandatur introitus. *Cant.* 1. Cum esset Rex in accubitu suo, &c. *Gen.* 29. dicit Lia: Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus. Habuit autem humilitatem beata Virgo a patre suo David, qui dixit. 2. *Reg.* 6. Ludam, & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.

Item a filio, *Matth.* 11. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.

Moraliter.] Nota multipliciter respicit Deus hominem.

Moralis. Multipliciter respicit Deus hominem.

Primo peccata dimittendo: sic respexit Petrum. *Luc.* 22. Respexit Dominus Petrum, & egressus Petrus flevit amare. Nec mirum si ex respectu Domini Petrus flevit amare, quia oculi ejus sicut flamma ignis, sicut dicitur *Apoc.* 1. Quorum intuitus necessario dissolvit glaciem peccatorum. Unde *Psal.* 67. Sicut fluit cera a facie ignis, &c.

Secundo respicit pœnam infligendo, *Exod.* 14. Jamque advenerat vigilia matutina, & respiciens Dominus super castra Ægyptiorum interfecit exercitum eorum. *Habac.* 1. Quare non respicis super iniqua agentes.

Tertio respicit occulta cordium considerando. *Cant.* 2. En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Quarto respicit ejus opera acceptando. *Gen.* 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.

Quinto respicit, gratiam inspirando, *Psal.* 24. Respice in me, & miserere mei.

Sexto approbando. *Habac.* 1. Oculi tui mundi sunt & non poteris respicere ad iniquitatem, idest, approbare. Jam enim non esset summe bonus.

Item nota, quod sicut dicitur, quod contraria contrariis curantur; Ita humilitate Mariæ curata fuit plaga acquisita per superbiam Evæ.

Item fortis clavus retunditur fortiori clavo. Superbia fuit animæ primæ mulieris infixus, sed humilitas fuit fortior, & repulit illum. Sequitur.

d Ecce enim, &c.] quasi dicat, magnifico, quia respexit humilitatem meam. Et merito [enim] quia.

e Ex hoc,] i. ex humilitate. Vel, [ex hoc,] quod respexit.

f Beatam me dicent,] idest, beatitudinem meam prædicando dilatabunt,

g Omnes generationes,] i. omnes gentes, sc. Judæorum, & gentium, vel virorum, & mulierum, vel divitum, & pauperum, Angelorum, & hominum, quia omnes per ipsam salutare beneficium acceperunt. Homines reconciliationem, Angeli reparationem. Christus enim Dei filius, operatus est salutem in medio terræ, i. in utero Mariæ, quæ quadam mirabili terræ proprietate medium appellatur. Ad illa enim respiciunt, & qui habitant in cœlo, & qui habitant in inferno, i. in limbo, & qui habitant in mundo. Primi ut resarciantur, secundi ut expientur, tertii ut reconcilientur. Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, o Beata Virgo, quia omnibus generationibus vitam, gratiam, & gloriam genuisti. Mortuis vitam, peccatoribus gratiam, miseris gloriam. Ideo dicitur *Jud.* 15. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti viriliter.

Primum est vox Angelorum, quorum ruina per eam reparata est. Secundum est vox hominum, quorum tristitia per eam lætificata est. Tertium est vox mulierum, quarum infamia per eam deleta est. Quartum est vox mortuorum existentium in limbo, quorum captivitas per eam redempta est, & reducta. Item nota, quod est quadruplex generatio temporalis.

Quadruplex generatio.

Prima sine patre, & sine matre, qua natus est Adam. *Gen.* 1. Secunda de patre sine matre, qua nata est Eva. *Gen.* 2. Tertia de patre, & matre, qua natus est Abel. *Gen.* 4. & alii post eum. Quarta de matre sine patre, qua natus est Christus. De qua dicitur *Gen.* 15. Quarta generatione revertentur huc, sc. filii Israel de Ægypti captivitate in terram promissionis computatione facta secundum Tribum Leviticam. Levi enim genuit Caath. Caath Amram: Amram Aaron, Aaron autem genuit Eleazar. Caath cum Levi ingressus est in Ægyptum, Eleazar cum patre suo Aaron egressus est de Ægypto. Quatuor igitur generationes sunt a Levi exclusive usque ad Eleazar, inclusive, sc. Caath, Amram, Aaron, Eleazar, quæ omnes beatificant Mariam mystice intellectæ. Caath enim interpretatur dolens, vel dolans, & significat pœnitentes, sive incipientes. Amram interpretatur populus excelsus, & significat proficientes. Aaron interpretatur mons robustus, & significat profectos. Eleazar interpretatur separatio Domini, & significat jam beatos. Omnes isti beatam dicunt Mariam. Mundus autem illos dicit beatos, qui divites sunt. Unde *Psal.* 145. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Sed propheta dicit, Beatus populus cujus Dominus Deus ejus. Multo beatiorem Virginem, cujus Dominus filius ejus. Omnes dicunt beatum illum, a quo beneficia recipiunt, ideo nos omnes debemus dicere beatam Virginem, quia ab ea multa recepimus beneficia, maxime quatuor, sc. pretium nostræ redemptionis. 1. *Cor.* 5. Medicamentum nostræ ægrotationis. *Eccl.* 38. Viaticum nostræ peregrinationis *Joan.* 6. Præmium nostræ retributionis. *Gen.* 15. *Isa.* 62. Sequitur. *h* Quia fecit mihi magna,] *Glos.* Quia in me carnem assumpsit, & me a peccatis mundavit, & dona Spiritus sancti mihi contulit. Possumus autem videre duodecim magna quæ fecit ei Dominus. Primum fuit in utero matris sanctificatio. Secundum Angeli salutatio. Tertium gratiæ plenitudo. Quartum filii Dei conceptio. Quintum fecunda virginitas. Sextum virginalis fecunditas. Septimum honorata humilitas. Octavum obedientiæ promptitudo. Nonum fidei devotio. Decimum est prudens verecundia. Undecimum verecunda prudentia. Duodecimum dominium cœli. *Genes.* 30. Dixit Lia. Hoc pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent omnes mulieres.

Duodecim magna fecit Dominus Virgini Mariæ matri suæ.

i Qui potens est,] essentialiter, quia per se, & ex se omnia potest. *Rom.* 11. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Hic vere potens est, quia de parvis, & infimis magnos facit, & fortes. 1. *Reg.* 2. Pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat.

Et

& *a* sanctum nomen ejus. Et *b* misericordia ejus † a *c* progenie in *d* progenies: timentibus *e* eum. *f* Fecit potentiam in brachio suo, *g* dispersit *h* superbos *i* mente cordis sui, *k* Deposuit potentes *l* de sede: *m* & exaltavit humiles.

a Et sanctum nomen ejus.] *Ps.* 110. Sanctum, & terribile nomen ejus. Sanctum vero dicitur ab effectu, quia participes sui facit sanctos, i. firmos, mundos, sanguine tinctos, sine terra. Sanctus enim secundum *Isidorum* dicitur quasi sanguine tinctus vel firmus, vel mundus, vel agios, i. sine terra. *Isa.* 47. Redemptor noster Dominus exercituum nomen illius sanctum, vel sanctus Israel. Et invocatio hujus nominis, sicut dicit *Glos.* participes facit sanctitatis. *Joel.* 2. Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Sequitur. *b* Et misericordia ejus &c.] Secunda pars cantici, in qua B. Virgo post singulare beneficium sibi singulariter impensum commemorat generale beneficium Dei, toti generi humano communiter impensum. Et procedit ascendendo secundum ordinem charitatis, quæ semper bona communia propriis anteponit: ut dicit *Aug.* super illud Apostoli 1. *Cor.* 13. Charitas non quærit quæ sua sunt. Dicit ergo. [Et misericordia ejus] in me inchoata, dilatatur, & continuatur, & multiplicatur. *c* A progenie] Judæorum. *d* In progenies] gentium, i. in omnes progenies mundi, quas credituras prævidit. Et hoc est, quod subdit. *e* Timentibus eum,] non mundum, non diabolum. *Matth.* 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. Illis enim facta est misericordia in effectu, *Mal. ult.* Vobis timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus, *Act.* 10. In veritate comperi: quia non est acceptor personarum Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, acceptus est illi. *Eccles.* 15. Qui timet Deum, faciet bona. Et notatur hic misericordia Dei: continua, multa, & magna. Continua, quia ex quo incepit a B. Virgine, non desinit misereri, & hoc notatur per geminationem dictionis. *Ps.* 76. Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas? q. d. non. Multa est, quia sæpe offensus indulget, & omnibus omnia dimittit, qui veniam petunt. *Ps.* 118. Misericordiæ tuæ multæ, Domine. Item. Secundum multitudinem miserationum tuarum, &c. Magna, quia quantumcumque magna fuerit offensa, indulget, si ex corde venia petatur. *Ps.* 50. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. *Thr.* 3. Misericordia Dei est, quod non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. Alia littera habet hic: [In progenies, & progenies.] Et idem erit sensus. Sequitur. *f* Fecit potentiam, &c.] Quoniam universæ viæ Domini misericordia, & veritas: ideo commendata misericordia Dei in timentibus eum, commendat Virgo prudens justitiam in contemptoribus, ostendens quid mereatur, & quid fiet illis, dicens: [Fecit potentiam in brachio suo,] idest potenter per filium operatus est, per quem omnia creavit, & recreavit, & glorificabit, potestates aereas debellavit. Dicitur autem filius brachium patris, quia sicut a corpore exit brachium, & a brachio manus, ita a patre filius, & a filio Spiritus sanctus. *Eccl.* 36. Glorifica manum, & brachium dextrum. Item, quia per ipsum operatur pater: est autem filius, ut brachium figuli, quia vasa gloriosa de luto fingit. *Eccl.* 38. Figulus sedens ad opus suum, in brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos curvabit virtutem suam. Item, ut brachium pugilis, qui pugnando brachium Regis Ægypti, i. diaboli confregit. *Ezec.* 30. Fili hominis, brachium Pharaonis Regis Ægypti confregi, &c. Item, ut brachium nutricis ad portandum parvulos. *Isa.* 40. In brachio suo congregabit agnos, &c. *Ose.* 11. Ego quasi nutritius Ephraim in brachiis meis portabam eos, & nescierunt, quod curarem eos. Item fecit ipse filius potentiam in brachio suo in cruce extento, quia diabolum superavit, captivos de inferno liberavit, & electos omnes ad superna levavit, *Ps.* 135. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, & eduxit Israel de medio eorum in manu potenti, & brachio excelso. De tertio dicitur. *Joan.* 12. Cum exaltatus fuero, &c. *Isa.* 53. Brachium Domini cui revelatum est? Sequitur. *g* Dispersit superbos,] i. dispergi permisit. *i* Mente cordis sui,] i. voluntatum, ac sensuum diversitate. Sicut enim multitudinis credentium est cor unum, & anima una. *Act.* 4. sic superborum contrariæ sunt voluntates, & sensus diversi. *Prov.* 13. Inter superbos semper jurgia sunt. Unde recte significantur per cinerem, *Exod.* 9. ubi dicitur: Tulerunt Moyses, & Aaron cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum in cœlum Moyses, factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus, & jumentis. Cœlum est dignitas Ecclesiastica. Cinis ergo in cœlum spargitur, quando homo, qui cinis est, dignitatem ambit Ecclesiasticam, & inde quasi vesica vento inflatur. Vel sic. *g* Dispersit] Dominus, idest, ab invicem separavit, vel [dispersit] idest, exules a regno divisit.

Margin: al. † in progenies.

Margin: Psalm. 14

h Superbos mente cordis sui,] q. d. non dico superbos in exteriori habitu, sed superbos mente cordis sui, idest, qui habent superbiam in voluntate interiori. Sæpe enim apparet superbia in longis, & pretiosis vestibus, nec est tamen in mente, & sæpe in curta tunica est longa superbia. Unde nota, quod est duplex superbia, interior, sc. & exterior, sicut duplex humilitas, *Eccl.* 19. Est qui nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo. *Gen.* 11. Divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare civitatem, & idcirco vocatum est nomen loci illius Babel: quia ibi confusum est labium universæ terræ: & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.

Item Dominus dispergit luxuriosos, i. luxuria dispergit illos Domino permittente, non tantum mente cordis, sed etiam passione corporis. Unde *Ps.* 82. Disperierunt in Endor, qui interpretatur fons generationis. Similiter avaritia dispergit avaros Domino permittente, & mente, & corpore. *Exod.* 5. dispersus est populus per universam terram Ægypti ad colligendas paleas. Et recte dicitur avarus dispersus, quia cuilibet rei, quam possidet, dat unam partem cordis sui. *Eccl.* 10. Avaro nihil est scelestius? in vita enim sua projicit intima sua, idest, cor suum. *Ps.* 21. Effusus sum sicut aqua, & dispersa sunt omnia ossa mea. Sicut enim de aqua nihil remanet, cum effunditur, ita de corde suo nihil remanet avaro: sed totum effunditur exterius super rebus suis. Sequitur. *k* Deposuit potentes de sede,] idest, deponet. 1. *Mac.* 2. Gloria peccatoris stercus, & vermis. *m* Et exaltavit,] idest, exaltabit.

n Humiles.] *Glos.* Superbi sunt, qui supra modum se extollunt, idest, potentes, quia non in Dei, sed in sua virtute confidunt, qui deponuntur, quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, &c. *Matt.* 23. *inf.* 18.

Margin: Mystice.

Mystice autem exponitur sic.

k Deposuit potentes de sede,] idest, dæmones ejecit de cœlo. *m* Et exaltavit humiles,] *i.* homines loco eorum sublimavit. *Eccl.* 10. Sedes ducum superborum destruxit Dominus, & sedere fecit mites pro eis. Inde est, quod dæmones, ita invident hominibus, quia tenent per humilitatem locum eorum, quem amiserunt per superbiam. Item *k* Deposuit potentes,] idest, Judæos.

l De sede] litteralis intelligentiæ in qua quiescebant non investigantes spiritualem intelligentiam, & quasi magistri docebant unum, *Matt.* 23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. *m* Et exaltavit humiles.] idest, gentiles, ob humilitatem ad spiritualem intelligentiam, & prædicandum fidem Evangelicam sublimavit. *Eccl.* 10. Radices gentium superbarum arefecit Deus, &c. *Matt.* 21. Auferetur a vobis regnum, & dabitur genti facienti fructum eis. Hoc significatum est 1. *Reg.* 4. ubi dicitur, quod Eli sacerdos non poterat videre lucernam spiritualis intelligentiæ. & cecidit de sella capta arca, idest finito sacerdotio, *Heb.* 7. Translato enim sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat. Item *k* Deposuit potentes de sede,] sicut Paulum superbientem de legali doctrina: *m* Et exaltavit humiles] idest, ipsum humilem jam factum ad prædicandum fidem Evangelii sublimavit.

Moraliter.] Potentes sunt, qui non in Dei, sed in sua virtute confidunt. De quibus *Is.* 59. Confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates. Humiles sunt, qui se nihil reputant, & in solo Deo confidunt. Illos igitur deponit, idest, dejicit Dominus: Hos vero exaltat. *Luc.* 18. Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, &c. *Eccl.* 4. Melior est puer pauper, & sapiens Rege sene, & stulto, qui nescit prævidere in posterum. Quia & de carcere, catenisque interdum quis egreditur ad regnum, & alius natus in regno inopia consumatur, *Job* 12. Effundit despectionem super Principes, & eos, qui oppressi fuerant, revelans. Ideo dicit *Is.* 5. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum. Hoc modo Dominus deposuit Saul de sede regali, & exaltavit David humilem. Unde 1. *Reg.* 15. Dixit Samuel ad Saul, scidit Dominus regnum Israel a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Similiter deposuit Sobnam præpositum de summo sacerdotio, & exaltavit Eliachim. Unde *Is.* 22. Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo de-

A ponam te, &c. Seq. *a* Esurientes implevit bonis, &c.] Mystice,] Gentiles, vel omnes justitiam, & gloriam desiderantes. *b* Bonis] non dicit quibus, ut intelligatur omnibus gratiæ, gloriæ, spiritualis intelligentiæ. *Matt.* 5. Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam. 4. *Reg.* 4. Elisæus replevit vasa vacua non pauca. 1. *Reg.* 2. Repleti prius pro panibus se locaverunt, &c. *Pr.* 13. Justus comedit, & replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis. Unde seq.

a esurientes implevit *b* bonis, & *c* divites dimisit *d* inanes. *e* Suscepit Israel puerum *f* suum: † *g* memorari misericordiæ suæ. Sicut *h* locutus est ad patres nostros *i* Abraham, & semini ejus † in *k* sæcula. Mansit *l* autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, *m* & reversa est in domum suam. *n* Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium,

al. † recordatus.

al. † usque in sæculum.

c Et divites] i. superbos: vel divites ad litteram. *d* Dimisit inanes.] i. vacuos omni bono, & frandatos a spe sua. *Job* 14. Homo, cum dormierit, non resurget, &c. *Sap.* 5. Spes impii quasi lanugo est, quæ a vento tollitur, & tanquam spuma gracilis dispergitur, & tanquam fumus qui a vento diffusus est. *Apoc.* 3. Tu dicis, quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, &c. Et merito dimittuntur inanes, quia terreni sunt. Terra autem est inanis, & vacua. *Gen.* 1. *Jer.* 4. Aspexi terram, & ecce vacua erat. Item quia avari. Avarus autem non implebitur pecunia, *Eccl.* 5. Et constat, quod nec alia re potest impleri, quia nihil aliud amat, & seipsum eviscerat amore pecuniæ, ut ea repleat arcam. *Eccl.* 10. Nihil est scelestius, quam amare pecuniam, hic enim, &c. Sequitur: *e* Suscepit, &c.] Hæc est tertia pars cantici, in qua agit gratias virgo de inenarrabili beneficio incarnationis, populo Israelitico specialiter, sed toti humano generi exhibito, dicens: Suscepit Israel,] i. populus Judaicus. *f* Puerum suum:] i. Jesum sibi promissum, & sibi exhibitum specialiter. *Matt.* 15. Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. [Puerum,] dicit, non Dominum, quia venit ministraturus, non dominaturus. *Matt.* 20. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. *Isa.* 9. Puer natus est nobis, &c. *g* Memorari misericordiæ suæ.] i. sibi promissæ, & exhibitæ. *Isa.* 63. Miserationum Domini recordabor. Vel sic: *e* Suscepit Israel puerum suum.] i. populum Judaicum, vel magis populum christianum fide videntem Deum.

Ad {
- Sanandum, ut medicus infirmum. Unde *Eccl.* 38. Honora medicum, propter necessitatem etenim illum creavit Altissimus.
- Docendum, ut magister discipulum. *Jo.* 3. Vos vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis: sum etenim. *Ps.* 93. Qui docet hominem scientiam. Et alibi: Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, &c.
- Regendum, ut gubernator regit navem. *Ps.* 23. Dominus regit me, & nihil mihi deerit.
- Pascendum, ut pastor pascit gregem. *Jo.* 10. Ego sum pastor bonus. *Isa.* 40. Sicut pastor gregem suum pascet, &c.
- Lavandum pollutum. *Apoc.* 1. Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.
- Solvendum vinctum de carcere peccati, & inferi, & illuminandum cæcum. *Ps.* 145. Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.
- Ditandum pauperem. 2. *Cor.* 8. Propter nos egenus, & pauper factus est, &c. 1. *Reg.* 2. Dominus pauperem facit, & ditat. Pauperem facit pecunia, & ditat gratia, pauperem facit spiritu proprio, & ditat Spir. Sancto, pauperem facit ad modicum, ditat in æternum.

His modis [suscepit Dominus Israel puerum suum.] i. servum suum. Unde *Ps.* 118. Suscipe, Domine, servum tuum in bonum. *g* Memorari misericordiæ suæ,] i. promissionis suæ misericorditer factæ, & misericorditer adimpletæ. *Heb.* 3. Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Sequitur: *h* Sicut locutus est, &c.] i. sicut promisit misericordiam patribus nostris, i. promisit se daturum, & missurum filium. Promisit inquam, & specialiter. *i* Abraham, & semini ejus,] i. imitatoribus ejus. *Rom.* 9. Non, qui filii carnis, &c. Et nota, quod memorans patres, quibus facta est revelatio salutis, specialiter, & nominatim exprimit Abraham, quia ei specialiter facta est promissio de Christo ex eo nasciturum. *Gen.* 18. 21. 22. Item vidit tres, & unum adoravit, per quem spiritum intellexit gerere figuram filii Dei incarnandi. Ideo, & specialiter exprimitur, quia primus aperte prædicavit fidem. Unde etiam dicitur pater fidei nostræ. *k* In sæcula] quia gloria illa nullo fine claudetur, vel semini duratura in sæcula. Unde hoc, quod dico [In sæcula] dupliciter construitur, i. bis sumitur, sic: *g* Memorari misericordiæ,] dico durantis. *k* In sæcula] i. in æternum. *h* Sicut locutus, &c.] i. sicut promisit patribus nostris, quod haberent eam in sæcula. Posset enim reus jugem habere, & non jugiter, & hoc non esset magnum. Unde est sensus: Memor misericordiæ suæ in sæcula, promisit eam patribus nostris in sæcula, i. æternaliter. Promisit enim antiquis Patribus, & seminibus eorum, i. successoribus eorum in fide æternam hæreditatem, & promissio solvitur eis in æternum, quia & hic per fidem, & in futuro in re. Seq. *l* Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus,] Maria ascendit in montana, ut obsequium cognatæ præberet prægnanti, & mansit cum ea usque dum pareret, & obsecuta est ei. Nec fuit causa tantæ moræ exhibitio obsequii, sed etiam profectus matris, & parvuli, ut dicit *Beda in Gl.* Nam cum in primo adventu Virginis prophetavit Spir. Sancti inspiratione constat, eos multum profecisse ex diurna ejus mansione. Tunc quæritur secundum *Gl.* Numquid crevit charitas Joannis in utero? Sol. Quoad robur aucta est ei virtus, & simpliciter merito Mariæ utriusque charitas crevit: Dicit ergo: [Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus,] i. usque ad nativitatem Joannis. Sexto enim mense conceptionis ejus ascendit, & nono mense natus est Joannes, quo nato regressa est in domum suam. Unde sequitur: *m* Et reversa est in domum suam,] post partum ejus: Ad hoc enim iverat, ut ministraret Elisabeth in partu ejus:

Mystice.

Mystice:] Maria stella maris, prælatus, qui debet cum subditis manere tribus mensibus documentis imbuendo, exemplis confortando, temporalibus fovendo. Unde Petro dictum est ter: Pasce oves meas. *Joann. ult.* Postea vero debet reverti in domum suam, ne prosequar aliena negotia, sua negligere videatur. *Genes.* 30. Justum est, ut aliquando provideam domui meæ. *Act.* 20. Attendite vobis, & universo gregi. Item Maria in montanis tribus mensibus morari, est animam fidelem in alta contemplationis perseverare, quousque in ea omnino defecerit amor mundi, amor sui, & amor suorum. Siquidem mensis dicitur a mene, quod est defectus. Et hoc est, quod dictum est Abrahæ. *Gen.* 12. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui: & vade in terram, quam monstravero tibi. Sequitur: *n* Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium, &c.] Prosequitur Lucas de partu Elisabeth, & nativitate præcursoris, & est Elisabeth dativi casus. Et nota usum Scripturæ, quæ utitur verbo impletionis in tribus, in ortu bonorum, in obitu, in actu, ut ex verbo impletionis notet in bonis esse plenitudinem perfectionis. Et hæc tria distinguuntur in *Gloss.* De ortu, *inf.* 2. Impleti sunt dies Mariæ, &c. De actu. 3. *Reg.* 6. Implevit Salomon ædificare domum. De obitu: *Gen.* 25. Defunctus est Abraham plenus dierum. Sed videtur contrarium huic, quod dicitur in *Gloss.* In bonorum tantum ortu, &c. *Gen.* 15. Nondum completa sunt peccata. *Isa.* 1. Manus vestræ plenæ sunt sanguine. Resp. Tantum in ortu bonorum, idest, non in ortu malorum. Non enim utitur Scriptura verbo impletionis in ortu, vel obitu malorum, ne frequenter in opere, ut per hoc notet eos inanes, & vacuos a fructu boni operis.

▲ Et audierunt

Moraliter.

n Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium, &c.] Elisabeth interpretatur Dei mei saturitas, & significat Ecclesiam, quæ interim in præsenti pane fidei sustentatur, tandem pane apertæ visionis plenius satianda, sicut dicitur in *Ps.* 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua.

Tempus pariendi illi impletum est in apertione lateris Christi. Ante siquidem conabatur ad partum, sed non erat ei virtus pariendi, sicut dicitur *Isa.* 37. Venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi. *Osee* 9. Da eis, Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, & ubera arentia. Et si quis nascebatur, abortivus erat, quia ad inferos descendebant omnes ante Christi adventum.

Unde *Job* 3. Quare non in vulva mortuus sum? Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum regibus, & consulibus terræ, aut sicut abortivum absconditum,

A *a* Et audierunt vicini, & cognati ejus, &c.] dando ei filium. *Matt.* 11 Lex, & Prophetæ usque ad Joannem. Ab eo enim cœpit tempus gratiæ, & misericordiæ. *b* Et congratulabantur ei.] de tanto dono. Joannes gratiam novi Testamenti inchoatam significat, & inde est quod temporalis ejus nativitas celebratur, & non alterius cujuslibet sancti.

> Et *a* audierunt vicini, & cognati ejus, quia magnificavit Dñs misericordiã suam cum illa, & *b* congratulabantur ei. Et *c* factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum, & *d* vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater ejus dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes

Moraliter. * Non subsisterem. Sed cum apertũ fuit latus Domini, tunc virtus pariẽdi filios vivos data est Ecclesiæ: Nam a sanguine emanante de latere Christi baptismus virtutem suam habuit, qui est quasi matrix Ecclesiæ, in qua filii generantur. Unde *Zach.* 13. In die illa erit fons patens, i. latus Domini apertum: Domini David, i. Ecclesiæ, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ, i. actualis, & originalis peccati. Et hoc est, quod dicitur in *eod.* 15. In die illa exibunt aquæ de Jerusalem, medium earum ad mare occidentale, & medium earum ad mare novissimum. Ibi ergo virtus pariendi collata est Ecclesiæ: Ideo dicit. *Isa.* 60. Filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Est autem multiplex partus Ecclesiæ. Primus per baptismum: secundus per pœnitentiam: tertius per votum, sive ingressum religionis: quartus per ordinationem: quintus per promotionem: sextus per martyrium. Hi sunt significati per sex filios Liæ. Quorum primus est Ruben, qui interpretatur filius visionis, & significat martyres, qui de fide ad visionem per martyrium generantur, a quibus incipit Ecclesia, sicut ab Abel primo martyre. Ruben dedit mandragoras Liæ, i. martyres contulerunt temporalia Ecclesiæ. Sed Lia dedit Rachel, i. Ecclesia dedit religioni. Antequam mandragoras haberet Lia, tota solicitudo Jacob, i. prælatorum erat circa Rachelem, i. circa contemplativam. Sed mulier Rachel pro mandragoris Liæ dedit licentiam Jacob intrandi ad Liam. Ad impletionem temporis pariendi baptizatos tria requiruntur: Intentio, forma verborum, & elementum. *Matt. ult.* Ite, baptizate, ecce intentio, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ecce forma verborum. *Jo.* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spir. sancto, &c. ecce elementum. Iste partus figuratus fuit in transitu maris rubri. *Exod.* 14. Inchoatus in baptismo Joannis, impletus est in baptismo Christi.

Multiplex est partus Ecclesiæ.

Item ad impletionem temporis pariendi pœnitentes tria requiruntur. Contritio, confessio, satisfactio. De quo *Jo.* 16. Mulier cum parit, tristitiam habet, cum autem peperit; jam non meminit pressuræ, quia natus est homo in mundum. Tristitia dicit contritionem, partus confessionem, quæ peccata latentia perducit in lucem, natus homo dicit satisfactionem.

Item ad impletionem temporis pariendi claustrales, tria requiruntur. Votum castitatis, votum paupertatis, abrenunciatio propriæ voluntatis, i. votum obedientiæ, quæ significantur in tribus factis Joseph. Primum est, quando mulierem impudicam contempsit. *Gen.* 39.

Secundum, quando pallium abjecit, i. temporalia. *Ex. cap.* Tertium, quando in carcere reclusus fuit sub alterius potestate, *eod. cap.* Unde Jacob dixit benedicens ei: *Gen.* 49. Filius accrescens Joseph, filius accrescens. Ter dicitur accrescens, bis explicite, semel implicite: Joseph enim accrescens interpretatur. Ter enim accrescit aliquis, quando intrat in claustrum. Primo subjiciendo carnem per voluntatem castitatis explicite. Secundo contemnendo mundum explicite. Tertio deponendo seipsum per abrenunciationem propriæ voluntatis, sed hoc implicite, quia in voto obedientiæ occultæ abrenunciatur propria voluntas. Item ad impletionem temporis pariendi ordinatos tria requiruntur, scil. ætas, scientia, morum honestas. Et cum hæc tria habet ordinandus, tunc impletum est tempus pariendi. Contra illos, qui ante tempus pariuntur in ordinibus dicitur *Ezech.* 16. In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, per ætatis maturitatem, nec es sale salita, per scientiæ sufficientiam, nec involuta pannis per morum honestatem. Item ad impletionem temporis pariendi prælatos, tria requiruntur, scil. vitæ sanctitas, scientiæ sublimitas, & justitiæ zelus. Cum hæc tria habuerit quis, tunc poterit eum Ecclesia parere in prælationem, ante non. Ideo multi nascuntur abortivi in mundum, quia ante tempus pariuntur. Alii enim nascuntur sine manu dextera, i. sine operandi virtute. Alii sine pede dextro, i. sine charitatis affectu. Alii sine lingua, i. sine gratia prædicandi. Alii sine oculo dextro, i. sine cognitione spiritualium. De quibus *Zach.* 11. O pastor, & idolum derelinquens gregem, gladius super brachium ejus, & gladius super oculum ejus dextrum: brachium ejus ariditate siccabitur, & oculus ejus dexter tenebrescens obscurabitur. *Isa.* 56. Speculatores ejus cæci omnes, &c. *Jo.* 9. Quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur in prælationem? Responde secure hic, & parentes ejus, i. qui eum promoverunt. Item ad impletionem temporis pariendi martyres tria requiruntur, scil. contemptus sui, firmitas fidei, causa. Non enim pœna, sed causa martyrem facit. *Heb.* 11. Sancti per fidem, &c. Sic patet moraliter quod dicitur: Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit. Seq. *a* Et audierunt vicini,] i. Angeli, & alii Sancti, qui congratulantur alicuo sex dictorum modorum, *inf.* 15. Quis ex vobis homo habens centum oves, & si perdiderit unam ex illis, &c. *Ruth.* 4. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei dicebant, natus est filius Noemi. Et nota *Gl.* Habet Sanctorum editio lætitiam plurimorum, quia commune bonum est. Justitia enim communis virtus est, & ideo in ortu justi futuræ vitæ insigne, i. judicium præmittitur, &c. Simile *Gen.* 2. *Gl.* Justitia, quæ significatur per Euphratem, quia circuit omnes virtutes, non dicitur ire contra aliquam regionem. Seq. *c* Et factum est in die octavo, &c.] secundum mandatum Domini. *Gen.* 17. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculum in generationibus vestris, tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur. Fiebat autem circumcisio in remedium contra originale peccatum, sicut modo baptismus. Unde *Beda*. Idem salutiferæ curationis remedium conferebat circumcisio suo tempore, quod nunc baptismus tempore gratiæ revelatæ. Sed quare Joannes fuit circumcisus, qui fuit in utero sanctificatus? Resp. In exemplum, & quia lex nondum cessaverat: unde tenebatur adhuc mandato Domini. Jesus autem circumcisus fuit, quia venerat legem implere. *Matt.* 5. Et in signum circumcisionis, spiritualis, quæ fit interius in corde spiritualiter, & in omni sensu. *Deut.* 10. Circumcidite præputium cordis vestri, & cervicem vestram durissimam ne induretis amplius. *Jer.* 4. Circumcidimini viri Juda, &c. *d* Et vocabant eum, &c.] Recte autem post circumcisionem imponitur nomen, ad innuendum, quod omnes, qui vere circumcisi fuerint, scripti sunt in libro vitæ, & nominati apud Deum, & non alii. Unde dives non nominatur, sed Lazarus, *inf.* 16. Octo autem dies circumcisionis sunt octo virtutes, quibus perfecte circumciditur interior homo. Prima dies est fides, quæ illuminat. Secunda est fortitudo, quæ roborat. Tertia, prudentia, quæ eligit bonum, & reprobat malum. Quarta abstinentia, quæ corpus solidat. Quinta, patientia, quæ in adversitate conservat. Sexta, pietas, quæ bona sua aliis communicat. Septima, amor fraternitatis, quæ bonis aliorum congaudet. Octava, charitas. quæ totum consumat, & in hac imponitur nomen: de his. 2. *Pet.* 1. Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate fraternitatis amorem, in amore fraternitatis charitatem.

Octo dies circumcisionis quid significent.

Mystice. Mystice. Sicut dicit *Gloss.* per circumcisionem resurrectio Domini figuratur, quia & octava die, idest, post sabbatum facta est, &c. idest, post septem dierum vitam octava Resurrectionis.

Mystice. Mystice. Per illus, qui filio nomen patris imponunt, significantur illi, qui justificationem operibus legis attribuunt, non gratiæ Dei, de quibus *Rom.* 10. Justitiam statuere volentes, &c.

Moraliter. Moraliter. Isti qui vocant puerum natum nomine patris sui, significant quosdam, qui volunt ut filii suos patres etiam in illicitis imitentur, sicut dicitur *Ezech.* 16. sicut mater, ita & filius ejus. 3. *Reg.* 12. Pater meus cecidit vos flagellis. *e* Et respondens mater ejus, &c.] sicut ab Angelo erat prænunciatum. *Is.* 49. De ventre matris meæ recordatus est nominis mei, i. dedit mihi rem nominis hujus Joannis, i. gratiam. Sed quomodo scivit mater prænunciatum ab Angelo? Vir enim ejus mutus effectus non poterat ei indicare. Sol. In *Gl.* Spiritu prophetiæ didicit, quod non didicerat a marito, non poterat ignorare prænuncium, i. nomen filii sui Zachariæ ab Angelo prænunciatum, quæ prophetabat Christum.

Moraliter. Moral. Sic boni parentes non debent sustinere, ut filii eos male imitentur, sed debent eos tradere sanctis viris bonis exercitiis imbuendos, & si boni fuerint, non sibi, sed gloriæ

A Dei

a Dei ascribant. a Et dixerunt ad illam: quia nemo, &c.] Pleonasmus est, vel idioma Hebræum. Vel ita continua, q. d. non vocabitur ita, vel mirum est, quod dicis. b Quia nemo est, &c.] sic mali vicini, & mali consiliarii arguunt bonos Parentes, si filios suos sanctitati, & religioni studere faciant, & non mundanis lucris. Sequitur.

& a dixerunt ad illam. b Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. c Innuebant autem patri ejus, d quem vellet vocari eum. Et e postulans pugillarem f scripsit dicens: g Joannes est nomen ejus. Et h mirati sunt universi. i Apertum est autem illico os ejus, & lingua ejus, & loquebantur benedicens Deum, & k factus est timor super omnes vicinos eorum, & l super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc. Et m posuerunt omnes, qui audierant in corde suo, n dicentes: o Quis putas puer iste erit? p Etenim manus Domini q erat cum illo. r Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu Sancto, & prophetavit dicens: s Benedictus t Dominus u Deus Israel:

G

c Innuebant autem patri ejus,] i. quibusdam nutibus ei significabant.
d Quem vellet vocari eum.] Ex hoc patet, quod Zacharias propter hæsitationem non solum loquelam, sed etiam auditum amiserat: Si enim audire posset, verbo dicerent, & non nutu. e Et postulans pugillarem,] a pugno pugillus. Unde pugillaris lapis tentus pugno, vel tabula parva, quæ pugno capi poterit, & hoc videtur innuere. *Glos.* Unde etiam in vulgari Romanorum, pugillar est tabula ad scribendum, dicitur etiam aliquando pugillaris, calamus, quo scribimus. f Scripsit dicens, &c.] Non dico erit, quia hoc nomen ei jam impositum est a Deo.
h Et mirati sunt universi,] de convenientia inter patrem, & matrem. *Eccl.* 25. In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier sibi bene consentiens.

Moraliter.

Moraliter. g Joannes est nomen ejus,] q. d. quicquid boni habet, quod est dignum nomine, a gratia Dei habet. h Et mirati sunt,] sic mirantur multi, quando filii inducuntur ad bonum aliquod, sicut ad religionem, vel aliquod tale a parentibus suis. Sequitur: i Apertum est autem, &c.] i. Zachariæ, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum,] *Ambr.* Jam solvit fides linguam, quam incredulitas ligaverat. *Bed. in orig.* Quoniam vox clamantis in deserto est nata: merito lingua parentis est soluta. Nec enim eum silere a laudibus decebat, qui verbi præconem sibi natum gaudebat. Item *Ambr.* Nemo desperet, novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. *Jer.* 18. Si pœnitentiam egerit gens ista a malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.

Moraliter.

Quinque sunt quæ claudunt os prædicatoris.

Moraliter. i Apertum est illico os, &c.] Nato Joanne, i. gratia Dei data, vel opere bono facto, aperitur os prædicatoris, quod ante gratiam, & opera bona clausum est. Sola enim gratia Dei, vel desiderium gratiæ Dei os aperit ad prædicandum. Unde *Ps.* 118. Os meum aperui, & attraxi spiritum, &c. Sunt autem quinque, quæ claudunt os prædicatori. Primum est peccati conscientia. *Ezech.* 16. Et scies, quia ego Dominus, ut recorderis, & confundaris, & non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua. *Isa.* 6. Væ mihi, quia tacui. Secundum est ignorantia. *Eccl.* 20. Est tacens non habens sensum loquelæ. *Isa.* 56. Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, canes multi non valentes latrare. Tertium est timor potestatis. *Ezech.* 13. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. Et super hoc jactat se diabolus irridens prædicatores hujusmodi. *Isa.* 10. Universam terram ego congregavi, & non fuit, qui moveret pennam, & aperiret os, & ganniret. Quartum est malitia populi. *Ezech.* 3. Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. Quintum est immemoria beneficiorum Dei. *Ps.* 136. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Sed hæc omnia obstacula removet gratia, sive sapientia, cum datur homini. Unde *Sap.* 10. Sapientia aperuit os mutorum & linguas infantium facit disertas. Seq. k Et facta est timor, &c.] Timor admirationis propter ea, quæ facta sunt in ortu Joannis: Vel timor pœnalis horroris. Videntes enim Sacerdotes virum religiosum propter hæsitationem tam graviter punitum, timebant ibi omnes, scientes, quia non esset tutum offendere Deum.
l Et super omnia montana Judææ, &c. de nativitate Joannis, & restitutione loquelæ Zachariæ. Sic miracula Domini, & profectus proximorum sunt divulganda ad Dei honorem, & fratrum ædificationem. *Tob.* 12. Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare honorificum est. Item *in eod.* 13. Confitemini Domino filii Israel, & in conspectu gentium laudate eum, quoniam ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, ut vos enarreris mirabilia ejus. m Et posuerunt, &c.] miraculum, quod evenerat, considerantes, & eventum tacitæ rei præstantes.
n Dicentes:] supple intra se, vel unus ad alterum.
o Quis putas puer iste erit?] hæc est quæstio plebis. Cui quadrupliciter respondetur. Angelus respondet: Hic erit magnus coram Domino, *sup. eod.* Item pater respondet: Et tu puer propheta Altissimi vocaberis: *inf. eod.* Item ipsemet Joannes respondet. Ego vox clamantis in deserto. *Jo:* 1. Item ipse Dominus. Quid existis in desertum videre: Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquam Prophetam: Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. *Matt.* 11. In responsione Angeli notatur, in Joanne vitæ sanctitudo, in responsione patris, sapientiæ perfectio, in responsione propria, perfecta humilitas, & eloquentiæ promptitudo, in responsione Domini, testimonium bonum, & officii celsitudo.
p Etenim manus Domini,] i. potestas, vel virtus, si-va protectio. q Erat cum illo.] Unde in persona ejus dicit: *Isa.* 49. Sub umbra manus suæ protexit me. Dicitur manus Domini quandoque potestas, ut *Jer.* 18. sicut est lutum in manu figuli, sic vos in manu mea estis domus Israel. Quandoque pœna. *Job* 19. Manus Domini tetigit me, i. pœna. Quandoque accipitur pro protectione gratiæ Dei, ut hic: Manus Domini erat cum illo. Sequitur: r Et Zacharias pater ejus impletus est, &c.] ecce restituitur Zachariæ loquela non sola, sed superadditur prophetia. In quo sicut innuit *Glos.* deprehenditur immensitas divinæ liberalitatis, quæ ablata in duplum restituit, loquendi facultatem reddidit, & prophetiam superaddidit. Sic Salomoni petenti sapientiam ad regendum populum suum, dedit illam, & divitias, atque potentiam. 3. *Reg.* 3. Sed quid est, quod dicit *Glos.* quod loquela sola ablata ei, cum ei etiam auditus sit ablatus? Resp. Sola dicitur respectu prophetiæ. Item nota, quod & Elisabeth impleta Spir. Sancto prophetavit, sed paucis, & in domo; Zacharias vero multis verbis usus est, prophetando, sive prædicando, quia ordo disciplinæ exigit, ut mulier pauca loquatur, & magis velit discere, quam docere. Unde 1. *Cor.* 14. Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. 1. *Tim.* 2. Mulier in silentio discat cum omni subjectione, &c. Et est rectus ordo, quia prius repletus est Spir. Sancto, postea prophetat. Sic Apostoli prius replentur Spir. Sancto, postea mittuntur prædicare ubique, *inf. ult.* Sedete in civitate quoad usque induamini virtute ex alto. *Act.* 2. Repleti sunt omnes Spir. Sancto, & cœperunt loqui. s Benedictus Dominus Deus Israel, &c.] Illud canticum dividitur in duas partes. In prima agitur de beneficio Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, toti generi humano communiter collato. Pro omnibus enim natus, & passus est Dominus, & pro omnibus resurrexit, quantum in se fuit. In secunda parte agitur de beneficio præcursori specialiter illato, ibi: [Et tu puer, &c.] Primo igitur agens gratias de communi beneficio, dicit:
s Benedictus Dominus Deus Israel, &c.] Benedictus est, vel sit, i. omni gratiarum actione prosequendus.
t Dominus,] omnium jure possessionis.
u Deus,] omnium, jure creationis. Sed: Dominus Deus Israel,] jure beneficii specialis. *Deuteron.* 32.
a Numquid

Aliter.

Aliter legitur, & magis specialiter. s Benedictus Dominus] i. gratiarum actione prosequendus, & pro actis, & pro agendis. Pro actis, quia dum oraret Zacharias pro populi liberatione, datus est ei præcursor liberationis. Pro

quia *a* visitavit, & *b* fecit redemptionem plebis suæ. Et *c* erexit *d* cornu salutis *e* nobis in *f* domo David pueri sui. Sicut *g* locutus est per os Sanctorum, qui *h* a sæculo sunt prophetarum ejus. *i* Salutem ex inimicis nostris, & de *k* manu *l* omnium

Δ Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te? Possedit ut Dominus; fecit & creavit ut Deus: Dominus dicitur, ut timeatur; Deus, ut honorificetur. *Mal.* 1. Si ego Dominus, ubi timor meus? Si ego pater, ubi honor meus? *a* Quia visitavit,] mundum longa infirmitate tabescentem carnem assumendo, tanquam pixidem plenam omni genere medicinæ, quia mundus omni laborabat infirmitate. *Eccl.* 43. Medicina omnium in festinatione nebulæ. *b* Et fecit redemptionem plebis suæ.] Nondum suæ, quia jam adhuc erat perversa, sed quoniam redimendo fecit suam, sanguinem, scil. suum pro ipsa fundendo, & sic visitando in incarnatione, & redemptionem faciendo in passione, plebem fecit suam. 1. *Pet.* 1. Non corruptibilibus auro, & argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati, & immaculati Christi Jesu. *Psalm.* 110. Redemptionem misit Dominus populo suo.

Alibi. O agendis. *a* Quia visitavit,] i. visitabit in proximo nascendo, præteritum ponit pro futuro: Et repete [Israel.] *b* Et fecit] i. faciet, Parum differt a primo. Cetera non mutantur. Nota, quia visitavit Dominus plebem suam in primo adventu, ut medicus infirmum. Unde *Aug.* Magnus venit medicus, quia magnus ubique jacebat ægrotus. *Eccl.* 38. Honora medicum propter necessitatem. *Matt.* 9. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Medicus quandoque lenitiva, quandoque purgativa apponit, sic Dominus quandoque oleum suavis consolationis, quandoque vinum mordacis increpationis apponit vulneribus sauciatis, *inf.* 10. Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones. Et *inf.* Et appropians Samaritanus alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum. Quandoque etiam ignem alicujus gravis tribulationis adhibet Dominus. Unde *Greg.* Ignem tribulationis admovet, ut in nobis rubiginem vitiorum purget. Item visitavit, ut Doctor discipulum, docendo, corrigendo. *Ps.* 88. Visitabo in virga iniquitates eorum. *Isa.* 11. Egredietur virga de radice Jesse, i. correctio levis de incendio charitatis. Item visitavit plebem suam, ut pastor gregem. *Ezech.* 34. Visitabo oves meas, sicut visitat pastor gregem suum. Item visitavit plebem suam, ut sponsus sponsam. *Jud.* 15. Post aliquantulum temporis, cum dies triticeæ messis instarent, venit Samson invisere volens uxorem suam, & attulit ei hœdum de capris, i. peccatorum exprobrationem. Item visitavit plebem suam, ut legatus provinciam. *Abdiæ* 1. Auditum audivimus a Domino, & legatum ad gentes misit. *Isa.* 60. Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos justitiam. Item visitavit plebem suam, ut vinitor vineam suam. *Ps.* 76. Respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam, &c. Item visitavit ut paterfamilias operarios suos. 1. *Reg.* 17. Dixit Isai ad David, visita fratres tuos, si recte agant, & cum quibus ordinati sunt disce. Sic Booz visitavit messores suos. *Ruth* 2. Et *Hab.* suos. *Dan.* 14. Qualibet istarum visitationum gloriatur nos visitatos Zacharias, *inf. eod.* Visitavit nos oriens ex alto. Hoc etiam rogavit David, ubi dixit: Visita nos in salutari tuo. Omnibus his modis debet Episcopus visitare Episcopatum suum & Archidiaconus archidiaconatum. In cujus visitatione quatuor possunt notari, quæ pertinent ad officium visitationis. Primum est, corrigere excessus subditorum. *Ps.* 88. Visitabo in virga iniquitates eorum. Secundum est consolari pusillanimes. *Isa.* 40. Alia editio: Consolamini Sacerdotes populum Domini. *Isa.* 51. Consolabitur Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas ejus. Item *Isa.* 61. Ut consolarer omnes lugentes, & ponerem, &c. Et de ista visitatione dicit *Job* 10. Vitam, & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum. Tertium est prædicare. Unde *Psal.* 64. Visitasti terram, & inebriasti eam *Gloss.* Verbo prædicationis. Quartum est causas audire, & decidere, secundum quod dicitur. *Isa.* 60. Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos justitiam. *Jac.* 1. Religio munda, & immaculata apud Deum patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo. Sequitur: *c* Et erexit,] hic prophetat Zacharias de resurrectione, sicut supra de incarnatione, & passione. Tria liquidem verba ponit, per quæ hæc tria beneficia tangit, scil. incarnationem, passionem, & resurrectionem. Nam visitavit nos per incarnationem, fecit redemptionem in passione, erexit cornu salutis nobis in resurrectione. Nomine cornu tria significantur. Primum firma celsitudo salutis, secundum est Christus, tertium, regnum Christi. Unde tripliciter exponitur. Primo sic: *c* Et erexit] Dominus Deus Israel. *d* Cornu salutis,] i. firmam celsitudinem salutis, quia cornu & solidum est, & in altiori parte animalis positum. *e* Nobis,] i. ad utilitatem nostram. *g* In domo David pueri sui.] i. in Judæa, ubi natus, ubi passus, ubi resurrexit. Unde *Ps.* 73. Operatus est salutem in medio terræ. Secundo sic: *c* Et erexit] Dominus Deus, i. in carne apparere fecit. Item [erexit] in Cruce, in Resurrectione. *e* Nobis] credentibus, & non aliis. Unde 1. *Pet.* 2. Vobis honor credentibus, non credentibus autem lapis offensionis, & petra scandali. *d* Cornu salutis,] i. Christum potenter operantem salutem. Dicitur autem Christus cornu, quia sicut cornu nec caro est, nec os, sed medium, sic Christus nec homo, nec Deus tantum, sed mediator Dei, & hominum. 1. *Tim.* 2. Unde dicit Gigas geminæ substantiæ, i. verus Deus, & verus homo. De hoc cornu dicitur in *Ps.* 111. Cornu ejus exaltabitur in gloria. *f* In domo David pueri sui,] i. in familia David, de cujus stirpe natus est Christus secundum carnem. Tertio modo exponitur sic: *c* Erexit cornu salutis nobis,] i. regnum Christi in æternum durabile. *f* In domo David pueri sui,] i. in Ecclesia. Per cornu intelligitur regnum æternum: per carnem regnum temporale, quia sicut cornu durius est carne, sic regnum æternum durius est, i. fortius temporali. Unde ad significandum firmitatem æterni regni David, & Salomon, sunt uncti cornu olei, i. oleo posito in cornu. 1. *Reg.* 16. 3. *Reg.* 1. Ut ipsa soliditas vasis exprimat dignitatem, & regnum Christi, de ipsis nasciturі æternum esse. *Dan.* 7. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur. Item *in eod.* Cornua decem sunt decem reges. Saul vero 1. *Reg.* 10. fuit unctus lenticula olei, i. oleo posito in lenticula, quod vas est fragile vitreum, ut ipsa fragilitas vasis exprimeret fragilitatem, & ruinam regni Saulis. Seq. *g* Sicut locutus est, &c.] In hoc notatur fidelitas, qua promissa complevit. *Ps.* 144. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. Et alibi: *Psal.* 88. Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Continua sic [Erexit] inquam [sicut locutus est per os Prophetarum ejus, qui a sæculo sunt,] idest,] ab initio mundi cœperunt esse. Per os enim Adam, Abel, Noe, Abraham, Moysi, & aliorum locutus est Deus. Et dicit per os, non per ora, ad innuendum, quod eodem spiritu, & eadem intentione loquebantur omnes. *Isa.* 30. Os Domini non interrogaverunt, i. prophetas. *Isa.* 58. Os Domini locutum est, i. prophetæ. Et non solum per ora eorum locutus, sed etiam per facta; *Osee* 12. In manibus prophetarum assimilatus sum, i. per opera eorum prænunciatus, vel præsignatus. Unde & potest aliter legi.

g Sicut locutus est, &c.] i. sicut promiserat per prophetas suos, & sicut locutus est per eos, qui fuerunt.

h A sæculo,] i. sæculi initio, ut ita distinguatur inter prophetas, & eos, qui fuerunt a sæculo. Nam neque prophetæ fuerunt a sæculi initio, qui de Christo prophetaverunt verbis, prophetaverunt de eo tamen patres primi factis. Nam in factis eorum præsignatum est mysterium incarnationis, & passionis, ut in facto Abel r Noe rexit arcam in fluctibus, & Christus Ecclesiam in turbationibus sæculi. Per Prophetas ergo intellige quoslibet scriptores veteris Testamenti. Sequitur:

i Salutem ex inimicis nostris,] Repete [erexit] i. liberationem ex inimicis, vel, i. salubriter nos eripuit ab inimicis nostris, i. a dæmonibus, peccatis, & malis hominibus, sive carne, mundo, diabolo. *Ps.* 89. Domine, refugium factus es nobis. *Isa.* 4. Super omnem enim gloriam protectio, & tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu.

k Et manu] i. potentia. *l* Omnium, qui oderunt nos,] eripuit nos supple, vel dedit nobis salutem. Idem est: Iste autem versiculus. [Salutem ex inimicis, &c.] explanatio est superioris versiculi, in quo breviter idem promiserat, [Et erexit cornu, &c.]

Dominus visitavit plebem suā multipliciter.

Psal. 105.

Quatuor pertinent ad officium visitatoris.

a Ad

a Ad faciendam misericordiam, &c.] Determinat expressius, quod *sup.* dixerat: [Sicut locutus est,] q. d. locutus est, & erexit salutem nobis [ad faciendam misericordiam cum patribus nostris,] i. ut faceret misericordiam suam cum eis, eos scil. a limbo liberando, & secum in gloriam transferendo. De qua misericordia dicitur *Zach.* 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos, de lacu, in quo non est aqua. Vel sic: [Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris] promissam, i. ut impleret misericorditer promissionem patribus nostris factam, i. Abraham, Isaac, & Jacob, & aliis de liberatione nostra per Christum implenda. *Tit.* 3. Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. *b* Et memorati, i. ut memorem se ostenderet. *c* Testamenti sui sancti.]

i. firmæ promissionis suæ, sive pacti, quod pepigit antiquis patribus *Ps.* 103. Memor fuit in sæculum testamenti sui verbi, quod mandavit in mille generationes.

qui oderunt nos. Ad *a* faciendam misericordiam cum patribus nostris *b* & memorari *c* testamenti sui sancti. *d* Jusjurandum, quod juravit ad Abraham *e* patrem nostrum *f* daturum se nobis. Ut *g* sine timore *h* de manu inimicorum nostrorum liberati *i* serviamus illi. In *k* sanctitate, & *l* justitia *m* coram ipso *n* omnibus diebus nostris. Et *o* tu *p* puer *q* propheta Altissimi vocaberis, præibis *r* enim ante faciem Domini *s* parare *t* vias ejus.

d Jusjurandum, &c.] Sic continua. Et item erexit nobis cornu salutis ad faciendum [jusjurandum, quod juravit,] Hoc est contra Hæreticos, qui damnant juramentum.

Gen. 22.

e Ad Abraham patrem nostrum] *Gen.* 12. 15. 22. In te benedicentur omnes tribus terræ. Item per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, &c. *Jer.* 11. Ego ero vobis in Deum, ut suscitem juramentum, quod juravi patribus vestris daturum me eis, terram fluentem lacte, & melle. Juravit inquam.

f Daturum se nobis.] i. quod daret se nobis per carnem, vel per fidem. Item ut daret se nobis famelicis in cibum. *Jo.* 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Et qualis cibus, determinatur. *Sap.* 16. Paratum panem de cœlo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. Item daret se nobis ægrotis in medicamentum. *Eccl.* 24. Ego quasi fluvius Dorix, quod interpretatur medicamentum generationis. Et dicitur fluvius, quia sanguis, & aqua, lacrymæ, & sudor, quæ fluxerunt de sacro ejus corpore, quasi quatuor flumina Paradisi fuerunt medicina totius generis humani. *Eccl.* 38. Altissimus creavit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam. Item ut daret se nobis captivis in pretium quo redimeretur. 1. *Cor.* 6. Empti estis pretio magno. Item ut se daret nobis pauperibus in refugium. *Psalm.* 9. Factus est Dominus refugium pauperi, &c. Item ut daret se nobis electis in præmium. *Gen.* 15. Ego sum merces tua magna nimis. *Isa.* 9. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Potest & aliter construi.

a Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari,] i. ad memorandum, & implendum.

d Jusjurandum testamenti sui sancti, quod juravit ad Abraham patrem nostrum.] Juravit dico:

f Daturum se nobis,] i. quod ipse daret, vel quod daturus esset. Sequitur:

g Ut sine timore, &c.] Sic continua, & ordina. Promisit patribus misericordiam, & fecit nobis implendo: [Ut] nos [liberati, de manu inimicorum nostrorum sine timore serviamus illi in sanctitate, &c.] Sine timore servili, vel mundano, vel humano. 2. *Par.* 20. O Juda, & Jerusalem nolite timere. Alius est timor, scil. filialis, in quo serviendum est Deo. *Ps.* 2. Servite in Domino in timore. *Prov.* 28. Beatus homo, qui semper est pavidus.

h De manu inimicorum nostrorum,] i. dæmonum. Est autem triplex manus dæmonum. Prima est potestas nocendi eorum: De qua *Job* 1. Ecce in manu tua sunt omnia, quæ possidet.

Digiti hujus manus sunt potestas:
- Mira faciendi, ut de virgis serpentes. *Ex.* 7.
- Se transfigurandi, 2. *Cor.* 11.
- Corpus attingendi. *Job* 1.
- Incautos decipiendi. 3. *Reg.* 22. Quis decipiet Achab regem Israel?
- Animas in inferno vexandi. Et hoc etiam *Apoc.* 52.

Secunda manus est suggestio eorum. De qua *Ps.* 35. Et manus peccatoris non moveat me, &c.

Digiti hujus manus sunt tentatio:
- Levis, & occulta.
- Levis, & aperta. *Psal.* 90. Non timebis a timore nocturno.
- Gravis, & occulta.
- Gravis, & aperta.
- Quintus omnino non tentari, quæ gravissima est tentatio, ut dicit *Aug.*

Tertia manus est cœtus malorum: De qua *Job* 9. Terra data est in manus impii, &c.

Digiti hujus manus sunt:
- Pagani.
- Judæi.
- Hæretici.
- Tyranni.
- Hypocritæ.

i Serviamus illi.] quia dignum, & justum est, æquum, & salutare. Dignum, quia pater est. Justum, quia Deus est. Æquum, quia nobis servivit. Salutare, quia bene remunerat servientes sibi. Serviamus igitur illi tanquam filii patri. Item tanquam servi Domino. *Mal.* 1. Si ergo pater ego sum, &c. Item quia prior servivit nobis per suos, per sua, & per se. Per suos Angelos, quos nobis ad custodiam deputavit. *Isa.* 62. Super muros tuos, &c. Per sua, i. cœlum, & terram, solem, lunam. *Matth.* 5. Qui facit Solem, &c. Per se. *Isa.* 43. Servire me fecistis in peccatis vestris. *Psalm.* 80. Manus ejus in cophino servierunt. Item quia bene remunerat. *Jo.* 17. Volo pater, &c. *Isa.* 65. Ecce servi mei comedent, &c. Sequitur:

k In sanctitate, & justitia, &c.] Ecce modus serviendi Deo. In sanctitate] per munditiam interiorem: De qua. *Hebr.* 12. Sequimini pacem cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.

Modus serviendi Deo.

l Et justitia,] per bonam operationem. *Psal.* 16. Ego autem in justitia apparebo in conspectu tuo.

m Coram ipso] per rectam intentionem, non in conspectu hominum tantum. *Hebr.* 12. Gressus rectos facite pedibus vestris. *Glos.* idest, rectam intentionem adhibete operibus vestris. *Matth.* 5. Sic luceant opera vestra coram hominibus.

n Omnibus diebus nostris.] per continuationem, & perseverantiam. *Heb.* 12. In disciplina perseverate. *Tit.* 2. Sobrie, pie, & juste vivamus in hoc sæculo. *Matt.* 10. & 24. Qui perseveraverit, &c.

o Et tu puer, &c.] Hæc est secunda pars cantici, in qua agit Zacharias de beneficiis sibi, & filio suo specialiter collatis. Et apostrophat sermonem suum ad filium. Nec mirum si Sacerdos, & Propheta sermonem dirigit ad infantem octo dierum, quia qui salutationem Virginis intellexit in utero matris, eodem spiritu jam natus potuit intelligere verba patris. Dicit ergo: [Et tu] per Angelum nunciatus, miraculose conceptus, in utero sanctificatus, cum gaudio universarum gentium natus O.

p Puer] a puritate, ab humilitate, a liberalitate.

q Propheta Altissimi vocaberis,] antonomastice. *Jer.* 1. Prophetam in gentibus dedi te. *Matth.* 11. Quid existis in desertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam Prophetam.

r Præibis enim ante faciem Domini,] prius nascendo, sicut Aurora ante Solem. De qua *Job* 38. Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti Auroræ locum suum. *s* Parare] i. ad parandum. *t* Vias ejus.] duplicem. Unam, per quam ipse venit ad nos, scil. misericordiam: Et aliam, per quam nos imus ad ipsum, scil. pœnitentiam. De quibus *Ps.* 24. Universæ viæ Domini misericordia, & veritas. Primam paravit baptizando, secundam prædicando. *Matt.* *c.* 3. Pœnitentiam agite. *Mal.* *c.* 3. Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.

Primo ne sit tortuosa per obliquam intentionem. *Isa.* *c.* 30. Hæc est via, ambulate in ea, & non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Secundo, ne sit montuosa per superbiam, & ambitionem. *Isa.* 60. Præparate viam populo, planum facite iter. Tertio, ne sit lapidosa per impatientiam, vel detractionem. *Jer.* 50. Tollite de via lapides. *Eccl.* 21. Via peccantium complantata

lapidibus. Quarto, ne sit lutosa per luxuriam. Unde *Psalm.* 68. Eripe me de luto, ut non infigar. *Hab.* 3. Viam fecisti equis tuis in luto aquarum multarum. Quinto ne sit spinosa per avaritiam. *Prov.* 24. Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverunt urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ.

Ad *a* dandam *b* scientiam *c* salutis plebi *d* ejus in *e* remissionem peccatorum eorum. *f* Per viscera misericordiæ *g* Dei nostri, in *h* quibus *i* visitavit nos *k* oriens ex alto. *l* Illuminare *m* his, qui in *n* tenebris, & in umbra mortis sedent, *o* ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *p* Puer autem crescebat, & *q* confortabatur spiritu, *r* & erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel,

De purif. d. 1. cap, Adhuc,

Item nota, quod ex eo, quod hic dicitur: [Præibis] præit in profestis diebus unus cereus Evangelium, in figura Joannis, qui fuit præcursor primi adventus. In festis vero, per quæ significatur gaudium æternum, duo cerei præcedunt in figura Eliæ, & Henoch. Prævenient enim Elias, & Henoch secundum adventum, in quo suos recipiet ad festum æternum, & indeficiens. De primo. *Mal. c.* 3. Ecce mitto Angelum meum, &c. De secundo *Apoc.* 11. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra lucentia in conspectu Domini terræ stantes. Sequitur: *a* Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.] Sic continua: Præibis, inquam. [Ad dandam.] Per ministerium prædicationis, non vendendam. *Matt.* 10. Gratis accepistis, gratis date. *b* Scientiam] non pecuniam. *Prov.* 3. Beatus homo, qui invenit sapientiam. [Scientiam] non sæculi, non carnis, non diaboli, sed: *c* Salutis.] *Jac.* 3. Non est illa sapientia desursum descendens, &c.

Item [Salutis] non corporis, quam docet Hippocrates, sed animæ, quam docet Christus. *Eccl.* 30. Salus animæ in sanitate justitiæ, & melior est omni auro, & argento. *Sap.* 13. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. *Isa.* 5. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, &c. *Osee* 4. Quia tu repulisti scientiam, &c. Nota, quod ad commendationem nominis Jesu, quod interpretatur Salvator, ter facit mentionem in cantico suo de salute. Primo, ibi [Et erexit cornu salutis.] Secundo, ibi [Salutem ex inimicis nostris.] Tertio hic [Ad dandam scientiam, &c.] Sequitur: *d* Plebi ejus,] i. electis, qui libenter audiunt, non irrisoribus, vel detractoribus, qui contemnunt. *Matt.* 7. Nolite sanctum dare canibus, &c. *Eccl.* 37. Vir sapiens, i. Christus, plebem suam erudit, per se, & per suos. Et ne putaretur forte esse promissum de temporali salute, ideo addit:

e In remissionem peccatorum eorum,] obtinendam, scil. per quam sanatur anima, & sic habet veram salutem. *Isa.* 43. Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me: Quæ remissio fit omnibus, non meritis ipsorum, sed: *f* Per viscera misericordiæ,] i. per intimam pietatem, & misericordiam.

g Dei nostri,] i. filii. *Isa.* 9. Filius datus est nobis. *B. Bern.* Et ideo totus in nostros usus expensus. *Dan.* 9. Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. *Isa.* 63. Ubi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum, &c. *Col.* 3. Induite vos, sicut electi Dei viscera misericordiæ, &c.

h In quibus,] i. per quæ viscera.

i Visitavit nos,] carne assumpta.

k Oriens ex alto,] verbum patris veræ lucis aperiens ortum. *Zach.* 6. Ecce vir oriens nomen ejus dicit de filio. Visitavit, inquam.

l Illuminare] i. ut illuminaret, quia ipse est lux. *Jo.* 8. Ego sum lux mundi.

m His acquisitive. *Jo.* 9. Ego in judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.

n Qui in tenebris, & in umbra mortis sedent.] Sensus est, ut illuminet corda ipsorum, qui in longa peccatorum, & ignorantiæ cæcitate sunt depressi. Unde in hoc intelligitur illuminatio cordium, quæ illuminatio fit per fidem *Isa.* 9. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, &c. *Job* 28. Lapidem caliginis, & umbram mortis, &c. *Greg. in Moral.* Triplex est umbra mortis.

Prima est oblivio: De qua *Job* 3. Obscurent eum tenebræ, & umbra mortis. *Gl.* idest, oblivio, quæ delet memoriam, ut mors peccatum.

Secunda mors corporis. *Psal.* 22. Si ambulavero in medio umbræ mortis, &c.

Tertia peccatum, sive imitatio diaboli, quia sicut de corpore nascitur umbra, sic de imitatione diaboli peccatum. *Job* 3 Obscurent eum tenebræ, &c.

o Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.] Hic intelligitur illuminatio operum. Et est rectus ordo. Prius illuminantur corda, postea diriguntur opera. *Exod.* 25. Inspice, & fac. *Isa.* 45. Suscitavi eum ad justitiam, & omnes vias ejus dirigam. *Isa.* 26. Domine, dabis pacem nobis: Omnia enim opera nostra operatus es in nobis. *Isa.* 27. Faciet pacem mihi, &c. *Isa.* 57. Creavi fructum labiorum pacem. *Job* 34. Ipso concedente pacem, quis est, qui condemnet? Nota in laudibus matutinis canitur istud canticum de ortu luciferi, scil. Joannis, qui prævenit solem justitiæ. In sexto officio, i. in vesperis propter beneficia sextæ ætatis hymnus B. Virginis. In completorio, propter septimam quiescentium, Simeonis euntis ad quietem. Sequitur:

1. Reg. 2.

p Puer autem, &c.] Hucusque fuerunt verba Zachariæ, quæ sequuntur verba sunt Evangelistæ: Dicit ergo: [Puer autem crescebat] corpore.

q Et confortabatur Spiritu,] Sancto, quia proficiebat in gratia Spir. Sancti.

r Et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.] Dicitur, quod vigintiquinque annis fuit Eremita. *Beda*: Prædicator pœnitentiæ futurus aspera solitudinis elegit, ubi primævam ætatem transegit, ut juvenis liberius ab amore mundi auditores suos revocaret.

EXPOSITIO CAP. II.

FActum est autem, &c.] In primo cap. Lucæ: Primo agitur, de conceptione Præcursoris. Secundo, de conceptione Salvatoris. Tertio, de ascensu B. Virginis in montana, & de cantico ejus, & regressu ejus in domum suam. Quarto, agitur de ortu præcursoris, & circumcisione ejusdem, & nominis impositione, & cantico Zachariæ. In hoc secundo capitulo incipit Lucas narrare per ordinem nativitatem Salvatoris. Et primo, ostendit quando, & ubi natus est Salvator, scil. in Bethleem, ubi præmittitur, qua occasione venerit B. Virgo in Bethleem, eo videlicet, quod de domo, & familia David esset Joseph vir Mariæ matris Domini. Secundo de angelica annunciatione pastoribus facta, & cantu Angelorum audito, & de visitatione pastorum, qui Dominum visitaverunt, secundum quod ab Angelis fuerunt edocti, ibi: [Et pastores erant.] Tertio de pueri circumcisione, & matris purificatione, ibi: [Et postquam consummati sunt.]

Quarto, de Simeonis, & Annæ prophetatione, ibi [Nunc dimittis servum tuum.]

Quinto, de ascensu Mariæ, & Joseph in Jerusalem, ubi puerum amiserunt, & post triduum invenerunt: & de profectu pueri, ibi [Et cum factus esset annorum duodecim.] Fuit autem natus Dominus imperante Augusto, sub quo duodecim annis circa tempus nativitatis Christi videlicet ante, & post, tanta fuit pax in toto orbe, ut ad litteram videretur impletum, quod prædixit. *Isa.* 2. Conflabunt gladios suos in vomeres, &c. Et in hac pace fecit edictum Augustus, ut totus orbis describeretur, mittens per universas regiones præpositos, generale promulgans edictum, ut de singulis civitatibus, & villis, & oppidis ad ipsas civitates pertinentibus, in qualibet civitate Præsides ad suam præsentiam convocarent omnes, & unusquisque pro capite suo, i. pro inscriptione capitis solveret unum nummum argenteum, & profiteretur ore, se esse subditum Romano imperio, & nomen uniuscujusque, & accepta pecunia scriberentur, & scripta deferrentur Romam, & coram Augusto legeretur Scriptura, ita ut sub certo numero posset comprehendere, primo, quotus esset numerus regionum, & per numerum regionum sciret numerum civitatum, & sic numerum personarum.

Hujusmodi ergo subjectionis exhibitio dicitur professio, quia sic ore, & opere profitebatur quilibet se subditum Romano imperio. Dicitur etiam descriptio, quia nomina regionum, & civitatum, & personarum profitentium scribebantur. Tunc etiam primum, sicut dicit *Glos.* facta est Judæa stipendiaria Romanis, a tempore autem Pompeii fuerat tributaria. Vel forte quia constitutio tri-

buti

buti facta sub Pompejo noo dio stetit propter imminens bellum inter ipsum, & Julium, sed quæ fiebat sub Augusto. Ideo dicit *Gl.* Tunc primum stipendiaria, &c. quia accipiebantur tributa a Judæis, & dabantur in stipendium Romanis militibus.

1\. *C A P. II.*

FActum *a* est autem in diebus illis, *b* exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur *c* universus orbis. Hæc *d* descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino. Et ibant *e* omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem. *f* Ascendit autem

Voluit autem Dominus tempore descriptionis nasci, ad innuendum, quod apparituris erat in carne, qui suos ascriberet in æternitate, sicut dicit *Greg.* De qua descriptione dicitur *inf. c.* 10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Voluit autem Dominus tempore pacatissimo nasci, triplici ratione. Primo, ad figurandum, quod ipse erat, qui pacem reformaturus erat inter Deum, & hominem, inter homines, & homines, inter Judæum, & Gentilem, inter hominem, & Angelum. Fecerat siquidem pacem in cœlo, & venit facere eam in terra. Unde *Job* 25. Qui facit concordiam in sublimibus suis. Secundo, ad ostendendum, quod ipse erat amator pacis, quam summopere quæsivit etiam usque ad sanguinis effusionem. Unde: In pace factus est locus ejus. Unde in Natali Domini nullus debet odium in corde tenere. Tertio, ut discipuli, quos ad prædicandum missurus erat, quocumque vellent, secure transire possent. *Isa.* 19. Erit in die illa via de Ægypto in Assyrios, & intrabit Assyrius Ægyptum, &c. Licet autem tempore prædicationis Apostulorum tanta pax non erat, tamen aliqua illius pacis vestigia supererant. Cum autem tanta pax esset, potuit ista descriptio fieri. Nota etiam, quod Salvator noster quadragesimo secundo anno Augusti Cæsaris natus est: In principio cujus regni apparuerunt tres soles in Oriente, qui paulatim in unum solare corpus redacti sunt, ad significandum, quod fides trini, & unius Dei toti mundo manifestanda esset. Et in nativitate Domini Stella creata est, quæ Magis apparuit, Romæ templum pacis corruit, fons olei erupit, Cæsar præcepit, ne quis eum Dominum vocaret, Angelus apparuit pastoribus, multitudo Angelorum laudantium fuit. His visis accedamus ad litteram. Dicit autem. *a* Factum est autem in diebus illis,] quibus crescebat Joannes, vel quibus Maria in domum reversa est post tres menses, quibus cum Elisabeth mansit. *b* Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.] *Interl.* aliam ponit litteram. [Ut censum profiteretur universus orbis terræ,] i. dando censum, vel censu, i. in datione census. Quasi hyperbolice videtur esse dictum, [universus orbis] quia pro majori parte dictum est: Numquam enim omnes gentes subditæ fuerunt Romano Imperio. Et ad mysticum intellectum referendum est, ut per generale Imperium Augusti præfiguraretur generale Imperium Christi. Nulla enim natio est, in qua aliquis non profiteatur Christum: Nec de Augusto, ita fuit verum ad litteram. Omnes etiam descripti sunt in libro Dei, sed quidam ad gloriam in pagina prædestinationis, alii ad gehennam in pagina reprobationis. *Eccl.* 32. Quæcumque trades munera, & appende; datum vero, & acceptum omne describe. *d* Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino.] Nota, quia ante hanc descriptionem videntur fuisse quædam particulares descriptiones: Nam rex quidam Ægyptius Aleaander fecit describere capita hominum in regno suo. Unde secundum *Josephum*, hæc descriptio dicta est prima, non quod fuerit prima, sed quia prima generalis, idest, prima inter generales, in quibus omnes solvebant denarium. Erant autem aliæ speciales pertinentes ad allodia, in quibus, qui plus tenebant de allodio, plus solvebant de censu, & præter hoc exigebatur denarius argenteus ab unoquoque pro capite suo. Alius est sensus secundum *Bedam*, secundum quem non dicitur hæc descriptio prima in respectu, sed nomen ponitur pro adverbio, ut sit sensus; [Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino,] i. tunc, primum facta est, quando Cyrinus missus est a Cæsare in Syriam censor patrimoniorum. *Gloss.* Censor patrimoniorum, i. allodiorum. Non enim exigebat, nisi de allodiis, ut si quis haberet terram suam sub feudo, vel sub censu definito, responderet ei, a quo haberet. Si autem haberet in allodio, cogebatur respondere Præsidi Romano, & sic tantum erat Censor, i. Judex, patrimoniorum, vel allodiorum, ut judicaret quantum tributi singuli Judæorum deberent solvere secundum quantitatem patrimoniorum. Et est intelligendum de speciali patrimonio Judææ, quia Judæa specialiter tunc constituta est tributaria. Quid enim generaliter exigebatur ab omnibus, scil. numerus argenteus novæ monetæ, exigebatur pro professione non pro tributo, scil. ut profiterentur se subditos Romano Imperio. Augustus ergo mittens Præsides ad describendum orbem, primo misit Cyrinum in Syriam, in qua est Judæa, & præcepit, ut exigeret tributa a Judæis, & secundum quantitatem patrimoniorum, major, vel minor erat exactio tributorum, ita forte, ut unusquisque de singulis libris, quas habebat, redderet nummum, & præter hoc tributum exigebatur a Judæis generalis professio, scil. denarius. Unde descriptio illa generalis incepit a tributo Judææ, & inde processit per universum orbem. Tertius sensus est, sed parum differens secundum *Gloss.* quæ talis est. Syria, in qua Judæa est media, & quasi umbilicus totius terræ. Census ergo in medio terræ primum exigitur, ut inde postea usque ad fines terræ exigeretur, & redderetur, q. d. ideo inchoata est descriptio a Syria, quia est umbilicus nostræ terræ habitabilis. Et est quasi alia sententia, ut sit prima quasi, i. primo incepta in medio terræ. Unde bene inceptum est in medio, ut inde fieret progressus undequaque.

Mystice. Nota [Mystice,] quod quadruplex est descriptio, qua Deus describit electos.

Prima per prædestinationem: De qua *cap. infr.* 10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. *Isa. cap.* 4. Et erit omnis, qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur omnis, qui scriptus est in vita in Jerusalem.

Secunda est per gratiæ infusionem. De qua 2. *Cor. c.* 3. Epistola estis Christi ministrata a nobis, & scripta, non atramento, sed spirito Dei vivi.

Tertia per prædicationem. *Matt. c.* 13. Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est patrisfamilias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera.

Quarta erit per glorificationem. *Apoc. cap.* 14. Vidi supra montem Sion agnum stantem, & cum eo centum quadragintaquatuor millia habentes nomen ejus, & nomen patris ejus scriptum in frontibus suis. De his quatuor dicitur. *Rom. cap.* 8. Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, & quos justificavit, hos & magnificavit.

Hanc quadruplicem descriptionem facit Cyrinus præses Syriæ, idest, Christus rector, & judex Ecclesiæ. Cyrinus enim interpretatur hæres, unde significat Christum. De quo *Matth. cap.* 22. Hic est hæres, venite, occidamus eum. *Roman.* 8. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Jesu Christi. Syria interpretatur sublimis; & significat Ecclesiam, quæ in sublimitate virtutum posita est. *Matth. cap.* 5. Non potest abscondi civitas supra montem posita. Denarius, qui pro censo redditur, significat Decalogum legis, in quo vultus regis, idest, agnitio Dei invenitur. Unde *Psalm.* 118. A mandatis tuis intellexi. Ab hoc censu nullus excipitur, quia sine observantia Decalogi nullus salvatur. *Matth. cap.* 19. Si vis ingredi ad vitam, serva mandata. Sequitur:

e Et ibant omnes, ut profiterentur, &c.] In qua oriundus erat.

Mystice. Mystice,] idest, in suam Ecclesiam, in qua debet quilibet profiteri, idest, confiteri laudes, & peccata. Contra Clericos, qui in suis numquam, aut raro confitentur.

f Ascendit autem] secundum situm loci.

A Et Joseph

Mystice.

Mystice. *f* Ascendit autem, &c.] Per hoc significatur, ut dicit *Glos.* ascensus prælatorum, qui debent ascendere de Galilæa, idest, de mundi volubilitate, in Bethleem, idest, in quietem contemplationis, ubi est veri panis refectio. Est autem triplex ascensus Prælati. *Triplex ascensus Prælatus.* Prima est per pœnitentiam, quod notatur per hoc, quod Joseph ascendit cum Maria uxore sua, quam debet habere sociam prælatus usque ad mortem. Unde *Josue cap.* 2. Præcepit Rahab exploratoribus, ut ascenderent in solarium, & operuit eos stipula, idest, pœnitentia. 2. *Reg. cap.* 15. Ascendit David clivum olivarum scandens, & flens nudis pedibus ince-

a & Joseph a Galilæa de civitate *b* Nazareth in *c* Judæam civitatem David, quæ *d* vocatur Bethleem, eo quod esset de domo, & familia David, ut *e* profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. *f* Factum est autem, cum essent ibi, *g* impleti sunt *h* dies † Mariæ, ut pareret, & *i* peperit filium suum primogenitum, *k* & pannis eum involvit, *l* & reclinavit eum in † præsepio, quia non *m* erat ei locus in diver-

al. † nobabet Maria. *al. † præsepio.*

A *a* Et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth,] ubi conceptus est Christus. *c* In Judæam civitatem David,] ut Judæam, sit adjectivum. *d* Quæ] civitas [vocatur Bethleem, eo quod esset de domo, & familia David.] *e* Ut profiteretur, cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.] Eleganter Evangelista historiographi more procedit. Qui enim historici describit contractus emptionum, & has omnes circumstantias debet describere, sc. nomen Consulis, sub quo emptio contracta est, & tempus, io quo facta est, & locum, & testes, ut hæc sint signa, & indicia contractæ emptionis. Bene ergo Evangelista describens Christi nativitatem, quæ emptio fuit, imo redemptio nostra, in signum ejus, & indicium hæc omnia determinavit. *Gloss.* Vocabulum sive nomen Imperatoris, & Præsidis, summam census, potestatem gentis, idest, moltitudinem populi, diem, idest, tempus, locum, idest, Bethleem, causam quare illuc venerat Joseph cum Maria, scil. ut profiteretur. Testes sunt Apostoli, *inf.* 9. & 10. Qui significaverunt Evangelium, i. signis, & miraculis confirmaverunt.

Mystice. O dens, & operto capite. Secundus est per contemplationem, quod significatum est per ascensum Petri. *Act.* 10. Ubi dicitur: Ascendit Petrus in superiora domus, ut oraret: Et hic dicitur, quod Joseph ascendit in Bethleem, i. io contemplationis refectionem. Tertius ascensus est per prædicationem. *Isa.* 40. Ascende to, qui Evangelizas Sion. Et significatur per ascensum Angelorum in scala, quam vidit Jacob. *Gen.* 28.

b De civitate Nazareth,] Nazareth interpretatur flos. Bethleem, interpretatur domus patris. De odore floris, in refectionem panis, sic de flore ad fructum ascendere debemus, idest, de proposito ad opus. 1. *Reg.* 14. Ascendit Jonathas manibus, & pedibus reptans, & armiger ejus post eum. *Amos* 9. Qui ædificat ascensionem suam in cœlo, &c.

e Ut profiterentur, &c.] *Glos.* Ubi profitentur justus, & virgo Christi, nisi ubi Christus nascitur, scil. in pacato corde? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. *Deut.* 30. Quasi dicat, per exteriorem professionem, quam faciebant Joseph, & Maria in Bethleem, ubi Christus natus est corporaliter, exprimitur spiritualis professio voti virginalis, quam uterque fecerat ibi, ubi Christus nascitor spiritualiter, idest, in corde pacato, & postea uterque expressit ore, quia prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, idest, cum verbum Dei, i. propositum est in corde tuo, prope est, ut sit in ore. Sequitur:

f Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies Mariæ, ut pareret.] Evangelista tempus, & locum, in quo peperit, & reclinatorium, in quo puerum editum reposuit, diligenter ad instructionem nostram prosequitur, ut exemplo Christi, & parentum ejus de paupertate instruamur.

h Dies Mariæ,] i. tempus partus Mariæ. Dies dicitur, quia tunc ortus est sol super terram. *Psalm.* 103. Ortus est sol, & congregati sunt. Quia autem sub Cæsare nasci voluit, ejus humilitatem commendat, qui cum esset Dominus omnium alii subjici non dedignatus est, *inf. ead.* Et erat subditus illis. *B. Bern.* Quis? quibus? Deus, hominibus.

g Impleti,] qui prius erant vacui *Job* 7. Menses vacuos ego habui, & noctes laboriosas enumeravi mihi. Sed per Christi adventum omnia sunt impleta: *Gal.* 4. Ubi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum. Tunc fuit lex impleta. *Matth.* 5. Non veni solvere legem, sed adimplere. Uterus Virginis impletur, *supr.* 1. Ave gratia plena. Cor humanum repletum est: *Jo.* 1. Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est. *Ps.* 32. Misericordia Domini plena est terra. Sequitur:

i Et peperit filium suum primogenitum,] *Beda* Non post quem alius, sed ante quem nullus: In quo eliditur hæresis Helvidii. *Bern.* Considera, quod in Bethleem Judæ Christus nascitur, & sollicitus esto quomodo Bethleem Judæ inveniaris. Bethleem Judæ es, si corde credas ad justitiam, ore autem confitearis ad salutem. Bethleem, interpretatur domus panis. Judas confessio: Justitia in corde est panis, quem Deus esurit. Item iste panis munditia est. Unde Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam. Item *Cant.* 2. Qui pascitur inter Lilia. Bethleem ergo se exhibet, qui Deo præparat munditiam in corde. *k* Et pannis eum involvit,] Pondus est in verbo, pannus enim vilitatem, & vetustatem notat. Unde pauperes dicimus pannosos, qui multiplicitatē pannorum mutilium consuunt *Phil.* 2. Habitu inventus ut homo. *Job* 38. Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens, cum nubem ponerem vestimentum ejus, & caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem? Mare est Christus, a quo omnia flumina gratiarum. *Eccl.* 1. Omnia flumina intrant in mare, &c. Hoc mare conclusit ostiis Deus Pater, quia certos terminos prædicandi ei assignavit. *Matth.* 15. Non sum missus nisi ad oves, quæ perierant domus Israel, &c. Nubes caro ejus. *Isa.* 19. Ascendit Dominus super nubem levem. Caligo, paupertas, & vilitas ejus. *Isa.* 53. Non est ei species, neque decor. *l* Et reclinavit eum io præsepio,] ut cibum jumentorum. Homo enim jumentum factus est. *Psal* 48. Homo cum in honore esset non intellexit, &c. Ideo Dominus factus est fœnum, quod est cibus jumentorum, i. caro. *Isa.* 40. Omnis caro fœnum. *Bern.* Si rex est, ubi Aula regia, ubi Thronus regius, ubi curiæ regalis frequentia? Matris præsentia. Nota, quod non legitur eum tetigisse, & hoc propter reverentiam pueri quem sciebat de Spir. Sancto conceptum esse.

Mystice. Mystice.] Ponitur in præsepio, i. corpus Christi super altare. *m* Quia non erat ei locus] supple alius [in diversorio.] *Glos.* Eger loco, ut nos in cælis habeamus mansiones. Secundum alias *Glos.* ideo in via nascitur, quia viam nobis ostensurus erat. Unde locus nativitatis convenit nato; ipse enim est via. *Joan.* 14. Tertio, in diversorio, ideo nascitur, ut nos doceat, non palatia, sed diversoria in hoc mundo quærere. *Tullius*: Commorandi nobis natura diversorium non habitandi dedit. *Tullius de senectute.* 4. *Reg.* 4. Divertebat ad eam, ut comederet panem. 3. *Reg.* 18. Deus vester forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere. *Genes.* 41. Apertoque unius sacco, ut daret jumento pabulum in diversorio. *Isidor.* Diversorium dicitur, quia ibi diversi conveniunt. Secundum *Bedam*, quia diversa habet orificia, idest, ora. Est enim platea vacua inter duos vicos habens introitum & exitum ad utrumque vicum, & propter intemperiem aeris coopetta, ut in festivis diebus cives ibi convenirent ad confabulandum, & colludendum. Et dicit *Joannes Chrysostomus*, quod propter multitudinem eorum, qui convenerant causa faciendæ professionis, non invenerunt sibi domum hospitalem, sed nocte illa in diversorio manserunt, & ibi peperit, & puerum editum reclinavit in præsepe. Quia autem repositus dicitur inter bovem, & asinum, non multum, inquit, de auctoritate habetur. Volunt tamen quidam referre ad prophetiam, qua dictum est: Bos cognovit possessorem suum, &c. *Isa.* 1. Et *Hab.* 3. In medio duorum animalium cognosceris. Et de asino quidem probabile est, quod adduxerit eum Joseph, super quem sederat sponsa prægnans, & paravit ei præsepe in alia parte diversorii. De bove autem non multum probabile est, nisi forte habuerit eum quis venalem. Et diversorium mystice significat Ecclesiam, quæ quodammodo media est inter mundum, & Paradisum, &c.

Præsepe Domini. {
- Ecclesia, *Isa.* 1. Bos, i. Judæus cognovit possessorem suum, & asinus, i. Gentilis conversus præsepe Domini sui, &c.
- Sacra Scriptura. *Prov.* 14. Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est, i. ubi non sunt expositores, littera vacua est.
- Crux Domini, in qua cibus Angelorum factus est cibus jumentorum. *Job* 39. Numquid volet Rhinoceros servire tibi, idest, Christus, aut morabitur ad præsepe tuum, i. quod pro te subiit?
- Claustrum. 3. *Reg.* 4. Habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equorum equestrium, i. quadraginta millia

Eccle-

Ecclesias clericorum sæcularium, & duodecim millia, claustra virorum claustralium, &c.

a Et pastores erant in regione eadem.]

Moral. Moraliter. *Eccl. c.* 32. Rectorem te posuerunt, &c. Juxta turrim quamdam inter Bethleem, & Jerusalem, ubi Jacob rediens a Mesopotamia moratus est cum grege suo, ubi Rachel mortua est, & sepulta. Et dicitur turris gregis: *Gen. c.*35. Et *Mich. c.*4. Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, &c. *b* Vigilantes] primo pro se, & postea custodientes, &c. *Act. c.* 20. Attendite vobis, & universo gregi, &c.

sorio. E *a* pastores erant in regione eadem *b* vigilantes, & *c* custodientes vigilias noctis supra gregem suum. Et *d* ecce Angelus Domini stetit juxta illos, *e* & claritas Dei circumfulsit illos, *f* & timuerunt timore magno. Et dixit illis *g* Angelus: Nolite timere: *h* Ecce enim † evangelizo

† annuncio.

c Et custodientes vigilias noctis super gregem suum,] non alienum, de quo non requiritur ratio. *Jerem.* 13. Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum, *inf.* 16. Redde rationem villicationis tuæ, non alienæ. Et expone de quadruplici grege tuo, idest, animarum, virtutum cogitationum, operum.

Mystice. Mystice. Per istos pastores significantur boni prælati, qui super grege suo custodiendo pervigilant diligenter tanquam redditurí rationem pro grege. Unde *Heb. c.*13. Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: Ipsi enim pervigilant, quasi rationem, &c. Vel dicit *Chrys.* O prælate tanto igni submittis caput tuum, miror, si quem contigerit salvari de his, qui principantur in tantis minis, & tanta pigritia: Video tamen currentes, & sponte se projicientes in pericula. *Sap. c.*6. Durissimum judicium his, qui præsunt, fiet. Sed hoc de malis pastoribus dicitur. De bonis, *Prov. c.* 12. Novit justus animas jumentorum suorum, viscera autem impiorum crudelia, *Prov. c.* 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera: Non enim habebis jugiter potestatem, &c. Merito autem illa hora vigilare dicuntur pastores, quia natus erat summus pastor, qui de suis ovibus usque ad ultimum exiget rationem, cum venerit greges suos visitare, dicens cuilibet pastori, & dicturus in die judicii: Ubi est grex, qui datus tibi, pecus inclytum istum? *Jer. c.*13. 3. *Reg. c.* 20. Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus. Debent igitur vigilare pastores, a quibus tam districta ratio requiretur, & maxime, quia lupi insidiantur gregi, idest, dæmones non dormiunt, 1. *Petr. c.* 5. Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, &c. Item quia præceptum est eis. *Marc. c.*13. Videte, vigilate, & orate. Item *ibid.* Et janitori præcepit, ut vigilet.

Item quia vigilantibus promittitur merces, *inf. c.* 12. Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit sic facientem, idest, vigilantem.

Item quia incertum est de adventu furis, vel Domini. De fure *inf. c.* 12. Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, &c. De Domino: *Matth. c.*25. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. Sunt autem quatuor vigiliæ noctis. Conticinium, intempestum, gallicantus, antelucanum. De quibus dicitur *Marci c.* 13. Vigilate ergo, nescitis enim, quando Dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.

Quatuor sunt vigiliæ.

In prima vigilaverunt Patriarchæ super gregem Domini usque ad Moysen.

In secunda duces, & judices usque ad David.

In tertia reges, & prophetæ usque ad captivitatem Babylonicam.

In quarta sacerdotes usque nunc. Sunt similiter quatuor noctes, in quibus vigilandum est.

Prima est malorum tyrannorum persecutio: De qua *Cant. c.*3. In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea.

Quatuor sunt noctes.

Secunda peccatum. *Psalmus* 6. Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

Tertia dæmonum tentatio. *Job c.*30. Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, non dormiunt, &c.

Quarta qualibet tribulatio. *Is. c.*15. Nocte vastata est Arnon, quæ interpretatur arca mœroris, vel maledictio, idest, peccatrix anima.

In prima nocte vigilandum est super gregem Dominicum, ne diripiatur ab Hæreticis, a tyrannis, a falsis fratribus, ab Antichristo, & antichristianis. Primi siquidem conantur auferre fidem, secundi substantiam, tertii mores, quarti vitam.

In secunda nocte vigilandum est similiter super gregem virtutum, ne diripiatur a quadruplici genere vitiorum. Quorum primum est noxia delectatio, secundum ad opus explendum deliberatio, tertium tenax consuetudo. Quartum desperatio. Et significantur per erucam, locustam, bruchum, & rubiginem. De quibus dicitur *Joel c.*1. Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. Eruca est morosa delectatio, locusta volitans deliberatio, bruchus consuetudo, rubigo desperatio.

Item in tertia nocte vigilandum est super gregem cogitationum, & affectionum, ne diripiatur a quadruplici genere tentationum, idest, levi & occulta, levi & aperta, gravi & occulta, gravi & aperta. De quibus *in Ps.* 90. Non timebis a timore nocturno, a sagitta, &c.

Item in quarta nocte vigilandum est, super gregem operum, & locutionum, ne diripiatur a quacumque tribulatione, vel adversitate, sive inferatur a Deo, sive a proximo, sive a diabolo, sive veniat a seipso. Hæc sunt quatuor cornua, quæ ventilaverunt Judam, & Israel, & Jerusalem, ut dicitur *Zach. c.*1.

d Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos.] Nota, sicut dicit *Beda*. Et concipiendum, Mariæ. *Supra capitulo* 1. & conceptum, Joseph: *Matth. capitulo* 1. Et natum Dominum, hic cives cœli testantur, ut & mortales sufficienter imbuant, & suum auctori servitium impendant.

e Et claritas Dei circumfulsit illos,] idest, ex omni parte illorum fulsit, sive radios sui luminis aspersit, ut sit pondus in verbo, nec tale invenitur in tota serie veteris testamenti. Et nota, quia verbo, & luce astruitur ortus Domini, quia ipse est & verbum, & lux. *Jo. c.*1. Verbum caro factum est, &c. *Jo. c.*8. Ego sum lux mundi.

Et nota, quia dupliciter honorantur pastores vigilantes, consortio, & allocutione Angelorum, & claritatis divinæ illustratione. Unde *Beda*. Vigilantibus pastoribus apparet Angelus, & eos claritas circumfulget, quia illi præ ceteris sublimia videre merentur, qui fidelibus sollicite præsunt, super quos divina gratia largius coruscat, 1. *Tim. cap.*5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. *Dan. cap.* 12. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, &c. Tunc claritas aliquem circumfulget, cum retro per justitiam punit mala præterita, ante per prudentiam cavet futura, a dextris per temperantiam non dissolvitur per prospera, a sinistris per fortitudinem non frangitur per adversa. Vel claritas illum circumfulget, qui non solum videt pericula, quæ habet ante oculos, sed etiam ea, quæ habet ad dorsum, nec solum ea, quæ habet a sinistris, sed etiam ea, quæ habet a dextris.

Quidam vident solum pericula, quæ habent ante oculos: Mortem habet ante oculos senex, vel infirmus, sed sanus, & juvenis habet post dorsum, quasi in insidiis. Unde *Seneca*. Juvenes habent mortem a tergo, & senes ante oculos. Quidam timet pericula solum a sinistris, idest, ab adversitate, cum tamen majus sit periculum in prosperitate. Unde. Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis.

f Et timuerunt timore magno.] Sic Manus exterritus ad visionem Angeli dixit: Morte moriemur, quia vidimus Dominum: *Jud. c.* 13. Sic mulieres, *Marc. ult.* In quo apparet liquide, quantum sit diminuta dignitas hominis per peccatum, qui creatus est ad Dei visionem, & non potest sustinere Angelicam.

g Et dixit illis Angelus, nolite timere, &c.] Hic est mos boni Angeli perterritos consolari. *Marci ultimo.* Nolite expavescere. E contra mos mali Angeli est territos magis terrere. Unde in adventu mali semper crescit timor, in adventu boni semper decrescit, sicut dixit *Greg.*

h Ecce enim Evangelizo vobis, &c.] Triplici ratione, primo nunciatur pastoribus nativitas Salvatoris. Prima est, quia pauperes erant, & propter pauperes venit ipse in mundum, & ipsorum est regnum cœlorum: *Matth.* 5. *Psalm.* 11. Propter miseriam inopum, & gemitum paupe-

pauperum nunc exurgam dicit Dominus. *Is.* 61. Ad Evangelizandum pauperibus misit me: Secunda, quia simplices erant, & innocentes, & tales faciliter obediunt, & credunt, quod dicitur eis. *Prov.* 14. Innocens credit omni verbo, Et hic dicitur. Et venerunt festinantes, &c. Tertia ratio est mystica, ad innuendum, quod prælatis, & doctoribus Ecclesiæ, quorum typum gerunt isti pastores, vigilantibus super gregem suum, revelat Dominus primo se, & secreta sua, ut ipsi aliis revelent, sicut montes primo rapiunt radios solis orientis, *Ps.* 71. Suscipiant montes pacem populo.

al. † nobis.

Inf. eod.

al. † præsepe.

vobis *a* gaudium magnum *b* quod erit omni populo, quia *c* natus est † vobis hodie Salvator, *d* qui *e* est Christus Dominus in civitate David. *f* Et hoc vobis signum: *g* Invenietis infantem pannis involutum, & positum in † præsepio,

a Gaudium magnum,] dicitur quadruplici ratione. Prima, quia natus est hæres in regno Ecclesiæ. *Mich.* 1. Adhunc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa, idest, in amaritudine: Loquitur toti Ecclesiæ: Sic Abraham, & Sara lætati sunt de ortu Isaac. *Gen.* 21. Dixit Sara: Risum fecit mihi Dominus. Secunda, quia natus est Ecclesiæ propugnator, qui devicto hoste abstulit opprobrium de Israel. *Is.* 25. Opprobrium populi sui auferet de universa terra, 2.*Reg.*7. Dixit David: Nunc vadam, & auferam opprobrium populi. Unde Angelis quærentibus: Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Respondit: Ego, qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum. *Is.* 63. Tertia ratio est, quia natus est Salvator perditorum, sicut dicit hic Angelus: Et *Zachar.* 9. Exulta satis filia Sion, Jubila filia Jerusalem, ecce rex tuus venit tibi justus, & Salvator. Quarta ratio est, quia salus venit omni populo: Unde sequitur.

Gaudium magnum quadruplici ratione.

b Quod erit omni populo,] non solum multis, ut in nativitate Joannis, *supra primo*. Et multi, &c. Vel, [Omni populo,] idest, Ecclesiæ de omnibus populis colligendæ.

c Quia natus est vobis hodie Salvator,] vel [nobis,] quia consortio hominum implendus est numerus Angelorum. [Hodie] dicit, cum non esset, qui gaudium venerat nunciare. Unde non pro qualitate temporis dictum est hoc, sed pro qualitate rei, quia enim rem lætam nunciabat, convenientius dicit hodie, quam nocte, cum sit una dies naturalis dies, & nox. Ubi enim de tristibus agitur, solet fieri mentio de nocte, ut in negatione Petri, & egressu Judæ: Et *Matth.* 26. omnes scandalum patiemini in me in hac nocte. Alia ratio est, quia sol jam ortus erat super terram, unde erat vere dies, ideo in nocte illa celebrat Ecclesia solemniter Missam. *Psal.* 138. Et nox sicut dies illuminabitur. Item. Et nox illuminatio mea in deliciis meis.

d Qui est Christus Dominus in civitate David.] Sic ordina litteram,

c Natus est nobis Salvator in civitate David,] idest, in Bethleem. Unde David natus est.

d Qui,] scilicet, Salvator.

e Et Christus Dominus,] i. unctus Dominus, mansuetus, sc. & benignus. Per hoc enim, quod Christus sonat unctus, notatur dignitas ejus, quia solum ungebantur reges, & sacerdotes. Ipse est ergo rex, sive Messias, de quo prophetatum fuerat.

f Et hoc vobis signum:] quod natus sit.

g Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.] *Gloss. Bern.* Signum salutis est fidelibus humilitas Salvatoris, quæ est opposita superbiæ, per quam mors in mundum intravit, q. d. aliquis, quare tota die facis mentionem de humilitate Christi? quia signum est salutis adipiscendæ, vel acquirendæ. Tanta enim Christi humiliatio, argumentum est dandæ nobis ab eo salutis, signum est salutis nobis acquirendæ, i. exemplum est nobis, & indicium, qua via debeamus quærere salutem. Nam per superbiam salutem amisimus, ideo necesse est, ut si redire volumus, per oppositam viam redeamus, i. per humilitatem. Et huic sententiæ magis congruit finis. *Gloss.* Nota, quod tria signa dat Angelus pastoribus, per quæ possent Dominum invenire, sc. puritatem, paupertatem, humilitatem. Puritas intelligitur per infantem. Paupertas per pannorum involutionem. humilitas per præsepis reclinationem. *Bern.* In signum sunt positi panni tui, Domine Jesu, sed in signum, cui a multis hodie contradicitur. Multi quippe vocati, sed non multi electi, & ideo nec signati. Certum signum est, quod aliquis sit de populo salvatoris, cum Christi humilitatem imitatur. Unde: Tu populum humilem facies. Tria prædicta signa quærit populus in vicariis Christi, sed non invenit. Unde *Ps.* 72. Signa nostra non vidimus, &c. Hæc signa terribilia sunt multis, cum tamen per hæc inveniatur Dominus. Unde *Ps.* 64. Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terram a signis tuis. *Jo.* 3. Testimonium ejus nemo accipit, idest, pauci, qui autem acceperit, signavit, i. signo ostendit, quia Deus verus est, qui hæc signa dedit per Angelum. De his signis dicit *Eccl.* 36. Innova signa, & immuta mirabilia. Innovata fuerunt hæc signa nativitatis in passione, quia in nativitate fuit infans, in passione clamans. In nativitate pannis involutus, in passione vestibus nudatus. In nativitate reclinatus in præsepio, in passione affixus in patibulo. Immutata fuerunt, & mirabilia, quia ibi ortus est Sol in media nocte, hic occidit Sol in Meridie. *Amos* 8. Occidet Sol in Meridie. Ibi Joseph Deum pannis involutum reclinavit in præsepio, hic Joseph alius Deum syndone involutum posuit in sepulchro. Ibi æternus nascitur, hic æternus moritur. Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in filio. Locutus est autem in eo non loquente, cum adhuc infans esset, quinque verba, sc. verbum consolationis, increpationis, exhortationis, consilii, eruditionis. Verbis consolationis locutus est, quia sicut dicit *Aug.* magna consolatio est membris ex capite. Unde in die Natalis legitur illud. *Is.* 40. Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester. Sed non omnes consolatur Christi nativitas. Unde *Bern.* Non consolatur Christi infantia garrulos, non consolantur Christi lacrymæ cachinnantes, non consolantur panni ejus ambulantes in stolis, non consolatur stabulum, & præsepe amantes primas cathedras in Synagogis. *Bern.* Agnosco certe, agnosco Jesum magnum sacerdotem sordidis opertum vestibus, pannosos, & laborantes Christi nativitas consolatur.

Hebr. 1.

Quare multa hodie auro, & gemmis fulgent altaria? Et subjungit: Putas, ad hoc divertent Angeli, & pannosos homines declinabant? Si ita, cur magis pastoribus ovium apparuere, quam regibus terræ, quam Sacerdotibus templi? Idem. Sane ad consolationem accedit ipsa, quæ pastoribus vigilantibus exhibita est visitatio, & allocutio Angelorum. Agnoscant omnes quantum placeat superbis civibus labor, cujus spiritualis intentio est, quandoquidem & eos, qui pro victu corporis corporali eos urgente necessitate laborant, suo dignantur eloquio, & alloquio tam fælici: Nimirum humanum in eis cognoscunt ordinem, quo constituit Deus, ut in sudore vultus sui vescatur Adam pane suo. Increpat autem Christi nativitas se laudantes, & se ostentare cupientes. Unde *Bern.* Nocte voluit Christus nasci, ubi sunt, qui impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Denique tacet Christus, & ecce annunciat Angelus, laudat multitudo coelestis exercitus. Laudet te os alienum, sileat tuum. Exhortatur Christi nativitas ad pœnitentiam. Unde *Bernard.* Age pœnitentiam, hoc tibi prædicat stabulum illud, hoc præsepe clamat, hoc membra illa infantilia alloquuntur, hoc lacrymæ, & vagitus evangelizant. *Bernard.* O duritia cordis mei, utinam, Domine, sicut verbum caro factum est, ita & cor meum carneum fiat.

Plorat quippe Christus, sicut ceteri, at non queritur sicut ceteri: illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Ideo lacrymæ Christi mihi & pudorem pariunt, & dolorem. Ludebam ego foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis, audivit hoc unigenitus ejus, exuit se porro diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, & flens, & ejulans, quod morte damnatus esset servulus.

Intueor illum subito procédentem, stupeo novitatem, causam percontor, & audio, quid factus sit, adhuc ne ludam, & deludam lacrymas ejus? Plane si insanus sum, & mentis inops, non sequar eum: nec simul cum lugente lugebo, erit inde pudor, dolor, & timor. Unde? Utique ex consideratione remedii periculi mei æstimo quantitatem. Filius Dei jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce homo, quam gravia sunt illa vulnera, pro quibus necesse est Christum Deum vulnerari. Sic medicinæ æstimatio, & timoris, & doloris exaggeratio est.

Idem;

Et *a* subito facta est cum Angelo multitudo militię cœlestis, *b* laudantium Deum, & dicentium: Gloria in Altissimis Deo, *c* & in terra *d* pax hominibus bonæ voluntatis, Et *e* factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in *f* cęlum, *g* pastores loquebantur ad invicē:

Idem. Compatitur Dei filius, & plorat, homo patitur, & ridebit? Consuluit etiam Christus facto, ut molestiæ præeligerentur deliciis. Unde *Bernar.* Elegit filius Dei tempus, quod molestius est, præsertim parvulo, & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, & præsepe ad reclinandum, & cum tanta esset necessitas, nullam audio fieri pellium mentionem. Idem. Non est tale judicium mundi, aut iste fallitur, aut mundus errat, sed divinam falli impossibile est sapientiam. Idem. Christus utique, qui non fallitur, elegit, quod carni est molestius. Id ergo melius, idest utilius idest, magis eligendum, & quisquis aliud docet, vel suadet, ab eo tanquam a seductore cavendum est. Docuit etiam Christus in nativitate pretiosum esse, quod a mundo contemptibile judicatur. Unde *Bern.* Forte aliquis arbitretur filio Deo sublimia esse quærenda palatia, ut cum gloria rex gloriæ susciperetur, sed non propter hoc a regalibus sedibus venit ille, horum omnium æterna in cœlis affluentia suppetebat, sed paupertas non inveniebatur in eis. Hanc itaque Dei filius concupiscens, descendit, ut eam sibi eligeret, & nobis quoque sua æstimatione faceret pretiosam. Adorna thalamum tuum, Sion, sed humilitate, sed paupertate. *a* Et subito facta est, &c.] exercitus. Duplici ratione, sicut dicit Beda, sc. ne parva videatur unius Angeli auctoritas.

[margin: De ... Chr. de hymni ...]

D

Item uno evangelizante multitudo in consonam laudem prorumpit, ut & officium suum Deo impendat, & nos instruat, ut quoties sacram eruditionem fratris ore audimus, Deo laudes corde, ore, & opere reddamus. Item exercitus nominatur, qui sequebantur militiæ ducem, qui contra malignos spiritus ad tutelam nostram Angelorum ordinat exercitum.

b Laudantium Deum, & dicentium; Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.] In Græco textu est, bona voluntas. Nota, quod sequitur in Hymno hoc angelico, *Hilar.* dicitur composuisse, & auctoritate Telesphori Papæ, solis Episcopis licebat incipere, quod adhuc in die cœnæ observabatur alicubi. Symmachus vero Papa attendens, quod Sacerdos Angelus Domini est, ut dicitur *Malac.*2. & 1.*Cor.*11. statuit, ut omnes Sacerdotes canerent hunc Hymnum in festis: Gloria in altissimis Deo. Hic innuitur, qualis sit cœlestium civium operatio. Eorum enim operatio est assidua Dei laudatio, in quo verbo inhabitantes terram ad Dei glorificationem admonentur. Deum autem glorificat, qui eum naturaliter laudat, qui operibus suis eum honorat, ea propter ipsum faciendo, & qui proximo suo materiam glorificandi Deum ministrat, dando ei bonum exemplum. Juxta illud. Sic luceant opera vestra coram hominibus, &c. Et qui gloriam sibi oblatam recusat propter Deum dicens. Non nobis, Domine, non nobis, &c. Et hoc valde difficile. Unde *Greg.* Difficile est, humanam gloriam non appetere, sed difficillimum est oblatam respuere: Deum etiam glorificat, qui frequenter eum bonorum suorum auctorem recogitat, non seipsum. Ideo Christo nato hoc cantant Angeli, quia ipse erat patrem glorificaturus. Unde *Jo.*17. Pater glorifica filium tuum, ut filius tuus glorificet te. Merito canitur ei Gloria in altissimis, idest, ab altissimis, idest, ab Angelis, idest, merito glorificatur ab Angelis per reparationem Angelicæ ruinæ, & canitur, idest, nunciatur pax hominibus cum ipsis Angelis.

[margin: Matth. 5. Ps. 113.]

[margin: Mystice.] Mystice. Altissimi sunt, qui in ultimo gradu humilitatis sunt, & in his sedens est Dominus, & ab his laudatur. *Ps.*8. Ex ore infantium, &c.

Gloria {
- Alicujus magnifici late patens præconium *sup.*1. Magnificat anima mea Dominum
- Frequens fama cum laude. Tullius *Ps.*33. Benedicam Dominum in omni tempore, &c.
- Ore multorum celebrata laudatio. *Ps.*116. Laudate Dominum omnes gentes, &c.
- Clara cum laude lætitia. *Psal.* 1. Lætamini in Domino, &c.

c Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis,] qui suscipiunt natum Christum, non his, qui audita ejus nativitate sunt turbati, & eum persecuti, ut Herodes. *Matth.*2. Quia non est pax impiis, dicit Dominus. *Isa.* 48. & 57. *Bern.* Angelus sic distinguit, ut Deo sit gloria, hominibus pax. Sed quia filii Adæ cupiunt, quod Dei est, sc. gloriam; pacem perdunt, & gloriam. *Isa.* 42. Gloriam meam alteri non dabo. Insinuantur autem nobis duo in hoc verbo, sc. quis sit fructus bonæ voluntatis, & quam facile jam sit homini pacem habere. Fructus autem bonæ voluntatis est pax. Nec est parvus iste fructus. Unde *Gloss.* super illud. Pax super Israel. Uno verbo dicit omnia bona. E contrario non est pax impiis, non est impius, quin ad minus habeat bellum intestinum, superiore parte rationis inferiorem accusante, & condemnante. Facile etiam habetur jam pax, cum sola bona voluntas ad hoc sufficiat. Unde *Aug.* Nihil tam facile est bonæ voluntati, quam ipsa sibi, & hæc sufficit Deo. Verissime igitur Angeli clamaverunt.

[margin: Ps. 124.]

d Pax hominibus bonæ voluntatis.] Et nota, quia quadruplex pax datur hominibus, qua indigebant, propter quadruplicem discordiam, sive guerram, quam habebant. Prima erat inter Deum, & homines, præter præcepti transgressionem. Secunda, inter Angelos & homines, propter Adæ, & Evæ ejectionem. Unde dicit *Greg.* Quando extranei eramus a Deo, extraneos nos Angeli deputabant, &c. Unde quodammodo naturam humanam despiciebant. Unde antea se permittebant adorari ab hominibus, sed post incarnationem non, ut *Apoc.ult.* & 19.

Tertia guerra erat inter homines, & homines, propter diversarum legum æmulationem. Quarta inter carnem, & spiritum, propter mutuam altercationem. Primo enim spiritus corrupit carnem, & nunc caro corrumpit spiritum. Venit ergo Dei filius, & satisfecit Patri pro homine, factus obediens usque ad mortem. *Phil.* 2. Et facta est pax inter Deum, & homines. De qua dicitur *Is.*25. Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi. Et secundum hoc dicitur, mediator Dei, & hominum. 1. *Tim.*2. Guerram inter Angelos, & homines pacificavit, quia de ipsis hominibus ruinam Angelicam reparavit, quod ipsi rogant in *Ps.*50. Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem. De hac dicitur *Is.*57. Veniat pax, requiescat in cubili suo, &c. Vos autem accedite huc, idest, in cœlum filii auguratricis, idest, homines.

Item *in eod.* Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei, qui prope est, idest, Angelo, & qui longe est, idest, homini dixit Dominus.

[margin: Quadruplex pax.]

Secundum hoc dicitur Salomon, i. pacificus. Et dicit *Gl.Bern.* Quia Deus, & homo nascitur, hominibus pax cum ipsis Angelis canitur, i. cum gaudio nunciatur, & gloria Deo, qui ab Angelis pro nostra redemptione, & pro sua reparatione glorificatur. Item guerra inter homines, & homines pacificavit, quia omnes in unam Ecclesiam, & fidem unicam convocavit. *Jo.*10. Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus pastor. *Eph.*2. Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Secundum hoc dicitur lapis angularis. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem. Item guerram inter spiritum, & carnem pacificavit in se utrumque concorditer assumens, & pacifice gerens. Unde *Ps.* 48. Simul in unum dives, & pauper, i. spiritus, & caro in Christo concordes. De hac pace dicitur in *Ps.* 75. In pace factus est locus ejus. *Eph.* 2. Medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua, legum mandatorum decretis evacuans, ut condat duos, i. spiritum, & carnem in semetipsum, in unum hominem faciens pacem. Secundum hoc dicitur Emanuel. *Is.*7. Sic plene reformata est pax hominum per Christum. Ideo dicit *Ps.* 11. Pax multa diligentibus legem tuam. *e* Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli,] idest, postquam eorum aspectibus se subtraxerunt ascendentes.

[margin: Is. 26.]

f In cœlum,] consummato negotio sibi injuncto, in quo instruitur homo, ut non cesset, donec impleverit, quod sibi injunctum est, *Ps.* 103. Exivit homo, i. Christus, ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam. *g* Pastores loquebantur ad invicem] credentes verbis Angeli. Bene congruit, quod pastores præbent testimonium de Christo, quia ipse est agnus. Ad pastores autem pertinet de agnis, & ovibus, & hujusmodi.

a Transeamus usque Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum est,] quod videre est vita æterna. *Jo.* 17. Hæc est vita æterna, &c.

c Quod fecit Dominus, & ostendit nobis.] Nota, quod hæc dictio [verbum] in sacra Scriptura interdum accipitur pro re digna recitatione. Unde non fuit verbum in domo, quod non ostenderim eis, i. res pretiosa, dixit Ezechias *Is.* 39. Et ita potest exponi ad literam.

a Transeamus usque Bethleem, & b videamus hoc verbum, quod factum est, c quod d fecit e Dominus, f & ostendit nobis. Et g venerunt festinantes, & h invenerunt Mariam, & Joseph, i & infantem positum in † præsepio. k Videntes autem l cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc, m & omnes, qui audierant, n mirati sunt, & de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos.

al. † præsepe.

b Videamus hoc verbum, quod factum est,] idest, rem, quæ facta est.

c Quod,] idest, quam rem. e Dominus fecit, & ostendit nobis,] per Angelos. Et de hoc non habetur aliqua *Gl. Baruch.*3. In terris visus est. Aliter.

b Videamus hoc verbum, quod factum est,] i. verbum Dei, quod incarnatum est.

c Quod Dominus,] idest, tota Trinitas.

d Fecit incarnari] idest, cujus incarnationem tota Trinitas operata est.

f Et ostendit nobis.] *Gl. Bed.* Quod in principio erat apud patrem, factum est caro, & sic ostensum est nobis, quod in Deitate non poterat videri 1. *Jo.* 4. Deum nemo vidit unquam. Sed nunquid potest videri verbum, quod incarnatum est? Potest utique. *Gl. Amb.* quia cum caro Domini videtur, verbum videtur, quod est filius Dei. c Quod Dominus,] Pater, & Filius, & Sp.sanctus. d Fecit.] i. incarnari constituit, & sic factum ostendit. Nota etiam, quia per [factum est,] & [fecit] duplex intimatur in Christo natura, spiritualis, sc. & corporalis, idest, anima, & corpus utrumque factum.

a Transeamus usque Bethleem, &c.]

Mystice. Mystice. Instruuntur hic Prælati Ecclesiæ, qui significantur per pastores, nam sicut pastores ad verbum Angeli festinantes iverunt Bethleem, & postea redierunt ad greges suos, ita prælati aliquando debent ire in requiem contemplationis, ut ibi pane cœlesti reficiantur, & postea redire ad subditorum provisionem. Hoc Jacob demonstravit de Lia, transiens ad amplexus Rachel, & iterum revertens ad Liam. Et ideo duplici nomine, id est, Jacob, & Israel appellatur.

Moral. & Anag. Moral. autem, & Anagogice simul, per Bethleem designatur cœlestis patria, quæ est domus panis, domus refectionis, quia ibi panis vitæ plenæ comeditur usque ad satietatem. Sicut dicitur *Eccl.*15. Cibavit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit illum, *inf.*14. Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. *Ps.*83. Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Etiam ipsum laudare Deum, est comedere panem, vel gratias reddere post comestionem *Is.* 65. Servi mei comedent, &c. Ad hanc Bethleem triplici transitu pervenitur.

Primus transitus est de vitiis ad virtutes. Secundus de virtute in virtutem, tertius de mundo ad patrem.

Et est significatus hic triplex transitus per triplicem transitum filiorum Israel. Quorum primus fuit de Ægypto in desertum per medium maris rubri. Secundus fuit per desertum, de loco ad locum. Tertius fuit de deserto in terram promissionis per medium Jordanis. Primus est transitus de statu peccati ad pœnitentiam per contritionem, & confessionem. Mare enim rubrum significat contritionem, & confessionem, per quæ transitur ad satisfactionem. Mare enim est amaritudo, quæ est in contritione, Rubor est erubescentia, quæ est in confessione. Et de isto mari rubro dicitur in *Ps.*135. Qui divisit mare rubrum in divisiones, quia tam contritio, quam confessio debet discreta & singillatim fieri, non in universali sed in singulari, sicut fuerunt peccata. Unde *Ps.*6. Lavabo per singulas noctes lectum meum. De isto transitu, *Cant.*3. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, i. in desertum pœnitentiæ, sicut virgula fumi, i. humiliter, & devote ex aromatibus myrrhæ, & thuris, i. cum cordis amaritudine, & orationis devotione. Secundus transitus est per desertum pœnitentiæ, i. profectus de virtute in virtutem. Hic est transitus de mari rubro usque ad Jordanem, ubi occurrerunt multa impedimenta, sicut patet in *lib.Num.* Sed specialiter ibi tria ponuntur, quæ majora fuerant, sc. tres reges, qui transitum filiorum Israel volebant impedire. Primus fuit Edom, a quo transitum requirentes satis rationabiliter dicebant. Obsecramus, ut liceat nobis, &c. Cui respondit Edom. Non transibitis me. *Num.*20. Secundus rex fuit Sehon Amorrhæus. Cui mandavit Moyses. Obsecro, ut transire mihi liceat, &c. *Num.*21. Tertius res est Og, rex Basan. Cui Moyses nullum misit nuncium, quia ille occurrerat ei pugnaturus contra eum. *Num.*21. Contra primum non pugnaverunt filii Israel, sed declinaverunt, & circumeundo terram ejus transierunt sicut mandavit Dominus. Secundum autem, & tertium occiderunt. Edom interpretatur sanguineus, & significat carnem, quæ licet transitum per se deneget, non est tamen occidenda, sed prudenter declinanda.

Item per Edom significantur consanguinei, qui in multis primo impediunt ingressum in terram promissionis, & hi prudenter sunt declinandi, & per exempla sanctorum Patrum.

Sehon interpretatur germen inutile, vel allocutio inutilis, & significat mundum, qui & transitum per se negat, sicut & caro.

Og interpretatur congregans seu absconditus, & significat diabolum, qui abscondita congregat, i. peccata. De quibus dicitur in *Ps.* 16. De absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Istos duos præcipit Dominus penitus expugnari, & occidi. Et tunc sequitur tertius transitus, quo transito deserto transitur Jordanis, & intratur in terram promissionis, i. in æternam patriam, quæ est vere domus refectionis. Jordanis, i. humilis descensus, significat mortem, per quam oportet transire, antequam veniatur in Bethleem. De secundo transitu dicitur. *Cant.* 6. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens. De tertio dicitur *Cant* 8. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens. Sequitur.

g Et venerunt festinantes,] pastores supple. h Et invenerunt Mariam, & Joseph,] ministros nativitatis.

i Et infantem,] Christum jam hominem natum,] positum in præsepio.

k Videntes autem cognoverunt de verbo, &c.] Dupliciter potest hoc construi. Primo sic.

k Videntes autem hoc de puero cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis,] i. cognoverunt illud, quod dictum erat eis, de verbo esse dictum, i. de filio Dei. Et est summa, Videntes circa puerum impleta, quæ dicta erant ab Angelis, intellexerunt puerum esse filium Dei. Et hæc distinctio, & sententia satis competenter elicitur ex illa *Gl. Bed.* Recto ordine per cognitionem nativitatis, i. humanitatis venerunt ad cognitionem verbi, i. Deitatis. Aliter potest construi.

k Videntes] carnem, quia *Gloss.* supplet, quod minus est in littera Videntes inquam carnem.

l Cognoverunt de verbo,] i. intellexerunt de filio Dei, [quod dictum erat illis de puero hoc.]

m Et omnes, qui audierant,] ab Angelis.

n Mirati sunt, & de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos.] Mirantur & de mysterio Incarnationis, & de tanta pastorum attestatione, quæ fingere inaudita nescirent, sed simplici facundia vera prædicarent.

Mystice. Mystice. g Et venerunt festinantes, &c.] *Beda.* Non cum desidia Christi quærenda est præsentia. *Hebr.*4. Festinemus ingredi in illam requiem. *Jer.*48. Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.

h Et invenerunt Mariam,] &c. Maria pœnitentia, Joseph augmentum, i. profectus virtutum. Cum his, & per hæc invenitur Jesus infans in præsepio, Deus in carne, quem invenire est vitam invenire. Vel Jesus in præsepio, est salus in sacro eloquio. *Jo.* 5. Scrutamini Scripturas, ubi vos putatis vitam habere.

k Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.] Videntes in patria cognoscemus de puero Jesu, quicquid modo audivimus de eo. *Ps.* 47. Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei nostri. Imo videbimus, quid dicatur nobis 3. *Reg.* 10. Verus est sermo, quem audivi in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi donec ipsa veni & vidi oculis meis, & probavi, quod media pars mihi nunciata non fuerit.

n Mirati sunt,] *tertis Regum decimo.* Videns Regi-

na

na Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificavit, & cibos mensæ ejus, & habitacula servorum ejus, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, &c. non habebat ultra spiritum. Sequitur.

a Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.] In hoc verbo magna notatur discretio B. Virginis, *Gl. Amb.* Maria non minus ore, quam corpore pudica, secreta, quę noverat, nulli divulgat, sed tacito corde scrutans congruum tempus, quo Deus hæc velit divulgari, reverenter expectat. Juxta illud *Eccl.* 3. Tempus tacendi, & tempus loquendi. *Eccl.* 20. Homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus autem, & imprudens non servabit tempus. *Jac.* 1. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, &c.

Inf. eod.

a Maria autem conservabat omnia verba hæc, *b* conferens in corde suo. Et *c* reversi sunt pastores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & *d* viderant, *e* sicut dictum est ad illos. Et *f* postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur † puer:

al. † non habet puer.

b Conferens in corde suo,] non solum verba, sed & facta illa, quæ circa se viderat impleta, cum his, quæ in Prophetis legerat implenda. Sicut enim sibi dictum erat ab Angelo. Ecce concipies in utero, & paries filium, *sup. c.* 1. prædixerat *Is. c.* 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. Videbat se de stirpe David ortam. Et hoc concordat cum prophetis. *Is. c.* 11. Egredietur virga de radice Jesse. *Ps.* 131. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Item in Nazareth de Spiritu sancto concepisse. Et hoc concordat cum illo, Nazaræus vocabitur. *Is. c.* 11. secundum aliam litteram.

Item in Bethleem peperisse. *Malac. c.* 5. Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda. Unde hæc testimonia in diversis prophetis legerat.

Comparat ergo verba prophetarum factis, & in omnibus habet argumenta fidei. Sed si Maria a pastoribus didicit, nos debemus a Sacerdotibus discere. *Eccl. c.* 6. In multitudine presbyterorum prudentum sta, & sapientiæ eorum ex corde conjugere, ut omnem narrationem Dei possis audire. Item si Maria ante Apostoli præceptum tacet, debemus post præceptum Apostoli magis doceri, quam docere, 1. *Tim.* 2. & 1. *Cor.* 14. Sequitur.

c Et reversi sunt pastores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant] ab Angelis.

d Et viderant] in Bethleem.

e Sicut dictum est ad illos:] *Gloss.* in hoc glorificant, quod non aliter invenerunt, quam dictum erat. Vel sicut dictum erat ab Angelis ad illos, referunt laudes, & gloriam Deo. Non quod Angeli imperassent laudare, sed ipsi laudando offerunt formam devotionis suæ, dum dicunt, Gloria in altissimis Deo, &c.

Moral.

Moralit. Sic pastores animarum debent transire usque Bethleem, i. Parisiis, ut ibi pane cœlestis doctrinæ reficiantur, & postea reverti ad propria, ut oves suas reficiant pane, quem emerunt Parisiis, sicut columba, quæ emissa ab arca redit ad arcam portans in ore ramum virentis olivæ. *Gen.* 8. Sed multi sunt sicut corvus, qui emissus adhuc non redit, forte quia non invenerunt Mariam stellam maris, & Joseph augmentum virtutum, & ideo nec Jesum, & ideo si quando redeunt, vacui redeunt. *Jer.* 14. Majores miserunt minores suos ad aquam, & venerunt ad hauriendum, & non invenerunt aquam, & reportaverunt vasa sua vacua. Nota *Gl. Bed.* Sic spirituales, &c. Sequitur.

f Et postquam consummati sunt dies octo, &c.] Tertia pars capitis, in qua agit Lucas de circumcisione pueri, qui licet non indigeret, voluit tamen circumcidi multiplici ratione.

Christus circumcidi voluit multiplici ratione.

Prima est propter Hæreticorum confutationem, & legis defensionem. Sciebat enim futuros Hæreticos, qui legem damnarent, ideo voluit eam adimplere. *Matth.* 5. Non veni solvere legem, sed adimplere. *Gal.* 4. Misit Deus filium suum natum de muliere, factum sub lege. Notandum autem, quod secundum *Bern.* duas leges dedit Dominus. Unam Adam, alteram Abraham, scilicet circumcisionem. Prima siquidem fuit ad cautelam, hæc ad medelam. *Ibi.* De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas, prohibitio facta est Adæ ne superfluitas subintraret. Hic autem jam inducta est abscissio, ut Sacramenti remedio, etiam quod subintraverat, tolleretur. Se-

Gen. 2.

cunda ratio, quare voluit circumcidi, est propter nostram instructionem, ut sicut ipse primo circumcisus est, & postea baptizatus, ita a minoribus ad majora ascendamus. Circumcisio enim fit in parte, Baptismus in toto. 1. *Cor. c.* 13. Cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est. *Gal. c.* 3. Lex pædagogus noster fuit in Christo. Tertia ratio est propter humilitatis suæ ostensionem. Unde dicit *B. Bern.* quod Dominus in Incarnatione minoratus est paulominus ab Angelis, sed in circumcisione multo minus, quia latronis cauterio est signatus. Unde *Ps.* 16. Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias latronum, alia littera. *Bern.* Vestigium nullum vulneris habens, alligaturam vulneris non refugit. Non sic impii, non sic agit perversitas elationis humanæ: Nos erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur, qui sine peccato est, non dedignatus est se peccatorem reputari, nos & esse volumus, & nolumus æstimari.

Quarta ratio est exemplum provocans nos ad spiritualem circumcisionem. *Deut. c.* 10. Circumcidite præputium cordis vestri, &c. Quinta ratio est, ut nobis communitatem ostenderet. Unde *Bern.* Amator communitatis, & commendator, quomodo illam desereret? *Hebr. c.* 2. Qui debuit fratribus per omnia assimilari.

Sexta ratio est figura generalis circumcisionis, quæ erit in die judicii. De qua 1. *Cor.* 15. Cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria. Unde secundum sacros expositores, circumcisio figura fuit circumcisionis, quæ fiet, cum in resurrectione circumcidemur ab omni culpa, & pœna, & circumcisionis spiritualis, quæ habet fieri in præsenti. Quæ duplex est. Una interior, & alia exterior. Insinuantur autem nobis hæ duæ species circumcisionis. *Ezech. c.* 44. ubi sic legitur. Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel, eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, & incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo. Et post. Omnis alienigena incircumcisus corde, &c. Item.

Triplex circumcisio.

Moraliter. Triplex est circumcisio.

Moral.

Prima est nocivorum, i. peccatorum, quæ partim est interior, partim exterior secundum diversitatem peccatorum, secunda superfluorum, tertia necessariorum, quæ pertinent ad exteriorem circumcisionem.

Prima est pœnitentium, qui se a peccatis, & circumstantiis peccato[rum] circumcidunt. *Jer. c.* 4. Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Juda, & habitatores Jerusalem. Ad hanc etiam circumcisionem pertinet circumcisio aurium, narium, oculorum, manuum, & omnium membrorum. De hac circumcisione habetur *Is.* 33. Quis poterit habitare cum igne devorante, i. cum Deo? Deus enim ignis consumens est. Consumens, inquam, malitiæ rubiginem. Et subjungitur. Qui ambulat in justitiis, ecce circumcisio pedum, & loquitur veritatem, ecce circumcisio linguæ, qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere. *Int.* oris, manus, & officii. Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum, ille in excelsis habitabit.

Deut. 4.

Hanc circumcisionem significat circumcisio præcepta Abrahæ, qui se, & filios, & familiam circumcidit. *Gen.* 17. Ad commendationem vero illius spiritualis circumcisionis facit, quod Dominus ita districte voluit præceptum de circumcisione observari. Unde *ibid.* dicitur: Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Ideo masculos circumcidi voluit ad ostendendum, quod bona opera nostra indigent circumcisione, cum non sint pure bona.

Unde *Greg.* Bona nostra non sunt pure bona, sed mala nostra sunt pure mala. Unde opera mala non sunt circumcidenda, sed abscindenda.

Unde *Jo. c.* 15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.

Secunda circumcisio, scilicet superfluorum, est claustralium, qui

Accedamus ad litteram.

Expositio litteræ.

f Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.]

In nativitate dictum est. Impleti sunt dies Mariæ, ut pareret.

In circumcisione dicitur. Consummati sunt, quia in octava resurrectionis erat consummata circumcisio ab omni corruptione, & miseria, quæ significatur per hanc carnalem circumcisionem.

a Vocatum

a vocatum est nomen ejus Jesus. Quod b vocatum est ab Angelo prius, quam in utero conciperetur. c Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secun-

O stralium, qui omnia temporalia a se abjiciunt, nihil proprium retinentes. De qua 1. *Tim. c. 6.* Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. *Deut.* 21 Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradideris eos Dominus in manus tuas, & videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, volueris que habere uxorem, introducens eam in domum tuam, quæ radet cæsariem, & circumcidet ungues, & deponet vestem, in qua capta est. Tria tanguntur hic quæ in ingressu templi abjiciuntur.

Primum est cæsaries, quæ capiti adhæret, i. sensus proprius, & propria voluntas, quæ in mente sunt, hæc abjicit votum obedientiæ.

Secundum est ungues, quæ magis carni adhærent, idest, concupiscentiæ carnales, quas abjicit votum continentiæ.

Tertium est vestis, i. amor, sive possessio temporalium, quod abjicit votum paupertatis. Hanc circumcisionem prohibet fieri Antiochus, i. silentium paupertatis. 1. *Mac.* 1. Et multi credunt ei, qui hanc circumcisionem vertunt in præputiam, pauperes sunt in sæculo, & circumcisi ab omnibus divitiis, & intrant claustrum, ut divites, i. præputiati fiant. Quorum figuram gerit Sichem. *Gen. c.* 34. Qui circumcidit se, ut liberius frueretur amplexibus Dinæ, quæ interpretatur causa hæc. Contra hos, & omnes claustrales proprietarios dicit Apost. 1. *Cor. c.* 7. Circumcisus aliquis vocatus est, non adducat præputium. Etiam Abbas debet esse circumcisus. Unde & Timotheus, antequam fieret Prælatus, circumcisus fuit. *Act.* 16.

Tertia circumcisio est Martyrum, qui propter Deum non solum nociva, non solum superflua, sed etiam necessaria a se amputant, idest, corpora sua morti exponunt. De qua *Rom. c.* 7. Infœlix ego homo, qui me liberabit de corpore mortis hujus, &c. 2. *Mac. c.* 7. sic fuerunt circumcisi septem fratres.

Hæc triplex circumcisio significata fuit, *Exod. c.* 4. ubi dicitur, Tulit Sephora acutissimam petram, &c. Petra acuta est pœnitentia, acutior, votum claustri, acutissima Martyrium, cujus amore abjecerunt a se martyres præputium carnis suæ. Duplici autem ratione voluit Dominus circumcisionem fieri in membro generationi deputato.

Primo, quia in illo membro concupiscentia amplius sæviebat.

Secundo, ad insinuandum, quod illud membrum, quod spirituali generationi deputatum est, multum indigebat circumcisione. Membrum deputatum spirituali generationi est lingua. Nam spirituali generationi, quæ mundissima est, nobile membrum oportuit deputari. Membrum vero deputatum carnali generationi, quæ est immunda, immundum est. Lingua autem multum indiget circumcisione, quia sicut legitur *Prov. c.* 18. Mors, & vita in manibus linguæ. Unde *Bern.* Si sola vita a lingua esset, non esset circumcisio facienda, si sola mors, non circumcisione, sed abscissione opus esset.

Item *Eccl. c.* 22. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum. *Bern.* Bene dicit signaculum certum, ut nec vitalem ædificationem clausura damnet æterna, nec rursus lethalis pernicies liberum sortiatur egressum. Octava autem die voluit Dominus circumcidi.

Primo, propter obedientiam, quia sic præceperat Dominus Abrahæ. *Gen. c.* 17. Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Secundo, propter figuram, quia octava ætate fiet generalis, & universalis resurrectio, quæ per hanc circumcisionem figuratur. Tertio, in signum, quod spiritualis circumcisio habet fieri per octo virtutes. De quibus dicitur 2. *Pet. inf.* Ministrate in fidem virtutem, &c. Quarto propter doctrinam nostram. In hoc enim docuit, quod in principio vitæ suæ debet quilibet circumcidi, & bonis moribus informari. Et hoc triplici ratione. Prima, quia bona assuefactio utilis est. *Thr.* 3. Bonum est viro, cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua. Secunda, quia homo ab eo, quod didicit in infantia sua, de facili non recedit. *Prov. c.* 22. Adolescens juxta viam suam, &c. Tertia, quia sicut cera mollis figurabilis est, ita infantilis ætas disciplinabilis est, *Eccl.* 7. Filii tibi sont, erudi illos, & curva illos a pueritia illorum. Item 30. Curva cervicem ejus in juventute, &c. Dies secundum *B. Bernardus* sunt octo.

Dominus octava die voluit circumcidi propter quatuor rationes.

Primus est dies justitiæ, in qua nascitur homo, quando sol justitiæ ortus in anima peccatorum tenebras illuminat, horrendumque Dei judicium internis obtutibus offert, addens ad terrorem brevem dierum numerum, & finem incertum. Hæc plane vespera est, ad quam demorabitur fletus. Sed necesse est addi matutinam lætitiam, ut auditam faciat nobis Dominus mane misericordiam suam. Sic enim fit vespere, & non mane dies unus. Est autem dies ista dies justitiæ, reddens unicuique, quod suum est, nobis miseriam, Deo misericordiam. In hac die puer nascitur. *Ps.* 29.

Secunda dies est prudentiæ. In qua advertit, & de præsenti sæculo nequam fugere eligit, dicens cum Propheta: Ordivi Ecclesiam malignantium, &c. Sed nondum sufficit hoc. Forte enim voluit eligere solitudinem, non satis attendens propriam infirmitatem. Ideo necessaria est tertia dies, quæ est fortitudinis. In hac die eligit congregationem, quæ pro fortitudine sua terribilis est, ut castrorum acies ordinata. Væ autem soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem se. Ideo per hoc: Odivi Ecclesiam, &c. subjungit David. Lavabo inter innocentes manus meas. *Ps.* 25. *Eccl.* 4.

Illucescat inde dies temperantiæ, ut quærat, quomodo refrænari possint incontinentes motus voluptatis, cervicositas elationis. Deinde necesse est, ut elucescat dies patientiæ, per quam omnia dura, & aspera tacita amplectaris conscientia, in cogitatione sua semper partem magistri quantum potes adversum temetipsum juvans, & te quidem in omnibus accusare, illum magis excusare laborans. *Ps.* 25.

Porro jam in hoc cavendum tibi arbitror a superbia. *Ps.* 61. Verumtamen Deo subjecta esto anima mea; quoniam ab ipso patientia mea. Nonne tibi videtur occasione patientiæ tentationem surrexisse superbiæ? Ideo necessarius est dies humilitatis.

Deinde dies devotionis, in qua nihil est laboriosum, sed totum suave. Et hic dies est paucorum. Si quis videtur hanc habere, non continuo credat sibi, necesse est maxime si novitius est, nec per præfatos ascendit gradus, Plus enim Dominus pusillos corde solet blanditiis allicere. Sed noverint, qui hujusmodi sunt, gratiam hanc præstitam esse, non datam. Hanc autem timendum est ei, qui tanta devotione omnia facit, ne dum sequitur affectionem, corpus destruat per immoderatam exercitationem. Ergo necessarium est lumen discretionis, quæ mater est virtutum, & consummatio perfectionis.

Hæc est octava dies, in qua circumciditur puer, ut non plus, nec minus fiat. At vero, quia rara est ista avis in terris, hujus discretionis locum fratres in vobis suppleat virtus obedientiæ, ut nec plus, nec minus, nec aliter, quam imperatum sit faciatis.

A a Vocatum est nomen ejus Jesus,] i. Salvator, ad innuendum, quod ipse circumcisos spiritualiter salvat tantum. *Gen.* 17. Masculus, cujus præputii caro, &c. *Is.* 48. Israel, quem ego voco, ego ipse, *Is.* 65. Vocabit servos suos nomine alio.

Expositio literæ.

b Quod vocatum est ab Angelo prius, quam in utero conciperetur.] *Eccl.* 6. Qui futurus est, jam vocatum est nomen ejus. *Is.* 62. Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. c Et postquam, &c.] Post pueri circumcisionem, subjungit Evangelista de matris purificatione. Prætermittit autem de adventu Magorum, qui fuit inter circumcisionem, & purificationem, quia illum plenarie persecutus est. *Matt.* 3. Quædam enim scienter præter-

Expositio literæ.

Exponamus ergo sic litteram. c Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus.] *Interl.* Mariæ, vel Domini, i. ut intelligatur purgatio per ipsum, & ipsam paupertatem.

A Secundum

Moral.

Moral. c Et postquam, &c.] Maria significat vitam activam simul, & contemplativam. Dicitur enim stella maris. Stella ad contemplativam pertinet, mare ad activam. Purgari autem debet activa a sordibus operum, ab immunditia affectionum, a turpitudine cogitationum. Quæ tria dicuntur. *Isaiæ* 1. Lavamini, supra ab immunditia affectionum, & cum hoc mundi estote, idest, in ea perseverate, auferte malum cogitationum vestrarum, quoad turpitudinem cogitationum, quiescite agere perverse, quoad sordes operum.

* Et signi-

O ter prætermittunt Evangelistæ, quæ noverunt ab aliis tradita. Prætermittit quoque fugam Domini in Ægyptum, quæ facta est post purificationem, postquam Herodes intellexit se illusum a Magis. Prosequitur autem de purificatione matris, non quod aliquid esset purificandum in ea, sed ut faceret secundum legis consuetudinem, quæ præcepit. *Lev.* 12. ut mulier, quæ suscepto semine pepererit masculum, immunda sit septem diebus a consortio hominum separata, & die octavo circumcidatur infantulus, & postea triginta tribus diebus maneat mulier in sanguine purificationis suæ, abstinens non a consortio hominum, sed ab ingressu templi, & sic quadragesimo die offerebatur puer in templo, & munera pro eo. Si autem feminam peperisset, immunda erat quatuordecim diebus, & octogesimo die purificabatur simili oblatione. Patet ergo, quod B.Virgo non tenebatur lege ista, quia non peperit suscepto semine. Unde *Bern.* Putas, quia dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super matrem Domini blasphemiæ crimen incurrere, & ideirco præmisit; suscepto semine. Licet ergo B. Virgo necesse non habuit, voluit tamen purificari, sicut lex præcepit multiplici ratione.

D

dum *a* legem Moysi *b* tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, *c* sicut scriptum est in lege Domini. *d* Quia omne masculinum *e* adaperiens vulvam *f* sanctum Domino

Multipliciratione B. Virgo voluit purificari.

Primo in exemplum veræ humilitatis. Hæc enim est vera humilitas, quæ non vult humilis prædicari, sed vilis reputari, ut dicit *B.Bern.* Secundo in cumulum obedientiæ, quæ plus facit, quam teneatur facere. *Matt.*5. Qui petit a te, da ei, & volenti mutari a te, non avertaris. *B.Bern.* Vere B.Virgo non habes causam, nec tibi opus est purificatione, sed nunquid filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una illarum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum. Tertio in exemplum societatis, qua voluit aliis morem gerere in licitis, & honestis. Quarto in signum futuri, & faciendi. Conceptus enim Mariæ significat conceptum fidelis animæ, cujus sponsus est Christus. *Jo.*3. Qui habet sponsam sponsus est. *Os.*2. Sponsabo te mihi in fide. Semen sponsi est gratia, qua impraegnabitur anima. *Is.* 6. Semen sanctum erit, id, quod steterit in ea. Ex hoc semine nascuntur filii, idest, sancta desideria, proposita bona, opera bona. *Ps.*127. Et videas filios filiorum tuorum. Et sicut Maria voluit purificari, licet non indigeret, ita post partum bonorum operum debet se anima reputare immundam. *Job* 9. Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti. Et *inf.* Si lotus fuero, quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me.

Expositio litteræ.

Δ *a* Secundum legem Moysi.] *Lev.*12. *b* Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino,] i. offerrent, vel consecrarent. *c* Sicut scriptum est in lege Domini.] *Lev.*12. Contra Hæreticos, qui legem damnant. *d* Quia omne masculinum adaperiens vulvam.] *Exod.* 13. Omne, quod aperit vulvam Domino. *Num* 18. Quicquid primum erumpet e vulva. Unde. *e* Adaperiens vulvam,] i. primo aperiens, vel aliis aperiens. *Deut.* 15. Non operaberis. *Gen.*38. Quare propter te divisa est maceria? *Beda.* Consueto nativitatis more loquitur Evangelista, non quia Dominus ventris hospitium ingrediens, vel egrediens devirginasset. *Ezech.*44. Porta hæc clausa erit; & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. *d* Quia omne masculinum, &c] *Gl.* Omne primogenitum tam hominis, quam pecoris, &c. Et erant oblationes ad usus Sacerdotum, qui faciebant redimi primogenitum hominis, & sic omne animal immundum faciebant redimi, idest, aliud ab eo commutari. Et intellige de illo tantum, quod erat immundum ad edendum, sed non ad offerendum. Sequitur in *Gloss.* Ut Sacerdos primogenitum hominis, supple nisi esset de Tribu Levi, redimi faceret, & sic omne animal immundum, &c. Contra *Deut.*23. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis. Responsio. Intelligitur, quod hic dicitur de immundo ad edendum, sed non ad offerendum. *f* Sanctum Domino vocabitur,] i. Domino offeretur, & sanctum erit. Unde omne primogenitum animalium Sacerdotis erat, primogenitum immundorum animalium mutabatur in aliud, vel occidebatur; primogenitus autem Levitarum erat Domini in perpetuum, quia reportabatur ad propria, & postquam ad adultam perveuit ætatem, serviebat Domino in templo. Alii primogeniti deferebantur ad templum, & offerebantur Domino, & ex ipsa oblatione fiebant Domini, sed redimebantur quinque siclis. *Exod.*13.& *Num.*18. Utrum autem sola primogenita offerebantur, non habetur expressum.

Δ Potest esse, &

* Et significat ista triplex purgatio trium mortuorum suscitationem. Quorum primus in domo suscitatur. *Marc.* Secundus in via, *inf.* 7. Tertius in sepulchro. *Jo.* 11. Hanc triplicem suscitationem facit Jesus quotidie, cum a tribus peccatis mundat. Fit autem hæc purgatio per confessionem. Unde 1. *Mach.* 4. purgatur templum per Judam, & socios ejus. Item fit per tribulationem. *Malach.*3. Sedebit conflans, &c. Item fit per compassionem, sive eleemosynarum largitionem. *inf.* 11. Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Item fit per timorem. *Eccl.* 1. Timor Domini expellit peccatum. Item contemplativa purgatur in affectionibus, & cogitationibus tantum. Unde *Ps.*76. Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Per hoc quod dicit. Exercitabar, & scopebam spiritum meum notatur purgatio affectionum, & cogitationum. *Jos.*17. Non habebis sortem unam, sed ascendens in montem contemplationis, sc. & succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia, fugiendo omnia mundana.

Moral.

Exod. 13. & 34.

b Tulerunt eum in Jerusalem, &c.] In quo datur forma parentibus, ut offerant filios suos Domino eos religiose educando, sc. in fide instruendo, & moribus informando. *Eccl.*7. Filii tibi sunt, erudi illos, &c. *Lev.*15. Docebitis filios Israel, ut caveant immunditias, & non moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum, quod inter eos est. *Prov.* 4. Nam & ego filius fui patris mei tenellus, & unigenitus coram matre mea, & docebat me. Sed multi potius offerunt eos diabolo ornando, & pravis studiis imbuendo. Unde *Ps.*105. immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis. Nota hic portatur Jesus in Jerusalem. Et *Matth.*2. portatur in Ægyptum. *Matth.*4. ducitur in desertum. *Exod.*4. portatur in montem excelsum. Item *eod.*4. portatur super templi pinnaculum. Jerusalem est vita contemplativa, ubi est veræ pacis visio. Ægyptus est vita activa, ubi est mœror, & turbatio. Unde *Jo.* 16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Et *inf.*20. sedet Maria secus pedes Domini, & audit eum, Martha autem sollicita est, & turbatur circa plurima. Desertum est claustrum ubi jejunatur, & diabolus superatur. Mons excelsus est fastigium prælationis. Pinnaculum templi est sedes magistralis. Inde enim docebant populum Sacerdotes. In his igitur quinque locis est Jesus, i. salus. Unde in his locis quærendus est Jesus. Sed vide quis portavit Jesum in Jerusalem, & in Ægyptum, & in desertum, & quis in montem, & in pinnaculum. Certe Maria, & Joseph tulerunt illum in Jerusalem, & in Ægyptum, i. stella maris, & augmentum, i. fides, & charitas. Spiritus autem sanctus duxit eum in desertum, In montem vero, & super pinnaculum tulit eum diabolus.

Ideo timendum est tam Prælatis, quam magistris, ne eos diabolus in montem prælationis portaverit, & istos in sedem magistralem. Unde Maria flens, & dolens dixit ad Dominum. Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. *Jo.*20. an super montem, an super pinnaculum. Quandoque autem etiam Dominus portat super montem, & super pinnaculum, quia aliquos facit Prælatos, & aliquos magistros. Unde 4.*Reg.*2. dicunt filii Prophetarum ad Eliseum. Nunquid nosti, quod Dominus hodie tollet Dominum tuum a te? Et ait, Ego novi, silete. Sed certe pauci possunt hoc scire. Unde & ipsimet filii prophetarum sublato Elia dixerunt Eliseo. Ecce cum servis tuis sunt quinquaginta fortes, qui possunt ire, & quærere Dominum tuum, ne forte tulerit eum spiritus Domini, & projecerit eum in uno montium, aut in una vallium.

c Sicut scriptum est in lege Domini.] Contra sciolos qui non legem, sed sensum suum sibi ducem, & magistrum faciunt. *Gal.*3. Lex pedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. Et *Matth.* 2. Stella duxit Magos usque ad Jesum. *d* Omne masculinum, &c. sanctum Domino vocabitur.] Primogenita sunt initia bonorum operum, quæ primo a vulva mentis, idest, libero arbitrio erumpunt, quæ debent Domino sanctificari, idest, ejus gratiæ deputari.

In cujus rei signum offerentur ei primitiæ. *Num.c.*18 *Philip. c.*2. Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.

* *Exod.*

a potest esse, quod & posterius genita offerebantur, & fiebant quædam alterius modi oblationes pro eis, quam & pro primogenitis. a Et] supple tulerunt eum in Jerusalem, [ut darent hostiam secundum, quod dictum est in lege Domini.] Lev. 12. b Par turturum, aut duos pullos columbarum.]

vocabitur, & ut a darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Dñi: b par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen c Simeon, & d homo iste justus, & timoratus e expectans consolationem Israel, f & Spiritus sanctus

Hæc erat oblatio pauperum, qui non poterant habere agnum, qui erat oblatio divitum, ut dicitur Lev. 12. Erat autem unus turtur in holocaustum, & alius pro peccato, qui cedebat in partem Sacerdotis, qui orabat pro muliere, & sic mundabatur: Sed quare non dicit, pullos turturum, sicut pullos columbarum? Bern. Non pullos turturum, sed jubet pullos offerri columbarum, quia lascivam avem in tali ætate offerri decuit pro salvatore, in qua luxui apta non fuit.

Moral. * Exod. 13. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel tam de hominibus, quam de jumentis, mea enim sunt omnia. Unde Is. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis. b Par turturum, aut duos pullos columbarum.] Hæc erat oblatio pauperum, qui non sufficerent offerre agnum, qui erat oblatio divitum. Nota, quod quædam Gl. Columba, &c plane dicit utrumque oblatum fuisse simul, sc. turturem & columbam. Item alia Gl. Moral. sive quis, &c. videtur velle, quod feminæ offerrentur in templo, sicut & masculi, quod tamen non est verum, quia non legitur, quod feminæ præsentarentur in templo. Sed moralitas laxas habet habenas, & excedit historiam. Bern. Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus, & animam dico, ut hæc tibi perfecte possim in sacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi, longeque gloriosius, atque utilius, ut tibi magis offerar, quam deterer mihi ipsi. Nam ad meipsum anima mea conturbatur. Item. Morituro Domino Judæus mortuas bestias offerebat, sed nunc vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis

Libenter debemus Deo offerre vitam nostrã tribus de causis. ut convertatur, & vivat. Non vult Deum mortem meam & non libenter offero ei vitam meam? Et nota, quod tribus de causis debemus libenter offerre vitam nostram. Prima est, quia non vult mortem nostram, quam mereremus, quam juste posset adjudicatus morti coram aliquo principe sæculari libenter velle dare vitam suam. Secunda causa est, quia ipse intulit nobis vitam suam. Unde Bern. Cui justius vivendum est, quam ei, qui si non moreretur, non viverem? Juste sibi vindicat vitam meam, qui pro mea posuit suam. Tertia, quia pro hac misera

Mystice. visa dabit nobis beatam vitam. Mystice. Per agnum, qui offerebatur, significatur innocentia, quam qui offerre potest Deo, revera dives est, non vanis, sed veris divitiis. De quibus dicitur Prov. 13. Redemptio animæ viri propriæ divitiæ. Per columbam, quæ gregatim volat, significatur vita activa. Per turturem solivagum, significatur vita contemplativa. Has duas ponit Lucas ad innuendum, quod de utralibet vita oblatio Deo accipies ei. Disjunctive autem ponit eos, non copulative ad innuendum, quod utralibet sufficit ad salutem, & ut ostenderet eam æqualiter placere Deo. Unde Beda. Consulte Luc. utras aves obtulerint, non determinat, ne alteram vitam alteri præferat. Utraque avis, i. turtur, & columba gemitum habet pro cantu. Igitur per duos turtures significatur duplex gemitus contemplativorum. Quorum primus est gemitus amoris. Cant. 2. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Secundus gemitus est devotionis. Rom. 8. Spiritus postulat pro nobis gemitibus ine-

Ps. 6. narrabilibus. Per duas columbas significatur duplex gemitus activorum. Quorum primus est gemitus doloris pro peccatis propriis. Ps. 37. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei. Item alibi laboravi in gemitu meo, &c. Secundus est gemitus compassionis pro peccatis, & miseriis alienis. Thr. 1. Omnes portæ ejus destructæ, sc. Jerusalem, & ideo Sacerdotes ejus gementes. Job 26. Ecce gigantes, i. Prælati gemunt sub aquis, i. sub curis, & sollicitudinibus temporalibus, quibus opprimuntur activi, & maxime Prælati. Hunc quadruplicem gemitum debent offerre pauperes, qui innocentiam offerre non possunt. Seq. c Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen erat Simeon.] Dominus sciens multos se habere contradictores, multos adhibuit suæ incarnationis testes. Primo Mariam, & Joseph, secundo Angelos, tertio pastores, deinde reges, quinto Simeonem, & Annam senes. Omnes isti nato testimonium reddiderunt. Joannes vero & Elisabeth nondum nato, sed concepto, testimonium suum dederunt, Prophetæ vero, & Patriarchæ ab initio mundi factis, & dictis, nec conceptum, nec natum, sed concipiendum, & nasciturum, & passurum præsagiati sunt, Apostoli vero natum, passum, & glorificatum ubique prædicaverunt. Omnes isti testes fuerunt Dominicæ dispensationis. Unde de omnibus dicit Is. 43. Vere vos testes mei estis dicit Dominus. d Et homo iste justus, & timoratus.] Difficile, sicut dicit Beda, justitia sine timore custoditur, non servili, sed filiali, quia justus quanto plus diligit Deum, tanto solertius offendere cavet. Eccl. 1. Qui sine timore est, non poterit justificari. Et merito dictus est justus, qui potius pro videnda populi sui liberatione desiderabat vitam suam prolongari, quam pro se. Ipse enim si ad salutem propriam tantum respiceret, cuperet dissolvi, & esse cum Christo, sed optabat videre consolationem populi Judaici, ut per Christum liberaretur a dominio Herodis. Unde subditur. e Expectans consolationem Israel] super angustiis, & angariis, quibus opprimebatur populus ab Herode. f Et Sp. Sanctus erat in eo.] In tribus commenda-

Nota in tribus commendatur Simeon. tur hic Simeon. Quantum ad proximum dicitur justus, quantum ad Deum timoratus, quantum ad se dicitur, & Sp. sanctus erat in eo. In ipso autem datur forma cuilibet Sacerdoti, qualis debeat esse. Debet enim esse ho-

Qualis debet esse Sacerdos. mo per mansuetudinem. Matth. 5. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, i. Ecclesiam. Gal. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, &c. Ps. 89. Supervenit mansuetudo, & corripiemur. Secundo debet esse Simeon, i. audiens mœrorem per compassionem. Unde sponsus. Cant. 7. dicit sponsæ suæ, i. Ecclesiæ. Oculi tui, i. Sacerdotes, sicut piscinæ in Hesebon, i. in cingulo mœroris, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Ezech. 3 Veni ad transmigrationem, & sedi, ubi illi sedebant, & mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum. Tertio debet esse justus, alioquin mansuetudo, & compassio remissionem parerent. Sap. 1. Diligite justitiam, qui, &c. Sed quia justitia sine timore difficile custoditur ut dicit Beda, ideo quarto debet esse timoratus. Eccl. 27. Si non in timore Domini tenueris te, instanter cito subvertetur domus tua.

Quinto debet esse solicitus pro communi utilitate. Unde dicitur hic [Expectans consolationem Israel.] Act. 20 Attendite vobis, & universo gregi. Talis fuit Paulus. 1. Cor. 6. Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures satisfacerem. Et alibi. Non quod mihi utile est, sed quod multis. *1. Cor. 10.*

Sexto, debet esse habitaculum Spiritus sancti per humilitatem, quia humilibus dat gratiam Deus. Jac. cap. 4. Unde dicitur. [Et Spiritus sanctus erat in eo.] Isaiæ ult. Super quem respiciam nisi super humilem, & quietum?

Mystice. e Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon:] Jerusalem, quæ interpretatur visio Patris, significat eminentiam vitæ claustralis, ex qua videri potest pulchritudo pacis cœlestis, in quam ascendit populus Dei. Qui autem sunt in imo vitæ sæcularis, non possunt, quæ remota sunt, videre. Simeon vero figuram tenet bonorum claustralium. Et dicuntur sex hic de eo, quæ in bono claustrali debent esse.

Primum est, ut sit audiens tristitiam, quod hoc nomen Simeon sonat, quæ ad luctum pœnitentialem excitant, libenter debet audire, & non quæ ad risum excitant. Beati enim sunt, non qui rident, sed qui lugent. In hoc ergo nomine [Simeon] insinuatur nobis amor disciplinæ. Secundum est amor obedientiæ, quod notatur ibi. [Justus.] Vulgariter dicitur ille justus, qui nihil vult de alieno habere. Justus ergo est ille, qui de se, quem a se alienavit, cum claustrum intravit, nihil vult habere. Unde Bern. Qui vestri curam semel nobis commisistis, quid rursus de vobis vos intromittitis? Tertium est timor, unde Timoratus.] Ille timoratus est, quem timor Domini occupavit, ut legitur de Christo. Et replevit eum spiritus timoris Domini. Seq.

Sex debent esse in bono claustrali.

e Expectans consolationem Israel,] idest, quam debet expectare fidelis, qui Deum videt per fidem. Non enim videtur credere, quod Deus sit Deus totius consolationis, qui de consolatione ejus non curat, & vanas consolationes quærit, cum hæ duæ simul non habeantur. Bernardus. Delicata est divina consolatio, nec datur admittentibus alienam. f Et Spiritus sanctus erat in eo.] Hic notatur desiderium proficiendi, quia secundum *Is. 30.*

Q Bern.

golerem? Sequitur. a Et responsum acceperat a Spiritu Sancto,] idest, occultam inspirationem habuit, quæ certificavit eum, super eo quod orando petebat, scilicet, non visurum se mortem, &c. Et quærit hic *Beda*. Quomodo videtur illud, quibusve oculis, quod cujuslibet oculos claudit, idest, mors? Responsio. Videtur oculis cordis per intelligentiam, oculis carnis per experientiam. Unde videre mortem, est sentire, sive experiri mortem. Unde sic exponitur. b Non visurum se] idest, non experturum. c Mortem,] carnis. d Nisi prius videret] oculis cordis, & oculis carnis. e Christum Domini.] Messiam in legem promissum. Unde patet, quod aliud vidit oculis carnis, scilicet hominem, aliud vidit oculis mentis, scilicet Deum.

erat in eo. Et a responsum acceperat a Spiritu Sancto b non visurum se c mortem, nisi d prius videret e Christum Domini. Et f venit in spiritu in g templum. Et h cum inducerent puerum Jesum i parentes ejus ut k facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & l ipse m accepit eum in ulnas suas, n & benedixit Deum, o & dixit: Nunc p dimittis servum tuum, Domine, secundum q verbum tuum in r pace. f Quia viderunt oculi mei t salutare tuum, u quod x parasti y ante faciem omnium populorum. z Lumen ad a revelationem gentium, & b gloriam ple-

O *Bern*, testis inhabitantis, & trahentis Spiritus Sancti bona voluntas est, sicut apparet in velis cum ventis feruntur, sicut bene apparet, cum ventus Spiritus Sancti cor hominis percutit. Unde *Psal.*142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. a Et responsum acceperat, &c.] Verisimile est, quod desideraret videre Christum ante mortem suam, sic quilibet claustralis desiderare debet, ut Christum videat ante mortem suam, illa visione, de qua dicitur in *Psal.*105. Visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum. Sicut in judicio electis Dominus videbitur blandus, malis terribilis, ita in præsenti, quando cogitatur cum tremore magno. Unde *Psal.*89 Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Quandoque vero electis suis videtur per fidem, cum tanta est fiducia, ut quasi sint certi de salute sua. Unde *Bern.* loquens de hac visione dicit. Subito tanta mihi de me suborta est fiducia, & infusa lætitia, quantus certe in loco horroris non præcesserat timor. O si durasset. Iterum, visita me, Domine. Tunc Dominus dicit animæ fideli; Salus tua ego sum. Absque hac visione non exit anima omnino secura de carcere hujus corporis, cum nesciat, utrum exeat inde ad damnationem, vel ad liberationem. f Et venit in spiritu] idest, instinctu Spiritus Sancti. g In templum.] *Isa.*64. Occurristi lætanti, & facienti justitiam. Sic debet iri in Ecclesiam, non spiritu cupiditatis, sicut illi, qui tantum propter denarios ad Ecclesias vadunt. h Et cum inducerent puerum Jesum] idest, infantem. Infantia enim usque ad septem annos protenditur. Frequenter tamen in diebus infantiæ censetur Christus nomine pueritiæ, *supr. eod.* De puero hoc, quia hoc nomen puer non tantum congruit ætati, sed humilitati, puritati, & servitio. Puer enim quasi a puritate dicitur, & pueri servientes dicuntur. Bene ergo puer dicitur, quia humiliavit seipsum. Item quia puritatem habuit, idest, peccati immunitatem, & ineffabilem Deo exhibuit servitutem, quia fuit obediens patri usque ad mortem. *Isa.* 42. Ecce servus meus suscipiam eum. Alia littera. Ecce puer meus. i Parentes ejus,] Maria, & Joseph pater putativus, *infr.*3. Ut putabatur filius Joseph. k Ut faceret secundum consuetudinem, &c.] idest, ut offerrent eum, & redimerent quinque siclis, quia primogenitus erat. *Num.* 18. l Et ipse] Simeon. m Accepit eum, &c.] idest, in brachia sua, ad innuendum, quod per opera bona venitur ad salutem. Non enim sufficit fides habenti tempus operandi. *Jac.*2. Quid proderit, fratres, si fidem dicat quis se habere, opera autem non habeat, nunquid poterit salvare eum? quasi dicat non. Unde *infr.* dicit. Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus, &c. 1.*Cor.* 3. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem in *Glos.* super istud verbum, triplex mysterium distinguitur. Per hoc enim, quod senex accepit infantem, instruimur, quod deposita vetustate debemus induere novitatem. Item per hoc, quod ulnæ justi senis corpore suscepti pueri teguntur, significatur, quod lex operienda est gratia Evangelica. Item per hoc significatur, quod mundus in peccato inveteratus, Christianæ infantiæ novitate erat induendus. Item quod Simeon Jesum in ulnis portavit, & tenet figuram bonorum activorum. Maria in utero, & tenet figuram bonorum contemplativorum, qui in corde Christum gestant. Joseph creditur eum portasse in humeris in Ægyptum, & tenet figuram prælatorum, qui manus pro Christo laborant, & minus ejus visione fruuntur. n Et benedixit Deum,] idest gratias reddidit de impletione promissi, & exhibitione Salvatoris. *Psal.*103. Benedic, anima mea, Domino, &c. Vel, (Benedixit Deum,) idest canticum cantavit Domino, quia hæc erat benedictio antiquorum patrum. o Et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Nunc dimittis] idest dimittes, sive nunc potes dimittere in pace, idest, nexibus corporis absolvere, & mittere in requiem cum patribus meis in limbo. Sicut enim a Spiritu Sancto acceperat se non prius quam Christum videret moriturum, ita forte ab eodem spiritu acceperat, postquam eum viderat se non diu victurum, quasi nunc potes dimittere. q Secundum verbum tuum] idest, responsum, quod a Spiritu Sancto accepi, quod jam impletum est. Vel potest legi deprecative. p Nunc dimittis] idest dimitte, quasi dicat oro. Domine, ut dimittas servum tuum, ut quiescat. r In pace.] idest, ut solvas de carcere carnis miserum spiritum diutius captivatum. Et exquisite dictum est, (dimittis.) Dimitti enim proprie captivorum est. q Secundum verbum tuum.] Hoc non mutatur. Tertio modo legitur assertive. p Nunc dimittis servum tuum in pace, secundum verbum tuum,] quia complesti ejus desiderium. *Prov.*13. Spes, quæ differtur, affligit animam, lignum vitæ desiderium veniens. Et *inf.* Desiderium si compleatur, delectat. Hoc dicere convenit sanctis, qui dicunt *Phil.*1. Cupio dissolvi, & esse cum Christo. r In pace.] *Eccl.*44. Corpora sanctorum in pace sepulta sunt. Et *Job* 3. Quare non in vulva mortuus sum, nunc enim dormiens, &c. *Psal.*4. In pace in idipsum dormiam, & requiescam. f Quia viderunt, &c.] Sic continua. Vere responsum repletum est: (Quia viderunt oculi mei) interiores, & exteriores. Interiores Deum, exteriores hominem, quia ipsum, quem tenebat in brachiis, verum Deum, & verum hominem credidit, & tandem visurum se facie ad faciem speravit. *Joan.* 8. Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum, *infr.*10. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, &c. t Salutare tuum,] idest Christum Salvatorem tuum, *Matth.*1. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum, *infr.* 9. Filius hominis non venit perdere animas, sed salvare. u Quod] scilicet salutare. x Parasti] sicut miles parator ad bellum, idest, carne quasi armis induisti ad debellandum adversarium nostrum. Unde *Psalm.*34. Apprehende arma, & scutum, &c. Vel sicut paratur lucerna ad domus illuminationem. *Job* 12. Deridetur justi simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum. Et nota, quia exquisite dictum est (parasti) non paras. Si enim usus fuisset verbo præsentis temporis, videretur non intelligere de primo adventu in quo Deus pater paravit filium ante faciem omnium populorum. Ut autem de utroque adventu intelligatur, convenientius dictum est, parasti. Parasti inquam. y Ante faciem omnium populorum.] idest in conspectu omnium populorum, quia omnes populi desiderabant, & expectabant. De Judæis. *Isa.*64. Utinam dirumperes cælos, & descenderes. De gentibus. *Gen.* 49. Ipse erit expectatio gentium. *Aggæi* 2. Venit desideratus cunctis gentibus. In utroque adventu paratus est ante faciem omnium populorum, i. innotuit populis per fidei cognitionem, & dilectionem. In secundo adventu parabitur per manifestam visionem, ut eum videat omnis oculus. *Apoc.*1. *Isa.* 52. Paravit Dominus brachium sanctum suum in conspectu omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei. z Lumen ad revelationem] Ita junge, quod salutare parasti (lumen) idest ut esset lumen, quia non est tantum salutare, sed etiam lumen. a Ad revelationem] idest ad illuminationem, gentium. *Isa.*9. Populus gentium, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. b Et] parasti, ut esset ad (gloriam plebis tuæ Israel) idest ad glorificationem, id est ut plebs Israelitica de eo gloriaretur. *Psal.* 3. Susceptor meus es gloria mea. Quod dixerat Lucas communiter, dividit per partes. Paratum dixerat Christum ante faciem omnium populorum, videlicet in lumen gentium, & in gloriam Judæorum. Et recte dividit dans lumen gentibus, &

gloriam Judæis, quia gentes erant in tenebris infidelitatis, & ideo lumine indigebant. *Isa.9.* Et Judæi erant in confusione, & omnimoda abjectione propter legis transgressionem, & ideo gloria indigebant. Unde *Rom.3.* Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei. Vel ideo dicit, in lumen gentium, & gloriam Israel Christum esse paratum, quia ad hoc venit in mundum, ut oculis cæcis gentilium veritas ignota revelaretur, & Israel promissum, & desideratum excipiens gloriaretur. *Aggæi* 12. Veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria. Præponitur autem revelatio gentium gloriæ Israel, quia plenitudo gentium prius introducetur, quam reliquiæ Israel salvæ fiant. *Rom.* 11. Cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet. Nota istud ast tertium canticorum Evangelii, cetera a prophetis edita sunt, & ab aliis in veteri testamento. Unda propter reverentiam Evangelii sola hæc tria cantica stando decantamus. Sed non videtur in decantandis hujusmodi canticis ordo ab Ecclesia servari. Præcessit enim canticum B. Virginis canticum Zachariæ, quod tamen ante illud cantatur. Si ergo quæris rationem ordinis in decantando, considera, quid in singulis canticis contineatur. Unde nota, quod in cantico Zachariæ dicitur. Erexit cornu salutis. Erectio autem Christi facta est in resurrectione. Ante enim jacuerat in infirmitate carnis, sed in resurrectione erectus est. Et ideo in matutinis laudibus, quas in memoriam matutinæ resurrectionis mane celebramus, canticum Zachariæ decantamus. In cantico autem Beatæ Virginis mentio habetur de respectu ancillæ, qui sexta ætate factus est, ideo sexta hora canticum illud decantatur, idest, in vesperis. Sexta namque ætate respectus divinæ misericordiæ factus est super ancillam, idest, Ecclesiam. Unde ita exponitur. Ancillæ suæ, idest, Mariæ, & Ecclesiæ. In cantico autem Simeonis fit mentio de pace, & petebat dimitti, ut requiesceret in pace, quæ pax, & requies habetur in septima ætata, qua spiritus sanctorum requiescunt, de quorum corporibus etiam dicitur *Eccles.* 44. quia in pace sepulta sunt, in spe, scilicet futuræ pacis. Nondum enim habent illam pacem. Quoniam ergo in cantico illo mentio fit de pace, quæ dabitur in septima ætate, ideo cantatur in septima hora, scilicet, in completorio. Septem namque sunt horæ, in quibus Ecclesia præsens psallere instituit in die. Juxta illud *Psalm.*118. Septies in die laudem dixi tibi, scilicet, mane, quando matutinæ laudes decantantur, prima, tertia, sexta, nona, vesperæ, completorium. Quatuor versus istius cantici significant quatuor dotes corporis, quæ dabuntur electis in fine temporis, in cujus signum cantatur canticum istud in fine diei (lumen ad revelationem, &c.) Nota, ab hoc verbo habuit occasionem Ecclesia, ut cum luminibus faceret processionem. Et est candela, quasi quidam liber laicorum, eis ostendens ista sex, scilicet, & qualiter ignis charitatis Christum in nostrum servitium expendit. Unde debemus ad hoc accendi, ut ei vicem rependamus. Item Christus illa die oblatus est, qui est lumen, quod repræsentat Cereus illa die gestatus, & oblatus. Et quia de Betlehem venerunt Maria, & Joseph cum parentibus, & cognatis, hoc repræsentantes facimus processionem die ea. Sequitur. *a* Et erat pater ejus,] Joseph scilicet, qui nutritius pater dicitur, sicut nutrix solet dici mater. *b* Et mater] Maria.

c Mirantes super his, quæ dicebantur] a pastoribus, a Simeone, ab Angelis.

d De illo.] Jesu, scilicet.

e Et benedixit illis Simeon,] Joseph scilicet, & Mariæ. Hujus benedictionis non habemus formam expressam, sed benedictio potest intelligi gratiarum actio. Sic enim benedicit creatura creatori, ipsum gratiarum actione prosequendo.

f Et dixit ad Mariam matrem ejus:] Post benedictionem convertens sermonem ad matrem prophetavit de puero, dicens. *g* Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. *i* Hic] idest, Christus, non in se tantum, sed etiam in membris suis.

h Positus est] per occasionem.

k In ruinam,] non credentium. Qui enim ejus resurrectioni, & prædicationi invidentes detraxerunt, ex hoc ruinæ occasionem habuerunt. Qui vero crediderunt, & a peccatis se mundaverunt, in anima resurrexerunt. Unde.

bis tuæ Israel. Et *a* erat pater ejus, *b* & mater *c* mirantes super his, quæ dicebantur *d* de illo. Et *e* benedixit illis Simeon, & *f* dixit ad Mariam matrem ejus: *g* Ecce *h* positus est *i* hic in k ruinam, & in *l* resurrectionem multorum in Israel, *m* & in signum, cui contradicetur.

l Et in resurrectionem multorum] credentium, (in Israel.) *Isa.8.* Dominus erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israel. Vel. k In ruinam,] stantium, idest stare se reputantium, ut Scribarum, & Pharisæorum, & eis similium.

l Et in resurrectionem] cadentium, idest se cecidisse reputantium. *Joann. 9.* In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. *Matth. 9.* Non veni vocare justos, idest, illos, qui se reputant justos, sed peccatores, idest illos, qui se recognoscunt peccatores. Vel.

k In ruinam,] veteris hominis.

l Et in resurrectionem] Novi 1.*Reg.*2. Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit veterem hominum, & ditat novum, humiliat veterem, & sublevat novum. Item.

k In ruinam,] vitiorum.

l Et in resurrectionem] virtutum. Ad Adam enim usque ad Christum regnavit peccatum, sed veniente Christo destructum est regnum peccati, & renovatum regnum virtutum. *Rom.* 5. Sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi. Et sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam. *Isa.*55. Pro saliunca ascendet abies, idest, pro abjectione terrenorum, contemplatio, & exemplum bonæ vitæ, quo transfretabunt per mare hujus mundi, & pro urtica crescet myrtus, idest, pro ardore luxuriæ virtus temperantiæ. *Zach.ult.* Erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini. Per equum significatur luxuria. *Jer.* 5. Equi amatores in feminas, & emissarii facti sunt. Per mulum superbia, quæ sterilis est, ut mulus. Item sicut mulus natus est ex equo, & asina, ita homo ex nobili, & vili natura, idest, ex corpore, & anima. Unde sicut mulus, non dicit se filium asinæ, sed equi, ita superbus homo, se dicit natum de genere Dei. Et verum dicit, quia creatus est ad imaginem Dei, quantum ad animam. Unde *Actuum* 17. Genus cum simus Dei, &c. Sed Dominus respondet ei. *Psalm.*49. Existimasti, inique, idest, superbe, quod ero tui similis, idest, quod factus es ad mei similitudinem, arguam te, & statuam contra faciem tuam, idest, ostendam tibi, quod es filius asinæ, idest, carnis immundæ. 2. *Reg.* 18. Absalon sedens super mulum, idest, quiescens in superbia, suspensus est per capillos, & interfectus est a Joab. Per camelum, significatur avarus gibbosus, plenus bursis, & præbendis, qui non potest intrare per angustam portam. Unde *Marc.* 10. Facilius est camelum intrare, &c. Per asinum, qui est animal stolidum, & pigrum, significatur stultitia, & pigritia. Unde *Prov.*24. Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti. De resurrectione autem virtutum dicitur *Joan.*11. Ego sum resurrectio, & vita.

m Et in signum, cui contradicetur.] Istud secundum *Glos.* tripliciter exponitur, secundum triplicem acceptionem hujus nominis Signum. Aliquando enim accipitur signum pro significatione, ut circulus dicitur signum vini, idest, significatio venalitatis vini. Aliquando accipitur pro miraculo, ut ibi: *Act.6.* Faciebant prodigia, & signa magna in populo, idest, miracula. Aliquando pro vexillo: Nam homini vexilla, quæ afferuntur in cuneis belligerantium signa dicuntur, quia signant, idest, discernunt milites suæ partis a militibus adversæ partis. De prima acceptione dicit *Gloss.* In signum, idest, in Evangelium. Evangelium enim dicitur signum, idest, significatio, quia doctrina evangelica Signum est metuentibus, ut fugiant a facie arcus, idest, iræ Dei. Unde *Psalm.* 59. Dedisti metuentibus te significationem, &c. Illud autem, quod sequitur in *Gloss.* In quo dicitur: *Matth.* 10. Veni hominem separare adversus matrem, &c. Non est *Gloss.* ejus, quod dictum est (signum) sed ejus, quod dictum est (contradicetur) quasi in Evangelio hoc dicitur: Veni hominem separare adversus matrem, & huic verbo contradicebatur a multis, & adhuc contradicitur, quia durum videtur. De secunda acceptione dicit *Gloss.* Omnia, quæ de Christo narratur, sunt signum, quod natus est de virgine, quod resurrexit, quod clausis januis intrat, cui signo contradicitur ab infidelibus. De tertia acceptione dicit *Gloss.* Specialiter signum est fides dominicæ crucis, cui ubique contradicitur ab infidelibus. *Act. ultim.* dicitur Paulo: Huic sectæ ubique contradicitur: Præter hanc

triplicem

triplicem acceptionem signi, quam Glossæ distinguunt, multipliciter positus est nobis Christus in signum. Positus est enim in præsepio in signum paupertatis, & humilitatis. Unde *supr. eod.* Et hoc vobis signum, invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio. Item positus est in cruce, in signum patientiæ, & obedientiæ. *Num.* 21. Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo. *Joan.* 3. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis *Isai.* 5. Elevabit Dominus signum in nationibus procul. *Thren.* 3. Posuit me, quasi signum ad sagittam. Item positus est in sepulchro, in signum quietis, & contemplationis. *Matth.* 12. Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Sicut enim, &c. Item positus est in inferno, in signum charitatis. *Isa.* 7. Pete tibi signum a domino in profundum inferni, sive in excelsum supra. Item positus est in cœlo, in signum victoriæ. *Apoc.* 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum patre meo. Item *Isa.* 55. Et erit Dominus in signum æternum, quod non auferetur. Item positus est in signum, idest, in sigillum, ut in eo imprimamur per meditationem cordis, & imitationem operis. *Cant.* 8. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, *Aggæi ult.* Ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum. Huic signo multiplici, & utili contradicitur hodie a multis. Unde *Jerem* 15. Væ mihi mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in universa terra, omnes maledicunt mihi dicit Dominus. Item positus est in signum miraculorum. Unde *Joan.* 3. Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Sed huic signo contradictum fuit a Judæis. Unde dixerant *Matth.* 12. In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Item positus est in signum similitudinis, quo distinguitur familia Dei a familia non Dei. *Psal.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Sed huic signo contradicunt omnes, qui in se similitudinem Dei destruunt. *Job* 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini. Item positus est in signum cautelæ. *Psalm.* 59. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus. Item positus est in signum rectæ viæ, sicut crux ponitur in biviis, sic ponitur crux in Ecclesia. *Isa.* 11. In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum. Sequitur.

Et *a* tuam ipsius animam *b* pertransibit *c* gladius, ut *d* revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et *e* erat Anna *f* prophetissa *g* filia Phanuel *h* de tri-

a Et tuam ipsius animam pertransibit gladius,] Hoc multipliciter exponitur.

c Gladius,] idest, verborum contumelia. *Psal.* 56. Lingua eorum gladius acutus.

b Pertransibit tuam ipsius animam] idest, quæ est ipsius, anima. Item, (Gladius,) idest, passio. Sed tunc dicendum est, tuam ipsius animam, idest, animam ipsius Christi, quam reputas, & diligis ut tuam, Et sic exponit *Chrys.* animam. Tertio modo exponitur hoc de B. Virgine sic. *c* Gladius,] idest, dolor dominicæ passionis. *b* Pertransibit tuam ipsius] idest, tui ipsius (animam) ut possessivum resolvatur in primitivum. Quia sicut dicit *Beda*, non potuit videre filium crucifigi, sine affectu materni doloris, & si spetaret resurrecturum, & mortem superaturum. Et dicit *Damascenus*. Dolores, quos effugit pariens, hos tempore passionis Christi sustinuit. Quarto modo moraliter sic.

c Gladius,] est verbum Dei, *Ephes.* 6. Et gladium spiritus, quod est verbum Dei, quod debet pertransire animam audientis, ita quod faciat divisionem carnis, & spiritus, *Hebr.* 4. Vivus est sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus. Sed corpus diaboli ita durum est, quod penetrari non potest, aut vix potest. Unde *Job* 41. Corpus ejus, quasi scuta fusilia, & compactum squammis sese prementibus. Una uni conjungitur, & nec spiraculum quidem incedit per eas. Debet autem esse iste gladius talis, qualis dicitur *Apoc.* 1. De ore ejus gladius ex utraque parte acutus egrediebatur, idest bis acutus. Acutus scilicet comminando, ut incutiat timorem, qui revocet a malo: Acutus promittendo, ut amorem accendat, qui provocet ad bonum. *Jerem.* 23. Nonne verba mea, quasi ignis ardens, &c. De gladio terroris dicitur in *Psal.* 7. Gladium suum vibravit. De gladio amoris dicitur *Matth.* 10. Non veni mittere pacem in terram, sed gladium.

d Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.] Juxta secundam, & tertiam expositionem (ut) ponitur consecutive. Crucifixo enim Domino patuerunt iniquæ cogitationes Judæorum, quæ usque tunc latuerunt in cordibus eorum. Ante nativitatem enim Christi omnes Messiam expectabant, sed ipso nato, quidam ejus magisterio adhæserunt, quidam respuerunt, & ita pravæ cogitationes eorum in Passione revelatæ sunt. Juxta quartam expositionem ponitur, (ut) finaliter. Ad hoc enim fit verbum ad animam, ut cogitationes, & peccata, quæ in corde latent, revelentur per confessionem. *Cant.* 2. Tempus putationis advenit, &c. *Psalm.* 36. Revela Domino viam tuam. Potest autem & sic continuari.

d Ut revelentur, &c.] Repete: Et positus, ut sit in ruinam, & resurrectionem multorum, & positus est in signum, & etiam positus est, ut revelentur cogitationes ex multis cordibus, idest, multorum, quæ prius erant occultæ, &c. Idem erit sensus semper. Sequitur.

e Et erat Anna, &c.] Post præconium viri, ponitur præconium mulieris. Nec ponuntur verba præconii mulieris, sed viri, in signum, quod mulieres magis debent tacere, quam loqui, & doceri, quam docere. Unde 1. *Corinth.* 14. Mulieres in Ecclesia taceant: Non enim permittitur eis loqui. Et recte in præconiis Christi, per quem vita reddita est, conjungitur Anna Simeoni, quia per virum, & mulierem vita totius mundi perdita est. Quinque autem fuerunt Annæ. Prima mater Samuelis, 1. *Regum* 1. Secunda uxor Raguelis. *Tob.* 7. Tertia uxor, vel mater Tobiæ: *Tobiæ* 1. Quarta filia Phanuel, ut *hic*. Quinta mater Mariæ Matris Domini: Hæc non est in canone. A multis autem commendat Lucas Annam, quam inducit Domini laudatricem, in quo ostendit, quod laudabilis debet esse, qui vult laudare Dominum. Unde *Ecclesiast. decimoquinto*. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Primo ergo commendat eam a gratiositate, cum dicit.

Quinque fuerunt Annæ.

e Et erat Anna] quæ interpretatur gratia Dei. *Prov.* 11. Mulier gratiosa inveniet gloriam. Secundo a sapientia, cum dicit.

f Prophetissa] *Sap.* 7. Sapientia in animas sanctas se transfert, & amicos Dei facit, & prophetas constituit. Tertio, a bonitate parentum, cum dicit.

g Filia Phanuel] *Ezech.* 6. Qualis mater, talis filia. Quarto, a nobilitate generis, cum dicit.

h De tribu Aser.] *Hier.* Hoc solum video in nobilitate generis appetendum, quod quasi, quadam necessitate astringuntur, ne a majorum nobilitate degenerent. Quinto a

Δ prudentia,

Quatuor Prophetissæ reperiuntur in Sacra Scriptura.

e Et erat Anna Prophetissa] Nota, quod quatuor inveniuntur Prophetissæ in Sacra Scriptura. Prima fuit Maria soror Moysi: *Exod. decimoquinto*. Secunda Delbora: *Judicum* 4. Tertia Olda. 4. *Reg.* 22. Quarta hæc Anna. Prima legitur cantasse. *Exod. decimoquinto*. Sumpsit Maria prophetissa tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino, &c. Secunda legitur judicasse. *Judic.* 4. Erat Delbora prophetes uxor Lapidoth, quæ judicabat populum tempore illo. Tertia legitur indulgentiam promisisse. 4. *Regum* 22. Dicite regi Juda, qui misit vos: Colligeris ad sepulchrum tuum in pace. Quarta legitur Deum laudasse, hic: Confitebor Domino. Per istas quatuor Prophetissas significantur quatuor virtutes cardinales. Maria enim interpretatur dominatrix: Hæc est fortitudo. Delbora apis: Hæc est temperantia, quæ in principio pungit, sed in fine mel, idest, dulcedinem gerit. *Hebr.* 12. Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Olda interpretatur discretio mea: Hæc est prudentia, quæ discernit bonum a malo cum electione unius, & fuga alterius. Anna interpretatur respondens: Hæc est justitia, quæ respondet cuilibet reddens, quod suum est. De istis quatuor Prophetissis dicitur: *Actor.* 21. Huic, idest, Philippo erant quatuor filiæ prophetantes. Eædem virtutes sunt significatæ, per quatuor personas, quæ leguntur interfuisse præsentationi Domini. Joseph, Maria, Simeon, Anna.

Moraliter.

g Filia Phanuel de tribu Aser.] qui beatus interpretatur, & significat beatitudinem novi testamenti, quia fuit octavus filiorum Jacob, natus scilicet de Zel-

prudentia, cum dicit. *a* Hæc processerat in diebus multis,] *Job* 12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Sexto a continentia, cum dicit.
b Et vixerat cum viro suo annis septem, &c.] quod donum Dei est non modicum. *Sap.* 8. Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus dederit, & hoc ipsum erat sapientia, scire cujus esset hoc donum. Septimo, a viduitate, quæ etiam donum Dei est, cum dicit.

al. † orationibus,

F

c Et hæc vidua] erat (usque, &c.) *Psalmo* 131. Viduam ejus benedicens benedicam. Octavo, a gratia jejunandi, & orandi, cum dicit.
d Quæ non discedebat de templo, &c.] *Tobiæ* 12. Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna. Qui hæc habet, potest laudare Deum.

bu Aser. Hæc *a* processerat in diebus multis, *b* & vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc *c* vidua usque ad annos octoginta quatuor, *d* quæ non discedebat de templo, *e* jejuniis, & obsecrationibus *f* serviens nocte, ac die. Et hæc *g* ipsa hora superveniens *h* confitebatur Domino, *i* & loquebatur de illo *k* omnibus, qui expectabant redemptionem † Jerusalem. Et ut *l* perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam *m* Nazareth. *n* Puer autem *o* crescebat, *p* & confortabatur *q* plenus sapientia, *r* & gratia Dei erat in illo.

al. † Israel.

* pha *Gen.* 30. Per octo autem novum testamentum intelligitur.
a Hæc processerat in diebus multis,] idest, provectæ ætatis erat. E contrario in multis procedunt dies, qui non movent se de loco suo. De quibus *Isa.* 65. Puer centum annorum maledictus erit *Joel.* 2. Computruerunt jumenta in stercore suo.
b Et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.] idest, a tempore amissæ virginitatis.
c Et hæc vidua] erat (usque ad annos octoginta quatuor, &c.] Quia circa templum frequens erat eam non discedere, dicit, non quia ad horam non discesserit, in quo datur exemplum viduis, ne sint vagæ, sicut meretrices. *Prov.* 7. Ecce mulier occurrit ei ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas, garrula, vaga, &c. 3. *Reg.* 2. Ædifica tibi domum in Jerusalem, & habita ibi, &c.
e Jejuniis, & obsecrationibus,] Obsecratio est petitio cum adjuratione. 1. *Tim.* 2. Obsecro primum omnium obsecrationes fieri.
f Serviens nocte, ac die.] nocte orans, & die jejunans. Et probabile est, quod & eleemosynas faciebat. *Psal* 41. In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus.
g Et hæc ipsa hora] qua Simeon accepit puerum.
h Superveniens confitebatur Domino,] idest, laudabat Dominum. *Psal.* 137. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam audisti omnia verba oris mei. *Gloss.* Prophetaverat Simeon, prophetaverat copulata conjugio, scilicet, Elisabeth, prophetaverat virgo, prophetaverat & vidua, ne qua aut professio deesset, aut sexus. Professio dicit, quantum ad Annam, quæ fecerat professionem viduitatis, & Maria, quæ fecerat professionem virginitatis, & Elisabeth, quæ erat in professione conjugii. Sexus dicit, quia mulieres, & viri de eo prophetaverunt. Sequitur in *Gloss.* Stipendiis viduitatis, &c. idest, militia, quia diu militaverat in viduitate. Stipendia enim proprie militum sunt.
i Et loquebatur de illo,] Et ideo meruit ipsum videre, *infr. vigesimoquarto* apparuit discipulis in via de se loquentibus.
k Omnibus, qui expectabant redemptionem Jerusalem.] *Gloss.* Omnibus fidelibus, qui jugo Herodis alienigenæ gravati, liberationem populi, & civitatis expectabant, promittebat per adventum Christi in proximo redemptionem a Tyrannide alieni. Hoc, quod dicitur *in hac Gloss.* non intelligendum est ad litteram, sed magis referendum est ad spiritualem intelligentiam.
l Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, &c.] Perfecerunt omnia, & supple, ad monitionem Angeli fugerunt in Ægyptum, ibi manserunt septem annis, & tandem mortuo Herode, reversi sunt in Galilæam, & sic in Nazareth. Et nota, quia sicut Evangelistæ quædam prætermittunt, quæ ab aliis plene dicta sunt, sic tamen eleganter narrationem suam continuant, ut nulla prætermittere videantur, Matthæus enim plenius de fuga pueri in Ægyptum, & de reditu narrat. 2.

Moraliter.

Moraliter. Ire in Jerusalem, est ire in cœlestium contemplationem. Reverti in civitatem suam, est reversio ad sui considerationem. Quæ fit duobus modis. Primo per beneficiorum Dei considerationem. *Act.* 2. Et Petrus, ad se reversus ait. Nunc scio vere, &c. Secundo, per amissorum inspectionem, *infr.* 15. De filio prodigo: Ipse autem ad se reversus ait: Quanti mercenarii, &c.
m Nazareth.] Omnes perfecti debent habitare in Nazareth, idest, in flore, quia semper debent reputare se esse in principio, *Ecclesiast.* 28. Cum consummaverit homo, tunc incipiet. *Ps.* 76. Et dixi, nunc cœpi.
n Puer autem, &c.] Hucusque agit Lucas de laudibus pueri ab Angelis, & hominibus concorditer, & celebriter ob gaudium nativitatis ejus decantatis: Hic incipit agere de gestis ipsius pueri. Et quia præmisit de his, quæ gesta sunt in infantia, subjungit pauca de his, quæ gesta sunt in pueritia, ut paucis de pueritia prælibatis, transeat ad illa, quæ fecit in virili ætate, scilicet, ad miracula, quæ fecit postquam baptizatus fuit. Narrat autem primo, quomodo cum parentibus suis ascendit in Jerusalem jam duodenus, quibus repatriantibus remansit in templo in Jerusalem, quem post triduum redeuntes in Jerusalem invenerunt, & hoc est de propriis Lucæ. In quo facto instruxit nos Dominus in tribus. Primo, ut in ipsa pueritia Ecclesiam frequentemus, & laudibus divinis intendamus. *Thren.* 3. Bonum est viro, cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua. Secundo, ut temporalibus spiritualia præponamus. Unde dicit. Nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse. *Phil.* 3. Posteriorem oblitus in anteriora me extendo. Tertio, quod dies festos debeamus celebrare, & in illis ad Ecclesiam ire. Et hoc triplici ratione. Primo, propter legis jussionem. *Exod.* 20. Memento, ut diem sabbati sanctifices. *Levit.* 23. Hæ sunt feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis, &c. Secundo, propter Domini promissionem. *Isa.* 56. Qui custodierunt sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus. Tertio, propter legis comminationem. *Num.* 15. Præcepit Dominus colligentem ligna in sabbato lapidari. Quarta etiam ratione voluit, & vult Dominus festa celebrari, ut melius tunc vacare possimus orationi, & contemplationi, non comessationi, & potationi. Sicut multi faciunt, qui putant festorum Domini celebritatem consistere in comessationum, & ebrietatum amplificatione, quod est magis festa violare. Unde *Thren.* 1. Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata ejus. *Amos* 5. Odi, & projeci festivitates vestras, quasi dicat non meas. *Malac.* 2. Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum. Ideo dicitur hic, quod Jesus amissus fuit in die festo, quia multi in festivis diebus, quando deberent se magis conjungere Deo per contemplationem, & orationem, amittunt Jesum, idest, salutem. Quod satis bene significatum est. *Matth.* 14. ubi legitur, quod in festo Herodis Joannes est decapitatus. Item *Gen.* 40. legitur, quod in festo Pharaonis pistor suspensus est, idest, prædicatur, vel doctor, qui facit panes Domini. Dicitur autem. Christus puer principaliter, propter quatuor. Primo, propter vitæ puritatem. 2. *Petr.* 2. Qui peccatum non fecit, &c. Secundo, propter humilitatem. *Matt.* 11. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Tertio, propter obedientiæ promptitudinem. *Phil* 2. Factus est obediens patri usque ad mortem. Quarto, propter ministerii servitutem, *Matth.* 20. Non venit ministrari, sed ministrare. *n* Puer autem] ætate, dicit *Gloss.* Et videtur hæc *Gloss.* quasi respondere *Gloss.* superius positæ, in qua dicebatur, puer non pro ætate, cum adhuc esset in infantia, sed pro puritate, hic autem puer dicitur pro ætate, quia jam excesserat metas infantiæ.

De festis Domini.

Nota de festis celebrandis.

Christus dicitur puer propter quatuor.

o Crescebat,] *Gloss.* Corpore.
p Et confortabatur] Spiritu Sancto, vel etiam spiritu suo, sicut alibi legitur. Et astitit Angelus Domini confortans eum, Christum hominem, scilicet. *q* Plenus sapientia,] quia in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. *Col.* 2. Et quod *Joan.* 1. dicitur: Plenum gratiæ, & veritatis, hic dicitur: Plenus sapientia. Et est sensus. Christus inquantum puer, vel inquantum homo, non inquantum Deus, erat plenus sapientia. *r* Et gratia Dei erat in illo.] secundum quod homo, quia sicut dicit *Beda*,

inf. mod. 22.

idem

eidem homini Christo magna grat'a donatum est, ut ex quo homo fieri cœperit, perfectus esset & Deus. In illa enim gloriosa unione collatum est ei per gratiam, ut sit homo Deus, quæ unio summa gratia fuit, & sic inquantum homo plenus est gratia, inquantum enim Deus est, dator gratiarum.

Et *a* ibant parentes ejus per *b* omnes annos in Jerusalem in *c* die solemni Paschæ. Et *d* cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum *e* redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes ejus. *f* Existimantes autem illum esse in comitatu, *g* venerunt iter diei, *h* & requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non *i* invenientes *k* regressi

a Et ibant parentes ejus] *Augustinus* latenter propter metum Archelai.

b Per omnes annos in Jerusalem] ad immolandas hostias. *Malach.* 3. Statim veniet ad templum suum, &c. Præceptum enim erat a Domino, ut omnis masculus de universis finibus, Israel, ter in anno, scilicet, in tribus solemnitatibus se præsentaret in Jerusalem, & offerret hostias determinatas in lege. De mulieribus non est præceptum, sed si comitabantur viros suos, bonum erat. Et inde remoti interveniente necessitatis articulo, de duabus solemnitatibus se poterant excusare, sed de solemnitate Paschæ non poterant se excusare, nisi per infirmitatem. Ideo hic specialiter dictum est.

c In die solemni Paschæ.] quoniam in Pascha veniebant singulis annis. Et nota, sicut dicit *Beda*, quia Lucas frequenter facit mentionem de pertinentibus ad sacerdotium, scilicet, de hostiis, & hujusmodi, ideo in figura, quatuor animalium congrue aptatur et forma vituli, quia vitulus est animal hostiis deputatum. *Glos.* Merito, &c. Et nota, quia non dicitur conversari circa templum maxime respectu aliorum, de quibus tractat, quod magis versetur ejus intentio circa templum, & sacrificia, quam circa alia tractanda, sed respectu aliorum Evangelistarum, qui pauca de his dicunt. Nota, parentes Domini spiritualiter possunt dici, vel a pareo pares, vel a pario paris. Primo modo sunt parentes Domini, omnes qui ejus faciunt voluntatem. Unde *Matth.* c. 12. Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est. Secundo modo dicuntur parentes Domini Prædicatores, & Doctores, qui generant eum in cordibus auditorum. Unde 1. *Corinth. cap.* 4. Et si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. Mater ejus est, qui concipit eum in corde per timorem, & parit in opera per amorem. *Isa. cap.* 25. alia littera. A timore tuo concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum salutis. Sola mater sostinet dolorem in partu, non pater, non frater, non soror. *Joan.* 16. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus. Ideo proprie mater Christi, sunt pœnitentes, pater, Doctores, & Prædicatores, frater, & soror, contemplativi, in quibus est solus affectus amoris, sine dolore, & labore. Sequitur.

d Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus,] *Gloss.* Quia octo protelabatur diebus. Hoc videtur esse falsum, quia tantum per septem dies protelabatur. *Deut.* 16. Septem diebus comedet absque fermento. Solut. In quartadecima Luna conveniebant ad vesperum, & comedebant agnum paschalem, postea peragebant septem integros dies.

e Cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes, &c.] *Beda*. Si quæritur, quomodo potuit a parentibus obliviscendo relinqui, qui tanta parentum providentia nutriebatur, respondendum est, quia filiis Israel ad festa confluentibus, vel ad propria redeuntibus, mos erat seorsum viros, seorsum feminas choros ducentes incedere (*Zachariæ cap. decimo secundo*. Familiæ, & familiæ seorsum, & mulieres seorsum) pueri cum quolibet parente indifferenter ire poterant, ideo Mariam, & Joseph vicissim putasse puerum Jesum, quem secum non cernebant, cum altero parente reversum. Nota, Christus dimisit hic parentes propter scholas, & postea scholas propter obedientiam. Præponendus est ergo amor scripturarum amori parentum, & amori studii obedientia prælatorum. *Eccles.* 4. Multo melior est obedientia, quam stultorum victimæ, qui nesciunt, quid faciunt mali.

f Existimantes autem illum esse in comitatu,] idest, inter eos, qui similiter comitabantur. *g* Venerunt iter diei,] Hoc factum est ea die, qua redierunt a Jerusalem.

h Et requirebant eum inter cognatos, & notos.] idest, vicinos. Hoc factum est secunda die post illam. Sed ad quid ita sollicite requirebant? Metuebant enim, ne quod Herodes in infantia ejus quæsierat patrare, tunc jam in pueritia positum inventa opportunitate alii interficerent, idest, Archelaus, & ipsi proditores ejus invenirentur, idest, rei mortis ejus essent propter negligentiam si custodiendo puero non tantam diligentiam adhiberent, quantam oporteret.

i Et non invenientes] tertia die.

k Regressi sunt in Jerusalem requirentes eum,] & inveniunt.

Moraliter. Moraliter: *f* Existimantes autem illum esse in comitatu, &c.] Redarguuntur hic quidam religiosi, qui de fratrum sanctitate nimium confidentes, circa se negligentes, aliis orantibus, & vigilantibus vadunt dormire, bibere, & confabulari dicentes, fratres orant pro me. Item redarguuntur, quidam Prælati, qui in multitudine comitum, & equorum putant consistere honorem dignitatis, putantes se peccare contra honorem dignitatis suæ, nisi in multitudine comitum, & equorum, vel curruum ambularent. De quibus dicitur in *Psalm.* 19. Hi in curribus, & hi in equis, &c. Contra hoc dicitur *Deut.* 17. Cum fueris constitutus rex, non, &c. Hi requirunt Jesum inter cognatos, & notos, sed non inveniunt. Parentes Domini sunt Prælati. Cognati eorum, sunt nepotes eorum, fratres, & consanguinei, inter quos revera non invenitur Jesus, quia non propter Jesum, sed propter carnis cognationem introducuntur in Ecclesiam, quasi jure hæreditario possidere volentes. Unde dicitur in *Psal.* 82. Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei. Et alibi de eisdem dicitur *Psal.* 93. Populum tuum humiliaverunt, & hæreditatem tuam vexaverunt. Nullus debet habere hæreditatem Christi, nisi hæredes ejus. Hæredes autem non sunt, nisi qui attinent ei ex illa parte, unde habet hæreditatem. Videamus igitur, unde Christus habeat hæreditatem istam, idest, bona temporalia. Certe hæc sunt patrimonium crucifixi: Dicentes igitur se esse hæredes, debent ei attinere ex parte crucifixionis: Alioquin non sunt hæredes. Unde *Matth.* 20. Cum mater Joannis, & Jacobi peteret a Domino, ut filii ejus, qui erant cognati Domini, sederent in regno ejus, unus ad dexteram, & alius ad sinistram, respondit eis Dominus: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? quasi dicat, nisi attineatis mihi ex parte crucis, non potestis habere hæreditatem meam, quam in Cruce acquisivi. Unde *Gen.* 48. Dicit Jacob Joseph filio suo: Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo, idest, in Cruce. Qui igitur non attinent Christo ex parte crucis, quales sunt, qui in divitiis, & deliciis vivunt, quo jure volunt esse participes hæreditatis. 2. *Timoth. cap. secundo*. Fidelis sermo, si commorimur, & convivemus, si sustinebimus, & conregnabimus. *Threnorum capitulo quinto*. Hæreditas nostra versa est ad alienos. *primo Esdræ capitulo secundo* legitur de quibusdam, qui volebant habere partem in jure Levitico, hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non invenerunt, & ejecti sunt de sacerdotio. Multi tales invenirentur hodie inter sacerdotes, quorum genealogiæ, si quærerentur, scriptura non inveniretur, & tamen de sacerdotio non ejiciuntur. Sed timendum est, ne ejiciantur in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium, sicut legitur *Matth. cap.* 22. de illo, qui inventus est in nuptiis inter convivas, sine veste nuptiali. Noti sunt Theologi, qui noscunt Dominum per scripturam. Sed neque inter eos invenitur Dominus. Unde *Job* c. 19. Noti mei quasi alieni recesserunt a me.

k Regressi sunt, &c.] Sic non invenientes Jesum Prælati in sæculo, debent redire in Jerusalem, idest, ad contemplationem, & ibi eum requirere per orationem, & desiderium, donec inveniant per aliquam prægustationem, & dicant cum sponsa. *Cantic.* 3. Paululum cum

pertransissem, inveni, quem diligit anima mea, tenui, & non dimittam eum. Sic claustrales extra claustrum in domu parentum non invenientes Jesum, debent redire ad claustrum, ubi revera invenitur. *Psalm.* 131. Audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ in claustris, quæ sunt in silvis, ad litteram, ut sunt Cisterciences, Carthusienses, & Grandimontenses. Sequitur, *a* Et factum est, &c.] Littera plana est.

Mistice. Mystice, secundum quod dicit *Beda*. Post triduum reperitur in templo, ut esset indicium, quia post triduum illius triumphalis passionis in sede cœlesti, & honore divino fidei nostræ se ostenderet resurgens, qui mortuus credebatur. Item per triduum, significatur triplex status Sanctorum, scilicet Patriarcharum ante legem, a quibus adventus Christi expectatus, non est inventus. Item status Prophetarum, & aliorum justorum sub lege, a quibus nec est inventus. Item gentilium, & aliorum venientium ad fidem Christi tempore gratiæ, a quibus inventus est, *infr.* 10. Multi reges, & prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Item per triduum, triplex lex intelligitur. *Gloss.* Pater, idest, Ecclesia: mater, idest, synagoga, per tres leges quærunt Christum, & non inveniunt, nisi per Evangelium, idest, per terriam.

sunt in Jerusalem requirentes eum. Et *a* factum est post triduum, invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum *c* audientem illos, & interrogantem. *d* Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, *e* super prudentia, & responsis ejus. Et *f* videntes admirati sunt,

Moraliter. 16 dist. c. qui Ecclesiasticis. Moraliter. Post triduum pœnitentiæ, id est, contritionem, confessionem, satisfactionem invenitur Jesus. *Exod.* 8. Viam trium dierum ibimus in solitudinem, &c. Item triduum est triplex cognitio, quæ præcedit ad contemplationem, postquam invenitur Jesus in contemplatione. Prima dies est cognitio sensibilium, secunda cognitio imaginabilium, tertia cognitio intelligibilium. Post hanc triplicem cognitionem, super omnia sensibilia, imaginabilia, intelligibilia invenitur Jesus in contemplatione. Sic Paulus in extasi raptus usque ad tertium cœlum. 2.*Cor.* 12. Item est alia triplex cognitio, postquam invenitur Jesus in templo, idest, in corde proprio. Prima cognitio, quod mundus nihil est. Sicut dicitur *Jer.* 4. Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihili. Secunda est cognitio, quod ipsemet nihil est. *Eccl.* 18. Quid est homo, & quid est gloria ejus? q. d. nihil. *Psal.* 8. Quid hoc est, quod memor est ejus? q. d. nihil. Tertia est cognitio, qua homo cognoscit se esse minus, quam nihil. Scriptum est enim *Joan.* 8. Qui facit peccatum, servus est peccati. Sed constat, quod servus minor est Domino suo, & peccatum nihil, ut dicit *Aug.* Ergo quicumque facit peccatum, minus est, quam nihil. Qui per hoc triduum, quærit Jesum, sine dubio inveniet. *Isa.* 16. In tribus annis, quasi anni mercenarii auferetur gloria Moab, idest, diaboli. Et sic invenitur Jesus in templo. Nota, Magi invenerunt Dominum in domo. *Matt.* 2. Et intrantes domum, &c. Pastores invenerunt in præsepio, *supr. eod.* Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio. Parentes ejus invenerunt eum in templo. Hic per pastores intelliguntur Prælati, qui se, & alios debent pascere pabulo verbi Dei. Hi inveniunt Jesum in præsepio Sacræ Scripturæ. *Job* 6. Nunquid mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit? Per Magos intelliguntur claustrales, sive contemplativi, qui mundum, carnem, & diabolum incantare sapienter noverunt. Et hi inveniunt Jesum in domo propriæ conscientiæ, de qua *Sap.* 8. Intrans in domum meam conquiescam cum illa. Per parentes Jesu intelliguntur pœnitentes, qui per timorem concipiunt Jesum, per bonam operationem pariunt. *Isa.* 26. A facie tua, Domine, concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum salutis. Hi inveniunt Jesum in templo per orationem, quia scriptum est. Domus mea domus orationis vocabitur. *Isa.* 56. *c* Audientem, &c.] Prius audit, postea interrogat. De quo, nobis datur exemplum, ut prius audiamus discendo, quam loqui præsumamus docendo. In quo etiam exemplum humilitatis cunctis ostenditur. Unde *Gloss. Beda.* Quasi fons medius doctorum sedet, sed quasi exemplar humilitatis prius interrogat, & audit, quam instruat, ne parvuli a senioribus doceri erubescerent, ne infirmus docere audiat. *Rom.* 15. Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus. Item per hoc, quod dicitur, in medio, notavit, quod medium diligat Dominus, quia ibi securitas, in extremitatibus periculum, infans nascens in medio duorum animalium reponitur, puer adolescens in medio doctorum reperitur, juvenis moriens in medio duorum suspenditur, immortalis resurgens in medio discipulorum pacem offert, & justo in medio Ecclesiæ sapientia datur. *Eccles.* 15. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus. Sequitur.

Est triduum.
- Legis.
  - Naturalis
  - Scriptæ Moysi
  - Gratiæ.
- Fidei.
  - Articulorum
  - Sacramentorum
  - Miraculorum.
- Pœnitentiæ.
  - Contritio
  - Confessio
  - Satisfactio.
- Peccati.
  - Cordis
  - Oris
  - Operis.
- Pacis.
  - Temporis
  - Pectoris
  - Æternitatis.

Et dixit *g* mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? *h* Ecce pater tuus, & ego dolentes, quærebamus te. Et *i* ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi *k* non intellexerunt verbum, quod locutus est ad illos,

d Stupebant autem omnes, qui eum audiebant,] *Isa.* 52. Sicut obstupuerunt super eum multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus. Stupebant inquam. *e* Super prudentia, & responsis ejus.] id est super prudentia responsorum ejus. *Isa.* 52. Iste asperget gentes multas, & super eum continebunt reges os suum. *f* Et videntes admirati sunt.] *Gl.* Maria, & Joseph, vel quicumque alii hoc videntes. *Matth.* 17. Factum est cum consummasset Jesus verba hæc, admiratæ sunt turbæ super doctrina ejus, erat enim docens eos, sicut potestatem habens, non sicut Scribæ, & Pharisæi. Sed cum uterque, scilicet, Maria, & Joseph sciret ipsum esse Deum: quomodo admirati sunt de prudentia ejus? Sol. De ejus potentia, vel prudentia minime dubitabant, nesciebant tamen, quæ, vel quot miracula esset facturus, quia nondum instructa erat Beata Virgo de miraculis. Nota *Gloss.* Ecce signum divinitatis, &c. *g* Et dixit mater ejus ad illum, fili, quid fecisti nobis sic?] ut remaneres nobis ignorantibus? *h* Ecce pater tuus,] putative, & ego, dolentes quærebamus te.] dolentes de amissione Jesu. Sed heu multi hodie plus dolent de amissione denarii. *i* Et ait ad illos: quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?] scilicet, in locis, & in templo, & in operibus. Templum enim non minus ad se, quam ad patrem pertinet. Hic docuit Dominus spiritualia temporalibus debere præponi, licet multi e contrario faciant. *Isa.* 57. Justus perit, & non est, qui recogitet in corde suo. *B. Bern.* Cadit asina, & est, qui sublevet; perit anima, & non est, qui curet. *Phil.* 3. Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi. *k* Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad illos.] idest, quid vellet innuere, per hoc verbum. Volebat enim innuere, quod sicut ad patrem, ita ad ipsum pertinet templi cura, & spiritualium gubernatio. Unde *Beda.* Quorum est una majestas, est & una sedes, & una domus, non solum materialis, sed & spiritualis. *Joan.* 17. Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt, &c.

Dat esse patrem.
- Sacerdos, ordo dat esse patrem. *Judic.* 17. esto mihi parens, ac sacerdos.
- Nutritio. *Matth.* 6. Scit pater vester, quia his omnibus indigetis, &c.
- Regula, scilicet Abbas. *Isa.* 51. Attendite ad Abraham patrem vestrum, idest, ad B. Benedictum, vel B. Augustinum.
- Dogma, scilicet magister. 1. *Cor.* 4. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres.
- Ætas. 1. *Tim* 5. Seniorem ne increpaveris, &c.
- Natura. *Exod.* 20. Honora patrem, &c.
- Adoptio, sic David fuit pater Nathan.
- Fabula, idest, putatio, ut hic: Ego & pater tuus, &c.
- Virtus, boni viri, scilicet. *Joan.* 8. Patrem habemus Abraham.
- Deus miserans est pater. *Marc.* 6. Fili, remittuntur tibi peccata tua.
- Deus creans est pater. De his duobus ultimis *Matth.* 6. Pater noster, qui es in cœlis, &c.

a Et

a Et descendit cum eis,] Congrue dictum est, descendit. Congruit enim, quantum ad loci situm, & quantum ad mysticum intellectum, verbo enim descensionis exprimitur modus humiliationis. *b* Et venit Nazareth, & erat subditus illis.] In quo magister virtutis officium implet pietatis. Et nota. Ex hoc verbo *Gloss.* quod pietas tribus modis accipitur.

Et *a* descendit cum eis, *b* & venit Nazareth, & erat *c* subditus illis. Et *d* mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. Et *e* Jesus proficiebat ætate, *f* & sapientia, & gratia *g* apud Deum, & homines.

Dicitur enim pietas religio, sive cultus Dei, quæ Græce theosebia dicitur. Item pietas misericordia in egenos. 1. *Tim.* 4. Pietas ad omnia valet. Item dicitur pietas reverentia, & obsequium, quod impendimus parentibus, & hoc modo accipitur hic. Et dicitur magister virtutis, idest, virtutum, quia Doctor, & dator est omnium virtutum, vel virtutum, idest, Angelorum, vel melius potest dici, ut distinguatur inter virtutem, & officium, ut virtus dicatur subjectio interior, scilicet, affectus subjiciendi parentibus, officium est exhibitio obsequii exterior. Unde magister virtutis, idest, interioris devotionis, qua debemus nos subjicere parentibus, implet obsequium pietatis, idest, obsequitur parentibus in effectu, ut cujus magister est verbo, sit magister exemplo. *c* Et erat subditus illis.] *B. Bern.* Quis? Quibus? Deus, hominibus. In quo confunduntur quidam, maxime in claustris, qui Prælatis suis, eo quod minus periti videntur, eis subesse dedignantur. Petrus enim servo Pontificis amputat auriculam, idest, scientia clerico, vel monacho aufert obedientiam. *d* Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.] Conferens, idest, in arca memoriæ reponebat omnia non solum verba, sed etiam facta. Verbum enim interdum ponitur pro re. Vide ergo, ne restringas demonstrationem tantum ad verba, quæ hic dicit, sed ad omnia facta, & dicta quæcumque in Evangelica historia continentur, sciens quod aliquando scriberentur, & scriptores ad eam recurrerent. *Ambros.* Maria non minus ore, quam corpore pudica, secreta, quæ noverat, nulli divulgat, sed tacito corde scrutans congruum tempus, quo Deus hæc velit divulgari, reverenter expectat. Et hoc est, quod dicitur *Ecclef.* 20. Homo sapiens tacebit usque ad tempus, &c. *Ecclef* 3. Est tempus tacendi, & tempus loquendi. *e* Et Jesus proficiebat ætate,] *Greg.* Juxta naturam hominis, de infantia ad juventutem procedendo. *f* Et] proficiebat (sapientia, & gratia apud Deum, & homines) Contra hoc, quod hic dicitur, videtur illud: *Ecclef.* 2. Sapientia perseveravit mecum, Alia littera. Sapientia mea stetit. Et dicit *Hieron.* Stetisse sapientiam est, quod etiam in carne posito, sibi permansit sapientia. Qui habet profectum in sapientia, non ei stat sapientia, qui autem non recipit profectum, nec per momenta succrescit, sed semper in plenitudine est, ille dicere potest: Stetit mihi sapientia. Quomodo ergo dicitur Dominus profecisse in sapientia? Solut. *Gregorius*, (Proficientia, & gratia apud Deum, & homines) non per accessum temporis, quod non habebat accipiendo, sed dona gratiæ, quæ habebat ceteris pandendo ad Dei laudem, & hominum utilitatem, & ideo proficiebat apud Deum, & homines, idest, & Deo, & hominibus. Deo, idest, ad honorem Dei, hominibus, idest, ad utilitatem hominum. Proficiebat enim in subditis, qui per ejus doctrinam proficiebant, & tanto amplius excitabantur ad laudes Dei, quod ad honorem ipsius erat, & ita proficiebat Deo, idest, ad honorem Dei. Unde nota, quod sapientiæ profectus consistit in vera prædicatione, profectus gratiæ in sancta conversatione. Ista duo requiruntur in doctore, & prædicatore, & Prælato. Sapientia, ut proficiat verbo; bona vita, ut proficiat exemplo.

Mystice. Mystice, autem proficere ætate, est crescere in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut dicitur *Ephes.* 4. quod est dilatari per charitatem, exaltari per contemplationem, profundari per humilitatem. Impeditur autem profectus sapientiæ propter tria. Primum est voluntas, vel negligentia addiscendi in juventute, *Eccl.* 6. Quam aspera est nimium indoctis hominibus sapientia, & non permanebit in illa excors. *Aug.* Ad discendum, quod opus est, nulla mihi ætas sera videtur, quia etsi senes magis decet docere, quam discere, magis tamen discere, quam quod doceat, ignorare

decet. Secundum est curiositas addiscendi, quia multi subtilia, & inutilia magis, quam communia, & utilia, & discere, & docere laborant. Unde *Act.* 17. Athenienses omnes, & advenæ hospites ad nihil aliud vacabant, nisi aut discere, aut audire aliquid novi. 2. *Tim.* 3. Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. *Ps.* 13. Abominabiles facti sunt in studiis suis: Tertium est defectus ætatis. *Ecclef.* 25. Tres species odivit anima mea, & aggravor valde animæ illorum: pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum, & insensatum. *g* Apud Deum, & homines.] *Rom.* 12. Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. *Matth.* 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est, &c.

A

CAP. III.

b ANno autem quintodecimo imperii Tyberii Cæsaris, *i* procurante Pontio Pilato Judæam, *k* Tetrarcha autem Galilææ Herode:

EXPOSITIO CAP. III.

b ANno autem quintodecimo, &c.] Tertium cap. est, in quo Lucas prætermissis omnibus gestis Christi a duodecimo usque ad trigesimum annum, transit ad narrationem eorum, quæ fecit in tribus ultimis annis vitæ suæ, præmittens de prædicatione, & incarceratione præcursoris: Non enim Dominus aperte legitur prædicasse, aut miracula publice fecisse, quousque Joannes fuit incarceratus. Dividitur autem istud cap. in tres partes. In prima determinat Lucas tempus, & principes sub quibus Joannes cœpit prædicare. In secunda prosequitur Lucas prædicationem Joannis usque ad incarcerationem, ibi: (Et venit) In tertia agit de baptismo Christi, & ejus genealogia, ascendendo a Joseph viro Mariæ usque ad Deum, ibi: (Factum est autem, cum baptizaretur.) Ad evidentiam autem primæ partis hujus capituli notandum, quod Herodes Ascalonita cum regnasset in Judæa triginta septem annis, mortuus est, sub quo natus est Dominus, qui pueros interfecit. Hic habuit sex filios. Antipatrem ex Doside, quem ipse adhuc vivens occidit. Alexandum, & Aristobulum ex Mariamne, & hos similiter adhuc vivens occidit. Archelaum ex Mathaca. Herodem Antipam, & Philippum ex Cleopatra. Tamen quidam dicunt, quod Philippus fuit ex Mariamne. Mortuo ergo Herode Ascalonita, dissensio fuit inter filios ejus de regno habendo. Archelaus dicebat, sibi regnum deberi, & ætatis merito, & secundi testamenti voto. Antipas e contra dicebat, primum testamentum debere servari, quia illud fecerat mentis suæ compos, secundum vero fecerat alienatus, & multa alia hinc, & inde allegabant. Sed tandem Cæsar de consilio senatus, monarchiam Herodis Ascalonitæ distribuit in quatuor Tetrarchias. Duas dedit Archelao, scilicet, Judæam, & Idumæam, tertiam dedit Herodi Antipæ, scilicet, Galilæam, quartam dedit Philippo, scilicet, Ituræam, & Traconitidem regionem. Et ita Archelaus nunquam fuit Monarcha, nisi opinione vulgi, & præsumptione sua, sed Diarchus. Qui nono anno principatus sui propter tyrannidem suam missus est Viennam in exilium, & ibi mortuus est. Et deinde Judæa procurata est per præsides Romanos, quorum primus fuit Componius, secundus Marcus, tertius Annius Rufus, quartus Valerius, quintus Pontius Pilatus, de quo hic fit mentio, qui tandem Viennæ exulavit, & ibidem mortuus est. De Lisania vero, de quo hic fit mentio, quidam dicunt ipsum filium fuisse Herodis Ascalonitæ, quidam vero filium Ptolemæi de Libano ex Alexandra sorore Antigoni, filii Aristobuli, filii Alexandri, filii Joannis. Sed cujuscumque filius sit, non mutatur veritas historiæ. Et potuit esse, quod duo fuerunt Lisaniæ, quorum alter fuit filius Herodis Magni, & de isto hic agitur, alter nepos Hyrcani, de quo agit Josephus. Lucas ergo more historiographi tempus, & regem, & principes suæ narrationis determinans dicit:

b Anno autem quintodecimo Imperii Tiberii Cæsaris,] qui successit Augusto.

i Procurante Pontio Pilato Judæam,] qui fuit quintus post mortem Archelai.

k Tetrarcha autem Galilææ Herode:] qui Joannem Baptistam occidit: *Matth.* 14. Et sub quo Dominus cru-

a Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Itureæ, & Trachonitidis regionis, *b* & Lisania Abilinæ Tetrarcha *c* sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha, *d* factum est verbum Domini *e* super Joannem Zachariæ filium in *f* deserto. Et *g* venit in omnem regionem Jordanis *h* prædicans *i* baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, *k* sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ: *l* Vox clamantis in *m* deserto, *n* parate viam Domini:

cifixus fuit, *infr.* 23. Nota, Tetrarchia est quarta pars regni, a Tetras, quod est quatuor, & archos, quod est principatus. *a* Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Iturææ,] Istius Philippi uxorem abstulerat Herodes frater suus. *Matth.*14. *b* Et Lisania Abilinæ Tetrarcha] Abilina regio est. Et dicit *Beda in Gloss.* Inter quos & ipse Archelaus decem annis regnavit, &c. Sed videtur, quod hoc sit falsum, quod dicitur hic. Constat enim, quod Dominus natus fuit quadragesimo secundo anno regni Augusti, & statim delatus in Ægyptum propter Herodem, ubi fuit septem annis, & ita habes quadragintanovem annos. Mortuo Herode statim regnavit Archelaus, qui quinquagesimo octavo anno regni Augusti damnatus est in exilium Lugduni, & ita non regnavit, nisi novem annis. Forte ultra novem annos regnavit aliquot menses, qui pro anno computantur. Sicut dicitur, quod Dominus prædicavit tribus annis, & dimidio, & ibi dimidius annus dicitur illud tempus, quod est ab Epiphania usque ad Pascha. Et de tali computatione annorum sæpe turbamur in historiis. Et dicit *Beda*, quod Archelao propter superbiam remoto, regnum in quatuor Tetrarchias divisum est, ut sic minueretur superbia Judæorum. *Prov.* 28. Propter peccata terræ multi principes ejus. Et nota, quod *Beda*. Tetrarchiam large accipit, ut sub ea procurationem includat. Pilatus enim procurator erat, non Tetrarcha. Et hoc est inter procurationem, & Tetrarchiam, quod Tetrarchia jure hæreditario contingebat filium Tetrarchæ, procuratio non.

c Sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha,] qui sibi in sacerdotio succedebant, non tamen alternatim per annos singulos, sed fuerunt aliqui medii modico tempore, qui hic tacentur, de quibus habetur in historiis. Isti autem ambitione victi, sacerdotium pecunia emerant a Romanis. Et erat Anna Socer Caiphæ, ubi dicitur *Joan.*18. De his duobus specialiter fit mentio, quia ad Domini pertinent Passionem. Sed quomodo pertinet Anna ad Domini Passionem, qui tantum tempore, quo Joannes cœpit prædicare, sacerdotium administrabat? Respondeo, quia tunc per occasionem incepit Domini passio. Ex eo enim, quod Joannes prædicabat eum esse filium Dei, præcipue concitati fuerunt Judæi contra Jesum, & ita tempore administrationis Annæ incepit Domini passio, & consummata fuit tempore administrationis Caiphæ. Nominantur autem reges, & sacerdotes, quia Christus, de quo principaliter intendit Lucas, fuit rex, & sacerdos. Sub his inquam Tetrarchis, & sacerdotibus. *d* Factum est verbum Domini] illud scilicet. Vade, & prædica baptismum. *e* Super Joannem] idest, ad Joannem, Zachariæ filium. Sed quare non dicit ad, cum (super) ponatur pro ad? Ideo potius dixit, super quam ad, ut notaret illud verbum esse desuper, idest, a Deo. *Joan.* 3. Qui desursum venit, super omnes est. *f* In deserto.] in quo manebat. Unde *sup.* 1. Et erat in desertis usque ad diem ostensionis suæ ad Israel. *g* Et venit in omnem regionem Jordanis,] idest, quæ erat circa Jordanem, ubi erat aquarum copia, juxta Salim, ut dicitur *Joan.*3. *h* Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum,] baptismum Christi, in quo peccata dimittebantur, quem prædicabat Joannes. Et dicitur baptismus pœnitentiæ, quia tantum pœnitentibus dabatur. Vel. *i* Baptismum pœnitentiæ,] idest pœnitentiam ad baptismum, vel quæ est baptismus in remissionem peccatorum. Tamen nota, quia baptismus Joannis dicitur baptismus pœnitentiæ simpliciter; hunc baptismum Joannes prædicavit, & dedit. Baptismus Christi dicitur baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum, hunc Joannes prædicavit, sed non dedit. In *Gloss.* tamen dicitur baptismus Christi baptismus pœnitentiæ simpliciter, sed tu supple, in remissionem peccatorum. *k* Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ, &c.] Commendatur Joannis prædicatio prophetæ testimonio, ut magis authentica habeatur. Et nota, quia liber Isaiæ dicitur liber sermonum, quia moralis est, & quia procedit sicut in sermonibus, modo consolatorie, modo comminatorie. Item quia loquitur ad præsentes, idest, ad contribules suos, vel quia certitudinaliter loquebatur. *l* Vox clamantis in deserto,] quasi dicat Joannes est, vel erit vox verbi, idest, Christi, qui clamavit per Joannem in deserto, ad litteram, vel in Judæa deserta, quia tunc erat perversa medietas. Nota, verbum dicitur exterior prolatio, interdum mentis conceptus, hoc modo dicitur Dei filius verbum, i. mens patris. Joannes ergo dicitur vox verbi, i. præcedens verbum, i. Dei filium. Præcessit enim Christum nascendo, prædicando, baptizando, moriendo, sed non resurgendo. Dicitur ergo vox verbi quasi præambulus verbi. Vox dicens: (Parate viam Domini.) Vel verbi dico clamantis.

Matth. 3. Marc. 1. Joan. 3.

l Vox clamantis, &c.] Moraliter. Joannes, in quo est gratia clamantis in oratione, vel confessione, vel prædicatione, facit obmutescere patrem suum, idest, diabolum, qui eum genuerat in peccatum. *Joan.* 8. Vos ex patre diabolo estis. Vel carnalem appetitum. *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus, &c. de cujus clamore dicitur: *Job* 39. Clamorem exactoris non audit. Hæc vox Domini supra aquas, idest, super carnis concupiscentias: Sic fuit vox Christi Joannis annunciatio. Item fuit vox Christi sui nominis scriptio, quod scriptum fuit in pugillari. Sic timor, ut stilus in cæra. facit in corde incisionem doloris, & tunc fit vox Domini in virtute. Tunc enim fortis armatus fortiore superveniente expellitur foras. Nam timor Domini expellit peccatum: *Eccl.* 1. De hac voce dicitur *Joan.*5. Venit hora, & nunc est quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint vivent. Item fuit vox Christi Joannis nativitas, idest, pœnitentis exeuntis foras per confessionem. Ad cujus auditum multi gaudent. Unde *infr.*15. Gaudium est in cœlo Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Et hæc est vox Domini in magnificentia, de qua *Cant.* 8. Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam. Item conversatio Joannis, idest, cujuslibet justi, fuit vox Christi confringentis omnes superbos, & deliciis affluentes, quia si justus homo tanta pœnitentia affligitur hic, ut salvetur, quid faciet peccator? *infr.*23. Si in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet, id est, peccatore. 1.*Petr.*4. Si justus vix salvabitur, impius, & peccator, ubi parebunt? Ideo recte dicitur *Matth.* 11. Usque ad Joannem regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Hæc est vox Domini confringentis cedros, idest, superbos: Quis enim non humiliabitur, quando recordatur pœnitentiæ Joannis? *Habac.*3. Domine, audivi auditionem tuam, & timui. Item baptismus Joannis fuit vox Christi interius baptizantis. Unde *Matth.*3. Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam, ipse vos baptizabit in spiritu, & igni. Hæc est vox Domini intercidentis flammam ignis, idest, fomitem debilitantis non penitus extinguentis. Item prædicatio Joannis fuit vox Christi satis terribilis, quia terribilia prædicavit, quæ valde perterruit peccatores, scilicet, mortis incertitudinem, judicii severitatem, æternam damnationem. Primum cum dixit: Jam securis ad radicem arboris posita est: *Matt* 3. Judicii severitatem, cum dixit, omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Æternam damnationem, cum dixit: Paleas autem comburet igni inextinguibili. Hæc est vox Domini concutientis desertum, idest, peccatores desertos a gratia. Item passio Joannis fuit vox Christi animantis alios ad passionem. Ipse enim Joannes prior transivit vadum martyrii, ut alii sequerentur securi. Hæc est vox Domini præparantis cervos ad saliendum. Ideo recte datus est Joannes puellæ saltatrici decollandus: *Marcus* 6. Ecce quomodo Joannes in omnibus fuit vox clamantis, in conceptione, in sui nominis scriptione, in baptismo, in conversatione, in prædicatione, in passione. Bene ergo dicit. *l* Vox clamantis] idest, Christi. *Joan.*7. In novissimo die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

Isa. 40. Matth. 3. Marc. 1. Joan. 1. Moraliter.

m In deserto,] non in palatio, ibi non clamat Christus, sed Justinianus, vel etiam Galenus bene auditur ibi, vel etiam Mimus, sed Christo indictum est silentium: Imo quod pejus est, legitur *Jer.* 36. quod cum volumen Jeremiæ allatum esset in palatio coram rege, scidit illud, & projecit in ignem. Sequitur. *n* Parate viam Domini:] Continua sicut supra. Vel sic. *l* Vox clamantis] illud, scilicet (Parate

a rectas facite semitas ejus, Omnis b vallis c implebitur, & d omnis mons, & collis e humiliabitur: Et f erunt prava in g directa, h & aspera in vias planas, i & videbit k omnis caro l salutare Dei. m Dicebat ergo ad turbas, n quæ exibant, ut a baptizarentur ab eo. Genimina p viperarum, q quis ostendit vobis

clamantis, quia hic est sensus: Licet Christus hæc verba non protulerit, idem tamen prædicavit. Unde *Gl. Matth.* 3. Hoc præco nunciat, quod post per se ipsa veritas, scilicet: Agite pœnitentiam. Ex quo plurimum confirmatur ejus prædicatio. Nota, Joannes dicitur vox, quia præcessit verbum. Item, quia cito transit gloria ejus, sive opinio populi de ipso. Item, quia totum, quod in ipso fuit prædicatio, sicut quicquid est vocis, vox est. Item quia vox est via verbi ad cor, & Joannes fuit via Christi ad peccatorem. Item, quia vox significat intellectum, & Joannes notificavit Christum. In hoc autem, quod Jo: dicitur, vox Christi clamantis, commendatur in duobus. Primo in humilitate, Nihil enim est humilius voce, quæ simul incipit, & desinit esse. Secundo in Christi familiaritate. Nihil enim verbo vicinius quam vox. Item vox Christi dicitur Joannes, quia quicquid de ipso dicitur, significat aliquid Christo, Verbi gratia: Annunciatio Joannis fuit vox Christi, ita fortiter clamantis, quod fecit obmutescere Zachariam, quia lex per Evangelium obtinuit, *Matth.* 11. Lex, & Prophetæ usque ad Joannem: Evangelio clamante, lex perdidit loquelam. Sicut quando aliquis potens alte clamat, ille, qui submisse loquitur, non auditur. *Eccl.* 13. Dives, idest Christus locutus est Evangelium prædicando, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad nubes perducunt, pauper, idest Moyses locutus est, & dicunt, quis est hic?

Moraliter. * rate viam Domini] ad corda vestra, peccata abjiciendo, verbum Domini libenter audiendo, bona opera faciendo, curas mundi fugiendo. 1. *Reg.* 7. Præparate corda vestra Domino, &c. Via Domini, idest, per quam Dominus venit ad peccatores, est misericordia, & justitia. *Prov.* 3. Viæ ejus viæ pulchræ. Item via Domini, idest, per quam venitur ad Dominum, est pœnitentia, & innocentia. *Is.* 30. Hæc via Domini ambulate in ea.

a Rectas facite semitas ejus.] idest non distortas, idest, cavete, ne intentiones vestræ ad terrena inclinentur. Semitæ Domini sunt consilia, quæ recte fiunt, cum recta intentione implentur. *Ps.* 44. Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. b Omnis vallis] Ad litteram prophetia est de secundo advento. Unde *Hier. in lib. de signis*, ponit pro uno signo montium humiliationem.

Mystice. Mystice, de primo adventu. b Omnis vallis] idest populus gentilis, vel quilibet humilis. c Implebitur,] gratia, & sapientia. Gratia in affectu, & sapientia in intellectu, quia hæc duo vasa habet quilibet humilis vacua. Nihil enim se reputat scire, nihil se reputat valere, & ideo impleri debuerunt, quia mulier Elisei, idest divina sapientia implet omnia vasa vacua. 4. *Reg.* 4.

d Et omnis mons, & collis,] idest populus Judaicus, vel quilibet superbus, e Humiliabitur:] idest evacuabitur, quia amittet gratiam, & sapientiam, si quam habet. *Jac.* 4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, *inf.* 18. Qui se humiliat exaltabitur, &c. *Jo:* 9. In judicium ego veni in mundum, ut qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant. f Et erunt prava,] idest corda pravorum distorta, & incurvata ad terrena. g Indirecta,] idest dirigentur ad cœlum per desiderium æternorum, h Et aspera in vias planas,] idest immites, & iracundæ mentes, per gratiæ infusionem ad mansuetudinem convertentur, ita ut in eis Deus, vel prædicator viam planam inveniant, ubi prius non potuit figere gressum propter asperitatem. *Ezech.* 39. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini, &c. Vel [Aspera erunt in vias planas] idest ea, quæ prius erant eis aspera, erunt plana, & levia ad faciendum. *Eccl.* 21. Via peccantium complanata lapidibus. Sed in adventu Christi fuit tempus colligendi lapides. *Eccl.* 3. Unde *Jer.* 50. Tollite de via lapides, & redigite in acervos, & sic aspera facta sunt plana.

i Et videbit omnis caro] Hoc exponitur de primo, & de secundo adventu. Et secundum expositionem de primo adventu colligit omnia genera. Unde k Omnis caro] idest omnis homo, Judæus, & gentilis, vir & mulier, juvenis, & senex. Et dicitur homo caro propter fragilitatem. *Gen.* 6. Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Videbit inquam, l Salutare Dei.] idest Christum. Sic exponitur de primo adventu. De secundo dicit *Bern.* In hac vita omnis homo Christum videre non potuit, sed in die judicii in sede majestatis, & electi, & reprobi pariter videbunt, &c. Sed contrarium videtur *Is.* 26. Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Solut. Videbunt impii Christi humanitatem, sed non videbunt divinitatem, quæ est gloria Dei. *Is.* 66. Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea. m Dicebat ergo] Hic locus dupliciter exponitur. Secundum *Bedam* est increpatio impœnitentium, idest Scribarum, & Pharisæorum, & Sadducæorum. Secundum *Amb.* est commendatio pœnitentium. Illos enim increpat, quia sine pœnitentia ad Baptismum accendebant. Alios vero commendat, quia pœnitentiam agentes accedebant ad Baptismum. Et hoc est, quod hic dicitur: [Dicebat ergo ad turbas] *Beda*, Pharisæorum, & Sadducæorum, qui pœnitentia, & correctione maxime indigebant. Et nota, quod dicit turbas, idest ad turbatos, & turbantes, ut sit pondus in verbo. n Quæ exibant,] de civitatibus, & villis. o Ut baptizarentur ab eo.] Baptismo ipsius, quo nec peccata dimittebantur, nec gratia conferebatur, sed erat tantum quædam præparatio ad Baptismum Christi. p Genimina viperarum,] Secundum *Bedam*, invehitur contra Pharisæos, qui sine pœnitentia accedebant ad Baptismum. Unde dicit: [Genimina viperarum] idest, qui nati estis de viperis, & estis viperæ, idest habentes corda plena veneno nequitiæ, *Chrys.* Pulli serpentum statura breviores sunt, venenum autem habent æquale.

Matth. 3.

q Quis ostendit vobis fugere a ventura ira,] idest, quomodo putatis evadere severitatem futuri judicii? Venientia cum ira animadversio est ultionis extremæ, quam tunc peccator fugere non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit. Vel [Quis ostendit vobis, &c.] quasi dicat, nemo, cum non pœnitetis. Sed ego vobis viam evadendi iram ostendo. [Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ] Vocat autem eos viperas. Primo propter hypocrisim, quia maculosa. *Matt.* 23. Si fuissemus in tempore patrum nostrorum non essemus socii eorum in sanguine prophetarum, itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui occiderant prophetas, & vos implere, &c. Secundo, propter invidiam. *Sap.* 2. Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, &c. Tertio propter detractionis venenum. *Deut.* 32. Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Quarto, propter adventum eorum ad aquas, non evomito veneno, ut hic. Quinto, propter sacerdotes-patres turbarum, qui sibilant, ut susurrones. *Apoc.* 13. Loquebatur sicut draco. Sexto, propter terram, quam manducant. *Gen.* 3. *Is.* 65. Serpenti pulvis panis ejus. Secundum *Amb.* aliter exponitur: Et est commendatio pœnitentium, quos commendat Joannes. Et fit comparatio viperarum ad patres eorum, qui fuerunt mali, non ad filios, qui pœnitentes ad Baptismum veniebant, ut sit sensus. p Genimina viperarum,] idest genitis de viperis, idest de parentibus iniquis.

q Quis ostendit, &c.] idest, quis illustravit corda vestra ad pœnitentiam, per quam futuram vindictam effugiatis? quasi dicat, sola gratia Dei. *Gl.* Quis ostendit nisi prudentia miseratione Dei infusa, &c. Vipera vi parit, sic & peccator. *Is.* 37. Filii venerunt usque ad partum, & non erat virtus pariendi. Et *Gl.* Quam ad gentes transferendam prophetat, *inf.* ibi: Potens est Deus de lapidibus istis, &c. Vel ideo serpentibus comparat eos, scilicet filios, ut ostendat eos habere naturalem prudentiam providendi futura, in hoc scilicet, quod pœnitebant, & ad Baptismum veniebant. Nam serpens sicut leo, aliquando in bono, aliquando in malo accipitur in sacra Scriptura. *Matth.* 10. Estote prudentes sicut serpentes, &c. *Matt.* 12. Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Contra prædicatores blanditores.

Mystice. Mystice. p Genimina viperarum,] sunt ambitiosi, qui vi volunt in Ecclesia promoveri. Unde in eorum partu mater eorum, idest Ecclesia moritur, significati per Benjamin, in cujus partu mater ejus mortua est. *Gen.* 35. Per Pharisæos, qui interpretantur divisi, significantur quidam nobiles, qui semper schismata faciunt in capitulis, dicentes illud 3. *Reg.* 12. Non est nobis pars in domo David, neque hæreditas in filio. Per Sadducæos, qui interpretantur justi, significantur hypocritæ, qui se justificant exterius simulantes. Utrosque vocat Joannes viperas, quia utrique pacem Ecclesiæ turbant, & correctionem audire nolunt, quod pejus est. *Ps.* 57. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, &c. Item nota, quod est triplex fuga Christi, quæ nobis proponitur in exemplum.

Triplex fuga Christi.

a fugere a ventura ira? *b* Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, *c* & ne cœperitis dicere, patrem habemus Abraham. *d* Dico enim vobis, quia *e* potest Deus de lapidibus istis *f* suscitare filios Abrahæ. *g* Jam enim securis ad radicem arboris posita est,

plum. Legitur enim in Evangelio ter fuisse. Primo, cum ab Herode quæreretur, ut occideretur. *Matth.* 2. Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, &c. Secundo, cum a populo quæreretur, ut rex efficeretur. *Joan.* 6. Jesus autem cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum solus in montem. Tertio, cum a Concilio Judæorum quæreretur, ut lapidaretur. *Jo.* 8. Tulerunt lapides, ut jacerent in eum, ipse autem abscondit se, & exivit de templo. In primo docet nos fugere mortem, ut nos reservemus ad majorem nostri, & fratrum utilitatem. In secundo docet nos, fugere sæculares dignitates, ut liberiorem habeamus Deo vacationem. In tertio docet nos, fugere mala consortia, ut auferamus peccandi occasionem. Primam fugam fecit Paulus per fenestram in sporta per murum dimissus. 2. *Corinth.* 11. Et Dominus *infr.* 4. fugit, cum vellent eum præcipitare de monte. Unde & discipulis suis dixit, *Matth.* 10. Si persecuti vos fuerint, &c. Secundam fugam fecit Joannes Baptista, cum fugit in desertum, ne levi saltem maculare vitam crimine posset. Et Marcus, qui sibi pollicem amputavit. *Jacob* 3. Nolite fieri plures magistri, fratres, scientes, &c. Tertiam fugam fecit, & docuit Paulus 1. *Corinth.* 5. Scripsi vobis in Epistola, ne commisceamini fornicariis. 2. *Thessalon.* 3. Denunciamus vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. Qui hanc triplicem fugam habet, poterit effugere iram. Et ita Dominus exemplo suo ostendit nobis,

a Fugere a ventura ira?] idest futuri judicii vindicta, quando nemini parcetur, sed omnibus juxta merita sua reddetur. Ab hac ira fugere bonum est. Unde *Job* 19. Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est. *Psalm.* 6. & 37. Domine, ne in furore tuo arguas me, &c. Qui autem vult fugere ab hac ira, oportet fugere præparatoria ad eam, idest mundi unitatem, in cujus rei faciendæ figuram Jacob fugit Laban. *Genes.* 31. *Jerem.* 51. Fugite de medio Babylonis, ut salvet unusquisque animam suam. Item carnis voluptatem. In cujus rei faciendæ figuram Joseph derelicto pallio fugit Ægyptiam. *Genes.* 39. *Eccl.* 9. Averte faciem tuam a muliere compta. Item mundi honores. In cujus rei faciendæ figuram Dominus fugit in montem. *Joann.* 6. Item omne peccatum, *Ecclesiast.* 21. Quasi a facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad ea, apprehendent te. Item peccatorum occasiones. In cujus rei faciendæ figuram dixit Angelus ad Loth. *Gen.* 19. Noli respicere post tergum tuum, nec stes in omni circa regione. Sed quia multi differunt arripere has fugas. Ideo dicit Dominus, *Matth. cap.* 24. Videte, ne fuga vestra fiat hieme, idest in senectute, vel sabbato, idest in morte. Et quia aliqui erant, qui fugere volebant iram venturam, modum fugiendi docet, inferendo, quasi si vultis fugere.

b Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ,] idest pœnitentiam fructuosam, ut fiat in charitate. Vitis enim non facit fructum, nisi prius putetur, sic nec anima, nisi prius a vitiis purgetur. *Cantic.* 2. Tempus putationis advenit, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederunt. Et non solum fructuosam, sed & dignam pro qualitate culpæ. Non enim debet esse par fructus boni operis ejus, qui parum peccavit, & ejus, qui graviter cecidit. *Deuteron.* 25. Pro mensura peccati, erit & plagarum modus. *Apocalyp.* 18. Quantum glorificavit se, &c. Et hoc patet, quod pœnitentia arbor est, vel vinea, aliter enim non faceret fructum. Hujus arboris radix est cordis contritio, folia, oris confessio, flores, fama bonæ operationis, fructus, opera satisfactionis. Quidam igitur faciunt pœnitentiam, sed non fructus pœnitentiæ, quia sine charitate. Quidam faciunt fructus pœnitentiæ, sed non dignos, quia non faciunt pro culpæ qualitate, aut virium quantitate. *Roman. cap.* 6. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc, &c. Sequitur.

c Et ne cœperitis, &c.] Sic continua. Et quia peccatores estis. [Nec cœperitis dicere, patrem habemus Abraham.] quasi dicat, nolite confidere in justitia patris vestri Abrahæ, vel ne reputetis vos justos, quia filii Abrahæ estis, quia non reputantur filii Abrahæ, nisi qui fidem ejus imitantur. Unde *Roman.* 9. Non enim, qui semen sunt Abrahæ, omnes hi filii sunt, sed in Isaac vocabitur tibi semen, non omnes, qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. Hæc erat specialis gloriatio Judæorum: Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquam. Similiter gloriantur inaniter, quidam religiosi de B. Benedicto, vel Augustino, sed illis dicitur: Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. *Joan* 8. *Is.* 51. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos, idest ad regulam, quam dimisistis.

Matth. 3. *Joan.* 8.

d Dico enim vobis, quia potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.] quasi dicat, non debetis gloriari de parentela Abrahæ, quia non qui nascuntur ex eo carnaliter, sed qui imitantur eum spiritualiter, hi filii Abrahæ sunt. Et dicitur Joannes tunc ostendisse duodecim lapides, quos Josue fecit asportari de Jordane in siccum, per quos bene significantur gentiles, quia sicut lapides illi de fluxu fluminis elevati sunt ad soliditatem terræ, sic gentiles de fluxu, & varietate idolorum surrexerunt ad cultum unius Dei, & stabilitatem fidei. Vel ideo comparantur lapidibus, quia adorantes idola lapidea quasi lapidei facti sunt, idest insensibiles, aliquando tamen de tenebris ad lumen gratiæ educendi. Est igitur sensus.

e Potest Deus de lapidibus istis] idest de gentilibus per istos lapides designatos.

f Suscitare filios Abrahæ.] idest imitatores fidei ejus. Lapides etiam sunt laici, dicti a lacos, quod est lapis, qui fuerunt aliquando filii Abrahæ, idest imitatores B. Benedicti, vel Augustini naturalibus filiis degenerantibus. Unde possunt dicere illud *Rom.* 11. Fracti sunt rami, ut ego inserar,

g Jam enim securis ad radicem arboris posita est.] Sic continua. Ideo agite pœnitentiam, & nolite dicere, patrem habemus Abraham, quia [securis ad radicem arboris jam posita est.] Securis est mors, arbor genus humanum, radix arboris est Adam. Jam ergo securis ad radicem arboris posita est, quia jam Adam mortuus est, & nos omnes mortales fecit. *Roman.* 5. Unius delicto multi mortui sunt. *Ezech.* 9. Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & uniuscujusque vas interitus in manu ejus. Isti sex viri, sunt sex necessitates prænuncia mortis, scilicet sitis, fames, frigus, calor, lassitudo, ægritudo, qui tenent in manu sua vas interitus, idest securim, idest mortem ad scindendam arborem. Hæ sunt sagittæ Domini. *Job* 6. Item *Job* 5. In sex tribulationibus, &c. Et in septima, idest, in morte, &c. Item securis est vita hominis, arbor est ipse homo, radix arboris nativitas hominis, Jam ergo securis ad radicem arboris posita est, quia ab ipsa nativitate incipit homo vivendo tendere ad occasum. Unde *Augustinus in lib. de civitate Dei:* Quid aliud est vivere, quam de vita transire? *Job* 7. Dies mei velociores, &c. *Dan.* 4. Succidite arborem, & præscindite ramos ejus. Item securis est Christus, qui velut securis tenetur ex manubrio humanitatis, & incidit ferro divinitatis. Arbor est genus humanum, radix est finis vitæ. Cum igitur quotidie aliqui moriantur, quid aliud est, quam rami arboris abscinduntur? Sed cum tota progenies cum parente tollitur, tunc arbor radicitus abciditur. Item securis est severitas judiciaria, arbor est homo cujuscumque conditionis, sive religiosus, sive sæcularis, sive prælatus, sive subditus, radix arboris vita hominis. Securis ergo est ad radicem posita, quia sententia judicis ad extirpandos infructuosos funditus est præparata. 4. *Regum* 6. legitur, quod ferrum de securi cecidit in aquam, idest duritia judicii in mollitiem misericordiæ. Sed Elisæus, idest Christus, extraxit ferrum de aqua, quia judicium sine misericordia fiet ei, qui non facit misericordiam, *Jacob.* 2. *Eccles.* 11. Si ceciderit lignum ad austrum, idest cœlum, aut ad aquilonem, idest ad infernum, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. *Bernardus*: Si vis scire, quo casura sit arbor, ramus attende, ubi major, & ponderosior

ponderosior ramorum copia, illic casuram non dubites, si tamen succidatur. Rami desideria sunt, spiritualia ad austrum trahunt, carnalia ad Aquilonem. Item nota, quod dicit [posita] non vibrata, vel incussa. In hoc enim terret de mortis incertitudine, & consequenter de judicii severitate, dicens:

Omnis *a* ergo arbor *b* non faciens fructum bonum *c* excidetur, *d* & in ignem *e* mittetur. *f* Et interrogabant eum turbæ *g* dicentes: Quid ergo faciemus? *h* Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti, *i* & qui habet escas, similiter faciat.

a Omnis ergo arbor, &c.] Sic continua: Jam securis posita est: Ergo ut effugiaris securim, facite fructum bonum. Enim quia [omnis arbor] idest, omnis homo sine personarum acceptione. Tunc enim non accipiet personam Dominus, nec parcet alicui propter nobilitatem, aut divitias, aut fortitudinem, aut scientiam. *Sap.* 6. Potentes potenter tormenta patientur. Non enim, &c. *Prov.* 6. Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ.

Matth. 3. & 7.

b Non faciens fructum bonum,] idest opus bonum.

c Excidetur,] in vita.

d Et in ignem] gehennæ.

e Mittetur.] in morte. *Joan.* 15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum. Potest etiam distingui secundum *Gloss.* ut dicatur.

a Omnis arbor non faciens fructum bonum.] *Beda*: Gentiles, & hypocritæ, qui nullum fructum faciunt, & hæretici, qui malum. Sed tunc quæritur, quare potius gentiles, & hypocritæ dicuntur facere nullum fructum, quam hæretici, vel quare potius hæretici malum, quam gentiles, & hypocritæ. Non satis est perspicuum distinguere. Potest tamen solvi, ut dicatur, gentiles ideo nullum fructum facere, quia etsi faciunt, quod sit de genere bonorum, non tamen faciunt opus meritorium, & hypocritæ similiter. Hæretici vero non dicuntur fructum nullum facere, sed malum. Et dicitur hoc aggravatio esse pravitatis, quia longe gravior est error hæreticorum, quia aperte impugnant Ecclesiam, quam gentilium, vel hypocritarum. Quid autem talibus arboribus faciat Dominus dicitur *Is.* 5. Nunc ostendam vobis, quid faciam ego vineæ meæ. Auferam sepem ejus, & erit in direptionem, diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam. *Jerem.* 2. Ego te plantavi vineam electam, omne semen verum, quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena? Nota ergo tria genera arborum, quia quædam arbores faciunt fructum nullum, quædam malum, quædam bonum, & hæ non mittuntur in ignem.

Moraliter.

Moraliter. Tres sunt arbores speciales, quorum una habet fructus dulcissimos, scilicet ficus; alia habet fructus amarissimos, scilicet oliva; tertio fructus mistos, scilicet vinea. De his tribus dicitur. *Judic.* 9. Venerunt ligna saltus ad ficum, ad olivam, ad vitem, ut facerent aliquam earum regem, sed noluerunt. Per ficum, cujus fructus omnino dulcis est, significantur viri religiosi, ac contemplativi, qui si non fecerint fructum juxta genus suum, excidentur. Unde *infra* 13. Arborem fici habebat quidam, scilicet, beatus Benedictus, vel beatus Augustinus plantatam in vinea sua, idest in regula sua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ, idest ad Abbatem. Ecce tres anni sunt, ex quo veni quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio, succide ergo illam. Tres anni sunt illa tria, quæ sunt in voto, in quorum quolibet debet fructificare religiosus. Et dicitur *Matth.* 21. quod veniens ad ficum, non invenit nisi folia, & maledixit ei, & statim aruit. Et tamen dicit *Marc.* 11. quod non erat tempus ficorum, in quo significatur, quod omni tempore requirit Dominus fructum a religiosis. Non enim decet tantum Dominum, & tam divitem comedere sine fructu. *Jerem.* 24. Quid tu vides Jeremia? Et dixit: Ficus bonas, bonas valde, & ficus malas, malas valde. Quia religiosi optimi sunt, quando boni sunt, & pessimi, quando mali sunt. Unde *Augustinus*: Sicut non inveni meliores, quam qui in monasteriis profecerunt, ita non inveni deteriores, quam qui in monasteriis defecerunt. Ficus prius facit fructus, quam folia, quia religiosi cum silentio operantur. Sed Adam, & filii ejus de foliis ficuum faciunt sibi perizomata, idest habitu religionis, & verbis bonis suas operiunt turpitudines. Per olivam, cujus fructus amarus est, sed oleum medicinale, significantur activi, operibus misericordiæ intenti, quorum cura, & solicitudo amara est propter laborem, sed tamen medicinalis est propter pauperum, & miserorum refectionem. *Jerem.* 11. Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum. De amaritudine solicitudinis dicit *infra* 10. Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. De suavitate refectionis dicitur *Matth.* 25. Quod uni ex minimis fratribus meis fecistis, mihi fecistis. Et quid suavius, quid dulcius, quam Deum passive? Per vitem, cujus fructus mistus est in parte dulcis, in parte amarus, significantur Prælati, qui & suavitate contemplativæ, & laborem, atque amaritudinem activæ participant. *Eccl.* 24. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Et mirum videtur, quod dicitur: Fructificavi odorem, sed hoc dicitur ab effectu. Odor enim bonæ famæ prælati, fructus est, & refectio populi. Unde 1. *Corinthior.* 2. Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, & in his, qui pereunt, aliis quidem, &c. Vitis sterilis deterior est omni ligno, ad nihil enim utilis est, nisi ad ignem. Sic Prælatus malus. *Ezech. cap.* 15. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, &c. Hi tres sunt Noe, Daniel, & Job. *Ezech.* 14.

f Et interrogabant eum turbæ,] Ex verbis Joannis terrore percussi notantur, qui consilium quærunt.

g Dicentes, quid ergo faciemus?] ne excidamur, & in ignem mittamur? Nota, quod turbæ moventur ex verbis Joannis ad quærendum consilium de salute sua, sed non Scribæ, vel Pharisæi. Unde *Joan.* 7. Nunquid ex principibus credidit aliquis in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt. Simile *Act.* 2. prædicante Petro dixerunt: Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ait: pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi. Sequitur.

h Respondens autem dicebat illis, qui habet duas tunicas,] idest superfluas, [det unam non habenti.] Interrogatus Joannes de salute obtinenda, ab operibus misericordiæ inchoat responsum suum. Nam & de illis solis fiet in judicio disceptatio. 1. *Timoth.* 4. Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ, *infr.* 11. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Dicit autem *Hieronymus*: Quicquid humano usui necessarium est, pro una tunica habendum est, totum residuum superfluum est, & pauperibus largiendum. 1. *Timoth* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Quia vero tunica inter omnia indumenta magis necessaria est, & arctius adhæret corpori, innuit Joannes, quod etiam de necessariis est eleemosyna facienda. *Proverb.* 3. Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus. *Gloss. Bedæ*: Non solum exteriora, & minus necessaria; sed etiam valde necessaria cum proximis dividamus, ut escam, qua vivimus, & tunicam, qua vestimur. *Isa.* 58. Frange esurienti panem tuum, &c. Item *Isai.* 32. Beati, qui seminatis super omnes aquas. *Eccl.* 11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora invenies illum. *Prov.* 14. Qui credit in Domino, misericordiam diligit. Item *Proverb.* 19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, &c. Item notatur discretio in hoc, quod dicit: Qui habet duas tunicas, det unam non habenti. Mensura enim pietatis servanda est pro possibilitate humanæ conditionis. Unde *Beda*. De duabus tunicis dividendis datur præceptum, quia etsi una dividatur, nemo inde vestitur. 2. *Corinth.* 8. Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio. Notatur etiam per hoc, quod dicit: [Det non habenti,] quod indigenti danda est eleemosyna, *inf.* 14. Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris. Item notatur, quod gratis debet dari, per hoc, quod dicit [Det] *Mat.* 10. Gratis accepistis, gratis date. *Seneca*: Nihil carius emitur, quam quod precibus emptum est. Item super prædictum verbum Joannis dicit *Gloss. Bedæ*: Ecce quantum valent opera misericordiæ, quæ ad dignum pœnitentiæ fructum præ ceteris præcipiuntur. Argumentum, quod præceptum est de tunicis. *i* Et qui habet escas, similiter faciat.] *Job* 31. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit ex ea pupillus, quia ab infantia mei crevit mecum miseratio. *Job* Non remansit de cibo ejus, & propterea nihil permanebit de bonis ejus.

a Venerunt.

a Venerunt autem & publicani, ut baptizarentur, & *b* dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus. At *c* ille dixit ad eos. Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciatis. *d* Interrogabant autem eum & milites, *e* dicentes: Quid faciemus & nos? Et *f* ait illis: *g* Neminem concutiatis, *h* neque calumniam faciatis, & *i* contenti estote stipendiis vestris. *k* Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus, *l* respondit Joannes dicens omnibus: *m* Ego quidem aqua baptizo vos, *n* veniet autem fortior me post me, *o* cujus *p* non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus, ipse *q* vos baptizabit in *r* Spiritu sancto, & *ſ* igni:

a Venerunt autem & publicani, ut baptizarentur,] idest illi, qui publica tractabant negotia, & qui regis redditus capiebant. Publicani enim sunt, ut dicit *Beda*, qui publica vectigalia exigebant, vel rerum publicarum vectigalia conducebant. Et in hoc notatur magna virtus in prædicatione Joannis, qui etiam publicanos, & alios milites ad quærendum consilium salutis suæ trahebat, & ab injuria coercebat, & ad pietatis opera compellebat. *b* Et dixerunt ad illum, magister, quid faciemus?] Non dicunt, quid dicemus, vel quid intelligemus. Contra Clericos, qui totam curam ad discendum, & intelligendum applicant. Sed neque discere, neque intelligere ad salutem adducit, sed facere. Ideo dicit *Is.* 1. Discite bene facere. Non dicit, discite bene discere, vel bene intelligere, quod licet bonum sit, non tamen sufficit. *Eccl.* 3. Quæ Deus præcepit tibi, cogita illa semper, ad faciendum supple, Unde *Ps.* 120. Memores sunt mandatorum Dei ad faciendum ea. Similem quæstionem facit alius. *Matth.* 19. Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Et respondit Dominus: Si vis ad vitam ingredi serva mandata. Illos autem, scilicet publicanos nondum hortatur ad sua cum proximis communicanda, sed prius dehortatur de injuria proximis irroganda. Unde sequitur.

c At ille dixit ad eos, nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis.] idest, quantum constitutum est vobis, ab imperatore accipiatis, & non amplius exigatis. Sic quilibet non debet excedere fines mandati. *Prov.* 22. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Multi vero hoc male custodiunt, imo vix invenitur aliquis, qui custodiat. *Job* 24. Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & paverunt eos. *Is.* 10. Mandabo illi, ut auferat spolia, & dividat prædam. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus, non ita æstimabit, sed ad conterendum erit cor ejus, & ad internectionem gentium non paucarum.

d Interrogabant autem eum & milites,] sub Romanis militantes, & patriam defendentes.

e Dicentes, quid faciemus] & nos, ut salvi simus.

f Et ait illis, neminem concutiatis, neque calumniam faciatis,] timore, vel amore.

i Et contenti estote stipendiis vestris.] Istud est expositio præcedentis, scilicet: [Neminem concutiatis, &c.] Non est damnabilis militia, alioquin non permitteret eam Joannes. Milites enim debent tueri patriam, ideo etiam institutum est, ut de publico debeant accipere salarium, ne importunius exigerent, quam oporteret. Nota, quod triplex consilium dat Joannes militibus, contra triplex peccatum eorum. Quorum primum est oppressio pauperum. Contra quod dicit.

g Neminem concutiatis,] vi opprimendo. *Isa.* 3. Rapina pauperis in domo vestra, quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? Secundum est, falsi criminis impositio, quod sæpe faciunt præpositi, & officiales ad emungendam pecuniam a divitibus. Contra quod dicit,

h Neque calumniam faciatis,] *Osee* 5. Calumniam patiens est Ephraim, quoniam cepit abire post sordes. *Levit.* 19. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. *Is.* 33. Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus sempiternis? Qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere. Tertium est exactio. Contra quod dicit.

i Et contenti estote stipendiis vestris.] quæ statuta erant eis pro defensione reipublicæ. *Is.* 3. Populum meum exactores sui spoliaverunt. Et si hoc præcipitur militibus, quid clericis, qui gratis stipendia recipiunt de patrimonio Crucifixi? *Mich.* 2. Violenter tulerunt agros, & rapuerunt domos, & calumniabantur virum, & domum ejus. Sequitur.

k Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne] idest, an, [forte ipse esset Christus,] promissus in lege, præsignatus a Patriarchis, prænonciatus a Prophetis. Et in hoc patet, Judæis fuisse notum, secundum Scripturas Dominicæ incarnationis tempus adesse.

l Respondit Joannes dicens omnibus:] Non tantum uni. Ex virtute enim prædicationis, & vitæ asperitate, & miraculosa nativitate, credebant multi Joannem esse Christum. Sed cum dicat Lucas, quod hæc cogitabant in cordibus suis, quomodo scivit hoc Joannes, cum solius Dei sit cognoscere cogitationes? Sed dicimus, quod hoc scivit ex Spiritu sancti revelatione. Item *Joan.* 1. dicitur, quod missis ad eum Sacerdotibus, & Levitis quærentibus an ipse esset Christus respondit ad interrogationem eorum, hic vero ad cogitationem. Et utrumque esse potuit, scilicet quod respondit ad cogitata, & interrogata.

D

Matth. 3. Marc. 1. Joan. 1.

m Ego quidem aqua baptizo vos,] aqua tantum. *Gl. Ambros.* idest, tingo corpora aqua, & institno usum baptizandi, donec veniat, qui abluat animas per spiritum.

n Veniet autem fortior me post me,] quia etsi humilis, & magnus ego reputor, ille tamen fortior, quia ille Deus. In hoc apparet humilitas, & veritas Joannis, qui cum posset credi Christus, noluit de se veritatem celare. *Joann.* 3. Me oportet minui, illum autem crescere.

o Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus,] idest ligaturam mysteriorum. Pleonasmus est. Et est Idioma Hebræum. Consueto quidem locutionis modo Joannes humilitatem suam exprimit.

Mystice tamen a sanctis exponitur, & tribus modis. Primo sic. Mystice.

p Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus,] idest explicare mysterium incarnationis. Calceamentum enim est humanitas Christi. *Psalm.* 107. In Idumæam extendam calceamentum meum. Pes intus latens, & calceamentum sustinens est divinitas. *Hebr.* 1. Portans omnia verbo virtutis suæ. *Isai.* 45. Vere tu es Deus absconditus. Corrigia est unio divinitatis, & humanitatis, quam explicare nemo sufficit. *Isai.* 53. Generationem ejus quis enarrabit? Secundo modo sic.

p Non sum dignus] illum discalceare, & sponsam ejus mihi usurpare. Et tangit hic legis consuetudinem, quæ jubet, quod si quis decederet non relicto semine, propinquior ejus suscitaret ei semen; quod si nollet, alius propinquior post illum discalcearet illum, & duceret relictam mortui in uxorem: *Deut.* 25. Est ergo sensus secundum istam expositionem: Nolo sponsus credi, sed amicus sponsi. *Joan.* 3. Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Tertio modo sic.

p Non sum dignus, &c.] idest non habeo officium referandi scripturam, & portandi per mundum, quia non est mihi injunctum officium prædicandi, sed baptizandi. Econtra dicit Apostolus. 1. *Corinth.* 1. Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare. *Beda.* Calceamentum nuptiale, est Evangelica prædicatio, qua calceati sunt Apostoli. Unde *Ephes.* 6. State ergo succincti, &c. Est igitur sensus secundum tertiam expositionem: Non sum dignus, idest non sum Apostolus. Sequitur:

q Ipse vos baptizabit] idest interius mundabit.

r In Spiritu sancto, & igni:] idest in Spiritu sancto, qui est ignis, omnem peccatorum rubiginem consumens. *Deut.* 4. Deus noster ignis consumens est. Vel,

r In Spiritu sancto,] idest per gratiam Spiritus sancti in præsenti.

ſ Et igni] purgatorio in futuro. De quo 1. *Cor.* 3. Uniuscujusque opus quale fuerit, ignis probabit. Vel

r In Spiritu sancto,] quantum ad Baptismum.

ſ Et igne:] tribulationis, quantum ad pœnitentiam. *Greg.* Ignem tribulationis admovet, ut in eis rubiginem peccatorum purget.

a Cujus

a Cujus ventilabrum in manu ejus,] Dupliciter potest fieri constructio. Primo sic. Vere ipse fortior me est, quia ipse est, in cujus manu est ventilabrum, idest discretio justi examinis faciendi. Scriptum est enim. *Joan.* 5. Pater non judicat quemquam, &c. Sic est ibi pleonasmus, idest superfluitas dictionis. Secundo sic sine pleonasmo. Vere ipse est fortior me, quia ipse est, [cujus ventilabrum,] idest judicandi officium sibi a Patre traditum est. *b* In manu ejus,] idest in potestate ejus, quasi dicat & officium, & potestatem habet discernendi bonos a malis, & malos a bonis, hic merito, in futuro etiam loco, quando constituet hædos a sinistris & agnos a dextris. *Matth* 25. Et illis dicet: Ite, &c. Istis dicet: Venite, &c. De hoc ventilabro dicitur *Jerem.* 15. Dispergam eos, & ventilabo in portis terræ.

Matth. 3. — *al. † Purgabit.*

a cujus ventilabrum in *b* manu ejus, *c* & † permundabit *d* aream suam, *e* & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. *f* Multa quidem, & alia exhortans evangelizabat populo. *g* Herodes autem Tetrarcha, cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, *h* & de omnibus malis, quæ fecit Herodes, *i* adjecit & hoc supra omnia, k & inclusit † Joannem in

c Et permundabit] idest purgabit a paleis.
d Aream suam,] idest præsentem Ecclesiam, in qua sunt grana mista cum paleis, idest boni cum malis. Hanc mundat Dominus in præsenti crebris tribulationibus ventilando. Grana siquidem manent in area, & paleæ vento tolluntur. Sed in futuro permundabit, idest perfecte mundabit, quando omnino tollentur impii, ne videant gloriam Dei. *Isai.* 26. Nec etiam bonorum consortio perfruantur. Tunc triticum, est corpus sanctorum, in horreum Domini reponetur, idest in paradisum. Unde sequitur.
e Et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.] Potest intelligi active, & passive, ut sensus sit. Paleæ, idest mali igni inextinguibili, idest, qui nec extinguere poterit, nec extingui, tradentur perpetuo cruciandi. Ignis enim ille nec terminabitur, nec omnino terminabit illos, nec comburet. Non enim erit finis ardoris eorum. Unde dictum est in *Psalm.* 48. Mors depascet eos, non devorabit. Herbam enim, quæ depascitur, non radicitus evellitur, sed semper ad corrodendum relinquitur. *Jerem.* 23. Quid paleis ad triticum dicit Dominus? *Aug.* Si paleas sequeris, palea efficeris. Est autem & alia triplex area. Prima est conscientia, in qua est mista palea, idest, vanitas cogitationum cum tritico, idest cum veritate virtutum. Hanc permundabit Dominus in futuro, quando permanente tritico virtutum, exsufflabit paleas cogitationum. *Psalm.* 145. In die illa peribunt omnes cogitationes eorum. Modo autem dicit Rebecca, idest anima: Palearum, & feni apud nos multum est. *Gen.* 24. Secunda area est sacra Scriptura, in qua est mista palea cum tritico, idest litteralis intelligentia cum sensu mystico. *Is.* 30. Commistum migma comedent, sicut in area ventilatum est. Hæc area permundatur, cum sensus mysticus a littera fideliter separatur, quod est officium Prælatorum, vel Doctorum. Unde *Matth.* 12. Discipuli vellebant spicas, & manibus confricabant, & grana comedebant, & paleam rejiciebant. *Osee* 9. Area, & torcular non pascet eos. Tertia area est uterus beatæ Virginis, in qua fuit triticum, idest Christus sine palea peccati. De quo *Joann.* 12. Nisi granum frumenti, &c. Et licet istum triticum natum fuerit sine palea peccati, fuit tamen acerrime ventilatum. Unde *Isa.* 53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. De hac area dicitur *Jud.* 6. Ponam hoc vellus lanæ in area. *Cant.* 6. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum. Ista area permundata fuit in die Assumptionis Beatæ Virginis, quando omnis mortalitas, & corruptio ab ea separata fuit.
f Multa quidem, & alia exhortans evangelizabat populo.] ad salutem ipsorum eos instruendo.
g Herodes autem tetrarcha, &c.] sicut ait Apostolus 2. *Cor.* 2. Christi bonus odor sumus Deo, & in his, qui pereunt, & in his, qui salvi fiunt. Aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis vero odor mortis in mortem. Ita fuit Joannis prædicatio. Publicanis, & militibus fuit odor vitæ in vita. Pharisæis, & Scribis, & Sadducæis, & Herodi, & Herodiadi fuit odor mortis in mortem. Unde hæc clausula sic continuatur. Publicani correpti ad Joannis prædicationem, salutis consilium quæsierunt, [Herodes autem tetrarcha, cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui,] quam abstulerat ei. Unde in duobus peccabat, scilicet, in incestu, quia uxorem fratris sui viventis habebat, & in adulterio. De hoc dictum est satis *Matth.* 14. & *Marc.* 6. Et ideo hic pertransimus.

h Et de omnibus malis, quæ fecit Herodes,] dum corriperetur, supple. *i* Adjecit & hoc supra omnia, &c] Alia peccata.

Matth. 14. Marc. 6.

k Et inclusit Joannem in carcerem.] anticipatio est hic, quia post dicetur, quod Joannes baptizabit Dominum, quod fuit ante incarcerationem, sed hoc facit ad exaggerationem nequitiæ Herodis. In proximo enim dixerat, quanta fuit religio Joannis, ut etiam Publicani ad ejus prædicationem venirent, & statim subjungit de incarceratione ejus ab Herode facta, quia corripiebat eum de sceleribus ejus. *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominati sunt. Potest hic quæri, quare post prædicationem Joannis non subjungit de prædicatione Christi, & miraculis. Sicut enim post nativitatem Joannis subjungit de nativitate Christi, sic post ejus prædicationem debuit primo subjungere de prædicatione Christi. quare ergo interserit de incarceratione Joannis ante miracula Christi? Solutio, ut ostendat se non descripturum miracula Christi, nisi quæ facta sunt post incarcerationem Joannis. Quod enim dictum est de his, quæ fecit, cum esset duodennis, non fuerant ibi aliqua miracula, sed gesta, & miracula prioris anni. Joannes dixit mutationem aquæ in vinum, & alia.

al. † cust.

Et nota *Glossa*, antequam Lucas aliquid narret, &c. 2. *cap.* In qua *Gloss.* reddit causam, quare incarcerationem Joannis præmittit miraculis Christi. Et est summa, quod ideo præmittit, ut ostendat se descripturum miracula tantum eo anno gesta, quo Joannes captus est, vel punitus, idest decollatus, quia in principio anni captus est, in fine decollatus. Sed hoc videtur esse falsum, non enim tantum describit miracula illius anni, in cujus principio Joannes est incarceratus, & in fine decollatus, sed etiam sequentis post illum, in quo Dominus est crucifixus. Ad quod potest dici, quod tres Evangelistæ illius anni miracula præcipue, & plenius prosequuntur, in quo Joannes & incarceratus est, & decollatus, ideo supple in *Gloss.* præcipue. Vel aliter, ut complectatur in utrumque annum, ut intelligas, quando Joannes captus est jam aliquot dies fluxisse de Aprili, qui est initium anni secundum legem. Annus enim legitimus incipiebat ab Aprili. Unde Judæis dictum est: Mensis iste vobis principium mensium. Eodemque modo anno revoluto quando decollatus est, jam aliquot dies defluxerant de anno sequenti, & ita non eodem modo anno captus est, & punitus, & ita Lucas describit miracula utriusque anni.

Item quæritur, quare solus Joannes describit facta ante incarcerationem Joannis, alii autem ab incarceratione Joannis inceperunt? Causa mystica assignatur in *Gloss.* hæc scilicet, quia Joannes est figura legis, & Joannes incarceratus, est lex incarcerata. Bene ergo Joannes de deitate agens, principaliter incipit ante incarcerationem, ut ostendat, Christum fuisse Deum ante legem incarceratam, alii autem tres, qui de humanitate agunt, bene post incarcerationem incipiunt, quia non intendunt describere, nisi miracula facta post legis incarcerationem. Et nota, quia legis incarceratio nihil aliud intelligitur, quam corruptio per sinistram interpretationem. Est enim lex a Judæis incarcerata, idest in cæcitate erroris quasi tenebroso carcere inclusa. Et hæc legis incarceratio significata est per incarcerationem Joannis. Bene ergo tres humanitatem exprimentes, post incarcerationem Joannis incipiunt, quia post prædictam legis incarcerationem, quæ significatur per incarcerationem Joannis, Dominus evidenter in carne apparuit, & miracula fecit, qui ante latuerat. Unde in *Gloss.* habes. Apparentis, idest publice se manifestantis. Joannis, qui de Deitate intendit, incipit ante incarcerationis Joannis, qui est figura legis, ut ostendat, Christum

dat Christum fuisse Deum ante legem, quia æternus. Sequitur. *a* Factum est autem, &c.] Hæc est tertia pars capituli, in qua agitur de Baptismo Christi, & ejus genealogia. Ubi quæstio multiplex oritur. Prima, quare Lucas in principio libri sui non posuit genealogiam Christi, sicut Matthæus. Secunda, quare Lucas texit genealogiam Christi ascendēdo, cum Matthæus eam texuerat descendendo. Tertia, quare Lucas protendit genealogiam Christi usque ad Adam, cum Matthæus incipiat eam texere ab Abraham. Quarta, quare Lucas utitur verbo essendi, cum Matthæus utatur verbo generandi. Quinta, quare Dominus voluit baptizari, cum nihil in eo purgandum fuerit. Sexta, quare cœlum apertum fuerit, dum Christus baptizaretur. Septima, quare columba apparuerit super eum. Octava, quare in Baptismo tantum, & in transfiguratione audita fuerit super eum vox patris, dicens: Hic est, vel tu es filius meus dilectus. Solut. Ad primum dicimus, quod Lucas ideo post Baptismum incipit genealogiam Christi, & non ante, ad innuendum, quod per Baptismum fiunt homines de genealogia Jesu Christi. Matthæus autem in principio ponit eam, ut ostenso de qua stirpe natus est Christus, patesceret legem, & prophetias impletas esse in eo. Unde *Eccl.* 36. Suscita precationes, quas locuti sunt in nomine tuo Prophetæ priores, da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur. Ad secundum dicimus, quod Lucas texuit spiritualem genealogiam Christi, quæ incipit a Baptismo, quæ est ascensus in Deum. Matthæus vero texit carnalem Christi generationem, quæ est descensus. Ad tertium dicimus, quod Lucas usque ad Adam extendit generationem Christi, ad innuendum, quod non solum filii Abrahæ, idest Judæi, imo & omnes filii Adam, idest tam Judæi, quam Gentiles possunt fieri filii Dei, & ascendere cum Christo ad Deum per Baptismum. Unde *Jo:* 1. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: Matthæus vero, qui carnalem Christi generationem texit, & Judæis prædicabat, usque ad Abraham tantum extendit generationem Christi, a quo incepit discerni generatio Judæorum. Ad quartum dicimus, quod per spiritualem generationem, quæ incipit a Baptismo, ducimur ad verum esse, & ideo Lucas utitur verbo essendi, sed per generationem carnalem descendimus a vero esse, & ideo Matthæus utitur verbo generandi. Ad quintum dicimus, quod Dominus voluit baptizari quadruplici causa. Prima, ut tactu suæ carnis mundissimæ daret aquis vim generandi, sicut dicit *Ambr.* Secundo, ut exemplum omnimodæ humilitatis in se ostenderet. Unde *Matth.* 3. Sic decet nos implere omnem justitiam, idest omnimodam humilitatem. Tertia, ut figuras legis, & prophetiam impletas ostenderet. 1. *Corinth.* 10. Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari. Quarta, ut alios ad Baptismum invitaret, sicut dicitur *Joann.* 13. Exemplum dedi vobis, &c. Non enim tantum de lotione pedum intelligitur, imo & de aliis factis suis, quia omnis Christi actio nostra fuit lectio. Ad sextum dicimus, quod ideo in Baptismo Christi cœlum apertum est, ut palam fieret baptizatis aperiri januam Paradisi, quæ clausa fuerat per peccatum Adæ. Ad septimum dicimus, quod ideo columba super Christum apparuit in Baptismo, ut ostenderet, baptizatos accipere Spiritum sanctum, quod etiam significat cereus ardens dimissus in aquam, & in manum parvuli baptizati. Item ad ostendendum, quod iste erat, qui baptizat in spiritu. Unde *Joan.* 1. Testimonium perhibuit Joannes dicens, quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & ego nesciebam. Ad octavum dicimus, quod ideo in Baptismo audita est vox patris, & in transfiguratione, ad significandum, quod nos omnes, qui nascimur filii iræ, in Baptismo simus filii Dei per gratiam, & tandem in generali resurrectione, fiemus filii Dei per gloriam. His visis veniamus ad litteram.

Matth. 3. Marc. 1. Joan. 1.

Dominus voluit baptizari quadruplici ratione.

> carcerem, *a* Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, *b* & Jesu baptizato, *c* & orante, *d* apertum est cœlum, *e* & descendit Spiritus Sanctus *f* corporali specie *g* sicut columba in ipsum;

a Factum est, &c.] idest multi de populo ante Joannis incarcerationem. Unde patet, quod per anticipationem egit superius Lucas de Joannis incarceratione.

b Et Jesu baptizato,] a Joanne, quod alii plenius dicunt. *Matth.* 3. *Marc.* 1.

c Et orante,] Prius est baptizari, & postea orare, quia peccatores non exaudit Deus. *Jo:* 9. *Eccl.* 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris.

d Apertum est cœlum,] idest tantus fulgor apparuit, quod videbatur cœlum esse apertum. Factus est enim circa eum splendor inæstimabilis, tanquam reseratione aeris, & firmamenti illucesceret splendor empyrei cœli, & infunderetur terris. Et in hoc notatur, quod mundi hominis oratio cœlos penetrat. *Eccl.* 35. Oratio humiliantis se, &c. Nota, in Baptismo apertum est cœlum per impedimenti ablationem, in passione per pretii solutionem, in ascensione per rei ostensionem.

Mystice. Per apertionem cœli significatur apertio sacræ Scripturæ, quæ per gratiam, & per pœnitentiam, & per contemplationem aperitur. *Prov.* 27. Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, &c.

Mystice.

Chrys. Est Baptismus
- Verbo. *Joan.* 15. Et vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis, &c.
- Aqua. *Jo:* 3. Nisi quis renatus fuerit, &c.
- Spiritu supra eod. *c. Act.* 1. Joannes baptizavit aqua, &c. 1. *Cor.* 10. Omnes in Moyse baptizati sunt, &c.
- Igne tribulationis. *Isa.* 4. Auferam sordes filiorum Israel in spiritu judicii, & combustionis, alia littera.
- Morte, idest martyrio. *Infr.* 12.

Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, &c. Ibidem *Chrys.* Quale peccatum in morte dimittitur, scit, qui intelligit, pro quali peccato introducta est mors.

e Et descendit Spiritus sanctus] idest signum Spiritus sancti, scilicet columba. Ab instanti enim conceptionis habuit plenitudinem gratiarum. Unde motus verbi columbæ tantum convenit. Nota, spiritus descendens septem facit. Mentem renovat. *Psalm.* 103. Emitte spiritum tuum, & creabuntur, idest renovabuntur. Item a servitute liberat. 2. *Corinth.* 3. Ubi spiritus Domini, ibi libertas. Item infirmum adjuvat. *Rom.* 8. Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Item Deo reconciliat. Unde *Genes.* 8. Columba reportat ad arcam ramum olivæ. Item gemitum suscitat. *Rom* 8. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Item ad cœlum elevat. *Psal.* 54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, &c. Item cor mundat. *Ps.* 50. Cor mundum crea in me, Deus, &c. Ideo dicitur *Apoc.* 1. Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt. Nota, statutum est, ut nullus baptizetur in die Epiphaniæ, nisi in necessitate, propter hæreticos, qui dicebant, tunc solum venire Spiritum sanctum.

Quid Spiritus sanctus operatur.

f Corporali specie,] *Chrys.* Non in natura, sed in specie columbæ. Non enim fuit incolumbatus, nec aliter fuit Spiritus sanctus in illa columba, quam in alia qualibet creatura, sed ad aliud, fuit vera columba, non ficta. Unde *Interl.* Quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, &c. *Sapient.* 1.

g Sicut columba in ipsum:] In natura enim divinitatis a mortalibus non potest videri. Et nota, quod in Apostolos descendit Spiritus sanctus in linguis igneis, in Christum autem in specie columbæ, quia in Apostolis erat aliquid purgandum, aut illuminandum, sed in Christo nihil fellis, aut defectus erat. Quæritur etiam, quid factum sit de illa columba, vel unde venerit. Et dicimus, quod tunc de novo creata fuit, & expleto mysterio suo in præjacentem materiam redacta sicut stella, quæ duxit Magos. Sed quare hoc? Et dicimus, quod duplici ratione fuit redacta in præjacentem materiam. Prima, ne ab hominibus adoraretur, sicut Judæi serpentem æneum adorabant, propter quod Ezechias fregit illum. 4. *Reg.* 8. Secunda, ad ostendendum, quod ad hoc solum creata fuit, & fuit vera columba, non phantastica, ad significandum, quod nihil fictum fuit in Christo.

Moraliter. In isto significatur, quod in illo descendit, imo est Spiritus sanctus, qui habet columbæ proprietates. Quarum prima est, quod caret felle. Secunda, quod non lædit ore. Tertia, quod non nocet ungue. Quarta, quod puro grano pascitur. Quinta, quod alienos nutrit pullos, & suos. Sexta, quia gemitum habet pro cantu. Septima, quia residet super aquas, ut umbra visa fugiat accipitrem. Octava, quia gregatim volat. Nona, quia in petra nidificat. Decima, quia cito volat. In primo commendatur mansuetudo, quæ omnem amaritudinem pellit a corde. *Hebr.* 12. 2. Ne qua radix

Moraliter.

dix amaritudinis sursum germinans impediat. Servat etiam cor in sua dignitate. Unde *Greg.* Mansuetudo imaginem Dei in nobis servat, quam iracundia dissipat. *Job* 5. Virum stultum interficit iracundia. Et ibi in *Gl. Greg.* In secunda commendatur modestia, quæ est oris custodia, & omne verbum malum intrare, vel exire non sinit. *Eph.* 4. Omnis sermo malus de ore vestro non procedat. In tertia commendatur innocentia, quæ custodit manus ab omni injuria, & nocumento. *Psalm.* 36. Custodi innocentiam, & vide æquitatem. De his tribus dicitur in *Psalm.* 23. Quis ascendet in montem Domini, aut quis, &c. In quarta commendatur frugalitas, sive parsimonia. *Eccl.* 31. Utere ut homo frugi his, quæ tibi apponuntur. In quinta commendatur charitas, quæ aliena bona diligit tanquam sua. *Lev.* 19. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In sexta commendatur luctus pro peccatis tam propriis, quam alienis, qui mutabitur in gaudium. *Prov.* 14. Cor, quod novit amaritudinem animæ suæ, &c. *Matth.* 5. Beati, qui lugent. In septima commendatur studium, sive meditatio Scripturarum. *Cant.* 5. Oculi ejus sicut columbæ super rivos aquarum. *Prov.* 3. Fili mi, ne obliviscaris legis meæ. In octava commendatur socialitas, sive concordia. *Eccl.* 25. In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ probata sunt coram Deo, & hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum, &c. In nona commendatur memoria Dominicæ Passionis. *Jerem.* 48. Estote sicut columba nidificans in summo ore foraminis. *Is.* 2. Abscondere in fossa humo a facie timoris Domini. In decima commendatur contemplatio, & desiderium æternorum. *Ps.* 54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, &c.

al. † complacui.

F

a Et vox de cœlo facta est:] dicens:
b Tu] non Joannes.
c Es filius meus] consubstantialis.
d Dilectus,] *Ps.* 2. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, &c. *e* In te complacuit mihi.] in quo placitum meum hominibus ostendi. *Beda*, idest placitum meum constitui, idest per te facere constitui, quod mihi placet. Vel [Complacuit mihi,] idest omnino placuit mihi, quia nihil mali in eo fuit. Et dicitur hoc ad differentiam aliorum, qui non omnino placent, quia etiam in Angelis suis reperit pravitatem. *Job* 4. Alia littera est. [Complacui] Et hoc videtur velle *Gloss. Ambros.* Non aliena in filio, sed sua laudat, quasi dicat quæcumque habes tu, mea sunt. *Jo:* 17. Et loquitur hæc *Gloss.* ad similitudinem artificis, qui sibi placet, vel displicet in imagine, bene, vel male composita. Item [in te complacuit mihi] sed in Adam displicuit. Unde postea dixit: Pœnitet me fecisse hominem. Sequitur. *f* Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta,] idest erat triginta annorum, quasi incipiens trigesimum primum annum, quod dicit, quia de trigesimo primo anno jam habebat tredecim dies, ita exponit *August.* & *Chrys.* Alii expositores dicunt, quod erat incipiens quasi triginta annorum, idest quasi incipiens trigesimum annum, quia habebat vigintinovem annos plenos, & de trigesimo tredecim dies. Secundum primam opinionem prædicavit Christus duobus annis, & dimidio, ut dicatur dimidius annus illud tempus quod est ab Epiphania usque ad Pascha. Voluit autem Dominus anno trigesimo baptizari, miracula operari, prædicationis officium inchoare, duplici ratione. Prima propter mysterii significationem. In triginta enim sunt ter decem, in ternario significatur fides, & notitia Trinitatis, in decem denarius mandatorum. In hoc ergo ostenditur, quod ille, qui nititur prædicare, debet habere notitiam Trinitatis, & Decalogi operationem. Unde & Joseph trigesimo anno recepit Ægypti gubernaculum, & Ezechiel prædicationis officium, & David regnum. Secunda ratio est propter nostram instructionem, ut scilicet ante virilem ætatem nemo audeat assumere officium prædicationis. Unde *Deut.* 15. Non operaberis in primogenito bovis. Hic ergo numerus ad nostram instructionem ponitur, ut infra, docendi Cathedram ascendere non præsumamus. Hic enim numerus observatus est in Levitis, post legem in Prophetis, nisi forte aliqui infra hunc numerum prophetaverunt dispensatorie, ut *Jer.* 1. & *Dan.* 13. Observatus est etiam in tempore gratiæ in filio Dei, qui ante hunc numerum noluit baptizari. *g* Ut putabatur,] vel [putaretur filius Joseph]

Genes. 6.

Gen. 41. Ezech. 1. 2. Reg. 5.

a & vox de cœlo facta est. *b* Tu *c* es filius meus *d* dilectus, in *e* te † complacuit mihi. Et *f* ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut *g* putabatur filius Joseph, qui fuit *h* Eli, *i* qui *k* fuit Mathat, qui fuit *l* Levi, qui fuit *m* Melchi, qui fuit Jamne, qui fuit Joseph, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Heli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph,

sic construe litteram. Jesus erat incipiens quasi annorum triginta. Jesus dico, [filius Joseph, ut putabatur,] idest, secundum opinionem hominum. *Amb.* Quia natura non erat, sed putabatur, quia Maria eum genuit, quæ desponsata erat Joseph. Et dicit *Beda:* Non per Mariam, quæ vere genuit, sed per Joseph, qui alienus est a generatione texitur ordo generationis. Alienus supple secundum rectam lineam. Sed quare non texitur per Joachim patrem Mariæ, qui non erat alienus ab ejus generatione? Quia sic per feminam texeretur, quod non est consuetum. Unde *Ambr.* In generationibus nomen viri, & persona quæritur, quæ etiam in senatu, & in reliquis curiis civitatum generis asserit dignitatem.
h Qui fuit Heli,] qui, scilicet Joseph fuit filius Heli.
i Qui] scilicet Heli. *k* Fuit] filius [Mathat] Ita procedendum, & intelligendum ubique.

Mystice.

Mystice autem, sicut dicit *Aug.* de concordia Evangel. [Qui fuit, &c.] istud [qui] semper fertur ad Christum secundum interpretationes nominum. *h* Qui fuit Heli] idest Deus meus, & sic de aliis. Interpretationes ergo nominum non sunt ibi positæ, quod ibi aliquid operentur quantum ad litteram, sed ne ignorentur, & ut mystice exponantur de Christo. Quantum autem ad litteram. Nota, quod duo Evangelistæ texunt genealogiam. Lucas, & Matthæus. Matthæus utitur verbo generationis, scilicet hoc verbo genuit, ut hoc ipso ostendatur, quod non ponit filios nisi secundum veritatem generationis. Lucas vero non est usus verbo generationis, sed hoc verbo fuit, ut per hoc ostendatur, quia non tantum ponit filios secundum proprietatem generationis, sed etiam filios adoptionis. Et nota, quod ab Abram usque ad David nulla est differentia in Patribus ab utroque computatis, a David autem usque ad Christum differentia, quia Matthæus tantum ponit filios naturales, Lucas mistim naturales, & adoptivos. Et nota, quod filii adoptivi large accipiunt in *Gloss.* ut sub eis includantur filii secundum legem. Dicitur enim tribus modis filius, scilicet, filius naturalis, filius secundum legem, filius adoptionis. Et nota, quod filii secundum legem, vel legales dicebantur filii suscitati a fratribus sine semine defunctis fratribus. Si quis enim non relicto semine decederet, frater tenebatur suscitare ei semen, & filius, quem gignebat non dicebatur filius ejus, sed filius fratris defuncti, & succedebat in ejus hæreditatem. Filii autem adoptivi dicuntur adoptati in hæreditatem, & possunt adoptari etiam extranei. Item alia differentia. Lucas ideo ponit plures, quam Matthæus, quia texit genealogiam per alias personas, & potuit esse, ut illi, quos computat Matthæus diutius viverent, & tardius generarent, illi, quos computat Lucas, non tam diu viverent, & citius generarent, ut si duo fratres simul ducant uxorem, potest fieri, ut alter diutius vivat, & differat gignere usque ad senium, ita quod filius, quem genuit alter, prius gignat alium filium, quam iste gignat. *h* Qui fuit Heli,] *Interl.* de verbis Africani sumpta, secundum legem filius Heli, secundum carnem filius Jacob. *i* Qui fuit] Mathat. Nota ergo, quod ut dicit Africanus, Mathan, & Mathat fuerunt fratres, & habuerunt uxorem Jese nomine, de qua Mathan prius genuit Jacob, & mortuus est sine semine, quia propter unicum filium non dicebatur quis relinquere semen. Unde *Deut.* 25. Pluraliter dictum est: Si quis moritur sine liberis, suscitet ei propinquior semen. Defuncto Mathan, Mathat frater ejus de eadem uxore, scilicet de Jescha genuit Heli, & ita fuerunt fratres uterini Heli, & Jacob. Heli vero accepit uxorem, & mortuus est sine semine. De eadem uxore Jacob frater ejus genuit filium Joseph, & ita Joseph fuit filius Jacob naturalis, filius Heli legitimus, scilicet secundum legem. *l* Qui fuit Levi] quære alibi interpretationes nominum. *m* Qui fuit Melchi, qui fuit Jamne, qui

Filius tribus modis dicitur.

a qui fuit Jona, qui fuit Eliakim, qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David, qui fuit b Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naason, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esrom, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit † Abraham, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit † Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit c Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusale, qui fuit d Enoch, qui fuit e Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit f Dei,

qui fuit Joseph, qui fuit Mathathiæ, &c.] usque ibi, [qui fuit Joseph.] Nota *Gloss. Amb.* Quatuor genera virtutum, [large dicitur hic virtus] cognoscimus fuisse in quatuor filiis Jacob, scilicet Levi, Simeon, Juda, Joseph, quorum isti posteri sunt, idest, post quos isti, de quibus hic fit mentio, fuerunt. Non enim isti, de quibus hic fit mentio, fuerunt filii Jacob nisi Judas solus. In Juda per figuram Dominicæ passionis mysterii prophetarum est propter formam benedictionis, qua usus est Jacob in ejus benedictione. Dixit enim sic: Juda te laudabunt fratres tui. Et tandem subjunxit: Pallium suum tinget in sanguine uvæ, & alligabit pullum ad vitem. Et in his verbis prophetata est passio Christi. In Joseph castitatis exemplum, quia noluit consentire dominæ suæ. *Gen.* 49. In Simeone vindicta læsi pudoris. *Gen.* 34. In Levi officium sacerdotii. *Num.* 3. De ejus enim genere fuerunt sacerdotes. Non enim tantorum nomina Patriarcharum Lucas prætermittenda putavit, ut quia unus omnia est Christus, idest, per omnia hic significatus, vel habens omnes has virtutes. In singulis quoque majoribus, idest, in Patriarchis, a quibus descendit, genera virtutum diversa præcederent, idest, præfigurarentur.

[Marg.: Gen. 49. — G — al. † Abrahe.]

a Qui fuit Jona, qui fuit Eliakim, qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David,] Nota, quia utrumque congruit mysterio, scilicet, quod Matthæus computat per Salomonem, Lucas per Nathan, quia per hoc ostenditur Christus fuisse, & de tribu regia, & de sacerdotali. Salomon enim fuit Rex, & Nathan Propheta, & ita quodammodo Sacerdos, quia quamdam affinitatem habent prophetia, & sacerdotium.

b Qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naason, qui fuit Aminadab, &c.] usque ibi, [qui fuit Cainan,] Nota, quia Lucas hic sequitur editionem Septuaginta, non Hebraicam veritatem. In *Gen.* enim 11. legitur, quod Arphaxat genuit Sela, vel Sale, nullo interposito, hic autem interponitur Cainan, Idem habetur 1. *Paral.* 1.

c Qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusale,] De Mathusale credunt Hebræi, quod post diluvium vixit duodecim annis. Fabulosum tamen videtur, cum in arca salvatus non sit, ubi non sunt salvatæ nisi tantum octo animæ. Potest tamen esse mysticum, licet falsum sit. Unde *Amb.* Quia anni Mathusale ultra diluvium numerantur, licet falso supple, significat Christum, cujus vita ætatem nescit.

d Qui fuit Enoch,] Nota, quod cum ascendat Lucas a Christo baptizato usque ad Deum, ponit Henoch in septuagesimo gradu, ut per hoc mystice significet, quod sicut Enoch translatus est vivus in paradisum, & ibi requie fruitur usque dum in fine ad æternam beatitudinem transferatur, sic baptizati in morte a corpore absoluti in requiem transferuntur, quæ significatur per septuagenarium, Septuagenarius enim surgit ex septenario, & denario, ideoque significat illorum requiem, qui hic implent Decalogum,

e Qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam,] *Beda*: Seth posterior filius Adæ non siletur. Contra. *Gen.* 5. Adam post Seth genuit filios, & filias. Sol. Non sunt nominati, de istius progenie fuit Noe, qui salvatus est in diluvio, Tota progenies Cain diluvio periit.

f Qui fuit Dei.] Nota, quod uterque dicitur filius Dei, & Christus, & Adam, sed alter per naturam, alter per creationem, idest Adam, qui & dicitur filius terræ, quia non habuit hominem patrem, sed de terra materialiter conditus. *Osee* 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Lucas texit longum funiculum, & incipit a capite, idest Christo. 1. *Corinth.* 15. Qualis terrenus tales terreni. *Josue* 2. Funis coccineus in fenestra salvavit domum. Nos autem debemus esse funambuli, idest imitari istos sanctos patres, qui in hac genealogia recitati sunt. *Eccl.* 44. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt. Et *infr.* Laudem eorum nunciet Ecclesia. De aliis dicitur *Is.* 5. Væ qui trahitis iniquitatem funiculis. *Prov.* 5. Et funibus peccatorum, &c. *Ps.* 118. Funes peccatorum, &c. Nota *Glossam Bedæ*, quæ legitur post genealogiam. *Gl.* Matthæus, qui regiam instituit in Christo insinuare personam, &c. In hac Glossa significatur triplex differentia inter genealogiam traditam a Matthæo, & traditam a Luca. Prima est, quia Matthæus ponit tantum quadraginta personas, præter Christum, Jechonia semel computato, vel quadragintaduas Christo computato, & Jechonia bis secundum aliam opinionem, Lucas vero septuaginta septem. Secunda, quia Matthæus computat descendendo, Lucas vero ascendendo. Tertia, quia Matthæus computat a David per Salomonem: Lucas vero per Nathan, qui fuit filius David adoptivus. Bene autem Matthæus sub quadragenario texuit Christi generationem, quia hic numerus figurat locum, & tempus militiæ Christianæ. Componitur enim ex quaternario, & denario, quaternarius locum, & tempus exprimit. Locum, idest, quatuor partes orbis, in quarum qualibet Deo militatur ab aliquibus. Tempus, idest quatuor partes anni, per quas universitas volvitur, & si quaternarius notat, quod ubique, & semper Deo militatur. Denarius significat arma militantium, idest decem præcepta, quibus armantur Christi milites contra diabolum. Quia ergo Matthæus Christum descendisse ostendit, ut esset dux nostræ militiæ, ideo sub quadragenario ejus generationem comprehendit. Ideo autem descendendo, ut ostendat Christum propter peccata nostra descendisse. Ideo vero per Salomonem, ut ostenderet Christum esse de regia tribu. Et per hoc etiam innuit, Christum propter peccata nostra descendisse, quod ex eo innuitur, quia David peccavit in matre Salomonis, non quando eum genuit, jam enim eam traduxerat, sed prius. Ecce habes tria, quibus differt Matthæus a Luca. Modo considera tria alia, in quibus differt Lucas a Matthæo. Lucas ponit septuagintaseptem, quo numero omnium peccatorum remissio designatur, surgit enim ex undenario, qui est transgressionis numerus, qui denarium transcendit, nec usque ad duodenarium pervenit, & ex septenario, qui est numerus universitatis. Constat enim ex quaternario, qui ad corpus refertur, propter quatuor elementa, & ternario, qui refertur ad animam, propter tres vires ejus. Sic ergo per hunc numerum peccatorum remissio intelligitur, *Matth. decimoctavo*. Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Ideo etiam Lucas computat ascendendo, ut ostendat, quod accepta remissione peccatorum in Baptismo fit ascensus ad Deum. Ideo vero per Nathan, ut ostendat Christum esse de genere sacerdotali, & insinuet, quod Christus venit nobis nunciare peccatorum remissionem, sicut nunciavit Nathan David, dicens: Transtulit Deus a te peccatum tuum. Hæc in ista *Glossa* invenies, sed non ita seriatim. Modo prosequere *Glossam*: Matthæus, qui regiam instituit, &c. *infra*: Præter ipsum Christum, quadraginta homines, Jechonia scilicet semel computato. Illud tempus, idest, pœnitentiæ, per laboriosam disciplinam, idest, per laborem militiæ Christianæ. Neque enim quadragintaduæ, Adversatur alii opinioni, quæ dicit Matthæum posuisse quadragintaduas generationes, quod videtur propter tres quatuordenas, & verum est, si Jechonias bis numeretur, & Christus ibi numeretur, sed intellige eumdem Jechoniam bis positum, & erunt quadragintaduæ, si Christum numeres. Qui enim faciunt quadragintaduas, intelligunt duos Jechonias, ut quod dicitur Josias genuit Jechoniam, intelligatur de patre, quod autem sequitur, Jechonias genuit Salathiel, non intelligat de præmisso Jechonia, sed de filio ejus, quod alibi in tota genealogia non contingit. Unde id est, ad idem significandum, jejunium, &c. In quo, idest in descensu significatur susceptio peccatorum nostrorum, idest pœnæ pro peccatis nostris. Si enim ita exponeres, ut diceres

[Marg.: al. Henoch. — 2. Reg. 12.]

ut diceres, nostrorum peccatorum tollendorum, nullam haberes differentiam inter Matthæum, & Lucam. Jam sequitur expositio secundum Lucam. Qui tanquam vitulus, i. tanquam ille, cui congruit vitulina facies. In cujus matre, i. Bersabee. 2. *Reg.* 11. Per cujus nominis Prophetam, i. Nathan. Aliqui innitentes huic verbo, dixerunt, hunc Nathan, qui in genealogia ponitur, non esse Prophetam, sed alium Nathan, quem genuit David de Bersabee, quod tamen invenitur. 2. *Reg.* 5. Unde sic dixerunt. Ascendit ad David per Nathan, nec subsequenter ait per quem Prophetam, sed per cujus nominis Prophetam, per quod innuitur, hunc, per quem ascendit, non esse Prophetam, sed nomine Prophetæ appellatum. Sed hic expone: Per cujus nominis Prophetam, i. per quem Prophetam sic nominatum Deus peccatum illius expiavit 2. *Reg.* 12. Quo in vineam Christi conducti sunt. *Matth.* 20. Et est hic simplex relatio, quia denarius pro præmio accipitur. Carne sacerdotis, i. Christi. Iste numerus, i. septuaginta septem, &c. Item *Gloss. Bed.* Si intelligamus, &c. Nota, quia hic numerus, sc. quadraginta duo, surgit ex senario, & septenario, & ideo significat præsens tempus quo Ecclesia laborat. Senarius enim pertinet ad laborem, quem sustinet Ecclesia, dum in terris militat. Septenarius ad sabbatum, cujus spe laborat. Et nota, quod idem significatum est per quadragintaduas mansiones, per quas venit populus Dei in terram promissionis. Sicut enim postquam ventum est ad ultimam, i. quadragesimam secundam mansionem, apertus est Jordanis, & duce Josue victis hostibus intravit populus Dei terram promissionis: Sic postquam ventum est ad quadragesimam secundam generationem post Abraham, cujus tempore genus humanum egressum est de Ægypto, idest, de tenebris infidelitatis, Christo duce veniente in carnem, aperta est janua cœli per baptismum, qui significatur per Jordanem, *Infra.* Sub ejusdem numeri Sacramenta, idest, sicut significatur per prædictum numerum, scil. per quadragintaduo Lethi fluvium, idest, torrentem mortis.

CAP. IV.

a JEsus autem plenus Spiritu sancto *b* regressus est a Jordane, & *c* agebatur in desertum *d* a spiritu *e* diebus quadraginta, & *f* tentabatur a diabolo. Et nihil *g* manducavit in diebus illis, & *h* consummatis illis, esuriit. Dixit *i* autem illi diabolus: Si *k* filius

EXPOSITIO CAP. IV.

a JEsus autem, &c.] Narrata Christi generatione, atque baptismo, narrat consequenter Lucas Christi tentationem a diabolo, & ejus persecutionem a Judæis, ejusque beneficia impensa Judæis tam in doctrina, quam in miraculis operatis. Dividitur autem hoc cap. in quatuor partes.

In prima agitur de Christi tentatione.

In secunda de Christi eruditione, quomodo, sc. in Synagoga legit Isaiam, docens prophetiam lectam in eo impletam, ibi [Et regressus est Jesus in virtute, &c.]

In tertia de ejus præcipitatione, i. quomodo Judæi duxerunt eum in montem, ut præcipitarent eum, sed ipse aufugit, ibi [Et repleti sunt omnes in synagoga ira, &c.]

In quarta de curatione dœmoniaci, & locrus Petri, & multorum aliorum, ibi [Et in synagoga erat homo, habens dœmonium, &c.] Dicit ergo.

b Regressus est a Jordane] Jam baptizatus.

c Et agebatur in desertum] secundum historiam, quod est inter Jerusalem, & Jericho, in quo spoliatus, & vulneratus ille, qui incidit in latrones, *Infr.* 10.

[Mystice.] idest, Adam, in quo significatur, quod ad sanandum Adam venit Dominus.

d A Spiritu.] Satis patet, a quo spiritu, ex eo quod in proximo dictum fuerat: Plenus Spiritu sancto.

e Diebus quadraginta] naturalibus.

f Et tentabatur a diabolo: Et nihil manducavit in diebus illis.] In quo significatur, quod testimonium ei perhibent lex, & Prophetæ, quia Moyses, & Elias tantum jejunasse leguntur, Moyses *Exod. c.* 34. & 24. Elias 3. *Reg.* 19.

h Et consummatis illis esuriit,] quod non legitur de Moyse, vel Elia, qui tantundem jejunaverunt, quia Dominus eos suo alloquio sustentabat.

Moral. *c* Et agebatur in desertum a spiritu.] Post baptismum ductus est in desertum Dominus, ad significandum, quod qui ingrediuntur desertum religionis, prius debent a peccatis mundari. Et sicut dubium fuit aliquibus, quo spiritu Dominus duceretur in desertum, sic potest de multis dubitari. Quidam enim aliquando intrant claustrum aliquod, ut ventrem impleant: Tales ducuntur a spiritu pythonico: De quo *Isa.* 29. Et erit quasi pythonis de terra vox tua, & de humo mussitabit eloquium tuum. Alii intrant ex ambitione, ut promoveantur, tales agitantur a spiritu Baal. Alii intrant, ut laudentur: tales ducuntur a spiritu inanis gloriæ. Alii ut agant pœnitentiam, & Deo serviant liberius: Hi ducuntur a Sp. sancto. Et nota, Matthæus dicit: Ductus est Jesus in desertum. Marcus: Expulit eum spiritus in desertum. Lucas: Agebatur in desertum a spiritu. Isti ducuntur, qui sponte intrant solo amore, ut sponsi osculis, & amplexibus perfruantur. *Os. c.* 2. Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus. Illi compelluntur, qui infirmitate cogente, vel timore mortis intrant: Et hoc etiam est a Sp. sancto. *Ps.* 15. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, &c. *Aug.* Felix necessitas, quæ ad meliora compellit. Illi agitantur a spiritu, qui intrant admoniti ab aliis quod etiam est a Sp. sancto. *Act. c.* 9. Vade in civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. *f* Et tentabatur a diabolo.] In quo notatur, quod proficientibus in bonum insidiatur, & invidet diabolus. Unde *Eccl.* 2. Fili, accedens, &c. Item nota, quod Dominus non in principio, sed quasi in fine pœnitentiæ tentatus, sic aliquando diabolus in principio religionis non tentat, sed in fine quando homo credit esse securus, tunc subito immittit tentationem. *Gen.* 3. Ipse insidiabitur calcaneo ejus. Item nota, quod non tentavit eum diabolus, donec in deserto fuit. *Greg.* Illos diabolus pulsare negligit, quos se quasi jure quieto possidere sentit. Item nota, tentat Deus, ut probet. *Psal.* 25. Proba me, &c. *Gen.* 22. Tentavit Deus Abraham, &c. Tentat homo, ut sciat. *Ps.* 94. Tentaverunt me, &c. Tentat diabolus, ut decipiat. *Act.* 5. Cur tentavit Satanas cor tuum, &c. *g* Et nihil manducavit, &c.] *Chr.* Corporis est jejunium abstinere a malis. Et *inf.* Sicut Adæ manducatio in nobis, ita Christi jejunium in nobis. Nota tria remedia hic consequenter posita, quæ tangit *Ambros. in Gl.* sc. Sacramentum baptismatis contra originale. Desertum, contra concupiscentiam oculorum. Jejunium, contra concupiscentiam carnis. Sequitur.

i Dixit autem illi diabolus,] qui apparebat, & loquebatur ei, in forma humana.

k Si filius Dei es, &c.] Hoc dicebat explorando, sicut quando tentavit Evam: quare præcepit vobis, &c. Nota ergo modum, & cautelam tentationis. Cum enim triplex sit tentatio, unicuique divinitatis præmittitur exploratio. Dicitur autem in his tentationibus exploratio, præmissa conditio, scilic. si filius Dei es. Noverat quidem diabolus, sicut dicit *Ambr.* Dei filium in mundum venturum, sed nullatenus, quod usque ad assumptionem infirmitatis nostræ se humiliaret. Explorat ergo, ut utrum Dei filius sit agnoscat per experientiam, tentat, ut hominem illum dejiciat præcipitando in peccatum. Si enim ad ejus suggestionem de lapide faceret panem, videretur sibi, quod de facili traheret eum ad immoderatum appetitum comedendi, vel ad comedendum ante tempus. Sed cum diabolus sic explorat, ut tentet, sic tentat, ut exploret, Dominus e contra sic decipit, ut vincat, sic vincit, ut decipiat.

Ecce mirabile genus, fallere sine dolo, decipit non acquiescendo explorationi, vincit non consentiendo tentationi, & jaculum hostis repellit clypeo auctoritatis. *Gloss.* Noverat, &c. *infra.* Et Deo profitetur se credere, quod est explorantis, & homini conatur illudere, quod est tentantis. Si converteret naturam, idest, lapidem in panem. Nota, sicut dicit *Gregor.* tribus modis fit tentatio, suggestione, delectatione, consensu, Christus autem tentatur suggestione sola, quia delectatio peccati mentem ejus non momordit, nec illum indignum est tentari, qui occidi venerat, ut sua tentatione nostras vinceret, sicut sua morte nostram tulit. Unde valde utilis fuit ejus tentatio. Tamen cave, ne proprie accipias, *in Gloss.* suggestionem, ut intelligas primum motum, sic enim non posses dicere, quod Christus tentatus sit suggestione, ipse enim non sensit primos motus. Suggestionem ergo large accipe, idest, exteriorem admonitionem diaboli. Modo revertere ad litteram. *k* Si filius Dei es, &c.] Scivit scriptum diabolus: Ipse dixit, & facta sunt. Et

b dicit: a Dic lapidi huic, ut panis fiat.] Hic tentat de gula. Modus etiam tentationis congruit diabolo. Ipse enim tentat de lapide. Lapis enim duritiam diaboli significat, *Job* 41. Cor ejus indurabitur quasi lapis. c Et respondit ad illum Jesus, scriptum est,] quasi tentatio tua est persuasio, quia agit de cibo corporis, & non de cibo mentis, cum tamen scriptum sit. *Deut. c.* 8.

B

Deut. 8.

d Quia non in pane solo vivit homo, [totus] sed in omni verbo Dei.] *Sap.* 16. Non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat. *Rom.* 14. Regnum Dei non est esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.

al. non habet † in montem excelsum.

Dei es, a dic lapidi huic, ut b panis fiat. Et respondit c ad illum Jesus: Scriptum est, quia non in d pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei. Et e duxit illum diabolus † in montem f excelsum, & g ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, h ait illi: Tibi i dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum, quia mihi k tradita sunt, & cui l volo, do illa. m Tu ergo si † procidens adoraveris coram me, erunt tua omnia. Et n respondens Jesus, dixit illi: Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Et o duxit illum in Jerusalem, & p statuit eum supra † pinnaculum templi, q & dixit illi: r Si filius Dei es, s mitte te hinc deorsum.

Moral.

Moral. Sæpe proponit diabolus istam tentationem de gula religiosis. a Dic lapidi huic, ut panis fiat,] q.d. diu laborasti, multum jejunasti, jam perfecisti pœnitentiam, necesse est aliquando recreari, aliter deficeres. Sic nititur diabolus sub quadam specie discretionis, vel necessitatis ingerere vitium voluptatis, ut dicit *Greg.* & rigorem disciplinæ claustralis convertere in mollitiem. Quod satis bene significatum est 3. *Reg.* 21. Quia Achab voluit vineam Naboth convertere in hortum olerum. Et hoc est, quod dicitur *Is.* 29. Adhuc in modico, & in brevi convertetur Libanus in Chermel, quod interpretatur mollis, vel tenellus. Præcipue in diebus festivis suggerit lapidem, i. pœnitentiæ asperitatem commutari in mollitiem, causa honestatis, vel societatis. Unde & Judæi petierunt a Pilato, ne corpora, quæ crucifixerunt, remanerent in cruce in die festo. Hoc bene faciunt multi, quia quantamcumque pœnitentiam faciant in aliis diebus, in festis deponunt corpora sua de cruce. Et nota, quod dicit [dic] non dicit fac, quia multoties facit adhuc dici de aliquo frusto panis, utinam fieret hoc frustum Salomonis.

Item dicit [panis,] non carnis, q.d. bene potes hoc facere, quia non est peccatum comedere panem, potest etiam in bono intelligi, quod diabolus dixit, nesciens, sicut Caiphas discipulus ejus. a Dic, ut lapides,] idest, gentiles, vel quicumque alii peccatores duri, & lapidei. b Panes fiant.] idest, emollescant, & Ecclesiæ incorporentur. Et ita factum est.

Item [dic] lapidi huic, ut panis fiat, i. asperitas, & duritia pœnitentiæ fiat refectio animæ. *Ps.* 41. Fuerunt mihi lacrymæ meæ, &c. Et *Ps.* 101. Cinerem tanquam panem manducabam. Item [Dic] ut duritia legis convertatur in mansuetudinem, & misericordiam Evangelii, *Matth.* 11. Jugum meum, &c. *Act.* 15. Hoc est jugum, &c. Item. a Dic lapidi] superfluorum ædificiorum. b Ut panis fiat,] i. convertantur in refectionem pauperum, quia multi e converso faciunt, panes pauperum vertunt in lapides ædificiorum. Unde *Hab. c.* 2. Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum, respondebit. Væ, qui ædificat civitatem in sanguinibus. Seq. e Et duxit illum diabolus.] Quia non poterat eum diabolus in deserto vincere, ducit eum alibi, ut ipsa mutatio juvet ad dejectionem. Quod satis bene significatum est. *Num.* 23. ubi Balach ducebat Balaam, de loco ad locum, ut malediceret filiis Israel. Et notandus est locus, in quem ductus est a deserto, scilicet. f In montem excelsum,] ut locus congrueret tentationi. Similiter multi in montem prælationis ducuntur, qui in deserto claustri fuerant securi. g Et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis:] Ecce tentatio de ambitione [Ostendit,] i. sua ostensione expressit omnia regna mundi, i. quædam de omnibus per quæ regnat in mundania. Vel ostensionem intellige commendationem mundanorum, q. d. vides, quam speciosa, & pretiosa sunt ista. *Chrys.* autem *super Matth.* dicit sic ostendisse, sicut aliquis in eminentiori loco constitutus extendens manum ad aliquam orbis partem dicit, hæc est Italia, hæc Græcia, hæc Palestina. Item nota momentum est quadragesima pars horæ. Per momentaneam ergo visionem ostenditur momentanea potestas mundialium. h Et ait illi] diabolus. i Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum,] i. regem horum te faciam. k Quia mihi tradita sunt] ad tentandum de illis, *Gloss.* Hæc de arrogantia dicit, non quod totus mundus sit ejus: sunt enim aliqui boni. l Et cui volo, do illa.] Hic mentitus est diabolus, quia omnis potestas a Deo est. *Rom.* 13. Nec est mirum, si mentitur, quia ipse est mendax, & pater mendacii. *Jo. c.* 8. m Tu ergo si procidens adoraveris coram me, erunt tua omnia,] i. tibi subdita, nec bene congruit, quia avaritia, de qua hic tentatio est, est servitus idolorum. *Ephes.* 5. n Et respondens Jesus, dixit illi. Scriptum est, [*Deut.* 6.] Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.] Attende, quod Dominus illi caute responderit, & se excusavit, & ipsum suggillavit, ac si diceret: Ego sum homo, & cuilibet rationali creaturæ præceptum est: Dominum Deum tuum adorabis, &c. & sic tu debes adorare, cum sis rationalis creatura: Nec tamen sermonem dirigit ad diabolum. De sugillatione dicit *Beda in Gl.* dicens diabolus Salvatori, hæc omnia dabo tibi, &c. e contrario audit, quod ipse magis eum adorare debeat. De excusatione habes expressum in alio Evangelista. *Chrys.* In propriis injuriis esse quempiam patientem laudabile est, Dei autem injurias dissimulare, nimis impium est. Item *Chrys.* Deus divitias dare potest, divitiæ Deum dare non possunt. Nota, *Gl. Bed.* Lucas sicut res gesta est exequitur, mediam ponens avaritiam, ultimam superbiam, secundum mores præsentis temporis, quia superbia post omnes virtutes sævit. Superbia enim prima est recedentibus a Deo, ultima accedentibus ad Deum. Matthæus non sequitur ordinem historiæ, sed tentationum Adæ. Sequitur. o Et duxit illum in Jerusalem:] *Chrys.* Dixit apud se diabolus, non delectatur terrenis, qui fruitur cœlestibus, & ideo superatis duabus tentationibus, duxit illum diabolus in Jerusalem. Sed quomodo permisit se Dominus duci? *Chrys.* In sequente Domino non infirmitas, sed patientia est, in ducente diabolo, non virtus, sed superbia est.

al. non habet † procidens. *Deut.* 6.

al. † pinnam. *Matth.* 4.

p Et statuit eum supra pinnaculum templi.] Nota, quia sacerdotes volentes prædicare populo, ascendebant super pinnaculum templi, idest, super deambulatorium, quod erat super portam templi, & ascendebant per gradus, in illud. Statuit ergo diabolus illum super illum locum, ubi multos seduxerat per appetitum humani favoris, ut similiter illum dejiceret, æstimans, quod demulceret eum aura humani favoris sicut alios. *Chrysost.* Qui gloriatur quasi consummatus, ductus est a diabolo super templum. Et *infr.* Qui non timet, non cavet, qui non cavet, supplantatur.
q Et dixit illi: Si filius Dei es.] Hæc est exploratio. s Mitte te hinc deorsum.] Tentatio est de inani gloria [Mitte te.] *Gl.* Hæc vox ei convenit, qui omnes præcipitare satagit. In quo diabolus infirmus ostenditur, qui nulli possit nocere, nisi prius ille se deorsum miserit. *Isaiæ* 51. Ia a curvare

Moral.

Moraliter.
s Mitte te, &c.] Adhuc frequenter dicit idem diabolus viris religiosis, quos de altitudine contemplationis nititur dejicere in vallem mundanæ solicitudinis, ubi multæ sordes confluunt. Unde & Judæi deridentes eum dixerunt. Si filius Dei est, descendat de Cruce. *primus Machabæorum ultimo.* Legitur, quod Simon Machabæus exivit de Jerusalem, ut visitaret fratres, & receptus est in castro Doch, quod interpretatur solicitudo, quod est primum hospitium eorum, qui recedunt a contemplatione. Sed quid accidit ei? Ptolomæus Abobi, quod interpretatur incantator, idest, mundus occidit eum.

Matth. 27.

Similiter legitur. 3. *Reg.* 2. quod Semei egressus de Jerusalem, ut quæreret servos suos, qui fugerant, occisus est. In bono etiam legitur. r Si filius Dei es mitte te deorsum,] idest, humilia te, quia humilitas maxime Deo assimilat. *Eccl.* 3. Quanto major es humilia

te in

Scriptum est *a* enim, quod *b* Angelis suis mandavit de te, ut conservent te, & *c* quia in manibus tollent te, *d* ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Et *e* respondens Jesus, ait illi: Dictum est: Non *f* tentabis Dominum Deum tuum. Et *g* consummata omni tentatione, *h* diabolus recessit ab illo usque ad tempus. Et *i* regressus est Jesus in virtute spiritus in Galilæam, & k fama exiit per universam regionem de illo.

A curvare, ut transeamus. *Jo.Chr.* Audire voluit: Mitte te deorsum, ut ostendat exaltationis exitum metuendum. *a* Scriptum est enim, &c.] Nota, quod dicit *Gl.* In omnibus tentationibus hoc agit, ut intelligat, si filius Dei sit, &c. Hoc videtur non posse stare. Nullo enim modo potest præmitti hæc conditio præmissæ tentationi, nihil enim esset dicere: si filius Dei es, dabo tibi hanc potestatem: Quomodo ergo in omnibus tentationibus hoc intelligitur: Sic forte videtur solvendum, ut dicatur in omnibus hoc intelligi, quia in duabus ponuntur hæc verba, & in media licet non sit dictum, si filius Dei es, tamen positum est illud, quod Dei filio congruit, sc. adoratio. Ideo enim ait diabolus: Si adoraveris me, quia sciebat soli filio Dei esse exhibendam adorationem. Unde putavit, quod statim prorumperet in indignationem adversus eum, audiens sibi usurpare, quod ejus erat. Sed Christus sic responsum temperat, ut ambiguum relinquat. Vel etiam putabat diabolus ab eo vinci, & quod pro victoria prorumperet in jactantiam, & sic ipsa victoria esset ei occasio ruinæ. [Scriptum] quasi bene potes te mittere deorsum, nihil enim tibi nocebit. [Scriptum est enim, quod Angelis suis, &c.] Hæc prophetia secundum *Bed.* non est de Christo, licet *Aug.* exponat hoc de Christo, quia Christus non indiget custodia Angelorum, unde deceptus est diabolus, sed est de viro sancto. Quæ si de Christo esset, illud etiam, quod sequitur in *Ps.* 90. debuerat diabolus meminisse: super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis, &c. idest, super diabolum. Hoc enim veracius exponitur de Christo: Sed diabolus de Angelorum auxilio quasi ad infirmum loquitur de sua conculcatione quasi tergiversator tacet.

Ps. 91.

* te in omnibus. *b* Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut conservent te.] Angeli sunt Prælati Ecclesiæ. Unde 1.*Cor.*11. Mulier velet caput suum propter Angelos. His mandavit Dominus, ut custodiant Christum, idest, corpus ejus, quod est Ecclesia. *Is.* 62. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, &c. *Cant.*5. Tulerunt pallium meum custodes murorum, i. temporalia, de tunica, quæ est interior habitus animæ non curantis. *c* Et quia in manibus tollent te,] i. exemplis bonorum operum sublevabunt in cœlum. Hoc mandatum est eis, sed e converso fit. *Osee* 4. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem sublevabunt animas eorum. *d* Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum,] i. ne aliquis etiam minimus in via Dei offendat, alioquin si Prælatus negligens extiterit, ab eo requiretur. 3.*Reg* 20. Custodi virum istum, &c. *Gen.*31. dicit Jacob, per quem Prælati significantur: Si quid furti peribat, a me exigebas. Seq. *e* Et respondens Jesus ait illi, dictum est.] *Deut.*6. *f* Non tentabis [o homo] Dominum Deum tuum] Hoc dictum est cuilibet homini, q. d. Christus, homo sum, unde non debeo tentare Deum, quod fit, quando habet homo de consilio humano, quid faciat, nec tamen vult facere: Sicut si domo jam incensa, diceret aliquis, non exibo de hac domo, modo videbo, si Deus me velit conservare: Christus enim per gradus poterat descendere. Vel ut fiat sermo ad ipsum diabolum.

Moral.

f Non tentabis,] idest, non tentando decipies, vel non in tentatione prævalebis. Et istam expositionem vult *Interl.* Patrem, & filium, quia ego, & pater unum sumus. *Jo.*10. Nota, Chrisost. exempla tantum de *Deut.* 6. & 8. proposuisse, ut secundæ legis, i. Evangelii sacramenta confirmet. Deuteronomium enim dicitur quasi secunda lex. Et dicitur secunda, quia secundo data, id est, renovata, & brevius conscripta, & ideo testimonia secundæ legis adduxit Dominus, ut sacramenta secundæ legis, idest, Evangelii commendet. Et sicut David Goliam tribus lapidibus de torrente, prostravit, ita Christus tribus testimoniis de rege diabolum. Et sicut dicit *Bed.* hic, & *Aug.* *sup. Gen.* In his vincitur diabolus, in quibus Adam vicit: Quem de gula tentavit. *Gen.* 3. dum de ligno vetito gustare rogavit. De vana gloria, dum dixit. Eritis, sicut dii. De avaritia, cum dixit. Scientes bonum, & malum.

g Et consummata, &c.] *Gloss. Bed.* Nota, diabolum non esse pertinacem in studio, sed cedere veræ † veritati, etsi non desinit invidere, tamen formidat instare, ne frequentius triumphetur. Unde dicitur: [Et consummata omni tentatione.] *B. Ambr.* Tribus tentationibus victis, omnem tentationem dicit consummatam, quia his omnium vorago vitiorum continetur, quia omne, quod in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. 1. *Joannis* 2.

al. † virtuti.

Cur diabolus quantū in se est nunquam cessaret, non manducat, non adorat, non aliud operatur.

Matth. 4. Marc. 1. Joan. 6. Secunda pars.

Quæ aliis nominibus gula, curiositas, vana gloria nominantur, &c. Curiositas hic dicitur avaritia, quia maxime curiosi sunt avari. *h* Diabolus recessit ab illo usque ad tempus.] *Bed.* passionis, quando non solum in dolis, sed aperte impugnabat.

i Et regressus est Jesus in virtute spiritus,] i. signis miraculorum [In Galilæam.] Nota, quia, quæ modo prosequitur Lucas, non sunt continue facta post jejunium, & tentationem deserti. Prætermittit enim de primo adventu domini in Galilæam,] de quo *Jo.* 1. Et de quibusdam miraculis factis in Galilæa, & Judæa, quæ narrat *Jo. c.* 2. Quæ fuerunt media inter tentationem, & ea, quæ hic dicuntur.

Hic ergo agit de secundo adventu in Galilæam, Joanne incarcerato. Sequitur.

k Et fama exiit per universam regionem, de illo.] *Gl. Bed.* Non tantum a præsentibus propter visa miracula honoratur, sed apud absentes fama divulgatur.

a Et ipse

i Et egressus est Jesus.] Mystice. Christus ductus fuit in desertum, quando transivit ad gentes, quæ prius erant desertum. *Is.*51. Ponet Dominus desertum ejus quasi delicias, & solitudinem ejus quasi hortum Domini. *Ps.*64 Pinguescent speciosa deserti. *Cant.*5. Veniat dilectus meus, &c. Regressus autem de deserto, in Galilæam erit in fine mundi consummata tentatione diaboli, quando revertetur ad Judæos, ut reliquiæ Israel salvæ fiant: *Rom. c.*9. & *Is.* 10. Et recte dicuntur Galilæi, quia sæpe rotati sunt per multas captivitates.

Mystice.

Moraliter. Regressus iste Domini de deserto in Galilæam est regressus de contemplativa ad activam, de scholis ad prædicationem. *Matth.* 10. Quod in aure auditis, prædicate super tecta, & quod auditis in tenebris, dicite in lumine.

Moral.

Sed dicitur, quod regressus debet esse in virtute Spiritus.

Unde *sup.*1. dicitur, quod Joannes præcessit in spiritu, & virtute Eliæ. *Actor.* 4. Virtute magna reddebant Apostoli, &c.

In hoc autem, quod in Nazareth, ubi nutritus fuerat, regressus est, docet clericos, ut aliquando redeant ad loca, ubi nutriti fuerant, idest, ad suas Ecclesias, quæ nutrierunt eos in scholis. *Is.*1. Bos cognovit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem non cognovit me. *Job* 31. Si adversum me terra mea, idest, Ecclesia clamat, & cum ea sulci ejus deflent, idest, subditi, si comedi fructus ejus absque pecunia, & animam agricolarum afflixi pro frumento, oriatur tribulus, & pro hordeo spina.

Ibi *Gregor.* Fructus absque pecunia comedere, est ex Ecclesia sumptus accipere, sed eidem Ecclesiæ prædicationis officium non præbere.

Animas autem agricolarum affligit rector Ecclesiæ, si aliis recte prædicantibus invidia se mordente contradicat.

Pro frumento tribulus, & pro hordeo spina oritur, cum in ultima retributione, de quo remuneratio laboris quæritur, punctio doloris invenitur.

Legitur 3.*Reg.*5. quod conventio fuit inter Hiram, & Salomonem, & quod Hiram cædebat ligna, & deferebat Salomoni, & Salomon ministrabat ei necessaria. Sic est conventio inter clericum, & Ecclesiam suam.

Clericus debet Ecclesiæ spiritualia, & Ecclesia debet ei ministrare temporalia.

Unde dicit Apost. 1. *Cor. c.*9. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participantur. Ita & Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.

k Et fama exiit per universam regionem de illo, &c.]

▲ *a* Et ipse docebat in Synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus propter miracula præcedentia, propter quæ etiam magnificabatur doctrina sua. *a* Et venit Nazareth.] Bis venit Dominus Nazareth. Primo ante Jordanis incarcerationem, & tunc non prædicavit publice, sed aliquos ibi elegit, ut Petrum, & Nathanael, & etiam aquam in vinum convertit, sed tamen occultum tunc fuit, ut apud Joannem legitur.

C

Secundo venit in Pascha, quando Joannes decollatus est. De primo adventu loquitur *Jo.* 1. & 2. De secundo loquuntur alii. *Matth. c.* 4. *Marc.* 6. *Luc.* 4. Historiam ergo evangelicæ narrationis,

Matth 13.

Et *a* ipse docebat in Synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. Et *a* venit Nazareth, ubi *b* erat nutritus, & *c* intravit secundum *d* consuetudinem suam *e* die sabbati in Synagogam, & *f* surrexit legere, & *g* traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et ut *h* revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat:

& dominicæ operationis inchoant tres Evangelistæ a secundo adventu Domini in Galilæam. Sed quia Lucas in figuris quatuor animalium figuram vituli sortitur, qui est hostia sacerdotalis, a sacerdotali officio inchoat, ut ipsa inchoatio formæ vitulinæ congruat. Incipit enim ab adventu Domini in Nazareth, in quo intravit in Synagogam, & omnibus audientibus legit in libro Isaiæ. Hoc enim quodammodo sacerdotale est, sc. legere, sive prædicare in templo, sive in Synagoga. Ait ergo: [Et venit Nazareth,] i. in patriam suam. Sed quia Dominus vilipendebatur a contribulibus suis, & compatriotis, subjungit causam, dicens.

b Ubi erat nutritus.] *Gl.* Unde illis vilescebat. *Beda*, Propemodum naturale est, cives civibus invidere.

Gl. Peculo ... in qua fit homo non obliviscitur,

c Et intravit secundum consuetudinem suam in die sabbati in Synagogam.] Huc trahenda est illa *Gloss.* quæ superius intitulatur, sc. Ecclesiam, in qua fit homo non obliviscitur. Ecclesia enim primo dicta est Synagoga: In primis namque temporibus congregatio credentium in Deum dicebatur Synagoga, postea dicta est Ecclesia. Et ipsa mutatio nominis innuit quandam subjectionem. Congregatio enim potest esse inanimatorum, vel brutorum animantium, convocatio non potest esse nisi rationalium. Synagogam ergo hic appellat Ecclesiam, ut sit sensus: [Intravit in Synagogam,] i. in Ecclesiam Nazaræorum. Et ita primo exponetur ad litteram: Ecclesiam supple Nazaræorum, in qua fit homo, i. in qua natus est, vel nutritus, non obliviscitur.

Vel Mystice potest exponi hoc modo: Intravit in Synagogam,] i. in Ecclesiam non Nazaræorum, ad litteram, ut prius, sed Ecclesiam, in qua fit homo quotidie, cum ab aliquo non credentium incipit ingredi incarnatus. Christus enim in eo fit homo spiritualiter, a quo incipit credi ejus humanatio, sive incarnatio, vel in qua quilibet conversus ad fidem, sive Judæus, sive gentilis, qui prius erat quasi jumentum, fit homo, idest, rationalis, illam inquam non obliviscitur.

Mystice.

Vel potes dimidiare glossam, ut partim legas historice partim mystice, hoc modo: [Venit Nazareth.] In qua fit homo, hoc ad litteram, quia Ecclesiam non obliviscitur, quæ significatur per Nazareth, quod interpretatur flos, vel germen, vel sanctitas. Visitavit Deus quotidie Nazareth, i. Ecclesiam, cum facit ut fideles in virtutibus, sive bonis operibus floreant, germinent, fructificent. *g* Secundum consuetudinem suam die sabbati] Dominus non veniebat, ut prodesset uni, sed ut prodesset multitudini, ideo in sabbato consueverat intrare in Synagogam, & prædicare, quia tunc omnes ibi conveniebant. Unde *Gl Bed.* Quando omnes confluebant ad legis monimenta quieto corde meditanda. Et alludit *Gl.* interpretationi: Nam sabbatum interpretatur requies.

Et nota, quod duo dicit: Intravit Synagogam, & die sabbati.

Mystice.

Mystice. Per Synagogam intelligit ritum legalem. Per diem sabbati, cumulum cœlestis gratiæ: Per hoc ergo, quod die sabbati intravit in Synagogam, significavit, quod ritus legales implevit cumulo cœlestis gratiæ in adventu suo. Vide *Matth.* 5. Non veni solvere legem, sed adimplere. Ad litteram, die sabbati ideo intravit, ut doctrina ipsius audiretur a multis.

f Et surrexit legere.] *Gloss.* si minori revelatum fuerit, senior taceat. Hæc *Gloss.* non est de aliquo ibi posito, sed subintellecto, q.d. surrexit, & ille, qui legebat, dedit ei locum. Et bene fecit juxta verbum Apostoli dicentis. 2. *Cor.* 14. Si aliquid revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Hic Dominus lectoris officium suscepit, in quo ejus humilitas notatur, quia hoc est unum de minoribus officiis. *Jo.* 7. Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? Hoc enim isti sciebant. *Prov.* 30. Non didici sapientiam, & novi scientiam Sanctorum, quis ascendit in cœlum, atque descendit? Qui continuit spiritum in manibus suis, &c.

Moral.

* Virtutem bonæ vitæ sequitur odor bonæ famæ. Unde dicit Apost. 2. *Cor.* 2. Christi bonus odor sumus Deo in his, qui pereunt, & in his, qui salvi fiunt. Sicut luna a Sole lumen recipit, sic homo ab opere bono bonam famam *Job* 31. Si vidi solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clare. Ibi dicit *B. Greg.* sol in fulgore, est opus in manifestatione. Luna autem famam dicit, quæ lucens in nocte hujus vitæ ex bono opere vires accipit. Unde dicit Apost. ad *Rom. c.* 12. Providentes bona, &c. *Greg.* subtilis vivendi modus est culmen tenere, & gloriam spernere, i. difficile est magna agere, & de magnis fiduciam non habere.

a Et venit Nazareth.] In hoc instruuntur prædicatores in duobus.

Primo, ut quantumcumque profecerint in vita, vel doctrina, semper se æstiment esse in flore. Hoc est enim venire Nazareth. *Eccl.* 18. Cum consummaverit homo, tunc incipit, & *inf.* 17. Cum omnia bene feceritis, &c.

Secundo instruuntur in hoc, ut cum apti fuerint ad prædicandum, & instruendum alios, revertantur ad loca, in quibus, vel ex quibus nutriti sunt. De hoc dictum est *supra*.

c Et intravit in Synagogam.] *Eccl.* 6. In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ eorum ex corde conjungere. *Matth.* 18. Ubicumque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, &c. *e* Die sabbati.] Per hoc docens, quod festis diebus vacandum est orationi, prædicationi, & aliis officiis divinis. Sed multi tunc vacant potibus, & commessationibus: Propter quod dicitur *Thr* 1. Viderunt hostes, & deriserunt sabbata ejus. *Is. c.* 1. Sabbata, & festivitates alias non feram.

f Et surrexit legere.] *Is.* 29. Dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei, lege, & respondebit nescio. Hoc jam possunt multi dicere, qui tamen satis impudenter ingerunt se ad lectoris officium. *Apoc.* 5. Dignus est agnus, qui occisus est accipere librum. *Is.* 50. Dominus dedit mihi linguam eruditam. Hodie a multis magis clauditur liber, quam aperiatur. *Matth.* 23. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, qui clauditis regnum cœlorum coram hominibus, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. *Nehem.* 8. Legerunt in libro legis Dei distincte, & aperte ad intelligendum, & intellexerunt, cum legeretur. Contra magistros, contra scholares. Sequitur.

g Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ.] *Gl.* Traditus ab illis, &c. i. a Prophetis, quia mystice omnes Prophetæ tradiderunt ei libros suos, i. quicquid in libris suis dixerunt, ei ascripserunt, quia ipse loquebatur in eis. Vel omnes tradiderunt ei libros suos ad complendum: In eo enim omnes completi sunt.

Unde *Gloss. Ambr.* Accepit librum, supple talem, scilicet, Isaiæ, in quo scriptum erat hoc, scilicet, Spiritus Domini, &c. ut ostendat se esse, qui locutus est in prophetis, &c.

Dicendo enim proprio ore: Spiritus Domini factus est super me, quia specialiter hunc locum elegerat, ostendit se esse illum, in cujus persona dixerat Isaias, & quem prædixerunt alii Prophetæ.

In quo etiam ipse ostendit se esse auctorem veteris Testamenti, in quo arguitur eorum temeritas, qui dogmatizabant alium Deum esse auctorem Veteris Testamenti, & illum dicebant esse sanguinarium, & severum, alium esse auctorem Novi quem dicebant esse misericordem.

Item in hoc arguitur eorum temeritas, qui dicebant initium Christi esse ex Virgine.

Quomodo enim cœpit ex Virgine, qui ante Virginem de se loquebatur per Prophetas? Litteraliter exponitur sic.

g Traditus est illi,] idest, ministris, quorum erat hoc officium.

In hoc etiam significatum est, quod ei, tanquam auctori, traditi sunt libri a Prophetis quasi ministris. *h* Et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini, &c. *Is.* 61. Sed quomodo per hoc, quod hunc locum specialiter elegit, ostendit se esse illum, qui locutus est in Prophetis, sicut dicit *Glos. sup.* Non enim

▲ per

per hoc ostendit, se Deum esse, sed hominem. Sed nota, quod in *Is.* ante hoc caput quædam dixerat, quibus se asseruetat esse Deum. Fuerat enim locutus de vocatione gentium ad fidem dicens: Ego Dominus in tempore, i. postquam venerit ad tempus congruum, & opportunum illius vocationis, subito faciam illud, illam, sc. vocationem, quia ergo per præcedentia asseruetat se esse Deum, subjungit hoc caput, per quod astrueret se esse hominem. Unctio enim non conveuit verbo Dei, sed homini illi. Verbum enim non est unctum Sp. sancto, sed ei equale. Dicit ergo.

Is. 61.

al. † ea quod.

D

> *a* Spiritus *b* Domini *c* super me: † *d* propter quod unxit me, *e* evangelizare pauperibus misit me: *f* sanare contritos corde, *g* prædicare captivis remissionem, *h* & cæcis visum, *i* dimittere k confractos in *l* remissionem, *m* prædicare *n* annum Domini acceptum, & *o* diem retributionis. Et cum *p* plicuisset librum, reddidit ministro.

a Spiritus Domini] i. spiritus, qui est Dominus. Vel.
b Domini] i. patris.
c Super me,] supple factus est. In hoc notantur tria, sc. quod minor est secundum quod homo Sp. sancto. Item, quod requievit in eo Sp. sanctus: sicut etiam dicitur *Is.* 11. Et requiescet super eum spiritus Domini, &c. *Jo.* 1. Super quem videris spiritum descendentem, &c. Item notatur, quod in omnibus Sp. sancti exhortationibus obedivit. Habuit enim super se Sp. sanctum, ut auctorem, & præceptorem. Sed multi sunt, qui Sp. sanctum non super se habent ei obediendo, sed sub pedibus malarum affectionum, & rebellium, sive recalcitrantium voluntatum conculcando. *Heb.* 10. Irritam quis faciens legem Moysi, &c. Et *infr.* Et spiritui gratiæ contumeliam fecerit. *d* Propter quod unxit me,] Spiritus Domini, sc. q.d. dico, quod Spiritus Domini super me, quia unxit me. *Cant.* 1. Unguentum effusum nomen tuum. *Act.* 4. Convenerunt enim vere, &c. Nota, quod triplex fuit unctio in Christo.

Prima fuit in utero Virginis in conceptione, de qua dicitur in epist. ad Quirinum Episcopum. In utero Virginis Christus homo conceptus est, ibi ab eodem Spiritu unctus, ubi conceptus, nec ante conceptus, & postmodum unctus, sed hoc ipsum de Sp. sancto ex carne Virginis concipi, fuit a Sp. sancto ungi. *Matth.* 1. Quod enim in ea natum est, de Spir. sancto est. Hæc unctio consistit in tribus: In naturarum admirabili unione, in donorum plenitudine, in peccatorum immunitate.

Secunda unctio fuit manifestatio omnium horum in baptismate. Tunc enim dictum est ei: Hic est filius meus dilectus. *Matth.* 3. Ibi ergo unctus est per manifestationem. Unde *eodem sup.* Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane.

Tertia unctio, fuit collatio, sive gratia immortalitatis in resurrectione. Sic ergo construe. *a* Spiritus Domini super me, & unxit me.] Hoc autem [propter quod] debet sumi cum repetitione illorum duorum hoc modo, [Propter quod,] i. propter quæ omnia, sc. quæ subjunguntur: [spiritus Domini super me, & unxit me.] Et quod ita debeat legi, habetur ex fine. *Gl.* illius. In superioribus, &c. Et nota, quod sequitur in *Gl.* Præ ceteris sanctis unctus est spirituali unctione, quando in Jordane super baptizatum spiritus in specie columbæ descendit, & mansit cum illo, &c. Spirituali unctione, supple manifesta, aliter falsum esset, quia in ipsa hora conceptionis, sicut prædictum est, unctus est Sp. sancto. Item sicut dicit *Bed.* & *Ambr.* Unctus est virtute cœlesti, ut paupertatem conditionis humanæ thesauro resurrectionis rigaret æterno, i. genus humanum, quod pauper erat gratia, & virtute cœlesti, quæ est thesaurus desiderabilis, per quam fit resurrectio animæ, quasi imbre cœlesti rigaret. Paupertas nostra erat, quod omnes ad inferos descendebamus, nunc virtutum divitias habemus, per quas suscitati in anima ascendamus in cœlos. Vel hoc commodius appropriatur gentibus, qui solent dici pauperes propter penuriam legis, & prophetarum, Judæi divites propter eloquia legis, & prophetiæ. Unde seq.
e Evangelizare pauperibus misit me.] *Is.* 48. Et nunc Dominus Deus misit me, & spiritus ejus [Pauperibus] dicit non divitibus. *Jer.* 4. Nolite serere super spinas, &c. *Matth.* 11. Pauperes evangelizantur. Modo, qui vult esse Evangelista, oportet, quod habeat centum libros, vel alia superflua. *Is.* 29. Pauperes homines in sancto Israel exultabunt. Alia littera habet [Ad annunciandum mansuetis misit me.] Has duas virtutes specialiter docuit Christus, paupertatem spiritus, & mansuetudinem: *Matt.* 11. Discite a me, &c. De his dicitur. *Is.* 11. Judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. *f* Sanare contritos corde.] misit me supple *Matt.* 9. Non est opus valentibus medicus. Corde contriti sunt peccatores, quos diabolus conterit sicut vas, ut non valeant continere aquam sapientiæ, neque igniculum charitatis. *Is.* 30. Venit contritio ejus, & comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, & non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea. Sed Dominus quasi verus medicus tales cum pœnitentia sanat. *Ps.* 149. Qui sanat contritos corde, & alligat Sacramentis, & præceptis contritiones eorum. Verba enim, & mandata Christi medicina sunt.

Unde nostra littera habet: ut mederer contritos corde. *Sap.* 16. Non herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. Ita exponitur generaliter de omnibus. Vel potest specialiter exponi de Judæis, pro quibus specialiter venit Dominus, ut eorum sarcinam relevaret. Erant enim onerati interius peccatis, exterius mandatis, & cæremoniis innumeris.
g Prædicare captivis remissionem,] misit me, supple. Captivis inquam, a diabolo, & ligatis in vinculis peccatorum. *Ps.* 115. Dirupisti, Domine, vincula mea. *Pr.* 5. Vinculis peccatorum suorum constringitur impius.
h Et cæcis visum] *Jo.* 9. In judicium, veni in mundum, &c. Captivi, qui pedes affectionum habent compeditos illecebris voluptatum, qui voluntatem suam imperio diaboli subjecerunt, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem, ut dicitur 2. *Tim.* 2. Cæci sunt, qui intellectum per ignorantiam, & infidelitatem habent obtenebratum. Christus autem captivis remissionem prædicat, & cæcis visum, quia sermo ejus, & affectus relaxat, & dissolvit a culpa, & intellectus purgat ab ignorantia. *Is.* 49. Ut diceres his, qui vincti sunt, exite, & his, qui in tenebris, relevamini. Primum pertinet ad captivos in vinculis, secundum ad cæcos, vel cæcatos in tenebris. Et unxit, vel misit me.
i Dimittere,] idest, ad dimittendum.
k Confractos,] potest exponi sicut prius: [Contritos corde] Judæos, scil. & Gentiles.
l In remissionem,] *Gl.* Gratiæ spiritualis, i. in gratiam, per quam fit remissio. *Gl.* Judæis de Pharaone gentibus de diabolo. Idem est secundum mysterium, sed ideo dixit de Pharaone, ut alluderet illi supremæ captivitati.
m Prædicare,] idest, ut prædicarem.
n Annum Domini acceptum,] i. ut ostenderem tempus plenitudinis gratiæ advenisse, in quo Deus placabilis redditur hominibus pœnitentibus, & gentibus converti volentibus. Unde nostra littera [Annum placabilem Domino.] De hoc tempore. 2. *Cor.* 6. Ecce nunc tempus acceptabile, &c. Unde etiam tempus gratiæ dicitur annus Jubilæus, i. remissionis: Nam Jobel interpretatur remissio, & ideo etiam dicitur tempus acceptabile, quia ante tempus gratiæ non erat tempus acceptabile, quia tunc non participabant homines fructuum orationum, vel bonorum operum, quia quantumcumque Deo serviebant, & supplicabant, omnes tamen ad inferos descendebant. Et misit me prædicare. *o* Diem retributionis,] i. judicii, in quo reddetur unicuique secundum merita sua.

Nota; Moraliter sex enumerantur in hac auctoritate, quæ debet facere prædicator.

Moral.

Primum est miserorum consolatio, quod notatur ibi [Evangelizare pauperibus.] Secundum est pœnitentium confortatio, quod notatur ibi [Sanare contritos.] Tertium est captivorum visitatio, quod notatur, ibi. [Prædicare captivis remissionem.] Quartum est imperitorum instructio, quod notatur ibi. [Cæcis visus.]

Quintum est oppressorum relevatio, quod notatur ibi. [Dimittere confractos.]

Sextum est pigrorum excitatio, quod fit per promissiones gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro, quod notatur ibi. [Prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.] E contrario multi faciunt. *Ezech.* 34. Quod infirmum fuit non consolidastis, quod ægrotum, non sanastis, quod fractum, non alligastis, quod abjectum, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis.
p Et cum plicuisset librum, reddidit ministro.] *Apoc.* 5. Ecce vicit leo de Tribu Juda radix David, &c. *Is.* 34. Complicabuntur sicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet. *Apoc.* 6. Cœlum recessit sicut liber involutus. *Gloss. Bed.* In hoc, quod revolutum legit, significat, quod Ecclesia, misso spiritu, omnem veritatem docuit.

Joan. 16. Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Item in hoc, quod plicatum reddidit ministro, significat, quia non omnia omnibus dicenda suos, sed pro captu audientium committit doctori dispensandum verbum *Matth.* 24. *inf.* 12. Quis putas est fidelis servus, &c. Unde etiam Apost. 1. *Cor.* 2. Nihil judicavi me, scire inter vos nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Et *inf.* Sapientiam inter perfectos. *Dan.* 12. Claude sermones, & signa librum usque ad tempus statutum, *If.* 8. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Aperuit autem Christus Scripturam prædicando. *Apocal.* 5. Dignus est agnus, &c. Item operando. *Matth.* 5. Sp. sanctum mittendo. *Joan.* 14. Paracletus autem Sp. sanctus.

D

a & sedit. Et *b* omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum, Cœpit *c* autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et *d* omnes testimonium illi dabant, & *e* mirabantur in verbis *f* gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, & *g* dicebant: *h* Nonne hic est filius Joseph? Et *i* ait illis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem; Medice, cura teipsum,

a Et sedit.] Per quod innuitur, quod stando legerat, stare autem laborem, & pugnam, & erectionem ad cœlum, & terræ conculcationem importat, sed postea sedit, quia post expletionem officii reddetur requies. Primo surrexit, librum aperuit, stetit, legit librum: plicuit, ministro reddidit, sedit: sic prædicator verbi primo debet surgere a vitiis, & torpore, ut recipiat illuminationem a Deo. *Eph.* 5. Surge, &c. Deinde stare paratus ad pugnam. *Eccl.* 4. Usque ad mortem certa pro justitia, &c. Postea legere, idest, discere, ne fiat doctor, imo discipulus, & postea operetur, & prædicet, deinde resideat, idest, tranquillitate mentis expectet præmia æternæ quietis. *Apoc.* 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, 2. *Tim.* 2. Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. *b* Et omnium, &c.] *Ps.* 24 Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos, *c* Cœpit autem, &c.] idest, hodie propriis auribus audistis me implentem hanc Scripturam, idest, evangelizantem vobis, qui estis pauperes, & sanantem omnes, q.d. ego sum ille, de quo propheta dixit, qui omnia feci, quæ ibi dicantur. Vel sicut dicit *Bed.* In hoc impleta est, quia sicut ille prædixerat, magna faciebat, & majora evangelizabat, sc. gloriam.

d Et omnes, &c.] i. multi de omnibus. Quidam enim, de eodem populo dicebant: Nonne hic est filius fabri? Non enim intelligendum est hoc dictum ab illis, qui testimonium tolerant, licet videatur dici, sed de aliis, de eodem populo secundum regulam Ticonii. *Bed.* Testabantur, ut ipse dixerat, eum esse, de quo Prophetæ cecinerant, vere Sp. sancti gratia perunctum, vere se pauperes, cæcos, captivos, contractos illius egere super omnia muneribus. *Prov.* 28. Vir fidelis multum laudabitur, qui autem festinat ditari, non erit innocens. *Prov.* 18. Memoria justi cum laudibus, nomen impiorum putrescet, i. foetet. *e* Et mirabantur,] *Esther.* 15. Valde mirabilis es, Domine, & facies tua plena est gratiarum, *f* In verbis, &c.] Non dicit, in gratia verborum. Multi enim habent gratiam verborum, quia expediti sunt ad loquendum, quod, & quomodo volunt, sed non habent verbum gratiæ, quia non gratiam dare, sed contumeliam dicere student. *Ephes.* 4. Omnis sermo malus, de ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.

g Et dicebant] Scribæ, & Pharisæi invidentes. *Chrys.* Similis est natura infidelitatis terræ arenosæ, quæ quantumvis pluviam susceperit, semper aret. *h* Nonne hic est, &c.] *Chrys.* Tanto debuerunt plus mirari. Regula Ticonii est hic. Alii enim testimonium perhibebant mirantes, alii conviciabantur invidentes: Plebs laudabat, Scribæ, & Pharisæi invidebant, & detrahebant. Unde *Bed.* Magna cæcitas, eum, quem verbis, & factis Christum agnoscunt, ob solam generis notitiam contemnunt, quia apud se nutritum, & per ætatum tempora profecisse viderant. *Matth.* 13. dicit: Nonne hic est fabri filius, Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas, & sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? *Marc.* 6. Nonne hic est faber filius Mariæ frater Jacobi, & Joseph, &c. Simile 1. *Regum* 10. Videntes omnes, qui noverant eum heri, & nudiustertius, quod esset cum prophetis, & prophetaret, dixerunt adinvicem, quænam res accidit filio ejus? nunquid & Saul inter Prophetas? Tamen illi Scribæ, & Pharisæi verum dicebant nescientes, quia ipse est faber, & filius fabri, qui fabricatus est Auroram, & Solem. Et sicut faber diversi generis vasa facit, ita Dominus diversi generis homines in mundo constituit. 2. *Cor.* 12. quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primo Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores.

Et 2. *Tim.* 2. In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea. *Isa.* 22. Suspendam super eum omnem gloriam domus patris ejus, vasorum diversa genera.

Item sicut faber operatur spiritu, idest, insufflatione. Habet enim folles, quibus conflat, & ignem, quo materiam purgat; sic Deus pater operatur Spiritu sancto, per quem peccata in Baptismo condonat, & ignem tribulationis, quo examinat.

i Et ait illis.] Nota hoc, quod hic interserit Lucas post lectionem Isaiæ factum esse in Nazareth, sed longe post, quod evidenter ostenditur ex hoc verbo. Quanta audivimus, &c. Nondum enim fecerat illa famosa miracula in Capharnaum, quæ objecerunt ei in hac parabola. Cave ergo, ne intelligas hanc objectionem continue factam post lectionem.

Unde nota, quod Dominus sæpe veniebat in Nazareth, & redibat Capharnaum, & multa miracula faciebat in Capharnaum, pauca in Nazareth. Cum ergo quadam die veniret de Capharnaum in Nazareth, ipsi auditis famosis miraculis frequenter ab eo factis in Capharnaum, indignati sunt erga eum. Ipse autem intuens corda eorum, ait, forte dicetis mihi hanc similitudinem, & forte objecerunt ipsi: Medice, cura teipsum, ac si dicerent: Tu qui curas alienigenas, cura compatriotas, quod subsequenter exponitur, cum dicitur: [Quanta audivimus, &c.] Illa ergo pars de lectione Isaiæ, quæ præcessit, & sequens de objectione parabolæ, sunt de propriis Lucæ, quia neutrum illorum in alio Evangelistarum invenitur.

Licet ergo non sit factum continue, quod in eis continetur, ea tamen continuavit Lucas, quia utrumque de propriis ejus est, & eodem loco facta sunt, sc. in Nazareth: hoc est, quod hic dicitur, Et ait illis, &c. Patet ex prædictis. *Beda*. Eadem dementia vocant fabrum, & medicum irridendo, sed veritas latet. Faber enim fuit Dominus in mundi creatione, sed medicus in recreatione. *Beda*. Per fabrum Christum creatus es, ut esses; per medicum Christum recreatus es, &c. Quidquid autem debet facere bonus, & sapiens medicus, ipse fecit.

Primum ægrum visitavit, ut *sup.* 2. Visitavit nos oriens ex alto. *Aug.* Magnus venit medicus, quia magnus ubique jacebat ægrotus. Secundo, infirmitatem suam infirmo ostendit. *Jo.* 9. In judicium ego veni in mundum, ut qui non vident, videant. *Isaiæ* 26. Domine, exaltetur manus tua, ut non videant, & confundantur. *Ps.* 68. Videant pauperes, & lætentur. *Jerem.* 31. Postquam ostendisti mihi; percussi femur meum. E contrario multi faciunt. *Thr.* 2. Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. Viderunt autem tibi assumptiones falsas, & ejectiones.

Tertio dietam imposuit, jejunia, & abstinentias. *Ez.* 4 Cibus tuus, quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die, a tempore usque ad tempus comedes illud. Qui hanc dietam non servat, morietur cum Sodomitis, de quibus *Ezech.* Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, saturitas panis, superbia, & abundantia, &c. Quarto, dedit spem salutis. *Ps.* 118 In quo mihi spem dedisti.

Quinto, dedit medicinam purgativam, i. dolorem, & amaritudinem de peccatis, & timorem de pœnis æternis. *Thr.* 3. Replevit me amaritudinibus, & inebriavit me absinthio. *Mal.* 3. Purgavit filios Levi.

Sexto dat alterativa, idest, gratiam, quæ alterat voluntatem. *Ps.* 101. Mutabis eos, & mutabuntur. *Gal.* 2. Vivo autem ego, jam non ego.

Septimo, dat præservativa contra recidivum. *Joan.* 5. Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Hoc vere potest dici Sacerdoti, vel prædicatori, qui est, vel esse debet medicus animarum, de quo *Psalm.* 87. Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi? *Jerem.* 8. Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? *Ecclef.* 38. Honora medicum propter necessitatem: Huic revera, cum prædicaverit, potest dici: Medice, cura teipsum primo, quam alios,

Rom. 2.

Rom. 2. Qui alium doces, teipsum non doces. *Eccl.* 34. Ab immundo quid mundabitur? *Gregor.* Sordes tergere manus non valent, quæ lutum tenent. Ideo dicitur *Neh.* 12. Mundati sunt Sacerdotes, & Levitæ, & mundaverunt populum. *a* Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.] In hoc aperitur, quod præmissa similitudo velit, q. d. non credimus, quod certa fuerit fama, quam audivimus, cum nihil apud nos vult tale facere, quibus convenientius talia erant impendere beneficia, quia unusquisque potius debet esse beneficus compatriotis, quam alienigenis. Quod quare Dominus non fecerit. *Marc.* 6. ostendit, & excusat

De furejuran. c. Cr si Christus.

a Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Ait autem *b* Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. In *c* veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando *d* clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra, & *e* ad nullam illarum missus est *f* Elias, nisi in *g* Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam. Et *h* multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta, & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. Et *i* repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes & *k* surrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem, & *l* duxerunt illum usque ad supercilium montis, supra quem civitas illorum erat ædificata,

Dominum, dicens: quod non poterat ibi aliquam virtutem facere nisi paucos infirmos sanabat, & mirabatur &c. i. habitum mirantis prætendebat. Non poterat, i. non volebat, vel non poterat de justitia, quia non poterat, de justitia, nisi quod debet. *b* Amen dico vobis, &c.] *Gloss. Bed.* q. d. ideo non operor inter vos, quia vos increduli, non quia patriam oderim, cui beneficium nativitatis meæ contuli. Non solum Dominus, & caput Prophetarum, qui a Moyse Propheta nominatur. *Deut.* 18. Sed Elias, & ceteri Prophetæ minores minus in patria, quam in ceteris civitatibus sunt honorati. 1. *Reg.* 25. Quis est David, & quis est filius Isai? Quia propemodum, i. fere naturale est, cives civibus invidere. Non enim considerant præsentia viri opera non virtutem, sed fragilem recordantur infantiam. Unde facilius promoventur hodie in terra aliena, quam in sua. *Gen.* 37. affligitur Joseph in terra sua a fratribus suis, & exul promovetur in Ægypto. *Gen.* 40. Unde etiam dicitur Abrahæ. *Gen.* 12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & faciam te in gentem magnam. Maria, & Aaron contra Moysen rixantur, cui obediunt alieni. *Num.* 12. Item Dathan, & Abiron invidentes ei murmurabant contra ipsum. *Num.* 16. *c* In veritate dico vobis.] Exemplo probat, quod dixerat. Dixerat enim Dominus, quod nullus Propheta acceptus est in patria sua, non propter malitiam prophetarum, sed propter invidiam proximorum, propter quod Prophetæ plura operati sunt in aliena patria quam in sua. Et hoc ostendit duorum Prophetarum eximiorum exemplo, idest, Eliæ, & Elisæi. Legitur enim 3. *Reg.* 17. quod tempore famis nullum invenit Elias in patria sua, idest, in Judæa, qui eum hospitio reciperet, quia nullus dignus erat eum reficere, & ab eo refici, sed missus est ad viduam Sareptanam. Item legitur 4. *Reg.* 5. quod multis leprosis existentibus in Judæa, nullus sanatus est, sed solus Naaman Syrus, ille curatus est ab Elisæo, quia devote quæsivit: sic Dominus inter suos pauca miracula fecit, plura vero apud extraneos. Hoc est, quod hic dicitur. In veritate dico vobis, idest, in diebus, quibus prophetavit Elias, vel quibus mira fecit, vel quos illis faciebat, quos ad videndum Deum convertebat. Unde etiam hoc ipso, quod dicitur in diebus Eliæ, notatur, quod opera Eliæ dies erant spiritualiter videntibus, i. eis, qui intelligebant per gratiam Dei desuper datum ei esse, ut talia operaretur. *d* Quando clausum est, &c.] sicut Christus prædicavit tribus annis, & dimidio, sic Antichristus: ideo hoc numero, fidei, & infidelitatis tempora designantur. Unde *Gloss.* Et aperiebatur cœlum videntibus divina mysteria, claudebatur quando fames erat, quia nulla erat cognoscendæ divinitatis ubertas. Alludit *Gloss. historiæ*, quod apertio cœli, quando, scil. ad litteram, infusa est pluvia terræ ad Eliæ petitionem, significat revelationem secretorum Dei factam his, qui visis operibus Eliæ illuminati luce fidei: Clausio cœli tempore famis, significat ignorantiam fidei. *e* Et ad nullam illarum] viduarum, scilicet, existentium in Israel.

f Missus est Elias nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.] 3. *Reg.* 17. *h* Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.] 4. *Reg.* 5.

Mystice. Mystice. Per viduam Sareptanam significatur gentilitas a Domino viduata, ad quam missus est verus Elias, i. Christus, Judæa indigna juventa. Similiter per Naaman leprosum significatur gentilis populus, qui repudiatis Judæis aqua baptismatis est mundatus a lepra infidelitatis.

Moral. Moral. autem per viduam, & leprosum, significantur laici peccatores, diversorum peccatorum generibus maculati, qui sæpe devotius recipiunt verbum Dei, quam clerici, etiam quam religiosi. Per cœlum autem significatur sacra Scriptura, quæ sub littera celat mysterium. Quæ clauditur propter peccata hominum tribus annis & mensibus sex, quando nec fides, quæ per tres annos significatur, nec misericordia prædicatur, quæ per sex menses, & ideo fit fames. Unde *Os.* 4. Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. *Amos* 8. Mittam famem in terra, &c. Clauditur autem cœlum tam propter peccata prædicantium, quam propter peccata audientium. *Lev.* 26. Si non obedieritis mihi, addam correctiones vestras septuplum propter peccata vestra, & conteram superbiam duritiæ vestræ, daboque cœlum desuper sicut ferrum, & terram æneam.

Item *Deut.* 28. Sit cœlum, quod supra te est æneum, & terra, quam calcas, ferrea. *g* In Sarepta Sidoniæ.] Sarepta, incendium, vel angustia panis interpretatur: Sidon venatio inutilis, per quæ recte significatur mundus venationi inutili deditus, idest, lucris, & negotiis terrenis, incendium carnalis concupiscentiæ patiens. Sed ad hanc mittitur Elias, idest, prædicator, quia talibus debet prædicari. *Matth.* 9. Non veni vocare justos, sed peccatores. *h* Et multi leprosi,] idest, peccatores. Peccatum enim lepra dicitur, quia inficit. *Eccl.* 13. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicat superbo, induet superbiam.

Item, quia faciem interiorem hominis deformat usque ad membrorum mutilationem. *Ezech.* 23. Ponam zelum meum in te, quem exercebunt tecum in furore Chaldæi, nasum tuum, & aures tuas præcident. Item, quia incurabilis est. *Jer.* 30. Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua, ad alligandam curationem tuam utilitas non est tibi, idest, in te. Multi sunt hodie leprosi in Israel, i. in Ecclesia, & tamen nemo mundatur nisi Naaman, qui decor interpretatur, & significat confitentes. *Ps.* 103 Confessionem, & decorem induisti. *Is.* 34. Decor Carmeli datus est ei. Sequitur.

i Et repleti sunt omnes in Synagoga, ira hæc audientes,] sc. quod indigni erant, ut coram eis faceret miracula. *Tullius de vera amicitia*: Assentatio amicitiam, veritas odium parit, *Eccl.* 19. sicut sagitta infixa femori canis, sic verbum correctionis, sc. in corde stulti.

Contra Job 41. Ipse est rex super omnes filios superbiæ. Sol. Inter circumstantias necessario magis aggravat factum quam voluntas, ille tamen pejor simpliciter.

k Et surrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem.] *Prov.* 15. Non amat pestilens eum, qui se corripit. *Eccl.* 20. Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam, sic enim effugies voluntarium peccatum.

l Et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum,] *Beda.* Pejores discipuli Judæi, diabolo magistro.

Ille vero ait. Mitte te deorsum. *Matth.* 4. Isti facto mittere conantur. Sed illorum mente mutata, vel subito obstupefacta descendit, quia adhuc illis locum pœnitentiæ reservat, & quia nondum venerat hora Passionis, nec elegerat hoc genus mortis.

Ad litteram, locus ille dicitur saltus usque in hodiernum diem. Et refert *Beda*, quod cum Dominus, de manibus eorum elapsus, de rupe ascendisset, & sub rupe vellet latere, rupis ad tactum dominicæ Vestis subterfugit, & quemdam sinum effecit, idest, quandam concavitatem. Et sicut testantur, qui viderunt, adhuc apparent vestigia rugarum vestis in rupe, & etiam vestigia pedum ejus.

Moraliter.

Heu, quam multi præcipitant Jesum de supercilio montis, omnes, scil. qui in sublimitatibus dignitatum politi salutem perdunt. 1. *Tim.* 5.

Nemini cito manum imposueris, *Prov.* 4. Oculi tui videant recta, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.

Nota, quidam ejiciunt Dominum extra civitatem ad præcipitandum, alii ad lapidandum, alii ad crucifigendum. Primi sunt ambitiosi, qui de culmine dignitatis, quam appetunt in seipsis, præcipitant Jesum. *Is.*14. Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris, corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, in cœlum conscendam super astra Dei, exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo, verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.

ut præcipitarent eum. Ipse *a* autem transiens per *b* medium illorum ibat. Et *c* descendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique *d* docebat illos sabbatis. Et *e* stupebant in doctrina ejus, quia in *f* potestate

Secundi sunt detractores, & maledici, qui Jesum lapidant in omnibus bonis. *Jo.*8. Tulerunt lapides Judæi, ut jacerent in Jesum. *Act.*7. Ejicientes eum extra civitatem lapidabant. *Jo.* 10. Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod illorum me lapidatis?

Tertii sunt obstinati, & in malo perseverantes, & hypocritæ omnes. *Hebr.* 6. Rursus crucifigentes sibimetipsi filium Dei, & ostentui habentes. Omnes hi dicunt illud, *infr.*19. Nolumus hunc regnare super nos. Et de his tribus simul dicitur *Matth.* 20. Tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Sequitur.

a Ipse autem transiens,] ab eis. *Jo.*20. Quærebant Judæi eum apprehendere, & exivit de manibus eorum. *Jo.* 7. Quare non adduxistis illum? *Jo.* 8. Tulerunt lapides, ut jacerent in eum, Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.

Mystice. Mystice. Iste transitus significat recessum a Judæis, & transitum ad gentes *Jer.* 12. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.

b Per medium illorum ibat.] *Prov.* 12. Effugiet justus de angustia.

Per medium præcipitantium itur per consilii maturitatem. *Prov.* 13. Astutus omnia agit cum consilio. *Eccles.*37. Ante omnem actum consilium stabile. Per medium lapidantium itur per mansuetudinem. *Ps.* 37. Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Per medium crucifigentium itur per fidem, & patientiam, *infra* 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

c Et descendit in Capharnaum civitatem Galilææ,] Istud non continuatur proximo.

Constat enim, quod in præcedenti parte continetur, quod Dominus erat in Nazareth, & postea in Galilæa. Non ergo staret, quod in *Gl.* dicitur: Deseruit Judæam, cum jam deseruisset, & mansisset in Nazareth, secundum præcedentia, propterea continuabis istud illi superius posito: Regressus est Jesus in virtute spiritus in Galilæam, sc. incarcerato Joanne, cui continuatur hoc, [Et descendit in Capharnaum.] Quod autem est interpositum, parenthesis est, nec in hoc loco factum. Nunc autem redit ad rectum ordinem dicens: [Et descendit, &c.] *Beda.* Non indignatione commotus, nec scelere offensus, nec injuria violatus Judæam deseruit, sed memor clementiæ, nunc docendo, nunc liberando, nunc sanando plebis corda in fide demulcet.

Moral. Moraliter.] Capharnaum interpretatur villa pulcherrima, vel villa pinguedinis, & significat animam viri religiosi, quæ pulchra fuit in peccatorum remissione, pulchrior in virtutum operatione, pulcherrima in gloriæ prægustatione. Vel certe pulchra est in egressu mundi, pulchrior in ingressu claustri, pulcherrima in progressu boni.

Vel aliter. Pulchra in abjectione mundi, pulchrior in subjectione sui, pulcherrima in dilectione Dei. Et propter hoc dicitur *Cant. c.*4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Hæc eadem dicitur villa pinguedinis, in triplici pinguedine impinguata: Quarum prima est pinguedo charitatis, de qua *Jer. c.* 31. Inebriabo animas Sacerdotum pinguedine.

Secunda est pinguedo devotionis, de qua *Psalm.* 19. Et holocaustum tuum pingue fiat. Tertia est pinguedo contemplationis, de qua *Jud. c.* 9. Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dii utuntur, & homines? *Gen.*27. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam.

Hac triplici pinguedine debet pinguescere anima cujuslibet religiosi.

Unde *Ps.* 64. Pinguescent speciosa deserti. Provenit autem pinguedo ex fertilitate pascuorum. Propter quod dicit Dominus. *Eccl. c.*34. In pascuis uberrimis pascam eas, in montibus excelsis Israel erunt pascua earum, i. in altis regionibus.

Hæc villa habet tres vicos, idest, rationabilem, concupiscibilem, irascibilem: De quibus dicitur: *Tob. c.* 13. Ex lapide candido, & mundo plateæ ejus sternentur, & per vicos ejus, allelaja, cantabitur.

In hanc villam pulchram, & pinguem frequenter, & libenter descendit Dominus, ibique docet in sabbatis, i. in pace temporis, & pectoris.

Et quid docet? veritatem, quantum ad rationabilem, *Jo. c.*16. Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

Bonitatem, quantum ad concupiscibilem. *Ps.*142. Doce me facere voluntatem tuam. Humilitatem, quantum ad irascibilem. *Matth.c.*11. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Per humilitatem possidetur cœlum.

Unde *Matthæi quinto*. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Per mansuetudinem terra. *Matth.* 5. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

Unde patet, quam utilis est doctrina hujus magistri. Propter quod dicit *Ps.* 33. Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Et *Ps.* 118. dicit: Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce. Bonitatem, propter concupiscibilem, disciplinam, propter irascibilem, scientiam, propter rationabilem. Sequitur.

d Ibique docebat illos sabbatis.] In sabbatis docebat Dominus, & sanabat frequentius triplici ratione.

Dominus docebat, & sanabat in sabbatis triplici ratione.

Prima est, ut ostenderet se non esse sub lege, sed supra legem, qui hoc faciendo non solvebat legem. *Matthæi* 12. Dominus est filius hominis etiam sabbati. *Jo.*7. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur sabbatum, mihi indignamini, qui totum hominem sanum feci in sabbato.

Secunda ratio est, ut ostenderet novam creaturam ibi incipere, ubi vetus desiit, idest, sabbato, *Genes.* 2. Die septimo requievit ab omni opere. Et in hoc ostendit se esse auctorem Veteris, & novi Testamenti, & omnium creatorem, qui opera operibus junxit. *Joann.* 5. Pater meus usque modo operatur, & ego operor. In sabbato requievit ab opere creationis, & in sabbato incepit opus recreationis.

Tertia est, ut pluribus proficeret, quia plures tunc conveniebant. Et in hoc exemplum dedit prædicatoribus, ut in Ecclesia, & in diebus solemnibus magis intendant prædicationi. Propter hoc, & propter quasdam alias rationes vellet diabolus, quod nunquam esset festum.

Unde filii ejus dicunt in *Ps.*73. Quiescere faciamus dies festos Dei a terra. *Bar.* 1 Legite librum istum, quem misimus ad vos recitari in templo Domini in die solemni, i. in die opportuno. Alia ratione libenter vellet diabolus, quod multi essent festi dies, quia tunc multi conveniunt, ut multa faciant peccata. Et ideo dicit Dominus. *Is.*1. Neomeniam, & sabbatum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri.

e Et stupebant in doctrina ejus,] doctrina dicitur quasi doctio trina, i. de Trinitate.

f Quia in potestate erat sermo ipsius.] Triplici ratione dicitur sermo Domini esse in potestate. Prima, quia poterat augere, minuere, & mutare, quod volebat in lege, ut dicit *Beda*. Unde *Deut.c.*33. In dextera ejus ignea lex, i. in ejus potestate. *Matth.*7. Tunc erat docens, sicut potestatem habens. Hæc potestas soli Christo erat specialis. Secunda, quia verba sua virtutem propriam habebant. *Ps.*67. Dedit voci suæ vocem virtutis. Et hæc similiter specialis. *Jer.c.*23. Nonne verba mea quasi ignis, & quasi malleus conterens petras: Tertia quia opere adimplevit, quod docuit. Hæc debet esse generalis cuilibet prædicatori. Unde *Beda*. Sermo doctoris in potestate fit, cum ea, quæ docet, operatur. *Eccl. c.*8. Sermo illius potestate plenus est. *Prov.c.*15. Sermo opportunus optimus est. *1.Cor.*3. Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute *Beda*. Qui facto destruit, quod prædicat, contemnitur. *Greg.* Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur

a Et in

erat sermo ipsius, Et in *a* synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & *b* exclamavit voce magna, dicens: Sine, *c* quid nobis, & tibi, Jesu Nazarene? *d* venisti perdere nos: *e* scio te, quia sis *f* sanctus Dei. Et *g* increpavit illum Jesus *h* dicens: Obmutesce, & *i* exi ab illo. Et *k* cum projecisset illum dæmonium in medium, *l* exiit ab illo, nihilque eum nocuit. Et *m* factus est pavor in omnibus, & colloquebantur adinvicem, dicentes: Quod est hoc verbum, *n* quia in potestate, & virtute *o* imperat immundis spiritibus, & exeunt? *p* Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. *q* Surgens autem Jesus de Synagoga introivit in domum Simonis: Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & *r* rogaverunt illum pro ea.

Quarta pars.

a Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum,] ab effectu, sicut mutum, quia mutum facit, quem possidet. *b* Et exclamavit,] i. extra clamavit [voce magna dicens: Sine,] i. dimitte nos.

c Quid nobis, & tibi, Jesu Nazarene? *Eccl.* 13. Quæ communicatio sancto homini ad canem, aut quæ pars bona diviti ad pauperem. *Jer.* 23. Quid paleis ad triticum dicit Dominus. 2. *Cor.* 6. Quæ conventio Christi ad Belial, q. d. nulla est. Est autem aliquid utrisque, sicut dicit *Gl.* dæmonibus tormenta, & Christo gloria. Quod autem confitentur Jesum, bonæ naturæ est, quæ est in ipsis, quod vero adversantur, malæ voluntatis est. Unde *Augustin.* Bona natura, quæ Deum confitetur, mala operatio diaboli, quæ Deo adversatur. Hæc autem conjunctio: Jesu Nazarene, primo inventa est a diabolo. Unde *Beda*. Nomen Jesu Nazareni ab Evangelista diabolus primus dixisse inducitur, quia est hujus imprudentiæ, ut inter homines aliquid prius usurpet, & ad homines quasi novum deferat, quo errorem suæ potestatis incutiat. In *Gen.* 3. etiam diabolus primus Deum nominavit, dicens: Quare præcepit vobis Deus, &c. Eritis sicut Dii, &c. Summa hujus est, quod diabolus gaudet in novitate, & studet semper in adinventione novitatis, ut sic homines circumveniat, ut allectos jucunditate novitatis facilius in errorem inducat. Unde primus invenit hanc juncturam; Jesus Nazarenus. *d* Venisti perdere nos. Scio, i. vehementer opinor. *e* Quia sis sanctus Dei,] Numquam enim vere scivit diabolus ipsum esse filium Dei usque in diem Passionis. 1. *Cor.* 2. Quem nemo principum hujus sæculi, i. dæmonum cognovit: Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent, i. crucifigi suggessissent.

Moraliter.

Moraliter. *a* Et in synagoga, &c.] Adhuc in qualibet congregatione est semper aliquis dæmoniacus ad bonorum exercitium, Unde *Job* 1. Quadam die cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos & Satan. *Jo.* 6. Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est?

Item ebrii, & avari, dæmoniaci sunt proprie ligati vinculis, Ille ebrietatis, ille sollicitudinis, ut non possit ire ad Ecclesiam, vel ad loca sancta, nec in cœlum mente. *b* Et exclamavit.] Clamat diabolus, quando acriter tentat. Sed vir justus clamorem ejus non audit, quia suggestioni ejus non consentit. Unde *Job* 39. dicitur de onagro. Clamorem exactoris non audit. Peccator vero dæmonium habens, clamat per peccati sui evidentiam. *Gen.* 18. Clamor Sodomorum, & Gomorrheorum multiplicatus est. *Isa.* 3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderant. Sequitur.

g Et increpavit illum Jesus.] Nota, diabolus confessus est Dominum, & quia invitus, & quasi per violentiam confessus est, Dominus eum arguit, quia ut dicit *Beda* extorta confessio meritum non habet.

h Dicens, obmutesce.] Nolebat etiam a diabolo nominari. *Eccl.* 15. Non est pretiosa laus in ore peccatoris. *Ps.* 49. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, &c. Et recte imponit ei Dominus, primo silentium, quia per ejus linguam venit mors in orbem terrarum. *Sap.* 11. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Et quia posset silere ad tempus, ideo subjunxit. *i* Et exi ab illo,] ut non habeas amplius in eo potestatem. *Chrys.* Non orat, non invocat, non exorcizat, sed imperat, ut Deus.

k Et cum projecisset illum dæmonium in medium,] i. coram hominibus, qui præsentes erant.

l Exiit ab illo, nihilque illum nocuit,] nullum membrum amputavit, *Marc.* 1. dicitur. Et discerpens eum, &c. Et est ibi idem discerpere quod hic projicere. Diabolus quando compellitur exire ab obsesso consuevit aliquod nocumentum inferre, nec sine membri mutilatione, vel evulsione consuevit exire: Sed modo nihil tale fecit, & licet eum projecerit in medium, tamen nihil illi nocuit. Unde turba pro tam integra sanatione admirans in quæstionem prorumpit. Et hoc est, quod sequitur. *m* Et factus est, &c.] res digna verbo, scil. de tam integra sanatione.

n Quia in potestate, & virtute,] i. in virtuosa potestate, vel in potestativa virtute. *o* Imperat immundis, &c.] *Gl.* Non ut homines, qui in verbo Dei ejiciunt, *inf.* 11. sed propria potestate virtutes operatur. *p* Et divulgabatur fama, &c. *Prov.* 15. Fama bona impinguat ossa, i. monachos. *q* Surgens autem, & cet.] Hic præposterat Lucas ordinem historiæ. Dicitur enim *Matth.* 8. quod post descensum de monte sanavit leprosum, postea Petri socrum, tertio dæmoniacos. Ratio autem præposterationis triplex est: Alia litteralis, alia mystica, alia moralis. Litteralis est, quia historiam gestorum, & dictorum Domini eo ordine narrabant Evangelistæ, quo ipse Dominus inspirabat eis. Intentio enim omnium erat ostendere Christum esse Deum, ad quod nihil facit ordo historiæ. Sicut ergo cuique sunt revelata, ita & in illo scribebat quilibet, licet longe ante, vel post facta sint, semper tamen intercedunt aliquæ causæ, quare ordinem mutent, quas aliquando ponunt expositores, aliquando subticent. Mystica ratio est, quam tangit *Beda*, ut primo lingua serpentina concludatur, per quam primo mors intravit in mundum, deinde femina sanetur, quæ primo seducta fuit a serpente, tertio vir leprosus curetur, qui voci conjugis male acquievit. Moralis ratio est, ut a minoribus ad majora proficere nos doceat. Majus enim est, febrem, & lepram curare, quam dæmones ejicere, ut dicit *Beda*, quia dæmones ejicere possunt homines, ut legitur *Act.* 19. Febrem autem, & lepram curare solius Dei est.

Mystice.

Mystice. Per Synagogam congregatio malorum, qui erunt in fine mundi, designatur, qui sunt quasi acervus lapidum, quia sine cemento charitatis: Contra illud Apostoli, *Ephes.* 4. Supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem Spiritus sancti in vinculo pacis.

Item quia unus alium premit, Contra quod dicitur, 1. *Thessal.* 4. Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum. *Ecclesiast.* 21. Stupa collecta Synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis. Per domum Simonis, & per socrum Petri, idem significatur, scil. circumcisio. Per uxorem Petri significatur Ecclesia, cujus pastor fuit Petrus, cujus mater fuit Synagoga, quæ magnis febribus tenebatur, quia invidiæ æstibus laborabat, frigus infidelitatis primo patiens. Duo enim sunt in febre peccati, & frigus, & calor, & ideo duo sunt in pœna, *Job* 24. Ad nimium calorem transiet ab aquis nivium. Introitus ergo in domo Simonis, & sanatio socrus ejus, significat reditum fidei ad Judæos, & conversionem eorum in fine mundi. De qua *Isa.* 10. In veritate reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem. Dicit ergo.

q Surgens autem Jesus de Synagoga introivit in domum Simonis: Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.] *Ambr.* Febre, libido flagrantior est. *Eccles.* 23. Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat.

r Et rogaverunt illum pro ea.] In quo datur nobis forma pro infirmis orandi. *Jac. ult.* Orate pro invicem, ut salvemini. Alii Evangelistæ. *Matt.* 8. *Marc.* 1. non dicunt, quod rogassent.

Item quare non rogaverat Petrus pro socru sua? Quære mysterium. *Beda*. Modo Salvator rogatus, modo non rogatus curat, & ostendens se contra vitiorum quoque passiones, & precibus fidelium semper annuere, & ea nonnumquam, quæ ipsi in se non intelligunt, vel intelligenda dare, vel pie petentibus etiam non intellecta dimittere, ut, Delicta quis intelligit? ab occultis meis, &c. Summa hujus *Glossæ*, est, quod Dominus quædam miracula facit rogatus, quædam non rogatus, per quod mystice significatur, quia quædam peccata dimittit rogatus, quædam non rogatus, quia

enim

enim memoriæ non occurrunt, vel ad memoriam revocat, vel non rogatus condonat. *a* Et stans super illam.] Neminem sanat Dominus, nisi stet super eum, i. nisi timentem se. Super eum namque stat Dominus, qui timet eum. Unde *Malach.* 4. Vobis timentibus Deum orietur sol justitiæ, &

Et *a* stans super illam, *b* imperavit febri, & dimisit illam, & continuo surgens ministrabat illis. *c* Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos *d* variis languoribus, *e* ducebant illos ad eum: At ille singulis manus imponens curabat eos. Exibant *f* autem dæmonia a multis, clamantia, & dicentia, quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. Facta *g* autem die, egressus

sanitas in pennis ejus. *b* Imperavit, [ut Dominus] febri, & dimisit illam, & continuo surgens ministrabat illis.] Per surgens innuitur sanitas corporis, per ministrabat, sanitas mentis. Perfecta enim datur sanitas a Domino: Sic qui curatur a febre peccati, statim debet Domino, & ejus discipulis ministrare, quod est signum perfectæ curationis. *Rom.* 6. Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati, ita nunc exhibere membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. *c* Cum sol autem, &c.] Dominus intrans domum Simonis cum ipso Simone, & duobus filiis Zebedæi, sicut habetur in alio Evangelista, sanavit socrum ejus febricitantem, & in die illa paucos sanavit, sed inclinato die post occasum Solis sanavit multos: Unde dicit [Cum Sol autem occidisset, &c.] Per quod multitudo infirmorum. *d* Variis languoribus,] per quod diversitas morborum, ad litteram, mystice, i. peccatis. *Isa.* 53. Vere languores nostros ipse tulit.

e Ducebant illos ad eum: At ille singulis, &c.] vel [eos] per hoc facilitas curæ.

Mystice. Mystice. Solis occubitus est passio Christi, post quam plures sanavit dæmoniacos, quam ante. Unde *Jud.* 16. Multo plures interfecit Sampson moriens, quam ante vivus occiderat.

Moraliter. Moraliter. Per occasum Solis significatur occasus mundanæ prosperitatis, postquam multi sanantur spiritualiter, qui Sole prosperitatis lucente graviter infirmantur. Quod satis bene significatum est *Matt.* 27. ubi dicitur, quod post Solis obtenebrationem multa corpora eorum, qui dormierant, surrexerunt. Notantur autem hic tria, scilicet, multitudo infirmorum, per hoc, quod dicit, [Omnes, qui habebant infirmos.]

Item diversitas morborum, per hoc, quod dicit. [Variis languoribus.] Facilitas curæ, per hoc quod dicit. [Singulis manus imponens curabat omnes.] Manuum autem impositio, significat cooperationem liberi arbitrii, quæ requiritur in nostra sanatione. Unde *Aug.* Qui creavit te sine te, non justificat te sine te. 1. *Cor.* 3. Dei sumus adjutores. Significat etiam manuum impositio, gratiæ dationem, per quam fit sanatio, & datur potestas bene operandi. 1. *Cor.* 15. Non ego, sed gratia Dei mecum. *f* Exibant autem dæmonia a multis, clamantia, & dicentia, quia tu es filius Dei: Et increpans non, &c.] i. suspicabantur [ipsum esse Christum.] Simile *Act.* 16. de Pythonissa. Sed quare hoc? cum dicat Apostolus, *Phil.* 1. Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, in hoc gaudeo, sed & gaudebo.

Item, *inf.* 9. Joanni imponenti silentium, qui non sequebatur eus, dixit Dominus: Nolite prohibere, qui enim non est adversum vos, pro vobis est. Sol. Hic est distinguendum: Nam quidam sunt, qui male vivunt, & bene docent, ut mercenarii, hi sibi nocent, sed aliis prosunt. Unde *August. in lib. Prosperi*. Bene loqui, & male vivere, nihil aliud est, quam se sua lingua damnare. Talibus non est imponendum silentium, & de talibus agitur *inf.* 9. Alii sunt, qui male vivunt, & falsa docent, ut Hæretici: Et tales prohibendi sunt, & de talibus agitur hic. Tales enim aliquando veris immiscent falsa. Unde *Jo:* 2. Omnis homo, &c. *Isa.* 1. Caupones tui miscent aquam vino. Et *Beda*. Ideo prohibet loqui, ne dum aliquis audit vera prædicantem, sequatur postea errantem. Improbus enim magister veris falsa permiscet, ut specie veritatis fraudis testimonium obtegat. Litteralis ratio, quare Dominus noluit, ut diabolus eum prædicaret sumitur ex hac *Gl.* scil. ne forte audientes eum homines modo prædicare veritatem, deinceps acquiescant ei prædicanti falsitatem. Si enim primo scirent per eum Christum esse Dei filium, putarent in omnibus veracem esse. Hic enim est mos pravi doctoris, ut per appositam veritatem palliet admistam falsitatem: *g* Facta autem die egressus ibat in desertum locum.] Litera patet.

ibat in desertum locum, & *h* turbæ requirebant eum, & *i* venerunt usque ad ipsum, & *k* detinebant illum, *l* ne discederet ab eis. *m* Quibus ille ait: *n* Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare *o* regnum Dei, quia ideo *p* missus sum. Et *q* erat prædicans in synagogis Galilææ.

C A P. V.

FActum *r* est autem, cum *s* turbæ irruerent in eum, ut *t* audirent verbum Dei,

Mystice. [Mystice.] *Beda*. Manifestata luce resurrectionis a credentium turbis requiritur, in gentiumque deserto inventus ne abeat retinetur. *Cant.* 3. Paululum cum pertransissem inveni, quem diligit anima mea, tenui, nec dimittam eum. *h* Et turbæ requirebant eū,] per fidem. *i* Et venerunt usque ad ipsum,] per spem. *k* Et detinebant illum] per charitatem. *l* Ne discederet ab eis.] *Zach.* 8. Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, fimbriam viri Judæi, dicentes, Ibimus vobiscum. *m* Quibus ille ait, quia & aliis civitatibus.] Pleonasmus est, & est idioma Hebræum. Vel si vis potes, ita continuare: Non possum diutius manere vobiscum.

n Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare.] In hoc reprehenditur pigritia mulierum, qui semper in uno loco morantur quasi cives. *Marc. ult.* Illi vero profecti prædicaverunt ubique. *o* Regnum Dei.] Ad litteram, i. qualiter perveniatur ad regnum. *Matt.* 4. Poenitentiam agite. Vel, [regnum,] i. sacram Scripturam, quæ docet regnare, & ire ad Deum. *Matth.* 21. Auferetur a vobis regnum Dei; Sed multi evangelizant contra regnum Dei: De quibus *Ps.* 118. Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. *p* Quia ideo missus sum.] *Isa.* 61. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me. *q* Et erat prædicans in synagogis Galilææ.] Quiddam commune hic ponit, quod non specialiter ponitur in aliquo Evangelistarum. Galilæa rota interpretatur. Synagogæ Galilææ, sunt congregationes sæcularium, quibus etiam prædicandum est, quia bonis prædicandum est, & malis, ut mali ad bonum, & boni ad melius provocentur.

A

E X P O S I T I O C A P. V.

FActum est autem, &c.] Hoc cap. quintum Christi miracula continet, & Scribarum, ac Pharisæorum confutationem: Unde dividitur in quinque partes. In prima agitur de miraculosa piscium captione. In secunda de leprosi curatione, ibi [Et factum est, cum esset.] In tertia de paralytici sanatione, ibi [Et factum est in una dierum.] in quarta de Matthæi vocatione, ibi [Et post hæc exiit.] in quinta de Scribarum, & Pharisæorum confutatione, ibi [At illi dixerunt.] Dicit ergo:

r Factum est autem] Et nota, quod istud, quod hic dicitur, non continuatur præcedenti, quia in ista prima parte agit etiam Lucas de secunda vocatione Andreæ, & Petri. Unde patet hoc factum esse ante incarcerationem Joannis, nam prima, & secunda vocatio fuit ante incarcerationem Joannis. Prima quando primo vocavit eos, post quam vocationem ad propria negotia redierunt. *Jo.* 1. Secunda in familiaritatem, ut hic: Tertia quando vocavit eos in Apostolatum. *Matth.* 4. Et tunc firmissime adhæserunt ei, nec postea dimiserunt. Cum ergo hoc longe constet ante incarcerationem Joannis factum, non potest continuari præcedentibus, quia non est seriatim insertum. Quædam *Glos.* tamen videtur continuare, & plane veritati obviare. *Glos.* Qui magna fecit in terra transit ad mare, ut & ibi faciat, & Dominus maris, terræque appareat. Per hoc, quod dicit, transit, videtur continuari præcedentia, ideo intellige verba posita in designatione temporis confusi, ut sit sensus: Dominus, qui quandoque magna fecit in terra, quandoque transiit ad mare. *s* Cum turbæ, &c.] idest, currerent ad eum visis miraculis: Quidam enim currebant, ut miracula nova viderent, hi curiosi. Alii ut sanarentur, hi providi. Alii ut observarent, hi invidi. Alii, *t* Ut audirent, &c.] sicut hic dicitur

hi stu-

hi studiosi. In hoc ergo significatur fervens desiderium audiendi verbum Dei. *Amos* 8. Mittam in terra famem, i. desiderium, *a* Et ipse stabat secus stagnum Genesareth.] *Beda*. Idem est mare Galilææ, mare Tyberiadis, stagnum Genesareth. Mare Galilææ dicitur a provincia adjacente. Mare Tyberiadis dicitur a Tyberiade civitate, quam ædificavit Herodes in honorem Tyberii juxta locum ipsum. Stagnum Genesareth dicitur a proprietate lacus, quasi generans auras. Fit autem lacus iste ex reflexione Jordanis, & undis ebullientibus, primo motu undarum ex se generat auram quamdam, quæ in littore sentitur. Dicitur autem mare secundum ritum Hebræorum, qui omnem aquarum congregationem, sive dulcium, sive salsarum vocant mare. *b* Et vidit duas naves.] Una erat Petri, alia Zebedæi, [stantes secus stagnum.] *e* Piscatores autem descenderant] a navi in littus. *f* Et lavabant retia] supple, & plicabant: Quando enim piscatores lavant retia, solent ea plicare. Et hoc innuit *Glos. mystica*: Lota retia plicat, &c.

Mystice. Per stagnum Genesareth significatur mundus, non a stando, quia transit mundus, & concupiscentia ejus, 1. *Jo.* 2. sed ab aquarum collectione, quia aquæ multæ, populi multi. *Apoc.* 17. Unde recte dicitur stetisse secus stagnum, non in stagno post resurrectionem, quia jam stabilis, & impassibilis erat. Vel juxta *Gl. Bed.* stagnum significat legem extra quam jam erat Dominus, quia legalia jam cessare incipiebant, Duæ naves, sunt duo populi Judaicus, scil. & Gentilis, quos vidit Dominus, quia de utroque populo aliquos vocavit. Modo prosequere litteram, *a* Et ipse stabat secus stagnum Genesareth,] i. extra fluxum mortalitatis, jam factum immortalis, vel, i. extra legem [Mystice,] per stagnum Genesareth, &c. *b* Et vidit] visu misericordiæ; De quo *Jo.* 2. Vidi te sub ficu. Duas naves,] duos populos, vel duas vitas. *d* Stantes secus stagnum.] [Moraliter] autem, stagnum Genesareth significat divitiarum terrenarum abundantiam, quæ auras inanis gloriæ, & superbiæ, & iræ, atque discordiæ generant ex se. Propter quod dicit Apost. 1. *Tim.* 6. Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum. Ubi dicit *Gl.* Vermis divitum superbia. Recte Hebræi istarum aquarum congregationem vocant maria, quia non est in eis nisi amaritudo, sicut dicit *Greg.* Nam cum labore acquiruntur. *Eccl.* 4. Unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis. Item cum timore possidentur, *Job c.* 15. Sonitus terroris semper in auribus ejus, & cum pax sit, semper insidias suspicatur. *Proverb.* 10. Pavor his, qui operantur malum. *Lev.* 26. In regionibus hostium terrebit eos sonitus folii volantis. Item cum dolore deseruntur. Unde *Eccl.* 6. Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, divitiæ congregatæ in malum Domini sui, pereunt enim in afflictione pessima. Non in hoc stagno, sed secus debet stare prædicator, sicut Jesus. Unde *Greg.* Qui carnalibus actibus adhuc incubat, vitam aliorum spiritualiter instituere necesse est erubescat. *Ps.* 1. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, non in decursu, 2. *Tim.* 2. Nemo militans, &c. *Phil.* 3. Quæ retro sunt obliviscens, *inf.* 9. Nemo mittens malum ad aratrum, &c. Duæ naves sunt duæ viæ eundi ad Deum, scil. innocentia, pœnitentia. Et qui non fuerit ingressus in unam istarum, peribit in mari, qui autem ingressus est in alteram, videat, ut bene se regat, ne sit sicut gubernator sopitus; De quo dicitur *Prov. c.* 23. Eris sicut dormiens in medio mari, & quasi gubernator sopitus amisso clavo. Navim primam ingressus est Jesus, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. *Isa. c.* 53. Unde ipse dicit; Ego autem in innocentia mea ingressus sum. Nihilominus & secundam fuit ingressus, nec ante mortem egressus fuit eam. *Phil. c.* 2. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Moraliter.

Mystice.

Item duæ naves sunt duæ viæ hominum, scil. via mandatorum, quæ est omnium, quia qui per hanc non incedit, deviat: De qua *Ps.* 118. Viam mandatorum tuorum cucurri. Alia est via consiliorum, quæ est claustralium, sive perfectorum, quæ est navis Simonis, i. obedientis, quam ascendit Dominus, quia consilia implevit. Unde *Prov. c.* 8. Ego in consilio habito. Piscatores sunt doctores Ecclesiæ, sive prædicatores *Matt.* 4. Faciam vos fieri piscatores hominum. Unde tales fructuosius piscantur homines, quam pisces. *Jer.* 16. Mittam eis piscatores multos, & piscabuntur eos. Retia sunt Scripturæ, sive etiam verba sacræ prædicationis. *Eccl.* 6. Injice pedem tuum in compedes illius, i. sapientiæ. Pisces sunt homines. *Habac.* 1. Facies homines quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem. Mare est mundus, ut dictum est, quia tumet per superbiam, fervet per avaritiam, spumat per luxuriam. Navis petri est Ecclesia, in principio, & in fine stricta, in medio lata: De qua *Matt.* 14. Navicula in medio mari jactabatur fluctibus. Versus.

Retia dicuntur quasi tenentia.

Ecclesiam pro nave rego mihi climata mundi.
Sunt mare scripturæ retia, pisces, homo.

Et *a* ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et *b* vidit *c* duas naves *d* stantes secus stagnum: *e* piscatores autem descenderant, & *f* lavabant retia. *g* Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, *h* rogavit eum *i* a terra *k* reducere pusillum.

Et secundum hoc prosequere mysterium, quia littera plana est. *e* Piscatores autem, descenderant] ab eo, quod erant per gratiam in id, quod erat per naturam, i. considerationem vilitatis, & fragilitatis humanæ. *Jer.* 18. Descende in domum figuli. *Marc.* 13. Videte vosmetipsos. *f* Et lavabant retia.] Lavare retia, est maculas peccatorum, quæ in piscatione, i. prædicatione contrahuntur, aqua contritionis delere. De qua lotione dicitur *Prov.* 25. Aufer rubiginem de argento. Lotio autem ista debet esse a tribus proprie, scil. a quæstu temporali, ab inani gloria, a verbo adulationis. Unde 1. *Thess.* 2. Neque aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ, Deus testis est, nec quærentes ab hominibus gloriam. Et miro modo sequitur post descensum lotio, quia ex consideratione propriæ vilitatis vitatur peccatum. Unde *Job* 5. Visitans speciem tuam non peccabis. *Eccl.* 10. Quid superbis, &c. *Hier.* Facile contemnit omnia, qui semper se cogitat moriturum.

Hieron. in prologo Bibliæ, c. 8.

Item *Glos.* Lota retia plicat doctor, qui intermisso prædicandi officio, quod alios docuit, ipse implere satagit. *g* Ascendens autem, &c.] Navis Simonis, ut dictum est, Ecclesia est Petri regimini commissa. *Matth.* 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum, i. Ecclesiæ gubernacula. Quæ recte dicitur una, quia omnium, qui vere sunt in Ecclesia, i. re, & nomine, est unum cor, & una anima, sicut dicitur *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, i. una voluntas, & unus sensus. In hanc navim ascendit Dominus, quando primo fideles vocavit, *h* Rogavit eum a terra.] *Glos.* ab amore terrenorum. *k* Reducere pusillum.] navem Ecclesiæ, pœnitentiæ, mentis humanæ. Favorabilis est hæc petitio, Unde & ipse navem suam, i. crucem non in terra, sed in aere.
i A terra] triplici, scil. interiori, exteriori, inferiori. Interior est propria voluntas, exterior carnalis voluptas, inferior terrena cupiditas: De qua *Apoc.* 8. Væ, væ, væ, habitantibus in terra. *Zach.* 2. O o o fugite de terra Aquilonis *Jer.* 22. Terra, terra, terra audi sermonem Domini.

Reducere ad littus, ne turba intraret eam eo in navem.

Item, quod primo rogat Dominus navem reduci pusillum a terra, tria significat, sicut dicit *Beda*. Primum, quod temperate utendum est verbo prædicationis ad turbas: Non enim statim prædicandum est peccatoribus, quod penitus relinquant mundum, sed pusillum, idest, paulatim ab amore terrenorum retrahendi sunt. Secundo significatur, quod prius in proximis regionibus prædicandum est, quod significatur, per [pusillum] & postea in remotioribus, quod significatur, per [duc in altum.] Unde Apostolis primo dicitur: Reducite pusillum a terra: Deinde adjungitur [duc in altum,] & hoc est, quod primo dictum est Apostolis: Manete in civitate, donec induamini virtute ex alto, Postea dictum est: Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ. Tertio significatur, quod primo dicenda sunt novitiis levia, & postea profunda. Unde Apostolus loquens novitiis dicebat. Tanquam parvulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam. 1. *Cor.* 3. *Heb.* 5. Omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ, parvulus enim est, perfectiorum autem est solidus cibus, eorum, qui pro ipsa consuetudine excitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali. Item navis Simonis est Crux Domini, quam ascendit propria voluntate, non coactus. *Isa.* 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Comparatur autem Crux navi propter quatuor. Primo, quia sicut navi transitur de una ripa maris ad alte-

Crux comparatur navi propter quatuor.

tam,

ram, ita Cruce de miseria mundi ad gaudia cæli. Unde, *inf. ult.* Nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam? *Sap.* 14. Exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt. *Act.* 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.

Et *a* sedens docebat de navicula *b* turbas. Ut *c* cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: *d* Duc in altum, & *e* laxate retia vestra in *f* capturam. Et *g* respondens Simon, dixit illi: Præceptor *h* per totam noctem laborantes nihil *i* cepimus, in *k* verbo autem tuo *l* laxabo rete. Et cum *m* hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. *n* Rumpebatur autem rete eorum;

Secundo, quia navis in principio, & in fine stricta est, & in medio lata: Sic Crux Domini in principio, i. in capite stricta fuit, quia non habuit, ubi caput reclinaret, sicut dicitur *Matt.* 8. Volucres cœli, &c. In fine similiter, i. in pedibus stricta fuit, ita ut unus pes super alium poneretur. In medio lata fuit; Unde expansis manibus in Cruce pependit. De arctatione dicitur, *inf.* 12. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur? De latitudine dicitur, *Isa.* 25. Extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum. Tertio, quia in navi, quæ transit mare, est cibus aridus, & potus: Et Christus in Cruce cibum amarum, & aridum, & potum amarissimum habuit: Unde *Ps.* 68. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Quarto, quia in navi transeunte mare sustinentur multæ angustiæ: Sic & Christus in Cruce opprobria multa, & dura tormenta sustinuit. Unde in Cruce positus dicit *Thren.* 1. O vos omnes, qui transitis per viam, &c. His igitur quatuor rationibus, Crux Christi comparatur navi, i. propter officii similitudinem, propter facturæ assimilationem, propter cibi, & potus amaritudinem, propter angustiarum perpessionem: Quas recolens sponsa dicit, *Cant.* 1. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. De quo *B. Bern.* Ego fratres ineunte mea conversione pro acervo meritorum, quem mihi deesse sciebam, hunc fasciculum colligere curavi, & inter ubera mea collocare, collectum ex omnibus infirmitatibus, & anxietatibus Domini mei. Primum quidem infantilium illorum necessitatem, deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremo periculorum in falsis fratribus, conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis in silva evangelica copiosissime legitur pertulisse. Hanc navem ascendit Christus ad mandatum patris, & ideo dicitur navis Simonis, vel quia obedientibus proponitur in exemplum. Unde *Matt.* 16. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. De hac navi docuit Dominus turbas, quasi de cathedra magistrali. Unde 2. *Reg.* 23. David sedens in cathedra sapientissimus inter tres. Docuit autem quatuor magis facto, quam verbo. Primo obedientiam. *Hebr.* 5. Didicit obedientiam ex his, quæ passus est. Quod exponit *B. Bern.* Didicit in corpore obedientiam ex his, quæ passus est in capite, Nam illa mors, illa Crux, opprobria, sputa, flagella, quæ omnia caput tuum, Christe, pertransiit, quid aliud corpori tuo, i. nobis quam præclara obedientiæ documenta fuerunt? Secundo docuit patientiam, & humilitatem. *Matt.* 11. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. *Prov.* 19. Doctrina viri, &c. Tertio docuit charitatem perfectam, orando pro inimicis, cum dixit: Pater, ignosce illis, &c. *inf.* 23. Quarto perseverantiam. *Jac. ult.* Sustinentiam Job audistis, & finem Christi vidistis, i. finalem perseverantiam. Item caro Christi, & B. Virgo, & pœnitentia, & Ecclesia, & mens humana dicitur navis, sed de his omittamus. Sequitur. *a* Et sedens docebat de navicula,] & ideo efficax instructio. *b* Turbas,] non Principes, non Scribas, non Pharisæos. *Ps.* 33. Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. *c* Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem, duc in altum.] navem Ecclesiæ, pœnitentiæ, mentis humanæ. Navis enim securior est in medio mari, quam juxta littus. *e* Et laxate retia vestra,] i. in prædicationibus vestris sitmis condescendite. Nec dicit [laxate] tantum, sed. *f* In capturam.] Multi enim laxant rigorem Scripturæ, non in capturam, sed in deceptionem. Vel si in capturam laxant retia, i. explicant Scripturas, hoc faciunt in capturam non piscium, i. hominum, sed ranarum, i. divitiarum, vel dignitatum: De quibus dicitur *Isa.* 59. Telas araneæ texuerunt. *Osee* 8. In aranearam telas erit vitulus Samariæ.

Mystice. B

Item *Isa.* 19. Mœrebunt piscatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete. Et *inf.* Qui faciebant lacunas ad capiendos pisces, i. sermones obscuros. *Habac.* 1. de diabolo. Immolabit sagenæ, & sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars ejus.

Mystice. *d* Duc in altum.] ad Christum ascendentem in cœlum. *e* Et laxate retia vestra in capturam.] Transeat ad gentes prædicatio. *Ps.* 67. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem. Retia, sicut dicit *Beda*, & *Ambr.* sunt verborum complexiones, & dicuntur quasi retinentia. Unde verba prædicatorum bene dicuntur retia, quia in eis, quasi quibusdam laqueis capiuntur homines, & tenentur. Utuntur enim quasi quibusdam complexionibus in modum disputantium hinc inde reducendo auctoritate veteris, & novi Testamenti. Licet etiam aliis dicatur, ut laxent retia, tamen soli Petro dicitur [duc in altum,] per quod significatur, quod sicut soli Petro præcipitur, ut ducat navem in altum, ita solis excellentioribus præcipitur, ut prædicent profunda mysteriorum. Sequitur. *g* Et respondens Simon, dixit illi. Præceptor.] Dominus dixerat Petro. [Duc in altum, &c.] Petrus ad verbum Domini humilians se respondit, dicens, quia totam noctem labori dederat, & operam inutilem, sed tantum in verbo, i. in virtute verbi ejus, adhuc laxare rete. Et est planum ad litteram. Unde prosequere Mystice, & Moraliter. *h* Per totam noctem] i. per veterem legem [laborantes.] Lex vetus nomine noctis intelligitur. Unde habetur *Gen.* 1. Posuit Deus duo luminaria magna in firmamento cœli, scil. luminare minus, ut præesset nocti, scil. Moysen, ut præesset legi, & luminare majus, ut præesset, diei, i. Christum, ut præesset Evangelio.

Gloss. de profluentibus donis Spiritus sancti, i. de excellentioribus Sacramentis.

Moraliter. In peccato prædicantes, vel per totam vitam istam studentes, & legentes.

[Mystice,] ergo dicit Petrus. *h* Per totam noctem laboravimus,] i. cæremonialia inutiliter executi sumus. Unde dicit. *i* Nihil cepimus,] i. nullum duximus ad vitam. *Heb.* 7. Lex neminem ad perfectum adduxit. *k* In verbo autem tuo,] i. in virtute verbi Dei. *l* Laxabo rete] prædicationis. *Job* 18. Immisit in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulat. [In verbo tuo,] dicit, non meo; Contra illos, qui fabulas suas narrant in prædicatione, vel sibi ascribunt, quod legunt, & prædicant. De quibus dicitur *Jer.* 23. Propheta, qui habet somnium, narret somnium, & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. *m* Et cum hoc fecissent, &c.] Pisces sunt, qui hanc vitam enavigant.

Mystice. Nihil, i. temporalia.

Jer. 4. Aspexi terram, i. terrena, & ecce vacua erat, & nihil.

Expositio Gl. Bedæ.

Item pisces dicuntur curiosi. *Prov.* 11. Expectatio sollicitorum peribit. Nota *Glos. Bedæ.* Nisi in verbo, i. interiori inspiratione, gratiæ supernæ, laxata fuerint, i. emissa, instrumenta disputationum, i. verba prædicatorum, qui utuntur quibusdam complexionibus in morem disputantium, frustra, i. inutiliter, prædicator vocis suæ jaculum mittit, i. suam vocem, quæ est jaculum, vel sagitta vulnerans corda auditorum, quia frustra laborat exterius lingua Doctoris, nisi mentem interius præparet gratia Redemptoris, quia fides populorum non in sapientia verbi compositi, sed divinæ vocationis munere provenit. O vacua præsumptio, o humilitas fructuosa, qua Petrus se humilians laxans retia in verbo Domini capit piscium multitudinem. Unde apparet, quam fructuosa sit humilitas, unde admirando dicit *Glossator*: O humilitas fructuosa, Qui nihil ante ceperant, magnam in verbo Dei concludunt multitudinem. Per contrarium intellige, infructuosa præsumptio. Si enim prædicatores de se præsumant, vel aliquid eloquentiæ suæ ascribant, nullos capiunt, i. ad fidem convertunt, Sequitur. *n* Rumpebatur autem rete eorum.] *Beda*, Rumpitur rete præ multitudine piscium, quia modo cum electis tot reprobi intrant, quod ipsam Ecclesiam hæresibus scindant. Hic aliter intelligitur ruptio retis, quam in alia *Glos.* In Ecclesia circumcisionis, &c. Hæretici rete rumpunt, qui concutiunt latera matris Ecclesiæ, & eam hæresibus, & scandalis scindunt, Rumpitur rete, sed non labitur piscis, quia Dominus suos etiam inter prosequentium scandala servat.

[Moraliter.] Per malam vitam prædicatoris rumpitur rete prædicationis, & fit inutile. *Greg. super Ezech.* Ad hoc, ut servetur veritas prædicandi, teneatur necesse est altitudo vivendi. *Beda super Exod.* Qui ad sacerdo-

Moraliter.

cerdotium, magisteriumque populi promovetur, primo ejus opera cognoscantur, ut dum hoc, quod foris patet omnibus, irreprehensibile patuerit, integritas cordis, & sinceritas fidei probetur. Item sicut dicit *Interl.* ille rumpitur, qui divitias, & paupertatem non sustinet. *Greg.* Pusillanimitatis est, non posse sustinere divitias, impatientiæ est non posse sustinere paupertatem. *Prov.* 30. Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria. *Philip. ultim.* Scio, & abundare, &c. Sequitur,

al. non habui pene.

a Et annuerunt, &c.] Duæ naves, sunt duæ vitæ, activa, scil. & contemplativa. Activa intenta prædicationi petit sororis orationibus adjuvari. Tunc enim proficit prædicatio, quando Martha prædicat fideliter, & Maria orat instanter, *inf.* 10. Domine, non est tibi curæ, &c. *Prov.* 18. Frater, qui juvatur, a fratre, &c.

& *a* annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et *b* venerunt, & impleverunt ambas naviculas, *c* ita ut † pene mergerentur. *d* Quod cum videret Simon Petrus, *e* procidit ad genua Jesu, dicens: *f* Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. *g* Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piscium, quam ceperant. *h* Similiter autem Jacobum, & Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et *i* ait ad Simonem Jesus: Noli timere, *k* ex hoc jam homines eris capiens. Et *l* subductis ad terram navibus, *m* relictis omnibus secuti

b Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas.]

Mystice.

Mystice,] i. Ecclesiam de gentibus, & Synagogam, i. primitivam Ecclesiam de Judæis converterunt.

c Ita ut pene mergerentur.] Ecclesia enim primitiva de Judæis, & gentibus collecta, multis tribulationibus premebatur, sed non submergebatur, quia numquam defecit. Et dicit *Beda in Glos.* Hæc impletio usque ad finem sæculi crescit, &c. *d* Quod cum videret Simon Petrus,] scil. quod cepisset tantam multitudinem piscium ad primum verbum Domini.

e Procidit ad genua Jesu dicens, exi,] i. recede.

f A me, Domine, &c.] q. d. non sum dignus cohabitare tecum. *Greg.* Imo si te peccatorem consideras, oportet, ut a te Dominum non expellas. *August.* Ut † piscator loquitur Petrus, Deum, & Dominum salutis secum habebat, & ei dicebat. Exi a me, Domine, stulte, & simpliciter locutus est, ac si infirmus medico accedenti, & eum curare volenti diceret. Exi a me, quia ægroto. *f* Exi a me.] *Beda*. Non tamen exivit Dominus, quia non deseruit humilitatem. Excusator Petrus non studio malitiæ, sed ex humilitatis affectu hoc dixisse. [Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piscium, quam ceperant.

al. † peccator.

Moraliter.

Moraliter.] *d* Quod cum videret Simon Petrus.] Simon Petrus, non dicit Petrus Simon, quia non scientia obedientiam, sed obedientia generat scientiam. *Psal.* 118. A mandatis tuis intellexi.

e Procidit ad genua Jesu.] Sic prædicator, post captionem multorum hominum debet se humiliare, *inf.* 18. Cum omnia bene feceritis, &c.

Item debet Christo totum ascribere, nihil sibi. Hoc est enim procidere ad genua. *Job* 38. Numquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi adsumus? *f* Exi a me.] *Matt.* 9. Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. 3. *Reg.* 17. Ingressus es ad me, ut rememorarentur peccata mea. *g* Stupor autem, &c.] *Jer.* 5. Stupor, & mirabilia facta sunt in terra, prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applauserunt manibus, & populus meus dilexit talia. Duæ autem tanguntur causæ stuporis. Prima est ex consideratione dominicæ pietatis, *ibi*. [Quod cum videret Simon Petrus.] Secunda ex consideratione propriæ fragilitatis, *ibi*. [Exi a me, &c.] Sequitur.

h Similiter autem Jacobum, & Joannem filios Zebedæi,] circumdederat stupor supple, [qui erant socii Simonis.] Tales etiam debent esse socii Simonis, quia in obedientia concurrere debent simul liberum arbitrium, & gratia Dei, 1. *Cor.* 15. Non ego, sed gratia Dei mecum. 1. *Cor.* 3. Adjutores Dei sumus.

i Et ait ad Simonem Jesus, noli timere:] Humilitas Petri, quæ licet fuerit erronea, tamen quia quodammodo ex pio timore processit, meretur Domini piam consolationem. Nota *Glos. Bedæ*. Non recedit Jesus, quia Petrus dixerat: Exi a me, Domine, sed Dominus ab eo non recedit, sed ad littus perducit, i. ad soliditatem fidei, non modo, sed postea cum electus est in Apostolum, & vivificandi potestatem tribuit, i. potestatem ligandi, atque solvendi. In quo, &c. i. in hoc ipso, quod Dominus propter errorem Petri ab ejus consolatione non desistit, datur exemplum doctoribus, quod non propter peccata subditorum, vel timiditatem propriæ conscientiæ dimittere debent munus Ecclesiasticum, i. officium prædicationis. Sequitur. *k* Ex hoc jam homines eris capiens.] *Beda*. Nondum in Apostolatum eligitur, sed prædicitur, quod aliquando eligendus. Unde nota, quod tres fuerunt vocationes Apostolorum. Prima in simplicem notitiam, *Joan.* 1. Secunda in familiaritatem, ut hic. Tertia in Apostolatum. *Matth.* 4. Item dicit, [homines,] non aurum, non argentum, non præbendas, non laudes hominum, 2. *Cor.* 12. Non quæro, quæ vestra sunt, sed vos. *Isa.* 13. Ecce ego suscitabo super vos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis parvulos interficient. *Jer.* 16. Mittam ad vos piscatores. *Job* 12. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt ea pisces maris, idest, prædicatores. Prædicator debet esse, ut Joseph, qui congregavit triticum, ut omnes Ægyptios subjiceret regiæ servituti. *Gen.* 47. Sequitur.

Expositio Gl. Bedæ.

Matt. 4. Marc. 1.

l Et subductis ad terram navibus.] *Glos.* Quia adhuc habent voluntatem redeundi. Post istam enim vocationem, adhuc redierunt ad propria, sed in tertia vice, vel vocatione, perfecte ei adhæserunt. Unde tunc non est dictum. Subductis ad terram navibus sed:

m Relictis omnibus secuti sunt eum.] Hoc fuit adimpletum in tertia vocatione. Aliter revera non possent eum sequi, nisi omnia reliquissent. Unde *infra* 14. Omnis ex vobis, qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ideo dicit Petrus. *Matth. cap.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Ubi dicit *B. Bern.* Recte, Petre, fecisti, quia currentem sequi non poteras oneratus, qui exultavit ut gigas ad currendam viam. Sequentes Dominum omnia relinquunt duplici de causa.

Prima, ut in eo omnem sufficientiam ostendant, quia ipse est omnia in omnibus, 1. *Corinth. capit.* 15. *August.* Dives est Christiana religio, quæ in omnium possessore omnia possidet. *B. Bern.* Non est inutilis commutatio pro Christo omnia reliquisse, nam cum eo donantur omnia, & ubi apprehenderis eum, erit unus ipse omnia in omnibus.

Secunda causa est, ut ei vicem rependant, quia ipse omnia reliquit suo modo propter eos. *Jer. c.* 12. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam. Relictis omnibus,] retrahentibus, retardantibus, retinentibus. Retrahentia sunt divitiæ temporales, deliciæ, sæculi dignitates, & hujusmodi, quæ mundi sunt, quæ multos retrahunt, & resilire faciunt a bono proposito, tantum præsentia diligentes, futura vero non timentes, nec sperantes. De quibus dicitur *Sap.* 2. Dixerunt impii apud se cogitantes non recte, exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est, qui agnitus sit reversus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus, &c. *Isa. cap.* 22. Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur, ex toto. *Num. cap.* 32. Non quicquam quærimus trans Jordanem, idest, post mortem, quia jam habemus possessionem nostram in orientali ejus plaga, i. in præsenti vita. Retardantia, sunt filii, parentes, consanguinei, uxores, carnales amici. Quod significatum est, *Gen.* 24. ubi de famulo Abrahæ, qui iverat pro quærenda uxore Isaac, legitur. Surgens mane locutus est puer, dimitte me, ut vadam ad Dominum meum. Responderuntque fratres, & mater puellæ. Maneat puella saltem decem dies apud nos, & postea proficiscetur.

Item *Gen. c.* 31. Laban insecutus est fugientem Jacob, & quantum potuit, retardavit.

Item *Jud. c.* 19. Mansit gener in domo soceri tribus diebus comedens, & bibens cum eo familiariter, die autem quarto de nocte consurgens proficisci voluit, quem retinuit Socer, & ait ad eum. Gusta prius pusillum panis, & conforta stomachum, & sic proficisceris, tantum retinuit, quod in via mortua est uxor Levitæ.

Ideo dicitur *Ecclesiast.* 37. Noli consiliari cum socero tuo, & a zelantibus te absconde consilium. *Hieronym.* Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem,

▲ hæc

A hæc crudelitas pietas est. Retinentia, sunt stulta securitas, qua aliquis credit se esse in securo statu, vel timor perseverandi, vel corporis debilitas. Quæ bene significantur, 2. *Reg.* 19. per Berzellai, cui dixit David. Veni mecum, ut requiescas securus in Jerusalem. Et ait Berzellai ad Regem.

Matth. 8. Marc. 1.

Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Jerusalem? Obsecro ut revertar servus tuus, & moriar in civitate mea. Ita dicunt multi, quando verus David vocat eos ad ascensum melioris vitæ. Sufficit nobis status noster, bene sumus, bene possumus sic mori. De his tribus generibus vinculorum dicitur *Isa.* 52. Solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Item *Isa.* 58. Solve fasciculos deprimentes. *Hier.* ad Paulinum: Hærenti in salo naviculæ, funem magis præscinde, quam solve. *a* Et factum est, &c.] Hæc est secunda pars cap. in qua agitur de curatione leprosi. Quod miraculum secundum Lucam quarto loco ponitur non secundum ordinem historiæ, sed potius secundum mysterii rationem. Legitur enim *Matt.* 8. quod cum descendisset Dominus de monte, ubi elegerat Apostolos, & fecerat sermonem dicens. Beati pauperes, &c. inter montem, & Capharnaum occurrit ei leprosus, & sanavit eum, postea ingressus Capharnaum intravit Synagogam, & sanavit dæmoniacum, tandem in hospitio socrum Simonis febricitantem. Lucas autem ultimo ponit primum miraculum, potius insistens mysterio, quam ordini historiæ. Sicut enim Deus primo die divisit lucem a tenebris, sic Lucas primo narrat dæmonium ab homine separatum. Secunda autem die fecit firmamentum, & Lucas secundo dicit socrum Simonis ad firmitatem salutis reductam. Tertia die congregavit aquas in unum, & Lucas tertio loco narrat multitudinem piscium captam. Quarta die fecit luminaria, & quarto loco narrat leprosum curatum, quod ceteris miraculis clarius elucescit. Et per hoc ipsum ostenditur gratiam esse supra legem, quod post datam discipulis novam legem in monte sanatur leprosus a Domino, qui non poterat sanari per legem: Istud ergo dicitur quartum signum secundum ordinem Lucæ. Dicit ergo. Et factum est, cum esset in una,] vel, [cum venisset in unam civitatum,] scil. Capharnaum, quæ dicitur civitas sua *Matth* 9.

al. [*venisset in unam*,]

Secunda pars.

sunt eum. Et *a* factum est, cum † esset in una *b* civitatum, *c* & ecce vir plenus lepra, & *d* videns Jesum, *e* & procidens in faciem suam, *f* rogavit eum, *g* dicens: *h* Domine, si vis potes me mundare. Et *i* extendens manum, *k* tetigit eum Jesus, dicens: *l* Volo; *m* Mundare. Et *n* confestim lepra discessit ab illo. Et *o* ipse præcepit

b Et ecce vir plenus lepra,] i. valde leprosus, ut majus appareat miraculum. *d* Et videns Jesum, & procidens in faciem suam.] Tria notat cognitionem, humilitatem, confusionem. *f* Rogavit eum,] non confidens de meritis. *g* Dicens, Domine, si vis, potes me mundare.] *Ambr. super hunc locum.* Videns, quod dubitari non potest, quia voluntas Dei potestas est, voluntati potestatem tribuit, nec quasi incredulus dubitat, sed suæ colluvionis, i. indignitatis, in quam ceciderat conscius, non præsumit, i. non confidit de meritis.

Mystice.

Mystice, *c* Vir plenus lepra,] significat genus humanum diversorum peccatorum maculis infectum, quod per extensionem manus, idest, per verbi Dei incarnationem a lepra spirituali sanatum est. Specialiter autem lepra significat peccatum carnis, multiplici ratione. Prima est, quia per totum corpus diffunditur. *Num.* 12. Ecce jam medium carnis ejus devoratum est a lepra. 1. *Cor.* 6. Qui fornicatur, in corpus suum peccat. Secunda, quia consumit totum hominem, & quicquid boni habet. *Job* 31. Ignis est usque ad consumptionem devorans. Tertia quia fœtet. *Eccl.* 9. Omnis mulier, quæ fornicaria est, quasi stercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Quarta, quia sitire facit, *Isa* 6. Multitudo ejus siti exaruit. Quinta, quia membra aufert, scil. oculos intelligentiæ. *Judic.* 16. Samson excæcatus est propter meretricem.

Lepra significat peccatum carnis.

Item aures obedientiæ, nares discretionis, capillos bonæ cogitationis, barbam fortitudinis, supercilia sanctæ indignationis, manus bonæ operationis, pedes sanctæ affectionis, linguam confessionis, & orationis, ac prædicationis, quia non est speciosa laus in ore peccatoris. *Eccl.* 15. Sanatio ergo leprosi est curatio generis humani, vel cujuslibet peccatoris. Dicit ergo.

a Et factum est, cum esset in una civitatum,] per quam significatur Ecclesia, ubi est civium unitas. *b* Et ecce vir plenus lepra.] Per virum notat peccandi potentiam, per plenus peccatorum multitudinem, per lepra peccati diffamationem. *d* Et videns Jesum,] oculo fidei, quæ purificat cor. *Act.* 15. *e* Et procidens in faciem,] per humilitatem, & discretionem. Mali enim retro corruunt, sed boni in faciem. *f* Rogavit eum,] post, quia oratio humiliantis se nubes penetrat. *Eccl.* 35. *g* Dicens,] corde, & ore. *h* Domine, si vis, potes me mundare,] q. d. de potestate non dubito, sed de voluntate, non quia immisericors sis, sed quia ego indignus. *Job* 23. Anima ejus, quæcumque voluit, fecit. Sequitur.

De pœnit. dist. 1. c. *voluissent.*

i Et extendens manum.] *Rab.* Extensio manus miserationis prætendit affectum. *k* Tetigit eum.] Non quia sine tactu sanare posset, sed ut indicet, se non subjectum legi, quæ prohibet tangere leprosum, & extra castra manere. *Lev.* 14. *Chrys.* Elisæus noluit videre Naaman leprosum legem observans. Christus tangit, quia legi non subjacet. Nec enim timuit Dominus contagium propter contactum leprosi. *Sap.* 7. Attingit ubique propter suam munditiam, & nihil inquinatum incurrit in eam. Tetigit ergo eum. *l* Dicens, volo.] In hoc pietas. *Chrys.* Infirmitas animæ non est miseranda, sed odienda.

Glos. Non timet contagium, i. contactum leprosi qui reputatur immunditia secundum legem, i. non timet mutare præcepta legis, quia potens eum est auctoritas mutandi.

m Mundare.] In hoc majestatis potentia, quia dixit, & facta sunt. Nota, sicut dicit *Ambr.* Eo modo sanat Dominus, quo obsecratur, scilic. eodem ordine verborum, quo leprosus rogat. Vel eodem ordine, scil. verbo, voluntate, opere. Verbo, in [dicens,] voluntate, in [volo,] opere, in [mundare.]

Item nota tria. Tetigit, volo, mundare. Tetigit, in hoc humilitas, volo, in hoc pietas, mundare, in hoc potestas.

Item tetigit, volo, mundare, hæc tria sunt contra tres hæreticos. Unde *Ambr.* & *Beda*. Tetigit propter humilitatem, ut nos doceret nullum spernere pro aliqua corporis maculatione. *Job* 5. Visitans speciem tuam non peccabis. Tangit non dedignatus, imperat non diffisus, adhibet operis testimonium. Volo, dicit propter Fotinum, imperat propter Arrium, tangit propter Manichæum. Fotinus dicebat Deum severum esse, eo quod vindicaret peccata patrum in filios usque in tertiam, & quartam generationem, & quia præcipiebat aliquando lapidari colligentem ligna sabbato. Per hoc ergo, quod ait, volo, arguitur Fotinus, scil. hæreticus. Hoc enim verbo affectus pietatis exprimitur. Per hoc, quod imperat dicens, mundare in eo potentia exprimitur, in quo arguitur Arrius, qui asserebat Christum non esse Deum naturaliter, sed puram creaturam, & ita impotentem. Per hoc, quod tangit, arguitur Manichæus, qui asserebat, eum habere corpus phantasticum. Tangit autem propter quinque rationes.

Prima propter suam humilitatem.

Secunda propter exemplum, ut, scil. doceret nullum propter maculam corporis esse spernendum.

Tertia propter hæresim confutandam, ut dictum est.

Quarta propter suæ potentiæ demonstrationem, ut, scil. per hoc ostenderet, se non esse subjectum legi, quæ prohibet leprosum tangi. Ipse autem tetigit sine sui contaminatione, ut dictum est.

Quinta, ut sic ostenderet tempus gratiæ jam venisse, & legalia cessare, &c.

Extendit Dominus manum suam ad
- Percutiendum. *Isa.* 9. Adhuc manus ejus extenta, & populus non est reversus ad percutientem.
- Dandum. *Pr.* 31. Manum suam aperuit pauperi, &c. *Ps.* 114. Aperis tu manum, &c.
- Dimittendum. *Job* 1. Extende paululum manum tuam, &c.
- Retribuendum. *Psal.* 54. Extendit manum suam in retribuendo.
- Amplectendum. *Prov.* 1. Extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.
- Patiendum. *Isa.* 25. Extendet manus suas sub eo sicut natatis ad natandum.

n Et confestim lepra discessit.] *Ambros.* Nihil medium inter opus, & præceptum, quia in præcepto est opus. *Sap.* 16. Non herba, neque malagma, sed omnipotens sermo tuus, Domine, qui sanat omnia. *Psal.* 147. Velociter currit sermo ejus. Dixit enim, & facta sunt. *Beda*. Ubi leprosus mundatur, non exprimitur locus, ut ostendatur non unum populum alicujus specialis civitatis, sed omnium populos fuisse sanatos, idest, & de omnibus aliquos. *o* Et ipse præcepit illi, ut nemini diceret.] Illud est non præceptum, propositum ta-

A meo in forma

illi, ut nemini diceret, *a* sed vade, ostende te Sacerdoti, *b* & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses in *c* testimonium illis. *d* Perambulabat autem magis sermo *e* de illo, *f* & conveniebant turbæ multæ, ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. *g* Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.

men in forma præcepti. Si enim præceptum fuisset, arguendus esset transgressionis, si contra Domini præceptum miraculum divulgaret. Sic ergo intelligendum est. [Præcepit,] i. forma præcipiendi usus est. Usus est enim verbo imperationis dicens. Vide, nemini diaeris. *Matt.* 8. Ac si diceret evidens est in te restitutio sanitatis, ipsa evidentia sanitatis sufficit ad manifestationem miraculi sine tua prædicatione. *Beda.* Non erat necesse, quod sermone jactaret, quod corpore præferebat. Lucas, autem prætermisit hoc verbum. Vide nemini diaeris, quod Matthæus ponit *Gl.* Docet non divulganda esse nostra beneficia. Et est summa, quod Dominus prohibet, quod nemini dicat, non quod manifestatio miraculorum ei displiceat, sed ut declinandi favorem humanum nobis exemplum præbeat. Sed premenda, i. subticenda supple intuitu humani favoris. Non enim prohibetur operis exhibitio, sed inanis gloriæ intentio. Ut non solum a mercede abstineamus, pecuniæ, sed etiam gratiæ, i. laudis humanæ. Jactantia vitata, q. d. summopere vitanda est arrogantia. Qui enim gratiam in beneficiis devitat, omnia vitia facile declinat. Et hoc est, jactantia vitata facit, ne lepra, i. aliquod vitium, vel etiam favor humanus possit transire in medicum, i. in illum, qui bene alios instituit, vel alio modo eis beneficia impertitur. Ideo etiam imperatur silentium, quia meliores putat, qui fide magis spontanea, quam qui speratis beneficiis credidissent, q. d. ideo Dominus imperat fieri silentium, ne alii audientes miraculum spe similis beneficii traherentur ad fidem & non gratis. Dominus autem mavult, ut veniant ad fidem propria voluntate ducti, quam beneficiis excitari. *a* Sed vade, ostende te Sacerdoti.] Leprosi nonnisi ad arbitrium Sacerdotum ejiciebantur extra castra, nec sine eorum arbitrio in commune eorum consortium admittebantur, ideo præcepit ei Dominus, ut ostendat se Sacerdotibus, i. juxta decretum legis faciat oblationes pro restitutione sanitatis, &c.

Matt. 4. Marc. 1. Joan. 6.

Præcipit non dicere, sed ostendere propter.
- Humilitatem, ut Sacerdotes honoraret.
- Utilitatem, ut videntes, i. credentes salvaret.
- Inexcusabilitatem, ut videntes, & non credentes juste damnaret.
- Veritatem, ut legem non frangeret, quæ sic præcipit.
- Eruditionem, ut jactantiam fugere doceret.
- Potestatis ostensionem, ut non legis ordine, idest, per sacramenta legalia, sed gratia sanatum leprosum ostenderet, &c.
- Rei manifestationem, quia non erat necesse, ut sermone jactaret, quod corpore præferebat.

Item est præceptum.
- Quandoque proponitur.
  - Præceptum in forma præcepti. Honora patrem tuum. *Exod.* 20.
  - Præceptum non in forma præcepti. Non fornicaberis. *Exod.* 20.
  - Non præceptum in forma præcepti. *Matth.* 8. Vide nemini diaeris.
- Proprie executionis obligans ad agendum. *Exod.* 20. Non facies furtum, &c.
- Minus proprie probationis obligans ad volendum. *Genes.* 22. Immola mihi.
- Improprie instructionis non obligans,

sed docens ad sciendum, ut hic, & *Matt.* 8. Vide nemini diaeris, &c. Sequitur. *b* Et offer pro emundatione, tua, sicut præcepit Moyses in testimonium illis.] Istud pluribus modis construitur. Primo sic. *a* Ostende te Sacerdoti in testimonium,] tuæ sanationis, ut ipsa ostensio sit judicium sanitatis. *b* Et offer illis.] Repete, in testimonium tuæ sanationis i. ut ipsa oblatio sit testimonium, & signum tuæ sanitatis, sive curationis.

Et *h* factum est in una dierum, & ipse sedebat docens. Et *i* erant Pharisæi sedentes, & legisdoctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Judææ, & Jerusalem, & virtus *k* Domini erat ad sanandum eos. *l* Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat *m* paralyticus, & quærebant eum inferre, & po-

Aliter construitur hæc dictio, [illis,] cum dictione [testimonium.] Et est sensus. *c* In testimonium illis,] i. ut illorum testimonio mundus habearis. Vel. [In testimonium illis,] acquisitive, i. in testimonium salutis eorum si credant, vel damnationis si non credant. *Beda.* Pro emundatione offerebant tortam panis, turtures duos, & sextarium olei. Mysticus sensus est. Torta panis soliditas dilectionis. Duo turtures, gemitus contritionis. Sextarium olei, pietas compassionis. *b* Offer pro emundatione tua, &c.] fieri oblationes ab eis, qui sanabantur a lepra, ut hoc esset. *c* Illis in testimonium,] i. ut ipsa oblatio, si spiritualiter se offerent esset testimonium, quod sanati essent a lepra spirituali, i. a peccato. *Matt.* 8. Offer munus tuum, quod præcepit Moyses. Munus scil. cordis, veram contritionem, munus oris, veram confessionem, munus operis, veram satisfactionem. *d* Perambulabat autem magis sermo,] sanitatis, scil. & doctrinæ. *e* De illo,] quia quanto magis fugit aliquis laudes hominum, tanto amplius laudes sequuntur. Similiter est de dignitatibus hujus mundi. Et in hoc utrumque assimilatur umbræ, quæ fugit sequentem, & sequitur fugientem, *Eccl.* 11. Si secutus fueris, non apprehendes, & non effugies si præcurreris. *f* Et conveniebant turbæ multæ, ut audirent, &c.]

D

Matt. 9. Marc. 2.

Primo dicit, [audirent,] postea [curarentur,] quia sermo Domini curat. *Sap.* 16. Non herba, neque malagma, &c. *g* Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.] Post miraculorum operationem fuit in desertum, ut doceat de bene gestis non gloriam hominum quærere, sed Deo laudes, & gratias referre.

Item, quod sanat, & orat, duplicem naturam declarat. *Beda.* Sanat ut Deus, orat ut homo. Item, quod in urbe sanat, in deserto orat, utramque vitam, informat. Unde *Beda.* Quando orat, Theoricam vitam, quando sanat, activam informat.

Item sanat, & orat. Per hoc instruens, ut tu pro cura proximi amorem Dei, vel pro amore Dei curam proximi non derelinquas.

Moraliter.

Moraliter. Secundum *Bed.* In desertum secedit, & orat, qui exurgentem strepitum vitiorum premit, & quoddam sibi secretum cum Domino intra se quærit, ubi cum illo exteriore cessante tumultu, per interna desideria similiter loquatur. Quidam quæsivit a quodam patre. Quid faciam, ut salvus sim. Qui respondit. Fuge homines, & tace *Ezech.* 45. Qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus, & ponam eos in circuitu collis mei benedictionem, scil. Monachos, & deducam imbrem in tempore suo, & pluviæ benedictionis erunt. *Ps.* 54. Elongavi fugiens, & mansi in solitudine. *h* Et factum est in una dierum, & ipse sedebat docens.] Non dicit ubi. *Matt.* 9. *Marc.* 2. Matthæus dicit in civitate sua. Marcus in Capharnaum. Nec est contrarium. Capharnaum enim dicitur civitas Domini, vel quia est in regione, in qua natus est, i. Galilæa.

Tertia pars.

Vel dicitur civitas ejus, non propter nationem, sicut Nazareth, sed propter miraculorum illustrationem, quia multis eam illustravit miraculis.

Dicitur ergo civitas Domini ad distinctionem regionis Gerasenorum, in quam transfretaverat post præmissa miracula, & inde redierat in Galilæam, & venerat in Capharnaum, ut habetur in Matthæo, sed Lucas hic prætermittit. Sequitur. *i* Et erant Pharisæi sedentes, & legisdoctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Judææ, Jerusalem, & virtus,] i. misericordia. *k* Domini erat ad sanandum eos,] i. quosdam eorum, qui venerant.

l Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum, &c.] usque ibi, [cum lecto in medium ante Jesum.] Littera plana est. Mystice. *m* Paralyticus,] est quilibet peccator. Sed proprie peccatum luxuriæ dicitur paralysis animæ. *Jerem.* 31. Usquequo dissolveris deliciis, filia vaga? *Ezech.* 7. Omnes manus dissolventur, & genua fluent aquis. Magis proprie pusilla-

Mystice.

nimis

nimit dicitur Paralyticus propter quinque. Primo quia tremulus. *Dan.* 5. Compages renum ejus, i. Balthasar, dissolvebantur, & genua collidebantur, Balthasar, i. absorbens divitias. Secundo, quia insensibilis. *Jer.* 5. Percussisti eos, & non doluerunt, &c. Tertio, quia dissolutus *Isa.* 35. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. *Jer.* 38. Occidatur homo iste, de industria enim dissolvit manus virorum bellantium. Quarto, quia piger. *Prov.* 21. Desideria occidunt pigrum, noluerūt enim quicquam manus ejus operari. *Prov.* 19. Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet. 5. quia ineloquens *Isa.* 29. Erit quasi pythonis de terra voa tua, & de humo, &c. Lectus, in quo jacet, est torpor, vel carnalis voluptas. Viri portantes sunt Ecclesiæ doctores, qui paralyticum debent ad cœlestia sublevare, & ante Jesum ponere monendo ipsum, ut pœniteat & satisfaciat, & intercedendo ad Jesum, ut indulgeat, & sanet. Notantur autem hic tria officia prælatorum. Quorum primum est portare patiendo, cumpatiendo, subveniendo. *Gal.* 6. Alter alterius onera portare, Secundum est ad Deum sublevare increpando, exhortando, intercedendo. Tertium est inferre i. contra Ecclesiam ferre, & proponere ante Jesum per consolationem, per eruditionem, per reconciliationem. Multi vero prælati magis student offerre subditos, i. ferre extra Ecclesiam per excommunicationem, quam inferre, sicut dicitur *Jo.* 16. Absque synagogis facient vos. Et *eod.* Jam conspiraverant Judæi, ut si quis confiteretur eum Christum, extra Synagogam fieret. Tectum dicitur observantia consiliorum, ad quod debent ascendere portitores, & levare infirmos. *Matt.* 24. Qui in tecto est, non descendat. Item tectum dicitur sublimitas sacræ Scripturæ, scil. sensus allegoricus, & anagogicus, sive etiam mysticus, ad quem debent ascendere portitores, i. prælati, & secum trahere paulatim infirmos, erudiendo ipsos. Item tectum dicitur litteralis sensus sacræ Scripturæ, qui regit mysticum, & moralem. Supra quem debent ascendere prælati, & levare infirmos, ut perveniant ad sensum mysticum, & moralem. Item tectum dicitur caro, qua tegitur anima. Supra quam debent ascendere prælati, domando, ac spiritui subjiciendo, & sic post se trahere infirmos. Sic faciebat ille bonus portitor Paulus. 1. *Cor.* 9. Castigo corpus meum, &c. Aliter. Paralyticus est animus dissolutus. Quatuor portitores sunt quatuor virtutes Cardinales, quæ semper elevant animam ad superna, & inferunt ante Jesum. De quibus dicitur *Zach.* 1. Ostendit mihi Dominus quatuor fabros, & dixi. Quid isti veniunt facere? Qui ait, dicens. Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam per singulos viros. Lectus, in quo jacet paralyticus, est caro, in qua jacet torpens animus. Tectum est charitas, quia est eminentior pars spiritualis ædificii, cujus fundamentum est fides, paries, spes, tectum, charitas. Tegulæ tecti sunt opera charitatis. Et per tegulas intromittitur infirmus ad Jesum, quia per opera charitatis venitur ad salutem. Unde de Cornelio. *Act.* 10. legitur, quod per opera venit ad fidem, i. ad fidei distinctionem. Turba impediens triplex est scil. turba strepens interius, scil. cogitationum, & desideriorum. De qua dicitur *inf.* 8. Turbæ comprimunt te. Item turba inquietans exterius curarum, & sollicitudinum. De qua dicitur *inf.* 10. Martha, Martha, &c. Item turba circumstans undique cognatorum, & nepotum. De qua dicitur *Job* 21. Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum. Hæc triplex turba impedit paralyticum, ne ante Jesum inferatur, hic, & *Matt.* 9. Languidum ne Jesum agnoscat. *Jo.* 5. Cæcum increpando, ut taceat. *Matth.* 20. Zachæo obstando, ne Jesum videat, *inf.* 19. Retardans parentes adire Jesum. *Marc.* 3. Differens suscitationem mortuæ. *Matth.* 9. Prorogans cæci illuminationem: *Marc.* 8. Volens Jesum rapere in regem, *Jo.* 6. Sic exponitur, Mystice, Sequitur.

a Quorum fidem ut vidit.] *Glos.* Non Paralytici, qui sensu carebat. *b* Dixit homo,] quasi discretive dicit, ac si diceret, tu homo purus es, ego Deus sum, qui peccata remitto. Remittuntur tibi peccata tua] *Matth.* 6. dicitur. Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua *Aug.* Utrumque dixit Jesus, quod uterque Evangelista testatur. Sed homo peccat, filio remittuntur peccata, *Gl.* Multum valet cujusque fides propria, cum per alienam fidem homo interius, exteriusq; sit salvatus. *Beda.* Quia pro culpa animi etiam corpore infirmabatur, ideo sanaturus corpus, prius sanat animam. *d* Et cœperunt, &c.] Ad fidem portātium paralyticum Dominus respiciens, primo sanavit paralyticum in anima remittendo ei peccata, quia causa exterioris morbi erat infirmitas animæ. Sanaturus ergo morbum, primo sanat causam morbi. Sed Pharisæi audientes eum dicentem. [Remittuntur tibi peccata,] indignati arguunt eum de blasphemia tanquam sibi usurpet, quod solius Dei est, quia solius Dei est dimittere peccata.

nere ante eum. Et non invenientes, qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum. *a* Quorum fidem ut vidit, dixit *b* Homo, *c* remittuntur tibi peccata tua, Et *d* cœperunt cogitare Scribæ, & Pharisæi dicentes. *e* Quis est hic, qui loquitur blasphemias? *f* Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Ut autem *g* cognovit Jesus cogitationes eorum, *h* respondens dixit ad illos, *i* Quid cogitatis in cordibus vestris? *k* Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata, *l* an dicere, surge, & ambula? Ut *m* autem sciatis, quia *n* filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, *o* ait paralytico; tibi *p* dico, *q* surge,

Nota ergo, quia non errant in confessione oris, quia confitentur solum Deum dimittere peccata, errant autem in infidelitate cordis, quia non credunt hominem illum Deum esse. Dominus autem misertus erroris eorum, ex duobus se asserit Deum esse, & sic peccata posse dimittere, scil. quia novit eorum conscientias, & quia jam sanavit paralyticum in corpore, quem sanaverat in anima. Solius enim Dei est scrutari renes, & corda, vel facere opera miraculosa. Quoniam ergo cogitationes intuetur, & paralyticum sanat in corpore, satis probat eis, quia potest peccata dimittere. Hoc est, quod dicitur hic.

Et cœperunt cogitare Scribæ, & Pharisæi, dicentes, &c. Blasphemat, qui, quod Dei est, usurpat. *Chrys.* Multi Deum cogitantes ulcisci proprias complent passiones.

e Quis est hic, qui loquitur.] *Chrys.* Prope nihil loquitur, sed æmulatores aliorum insidiantur beneficiis. *Eccl.* 13. Pauper locutus est, & dicunt, quis est hic? Et si offenderit, subvertent illum. *f* Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus.] *Isa.* 43. Ego sum, qui deleo iniquitates propter me. *g* Ut autem cognovit Jesus cogitationes eorum.] *Chr.* Et hoc solius Dei est, scire cogitationes. *h* Respondens dixit ad illos, quid, &c.] *Chr.* Si non esset Deus, respondisset sicut Joannes, Non sum ego Christus, vel Deus. *i* Quid cogitatis] mala, [in cordibus vestris.] *Chr.* Mansuetudo omnium potentior est. *Prov.* 16. Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo &c. *k* Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata,] i. peccata solo dicto dimittere. *Beda.* Quod solus, qui dimitto, novi, quasi ego solus novi, quod istorum sit facilius. *l* An dicere surge, & ambula?] i. corporaliter curare, quod & vos videre potestis, q. d. utrumque est mihi facile. *Hier.* Utrum sint paralytico peccata dimissa, solus noverat, qui dimittebat: surgere autem, & ambulare omnibus manifestum erat, qui videbant. Fit ergo visibile signum, ut probetur invisibile. *Chr.* Paralysim corporis solvit, & animæ, ut ostendat se utriusque conditorem. Unde sequitur. *m* Ut autem sciatis.] Verba sunt Christi. *n* Quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico, tibi dico, surge, &c.] Sic construe. *m* Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata,] & sunt verba Christi dirigentis sermonem ad eos. *p* Tibi dico, &c.] statim convertit sermonem ad eum. Hoc *o* Ait paralytico. Verba sunt Evangelistæ. Aliter. *m* Ut sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, i. ego habeo potestatem dimittendi peccata, qui sum filius hominis. Et tunc. *o* Ait paralytico, dico tibi surge,] ut quod sequitur, [dico tibi,] sit *Gl.* ejus, quod præcedit,] ait paralytico, filius hominis habet potestatem,] non tamen

A quia filius hominis

Moraliter. *q* Surge,] dicitur sedenti, jacenti, dormienti. Sedet autem homo per consensum, jacet per operationem, dormit per consuetudinem.

De sedente dicitur in *Ps.* 106. Surgite, postquam sederitis, qui manducatis, &c. De jacente dicitur *Josue* 7. Surge, cur jaces pronus in terra? De dormiente dici-

*tur. *Eph.* 5.

Marginal notes: *Pusillanimus dicitur paralyticus propter quinque.* — *Matt.* 9. — *Aliter.* — *Chr.* Non absque q laborantibus quæris fidem, puto tamen consentiens. — *Matth.* 9. *Marc.* 2. — *Moraliter.*

a quis filius hominis, sed quia filius Dei, quia idem est filius, & Deus. Item non dicit accepit, sed habet, ut ostendat se æqualem patri. Sequitur.

a Tolle grabatum tuum.] *Hier.* Ut quod fuit testimonium infirmitatis, fit probatio sanitatis, sc. grabatum in quo diutius discubuisti.

a tolle † b grabatum tuum, † & c ambula, d & vade in e domum tuam. Et confestim f consurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat, & abiit in domum suam magnificans Deum. Et g stupor h apprehendit omnes, & magnificabant Deum: Et i repleti sunt timore dicentes, quia vidimus mirabilia hodie. Et k post hæc l exiit, m & vidit n Publicanum nomine Levi o seden-

Al. † lectum. Al. non habet † & ambula.

c Et ambula, & vade in domum tuam. Et confestim surgens coram illis, &c.] *Beda.* Magna virtus verbi, sine mora imperium salutis comitatur ipsum verbum supple.

g Et stupor] admirationis de novitate miraculi.

h Apprehendit omnes, & magnificabant Deũ.] Viso miraculo convertuntur ad laudem tantæ majestatis.

i Et repleti sunt timore dicentes, quia vidimus mirabilia hodie.] Sicut dicit *Amb.* adhoc erant increduli, & ideo timebant, nam si crederent, non timerent, sed diligerent. Perfecta enim dilectio foras mittit timorem servilem, scilicet 1. *Joann.* 4.

Moraliter.

† tui. *Eph.* 5. Surge, qui dormis. Surgere ergo, est triplex peccatum dimittere.

a Tolle.] In peccato duo sunt. In actione delectatio, post actionem pœnitentia. Et in verbo tollendi duo similiter, remotio, & portatio. Unde notabiliter dicit.

a Tolle,] i. peccatum delere, & pœnam sustine,

b Grabatum.] Grabati nomine significatur caro. Nam sicut æger in grabato jacet, sic peccator in carne, dum ejus concupiscentiis favet. *Amos* 3. Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, & in Damasci grabato, q. d. luxuriosi vix possunt ad hoc induci, ut aliqua bene agant, vel saltem in extremo vitæ suæ obediant. *Ps.* 40. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus. Item universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. *Jo:* 5. dicunt Scribæ, & Pharisæi: Non licet tibi lectum tuum tollere, quia sabbatum est, i. non licet abstinere a carnali voluptate, quia festum est. Similiter dicitur de Judæis, qui Dominum crucifixerunt. *Jo:* 19. Judæi quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato: Erat enim magnus dies ille sabbati, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur crura eorum.

c Et ambula,] de bono in melius proficiendo, vel locum peccati fugiendo. *Gen.* 19. Loth egresso de Sodomis dicitur: Noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regionem.

d Et vade in domum tuam,] i. in Ecclesiam per Sacramentorum perceptionem, quia omnes, qui extra fuerint, peribunt. *Gen.* 7. Omnes qui extra arcam inventi sunt, diluvio perierunt. Et *Exod.* 9. Quicquid fuit in agris grandine percussum, periit. Quicquid extra domum inventum est, gladio interiit. Vel,

e In domum,] i. in cœlum per jugem meditationem, *Prov. c.* 1. Frustra jacitur rete, &c. ibi *Beda.* Facile vitat laqueos in terris, qui semper habet oculos in cœlis. Vel [in domum,] idest, in propriam conscientiam non alienam, per sollicitam discussionem. *Sap. c.* 8. Intrans in domum meam conquiescam, i. non corritabo per aliorum conscientias, quia dicitur *Eccl.* 26. Vita nequam hospitando de domo in domum. Item *Eccl.* 21. Pes fatui facilis in domum proximi. Item *Eccl.* 32. Præcurre prior in domum tuam, & illic advocare, & age conceptiones tuas. [in domum tuam,] utilitatem, ac fragilitatem corporis considerando. *Nahum* 3. Intra in lutum, & calca, subigens tene laterem. Breviter ergo dicitur Paralytico. Surge, peccatum deserendo tolle grabatum, carnem affligendo, ambula, bene operando, vade [in domum tuam,] vilitatem propriam considerando, quod multum valet ad conservationem humilitatis. *Job* 5. Visitans speciem tuam non peccabis.

f Et confestim consurgens coram illis,] ut sicut coram omnibus peccaverat. Quod est contra multos, qui non erubescunt peccare publice, & tamen publicam pœnitentiam nullo modo facere volunt. De reliquo planum est. Sequitur.

k Et post hæc exiit, &c.] Quarta pars, in qua de vocatione Matthæi agitur, quæ revera facta fuit ante sanationem paralytici, quod patet per hoc, quod Lucas *inf.* 6. dicit duodecim Apostolos in monte electos, quando fecit sermonem. Beati pauperes, &c. Unde patet recapitulationem esse, quod hic dicitur de vocatione Matthæi. Et ita dicit *Aug.* Et nota, quod Marcus, & Lucas vocant eum Levi subticendo nomen ejus usitatum, idest, Matthæum.

Quarta pars.

Idem enim est Levi, & Matthæus. Et hoc faciunt propter reverentiam Apostoli, ne quodammodo diffamarent eum, quia si poneretur nomen, quod omnibus erat notum, quodammodo divulgarent crimen ejus notorium.

F *Matth.* 6.

Ipse enim erat exactor publicorum vectigalium, & omnibus erat notum, quod dicebatur Matthæus.

Unde subticent nomen ejus, quod erat quasi infame, propter reverentiam Apostoli. Matthæus autem in principio sermonis sui, accusator est sui, unde Matthæum se nominat, quod facit Matthæus, ne nemo de salute desperet pro peccatorum immanitate, cum ipse de publicano Apostolus, de Telonario sit Evangelista factus.

Mystice.

Mystice. Electio Matthæi significat electionem gentium, quæ prius lucris temporalibus inhiant, postea Dominum in sua domo sedula devotione refecit.

Moraliter.

Moraliter, autem Matthæi vocatio est peccatoris conversio, quia sicut Matthæus post vocationem non est reversus ad pristinum officium, sic peccator conversus non debet reverti ad peccatum dimissum: Sed quærit aliquis quare Petrus redit ad officium suum post vocationem, & Matthæus non? Ad quod dicimus, quod officium Petri absque peccato impleri poterat, sed officium Matthæi, aut vix, aut nunquam sine peccato poterat exerceri. *Eccl.* 26. Difficile exuitur negotians a negligentia sua, & non justificabitur caupo a peccatis labiorum. Et sicut Matthæus convivium fecit Domino post vocationem suam, ita peccator post conversionem suam in domo sua facit convivium Christo. In quo quatuor principaliter apponuntur ei.

Primum est aqua lacrymarum, & vinum compunctionis.

Secundum panis hordaceus, idest, amara recordatio peccatorum.

Tertium, lac, idest, dulcedo pietatis.

Quartum, butyrum, idest, pinguedo charitatis. Hæc quatuor apposuit Abraham Angelis. *Gen.* 18. Modo prosequere litteram.

k Et post hæc exiit, & vidit Publicanum nomine Levi sedentem in Telonio, &c.] Quantum ad litteram non videtur bene dici. [Post hæc.] Nam si diceretur. Factum est in illis diebus, ut frequenter alibi solet dici, aliquo modo posset stare, quod autem dicitur, [post hæc] non videtur stare posse, cum constet, quod curationem hujus Paralytici longe præcesserit vocatio Matthæi, qui electus fuerat cum aliis in monte. Ergo ante vocatus, postea inter montem, & Capharnaum sanatus est leprosus, postea in Capharnaum in Synagoga dæmoniacus, postea socrus Simonis in hospitio, postea transfretavit in regionem Gerasenorum, & ibi fecit miracula quædam, postea redit in Capharnaum, & sanavit hunc paralyticum.

Nota ergo, quia de vocatione repetit, ut commodius transeat ad aliud, scil. ad convivium solemne, quod fecit ei Matthæus in domo sua. Quod ergo dicitur de vocatione recapitulatio est, quod autem de convivio sequitur recte historiæ prosecutio. Et sic potest ordinari littera. Et post hæc, fecit ei Levi convivium magnum in domo sua. Modo revertere retro, quia.

l Exiit,] idest, exierat Dominus ante de justitia ad misericordiam.

m Et vidit,] idest, viderat oculis misericordiæ. *Eccl.* 34. Oculi Domini in diligentes se. *Sap.* 4. Respectus ejus in electos ejus, *infr.* 22. Conversus Dominus respexit Petrum, &c.

Nec mirum. Si ad respectum Solis solvatur gelicidium aquæ, cur ad respectum Christi peccatorum montes non defluant? *Is.* 64. Utinam cœlos disrumperes, & descenderes, &c.

n Publicanum nomine Levi.] Levi interpretatur assumptus per gratiam de sterquilinio peccatorum. *Psalm.* 17. Misit de summo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis.

o Sedentem,] non est referendum ad situm corporis, sed usualis locutio est, sicut solet dici, pes biennium sedit ibi.

Et dicit *Glos. Interl.* [Sequentem] idest, pertinaciter lucris inhiantem.

▲ a Ad Telonium.] Telonium est domus, in qua solvuntur tributa, sive vectigalia. Magis proprie dicitur Telonium mensa, in qua computantur vectigalia. Telos Graece, vectigal Latine.

b Et ait,] i. dixerat illi. [c Sequere me] *Chrys.* Hunc sicut Paulum non desistentem a malis vocat. Item *Chrys.* Quare de vocatione aliorum Apostolorum tacet, nisi Petri, & Andreae, & Joannis, & Jacobi, & Philippi, & Matthaei? Quod nec Telonio aliquid deterius, nec piscatione aliquid vilius. His igitur oportebat credere, cum praeclara narrarent. [Sequere me.] *Bed.* Non lucra *Job* 23. Vestigia ejus secutus est pes meus.

Al. † murmuraverunt. Matth. 9. Marc 2. 21 c. 4. d. in fidelet.

tem a ad Telonium, b & ait illi: c Sequere me. Et d relictis omnibus e surgens f secutus est eum. g Et fecit ei convivium magnum Levi in h domo sua, i & erat turba multa Publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant discumbentes. Et † k murmurabant Pharisaei, & Scribae eorum, dicentes ad discipulos ejus. l Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis? Et m respondens Jesus, dixit ad illos. n Non egent, qui o sani sunt medico, p sed qui male habent. q Non enim veni vocare justos, r sed peccatores in poenitentiam. At illi s dixerunt ad eum: t Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, u & † obsecrationes faciunt, similiter & Pharisaeorum, tui autem edunt, & bibunt? x Quibus ipse

d Et relictis omnibus] propriis, scilic. & alienis rebus, de quibus Domino suis debuit reddere rationem, sed propter promptitudinem obedientiae rationes vectigalium incomputatas reliquit. Quia ergo reliquit vectigalium administrationem, meruit dominicorum talentorum fidelis fieri dispensator. *Matth.* 24. Quis putas est fidelis servus, & prudens, *infr.* 12. Quis putas est fidelis dispensator. De talentis autem habetur *Matth.* 25. Et *inf.* 19. Vel aliter. [Et relictis omnibus,] sicut *sup.* retrahentibus, retardantibus retinentibus.

Aliter.

e Surgens,] abjiciendo terrena desideria.

f Secutus est eum.] Ut ferrum adamantem. *Jo:* 12. Cum exaltatus fuero a terra, &c. Porphyrius haereticus, atque Julianus arguunt in hoc loco vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim secuti sunt Salvatorem, quasi quemlibet hominem vocantem irrationabiliter. Quibus respondet *Hier. in orig. supr. Matth.* Tantae, inquit, virtutes, tantaque signa praecesserunt, quae Apostoli antequam crederent viderunt, quod minime dubitare potuerunt. Certe fulgor ipse, & majestas Deitatis occultae, quae etiam in humana facie relucebat ex primo aspectu ad se poterat trahere videntes. Sic etiam in magnete lapide haec esse vis dicitur, ut annulos, & stipulas, & festucas, sibi copulet, quanto magis Dominus rerum omnium ad se trahere poterat, quos volebat. Patet jam ordinario literae secundum historiae prosecutionem. Modo prosequere litteram, secundum quod jacet.

g Et fecit ei convivium magnum Levi,] assumptus.

h In domo sua,] ad lit.

Moraliter.

Moraliter. [In domo sua,] i. in corde suo. *Apoc.* 3. Si quis aperuerit mihi, intrabo, & coenabo cum illo. *Job* 1. Filii Job faciebant convivia per domos, unusquisque in die sua. & mittentes vocabant tres sorores suas, i. infirmos corde, ore, opere, ut comederent, & biberent cum eis. *Esther ult.* Decima quarta die, i. Decalogum, & Evangelium implentes celebraverunt convivia cum gaudio, partes sibi invicem mittentes majores minoribus. [Magnum,] dicit, quia in tantum, quod etiam de reliquiis comedunt Angeli, *inf.* 15. Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, &c.

i Et erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant, discumbentes,] & poenitentes exemplo Matthaei, veniam peccatorum sperantes. Hos invitavit Matthaeus, ut socios haberet in poenitentia, quos socios habuit in culpa. *Apoc.* 22. Sponsus, & sponsa dicunt, Veni, & qui audit, dicat, Veni. *Exod.* 26. Cortina cortinam trahit. k Et murmurabant Pharisaei, & Scribae eorum dicentes ad discipulos ejus, &c.] *Amb.* Dupliciter peccant, quia putant se justos, cum sint superbi, & illos reos, cum jam poeniteant. *Mat.* 9. dicunt. Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester? Et certe non tam cum eis, quam ipsos spiritualiter manducabat. *Gen.* 27. Affer mihi duos hoedos optimos, ut faciam escas patri tuo, quibus libenter vescitur. *Chr.* Nisi sustineat medicus saniem laborantium, non eruet eos a morbo. m Et respondens Jesus dixit ad illos, non eget, qui sani sunt, medico,] Pharisaei particulam interrogationis subtacebant. l Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis?] supple, & vos facitis justos, & non nobiscum, qui justi sumus? Huic extremae parti primo respondet Dominus dicens.

Publicani dicebantur, quia publice peccabant, vel quia recipiebant publica vectigalia, vel quia merces suas vendendo omnibus publicabant, sicut mercatores.

n Non egent, &c.] q. d. vobiscum manducare recuso, vestramque cohabitationem declino; quia. o Qui sani sunt,] idest, reputant se sanos, idest, justos per arrogantiam de se praesumentes, sicut vos, qui de justitia vestra gloriamini.

n Non egent medico.] Et hoc dicit *Gl.* Ideo vos declino, quia putatis vos non indigere. *Joan.* 9. Quia dicitis, videmus, peccatum vestrum manet.

1. q. 1. c. mul. & i. De poen. dist. 1. c. Eccl. & dist. 3. c. adhuc.

p Sed qui male habent] q. d. ideo manduco cum publicanis, & peccatoribus, quia male habent, idest, reputant se male habere, idest, infirmos esse, idest, quia non diffitentur se peccatores esse, egent medico. Unde dicit *Beda.* Hos juvo, quia poenitendo dant locum gratiae. q Non enim veni,] q. d. declino vos. [Enim] quia [non veni vocare justos,] idest, de justitia praesumentes.

Al † observationes.

G

r Sed peccatores,] i. qui non diffitentur peccata sua, & converti volentes ad poenitentiam.

Mystice.

Mystice. Per hoc, quod publicani, & peccatores cum Domino manducant, Pharisaei, & Scribae non, sed esuriunt, significantur duo.

Alterum in statu hujus vitae, alterum in futuro. Pharisaei namque, & Scribae gerunt figuram Judaeorum, qui in hac vita famem patiuntur. Judaeus namque ad mensam sedet, & esurit, idest, Scripturas habet, sed non intelligit.

Nos autem spiritualiter reficimur, qui spiritualiter Scripturas intelligimus. Vel Pharisaei detractores gerunt figuram reproborum, qui epulantibus in regno Dei fidelibus, in inferno torquebuntur. *Isai.* 65. Ecce servi mei comedent, & vos esurietis, ecce servi mei bibent, & vos sitietis, ecce servi mei laetabuntur, & vos confundemini. Vocat autem Dominus se medicum. Et vere est medicus, qui mirabili genere medicaminis sanavit genus humanum.

Non enim est auditus medicus ipso excepto, qui propriis vulneribus sanavit aegrotos. *Is.* 53. Vulneratus est propter iniquitates nostras. *Chrys.* Nisi sustineat medicus saniem laborantium, non eruet eos a morbo. De hoc medico. *Eccl* 38. Honora medicum, propter necessitatem etenim illum creavit Altissimus. *Jer.* 8. Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi: Sequitur.

Quinta pars.

s At illi dixerunt ad eum: quare discipuli Joannis jejunant frequenter.] *Matth.* 9. dicit ipsos discipulos Joannis hoc quaesisse. Sed sciendum, quod utrique quaesierunt. *August.* Discipuli Joannis tribus de causis reprehendendi sunt.

Primo, quia de jejunio se jactabant.

Secundo, quia Christum, quem magister eorum, idest, Joannes commendaverat, calumniabantur.

Tertio, quia Pharisaeis, quos magister eorum Joannes condemnaverat, familiares erant. Dicunt ergo Domino.

t Quare discipuli Joannis jejunant frequenter,] idest, saepe.

u Et obsecrationes faciunt, similiter & Pharisaeorum, tui autem edunt, & bibunt?] Verum erat, quia illi jejunabant, & isti comedebant, non tantum corporaliter, sed magis spiritualiter, quia illi invidia tabescebant, isti carne, & sanguine Christi reficiebantur, & consolatione interna, ejusque colloquio.

Unde tunc ad litteram impleta fuit prophetia, *Isai.* 65. Ecce servi mei comedent, & vos esurietis, &c.

x Quibus ipse ait, nunquid, &c] Pharisaeis, sive discipulis Joannis Domino objicientibus, quod discipuli ejus non jejunarent, sed commessationi operam darent, & essent, quasi epulones, Dominus ex verbis Joannis magistri eorum respondet ei, qui dixit *Joann. cap.* 3. Qui habet sponsam sponsus est, ut facilius inclinaret eos ad se, & ut apertius convinceret de superstitione, & falsa justitia eorum, & discipulos redderet excusatos. Discipuli enim Joannis, & Pharisaei frequenter jejunabant.

A Unde

h Unde unus dicit *inf.* 18. Jejuno bis in sabbato. Et super hoc arguebant discipulos Domini, qui non jejunabant. Excusat autem eos Dominus, probans, quod non debet eis indici jejunium, distinguens jejunium: Duplex est enim, jejunium corporale, & jejunium spirituale. Item corporale duplex. Unum bonum, aliud malum. Malum est, quod fit ex mala causa, scil. avaritia, vel hypocrisi, vel leccacitate, vel hujusmodi. Bonum consistit in uno scil. in abstinentia ciborum corporalium. Et fit pro duobus. Pro absentia corporali sponsi. Sic jejunabant antiqui expectantes primum Christi adventum, fuerunt enim in mœrore, & afflictione expectantes Messiam futurum. Hoc

[Matth. 9. Marc. 2.]

ait *a* Nunquid potestis filios sponsi, *b* dum cum illis est sponsus, facere *c* jejunare? *d* Venient autem dies, *e* cum ablatus fuerit ab illis sponsus, *f* tunc jejunabunt in illis *g* diebus: *h* dicebat autem & similitudinem ad illos: *i* quia nemo commissuram *k* a vestimento novo immittit in *l* vestimentum vetus, alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commissura a novo.

etiam jejunio usa est Ecclesia, excepto illo modico temporis, in quo sponsus corporaliter conversatus est cum ea. Item pro absentia spirituali, quæ fit pro quolibet peccato mortali. Sic jejunant peccatores pœnitentes. Hoc jejunium vocatur jejunium mœroris. Unde *Matt. 9.* Nunquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu sponsus est cum illis? Vocatur & alio nomine in sacra Scriptura, jejunium veteris vitæ, vel quia semper fit pro vetustate peccati, vel quia habuit initium a veteri Testamento. Item jejunium spirituale duplex est. Unum malum, quo jejunatur a bono, de quo *Is. 65.* Servi mei comedent, & vos esurietis. Aliud bonum, & commendabile, quod fit pro uno, idest, pro desiderio æternorum. Et consistit in duobus, scilicet in abstinentia ciborum corporalium, & in abstinentia delectationum temporalium, sive contemptu mundi. Sæpe enim rapitur animus humanus in extasi contemplationi vacans, & adeo jucundatur, quod præ dulcedine contemplationis obliviscitur necessariorum, quia jucunditas contemplationis quodammodo prægustat suavitatem futuræ beatitudinis, & dicitur jejunium istud, jejunium exultationis.

Primum jejunium, scil. corporale, repræsentat Ecclesia in Quadragesima, & in aliis temporibus afflictionis, quando non cantatur alleluja.

Secundum jejunium, idest, spirituale repræsentat Ecclesia in septimana Pentecostes, quando frequenter cantatur alleluja.

Probat ergo Dominus, quod neutro istorum jejuniorum debebant Apostoli jejunare. Jejunium quidem mœroris non erat eis indicendum adhuc, quia præsentiam sponsi utramque habebant, sed post passionem jejunabant sublata præsentia corporali, & iterum post Ascensionem expectantes visitationem spiritualem. Sicut Ecclesia modo jejunat expectans venturi judicis præsentiam corporalem, sicut etiam antiqui Patres expectabant in carne venturum. Item jejunium novæ vitæ, sive exultationis non erat eis imponendum, nec in parte, nec in toto, quia adhuc rudes erant, nec poterant adhuc omnino cœlestibus inhiare, & a corporalibus abstinere. Et primo ostendit, quod istud jejunium non est eis imponendum in parte, per exemplum commissuræ novi vestimenti. Quia sicut particula novi vestimenti si assuatur veteri, non convenit, sed & scissuram facit, sic si aliqua pars jejunii exultationis, sc. continuum jejunium a cibis corporalibus, quale fuit jejunium *Judith* 8. Et Annæ, *sup.* 2 non convenit hominibus adhuc veteri vitæ deditis, & scissuram facit, si aliquid novi hominis habebant, amittunt. Secundo ostendit, quod nec in toto est eis indicendum istud jejunium, per exemplum vini novi, & utris veteris. Erant enim Apostoli adhuc quasi utres veteres, vinum novum contemptus mundi, vel abstinentia universalis ab amore rerum temporalium. Sicut enim vinum novum, si ponatur in utres veteres, effunditur, & utres disrumpit, sic si tale jejunium Apostolis rudibus injungeretur, non esset utile, sed Apostulos dirumperet, & bono, quod habebant, privaret. Et hoc est. *a* Nunquid potestis filios sponsi.] Supra se medicum vocavit, hic sponsum, quia animam, quam curat, sibi desponsat.

b Dum cum illis est sponsus] corporaliter, & spiritualiter.

c Facere jejunare?] *Aug.* idest, jejunio mœroris affligi. *Chrys.* Triste est jejunium, non naturæ, sed his, qui philosophari nolunt. Illis autem, qui philosophari volunt, voluptuosum est. *Is.* 58. Nunquid hoc est jejunium. *Matth.* 6. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, &c. Filios sponsi vocat Apostolos imitatores Christi, & ab eo in vera fide generatos. De quo *Jo.* 3. Qui habet sponsam, sponsus est. Et *Is.* 61. Quasi sponsum decoravit me corona.

Item *Is.* 66. Si ego, qui aliis generationem tribuo, sterilis ero? q. d. non ero.

d Venient, &c.] Passionis usque ad resurrectionem, & iterum Ascensionis, usque ad Pentecosten.

e Cum ablatus, &c.] ut quando mortuus, & sepultus fuit, tunc enim fuerunt in mœrore, donec reddita fuit corporalis præsentia in die resurrectionis.

Item post Ascensionem ablatus fuit corporaliter tantum, & tunc iterum fuerunt in mœrore, & timore, donec per Spiritum sanctum consolationem receperunt.

[Matth. 9. Marc. 2.]

f Tunc jejunabunt, &c.] jejunio mœroris. *Cant.* sic distinguit, & bene, [Tunc tempore passionis,] scilic. & post Ascensionem, [jejunabunt,] jejunio mœroris. Et, *g* In diebus illis,] scilicet, post resurrectionem, & post Spiritus sancti missionem, jejunabunt jejunio exultationis renovati in vitam spiritualem. Et hoc videntur innuere *duæ Interl.*

Prima est super hoc: [Tunc jejunabunt.] *Gl.* In humilitate tribulationis.

Secunda: Ab amore mundi, non solum a cibis refertur ad hoc: [In illis diebus.] Similiter & *in Gl. marginali.* Cum ablatus fuerit sponsus, potest referri ad illam litteram: [Tunc jejunabunt.] Quo dono percepto, refertur ad illam litteram: [In illis diebus.] Sic & anima cum aufertur ei sponsus spiritualiter per peccatum, debet flere, & dolere, donec reddatur ei sponsus. Unde *Joel.* 1. Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ. *Ruth.* 1. Non vocetis me Noemi, quod est pulchra, sed vocate me Marath, quod est amara, quia amaritudine replevit me omnipotens. Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus. Anima enim sine Deo vacua est, quia animam Deo capacem nihil potest replere, quod Deo minus est, ut dicit *Aug.*

[*Gl. Sponsus Christus sponsa Ecclesia de hoc sancto connubio Apostoli sunt creati per lavacrum regenerationis, &c. Ad Tit. 3. Ex hac Gl. habetur auctoritas, quod Apostoli fuerunt baptizati, de quo tamen solet dubitari.*]

h Dicebat autem, &c.] quare, scil. nondum conveniat Apostolis jejunium, scil. exultationis.

i Quia nemo, &c.] Hic ostendit, quod non debet eis indici adhuc jejunium exultationis, sive novæ vitæ. Et per primam similitudinem ostendit, quod nec in parte indicendum est eis, per secundam, quod nec in toto. Et est progressus talis. Si enim particula novæ vitæ imponeretur Apostolis adhuc in vetustate manentibus, i. in veteri consuetudine imbutis, ipsa nova doctrina scinderetur, i. divideretur in se, nec ejus particula vetustati congrueret, ut si quis commissuram, i. particulam separaret a novo panno, ut assuat veteri, scissura fit in novo, & veteri, quia novus veterem suo pondere rumpit. Dicit ergo: [Quia nemo commissuram,] i. particulam ablatam.

k A vestimento novo.] *Glos.* i. a jejunio vitiorum.

l Immittit in vestimentum vetus, alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commissura a novo] sumpta, scil. *Gl.* quia incipit displicere etiamsi ante placuerat, q. d. ideo novitas non est admiscenda vetustati, quia ipsa novitas introducta statim rudibus, & antiqua consuetudine imbutis incipit displicere. *Beda.* Veteri vestimento comparantur discipuli, qui adhuc sunt vetus homo, quibus novus pannus, idest, aliqua particula novæ vitæ non debet immitti, quod si fit, etiam ipsa nova vestis, i. doctrina novæ vitæ quodammodo scinditur, cujus particula, quæ ad jejunia ciborum valet, importune traditur, cum illa doceat generale jejunium, non concupiscentia ciborum tantum, sed ab omni lætitia temporalium delectationum.

[*Quia non credo, quod nova doctrina ex parte imponenda sit alicui, nisi ex toto imponatur ei. Unde Apost. Col. 3. Exuite veterem hominem, scilic. totum alio, quem Interl. incipit displicere.*]

Cujus generalis jejunii illa pars, quæ ad cibos pertinet, non debet impertiri hominibus adhuc veteri consuetudini deditis, quia & illis videtur quasi scissio fieri, & ipsi vetustati non convenit, quia timendum est, ne per nimiam austeritatem etiam fidem, quam habebant, amittant, quia non debent misceri actus veteris, & novi hominis.

Non enim placet sponsæ discolor vestis. Unde Apostolus, *Ephes.* 4. Exuite veterem hominem cum actibus suis, & induite novum cum actibus suis. Sed cave, ne intelligas Apostolos esse in vetustate peccati mortalis.

Non enim credo, quod in hujusmodi vetustate tunc essent, sed in vetustate consuetudinis, quod satis determinatur *in fine Glos.* Vetustatem hanc intellige consuetudinem, quorumdam legalium, & observationem sabbati, & quod consueverunt frequenter manducare, non jejunare.

Unde eis non erat imponenda abstinentia ciborum, quia

quia rudes a consuetudine difficile avelluntur, quia abhorrent, & refugiunt tantam austeritatem.

Et *a* nemo mittit vinum novum in utres veteres, alioquin rumpit vinum novum utres, & ipsum effundetur, & utres peribunt. Sed *b* vinum novum in utres *c* novos *d* mittendum est, & utraque conservantur. *e* Et nemo bibens

Moraliter. Moraliter. In hoc datur forma Confessoribus, & Prælatis, quod de novo egressis a peccato non est injungenda gravis pœnitentia, *Matt. 9. Marc. 2.* triplici ratione. Primo ne timore gravis pœnitentiæ resiliant a bono proposito. Secundo ne contemnant, & peccent contemnendo pœnitentiam. Tertio ne scandalizentur, videntes illos, qui talem pœnitentiam injungunt, nihil tale facere. Unde *Matth.* 23. Arguit Dominus tales: super cathedram Moysi sederunt Scribæ, &c. secundum vero opera eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt, imponunt enim onera gravia, & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Item *Matth.* 18. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, &c. Ibi *Gl.* Pusilli non sunt scandalizandi, sed ut crescant nutriendi. *Jo.* 11. Solvite eum, & sinite abire. Primo ergo debet auferri vetustas peccati, & postea paulatim debet injungi pœnitentia, quæ facit ad renovationem hominis *Zach.* 3. Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis. *Gen.* 41. Totonderunt Joseph, & veste mutata præsentaverunt regi. Et hoc totum est contra rigorem, & austeritatem Prælatorum, & Confessorum. De quibus *Ezech.* 34. Quod infirmum erat, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, & quod fractum, non alligastis, & quod abjectum, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate, & potentia imperabatis eis, & dispersæ sunt oves meæ. Item hoc est contra duplices, qui vestem exterioris conversationis ex novo, & veteri panno consuunt: Contra illud *Deuter.* 22. Non induetis vestimento, quod ex lana, linoque contextum est. Sequitur.

Hæc sunt 5. talenta Prælatorum quæ debent subditis ministrare, scilicet tentatorum consolatio, infirmorum visitatio, Sacramentorum dispensatio, verbi divini prædicatio, orationis devotio.

a Et nemo mittit vinum novum in utres veteres, &c.] Hic probat Dominus, quod jejunium exultationis, sive novæ vitæ non erat Apostolis indicendum ex toto, quia adhuc rudes erant, & ideo quasi utres veteres, quod patet ex Petri negatione, & filiorum Zebedæi petitione. Unde indicto tali jejunio defecissent, & jejunium injunctum irritum esset, vel forte nocivum. Prima pars hujus jejunii pertinet ad exteriores observantias, unde per vestimentum significatur, quod de foris tegit. Secunda pars pertinet ad observantias interiores, & ideo per vinum, quod mentem lætificat, designatur. Et est hoc exemplum contra duo genera hominum.

Primo contra illos, qui habent vinum divinæ scientiæ, quo alios inebriant, & ipsi vitam veteris hominis ducunt. De quibus dicitur *Rom.* 2. Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis, non mœchandum, mœcharis? Qui abominaris idola, sacrilegium facis? Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras? Secundo contra illos, qui in peccatis manentes audiunt sacram Scripturam. Ipsi enim volunt ponere vinum novum in utres veteres, quod non potest esse, nec decet, quia in malevolam animam non introibit sapientia: *Sap.* 1. Item *Eccl.* 21. Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.

Item est contra doctores, qui novis, & rudibus secreta Scripturarum mysteria pandunt. Unde *Raban.* Cavendum est doctori, ne animæ nondum innovatæ, sed in vetustate malitiæ perduranti novorum mysteriorum secreta committat.

Dicit ergo: [Et nemo mittit vinum novum in utres veteres, alioquin rumpit vinum novum utres, & ipsum effundetur, & utres peribunt.] *Bed.* Veteribus utribus etiam comparantur Apostoli, qui vino novo, i. præceptis spiritualibus facilius dirumpuntur, quam contineant.

b Sed vinum novum.] Respondet Antipophoræ, quæ posset ei fieri. Deus erat, & in momento poterat eos innovare ex toto, & ad tale jejunium exequendum idoneos reddere, ideo occurrit ostendens, non sic esse faciendum, quia qui consuevit vetera, non subito, sed paulatim promovendus est ad majora. Necdum etiam erat tempus innovationis Apostulorum: Ipsi enim, sicut dicit *Beda*, erunt novi utres, cum post Ascensionem accepto spiritu, desiderio consolationis ejus, & orando, & sperando innovabuntur. Dicit ergo. [Sed vinum novum,] i. novæ vitæ jejunium. *c* In utres novos,] idest, Apostolos, in Resurrectione Domini, & Pentecoste innovatos. *d* Mittendum est,] idest, eis indicendum, [& utraque conservantur.] *e* Et nemo bibens vetus,] idest, nemo veteri consuetudine imbutus.

vetus, *f* statim *g* vult novum, dicit *h* enim, vetus melius est.

f Statim] i. subito. *g* Vult novum,] i. novam omnino ingredi consuetudinem. *h* Dicit enim, vetus melius est,] i. placet ei magis pristina consuetudo.

C A P. VI.

FACTUM est *i* autem in sabbato secundo primo

A Matth. 12. Marc. 2.

i Per veterem pannum, & utres veteres, intelliguntur etiam, sicut dicit *Hier.* Scribæ, & Pharisæi. Per novum autem pannum, vel novum vinum intelliguntur præcepta Evangelii, ac si diceret Dominus Scribis, & Pharisæis: Ideo declino vestram conversationem, & vos non instruo, quia novus pannus non est assuendus veteri, nec vinum novum mittendum in utres veteres, idest, novitas præceptorum Evangelii non est communicanda vobis antiqua legalium consuetudine imbutis, ne major scissura fiat, si doctrina Evangelica legali admisceatur, quia utraque scinderetur, &c.

E X P O S I T I O C A P. VI.

FActum est autem in sabbato, &c.] Supra redarguit Dominus vanam superstitionem Scribarum, & Pharisæorum, qui contra Domini discipulos indignabantur, eo quod non jejunarent frequenter, sicut ipsi, & discipuli Joannis, excusans discipulos duplici similitudine. Adhuc in principio hujus capitis excusat Dominus discipulos suos super alia indignatione Pharisæorum. Dividitur autem istud caput in sex partes.

In prima ponitur responsio Domini pro discipulis contra Pharisæos indignantes super spicarum vellicatione, & confricatione, quæ videbatur ipsis Pharisæis Sabbati violatio.

In secunda parte ponitur manus aridæ sanatio facta in alio sabbato, propter quod & contra Dominum indignati sunt Pharisæi, ibi [Factum est autem, & in alio sabbato.]

In tertia ponitur sermo Domini habitus post noctis orationem, & duodecim Apostolorum electionem in monte ad discipulos, & ad turbas, in quo pauperibus consolationem, & econtra divitibus imprecatur æternam damnationem, ibi. [Factum est autem in illis diebus.]

In quarta ponitur exhortatio Domini ad discipulos suos, in qua invitat eos ad culmen perfectionis, ibi. [Sed vobis dico.]

In quinta ponitur hypocritarum redargutio, qui cum pleni sint peccatis gravioribus leviora in fratribus aspere reprehendunt, in quo ostenditur etiam, quod peccator peccatorem non valet juste corrigere, ibi, [quod autem vides.]

In sexta bonos auditores verbi assimilat sibi Dominus, malos vero diabolo, ibi. [Omnis, qui venit ad me, &c.] Dicit ergo.

i Factum est autem in sabbato secundo primo.] Hoc tribus modis exponitur. Primo sic: [Factum est in sabbato secundo primo,] idest, in sabbato secundo a primo, i. sequente præcedens sabbatum. In præcedenti enim sabbato intravit Synagogam, ubi sanavit dæmoniacum, *supr. c.* 4. In sequenti ibat per sata, ubi Apostoli vellebant spicas. Secundo sic. [Factum est in sabbato secundo primo,] idest, in sabbato Evangelico legali prælato. Et dicitur sabbatum Evangelicum primum respectu legalis sabbati, & dignitate, & tempore. Dignitate, quia sabbatum Evangelicum est feriare a vitiis, legale vero sabbatum est feriare ab operibus servilibus. Tempore, quia prius fuit observatum ab antiquis patribus, quam legale fuerit institutum. Utroque modo [Secundo primo] sunt duæ dictiones.

Tertio sic [Factum est in sabbato secundo primo,] idest, in sabbato Evangelico, quod est secundum, & primum.

Primum, quia ante legale sabbatum a patribus observatum. Secundum, quia post legale a Christianis, quasi noviter observatum, & in Evangelio, quasi noviter institutum. Statutum enim erat, & præceptum sabbatum Evangelicum, quod est cessare a vitiis, sed naturaliter tantum. Unde antiqui ductu naturalis rationis hoc

obser-

Cum *a* transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas, *b* & manducabant confricantes manibus. *c* Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis, quod non licet in sabbatis? Et *d* respondens Jesus ad eos dixit: *e* Nec hoc legistis, quod fecit David, cum † esurierit ipse, & qui cum eo erant, *f* quomodo intravit

observabant, postea vero statutum erat, & præceptum die Salvatoris in Evangelio, & ita Salvatoris sabbatum pe-ctoris potest dici, primoprimum, inquantum est naturale, & secundoprimum inquantum est Evangelicum, & sic est una dictio composita ex obliquo, & recto. *a* Cum transiret per sata] Dominus, [vellebant discipuli ejus spicas.] Hoc enim licitum erat secundum legem. *Deut.* 23. Si intraveris segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres, falce autem non metes. Hoc autem faciebant discipuli fame urgente, quia non habebant spatium manducandi propter hominum frequentiam. In quo facto duo notantur, scil. quod Prælati, & prædicatores debent postponere corporalem refectionem propter populi eruditionem. Item quod post eruditionem populi non debent quærere lauta cibaria, sed comedere gratanter, quæ inveniunt in domibus sacerdotum.

De conf. dist. 5. c. discipulos.

Inf. co. Edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt.

b Et manducabant confricantes manibus]

Mystice. Mystice. Per Apostolos designantur Prælati Ecclesiæ, & prædicatores. Et hoc generale est ubique, quia electi, quia edocti, quia missi. Per agrum, sive per sata, significatur mundus, multis hominum generibus quasi multis granorum generibus seminatus. Unde *Jo:* 4. Levare oculos vestros, & videte regiones, quia jam albæ sunt ad messem. Spicæ sunt homines: In spica enim sunt duo, scil. granum, & palea: Et in homine duo, scil. corpus, & anima. Per sata transeunt prædicatores, quando transeunt per mundum prædicantes, & confessiones hominum audientes. Spicas vellunt, mentes hominum a terrenis separando. *Jer.* 15. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. *Lev.* 23. Feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino. Item spicas confricant manibus, pœnitentiam imponendo, non solum verbo, sed etiam exemplo, ut per pœnitentiam, quasi per confricationem palea separetur a grano, idest, vitium a virtute. Unde *Beda apud Marc.* 2. & *Matth.* 12. Discipuli præcedentes Dominum hoc egisse referuntur; quia necesse est, ut doctoris sermo præcedat, & sic cor auditoris gratia supernæ justificationis illustret. Deinde post confricationem manducant, i. Ecclesiæ incorporant in eorum conversione delectando. Hic enim est rectus ordo. Primum est avulsio a terrenis, secundum confricatio pœnitentiæ, & tribulationis, tertium est incorporatio Ecclesiæ. Unde *Act.* 10. Macta, & manduca. Spicæ virides non possunt fricari, nisi prius igne torreantur, nec homines agere pœnitentiam, nisi a peccatis separentur, antequam comminatione extremi judicii, vel igne tribulationis exurantur. *Lev.* 2. Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis eas igne, & confringes in modum farris, & sic offeres primitias tuas Domino, fundens super eas oleum, quasi temperamentum comminationis. Item per sata significantur hominum corda: per spicas significantur virtutes. Unde *Gen.* 41. Septem spicæ pullulabant in culmo, uno, i. in Christo, in quo fuit, & est omnium virtutum plenitudo plene, & pulcherrime, aliæ quoque septem tenues, & percussæ uredine oriebantur de stipula, quæ priorum pulchritudinem devoraverunt, quæ sunt septem criminalia peccata, quibus virtutes destruuntur. Per sata vadunt prædicatores, corda hominum diligenter considerando. Spicas vellunt, virtutes a terrena intentione separando. Confricant, omnia opera sua dijudicando, ut *Job* 9. Verebar omnia opera mea. Et *Judic.* 6. Gedeon excutit, & purgat frumenta, ut fugiat Madian, i. diabolum. Manducant in bonis operibus delectando. *Ps.* 127. Labores manuum tuarum, quia manducabis, &c. Item per sata significatur sacra Scriptura, quæ multis sententiis quasi multis seminibus est seminata. Spicæ sunt divina eloquia, palea historiæ, & granum spiritualis intelligentiæ continentia. Et per hæc sata vadunt prædicatores in scripturis studendo, meditando, legendo. Unde *Jo:* 5. Scrutamini scripturas, in quibus vos putatis vitam habere. Spicas vellunt, dum sententias potiores eligunt. Manibus confricant, dum opere, & exemplo verum a falso, bonum a malo discernunt. Manducant, dum sententias veras memoriæ commendant. De istis spicis præcipitur in lege, ut messores eas non colligant, sed pauperibus colligendas relinquant. *Lev.* 23. Postquam messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum, nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus, & peregrinis dimittetis eas. Unde & Booz præcepit messoribus suis, ut ea industria relinquerent spicas, quas Ruth colligere posset absque rubore. Et doctores Ecclesiæ multa inexposita reliquerunt, non verecundantes, si minores post eos possint aliquid de suo ingenio exponendo invenire. Unde Moyses dicit *Num.* 11. Quis tribuat, ut omnis populus prophetet? *Dan.* 12. Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Non est prætereundum, quod sabbatis dicuntur discipuli ire per sata, & vellere spicas: *Marc.* 2. Quia in quiete, & pace studendum est in Scriptura. *Eccl.* 38. Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, sapientiam percipiet. Sequitur.

Ruth. 2.

Al. † *esuriit.*

c Quidam autem Pharisæorum dicebant illis, quid facitis, quod non licet in sabbatis,] secundum præceptum legis: *Exod.* 16. & 35. Super Marcum habetur, quod erat sabbatum, & Neomenia simul, quia erant calendæ cujusdam mensis. Quia autem dicitur [sabbatis] pluraliter, forte ad illud potest referri, quia erat duplex sabbatum, idest, sabbatum, & Neomenia. Per istos significantur illi, qui doctores, & prædicantes reprehendunt, quia in festis diebus student, cum tamen Joannes in Dominica die viderit Apocalypsim suam, ut dicitur *Apocal.* 1. Nota, quod Matthæus, & Marcus, dicunt, hæc ipsi Domino fuisse objecta. Sed a diversis & ipsi Domino, & discipulis potuerunt objici, & cuicumque objectum sit, ad ipsum maxime pertinet. Si enim transgrediuntur discipuli, videtur in eum culpa redundare, qui habet eos corrigere. *Isai.* 11. Arguet in æquitate pro mansuetis terræ, idest, respondebit pro discipulis. Unde sequitur.

d Et respondens Jesus ad eos dixit: Nec hoc, &c.] Tripliciter excusat Dominus discipulos suos.

Primo, per famis necessitatem, ponens exemplum de David, qui erat inferior Apostolis.

Secundo, per sacerdotis dispensationem, qui erat inferior Christo. Unde dicit: Quia Dominus est filius hominis etiam sabbati. Nota ergo, cum David fugeret a facie Saul, venit in Nobe civitatem, & intravit domum Abimelech sacerdotis, & cum urgeretur fame, petiit ab eo panes propositionis, quos non licebat edere, nisi solis sacerdotibus, quos & dedit. Si ergo David excusatur propter famis necessitatem, & sacerdotis dispensationem, quanto magis Apostoli debent esse excusati propter famis necessitatem, & Christi dispensationem?

Tertia excusatio est. *Matth.* 12. per misericordiæ prælectionem. Unde inducit illam auctoritatem *Osee* 6. Misericordiam volo, & non sacrificium. Dicunt autem quidam, quod Abimelech dispensavit cum David, qui erat summus sacerdos: Necessitas enim sola non excusat sine dispensatione. Idem dicunt de Matathia, qui pugnavit in sabbatis. 1. *Mach.* 2. Unde Leo Papa. Ubi necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset. Sed *B. Bern.* distinguit tria. Quædam primæ necessitatis, ut vota quæ cuique necessaria facit propria in promittendo voluntas. Quædam secundæ necessitatis, ut præcepta, quæ necessaria facit præcipientis auctoritas. Quædam tertiæ necessitatis, ut ea, quæ Dominus docuit in sermone suo in monte, quæ facit necessaria præcepti dignitas.

In primis potest dispensare ille, qui præest ex causa, aliter non. Unde *Bern. de Consideratione*. Non sum tam rudis, ut ignorem vos dispensatores esse positos, sed in ædificationem, non in destructionem: Ubi necessitas urget, excusabilis est dispensatio, ubi utilitas provocat dispensationem, laudabilis est dispensatio, utilitas dico communis, non propria, ubi nihil horum est, non est dispensatio, sed crudelis dissipatio. Dicitur ergo.

e Nec hoc legistis, quod fecit David, cum esurierit ipse, & qui cum eo erant.] 1. *Reg.* 21.

f Quomodo intravit in domum Dei,] idest, Abiathar, vel Abimelech pro ipso, quia non legitur ipse David intrasse. *Glossa* dicit *super Matth. cap. duodecimo*. Quod hoc factum est sub Abimilech. *Marc. cap. secundo*, dicit, quod hoc factum est sub Abiathar. *Chrysostomus* solvit dicens, quod Binomius erat. Vel aliter, ambo tunc aderant præsentes, Abimelech pater, & Abiathar filius ejus, sed Abiathar

majoris dignitatis erat sub David, quam fuisset Abimelech sub Saule, ideo Dominus facit mentionem de ipso.

a Et panes propositionis sumpsit,] idest, qui proponebantur coram Domino singulis sabbatis, ut legitur *Levit.* 23. Et *Exod.* 15.

b Et manducavit, & dedit eis, qui cum ipso erant, quos non licebat manducare, nisi tantum sacerdotibus,] secundum legem *Lev.* 24. Tamen lex nolebat aliquos perire. *Beda.* Si David, & Abimelech probabili excusatione famis, legis mandatum transgredientes † non reprehenduntur, cur eamdem in Apostolis non probatis famem, idest, famis excusationem? Fames enim probanda non est. Alia est *Gloss.* hic dubitabilis, *Ambr.* Magna hospitalitatis gratia, proposito periculo mortis, non declinat hospitem animus sacerdotis. Ex hoc videtur, quod Abimelech sciebat David esse fugitivum, quod falsum est, quia David dixerat ei, quod Saul miserat eum. Respondeo, proposito, idest imminente, imminebat enim ei periculum mortis, licet ipse ignoraret; Unde & paulo post interfectus est, & sacerdotes alii in Nobe a Saule.

Matth. 12. Marc. 3.

† Supple superficialiter non simpliciter, omnis enim lex data est cum exceptione necessitatis.

in domum Dei, *a* & panes propositionis sumpsit, *b* & manducavit, & dedit his, qui cum ipso erant, quos non licebat manducare, nisi tantum sacerdotibus. Et *c* dicebat illis, quia Dominus est filius hominis etiam sabbati. *d* Factum est autem & in alio sabbato, ut intraret in synagogam, & doceret. Et *e* erat ibi homo, & manus ejus dextera erat arida. Observabant autem Scribae, & Pharisaei, si in sabbato curaret, ut invenirent, unde accusarent eum. *f* Ipse vero sciebat cogitationes eorum, *g* & ait homini, qui habebat manum aridam, Surge,

c Et dicebat illis, quia Dominus est filius hominis etiam sabbati,] quasi non sunt arguendi, qui vellunt spicas in sabbato, quia auctoritate mea hoc faciunt, qui sum Dominus Sabbati, *Matth. c.* 12. Sacerdotes Sabbatum violant. *Jo. c.* 7. Si circumcisionem accipit homo, &c. *Marc.* 2. Sabbatum propter hominem factum est *Chris.* Cur ergo punitur, qui ligna legit: *Num.* 15. Quia si leges in principio essent contemptae, vix essent postea custoditae.

Secunda pars.

d Factum est autem, &c.] Secunda pars cap. in qua agitur de curatione manus aridae, quam curavit Dominus in Synagoga coram omnibus alio sabbato, propter quod sacerdotes, & Pharisaei indignati sunt contra eum, sicut in praecedenti sabbato indignati fuerant contra discipulos, qui spicas vellebant in sabbato. Dicit ergo. Factum est autem & in alio sabbato, ut intraret in Synagogam, & doceret.] Propter duo docet, & curat Dominus in sabbato, scilicet propter insinuandum spirituale sabbatum, & propter celebriorem populi conventum: Sicut hi, quibus venandi ars, ubi feras, aut volucres, aut pisces abundare didicerunt, ibi retia tendunt.

Moral.

e Erat ibi homo, & manus ejus dextera erat arida, observabant autem Scribae, & Pharisaei, si in sabbato curaret, ut invenirent, unde accusarent eum.] Si curaret, arguerent eum de sabbati transgressione; si non curaret, accusarent eum de crudelitate, vel imbecillitate.

f Ipse vero sciebat cogitationes eorum,] ut Deus 1. *Reg.* 16. Homo videt ea, quae parent, &c.

g Et ait homini, qui habebat manum aridam, surge, & sta in medium,] ut omnes videant infirmitatem, & laudent Deum de beneficio sanitatis.

h Unde

e Et erat ibi homo.] Mystice. Sicut dicit *Beda*, homo iste significat humanum genus, in fecunditate boni operis arefactum pro manu in primo parente ad pomum extensa, quam sanavit innocens manus in Cruce extensa. Per hoc etiam, quod homo habens manum aridam erat in Synagoga, mystice innuitur, quia quanto prudentiores, tanto aridiores, idest, magis steriles a fructu boni operis: Et haec sententia redundat super capita sua. Unde *Beda*. Ubi donum majoris scientiae, ibi transgressor majori subjacet culpae. Homo iste, sicut dicit *Hier.* significat avaros, qui nolentes dare volunt accipere: Contra illud *Eccl. c.* 4. Non sit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta. Notandum autem, quod quidam habent cor aridum, sine devotione, sine affectione, sine compassione, sine bona cogitatione: In quorum persona loquitur David, ubi dicit: Percussus sum sicut foenum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Alii autem habent linguam aridam, quantum ad bonas locutiones, quia nec orant, nec praedicant, nec confitentur, nec exhortantur alios ad bonum, nec Deum laudant in Ecclesia, cantando cum aliis, *Thren. c.* 4 Adhaesit lingua lactentis ad palatum ejus in siti. *Isa. c.* 41. Egeni, & pauperes quaerunt aquas, & non sunt, lingua eorum in siti aruit. Alii habent manum aridam, non sinistram, sed dexteram, quia ad mala opera facienda sunt potentes, bona autem facere nolunt. De quibus dicitur *Zach. cap.* 11. Brachium ejus ariditate siccabitur, & oculus ejus dexter tenebrescens obscurabitur. Invidi habent cor aridum, detractores habent linguam aridam, avari habent manum aridam, & hoc, vel quia nihil dant, vel quia parum dant, vel quia cum tristitia, & litigio dant. Donum eorum, sine condimento est. *Eccl. c.* 20. Datus insipientis non erit utilis tibi, oculi enim illius septemplices sunt, exigua dabit, & multa improperabit, & apertio oris illius inflammatio est. *Eccl. cap.* 18. Datum indisciplinati tabescere facit oculos: Et *sup.* In omni dato ne des tristitiam mali verbi. Alii sunt toti aridi, & in corde quantum ad bonas cogitationes, & in lingua quantum ad bonas locutiones, & in manu quantum ad bonas operationes: De quibus dicitur in *Psalm.* 21. Aruit tanquam testa virtus mea. Testa tota arida est. Et alibi, *Psalm.* 101. Et ossa mea sicut cremium aruerunt. Et alibi. *Psalm.* 128. Fiant sicut foenum tectorum, quod priusquam evellatur per mortem, exaruit per invidiam in corde, per detractionem in lingua, per avaritiam in manu, de quo non implebit manum suam, qui metet, idest, Christus in die judicii. Tales sunt, sicut arbores arefactae in radice, & in stipite, & in ramis, quia sine succo, sine fructu, sine foliis sunt. *Marc.* 11. Cum mane transirent, Jesus, scilic. & discipuli ejus, viderunt ficum aridam factam a radicibus. Arescit autem arbor propter quatuor.

Matth. 12. Marc. 3.

Primo propter decorticationem: sic homo propter sui ostentationem. *Joel.* 1. Gens ascendet super terram meam, fortis, & innumerabilis, posuit vineam meam in desertum, ficum meam decorticavit. Et postea sequitur: Vinea confusa est, ficus elanguit, malogranatum, & palma, & malum, & omnia ligna agri aruerunt.

Secundo propter aquae defectionem: Si homo propter doctrinae defectus. *Amos* 4. Pars una civitatis compluta est, & pars, super quam non pluit, aruit.

Tertio propter radicis corrosionem. Sic homo, aliquando propter detractionem arescit a bono. Quod significatum est in *Jona* 4. per hederam virentem, & vermen corrodentem; per hederam enim, quae viret in hieme, significantur boni, qui gaudent in adversitate, per vermem, significantur detractores, qui corrodunt radicem, idest, pervertunt intentionem, & sic arere faciunt hederam, quia bonos quandoque cessare faciunt a bono. Unde dicitur, ibi: Laetatus est Jonas laetitia magna super hedera, & praeparavit Dominus vermem in ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit.

Quarto propter evulsionem, aut frequentem transplantationem: Sic homo propter status sui frequentem mutationem. *Job* 14. Lignum habet spem, si praecisum fuerit, rursus virescit. Sic multi semper putant, quod si mutarent statum suum, melius se haberent: Sed arbor antiqua post transplantationem, aut vix, aut nunquam rursus virescet. Ab ista ariditate spirituali sanat Dominus per tria, quae sunt in littera.

Primum est contemptus terrenorum, & coelestium appetitus, quod notatur, ubi dicit: [Surge.] Nam qui surgit a terra, sursum se elevat. *Ephes.* 5. Surge, qui dormis. Secundum est cessatio a peccatis, quod notatur, ibi. [Sta in medium] *Is.* 1. Quiescite agere perverse. *Nahum* 2. State, state, & non est, qui revertatur. Tertium est bona operatio, quod notatur ibi [Extende manum tuam.] Dicit ergo.

d Factum est autem, &c.]

b Surge] idest, terrena contemne, coelestia quaere, & a peccato quiesce.

Q *a* Et

& sta in medium. *a* Et surgens stetit. Ait autem ad illos Jesus: Interrogo vos, si licet sabbato bene facere, an male, *b* animam salvam facere, *c* an perdere? Et *d* circumspectis omnibus dixit *e* homini: *f* extende manum tuam. Et *g* extendit, & restituta est manus ejus. Ipsi *h* autem repleti sunt insipientia, *i* & colloquebantur adinvicem, quidnam facerent de Jesu. *k* Factum est autem in illis *l* diebus, *m* exiit in montē *n* orare, & erat pernoctās in oratione Dei:

a Unde & Dominus post resurrectionem suam stetit in medio discipulorum, & ostendit eis vulnerum cicatrices.

a Et surgens stetit. Ait autem ad illos Jesus, interrogo vos, si licet sabbato bene facere, an male] *Beda*. Non est auctor mali Deus, sed quos non salvat, perdere dicitur. Unde exponit, quod dicitur.

b Animam salvam facere,] i. hominem curare. Nomine animę, sicut dicit *Beda*, totus homo significatur, ut *Deut.* 10. Jacob intravit in Ægyptum cum septuaginta animabus.

c An perdere] idest, non curatum dimittere. Aliter exponitur solum de ipsa anima. Unde dicit *Beda*. Corpus curaturus de animæ salvatione interrogat, quia illa miracula propter animæ salutem faciebat, & ipsa sanatio manus salutem animæ significabat. Sensus est, sanaturus manum, ideo de salute animæ fecit mentionem, ut ostendat, se non sanare corpora, nisi pro salute animarum, ut scil. curati ad fidem convertantur, & alii audientes, & videntes miracula. Vel ideo, quia sanatio manus aridæ significat animæ sanationem per illicitam exsiccationem a bonis gratuitis arefactæ, quæ sanatio facta est per extensionem manuum Christi in Cruce. Quærit ergo Dominus: Si licet [animam salvam facere an perdere.] *Gl.* idest, a perditione salvam non facere, gratiam, supple apponendo? Sicut enim defectus gubernatoris evertit navem, ita gratiæ subtractio, idest, non appositio.

d Et circumspectis omnibus,] quasi iratus illis obmutescentibus.

e Dixit homini, extende manum tuam, & extendit, & restituta est] sanitati [manus ejus.] quia statim Dei imperium sequitur miraculum. *h* Ipsi autem repleti sunt insipientia,] idest, invidia, quæ facit insipientes.

i Et colloquebantur adinvicem, quidnam facerent de Iesu.] i. quomodo eum perderent. *Amb.* Quia solo livore permoti sunt, non illis culpa fuit, vel hominem manum extendere, vel Jesum sanare, sed magna insipientia de nece ejus tractare, cujus beneficii plurimum indigebant.

Mystice. ☉ *a* Et surgens stetit.] Velox, & perfecta obedientia non quærit inducias faciendi pœnitentiam, *Eccl.* 5. Non tardes converti ad Deum, & ne differas de die in diem. *f* Extende manum tuam.] *Deut.* 15. Non obdurabis cor tuum, neque manum contrahes, sed aperies eam pauperi. *g* Extendit, & restituta est] sanitati. Ecce affectus eleemosynæ, scil. restitutio sanitatis non tantum corporalis, sed magis spiritualis. *Dan.* 4. Redime peccata tua eleemosynis. *Tob.* 4. Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animas ire in tenebras. *Eccl.* 29. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Verumtamen extenditur manus ad Deum propter puram orationem. *Thren.* 3. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum, &c. 1. *Tim.* 2. Volo viros orare in omni loco levantes puras manus, *Exod.* 17. Cumque levaret Moyses manus suas vincebat Israel. Item ad proximum etiam inimicum liberandum. *Prov.* 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. *Matth.* 5. Benefacite his, qui oderunt vos. *Prov.* 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c. Item extendi debet manus ad pauperes extraneos, non tantum vicinos. *Deut.* 15. Non obdurabis cor tuum, neque, &c. *Isa.* 11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, scilicet super pauperes peregrinos. Dare enim vicinis tantum, aliquando inanem gloriam habet *infr.* 14. Cum facis prandium, aut cœnam noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos. 2. *Jo.* 1. Charissime, facis fideliter, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos. Multi Prælatorum nesciunt extendere manum suam, quia nesciunt, & nolunt dare beneficia, nisi consanguineis, & nepotulis, vel servientibus suis. De Domino vero dicitur *Prov.* 31. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.

i Et colloquebantur adinvicem, quidnam facerent de Jesu.] Si multi offenduntur, quia alii benefaciunt. Tales de lumine Solis excæcantur. Unde *Amos* 8. Occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. Tales sunt, sicut bufones, qui odore vinearum moriuntur. Et similes Judæ, qui odore unguenti mortuus est spiritualiter, unde Maria revixit: *Jo.* 12. *k* Factum est autem, &c.] Tertia pars ubi agitur de electione duodecim Apostolorum per recapitulationem. Ante enim prædicta miracula electi fuerunt Apostoli, & sermo factus est ad eos in monte, ut patet *Matth.* 5. Recapitulat ergo Lucas, ut aliquid addat. Alii namque electionem Apostolorum in supercilio montis asserunt factam, iste quasi de proprio addit de pernoctatione Domini in oratione. Oravit enim nocte, quæ precessit electionem Apostolorum, non tanquam impotens, sibi præstare, quod orabat, sed instruit te, quia non nisi præmissa oratione facienda est electio in Ecclesia. Omnis enim actio Christi, instructio est Christiani. Dicit ergo Lucas: [Factum est autem in illis, &c.] Intellige, antequam hæc fierent. Vel. *l* In illis diebus] quibus, scilicet, prædicabat, & miracula faciebat.

Tertia pars.

m Exiit] a civitate, vel a turba. *n* In montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei,] non sæculi. Item non pro se quasi indigens, sed pro me quasi clemens. *Ambros.* Quid te pro tua salute oportet facere, quando Christus pro te pernoctat in oratione? Præscribitur autem nobis forma orandi, quam debemus imitari. Primo, ut pro aliis oremus. Unde *Jacob ultimo*, Orate pro invicem, ut salvemini. Secundo, ut tempore orationis a turba nos separemus. *Matth.* 26. Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Tertio, ut pro æternis oremus, suppeditantes nobis mundum, & carnem, hoc enim significat altitudo montis. Item fiducialiter sine hæsitatione, hoc significat firmitas montis. *Jacob cap. primo* Qui indiget sapientia, postulet eam a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: postulet autem in fide nihil hæsitans, &c. Item mons non colligit sordes, in quo notatur, quod munda debet esse mens orantis, aliter, non exauditur. *Isai.* 1. Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Item nocte oravit, quia nox secretior, ideo orationi aptior. *Psalm.* 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi, &c. Et alibi. *Psalm.* 41. In die mandavit Dominus misericordiam suam, idest, opera misericordiæ, & nocte canticum, idest, orationem. *Thren.* 2. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde, sicut aquam cor tuum, &c. Item de nocte infestat acrius princeps tenebrarum, & ideo magis instandum est tunc orationi. *Psalm.* 100. In matutino, officio scil. interficiebam omnes peccatores terræ. Item in nocte orandum, ut vitetur hypocrisis. *Matth.* 6. Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, &c. Item in nocte oravit, quia in nocte adversitatis recurrendum est ad suffragium orationis. *Infr.* 11. Quis vestrum habebit amicum, & non ibit ad illum media nocte, adversitatis, sc. *Isa.* 21. Anima mea desideravit te in nocte. Sequitur. *Gl.* qui Deum, orando, &c. Nota, quod Dominus in monte orat, per hoc innuens, quod qui orando petit cœlestia, ille orat in monte, qui autem petit temporalia orat in infimis, sive valle. Et juxta hoc nota, quod in littera dictum est in oratione Dei, quia Deum orabat, & quæ pertinent ad Deum petebat, non quæ ad sæculum. Item per hoc, quod elegit discipulos in monte, indicat ab ipso loco, quod eminentiam vitę debent habere, qui in Ecclesia eliguntur. *Gl.* Mons in quo, &c. Altitudinem significat justitiæ, idest, eminentiam virtutum, & bonorum operum: Ne in infimis remaneant, idest, ne operentur infima, idest temporalia, sed alta, idest cęlestia. Item *Gl.* Apostolos præeminentius, &c. Montes, idest, Apostoli, pacem, idest, verbum pacis, idest, verbum Evangelii. Sic & Moyses, quasi turbæ remanent in imo, soli Apostoli ascendunt supercilium montis, in quo monstratur altitudo intelligentiæ in ais, & infirmitas capacitatis in turbis. Solus. Leguntur enim Josue, & Aaron ascendisse usque ad terminos mōtis, qui erant in latere, sed solus Moyses cacumen ascendit.

Et cum *a* dies factus esset, vocavit discipulos suos, & elegit, *b* duodecim ex ipsis, *c* quos & Apostolos nominavit: *d* Simonem, *e* quem cognominavit Petrum, *f* & Andream fratrem ejus: *g* Jacobum, *h* & Joannem, *i* Philippum, & *k* Bartholomæum *l* Matthæum, & *m* Thomam, *n* Jacobum *o* Alphæi, & *p* Simonem, qui vocatur Zelotes, *q* Judam Jacobi, & *r* Judam *s* Scarioth, qui *t* fuit proditor.

C

Matth. 10. Marc. 3. Act. 1.

a Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos,] non se ingerunt: *Heb.* 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, &c.
b Et elegit duodecim ex ipsis.] Iste numerus sacratus est in Evangelio propter numerum Apostolorum, sicut denarius sacratus est in lege propter decalogum. Dicitur autem sacratus propter significationem duorum numerorum ex quibus surgit, scil. ternarii, & quaternarii. In hoc ergo numero electi sunt, ut per hoc mystice significaretur, quod fidem sanctæ Trinitatis per quatuor mundi climata essent delaturi, vel ut fide Trinitatis insigniti, quatuor mundi partes illuminarent. Hi enim sunt duodecim horæ diei totum mundum illuminantes: *Jo.* 11. Item hi sunt duodecim Patriarchæ, i. principium spiritualis generationis: *Gen.* 29. & 30. Item hi sunt duodecim principes tribuum: *Num.* 2. præcepta salutaria promulgantes. Item hi sunt duodecim fontes in Elim: *Exod.* 15. doctrina salutari mundum irrigantes. Item hi sunt duodecim lapides pretiosi in veste sacerdotali: *Exod.* 28. vitæ sanctitate splendentes. Item hi sunt duodecim panes propositionis: *Lev.* 24. pane verbi Dei Ecclesiam nutrientes. Item hi sunt duodecim exploratores terræ promissionis: *Num.* 13. viam vitæ aliis ostendentes. Item hi sunt duodecim lapides altaris: *Exod.* 24. fidem dominicæ Passionis prædicantes. Item hi sunt duodecim vituli, quos Moyses immolavit Domino: *Exod.* 24. seipsos Domino sacrificantes. Item hi sunt duodecim lapides elevati in Jordane, *Josue* 4. duodecim articulos fidei prædicantes. Item hi sunt duodecim boves sub mari æneo. 3. *Reg.* 7. Baptismi gratiam nunciantes. Item hi sunt duodecim leones in throno Salomonis. 3. *Reg.* 10. adversariis fidei viriliter resistentes. Item hi sunt duodecim portæ civitatis propheticæ: *Ezech.* 48. potestate clavium regnum cœlorum nobis aperientes. Item hi sunt duodecim fundamenta civitatis supernæ: *Apoc.* 21. Ecclesiam precibus, & meritis suis, & doctrina sustentantes. Item hi sunt duodecim stellæ in corona sponsæ: *Apoc.* 12. morum honestate Ecclesiam ordinantes. Hos ergo elegit Dominus.
c Quos & Apostolos nominavit,] scil. missos. *Rom.* 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur. 1. *Marc.* 4. Elegit Justas Sacerdotes, sine macula habentes voluntatem in lege Dei, & mundaverunt sancta.
d Simonem,] supple vocavit, Simon obediens.
e Quem cognominavit Petrum] ad differentiam Simonis Chananæi. Petrus cognoscens, quia ex obedientia cognitio. *Psal.* 118. A mandatis tuis intellexi. *Gloss. Beda.* [Cognominavit,] non modo primum, sed longe prius, cum ab Andrea adducto dicitur: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus: *Joan.* 1. &c. Nota, quod hæc *Gl.* videtur contraria textui: *Marc.* 3. Ibi enim habetur plane in littera: Et imposuit Simoni nomen Petrus, in electione, quando elegit eum Apostolum, cum aliis: Hic habetur in *Gl.* quod non primo cognominatus est Petrus, sed cum adductus est ab Andrea dicente: Vidimus Messiam. Sed quia melius est litteræ adhærere, & glossam exponere, quam e converso, sequamur litteram, dicentes, quia in electione primo cognominatus est Petrus, & exponamus *Gl.* quæ dicit, non modo primum cognominis, &c. i. non modo primo facta est mentio hujus cognominis, sed quando adductus est ab Andrea, quando dictum est ei a Domino: Tu vocaberis Cephas, i. Petrus: Tunc enim facta est mentio hujus cognominationis, non impositio, sed tantum impositionis prædictio. *Marc.* 3. imposuit. *Matth.* 16. confirmavit. Cum necesse haberet, q. d. propter mysterium, quod non hoc nomine antea vocaretur: Ecce nois glossæ concordat veritati litteræ Marci. Et nota, quod commutatum est nomen, ut ex ipsa commutatione Sacramentum Petræ, i. firmitatis innueretur, ut per hoc intelligeretur, quia de obediente fieret firmus. Sequitur.
f Et Andream fratrem ejus,] scil. vocavit. Nota, quod numerus Apostolorum ponitur combinando, super hoc tamen non habetur causa ab expositoribus assignata. Andreas virilis, vel respondens pabulo, fortitudo enim soror est obedientiæ. *Prov.* 21. Vir obediens loquetur victorias. *g* Jacobum] supplantator, paupertas, scil.
h Et Joaonem] gratia, charitas scil.
i Philippum] os laudis, i. affabilitas: *Eccl.* 4.

k Et Bartholomæum] suspendens aquas, i. continentia.
l Matthæum] assumptus, vel additus, i. socialitas.
m Et Thomam] abyssus, i. humilitas. *Gl.* B. Matthæus compari suo Thomæ in ordine humilitatis causa sese supponit, cum a ceteris Evangelistis sit prælatus, scil. *Marc.* 3. *Luc.* hic. Comparem intellige ratione combinationis. Et est summa, quod Marcus, & Lucas considerantes excellentiam Matthæi, quia fuit Apostolus, & Evangelista, præponunt eum Thomæ, & ipse Matthæus humilitatis causa se postponit ei. *n* Jacobum] luctator, i. patientia. *o* Alphæi] doceas, vel fugitivus.
p Et Simooem,] ponens tristitiam, sc. spes, [qui vocatur Zelotes.] *q* Judam Jacobi,] per quem confessio laudis, qui etiam dicitur Corculus, Lebeus, Thadeus.
r Et Judam Scarioth,] per quem confessio peccati.
s Scarioth] memoria mortis.
t Qui fuit proditor.] Argumentum, quod propter occultum peccatum, quod scit Prælatus, ut Deus, non debet aliquem repellere de beneficio.

Moraliter.

Moraliter. *a* Et cum dies, &c.] In hoc loco datur forma electionis faciendæ. Omnia enim, quæ sunt necessaria ad electionem canonicam celebrandam hic determinantur. Primum est, quod debet esse circumspecta, ut melior, & utilior Ecclesiæ eligatur, quod notatur, ibi: [In illis diebus exiit in montem,] unde potest longe lateque circumspici. *Deut.* 3. Ascende cacumen Phalge, & oculos tuos circumfer ad Occidentem, & ad Aquilonem, & Austrum, & Orientem. Sed multi hodie in electione non in monte sanctitatis, sed in valle vilitatis existentes, tantum se, vel cognatos, aut familiares suos respiciunt, & illos nominant, cum tamen dicatur *Exod.* 25. quod Cherubim se respiciebant mutuo versis vultibus in propitiatorium, i. in Christum. *Job* 39. dicitur de onagro: Circumspicit montes, i. viros sanctitates sublimes, & virentia quæque perquirit, ut sc. de bonis melior eligatur. Hoc enim, dicit nomen electionis: Eligere enim est extra alios aliquem legere, sicut dicit *Damascenus*. Unde *Cant.* 5. dicitur ad sponsam: Qualis est dilectus tuus ex dilecto o pulcherrima mulierum, qualis est dilectus tuus, quia sic adjurasti nos? Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Sed hodie non de bonis melior, sed de malis pejor eligitur frequenter. In quo eligentes similes sunt dæmonibus, qui pejorem diabolum sibi caput constituerunt. Et *Jud.* 9. dixerunt omnia ligna silvarum ad rhamnum, veni, & impera super nos. E contrario dicitur Moysi. *Exod.* 18. Provide tibi de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, idest, Archiepiscopos, & Episcopos, & Archidiaconos, & Decanos. Item debet esse libera, non coacta, vel conducta prece, vel minis, vel pretio, vel timore, quod notatur, cum dicitur: [Exiit in montem,] &c. ubi est libertas aeris, & spatii, ubi nihil impedit visum, aut gressum. 1. *Reg.* 11. Perrexit omnis populus in Galgala, quod interpretatur collis præputiorum, vel revelatio, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino. Item oratio debet præmitti ad Deum, quod notatur, ibi: [Et erat pernoctans in oratione Dei,] non in collisione, vel in colligatione mutua. Ideo autem oratio debet præcedere electionem, quia solus Deus videt corda hominum, & scit, quis sit idoneus. Contingit enim sæpe, quod ille qui austerus, vel fatuus appareret exterius in facie, benignus, & sapiens sit interius in corde. Unde dicitur *Eccl.* 13. Vestigium boni cordis, & faciem bonam difficile invenies, & cum labore. Unde & Samuel volente inungere primum filium Isai, eo quod magnus, & elegans esset, dixit Dominus, ne respicias vultum ejus, nec altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum, nec juxta hominum intuitum ego judico: Homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor. 1. *Reg.* 16. Et *Eccl.* 11. dicitur. Non laudes virum in specie sua, nec spernas hominem in visu suo. Ideo semper orandus est Dominus ante electionem, ut ostendat, quis sit idoneus. Unde *Actor.* 1. cum Apostoli vellent unum Apostolum loco Judæ orantes dixerunt;

De electione facienda.

A Domine

a Domine, qui nosti corda omnium, ostende nobis, quem elegeris ex his. Sed hodie frequentius præmittitur fraudulenta collisio, quam devota oratio, & ideo plures per collisionem in fraudem eliguntur, qualicumque electione quam per orationem. Unde dicit Dominus *Osee* 8. Ipsi regnaverunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognovi. Ideo debet fieri in die, non in nocte, quia qui male agit, odit lucem. *Joan.* 3. Quod notatur ibi [Et cum dies factus esset.] Et non quolibet die, sed die assignato, quod notatur per hoc, quod dicit singulariter. [Et cum dies factus esset.] Toto tempore ante debet Ecclesia esse in oratione Dei, sicut hic dicitur. [Erat pernoctans in oratione Dei.] Item die assignato debent venire Canonici ad electionem pure propter Deum, quod notatur ibi: [Vocavit Dominus discipulos suos.] Sed certe hodie multos vocat propria ambitio, multos carnalis affectio, multos pecunia, multos invidia. Unde potest dici illud. *Matth* 24. Ubicumque fuerit corpus Episcopi mortui, illic congregabuntur & Aquilæ, idest, Canonici, ut sibi, vel suis rapiant dignitatem. *Isa.* 34. Occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit ad alterum, illic congregati sunt milvi alter ad alterum. Dæmonium interpretatur scientia. Et tunc currunt scioli, qui propter suam scientiam ambiunt, promoveri. Sed scientia minimum est inter illa tria, quæ faciunt hominem idoneum eligi, sc. vita, zelus, scientia. Sed heu hodie de his tribus nulla fit mentio, sive inquisitio, sed magis si est nobilis genere, si bonus manducator, si strenuus bellator, & hujusmodi, qui significantur per onocentauros. Per pilosos significantur papelardi, qui simulant sanctitatem, & per hoc volunt promoveri: Per milvos, qui mures, & exalia animalium rapiunt, significantur advocati, & pueri, qui etiam illuc conveniunt ad litigandum, alter contra alterum. Unde *Isa c.*3. Unusquisque ad proximum suum tumultuabitur, puer contra senem, ignobilis contra nobilem, apprehendet enim vir fratrem suum, &c. Item debet eligi de Canonicis Ecclesiæ si est ibi idoneus, quod notatur ibi: [Et elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit.] Unde *Act.* 1. Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. *Osee c.*2. Dabo ei vinitores ejus ex eodem loco. *Deut. c.*17. Constitues regem eum, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Item formicæ formicam eligunt sibi ducem, & apis apem, & grues gruem. Item qui eligitur debet esse de discipulis Domini. Unde dicitur: Vocavit discipulos suos, & elegit ex ipsis. Quinque vero faciunt discipulum Domini.

Quinque faciunt ad discipulum.

Primum humilitas. *Matth.*11. Discite a me, &c.

Secundum charitas *Joan. c.* 13. in hoc scient omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvicem.

Tertium abjectio carnalis affectionis ad parentes suos, *infr.* 14. Si quis venerit ad me, & non oderit patrem suum, & matrem, &c.

Quartum est promptitudo exponendi se morti pro fratribus. *Inf.*14. Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.

Quintum est abrenunciatio omnis cupiditatis, *Inf.* 14. Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Item debet esse Apostolus, idest, missus ad ministrandum, non ad dominandum. *Matth.* 10. Ecce ego mitto vos, &c. 1. *Cor.* 4. Sic nos existimet, &c. *Matth.*20. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Seq.

a Et descendens cum illis de monte, &c.] Electurus Apostolos ascendit in montem, docturus turbas descendit in campum. In quo mystice innuitur infirmitas capacitatis turbarum, quæ sublimia intelligere non sufficiunt. Ostendit ergo in hoc Dominus, quod perfectioribus sunt altiora dicenda, minoribus leviora. Unde 1. *Cor.* 2. Non judicavi me scire inter vos nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum. Sapientiam autem loquimur inter perfectos. *Hebr. cap.* 5. Omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ: parvulus enim est, perfectorum autem est solidus cibus. Unde raro legitur, turba Dominum in montem sequi, vel quod Dominus aliquos infirmos in monte sanaverit, sed post sanationem quandoque leguntur secuti Dominum in montem. Sic & nos extinctis motibus illicitis, luce scientiæ illustrati, culmen virtutum possumus attingere. Instruit etiam hic Dominus Prælatos, & prædicatores, ut aliquando ascendant in montem contemplationis oraturi, & sibi, & Deo vacaturi. Aliquando descendant in campum turbis prædicaturi. Unde *Joan.*1. Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis. *Greg.* Prædicatores prius in contemplatione hauriunt, quod postmodum aliis in prædicatione effundunt. Item discipuli promoti cum Domino descenderunt in campum, & ibi steterunt cum turba, sic promoti in dignitatibus debent descendere ad turbas per compassionem, & humilitatem, & stare cum illis per bonæ vitæ conformitatem. *Ecclesf.* 32. Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis. *Seneca*: Omnia sint intus dissimilia, frons populo conveniat. *Psalm.* 103. Ascendunt montes, & descendunt campi, in locum, &c. *Eccl. tertio.* Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Ad talem Prælatum libenter veniunt subditi, & libenter audiunt, & libenter confitentur ei. Quod significatur per hoc quod subditur: [Et turba discipulorum, & multitudo plebis, &c.] *Joan. decimo.* Bonus pastor cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Item notandum est, quod dicitur:

Et a descendens b cum illis de monte c stetit in loco campestri, & d turba discipulorum ejus, & multitudo copiosa plebis, e ab omni Judæa, & Jerusalem, & maritima,

c Stetit in loco campestri,] qui est locus communis, sic Prælatus in loco communi debet stare, ut possit ab omnibus, qui eo indigent facile inveniri. *Cant.* 2. Ego flos campi. *Deut.*16. Judices, & magistros constitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum justo judicio. Dicit ergo:

a Et descendens de monte] quo ascenderat oraturus, & Apostolos electurus.

b Cum illis,] quos scilicet vocaverat. Et sciendum, quod Dominus dicitur ascendisse in montem, ut doceret. *Matth.*4. Item ut se transfiguraret. *Matth. cap. decimoseptimo.* Item ut oraret. *Matth.* 26. Item dicitur ascendisse desertum, ut diabolum superaret. *Matth. quarto.* Item dicitur ascendisse asinam, ut humilis appareret. *Matth* 21. Item dicitur ascendisse Crucem, ut omnes ad se trahendo exaltaret. *Joan. decimosecundo.* Item dicitur ascendisse in cœlum, ut nobis locum præpararet. *Joan.*14.

c Stetit in loco campestri,] *Chrys.* Nemo potest in valle stare, & de monte loqui, sed aut ubi stas, inde loquere, aut unde loqueris, ibi sta. Et ita primo debet populus se considerare qualis sit, postea qualem habeat sacerdotem. Nunc autem seipsum non videns, semper judicat de moribus sacerdotum.

d Et turba discipulorum ejus, & multitudo copiosa plebis] stetit, supple, cum eo, vel sedit circa eum, sicut solet fieri ad sermones.

e Ab omni Judæa, & Samaria, & Jerusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis.] supple a partibus. Cave, ne intelligas maritimam illam, quæ est juxta mare Galilææ, sive stagnum Genesareth, & ab eo sic dicitur, sed de remota maritima intelligendum est, quæ est juxta Tyrrhenum mare, in quo sunt Tyrus, & Sidon. *Gloss. Beda*: Non a proximo mari Galilææ, quia hoc non miraculi loco poneretur, quasi hoc non esset miraculosum, si de parva maritima confluerent ad Dominum. Et nota, quia miraculum proprie dicitur, quod præter naturæ cursum evenit. Interdum tamen miraculum dicitur quodlibet insuetum, vel insolitum, licet præter naturam non eveniat, & hoc modo accipitur hic: Sed a mari magno cognominatur, in quo etiam Tyrus, & Sidon comprehendi poterant. Sed quia civitates sunt gentium: consulte nominatim ponuntur, ut quanta sit virtus Christi intimetur, quæ etiam exteras civitates excitat. Quasi responsio est ad hoc, quod posset objici. Posset enim dici, cum in maritima misceantur Tyrus, & Sydon, quare postquam dixerat, a maritima, addit Tyri, & Sidonis? Et hæc est ratio, quæ subjungitur in *Gloss.* quod illæ civitates ideo suis nominibus exprimuntur, quia sunt civitates gentium, & ex hoc ipso evidentius apparet virtus Christi, quæ remotissimas civitates alienigenarum excitat. Ad hos non ivit Dominus, sed ipsi venerunt ad Dominum, ut magis confunderentur Judæi.

a Qui venerant, ut

a Qui venerant, ut audirent eum, & sanarentur a languoribus suis.] Sicut dicit *Rab.* quidam sequebantur Dominum ad informationem, ut discipuli, quidam ad curationem, ut infirmi, quidam ad observationem, ut invidi, quidam ad refectionem, ut famelici, quidam ad videndum nova, ut curiosi. De Judæa, & Jerusalem veniunt discipuli confitentes, de Samaria veniunt Pharisæi invidentes, & observantes, de maritima veniunt infirmi salutem quærentes, de Tyro famelici esurientes, de Sidone curiosi nova venantes. *b* Ut audirent eum,] *Chrys.* Si justitiam facere non vis, ut quid prædicatorem justitiæ audis? Quare magistrum vocas, cujus non vis esse discipulus? *c* Et sanarentur,] Bene dicit, quia ex auditu verbi Dei datur sanitas. *Psalm.* 106. Misit verbum suum, & sanavit eos. *Sap.* 16. Non herba, neque malagma, &c.

B

& Tyri, & Sidonis, *a* qui venerant, ut *b* audirent eum, & *c* sanarentur *d* a languoribus suis. Et *e* qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et *f* omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus *g* de illo exibat, & sanabat omnes. Et ipse *h* elevatis oculis in discipulos suos dicebat; *i* Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati, *k* qui nunc *l* esuritis, *m* quia saturabimini. Beati, *n* qui nunc fletis, quia *o* ridebitis. Beati

d A languoribus suis.] corporalibus, & spiritualibus.

e Et qui vexabantur a spiritibus immundis,] ab effectu, curabantur.

f Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus] curationis.

g De illo exibat,] tanquam de fonte rivulus, & [sanabat omnes.]

Mystice. Mystice. Sicut dicit *Beda*, tangit Christum, qui fideliter credit in eum. Hæretici autem comprimunt eum. Unde dixisse legitur turbæ comprimenti se. Quis me tetigit? De cujusmodi tactu, idest, tactu infidelitatis dictum est Magdalenæ. *Joan.* 20. Noli me tangere, &c. q. d. ei Dominus. Nondum enim perfecte de me credis. Item *Exod.* 19. Bestia, quæ tetigerit montem, lapidabitur. Item *Beda*: Tangitur a Christo, qui confirmatur ab illo. Qui sic tangit, & tangitur, spiritus ipsius virtute sanatur. Seq.

Infr. 8.

h Et ipse elevatis oculis in discipulos suos dicebat. Beati, &c.] Omnibus loqui volebat: tamen specialiter in discipulos oculos levat, ut attentius audiant, & altius intelligant: Et elevatio etiam oculorum significat, quoniam erat de cœlestibus locuturus, sicut oris apertio. *Matth.* 5. Significat, quoniam erat profunda, tamen aperte docturus. Utrum autem fuerit idem sermo, qui narratur hic, & qui narratur *Matth. quinto* dubitatio est. Quidam dicunt, quod fuerunt duo. Unus solis discipulis in montis cacumine sedendo factus, quem narrat Matthæus. Alius postea in campo, sive planitie montis ad omnes, & hunc fecit stando, quem narrat Lucas. Alii dicunt, quod tantum unus fuit sermo. Turbis enim irruentibus ascendit Dominus in supercilium montis, ubi vocatis ad se discipulis elegit ex ais duodecim, quos Apostolos nominavit. Deinde descendit cum illis in quamdam planitiem ejusdem montis, & stetit ibi, donec turbæ congregatæ essent, quibus congregatis sedit, & accesserunt ad eum propinquius discipuli, & tunc fecit sermonem suum discipulis, & turbis pariter, quem narrant Matthæus, & Lucas diverso ordine, sed eadem rei veritate. Nota etiam, quod Matthæus plenarie ponens sermonem habitum ad discipulos, secundum aliam opinionem, ponit octo beatitudines. Lucas ponens sermonem habitum ad turbas, ponit tantum quatuor, quibus in *Gloss.* eleganter adaptantur quatuor cardinales virtutes. In his etiam quatuor, quas ponit Lucas, intelliguntur illæ quatuor, quas tacet. Dicit ergo:

i Beati pauperes] rebus, & spiritu. Rebus per omnimodam abdicationem, ut Apostoli, vel ad minus per omnimodam subjectionem, ut Patriarchæ. Spiritu per voluntatis propriæ abjectionem, & sensus singularis depositionem. Tales sunt beati, quia eis ad votum succedit, quod amant, idest, ipsa paupertas voluntaria, quam secure, & quiete possident quantum, & quamdiu volunt. Unde dicit *Sen.* Paupertas est bonum sine calumnia. Item beati sunt, qui jam habent in se stolam corporis glorificati. Sunt enim impassibiles tam ad verba quam ad verbera per omnimodam sui abjectionem. Hæc est vera paupertas, quæ nihil habet, neque cor, neque corpus, neque res, de quarum amissione doleat. *Greg.* Qui nihil habet in mundo, quod diligat, nihil est in mundo, quod pertimescat, & ideo nihil est ei molestum.

Tales sunt vere monachi in claustro Domini. Unde quia regnum Dei claustrum Domini est, recte dicit: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei, sicut monachorum est claustrum. Item sunt agiles per obedientiæ promptitudinem. De qua dicit *Aug.* Verus obediens mandatum non procrastinat, &c. Item sunt subtiles per dignitatum, & honorum abrenunciationem. Item sunt lucidi per mundanæ curæ depositionem, quæ nigrum facit. His ergo, & talibus dicitur. [Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.] Et merito, quia regna mundi contempserunt. Item ipsa jure paupertatis. Omnia enim domus Dei ubicumque sit, pauperum est, & omnia bona ejus. Item quia regnum Dei, & etiam ipsum Deum possidet pietas, quæ est mater pauperum, quod inde apparet quia ipsum vendidit pro redemptione captivorum, ipsum spoliavit pro indutione nudorum, ipsum assavit in Cruce pro refectione egenorum. Item titulo emptionis, pretio jam soluto. *Matth. c.*19. Omnis, qui reliquerit, &c. Quia igitur talium est regnum Dei, oportet, ut qui vult habere, emat ab illis. *Inf.* 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Nota, sicut innuitur in *Gloss.* temperantia congruit paupertati. Consistit enim in coercendis illecebris, quia cum se, & sua abdicat, pravas delectationes in se refrænat, quæ & facit cordis munditiam. Unde in hac beatitudine intelligitur illa sexta beatitudo, quam ponit Matthæus: Beati mundo corde. Sequitur: *k* Beati, qui nunc] idest ad modicum esuritis. *m* Quia saturabimini.] in æternum. *l* Esuritis,] Ad litteram, idest, fame, & siti carnis lasciviam castigatis in via. *m* Quia saturabimini.] pane vitæ, & intellectus in patria, unde *Psalm.* 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua, *infr.* 14. Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. *Isa. cap.* 55. Omnes sitientes, &c. *Joan. cap.* 7. Qui sitit, &c. *Chrys.* Non omnes vocat ad potum, sed sitientes. Item [Beati qui nunc esuritis] justitiam, dicit *Gloss.* idest, vitæ rectitudinem. [Quia saturabimini.] idest, implebitur desiderium vestrum. Unde *Psalm.* 126. Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, quæ desiderat, scilicet bonis cœli. Non solum vitæ propriæ rectitudinem esurire debemus, secundum omnium, & maxime peccatorum. Nam Dominus cum vidit ficum sterilem, statim esurit. *Matth.* 21. Sic nos cum videmus peccatorem, debemus esurire ejus salutem. Et beatus talis stomachus, qui sic esurit, quia Dominus dat escam esurientibus. Hac fame mortui sunt omnes amici Dei. Hac etiam fame Balaam mori volebat, qui dixit *Num.* 22. Moriatur anima mea morte justorum. Siquidem pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Hanc famem habent omnes viri prædicatores, sicut scriptum est. Famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem. Nunquid nunc hanc famem habebat rex opulentissimus, qui dicebat. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Est autem tota esuries humani cordis de duobus. Intellectus siquidem esurit veritatem, & affectus esurit bonitatem, quibus uterque replebitur in futuro. Unde *Isa.* 65. Servi mei comedent, & vos esurietis. In hac beatitudine intelligitur quinta beatitudo, quam ponit *Matth. quinto*, scilicet Beati misericordes. *Gloss.* Qui enim compatiuntur aliis, & miserentur, & tribuunt sua non quærentes aliena? Ecce justitia, quæ congruit esurientibus eam, quæ etiam facit misericordem. *Ambr.* Qui esurit, esurienti compatitur, compatiendo largitur, largiendo fit justus, æqualem se inferioribus præstat, dolum excludit, veritatem requirit. In hac *Gloss.* satis patet, qualiter se contineant ad invicem justitia, & misericordia. Seq. *n* Beati, qui nunc fletis,] de præsenti miseria. *o* Quia ridebitis.] de dilatatione bonorum. *Joan.* 16. Tristitia vestra, &c. *Isa.* 60. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum. Ista tria dona sunt contra tria vitia. Paupertas contra avaritiam, esuries contra luxuriam, luctus contra superbiam. Et nota ordinem: Pauperes esuriunt, esurientes flent. Nota ergo, quod donum luctus est quasi probatica piscina, in qua lavantur hostiæ, antequam domino offerantur. Quinque porticus habens, quia quinque sunt genera lacrymarum. Primæ sunt pro incolatu

Matth. 5.

Psalm. 115.

Psalm. 18.

Psalm. 118.

latu hujus miseriæ, & hæ potant sitientem animam. Secundæ sunt pro errore propriæ culpæ, & hæ lavant immundum. Tertiæ sunt præ horrore gehennæ, hæ humectant aridam. Quartæ sunt pro desiderio patriæ, hæ rigant jam fecundam. Quintæ pro miseriis proximorum, hæ charitatem demonstrant. De primis dicitur in *Psal.* 79. potum dabis nobis in lacrymis in mensura. De secundis. *Psal.6.* Lavabo per singulas noctes lectum meum lacrymis meis. De tertiis. *Psalm.* 114. Eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis. De quartis: *Psalm.* 40. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte. De quintis *Jerem* 9. Quis dabit capiti meo, &c. *Chrys.* Beati, qui lugent sua peccata, sed beatiores, qui aliena. Et *infra*: Quamdiu charitas Sanctorum ad peccatores est, & luctus est. Harum lacrymarum est triplex efficacia in Deum. Prima est inebriatio. *Isaiæ* 43. Adipe lacrymarum tuarum inebriasti me. Secunda est punctio. *Gloss. super Tobiam*: Oratio Deum lenit, lacryma cogit. Hæc ungit, illa pungit. Tertia est violentia. *Psalm.*38. Auribus percipe lacrymas meas. Ibi *Aug.* Violentæ sunt in precibus lacrymæ. *Raban.* Semper luctus inter duas lætitias consistit, mundi præcedentem, & cœli propinquantem. Beatus, cui temporalis tristitia præcurrit æternam lætitiam. Item *Rab.* Quatuor modis fit planctus Sanctorum. Cum & propria peccata deplorant, cum in infernum cadentes plangunt, cum in peccatis viventes lugent, cum pro desiderio regni gemunt. Et quatuor species lacrymarum natura continet. Sunt enim humidæ, ut abluant sordes peccatorum, & restituant perditum Baptismum. Sunt salsæ, ut carnis fluxum & dulcedinem temperent voluptatum. Sunt & calidæ, ut prævaleant contra infidelitatis frigus. Sunt & puræ, ut mundatis pristinis erroribus, in puram restituant conversationem. Notandum etiam, quod prudentia congruit flentibus, i. dolentibus, dum considerat infelicitatem hujus vitæ, & felicitatem futuræ. Prudentia enim dicitur quasi providentia. Ille autem sibi sapienter providet, qui hujus vitæ miserias attendit. Quæ etiam facit pacem pectoris, quæ est septima beatitudo, quam ponit Matthæus, dicens. Beati pacifici, &c. Sic ergo patet, qualiter illa intelligatur in hac tertia, quam ponit Lucas hic:

Matth. 5.

Luctus:
- De malo præsentis miseriæ,
- De malo viæ, quod est { Innatum nobis. / commissum a nobis. / amissum a nobis. }
- De desiderio patriæ,
- De peccatis propriis, quod facit beatum.
- De peccatis alienis, quod facit beatiorem.
- De detrimento virtutum,
- De incolatu sæculi. | Irriguum inferius *Jos.*15,
- De dilatione cœli. | Irriguum superius.

Consolatio:
- De peccati plena remissione. *Isa.*56. Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos, &c.
- De vera retributione in reprobis. *Isa.ult.* Erunt usque ad satietatem visionis omni carni.
- De liberatione præsentis miseriæ. *Apoc.*21. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum.
- De adeptione cœlestis patriæ. *Matth.*25 Euge serve bone. *Isa.ult.* Gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam, &c.

Versus.

Fle, si letari, servi si vis dominari.
Da, si ditari, jejuna si satiari.

Sequitur. *a* Beati eritis, cum vos oderint, &c.] i. cum homines corde, ore, opere vos persecuti fuerint, non merito peccatorum vestrorum, sed propter filium hominis, i. quia in ipsum creditis, & ipsum prædicatis, beati eritis, supple, si sapienter, & æquanimiter, & lætanter sustinueritis. Hi enim sunt tres digiti, de quibus dicit *Isa.* 40. Quis appendit tribus digitis molem terræ, Primi quidem parentes vendiderunt regnum cœlorum pro lenocinio unius pomi. Isti vero redimunt pretio odiorum, contumeliarum, injuriarum. Isti quidem cum Christo comedunt in vigilia, & ideo cum eodem comedent in festo. In hac vigilia comeditur panis arctus, & bibitur aqua tribulationis, sicut dicitur *Isa.* 30. Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam brevem. In festo vero omnia pinguia, & omnes deliciæ comedentur. Unde *Isa.*25. Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, &c. Isti sunt socii passionum in via, ideo erunt & consolationum in patria. Scriptum est enim 2. *Cor.* 1. Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis, *infr.* 22. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, &c. Ideo dicit *Eccl.6.* Si possides amicum, in tentatione posside illum. Ad istos devolutum est onus cœlestis hæreditatis, idest, præsentes tribulationes, quare necesse est, ut ad ipsos devolvatur ipsa hæreditas. Isti solvunt debitum, quo obligata erat celestis hæreditas: ideo jure est eorum. Ergo

a eritis, cum vos oderint homines, *b* & cum separaverint vos, & *c* exprobraverint, & *d* ejecerint nomen vestrum tanquam *e* malum propter filium *f* hominis,

[Beati eritis, cum vos, &c.] Adam siquidem peccavit corde, ore, opere, & ideo celestem hæreditatem tripliciter obligavit, idest, odiis, contumeliis, injuriis. Corde peccavit nimis uxorem amando, & ideo induxit super nos odium Dei, Angelorum, & hominum. Peccavit ore, pomum comedendo, & se male excusando, & induxit super nos obligationem contumeliarum. Peccavit opere, sive manu, pomum accipiendo, & obligavit nos molestiis, & injuriis. Dicit ergo:

a Beati eritit, cum vos oderint homines,] corde.

b Et cum separaverint vos,] opere, pellendo, scil. de Synagogis. Unde cum recessisset Judas proditor a societate, dixit Jesus. Nunc clarificatus est filius hominis.

c Et exprobraverint, ore, vos, i. nomen Crucifixi vobis. Hoc enim improperabant fidelibus in primitiva Ecclesia, quod adorarent crucifixum. Vel, exprobraverint vos, sicut ipsum Christum, & Jo: Baptistam. *Matth.* 11. Venit Joannes non manducans, neque bibens, & dicunt, demonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: ecce homo edax, & potator vini. *Joan.*15. Non est servus major domino suo: Si me persecuti sunt, & vos persequentur.

Joan. 15.

d Et ejecerint nomen vestrum,] Christianum, sc. Sæpe enim nomen Christianum usque adeo in defectum venit, ut nemo auderet illud confiteri. *Beda*: Quantum ad Judæos, & Gentiles nomen Christianum sæpe abrasum a memoria, & ab omnibus ejectum est: Vel: Ejecerint nomen vestrum,] i. vos Christianos a societate, sive collegio suo. *Joan.9.* Jam enim conspiraverunt Judæi, ut si quis confiteretur eum Christum, extra Synagogam fieret. *Isa. ult.* Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus, dixerunt fratres vestri odientes vos, & abjicientes propter nomen meum, &c.

e Tanquam malum] 1.*Cor.*4. Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus. Ejecerunt inquam. *f* Propter filium hominis.] i. ejus amore, ejus pretio, ejus vice. *Beda*: Cujus nomen vestrum facitis cognomen, quia a Christo dicuntur Christiani. Item: Propter filium hominis, nulla alia de causa. Nota etiam, quia in hac beatitudine, quæ hic ponitur, intelligitur secunda beatitudo, quam ponit Matthæus. sc. Beati mites. Fortitudo enim congruit huic beatitudini, quæ hic ponitur, quæ etiam facit mansuetudinem. Mitis enim est, qui nullis movetur molestiis. Fortis est, qui vincit iram, & alios motus animi. *Prov.* 16. Melior est patiens viro forti. Laudabilius est, seipsum vincere, idest, proprios motus animi reprimere, quam alium vincere, &c.

Matth. 5.

Si beati { Pauperes / Esurientes / Flentes / Patientes } ergo miseri:
- Amantes divitias. *Prov.* 13. Est quasi dives, cum nihil habeat, & est quasi pauper, &c. *Eccles.* 31. Qui aurum diligit, non justificabitur *Job* 37. Ab Aquilone aurum venit. *Jerem.* 1. Ab Aquilone pandetur omne malum. Ergo unde aurum, inde malum, &c.
- Comessatores. *Proverbiorum* 23. Noli esse in conviviis potatorum, nec, &c.
- Risores *Jac. quarto.* Miseri estote, & lugete. *Jac. quinto.* Plorate ululantes in miseriis vestris, &c.
- Impatientes. *Jac.* 5. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. *Prov.*13. Qui pauper est, increpationem non sustinet. Seq.

a Gaudete

a Gaudete in illa die, &c.] Tribus modis hortatur Dominus discipulos suos ad sustinentiam adversorum. Primo per ostensionem præmii, ubi dicit [Ecce enim merces vestra] Secundo, per exemplum Prophetarum, ubi dicit [Secundum hæc enim] Tertio, per pœnæ commutationem, cum dicit [Veruntamen, &c.] Dicit ergo:

a Gaudete in b illa die, & b exultate, c ecce enim merces vestra multa est in d cœlo. Secundum hæc e enim faciebant Prophetis patres eorum, f Verumtamen g væ h vobis divitibus, qui i habetis consolationem k vestram.

a Gaudete] interius propter stolam animæ. b In illa die,] se præsentis tribulationis, quæ illuminat, ut collyrium *Apoc. 3.* b Et exultare,] exterius, propter stolam corporis. Non est hoc datum omnibus, scilicet gaudere in tribulatione, sed quibusdam, & paucis, de quibus dicitur, *Act. 5.* Ibant Apostoli gaudentes. *Phil. 1.* Donatum est vobis pro Christo, non solum, &c. c Ecce enim merces, &c.] Ideo gaudete, enim, quia merces vestra multa est, & magna. Magna pretiositate, multa in numerositate. *Psal. 30.* Quam magna multitudo dulcedinis tuæ. d In cœlo.] in loco tuto, & amœno, & quieto. *Isa. 32.* Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta. *Matth. 6.* Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Item magna est merces, quia pro paupertate temporali, quæ est modica, & momentanea, dabitur regnum æternum, pro fame horaria, satietas perennis, pro luctu momentaneo lætitia sempiterna, pro vilitate modica, gloria perpetua. *Psal. 126.* Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii merces fructus ventris. *Genes. 15.* Ego sum merces tua magna nimis. 2. *Cor. 4.* Id, quod est in præsenti momentaneum, & leve, &c. Item multa est merces, quia duodecim sunt gaudia Paradisi significata per duodecim fructus, de quibus dicitur *Apoc. 22. Sap. cap. 3.* In paucis vexati, in multis bene disponentur, *Beda*: Inter odia cordium, inter probra linguarum, inter manus persequentium, lætiori corde versamini intuitu supernæ mercedis. *Gregor.* Consideratio præmii minuit vim flagelli, Seq.

e Secundum hæc enim, &c.] *Aug.* Exemplo Prophetarum temperat rigorem tribulationis, q.d. non est novum, si vos, qui estis servi mei, patimini a Judæis, quia Prophetæ mei propter eamdem causam passi sunt a patribus eorum. Et si illi, qui non habuerunt exemplum, constantes fuerunt in tribulationibus, & vos, qui jam habetis exemplum constantiores esse debetis. 2. *Tim. 3.* Omnes, qui pie volunt vivere in Christo persecutionem patientur. Dicit ergo: [Secundum hæc enim, &c.] Sic continua; Ne turbemini, si vos persequantur. [Enim,] quia, secum hæc faciebant Prophetis, qui timore non deficiebant a veritate, [patres eorum.] Seq.

f Verumtamen væ vobis divitibus.] Lucas ponens temperatum sermonem ad turbas, licet admixti erant discipuli, quasi per antithesim quatuor promissionibus opponit quatuor comminationes. Sicut enim quatuor beatitudines posuit quatuor virtutibus respondentes, ita ponit quatuor væ quatuor vitiis respondentia.

Primum est contra cupiditatem divitum, quod opponitur paupertati.

Secundum est contra voluptatem Epicureorum, quod opponitur esuriei.

Tertium est contra vanitatem lætantium, quod opponitur luctui.

Quartum est contra placentiam mundi, quod opponitur vilitati sive contemptui. Matthæus octo ponit beatitudines, & octo væ, non tamen in eodem cap. sed postea 23. Lucas vero tantum quatuor beatitudines ponit & quatuor væ, sed reducuntur octo beatitudines ad quatuor, sicut ex præmissis patet. Aliter etiam reducuntur, se parum differenter. Nam paupertas continet mansuetudinem. Qui enim vere pauper est, nihil habet, unde dolere valeat, & ideo nec irritat, nec irritatur, quod est mansuetudinis. Item esuries complectitur misericordiam. Nam qui esurit, esurienti compatitur, & compatiendo largitur, quod est misericordiæ, ut dicit: *Ambr.* Item luctus continet munditiam cordis. Nam lacryma pro peccatis propriis, & alienis oculum mundificat rationis. Item sub vilitate, & contemptu comprehenditur pacificatio, & patientia, quæ sunt duæ ultimæ beatitudines in Matthæo. Nam qui vere contemnit & se, & mundum, & etiam se contemni patitur, pacem habet, & patientiam. Referuntur etiam hæ quatuor beatitudines ad quatuor virtutes cardinales, ut dicit *Ambr.* Nam paupertas temperantiam, esuries justitiam, luctus prudentiam, contemptus fortitudinem gignit. Sed quare non ponuntur in Matthæo statim post beatitudines, sicut sua væ, respondentia sicut in Luca: Responsio, quia in Matthæo loquitur perfectis, qui non indigent comminatione, quia perfecta charitas foras mittit timorem. 1. *Joan. 4.* In Luca vero loquitur imperfectis, quibus necessaria est comminatio pœnæ, quia timor Domini expellit peccatum. *Eccl* 1. Et initium sapientiæ timor Domini. in *eod.* Dicit ergo:

g Væ] idest, æterna damnatio parata est.

h Vobis divitibus,] qui amatis divitias temporales, sive terrenas, vel inique habetis, vel habere cupitis, vel vos divites reputatis, tumentes, & alios contemnentes, vel speratis in divitiis. *Jac. 5.* Agite nunc divites, plorate, & ululate in miseriis, quæ evenient vobis. *Eccl 5.* Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. Item *Eccl. 5.* Quid prodest possessori, nisi quod cernit oculis suis divitias? Item *Prov. undecimo.* Qui confidit in divitiis suis, corruet. *primo Timoth. sexto.* Nolite sperare in incerto divitiarum. Et bene dicit: [Væ] quod est interjectio, & non dicit, æterna damnatio divitibus, quod tamen idem est. Sed interjectio significat affectum mentis, nomen vero conceptum. Ad innuendum ergo, quod divites jam per affectum non solum per intellectum sentiunt in se, quod passuri sunt in inferno, ideo dicit væ. Unde *Jerem. secundo.* Scito, & vide, quam malum, & amarum est, te dereliquisse Dominum Deum tuum. Sed quia multi habent divitias, qui in eis nullum habent solatium, nec amorem ad eas, qui scilicet, habent ut dispensatores, & ad hoc custodiunt tantum, ut bene dispensent, ideo subdit:

i Qui habetis consolationem vestram.] *Gloss.* contra necessarias temporis miserias. Miseriæ enim temporales necessariæ, idest, utiles sunt ad coercendas carnis illecebras.

k Vestram] non divinam, idest, quam quæritis, & amatis vobis, & ideo væ vobis. Consolatio enim talis via est ad perpetuum cruciatum, sicut e contrario tribulatio temporalis via est ad æternam consolationem. Unde *infr. 16.* dicit Abraham diviti in inferno: Fili, recordare, &c. nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Siquidem calix in mano Domini vini meri plenus misto, & inclinavit ex hoc in hoc, & facta est commutatio, quia tristitia pauperis versa est in gaudium, & gaudium divitis in mœrorem. Unde dicit *Jac. 4.* Lugete divites, & estote miseri, quia risus vester vertetur in luctum, & gaudium in mœrorem. Væ ergo vobis divitibus, quia perdetis usum temporalium, quem nunc diligitis, sc. præsentem consolationem. Sunt autem tria, quæ istam consolationem operantur, divitiæ, deliciæ, & honores. Omnis enim consolatio mundi ad hæc tria refertur. Hi sunt tres consolatores, de quibus dicit *Job 16.* Consolatores onerosi omnes vos estis, qui onerant consolatum onere gravissimo, scilic. desolatione æterna. Hæc est consolatio somniantis, quam habent divites hujus mundi. De qua dicitur *Isa. 29.* Sicut somnia sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & vacua est anima ejus. Sic erit, &c. *Psal. 85.* Dormierunt somnum suum, &c. Et alibi: *Psalm. 72.* Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Optime dicit imaginem, quia sicut somnians non videt res, sed imagines rerum, & tamen credit se videre res, ita divites credunt se habere divitias veras, cum tamen non habeant nisi imaginativas, sive phantasticas divitias. Est etiam divitibus triplex væ in præsenti. Væ laboris in acquirendo, væ timoris in custodiendo, væ doloris in deserendo. Et propter hoc forte dicitur *Apoc. octavo.* Væ væ væ habitantibus in terra. Et hoc triplex væ perpetuabitur in inferno, quia erit ibi labor sine requie, timor sine spe, dolor sine consolatione, & non dicit, est, vel erit.

Mystice. Sicut dicit *Gloss.* per divites intelliguntur Judæi de divitiis legis gloriantes, sive hæretici, sive Philosophi, qui de sapientia sua, & torrente eloquii sui confidentes veritatem expositionis vilipendant, & secundum regulas philosophicas de Christi generatione, & aliis fidei articulis nituntur discurrere. Quibus in futuro erit væ, cum manifestum erit, eos errasse, & thesauros iniquitatis, qui non proderunt, sibi collegisse. Sequitur:

M. 9.10. c. quod Christus.

Amos 6.

S. Bern. delicata est divina consolatio nec admittitur dantibus alienam.

Psalm. 74.

Mystice.

▲ se. Sequitur: *a* Væ vobis, qui saturati estis,] i. crapulæ, & ebrietati vacatis. Contra quod dicitur *infr.21.* Videte, ne graventur corda vestra crapula, & ebrietate. *b* Quia esurietis.] æternaliter. *Isa. 65.* Servi mei comedent, & vos esurietis. Ideo etiam væ his in præsenti, quia talis saturitas aufert somni requiem. *Eccl. 5.* Saturitas divitis non sinit eum dormire. Item quia sanitatem aufert. *Job 20.* Cum saturatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum. Item quia pudicitiam aufert, *Hier.* Venter vino æstuans cito despumat in libidinem. *Jer. 5.* Saturavi eos, & mœchati sunt. Item quia famem parit æternam. *Isa.65.* Ecce servi mei comedent, & vos esurietis &c. Et hanc rationem assignat hic Dominus quasi fortissimam, quia totum damnum hominis est fames æterna, idest, defectus boni æterni. Item [Væ vobis, qui saturati estis,] desideriorum vestrorum adimpletione, & peccatorum delectatione, quia talis saturitas corrumpit palatum animæ, & aufert saporem celestium ciborum. *Prov.27.* Anima saturata calcabit favum. Item, Væ vobis, qui saturati estis,] carnibus draccnum, idest, defectibus, & vitiis aliorum detrahendo. *Job 19.* Quare me persequimini sicut Deus & carnibus meis saturamini? *Prov. 23.* Noli esse in conviviis potatorum. Sequitur: *c* Væ vobis, qui nunc ridetis,] de mundi felicitate nunc in modico. *Rom.6.* Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? *d* Quia lugebitis, & flebitis.] de inferni calamitate. *Pr. 14.* Risus dolore miscebitur. *Eccl.7.* Cor sapientis ubi tristitia, sc. in præsenti, cor stultorum ubi lætitia. Item, Væ vobis, qui ridetis, nimia facilitate, quia lugebitis in inferno, cogente necessitate. *Eccl. 19.* Risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo. Item: [Væ vobis, qui ridetis,] cum nimia dissolutione, [quia lugebitis,] in inferno oris oppilatione, sicut dicitur in *Psalm. 106.* Iniquitas oppilabit os suum. *Eccl. 21.* Fatuus in risu exaltat vocem: vir autem sapiens vix tacite ridebit, i. raro. Et tunc modeste, sicut *Job 29.* Si quando ridebam ad eos, non credebant. Ubi dicit *Greg.* Prælatus debet se habere taliter ad subditos, ne ridens timeri, & iratus possit amari, ne nimia lætitia vilem, vel immoderata sævitia reddat odiosum. Item, [Væ vobis, qui ridetis,] idest, gaudetis de mundi voluptatibus, & risui, & vaniloquiis operam datis, quia lugebitis, infernalibus miseriis subito advenientibus. *Job 21.* Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Item [Væ vobis, qui ridetis,] de mundana promotione, quia lugebitis, de infernali demersione, quæ vos occupabit. Et quanto gradus altior, tanto casus erit profundior. Unde cum lucifer dixisset: Ascendam in cœlum, & ero similis Altissimo, dictum est ei: Verumtamen in infernum detraheris in profundum laci. *Isa. 14.* Merito illis væ, qui rident de sua suspensione, de maris submersione, de propria illusione. Omnis enim purpura, omne sceptrum, omnis corona illusio est, & ludibrium, postquam in his Domino Jesu fuit illusum. Unde dicit *Aug.* Risus illorum risus est phreneticorum, sed sapientes malunt se habere sanos plangentes, quam phreneticos ridentes. Unde *Eccl 2.* Risum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis? Dominus ter flevisse legitur. Super Jerusalem eversione, *inf. 19.* Super Lazari suscitatione. *Joan. 11.* Et in Cruce. *Heb.5.* Risisse autem nunquam legitur. In quo notatur, quod viro justo, non est hic tempus ridendi, sed flendi. In futuro vero erit tempus ridendi. Unde *Eccl.3.* Tempus flendi, & tempus ridendi. Primo dicit flendi, postea ridendi. *Pr. ult.* Ridebit in die novissimo. E contrario malus flebit in die novissimo; quia risit in die primo. Fletus autem ille æternus erit duplex, idest, de duobus, sc. de carentia omnis boni, & præsentia omnis mali. Hæc enim duo erunt in inferno, ut dicit *Aug.* Ideo dicit Dominus. Væ vobis, qui nunc ridetis, quia lugebitis, & flebitis. Non dicit, nunc, per quod datur intelligere in æternum. Seq.

Christus ter legitur flevisse.

Væ *a* vobis, qui saturati estis, quia *b* esurietis. Væ *c* vobis, qui nunc ridetis, quia *d* lugebitis, & flebitis. Væ cum *e* benedixerint vobis omnes homines. Secundum hæc *f* faciebant Prophetis patres eorum. *g* Sed vobis dico, *h* qui auditis: *i* Diligite inimicos vestros.

e Væ cum benedixerint vobis omnes homines,] idest, cum vobis adulatoriis favoribus arriserint laudando in malis, sicut dicit in *Psal.9.* Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Vel adulando in bonis, quod non est minus malum quam vituperatio. Unde *Sen.* Lauda parce, vitupera parcius. Similiter enim reprehensibilis est nimia laudatio, ut immoderata vituperatio. Illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta est. *Prov.27.* Qui benedicitur proximo suo voce grandi, idest, nimia laude extollit, vel mala ejus diminuendo, vel bona plus æquo laudando, de nocte consurgens, idest, circa hoc solicitus, ut est omnis adulator, maledicenti similis erit, idest, detractori, quia vel mala diminuendo confidentiam præstat, vel bona laudando intentionem inclinat, ut quod propter Deum inceperat, propter humanum favorem finiat. Unde *Isaiæ 3.* Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt. Legitur *Matth.26.* Quod Judæi velabant Domino faciem, & dicebant, Ave Rabbi. Sic adulatores laudando excæcant. Unde significantur per Philisthæos, qui Samsonem excæcaverunt. *Jud. 16.* Cæcus bene audit, quod ei dicitur, sed non videt, quod ei fit, sic ille, qui decipitur adulatione, bene scit, quod falsum est, quod ei dicitur, & tamen quasi non videns libenter audit. Unde *Horatius* dicit: Falsus honor juvat, & mendax infamia terret. Quem nisi mendosum, & mendacem? Et nota, quod dicit: [Cum benedixerint vobis omnes homines.] Non enim malum est benedici a bonis, sed a malis benedici, maledici est. Unde *Sen.* dicit: Si continens es, adulationes devita, sitque tibi tam triste laudari a turpibus, quam laudari ob turpia. Sed quæ culpa mihi, si homines mihi benedicant? Nulla, si non recipio, idest, si inde non gaudeo mihi. Sed si appeto, & mihi congaudeo, pecco. Præterea hominum benedictio hæc extollentiæ, & ruinæ occasio est. Est etiam exinanitio, & eviscerario justorum, & laqueus, quem pauci sciunt declinare, & qui declinat, sapiens comprobatur. Unde *Prov. cap. 27.* Quomodo probatur in conflatorio argentum, & fornace aurum, sic probatur homo ore laudantium.

al. † sphendo.

Horatius in Epistolis.

f Secundum hæc faciebant Prophetis patres eorum.] supple, idest, pseudoprophetis, quos adulterino favore demulcebant, qui non prædicabant nisi pro captando humano favore. *Gloss. Bedæ*: Benedicebant pseudoprophetis, qui ob captandum vulgi favorem de corde suo prophetabant. *Ezech. 13. Jer. 23.* Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem, &c. Sequitur:

g Sed vobis dico, Locutus est Dominus ad turbas, hic convertit sermonem ad Apostolos. Et est hæc quarta pars, in qua invitat Dominus discipulos ad culmen perfectionis. Non enim sufficit perfectis non odire inimicum, vel diligere amicum, sed oportet diligere inimicum. Et hoc est: [Sed vobis dico,] quasi omnibus dixi. Beati pauperes, beati esurientes, beati flentes, beati patientes. [Sed vobis,] specialiter, [dico, qui auditis,] ut discipuli, ex amore, & mansuetudine, utraque aure, i. corporis, & cordis, & auditum facitis, vel facere vultis. Ut sit pondus in verbo.

Quarta Pars.

h Qui auditis,] idest, intelligitis, & intellectum facere vultis.

i Diligite inimicos vestros.] Loquitur hic Dominus perfectis, nec solum hujus temporis, sed etiam primitivis perfectis, quos instruebat, scil. Apostolis, qui per patientiam tormentorum, & proprii sanguinis effusionem, erant Ecclesiam fundaturi. Quædam ergo, quæ hic dicuntur, congruunt primitivis perfectis, quædam etiam imperfectis, quædam perfectis hujus temporis. ▲ Unde notanda est

i Diligite inimicos vestros.] active, idest, qui vobis inimicantur, non vos ipsis. Sicut enim amicus dicitur, qui amat, & qui amatur, sic inimicus, qui odit, & qui oditur. Sed proprie amicus est, qui amat, & inimicus, qui odit, & sic accipitur hic. Inimici autem diligendi sunt, quia ad Deum ire compellunt, sicut dicit *Gregorius*. Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Item quia faciunt exire a peccato, & quandoque a mundo. *Exod. 12.* Urgebant Ægyptii populum exire de terra velociter.

Exp. litteræ.

Item quia serviunt sicut instrumenta fabrilia vasis fabrilibus. Nam illorum beneficio formantur. Unde *Aug.* Quod lima ferro, quod fornax auro, quod flagellum grano, hoc tribulatio justo. Item sicut dapifer servit prandentibus. Qui enim injuriam, vel contumeliam irrogat, dapes patientiæ, seu mansuetudini ministrat. Sic servivit Esau Jacob. *Genes. 25.* Major serviet minori. Sic stulti serviunt sapientibus. Unde *Prov. 11.* Qui

O stultus est

a benefacite his, qui vos oderunt. b Benedicite c maledicentibus vos, d orate pro calumniantibus vos. Et qui e te † percusserit in maxillam unam, f præbe illi & alteram. Et g ab

A Unde notanda est hic quædam distinctio perfectorum. Sunt enim aliqui quos contemplativos dicimus, qui omnibus omnino postpositis, nudi nudum Christum sequuntur, & est summa perfectionis eorum, habere vitam in patientia, & mortem in desiderio. Sunt & alteri hujusmodi Perfecti, sc. Prælati majores, qui non tenentur habere mortem in desiderio: imo tenentur desiderare vitam pro salute, & profectu subditorum, & est summa perfectionis eorum paratos esse mori, si necessitatis articulus interveniat, antequam periclitetur fides subditorum. Sunt & alterius modi perfecti minores sacerdotes, & diaconi, quorum summa perfectionis est votum continentiæ. Sunt etiam perfecti conjugati, quorum summa perfectionis est sibi reservare necessaria, & omnia superflua erogare. Notandum rursus, quia in lege erat talio beneficiorum, & talio injuriarum. Dominus prima fronte excludit talionem injuriarum, sed ne videatur omnino legem solvere, reservata talione beneficiorum, & eum cumulo docet, & præcipit cumulare beneficia. Injuriis etiam præcipit reddi beneficia, ut scilicet injuriis lacessiti beneficia reddamus. Et ut intelligatur quibus injuriis, quæ beneficia reddantur, notandum quod injuria triplex est, scil. injuria cordis, injuria oris, injuria operis. Injuria operis dividitur in injuriam proprii corporis, & in injuriam rerum. Injuria rerum dividitur in injuriam rerum necessariarum, & rerum superfluarum. Injuria cordis est odium. Huic injuriæ debetur dilectio cordis, & exhibitio beneficii exterioris, & hoc tam a perfecto quam ab imperfecto, quia tam perfectus quam imperfectus tenetur inimicum diligere corde, nec propter odium cordis ab exteriori beneficio debet desistere. Ecce habes, quia hic quædam dicit, quæ congruunt etiam imperfectis. Injuria oris est detractio. Cui debet duo perfectus, sc. optationem † & operationem, debet enim optare bonum detractoribus, & orare, ut desistant a malis. Injuriæ proprii corporis debet patientiam sine ultione, quantum ad primitivos perfectos, quibus illud congruit. Qui te percusserit in dextera maxilla, præbe ei & aliam. Perfecti hujus temporis non tenentur præbere aliam, sed parati esse, quia nec Christus legitur percutienti alteram præbuisse. Quibus etiam perfectis hujus temporis licita est ultio injuriarum proprii corporis. Alioquin minime permitteret hoc Ecclesia Templariis, & hospitalariis, qui sunt viri religiosi. De injuria rerum superfluarum nemo perfectus potest aliquid repetere. De injuria rerum necessariarum adhærendum est verbo Apostoli dicentis. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Dum itaque nullus hodie sit perfectior, vel æque perfectus Apostolo, omnibus generaliter licet sua repetere, sed quibusdam non expedit. Sic ergo distingue. Perfectis minoribus sacerdotibus, licet sua repetere, & sub judice, & expedit: tamen non cum lite, vel contentione. Prælatis licet repetere sua etiam sub judice, sed non expedit. Potius enim deberent vacare instructioni subditorum, vel contemplationi. Speculativis licet repetere sua, sed non sub judice, nec eis expedit. Ita distinguit *Cant.* & bene.

al. † percussit.

Triplex injuria.

al. † orationem.

1. Cor. 6.

Stultus est, serviet sapienti *B. Bern.* Quid nisi servire dicam, qui mihi caput radit, vel calceamenta tergit, vel terram meam rorat? Caput radit, qui temporalia tollit. Calceamenta tergit, qui verbera infligit. Terram rorat, qui contumelias irrogat. Sed quia non sufficit corde diligere, nisi dilectio probetur operis exhibitione, ideo seq.

Eap. litteræ.

a Benefacite his, qui vos oderunt,] ministrando cibum mentis, i. doctrinam, vel bonam instructionem. Ministrando etiam necessaria corporis. 1. *Joan.* 3. Fratres non diligamus verbo, & lingua, sed opere, & veritate. Nam talis dilectio inimicum mutat in fratrem. *Prov.* 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, & si sitierit, potum da illi, sic &c. Quid si benefeceris inimico? Tibi amplius benefecisti quam illi. Dando, & accipiendo omnis inimicitia compescitur. *Hieron. super epist. ad Rom.* 12. Noli negare, quod Deus negat nulli, quamvis sit blasphemus, & impius, qui facit Solem suum oriri super bonos, & malos, & pluit super gratos, & ingratos. Sine discretione omnibus tribuamus, non quærentes, cui, sed quare demus. Quisquis enim in quacumque necessitate moritur, qui succurrere potest, si non fecerit, occidit. Docuit Dominus, quid debeatur injuriæ cordis, subsequenter ostendit Dominus, quid debeatur injuriæ oris, dicens: b Benedicite,] i. bona optate, & gratias agite. c Maledicentibus vobis,] Sicut David Semei: 2. *Reg.* 16. *Rom.* 16. *Rom.* 12. Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere. 1. *Cor.* 4. Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus. Et hoc est, quod sequitur hic: d Orate pro calumniantibus vos.] convertendis, & reconciliandis, ut fratres fiant. *Greg.* Ille preces suas multum valere facit, qui eas pro inimicis effundit. Posset objici, quare non licet inimicis imprecari, cum prophetis hoc licuerit? Legitur enim Elias imprecatus fuisse quinquagenario 3. *Reg.* 1. dicens: Si homo Dei sum, &c. Ideo solvit *Beda in Gloss.* dicens, quod non fuerunt imprecationes, cum legantur Prophetæ pro inimicis orasse, sed futurorum prædictiones. Sed quia perfectorum est non solum orare pro inimicis, imo & paratos esse ad secundas, & tertias, & quartas, & quintas injurias, ideo subdit: e Et qui te percusserit in maxillam unam, &c.] quod tribus modis exponitur. Primo sic: Qui te percusserit in maxillam unam] idest, in quamcumque partem corporis, sed maxilla ponitur, quæ est nobilissima pars. f Præbe ei & alteram.] idest, paratus sis sustinere percussionem aliam. Unde *Aug.* Non tantum non repercutias, sed si vult alteram ferire patienter feras. Sic exponendo convenit istud etiam perfectis nostri temporis. Secundo per maxillam intelligitur auctoritas S. Scripturæ. Unde Samson cum maxilla asini legitur occidisse Philisteos. *Jud.* 15. Et secundum hoc est sensus. e Qui te percusserit in maxillam unam,] idest, disputando, vel respondendo eliserit unam auctoritatem, appone ei alteram. Tertio per maxillam, quæ omnibus patet, & est nobilior pars corporis intelligitur aperta læsio in re digna. Unde sensus est. Si quis improperaverit tibi, quod begardus, vel papelardus sis, vel stultus, quia præbendas tuas dimisisti, vel aliquid hujusmodi, percussus est in maxillam, & tu præbe ei alteram, idest, paratus sis pati aliam læsionem pro consimili causa, ut si improperat tibi, quod sis papelardus, paratus sis pati iterum, si vocat te hypocritam, aut furiosum. Qui talis est, pacem habet cum omnibus. Unde *Beda*: Quid tam mirum, quam percutienti præbere maxillam? imo omnis indignantis impetus frangitur, ita sedatur & per patientiam ille, qui injuriatur, ad pœnitentiam provocatur. Et *Raban.* Perfecta pax est, nullam velle vindictam. Ad hanc pacem sex gradibus ascenditur, qui tanguntur in littera hic, sed plenius *Matth.* 5. Primus est in vindicando se, non plus reddere. Secundus minus reddere. Tertius nihil reddere. Quartus æquanimiter portare. Quintus bonum pro malo reddere. Sextus ad omnem aliam injuriam sustinendam paratum esse, & de omnibus gratias agere. Hi sunt sex gradus, quibus ascenditur ad thronum Salomonis. 3. *Regum* 10. Item [Qui te percusserit in maxillam] idest, in præsentia tua tibi injuriam fecerit. [Præbe ei alteram.] idest, paratus sis sustinere in absentia tua aliam injuriam. Sic Dominus *Isa.* 50. Faciem meam non averti ab increpantibus, &c. *Thren.* 3. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. *Mich* 5. In virga percutient maxillam judicis Israel. Hæc expositio accipitur ex illo loco. Sustinetis si quis in faciem vos cædit. 2. *Cor.* 11. Ibi *Gloss.* In faciem cæditur, cui in præsentia injuria irrogatur. *Chrys.* Qui repercutit legis implet mandatum, non Christi. Sed dicis, dignus est ille repercuti. Etiam, sed tu non es dignus repercutere, quia illius discipulus es, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. Si oculum alterius, eruis, nunquid tuum recuperasti? Non, sed cum membro etiam patientiam perdidisti. Diabolus vulnera corporum propter vulnera animarum procurat. Si tu non repercusseris, ab homine quidem victus videris, diabolum autem vicisti. Seq.

Matth. 5.

1. Petr. 2.

g Et ab eo, &c.] Supra monuit Dominus discipulos ad patientiam odiorum, conviciorum, percussionum hic armat ad patientiam injuriarum in rebus, docens non solum resistere injurianti, sed ablata non repetere. Licet autem imperfectis sua repetere sub judice sine contentione & scandalo, perfectis vero non licet sub judice, sed simpliciter possunt repetere, vel majori denunciare. Unde *super illud primo Corinth. sexto.* Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos, quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? dicit *Aug.* Ex hoc patet, quod peccatum est habere judicium contra aliquem. Idem: Perfectis licet sua repetere simpliciter, idest sine lite, sine judicio, sed non convenit inde movere causam ante judicem. Infirmis vero licet movere causam ante

vere causam ante judicem, & judicium habere contra fratrem, sed non contentiose, vel fraudulenter. Unde *Versus.*

Expedit infirmis licet absque dolo sine lite:
Prælatis licet hoc, non expedit anachoritæ.
Non licet, ut per eum sint res in jure petitæ.

Consilium ergo dat omnibus, ut sua non repetant in judicio, sed præceptum perfectis, idest, perfectionem professis. Nunquam enim judicium sine peccato terminari potest, aut raro. Unde *Chrys.* Primo res indigna est, ut homo fidelis stet in judicio ante conspectum judicis sæcularis. Qui te venerari debuerat propter dignitatem fidei, judicat te propter necessitatem mundi, & perdis dignitatem Christi propter negotium mundi. Omne judicium irritatio cordis est. Si semel in judicium ingressus fueris, jam non cogitas, ut veritas causæ appareat, sed ut quocumque modo victor existas. Hoc Deus illis mandat, qui magis diligunt Deum, quam mundum. Nam qui lucrum animæ magnum æstimat, damnum rei modicum putat. Difficile est rem dimittere, sed difficilius est de judicio sine peccato exire. Sed si hoc præceptum est religiosis, ergo peccant mortaliter repetendo sua. Dicunt ad hoc, quod non repetunt sua, sed bona pauperum. Sed si non licet repetere sua, quomodo licet repetere aliena? Item dicunt quod ante judicem Ecclesiasticum possunt repetere sua, sed non ante sæcularem. Sed quis est judex sæcularis? an ille, qui judicat sæcularia? Dicunt, quod hoc non est præceptum nisi illis, qui ad hoc se astrinxerunt voto. Sed ad quid voto additur præceptum? Dicunt, quod tunc fuit præceptum, sed crescente malitia mundi, permissum est repetere sua. Sed quis potuit dispensare contra præceptum Christi? Dicunt, quod si non liceret repetere sua, perderet omnis religio sua omnia. Melius est perdere res, quam obedientiam, & veritatem. Dicunt, sic periret omnis religio. Imo aliter non servatur. Fugienda autem sunt judicia. Primo propter honestatem. *Prov.*20. Honor est homini, qui separat se a contentionibus. Secundo propter pacis conservationem. 1.*Cor.*6. Jam omnino delictum est in vobis, quia judicia habetis. Ibi *Gloss.* Litigare, peccatum est, cum pax esse debeat. Tertio propter jurgiorum declinationem. *Gen.*13. Ne quæso sint jurgia inter me, & te, & inter pastores. *Prov.* 17. Semper jurgia quærit malus. Quarto propter scandali vitationem. *Matth.* 18. Væ mundo a scandalis. Ibi *Gloss.* Quantum potes sine peccato vitare scandalum proximi debes. Quinto propter advocatorum malignitatem. De quibus dicit *Sidonius.* Hi sunt, qui causas morantur admissi, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliviscuntur rogati, dedignantur locupletati. Sexto, quia litigare est opus dæmonum, & homines dæmonibus assimilat, ut dicit *Aug.* Dicit ergo: *a* Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere] repugnando, vel tua auctoritate, sicut nec Dominus prohibuit in Passione. Vestimentum corporis dicitur omnis res temporalis, pro cujus ablatione non est pugnandum, vel litigandum, sed sustinendum. *Matth.* 5. Qui vult in judicio tecum contendere, & tollere tunicam, dimitte ei pallium. Est autem vestimentum animæ virtutes. De quo *Eccl.* 9. Omni tempore sint vestimenta tua candida. Pro hujusmodi vestimenti ablatione pugnandum est usque ad mortem. *Eccl.* 4. Usque ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Sed quia charitas non tantum patiens est ad sustinenda damna, sed benigna ad communicanda bona sua. Ideo addit:

b Omni autem petenti te tribue,] Manum, linguam, cor. Manum, donando: *inf.*11. Date eleemosynam, &c. Condonando: *inf. eod.* Dimitte, &c. Mutuando. *Deut.* 23. Fratri tuo commodabis id, quod indigebit, absque usuris. Linguam, orando. *Jac.ult.* Docendo. *Hier.* Non solum de eleemosynis hoc intelligitur, quia etiam divites nec semper dare possunt, sed de pecunia, quæ nunquam deficit, i. de sapientia, quam tanto plus retines, quanto plus eam pro Deo petentibus tribuis. Corrigendo. *Eccl.*19. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat, non feci, aut si fecit ne iterum addat facere. Cor, diligendo. *Lev.* 19. Compatiendo. *Job* 30. Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Ibi *Greg.* Largiens sua ea, quæ extra se sunt, tribuit, sed qui fletum impedit, aliquid de se dare videtur. Congaudendo. *Rom.*12. Gaudere cum gaudentibus. *Prov.*4. Fili, da mihi cor tuum. *d* Et qui aufert, quæ tua sunt,] idest, esse dicuntur ut domus, fundus, pecunia, & hujusmodi. *d* Ne repetas.] cum lite, aut scandalo. Sed si vere advertis, nihil tuum est nisi peccatum. Naturalia quidem bona, & gratuita & temporalia, quæ habes Dei sunt, qui commendavit tibi. 1.*Cor.*4. Quid habes, quod non accepisti. 1. *Tim.* 6. Nihil intulimus, &c. Si quid ergo tuum est, peccatum est. Unde religiosi nihil dicunt meum, nisi peccatum. *Os.*13. Perditio tua ex te Israel. Ab eo ergo qui aufert, quæ tua sunt, i. confessore, vel prædicatore, vel Christo, qui aufert monendo, rogando, docendo, condonando, ne repetas iterum peccando. *Eccl.* 5. Non adjicias peccatum super peccatum. Nota, quia est persecutio ex corde, sc. odium, cui opponitur, diligite. Item persecutio ex ore, sc. convitium, cui opponitur, benedicite. Item est persecutio in corpore, cui opponitur, ne repetas. Seq. *e* Et prout vultis, &c.] Dominus exclusa ratione injuriarum, ut dictum est, ne videatur omnino legem solvere, reservat talionem beneficiorum, & cum cumulo: præcipit enim non simpliciter beneficia reddi, sed etiam cumulari. Unde non dicit, prout faciunt vobis homines, sed prout vultis ut faciant vobis homines, quasi cum cumulo reddite beneficia, unusquisque enim melius vellet sibi fieri, quam fiat ei. Dicit ergo: *e* Et prout vultis,] voluntate rationabili, sive consiliata, ut cesset omnis objectio. *f* Ut faciant vobis homines,] quibus potest rependi vicissitudo. A Deo autem, & ab Angelis multa volumus fieri nobis, quæ non possumus facere illis. Ideo bene dicit. [Prout vultis ut faciant vobis homines,] non Deus, vel Angeli, quibus tamen redditur vicissitudo, solo charitatis affectu. *g* Et vos facite illis similiter.] loco, & tempore. Duo præcepta legis naturalis complectitur Lucas in hoc, quod dicit: Prout vultis, &c. Unum affirmativum. *Matth.*7. Omnia quæcumque vultis, &c. Alterum negativum. *Tob.* 4. Quod ab altero oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias. Hanc duplicem regulam dedit Deus in Paradiso monachis suis, i. Angelis, & hominibus, & vult quod servetur ab omnibus, nec aliquis absolvitur ab his regulis. Unde omnes homines sunt regulares, nec intrabit aliquis in Paradisum, nisi qui hanc regulam servaverit, i. qui contra non fecerit, quod dico propter parvulos, qui non possunt eam adhuc servare, sed dicuntur eam servare, quia non faciunt contra. *Sen.* Ab alio expectes, alteri quod feceris. Seq. *h* Et si diligitis eos, qui] i. ideo quia [vos diligunt, quæ vobis est gratia?] Nulla, quia hoc est naturale. Unde *Beda*: Amare amantem naturæ est, non amantem vero beneficii, cogere ad amorem perfectionis Christi est. Et hanc docet Dominus hic, cum dicit: Diligite inimicos vestros, benefacite, mutuum date. Hanc docet & Salomon *Prov.*25. Si esurierit inimicus tuus, &c. Et tamen bonum est diligere diligentes. *Prov.*8. Ego diligentes me diligo. Sed certe Dominus plus diligit, quam diligatur. 1. *Jo.* 4. In hoc apparet charitas Dei, non quasi nos dilexerimus eum, sed quia ipse prior dilexit nos. Dico quod nulla est gratia si diligitis diligentes vos. *i* Nam & peccatores] publicani, ethnici, diligentes se diligunt, natura duce. *k* Et si benefeceritis his, qui] i. ideo quia, [vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt.] *Chrys.* Nos igitur dicamus de Deo. Si Deus tantum justos, & amicos audit, & adjuvat, quam laudem meretur bonitatis? Nonne & homines mali, &c. *l* Etsi mutuum, &c.] Hoc dicit Dominus de dando mutuo. Sunt enim duo genera beneficii, vel cum benevole donamus, quod damus, vel cum redditura vicem commodamus. Dicit ergo. *l* Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere,] i. hoc solo, quia speratis recipere, non pro Deo datis. *m* Quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.] *Deut.* 15. Non obdurabis cor tuum,

a Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere, Omni *b* autem petenti se tribue, *c* & qui aufert, quæ tua sunt, *d* ne repetas. Et *e* prout vultis, ut *f* faciant vobis homines, *g* & vos facite illis similiter. Et si diligitis *h* eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? *i* Nam & peccatores diligentes se diligunt. Et si *k* benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si *l* mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quæ *m* gratia † est vobis? Nam, & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.

Job 2. Matth. 7. Marc. 5.

Judicia sunt fugienda.

Debemus tribuere manum linguam, & cor.

al. † erit.

Quadruplex persecutio.

tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. Et *inf.* Nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis. Et *infr.* Ego præcipio tibi, ut aperiat manum pauperi. *Deut.* 23. Fratri tuo absque usura id, quo indiget commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere.

a Verumtamen diligite inimicos vestros, & b benefacite, & c mutuum date, nihil d inde sperantes, & e erit merces vestra multa, & f eritis filii Altissimi, g quia ipse h benignus est, † & i pluit super ingratos, & malos. k Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est.

a Verumtamen, &c.] Postquam dilectionem, & beneficium, & peccatorum mutuum redarguit, quasi infructuosa, qui sola natura duce, vel cupiditate diligunt, & benefaciunt. Nunc qualiter a fidelibus fructuose hoc fieri debeat, ostendit dicens:

a Verumtamen diligite inimicos vestros,] *Eccl.* 10. Omnis injuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ, *Rom.* 12. Nulli malum pro malo, &c. *Prov.* 25. Si esurierit inimicus tuus, &c. *Lev.* 19. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. *Chrys.* Odium est spiritus tenebrarum, & ubicumque insederit, sordidat pulchritudinem sanctitatis. Et *infr.* Si consideraveris quomodo diabolus implet voluntatem suam per ministerium ejus, non solum non irasceris, sed etiam miserebetis ejus. Item *Chrys.* Deus non vult esse amicus fidelium, quamdiu ipsi fuerint inimici. *Chrys.* Si doctor memor sit injuriæ, solvitur totus Ecclesiæ status. Item *Chrys.* Generaliter universis cuncta mandavit, sed specialiter sacerdotibus. Quædam enim sunt mandata, quæ specialiter sacerdotibus indicuntur. b Et benefacite,] Expone sicut supra. c Et mutuum date, nihil] temporale. d Inde sperantes,] altera sortem ab homine, sed a Deo, propter quem fit, si bene fit mutuum, debet sperari remuneratio *Eccl.* 29. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius. *Prov.* 19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Item *Prov.* 33. Qui accipit mutuum, servus est fœnerantis. Ergo qui miseretur pauperis, facit Deum servum suum. Prohibetur autem usura. Primo, quia charitatem evacuat, cujus est omnia communicare. *Cor.* 13. Charitas non quærit, quæ sua sunt. Secundo, quia facit Christum mendacem, & Apostolum ejus mendacem. Uterque dixit, quod granum non facit fructum, nisi prius moriatur. Christus *Joan.* 12. Apost. 1. *Cor.* 15. Sed usura multiplicat granum, & denarium sine morte interveniente. Tertio, quia contra naturam transmutat species, faciens de argento aurum, de avena frumentum. Quarto, quia tempus, quod est in sola Dei potestate, vendit. Si enim dictum est discipulis. Non est vestrum nosse tempora, quæ pater posuit in sua potestate. *Act.* 1. Multo fortius dicitur usurariis. Non est vestrum vendere tempora, quæ pater posuit in sua potestate. Quinto, quia usura nullum festum colit, quia usura semper operatur, ita in festis diebus, sicut in profestis, ita de nocte, sicut de die, Unde *Gen.* 8. Frigus, & æstus, æstas, & hyems, nox, & dies non requiescent. Peccatur autem circa mutuum tripliciter. Primo, quando non fit indigenti. *Nehem.* 5. Factus est clamor magnus populi, & uxorum ejus adversus fratres suos Judæos, & erant, qui dicerent, filii nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & vivamus. Alii dicebant, mutuo sumamus pecunias, &c. Et sequitur ibi, quod hoc multum displicuerit Nehemiæ. Secundo quando repetitur ab indigenti, quando non potest reddere sine gravamine. *Isa.* 58. Omnes debitores vestros repetitis. Ibi *Gloss.* Qui repetit non habentem, Deo facit violentiam. *Nehem.* 5. Ego, & fratres mei, & pueri mei commodavimus plurimis pecuniam, & frumentum, non repetamus in commune istud æs alienum, concedamus, quod debent nobis. *Exod.* 22. Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante Solis Occasum reddes ei, &c. Tertio, quando commodatur res vilis, vel inutilis pro bona. *Amos* 8. Audite hoc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ dicentes. Quando transibit messis, & venundabimus merces, & sabbatum, & aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus? e Et erit merces vestra multa,] in cœlo *Gloss. Bedæ.* Sive enim reddat homo, quod commodastis, reddet tamen & Deus, quo jubente fecistis, sive non reddat, homo supple, hæreditas vestra in æternum erit. *Eccl.* 12. Benefac justo, & invenies retributionem, & si non ab ipso, certe a Deo. *Eccl.* 11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora invenies eum. f Et eritis filii Altissimi,] per adoptionem. 1. *Thess.* 5. Omnes filii lucis estis, &c. Item filii per imitationem. *Ephes.* 5. Estote imitatores Dei sicut filii charissimi. Item per hæreditatis æternæ adoptionem. *Rom.* 8. Filii Dei sumus, si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. De misericordia autem, quod faciat filium Dei dicit. *Eccl.* 4. In judicando esto pupillis misericors, ut pater, & eris tu velut filius Altissimi. g Quia ipse benignus est,] quia peccatores longanimiter expectat ad pœnitentiam, ut fiant filii ejus, & revertentes clementer suscipit ad veniam. Unde *Rom.* 2. An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Item:

h Benignus,] idest, largus. Quod patet ex quinque. Primo quia dat omnibus, qui volunt accipere. *Matth.* 5. Qui facit Solem suum oriri super bonos, & malos. Unde hic sequitur: i Et pluit super ingratos, & malos,] *Chrys.* Carnalia beneficia præstat dignis, & indignis, non gratiam spiritualem. Argumentum quod panes non Ecclesias. *Chrys.* Vere misericors est, qui inimicis miseretur. Sic Deus pluit super ingratos. *Rom.* 5. Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, *Act.* 17. Dat omnibus vitam, & inspirationem. Secundo, cognoscitur benignus esse ex hoc, quod dat omnibus abundanter: *Jac.* 1. Qui dat omnibus affluenter, & non improperat. *Matth.* 25. Dedit unicuique secundum propriam virtutem. Tertio, quia rogat alios petere, quia vult dare. *Matth.* Petite, & accipietis. *Psalm.* Dilata os tuum, & implebo illud. Quarto, quia dat plus quam petatur 3. *Reg.* 3. Salomoni petenti solam sapientiam dedit etiam divitias. Et *supr.* 1. Zachariæ petenti pacem populo, dedit & filium. *Zach.* 10. Petite a Domino pluviam in tempore serotino, & Dominus faciet nives, & pluviam imbris. Quinto, quia gratis dat sine spe remunerationis. *Job* 35. Si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Sequitur:

k Estote ergo misericordes, sicut & pater, &c.] Non dicit: Estote potentes sicut pater, vel scientes ut filius, hoc enim libenter audiretur, sed misericordes, ut Spiritus Sanctus. *Matth.* 9. Misericordiam volo, & non sacrificium. Misericordia peccata relaxat. *Prov.* 19. Misericordia, & veritate redimitur iniquitas. Item misericordia locum præparat unicuique in cœlo quasi ostiaria. *Eccl.* 16. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. *Ambros.* Non sunt hominis, quæ secum afferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum. Dicit ergo: [Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est.] Qui misericors est in expectando. *Sap.* 11. Dissimulans peccata hominum, &c. *Isa.* 5. Expectavi ut faceret, &c. Item in recipiendo: *infr.* 15. Cum adhuc longe esset, vidit eum pater ejus, & occurrens cecidit super collum ejus. Item in condonando. *infr.* 7. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Item in revocando. *Isa.* 30. Et erunt aures tuæ audientes vocem post tergum monentis. Item in donando. *Psalm.* Misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Item in puniendo, & remunerando, quia punit citra meritum, & remunerat ultra. *Isa.* 61. Ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro. Estote ergo misericordes & vos in expectando debitores vestros. *Matth.* 18. Serve nequam, nonne oportuit te misereri conservi tui, idest expectare? Item in condonando. *Matth.* 6. Dimitte, & dimittetur vobis. Et hic idem subjungitur. Item [estote misericordes,] infirmos visitando, non solum corpore sed etiam fide. *Rom.* 14 Infirmum in fide assumite, in cura, sed cum pixidibus S. Scripturæ. Item [estote misericordes,] famem luxuriæ, & sitim avaritiæ extinguendo. *Prover. cap.* 25. Si esurierit inimicus tuus, &c. Item a servitute iracundiæ redimendo. *Ephes.* 4. Sol non occidat super iracundiam vestram. *Job* 37. Non ergo te superet ira. Item nudos vestiendo contra frigus tristitiæ. *Job cap.* 31. Si despexi prætereuntem, eo quod non haberet indumentum, & absque operimento pauperem, si non benedixerunt mihi

Usura prohibetur multis de causis.

Circa mutuum peccatur tripliciter.

Argumentum quod mutuum est in præcepto. Deut. 23. Fratri tuo absque usura, &c.

al. non habet † & plus.

Psalm 110.

benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est? Item in hospitio cordis colligendo, contra invidiæ dispersionem, *Isa.* 58. Egenos, vagosque induc in domum tuam. Item mortuos sepeliendo, contra pompam superbiæ. *Is.* 32. Erit sicut vir, qui absconditur a vento, & celat se a tempestate. Hæ sunt septem partes misericordiæ, contra septem vitia generalia. *Versus.* Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo. Item [estote misericordes,] vobis, in peccatis cessando. *Eccl.* 30. Miserere animæ tuæ placens Deo. *Prov.* 11. Benefacit animæ suæ vir misericors. *Eccl.* 14. Qui sibi nequam, &c. Non credo prædicatori, quod misereatur mei, qui non misereatur sui.

a Nolite judicare, *b* & non judicabimini. *c* Nolite condemnare, *d* & non condemnabimini. *e* Dimittite, & dimittetur vobis. *f* Date, & *g* dabitur vobis. *h* Mensuram bonam, & *i* confertam, & k coagitatam, *l* & supereffluentem *m* dabunt in *n* sinum vestrum. *o* Eadem quippe mensura,

Sed quia misericordia tam potest esse in judicando, quam in largitate beneficiorum. Ideo subjungitur. *a* Nolite judicare.] *Beda.* Sine misericordia etiam quædam aperta. *Jacob.* Judicium sine misericordia, &c. *b* Et non judicabimini] a Deo *Gloss. Bedæ.* Sunt quædam media, & incerta, quo animo fiant, quia & bene, & male possunt fieri. Nescimus etiam qualis futurus est, qui nunc apparet malus, de cujus correctione desperare, & eum quasi abjectum reprehendere temerarium est. Secundum hanc *Glos.* sensus est: [Nolite judicare,] i. de incertis diffinitivam sententiam proferre: Nolite dubia temere diffinire. De apertis enim malis, quæ bono animo fieri non possunt, nobis permittitur judicare, & hoc tamen cum misericordia, sicut innuit *Beda in Interlin. Chrysost.* Qui non judicat proximum propter peccatum, quod fecit in ipsum, illum nec Deus judicat propter peccatum, quod fecit in ipsum. Et *Infr.* Sed nos rogati dimittimus, & Deus antequam rogetur, dimittit. Terra ministrare jussa est, & non judicare, & tu terra es. *Gen.* 3. Terra es, & in terram ibis. Detractor immisericors est, qui judicat, & mordet incautum etiam mortuum, ut hiena quæ violat sepulchrum. Nota ergo, quod non omne judicium prohibetur hic, sed quoddam. Est enim judicium discretionis, 1. *Corint.* 11. Si nosmetipsos dijudicaremus, &c.

Triplex judicium.

Item est judicium computationis. *Mat.* 12. Regina austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam.

Item est judicium approbationis. *Matth.* 19. Sedebitis & vos super sedes, &c.

Item est judicium certitudinis, & diffinitionis, quod est Prælatorum. *Psal.* 57. Recte judicate filii hominum. Hæc judicia conceduntur.

Item est judicium suspicionis, & hoc duplex. Unum, quod provenit ex innata fragilitate, sine consensu rationis, & hoc est humana tentatio, de quo dicitur. 1. *Cor.* 10. Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Aliud est cum consensu, de quo *Rom.* 14. Tu qui es, qui judicas servum alienum?

Item est judicium temeritatis. Et hoc est multiplex. Quoddam est usurpativum, ut quando ille, qui non est judex, judicat. De hoc vide *Gloss. super Matt.* 7. Judicium temerarium est, quando hi, ad quod non pertinet, judicant. Aliud est perniciosum. De quo *Hier. super Matt.* 7. Multi præventi majoribus, leviora in fratre vituperare malunt, quam emendare. Aliud est superstitiosum, quod potest dici recoaveationale, ut quando avarus judicat alium avarum condemnando ipsum. De quo *Rom.* 2. In quo alium judicas, teipsum condemnas. Ibi *Glos.* Quia te non observas ab his, unde alios reprehendis. Aliud est præceps, ut quando non observato juris ordine sententia diffinitionis præcipitatur: sicut David, qui possessionem Miphiboset adjudicavit Sibæ. 2. *Reg.* 19. Hæc omnia mala sunt, & vitanda. *c* Nolite condemnare] i. dignum damnatione judicare. Et est expositio præcedentis. Sæpe enim in his humanum fallitur judicium. Nam qui hodie est malus, subito potest visitari a Deo. *Eccl.* 11. Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem.

Item *Eccl.* 18. A mane usque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Domini. *d* Et non condemnabimini] a Deo. Ille etiam alium condemnat, qui exemplo necat, & est malitia exemplariorum. Et sicut peccat, qui bona, vel bonos condemnat, sic qui mala, vel malos justificat. *Prov.* 17. Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. *Is.* 5. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum. *e* Dimittite, & dimittetur vobis.] Dimittite injurias illatas vobis, [& dimittetur vobis] peccatum vestrum a Deo, cui frequenter fecistis injurias. *Eccl.* 28. Homo homini servat iram, & a Deo quærit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi solventur peccata tua.

Item dimittite incarceratos liberos, & dimittetur vobis peccatum, pro quo estis incarcerati. *Isa.* 58. Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe.

Item dimittite præbendas superfluas, & dimittetur vobis peccatum.

Item dimittite debita vobis, & dimittetur vobis a Deo, quod ei debetis. *Matth.* 6. Dimitte nobis debita nostra, &c. *f* Date] pauperibus temporalia. *g* Et dabitur vobis,] a Deo vita æterna oratione pauperum, quorum est, *supra* 16. Facite vobis, &c. Bona est ista commutatio. Quandoque etiam cum vita æterna dabitur abundantia temporalis, cum expedit. *Prov.* 3. De primitiis frugum tuarum da pauperibus, & replebuntur horrea tua saturitate.

Item 11. Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. *Matt.* 10. Gratis accepistis, gratis date. Isti sunt duo loci inseparabiles. Unde in abbatiis, ubi ejectus est, date, noluit remanere, dabitur vobis. *August.* Dicit tibi Christus, da mihi, dedi tibi, habuisti largitorem, habe debitorem, habe & fœneratorem. Nam Domino fœneratur, qui miseretur pauperis, *Prov.* 19. Sequitur.

h Mensuram bonam, &c.] Istud potest continuari ad plura, quæ supradicta sunt, vel ad proxime posita. Primo modo sic: Quasi diligite inimicos vestros, & nolite judicare, & dimittite debitoribus vestris, quia ipsi.

m Dabunt,] idest, erunt causa, quare Dominus dabit [in sinum vestrum, mensuram bonam, &c.] *Chrysost.* Superfusa mensura datur ei, qui nec judicat, commota autem ei, qui judicat quidem, sed non condemnat, bona autem ei, qui condemnat, sed dimittit: Quoniam sicut major est mensura superfusa, quam commota, & commota, quam bona, sic major est, qui nec judicat. Ad proxime positum continuatur sic. Ita dixi t [Data] pauperibus, scilicet.

h Mensuram bonam] idest, legitimam, & magnam. Sunt enim parvæ mensuræ in civitate, quæ propter modicitatem sunt illegitimæ. Item bonam, quia de re bona, & utili. *Ps.* 102. Qui replet in bonis desiderium tuum. *i* Et confertam] idest, plenam. Singula verba pondus habent. Posset enim mensura esse legitima, & semiplena propter hoc ponit utrumque, & bona, & confertam,] idest, bene plenam. Tunc enim confertur mensura, quando granum in modio manibus deprimitur. Et quod plus est.

k Coagitatam] idest, calcatam, sive conquassatam. Hoc solet fieri, cum modius hac, & illac agitatur.

l Et super effluentem] i. non rasilem, sed cumulatam. Et his verbis plenitudo remunerationis exprimitur.

m Dabunt] pauperes scilicet, quibus vos dedistis eleemosynas. *Beda*, idest, erunt causa, ut Deus det, quia occasio promerendi fuerunt. Dabunt inquam.

n In sinum vestrum] In sinum quidem non tunicæ sed animæ. Sinus autem animæ est intellectus, qui implebitur gloria visionis apertæ, & affectus, qui implebitur lætitia delectationis perfectæ. Septem notantur hic circa remunerationem. Primum est discretio remunerantis, quod notatur per mensuram. Secundum est fidelitas ejus, quod notatur per bona. Tertium est veritas ejus, quod notatur per confertam. Quartum charitas, quod notatur per coagitatam. Quintum largitas, quod notatur per supereffluentem. Sextum liberalitas, quod notatur per dabunt. Septimum præmii utilitas, quod notatur per sinum vestrum. Item per sinum notatur, quod præmium illud absconditum est modo. *Isa.* 64. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te, &c. Item notatur securitas. Nam res, quæ habetur in sinu secura est. *Isa.* 32. Sedebit populus, &c. Item justa retributio. Nam qui in sinu pauperis abscondit eleemosynam, justum est ut Deus abscondat in sinum illius eleemosynam suam. *Eccl.* 29. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa pro te exorabit ab omni malo. *o* Eadem quippe mensura.] Istud generaliter sicut dicit *Beda*, de omnibus potest accipi, quæ mente, manu, lingua aguntur, quia secundum opera singulorum reddit Deus: *Rom.* 2.

a Qua mensi fueritis,] In bono, & in malo. *b* Remetietur vobis.] Quantitati quippe meriti respondebit quantitas præmii, in genere, idest, magnum præmium magno merito, & parvum parvo. *Isa.* 3. Dicite justo, quoniam bene, &c. *Isa.* 27. In mensura contra mensuram. *Apoc.* 28. Quantum glorificavit se, &c. Sequitur. *c* Dicebat autem, &c.] Hic loquitur Dominus contra scribas, & Pharisæos sicut patet per *Matt.* 15. ubi discipuli dixerunt ad Dominum: Scitis, quia audito hoc verbo, Pharisæi sunt scandalizati? Et ait Dominus: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Contra quos dixit hoc *supra*: Nolite judicare, &c. Ipsi enim hypocritæ erant omnes alios judicantes, & volentes esse duces aliorum, cum essent cæci.

Matth. 15.

a qua mensi fueritis, *b* remetietur vobis. *c* Dicebat autem illis & similitudinem: *d* Numquid potest cæcus cæcum ducere? *e* Nonne ambo in foveam cadunt? Non *f* est *g* discipulus super magistrum. *h* Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. *i* Quid autem vides festucam in *k* oculo fratris tui, *l* trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?

Sicut & modo multi volunt doces esse, & Prælati aliorum, qui seipsos non vident, quia cæci sunt, & idiotæ. Contra quos dicit *Chrysost.* Si habere ducem cæcum periculosum est cæco, multo magis velle alii ducem esse. Nota ergo, quia proxime dixerat Dominus: Nolite judicare, &c. Et nolite condemnare, &c. Deinde subjunxit. Dimittite, & dimittetur vobis. Et postea addidit: Date, & dabitur vobis, ad hæc probanda inducit duas similitudines. Et prima similitudo de ducatu cæci pertinet ad duo extrema, sc. ad dimissionem injuriarum, & dationem beneficiorum. Et secunda respicit ad hoc, quod dixerat Dominus. Nolite judicare, &c. Licet autem hæ duæ similitudines generaliter ad omnes pertineant, specialiter tamen congruunt Prælatis, qui sunt Doctores, & ductores gregum, qui cæcis subditis debent præbere ducatum. Unde & eis specialiter congruit dimissio injuriarum, & datio beneficiorum, alioquin non possunt cæcos subditos ducere verbo, & exemplo, imo cæci sunt cum eis. Nam si subditus injuriatur Prælato, vel negat beneficia petenti, est cæcus, quod si Prælatus non dimittat ei injurias, vel etiam negat beneficia petenti, jam cum eo cæcus est, & est ei occasio erroris. Respiciunt enim subditi vitam Prælatorum, & eis in erroribus se facile conformant, quia error sapientis facile trahitur in exemplum. Dicit ergo:

c Dicebat autem, &c.] *Beda*, per quam invitat nos ad dandum eleemosynam, & ad dimitrendum injuriam. Et hoc intellige generaliter de omnibus, specialiter tamen de Prælatis, sicut patebit.

d Numquid potest, &c.] *Glossa Bedæ*. Si contra violentum, vel violentiam ita te cæcaverit, si contra petentem avarus eris: numquid vitiata tua mente vitium ejus curare poteris? Non solum, qui tibi injuriam fecit, sed etiam tu, qui ferre nescis, reus eris. Et est sensus: Si quis de subditis tuis te per violentiam exasperavit, & ita usque adeo cæcaverit oculum mentis tuæ, ut non dimittas ei injurias:

Item si petenti beneficia negaveris, numquid tu cum cæcus sis, illuminare poteris. Sed sicut ille, ita & tu reus, idest, cæcus eris: Unde & ducatum præbere non poteris. Si autem improbitas illius te tranquillum invenerit, idest, mitem ad sustinendas injurias, ipse exemplo tuo ad pœnitentiam illustrabitur, & tu inde habebis coronam. Item. *d* Numquid potest, &c.] *Gloss.* Stultus stultum docere? q. d. non. Ex hoc ipso, quod hoc verbum docere in *Gloss.* ponitur, palam est, quia similitudo specialiter doctoribus congruit. *e* Nonne ambo in foveam] idest, in perditionem [cadunt] q. d. sic. *Isa.* 24. Formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terræ. Modo revera multi sunt cæci duces cæcorum, qui in prælationibus sunt constituti. *Numer.* 24. Dixit vir, cujus obturatus est oculus. 2. *Regum* 5. legitur, quod Jebusæi posuerunt super muros Jerusalem cæcos, & claudos in despectum David. Sic multi ad defensionem Ecclesiæ faciunt Prælatos cæcos scientia, & claudos virtute, qui nec sciunt, nec valent. Unde *Isa.* 56. Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare. Sed quid dixerunt Jebusæi ad David. 2. *Reg.* 5. Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos. Et verum est hoc, quia non plenarie possidebit Christus Ecclesiam, donec abstulerit desuper muros ejus cæcos, & claudos. Quomodo ergo, vel qualis speculator erit cæcus, & qualis ductor erit claudus? *Greger.* Dum pastor per abrupta vitiorum graditur, necesse est, ut grex in præcipitium ducatur. Sequitur. *f* Non est discipulus super magistrum.] Quasi cæcus Prælatus cæco subdito ducatum præbeat, ambo ruunt, quia cæcus Prælatus cæco subdito est occasio ruinæ. Quia [non est] idest, non consuevit esse.

g Discipulus supra magistrum,] idest, prælatum suum. Videtur enim subdito, quod sufficiat ei, si imitetur Prælatum suum.

h Perfectus autem, &c.] idest Prælatus. Et ita potest istud legi, & sic erit de præcedenti similitudine, quamvis hoc non habeatur, ex *Gloss.* tamen legit hoc per se hoc modo.

f Non est discipulus.] Apostolus, scilicet, vel quilibet alius homo.

g Et est sensus, q. d. si Christus patienter sustinuit injurias, & eas dimittat, non dedignentur Apostoli, vel alii eas patienter sustinere, & dimittere. *Chrys.* Discipulus, & servus non dicitur secundum hominum naturam.

h Perfectus autem, &c.] *Matth.* 23. Unus est magister vester. *Joan.* 15. Non est servus major Domino suo. *Matthæi* 5. Perfecti estote sicut pater vester cælestis perfectus est.

i Quid autem vides, &c.] Quinta pars, & respicit hæc similitudo ad id, quod primo propositum est, scilicet. Nolite judicare, &c. Dicit ergo.

i Quid autem vides festucam.] Idest, levius quiddam.

k In oculo fratris tui,] q. d. cur habes oculum apertum ad judicandum aliena crimina, & clausum ad judicandum tua majora? Unde sequitur.

l Trabem autem] idest, gravius crimen.

m Quæ in oculo tuo est] idest, intentione [non consideras: *Isa.* 23. Erubesce Sidon, &c.

Ita exponitur istud secundum, quod primo expositum est: Nolite judicare, &c. idest, de incertis diffinitivam sententiam proferre, vel nolite dubia temere diffinire. Magis autem proprie exponitur istud hic de temeraria subditorum reprehensione. Sunt enim nonnulli, qui nimis severe arguunt subditos, & eos exasperant, sed non castigant.

Hi non sunt benigni correctores, sed acerbi reprehensores, & hoc ex odio, vel ex invidia, vel simulatione. Sed cum hoc generaliter congruat Prælatis, qui hujusmodi sunt, qui scilicet, nimis severe arguunt subditos, specialiter tamen congruit hypocritis, qui alios dure arguere consueverunt, ne aliquo videantur notabiles.

Isti sunt, qui trabem non vident in oculo proprio, festucam autem vident in alieno, idest, gravia in se non considerant, propter levia alios exasperant. Et hoc mirum non est, quia ipsi habent oculum cæcatum, illi, quos arguunt habent turbatum.

Trabes enim, vel baculus, peccatum grave oculum cæcat, festuca, idest, peccatum leve oculum turbat, non cæcat. Contra hos ergo invehitur Dominus dicens.

i Quid autem vides festucam, &c.] q. d. tu qui habes oculum cæcatum, quomodo vides festucam ejus, qui habet tantum turbatum? *Chrysostomus*. Laicus etsi magnum fecerit peccatum, festuca est quantum ad peccatum sacerdotum, *Rom.* 2. Qui alium doces, cur teipsum non doces? *Proverb.* 28. Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames. *Chrys.* Si in veritate argueres, ut salvares, prius teipsum salvares. Numquid potes alii benevolentior esse quam tibi? *Eccl.* 14. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?

Item *Chrys.* Qualiter in alienis oculis vides tam parva, & in tuis tam magna transcurris? Si te magis diligis, quam proximum, quare ipsum procuras, & non prius te ipsum? Si autem teipsum contemnis, manifestum est, quod non est procuratio, quod alium judicas: Sicut hydropicus corripit eum, cui digitus tumet, ipse sui ventris immemor. Si malum est, sua non videre peccata, duplex, & triplex malum est alios judicare. Non prohibet Dominus corrigere, & arguere, sed sua contemnentem alios judicare: Hoc peccatum gravius est trabe.

Item *Hilarius*. Vix invenitur aliquis ab hoc vitio alienus, quia unusquisque suis vitiis favens aliena facile reprehendit, & aliena gravius toleranda, quam sua,

sua, sumit auctoritatem arguendi sine exemplo suæ emendationis. *a* Aut quomodo potes dicere, &c.] *Beda*. Non potes minus, ut iram in fratre emendare, donec majus, ut odium, vel invidiam depuleris de corde tuo. Odium, & invidia sunt tenebræ, quæ reddunt oculum cæcatum. *Greg.* Improbus, & imperitus est medicus, qui aliis mederi appetit, & proprium vulnus nescit. *Chrys.* Omnis sacerdos, si vult docere populum, prius doceat seipsum, & ideo sequitur. *b* Hypocrita, &c.] Hic docet Dominus ordinem mundandi alios. Primo munda

a Aut quomodo potes dicere fratri tuo, frater, sine, ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? b Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.

te, postea munda alios. Aliter non mundas, sed inquinas. *Joan.* 8. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. 2. *Reg.* 7. secundum aliam translationem: Non ædificabis mihi domum, quia vir sanguinum es. Ibi *Gloss.* Sordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. *Eccl.* 14. Ab immundo quid mundabitur; q. d. nihil. Ideo dicitur 1. *Machab.* 4. Elegit Judas sacerdotes sine macula voluntatem habentes in lege Domini, & mundaverunt sancta, dicit ergo. [Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui] *Beda*. Non est prius doctor aliis idoneus mederi, qui nondum se sanaverit, *sup.* 4. Medice, cura te ipsum. Potest tamen arguere ex officio, sed non idonee, quantum ad se ex merito. Sequitur:

c Non est enim arbor bona, &c.] Quia scribæ, & Pharisæi sicut hypocritæ exterius ostendebant sanctitatem hominibus, interius autem pleni erant dolo, & avaritia, & iniquitate: Ideo Dominus comparat eos arbori, quæ non a foliis, sed a fructibus cognoscitur, qualis sit. Communiter enim tam arbor bona, quam mala folia habet, sic verba bona, & bene composita, & etiam quædam opera exteriora, ut est jejunium, oratio, habitus, vilitas, & hujusmodi habent tam boni quam mali: Unde nec ab his discerni possunt. Sed docet *August.* quod a tribus maxime cognoscuntur hypocritæ, qui videntur exterius boni, interius autem mali sunt.

Primum est bonorum oppressio, quos opprimunt, vel persequendo factis, vel detrahendo verbis. Omnes enim hypocritæ detractores sunt.

Secundum est facilis reprehensio aliorum, quod faciunt, ut videantur habere zelum.

Tertium impatientia in adversis. *Supra*: omnes enim moventur, & offenduntur in contumelias sibi dictas, quia gloriam quærunt, ideo dolent ad contumeliam: *Hieron.* Non quæras gloriam, & non dolebis, cum ingloriosus fueris. Qui laudem non appetit, nec contumelias sentit. Non ideo bonum te æstimes, quia bonus prædicaris. *Sen.* Si talis es, quem te multi intelligunt, introrsus bona spectent.

Nota etiam, quod *super Matthæum* habetur, quod arbor bona, vel mala est ipse homo, hic autem habetur, quod voluntas. Sed non est contrarium: hoc enim voluntati attribuitur per causam, quia ipsa est causa, quare opus hominis dicatur bonum, vel malum., vel ipse homo dicatur arbor bona, vel mala. Dicit ergo:

c Non est enim arbor bona,] idest, voluntas. *d* Quæ facit, &c.] idest, opera mala. Arbor ergo dicitur voluntas, nihilominus potest dici & ipse homo. Unde Græce dicitur antropos, idest, arbor conversa, quia radices habet superius, idest, capillos in capite, idest, cogitationes in cœlo, sive in Deo. *Jerem.* 17. Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ipsius, & erit tanquam lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas. Radices sunt cogitationes, & affectiones, quæ non videntur, aquæ sunt fluenta gratiæ, & doctrinæ, humor devotio, folia sunt verba, cortex habitus exterior, flores fama, & opinio, fructus sunt opera, terra plantationis Ecclesia. *e* Neque arbor mala faciens fructum bonum,] est supple. In *Matth.* Non potest arbor mala fructus bonos facere, intellige manens mala. Sicut per simile ostendit *August.* de nive, dicens: quod non potest calefieri, scilicet manens nix, ex quo enim calefit jam est aqua. *f* Unaquæque enim, &c.] Hoc sicut dicitur in *Gloss.* Intelligendum est de manifestis. Quod enim prædictum est. [Non est arbor bona, &c.] tam de occultis quam de manifestis intelligitur. Sed hoc. [Unaquæque arbor, &c.] tantum de manifestis intelligitur: Ex manifestis enim fructibus non occultis cognoscuntur arbores malæ. Nec solum a fructibus cognoscuntur, sed etiam a cortice, a foliis, a flore, & maxime a fructu: sic & homo cognoscitur a cortice, idest, exteriore gestu, & habitu. *Eccl.* 19. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus: Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo. *B. Ber.* Solent dicere homines: Nonne de vestibus cura est Deo, & non magis de moribus? An forte hæc vestium forma deformitatis morum, aut

Non *c* est enim arbor bona, *d* quæ facit fructus malos, *e* neque arbor mala faciens fructum bonum. *f* Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. *g* Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam.

vitiorum indicium est. *August. in lib. de sancta virginitate*. Non improbet te vultus, non vagi oculi nec infrænis lingua, non petulans risus, non nitentes habitus, non tumidus, aut fluxus incessus. 4. *Reg.* 1. Cujus figuræ, & habitus est vir, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc? At illi dixerunt: Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui dixit Elias Thesbites est. Ecce quomodo cognovit eum Rex a cortice.

Item cognoscitur a foliis, idest, a verbis. *Matth.* 26. Et tu Galilæus es: nam & loquela tua manifestum te facit, *Jud.* 12. Numquid Ephrataeus es tu? Quo dicente non sum, interrogabant eum: Dic ergo Seboleth, quod interpretatur spica: Qui respondebat Cheboleth, &c. *Joan.* 3. Qui de terra est, de terra loquitur.

Gloss Spina & rubr &c. inf. in fine, quod si quandoque facta, vel dicta malorum, &c. quasi objectio est prædicta, ac si diceretur. Numquid ex operibus malorum, sive hypocritarum sequuntur bona? Numquid non ex opere Iudæ secuta est salus humani generis? Ergo hypocritæ, vel quilibet mali faciunt bona. Ideo solvit Glossa, quia mali non faciunt hoc, sed sunt de illis consilio Dei.

Item cognoscitur a flore, idest, a fama, & opinione, quæ revera non sunt contemnenda. *Aug.* crudelis est, qui famam negligit, 2. *Cor.* 2. Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salvi fiunt, & in his, qui pereunt. *Rom.* 12. Providentes bona, &c. Ideo dicit sponsa *Cant.* 2. Fulcite me floribus.

Item cognoscitur a fructu, idest, ab opere. *Apoc.* 14. Opera illorum sequuntur illos, quasi testes. *Beda*. Jejunia, & orationes, & hujusmodi sunt simulatis, ut & bonis, sed non debent oves pelles suas deponere, & si aliquando lupi se eis contegunt, q. d. pellibus ovinis induuntur lupi, scilicet, Hypocritæ, specie bonorum operum induti in superficie, sed non propterea debent oves suas deponere, idest, a jejuniis, & orationibus, & ceteris bonis operibus vacare. Si enim dicat ovis, non induar amplius vellere meo, quia nescio qua die vidi lupum indutum vellere ovino: stultum esset. *Chrysost.* Quare non dedit doctrinam qua cognoscerentur? Quia voluit nos esse in agone semper. Sequitur.

g Neque enim, &c.] ad litteram:

Mystice, per spinas intelliguntur Hæretici, sive hypocritæ, quia sicut de spinis nemo colligit fructus ubertatem, sic ab Hæreticis nemo accipit doctrinæ veritatem.

Moraliter.

Spinæ sunt divitiæ temporales, quæ pungunt, & lacerant possidentem, & viam impediunt, ne libere transeatur, & suffocant semen verbi Dei, ne fatum oriatur. *Matth.* 13. Alia ceciderunt inter spinas, & creverunt spinæ, & suffocaverunt ea. *Job* 30. Esse sub sentibus delicias computabant. *Jerem.* 4. Novate, &c. *Prov. vigesimoquarto*. Per agrum pigri hominis, &c. Per ficum autem, quæ dulcis est, intelligitur opus misericordiæ, quod dulce est, & suave pauperibus. *Michææ* 7. Ficus præcoquas desideravit anima mea.

Ergo de spinis ficus colligitur, cum opus misericordiæ de divitiis oritur.

Ad hoc dantur divitiæ, ut in usus pauperum expendantur, & sic de spinis ficus colligantur. Per rubom, qui pungit, tribulatio, & angustia hujus vitæ intelligitur.

Per uvam vero spiritualis lætitia significatur. Hic ergo duo genera hominum reprehendit Dominus principaliter, qui suis donis abutuntur, idest, divites, & pauperes. Divites de impietate, quia de spinis non colligunt ficus, idest, de suis divitiis pauperibus non succurrunt. Pauperes de impatientia, quia de rubo non colligunt uvas, idest, de tribulationibus suis, & angustiis spiritualem lætitiam non acquirunt. Zachæus de spinis ficus collegit, cum dimidium bonorum suorum pauperibus dedit, & si quem defraudaverat, restituit,

inf. 19. De rubo vero uvas collegerunt illi, de quibus dicitur *Act.* 5. Ibant Apostoli gaudentes, &c. *Jac.* 1. Omne gaudium, &c, E contrario quidam de ficis colligunt spinas, i, hypocritæ, qui de operibus misericordiæ, quæ faciunt sibi, congregant divitias, & præbendas. De quibus dicitur *Matt.* 6. Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Sequitur.

a Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum: Ex *b* abundantia enim cordis os loquitur. *c* Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis, quod dico? Omnis, *d* qui venit ad me, *e* & audit sermones meos, *f* & facit eos, ostendam vobis, cui similis sit. Similis *g* est homini *h* ædificanti *i* domum, *k* qui fodit *l* in altum, *m* & posuit fundamentum *n* supra petram,

a Bonus homo, &c.] Dixerat supra arborem bonam fructus malos non facere, & arborem malam bonos, sed bona arbor bonos fructus facit, & mala malos. Idem dicit hic, sed alia similitudine: idem vocans thesaurum, quod prius radicem, & id quod profertur, idem quod fructum. Radix & thesaurus intentio est, vel voluntas, fructus, sive id, quod profertur opus, vel verbum. Dicit ergo: [Bonus homo, &c.] Sic continua. Ita dixi, quod de spinis non colligunt ficus, &c. sed [bonus homo de bono thesauro cordis sui,] intentione cogitationis, [profert bonum,] proventum operis, [& malus homo, &c.] *b* Ex abundantia, &c.] In thesauro enim cordis, si loco auri cuprum est, cuprum profertur. *Chr.* Superemanans intus nequitia effundit extra per os verba. Et *infr.* Si tantum est in rivo, quantum putas est in fonte? Et *inf.* Exemplum de vomente, & hypocrita. *Prov.* 15. Os stultorum ebullit stultitiam. E contrario dicit justus. Eructavit cor meum verbum bonum. *Beda.* Per oris locutionem universa, quæ actu, vel cogitatu de corde proferuntur, Dominus significat. Nam & verbum pro facto solet poni. Unde. Non fuit verbum, quod non ostenderet eis 4. *Reg.* 20. *Is.* 39. alia translatio. Item [ex abundantia cordis os loquitur. *Interl.* Deo etsi non hominibus. Sensus est, quia ipse veraciter intelligit, ex qua intentione verba procedant, licet alii non possint quandoque ita, ut est, intelligere. Nota thesaurus bonus triplex. Primus est thesaurus pecuniæ, de quo *Eccl.* 28. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis, quam aurum. Secundus est thesaurus scientiæ, de quo *Eccl.* 20. & 41. Sapientia absconsa, & thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque? Tertius est thesaurus gratiæ, de quo *Prov.* 21. Thesaurus desiderabilis, & oleo in habitaculo justi. Sed multi amittunt hos thesauros per insipientiam suam, aut per incautam ostensionem, ut Ezechias, *Isa.* 39. Quid viderunt viri isti in domo tua, &c. *Greg.* Deprædari, &c. Alii amittunt per stultam absconsionem. *Eccl.* 29. Perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem. Exemplum. Alii amittunt per furtum subtractionem, aut per tineæ corrosionem, aut per æruginis consumptionem. Fures dico adulatores. Tineam vanam gloriam. Æruginem invidiam. *Matt.* 6. Nolite thesaurizare vobis thesauros, &c. De hoc ergo triplici thesauro potest dici: [bonus homo de bono thesauro, &c.] De primo profertur bonum misericordiæ, i. eleemosyna. De secundo, bonum doctrinæ. De tertio, bonum opus. Unde *Matt.* 1. Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Similiter est malus thesaurus triplex. Primus est thesaurus pecuniæ male acquisitæ, vel male retentæ. *Jac.* 5. Aurum vestrum, & argentum æruginavit. *Jer.* 50. Gladius ad thesauros ejus. Secundus est thesaurus culpæ. *Rom.* 2. Thesaurizas tibi iram in die iræ Domini, idest peccatum. Tertius est thesaurus erroris. *Psal.* 32. Ponens in thesauris abyssos. Malus ergo homo de primo thesauro profert ineptas expensas. De secundo malum opus. De tertio falsa dogmata, &c.

Triplex thesaurus bonus.

Triplex thesaurus malus.

In thesauro bono habetur:
- Firmitas.
- Pretiositas.
- Secretum.
- Pulchritudo.
- Solicitudo.
- Confidentia.

c Quid autem, &c.] q.d. vos habetis folia sine fructu, idest, verba sine opere, similes salicibus, quæ habent folia similia olivis, sed fructu carent. De quibus dicitur *Job* 40. Circumdabunt eum salices torrentis. Sunt etiam similes struthionibus, quæ pennas habent accipitris, sicut dicitur *Job* 39. Penna struthionis similis est pennis Herodii, & accipitris.

Tales sunt omnes hypocritæ, qui abundant verbis operibus vacui. De quibus dicitur *Mat.* 7. attendite a falsis prophetis, &c. Et nota, quod quidam semel vocant Dominum, illi videlicet, qui tantum habent eum in ore. De quibus *Isa.* 29. Populus hic labiis, &c. Quidam vocant bis, illi videlicet, qui credunt corde, & confitentur ore, sed opere contradicunt. De quibus dicitur. *Tit.* 1. *b* Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Alii ter vocant, i. corde, ore, opere. De quibus dicitur 1. *Cor.* 12. Nemo potest dicere, Dominus Jesus. *Gloss.* Corde, ore, opere, nisi in Spiritu sancto. Alii autem nec corde, nec ore, nec opere vocant, qui, sc. tantum vana cogitant, & loquuntur, & mala semper operantur. De quibus *Is.* 59. Non est, qui invocet justitiam, nec est, qui judicet vere, sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates, conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. Sequitur. *d* Omnis, qui, &c.] Hæc est tertia similitudo ad idem pertinens. Prima quidem fuit de arbore, secunda de thesauro, tertia est de ædificio. Et est hic finis sermonis sui, & commendatio, per quod invitat nos ad ejus impletionem, ostendens præmium implentis, & pœnam contemnentis. Simile *Apoc. ult.* Beatus, qui custodit verba prophetiæ hujus: Et si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas, &c. Assimilat autem Dominus in hac parabola sibi bonos authores sermonis hujus, malos vero diabolo. Et nota, sicut haberi potest ex *Gloss.* triplex est architectus, sc. generalis, partialis, singularis tam sapiens, quam insipiens. Generalis architectus est Ecclesiæ Christus, qui fundator est totius Ecclesiæ generalis. Partialis architectus est quilibet Prælatus, qui fundator est Ecclesiæ suæ specialiter. Singularis architectus est quilibet homo, ad quem spectat ædificium animæ suæ, debet enim fundare eam in virtutibus.

Item est diabolus generalis architectus Ecclesiæ malignantium, & malus Prælatus est architectus partialis, quilibet malus est singularis architectus. Dicit ergo:
d Omnis, qui, &c.] per fidem. *e* Et audit sermones meos,] cum devotione, & intelligit. *f* Et facit eos,] in opere, [ostendam vobis, cui similis sit] Non enim sufficit audire. *Rom.* 2. Non auditores legis justi sunt apud Deum, &c. *Jac.* 1. Estote factores verbi, &c. *Inf.* 21. Beati, qui audiunt. *Chrys.* Scientia, quæ ex solis dictionibus est, ex ore procedit, & quæ de Spiritu sancto est, de corde profertur. Et ideo spiritualis scientia non solum dicitur, sed etiam sentitur: & ideo si alios terret, ipse plus timet. Sequitur. *g* Similis est homini] idest, Christo. *h* Ædificanti domum,] idest, Ecclesiam. *Prov.* 9. Sapientia ædificavit sibi domum, & excidit columnas septem, Doctorum, ac Prælatorum universitatem. *Chrys* Qui ædificat se in charitate, & misericordia, ædificat supra petram Christum, Quia omne bonum Christus est. *k* Qui fodit] terram abjiciendo, id est, terrenorum amorem de cordibus eorum, quos ponit in ædificio. *l* In altum] humilitatis. Vel [In altum] idest, in cœlum. Vel [fodit in altum] idest, locat fundamentum Ecclesiæ in profundo, ut sit immobile. Altum enim interdum ponitur pro supremo, interdum pro profundo.
m Et posuit fundamentum] fidei.
n Supra petram] idest, Christum, 1. *Cor.* 10. Petra autem erat Christus. *Apoc.* 21. fundamentum primum jaspis. Secundum quod de partiali architecto legitur, tunc ponitur fundamentum pro fundatione hoc modo.
m Et posuit fundamentum] idest, fundamentum Ecclesiæ suæ.
n Supra petram] idest, Christum. Sequitur secundum primam expositionem.

△ Inundatione autem

Aliter legitur totum. *g* Similis est homini,] idest, viro justo.
h Ædificanti,] ex vivis lapidibus bonorum operum.
i Domum] idest, conscientiam. *Aggæi* 1. Ascendite in montem, portare ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit. *k* Qui fodit in altum] humilitatis usque ad objectionem propriæ voluntatis. Hæc enim profundissima fossio, scilicet, voluntatis abjectio. De quo dicit quidam *inf.* 16. Fodere non valeo, &c. *m* Et posuit &c.] rectæ intentionis. *n* Supra petram,] idest, Christum, 1. *Cor.* 3. Fundamentum nemo aliud potest

O ponere præter

▲ *a* Inundatione autem facta] idest, persecutione insurgente. *b* Illisum est flumen domui illi,] idest, abundantia impulsionum. *c* Et non potuit eam movere.] Potest enim irruere, sed non diruere. *Rom.* 8. Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, &c. *d* Fundata enim, &c.] *Glos.* Quod ergo cadit, non ædificatur in Christo, intellige finaliter cadere, & ædificari. Nota, sicut dicit *Beda*: Dominus appellat hic inundationem fluctus persecutionum, quas alibi *Matth.* 16. appellat portas inferi, quandoque sunt causa ruendi in infernum, scil. murmurantibus, qui non patienter sustinent, sed succumbunt: secundum aliam *Glos.* inundatio intelligitur districta futuri judicii examinatio, quandoque utraque Ecclesia consummata erit, sc. militans, & triumphans, vel Ecclesia bonorum, & malignantium, quando omnis superbus, idest, reprobus ducetur, sive projicietur in tenebras exteriores.

a Inundatione autem facta illisum *b* est flumen domui illi, *c* & non potuit eam movere. *d* Fundata enim erat supra firmam petram. *e* Qui autem audit, & non facit, similis est *f* homini *g* ædificanti *h* domum suam *i* supra terram *k* sine fundamento, in *l* qua *m* illisus est fluvius, & *n* continuo concidit, *o* & facta est ruina domus illius magna.

C A P. VII.

CUm autẽ *p* implesset omnia verba sua in *q* aures plebis,

alium, O ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. *Isa.* 28. Ponam in fundamentis Sion lapidem angularem, idest, Christum. *Prov.* 30. Lepusculus plebs invalida, &c.

a Inundatione autem facta] tentationum, aut vitiorum. De qua *Ose.* 4. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt.

b Illisum est flumen] tentationum: de quo *Apoc.* 12. & misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, &c. *c* Et non potuit eam movere] a loco suo, idest, a Christo, de quo *Eccl.* 10. Si spiritus potestatem habentis, &c. Sed quare non potuit moveri? *d* Fundata enim, &c.] idest, supra Christum, cui attribuendum est, quod non cadit. *Prover.* 10. Justus quasi fundamentum sempiternum. Unde Paulus *Rom.* 8. Quis nos separabit, &c. q. d. nihil. *Eccl.* 26. Fundamenta æterna supra petram solida, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ, idest, fidelis animæ. *Chrys.* Christianorum, qui se ædificat super Christum, nulla res eruere potest. Sequitur. *e* Qui autem audit, &c.] Comparavit Dominus bonum auditorem verbi bono architecto, idest, sibi, nunc comparat malum auditorem malo architecto, idest, diabolo, quem hominem appellat, sicut & *Matth.* 13. Inimicus homo hoc fecit. Dicit ergo: [Qui autem audit] exterius, & non facit. *f* Similis est homini] idest, diabolo. *g* Ædificanti domum suam] idest Ecclesiam malignantium. *i* Supra terram] idest, amorem terrenorum. *Chrys.* Terra facit fructum, arena sterilis est. *k* Sine fundamento] idest, fide Christi. Vel aliter secundum *Gloss.* *h* Domum suam,] idest, mundum in maligno positum. Ne intelligas autem mundum sensibilem in maligno, idest, potestate maligni positum, sed mundum, scilicet, amatores mundi. De quibus alibi: Mundus eum non cognovit: *Joan.* 1. Et nota duo, quia diabolus supra terram ædificat, & sine fundamento, quia in amore terrenorum pertrahit, & in peccata ruere facit, quæ fundamento carent, quia non habent naturalem substantiam: Semper tamen peccatum est in natura bona, quia malum non potest esse nisi in re bona, Angelo, vel homine. Vel sine fundamento, idest, sine fundo, ut specialiter intelligatur de peccato desperationis. Et est tractum quasi per simile a sententia Academicorum dogmatizantium veritatem latere in puteo, qui caret fundo, quia quanto profundius investigatur veritas, tanto secretius latet. Nec aliquis veritatis fundum potest attingere, quia inquirendo veritatem nemo potest terminum invenire. A simili ergo, qui cadit in peccatum desperationis, dicitur cadere in puteum sine fundo, quia non constituit sibi terminum in peccando. Sequitur. *l* In qua] domo, sc. Ecclesia malignantium, vel mundo. *m* Illisus est fluvius] concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ. *Chrysost.* Flumina sunt secularis scientiæ professores, de quorum ventre flumina exeunt aquæ mortuæ. *n* Et continuo concidit] Intellige concidit præsens, quia omnis in præsenti cadit, qui in solo Deo spem non ponit. Vel intellige concidit, præteritum positum pro futuro, ut intelligatur de casu, vel ruina tempore judicii futuri. *o* Et facta est ruina domus, &c.] quia æterna. Istud similiter exponitur de architecto partiali malo. *e* Qui autem, &c.] peccatori scilicet. *Genes.* 6. Non remanebit spiritus meus in homine, &c. *g* Ædificanti domum suam,] idest, conscientiam. *Greg.* Qualis apud se quisque lateat, illata contumelia probat.

i Supra terram,] idest, amore terrenorum. *l* In qua illisus est fluvius] tentationum. *n* Et continuo concidit,] *Prov.* 10. Quasi tempestas transiens non erit impius, justus autem quasi fundamentum sempiternum.

o Et facta est ruina, &c.] *Job* 22. Viri iniqui, qui sublati sunt ante tempus suum, & fluvius subvertit fundamentum eorum, qui dicebant Deo, recede a nobis. *Chrys.* Si fornicatus, vel adulteratus fuerit Christianus, ruina est, sed surgere potest, sicut David, sed si fidei aliquid prævaricatus fuerit, tunc est ruina ejus magna, quia funditus ruit. Potest & intelligi de æterna ruina. De qua *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum. Nota, est domus dæmonis, & domus hominis, & domus Dei. Domus dæmonis est congregatio peccatorum, vel cor cujuslibet peccatoris. De qua *inf.* 11. Revertar in domum meam, unde exivi. Domus hominis propria conscientia, *Sap.* 8. Intrans in domum meam conquiescam cum illa. Domus Dei quintuplex. Templum materiale. *Joan.* 2. Nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Et *Matth.* 21. & *Marc.* 11. Domus mea domus orationis vocabitur. Item domus hospitalis. *Matth.* 26. Erat Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi. Item anima fidelis, *Psal.* 25. Domine, dilexi decorem domus tuæ, 1. *Cor.* 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Item Ecclesia militans. *Ps.* 92. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo. Item Ecclesia triumphans. *Joan.* 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Prima domus est omnium. Secunda pauperum. Tertia Dei. Quarta justorum. Quinta beatorum. Quartæ domus, idest, Ecclesiæ militantis fundator, & fundamentum est Christus. Fundator quidem. Unde *Matth.* 16. Tu es Petrus, &c. Fundamentum vero. Unde 1. *Cor.* 3. Fundamentum aliud, &c. Parietes sunt duo populi: gentiles & Judæi, activi & contemplativi. *Eph.* 2. Ut duos condat in semetipsum. Quatuor anguli, quatuor Evangelistæ. Columnæ, Prælati, *Cant.* 5. Crura ejus columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases argenteas. Ostium Christus. *Jo.* 10. ego sum ostium. Et *inf.* Qui non intrat per ostium, &c. Janitores, qui ferunt claves, sunt sacerdotes, *Matth.* 16. Tibi dabo claves regni cœlorum. Fenestræ per quas lumen intrat in domum, sunt doctores, quas fecit Salomon in templo obliquas, idest, exterius strictiores, & interius latiores 3. *Reg.* 6. Nunc autem in loco lucis tenebræ intrant in domum per fenestras, *Jerem.* 9. Ingressa est mors per fenestras in domos vestras. Cortinæ sunt decem præcepta, quibus ornatur interius Ecclesia, *Exod.* 26. Decem cortinas de bysso retortas, & hyacintho, &c. Mensa, Sacra Scriptura, *Exod.* 25. Facies & mensam de lignis Sethim, &c. Lectus, religio sive claustrum, *Cant.* 3. Lectulum Salomonis, &c. Item *Cant.* 1. Lectulus noster floridus. Minister, Prælatus, *infr.* 12. Quis putas, &c. Famuli, omnes justi, *Job* 1. Dominus, Christus, *Psalm.* 104. Constituit eum Dominum domus suæ, &c.

E X P O S I T I O   C A P. VII.

CUm autem implesset, &c.] Istud cap. dividitur in quinque partes. In prima parte sanatur servus Centurionis. In secunda suscitatur adolescens, ibi [Et factum est deinceps.] In tertia mittit Joannes discipulos suos ad Jesum, & Dominus commendat Joannem ad turbas, ibi [Et exiit hic sermo.] In quarta increpat Dominus Pharisæos, qui ejus consilium contemnebant, Publicanis accedentibus ad Baptismum, ibi [Et omnis populus.] In quinta laudatur peccatrix mulier rigans pedes Domini, & Pharisæus indignans redarguitur, ibi [Rogabat autem illum] Dicit ergo:

p Cum autem implesset, &c.] idest, completo sermone satis brevi, secundum Lucam.

q In aures] vel [In auribus plebis] ad quam descenderat de cacumine montis.

a Intravit Capharnaum. b Centurionis autem cujusdam servus c male habens d erat moriturus, e qui illi erat pretiosus. Et cum f audisset de Jesu, misit g ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, & sanaret servum ejus. At illi h cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite dicentes ei: Quia dignus est, ut hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificavit nobis. i Jesus autem ibat cum illis. Et cum non k longe esset a domo, misit l ad eum Centurio amicos, dicens: m Domine, noli vexari. n Non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres,

A a **Intravit Capharnaum.**] Non statim intravit, quia antequam intraret, leprosum sanavit, & alia fecit, quæ prætermittit Lucas.

Mystice. *Mystice*. Capharnaum interpretatur villa consolationis, villa pulcherrima, villa pinguedinis. Unde merito significat cœlum empyreum, ubi pater consolatur, qui est pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, 2. *Cor*. 1. Ubi filius est, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, in quem desiderant Angeli prospicere, 1. *Pet*. 1. quia ipse est speciosus forma præ filiis hominum. Ipse enim est candor lucis æternæ, & speculum sine macula, *Sap*. 7. Imo ipse est splendor, & figura substantiæ patris, *Heb*. 1. Ibi etiam est Spiritus sanctus, qui est unctio, qua omnia impinguantur. Hanc Capharnaum intravit Dominus in die Ascensionis, prædicationis officio consummato. Sequitur. b Centurionis autem cujusdam] qui gentilis erat. c Servus male habens,] idest, infirmus. d Erat moriturus] secundum naturam. e Qui illi erat pretiosus,] idest, pretio emptus, vel charus. Iste Centurio, & alii quidam, justitiam legis, quam in libris non legerant, in corde senserunt: ostendentes in se, quoniam scripturæ ad præjudicium peccatorum factæ sunt, non ad necessitatem Sanctorum, dicente Paulo. Justo non est lex posita, 1. *Tim*. 1. Magistra enim omnis justitiæ ipsa natura est hominum, & scriptura infallibilis de Deo creatura est omnium rerum, *Sap*. 13.

Mystice. *Mystice*. Per servum Centurionis significatur populus gentilis. Et recte post sermonem Domini est servus sanatus, quia post prædicationem Domini populus gentilis est ad fidem vocatus. Centurio similiter significat populum gentilem, sed quoad majores: servus vero quoad minores, & debiliores, Unde recte Centurio rogat pro servo, quia majores debent pro minoribus rogare.

Moraliter. *Moraliter*, autem per Centurionem significatur prælatus. Per servum populus sibi commissus, pro cujus salute spirituali ita debet esse solicitus Prælatus, ut Centurio fuit pro salute corporali servi. Contingit autem quandoque infirmari in Capharnaum, quæ interpretatur ager pinguedinis, vel villa pulcherrima, quia abundantia temporalis, & amœnitas loci, multis est causa infirmitatis spiritualis, idest, peccati. Unde *Jerem*. 2. In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso prosternaberis meretria. *Ezech*. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, otium, & abundantia. Sequitur.

f Et cum audisset de Jesu] Centurio, scilicet.

g Misit ad eum seniores Judæorum rogans eum] per illos [ut veniret, & sanaret servum ejus.] *Chrysostomus*. Omnis petitio populi per sacerdotes debet transmitti ad Christum, *Levit*. 17. Matthæus dicit Centurionem accessisse. Et potest intelligi, quod per nuncios accessit non in propria persona. Sicut dicitur Rex venire ad obsidendum castrum, licet non veniat in propria persona, sed quia per ministros. Vel sicut dicit *Beda in Glossa*, intelligitur de accessu fidei, quod dicit Matthæus. Porro Lucas ordinem, quo gestum est, exequitur, ut intelligere cogeremur quomodo eum accessisse dixerit Matthæus, *Matth*. 8. Quia ubi invenimus dissonantiam Evangelistarum in superficie, cogimus quærere consonantiam spiritualis intelligentiæ. Mittit autem amicos Centurio ad Dominum, sicut dicit *Ambrosius*, quia noluit personaliter venire, ne si in propria persona veniret ad ipsum, ipso adventu meruisse videretur obtinere a Domino, quod petebat, & Dominus præ verecundia non posset ei negare, & ita videretur Dominum gravare. Et secundum hoc est mysterium, quod sicut Centurio, qui gentilis erat, ad Dominum personaliter non venit, sic nos, qui de gentibus sumus, Dominum in carne non vidimus, sed sedentem in dextera patris vidimus, *Aug. in lib. de consen. Evang.* Non est contrarium, quod Matthæus dicit, Centurionem accessisse ad Jesum, & rogasse, ut veniret, & Lucas dicit eum misisse seniores Judæos, cum per amicos soleamus venire ad aliquem. Est etiam Matthæi locutio mystica, secundum quam scriptum est in *Psalm*. 33. Accedite ad eum & illuminamini. Itaque venit Centurio. Dicit tamen post, quod etiam corpore venit, sed Judæis, quasi familiaribus, Christi commisit verbum, ut quotidie fieri solet ante potentes. Sequitur.

h At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum, &c.] Duo allegant, quare debet venire, scilicet dilectionem, & operationem: *Chrysostomus*. Non acquievit Dominus propter sacerdotum merita, sed propter Centurionis fidem, ut sciamus, quoniam in omni causa, non intercedentium merita, sed interpositorum conspicitur fides.

B

Quid primum miremur in Centurione, humilitatem, an fidem, sapientiam, an bonitatem? Puto, quod ille Centurio inter dominum, & servum nullam differentiam æstimabat, quia etsi in sæculo est dignitas diversa, eadem est natura.

Ideo magis imaginem Dei honorabat in homine, quam opus captivitatis contemnebat in servo. Tu pretium dedisti pro servo, Deus spiritum plantavit in eo.

Quanto ergo major est spiritus Dei, quam pretium hominis, tanto magis est, quod ametur, quam quod contemnatur in servo. Audiant & servi. Sicut enim habent domini, quod imitentur in Centurione, ita habent servi quod imitentur in puero. Qualis putas erat puer, qui sic emabatur? Non erat possibile, ut sine pretio bonorum morum talem sibi dilectionem comparasset. Domini ergo debent amorem servis propter communem naturam, servi debent timorem dominis propter ordinationem divinam. Et in servis Christus amatur a dominis, & in dominis Christus timetur a servis, *Eccl*. 6. Servus sensatus sit tibi dilectus. *Ecclesiast*. 33. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anime tua. Sequitur.

i Jesus autem ibat cum illis,] Centurio per seniores Judæorum rogaverat Dominum, ut descenderet ad sanandum servum ejus, & Dominus ad petitionem eorum descendebat cum eis. Sed ad petitionem reguli noluit descendere ad sanandum filium ejus: *Joann*. 4. Ad intimandam ergo nobis humilitatem, spontaneus descendit ad sanandum servum Centurionis, ad tollendam arrogantiam, & adulationem non descendit ad petitionem reguli, ne pro personatu videretur descendere, & sic videretur esse personarum acceptio apud Deum. Item ne videretur divitias honorere, & non magis naturam.

k Et cum jam non longe esset e domo,] Centurionis.

l Misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, &c.] Hic patet, quod non iverat Centurio cum senioribus Judæis ad Jesum corpore, sed fide tantum, & desiderio.

Mystice. *Mystice*. Centurio iste significat, sicut prædictum est, gentilem populum. Sed situs loci facit quamdam distinctionem.

Per hoc enim, quod Centorio habet Dominum domui suæ propinquum: significat non quoslibet gentiles, sed prope Deum habentes non a via morum aberrantes, sed recte incedentes.

Sunt namque nonnulli gentilium, qui per viam morum recte incedunt, & ductu naturalis rationis, quæ sibi bona videntur, faciunt, ut Philosophi quondam, quorum multi paupertatem, multi morum servaverunt honestatem. Hujusmodi ergo gentiles intelliguntur hic per Centurionem, qui eo ipso, quod bona faciunt ducti naturali ratione, Deo appropinquant. Sed sunt alii quibus non sufficit, quod contaminati sint idolatria, nisi & defluant per vitia, qui significantur per illos, de quibus alibi dicitur. Quidam ex eis de longe venerunt: *Marc*. 8. *Isa*. 60. Filii tui de longe venient.

m Domine, noli vexari] veniendo ad domum meam corporaliter.

n Non enim sum dignus, &c.] Secundum *Hieron*. Propter idola, quæ nondum abjecerat, timens aliquid ibi esse, quod oculos salvatoris offenderet.

Item propter priorem conversationem, & quia nondum imbutus erat sacramentis. *Chrysostom*. Quia indignum se

a propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te, sed dic verbo, & sanabitur puer meus. *b* Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit, & alii, veni, & venit, & servo meo, fac hoc, & facit. *c* Quo audito Jesus miratus est, *d* & conversus sequentibus se turbis, dixit. Amen dico vobis, nec in Israel *e* tantam fidem inveni. Et *f* reversi, qui missi fuerant domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum. Et *g* factum est deinceps, ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim, *h* & ibant cum illo discipuli ejus, *i* & turba copiosa. *k* Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matri suæ. Et *l* hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum illa.

fecit suscipiendi in domo, dignus factus est regno. *Aug.* dicendo se indignum, præstitit se dignum, non in cujus parietes, sed in cujus cor Christus intraret.

Moraliter. Et nota moraliter, quod dicit [tectum,] non dicit palatium, cum tamen esset Centurio. *Eccl.* 29. Initium vitæ hominis aqua, & panis, & domus protegens turpitudinem. Item non dicit tecta sub tectum singulariter, contra multiplicatores domorum. *Is.* 5. Væ qui conjungitis domum, &c. *Jerem.* 22. Væ qui ædificat domum suam in injustitia, &c. pingitque Synopide. *Hier.* idest, sanguine Christi. Sequitur.

a Propter quod & meipsum, &c.] *Beda*. Magna fides, quæ Dei, dicere credit esse facere. *Amb.* Militari tumore deposito, reverentiam sumit ad fidem facilis, ad honorificentiam promptus. Nota tria in hac *Gloss.* quæ respondet tribus positis in littera, sc. quod Centurio Domino exhibet reverentiam, ubi dicit. [Non sum dignus.] In se exprimit fidei magnitudinem, ubi dicit [Dic verbo.] Domino exhibet honorem, quando dicit: [Nam & ego homo sum, &c.] Probat ergo per locum a minori, quod Dominus potest sanare servum suum. Et ast sensus, tu sub nullius potestate es, sed super omnia, ego sub alterius potestate sum. Et sicut ego impero ministris meis, ita tu imperas Angelis, qui sunt famuli tui. Ut sicut dico uni, vade, & vadit, & alii, veni, & venit, ita tu potes per ministeria Angelorum sine præsentia corporis tui imperare febri, ut recedat, & recedet, & sanitati ut veniat, & veniet. Et hoc est, quod dicitur hic.

b Nam & ego, &c.] tu sub nulla [constitutus habens, &c.] secundum antiquos [veni, & venit, &c.] ita Angeli tibi faciunt.

Chrys. Commendatus in servo:
- Humilitas, cum dicit: Non sum dignus.
- Fides, cum dicit: Verbo.
- Sapientia, cum dicit. Nam & ego homo sum.
- Bonitas, quia pro servo petit.

Sequitur. *c* Quo audito Jesus miratus est,] idest, habitum mirantis prætendit. Non enim affectio admirationis cadit in Deum, sed dicitur mirari, ut ex hoc verbo instruamur, quia debemus quadam pia admiratione moveri, cum audimus Dei miracula prædicari. *d* Et conversus sequentibus, &c.] Intellige in Israel præsentis temporis: Invenit enim in antiqua. Unde non præfert fidem Centurionis fidei Patriarcharum, sed modernorum Judæorum, qui erant perversi. Sed numquid beata Virgo majorem fidem habuit; Habuit quidem. Unde dicendum cum *Aug.* quod cum de hujusmodi agitur, nullam de ea, &c. Sed quid de Apostolis dicetur? Dicendum, quod non est ibi mentio de Apostolis, quia cum Domino erat, & est usus Dominus consueto locutionis modo, ut si quis cum tribus, vel quatuor intret aliquam domum, si neminem inveniat in domo, dicit: Nemo est hic intus, licet ipse, & qui cum eo sunt, sint intus.

Sic Dominus non respiciens eos, qui cum eo erant, ait: [Non inveni tantam fidem in Israel.] Vel sic potest exponi.

e Tantam,] idest, tam facilem. Simile *Rom.* 1. Gaudeo, quod fides vestra, idest, facilitas fidei vestræ prædicatur. Ideo facilis, quia nullus homo eum docuit, nec etiam tam facilem fidem invenit in Apostolis, tamen exclusit eos, sicut prædictum est.

f Et reversi, qui missi, &c.] Matthæus plenius prosequitur 8.

g Et factum est deinceps, &c.] Nota, quod Lucas non sequitur hic ordinem historiæ, nec illud sequitur post illud. Sed quare miraculum de defuncto suscitato ponatur post miraculum de languido sanato. *Gloss.* reddit rationem, scilicet, quia infirmitas præcedit mortem.

Moraliter. Naim interpretatur motus, vel emotio, & significat mundum motum ad pœnitentiam in adventu Jesu, & discipulorum ejus. *Matth.* 2. Audiens autem Herodes rex, sc. quod Jesus natus esset, turbatus est & omnis Jerosolyma cum illo. *Ps.* 59. Commovisti terram, & conturbasti eam, &c. Vel motum pietatis Domini, quæ movit eum ad incarnandum. Vidua est Ecclesia, quæ a sponso suo nunc peregrinatur in terra. De qua *Ps.* 131. Viduam ejus benedicens benedicam. *Job* 29. Cor viduæ consolatus sum. Item *Job* 24. Abstulerunt pro pignore bovem viduæ, idest, prælatum. Et *inf.* Viduæ non benefecit. *Baruch.* 4. Nemo gaudeat super me viduam, & desolatam. Et *inf.* Ambulate filii, ambulate, &c. Filius viduæ populus Christianus. Hic defunctus effertur, cum peccatum consensus profert in opus. Quatuor portitores mortui, sunt quatuor affectiones, sc. gaudium, tristitia, spes, & timor. De quibus *Zach.* 1.

Hæc sunt quatuor cornua, quæ ventilaverunt Judam per singulos viros, & nemo eorum levavit caput suum. Hæc portant mortuum per abusum.

Unde *B. Bern.* Amant, quod non decet, timent quod non oportet, dolent vane, & gaudent vanius. Vel quatuor portitores, sunt amor peccati, timor pœnitentiæ, spes emendæ, præsumptio de misericordia Dei. De quibus dicitur *Is.* 5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Loculus, quo effertur mortuus, est securitas stultæ conscientiæ. Juxta hoc prosequere litteram. Dicit ergo.

g Et factum est deinceps, ibat Jesus in civitatem Naim] idest, per mundum prædicando, infirmos curando. *Matth.* 4. Circuibat Jesus totam Galilæam docens in Synagogis eorum, &c. Super quo verbo dicit *Rab.* Circuit, ut doceat doctorem esse expeditum, & non acceptorem personarum.

Ad litteram. Naim est civitas Galilææ, sicut dicit *Beda* in secundo milliario montis Thabor juxta Endor, qui est vicus grandis in quarto milliario ejusdem montis.

h Et ibant cum illo discipuli ejus.] Ergo qui jacent, & non circumeunt parochias, vel diœceses, vel conscientias subditorum, non sunt discipuli ejus. *Prov.* 6. Fili mi, si spopondisti pro amico, &c.

i Et turba copiosa.] Adhuc turba copiosa iret cum Jesu, si discipuli ejus irent cum illo, & non dormirent in cameris virtosum.

k Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ.] Per consensum efferebatur, in opus filius unicus matri suæ. Licet enim Ecclesia collecta sit ex multis, tamen una est, & quemlibet peccatorum deflet quasi unicum filium. Portæ etiam, per quas peccator effertur, possunt dici sensus. *Jer.* 9. Ascendit mors per fenestras vestras, &c. *Eccl.* 28. Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia.

l Et hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum illa,] ibat supple ad litteram. *Beda*. Verba multa cum Domino, multa cum vidua, ut viso miraculo, multi fiant Dei laudatores, & testes.

Allegorice. Filius unicus matris suæ, est primus homo filius terræ. Ipse enim solus plasmatus est de terra, ceteri omnes de carne parentum. Quatuor a quibus portatur, sunt quatuor elementa, ex quibus conditus est homo. A quibus mystice portatur, & secundum animam, & secundum corpus. Secundum animam portatur a terra, quando cogitat sola terrena. Secundum corpus, quando ægrotat, & ambulare non potest. Ab aqua portatur secundum animam, quando appetit defluere per luxuriam. Secundum corpus, cum nimio frigore urgetur. Aqua enim naturaliter frigida est. Ab aere secundum animam, cum intuitu humani favoris rapitur. Aura nihil est nisi aurium inflatio magna. Secundum corpus, quando ægrotans adeo fit invalidus, ut anhelare non possit. Ab igne portatur secundum animam, cum æstu cupiditatis inflammatur. Secundum corpus, cum febricitat, & calor in eo dominatur. In hujusmodi adaptatione non quæras aliquam necessitatem. Non est enim nisi quædam elegans adaptatio.

a Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli b flere. Et c accessit, & tetigit loculum, Hi d autem, qui portabant, steterunt, & e ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et f resedit, qui erat mortuus, & cœpit g loqui, & h dedit illum matri suæ. Accepit i autem omnes timor, & k magnificabant l Deum, dicentes: quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia m Deus visitavit plebem suam. Et n exiit hic sermo in o universam Judæam de eo, & omnem circa regioné. Et p nunciaverũt Joanni discipuli q ejus de r omnibus his, & convocavit duos de discipulis suis Joannes, & misit ad Jesum, s dicens: t Tu es, qui venturus es, a an alium expectamus?

a a Quam cum &c.] quia vidua, & quia filium amiserat unicum, quem habebat, Eccl. 35. Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus.
b Dixit illi: noli flere] quia cito suscitandus est. Alioqui licet plorare. Eccl. 38. Fili in mortuum produc lacrymas &c. Eccl. 22. Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus.
c Et accessit, & tetigit loculum.] Beda. Loculus est conscientia peccatoris, quam Christus tangit tripliciter, sc. flagello adversitatis, verbo prædicationis, gratia inspirationis. De primo dicit Job 19. Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Dñi tetigit me, ad hunc tactum sæpe surgit mortuus. Quod significatur 3. Reg. 19. ubi ad tactum Angeli surrexit Elias. Et Act. 12. Erat Petrus dormiens, &c. Signa autem hujus suscitationis sunt tria, quæ significantur per tria verba, quæ ponuntur hic? Resedit, cœpit loqui, dedit illum matri suæ. Per resedit, notatur contritio, ob nondum est statio. Per cœpit loqui, confessio. Per dedit, satisfactio. Similiter mortis spiritualis sunt tria signa. Primum est carentia motus ad bene operandum. Exod. 15. Erant immobiles quasi lapis. Jer. 48. Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requievit in fæcibus suis. Secundum signum est carentia sensus. Prov. 23. Verberaverunt me, & non dolui, &c. Tertium signum est rigor. 3. Reg. 13. Obriguit Jeroboam super altare. Motum aufert acedia, sensum luxuria, rigorem facit avaritia. d Hi autem, &c.] Portatores peccatoris, sicut dicit Beda, sunt immunda desideria, vel adulantium blandimenta. Prov. 27. Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantium, idest, si scoria est, aduritur. Alii portatores prædicti sunt. e Et ait &c.] imperando [surge,] quare nominavit sic dicendo adolescens? Propter duo. Primo ut innuatur, quod inveterati in peccatis vix resurgunt. Prov. 22. Adolescens juxta viam suam, &c. Is. 65. Puer centum annorum morietur. Secundo, ut ostendatur, quod peccator per gratiam fit adolescens. Rom. 12. Reformamini in novitate sensus vestri. Ps. 102. Renovabitur ut aquilæ juventus tua, &c. Tres mortuos suscitavit Dominus. Filiam archisynagogi. Matth. 9. filium viduæ hic, Lazarum: Joan. 11. Et exprimuntur hi tres in his versibus.

Mens mala mors intus, malus actus mors foris, usus.
Tumba, puella, puer, Lazarus ista nocent.

f Et resedit qui, &c.] Non statim surrexit, ut notetur difficultas surgendi a peccatis. g Et cœpit loqui. Gl. Eis qui per peccatum luxerant vitam reducere indicans. Et est sensus, quod per hoc quid defunctus suscitatus incipit loqui. Mystice significatur flentibus peccata vitam spiritualem restitui. h Et dedit, &c.] datio filii defuncti matri suæ reconciliatio pœnitentis Ecclesiæ. i Accepit autem, &c.] Suscitavit Dominus filium viduæ defunctum, qui cum multa frequentia populi portabatur. Et quanto de ejus vita desperabant, tanto amplius pro ejus suscitatione Deum magnificabant. Et quanto miraculum famosius, tanto gloriosius. Similiter quanto magis desperatur de conversione peccatoris, qui ab errore convertitur, tanto plures eodem corrugunt, & pietas Domini major intelligitur. Dicit ergo. i Accepit autem omnes timor] admirationis. k Et magnificabant,] idest, magnum prædicabant. l Deum dicentes, &c.] Magnus sapientia, potentia, clementia. De primo, & secundo, Job 9. Sapiens corde est, & fortis robore. De tertio. Ps. 144. Patiens, & multum misericors. Item de parvo factus est magnus. Dan. 2. Lapis, qui percussit statuam, factus est mons magnus. m Et quia, &c.] ut pastor gregem, ut medicus infirmum. Secundum Bed. est visitatio duplex, sc. visitatio incarnationis, qua semel visitavit, & visitatio quotidiana, qua per inspirationem Spiritus sancti visitavit corda fidelium. Sequitur. n Et exiit hic sermo,] idest, de hac re. o In universam, &c.] Moraliter. Sermo prædicatoris deberet exire de opere, idest, de doctrina, & de vita, alioquin inefficax erit, Gr. sup. Ezec. Sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam remordet. Prov. 25. Aufer rubiginem de argento, &c. Os. 10. Vitis frondosa Israel fructus adæquatus est ei. Act. 1. Cœpit Jesus facere, &c. p Et nunciaverunt, &c.] De hoc loco aliter sentiunt Amb. & Aug. aliter Greg. sup. Ezec. & Bed. Volunt enim Amb. & Aug. Joannem non dubitasse, nec misisse discipulos suos pro sua hæsitatione, sed pro certificatione ipsorum discipulorum, qui quasi zelantes pro magistro suo Christo invidentes detrahebant. Unde ex invidia Joanni dixisse leguntur: Joan. 3. Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, &c. Non tamen ex malitia invidebant Domino, sed ex nimio amore magistri. Sic Josue pro Moyse, zelavit. Num. 11. Heldad, & Medad cum prophetarent in castris, &c. Videns ergo Joannes eos de Christo hæsitantes, nec credere ipsum esse, quem prædixerunt prophetæ, misit eos ad ipsum, ut viderent miracula facientem, ut visa attestatione miraculorum recurrerent ad testimonia prophetarum, & ita crederent ipsum esse Messiam in lege promissum. Greg. sup. Ezech. dicit Joannem non dubitasse de Christi advento, sed de descensu ad inferos: Ideo quærit per discipulos, dicens. t Tu es, qui venturus es, &c.] q. d. es tu in propria persona, ad inferos descensurus, an alium ad hæc Sacramenta missurus es? Et quia inconveniens est, quod Joannes in aliquo articulorum fidei hæsitaverit: Est enim articulus fidei descensus ad inferos, potest dubitatio intelligi quidam horror de pietate proveniens, & forte fuit peccatum, sed veniale; abhorrebat enim ex pietate, quod Dei filius ad infernum descenderet. Quod ergo an descenderet dubitavit, intellige, idest, ex pietate dubitare se ostendit. Et nota, quod præcedens pars in Gl. continet sententiam. Amb. & Aug. sequens continet sententiam Bed. & Greg. Modo prosequere litteram. p Et nunciaverunt Joanni,] jam incarcerato. Matth. 11. q Discipuli ejus] invidentes, seu dolentes, quod Jesus plura faceret, quam magister eorum. Nunciaverunt inquam. r De omnibus, &c.] ut cognita veritate de Jesu non amplius dubitarent, & ne alium a se prædicatum putarent. Chrys. Joannes fuit providus pater moriens, discipulos ut filios assignat fideli tutori, & ita spiritualem hominem spiritualis facile intelligit, carnalis autem non intelligit spiritualem, sed intelligitur ab eo, quia spiritualis omnia dijudicat. s Dicens,] supple dicite hoc. t Tu es, qui venturus es,] idest, qui prædictus es, venturus, idest, quem prophetæ prædixerunt venturum, sive Messias in lege promissus. Simile Joan. 1. Ipse est, qui post me venturus est, idest, prædictus venire post me. Item alibi. Adam est forma futuri. Vel venturus,] idest, ad inferos descensurus. Nec dubitavit hoc sibi, sed discipulis ut dicit Hilar. & alii Sancti. Unde fuit dubitatio pietatis. Et est simile 4. Reg. 2. Licet enim Eliseus non dubitaverit Eliam raptum, tamen ad tollendam dubitationem filiorum Prophetarum, & ad instantiam eorum misit viros, qui quærerent eum in montibus. Quod autem non dubitaverit Eliseus, satis patet ibi in littera. Tamen B. Greg. videtur velle, quod Joannes dubitavit, utrum Christus in propria persona descenderet ad inferos, sicut prædictum est. Forte dubitavit an in corpore, & in anima, vel in anima tantum descensurus esset. Hoc enim pie potuit dubitare.
a An alium expectamus.] Hoc patet ex prædictis. Chr. ostendit, quod duo venturi erant, Christus, & antichristus. Joan. 5. Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me, si alius, &c.

Moraliter. Joannes in vinculis Herodis. Matt. 11. Petrus in carcere ligatus catenis. Act. 12. est gratia, vel scientia in vinculis carnis aut mundi ligata, ne proficiat alius. Rom. 1. Qui veritatem Dei detinent in injustitia. Vel Joannes in vinculis est ipse homo habens gratiam aliquam, vel scientiam in peccatis, vel in mundi curis, quibus ligatus non potest ire ad Jesum, sed mittit duos discipulos suos, idest, intellectum, & affectum, quia aliquando cogitat de Christo, & aliquando desiderat esse cum Christo, nisi omnino sit subversus. Sed quid dicit Joannes incarceratus? t Tu es qui, &c.] dubitare videtur. In deserto plene confessus fuerat veritatem: Joan. 1. Ecce agnus Dei, &c. in carcere Herodis.

Moraliter.

A quasi

a quasi dubitans dicit: tu es, &c. sic Petrus adhuc cum discipulis Jesu confessus est veritatem; Tu es Christus filius Dei vivi. *Matth.* 16. sed introductus a Joanne in domum Pontificis totam veritatem negavit, *Matth.* 26. Et tu cum Jesu Galilæo eras? At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio, quid dicis? Nunc multi scholares dum sunt in deserto paupertatis, & in scholis cum sociis suis, aperte confitentur veritatem, & verbo, & exemplo, sed ditati, vel in dignitatibus promoti mutant opinionem, & quod prius sciebant, & asserebant, incipiunt dubitare, vel omnino negare. De quibus dicitur *Rom.* 1. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, &c. Sic ligatum est in eis, & cum eis verbum Dei. Contra quod dicit *Paul.* 2. *Tim.* 2. Laboro usque ad vincula quasi male operans, sed tamen verbum Dei non est alligatum. *Eph.* 6. Pro Christo legatione fungor in catena, &c. *Baruch.* 2. Vide, quia non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus, &c. Sequitur. a Cum autem venissent ad eum, &c.] *Chrys.* Qualiter propheta magnus erat, si hoc ignorabat, quod etiam multi minores sciebant, & prædixerant? *Isa.* 53. sicut ovis ad occisionem ducetur, &c. *Zach.* 9. Tu quoque in sanguine testamenti. *Psal.* 2. Quare fremuerunt gentes. *Thren.* 3. Lapsa est in lacum vita mea. Videtur ergo *Chrys.* velle quod Joannes non dubitaverit.

> a Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Joannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? In ipsa b autem hora curavit multos a languoribus, & plagis, & spiritibus malis, c & cæcis multis donavit visum. Et d respondens dixit illis: Euntes renunciate Joanni, e quæ vidistis, & audistis: f Quia g cæci h vident, i claudi k ambulant, l leprosi mundantur, m surdi n audiunt, o mortui p resurgunt, q pauperes evangelizantur, & r beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Et f cum discessissent nun-

Si noluerunt credere magistro suo, poterant audire etiam dæmones confitentes, &c.

Mystice. Joannes Baptista est gratia baptismalis, quæ mittit ad Jesum, idest, ad salutem. *Joan.* 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. *Marc. ult.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Sequitur. b In ipsa autem hora curavit multos.] *Hier.* Cessent verba, loquantur opera. Nota ergo, quia ad verba eorum non respondens Dominus verbis, sed factis, respondet ad cogitata. Ipsi enim quæsierunt, Tu es, qui venturus es, &c. Ipse ad hoc non respondet eis verbo, sed statim videntibus illis illuminat cæcos, erigit claudos, ac si dicat, operibus credite. Ad cogitationem vero eorum respondet verbo dicens: Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me, in quo tangit eos, quasi dicat, vos invidetis mihi, & detrahitis, & ita scandalum sustinetis in me, sed beatus, qui hoc non faciet. Littera plana est. b In ipsa autem hora, &c.] Languor dicitur quasi longus angor. Hoc est proprie peccatum acediæ, vel avaritiæ, quia utrumque facit languere, & non de facili sanatur, *Eccl.* 10. Languor prolixior gravat medicum, &c. Plaga est peccatum iræ, vel invidiæ, quæ primo plagat, & occidit subjectum proprium. *Prosper.* Impossibile est, ut iniquitas prius lædat hominem justum, in quem tendit, quam cor injustum, unde procedit. 1. *Joan.* 3. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est, &c. Spiritus mali sunt malæ cogitationes, & mala desideria, quæ suggerunt dæmones. Sed ab his omnibus curat Jesus.

c Et cæcis multis donavit visum] ut se videant. Hoc est primum in conversione, ut peccator se videat. *Jerem.* 11. Vide, ubi nunc prostrata sis. Unde *Marc.* 10. Quid vis ut faciam tibi? Rabboni, ut videam. *Isa.* 32. Non caligabunt oculi videntium. d Et respondens dixit illis: euntes renunciate Joanni, quæ vidistis, & audistis,] quasi dicat, si essetis in prophetis periti, sciretis, me esse Messiam in lege promissum per hæc signa. Hæc enim prophetaverat *Isa.* 35. Deus ipse veniet, & salvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Unde sequitur.

f Quia cæci vident, &c.] ad litteram. g Pauperes evangelizantur.] *Beda*, idest, intus, illuminantur. *Hier.* idest, Evangelio ad fidem attrahuntur. Vel Evangelio instruuntur. Vel active, idest, evangelizant. Unde *Hier.* Et quod his non minus est, pauperes evangelizantes, commemorat. Unde *Matth.* 4. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, idest, sacra Scriptura, quæ dicitur regnum cælorum, quia docet ire ad regnum cælorum. *Matth.* 21. Auferetur a vobis regnum Dei, &c.

Moral. e Quæ vidistis, & audistis,] prædicatio Christi videbatur, & audiebatur, quia faciebat, & dicebat, & ita facit, & verbo prædicat. Et nota ordinem. Primo dixit, nunciate, quæ vidistis, postea quæ audistis, quia cœpit Jesus facere, & docere. Facere primo, & postea docere. *Act.* 1. 2. sic omnis prædicator prius debet facere, postea docere. *Job* 39. Numquid præbebis equo fortitudinem operandi, scilicet & circumdabis collo ejus hinnitum, scilicet prædicationis. 1. *Machab.* 8. Eupolemum. Ibi *Gloss.* Qui non habet charitatem, non debet suscipere legationem prædicationis.

Item nota, quod dicit: Renunciate Joanni, idest, gratiæ Dei, cui attribuere debet prædicator, quidquid boni facit, aut dicit. 1. *Cor.* 15. Gratia Dei sum id, quod sum. Nota per sequentia, quid facit prædicatio Christi. g Cæci.] In temporalibus. h Vident] in spiritualibus. *Cant.* 5. Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auscultabunt, & cor stultorum intelliget. i Claudi] ad malum. k Ambulant] ad bonum. Claudus est, qui tantum uno pede innititur terræ, alterum suspendit a terra. Duo pedes sunt, necessitas, & voluptas. Ille bonus claudus est, & bene ambulat, qui pede necessitatis tantum terræ innititur, & pedem voluptatis suspensum tenet.

Unde *Ps.* 65. In flumine pertransibimus pede, ibi lætabimur in ipso. Hoc modo claudus effectus est Jacob percussus ab Angelo. *Gen.* 32. Sed multi sunt, qui e contrario faciunt, pedem voluptatis terræ infigunt, & pedem necessitatis omnino suspendunt, quia terrenis utuntur ad voluptatem, non ad necessitatem. Hi sunt mali claudi, hi non ambulant nisi forte in infernum. De his dicitur *Lev.* 21. Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus, sc. si cæcus fuerit, si claudus. *Prov.* 26. Quomodo frustra pulchras tibias habet claudus, sic indecens est in ore stultorum parabola. Aliqui sunt, qui claudicant utroque, quia pedem voluptatis omnino suspendunt, pedem necessitatis modicum terræ inclinant. Et hi sunt boni claudi. Hi non solum ambulant in via mandatorum, sed currunt per viam consiliorum † *Isa.* 33. Claudi diripient rapinam, vel sic. g Cæci,] idest, qui reputant se cæcos, [vident.] i Claudi,] idest, qui se reputant claudos, illi ambulant.

† Isai. 35. Tunc saliet sicut cervus claudus.

l Leprosi sua opinione, seu reputatione, [mundantur,] vel potius mundi sunt, eo ipso enim, quod immundos se reputant, mundi fiunt. *Basilius.* Tanto eris apud Deum pretiosior, quanto fueris ante oculos tuos despectior.

Sic publicanus mundatus est, quia leprosum se esse confessus est: Pharisæus autem, qui se mundum dicebat, recessit leprosus, *inf.* 18.

m Surdi] ad detractiones, & mundi vanitates.

n Audiunt legem Dei, vel pauperes clamantes.] *Eccl. ult.* Consurgent ad vocem, &c.

o Mortui] mundo, vel peccato.

p Resurgunt] de bono in melius proficiendo. *Isaiæ* 26. Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent. 1. *Cor.* 15. Quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. *Joan.* 12. Nisi granum frumenti, &c.

q Pauperes evangelizantur.] *Is.* 61. Ad evangelizandum pauperibus misit me. Sequitur.

r Et beatus est, qui fuerit scandalizatus in me.] *Beda.* Hic percutit nuncios.

Sensus patet ex prædictis. Vel [in me] moriente in cruce. Crux enim fuit scandalum non credentibus, ac si latenter dicat: Ego quidem patiar in cruce, & multi scandalizabuntur in passione mea.

Sed beatus, qui non patietur scandalum in cruce, vel passione mea.

Vel [in me,] idest, in meis patientibus. E contrario infelix est, qui fuerit scandalizatus in eo, vel in suis, *inf.* 9. Qui erubuerit me, &c. Sequitur.

f Et cum discessissent nuncii, &c.] Audierant turbæ Joannem dicentem: Ecce agnus Dei, modo audierunt eum quærentem per discipulos: Tu es, qui venturus es; Quia ergo ex hoc possent moveri, & putare Joannem sibi contrarium, loquitur ad turbas de Joanne.

Hieron. Quia turba circumstans mysterium interrogationis nesciebat, & putabat, Joannem dubitare de Christo, ut intelligerent, Joannem non sibi, sed discipulis dubi-

dubitasse, inquit illud ad laudem Joannis: Et certe sicut Joannes voluit discipulos certificari de magistro, ita magister voluit certificare turbam da suo discipulo, i. Joanne. *Chrys.* Jam certificati sunt discipuli Joannis, nunc oportet salvari turbam. Discipuli enim nihil mali suspicati sunt de magistro, sed turba. Sed quare non arguit Dominus turbam, & discipulos Joannis, qui Judæos arguit? *Matt.* 9. Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quia non ex malitia, sed ignorantia errabant. Dicit ergo: [Et cum discessissent nuncii Joannis, cœpit dicere de Joanne.] *Chrys.* Blanditores in facie laudant, vel coram domesticis, vir autem sapiens quando laudatur in facie, flagellatur in corde. *a* Ad turbas.] *Chrys.* Sanavit turbas, quarum occulta cordis videbant, per quod probatur Deus. *b* Quid existis in desertum videre;] *Beda*. Movet quæstionem in *Glos.* quomodo turbæ exierant in desertum videre Joannem, cum esset in carcere. Sed *Gl.* non dicit, quomodo exierunt. *Chrys.* Non tunc exierant in desertum, quia Joannes tunc non in deserto erat, sed in carcere. Potest ergo intelligi, olim, ad litteram. Unde sensus est; quid existis olim videre, &c. *Beda* tamen dicit, quod totum mystice intelligendum est. *c* Arundinem vento agitatam.] Sensus est, q. d. quem putatis esse Joannem, ad quem videndum olim exiitis in desertum, cum prædicabat, numquid putatis esse levem, & instabilem in modum arundinis; *Hieron.* Numquid existis in desertum ob hoc, ut videretis hominem calamo similem; *Chrys.* Forsitan apud homines illos videbatur levissimi hominis signum, ut modo, quasi sciens prædicaret, modo quasi nesciens interrogaret, ideo dicit calamum non esse.

cit Joannis, cœpit dicere de *a* Joanne ad turbas: *b* Quid existis in desertum videre, *c* arundinem vento agitatam? *d* Sed quid existis videre, hominem mollibus vestimentis indutum? *e* Ecce qui in *f* veste pretiosa sunt, & in deliciis, in domibus *g* regum sunt. *h* Sed quid existis videre; Prophetam? Utique dico vobis, & plus quam Prophetam. Hic est, *i* de quo scriptum est: *k* Ecce mitto *l* Angelum *m* meum ante faciem tuam, *n* qui præparabit viam tuam ante te. *o* Dico enim vobis,

Nota, multa removet Dominus a Joanne, sed maxime levitatem, singularitatem, hypocrisim, quæ per arundinem designantur, & adulationem, quæ per vestium mollitiem significatur. Hæc eadem debeat removeri a viro claustrali. Per desertum enim significatur claustrum propter tres causas.

Prima est, quia desertum, medium est inter Ægyptum, & terram promissionis, sic claustrum medium est inter mundum, & cœlum, & per illud recte est via de mundo ad cœlum. *Cant.* 3. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgulam fumi, quæ recte tendit in cœlum. Et *Ps.* 135. Qui traduxit populum suum per desertum.

Desertum significat claustrum.

Secunda, quia ibi producitur aqua de petra, idest, lacryma de cordis duritia, vel de Christi memoria. *Num.* 20. Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas, *Ps.* Percussit petram, & fluxerunt aquæ, &c. Tertia quia ibi datur manna, idest, dulcedo spiritualis consolationit, *Exod.* 16. Ecce ego pluam vobis panem de cœlo, egrediatur populus, &c. Joannes in deserto, est claustralis in claustro. *b* Quid ergo existis videre in deserto,] i. in claustro. *c* Arundinem,] i. hominem levem, fragilem, hypocritam, q. d. non. Quia talis non debet habitare in claustro, licet multi suspicentur tales esse claustrales. Contra quos dicit *Eccl.* 36. Qui pessimant plebem tuam, invenient perditionem. Dominus etiam talibus indignando dicit. *b* Quid existis in desertum videre, arundinem vento agitatam; Arundo exterius nitet, intus vacua est, sic hypocrita, sed non sic claustralis. *Ps.* 44. Omnis gloria filiæ regis ab intus. *Cant.* 4. Genæ tuæ sicut fragmen mali punici, absque eo quod intrinsecus latet. Item arundo omni vento cedit, non sic claustralis. *Hier. cap.* 1. Dedi te in columnam ferream. Item arundo fragilis est, claustralis fortis. *Isa.* 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Nota proprietates arundinis.

Longa, lutosa, levis, fragilis, cava, plana, sonora:
Ventis cedit, alit vermes, gracilis, prope cælam.

Lectus diaboli de calamo. *Job* 40. secundum aliam litteram: Secus calamum in papyrum requiescit. Sequitur. *d* Sed quid existis videre hominem mollibus vestimentis indutum,] i. adulatorem; *e* Ecce qui in veste pretiosa sunt, & in deliciis, in domibus regum sunt.] *Greg.* Nota rigida vita, & prædicatio debet declinare mollium palatia, quæ frequentant mollibus induti adulantes.

Nota ergo, quia adulatores semper solent esse in domibus Regum, sive divitum, ut eis adulando aliquid venentur.

Malac. 3. Matt. 11. Marc. 1.

Hi sunt, de quibus dicitur *Ezech.* 13. Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas, idest, væ eis, qui adulatoriis favoribus demulcent homines. Solent enim ad litteram hoc facere adulatores, se. ponere pulvinaria sub capite divitum dormientium, ut placeant eis. *Beda*. Joannes non fuit mollibus indutus, qui vitam peccantium non blandimentis fovit, sed aspere increpavit. *Matth.* 3. Genimina viperarum, &c. *Eccl.* 12. Verba sapientum quasi stimuli. Joannes non fuit adulator pro dapibus, quia comedebat locustas, idest, destruebat adulatores. *f* In veste pretiosa] *Hier.* Nemo putet in fluxu, &c. *Greg.* Nemo existimet in studio pretiosarum vestium deesse peccatum. Unde 1. *Petr.* 3. Non in veste præclara, *Soph.* 1. Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina. *g* In domibus Regum.] Petrus in atrio Præsidis mollis effectus flexit se ad vocem ancillæ. *Exod.* 10. Auster, idest, prosperitas adducit locustas, quæ omnem vitorem eorum devoravit. *Os.* 12. Oleum in Ægyptum ferebat. *B. Bern. ad Eugenium Papam*. Apostoli fortes fuerunt in bello, non molles in serico: si filius es prophetarum, & tu fac similiter. Sequitur. *h* Sed quid existis videre; Prophetam. Utique dico vobis, & plusquam prophetam.] *Beda*. Officium Prophetæ ventura prædicare non etiam demonstrare: Major propheta, in quo finis prophetarum. *Mat.* 11. Lex, & prophetæ usque ad Joannem. *Chrys.* Joannes ceteris prophetis sicut proximior Christo tempore, ita justior. Nam multæ stellæ præcedunt ortum Solis, sed nulla earum luciferi nomen accepit, quæ cum ipsa luce procedit, supple nisi Joannes. *Job* 38. Numquid producis luciferum in tempore suo; sic etiam religiosus debet esse propheta, & plus quam propheta, propheta, bona, & vera dicendo, sed plus quam propheta majora faciendo.

Beda. Qui me venturum non tantum prædixit, sed etiam digito demonstravit.

Ille, qui minus facit, quam dicit; est minus quam propheta, qui autem plus facit, quam dicit; est plus quam propheta.

Talis fuit Joannes, & talis debet esse omnis claustralis. *Thren.* 3. Sedebit solitarius, & tacebit, &c.

i Hic est, de quo scriptum est.] Recedentibus discipulis Joannis, convertit Dominus sermonem ad turbas commendans Joannem, & commendando ipsum, appellavit eum prophetam, & plus quam prophetam, quia quem prophetæ prædixerunt venturum, ipse præsentem digito demonstravit.

Ad commendationem ejusdem aliud subdit, scilicet, quod dictus est Angelus a propheta. *Malach.* 3. Et est commendabilis multum in hoc persona Joannis, quia dicitur Angelus, non tamen proprietate naturæ, sed officii dignitate: sicut Sacerdotes dicuntur Angeli. 1. *Cor.* 11. Et propter Angelos, idest, Sacerdotes.

Item *Mal.* 2. Labia Sacerdotis, &c. Continuatio. Vere Joannes plus quam propheta est, quia [Hic est, de quo scriptum est: *Malach.* 3.

k Ecce mitto:] Verba sunt patris ad filium.

l Angelum] nuncium.

m Meum ante faciem tuam,] idest, manifestationem. *Chr.* Prophetæ est, ut de Deo prophetet. Numquid prophetæ est, ut de illo prophetet Deus: Joannes Christum dicit agnum, Christus Joannem dicit Angelum.

Item *Chr.* Puto, sed non audeo dicere, quod gloriosior est Joannes, quia homo fuit, & propter meritum virtutis Angelus est vocatus, quam si nomine Angelus, & natura fuisset.

Angelus enim hoc ipso, quod Angelus est, non tam est virtutis præmium, quam naturæ proprietas. *Greg.* Omnis etiam Sacerdos Angeli nomine censetur. *Malach.* 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, &c. Necnon unusquisque fidelis, si a pravitate proximum revocat, & ad bonum exhortatur, scilicet æternum regnum, vel supplicium erranti denunciat, profecto Angelus Domini existit, cum hæc facit. Esto ergo Angelus Dei, ut videas faciem patris, qui est in cœlis. *Mat.* 18.

n Qui præparabit viam tuam ante te:] pœnitentiam prædicando, ad Baptismum assuefaciendo.

o Dico enim vobis,] ut summam virtutum ejus comprehendam.

Mino-

a Major inter natos mulierum, &c.] Non præfertur Patriarchis, & Prophetis, sed parificatur, sicut dicit *Beda*. Item nota, quia non dicitur major simpliciter, sed additur propheta: In Evangelio Matthæi simpliciter dicitur, Item quod nemo Sanctorum illius temporis, vel præcedentium fuerit major Joanne, expressum habemus: Sed an aliquis de posteris, qui secuti sunt post eum, fuerit major eo, non habemus discussum, vel ab Evangelista, vel ab aliquo Evangelistarum. Et nota, quod mulier hic accipitur secundum idioma latinum, a fractione quasi a mollitie, ut nulla sit objectio de filio Virginis.

Commendatur Joannes a
- Constantia, quia non est arundo, ut hic: Et quia reprehendit Herodem. *Matt.* 6.
- Vita austera, quia comedebat locustas. *Matth. cap.* 3.
- Veste aspera, quia pilis camelorum vestiebatur, *Matth. cap.* 3.
- Deserto, quia posset esse filius summi Sacerdotis in domo Herodis, vel Pilati. *Marc.* 1.
- Prophetiæ dono, ut hic.
- Propinquitate regis Christi, nobiliores enim solent esse propinquiores, ut *sup.* 1.
- Sua auctoritate, & gratia, ut *sup.* 1.

Qui autem minor est, &c.] Hoc exponitur tribus modis in *Gloss. Amb.* primo sic. [Qui autem minor, &c.] i. omnis sanctus, qui jam est cum Deo, major est illo, qui adhuc in mundo est. Sed quomodo dicitur hoc, cum adhuc nullus esset cum Deo, nemo enim ante Christum in cœlo ascendit? Solutio. Potest ita determinari. Omnis, qui jam cum Deo est spe. Sed numquid & Joannes erat cum Deo spe? Erat utique, sed tamen non ita certa sicut illi, qui jam decesserant, & in sinu Abrahæ erant, de quibus hoc melius intelligitur, qui propter certitudinem, & pœnæ carentiam dicuntur esse in regno cœlorum. Vel loquitur respectu sui temporis. *Amb.* Secunda expositio in *Glossa*. Vel ego quem minorem facit multorum opinio in Ecclesia Sanctorum illi prælatus sum ego, qui minor sum hominum reputatione, &c.] Tertia expositio. Vel novissimus Angelus cœli melior est quovis homine. Et tunc sensus est, quod minimus Angelorum major erat Joanne. Sequitur. *c* Et omnis populus, &c.] Laudato Joanne transit ad increpandum Scribas, & Pharisæos, qui etiam Publicanis credentibus, nec Joannis, nec Christi prædicationem susceperunt. Dicit ergo:] Et omnis populus, &c.] Istud potest legi tanquam a Domino continue prolatum, vel tanquam ab Evangelista interfertum. Si legatur quasi a Domino dictum, ut adhuc Dominus immoretur in commendatione Joannis, dicetur ita.

D

a Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista nemo est. *b* Qui autem minor est in regno Dei, major est illo. Et *c* omnis populus audiens, *d* & publicani justificaverunt Deum, *e* baptizati Baptismo Joannis. Pharisæi *f* autem, & legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo. Ait autem Dominus: *g* Cui ergo similes dicam homines generationes hujus, *h* cui similes sunt? *i* Similes sunt pueris *k* sedentibus in *l* foro,

Quarta

Omnis populus,] sup. Joannem, i. ejus prædicationem olim antequam incarceraretur.] Justificaverunt, &c. si legatur quasi ab Evangelista insertum supplebitur, dominum, q. d. Evangelista. *c* Omnis populus audiens] dominum ita commendantem. *d* Et publicani, &c.] i. justum esse dixerunt, vel potius facto ostenderunt peccata confitendo, & Baptismum suscipiendo. Non enim Deus in se potest justificari, sed in peccatore, cum pœnitet, justificatur. Unde *Beda*. Qui confitetur Deo peccatum, justificat Deum, sperans ab eo veniam peccatorum. Unde *Jos.* 7. fili, confitere peccata tua, & da gloriam Deo.

e Baptizati, &c.] In quo nulla gratia interius præstabatur, sed tantum corpus exterius tingebatur aqua. Unde *Matt.* 3. Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam. Quare ergo, vel ad quid baptizabantur. Respondeo, propter devotionem suscipientium, & propter assuefactionem ad Baptismum Christi. Sicut enim prædicatio Joannis fuit via ad Christi prædicationem, sic baptisma Joannis fuit via ad Baptismum Christi. Dicitur autem baptisma Joannis, quia quidquid ibi fiebat, ipse faciebat, non sic in Baptismo Apostolorum. *f* Pharisæi autem, &c.] idest, ad seipsos missum, vel contra seipsos, quia in hoc contra se fecerunt, quod Dei consilium, quod per prophetas primo, postea per Christum, deinde per Apostolos misit, non susceperunt, quo per mortem filii mundum salvare decrevit. De quo *Rom.* 11. O altitudo, &c. Et *Aug. in lib. Conf.* Nec satiabitur illis, q. d. dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilii divini super salutem generis humani. Sed Pharisæi ingrati istud consilium respuerunt. Unde per *Ps.* 61. dicit Dominus. Cogitaverunt consilium meum repellere, *Prov.* 1. Vocavi, & renuistis, &c. [Non baptizati ab eo,] Sequitur.

g Cui ergo, &c.] q. d. Publicani, & peccatores Joannis monita receperunt, Pharisæi, & Scribæ contempserunt: Cui ergo similes sunt? Et nota, quod non pueris comparantur hic Pharisæi, quia pueri hic sumuntur in bono. Intelliguntur enim hic per pueros prophetæ, vel quilibet boni doctores. Homines ergo perversæ generationis non comparat sanctis viris, quia sic non argueret, vel vituperaret eos. Non est ergo comparatio inter personam, & personam, sed totum negotium toti negotio comparatur, sicut dicit quædam *Gloss. sup. Matt.* Quia sicut in illo continentur arguentes, & arguti, ita in hoc. Pharisæi ergo arguendi sunt, qui tot monita audierunt, & nihil fecerunt. Joannes prædicavit eis austeram vitam & verbo, & exemplo, nec crediderunt, & nihil fecerunt: Christus prædicavit eis vitam molliorem, & verbo, & exemplo contempserunt. Ideo infert Dominus. [Cui ergo, &c.] Judæi sunt monita salutis audientes, & non obedientes.

h Et cui, &c.] Replicatio interrogationis innuit ipsos valde fuisse perversos. *i* Similes sunt, &c.] q. d. Dominus factum horum perversorum hominum simile est hujusmodi facto puerorum ludentium, & invitantium ad ludum, alios nolentes ludere, & lamentantium, & invitantium alios ad lamenta, & nolentes flere. Ad litteram enim, sæpe ludunt pueri in foro, vel in platea, & invitant compares suos ad ludum quos vident circumstare, qui nolunt eis colludere, sæpe etiam pueri flentes invitant compares suos ad lamenta, qui tamen pro eis nolunt flere, & postea objiciunt hoc eis. Vel potuit esse, quod pueri haberent quædam cantica lætitiæ, & quasdam lamentationes, quas cantando, secundum modum cantandi tripudiabant, & quando aliqui non faciebant sic, dicebant alii pueri, nos cantavimus in hunc modum, & vos non tripudiastis illo modo, per pueros significat hic Dominus prophetas, & Apostolos, Joannem, & seipsum propter puritatem, & humilitatem. *Is.* 8. Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum in Israel.

Quidam istorum puerorum cecinerunt cantica lætitiæ bona promittendo, ad gaudia invitando ut David. Exultate Deo adjutori nostro, &c.] Et *Isa.* 26. Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Alii lamentaverunt, ad luctum, & pœnitentiam provocando, tristia, vel supplicia comminando, ut Joannes. *Matt.* 3. Genimina viperarum demonstravit vobis, &c. *Jer.* 9. Super contritione, &c. Et *Thren. per totum*. Moyses cecinit benedictiones adimplentibus legem, & lamentavit maledictiones transgredientibus. *Deut.* 28. *Ezech.* 2. Vidi librum scriptum intus, & foris, in quo erant scriptæ lamentationes, carmen, & væ. Isti etiam sunt, quasi pueri improperantes contribulibus suis, idest, Judæis, quod ad eorum exhortationes nolunt gaudere, vel lamentari. Et nota, quod est duplex via salutis, scilicet via gaudii, & mœroris. *g* Gaudendum est pro duobus,] scilicet pro liberatione animæ in præsenti, & pro spe futuræ liberationis.

Dolendum etiam est pro duobus, scilicet pro pœna, & pro culpa.

Ideo enim præcipue debet dolere homo, quia non potest vitare culpam, saltem venialem in vita præsenti. Ad utramque viam sæpe invitaverunt prophetæ Judæos, sicut prædictum est, nec eis acquieverunt. *Chr.* Cum prædicat Joannes, & non audis, quomodo suscipies inopem, qui non suscipis & Apostolum? Dicit ergo: similes sunt pueris,] 1. *Cor.* 14. Nolite pueri effici, &c.

k Sedentibus in foro.] Forum proprie dicitur locus, in quo jura dictantur, sic dictum a Phoroneo, qui primus instituit hujusmodi locum. [Sedentibus ad docendum inscios, ad puniendum reos, ad defendendum innoxios. *Matt.* 23. Super cathedram Moysi, &c.

Mystice. *l* In foro,] i. in Ecclesia, ubi causæ animarum discernuntur a judicibus, i. a prælatis. *Deuter.* 17. Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse prospexeris inter sanguinem, & sanguinem, & causam, & causam, & lepram, & non lepram, surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venies que ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judices, qui

fuerit

& *a* loquentibus adinvicem, & dicentibus: *b* Cantavimus vobis tibiis, & non *c* saltastis, *d* lamentavimus, & *e* non plorastis. *f* Venit enim Joannes Baptista, *g* neque manducans panem, *h* neque bibens vinum, & *i* dicitis, dæmonium habet. *k* Venit filius hominis manducans, & bibens, & *l* dicitis; Ecce homo devorator, & bibens vinum, *m* amicus publicanorum, & peccatorum. Et *n* justificata est sapientia ab omnibus filiis suis. *a* Rogabat autem illum quidam de Pharisæis, ut mandu-

fuerint illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Forum etiam locus est rerum venalium ad litteram, ut dicit *Aug.* & Ecclesia similiter. In ea vendunt prædicatores verbum prædicationis pro fide, & pœnitentia audientium. *Inf.* 19. Vocatis servis suis dedit illis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini, dum venio. *Isa.* 55. Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis, &c. Item in ea emitur pro paupertate regnum, pro luctu gaudium, pro fame satietas, & hujusmodi. *Mat.* 5. Beati pauperes, &c. Ideo dicitur *Prov. ult.* Facta est quasi navis institoris, i. negotiatoris. *Is.* 23. Erunt negotiationes ejus, & merces ejus sanctificatæ Domino. Sed quidam sunt stulti negotiatores, quia merces pretiosas dant pro re vilissima. Hypocritæ opera misericordiæ pro humano favore: Ambitiosi doctores laborem suum pro aliqua dignitate. Quibus dicitur *Is.* 55. Quare appenditis argentum, &c. Alii sunt falsi negotiatores Hæretici, qui pravum vinum pro bono vino vendunt. *Isa.* 1. Caupones tui miscent aquam vino. *Joan.* 2. Omnis homo, &c. *Eccl.* 26. Difficile exuitur, &c. Modo continua litteram. Similes, inquam, sunt pueris sequentibus in foro. *a* Et loquentibus, &c.] q. d. Prophetæ, & doctores ad Judæos: Cantavimus vobis tibiis enunciando promissa Dei gaudia paradisi. *Joel.* 2. Canite tuba in Sion &c. Vel. *b* Cantavimus vobis tibiis, i. nuptiale carmen cecinimus, nuptias vobis prædiximus, quibus anima copulatur Deo, quasi sponsa sponso. Cantus enim hujusmodi, qui fit cum instrumentis, præcipue in nuptiis fieri solet. *c* Et non saltastis,] mente gaudendo, & opere ad promissa currendo. *Ps.* 80. Et non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. *Hilar.* Quoniam ad cantantium modum saltantium modus officio corporis coaptatur, & dictum est [cantavimus, & non saltastis] hoc est, ad confessionem psallendo provocavimus: & non obedistis coaptando vos, & conformando doctrinæ. *Is.* 22. In die illa vocabit Dominus ad fletum, & ad planctum, & ad cingulum sacci, & ecce gaudium, & lætitia. *Greg.* Saltant animæ, quæ pennulis virtutum fultæ per cæleste desiderium saliunt ad contemplationem, quamvis in se relabantur propter carnis fragilitatem. Ad litteram, In Veteri Testamento solebant uti quibusdam gestibus corporis in laudes Dei, ut David ante arcam. 2. *Reg.* 6. Sed gestus illi figurales erant. 1. *Cor.* 10. Omnia contingebant illis in figura. *Aug.* Saltationis verbo, non histrionis moribus sinuati corporis rotatus, sed impigri cordis devotio, & religiosa membrorum designatur agilitas. 1. *Reg.* 10. Cum abieris hodie a me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin, in meridie salientes magnas foveas.

al. † non habet tibiis.

Matth. 11.

Moraliter.

Moraliter.] Multi de facili saltant, & propter cordis levitatem ad sonum organorum. Contra quos dicit *Job* 21. Tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad sonitum organi, &c. *Isa.* 5. Cithara, & lyra, &c. *Chr.* Si non est abominabile assidere histrionibus, descende in lutum, & fac quod laudas. Et *inf.* Cur præbes honorem ei, quem leges etiam Græcorum volunt esse infamem? Si famulus, aut filius dixerit turpe verbum, offenderis, si scurra dixerit tibi, laudas, & lætaris, si ipse non loqueris, quare audiens rides? si domum rediens, hinc Dei verba non recitas, illa vero quæ in theatro. Sequitur. *d* Lamentavimus] vobis dicunt prophetæ, & doctores, i. ad lamenta vos invitavimus, vel excitavimus, supplicia comminando, ad pœnitentiam invitando: ut *Joel.* 2. Convertimini ad me, &c. Et alii. Sed stultus populus non cognovit Dominum. *Is.* 1. Noluit cognoscere. Unde sequitur. *e* Et non plorastis] de peccatis pœnitendo pro venia obtinenda, cum tamen dicat Dominus per *Jerem.* 18. Si pœnitentiam egerit gens illa super malo, quod locutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem eis. *Jer.* 8. Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: quid feci: *f* Venit enim Joannes] sicut ostendit Dominus de prophetis, quod contribules suos ad utramque viam salutis incitaverunt: Ita hic ostendit de Joanne, & de seipso: Nam Joannes lamenta pœnitentiæ prædicans ad viam mœroris incitavit, Christus ad viam gaudii, qui non jejunabat, sed cum publicanis, & peccatoribus manducabat. Commessationes enim solet comitari lætitia. *Chrys.* Venit Joannes, q. d. ego, & Joannes contrariam alterutrum venimus viam, & idem fecimus sicut duo venatores difficile occupabile animal ambiunt, unus contra alterum stans, ut in alterum incidat. Et *inf.* Universum hominum genus jejunium laudat. Et *inf.* Christus jejunavit per quadraginta dies. Et *inf.* Dimittens Joannem a jejuniis fugere, ipse contrariam incessit viam. Et *inf.* Si bonum est jejunium, quare non creditis Joanni? sin autem, quare non creditis Christo; Et *inf.* Qui tristem commendat, hilarem non laudat, & e converso.

al. † de facili occupant animal quod;

Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi.

Ideo dicit, tibicinavimus, idest, ego remissam vitam ostendi, &c. Et lamentavimus, idest Joannes gravem, & duram egit vitam. Dicit ergo. *f* Venit enim Joannes Baptista] quasi unus puerorum lamentantium, exemplo abstinentiæ suæ ad pœnitentiam invitans. *g* Neque manducans panem. *Matt.* 3. Joannes habebat vestimenta de pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos suos, esca autem ejus erant locustæ, & mel silvestre. *h* Neque bibens vinum] ut *sup.* 1. Vinum, & siceram non bibet. *i* Et] quia non vultis humiliari cum illo, [dicitis: dæmonium habet] sic de Christo contrariam vitam agente, dixerunt Judæi. *Joan.* 8. Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes; Sic David reputatus est insanus, quia ad ostia impingebat. 1. *Reg.* 21. sic omnis, qui pœnitentiam agit, in sæculo stultus reputatur. *s* Sed hæc stultitia bona est, quia facit sapientem. Propter quod dicit Apost. 1. *Cor.* 3. Qui vult sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens. *k* Venit filius, &c.] *Beda.* Cibo, & potu lætitiam futuri sæculi præsignans, ubi omnes electi continue comedent panem vitæ, & continue bibent aquam sapientiæ salutaris. Unde *Isa.* 65. Ecce servi mei, &c. *l* Et] quia noluistis lætari cum illo, sed calumniati estis [dicitis: Ecce homo, &c.] *Matth.* 9. Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit magister vester. *m* Amicus publicanorum, & peccatorum.] Et vere, quia propter illos venerat. *Matt.* 9. Non veni vocare justos, sed peccatores. Quos non tantum vocare venit, sed etiam comedere, i. sibi incorporare. *Gen.* 27. Affer mihi duos hædos, i. peccatores, & publicanos, & faciam escas patri tuo, quibus libenter vescitur. *n* Et justificata, &c] q. d. quidquid vos dicatis de me, &c.] q. d. vos dicitis de me; ego tamen, qui sum Dei virtus, & Dei sapientia. 1. *Cor.* 1. Juste facere intelligos ab omnibus justis, quia peccatores expecto ad penitentiam, & revertentes suscipio ad veniam. Sic exponitur de sapientia increata. Item sapientia creata, i. doctrina evangelica justificatur a filiis suis, qui per opera justitiæ sibi eam acquirunt: Juxta illud *Eccl.* 1. Fili, concupiscens sapientiam serva justitiam, & habitam se habere operibus comprobant.

a Rogat, &c.] Quinta pars capitis, in qua commendato Joanne commendatur Magdalena. Et nota, quod abrupto interserit Lucas hoc, quod hic sequitur de Maria: Non enim continuatur præcedentibus hoc, quia quasi incidenter est introductum. Et quod in Galilæa factum sit, habemus expressum, quo autem tempore, vel qua civitate Galilææ factum sit, non habemus discussum. Quidam dicunt esse factum in Nazareth, sed non est autenticum. Sed quamvis, nec tempore, nec loco sequatur præcedentia, commode tamen continuatur. Dominus enim in proximo dixerat sapientiam justificatam a filiis suis. Quod ergo proposuerat verbo, ostendit exemplo in una filiarum, sc. Magdalena. Nam si ante peccatrix, & recenter justificata ostenditur in hoc justificata sapientia, i. Dei filius. Et intellige justificata dupliciter expositum sicut prius. Recte etiam post commendationem Joannis Baptistæ sequitur commendatio pœnitentis, quia gratiam baptismalem sequitur gratia pœnitentialis. Illa in Joanne, hæc in Magdalena commendatur. Et quia per amorem fatuum peccaverat: Ideo de amore sancto commendatur: unde dicitur: dimissa sunt ei peccata multa, quando dilexit multum: sed quoniam fatuæ mulieres in tribus maxime peccant, fatuos juvenes attrahendo, scilicet oculis, capillis, & osculis. Oculis aspectus illicitos faciendo, & luxuriose amando. Unde

Isa. 3.

Isa. 3. Et nutibus oculorum ibant. Et *Prov.* 6. Vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis. 2. *Pet.* 2. In conviviis suis luxuriantes, &c. Item capillis peccant, eos ornando margaritis, & componendo, & tingendo. Contra quod, 1. *Pet.* 3. Mulieres subditæ sint viris suis, quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri. 1. *Timoth.* 2. Mulieres in habitu ornato cum verecundia, & sobrietate, & ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis. Item osculis peccant turpiter, & luxuriose osculando, Unde *Prov.* 7. Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas. Et *infra*. Apprehensumque deosculatur juvenem, & procaci vultu blanditur. Ideo tria ponit Lucas, in quibus Magdalena obsequium exhibuit Christo: Nam oculos, quos ad lasciviendum, & ad videndum non videnda obtulerat, modo ad bonum usum, idest, ad effusionem lacrymarum exhibuit. Capillis quoque, quos sæpe ad lenocinium ornaverat, jam pedes dominicos tersit. Os quoque, quo sæpe non dicenda dixerat, & quo sæpe impudenter osculata fuerat, jam ad osculandos pedes dominicos humiliat: Sicque adimplevit ipsa illud Apostoli. *Rom.* 6. Sicut exhibuistis, &c. Et *Sap.* 11. Per quæ peccat, &c. Dicit ergo. [Rogabat autem illum, &c] Nota invitatus venit hic Dominus. *Sup.* 5. Ipsemet invitat se cum Levi, & *infra* 19. cum Zachæo: Et quid est hoc, nisi quia Dominus aliquando tribuit gratiam, aut consolationem non rogatus, aliquando rogatus. Docet etiam per hoc, quod invitatus accessit ad prandium Pharisæi, quod ad extraneos non debemus ire non invitati, sed invitati aliquando possumus ire. Ire non vocatos est impudentiæ, numquam ire vocatos, est imprudentiæ. *Ecclesi.* 13. Advocatus a potentiore discede, ex hoc enim magis te advocabit, & non sis improbus, ne impingaris, & ne longe sis ab eo, ne eas, i. vadas in oblivionem. Per hoc autem, quod cum Levi, & Zachæo invitavit se, docet, quod cum familiaribus suis potest se invitare aliquis. Sic Dominus quolibet die, imo fere qualibet hora invitat se, ut comedat nobiscum cum magna familiaritate. *Cant.* 5. Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. *Apoc.* 3. Ecce sto ad ostium, & pulso, &c. Sed pauci audiunt vocem ejus. Unde conqueritur *Joan.* 8. Quare loquelam meam, &c. *a* Et ingressus domum Pharisæi.] *Moraliter.* Per Pharisæum istum intelliguntur claustrales. Pharisæus enim interpretatur divisus, & claustrales ab aliis sunt divisi loco, & merito. Præterea iste vocabatur Simon, quod interpretatur obediens, quod bene convenit claustralibus, quia ipsi veniunt ad obedientiam. Cum talibus libenter cœnat, vel prandet Dominus. *Prov.* 8. Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus. Et *infr.* Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Sed vide cujus Simonis domum ingressus est Jesus, ut prandeat, seu cœnet. Est enim Simon Magus, Simon Cyrenæus, Simon Zelotes, & Simon Leprosus. Simon Magus est claustralis ambitiosus, vel simoniacus: Non in domo illius recumbit Jesus. Simon Zelotes est claustralis invidus, vel iracundus. Nec in domo illius recumbit Jesus. Simon Cyrenæus, qui in angaria portavit Crucem, est claustralis, qui Crucem religionis cum murmure portat: Nec in domo ejus recumbit Jesus. Simon Leprosus est claustralis, qui causa agendi pœnitentiam claustrum intrat, & peccata sua humiliter confitetur. In domo hujus recumbit Jesus. Unde *Matth.* 26. Cum esset Jesus in Bethania in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier, &c. idest, anima peccatrix habens congeriem bonorum operum cum suavitate devotæ orationis. Alabastrum enim est congeries operum, & unguentum oratio, De quo *Eccl.* 10. Muscæ morientes, &c. Sequitur.

Moralit.

b Et ecce mulier, &c.] Ecce notat admirationem. Et notandum, quod mirabilis erat ista mulier in peccando, sed mirabilior fuit in pœnitendo. *c* Mulier,] sc. Maria Magdalena. De qua *Isa.* 23. Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita, bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit. Nota quatuor in anima pœnitente. *Isai.* 47. Descende, sede in pulvere virgo filia Babylonis. Et *Isa.* 21. Babylon dilecta mea posita est mihi in ombraculum, alia litera, in miraculum. Quatuor concurrunt in miraculo. Beneficium, stupor, concursus, laus Dei. *Ezech.* 37. Terra illa inculta, idest, Magdalena, facta est, ut hortus voluptatis. Sed vide, quod non nominatur hic, quia in peccato erat adhuc, sicut *infra* 16. non nominatur dives. Sed in statu gratiæ jam provecta nominatur. *Joan.* 11. & 12. *d* Quæ erat in civitate,] ubi multi sunt, propter quod convincitur, quod multos traxerat ad peccatum. *e* Peccatrix] intellige publica, & consueta peccatis. Mos enim sacræ Scripturæ est peccatores, quasi speciali vocabulo appellare peccantes publice. *f* Ut cognovit, quod Jesus, &c.] idest pixidem alabastrinam, in qua erat unguentum. *Beda.* Alabastrum genus marmoris, in quo incorrupta servantur unguenta. *Ambr.* Contendit præripere gratiam hospitis. Unde nota, quia qui antiquitus suscipiebant hospites, multa eis exhibebant beneficia, abluebant enim pedes, ministrabant eis necessaria ipsa. Festinavit ergo Maria abluere pedes ejus, ut hospitem præveniret in hujusmodi obsequiis. Unde *Ecclesi.* 6. Si videris sensatum, evigila ad illum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus. *Chrys.* Post multas mulieres accessit, post Samaritanam, post Chananæam, post Hemorrhoissam, & multas alias, & non in publico, sed in domo. *Chrysost.* Corpore non erat infirma, nec accessit corporis gratia, ut aliæ, sed pro honore Dei, & animæ directione, nec sicut ad hominem nudum accessit, neque eum capillis tersisset. *Ecclesi.* 17. Vivens, & sanus, &c. *Ecclesi.* 18. Ante languorem, &c.

g Et stans] parata servire Deo, quæ jacendo sæpe offenderat eum.

h Retro] propter verecundiam. *i* Secus] propter confidentiam. *k* Pedes ejus.] *Deuter.* 33. Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius, *infra* 10. Sedebat secus pedes. *l* Lacrymis, &c.] *Beda.* Oculos, quibus terrena concupierat, jam per pœnitentiam convertens plorat. *m* Et capillis, &c.] quos ad compositionem vultus exhibuerat. *n* Et osculabatur pedes ejus.] *B. Gregor.* Ore, quo superba dixerat. *o* Et unguento ungebat.] *Gregor.* Quod sibi pro odore carnis suæ adhibuerat. Bis sicut dicit *Beda*, hoc fecit: Primo hic, secundo in Bethania. *Joan.* 12. *Marc.* 14. *Matth.* 26. [*Moraliter.*] *g* Et stans, &c.] Pedes Domini sunt misericordia, & justitia, quibus venit ad peccatores. Per misericordiam peccata dimittit, per justitiam aliquam pœnam infligit: Quia ut dicit *August.* aut homo punit, aut Deus punit. Juxta hos pedes stat anima peccatrix, sed diabolus vadit ante eos, quia quando Dominus intrat in animam, statim diabolus tanquam latro fugit. Unde *Habac.* 3. Egredietur diabolus ante pedes ejus. Retro etiam bene dicitur stare, quia anima peccatrix a gratia prævenitur, & ab ea protegitur. Unde *Psalm.* 16. Sub umbra alarum tuarum protege me, &c. Idem sunt alæ Domini, & pedes Domini. Item per pedes, qui sunt infima pars corporis, significantur pauperes, qui sunt infimi in mystico corpore Christi, quod est Ecclesia. De quibus dicitur *Nahum* 1. Ecce super montes pedes evangelizantis, & annunciantis pacem, idest, Christi. Stat retro secus pedes Domini, qui provisionem pauperum proprio commodo antepoint: Sicut dicitur *Proverb.* 12. Qui negligit damnum propter amicum justus est. Hos pedes rigat, qui pauperum tribulationibus communicat, qui illorum tristitiam suam putat, qui illis ex affectu compassionis inclinatur. Et bonum est rigare hos pedes, quia pauperes sunt terra fertilis, quæ si bene rigata fuerit, & seminata, fructum reddit multiplicem. Semen est eleemosyna, quæ jacitur in bonam terram, quando ponitur in manu pauperis, quæ stultis, qui nihil sciunt de agricultura terræ videtur amitti. Sed non est ita, imo quanto magis manet in terra, tanto amplius multiplicantur fructus. *Ecclesi.* 11. Mane semina semen tuum, &c. Et hæc etiam eleemosynarum largitio significatur per tersionem capillorum, qui corpori superfluunt, Et nota quinque officia, quæ Maria exhibuit pedibus Christi. Stetit retro secus, rigavit lacrymis, tersit capillis, osculata fuit, unguento unxit. Hæc eadem debent divites pauperibus præstare. Debent secus stare, idest, parati esse pauperum provisioni, sicut Abraham *Genes.* 18. Cui sedenti in ostio tabernaculi sui apparuerunt tres viri, &c. Et *Job* 31. Foris non mansit peregrinus, &c. Secundo debent lacrymis rigare, idest, ex affectu cordis

Moraliter.

Quinque officia Mariæ exhibita pedibus Christi.

compati;

ungebant, *a* Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, *b* ait intra se, dicens. Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et *c* respondens Jesus, dixit *d* ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic. *e* Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non *f* habentibus illis unde redderent, donavit utrisque: Quis ergo eum plus diligit? *g* Respondens Simon dixit: Æstimo, quia is, cui plus donavit. At *h* ille dixit ei: *i* Recte judicasti. Et *k* conversus ad mulierem dixit *l* Simoni: Vides *m* hanc mulierem? *n* Intravi in domum tuam, *o* aquam *p* pedibus meis non dedisti: Hæc *q* autem lacrymis rigavit pedes meos, & *r* capillis suis tersit. *ſ* Osculum mihi non dedisti, hæc *t* autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. *u* Oleo caput meum non unxisti, hæc *x* autem unguento unxit *y* pedes meos: *z* Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, *a* quoniam dilexit multum,

compati: sicut Paulus, 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur, &c. *Jerem.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, &c. *Job* 30. Flebam quondam super eo, qui afflictus erat. Tertio debent capillis tergere, i. de suis superfluis misereri, quia non sufficit cordis compassio, nisi sequatur operis subventio, si adsit facultas. *Greg.* Probatio dilectionis exhibitio est operis. Sed quidam non tergunt capillis suis pedes Domini, sed illis potius suspenduntur, sicut Absalon. 2. *Reg.* 14. Cui capilli semel tondebantur in anno, & vendebantur ad pondus publicum, ut dicitur *ibidem*. Ad pondus publicum semel in anno capillos suos vendunt, qui frumentum, vinum, & alia bona sua servant, ut carius vendant, nec pauperibus erogant, sicut usurarii, & etiam quidam Canonici, qui proventus præbendarum suarum servant, ut carius vendant, & videndo pauperes indigentes, non erogant. Tales proculdubio capillis propriis suspenduntur ad patibulum infernale. Ideo præcipitur *Ezech.* 5. Fili hominis sume tibi gladium acutum radentem pilos, & duces per caput tuum, & barbam tuam. Quarto debent osculari, idest, amare. Osculum enim signum est amoris. Amor autem facit, ne sit gravis tribuenti necessitas pauperis, 2. *Cor.* 9. Unusquisque det prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: Hilarem enim datorem diligit Deus. Quinto debent unguento ungere, idest, bonæ opinionis odore alios recreare: Sicut *Apost.* 2. *Corinth.* 2. Christi bonus odor sumus in omni loco. Unguentum etiam est dulce verbum cum eleemosyna. *Eccles.* 18. In omni datu non des tristitiam mali verbi: Nonne ardorem refrigerat ros? *Eccles.* 38. Impingua oblationem, & da locum Medico. Sequitur. *a* Videns autem, &c.] Iste Pharisæus de falsa justitia, i. de putativa justitia, quam, sc. putabat se habere, superbus nulla compassione motus suæ fragilitatis oblitus, sicut dicit *Ambros.* quosdam vere hypocritas significat, qui peccatores abominantur. De quibus *Isa.* 65. Qui habitant in sepulchris, & in delubris idolorum dormiunt, qui comedunt carnem suillam, & jus profanum in vasis eorum, qui dicunt peccatori, sc. recede a me non appropinques mihi, quia immundus es.

Pharisæus de quinque reprehensibilis.

Erat autem in quinque reprehensibilis iste. Primo de præsumptione falsæ justitiæ. Secundo de incompassione. Tertio de infidelitate, quia credidit Christum ignorare qualis esset mulier. Quarto de proximi sui accusatione. Quinto de sui superioris reprehensione, i. Christi. Dicit ergo Lucas. [Videns autem, &c.] sed non invocaverat, quod melius esset, quia omnis, quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. *Joel* 2. *b* Ait intra se dicens: hic si esset, &c.] usque ibi,] quia peccatrix est] unde non deberet permitti se tangi ab ea. *c* Et respondens, &c.] Dominus tanquam Deus conscius secretorum cogitationi Pharisæi respondit. Reputabat enim se esse justum Pharisæus, & illam non esse dignam, quæ tangeret Dominum, sed quæ abjicienda esset ab eo, & Dominum non esse verum Prophetam, qui illam peccatricem esse nesciebat. Proponit ergo ei Dominus paradigma, per quod convincitur iste non esse justus, quia hospitalitatem, quam debuerat Domino, non exhibuit. Videbatur enim ipse diligere Dominum, quia invitaverat eum: Ideo probat Dominus per exemplum duorum debitorum, quod Magdalena eum plus diligit, quam ipse, & ipsa digna, quæ tangeret Dominum, & quod non abjiceretur ab eo, quia multum dilexit, & quod Dominus verus propheta, qui cogitationes Pharisæi novit. Dicit ergo. [Et respondens Jesus] cogitationi Pharisæi. *d* Dixit ad illum, &c.] Doceri vult, ideo vocat eum magistrum: si servire vellet, vocasset eum Dominum: si honorare, vel amare, vocasset eum patrem. His enim tribus nominibus sæpe vocatur. Magister, rationabilis, Dominus, irascibilis, Pater, concupiscibilis. *e* Duo debitores erant, &c.] Non videtur esse fœnerator, cui se comparat Dominus, & etiam qui condonat. *f* Non habentibus, &c.] idest, diligere debet ex hoc. *g* Respondens Simon, &c.] Nota, donare interdum pro date ponitur, interdum pro condonare: Hic ergo utramque significationem importat, ut ita intelligatur, idest, cui plus donavit, & condonavit. Ex hoc ergo sensu verum est, cui plus donatur plus diligit, idest, cui plus datur, & condonatur, plus diligere tenetur.

Mystice. Duo debitores significant duos populos, Judaicum, scilicet, & Gentilem. Duo etiam debitores sunt Clerici, & laici, vel claustrales, & sæculares. Fœnerator est Christus, de quo *Matt.* 25. Oportuit ergo te pecuniam meam committere nummulariis, ut ego veniens reciperem utique, quod meum est cum usuris. Uterque debet fœneratori nummum regis imagine insignitum, id est, animam sibi ad servandum commissam. De quo *Matth.* 22. Ostendite mihi numisma census: At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite, &c. Hoc est debitum commune omnibus. Sed præter hæc debet unus quingentos denarios, & alius quinquaginta. Et certe uterque numerus per quinarium multiplicatur, i. quinquies centum, & quinquies decem. Et idem per utrumque numerum significatur sc. officium quinque sensuum. Sed quod unus numerus superat alium significatur, quod unus magis obligatur, quam alius, quia magis est obligatus Clericus, quam laicus, & claustralis, quam sæcularis. Quod autem dicitur: Non habentibus illis unde redderent, significatur, quod neuter suis viribus potest implere officium sibi commissum absque gratia Dei. Unde *Joan.* 15. Sine me nihil potestis facere. 1. *Cor.* 15. Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Sequitur. *h* At ille dixit] Dominus scil. *i* Recte judicasti.] *Beda.* Sua sententia Pharisæus convincitur, quia sicut phreneticus funem portat, ex quo ligatur. 2. *Reg.* 12. simile. *k* Et conversus, &c.] Audita sententia Pharisæi, cui plus dimittitur plus diligit, opera mulieris confert Dominus operibus Pharisæi. Et est collatio quasi per antithesim. Ideo autem confert opera utriusque inter se, ut hunc improbet, illam approbet, ut ex sententia ab ipso Pharisæo lata, ipsum arguat, & mulierem plus ipso diligere ostendat. Dicit ergo. [Et conversus ad mulierem] non tam de corporis conversione intelligendum, quam de respectu misericordiæ, quia oculo misericordiæ eam respexit.

l Dixit Simoni.] *Interlin.* per judicium, idest, reprehensionem arguit. *m* Vides hanc mulierem.] Non de corporali visione quærit, sed tale est, ac si dicat, debes videre, idest, considerare opera mulieris. Et hoc est, quod dicit *Ambros.* Corporaliter quidem vides, idest, opera exteriora, sed mysterium non vides, idest, devotionem, quam habet mulier in secreto cordis.

n Intravit, &c.] sed non in mentem. *o* Aquam pedibus, &c.] quod modicum erat, & de facili poterat fieri. *q* Hæc autem, &c.] quod fuit opus mirandæ pietatis.

Moraliter. *o* Aquam,] idest, eleemosynam, *p* Pedibus] pauperibus. *Eccl.* 3. Sicut aqua extinguit ignem, &c. *q* Hæc autem, &c.] idest, compassa est ex affectu. *r* Et capillis suis tersit,] idest, subvenit affectu. *ſ* Osculum, &c.] Notat antiquam consuetudinem. Antiquitus enim, qui suscipiebant hospites, suscipiebant eos in osculo pacis, & in limine mutuam sibi promittebant securitatem.

t Hæc autem, &c.] ad litteram, vel moraliter, idest, amare pauperes. *u* Oleo caput, &c.] hoc forte tunc hospitibus exhibebatur, & hoc non erat magnum.

x Hæc autem unguento] quod care emerat.

y Unxit pedes meos,] mystice, idest, suaviter allocuta est, *Ecclesiast. cap.* 4. Congregationi pauperum affabilem te facito.

z Propter quod dico, &c.] *Rom.* 5. Ubi abundavit delictum, &c. *a* Quoniam dilexit multum] tenetur ostensive, vel signative,

vel signative, non causative. In hoc etiam ostendit se Dominus scire, quæ, & qualis erat intus, & exterius, contra hoc, quod Pharisæus dixerat: Si hic esset Propheta, &c. *Gregor.* Ardor charitatis in ea rubiginem peccatorum combussit, quia peccata cremabilia sunt, & ad faciem ignis stare non possunt. *Amb.* Enumerantur bona peccatricis mulieris, & mala falsi justi, idest, habentis putativam justitiam. *Mystice*, idest, mala Judaicæ, & Gentilis Ecclesiæ bona. Nota, quod dicit. [Remittuntur.] Numquid non prius contrita erat? Ergo peccata erant ei remissa: Quid ergo, quod dicit, remittuntur? Potest legi præsens pro præterito, Remittuntur, idest, remissa esse ostenduntur, sicut pœnitens primo conteritur, & in momento contritionis peccatum ei remittitur, postea confitetur sacerdoti, & tunc etiam ei remittitur, i. remissio esse facta ostenditur. Nota etiam, quod Dominus deserit viam similitudinis, Dixerat enim Simon, quia cui plus donatur, plus diligit, si ergo juxta ordinem similitudinis procederet, diceret in hunc modum, quia plura peccata sunt ei remissa, plus dilexit: Ait autem e converso, quia multum dilexit, remissa sunt ei peccata multa. Deserit ergo viam similitudinis, ut intelligat, quia dilectio præcedit remissionem, quia forte putares, quod dilectio sequeretur remissionem, & non præcederet. Nota ergo, quia est dilectio, quæ præcedit remissionem, & est dilectio, quæ sequitur. Est enim dilectio primaria, & secundaria. Tria enim sunt, in quibus prima justificatio consistit, sc. primariæ gratiæ infusio, contritio cordis, peccati remissio. Prima justificatione, cum justificatur impius, i. fit de impio pius, justificari non potest sine fundamento. Primo ergo infunditur ei fundamentum, i. fides. Sed quia fides sine charitate non justificat, infunditur ei fides cum charitate, quam cito gratia infunditur, tam cito conteritur, tam cito peccatum ei remittitur. Vide ergo, quia hæc tria non se præcedunt tempore, sed causa, nam infusio gratiæ est causa contritionis, contritio est causa remissionis. Sic habes, quia primaria dilectio precedit & contritionem, & remissionem. Est & alia dilectio, quæ sequitur remissionem, nam postquam justificatus est homo, & remissum est ei peccatum, amplius diligit, & secundum gratiam sibi collatam operatur bene. Unde potest intelligi hæc secundaria dilectio operis exhibitio, quæ probatio est primariæ dilectionis. Ut ergo notaret Dominus primariam dilectionem præcedere, ait, quia dilexit, sc. primaria dilectione, remissa sunt ei peccata. *a* Cui autem, &c.] quasi ipsa multum dilexit, & multa peccata sunt ei dimissa, sed ille [cui minus, &c.] secundum sententiam tuam poterat etiam concludere. Ergo tu minus diligis, sed more elegantis tractatoris tacuit conclusionem, quia manifesta erat. Sed quid de B. Virg. & de aliis sanctificatis ab utero, quibus nihil omnino videtur esse dimissum? numquid ergo B. Virgo minus dilexit, quam Magdalena? Solutio. Magdalena plus diligit ex dimisso, B. Virgo plus diligit ex commisso, Inquantum ergo Magdalenæ plus dimissum est, plus diligit, & diligere tenetur. Cui ergo minus dimittitur, & committitur, minus diligit, i. diligere tenetur. Solvitur etiam aliter, sc. de Gentili populo, & Judaico. Plus etiam debet Gentilis populus diligere, quia plus ei dimissum est, quam Judaico, peccatum enim idololatriæ ei dimissum est, & revera populus Gentilis magis dilexit, quam Judaicus. *b* Dixit autem ad illam] Dominus [remittuntur tibi peccata.] Non dicit dimitto, sed dimittuntur, ut tolleret ab eis occasionem maledicendi, aut cogitandi. *c* Et cœperunt, &c.] *Beda*. Sanata ægrota, de ejus salute alii ægrotant, quasi sanatio ejus est eis occasio ægritudinis. *Aug. super Joan.* 12. de Juda. Iste de bono odore moritur, quo alii vivunt. *d* Quis est hic, &c.] Intelligebant hoc esse opus solius Dei, Respondet *Isa*-43. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. Geminatio pronominis duplicem naturam in Christo ostendit. *e* Dixit autem, &c.] *Beda*. Fides salvam fecit, quia quod petiit, se posse accipere, non dubitavit, quia jam spem ab illo acceperat, a quo salutem quærebat. Sed, quare potius hic dicit de fide, quam de spe? De utroque potest notari dictum *in Gloss.* ut repetas, non dubitavit, hoc modo: Non dubitavit, quia credidit, & etiam non dubitavit, quia speravit, sc. quia jam spem, &c. *f* Vade in pace] pectoris, ut amplius habeas quietem a vitiis. *Beda*, Ne a via veritatis in viam scandali alterius labaris, *Rom.* 5. Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum, &c.

a Cui autem minus dimittitur, minus diligit. *b* Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et *c* cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: *d* Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit *e* autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit: *f* Vade in pace.

CAP. VIII.

ET *g* factum est deinceps, & *h* ipse iter faciebat per civitates, & castella, prædicans, & evangelizans *i* regnum Dei, & *k* duodecim *l* cum illo, & *m* mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus malignis, & infirmitatibus: *n* Maria, quæ vocatur

EXPOSITIO CAP. VIII.

ET factum est, &c.] *Gloss. Bedæ* continuat istud cap. non solum ad præcedens, sed a quarto incipiens continuat usque ad decimum *infra*. Dividitur autem istud cap. in sex partes. In prima ostendit, quid fecerit Dominus post Mariæ curationem. Circumibat quidem civitates, & castella prædicans verbum Dei, in quo circuitu paverunt eum cum duodecim Apostolis mulieres curatæ ab eo. In secunda paucitatem facientium verbum Dei ostendit per parabolam seminis, cujus tres partes perierunt, & tantum quarta pars fructum fecit, ibi, [Cum autem plurima turba.] In tertia ostendit mysterium fidei per Apostolos toti mundo revelandum, ibi [Nemo autem, &c.] In quarta ostenditur cæcitas Judæorum, qui tantum litteræ insistunt, ibi [Venerunt autem ad illum.] In quinta dormit Jesus, surgit tempestas, evigilatur, tempestas sedatur, admirantur nautæ, arguuntur Apostoli, ibi [Factum est autem.] In sexta ponuntur tria miracula, primo liberatio dæmoniaci a legione, secundo curatio Hemorrhoissæ, tertio suscitatio puellæ. Hæc pars incipit, ibi [Enavigaverunt autem.] Dicit ergo. *g* Et factum est deinceps] post hæc, scil. *h* Et ipse iter faciebat, &c.] formam dans Prælatis, & prædicatoribus, & ut ipsi discurrant prædicando, & docendo Unde *Chr.* Nos, qui sumus unius regionis pastores, singulas populi passionum species circuire debemus. Nam studiosus medicus circuit graviter ægrotantes, & sic faciunt boni Prælati. *Ps.* 59. Famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem. *Job* 1. Consargens Job diluculo offerebat holocausta per singulos. *Cant.* 3. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Item *Cant.* 5. Invenerunt me custodes, qui circuierunt civitatem. *Prov* 6. Fili, si spoponderis pro amico tuo, &c. *i* Regnum Dei] dicit non fabulas Philosophorum, aut somnia fictionum. *Hieron.* Omne, quod non est ad ædificationem morum, in periculum vertitur audientium. *Job* 13. Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos. Et tamen libentius modo auditur somnium, quam veritas. 2.*Tim.* 4. Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt, &c.

k Et duodecim] supple erant.

l Cum illo,] idest, continue ei assistebant, ceteri veniebant, & recedebant.

m Et mulieres aliquæ, &c.] sequebantur eum supple, & ministrabant ei necessaria. Hoc licitum erat antiquitus apud Judæos.

Gloss. Beda. Moræ Aquilæ volantis, &c. Nota ergo, quod hæc *Gloss.* non sequitur ordinem evangelicæ historiæ, sed ordinem Lucæ, qui non prosequitur rectum ordinem. Et hic *Gloss.* est quasi recapitulatio totius ordinis Lucæ. Et est summa, quia sicut aquila primo pullos instruit, & assuefacit ad volandum, sic Dominus primo paulatim discipulos instruit, & quodammodo dat eis alas, ut volare possint, idest, alios instruere in nido fidei. *Job* 29. In nidulo meo moriar. In synagogis, ut *supra* 4. Miracula facit, ut *supra* 4. Turbas suscipit, ut *supra* 4. Instruit, ut *supra* 5. Discipulos facit, ut *supra* 5. Elegit, *supra* 6. Beneficia præstat, doctrinam, scilicet, & miracula, & sanitates, ut *supra* 7. per totum. Jam vero, id est, *in hoc cap.* prædicat. Regnum Dei, *infra nono*, & *decimo*,

Docet etiam per hoc, quod Prælati debent habere secum bonos socios, & familiam curatam, maxime cum circumeunt visitando. *Unde Ps.* 100. Non habitabit in domo mea, qui facit superbiam. *B. Bern. ad Eugenium Papam*. Non dicu te sanum dolentem latera. *Eccl.* 10. Secundum judicem populi, &c.

n Maria, quæ vocatur Magdalena.] Hic ipsam proprio no-

omne

mine exprimit, cujus nomen primo sciemet, quia erat publica peccatrix, noluit exprimere, ne nomen ejus infamaretur, quia hodie in Ecclesia celebre habetur. Præfertur enim virginibus in decantatione Litaniæ. Nominatur etiam post exhibita a Christo beneficia, & non ante, ad innuendum, quod bona aliorum debemus enarrare, & mala tacere. Magdalon, interpretatur turris. Bene ergo dicit Magdalenam quasi turrensis, quia adhæsit turri, i. Christo. De quo *Prov.* 18. Turris fortissima nomen Domini, &c. *Cant.* 4. Collum tuum sicut turris David.

Magdalenæ, *a* de qua dæmonia septem exierant, & *b* Joanna uxor Chuzi procuratoris Herodis, & *c* Susanna, & *d* aliæ multæ, quæ ministrabant eis de facultatibus suis. *e* Cum autem turba plurima conveniret, & de *f* civitatibus properarent ad eum dixit per similitudinem:

a De qua dæmonia septem exierant.] Utrum hoc ita fuerit ad litteram, non est discussum. Sacri expositores volunt, ut per septem dæmonia intelligantur universa peccata, quia septenarius numerus est universitatis. Dicamus ergo [dæmonia septem,] sc. universitas peccatorum, seu septem criminalia, quæ septem nominibus dæmonum reperiis in sacra Scriptura conveniunt, quæ sunt Diabolos, Behemoth, Leviatham, Asmodeus, Satanas, Exterminator, Dæmon. Diabolus. *Apoc.* 20. & interpretatur deorsum fluens, & significat superbiam, quæ Luciferum dejecit de cælo, & Adam de Paradiso. Unde, *Infra* 14. Qui se exaltat humiliabitur. Behemoth. *Job* 40. & interpretatur animal, unde significat gastrimargiam, quæ facit hominem quasi bestiam effluentem super omnem escam sine omni discretione. Unde *Job* 40. Fœnum quasi bos comedet. *Jerem.* 50. Effusi estis quasi vitulus super herbam. Ideo dicit *Ps.* 31. Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Leviatham. *Job* 40. & interpretatur additamentum eorum, unde significat avaritiam, quæ semper addit denarium denario, & præbendam præbendæ, domum domui, agrum agro. *Isaiæ cap.* 5. Væ qui conjungitis, &c. *Habac.* 2. Væ qui congregat, &c. Asmodæus. *Tob.* 3. & interpretatur factura judicii, & significat luxuriam, propter quam Dominus mundum diluvio judicavit. *Gen* 6. Cum vidisset Dominus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam, dixit ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me. Satanas. *Matth.* 16. & interpretatur adversarius plasmationi, unde significat invidiam, quæ semper majoribus adversatur. *Job* 5. Parvulum occidit invidia. Exterminator. *Apoc.* 9. & significat iram, quæ ponit animam extra terminos suos. *Ps.* 55. In ira populos confringes. *Jacob* 1. Ira viri justitiam Dei non operatur. Dæmon. *Matth.* 8. & interpretatur sufficiens iniquitas, unde significat acediam, quæ sufficit ad puniendum hominem, cum nihil delectationis habeat. *Ecclesiast. cap.* 30. Multos occidit tristitia, & non est utilitas in illa. Sequitur. *b* Et Joanna] quæ fuit [uxor Chuzi procuratoris Herodis] etiam ivit cum Domino sicut Maria. [*Mystice.*] Maria significent Ecclesiam de gentibus a sordibus mundatam, sic Johanna eamdem mystice indicat vitio idololatriæ prius inquinatam, deinde per gratiam Christi liberatam, quia primo fuit adultera ante Christi adventum, sed per gratiam facta est sponsa Christi. *c* Et Susanna] sequebatur eum.

Mystice.

d Et aliæ multæ, &c.] idest, Christo, & Apostolis necessaria [de facultatibus suis.] Apud Judæos non erat scandalum, si prædicatores secum ducebant mulieres, quæ eis de suis facultatibus ministrabant. Unde 1. *Cor. cap.* 9. Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli? Quis militat unquam suis stipendiis? Verumtamen, quia hoc posset esse scandalum apud gentes, Paulus abstinuit. Unde 1. *Cor. cap.* 9. Dominus ordinavit his, qui evangelium annunciant, de evangelio vivere, ego autem nullo horum usus sum. 1. *Thess.* 2. 2. *Thess.* 3. Dominus vero accepit ministerium mulierum, dans formam prædicatoribus, quod necessaria vitæ possunt accipere ab his, quibus annunciant verbum Dei. Unde *Matth.* 10. Dignus est operarius cibo suo. Per istas tres mulieres significatur Ecclesia collecta ex gentibus, in qua sunt tria genera hominum salvandorum, sc. pœnitentes, conjugati, continentes. Maria Magdalena significat pœnitentes. Interpretatur enim Maria amarum mare, & Magdalena interpretatur turris, quia pœnitentes fortes debent esse in sustinendo amaritudinem pœnitentiæ. Vel potius quia ipsa amaritudo debet eis esse turris fortitudinis. *Cant.* 7. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Joanna uxor Chuzi, significent bonos conjugatos. Interpretatur enim Joanna, Dominus misericors, & ad tales proprie pertinet esse misericordes, quia cum illis Dominus misericors est. Susanna significat continentes. Interpretatur enim Lilium. *Cant.* 7. Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis. *e* Cum autem turba, &c.] *Beda*. Nomine turbæ, sicut diversitas hominum, ita diversitas innuitur voluntatum, quia diversi diversis causis sequebantur eum, ut dicit *Raban.* Quidam causa recuperandi sanitatem, alii causa disciplinæ, alii, ut comederent de panibus, alii, ut viderent nova miracula, alii, ut observarent eum.

f Et de civitatibus, &c.] In hac secunda parte parabolice monet Dominus discipulos suos, non esse desides ad prædicandum verbum Dei, licet in paucis capiat verbum eorum, quia hoc idem sibi contigit, cujus prædicationis tres partes asserit periisse. Lucas autem brevius transit, quod secundum alium Evangelistam *Matth.* 13. Dominus de domo Simonis venit ad mare, & ascendit in naviculam, & inde loquebatur turbis.

Proponit ergo eis similitudinem de seminatore, qui exiit, ut spargeret semina in agro, & dum spargeret, aliud cecidit in terram bonam, aliud in terram malam. Quod autem cecidit in terram malam, aliud cecidit secus viam, aliud supra petram, aliud inter spinas. Distingue ergo triplicem usum malæ terræ.

Semen, quod cecidit secus viam, non potest nasci, quia vel pedibus transeuntium conculcatur, vel avibus degustatur.

Semen, quod supra petram cadit, nascitur de facili. Citius enim nascitur quam quod in profundo terræ jactum est, sed natum petræ collidunt, & deficiente humore terræ, ardor Solis statim arefacit illud. Quod cadit inter spinas nascitur, sed simul spinæ nascuntur, & pariter cum eo consurgunt, nec illud exurgere permittunt, quia suffocant illud. Comparat autem se Dominus seminanti, & verbum suum comparat semini, corda vero auditorum comparat terræ, cujus una pars est petrosa, alia pars spinosa, alia vero lutosa, quarta pars bona. Petrosa pars terræ significat superbos, & invidos, & iracundos. Dura quidem petra est superbia, dura petra invidia, dura plane iracundia. De quibus *Amos* 6. Numquid currere queunt in petra equi, aut arari potest in bubalis? Terra spinosa significat avaros, & ambitiosos, & acediosos. Mala quidem spina, & fortiter radicata acedia, pungens spina est avaritia, mala spina ambitio. De quibus dicitur 2. *Reg.* 23. Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi. *Prov.* 24. Per agrum hominis pigri, &c. Sed multi spinas istas pungitivas æstimant molles flores, sicut dicit *Job cap.* 30. esse sub sentibus delicias computabant.

Terra lutosa significat luxuriosos, & gulosos. Lutum quidem vile, & fœtidum est gastrimargia, vilius, & fœtidius lutum est luxuria. De quo *Psal.* 17. Ut lutum platearum delebo eos. *Habac.* 3. Viam fecisti, &c.

In his terris periit semen, quod enim in petrosam terram cadit, absque humore arescit. *Job cap.* 8. Numquid virere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua? Quod cadit in spinosam, suffocatur in spinis. *Genes.* 3. Maledicta terra in opere tuo, &c. Quod vero cadit in lutosam terram, conculcatur ab omnibus. *Eccles.* 9. Mulier quæ est fornicaria quasi stercus, &c. *Isaiæ* 51. Posuisti corpus tuum ut terram, & quasi viam transeuntibus, sicut meretrix, & ideo non potest concipere propter nimiam frequentiam transeuntium. Hæc est terra maledicta, quæ toties seminatur, & numquam facit fructum.

Sed quarta pars est bona, quæ facit fructum tricesimum in bonis conjugatis, sexagesimum in continentibus, seu viduis, centesimum in virginibus, sicut dicitur *Matth.* 13. Verumtamen sciendum, quod tres sunt seminatores, quorum quilibet exit, ut seminet semen suum. Deus, diabolus, homo. Dei semen triplex est. Unum increatum, secundum innatum, sive concreatum, tertium inspiratum.

Semen increatum est Dei filius. De quo *Genes.* 22. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Hoc semen seminavit Deus pater in terram optimam, i. in beatam Mariam. De qua *Deut.* 8. Benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi. *Psal.* 84. Dominus dabit benignitatem, i. filium benignum, & terra nostra dabit fructum suum. Hoc semen fuit purum sine palea, dum fuit in sinu seminatoris, i. Dei patris: Sed seminatum

natum in terram natum de terra, vestitum palea humanitatis. Unde Paul. *Tit.* 3. Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei, i. humanata benignitas, quasi vestita divinitas. Unde in ascensione mirantes Angeli dixerunt: Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, &c. Illud semen postea fuit seminatum in alium agrum, i. in sepulchrum, aliter non fructificasset. *Jo.* 12. Nisi granum frumenti, &c. Seminatum est ergo, & excrevit seges multa, quia multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & factus est fructus terræ sublimis, ut dicit *Isa.* 4. quia illa corpora ascenderunt cum eo in cœlum. Tertio fuit seminatum in magnum agrum, i. in totum mundum per Apostolos. *Isa.* 27. Egredientur impetu cum Jacob, & implebunt faciem orbis semine, & florebit, & germinabit Israel. Item semen innatum, seu concreatum, quod seminat Deus, triplex est, scil. posse, nosse, velle. Hoc seminat Deus in terram bonam, i. in animam cujuslibet hominis, quia vellet colligere fructum de omni homine. Posse, seminat pater; nosse, filius, velle, Spiritus sanctus. Sed aliquod istorum seminum cadit secus viam, & a volucribus cœli comeditur: Aliud inter spinas, & a spinis suffocatur: Aliud in petrosam terram, & arescit, quia non habet humorem. Posse, quod seminatur a patre, suffocatur a spinis, ut patet in Prælatis, quibus datum est posse, & auctoritas multa bona faciendi, & mala cohibendi, sed curis, & sollicitudinibus mundi suffocatur. Unde cum dicitur eis: Nonne habetis potestatem faciendi hoc bonum, vel cohibendi hoc malum, respondent, habemus, sed curæ, & sollicitudines sæculi hoc non permittunt. Et numquid istæ sollicitudines spinæ sunt? Certe sic, quia ita dicit Dominus hic, & *Matt.* 13. *Jer.* 4. Nolite serere super spinas. Secundum semen, i. nosse, quod seminatur a filio, cum gaudio suscipitur, sed quia non habet humorem gratiæ, & devotionis, eo quod cadit in petrosam terram, i. in cor superbum, & indevotum, arescit, ut patet in multis clericis, qui cum magno gaudio recipiunt scientiam, sed quia non habent humorem devotionis, nec figunt in terram, i. in Christum radicem intentionis, ideo arescit, & sine fructu efficitur, quia scientia sola inflat. 1. *Cor.* 8. Tertium semen, i. velle, quod seminatur a Spir. S. quando cadit secus viam, i. circa temporalia, quæ transitoria sunt, & caduca, comeditur a volucribus cœli. Volucres cœli sunt honores sæculi, qui velle multorum comedunt. Vult aliquis illam præbendam, illam prælaturam, illam Ecclesiam: Ecce quot aves devorant illud unicum granum, quod seminaverat Spir. S. *Deut.* 32. Consumentur fame, & devorabunt eos aves morsu amarissimo. Ecce potentia suffocatur in prælatis, scientia arescit in clericis, voluntas devoratur fere in cunctis: Ubi ergo habebit messem suam Dominus? Posse debuit surgere in boni operationem, & mali cohibitionem, nosse in Dei, & sui cognitionem, vel in Dei, & proximi dilectionem. Sed heu non est sic. Posse est suffocatum, nosse arefactum, velle devoratum. Tertium semen Dei, est semen inspiratum, i. dona, & virtutes. De quo. *Gen.* 26. Seminavit Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum. *Matt.* 13. Simile est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Nec solum dona, & virtutes sunt semina, sed quot bona tibi contulit Deus, tot semina jecit in te. Vide ergo quem fructus reddes ei, de tot, & tantis seminibus in te jactis. Si bona terra es, reddes fructum multiplicem, & benediceris a Domino, si autem non feceris fructum, aut si malum fructum feceris, terra reproba es, & malediceris a Domino. Unde *Heb.* 6. Terra sæpe venientem super se bibens imbrem. Et *inf.* Cujus consummatio in combustionem. Ita seminat Deus agrum hominis, & tamen modicum fructum recolligit. Seminavit autem, & seminat super alium agrum magnum multiplici semine, i. mundum. Cujus semina sunt universæ creaturæ, inter quæ nobilius semen est hominum multitudo, *inf.* 10. Messis quidem multa, operarii vero pauci, *Jo.* 4. Levate oculos vestros, & videte regiones, quia jam albæ sunt ad messem, i. homines habiles ad colligendum in horreum Domini. O quot manipuli colliguntur de hoc agro, sed pauci reportantur in grariam Dei, quia diabolus totum reportat in grangiam suam, quæ nimis magna est, in quam potest intrare plenus currus. Dilatavit enim infernus animam suam. *Isa.* 5. Item seminat diabolus, non triticum virtutum, sed zizania vitiorum, & iniquarum suggestionum, quod semen nimis multiplicatur. Unde *Matt.* 13. Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait: Inimicus homo hoc fecit. Item seminat homo quilibet in agro suo: Alius quidem in carne, alius quidem in vento, sive in aere, alius vero in spiritu, & veritate. Cogitationes, locutiones, operationes sunt semina. In carne ergo seminat, qui cogitationes, & locutiones, & operationes ad carnis dirigit voluptates. Sed quam messem hic colligit, dicit Apost. *Gal.* 6. Quæ seminaverit homo, hæc & metet: Nam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. In vento, seu in aere seminant, qui propter favorem humanæ laudis faciunt expensas, vel legunt, aut prædicant, vel alia opera faciunt. De quibus dicitur *Osee* 8. In ventum seminabunt, & turbinem metent. *Jer.* 12. Seminaverunt triticum, & messuerunt spinas. Revera triticum seminant, i. opera de genere bonorum, sed quia in ventum seminant, ideo metunt æternas punctiones, & conscientiæ miseræ remorsiones. *Aggæi* 1. Seminastis multum, & intulistis parum, scil. modicum vanæ laudis, quod nihil est. *Mich.* 6. Tu seminabis, & non metes, tu calcabis olivam, & non ungeris oleo, mustum, & non bibes vinum. In spiritu, & veritate seminant, quia omnia quæ cogitant, quæ loquuntur, quæ faciunt, referunt ad spiritus utilitatem, non ad carnis voluptatem, vel mundi vanitatem. De quibus dicit *Osee* 10. Seminate vobis in veritate justitiam, & metite in ore misericordiæ. Ager iste fructum bonum reddit. De quo *Gen.* 27. Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Hic ager fossus, aratus, firmatus, rigatus, & ideo bonum fructum, & multum, & verum facit. Longus ager aratur, sed brevis foditur. Sic dorsum Christi virgarum surculo fuit cæsum, & latus lancea perforatum, sicut dicitur *Jo.* 19. Manus vero, & pedes, sicut modici agri fuerunt clavis fossi. Unde in *Ps.* 21. Foderunt manus meas, & pedes meos. *Is.* 2. Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo. Firmatus nihilominus fuit sputis fœtidis Judæorum. *Isa.* 50. Non averti faciem meam ab increpatione, & conspuentibus in me. Item rigatus fuit rore sanguineo, *inf.* 22. Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram: Et pluvia lacrymarum, quia cum clamore valido, & lacrymis oravit. *Heb.* 5. Propter hoc clamat ipse per *Jer.* 2. Numquid solitudo factus sum, aut terra serotina Israeli? q. d. non. Solitudo enim terra inculta est, & nullum fructum facit: Christus autem fructum multiplicem, & bonum reddit cultoribus suis, scil. gaudia paradisi. *Gal.* 6. Qui seminat in spiritu, de spiritu, metet vitam æternam. Item non est terra serotina, quia aliqui heri seminaverunt, & hodie messuerunt vitam æternam. *Gen.* 26. Seminavit Isaac, &c. Imo latro in Cruce in eadem die seminavit, & messuit. *Eccl.* 11. Benedictio Dei in mercedem justi festinat, & in honore veloci processus illius. Consideret ergo quilibet, in quo agro seminet semina sua, i. cogitatus, sermones, & actus suos. Si in carne, metet corruptionem, si in aere, metet turbinem, si in spiritu, metet benedictionem. Fructus enim spiritus sunt: Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. *Gal.* 5. Si hos fructus inveneris in spiritu tuo, in bono agro seminasti, & metes vitam æternam. Item semen est eleemosyna. Unde *Greg.* Semen tuum est quidquid boni feceris. Et dicitur eleemosyna semen propter quinque rationes. Primo, quia debet occultari sub terra, aliter non faceret fructum. *Eccl.* 29. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te ab omni malo. *Matt.* 6. Te autem faciente, &c. Secundo, quia debet committi terræ spinis purgatæ, & tribulis, i. pauperibus, qui nullas habent spinas, i. divitias. *Jer.* 4. Nolite serere super spinas. *Eccl.* 12. Da bono, & non receperis peccatorem. *Tob.* 4. Panem tuum cum esurientibus comede. *Isa.* 58. Frange esurienti, &c. *inf.* 14. Cum facis, &c. Tertio, quia debet rigari rore compassionis, & hilaritatis. *Isa.* 58. Si effuderis esurienti animam tuam, orietur in tenebris lux tua. *Thren.* 2. Effunde sicut aquam cor tuum. *Job* 30. Compatiebatur anima mea pauperi. *Eccles.* 34. In omni dato hilarem, &c. Quarto, quia de ipsa recipitur fructus multiplex in alio anno, i. in alia vita, seu quia in hyeme seminatur, i. in præsenti vita, & in æstate colligitur, i. in futura vita. *Eccl.* 11. Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua. Quinto, quia tria sunt impedimenta eleemosynæ, sicut & seminis, quæ hic tanguntur. Primum est jactantiæ propriæ ventus, vel detractionis alienæ, quod notatur in semine, quod cecidit supra petram. *Eccl.* 3. Cor durum male habebit in novissimo. Secundum est luxus vitæ, quod notatur in semine, quod cadit secus viam. *Eccl.* 21. Audivit luxuriosus, & displicebit ei. Tertium est amor divitiarum, quod notatur in semine, quod cecidit inter spinas, quæ simul exortæ suffocaverunt illud. *Prov.* 15. Iter pigrorum quasi sepes spinarum. *Joel.* 3. Fons egredietur de domo Domini, & irrigabit torrentem spinarum. Est autem triplex semen, quod proprie pertinet ad doctores, & prædicatores, quod ipsi debent seminare

Eleemosyna dicitur semen propter quinque ratione.

mare in agrum Ecclesiæ, qui vocatur Acheldemach, i. ager sanguinis. Primum est semen boni operis. De quo *Prov.* 11. Seminanti justitiam merces fidelis. *Eccl.* 11. Mane semina, &c. *Jac.* 3. Fructus justitiæ in pace seminatur. Secundum est semen orationis. De quo *Ps.* 125. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. Tertium est semen prædicationis. De quo *Lev.* 19. Agrum non seres diverso semine. Ut Hæretici, qui veris admiscent falsa, vel mali doctores, qui bonum verbum seminant, & malum exemplum. Hoc triplex semen seminavit Christus homo. *Isa.* 1. Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, i. muti. Et de isto exponamus. *a* Exiit, qui seminat,] i. qui habet officium seminandi, scil. filius Dei, de sinu patris in mundum. Unde *Jo.* 16. Exivi, &c. *b* Seminare,] i. ad seminandum. *c* Semen suum,] non alienum, scil. exemplum, orationem, & verbum, scil. Evangelii, *Chrys.* Aliquando exibit, ut incidat malas herbas. Item *Chrys.* Unde exiit, qui ubique præsens est? non loco, sed habitudine. Et quid exivit facere? Perdere terram spinis plenam? Punire agricolas? Non, sed seminare. Et quid igitur de semine isto tres partes depereunt etiam Christo seminante? Sol. Non est hoc vitio seminis, vel seminantis, sed suscipientis, i. animæ, & ita monet discipulos non desides esse, & si multi pereant suscipientium verbum, quia hoc, & Domino contigit, qui cuncta prævidit. *Isa.* 5. Triginta modii sementis facient modios tres. Vide ergo prædicationum multitudinem, & raritatem fructus.

B

Matt. 13.
Marc. 4.

Exiit, *a* qui seminat *b* seminare *c* semen suum. Et dum *d* seminat, aliud cecidit secus viam, *e* & conculcatum est, & *f* volucres cœli comederunt illud. Et *g* aliud cecidit supra petram, & *h* natum *i* aruit, quia non habebat humorem. Et *k* aliud cecidit inter spinas, & *l* simul exortæ spinæ *m* suffocaverunt illud. Et *n* aliud cecidit in terram bonam, & *o* ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens *p* clamabat: *q* qui habet aures audiendi, audiat. *r* Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola. *s* Quibus ipse dixit: *t* Vobis *u* datum est *x* nosse mysterium regni Dei. *y* Ceteris autem in *z* parabolis, ut *a* videntes *b* non videant, & *c* audientes *d* non intelligant.

Moraliter.

[Moraliter] oportet, & prædicatorem exire. *Jer.* 48. Moab requievit in fæcibus. *Gen.* 12. Egredere de terra. *Mich.* 4. De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem: Et concident gladios suos, i. subtiles quæstiones in vomeres, i. in grossas prædicationes. Debet etiam prædicator, & doctor seminare semen suum per intellectum, & affectum, & effectum. *Gen.* 1. Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, cujus semen sit in semetipso. *Prov.* 5. Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui, deriventur fontes tui foras, &c. *Chrys.* Qui seminat sine dijudicatione mittit semina, sic & prædicator Christi non dividit divitem, vel pauperem sapientem, vel insipientem, studiosum, vel desidem. *Rom.* 1. Græcis, & barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum. 1. *Cor.* 9. Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci. *d* Et dum seminat, &c.] i. super corda vanis cogitationibus, & dæmonum suggestionibus pervia *Job* 19. Venerunt latrones, & fecerunt sibi viam per me. *e* Et conculcatum est] a malis cogitationibus, & pravis affectionibus. *Gl.* ut nec in memoria mens teneat, quod opere exercere neglexit.

f Et volucres, &c.] i. dæmones, qui dicuntur volucres cœli, quia sunt cœlestis naturæ, vel quia per aera discurrunt. *Jud.* 6. Cum seminasset Israel, i. Christus per se, & suos ascendebant Madian, & Amalech, & ceteri orientalium nationum apud eos ponentes tentoria, & sicut erant in herbis cuncta vastabant. *Ezech.* 39. Feris, & avibus omnique volatili, & bestiæ terræ dedi te ad devorandum. *g* Et aliud, &c.] i. corda indomita, & superba, nulla vomere fidei penetrata. *Chrys.* Non dicit projecit, sed cecidit. *h* Et natum] ad horam.

i Aruit, &c.] devotionis, aut gratiæ, *Osee* 8. Culmus stans non est in eo germen, non faciet farinam, quod si fecerit, alieni comedent eam. *k* Et aliud, &c.] i. in corda divitum sollicitudinibus, & curis lacerata, & cruentata. *l* Et simul, &c.] i. sollicitudines, & curæ. *m* Suffocaverunt illud.] *Beda*, i. ita occupaverunt mentem quod verbum fructum spiritualem in ea facere non potuit, *Chrys.* Qualiter habet rationem seminare in spinis, vel petris? Sol. In seminibus quidem nullam, in animabus autem multam. Agricola incusaretur merito, quia non potest de petra facere non petram, aut de via non viam, aut de spinis non spinas. In rationalibus autem possibile est de petra fieri terram pinguem, &c. *Chrys.* Via desides, petra imbecilles, spina iniqui.

n Et aliud, &c.] i. in cor humile, & concavum, quia tumor infusa repellit, concavitas retinet. Vel in cor mite, & docile. *Jac.* 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum. *o* Et ortum fecit, &c.] i. perfectionem virtutum, quæ per centenarium numerum designantur. Nota multiplicem cumulum perfectionis. Est enim perfectio minor, major, consummata, quam habet, qui in utraque vita est perfectus, i. in activa, & contemplativa. *Gen.* 26. Seminavit Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum.

Matth. 13.
Marc. 4.

p Hæc dicens clamabat,] i. evidenter ad spiritualem intelligentiam invitabat. Contrarium huic videtur *Isa.* 42. Non clamabit, nec accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Sol. Non clamabit clamore contentionis, sed clamabit clamore charitatis, & devotionis. Clamabat autem, quia surdis loquebatur. *Isa.* 42. Surdi audite. *Jo.* 7. In novissimo die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat: Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Idem est, quod dicit hic.

q Qui habet, &c.] Triplicem auditum notat hic, qui est necessarius auditoribus, scilic. auditus naturæ, quo verbum suscipitur. Auditus intelligentiæ, quo sensus verbi discernitur. Auditus obedientiæ, quo res verbi efficitur. De quo *Job ult.* Auditu auris audivi te. Quidam nullas habent aures audiendi aliquid de Deo *Ezech.* 22. Nasum tuum, & aures tuas præcident tibi. *Prov.* 28. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus execrabilis. Alii habent aures, sed non habent aures audiendi, i. intelligendi. *Isa.* 42. Qui apertas habes aures, non audies: Alii habent aures audiendi, i. intelligendi, sed non audiunt, i. non obediunt, ut faciant, quod intelligunt. *Isa.* 6. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava.

r Interrogabant, &c.] Sicut dicit *Chrys.* cupientes scire, oportet interrogare, maxime ubi aliquid obscurum, & difficile proponitur a magistro.

Ideo discipuli non intelligentes parabolam, de semine, interrogaverunt Dominum quærentes expositionem, non autem statim, sed in domo soli cum illo, sicut dicit *Marc.* 4. Ubi sicut dicit *Beda*, moraliter instruimur, ut si intelligentiam divinorum assequi volumus, sepositis curis mundi, domum sacræ Scripturæ soli cum solo Domino meditando, & orando intremus. *Eccl.* 38. Sapientiam scribe, &c.

s Quibus ipse dixit, &c.] Discipuli interrogantes docent auditores, ut non erubescant, vel pigrescant quærere, quod ignorant. Et Dominus benigne respondens docet doctores, ut benigne respondeant quærentibus. Unde *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. Dicit ergo. *t* Vobis datum, &c.] Vobis, qui libenter auditis, & fidem adhibetis. *Jo.* 15. Omnia quæcumque audivi a patre meo, nota feci vobis. *Glos.* Quia fideles estis, sed Pharisæis incredulis sancta non sunt danda. *Matt.* 7. *u* Datum est] tanquam magnum donum. Magnum quidem donum est intelligentia Scripturæ, *inf.* 10. Multi Prophetæ, & reges voluerunt videre, &c.

x Nosse mysterium regni Dei,] i. intelligentiam, sive occulta mysteria sacræ Scripturæ. De qua *Matt.* 21. Auferetur a vobis regnum Dei.

y Ceteris autem,] qui foris sunt, ut ait *Marc.* c. 4. qui nec intrare, nec cognoscere curant veritatem.

z In parabolis.] *Matt.* 7. Nolite sanctum dare canibus. *Prov.* 18. Non recipit stultus verba prudentiæ, &c. *Eccles.* 21. Audivit luxuriosus, & displicebit ei.

a Ut videntes,] i. videre se reputantes, vel videntes foris humanitatem. *b* Non videant] intus divinitatem. Vel videntes foris miracula [non videant] intus virtutem operantem.

Item [videntes] exterius asperitatem pœnitentiæ [non videant] interius gloriam conscientiæ. *B. Bern.* Multi vident nostras cruces, qui non vident nostras unctiones. *c* Et audientes] foris verbum.

d Non intelligant] intus spiritualem sensum, *Isa.* 6. Audite audientes, & nolite intelligere.

Nota, quod idem significatur per audientes, & per videntes, & videant, & intelligant. *Chrys.* Meretricalia carmina, & narrationes negotiorum sæcularium, sive rumores, lutum sunt, sive sordes aurium nostrarum, quæ claudunt auditum

ditum verbi Dei. Ita omni sorde difficilius obturant mentis auditum usura, mutuum, vel similia. *a* Est autem hæc parabola.] Nota, quod Dominus hanc parabolam ideo discipulis exposuit, ut se mystice loqui ostenderet, & mystice exponendi Scripturas exemplum daret.

Est *a* autem hæc parabola *b* Semen est verbum Dei. *c* Qui *d* autem *e* secus viam, hi sunt, qui audiunt, *f* deinde *g* venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Nam, *h* qui supra petram, *i* qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, *k* quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, *l* Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & a sollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitę euntes suffocantur, & non referunt fructum. *m* Quod autem in bonam terram, hi sunt; *n* qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. *o* Nemo *p* autem lucernam accendens *q* operit eam vase, *r* aut subtus lectum ponit, *s* sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.

Gl. Bed. Nota hanc esse primam &c. Ne, vel aliud, vel plus, vel minus intelligere velimus, i. contrarium, vel superfluum. *Deut.* 4. & 12. Non adderis ad verbum, quod locutus sum vobis. *Job* 29. Verbis meis addere, &c. *Prov.* 30. Ne addas quidquam. *Eccl.* 18. Non est minuere. *Apoc. ult.* Si quis apposuerit ad hæc, &c. Ideo nullus expositorum ausus est manum apponere, ut aliquid adderet Dominicæ expositioni, quia ipse Dominus eam exposuit. *b* Semen est verbum Dei.] De quo *Jer.* 31. Seminabo domum Israel, & domum Juda semine hominum, & semine jumentorum, i. sapientium prædicatione, & insipientium, tamen rustici melius seminant, quam reges. *c* Qui autem secus viam, &c.] Nota quia hic est duplex litera. Nam in primis duabus clausulis in quibusdam libris est, [qui] in aliis libris est, [quod] sicut in duabus extremis. Modo lege, [Qui] hoc modo. [Semen est verbum Dei,] quod seminatur in cordibus hominum. *d* Autem,] sed illi homines, scil. qui seminantur. *e* Secus viam sunt, qui audiunt] exterius sensu corporis. Nam seminari æquivocum est: Nam terra seminatur, i. semen jactum suscipit, & semen seminatur, i. in agro spargitur. Hoc est, quod dicitur. *e* Qui autem secus viam] supple seminatur, i. homines, qui semen verbi Dei suscipiunt in cordibus quasi semen, quod spargitur secus viam. Et nota, quod dicitur [Secus viam] non in via veritatis, aut pœnitentiæ. Vel, [Secus viam] i. juxta transitum mundi, non separati a mundo. Sequitur. *f* Deinde,] i. postquam audierunt. *g* Venit diabolus] per multiplices suggestiones, [Et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.] *h* Nam, qui supra petram] supple seminantur, sicut prius hi sunt. *i* Qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent:] *Job* 15. Non mittet radicem in terram, auferetur spiritu oris sui. *Sap.* 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas. *Beda*. Multi audientes disputationem contra avaritiam, vel luxuriam, dicunt contemptores sæculi, & castos homines esse beatos: sed ubi species concupiscibiles eorum obtutibus præsentantur, mox recedit ab eis, quidquid recte cogitaverunt. Unde seq. *k* Quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.] *Eccl.* 18. A mane usque ad vesperam immutabitur tempus. *l* Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, &c.] usque ibi, [& non fuerunt fructum.] *Rom.* 6. Quem fructum, &c. Sic construe, Semen est verbum Dei, [quod cecidit in spinas, & hi,] qui suscipiunt semen cadens in spinas [sunt] illi, [qui audierunt, & a sollicitudinibus, &c.] Similiter leges sequentem clausulam. Et ad hunc modum poteris legere [quod] si fuerit in duabus primis clausulis. Posset quæri, cum divitiæ possessores suos oblectent, & voluptatibus resolvant, quare per spinas significentur? Respondet *Beda*. Quia, cum aculeis curarum possessorum mentes confodiunt, quæ avide quæruntur sollicite servantur.

Dives divitias non congregat absque labore:
Nec tenet absque metu, nec deserit absque dolore.

Suffocatur autem, sicut dicit *Greg.* & *Beda*, quia voluptates, & divitiæ suis importunis cogitationibus guttur mentis, ne bonum desiderium ad cor possit intrare, quasi aditum vitalis flatus strangulant. Nota, quod dicitur suffocare, quasi sub faucibus occare. Est autem quasi metaphorice dictum, quia sicut per suffocationem gutturis suffocatur spiritus, i. sub faucibus occatur, & arctatur, ne possit exire, sic amor divitiarum guttur mentis suffocat, & claudit, ne bonum desiderium possit per illud intrare.

Item nota versus de spina.

Serpentina domus, lacerans, odiosa colonis.
Horrida, densa, tenet, viget, ardet, spina cruentat.

Jer. 15. Non est pax universæ carni, seminaverunt triticum, & messuerunt spinas, &c. *Isa.* 32. Super humum populi mei, &c. *Isa.* 33. Spinæ congregatæ igni comburentur. Sequitur. *m* Quod autem in terram bonam.] Construe sicut prius in bonos, scil. auditores, qui verbum Dei audire satagunt, & in ventre memoriæ recondunt, & sic opportuno tempore fructum operationis proferunt, inter prospera, & adversa sæculi hujus patientes. *n* Hi sunt, qui corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.] *Jac.* 1. Patientia opus perfectum habet *inf.* 22. In patientia vestra possidebitis animas vestras. *o* Nemo autem lucernam, &c.] Tertia pars capitis, in qua ostenditur mysterium fidei, quod multis occultum est per Apostolos revelandum. Unde continuator ei, quod dictum est, ut *sup. eod.* Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, non quidem, ut abscondatis, sed ut manifestetis. *p* Autem,] i. quia [nemo, &c.] Comparat autem lucernæ verbum prædicationis, quia sicut in lucerna duo sunt, lux, & testa, sic in verbo prædicationis duo sunt, sensus spiritualis, & historia. *Prov.* 6. Mandatum lucerna est, & lex lux. Et sicut lucerna illuminat domum, ita verbum prædicationis Ecclesiam. *Ps.* 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Candelabrum autem dicit Ecclesiam. De quo *Exod.* 25. Facies candelabrum ductile ex auro purissimo. Facies & septem lucernas, & pones super candelabrum, ut luceant ex adverso, i. peccatoribus, qui sunt ex adverso. *Zach.* 4. Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus super caput ipsius, i. Christus. De quo dicitur. *Isa.* 62. Salvator ejus ut lampas accendatur. Vas dicit timorem humanum, vel mundanum. Lectum carnis voluptatem, sub quibus non debet abscondi lucerna, quia nec timore mortis, nec amore carnis debet abscondi verbum prædicationis. *Prov.* 11. Qui abscondit frumentum maledicetur in populis. *Eccl.* 29. Ne abscondas pecuniam sub lapide in perditionem. Nam *Matt.* 25. reprehenditur servus, qui abscondit in terra pecuniam Domini sui. Hoc est ergo, quod dicit. [Nemo lucernam accendens,] i. nemo habens scientiam, & gratiam prædicandi.

q Operit eam vase,] i. timore, vel cupiditate, seu negotio sæculari. *Matt.* 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus. 2. *Tim.* 2. Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis. *Deut.* 20. Quis est homo, qui plantavit vineam, & necdum fecit eam communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, & revertatur, &c. Quis est homo formidolosus, & corde pavido? vadat, &c. Tales quidem non sunt idonei, ad præliandum, scil. cupidi, & timidi.

r Aut subtus lectum ponit.] Lectum, scil. desidiæ, vel contemplationis, vel carnalis delectationis.

Hæc enim tria, scil. desidia, contemplatio, carnalis delectatio, nomine lecti intelliguntur.

De primo dicitur *Prov.* 26. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lecto suo.

De secundo dicitur *Matt.* 24. Duo in lecto, unus assumetur, & alter relinquetur.

De tertio dicitur *Matt. cap.* 9. Surge, tolle lectum tuum. Qui ergo timore mortis, vel implicatione negotii sæcularis prædicationem dimittit, sub vase abscondit lucernam, qui vero desidia, vel contemplatione, vel carnali voluptate dimittit, sub lecto abscondit.

Et uterque male faciens habet officium, ut est Prælatus, vel Sacerdos, vel doctor, vel prædicator.

s Sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen, &c.] i. in manifesto. *Matt.* 10. Quod in aure auditis, prædicate super tecta. *t* Ut intrantes videant lumen] doctrinæ, & vitæ. Vita debet audiri in doctrina, & doctrina debet videri in vita. *Apoc.* 1. Conversus sum, ut viderem vocem? *Hab.* 2. Scribe visum, &c. Ille proprie super candelabrum lucernam ponit, qui quod ore docet in Ecclesia, per vitæ altitudinem ostendit. *Isa.* 40. Super montem excelsum ascende, &c.

C — *Matt.* 13. *Marc.* 4. — al. † quod. al. ‡ quod. — *Versus.* — *Tertia pars.*

Matth. 5. Sic luceat lux vestra, i. doctrina coram hominibus ut videant opera vestra bona, non tantum audiant verba. Doctrina sine vita est lucerna sine oleo. Et quidam. Lingua magniloqua, manus otiosa, doctrina lucida, & vita tenebrosa, res est monstruosa. Item lucerna est Christus

a Non enim est occultum, quod *b* non manifestetur, nec *c* absconditum, quod *d* non cognoscatur, & *e* in palam veniat. *f* Videte ergo, quomodo audiatis. *g* Qui enim habet, *h* dabitur illi, & *i* quicumq; non habet, *i* etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. *k* Venerunt autem ad illum mater, & fratres ejus, & non *l* poterant audire eum præ turba.

1. *Reg.* 3. Non poterat Heli videre lucernam, antequam extingueretur, idest, Judæus cognoscere Christum antequam moreretur. Candelabrum est crux, super quam positus fuit Dominus, quando fuit crucifixus. Sub vase, vel sub lecto lucernam ponit, qui timore, vel voluptate a prædicatione Dominicæ Passionis desistit, *Job* 16. Terra, ne operias sanguinem meum. Item lucerna est intentio. *Inf.* 11. Lucerna corporis tui est oculus tuus: hanc sub vase, vel sub lecto, & non candelabrum ponit, qui in opere, vel prædicatione sua ad temporalia commoda, vel carnalia oblectamenta non ad Christum intentionem reflectit. *Matt.* 6. Amen dico vobis receperunt mercedem suam. *a* Non enim, &c.] quasi anthypophora est. Ipsi enim possent ei objicere, imo debemus occultare verbum Dei, quia viles reputamur, & abjecti, & non audemus apparere in conspectu nobilium. Ad hoc ergo obviat Dominus, q. d. non propter malam opinionem, quam de vobis habent, debetis desistere, quia licet modo viles appareatis in facie hominum, tamen quid sitis, innotescet operatione miraculorum in vita præsenti, & præcipue in regno Dei, cum Dominus revelabit abscondita, tenebrarum. 1. *Cor.* 4. Dicit ergo. [Non enim, &c.] supple adhuc in vita præsenti, & tunc præcipue, cum Dominus revelabit abscondita cordium, i. cum omnia erunt manifesta. Aliter.

Matth. 10. *Marc.* 4.

a Non enim est occultum] de actibus nostris, vel aliorum. *b* Quod non manifestetur,] *Soph.* 1. Scrutabor Jerusalem in lucernis. *c* Nec absconditum] de intentionibus, & cogitationibus. *d* Quod non cognoscatur.] 1. *Cor.* 4. Veniet Dominus, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. *Proverb.* 26. Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in consilio. *Jer.* 20. Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur. *e* Et in palam veniat.] *Dan.* 7. Judicium sedit, & libri aperti sunt. *f* Videte ergo,] quando quidem scientiæ lumen accepistis ad alios illuminandos. [Videte ergo, &c.] i. quam diligenter, & qua intentione, q. d. Dominus attentius, & diligenter audite, qui enim alios debent instruere, studiosius debent audire, & magis laborare. *g* Qui enim habet] supple desiderium, seu amorem verbum audiendi. *h* Dabitur illi] sensus intelligendi. *Eccl.* 6. In omni animo tuo accede ad illam, i. sapientiam, & manifestabitur tibi. Item, qui habet justitiam vitæ, dabitur ei intelligentia Scripturæ. *Ps.* 96. Lux orta est justo. Et alibi. A mandatis tuis intellexi. Item, qui habet voluntatem benefaciendi, dabitur ei facultas bene proficiendi. *Phil.* 2. Deus est, qui operatur in nobis velle, & proficere. Item, qui habet gratiam, dabitur ei gloria. *Ps.* 85. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. *i* Et quicumque non habet] amorem verbi. *i* Etiam, quod putat, &c.] i. sensus intelligendi, sive intelligentia, quam ex naturali ingenio se posse habere putat, quia etsi naturali ingenio, vel studio suo aliquid intelligat, hoc est, licet aliquam habeat scientiam, nullam tamen veræ sapientiæ dulcedinem gustat, quæ dicitur quasi a sapore. *Eccl.* 6. Sapientia doctrinæ secundum nomen ejus, & in multis non est manifesta. Item, qui non habet exercitium doctrinæ, aufertur ab eo intelligentia. *Matt.* 21. Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. *Chrys.* Quomodo procedit. Si enim tollitur ab eo, quomodo non habuit? aut si non habuit, quomodo tollitur ab eo? Sed ita procedit: Qui habet aliquem intellectum, & non facit cum illo justitiam operantem ad gloriam Dei, sed econtra circa res terrenas occupat eum, habens non videtur habere, quia quantum ad Deum nihil habet, qui Deo nihil fert: Sicut homo cujus oculi iniquitatem vident, ipse videns quantum ad Deum cæcus dicitur esse. *Isa.* 42. Quis cæcus nisi qui venundatus est sub peccato suo? Nota, quod dicitur in *Gl.* Ingeniosus negligendo sapientia vera se privat, quia quamvis habeat scientiam non tamen habet sapientiam, quæ vere sapientia dicitur quasi a sapore, & jucunditate; Qui enim negligit operari bene, nec delectatur in eo, quod scit. Sed quid est, quod Deus pigris, & negligentibus audire verbum Dei, sæpe acumen, & subtilitatem ingenii præstat, & studiose audientibus negat? Ut hoc istis sit materia laboris, & coronæ amplioris, illis occasio pœnæ justioris. Unde *Bed.* Ideo desidiosus ingenium sæpe accipit, ut de negligentia justius puniatur, qui scire contempsit, quod sine labore assequi potuit, & aliquando studiosus tarditate intelligentiæ premitur, ut eo majora præmia inveniat, quo studiosus elaborat. 1. *Cor.* 3. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Item nota, quod hoc, quod hic dicitur, potest intelligi specialiter dictum Apostolis, & Judæis, ut quod dictum est? Qui habet dabitur ei, referatur specialiter ad Apostolos, quod autem dictum est: Qui autem non habet, &c. referatur specialiter ad Pharisæos. Sed generaliter de omnibus potest intelligi. Seq. *k* Venerunt autem, &c.] Quarta pars capitis, ubi quod dixerat verbo, ostendit mystico exemplo, scil. quod Judæi soli litteræ adhærentes etiam sensum, quem videbantur habere amittent.

Matth. 25. *Marc.* 3.

Quarta pars.

Unde *Matth.* 21. Auferetur a vobis regnum Dei, &c. Et non solum Judæi, sed omnes Judaizantes: De quibus dicit *Job* 30. Egestate, & fame steriles, qui rodebant in solitudine squalentes calamitate, & miseria, & mandebant herbas, & cortices arborum. Et sicut dicit *Chrys.* quia diabolus vidit, quod Christus persuadebat populo, quod esset filius Dei, introduxit parentes ejus carnales, ut per illorum contemplationem divinitatis ejus obscuraret naturam. Et cum non possent intrare ad eum, venit unus quasi diaboli advocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur. [Mater tua, &c.] Tunc Jesus quasi aspiciens ad hominem, sed vere diabolo loquebatur: Quæ est mater mea, &c. non spernens neque erubescens carnalem generationem, sed volens præponi spiritualem generationem carnali.

Allegor. Allegorice. Mater Jesu, Synagoga, fratres, Judæi, qui veniunt usque ad ipsum, sed non intrant, quia litteræ insistentes, spiritualem intelligentiam non habent.

Moraliter. Moral. autem mater Jesu, est omnis, qui verbo, & exemplo in cordibus proximorum generat Deum. Frater autem est, qui facit voluntatem patris, qui in cœlis est. Et sicut tunc diabolus per præsentiam parentum carnalium voluit obscurare divinitatem Christi, & impedire ejus prædicationem, sic modo multorum Prælatorum obscurat dignitatem, seu sanctitatem per amorem parentum, quos adducit ad illos, vel de novo invenit. Multi enim clerici sunt, qui nullos habent parentes quamdiu pauperes sunt sed quam cito promoventur in aliquam dignitatem, incipiunt venire ex omni parte parentes. Unde miratur. *Isa.* 66. Numquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul? Et *inf.* Adducent omnes fratres vestros, de cunctis gentibus donum Domino in equis, & quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & carrucis ad montem sanctum meum, i. Ecclesiam, vel ad domum Episcopi. Sed quid dicit Ecclesia super hoc. *Isa.* 49. Quis genuit mihi istos, ego sterilis, & non pariens, & istos quis enutrivit? ego destituta, & sola, & isti ubi erant, ante, scil. promotionem Episcopi? Sed certe bonus prælatus facit, sicut Christus fecit, spiritualem cognationem præponit carnali, maxime in beneficiorum collatione: sicut dicit *Ps.* 15. Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus. Alioquin incurrit illam maledictionem. *Hab.* 2. Væ, qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.

Quare autem spiritualis cognatio debeat præponi carnali, dicit *Chr.* Carnalis cognatio non volentibus nobis, neque scientibus contingit, nullus enim elegit cujus sit filius, aut cognatus. *Job* 38. Sciebas, quando nasciturus esses?

Spiritualem autem cognationem unusquisque sibi acquirit, & ita in cognatione spirituali est nihilominus Maria, quæ per gratiam fidei credendo facta est mater Christi. Dicit ergo.

k Venerunt, &c.] i. cognati ejus. *l* Et non poterant, &c.] Sic turba carnalium cogitationum, aut sæcularium negotiationum impedit ire ad Jesum. Unde nota: Turba retardat parentes adire Jesum, ut hic, & *Marc. cap.* 3. Item impedit cæcum, ne Jesum cognoscat. *Joan. quinto*. Item obstat Zachæo, ne videat Jesum, *inf.* 19.

inf. 19. Item vis[illegible] præcludit ferentibus paralyticum. *Marc.* 2. Item differt suscitationem mortuæ puellæ. *Matt.* 9. Item prorogat illuminationem cæci. *Marc.* 8. Item vult Jesum rapere in regem. *Jo.* 6. Item comprimit, & affligit Christum, *inf. eod.* a Et nunciatum est illi.] *Chr.* Venit aliquis, i. diaboli advocatus, qui hoc ei nunciaret. *b* Mater tua, & fratres tui stant foris volentes te videre.]

D

Mystice. Mystice. Mater] Synagoga est.

c Fratres.] Judæi. *Job* 30. Frater fui draconum, &c. *d* State foris,] in littera sola confidentes. Vel prælati, & subditi in temporalibus ibi volentes videre Jesum, nec tamen volunt intrare. *Prov.* 13. Vult, & non vult piger. *e* Qui respondens dixit ad eos, mater mea &c.] *Rom.* 2. Non auditores legis, sed factores justificantur apud Deum. *Jo.* 13. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea, *inf.* 11. Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. *f* Factum est autem.] Quinta pars, in qua mare, & venti compescuntur, & Apostoli arguuntur, quod præsente Domino timuerunt. Sed non est mirum, si tunc timuerunt, quia postea pluribus visis miraculis eum dimiserunt, sicut dicitur *Job* 19. Noti mei quasi alieni recesserunt a me, tempore, scil. passionis, de qua mystice hic agitur sub typo naviculæ. Utrum autem hæc transfretatio discipulorum, sive navigatio, & Domini obdormitio continue sequatur post prædicta, non habetur expressum ab Evangelista. Sed quomodo intromisit, eleganter dictum est.

Matt. 5. *Marc.* 4.

Quinta pars.

Et a nunciatum est illi. *b* Mater tua, & *c* fratres tui stant *d* foris volentes te videre. *e* Qui respondens dixit ad eos: Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt. *f* Factum est autem in una dierum, & ipse *g* ascendit in naviculam, & *h* discipuli ejus, & *i* ait ad illos, *k* transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt: *l* navigantibus autem illis obdormivit, & *m* descendit procella venti in stagnum, & † *n* complebantur & *o* periclitabantur. *p* Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At *q* ille surgens increpavit ventum, & *r* tempestatem aquæ, & *s* cessavit, & facta est tranquillitas. Dixit *t* autem illis: Ubi est fides vestra? *u* Qui timentes mirati sunt adinvicem, dicentes. *x* Quis putas hic est? Quia, & ventis *y* imperat, & mari, *z* &

al. † *compellebantur.*

[Factum est autem in una dierum.] In hac autem transfretatione agit Christus opera, quæ ipsum verum Deum, & verum hominem probant.

Per obdormitionem enim veritas humanæ naturæ in eo evidenter apparuit. Per sedationem ventorum, & tempestatum potentia Deitatis innotuit.

Mystice. Mystice. Mare mundum exprimit inter prospera, & adversa fluctuantem, qui tenebrosus est quantum ad prosperitatem, in qua minus sibi homo providet, & amarus quantum ad adversitatem. Navis, qua discipuli feruntur inter procellas maris, significat crucem, cujus triplici beneficio de hujusmodi naufragio enavigat Ecclesiam ad portum æternæ beatitudinis. Nam per passionem redimitur, per fidem passionis fundatur, vexillo crucis munitur. Discipuli cum eo ascendentes navem, significant, omnes vestigia Christi sequentes. Unde *Matth.* 15. Si quis vult venire post me, & Tribus autem modis tollitur crux Christi. Vel per compassionem proximi. Unde Apostol. 2 *Cor.* 11. Quis infirmatur, &c. Vel per martyrii tolerantiam. Vel per propriæ carnis macerationem. Navigantibus igitur discipulis, i. fidelibus quibusque fluctus sæculi calcantibus, & ad portum æternæ beatitudinis tendentibus Spiritus sancti flatu, vel proprio conatu, ut sit gratia Spiritus sancti quasi pro velo, liberum arbitrium quasi pro remo. His namque duobus navis impellitur, Dominus obdormit in Cruce, i. tempus Dominicæ passionis advenit, Cui congruit, quod *Marc.* 4. dicit, hoc nocte factum, mystice significans Occasum veri Solis ipso in navi dormiente. Procellæ in mare descendunt, quia eo in cruce mortuo, persecutiones in discipulos insurgunt, & in Ecclesia scandala emergunt, de ejus morte discipuli turbabantur, timentes, ne resurrectio differretur, quod si fieret, fides in perpetuum periclitaretur. Nemo enim crederet hominem mortuum Deum esse, nisi cito resurgeret.

Infr. 24.

Tempestatem aquæ facit cessare, quia rabiem Judæorum morti ejus insultantium resurgens labefacit. Discipulos timentes in navi de fidei modicitate Dominus arguit, quodammodo eis prædicens, quod post resurrectionem increpandu ait. O stulti, & tardi corde ad credendum, &c. Dicit ergo. *f* Factum est autem in una dierum,] notabili, & venerabili. *g* Et ipse,] personaliter non per vicarium, [ascendit in naviculam,] i. in crucem, cujus beneficio ad litus cœlestis patriæ pervenitur. In qua Christus una cum suis passus est. Unde seq. *h* Et discipuli ejus.] *Matt.* 16. Qui vult venire, &c. *Sap.* 14. Exiguo ligno committunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt. *Bed.* Cum Jesu navem ascendit, qui signo dominicæ Crucis imbutus sæculum relinquere disponit. *i* Et ait ad illos, transfretemus trans stagnum, & ascenderunt] in mare, vel stagnum ad transfretandum.

Moraliter. Moral. *k* Transfretemus trans stagnum, i. transeamus mundum mentis contemplatione, sicut aquila, quæ ultra mare contemplatur escam suam, sicut dicitur *Job* 39. In arduis ponet nidum suum Aquila, scil. & inde contemplatur escam suam, i. Christum, & de longe oculi ejus prospiciunt. Ad hunc transitum spiritualem invitat nos Dominus, cum dicit. [Transfretemus trans stagnum,] i. transeamus mundum mente, vel etiam corpore deseramus, quod esset perfectius. *Matt.* 4. Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. *Eccl.* 43. Qui enavigant mare, i. calcant mundum, enarrant pericula ejus.

Matt. 8. *Marc.* 4.

Per stagnum autem significatur mundus, quia semper stat in malo. Unde 1. *Jo.* 5. Mundus in maligno positus est. Per ventos autem significantur mundi, vel carnis, vel cordis, vel dæmonum vanæ tentationes. De quibus dicitur *Dan.* 7. Ecce quatuor venti cœli pugnabant in magno mari, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari. *Job* 1. Repente ventus vehemens irruit a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus. Ibi *Greg.* In domo mentis vehemens ventus quatuor angulos concutit, cum fortis tentatio quatuor virtutes quatit. Sequitur. *l* Navigantibus autem illis obdormivit.] In quo facto verus homo monstratur.

Mystice. Mystice dormivit in cruce. *Ps.* 3. Ego dormivi, & soporatus sum, & somnum cepi. *m* Et descendit procella] venti, scil. tentationum, seu afflictionum, aut persecutionum, [in stagnum.] Sic Christus si obdormiat in corde tuo per torporem, aut teporem, statim descendit procella cogitationum, sicut in potu frigido, ubi fuit aliqua pinguedo, congregantur muscæ, sed tunc oportet concutere potum, & diffugient muscæ. *Gen.* 15. Abraham abigebat aves, &c.

n Et complebatur] Ad litteram navicula fluctibus.

Mystice. Mystice,] i. Ecclesia persecutionibus. *o* Et periclitabantur discipuli in navi. Nota *Glos. Bed.* Merito turbatur navis, in quo proditor est cum bonis, & qui suis meritis firmi fuerant, turbantur alienis, quia quandoque propter merita malorum turbantur boni, q. d. discipulis navigantibus vacillat navis fere usque ad submersionem. Et non mirum est, cum inter discipulos esset proditor, idest, Judas, qui jam proditionis nequitiam animo conceperat, quod inde patet, quia in *Glos.* dicitur proditor, non quia futurus, sed quia jam esset, quia neminem damnat Deus, idest, peccati arguit, antequam peccet. *p* Accedentes autem,] precibus, & desideriis, atque suspiriis, [suscitaverunt eum, dicentes, Præceptor, perimus.] *q* At ille surgens increpavit ventum,] i. diabolum. *r* Et tempestatem aquæ,] i. tribulationis. De qua *Ps.* 68. Non me demergat tempestas aquæ. *s* Et cessavit] tempestas, [& facta est tranquillitas.] *Eccl.* 39. In verbo ejus stetit aqua sicut congeries, & in sermone oris illius, sicut exceptoria aquarum, quoniam in præcepto illius placatior fit. *Jer.* 5. Qui posuit arenam terminum mari, i. tribulationi præceptum sempiternum. *Job* 38. Quis conclusit ostiis mare. Et *inf.* Posui vectem, & ostia, & dixi, usque huc venies, & non procedes amplius.

t Dixit autem illis, ubi est fides vestra?] q. d. si haberetis fidem, non timeretis, sed potius ventos, & mare placaretis, *inf.* 17. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, &c. *u* Qui timentes mirati sunt adinvicem dicentes, quis putas est hic, quia & ventis imperat, & mari, &c.] *Bed.* Non discipuli, se nautæ mirantur, & alii, qui in navi erant.

Unde *Matth. c.* 8. Porro homines illi mirati sunt dicentes, qualis est hic? Quod & ipsi homines sunt appellati. *x* Quis putas est hic, quia, & ventis.]

Mystice. Mystice, idest, dæmonibus. *y* Imperat, &c.] *Bed.* mundanæ motioni. *z* Et obediunt ei.] velint, nolint, ad litteram. Ex hoc, quod hic dicitur. Venti, &

mare obediunt ei, quidam Hæretici dogmatizaverunt esse sensibilia, quorum error arguitur in *Gl. Bed.* Sunt enim insensibilia, sed Deo sunt sensibilia, quoniam sustinent ejus majestatem, & imperium sicut animata, & de his operatur ad nutum suum sicut de illis, in quo facto verus Deus monstratur. *a* Enavigaverunt autem.] Sexta pars capitis, in qua tria miracula Christi ponuntur, Primo liberatio dæmoniaci, secundo curatio Hemorrhoissæ, tertio suscitatio puellæ. Per quæ tria peccata principalia designantur, sc. superbia, luxuria, avaritia, ad quæ venit curanda filius Dei in mundum. Contra quæ tres virtutes secum attulit, humilitatem contra superbiam, paupertatem contra avaritiam, virginitatem, & vitæ asperitatem contra luxuriam. Unde *Thr.* 3. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absinthii, & fellis. Primo autem ponitur liberatio dæmoniaci, nam per dæmonium superbia significatur, quæ est primum vitium. Et recte per dæmonium superbia designatur, Interpretatur enim dæmonium sufficiens iniquitas, & superbia principium est, & origo omnium iniquitatum. Unde *Tob.* 4. Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas. In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.

obediunt ei. *a* Enavigaverunt autem *b* ad regionem Gerasenorum, *c* quæ est contra Galilæam. Et cum egressus esset ad terram, *d* occurrit illi vir quidam, qui habet dæmonium *e* jam temporibus multis, & *f* vestimento non induebatur, *g* neq; in domo manebat, *h* sed in *i* monumentis. Is, ut vidit *k* Jesum, procidit ante illum, & *l* exclamans *m* voce magna dixit: Quid mihi, & tibi est, Jesu fili Dei altissimi? *n* Obsecro te, ne me torqueas. *o* Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine. *p* Multis enim temporibus arripiebat illum, *q* & vinciebatur catenis & *r* compedibus custoditus, & *s* ruptis vinculis *t* agebatur

Item *Eccl.* 10. Initium peccati omnis superbia. Item dæmonium interpretatur omnis scientia, & scientia, quando est sine charitate, superbiam generat. Unde 1. *Cor.* 8. Scientia inflat, charitas autem ædificat. Facit etiam insanire scientia aliquando sicut dæmonium. *Act.* 26. Insanis, Paule, &c. Præterea dæmonium facit hominem denudare se, sic superbia denudat superbum per jactantiam, & ostentationem. *Jer.* 50. Primus comedit eum Rex Assur, novissimus exossavit eum Nabuchodonosor rex. *Isa.* 39. Lætatus est super eis Ezechias rex, & ostendit eis, &c. Item dæmoniacus se reputat sapientem, & omnes alios reputat stultos, sic superbus. *Eccl.* 10. In via stultus, i. superbus stans in altum cum sit ipse insipiens, omnes stultos æstimat. Item dæmoniacus omnes despicit, & deridet, sic superbus. *Prov* 14. Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via. Gerasa interpretatur colonum ejiciens, vel advena, vel appropinquans, & significat mundum, qui adveniente Domino, colonum suum, i. diabolum a se ejecit. Unde *Jo.* 12. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, & ita advena, i. peccator, qui prius longe erat a Deo, factus est appropinquans. Unde *Ephes.* 2. Jam non estis hospites, & advenæ, &c. Dicit ergo. [Enavigaverunt autem, &c.] discipuli, scil. cum Jesu. *b* Ad regionem Gerasenorum,] per quam significatur mundus, ut dictum est. *Eccl.* 43. Qui navigant mare enarrant pericula ejus.

Ad litteram, sicut dicit *Beda*. Gerasa civitas est Arabiæ inferioris, non illius, de qua Magi juxta montem Galaad, ubi Jacob comprehensus est a Laban. *Gen.* 31. in Tribu Manasse, non longe a stagno Tyberiadis. Unde sequitur. *c* Quæ est contra Galilæam, & cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam] *Matt.* 8. dicit, quod duo occurrerunt ei. Ad hoc dicit *Ambr.* quod unus erat clarior, & famosior, pro quo maxime dolebat illa regio, & quo sanato fama exivit latior, & hunc solum commemorat. *Luc.* & *Marc.* 5. Matthæus vero utrumque commemorat. Et utrobique mysterium est idem. Nam sicut per unum significatur populus Gentilis, ita & per duos. Per unum quidem propter unionem in errore, per duos vero, quia de duobus filiis Noe, i. Cham, & Japheth prodierunt. Et unus, & duo sanantur, quia populus Christianus, quia gentibus venit, & unus est, & duo, unus est propter fidei unitatem. *Act.* 4. Multitudinis credentium. 1. *Cor.* 9. Omnes quidem currunt, &c. *Jo.* 5. Unus descendit in piscinam, & sanabatur: Duo propter geminum mandatum charitatis, vel propter activos, & contemplativos.

Moraliter. Per unum dæmoniacum, qui occurrit Jesu, significatur peccator astutus, qui occurrit prælato suo volenti sanare ipsum, quadrupliciter, scil. per appellationem, per munerum largitionem, per falsam excusationem, per similium, vel majorum criminum oppositionem. Nam cum prælatus vult corrigere peccatorem clericum, statim appellat dicens cum Paulo. *Act.* 25. Cæsarem appello, & Prælati de facili deferunt appellationi. Respondent enim sicut Festus respondit Paulo. Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis. Item per munera occurritur aliquando Prælato, & derelinquitur correptio. *Eccl.* 20. Exenia, & dona excæcant oculos judicum, & quasi mutus in ore avertet correctiones eorum. Item per falsam excusationem. *Job* 31. Si abscondi quasi homo peccatum meum, &c. Per similium, vel majorum criminum oppositionem *Eccl.* 32. Homo peccator vitabit correptionem, &c. Dicit ergo. *d* Occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium.] Alienus modus habendi sicut homo febrem habet. *e* Jam temporibus multis,] in quo notatur peccati diuturnitas. Unde etiam majus ostenditur miraculum. *Sen.* Peccata senum prædicantur inquit, *f* Et vestimento,] virtutum, scil. [non induebatur.] De quibus *Eccl.* 9. Omni tempore vestimenta tua sint candida. *Apoc.* 16. Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. *g* Neque in domo manebat,] i. in ratione, seu in scientia. *Prov.* 27. Expellit hominem de domo stillicidium, fumus, litigiosa mulier. *Prov.* 7. Meretrix garrula, & vaga quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis. *h* Sed in monumentis,] ut doceret diabolus hæresim, quod animæ fiunt dæmones.

Moraliter. *i* In monumentis,] i. in fœtore malitiæ, vel cum peccatoribus. *Bar.* Quid est Israel, quod in terra inimicorum es: inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es, &c. *Psal.* 67. Qui educit vinctos in, &c. *k* Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum,] invitus non ex humilitate. *l* Et exclamans,] coactus, non spontanee. *m* Voce magna dixit. Quid mihi, & tibi est, Jesu fili Dei Altissimi?] q. d. nulla concordia mei, & tui, ideo non venisti pacifice. *Hil.* Non est voluntatis confessio, sed necessitatis extorsio, quia timet ejus præsentiam. Et in hac dæmonis confessione confunditur Arrius, & Judæi. Arrius enim dicit Christum esse puram creaturam, & diabolus Dei filium confitetur. Item Judæi dicunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmones, & diabolus dicit, nihil sibi, & illi commune. 2. *Cor.* Quæ conventio Christi ad Belial? Et quoad hoc pejores sunt Arrius, & Judæus quam diabolus. In hoc autem notatur, quod superbus, vel peccator sciolus non vult recipere correctionem a Prælato. *Eccl.* 21. Qui odit correctionem vestigium est peccatoris. *n* Obsecro te, ne me torqueas.] Forte ex præsentia Christi sentiebat tormentum. Vel hoc erat ei, tormentum, cessare a læsione hominis, & exire ab homine. *o* Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine.] Sed exeundo peccavit diabolus, ergo præcepit, ut peccaret. Sol. Non sequitur. Vel dic, quod exire non est peccatum ei, sed cum peccato. Moral. Spiritus immundus, cui præcepit ab homine exire est sapientia carnis, sapientia mundi, sapientia vanitatis, quæ homines faciunt immundos, de quibus dicitur *Jac.* 3. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, &c. *Apoc.* 16. Vidi de ore pseudo-prophetarum exire tres spiritus immundos in modum ranarum sunt enim, &c. *p* Multis enim temporibus arripiebat illum,] i. diu fuerat in eo, ideo cum majore difficultate exibat. *Bed.* Tanto facilius jugum diaboli rumpitur, quanto citius ejus dominium evitatur. *Eccl.* 5. Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas, de die in diem. *q* Et vinciebatur catenis, & compedibus custoditus,] ad litteram. Mystice, catenæ, quibus dæmoniacus erat ligatus, significant leges, quibus gentium populus tuebatur. Habuit enim proprias leges, quibus ruptis effrænata libertate in quælibet scelera raptabantur. Dicit ergo. *q* Et vinciebatur catenis] præceptis. *r* Et compedibus] prohibitionibus custoditus. *s* Et ruptis vinculis] præceptorum, & prohibitionum. *Jer.* 5. Ecce hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. *t* Agebatur a dæmonio in deserto.]

Allegor. *Ambr.* In loca spiritualium virtutum infecunda, sicut profugus a lege, discretus a prophetis, remotus a gratia. In talem locum libenter ducit diabolus. *Deut.* c. 32. Invenit eum in loco horroris, & vastæ solitudinis.

Matth. 8. Marc. 5.

B

Moraliter.

Moraliter.

Mystice.

Moraliter.

litudinis, *a* Interrogavit autem, &c.] Unus dæmoniacus, ille, scil. de quo agit Lucas, quia erat celebrioris famæ, gravius vexabatur, & dæmon vexans eum rogabat Dominum, ut non torqueret eum. Dominus exaudita petitione ejus quærit ab eo, quod sit nomen ejus. Quærit autē non quasi ignorans, sed quia in præfato dæmoniaco noverat esse multitudinem dæmonum, vult extorquere ab eo cōfessionem multitudinis, ut audita liberatione dæmoniaci ab obsessione tantæ multitudinis, major appareat virtus liberantis. Unde dicit. [Interrogavit autem illum Jesus, dicens. Quod tibi nomen est? At ille dixit, Legio.] Non erat legio nomen diaboli, nec respondit diabolus interrogationi Domini, sed q. d. frustra vis me ejicere, quia plures sumus, & si unus exit, alii remanebunt. Quodammodo etiam arguit Dominum ea responsione sua, cum dicit. [legio] q. d. legio sumus, i. multi sumus, & multitudinis non est quærendum nomen. *c* Quia intraverant dæmonia multa in eum.] Verba sunt Evangelistæ, q. d. Evangelista, ideo dicit, legio sumus. [Quia, &c.] Similiter confessor genus, & nomen peccati debet inquirere a peccatore, non primo nominare, ne forte addisceret, quod prius nesciebat. In quo arguuntur quidam confessores, qui dicunt confitentibus, fecisti hoc peccatum, vel illud, & nimis inquirentes quandoque faciunt novos peccatores, quos debebant facere novos homines. *Deut.* 24. Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas, sed stabis foris, & ille proferet tibi, quod habuerit. *b* At ille dixit, legio.] Similiter respondit quidam, qui postea factus Episcopus, cuidam, qui quærebat ab eo, quot præbendas haberet, & in quot Ecclesiis esset beneficiatus, respondit, quid vultis: Legio mihi nomen est. Multi possunt adhuc respondere similiter. *Apoc.* 13. Faciet omnes habere characterem bestiæ in manu dextera, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere, vel vendere, nisi habeat characterem nominis bestiæ, aut nomen, aut numerum nominis ejus. *c* Quia intraverunt multa.] Multa dæmonia in uno homine sunt multa peccata in peccatore. Unde *sup. eod.* de Magdalena, de qua exierant septem dæmonia. *Gl.* i. vitia universa, quibus plena fuerat. Sed cum multa dæmonia erant in uno solo homine, quare non fuerunt, in uno porco solo? Responsio. Ut plus nocerent, intraverunt in multos porcos, sed plures in uno homine, ut magis torquerent. Vel quia unus diabolus non poterat expugnare hominem, ideo plures venerunt simul. Item multa dæmonia in uno homine sunt multæ scientiæ, quæ ipsum faciunt insanire, sicut dixit Rex Agrippa Paulo. *Act.* 26. Seq. *d* Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent.] Noverant enim dæmones in secundo adventu Domini se mittendos in gehennam, nec noverant istam conjecturando, vel futura prædivinando, sed ex testimoniis prophetarum. *Zach.* 13. Spiritum immundum auferam de terra. 3. *Reg.* 5. Non est Satan, &c. *Nahum.* 1. Non adjiciet ultra, ut pertranseat in te Belial, universus interiit. Item videtur, quod dæmones se humiliaverunt Domino rogando ipsum. Contra *Ps.* 73. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Item *Isa.* 14. Ascendam in cœlum, &c. Ubi dicit *Gl.* quod adhuc idem sibi arrogat. Ergo numquam se humiliat aliquid rogando Dominum. Sol. Ista rogatio non fuit nisi desiderium nocendi, & exprobrandi hominibus, ex quo oriebatur timor amittendi potestatem hoc faciendi, & descendendi in infernum, quæ duo exprimuntur hic per verbum rogandi. *e* Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte.] *Marc.* 5. dicit porcos circa montem fuisse. *Aug.* De tanto grege alii in monte, alii circa montem. Erant enim duo millia, ut dicit Marcus. *f* Et rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi.] Non ergo poterant nocere porcis nisi permissi, multo fortius, nec hominibus possunt nocere sua potestate. Unde *Isa.* 50. dicunt dæmones homini: Incurvare, ut transeamus. *Hier.* Non est timendus hostis, qui non potest vincere nisi volentem. *Bed.* Nisi, qui more porci vixerit, diabolus in eum potestatem non accipit, nisi forte ad tentandum, ut dicit *Ambr.* ut patet in *Job*. Item nota, quod nonnisi præmissa petitione permittit Dominus dæmones in porcos ingredi, in

Marc. 5.

a dęmonio in deserta. *a* Interrogavit autem illum Jesus dicens. Quod tibi nomen est? *b* At ille dixit. Legio: *c* quia intraverant dæmonia multa in eum. *d* Et rogabant illum ne imperaret illis, ut in abyssum irent. *e* Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentiū in monte, & *f* rogabant eum, ut permitteret eis in illo ingredi. Et permisit † *g* illos. *h* Exierunt ergo dęmonia ab homine, & intraverunt in porcos, & *i* impetu *k* abiit grex *l* per præceps in *m* stagnum, & *n* suffo-

al. † illis. Matth. 8. Marc. 5.

quo significatur, quod neminem damnat, nisi ipse prius meruerit, & Dominum ad sui damnationem provocaverit. Unde habes, de primis parentibus, & manibus, & pedibus sibi mutuem accerserunt. *Sap.* 1. Multi dicunt Prælato, sicut diabolus dixit Domino. Si tu ejicis nos a dæmoniaco, ibimus in porcos, i. si tu auferas a nobis fornicationem, erimus adulteri, vel forte pejores. Si auferas negotiationes, erimus usurarii, quasi necesse sit ipsos esse malos, & nihil sit medium inter duo mala. *Isa.* 24. Qui fugerit a facie formidinis cadet in foveam, &c. *g* Et permisit illos,] intrare in porcos. *Chrys.* Quare fecit, quod dæmones rogaverunt? Responsio. Non persuasus ab eis. Sed propter tria, primo, ut ostenderet hominis dignitatem, quia propter duos homines duo millia porcorum perire voluit. Hæc ratio est *Hier.* Secunda est, quia domini porcorum meruerunt amittere porcos, quia nimis diligebant eos. Item ut porcorum perditio fieret dominis, & aliis salutis occasio. Hæc est ratio *Bed.* Damnificavit ergo Dominus dominos porcorum, sed in temporalibus commodis prætulit hominum commodum, quod ex præcipitatione porcorum in mare secutum est. Pastores enim nunciabant hominibus civitatis, & audito miraculo multi crediderunt. *h* Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos.] *Chr.* Qui porcini sunt homines, ab actionibus dæmonum facile capiuntur. *i* Et impetu abiit grex, [porcorum perpræceps,] i. valde præceps, ut sit una dictio, vel possunt esse duæ dictiones. *k* In stagnum, & suffocatus est,] i. submersus. *Ambr.* dicit per porcos significari homines lutulentis actibus deditos, i. luxuriosos, in quo dæmones maxime recipiunt potestatem propter peccati vilitatem, & quanto peccatum vilius est, tanto diabolo gratius est. Unde *Job* 40. dicitur de Behemoth. Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus. Et merito per porcos significantur luxuriosi. Porci enim non delectantur, nec quiescunt nisi in luto, & sic luxuriosi. Unde 2. *Pet.* 2. Contigit illis illud veri proverbii. Canis reversus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti. *Prov.* 11. Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra, & fatua. Quia sicut sus in lutum figeret circulum aureum, si haberet in naribus, ita luxuriosus pulchritudinem, quam Deus dedit ei, figit in lutum luxuriæ, & de dono Dei Deum infestat. Unde *Ezech.* 16. Perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, & habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in nomine tuo. Sunt autem tria genera porcorum. Sunt enim porci domestici, porci silvestres, qui vocantur apri, porci spinosi. Porci domestici sunt publici fornicarii. Porci silvestres, qui de die latent in silva, & de nocte exeunt, sunt Sacerdotes fornicarii, & hypocritæ, qui in die latent, sed nocte faciunt, quæ non conveniunt. *Jo.* 3. Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. *Ephes.* 5. Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere. Porci spinosi sunt Sodomitæ, qui ex obliquo ex se sagittas detractionis emittunt, contra canes, qui insequuntur eos, i. contra prædicatores. *Ps.* 57. Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa. Et ideo, quia pauci sunt, qui velint sustinere detractiones, pauci sunt, qui hoc vitium persequantur, quod inter omnia magis displicet Deo.

Triplex genus porcorum.

Unde *August.* Quia propter hoc vitium quasi erubescens filius Dei humanam naturam, fere desiit assumere ipsam, *Gen.* 18. Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis, descendam, &c. Ubi dicit *Greg.* Quanta enormitas vitii, quæ scientem omnia dubitare coegit?

▲ Secundum leges falsi

Expos. literæ.

Dicit ergo. *i* Et impetu.] *Origen.* Virtus lenta, vitium præceps.

Abiit grex,] porcorum, i. luxuriosorum, qui sicut porci adinvicem congregantur, ut faciant, quæ non conveniunt, sicut dicitur *Rom.* 2. *l* Perpræceps,] nullo ordine observato, ideo ibunt, imo præcipitabuntur in locum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. *m* In stagnum,] idest, in infernum. *Apoc.* 20. Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. *n* Et suffocatus est,] mor-

Job 10.

catus eſt. Quod ut *a* viderunt factum qui paſcebant, fugerunt, & nunciaverunt in civitatem, & in villas. *b* Exierunt autem videre, quod factum eſt, & *c* venerunt ad Jeſum, & invenerunt hominem *d* ſedentem, *e* a quo dæmonia *f* exierant, veſtitum, *g* ac ſana mente *h* ad pedes ejus, & *i* timuerunt. *k* Nunciaverunt autem illis, & qui viderant, quomodo ſanus factus eſſet a legione. Et *l* rogaverunt illum omnis multitudo regionis Geraſenorum, ut diſcederet ab ipſis, quia timore magno tenebantur. Ipſe *m* autem aſcendens navim, *n* reverſus eſt. *o* Et rogabat illum vir, a quo dæmonia exierant, ut cum eo eſſet. Dimiſit autem eum Jeſus dicens. *p* Redi in domum tuam, & *q* narra, quanta tibi fecerit Deus. *r* Et abiit per univerſam civitatem, prædicans quanta illi feciſſet Jeſus. *ſ* Factum eſt autem, cum rediiſſet Jeſus, excepit illum turba. *t* Erant enim

a Secundum leges falſi monetarii morte plectuntur. Ergo & tales, qui monetam ſummi regis falſant. Relinquunt enim fabricam naturalem maris in feminam, quæ eſt conjunctio naturalis. Unde *Gen.* 1. Maſculum, & feminam, &c. & benedixit eis, dicens: Creſcite, & multiplicamini, Iſti autem ſe invicem turpiter abutentes, genus humanum, quantum in ipſis eſt, diminuunt: & ideo econtrario ſunt maledicti. *Gen.* 49. dicitur. *Rub.* Effuſus es ſicut aqua, non creſcas. *Levit.* 18. Cum maſculo non commiſcearis coitu femineo, quia abominatio eſt. *Thr.* 5. Adoleſcentibus impudice abuſi ſunt, &c. *Juſtin.* Si vir nubat in virum, inſurgant leges, armentur jura, ultore gladio feriantur. *Gen.* 19. Pluit Dominus ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem a Domino de cœlo. Iſtud peccatum maxime aſſimilatur gehennæ. Nam in gehenna, tria ſunt, ſcil. odor fœtoris, vermis rodens, flamma urens. Sic & hoc peccatum fœtet per infamiam, rodit per cauteriatam conſcientiam, urit per malam concupiſcentiam. Unde *Pſ.* 10. Ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum, *Rom.* 1. Tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam ſemine eorum, &c.

Matt. 8. Marc. 5.

Q te ſubita corruens.

a Quod, ut viderunt factum, qui paſcebant.] porcos [fugerunt] paſtores, ſcil. & nunciaverunt in civitatem, & in villas] Sic hodie multi paſtores, i. Prælati fugiunt a Jeſu per malam vitam, & tamen nunciant prædicando, & docendo. *Matt.* 23. Super cathedram Moyſi, &c.

b Exierunt autem videre, quod factum eſt.] Exierunt, inquam, de civitate, & de villis, in quibus paſtores fugientes nunciaverunt.

Sic multi etiam ad prædicationem malorum convertuntur ad pœnitentiam, & veniunt ad Jeſum, i. ad ſalutem. Et ideo recte comparantur campanæ, quæ alios ad Eccleſiam vocando, ipſa numquam intrat, ſed magis vocando conſumitur. Unde 1. *Cor. c.* 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.

c Et venerunt ad Jeſum, & invenerunt hominem,] myſtice, i. pœnitentem. *d* Sedentem,] per humilitatem, & ſui conſiderationem.

e A quo dæmonia,] i. peccata.

f Exierant, veſtitum,] virtutum veſtimentis.

g Ac ſana mente,] per fidem, *Act.* 15. Fide purificans corda eorum.

h Ad pedes ejus.] *Deut.* 33. Qui appropinquant pedibus ejus. Similiter Magdalena curata ſedebat ad pedes ejus, *inf.* 10.

i Et timuerunt,] timore admirationis. *k* Nunciaverunt autem illis, & qui viderant quomodo ſanus factus eſſet a legione.] Tales congrue poſſunt nunciare, quia de viſis fertur teſtimonium, non tantum de auditis. *Act.* 4. Non poſſumus, quæ vidimus, & audivimus non loqui. Heu modo loquuntur multi, quæ nec audierunt, nec viderunt. 1. *Jo:* 1. Quod audivimus, & vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, &c. Dominus etiam dicit *Jo:* 3. Nos, quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, q. d. alii non ſic. *l* Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Geraſenorum, ut diſcederet ab ipſis, quia timore magno tenebantur.] vel reverentiæ ſeipſos reputantes indignos ejus præſentia, ut Petrus *ſup.* 5. Exi a me, Domine, quia, &c. Et ſicut vidua 3. *Reg.* 17. Numquid veniſti ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? Vel timore mundano, timentes, ne ſicut in porcis damnificaverat eos, ita in aliis rebus damnificaret. *Job* 21. Qui dixerunt Deo, recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Hoc dicunt multi Deo, non in ſe, ſed in ſuis membris, quæ fugant a ſe. *Matth. cap.* 15. Quod uni ex minimis meis feciſtis, &c.

m Ipſe autem aſcendens navim reverſus eſt.] *Chryſ.* Reliquit eis paſtores, doctores, ſcil. porcorum, & curatos.

n Reverſus eſt,] ſupple in Judæam, acquieſcens precibus eorum.

Sed quare fecit hoc Dominus, cum infirmi ideſt, peccatores erant & ita Medico indigebant, ſicut ipſemet Dominus dicit *Matth.* 9. & *ſup.* 5. Non egent qui ſani ſunt medico, ſed, qui male habent. Sed dicimus, quod propter tria acquievit eis. Primo, quia ſi remanſiſſet, non acquieſcerent ei, & pejores efficerentur, & pepercit eis. Secundo, ut pluribus locis prædicaret, & miſertus eſt aliis.

Marc. 5.

Tertio, ut exemplum daret prædicatoribus, ut quando non proficiunt in uno loco, tranſeant ad alia loca.

Matt. 9. Marc. 5.

Allegorice. Tranſitus Domini de Galilæa in terram Geraſenorum, ſignificat tranſitum Domini primum de Judæis ad gentes.

Allegor.

Tunc enim tranſit Dominus de Judæis ad gentes de terra nativitatis in terram alienam. Reditus autem Domini de terra Geraſenorum in Galilæam, ſignificat reditum fidei de gentibus ad Judæos in fine, poſtquam intraverit plenitudo gentium. Unde *Iſa.* 20. Si fuerit populus meus, &c.

o Et rogabat illum,] ſcil. Jeſum, [vir, a quo dæmonia exierant, ut cum eo eſſet, Dimiſit autem eum Jeſus, dicens, redi in domum tuam, & narra, quanta tibi fecerit Deus.] Sed quare non voluit Dominus, ut veniret ſecum.

Similiter *Matt. c.* 8. repulit quemdam, qui volebat eum ſequi? Reſpondeo. Illum de Matthæo repulit, quia volebat eum cauſa cupiditatis ſequi.

Unde Dominus dixit ei: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, i. doloſitas latet in te, & elatio nidum ſuum fecit in corde tuo, filius autem hominis non habet in te, ubi caput ſuum reclinet. Iſti autem non conceſſit, ut eum ſequeretur, triplici ex cauſa.

Prima, ut jactantiam vitari doceret, quia ſi curatos circumduceret ſecum, videretur captare favorem humanum.

Secunda, ut ille compatriotis ſuis infidelibus exemplum credendi præberet.

Tertia, quia plus poterat proficere prædicando aliis, quam Chriſtum ſequendo. Unde dictum eſt. [Narra, quanta tibi fecerit Deus.] Sic multi in principio converſionis ſuæ ſtatim vellent cum Domino eſſe. Vel per carnis diſſolutionem cum Paulo. *Phil. c.* 1. Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Vel per contemplationem cum Petro. *Matt.* 17. Bonum eſt nos hic eſſe, faciamus tria tabernacula. Sed Dominus dicit ei.

p Redi in domum tuam,] i. inquire conſcientiam tuam, & conſidera fragilitatem tuam.

q Et poſtea, [narra,] prædicando aliis. [Quanta tibi fecerit Deus,] a peccatis liberando, ſcientiam conferendo. *Pſal.* 50. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me, & ſic docebo iniquos vias tuas. Sequitur.

r Et abiit per univerſam civitatem prædicans quanta illi feciſſet Jeſus.] In quo patet ejus obedientia, & fidelitas, quia honorem Dei, & aliorum utilitatem quærebat.

ſ Factum eſt autem, cum rediiſſet Jeſus]. trans fretum ad Judæam, [excepit illum turba.] Hoc eſt, quod in fine mundi multitudo Judæorum, qui adhuc expectant Meſſiam, per fidei confeſſionem recipiet Chriſtum. *Oſee cap.* 4. Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, & ſine principe, & ſine ſacerdotio, & ſine altari, & poſt hæc revertentur filii Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum.

Sic prædicatorem, ſi poſt ſanationem ſuam rediret in domum ſuam, & poſtea narraret prædicando beneficia Dei, multa turba reciperet.

t Erant enim omnes expectantes eum.] *Gen.* 22. expectate hic

cum

cum asino. *b* Et Ecce venit vir.] Post reditum Domini in Galilæam addit Lucas de suscitatione filiæ Archisynagogi, & in medio de sanatione mulieris Hemorrhoissæ. Et quamvis hæc forte non sibi continnentur, eleganter sibi continuantur quantum ad mysterium. Lucas autem potius quærit continuationem mysterii, quam historiæ. Quia ergo hæc mysteria confinia sunt, eleganter continuavit ea Lucas. Dicit ergo. [Et ecce venit vir cui nomen Jairus, & ipse princeps synagogæ erat.] Hic nominatur Jairus, cujus filia sananda erat. Similiter *Jo.* 11. nominatur Lazarus suscitatus. Et alias Lazarus mendicus, *inf.* 16. sed dives non nominatur. Similiter, *supra eod.* non nominatur dæmoniacus sanatus. Quare hoc? Sol. Potest dici, quod per illos, qui nominantur in sac. Scriptura, significantur causæ, propter quas homo est nominabilis. Per illos vero, qui non nominantur, significantur causæ, propter quas homo non est nominandus, Vel potest dici, quod ideo quidam nominantur, & quidam non, ut ostendatur semper causa spiritualis subesse, quare sic fiat. Nihil enim fit, vel dicitur, maxime in Evangelio sine causa. Hic autem Jairus nominatur, quia maximus erat inter doctores Judæorum, & magnum exemplum fuit aliis sua conversione.

a omnes expectantes eum. Et *b* ecce venit *c* vir, *d* cui nomen Jairus, & *e* ipse princeps Synagogæ erat, & *f* cecidit ad pedes Jesu, *g* rogans eum, ut intraret in domum ejus, quia *h* filia unica erat illi *i* fere annorum duodecim, & hæc *k* moriebatur. Et contigit, dum *l* iret, a turbis

f Et cecidit ad pedes Jesu, rogans eum ut intraret in domum ejus.] *Chr.* Quid, si non intraret? *Chr.* Sensibilibus rebus indigent, qui grossius dispositi sunt.

h Quia filia unica erat illi fere annorum duodecim.] Quia unica, ideo magis diligebat eam, unde & magis dolebat de infirmitate ejus.

k Et hæc moriebatur,] idest, laborabat ad mortem. *Matth.* 9. dicit: Filia mea modo defuncta est. Sed non est contrarium, quia pro diversis temporibus loquuntur Matth. & alii duo. Matthæus loquitur ea tempore, quo Jairus venit ad Dominum, alii pro tempore, quo recessit a domo sua, quando adhuc vivevat filia, sed in extremis erat. Unde voluit, ut si mortua esset, suscitaret eam, si nondum mortua, sanaret illam.

Mystice. Mystice. Jairus significat Prælatum Ecclesiæ. Eum propter officii dignitatem. Erat enim princeps Synagogæ. Tum propter nominis interpretationem. Interpretatur enim illuminatos vel illuminans. Et Prælatus prius debet esse illuminatus a Deo per gratiam, & intelligentiam, & postea illuminans alios per doctrinam, & bonam vitam. Unde Prælatis dicitur *Matth.* 5. Vos estis sal terræ, & vos estis lux mundi. Et in *Ps.* 75. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis. Filia ejus, plebs subdita. *Eccl.* 7. Filiæ tibi sunt, serva corpus illarum. Et *inf. parum.* Trade filiam tuam, & grande opus fecisti, & homini sensato da illam. Bene docetur in hac auctoritate Prælatus, cui debeat dare parochias suas, & quod non debet vendere, nec retinere, sed dare. Sed quid fecit Jairus? Moriente filia ivit ad Jesum, cecidit ad pedes ejus, rogavit pro illa, ut sanaret eam. Sic Prælatus pro quolibet subdito infirmante, vel moriente, vel mortuo, debet orare humiliter, & perseveranter, & sine dubio impetrabit. Unde *inf.* 11. Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, &c. Et sequitur. Amen dico vobis, si perseveraverit pulsans, surget, & dabit ei quotquot habet necessarios. Amicus iste est Christus, ad quem debet ire Prælatus, cum amicus, i. subditus venit ad eum de via, i. cum venit ad notitiam ejus peccatum subditi. Et debet petere tres panes, idest, triplicem gratiam, scil. operantem, cooperantem, & perseverantem. Operantem, quæ justificat, cooperantem quæ adjuvat, perseverantem, quæ consummat. Vel per tres panes, veniam, gratiam & gloriam. Vel per tres panes, veniam peccatorum, notitiam credendorum, gratiam faciendorum. Sic Moyses cum peccasset populus suos perseveranter oravit pro ipso. Unde *Exod.* 32. Obsecro, Domine, peccavit populus iste peccatum magnum, feceruntque sibi deos aureos, aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Sic *Dan.* 6. Avertatur obsecro, Domine, ira tua, &c. Sic Paul. *Rom.* 9. Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo: optabam enim, &c. Modo autem libere peccat populus, & misere moritur, & non curat Prælatus. Unde *Is.* 57. Justus perit, &c. B. *Bern.* Cadit asina, &c.

Item *Is.* 64. dicit populus contra Prælatum. Iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos, & non est, qui invocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te. Recte ergo dicitur hic. *a* Erant enim omnes expectantes eum] idest, Jesum, idest, salutem. *b* Et ecce,] admirativum, & demonstrativum ad oculum. *c* Vir] non puer, non mulier, non adulter, non miraculosus, sed [vir] tempore, conjugio, sexu, virtute vir esto. *Is* 4. In die illa apprehendent septem mulieres virum unum, i. septem virtutes, sc. paupertas, mansuetudo, luctus, justitia, misericordia, munditia, pax. Vel universitas angustiarum, & dolor pro se, & pro suis. *Is.* 53. Desideravimus eum despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Talem Prælatum desiderant subditi, quia talis bene scit compati & affectu, & effectu. Talis erat Paulus. *Cor.* 11. In labore, & ærumna, in vigiliis multis, &c. *d* Cui nomen Jairus,] i. illuminatus, & illuminans. Hoc debet esse nomen Prælati, quia nominabilis debet esse in vita, & doctrina. *Exod.* 33. Invenisti gratiam coram me, & teipsum novi ex nomine.

Item *Exod.* 35. Vocavit Dominus ea nomine Beseleel, &c. *e* Et princeps Synagogæ erat,] idest Ecclesiæ. Et merito. Talis enim debet præesse Ecclesiæ, non pueri vel idiotæ. Sed heu temporibus nostris impleta est prophetia *Is.* 3. Auferet Dominus a Jerusalem, & Juda validum, & fortem, &c. Et *infr.* Dabo pueros principes eorum, &c. *f* Et cecidit ad pedes ejus.] In hoc notatur humilitas, & contemplatio boni Prælati, qui cadens per humilitatem, pedes Christi, idest, divinitatem, & humanitatem diligenter contemplatur. *Deut.* 33. Qui appropinquant pedibus ejus accipient de doctrina ejus. Et bene conjunguntur humilitas, & contemplatio, quia virtus humilitatis aperit oculos contemplationi. Unde *Numer.* 24. Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, & visiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos.

g Rogans eum, ut intraret domum ejus,] i. Ecclesiam, sive plebem sibi commissam. In quo notatur charitas, & solicitudo Prælati, qui diligenter rogat pro populo suo, optans ei Jesum, idest, salutem æternam.

h Quia filia unica erat illi,] idest, unica Ecclesia chara ut filia, non subjecta ut serva.

i Fere annorum duodecim, & hæc moriebatur.] In hoc notatur patientia Prælati, qui non statim in subditos peccantes fulminat, sed patienter ad pœnitentiam expectat. Duodecima enim hora est ultima hora diei: Unde quod duodecimo anno moriebatur, significat peccatum usque ad senium. *Is.* 46. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo.

Moraliter. *Moral.*

Jairus est spiritus illuminatus a gratia, & illuminans totam animam. *Psalm.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.

Item *Ps.* 118. Faciem tuam illumina, &c. Glossa litter. Anima, est Christi imago, & similitudo, sed diabolus quandoque carbone superscribit. Filia ejus est caro. *Eccl.* 42. Super filiam luxuriosam confirma custodiam. *Judic. c.* 11. Heu me filia mi decepisti me, & ipsa decepta es, aperui enim os meum, & aliud facere non potero quin, scil. immolem te Deo, quod fit jejunando, vigilando, orando, manibus laborando, disciplinas recipiendo, & hujusmodi. Hæc filia infirmatur, cum ad peccandum sollicitatur. Tunc Jairus, idest, spiritus debet orare pro ipsa, quæ si mortua fuerit, etiam suscitatur, si ille perseveraverit orans. Et bene dicitur esse duodecim annorum, quia tunc incipit caro moveri ad peccandum. Sequitur.

l Et contigit, dum iret, a turbis comprimebatur.] Jesus comprimitur a quatuor turbis. Nam in Ecclesia comprimitur a turbis Hæreticorum, tyrannorum, falsorum Christianorum.

Item in capitulis, a turbis Advocatorum, malorum Theologorum, nobilium Canonicorum.

Item in claustris, a turbis dissidentium fratrum, inobedientium, murmurantium. In corde comprimitur, a turbis malarum cogitationum, pravorum desideriorum, curarum temporalium, blasphemarum, iniquarum suggestionum, quas ingerunt dæmones invidentes nobis pacem pectoris, quam non habent. Sequitur.

a Et mu-

a Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis, &c.]Nota, quod Dominus suscitaturus filiam archisynagogi in eundo sanat Hemorrhoissam, ut fidem faciat Jairo de filia sua suscitanda, sicut Gabriel annunciaturus Virginem parituram, pronunciavit Elisabeth sterilem concepturam, & parituram, ut partus sterilis esset argumentum partus virginis. De hac muliere dicit *Euseb.* in *Eccl. hist. lib. 7.* quod postquam sanata est, fecit statuam ad imaginem Christi in curia sua, quæ vestem habebat, & in veste fimbrias insculptas, ut viderat Christum habere, & hanc habebat in magna reverentia. Contigit autem, quod herbæ sub illa statua crescentes, quæ ante nullius virtutis erant, cum ad fimbrias statuæ attingerent, tantæ virtutis erant, ut multi infirmi inde sanarentur. *Ambr.* videtur velle, quod ista mulier fuit Martha soror Mariæ. Unde dicit in *tractatu de Salomone*. Christus largum sanguinis fluxum siccavit in Martha, & dæmones expulit de Maria.

Matth. 9. Marc. 5.

comprimebatur. Et *a* mulier quædam erat in fluxu sanguinis *b* ab annis duodecim, quæ in *c* medicos erogaverat omnem substantiam suam, *d* nec ab † ullo potuit curari; *e* accessit retro, & tetigit *f* fimbriam vestimenti ejus: *g* & confestim stetit fluxus sanguinis ejus. Et *h* ait Jesus. Quis est, qui me tetigit? *i* Negantibus autem omnibus, dixit *k* Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis, qui me tetigit? Et dixit *l* Jesus. Tetigit me *m* aliquis. *n* Nam & ego *o* novi virtutem *p* de me exiisse.

Alleg. * Allegurice. Filia Jairi est plebs Judaica. Mulier Hemorrhoissa est Gentilitas, quæ dum Jesus prædicaret Judæis, occurrit ei per fidem, & ante sanata est. Unde *Bed.* Dum ad sanandum puellam, i. Synagogam carne assumpta properat filius Dei, mulier, i. Ecclesia de gentibus congregata, quæ interiorum lapsu criminum deperibat, paratam aliis, præripit fide salutem. Et bene dicit, paratam aliis, quia ad Judæos specialiter venit. Unde *Matth.* 14. Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. *Is.* 9. Verbum misit Dominus in Jacob, & cecidit in Israel. Ibi *Gl.* Misit Dominus verbum, i. filium in Jacob, i. in populum Judæorum, & cecidit in Israel, quia gentes eum receperunt. Recte autem annis duodecim dicitur passa, quot annorum erat puella, quia ex quo Synagoga cœpit Deo famulari, cœpit gentilitas idololatria maculari. Et parum ante. Hæc mulier omnem substantiam suam medicis erogavit, nec curari potuit, quia gentilitas vires naturalis ingenii in Philosophorum disciplinis expendit, qui secte vivendi præcepta se dare hominibus promittebant, nec a peccatis poterant liberare. Sed ad tactum fimbriæ Jesu est sanata, quia per fidem humanitatis Christi est a peccatis mundata.

Moral. Moral. Mulier Hemorrhoissa est manifestus peccator. Puella in domo mortua est occultus peccator. Sanguis in corpore est peccatum in corde. Sanguinis fluxus est peccati actus. *Thr.* 1. Foris interficit gladius, & domi mors similis est. *Is.* 59. Pedes eorum ad malum currunt, & festinant, ut effundant sanguinem. Quid est ergo, quod prius sanatur Hemorrhoissa in publico, quam puella mortua in domo: nisi quod sæpe facilius curantur peccatores aperti, quam occulti? Unde *Prov.* 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem, &c. *Is.* 47. Denuda turpitudinem, &c. *Mich.* 4. Venies usque in Babylonem, & ibi liberaberis. *Ps.* 82. Imple facies eorum ignominia, &c. Dicit ergo.

a Mulier quædam erat in fluxu sanguinis,]idest, peccator aliquis in peccato manifesto.

b Ab annis duodecim,] idest, longo tempore. Ecce duo, sc. peccati manifestatio, & peccandi consuetudo, quorum utrumque peccatum aggravat, & tamen quia peccatum manifestum est, citius curatur. *Isa.* 1. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, i. si fuerint manifesta, cito sanabuntur. Vel [duodecim annis,] quia talis peccat contra Decalogum legis Moysi, & contra legem naturæ, & contra legem Evangelii. *Is.* 24. Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.

c Quæ in medicos, &c.] *Bed.* Medicos dicit, sive falsos Theologos, sive Philosophos, legumque sæcularium doctores, qui multa de virtutibus promittunt, sed nullum animabus remedium conferunt. In hos medicos omnem substantiam suam expendit, qui vires naturales ingenii in studio Philosophorum, & legum sæcularium consumit. Quibus dicitur *Is.* 55. Quare appenditis argentum vestrum non in panibus, &c. *Jer.* 22. Omnes pastores tuos pascit ventus, i. vanitas Philosophorum, seu loquacitas legum. *Osee* 12. Ephraim pascit ventum. Hi significantur per filium juniorem, qui omnem substantiam suam consumpsit cum meretricibus, i. Philosophis, & legibus vivendo luxuriose, cupiens implere ventrem suum de siliquis porcorum. *Prov.* 10. Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem sequitur aves volantes, i. volatiles, & vanas rationes.

Infra 15.

d Nec ab ullo potuit curari,] quia nec Philosophi, nec leges peccata curant, sed aggravant. Unde *Marc.* dicit 5. Deterius se habebat.

e Accessit retro,] idest, consideravit vitam præteritam, quam expenderat in peccatis, & in vanis, & erubescens sesiliit a peccato *Jer.* 2. Vide vias tuas in convalle, scito, quid feceris, &c.

f Et tetigit fimbriam vestimenti ejus.] Vestimentum Christi est caro ejus. *Is.* 63. Quis est iste, qui venit de Edom, idest, de mundo, tinctis vestibus. *Gloss.* idest, membris corporeis sanguine tinctis in Cruce. Fimbria, quæ est finis vestimenti, est Passio Christi. Tangere ergo fimbriam vestimenti Christi, est credere, & imitari passionem Christi, & ex hoc tactu est omnis peccati curatio. *Zach.* 8. In diebus illis apprehendent decem homines fimbriam viri Judæi dicentes, ibimus vobiscum, audivimus enim quoniam Deus vobiscum est. *Num.* 15. Ut faciant sibi fimbrias per angulos quatuor palliorum ponentes in eis vittas. Item vestimentum Domini est charitas perfecta. Fimbria vestimenti est aliquod mandatorum. Tangere ergo fimbriam vestimenti Domini, est aliquod mandatorum etiam minimum adimplere. Et hoc etiam narrat *Matth.* 5. Qui fecerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Unde & hic sequitur. *g* Et confestim stetit fluxus sanguinis ejus,] idest, cessavit peccatum. Est autem duplex fluxus sanguinis. Unus menstrualis, per quem significatur peccatum ex infirmitate, de quo *Lev.* 15. Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur, & immunda erit usque ad vesperum. Alius est continuus, per quem significatur peccatum ex certa malitia. De quo *Lev.* 15. Mulier, quæ sanguine fluere non cessat, quamdiu huic passioni subjacebit, immunda erit. *Jerem.* 2. Omnes, qui quærunt eam, in menstruis invenient. Sequitur.

h Et ait Jesus. Quis est, qui me tetigit?] Non quærit Dominus, quis eum tetigerit, non ut ipsum aliquid lateat, sed ut ad ejus interrogationem mulier ipsa se confiteatur tetigisse, ut quanta sit ejus fides evidentius appareat. *i* Negantibus autem omnibus,] idest, omnibus dicentibus se non tetigisse eum.

k Dixit Petrus, & qui cum illo erant, Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt,] quasi multi sunt, qui tetigesunt, & dicis: Quis me tetigit. Nota, licet Petrus non intelligat mysterium, verba tamen ejus congruunt mysterio. Nam turbæ, quæ non tangunt, sed comprimunt, sunt Hæretici, turbarum nomine merito designati, quia sunt mentis cæcitate turbati, qui hæresibus, & scandalis Dominum comprimunt, dum unitatem Ecclesiæ scindunt. Catholici tangunt, non comprimunt, quia non eorum vita gravatur, sicut vita infidelium. Hæretici ergo, qui comprimunt tangentes malo tactu, non tangunt bono tactu, sicut videntes, i. qui videntur videre, non vident, & audientes non audiunt, ut dicit *Is.* 6. Unde Mariæ dicitur *Jo.* 20. Noli me tangere tactu corporali, quo etiam indigna es, quia non tangit me tactu spirituali, i. tactu fidei, nondum enim ascendi ad patrem meum, supple in corde tuo. *l* Et dixit Jesus. Tetigit me aliquis, nam & ego novi virtutem de me exiisse.] i. effectum virtutis, sc. sanationem. Hæc virtus recte dicitur a Christo exiisse, non ex illa, quia ex sola misericordia sua sanat Dominus infirmitates nostras, non ex meritis nostris. Unde *ad Titum* 3. Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, &c. Vel sic. *m* Aliquis me tetigit] quasi de tactu corporis non quæro, sed tactu fidei. Nam, &c. Simile *Joan.* 11. Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum. Dixerunt ergo ei discipuli ejus, Domine, si dormit, salvus erit. Dixerat autem Jesus de morte ejus, illi autem putaverunt, quod de dormitione somni diceret.

n Nam & ego.] Vere tetigit me aliquis tactu fidei. Nam & ego, ad tactum quemdam spiritualem.

o Novi virtutem] supple Spir. sancti. *p* De me exiisse,] i. miraculosam operationem factam per Spiritum sanctum, quasi

Videns *a* autem mulier, quia non latuit, *b* tremens venit, & procidit ante pedes ejus, *c* & ob quam causam tetigerit eum, indicavit *d* coram omni populo, & *e* quemadmodum confestim sanata sit. At *f* ipse dixit illi: Filia, *g* fides tua te salvam fecit. *h* Vade in pace. *i* Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem *k* Synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum, *l* Jesus autem audito hoc verbo respondit patri puellæ: Noli timere, crede tamen, & salva erit. Et cum *m* venisset ad domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem, *n* & patrem, & matrem puellæ. *o* Flebant autem omnes, & plangebant illam. At *p* ille dixit. Nolite flere: non est *q* mortua puella, sed *r* dormit, Et *ſ* deridebant eum, *t* scientes,

sanctum, quasi ad tactum mulieris spiritualem novi me operatum esse in spiritu animæ sanationem, quia jam sanata est internus per fidem, & corporaliter a fluxu sanguinis.

a Videns autem, &c.] eum. Sed quomodo vidit hoc mulier? Respondeo, quia respexit eam Jesus, & dixit ei: Confide, filia fides tua te salvam fecit, sicut dicit *Mat.*

c Tremens venit, & procidit ante pedes ejus.] Ex verecundia, & reverentia timuit, ex fide venit, ex humilitate procidit. *c* Et ob quam, &c.] idest, morbum coram omnibus propalavit. Et ita quatuor notantur, quæ requiruntur in vere pœnitente, sc. timor, fides, humilitas, confessio. Timor peccatum fugat, fides cor purificat, humilitas Deo reconciliat, confessio Deum glorificat. De primo *Eccl.*1. Timor Domini expellit peccatum. De secundo. *Act.*15. Fide purificans corda. De tertio, *Jac.*4. Deus humilibus dat gratiam. De quarto *Jos.*7. Fili, da gloriam Domino Deo, & confitere, atque indica mihi, quid feceris. *d* Coram omni populo.] *Chrys.* Cur non permisit eam latere? ne videretur gloriari. Propter quinque:

Primo solvit timorem, ne furti se arguat.

Secundo, commendat fidem.

Tertio, publicat fidem ejus alteris. Si latenter recessisset, his laudibus caruisset.

Quarto, ostendit, se scire omnia.

Quinto, confortat Archisynagogum, ideo & morem captat, sicut *Joan.* 11.

e Et quemadmodum, &c.] Sed quomodo scivit hoc mulier tam cito, cum hujusmodi morbus aliquando cessat ad tempus? Respondeo, quod sensit se roboratam, & levem, quasi nunquam fuisset infirma, quod non potuit facere cessatio temporalis, vel etiam curatio naturalis, sed tantum miraculosa sive gratuita.

f At ipse dixit illi, filia] *Beda*, per fidem.

g Fides tua te salvam fecit.] *Chr.* Fides filiam fecit.

h Vade in pace.] Idem dixit *sup.* 7. Magdalenæ sanatæ. Simile. *Jo.* 8. Vade, & jam amplius noli peccare.

i Adhuc illo loquente, venit quidam,] de domo Jairi ad ipsum, qui erat cum Domino.

k Principem Synagogæ, dicens ei, quia mortua est filia tua, noli vexare illum.]

Mystice. Mystice. Iste nuncius significat omnes illos, qui credunt Judæos a Deo destitutos, ut recuperari non possint. Ideo dicunt non esse orandum pro illis, ideo dicit: [Noli vexare illum.] Sed quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. *Matth.* 19. *inf.* 18. Sic multi putant vexare Dominum frequenter orando, & vel parum, vel nunquam orant. Deus vero orationibus non fatigatur, sed peccatis. *Is.* 45. Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.

l Jesus autem audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere:] timore diffidentiæ, sed crede tantum & salva erit.

m Et cum venisset, &c.] Hos tres similiter tantum elegit Dominus interesse suæ transfigurationi. *Matth.* 17. Et orationi: *Matth.* 26. Et puellæ suscitationi. Quare hoc? Respondeo.

Primo propter eminentiam, quam habebant. Hæc ratio est *Chrys.* Unde & *Hieron.* dicit. In tribus vocatis ostenditur privilegium dignitatis eorum.

Secundo, ut tribus idoneis testibus mundus credat.

Item propter fidem Trinitatis. Hæc est ratio *Beda*.

Tertio, quia per hos tres significantur omnes status electorum. Per Petrum clerici, per Jacobum laici, per Joannem religiosi. Vel significantur per Petrum incipientes, per Jacobum proficientes, per Joannem perfecti. Vel sicut dicunt alii, per Petrum, qui habuit uxorem significantur conjugati, per Jacobum continentes, per Joannem Virgines.

n Et patrem, &c.] *Ambr.* Quod paucos arbitros resurrectionis puellæ accidit, significat, quod a paucis continuo credita est resurrectio ejus, i. puellæ, vel Christi.

Mystice. Mystice autem quinque personæ, quæ interfuerunt suscitationi puellæ, sc. Petrus, Jacobus, Joannes, mater, & pater puellæ, significant quinque, quæ concurrunt in justificatione peccatoris. Petrus fidem, Jacobus spem, Joannes charitatem, pater Sacerdotem, Mater Ecclesiam. Vel per Petrum significatur peccati cognitio, per Jacobum cordis contritio, per Joannem gratiæ infusio, per patrem satisfactio, per matrem confessio. Per puellam vero mortuam recte significatur peccator. Et hoc quinque rationibus. Prima, quia a Deo, qui est vita, separatur. *Is.* 59. Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum. *Os.* 7. Væ eis, quia recesserunt a me.

Secunda, quia non sentit flagella Domini. *Prov.* 23. Traxerunt me, & non sensi, verberaverunt me, & non dolui.

Tertia quia fœtet per infamiam. *Joel.* 2. Ascendet fœtor ejus, & ascendet putredo ejus, quia superbe egit. *Jo.* 11. Domine, jam fœtet, quatriduanus enim est in monumento, idest, quatuor habens peccata, scilic. cordis, oris, operis, consuetudinis.

Quarta ratio est, quia vermibus conscientiæ roditur. 1.*Mach.* 2. Gloria peccatoris stercus, & vermis. *Jerem.* 2 Arguet te malitia tua. *Sap.* 17. Cum sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem.

Quinta ratio est, quia sepelitur per contemptum, aut desperationem. *Thr.* 3. Lapsa est in lacum anima mea, & posuerunt lapidem super me, *Prov.* 18. Peccator cum venerit in profundum peccatorum, contemnit.

o Flebant autem omnes, & plangebant illam.] Dominus cum paucis arbitris intravit domum Archisynagogi, Erant autem ibi plurimi flentes, & plangentes super puellam defunctam, quos eliminavit, quia indigni erant videre miraculum, cum potius deriderent, quam crederent. *Matth.* 9. Ejecit tibicines, &c. Invenit enim Dominus tibicines juxta morem terræ lamentabile carmen cantantes, quia Judæi in funeribus propinquorum multam adhibebant diligentiam, & faciebant magnas expensas, ita quod, ut tradit *Josephus*, multi depauperati sunt pro expensis funerum. Sed omnem turbam exclusit Dominus retinens tantum secum prædictos quinque *Eccl.* 22. Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus, & super fatuum plora, defecit enim sensu.

p At ille dixit: Nolite flere] 1. *Thess.* 4. Non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent.

q Non est mortua puella,] supple mihi.

r Sed dormit,] mihi, i. æque facile possum eam a morte suscitare quasi a somno. *Beda*. Mortua quidem erat hominibus, qui suscitare non possunt, non Deo, cui anima vivit, & caro suscitanda quiescit. [Dormit.] *Chr.* Portus tranquillus est mors, plena enim malis est præsens vita. *Ps.* 114. Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Deus beneficium vocat, & tu luges? *Jo.* 11. Lazarus amicus noster dormit, &c.

ſ Et deridebant eum.] Causam subdit quare Dominus excluserit eos.

t Scientes quia mortua esset.]

Moral. Moraliter. Sic mali deridebant bonos, & divites hujus mundi pauperes hujus mundi. *Job* 12. Deridetur justi simplicitas lampas contempta apud cogitationes divitum. *Jerem.* 20. Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me. Et tamen licet Dominus derideretur, non tamen destitit a bono proposito, sic boni cum deridentur a malis, non debent desistere a bono proposito, vel bene incepto, quia per hoc eorum meritum duplicatur. *August. in lib. Prosperi*. Omnes, qui in Christo volunt pie vivere, necesse est, ut ab impiis, & dissimilibus patiantur opprobria, & despiciantur tanquam stulti, & insani, qui præsentia bona perdant, & invisibilia, ac futura perquirant. Sed hæc despectio, & irrisio in ipsos impios retorquebitur, cum & abundantia eorum in egestate, & superbia transierit in confusionem. *Prov.* 19. Parata sunt derisoribus judicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.

A *a* Ipse autem, &c.] i. puellæ. *b* Clamavit dicens: puella surge.] Quare clamavit, maxime cum sit scriptum de illo. *Is.*42. Non clamabit, neque accipiet personam, &c. Resp. Ideo clamavit, ut ostenderet se propria virtute mortuam suscitare, non occulto maleficio. Similiter clamavit: *Jo.* 11. In Lazari suscitatione. Significatur etiam in clamore miraculi magnitudo. Quod autem dicit *Isa.* Non clamabit, intelligitur de clamore contentioso. *c* Puella surge.] *Marc.*5. dicitur: Tabita cumi, quod interpretatur, puella surge. Quod autem ab Evangelista interpretatur: Tibi dico, forte non est de verbis Domini. *d* Et reversus est, &c.] ut hoc esset indicium veræ suscitationis: Nam plerique magicis artibus suscitant mortuos ponendo quosdam characteres sub ascellis, i. scribendo quasdam litteras, & faciunt ambulare, & confabulari, sed non possunt facere, ut manducent. Jussit ergo illi dare manducare, ut dicit *Ambr.* ad testimonium vitæ, ut non phantasma, sed veritas crederetur.

quia mortua esset. *a* Ipse autem tenens manum ejus *b* clamavit, dicens: *c* Puella surge. Et *d* reversus est spiritus ejus, & surrexit continuo, & *e* jussit illi dare manducare. Et *f* stupuerunt *g* parentes ejus, quibus præcepit, ne alicui dicerent, quod factum erat.

C A P. IX.

h CONvocatis autem *i* Jesus *k* duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia;

Mystice. Mystice. *a* Ipse autem tenens manum.] Nota, quod nisi Dominus teneat manum synagogæ, ipsa non potest a morte resurgere, quia manus Judæorum plenæ sunt sanguine. Ipsi enim dixerunt: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros, idest, pœna Sanguinis Christi redundat in filios eorum.

Moral. Moral. Merito tenet manum suscitando, quia propter opera manuum suarum fuerat mortuus peccator. Unde *Ps.*9. In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. *Is.*1. Manus vestræ sanguine plenæ sunt, i. peccato. Sed tangit Dominus manum, i. mundat opera, & ita suscitat peccatorem. *Ps.* 72. Tenuisti manum dexteram meam, &c. *Ps.* 143. Emitte manum tuam de alto, &c. *Marc.* 5. Domine, veni, & impone manum super eam, ut sana sit, & vivat.

e Et jussit illi dare manducare.] Nota, revertentes ad Christum fide surgunt, in bonis operibus ambulant, cœlesti pane satiantur.

Primum est surgere, idest, peccata dimittere, terrena despicere, cœlestia desiderari. Hæc tria importat verbum surgendi. *Ephes.* 5. Surge, qui dormis, & exurge a mortuis.

Secundum est ambulare, bonis operibus insudare. *Matthæi* 9. Surge, & ambula.

Tertium est manducare panem doctrinæ, panem Eucharistiæ, panem gloriæ. Primus panis reficit intellectum, *Eccl.*5. Cibavit illum pane vitæ, & intellectus. Secundus pascit affectum. *Ps.* 103. Panis cor hominis confirmet. *Gen.* 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, i. in devotione mentis tuæ. Tertius vivificat, imo beatificat utrumque, i. intellectum, & affectum: *inf.*14. Beatus qui manducabit panem istum. Hi sunt tres panes, quos petit amicus ab amico, i. vir justus a Christo: *inf.* 11. Amice, accommoda mihi tres panes. Seq.

f Et stupuerunt] stupore admirationis. *g* Parentes ejus, &c.] Propter duo, i. propter Mysterium, & exemplum, Propter mysterium, quia secreta culpa secreta indiget pœnitentia. *Eccl.* 7. De negligentia tua purga te cum paucis. Et publica culpa, publica indiget pœnitentia 1. *Tim.*5. Peccantem coram omnibus argue, &c. Item propter exemplum, ut in magnis factis doceat fugere gloriam, *Eccl.*9. Non zeles gloriam, &c.

E X P O S I T I O C A P. IX.

CONvocatis autem Jesus, &c.] Nonum cap. quod dividitur in decem partes. In prima mittuntur duodecim Apostoli in prædicationem. In secunda ponitur falsa opinio Herodis in Jesu, ibi [Audivit autem.] In tertia ponit miraculum de quinque panibus, & duobus piscibus, quibus maximam turbam satiavit, ibi [Et assumptis illis] In quarta quærit Jesus, quid de ipso sentiant homines, & etiam ipsi Apostoli, ibi [Et factum est, cum solus esset.] In quinta invitat Apostolos ad sui imitationem, ibi [Dicebat autem ad omnes.] In sexta ponitur transfiguratio Jesu, ibi [Factum est autem post hæc.] In septima sanatur a dæmone puer, quem non potuerant sanare Apostoli, ibi [Factum est autem in sequenti die.] In octava prædicit Dominus Apostolis Passionem suam ibi [Ponite vos in cordibus vestris.] In nona prohibent discipuli dæmones ejicere non sequentem eos, & petunt vindicari in illos, qui non receperunt eos, & super utroque increpantur a Domino, ibi [Respondens autem.] In decima repellitur quidam, ne sequatur, alter invitatur, ut sequatur, ibi [Factum est autem ambulantibus.] Dicit ergo. *h* Convocatis.] Sed occurrit duplex quæstio. Prima, cum sint tres vocationes Apostolorum. Una sc. in cognitionem, de qua *Jo.*1. Secunda in familiaritatem, de qua *sup.*5. Tertia in discipulatum, de qua *Matth.*4. *Marc.*1. *sup.*6. Quæritur de qua vocatione hic dicatur. Secunda quæstio est, quare duodecim tantum vocavit. Resp. ad primam quæstionem, dicens, quod non loquitur hic Lucas de aliqua trium vocationum, sed de quadam privata, qua vocavit eos ad se, ut mitteret in prædicationem, data potestate prædicandi, & miracula faciendi, ac dæmones expellendi. Ad secundum dicimus, quod Dominus septuaginta duos discipulos habuit, quos misit in mundum prædicare regnum Dei, ut dicitur *inf.*10. Et præter hos habuit duodecim, quos Apostolos nominavit, ut dicitur *sup.*6. Septuaginta duos autem discipulos misit, quia tot erant linguarum genera. Duodecim autem Apostolos elegit duplici ratione. Prima est, quia duodenarius constat ex ternario, & quaternario: Unde per hunc numerum ostenditur, quod per istos Apostolos erat vocaturus ad fidem Trinitatis homines de quatuor partibus orbis. Secunda ratio est, quia duodenarius constat ex duplicato senario. Senarius autem est perfectus numerus, Unde per duodecim duplex perfectio designatur, vitæ, sc. & scientiæ, sive operis, & sermonis, quæ in ipsis fuit, & requiritur in omni Prælato, & prædicatore, qui eorum vicem, & officium gerunt. Hi autem duodecim propriis nominibus nominantur: *Matth.*10. duplici ratione, ut dicit *Hier.* Primo, ut post hos, qui pseudo futuri erant, excluderentur.

Secundo, ut tam nomina eorum, quam sibi credentium in libro vitæ scripta esse ostenderentur. Unde *inf.* 10. dicitur: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in libro vitæ. Dicit ergo. [Convocatis autem,] i. simul vocatis ad se, & ad unum officium pariter exercendum. Vel [Convocatis] i. simul interius, & exterius vocatis. *i* Jesus.] Hic nominatur Jesus, non magister, non Dominus, quia non ad docendum principaliter, neque ad dominandum, sed ad salvandum corpora, & animas misit Apostolos.

k Duodecim Apostolis dedit, &c.] In quo differunt virtus, & potestas? Respondeo. Virtus est in miraculis faciendis, potestas in dæmonibus ejiciendis.

A Item virtus ad

h Convocatis autem, &c.]

Moral. Moral. Per duodecim Apostolos significantur Prælati, & prædicatores atque doctores, qui debent esse duodecim, idest, perfecti vita, & scientia, quod significant cornua mitræ Episcopalis. 1. *Reg.* 10. Stetit Saul in medio populi, & altior fuit universo populo ab humero, & sursum. Et ait Samuel ad omnem populum, ecce videtis, quem elegit Dominus, quod non sit ei similis in omni populo. *Greg.* Tantum debet distare a plebe vita præsulis, quantum differt a grege vita pastoris. *Is.*40. Super montem excelsum, &c. In hujus rei figuram pater duodecim Patriarcharum duplici nomine, idest, Jacob, & Israel appellabatur. *Gen.* 32. Et princeps Apostolorum similiter duplici nomine appellatur: Simon, & Petrus, In altero vita, in altero scientia commendatur. Vita vero præcedere debet. Unde *Eccl.* 5. Fili, concupiscens sapientiam serva justitiam. *Aug. in lib. Prosperi.* Talis est sine opere intelligentia, qualis est sine timore sapientia, cum scriptum sit: Initium sapientiæ timor Domini. Hi debent esse convocati, i. pariter, & concorditer ad officium prælationis, aut prædicationis, sive magisterii vocati, non intrusi violenter, aut seipsos ingerentes imprudenter. *Heb.* 5. Nemo assumit sibi honorem, &c. *Psalmus* 134. Qui vocat nubes ab extremo terræ. *Amos quinto.* Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen est ejus. *Rom.*8. Quos prædestinavit, &c. Dicit ergo. *h* Convocatis autem,] i. concorditer, & ad unum vocatis. *i* Jesus duodecim, &c. dæmonia] ejicienda, & coercenda. Sunt autem tria dæmonia, quæ debent

* ejicere Prælati

Item virtus ad sustinendum gravia, potestas ad faciendum ardua.

a Et ut, &c.] i. longos, & inveteratos morbos, quos nec poterant physici sanare. *Chr.* Velut quosdam pullos molles ad volandum adducit. Primum interim medicos corporum facit, postea committens eis animæ directionem. *b* Et misit illos,] *Chr.* Non ab initio misit illos, sed postquam viderunt paralyticos curatos, & mortuos suscitatos. *c* Prædicare regnum Dei] i. Evangelium, quod docet regnare hic, & erit ad regnum Dei. *Matth.* 21. Auferetur a vobis regnum Dei. [Vel regnum Dei,] i. vitam beatam. Et est congruus ordo. Primo enim oportuit eis dare virtutem, i. potestatem faciendi miracula, ejiciendi dœmones, curandi languores, ut exhibitio miraculorum attestaretur magnitudini promissorum. Unde *Hier.* Quia hominibus rusticanis, & absque eloquii venustate pollicentibus regnum cœlorum nemo crederet, dat eis potestatem miracula faciendi. *Aug.* Ut fidem daret verbis virtus ostensa, & nova facerent, qui nova prædicarent. *Eccl.* 36. Innova, signa, & immuta mirabilia. Et nota, quod dicitur regnum Dei Ecclesia militans. *Matt.* 13. Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari. Item Ecclesia triumphans. *Matth.* 13. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.

Matth. 10. Marc. 6.

& ut *a* languores curarent. Et misit *b* illos *c* prædicare *d* regnum Dei, & *e* sanare infirmos. Et *f* ait ad illos. Nihil *g* tuleritis in via, *h* neque virgam, *i* neque peram, *k* neque panem, *l* neque pecuniam;

Item gratia *inf.* 17. regnum Dei intra vos est.

Item vita beata. *Jo.* 3. Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest intrare regnum Dei.

Item sacra Scriptura. *Matth.* 21. Auferetur a vobis regnum Dei. De quolibet regno potest hoc intelligi.

e Et sanare infirmos.] Differt infirmitas, & languor. Nam languor est morbus inveteratus. Unde dicitur quasi longus angor. *Eccl.* 10. Languor prolixior gravat medicum. *f* Et ait, &c] *Chrys.* Cur hoc præcepit? Propter tria. Ne sint suspecti quasi ambitiosi. Ne sint soliciti quasi pusillanimes: Nihil enim ita facit gaudere, ut a solicitudine erutum esse. Ut virtus mittentis emineat. Unde *inf.* 12. Quando misi vos sine sacculo, & sine pera: nunquid defuit vobis?

h Neque virgam.] Idem dicitur: *Matth.* 10. Sed *Marc.* 6. dicitur: Nihil tuleritis in via nisi virgam.

Item *inf.* 22. dicitur. Qui habet sacculum, tollat & peram similiter. Hic autem utrumque prohibet. Sol. Ad primum dicimus, quod nomine virgæ aliquando significatur potestas accipiendi necessaria vitæ, & sic accipitur in *Marco*, quia hanc potestatem dedit Dominus discipulis suis, quando misit illos. Unde 1. *Cor.* 9. Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Et *Matth.* 10. Dignus est operarius cibo suo. Hac potestate poterant uti, vel non uti discipuli, prout eis videbatur expedire ad commodum animarum. Unde *Aug.* Quando aliquid præcipitur a Deo, & non fit, inobedientiæ culpa est, cum vero potestas datur, licet non uti, & quasi de suo jure cedere.

Item nomine virgæ accipitur aliquando solicitudo vitæ, sive solicitudo acquirendi.

Item confidentia auxilii humani: Sic accipitur hic, & in *Matth.* Neutrum enim habuerunt Apostoli, sc. vitæ solicitudinem, vel humani auxilii confidentiam, imo utrumque prohibuit Dominus hic, per hoc, quod dixit: [Neque virgam.] De primo dicitur *Matth.* 6. Nihil soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, aut corpori vestro, quid induamini. De secundo *Jer.* 17. Maledictus homo, qui confidit in homine, &c. *Is.* 31. Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis, &c. Est ergo sensus. [Neque virgam.] Ac si diceret Dominus. Præcipio, ut tollatis virgam, i. permitto potestatem accipiendi necessaria, prohibeo, ne tollatis virgam, i. prohibeo solicitudinem acquirendi, vel in auxilio humano confidere. Sic patet solutio ad primum. Ad secundum dicitur, quod duplex fuit missio discipulorum. Una ante Domini mortem, de qua hic agitur, & *Matth.* 10. & *Marc.* 6. Alia post Domini resurrectionem, de qua agitur *Matth. ult.* & *Marc. ult.* Tempore primæ missionis erat pax, & nulla persecutio, imo libenter audiebantur discipuli, & satis inveniebant necessaria vitæ, & ideo tunc præcepit, ut nihil ferrent secum. Tempore autem secundæ missionis erat gravis persecutio contra discipulos, & ideo tunc permisit ferre secum vitæ necessaria: Unde *Beda* dicit. Non eadem vivendi regula persecutionis, qua pacis tempore discipulos Domini informavit.

Item per hoc, quod virgam prohibet, incitamenta jurgiorum, & instrumenta amputat ultionum. *Rom.* 12. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Dicit ergo. *g* Nihil tuleritis in via, neque virgam] ad defendendum. Vel sicut prius expositum est.

i Neque peram] ad victum reservandum.

k Neque panem] ad manducandum.

l Neque pecuniam] ad victum, & vestitum emendum.

Δ Neque duas

Moral.

* ejicere Prælati, & prædicatores, atque doctores. Primo a se, postea ab aliis. Primum est dœmonium sævum. *Matth.* 8. Secundum dœmonium immundum. *Marc.* 1. Tertium dœmonium mutum *infr.* 11. Primum significat superbiam, quæ est sæva nimis, quia omnes vult sub se comprimere, & omnibus imperare. Hoc dœmonium ejicitur per mansuetudinem, & humilitatem. Unde *Matt.* 11. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Secundum significat luxuriam, quæ immunda est nimis, & hominem facit immundum. Juxta illud *Joel.* 1. Computruerunt jumenta in stercore suo. Hoc dœmonium ejicit carnis afflictio, i. jejunium, oratio, vigiliæ, & hujusmodi. *Eccl.* 31. Vigilia honestatis tabefaciet carnes. *Marc.* 9. Hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione, & jejunio. Tertium dœmonium significat avaritiam, quæ reddit hominem mutum. Unde *Eccl.* 22. Exenia, & dona excæcant oculos judicum, & quasi mutus in ore avertit correctiones eorum. Hoc dœmonium ejicit paupertas, quæ omnia, quæ mundi sunt, abjicit: Juxta documentum *Joan prima Can. c.* 2. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Igitur Prælatus, prædicator & doctor spiritum suum humilians, carnem affligens, mundum contemnens, potestatem habet super omnia dœmonia. Et hanc potestatem offert nobis Jeremias *Thr.* 3. ubi dicit in persona Domini: Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absinthii, & fellis, q. d. accipe potestatem super omnia dœmonia ejicienda: aut etiam evertenda. Sed hodie non possunt Prælati, aut prædicatores, aut etiam doctores ejicere dœmonia. Quare? Quia ipsi dœmonia habent, sicut dicitur in *Ps.* 96. Omnes dii gentium dœmonia. Et non potest dœmon ejicere dœmonem, sicut dicitur *Mat.* 12. Unde *Act.* 19. Faciebat Deus virtutes quaslibet per manum Pauli super languidos, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Tentaverunt autem quidam de circumeuntibus Judæis invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuro vos per Jesum, quem prædicat Paulus. Respondens autem spiritus nequam, dixit eis: Jesum novi, & Paulum scio, vos autem qui estis? Et insiliens homo in eos, qui habebant dæmonium pessimum, dominatus eorum, invaluit contra eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent. Seq. *a* Et ut languores curarent,] i. illos, qui diu fuerant in peccatis. *Eccl.* 10. Languor prolixior gravat medicum, brevem languorem præcidit medicus.

b Et misit illos prædicare,] aliter non debent ire. *Rom.* 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? *Jer.* 23. Ipsi currebant, & ego non mittebam eos.

d Regnum Dei,] non regnum mundi, quod prædicant ambitiosi, & si non verbo, tamen facto. *Jo.* 18. Regnum meum non est de hoc mundo. *e* Et sanare infirmos,] in anima, non carne. Frequenter enim infirmitas carnis utilis est ad sanitatem animæ recipiendam. *Jo.* 11. Domine, quem amas infirmatur? Dixit autem Jesus eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei. *Eccl.* 31. Infirmitas gravis sobriam facit animam.

f Et ait ad illos, nihil tuleritis in via.] Merito tale mandatum recipiunt, quia alios ad contemptum mundi hortantur. *Bed.* Tanta prædicatori debet esse fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sumptus non ferat. *h* Neque virgam,] i. instrumenta defensionis, aut impugnationis. *i* Neque peram, &c.] Tria sunt genera necessariorum, quoad victum, sc. cibus, & illud, quo cibus emitur, & illud, ubi custoditur. Hæc tria prohibet hic. Per panem omnem cibum, per pecuniam omne illud, quo emitur, per peram illud, in quo reponitur, seu custoditur. Et sic omnem solicitudinem temporalis vitæ tollit a prædicatoribus, & Prælatis. *Hier.* Hic arguit Dominus Philosophos, qui vulgo appellantur † Bactopolitæ, qui contemptores seculi, & omnia pro nihilo ducentes, cellarium secum vehunt. Tales sunt omnes hypocritæ, mundum contemnunt verbo, & habitu, sed necessaria vitæ copiose volunt habere.

al. † *Bactroperitæ.*

* Neque duas.

A *a* Neque duas, &c.] Unam tempore frigoris, alteram tempore æstatis. *Hier.* Hoc non dicit in Scythiæ frigore, ut quis una tunica contentus esse debeat, sed quod in tunica vestimentum intelligamus, ne alio vestiti aliud nobis futurorum timore reservemus. *Bed.* Simplex vestimentum est, quicquid necessarium est alicui secundum qualitatem loci, vel temporis, duplex est, quod extra necessitatem est.

a neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque *b* domum intraveritis, ibi manete, & *c* inde ne exeatis. Et *d* quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam *e* pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. *f* Egressi autem *g* circuibant per castella *h* evangelizantes, & curantes ubique. *i* Audivit autem Herodes Tetrarcha k omnia, quæ fiebant ab eo,

b Et in quacumque, &c.] *Gl.* Quamdiu in illa civitate prædicabitis, i. ne cursitetis per domos, & inviolabilis hospitii jura mutetis, &c. Nota, quod dicitur inviolabilis. Antiquitus enim erat opprobrium mutare hospitium. Nam si ille, qui intraverat, exiret, imputaretur ejus levitati. Si ille, qui receperat eum, expelleret, imputaretur ejus crudelitati. Unde Dominus præcipit Apostolis, ut antequam villas intrarent, præmitterent nuncium, qui diligenter inquireret, quod hospitium acciperent, ut mutandi hospitii occasionem auferret. Et si forte esset ibi vir religiosus amator hospitalitatis, ejus hospitium intrarent. Unde *Matth.* 10. In quamcumque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manere.

d Et quicumque, &c.] i. etiam minima itineris, & laboris, quem pro eis sustinuistis exponite in testimonium majoris damnationis, si non receperint vos, vel majoris amoris, si receperint. Vel [Pulverem excutite,] i. ab eis, qui prædicationem contemnunt, nihil terrenum recipite. Dupliciter ergo potest intelligi, quod dictum est [In testimonium,] sc. in testimonium inutilitatis, vel in testimonium indignitatis. Ac si dicerent Apostoli, ad vos usque fatigati sumus, prædicavimus, & nihil profecimus. Excutimus ergo pulverem, qui inutiliter adhæsit pedibus nostris, ut ipsa excussio sit testimonium, quod labor noster fuit inutilis, & hoc testimonium sit super vos. Vel in testimonium indignitatis, ac si dicerent Apostoli: Nos excutimus pulverem, ut ipsa excussio pulveris sit in testimonium vestræ indignitatis, quia nec pulverem a vobis retinemus: Indigni enim estis, a quibus aliquid recipiamus. *f* Egressi autem] Apostoli [circuibant per castella evangelizantes, &c.] *Marc.*6. dicitur, quod & oleo ungebant multos ægros, & sanabantur, quia unctio infirmorum introducta est ab Apostolis.

Moral. * *a* Neque duas tunicas habeatis,] idest, cordis duplicitatem. *Eccl.*2. Væ duplici corde, & peccatori terram ingredienti duabus viis. *Jacob* 1. Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis *sup.*3. Qui habet duas tunicas, &c.

b Et in quamcumque, &c.] si voluerit vos recipere.

c Et inde ne exeatis] causa quærendi melius hospitium, & quamdiu prædicabitis in illa villa. Hoc dicit propter pseudo, qui cursitabant de domo in domum, quia hospes semper in adventu lautius procuratur. *Eccl.*29. Vita nequam hospitandi de domo in domum.

Mystice. *e* Pulverem pedum, &c.] Mystice: Pulvis in pedibus prædicatorum est vanagloria in affectibus eorum ex profectu prædicationis, vel ira ex contemptu. Pulvis vanæ gloriæ excutitur ex consideratione sui. *Marc.*6. Humiliatio tua in medio tui. *Eccl.*10. Quid superbis terra, & cinis? pulvis iræ excutitur ex Christi consideratione: Nam si eum non receperunt, non debet indignari discipulus, si non recipiatur, *Matth.* 10. Non est discipulus supra magistrum. Secundum *Ambr.* præcepit Dominus, ut excutiant pulverem, idest, ut non communicent peccatis illorum. Alibi præcipit, ut aboleant pulverem, idest, venialia peccata proximorum, cum ait *Jo.*13. Et vos debetis alter alterius lavare pedes. Debet enim prædicator venialia subditorum abolere, & ea quasi sua portare, oratione, compassione. 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur, &c.

f Egressi autem] ab amore sui, ab amore parentum, ab amore mundi. *Gen.*12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.

g Circuibant per castella] non tantum per civitates. *Cant.*7. Egrediamur in agrum, commoremur in villis.

h Evangelizantes, &c.] sine personarum acceptione, *Jac.*2. Fratres mei nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi. *Marc. ult.* Prædicate Evangelium omni creaturæ. Sequitur.

Secunda pars. *i* Audivit autem.] Hæc est secunda pars cap. in qua recitatur falsa opinio Herodis de Jesu: Nam propter diversos rumores hominum prius hæsitavit, an esset Elias: Postea credidit, quod esset Joannes Baptista, qui surrexisset a mortuis, & ideo virtutes operantur in eo, ut dicitur *Matth. c.* 14. Et licet hoc fuerit factum ultimo anno prædicationis Domini, tamen hic interseritur a Luca. Unde patet, quod Evangelistæ non servant ordinem historiæ, sed sicut inspirabantur a Domino, ita narrabant, & scribebant. Sed quærit *Chrys.* Quare non audivit ab initio Herodes? & Respondet. Qui in potentatibus sunt, tarde addiscunt, & non multam curam faciunt addiscendi. Dicit ergo.

Audivit autem Herodes Tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo. Hic est Herodes Antipas, sub quo passus est Dominus, & Joannes decollatus, & fuit filius Herodis Ascalonitæ, sub quo natus est Dominus, & pueri occisi,

Tertius Herodes fuit Agrippa, qui occidit Jacobum, & Petrum incarceravit, filius Aristobuli fratris illius Herodis Tetrarchæ.

Dicitur autem Tetrarcha a terras, quod est quatuor, & Archos, quod est princeps, i. princeps in quarta parte regni. Nam mortuo Herode Ascalonita, qui erat rex, divisum est regnum ejus, in quatuor Tetrarchias. Archelaus habuit duas, Philippus tertiam, ille Herodes

A quartam: & ideo

Moral. Moraliter. *i* Audivit autem Herodes, &c.] Herodes interpretatur glorians in pellibus, & significat litteratum superbum, qui gloriatur in pellibus quaternorum, vel librorum suorum, quia sunt bene postillati, & bene emendati. De quibus potest intelligi illud *Heb.* 11. Circumierunt in melotis, & in pellibus caprinis egentes, &c. Bene dicit, egentes, quia quaterni pleni sunt, sed corda vacua. 1. *Tim.*6. Si quis aliter docet non acquiescens sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, superbus, & nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum, &c. Contra quos *Deut.* 30. Juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, non tantum in quaterno.

Item *Deut. c.*6. Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & ligabis ea quasi signum in manu tua.

Item *Prov. c.* 3. Circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, quæ sunt intelligentia capax, & memoria tenax. Hic Herodes recte dicitur Tetrarcha, quia tantum quartam partem regni sacræ Scripturæ possidet.

Prima pars est intelligentia, quæ habetur in corde.

Secunda pars est doctrina, quæ habetur in ore.

Tertia pars est bona vita, quæ habetur in opere.

Quarta, & minima pars est Scriptura, quæ habetur in codice. Habet Herodes, & ideo Tetrarcha dicitur. Hic Herodes Philippo fratri suo aufert uxorem suam. Philippus, idest, os lampadis, Christus est, de quo dicitur *Isaiæ* 62. Egrediatur ut splendor justus ejus, & salvator ejus ut lampas accendatur. Ejus uxor est gloria. Unde 1. *Corinth.* 11. Gloria viri mulier, idest, uxor ejus. *Isa.* 42. Gloriam meam alteri non dabo. Hic Herodes incarcerat Joannem, quando malis exemplis doctrinæ gratiam offuscat. Vel Joannem incarcerare est scientiam in quaternis, & quaternos in arca recludere. *Rom. c.*1. Qui detinent veritatem Dei in injustitia. Hic Herodes dicitur hic audire, & hæsitare, quia quanto plus audit, tanto plus dubitat. Unde 2. *Tim. cap.* 3. Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.

Item semper audit, & nunquam docet, vel facit audita. Unde vere potest dicere illud satyricum: Semper ego auditor tantum, nunquam ne reponam. *infra* 11. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Non sicut Herodes in codice, sed in corde, & opere. Dicit ergo. Audivit autem Herodes Tetrarcha, idest, clericus glorians in pellibus, idest, in quaternis.

k Omnia, quæ fiebant ab eo,] idest, a Jesu, cujus facta narrantur in Scriptura, non tantum ad sciendum, sed magis ad imitandum. *Exod.* 25. Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte, idest, in Sac. Scriptura monstratum est. *Jo.* 13. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis,

* 2. *Tim.* 3.

a quartam : & ideo dicitur Tetrarca.

a Et hæsitabat, &c.] In principio propter diversos rumores hæsitavit, sed postea firmato animo, dixit ipsum esse Joannem: *Matth.* 12. *Marc.*6. In hoc etiam confunditur invidia Judæorum, qui Christum negant surrexisse, tot miraculis approbatum, & hic alienigena Joannem, qui nullum miraculum fecit, ut dicitur *Jo.* 10. confitetur surrexisse.

& *a* hæsitabat, eo quod diceretur a quibusdam, quia Joannes surrexit a mortuis, a *b* quibusdam vero quia *c* Elias apparuit, *d* ab aliis autem quia Propheta unus de antiquis surrexit. Et *e* ait Herodes. *f* Joannem ego decollavi, quis est autem iste, de quo ego audio talia? Et *g* quærebat videre eum. Et *b* reversi Apostoli † narraverunt illi, quæcumque fecerunt. Et *i* assumptis illis k secessit seorsum in locum desertum, *l* qui est Bethsaidæ. Quod cum *m* cognovissent turbæ, secutæ sunt illum, & *n* excepit illos, & *o* loquebatur illis de re-

B

b A quibusdam vero] supple dicebatur.

c Quia Elias apparuit,] non dicit surrexit, quia non est mortuus, sed in paradisum translatus. 4.*Reg.*2. *d* Ab aliis autem] dicebatur,

[quia Propheta, &c.] i. Elisæus. *Matth.*16. Aut unum ex Prophetis. *Gloss.* idest, Elisæum, qui dicitur de antiquis, ad differentiam Isaiæ, Jeremiæ, & aliorum. Sed quare de illis tribus magis credebatur, quod Jesus esset unus illorum, quam de aliis: Responsio. De Joanne credebatur propter sanctitatem, & quia idem prædicabat: Agite pœnitentiam. *Matth* 3. & 4. De aliis duobus, quia mortuos suscitaverunt sicut Jesus.

Item isti tres baptismum Christi præfiguraverunt. Joannes baptizando, Elias, & Elisæus Jordanem dividendo. 4. *Reg.* 2.

e Et ait, &c.] *Chr.* Quam magnum quid est virtus, Joannem defunctum formidat, & præ timore de resurrectione philosophatur. Virtus apud malos etiam est admirationibus, & laudibus digna.

g Et quærebat videre eum,] ut forte si ipse sit Joannes possit agnoscere. *b* Et reversi, &c.] supple insuper & mortem Joannis. Et hac de causa assumptis discipulis secessit in locum desertum.

Ⓞ Unde sequitur.

Moral.

* 2. *Tim.* 3. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, & arguendum, & corripiendum, & erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus, non tantum ad verbum. Seq.

a Et hæsitabat, eo quod diceretur a quibusdam, &c.] Per istos significantur invidi, qui quando non possunt veritatem alicujus boni negare, eo quod manifesta sit: diminuunt, vel invertunt, vel offuscant. *Sap. c.*4. Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia, idest intentionem, quæ est sine malitia.

f Joannem ego decollavi.] Joannes est vir justus, in quo est gratia. Caput ejus est Christus. Joannes ergo decollatur, quando mortale peccatum perpetratur, per quod Christus amittitur. *Is.* 59. Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum. Hoc autem facit Herodes, idest, gloria pellium, idest, quaternorum. 1.*Cor.*5. Quid habes, quod non accepisti, &c. *Eccl.*13. Pauper locutus est, & dicunt, quis est hic. *b* Et reversi Apostoli, &c.] Reverti ad Christum, & nunciare quod factum est, est de factis Deo gratias agere, & totum virtuti ejus attribuere. Et sic debent reverti Prædicatores, & Prælati peracto officio suo. *Job* 38. Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi, adsumus. Item debet reverti per contemplationem, ut ipso fonte contemplando hauriant, quod iterum prædicando effundant. *Eccl.*1. Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant. *Ezech.* 1. Ibant animalia, & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. *Greg. sup. Job* 38. Sancti a visu Dei propter nos exeunt, sed mox ad contemplationem recurrunt, aliter prædicatio siccaretur, quia ibi sumunt, quod propinant.

Tertia pars.

Ⓞ Unde sequitur. *i* Et assumptis, &c.] Hæc est tertia pars capit. in qua ponitur miraculum de quinque panibus & de duobus piscibus, quibus turbam maximam Dominus satiavit, quia per hoc miraculum confutantur falsæ opiniones de ipso in parte præcedenti proximo recitatæ. Ad hoc enim recitantur miracula Christi, l. ad errorum illuminationem, & fidei confirmationem, & morum informationem.

Quia vero Apostoli redeuntes de prædicatione, nunciaverunt ei, quod Herodes decollasset Joannem statim assumptis discipulis recessit de Judæa in desertum juxta Bethsaidam in Galilæam: Non quidem timore mortis, sed propter tria, ut dicit *Hier.* Primo propter misericordiam parcens inimicis, idest, Judæis, ne homicidium ipsius jungerent homicidio Joannis: Noverat enim Judæos sitire sanguinem suum: ideo timebat, ne quia Herodes virum sanctum occiderat, inde sumpta occasione manus injicerent in eum, & sic duplex homicidium perpetrarent. Secundo propter doctrinam dans exemplum vitandæ temeritatis. *Matth.*10. Si persecuti vos fuerint, &c. Tertio propter experientiam, ut se probaret fidem sequentium. Sed quare non recessit, antequam Apostoli nunciarent ei mortem Joannis? *Chr.* Ut carnis veritatem monstraret, & ut doceat. Carnis quidem veritas in hoc monstratur, quia naturaliter mortem horruit, non tamen modo pro timore mortis aufugit.

Mystice.

Mystice autem per hunc secessum, significatur recessus Christi a Judæis ad gentes, quæ significantur per desertum.

Unde *Is.* 54. Multi filii desertæ magis, quam ejus, quæ habebat virum. Dicit ergo.

i Et assumptis illis] i. discipulis audita morte Joannis. k Secessit seorsum, &c.] Videtur Lucas, hic esse Marco contrarius, cum dicat Marcus, quia completa refectione assumpsit Dominus discipulos, ut sederet cum eis de loco ad Bethsaidam.

Unde locum patet desertum non esse Bethsaidæ: Videtur etiam contrarius esse Joanni, cum hujusmodi refectionem dicat factam esse juxta Tyberiadem. Sol. Quia dicitur locus desertus esse Bethsaidæ, non intelligitur dictum propter loci vicinitatem, sed quia pertinet ad ejus jurisdictionem. Unde *Interl.* dicit, pertinens, i. subditus ejus jurisdictioni. Quod autem sequitur in *Int.* & vicinus, cave, ne intelligas de vicinitate loci.

Moral. autem per desertum significantur peccatores deserti a gratia Dei, ad quos debent prædicatores declinare, quod notatur per hoc, quod dicitur hic.

i Et assumptis illis,] idest, discipulis.

k Secessit in desertum locum.] *Matth.* 9. Non veni vocare justos, sed peccatores. *Ezech.* 34. Quod perierat requiram, &c. Et hoc idem significatur per hoc, quod sequitur.

l Qui est Bethsaidæ] quæ interpretatur domus pecudum, seu domus venatorum. Domus pecudum est congregatio peccatorum, ad quam debent ire venatores, i. Prædicatores, & facere domum suam, *Matth.* 24. Ubicumque fuerit corpus, i. cadaver peccatoris, congregabuntur & aquilæ, i. Prædicatores. Non sunt boni venatores, qui non vadunt, ubi feræ sunt. *Jer.* 16. Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte superbiæ, & de omni colle avaritiæ, & de cavernis petrarum, i. de peccato luxuriæ. Sequitur.

m Quod cum, &c.] Turbæ, i. minores sequuntur Dominum, & tales salvantur. *Matth.* 16. Sinite parvulos venire ad me, &c. Majores vero non sequuntur, sed persequuntur eum quantum possunt.

Unde recte significantur per Herodem, qui in pueris persecutus est Christum. Unde *B. Bern.* Herodiana malitia est nascentem velle extinguere religionem. Si quid ergo ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicumque resistit, cum Herode nascentem prosequitur salvatorem. *n* Et excepit illos,] fatigatos obviam veniendo illis. *Sap.* 6. Invenitur ab his, qui quærunt illam, præoccupat enim eos, &c. Dominus condescendens infirmitati turbarum ad litteram, de medio deserti, in quo erat, processit eis obviam, ne fatigarentur per invia deserti. Nota etiam, quia ubi Lucas dicit [Secutæ sunt illum] alius Evangelista addit pedestres, quo verbo in turbis ferventius desiderium exprimitur. *o* Et loquebatur, &c.] *Bed.* non de sæcularibus. E contra. *Jo.* 3. Qui de terra est, de terra loquitur. *Is.* 29. Erit quasi phytonis, i. ventriloqui de terra vox tua. Est autem triplex regnum Dei, de quo debet loqui prædicator, & doctor ubique, sc. regnum sacræ Scripturæ. De quo *Matth.*22. Simile est regnum cœlorum homini regi. Item regnum gratiæ, de quo *inf.* 17. Regnum Dei intra vos est. Item regnum gloriæ, de quo *Jo.* 3. Nisi quis renatus fuerit, non potest intrare in regnum Dei.

a Et eos

Δ *a* Et eos qui, &c.] Ecce triplex opus misericordiæ, quod Dominus faciebat in istis. Primo fatigatus recepit, secundo inscios docuit, tertiu ægros curavit, & tandem famelicus satiavit. Per hoc docens nos, quid agere debeamus, quia omnis Christi actio nostra est instructio. *Jo.*13. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. De primo dicitur *Heb.*13. Hospitalitatem nolite oblivisci. De secundo *Matth. ult.* Euntes docete omnes gentes. De tertio *Matt.* 10. Infirmos curate. De ultimo *Isa.* 28. Hæc est requies mea, reficite lassum. Primum præcipitur religiosis, secundum Theologis, tertium medicis, quartum Prælatis.

gno Dei, & a eos, qui cura indigebant, sanabat. *b* Dies autem cœperat declinare. Et *c* accedentes duodecim dixerunt illi: *d* Dimitte turbas, ut euntes in castella, villasque, quæ circa sunt, divertant, & inveniant escas, quia hic in loco deserto sumus: Ait *e* autem ad illos: *f* vos date illis *g* manducare. At illi *h* dixerunt. Non sunt *i* nobis plus, quam quinque panes, & duo pisces, *k* nisi forte nos eamus, & *l* emamus in *m* omnem hanc turbam escas. Erant *n* autem fere viri quinque millia. Ait *o* autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere *p* per convivia *q* quinquagenos

Nota etiam, quod turbæ studiose Dominum sequuntur, & a Domino curantur. Unde instruimur, quod, qui vult sanari a Domino, studiose sequatur eum.

Unde *Amb.* Non otiosis, i. otio torpentibus, non in civitate Synagogæ, i. in infidelitate Synagogæ manentibus, ut in malu accipiatur, vel sæcularis dignitatis residentibus, i. in ambitione dignitatum, sed inter deserta Christum quærentibus, cœlestis gratiæ alimonia impertitur, i. qui studiose eum quærunt, & qui libenter verbum Dei audiunt, & auditum non fastidiunt. Et nota, quod congrue præcedit passio Joannis turbarum refectionem, quia defectus legis præcedit Evangelicam prædicationem. Item nota congruum ordinem. Præcedit enim mulieris curatio. *sup.* 8. Postea Apostolorum missio: deinde sequitur turbarum refectio. Et hic ordo mysterio congruit, quia primo Ecclesia in anima suscitatur, deinde prædicatores ad eam mittuntur, qui veram ei nunciant refectionem verbi Dei. *b* Dies autem, &c.] Contra senes, qui tarde recipiunt audire Theologiam, & facere pœnitentiam. *Jer.*6. Væ vobis, quia declinavit dies quia longiores factæ sunt, &c. *Mystice.* Mystice. Declinata die reficit Dominus turbas, quia circa finem sæculi, post mortem suam Dominus gentiles per Apostolos pane spirituali pavit. Et nota ordinem mysterii. Turbæ, prius verbis, & doctrina curantur, postea reficiuntur. Qui ordo mysterio congruit. Prius enim peccata remittuntur, & deinde cibus dominicæ carnis, & sanguinis participatur.

Moral. Moraliter. Declinata die culpæ, de quo *Jer.* 20. Maledicta dies, &c. Dandi sunt panes verbi Dei, vel dominici Sacramenti in deserto pœnitentiæ constitutis, unde Judæis non datur manna ante desertum. *Exod.*16. Ecce ego pluam vobis panes de cœlo. Item Elias in deserto pastus ab Angelo pane, & aqua. 3.*Reg.*19. Discipuli autem, qui dicunt [Dimitte turbas, &c.] significant Prælatos negligentes, qui permittunt subditos suos ire ad vana spectacula, vel clericos suos ad scientias vanas. Sed Dominus dicit illis: [Vos date illis manducare.] 1.*Pet.*5. Pascite qui in vobis est gregem Domini. *Jo.*22. dicitur Petro ter: Pasce, pasce, pasce: Exemplo, verbo temporali subsidio, Sed e contra fit a multis. *Zach.* 11. Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea: dicentes, benedictus Dominus, divites facti sumus. *Ezech.* 34. Non quærebant pastores gregem meum, sed pascebant semetipsos, & greges meos non pascebant. Dicit ergo. [Dies autem, &c.] Seq. *c* Et accedentes duodecim, &c.] *Ps.*77 Nunquid panem poterit dare, aut parare mensam in deserto? propter hoc ducit in desertum. Moralitas patet. Vel aliter. *d* Dimitte, &c.] Hoc dicunt pravi consiliarii Prælatis tempore caristiæ, ut dimittant pauperes, quos prius sustentabant, & minuant familiam suam. Et multi libenter acquiescunt sub fallo pallio providentiæ, suæ avaritiæ consulentes, quia ut dicitur. *Jer.*6. Omnes avaritiæ student, a Propheta, usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Sed bonus Prælatus revera dicit sicut Jacob, *Gen.*49. Simeon, & Levi fratres vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea. *e* Ait autem ad illos,] Dominus, [vos date illis manducare.] In Joanne dicitur Dominus locutus esse Philippo, & Philippus ei respondisse. Potuit esse, quod Philippus respondit ei primo, & alii postea. Hoc, quod hic dicitur, ad litteram intelligitur, Sed mystice hic insinuat Dominus, quod eorum doctrina in spirituali cibo reficiendi erant omnes, hodie namque eorum doctrina reficimur. *Moral.* Moral. *e* Ait autem ad illos,] i. Jesus ad Prælatos. *f* Vos date illis,] i. pauperibus. *g* Manducare] qui habetis bona eorum. Et ad hoc. 1. *Cor.* 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, &c. *inf.* 12. Quis putas est fidelis dispensator, &c. *h* At illi dixerunt: Non sunt, &c.] Sic fuit ad litteram. Littera satis facilis est. *Mystice.* Mystice. *i* Non sunt nobis plusquam, &c.] i. non sunt nobis redditus sufficientes. Ita se excusant multi Prælati, imo suam avaritiam, sicut illa mulier, cui dixit Elias: Affer mihi obsecro buccellam panis in manu tua, quæ respondit, vivit Dominus Deus tuus, qui non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecitho. 3. *Reg.* 17. Vel de pane spirituali dicit Dominus Prælatis, & omnibus curatis: [Vos date illis manducare.] *Is.*21. Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. *Thr.* 4. Parvuli petierunt panem, &c. [Non sunt nobis plusquam, &c.] Hoc est, quod dicunt, excusantes se, modicam scientiam habemus, non sufficimus prædicare. *Prov* 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris vires non suppetunt, qui inspector est cordis, &c.

k Nisi forte nos eamus] Parisiis ad scholas.

l Et emamus] vigilando, & studendo, & audiendo.

m In omnem hanc turbam escas,] i. scientiam, unde possumus pascere omnes, qui veniunt ad sermonem.

n Erant autem fere viri quinque millia.] Per quos significantur quinque genera hominum, qui veniunt ad sermonem, quidam ut doceantur scire, quidam ut doceantur vivere, quidam ut videantur boni esse, quidam observandi gratia, alii causa societatis, & consuetudinis.

Mystice. Item nota mysterium. Quinarius est numerus quinque sensuum. Mystice ergo per quinque millia intelliguntur, qui in sæculari habitu quinque sensibus licite utuntur. Unde quinque panibus reficiuntur, i. præceptis legis moralibus instruuntur, qui dicuntur legali timore comprimi, i. timore, quem lex incutiebat. Timor enim incutiendus est rudibus, & imperfectis. Per quinque ergo millia significantur, qui solum legis præcepta observant. Per quatuor autem millia, qui septem panibus reficiuntur: *Matth* 15. significantur perfecti, qui doctrinam Evangelicam implent in consiliis. Et nota, quod quinque millia dicuntur super fœnum discubuisse. *Jo.* 6. sed quatuor millia in alia refectione super nudam terram, & plus est terram premere, i. terrena omnia contemnere, quam super fœnum jacere, idest, mollibus delectari.

Mystice. *o* Ait autem, &c.] Mystice, ad mensam sacræ Scripturæ, ut comedant, & bibant. Comedant, ubi difficilis est Scriptura, bibant, ubi facilis. *Cant.*5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. *Chr.* Coquorum ars nusquam utilis est, sed corpori, & animæ valde nocens, mater ægritudinum, & passionum.

p Per convivia,] idest, ordinate & distincte, ut singulis porrigatur secundum capacitatem eorum. *Prov.* 5. In plateis aquas tuas divide. *Psalm.* 111. Dispersit, dedit pauperibus. *Prov.* 15. Labia sapientum disseminabunt scientiam. *q* Quinquagenos.] *Marc.*6. habetur per centenos. Utrumque potuit esse. Et ibidem habetur per contubernia, idest, prout erant contubernales, idest, de eadem civitate. Quinquagenarius numerus est remissionis, & quietis, quia in quinquagesimo anno debita remittebantur, & terra quiescebat. Unde per hoc, quod reficiendi jubentur discumbere quinquageni, significatur, quod auditores verbi Dei debent vacare curis mundanis. Unde *Eccles.* 38. Sapientiam scribe in tempore vacuitatis. Item quod remittere debent injurias sibi illatas, ut eis remittat Deus. *Matth.* 6. Dimittite, & dimittetur vobis.

Item per quinquagenos, significantur in pœnitentia manentes. Unde Psalmus quinquagesimus, pœnitentialis est. Quod autem in alio Evangelista dicitur centeni, significat illos, qui in vita perfecti solum vitam æternam

▲ desiderant,

desiderant. *a* Et ita fecerunt] discipuli, scilicet, sicut præcepit Dominus. [Et discumbere fecerunt omnes.] Sequit. *b* Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, &c.] Non leguntur ibi carnes fuisse. *Hil.* Quinque panes sunt quinque libri Moysi, quia ex operibus legis tanquam ex pane erat vita. *Beda.* Hos quinque panes accepit Dominus, non novos creavit, quia veniens in carne non alia, quæ prædicta essent, prædicavit, & opere implevit. Unde *Matth.5.* Non veni sol. &c. Per hoc etiam Manichæum confundit, qui dicit quinque libros Moysi non esse a Deo. Unde *Chrys.* Quare non creavit novos panes? Quia sciebat futuros Marcionem, & Manichæum. Similiter *Jo.2.* Vinum non creavit, sed aquam in vinum mutavit. *Aug.* Quinque panes, quinque libri Moysi, duo pisces prophetiæ, & Psalmi, austerum legis saporem temperantes, quia dum erudiunt populum de promissione Dominicæ Incarnationis, novæ gratiæ dulcedine pascunt, quasi in virtute aquæ spem consoventes humanæ vitæ. *Gen.40.* Vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in uno canistro, quod erat excelsius portare me omnes cibos regios, qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo.

al. † discumbunt.

a & ita fecerunt. Et † discumbere fecerunt omnes. Acceptis *b* autem quinque panibus, & duobus piscibus *c* respexit in cælum, *d* & benedixit illos, † *e* & fregit, *f* & distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas. Et *g* manducaverunt omnes, qui saturati sunt. Et *h* sublatum est, quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

al. † illis.

Primum canistrum lex, secundum prophetæ, tertium Psalmi, in quibus sunt omnes cibi regii, unde soliloquia appellantur. Farina est subtilis doctrina, quæ in his est, ex quo comedunt aves, idest, viri contemplativi. Sed hoc timendum est legentibus psalmos, quia ille, qui portabat hoc canistrum, tertio die post narrationem somnii suspensus fuit, sic qui psalmos narrant, ut somnia, & quasi fabulas, suspenduntur. *Psal.119.* Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Sed secundum B. *Bern.* Quinque panes sunt contritio cordis, confessio oris, jejunium, eleemosyna, & oratio. Et quia hæc dura sunt, ideo dicuntur hordeacei. *Joan.6.* Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Duo pisces sunt, unus exempla confessorum, hic est lixus, alius exempla martyrum, hic est assus. Hi duo pisces dant saporem quinque panibus. Unde *Greg.* Si exempla antiquorum patrum recolimus, nihil grave est, quod sustinemus.

Item quinque panes sunt cognitio sui, pudor commissi, dolor amissi, timor judicii, dolor inferni. Duo pisces sunt, spes, & fides, quæ prædictos panes comestibiles faciunt per saporem, quem apponunt. Quis enim illos panes comederet, nisi de venia, & gloria speraret? Et quomodo speraret, nisi Dominum benignum crederet? Et recte fides, & spes pisces dicuntur, quia sicut pisces prius exquamantur, & postea manducantur, ita fides, & spes evacuabuntur, antequam plena satietas habeatur.

Moraliter. Moraliter. Dominus dat quinque panes, idest, quinque sensuum refectionem. Dat enim præsentia, quasi panem, quo satiatur visus, omnia vana esse, & caduca cognoscens.

* *Eccles.1.* Vidi cuncta, quæ sunt sub sole, & ecce universa vanitas. *Jer.4.* Aspexi terram, & ecce vacua erat. Hoc pane satiatus erat David, cum dicebat. Averte oculos meos, ne videant vanitatem.

Item dat præterita tanquam panem, quo satiatur auditus, cum audit non esse, quæ fuerunt. Unde *Ps.77.* Quanta audivimus, & cognovimus ea.

Item dat futura tanquam panem, quo saturatur odoratus, idest, timorem. Unde *Job 39.* Procul odoratur bellum, idest, diem judicii, quem timet, antequam veniat.

Item dat bona spiritualia, & promittit cælestia, quibus saturabitur gustus in futuro, hic autem provocatur. *Psal.33.* Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.

Item saturatur tactus per flagella. Unde *Cant.5.* Venter meus, idest, conscientia mea intremuit ad tactum ejus, idest, ad flagellum Domini, reputans illud mihi accidere pro peccatis meis. Duo pisces sunt cognitio illuminans intellectum, & dilectio inflammans affectum. Cognitio tribus primis panibus dat saporem, quia cognitio præsentia intelligit, futura prævidet, & præterita recordatur. Dilectio vero duobus ultimis dat saporem, quia qui diligit Deum prægustatione bonorum cælestium etiam in flagellis Domini delectatur. Unde *2.Cor.12.* Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, &c. *Job 6.* Qui cœpit ipsemet conterat.

c Respexit in cælum.] Quare? *Chrys.* Docet nos antequam tangamus mensam, gratias agere.

Item docet totum Deo ascribere.

Unde *Hil.* Respexit in cælum honorem patris, a quo erat confessus, ut qui adessent, intelligerent, a quo tantæ virtutis assumpsit effectum, dirigentes & ipsi illuc oculos mentis.

Item ut ostenderet a Deo omne bonum esse. *Jac.1.* Omne datum optimum, &c. *Joel.1.* Omnes bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem susceperunt a te. *d* Et benedixit illos, scilicet panes prius. *e* Et fregit,] postea, q.d. cum Dominus frangeret panes, miraculose multiplicati sunt in seipsis, sine aliqua extrinsecus addita substantia.

Mystice. Mystice. Fractio panis est expositio legis, quæ dum exponitur, multiplicatur. In lege enim *Exod.20.* dicitur: Non mœchaberis, quod non solum de actu, sed de voluntate intelligitur. Unde hoc præceptum Dominus in Evangelio, ita frangendo multiplicavit, nihil tamen aliunde, quam de suo apposuit. Sed de suo addidit dicens: *Matth.5.* Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. Et hoc intelligitur de carnali fornicatione. De eodem præcepto amplius addidit, dicens: Si oculus tuus dexter scandalizat te, &c. idest, amicus tuus, quem quasi oculum diligis, &c. Hoc intelligitur de spirituali fornicatione. Nam spiritualiter fornicaris, si te amici dilectio, vel persuasio ad idololatriam impellat. Item *Matth.19.* qui dimissam a viro ducit, mœchatur. Sic ergo ex hoc præcepto: Non mœchaberis, multa surgunt præcepta, quasi multiplicia fragmenta.

Moraliter. Moraliter. Ille primo benedicit, & postea frangit, qui prius facit bonum, & postea docet illud. *Act.1.* Cœpit Jesus facere, & docere. Hinc est, quod in principio mensæ datur benedictio. Unde *1.Tim.4.* Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Hinc est, quod in principio sermonum petitur oratio auditorum. *Col.4.* Orate pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. *Esther 14.* Tribue, Domine, sermonem compositum in ore meo.

f Et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas.] Per hoc notatur, quod prædicator debet uti expositione sacræ Scripturæ facta per Sanctos. *Chrys.* Apostoli paucos panes habuerunt, & hos libenter dederunt, *Tob.4.* Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si autem exiguum, &c. *Prov.11.* Alii dividunt propria, & ditiores fiunt, alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt, nam anima, quæ benedicit, impinguabitur, &c. Qui autem abscondit frumenta, &c. *in eod.* *g* Et manducaverunt omnes, & saturati sunt,] quod non facit scientia secularis, sed magis inflat. *Agg.1.* Comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati. *Is.55.* Quare appenditis argentum vestrum, non in panibus, *infr.16.* Filius prodigus cupiebat implere ventrem suum de siliquis porcorum, quod non potest esse. Sed contra *Psalm.21.* Edent pauperes, & saturabuntur, &c. *Prov.13.* Justus comedit, & replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis. *h* Et sublatum est, quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim *4.Reg.4.* Comederunt, & superfuit. *Ambr.* Cur quinque millibus hominum plus redundat, quatuor vero minus. *Matt.15.* Quia quatuor millia triduo cum Christo fuerunt, & ideo amplius cælestis pabuli acceperunt.

Illis ergo, qui sunt modicæ capacitatis plura supersunt intelligenda, quam illis, qui sunt altioris intelligentiæ, sed tamen aliqua.

Moraliter. Moraliter. Per fragmenta significantur subtiliora, & secretiora Scripturæ, quæ a rudibus capi non possunt.

Nec sunt negligenda, sed a perfectioribus diligenter colligenda. *Exod.12.* Si quid residuum fuerit, igne comburetis.

Hæ sunt micæ, quæ cadunt de mensa Domini, quas catelli comedunt: *Matth.15.* idest, humiles. *Prov.11.* Ubi humilitas, ibi sapientia. Hæ sunt spicæ, quas Apostoli manibus confricant, & manducant. *Matthæi 12.* Per duodecim cophinos significantur duodecim Apostoli, & eorum successores, idest, Prædicatores. Cophinis enim stercora deportantur ad mundandam domum. Et hoc proprie est officium prædicatorum stercora deportare, idest, peccata ejicere, ut mundetur domus Dei, idest, anima, vel Ecclesia. *Isaiæ quadragesimo nono.* Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas Tribus Jacob, & fæces Israel convertendas. Nec debet erubescere prædicator de tali officio, quod est curare latrinas, quia idem officium habuit filius Dei. Unde *Ps.*

Ma aus ejus in cophino ſervierunt. *Iſa.43.* Servire me feciſtis in peccatis veſtris, &c. Seq. *a* Et factum eſt, &c. Hæc eſt quarta pars, in qua, quid de ſeipſo ſentiant Apoſtoli, quærit, ut vera reſponſinne eorum, falſæ vulgi opiniones deſtruantur. Lucas non dicit, in quo loco fecerit Dominus hanc quæſtionem, continuat tamen eam ſic refectioni, quaſi continuo ſecuta ſit poſt refectionem.

Quarta pars.

Et factum *a* eſt, cum ſolus eſſet *b* orans, *c* erant cum illo & diſcipuli, *d* & interrogavit illos, *e* dicens: Quem me dicunt eſſe turbæ? At illi *f* reſponderunt, & dixerunt Joannem Baptiſtã, *g* alii autem Eliam, alii vero, quia propheta unus de prioribus ſurrexit. Dixit autem *h* illis. Vos autem, *i* quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus, dixit: Chriſtum *k* Dei. At *l* ille increpans eos præcepit, ne cui dicerent hoc, dicens, quia *m* oportet filium hominis multa pati, *n* & reprobari a ſenioribus, & principibus Sacerdotum, & Scribis, & *o* occidi, & tertia die reſurgere. Dicebat *p* autem ad omnes: Si quis *q* vult poſt me venire *r* abneget ſemet-

Matt. autem 16. dicit, quod facta eſt in partibus Ceſareæ Philippi juxta locum, ubi Jordanis oritur, ut dicit *Hier.* ad radicem montis Libani, *Matth.* 8. dicit, quod facta eſt in via, cum veniret Dominus in partes Ceſareæ Philippi. Potuit autem eadem iterari, & hæc facta eſt ſtatim poſt refectionem, & poſtea in via. Vel quod hic dicitur nihil repugnat, quin facta fuerit ſemel tantum in via, ſed Lucas, quaſi breviloquus alia, quæ facta ſunt inter refectionem, & adventum Domini in partes Cæſareæ Philippi prætermittens, tantum facit mentionem de interrogatione facta in via. Per hanc interrogationem, quam fecit diſcipulis, innuitur, quod Prælati, & prædicatores parati debent eſſe quotieſcumque, & ubicumque interrogantur de fide: Nam hæc interrogatio fuit de fide. *1. Petr* 3. Parati ſemper ad ſatiſfactionem poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, fide, & ſpe reddere. *Mal.* 2. Labia Sacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, &c. *Ag.* 2. Interroga Sacerdotes lege. Dicit ergo. Et factum eſt cum ſolus eſſet. Fugerat enim facto miraculo, quia volebant eum rapere, ut facerent eum regem, ſicut dicitur. *Joan.*6. videbatur enim eis, quod ſub tali rege egere non poſſent. *Chryſ.* quanta gaſtrimargiæ tyrannis, non ultra vindicant legem, & ſabbata omnia ejecta ſunt, ventre eis repleto. Fugit etiam, ut doceret de factis propriis non quærere gloriam hominum. Unde *Aug. ſup. Joan.* Fugit Dominus ad exemplum fugiendæ vanæ gloriæ, & inſinuans, quod altitudo ſua non poteſt intelligi. *b* Orans.] *Chryſ.* Pro illis, quos paverat, ut & diſcipuli ejus, ſibi interroganti verum profeſſionem proferrent de eo, quis eſſet. *c* Erant cum illo, &c.] Quomodo ergo ſolus? Reſpondeo, ſine turba, vel primo fuit ſolus in oratione, poſtea venit ad diſcipulos, quos dimiſerat. Aliqui movent hanc quæſtionem taliter, quomodo potuit eſſe ſolus in via, cum eſſent cum eo Apoſtoli? *Aug. in lib. de concord. evang.* dicit quod hæc quæſtio poteſt movere illum, qui nunquam oravit in via. Chriſtus enim ſolus potuit orare. Hæc tamen quæſtio hic non habet locum, non enim erant cum eo diſcipuli, quando orabat, ſicut prædictum eſt, & ſicut in *Jo.*6. legitur. Nota *Gl. Amb.* Poſt miraculum autem, &c. *inf.* Ipſe autem ſolus orat patrem. Poſſunt enim ſancti, &c. Quaſi hæc duo, quantum ad myſterium conjuncta ſunt, licet disjuncta ſint, quantum ad hiſtoriam. Sed myſtice, Sancti poſſunt eſſe cum Domino, ideſt, ei adhærere fide & dilectione, ita tamen, quod ipſe ſolus ſit, cum orat, quia ſolus paterna novit arcana, ita ſolus, quod nondum novit, orat. *Rom.*8. Neſcimus, quid oremus prout oportet. Seq. *ibid.* Cum diſcipulis autem non reperitur oraſſe, &c. Contra imo dicitur hic. Factum eſt autem, cum eſſet ſolus, erant & diſcipuli ejus cum eo. Item *Matth.*26. Reſpondeo ad primum, dicendum, quod facto miraculo panum aſcendit in montem ſolus, & ſolus ibi oravit, ut dicitur *Joan.*6. Poſtea vero venit ipſe ad diſcipulos, qui jam aſcenderant naviculam ex ejus juſſione, ut dicitur *Matt.* 14. Ad ſecundum dicendum, quod quando Dominus oravit in monte, aſſumptis Petro, Jacobo, & Joanne, ſeparavit ſe ab illis per jactum lapidis, ut dicitur *inf.* 22. Sequitur. *d* Et interrogavit illos,] intellige longe poſt orationem, & poſt reditum ad eos. *e* Dicens, quem me dicunt eſſe turbæ?] Bene dicit, turbæ, quia varias de Chriſto habebant opiniones. Seorſum autem vult audire ſententiam turbarum, & ſeorſum diſcipulos, ne videantur diſcipuli ſententiam habuiſſe a turbis. Sic debet Prælatus quærere

Matth. 8.

a collateralibus ſuis. Sed de cetero non haberet præbendam, qui diceret veritatem, ſi quis diceret ei, tu es Herodes, aut Pharao occidens, ſeu mergens pueros in aquis divitiarum, præbendas eis conferendo, ſtatim exiret aulam, quia vult eſſe pius] ideſt, verax. *Prov.*29. Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes miniſtros habet impios. *Matt.*11. Ecce, qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. *f* At illi reſponderunt, &c.] ſup. dicunt aliqui te eſſe. *g* Alii autem Eliam, alii vero, quia Propheta, &c.] i. Eliſeus, vel Jeremias. *Amb.* Opinio de Joanne ideo fortaſſe erat, quia in matris utero poſitus Domini præſentiam ſentiebat, *ſup.* 1. De Elia, quia raptus eſt ad cælum. 4. *Reg.* 2. Et venturus creditur. *Mal.ult.* De Jerem. quia in matris utero ſanctificatus eſt. *Jer.* 1. *Hier.* Quærenti, quare hæc opinio fuerit de Elia, vel Jeremia, vel Joanne, reſpondemus, quia alieni erroris non eſt noſtrum reddere rationem. *h* Dicit autem illis, vos autem] qui non eſtis de turbis. *i* Quem me eſſe dicitis, &c. *Ambr.* Non populi expectans ſententiam, ſed ſuam promit. *Beda*. Unus pro omnibus, & præ omnibus, quia ſenior, & princeps Apoſtolorum. *k* Dixit Chriſtum Dei.] *Hil.* Fides Petri Dei filium, & hominem videns utrumque complexus eſt, dicens Chriſtum Dei. *l* At ille increpans eos præcepit, ne cui dicerent hoc, dicens, quia &c.] Septem rationes aſſignat *Amb. in Gl.* quare prohibuit Dominus diſcipulis, ne dicerent ipſum eſſe filium Dei. Prima, ut fallat mundi principem. Secunda, ut doceat humilitatem. Tertia, ut vitet jactantiam. Quarta, ne adhuc rudes diſcipuli majori prædicationis mole premerentur, quia ſi ante reſurrectionem filium Dei eſſe prædicarent, incumberet eis probatio, & neſcirent hoc probare, quia rudes erant nondum roborati virtute Spiritus ex alto, nondum eis ſuggeſſerat omnia. Poſt Aſcenſionem vero accepto Spiritu ſancto ad id probandum, plura habuerunt argumenta, ſcilicet, quia reſurrexit, & quia aſcendit. Unde quinta ratio eſt, quia peracto Paſſionis Sacramento opportunius prædicabitur filius Dei, cum jam fuerit immortalis.

*Matth.*16. *Marc.* 8.

Sexta, quia tunc non prodeſſet eum publice prædicare filium Dei, quem mox viſuri eſſent flagellatum, & crucifixum. Septima, tunc prohibentur evangelizare Dei filium, ut poſtea evangelizent crucifixum. *m* Quia oportet filium hominis multa pati.] Ergo, qui non patitur multa, non eſt filius hominis, nec ſimilis filio hominis, *inf. ult.* Nonne oportuit Chriſtum pati, &c. *n* Et reprobari a ſenioribus, & principibus Sacerdotum, & Scribis.] Ab iſtis, qui erant in lege honorabiliores plura paſſus eſt Dominus a quibus potius debuit honorari. *o* Et occidi, & tertia die reſurgere. *Oſee* 6. Vivificabit nos poſt duos dies, & tertia die ſuſcitabit nos. *p* Dicebat autem, &c.] Quinta pars capitis. Poſtquam diſcipulos de paſſione ſua præmonuit, docet eos generaliter, quid faciendum ſit tempore pacis, quid tempore perſecutionis. Tempore pacis caro eſt jejuniis, & vigiliis, & hujuſmodi refrænanda. Tempore perſecutionis morti, ſi neceſſe eſt, exponenda eſt anima.

Quinta pars.

Unde *Beda*. Sicut perſecutionis tempore ponenda eſt anima, ita in pace ſunt deſideria terrena refrænanda, ut quanto videtur homo ſecurior, tanto ſit ad ſui cuſtodiam ſolicitior.

Nota tamen, quod ea, quæ hic dicuntur, quantum ad myſterium omnibus congruunt, quantum ad hiſtoriam ſpecialiter invitat primitivam Eccleſiam ad tolerantiam martyrii.

Unde dicit: Dicebat autem ad omnes. *Chryſ.* Agonotheta, ſi amicum habet, non vult eum gratis coronare, ſed pro propriis laboribus, & propter hoc maxime, quia diligit eum. *q* Si quis vult,] q.d. nullum cogo, ſed voluntarie venientem illum ſuſcipio.

Unde *Chryſ.* Si quis aurum daret, aut theſaurum proponeret, non vocaret cum violentia, ſed voluntarie currerent homines, multo magis, quæ ſunt in cælis. Si enim natura rerum non perſuadet tibi currere, nec dignus es accipere, ideo non cogo, ſed ſi quis vult venire poſt me, hunc voco. Dicit ergo: [Si quis vult venire poſt me, non poſt mea. *Eccleſ.* 31. Beatus dives, qui inventus eſt ſine macula, qui poſt aurum non abiit.

Item poſt me venire, non præire, ut Petrus. *Matt.* 16. Vade poſt me Satana. *r* Abneget ſemetipſum,] pro me vitam propriam vilipendat.

Aliter.

▲ Et tollat. Aliter exponitur. *r* Abneget ſemetipſum,] i. vetuſtatem ſuam abjiciat, & ſeipſum excedat, ut ſic ad Deum accedat: Aliter non poteſt quis ad Deum aſcendere, niſi ſuper ſeipſum aſcendat. Sicut aliquis non poteſt

ϴ rem

a Et tollat crucem suam quotidie,] idest, martyrium subeat. *Chrys.* Non dixit, neget, sed abneget, parva hac additione multam ostendens superabundantiam, usq; ad quantum oporteat abnegare se, scilicet usque ad mortem exprobrabilissimam. Sic exponitur, quantum pro tempore martyrii. *c* Et sequatur me.] *Chrys.* Sunt qui diabolum sequuntur, & patiuntur propter ipsũ, & animas tradunt, & quam verendum est Christi professoribus non eamdem ostendere fortitudinem.

b Perdet eam, scilicet vitam præsentem, i. perditioni exponet in præsenti propter Deum. *Act.* 20. Paratus sum non solum alligari pro Christo, sed & mori, non enim facio animam meam pretiosiorem me. *i* Nam qui perdiderit animam suam propter me, idest, vitam præsentem perditioni exposuerit. *k* Salvam faciet illam,] i. animam proprie sumptam. *Hil. sup. Matth.* 16. Frumentum, si servas, perdis, si seminas, renovas. *Chr.* In præliis sensibilibus, qui paratior est ad occisionem probior est, & hostibus terribilior, quamvis rex non possit eum suscitare post mortem, quanto magis hic, ubi tanta spes resurrectionis. Sed nos sumus similes his, qui metalla fodiunt suo periculo, sed aliorum utilitate.

ipsum, & *a* tollat *b* crucem *c* suam *d* quotidie, *e* & sequatur me. *f* Qui enim voluerit animã suam *g* salvam facere, *h* perdet † eam. Nam qui *i* perdiderit animam suam propter me, *k* salvam faciet illam. *l* Quid enim proficit homini, si lucretur universum mundũ, seipsum *m* autem perdat, *n* & detrimentum sui faciat? Nam qui *o* me erubuerit, *p* & meos sermones, & hunc filius hominis erubescet, cum *q* venerit in majestate sua, & patris, & sanctorum Angelorum, *r* Dico autem vobis, vere sunt *s* aliqui hic *t* stantes, qui non gustabunt mortem, *u* donec videant regnum Dei.

Mat. 16. Alias.

Mare 8.

D

Matth. 16. Marc. 9.

O rem, quæ supra se est localiter attingere, nisi supra seipsum ascendat. Unde *Gl.* Nisi quis, &c. *Col.* 3. expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis. Item abneget semetipsum, se, sua, suos. Hoc innuitur per duplex pronomen, & syllabicam adjectionem. Vel sensum, affectum, & intellectum. *Chr.* Abneget, nihil commune habeat ad seipsum, & sicut alio faciente, sic disponatur.

a Et tollat] supra se pro cælestibus, non trahat juxta terram pro temporalibus. Item. Tollat, spontaneus non portet invitus. *Matth.* 11. Tollite jugum meum super vos. *b* Crucem] mortificationis, & compassionis tempore pacis, crucem passionis tempore persecutionis. *Gal.* 2. Christo confixus sum cruci. *c* Suam,] non alienam. *Gal.* 6. Unusquisque onus suum portabit. *Chr.* Suam dicit, ne putes Christi crucem sufficere sine tua. *d* Quotidie,] idest, perseveranter. *Matth.* 10. qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. 1. *Cor.* 15. quotidie morior propter gloriam vestram fratres. *Chrys.* Nullus verecundetur crucem, circumferamus eam, ut coronam: Etenim omnia, quæ secundum nos sunt, per crucem perficiuntur regeneratio, consecratio. Propter hoc in domo, & in muris, & in januis, & in rationibus, & in mente scribamus eam. Item *Chrys.* Non simpliciter digito crucem insignire oportet, sed electione, & fide. Si ita insignaveris vultui tuo, nullus prope stare poterit dæmonum videns ensem, in quo vulnus accepit. Et ita crux dæmones non terribiles, sed contemptibiles facit. *e* Et sequatur me] faciendo, quod facit, vel sustinendo, quod sustinet ex charitate. *Chrys.* Sobrietatem, & mansuetudinem ostendere, & omnem patientiam, hoc est sequi Christum, ut oportet. Quidam portant crucem propter ambitionem, & significantur per Absalon suspensum in quercu. 2. *Reg.* 18. *B. Bern.* O ambitio ambitiosorum crux, quomodo omnes torques, & omnibus places? Alii portant propter laudem hominum, ut hypocritæ, significati per pistorem Pharaonis. *Gen.* 40 Alii propter erubescentiam, vel invidiam significati per Aman: *Esther* 7. Alii inviti, significati per Simonem Cyrenæum: *Matth.* 27. alii cum murmuratione, significati per latronem sinistrum, *infr.* 23. nullus istorum sequitur Dominum, sed tamen ille, qui propter Dei gloriam, & salutem propriam, & proximi utilitatem. *Eccl.* 23. gloria magna est sequi Dominum. Adam per esum ligni tria perdidit. Libertatem, quia qui facit peccatum, servus est peccati. *Jo.* 8. Item felicitatem, quia miseros facit peccatum populos. *Prov.* 14. Item dignitatem, quia si stetisset, futurus erat comes Angelorum, sine morte media. Hæc tria docet hic Dominus recuperari, si volumus. Libertatem, cum dicit: Abneget semetipsum. Felicitatem, cum dicit: Tollat crucem suam. Dignitatem, cum dicit. Et sequatur me. *Greg. in Gl.* Nisi quis a semetipso deficiat, ad eum, qui super se est, non appropinquat. Item nota breviter in his tribus verbis: Abneget, tollat crucem, & sequatur me, est perfectio Christianæ religionis, q. d. declinet a malo, & faciat bonum, & hoc ex charitate. Hoc ultimum dico propter quosdam Philosophos, qui mundum contemnebant, sed non ex charitate: ideo duobus præmissis addendum est tertium, scilicet sequi Dominum. Item abneget se in prosperitate, tollat crucem in adversitate patienter sustinendo, & sequatur Dominum in vera dilectione. Seq. *f* Qui enim voluerit, &c.] Duobus modis exponitur hoc. Primo sic: Qui voluerit animam suam,] i. vitam præsentem. *g* Salvam facere,] i. in præsenti custodire, martyrium declinando, vel corpus suum in pœnitentia non macerando. *h* Perdet eam] in futuro, i. animam suam. Et est simplex relatio: Qui voluerit servare vitam, perdet vitam, scilicet, qui voluerit servare temporalem, perdet æternam. Secundo sic. *f* Qui voluerit animam suam salvam facere] in futuro,

l Quid enim, &c. Continua, q. d. Dominus, pro me debetis animam donare tempore persecutionis, & debetis etiam vitare lucra temporalia: Quid enim proficit homini, si lucretur universum mundum? *Chrysost.* Milites sumus, quid ea, quæ cauponum sunt, tractamus? *m* Seipsum autem perdat] secundum quod rationalis homo est deditus sensualitati. *Chr.* Si videris famulum in deliciis teipsum in malis, quid lucraris. Et ita nihil ad dominam non lætantem ancillę prosperitas, i. carnis. *n* Et detrimentum sui faciat?] q. d. nihil ei prodest, imo nocebit ei, quia quanto ditior fuerit, magis torquebitur in morte, & gravius punietur in inferno, quia magnæ divitiæ non possunt haberi ab homine absque peccato. Unde *Aug.* Omnis dives aut iniquus, aut iniqui hæres, i. aut male acquisivit, aut male possidet. *Eccl.* 11. Si fueris dives, non eris immunis a peccato. *Job* 17. Dives cum dormierit, nihil secum anferet, aperiet oculos suos, & nihil inveniet. *Psal.* 48. Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, quoniam, &c. 1. *Tim.* 6. Nihil intulimus in hunc mundum haud, &c. Ideo dicit *Isid.* Si haberes sapientiam Salomonis, si pulchritudinem Absalonis, si fortitudinem Samsonis, si longævitatem Henoch, si divitias Anchi, potestatem Octaviani, quid prodesset tibi, si tandem caro daretur vermibus, anima dæmonibus cum divite crucianda, sine fine? *Aug. in lib. Prosperi.* Multa nos in facultatibus nostris habere superflua probavimus, si necessaria sola retineamus, nam vana quærentibus nihil sufficit, alienorum vero quodammodo detentor est, qui pro futura pauperibus inutiliter retinet. *o* Nam, qui erubuerit,] i. erubescibilia de me confiteri noluerit. *Beda.* Non sufficit ad probationem fidei vox professionis, quam defendit a verecundia professio generalitatis. Summa est, quod non sufficit ea confiteri, quæ omnes generaliter confitentur. Nam generalitas ab eis erubescentiam excludit: Nunquam fuit erubescibile confiteri Deum unum, sed quandoque fuit erubescibile confiteri Deum trinum, & humanatum. Hæc ergo erubescibilia confitenda sunt. *p* Et] qui, supple, erubuerit, meos sermones, hunc filius hominis erubescet. *Gloss.* idest, abjiciet, per simile, idest, expellet consortio bonorum. *q* Cum venerit in majestate sua, &c.] in secundo adventu, quando veniet cum potestate magna, & majestate, ut dicitur *Matth.* 24. Et Angeli, & Apostoli, & omnes sancti cum eo. *Is.* 3. Veniet Dominus ad judicium cum senibus populi sui. *Beda.* Sunt qui dicunt, nos non erubescimus Deum confiteri. Sed ad probationem fidei non sufficit vox confessionis, dum dedignantur injurias tolerare, dum erubescunt, si jurgium contigerit priores satisfacere. *Chrys.* Si sufficeret fides cordis, quare creasset Deus os. *r* Dico autem] Quia invitaverat Ecclesiam ad tolerantiam martyrii, proponit ei solatium refrigerii, quia enim durum erat tolerare martyrium, condignum erat, si subderet solatium. Ecclesia enim prius patitur martyrium, deinceps habitura refrigerium.

Unde transivimus per ignem, aquam, & induxisti nos in refrigerium. Promittit ergo eis dicens: Dico autem vobis; vere sunt aliqui, &c. Vere sunt, qui habent esse naturæ, sine diminutione, & esse gratiæ cum bona voluntate, & vivaci ratione.

s Aliqui] *Chr.* Non designat eos ex nomine, ne ceteri humanum quid patiantur. *t* Hic stantes, qui non gustabunt mortem] temporalem, quæ est quasi quidam gustus respectu mortis æternæ *Ambr.* A sanctis mors, quasi libando gustatur, vitam vero possidet in futuro. *u* Donec videatur

rant regnum Dei.] *Glos.* Glorificationem corporis in transfiguratione in monte, idest, quamdam imaginariam repræsentationem futuræ beatitudinis. Vel, regnum Dei, idest, Ecclesiam regnantem, & dilatatam. Quidam enim ex his hoc viderunt, scilicet Joannes, qui multo tempore post omnes alios vixit, & vidit Ecclesiæ dilatationem, *a* Factum est autem, &c. Sexta pars cap, in qua ponitur Christi transfiguratio. Et congruo ordine, quia in præcedenti parte invitavit Dominus discipulos ad sui imitationem, ut sicut ipse positurus erat animam suã pro ipsis, ita & ipsi parati essent animã morti exponere pro ipso. Quod quia durum videbatur infirmis, eorum infirmitatem confortat gloriæ suæ demonstratione. Visa enim specie futuræ gloriæ licet in transitu, fortiores tamen redduntur videntes contra adversa. Promisit autem eis ibi: Vere sunt aliqui, &c. Hic autem exolvit eis promissum. Dicit ergo. Factum est autem, &c. *Chr.* Disputans de gehenna, & regnu, regnum ostendit, gehennam non adiit. Factum est autem post hæc verba, quæ prædicta sunt, scilicet. Vere sunt hic aliqui, &c. *b* Fere dies octo.] *Matt.* 17. & *Marc.* 9. dicunt; Post sex dies, ab illo, scilicet, die, quo promisit discipulis: Dico autem vobis, vere sunt hic aliqui, &c. Sed *Matt.* & *Marc.* tantum sex dies medios numerant: Lucas vero addit, & primum, quo promisit, & ultimum, quo persolvit, ideo dicit [fere. Et utrobique. Idem mysterium designatur, in *Matt.* & *Marc.* post sex mundi ætates quiescendum esse ab omni labore significant, per hoc, quod dicunt: Post sex dies: Lucas vero octava ætate innuit resurgendum Sed quærit *Chr.* Quare tantum expectavit ducere Dominus discipulos in montem? Ut vehementius desiderarent ostensionem, quæ licet corporalis, tamen concupiscentiam habebat. *c* Et assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem.] *Chr.* Quare hos elegit præ ceteris? Propter eminentiam. Et *Hier.* in tribus vocatis Apostolis ostenditur privilegium dignitatis. Et hoc dicunt tres, *Interl.* *d* Petrum, qui claves cælorum accepit. *Matt.* 16. *e* Jacobum, qui primus solium sacerdotale accepit. *f* Et Joannem] cui mater committitur. *Jo.* 19. *Beda.* Tres tantum ducit, quia multi, vocati pauci vere electi. *Matth.* 20. Et qui fidem sanctæ Trinitatis inviolatam servant, æterna merentur visione lætari. De Petro, & Joanne non est quæstio, sed de Jacobo videtur ambiguum, quia dicit *Interl.* Qui primus solium sacerdotale accepit: Ergo iste fuit Jacobus Alphæi, qui fuit Episcopos Jerosolymitanus. Idem dicit *Aug. sup. ep. ad Gal.* Contra *Matt.* 17. dicit Jacobum, Ergo fuit Jacobus Zebedæi. Sol. *Ambr.* vocat solium sacerdotale, idest, cælum, quod est solium sacerdotale, s. veri Sacerdotis, scilicet Christi, qui omnes suos facit & reges, & Sacerdotes: *Apoc.* 1. quo inter Apostolos primus ascendit Jacobus Zebedæi. *Act.* 12. Et dico primus inter Apostolos, quia Stephanus ante omnes Apostolos per martyrium intravit in regnum cælorum. Alii appellant solium sacerdotale martyrium. Et eodem modo verum est, quia primus inter Apostolos Jacobus Zebedæi martyrium subiit. *g* Et assumptis illis, ascendit in montem, ut oraret.] Locus solitarius aptus est orationi. *h* Et factum est, &c.] idest, alterata. *Jer.* Non substantiam carnis amisit, sed gloriam futuræ resurrectionis ostendit. *i* Et vestitus ejus, &c.] *Gl.* Sicut sol *Matth.* 17. *Chrys.* Tantum splendoris apparuit, quantum poterant ferre. De ista transfiguratione Domini, variæ sunt opiniones, qualiter scilicet tanta gloria immortalitatis potuit apparere in corpore Domini adhuc mortali. Sed breviter dicendum: Credendum enim est, quod sicut post resurrectionem miraculose ostendit cicatrices in corpore immortali, ita miraculose ostendit gloriam immortalitatis in corpore mortali. Moraliter. Transfiguratio Christi significat hominis transfigurationem triplicem, ad quam nos invitat hic, & ideo tantum secum tres discipulos assumpsit coram quibus transfiguratus est. Prima est susceptio pœnitentiæ, per quam fit transitus de statu culpæ ad statum gratiæ. Hæc est incipientium. Secunda est profectus justitiæ, per quam fit transitus de virtute in virtutem: Hæc est proficientium. Tertia est inquisitio contemplationis, per quam fit transitus de mundo ad claustrum: Hæc est perfectorum: In prima transfiguratur bestia in hominem. In secunda transfiguratur puer in senem. In tertia transfiguratur homo in Angelum. Quælibet istarum transfigurationum fit post octo dies. Primus dies primæ transfigurationis est status sui consideratio. Hæc est prima dies mundi, in qua fit chaos, idest, confusio mentis. Secundus dies, est cordis contritio. Et hæc est secunda dies mundi, in qua fit firmamentum dividens aquas ab aquis. Tertius dies est bonum propositum. Et hæc est tertia dies mundi, in qua aquæ inferiores non congregantur in unum, & vocantur maria. Quartus dies est oris confessio. Et hæc est quarta dies mundi, in qua fiunt in cælo luminaria per confessoris instructionem. Quintus dies est operis satisfactio. Et hæc est quinta dies mundi, in qua fiunt pisces maris, & aves aeris, idest, amari cordis gemitus, & devotæ orationes, quæ sunt partes satisfactionis. Sextus dies est cautela providentiæ contra residuum, & diaboli astutias, quia Pharao contemptus surgit in scandala, & persequitur filios Israel de Ægypto in terram promissionis fugientes. Et hæc est sexta dies mundi, in qua fit homo rationalis. Septima dies est contemptus omnium terrenorum. Et hæc est septima dies mundi, in qua Dominus requievit ab omni opere, quod patrarat. Octava dies est mentis securitas, cordis jucunditas, conscientiæ tranquillitas. Quæ se invicem complectuntur hoc modo: Secura jucunditas atque tranquillitas. Item jucunda securitas, atque tranquillitas. Item tranquilla securitas, atque jucunditas. Et in hac die transfiguratus est homo, & Dominum transfiguratum videt. Octo dies secundæ transfigurationis sunt octo virtutes, quarum administratio est vera transfiguratio. Unde 2. *Petr.* 1. Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia, pietatem, in pietate fraternitatis amorem, in amore fraternitatis charitatem. In hac ultima die transfiguratus est homo, & vidit Dominum transfiguratum coram se. Unde dicit Petrus *in eod. cap.* Hæc si vobiscum adsunt non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri cognitione. Octo dies tertiæ transfigurationis sunt octo genera cognitionum. Primum est in sensu secundum imaginationem, quæ utitur mundo ad Dei cognitionem tanquam speculo, ut quando considerat creaturas mundi, & in illis speculatur potentiam, & sapientiam, & clementiam creatoris cum admiratione, & veneratione. De qua loquitur *Apost. Rom.* 1. invisibilia Dei, &c. *Sap.* 14. A magnitudine speciei, & creaturæ poterit cognoscibiliter creator horum videri. Secundum est in imaginationem, & secundum imaginationem, quæ non mundo, sed mundi imagine utitur, ut speculo ad Dei cognitionem, & admirationem, ubi mens libere huc illucque discurrit, quo in hoc speculi genere cogitatio, & admiratio rapit. Ad hoc genus pertinent imaginariæ visiones prophetarum. Tertium formatur in imaginatione secundum rationem, quod fit, quando ratio imaginationis quæritur, & cum admiratione invenitur. Quartum formatur in ratione secundum imaginationem, quod fit, quando per rerum visibilium similitudinem in rerum invisibilium speculatione ratio sublevatur. Quintum formatur in ratione secundum rationem, quod fit, quando ex quibusdam cognitis alia incognita ratiocinando colligit mens humana. Sextum est supra rationem, non tamen præter rationem, quando scilicet animus per mentis sublevationem cernit, quod naturæ metas transcendit, & ei, quod per intelligentiæ aciem cernitur, ratio acquiescit. Septimum est supra rationem, & contra rationem. Hæc est speculatio fidei. Octavum est extasis, sive raptus, ubi divina revelata facie, cum quodam tamen nubilo speculantur. In hoc genere transfiguratus Jesus in monte conspicitur cum attestatione Moysi, & Eliæ, idest, Scripturarum auctoritate attestante, sine quibus suspecta esset homini revelatio. Hic ad tonitruum divinæ vocis auditor cadit, idest, humana ratio deficit, & sensus, atque memoria. Unde dicitur *Matth.* 17. Audientes discipuli ceciderunt in faciem suam. Per casum trium discipulorum, sensus, memoriæ, rationis defectus significatur, ibi moritur Rachel in partu Benjamin. *Gen.* 35. Rachel interpretatur videns principium, hæc est ratio. Benjamin filius dextræ intuitu contemplationis. Ibi Paulus lucis circumfulgentia excæcatur: *Act.* 9. Unde dicitur *Matth.* 17. Quod patre loquente nubes lucida obumbravit eos. Nubes propter mentis reverberationem, lucida propter intelligentiæ illustrationem. Dicit ergo. *a* Factum est autem, &c. assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem,] per hos tres

b Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera.] Sic cujuslibet orantis veraciter facies alteratur, quia ipsa oratio pars est spiritualis transfigurationis, ut diximus. *Exod.* 34. Ignorabat Moyses, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Duo cornua, quæ assumit homo in oratione, sunt contemptus terrenorum, & desiderium cælestium.

i Et vestitus ejus albus refulgens.] Mystice. Species vultus Christi est divinitas. *Exod.* 33. Videbis posteriora mea

Sexta pars.

B. Bernard. Cogitatio est improvidus animi aspectus ad evagationem pronus. Meditatio est studiosa mentis intentio circa aliquid investigandu diligenter insistens. Contemplatio est libera mentis perspicacia in sapientiæ specula cum admiratione suspensa.

Hic competenter potest locus iste dici ...

Moraliter.

Nota, quia nec numerus festium nec locus ipse in quo transfiguratio facta est, a mysterio vacat.

Expositio lit.

Mystice.

bus, & refulgens. Et *a* ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, & Elias visi in majestate, *b* & dicebant excessum ejus, *c* quem completurus erat in Jerusalem. *d* Petrus vero, & qui cum illo erant, *e* gravati erant somno. Et *f* evigilantes viderunt *g* majestatem ejus, *h* & duos viros, qui stabant cum illo.

ses, omnes electi significantur. Per Petrum conjugati, per Jacobum continentes, seu pœnitentes, per Joannem virgines, seu claustrales. Hos solos assumit in montem, & ducit in montem, quia hi soli salvabuntur, & in montem gloriæ deducentur. *Exod.* 15. Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, &c. *Ezech.* 14. Si fuerint hi tres viri in medio ejus, Noe, Daniel, Job, ipsi, &c. Petrus, Prælati, Jacobus, activi, Joannes, contemplativi. Item per hoc innuitur, quod qui vult transfigurari in monte gloriæ, oportet quod habeat secum Petrum, id est, cognitionem Dei, sui, & proximi. Cognitio Dei cavet desperationem, cognitio sui vitat præsumptionem, cognitio proximi movet ad compassionem. Item oportet, quod habeat Jacobum, idest, luctam, contra mundum, contra carnem contra diabolum. *Exod.* 3. Scio, quod Rex Ægypti non dimittet vos, nisi in manu valida. Nec Jacob Angeli benedictionem habuit, nisi post luctam: *Gen.* 32. 2. *Tim.* 2. Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Item oportet, quod habeat Joannem, idest, gratiam, sine qua nec cognitio, nec lucta aliquid valet. Unde 1. *Cor.* 13. si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, etsi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem, &c. Et *infr.* Si distribuero omnes facultates meas, &c. Et si tradidero, &c. Hoc quoad luctam. Item per hoc, quod dicitur: Ascendit in montem, ut oraret, innuit, quod qui vult efficaciter orare, debet mentem ad superna levare, & gloriam non in mundo, sed in cælo quærere. *Coloss.* 3. Si consurrexistis cum Christo, &c.

Mystice. O mea, faciem autem meam videre non poteris. Vestitus ejus est humanitas. *Isa.* 63. Quare rubrum est indumentum tuum, &c.

Moraliter. Species vultus Christi est cœtus Prælatorum, qui in oratione debent fieri, sicut Sol ferventes, & lucentes, *Eccles.* 27. Homo sensatus in sapientia manet, sicut Sol. *Eccl.* 8. Sapientia hominis lucet in vultu ejus. Vestitus ejus est cœtus omnium justorum, quibus quasi vestimento vario vestitur Dominus, Martyres sunt vestis rubea: Confessores vestis lucida: Virgines vestis alba. *Isa.* 49. Vivo ego dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris. Est & Dominus vestis justorum. *Gal.* 3. Quotquot baptizati estis, Christum induistis. *Job* 40. Esto gloriosus, & speciosis induere vestibus. Est autem vestitus Domini albus per innocentiam, refulgens per bonum exemplum. *Job* 15. Quis est homo, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere? *Cant.* 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus. Sequitur. *a* Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem, &c.] idest, in transfiguratione, vel in loco, in quo apparuit majestas Dei, non quod ipsi in majestate apparuerunt. De Moyse, & Elia variæ sunt opiniones, quomodo apparuit anima in suo corpore, vel alieno. *Rab.* Tua mens tantum ea consortio corporis invenitur in loco. Joannes Scotus, Elias non in suo corpore, non in aliqua sensibili materia aliunde assumpta apparuit, sed quadam ineffabili virtute soli Deo cognita, invisibilis spiritus visibilis factus est. Aliter *Ambr. Gloss.* Sciendum non corpora, vel animas Eliæ, & Moysi apparuisse, sed ex aliqua subjecta creatura illa corpora fuisse formata. Potest etiam credi angelico ministerio illud factum esse, ut Angeli eorum personas assumerent. *Chrys.* Nulla anima in inferno locata inde exivit, nisi Christo ad inferos descendente: Itaque credibile est animam Lazari ad inferos non descendisse jam suscitandi. Sed quare hos magis assumpsit, quam alios? *Chrys.* Quia dixerat: si quis vult post me venire, tollat Crucem suam, Moysen, & Eliam, qui pro plebe se tradiderant, in medium ducit. Etenim ad tyrannos uterque liberam præsentiam habuit, & pro ingratis hominibus uterque idiota, uterque renuncians possessionibus. *Hieron.* Dat Dominus signum de cælo, Elia inde descendente, quo ascenderat, & Moyse ab inferis resurgente, quo descenderat. *Isa.* 7. Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Ecce multæ rationes, quare cum Domino apparuerunt Moyses, & Elias. Prima, quia pro plebe se morti exposuerunt. Secunda, quia simplices fuerunt. Tertia, quia omnibus abrenunciaverunt. Quarta in testimonium, alter de cælo, alter de inferno, tertius testis fuit de terra, scilicet, Apostoli. Et omnes isti venient ad judicium, de cælo, de inferno, de mundo. *Phil. c.* 2. Ut in nomine ejus omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Quinta ratio est, quia turbæ dixerant, Christum esse, alii Eliam, alii Joannem Baptistam, *supr. eodem.* Sexta, ut appareret servorum, & Domini differentia. Septima, quia dicebant Christum esse transgressorem legis, quasi inimicum Moysi, & ideo legislator Moyses, & legis zelator Elias, quasi testes, & amici cum eo apparuerunt. Octava, quia volebat Apostolos fieri mansuetos, ut Moyses, & Zelantes, ut Elias. Nona, ut discerent Apostoli ipsum Christum mortis, & vitæ habere potestatem, ideo unus vivus, & unus mortuus cum eo apparuerunt. Decima, ut ostenderetur Christus moriturus, & iterum victurus, ideo unus vivus, & alter mortuus apparuerunt. *Apoc. cap.* 1. Ego sum vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum. Undecima, ut nos si volumus esse cum eo in monte, simus vivi, & mortui simul, vivi Deo, mortui mundo. *Coloss. c.* 3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Duodecima, quia uterque oravit pro peccatoribus, & persecutoribus suis. Moyses: *Num. c.* 12. Elias 3. *Reg.* 18. Tertiadecima, quia Moyses, & Elias omnes regeneratos significant, Moyses mortuus, jam mortuos: Elias vivos, qui vivi reperientur. Quartadecima, quia significant duas regenerationes. Moyses enim aquaticus interpretatur, & significat illam, quæ fit in aqua baptismi. Elias interpretatur ascendens Dominus, & significat secundam, quæ fiet in fine mundi, in qua omnes boni ascendent cum Domino. Quintadecima, ut doceret quales socios debent habere Prælati. *Psalm.* 100. Ambulans in via immaculata, &c. *Seneca.* Cum his versare, qui te meliorem facturi sunt.

b Et dicebant excessum ejus,] idest, excellentem ejus humilitatem, qua usque ad mortem Crucis se humiliavit. *Threnorum cap.* 3. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ.

c Quem completurus erat in Jerusalem,] ut sic impleretur illud propheticum: Operatus est salutem in medio terræ.

d Petrus vero, & qui cum illo erant gravati erant somno] Forte cum eo pernoctaverant in oratione. Secundum *Chrysost.* & *Ambros.* somnum vocat Lucas reverberationem, seu repressionem oculorum discipulorum ex splendore incomprehensibilis claritatis demonstratæ, Unde *Chrysostom.* Oculi ex superabundantia luminis obtenebrantur. Et Philosophus. Excellentia corrumpit sensus. In quo notatur fragilitas humanæ conditionis, quam per peccatum primorum parentum incurrit. Unde *Gregorius.* In quantam miseriam cecidit homo, lumen, ad quod natus est, videre non potest. Dicit ergo:

e Gravati erant somno,] idest, depressi nimio splendore demonstratæ claritatis.

f Et evigilantes] idest, a Domino confortati, qui erexit eos, ut dicit *Matth.* 17.

g Viderunt majestatem ejus] idest, formam glorificatam ipsius Christi. *Chrys.* Si voluerimus, videbimus & nos Christum multo splendidius, quam tunc illi. Tunc venit cum Moyse, & Elia, post veniet cum millibus Angelorum, & plebium non nube super caput ejus, sed cælo contracto, sicut vela judici retrahuntur, ut possit adiri tempore causarum.

h Et duos viros, qui stabant cum illo] viderunt supple. *Gloss.* Elias Prophetarum eximius, &c. Contra *in Prolog. Psalm.* David Prophetarum eximius. Respondeo. David eximius, prophetiæ sublimitate, regia dignitate, vera humilitate. Elias eximius vitæ asperitate, vitæ diuturnitate, redarguendi auctoritate, sed audacitate, &c.

Mystice. *e* Gravati erant in somno] somnus est vita præsens, qua gravantur oculi interiores, quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam. *Sapient.* 9. Ab hoc somno evigilatur homo, cum moritur, & tunc potest videre majestatem Dei, ante non. *Exod.* 33. Non videbit me homo, & vivet, idest, dum vivit vita præsenti. *Cant.* 2. En ipse stat post parietem nostrum. 1. *Cor.* 13. videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Item somnus est mors spiritualis, qua homo

moritur mundo, in quo anima evigilat per cælestem contemplationem. *Cant.* 5. Ego dormio, mundo, scilicet, & cor meum vigilat, Deo scilicet. In hoc somno gravantur oculi, aliquando præ nimia claritate visorum. Sicut enim ad litteram tantum splendorem non sustinent oculi corporis, sic in deitatis contemplatione deficit fragilis acies humanæ mentis. Unde *Isa.* 38. Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelso. Tamen in hoc somno videtur majestas. Unde *Psal.* 126. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, &c. Vel, somno gravantur, idest, gravamen somni sustinent ut per hoc significetur, quia post somnum, idest, quietem corporum in sepulchris, Dei majestatem intuebuntur.

Et *a* factum est, cum discederent *b* ab illo, *c* ait Petrus ad Jesum: *d* Præceptor bonum est nos hic esse, *e* & faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Moysi. & unum Eliæ: *f* Nesciens, quid diceret. Hæc *g* autem illo *h* loquente, facta *i* est nubes, & *k* obumbravit eos, *l* & timuerunt *m* intrantibus illis in *n* nubem. Et *o* vox facta

[Et duos viros, &c.] Hoc erit in resurrectione, quia tunc perfecte videbunt, quomodo lex, & Prophetiæ impleta sunt in Christo, ut nec unum jota remanserit inexpletum, *Matth.* 5. Donec transeat cœlum, & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. Item: Non veni solvere legem, sed adimplere.

a Et factum est, cum discederent] Moyses scilicet, & Elias.

b Ab illo] idest, Christo.

c Ait Petrus ad Jesum] stopefactus, nec advertens, quod illi discessissent.

d Præceptor bonum est nos hic esse.] *Chrys.* Quia audivit eum moriturum in Jerusalem, ideo dicit; Bonum est nos hic esse: Non enim audebat manifesto dicere: Propitius esto tibi, quia redargutus fuerat super hoc: *Matth. c.* 16. Item *Chrys.* Cave, ne quæras, quam circumspectus, quod quam ardens circa Christum erat Petrus, dicit *Interl.* Non improbum Petri votum, sed inordinatum, quia non in carne mortali intratur ad gloriam.

Moraliter. Moraliter.] *Beda.* Qui ad montana conscenderat, non vult amplius ad terrena descendere, sed semper in sublimi perseverare. Ex quo patet, quod nunquam montana cælestia conscendit, qui terrenis negotiis libenter incumbit, *inf. eod.* Nemo mittens manum ad aratrum, &c. Multi etiam claustrales, postquam semel culmen contemplationis ascenderunt, & aliquid de cælestium sapore gustaverunt, postea nolunt ad laborem activæ descendere. Quos significat Petrus dicens: Bonum est nos hic esse, sed nesciebat, quid diceret, quia aliquando oportet ad activam descendere propter proximum. *Num.* 32. filii Ruben voluerunt remanere ultra Jordanem, sed Moyses respondit illis: nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis, scilicet, in otio contemplationis? *e* Et faciamus, &c.] *Chrys.* Timens Petrus increpari præmittit: Si vis: *Matth.* 17. *Ambr.* Impiger operarius continuum obsequii ministerium pollicetur dicens: [Et faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Moysi, & unum Eliæ] *Gl. Amb.* Quomodo noscunt, quos ante non viderunt? Per majestatem super eos venientem, sicut in futura resurrectione unusquisque alterum cognoscet, & desiderat alter in altero per charitatem intelliget. *f* Nesciens] Petrus, sc. quid diceret: Tria tabernacula facit, qui legem, & prophetas, & Evangelium dividit. Et mala facit, quia Petrus nesciebat, quid diceret: *Beda.* Adhuc hodie imperitiæ notatur, quicumque legi, prophetis, & evangelio tria tabernacula facere cupit, cum hujusmodi nequaquam valeant ab invicem separari. *Hieron.* Unum tabernaculum est Evangelium, si tria facere cupis, fac unum quasi tria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Arrius tria faciebas, tres gradus ponens in Trinitate. Unde cum prius in ecclesia diceretur: Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto, ne saperet illud Arrianum, statutum fuit, ut diceretur: Gloria semel, Patri & Filio, & Spiritui sancto.

Moraliter. Moralites autem tria tabernacula in nobis, facimus, si posse nostrum Patri, nosse Filio, velle Spiritui sancto præparamus ad inhabitandum, *Joan.* 15. Si quis in me manserit, &c. *f* Nesciens quid diceret] quasi ebrius de una gutta vini cælestis, quam biberat, vel viderat, volebat facere tres tabernas, in quo innuitur liberalitas, & largitas paradisi, quia Petrus non sibi, sed aliis vult ædificare. 1. *Cor.* 13. Charitas non quærit, quæ sua sunt. Nesciebat etiam Petrus, quid diceret: quia speciem gloriæ, quam viderat, veram gloriam æstimabat. *Isa.* 64. Oculus non vidit, &c. Item nesciebat, quid diceret, quia regnum Dei in terra possidere putabat, *Joan.* 18. Regnum meum non est hinc. Nota *Gloss.* Tres testes habemus de terra, Apostolos, tres de cælo, Moysen, & Eliam, & ipsum patrem, &c. Contra Moyses in inferno erat, & Elias in terrestri paradiso. Solve. De cælo, idest, aliunde, quam de terra, Moyses in inferno erat, Elias tamen quodammodo de cælo, quia raptus est in cælum, Sequitur in *Gloss.* Cum soleat sufficere testimonium trium, & hic est testimonium plurimorum. *Deut.* 19. In ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum. *g* Hæc autem, &c.] Petrus nesciens, quid diceret, ait: [Faciamus tria tabernacula, &c.] Dominus autem statim obumbravit eos nube lucida, ad differentiam nubis æthereæ, quæ solet aera obumbrare. Ideo autem obumbravit eos, ut ex ipsa obumbratione nobis ostenderet Petrum errasse, ac si aperte diceretur ei: Tu erras, qui materiale tabernaculum quæris in æterna beatitudine, ubi sancti non materialibus, sed spiritualibus tabernaculis sunt protegendi, idest, sola protectione Spiritus sancti, quæ significata est per nubis obumbrationem.

Unde & Virgini dictum est, supra *infr.* Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hac sola obumbratione proteguntur Sancti in æterna beatitudine, quia non erit ibi materiale tabernaculum. In cujus rei significatione Joannes refert se vidisse, *Apoc. c.* 21. Civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cælo, &c. Et *inf.* Et templum non erat in ea, quia Dominus Deus omnipotens est templum illius. In quo significatum est, quod in æterna beatitudine non erit templum, nisi spirituale. Unde *Glos. Bedæ.* Quia materiale tabernaculum quæsivit, nubis accepit obumbraculum, ut discat in resurrectione non tegmine domorum, sed Spiritus sancti gloria sanctos esse protegendos. Dicit ergo Lucas. [Hæc autem illo,] idest, Petro. *h* Loquente facta est nubes] supple lucida.

k Et obumbravit eos,] quia tantum fulgorem non poterant sustinere, quantum viderunt in transfiguratione. Quod ergo dicit *Interl.* quia majori luce suffudit, sic intellige, & continua hoc modo.

i Facta est nubes,] supple lucida. Et vere lucida, quia majori luce suffudit non majori, quam fuit in transfiguratione sed majori, quam prius, vel quam solet habere nubes ætherea. Nota, in nube sæpe legitur Dominus apparuisse. *Exod. c.* 19. Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, &c. Item *Isa. c.* 19. Ascendet Dominus super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, &c. *Act. c.* 1. Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. *Psalm.* 96. Nubes, & caligo in circuitu ejus. Item *Psalm.* 103. Qui ponis nubem ascensum tuum, &c. *Nota Dominus sæpe legitur apparuisse in nube.*

Mystice. Per nubem significatur caro Christi. Mystice.] In istis auctoritatibus per nubem significatur caro Christi, triplici ratione. Prima est, quia a majori oritur nubes, & caro Christi de Maria 3. *Reg. c.* 18. Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis. Secunda, quia nubes ardorem solis mitigat per sui interpositionem, & caro Christi iram patris compescuit per suam oppositionem, quia in se sustinuit ictus. *Isa. c.* 53. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Tertia, quia a nube pluvia emanat, & a carne Christi duplex pluvia emanavit, Pluvia aquæ ad nostram ablutionem, & pluvia sanguinis ad nostram redemptionem. *Eccles. c.* 43. Medicina omnium in festinatione nebulæ. Quarta etiam ratio est, quia sicut sol sub nube absconditur, ita Christus in carne, *Isa* 45. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.

Moraliter. Moraliter autem per nubem significatur hic gratia refrigerans, *supr. c.* 1. Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hæc nubes obumbrat, dum Petrus loquitur, quia dum prædicator loquitur, gratia Dei cordibus subditorum frequenter infunditur, *Actuum c.* 10. Adhuc Petro loquente, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum, &c.

l Et timuerunt] Apostoli his visis.

m Intrantibus illis] quinque, Moyse, scilicet, & Elia, & Apostolis.

n In nubem] idest, dum a nube protegerentur. *o* Et vox facta est de nube dicens, &c.] idest, quando fuerunt sub nube, audita voce patris timuerunt de insolita visione, & etiam ceciderunt, ut dicitur *Matth.* 17. Sed cum

eadem

eadem vox audita fuerat in Baptismo: *Matth.* 3. quare hic, & non ibi timuerunt, & ceciderunt Apostoli? *Chrys.* respondet, quia altitudo montis, & solitudo, & silentium, & transfiguratio horrore plena erant hic. *Gregor.* In quantam miseriam cecidimus, qui ipsum bonum terre non possumus, ad quod creati sumus. *Dan.* 10. Vidi visionem hanc grandem, & non remansit in me fortitudo.

est de nube dicens. Hic *a* est filius meus dilectus, ipsum *b* audite. Et dum *c* fieret vox, inventus est Jesus solus, *d* & ipsi tacuerunt, *e* & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his, quæ viderant. *f* Factum est autem in sequenti die *g* descendentibus illis de monte, occurrit † illi turba multa: Et *h* ecce vir de turba exclamavit, dicens. *i* Magister Δ Obsecro

Matth. 3. Marc. 1.

a Hic,] non Moyses, non Elias. *Hieronym.* Moyses, & Elias sunt servi, qui nobiscum debent in cordibus Domino tabernaculum præparare, & ideo dicit discretive: Hic] est filius meus dilectus. *Chrys.* Dilectus, quia ὁμογνώμων, idest, ejusdem mentis.

b Ipsum audire,] non alium. Et revera alius non est audiendus, nisi dilectus a Deo. Nota *Glossa*. Vox patris, &c. Et est summa, quia in Baptismo, & in monte mysterium Trinitatis ostenditur, ex quo nobis mystice insinuatur, quia sicut in Baptismo confitemur Trinitatem, sic in resurrectione intuebimur. Item in Baptismo Spiritus sanctus in columba, in transfiguratione in nube apparuit, in quo insinuatur, quia sicut hic Trinitatem confitemur in simplicitate, ita eam contemplabimur manifesta veritate. Et nota, quia duplex fuit usus nubis: Nam in nube tanquam in subjecta creatura Spiritus sanctus apparuit, & de nube vox patris intonuit.

c Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus,] ut sciretur, de quo facta est vox, & quia ipse est sufficientia omnium. 1. *Cor. c.* 15. Ipse est omnia in omnibus. *B. Bern.* Rationabili, plenitudo lucis; concupiscibili, abundantia suavitatis; irascibili, multitudo pacis, & quia evanuit umbra legis, & prophetiæ, lumen veræ intelligentiæ apparuit, &c.

Mystice. *Mystice.*] Per hoc, quod in transfiguratione, modo tres, modo unus tantum videtur, significantur duo, sicut in *Gloss.* ostenditur. Per hoc, quod primo tres, postea unus Christus videtur, significatur mystice, quia omnes fideles in fide Christi uniuntur. Vel per hoc, quod primo unus, postea duo, deinde unus videtur, significatur mystice, quia Christus fuit in lege, & Prophetis tanquam caput legis, & Prophetarum, & in ipso Christo consummantur, & sic a Christo incipiunt, & in Christo desinunt, *Rom. cap.* 10. Finis autem legis Christus est, &c.

d Et ipsi tacuerunt.] *Chrys.* Difficile est silere, quod delectat.

e Et nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his, quæ viderant.] Domino jubente, ut nemini dicerent, donec a mortuis resurrexisset, ut dicit *Matth.* 17. Sed quare præcepit hoc Dominus? Triplici ratione. Prima, ne gloria futuri regni præostensa incredibilis esset propter ignominias in ipsu futuras. Secunda, ne apud rudes sequens crux scandalum faceret. Tertia, ut doceret nos, neminem laudare, dum vivit. *Ecclesiast* 11. Ante mortem ne laudes quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir, *Ecclesiast* 3. Est tempus tacendi, & tempus loquendi. *Hieronymus*. Utique doctoris est audientium considerare personas, ne prius irrideatur, quam audiatur. Quarta ratio est moralis, quia non debent Christum prædicare transfiguratum, qui nondum sunt transfigurati, qui non ostendunt in se videndum, quod dicunt audiendum, 1. *Corinth.* 15. Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus imaginem cælestis. Sequitur.

Septima pars. *f* Factum est, &c.] Lucas præterit hic aliqua, quæ ponit *Matth.* 17. Sed hoc facit causa brevitatis. Quia autem discipuli nunc cum Christo ascendunt in montem, nunc descendunt de monte, significat, quod doctores, & Prædicatores, & Prælati, nunc debent ascendere ad culmen contemplativæ, nunc descendere ad laborem activæ, *Joan.* 1. Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis, *Psalm.* 103. Ascendunt montes, & descendunt campi, idest, prædicatores, qui in ascensu contemplationis sunt montes, in descensu actionis sunt campi. Determinat autem *Beda* satis breviter officia contemplativæ, & activæ dicens: quod Dominus in monte oravit, & docuit, majestatem suam monstravit, patris vocem Apostolis pan-

dit, descendens a turba excipitur, miserorum fletu pulsatur, infidelitatis peccata exprobrat, malos spiritus expellit: Etiam Apostolis descendentibus turba multa occurrit. Similiter si doctores, & prædicatores vellent descendere per humilitatem, multi occurrerent illis.

Unde *Psalm.* 143. Inclina cœlos tuos, & descende. Sed quia semper stant in alto per elationem, vel per ambitionem, aut per curiositatem, ideo pauci occurrunt eis, & pauciores convertuntur, vel sanantur ab eis. Nec legitur Dominus in monte aliquos sanasse.

Matth. 17. *Marc.* 9. *al.* † *illis.*

Dicit ergo: [Factum est autem in sequenti die,] non post transfigurationem, sed post ascensum in montem.

g Descendentibus illis de monte occurrit illi turba multa.] *Raban.* Quia alii sequebantur Dominum causa disciplinæ, & amoris, ut discipuli; Alii causa invidiæ, & observationis, ut Scribæ, & Pharisæi: Alii causa curationis, ut infirmi: Alii causa curiositatis, idest, causa videndi nova miracula, ut leves, & curiosi: Alii causa experientiæ, volentes experiri, utrum verum esset, quod de ipso dicebatur: Alii causa ventris, quia comedebant de panibus, ut pauperes, & egeni: Alii causa societatis aliorum, ut pueri: Alii causa pietatis, ut mulieres, quæ ministrabant ei, & discipulis.

h Et ecce vir de turba exclamavit,] idest, ex corde clamavit.

i Dicens: Magister.] Sic vocat eum, quia credebat eum esse purum hominem, Unde *Chrys.* Valde infirmus fuit hic homo, ut patet ex multis.

Moraliter. *h* Et ecce vir, &c.] *Moraliter*. Vir iste, cujus filius erat infirmus, significat Prælatum, qui debet esse vir, idest, maritus, non adulter, quærens fructum, non voluptatem. *Phil.* 4. Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. Item debet esse vir, idest, masculus, non femina, ut possit generare etiam alios per prædicationem, & doctrinam, 1. *Cor.* 4. In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. Item debet esse vir ætate, non puer. *Philosophus*. Nemo juvenes eligit, sibi duces. Sed heu, & pueri, & feminæ jam regnant in Ecclesia. *Isa.* 3. Dabo pueros Principes eorum, &c. Item debet esse vir a virtute, idest, virtuosus, non timidus. Timiditas enim Prælatorum justitiam aufert, *Eccles.* 7. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, *Deut.* 20. Quis est formidolosus, & corde pavido, vadat, & revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse perterritus est. Filius hujus viri est populus subditus, qui est lunaticus, secundum *Matth.* 17. Surdus, & mutus, secundum *Marc.* 9. Dæmoniacus, secundum *Lucam* hic. Per lunaticum significantur instabiles, & avari, qui sicut Luna mutantur. Unde *Ecclesiast.* 27. Stultus ut Luna mutatur, *Job* 14. Et nunquam in eodem statu permanet. Lunatici incremento Lunæ insaniunt, sic avari incremento temporalium. *Proverb.* 1. Prosperitas stultorum perdet eos. Per surdum significantur inobedientes. *Ecclesiast.* 12. Obsurdescent omnes filiæ carminis. *Isaiæ* 42. Quis surdus, nisi ad quem nuncios meos misi? Per mutum significantur, qui nec laudes, nec peccata confitentur. *Ecclesiast.* 25 Non est speciosa laus in ore peccatoris. *Isa.* 56. Universi canes muti. Per dæmoniacum significantur superbi, qui per superbiam de cœlo corruunt. *Isa.* 14. Quomodo cecidisti de cœlo, lucifer, qui mane oriebaris, &c. Pro isto filio rogat pater, idest, Prælatus dicens.

i Magister obsecro, te respice in filium meum.] In quo verbo notantur tria bona, quæ sunt in bono Prælato. Primum est reputatio insufficientiæ suæ, per hoc, quod vocat eum magister. *Ecclesiast. c.* 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Secundum est fides in Deum, per hoc, quod dicit, obsecro te. Tertium est pietas in proximum, per hoc, quod dicit, respice in filium meum. Prælatus enim omnes subditos suos, quasi filios debet diligere. Dicit ergo:

h Vir de turba] idest, cum subditis, & inter subditos manens *Eccl. c.* 32. Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis, quasi unus ex ipsis, &c.

a Obsecro, respice in filium meum] Respectu misericordiæ: De quo *Sap.* 3. Gratia Dei, & misericordia ejus in sanctos ejus, & respectus super electos illius.
b Quia unicus est mihi] Ideo plus diligendus a me, & citius sanandus a te.
c Et ecce spiritus,] idest, dæmonium.
d Apprehendit illum, & subito clamat filius meus, scilicet, vel spiritus clamat, idest, filium meum clamare facit. e Et elidit, & dissipat eum cum spuma] idest, tam graviter elidit eum, quod spumare facit.
f Et vix discedit,] id est, vix cessat a vexatione, & elisione.
g Dilanians eum] *Matth.* 17. Dicit, quod lunaticus erat. Dœmon enim ex industria vexat homines horis lunaribus, ut ita faciat eos infamare Lunam, & ejus Creatorem faciat blasphemari.

Matth. 17. Marc. 9.

a obsecro te, respice in filium meum, b quia unicus est mihi. Et c ecce spiritus d apprehendit illum, & subito clamat, e & elidit, & dissipat eum cum spuma, & f vix discedit g dilanians eum. Et h rogavi discipulos tuos, ut ejicerent illum, i & non potuerunt. k Respondens autem Jesus dixit; O generatio infidelis, l & perversa, m usquequo ero apud vos, & n patiar vos? o Adduc filium tuum. Et cum accederet, p elisit illum dæmonium, & dissipavit, Et q increpavit Jesus spiritum immundum, & sanavit puerum, & reddidit illum patri ejus. r Stupebant autem omnes in magnitudine Dei. ſ Omnibusque mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipulos suos. t Ponite vos in cordibus vestris sermones istos. u Filius enim hominis, futurum est, ut tradatur in manus hominum. At illi x ignorabant verbum istud, y & erat velatum ante z eos, ut non

h Et rogavi discipulos tuos.] *Beda*. Latenter discipulos accusat impossibilitatis, cum impossibilitas aliquando non ad curatorem, sed ad curandum referatur. Unde ad significandum, quod quandoque vitium curandi impedit curationem. Dominus ait *Matth.* 8. Fiat tibi secundum fidem tuam, ac si diceret: si non crederes, infidelitas tua esset impedimentum tuæ sanationis, *sup. eodem*. Dedit eis potestatem super omnia dæmonia, &c. *Chrysost.* Infirmati sunt discipuli, sed non omnes: Columnæ enim illæ non aderant,

Causa tardæ curationis.
- Infidelitas petentis. *Marc.* 9. Si potes credere, &c.
- Vitium ægri. *Marc.* 8. Homines video, sicut arbores.
- Magnitudo morbi. *Joan.* 11. Infremuit spiritu, & turbavit seipsum, &c.
- Incredulitas curatoris. *Matth.* 17. Quare nos non potuimus, &c.

Moraliter. * b Quia unicus est mihi.] Contra illos, qui habent plures Ecclesias: Quot enim habent Ecclesias, tot habent populos, & tot filios infirmos. Qui ergo unum curare non sufficit, quomodo curabit plures? *Eccl.* 8. Non respondeas supra virtutem tuam, quod si spoponderis, quasi restituens cogita.
c Et ecce spiritus apprehendit illum, & cetera.] Septem verba ponit Lucas, quorum actus significant septem effectus diaboli in peccatorem. Primo apprehendit eum per consensum. *Thren.* 1. Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. Secundo clamare facit per impudentiam. *Isa.* 3. Peccatum suum, sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. Tertio elidit per elationem. *Psalm.* 101. Elevans allisisti me. *Job* 30. Elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valde. Quarto dissipat per avaritiam, *Job cap.* 17. Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum, *Prov.* 15. Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium. Quinto facit spumare per luxuriam. *Hieronym.* Venter mero æstuans, &c. *Osee* 10. Transire fecit Samaria Regem suum quasi spumam super faciem aquæ. Sexto vix discedit propter amorem peccati, vel peccandi consuetudinem. Unde *supr.* 7. dicit *Beda*. Quanto diutius possidet, tanto difficilius recedit. Septimo dilanit ruere faciendo de peccato in peccatum. Unde *Gregor.* Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit.
h Et rogavi discipulos tuos,] sic multi, cum peccata sua non possunt negare, accusant majores suos, *Gen.* 3. Mulier, quam dedisti mihi, &c. *Psal.* 104. Non declines cor meum in verba malitiæ, &c.
i Et non potuerunt] *Matth.* 17. Hoc genus non ejicitur, nisi in oratione, & jejunio. Unde patet, quod ex crapula, & ebrietate incurrerat morbum. Unde *Chrysostom.* Nihil ita dœmoni est amicum, ut ebrietas, & lascivia. Et *infra*. Asinus, & equus moderantiæ terminum novit, & quamvis decem cogentes fuerint, non sustinet ultra bibere, vel manducare. Et *infr.* Cave jumentis tuis, ut eis non noceat superfluitas, quare teipsum æstimas viliorem? Et *infr.* Impossibile est, lascivientem arui ab insania. *Jerem.* 8. Nunquid non est resina in Galaad, &c. *Hieron. super Marc.* 9. Non sanat oculum, quod sanat calcaneum, jejunio passiones corporis, oratione sanantur pestes mentis. Sequitur.
k Respondens autem Jesus dixit] illis: O generatio infidelis, qui non creditis, & falso arguitis discipulos.
l Et perversa,] idest, in pejorem partem versa.
m Usquequo ero apud vos] per corporalem præsentiam, per miraculorum efficaciam, per necessariorum providentiam, per infirmitatis vestræ sustinentiam per imperitiæ vestræ instructionem. Tot modis debet esse Prælatus cum suis subditis.

Matth. 17. Luc. 9.

n Et patiar vos,] id est, infidelitatem vestram. *Beda*. Non est tædio affectus Dominus, nec iratus homini, sed vitio. Sicut medicus, quando videt ægrotum contra præcepta sua agentem, increpat illum, cur artis suæ industriam faciat perire, se aliud jubente, illo aliud perpetrante. Sed per istum unum Judæi infidelitatis arguuntur, quod notatur in hoc, quod dicit:] O generatio infidelis, &c.
o Adduc filium tuum. Et cum accederet,] lunaticus, scilicet.
p Elisit illum dæmonium, & dissipavit.] *Chrys.* Dimittit eum decerpi, non ad ostentationem, licet turba concurreret, sed propter ipsum patrem. *Beda*. Nititur diabolus, ut qui opera ejus dimittunt, arctius tentando impediat, & in periculo, si potest retineat, vel si potest, ulciscatur se derelictum. *Exod.* 14. Pharao persequitur filios Israel de Ægypto fugientes.
q Et increpavit Jesus spiritum immundum, &c.] Nota, non puerum vim patientem, sed diabolum vim inferentem increpat Dominus: sic qui peccatorem vult sanare, vitium debet arguere, & depellere, hominem vero amando fovere. Unde *August.* Unus alium corrigat, & judicet, & accuset cum dilectione hominum, & odio vitiorum. *Greg.* Nos debemus naturæ compassionem, vitiis destructionem, vera justitia compassionem habet, non indignationem. Debet & prædicator sanatum peccatorem reddere Christo, qui est pater pauperum. *Jerem. cap.* 3. Saltem amodo voca me, pater meus, dux virginitatis meæ tu es.
r Stupebant autem omnes in magnitudine Dei,] idest, in magno opere Dei. Sic operari debet Prælatus, ut stupere faciat videntes.
ſ Omnibusque mirantibus, &c.] usque ibi: [dixit ad discipulos suos] separatim. Ecce pro quorum non pro patris fide sanaverat, & ut in laude Dei credentes amplius proficerent.
t Ponite vos in cordibus vestris sermones illos] qui sequuntur, q. d. alii mirantur facta divinæ potestatis, quæ ego facio, vos autem, qui estis discipuli, & secretarii mei in mente vestra recondite facta humilitatis, quæ facturus sum pro toto genere humano. Ecce quomodo lætis tristia semper adjungit, ut cum venerint, quasi prævisa minus lædant.

Octava pars.

u Filius enim hominis futurum est, ut tradatur in manus hominum.] *Matth.* 17. dicit, quod hoc dixit Dominus discipulis in Galilæa, quod satis congruit mysterio. Galilæa enim, transmigratio facta interpretatur: Ideo ibi futura prædicitur transmigratio Christi, sicut in monte monstrata est gloria, *supra eodem*.
x At illi ignorabant verbum istud.] Præ nimio enim amore non poterant ipsum credere moriturum. Unde *Beda*. Hæc ignorantia non tam de tarditate, quam de amore nascitur, quia adhuc carnales, & mysterii crucis ignari, quem Deum crediderant, moriturum credere nequeunt, idest, abhorrent. Putabant etiam, quod figuraliter loqueretur de sua traditione, sicut sæpe ipsum audiverant loquentem.
y Et erat velatum ante eos] velo ignorantiæ, & carnalis amoris, quo multi velantur, 2. *Cor.* 3. Velamen ponebat Moyses super faciem suam, &c. z Ut non sentirent, illud,] idest, intelligerent, postea bene senserunt. *Phil.* 2. Hoc

sentire

▲ sentite in vobis, &c. *a* Et timebant eum interrogare de hoc verbo,] Quia Petro, qui dixerat: Propitius esto tibi, Domine. *Matth.* 16. dixit Dominus. Vade post me Satanas, scandalum mihi es.

sentirent illud, *a* & timebant eum interrogare de hoc verbo. *b* Intravit autem cogitatio in eos, *c* quis eorum major esset. At *d* Jesus videns *e* cogitationes cordis illorum, *f* apprehendens puerum *g* statuit eum secus se: & ait illis:

b Intravit autem, &c.] Audita morte Domini, passi sunt Apostoli aliquid humanum, ut dicit *Chrysostomus*, scilicet, ambitionem, aut forte invidiam: Unde subdit Lucas de quæstione orta inter discipulos de majoritate scilicet, quis eorum videretur aliis præferendus. Causæ præcesserant, ex quibus hujusmodi quæstio fit. Viderunt enim Petrum, & Jacobum, & Joannem in montem seorsum ductos, secretumque aliquod eis esse creditum a Domino, sed nesciebant, quod secretum esset, prohibuerat enim Dominus eis secretum transfigurationis revelare. Quia ergo viderant illos tres, quasi speciales secretarios electos a Domino, & interfuisse sacro arcano, putabant ceteris omnibus esse præferendos. Audierant etiam claves regni cœlorum Petro esse promissas. *Matth.* 16. Et ideo putabant ipsum & duobus, & ceteris omnibus præferendum, & ideo modo disputant, quis videretur esse major, id est, quis esset præferendus. Et nota, quia in duobus errabant, scilicet, in ambitione primatus, & in eo, quod putabant illum, qui modo inter eos esset major ceteris, similiter in regno cœlorum fore majorem, cum juxta verbum Apostoli, omnis prælatio tunc sit evacuanda, quia ibi non erunt primates, non erunt subditi, erunt tamen alii aliis excellentiores, quia differt stella a stella in claritate. Hanc tamen disputationem bis inter se habuerant Apostoli, sicut dicit *Beda*. Semel ante tributi solutionem in via, & semel postea. Quando enim viderunt Petrum Domino parificatum in tributi solutione, arbitrati sunt ipsum omnibus præferendum. Et dicit *Beda*. Illi euntes disputaverunt in via de principatu, Dominus autem in domo docet eos superbiam in humilitatem mutare. Principes enim laborant, humiles quiescunt. Veruntamen excusabilis est Apostolorum disputatio, quia non est de principatu terreno, sed magis de cœlesti eorum erat contentio: Unde *Matth.* 18. dicitur. In illa hora accesserunt ad Jesum discipuli dicentes. Quis putas major est in regno cœlorum? Ubi dicit *Chrys.* Unde quia de principatibus terrenis non contendunt, nos autem neque ad infirmitatem eorum pervenimus. Non enim quærimus, quis major est in regno cœlorum, sed quis major est in regno terræ, quis copiosior, quis potentior. Et recte sicut tunc factum est inter Apostolos, sic fit modo inter Canonicos: Audita enim Episcopi morte præsenti, vel futura, statim fit disputatio, quis eorum videatur esse major, id est, quis sit dignus fieri Episcopus. Neque fit hæc disputatio, ut dignior eligatur, sed quia quilibet ambit Episcopatum, & vellet eligi, *Ecclesiast.* 11. Multi Tyranni sederunt in throno Episcopali, mortuo Episcopo, desiderio tantum, sed insuspicabilis portavit diadema. Sed eo ipso, quod quis desiderat, & aspirat fieri Episcopus, indignus est. *Hebr.* 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, &c. *Num.* 20. Ostendit Dominus Moysi, quis deberet Aaron mortuo succedere, scilicet Eleazar ipsius vestibus indutus, id est, eisdem virtutibus, scilicet innocentia, humilitate, patientia, charitate. Hæ sunt quatuor gemmæ in corona Aaron. De qua dicitur *Eccles.* 45. Coronavit eum in vasis virtutis gemmis pretiosis figuratis in ligatura auri, & opere lapidario sculptis, corona aurea super mitram ejus expressa signo sanctitatis, &c. Sed unde est, quod omnes fere volunt esse Prælati, cum ipsi plus omnibus laborent, & citius moriantur, ut dicitur *Ecclesiast.* 10. Omnis potentatus brevis vita. Et *Hieronymus super Marcum* 9. Principatus, ut ingreditur sic deseritur, dum tenetur labitur, & incertum est, qua die finiatur. Item in majori periculo sunt. Unde *Aug.* dicebat fratribus suis, & omnibus regulam suam profitentibus. Non solum vestri, sed potius ipsius, id est, Prælati misereremini, qui quanto in loco superiori, tanto in periculo majore: Unde *Num.* 25. Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos in patibulis contra solem. Quare hoc? Quia peccaverat populus. Ubi dicit *Gloss.* Hoc homines si attenderent, Principatus non ambirent, *B. Bernard.* Age nunc, sequere Ducem tuum, multiplica præbendas, accelera ad Archidiaconatum, ad Episcopatum aspira, paulatim ascendes, sed non paulatim descendes. Videbam, inquit Dominus, Satanam, sicut fulgur descendentem de cœlo. Dicit ergo: Intravit autem cogitatio in eos. Diabolus immisit hanc cogitationem, qui per superbiam corruit, & ideo per invidiam, quam habet nostri, ad appetitum honoris nos inclinat, quantum potest. *Matth.* 4. Assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, &c. Ibi *Chrysostomus*. Cum volueris fieri magnus, & altus, & ante oculus mentis ista universa proponis, scito, quod diabolus tibi regna mundi ostendit, si volueris illa consequi, necesse est, ut diabolum adores.

1. Cor. 11. 1. Cor. 15. — *Matth. 18. Marc. 9.*

c Quis eorum major esset,] Idest, quis eorum esset præferendus. *Chrysostomus*. Nihil est elatione deterius, hæc etiam naturalem prudentiam aufert. Item *Chrysostomus*. Bonum opus desiderare, bonum est, primatum autem honoris concupiscere vanitas est. Primatus fugientem se desiderat, desiderantem se horret. Item *Chrysostomus*. Principes seculi, ideo fiunt, ut dominentur minoribus, Principes vero Ecclesiæ, ut serviant minoribus, ut suas utilitates negligant, & illorum procurent. Primatum sæcularem appetere, etsi ratio non est, vel causa est, primatum autem Ecclesiæ concupiscere, neque ratio est, neque causa, quia neque justum est, neque utile. Quis enim sapiens festinet se subiicere servituti, & tanto periculo, nisi forte, qui non credit Dei judicium, neque timet.

d At Jesus videns,] id est, intelligens.

e Cogitationes cordis illorum,] Idest, causas erroris eorum. Sciebat enim, quia propter ambitionem primatus cogitabant inter se, quis alio esset major, Deus enim non solum intuetur cogitationes, sed etiam causas cogitationum 1. *Reg.* 16. Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor. *Beda*. Intelligens causas errorum, vult desiderium gloriæ eorum, id est, ambitionem primatus contentione humilitatis sanare, ut fortior clavus fortiorem clavum retundat, id est, humilitas superbiam excludat. Et hoc contentione humilitatis, ut sicut ipsi inter se cogitabant alter alteri præferri, ita inter se contendant, alter altero plus humiliati.

f Apprehendens puerum statuit eum secus se] id est, juxta se. Puerum istum testantur quidam fuisse Martialem, qui fuit Apostolus, & Episcopus Lemovicensis, quia prædicabat Lemovicensibus. [Et ait illis.]

▲ Quicumque, &c.

Moraliter.

Moraliter.

g Statuit eum secus se,] idest, juxta se. Similiter, qui vult juxta Jesum collocari, oportet, quod sit puer, id est, humilis. *Proverbior.* 29. Humilem spiritu suscipiet gloria, *Matth.* 18. Nisi conversi fueritis ab elatione, dicit *Interl.* & efficiamini, sicut parvuli, id est, innocentes, & humiles, dicit *Glos.* non intrabitis in regnum celorum, *infra* 18. Qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Sunt autem quatuordecim proprietates boni pueri, quæ significantur per quatuordecim annos pueritiæ. Tantum enim durat pueritia. Prima proprietas est, quod paucis contentus est, in hoc sobrietas. *Eccl.* 29. Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestis, & domus protegens turpitudinem, id est, *Timot.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Secunda est, quia sedet in pulvere, in hoc humilitas. *Is.* 47. Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon, sede in terra. Tertia est, quia non sentit motus carnis, in hoc castitas. De qua dicit *Greg.*

Quatuordecim proprietates boni pueri.

Castitas facit appropinquare Deo. *Hebr.* 12. Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimonia, sine qua nemo videbit Deum. Quarta est, quia libenter dat de pane suo etiam canibus: in hoc largitas. *Prov.* 22.

Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera *sup.* 6. Omni petenti tribue. Quinta est, quod parentibus statim obedit, in hoc vera obedientia.

Augustin. Verus obediens mandatum non procrastinat, sed parat aures auditui, pedes itineri, & manus operi, & se totum intra recolligit, ut mandatum peragat imperantis, 1. *Petr.* 1.

Sperate in eam, quæ vobis, offertur gratiam in revelatione Jesu Christi, quasi filii obedientiæ non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum eum, qui vocavit vos sanctum, &c. *Eccl.* 3. Filii sapientiæ Ecclesia justorum, & natio illorum obedientia, & dilectio. *Proverbior.* 21. Vir obediens loquetur victorias.

▲ Seata est

a Quicumque, &c.] *Chrys.* Frequenter Dominus patitur discipulos, nec recte dicere, nec recte petere, ut ex illorum culpa occasiones inveniat docendi regulam pietatis, nec est error periculosus præsente magistro. Et *infra.* O error salutaris, qui totius mundi solvit errorem. Si isti non errassent, unde poteramus scire, quod non omne, quod videtur bonum, bonum est desiderare?

a Quicumque susceperit puerum istum in *b* nomine meo, me recipit. Et *c* quicumque me recipit, *d* recipit eum, qui me misit. *e* Nam qui minor *f* est inter vos omnes, hic major est. *g* Respondens autem Joannes,

a Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo,] id est, quicumque pro me receperit humiles, idest, pauperes [me recipit.] Et est sensus quicumque pro nomine meo pauperibus benefecerit, mihi in pauperibus benefacit. *Matt.* 25. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Vel aliter ut puer sit nomen ætatis, nec tamen fiat demonstratio ad substantiam pueri, sed ad qualitatem, hoc modo.

a Quicumque susceperit puerum istum,] & supplebis ió se, id est, quicumque puerilem innocentiam, quam habet puer iste beneficio ætatis, sive humilitatem transformaverit in se beneficio virtutis.

b In nomine meo] Id est, propter me, [me recipit.] *Chrysost.* Non dicit tegotam recipit, sed me, quod majus est.

Versus.

Est puer incultus, simplex, humilis, cito credit.
Non meminit læsus, timet, & tacet, estque pudicus.

c Et quicumque me recipit,] supple secundum humanitatem, & deitatem, idest, qui habet fidem utriusque.
d Recipit eum, qui me misit,] quia idem sum cum illo.
e Nam qui, &c.] Dominus ab ambitione primatus discipulos verbo, & exemplo revocat, & ad humilitatem invitat. Postquam ergo docuit eos exemplo, docet eos verbo, q. d. nolite ambire primatum, sed estote humiles. [Nam, qui minor] Idest, humilior.
f Est inter vos omnes] ex subjectione servitutis, hic major est, 1. *Reg.* 15. Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? *Chrysostomus*. Quicumque desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem. Non enim, qui major fuerit in honore, ille justior est, sed, qui justior, ille major. *Job* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, *Eccles.* 3. Quanto major es, humilia te in omnibus. Ideo dominus Papa nuncupat se servum servorum, quia quantu humilior est, tanto major est in conspectu Domini.

Moraliter. * Sexta est, quod amant se mutuo, in hoc mutua charitas. *Eccl.* 13. Omne animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi. *August.* Vita nostra dilectio est, odium mors. hominem vincis humana felicitate, diabolum vincis inimici dilectione. Nihil Deo specialius est virtute dilectionis. Unde *Joan.* 13. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, &c. Septima est, quia non confidit in se, sed in patre suo, ad quem omnem clamorem reportat, in hoc confidentia in Deo. *Jer.* 17. Maledictus, qui confidit in homine. Et *inf.* Benedictus vir, qui confidit in Domino, &c. *Gloss.* 10. In Domino confido, &c. Octava est, quod non est sollicitus de aliquo. *Matt.* 6. Ne sitis solliciti animæ vestræ, quid manducetis, aut corpori vestro quid induamini, 1. *Pet.* 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Nona est, quia verax est, in hoc veritas, quæ falsitatem, & vanitatem excludit. *Eph* 4. Unusquisque loquimini veritatem cum proximo suo, *Prov.* 3. Misericordia, & veritas non te deserant. *Prov.* 12. Labium veritatis firmum est in perpetuum. Decima est, quia cito placatur, & pro minimo, in hoc benignitas, quæ cito injurias remittit. *Eph.* 4. Sol non occidat super iracundiam vestram, *Matt.* 6. Dimittite, & dimittetur vobis, *Eccl.* 18. Relinque proximo tuo nocenti te, &c. Undecima est, quia personatos homines expavescit, in hoc verecundia, sive reverentia. *Seneca*. Pueri hos amant, eum quibus ludere consueverunt, si personatos videant, expavescunt. *Eccl.* 13. Advocatus a potentiore discede. *Seneca*. Verecundia bonum in adolescente signum. Duodecima est, quia non pudet eum mendicare, vel rogare panem, in hoc recogitatio propriæ paupertatis. *Threnorum* 4. Parvuli petierunt panem: Tertia decima est, quia simplex est, *Rom.* 16. Volo vos esse sapientes in bono, & simplices in malo. *Matt.* 10. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, *Prov.* 11. Simplicitas justorum diriget eos. Quartadecima est, quia hilaris est. *Eccl.* 26. Divitis, & pauperis cor bonum, in omni tempore vultus hilaris. *Prov.* 17. Animus gaudens floridam facit ætatem. Hi sunt quatuordecim anni pueritiæ spiritualis, quos qui habet, vere puer est. Et hunc Dominus apprehendit, & statuit juxta se. *Is.* 52. *secundum aliam translationem*. Ecce puer meus exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde. Et signanter dicit Lucas [statuit eum secus se] quia vera humilitas stabilis est, ut terra, quæ est infimum elementorum, est in medio, quasi centrum, quod est minimum. Humilitas enim fundum tenet ædificii spiritualis, & est quasi centrum virtutum, imo humilitas est virtus, vel circulus, cujus centrum ubique est, circumferentia nusquam. Ubicumque enim sit humilis, semper cor suum est in imo, & nusquam in supremo. Sequitur. *Marc.* 9.

g Respondens autem Joannes,] Nota, unde hæc responsio Joannis traxerit originem, dum Dominus argueret discipulos de primatu disputantes, invitans eos ad humilitatem, Joannes respondit, non Domino, sed suæ cogitationi. Audierat enim præceptum a Domino, humiles recipiendo, ideo per contrarium putat omnes non humiles excludendos, nec tales debere uti beneficio, qui non utebantur Christi obsequio. Videbatur ergo ei excludendum esse a beneficio discipulorum, qui non esset discipulus, unde quemdam ejicientem demones prohibuit. Et erravit, quia nemo a bono, quod jam in parte habet, prohibendus est, sed ut proficiat adjuvandus, *Proverb.* 3. Noli prohibere benefacere eum, qui potest, si vales, & ipse benefac. *Phil.* 1. Quid enim? dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Nota, quia ille, qui in nomine Christi ejiciebat demonia, & faciebat alia bona, potest gerere personam quorumdam malorum in Ecclesia. Sunt enim quidam mali in Ecclesia non prælati, qui in criminalibus sunt, & ideo mali sunt, tamen ut dicit *Augustinus*, a piis precibus non recedunt, nec a bonis operibus desistunt. Nec est eis prædicandum, quod non prosint illis opera illa, quia si non prosunt ad vitam, prosunt ad veniam. Isti a bonis, quæ faciunt, non sunt revocandi, sed ad ampliora provocandi, & paulatim a malis trahendi. *Nona pars.*

Vel potest gerere personam malorum prælatorum, scilicet mercenariorum, qui propter commoda, & lucra temporalia prædicant veritatem, nec tamen propterea prohibendi sunt.

Et nota, quia tria genera sunt, scilicet, pastores, mercenarii, lupi, pastores diligendi sunt, mercenarii tolerandi, lupi fugiendi.

Vel potest gerere personam imperfectorum in Ecclesia, quia licet non sint Apostoli, id est, perfecti, tamen non sunt excludendi. Istas tres sententias distingue in duabus *Gloss.* Joannes diligens Deum, &c. *Infra*. Ideo docetur neminem a bono, quod ex parte habet, arcendum esse, &c. Neminem, scilicet malum, qui non sit prælatus. Iosia in *Gloss.* Tales etiam ob aliorum salutem admittendi esse censentur. Tales intellige, id est, Prælati mercenarii, qui tales sunt, qualis erat ille, qui in nomine Christi demonia ejiciebat, & tamen malus erat. Ita ipsi bona, & bene dicunt, & tamen mali sunt. Tertiam sententiam distingues in illa *Gl.* Non reprehenditur Joannes, &c. Joannes gerit hic Typum illorum, qui omnes sibi dissimiles putant esse malos. De quibus dicitur *Isai.* 65. Qui dicunt, recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.

Recte autem ponitur hic error Petri, & Joannis, qui interfuerunt transfigurationi Domini, ad significandum, quod sæpe post cœlestium visionem, & etiam in ipsa cœlestium visione contingit errare, vel peccare. Unde in ipsa prosecutione transfigurationis posuit Lucas errorem Petri, & post errorem Joannis. Paulus etiam post raptum in tertium cœlum, carnis stimulo, & Angelo Satanæ colaphizatur, 2. *Cor.* 12. Elias etiam post mortui suscitationem, prophetarum Baal interfectionem, & ignis cœlestis impetrationem, timore mulieris fugit. 3. *Regum* 17. & 18. & 19. Ut non confidat homo de cœlestium contemplatione, aut miraculorum operatione. Utrumque enim habuit Judas, & postea tamen tradidit salvatorem, & laqueo se suspendit. Ideo Lucas invitans non ad humilitatem, quæ est custos virtutum, errorem tanti discipuli, id est, Joannis, prælibans ait. *g* Respondens autem Joannes,] supple cogitationi suæ

a gitationi suæ. *a* Dixit] ad Jesum. *b* Præceptor.] Præceptorem vocat, quia paratus est facere præceptum ejus.
c Vidimus quidem.] Non nominat eum, quasi indignum.
d In nomine tuo,] Idest, invocatione nominis tui, [ejicientem dæmonia.]

rusalem,] idest, prætendebat similitudinem eundi in Jerusalem, & ideo non receperunt eum, quia Samaritæ dicebant, quod locus orationis erat apud eos, & non in Jerusalem, quapropter omnes euntes in Jerusalem odiebant, *Joann.* 4. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet.

a dixit. *b* Præceptor, *c* vidimus quemdam in *d* nomine tuo ejicientem dæmonia, *e* & prohibuimus eum, quia non sequitur *f* nobiscum. Et *g* ait ad illum Jesus. Nolite prohibere. *h* Qui enim non est adversum † vos, *i* pro † vobis est. *k* Factum est autem, dum complerentur *l* dies assumptionis ejus, *m* ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem. Et *n* misit *o* unicus *p* ante conspectum suum, *q* & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi. Et *r* non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis Jerusalem,

al. † nos. al. † nobis.

Matt. 9. Non propter hoc bonus erat, quia etiam malis hoc datur propter aliorum utilitatem *Matt.* 7. Multi dicent mihi in die illa, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Ibi *Gl.* Prophetare virtutes facere, dæmones ejicere, interdum non est meriti illius, qui per hoc operatur, sed invocatio nominis Christi hoc agit ad damnationem invocantis, vel ob utilitatem eorum, qui vident, vel audiunt. Et licet isti despiciantur, qui faciunt, Deus tamen, cujus invocatio facit, honoratur.
e Et prohibuimus eum, quia non sequitur] te. *Rom.* 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur, &c. *Ps.* 49. Peccatori dixit Deus, &c.
f Nobiscum] Idest, sicut nos, mente, scilicet, & corpore omnibus relictis.
g Et ait ad illum Jesus, nolite prohibere, qui enim non est adversum vos, pro vobis est] vel [qui non est adversum nos, pro nobis est.] Duplex littera est ibi nos, vel vos. *h* Qui enim non est adversum vos] idest, qui non facit, vel docet contraria doctrinæ vestræ, sed eadem licet contraria intentione.
i Pro vobis] quia idem facit, quod vos, ut hypocritæ, & aliquando Hæretici. Auctoritas. Cum etiam malis Deus in bonum utatur, ut per eos, sicut per bonos crescat Ecclesia; nisi contraria fidei prædicent errorem seminando, ab instructione nullatenus prohibeantur, quia horum verbis, & operibus pariter proficit Ecclesia, pauci hodie doctores inveniuntur. Unde Christus. Quod dicunt, facite, &c. *Matth.* 23. Et econtrario, qui mala facit, vel docet, licet bona intentione, contra nos est, sed maxime, qui male facit mala intentione, ut aperti hæretici. *Matt.* 12. Qui non est mecum, contra me est. Nota *Gloss. Bedæ*. Igitur in hæreticis, malisque Catholicis, non sacramenta communia, in quibus nobiscum sunt, & adversum nos non sunt, sed divisionem paci, veritatique contrarium, qua adversum nos sunt, & Dominum non sequuntur nobiscum, detestari, & prohibere debemus, quia etsi in fide, & in doctrina idem videatur, intentione tamen, & operibus discrepat.
k Factum est autem, &c.] Adhuc prosequitur Lucas de indiscreto zelo Joannis, quo & secundo erravit, & volens se vindicare, quod non pertinet ad prædicatorem, imo nec ad Christianum. *Rom.* 12. Mihi vindictam, & ego retribuam *Eccl.* 28. Qui vindicari vult a Domino, inveniet vindictam, &c.] Dicit ergo: [Factum est autem, dum complerentur,] idest, appropinquarent.
l Dies assumptionis ejus] idest, Passionis, in qua, vel pro qua assumptus est de mundo ad patrem. Resurrectio etiam dicitur assumptio. Unde Psalmus vigesimus primus scribitur pro assumptione matutina, quia agit de resurrectione.
m Et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem,] idest, imperterrita mente voluit ire in Jerusalem, ubi passurus erat, prius audito consilio Pontificum, & Pharisæorum, ut eum dolo tenerent, & occiderent, nolebat palam ambulare inter eos, sed deambulabat latenter per desertum juxta Ephrem. Sed modo firmata facie volebat ire in Jerusalem. *Beda*. Obstinata, & imperterrita mente locum, in quo pati decreverat, petiit. Obstinatum sumitur hic in bono, sicut *Ruth.* 1.
n Emisit] Dominus, scilicet.
o Nuncios] Jacobum scilicet, & Joannem, ut vult *Ambr.*
p Ante conspectum suum] ut præparent hospitium.
q Et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi.] *Gl.* hospitium, & supplet, quod minus est in littera.
r Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis Je-

Moraliter.

Moraliter.] Diem assumptionis vocat Lucas diem Passionis, quia Passio, & tribulatio, & dies est, quia illuminat. Unde *Ps.* 138. Et nox sicut dies illuminabitur, *Is.* 28. Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui. Est & assumptio, quia ex ea assumitur quis a Deo in gloria, Unde *Ps.* 17. Misit de summo, & accepit me, & assumpsit, &c. Unde & Moyses assumptus ex aquis interpretatur. Dies autem assumptionis complentur, quando tribulatio prolongatur, & tamen patienter, libenter, & lætanter sustinetur. Sicut Paulus 2. *Cor.* 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi, propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.
m Et ipse faciem suam firmavit, &c.] sic quilibet, qui vult ire in Jerusalem cœlestem, aut in claustrum, aut quodlibet bonum perfectum facere, debet faciem obfirmare contra impedientes, & retrahentes, qui sunt multi. Impediunt enim, & retrahunt a bono derisores. *Psalm.* 21. Videntes me deriserunt me. *Job* 12. Deridetur justi simplicitas. Item, detractores. *Psalm.* 37. Qui retribuebant mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem. *August. in lib. Prosper.* Omnes, qui in Christo pie volunt vivere, necesse est, ut ab impiis, & dissimilibus patiantur opprobria, & despiciantur tanquam stulti, & insani. Item adulatores. *Matt.* 18. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Ibi *Gl. Greg.* Mortuos sepelire est peccatores in peccato fovere. *Ezech.* 13. Væ, qui consuunt pulvillus sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Ibi *Gloss. Gregor.* Quisque male agentibus adulatur, pulvillum sub cubito, vel cervical sub capite ponit. *Augustinus in lib. Prosperi* Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam auditur laudator. Item carnales parentes. *Jerem.* 12. Fratres tui, & domus patris tuis etiam ipsi pugnaverunt adversus te, & clamaverunt post te plena voce, ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona. *Infra* 23. Mulieres lamentabantur post Jesum euntem ad crucem, sed propter hoc non dimisit deinceps quia iret ad crucem. Item dæmones. *Num.* 20. & 21. Idumæi, & Amorrhæi impedierunt filios Israel ne transirent in terram promissionis. Contra hos omnes debet quilibet, qui vult aliquod bonum inchoare, obfirmare faciem suam. *Ezech.* 3. Ecce dedi faciem tuam valentiorem, &c.
n Et misit nuncios ante conspectum suum] Joannem, scilicet, & Jacobum per quos significantur prædicatores, qui debeat esse, Joannes, idest, gratiosi, & Jacobus, idest, luctatores, & duo propter scientiam veritatis, & munditiam operis, ut dicit *Beda*. Et tales præmittuntur, ut præparent Domino hospitium in cordibus peccatorum, *Infr.* 10. Misit illos binos, & binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, in quo ipse erat venturus. Sic, qui vult ire in Jerusalem cœlestem debet præmittere nuncios suos, qui præparent ei locum, scilicet, orationem, & eleemosynam. De primo dicitur *Psalm.* 87. Intret oratio mea in conspectu tuo.
Ibi *Gl.* Magna virtus orationis hic notatur, quæ quasi quædam persona ad Deum intrat, & mandatum peragit, quo caro pervenire nequit. *Eccl.* 35. Oratio humiliantis se nubes penetrat, &c. De secundo dicitur *Prov.* 18. Donum hominis dilatat viam ejus; & ante Principes spatium ei facit. *Seneca*. Aliquid quotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem tibi præpara.
r Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis Jerusalem.] Sic hodie, qui habet faciem euntis in cœlestem

A Jerusalem

a Jerusalem, a paucis recipitur, & a multis contemnitur, *Gen.* 46. Detestantur Ægyptii omnes pastores ovium, idest, custodes virtutum, idest, viros justos. *Gen.* 43. Illicitum est Ægyptiis comedere cum Hebræis. *Eccl.* 13. Si communicabit lupus cum agno, &c.

a Cum vidissent autem, &c.] scilicet, quod nolebant eos recipere in hospitiū.

a Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus, & Joannes b dixerunt, Domine, vis dicimus, ut ignis c descendat de cœlo, & consumat illos. Et d conversus increpavit illos, & dixit: e Nescitis cujus spiritus estis. f Filius hominis g non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum. h Factum est autem ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: i Sequar te, quocumque ieris. Et ait illi Jesus. k Vulpes foveas habent, l volucres cœli nidos:

G

b Dixerunt, Domine, vis dicimus,] idest, vis, ut dicamus. c Ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos.] Hoc dixerunt non ex amore correctionis, sed ex livore vindictæ, & ideo increpavit eos Dominus, Dixerunt autem hoc in similitudinem Eliæ, quia sicut legitur 4. *Reg.* 1. sedens in vertice montis Carmeli, duos quinquagenarios ad se missos igne de cœlo imperrato consumpsit, eum tertio ad regem descendit. Similiter & 3. *Reg.* 18. legitur, ignis ad petitionem ejus descendisse, & consumpsisse holocaustum, & ipse post omnes Prophetas Baal interfecit. Similem vindictam modo quærebant Apostoli: Et dicit *Ambros. in quadam Gloss.* ipsos non peccasse: *Beda* autem *in alia Gloss.* vult ipsos peccasse. Et si in hoc dissentiant, non multum videtur inconveniens, facile tamen potest determinari. *Ambros.* enim dicit. Non peccant Apostoli, qui legem sequuntur, idest, qui a lege utuntur. Lex enim vindictam quærebat, quia talio erat in lege. In hoc ergo, quod zelo legis, & intuitu justitiæ vindictam quærunt, non peccant. Et hoc dicit *Ambr.* Sciebant etiam Phinees reputatum esse ad justitiam, quod sacrilegos interfecerat. *Num.* 25. *Beda* vero dicit eos peccasse in hoc, quod ex odio quæsierunt vindictam. Et ita non est ibi contrarietas, eum alter dicat peccatum, alter non peccatum in hoc. In hoc autem facto significant Jacobus, & Joannes quosdam Prælatos nimis pronos ad excommunicationes faciendas. Contra quos dicitur *Matth* 13. Sinite utraque crescere usque ad messem, ne forte colligentes zizania eradicetis cum eis simul, & triticum. Ibi *Gloss.* Ecce longanimitas, quæ usque ad finem necessaria est in Ecclesia 2. *Corinth.* 6. Exite de medio eorum, &c. Ibi *Gloss. Aug.* Exire est facere, quod pertinet ad correctionem malorum, quantum licet pro gradu cujusque, salva pace, quia tolerandi sunt mali quandoque pro pace Ecclesiæ, *Beda*. Non semper in eos, qui peccant, est vindicandum, quia nonnunquam amplius prodest clementia, tibi ad patientiam, lapso ad correctionem. Denique sic Samaritani citius crediderunt. *Joan.* 4. a quibus hoc loco ignis arcetur. Sequitur.

Matth. 18.

d Et conversus increpavit illos, & dixit, nescitis, &c.] quia voluerunt vindictam, ideo increpavit. Primitiva enim Ecclesia fundata erat per patientiam tormentorum, unde non erat tunc vindicandum. Similiter, nec credo placere Domino, quod aliqui nimis de facili volunt alios excommunicare, quod nunquam esset faciendum, nisi cum magna discretione. 1. *Eccles.* 15. Omne excrementum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus Dominum. *Is.* 24 Maledictio vorabit terram, & peccabunt habitatores ejus. *Jerem.* 23. A facie maledictionis luxit terra, *Proverb* 26. Maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet.

e Nescitis, cujus spiritus estis] idest, cujus spiritu signati estis. *Ambr.* Perfecta virtus non habet studium ultionis, nec ulla est iracundia, ubi est charitatis plenitudo. *Beda*. Cujus spiritu signati estis, ejus acta imitemini, nunc pie consulentis, idest, in præsenti patientiam habentes, *Matth.* 11. Discite a me, &c. sed in futurum juste judicantes cum sedebitis super sedes, & judicabitis.

f Filius,] quasi non debetis in præsenti vindictam petere, sed mites esse. [Filius,] enim, [hominis,] quem debetis imitari.

g Non venit animas perdere, sed salvare,] *Ezech.* 33. Nolo mortem impii, &c. *Matth.* 20. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Et in hoc gerunt Episcopi officium Christi, ut scilicet quærant, & procurent salutem animarum. *Act.* 20. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, 1. *Pet.* 2. Eratis sicut oves errantes, &c. [Et abierunt in aliud castellum.]

Decima pars.

h Factum est autem, &c.] Recapitulatio est, quam hic facit Lucas. Quod enim hic sequitur, non continue post præcedentia est factum, licet continue interfertum, Lucas enim non sequitur ordinem historiæ, sed mysterii. Unde non ait. Post hæc, sed ait. [Factum est,] Ordo autem historiæ hic est. Post incarcerationem Joannis, elegit Dominus duodecim Apostolos in monte, descendens de monte veniens Capharnaum in via sanavit leprosum, cum introiisset Capharnaum, sanavit servum Centurionis nocte in domo sanavit socrum Simonis febricitantem, mane confluentibus ad eum turbis jussit discipulos transfretare, & tunc accessit ad eum vulpilosus iste. Et de hoc habetur *Matth* 8. Qui non accessit animo obsequendi, sed animo lucrandi. Proposuerat enim esse discipulus Domini ad tempus, ut ex discipulatu consequeretur potestatem eiiciendi dæmones, curandi languores, ut sic deinde lucraretur: Quamvis ergo quantum ad historiam post præcedentia non sequatur, tamen quantum ad mysterium congruit præcedentibus, & eleganter continuatur.

Matth. 8.

In proximo enim egerat de receptione humilium, nunc congrue subjungit de abjectione superborum. Dominus enim superbos abiicit, humiles recipit. Sicut ergo Dominus suscipiens parvulum exemplo, docuit humiles esse recipiendos, sic non accipiens vulpilosum istum, superbos docet abiiciendos. Et facit hic Dominus mentionem paupertatis suæ, quod frequenter facit. *Matth* 17. quando misit Petrum ad mare pro statere, quia non habuit, unde solveret tributum.

Item *Marc.* 11. dicitur, Cum prædicasset usque ad vesperam, circumspiciebat, si quis invitaret eum ad hospitium, nec inveniebat. Unde *Psalm.* 141. Considerabam ad dexteram, &c.] Dicit ergo Lucas.

h Factum est autem ambulantibus illis in via, dixit, quidam ad illum. Non nominat eum, quia malus erat, & cupiditatis causa hoc dicebat.

i Sequar te, quocumque ieris. Et ait illi Jesus. Vulpes foveas, &c.] Verbum illius videbatur bonum, ideoque Dominus non respondet verbo, sed cogitato dicens.

k Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos.

△ Filius autem hominis

k Vulpes foveas habent.]

Moraliter.

Moraliter.

Vulpes sunt stultæ mulieres, in collo albæ, in dorso rubeæ, circa pedes caudatæ rubore, & candore attrahunt, & alliciunt incautos, sed cauda comburunt, quia ignis est in caudis earum. *Judic.* 15. Cepit Samson trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio, quas igne succendens dimisit, ut huc illucque discurrerent, quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum, & succenderunt eas. Et non solum mulieres caudas gerunt, sed etiam quidam clerici, & Theologi. *Ezech.* 13. Quasi vulpes in deserto Prophetæ tui. *Cant.* 2. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliunt vineas, idest, Ecclesias. Istæ vulpes foveas habent, idest, occultas domos, & occultos fornicatores, qui fovent eas.

Item vetulæ stupri conciliatrices, vulpes sunt, *Proverb.* 22. Profunda fovea os alienæ, cui iratus est Dominus, incidet in eam. Et istæ vulpes foveas habent, idest, domos subterraneas, & occultas, in quibus iniqua fiunt. *Eccl.* 12. In labiis suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam, id est, in domum vetulæ.

l Et volucres cœli nidos.] Volucres cœli sunt clerici, qui deberent volare in cœlum, sed ipsi quasi pulli sine pennis virtutum tenent se in nidis suis, idest, in pluribus beneficiis, quæ recte nidis comparantur, quia in alto sunt. In hoc notatur superbia clericorum beneficiatorum. *Abdiæ* 1. Si exaltatus fueris ut aquila, & inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Item ibi generantur pulli edaces, in quo significatur eorum gulositas. Item ibi fiunt stercora, in quo notatur eorum luxuria. *Joel.* 1. Computruerunt in stercore suo. Item nidi molles sunt interius, & aspeti exterius, in quo notatur eorum hypocrisis. *Matth.* 11. Ecce, qui mollibus, &c.

△ Filius autem hominis

a Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Ait *b* autem ad alterum: Sequere me, *c* ille autem dixit. Domine, permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum. Dixitque *d* ei Jesus, *e* Sine, ut mortui *f* sepeliant mortuos suos, *g* tu autem vade, & annuncia regnum Dei. Et *h* ait alter. Sequar te, Domine, sed primum permitte mihi renunciare his, qui domi sunt. Ait ad illum Jesus; *i* Nemo mittens manum suam ad

a Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet] Exponitur dupliciter. Primo ad litteram sine omni metaphora, q. d. Dominus, erras, qui me vis sequi propter multiplicandas divitias. Qui enim volunt multiplicare opes, idest, divitias, non debent sequi pauperes, sed divites, ego autem sum pauperrimus omnium animalium, ut cum quæque animalia proprias habeant mansiones, ego non habeo domunculam, ubi caput reclinem. *Eccl.* 36. Quis credit ei, qui non habet nidum? & deflectens *Jer.* 14 Quasi colonus factus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum.

Matt 8,

Chrys. Respondet Dominus ad mentem ejus, q. d. quid me sequeris propter pecunias, qui vides, neque tantum mihi diversorum esse quantum avibus? Et *inf.* Ille non respondit, sequar te pauperem, Hoc enim concessisset, *inf.* 13. Dicite vulpi illi, q. d. qui insidiatur mihi gallinæ. *Matt.* 23. Aliter exponitur. Et sequitur idioma Palæstinæ regionis, cujus est proprium loqui per metaphoras. Iste forte miraculorum magnitudine motus volebat eum sequi cupidine inanis gloriæ, quod significatur per aves, & ita per istum significantur hypocritæ, & avari, & fraudulenti, & inanis gloriæ cupidi, quod pater per aves, & vulpes: & per vulpes hypocritæ, avari, fraudulenti, per aves inanis gloriæ cupidi, sive elati accipiuntur. Animus enim elatus quodammodo est avis, & super se volat. Est ergo sensus: [Vulpes, &c.] *a* Filius autem hominis, &c.] Idest, in hujusmodi vulpinosis, & fraudulentis per superbiam, & inanem gloriam elatis, non habet, ubi quiescat, idest, delectetur, quia non quiescit, nisi in mansuetis, *Is. ult.* Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? [Vulpes, &c.] *Hier.* Iste hac intentione volebat sequi Jesum, qua Simon Magus desiderabat habere potestatem miracula faciendi, *Act.* 8. ut, scilicet, de miraculis divitias lucraretur, Et ideo recte significat hypocritas, & hæreticos, qui exterius videntur sequi Jesum: Sed interius persequuntur. Unde recte comparantur vulpi, quæ dolosa est, & tortuose incedit. *Matth.* 7. Attendite a falsis prophetis, &c. Hi sunt Gabaonitæ, qui videntes filios Israel prosperari, & dominari, fœdus inierunt cum eis, sotulares veteres, & ex pitaciis consutos habentes, panesque duros, & muscidos portantes. *Josue* 9. Ita Hypocritæ aspere induuntur exterius, & vivunt, sed cognita eorum fraude admittendi sunt, sicut aquarii, & lignarii, non sicut fratres, hæretici vero omnino destruendi.

Hyeslaer.

* *a* Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet] quasi pauper homo, qui via recipitur in hospitio, sed si dives est, aperitur ei utraque janua. *Luc.* 2. Deus elegit pauperes in hoc mundo, vos autem exhonoratis pauperes, quasi electioni divinæ rebelles. Item *in eod.* Si introierit in conventum vestrum vir annulum aureum habens in veste candida, introiret autem & pauper, &c. Et nota, quod dicit. [Filius hominis.] In hoc enim notatur Christi humilitas, quia ex parte inferiori nominat se, & parentelam suam. Episcopus quidam jactabat se habere decem Reges in genere suo, & computatis septem, non potuit invenire plures, & dixit quidam; Ego scio alios tres Reges Coloniæ. *Eccl.* 10. Quid superbis terra, & cinis? *Esther.* 2. noluit indicare patriam suam, & populum. Sequitur.

b Ait autem ad alterum, sequere me] De isto, qui hic vocatur, & sequatur Dominum apud *Matth.* 8. legitur, Alius autem de discipulis ejus ait illi, &c. Et dicunt quidam, quod fuerit Philippus, sed non est authenticum. *Amb.* Attende Dominum non culpas aspernatum, sed fraudes, qui repudiat fraudulentum, elegit innocentem, &c. idest, non propter quamlibet culpam Dominus respuit, sed propter fraudem. Ex quo *Mystice* potest intelligi, quod non propter culpas veniales respuit Dominus peccatores, sed propter criminales. Et nota, quod non quemlibet eligit Dominus, sed eum, cujus pater mortuus est, idest, in quo mortuus est mundus, vel diabolus, qui dicitur pater, *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus. *Jo.* 9. Vos ex Patre diabolo estis.

c Ille autem dixit; Domine, permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum.] *Ibid.* Non respuit esse discipulus, sed expleta pietate paterni funeris vult liberior sequi. Simile 3. *Reg.* 19. Misit Elias pallium suum super Eliseum, qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, & ait, osculer oro te patrem meum, & sic sequar te. Sic multi dicunt, disponam de patre meo, vel post mortem parentum intrabo claustrum. *Chrys.* Multi ex his, qui vivere æstimantur, a mortuis nihil differunt, etsi corpus corruptum non vides, anima saniem sustinet ampliorem. Corpus enim per paucos dies fetet, his autem est os cloacis immundius.

d Dixitque illi Jesus, sine, ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, &c.] Non revocat eum a sepultura, nisi quia erant, qui sepelirent patrem ejus, ideoque non urgebat necessitas. Item nota, quia pater istius infidelis erat, Est ergo sensus.

De pœnit. dist. 1. cap. pennata,

e Sine, ut mortui] in anima, idest, infideles.

f Sepeliant mortuos] scilicet infideles alios. *Chris.* Nunquid non est maximæ ingratitudinis abesse, cum sepelitur pater? Non prohibuit honorare parentes, sed monstrat cœlestibus negotiis nihil esse præponendum. Nota duas interlineares sibi ex æquo respondentes. *Amb.* Hoc consortibus relinquitur, idest, infidelibus, ut sepeliant infideles. Alia. Hoc mandatur electis, intellige annunciare, idest, prædicare regnum Dei. *Greg.* Mortuus mortuum sepelit, quando peccator peccatorem blandimentis, & adulationibus allicit arctius in peccatis.

g Tu autem vade, & annuncia regnum Dei.] *Ambr.* Docet Dominus minora bona pro utilitate majorum esse prætermittenda. Majus enim est animas mortuorum prædicando suscitare, quam corpus mortui in terra abscondere. *Deuter.* 33. Qui dixerit Patri suo, & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis ignoro illos, & nescierunt filios suos. *Hier. ad Paulinum.* Festina quæso, & hærenti in salo naviculæ funem magis præscinde, quam solve. Nemo renunciaturus sæculo bene potest vendere, quæ contempsit, ut venderet. *Chrys.* Neque contingens tempus perdere oportet. Et nota, quod dicit: [Regnum Dei,] non fabulas Ovidii, non vanitates Philosophorum, non ingenium tuum, sed regnum Dei quadruplex. Sacra scriptura. *Matth.* 21. Auferetur a vobis regnum, &c. Gratia *infr.* 17. Regnum Dei intra vos est. Militans Ecclesia. *Marcum* 12. Non longe es a regno Dei Gloria. *Marc.* 10. Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibeatis, Talium enim est regnum cœlorum. *Matth.* 11. Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud.

In prologo Biblia e ß,

h Et alter ait, sequar te, Domine, sed primum permitte mihi renunciare his, qui domi sunt. Ait ad illum Jesus. Nemo mittens manum suam, &c.] Per illum, qui bono affectu vult sequi Dominum, sed prius vult sepelire patrem suum. *Mystice* instruuntur humiles recepti a Domino, quia debent eligere potiora, & postponere minora. Est enim bonum opus sepelire, & septimum est in operibus misericordiæ, sed potius est evangelizare. Per istum vero, qui dominum vult sequi non invitatus, sed primo vult renunciare domui suæ. *Mystice* instruuntur humiles recepti a Domino, qui postquam inceperunt Dominum sequi, non debent resipiscere, vel quasi canis ad vomitum redire, ne cum uxore Loth mutentur in statuam salis. *Matth.* 24. Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua, & qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam. Talis cogitatio, quam revera diabolus immittit sub quadam discretionis specie, multos avertit a bono proposito, & multis fuit occasio perditionis. *Hieron.* cuidam tali. Si habes in potestate rem tuam, vende, & si non habes, projice. Tollenti tunicam, & pallium relinquendum est. Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Apostoli tantum navem, & retia reliquerunt. Et postea subdit. Facile relinquit omnia, qui se semper cogitat moriturum. Hoc etiam est contra claustrales, qui sine magna necessitate frequenter visitant domos parentum suorum. *Gloss. Beda.* Si discipulus Dominum secuturus arguitur, quod domui renunciare velit, quid fiet illis, qui nulla utilitate sæpe visitant domos suorum, quas reliquerant? Quasi si tam dure arguitur, qui nondum fuerat Dominum secutus, quid erit de regularibus illis, qui tota die quibusdam modicis occasionibus visitant domos parentum? Talibus ergo dicit Dominus.

Mystice,

In prologo Bibliæ.

i Nemo mittens manum ad aratrum] prædicationis. *Osee* 10. Arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob.

▲ *a* Et aspiciens retro aptus est regno Dei,] prædicando, vel habendo 2. *Timoth* 2. Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis, *Philipp.* 3. Ea, quæ retro sunt, obliviscens. Vel aratrum religionis, 3. *Reg.* 19. Elisæus in aratro coxit carnes, mactavit boves, idest, religionis votum fecit *Gloss.* Manum ad aratrum mittit, &c. Et est summa, quia manum ad aratrum mittere, est per compunctionem, & dominicæ passionis memoriam cor exarare. In aratro enim est stiva, lignum, scilicet, cui arans innititur, & aliud lignum, cui vomer infigitur. Per lignum ergo, cui arans innititur, intelligitur contritio cordis, per vomerem, qui terram scindit, intelligitur memoria dominicæ Passionis, quæ quodammodo cor hominis scindit. Nemo enim tam saxei pectoris est, cujus cor non emolliat memoria Dominicæ passionis. Et eam præcipue debet homo habere in memoria, quia cum tantum beneficium ad memoriam reducitur, ad amorem benefactoris amplius animus accenditur. Qui vero ad relicta vitia desiderio rapitur, retro aspicit. Et de talibus dicitur *Osee* 10. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii. Quidam colunt agrum, superbi quidam horreum, avari quidam ventrem, luxuriosi, &c.

aratrum, *a* & aspiciens retro aptus est regno Dei.

C A P. X.

POst hæc *b* autem *c* designavit Dominus & *d* alios septuagintaduos, & misit *e* illos *f* binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus. Et *g* dicebat illis: *h* Messis quidem multa, *i* operarii autem pauci:

E X P O S I T I O C A P. X.

POst hæc autem, &c.] In præcedenti cap. egit Lucas de missione duodecim Apostolorum, in hoc autem agit de missione septuaginta duorum discipulorum, & prosequitur hic satis historiam. Dividitur autem istud capitulum in quatuor partes. In prima docentur discipuli, qualiter erant, & qualiter se habeant in prædicatione. In secunda agitur de reditu discipulorum ad Dominum, & eorum humiliatione, ne superbirent de factis miraculis, ibi [Reversi sunt autem] In tertia agitur de commendatione humilitatis, ibi [In ipsa hora, &c.] In quarta agitur de hypocrisis condemnatione per parabolam sauciati, ibi [Et ecce quidam legisperitus, &c.] Ad literam autem. Septuagintaduos discipulos misit Dominus, quia tot erant genera linguarum, ut sicut prius miserat duodecim Apostolos propter duodecim tribus Israel, ita secundo misit septuagintaduos propter septuagintaduo genera gentium, vel linguarum. Unde & *Num.* 11. Constituit Moyses septuaginta viros duces populi. Item per hunc numerum ostendit Dominus, quod per hos, & eorum sequaces erat annunciaturus mundo fidem Trinitatis. Sol enim per triduanum ambitum suum septuagintaduas horas facit. Christus ergo: qui se diem appellat, Apostolos autem horas, *Joann.* 11. Septuaginta duos discipulos ad prædicandum mittit, ut per hoc mystice significaret, se per hunc numerum prædicantium fidem Trinitatis mundo annunciare, sicut sol triduanum cursum solet per septuagintaduas horas complere. Unde cum Dominus ambularet in Jerusalem, discipuli quæsierunt ab illo, quam illuc iret, cum vellent eum occidere. Dominus autem: Nunquid duodecim sunt horæ diei, qui ambulat in die, non offendit, q. d. ego sum dies, vos estis horæ, sequimini me, & non invenietis offendiculum. Nota ergo, quia vintiquatuor horæ sunt diei naturalis, qui numerus triplicatus facit septuagintaduo, & ita dies, idest, Christus per septuagintaduos discipulos, quasi per septuagintaduas horas fidem sanctæ Trinitatis mundo nuntiavit, sicut sol per totidem horas cursum suum peragit. Dicit ergo.

b Post hæc autem] quæ prædicta sunt.

c Designavit Dominus,] idest, ab aliis distinxit. Vel, idest, de multitudine, quasi signatos elegit. *Jo.* 11. elegit vos, &c.

d Et alios septuagintaduos,] *Matth.* 10. mittuntur duodecim. Et *sup.* 9. similiter.

e Et misit illos] septuagintaduos. *f* Binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus] *Joann.* 20. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Per hoc, quod bini mittuntur ad prædicandum, innuitur, quod debent charitate uniri, quia charitas est glutinum, quo fideles combinantur. Vel in hoc, quod bini mittuntur, significatur, quod sicut in arcam Noe animalia immunda bina missa sunt, sic in arcam, idest, in unionem Ecclesiæ, missuri erant Apostoli, & collecturi per Sacramentum Baptismi, & prædicationem homines a conceptione, immundos, & in peccatis defixos. *Gloss.* Bina animalia immunda prius in carnali generatione, &c.] idest, significantia homines prius immundos in carnali generatione, &c.

g Et dicebat illis, messis quidem multa] *Beda.* Turba credentium.

i Operarii autem] idest, Apostoli, & eorum sequaces [Pauci.] Et est, sensus. Licet multi sint, qui fidem recipiunt, & receperunt, tamen indigent operariis, ac aves cœli sparsa semina dissipent, *sup.* 8. *Matth.* 13.

Matt. 9. 21. dist. a. in novo.

Moraliter.

Moraliter.] Messis multa est populus multus. Hæc messis fuit seminata in primis patribus, irrigata in diluvio, *Gen.* 7. Crevit in herbam in Patriarchis ante legem, processit in culmen in Prophetis sub lege, maturavit in messem in Apostolis sub Evangelio, *Jo.* 4. Videte regiones, quia jam albæ sunt ad messem, *Apoc.* 14. Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit messis terræ. Ad hanc igitur messem colligendam mittuntur hic messores, idest, Prælati, & prædicatores, ut falce prædicationis eam separent a terrenis, & recondant in horreo Domini, *Jerem.* 15. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. *Isa.* 2. Conflabunt lanceas suas in falces, idest, disputationes, & lectiones convertent in prædicationes. Falx recurva est, sic prædicatio debet recurvari in se, ut prædicator seipsum consideret, *Job* 5. Visitans speciem tuam non peccabis, *Galat.* 6. Considerans seipsum, &c. *Marc.* 13. Videte vosmetipsos, *Ecclesiast.* 31. Intellige, quæ sunt proximi tui ex teipso, Item fala manu tenetur, aliter non valet, sic prædicatio inutilis est, nisi opere impleatur. *Greg. super Ezech.* Ad hoc, ut servetur virtus prædicandi, teneatur necesse est altitudo vivendi, *Osee* 10. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei. Item, qui metit falce, inclinat se, sic prædicator debet se inclinare per compassionem, & humilitatem, *Job* 39. Nunquid parturientes cervas observasti? Incurvantur ad fetum, & pariunt. Ibi *Gloss.* Prædicatores sancti, quasi cervæ in partus dolore sunt, quia nunc in rugiendo in lacrymis seminant. Qui incurvantur, ut pariant, quia nisi ab immensitate contemplationis æternæ ad infirmitatem nostram descenderent, nunquam filios procrearent. Unde *Ps.* 143. Inclina cœlos tuos, & descende. Item, qui metit falce, si retro aspiciat, seipsum vulnerat, & male secat, sic prædicator, si ad temporalia aspiciat, & seipsum vulnerat, & alios male docet *sup.* 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum, &c. Ubi dicit *Gl.* Omnis arans si retro respiciat, aut inutilem, aut tortuosum facit sulcum, aut arantium boum suorum vestigia vulnerabit. Ita, &c. *Phil.* 3. Unum quidem ea, quæ retro sunt, obliviscens, &c. Dicit ergo.

h Messis quidem multa] scilicet, totum genus humanum, in quo multi sunt parati converti ad Dominum, si esset, qui meteret, idest, instrueret eos.

i Operarii autem pauci] Licet locutores multi, pauci enim faciunt, quod docent. 3 *Reg.* 5. Scis, quia non est in populo meo vir, qui sciat ligna scindere, sicut Sidonii dicit Salomon, idest, Sacram Scripturam exponere, ad ædificium faciendum Salomoni, idest, Christo. *Proverb.* 19.

Abscondit piger manum suam sub ascella. Contra hos dicit *Job* 31. Si fructus ejus comedi absque pecunia.

Ibi *Gloss.* Fructus terræ absque pecunia comedere, est Ecclesiæ sumptus accipere, & eidem Ecclesiæ prædicationis pretium non præbere, 2. *Thess.* 3. Si quis non vult operari, nec manducet.

Gregorius. Quid ad hoc nos doctores dicimus, qui adventum præcurrentes, Ecclesiasticum officium suscipimus, & mutI panem comedimus? *Beatus Bern.* Venient, venient ante tribunal viventis, ubi erit pauperum allegatio dura, accusatio gravis, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata. *Genes secunda* Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum, *Matth.* 20. Voca operarios, & redde illis mercedem, &c. Operarios jubet vocari ad mercedem, non otiosos.

▲ *a* Rogate

a Rogate ergo Dominum messis, ut b mittat operarios in messem suam. c Ite, d ecce ego f mitto vos sicut g agnos inter h lupos i Nolite ergo portare sacculum, k neque peram, neque l calceamenta, & m neminem per viam salutaveritis.

▲ a Rogate ergo] q. d. quia operarii sunt pauci. [Ergo rogate Dominum messis] Idest. Christum.

b Ut mittat operarios in messem suam.] *Interl.* vel vineam. [Operarios,] idest, prædicatores magis opere, quam ore prædicantes. Efficacior est enim prædicatio operis, quam oris, ut dicit Beatus *Bern.* Est enim prædicatio gladius, qui nisi teneatur manu, non terret adversarios. De bonis prædicatoribus dicitur in *Ps.* 149. Exaltationes Dei in guttore eorum, & gladii, &c. *Cant.* 3. Lectulum Salomonis, &c. Sed de illis, qui dicunt multa, & faciunt pauca, dicitur *Ps.* 57. Et gladius in labiis eorum, quoniam quis audivit. Sed quare se vult rogari Dominus, ut mittat operarios in messem suam, imo rogat, ut rogetur, & rogat operarios, ut rogent eum? Respondeo. Per hoc ostendit desiderium suum circa animas convertendas, quia rogat, ut rogetur. Per quod etiam ostendit desiderium prædicatorum circa salutem animarum, ut etiam rogent mitti, nec aliter debere prædicare, nisi missi. *Romanor.* 10. Quomodo prædicabunt, &c.] Per hoc idem ostendit Dominus, quod gratia prædicandi donum Dei est, quod precibus datur non studio, vel ingenio humano. *Jacob.* 1. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet eam a Domino.

c Ite, ecce ego, &c.] Ego discretive. Dominus messem dixerat paratam, idest, corda hominum ad recipiendum verbum, & ideo præceperat discipulis, ut rogarent Dominum messis, ut mittat operarios in messem. Sed quia ipse erat Dominus messis, ut ostendatur, statim illud facit, pro quo faciendo præceperat, ut rogaretur. Unde subdit. [Ite] Et leges ita litteram, ut dicatur iterato. Mitte nos, ergo [Ite] Modo repete.

f Mitto vos] inquam, sicut agnos inter lupos *Matt.* 10. dicit hæc verba post electionem dicta Apostolis, Lucas asserit esse dicta septuaginta duobus. Possunt ergo intelligi dicta esse utrisque. Est tamen ibi modica mutatio verborum. Nam Apostolis dictum est. [Mitto vos, sicut oves. Septuagintaduobus discipulis. [Mitto vos, sicut agnos] idest, tanquam simplices, & mansuetos.

h Inter lupos] inter detractores scribas, scilicet, & Pharisæos. *Chrysostomus.* Fortior est Dei gratia, quam rerum natura. *Chrysost.* q. d. monstrabo virtutes, cum oves lupos superaverint. *Chrys.* Dum fuerimus oves, vincimus, etsi multi sint lupi, si autem efficimus lupi, vincimur, & cessat a nobis pastoris auxilium. Non enim oves, sed lupos pascit. *Chrys.* Unaquæque bestia unum habet, & proprium malum, homo autem malus omnia. Nota [Ite] dicit non æquitate, *Ps.* 125. Euntes ibant, &c. *Ezech.* 1. Animalia ibant, & revertebantur, &c.

d Ecce.] In hoc notatur celeritas prædicatorum. *Is.* 60. Ecce ego, mitte me. *Prov.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum.

e Ego] Deus, qui vos elegi, qui vos docui, qui sum Dominus messis.

f Mitto vos] homines, servos, discipulos, electos, ideo debetis ire. *Exod.* 3. Ecce ego vadam ad filios Israel, & dicam eis. Deus Patrum vestrorum misit me ad vos. Mitto vos, aliter non debetis ire, *Jerem.* 23. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant. *Joan.* 10 Quotquot venerunt, sua voluntate, non missi a Domino, fures sunt, & latrones. [Mitto vos.] Mittit, ut advocatos ad defendendum causam sponsæ suæ, idest, Ecclesiæ. *Is.* 1. Quærite judicium, &c.] Item ut testes in causa sua, & Ecclesiæ, *Is.* 43. Vere vos testes mei, ut dicit Dominus. *Act.* 1. Et eritis mihi testes. Testes autem debent esse certi, jurati, non conducti, non subornati, non infames, non pueri, certi de visu, & auditu, *Matt.* 11. Renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis. *Act.* 4. Non possumus, quæ vidimus, &c. 1. *Jo.* 1. Quod vidimus oculis nostris, &c. *Jo.* 3. Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur. Item jurati, ut nec prece, nec pretio, nec amore, nec odio, nec timore dicant falsitatem, vel taceant veritatem. *Ps.* 118. Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Item non conducti mercede temporali. *Is.* 13. Suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, &c. *Matt.* 10. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam. Si prohibentur habere, multo fortius accipere. Item non subornati, lepore verborum. *Eccl.* 4. Non abscondas sapientiam tuam in decore ejus. 1. *Cor.* 2. Prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, &c. Item non infames, 1. *Tim.* 3. Oportet illum habere testimonium bonum ab his, qui foris sunt, ut non incidat in opprobrium, & in laqueum diaboli. Item non pueri, sed adulti. *Exod.* 26. Provide de omni plebe viros sapientes, &c. Item [Mitto vos] ut cursores. Cursor autem debet habere pixidem pictam insignis mittentis, & litteras sigillatas. Pixis est cor, litteræ duo testamenta, sigillum charitas, sigillator Spiritus sanctus. *Ephes.* 4. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis. *Jo:* 13. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvicem. *Cant.* 8. Pone me ut signaculum super cor tuum. Pictura pixidis est paupertas, tribulatio, fames & hujusmodi, in quibus est imago Christi in terra conversantis. *Gal.* 6. Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, &c. Item [Mitto vos,] ut milites pugnaturos pro fratribus. *Jos.* 1. Transite armati, &c.

g Sicut agnos] idest, innocentes, humiles, mansuetos. *Is.* 6. Arietes Nabajoth ministrabunt tibi. Nabajoth propheta, idest, filii prophetarum. *Cant.* 4. Dentes tui, id est, prædicatores, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro. h Inter lupos] *Amb.* id est, hæreticos, qui gregem Domini diripere nituntur nocte tribulationis, seu adversitatis. *Beda* dicit. Lupi sunt Scribæ, & Pharisæi, qui sunt clerici Judæorum, q. d. Lupi sunt clerici. *Soph.* 3. Judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane. *Is.* 65. Lupus, & agnus pascentur simul. *Eccles.* 13. sicut communicabit lupus agno aliquando, &c. *Gl.* Lupi, & agni simul pascentur, & de lupis, ad quos mittentur agni, convertentur, & ita qui prius erant lupi, eodem cibo reficientur cum agnis, scilicet, cibo verbi Dei.

i Nolite ergo portare sacculum] ad reponendum pecuniam. k Neque peram] ad reponendum escam.

l Neque calceamenta] Omnem sollicitudinem temporalem amputat a prædicatore. Nam qui contemptum mundi prædicant, debent & ipsi primi contemnere. Unde *Beda*, & *Amb* Tanta debet prædicatori esse fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sumptus, etsi non prævideat sibi, tamen certissime non defecturos sciat, idest, credat, ne dum occupatur mens ad temporalia, minus prædicet æterna, *Inf.* 22. Quando misi vos sine sacculo, & pera, nunquid defuit vobis aliquid? At illi dixerunt: Non.

[Mystice]

Mystice.] Pecunia in sacculo est sapientia clausa in anima, quæ non erogatur proximo, & ideo vel inutilis, vel noxia est. *Eccl.* 20 & 41. Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, &c. *Proverb.* 11. Qui abscondit frumenta, &c. Per peram significantur negotia seculi, sicut dicit *Amb.* quæ non debent portare prædicatores Christi, qui contemptum mundi prædicant. 2. *Tim.* 2. Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis *sup.* 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum, idest, prædicationis assumens officium, & respiciens retro, aptus est regno Dei, prædicando. Per calceamenta significantur mala exempla, quæ procedunt ex malis operibus, sicut calceamenta fiunt ex mortuis pellibus. *Exod.* 3. Solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est.

m Et neminem per viam salutaveritis.] Ad litteram, non prohibet salutationem, cum sit officium humanitatis, sed obstaculum prædicationis, & devotionis impedimentum prohibet, idest, ne causa confabulandi aliquos in via salutent, ne ipsa confabulatio eorum devotionem impediat, & a destinato negotio retrahat. Unde *Ambr.* Festinato jubet conscendere, ne alicujus obvii confabulatione reflectantur ab injuncto officio, vel munere, &c. & *inf.* Ut quando mandantur divina, paulisper sequestrentur humana. Aliter.

m Neminem per viam salutaveritis] idest, nemini salutem viæ optaveritis, idest, mundanam prosperitatem, quæ multis est causa mortis. Vel [neminem per viam salutaveritis,] idest, nolite salutare quemquam eo modo, quo consueverunt homines facere salutationes in via, idest, tantum ex consuetudine, non ex salutis optatione. Et hanc expositionem habes in *Gl. Beda*, & *Amb.* quæ talis est. Omnis, qui in via salutat, occasione itineris salutat, idest, tantum ex consuetudine non ex intentione habenda ejusdem salutis. Vel aliter. Neminem per viam salutaveritis, idest, propter viam, idest, propter temporalia ne prædicetis, sive nemini salutem prædicabitis occasione lucrandi temporalia, sicut qui in via salutat, aliquando confabulandi, vel alia causa salutat, non quod ejus saluti intendat. Hanc similiter expositionem potes habere ex prædicta *Gl.* Simile 4. *Reg.* 4. Et si occurerit tibi homo, ne salutes eum.

▲ Salus autem

a Salus autem patriæ omnibus est optanda, & pro illa prædicandum. *Eccl.* 22. Amicum salutare ne confundaris. *Ps.* 43. Tu es Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Jacob *Chrys.* Non est sola salutatio, sed benedictio. Unde Episcopi scribunt, Salutem, & benedictionem. *Ps.* 128. Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos, &c.

Matth. 10.

a In quamcumque domum intraveritis,] causa hospitandi. b Primum dicite, pax huic] idest, pacem hospiti, & familiæ prædicetis, ut appareat, vos esse nuncios, & bajulos pacis. *Is.* 52. quam pulchri sunt super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem. *Matt.* 5. Beati pacifici. c Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra,] Idest, oblatio pacis, id est, si aliquis fuerit ibi prædestinatus ad pacem æternam habendam, suscipiet pacifice vestram prædicationem. d Sin autem] idest, si noluerit aliquis audire vos, nec acquiescere vobis. e Ad vos revertetur] idest, non erit vobis inutilis, quia prædicationis, & laboris vestri merces vobis a Deo recompensabitur. f In eadem autem domo manete.] Hic prohibet Dominus discursum prædicatorum, quia aliquando mutare solent hospitia causa ventris. *Beda.* Alienum est a prædicatore per domos cursitare, & hospitium mutare. *Eccl.* 21. Pes fatui facilis in domum proximi. *Prov.* 25. subtrahe pedem tuum de domo proximi tui. g Edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt] non quærentes diversa fercula. *Eccl.* 2. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe. 1. *Corint.* 10. Omne, quod apponitur vobis, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. g Dignus est enim operarius mercede sua] duplici. Una in via ad sustentationem, altera in patria ad remunerationem. *Matth.* dicit. Dignus est cibo suo, idest, potestatem habet accipiendi necessaria vitæ ab his, quibus prædicat. 1. *Cor.* 9. Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. *Gal.* 6. Communicet, qui, &c. *Deut.* 25. Non alligabis os bovis triturantis, &c. Unde Diacono deferenti Evangelium, alius defert pulvinar. *Cant.* 2. Læva ejus sub capite meo. *Beda.* Qui saccum, & peram prohibuit, sumptus ex prædicatione concedit, sic tamen ut ablato cibo, & potu sint contenti, idest, ne quærant superflua. i Nolite transire de domo in domum] Ideo hoc prohibet Dominus, quia sæpius mutatio hospitiorum mutabilitatem indicat animorum. *Ambr.* Non est de domo in domum vaga facilitate demigrandum, ut in hospitali amore serventur constantia, ne collata amicitiæ necessitudo facile dissolvatur. Nota, quod dicit, necessitudo, quadam enim necessitate astringimur erga amicos. *Eccl.* 29. Necessitudine domus meæ hospitio mihi factus es frater. k Et in quamcumque, &c.] *Hier.* Quia hominibus rusticanis, absque eloquii venustate nemo crederet pollicentibus regnum cœlorum, dat potestatem miracula faciendi.

l Et dicite illis, appropinquabit in vos regnum Dei] idest, Christus, vel vita æterna, vel sacrarum scripturarum scientia. *Matt.* 3. Agite pœnitentiam, &c. m In quamcumque autem Civitatem intraveritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus dicite, etiam pulverem] pedum, [qui adhæsit nobis de civitate vestra extergimus in vos] ut sic ostendatis, quod nihil terreni commodi quæratis, sed tantum animarum salutem. 2. *Cor.* 11. Non quæro, quæ vestra sunt, sed vos. *Hier.* In testimonium, quod prædicatio ipsorum pervenit usque ad illam civitatem, & ita non habeat excusationem. *Jo.* 15. Si non venissem, & non prædicassem eis, peccatum non haberent, nunc autem, &c. Item in signum laboris inaniter expensis. Pulvis enim in pedibus signum est itineris, & laboris, excussio vero significat laboris inutilitatem, quia inutilia solent excuti, & abjici. Item sic Excutite pulverem de pedibus vestris, idest, minima itineris, & laboris vestri, quem pro illis sustinuistis, exponite illis, ut si vos recipere noluerint, sit eis in testimonium majoris damnationis. Si autem receperint, sit majoris dilectionis occasio, &c.

B

Matth. 10.

In a quamcumque domum intraveritis, b primum dicite, Pax huic domui. Et si ibi c fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra. Sin d autem, e ad vos revertetur. In f eadem autem domo manete, g edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt. h Dignus est enim operarius mercede sua. i Nolite transire de domo in domum. Et in k quamcumque civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis, & curate infirmos, qui in illa sunt, l & dicite illis, appropinquabit in vos regnum Dei. In m quamcumque autem civitatem intraveritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite: Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos. Tamen n hoc scitote, quia appropinquabit regnum Dei. o Dico vobis, quia Sodomis in die illa p remissius erit, quam illi civitati. Væ tibi q Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes

Mystice.

Mystice.] Per pedes Apostolorum significantur affectus prædicatorum, quibus aliquando adhæret pulvis vanæ gloriationis. Nemo enim tantæ est perfectionis, cujus animo non surrepat aliquantula affectio humanæ laudis. De quo pulvere dicitur in *Ps.* 7. Gloriam meam in pulverem deducat; aliquando pulvis supernæ indignationis, aliquando pulvis cupiditatis. De quo *Michea* 7. Lingent pulverem, sicut serpentes. Primus pulvis adhæret pedibus prædicatorum, quando libenter audiuntur. Ex hoc enim sæpe gloriantur. Hujusmodi pulverem Dominus excutiendum docuit, ubi pedes discipulorum lavit, significans affectus mentium, vel pulvere inquinatos. Excutitur autem pulvis iste per sui considerationem, quia nihil habet a se: etiam quod libenter auditur, non est a se, 1. *Corinthior.* 4. Quid habes, quod non accepisti, &c. *Matth.* 10. Non vos estis, qui loquimini, &c. *Jerem.* 9. Non glorietur sapiens, &c. *Eccl.* 10. quid superbis, terra, & cinis? Secundus pulvis adhæret, quando non libenter audiuntur. Ex hoc enim aliquando indignantur prædicatores. Unde *Greg.* Prædicatio via sine aliquo admisso impletur, aut enim indigne feret, si contemnitur prædicator, aut gloriatur, si venerabitur. Sed hic pulvis excutitur per Christi commemorationem, cujus prædicatio contempta fuit. Et certe non debet indignari discipulus, si contemnitur, ex quo Christus, qui est summus magister, contemptus fuit. *Joan.* 15. Mementote sermonis mei, quem dixi vobis. Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt. Tertius pulvis adhæret, quando prædicator doctrinam, vel prædicationem inclinat ad commodum temporale. Quem maxime excuti voluit Dominus a pedibus Apostolorum. Unde *Matth.* 10. Nolite possidere aurum, &c.] Et etiam in hujus signum lavit pedes eorum, *Joann. decimotertio.*

C

Matth. 11.

n Tamen hoc scitote, &c.] quasi licet non recipiat nos, tamen hoc annunciamus vobis, scilicet, quod appropinquat regnum Dei. Unde [Tamen scitote, quia appropinquabit, &c.] idest, cito veniet dies judicii, quando regnum Dei dabitur electis, & tunc velletis vos recepisse nos.

o Dico vobis, quia Sodomis in die illa] scilicet die judicii.

p Remissius erit, quam illi civitati] Remissius supple in hoc, quia non intantum de inhospitalitate sunt arguendi. Non enim tales, & tantos hospites respuerunt, quales, & quantos Judæi, scilicet, Apostolos, & Prophetas. Licet etiam magni peccatores fuerunt, tamen prædicationem verbi Dei non contempserunt, quia nec tales prædicatores habuerunt quales Judæi. *Jo.* 15. Si non venissem, &c. 2. *Petr.* 2. Melius est viam, &c. *Luc.* 12. Cui plus committitur, & *Jacob.* 4. Scienti bonum facere, & non facienti, &c.

q Væ tibi Corozaim, &c.] ad litteram. Corozaim, & Bethsaida,

a & Capharnaum erant

Mystice.

r Væ tibi Corozaim. Mystice] comminatur hic Dominus clericis, & religiosis, qui duriores sunt laicis. Unde *Is.* 1. Bos cognovit, &c. *Jer.* 5. Dixi forsitan pauperes sunt, & stulti, ignorantes viam Domini, & judicium Dei sui, ibo igitur ad optimates, &c. Corozaim interpretatur mysterium meum, vel secretum mihi, & significat clericos, quibus revelat Dominus in scripturis secreta sua. *Amos* 3. Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas, &c. *Jo.* 15. Jam non dicam vos servos, sed amicos, &c. *Matth.* 13. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, Bethsaida, interpretatur domus frugum, vel domus venatorum, & significat claustrum, ubi illis, quos potest venari, Dominus fruitur, quasi fruge propria, *Is.* 23. Semen Nili messis fluminis, idest, Spiritus sancti, fruges ejus: Tyrus interpretatur angustia, & significat rusticos, qui

a multis angustiis

& Capharnaum erant civitates Judæorum, quibus comminatur Dominus, quia auditis multis prædicationibus, & visis multis miraculis Christi, non pœnituerunt de peccatis suis. In illis enim multa legitur fecisse miracula in initio prædicationis suæ, & quia non receperunt, ideo specialiter illis comminatur. Matthæus hic magis sequitur historiam. Lucas, dimisso ordine historiæ, sequitur magis ordinem mysterii. Dicit ergo [væ tibi Corozaim] i. æterna damnatio est tibi ventura.

a Væ tibi Bethsaida,] similiter.

b Quia si in Tyro, &c.] Tyrus, & Sidon civitates erant gentilium, in quibus si prædicasset Dominus, & fecisset miracula, quæ fecit in aliis, egissent pœnitentiam. Quare ergo non prædicavit eis Dominus? *Rom.* 11. O altitudo divitiarum, &c. His autem prædicavit propter quatuor. Primum divina voluntas, secundum promissi veritas, tertium latens utilitas, quartum paucorum bonitas [veruntamen Tyro, & Sidoni remissius erit in judicio, quam vobis.] Seq. *f* Et tu Capharnaum usque ad cœlum exaltata,] i. famosa miraculis, & insignita. Et quia his credere noluisti, ideo [usque ad infernum demergeris.] Vel, [exaltata] superbe resistendo meæ prædicationi, & ideo, &c.

Matth. 10. *Joan.* 13. *8.q.1. e.qui vos spernit.*

Mystice. a multis angustiis opprimuntur. Sidon interpretatur venatio, & significat milites, qui sunt venatores, ad listeriam, & per rapinam multa venantur. Et certe si illis tantum prædicaretur, quantum prædicatur clericis, ipsi pœnitentiam agerent de peccatis suis, & plura bona facerent, quam clerici faciunt. *Matth.* 12. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce plus quam Jonas hic. Idcirco [Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida,] i. vobis, o clerici, & vobis, o religiosi. *b* Quia si in Tyro, &c.] Nec dicit. Væ vobis Corozaim, & Bethsaida, sed divisim [Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida,] quia singulis sua propria pœna reddetur. *Galat.* 6. Unusquisque onus suum portabit. *Matth.* 13. Colligite zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum. Item nota, quod bene junguntur Tyrus, & Sidon. *Beda*. Apud alios est usus divitiarum, divitibus nomen tantum cedit, & sollicitudo. *c* In judicio, &c.] Nota tria, Cilicium, cinerem, sessionem. Hæc enim tria pœnitentibus congruunt, sc. ut induantur cilicio, sedeant in cinere, i. ad terram. Non enim debent discumbere ad mensam, sed in terra habentes mantile super genua. *Hier.* Cinis, & cilicium arma sunt pœnitentium. Per cilicium peccati memoria intelligitur. Nam punctio vestimenti revocat in memoriam punctionem peccati, quod semper debet habere homo in memoriam ad dolendum. Per cinerem, mortis memoria exprimitur. Unde & capita pœnitentium cinere asperguntur, ut reducant ad memoriam, quia mortales sunt, & incinerabuntur. Unde *Eccl.* 10. Quid superbis, terra, & cinis? *Jer.* 6. Filia populi mei accingere cilicio, & aspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi planctum amarum. Sessio humilitatem exprimit, quam præcipue debet homo Christo exhibere. 1. *Petr.* 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, &c. *e* Remissius erit in judicio quam vobis, &c.] *inf.* 12. Servus sciens voluntatem Domini, &c. *f* Et tu Capharnaum, &c.] Capharnaum villa pinguedinis, vel villa pulcherrima, cœtus prælatorum. *Abdiæ* 1. Si exaltatus fueris ut Aquila, & inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te. *Amos* 9. Si ascenderint usque ad cœlos, inde detraham eos. *Job* 20. Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. *Jerem.* 49. Qui habitas in cavernis terræ, &c. Sequitur. *h* Qui vos audit,] Ne videretur alicui ex præcedentibus, quod illis tantum civitatibus comminaretur Dominus væ æternum, quæ ipsum respuerunt in propria persona, sed etiam illis, qui discipulos, & alios prædicatores contemnunt, fit illa comminatio, ideo subjungit, [qui vos audit, me audit,] qui loquor in vobis. 2 *Cor.* 12. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui non infirmatur in vobis?

bi *a* Bethsaida, *b* quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis olim, in *c* cilicio, & cinere sedentes pœniterent. *d* Verumtamen Tyro, & Sidoni *e* remissius erit in judicio quam vobis. Et *f* tu Capharnaum usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris. *h* Qui vos audit, me audit. *i* & qui vos spernit, *k* me, spernit. *l* Qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit. *m* Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, *n* etiam *o* dæmonia subjiciuntur nobis in *p* nomine tuo. Et *q* ait illis. *r* Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem. *s* Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones,

i Et qui vos spernit,] non recipiendo ad prædicationem, vel ad hospitalitatem, vel faciendo injurias, vel inferendo contumelias. *Ezech.* 3. Domus Israel noluit audire te, quia noluit audire me. *k* Me spernit.] *Matt.* 25. Quamdiu non fecistis uni ex minimis his, nec mihi fecistis. *l* Qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit,] quia ego & pater unum sumus. *Jo.* 10. *m* Reversi sunt, &c.] Secunda pars. Post prædicationem, & facta miracula revertuntur ad Dominum. Unde dicit: [Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio] de profectu prædicationis, & conversione peccatorum: Gaudebant etiam de potestate miraculorum sibi collata: Unde sequitur, *n* Dicentes: Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo,] i. in invocatione, & virtute nominis tui, quod non fiebat in lege, ut in nomine alicujus ejicerentur dæmones. Moral. *m* Reversi sunt autem, &c.] Hic docentur prædicatores, & omnes bene agentes in tribus. Primo, ut de bono facto per eos non superbiant, meritis, ac viribus suis aliquid ascribendo, sed revertantur ad Dominum ejus gratiæ totum attribuendo, & gratias referendo. *Eccl.* 1. Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur. *Job* 38. Nunquid mittes fulgora, &c. Ibi *Gl.* Vadunt fulgura, cum prædicatores miraculis coruscant, & superna reverentia auditorum corda transfigunt. Revertentia vero dicunt adsumus, cum non sibi, sed Dei virtutibus attribuant, quicquid se fortiter egisse cognoscunt. Talis erat *Is.* 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine. Talis David. *Ps.* 113. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Talis Paulus 1. *Corinth.* 3. Neque qui plantat, neque qui rigat aliquid est, sed qui incrementum dat Deus. Talis ipse Christus. *Jo.* 7. Mea doctrina non est mea, &c. Secundo, ut non cessent, donec perfecerint opus suum. *Matth.* 10. Qui perseveraverit, &c. *Gal.* 6. Bonum facientes non deficiamus, &c. Tertio, ut de bono gaudeant. *Rom.* 12. Gaudere cum gaudentibus. *o* Dæmonia subjiciuntur nobis] i. sapientes Philosophi. *p* In nomine tuo.] i. in prædicatione nominis tui, vel ad honorem nominis tui. 2. *Cor.* 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Sequitur. *q* Et ait illis, videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.] *Bern.* Age nunc, sequere ducem tuum, multiplica præbenda, accelera ad Archidiaconatum, ad Episcopatum aspira, paulatim ascendis, sed non paulatim descendes.

r Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem.] Bene confitebantur discipuli in hoc, sc. quod fatebantur dæmonia sibi subjici in nomine Christi: Sed quia vidit Dominus aliquantulam elationem subortam in animis eorum, ex subjectione dæmonum, & miraculis, ideo hortatur eos ad humilitatem exemplo Luciferi, qui per superbiam corruit de cœlo. Unde dicit: [Videbam] q. d. me præsente factum est. Præsens enim eram, quando Lucifer corruit. Et potest dupliciter construi, quod sequitur. Primo sic: [Videbam Satanam cadentem de cœlo, sicut fulgur,] idest, velociter, terribiliter, irrevocabiliter. Et est sensus, quasi dicat Dominus, ne superbiatis de potestate vobis data, ne cadatis sicut Satanas. 2. *Petr.* 2. Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, supple, nec vobis parcet, si peccaveritis superbiendo. *Is.* 14. Quomodo cecidisti, &c. *Apocalypsis* 12. Projectus est draco ille magnus. Et *supra*. Et Angeli ejus. Aliter.

r Videbam Satanam, sicut fulgur] i. qui est sicut fulgur [de cœlo cadentem.] Fulgur enim lucidum est, & diabolus aliquando se transfigurat in Angelum lucis. 2. *Corinth.* 11. Item fulguri nihil resistit, & diabolo pauci possunt resistere. *Job* 41. Non est potestas super terram, quæ possit ei comparari. *s* Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones,] Serpentes, i. dæmones

Secunda pars.

Moral.

a & supra omnem virtutem inimici, *b* & nihil vobis nocebit. *c* Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur. *d* Gaudete autem, quod nomina vestra *e* scripta sunt in cœlis. In *g* ipsa hora *h* exultavit in Sp. Sancto, *i* & dixit. Confiteor tibi, *k* Domine, pater cœli, *l* & terræ, quod *m* abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, *n* & revelasti ea *o* parvulis. *p* Etiam pater, *q* quia sic placuit ante te. *r* Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Et *s* nemo scit quis sit filius, nisi pater, *t* & quis sit pater, nisi *u* filius, & cui voluerit filius revelare.

dæmones, qui habent venenum in ore, ut serpentes, & in cauda, ut scorpiones, quia actionem bonam nituntur corrumpere in principio, & in fine. In principio, intentionem corrumpendo, in fine vanam gloriam suggerendo. *Apoc.* 9. Potestas equorum in ore eorum, & in caudis eorum. *Thr.* 1. Facti sunt hostes ejus in capite. *Gen.* 3. Tu insidiaberis calcaneo ejus. *a* Et supra omnem virtutem inimici,] quia multis aliis modis nocet. *b* Et nihil, &c.] Per serpentes, ut prædictum est, intelliguntur maligni spiritus. *Matth.* 11. Quos subjecit Dominus discipulis, itaut ad eorum imperium ab obsessis corporibus exirent, nec eis nocere potuerunt vel possunt intelligi serpentes, & scorpiones ad litteram, qui ei nihil nocere potuerunt, sicut nec vipera Paulo. *Act.* 28. nec venenum nocuit, Joanni, sicut legitur in *Eccl. historia.* Unde *Marc. ult.* Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Item serpentes sunt detractores, scorpiones adulatores, quos boni conculcant. *Ps.* 40. Super aspidem, *Ezech.* 2. Filii homines, increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas, ne timeas verba eorum. *c* Verumtamen, &c.] quia hoc non est a vobis. 1. *Cor.* 4. Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Item non est gaudendum de hoc, quia hoc parum est respectu prædestinationis, de qua subditur. *d* Gaudete autem, quod nomina vestra] quæ mundo vilescunt. *e* Scripta sunt] per præsentem justitiam, ac prædestinationem in libro vitæ [in cœlis.] *Apoc.* 19. Habens nomen novum scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Liber vitæ est Christus. *Apoc* 20. Alius liber apertus est, qui est liber vitæ. Præter hunc est alius quadruplex liber, sc. liber naturæ. *Ps.* 138. In libro tuo omnes scribentur. *Rom.* 1. Invisibilia Dei a creatura, &c. Item doctrinæ. *Apoc.* 5. Vidi in dextera sedentis in throno librum. *Apoc.* 10 *Ezech.* 3. Volumine cibavit me, item conscientiæ. *Dan* 7. Libri aperti sunt, item præscientiæ. Et hic duplex, sc. prædestinationis. *Exod.* 32. Aut dele me, &c. Vel præsentis justitiæ. *Ps.* 68 Deleantur, de libro viventium. E contrario scribuntur mali. *Jer.* 17 Recedentes a te in terra scribentur. *Ezech.* 13. In concilio populi mei non erunt, &c. *Apoc.* 6. Signati. *g* In ipsa hora, &c.] Dominus supra locutus est de subjectione dæmonum, de scriptura nominum in libro vitæ. Hic autem commendat humilitatem, quia per eam acquiritur hæc celsitudo. Unde dicit [in ipsa] autem [Hora] qua loquebatur discipulis de subjectione dæmonum, & de scriptura nominum. *h* Exultavit in Sp. Sancto,] de salute humilium, quibus loquebatur. Et dixit [in Spir. Sancto] quia quæcumque fecit Christus, quæ fecit operatione Sp. Sancti, item in Spir. Sancto solum exultandum est, non in viribus propriis, nec in aliis. *i* Et dixit. Confiteor tibi, Domine pater] i. gratias ago tibi, vel in te exulto, non in me. Et est triplex confessio, sc. peccati. *Jac. ult.* Confitemini alterutrum, &c. item fidei. *Rom.* 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem, &c. Item laudis, ut hic. Et in *Ps.* 117. Confitemini Domino, quoniam bonus.

Tertia pars.

Bona confessio.
- Incipientis. *Jac. ult.* Confitemini alterutrum peccata vestra, &c.
- Proficientis. *Ps.* 117. Confitemini Domino, quoniam bonus, &c.
- Gratificantis. *Ps.* 48. Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.
- Congredientis. *Matth.* 10. Qui me confessus fuerit coram hominibus.
- Remunerantis. *Matth.* 10. Confitebor & ego eum, &c.

Seq. *k* Domine, pater cœli, & terræ,] i. creator illorum ad litteram. *Bed.* Non pater, sed creator.

Mystice. Vel Mystice. *l* Cœli, & terræ,] i. cœlestium, & terrenorum. *Jer.* 23. Cœlum, & terram ego impleo, item [Cœli, & terræ,] i. animæ, & corporis. *Is. ult.* Cœlum mihi sedes, &c. item [cœli, & terræ] i. Ecclesiæ triumphantis, & Ecclesiæ militantis. *Matth.* 6. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. *m* Quod abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus,] sua reputatione, i. ab illis, qui se reputant sapientes, ut Scribæ, & Pharisæi, & multi alii, de quibus. *Is.* 4. Væ, qui sapientes estis in oculis vestris. *Jo.* 5. Qui apprehendit sapientes in astutia sua. *Is.* 29. Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent, lege illum, & respondebit, non possum, signatus est enim. *Chr.* Sapientia est, non eloquia Dei scire, sed secundum eloquia Dei vivere. Sapientia est de cœlestibus, prudentia de terrenis. Non autem de hoc agebat Christus gratias, quod pater ab istis absconderat hæc, i. Sacramenta suæ incarnationis, imo potius super hoc flevit, *inf.* 19. Videns Jesus civitatem flevit super illam, dicens, si cognovisses & tu, supple, fleres, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. De quo igitur referebat gratias? De hoc, quod seq. *n* Et revelasti ea parvulis.] i. humilibus. *o* Parvulis.] *Ambr.* Qui se exaltare non noverunt. *Jac.* 4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Ps.* 118. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. 1. *Cor.* 1. Quia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Et *inf.* Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Et *inf.* Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. *Is.* 32. Cor stultorum intelliget scientiam, & lingua balborum loquetur velociter, & plane. *Prov.* 9. Si quis est parvulus veniat ad me. *Joan.* 4. Puteus altus est, & in quo haurias, non habes, i. humilitatem, quæ est haustorium sapientiæ. *Prov.* 11. Ubi humilitas, ibi sapientia. Ideo dicit *Eccl.* 5. Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, ut intelligas. *Bed.* Non ait insipientibus, & hebetibus, sed parvulis, i. humilibus, ut probet se tumorem damnasse, non acumen. *Bed.* Humilitas est clavis scientiæ, de qua *inf.* 11. Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi, qui tulistis clavem scientiæ, i. humilitatem fidei Christianæ, qua ad divinitatis ejus cognitionem pervenire poteratis. *p* Etiam pater,] supple sic fecisti. *q* Quia sic placuit ante te,] sc. parvulis revelare mysteria Scripturarum, & a sapientibus abscondere. Nec reddit rationem quare sic fecerit, nisi voluntatem Dei. *Prov.* 16. Universa propter semetipsum operatus est Dominus. *Gl.* i. sola voluntate. Et certe injustum esse non potest, quod justo placet, ut dicit *Bed.* Item justo, i. justificanti, i. Deo, qui ex se justus est, & suos justificat, &c. In hoc autem dat nobis exemplum humilitatis, ne temere discutiamus secreta Dei. *Prov* 25. Perscrutator majestatis opprimetur a gloria. *Eccl.* 3. Altiora te ne quæsieris, &c. *r* Omnia mihi tradita sunt a patre meo.] *Chr.* non dicit omnes, sed omnia. Hic per omnia rationalem creaturam accipimus, non quamlibet, sed humiles tantum. Unde *Amb.* Cum omnia sibi tradita dicit non elementa, quæ ipse creavit, sed ipsos parvulos, quibus pater, Sacramenta revelavit, intellige. Exemplo autem ostendit, quod pater humilibus revelat Sacramenta, quæ superbis abscondit, quia sibi omnia revelavit, qui parvulus est. *Is.* 9. Parvulus natus est nobis. Sunt autem omnia tradita Christo, i. omnium potentia, omnium notitia, omnium regimen, & gubernatio, non solum ex tempore inquantum homo est, sed ab æterno, inquantum patri consubstantialis est, quia sicut habet a patre generationem, ita omnipotentiam & notitiam, & cooperationem, & essentiam, quia Deus est de Deo. In hoc autem dicit se omnia habere a patre, docet discipulos, ut quicquid habent boni, non sibi, sed Deo attribuant. *Matt. ult.* Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. In hoc etiam ostenditur coæqualitas, & coomnipotentia, & consubstantialitas filii ad patrem, Omnipotentiam autem filii notificant tria, sc. nulla indigentia extrinseci auxilii, remotio prohibitionis extrinsecæ, remotio coactionis extrinsecæ. *Versus.*

Non eget omnipotens, non cogitur, aut prohibetur.

Matth. 11.

Æqualitatis autem scientiæ filii ad patrem, signum est mutua cognitio: De qua subdit. *s* Et nemo scit, quis sit filius, nisi pater, &c.] Non excluditur Sp. Sanctus a notitia patris, & filii, sed tantum creaturæ, quia per [nisi] fit exclusio non personalis, sed essentialis. Et est sensus, nisi natura, seu essentia, & ita cum eadem sit essentia Sp. Sancti, quod essentia patris, & filii, non excluditur, sed ponitur. Seq. *t* Et quis sit pater,] supple, nemo scit. *u* Nisi filius, & cui voluerit filius revelare.] *Chr.* Non

dicit,

dicit cui præceptum est, sed cui voluerit revelare. Et in hoc notatur eadem voluntas patris, & filii, & ita perfecte ostenditur coæqualitas patris, & filii in potentia, in sapientia, in voluntate. Item *Chr.* Philosophi de Deo quærere contendentes, nihil aliud se invenisse confessi sunt, nisi quod incognoscibilis est Deus. Sicut, qui innavigabilem Oceanum usurpat navigare, dum non potest transire, necesse est, ut per eamdem viam revertatur, sic illi ab ignorantia cœperunt, & in ignorantiam finierunt. Et infra. Non ad discussionem suam, sed ad honorem suum te creavit, nec judicem te voluit esse actuum suorum, sed servum præceptorum. *Eccl.*3. Altiora te ne quæsieris, &c. Breviter potes hic notare tria in textu, quæ sunt ad fidei nostræ roborationem, sc. filium omnipotentem, per hoc, quod dicit. Omnia. Item a patre genitum, per hoc, quod dicit. A patre. Item incomprehensibilem, sicut patrem, per hoc, quod dicit. Nemo scit, quis sit filius, &c. *Chr.* Incomprehensibilem naturam comprehendere non potest comprehensibilis creatura. Et *inf.* Non dicit omnes Deum ignorare, sed cognitione, qua filius ejus novit: Nullus enim scit, quod etiam de filio est dicere. Dominus ergo commendaverat humilitatem, convenienter subjunxit aliqua de fide, quia per humilitatem venitur ad fidem.

Et *a* conversus ad discipulos suos dixit. Beati *b* oculi, *c* qui vident, *d* quæ vos videtis. *e* Dico enim vobis, quod *f* multi Prophetæ, *g* & reges *h* voluerunt videre, quç *i* vos videtis, & non viderunt, & *k* audire, quæ auditis, *l* & non audierunt.

a Et conversus, &c.] Supra reddidit Dominus gratias patri, quia sacramenta, quæ superbis abscondit, humilibus, seu parvulis revelavit. Nunc ostendit, qui sunt illi parvuli, sc. discipuli, & sequaces eorum. Nec est contemnenda illa revelatio, quia beatum facit, unde dicit.

b Beati oculi,] interiores, & exteriores non solum vestri, sed & omnium. *c* Qui vident, &c.] i. recte cognoscunt illa Sacramenta, quæ vobis parvulis sunt revelata. Et vere beati. *e* Dico enim vobis,] parvulis, quibus me, & patrem revelavi. *f* Quod multi Prophetæ] futura prædicentes. Hic copulat novum testamentum veteri. *g* Et reges] se, & alios bene regentes. *h* Voluerunt videre,] oculo corporali. *i* Quæ vos videtis,] sc. me, & miracula, quæ ego facio vobis. Et nota, quod [quæ] non est ibi substantivum tantum, sed tenetur etiam qualitative [quæ videtis] i. qualia, & qualiter videtis. Abraham enim vidit, quæ ipsi, sed non eodem modo. Unde *Jo.*8. Abraham desideravit videre diem meum, vidit, & gavisus est. k Et audire, quæ auditis,] sc. doctrinam, & prædicationem meam. *l* Et non audierunt.] Revera beati fuerunt omnes illi, qui veraciter, & humiliter viderunt, & audierunt Jesum præsentialiter loquentem, & miracula facientem, quod nulli antiquorum concessum fuit quantivis meriti, & tamen multum desiderabant. *Num.*24. orietur stella ex Jacob, &c. Et postea. Heu, qui victurus est, quando ista faciet Dominus? *If.*64. Utinam dirumperes cœlos, &c. *Ex.*4. Mitte, Domine, &c. *Agg.*2 Veniet desideratus cunctis gentibus. *Cant.*1. Osculetur me osculo, &c. Et 8. quis mihi det te fratrem meum. Et quamvis ita desiderarent, non tamen viderunt nisi a longe per quasdam species visionum. *Gen.*18. Abraham tres vidit, & unum adoravit. *Jo.* 8. Abraham exultavit, ut videret, &c. *Ex.*3. Vidit rubum ardentem non comburi. *Ex.*33. Moyses vidit posteriora Domini. Sic beati dicuntur Apostoli, quia viderunt Dominum præsentialiter. Beati etiam, qui non viderunt, & crediderunt. *Jo.* 20.

Mystice. Mystice etiam. *b* Beati oculi, qui vident,] in scriptura, vel per rectam intelligentiam, vel per fidem. *d* Quæ vos videtis.] modo in gloria per speciem. Unde regina Saba 3.*Reg.*10. dixit Salomoni. Beati viri tui, & beati servi tui, hi qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. *g* Et multi reges, &c.] istud potest dici Theologis, qui multa bona audiunt, & pauca faciunt, & multi sunt in mundo reges, & comites, qui si audirent partem, plura facerent. *If.*42. qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies?

Quarta pars. *m* Et ecce, &c.] Quarta pars cap. in qua agitur de condemnatione hypocrisis. Dicit ergo [& ecce quidam legisperitus.] *Amb.* Verba legis tenens, vim legis ignorans, Unde non dicebatur peritus quantum ad spiritualem legis intelligentiam, sed quantum ad litteralem peritiam, *n* Surrexit] ut melius audiretur, vel ut justus videretur. *o* Tentans illum, &c.] in hoc surrexit, quod magistrum fatebatur, in hoc non surrexit, quod Deum tacebat. Magistrum autem vocavit, non Dominum, quia doceri volebat, non servire, & tamen nolebat esse discipulus ejus, quem magistrum vocabat. Unde in principio sermonis sui suam fallaciam manifestavit. *Chr.* Significat laudatores sanctorum non imitatores.

& *m* ecce quidã Legisperitus *n* surrexit *o* tentans illũ, dicens: Magister, *p* quid faciendo vitã æternam possidebo? At *q* ille dixit ad eum: *r* In lege quid scriptũ est? *f* quomodo legis? *t* Ille respondens, dixit: Diliges Dominum Deum tuum

p Quid faciendo vitam æternam possidebo?] *Chr.* Non dixit, quid credam: Prima justitia est cognoscere Deum, novissima facere bona opera. Et infra: Virtus faciendi, cognitio est Dei. *Jo.* 6. Quid faciemus, ut operemur bona opera Dei. *q* At ille dixit ad eum? In lege quid scriptum est? Quomodo legis?] Ille legisperitus animo tergiversandi dixerat: Dominus autem interrogat, ut ex ejus responsione probetur, an justus sit. *Matt.*12. Ex verbis tuis justificaberis, &c.

Matth. 22. *Marc.* 12. *Deut.* 6.

Mystice. Mystice. Per istum legisperitum significantur arrogantes, qui sæpe sub specie humilitatis laudem venantur humanam. Unde *Greg. sup. Job* 33. Sæpe arrogantes se fugere arrogantiam simulant, & private singulis quasi latenter loquuntur, ut sicut de sensu, ita de contemptu arrogantiæ glorientur. Ita facit iste legisdoctor quasi humilis interrogat. quid faciendo vitam æternam possideat. *Chr.* Præcipuum vitium juvenile gloriatio, qui amplius vult videri, quam esse, in toto vult videri non esse. *Chrys.* Juvenis hic pinguis terra erat, sed spinarum multitudo semen suffocabat. Per hoc autem, quod dicit [quidam] & non nominat ipsum, ostendit ejus indignitatem. Per hoc, quod dicit [surrexit] ostenditur ejus levitas. *Greg.* Motus corporis ostendit levitatem mentis. *Eccl.* 19. Ab occursu faciei cognoscitur sensatus. *p* Quid faciendo vitam æternam possidebo?] Nota dicit qualiter disputando, aut qualiter loquendo, vel audiendo, cum tamen hæc bona sint, sed bona operatio necessaria est ad salutem, ubi eam necessitas non excludit *Rom* 2. Non enim auditores, &c. *Jo.* 1. Estote factores verbi, &c. *Sap.* 10. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et nota, quod dicit [possidebo] per quod notat vitam æternam esse hæreditatem hominum jure hæreditario possidendam non in præsenti, sed in futuro, *Ps.*127. Labores manuum tuarum, quia manducabis, &c. in futuro. *r* In lege quid scriptum est?] De lege, quam docebat, interrogat eum Dominus, ut legis ignarum ostendat, cujus se magistrum faciebat, & gravius puniendum, quia quod nesciebat, docere præsumebat. *Jac.* 3. Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes, &c.

f Quomodo legis?] Modum legendi quærit Dominus a magistro legis, innuens non eumdem modum legendi inesse omnibus magistris. Quidam enim legunt legem, seu docent ore tantum. Unde *Matth.* 23. Super cathedram Moysi, &c. Dicunt enim, & non faciunt. Alii legunt, sive docent manu tantum, ut simplices justi, & bonæ mulieres, quorum vita magistra est multis, & efficacius docent, quam multi magistri. *B. Bern.* Efficacior est prædicatio exempli quam verbi. *Act.* 21. Paulus stans in gradibus annuit manu ad plebem. 2.*Thes.*3. Salutatio mea manu Pauli, &c. Alii legunt, seu docent ore, & manu, ut magistri, qui faciunt, quod docent. *Matthæi* 5. Qui fecerit, & docuerit sic, &c. *Matthæi* 7. Admirabantur omnes super doctrina ejus: Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, non sicut Scribæ, & Pharisæi. Hoc tertio modo non legebat iste magister legis, ideo quærit Dominus: [Quomodo legis?] idest, quomodo doces discipulos tuos, qui adhuc nescis, per quid veniatur ad vitam? *Matth.* 11. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

t Ille respondens, dixit. Diliges Dominum Deum tuum, &c.] Bene respondit, quod legerat, sed non quod fecerat, quod patet per hoc, quod vocat eum magistrum non Deum, aut Dominum, quia nec colere, ut Deum, nec venerari, ut Dominum volebat, sed potius docere, vel doceri. Et nota, Lucam ponere quatuor in modo dilectionis Dei: Tamen Moyses *Deut.* 6. Et *Matth.* 22. non ponunt nisi tria. Sed forte Lucas attendit quatuor rationes, propter quas diligendus est Deus, & propter quamlibet, supra omnia. Prima, quia est creator ad esse. Secunda, quia conservator in esse. Tertia, quia recreator in bene esse. Quarta, quia glorificator in optimo esse. Vel quatuor ad tria reducuntur, ut istud membrum. Ex totis viribus, referatur ad quodlibet aliorum trium quasi modus,

quasi modus, ut sit sensus. [Diliges Dominum Deum tuum, ex totis viribus] totius cordis [ex totis viribus] totius animæ, [ex totis viribus] totius mentis. *a* Ex toto corde] quia Dominus, *b* Ex tota anima] quia Deus. *d* Ex omni mente] quia tuus, Aliter exponitur. *a* Ex toto corde] i. ex toto intellectu, ut omnis intellectus tuus subditus sit intellectui de Deo. *b* Ex tota anima] i. tota voluntate, ut omnis voluntas tua subdita sit voluntati divinæ. *d* Ex omni mente] i. tota memoria. Quod autem sequitur. *c* Ex omnibus viribus tuis,] Hoc modo impletur in

Lev. 19. Rom. 13. Jacob 2.

a ex toto corde tuo, & *b* ex tota anima, & *c* ex omnibus viribus tuis, & *d* ex omni mente tua, *e* & proximum tuum *f* sicut teipsum. Dixitque illi, *g* Recte respondisti. Hoc fac, & vives. *h* Ille autem volens justificare seipsum, dixit *i* ad Jesum: Et quis est meus proximus? *k* Suspiciens autem Jesus dixit: *l* Homo quidam *m* descendebat *n* ab Jerusalem in *o* Jericho;

via, vel sic secundum *Aug.* *a* Ex toto corde] i. toto intellectu sine errore. *b* Ex tota anima] i. tota voluntate, sine contrarietate, Ibi voluntas se totam colligit, ubi ei nihil est contrarium. *d* Ex tota mente] i. memoria sine difficultate, vel sine oblivione. Hæc non possunt impleri in via. *B. Bern.* *a* Toto corde] i. sapienter. *b* Tota anima] i. dulciter. *d* Tota mente] fortiter *Chr.* *a* Toto corde] ut cor tuum ad nullius rei dilectionem magis sit inclinatum quam Dei. *b* Tota anima] ut certissimum animum habeas in veritate, & firmum in fide. *d* Tota mente] ut omnes sensus tui Deo vacent, intellectus, cogitatio, sapientia, memoria. Quidam sic. *a* Toto corde] ut omnes cogitationes in Deum dirigas. *b* Tota anima] ut omnes affectiones ad Deum retorqueas. *d* Tota mente] ut omnes operationes propter Deum facias. *Greg.* *a* Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente] i. super omnia, & est inculcatio verborum, quæ significat excellentiam amoris. *Hugo de S. Victore*. *a* Ex toto corde] i. devotione, quoad virgines. *b* Ex tota anima] i. discretione, quoad Confessores. *d* Ex tota mente] i. perseverantia, quoad martyres, Seq.

e Et proximum tuum sicut teipsum.] *Lev.* 19. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Septuaginta. Proximum, dicit *Interl.* ibi: [Sicut teipsum,] i. ex quo, sc. ex charitatis affectu, & effectu. Item in quo teipsum, sc. in Deo. Item propter quod teipsum, sc. propter Deum. Item ad quod teipsum, i. ad gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Item quomodo teipsum, sc. supra res, & corpus proprium, & extra Deum. Qui sic diligit proximum, legem implevit, *Rom.* 13. *Matth.* 22. In his duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ. Nomine autem proximi intelligitur omnis homo, ut dicit *Aug.* Solet distingui sic. Militans diligit militantem ad id ad quod seipsum. Triumphans diligit triumphantem in eo, in quo seipsum. Et alternatim, militans diligit triumphantem in eo ad id quod seipsum, & triumphans diligit militantem ad id in quo seipsum *Eph.* 5. Viri debens diligere uxores suas, ut corpora sua. *Gl.* 3. Ibi *Hier.* Viri diligant uxores suas sicut seipsos. Quæ ergo differentia inter uxoris, & proximi dilectionem? Sol. In proximo, sicut, adverbium est similitudinis, in uxore vero præter similitudinem dicit approbationem, & confirmationem, & indivisionem. *g* Dixitque illi,] Dominus [recte respondisti, hoc fac, & vives,] q.d. hoc doces, sed non facis, si vis vivere vita æterna, hoc fac, & vives, unde quod Dominus dicit. Recte respondisti, non factum ejus, sed responsum laudavit, sicut multorum verba laudabilia sunt, sed facta vituperabilia. *Gen.* 27. Vox quidem vox Jacob, sed manus, manus sunt Esau. *h* Ille autem volens justificare seipsum,] i. justum demonstrare, putans se ante hominem, qui tantum exterius videt, non ante Deum, qui videt interius, stare. Et multos habet consimiles, quibus dicitur *Matth.* 6. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Item *Matth.* 23. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, qui estis similes sepulchris, &c. *i* Dixit ad Jesum. Et qui est meus proximus:] *Bed.* Nemo est proximior homini, quam Deus, qui intrinsecus, & extrinsecus novit, & omnia curare potest. Sed omnis incredulus, vel tentator nec Deum, nec hominem proximum habet.

k Suspiciens autem Jesus dixit: Homo quidam, &c.] Legisperitus quæsierat a Domino quis esset suus proximus. Hoc autem quærebat, ut justificaret seipsum, i. se justum ostenderet. Nam si Dominus responderet ei. Judæus est proximus tuus, ipse statim responderet Domino, se diligere omnes Judæos, & ita omnem proximum. Proximus revera est omnis homo, sed Judæus neminem sibi proximum reputat, nisi Judæum, imo de aliis nationibus omnes appellabant alienos. Et inde illa verba sic interpretantur; Non fœnerabis proximo tuo, i. Judæo, sed alieno, i. gentili, vel Christiano. Dominus ergo prima fronte respondere poterat. Proximus tuus est omnis homo, sed prælegit per quamdam similitudinem, id latenter insinuare. Unde primo ostendit legisperito inimicum proximum esse inimico, ut quasi a majori convincat omnem hominem proximum esse omni homini. Inducit ergo similitudinem de eo, qui descendit a Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, & hoc potuit esse ad litteram. Est enim ad litteram inter Jerusalem, & Jericho desertum a latronibus frequentatum, homines transeuntes interficientibus; unde etiam appellatum est dumin, quod interpretatur sanguis, & videtur sanare sanguinis effusionem. Intelligendum est ergo, quod ille, qui descendit de Jerusalem in Jericho, & spoliatus est a latronibus, & vulneratus, fuerit Jerosolymita. Sacerdos quoque, & Levita fuerunt Jerosolymitæ, licet hoc ex textu Evangelii non habeatur. Ex responsione ergo legisperiti arguit Dominus Samaritanum esse proximum Jerosolymitano, & ita inimicum inimico. Samaritani enim inimicabantur Jerusolymitanis. Nam sicut habetur in historiis, quæcumque aliæ gentes infestabant Judæos, Samaritani adhærebant eis, nec unquam ab eorum interfectione desistebant, nisi cum non habebant opportunitatem. Sic ergo ex responsione ipsius legisperiti probat Dominus Samaritanum esse proximum Judæo, & ita Judæum Samaritano. Proximus enim relative dicitur, ut dicatur proximus proximo proximus, & sic tacite probat Dominus, quod omnis homo proximus est omni homini, Sed quomodo Levita, & Sacerdos, & Samaritanus, qui transibant per illud desertum, non fuerunt occisi a latronibus, sicut ille? Forte in societate erant, & ille solus. Propter quod dicitur *Eccl.* 4. Væ soli. Item quomodo transierunt Levita, & Sacerdos, nulla facta misericordia, & Samaritanus, qui erat alienigena, & laicus fecit in illum misericordiam? Resp. Judæi naturaliter avari sunt, & clerici avariores, quasi consueti semper accipere, & nunquam dare, & tamen dicitur, *Act.* 20. Multo beatius est dare, quam accipere, & illi, sc. Sacerdos, & Levita Judæi erant, & clerici, & ideo non est mirum si sine misericordia transierunt. Item quomodo dicitur Samaritanus alligasse vulnera sauciati, & oleum, & vinum infudisse, cum prius debeat infundi vinum ad lavandum vulnera, & postea oleum ad mitigandum, & deinde fit alligatio? Sed potest dici, quod multas plagas habebat ille, & quædam est plaga, quæ non indiget lotione, hanc alligavit. Alia, quæ indiget mitigatione, & non lotione, ut est tumor, & super hanc infudit oleum. Alia, quæ indiget lotione simul, & alligatione, & mitigatione, & super hanc infudit vinum, & oleum, & postea alligavit. Vel potest dici, quod Lucas non fecit in ordine dictionum, vel quod respexit mysterii ordinem, &c.

Mystice.

Mystice. Per istum hominem significatur Adam, vel genus humanum, qui peccando descendit a statu cœlestis felicitatis ad miserias, & defectus hujus vitæ mutabilis, & per hoc incidit in latrones, i. in potestatem dæmonum, ac malorum morum, atque malorum Prælatorum, & hæreticorum, vel malorum Theologorum.

Item superborum. Item detractorum. Omnes quippe isti dicuntur latrones, ut patet in notula. Qui miserum Adam in filiis suis spoliatum vestimentis virtutum, & substantia rerum, & plagis multis peccatorum impositis semivivum relinquunt, Et hoc est; *l* Homo quidam] i. Adam, & in eo totum genus humanum. *m* Descendebat] peccando. *n* Ab Jerusalem] i. a Paradiso terrestri, & statu felicitatis, & immortalitatis. *o* In Jericho:] i. in miserias, & defectus hujus vitæ mundanæ.

Δ Et

Moral.

Moraliter. *l* Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho:] i. a divitiis in paupertatem, a prosperitate in adversitatem. Hoc quotidie fit, quia rota fortunæ continue volvitur, & quidam ascendunt, & alii descendunt. *Eccl.* 10. Sedes ducum superborum, &c. 1. *Reg.* 2. Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat, pro diversis. Ideo dicit *Eccl.* 18. Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die divitiarum. Et subdit causam. A *mane* usque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia

* citata

a Et incidit in latrones,] in dœmonum potestates, qui dicuntur latrones, quia clam insidiantur.

Latrones.
- Dœmones. *Job* 19. Simul venerunt latrones ejus, & fecerunt, &c. *Is.* 1. Principes tui infideles, &c.
- Prælati mali. *Matth.*24. Super cathedram, &c. *Jer.*7. Nunquid spelunca latronum facta est domus ista? *Jo.*10. Qui non intrat per ostium, &c.
- Theologi mali. *Rom.*2. Qui alium doces, &c. *Os.* 6. Galaad civitas operantium idolum, &c.
- Hæretici. 2. *Reg.* 4. Duo viri principes latronum erant filio Saul.
- Superbi. 4. *Reg.* 5. De Syria egressi fuerant latrunculi, & captivam duxerant de terra Israel puellam, idest, animam.
- Detractores. *Os.*7. Fur ingressus est spolians, latrunculus foris. Seq.

a & incidit in latrones, qui *b* etiam despoliaverunt eum, *c* & plagis impositis *d* abierunt *e* semivivo relicto. Accidit *f* autem, ut sacerdos, quidam descenderet eadem via, *g* & viso illo præterivit. Similiter, *h* & Levita, cum esset secus locum, & *i* videret eum, pertransiit. *k* Samaritanus autem quidam *l* iter faciens *m* venit secus eum, & *n* videns eum misericordia motus est. Et *o* appropians *p* alligavit vulnera ejus, *q* infundens oleum, *r* & vinum, & *f* imponens illum in *t* jumentum suum *u* duxit in stabulum, *x* & curam ejus

b Qui etiam despoliaverunt eum,] i. indumenta virtutum, & immortalitatis, & innocentiæ abstulerunt. Unde *Job* 29. Spoliavit me gloria mea, Domine, sc. i. spoliari me permisit, & abstulit mihi coronam de capite meo, destruxit me undique, & peren. *c* Et plagis impositis] i. naturalibus vulneratis, & debilitatis per peccatum. *d* Abierunt] non cessando ab insidiis, unde 1.*Pet.*5. Adversarius vester diabolus, &c. *e* Semivivo relicto.] i. vita naturæ tantum relicta, vitam gratiæ abstulerunt, & ita cum prius viveret duplici vita, sc. vita naturæ, & vita gratiæ, nunc unica tantum vivit, amissa similitudine imaginem retinuit miserandam. Unde *Ps.*38. Verumtamen in imagine pertransit homo. *f* Accidit autem, &c.] Sacerdos legem significat, quæ descendit in mundum per Moysen. Levita chorus est Prophetarum, qui post Moysen venerunt. Hi viderunt sauciatum, sed nulla impensa misericordia transierunt, quia lex, & Prophetæ vulnera languentis mundi, & peccata generis humani monstraverunt, & arguerunt, sed non sanaverunt. k Samaritanus, &c. secus viam] vel [eum, & videns eum, misericordia motus est, &c.] Forte in deserto erat ad litteram stabulum, quod fecerant forte pastores.

x Et curam ejus egit.] i. circa ægrotum sollicitus fuit, ne medici præcepta transgrederetur. Samaritanus autem, qui custos interpretatur, Christus Dominus est. De quo dicit *Ps.*126. Nisi Dominus custodierit civitatem, &c. Et *Is.*21. Custos quid de nocte, custos quid de nocte? Hic descendit, quia propter nos in mundum venit. *Jo.* 16. Descendi a patre, & veni in mundum. Venit autem secus vulneratum, quia in similitudinem carnis peccati venit. *Rom.*8. Mittens Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum. Hic vidit sauciatum oculo misericordiæ. Et alligavit vulnera ejus Sacramentorum appositione. Infudit oleum prædicationis consolatoriæ. *Matt.*4. Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum. Vel oleum, i. spem beatitudinis æternæ, quia oleum lene quiddam est, & jucundum vulneribus. Sic spes quandam lenitatem, & jucunditatem præstat fidelium mentibus. Vinum infudit increpationis comminatione. *Matt.* 23. Væ vobis Scribæ, &c. Vinum mordax est vulneribus, sic terror æternæ pœnæ mordax est humanis mentibus. Vel. *p* Alligavit vulnera] peccata dimittendo, vel peccati consuetudinem cohibuit, ut qui alligat vulnera constringit. *q* Infundens oleum] gratiam conferendo. *r* Et vinum,] spiritualem lætitiam tribuendo. *t* Super jumentum suum,] vulneratum imposuit, i. super carnem propriam vulnera nostra

▲ pertulit.

Moral. * citata in oculis Dei. Satis bene depingitur rota fortunæ. *a* Et incidit in latrones,] i. in manum medicorum, quoad infirmitatem, & in manum divitum, quoad paupertatem, in manum advocatorum, quoad adversitatem. Pauper enim indiget auxilio divitum, infirmus auxilio, & consilio medicorum, tertius indiget auxilio advocatorum contra adversarios suos. Sed omnes, i. divites mundi, & medici, & advocati, latrones sunt, quia divites pauperes spoliant, & opprimunt. Unde *Eccl.* 13. Venatio leonis onager in eremo, sic pascua divitum sunt pauperes. Similiter medici infirmos spoliant pecunia, & occidunt, quia magna salaria accipiunt, & sæpissime nihil prosunt, imo aliquando obsunt. *Marc.*5. Erat mulier in profluvio sanguinis, &c. 2. *Par.* 16. Ægrotavit Asa dolore pedum, &c. Similiter advocati omnes, quos possunt, spoliant, & pauperes, & divites. *Prov.* 21. Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus, & excors est, & impingetur ad laqueos mortis. Ideo de omnibus conqueritur Dominus. *Is.* 52. Populum meum exactores sui spoliaverunt. Et hoc est, quod seq. *b* Qui etiam despoliaverunt eum,] *Os.*7. Fur ingressus est spolians, latrunculus foris. 4.*Reg.* 24. Immisit Dominus latrunculos Chaldæorum, &c. *c* Et plagis impositis] i. multiplici tristitia cordis inflicta. *Eccl.* 25. Omnis plaga tristitia cordis est. *d* Abierunt] sicut lupi satiati recedunt a cadavere. *Ezech.*22. Principes in medio ejus quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & avare sectando lucra. *e* Semivivo relicto.] Substantia enim rerum appellatur communiter vita hominis. *Eccl.*34. Panis egentium vita pauperis est, &c. *Mich.*3. Comederunt carnes populi mei, &c.

f Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via,] quia aliquando pauper, & infirmus fuit, & ideo magis deberet esse misericors: Secundum illud *Prov.* 19. Vir indigens misericors est. *g* Et viso illo præterivit.] nulla facta misericordia, cum tamen ideo inungantur manus sacerdotum, ut affluant misericordia. *Eccl.*29 Quę habes in manu ciba ceteros. *h* Similiter & Levita, cum esset secus locum,] i. nondum promotus. *i* Et videret eum,] pauperem, & infirmum, [pertransiit:] In quo notatur avaritia omnium clericorum, & sacerdotum, quia nec sacerdos, nec Levita motus est misericordia in pauperem, & infirmum. *Jer.*6. Extendam manum meam super habitantes terram dicit Dominus: A minore quippe, &c. & a Propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum, quia ea, quæ habent, pauperum sunt, & dolose ea retinent. *Eccl.*4. Declina pauperi aurem tuam sine tristitia, & redde debitum. *Prov.*28. Qui dat pauperi, non indigebit, &c. k Samaritanus autem quidam] i. laicus præcepta Dei custodiens. *l* Iter faciens] i. legem, quæ est via, sive iter veniendi ad Deum. *Prov.*14 Ambulans recto itinere, & timens Deum despicitur ab eo, qui infami graditur via, i. custodiens legem Dei despicitur ab impiis. *Eccl.* 11. Execratio peccatorum cultura Dei.

m Venit secus eum] visitans corporaliter infirmos. *Jac.*1. Religio sancta, & immaculata apud Deum, & patrem, &c. *Job* 2. Audientes tres amici Job omne malum, &c. *n* Et videns eum misericordia motus est.] quod non sacerdos, aut Levita *Pr.*3. Misericordia, & veritas non te deserant. *o* Et appropians] mente, & corpore, non pertransiens, sicut sacerdos, & Levita. *p* Alligavit vulnera ejus,] necessaria tribuendo. *q* Infundens oleum,] compassionis. *r* Et vinum] consolationis. Tria dicit: Appropiavit, alligavit vulnera, infudit oleum, & vinum. In primo notatur subventio corporis, in secundo compassio cordis, in tertio consolatio oris. De primo dicitur *Is.*58. Frange esurienti, &c. De secundo *in eod. c.* Cum effuderis animam tuam esurienti, & repleveris, &c. *Pr* 21. Thesaurus desiderabilis, &c. De tertio. *Eccl.* 18. Nonne ardorem, &c. *Pr.*31. Date siceram mœrentibus, &c. *f* Et imponens illum in jumentum suum,] i. portans per compassionem, & subventionem onus ejus, quia certe laici, ubi clerici nihil faciunt, portant onera pauperum, & infirmorum, secundum quod dicit Apost. *Gal.*6. Alter alterius, &c. *Rom.* 12. Invicem supportantes. Unde laicus talis vere potest dicere cum *Ps.*72. Ut jumentum factus sum apud te, &c. Ideo dicit *Job* 12. Interroga jumenta, & docebunt te, exemplo, scil. melius quam clerici verbo. *Eccl.* 3. Quis novit, si spiritus filiorum Adam, i. clericorum ascendat sursum per elationem, vel ambitionem, & si spiritus jumentorum, i. laicorum descendat deorsum per compassionem, & miserationem? q. d. hoc novit Dominus. *u* Duxit] in stabulum, idest, in domum suam. *Is.* 58. Egenos, vagosque induc in domum tuam. Dicitur autem domus viri misericordis stabulum a stabilitate, quam operatur misericordia. *Ecclesiast.* 31. Stabilita sunt bona illius in Domino, &c. Item quia jumenta, & oves, idest pauperes ibi reficiuntur. *Num.* 32. Accedentes prope filii Ruben, scilicet, ad Moysen, dixerunt: Caulas ovium fabricavimus, & stabula jumentorum. *x* Et curam

pertulit, i. pœnam pro peccatis nostris. Unde 1.*Pet*.2. qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus. Jumentum carnem significat, cui præsidet anima quasi jumento. Illum etiam jumento superponit, cui fidem incarnationis infundit.

egit. Et *a* altera die *b* protulit duos denarios, & *c* dedit stabulario, & *d* ait: Curam illius habe, *e* & quodcumque supererogaveris, *f* ego cum rediero, reddam tibi. *g* Quis horũ triũ *h* videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At *i* ille dixit: Qui fecit misericordiã in illũ. Et *k* ait illi *l* Jesus: *m* Vade, & tu *n* fac similiter. *o* Factũ

Stabulum, in quod portavit eum, est præsens Ecclesia, in qua sancta animalia, i. fideles in præsepe S. Scripturæ, i. pane verbi Dei reficiuntur. Prius autem in jumentum ponitur, quam in stabulum ducatur, quia antequam aliquis in Ecclesiam inducatur, oportet, ut prius baptizetur, & corpori Christi, i. Ecclesiæ per fidem incarnationis uniatur. Sed quia non vacabat Christo diutius in terra morari, & obsequi ægroto, quia ad patrem eum redire oportebat, ideo seq. *a* Et altera die] i. post resurrectionem, ut quasi unum diem intelligas tempus, quo conversatus est Dei filius in terra, cujus respectu dicatur altera dies tempus post resurrectionem. Non enim præcesserat ad quid fieret relatio per alteram, nec erat mentio habita de die. *b* Protulit duos denarios, &c. stabulario,] i. duo testamenta edidit, & eorum intelligentiam Apostolis dedit, ut essent stabularii, i. custodes stabuli, i. Ecclesiæ. Stabularius etiam est Prælatus, cui Ecclesia est commissa, & illi traditur sauciatus in curam, & custodiam. 3. *Reg.* 10. Custodi virum istum. *Prov.* 11. Qui suscipit animas sapiens est, i. esse debet. *Prov.*17. Homo stultus plaudet manibus, cum spoponderit pro amico suo. Per duos denarios designantur duo testamenta, in quibus nomen regis, & imago, i. imitago continetur. In utroque enim exemplum imitationis Christi proponitur. In duobus testamentis tota S. Scriptura consistit, ideoque solet designari nomine arcus. In arcu enim sunt duo, lignum, & chorda. Et sicut mollities chordæ duritiam ligni inflectit, sic lenitas novi testamenti veteris austeritatem temperat, & emollit. Nam si quis colligeret ligna in sabbato, pro modico, sc. delicto sine misericordia lapidaretur, modo in maximis sceleribus reis parcitur. Hos duos denarios, i. hæc duo testamenta dedit Dominus Prælato ad faciendum, & docendum. *Eccl.*45. Dedit Moysi Dominus cor ad præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ docere. Jacob testamentum, & judicia sua Israel. *d* Et ait: Curam, &c.] Hoc patet. *e* Et quodcumque supererogaveris,] i. superaddideris. *f* Ego cum rediero, reddam tibi.] Ac si diceret Dominus Apostolis, & aliis prælatis. Ego tradidi pauca vobis, sed vos pro vestræ discretionis arbitrio superaddite, & reddetur vobis merces tanquam servis fidelibus. *Matth.*25. Euge, serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, &c. *g* Quis horum trium, &c.] *Bed.* Juxta litteram patet, quod alienigena Jerosolymitæ, cui misericordiam impendens proximior fuit quam sacerdos, vel levita gentis ejusdem. Unde subditur.

i At ille dixit, &c.] *Ambr.* Cognatio non facit proximum, sed misericordia, quia misericordia secundum naturam est. Nihil enim tam secundum naturam est, quam naturæ juvare consortem. Et nota, quod Dominus hic aliter videtur accipere proximum, quam nos soleamus accipere. In illo enim mandato. Diliges proximum, nomine proximi omnis homo intelligitur. Dominus autem hic stricte proximum accipit, ut eum proximum dicat, qui implet legem naturalem, i. qui facit alii, quod sibi vult fieri. *k* Et ait illi Jesus, vade, &c.] Et concludit hic Dominus, quod omnis homo proximus est, q.d. si Samaritanus, & alienigena tantam impendit Jerosolymitæ indigenti misericordiam, & ex hoc ei proximus fuisse creditur, qui ante fuerat inimicus, & amicus proximus est amico, patet, quod omnis homo proximus debet esse omni homini. Dicit ergo legisperito. *m* Vade, & tu, &c.] i. ut vere te proximum, sicut teipsum diligere manifestes, & non solum Judæo, sed, & aliis benefacias, &c. *Mystice.* Christus noster proximus est propter naturæ conformitatem, qui vulnera nostra curavit, sicut prædictum est. Diligendus est ergo, ut Deus, & Dominus, & diligendus, ut proximus.

Moral. * ejus egit,] i. sollicite procuravit eum. Non sicut multi, cum aliquando pauperes in domo sua receperint, quomodo postea procurentur, non curant. *Jac.*2. Si frater, & soror nudi sunt, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis de vobis illis, ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit vobis? *a* Et altera die, &c.] quia non semel, sed frequenter, imo semper faciendum est, opus misericordiæ in pauperes, qui semper indigent. *Jo.*12. Pauperes semper vobiscum habebitis. *Deut.*15. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. *Eccl.*9. Oleum de capite tuo non deficiat, i. pietas de mente. *b* Protulit duos denarios,] scil. voluntatem, & facultatem. 2. *Cor.*8. Si voluntas prompta est secundum id, quod habet, accepta est. *c* Et dedit stabulario,] i. Christo, qui est custos stabuli, & natus in stabulo: Cui datur, quicquid pauperibus datur. *Matth.*25. Quod uni ex minimis meis, &c. *d* Et ait, curam illius habe.] Hoc est, oravit etiam pro paupere Christum, ut ejus curam haberet. *Ps.*9. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. *e* Et quodcumque supererogaveris,] i. super me, erogaveris. Sæpe enim homo incipit pauperes adjuvare, & Deus perficit, quod non potest homo, i. dat sanitatem, vel prosperitatem, quod vir misericors sibi factum reputat. Unde seq. *f* Ego cum rediero,] ad facultatem tribuendi, vel subveniendi, i. cum locus, & tempus fuerit, reddam tibi in aliis pauperibus, vel gratias referendo, & ita vir misericors se obligat pro bonis aliorum Christo. *g* Quis horum trium] i. sacerdotis, Levitæ, & Samaritani, idest, Prælatorum, clericorum, & laicorum.

h Videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?] prædictos, i. in potestatem medicorum propter infirmitatem, in potestatem advocatorum propter adversitatem, in potestatem divitum propter necessitatem.

i At ille dixit, qui fecit misericordiam in illud.] scil. Samaritanus, i. laicus, non Sacerdos, non Levita: Ideo dicet eis: Infirmus fui, & in carcere, &c. Ite in supplicium æternum, &c. *Matth.*25. *k* Et ait illi] i. magistro legis. *l* Jesus,] qui semper vult salvare. *Ezech.*33. Nolo mortem impii, &c. *Ezech.*18. Nolo mortem morientis. 1. *Tim.*2. Hoc est bonum, & acceptum coram Salvatore. *m* Vade, & tu] magister legis. *n* Fac similiter.] q. d. non tantum doceas ore misericordiam, sed facias opere. *Matth.*7. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, &c. 1. *Cor.* 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, &c. *o* Factum est autem, dum irent, &c.] Nota est historia, ut Dominus ambularet de Galilæa in Jerusalem, susceptus est in hospitium Mariæ, & Marthæ. Beneficus fuerat Dominus eis, quia septem dæmonia ejecerat de Maria, & fluxum sanguinis restrinxerat in Martha. Hæc est enim secundum *Amb.* mulier illa Hemorrhoissa, quæ tactu fimbriæ Dominici vestimenti a profluvio sanguinis est sanata. Propter beneficia ergo eis collata habebat familiare hospitium in domo, & in castello earum. Quando autem illa susceptio facta sit, ex serie Evangelicæ historiæ non potest haberi. Quod autem præcedentibus quantum ad historiam non continuetur, ipse *Gl.* videtur sentire. Reddit enim causam, quare præcedentibus continuetur, quod non solet facere quantum ad seriem historiæ, ubi recte aliud post aliud sequitur, sed quantum ad mysterium. Supra invitavit Dominus legisperitum ad dilectionem Dei, & proximi, ponens exemplum de Samaritano, qui fecit misericordiam in sauciatum: Sed quia hoc exemplum tantum ad dilectionem proximi pertinere videtur, nunc ponit aliud exemplum apertius de utraque dilectione in duabus sororibus, quarum altera Dominum recepit hospitio, sc. Martha, altera recepto astitit audiendo, & juxta pedes illius sedendo. Per istas duas sorores significantur duæ vitæ spirituales. Per Mariam sedentem, & audientem Dominum significatur contemplativa. Hæc quasi specialiter refertur ad dilectionem Dei, licet dilectionem proximi non dimittat, sc. contemplativa, quæ omnibus exterioribus postpositis, solis sponsi amplexibus, & osculis vacat, ipsum videre, & audire delectat. Per Martham ministrantem significatur activa, quæ quasi specialiter refertur ad dilectionem proximi, & charitate proximi sociatus. Distinguitur autem secundum officia, non secundum personas. Nemo enim est contemplativus, qui quandoque non fiat activus, & sic est referenda dilectio ad diversitatem officiorum. Nam alia sunt officia activæ, alia contemplativæ. Officium activæ est opera misericordiæ proximo misericorditer exhibere. Activa enim esurienti panem corporalem, ignoranti panem spiritualem tribuit, errantem corrigit, proficientem adjuvat, deficientem sublevat, singulis necessaria pro posse dispensat. Officium contemplativæ est soli Deo vacare, de solo Deo meditari. Quæ autem sint partes, & proprietates utriusque vitæ, & quæ sit dignior, patet in norma subjecta.

Activæ pars
- Superior
  - Prædicatio.
  - Lectio.
- Inferior
  - Exhibitio misericordiæ.
  - Dispositio familiæ.

Et nota, quod lectio ad doctrinam, vel oratio ad tutelam; non est meditatio cordis. Nam lectio ad doctrinam, oratio ad tutelam, potius ad officium pertinent activæ, &c.

Contemplativæ pars.
- Superior
  - Consideratio supernorum.
  - In Spiritu sancto gaudium.
- Inferior
  - Scripturæ meditatio.
  - Vocalis decantatio, vel laus,

Activa
- Ferventior
- Fructuosior
- Laboriosior
- Periculosior
- Prior

Contemplativa
- Diuturnior
- Securior
- Jucundior

Versus.
Tempore, germine, cumate, prole, labore.
Pratica vita præit secura, diutina, læta.

Patet itaq; quia hoc, quod dicitur in præcedentibus, continuatur, non quia post prædicta sequatur quantum ad historiã. Modo prosequere litteram secundum mysterium.

a est autem, dum irent, *b* ipse *c* intravit in quoddam castellum, *d* & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, *e* & huic erat soror

a Factum est, &c.] Jesus, & discipuli ejus. *b* Et ipse intravit, &c.] *Gl.* Intrante Jesu in domum, &c. quasi, in domo quam intrat Jesus sunt duæ sorores, per quod mystice innuitur, quia si alicujus conscientiam Deus intravit, inde pravitas vitæ, si ibi fuerat, excluditur, & duplex vita introducitur, sc. actionis, & contemplationis, & inter eas esse Christus medius, idest, utriusque commu-

De B. Virgine. ☉ *a* Factum est autem, &c.] Sed quia B. Virgo perfecta fuit in utraque vita, ideo hoc Evangelium legitur in assumptione ejus, quando recepta fuit in castro Domini, quæ eum prius receperat in castello suo. Licet ergo nihil pertineat ad eam quantum ad historiam, specialiter tamen pertinet ad eam quantum ad mysterium. Ipsa est enim castellum, quod Jesus intravit, i. in quo tabernaculum posuit contra diabolum pugnaturus. In ea enim carnem assumpsit, in qua diabolum expugnavit. Ipsa est etiam, quæ utriusque vitæ officia specialiter executa est, quæ etiam opera misericordiæ misericordius exhibuit, tanquam quæ mundi redemptorem lactavit, & multam ei diligentiam in educando impendit, quæ etiam magis contemplationi vacavit. De qua dictum est, Maria conservabat omnia verba hæc, &c. *sup.* 2. omnia enim verba Domini, & facta diligenter in secreto cordis reposuit, & postea scriptores evangelicos docuit. Nam Matthæus, qui primus scripsit Evangelium, multa ab ea didicit, in hoc autem Evangelio multipliciter commendatur V. Beatissima. Et quia omnis laus in fine canitur, ideo hoc Evangelium in ejus fine legitur. In hoc Evangelio ostenditur B. Virgo. Primo privilegiorum excellentia singularis, secundo omnium virtutum genere munita, tertio ostenditur in studio actionis sedula, quarto in contemplationis otio quieta, quinto in optimæ partis electione discreta, sexto in ejusdem inamissibili adoptione beata. Singularis excellentia B.V. innuitur ibi. Intravit Jesus in quoddam castellum. Quoddam enim notat singularitatem, ut dicit B. *Greg.* in castello notatur virtutum munitio. In Martha studium actionis. In Maria otium contemplationis. Discretio electionis ostenditur ab ipso Domino dicente: Maria optimam, &c. Inamissibilitas adeptæ beatitudinis exprimitur, ubi subjungitur. Quæ non auferetur ab ea. B. ergo V. M. dicitur quoddam castellum privilegii singularitate, castellum virtutum munitione, Martha in actione, Maria in contemplatione, discreta in electione, beata in adoptione, in primo est admirabilis, & veneranda, propter octo privilegia, in quibus superat omnes Sanctos, primum est immunitas peccati, secundum gratiæ plenitudo, tertium, quod est Dei mater, quartum, fœcunditas virginalis, seu virginitas fœcunda, ista quatuor privilegia notantur in salutatione Angelica. Primum in hoc quod dicitur Ave, i. sine væ. Secundum in hoc, gratia plena. Tertium in hoc, Dominus tecum. Quartum in hoc, benedicta tu inter mulieres, inter quas tu sola es virgo mater. Unde *Prov* 31. Multæ filiæ congregaverunt divitias, &c. Quintum privilegium fuit excellentia humilitatis. De qua *sup. c.* 1. Ecce ancilla Domini. Sexta fuit conceptio sine libidine, *sup.* 1. Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Hæc est enim virga Aaron. *Num.* 17. Rubus Moysi. *Exod.* 3. Vellus Gedeonis. *Jud* 6. Septimum fuit partus sine dolore. Octavum fuit gloriæ supereminens magnitudo, quia exaltata est super omnes choros Angelorum. Tria quippe sunt genera Sanctorum, qui habent gloriam privilegiatam: Virgines, martyres, doctores. Et hæc tria habuit B.V. Fuit enim virgo. *Is.* 7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, &c. Martyr fuit. Unde *sup.* 2. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Doctor, seu doctrix fuit. *Is.* 8. Accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium. In secundo est laudabilis, & amanda. In tertio, & quarto, & quinto, & sexto, & septimo, & octavo spectabilis est, & adoranda. Quia igitur in festo Assumptionis consummata est gloria Virginis, recte tunc legitur hoc Evangelium, in quo sic commendatur. Dicit ergo. *a* Factum est autem, dum irent] Adam, & Eva per peccatum. *b* Et ipse] Jesus, sc. *c* Intravit in quoddam castellum,] i. B.V. in quam venit Dominus ad pugnandum, vel potius ad expugnandum diabolum. Circa hoc castellum quatuor attenduntur, scil. situs, & munimenta, fluvius, & alimenta. Situs castelli in alto debet esse, & B.V. in alto fuit fundata, ita ut omnino diabolus accedere non valeret. Unde ipsa dicit *Eccl.* 24. Ego in Altissimis habito. *Matth.* 5. Non potest abscondi civitas supra montem posita. Munitio castelli in quatuor consistit: In muris, & turribus, & fossatis, & armaturis. Hæc omnia fuerunt in B.V. Murus est virginitas, turris humilitas, fossatum paupertas, armatura pietas. *Cant.* 4. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Fluvius gratiarum, qui abundanter fluit in castello isto. De quo *Ps.* 45. Fluminis impetus, &c. *Gen.* 2 Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. Alimenta sunt panis vitæ, de quo dicitur *Prov.* 31. Facta est quasi navis institoris, &c. Sed dicet aliquis: Non in solo pane vivit homo, multo fortius, nec B.V. quæ est delicata puella. Et ipsa habet fructus spiritus. Ascendit enim in palmam filius ejus, & apprehendit fructus ejus. De quibus utique dedit matri suæ. Fructus autem spiritus sunt gaudium, pax, patientia, &c. *Gal* 5. Fœlix castrum, ubi tales fructus abundant. *Ps.* 59. Quis deducet me in civitatem munitam, i. ad B. Virginem? Sp. sancti operatione facta est incarnatio Verbi. *Ps.* 142. Spiritus tuus bonus deducet me, in terram rectam, i. in B. Virginem. Seq. *d* Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam,] i. B. Maria in uterum suum. *Jer.* 31. Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum. *e* Et huic erat soror nomine Maria.] B. Virgo. Martha est, & Maria. Martha propter studium bonæ actionis, Maria propter otium sanctæ contemplationis. Martha fuit, cum cognatæ prægnanti prægnans, & ipsa tribus mensibus ministravit. Martha fuit, quia omnia pietatis opera, quæ solent aliis pauperibus exhiberi, ipsa filio suo pauperi exhibuit. Ipsa enim recepit eum in utero suo, quasi hospitem in domo, nudum vestivit carne, & postea pannis involvit, esurientem, &

Moraliter. *a* Factum est autem, dum irent, &c.] Castellum est religio in monte situm, i. in Christo. *Matt.* 5. Non potest abscondi civitas, &c. Murus est Abbas, & ceteri Prælati. *Is.* 62. Super muros tuos, &c. Fossatum paupertas, quod diabolus, quantum potest, laborat implere, quia aliter non potest intrare. *Habac.* 1. Super omnem munitionem ridebit, diabolus sc. & comportabit aggerem, & capiet eam. Fons abundantia lacrymarum. *Zach.* 13. Erit fons patens domui David, &c. Alimenta sunt ibi vigiliæ, jejunium, disciplinæ, quibus caro attenuatur, sed anima impinguatur. *Ps.* 32. Oculi Domini super metuentes eum, &c. Turris contemplatio. *Isa.* 5. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei, & sepivit eam, & lapides elegit ex ea, & ædificavit in medio ejus. In hoc castello sunt Martha, & Maria: Martha sunt officiales, qui solliciti sunt, & turbantur circa plurima. Maria sunt claustrales, in claustro juxta pedes Domini residentes. In hoc castellum venit Jesus, quando aliquis causa hospitalitatis declinat ad domum religiosam, & suscipitur. Unde dicturus est in judicio: Hospes fui, &c. *Matth.* 25. Dicit ergo: [Factum est autem, dum irent] Jesus, & discipuli ejus per mundum in se, & in membris suis. *c* Intravit in quoddam castellum] i. in religionem, ut ibi reciperetur, & reficeretur. *d* Et mulier quædam Martha, &c.] Signanter dicitur Martha mulier, quia officiales, quorum est recipere hospites, debent esse molles, & mansueti, & seduli circa hospites. *e* Et huic erat soror] non domina, non ancilla, quia officiales in claustro non debent esse Domini claustralium, nec e converso, sed omnes fratres, quia unus est pater Christus, una mater

communis. Vel si vis, potes hoc specialiter referre ad Mariam, quæ olim fuerat peccatrix, & publica, sed intrante Jesu domum, i. conscientiam ejus, pravitas vitæ eliminata est, & duplex vita introducta, sc. actionis, & contemplationis, & nota, quod dicitur in *Gl.* Otiosa. Hoc enim est proprium nomen contemplativæ, & antiquitus Philosophi dicebantur otiosi. Unde adhuc laici habent in usu, ut clericos appellent otiosos.

nomine Maria. *a* Quæ *b* etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. *c* Martha autem satagebat circa frequens ministerium. *d* Quæ stetit, *e* & ait: *f* Domine, non est tibi curæ, quod soror mea relinquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet. Et *g* respondens dixit illi Dñs? *h* Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima, *i* Porro unum est necessarium: *k* Maria optimam partem elegit, *l* quæ non auferetur ab ea.

C A P. XI.

ET *m* factum est, cum esset in loco quodam *n* orans,

a Quæ] sc. Maria. *b* Etiam sedens, &c.] status sessionis, expressio est humilitatis, & quanto est humilior, tanto fit perspicacior. Nam quanto quis amplius humiliatur, tanto amplius ei arcana Dei revelantur, quod natura docente potes discere. Vides enim, quia de montibus descendunt irrigua fontium ad convalles, & quanto vallis profundior, tanto plures ad eam confluunt irrigationes. Hæc expositio notatur in illa *Gl.* Quanto humilius sedet, tanto, &c. Item *alia Gl.* Maria sedet, &c. Distingue tres status, sc. stationem, sessionem, accubitum. In statione totum corpus laborat, quia hic situs corpori laboriosus est. In sessione pars corporis superior laborat, reliqua quiescit. In cubitu totum corpus quiescit. Per stationem ergo labor actionis exprimitur, quæ sudat in agone. Per statum sessionis, quies contemplationis in via, ubi non quiescit plene. Per accubitum, quies ejusdem in patria, ubi plena fruetur quiete. *c* Martha autem satagebat, &c.] sic construe [satagebat, &c.] *Gl.* ministrans necessaria mortali carni, qua indutus erat filius Dei. *Greg.* intenta erat Maria, &c. Et est summa, quia diversæ sunt intentiones earum, quia altera obsequitur, ut eum reficiat, altera ut ab eo reficiatur. *d* Quæ stetit,] per stationem labor activæ exprimitur. Martha stat, Maria sedet, Dominus cubat. Hæc est major quies. [Et ait] conquerens de sorore. *f* Domine, non est tibi, &c.] Martha gerit hic personam quorumdam activorum pie errantium. Sunt enim nonnulli boni in Ecclesia, qui operibus instant studiose, ignorantes quantum bonum sit contemplatio. Nec si quis eos ad contemplationem invitaret, ei acquiescerent, quia non amplius possent facere eleemosynam, imo putarent omnes contemplativos errare. *g* Et respondens dixit illi Dominus. Martha, &c.] Ecce Martha volebat constituere Dominum judicem, sed ipse jam fit advocatus Mariæ. *Gl.* Maria non respondet, sed causam suam tanquam otiosa judici committit. Si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem. *h* Martha, Martha, solicita es, &c.] Repetitio signum est dilectionis. Vel forte movendæ intentionis, ut audiret intentius. Vel certe, quia solicita debet esse ita de aliis, ut se non obliviscatur. *i* Porro unum est necessarium:] *Gl. Bed.* sc. Deo jugiter inhærere. *Ps.* 72. Mihi adhærere Deo bonum est, q.d. Dominus, necessaria sunt ea, circa quæ laborat, sed præter illa, unum præcipue tibi est necessarium, sc. ut uni adhæreas. De quo uno dicit Propheta. *Ps.* 26. Unam petii a Domino meo, hanc requiram. *Gl.* Præponitur unum multis, sc. adhærere Deo. Non enim a multis unum, i. illud unum non appetitur propter alia, cum sit supremus finis, sed multa ab uno, i. alia multa appetuntur propter illum unum. *Greg. in mor. l.* 5. Magna sunt activæ merita, sed contemplativæ potiora. *k* Maria optimam partem, &c. ab ea] in æternum. *Gl.* ex opposito intelligitur, quod a Martha auferetur pars, quam elegit, quia transit labor multitudinis, i. multitudo laboris, & remanet charitas unitatis, i. unitas charitatis. *Bed.* Non reprehenditur pars Marthæ, quia & ipsa bona, sed laudatur pars Mariæ, &c. Unde nota, quia non usquequaque præferenda est activæ contemplativa, alioquin sponsus in Canticis videretur injuriari sponsæ, revocans eam ab otio contemplationis ad laborem actionis. Sponsa enim ingressa thalamum, sponsus eam excitat, dicens: Egredere. Cui ipsa respondit: Lavi pedes meos, &c. Ipse tamen compellit eam egredi. Nota ergo, quia contemplativa non præfertur activæ quantum ad personas, imo excedentia sunt, & excessa quantum ad personas. Præfertur autem ei, quia activa est terminabilis, contemplativa interminabilis. Activa enim cum vita deficit, contemplativa post hanc vitam proficit. Quia sicut *Beda*: Ignis amoris, qui hic ardere inchoat, cum ipsum, quem amat viderit, in amore amplius ignescit. Unde *Isa.* 31. Cujus ignis in Sion, & caminus in Jerusalem, quasi modicus fervor est in via, immensus in patria.

Item, & sitientem lacte suo potavit, & pavit, infirmum ex infantia non solum visitavit, sed etiam fovendo, arridendo, gestando frequentavit, crucifixo quasi in carcere posito affuit, ut vere conveniat ei, quod sequitur; [Martha autem satagebat, &c.] Item Maria fuit audiendo ipsum, conferendo in corde suo quæ videbat, & audiebat, eis, quæ prædixerant Prophetæ. Unde seq. *(De B. Virgine.)*

a Quæ etiam sedens secus pedes Domini, &c.] *Deut.* 33 Qui appropinquant pedibus ejus, &c. *d* Quæ stetit] constans in fide. *Jo.* 19. Maria autem stabat juxta Crucem Jesu. *e* Et ait: Domine, non est tibi curæ,] Quid est hoc, quod Martha conqueritur de Maria sorore sua? Quæ est illa Maria, quæ sororem suam relinquit in ministerio laborare? Martha est voluntas Mariæ, quæ attendens, & videns filium suum comprehendi, ligari, conspui, flagellari, irrideri, spinis coronari, crucifigi, sepeliri, inter hæc sollicita, quia naturali compassione quasi satagebat eum liberare, sed ratio soror ejus contemplans divinam voluntatem, quam sedendo juxta pedes audierat, conformans se illi, consentiebat, ita ut fieret. Sed quid respondit Dominus pro Maria? Ecce. *g* Et respondens dixit illi Dominus: Martha, &c.] Revera sollicita, & turbata fuit erga plurima B.V. quando Herode persequente fugit in Ægyptum, quando Judæos machinare in mortem filii sui cognovit. *i* Porro unum est necessarium,] sc. ut unus moriatur pro populo, & non tota gens pereat. *Jo.* 11. *k* Maria optimam partem elegit,] consentire, sc. per omnia divinæ voluntati. *Greg.* Quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat, & cujus uteri corpus sibi aptabat? * regula. *Mal.* 2. Nunquid non pater unus omnium nostrum. *a* Quæ etiam sedens, &c.] Hic describitur officium claustralium, sc. sedere, tacere, meditari, audire Dominum loquentem in scriptura, & in cordibus eorum. *Job* 4. Ad me, dictum est verbum absconditum, & quasi furtive, &c. *Thr.* 3. Sedebit solitarius, &c. *Inf. ult.* Sedete in civitatem, &c. *Eccl.* 5. Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, &c. *c* Martha autem satagebat, &c.] *Bern.* Fœlix domus, & beata congregatio, ubi de Maria Martha conqueritur. In pluribus fit e converso. *k* Maria optimam partem elegit,] *Ps.* 83. Elegi abjectus esse in domo Dei mei. Quare ergo non omnes eligunt eam. Quia non sunt David, vel Maria. *l* Quæ non auferetur ab ea.] quia nullus appellat, ut sit claustralis resiliens. *Ps.* 121. Rogate, quæ ad pacem sunt Jerusalem. *(Moral.)*

E X P O S I T I O   C A P. XI.

ET factum est, cum esset, &c.] Superius actum est de perfectione duplicis vitæ, i. activæ, & contemplativæ sub figura duarum sororum. Sed quia homo hanc perfectionem non potest habere a se, nisi detur a Deo, a quo est omne bonum, ideo inducit Lucas Dominum orasse, & discipulos ad orandum informasse, ut sic per orationem utriusque vitæ perfectionem obtineant. Et cum *Gl.* reddit causam, quare hæc præcedentibus continuentur, non quantum ad historiam sequi videntur, sicut nec proximo præmissum. Dividitur autem hoc c. in octo partes. Primo, docet Dominus formam orationis. Secundo, docet instantiam, & frequentiam orandi, ibi: [Quis vestrum, &c.] Tertio, dat fiduciam impetrandi, ibi: [Et ego dico vobis.] Quarto, ejicit dæmonia, & convincit Judæorum invidiam, qui super hoc blasphemabant, ibi: [Et erat ejiciens dæmonium.] Quinto laudatur Maria, quæ talem filium generavit, ibi: [Factum est autem.] Sexto, ostendit Dominus Judæos perituros, nisi pœniteant duplici similitudine, ibi. [Turbis autem concurrentibus.] Septimo, ostendit Dominus lumen prædicationis, nec amore vitæ, nec timore mortis esse occultandum, sed omnibus propalandum, ibi: [Nemo lucernam accendit.] Octavo arrogantiam, & superstitionem Pharisæorum, & Scribarum redarguit, qui veræ doctrinæ foris prætendunt speciem, sed malæ vitæ intus occultant fœditatem, propter quod imprecatur eis multiplex væ, ibi: [Sed væ vobis Pharisæis, &c.] Dicit ergo: *m* Factum est, cum esset in loco quodam,] idest, solitario, & secreto. *n* Orans, ut non

tantum

tantum verbo, sed etiam exemplo doceret esse orandum, *infra* 18. Oportet semper orare, & non deficere.

a Ut cessavit,] orare, ut quod docuerat exemplo, doceret & verbo. Adhuc enim rudes erant discipuli, & utroque documento indigebant.

ut *a* cessavit, dixit *b* unus ex discipulis ejus ad eum, Domine, doce nos orare, *c* sicut Joannes docuit discipulos suos. Et *d* ait illis: Cum oratis, dicite: *e* Pater

Matth 6.

b Dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare] *Rom. c.* 8. Quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *c* Sicut Joannes docuit discipulos suos.] Hoc dicit, ut Dominum citius inclinaret ad faciendum, quod petebat, & quia non petebat nisi bonum, quia Joannes idem faciebat. Sed quare ad orationem magis invitantur discipuli, quam ad alia opera pietatis? Respondeo, quia maxime placet Deo, & fugat diabolum. *Chrysost.* Solam orationem quasi spirituale tributum anima offert Deo de suis visceribus. Magna quippe dignitas orationis, mox ut ab ore processerit, suscipiunt eam Angeli manibus suis, & offerunt eam ante Deum, sicut Angelus ad Tobiam dixit: Ego orationem tuam obtuli ante Deum, *Tob. cap.* 12. Et non solum magna est dignitas orationis, sed & magna, & multa utilitas. Primo ignem cœlestem impetrat, quo desiderium accenditur, Unde 3. *Reg. cap.* 18. & 4. *Reg. cap.* 1. legitur, quod oravit Elias, & cecidit ignis de cœlo. Secundo diabolum effugat. 1. *Malach. cap.* 4. Tuba cecinerunt hi, qui erant cum Juda, & contritæ sunt gentes, & fugerunt. Tertio, torporem animi excitat. *Ecclesiast. cap.* 18. Ne impediaris orare semper. Quarto, a tentatione liberat. *Matth. cap.* 26. Orate, ne intretis in tentationem. Quinto, veniam peccatorum impetrat. Unde *secundo Reg. cap.* 12. David postquam oravit, audivit: Translatum est peccatum tuum a te. *Hieronym.* Oratione sanantur pestes mentis. Sexto, vitam ad faciendam pœnitentiam prolongat. Unde 4. *Regum cap.* 20. legitur, quod Ezechiæ facta oratione additi sunt quindecim anni vitæ. Septimo, sanitatem corporis impetrat. *Ecclesiast. cap.* 38. Fili, in infirmitate tua ne despicias teipsum, sed ora Deum, & ipse curabit te, *Jacob. ultim.* Oratio fidei curabit te infirmum. Octavo, gratiam impetrat, *supra* 1. Oravit Zacharias, & genuit Joannem. Nono, sapientiam impetrat. *Jac. c.* 1. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, &c. Exemplum de Salomone, 3. *Regum cap.* 3. Decimo cœlum claudit malis, & aperit bonis. 3. *Regum cap.* 17. Et *Jacob ultim.* Elias oratione oravit, & clausum est cœlum, & iterum oravit, & apertum est. Undecimo, pacem conservat. 1. *Timoth. cap.* 2. Obsecro primum omnium fieri orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus. Duodecimo, docet quid agendum sit in dubiis. 2. *Paralip.* 20. Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.

d Et ait illis, cum oratis, dicite:] non solum corde, sed etiam ore. Est enim oratio pius affectus mentis in Deum, oris ratione directus. Unde & ipsa vocalis oratio specialiter valet ad se, scil. ad memoriam suscitandam. Item ad torporem, & somnolentiam excutiendam. Item ad desiderium accendendum. Item ad devotionem augendam. Item ad obsequium implendum. Item ad exemplum præstandum. *e* Pater sanctificetur, &c.] Formam orandi brevem, & utilem tradit hic Dominus discipulis. Et hoc propter quinque. Primo, ut Deus honoretur. Honor enim patri debetur, a quo incipit hæc oratio. *Malach.* 1. Si ego pater, ubi honor meus. Secundo, ut a solo Deo, quod necessarium est, postuletur, quia ipse est pater, ad quem pertinet cura provisionis. *Sap.* 6. Æqualiter cura est illi de omnibus. 4. *Reg.* 1. Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Tertio, ut rogatus, quod petitur, largiatur. *Matth.* 7. Petite, & accipietis. Ibi enim *Glos.* Non denegat se petentibus, qui sponte obtulit se non petentibus, Quarto, ut quid petendum esset, doceret, Nam quid oremus, prout oportet, nescimus. *Rom.* 8. Quinto, ut doceret eos se humiliare, quia omnis orans se humiliat ei, quem orat. *Ps.* 85. Exaudi me, Domine, quoniam inops, & pauper sum ego. *Eccl.* 85. Oratio humiliantis se penetrat nubes. Commendatur autem hæc oratio, & præcellit in tribus, scilicet in dignitate, in brevitate, & in fœcunditate. In dignitate, quia ab ipso Domino, qui oratur, edita est, & edocta. In brevitate, ut cito addiscatur, & facilius memoriæ tradatur, & ut frequentius dicatur, ut tædium non faciat, ut de ignorantia nemo excusare se valeat, ut cito exaudiendam innuat. In fœcunditate etiam commendatur, quia omnia petenda, & necessaria continet. Unde septem petitiones continet secundum Matthæum: Septenarius autem numerus est universitatis,

Δ Sed Lucas

Alber.

e Pater, &c.] Sed quia Jacob vidit in scala Angelos non solum ascendentes, imo etiam descendentes, breviter transcurramus easdem septem petitiones secundum ordinem descendendi: In quo ordine, prima est [Pater, &c. sanctificetur nomen tuum,] de quo nomine intelligendum sit, ex præmissis potest intelligi, scil. de hoc nomine pater, ac si Deo dicant fideles. Orando petimus, Domine, ut nomen tuum fiat sanctum sive sanctificatum in nobis. Modo enim sumus filii adoptionis, sed adhuc possumus amittere nomen filiationis: nam & Judas fuit filius. Petimus ergo, ut immutabiliter simus filii tui.

Θ Est ergo

Secundum Chrys.

e Pater, &c.] *Chrys.* hanc orationem exponit *in originali super Matthæum* satis moraliter, & satis subtiliter, quodlibet verbum ponderans, & exponens, hoc modo, [Pater] *Chrys.* Patrem se magis voluit dici, quam Dominum, ut fiduciam daret impetrandi, quia servi non semper impetrant. Si filium Dei te credis, illa pete, quæ tibi expediunt accipere, & illum decet dare. Si carnalia petas, quomodo illa libenter præstat, quæ etsi habeas, præcipit ut contemnas [Noster,] Non dicit meus, quod soli Christo competit, qui filius est per naturam. Libenter audit Deus, quando Christianus non solum pro se, sed pro altero orat. Pro se orare naturæ est, pro altero gratiæ. Pro se orare cogit necessitas, pro altero charitas. Dulcior autem est oratio ante Deum, quam non necessitas mittit, sed charitas fraternitatis commendat: [Qui es in cœlis] Erubescant se terrenis rebus substernere, scientes se patrem habere cœlestem.

▲ Sicut enim

Moraliter.

e Pater] cujus nos filios confitemur, cui amorem, & honorem debemus. *Malach.* 1. Si ego pater, ubi honor meus? Si Dominus, ubi timor meus? *Exod.* 20. Honora patrem tuum, [Pater] cujus est filios corripere. *Prov.* 3 Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi, [Pater] cujus est filiorum errantium misereri. *Psal.* 102. Quomodo miseretur pater filiorum, &c. [Pater,] qui debes filium revertentem suscipere, gratulanter, *inf.* 15. Surgam, & ibo ad patrem meum. Et *infra*: Et cum adhuc longe esset, &c. [Pater,] qui thesaurizas filiis, non filii tibi. *Galat.* 4. Misit Deus spiritum filii sui, &c. [Noster] nos creans, nos recreans, nos erudiens, nos hæredes faciens. *Roman.* 8. Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Si autem filii, & hæredes, &c. *Beda.* [Pater noster] dicitur, quod commune est omnibus, sed differenter, [Pater] generaliter omnium per creationem. *Isa.* 64. Et nunc pater noster es tu, nos vero lutum, [Pater] specialiter justorum per adoptionem. *Matth.* 23. Unus est Pater vester, [Pater] singulariter Christi per generationem. *Eph.* 3. Flecto genua mea ad patrem Domini mei Jesu Christi. *Jo.* 20. Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum. Divisim dixit, meum, & vestrum, ut differentiam demonstraret, [Pater noster] ergo dicit, ut dehortetur ab elatione, ab indignitate, a personarum acceptione. Item, ut pensemus aliam in nobis gratiam, quam in antiquis. Item, ut patri filialem rependamus affectum. Item, ut recordemur fraternitatem in proximum. Item, ut timeamus offendere patrem nostrum. Item, ut impetrandi fiduciam habeamus. Unde *August.* Cum dicitur, Pater noster, monetur nobilis, & dives non superbire contra minores. Non enim vere possunt dicere, Pater noster, nisi fratres. Cavendum est etiam cuique a sordibus, ne tanto patre sit indignus. Antiquis ut servis dicitur Dominus. Unde sæpe dicitur in Prophetis: Hæc dicit Dominus: Nobis, ut filiis dicitur Pater. Unde *Matth.* 23. Unus est pater vester, qui in cœlis est. Nunc per gratiam dicitur pater, in quo fiducia nobis

* datur. Quid

Sed Lucas causa brevitatis dimisit duas, ut dicit *Bed.* ut patebit inferius. Et sunt distinctæ illæ septem petitiones secundum duas vitas, temporalem scil. & cœlestem, de quibus prius actum est in fine cap. præced. Tres primæ petitiones pertinent ad vitam cœlestem: ibi enim consummabuntur, sed hic inchoantur. Tres ultimæ ad vitam temporalem. Media, scil. Panem nostrum, &c. est communis, & quasi confinium utriusque confortans, & dirigens transeuntem de vita temporali ad cœlestem. Sufficientia autem petitionum sic patet: Omnis petitio, aut est de bono adipiscendo, & proprie dicitur oratio, aut de malo amovendo, & proprie dicitur deprecatio. Omne autem bonum aut est bonum cœleste, aut spirituale, aut temporale, i. aut bonum gloriæ, aut bonum gratiæ, aut bonum naturæ: Nam bonum fortunæ sub bono naturæ continetur. Bonum cœleste petitur, ibi: [Adveniat regnum tuum.] Bonum spirituale, ibi: [Fiat voluntas tua.] Bonum temporale, ibi: [Panem nostrum,] sicut patebit infra. Et ita in his tribus petitur omne bonum. Item omne malum, aut est præteritum, aut præsens, aut futurum. Amotio mali petitur, ibi: [Dimitte nobis, &c.] Cautela contra futurum petitur, ibi: [Et ne nos inducas, &c.] Liberatio a præsenti petitur, ibi: [Sed libera nos, &c.] Septima petitio, scil. [Sanctificetur nomen tuum] est quasi confirmatio omnium. Inchoavit autem Jesus tanquam bonus magister orationem suam a nomine patris, non a nomine Domini, quia magis amari appetit, quam timeri, & pater nomen est amoris. Unde *Jer.* 3. Saltem amodo voca me pater meus, &c. Item, ut daret orantibus fiduciam impetrandi. Unde *B. Bern.* Oratio, quæ paterno dulcescit nomine, omnium petitionum mearum impetrandarum fiduciam mihi præstat. *Isa.* 49. Numquid potest mater oblivisci infantem suum, ut non, &c. Item, ut vocantes patrem se filios recognoscant, non degenerantes a tanto, & tali patre, qui affectu, & benevolentia pater est. *Isa.* 51. Attendite ad Abraham patrem vestrum, i. Christum, & ad Saram, quæ peperit vos, i. Ecclesiam. Item, ut sic excitet nos ad orandum, & honorandum se. *Eccl.* 3. Gloria hominis est ex honore patris sui. Item, ut ostenderet, vere orantes se non esse servos, quibus dantur mobilia, sed filios, quibus debetur hæreditas. *Jo.* 15. Jam non dicam vos servos, &c. Matthæus apponit [noster] Lucas non. Per hoc non innuit Lucas, quod est pater omnium per creationem. Matthæus autem per hoc, quod dicit [noster] innuit, quod est pater fidelium specialiter per recreationem. Et dicit [noster] non meus, ut ostenderet, quod non unius, sed multorum pater est. Prius erat pater unius per naturam, scil. Christi, sed ex tempora factus est pater multorum per gratiam. Item per hoc invitat nos ad humilitatem, ut nemo sibi applaudat de nobilitate generis. *Mal.* 2. Numquid non unus pater omnium nostrum est, &c. Item per hoc invitavit nos ad fraternitatis amorem, ut quilibet pro alio quasi pro se oret. *Jac. ult.* Orate pro invicem, ut salvemini. Item per hoc innuit Dominus, quod oratio quanto communior, tanto Deo acceptior. Unde *Matt.* 5. præcepit orare pro inimicis. Item per hoc invitavit nos ad pacem, & concordiam, quia nulla discordia debet esse inter fratres. *Gen.* 13. Ne quæso sit jurgium inter me, & te, fratres enim sumus. Item per hoc invitavit nos ad mutuum honorem, qui debet esse potissime inter fratres. 1. *Tim.* 6. Qui fideles habent dominos, non contemnant, sed magis serviant, quia fratres sunt. *Rom.* 12. Honore invicem prævenientes. Item per hoc invitavit nos ad mutuum auxilium. *Prov.* 18. Frater, qui adjuvatur a fratre, &c. Item in hoc, quod Dominus dixit [noster] ostendit se esse fratrem nostrum, alioquin non vere dixisset, [Pater noster] Et in hoc ostenditur nostra nobilitas, quia fratres sumus filii Dei. *Gen* 45. Ego sum Joseph frater vester. *Matth. ult.* Nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. Item Matthæus addit: [Qui es in cœlis] Lucas non. Uterque bene facit. Lucas non apponendo innuit eum esse ubique per potentiam, per præsentiam, per essentiam. Matthæus vero addit hoc propter septem causas. Primo, ut ores in spiritu secreto, & mundo, quale est cœlum: *Jo.* 4. Deus spiritus est, & eos, qui adorant eum, oportet adorare in spiritu, & veritate. Secundo, ut cœlestia petas, non terrena. *Jo.* 16. Usque modo non petistis quicquam in nomine meo, petite, ut gaudium vestrum sit plenum. Tertio, ut ad cœli habitaculum tendas. *Cant.* 1. Trahe me post te. Quarto, ut in altissimo confidas, cui assistunt Angeli. *Ps.* 124. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem. Quinto, ut sanctum te exhibeas. *Lev.* 19. Sancti estote, quia, &c. Sexto, ut ostendatur, quod potens est dare, quod petitur, quasi pater existens in cellario pleno, & referto omnium bonorum affluentia. Unde cum dicimus: [Qui es in cœlis] idem est, ac si diceremus: Da quod petimus, quia potes. Es enim in cellario tuo, ubi omne affluit, & redundat. 1. *Tim.* 6. Beatus, & solus potens rex regum, Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. *Rom.* 10. Idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Unde sponsa congratulans, ait, *Cant.* 1. Introduxit me rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te. Item *Cant.* 2. Introduxit me rex in cellam vinariam, &c. Et statim videns suavitatis abundantiam, dixit: Fulcite me floribus: stipate me malis. Septimo, ut ostenderet qualis locus præparabitur nobis, & ubi. *Jo.* 14. Vado vobis parare locum. *Jo.* 17. Quos dedisti mihi volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum. In his tribus verbis, scil. [Pater noster, qui es in cœlis] captatur benevolentia. Primo a persona rogati, cum dicitur, [Pater.] Secundo a persona rogantis, cum dicitur, [noster.] Tertio a persona assessorum, cum dicitur, [qui es in cœlis.] Deinde sequuntur petitiones secundum Matthæum. Ipse enim primus scripsit Evangelium, & ab ipso ore Domini accepit. Erat enim unus ex tribus, ad quos habitus est sermo in monte. Unde prolixius, & diffusius ponit Dominicam orationem: Lucas transit brevius, quia viderat Matthæum plene prosecutum. Secundum Matthæum namque oratio Dominica octo partibus constat. Præmittitur enim captatio benevolentiæ. Sequuntur septem petitiones, quarum duplex est ordo. Unus secundum quod in nobis implentur. Alius secundum dignitatem rerum petitarum, & hunc tenent Matthæus, & Lucas similiter, quia præmittunt dignitates. Similiter fecit *Isa.* 11. Qui dona digniora præposuit, descendens de sapientia ad timorem. Sic etiam fecit Moyses, mandata de colendo Deo præposuit mandatis de proximo diligendo. *Ex.* 20. Ut autem melius videamus dignitatem petitionum, & quomodo una oriatur ex alia, ordinem, per quem in nobis implentur, primo exequamur, & postea ad ordinem evangelicum revertemur. Prima ergo petitio est: [Libera nos a malo] quam ponit Matthæus, sed Lucas tacet, quia intelligit eam sub illa: [Et ne nos inducas in tentationem.] Consideravit enim, quia Matthæus non dixerat, & libera nos a malo, repetendo, &, sic enim videretur facere duas petitiones repetendo copulativam conjunctionem: Imo ait: [Sed libera nos a malo] ponendo continuativam conjunctionem. Unde visum est, velle unam tantum esse petitionem. Verumtamen ista, scil. [Libera nos a malo] prima est petitio, quia homo volens ascendere in cœlum, videns, quia non potest ascendere, nisi prius fuerit liberatus a malis præsentibus, clamat orando: [Libera nos a malo] multiplici, i. a peccato originali, a peccato actuali, ab amore mundi, a proprio sensu, a propria voluntate, a diaboli potestate. His dispositis fit homo pauper spiritu, quod totum fit propter donum timoris, quia timor Domini expellit peccatum. *Eccl.* 1. Unde cum dicimus: [Libera nos a malo] rogamus nobis dari donum timoris, per quod effecti pauperes spiritu, liberamur a malo. Et ita prima petitio petit donum timoris, quod efficit virtutem paupertatis, & expellit peccatum superbiæ, & complet ipsam primam petitionem. His autem omnibus abdicatis insurgunt tunc fortiores tentationes, quia Pharao contemptus surgit in scandala. Propter quod dicit *Eccl.* 2. Fili, accedens ad servitutem Dei, &c. Idcirco obtenta hac petitione, necessaria est mansuetudo, quæ nec irritat, nec irritatur, nec aliquibus injuriis lacessitur. Unde recte sequitur: [Et ne nos inducas in tentationem,] i. non permittas nos succumbere in tentatione, i. da nobis donum pietatis, per quod mites effecti contemnamus injurias, & sic nullis tentationibus succumbamus. Sicut enim donum timoris efficit paupertatem, sic donum pietatis efficit mansuetudinem. Et sicut in prima petitione petitur donum timoris, ita in secunda petitur donum pietatis, & expellitur invidia. Nec oramus, ut non veniant tentationes, sed ne inducamur in tentationibus, quod est succumbere tentatori. Sed quamvis homo sit liberatus a malo per donum timoris, & virtutem paupertatis, nec frangatur adversis per donum pietatis, & virtutem mansuetudinis, adhuc in multis offendit quotidie, quia nemo est, qui non peccet, ut dicitur 3. *Reg.* 7. *Eccles.* 7. ideo necessaria est virtus luctus, quam efficit donum scientiæ, quo peccata quotidiana lavantur. Unde tertio sequitur: [Et dimitte nobis debita nostra, &c.] Hoc est, da nobis donum scientiæ, quo illuminati peccata, & miserias nostras videamus, seu cognoscamus, & cognita lugeamus,

lugeamus, & sic lugentibus dimittantur, & expellitur ira. Debitores nostri sunt, qui debent nobis pecuniam, vel qui fecerunt nobis injuriam. Si debetur tibi pecunia, & perfectus es, dimitte, si petit, si imperfectus es, licite potes requirere, si ille habeat, unde reddat, si autem non habet, debes dimittere. Item si fecit injuriam tibi, & veniam petit, dimitte, si non petit, adhuc corde dimitte, paratus dimittere etiam ore, cum locus affuerit. Hæ tres petitiones pertinent ad vitam temporalem, quia liberatio a malis, non frangi adversis, lugere pro peccatis quotidianis, separant nos a mundo, vel custodiunt in mundo a malo. Tres sequentes elevant ad cœlum. In prima, quæ sequitur, quæ est quarta petitio ascendendo, petitur panis, quo in via confortetur viator, ne deficiat. Et hic panis de cœlo datur, sed in terra manducatur, & ideo illa petitio est quasi confinium congruens transeunti de vita temporali ad vitam cœlestem. Hic panis a Matthæo dicitur supersubstantialis, quia super omnes substantias, & super omnem intelligentiam est, & quia cœlestis est. Unde *Joan. cap. 6.* Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. A Luca dicitur quotidianus, quia quotidie necessarius est, & quotidie comedimus illum, quidam sacramentaliter, quidam spiritualiter, quidam utroque modo. In Hebræo vero dicitur sogolla, i. egregius, seu peculiaris. Egregius, hoc est supersubstantialis. Peculiaris, hoc est quotidianus. In græco vero dicitur τὸν ἄρτον ἡμῶν ἐπιούσιον, quod idem est. Per istum panem, quanto plus manducatur fit esuries justitiæ. Acquiritur autem per donum fortitudinis. Unde sensus est: [Panem nostrum quotidianum] i. panem nostrum supersubstantialem. [Da nobis hodie,] hoc est, da nobis donum fortitudinis, quo tuam justitiam esuriamus, & esurientes eodem reficiamur, & roboremur, & acidia repellatur, quousque esuries nostra plenius satietur, quod erit in patria, sicut dicit *Matth. cap. 5.* Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Sed nota, quod hoc nos sugillat Græcus, dicens arguendos præsumptionis, & temeritatis. Formam enim verborum ab eo in orando accepimus, qui a Deo non accepit immediate. Ejus autem verba prætermisimus, qui ab ore Domini Dominicam orationem accepit, i. Matthæi, qui dicit supersubstantialem. Lucas vero quotidianum. In aliis vero sequimur Matthæum, & ita ex utroque quasi conflavimus nobis Dominicam orationem. *Hieron.* Nos liberat attendens nos non esse arguendos præsumptionis, vel temeritatis. Utrumlibet enim dicamus, congruit Hebraicæ veritati. Ubi enim Matthæus dicit supersubstantialem, Lucas quotidianum, Hebraica veritas habet sogolla, quod interpretatur egregius, vel peculiaris, i. domesticus. Matthæus ad alteram respexit interpretationem, dicens, supersubstantialem, q. d. panem nostrum egregium. Lucas alteram, dicens, quotidianum, ac si diceret, panem nostrum peculiarem.

▲ Sequitur

a sanctificetur *b* nomen tuum:

Aliter. ⊙ Est ergo sensus. *a* Sanctificetur nomen tuum:] i. da, ut nomen tuum sanctum, & firmum sit in nobis, quod non impletur nisi in patria. Quod ut fiat plenarie: [Adveniat regnum tuum] i. Ecclesia militans unitur triumphanti, idest Ecclesia, in qua regnas per fidem, veniat ad te per speciem. Nec istum impletur nisi in patria. Vel aliter.

a Sanctificetur nomen tuum:] i. sanctum appareat in nobis per triplicem notitiam. Quarum prima est credere, quod Deus est, ut dicitur *Heb.* 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est. Secunda est, scire, quid non est Deus. *August.* Si non comprehendis, quid sit Deus, multum comprehendis, si comprehendis, quid non sit Deus. Tertia est scire, quid sit Deus, & quomodo sit, quod erit, quando videbimus eum sicut est. Prima liberat ab insipientia, qua dixit insipiens in corde suo, non est Deus. *Ps. 13. & 52.* Secunda liberat ab idololatria, quæ ligna, & lapides veneratur ut Deum. Tertia liberat ab omni miseria, hæc erit in patria. Unde *1. Jo. 3.* Filii Dei sumus, & nondum apparet, quid erimus. Scimus autem, &c. Ideo sequitur: [Adveniat regnum tuum,] i. regnum veniat ad regnum. Sed hoc non potest esse nisi omnino consentiamus voluntati divinæ, & ideo sequitur: [Fiat voluntas tua, &c.] Et hanc tacet Lucas, quia sub præcedenti comprehendit, ut dicit *Beda*: Ista tertia petitio non est nisi præmissarum duarum quodammodo expositio. Ita enim exponitur [Sanctificetur nomen tuum,] in anima, i. nomen filiationis confirmetur in nobis secundum animam, ut secundum animam simus immutabiliter filii tui, quod jam habent sancti.

⊙ Adveniat

Secundum Chrys. ▲ Sicut enim degener filius ad opprobrium pertinet generosi patris, sic & Christianus injustus ad blasphemiam pertinet Dei justi. Nam sicut per bonos glorificatur, sic per malos blasphematur. Unde *Rom.* 2. Nomen Dei blasphematur per vos inter gentes. *a* Sanctificetur nomen tuum:] Quomodo sanctificatur ab homine, qui sanctificat omnes, aut sanctum quomodo sanctificetur? Sed in se quidem sanctum est, quæritur autem, ut sanctificetur in nobis, ut cum nos illum sanctificaverimus in nobis, tunc ille sanctificet nos in se. Nam qui non sanctificat Deum, non sanctificatur ab eo. Sanctificavimus autem Deum in nobis, quando scientes eum sanctum timemus, & sollicite vigilamus, ne forte violemus sanctitatem nominis ejus in nobis per opera mala. Sicut qui præclara veste indutus est, fugit omnem rem sordidam, ne perdat gratiam candoris ejus, sic qui Christum induit. *Galat.* 3. Sollicitus debet esse, ne contaminet eum. Ipse quidem incontaminabilis manet, tamen contaminationis injuriam graviter nostro vindicabit interitu.

▲ Adveniat re- *Moraliter.*

* datur. Qui enim negabit filiis, qui jam dedit, quod ter est? *Hieronym.* Nusquam invenitur præceptum populo antiquo, ut dicerent pater noster, aut orarent patrem Deum, sed propheta ostendit eos filios esse potuisse, si boni essent? *Isa.* 1. Filios enutrivi, &c. [Qui es in cœlis,] idest, in Sanctis per gratiam. *Psal.* 18. Cœli enarrant gloriam Dei. Item [Qui es in cœlis,] idest in scripturis sanctis per intelligentiam. *Joan.* 5. Scrutamini scripturas, &c. *Gen.* 7. Rupti sunt fontes abyssi magnæ, idest, sacramenta Ecclesiastica apparuerunt, quia catharactæ cœli, idest scripturæ apertæ sunt. Item: [In cœlis,] idest in secretis, idest in sinu patris. *Cant.* 1. Dum esset rex in accubitu suo. Item, In cœlis cœlorum ad differentiam aliorum deorum, qui sunt in terra tantum. *Jer.* 10. Dii, qui cœlos, & terram non fecerunt, pereant. *August.* Cum ad orationem stamus, ad orientem convertimus nos, ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem, idest ad Deum se convertere, sicut corpus convertimus ad excellentius corpus, scilicet cœlum, & partem unde lumen venit, scilic. orientem. *Psalm.* 67. Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad orientem [Pater] confortat fidem [Noster] dilatat charitatem. [Qui es in cœlis,] elevat spem.

a Sanctificetur] in nobis per efficaciam, per perseverantiam, per augmentum, per munditiam, per ostensionem, per confirmationem, per consummationem.

b Nomen tuum:] quod est pater, ut vere filii tui, & nominemur, & simus. *1. Jo. 3.* *August.* Nomen patris in nobis est, qui filii dicimur, quod petimus sanctificari, non ut ipse sanctior sit in se, sed in nobis per efficaciam, per augmentum, & per apparentiam. Item, [Nomen tuum,] quod est Deus, ut a Deo simus dii. Juxta *Psal.* 81. Ego dixi Dii estis: [Nomen tuum] quod est Dominus, ut nos quasi boni servi te solum timeamus. *Malach. c.* 1. Si ego Dominus, ubi timor meus? *Isa.* 8. Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem. Pater charitatem, Deus fidem, Dominus timorem nutrit. Item, [Nomen tuum,] quod est magister, ut tui solius discipuli simus firmiter, & sincere. *Matt. c.* 23. Vos nolite vocari rabbi, unus enim est magister vester. *Jo. cap.* 9. Numquid & vos vultis fieri discipuli ejus, i. Christi? Et dixerunt, &c. Item [Nomen tuum,] quod est Jesus, ut a te salvatore simus salvati. *Act.* 4. Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri credentes. *Isa.* 56. Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus, & nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Item, [Nomen tuum,] quod est Christus, ut nos veri Christiani simus. *Psal.* 104. Nolite tangere Christus meos. *Apocal c.* 2. Scio, ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Quodlibet istorum nominum sanctificatur in nobis per vitæ sanctitatem, sicut e contrario blasphematur per vitæ perversitatem. *Isa. c.* 52. Dominatores ejus inique agunt, & jugiter tota die nomen meum blasphematur.

* Adveniat regnum

▲ Sequitur quinta petitio: Fiat voluntas tua, &c. Et bene sequitur. Homo enim pastus illo pane supersubstantiali sentiens dulcedinem cibi cœlestis, petit, ut voluntas Dei fiat in terra, sicut fit in cœlo, i. sicut in civibus cœli, sic fiat in civibus terræ. Hoc est, ut sicut Angeli conformant voluntatem suã voluntati divinæ, sic faciant homines.

a Adveniat *b* regnum tuum:

Item [Fiat voluntas tua] sicut in cœlo, & in terra, idest, sicut fit in Christo, ita fiat in Ecclesia. Item [sicut in cœlo] idest, in anima viri justi, in terra, idest in carne ejus. Item, [Sicut in cœlo,] idest in viro sancto, ita in terra, idest, in peccatore. Item, [Sicut in cœlo,] idest, in synderesi, ita in terra, idest in libero arbitrio. Hoc autem totum fit per donum consilii, quo nobis consulitur, ut simus misericordes, si volumus misericordiam consequi. Unde sensus est: [Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra,] i. da nobis donum consilii, quo misericordes effecti, tuam voluntatem impleamus in terra pro modulo viæ, sicut impletur in cęlo pro modulo patriæ, avaritia relegata. Postquam vero homo consecutus est misericordiam, & omnino subjecit se divinæ voluntati, statim ad altiora suspirat, ut scil. illum videat, cujus voluntati obtemperat remotis omnibus nebulis phantasmarum, quod non potest esse in præsenti. Ideo sequitur sexta petitio, in qua hoc petitur.

a Adveniat regnum tuum:] ubi plenarie fit voluntas Dei. Unde Lucas sub hac petitione reposuit præcedentem. Merito autem sexto loco ponitur hæc petitio, in qua petitur visio Dei, quia homo sexto die conditus, sexto die visione Dei se privavit, sed Dominus sexta ætate, & sexto die ad visionem suam eam reformavit, & idcirco sexto loco postulat homo visionem Dei, quam sexto die amisit, & sexto die recuperavit, quod fit per cordis munditiam, quam donum intellectus operatur in nobis. Unde sensus est: [Adveniat regnum tuum,] i. da nobis donum intellectus, quo mundi corde effecti.

b Regnum tuum:] i. te regnantem in sanctis videamus, gulæ vitio penitus abdicato. Visionem autem Dei, & regni ejus sequitur pax, & quies, & delectatio summa, quæ fit per donum sapientiæ, quo in cognitis delectamur, quod postulatur, cum dicitur: [Sanctificetur nomen tuum] in nobis scilicet, ut tu pater noster dicatis, & nos filii tui in æternum. Hoc est, da nobis donum sapientiæ, quo pacati mente filii Dei nominetur, & simus sine fine, luxuriæ voluptate penitus abjecta. Ecce scala Jacob, qua ascenditur de terra in cœlum. Unde *Psal.* 83. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum in loco, quem posuit. *Gen. 28.*

Aliter. ⊙ *a* Adveniat regnum tuum:] in corpore, quia in resurrectione corporum regnum veniet ad regnam: [Fiat voluntas tua sicut in cęlo, & in terra,] i. sicut in anima, ita & in terra, i. in corpora. Ecce secundum hanc expositionem non est tertia nisi prædictarum repetitio. Unde Lucas statim post illam petitionem: [Adveniat regnum tuum,] quia in via tanta necessarium est viaticum, adjunxit.

⊙ Panem nostrum

Secundum Chrys. △ *a* Adveniat regnum tuum:] Regnum dicitur, & retributio justorum pro justitia, & peccatorum pro culpa. Vel regnum dicuntur sancti. Unde *Matth. cap.* 13. Colligent zizania de regno ejus, idest de populo Christiano. Vel regnum dicitur sacra Scriptura. Unde *Matth. cap.* 21. Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. De omnibus unus est intellectus. Aliud est regem esse, aliud regnare. Ecce Deus naturaliter omnium rex est, sed non in omnibus regnat. Nam in iniquis hominibus diabolus regnat, qui faciunt ejus voluntatem. Unde *Ephes. cap.* 6. Rectores mundi tenebrarum harum. Non dixit, mundi tantum, sed addit, tenebrarum. Tenebræ autem dicuntur iniqui, sancti lux. Unde *Ephes. cap.* 5. Fuistis aliquando tenebræ, nunc, &c. Diabolus, & mali homines sunt in potestate Dei, tamen nolunt esse sub Deo, non sunt regnum Dei. Justum regnum est, quando & rex vult habere homines sub se, & illi volunt esse sub eo. Quando autem rex cogit per violentiam esse sub se, illud quantum ad veritatem non est regnum, sed tyrannis. Ideo Deus quamvis omnea habeat in potestate, volentes tantum recipit, ut non sit tyrannus, sed rex. Diabolus plane tyrannus est, qui & nolentes compellit suam facere voluntatem. Quid est ergo, quod dicit, quia interim duo sunt regna in mundo, Dei & diaboli, idest justi, & iniqui, hic quæritur, ut tollatur de medio regnum diaboli, i. iniqui, & veniat regnum Dei tantummodo, i. justi. Quod fiet tunc, quando omnes iniqui cum principe suo mittentur in stagnum inferni. Sic intelligendum est de justitia. Modo enim & justitia, & iniquitas regnant, tunc extincta iniquitate, sola justitia regnabit. Fiat voluntas tua. Numquid non facit Deus ubique, quod vult? Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit. *Psal. 113.* Sed hoc quæritur, ut in nobis fiat, i. ut eam nos faciamus. Quamdiu ergo regnum mistum est in terra, fit quidem voluntas Dei, sed non sicut in cęlo. In cœlo enim faciunt Angeli voluntatem Dei solius, non sic est in terra, sed hoc fiet in fine. Communiter autem accipi debet, quod ait, [Sicut in cœlo, & in terra: adveniat regnum tuum, sicut in cœlo, & in terra, fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.] Et vide, quam caute locutus est. Non dixit: Pater, sanctifica nomen tuum in nobis, adveniat regnum tuum super nos, fac voluntatem tuam in nobis, ne seipsum videatur in nominibus sanctificare, aut regnum suum, super quos vult adducere, aut voluntatem suam, in quibus vult facere, & per hoc inveniretur Deus personarum acceptor. Nec iterum dixit: Sanctificemus nomen tuum, suscipiamus regnum tuum, faciamus voluntatem tuam, sicut in cœlo, ne hominum tantummodo videatur esse, quod sanctificant Deum, aut quod suscipiunt regnum ejus, aut quod faciunt voluntatem ejus, sed medie dixit, & impersonaliter: Sanctificetur, adveniat, fiat, ut utriusque opus necessarium demonstraret. Nam sicut homo non potest facere bonum nisi habeat Dei adjutorium, ita nec Deus bonum operatur in homine, nisi homo voluerit. Sicut nec semen sine terra, nec terra sine semine fructificat, sic nec homo sine Deo, nec Deus sine homine justitiam operatur in homine.

▲ Panem nostrum

Moraliter. * *a* Adveniat regnum tuum:] Adveniat, i. ad nos veniat. *b* Regnum tuum:] quadruplex. Scripturæ, gratiæ, militantis Ecclesiæ, triumphantis Ecclesiæ. Primum petimus venire ad nos per notitiam, per operationem. *Matt.* 21. Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum illius. *Matt.* 18. Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cęlorum. Secundum petitur venire ad nos, ut destruat in nobis regnum peccati. *Rom.* 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. De quo *inf.* 17. Regnum Dei, i. gratia intra vos est. Tertium petitur venire ad quartum, ut fiat unum. *Osee* 1. Congregabuntur filii Juda, idest Ecclesiæ militantis, & filii Israel, idest Ecclesiæ triumphantis, & ponent sibimet caput unum. *Psalm.* 105. Congrega nos de nationibus, ut gloriemur in laude tua. *Jo. cap.* 10. Alias oves habeo, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus pastor. *Ambros.* Cum dicimus: Adveniat regnum tuum, desiderium nostrum excitamus ad futurum regnum, ut nobis veniat, & in eo regnare mereamur. Fiat voluntas tua, quæ est hominum sanctificatio. 1. *Thess.* 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Item [Fiat voluntas tua] quæ est peccatorum justificatio, & salvatio. *Jo.* 6. Hæc est voluntas patris mei, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. 1. *Tim. c.* 2. Qui vult omnes homines salvos fieri. Item, [Fiat voluntas tua,] quæ est præceptorum adimpletio, sicut dicit *Glos. super Matth.* 6. Voluntas Dei semper fit. *Psalm.* 113. Omnia quæcumque Dominus voluit, fecit. *Job* 23. Ipse solus est, & nemo potest avertere cogitationes ejus, & anima ejus quæcumque voluit, hæc fecit. Sed oramus, ut libertas nostri arbitrii societur per gratiam voluntati suæ, quæ est sanctificatio nostra, & vita æterna. [Sicut in cœlo, & in terra] i. sicut in Christo, sic in Ecclesia. Item sicut in Ecclesia triumphante, sic in militante. Item sicut in spiritu, sic in carne. Item sicut in Angelo, sic in homine. Item sicut in justo, sic in peccatore. Item sicut in synderesi, sic in voluntate. Item sicut in contemplativo, sic in activo. Item sicut in claustrali, sic in sæculari. Item sicut in clerico, sic in laico. Item sicut in Prælato, sic in subdito. Hæc est tertia petitio, quæ regitur, & impletur per charitatem, secunda per spem, prima per fidem. Fides prima est virtutum. Ideo primo petitur sanctificatio nominis patris in nobis, quod fit per fidem. Fides enim nos facit filios Dei. *Jo. c.* 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c. Secundo petitur adventus regni futuri in nobis, quod fit per spem. Spe enim spe-

* ramus regnum

Aliter. ✠ *a* Panem noſtrum quotidianum, &c.] i. quamdiu ſumus in hoc dæ, ideſt, in hac vita præſenti. Sed quia hoc pane ſumus indigoi, quamdiu ſumus peccatorum ſordibus inquinati,

☉ Ideo ſequitur.

Secundum Chryſ. ☨ *a* Panem noſtrum quotidianum,] videtur, quod qui petit quotidianum, non habeat in craſtinum: Quomodo enim peteret quotidianum, vel diurnum, qui habet præparatum in quinque, vel in decem dies. Illud enim petitur,

a panem *b* noſtrum quotidianum *c* da nobis *d* hodie;

quod non habetur. Quod ſi eſt, oratio iſta paucis poteſt convenire. Forſitan ſolum conveniebat Apoſtolis, qui omni tempore vagabaatur, & ipſa vagatio amplius quotidiano victu poſſidere non poterat. Sed ita debemus aptare Chriſti doctrinam, ut omnes in ea proficiant, ne forte communis medicina dum paucis, aut nulli prodeſt, inveniatur ſuperflua, quæ ad omnium ſalutem eſt præparata. Ergo non ideo oramus panem, ut habeamus, quod manducemus, ſed ut, quod manducamus, de manu Domini accipiamus. Nam habere ad manducandum communiter eſt inter juſtos, & injuſtos, & frequentius habent peccatores, quam juſti; De manu autem Dei accipere nuo eſt commune, ſed tantum ſanctorum. Præparare ergo non vetat, ſed cum peccato præparare; Nam qui cum juſtitia panes præparat, illi Deus dat panem, quem manducat. Qui autem cum peccato, non illi dat Deus, ſed diabolus: Nam omnia quidem a Deo dantur, non tamen omnia a Deo ſubminiſtrantur. Vel ita, ut dum a Deo datur ſanctificatus accipiatur, & ideo non dixit: [Panem quotidianum,] ſed addit, [noſtrum] ideſt, quem jam habemus paratum apud nos, illum da nobis, ut dum a te datur, ſanctificetur, ut puta laicus offert ſacerdoti panem, ut benedicat, & porrigat illi, quod panis eſt, offerentis eſt, quod ſanctificatus, beneficium eſt Sacerdotis. Numquid non ſufficit dicere: [Panem noſtrum da nobis hodæ] quare addidit [quotidianum?] Ut luxurioſos cibos compeſcat, ut tantum quis manducet, quantum natura exigit, non quantum laſcivia carnis impellit. Si enim tu tantum in uno convivio expendas, quantum ſufficere poterat centum hominibus moderate viventibus, aut tibi ipſi centum diebus diſciplinate viventi, jam non quotidianum cibum manducas, ſed multorum dierum. Chriſtianus ſi poſſibile eſt pane quotidiano non plus habeat, quam poſſibile non eſt quantum ad poſſibilitatem humanam. Item quare dixit [noſtrum] propter duas rationes. Primo, quia omnia dat nobis ſive arantibus, ſive militantibus non nobis ſolis dat, ſed etiam aliis per nos. Qui ergo de laboribus indigentibus non præſtat, non poteſt dicere: [Panem noſtrum da nobis hodie,] ſed mendaciter dicit: panem meum da mihi. Non enim ſuum tantum panem manducat, ſed & alienum. Item, qui juſte acquiſitum panem manducat, ſuum manducat, qui de peccato alienum manducat.

c Da nobis hodie,] ut non pro craſtino ſimus ſolliciti.

☉ Cum enim

Moraliter. * ramus regnum illud aliquando futurum in nobis. *Roman.* 8. Spe ſalvi facti ſumus. Tertio petitur impletio voluntatis Dei in nobis, quod fit per charitatem, quæ eſt ordinata voluntas, & impletio legis. *Rom.* 13. Qui enim proximum diligit, legem adimplevit. Sanctificetur ergo fide nomen Dei, ut credat rationabilis. Adveniat regnum ejus ſpe, ut obediat iraſcibilis. Fiat voluntas ejus charitate, ut diligat concupiſcibilis.

a Panem noſtrum quotidianum] i. neceſſaria præſentis vitæ, intelligentiam Sacræ Scripturæ, Sacramentum Euchariſtiæ, refectionem gratiæ, firmamentum obedientiæ.

c Da nobis hodie,] ideſt, dum dicitur hodie. Hi ſunt quinque panes, quibus Dominus quinque millia hominum ſatiavit in deſerto. *Joan.* 6. De primo dicitur *Eccleſiaſt.* 29. Initium vitæ hominis aqua, & panis. Hunc etiam petimus nobis dari, quia per nos habere non poſſumus, in quo manifeſtatur noſtra paupertas. *Auguſt.* Qui panem quotidianum petit, dives eſt, an pauper? Hunc dat Chriſtus nobis, & petit iterum a nobis in ſuis membris, ideo qui non vult pati repulſam, libenter debet dare. *Tob* 4. Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fit, ut nec a te avertatur facies Domini. *Auguſtin.* dicit Chriſtus, da mihi ex eo, quod dedi tibi, habuiſti largitorem, habe debitorem, habe & fœneratorem. De ſecundo dicitur. *Thren.* 4. Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Et hic gratis debet dari, ſicut gratis accipitur. *Matt.* 10. Gratis accepiſtis, gratis date. *Inf.* 6. Date, & dabitur vobis. Quia hic panis quanto amplius datur, tanto amplius habetur. *Prov.* 11. Alii dividunt propria, & ditiores fiunt. *Auguſt.* Scientia nobilis theſaurus, & avarum dedignata poſſeſſorem, diſtributa recipit incrementum. De tertio dicitur *Sap.* 16. Paratum panem de cœlo præſtitiſti eis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem, &c. *Gen.* 3. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. *Jo.* 6. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Iſtum dat Dominus ad vivificandum. Unde *Jo.* 6. Panis, quem ego dabo, &c. Et nos debemus eum dare ſimiliter, non vendere, quia Dominus ejicit vendentes, & ementes de templo. *Jo.* 2. De quarto *Iſa.* 4. Panem noſtrum comedemus, &c. De quinto dicitur, *Jo.* 4. Cibus meus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me. 3. *Reg.* 19. Reſpexit Elias, & ecce ad caput ejus panis ſubcinericius, & vas aquæ, & ſurrexit, & comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus uſque ad montem Dei Horeb, quod interpretatur menſa, ideſt, uſque ad paradiſum, ubi comeditur panis gloriæ. *Inf.* 4. Beatus, qui manducabit hunc panem in gloria. *Pſal.* 77. Panem Angelorum manducavit homo. Quemlibet iſtorum docet nos petere Dominus. Dicamus ergo de primo.

a Panem] i. præſentis vitæ neceſſitatem, non ſuperfluitatem, non voluptatem.

b Noſtrum] noſtro labore acquiſitum, & nobis utiliter comedendum, quem nemo noſtrum ſibi appropriat ſicut veri monachi Chriſti.

c Da nobis,] qui etiam per nos habere non poſſumus.

d Hodie,] ut diſcrete utamur, ad laborem paſcamur, & ſollicitudo de craſtino tollatur. *Eccleſ.* 33. Panis, & diſciplina, & opus ſervo. *Auguſtin.* Satis conſtat eſſe mendicum, quem quotidie neceſſe eſt panem ſuum mendicare, dicendo, Panem noſtrum da nobis hodiæ. *Chryſoſtomus*: Non pro divitiis, nec pro pretioſitate veſtimenti juſſit nos orare Dominus, ſed pro pane tantum, non pro laſcivia. Unde patet, quod nihil debet quæri in oratione, niſi quod neceſſe eſt ad ſalutem. Item de ſecundo.

a Panem] ideſt ſacram Scripturam.

b Noſtrum] ideſt pro nobis editum, a nobis intellectum, a nobis impletum, i. noſtrum per intelligentiam, per amorem, per operationem.

c Da nobis] ideſt, omnibus ſine acceptione perſonarum.

d Hodie,] i. manifeſte, & lucide ad intelligendum. *Sap.* 6. Quid eſt ſapientia, & quemadmodum facta ſit, referam, & non abſcondam a vobis Sacramenta Dei, ſed ab initio nativitatis inveſtigabo, & ponam in lucem ſcientiam illius, &c. Item de tertio.

a Panem] ſacramentalem, ideſt Euchariſtiam.

b Noſtrum] nobis datum in nativitate. *Iſa.* 9. Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Pro nobis oblatum in paſſione. *Iſa.* 53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit [noſtrum] ut ſimus adinvicem uniti per amorem, & ipſi per fidem.

c Da nobis] ſic omnis.

d Hodie,] ut in die gratiæ ſumamus illum, non in nocte peccati. 1. *Corinth.* 11. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, &c. Item de quarto.

a Panem] gratiæ.

b Noſtrum] nobis oblatum. *Apoc.* 3. Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, &c. *Jo.* 7. In noviſſimo die magno feſtivitatis ſtabat Jeſus, & clamabat, dicens: ſi quis ſitit, venit ad me, & bibat. Idem eſt aqua, quod panis, ſcil. gratia. Panis, quia confirmat, aqua, quia lavat, & refrigerat.

c Da nobis hodæ,] i. in vita præſenti, quia qui non habet hodæ, i. in præſenti gratiam, non habebit cras, i. in futuro gloriam. *Pſ.* 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. *Infra* 19. Habenti dabitur, & abundabit. Habet gratiam dabitur gloria, alii non. *Matt.* 22. Intravit Rex, ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, &c. De quinto.

a Panem] obedientiæ. *b* Noſtrum] quia noſtrum eſt obedire, Dei autem præcipere, unde & præceptor appellatur. *Supra quinto.* *c* Da nobis hodie,] *Auguſtin.* Domine, da, quod jubes, & jube, quod vis. Quilibet illorum panum dicitur quotidianus, quia quotidie

* neceſſarius

✠ Ideo ſequitur. a Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis.] Sed quia hoſtis ſemper infeſtat, cui non poſſumus ſine Deo adjuvante reſiſtere. Ideo ſequitur:
d Et ne nos inducas in tentationem,] i. induci non permittas, i. ita juves nos, ut non inducamur. Et non tantum hoc facias nobis, Sed libera nos a malo, i. a Diabolo, a peccato, a mundo, a purgatorio, ab inferno. Amen, i. vere, vel fideliter. Vere quoad intellectum; fideliter quoad effectum. Ideo autem Dominus in fine poſuit Amen, quia hæc oratio potiſſime ex intellectu, & affectu dicenda eſt. Lucas vero, ſicut prædictum eſt, hanc ultimam petitionem non poſuit, quia ſub præcedenti repoſuit, ut dicit *Beda*: Per hoc enim unuſquiſque ſe a malo liberari intelligit, quod non inducitur in tentationem. Secundum *Bedam in Gl.* Iſtæ petitiones diſtinguuntur hoc modo. Tres primæ pertinent ad Eccleſiam triumphantem, quatuor ſequentes ad Eccleſiam militantem. Quatuor enim eorum, quæ in oratione Dominica petuntur, petit ſibi Eccleſia fieri in via, dum militat. Tria petit ſibi fieri in patria ubi triumphat. Et licet tempore præcedant, quæ ſunt in via: Matthæus tamen præpoſuit petitiones, quæ implentur in patria, quia bona in patria potiora ſunt bonis viæ. Et eſt prima petitionum pertinentium ad Eccleſiam triumphantem: [Sanctificetur nomen tuum.] Et expone ſicut prius. [Panem noſtrum quotidianum.] Hæc eſt prima petitionum pertinentium ad Eccleſiam militantem. Et intelligitur de pane ad ſuſtentationem vitæ neceſſario, & de viatico. Unde hoc ſecundum, quod etiam prædictum eſt, poteſt eſſe, imo eſt communis utrique, ſcil. viæ, & patriæ, licet *Beda* hoc non dicat. Quæritur hic, cur petitiones pertinentes ad patriam comprehenſæ ſub ternario? Reſp. quia ſumma beatitudinis in patria eſt Trinitatis viſio, ſive perfruitio. Item cur pertinentes ad viam ſub quaternario? Quia forma quadrata, i. ſtabilitas neceſſaria eſt in hujus vitæ lubricu.

Et a dimitte nobis peccata b noſtra, c ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis. Et d ne nos inducas in tentationem.

Secundum Chryſ.

✠ Cum enim ignores, ſi vives cras, qua de cauſa ita ſollicitus es? Accinctos, & allatos non vult eſſe, tantum naturæ ſatisfacientes, non luxuriæ, vel avaritiæ.
a Et dimitte nobis, &c.] Cum qua ſpe orat, qui inimicitiam ſervat, etiam adverſus ſedentem? *Eccl.* 28. Homo homini ſervat iram, & a Deo quærit medelam. Si ergo qui læſus eſt, fruſtra orat, niſi indulſerit, quomodo putas orat, qui per injuſtitiam alios lædit, & gravat? Sed multi nolentes dare veniam peccantibus in ſe, fugiunt hanc orationem. Stulti primum, quia non ſic orant, ut docuit Chriſtus, nec ſunt Chriſti diſcipuli. Secundo, quia nec pater exaudit orationem, quam alius non dictavit. Cognoſcit enim pater filii ſui ſenſum, & verba non ſuſcipit, quæ uſurpatio humana excogitavit, ſed quæ ſapientia Chriſti expoſuit, Non dicit, ſicut & nos dimittemus, ſed dimittimus, ut prius dimittamus, & poſtea petamus dimiſſionem. Rememorat hic Dominus peccatorem, ut humiliet, jubet remittere, ut conſcientiam purget, promittit veniam, ut ſtatuat in ſpe: Te facit Dominum ſuum, ſicut decreveris inquit de eo, & ego de te decernam, tu conſervo dimittis, ego ſervo, tu obnoxius peccato, ego ſine peccato. Sed dicis, injuſte paſſus ſum, hæc ſunt peccata. Si enim juſte, peccata non ſunt, & tu talium venis accipere remiſſionem? Poterat quidem Deus ſine hoc dimittere, ſed vult falſitatem noſtram repellere, & philantropiæ occaſiones ſtudet dare. d Et ne nos inducas in tentationem.] Quia multa magnifica ſupra poſuit, nunc addit humilitatis doctrinam, ut dum dicunt: Et ne nos inducas in tentationem,] cognoſcant ſe eſſe infirmos, & cognitio infirmitatis gloriationis cauſam extinguat. Duo ergo petimus, ut non inducat in tentationem, & ut inductos nos liberet de periculo tentationis. Nam ſi ſecundum veritatem juſtitiæ homines examinaret, nullus poſſet fieri ſalvus, ideo difficile tentat, & tamdiu tentat, donec nos vincamus tentationem. Sed quamdiu nos velle vincere oſtendimus, non virtutem noſtram tentat, ſed voluntatem. 1. *Cor.* 10. Fidelis Deus, &c. Volens autem glorificare hominem, tentat eum, non ut cum magno judicio glorificet, ſed ſine cauſa glorificet, docet humiliter renuere agones, non inſilire. Libera nos, a pernicioſo. Pernicioſum diabolum vocat, jubens nos ad ipſum implacabile habere prælium, & monſtrans, quod natura talis eſt, ſed propter abundantiam malitiæ ſic vocatur, & quia a nobis nihil paſſus nos perſequitur. Et non dixit, a malis libera nos, ſed a malo, ut non odiamus proximos, cum ab ipſis mala paſſi fuerimus, ſed ab illis ad iſtum tranſponamus inimicitias, ſicut ad cauſam malorum. Tuum enim eſt regnum, & virtus, & gloria. Hic eſt textus. *Chryſ.* In utroque regno ad tres primas petitiones pertinent hæc tria. Ac ſi dicat quis: Non habet Deus regnum in terra? Reſpondet: Tuum eſt regnum. Non poteſt Deus facere in terris, quod oratis: Fiat voluntas tua? Reſpondet, tua eſt virtus. Item Dei gloria eſt, ſi dimittentibus dimittat.

Moraliter.

* neceſſarius. Et quanto plus comeditur, tanto amplius eſuritur. *Eccl.* 24. Qui edunt me, adhuc eſurient, &c. Sequitur. a Et dimitte nobis] ut liberi redeamus ad patriam, & expediti.
b Peccata noſtra,] ſeu debita noſtra, ſecundum Matthæum. Peccata ſiquidem dicuntur debita, quia peccantes faciunt debitores, Unde *Pſalm.* 36. Mutuabitur peccator, & non ſolvet, quia non habet unde. Hæc ſunt enim debita, quibus obligata erat mulier Sunamitis. 4. *Reg.* 4. Nec habuit, unde ſolveret, volebat filios ſuos vendere, ſed Eliſæus, ideſt, Chriſtus dedit oleum gratiæ, unde ſolvit, miſericordiam in alios faciendo. *Eccleſ.* 28. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur. *Pſ.* 71. Ex uſuris quas requirit diabolus ex hoc debito, & iniquitate, ecce ſors, redimet Dominus animas eorum, & poſtea honorabile erit nomen eorum coram illo. 1. *Reg.* 22. Convenerant ad David omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, &c.
c Siquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis.] *Auguſt.* ... Aliter nullus totius orationis eſt fructus, *ſup.* 6. Dimittite, & dimittemini: Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. *Eccleſ.* 28. Homo homini, &c. quaſi dicat, inconveniens eſt hoc. *Matth.* 18. Serve nequam, &c. *Auguſt.* Nulla alia oratione ſic oramus, quaſi paſcamur cum Domino. Et bene poſt cibum petitur venia peccatorum, quia in cibo de facili peccatur. Unde *Job* 1. Cum tranſiſſent in orbem dies convivii, mittebat Job ad illos, & ſanctificabat eos, conſurgenſque diluculo offerebat holocauſta per ſingulos, dicens: Ne forte peccaverint filii mei. Ubi dicit *Gregorius in Moralibus*: Corpus dum refectione reſolvitur, animus ad inane gaudium relaxatur.

De facili peccatur in pane.

Peccatur autem de facili in pane materiali, abuſu, voluptate, tenacitate, prodigalitate, nimia ſaturitate. *Ezechiel.* 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, otium, &c. In doctrinali peccatur de facili, negligentia, curioſitate, tenacitate, otioſitate. *Proverb.* 11. Qui abſcondit frumenta maledicetur in populis. *Eccleſ.* 26. Difficile exuitur negotians a negligentia ſua, & non juſtificabitur caupo a peccatis labiorum. In ſacramentali peccatur, irreverentia, indignitate, & infidelitate. 1. *Cor.* 11. Qui manducat indigne, &c. In omnibus peccatur ingratitudine. *Eccleſ.* 29. Paſcit Dominus ſcilic. & potabit ingratos, & adhuc amara audiet. *Hier.* Quaſi Dominus petat ſymbolum de pane, orandum eſt, dimitte nobis. Sequitur.
d Et ne nos inducas in tentationem,] i. non permittas nos in tentatione ſuperari, ſine qua nullus probatus eſt. *Pſal.* 25. Proba me Deus, & tenta me. *Eccleſiaſt.* 3. Qui non eſt tentatus, pauca recognoſcit. Sed libera nos a malo, *Auguſt.* In mala, quæ nondum ſunt, non permittas nos induci, & ab eis, in quibus ſumus inducti, libera nos. *Pſalm.* 68. Eripe me de luto, ideſt, peccatu tenaci, & vili, ut non infigar per conſuetudinem, & obſtinationem. Amen, *Hier.* Hoc eſt ſignaculum orationis, i. vere fideliter. Tres primæ petitiones ſine conjunctione ponuntur, quatuor ultimæ ſunt conjunctæ. Quare hoc? Quia tres primæ pertinent ad ſtatum, ubi Trinitas erit omnia in omnibus, veritas in rationabili, ſecuritas in iraſcibili, ſuavitas in concupiſcibili. Quatuor ultimæ pertinent ad ſtatum viæ, ubi multis ſimul indigemus, *ſupra* 10. Martha, Martha, ſollicita es, &c. Item via lubrica eſt, ideo firmitas conjunctionis, & ſocietatis neceſſaria eſt. *Eccl.* 4. Melius eſt duos eſſe ſimul, quam unum, &c. In patria vero nihil eſt, & ideo non eſt ibi neceſſaria conjunctio. Sequitur.

Et *a* ait ad illos: *b* Quis vestrum *c* habebit amicum, *d* & ibit ad illum *e* media nocte, *f* & dicet illi: Amice, *g* commoda mihi *h* tres panes, *i* quoniam *k* amicus meus *l* venit de via ad me, & *m* non habeo, quod ponam ante illum. Et *n* ille deintus *o* respondens, dicat: Noli mihi molestus esse, jam *p* ostium clausum est, *q* & pueri mei *r* mecum sunt in cubili, *f* non possum surgere, & dare tibi. Et *t* ille si perseveraverit pulsans, *u* dico vobis, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, *x* propter improbitatem tamen ejus *y* surget, *z* & dabit illi, quotquot habet necessarios. Et *a* ego dico vobis:

Secunda pars.

a Et ait ad illos: Qui vestrum, &c.] Secunda pars, postquam discipulis tradidit formam orandi, subsequenter in hac parte instruit eos de instantia, & frequentia orandi, scil. ut non sit momentanea oratio, per simile pulsantis ad ostium amici: qui importune pulsat, & per instantiam impetrat, quia multo magis impetrat aliquis a Deo, si perseveranter petat ab eo. Dicit ergo.

b Quis vestrum] Et legitur hoc interrogative. Sed *Interl.* vult, ut legatur remissive. [Quis] idest, si quis, vel aliquis. *c* Habebit amicum, & ibit ad illum media nocte,] quando jam omnes dormiunt, & volunt quiescere. Hoc dicit ad innuendum, quod qui tali hora dat, paratus est dare semper.

f Et dicet illi, amice, commoda mihi tres panes,] non tantum unum.

i Quoniam, &c.] Litteralis sensus satis patet.

Mystice.

Mystice. *b* Quis vestrum, &c.] Amicus dicitur quasi animi custos. Hic custos est Christus, qui solus animum custodit & suum, & nostrum. *Ps.* 126. Nisi Dominus custodierit civitatem, &c. *Prov.* 17. Amicus est, qui omni tempore diligit. *Eccl.* 9. Amicus fidelis protectio fortis, qui invenit illum, invenit thesaurum. Quid mirum? Quia in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi. *Col.* 2. Ideo sequitur in *Eccl.* Fideli amico nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus enim fidelis est medicamentum vitæ, & immortalitatis. De quo amico dicitur hic: [Quis vestrum habebit amicum] q. d. pauci sunt, qui habeant hunc amicum. Quare? Quis pauper est. *Prov.* 19. Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici ejus recesserunt ab eo. Et dicit [Habebit] non habet, in quo notatur longitudo amoris, quia non cito rumpitur amor ejus ea parte illius. Unde *B. Dionys.* Benignissimus Jesus primus est in adventu, ultimus in recessu.

d Et ibit ad illum] mente, & desiderio.

e Media nocte,] i. in profundo adversitatis. *Isa.* 26. Anima mea desideravit in nocte. *Osee* 6. In tribulatione sua mane consurgent ad me, &c.

f Et dicet illi, amice,] qui amas prius, quam ameris. 1. *Jo.* 4. In hoc est charitas Dei, non quia nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos.

g Commoda mihi] ad usuram.

h Tres panes,] *Gl.* Intelligentiam sanctæ Trinitatis. Vel [tres panes] scilic. fidem, spem, & charitatem, quibus pascitur tota anima. Nam fide rationabilis, spe irascibilis, charitate pascitur concupiscibilis. De his tribus panibus dicitur 1. *Reg.* 10. Cum veneris ad quercum Thabor, invenient te tres viri ascendentes ad Deum in Bethel. Unus portans tres hedus, alius portans tres tortas panis, alius portans lagenam vini. Item tres panes vocat tres gratias, scil. gratiam operantem, cooperantem, consummantem, sive perseverantem. Item tres panes sunt rationis discretio, voluntatis rectitudo, corporis fortitudo, quos Dominus commodat ad usuram, quam inde vult habere, scil. opera bona, vel animas ipsorum, quibus commodat.

k Quoniam amicus meus,] i. cor, sive animus meus.

l Venit de via ad me.] Animus noster de via, idest, de invio venit ad nos, quia toties deviat, quoties temporalium amore involvitur, nec ad cœlestia anhelat, & sic exorbitat. Ad nos autem venit, cum ad supernorum meditationem recordari, & cœlesti cibo satiari quærit. Cui debemus tunc offerre tres panes, idest ad fidem Trinitatis ipsum dirigere, & hos a Deo debemus petere. Dicit ergo. *k* Amicus meus venit ad me de via,] hujus sæculi, in qua evagatur quasi fugitivus, hic, atque illuc curiose discurrens. *Psal.* 39. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me. *Matth.* 6. Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Ergo in multis locis. *Osee* 10. Divisum est cor eorum, nunc interibunt. Hujus autem evagationis causa est cupiditas, vel curiositas. Cupiditas trahit cor per diversa desideria. *Prov.* 21. Desideria occidunt pigrum, noluerunt enim quicquam manus ejus operari, &c. Curiositas trahit per varias cogitationes. *Job* 17. Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum. Hunc amicum errabundum reducit ad domum aliquando Spiritus sanctus. *Gen.* 37. Missus Joseph de valle Hebron, venit in Sichem, & invenit eum vir, idest Spiritus sanctus errantem in agro. Aliquando tribulatio reducit eum. *Osee* 2. Sepiam vias tuas spinis, &c. Et *inf.* Vadam, & revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis, quam nunc. Aliquando inedia, *Inf.* 15. Facta est fames valida, &c. Et *infra.* Surgam, & vadam ad patrem meum.

m Et non habeo, quod ponam ante illum,] scil. epulas consolationum, aut virtutum, quas libenter comedit cor humanum, quas nequaquam potest habere, nisi ab alio dentur ei.

n Et ille deintus,] idest, Christus, qui modo deintus est, & nos desuris, sed in futuro exibit ad nos, ut nos introducat secum ad nuptias.

o Respondens dicat, noli mihi molestus esse,] i. tuis precibus non debeo de cetero inquietari, quia tardæ sunt.

p Jam ostium clausum est.] Ostium, scilicet gloriæ. *Matth.* 5. Media nocte venit sponsus, & quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua. Vel ostium, i. intelligentia verbi divini, quod Paulus sibi rogavit aperiri. *Col.* 4. Orate pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Joannes vero vidit hoc ostium sibi apertum in cœlo. *Apoc.* 4. Vidi, & ecce ostium apertum in cœlo, & vox prima, quam audivi, quasi tubæ loquentis mecum, dicens: Ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet cito fieri, non tantum dici. Item ostium, idest, Christus. *Jo.* 10. Ego sum ostium. Hoc triplex ostium clauditur peccatoribus, dum in peccato sunt, sed aperitur eisdem, cum per pœnitentiam revertuntur.

q Et pueri mei,] i. omnes humiles puritatem vitæ servantes. Vel [Pueri] i. prædicatores.

r Mecum sunt in cubili] quietis æternæ. Vel, idest, in quiete æternæ beatitudinis, quidam spe, quidam re. *Isa.* 8. Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus, &c.

f Non possum surgere, & dare tibi,] i. non debeo ex meritis tuis. Et hoc dicit Dominus, ut præsumptio tollatur, & desiderium amplius accendatur, quia facilitas veniæ incentivum est delinquendi, & quia, quod majori labore acquiritur, plus amatur.

t Et ille si perseveraverit pulsans] precibus, non pudore territus, nec tædio fatigatus.

u Dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit] amans etiam non amatus. Christus enim non amantes amat, quia semper amat. *Prov.* 17. Omni tempore diligit, qui amicus est.

x Propter improbitatem tamen ejus,] i. instantiam, & ardorem.

y Surget] de misericordia ad miserationem.

z Et dabit illi, quotquot habet necessarios] panes, quia Dominus dat ad necessitatem, non ad voluptatem, vel superfluitatem sua dona. [Et dabit illi,] *Glos.* Vel per se inspirando, vel prædicatorem mittendo. Hic aperte ostendit Dominus, quod tantum debet homo instare orationi, ut impetret apud Deum, quod petit, & quod impetrabit, si instet. *Isa.* 62. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Jerusalem laudem in terra. 2. *Paral.* 15. Si quæsieritis Dominum, invenietis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. *Jer.* 29. Ibitis, & adorabitis me, & exaudiam vos, quæretis me, & invenietis me, cum quæsieritis me in toto corde vestro. *Isa.* 30. Ad vocem clamoris tui, ut audierit, respondebit tibi, &c. *Gl.* Sit digna audiri. *Isa.* 65. Eritque antequam clament, ego exaudiam, &c.

a Et ego dico vobis] discipulis meis.

a Petite] bonum

a Petite] bonum temporis in solatium, bonum virtutis in meritum, bonum æternitatis in præmium. Chrys. Amavit Dominus cetera, non hominem, ut virtus ejus sit ipse, & necessitate coactus roget. b Et dabitur vobis, Jo. 16. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. c Quærite,]

Matth. 7. Joan. 16. Jac. 1.

> a Petite, & b dabitur vobis, c quærite, d & invenietis, e pulsate, f & aperietur vobis. Omnis enim, g qui h petit, i accipit k & qui quærit, l invenit, & m pulsanti n aperietur. o Quis p autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? q Aut r piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum, numquid porri-

viam, veritatem, & vitam. Jo. 14. Ego sum via, veritas, & vita. d Et invenietis] Isa. 55. Quærite Dominum, dum inveniri potest. e Pulsate] ad ostium misericordiæ, intelligentiæ, gloriæ, quod est Christus. Joan. 10. Ego sum ostium. f Et aperietur vobis] perseverantibus, Matt. 10. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Item, [Petite] veniam. [Quærite] gratiam. [Pulsate] ad gloriam. Zachar. 10. Petite pluviam a Domino in tempore serotino, & Dominus faciet nives, & pluvias imbris, & dabit singulis herbam in agro. Nix extinguit malas herbas, ecce venia, quæ petitur. Pluvia terram fecundat, ecce gratia, quæ quæritur. Herba in agro est gloria in cœlo, ad quam pulsatur. Item [Petite] sapientiam ad intelligendum. Jac. 1. Si quis vestrum indiget sapientia, &c. [Quærite] gratiam ad operandum. Psal. 68. Quærite Dominum, & vivet anima vestra, vita gratiæ: [Pulsate] januam cœli ad ingrediendum. Isa. 26. Aperite portas, & ingredietur gens justa. Item, [Petite] intelligentiam veritatis. Phil. 4. Petitiones vestræ innotescant apud Deum. [Quærite] ubi sit, i. in qua facultate, in quo libro, in qua auctoritate: Et ea inventa, [Pulsate] studendo, orando, interrogando. Col. 3. Si consurrexistis cum Christo, &c. Item. a Petite] incipientes [Quærite] proficientes [Pulsate] perfecti. Item [Petite] conjugati. Esther 5. Quæ est petitio tua Esther? [Quærite] continentes. Judith 9. Subveni, quæso, Domine Deus meus, mihi viduæ. [Pulsate] virgines, & martyres, quia inter virginitatem, martyrium, & ingressum, nihil est medium. Item Glos. a Petite] orando. Quærite operando. Pulsate perseverando. Eph. ult. Orantes omni tempore, &c. Quodlibet tamen istorum cuilibet potest adaptari, Item petite orando, quærite jejunando, pulsate eleemosynas faciendo. g Omnis enim] ecce largitas Dei, qui dat omnibus affluenter. Jac. 1. Chrys. Omnis, non dicit justus tantum. h Qui petit] perseveranter, pro se, ad salutem. Pie, cum fidei professione. Perseveranter, i. instanter horis, & temporibus constitutis, & nihil contrarium suæ petitioni faciendo. Pro se, digno. Ad salutem, i. illud, quod juvat ad salutem æternam consequendam, ut sunt virtutes. Temporalia enim magis aliquando nocent. Chrys. Si temporalia petas, quomodo ille libenter præstat, quæ etiamsi habeas, præcipit, ut contemnas? Hæ autem quatuor differentiæ, orationis effectum operantur, & sumuntur. Jo. 15. Si manseritis in me, per fidem, spem, & charitatem, quod est pie, & verba mea in vobis manserint, per rectam intelligentiam, quod iterum pertinet ad pietatem, quicquid petieritis, ubi notatur perseverantia propter modum, & tempus, in nomine meo, i. ad rem nominis mei, ecce ad salutem, fiet vobis? ecce pro se. Dialyticum enim est, i. quicquid petieritis vobis, fiet vobis. Bene ergo dicit: [Omnis enim qui petit] hoc modo,

i Accipit] illud, vel æquivalens. Ergo si non accipit constat, quod non bene petit. Jac. 4. Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis. Nota, quod petit aliquando bonus bonum bene, ut Christus inf. 23. Pater, ignosce illis. Aliquando malus malum male, ut Balaam, qui mente petiit maledicere populo Israel. Nu. 23. Aliquando bonus malum bene, ut Paulus petiit amotionem stimuli. 2. Cor. 12. Aliquando malus bonum male, ut Satan, qui petiit, ut tentaret. Job 1. Item nota, ut supra dixerat: Petite, & dabitur vobis in futuro, scil. modo dicit: Omnis, qui petit, accipit in præsenti, scil. quia hoc ipsum, quod petit, donum est. Rom. 8. Spiritus postulat pro nobis, i. facit nos postulare. Item in ipsa petitione, dum fit, est quædam petentis jucunditas, & fiducia, sicut in operatione bona. Unde Ps. 18. In custodiendis illis retributio multa. Gl. Quia non tantum in futuro pro illis reddetur præmium, sed etiam hic in eorum custodia est magnum gaudium, & hæc est arra habendi præmium. Bene ergo dicit: Accipit, q. d. vere petenti dabitur præmium in futuro, quia, g Omnis, qui] pie [petit, accipit] arram in præsenti. k Et qui quærit] diligenter, sapienter, perseveranter. l Invenit] lætanter, patienter, utiliter, quæ quæsivit. Sed contra Cant. 3. Quæsivi, & non inveni illum. Item Osee 5. Vadens ad quærendum Dominum, & non invenient. Item Jo. 7. Quæretis me, & non invenietis. Sol. Sponsa incaute quæsivit, quando non debuit, i. nocte, & ideo non invenit. In Osea ubi non debuit, i. in armentis, & ideo non invenit. In Joan. qualis non debuit, quia in immundo, & malitioso, & ideo non invenit. m Et pulsanti] fortiter, desideranter, perseveranter. n Aperietur] feliciter. Et non dicit, aperiatur, quia manifestatio præmii in futurum servatur. Et nota, quod cum dicitur: Petite, quærite, pulsate, non determinat, quid, vel ad quid, ad significandum, quod illud, quod petitur, & quæritur, & ad quod habendum pulsatur, innominabile est. Isa. 64. Oculus non vidit, Deus, absque te, &c. Gloss. sup. Matth. Petimus fide per eam ad Christum euntes, quærimus spe qua attingimus usque ad interiora, pulsamus charitate, dum laboribus insudamus, ut quod petimus, & quærimus, consequamur. Primum petere debes, ut habeas, post quærere, ut invenias; inventa observare, ut introeas. Aug. super Matt. 7. dicit, quod hæc tria verba, petite, quærite, pulsate, ad instantissimam petitionem referuntur. Verum dicit. Sed non excludit, quin ad aliud referantur. Seq. o Quis autem, &c.] Aug. explanat quid petendum sit, & a quo. Quid? Piscis ovum, panis, i. fides, spes, charitas. A quo? A patre, qui libenter dat filiis, quicquid habet. Notandum ergo, quod supra docuit Dominus, quibus verbis, & quomodo sit orandum, addit etiam pro quibus sit orandum, scil. pro quatuor pertinentibus ad viam, & pro tribus pertinentibus ad patriam: Adhuc de eodem hic repetit, ut plenius & perfectius nos illuminat, pro quibus bonis sit orandum. Nam bonorum alia sunt bona temporalia, alia bona æterna, Item bonorum temporalium alia dicuntur bona temporum, alia bona in tempore. Bona temporum dicuntur, quæ secundum decursus temporum nobis ministrantur, ut fructus terræ. Et hæc dicuntur bona non nostra, quia non faciunt nos bonos, nec proprie sunt nostra, cum sint bestiis, & avibus communia. Hæc tamen possunt peti ad sustentationem, aliter enim non peteret Ecclesia pro fructibus terræ, & serenitate aeris, & hujusmodi, Bona in tempore dicuntur, ut per ea perveniamus ad bravium, quod erit sine tempore, ut virtutes. Et hæc proprie dicuntur bona nostra, quia faciunt bonos. Orandum est ergo pro bonis æternis, pro bonis temporum, pro bonis in tempore, nec non pro remotione malorum. Bona æterna dantur in præmium, bona temporum in solatium, bona in tempore in meritum. In oratione autem Dominica docuit esse orandum pro bonis æternis, scil. pro tribus pertinentibus ad patriam. Docuit & orandum esse pro bonis temporum, & pro remotione mali. Unde patet sermonem illum non solum perfectis esse propositum, qui petunt sola bona æterna. Quod ergo minus ibi docuerat, hic supplet, scil. orare pro bonis in tempore, i. pro virtutibus, & specialiter pro tribus, scilic. charitate, fide, spe. Per panem intelligitur charitas, quia facit fortem. Psal. 103. Panis cor hominis confirmat. Cant. 8. Fortis est, ut mors dilectio. Item sine pane omnis mensa inops est, ita sine charitate omnis virtus vacua. 1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar, &c. Per lapidem significatur cordis duritia, quæ contraria est charitati, vel odium, quod cor hominis indurat, & inexorabile reddit.

Expositio Litteræ.

Patet ergo, quod hic dicitur. o Quis,] i. si quis. p Autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi?] q. d. non. Littera satis patet, & mysterium ex prædictis. q Aut] si quis petit. r Piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem?] q. d. non. Et est hic argumentum a minori. Si a patre carnali petatis aliqoid, non dabit vobis contrarium, nec patiemini repulsam. Ergo si a patre cœlesti aliquid pie petatis, non patiemini repulsam.

Moraliter.

Moraliter. Sunt etiam ova pestifera, mala exempla majorum. Isa. 59. Ova aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt, & qui comederit de ovis eorum morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum.

O a Si ergo

bile reddit ad injurias dimittendas. *Jerem.* 50. Tollite de via lapides, idest, de corde peccata, quæ ipsum cor faciunt lapideum. *Ezech.* 11. Auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis carneum. *Matth.* 3. Potens est Deus, &c. Per piscem significatur fides. Primum, quia piscis nutritur, & generatur in aquis, & fides datur in aqua Baptismi, & nutritur in aquis doctrinæ; Item piscis in aquis latet, & fides in Scripturis. Item piscis trahitur de locis visibilibus, & fides est de invisibilibus. *Heb.* 11. Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Item piscis non frangitur fluctibus, vel motibus aquæ, nec fides tribulationibus. 1. *Jo.* 4. Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra. *Heb.* 11. Alii ludibria, & verbera, &c. Item piscis est pulmentum, & fides opera condit, ut placeant. *Heb.* 11. Sine fide impossibile est placere Deo. *Joan.* 21. Pueri nunquid pulmentarium habetis? Item piscis, antequam comedatur, exquamatur, & fides ante cœli convivium exquamabitur, quia obscuritatem, & ænigma deponet, & remanebit visio sola. 1. *Cor.* 13. Cum venerit, quod perfectum est, &c. *Beda* Sicut piscis sub tegmento aquarum nascitur, vivit, & alitur, ita fides, quæ est in Deum, scil. qua creditur in Deum, scil. fides Christiani, non Judæi, vel gentilis, invisibiliter in corde gignitur, invisibili gratia Spir. Sancti, per aquam Baptismi consecratur, invisibili auxilio divinæ protectionis, ne deficiat, nutritur, idest, roboratur, invisibilium præmiorum intuitu operatur. Per serpentem venenosum significatur infidelitas, quam pro fide prædicabit Antichristus. Unde dabit pro pisce serpentem, ideo quærit Dominus. Nunquid pro pisce serpentem dabit? q. d. non, sed Antichristus. Et multi recipiunt serpentem, qui nolunt recipere piscem. 2. *Thess.* 2. Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant, &c. Per ovum spes intelligitur, quia in ovo nondum est fœtus perfectus, sed spes fœtus, nam fovendo speratur, sic spes non de habitis est, sed de habendis. Per scorpionem, desperatio, quæ a cauda pungit, i. retro aspicere facit ad petenda temporalia. Præmittitur autem hic charitas fidei, & spei, cum in Apostolo fides utrique præponatur. Vide tamen, quia non sibi obloquitur veritas evangelica, & doctrina apostolica, Fides in Apostolo præmittitur, quia est fundamentum, charitas in Evangelio, quia mater est aliarum.

Ezech 16. — *al.* † *cœlesti.* — *al.* † *Jesus.* — *Matth.* 9. & 12.

get illi scorpionem? *a* Si ergo vos cum sitis mali, *b* nostis bona data *c* dare filiis vestris, quanto magis pater vester † de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se. Et *d* erat † *e* ejiciens dæmonium, *f* & illud erat mutum, *g* & cum ejecisset dæmonium, *h* locutus est mutus, & *i* admiratæ sunt turbæ. k Quidam autem ex eis dixerunt: In *l* Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

Moraliter. O *a* Si ergo, &c.] *Beda*: Malos vocat sæculi amatores, qui revera mali sunt duplici malitia, idest, pœnæ & culpæ. Prima mali sunt, quia soliciti de acquirendo, de custodiendo, de non amittendo. *Matt.* 6. Sufficit diei malitia sua. *Gen.* 47. Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt parvi, & mali. Secunda mali sunt, quia vel male acquirunt, vel male expendunt, vel male retinent. *Eccl.* 11. Si dives fueris, non eris immundus a delicto. *Aug.* Omnis dives, aut iniquus, aut hæres iniqui. *Jac.* 4. Quicumque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituetur. Isti bona temporalia judicant bona, quæ licet plus debito ament, & dando minus habeant, tamen dant filiis suis, quia amant eos. Ergo multo fortius pater cœlestis, qui omnia bona habet, & dando non minus habet, nec nimis diligit ea, dabit ea filiis suis, quos verius diligit, quam pater carnalis, & hoc est: [si ergo vos cum sitis mali,] Item malos vocat Apostolos, qui licet boni erant in se, & aliis hominibus meliores, tamen respectu divinæ bonitatis sunt mali. *Job* 25. Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, idest, in comparatione, quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis. *Infr.* 18. Nemo bonus, nisi solus Deus. *Is.* 64. Facti sumus, ut immundus omnes nos, omnes justitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ. *Greg.* Sæpe justitia nostra ad examen divinæ justitiæ deducta, injustitia est, & sordet in districtione judicis, quod in oculis fulget operantis. Isti similiter dant bona, sibi data, seu spiritualia, seu temporalia, ergo multo fortius dabit Dominus, cum a nullo accipiat, sed omnes ab illo. Unde omnes dant non sua, solus Deus dat sua. *a* Si ergo vos cum sitis, &c.] Loquitur aliquibus, qui admisti erant discipulis, vel etiam ipsis Apostolis, sicut expositum est.

b Nostis bona data,] idest, vobis ad usum data, nec proprie vestra.

c Dare filiis vestris, quanto magis pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se] idest, Spir. Sanctum, qui est plenitudo, & fons omnium bonorum. *Ps.* 103. Emitte spiritum tuum, &c. Et alibi *Psal.* 50. Spir. Sanctum tuum ne auferas a me, q. d. Dominus, si isti dant, longe magis ille dabit. Et nota, quia *Matth.* 7. dicit: Dabit bona petentibus se: In quo ostendit Spir. Sanctum esse plenitudinem bonorum omnium. Lucas ait: Dabit spiritum bonum, ostendens, per quem bona dantur.

Quarta pars. *d* Et erat, &c.] Hæc est quarta pars cap. in qua post prædicationem adjungit miraculorum operationem, ut qui non credunt verbis, credant miraculis. Nam ut dicit B. *Bern.* Melius movent facta, quam verba. Et *Poeta*: Segnius irritant animum, &c. *Horatius.* Et sicut prædicationem calumniati sunt Pharisæi, sic & operationem. Sed utrobique convincit eos Dominus: Dicit ergo: [Et erat] Continuationem notat præteritum imperfectum.

e Ejiciens dæmonium] ibi coram illis a corporibus obsessorum, quæ intrare animam nunquam possunt, nisi quando permittuntur.

f Et illud erat mutum] *Gloss.* idest, mutos faciens, & cæcum, ut dicit *Matth.* 12. Sed quare hos sensus potius, quam alios impedit diabolus? *Chrys.* Odit nequitia dæmonis alterutrum ingressum, per quem redituros erat, opillavit auditum, & visum, & tertium, idest, linguam ne confiteatur.

g Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus,] Et audivit similiter. Unde tria miracula simul facta sunt in eo. Cæcus vidit, mutus locutus est, & dæmon expulsus est, & dæmoniacus liberatus est.

Mystice. Mystice. Dæmonium est peccatum primo a dæmone inventum, idest, faciens mutum a confessione fidei, & peccati. *Eccl.* 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris, *Eccl.* 17. A mortuo, quasi nihil petit confessio, &c. Hoc dæmonium ejicit Jesus, gratiam infundendo, quæ illuminat, & ora tacentia ad confessionem relaxat, & sic dæmonem effugit. Et hoc est:

g Et cum ejecisset dæmonium,] idest, peccatum.

h Locutus est mutus,] *Is.* 35. Aperta erit lingua mutorum, quia scissæ sunt in deserto aquæ, idest, in peccatore gratiæ, vel lacrymæ. Et nota, loquela data est homini ad laudandum Deum, ad ædificandum proximum, ad accusandum seipsum. Primam loquelam aufert Inautia. *Is.* 1. Cum multiplicaveris orationem, &c. Secundam aufert avaritia, quæ sibi soli intendit. *Matth.* 25. Qui autem unum talentum acceperat, abiens fodit in terram, &c. Tertiam aufert superbia, quæ non vult videri rea in aliquo. *Prov.* 28. Viri mali non cogitant judicium. Ecce triplex dæmonium, quod triplicem aufert loquelam. *Apoc.* 16. Vidi de ore bestiæ, & de ore draconis, & de ore pseudo-prophetarum exire tres immundos spiritus in modum ranarum. *Zach.* 13. Auferam de terra prophetas, & immundum spiritum. Primum dæmonium ejicitur per jejunium. *Marc.* 9. Hoc genus, &c. Secundum per recordationem dominicæ Passionis. *Tob.* 6. Cordis piscis particula, si super carbones ponatur, extricat omne genus dæmoniorum. Tertium expellitur maxime per orationem. 1. *Reg.* 16. Tollebat David citharam, &c. Nota ordinem. Primo ejicitur dæmonium, postea loquitur mutus. *Cant.* 3. Surge Aquilo & veni Auster, perfla hortum meum, &c. Naturaliter omnis mutus, surdus, *Is.* 41. Non est annuncians, & non est prædicans, neque audiens sermones meos. *Is.* 42. Quis surdus, &c. Sequitur:

i Et admiratæ sunt turbæ.] Idest, minores: Illi admirantur facta Domini, & multis fuit causa salutis admiratio. Sed majores blasphemant. Unde sequitur:

k Quidam autem ex eis] i. scribæ, & Pharisæi, qui erant majores synagogæ.

l Dixerunt, in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.] Nota, quod Judæi unius Dei cultores irrisionis causa idolum Sidoniorum, qui erant eis vicini, appellabant Beelzebub, cui, sc. idolo dicebant præsidere principem dæmoniorum, Luciferum, scilicet. Hoc etiam eodem nomine, sc. Beelzebub, dictus est Deus Acharon. Nomina vero omnium idolorum a Belo habuerunt originem. Ninus enim, qui Ninivem condidit, & nomine suo denominavit, patrem

C

Matth. 12. Marc. 3.

Et *a* alii tentantes, *b* signum de cœlo quærebant ab eo. *c* Ipse autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit *d* eis: Omne *e* regnum in seipsum divisum desolabitur, *f* & domus supra domum cadet. Si *g* autem, & Satanas in seipsum divisum est, *h* quomodo stabit regnum ipsius? quia *i* dicitis in Beelzebub ejicere me demonia,

patrem habuit Belum, quem tenerrime diligebat, pro cujus morte valde dolens fecit fieri auream statuam, quæ similitudinem ejus exprimeret, quam in tanta habuit reverentia, ut sui servi fugitivi, vel quilibet facinorosi possent ad eam confugere, nihil amplius timerent; unde statim cœperunt ei thurificare, & divinos honores exhibere, videntes, quia placeret Nino. Ad hujus exemplar ceteri de circumstantibus finibus in honorem patrum suorum cœperunt facere statuas aureas, & eas adorare, & sic pullulavit idololatria. Ante autem idola sortita sunt nomina a Belo, ut esset, quasi unum commune nomen omnium idolorum, sed secundum diversa idiomata, postea variata sunt. Nam Babylonii idolum suum vocabant Beel, alii Baalim, alii Baal, scil. Palæstini, alii, scil. Moabitæ, Beelphegor. Sic enim dicitur idolum tentigiais, idest Priapi. Judæi vero ob derisionem gentilium appellabant idolum Beelzebub, quasi virum muscarum. Baal enim vir, Zebub musca interpretatur, quia muscæ congregabantur super idolum illud propter cruoris fœtorem immolati. Et hoc nomine vocant hic principem dæmoniorum, quasi dicerent, confœderatus, vel familiaris est principi dæmoniorum, & ideo consensu, & auctoritate illius minores dæmones obediunt ei, ut exeant, quando vult. Hoc autem ex sola invidia dicebant, quia contra ipsum ardebant. *Chryſ.* Non quando magna dicebat: sed quando faciebat salutes hominum, tunc institerunt Pharisæi, & ita magis dæmones molestabantur. *Chryſ.* Invidia non quærit, quid dicat, sed solum, ut dicat. Item *Chryſ.* Æmulatione non est malitia alio deterior. Adulter enim in brevi complet peccatum suum, æmulator vero nunquam quiescit. Et *infr.* sicut porcus gurgite, & dæmones jactura nostra, ita hi proximi malis lætantur, alienas calamitates propria gaudia existimantes. Et *infr.* sicut Scarabæi nutriuntur stercore, ita hi aliorum infortuniis. *Job.* 5. Parvulum occidit invidia. Invidia aliena bona non loquitur, ibi muta est, circa mala loquax. Ideo quando hoc Evangelium legitur, cantatur de Joseph venditio ex invidia fratrum, in tertia dominica quadragesimæ. Ex hac Abel innocens occiditur. Ex hac Datan, & Abiron, & Maria contra Moysen insurgunt. Ex hac sunt lites, & bella, quia invidia non patitur alterius præeminentiam. Ex hac fit homo imitator diaboli. Cujus invidia mors intravit in orbem terrarum. *Sap.* 2. Unde tunc legitur epistola ad *Eph.* 5. Imitatores Dei estote, non Diaboli.

a Et alii tentantes,] ad probandum, & decipiendum. *Matth.* 22. Quid me tentatis, hypocritæ. *Pſ.* 94. Tentaverunt me patres vestri, &c.

b Signum de cœlo quærebant ab eo,] sicut tonitruum tempore Samuelis, *Reg.* 7. Aut ignis emissionem tempore Eliæ. 3. *Reg.* 18. 4. *Reg.* 1. *Chryſoſt.* Semper discere, signum est, nunquam posse proficere, sic semper testimonium quærere, signum est, nunquam velle credere. Hoc proprium est Judæorum semper quærere signa a Domino. 1. *Corint.* 1. Judæi signa petunt. Abraham: *Gen.* 15. Gedeon: *Jud.* 6. Unde & Dominus dixit ad Achaz: Pete tibi signum a Domino, &c. *Iſa.* 7. Unde etiam Petrus, quia prævaluit in miraculorum operatione, ad prædicandum Judæis missus est. Paulus vero ad prædicandum gentibus, quia prævaluit in profunditate ingenii, & torrente eloquii. Isti autem, qui petebant hoc signum de cœlo erant Scribæ, & Pharisæi. Nec tamen exhibet eis Dominus hæc signa visibiliter, quia si ea miraculose ostenderet, ipsi tamen depravarent & dicerent, aliunde provenire. Adhuc scribæ nostri, & Pharisæi petunt signa de cœlo, idest, signum sublimitatis volunt habere in se, & in aliis venerantur, signa vero humilitatis, vilitatis, & paupertatis nolunt videre, ad minus in se, quæ tamen sunt proprie signa Christi nobis nati, *Sup.* 2. Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, &c. & hoc vobis signum, &c. Pastores bene crediderunt huic signo, sed multi contradixerunt, & contempserunt, & adhuc faciunt, *ſup.* 2. Ecce hic positus est, &c. *Pſ.* 73. Signa nostra non vidimus, &c. *Matth.* 16. Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ, i. signum humilitatis, & vilitatis, & mortis.

c Ipse autem, ut vidit cogitationes eorum,] Intellige singulas singulorum. Possunt enim homines quasdam hominum cogitationes cognoscere, de quibus agnoscendis Plato librum composuit, sed non singulas singulorum. 1. *Paral. cap.* 28. Omnia corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit. *Eccl.* 42. Abyssum, & cor hominum investigabit. Et *inf.* Non præterit illum omnis cogitatus.

d Dixit eis, omne regnum, &c.]

Syllogismus, quem fecit Dominus contra Judæos.	Omne regnum in se divisum desolabitur.
	Satanas, idest, regnum, in se divisus est.
	Ergo regnum non stabit, conclusio sub interrogatione,

Quidam tentantes quærebant a Domino signum de cælo, idipsum habentes in cordibus, quod & Scribæ, & Pharisæi blasphemantes, idest, in virtute dæmoniorum Dominum ejicere dæmonia mentientes, Dominus autem si diligenter attendere vellent, statim dedit eis signum de cælo, non ad verba eorum, sed ad cogitata respondendo. Ubi enim ostendit se nosse secreta cordis, dat evidens signum deitatis, Solius enim Dei est, renes, & corda scrutari, idest, cogitationes hominum intueri. *Sap.* 1. Cordis scrutator. 1. *Reg.* 16. Deus intuetur cor. Non ergo hic respondet verbis signa quærentium, sed blasphemantium. Quibus obviat dupliciter. Primo utitur indirecta ratione, postea directa, sicut ex ipso textu Evangelii patebit. Et est indirecta ratiocinatio, cum pars adversarii sumpta, & ad inconveniens ducta, falsa esse ostenditur, & sic deinceps ad veritatem reditur. Procedit ergo indirecte hoc modo, ut, Si dicitis in virtute principis dæmonum ejicit alios dæmones, & sic Satanas Satanam ejicit, & si Satanas Satanam ejicit, Satanas a Satana est divisus, & regnum ejus stare non potest, & ita est inconveniens secundum eos. Constat ergo, quod falsum est, quod vos dicitis: constat ergo, quia non ejicio dæmones in virtute diaboli, sed in virtute Spiritus Sancti. Quod autem ex divisione dæmonum sequatur eversio regni eorum, ostendit duplici similitudine, videlicet, quia si principes regni dividantur inter se, regnum patitur dissolutionem, & si domus pugnet contra domum, idest, habitatores unius domus contra habitatores alterius, tota civitas desolatur. Postea directe probat hoc idem. Si exorcistæ vestri, qui inter templi ministros erant minores, quibus, scilicet, majores erant Levitæ, & Sacerdotes in virtute Spiritus Sancti ejiciunt dæmonia, multo magis † ego in virtute Spiritus Sancti. Hoc est, quod dicitur, (al. thema)

e Omne regnum in seipsum divisum desolabitur,] ad litteram verum est. *Hieron.* Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. *Oſee* 10. Divisum est cor eorum, nunc interibunt. *Mich.* 7. Filius contumeliam facit patri, &c. *Prov.* 28. Propter peccata terræ multi principes.

f Et domus supra domum cadet,] i. regno diviso, familia contra familiam insurget. *Matth.* 24. Surget gens contra gentem, &c.

g Si autem, & Satanas in seipsum divisus est,] i. regnum ejus, quod est congregatio dæmonum, & malorum hominum, qui revera nullam habent pacem adinvicem, vel concordiam. *Sap.* 4. Multigena impiorum multitudo non erit utilis.

h Quomodo stabit regnum ipsius?] q. d. Non stabit, & ita nulla est ejus potestas, & ita nec potest dæmon dæmonem ejicere, &c.

i Quia dicitis in Beelzebub ejicere me dæmonia,] istud debet præcedere. Unde sic ordina complexionem, sive argumentum ex littera. Quia dicitis in Beelzebub ejicere me dæmonia. Satanas in se divisus est. Modo assume. Sed omne regnum in seipsum divisum desolabitur, &c. Debuit concludere. Ergo regnum ejus stare non potest. Hanc conclusionem sub interrogatione posuit dicens: Quomodo stabit regnum ipsius?

Mystice etiam exponit istud *Gl.* de regno Ecclesiæ, & de regno synagogæ, quorum alterum divisum est, alterum manet indivisum. Regnum enim legis, i. lex ipsa a Judæis scinditur, Caput enim legis, i. Christum a lege dividunt. (Mystice.)

Ubi mea-

Ubi mentio est de Christo, verba legis calumniantur, cetera recipiunt. Probat ergo regnum Ecclesiæ non esse divisum, & est quasi argumentum a destructione consequentis. Si regnum est divisum, desolatur: ergo, si non desolatur, non est divisum. Sed regnum Ecclesiæ nunquam desolatum est, quia Ecclesia pulsantibus undique molestiis semper inconcussa manet, ergo regnum ejus non est divisum. *Dan.* 2. Suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur. De hoc regno ait Dominus Pilato. *Jo:* 18. Regnum meum non est de hoc mundo. Regnum Dei est in hoc mundo, non de hoc mundo. Hic non hinc, quia non est de amatoribus mundi hujus. Sequitur.

Si autem *a* ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? *b* Ideo ipsi *c* judices vestri erunt. *d* Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, *e* profecto pervenit in vos *f* regnum Dei. Cum *g* fortis armatus *h* custodit *i* atrium suum in *k* pace sunt ea, quæ possidet. Si *l* autem fortior illo *m* superveniēs *n* vicerit eum, *o* universa arma ejus *p* auferet, in quibus confidebat, & *q* spolia ejus *r* distribuet. *ſ* Qui non est mecum,

a Si autem ego in Beelzebub, &c.] *Bed.* quasi dicat. Si expulsio dæmonum facta per filios vestros exorcistas Deo attribuitur, & non diabolo, quare in me idem opus eamdem non habet causam? Vel secundum *Aug.* & *Bedam.* Filii eorum sunt Apostoli, qui inter alia miracula dæmones expellebant, quam expulsionem Judæi non diabolo, sed Deo assignabant, & eamdem expulsionem dæmonibus in Christo assignabant. Unde patet, quod ex invidia movebantur. *b* Ideo] scilicet, quia ipsi non ex diabolo, ut vos dicitis, sed ex Deo ejiciunt dæmones. *c* Ipsi judices vestri erunt] scilicet Apostoli per approbationem sententiæ. Et non tantum judices erunt, sed & testes nequitiæ vestræ, & veritatis meæ, qui a me habent illam potestatem, non a diabolo. *Is.* 43. Vere vos testes mei, dicit Dominus. Secundum quod exponitur de exorcistis. Sic dicitur.

b Ideo ipsi judices vestri erunt] non a sessione, ut Apostoli, sed comparatione. Hoc modo judicabunt mulierculæ reges, & Imperatores, idest, comparatione operum ipsarum ipsi ostendentur damnabiles.

d Porro si in digito Dei,] idest, in virtute Spiritus sancti [ejicio dæmonia,] quasi dicat, si verum est, quod dico, & falsum est, quod dicitis, [profecto, &c.] *Matt.* 12. dicit. In spiritu Dei. Idem est. Manus enim, vel brachium patris dicitur filius. Unde *Isa.* 53. Et brachium Domini cui revelatum est. *Ps.* 143. Emitte manum tuam de alto. Dicitur autem manus, vel brachium, quia per ipsum operatur.

Et sicut manus, vel brachium ejusdem est substantiæ cum corpore, ita filius cum patre. Digitus vero dicitur Spiritus sanctus, quia procedit a Patre, & Filio, sicut digitus a manu, & corpore. Vel propter distinctionem donorum, quæ per Spiritum sanctum dantur hominibus, quia sicut varii sunt digiti, & una tamen manus, sic varia sunt dona Spiritus sancti, unus tamen, atque idem Spiritus: nec obest inæqualitas digiti, & manus, licet enim major sit manus, quam digitus, tamen quia digitus a manu est, & ejusdem substantiæ cum illa, ideo significatur Spiritus sanctus per digitum. De hoc digito dicitur. *Exod.* 8. Digitus Dei est hic.

e Profecto pervenit] præteritum pro futuro, idest perveniet, [in vos regnum Dei,] idest, judiciaria potestas, & dabitur in vos sententia damnationis pro culpa mendacii. Vel aliter.

f Regnum Dei,] idest, superna beatitudo, quasi dicat, si in Spiritu Dei ejicio dæmonia, jam pervenit aditus regni Dei ad Ecclesiam, quia in proximo offeretur hostia, quæ aperiet januam regni Dei, & idipsum erit in vos, idest, contra vos, vel [regnum Dei,] idest, Christus, *infr.* 17. Regnum Dei intra vos est, idest, inter vos.

g Cum fortis armatus custodit atrium suum,] Supra probavit Dominus, quod non ejicit dæmonia in principe dæmoniorum, adhuc probat idem hic directe sub metaphora pugnatorum. Sicut enim fortior vincit minus fortem, & distribuit spolia ejus, sic Christus vicit diabolum, quia fortior eo, quia cum diabolus ante ejus adventum mundum possideret, ipse fortior supervenit, & ei abstulit potestatem, & spolia ejus, idest, peccatore, quibus Ecclesiam spoliaverat fraudulenter, distribuit in diversis officiis Ecclesiasticis ordinando.

Unde *Eph.* 4. Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Et dedit, quosdam, quidem Apostolus, &c. Fortem dicit ergo diabolum, de quo *Job* 41. Non est potestas super terram, &c. Sed per superbiam suam debilitatus est in tantum, ut neminem possit vincere, nisi ille velit. Unde *Hier.* De-

bilis est hostis, qui non potest vincere nisi volentem. Sed Christus fortior est.

Unde *Job* 9. Si fortitudo quæritur, &c. & ideo vicit eum in congressu, de quo dicit *Jer.* 46. Fortis impegit in fortem, & ambo pariter ceciderunt. Sed diversimode, quia diabolus irreparabiliter, Christus autem surrexit. Unde *Mich.* 7. Non læteris inimica mea synagoga, quia cecidi, consurgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est, educet me in lucem, & videbo justitiam ejus, &c. Atrium, sive castrum diaboli erat mundus, quem tanquam Dominus ante adventum Christi in pace possidebat, nullo contradicente.

Unde *Jo:* 14. Princeps mundi appellatur, sicut Dominus Antiochiæ appellatur Princeps Antiochiæ. Arma diaboli, sunt diversa genera peccatorum. Et econtrario arma Christi diversa genera justorum. *Rom.* 6. Neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis, peccato, &c. Luxuriosi sunt lorica diaboli. *Eccl.* 43. Super omnem congregationem aquarum, idest, voluptatum, requiescet, & sicut lorica induet se aquis. Galea ejus in capite, sunt superbi, & ambitiosi. 1. *Reg.* 17. Egressus est vir spurius de castris Philistinorum, &c. Arcus diaboli, sunt detractores *Osee* 1. Conteret arcum Israel in valle Jezrael. Scutum ejus sunt hypocritæ. *Job* 41. Corpus ejus, quasi scuta fusilia, &c. *Psalm.* 45. Arcum conteret, & confringet, arma, & scuta comburet igni infernali.

Chr. Dominus tres solutiones ponit.
- Exemplum regni de regno.
- Apostolorum virtutem, quam non accusabant, ibi: si autem ego, &c.
- Fortitudinem diaboli, *Job* 41. Quam si divisus esset, non haberet, ibi: Cum fortis armatus.

Dicit ergo.

g Cum fortis armatus,] idest, diabolus his armis, quæ diximus armatus.

h Custodit] ad damnationem.

i Atrium suum,] idest, mundum, sicut lupus custodit ovila ad devorationem. Aliter enim lupus custodit ovile, aliter canis. Lupus ad devorandum, canis ad defendendum, sic Christus, & diabolus.

k In pace sunt ea, quæ possidet,] idest, omnes peccatores, quia illos, non vult inquietare diabolus, quia sibi favent. *Greg.* Illos pulsare negligit, quos se possidere jure quieto sentit. Ista pax guerra est mortalis. *Matt.* 10. Non veni mittere pacem in terram, sed gladium, Vel [in pace,] idest, in otio, quæ iterum mala pax est. Sicut vinea, quæ non foditur, in pace est, & deterioratur, & lorica, quæ non induitur, conteritur rubigine, sic anima otiosa. *Eccl.* 33. Multam malitiam docuit otiositas. Bonam vero pacem non habeat, idest, pectoris, *Is.* 57. Non est pax impiis dicit Dominus.

l Si autem fortior illo,] idest, Christus, de quo *Psalm.* 23. Dominus fortis, & potens in prælio. *Chrys.* Non debent hostem timere fortem, qui habent principem fortiorem.

m Superveniens] idest, de supernis veniens. *Joann.* 3. Qui desursum venit, super omnes est. *Matth.* 12. Alligaverit, &c. si dicis, quia fortis est diabolus, non valeo contra eum, stat adversum te Scriptura hæc, & dicit, quia mentiris, quia ligatus est adversarius tuus.

n Vicerit eum] multiplici tentatione, viriliter resistendo, & in passione æquanimiter sustinendo.

o Universa arma ejus,] idest, peccatores, quibus armatus erat, idest de universis aliquos.

p Auferet, in quibus confidebat.] *Is.* 49. Nunquid tolletur a forti præda, aut, quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit? quia hæc dicit Dominus, equidem & captivitas a forti tolletur. *Jo:* 1. Ecce agnus Dei, &c *Osee* 13. Diripiet Dominus thesaurum omnis vasis desiderabilis.

q Et spolia ejus,] idest, peccatores diabolo ablatos.

r Distribuet,] idest, diversis officiis Ecclesiasticis assignabit, sicut dictum est. *Isa.* 8. Voca nomen ejus, accelera, spolia detrahe: *Chrysostomus.* Non solum dæmones vasa sunt diaboli, sed etiam homines, qui, quæ illius sunt, agunt.

ſ Qui non est mecum,] idest, qui dissimilia opera

meis operibus facit. *a* Contra me est,] idest, mihi contrarius est. Talis est diabolus, & omnis peccator.

b Et qui non colligit mecum,] idest sicut ego ad cultum unius Dei ad unitatem fidei, ad unitatem dilectionis Dei, & proximi. *c* Dispergit] per hæresim, & schismatum diversitates. Hoc est officium diaboli, congregata dispergere, officium autem Christi est dispersa congregare. *Is.* 11. Dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ. Quidam enim dispersi sunt ad Orientem per nobilitatem generis, alii ad Occidentem per nimium timorem mortis, alii ad Austrum per prosperitatem. Alii ad Aquilonem per adversitatem. *Ezec.* 37. A quatuor ventis veni Spiritus, &c. Sequitur.

D

Alt advers-sum.

Matth. 12

† *a* contra me est, & *b* qui non colligit mecum, *c* dispergit. *d* Cum immundus spiritus exierit *e* ab homine, *f* ambulat per loca inaquosa quærens *g* requiem, & non inveniens, dicit: *h* Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum *i* venerit, invenit eam scopis *k* mundatam, & ornatam. Tunc *l* vadit, & assumit *m* septem alios spiritus secum nequiores se, & *n* ingressi habitant ibi. Et fiunt *o* novissima hominis illius pejora prioribus. *p* Factum

d Cum immundus spiritus, &c.] Duo sunt genera tergiversantium, sive Domino insidiantium, proposuit Evangelista alios blasphemantes, alios signum de cœlo quærentes. Blasphemantibus obviavit dupliciter. Primo indirecte, & postea directe, ostendens, quia non ejeceret dæmones in virtute principis dæmoniorum, vel dæmonum, qui nullum habet cum eo participium societatis, adhuc obviat eisdem, scilicet blasphematoribus. Nondum enim respondet quærentibus signa, quibus etiam specialiter responsurus est. Arguit ergo Scribas, & Pharisæos, imo omnes Judæos propter perversitatem ipsorum ostendens pejores esse, quam fuerunt ante legem, Ante legem enim thurificaverunt idolis in Ægypto, quemadmodum Ægyptii. Tandem interventu Moysi, & Aaron servorum suorum misertus est Dominus populi sui, dedit ei legem, per quam revocatus est a via idololatriæ, sive a cultura idolorum ad cultum unius Dei. Tandem tempore Incarnationis, non cognovit populus ille visitatorem suum, quia milvus, & hirundo & ciconia, &c. *Jerem.* 8. Itaque pejores facti sunt Judæi, quam erant ante legem, quia, sicut dicit *Beda*, major infidelitas est venientem non suscipere, quam venturum non credere. Melius etiam est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retroire. 2. *Pet.* 2. Invehitur ergo Dominus contra Judæos, ostendens, quod eos possiderit diabolus ante legem, & modo plenius possidet, qui expulsus a Judæis postea validius aggressus est eos, sicut princeps expulsus ab aliquo castro obsesso, postea cum majori fortitudine redit ad idem castrum impugnandum. Hoc autem ostendit Dominus, quasi per quamdam similitudinem dicens. *d* Cum immundus, &c.] idest, a Judæis. *f* Ambulat per, &c.] & arida, idest transit ad gentes, quæ sunt, quasi rivus siccus, & inaquosus, quia a pinguedine charitatis steriles, & quibusdam de viis erroribus perambulantes. Postea vero factæ sunt aquosæ, idest fructuosæ per susceptionem fidei, & ideo in eis requiem non invenit diabolus, unde sequitur. *g* Quærens, &c.] in eis diabolus [& non inveniens, dicit, revertar in domum meam, unde exivi.] Expulsus enim diabolus a gentibus redit ad Judæos] non cognoscentes visitatorem suum, & tunc validius aggressus est eos, quam ante. *i* Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam.] Intellige prius, quia plebs Judaica legalibus præceptis quasi virgeis instrumentis primo fuerant mandata. Scopa enim dicitur virgeum instrumentum, quo mundatur domus. *l* Et tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se,] idest, universitatem omnium dæmonum. Septenarius enim numerus est universitatis. *n* Et ingressi habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus,] quia Judæi jam pejores sunt, quam fuerunt olim in Ægypto ante legem, quia major infidelitas est, &c. Blasphemant enim jam Christum in conventiculis suis, quia semel in hebdomada in synagogis suis solent semper excommunicare Christianos. Aliter legitur istud de quolibet baptizato sic, *d* Cum immundus spiritus exierit] in Baptismo, vel pœnitentia. *e* Ab homine, pompis diaboli abrenunciante. *f* Ambulat per loca inaquosa] idest, explorat corda fidelium ab omni malo humore siccata, si quo modo intrare valeat. 1. *Petr.* 5. Adversarius vester, &c. *g* Quærens requiem, & non inveniens dicit, Revertar in domum meam, &c.]

Nota, quod secundum hanc lectionem in bono accipitur, quod dictum est, [Inaquosa] sive arida, quia hæc nomina terris, & aureis notis scribuntur. Unde diabolus dicitur habitare in locis humidis, quod ad mysticum sensum referendum est, ut per hoc significetur, quod habitat in mollibus, idest, per humorem luxuriæ desfluentibus; *Job* 40. Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus. *Ezech.* 29. Draco magne, qui cubas in medio fluminum. In locis vero aridis non dicitur habitare, quia non habet locum in mentibus firmis. *Prov.* 30. Via colubri super petram, idest, in sicco non apparet. *h* Revertar in domum meam unde exivi,] idest, ad animam, a qua per Baptismum, vel pœnitentiam ejectus fui. *Is.* 37. Per viam, qua venit Sennacherib, per eam reverterur, &c.] *Chrys.* A. virtute desolati, dæmonum actionibus facile erunt occupabiles.

i Et cum veniret, invenit eam scopis,] idest, Baptismo, vel pœnitentia. *Is.* 14. Scopabo eam in scopa, &c. *Ps.* 76. Exercitabar, & scopebam spiritum meum.

k Mundatam, a vitiis. *Is.* 1. Lavamini, mundi estote, sed nullo bono opere cumulatam.

m Septem alios spiritus] idest, septem simulationes, quæ se virtutes mentiuntur, & ideo nequiores se, idest apertis vitiis.

Unde *Aug.* Simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas. Tres ergo sunt septenarii. Primus est bonus, qui continet septem dona Spiritus sancti, scilicet spiritus sapientiæ, & intellectus. Secundus septenarius continet septem spiritus nequam, idest, septem vitia capitalia, vel principalia, septem donis contraria, quæ sunt luxuriæ, quæ sapientiæ opponitur, gula intellectui, avaritia consilio, acedia fortitudini, ira scientiæ, invidia pietati, superbia timori. Tertius septenarius continet septem simulationes, quas Dominus nequiores vocat ipsis vitiis manifestis, quia sub mentita specie bonitatis illaqueant imprudentes. Hæ ergo sunt. Simulatio sapientiæ, simulatio intelligentiæ, simulatio consilii, seu providentiæ, simulatio fortitudinis, seu patientiæ, simulatio scientiæ, simulatio pietatis, simulatio timoris, seu humilitatis.

Has omnes simulationes facit hypocrisis. Unde & Dominus septies dicit, Væ vobis hypocritæ. *Matth.* 23. Octavo addit væ, sed non ponitur ibi, hypocritæ.

n Et ingressi habitant ibi] sub protectione hypocrisis, idest, simulatæ sanctitatis.

o Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.] *Chr.* Difficilior erit pœna posteriorum peccatorum. *Jo.* 5. Sanus factus es, jam noli peccare ne, &c. 2. *Pet.* 2. Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, &c.

Quinta pars.

p Factum est autem, &c.] Supra blasphemaverunt Pharisæi Dominum, dicentes: In Beelzebub ipsum ejicere dæmonia, quod audiens quædam mulier, ancilla, scilicet Marthæ, & Pampilli viri ejus, Stella nomine, non valens tantas injurias Salvatoris portare, in confusionem Pharisæorum, & in laudem filii laudavit matrem.

Communis enim est laudatio matris, & filii ejus. Et quia hæc mulier, nec dives, nec nobilis erat, sed de communi plebe, ideo hoc Evangelium communiter in profestis diebus legitur in honorem Virginis, & Filii ejus, & Judæorum, & hæreticorum confusionem.

Commendatur autem in hoc Evangelio Beata Virgo particulariter, idest, in duplici parte sui corporis, scilicet in ventre, & in uberibus.

In ventre, quia portavit Dominum novem mensibus, & sex diebus, qui pro uno mense accipiuntur. *Sap.* 7. In ventre matris figuratus sum caro decem mensium tempore.

In uberibus, quia lactaverunt eum. *Cant.* 4. Quis det mihi te fratrem meum sugentem ubera matris meæ. Et in hoc confutatur Manichæus, qui dicit Christum corpus habere phantasticum, & non verum. Confutantur etiam alii hæretici, qui dicunt, Dominum sibi fecisse corpus ex æthere puro, & postea se transfudisse in uterum Virginis.

Quod non esse verum probatur hic per hoc, quod dicit ubera. Ex iisdem enim emanat lac pueris nutriendis, & materia germinis.

Unde cum de lacte Virginis fuerit nutritus, sicut hic dicitur, ergo de carne ejus est factus. Dicit ergo: *p* Factum est] autem

Mystice.

p Factum est autem, &c.] Mystice. Mater Christi Ecclesia. *Can.* 1. Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Venter ejus cœtus Prælatorum, *Cant.* 5. Venter ejus eburneus distin-

ctus

a antem cum hæc] prædicta. *b* Diceret.] Jesus Judæis.
c Extollens,] idest, ex corde tollens.
d Vocem] in Christi commendationem, & Judæorum blasphemantium confusionem.
e Quædam mulier de turba,] idest, non dives, aut nobilis, sed de communi plebe.

> est *a* antem, cum hæc *b* diceret, *c* extollens *d* vocem, *e* quædam mulier de turba *f* dixit illi: Beatus *g* venter, qui te portavit, & *h* ubera, quæ suxisti. At *i* ille *k* dixit: Quin *l* imo: Beati, *m* qui audiunt *n* verbum Dei, & *o* custodiunt illud.

f Dixit illi,] idest, Christo quem Judæi blasphemaverant. *g* Beatus, &c.] idest, qui ad nos te beatum portavit, vel idest beatum te portavit. Non enim a ventre filius sed venter a filio beatificationis honorem suscepit, sicut vas novum a bono vino saporem, & odorem accipit, non vinum a vale. *Cant.* 8. Venter tuus, sicut acervus tritici. Acervus, quia prægnans. Tritici, de quo *Jo.* 12: Nisi granum frumenti, &c. Vallatus liliis, idest, duplici castitate, interiori, & exteriori, imo quadruplici, cordis, oris, † corporis, oculorum, & ciborum, & vestium. In his omnibus attenditur castitas, & luxuria. De corde, & oculis, dicit *Aug.* Impudicus oculus impudici cordis est nuncius. 2. *Petr.* 2. Habentes oculos plenos adulterii, & incessabilis delicti. *Matth.* 15. De corde exeunt, &c. De ore. *Eph.* 5. Fornicatio, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis. De corpore. *Sap.* 4. O quam pulchra est casta generatio, &c. De vestibus. *Is.* 3. In die illa auferet Dominus ornamenta calceamentorum, & lunulas, &c. Ibi nominat Isaias viginti unum ornamenta mulierum provocantia ad luxuriam. De cibis. *Eph.* 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Dicitur autem beatus venter Virginis specialiter propter tria mirabilia, quæ in eo facta sunt.

Al. † oper. is

Primo, quia ibi Deus factus est homo, verbum infans, æternus temporalis, immortalis mortalis, immensus parvulus, creator creatura. *Joan.* 1. Verbum caro factum est. *Jer.* 31. Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum, perfectum scientia, & virtute.

Venter Mariæ dicitur beatus propter tria.

Secundo, quia qui fecit ventrem, factus est in eodem ventre. Hoc est mirabile, sicut si quis faceret prius domum, & postea nasceretur in eadem domo. *Psalm.* 86. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus. *Is.* 66. Quis audivit unquam tale, & quis vidit huic simile?

Tertio, quia venter ille majus se continuit, idest Deum, quem totus non capit orbis. *Is.* 45. Vere tu es Deus absconditus. Sed quare non dixit, mulier illa beata mater, quæ te portavit, potius quam beatus venter? Ad innuendum compassionem, & charitatem Virginis, quæ omnes miseros in ventre suo portat per compassionem, & sua omnibus communicat per charitatem.

Unde dicitur de ea. *Cant.* 7. Venter tuus, sicut acervus tritici vallatus liliis. Nota vero, quod bis dicitur beata.

Primo ab Elisabeth, *sup.* 1. Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino.

Secundo a seipsa, *sup.* 1. Beatam me dicent omnes generationes.

Tertio dicitur hic venter ejus beatus, propter tria privilegia, quæ habuit, ut dicit *B. Bern.* Fuit enim, sine corruptione fœcunda, sine gravedine gravida, sine dolore puerpera. Sequitur.

h Et ubera, quæ suxisti.] Ex hoc relinquitur, quod tantum ubera Virginis, & non alicujus alterius mulieris suxit. Quod figuravit Moyses, qui lactari noluit ab Ægyptiaca muliere, ut dicunt. Quare autem hæc duo conjunxit, scilicet ventrem, & ubera? *Glos.* reddit rationem, quia scilicet, ex eodem fonte procedit semen ad gignendos pueros, & lac ad nutriendos. Utrum autem ab uberibus procedat, quære a Physicis. Sed quantum ad præsentem locum pertinet, ita expone. Ex eodem fonte, idest, ex carne matris.

i At ille,] idest, Jesus. *k* Dixit] illi mulieri, vel omnibus.

l Quin imo.] Nota, quod hic solet fieri quædam erronea distinctio in quibusdam Ecclesiis, quæ ita distinguunt, [quin imo,] ut legatur interrogative. Hæc distinctio non valet. Nota ergo, quod dupliciter potest legi. Potest enim poni. [Quinimo] pro una dictione, scilicet, pro imo, quasi dicat, non tantum est beata Maria, quia me beatum portavit, imo magis est beata, quia verbum meum audit, & custodit illud. Vel ita, ut sint duæ dictiones, & hæc dictio, quin, nihil ibi operetur, præter quam determinet, imo esse superadditivum, non privativum. Quandoque enim privativum est, ut cum dicitur: Non faciam hoc, imo illud, quasi dicat, non faciam hoc, sed illud. Superadditivum est, ut cum dicitur: Non tantum faciam hoc, imo etiam illud. Ita ergo distingue [quin] idest, quasi non est tantum beatus venter, qui me portavit, [imo] beati, qui audiunt verbum Dei, &c. Et ita quin notat imo non esse superfluum. Si enim simpliciter diceretur: Beatus venter, qui te portavit, & Dominus adderet, imo beati, qui audiunt, videretur, imo esse privativum. Unde tenetur hic additive: Et est sensus [Quinimo,] quasi dicat, quod beatus est venter, qui me portavit, & beata ubera, quæ me lactaverunt. Sed.

m Beati] sunt [qui audiunt] aure cordis.
n Verbum Dei] ab ore meo, vel cujuslibet.
o Et custodiunt illud.] fide, & opere. *Jacob* 1. Estote factores verbi, &c. *Rom.* 2. Non auditores legis justi sunt, &c.

☉ ctus sapphiris. *Jerem.* 4. Ventrem meum, ventrem meum doleo. *Ps.* 43. Conglutinatus est in terra venter noster. Ubera ejus sunt prædicatores, qui lacte simplicis doctrinæ lactant parvulos Ecclesiæ. 1. *Cor.* 3. Tanquam parvulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam, *Osee* 9. Da eis Domine, &c. Mulier, quæ Dominum laudavit, quia de turba erat, significat simplices, & minores, qui majoribus, & litteratis blasphemantibus, laudant Dominum. Unde *Ps.* 8. Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum, & ultorem. Propter inimicos tuos confundendos. Qui etsi aliquando lingua laudent, semper vita blasphemant, ut dicit *August.* Interdum autem & vita, & lingua simul blasphemant. Dicitur ergo in laudem simplicium laicorum, qui inter clericos blasphemantes laudant Deum.

Mystice.

a Factum est autem, cum hæc diceret] Jesus.
c Extollens vocem] confessionis, orationis, & laudis.
e Quædam mulier de turba] non de senioribus. *Matth.* 21. Turbæ, quæ præcedebant, &c. *Jo.* 7. de turba autem multi crediderunt, & dicebant, nunquam sic locutus est homo. Et responderunt, ergo, &c.

g Beatus venter, qui te portavit.] Hic est venter Mariæ, quæ interpretatur illuminata, vel illuminatrix, stella maris, vel amarum mare. Quod bene convenit Prælatis. Primo enim oportet, quod sint illuminati, deinde illuminatores. Primo docti, postea doctores. *Matth.* 5. Vos estis lux mundi. Deinde oportet, quod sint stellæ, idest, parvi per humilitatem, lucidi per doctrinam, & bonam famam, in cœlo fixi, per contemplationem. *Phil.* 2. Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes. Remoti a terra, per contemptum terrenorum, deinde oportet eos esse mare, ut omnia flumina gratiarum, & scientiarum intrent in eos, & ipsi non redundent per elationem. Sicut dicitur *Eccl.* 1. Omnia flumina intrant in mare, &c. Item omnia flumina tentationum, & tribulationum debent intrare in Prælatos, ita tamen, quod ipsi non redundent per impatientiam, aut murmurationem. Item omnia flumina peccatorum aliorum debent intrare in eos per alveum confessionis, ita quod ipsi non redundent per aspernationem confitentium.

Item omnia flumina miseriarum omnium subditorum debent intrare in eos per alveum compassionis, ita quod ipsi non redundet per jactantiam, aut ostentationem.

h Et ubera, quæ suxisti,] idest, prædicatores, qui lacte simplicis doctrinæ lactant Christum in parvulis. *Matth. cap.* 25. Esurivi, &c. *Cant.* 4. Pulchriora sunt ubera tuo vino.

i At ille dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.] Duobus modis auditur verbum Dei, scilicet auditu interiori, & auditu exteriori. Et de utroque dicitur. *Rom.* 10. Fides ex auditu. Et in *Ps.* 50. Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam. *Eccl.* 24. Qui audit me, non confundetur. Tribus autem modis custodiunt. In corde, per jugem meditationem. In ore, per utilem expositionem. In manu, per operis executionem, *sup.* 2. Maria autem conservabat, &c. *Jo.* 14. Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Quidam vero custodiunt, sicut frumentum in arca, idest, in quaternis, & libris, nunquam seminantes, & nunquam inde comedentes, & ideo nunquam metent, quia nunquam metit, qui non seminat, sed potius maledicetur cum servo nequam, qui abscondit pecuniam Domini sui. *Matt.* 25. Unde *Prov.* 11. Maledicetur in populis, qui abscondit frumenta.

Sexta pars

a Turbis autem concurrentibus.] Sexta pars. Quidam Judæorum calumniabantur opera Domini, quibus hucusque respondit. Alii tentantes eum, signa de cœlo quærebant, quibus modo respondet, ostendens, nisi pœniteant in proximo perituros, si autem pœniteant, misericordiam habituros. Ponens exemplum de Ninivitis, qui peccatis fuisse agentibus perituri erant. Sed quia ad prædicationem Jonæ fecerunt penitentiam ideo misericordiam invenerunt. Et ex hoc patet, Judæos fuisse pejores Ninivitis, qui ad prædicationem Jonæ egerunt pœnitentiam, ipsi autem ad predicationem ipsius filii Dei pœnitere noluerunt, sed potius ipsum prædicatorem occiderunt. Et hoc est.

Matth. 12. Marc. 8.

3. Reg. 10. 2. Par. 9. ...

a Turbis autem concurrentibus cępit *b* dicere: Generatio hæc generatio nequam est, signum *c* quærit, & signum non *d* dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. *e* Nam sicut Jonas fuit signum Ninivitis, *f* ita erit & filius hominis generationi isti. *g* Regina Austri surget in judicio cum viris *h* generationis hujus, & *i* condemnabit illos, quia *k* venit a *l* finibus terræ *m* audire sapientiam Salomonis. Et *n* ecce plus Salomone hic. Viri *o* Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, *p* & condemnabunt illam, *q* quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et *r* ecce plus quam Jonas hic.

a Turbis autem concurrentibus] ad audiendum verbum Dei, occasione ejus, quod dixerat. Beati, qui audiunt verbum Dei. Vel ad videnda miracula, quæ ab eo fieri audiebant. Quidam tamen veniebant ad ipsum causa sanitatis recuperandæ, quidam causa famis pellendæ, alii causa videndi miracula, alii ad insidiandum, alii ad ministrandum, alii ad discendum.

c Cępit dicere: Generatio hæc] Judæorum scilicet, [generatio nequam est.] *Matth.* 12. Mala, & adultera. Mala quidem propter operum perversitatem, adultera propter idololatriam, & infidelitatem. *Ezech.* 16. Judicabo te judicio adulterarum.

c Signum quærit] de cœlo, scilicet, quasi illa, quæ viderant, non fuissent signa. *Chrys.* Similis est natura infidelitatis terræ arenosæ, quæ quantumvis pluviam biberit, semper sitit. Talis est conditio febrium.

d Et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ] de cœlo, quia eo indigni sunt. Discipulis vero dedit signum de cœlo, quia digni erant eo in Transfiguratione. *Matt.* 17. Sed nunquid non *Jo:* 12. Audita est vox de cœlo, quasi tonitruum.

Item *infr.* 23. Sol obscuratus est. Solut. Non dabitur ei, idest, ad utilitatem ejus, quia visis his signis non crediderunt. Vel sic. [Non dabitur ei signum,] scilicet Deitatis meæ, idest, in proprio corpore non ostendam eis signa Deitatis, sicut discipulis in Transfiguratione, & Ascensione.

Nota autem, quod in terra dedit multa signa potestatis suæ, quale fuit suscitatio Lazari. *Jo:* 11. Curatio leprosi. *Matt.* 8. & alia hujusmodi. Item infirmitatis suæ, quale fuit, esuries post jejunium quadraginta dierum. *Matth.* 4. Petrarum scissio, monumentorum apertio. *Matt.* 27. Solis obscuratio signum fuit potestatis, & de cœlo. Et hoc est [Et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.] idest, non dabitur ei signum de potestate, sed de infirmitate, idest, humanitatis, & mortis, cujusmodi signum datum est Jonæ, quia per idipsum, quod fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus significatum est, quod filius Dei erat in corde terræ triduo mansurus. *e* Nam sicut Jonas fuit signum Ninivitis] pœnitentiæ, & liberationis. Nota, quod Jonas signum fuit Ninivitis verbo, & operæ. Ipso verbo, quia viva voce significavit eis, quia subverterentur, nisi converterentur. Exemplum etiam fuit eis in propria persona. Ac si diceret tacite. Considerate de me, quia volui fugere a facie Domini, ne exequerer mandatum ejus, ideo projectus sum in mare, absorptus sum a ceto, ibi motus sum ad compunctionem, & assecutus veniam, & salvavit Dominus animam meam. Ita erit de vobis.

f Ita erit, & filius hominis generationi isti.] Jonas tribus diebus fuit in ventre ceti, sed quia pœnituit, evomitus fuit: ita Ninivitæ in ventre diaboli fuerunt, sed quia pœnituerunt, evomiti, idest, liberati fuerunt. Similiter Christus tribus diebus fuit in sepulchro, & tertia die resurrexit. Sed Judæi non crediderunt. Unde patet, quod pejores fuerint Ninivitis, Jonas enim tantum triduo prædicavit, Christus multo tempore. Item Jonas nullum signum fecit, Christus multa. Item Jonas erat alienigena, Christus indigena. Item Jonas purus homo, Christus Deus, & homo. *Chrys.* Ninivitæ intra tres dies facti sunt populus Dei, qui tamen prophetas non habuerunt, Judæi intra tres dies crucifixionis Domini, facti sunt populus diaboli. Illi evaserunt vindictam imminentem, isti pertulerunt atrocissimam. Adhuc autem ad majorem confirmationem ponit aliud exemplum ad idem dicens.

g Regina Austri surget in judicio.] Non mille annis ante judicium, ut Judæi fingunt de fabula mille annorum, sed in ipso judicio. *h* Cum viris generationis hujus,] idest, cum Judæis. *Beda*. Ecce communis ostenditur resurrectio tam bonorum, quam malorum.

Jonæ 3. Matth. 12.

i Et condemnabit illos.] De hac Regina non ambigitur, quin fuerit mulier religiosa, & electa, non tamen tanti meriti, ut cum Apostolis auctoritate sit judicatura. Unde *Gl.* determinat. *i* Condemnabit illos,] non potestate judicii, sed comparatione melioris facti. *k* Quia venit] relicto suo imperio, *l* A finibus terræ] cum magna difficultate. *m* Audire sapientiam Salomonis] quem sola fama noverat. 2. *Paral.* 9. Regina Saba cum audisset famam Salomonis, venit, ut tentaret eum in Jerusalem in ænigmatibus cum magnis opibus. Idem 3. *Reg.* 10.

n Ecce plus Salomone hic,] idest, inter vos. Unde non oportebat vos ire longe ad audiendam sapientiam ejus, qui plus est, quam Salomon, quia Deus, & homo. In septem condemnat Judæos Regina Austri. Primo, quia femina erat, & ipsi viri. Secundo, quia de longinquo venit, ipsi præsentem habebant. Tertio, quia cum difficultate venit, & sumptibus multis, ipsi gratis oblatum habebant. Quarto, quia reliquit imperium suum, ipsi in terra sua. Quinto, quia cum muneribus venit, ipsi beneficium Christi negaverunt. Sexto, quia ad purum hominem venit, ipsi ad Deum, & hominem. Septimo, quia sola fama noverat Salomonem, ipsi multis miraculis approbatum contempserunt.

o Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac] Judaica, non ante, ut mentiuntur Judæi.

p Et condemnabunt illam,] idest, infidelitatis arguent, non auctoritate, sed facti melioris comparatione.

q Quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ,] quod non fecerunt Judæi ad prædicationem Christi. Et tamen Jonas tantum tribus diebus prædicavit eis; Christus tribus annis. Item Jonas prædicavit peregrinis, Christus civibus suis.

Item Jonas nullum miraculum fecit, Christus multa. Item Jonas erat purus homo, Christus Deus, & homo. Unde sequitur. *r* Et ecce plus quam Jonas hic,] idest, in hoc loco inter vos, ut nulla sit excusatio de distantia loci.

Mystice.

Mystice. Per Ninivitas, & Reginam Austri significatur Ecclesia, quæ constat duobus generibus hominum, idest, innocentibus, & pœnitentibus. Innocentes per reginam designantur, pœnitentes per Ninivitas. Per Jonam, & Salomonem significatur Christus. Jonas enim donum columbæ interpretatur, Salomon pacificus, & Christus donum columbæ, idest, Spiritus sancti. *Is.* 9. Filius datus est nobis. Et non tantum pacificus, imo & pax nostra, quæ exuperat omnem sensum, & fecit utraque unum. *Eph.* 2.

Moraliter. Per Judæos clerici, per reginam, & Ninivitas mulieres, & laici designantur. Illi de longinquis partibus cum labore multo veniunt audire sermones, isti præsentes contemnunt. Unde *Chrys.* Regina Austri surget cum Christianis, & condemnabit eos, quia venit a finibus terræ, & Christiani nolunt de domibus suis, vel de plateis, ubi nihil agunt, venire, ut audiant Christum. Multi etiam de Ecclesia, ubi Christus docet, exeunt, & Christum docentem solum derelinquunt. De hoc ergo dicit hic.

a Turbis autem concurrentibus,] idest, mente, & corpore currentibus ad Christum, & clerici jacent, & torpent in lectis suis. *Amos* 6. Væ qui opulenti estis in Sion, qui dormitis in lectis eburneis, &c.

b Cępit dicere, generatio hæc nequam est.] *Deut.* 32. Generatio perversa est, & infideles filii. *Prov.* 30. Generatio, quę patri suo maledicit, & quę matri suę non benedicit. Generatio, &c. *c* Signum quęrit.] 1. *Corint.* 1. Judęi signa petunt, &c. *Psalm.* 64. Turbabuntur, qui habitant terminos a signis, &c. *d* Non signum Jonę Prophetę,] idest, Christi. Quod est triplex. Primum est paupertatis, & humilitatis, *supr.* 2. Et hoc vobis signum, &c. Secundum patientiæ. *Joann.* 3. Sicut

Moyses

a Nemo lucernam accendit, & in b abscondito ponit, c neque sub modio, sed supra d candelabrum, ut e qui ingrediuntur, f lumen videant. g Lucerna corporis tui h est oculus tuus. Si i oculus tuus fuerit simplex, k totum corpus tuum lucidum, erit. Si l autem nequam fuerit, m etiam corpus tuum tenebrosum erit. n Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Si o ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, p erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Moyses exaltavit, &c. Tertium resurrectionis. *Psal.* 85. Fac mecum signum in bonum. Ibi *Gl.* Signum in bono est resurrectio, *inf.* 21. Erunt signa in sole, & luna. *Chrys.* Hæc & ad Christianos pertinent. Quomodo? Viri Ninivitæ exurgent cum obedientibus Christianis, & condemnabunt eos, quia ad prædicationem Jonæ ignoti, & semel prædicantis conversi sunt, modo Dominus tota die clamat: Pœnitentiam agite, & hi a peccatis non recedunt. Sequitur.

a Nemo lucernam accendit, &c.] Dixerat Dominus, reginam Austri, & Ninivitas surgere contra generationé Judæorum, & eos judicare, non auctoritate judicii, sed comparatione melioris facti. Sicut ergo exemplo reginæ Austri, & Ninivitarum prætulit Ecclesiam Synagogæ, ita docet Sacramenta Ecclesiæ, non esse admiscenda cæremoniis Synagogæ, ut faciebant quidam hæretici, dogmatizantes, & post Christi Passionem non esse salutem sine Circumcisione, Sabbato, & Neomeniis. Id autem ostendit per metaphoram lucernæ. Et primo ostendit de se ipso, quia hoc non facit, ut auctoritate sua ostendat, quia nemo id facere debet, dicens.

E *Matth. 5. Marc. 4. Septima pars ... Matth. 6.*

a Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit.] Lucerna proprie dicitur lux in testa. Lucerna ergo, idest, lux in testa est verbum Dei in natura humana. Per lucernam ergo fides Incarnationis intelligitur, quasi dicat Dominus: Ego lucernam accendo, & sub modio non pono, idest, non intra angustos fines Judææ coarcto, imo volo, quod ubique diffundatur per omnes partes orbis. Et pono super candelabrum, idest, Ecclesiam septiformi spiritu illustratam, quia in candelabro erant septem lucernæ, quibus significantur septem dona Spiritus sancti. Et quia ego id non facio: Ergo.

a Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit,] idest, debet accendere, & in abscondito ponere. Quia autem prædicto modo prius de ipso Domino legendum sit, innuit illa *Interl.* De se ipso hoc dicit. Et *Amb. in Gloss.* In signum hujus rei etiam signum crucis ponitur in eminentiori parte corporis, scilicet in fronte, ut per hoc significetur, quia fides incarnationis debet poni in eminenti, & omnibus manifestari.

Lucerna.
- Verbum Dei. *Ps.* 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, *Prov.* 6. Mandatum lucerna est.
- Prædicatores. *Phil.* 2. Lucetis, sicut luminaria in mundo.
- Joannes. *Ps.* 131. Paravi lucernam Christo meo. *Jo:* 5. Ipse erat lucerna.
- Intentio ut *hic*. Lucerna corporis tui est oculus tuus.
- Dona Spiritus sancti. *Exod.* 25. Septem lucernas pones super candelabrum.
- Opera, *infr.* 12. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.
- Inanis gloria. *Job* 18. Lucerna, quæ super impium est, extinguetur.
- Vel prosperitas, &c.

Aliter exponitur. Unde nota, quia hic est septima pars capitis, in qua ostendit Dominus prædicationis lucernam non esse occultandam, sed omnibus manifestandam. Et cum sit multiplex lucerna, ut patet in notula superiori, de quarum qualibet posset exponi hoc verbum, tamen specialiter de lucerna prædicationis, quæ sicut lucerna domum, ita ipsa illuminat Ecclesiam. Lucerna lumen habet in testa, sic prædicatio spiritualem sensum in littera dicit ergo.

a Nemo lucernam accendit,] studendo, seu addiscendo, b Et in abscondito ponit. *Eccl.* 20. Sapientia absconsa, &c. Doctrina sine vita, lucerna sine oleo. *B. Bern.* Lingua magniloqua, & manus otiosa, doctrina lucida, & vita tenebrosa res est monstruosa.

c Neque sub modio] timoris humani, vel amoris mundani. *Matth.* 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus. *Chrysostomus* Modius supra vacuus, subter plenus significat mundiales. Idem. Modius reversus est, & terram aspiciens, qui timore tentationis abscondit verbum Dei, &c.

d Sed supra candelabrum,] *Beda*, idest, super Ecclesiam, in qua septiformis gratia relucet. *Zach.* 4. Vidi, & ecce candelabrum aureum, idest, Ecclesia, & lampas ejus super caput ipsius, idest, Christus. *Is.* 62. Salvator ejus, ut lampas accendatur. Et septem lucernæ, idest, septem dona Spiritus sancti super caput ejus. Et septem infusoria, idest, universitas doctorum lucernis erant. e Ut qui ingrediuntur.] Ecclesiam per ostium, qui est Christus. *Jo:* 10. ego sum ostium, &c.

f Lumen videant] bonæ vitæ, & sanæ doctrinæ. Aliter. Lucerna Christus habens flammam Divinitatis in testa humanitatis, quæ continet oleum pietatis: De quo dicitur. *Prov.* 31. Non extinguetur in nocte lucerna ejus. Candelabrum crux est, super quod fuit posita lucerna ad illuminationem totius Ecclesiæ. Et per hoc invitat discipulos ad passionem, ponens se in exemplum.

g Lucerna corporis tui est oculus tuus.] Quos instruxerat de fide Incarnationis, instruit de puritate, & simplicitate intentionis, quæ imponit nomen operibus, dicens: [Lucerna corporis tui,] idest, totius operationis tuæ. Corpus enim, quandoque totalitatis nomen est.

Unde corpus legum, & canonum dicimus continere universam legem, vel canones. *Rom.* 6. Ut destruatur corpus peccati, idest congeries. Ita corpus dicitur hic universitas operum.

h Est oculus tuus,] idest, mentis intentio. Oculus dicitur intentio, quia sicut oculus membra ad operandum dirigit, & lucerna gressus ad ambulandum, ita intentio congeriem operum dirigit, & informat. *Beatus Bernardus*. Sanum vas, & secretum conscientia, & secretis servandis idoneum, quicquid in eo reposuero securus sum, quod non perdam, servabit vivo, defuncto restituet. Nam quocumque ego vado, ipsa est mecum, secum deferens depositum, quod servandum accepit.

i Si oculus tuus fuerit simplex,] idest, intentio pura, & recta solius Dei respectu.

k Totum corpus tuum,] idest, tota congeries bonorum, vel operum tuorum [lucidum erit.]

l Si autem nequam fuerit, &c.] *Chrysost.* Si de oculo corporali loqueretur, dixisset. sanus, & infirmus non simplex, & nequam:

Simplex, sine plica.
- Erroris.
- Duplicitatis.
- Hypocrisis.
- Simulationis.
- Adulationis.
- Serviendi mundo, & Deo.
- Vel Legi, & Evangelio.

Quid enim si benignum habet oculum, & infirmum? Samson oculos amisit ad molam: *Jud.* 16. Et cæcatur Sedechias in Reblatha, quod interpretatur multa hæc. 4. *Reg. ult.* Nihil enim adeo contrarium est oculis, sicut pulvis. *Chrys.* ut qui graves habet oculos, si ponas eum in loco tenebroso melius videt, si autem ponat eum in sole, nihil videt: Sic homo mundialis, qui oculum mentis terrenis desideriis sordidum habet, si ponas eum in rebus mundialibus sapit, & astutus est, si autem trahas eum ad res spirituales, nihil sapit. 1. *Cor.* 2. Animalis homo, &c.

m Etiam corpus tuum tenebrosum erit.] *Beda*. Si perversa intentio præcesserit, pravum opus sequitur, & si aliquando justum videatur. *Aug.* Si intentio sordidatur appetitu temporalium, tenebræ factorum sordidæ, & valde tenebrosæ erunt, tum propter turpem, & confusum intentionis finem, tum quia operis exitus in se dubius est.

n Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint:] *Beda*. Ne ipsa intentio, quæ animæ lumen est, vitiorum tenebris fuscetur.

o Si ergo, corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum.] *Beda*. Si bonum bona intentione facis, non habens in tua conscientia aliquam partem malæ cogitationis.

p Erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te,] hic, & in futuro. *Glos. Bed.* Hæc contra hypocrisim Pharisæorum subdole signa quærentium specialiter dicta, nos juxta moralem sensum instruunt. Sequitur,

Et cum *a* loqueretur, *b* rogavit illum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se. Et *c* ingressus recubuit: *d* Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Et *e* ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi, quod de foris est calicis, & catini mundatis, quod *f* autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate. *g* Stulti, nonne, qui fecit, quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit? *h* Verumtamen, quod superest, *i* date eleemosynam, & *k* ecce omnia munda sunt vobis.

a Et cum loqueretur, &c.] Supra contra Pharisæorum hypocrisim subdole signa quærentium docuit Dominus intentionem cordis mundari, ut ex munda intentione, mundi opera, quæ Deo placeant oriantur: Quo sermone finito adhuc tamen eo loquente nunciatus est ei, quod mater, & fratres ejus starent foris quærentes loqui ei. Qui cum respondisset nuncianti, fratrem, & sororem, & matrem suam esse omnem, qui facit voluntatem patris sui, ut dicit *Matth.* 12. & *sup.* 8. Exiens inde intravit ad convivium Pharisæi. Unde non dixit Lucas: Cum loqueretur hæc, sed, [cum loqueretur] innuens, quod post dicta verba nuncio, intravit ad convivium Pharisæi: Cujus superstitionem in ipso convivio Dominus reprehendit propter duo. Primo, quia mandatis Dei traditiones hominum præferebat, & discipulos arguebat, qui mandata hominum dimittebant, & mandata Dei custodiebant. Secundo, quia sordes suorum cordium negligentes ablutiones vasorum summo studio observabant. Huic Pharisæo multi sunt similes in utraque superstitione. In prima quidem, quia magis offenduntur, si quis transgrediatur constitutionem humanam, quæ tota die mutatur, quam si mandatum Dei transgrediatur. De quibus dicitur *Matth.* 23. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis, quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem, duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.

In secunda superstitione sunt similes Pharisæis Archidiaconi, qui quasi lotrices in suis visitationibus inquirunt, si lintea, vel pallæ altaris alba sint, de animabus autem quales sint dissimulando, prætereunt, magisque puniunt transgressores synodalium præceptorum, quam præceptorum Dei. *Matth.* 23. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, qui mundatis, quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapina, & immunditia. Dicit ergo: [Et cum loqueretur.] Forte de eadem sententia, de qua prius, sed aliquo intervallo: Vel, sicut prius dictum est.
b Rogavit illum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se.] Forte causa curiositatis, vel observationis, vel hypocrisis, & simulationis. Sic etiam plerique bonos invitant ad convivia sua: Vel causa simulationis, ut per hoc boni appareant. *Matth.* 6. Attendite, ne justitiam vestram, &c. vel causa observationis, ut reprehendant, *Eccl.* 13. Ne credas multis verbis potentis, ex multa enim, &c.
c Et ingressus recubuit.] Sed quomodo consensit Dominus prandere cum tali, quem sciebat, quod invitabat eum malo fine? Videtur enim facere contra doctrinam suam. *Matth.* 10. In quamcumque civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete. Respondeo propter tria.

Primo, ut exemplum daret, quod a malis possunt accipi eleemosynæ, quæ sunt necessariæ vitæ.

Secundo, quia non erat aperte malus.

Tertio, quia ex præsentia sua, aliqui meliorandi erant.
d Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset,] idest, quare non lavisset manus [ante prandium.] *Matth.* 15. Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducant. Ubi *Chrys.* dicit. Ab ipsa interrogatione capiuntur. Non enim dicit legem Moysi transgrediuntur, sed traditiones, quas Moyses fieri prohibuit. *Deut.* 13. Per totum. Terribiliores esse volebant, quia ipsi legislatores erant, ulciscebantur sua, quæ Dei erant non curantes.
e Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi, quod deforis est calicis, & catini mundatis,] idest, munditiam carnis exterius observatis.
f Quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate.] *Aug.* Hoc contra illos, qui peccata corporalia, quasi gravissima detestantur, spiritualia autem non. *Greg.* Peccata carnalia majoris sunt infamiæ, sed minoris culpæ, spiritualia e converso.

[Quod autem intus est vestrum, plenum est, &c.] *Chrys.* ostendit, quod per calicem, & catinum de hominibus loquitur. Et *inf.* Deus corporum neque munditiam laudat, neque sordes condemnat. Pone tamen si sordes odit vasorum, quanto magis sordes conscientiæ odit.

Et *inf.* Non vasa lavanda sunt aequis, sed conscientia precibus.
g Stulti, nonne, qui fecit, quod deforis est, etiam id quod intus est fecit,] idest, qui fecit corpus, & animam. Hoc contra Manichæos. *Bed.* Quasi, qui fecit utramque naturam, utramque mundari valuit. *Is.* 1. Lavamini, mundi estote.
h Verumtamen,] quasi dicat, non oportet manus corporis lavari aqua materiali, si manus cordis lavantur eleemosynis: Nam sicut aqua materialis mundat sordes materiales, ita eleemosyna mundat sordes spirituales. Unde *Eccl.* 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Sed quia homo debet primo sibi providere necessaria, & postea alii, determinat Dominus, quando, & quomodo debent fieri eleemosynæ, dicens.

Matth. 15.

124. c quia tua. 16. q. 1. c. Decimas de pœn. dist. 10 medicamentum.

h Verumtamen,] supple de eo, [quod superest,] victui necessario.
i Date eleemosynam,] idest, quod residuum est, ultra necessaria victui. Idipsum consulit Apostolus. 2. *Cor.* 8, dicens: Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, &c. Istud similiter intelligendum est de vestimento. Unde *sup.* 3. Qui habet duas tunicas, det unam non habenti. Vel sic. *f* Quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate] non potestis per vos salvari. [verumtamen,] consilium do [quod] solum [superest,] idest, restat post tanta scelera, scilicet, [date eleemosynam] propter Deum.
k Et ecce omnia munda sunt vobis.] Verumtamen ad hoc, quod ordinata sit eleemosyna, & utilis, oportet ut incipiat a seipso. Unde *Eccl.* 30. Miserere animæ tuæ placens Deo. Est autem duplex eleemosyna. Una spiritualis, qua subvenitur animabus. Alia corporalis, qua subvenitur corporibus. Utraque opus misericordiæ est, & bona, sed prima melior. Fit autem utraque eleemosyna septem modis, juxta septem opera misericordiæ, quæ notantur hoc versu.

Duplex eleemosyna.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Versus.

De primo dicitur *Jac.* 1. Religio sancta, &c. *Sup.* 1. Visitavit nos oriens ex alto. De secundo, & tertio dicitur. *Prov.* 25. Si esurierit inimicus tuus, &c. De quarto *Prov.* 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, &c. *Ps.* 25. Redime me, Domine, & miserere mei. De quinto *Is.* 58. Cum videris nudum, operi eum. De sexto *Is.* 55. Egenos, vagosque duc in domum tuam. De septimo, *Tob.* 4. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli. Est autem fructus, sive effectus eleemosynæ multiplex. Primus est, quia de peccatis præteritis veniam impetrat. *Eccl.* 3. Eleemosyna patris, idest, Christi non erit in oblivione: Nam pro peccatis matris restituetur tibi bonum, & sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. Secundus, quia a futura morte, & gehenna liberat. *Tob.* 4. Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patitur animas ire in tenebras. Tertius, quia absolvit a pœna debita pro peccatis. *Dan.* 4. Redime peccata tua eleemosynis. Quartus surgit ex his tribus, scilicet, quod animam mundat: Unde hic, date eleemosynam, & ecce, &c. Quintus, quia fomitis ardorem mitigat. *Eccl.* 3. Ignem ardentem extinguit aqua, &c.

Multiplex effectus eleemosynæ.

Sextus, quia gratiam conservat. *Eccl.* 17. Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis, quasi pupillam conservabit. Septimus, quia diabolum expugnat. *Eccl.* 29. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc exorabit pro te ab omni malo. Et *inf.* Super scutum potentis, & lanceam adversus inimicum tuum pugnabit. Octavus, quia multiplicat amicos, & intercessores *inf.* 15. Facite vobis amicos, &c. *Act.* 9. Circumsteterunt eum omnes viduæ flentes, &c. Nonus, quia vitam prolongat, 1. *Tim.* 4. Pietas ad omnia utilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est futuræ. Decimus, quia Deo assimilat. *Act.* 20. Ipse dixit. Beatius est multo magis dare, quam accipere. Undecimus, quia Deum facit servum sibi. *Prov.* 19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, qui autem accipit multum, servus est fœnerantis. Ergo, &c. Duodecimus, quia fiduciam dat habendi gloriam. *Tob.* 4. Fiducia magna coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. Fit autem eleemosyna

Proverb. 22.

dando,

dando, commodando, dimittendo. Unde *Beda*. Nihil majus eleemosyna, quam ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. Sunt multa, quæ ornant eleemosynam. Primum cordis compassio. *Isa.*58. Cum effuderis esurienti animam tuam, &c. Secundum, dulcedo sermonis. *Eccl.*18. Nonne ardorem refrigerabit ros, sic & verbum melius quam datum. Tertium hilaritas dantis. *Eccl.* 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum. Quartum quantitas dati. *Tob.*4. Si multum fuerit, &c. Quintum dilectio largientis. *Eccles*12. Si benefeceris, scito, cui feceris, &c. Sextum velocitas dandi. *Prov.* 3. de dicas amico, &c. Septimum est rectitudo intentionis. *Matth.* 6. Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.

Multa ornant eleemosynam.

F

Matth. 23.

a Sed væ vobis Pharisæi, *b* qui decimatis *c* mentham, & rutam, & omne olus, & *d* præteritis judicium, & charitatem Dei. *e* Hæc autem *f* oportuit facere, & *g* illa non omittere. Væ *h* vobis Pharisæis, qui diligitis primas cathedras in Synagogis, *i* & salutationes in foro. Væ *k* vobis, qui estis, ut monumenta, quæ non parent, & *l* homines ambulantes supra nesciunt. *m* Respondens autem quidam ex legisperitis, *n* ait illi: Magister, hæc dicens etiam contumeliã nobis facis. At *o* ille ait: Et vobis legisperitis vę, *p* qui oneratis homines oneribus, quę *q* portare non possunt, & ipsi *r* uno digito vestro

a Sed væ vobis Pharisæi.] Octava pars, & ultima capituli ubi Dominus redarguens hypocrisim, & arrogantiam Pharisæorum imprecatur eis, primo triplex væ, & post alia tria. Primum propter avaritiam, secundum propter ambitionem, tertium propter hypocrisim. Primo ergo reprehendit avaritiam, quia ipsa est radix omnium malorum, ut dicitur. 1. *Tim.*6. Pharisæi enim, & sacerdotes occasione decimarum quas Dominus jusserat dare Levitis ad eorum sustentationem, etiam minutissima decimabant, vel dando, vel recipiendo. Erant enim inter eos quidam populares, qui dabant decimas, qui etiam de vilibus, & inutilibus, scilicet mentha, & rutha, & cymino dabant decimas pro simulatione religionis, sive pro captando favore humano. Quidam erant sacerdotes, qui accipiebant. Utrique minuta decimabant, & peccata maxima negligebant. Et super hoc reprehendit eos Dominus, magis attendens, ut credo, tempora nostra quam illa: Nunc enim omnes fere tam Prælati, quam subditi, tam laici, quam clerici contemptis operibus charitatis, student avaritiæ, & cupiditati. Unde *Isa.*56. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam *Jer.*6. A minore usque ad majorem, &c. De decimis autem habemus. *Exod.*22. *Levit.* *Numer.*18. *Deut.*12. 14. & 18. 26. *Malach.*3. *Matth.* 23. & hic. Et nota, quia tres erant decimationes in lege. Una debita, quæ dabatur Levitis de omnibus frugibus. Altera media, idest, partim spontanea, partim debita, ut illæ oblationes, quæ fiebant in scenopegia, in Pascha, & in Pentecoste. Quæ ideo dicebantur mediæ, quia pro libito suo licebat eis offerre: ergo quia aliqui forte plus offerebant, cum liceret eis minus offerre, secundum hoc dicebantur spontaneæ. Quia vero oblationem prætermittere non licebat, ideo debitæ. Quædam vero spontaneæ erant, utpote quæ sola gratia dabantur. In omnibus his decimationibus excedebant alios Pharisæi, sed non intentione bona hoc faciebant. Quia ergo dixerat Dominus: Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis, ne crederet aliquis Pharisæos, qui multas eleemosynas dabant, esse mundos, ostendit eos esse immundos, quia non pura intentione hoc agebant, sed ex avaritia, & ambitione, pro favore humano: Et hoc est: [Sed væ vobis,] q. d. Omnia sunt munda facientibus eleemosynam. Sed væ, idest, æterna damnatio imminet, vobis Pharisæis, licet multas eleemosynas detis, quia non pure datis.

Octava pars.

b Qui decimatis] idest, decimas requiritis. Vel, [Decimatis,] idest, decimas datis. *inf.*18. dicit Pharisæus; Decimas do omnium, quæ possideo.

c Mentham, & rutam, & omne olus] idest, quælibet minuta. *d* Et præteritis judicium, & charitatem Dei] *Chr.* Judicium quantum ad judices, charitas quantum ad privatos. *Chr.* In causam Scribarum, & Pharisæorum cadere videntur multi, qui videntur Ecclesiam honorare, avaritiam præponentes charitati, litigantes invicem.

Et *inf.* Sicut meretrix adulterium, idipsum putat, & virum.

e Hæc autem,] scilicet judicium, & charitatem.

f Oportuit facere] primo loco.

g Et illa,] scilicet eleemosynas fructuum [non omittere.] *Chrys.* Justitiam, misericordiam, & fidem propter suam gloriam mandavit Deus, decimas autem propter Sacerdotes.

Et *infr.* Sacerdotes de suo lucro solicite agebant, de gloria Dei, & salute hominum negligebant, ideo dicit, Væ Et *Infr.* Omnes de suo honore soliciti sunt, de honore Dei nullus: suas portiones vigilanter defendunt, obsequium Ecclesiæ non attendunt.

h Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in Synagogis.] Hic redarguit arrogantiam, qua primatus appetunt. *Psal.*1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, &c. *Matth.*27. Super cathedram Moysi, &c. *Eccl.* 7. Noli quærere ab homine ducatum neque a rege cathedram honoris.

Matth. 23.

i Et salutationes in foro.] *Rab.* Culpa non caret, si idem in foro litibus intendunt, qui in cathedra Moysi, & synagogæ magistri cupiunt appellari. *Jac.*3. Fratres nolite plures magistri fieri. *Eccl.*7. Noli quærere fieri judex, &c. *Chrys.* Vocari volunt, non esse, nomen appetunt, officium negligunt. *Exod.*20. Non assumes nomen Dei tui in vanum.

Sequitur, *k* Væ vobis, qui estis, ut monumenta, quæ non parent,] *Beda*. Hic superstitionem ipsorum doctorum redarguit, qui foris speciem rectæ doctrinæ prætendunt, fœditatem vero, quam intus gerunt, occultant. Arguit ergo hic de hypocrisi. Et dicit *Chr.* Quanta hinc Ecclesiis Dei orta sunt mala? Et ideo comminatur eis Dominus, dicens.

k Væ vobis, qui estis, ut monumenta, quæ non parent,] qualia intus sint.

l Et homines ambulantes supra nesciunt] & ideo credunt de facili doctrinæ vestræ. *Chrys.* Sepulchrum, quamdiu clausum est pulchrum videtur, si vero apertum fuerit, horribile, sic simulatores quamdiu non cognoscuntur laudabiles sunt, cum autem cogniti fuerint, abominabiles sunt. *Psal.*5. Sepulchrum patens est, &c. Nota, sepulchrum dicitur quasi semipulchrum. Tales sunt hypocritæ exterius nitidi, interius fœtidi. Unde patet, quod non sunt filii sponsæ, idest, Ecclesiæ, quæ dicit *Cant.* 1. Nigra sum, sed formosa, &c. *Chrys.* Justorum corpora templa dicuntur. 1. *Cor.*6. Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, &c. Corpora peccatorum sepulchra dicuntur, quia anima mortua est in corpore peccatoris. Nec enim viva putanda est, quia nihil vivum, i. spiritituale agit in corpore. Ex motu perpenditur, quod vivat animal. *Chrys.* Dic hypocrita, si bonum est bonum esse? Ut quid non vis esse quod vis apparere? Et *infr.* Quod turpe est apparere, turpius est esse. Et *inf.* Ergo aut esto, quod appares, aut appare, quod es.

m Respondens autem quidam, &c.] Dominus imprecatus est Pharisæis æternum væ, propter tria sicut patet ex præmissis. Audiens ergo quidam ex legisperitis quia Dominus hic eos argueret, urgente propria conscientia, non potuit continere, quin Domino responderet, quasi conquerens Domino, quod contumeliosa verba loquatur contra eos. Unde Dominus quasi indignatus imprecatur etiam ipsis legisperitis væ. Et hoc est, quod hic dicitur: [Respondens autem quidam ex legisperitis,] quem conscientia accusabat, & convincebat esse reum.

n Ait illi: Magister hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.] Non faciebat contumeliam, sed veritatem dicebat.

o At ille ait. Et vobis legisperitis væ] quasi nondum specialiter, & nomine expresso imprecatus fueram vobis, sed modo imprecor.

p Qui oneratis homines oneribus,] supple *legis*.

q Quæ portare non possunt,] idest, præcipitis hominibus, ut impleant omnia legis præcepta, cum vos non impleatis etiam minima: Væ enim doctori, qui, quæ præcipit, in propria persona non facit. Ideo autem præcipiebant omnia, quia in lege continentur. *Deut.*27. Maledictus, qui non audierit, & fecerit omnia verba legis hujus. [Quæ portare non possunt,] quantum ad litteram. De facili portantur quantum ad spiritualem intelligentiam. *Act.*15. Hoc est onus, &c. *r* Et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas] legis, idest nec in minimis perficitis, quia lex sine gratia nequit impleri, quam non habetis, quia a me non quæritis. Gratia impetrat, quod lex imperat. Vel, [Oneratis oneribus,] pœnitentiæ, quia injungunt ita gravem pœnitentiam, quod portari non potest. Hi significantur per Roboam. 3. *Reg.* 12. Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem, &c.

Non

C

non a tangitis sarcinas. b Væ vobis, qui ædificatis monumenta, Prophetarum, c patres autem vestri occiderunt illos. d Profecto testificamini, quod consentitis e operibus patrum vestrorum, quoniam quidem ipsi eos occiderunt, vos autem f ædificatis eorum sepulchra. g Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam h ad illos prophetas, & Apostolos, & ex illis occident, & k persequentur, ut l inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi, a generatione ista,

a Non tangitis sarcinas] pœnitentiæ, quam iojungitis *Rab.* Hoc generaliter contra omnes magistros, qui grandia docent, & minora faciunt. Similiter sacerdotes, qui grande pondus venientibus ad confessionem imponunt, & sic dum pœna peccati præsentis fugitur, pœna futuri contemnitur. Si enim falcem super humeros adolescentis, quem non potest bajulare posueris, necesse habet, ut aut falcem rejiciat, aut sub pondere constringatur. Sic ille, cui grave pondus imposueris, necesse est aut pœnitentiam rejiciat, aut suscipiens dum ferre non potest scandalizatus amplius peccet. *Chrysostomus* Si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam dare rationem, quam propter crudelitatem? Ubi paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus, ut quid sacerdos est austerus? Vis apparere sanctus? Circa tuam vitam esto austerus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parva mandantem, & gravia facientem. Talis est Sacerdos, qui indulget sibi, & alios gravat, quemadmodum malus descriptor tributi in civitate, qui se relevat, & onerat impotentes. Contra hos dicitur *Deut. cap.* 25. Non habebis in sacculo tuo diversa pondera, &c. *Levit. cap.* 19. Statera justa, &c. *Prov. c.*20. Pondus, & pondus, &c. *Joan. cap.* 11. Solvite eum, & sinite abire.

b Væ vobis, qui ædificatis] ambitiose ornando, & servando [monumenta prophetarum.] Hic arguuntur Scribæ, & Pharisæi de vana gloria, quia omnia opera sua faciebant ob laudes hominum. Ponitur autem exemplum de uno opere quod faciebant, in quo se magis culpabiles per consequens ostendebant. Ædificabant enim sepulchra prophetarum quos patres eorum occiderant. Et hoc quidem bonum erat, sed non bona intentione, nec in bono statu faciebant, quia sola laude hominum hoc faciebant, in peccatis. Erant enim patrum suorum imitatores factis, licet dicerent se non consentire Patribus in nece prophetarum. Quod aperte falsum est, quia ipsi occiderunt Dominum prophetarum.

Unde *Matth. cap.* 23. Testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui occiderunt Prophetas, & vos implete mensuram patrum vestrorum. Nec solum propter illos scriptum est hoc, imo propter multos, qui modo sunt *Romanor.* 15. Quæcumque scripta sunt, &c. *Chrys.* Si illis solis dixisset hæc, dicta fuissent, & non scripta. Et *infr.* Patres Judæorum mortui sunt, filii autem vivunt, mortuorum sanctorum cultores, & vivorum persecutores. Ficte simulabant quidam se ob favorem vulgi captandum, patrum suorum horrere perfidiam, monumenta Prophetarum, qui ab eis occisi sunt, magnifice ornando, sed ipso opere testificantur, quantum paternæ nequitiæ consentiant.

Item *Chrys.* Quidam ædificant martyria, vel violentiam faciunt aliis, sed non gaudent martyres, quando illis pecuniis honorantur, pro quibus pauperes plorant. Qualis est illa justitia honorare mortuos, & expoliare viventes? *Ecclesiast. cap.* 34. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris.

c Patres autem vestri occiderunt illos.] *Chrys.* Quæ est justitia Sanctos colere, & sanctitatem condemnare? Semper Judæi fuerunt præteritorum, & Sanctorum cultores, præsentium contemptores, quia non sustinentes increpationes Prophetarum, occidebant eos.

Primus gradus pietatis est sanctitatem colere, deinde sanctos, quia non Sancti ante sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante Sanctos.

d Profecto testificamini,] *Chrys.* qui estis filii homicidarum, eo [quod consentitis operibus patrum vestrorum.] Testificamini exemplo operum.

Unde *Hieron.* Contra vosmetipsos testes estis. Opere enim vos esse imitatores patrum vestrorum testificamini, quorum facinora verbo detestamini. *Matth. c.*23. Si fuissemus, &c. *Chrys.* Alter alterius culpam facile intelligit, suam difficile.

Et *inf.* Exemplum de Episcopis. Et *inf.* Ille vere justus, & sapiens est, qui sibi judex esse potest.

Nota ergo, quia dupliciter testificabantur se esse imitatores patrum suorum, in malis scilicet, quia Christum & Apostolos persequebantur, sicut illi Prophetas. Item quia hoc bonum, quod faciebant, scilicet ornando sepulchra non bene faciebant, quia pro vana gloria.

e Quoniam quidem ipsi eos occiderunt.] Et nunc multi occidunt Prophetas, non permittentes veritatem, & justitiam, pro qua mortui sunt, prædicari. *Isa.* 30. Filii nolentes audire verbum Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre.

Moraliter.

f Vos autem ædificatis eorum sepulchra,] ambitiose ornando. Et in hoc estis accusatores paternorum facinorum. Sepulchrum dicitur quasi semipulchrum, & significant hypocritas, qui habent pulchritudinem exteriorem, sed carent interiori.

Sepulchra ergo ædificat, quicumque vult apparere bonus exterius, cum sit malus interius.

Dicit autem *Chrysostomus*, quod sepulchra non fiunt in civitate, sed in interno proprie, ubi est locus eorum. *Isa.* 33. Contriti sunt in Sion peccatores, possedit timor hypocritas.

g Propterea, & sapientia Dei dixit,] idest, ab æterno disposuit, vel ex tempore dixit per me hominem, vel per Evangelistam.

Mittam ad illos Prophetas, &c.] Vel [dixit] per Prophetas. Unde *Chrys.* Quamvis his verbis non dicat Propheta, sensus tamen horum verborum invenitur.

Unde *Ezech. c.* 2. Et mittam legatos ad gentes apostatrices. *Isa. c.*18. ite Angeli veloces ad gentem convulsam.

g Mittam ad illos Prophetas, & Apostolos.] Idem est ergo auctor veteris, & novi Testamenti. Mentitur ergo hæreticus dogmatizans vetus datum esse a diabolo.

i Et ex illis occident.] Ut Jacobum. *Actuum duodecimo.*

k Et persequentur,] ut non recepti ab eis, transirent ad gentes. *Act.* 13. *Matth.* 10. Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. *Chrysostomus.* Verba divina quamvis rustica, & incomposita, viva sunt. *Joan.* 6. Verba viva habes. Omnia autem verba sæcularia quamvis composita, & ingeniosa, mortua sunt, quoniam in venis non habent veritatem Dei. *Prov.* 10. Vena vitæ os justi.

Et *infr.* Quoties veritatem verborum gladio maligni verbi corrumpunt, occidunt Prophetas, & Apostolos, & sanguinem eorum verborum, & veritatem effundunt, illi lapidant, qui blasphemant.

l Ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista.] *Chr.* Quid ergo aliorum peccata vindicat Deus in istis? Si soli passi sunt talia, cum non soli peccassent, sicut multis servis peccantibus castigatur unus pro suo peccato, & videtur pro omnibus flagellatus, quia pertulit solus, quod & aliis est promissum.

Chrysostomus. [Ut inquiratur,] quasi dicat, vos audistis de Cain, & de ceteris malis factam vindictam, & non estis per exempla eorum correcti, unde graviori pœna feriemini, & venient super vos exempla priorum, quæ non timuistis.

Tempore Abel justi, Judæi non fuerunt, mali autem fuerunt.

Quantum ad hominem, multæ sunt generationes, quantum ad Deum, duæ, bonorum una, altera malorum.

Bonis promisit Deus per singulas Generationes Christum venturum, præstitit autem novissimis sanctis, ita per singulas generationes comminatus est malis, reddidit autem generationi novissimæ. Nunquam talis gratia ab initio mundi data est hominibus, qualis in Christo, ut talis interitus venit super impios, sicut super Judæos. Sicut pii communicant meritis Christi, ita impii, & maxime invidi demeritis diaboli. Diabolus autem pro omni peccato punitur, quod suggerendo suum fecit, & invidi similiter, quibus bona displicent, & mala placent.

Nota, quia per hoc pronomen [ista,] non fit demonstratio ad generationem Judæorum, quia non omnes occisi sunt a Judæis, sed *Gloss.* determinat de generatione ista, idest, malorum: Omnes enim mali una generatio sunt, sicut dicit *Beda*.

a A sanguine

a A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ.] Iste Zacharias filius fuit Jojadæ sacerdotis, & mortuo patre suo occisus est a Joas rege Israel, quia corripiebat eum. 2. *Par*.2.4. *b* Qui periit] idest, occisus est,

c Inter altare] holocaustorum.

d Et ædem] idest, templum, Duo erant altaria in templo. *Exod*. 30. Unum incensi interius, aliud holocaustorum exterius. *Exod*. 40. Inter quod templum Zacharias occisus est. Sed cur iste specialiter nominatus est, quasi fuerit ultimus, cum tamen multi post ipsum occisi fuerint a generatione illa ante Christi nativitatem, & Christo nato mox pueri occisi? Ideo isti duo specialiter positi sunt, quia alter fuit laicus, alter sacerdos, ut per eos significentur duo genera martyrum, alii laici, alii divinis obsequiis mancipati.

Matth. 23.

A

e Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.] Repetit in majorem confirmationem.

Moraliter,

Moraliter. Cain occidit Abel, idest, possessæ divitiæ luctum pœnitentiæ. Cain possessio, Abel luctus interpretatur. *sup*.6. Væ vobis divitibus, &c. Lugere enim necesse est, vel hic, vel in futuro. Boni modo lugent, sed ridebunt in futuro sine fine. *Joan*. 16. Plorabitis, &c. E contrario mali modo rident cum mundo, sed lugebunt in futuro sine fine. *Prov*.14. Extrema gaudii luctus occupat, &c. Item Joas occidit Zachariam, idest, abundantia temporalis Domini memoriam. Joas enim interpretatur temporalis. Zacharias, memor Domini, vel memorans Dominum. *Genes*. 40. Succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui. *Job* 16. Terra, ne operias sanguinem meum.

f Væ vobis, &c.] Hic arguit sapientes de malo suo exemplo, quo corrumpunt alios, quia etiam error sapientum facile trahitur in exemplum. Sapientes autem dupliciter peccabant, & peccant adhuc. Primo quia pravis expositionibus, aut obscuris januam intelligentiæ claudunt auditoribus, & ita nec ipsi intrant, nec alios sinunt intrare in regnum cœlorum, idest, intelligentiam scripturarum. Unde *Matth*. 23. Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines, &c. Secundo regnum cœlorum claudunt hominibus, si quos verbo ædificant exemplo scandalizant, & ita nec ipsi intrant, nec alios intrare permittunt. Unde dicit. *f* Væ vobis legisperitis, qui tulistis] idest, abstulistis. *g* Clavem scientiæ,] idest, humilitatem. *Prov*. 11. Ubi humilitas, ibi & sapientia. *Joan*.4. Puteus altus est, & in quo haurias, &c. *Beda*. Clavis humilitas Christi, quam qui habent, Scripturas intelligunt. *Isa*.22. Dabo clavem domus David super humerum ejus. Hanc legisperiti, nec ipsi in lege, ac prophetis intelligunt, nec alios intelligere volunt, nec ab aliis intelligi volunt. Unde sequitur. *h* Ipsi non introistis] intelligendo. *i* Et eos, qui introibant, prohibuistis.] *Chr*. Non dicit væ, qui non aperitis, sed qui clauditis. *Chrys*. Lex, & Prophetæ Christi adventum manifeste prædicabant, sed hanc januam intellectus pravis expositionibus claudebant. *Chr*. Clavicularii sunt sacerdotes. Et *inf*. Claves scripturarum verbum scientiæ, quo aperitur janua veritatis, Nota *Matt*.13. ponit octo væ, *sup*. ponuntur 6.cap. quatuor, hic autem sex. k Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi, & legisperiti graviter insistere,] idest, sustinere, Tales enim gravius ferunt correctiones. *Eccl*. 21. Qui odit correctionem, vestigium est peccatoris. *l* Et os ejus opprimere] quia dixerat veritatem. Adhuc qui diceret veritatem aperte inveniret, qui os ejus opprimeret. Multos enim habet adversarios veritas, & paucos defensores. *Is*.59. Facta est in oblivionem veritas, & qui recessit a malo, prædæ patuit. *m* De multis insidiantes ei, & quærentes capere aliquid ex ore ejus, ut accusarent eum.] *Matt*.22. Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut Jesum caperent in sermone, præ turbis injicere in eum manus aperte non audebant, &c.

a *a* sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, *b* qui periit *c* inter altare, *d* & ædem. *e* Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione, Væ *f* vobis legisperitis, qui tulistis *g* clavē scientiæ, ipsi non *h* introistis, & *i* eos, qui introibant, prohibuistis. k Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi, & legisperiti graviter insistere, & *l* os ejus opprimere *m* de multis insidiantes ei, & quærentes capere aliquid ex ore ejus, ut accusarent eum,

CAP. XII.

Multis *n* autem turbis circumstantibus, *o* ita ut se invicem conculcarent, cœpit *p* dicere ad discipulos suos: Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypo-

EXPOSITIO CAP. XII.

Multis autem turbis, &c.] Supra redarguit Dominus scribas, & Pharisæos de multis: In hoc autem cap. instruit discipulos suos in multis. Dividitur autem istud cap. in septem partes.

In prima hortatur fugere hypocrisim, quæ maculat intentionem.

In secunda hortatur fugere timorem humanum, qui impedit veritatis prædicationem, ibi, [Dico autem vobis amicis.]

In tertia dehortatur avaritiam, & sollicitudinem temporalem, ibi, [Ait autem illi quidam.]

In quarta hortatur eos ad continentiam, & sollicitudinem spiritualem, ibi: [Sint lumbi vestri præcincti.]

In quinta hortatur discipulos ad tolerantiam passionum, agens de adventu ad judicium, & passione sua, ibi: [Ignem veni.]

Matth. 16, *Marc*. 8.

In sexta arguit turbas, in quibus erant Pharisæi, qui nec primi, nec secundi adventus Domini tempus attenderunt, vel signa, cum ex Prophetis certum indicium utriusque adventus habere potuissent, ibi: [Dicebat autem & ad turbas.]

In septima, & ultima parte invitat omnes ad conculcandas mundi illecebras, & præstulandum secundum adventum, ibi, [Cum autem vadis cum adversario tuo.] Dicit ergo.

n Multis autem turbis circumstantibus,] quæ ad Dominum veniebant ex diversis causis, ut sæpe dictum est.

o Ita ut se invicem conculcarent,] Omnes enim volebant esse propinquiores ei, vel tangere eum, quia ad tactum ejus multi curabantur. Unde *sup*.6. Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat.

p Cœpit dicere ad discipulos suos: Attendite a fermento pharisæorum quod est hypocrisis,] idest, cavere, ne sitis hypocritæ sicut pharisæi. Multiplicem etiam pharisæorum superstitionem generali nomine appellat fermentum, idest, corruptionem.

Dicitur autem hypocrisis fermentum, quia minora opera facit majora videri, & quia modica hypocrisis totam massam corrumpit. 1.*Cor*.15. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit.

Dicitur autem fermentum, & perversa doctrina scribarum, quæ in suum saporem trahit, sicut dicit *Hieron*. *super Matth*. 16. Et sic est duplex fermentum, scilicet perversitas doctrinæ, & simulatio vitæ. De quo 1.*Cor*.5. Expurgate vetus fermentum. Et *infr*. Epulemur non in fermento malitiæ, & nequitiæ. Fermentum malitiæ est perversitas doctrinæ, quam facit cupiditas. Fermentum nequitiæ est simulatio vitæ, quam facit hypocrisis. Hoc duplici fermento tota Ecclesia Dei hodie est fermentata. Unde *Osee* 7. Quievit paululum civitas a commotione fermenti donec fermentaretur totum. Hoc fermentum prohibetur: *Exod*. *c*.12. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris: Qui comederit, &c.

Item *Exod*.*c*.23. Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ, idest, perverse docens, & hypocrita non communicabit corpori, & sanguini Christi. Hoc duplex fermentum fervet per avaritiam. *Jer*. *cap*.20. Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis æstuans.

Item alit, idest, temporalibus replet. *infra* 15. Filius Prodigus, &c.

Item saporem alienum dat pastæ, ita hypocrisis, & perversa doctrina. *Prov* 9. Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.

Item fermentum acrescere facit dentes comedentium, sic & ista. *Ezech*. *c*.18. Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.

Item azyma partes habet consertas, fermentum separatas, sic ista concordiam destruunt. *Mich*. 3. Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant, &c.

Item fermentum penetrat, sic & ista. *Eccl*.24. Penetrabo omnes partes inferiores terræ.

Item fermentum duplicis est substantiæ, sic ista duplicitatis, *Ecclesiastic*. 2. Væ duplici corde, & labiis, &c.

Item inflativum est, sic ista. 1. *Corinth*. 8. Scientia inflat.

Item cutem rumpit, & saniem extrahit, sic ista fœdera rumpunt. *Prov*,

paut. *Prov.*13. Inter superbos semper jurgia sunt. Item fermentum vas clausum rumpit, sic ista cor. *Job* 32. En venter meus, &c.

Matth 10. Item indurat pastam, & ista cor. *Job* 39. Induratur ad filios, quasi non sint sui. De hoc *Versus*.

Fervet, alit, sapidat, acidat, liquidat, vorat, inflat.
Vas clausum frangit, janiem trahit, est duo, durat.

a Nihil, &c.] quasi dicat, non debetis esse hypocritæ sicut Pharisæi, quia veniet tempus, in quo & vestra, & illorum intentio omnibus manifestabitur.

11. q.3.c. nolite timere, 11. q.3. [illegible]

b Autem,] id est, quia.

a Nihil opertum est, quod non reveletur, neque absconditum, quod non sciatur.] 1.*Cor.* 4. Veniet Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Opertum pertinet ad cogitationes, abscondita ad opera. *Sapient. c.6.* Data est vobis potestas a Domino, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur.

crisis, *a* Nihil *b* autem opertum est, quod non reveletur, neque absconditum, quod non sciatur. *c* Quoniam quæ in tenebris dixistis, in *d* lumine dicentur, & quod in *e* aure locuti estis in cubiculis, *f* prædicabitur in tectis. *g* Dico autem vobis amicis meis, *h* ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & *i* post hoc non habent amplius quid faciant. *k* Ostendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum, qui *l* postquam occiderit, *m* habet potestatem mittere in gehennam. *n* Ita dico vobis hunc timete. *o* Nonne quinque passeres *p* væneunt dipondio,

c Quoniam, quæ in tenebris, &c.] Quasi non solum patebunt ista in futuro, sed etiam in præsenti Ecclesia, Quoniam, quæ in tenebris dixistis, idest, in obscuris carceribus.

Secunda pars.

d In lumine,] idest, in evidenti dicentur, idest, actus vestri prædicabuntur publice in Ecclesiis. Vel sic. [Nihil opertum, &c. Quoniam, quæ in tenebris, &c.] id est, nihil modo timide, & quasi latenter dicitis, quod non sitis dicturi in manifesto, postquam roborati eritis virtute spiritus ex alto. *e* Et quod in aure locuti estis in cubiculis] idest, privatim, *Eccl.c.*10. In secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti.

f Prædicabitur in tectis] idest, palam. Vel sic. [Nihil opertum, &c. Quoniam, quæ in tenebris dixistis,] idest, in mysterio.

d In lumine] idest, aperte, idest, nihil modo dicitur mystice, quod, non sit aperte dicendum. Sequitur.

g Dico autem, &c.] *Beda*. Quia duo sunt genera persecutorum, unum aperte persequentium, alterum fraudulenter blandientium, sicut contra hypocrisim, ita hic armat contra carnifices. Unde dicit. [Dico autem vobis amicis meis,] qui nihil terrenum cupitis: Quia amicus hujus mundi inimicus Dei constituitur. *Jacob* 4.

h Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus,] propter multitudinem, vel ferocitatem eorum. *Chr.* Omnia mala operatur timor mortis, omnia bona contemptus mortis. *Isai.* 51. Quis tu, ut timeas ab homine mortali? *Jer.*10. Nolite metuere, quæ timent gentes. 1. *Mach.* 2. A verbis viri peccatoris ne timueritis, &c. *Sen.* Mors, exilium, luctus, dolor non sunt supplicia, sed tributa vivendi, quod debeo, paratus sum solvere, ubi me fenerator appellat. Sed multi cum requiruntur, ut solvant debitum, postulant inducias, cum tamen possint solvere statim quasi mali debitores. *Eccl.*29. Multi quasi inventionem æstimaverunt fœnus, &c.

Item *Chrys.* Si propter timorem eorum, qui occidunt corpus, tacere veritatem, impietas est, quomodo non sit impietas major propter miserum ventrem, & spem vani honoris tacere veritatem, meliorem facere gloriam panis, & honoris quam gloriam veritatis Dei? *Prov.* 29. Qui timet hominem, cito corruet, & qui sperat in Domino sublevabitur. *i* Et post hoc non habent amplius quid faciant,] quia animæ nihil possunt nocere. *Chr.* Si gratis post modicum morituri sumus, quare non & ante modicum in causa Dei cum gloria morimur, ut fiat voluntarium, quod futurum est necessarium? Et *inf.* Si mutuo acceperis bovem, aut equum, operaris instanter & dicis, forte cras tolletur a me, quare hoc non facis & in corpore. *k* Ostendam autem vobis, quem timeatis: Timete eum,] idest, ei servite in timore filiali, scilicet de quo *Eccl.*1. Timor Domini scientiæ religiositas. *Chrys.* Nunc e contrario fit.

l Qui postquam occiderit] corporaliter.

m Habet potestatem mittere in gehennam] idest, in æterna supplicia. *Chrys.* Qui occidi non timet, multo magis carnalia contemnit. Et *inf.* In natura creavit timere carnalia mala, & diligere bona, ut per timorem carnalium magis timeamus spiritualia. *n* Ita dico vobis, hunc] non alium [timete.] *Isa.* 51. Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. *Isa.* 8. Dominum exercituum ipsum sanctificate, & ipse sit pavor vester, & ipse terror vester. *Chrys.* Propter animam Deus fecit corpus, & multum hanc zelat, & hanc persequitur inimicus, propter hanc venit Christus. Corpus vestimentum est animæ. Unde 2.*Cor.*5 Nolumus expoliari, sed supervestiri. Sicut ergo, si quis scindat vestem alterius, ille quidem injuriam sentit, damnum non patitur in natura. Sic anima occisionis sentit dolorem, damnum autem non patitur in natura. *o* Nonne quinque passeres, &c.] Dominus discipulis suis contra rabiem persecutorum, contra tyrannos terrarum fortitudinem indixerat dicens, ne terreamini. Sed quia durum videtur homini, non timere occisorem, non timere mortem imminentem, adhuc persuadet idipsum eis. Nam quia illud abhorrere solet humanæ naturæ fragilitas, & humana conditio, necessaria erit multiplex persuasio. Persuadet ergo discipulis tolerantiam mortis, & pressurarum, ex tribus.

Primo persadet eis, quod hæc timere non debent, quia non patiuntur ea præter conscientiam, & voluntatem patris sui Dei, qui circa eos talia fieri non permitteret, nisi sciret eis expedire. Tyranni quidem inferunt eis passiones contra voluntatem Dei.

Non enim actiones tyrannorum approbat, sed passiones Sanctorum, quæ pretiosæ sunt in conspectu ejus.

Secundo persuadet eis, quod non debent hæc timere, quia ex his corpora eorum nihil patiuntur incommodi. Licet enim hic variis tormentis distrahuntur, & per qualcumque mortes hic transeant corpora humana, non est dubium de veritate humanæ naturæ, quin totum restituatur in resurrectione.

Tertio persuadet eis hæc ex promissione præmii. Primo ergo ostendit, quia non patiuntur hæc præter voluntatem, & conscientiam Dei.

Habet enim Deus in memoria passiones eorum. Quod probat ex minoribus. Si enim non sunt in oblivione vilia, multo minus pretiosa. *Gloss.* Nolite timere mortem corporis, qui mori non potestis sine nutu Dei, quod in minoribus liquet.

Unde dicit: [Nonne quinque passeres væneunt dipondio.] *Isidor.* Dipondius dicitur quasi duo pondera, pondus autem pro libra accipitur continens duodecim uncias, hic autem pro moneta.

Nota ergo, quia as solet esse nomen ponderis, quod non recipit divisionem, non dico pro sui parvitate, quod per particulas non possit dividi, sed quantum ad nomina, & pondera, quia non sunt nomina imposita partibus ejus, nec ponderatores solent illud dividere. Ex duobus autem assibus conficitur dipondius, & hoc primum in ponderibus recipit divisionem, sicut principium numerorum indivisibile est, scilicet unitas, ab ea tamen surgit binarius, qui dividitur in duas unitates. *Beda*. Dipondius est pondus ex duobus assibus compositum. Quod autem in numeris est unum, hoc in ponderibus as, quod duo, hoc dipondius, idest, quam proprietatem habet unitas in numeris, eamdem habet as in ponderibus. Item nota quod

*A Matth.*10.

o Nonne quinque passeres, &c.]

Moraliter.

Moraliter. Per quinque passeres significantur omnes pœnitentes, quinque sensibus corporis utentes. Qui *p* Væneunt dipondio,] id est, duplici pretio scilicet. gaudio spei, quod Dominus dat in præsenti ad consolandum, & gaudio rei, quod dabit in futuro ad fruendum, & beate vivendum. Pro hoc duplici pretio debet se vendere quilibet pœnitens ipsi Domino. Et hoc ipse promittit. *Matth. decimonono*. Omnis, qui reliquerit domum, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Vel dipondius, pro quo se vendit pœnitens, est duplex stola, quam Dominus dabit omnibus pœnitentibus. *Proverbiorum trigesimoprimo*. Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. *Isa.*61. In terra sua duplicia possi-

* debunt, &c.

Matth. 10. dicitur, Duo passeres asse veneunt, hic dicitur quod quinque veneunt dipodio. Sicut vides, quod si dentur quinque ova pro obolo, tamen si quis non velit emere nisi dimidiam obolatam, non dantur ei nisi duo. *a* Et unus, &c. coram Deo.] *Beda*. Sed sunt omnia sub providentia Dei, quanto magis nos ad imaginem Dei facti? *Chrys.* Si passer, quia Dei creatura est, non est in eventu, multo magis nec justos, qui imago est Dei. Sed quid est, quod hic dicitur curam esse Deo de passeribus, cum Apostolus dicat, quia non est cura de bobus Deo. 1. *Cor.* 9. Vide ego, quia cura Dei dicitur scientia Dei, sic de omnibus habet curam. Cura etiam Dei dicitur doctrina, & regula vivendi, & ita de solis hominibus habet curam, quia brutis animalibus non dat curam, & præcepta vivendi. De passeribus autem posuit Dominus exemplum, quia sunt aves civitatenses, & notæ, & circumspectæ. Dicit etiam *Rab.* quod masculi passeres non vivunt nisi uno anno, feminæ vero plus.

B *a* & unus ex illis non est in oblivione coram Deo? *b* Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. *c* Nolite ergo timere, *d* multis passeribus pluris estis vos. *e* Dico *f* autem vobis. Omnis, quicumque confessus fuerit me *g* coram hominibus, & *h* filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. *i* Qui autem negaverit *k* me *l* coram hominibus, *m* denegabitur coram Angelis Dei, Et *n* omnis,

Item a pueris occiduntur. Item in lege immolabantur. Unde *Lev.* 14. præcipitur, ut leprosus mundandus duus passeres offerret, unus immolatur, alter avolare dimittitur, Immolandus autem in vase fictili offerebatur, alter in eius sanguine tingebatur,

Mystice. Mystice. Passer in vase fictili oblatus, & postea immolatus, Christus est in carne fragili captus, & crucifixus. Alter passer est pœniteus in sanguine, idest, memoria, & imitatione Dominicæ passionis tinctus cum hyssopo fidei, & cedro spei, & cocco charitatis, & sic vivus dimittitur avolare in agrum Ecclesiæ, ut in eo laborando proficiat ad vitam. *Psalm.* 101. Factus sum sicut passer solitarius in tecto. Et alibi. *Psal.* 83. Passer invenit sibi domum, &c.

Moraliter. * debunt, &c. *a* Et unus ex illis non est in oblivione coram Deo.] *Isa.* 49. Nunquid potest mulier, &c. *Psal.* 9. Quoniam non in finem oblivio erit, &c. *Chrys.* Si passer eventu nec cadit, nec moritur, quanto magis homo justus non est positus in eventu. Si sine ratione nihil agitur in his, quorum pretium est unus as, quanto magis in his, quorum pretium est sanguis Christi.

Mystice. Mystice, Per duos passeres secundum Matthæum significantur corpus, & anima. Et satis convenienter per volatilia significantur, quia naturaliter eis inditum est a Deo, ut volent ad sublimia. De anima constat, quod naturaliter tendit ad superna. Corpori etiam datum est os sublime, ut intueatur cœlum. Prosequere hoc mystice secundum *Gloss.*

b Sed capilli capitis vestri omnes numerati sunt.] *Beda*. Ut de massa corporis taceam. Nam & minimæ particulæ Dei providentia conservantur. Et persuadet eis Dominus hic ea secundo, scilicet quia hujusmodi pressuris nihil incommodi patienter corpora eorum, quia omnes capilli, idest, omnes particulæ humanæ naturæ numeratæ sunt a Deo, ut nihil de veritate humanæ naturæ possit deperire.

Per capillos, particulas humanæ naturæ intellige, quæ dicuntur numerari a Deo, ut per ipsum notentur, qui sunt in Dei cognitione, & diligenter conservat eos Deus. Pecunia enim ideo numeratur, ut diligentius conservetur. Numeratio ergo non tantum hic pro computatione accipitur, sed in numeratione duo intelliguntur, scilicet Dei cognitio, & diligens conservatio, Verum quidem est, quod novit numerum humani capitis capillorum, qui novit numerum arenæ maris. *Chrys.* Christus caput, inde prodeunt capilli, omnes, scilicet fideles. *Chrysost.* illud numerat Deus, quod vult possidere. *Num.* 1. non numerantur parvuli. *Eccl.* 1. Stultorum infinitus est numerus. *Chr.* Femina sancta etsi in corpore femina est, anima vir est.

Moraliter. Moraliter. Per capillos, qui ex capite exeunt, & caput ornant, significantur cogitationes, & desideria, quæ a me exeunt, & mentem ornant, cum bona sunt, sed cum mala sunt, potius deturpant.

Omnes ergo capilli numerati sunt, quia omnes cogitationes, & cuncta desideria nostra Deo manifesta sunt. Unde *Sap.* 1. in cogitationibus impii interrogatio erit, sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum, non abscondetur. *Hebr.* 4. Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo. Unde *Boetius de consol. lib.* 5. *prosa* 6. Magna nobis probitas bene agendi indicitur, nisi dissimulare velimus, cum omnia agamur ante oculos judicis cuncta cernentis. *B. Bern.* Sicut non perit capillus de capite, sic nec perit momentum de tempore. Nihil clarius tempore, sed heu nihil hodie vilius reputatur. Non sunt ergo vilipendæ cogitationes, de quibus oportebit reddere rationem, *August.* Ista parva noli contemnere, si contemnis quando appendis, expavesce, quando numeras. *Greg.* Sic Dominus vias nostras considerat, & gressus dinumerat, ut nec minutissimæ cogitationes, ac verba minutissima, quæ apud nos usu viluerunt, ejus judicio indiscussa remaneant. Ideo dicitur *Ezech.* 5. Sume tibi gladium acutum radentem pilos, & duc per caput, & barbam, id est, amputa a corde superfluas cogitationes, & ab ore superflua verba. His enim capillis suspensus Absalon occisus est a Joab, idest, a diabolo. 2. *Reg.* 18. Ideo legitur *Judith.* 10. Discriminavit crinem capitis sui, & posuit mitram super caput suum.

Matth. 10. *Marc.* 8. *De prædict.* 3.*a. adhuc.*

c Nolite ergo timere,] *Aug.* Omnem curam in eum projicite, apud quem capillus non perit.

d Multis passeribus pluris estis vos] idest, majoris pretii, quia rationales, quia æterni.

e Dico autem vobis, &c.] Ecce persuadet eis idipsum ex tertio, scilicet ex promissione præmii. Et quia supra docuit rectificationem intentionis, & operis, quod fit per fidem, & quia non sufficit sola fides cordis sine confessione oris, sicut dicitur *Rom.* 10. Corde creditur ad justitiam &c. ideo addit hic de confessione fidei, quæ necessaria est tempore persecutionis, dicens: Dico autem, quasi dicat, non sufficit sola fides.

1. *Petr.* 5.

f Autem] sed, [dico vobis, omnis quicumque confessus fuerit me] corde, ore, opere. Hæc enim est confessio Christiana. 1. *Cor.* 12. Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. *Chr.* Si sufficit Christo, quia tu cognoscis eum, etiamsi confessus non fueris, sufficiat tibi quod cognoscat te Christus, etiamsi confessus non fuerit. Et *inf.* Si sufficeret fides cordis, tantummodo cor tibi creasset Deus, nunc autem & os creavit, & quinque sensus *Psal.* 32. In psalterio decem chordarum psallite illi, non dicit unius.

g Coram hominibus.] *Chrys.* Non dicit, qui confessus fuerit in corde, sed coram hominibus, qui coram hominibus non confitentur, non prodest ei, quod in corde credit, quamvis non potest fieri, ut qui ore negat, corde credat. *Chrys.* habet hunc textum: Omnis, qui in me confessus fuerit, &c.

Et *infr.* Non dicit, qui confessus fuerit me, sed in me, monstrans, quod non propria virtute, sed Dei adjutus confitetur. Et *inf.* De negante non dixit, in me, sed me: Ecce præmii promissio.

h Et filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei, scilicet cum esse benedictum patris sui. *Matth.* 25. Venite benedicti. Videtur simile, ut qui præsentat clericum ad sacras ordines, confitetur eum litteratum, & peritum. *Chrys.* Si magnum est, testem esse Christi, quanto majus est testem habere Christum.

i Qui autem negaverit me.] *Chrys.* Prius dicit præmium, postea pœnam, quia paratior est ad remunerandum, quam ad puniendum. [Dicit ergo: Qui autem negaverit] præ timore.

k Me.] *Gloss.* Deum, vel hominem esse.

l Coram hominibus.] *Gloss.* Ubi prodesse debet mei nominis confessio.

m Denegabitur coram Angelis Dei,] idest, non perducetur ad visionem patris, qua perfruuntur Sancti, *sup.* 9. Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, & patris. *Bed.* Sunt, qui dicunt, nos non erubescimus Deum confiteri. Sed ad probationem fidei non sufficit vox confessionis Christianæ, dum dedignantur injurias tolerare, dum erubescunt, si jurgium contigerit prius satisfacere. *n* Et omnis, &c.] Hic est parenthesis, idest, interpositio. Inceperat enim persuadere discipulis, ne timeant pressuras, idipsum amplius persuadebit, sed modicam interpositionem facit usque ibi. [Cum autem.] Post negationem ergo Christi agit Lucas de blasphemia Spiritus sancti, quæ nec hic, nec in futuro remittitur. De qua *Esytius super Levit. decimo*. Hoc sancti Patres peccatum irremissibile, & blas-

phemiam

phemiam in Spiritum sanctum dixerunt: In sceleribus usque in finem vitæ perseverare, de salute sua desperare, de misericordia, & potentia Dei diffidere. Ex hoc verbo volunt magistri, quod perseverantia sit quasi complementum omnium specierum peccati in Spiritum sanctum. Quod etiam videtur velle *Aug. in Enchiridion*, ubi dicit: Qui in Ecclesia non credens peccata dimitti, contemnit tantam divini muneris largitatem, & in hac mentis obstinatione diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccata non dimittit. Sed eodem modo posset dici de quolibet peccato, cum quo moritur homo, quod est peccatum in Spiritum sanctum. *Rich. de S. Vict.* Quędam peccata hominum specialiter pertinent ad corruptelam propriam, ut ebrietas, & stupra, quædam specialiter ad proximi injuriam, ut homicidia, furta, quædam specialiter ad contumeliam divinam, ut blasphemia. Sed quidam blasphemat ex coactione, & hic peccat in Patrem, alius ex deceptione, & hic in filium, alius ex sola malignitate, & hæc pessima species in Spiritum sanctum. Est autem in hoc genere sceleratissimum, & in quo malitia crevit usque ad summum, quando quis in vituperiis Dei delectatur, gloriatur. Quid ergo videtur aliud spiritus blasphemiæ quam affectatio, & desiderium vituperationis divinæ? Spiritus blasphemię spirat ad odium Dei, Spiritus sanctus inspirat amorem Dei. Ex hoc ergo, quod hoc malum nihil habet in se excusationis, nihil meretur recipere excusatoriæ remissionis. Peccatum diaboli inexpiabile est, quod nullo remedio expiari potest. Illud autem irremissibile, cui pene nulla relaxatio fit, quæ in peccatis actualiter similibus fieri consuevit, *Marc.* 3. dicitur: Qui blasphemat in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. *Gloss.* idest, odii Dei, quod nunquam excidit, sed in perpetuum esse convenit, quia sicut nunquam excidit amor Dei, sic nunquam excidit odium Dei, & tamen charitas potest amitti, sic & odium Dei in præsenti dimitti. Sicut autem fides, & spes cessabunt, sic sunt quædam mala, quæ locum habent solum in hac vita, ut adulteria, furta, quædam vero in hac vita simul, & in futura. Nam qui cum odio Dei ex hac vita decedit, sub eodem morbo in æternum tabescit, & sic in æternum delinquit: & sine cessatione delinquendo meretur, quod sine cessatione puniatur. Qui igitur reus est divini odii, reus est æterni delicti, sed & blasphemia quæ est in Spiritum sanctum nunquam est præter odium Dei. Sed quare hoc peccatum dicatur irremissibile, & quot species hujus peccati, alibi patet. Continua sic. Dixerat Dominus de negatione, & pœna: Sed ne putaret aliquis unam esse pęnam omnium eorum, scilicet, qui negant ex infirmitate, vel ignorantia: vel eorum, qui negant scienter, & ex industria, ideo subdit. *a* Et omnis, qui dicit verbum in filium hominis] quod fit per ignorantiam, [remittetur illi. *b* Et autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit] *Aug.* Blasphemia est, per quam de Deo falsa dicuntur: Et ideo pejus est blasphemare, quam pejerare, quia pejerando secundarie adhibetur Deus testis falsitatis, blasphemando de ipso Deo falsa dicuntur.

c Non remittetur] quod impœnitens cor exigit. *Chrys.* Quid non dimittetur pœnitentiam agentibus? Sol. Super omnia hoc peccatum non ignoscibile est, quoniam filium quidem ignorabant, quis esset, Spiritus sancti autem experientiam sufficientem habebant, etenim Prophetæ sancto in se spiritu loquebantur.

Matth. 12. Marc. 3. Matth. 10. Marc. 13.

a qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi; *b* ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non *c* remittetur. Cum *d* autem inducent vos in synagogas, *e* & ad magistratus, & potestates, nolite solliciti esse, *f* qualiter, *g* aut quid *h* respondeatis, *i* aut quid dicatis: Spiritus *k* enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. Ait *l* autem ei quidam de turba: *m* Magister, dic fratri, meo, ut dividat mecum hæreditatem. At ille dixit ei. Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos? Dixitque *n* ad illos: *o* Videte, *p* & cavete ab omni avaritia, *q* quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his, quæ

Peccatum in Spiritum S.	Obstinatio	Præsumptio, quæ nimis ampliat misericordiam, & diminuit justitiam Dei.	Hæ sunt quatuor species peccati in Spiritum sanctum.
		Desperatio, quæ nimis ampliat justitiam Dei, & diminuit misericordiam.	
	Impugnatio	Veritatis agnitæ.	
		Gratiæ fraternæ, vel Invidentia gratiæ.	
	Spes,	Quinta penitus finalis impœnitentia.	

Sequitur. *d* Cum autem, &c.] Finita parenthesi, redit ad propositum, ponens consolationem contra terrores, q. d. cum ad publicos conventus, & ante reges, & præsides trahemini, nolite soliciti esse, quid ad objecta respondeatis, quia Spiritus sanctus dictabit, & calamo suo scribet in conscientiis vestris responsionem, & movebit intellectum vestrum, & linguam. Et ideo hoc prædicit, quia terror talium conventuum solet auferre libertatem loquendi. Dicit ergo: [Cum autem inducent vos in Synagogas.] *Gloss.* id est, publicos conventus in Synagogis.

e Et ad magistratus, & potestates, nolite solliciti esse] de hoc, scilicet.

f Qualiter] quantum ad modum proferendi.

g Aut quid] quantum ad modum inveniendi. *g* Respondeatis] interrogantibus.

i Aut quid dicatis] volentibus discere.

k Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere.] *Beda*. Voluntatem vestram pro Christo offerre, Christus vero loquetur pro se. *Hieron.* Vos ad certamen acceditis, ego prælior, vos verba editis, sed ego sum, qui loquor. *Infr.* 21. Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere. Quod revera impletum est in Stephano *Actor.* 6. *Matth.* 10. Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.

l Ait autem ei quidam de turba, magister dic fratri meo, ut dividat, &c.]

Tertia pars capituli, in qua dehortatur avaritiam. De pace supernæ Jerusalem, & unitate ejusdem tractaverat Dominus in præcedentibus, ubi dixerat: Quia Dei filius confitebitur coram Angelis Dei confitentem se. Ubi autem tractabat de unitate, quidam rogavit eum, ut conveniret fratrem ejus de dividenda sibi hæreditate. Qui redarguitur a Domino, & pro duobus, tum quia loco congruo non interserit hujusmodi quæstionem, tum quia inter fratrem, & se quærit medium divisorem, cum pietas cognationis, & vinculum sanguinis deberent ad hoc sufficere. Jure etiam arguitur a Domino, quod in tali loco interserit hujusmodi quæstionem, quia ubi de unitate tractatur, non est interserenda quæstio pertinens ad unitatis divisionem, qui autem cum fratre dividit hæreditatem, inter fratrem & se, quodammodo scindit unitatem. Dicit ergo. *m* Magister dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?] *Ambros.* Non dignatur judex esse litium, aut arbiter facultatum, qui vivorum, & mortuorum habet judicium, & meritorum arbitrium. 1 *Cor.* 6. Sæcularia judicia si habueritis, &c. Præterea dividere communitatem, officium est diaboli, non Christi, *Os.* 13. Ipse inter fratres dividet, scilicet, infernus, scilicet, diabolus. 1. *Cor.* 14. Non enim dissensionis est Deus, sed pacis.

Tertia pars.

n Dixitque ad illos.] *Beda*. Tam ad turbas, quam ad discipulos. a Videte.] *Chrys.* Nemo cavet nisi videns, sed sicut nisi cæcantur ære.

p Et cavete ab omni avaritia.] Sed nunquid dividere patrimonium avaritia est? Ita. Quædam divisio hæreditatis avaritia judicanda est, illa scilicet, quæ intuitu avaritiæ fit, *Gloss. Bedæ*. Nemo putaret crimen esse, hæreditatem dividere, fructus in horrea congregare, sed & hoc avaritiam indicat internus judex in quibusdam, maxime in clericis, qui habent fructus renascentes, quorum debent esse dispensatores non Domini. 1. *Cor.* 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi. [Omni autem] dicit, quia est avaritia pecuniæ, scientiæ, & honoris. *Isa.* 33. Beatus, qui projicit avaritiam ex calumnia.

q Quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his, quæ possidet.] Sic ordina literam. [Non in abundantia cujusquam ex his, quæ possidet vita ejus est,] spiritualis, vel temporalis. Certum enim est, quod non propter solam multiplicem divitiarum abundantiam potest sibi quis vitam æternam comparare, nec etiam vitam temporalem prolongare. *Gl.* Non in solo pane, &c. quasi dicat, aliquis: Proba, quod non per abundantiam possessionum possideat

possideat, quis vitam æternam? Ecce probatio, quia non in sole pane vivit homo, &c. *Deut.*8. *Matt.*4. *Sen.* Quis sit divitiarum modus, quæris, primo habere quod est naturæ, secundo quod sat est, nulli potest secura vita contingere, qui de providenda re nimis cogitat, nullum bonum adjuvat habentem, nisi ad cujus amissionem præparatus est animus. Sequitur,

a Dixit autem, &c.] *Glos.* Post præceptum inbdit exemplum,

b Hominis cujusdam, &c. attulit] *Bed.* Si difficile putas, o homo, magnificentiam divinæ largitionis imitari, imitare, vel terram, si levare sursum oculos non potes, saltem quæ sub pedibus sunt intuere, affer tu fructum, sicut terra. Noli esse deterior insensibili elemento, illa fructus, quos affert, non suis usibus vindicat; sed tuis ministrat, tu vero fructus illius solus invadis. Quia si te in tantum aviditatis morbus constringit, ut omnia velis tua facere, accipe adhuc salutare remedium. Beneficium largientis, præbenti magis permanet, quam suscipienti. Eleemosyna enim semen est, semen autem magis ad seminantis, quam ad suscipiensis lucrum pertinet, Melius est te mille filiorum, idest, pauperum quos nutris, quam mille aureorum patrem dici, illi enim testificabunt coram Tribunali. Et *inf.* In theatris athletæ, ut laudentur, expendunt patrimonium suum. Et nota sicut dicit *Bed.* quia non reprehenditur iste dives, quia terram coluerit, vel quod in horrea fructus congregaverit, sed quia in illis spem vitæ posuit, nec pauperibus rogavit.

possidet. Dixit *a* autem similitudinem ad illos, dicens, *b* Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit, *c* & cogitabat *d* intra se, dicens, *e* Quid faciam, quod non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit: *f* Hoc faciam. Destruam horrea mea, *g* & majora faciam, *h* & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & *i* bona mea, & *k* dicam animæ meæ: *l* Anima, *m* habes multa bona *n* posita in annos plurimos, *o* requiesce, *p* comede, *q* bibe, *r* epulare. Dixit *s* autem illi Deus: *t* stulte, *u* hac nocte animam tuam repetent a te, *x* quæ autem parasti, cujus erunt? *y* Sic *z* est, qui sibi thesaurizat, *a* & non est in Deum dives. Dixitque *b* ad discipulos suos? *c* Ideo dico vobis: Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid man-

c Et cogitabat ille dives,

d Intra se dicens. Quid faciam, quod non habeo, quo congregem fructus meos?] Ecce ex nimia avaritia solicitudo. *Bed.* Augustatur ex opulentia, infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris, Et *inf* Ager ei non tam redditus largiores quam gemitus attulit graviores. Denique egeni vox ista est. *e* Quid faciam, quod non habeo, quo congregem fructus meos.] Bene mentitur. *Bed.* Horrea parata, sunt esurientium ventres. *Prov.* 3. De primitiis frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate. *Bed.* idest, avare, tu cogitas abundantiam Dei, humanam facere penuriam. *Amb.* Non sunt hominis bona, quæ secum auferre non potest, idest, asportare. Unde Philosophus ait, qui evaserat de incendio, omnia mea mecum porto 1. *Tim.* 6. Nihil intulimus in hunc mundum, &c. Sola enim misericordia comes est defunctorum, idest, sola opera misericordiæ, quæ hic fecerunt suffragabuntur eis.

f Et dixit,] Hoc faciam, Destruam horrea mea.]Ecce ex solicitudine deliberatio, quia deliberat de modicis horreis destruendis, & de majoribus construendis. Unde dicit. *g* Et majora faciam.] Ecce nimia sollicitudo ex avaritia. *Bed.* Quid est, quod multis prælatus es? Non utique sine causa a justo Domino tibi officium tribuitur largiendi, & aliis necessitas imponitur indigendi. Dispensatorem te cognosce, nec existimes, quod omnia ventri, & deliciis tuis terra producat.

Et *inf.* In terribili judicio dicetur tibi. Pecunia mea fructus mei, quid apud te utilitatis habuere? Tu sine dubio respondebis, Claustris validissimis, & signaculis communivi, nulli quicquam tribui, quin imo ad custodiendum vigilias addidi. Et respondebitur tibi, Stulto consiliario usus es de temetipso. Debebas dicere. Aperiam horrea, & dabo indigentibus, sicut Joseph. Ex communi fonte hauriat unusquisque. *h* Et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi] idest, meo labore, vel propter me solum. *i* Et bona mea, &c.] *Bed.* Hæc passio, idest, avaritia similis est his, qui gulæ tantum indulgent, ut dirumpi cibo magis eligant, quam alicui indulgere reliquias. *k* Et dicam animæ meæ] *Gl.* idest, animalitati meæ. *l* Anima] mea. *Bed.* Animæ loquitur statim auferendæ, & de opulentia. *m* Habes multa bona.] *Eccl.*5. Quid prodest, quod laboravit in ventum, cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis. *n* Posita in annos plurimos,] *Matth.*6. Nolite soliciti esse in crastinum: Crastinus enim dies solicitus erit sibi.

o Requiesce] a labore. Ecce desidia.

p Comede, bibe] esuriem, & sitim pelle.

r Epulare] magno apparatu. *Bed.* Si dici potest, muti animalis vox ista est, ita totus animalis est homo, ut animam putet escis pascere.

o Requiesce,] negligentia, vel desidia.

p Comede] gula.

q Bibe] ebrietas.

r Epulare] luxuria.

s Dixit autem illi Deus, stulte, &c.] Nota, quia cum animus humanus ad vitia inclinatur, & de voluptatibus exercendis deliberat, sæpe scintilla rationis, quæ nec in Cain potuit extingui, reclamat, & temerariis deliberationibus obviat, & tunc dicitur Deus dicere homini, quia hoc quodammodo inspiciat homini *Bed.* Dicere Dei ad hominem, & pravas ejus machinationes subita animadversione compescere.

Matth. 8.

t Stulte] qui longa tempora divitiarum promittebas. *Beda.* Ipsis æternis cruciatibus major est stultitiæ nota.

Item *Bed.* Oportebat gratias agere te Deo, quod non ipse medicans circuis alienas fores.

u Hac nocte animam tuam repetent a te] *Gl.* Exactores. *Job* 20. Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum. *Job* 27. Dives, cum dormierit, &c. *Tim.*6. Nihil intulimus, &c.

x Quæ autem parasti, cujus erunt] *Eccl. c.*11. Est qui locupletatur parce agendo, & hæc est pars mercedis illius in eo, quod dicit, invenit requiem, &c. *Eccl. c.*14. Fili, si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. *Eccl. c.*4. Unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, &c. *Eccl. c.*5. Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. Et *infr.* Divitiæ congregatæ in malum Domini sui, *Eccl. c.*6. Est & aliud malum, quod vidi sub Sole, vir, cui Deus dedit divitias, &c.

y Sic] Stultus, & in nocte rapiendus.

z Est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives] *Job cap.* 27. Quæ est spes hypocritæ, si avare rapiat, & non liberet Deus animam ejus. *Job* 21. Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se. *Beda.* Tu misericordiam in crastinum differs, cum hodie crudelis, & immisericors sias. *Job vigesimoseptimo.* Si comportaverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparaverit vestimenta, præparabit quidem, sed justus vestietur illis, & argentum innocens dividet. *Beda.* Non est minus criminis habenti tollere, quam cum possis, & abundes indigenti denegare.

Et *inf.* Tantorum te scias bona invadere, quantis possis præstare, si velis.

a Et non est in Deum dives] quia dives est in arca, non in conscientia. *Gl. Bed.* Determinat, quis dicatur dives in Deo, & quis dives in mundo.

Bed. In Deum dives est,] qui transitoria contemnit, pauperibus distribuit, cujus expectatio est Dominus. De quo ait *Ps.*32. Beata gens, cujus est Dominus Deus, cujus substantia, idest, conscientiæ possessio, qua sustentatur, & qua pascitur, est apud Deum. Et supple, non ille, cujus substantia est in sacculis terræ.

De quo dicitur in *Psal.* 143. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. *Apoc.*3. Tu dicis, quia dives sum, & locupletatus, &c. *Prov.*13. Est quasi dives, &c.

b Dixitque ad discipulos suos.] *Bed.* Quos specialiter ad contemptum mundi invitat.

c Ideo dico vobis, nolite soliciti esse animæ vestræ,] idest, vitæ, quæ cibo sustentatur, [quid manducetis.]

Ideo *Chrys.* Ut quid? Ut eleemosynas faciatis. *Eccl.*13 Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. *Eccl. c.*7. Utilior est sapientia cum divitiis, & magis prodest videntibus Solem. *Seneca.* Fames ventris non magni constat, sed ambitio.

Isid. Tota die epulas in cogitatione ruminat, qui ad explendam gulam vespere sibi delicias parat. *Hier.* Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam, difficultatesque ciborum quærere, tota hortorum cultura vexatur, ut cibario non vescamur pane, proh pudor, non erubescimus

cimus

timus istiusmodi inopias, neque tædet superstitionis, insuper etiam † samen abstinentiæ in deliciis quærimus. *Chrys.* Propter peccata hominum maledicitur terra, ut nun germinet. *Gen.* 3. Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinet tibi.

al. † humum.

Benedicitur autem, cum bona fecerimus *Psalm.* 84. Benedixisti, Domine, terram tuam, &c. Tu ergo quære justitiam, & non deerit tibi panis. Propter mala opera fructus terræ subducitur, propter bona abundat.

al. † induamini.

ducetis, neque *a* corpori, quid † vestiamini. *b* Anima plus est quam esca, & *c* corpus plus quam vestimentum. *d* Considerate corvos, quia *e* non seminant neque metunt, *f* quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. *g* quanto magis vos pluris estis

a Neque corpori] vestro, [quid vestiamini:] Duo sunt necessaria ad sustentationem vitæ humanæ, scilicet alimentum, & vestimentum. Utriusque solicitudinem dehortatur hic Dominus. 1. *Tim.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. *Chrys.* Non dixit: Nolite laborare. *Gen.* 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo.

Et *inf.* Soliciti esse vetamur, laborare jubemur. *Chr.* Solicitudo desperationis est filia. *Prov.* 11. Expectatio, &c. *Chrys.* Sed dicit: Non possum sperare in Deum, cor meum non me audit.

Respondeo. Langues, & causam languoris ignoras, fac bonum, & non desperabis. *Ps.* 36. Spera in Domino, & fac bonitatem. Non dicit, spera tantum, sed additur, & fac bonitatem.

Et nota, quia est solicitudo spiritualis. Hæc præcipitur *Rom.* 12. Qui præest in solicitudine. Temporalis. Hæc permittitur, *sup.* 10. Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima.

Item curiositatis, sive cupiditatis. Hæc prohibetur. *Matth.* 13. Solicitudo hujus sæculi suffocat verbum. Hæc est mala, & prohibetur septem rationibus.

Primo, quia verbum Dei suffocat. *Matth.* 13.

Secundo, quia impedit fructum boni operis sicut spinæ in agro. *Jerem.* 4. Novate vobis novale, & nolite serere super spinas. *Prov.* 24. Per agrum hominis pigri transivi, &c.

Tertio, quia hominem illaqueat. 1. *Tim.* 6. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.

Quarto, quia trahit mentem a spiritualibus studiis 2. *Tim.* 2. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, &c. *supr.* 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro, &c. *Aug.* Amor rerum temporalium viscus est alarum spiritualium.

Quinto, quia illusionem somniorum inducit. *Eccl.* 5. Multas curas sequuntur somnia.

Sexto, quia hominem interiorem excæcat. 4. *Reg. ult.* Sedechias excæcatur in Reblatha, quod interpretatur multa hæc.

Septimo, quia luctum pœnitentiæ necat. *Gen.* 4. Cain occidit Abel. Cain possessio, Abel vero luctus interpretatur. *Amb. in Glos.* Indecorum est homini curare de cibo, vel de veste, qui militat regno, idest, pro rege temporali ad litteram, vel pro regno æterno. Novit rex temporalis, vel æternus, quemadmodum familiam suam pascat, alat, vestiat.

b Anima plus est quam esca.] Continua. Nolite solliciti esse, &c. quia [anima plus est quam esca.] 1. *Cor.* 6. Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & hanc destruet.

c Et corpus plus quam vestimentum.] Si ergo Deus dat animam, & corpus sine tua solicitudine dabit cibum, & vestimentum. *Hier.* De carnali cibo, & vestimento hoc intelligendum est, quia de spiritualibus semper debemus esse soliciti. *Chrys.* Qui intelligit, quid est homo, non desperat de Deo, qui autem desperat, nescit quid est. Idem *Chrys.* Si pro necessariis non oportet esse solicitos, qua venia erunt digni, qui pro superfluis neque dormiunt, sed & aliena rapiunt? Sequitur.

d Considerate, &c.] Duplicem solicitudinem prohibuerit Dominus, idest, de duobus, scil. de esca, & vestimento.

Nunc ostendit duplici exemplo, quod non oportet esse solicitudinem de his, quia Dominus dabit, qui dat omnibus necessaria. Unde *Sap.* 12. Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus.

Tamen contrarium videtur dicere *Apost.* 1. *Corinth.* 9. Numquid Deo cura est de bobus q.d. non. Dicimus quod est cura providentiæ, & est cura doctrinæ. Prima providet omnibus necessaria, & de illo loquitur *Phil. in lib. Sap.* Secunda procurat tantum rationalia, & de illa loquitur Apostolus *Aug. de Ag. Christ.* Mundas rationales animas perseipsum Deus curat, & Angelos, cetera per ipsos gubernat. In Scripturis enim sanctis Deus homines docet, quomodo cum hominibus agant, & ipsi Deo serviant. Quomodo autem agant cum pecoribus suis, ipsi sciunt usu, & peritia, aut ratione naturali. Probat ergo Dominus, quod non debent esse soliciti super his. Et potest ita colligi modus probationis. Anima plus est quam esca, corpus plus quam vestimentum. Assume longe inferius. Pater autem vester scit, quoniam indigetis, scil. esca & vestimento. Ergo hæc omnia adjicientur vobis a patre. A majori.

Idipsum probat per simile a minori, & a duplici minori. Et est summa probationis hæc. Si Deus providet escam corvis, multo magis pater, quia majus est esse Deum, & patrem, quam esse Deum, ita quod non patrem. Et sic probat, quia non debent esse soliciti de esca, per primum simile sive exemplum, quia si Deus providet corvis, multo fortius hominibus providebit, quorum anima immortalis.

Unde *Chrys.* Omnia fecit Deus propter hominem, hominem autem propter se. Et *inf.* Omnia fecit Deus in sapientia, hominem autem non solum in sapientia, sed etiam secundum sapientiam suam. Quanto ergo pretiosior creatio, tanto major cura Deo de homine. *Chrys.* Deus te nesciente quotidie incrementa tui corporis, & sapientiæ facit, quomodo ergo in necessariis tuis cessabit? Dicit ergo.

d Considerate corvos.] *Matth.* 6. dicit. Respicite volatilia, &c. Unde hic ponitur species pro genere, scili. corvus pro volatili: Exquisitius tamen dictum est de corvis, quoniam cum universis volatilibus Deus escam provideat, spiritualiter dicitur pascere corvos, quia sine labore parentum educantur, cum ceteris universis volatilibus labore parentum, idest, ministerio, cibus ministretur. Fertur enim esse natura corvi, ut in ortu suo destituantur a parentibus. Videntes enim parentes corvi corvum natum albescere, putant non suum esse fœtum, ideoque ipsum destituunt, nec ei provident alimentum. Interim autem donec augmententur, & nigrescant, rore cœli pascuntur, liquore etiam tenuissimo nutritivo.

Hanc corvi naturam, & proprietatem hic non habes expressam, sed super illum locum. *Ps.* 146. Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum, &c. Comparantur autem Apostoli, sive Sancti volatilibus propter volatum contemplationis, quo volant in cœlum *Isa.* 60. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, &c. *Job* 5. Homo nascitur ad laborem, & avis ad volandum. Corvis autem comparantur propter nigredinem exteriorem, idest, carnis mortificationem, & propter vitæ longitudinem, vivunt enim per sæcula. Corvi etiam nihil in terra laborant, sed solo volatu feruntur in cœlum, & Dominus pascit eos. Unde *Ps.* 146. Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum, &c. *Job* 38. Quis præparat corvo escam, Sic viri sancti nihil agunt in terra, sed sola contemplatione degunt in cœlis, & Dominus pascit eos. *Psal.* 22. Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. Dicit ergo Dominus.

d Considerate corvos,] quorum anima mortalis est. *Chrys.* Sed illi non laborantes inveniunt escas. Considerate inquam.

e Quia non seminant, neque metunt.] *Chrys.* Non dicit: Qui volant, quia hoc tibi esset impossibile, sed quod nutriuntur sine solicitudine, quod nobis esse possibile, monstraverunt, qui expleverunt.

f Quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos.] Sed cum volatilia non habeant inde solicitudinem, neque cibi patiantur inopiam, unde est, quod plerumque homo cibi penuriam sustinet, & fame arctatur? Sol. Ex justo judicio Dei, & hominum avaritia pro pœna infligitur homini talis indigentia, quia cum omnia communia essent jure naturæ, avaritia duce introduxerunt meum, & tuum, & quæ Deus fecerat omnibus communia, sibi vindicaverunt tanquam propria, volatilia vero non sibi vindicant.

g Quanto magis vos plures estis illis] propter rationem, propter immortalitatem, quæ nobis promittitur, & quia majori pretio empti. 1. *Petr.* 1. Non corruptibilibus, &c.

Aug. Homo appende te ex pretio. *Chrys.* Neminem sine

volun-

voluntate, & judicio Dei fames, & nuditas occidit. *Ps.* 36. Junior fui, etenim senui, & non vidi justum defunctum, &c.

Corvus.
- Christianus. *Cant.* 5. Comæ ejus, sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus, lucens nigredo, quasi nocta videtur, &c.
- Apostolus. *Psal.* 140. Qui dat jumentis escam ipsorum, &c.
- Monachus niger. *Proverb.* 30. oculum, qui subsannat patrem, idest, Abbatem, fodiunt eum corvi de torrentibus, idest, monachi scolares, &c.
- Pœnitens. 3. *Reg.* 17. Corvis præcepi, ut pascant te, &c.
- Monachus apostata. *Gen. c.* 8. Noe, idest, requies emisit Corvum, qui non est reversus.
- Detractor exemplo. *Job* 38. Quis præparat Corvi escam, &c.
- Procrastinans. *Lev.* 11. Omne corvini generis in similitudinem suam, &c. sed de his tribus ultimis dicuntur versus, &c.

Versus.
Cras crocitat, vivit per sæcula, non timet angues.
Pullos odit, amat nummos, oculos fodit ater.

illis? *a* Quis autem vestrum cogitando potest *b* adjicere ad staturam suam cubitum unum? Si *c* ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis? *d* Considerate lilia, quomodo crescunt. *e* Non laborant, neque nent. *f* Dico autem vobis, quia nec Salomon in omni gloria sua *g* vestiebatur sicut unum ex istis. Si autem *h* fœnum, *i* quod hodie in agro est, *k* & cras in *l* clibanum mittitur, Deus sic vestit, *m* quanto magis *n* vos pusillæ fidei? Et *o* vos nolite quærere, quid manducetis, aut quid bibatis, *p* & nolite in *q* sublime tolli. Hæc *r* enim omnia *s* gentes mūdi quærunt. *t* Pater autem vester scit, quoniā his *u* indigetis.

a Quis autem vestrum, &c.] ostensa, quod non debeant esse solliciti de cibo, ostendit, quod non debeant esse solliciti de vestimento, sed illā sollicitudinem reservare Deo, quia si Deus præ suæ voluntatis arbitrio, quantitatem corporis humani mensurat, & augmentat, sine dubio, nec quantitatem vestis ignorat, quæ necessaria est ad corporis indumentum, imo scit, quot ulnis unusquisque egeat ad corpus induendum, q. d. cui relinquitis sollicitudinem corporis producendi, eidem relinquite sollicitudinem corporis induendi. Dicit ergo. [Quis autem vestrum cogitando potest,] sua sollicitudine, vel sagacitate. *b* Adjicere ad staturam suam cubitum unum,] q. d. nullus, nisi Deus. *Chrys.* Sicut sollicitudo corpori non potest apponere, ita nec cibum congregare. Anima autem non mutatur, corpus vero crescit, & alteratur, ideo non dicit, quis potest addere animæ, ostendens, quod nec cibus auget corpus, sed Dei providentia. *Beda*. Illi ergo tegendum corpus relinquite, qui illud ad hanc mensuram facit pervenire. *c* Si ergo neque quod minimum est, &c.] infert a minori, & arguendo eos de sollicitudine vestis, tacite arguit illos, quia sunt solliciti de productione vitæ. Augmentatio corporis, quasi minimum reputatur inter opera Dei respectu creationis animæ. *Gl. Bed.* Sicut nec in augmentatione corporis vestri operari potestis, quæ operatio est Deo minima ad comparationem spiritualis creaturæ, quid solliciti estis de ceteris majoribus, idest, de animæ conservatione? *Chrys.* Escam, etsi sollicitus non fueris, invenies, justitiam autem, si sollicitus non fueris, non apprehendes. *d* Considerate lilia, &c.] Adhoc ostendit, quod non debet homo sollicitus esse de vestimento, exemplo florum. Et ad probandum hoc, inducit de liliis, sicut exquisite inductum fuit de corvis, quia sicut corvi educantur sine labore parentum, & ministerio, sic lilia excrescunt sine labore humano. Per candorem quoque lilii significatur candor æternæ beatitudinis, ac si latenter instruat eos, ne sint solliciti de vestimento, sed potius de æterna beatitudine. Dicit ergo, [considerate] lilia agri, [quomodo crescunt,] coloribus se ornando. *e* Non laborant,] ut faciant sibi indumenta, [neque nent.] *Chrys.* Laborant ad viros, nent, ad mulieres pertinet. *Exod.* 34. mulieres doctæ dederunt, quæ neverant. *Beda*. Quæ purpura regum, quæ pictura textricum potest floribus comparari? Ipse color dicitur vestimentum floris, sicut dicitur in vulgari. Operuit istum rubor. *Psal.* 68. Operuit confusio faciem meam. Est ergo sensus, q. d. considerate pulchritudinem liliorum, cui nec etiam comparari valet purpura Imperatorum, quia si tam decoro ornatu induuntur lilia quasi quodam vestis operimento, ne dubitetis, quin etiam vobis Deus provideat in vestimento, Qui enim pro veste tam speciosum dat liliis ornamentum, multo magis vobis providebit indumentum.

f Dico autem vobis, quia nec Salomon in omni gloria sua,] idest, in omni glorioso apparatu suo.

g Vestiebatur sicut unum ex istis.] Legitur enim, quod Salomon summopere operam dedit ambitiosis apparatibus, & vestibus pretiosis, semper enim incedebat egregie purpuratus, auro, & lapidibus pretiosis ornatus, & quotquot in ejus comitatu erant, & equi eorum, sed licet adeo studuerit in ambitioso apparatu, numquam tamen indutus est æque specioso ornatu, sicut lilia. *Chrys.* Salomoni homines ministrant vestes, Deus istis.

h Si autem fœnum, &c.] Idipsum adhuc probat per locum a minori. Et exponit sic. [Si fœnum,] i. herba.

i Quod hodie] viride, [in agro est.] Fœnum generale est omnium herbarum. Unde *Gen.* 1. dictum est: Producat terra fœnum, idest, herbam, secundum aliam translationem.

k Et cras] idest, in futuro.

l In clibanum mittitur,] idest, in acervum redigetur, qui habet speciem clibani: Deus sic vestit. Et nota, quia cras pro futuro in Scripturis ponitur.

Unde Jacob dixit ad Laban. *Gen.* 30. Exaudiet me cras justitia mea, q. d. modo injuriaris mihi, qui tibi retines aves unius coloris, & mihi das oves sparsi velleris, sed in futuro assequar justitiam meam.

m Quanto magis,] scil. vestiet.

n Vos pusillæ fidei] qui de provisione Dei dubitatis. *Matth.* 14. Modicæ fidei, quare dubitasti? *Isa.* 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos agri, &c. *Jac.* 1. Glorietur humilis in exultatione sua, & dives in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit.

Et vos nolite quærere, quid manducetis, vel quid bibatis.] *Bed.* Non ait, nolite quærere, vel solliciti esse de cibo, vel vestimento, sed expressius, quid manducetis, vel quid bibatis, ut [quid] potius referatur ad qualitatem ciborum, quam ad substantiam, q. d. nolite quærere cibos delicatos. Et sequitur in *Gl.* In quo videntur argui hi, qui spreto victu, vel vestimento corporis communi, lautiora sibi, vel austeriora præ his, cum quibus vivunt, alimenta, vel indumenta requirunt. *Esychius sup. Lev.* 25. Dabo benedictionem vobis anno sexto. Cum Evangelium jubeat non cogitare de crastino, lex jubet cogitare de tribus annis. *Matth.* 6. Sufficit, diei malitia sua.

p Et nolite, &c.] Prohibita sollicitudine curiositatis, seu cupiditatis, vel superfluitatis de victu, & vestitu acquirendo, prohibet superbiam, quæ solet de istorum abundantia nasci.

Unde 1. *Tim.* 6. Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere.

Ibi *Glos.* Vermis divitum est superbia. Prius ergo prohibuit avaritiam, nunc prohibet superbiam, dicens. [Et nolite,] si hæc abundaverint.

q In sublime tolli.] *Chrys.* Non sumus rationem daturi, utrum pauperes fuerimus, an divites, quia hoc non est in potestate nostra, sed utrum bene egerimus, aut male. *Eccl.* 10. Initium superbiæ hominis apostatare a Deo.

r Hæc enim omnia,] i. vitæ corporali necessaria.

s Gentes mundi quærunt] quibus nulla est cura de futuris: Sed scil. filiorum est quærere regnum Dei.

t Pater autem vester scit, quoniam his, &c.] qui bonis filiis viscera pietatis non claudit, sicut dicitur 1. *Joan.* 3. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo, quasi dicat, si habet charitatem, non claudit. Christus autem frater noster est, & substantiam mundi hujus habet, quia Dominus omnium est, & charitatem habet, quare non claudit viscera sua a nobis. *Isa.* 49. Numquid potest mulier oblivisci, &c. Dicit ergo: [Pater autem vester scit, quoniam his indigetis.] *Aug.* Scit cœlestis medicus, quid vobis daturus est ad consolationem, quidve subtracturus ad exercitationem. Non enim homo jumento suo cibaria subtrahit sine causa. *u* His indigetis.] *Beda*. Non tamen in

a Verumtamen quærite b primum regnum Dei, & justitiam ejus, c & hæc omnia d adjicientur vobis. e Nolite timere pusillus grex, f quia complacuit patri vestro g dare h vobis regnum, i Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam. k Facite vobis l sacculos, m qui non veterascunt, thesaurum n non deficientem in cœlis, o quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Ubi p enim

his finis imponendus, sed in regno, propter quod & ista. Unde sequitur.

a Verumtamen quærite primum regnum Dei.] Gloss. Æterna bona.

b Primum.] Beda. Omnibus præponite, in hoc sit finis, propter hoc omnia agite. August. Quicquid propter aliud quæritur, vilius est, quam illud, propter quod quæritur. Gl. super Marc. 6. Regnum Dei summum bonum est, & ideo quærendum. Quæritur autem fide, spe, charitate. Et sine labore potest inveniri, quia prope est, inf. 17. Regnum Dei intra vos est. Chrysost. Regnum Dei est retributio, justitia est via, per quam itur ad regnum. 1. Paralip. 28. Si quæsieris eum invenies, si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum. Sed quærendus est in luce gratiæ, non in nocte peccati. Isa. 21. Si Quæritis quærite, convertimini, & venite.

Matth. 6.

c Et hæc omnia adjicientur vobis.] Beda. Non dabuntur, quasi propter se, sed superaddentur quasi necessaria ad illud. Augustinus. Hic aperte ostendit temporalia non esse petenda tanquam bona nostra, & si necessaria, regnum autem Dei petendum est, & in eo finis noster ponendus est, propter quod omnia faciamus. Unde 1 Corinth. 10. Omnia, quæcumque facitis, in gloriam Dei facite.

d Adjicientur] quasi adjectiva, & accidentia. August. Væ, qui derelinquunt te ducem, & oberrant in vestigiis tuis, qui nutus pro te nutus amant, & obliviscuntur, quid innuas. Nutus autem tui sunt omne creaturarum genus. Tales sunt, ut pueri, qui nescientes significationes litterarum, pulchras litteras admirantur, & nihil aliud faciunt, nisi litteras admirari.

e Nolite timere pusillus grex.] Ezech. 34. Vos greges mei greges pascuæ meæ homines estis, & ego Deus vester. Pusillus, sicut dicit Beda, dicitur, vel ad comparationem majoris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis devotionem, per quam humilitatem crescit Ecclesia, per quam pervenitur ad regnum. Prov. c. 29. Humilem spiritu suscipiet gloria, inf. 18. Qui se humiliat, exaltabitur.

f Quia complacuit,] Quasi ne dubitetis de voluntate patris: [Quia complacuit patri vestro,] qui etiam propter regnum adjicit temporalia.

g Dare vobis regnum] doctrinæ, gratiæ, gloriæ.

h Vobis] & vestris similibus, idest, humilibus, Matth. 19. Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere, talium est regnum cœlorum. Beda. Regnum quærite, & de regno non diffidatis, quia pater complacita bonitate dabit vobis, non vestris meritis.

i Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.] Istud tripliciter potest exponi. Juxta primam expositionem est consilium, sed minus, juxta secundam est consilium, sed majus. Secundum tertiam, partim consilium, partim præceptum. Primo sic. [Vendite, quæ possidetis] & omnibus venditis, de omnibus facite unam eleemosynam. Beda. Non tantum non timeatis, ne propter regnum militantibus vitæ necessaria desint, sed etiam possessa vendite propter eleemosynam, quæ est via ad idem regnum, dum per eam peccata redimuntur. Dan. 4. Peccata tua eleemosynis redime. Aliter.

i Vendite] omnia, quæ possidetis, & omnia date, & omnibus venditis datis, propriis manibus laborate, & de labore manuum eleemosynas date. Ecce consilium altius, & arctius. Hoc implevit Apostolus. Actor. 20. Beda. Non tantum cibos vestros communicate pauperibus, sed etiam vendite vestras possessiones, ut omnibus vestris semel pro domino spretis, postea labore manuum operemini, unde vivatis, vel eleemosynam faciatis. Item Beda. Qui pro cœlo mundana spernit, vendat, quæ habet, & distribuat, qui non est tantæ virtutis, de his, quæ habet eleemosynam det. Hæc Gloss. dividit, ut illud, quod dictum est: [Date eleemosynam,] præceptum sit, quod præmittitur: [Vendite, quæ possidetis,] consilium, & sic est tertius sensus. Sequitur.

k Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, &c.] Interl. satis competenter continuat istud sic, q. d. date eleemosynam, & operando eleemosynas: [Facite vobis sacculos] quasi eleemosynas præmittite, ut pro vobis intercedant opes vestræ præmissæ, in thesauro cœlesti reponite. [Vobis] dicit non mihi, cui non prodest, sed vobis. Job 35. Si peccaveris, quid ei nocebis? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porro si juste, &c. Job 12. Quid prodest Deo, si justus fueris?

l Sacculos,] repositiones quarum merces in æternum duret. Eccles. 29. Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit. Unde sequitur.

m Qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.] Gloss. In spiritualibus, & æternis, idest, præmium æternum Thesaurum dico.

Matth. 6.

n Non deficientem, quo fur, &c.] Gloss. idest, quia ibi nulla adversus electos Dei prævalebit diaboli fraus. August. Non jussit Dominus, ut thesaurum perderemus, sed locum ostendit, ubi poneremus. Eccl. 29. Perde pecuniam propter fratrem, & amicum, & non abscondas sub lapide in perditionem. Chrysost. Quæ stultitia illic relinquere tua, unde exiturus es? Quicquid pro anima tua feceris, hoc tuum est, quod autem reliqueris, perdidisti: nam quod corporaliter congregatur, spiritualiter dispersum videtur, idest, perditum. Quod autem corporaliter bene dispergitur, spiritualiter bene congregatur in cœlo. Unde Psalm. 111. Dispersit dedit pauperibus, &c. Qui congregat in terra, non habet, quod speret in cœlo, ut quid enim respiciat in cœlum, ubi nihil habet repositum? Ps. 72. Quid enim mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram?

o Quo fur non appropiat, &c.] Chrysostomus. Omnia bona mundi triplex interitus tollit. Aut enim ex seipsis veterascunt. Hebr. 8. Omne, quod antiquatur, & senescit, prope interitum est. Aut dominorum luxu consumuntur, &c. Jacob 4. Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, &c. Aut ab extraneis dolo, vi, vel calumnia diripiuntur, quia omnes fures dicuntur, qui per iniquitatem festinant aliena facere sua. Joan. 10. Quotquot venerunt, fures sunt, & latrones.

Mystice.

Mystice. Beda. Fures sunt hæretici, & dæmones, qui ad hoc intenti sunt, ut spiritualibus nos spolient. Tinea, quæ latenter vestes rodit, invidia est, quæ studium bonum lacerat, & compactionem unitatis dissipat, sicut tinea compactionem vestimentorum. Vel per tineam vana gloria significatur. Ecclesiast. cap. 42. De vestimento nascitur tinea, quæ tamen consumit vestimentum, ita vana gloria de opere bono nascitur, & consumit illud. Actor. cap. 28. Cum congregasset Paulus sarmentorum aliquantulam multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera a calore cum processisset, adhæsit manui ejus. Vipera, idest, vana gloria. Qui ergo facit aliquod opus bonum propter commoda terrena, vel propter inanem gloriam, ædificat sibi thesaurum, non in cœlo, sed deficientem in terra, quia opere illo frivolam, & momentaneam mercedem homo recipit. Et de talibus dicitur Matth. cap. 6. Receperunt mercedem suam, hic in præsenti. Per thesaurum intellige hic meritum, scilicet boni operis, cujus hic recipiunt præmium. Aliquando etiam aliqui bona opera faciunt, non intuitu favoris humani, sed pro quadam interiori jactantia, & elatione, quia placent sibi, & quodammodo efferuntur ascribentes virtuti suæ, & hujusmodi interior vana gloria magis proprie hic per tineam intelligitur. Matth. 6. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur. Ibi Gloss. Ærugo superbia, quæ decorem virtutum obtuscat. Tinea invidia, quæ studium bonum lacerat. Augustinus. Cœlum in hoc loco non corporale, quia omne corpus pro terra habendum est, sed spirituale accipitur. Totum mundum contemnere debet, qui thesaurizat in cœlo.

Unde Psalm. 113. Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.

p Ubi enim est thesaurus vester, ibi & cor vestrum erit.] Non solum de thesauro pecuniæ intelligendum est, sed etiam de qualibet prava voluptate. Unde Glos. Universaliter, & de

saliter, & de pecunia, & de omnibus voluptatibus gulosi tesaurus est venter, ubi habet cor, & sic de aliis. *Hier.* cor habet gulosus io ventre, lascivus io ludicris, amator in libidine, avarus in pecunia. Cor autem dicitur, cordis meditatio. *Eccl. c.* 10. Cor sapientis in dextra ejus, i. in æternis, & cor stulti in sinistra illius, i. in temporalibus. *Jer. c.* 10. gladius ad thesauros ejus, qui diripientur. (Ubi enim thesaurus.) *Chrysost.* Si in terra cor est deorsum, si in cœlestibus est io Christo fixum. Necesse enim est, ut quo

thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Sint *a* lumbi vestri præcincti, *b* & lucernæ ardẽtes in manibus vestris, *c* & vos *d* similes hominibus expectantibus Dominũ suum

F

De pœn. dist. 2. c. qui sanctus.

præcesserit dilectionis thesaurus, illuc & cogitationis sequatur effectus. *Deut. cap.* 33. oculus Jacob in terra frumenti, idest, in cœlo. *Eccl. cap.* 2. Oculi sapientis in capite ejus, idest, io Christo. *Prov. c.* 17. Oculi stultorum in finibus terræ. Seqoitur.

Quarta pars.

a Sint lumbi vestri præcincti.] Ut ad implenda consilia, & præcepta invitaret Dominus discipulos, subdit utilitatem, quam ex impletione sunt consecuturi, quia utilitas solet præcipue animos homiles excitare. Sed quamvis maxima esset otilitas, posset tamen eos deterrere difficultas, ideo ostendit facilitatem, q. d. ne videatur vobis difficile implere prædicta, quia facile potestis implere, tantommodo habete lumbos præcinctos, & opera lucentia, sic potest continuari secundum *Glos.*

Vel aliter. Dominus invitans discipulos ad contemptum mundi, superius eodem capite monuit de avaritia, & superbia fugienda, & sic ad pietatem, & humilitatem per consequens invitavit eos, nunc ad castitatem invitat, & sic monet eos fugere luxuriam. Et sic plene docet contemnere mundum, quia omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, &c. 1. *Joan.* 2. Dicit ergo, (sint lumbi vestri præcincti,) i. motus carnalium desideriorum retrænate.

b Et lucernæ ardentes io manibus vestris,] i. opera ardentia propter Deum, & lucentia aliis in exemplum. Lucerna enim duo facit. Ceram, sive oleum comburit, & lumen diffundit. Ad hoc ergo, ut bonum opus sit lucerna, oportet ut ardore divini amoris splendeat, & aliis præbeat exemplum.

c Et vos] quasi prohibitiones, & præcepta observetis intuitu terrenorum, semper estote solliciti de adventu redemptoris. Et hoc est (Et vos) supple sitis.

d Similes hominibus expectantibus Dominum suum,] i. sitis vigilantes, & solliciti, sicut sunt illi, qui expectant Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. Hoc Evangelium legitur de confessoribus, quorum vitam recolit Ecclesia quasi quoddam continentiæ, & justitiæ, atque patientiæ speculum, & exemplar.

Sermo de confessore.

Et hæc tria in tribus primis verbis hujus Evangelii exprimuntur.

Continentia, cum dicitur (sint lumbi vestri præcincti) Justitia, cum sequitur. (Et lucernæ ardentes in manibus vestris.)

Patientia, seu longanimitas, cum sequitor, (& vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, qoando revertatur a nuptiis.) Sunt autem duo genera lumborum, quos quilibet debet in se præcingere. Sunt enim lumbi mentis, affectus, scilicet, & intellectus, ex quibus cogitationes, & desideria quasi quædam soboles generantur. De quibus dicitur in *Psal.* 37. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, idest, malis desideriis, & malis cogitationibus, quibus diabolus illudit animæ, & ideo non est sanitas in carne mea.

Horum lumborum cinctorium, sive repressorium est assidua meditatio legis divinæ: Nihil enim adeo reprimit hujusmodi mentis illusiones. Unde *Petr. ad Clem.* Incessanter debet quisque, quæ Dei sunt, cogitare, & loqui, quia si in his bonis fuerit mens occupata, malus non invenit locum io mente. Unde, & *Hieron.* ad quemdam. Ama studia literarum, & carnis vitia non amabis. Ad hoc monet Petrus Apostolus. 1. *Petr.* 1. Propter quod, inqoit, succincti lumbos mentis vestræ sobrii, & perfecti sperate in eam, quæ offertur vobis gratiam. *Isa* 32. Accingite lumbos vestros super ubera vestra. Item sunt lumbi carnis, ubi sedes generationis, de quibus oriuntur carnales concupiscentiæ: de quibus dicitur: *Job* 40. Fortitudo ejus in lumbis, & virtus ejus in umbilico ventris ejus. Lumbos dicit propter viros, umbilicum propter feminas, ut dicit *Greg.* Horum lumborum cinctorium est justitiæ disciplina, sicut dicitur *Isa. c.* 11. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, idest, disciplina justificans. Sint igitur his duobus cingulis lumbi vestri præcincti, ut per primum fluxus cogitationum, & desideriorum inutilium restringatur in mente, per secundum fomes concupiscentiarum reprimatur in carne. *Job* 38. Accinge sicut vir lumbos tuos, & interrogabo te. *Jer.* 1. Accinge lumbos tuos, & surge, & loquere. Hoc dicitur Jeremiæ, & tamen virgo erat. Unde bene dicit hic.

Al. † In aliis.

a Sint lombi vestri præcincti,] idest, ante casum concupiscentiæ cincti. *b* Et lucernæ ardentes in manibus vestris.] Tria dicit, quæ debet quilibet proximo suo, maxime Prælati, & prædicatores.

Primum est lumen eruditionis, quod debetur ignaris. Unde dicit (Lucernæ,) idest, doctrina lucens, ita ut omnes videant. *Matth.* 5. Non potest civitas abscondi super montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, &c.

Secundum est ardor compassionis, quod debetur infirmis. Unde dicit (ardentes.) Hoc ardore ardebat Paulus 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor, &c. Similiter & Elias. *Eccl.* 48. Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. Sic etiam Joannes Baptista. *Joann.* 5. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Ardens per compassionem, lucens per eruditionem. *B. Bernar.* Ardere parum est, lucere vanum est, lucere, & ardere perfectum est.

Tertium est subsidium manuale, quod debetur egenis. Unde dicit: (In manibus vestris.) *Prov. ult.* Manus suas aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Pluraliter autem dicit (lucernæ,) quæ portari debent io manibus.

Prima est pura mentis intentio, quæ portatur in manu, cum bonæ intentioni opus bonum adjungitur. De hoc *supra* 11. Lucerna corporis tui est oculus tuus *Glos.* idest, mentis intentio lumen est totius operationis tuæ. Secunda lucerna est verbum prædicationis: De qua in *Psalm.* 118 Lucerna pedibus meis verbum tuum. *Prov. ultim.* Non extinguetur in nocte, idest, adversitate, lucerna ejus. Hæc lucerna in manu portatur, quando prædicator facit, quod dicit, sicut Apostolus *Roman.* 15. Non audeo loqui aliquid eorum, quæ per me non efficit Christus.

Tertia lucerna est exemplum honestæ conversationis: De qua *Ps.* 131. Paravi lucernam Christo meo, i. Prælato uncto. *Joann.* 1. Et vita erat lux hominum. Vita inquam prædicatorum erat lux auditorum, & vita prælatorum lux subditorum. Sunt autem quatuor in lucerna, quæ debent esse in vita prædicatoris, & Prælati.

Quatuor sunt in lucerna, quæ debent esse in prælato.

Primum est testa, i. fragilitas propriæ conditionis, quam jugiter debet habere præ oculis, ne superbiat. *Job* 5. Visitans speciem tuam non peccabis.

Secundum est oleum, idest, conscientiæ nitor, sine quo nunquam debet esse prædicator, qui debet alios consolari. Unde *Eccl. cap.* 9. Oleum de capite tuo non deficiat.

Tertium est ignis, idest, charitas, quo totus debet ardere prædicator. Unde *Greg.* Qui charitatem ad proximum non habet, officium prædicationis assumere non debet. Et de hoc igne dicitur: *inf. eod.* Ignem veni mittere in terram, &c.

Quartum est lichinus, sive licinum, quod igne consumitur, & significat peccata Propria, quorum recordationem debet habere jugiter prædicator, ne sibi justus videatur, & alios reputet peccatores. 1. *Tim.* 1. Blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus. Sequitur.

c Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum,] idest, solliciti, longanimes, & timentes. Tales enim sunt famuli, qui expectant Dominum suum. Solliciti, contra negligentes prædicatores: De quibus *Jerem.* 48. Maledictus, qui opus Dei facit negligenter. Longanimes, contra pusillanimes, qui in præsenti volunt remunerari. De quibus *Matth.* 6. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Eccl.* 20. Hodie fœneratur quis, & cras expetit, & odibilis est homo hujusmodi. Timentes, contra præsumentes: De quibus dicitur in *Psal.* 13. Non est timor Dei ante oculos eorum. Expectaverunt autem Dominum suum antiqui sancti venturum in carnem, ut Salvatorem. *Genes.* 49. Salutare tuum expectabo, Domine. Expectant modo peccatores venturum in mentem, ut justificatorem. *Jerem.* 14. Tibi peccavimus expectatio Israel, Salvator

noster in tempore tribulationis. Expectant omnes justi venturum ad judicium, ut remuneratorem, ut glorificatorem. *Sophon.* 3. Expecta me, dicit Dominus in die resurrectionis meæ, &c. *Phil.* 3. Salvatorem expectamus Dominum nostrum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, &c. Ecce triplex expectatio bona, de qua dicitur. *Prov.* 17. Gemma gratissima expectatio postulantis, i. Christus, qui dicitur gemma, propter sollicitudinem, propter virtutem, propter pretiositatem. Hęc gemma fuit grata in primo adventu, gratior in secundo, gratissima in tertio, quia tunc erit omnia in omnibus, ut dicitur 1. *Cor.* 15.

quando *a* revertatur a nuptiis, ut *b* cum venerit, *c* & pulsaverit, *d* confestim aperiant ei. *e* Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. *f* Amen *g* dico vobis, quod præcinget se, *h* & faciet illos discumbere, *i* & transiens ministrabit illis. Et si *k* venerit in secunda vigilia, *l* & si in tertia vigilia venerit, *m* & ita invenerit, *n* beati sunt servi illi. *o* Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique,

Matt. 24.

a Quando revertatur a nuptiis,] i. a domo nuptiarum cœlestium, ad quam ivit in die Ascensionis. Duas nuptias fecit Dominus.

Primas, quando sibi desponsavit humanam naturam. Istas fecit in utero Virginis: De quibus dicitur *Matth.* 21. Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit filio suo nuptias. Ad istas nuptias ivit Dominus in die conceptionis, & redit in die Ascensionis.

Secundas nuptias fecit, quando Angelos sibi secundum naturam humanam associavit in die Ascensionis. De quibus dicitur *Apoc.* 19. Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. Ab istis nuptiis redibit Dominus in die judicii, vel etiam revertitur, quando venit ad unumquemque in obitu suo. De utrisque nuptiis exponitur hoc. Nam sancti Patres expectaverunt, cum desiderio magno revertentem a primis nuptiis, quia tunc fuerunt liberati a limbo. *Isa.* 30. Beati omnes, qui expectant eum, populus enim Sion habitabit in Jerusalem. (Et vos sitis (similes) illis, (hominibus expectantibus Dominum suum.) Item Sancti, qui adhuc sunt in mundo, vel in cœlo sine corpore expectant Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. (Et vos similes) sitis illis. *Psal.* 39. Expecta Dominum, & custodi viam ejus, &c. *Gl. Bed.* Ad nuptias, &c. Novus homo, i. homo de novo sibi Angelos copulavit, quia hoc tunc novum fuit, ut homo in corpore humano sociaretur Angelis. Vel. Novus homo, idest, immortalis.

b Ut cum venerit,] properando ad judicium, scil. generale, vel particulare cujuslibet.

c Et pulsaverit.] *Beda*. Per ægritudines, quas infligit mortem propinquam designando. *Proverb.* 16. Nuncii mortis indignatio regis.

d Confestim aperiant ei.] *Bed.* Læti eum suscipiendo. Tales enim Domino pulsanti libenter obediunt, quia securi eum expectant, qui autem eum offenderunt, & sibi sunt conscii, aperire ei formidant. *Jac.* 5. Ecce judex ante januam assistit. *Apoc.* 3. Ego sto ad ostium, & pulso. *Cant.* 5. Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea. *Gloss. Bed.* Non vult aperire judici pulsanti, qui timens videre iratum, quem contempsit, de corpore exire metuit: Aperit, qui judicem lætus, & securus sustinet, & de propinqua morte gaudet; Unde subditur.

e Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes,] i. sibi, & subditis vigilanter attentos, & oculos apertos in vera luce tenentes. 1. *Cor.* 15. Evigilate justi, & nolite peccare. *Cant.* 3. Ego dormio, & cor meum vigilat. Nota ergo, quia servi expectantes Dominum tenentur vigilare communiter, sed differenter, quia unusquisque pro modulo suo. Nam pro modulo suo tenentur vigilare viri contemplativi, pro modulo suo activi, pro modulo suo Prælati. Hoc distingue in *Gl. Bedæ*. Vigilat, &c.

f Amen,] idest, vere beati, quia.

g Dico vobis præcinget se] præparans se ad retributionem. *Ps.* 92. Dominus regnavit, decorem indutus est, &c.

h Et faciet illos discumbere,] i. in æterna beatitudine refoveri. *Bed.* Nostrum recumbere, est in regno quiescere. *Ezech.* 34. Ego pascam oves meas, & ego accubare eas faciam, dicit Dominus Deus.

i Et transiens ministrabit illis.] Quomodo ministrabit transiens, stabilis, manens, & cuncta movens? De ipso enim dicitur:

—— *Stabilisque manens dat cuncta moveri.*

Boetius de consol. lib. 3. metro. 9.

Gloss. solvit: Quia potest intelligi transiens in se, vel transiens in nobis: Transibit enim in se secundum naturam humanam, de loco ad locum, quia de cœlo descensurus est ad judicium in aera super vallem Josaphat, postea rediturus cum electis. Vel transibit, cum de notitia humanitatis, quam omnes habebant in judicio, ad deitatis notitiam electos sublimabit, & intellige notitiam ampliorem. *Gloss.* Transiens ministrabit, &c. *Joan.* 10. Per me, si quis introjerit, ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. Ingredietur ad contemplationem divinitatis, & egredietur ad contemplationem humanitatis, & utrobique pascua inveniet. *k* Et si venerit in secunda vigilia.] Forte dicerent senes: Non ministrabit nobis, quia non nimium dormivimus, semper fuimus pigri in corpore vitiorum, non prodesset nobis modo vigilare, quia serum est, imo in quacumque ætate invenerit servos vigilantes, beati sunt, quia ministrabit illis. Unde dicit:

Matt. 24. *Marc.* 13.

k Et si venerit in secunda vigilia,] idest, in adolescientia.

l Et si in tertia vigilia,] i. in senectute, (venerit.) *Alcuin.* Satis alienus est a fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis expectat.

m Et ita,] i. vigilantes saltem tunc, invenerit.

n Beati sunt servi illi,] quos scil. invenerit vigilantes in prima, vel secunda, vel tertia, vel quarta vigilia. Sed beatiores sunt illi, qui semper vigilasse inveniuntur, quales sunt, qui innocentiam suam usque in senectutem custodierunt.

Ideo dicit *Eccl.* 5. Ne tardes converti ad Dominum *Alcuin.* Dissoluta est cogitatio, de crastina conversione cogitare, & hodiernam negligere. *Sen.* Quilibet dies vitæ nostræ ordinandus est ultimus. Et nota, quia metaphorice loquitur hic Dominus ad similitudinem excubantium in nocte, quam in quatuor partes distinguunt, & quamlibet vigiliam appellant, quia in qualibet oportet aliquos vigilare.

Prima dicitur canticinium, secunda intempestum, tertia gallicinium, quarta antelucanum. Prima vigilia est custodia pueritiæ, secunda custodia adolescentiæ, tertia custodia juventutis, quarta custodia senectutis. Si quis ergo primam, & secundam vigiliam neglexerit, non desperet, quia adhuc usque in tertiam moram nostram pius judex expectat.

Unde *Isa.* 30. Expectat nos Dominus, ut misereatur nostri, imo quod plus est, etiam in quarta vigilia, i. in senio recipit venientem, & venit, ut recipiatur. Unde *Matth.* 14. Quarta vigilia noctis venit ad eos. *Marc.* 13. Vigilate, nescitis enim, quando Dominus venit, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane. Lucas tamen non facit hic mentionem nisi de tribus vigiliis, sc. pueritia, adolescentia, senectute, nec facit mentionem de prima, scil. pueritia, sed de secunda, scil. adolescentia, quia scriptum est *Thren.* 3. Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Et per hoc, quod dicitur, secunda, & tertia, innuitur prima. Sequitur.

o Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique.] Probat per simile exteriorum damnorum, quod debeant vigilare, quia si vigilant pro terreno incommodo vitando, amplius deberent vigilare pro æterno commodo adipiscendo. Unde dicit (Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora, &c.) sibi esset suspecta. *Chrys.* exponit hoc dupliciter. Primo vocat furem diabolum, domum vocat mentem, quam si intraverit per negligentiam Janitoris, i. rationis, spoliat domum illam vestimentis justitiæ, auro sapientiæ, argento eloquentiæ, seu innocentiæ. Unde subdit *Chrys.* loquens homini sic spoliato. Nudus, quid facies? Adam nudus abscondit se inter ligna, sed inventus est. *Gen.* 3. Necesse est ergo, ut per pœnitentiam alteras vestes tibi texas.

Prima vestis gratis præstatur, secunda, cum labore nimio reparatur.

Igitur secundum hanc expositionem monet Dominus contra diaboli insidias vigilare. 1. *Petr.* 5. Sobrii estote, &c.

Secundo modo vocat furem mortem, sive ducem mortis, quæ occulte venit sicut fur. Unde 1. *Thess. c.* 5. Dies Domini sicut fur ita in nocte veniet. *Apoc.* 3. Si non vigilaveris, veniam tibi tanquam fur. Domum vocat corpus, de qua *Jerem.* 18. Descende in domum figuli. Et

Job 4.

Job c. 4. Qui serviunt ei, non sunt stabiles, quanto magis qui habitant domos luteas. Fur ergo domum intrat, & perfodit, quando spiritu dormiente, mors carnis habitaculum irrumpit, & animam violenter extrahit. Unde *Jer. c.* 9. Ascendit mors per fenestras vestras, ingressa est domos vestras. Secundum hanc expositionem monet Dominus contra mortis incertitudinem vigilare, ut quandocumque venerit, inveniat nos paratos ad exitum, ita quod non oporteat perfodi domum, i. eum violentia animam extrahi, sed sponte exire. 2. *Reg. c.* 4. Venientes Rechab, & Baana, i. mors, diabolus, ingressi sunt fervente die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie, & ustiaria domus, i. ratio purgans triticum obdormivit, ingressi sunt autem domum latenter, & percusserunt eum in inguine, & fugerunt. Ideo bonum est vigilanter contra mortis incertitudinem vigilare. Unde *Plato*. Summa philosophia est assidua mortis cogitatio *Eccl. c.* 18. Ante judicium para tibi justitiam. Item *Eccl.* 38. Memor esto judicii mei, sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.

F

a & non fineret perfodi domum suam, Et *b* vos estote parati, *c* quia, qua hora non putatis, *d* filius hominis veniet. Ait *e* autem ei Petrus: *f* Domine, ad nos dicis hanc *g* parabolam, an & ad omnes? Dixit *h* autem Dominus: *i* Quis putas est

a Et non fineret perfodi domum suam.] Secundum primam expositionem, i. mentem suam, quæ perfoditur, cum suggestioni consentiens virtutibus spoliatur, & in viribus læditur. Secundo modo fit, *Chrys.* (Non fineret) non repelleret furem a se, ut non perfoderetur quasi ignorans, sed vocaretur quasi paratus ad exitum. Quando animæ peccatrices in corpore quasi in proprio domicilio delectantur, veniens cum sententia Dei Angelus mortis perfodit corpus, & animam violenter divellit, animæ autem justæ, quæ quasi in exilio sunt, veniente sententia non perfodiuntur nolentes, sed revocantur gaudentes.

b Et vos estote parati.] Post similitudinem supponit exhortationem *Beda* (Parati) sine macula, & ruga. *Ephes.* 5. Sicut sponsa expectans sponsum. *Matth.* 25. Et quæ paratæ, &c.

c Quia qua hora non putatis.] *Gloss.* Ultimam horam semper ignorari voluit Dominus, ut semper sit suspecta, & ad eam semper præparemur. *Matt. cap.* 24. De die illa nemo scit, &c. *Eccl.* 9. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aves laqueo, sic homines capiuntur in tempore malo. Nihil certius homini morte, nihil incertius hora mortis.

d Filius hominis veniet.] *Matt.* 25. Et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias. *Aug.* Paratæ sunt animæ, quibus conscientia dat bonum responsum. 2. *Cor.* 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. *Eccl.* 13. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. &c. *Greg.* O si saperes in palatos cordis, quid admirationis habet, venit sponsus: quid dulcedinis, intraverunt cum eo ad nuptias: quid amaritudinis, & clausa est janua, quia de cetero non aperietur.

e Ait autem ei Petrus, Domine, &c.] Duo prædixerat Dominus, scil. se improvise venturum, & servis expectantibus necessarium esse, ut se præpararent. Sed quia in præparatu proposuerat multa difficilia, quædam parabolice, quædam aperte. Dixerat enim ad hoc, ut sint idonee parati, necessarium esse eis deponere omnem sollicitudinem, vendere omnia, quæ possident, & dare eleemosynas, facere sacculos, qui non veterascunt, habere lumbos præcinctos, & opera licita, & vigilare. Quærit Petrus, an præmissa ad omnes generaliter, an specialiter ad Apostolos sint dicta? Dominus autem ad quæstionem Petri non statim respondit, sed tantum statim innuit Petro, quia prædicta eis specialiter congruunt, quibus credita est dispensatio verbi. Postea subdit de præmio bene, & supplicio male dispensantium gregi. Qui differenter punientur, alii plus, alii minus. Sicut enim differt stella a stella in claritate, ita differt reprobus a reprobo in pœna. Servus enim sciens voluntatem Domini, & non faciens vapulabit multis. Nesciens, & non faciens vapulabit paucis. Postea respondet ad quæstionem Petri, ibi, scil. Ignem veni mittere in terram, i. Spiritum sanctum, qui omnium corda inflammet ad impletionem prædictorum. Hoc est, quod hic dicitur, *f* Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?] supple, ne adhærens singulari, tanquam unum tantum dixisset parabolice, sed intellige ita. *g* Parabolam hanc,] idest, hæc prædicta, quæ sunt parabolice dicta. *Glos.* Vendite, &c. hoc, scil. vendite non est parabolice dictum.

h Dixit autem Dominus, quis putas est fidelis dispensator, & prudens, &c.] Sermo de quolibet confessore doctore, qui commendatur hic in quatuor, quæ requiruntur in quolibet Prælato, & prædicatore.

Sermo de confessore doctore.

Primum est fidelitas, per (fidelis.)

Secundum est humilitas, per (dispensator.)

Tertium est discretio, per (prudens)

Quartum, charitas, per (det tritici mensuram.) Fidelitas autem consistit in tribus, scil. in legitima rerum Domini sui congregatione, in tuta earumdem rerum conservatione, in utili earumdem dispensatione. Si aliquod horum trium desit, non est fidelitas. Res autem, quas congregare debet Prælatus, & prædicator Domino suo, sunt animæ subditorum, copia meritorum, scientia faciendorum, & credendorum.

De pœnit. dist. 1 cap. Sacerdos.

De primo dicitur *Ezech. c.* 34. Congregabo oves meas de terris, & inducam eas in terram suam, & pascam in montibus Israel.

De secundo dicitur *Prov. c.* 31. Multæ filiæ congregaverunt sibi divitias, i. multæ animæ copiam meritorum. *Prov. c.* 6. Vade ad formicam, o piger, &c.

De tertio dicitur *Eccl. c.* 2. Coacervavi mihi argentum, & aurum, & substantias regum.

Primum impedit austeritas Prælatorum, quæ non congregat, sed dispergit oves congregatas. *Ezech. cap.* 34. Cum austeritate, & potentia imperabitis eis, & dispersæ sunt oves meæ.

Secundum impedit inanis gloria.

Tertium impedit immunditia vitæ. *Sap. c.* 5. In malevolam animam non introibit sapientia. *Eccl.* 47. Collegisti quasi aurichalcum aurum, &c. Qui ergo fidelis est Domino suo, servat ista tria, congregat fideliter, conservat sapienter, dispensat utiliter. Duo ultima, idest, merita, & scientiam debet dispensare primus, idest, animabus, & tunc revera fidelis erit. Debet autem esse, & humilis, ut se dispensatorem non dominatorem sciat, & ostendat. 1. *Petr. c.* 5. Non dominantes in cleris, &c. 1 *Cor.* 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, &c. Humilitas autem prædicatoris in tribus consistit.

Primum est, de se minima, & de aliis magna sentire.

Secundum est, seipsum, & nullum spernere.

Tertium est, de contemptu gaudere. *B. Bern.* Verus humilis non vult humilis prædicari, sed vilis reputari, Exemplum de Joanne brevis staturæ. Hanc autem humilitatem tria nutriunt. Unde dicit *Basil.* Tria sunt, quæ radicata nutriunt humilitatem, scil. assiduitas subjectionis, consideratio propriæ fragilitatis, consideratio viri melioris.

Item prudentia prædicatoris in tribus consistit, sicut patet in *Gloss.*

Primum est, ut sibi ipsi provideat in futuro.

Secundum, ut provideat populo utilia. *Act. c.* 20. Attendite vobis, & universo gregi. Et 1. *Tim.* 4. Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis, sic enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.

Tertium est, ut secundum capacitatem audientium, de annona verbi eis ministret. *Gregor.* Pro qualitate audientium formari debet sermo doctorum, ut & sua singulis congruentet tribuat, & tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat.

Item charitas prædicatoris, aut Prælati erga subditos in tribus consistit.

Primum est, ut corde compatiatur miseris.

Secundum, ut verbo, & exemplo ædificet omnes.

Tertium est, ut se, & sua libenter pro eis tribuat.

De primo, 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor, &c.

De secundo, 1. *Tim.* 4. Exemplum esto fidelium in verbo, & conversatione. De tertio, *Joan.* 15. Majorem hac dilectionem, &c. Nunc lege litteram.

i Quis putas, &c.] *Glos.* Bedæ continuat sic. Quasi vobis, qui dispensatores estis instituti, hoc mysterium specialius convenit de custodia, & preparatione, ut & vos, & alios preparetis in adventum judicis, quia pauci sunt, qui commissam bene administrent dispensationem. Et hoc est. (Quis putas est fidelis dispensator, & prudens.) Nota quod per (quis) raritatem notat, & etiam difficultatem, quam faciunt tria. Ad hoc enim, ut aliquis sit bonus dispensator, tria concurrunt, scilicet, ut sit fidelis, discretus, vocatus a Domino, Fidelis, si res suas ad commodum Domini, non

suum disponat. Discretus, si prout singulis de familia distribuendum est, recte discernat pro modulu singulorum, & capacitate. A Domino vocatus, si non sit intrusus.

a fidelis *h* dispensator, *c* & prudens, *d* quem constituit Dominus † super familiam suam, ut *e* det *f* illis in *g* tempore tritici *b* mensuram. *i* Beatus ille servus, *k* quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem. *l* Vere dico vobis, quia † super omnia, quæ possidet, constituet illum. Quia si *m* dixerit servus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & *n* cœperit percutere † *o* pueros, & ancillas, *p* & edere, & bibere, & inebriari, *q* veniet Dominus servi illius in *r* die, qua non sperat, *ſ* & hora, qua nescit, *t* & dividet eum, *u* partemque ejus cum infidelibus ponet. *x* Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, *y* & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis,

a Fidelis.] *Beda*. Bene erogando pecuniam Domini sui, idest, ad commodum Domini sui, non ad suum. *Prov.* 20 Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet? 1. *Cor.* 4. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. *b* Dispensator] *Chr.* Plerumque sacerdotes mali obdormire faciunt populum in peccatis, boni autem excitant a somno negligentiæ assidua tuba doctrinæ.

Al. † supra.

Al. † supra.

c Et prudens,] *Beda*. Discernens capacitatem singulorum *Amos quinto*, Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. *Proverb.* 14. Acceptus est Domino minister intelligens, iracundiam autem ejus inutilis sustinebit, *Chrys.* Qui prudentes sunt, difficile inveniuntur, & Deum timentes. Et *inf.* Deo conscientia placet, hominibus sapientia prodest. Si fuerit quis tantum fidelis, laicum quidem facit, sacerdotem autem non facit.

d Quem constituit Dominus super familiam suam,] Ecclesiam, & ipse se non ingessit. *Hebr.* 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, &c.

e Ut det] non vendat nummo humanæ laudis, aut mundanæ cupiditatis. *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. Sed non est sic in omnibus, imo sic est in paucis. *Malach.* 1. Quis est ex vobis, qui claudat ostia mea, & incendat altare meum gratuito? *Phil.* 2. Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi. Ideo non habent charitatem, 1. *Cor.* 13. Charitas non quærit, quæ sua sunt. *f* Illis,] i. suis, quibus tenetur potius quam alienis. *Prov.* 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.

g In tempore.] *Chrysost.* Quid est in tempore? *Eccles.* 22. Flagella, & doctrina in omni tempore sapientia. *Eccl.* 20. Ex ore fatui reprobabitur parabola. *Eccl.* 8. Omni negotio tempus est, & opportunitas, &c. *Isa.* 49. Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui, &c. *Chrys.* Qui semper ægrotat, semper illis ars medici optima videtur. Et *inf.* Doctrina, & consolatio sacerdotis semper optima est, maxime autem in tempore tribulationis, sicut navi gubernator, semper quidem, sed maxime tempore tempestatis. Et *inf.* Nam semper in persecutionibus naturalis intellectus deficit.

b Tritici mensuram.] *Gregor.* Pro qualitate auditorum mensurantur cibi divini verbi, vel exempli, vel subsidii temporalis, *Chrys.* Huic similes sunt, qui pecunias habent, & dant indigentibus. Etenim, & tu œconomus es, & dispensator tuarum pecuniarum non minus, quam qui ea, quæ sunt Ecclesiæ dispensat. Tu si dedisti aliquid ad usus pauperum, vis illud cum diligentia dispensari, Deum autem non putas cujus sunt, vehementius expetiturum? Et *inf.* Ne tua esse existimes, sua ei tribues.

i Beatus.] *Beda*. Quasi, pauci sunt fideles, ille autem, qui repertus fuerit fideliter annonam verbi ministrans, & in cura gregis vigilans, æterna beatitudine glorificabitur. Et hoc est, (Beatus ille servus) a serviendo, & servando sic dictus. *Matt.* 25. Euge, serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, &c.

k Quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem,] idest, fideliter, humiliter, prudenter, utiliter triticum Domini familiæ suæ dispensantem. *Chrysost.* Hæc dicta sunt de sermone, de virtute, de pecuniis, & de omni dispensatione, quæ unicuique commissa est. Unumquemque enim ad communem utilitatem uti oportet his, quæ habet, sive sapientia, sive principatu, sive divitiis, non ad nocumentum conservorum.

l Vere dico vobis, quia super omnia, quæ possidet, constituet illum.] Super omnia. *Beda*, cœlestis regni gaudia non ut solus, sed ut præ ceteris habeat gaudia æterna, tum pro sua vita, tum pro gregis custodia. *Chrysost.* Bene agen- eo populo unusquisque pro suo bono remuneratur, sacerdos autem pro nobis omnium. Habebit enim pro bonis propriis auream, & ex acquisitione aliorum aureolam. 1. *Thes.* 2. Quæ est spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum in adventu ejus? Nota, quia major corona promittitur bonis dispensatoribus, quam aliis vigilantibus. Aliis promissum est, quia faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis, istis promittitur, quia super omnia bona sua constituet eos. Sicut ergo differunt in meritis, ita & in præmiis.

Al. † servos.

[illegible]

m Quia si, &c.] Hic subditur male dispensantium, & quasi explanat prædicta de servo bono per antithesim mali servi dicens, (Quia si dixerit servus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire,] idest, si cogitaverit, quod judicium, aut mors adhuc longe est, quod multi cogitant, & quod pejus est cogitationi acquiescunt, *Deuteron.* 32. Juxta est dies perditionis. *Habac.* 2. Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. *Soph.* 1. Juxta est dies Domini. *Ezech. decimo secundo*, Quod est proverbium istud in terra Israel, dicentium, in longum differentur dies, & peribit omnis visio. *Isa.* 17. Manda, remanda, &c.

Joan 8. *Qui facit peccatum, &c.*

n Et cœperit percutere,] idest, ad vitia incitare, vel conscientiam infirmorum pravo verbo, vel exemplo laniare. *primo Corinthior. capitulo octavo*, Peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christo peccatis. Vel, (Percutere) spoliando pauperes. *Isa.* 3. Quare atteritis populum meum.

o Pueros, & ancillas] *Glos.* Quorum ætas, vel sexus, quanto infirmior, tanto ad ruinam facilior.

p Et edere, & bibere, & inebriari.] Mystice, idest, cunctis sceleribus, & illecebris sæculi, quæ mentem errare faciunt occupari. Vel ad litteram, si sit deditus gulæ, & ebrietati. *Eccl.* 19. Operarius ebriosus non locupletabitur. *Isa.* 28. Sacerdos, & Propheta nescierunt præ ebrietate. *Eccl.* 31. Infirmitas gravis sobriam facit animam.

q Veniet Dominus servi illius] in quo, scilicet, servo, omnes mali præpositi intelliguntur. Veniet, inquam.

r In die, qua non sperat,] scilicet, judicii, vel mortis.

ſ Et hora, qua nescit.] *Matth. cap* 24. De die illa nemo scit, neque Angeli nisi solus pater, quod fit, ut semper simus parati.

t Et dividet eum.] *Beda*. A consortio fidelium segregando & eis, qui nec fidem habuerunt sociando, quia qui non habet curam suorum, &c. 1. *Tim.* 5. *Osee* 13. Internus inter fratres dividet. *Matth.* 25. separabit eos ab invicem sicut pastor segregat oves ab hœdis. Vel, (Dividet) diabolo animam, mundo pecuniam, vermibus corpus. *Eccl.* 10. Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes.

u Partemque ejus cum infidelibus ponet.] *Rab.* Quia adventum judicis desperavit, quia præsentibus studuit, quia commissam sibi familiam siti, & fame vexavit. Et si incipiens ponitur cum infidelibus, ubi ponetur, qui nunquam cessavit? *Apoc.* 22. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium, idest, hypocrita.

x Ille autem.] Hic subditur, de differentia pœnæ malorum. Et hoc est. (Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit) ad faciendum eam. *Proverbiorum cap.* 16. Hominis est animum præparare, &c.

y Et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis,] quia deliquit in multis. 2. *Petr.* 2. Melius erat viam veritatis, &c. *Sap.* 6. Judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. *Eccl. cap.* 1. Qui addit scientiam, addit & dolorem, *Jacob* 4.

Jacob 4. Scienti bonum, & non facienti peccatum est illi.
a Qui autem non cognovit,] idest, simpliciter ignoravit, non ex contemptu addiscendi. Multi enim nolunt addiscere, quia putant se minus puniendos, si nescientes peccent. De quibus, 1. *Cor.* 14. Si quis ignorat, ignorabitur. *Osee* 4. Populus non intelligens vapulabit. *Gl. Bedæ*. Multi æstimantes se minus vapulatores, si nesciant quod operari debeant, avertunt autem, ne audiant veritatem, sed cum possent scire si vellent studium adhibere, non nescientes, sed contemptores judicabuntur. *Prov.* 28. Qui declinat aures suas, ne audiat legem &c. 2. *Timoth.* 4. Auditum avertent a veritate. Sic ergo intelligendum est, (Qui autem non cognovit,) idest, simpliciter ignoravit, non ex contemptu addiscendi.

37. dist. cap. ideo 13. qu 4. c. ea vindicta.

G

Al. † Baptisma.

a Qui autem non cognovit, *b* & fecit digna plagis, *c* vapulabit paucis. Omni *d* autem, *e* cui multum datum est, *f* multum quæretur ab eo, *g* & cui commendaverunt multum, *h* plus petent ab eo. *i* Ignem *k* veni *l* mittere in terram, *m* & quid volo, nisi ut accendatur? † *n* Baptismo *o* autem habeo baptizari, & *p* quomodo coarctor, usque dum perficiatur? *q* Putatis, quia pacem veni dare in terram?

b Et fecit digna plagis,] idest peccata.

c Vapulabit paucis.] *Osee* 13. Ipse filius non sapiens, nunc enim non stabit in contritione filiorum, de manu mortis liberabo eos. *Beda*. Quoad sensum, non quoad damnum. Mitissima est omnium pœna eorum, qui præter originale nullum insuper addiderunt. Hæc *Gloss.* non videtur multum pertinere ad expositionem ejus, quod hic dicitur, potest tamen sic continuari. Qui cognoverunt voluntatem Domini, & non fecerunt, vapulabunt multis, qui non cognoverunt vapulabunt paucis, sed inter eos, qui non cognoverunt, mitius punientur illi, qui originali nullum actuale superaddiderunt. Sequitur.

d Omni autem,] sive Prælato, sive subdito.

e Cui multum datum est] de bonis naturalibus, de bonis gratuitis, de bonis temporalibus. De his enim omnibus oportebit reddere rationem secundum quantitatem commissi.

f Multum quæretur ab eo,] in die judicii, quando unusquisque reddet rationem villicationis suæ, ut dicitur *inf.* 16.

g Et cui commendaverunt multum,] scilicet, divina judicia.

h Plus petent ab eo.] Istud est inculcatio, quia idem est, quod prædictum est (Omni autem, &c.) Unde *Beda*. Merito malus cognoscens plus, & non cognoscens minus vapulat, quia illi plus, isti minus commissum est, & ab omni, cui plus committitur, plus exigitur. Vel ita ut non sit inculcatio, sed primum referatur ad subditos, secundum ad prælatos, quia subditis datur, prælatis commendatur.

h Plus petent ab eo,] qualis est omnis Prælatus, cui cum salute sua committitur cura subditorum. 3. *Reg.* 20. Custodi virum istum, &c. Et hanc electionem innuit alia *Glos.* Utrumque ordinem, &c. Sequitur.

i Ignem veni mittere in terram,] &c. Hic respondet ad quæstionem Petri, dicens, quia prædicta generaliter omnibus congruunt, licet specialiter Apostolis, ut dictum est. Unde *Glos. Bed.* Tu quærebas, &c. Et alia *Glos.* aliter continuat, sed sententiam non mutat. Quasi invito vos, &c. ut in advento judicis sitis idonee parati. Sed licet ita dixerim ad incutiendum timorem, malo tamen, ut ex amore impleatis. Et est hic quinta pars cap. in qua hortatur discipulos ad tolerantiam passionum, timorem incutiens ex adventu judicis insperato, & exemplum ponens de seipso, qui pro nobis tantam, ac talem sustinuit passionem, qua quasi igne quodam nos inflammavit ad amorem suum, ut pro eo nihil pati timeamus. Unde dicit. (Ignem) amoris.

Quinta pars.

k Veni mittere in terram] ad eam illuminandam, inflammandam, & consolandam. Hæc enim tria facit ignis. Illuminat obscura, inflammat frigida, consolidat mollia. Et terra obscura erat per ignorantiam, frigida per malitiam, mollis per impatientiam, seu per insolentiam. De prima dicitur *Osee* 4. Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. *Gen. cap.* 1. Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, &c. De secundo dicitur *Jer. cap.* 6. Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam facit malitiam suam. De tertio, *Isa. c.* 47. Non vocaberis ultra mollis, & tenera. Ideo ad hæc tria facienda datus est Spiritus sanctus in specie ignis, i. ut ignaros erudienda illuminaret, frigidos calefaciendo inflammaret, molles & dissolutos consolidaret. Unde *Thren.* 1. Ignem misit in ossibus meis, & erudivit me.

Item sermo Dei dicitur ignis, quia illuminat, & inflammat, & consolidat. *Jerem.* 20. Factus est sermo Domini in derisum, & in opprobrium tota die, & dixi, &c.

Item *ejusdem* 23. Numquid non verba mea sunt quasi ignis ardens?

Item ignis dicitur ipsa sententia divini judicii, & ipsa gehenna. Unde *Soph.* 33. In igne zeli mei devorabitur omnis terra. *Isa.* 33. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Hujus ignis notitia ante Christi adventum vel nulla, vel modica erat, ideo Dei filius venit in mundum, ut hoc triplici igne totum mundum inflammaret. Unde dicit.

Matt. 10.

i ignem] triplicem.

k Veni] carnem assumendo.

l Mittere in terram,] non in cœlum, quia ibi satis abundabat.

m Et quid volo, nisi ut accendatur?] in cordibus peccatorum mediante sufflatorio prædicationis, aut divinæ inspirationis, aut certe secretæ meditationis. Juxta illud *Ps.* 38. Et in meditatione mea exardescet ignis. Ut autem facilius, & amplius accendi valeat ignis iste, idest, ardor charitatis in cordibus hominum, subjungit de passione sua, quia nihil est, quod adeo accendat ardorem charitatis in cordibus humanis sicut mors, sive passio Christi, quam non solum sustinuit pro salute hominum, sed etiam desiderio desideravit, secundum quod dicitur *inf.* 22. Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Unde dicit.

n Baptismo autem habeo baptizari, &c.] Et continuatur hoc modo: Revera volo, ut accendatur ignis.

o Autem,] i. quia, &c. Vel sic: Ita volo, ut accendatur, ignis. (Autem,) idest, sed ut facilius fiat: (Baptismo habeo baptizari,) prius, idest, sanguine proprio universaliter quasi baptismo perfundi. Nota, quod mors Christi dicitur baptismus, idest, tinctio per quamdam similitudinem, quia sicut lana in tinctura mergitur, & pretiosior emergit, ita Christus passus est mortalis, & resurrexit pretiosior, quia immortalis. Baptismus etiam habet efficaciam, & virtutem a Domini passione.

Item passio, sive martyrium dicitur baptismus, quia mundat, & liberat a culpa, & pœna sicut baptismus. Distinguit autem *Chrys.* sex genera baptismorum.

Sex genera baptismorum.

Quorum primus est in verbo. Unde *Joan.* 15. Vos mundi estis, &c.

Secundus est in aqua tantum.

Tertius est in Spiritu sancto tantum. De utroque dicitur *Act.* 1. Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, &c.

Quartus in aqua, & spiritu. *Joann.* 3. Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.

Quintus in igne tribulationis, & pœnitentiæ. *Isa.* 4. Si abluerit sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, &c.

Sextus in morte, ut hic: (Baptismo habeo, &c.)

p Et quomodo, &c.] His verbis exprimitur affectus charitatis Domini erga nos: (Et quomodo coarctor, usque dum perficiatur) ipsa passio, idest, quantum, idest, ex quanto desiderio appeto, & desidero ipsam Passionem meam pro salute humani generis consummari, q. d. multum affecto mori pro salute hominum. In hoc maximam ostendit suam charitatem ad homines. *Joan.* 15. Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Et per hoc ad mutuæ charitatis obsequium nos invitat, ut sicut ipse pro nobis, ita nos pro invicem pati non recusemus 1. *Joan.* 3. In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.

q Putatis, &c.] Hic removet unum magnum impedimentum, idest, carnalem affectum, sive carnalem amorem, qui facit concordiam in malum in pluribus operibus: Et ideo non facere, sed destruere hanc pacem, seu concordiam venit Dei filius: Sicut *Genes.* 11. legitur de volentibus ædificare turrim, quod Dominus divisit eos, & dispersit eos in orbem. Et hoc est, quod hic dicitur: (Putatis quia pacem veni dare in terram.) *Chrys.* Est pax bona, & est pax mala. Bona inter fideles, & justos, mala inter infideles, & injustos, quia

a Non, dico vobis, sed separationem. *b* Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in † duo, & duo in tres dividentur. *c* Pater in filium, *d* & filius in patrem suum, *e* mater in filiam, & filia in matrem; socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam. *f* Dicebat autem & ad turbas. *g* Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis nimbus venit, & ita fiet, & cum austrum flantem, dicitis, quia æstus erit, & fit,

fidelitas per pacem servatur. *a* Non] ut ibi fiat productus (dico vobis, sed separationem.) *Chryſ.* Malum quamdiu mixtum fuerit bono, vivit, & stat, separatum cadit, & moritur, & ita sempes desiderat diabolus suos infideles cum fidelibus esse, quia malum coinquinat bonum, non e converso. Vinum enim non corrumpit acetum, nec farina sordidat lutum, sed e converso. 1. *Cor. c.* 15. Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala. *Matth.* 10. dicit. Sed gladium verbi Dei, scilicet, de quo *Hebr. c.* 4. Vivus est sermo Dei, &c. *Jer. cap.* 48. Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine. Sed quidam sicut rustici portant hunc gladium retro pendentem super dorsum. Unde *Pſ.* 49. Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum. Alii portant in ore, ut ludant, ut histriones. *Pſal.* 58. Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum, &c. Alii portant involutum, non ut pugnent in eo, sed ut vendant eum, ut mercatores. 1. *Reg.* 21. Abimelech gladium Goliæ habebat involutum, & quia dedit David, occisus est a Saule. Alii portant in manibus ad pugnandum, ut milites. *Cant.* 3. Lectulum Salomonis, &c. *Rom.* 13. Non sine causa gladium portat, &c.

18. 9. q. 1.

Al. † duos.

b Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duo, & duo in tres dividentur.] Nec adhæreas verbo tanquam non fuerint plures, vel pauciores in eadem domo.

c Pater] dividetur (in,) i. contra (filium.) Sed quomodo Dominus, qui præcipit honorare parentes. *Exod. c.* 20. hic videtur inhonorare, ex eo quod hic approbat separationem filii a parente? Sed istud non est contrarium illi. Ibi enim præcipit parentes honorare sub Deo, hic approbat separari a parentibus, sed pro Deo. *Chryſ.* Solus Deus animarum pater est, carnalibus patribus præbe carnis obsequium, spirituali vero patri animæ sanctitatem.

d Et filius in patrem suum.] *Chryſ.* Non dicit separare filium a patre, sed adversus patrem, quia spiritualem dicit separationem non corporalem, & ita qui longe est non potest stare contra.

e Mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.] Hic oritur quæstio, quia dicit esse in domo quinque personas, quæ contra se dividentur, & tamen sex enumerat, scil. patrem, & filium, matrem, & filiam, socrum, & nurum. Respondet. *Beda.* Quæ mater est filii, socrus est uxoris ejus, & sic eadem in filiam suam, & in nurum suam dicitur divisa. Unde quinque sunt personæ, sed sex sunt nomina personarum. *Beda.* Tres in duo, idest, filius, & filia, & nurus in patrem, & matrem, & duo in tres, idest, pater, & mater, ubi, scil. in matre etiam socrus intelligitur, in filium, & filiam, & nurum.

Mystice. Mystice. Per tres significantur omnes boni, qui fidem Trinitatis corde, ore, & opere confitentur. Per duo significantur omnes mali, qui ab hoc ternario sunt diminuti. Tres ergo in duos dividentur, quia boni, & mali contraria, & sentiunt, & operantur, & se invicem persequentur. *Zach* 8. Divisi omnes homines unumquemque contra proximum suum. *Eccl.* 33. Intuere in omnia opera Altissimi, duo contra duo, & unum contra unum.

Moraliter. Moraliter. Pater, mundus, mater, caro. *Ezech. c.* 16. Pater tuus Amorrhæus, idest, amaricans, & mater tua Cethæa, idest, garrula. *Pſalm.* 26. Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Filius, & filia discipuli, seu imitatores nostri sunt. Unde pater in filium, & mater in filiam dividitur, quia mundus, idest, amatores mundi omnes bonos persequuntur. Et mater in filiam, quia caro, idest, carnales, spirituales impugnant, & manu, & lingua. *Hieronymus.* Adeo crescit persecutorum rabies, ut nullus sit inter eos affectus, quorum diversa est fides. *Matth. c.* 10. Tradet frater fratrem in mortem, &c. *Michææ c.* 7. Omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum venatur in mortem. Et *inf.* Nolite credere amico, & nolite confidere in duce, &c. Unde *Jerem. c.* 40. Unusquisque a proximo suo se custodiat, &c. *Iſa. c.* 19. Pugnabit vir contra fratrem suum.

Sexta pars. *f* Dicebat autem, &c.] Sexta pars cap. ubi post tractatum de utroque adventu Domini, arguunt Pharisæi, qui ex ordine elementorum, & aeris qualitate dies discernunt, & tempora judicant. Utrumque autem adventum Domini non attendunt, quia nec primum factum credunt, nec secundum recte expectant, cum tamen ex dictis prophetarum, & qualitate operum Christi certum indicium utriusque adventus possent habere, si vellent attendere.

Unde *Jerem.* 8. Milvus in cælo cognovit tempus suum, &c. Sic autem Dominus Pharisæos de negligentia arguit, quod de morte, & passione sua instruit secundum exemplum, quod ponit, sicut planius patet. *Matth.* 16. ubi agitur de eodem. Dicit ergo, (Dicebat autem & ad turbas) in quibus erant Pharisæi, signa de cœlo petentes, sicut dicit *Matth.* 16. non ad credendum, sed ad tentandum.

Matt. 16.

g Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, nimbus venit, & ita fiet, & cum austrum flantem, dicitis, quia æstus erit, & fit, hypocritæ, &c.] Littera patet.

Mystice. Mystice. Nubes est caro Christi. *Iſa. c.* 19. Ascendet Dominus super nubem levem, & ingredietur Ægyptum. Et dicitur nubes triplici ratione.

Primo, quia ex ore pluvia, & carne Christi sanguis, & aqua, quæ est pluvia benedictionis. De qua *Ezech. cap.* 34. Deducam imbrem in tempore suo, & pluviæ benedictionis erunt.

Secundo, quia nubes occultat solem, & caro Christi divinitatem. *Iſa. cap.* 45. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator. *Habac. c.* 3. Ibi abscondita est fortitudo ejus.

Tertio, quia nubes de mari oritur, & caro Christi de Maria, 3. *Reg.* 18. Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Occasus est passio, sive mors Christi. *Pſalm.* 67. Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Quid est ergo nubes ab occasu oriens, nisi caro Christi a morte resurgens. Post ascensum autem nubis fuit nimbus, quia post Domini resurrectionem Evangelii prædicatio toti mundo illuxit. Unde 3. *Reg. cap.* 18. Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari, idest, de amaritudine mortis, & facta est pluvia grandis. Per austrum vero flantem, præsens tribulatio Sanctorum significatur, per æstum autem tribulatio futuri judicii. Auster igitur flans, signum est æstus futuri, idest, præsens tribulatio Sanctorum certum iudicium est futuræ tribulationis malorum. Si enim Dominus in præsenti non parcit bonis, quin patiantur, certum est, quod in futuro non parcet malis, quin puniantur.

Unde *Prov.* 11. Si justos in terra recipit, quanto magis impius, & peccator. *Iſa.* 32. Super humum populi mei, & spinæ, & vepres ascendent, quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis. 1. *Petr.* 4. Tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei.

Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? Et si justus quidem vix salvabitur, impius, & peccator ubi parebunt?

Moraliter. Moraliter. Per nubem significatur dolor, seu tristitia, quæ mentem obnubilat, per occasum vero significatur casus peccati, per nimbum pluvia lacrymarum, per austrum vero præsens prosperitas, per æstum futura calamitas.

Quid est ergo nubes ab occasu oriens, & postea nimbus sequens, nisi dolor seu tristitia de peccati consideratione proveniens, & postea pluvia lacrymarum subsequens? Et sicut pluvia ipsius nubis obscuritatem dissolvit, & serenitatem inducit, ita lacrymæ tristitiam mentis expellunt, & conscientiæ serenitatem inducunt.

Unde *Tob. cap.* 3. Post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem, & fletum exultationem infundis. Similiter flatum austri sequitur fervor æstus, quia præsentem prosperitatem sequitur æterna calamitas. Unde *Prov. cap.* 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupant. *Job c.* 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Sequitur,

a Hypocritæ

a Hypocritæ faciem cœli, & terræ nostis probare, hoc autem tempus *b* quomodo non probatis? *c* Quid autem, & a vobisipsis *d* non judicatis, quod justum est? *e* Cum *f* autem vadis cum adversario tuo *g* ad principem in *h* via, da *i* operam liberari ab illo, *k* ne forte trahat te *l* ad judicem, *m* & judex *n* tradat te *o* exactori, *p* & exactor *q* mittat te in carcerem, *r* Dico tibi, non exies inde, donec etiam *s* novissimum minutum reddas.

a Hypocritæ faciem cœli, & terræ nostis probare, hoc autem tempus] sc. mei adventus.

b Quomodo non probatis?] sc. certis argumentis scripturarum, & operum? *Aug.* Laudabilior est animus, cui nota est propria infirmitas, quam qui cœlorum constellationes, & terrarum fundamenta scrutatur. *Isa.* 47. Salvent te augures cœli, qui contemplabantur menses, ut ex ipsis annunciarent futura tibi. *Gal.* 4. Quomodo convertimini ad infirma, & egena elementa, dies observatis, & menses, & annos, & volipsos negligitis. *Eccles.* 3. Quæ præcepit tibi Deus, semper cogita, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.

Matth. 5.

c Quid autem,] Viderentur excusabiles legem, & prophetas ignorantes, ideo subditur, per quod ostenduntur inexcusabiles, quia natura, vel ratio poterat eis dicere illum esse Deum, qui faciebat etiam opera supra hominem. *Joann.* 15. Et quod post tot injustitias sæculi justum creatoris judicium esset venturum. Dicit ergo: (Quid autem, & a vobisipsis,) idest, ex naturali ratione. *Eccl.* 31. Intellige, quæ sunt proximi tui ex teipso.

d Non judicatis, quod justum est?] sc. me esse Deum, & judicium venturum. *Mich.* 7. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, &c. *Job* 13. Etiamsi occiderit me, sperabo in eum. *Job* 6. Terrores Domini contra me militant.

Septima pars.

e Cum autem, &c.] Septima & ultima pars, in qua invitat nos Dominus ad conculcandas mundi illecebras, & ad præstolandum secundum adventum Domini, monens obedire verbo Dei, quod docet mundi illecebras conculcare, & pacem cum omnibus habere. Unde dicit: (Cum autem vadis, &c.) q. d. constat, judicium esse venturum.

f Autem] idest, ideo.

Glos. Adversarius noster in via est sermo Dei, contrarius nostris desideriis carnalibus, &c. 1. Petr. 2. dicitur: Abstinete vos, &c. Rom. 13. Curam carnis, &c. Gal. 5. Desideria carnis, &c.

e Cum vadis cum adversario tuo] idest, sermone Dei tuis carnalibus desideriis adversanti. Vel cum quovis homine tibi adversanti.

g Ad principem] idest, ad Christum judicem. De quo *Isa.* 32. Princeps ea, quæ digna sunt principe cogitabit, & ipse super duces stabit.

h In via,] idest, in hac vita, quæ ducit ad cœlum, si bona est, vel ad infernum, si mala. De qua *Psalm.* Revela Domino viam tuam, idest, vitam tuam. Verumtamen triplex est via, qua itur ad cœlum.

Prima est via innocentiæ, idest, ipsa innocentia per quam ambulant innocentes. De qua *Psalm.* Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.

Item. Beati immaculati in via.

Item *Prov.* 3. Viæ ejus viæ pulchræ.

Secunda est via pœnitentiæ, idest, ipsa pœnitentia, per quam ambulant pœnitentes. De qua *Isa.* 30. Hæc via, ambulare in ea, neque ad dexteram excedendo, neque ad sinistram diminuendo. *Exod.* 8. Viam trium dierum ibimus.

Tertia est via sapientiæ, idest, ipse Christus, per quem venitur ad patrem. *Joan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita: Nemo venit ad patrem nisi per me. *Psalm.* 106. Viam civitatis habitaculi non invenerunt. *Prov.* 4. Viam sapientiæ monstrabo tibi. Has vias ambulare volebat David, cum dicebat: *Psalm.* 24. Vias tuas, Domine, demonstra mihi. *Sap.* 10. Justum deduxit Dominus per vias rectas, &c. Cum ergo vadis cum adversario tuo ad principem in hac triplici via.

i Da operam liberari ab illo,] implendo præcepta, declinando prohibita, sperando promissiones, timendo comminationes. Qui hæc quatuor facit, securus est ab adversario, idest, sermone divino. De quo *Eccles.* 36. Extolle adversarium, & affige inimicum, idest, exalta verbum divinum: Et sic affliges triplicem inimicum, idest, mundum, carnem, & diabolum.

k Ne forte trahat te,] idest, causa sit cur traharis.

l Ad judicem,] Christum, cui pater dedit omne judicium, *Joan.* 5.

m Et judex,] idest, Christus.

n Tradat te] per diffinitivam sententiam.

o Exactori,] idest, diabolo, qui pœnam exigit pro culpa, quam suggessit, in quo deprehenditur ejus malignitas, quia culpam suggerit, & pro ea pœnam infligit. De hoc exactore *Isa.* 14. Quomodo cessavit exactor. *Job* 3. Non exaudierunt vocem exactoris, idest, suggestionem diaboli non receperunt.

p Et exactor] idest, diabolus.

q Mittat in carcerem] inferni. De quo *Isa.* 24. Congregabuntur congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere, ubi dæmones cruciant animas usque in diem judicii: Sed postea solo igne, & verme animæ pariter cum dœmonibus cruciabuntur, quia tunc cessabit omnis prælatio, ut dicitur 1. *Cor.* 15.

r Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.] idest, nunquam exies inde. Nota, quia, (donec) in frequentiori usu ponitur inclusive, quandoque ponitur exclusive, ut cum dicitur: Iste nunquam pœnituit, donec obiit, idest, nunquam: Ita ponitur hic, sc. pro nunquam, De hoc habes in *Interl.* idest, nunquam. Sed cave intelligas, quod sequitur *in Gloss. Int.* sicut: *Ps.* 109. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, ne intelligas, quod ibi ponatur pro nunquam. Ibi enim ponitur pro semper, quasi: Dixit Dominus Domino meo, i. pater filio, sede a dextris meis, idest, regna mecum, donec ponam inimicos tuos, i. modo, & postquam posuero, sc. semper. Ergo quasi ex opposito intellige, quod sequitur, sicut, donec ponam, quasi hic ponatur exclusive, sicut ibi. Et sicut hic est abnegativum omnium temporum, ita ibi consignificativum omnium temporum. Hic ergo ponitur pro nunquam, ibi pro in æternum. *Gloss. Bedæ*: Reddit semper pœnas pro peccatis patiendo, sed nunquam veniam consequendo. *Aug.* Donec hic non finem pœnæ significat sed semper solves & nunquam persolves. Unde *Chrys.* Si semel condemnatus missus fueris in carcerem, jam non solum de gravibus peccatis, sed etiam pro verbo otioso, quod locutus es, sunt exigenda a te supplicia. Argumentum, quod peccatum veniale punitur in inferno.

s Etiam novissimum minutum reddas.] i. pro minimis peccatis punieris. *Matth.* 5. Novissimum quadrantem, *Aug.* Sic solemus dicere usque ad fæcem, cum volumus exprimere aliquid ita exhaustum, ut nihil relinquatur, &c.

Adversarius {
- Secundum Apostolum: Caro spiritui, *Galat.* 5. Hæc enim sibi invicem adversantur, &c.
- Diabolus. 1. *Petr.* 5. Adversarius vester diabolus, &c.
- Conscientia mala. *Rom.* 2. Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, &c.
- Vitiorum usus, sive improbus actus. *Eccl.* 33. Timenti Deum non occurrent mala, sc. ut adversarii ejus, &c.
- Sermo Dei *Matth.* 5. Esto consentiens adversario tuo. *Mich.* 2. Nonne verba mea bona, &c. E contrario, &c. De quolibet potest exponi, quod dicitur *sup.* Cum vadis cum adversario tuo.

EXPOSITIO CAP. XIII.

ADstant autem quidam, &c.] In fine præced. capituli docuit Dominus, qualiter unusquisque ad adventum judicis se debeat præparare: Nunc ostendit omnes, qui se non præparaverint, esse damnandos, triplici exemplo hoc demonstrans.

Primum exemplum est de Galilæis, qui se non præparaverunt, & ideo damnati turpiter perierunt.

Secundum est de decem, & octo Jerosolymitis, quos turris Siloa cadens oppressit,

Tertium est de ficu sterili, quam Dominus maledixit. Et hæc tria continet prima pars hujus capituli. In secunda, mulier curva decem, & octo annis erigitur, ibi. [Erat autem docens:] In tertia ostendit omnes fideles, qui hic despecti, & humiles habentur, in futuro esse exaltandos duplici similitudine. Prima sumitur a grano sinapis. Secunda a tribus satis farinæ, ibi: [Dicebat ergo, &c.] In quarta ostendit locum pœnitentiæ in die judicii tollendum esse reprobis, qui nunc misericordiæ tempore conceditur cunctis pie pulsantibus, ibi: [Et ibat per civitates, & castella, &c.] In quinta ostendit Dominus se passurum in Jerusalem, ubi alii prophetæ lapidati sunt, & occisi, ibi, [In ipsa autem die, &c.] Dicit ergo:

a Adstant

CAP. XIII.

A — *al. † in.*

a ADerant autem quidam ipso † tempore *b* nunciantes illi de Galilæis, *c* quorum *d* sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. *e* Et respondens dixit illis: putatis, quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis *f* peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, *g* dico vobis, *h* sed nisi pœnitentiam habueritis, *i* omnes similiter peribitis, sicut illi decem, & octo, supra quos cecidit turris in Syloa, & occidit eos. *k* Putatis, quia & ipsi debitores fuerint, præter omnes homines habitantes in Jerusalem? Non, dico vobis, sed si non pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. *l* Dicebat autem hanc similitudinem,

a Aderant autem quidam ipso tempore] quo docebat omnes, qui non se præparaverunt, ad adventum judicis esse damnandos.
b Nunciantes illi de Galilæis,] Voluerunt forte eum terrere.
c Quorum sanguinem, &c.] Istud est de propriis Lucæ, quod hic interseritur de Galilæis, & quod secundo additur de parabola fici, & quod tertio additur de muliere incurvata. Transierat Dominus de Judæa in Galilæam Joanne incarcerato, illis Judæis mortem minantibus sicut habetur apud alium Evangelistam. In Galilæa ergo docuerat prędicta, pręmonens, quod præmuniant se homines ad præparationem secundi adventus. Inde sumpta occasione quidam, qui præsentes aderant, nunciaverunt ei mortem Galilæorum, quorum sanguinem fuderat Pilatus inter sacrificia, quasi dicat, isti non se bene præparaverunt. Non enim alia de causa nunciaverunt ei mortem istorum, nisi quia putabant istos peccatores esse graviores omnibus aliis, ex acerbitate mortis pensantes immanitatem criminis. Dominus autem nec diffitetur peccatores eos fuisse, nec confitetur graviores fuisse omnibus aliis. De Galilæis istis dubium est, qui fuerint, quia nec Evangelica determinat historia: *Josephus* dicit, & *in historiis* habetur, quia quidam erat in Galilæa faciens se filium Dei Messiam promissum in lege, & multi de Galilæa sequebantur eum adhærentes ei, quos seduxerat, & assignaverat eis diem, qua erat ascensurus in cœlum, videntibus illis de monte Garizim. Videns autem Pilatus, quia multos seduxerat de tetrarchia Herodis, idest, de Galilæa, timuit, ne post eos seduceret eos, qui erant de tetrarchia sua, scilicet Jerosolymitas. Cum ergo die assignato essent in monte Garizim & illi, quos seduxerat, adorarent eum, & sacrificarent ei, repente supervenit Pilatus, & interfecit eos inter sacrificia, & inter alios occidit filium Dei. Istud aliquantulum tangit *Gloss.* modica super Evangelium, ubi habetur, quod ea hora pacificati sunt, Herodes, & Pilatus, quando, sc. Pilatus misit hominem Galilæum, sc. Christum ad Herodem, pro reverentia nolens judicare hominem de tetrarchia sua, sed remittens ad eum, ut judicaret. Pro qua reverentia Herodi exhibita ab ipso Pilato, statim pacificatus est Herodes, qui molestus erat Pilato, quia occiderat homines de tetrarchia sua. Et *Act.* 5. ubi dicitur: Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, & avertit populum post se, & omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt, & ipse periit. Dicit ergo:
c Quorum] scilicet Galilæorum.
d Sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum,] interficiendo eos inter sacrificia, sicut dictum est.

Mystice. — Mystice. Per istos Galilæos, quorum sanguis eorum sacrificiis est immixtus, significantur hypocritæ, qui sanguinem sinistræ intentionis miscent sacrificiis bonorum operum, facientes bona exterius ambitione laudis humanæ, vel cupiditatis mundanæ. Contra illud *Matthæi* 6. Nesciat sinistra tua, quid faciat, &c. idest, bonum opus, quod per dexteram designatur, non jungatur pravæ intentioni, quæ per sinistram significatur. Hoc autem facit Pilatus, os malleatoris, idest, diabolus, qui semper intentioni operum insidiatur, ut eam pervertat. Nam quicquid ex mala intentione procedit, malum est. Et ideo mors corporalis Galilæorum mortem spiritualem hypocritarum significat, qui inter sua sacrificia moriuntur. Sequitur:
e Et respondens dixit illis. Putatis, quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis] qui non ita sunt puniti.
f Peccatores fuerint, qui talia passi sunt? Non,] ut hic fiat distinctio.
g Dico vobis] sed supple, quia peccatores erant, nec Pœnitebant.
h Sed nisi pœnitentiam habueritis.] *Gloss.* Hic aperte notat esse eos peccatores.
i Omnes similiter peribitis, sicut illi decem, & octo supra quos cecidit Turris in Syloa, & occidit eos.] Syloa, fons est in Jerusalem. *Isa.* 8. Aquæ Syloe, &c.
k Putatis, quia & ipsi debitores,] vel [peccatores fuerint præter omnes,] idest, plus quam omnes [homines habitantes in Jerusalem? Non dico vobis, [sed] vos etiam, [si non pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis] vel [simul] alia littera, & non erit locale, sed similitudinis. Isti decem, & octo Jerosolymitæ erant, qui ad litteram ædificaverunt turrim juxta Syloam, & ruina turris oppressi sunt. Fuerunt etiam mali, sicut & Galilæi, cum utrique propter peccata sua perierunt, & in exemplum, & terrorem aliorum. Undecim enim causis aliquis punitur præsenti pęna. Primo ad ejus purgationem, ut Maria soror Moysi. *Num.* 12. Item ad probationem, ut *Job* 1. & 2. Item ad punitionis continuationem, ut Herodes, *Act.* 12. Item ad defensionem superbiæ, sive ad humilitatis conservationem, ut Paulus 2. *Cor.* 12. Item ad Christi glorificationem, ut cæcus, *Joan.* 9. Item ad posteriorum exemplum, ut *Tob.* 2. Item ad terrorem malorum. *Proverb.* 19 Flagellato pestilente, &c. Item ad parentum punitionem. *Exod.* 20. Ego sum Deus zelotes, &c. Item ad sobrietatem. *Eccl.* 31. Infirmitas gravis, &c. Item ad majorem cautelam, ut pueri Sodomitæ, *Gen* 19. qui si vixissent, pejores essent, & gravius punirentur. Item ad habendum memoriam Dei, ut Zacharias pater Joannis, *supra* 1.

Undecim causis puniatur aliquis.

Versus.

Ut probet, aut puniat, aut purget, aut tueatur:
Aut Christi pateat gloria, pœna datur:
Ut sit in exemplum terror, vel pœna parentum:
Ut sit sobria mens, cauta, memorque Dei.

Mystice. — Mystice. Per istos Jerosolymitas, quos turris oppressit, significantur omnes reprobi, quos turris opprimet, idest, Christus, quando sententia sua cadet super eos in die judicii, quando dicetur eis: Ite maledicti in ignem æternum. *Matth.* 25. Super quem ceciderit lapis, &c. Christus autem turris dicitur propter altitudinem, & fortitudinem. *Prov.* 18. Turris fortissima, &c; Potest etiam nomine turris accipi superbia propter altitudinem, quæ cadet super eos in die judicii, qui de superbia non pęnituerunt. *Isa.* 30. Erunt super omnem collem rivi currentium aquarum, & in die interfectionis multorum, cum ceciderint turres, 2. *Cor.* 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum consilia destruentes, & omnem altitudinem: Ecce turris. Sequitur:
l Dicebat autem hanc similitudinem: Arborem, &c.] Tertia est similitudo de ficu sterili, per quam ostendit Judæos, & omnes peccatores cito eradicandos nisi pęniteant de peccatis suis. Et recte ficui sterili comparantur Judæi, ceterique peccatores, quia foliis verborum exuberant, fructu vero carent bonorum operum, & ideo maledicti sunt a Domino. *Matth.* 21. Videns Dominus arborem fici unam secus viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea nisi folia tantum, & ait, nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. *Chrys.* Sicut impossibile est, arborem juxta viam fructus usque ad maturitatem servare, sic difficile est hominem juxta mundum viventem justitiam immaculatam usque in finem tenere. Est autem multiplex ficus, de quarum qualibet potest exponi. Est enim ficus Synagoga, ut hic: Et *Matth.* 21. Maledixit Dominus ficui, & aruit. Item qui recusat dignitates propter dulcedinem contemplationis. *Jud.* 9. Nunquid possum delerere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, &c. Item charitas. *Isaiæ* 38. Jussit Isaias, ut tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur. Item clerici boni, & mali. *Jer.* 24. Ecce duo calathi pleni ficis, &c. Item religio, *Joel* 1. Ficum meam decorticavit, &c. Item excusatio *Gen.* 3. Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Item præmium cœleste, *Matth.* 7. Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Item umbra sanctitatis. *Joan.* 1. Cum esses sub ficu, novi te. Item boni novitii: *Mich.* 7. Præcoquas ficus desideravit anima mea. Modo secundum *Gl.* exponamus de prima.

Multiplex ficus.

a Arborem fici

a Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua.] Parabolice loquitur Dominus ad Judæos, comparans ipsos sterili ficulneæ. Et distingue inter vineam, & ficum, & terram. Solet enim intelligi idem per ficum, & vineam, sc. synagoga. Hic autem per vineam intelligitur universitas Judæorum. De hac vinea *Isa.* 5. *Jer.* 2. *Os.* 10. Vitis frondosa, &c.

Per ficum autem intelliguntur doctores synagogæ, scil. Scribæ, & Pharisæi, qui sunt in synagoga, quasi ficus in vinea. Per terram intelligitur plebs Judaica. *e* Et venit] carne natus. *f* Quærens fructum] operum, non umbram verborum. [*g* in illa, & *h*] non invenit.

B

a Arborem fici *b* habebat quidam *c* plantatam in *d* vinea sua, *e* & venit quærens *f* fructum in *g* illa, & *h* non invenit. Dixit *i* autem *k* ad cultorem vineæ: *l* Ecce anni tres sunt, *m* ex quo venio quærens fructum in *n* ficulnea hac, & non invenio. *o* Succide ergo illam, ut *p* quid etiam terram occupat? *q* At ille *r* respondens dixit illi: *s* Domine, dimitte illam, & hoc anno, usque dum *t* fodiam circa illam, & mittam *u* stercora. Et siquidem fecerit *x* fructum, *y* sin autem in *z* futurum succides eā.

i Dixit autem ad cultorem vineæ.] i. ad Apostolos, & prædicatores. *l* Ecce anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio.] Per tres annos intellige tria tempora, sc. tempus circumcisionis ante legem, ab Abraham usque ad Moysen. Et tempus legis, a Moyse usque ad Christum. Et tempus gratiæ. Sed per hos tres annos fructus in eis inveniri non potuit, quia nec tempore circumcisionis purificari poterant, qui circumcisionem animi non quærebant. *Deut.* 10. Et intellige de adultis. Neque per legem sanctificabantur, qui carnalia in lege tantum sequebantur. Nec in gratia justificabantur, qui de peccatis pœnitere nolebant, & ideo seq. *o* Succide ergo illam,] i. annuncia, l. annunciate vos Apostoli, quod perdituri sunt locum, & gentem *Joan.* 11. pro quo servando Christum occiderunt, & suos.

p Ut quid etiam terram occupat?] *Gloss.* Cur etiam temporali copia utitur, quasi nec etiam dignum esset, ut Judæi in temporalibus abundarent. *q* At ille respondens dixit illi, Domine, &c.] Dominus dixerat cultori vineæ de sterili ficulnea succidenda, i. de synagoga evertenda, & dictum est, quod per cultorem vineæ intelligantur Apostoli, sed quia intelligebant Apostoli, quia alii, qui de populo suo, qui modo erant ficus steriles, & infœcundæ, quasi per fossionem, & stercorationem prædicantium fierent fructiferæ ficus, & fœcundæ, ideo petit cultor vineæ, ut differatur succisio sterilis ficulneæ, idest, petunt Apostoli, ut differatur evulsio synagogæ. Ad eorum petitionem dilata est per quadraginta annos post Passionem Domini. Certum est autem, quod per prædicationem Apostolorum, & intercessionibus eorum, multi de Judæis conversi sunt ad fidem. Hoc est, quod hic dicitur. *s* Domine dimitte illam, & hoc anno,] tertio sc. tempore gratiæ. *t* Usque dum fodiam circa illam.] *Gloss.* Donec radicem, &c. Mentem sibi demonstrat, i. quod menti pravitatem suam indicat. Sæpe enim mens pravitatem suam non attendit, sed dum arguitur homo, redit ad conscientiam. Alia littera habet, mortem. Fossio ad litteram in imo fit.

Mystice. Mystice ergo fossio circa sterilem ficulneam intelligitur timoris incussio, quæ humiliat mentem alienam.

u Et mittam stercora.] Stercora mittuntur ad radicem arboris, i. ad cognitionem mentis. *Beda*: i. malorum, quæ fecit abominationem, ad animum reducam, prædicando, & commonendo. Hic per stercora intelligitur recordatio peccati, quia sicut stercoratio terram fœcundat, sic peccati recordatio animum ad compunctionem excitat, & ita fœcundat. Ex quo enim peccati memoria mentem tangit, statim eam compungit, & de compunctione ad fructum boni operis deducit, & ita fructificare facit. *x* Et siquidem fecerit fructum, supple, reservabitur, vel dimittetur, quia est Aposiopisis, sicut vult *Gloss.* *y* Sin autem] i. si non fecerit fructum.

Siquidem duæ dictiones sunt.

z In futurum succides eam.] gladio judicialis sententiæ feriendo, & a terra viventium æternaliter separando, dicens: Discedite a me omnes operarii iniquitatis, *Matthei* 7. *Psal.* 51. Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, &c. Et nota, quia duo proponit cultor vineæ, sc. facere fructum, & non facere fructum. In altero utitur ecliptica oratione, in quo noverat Judæos defuncturos, ubi, sc. dicit: Si fecerit fructum. In altero autem totam texuit orationem, quia noverat Judæos procliviores ad peccandum, quam ad fructificandum.

Moraliter. Moraliter. Ficus est claustrum quodlibet, sive religio, quia sicut ficus sub uno cortice multa grana pacifice continet, ita religio sub uno jure vivendi, i. sub una regula multos homines habet, Unde *Psalm.* 67. Qui habitare facit unius moris in domo. Item folia ficus habent similitudinem manus humanæ, & verba claustralium debent bonis operibus informari, & adæquari. *Os.* 10. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei. Sed heu, non sic in multis, quia multa loquuntur, & pauca faciunt. *Jer.* 8. Non est uva in vitibus, & non sunt ficus in ficulnea. Item ficus, ubi bona est, optima est, ubi mala, pessima, sic viri claustrales. *Jer.* 24. Quid tu vides, Jeremia? Et dixit: Ficus, ficus bonas, bonas valde, ficus malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ. Vinea, in qua plantata est ficus, est Ecclesia. *Isa.* 5. Vinea Domini Sabaoth domus Israel est. Dominus vineæ est Christus, qui eam plantavit, *Marc.* 12. Vineam pastinavit homo, idest, Christus Ecclesiam plantavit. Cultor vineæ est cœtus doctorum, & Prælatorum, quorum officium est sarmenta amputare, vites bonas propagare, spinas evellere, bona semina plantare. Unde *Amb.* Novit cultor vineæ terram excolere, qui novit utilia deprehendere. *Aug. in libr. contra quinque hæreses*. Ubi estis, o boni agricolæ, quid agitis, quare vacatis, videtis, quod malo plena sit terra, hinc spinæ, hinc tribuli, hinc fœnum surgit. Spinas incendite, tribulos eradicate, fœnum siccate, semina bona spargite. Sed quibus hoc dico? O ubi estis fontes lacrymarum, quibus agricolis loquar. Alii sunt mortui, alii sunt fugati, terra tradita est in manus impii. *Prov.* 24. Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ. Juxta hoc prosequere litteram.

a Arborem fici] idest, religionem. *b* Habebat quidam] sc. Christus. *c* Plantatam] per Antonium, Benedictum, Augustinum. *d* In vinea sua,] idest, in Ecclesia sua. *e* Et venit quærens fructum,] idest, religiositatis, & sanctitatis profectum. *g* In illa ficu,] idest, in religione. *h* Et non invenit.] *Matth.* 11. Cum exiret Jesus a Bethania esuriit, cumque vidisset ficum a longe habentem folia, venit, si forte inveniret in illa, & cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia tantum, idest, nihil de veritate religionis præter verba, & exteriorem habitum. 1. *Reg.* 19. Aufugit David, atque salvatus est, tulit autem Michol statuam, & posuit super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput, & operit eam vestimentis, misit autem Saul, &c. Sequitur. *i* Dixit autem] Christus. *k* Ad cultorem vineæ.] idest, ad Prælatum Ecclesiæ. *l* Ecce anni tres sunt,] Tempus Antonii, tempus Benedicti, tempus Augustini. *m* Ex quo venio quærens fructum] operum, & virtutum. *n* In ficulnea hac, & non invenio.] Et quare non invenit Christus fructum in ea? Nunquid quia male quærit? Non, sed quia non est ibi. *Joel.* 1. Gens ascendet super terram meam fortis, & innumerabilis, posuit vineam meam in desertum, ficum meam decorticavit, nudans spoliavit eam, & abjecit, i. abjectam fecit: *o* Succide ergo illam,] i. succidendam annuncia, quia infructuosa est. *Matth.* 3. Jam securis ad radicem posita est. Omnis ergo arbor, quæ non fecerit fructum, excidetur, & in ignem mittetur, & ardet. *p* Ut quid etiam terram occupat?] *Amb.* Terram occupat, qui locum, quem tenet, bonis operibus non exercet, qui exemplo pravitatis impedimentum præstat ceteris. *Job* 31. Si adversum me terra mea clamat, i. parochia. Et *inf.* Si fructus ejus comedi absque pecunia. Et *inf.* Pro frumento oriatur mihi tribulus, &c. *Job* 24. Animæ vulneratorum clamabunt, & Deus inultum abire non patitur. *q* At ille] sc. cultor vineæ, i. Prælatus Ecclesiæ, qui minas Domini contra populum debet precibus emollire. *Prov.* 15. Mollis responsio, &c. *Isa.* 64. Non est, qui invocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te. *r* Respondens dixit illi, Domine, dimitte illam & hoc anno] tertio, sc. ad pœnitendum, & fructificandum. *Isa.* 37. Comede hoc anno, quæ sponte nascuntur, in secundo autem pomis vescere, in tertio autem anno seminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum. *Job* 24. Dedi ei locum pœnitentiæ, & ipse abusus est eo in superbia. *t* Usque dum fodiam circa illam] increpando, & ab amore terrenorum revocando. Qui enim fodit terram, extrahit, & fossam facit, i. humilitatem. *Ezech.* 8. Fili hominis, fode parietem, & ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt. *u* Et mittam stercora] i. abominationem peccatorum

catorum ejus, reducam ad mentem ipsius. Peccata enim stercora dicuntur propter fœditatem, & vilitatem, quæ tamen si ad radicem arboris mittantur, ideſt, ad mentem peccatoris revocentur, fœcundatur arbor. *Amos* 4. Aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum ad nares veſtras, & non rediſtis ad me: Imo multi iraſcuntur, ſi forte aliquis prædicando, vel legendo tangat peccata eorum, & reputant contra ſe dictum, quod dictum eſt pro eis, imo pro omnibus in communi. *Exod.* 5. Dixit populus ad Moyſeo, & Aaron. Videat Deus, & judicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone, & servis ejus. De his ſtercoribus dicitur *Thren. cap.* 4. Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. [Et ſiquidem, &c.] Expone ſicut prius. Sequitur:

C

a Erat autem *b* docens in *c* ſynagoga eorum *d* ſabbatis. Et *e* ecce mulier, quæ habebat *f* ſpiritum infirmitatis *g* annis decem, & octo. Et *h* erat inclinata, *i* nec omnino poterat ſurſum reſpicere. *k* Quam cum vidiſſet Jeſus, *l* vocavit ad ſe, *m* & ait illi: Mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua. Et *n* impoſuit illi manus, *o* & confeſtim erecta eſt, & *p* glorificabat Deum. *q* Reſpondens autem Archiſynagogus indignans, *r* quia ſabbato curaſſet Jeſus, dicebat turbæ. Sex dies *ſ* ſunt, in quibus oportet operari. In his ergo venite, & curamini, & non in die ſabbati.

Secunda pars.

a Erat autem, &c.] Secunda pars, ubi mulier curvata erigitur. Ad litteram, dæmon incurvaverat hanc mulierem, qui ante Chriſti adventum ſupra genus humanum maximam habebat poteſtatem. Alios enim aperte paralyſi percutiebat, alios incurvabat, & diverſimode humanum genus impugnabat. Utrum autem hoc continue factum ſit, ſc. poſt prædicta, non poteſt haberi certum ex alio Evangeliſta, quia eſt hoc de propriis Lucæ. Lucas vero multa ſibi continuat pro myſterio, quæ non ſibi continuantur quantum ad hiſtoriam, quod ſi non continuetur præmiſſis quantum ad ſeriem hiſtoriæ. Ad idem enim myſtice referuntur ſucciſio ficulneæ ſterilis, & erectio mulieris incurvatæ, ideſt, ad ſynagogam. Nam ſicut ſucciſio ficulneæ ſignificabat aliquos de Judæis eſſe excidendos, ſic erectio mulieris aliquos erigendos eſſe, quia ſicut per ficulneam ſuccitam præfigurabatur extirpatio ſynagogæ, ita per mulierem erectam liberatio reliquiarum ejus. Vel alia ratione ſequitur hæc pars poſt primam. In prima ſiquidem ſub ſimilitudine ficus actum eſt de maledictione, & reprobatione ſynagogæ, hic autem ſub ſpecie ſanatæ mulieris agitur de Eccleſiæ inſtitutione. Sicut enim ficus ſynagogam, ita mulier ſignificat Eccleſiam. Recte autem poſt decem, & octo annos erigitur mulier, quia per obſervantiam Decalogi ad fidem reſurrectionis, quæ octava ætate fiet, erigitur Eccleſia in præſenti per gratiam, & in futuro erigetur per gloriam.

Moral.

Moraliter autem per illam mulierem ſignificatur quælibet mens avara, quæ a rectitudine ſua incurvata ad terrena per amorem nimium inclinatur. Et juxta hoc exponatur littera. Dicit ergo:

a Erat autem] Jeſus, ſcilicet.

b Docens,] fidem, & mores.

c In ſynagoga eorum] ubi erat locus publicus, & communis, non in cameris, & cavernis, ut hæretici. *Joan.* 18. Ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus ſum nihil.

d Sabbatis.] quia tunc plures conveniebant ad ſermonem, & in figuram, quod anima, quæ per verbum prædicationis a terrenis ad cœleſtia erigitur, ad quietem æternitatis perducitur.

e Et ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis,] ad litteram, ideſt, infirmitatem ex ſpiritu maligno ſibi procuratam, Vel: Moraliter.

f Spiritum infirmitatis,] ideſt, cupiditatis, quæ eſt gravis infirmitas animæ. Eſt enim ſpiritualis febris corporali contraria. In corporali namque febre prius eſt frigus, & poſtea calor, in ſpirituali e contrario, quia cupiditas prius habet calorem in acquirendo, poſt frigus timoris de amittendo. *Gen.* 8. Frigus, & æſtus non requieſcent.

g Annis decem, & octo] ideſt, tribus temporibus Dominicæ viſitationis. Senarius enim ſignificat perfectionem, qui multiplicatus per ternarium reddit decem, & octo. Unde ſignificat omnes illos, qui tribus temporibus, ideſt, ante legem, ſub lege, ſub Evangelio perfectionem operum habuerunt. Sed in his tribus temporibus fuit aliqua mulier in hac febre, quæ inclinavit eam. Unde ſequitur:

h Et erat inclinata,] ad terram. Hanc inclinationem procurat diabolus quantum poteſt. *Iſa.* 51. Dixerunt animæ tuæ, incurvare ut tranſeamus.

i Nec omnino poterat ſurſum reſpicere.] ſed ſemper in terram ad modum pecudis, quia quodammodo typum pecudis geſtat, qui ſemper terrenis inhiat. *Matth.* 6. Ubi eſt theſaurus tuus, &c. *Prov.* 17. Oculi ſtultorum in finibus terræ.

k Quam cum vidiſſet Jeſus,] *Gloſſ.* prædeſtinando per gratiam.

l Vocavit ad ſe,] illuſtrando per doctrinam.

m Et ait illi, mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua.] ideſt, tuo merito tibi inflicta. Vel [Tua.] ideſt, qua tu bene uteris. Multi habent infirmitatem non ſuam, quia non ſuo merito ſibi inflictam, aut quia non bene utuntur ea, aut quia murmurant, & impatientes ſunt.

n Et impoſuit illi manus,] *Beda*: Spiritualibus bonis adjuvando, ideſt, gratiam bene operandi contulit.

o Et confeſtim erecta eſt,] *Beda*: Ad glorificandum Deum. *Act.* 2. Factus eſt repente de cœlo ſonus, &c. Ibi *Gloſſ.* Neſcit tarda rerum molimina Spiritus Sancti gratia. Nota quatuor, vidit, vocavit, dimiſit, erexit. Vidit per prædeſtinationem. *Sapient.* 4. Miſericordia eſt in ſanctos ejus, &c. Vocavit per prædicationem. *Proverb.* 1. Vocavi, &c. Dimiſit per juſtificationem. *Matthæi* 15. Dimitte eam, &c. Erexit per magnificationem. *Levit.* 26. Ego Dominus, qui confregi catenas, &c. Hæc quatuor reſpondent quatuor verbis Apoſtoli. *Roman.* 8 Prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, magnificavit, ideſt, magnificabit. Et licet in Apoſtolo ponatur verbum præteriti temporis, intelligendum eſt futuri. Sequitur.

p Et glorificabat Deum.] *Gloſſ.* uſque in finem perſeverando in bonis operibus. Hæc eſt enim glorificatio Dei, bona converſatio viri juſti. 1. *Cor.* 6. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Sequitur.

Deut. 5.

q Reſpondens, &c.] Moyſes legiſlator prohibuit operationem ſabbati, ſed determinavit dicens: Omne opus ſervile non facies in eo neque tu, neque filius, &c. *Levit.* 23. Ideo non coquebant panes, quia non tantum peccata dicta ſunt opera ſervilia, ſed & quædam alia. Unde 1. *Regum* 8. dictum eſt de Saule. Faciet filias veſtras focarias, unguentarias, panificas. Opera enim coquinæ ſervilia ſunt: Ignorabat ergo Archiſynagogus determinationem a Moyſe, quæ non niſi ſemel, vel bis poſita eſt a Moyſe, ubique tamen ſubintelligenda, quia non prohibuit Moyſes hominem curari in ſabbato., ſed ſervilia opera fieri. Dicit ergo, [Reſpondens autem Archiſynagogus indignans,] ut æmulator litteræ legis, ſicut Paulus *Galat.* 5. Abundantius æmulator exiſtens paternarum traditionum.

r Quia ſabbato curaſſet Jeſus, dicebat turbæ.] comminando, & terrendo, ac dehortando.

ſ Sex dies ſunt, in quibus oportet operari, in his ergo venite, & curamini, non in die ſabbati.] Quod ſi eſſet æger ipſe Archiſynagogus, diceretne nolo curari hodie? Certe non. *Matth.* 12. Non legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt, ideſt, ſed dicunt eſſe. Adhuc indignantur, & dolent multi Archiſynagogi, quia Jeſus curat in ſabbato. *Act.* 4. Loquentibus illis ad populum videlicet Petro, & Joanne, ſupervenerunt ſacerdotes, & magiſtratus templi, & Sadducęi dolentes, quod docerent populum, &c.

Moral.

Moraliter. Sex dies, quibus operari oportet, ſunt ſex opera miſericordię, in quibus oportet nos in hac vita exerceri, ut ſic ad ſabbatum ęternę quietis poſſimus pervenire. Unde *Levit.* 23. Sex diebus facietis opus; dies ſeptimus, quia ſabbati requies eſt, vocabitur ſanctus; omne opus non facietis in eo, intelligendum eſt ſervile. *Marc.* 2. Sabbatum propter homines factum eſt, non homo propter ſabbatum. Ibi *Gloſſ.* Ita ſabbatum cuſtodiri pręceptum eſt, ut ſi neceſſitas fuerit, non ſit reus, qui violaverit. Sabbato circumcidere non eſt prohibitum quia neceſſarium. Unde *Joann. cap.* 7. Si

circumciſionem

circumcisionem accipit homo in sabbato, &c. Josue muros Hierico septem diebus circuit. *Jos. cap.* 6. Machabæi in sabbato pugnaverunt. 1. *Mach. cap.* 2. Sed quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit.

a Respondens] cogitatis, quæ videbantur religiosa in superficie, & intuitu legis dicta, [Respondens autem ad illum Dominus dixit:

a Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, & ducit adaquare? *b* Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem, & octo annis non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati? Et *c* cum diceret, *d* erubescebant omnes adversarii ejus, & *e* omnis populus *f* gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo. *g* Dicebat ergo: *h* Cui simile est regnum Dei, & *i* cui simile esse æstimabo illud? *k* Simile est grano sinapis, quod *l* acceptum *m* homo *n* misit in *o* hortum suum, & *p* crevit:

Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum a præsepio, & ducit adaquare?] *Beda*: Merito hypocritam vocat, qui cum magister plebium videri appetat, sanationem hominis non veretur postponere curæ pecoris. *Isa* 57. Justus perit, & non est, qui recogitet in corde suo. *B. Bern.* Perit anima, & non est, qui curet, cadit asina, & est, qui sublevet.

D

Mystice.

Mystice. In his duobus animalibus vocatio duorum populorum significatur. Per bovem enim, qui ruminat, & ungulam findit, significatur Judaicus populus, per asinum populus gentilis. Hi duo populi absoluti vinculis peccatorum, per Apostolos adaquare ducuntur, quia S. Scripturæ potu contra sitim, & æstum sæculi refrigerantur. *Isa.* 1. Bos cognovit possessorem suum, &c. *Isa.* 32. Beati, qui seminatis super omnes aquas innectentes pedem bovis, & asini.

b Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem, & octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?]

Mystice.

Mystice. Filia Abrahæ est Ecclesia, de utroque populo collecta, quæ a vinculo peccatorum, quo eam Satanas alligaverat, soluta quotidie per discipulos Domini ad fontem Dominicum ducitur adaquanda. Et ita est idem, bovem, & asinum a præsepio solvi, quod est filiam Abrahæ ab inclinatione noxia erigi. Unde *Psalm.* 115. In persona Ecclesiæ dicit: Dirupisti vincula mea. *Isaiæ* 52. Solve vincula colli tui captiva filia Sion. Filia etiam Abrahæ est quæcumque fidelis anima. Sequitur.

c Et cum hæc,] manifeste vera, & ad salutem populi pertinentia (diceret.)

d Erubescebant omnes adversarii ejus,] idest, Scribæ, & Pharisæi, qui ei ex sola invidia adversabantur, & cum apertæ veritati non poterant contradicere, nec propter invidiam volebant credere.

e Et omnis populus,] idest, minores, quos ambitio, vel invidia non affligebat.

f Gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo.] Et ita est hodie, quia majores, dico quoad plures, veritati adversantur, cui minores aggaudent, unde *Isa.* 59. Corruit veritas in plateis, & æquitas, &c.

Mystice.

Mystice, per istos, qui de miraculis Salvatoris erubescunt, & veritati contradicunt, significantur Judæi, qui semper fuerunt rebelles veritati. Unde *Job* 24. ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas illius. Per alios vero, qui miraculis Christi aggaudent, significantur gentiles, qui Judæis excæcatis ad fidem venerunt. Unde illi ficui sterili & maledictæ assimilantur, isti vero ad filiam Abrahæ pertinent, de sua expectatione Deum glorificantem, & ideo grano synapis comparantur in parabola consequenti.

Tertia pars.

g Dicebat ergo, &c.] Tertia pars, in qua ostendit Dominus per similitudinem grani synapis, sanctos, qui hic humiles, & despecti habentur, in futuro esse exaltandos. Juxta illud, quod dicitur *inf.* 18. Qui se humiliat exaltabitur. Unde nota, quod cum Dominus prædicta diceret, erubescebant omnes adversarii ejus, sc. Scribæ, & Pharisæi, sed gaudebant simplicitatis amatores. Videns ergo Dominus eos gloriosis operibus aggaudentes, ad eorum instructionem subdit parabolam de grano sinapis, In quo tria notantur ad ædificationem. Granum enim sinapis quantum offert se humanis aspectibus, vile est, modicum est, contemptibile est. Sed si teratur, fervidum habet saporem, ita quod odor fervoris ejus diffundatur. Item cum seminatur, in arborem magnam excrescit, & dilatatur in ramos, ita quod in eis requiescunt aves. Tria ergo sunt, quæ notantur in grano sinapis. Quia vile est visui repræsentatum, fervet atritum, exaltatur seminatum. In his ergo tribus mystice instruuntur humiles, & simplices, quia per humilitatem, & fidei devotionem exaltabuntur in regno Dei. Et nota, quia proprie parabola, vel similitudo dicitur, ubi res rei, vel negotium tantum negotio comparatur: Negotium dico, quod vel fit, vel fiet: Quandoque autem comparatur negotium negotio, non quod fuerit, vel sit, vel futurum sit, sed comparatur tali negotio, si fieret, ut habebis in sequenti parabola, & talis proprie parabola dicitur. Secundum *Raban.* Granum sinapis est corpus Christi seminatum in agro, idest, in Virginis utero, absconditum in horto, idest, in sepulchro, quod crevit resurgendo, ramos expandis, prædicatores per mundum dispergendo. Secundum *Hieron.* Granum sinapis est notitia Scripturarum, seu prædicatio Evangelii, quæ docet venire ad regnum Dei: unde & regnum cœlorum dicitur. *Matthei* 21. Auferetur, &c. Item secundum *Bedam*, granum sinapis dicitur fides, per quam venitur ad regnum. Quæ bene comparatur grano sinapis, quia ei conveniunt tres proprietates assignatæ grano sinapis. Primo enim fuit vilis, modica, contemptibilis, quia incepit ab infimitate: Congruum enim erat, ut primitiæ prædicationis ab humanitate Christi inciperent, ut sic quasi a pedibus usque ad caput ascenderet prædicatio: Exemplo Mariæ Magdalenæ, quæ primo unxit pedes, postea caput: Per infirmitatem enim surgimus ad majestatem. Sed licet in principio modica fuerit, tamen post resurrectionem, & ascensionem, odorem suum, idest, famam, & bonam opinionem, ubique terrarum diffudit. Item granum sinapis integrum non sentitur, sed tritum viam suam effundit, sic fides in pace non apparet, sed trita adversis, idest, in pressuris sanctorum fervorem suum ostendit. In hoc enim præcipue apparuit fervor fidei, quod Sanctos ad pressuras animabat. Item granum sinapis venenum expellit, & caput purgat, & fides peccatum expellit, & mentem purificat. *Act.* 15. Fide purificans corda eorum. Item granum sinapis secundum *Ambr.* dicuntur martyres, sicut granum frumenti dicitur Christus. *Joann.* 12. Nisi granum frumenti, &c. Item secundum *Chrys.* granum sinapis dicuntur discipuli, qui hic sunt modici, & despecti, sed virtus eorum magna. *Dan.* 4. Legitur de arbore magna, quam vidit Nabuchodonosor in somniis, in cujus ramis quiescebant aves, sicut & in ista, in quam crevit granum sinapis. Sed illa potest significare doctrinam hæreticorum, quæ est decidiva. Unde ibi vigil, idest, Christus descendens de cœlo dixit: Succidite arborem. Hic autem significat S. Scripturam, seu doctrinam Catholicorum, quæ exterius vilis videtur, sed interius maximam virtutem habet, quam exposita demonstrat. Et juxta hanc acceptionem exponemus totam parabolam.

Matth. 13. Marc. 4.

g Dicebat ergo,] Dominus, sc. populo gaudenti.

h Cui simile est regnum Dei, i. Sacra Scriptura, quæ regnare docet, i. triplex regnum regere, idest, regnum manus, cujus cives sunt opera, regnum oris, cujus cives sunt verba, regnum cordis, cujus cives sunt cogitationes, & desideria, de quibus *Psalm.* 67. Regna terræ cantate Deo. *i* Et cui simile esse æstimabo illud?] Primo dixit: Cui simile est, postea dicit: Cui simile æstimabo illud, ut ostendat nihil esse assimilandum alicui, nisi ei, cui in veritate est simile. *k* Simile est grano sinapis,] propter vilitatem, & parvitatem exteriorem, & virtutem interiorem. *l* Quod acceptum] i. acceptabile habens.

m Homo] i. Christus humilis, & mansuetus.

n Misit] per se, & discipulos suos.

o In hortum suum,] idest, in Ecclesiam. De quo *Cant.* 5. Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum, &c. *Eccl.* 24. Rigabo hortum plantationum, &c. Vel sic: *l* Quod acceptum] a Christo. *m* Homo] recipiens [misit in hortum suum,] i. recondidit in cor suum, ubi crescunt germina virtutum. *Psal.* 118. In corde meo abscondi eloquia tua. Secundum primam expositionem dicitur [acceptum] ab excepto, tas. Secundum secundam, ab accipio, accipis. *p* Et crevit:] granum sinapis, idest, S. Scriptura in toto mundo per prædicationem, vel in corde cujuslibet per cognitionem, & operum multiplicationem,

a Et factum

a Et factom est in arborem magnam,] idest, fructiferam, & ubi sunt folia cum fructu. *Ezech.* 47. Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus.
b Et volucres cęli] i. spirituales viri. c Requieverunt in ramis ejus.] idest, sententiis ejus. De quibus *Eccl.* 1. Radix sapientiæ timere Deum, rami enim illius longævi. Et notandum est, quod dicit [requieverunt] jugiter meditando, memoriter retinendo, opere adimplendo. Sequitur:
d Et iterum dixit: Cui simile, &c.] Hic subdit Dominus aliam parabolam quasi aliam medicinam, tanquam bonus medicus habens varietatem medicinarum pro varietate morborum, oportebat enim, ut magnus esset medicus, sicut magnus ægrotus. *Hieron.* Pro varietate morborum varia fit medicina, q. d. ideo subdit hanc parabolam, ut pro varietate, &c. Nota ergo, quia istud non solet frequenter fieri, neque factum est ad litteram, quod mulier aliqua posuerit fermentum in tribus satis farinæ simul, sed tale negotium fit in Ecclesia, quod comparabile est tali negotio si fieret. *Beda*: Satum ad litteram genus est mensuræ juxta morem Palęstinę, modium, & dimidium capiens.

a & factum est in arborem magnam, & b volucres cœli c requieverunt in ramis ejus. Et d iterum dixit: e Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile f est fermento, g quod acceptum h mulier i abscondit in farinæ sata tria:

Mystice. Mystice exponitur hoc, & multipliciter. Primo per hanc mulierem Ecclesia intelligitur, quæ mater est, & filiis providet materno affectu. Per farinam intelliguntur fideles, qui etiam sunt Ecclesia, qui bene farinæ comparantur, quia sicut granum inter duas molas atteritur, & attritum in farinam redigitur, ut de eo fiat panis, sic fideles inter molam superiorem, & inferiorem debent poni, ut fiant de unione panis, i. Ecclesię, quæ est unus panis. Mola superior, spes; inferior, timor. De qua dicitur *Psalm.* 2. Servite Domino in timore. Et beatus, qui semper est pavidus. Ergo inter duas molas, idest, inter timorem, & spem, debet homo poni, quia & Deum debet timere, & in spe futuræ beatitudinis exultare. Per fermentum solet intelligi corruptio, quia fermentum est pasta vetus ex vetustate corrupta, & in acredinem versa, quæ reliquam massam corrumpit, & in acredinem vertit. Hic autem per fermentum charitas intelligitur, quia ferventes animos reddit, sicut fermentum reliquam massam calefacit. Per tria sata farinæ intelliguntur tria, quæ continentur in præcepto dilectionis Dei, sc. diligere toto corde, tota anima, tota virtute. Tria ergo sata farinæ possunt dici tres modi diligendi Deum, idest, ex toto corde, idest, sapienter; ex tota anima, idest, dulciter; ex tota virtute, idest, fortiter, secundum quod exponit *B. Bern.* In his tribus satis farinæ fermentum absconditur, dum charitatis actus, vel sanctæ doctrinæ, quæ etiam fermento comparantur, adimpletio his tribus modis continetur, secundum quod dicitur *Rom.* 13. Plenitudo legis est dilectio. Dicamus ergo: Prov. 31.
e Cui simile, &c.] idest, charitatem, vel sanctam doctrinam, quæ regnare faciunt.
f Simile est fermento,] quod elevat pastam, & sapidam facit, sic charitas, & sancta doctrina mentem elevant, & sapidas faciunt ei præsentes tribulationes. *Deut.* 33. Inundationes maris quasi lac sugent.
g Quod acceptum] a Deo, sive a gratia Dei, quia tale fermentum, idest, charitatem, non nisi a gratia Dei habet, a quo est omne bonum. *Jac.* 1. h Mulier] Ecclesia, vel quælibet anima fidelis, quæ potest dici mulier propter mansuetudinem, & fœcunditatem, & pariendi, idest, bene operandi difficultatem. *Joan.* 16. Mulier, cum parit, tristitiam habet, &c.
i Abscondit in farinæ sata tria:] *Chrysostomus*. Non
O dicit

Aliter. i Abscondit, &c.] Item tria sata farinæ sunt tres vires animæ, scil. rationabilis, concupiscibilis, irascibilis, in quibus fermentum absconditur, cum charitas, & doctrina totis viribus adimpletur. Vel sic: In his tribus mulier fermentum abscondit, dum anima per rationem prudenter agenda a non agendis discernit, per concupiscentiam agenda concupiscit, per iram non agendis irascitur. His enim quasi tribus dotibus dotata est anima humana, ut per rationem virtutes a vitiis discernat, per concupiscentiam virtutum desiderio ferveat, vitiis per iram succenseat.

Item hæc tria sata farinæ, sunt tria, quæ sunt in homine, sc. corpus, anima, & spiritus. 1. *Thess.* 5. Et per animam intelligitur sensualitas, per spiritum ratio, non enim intelligendum est de illo spirito visibili, quem dicunt Philosophi vehiculum animæ.

Mystice. Mystice ergo, mulier in tribus satis farinæ fermentum abscondit, cum homo in se carnem, & sensualitatem rationi in vehiculo dilectionis concorditer unit, ubi licet caro, sive sensualitas rationi submurmuret, non tamen recalcitrat: Nunquam enim homo tantam habet pacem pectoris in hac vita, quin contra rationem sentiat submurmurationem carnis, tamen dicitur habere pacem pectoris, licet caro remurmuret, sed non recalcitret. Sicut rex dicitur habere pacem in regno suo, licet multos habeat murmurantes, si nullos obviantes. Item tria sata farinæ sunt tres partes Scripturæ, secundum *Hilar.* scilicet, lex, prophetæ, & Evangelium. In quibus fermentum absconditur, quia in his tribus charitas, & sapientia docetur, & continetur. Vel aliter secundum *Hilar.* qui dicit sic: Dominus fermento se comparat, quem acceptum mulier, videlicet synagoga, per judicium mortis abscondit, arguens legem, & prophetas ab Evangelio dissolvi. Ipse autem farinæ mensuris tribus, idest, legis, prophetarum, & Evangelii æquitate coopertus, omnia unum facit, ut quod lex instituit, Prophetæ nunciaverunt, idipsum Evangelii prædicationibus explicatur: Fiunt namque per Dei spiritum ejusdem virtutis, & sensus, nihilque aliud ab aliis mensuris fermentatum dissidens reperietur. Farina secundo dicitur S. Scriptura, quia reficit legentes. Item fermentum ex farina vim non speciem generi suo præstat, Christus quoque ex partibus æqualibus corpore, divinitate incomparabilis præminebat. Item secundum *Ambros.* Mulier, Ecclesia cujus farina nos sumus, Dominum Jesum, ut fermentum in interioribus nostris abscondit, donec ea calor cœlestis sapientiæ obdulcat. *Gloss. Ambr.* Mulier Ecclesia, cujus farina nos, &c. & nos etiam sumus Ecclesia, sed secundum diversas considerationes intellige distinctionem inter nos, & Ecclesiam, quasi inter matrem, & filios. Item tria sata farinæ sunt tres status Ecclesiæ, seu triplex genus hominum salvandorum, scil. Noe, Daniel, & Job. *Ezech.* 14. Idest Prælati, vel contemplativi, continentes, & conjugati. In quibus fermentum absconditur, quia in his, & ab his charitas adimpletur. Per Noe, qui arcam rexit tempore diluvii, significantur Prælati, per Daniel continentes, per Job conjugati. Item tria sata sunt tria genera meritorum, seu præmiorum, seu fructuum, scilicet, trigesimus, sexagesimus, centesimus. Et in his satis fermentum absconditur, quia in his tribus totum charitatis præmium continetur. *Matth.* 13. Item tria sata sunt tres filii Noe, Sem, Cham, & Japhet, *Genes.* 6. & omnes, qui ab his duxerunt originem, idest, totum genus humanum. Et in his satis fermentum abscondit mulier, quia toti mundo prædicavit, & prædicat Ecclesia charitatem. *Marci ultimo*. Prędicate Evangelium omni creaturæ. Item secundum *B. Hieronym.* Farina est divinitas: Tria sata tres personæ, quia mensurabiliter est eloquendum de his. In quibus fermentum absconditur, quia charitas in tribus personis plenius continetur, & habetur *Genes.* 18. Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera tria sata similæ commisce. Vel etiam secundum hoc per fermentum intelligitur fides. In tribus ergo satis farinę mulier fermentum abscondit, quia Ecclesia in tribus personis fidem suam ponit, ut totum fermentetur, idest, quasi in unum fermentum redigatur, ne scilicet, fides extendatur usque ad tres Deos, sed tres personas unius deitatis esse cognoscat. Secundum *B. Bern.* Mulier est Maria, fermentum est fides ejus, tria sata, tria in persona Christi, scilicet, caro, anima, & divinitas, Matth. 13.
a sive antiquum,

Moraliter. Moraliter. Mulier, idest, prędicatores, propter fœcunditatem. Tria sata, vita, sapientia, eloquentia. In his debent abscondere fermentum, idest, charitatem, ut ex ipsa tria prædicta calefaciant. Et dicit *Chrysost.* de primis prędicatoribus, idest, Apostolis sic: Si homines duodecim totum orbem fermentaverunt, excogita quanta est nostra malitia, qui tot sumus, & nec subditos corrigere possumus, quos oportebat decem mundis sufficere: Si dicis, illi Apostoli fuerunt, nunquid de cœlo descenderunt? Nunquid Angeli fuerunt? Et *infra*: Si daretur tibi optio mortuum suscitare, vel pro Christo mori, utrum eligeres? *Osee septimo*. Quievit civitas paululum a commixtione fermenti, &c. Sequitur:

a Et ibat

a donec fermentaretur totum. Et *b* ibat per civitates, & castella docens, & *c* iter faciens in Jerusalem. Ait *d* autem illi quidam: *e* Domine, si pauci sunt, qui salvantur? *f* Ipse autem dixit ad illos, *g* Contendite *h* intrare *i* per angustam portam, *k* quia multi, dico vobis, *l* quærent intrare, & non poterunt. *m* Cum autem intraverit *n* paterfamilias, & *o* clauserit ostium, & *p* incipietis foris stare, & *q* pulsare ostium, *r* dicentes: Domine, aperi nobis.

Θ dicit, miscuit, sed abscondit. *a* Donec fermentaretur totum,] idest, donec tota charitas fermentetur, idest, omnino ferveat. Hic enim fervet aliquantulum, sed in futuro tota fermentabitur, idest, tota in Dei amore accendetur, ut nihil diligatur nisi Deus. Charitas enim in via ignis modicus est, in patria erit caminus. *Beda*: Tamdiu charitas in mente recondita crescere debet, donec mentem totam in sui perfectionem commutet, ut nihil præter Deum diligat, recolat, quod hic incipitur, in alia vita perficietur.

E *Matth. 9.*

Aliter. Matth. 7. Δ sive antiquum, novum, & æternum. Supra expositum est, quod per mulierem intelligatur Ecclesia, per fermentum charitas. Quædam autem *Interl.* aliam faciunt sententiam, sic [fermento] *Interl.* Sancta doctrina. [Mulier] *Interl.* sapientia, idest Christus, qui est sapientia patris [Abscondit,] *Interl.* commendat Christus, sc. hominibus, &c. Et intelliguntur per tria sata, homines de tribus filiis Noe disseminati. Sequitur in *Interl.* Quos eadem Ecclesia ad fidei unitatem colligit. Ecce ex hoc etiam verbo videtur potius esse de prima sententia, secundum quam mulier intelligebatur Ecclesia, sed non est, quia sic potest intelligi. Quos Ecclesia colligit, idest, Christus in Ecclesia.

a Donec fermentaretur totum,] ad utramlibet prædictarum expositionum potest hoc satis bene continuari, quasi Ecclesia abscondit fermentum, idest, charitatem, in tribus satis, ut expositum est diversimode. Vel Christus commendat sanctam Ecclesiam hominibus.

a Donec fermentaretur totum,] idest, donec tota charitas fermentaretur, &c. sicut prius.

Quarta pars. ▲ *b* Et ibat per civitates, &c.] Quarta pars, ubi ostendit Dominus locum penitentiæ auferendum reprobis, qui nunc conceditur electis: Ideo dicit Dominus, *Joan. 9.* Operamini, dum dies est. Dicit ergo [& ibat per civitates, & castella docens, &c.] *Gloss.* Ubique indifferenter prædicabat, non persona discernens, sed salutem credentium quærens. Per civitates, quoad majores; per castella, quoad minores. Et est hoc contra pigros prædicatores, qui tantum in uno loco prædicant, aut in nullo. *Matth 4.* Circumibat Jesus totam Galilæam docens in synagogis. *Rab.* Circuit, ut doceat doctorem esse expeditum, & non acceptorem personarum. *Chrys.* Studiosus medicus circuit graviter ægrotantes. *Prov. 6.* Si spoponderis, &c.

c Et iter faciens in Jerusalem,] idest, ad visionem æternæ pacis. Sic enim, idest, docendo ubique itur in patriam, sed oportet adjungere opus, quod per ambulationem designatur. *Matth. 5.* Qui fecerit, & docuerit, hic vocabitur magnus in regno cœlorum. Vel, [Docens, & iter faciens in Jerusalem,] idest, docuit iter facere in Jerusalem, sicut prius. Item, [docens] Verbo [faciens] exemplo.

d Ait autem illi quidam, Domine, &c.] Dominus prædicaverat de regno Dei simplicibus, libenter, & attente audientibus. Et quia salutem prædicabat, prorumpit quidam in quæstionem, quærens, an multi, an pauci sint salvandi. Dominus autem respondit, quia pauci, & hi non sine labore. Ideo consulit, ut laborent intrare per angustam portam.

e Domine, si pauci sunt, qui salvantur,] respondet Dominus *Matth.* 20. Multi sunt vocati, pauci vero electi. Sicut omnes canonici vocantur ad electionem, sed tantum unus eligitur. 1. *Cor. cap. 9.* Omnes quidem in stadio currunt, sed unus accipit bravium *Matth. 7.* Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam. *Gloss.* Vere pauci, &c. Quia nisi mentis intentio ferveat, unda mundi, idest, voluptas, prosperitas, vel adversitas, non vincitur, per quam anima ad ima semper revocatur. Ad similitudinem illius, qui mergitur in aqua, quem aqua deprimit, nisi juvetur. Item *Interl.* Tamen amantibus, &c. respondet *Gloss.* ad objectionem, quæ poterat fieri. Possent enim dicere, quandoquidem difficile est, &c. potest vos deterrere difficultas. Ad hoc respondet *Glos.* quia hujusmodi difficultatem vertit charitas in facilitatem.

f Ipse autem, &c. illos.] Unus quæsierat, & Dominus respondet ad omnes, quia ille unus pro omnibus quæsierat, quod Dominum non latuit. Dicit ergo: *g* Contendite] sine contentione. *h* Intrare] ad vitam æternam. *i* Per angustam portam,] idest, per jejunia, & labores. *Act.* 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum, q. d. vere pauci salvantur, & illi cum magnis laboribus. *Matth.* 7. Angusta est porta, & arcta via, &c. pauci sunt, qui inveniunt eam. Et pauciores, qui intrant per eam. *Mich. 6.* Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. Et mirum est, quia omnes credunt se de illis paucis, & tamen nolunt ire per viam, quæ ducit ad portam. *Prov. cap.* 13. Vult, & non vult piger. *Chrys.* Nisi ambulaverit quis per viam, non potest pervenire ad portam. Si nec fuisti, nec es in via justitiæ, & putas te cognoscere Christum, mentiris. Sicut qui mel audit esse dulce, non gustat, nomen mellis scit, gratiam autem saporis ignorat. [Per angustam portam.] *Chrys.* Porta angusta, Christus. *Jo.* 10. Ego sum ostium, quod non potestis penetrare sine humilitatis ratione. Et *infra*: Christus in se non recipit, nisi qui se exuerint a peccatis, & deposuerint omnem sarcinam mundi, & facti fuerint subtiles, & spirituales. Diabolus latus est, quia apud illum omnia sine lege, Christus angustus, quia omnia sub lege consistunt. Et *infra*: Voluntas malorum lex est ipsorum. *Sap.* 2. Sit autem fortitudo nostra lex injustitiæ. Contendite:

k Quia multi, dico vobis,] salutis, & præmiorum amore provocati.

l Quærent intrare, & non poterunt,] itineris asperitate perterriti. Vel, [Quærent intrare, & non poterunt,] quia vel male, vel tarde quærunt. *Jac.* 4. Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis. *Osee* 5. In gregibus suis, & in armentis suis vadunt ad quærendum Dominum, & non invenient.

m Cum autem] q. d. moneo vos, ut contendatis intrare, dum adhuc tempus, & locus est pœnitentiæ, quia in futuro non erit tempus, aut locus intrandi, quia sera erit tunc pœnitentia. Claudetur enim janua misericordiæ, deinceps non reserabilis. *Matth.* 25. Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias. Dicit ergo: [Cum autem intraverit] in domum suam finito judicio.

n Paterfamilias,] idest, Christus, cujus familia sunt omnes electi. *Job, cap.* 1. Vir erat in terra Hus, nomine Job, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo, & fuit possessio ejus septem millia ovium, idest, omnes innocentes, & tria millia camelorum, idest, omnes pœnitentes, quingenta quoque juga boum, idest, omnes Prælati, & quingentæ asinæ, idest, omnes subditi, & familia multa nimis, sc. omnes boni tam homines quam Angeli.

o Et clauserit ostium,] idest, introitum paradisi, ut de cetero nemo introeat, *supr.* 11. Noli mihi molestus esse, jam ostium meum clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili. Vel ostium prædicationis, de quo *Col.* 4. Orantes simul, & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, quod claudetur omnino in die judicii. *Jer.* 31. Non docebit vir ultra proximum suum, & vir fratrem suum, omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum.

p Incipietis foris stare.] *Apocal. ult.* Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes.

q Et pulsare ostium,] *Chrys.* Nihil proderit diligentia, quam generat timor, non fides.

r Dicentes: Domine, aperi nobis.] Multi pulsant studendo, orando ad ostium S. Scripturæ, quibus dicitur: Nescio vos, quia non pulsant bene vivendo, neque recta intentione. Quicumque enim S. Scripturam audit, debet intendere, primo Dei honorem, secundo suam rectificationem, tertio proximi ædificationem. Si autem aliud intendit, v. g. honores, vel divitias, vel aliquid hujusmodi, curva, & vana est intentio. Unde *B. Bern.* Scire ut sciaris, vanitas: scire ut scias, curiositas: scire ut ædificeris, prudentia: ut ædifices, charitas.

ritas. Sed quia non sufficit pulsare, ideo sequitur.
a Et respondens, &c.] Sub hypothesi intelligendum est, q. d. si isti pulsarent ad ostium paradisi, diceret eis Dominus, non novi vos. Simile *Matth.* 25. Novissime veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis, & ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos, contra *Job* 12. Ipse novit decipientem, & eum, qui decipitur. Sol. Omnes cognoscit notitia simplicis cognitionis. *Matth.* 7. Sed tantum bonos notitia approbationis. De prima loquitur Job, de secunda dicitur hic, & in Matthæo. Unde 1. *Cor.* 8. Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo. 2. *Tim.* 2. Novit Dominus, qui sunt ejus, omnes alios dicitur non cognoscere, idest reprobare. *Job* 8. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet, non novi te.

Et respondens *a* dicet vobis: *b* Nescio vos unde sitis. *c* Tunc *d* incipietis dicere, *e* manducavimus coram te, & bibimus, & in *f* plateis nostris docuisti. Et *g* dicet vobis: Nescio vos, unde sitis. *h* Discedite a me omnes operarii iniquitatis. Ibi *i* erit fletus, & stridor dentium, *k* cum videritis Abraham, & Isaac, & Jacob, *l* & omnes Prophetas in regno Dei, vos *m* autem expelli foras. *n* Et venient ab Oriente, & *o* occidente, & aquilone, & austro, & *p* accumbent in regno Dei. Et *q* ecce sunt novissimi, qui erant primi, *r* & sunt primi, qui erant novissimi. In *f* ipsa die accesserunt, quidam Pharisæorum, dicentes illi *t* Exi, & *s* vade hinc, quia *u* Herodes

b Nescio vos unde sitis.] *Beda*: Fidei, & dilectionis meæ characterem non approbo apud vos. Secundum hanc *Gloss.* potest exponi tantum de infidelibus. Ut sit sensus, non approbo, idest, jam non invenio. Vel de malis Christianis, & tunc ponetur approbo in propria significatione, quasi in vobis quidem fidei meæ sacramenta invenio, sed ea non approbo in vobis, quia verbo tenus ea servastis [nescio vos,] *Chrys.* q. d. imaginem meam cognosco in vobis. Et *inf.* Non potestis meorum militum stipendia accipere, qui Tyranni vexilla portatis. Item *Chrys.* q. d. nolo vos cognoscere, non propter extraneas personas, sed propter odibiles militias. *Aug.* non novit eos Dominus, apud quos characterem fidei, & dilectionis non invenit.
c Tunc] *Chrysostom.* in sua die, quando opera loquentur, & ora tacebunt.
d Incipietis dicere, &c. & bibimus,] Coram te, i. in atrio templi, de victimis oblatis, vel te præsente, cum turba de quinque panibus multiplicatis. *Joan.* 6. Sed neutrum prodest, quia nihil dabant. *Job* 20. Non remansit de cibo ejus, propterea nihil remanebit de bonis ejus. *Psal.* 75. Dormierunt somnum suum, &c.
f Et in plateis nostris docuisti.] *Gloss.* quasi vicini tui fuimus, & inter nos conversatus es. *Beda*: Non festivitatum epulatio juvat, quem fidei pietas non commendat. Quidam enim in hoc gloriantur, quia in festivis diebus lautius comedunt, delicatius vivunt, sed hoc commendabile non est, nisi pauperes de residuo sustententur. Sequitur in *Glos.* Non scientia scripturarum notum Deo facit, quem operum iniquitas indignum ostendit. Unde nihil ei proderit, quod in plateis eorum docuit, ex quo ipsi mali fuerunt.
e Manducavimus coram te, & bibimus.]
Mystice. Coram Domino manducare, & bibere, est pabulum S. Scripturæ, vel sacrosanctæ Eucharistiæ suscipere. Scriptura enim ubi difficilis est, cibus dicitur, nec potest manducari, nisi prius exponendo frangatur. *Matth.* 14. Acceptis Jesus quinque panibus, & duobus piscibus aspiciens in cœlum, benedixit, & fregit, & dedit discipulis, discipuli autem dederunt turbis. Ubi autem facilis est, nec indiget expositione, dicitur potus, quia de facili absorbetur. Multi manducant, & bibunt coram Domino, quia occulta, & aperta scripturarum studendo intelligunt, unde & gravius damnabuntur. *Jac.* 4. Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Sic etiam multi comedunt sacrosanctum panem Eucharistiæ, & bibunt sanguinem Domini coram eo, quibus dicetur, nescio vos, quia indigne comedunt. 1. *Cor.* 11. Probet autem seipsum homo, &c. *p* Et dicet vobis, nescio vos, unde sitis] Non intelligit Dominus linguam Barbarorum. *b* Discedite a me omnes operarii iniquitatis,] quia iniqui nec post mortem desinunt esse iniqui, quia etsi peccare non possunt, peccandi propositum tenent, qui autem in proposito mendax est, numquam desinit esse mendax, nec post mortem. Nam mors animam a carne separat, sed anima propositum non amittit.
i Ibi erit fletus, & stridor dentium.] Duplex pœna inferni notatur hic: Ardor, unde fletus, algor, unde stridor. *Job* 24. Ab aquis nivium transibunt ad calorem nimium. Item fletus erit ex dolore, quod sero pœnituerunt, stridor ex indignatione, quod ita luent. Item flebunt oculi, quia in vanis fuerunt vagi, stridebunt dentes, quia edaces fuerunt. Unde per hæc duo notantur duo genera culparum, pro quibus puniuntur, scil. concupiscentia oculorum, idest, avaritia, quæ per fletum, & gulositas, sive garrulitas, quia collactanea vitia sunt, quæ per stridorem dentium designantur. Item fletus provenit dein-tus, stridor desuis: unde per fletum significatur tormentum animæ, per stridorem tormentum corporis. Item per fletum oculorum, & stridorem dentium, vera resurrectio corporum designatur. *k* Cum videritis Abraham, & Isaac, & Jacob,] a quibus carnis non fidei successionem trahitis. His tribus primo, & specialiter facta fuit promissio de filio incarnando, ideo nominibus propriis exprimuntur, per quos etiam tres virtutes Theologicæ, sc. fides, spes, charitas designantur, sine quibus nemo salvatur. *l* Et omnes Prophetas in regno Dei,] quiescentes supple.
m Vos autem expelli foras.] *Apoc. ult.* Foris canes, &c.
n Et venient ab Or[illegible]e,] *Actuum* 7. Æthiops eunuchus.
o Et occidente, & aquilone, & austro,] quia ex omni parte mundi venient aliqui.
p Et accumbent in regno Dei,] manducaturi, *inf.* 22. Vos estis, qui permansistis mecum in tribulationibus meis, & ego dispono, &c.
Moraliter. Ab Oriente veniunt, qui ea consideratione nativitatis humiliantur. Ab aquilone, qui adversitate urgente compunguntur. Ab austro, qui favente prosperitate vacant operibus pietatis. *Isa.* 11. Dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ. *Isa.* 43. Ab Oriente adducam, &c. Item ab Oriente veniunt nobiles, ab occidente ignobiles, ab austro divites, ab aquilone pauperes: Nam de his omnibus aliqui salvabuntur. *Ezech.* 37. A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant. *Gilb.* Ab occidente portæ tres, per quas intrantes regnum, scil. occultæ afflictiones, humiles confessiones, secretæ orationes. Ab aquilone portæ tres, per quas intrant patientes, dum subtrahitur quod delectat, imponitur quod affligat, intentatur quod terreat. Ab austro portæ tres, per quas intrant pœnitentes, dum pravitas voluntatis, longinquitas consuetudinis, naturæ fragilitas superatur. Ab Oriente portæ tres, per quas intrant comparantes regnum Dei, sc. opera misericordiæ, exercitia justitiæ, studia sapientiæ.
q Et ecce sunt novissimi, qui erant primi,] ut Judas.
r Et sunt primi, qui erant novissimi,] ut latro. *Hilar.* Judæi, qui primi fuerunt, vertentur in caudam, & gentiles, qui fuerunt novissimi, erunt in caput. *Deut.* 28. Advena, qui tecum moratur, ascendet super te, ille erit in caput, & tu eris in caudam. *Beda*: Multi prius ferventes, & postea torpent, & multi prius frigidi, subito inardescunt. *Chrysostom.* Qui stat, videat, ne cadat, nec desperemus, qui cecidimus, sed dicamus: Numquid qui cecidit, non adjiciet, ut resurgat? *Mich.* 7. Ne læteris inimica mea, quia cecidi, resurgam. Item primi in sæculo erunt novissimi in judicio, & novissimi in sæculo erunt primi in judicio, & in cœlo. *Matth.* 19. Vos, qui secuti estis me, &c. *Eccles.* 11. Mane in loco tuo, facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem. *Chrysost.* Sicut in corona, nec initium est, nec finis, ita inter sanctos in illo sæculo nemo primus, nemo novissimus. Seq.
f In ipsa die, &c.] Quinta pars, ubi ostendit Dominus se passurum in Jerusalem, ubi & alii Prophetæ sunt occisi. Dicit ergo: [In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi.] Aliqui forsitan eorum bono zelo, alii probantes, utrum metu corporis finem suæ doctrinæ imponeret.
t Exi, & vade hinc,] de Galilæa, scilicet, ubi dominatur Herodes, & transi in alium locum, ubi non habet potestatem. *u* Quia Herodes vult te occidere.]

dere] Dominus transivit de Judæa in Galilæam incarcerato Joanne, & in Galilæa multos habuit detractores, qui forte ex invidia dicebant ei, ut exiret de Galilæa, quasi dicerent, Herodes occidet te, sicut Joannem.

vult te occidere. Et *a* ait illis: *b* Ite, & dicite vulpi illi: *c* Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, *d* & *e* tertia die consummor. *f* Verumtamen oportet me hodie, & cras, & *g* sequenti die ambulare, *h* quia non capit *i* Prophetam perire extra Jerusalem.

Moraliter. Moraliter. Herodes occidit pueros. *Matth.* 2. occidit Jacobum, incarceravit Petrum. *Act.* 12. Decollavit Joannem. *Matth.* 14. Persecutus est puerum nostrum in Ægyptum. *Matth.* 2. Nunc vult occidere adultum. Interpretatur autem Herodes pelliceus, i. dolosus, & significat iniquos principes, & prælatos, qui Jesum & in se, & in membris, & vi, & dolo persequuntur. Unde *B.Bern.* Patet, quantum noceat iniqua potestas, quomodo caput impium subjectos quoque suæ conformat impietati. Misera plane civitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ particeps erit malitiæ: Herodiana vero malitia est, nascentem velle extinguere religionem. Si quid ergo ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicumque resistit, cum Herode nascentem persequitur Salvatorem. Sed quare vellet Herodes Christum occidere? Forte, quia ut dicitur *in libro, qui dicitur, Unum ex quatuor*, continue ante hoc dixerat: Elias jam venit, & fecerunt in eo, &c. Tunc intellexerunt discipuli, quod de Joanne Baptista dixisset: & sic crimen Herodis publicabat.

Versus. *Ascalonita necat pueros, Antipa Joannem,*
Agrippa Jacobum, claudens in carcere Petrum.

Dies.
- Christus. *Joan.* 1. Nonne duodecim sunt horæ diei?
- Maria. *Psal.* 18 Dies diei eructat verbum.
- Gabriel.
- Sanctus quilibet. *Psal.* 95. Annunciate de die in diem salutare ejus.
- Temporis. *Gen.* 1. Factum est vespere, & mane dies quintus.
- Pœnitentiæ. *Rom.* 13. Nox præcessit dies autem, &c.
- Justitiæ. *Psal.* 41. In die mandavit Dominus misericordiam suam. *Joan.* 11. Qui ambulat in die, non offendit, &c.
- Gloriæ. *Psal.* 83. Melior est dies una in atriis tuis. *Zach.* 14. Et erit dies una, quæ nota est Domino.
- Pectoris. *Psal.* 75. Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. *Exod.* 20. Memento, ut diem sabbati sanctifices, &c.
- Terrenæ prosperitatis. *Job* 3. Pereat dies, &c.
- Pascha. *Psal.* 117. Hæc est dies, quam fecit Dominus, &c.
- Tempus gratiæ. *Isa.* 19. Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, &c.

Sequitur. *a* Et ait illis: Ite, &c.] i. Herodi, qui comparabilis est vulpi propter fraudulentiam suam. Et nota, vulpes dolosa est, & fœtens, latet in foveis, tortuose incedit, magnam caudam habet, qua tegit vestigia sua ne appareant. Sic mali principes, & Prælati dolosi sunt. *Jerem.* 6. A majori usque ad minimum cuncta faciunt dolum. Item fœtent infamia. *Isa.* 24. Furor super universam malitiam eorum, &c. & de cadaveribus eorum ascendet fœtor. Item latent in foveis insidiando simplicibus. *Ps.* 9. Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, &c. Item tortuose incedunt, quia non recte vivunt, nec recta faciunt. *Isa.* 27. In die illa visitabit Dominus, &c. Item magnam habent caudam sociorum, qui cooperiunt turpitudines eorum. *Isa.* 9. Disperdet Dominus ab Israel caput, & caudam incurvantem, & depravantem die una. Item vulpes habitant in desertis, & Prælati propter avaritiam visitant frequentes abbatias. *Ezech.* 13. Quasi vulpes in desertis, &c. Item caudam habet albam, pallet autem in gutture, sed posteriora rufa. Item vulpis dicitur hæreticus, quia transgreditur doctrinam a patribus datam. *Nehem.* 4. Si ascenderit vulpes transiliet murum eorum lapideum. Item hoc idem dicitur de transgressore Ecclesiasticæ, vel claustralis obedientiæ, quæ fit per ascensum superbiæ, & dignitatum. Item detractor, qui Neophytos, & infirmos rodit. *Cant.* 3. Capite nobis vulpes parvulas, &c. bene dicit parvulas, quia detractio est ex invidia. De qua *Job* 5. Parvulum, &c. Item avarus, qui se incavat in terram. *Psal.* 62. Introibunt in inferiora terræ, partes vulpium erunt, quasi participes rapinantium. Item comedit gallinas, hic est Ecclesiæ persecutor, vel gulosus. *Thren.* 5. Propter montem Sion, quia dispetiit, vulpes ambulaverunt in eo. Hoc præcipue potest dici contra eos, qui luxuriose vivunt de patrimonio Crucifixi. *c* Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras.] Redde adverbia verbis, hodie ejicio, cras perficio, & ponentur, hodie, & cras pro primo, & postea, alioquin non esset grammatice dictum, ut sit sensus. Primo ejicio dæmonia, postea perficio sanitatem. *e* Et tertia die consummor.] Dominus hic ambigue locutus est, & huic, quod hic dicitur exponendo ad litteram, nemo expositorum apposuit manum: sic tamen exponi potest, q. d. Dominus: Herodes deliberat de morte mea, sed inanis est deliberatio, quia non est in manu ejus mors mea, quia nemo tollet animam meam a me, sed ego pono eam, & sic moriar. *b* Ite, & dicite illi: Ecce,] quasi in imminenti est mors mea, quod notatur per adverbium demonstrativum [ecce] quod notat imminentiam. *c* Hodie dæmonia ejicio.] Jam quasi primo die mortis meæ ad infernum descendens, dæmonum potestatem dejiciam, captivos, qui ibi tenentur, educam. *d* Et cras sanitates perficio,] quasi eductos in crastino pristinæ sanitati restituam, quasi reddendo sanitatem homini, quam perdiderat, dum paradisi januam ei apertam esse ostendam. Vel ponendo eos in extremis maris, i. in paradiso terrestri, qui ad litteram est in extremitate orbis ad orientem. Vel in extremis maris, i. infra amplissimos fines sæculi, ubicumque locorum mihi placuerit, quia terra habet quamdam circumvolutionem maris, quæ dicitur extrema maris. *e* Et tertia die consummor,] idest, tertia die resurgam consummatus, idest, glorificatus gloria immortalitatis indutus. *f* Verumtamen] quasi ipse putat me sub ejus dominio moriturum, sed sicut incertus est ei mortis meæ modus, ita locus: Non enim moriar in ejus tetrarchia, imo locus, in quo moriar, distat ab hoc loco itinere trium dierum. Et hoc est, quod dicit: [Verumtamen oportet me hodie, & cras,] idest in secunda die.

g Et sequenti,] idest tertia [die ambulare] quia ad litteram ibat in Jerusalem.

h Quia non capit,] idest non convenit.

i Prophetam perire extra Jerusalem.] Et ponitur [capit,] absolute, vel, idest non capiet Herodes me Prophetam perire, idest, ad pereundum extra Jerusalem. Et nota, quia vocat Dominus se prophetam, licet sit Dominus. Unde Moyses *Deut.* 18. Prophetam suscitabit vobis Deus fratribus vestris, &c. *Heb.* 13. Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est, exeamus igitur, &c. Item sic exponitur: Hodie, & cras, &c. secundum *Bed.* Hodie, sive prima dies est abrenunciatio vanitatis, in hac dæmonia ejiciuntur. Secunda amor, & cognitio veritatis, in hac sanitas perficitur. Tertia ultima glorificatio, in qua Ecclesia consummabitur. Prima est dies pœnitentiæ, secunda justitiæ, tertia coronæ. *Joan.* 2. Solvite templum hoc, &c. Item prima dies lex naturalis, secunda dies lex Moysi, tertia dies est lex Evangelii. *Osee* 6. Vivificabit nos post duos dies, & tertia die suscitabit nos. Item prima dies contritio, secunda confessio, tertia satisfactio. Prima dies dæmonia, idest peccata a corde ejicit, secunda medicinam sanativam apponit, tertiam sanitatem consummat. *Exod.* 5. Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem. Item prima dies bona cogitatio, secunda bona locutio, tertia bona operatio. *Joan.* 3. Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur, alia littera. Item prima dies cognitio veri, secunda amor boni, tertia detestatio mali. *Gen.* 40. Tres dies adhuc sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui. Item prima dies, bona conversatio, secunda quieta contemplatio, tertia vera prædicatio. *Matth.* 15. Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum. Item prima dies jejunium, secunda oratio, tertia eleemosyna. *Tob.* 12. Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna. *f* Verumtamen, &c.] quasi dicat, nec mali principes, nec mali prælati, quorum figura est Herodes, poterunt impedire meam intentionem, qua intendo, ut expulsis dæmonibus homines vanitates relinquant. Item ut recepta sanitate, juxta præcepta mea vivant. Item, ut glorificati corpore, & anima ad consortium Angelorum perveniant. Hæc tria intendit Christus, ut homines declinent a malo per pœnitentiam, & hæc est prima dies. Item, ut se exerceant in bono per justitiam, & hæc est secunda dies. Item, ut consummentur in cœlo per gloriam, & hæc est tertia

dies. Sequitur. *a* Jerusalem, Jerusalem, &c.] Prædixerat de morte sua in Jerusalem futura, per quam Jerusalem erat destruenda, prævidens ergo eversionem more pii patris prorumpit in planctum, nec plangit ruinam murorum, vel ædificiorum, sed potius ruinam animarum. Geminatur autem Jerusalem triplici ratione. Primo, quia Prophetas, & Dominum prophetarum occidit. *Matth.* 23. Secundo, quia Sanctos dupliciter lapidavit, sc. spiritualiter, & corporaliter. Tertio, quia duplicem pœnam promeruit, præsentem eversionem, & futuram damnationem. Loquitur autem metonymice; ponens continens pro contentis, q. d. O vos Jerosolymitæ, [ecce relinquetur domus vestra.] Sed interserit causam duplicem eversionis eorum, sc. quia sanguinarii, & quia invidi. Nam & sanguinem Prophetarum effundebant, & saluti conversorum invidebant, & forte etiam propter hoc geminatur Jerusalem. Et hoc est [Jerusalem, Jerusalem, &c.] idest, qui occidistis, & lapidastis prophetas, & ita sanguinarii fuistis sanguinem prophetarum sitientes.

> *a* Jerusalem, Jerusalem, quæ *b* occidis Prophetas: & *c* lapidas eos, qui mittuntur ad te. *d* Quoties volui congregare *e* filios tuos, *f* quemadmodum avis *g* nidum suum sub pennis, & noluisti? *h* Ecce *i* relinquetur vobis *k* domus vestra *l* deserta. *m* Dico autem vobis: quia non videbitis me, donec veniat, cum dicetis, benedictus, qui venit in nomine Domini.

Mystice. Vel. Mystice. *b* Occidis Prophetas] veritatem nunciantes. Modo pauci nunciant veritatem, & ideo pauci occiduntur. *Psal.* 73. Jam non est Propheta, &c. *Isa.* 9. Propheta docens mendacium, ipse est cauda, tegens turpitudinem magnatum. *Jerem.* 6. Propheta, &c. *Ezech.* 13. Quasi vulpes in deserto, &c.

c Et lapidas] cordis duritia a te repellis. *Deut.* 9. Cerno, quod populus iste duræ cervicis sit. *Act.* 7. Dura cervice, & incircumcisis auribus, & cordibus, vos semper Spiritui sancto restitistis. Adhuc quotidie Prophetæ lapidantur in Jerusalem, & a Jerusalem, non solum lapidibus detractionum, qui sunt durissimi lapides, sed etiam lapidibus afflictionum, de quibus dicitur *Exod.* 19. Omnis, qui tetigerit montem, morte morietur, manibus non tangent eum, sed lapidibus opprimetur. Sed quod pejus est, multi Prophetæ lapidibus stercorum, idest, divitiarum temporalium in Jerusalem lapidantur. *Eccl.* 22. In lapide luteo lapidabitur piger, & omnes, &c. Forte lapides torrentis non fuerunt ita dulces Stephano, sicut istis dulces sunt lutei lapides. Sed certe scriptum est *Matth.* 21. Qui ceciderit super lapidem, confringetur, &c. *Psalm.* 101. Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, &c. Sequitur.

d Quoties volui, &c.] Ecce ostendit, quod invidi. Nec est intelligendum, quod Dominus voluerit, & ea renitente non fecerit, sed quotquot congregavit. Dicit ergo [quoties volui congregare] in unitatem fidei per meos. *e* Filios tuos,] idest, Prophetarum, & Patriarcharum hæredes.

f Quemadmodum avis] Aquila, vel gallina, vel pellicanus, vel nycticorax, vel passer protegit.

g Nidum suum sub pennis; & noluisti,] q. d. Ego volui, & tu noluisti, & quotquot congregavi, te nolente feci, sicut & modo fit. In hoc autem, quod dicit: [quoties volui,] Innuit se frequenter misisse prophetas ad ipsam Jerusalem instruendam, quos ipsa lapidavit, vel occidit, vel repulit. Comparat se Dominus avi, & respondet hæc comparatio prædictæ, qua Herodem comparaverat vulpi. Sicut enim vulpes insidiatur avibus, sic Herodes Christo.

Christus quinque avibus comparatur. Et nota quinque aves, quibus Dominus comparatur, sc. aquilæ, gallinæ, pellicano, nycticoraci, passeri. Aquilæ, propter volatus altitudinem, propter oculorum acumen, propter nidi sui collocationem, propter pullorum educationem, & eruditionem. Dicitur enim, quod cum videt plumescere pullos suos, convertit eos ad solem, & illos, qui irreverberata facie contemplantur solem, nutrit, & ad volandum erudit. *Deut.* 32. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, &c. *Job* 39. Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus, inde contemplatur escam, & de longe oculi ejus prospiciunt, pulli ejus lambunt sanguinem. Sic Christus in altum volavit in ascensione super omnes Angelos. *Ps.* 17. Ascendit super Cherubim, &c. Item clare videt, quia omnia, & ubique videt. *Eccl.* 23. Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum. Item nidum suum, idest Ecclesiam in firmo collocavit, sc. in seipso. *Matth.* 16. Et super hanc petram, &c. *Psalm.* 83. Turtur invenit sibi nidum, ubi reponat pullos suos. Item pullos suos, idest, electos nutrit pane gratiæ, & doctrinæ, & Eucharistiæ, & erudit ad volandum. *Deut.* 32. Circumduxit eum, & docuit, & custodivit quasi pupillam oculi sui. Dicitur etiam, quod aquila stans in alto immobilis, videns pisces in mari natantes, subito descendit, & pertrahit ad littus. Sic Christus in cœlo exaltatus homines in mundo fluctuantes oculis misericordiæ aspicit, & ad littus æternæ securitatis pertrahit. *Joan.* 12. Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Item gallinæ comparatur. *Matth.* 23. Primo, quia pullos vagantes ad cibum voce congregat: sic Christus. *Isa.* 45. Congregamini, & venite, & accedite simul, qui salvati estis de gentibus. Secundo, quia cujuslibet avis pullos sibi suppositos, quasi proprios diligit, & nutrit; sic Christus Judæos, gentiles, hæreticos conversos, materna pietate diligit, & nutrit. *Matt.* 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, &c. Tertio, quia gallina sic afficitur ad pullos suos, ut ipsis infirmantibus infirmetur: sic Christus *Isa.* 53. Vere languores nostros ipse portavit, &c. Item gallina pullos suos alis protegit contra milvum: sic Christus suos, brachiis extensis in Cruce protegit contra diabolum. *Deut.* 32. Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. Item gallina præ clamore raucescit: sic Christus, *Psal.* 68. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ. Item pellicano comparatur. Pellicanus enim dicitur rostro pullos suos occidere, & triduo lugere, & post rostro sanguinem suum fundit, unde illi reviviscunt: sic Christus rostro prædicationis peccatores occidit, & triduo luxit, quia ter Dominus ploravit. Super Lazarum. *Joan.* 11. Super civitatem. *Inf.* 19. In Cruce. *Heb.* 5. Et tunc sanguine suo effuso, pullos suos vivificavit. Unde *Deut.* 32. Ego occidam, & vivere faciam, &c. Item pellicanus habitat in solitudine: Et solus Christus natus est de virgine. Hæc est enim gloria ejus singularis. *Isa.* 42. Gloriam meam alteri non dabo. Item comparatur nycticoraci, quia nycticorax nocte quærit escam, & habitat in domicilio, idest in ruinosa domo: sic Christus in præsenti venatur escam sibi, & habitat in domo pauperum. *Eccl.* 29. Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quam epulæ splendidæ in peregre, &c. Item passeri comparatur, quia passer avis sagax est, & in tecto nidificat: Et sic Christus sapiens in cœlo habitat. De his tribus dicitur in *Psal.* 101. Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio; Vigilavi, &c. Sequitur. *h* Ecce] in brevi, & in evidenti. *i* Relinquetur vobis] a Deo, quem reliquistis, auxilium subtrahente. *k* Domus vestra,] idest, templum, & civitas. *l* Deserta] Dei auxilio, Angelorum præsidio, habitatorum numero. Hoc fecerunt Romani propter peccatum crucifixionis Domini.

Moraliter. Moraliter. *k* Domus tua,] idest, conscientia, quæ deserta relinquitur, quando per peccatum virtutibus spoliatur. *Isa.* 1. Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ sunt igni. *m* Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat] hora [Cum dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.] Dominus de Galilæa ibat in Jerusalem, & non legitur regressus in Galilæam. Sed quia non legimus laudes in hac forma Domino decantatas a Galilæis, sed a pueris Hebræorum in ramis palmarum. *Matth.* 21. Cogimur mystice tantum exponere. Et dupliciter. Primo ita: Non revertar amplius ad vos secundum hominem, nec videbitis me, donec veniat hora judicii, in qua dicetis: ille, qui venit in nomine Domini, idest, ad glorificandum nomen patris sui, scilicet Christus, quem nos insensati derisimus, ille erat benedictus, idest Deus. Aliter, ut ponatur donec pro nisi, quasi: Non videbitis faciem, idest deitatem meam in judicio, nisi hic videritis me per fidem, nisi credatis me esse illum benedictum, qui venit in nomine Domini, idest filium Dei patris a patre. Vel, idest, nisi pœnitentiam egeritis, & confessi fueritis, me Dei filium, non videbitis faciem meam in die judicii, quam soli boni videbunt. *Isa.* 26. Tollatur impius, &c. Humanitatem autem videbunt omnes, & boni, & mali. *Apoc.* 1. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, &c.

EXPO-

EXPOSITIO CAP. XIV.

ET factum est, cum, &c.] Istud cap. dividitur in quinque partes. In prima sanatur hydropicus sabbato, & convincuntur observatores Domini de avaritia, & sabbati violatione, de qua Dominum accusabant. In secunda arguuntur Scribæ, & Pharisæi de superbia, quia in conviviis locum superiorem eligebant, & docentur alii, quem locum eligere debeant ad convivium invitati, ibi: [Dicebat antem, & ad invitatos.] In tertia docet quales personæ debeant invitari, ibi: [Dicebat autem & ei.] In quarta ostendit Dominus, quales excludentur a cœna Domini, & quales recipientur, ibi: [Homo quidam.] In quinta docet Dominus, qualiter, & quam pure debeat appeti regnum Dei, ubi fiet convivium invitatis, ibi: [Ibant autem turbæ, &c.] Dicit ergo.

(A — al. non habet Jesus. al. † sacerdotum.)

CAP. XIV.

ET *a* factum est, cum intraret † Jesus in domum cujusdam principis † Pharisæorum sabbato *b* manducare panem, *c* & ipsi *d* observabant eum. Et *e* ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et *f* respondens Jesus dixit *g* ad legisperitos, & Pharisæos, dicens: Si *h* licet sabbato curare? At illi *i* tacuerunt. Ipse *k* vero apprehensum sanavit eum, *l* ac dimisit. Et *m* respondens ad illos, dixit: *n* Cujus vestrum *o* asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo *p* extrahet illum die sabbati? Et non *q* poterant ad hæc respondere illi. *r* Dicebat autem & ad invitatos

a Et factum est, &c.] Non fercula voluptatis, sed panem necessitatis.

(Mystice.) Mystice. Domus principis sacerdotum est Synagoga. Nam Princeps sacerdotum Moyses est. Hanc domum intravit Jesus, quando carne assumpta venit in mundum. *b* Manducare panem,] i. obedientia, & pœnitentia Judæorum delectari. *c* Et ipsi] Pharisæi. *d* Observabant eum,] si sabbatum solveret, i. ex invidia insidiabantur ei, si possent eum in aliquo accusare. Sed frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. *Prov.* 1. Et sicut tunc factum est Domino, sic fit modo discipulis ejus, secundum quod dicitur *Jo:* 16. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt. *e* Et ecce homo, &c.] quia non erat repositus in camera, sed in domo communi. *Isidorus*: Proprium hydropici est, ut quanto plus bibat, tanto plus sitiat. Unde recte significat avarum, qui quanto plus habet, tanto plus cupit habere. *Eccl.* 5. Avarus non implebitur pecunia. *Eccl.* 14. Viro cupido, &c. Et dicit *Beda*: Vitium, quod iste gestabat in corpore, Pharisæi gestabant in corde, idest avaritiam, & ideo coram ipsis curavit eum corporaliter, ut hoc exemplo discerent curari spiritualiter. Per hunc etiam significantur luxuriosi, quia sicut hydropicus, quanto plus bibit, tanto plus sitit, ita qui se luxuriæ immergit, amplius eam appetit. *f* Et respondens Jesus] insidiosis observatoribus, idest cogitationibus eorum, quæ sibi soli patebant. Juxta illud 1. *Reg.* 16. Homo videt, &c. *g* Dixit ad legisperitos, &c.] qui maxime invidebant ei, & observabant eum, ut sua responsione confutaret. *Gloss.* A legisperitis, legis judicium quærit. *h* Dicens, si licet sabbato curare.] Opera charitatis facere sine sabbati violatione? Dominus in sabbatis libentius, & frequentius docebat, & curabat duplici ratione. Una est, ut plures lucrifaceret, quia tunc plures conveniebant. Secunda, propter spirituale sabbatum, ad quod docendo, & sanando invitabat. Sed scribæ, & Pharisæi infirmorum sanationem dicebant sabbati violationem, ex invidia male interpretantes illam legem. *Lev.* 23. Sex diebus facietis opus, &c. Adhuc hodie multi, aut invidia, aut avaritia dictante, male interpretantur scripturas, ut vel alios mordeant, vel sua vitia tegant, vel aliquod emolumentum acquirant. Contra primo dicitur *Gal.* 5. Quia si invicem mordetis, &c. *Greg. Nazianzenus*: Omnes ex hoc docti, & Catholici volunt videri, si alios reprehendamus, & illos solos optimos judicemus, quicumque poterunt de fratribus latius, & acerbius obtrectare, vel certe, qui subtiliter, vel figuraliter momorderunt. Contra secundos, qui sc. male exponunt scripturas, ut tegant peccata sua. *Isa.* 9. Propheta docens mendacium, &c. Contra tertios. *Ezech.* 13. Violabant me, &c. *Mich.* 3. Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt, &c. *i* At illi tacuerunt,] quia quicquid dixissent, contra eos esset. Si enim dicerent, quod licet, quare ergo observant: si non licet, quare ipsi pecora sua curant? *Eccl.* 20. Est tacens non habens sensum loquelæ. *k* Ipse vero, &c.] coram Pharisæis, quia sicut ille hydropisi corporali laborabat, ita ipsi spirituali, idest avaritia gravius laborabant. *Matt.* 23. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui estis similes sepulchris dealbatis, &c. *l* Ac dimisit] *Gl.* Abire sanatum corporaliter, ut se transferret ad salutem animarum. *m* Et respondens ad illos] insidiosos observatores. *n* Dixit, cujus, &c.] Hic arguit eos de violatione sabbati, & tacite de avaritia, dicens: [cujus vestrum] Pluraliter dicit [vestrum,] ut per hæc innuat, eos omnes avaritia laborare. *o* Asinus, aut bos in puteum cadet, &c.] *Beda*: Non animali, sed suæ avaritiæ consulens. *p* Extrahet illum diem sabbati] non intelligens in hoc violationem sabbati. *q* Et] sic convicti [non poterant ad hoc respondere illi.]

(Mystice. Matth. 12. Marc. 3. Sup. 6.) Mystice. Per asinum stultus quilibet, per bovem sapiens designatur. Unde *Deut.* 22. Non arabis in bove simul, & asino. Ibi *Gl.* idest fatuum sapienti in prædicatione non sociabis, ut æquali potestate verbum Dei annuncient. Per puteum significatur luxuria, seu carnis concupiscentia. Unde *Prov.* 23. Fovea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. Asinus ergo, & bos in puteum cadit, quia tam sapiens, quam stultus in luxuriam aliquando ruit. Exemplum in Salomone, de quo *Eccl.* 47. Collegisti, &c. *Eccl.* 7. Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, i. dæmonum, & sagena cor ejus. Sagena omnes pisces, & magnos, & parvos capit, sic mulier omnes. *Eccl.* 9. Propter speciem mulieris multi perierunt. Quid autem sit faciendum, cum ceciderit bos, vel asinus in puteum. Non est ibi dimittendus, sed continuo extrahendus. *Exod.* 23. Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. (B)

Communia accidentia hydropici.
- Tumor corporis, in quo superbia notatur, quæ sanatur per repressionem humilitatis, quod significatum est. *Jud.* 8. quia Gedeone humiliter respondente ad viros Ephraim, dicitur: cum locutus fuisset, requievit spiritus eorum, quo tumebant contra eum, &c.
- Fœtor oris, peccati infamia. *Isa.* 34. De cadaveribus eorum ascendet fœtor, &c.
- Sitis avaritiæ. *Job* 18. Exardescet contra eum sitis.
- Genitalium inflatio, i. luxuria. *Col.* 2. inflatus, &c.
- Pigrities pedum, i. affectus ad bonum pigrescentes. *Tit.* 1. Cretenses semper mendaces, &c. *Sap.* 15 Pedes eorum pigri ad ambulandum.
- Spiritualium compressio, per quam invidia, quæ bona comprimit, ne communicentur, contra quod *Sap.* 7. Quam sine fictione, &c. *Prov.* 14. Putredo ossium invidia.
- Cutis infectio, i. exterioris conversationis deformitas. *Bern.* Hæc forma vestium, deformitatis mentium, & morum est indicium, &c.

(Secunda pars.) *r* Dicebat autem.] Secunda pars, in qua convictos de avaritia, & sabbati violatione, videns quomodo de primis accubitibus obtinendis laborarent, invitat eos parabolice ad humilitatem. Vel postquam Pharisæos superbos arguit, simplices, qui aderant ad idem convivium invitati, de humilitate instruit, tanquam idoneos, & instructione sua dignos. Et nota, quia humilitas proprie dicitur virtus evangelica, i verbis, & exemplis in Evangelio specialiter insinuata: Commendata quidem est in veteri testamento. Unde & Dominus legitur dixisse de David: Inveni virum secundum cor meum propter eminentiam humilitatis, quam habuit. Sed specialiter in Evangelio. Nam magister humilitatis, verbo humilitatem insinuans ait: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. *Matth.* 11. Et alibi: Si quis percusserit te in maxillam, &c. *Matt.* 5. Eamdem insinuavit facto: quia de paupercula Virgine natus, in præsepe reclinatus, & sicut in omnibus actibus suis patet. Infert ergo hic de humilitate, proponens eis exemplum humilitatis in quodã facto. Et hæc instructio exemplum est, non parabola proprie. Parabola enim proprie dicitur, ubi res rei comparatur, ut regnum cœlorum grano sinapis. Potest tamen hoc exemplum dici parabola, quamvis hic Dominus parabolice non loquatur. Ideo sc. quia proprie nos invitat Dominus ad sectandã humilitatem in hoc facto, ut exemplo ejus in omnibus factis humilitatem exhibeamus. Nam si ideo parabola dicitur, quia mystice exponitur, sicut videtur innuere. *Interl.* sic omnis historia potest dici parabola. Hoc est ergo, quod dicit. *r* Dicebat autem & ad invitatos] ab ipso Principe Pharisæorum.

a Parabolam] istam. *Gloss.* ordinaria, aliud mystice significantem. b Intendens,] idest intelligens. c Quomodo primos, &c.] idest, quomodo ad hos laborarent, scilicet. Vel [Intendens, &c.] idest, per doctrinam suam mystice intendens persuadere, quomodo in Ecclesia debeamus sedes eligere. Ideo superiores personæ in humilioribus sedibus sedeat, idest remotioribus ab altari, quæ tamen ex usu modo reputantur digniores. d Dicens ad illos: Cum invitatus fueris, &c.] prosequere litteram, quæ plana est.

a parabolam, b intendens c quomodo primos accubitus eligerent, d dicens ad illos: Cum e invitatus fueris ad nuptias, non f discumbas in primo loco, g ne forte h honoratior te sit i invitatus k ab illo, l & m veniens is, qui te, & illum vocavit, n dicat tibi, o da huic locum, p & tunc q incipias cum rubore novissimum locum tenere. r Sed cum vocatus fueris, f vade, t recumbe in novissimo loco, ut cum u venerit, qui te invitavit, dicat tibi: x Amice, y ascende superius. Tunc z erit tibi gloria coram simul discumbentibus, quia omnis, qui se a exaltat, b humiliabitur, & c qui se humiliat, exaltabitur.

Mystice. Mystice. Nuptiæ sunt Christi, & Ecclesiæ conjunctio. De quibus *Apocal.* 19. Venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se byssino splendenti, & candido. Byssinum enim sunt justificationes Sanctorum. *Greg.* Nuptialis thalamus est virginalis uterus, de quo *Ps.* 18. In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Sed quare vocantur nuptiæ? *Chrys.* Ut nihil sit triste, nihil calamitosum. Has nuptias celebravit Deus pater, quando humanam naturam suo filio copulavit. *Matth.* 22. Simile factum est regnum cœlorum homini Regi, idest, Deo patri, ut dicit *Gloss.* qui fecit nuptias filio suo. Ad has nuptias invitantur, quicumque ad fidem Christi invitantur. In his nuptiis convivium fuit, & adhuc est, doctrina Evangelii. Unde *Chrys.* Convivium nuptiale est, doctrina justitiæ. Multas enim proprietates habet sermo ad escam. Sicut enim qui non masticat cibum, non sentit ejus saporem, ita verbum, quod audimus, nisi masticaverimus tractantes, non intelligemus verbi virtutem. Ideo manna interpretatur, quid est hoc, ut quotiescumque audimus, quæramus, quid est hoc. Item quod masticatum est, mittitur in stomachum, idest, in memoriam, aliter non prodest. *Levit.* 11. Animal, quod non ruminat, immundum est, & ille homo immundus est apud Deum, qui non recordatur, & retractat aliquando, quod audit. Ad has nuptias vellet Dominus omnes venire, & invitat. *Prov.* 9. Sapientia ædificavit sibi domum, & excidit columnas septem, immolavit victimas suas, & miscuit vinum, & proposuit mensam suam, & misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem. *Matth.* 22. Misit Rex servos suos vocare invitatos ad nuptias. *Apoc.* 69. Beati, qui ad cœnam nuptiarum, &c. Ad has nuptias non solum invitat nos Dominus, sed qualiter recumbere debeamus ostendit, dicens:

e Cum invitatus fueris ad nuptias,] idest, cum vocatus a Christo per inspirationem, vel prædicationem exteriorem unitati Ecclesiæ sociatus fueris.

f Non discumbas in primo loco,] idest, non te extollas præ ceteris de scientia, vel de meritis gloriando. *Eccl.* 6. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus. *Eccl.* 11. In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris. *Eccl.* 3. Quanto magnus es, &c. g Ne forte,] quia potest contingere, quod. h Honoratior te,] idest, Deo invitanti gratiosior, etsi aliis sit occultus. i Sit invitatus,] idest, ad fidem vocatus. k Ab illo,] idest, a Deo, qui omnes vocat, aut per inspirationem, aut per prædicationem, aut per flagellorum visitationem, aut per beneficiorum collationem. Et hoc facit, quia vellet omnes homines salvos fieri. 1. *Tim.* 2. Hoc enim bonum est, & acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri. Et tamen pauci veniunt. *Matth.* 20. Multi sunt vocati, pauci vero electi. l Et] tunc, idest, cum te extuleris, idest meliorem ceteris reputaveris.

m Veniens is, qui te, & illum vocavit,] idest Deus, qui corda singulorum ac merita intelligit. Juxta illud *Prov.* 16. Spirituum ponderator est Dominus. n Dicat tibi] interius occulte, vel exterius manifeste. Sæpe enim Deus videns aliquem de se præsumentem, & se aliis præferentem, per misericordiam ei intimat, quod ille, cui se præfert, ei præferendus est, ut revocet eum ab errore suo. o Da huic locum.] *Gloss.* idest, intellige te minorem, & alios majores, ac meliores. *Eccl.* 3. Quanto magnus, &c. p Et tunc,] idest, quando cognoveris meliora de aliis, quibus te prius meliorem putabas.

q Incipias cum rubore, &c.] idest tunc confunderis, quia te aliis prætulisti. *Eccl.* 13. Attende, ne seductus in stultitia humilieris, &c. *Pr.* 29. Vidisti hominem velocem ad loquendum, &c. r Sed cum vocatus fueris,] & veneris ad nuptias, idest ad fidem Incarnationis, vel certe ad convivium sacræ lectionis, ubi panis proponitur, & aqua sapientiæ propinatur, secundum quod dicitur *Eccl.* 15. Cibavit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua, &c. s Vade] proficiendo. t Recumbe in novissimo loco] te minorem omnibus reputando. Hoc non faciunt, qui in Ecclesia appetunt dignitates prælationum, aut in claustro se reputant sanctiores, aut in scholis sapientiores, volentes audiri, & nunquam audire, contra quos *Eccl.* 31. Supra mensam magnam, &c. Item *Eccl.* 7. Contra primos; Noli quærere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris. Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est, & penes Regem noli velle videri sapiens. *Prov.* 25. In loco magnorum ne steteris, &c. Sæpe enim, qui triginta annis, vel eo amplius mansit in claustro, reputat se meliorem eo, qui recenter intravit, sed quandoque puer intrat claustrum, qui prima die ferventior est eo. De tali dicitur: Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, scilicet tam subito converso, & fervente. u Ut eum venerit] in morte, vel ad judicium, vel quotidie per inspirationem [qui te invitavit, dicat tibi.] x Amice,] qui amaris, & amas semper. *Prov.* 17. Qui omni tempore diligit, amicus est. y Ascende superius] in præsenti ad majus meritum, in futuro ad majus præmium. 1. *Tim.* 3. Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent. Vel [Dicat tibi, &c.] idest ex humilitate amicum te recognoscat, qui ex præsumptione prius aliis postponebat. Dominus enim semper exaltat humiles, & dejicit superbos, sicut dicit B. Virgo, *sup.* 1. Deposuit potentes, &c. *Eccl.* 10. Memoriam superborum perdidit Deus, &c. *Jac.* 4. Deus superbis resistit, &c. z Tunc erit tibi, &c.] idest, in eadem fide manentibus, vel eamdem lectionem audientibus, vel in eadem beatitudine quiescentibus, qui omnes cum admiratione glorificabunt te prius humiliatum, dicentes: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, &c. *Esther* 6. Hoc honore condignus est quemcumque, &c. *Prov.* 29. Humilem spiritu suscipiet gloria. Et utitur Dominus verbo futuri temporis, dicens [erit] ex quo instruit te, ne quæras hic mercedem. a Quia omnis, &c.] Istud est conclusio parabolæ, quasi diceretur ei, ad quid induxisti hanc parabolam, ad ostendendum, quia [omnis, qui se exaltat] de se præsumendo. b Humiliabitur,] idest vilis reputabitur a Deo, etsi non coram hominibus. c Et qui se humiliat exaltabitur] a Deo. *Prov.* 29. Superbum sequitur humilitas, i. humiliatio. Exemplum de Lucifero, *Isa.* 14. Et humilem spiritu suscipiet gloria. *Prov.* 29. Exemplum de David, qui minimus inter fratres factus est Rex Israel. 1. *Reg.* 19. Et de Saule dicitur 1 *Reg.* 1. Nonne cum parvulus esses, &c. *Job* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinaverit oculos suos, &c.

Matth. 23. *Infra* 18.

Infra 15.

Psal. 137.

Convivium {
- Misericordiæ pro Deo, ut hic. *Isa.* 58. Egenos vagosque, &c. *Tob.* 2. Vade, & adduc aliquos, &c.
- Familiaritatis, in hoc bonū naturæ. *Job* 1. Faciebant convivia, &c. *Gen.* 43. Joseph præcepit dispensatori domus suæ dicens: Introduc, &c.
- Mercimoniæ, hoc indifferens, unde hic: Noli vocare, &c. 2. *Reg.* 3. Fecit David Abner, & viris ejus, qui venerant cum eo, convivium. Et dixit Abner ad David; Surgam, & congregem, &c.
- Castrimargiæ, hoc malum. *Rom.* 13. Non in comessationibus, & ebrietatibus. *Jac.* 5. Epulati estis super terram, &c. *Infr.* 16. Homo quidam erat dives. *Prov.* 23. Vacantes potibus, & dantes symbola, &c.
- Dolositatis. 3. *Reg.* 13. Fecerat Absalon convivium. 1. *Mach. ult.* Surrexit Ptolemeus, &c.
- Jactantiæ. *Marc.* 6. De Herode. *Dan.* 5. Balthasar rex fecit convivium grande, &c.

a Dicebat

Tertia pars. a Dicebat autem, &c.] Tertia pars, in qua docet Dominus, quales personæ debeant invitari. *Gloss.* Secundum ordinem litteræ postquam monuit invitatos, qualiter debeant accumbere, monet & invitatorem, quos debeat invitare, ne temporalis expensio bonorum, quam facit, in vacuum cedat, idest, non ad meritum vitæ æternæ, vel forsan augmentet peccatum, sed ita expendat temporalia, ut per hæc pateat via ad æterna. Unde hic docet ordinem charitatis. *Cant.* 2. Ordinavit in me charitatem. Hoc est, quod hic dicitur [Dicebat autem & ei, qui se invitaverat.] *Gloss.* Principi Pharisæorum, &c. b Cum facis prandium] quacumque hora diei. c Aut cœnam] vespere. d Noli vocare, &c.] supple tantum, quia amici sunt, ut non tollat substantiam, sed causam. e Neque cognatos] idest, carnali affectu, vel cognatione conjunctos. f Neque vicinos, neque divites] propter hoc, quod divites. g Ne forte, &c.] *Beda*: Non ait: Et fiat tibi peccatum, sed retributio fiat. Quinque tangit, quæ evacuant bonum opus merito, scilicet naturalis amicitia, sanguinis cognatio, carnalis affectio, laudis ambitio, mercenaria intentio. Primum tangit ibi: [Noli vocare amicos] idest, aliquos tantum intuitu naturalis amicitiæ: Non quia hoc malum sit, sed quia præmio caret apud Deum. *Matth.* 5. Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Secundum tangit ibi: [Neque cognatos.] Hoc iterum prohibet, non quia malum sit, sed quia præmio caret apud Deum. Tertium tangit ibi: [Neque fratres.] Et hoc similiter non malum est, sed præmio caret. Propter hæc duo dicitur *Matth.* 12. Extende manum tuam. Quartum tangit ibi: [Neque vicinos.] Hoc malum est. Multi enim dant eleemosynas vicinis suis, ut laudentur tanquam boni. Propter hoc dicitur *Joan.* 3. Charissime, fideliter agis, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos. *Eccl.* 11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora invenies illum. Quintum indifferens est, & tamen plus habet mali, quam boni, & tangitur ibi: [Neque divites.] *Isai.* 58. Frange esurienti panem tuum, & egenos, non divites, vagosque induc in domum tuam. Prohibet etiam Dominus convivia divitum, propter superfluitates, detractiones, confabulationes, & ceteras inhonestates, quæ ibi solent fieri. *Prov.* 23. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus, &c. *Inf.* 17. Homo quidam erat dives, qui epulabatur quotidie splendide. Docet etiam mystice in hoc, non irritare convivantes, ne fiat litigium. *Eccles.* 31. Noli provocare diligentes in vino, multos enim exterminavit vinum. h Sed cum facis convivium, voca pauperes,] a quibus in præsenti nihil potes expectare. i Debiles, claudos, & cæcos,] idest, qui non habent, unde sibi possint præparare, nec etiam valent laborare. m Et beatus eris.] *Eccl.* 9. Viri justi sint tibi convivæ, & in timore Dei sit tibi gloriatio. *Tob.* 2. Cum esset dies festus Domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio suo: Vade, & adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, ut epulentur nobiscum. *Eccl.* 12. Da misericordi, & ne suscipias peccatorem. *Eccl.* 10. Noli despicere justum hominem pauperem, & noli magnificare virum peccatorem divitem. n Quia non habent] unde possint, supple [retribuere tibi: retribuetur enim tibi,] a Deo scilicet, [In resurrectione justorum] vel [Retributione.] *Eccl.* 12. Benefac justo, & invenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certe a Deo. Et nota, quod non faciunt Sancti mentionem de resurrectione reproborum, licet tamen vera sit eorum resurrectio sicut salvandorum. Sed ideo non faciunt de ea mentionem, quia non curant de ea.

a Dicebat autem, & ei, qui se invitaverat: Cum b facis prandium, c aut cœnam, d noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, e neque cognatos, f neque vicinos, neque divites, g ne forte & ipsi te reinvitent, & fiat tibi retributio. b Sed cum facis convivium voca pauperes, l debiles, k claudos, & l cœcos, & m beatus eris, quia n non habent † retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in † resurrectione justorum. Hæc o cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in regno

al. † unde retribuent.

al. † retributione.

D

Moraliter. Moraliter. b Cum facis prandium, aut cœnam, &c.] Convivium potest dici oratio, ubi homo interior reficitur, licet exterior jejunet, imo ipsum jejunium hominis exterioris est refectio interioris, secundum quod dicit Apostolus, 2. *Cor.* 4. Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, &c. Ipsa etiam oratio de macie corporis impinguatur. Unde *Hieron.* Macra est oratio, quam macies corporis non impinguat. Oratio vero, quæ fit pro bonis viæ dicitur prandium, illa vero, quæ fit pro bonis patriæ, dicitur cœna, quia post prandium restat cœna, post cœnam vero nullum restat convivium. Vel prandium est oratio diei, cœna vero oratio noctis, sicut innuit *Gloss.* Prandium ergo, vel cœnam facere, est ad orationem accedere. Quales ergo debeat unusquisque ad suum convivium invitare, docet hic Dominus, dicens cuilibet. b Cum facis prandium aut cœnam,] idest cum accedis ad orationem, ut reficiaris pane lacrymarum, & inebrieris vino compunctionis. d Noli vocare amicos tuos, &c.] idest, noli orare tantum pro amicis, & cognatis, & justis, qui sunt divites in virtute, sed etiam pro inimicis, & peccatoribus, qui sunt pauperes apud Deum. Pro his magis orandum est, quia magis indigent. Et hæc oratio potior est apud Deum. Unde *Matth.* 5. Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est, qui facit solem suum, &c. In hoc multi deficiunt, quia raro pro inimicis, & peccatoribus orant, sed pro amicis, & viris sanctis, & pro seipsis; quod idem est, ac si quis reliquias mensæ suæ mitteret Regi, vel Comiti. Dominus oravit pro inimicis in Cruce. *Inf.* 23. *Isa.* 53. Sic etiam Stephanus pro lapidantibus se. *Act.* 7. *Isa.* 58. Frange esurienti panem tuum, &c. Et hoc est, quod subdit Dominus. b Sed cum facis convivium, voca pauperes,] idest peccatores. Et postea dividit in tres species, scilicet. i Debiles,] idest, peccantes ex impotentia. k Claudos,] idest, peccantes ex malitia, qui habent pedem intellectus sanum, sed pedem affectus infirmum. l Et cæcos,] idest, peccantes ex ignorantia. Sequitur. o Hæc cum audisset, &c.] Dominus instruxerat invitatorem suum de modo invitationis, ut quoscumque invitaret, ex misericordia invitaret, & dixerat pro tali invitatione reddendam esse mercede in resurrectione. Unde quidam ex eis, qui intererat convivio, hoc simpliciter intelligens putavit, quod quasi æqua vice redderetur ei merces, ut pro refectione egenorum, quos ex misericordia reficeret in præsenti, in futuro reficeretur alimonia corporali. Unde ait: [Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.] Dicit ergo: [Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: [Beatus, qui manducabit panem in regno Dei,] quia hoc ipsum manducare panem est esse beatum. *Aug.* Hic erravit Corinthus hæreticus, quia Adam jussus est manducare. *Gen.* 2. De omni ligno paradisi comede, &c. *Beda*: Panis in regno cœlorum non est corporalis juxta Corinthum. Iste ex hoc erravit, quia putavit homines immortales resurrecturos, non tamen sine corporali alimonia victuros, sumens argumentum ex primis parentibus, qui in primaria conditione creati sunt immortales, tamen cibi alimonia egentes. Sed revera errant hujusmodi, non attendentes, quia longe aliter erunt homines immortales in resurrectione, quam ante peccatum fuerunt immortales, i. potentes non mori. Intelligitur autem non de pane materiali, ut mentitur Corinthus hæreticus, sed de pane cœlesti, & spirituali, qui est ipse filius Dei. Unde *Joan.* 6. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Unde verba illa trahenda sunt ad alium sensum, quam forte habuerit ille, qui hoc ait, ut dicatur: [Beatus erit, qui manducabit panem in regno Dei] i. Christum, supple, eo modo manducationis, de quo dictum est. *Joan.* 6. Si quis manducaverit, &c. Nota ergo, quod iste panis tripliciter manducatur, dupliciter in via, & simpliciter in patria. In via siquidem manducatur sacramentaliter, i. sub sacramento, quod commune est bonis, & malis. De qua manducatione dicitur 1. *Cor.* 11. Probet autem seipsum homo, &c. Item in via manducatur spiritualiter a vere credentibus in eum. Hoc enim est manducare eum spiritualiter, vere credere in eum, quod convenit tantum bonis, & se corpori ejus mystico incorporare. Est enim corpus Christi materiale, quod sumpsit de virgine, & corpus Christi mysticum. Item e contrario est in manducatione spirituali, & in actuali. Qui enim cibum actualem manducat, cibum sibi incorporat, qui autem cibum spiritualem

spiritualiter manducat, incorporat se ipsi cibo, i. mystico corpori, i. fit de unione Ecclesiæ. De hac manducatione dicitur. *Joan.* 6. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. *Beda*: Si quis incarnationis Sacramento perfecte incorporatus, divinæ majestatis visione frui meruerit, hic æterna beatitudine gaudebit, Sacramento intellige, i. rei Sacramenti, scil. unionis Ecclesiæ. Et nota, quod Sacramentum Eucharistiæ proprie dicitur Sacramentum Incarnationis. Tertio modo manducatur in patria, quod fit videndo facie ad faciem, & contemplari, quod est frui Deo. De hac manducatione dicitur *Eccl.* 24. Qui edunt me, adhuc esurient, &c.

Psal. 126.

Dei. At *a* ipse dixit eis: Homo

Panis
- Doloris, & pœnitentiæ. *Psalm.* 41. Fuerunt mihi lacrymæ meæ. Item: Surgite cum sederitis, qui manducatis panem doloris. *Genes.* 21. Abraham dedit Agar panem pœnitentiæ, & utrem aquæ, & abiit in desertum.
- Laboris. *Gen.* 3. In sudore vultus tui, &c. *Psal.* 127. Labores manuum tuarum, &c.
- Verbi Dei. *Thren.* 4. Parvuli petierunt panem, &c.
- Divinæ consolationis. 1. *Reg.* 30. Cum Ægyptius comedisset panem, reversus est spiritus, &c.
- Eucharistiæ. *Joan.* 6. Panis, quem ego dabo, &c.
- Contemplationis. *Gen.* 49. Aser pinguis panis ejus, & præbebit delicias regibus.
- Refectionis æternæ, ut hic: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.
- Sed multi sunt, qui non possunt venire de uno pane ad alium.

Sequitur. *a* At ipse dixit ei: Homo quidam.]

Mystice. Iste homo quidam, est Christus Dominus, qui homo, vel hominis filius vult appellari, cum tamen sit Deus, & Dei filius in confusionem multorum, qui cum sint inferiores in genere, volunt tamen denominari ab accidente, & tamen dicit Philosophus, quod difficile est denominationem converti. Cum enim sint filii fabrorum, vel carpentariorum, volunt appellari nepotes Episcoporum, vel Archiepiscoporum, si aliqui sint, vel fuerint in tota parentela eorum etiam a remotis. Soli Papæ solet mutari nomen, cum fit Papa: Nunc autem si unus fiat Episcopus, toti progeniei mutatur nomen suum, quia ipso episcopante tota sua progenies episcopatur cum illo. Unde *Isai.* 66. admirans de tam subita, & de tot filiorum generatione, ait: Numquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul, quia parturivit, & peperit Sion filios suos? Imo etiam ipsa Ecclesia admiratur tam subitum partum. *Isa.* 39. Quis genuit mihi istos, ego, &c. Dicitur etiam [homo quidam,] idest unus, non multiplex, ut pomposi. Item unus, non divisus, contra cupidos, & ambitiosos, quorum cor in tot partes divisum est, quot honores, aut quot præbendas habere concupiscunt, ideo vicini sunt morti. *Osee* 10. Divisum est cor eorum, nunc interibunt. Item dicitur [homo quidam,] idest singularis conceptus sine semine patris, natus sine dolore matris, immunis a peccato, mortuus pro peccato. Iste homo fecit cœnam, non unam tantum, sed triplicem, & quamlibet magnam, & ad quamlibet vocavit multos, & multipliciter, scilicet per inspirationem, per prædicationem, per flagella, per beneficia. *Prov.* 1. Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Prima cœna est doctrina Evangelica. Secunda sacrosancta Eucharistia. Tertia vita beata. De prima dicitur *Isa.* 21. Pone mensam, &c. Et dicitur magna propter quatuor. Primo, quia Dominus cœnæ magnus est, scilicet Christus. Secundo, quia convivæ magni, scilicet omnes, qui audiunt Theologiam. *Eccl.* 9. Viri justi sint tibi convivæ. Tertio, quia servitores sunt magni, scilicet Doctores Theologi, de quibus dicitur 3. *Reg.* 10. Videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificaverat, &c. Quarto, quia fercula sunt magna, quæ ibi apponuntur, scilicet quatuor sensus sacræ Scripturæ, idest, historicus, tropologicus, allegoricus, anagogicus. *Prov.* 8. Intelligite parvuli astutiam, audite quam de magnis locutura sum. Hanc cœnam fecit Dominus in monte Thabor, ubi vocatis discipulis proposuit eis septem inter fercula satis bona. Primum est paupertas, secundum est mansuetudo, tertium luctus, quartum justitia, quintum misericordia, sextum cordis munditia, septimum pax. O quam felices sunt, qui illis ferculis satiantur. Sed certe multis apponuntur, qui nec modicum gustant de illis. Multi etiam cum vocantur ad cœnam, ut comedant de illis ferculis, nolunt venire excusantes se, sicut

Prima cœna.

hic dicitur. Alius villam emit, hic est ambitiosus. Alius juga boum emit quinque, hic est curiosus. Alius uxorem duxit, hic est luxuriosus. Hæc tria, scilicet ambitio dignitatum, curiositas vanitatum, amor voluptatum, ita replent multos, ut prædicta fercula fastidiant manducare. Unde dicunt: Deest panis; non sunt aquæ, anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. *Num.* 21. Hanc cœnam impediunt tria, maxime Parisius. Primum est frequens congregatio magistrorum, propter quod multæ lectiones, & disputationes omittuntur. Secundum est, quod de cœna fit prandium. Nam post auditum sacræ lectionis vadunt multi ad lectionem scientiæ sæcularis, ubi quasi suffocati a nimio vino obdormiunt in morte, sicut dicitur *Jerem.* 51. Inebriabo magistratus ejus, & dormiunt somnum sempiternum, & non expergiscentur. Quod satis eleganter significatur *Jud.* 4. ubi legitur, quod Jahel aperuit utrem lactis, & dedit Sisaræ ad bibendum, & operuit eum pellibus, & dormientem occidit clavo tabernaculi pro tempora fixo usque ad terram. Per lac, quod de carne mulgetur, significatur scientia sæcularis. Jahel autem interpretatur assensio, & significat Ecclesiasticam dignitatem. Sisara vero interpretatur visio æquitatis, & significat illos, qui dicunt se audire scientias sæculares, ut videant æquitatem. Sed quidquid ipsi dicant, Jahel propinat eis. Tertium impedimentum est indiscreta dispensatio verbi Dei, quia ubi magis est necesse, nolunt venire ad prædicandum, vel ad docendum. *Thren.* 4. Parvuli petierunt panem, &c. Item *Threnor.* 2. Parvuli dixerunt matribus suis, idest Prælatis, ubi est triticum, & vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis. Hæc tria impedimenta istius cœnæ tangit Apostolus 1. *Corinth.* 11. Vobis convenientibus in unum jam non est dominicam cœnam manducare: Ecce primum. Unusquisque enim cœnam suam præsumit ad manducandum: Ecce secundum: Alius quidem esurit, alius vero ebrius est: Ecce tertium: Secundam cœnam fecit Dominus in die cœnæ in Jerusalem in cœnaculo magno strato, sicut dicitur *infra* 22. Ubi discumbens cum discipulis suis proposuit eis quatuor fercula satis bona, & bene parata. Primum fuit panis Azymus. Secundum, Agnus typicus. Tertium, lactucæ agrestes. Quartum, caro sua, & sanguis suus. Per hæc quatuor significantur alia quatuor fercula multo meliora, & Domino chariora. Primum est vitæ puritas, quæ pane azymo designatur. Secundum, perfecta humilitas, quæ per agnum anniculum significatur. Tertium, vera obedientia, quæ figuratur per lactucas agrestes. Lactuca enim tenera est, & fervens, & talis debet esse obedientia. Quartum, consummata charitas, quæ per corporis, & sanguinis dispensationem significatur. Juxta illud *Joan.* 15. Majorem hac dilectionem, &c. Primum apposuit nobis Dominus nobiscum conversando. Secundum discipulorum pedes lavando. Tertium, Crucem ascendendo. Quartum in omnibus factis, & dictis suis, quia quidquid fecit, & dixit, totum fuit plenum charitate. Hæc quatuor fercula requiret Dominus a quolibet nostrum, secundum quod dicitur *Prov* 23. *juxta aliam editionem*. Ad mensam divitis sedisti, scito quoniam talia oportet te præparare. Primi ferculi duplex est præparatorium, scilicet odium peccati, & amor virtutum, qui hæc duo habet, pure vivit. Secundi ferculi similiter duplex est præparatorium, sc. consideratio humanæ conditionis, quæ tam vilis est, in principio sperma fœtidum, in medio vas stercorum, in fine esca vermium, & consideratio melioris. Unde *Greg.* Sicut incentivum elationis est consideratio deterioris, ita cautela humilitatis est consideratio melioris. Tertii ferculi similiter duplex est præparatorium, sc. imperantis auctoritas, & rei imperatæ utilitas. Quarti ferculi similiter est duplex præparatorium, sc. consideratio beneficiorum Christi, quibus meruit diligi, & consideratio præmiorum, quæ promittit diligentibus se. *Corinth.* 2. Oculus non vidit, &c. Manducationem hujus cœnæ impediunt tria, sc. peccati conscientia, sumentis irreverentia, superioris prohibitio. Propter quæ dicit Apostolus 1. *Cor.* 11. Probet autem seipsum homo, &c. Hæc cœna dicitur magna, sicut & prima, propter quatuor. Primo, quia Dominus magnus, sc. Christus. Secundo, quia convivæ magni, scilicet omnes fideles, quia digne accipiunt. Tertio, quia servitores magni, scilicet Angeli, qui creduntur assistere, & servire sacerdoti, & omnibus convivantibus in hac cœna. Quarto, quia fercula apposita magna sunt, scilicet corpus, & sanguis ipsius Domini. *Proverb.* 23. Quando sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende, quæ sunt posita ante faciem tuam. Tertiam cœnam faciet Dominus in cœlo omnibus amicis suis, sicut dicitur *Isaiæ* 25. Faciet

Primam cœnam impediunt tria.

De secunda cœna.

Secundam cœnam similiter impediunt tria.

Tertia cœna.

ciet Dominus omnibus populis, in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum vindemiæ defæcatæ. Hæc cœna dicitur magna, sicut & aliæ duæ propter quatuor. Primo, quia Dominus magnus est, scil. Architriclinus, idest, Deus Trinitas. Secundo, quia magni, & multi convivæ, scilicet, omnes electi. Tertio, quia magnus est ibi servitor, scil. Christus, *sup.* 12. Beati sunt servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes: Amen dico vobis, quia faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Quarto, quia magna fercula, scilicet gaudia æterna. De quibus *Isa.* 51. Venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum gaudium, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus.

a quidam *b* fecit cœnam magnam, & *c* vocavit multos: Et misit *d* servum suum *e* hora cœnæ *f* dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Et *g* cœperunt simul omnes excusare. *h* Primus dixit ei: Villam *i* emi, & k necesse habeo *l* exire, & *m* videre illam: *n* Rogo te, habe me excusatum. Et *o* alter dixit: *p* Juga boum emi quinque, & eo *q* probare illa: Rogo te, habe me excusatum,

Tria impedimenta tertiæ cœnæ.

Hanc cœnam impediunt tria, scilicet macula peccati, debitum pœnæ, defectus charitatis, quæ est vestis nuptialis, sine qua nemo recipitur in nuptiis. Unde *Matt.* 22. Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Sunt autem octo, propter quæ quælibet istarum cœnarum debet placere invitatis, quæ tangit Dominus. *Infr.* 22. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo. Primum est servitoris nobilitas, quod tangitur per hoc, quod dicitur: Ego. Secundum est ordinata ferculorum positio, quod tangitur, ubi dicitur: Dispono. Tertium est convivarum honestas, quod tangitur ibi: Vobis. Quartum est vultus hilaritas, quod tangitur ibi: Sicut disposuit mihi. Quintum est invitantis auctoritas, quod notatur ibi: Pater meus. Sextum est mensæ fecunditas, quod notatur ibi: Super mensam meam. Septimum est loci amœnitas, quod tangitur ibi: In regno. Octavum est loci securitas, quod tangitur ibi: Meo. Prima cœna manducatur in scholis. Secunda in Ecclesiis. Tertia in cœlis. De qualibet igitur istarum cœnarum dicit Lucas. (Homo quidam.) Sed exponamus de tertia. *Gloss.* sic continuat ad præsens: Quasi vere beatus, qui comedet panem in regno Dei, sed dediti vitiis terrenis, vel curiositati, vel voluptatibus hujus mundi, non comedent. Unde subditur parabola.

a Homo quidam,] scilicet Christus, sicut prius expositum est.

b Fecit cœnam magnam,] i. paravit omnibus refectionem æternam, quia januam regni aperuit. *Matth.* 22. habetur de prandio, & aliud ibi per prandium, quam hic per cœnam. Per prandium enim ibi intelligitur præsens refectio viatici, a qua multi excludantur. Unde ille exclusus est, qui non habebat vestem nuptialem. Per cœnam hic intelligitur refectio æternæ beatitudinis, qua satiabuntur electi gustantes, & videntes, quam suavis est Dominus. Ad hanc invitantur omnes, & veniunt aliqui libenter, aliqui invitantur, & non veniunt, alii veniunt tracti. Recte (Cœnam,) quia in vespere, idest, in ultima ætate dormitante Moyse, idest, deficiente lege. Unde Joanne incarcerato, cœpit Dominus prædicare. Unde dicunt discipuli, *inf. ult.* Mane nobiscum Domine, quoniam, &c.

c Et vocavit multos] ad cœnam. Nota. *Gloss. Bed.* Verbum incarnatum, &c.

d Et misit servum suum.] *Gloss.* idest ordinem prædicatorum, qui censentur nomine servi singulariter, quia omnes conveniunt in idipsum.

e Hora cœnæ,] i. ultima ætate, sive in fine sæculi. I. *Cor.* 10. Nos sumus, in quos fines sæculi devenerunt. I. *Joan.* 2. Audistis, quia Antichristus venit, nunc autem Antichristi multi facti sunt, unde scimus, quia novissima hora est.

f Dicere,] i. ad dicendum (Invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia, &c.) Fercula primæ cœnæ parata sunt, præsto est paupertas, præsto est mansuetudo, & luctus, &c. Sic & fercula aliarum cœnarum parata sunt, quia filius Dei omnia paravit. Per ipsum jam patet introitus regni cœlorum. *Joan.* 14. Vado vobis parare locum, & si abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, &c.

g Et cœperunt omnes simul excusare,] qui venire noluerunt. Et pro majori parte dictum est, sicut dicitur: omnes currunt ad bellum, multis tamen remanentibus. *Greg.* Excusat omnis, qui plus terrena, quam cœlestia diligit: & si ad cœlestia se tendere dicat, hoc omnea dicunt. *Amb.* Ideo se excusant, quia nemini intercluditur regnum, nisi quem suæ vocis professio excludit. Intelligite professio exterior, vel interior. Nemo enim excluditur, nisi pro peccato exteriori, vel interiori.

Prima excusatio.

h Primus dixit ei: Villam, &c.] Quasi multi ad cœnam dominicam invitati, ejus epulas fastidiunt, alii detenti superbia vitæ, alii curiositate, alii carnis voluptate. Primam excusationem refert *August.* ad superbiam vitæ. In emptione enim villæ notatur acquisitio dominii: Qui enim villam emit, hominibus appetit dominari, & præesse, quod ex radice superbiæ procedit. Ac si dicat, malo dominari in terrenis, quam venire ad cœnam æternam. *Eccl.* 8. Interdum dominatur homo homini in malum suum. Dicit ergo.

i Villam emi,] i. appetitum dominandi habui, vel dominatum ipsum multo labore acquisivi, vel pretio animæ meæ comparavi. Quicumque enim dominatum appetit, animam suam perdit, quia gratiam amittit, quæ est vita animæ. Hanc villam emit Lucifer, quia pro dominatione, quam appetiit, regnum æternum amisit. Similiter primus homo dominari voluit, & in servitutem omnium, & etiam publicum cecidit, qui dominus omnium factus fuit.

k Et necesse habeo] ambitione cogente, quæ non potest coram Domino permanere; nec in cœlo habitare.

l Exite] ab æternorum contemplatione, & mei consideratione. Omnis enim superbus extra se est, quia supra se est. *Psal.* 130. Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi, &c.

m Et videre illam] totum studium ad illam applicare. Hoc enim est superborum, scilicet toto studio laborare ad hoc, quod possint dominari. Vel per illam potest intelligi sollicitudo necessariorum corporis, ut non videatur se excusare per superbiam, sed per sollicitudinem necessariorum corporis, idest, victualium. Ac si dicat, habeo mihi villam emere, idest, terrenam substantiam comparare ad necessitatem corporis. *Gregor.* Villam exit videre, qui sola exteriora cogitat propter substantiam, idest corpus, & totum studium ad illam applicat. Et hoc est, quod ab amatoribus mundi prius quæritur, scilicet substantia corporis, idest necessaria corpori.

n Rogo te, habe me excusatum.] *Interl.* Ora pro me, quia homo peccator sum, *sup.* 5. In superficie verborum prætendit humilitatem, ubi dicit, (Rogo) sed ex superbia venire contemnit. *Greg.* Dum dicit: rogo te, habe me excusatum, humilitas sonat in voce, dum venire contemnit, superbia in actione.

Secunda excusatio

o Et alter dixit: Juga boum, &c.] Excusatio istius refertur ad concupiscentiam oculorum, unde curiositas procedit. Quidam sunt, qui temporalibus divitiis delectati, omnia, quæ vident, concupiscunt. Iste ergo dum ad cœnam æternam invitatur, prætendit excusationem, dicens:

p Juga boum emi quinque,] i. curiositatem quinque sensuum investigando vana, multo labore acquisivi, q. d. potius sollicitus sum de his, quæ per quinque sensus administrantur, idest de exterioribus, quæ curiositatem faciunt, quam de cœna æterna. Tales in cœno temporalium quasi sues nutriuntur, & dominicam cœnam fastidiunt, cœnum cœnæ præferentes. Tales frequenter in tantam decidunt curiositatem, ut potius scrutentur vitia aliena, quam sua. Nam curiosus etiam est, qui vitam aliorum investigat, & sua interiora ignorat. *Greg.* Curiosus animus, quanto est peritus alieni, tanto est ignarus sui. *Ecclef.* 21. Pes fatui in domum proximi sui. *Prov.* 27. Domum fratris tui ingrediaris. Quinque autem sensus per quinque juga boum bene intelliguntur, quia ad terrena nos trahunt, ut circa ea versemur, sicut boves terram versantes. Ideo etiam per juga significantur, quia sicut in jugo sunt boves combinati, ita unusquisque sensuum habet duo membra officio suo deputata. Duæ enim sunt aures, duo oculi, duæ nares, in gustu etiam duo instrumenta, lingua, & palatum, in tactu gemina voluptas carnis, interius, & exterius.

q Et eo probare illa.] Nota, quod ipsum verbum istius exprimit vitium ejus, quia probatio ad curiositatem pertinet. Tales habent quinque juga, sed Christus unum, *supr.* 10. Unum est necessarium. (Rogo te, habe me excusatum.)

Tertia excusatio.

a Et alius dixit, uxorem duxi,] idest, carnalem voluptatem, propter quam multi a regno excluduntur. De hac uxore dicitur *Prov.* 27. Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur. *b* Et ideo non possum venire.] Excusatio istius refertur ad concupiscentiam carnis.

Et *a* alius dixit: Uxorem duxi, *b* & ideo non possum venire. Et *c* reversus servus nunciavit hæc Domino suo. Tunc *d* iratus paterfamilias, dixit *e* servo suo: Exi *f* cito in plateas, & *g* vicos civitatis, *h* & pauperes, ac *i* debiles, *k* & cæcos, *l* & claudos introduc huc. Et *m* ait servus: Domine, *n* factum est, ut imperasti, & adhuc locus est. Et *o* ait Dominus servo: Exi in *p* vias, & sepes,

Iste etiam non rogat excusari, quia solus peccatum carnis non palliatur in confessione. Huic loco adhærent Hæretici, qui nuptias damnant, quia excusatio istius reprobatur, qui se excusat per conjugium. Hoc dupliciter solvitur. Primo, non reprehenditur cõjugium simpliciter, sed in comparatione, ut sic ostendatur virginitas ei præferenda. Unde *Amb.* Conjugium non reprehenditur, sed integritas ad majorem honorem vocatur. Vel ideo redarguitur excusatio ejus, qui se excusat per conjugium, quia multi contrahunt, i. ducunt matrimonium, non causa prolis, sed causa explendæ libidinis. Unde *Glos. Bedæ*: Quia multi non propter fœcunditatem, sed propter desideria carnis uxores ducunt, & ideo per rem justam, i. per conjugium justum carnalis voluptas designatur, propter quam carnalem, sc. voluptatem, ad cœnam Dei studiosius recusat venire.

Allegorice.

Allegorice, secundum *Ambr.* Per primum, qui ait: [Villam emi.] Intelliguntur gentiles, immoderato affectu temporalibus inhiantes. Secundus, qui ait, [Juga boum emi quinque] significat Judæos jugo legis pressos. In qua lege sunt quinque juga, idest mandata decem, vel quinque libri Moysi, qui duplicantur in spiritu, & littera. Per tertium, qui ait: [Uxorem duxi.] Intelliguntur Hæretici, qui semper attentant rigorem fidei, sicut mulier prima attentavit virum, & reduxit. Solent etiam mulieres se ornare, & artificiose fictitium sibi colorem apponere, ut ita fallant oculos intuentium, sic Hæretici solent verba ornare quibusdam verbis phaleratis, & falsitatem palliare, ut seducant corda simplicium, affectantes falsum decorem, non pulchritudinem interiorem, de qua dicitur *Ps.* 44. Omnis gloria filiæ regis ab intus.

Versus.

Uxor, villa, boves, cœnam clausere vocatis.
Mundus, pura, caro, cœnam clausere renatis.

Sequitur. *c* Et reversus servus, &c.] Parata cœna, idest, aditu paradisi relerata misit paterfamilias servum, idest Christus chorum prædicatorum dicere invitatis, ut venirent, quia parata sunt omnia. Jam aperta est regni janua, & non venerunt invitati, alii detenti superbia vitæ, alii curiositate, alii carnis voluptate. Quod postquam renunciavit chorus prædicatorum Christo, iratus est paterfamilias. Et est anthropopathos, i. humana propassio. In Deum enim non cadit motus iræ, sed dicitur irasci, quia opera facit, quæ congruunt irato. Audito enim, quod primo invitati venire contempserant, quasi iratus misit servum, ut in vicos, & plateas exiret, & quoscumque inveniret, compelleret intrare. Dicit ergo: [Et reversus est, &c.]

Moraliter.

Moraliter. Servus, idest prædicator post invitationem, idest, prædicationem, debet reverti ad Dominum per gratiarum actionem, & ad se, per sui considerationem. Primo debet reverti ad Deum, ut ei, non sibi attribuat fructum prædicationis. Ad se vero debet reverti, ne de fructu suæ prædicationis superbiat. De primo dicitur *Job* 38. Numquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi, adsumus? Ibi *Gloss.* Vadunt fulgura, cum prædicatores miraculis coruscant: Revertentia dicunt, assumus, cum non sibi, sed Deo tribuunt, quicquid se fortiter egisse cognoscunt. *Eccl.* 1. Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant. De secundo dicitur *Act.* 12. Petrus ad se reversus, ait: nunc, &c. *Job* 5. Visitans speciem tuam non peccabis. *d* Tunc iratus paterfamilias,] idest, Christus, cujus familia sunt omnes electi, qui irascetur malis in die judicii. *Isa.* 28. Irascetur Dominus, ut faciat opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo. Irascetur autem de illorum ingratitudine, & laboris sui frustratione. *Isa.* 49. Ego dixi, in vacuum laboravi sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsi. *Psalm.* 29. Quæ utilitas in sanguine meo, &c. *e* Dixit servo suo. Exi cito in plateas,] idest, ad illos, qui sunt in via lata, & spatiosa, quæ ducit ad mortem. *Matth.* 7.

g Et vicos civitatis,] idest ad illos, quos temporalium rerum coarctat inopia. *Cant.* 3. Circuibo civitatem per vicos, & plateas, quærens quem diligit anima mea. Quidam sunt, ut innuitur in *Gloss. Ambr.* & ut dicit *Aug.* qui vagantur per campos licentiæ, putantes licitum quicquid est libitum, qui laxas sibi fecerunt habenas, effrænata libertate utentes, frænum continentiæ arcentes. Isti vocantur de latitudine voluptatum ad arctiorem vitam, isti significantur per eos, qui vocantur de plateis. Per eos vero, qui vocantur de vicis, moraliter intelliguntur illi, qui penuria necessariorum arctati intrant claustrum, & ita ad Deum convertuntur. Vicus enim arctior est, quam platea, quia inter domos, quæ sunt altrinsecus, non est nisi strata angusta, ut possint homines commeare. Unde bene per vicum angustia paupertatis exprimitur, tales enim veniunt coacti. Sequitur. *h* Et pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos, &c.] *Matth.* 9. Non veni vocare justos, &c. [Pauperes] spiritu, vel sui reputatione. *Prov.* 13. Est quasi pauper, cum in multis divitiis sit. *i* Ac debiles] ad malum, vel ad bonum sui reputatione. *Isai.* 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem malam, in bonam debilitatem. 2. *Cor.* 12. Cum infirmor, tunc potens sum. 1. *Reg.* 30. Dereliquit me Dominus meus, quia ægrotare cœpi, &c. *Glos.* Christus manu fortis, quos despectos a mundi gloria reperit, in suum amorem convertit, & cibo pavit. Vel conjunge ista duo. [Pauperes, ac debiles,] idest, pauperes debiles, idest humiles, ad differentiam superborum pauperum. *k* Et cæcos,] idest simplices idiotas, qui lumen ingenii non habent, vel qui se reputant nihil scire. *Joan.* 9. Si cæci essetis, peccatum non haberetis, nunc autem quia dicitis videmus, peccatum vestrum manet. *l* Et claudos] gressus suos in bonum dirigere per se insufficientes. Vel [Claudos,] idest, qui bona sciunt, sed mala faciunt, vel qui simul bona, & mala faciunt. 3. *Reg.* 18. Usquequo claudicatis in duas partes? Vel [Claudos] sui reputatione. *Is.* 35. Tunc saliet sicut cervus claudus. *Matth.* 9. Non veni vocare justos sui reputatione, sed peccatores. *Ezech.* 34. Quia abjectum, &c.

m Et ait servus,] idest ordo prædicatorum. *n* Domine, factum est sicut imperasti, & adhuc locus est,] idest, multos quales dixisti, vocavimus, sed illi non implent locum convivii tui. *o* Et ait Domino servo: Exi in vias, & sepes] Secundum *Amb.* per illos, qui vocantur de viis, significantur illi, qui scilicet adhuc sint extra viam, quæ ducit ad vitam, tamen quodammodo in viam se præparant. Nam prope viam est, qui habet jam voluntatem benefaciendi, qui nullis cupiditatibus sugillatur, de quo scilicet non triumphat cupiditas. Per eos, qui de sepibus vocantur, significantur illi, qui mala a bonis fecerunt, & tentationi Diaboli munimen fidei, & patientiæ opponunt. *Eccl.* 46. Ubi non est sepes, diripietur possessio. *Chrys.* Christus via est generalis. *Jo.* 14. Ego sum via, veritas, & vita. Puto, quod & Sancti, qui ducunt ad Christum, viæ sunt. *Threnor.* 1. Viæ Sion lugent. Item diabolus via publica est ad mortem, & viæ ejus sunt professiones hujus mundi, professio philosophiæ, professio militiæ, professio ludorum, quæ omnes ducunt diabolum. *Matth.* 16. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Dicit ergo.

p Exi in vias,] idest, cujuslibet conditionis homines voca ad fidem. Item castitas via, fornicatio via est. Illa ad Christum, ista ad diabolum. Item omnia opera nostra, sunt viæ, sive in cœlum, sive in infernum. *Job* 31. Vias meas ipse considerat.

Allegor.

f Exi cito, &c. Allegorice. Distinguuntur hic duo genera hominum, videlicet cives, & agrestes, ut per illos, qui vocantur de vicis, & plateis, intelligantur Judæi tanquam cives, idest legem, & prophetas, & eloquia Dei habentes. Per eos, qui de viis, & sepibus, intelligantur gentiles, quasi inculti, & agrestes, idest, legem, & Prophetas, & eloquia Dei ignorantes. Civium enim est nosse legem, & Prophetas, & instituta, agricolarum ignorare. Ad Judæos primo misit Dominus prædicatores, scilicet Apostolos, qui multis de Judæis conversi redeuntes ad Dominum, dixerunt.

n Domine, factum est, &c.] quia primitiva Ecclesia de Judæis jam intravit. Sed adhuc vacant loca ad mensam tuam, ut adhuc possit introduci Ecclesia de gentibus.

a Com-

▲ ipse considerat. *a* Et compelle intrare,] Dominus quosdam compellit, quos, sc. adversitate, vel infirmitate, vel paupertate, vel tentatione ad pœnitentiam vocat. *Aug.* Felix necessitas, quæ ad meliora compellit. *Sen.* Infirmitati meæ gratias ago, quæ cogit me non posse, quod non debeo velle.

& *a* compelle intrare, ut *b* impleatur domus mea. *c* Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, *d* qui vocati sunt, *e* gustabit cœnam meam. *f* Ibant autem turbæ multæ *g* cum eo, *h* & conversus dixit ad illos. Si *i* quis venit ad me, & non odit patrem suum, & *k* matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, *l* adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et *m* qui non bajulat crucem suam, *n* & venit post me, *o* non potes meus esse di-

Alleg. ▲ *a* Compelle intrare,] supple pauperes, & debiles, cæcos, & claudos. Hoc enim iterato intelligendum est, quia tales de utroque populo vocati sunt. Hoc, quod sequitur, utrique expositioni convenit, *Matth. 10.* scilicet & allegoricæ, & primæ.

b Ut impleatur domus mea.] *Gloss.* Numero *2. Tim. 2.* prædestinatorum fidelium, qui numerus inexpletus non remanebit. Quia novit Dominus, qui sunt ejus. *Apoc.6.* Tempus adhuc modicum est, donec impleatur numerus conservorum eorum, & fratrum eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi. *c* Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum,] excusantium, sc. *d* Qui vocati sunt,] supple, & noluerunt venire.

e Gustabit cœnam meam,] etiamsi per seram pœnitentiam aliquando intrare quærant. *Matth.* 25. Distinguuntur ergo tria genera vocatorum. Quidam veniunt, sed coacti, qui scilicet tertio sunt vocati, quod notatur per hoc, quod dictum est, (compelle.) Alii venire contemnunt, ut qui primo sunt invitati. Alii invitantur, & spontanei veniunt, sc. secundo vocati. Item primo, & secundo invitati in hoc conveniunt, quod utrique sunt peccatores, superbi, secundo vocati humiles. Hanc convenientiam, & differentiam assignat quædam *Gloss.*

Quinta pars. *f* Ibant autem turbæ, &c.] Quinta pars, ubi docet Dominus, quam sincero amore debeat appeti regnum Dei, ubi fiet cœna, de qua *supra* actum est. Unde turbæ, quæ sequuntur eum euntem in Jerusalem, significant illos, qui vel invitati, vel compulsi veniunt ad cœnam, & tota intentione imitantur Jesum in Jerusalem, idest, ad æternæ pacis visionem præcedentem. Unde *Mich.* 2. Ingredientur portam, & transibunt per eam, & rex eorum transibit coram eis, & Dominus in capite eorum. Dicit ergo: (Ibant autem turbæ multæ) captæ dulcedine prædicationis, & miraculorum. *Joan.* 6. Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. *g* Cum eo,] descendente a domo convivii. Proficiscens enim Dominus Jerusalem ad petitionem Principis Pharisæorum, qui eum ad convivium invitaverat, in domum ejus declinavit, de convivio vero proficiscebatur iter destinatum. Videns autem Dominus turbas sequentes se, instruit eas de modo sequendi, imo in turbis non vere sequentibus instruit veros sequaces, qui regia via incedunt, Christum sequentes passibus operum, non passibus corporum. Instruit ergo Dominus generaliter omnes, qui sunt in via ad patriam tendentes. Et est hic ordo doctrinæ.

Primo docet cavere ea, quæ possunt esse impedimento viam ingredientibus. Secundo addit de suffragiis, quæ sunt necessaria venientibus. Tertio agit de lege, quæ proposita est, & data pervenientibus. Addet adhuc necessarium hæc omnia implentibus, scilicet misericordiam Dei, ut his omnibus impletis, dicant: Servi inutiles sumus, ut postquam impedimenta abjecerint, suffragia comparaverint, legem viantibus propositam conservaverint, tandem implorent speciale suffragium, scilicet Dei misericordiam, quæ est unicum, & singulare refugium. Primum ergo instruit de vitandis impedimentis, quia maximum est vianti nosse impedimenta multiplicia, idest, exteriora, & interiora, quæ sunt impedimenta arduæ viæ ducentis ad vitam. Nec sufficit abjicere exteriora, nisi abjiciantur interiora, ideo Dominus non tantum ait. Odit patrem suum, & matrem, sed addidit, adhoc & animam suam. Et quia multa sunt impedimenta exteriora, hortatur Dominus, scilicet abjicere graviora, scilicet, carnales affectus, qui præcipue homines retrahunt ab ardua via. Legitur enim de multis, quos non terrebat angustia pressurarum, revocabat tamen eos a martyrio affectus uxorum, & matrum ostendentium eis ubera. Unde multi parati martyrio, retinebant carnali affectu, vel cura uxoris, vel liberorum. Hæc ergo sunt præcipua impedimenta exteriora, scilicet affectus carnales. Ideo Dominus specialiter docet ea amputanda, & similiter interiora, scilicet desideria carnis. Dicit ergo. *h* Et conversus dixit ad illos,] qui sequebantur eum. *i* Si quis venit ad me, & non odit patrem suum,] *Chrysost.* Non simpliciter jubet odio habere, quia hoc valde iniquum est, sed si voluerit plus me diligi, in hoc odio habeatur. *k* Et matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores,] idest, eorum vitia, & carnales affectus. *l* Adhuc autem & animam suam,] idest, vitæ animalis desideria, sive concupiscentiam, (non potest meus esse discipulus.) De primo dicit *Chrysost.* Omne, quod de terra suscipimus, in terra dimittitur, nemo recordatur carnalem affectum, cum de carne recesserit. De secundo dicitur. *Eccl.* 18. Post concupiscentias tuas non eas, &c. *Gregor.* Tunc bene animam nostram odimus, cum ejus carnalibus desideriis non acquiescimus, sed reluctamur, & frangimus. *Joan.* 12. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Isai.* 49. Sanctificate eum, qui despicit animam suam. *Jud.* 5. Zabulon, & Nephtalim obtulerunt animas suas morti in regione Merome, quæ interpretatur sublimitas, aut celsitudo, idest, religio. Item de primo dicit *Gregor.* Simul & odisse, & diligere possumus, ut & cognatione conjunctos, & nosipsos ex præcepto divino diligamus, & quos in Dei via adversarios patimur, odiamus. De quo odio dicitur in *Psalm.* 138. Perfecto odio oderam illos. Ibi *Gloss.* Hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines odias, nec propter vitia homines diligas. Item *Bed.* Diligamus parentes, quod sunt, odio habeamus, quod in Dei itinere nobis obsistunt. *Exod.* 32. Occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum, idest, affectum carnalem eorum extinguat in se. *Chrysost.* In illis est sanctum obedire, quæ non nocent pietati.

11 q. 1. §. 1. Matth. 10. Marc. 8.

m Et quia non bajulat, &c.] quia non sufficit vitare impedimenta, si desunt suffragia, ideo subjungitur hic quoddam speciale suffragium, in via, sc. bajulatio Crucis: Si quis enim vult tutus incedere per viam, in qua sunt latrones, defert secum sigillum Imperatoris sui, & ita multoties tutus incedit, ita cum nobis contingat transire viam plenam offendiculis, sc. viam regiam, per quam debemus sequi Regem nostrum, præambulum nostrum non possumus tuti transire sine Imperatoris nostri sigillo, i. sine crucis vexillo, quod semper in periculis prætendimus, Crucem autem portat, qui pro Christo sanguinem suum effundit. Præter hunc modum duobus modis bajulatur crux, sicut dicit *Gregor.* Vel cum per abstinentiam caro affligitur, vel per compassionem proximi animus affligitur. Debemus enim crucifigere membra nostra, manus ne ad percutiendum moveri possint, vel ad sanguinem effundendum, sicut ille, qui habet manus affixas cruci, non potest eas movere, & ita cetera membra. Debemus quoque nos crucifigere proximis compatiendo, quia mala proximorum sunt frixorium Sanctorum. *Job* 30. Flebam quondam super eos, qui afflictus erat, &c. *Gloss.* Plus est de seipso dare, quam de suis: & plus est compassio quam datum. Dicit ergo: (Et qui non bajulat crucem suam.) *Chrys.* Suam, non meam, ne putes Christi crucem sufficere sine tua. Item *Chrys.* Crucem tollit, qui paratus est ad omne periculum propter Deum, sicut Paulus. *Act.* 21. Ego autem non solum alligari, &c. *Beda.* Crux a cruciatu dicitur, quæ semper est portanda, ut amor Christi ostendatur. 2. *Corinth.* 1. Mortificationem Christi Jesu semper in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu, &c. *Chrys.* Nullus verecundetur crucem, circumferamus eam, ut coronam. Etenim omnia, quæ secundum nos sunt, per crucem perficiuntur, regeneratio, consecratio, propter hoc, in domo, in januis, in muris, in frontibus, & in mente scribimus eam. Quando igitur sigillaris, excogita causam, & conditionem crucis. Empti enim estis pretio magno, dicit Apostolus 1. *Cor.* 6. *August.* Pretium crucem dicit, nec simpliciter eam digito insigniri oportet, sed prius electione cum multa fide. Si ita insignivieris visui tuo, nullus dæmonum prope stare poterit, videas ensem, quo plagam accepit. Si enim loca horrescimus, in quibus inciduntur damnati, excogita qualiter patitur videns arma, quibus Christus caput ejus abscidit. Crux dæmones non terribiles, sed contemptibiles facit. *n* Et venit, &c.] bene operando. *o* Non potest meus esse disci-

▲ pulus)

A pulus. *Greg.* Nisi quis a semetipso deficiat, & eum, qui superest, non appropinquat, nec valet apprehendere, quod supra ipsum est, si nesciat mactare, quod est. *Jud.* 5. Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino, qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis supra in judicio, & ambulatis in via, loquimini, idest, vos qui carnem vestram mortificatis, & vosipsos judicatis, & in via virtutum proficitis loquimini, idest, prædicate, vel docete.

scipulus. *a* Quis enim ex vobis *b* volens turrim ædificare, *d* nonne prius *e* sedens *f* computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum, *g* ne postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, *h* omnes, qui † vident, incipiant illudere ei dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. *i* Aut quis rex

al. † videant.

a Quis enim, &c.] Dominus turbis se sequentibus, & ipsis omnibus existentibus in via, & ad patriam festinantibus, dedit documentum de vitandis impedimentis, necnon & de suffragiis viæ. Sed quia non sufficiunt præmissa, nisi perseveremus, subdit de lege perseverantiæ, sine qua nulla virtus coronatur, secundum quod dicitur 1. *Corinth.* 9. Omnes, qui in stadio currunt, &c. Unus, idest, perseverans. Nec solum hortatur de perseverantia, verum etiam de cautela, quæ pernecessaria est viantibus, nedum in via sunt, ardua supra vires aggrediantur, sed pro modulo virium suarum sese intra se mentiatur. Aliqui enim minus cauti vitam austeriorem eligunt, ad quam sustinendam insufficientes, in medio viæ deficiunt. Inducit ergo Dominus similitudinem, per quam instruit de utroque: de perseverantia, scilicet, & de cautela. Sicut enim aliquis turrim ædificaturus, si provide agat, præmeditatur secum, & tacite considerat, si sufficiant ei opes ad ædificii consummationem, ita unusquisque, antequam aggrediatur ardoa, debet præmeditari, si sufficiens sit ad vitam arctiorem. Loquitur ergo Dominus per simile ędificantis. Et merito, quia mundum contemnere, parentes odire, seipsum abjicere, est ædificium construere, per quod ad cœlum ascenditur. Differt autem ædificium spirituale, & terrenum, sicut dicit *Beda*. Nam ad corporale ædificium necesse est divitias congregare, ad ædificium spirituale dispergere. Unde *Psalm.* 111. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Est autem turris mala, & turris bona. Turris mala triplex. Prima, turris Babel. *Genes.* 11. idest, superbia. Secunda, turris Ægypti Magdalum. *Exod.* 12. idest, luxuria. Tertia, turris lignea super elephantem. 1. *Mach.* 6. idest, spes in pecunia, seu avaritia. *Isai.* 2. Dies Domini super omnem turrim excelsam. Istæ turres non sunt ædificandæ, sed diruendæ; & ideo de his non sumitur similitudo. Est autem turris bona multiplex. Prima, est spes in Deum proveniens ex bonis meritis. *Psalm.* 60. Spes mea turris fortitudinis. Sumptus ergo ad ædificandum hanc turrim, sunt propria merita bona. 2. *Paral.* 14. Dixit Asa Judæ: Ædificemus, &c. Sumptus non habet, sed ex alienis expensis vult ædificare hanc turrim, qui bona non exercens, confidit in alienis precibus, & meritis, quoniam spes talium frustrabitur. Et hoc est, quod dicitur *supr.* 13. quod turris cecidit super decem, & octo in Siloa. *Eccles.* 21. Qui ędificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit, &c. Item sumptus non supputat, nec habet, qui tantum in suis operibus confidit, & non plus in Dei misericordia, quia ipsa dat sumptus bono ędificatori. 1. *Esd.* 6. Sumptus de domo Regis dabuntur. 1. *Machab.* 10. ad ædificanda, vel restauranda opera Sanctorum sumptus dabuntur de ratione Regis, idest, Dei. Item sumptus habent, sed non ædificant turrim spiritualem, qui bona naturæ, vel fortunæ expendunt in negotiis carnis, vel diaboli, vel mundi. Est etiam turris bona secunda, scilicet turris David, idest, humilitas. *Cantic.* 4. Sicut turris David collum tuum, quę ędificata est cum propugnaculis. Tertia turris eburnea, idest, castitas. *Cant.* 7. Collum tuum, sicut turris eburnea. Quarta turris Libani, idest, innocentia. *Cantic.* 4. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Quinta turris gregis, idest, charitas fraterna. *Mich.* 4. Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, usque ad te veniet. Sexta, turris vineæ, idest, defensio Ecclesiæ. *Isa.* 5. Plantavit Dominus vineam electam, & ædificavit turrim in medio ejus. Septima turris verbum, idest, sacræ doctrinæ. *Cantic.* 8. Ego murus, & ubera mea sicut turris. Octava turris fortitudinis, idest, Christus. *Prov.* 18. Turris fortissima nomen Domini. De his turribus dicitur in *Psalm* 121. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Licet ergo hæc parabola de qualibet istarum turrium posset exponi, tamen dicemus hic turrim, virtutum congeriem significare, seu vitæ sanctæ altitudinem, quæ multis sumptibus, & laboribus ędificatur, per quam solam ascenditur in cœlum. Dicit ergo:

Est turris mala, & turris bona.

a Quis enim] quasi dicat. Ita debetis obedire parentes, & vosipsos abjicere, & mundum contemnere, & crucem bajulare, quia ita consummatur ædificium, per quod venitur ad regnum. Quod patet. (Quis enim,) idest, aliquis (ex vobis.) Et notat quis raritatem sicut ibi. Quis ascendet in montem Domini. *b* Volens ædificare turrim] idest, virtutum congeriem, vel vitæ sublimitatem. *Aug.* Fundamentum est fides Christi. Unde 1. *Corinth* 3. Fundamentum aliud nemo, &c. Parietes sunt, spes, & timor, qui e regione consurgunt, & æqualiter; nam si alter amplius, solveretur ædificium. *Eccles.* 2. Qui timetis Dominum, sperate in illum, quasi dicat, ædificate utrumque parietem. Tectum superius est charitas. De quo *Matth.* 24. Qui in tecto est, non descendat, &c. *c* Turrim] *Gloss.* Humilitatis, quæ bene turri comparatur, quia quis quanto humilior, tanto excelsior, quanto minor in oculis suis, tanto major in oculis Dei. *d* Nonne prius sedens] idest, a mundi tumultibus quiescens. Qui enim sæcularibus negotiis se implicat, non militat expedite. Vel: *e* Sedens] idest, seipsum considerando humilians. *Isa.* 47. Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylonis.

f Computat sumptus, qui necessarii sunt,] idest, considerat diligenter, quibus operibus, quibusve laboribus possit construi ædificium, quo perveniatur ad regnum. Et ponit *Gloss.* tria, quæ sunt principalia in hoc ædificio. Primum est eleemosynarum largitio, *sup.* 11. Date eleemosynam, &c. Secundum, contemptus sæculi. *Psalm.* 61. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. 1. *Joan.* 2. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Tertium, est præparatio animæ contra adversa mundi, quia semper mundus persequitur contemptores suos. Unde & Pharao persequitur Israel fugientem. *Exod.* 14. *Ecclesiast.* 2. Fili accedens, &c. Vel (Computat sumptus, si habeat ad perficiendum,) idest, prius considerat vires suas, utrum sufficere possit ad hoc, quod inchoare proponit. *Ecclesiast.* 18. Ante judicium interroga teipsum, & in conspectu Dei invenies propitiationem. (Computat) *Gloss.* quia omne, quod agimus, prævenire per studium considerationis debemus. *Prov.* 4. Oculi tui, &c. Contra *Prov.* 22. Vidisti virum velocem, &c. Solut. Velocem, idest, strenuum, & sollicitum, & solertem, sic non excluditur consilium. *Philosophus.* Priusquam incipias, consulito, sed postquam consulueris mature, facto opus est. *g* Ne postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere,] non habens consummationem operum, quæ fidei conveniunt. *h* Omnes, qui vident, vel [viderint,] idest, inviderint, scilicet insidiatores inimici nostri carnales, vel spirituales. *Bed.* Maligni spiritus, inimici nostri, qui de nostro defectu gratulantur, & irrident deficientes. Unde *Ambros.* In omni, quod agimus, occultos adversarios considerare debemus, qui nostris operibus insidiantur, & nisi contra eos vigilemus, patimur irrisores, quos habemus ad malum persuasores. *Psalm.* 24. Deus meus in te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei, &c. Omnes enim, tam boni, quam mali Angeli conspiciunt nos laborantes. Illi, idest, boni de bono gratulantur, de malo quasi dolent; mali vero de bono tristantur, de malo irrident. 1. *Cor.* 4. Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Mundo, idest, amatoribus mundi, qui sedulo conspiciunt viros religiosos, ut si in aliquo deprehendant lapsum eorum, statim insultent, & dicant: Hypocrita erat iste. Angelis malis. De his dicit: (Omnes, qui viderint, incipiant illudere ei, dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.) Sequitur. *i* Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, &c.] Hic docet Dominus quartum, quod necessarium est viantibus, scilicet de imploratione misericordiæ Dei, sine qua inutilia sunt prædicta. Nullus enim salvari posset, nisi Deus misericorditer ageret cum eo. Posita ergo similitudine de turre ædificanda, supponit hic aliam similitudinem de rege pugnaturo. In qua duo ostenduntur.

Primum est, quod pugnando oportet pervenire ad regnum, quia vita nostra militia est. *Job septimo.* Militia est vita hominis super terram, 2. *ad Timotheum* 2. Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Secundum, quod nullus per sua merita potest pervenire ad regnum,

A nisi

iturus committere bellum adversus alium regem, † *a* non sedens prius cogitat, si *b* possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? *c* Alioquin, *d* adhuc illo longe agente, *e* legationem mittens, *f* rogat ea, quæ pacis sunt, Sic *g* ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *h* Bonum est sal. Si *i* autem sal *k* evanuerit, in *l* quo condietur? *m* neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed *n* foras mittetur. *o* Qui habet aures audiendi, *p* audiat.

nisi justitia Dei per misericordiam temperetur, quia omnis homo in comparatione Dei imperfectus est. Unde *Job* 4. Numquid homo comparatione Dei justificabitur? q. d. non. Ecce, qui serviunt ei, non stabiles sunt, & in Angelis suis reperit pravitatem. *Ps.* 142. Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Isai.* 64. Facti sumus ut immundus omnes nos &c. *Greg.* Sæpe justitia nostra ad examen divinæ justitiæ deducta injustitia est, & sordet in districtione judicis, quod in oculis fulget operantis. Ideo dicit *Job* 9. Verebar omnia opera mea. Quia ergo de turre meritorum locutus fuerat, ne crederet aliquis per hæc posse ascendere in cœlum, ideo de severitate judicis adjungit, dicens: (Aut quis Rex iturus committere bellum adversus alium regem.) Regem dicit quemlibet, sensus suos, & membra tam hominis interioris, quam exterioris bene regentem, & peccata graviter punientem. De quo *Prov.* 20. Rex qui sedet in solio judicii, intuitu suo dissipat omne malum. Alium Regem dicit Christum, de quo *Isai.* 33. Deus Rex noster ipse veniet, & salvabit nos. Rex igitur contra alium Regem committit bellum, quando aliquis ex meritis suis se posse salvari confidit. Sed necesse est, quod omnis talis victus succumbat, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Job* 9. Vere scio, quod non justificetur homo compositus Deo, si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei unum pro mille. Unde *Psal.* 114. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.

al. † nonne.

Matth. 10.

Rom. 8.

a Nonne sedens, &c.] Sicut prius docuit præmeditari ad cavendam irrisionem inimici, ita & nunc docet præmeditari ad impetrandam misericordiam Christi. Unde *Proverb.* 4. Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. *b* Si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?] *Beda*. Cum decem millibus occurrit Deo, qui offert ei opera decem mandatorum, solo opere ea adimplendo. Sed Dominus cum viginti millibus venit, quia non solum de opere exteriori, sed etiam de intentione rationem exigit. Unde *Ps.* 44. Intende prospere, procede, & regna. Vel certe cum viginti millibus veniet, quia plura pro nobis quam nos pro ipso fecerimus se fecisse ostendet, & plura mala sustenuisse. *Mich.* 6. Quid dignum offeram Domino? Curvabo genua mea Deo excelso, idest, interius, & exterius me illi humiliabo. *c* Alioquin,] idest, si videt se insufficientem, & quod non potest ex æquo Deo occurrere *d* Adhuc illo longe agente,] idest, mortem, vel judicium propter pœnitentiam differente. *Sap.* 12. Bonæ spei fecisti filios tuos, quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ.

e Legationem mittens,] orationum, suspitiorum, lacrymarum, & bonorum operum. *f* Rogat ea, quæ pacis sunt,] idest, reconciliationis. *Psal.* 121. Rogate, quæ ad pacem sunt Jerusalem, idest, animæ. Multi enim rogant, quæ ad pacem sunt carnis, quæ est mala pax. De qua dicitur *Matth.* 10. Non veni pacem mittere in terram, idest, in carnem. Pacem vero animæ illam quærit, & expectat a nobis Dominus. *Isa.* 27. Quis dabit me spinam, & veprem, &c. Et *infr.* Faciet mihi pacem, &c. *Bed.* Mittere legationem ad faciendam pacem, nihil aliud est, quam omnibus renunciare. Unde infert. *g* Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.] Nota, unde inferat: Duo proposita sunt in præmissa similitudine, scilicet ædificare turrim, & computare sumptus. Duo similiter proposita sunt in secunda, scilicet sedere, occurrere, sive pacem facere, & mittere legationem. Sume ergo unum de utraque parabola, & concurrent illa duo, quæ proposita sunt, scilicet ædificare turrim, & computare sumptus. Duo in secunda, scilicet pacem facere, & legationem præmittere. Idem est enim ædificare turrim, & pacem facere, & esse discipulum Christi. Qui enim turrim humilitatis ædificat, & pacem pectoris habet, discipulus Christi est. Similiter idem est præparare sumptus, ut in spirituali ædificio expendat, & præmittere legatos, scilicet pauperes quos facit amicos de mammona iniquitatis, esse omnibus renunciat. Est ergo sensus: (sic ergo, &c.) quasi dicat, ex quo non bene turrim ædificat, qui sumptus non præparat, nec secure occurrit, qui legatos non præmittit, ergo nec potest esse meus discipulus, qui non renunciat omnibus. Unde Petrus, qui volebat esse discipulus ejus, dicit *Matth.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, &c. Ubi *Beatus Bernard.* Recte fecisti, Petre, quia sequi non poteras oneratus eum, qui exultavit ut gigas ad currendam viam. *Proverb.* 4. Currens non habebis offendiculum. *Beda*. Hoc distat inter renuntiare omnibus, & relinquere omnia, quia renunciare omnibus convenit omnibus, qui licite mundanis utuntur, sic tenent, quæ mundi sunt, ut tamen propterea non teneantur a mundo. Relinquere vero omnia, perfectorum est, qui omnia temporalia abjiciunt propter Deum.

Chrysostom. Melius est in rebus mansuetudinem videre, quam in verbis. *Matth.* 5. *Marc.* 9.

Quid distet inter renunciare, & relinquere.

h Bonum est sal.] Dixerat Dominus, neminem posse fieri discipulum suum, nisi renunciaret omnibus. Unde posset aliquis dicere, quod non sit bonum, esse discipulum Christi, quia non est bonum omnibus renunciare, ideo ostendit, quod utrumque bonum est, scilicet renunciare omnibus, & discipulum Christi esse, his verbis: (Bonum est sal,) idest, bonum est omnibus renunciare, & discipulum Christi esse. Sal enim tria facit. Primo, terram facit sterilem, & ideo salem esse, est omnibus renunciare. Item sal carnes a corruptione conservat, & saporem dat cibis, sic Christi discipulus a corruptione peccati cavere docet, & exemplum benefaciendi præbet, & ideo salem esse, est discipulum Christi esse. *Matth.* 5. Vos estis sal terræ, idest condimentum Ecclesiæ. *August.* Sicut non est cibus aptus sine sale, ita sermo non est utilis sine documento Apostolicæ sapientiæ, *Job* 6. Numquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? quasi dicat non. Ideo *Lev.* 2. Præcipitur in omni sacrificio sal offerri. *Chrysost.* Sal carnem tenet, ne putrescat, putridam autem servare non potest. *i* Si autem sal, &c.] idest prædicator.

Quid faciat sal.

k Evanuerit,] cupiditate effluens, vel timore succumbens, vel errore subversus, vel comminatione perterritus, vel prosperis elevatus, vel adversis depressus, vel curiositate seductus, sicut illi, de quibus dicitur *Rom.* 1. Evanuerunt in cogitationibus suis. *l* In quo condietur?] ipsum sal. *August.* Si doctor saporem sapientiæ amiserit, per quem fatuitas ejus emendabitur? quasi dicat per nullum, quia non recipit correctionem. *Ecclesiast.* 12. Quis medebitur incantatori a serpente percusso? Sal infatuatum colorem servat, saporem perdit, sic Prælatus *infr.* 17. Memores estote uxoris Loth. Vel. (In quo condietur) Ecclesia, quæ debet condiri vita, & doctrina majorum. *m* Neque in terram, &c.] Per terram significantur hic boni, bonis operibus fœcundi. Per sterquilinium significantur mali, qui in se inutiles, & fœtidi sunt, sed tamen aliis prosunt, quos persequendo faciunt fœcundos. Vel per sterquilinium peccatores, qui memoria peccati resipiscunt. Est ergo sensus: quod Prælatus, aut prædicator, aut etiam doctor infatuatus nec bonis, nec malis est utilis, sed magis inutilis, *Ezech.* 15. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis? Ecce igni datum est in escam, utramque partem ejus consumpsit ignis. Numquid non utile erit ad opus, etiam cum esset integrum, &c.

n Sed foras mittetur,] idest a dignitate sua deponetur, *Isai.* 22. Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. Vel. (Foras mittetur) idest a consortio electorum excludetur. *Apocal. ultim.* Foris canes, & venefici, &c.

o Qui habet aures audiendi,] quibus verbum Dei percipere possit.

p Audiat.] *Beda*, obediendo, & faciendo, quæ didicit. Triplex auditus innuitur hic, scilicet, auditus sentiendi, auditus intelligendi, auditus obediendi. *Job ult.* Auditu audivi te, &c.

EXPO-

EXPOSITIO CAP. XV.

ERant autem, &c.] Supra instruxit Dominus turbas in multis, inter quæ docuit, quod renunciatis omnibus potest quis fieri ejus discipulus, & de discipulatu promoveri ad Apostolatum, quasi vicem Apostoli habeat factus doctor aliorum, hoc est sal bonum. Sed ne ad hâc sublimitatem provectus sibi videretur esse in tuto, consequenter addidit Dominus de sale infatuato. Postquam enim perventum est ad vitæ eminentiam, summam debet adhibere diligentiam, ne in Apostasiam cadens, fiat sal infatuatum, quia cum debeat condire alios, non erit, unde accipiat condimentum.

A *Matth. 9.*

CAP. XV.

ERant *a* autem appropinquantes *b* ei *c* publicani, & *d* peccatores, ut *e* audirent illum. Et *f* murmurabant *g* Pharisæi, & Scribæ, *h* dicentes: quia hic peccatores recipit, *i* & manducat cum illis: Et *k* ait ad illos parabolam istam, *l* dicens: *m* Quis ex vobis homo, *n* qui habet centum oves, *o* & si perdiderit unam ex illis,

Audientes autem publicani, & peccatores dominicam doctrinam, sequebantur eum, & Dominus benigne recipiebat eos, qui sæpe consueverat recipere peccatores, non tantum doctrina, sed etiam in mensa, sicut legitur, quod Levi fecit ei convivium in domo sua, cui interfuerunt publicani, & peccatores. Pharisæi autem de putativa justitia præsumentes, putabant peccatores indignos cohabitatione sua, ideo nolebant eis cohabitare. Cœperunt ergo murmurare tacite Dominum arguentes, quod peccatores reciperet, qui dedignabantur ex hoc, quo deberent gaudere. Sed falsa justitia non compassionem, sed dedignationem habet, ut dicit *Greg.* Hæc autem obmurmuratio Pharisæorum facta est post egressum de convivio, scilicet ante præcedentia, quamvis præcedentibus continuata. Et certum est, quod Lucas multa continuat mystice, quæ sibi non continuantur historice, quia licet non prosequatur ordinem historiæ, sequitur ordinem mysterii, quia hoc, quod hic dicitur, quasi per Antithesim respondet præcedenti. Prædixit enim de futura ruina justorum, hic autem de erectione peccatorum, quia sicut justus per inertiam potest cadere, & per peccatum repelli a Deo, & fieri sal infatuatum, sic per pœnitentiam peccator resurgens a Deo recipitur, & fit sal Deo acceptum, ideo hic post ejectionem infatuati salis, cohors pœnitentium admissa describitur, propter quod Pharisæi indignantur, sed cœlestis medicus nulli spem veniæ negat. Unde ad eos revocandos tres per ordinem parabolas ponit. Ovis, drachmæ & filii. Parabolam ovis, contra superbiam; drachmæ, contra avaritiam; parabolam filii, contra luxuriam objiciens, & sic ab omni peccato revocat eos, quia omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, &c. 1. *Joan.* 2. Unde istud capitulum dividitur in tres partes. In prima objicitur parabola ovis contra superbiam Pharisæorum. In secunda objicitur parabola drachmæ contra avaritiam eorumdem, ibi: (Aut quæ mulier.) In tertia objicitur parabola filii contra luxuriam eorumdem, ibi: (Homo quidam habuit, &c.) Dicit ergo: *a* Erant autem, &c.] corpore, & corde. *b* Ei] i. Christo. *c* Publicani,] Publicani, Hebræum nomen tunc in usu erat. *Gloss. Bedæ*, qui publica vectigalia exigunt, vel conducunt, & qui lucra sæculi per negotia, sectantur. Exigunt, ut pedagium, vel Teloneum. Conducunt, ut veniant in domos eorum, quibus debentur. Et qui lucra sæculi, &c. i. quicumque sequuntur negotia, vel lucra, quæ non possunt exerceri sine peccato. *d* Et peccatores,] i. publice peccantes, quia hic est usus Sacræ Scripturæ, ut simpliciter peccatores appellet publicos. Unde *sup.* 7. Mulier quæ erat in civitate peccatrix, i. publica peccatrix. Item peccatores, re, & sui reputatione. Tales enim ipse quærit. *Matth.* 9. Non veni vocare justos, sed peccatores. Appropinquantibus autem Christo corde, & corpore veniam postulando, appropinquat, & ipse gratiam infundendo. Unde *Jac.* 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Sed multi ore tantum appropinquant, & corde se elongant. Et talibus non appropinquat Deus, sed elongat. *Jer.* 12. Prope es tu, Domine, ori eorum, sed longe a renibus eorum. *Isa.* 20. Populus hic labiis, &c. Ad quid autem appropinquant peccatores, subdit. *e* Ut audirent illum.] Verbum enim illius medicinale erat contra omnem morbum spiritualem, & etiam corporalem *sup.* 6. Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum ejus, & multitudo copiosa, qui venerant, ut audirent illum, & sanarentur a languoribus suis, *Sap.* 16. Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed sermo tuus, Domine, qui sanat omnia. *f* Et murmurabant] ex indignatione. *g* Pharisæi, &c.] qui deberent congaudere, & compati illis, cum essent magistri in lege, & justi crederentur a populo. Sed falsa justitia non compassionem, sed dedignationem habet. Dupliciter autem peccabant isti Pharisæi. Primo, quia se reputabant justus, cum essent superbi. Secundo, quia illos credebant reos, cum jam pœniterent. *h* Dicentes, &c.] quasi contrarius est legi, quæ hoc prohibet, quæ separabat Judæos a cohabitatione aliarum gentium. *Deut.* 7. Non inibis fœdus cum eis, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia. *i* Et manducat, &c.] corporaliter, sed manducat eos spiritualiter, i. sibi incorporat. Et de hoc indignantur etiam nostri Scribæ, & Pharisæi. *Matth.* 9. Factum est discumbente Jesu in domo, multi publicani, & peccatores veniebant, & discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus, & videntes Pharisæi, discipulis ejus dicebant. Quare, &c. *k* Et ait ad illos parabolam istam,] unum prætendentem exterius, & aliud significantem interius. *l* Dicens, quis ex vobis homo, &c.] ista parabola dupliciter introducitur. Primo, ut tantum sit introducta ad reprimendam superbiam Pharisæorum, qui dicentes proximos errare, dedignabantur a via erroris eos revocare. Quos arguit Dominus per parabolam introductam. Si enim pius pastor in se tantum se humiliat, ut ovem errabundam ad ovile dignetur reducere, imo propriis humeris reportare ad gregem, longe magis ipsi debent proximos errantes revocare. Alia *Gloss.* Aliter introducit hanc parabolam, ut non continuetur specialiter proximæ murmurationi Pharisæorum, sed toti dominicæ doctrinæ ab illo loco. Cum invitatus fueris. Nam in multis instruxerat Dominus turbas, & discipulos. Sed quia in lubrico hujus vitæ nemo potest esse, quin lubricet pes ejus, sæpe ideo insufficiens est impletio prædictorum sine misericordia. Et ideo Lucas subdit tres parabolas ad misericordiam spectantes, sc. quibus insinuatur, quam misericorditer agat Deus nobiscum, ut sc. speremus de misericordia Dei, quasi de unico refugio. Item nota, quia perdita ove centesima, dimittit pastor nonagintanovem, sicut mater decem habens filios, si decimus ægrotat, magis est sollicita de eo, quam de aliis novem, non tamen plus illum diligit, ideo distingue inter affectum charitatis, & effectum. Non enim de affectu charitatis est, quod de ægro magis est sollicita, quin majori affectu diligat aliquos aliorum, de effectu tamen charitatis est, quia licet aliquos aliorum majori affectu charitatis diligat, charitas tamen id efficit, ut quia videt hunc ægrotantem, magis de eo sit sollicita. *Bern.* Meliori major affectus, magis indigenti, major tribuendus effectus.

so Aust. cap. quia sanctitas tua. 3697 pœnitent. m. De pœn. d. 3 c. semper, & c. importuna.

Sup. 12.

Mystice. Homo iste Christus est mitis, & mansuetus. Unde *Matth.* 11. Discite a me, quia mitis sum, &c. Oves ejus sunt omnes, tam Angeli, quam homines, qui dicuntur centum, idest, nonaginta novem, & una. Nonagintanovem, sunt novem ordines Angelorum, una est homo. Deserti autem nomine significatur cœlum, quia ab Angelo peccante derelictum, una igitur ovis de centum periit, quando homo primo peccavit. Unde *Psal.* in persona primi hominis. Erravi, sicut ovis quæ periit. Sed ad hanc ovem quærendam, & reducendam venit pastor, quia propter hominem revocandum venit Christus in mundum. *Joan.* 16. Exivi a patre, & veni in mundum, & iterum relinquo mundum. &c. Quia inventa ove, i. homine reparato per pœnitentiam, redit Christus ad cœlum, ubi convocat amicos suos, i. Angelos ad congratulandum super ove inventa, quia ipsos Angelos facit gaudere Dominus de homine reparato. Et ita manifeste redarguit Scribas, & Pharisæos, qui de hoc murmurabant, quod Dominus cum peccatoribus manducabat. Hoc est ergo, quod dicit. *m* Qui ex vobis homo est,] idest, aliquis ex vobis homo est, scilicet Christus, qui ex nobis est, quia verus homo est, sicut nos, & omnes defectus humanos propter nos patiens præter ignorantiam, & peccatum. Unde *Deuter.* 18. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, idest, verum hominem suscitabit tibi Dominus tuus, ipsum audies. *n* Qui habet centum oves,] idest, Angelos, & homines, quos condidit innocentes. *Psalm.* Nos autem populus ejus, & oves pascuæ ejus. *Ezech.* 34. Vos greges mei, greges pascuæ meæ homines estis.

Mystice. *Psal.* 118. *Psal.* 94.

o Et si perdiderit unam ex illis, nonne, &c.] q. d. vos murmuratis, quia recipio peccatores, sed ego non veni, nisi ut dispersos, & errantes colligam, sicut unusquisque vestrum aberrantem ovem reducere ad ovile laborat. Et si ob hoc nemo vestrum reprehenditur, multo magis nec ego debeo reprehendi, qui hominem errantem reduco multo meliorem ovem. Unde *supr.* 13. Cum Archisynagogus indignatus fuisset de hoc, quod Dominus sabbato cu-

▲ rasset mulierem, dixit ei Dominus: Hypocritæ unusquisque vestrum, &c. Hanc filiam Abrahæ, i. Christi, q.d. magis oportuit, quam bovem. Unam igitur ovem Dominus perdidit, quando homo pascua vitæ peccando reliquit. Et Dominus nonagintanovem in deserto reliquit, quia novem ordines Angelorum in cœlo dimisit, ubi & ipse cum eis remansit, quia ubique est, cum sit Deus, sed dicitur dimisisse, sicut pastor oves in ovili, quasi tuto, & vadit, ut requirat errabundam. Dicit ergo.

a nonne dimittit nonagintanovem in deserto, *b* & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat illam? Et *c* cum invenerit eam, imponit in humeros suos *d* gaudens, *e* & veniens domum *f* convocat *g* amicos, & vicinos, *h* dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. *i* Dico vobis, quod ita gaudium *k* erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonagintanovem justis, qui non indigent pœnitentia. *l* Aut quæ mu-

a Nonne dimittit, &c.] *Beda*, idest, in cœlo, quod desertum est ab homine peccante, non, quia cœlum adhuc habitaret, sed quia habiturus erat, si non peccaret, sicut quis dicitur amittere, quod nondum habet, sed habiturus erat, ab Angelo autem proprie desertum est, qui inde corruit.

b Et vadit ad illam, &c.] Ivit Christus ad quærendam ovem, quando carnem assumpsit, quæsivit pœnitentiam prædicando, miracula faciendo, invenit quando aliquis conversus est ad pœnitentiam. *Ezech.* 34. Ecce ego requiram oves meas, & visitabo eas, sicut pastor visitat gregem suum. *c* Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos] *Beda*. Ovem Christus in humeris suis posuit, quia humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse portavit, i. asportavit, sive abstulit. Vel peccata nostra, i. pœnam pro peccatis nostris ipse portavit. Unde 1. *Petr.* 2. Peccata nostra ipse pertulit super lignum in corpore suo, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, cujus livore sanati sumus. *Isa.* 53. Vere languores nostros, &c. Non deberet ergo aliquis erubescere ipsum portare. 1. *Cor.* 6. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro. *Ambr.* Humeri Christi, Crucis brachia sunt, illic peccata mea deposui, in illa nobilis patibuli cervice requievi. *d* Gaudens,] de humani generis liberatione, de hostis superbi superatione, de Angelicæ ruinæ reparatione, de mandati patris adimpletione.

e Et veniens domum,] idest, in cœlum empyreum in die Ascensionis. *f* Convocat] idest, simul vocat, non vocaliter, sed realiter. *g* Amicos, & vicinos suos,] i. Angelos, qui amici dicuntur, quia ejus voluntatem incessanter custodiunt, & quia ipse eis sua secreta revelat. *Joan.* 15. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Et *infr.* Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a patre meo, nota feci vobis. Vicini, quia immediate ejus claritate fruuntur. *Matth.* 18. Angeli eorum semper vident, &c. *h* Dicens illis, congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.] Mihi dicit, non ovi, ex quo apparet, quantum de hominis reparatione gaudeat. Item, (mihi,) non ovi, quia ipsa se sua culpa perdidit, ego mea gratia ipsam inveni, & præterea salus nostra gaudium ejus est. *Nehem.* 18. Gaudium Domini est fortitudo nostra. *Chrys.* Si Deus lætatur in parvo hoc invento, qualiter tu contemnis, quæ Deo sunt studiosa? *i* Dico vobis, quod ita gaudium.] *Chrysost.* Gaudium, idest, applausus, idest, sollicitudo, sicut pater filio ægro curam quærit. *k* Erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonagintanovem justis, qui non indigent pœnitentia.] Per nonagintanovem justos, qui non indigent pœnitentia, sicut innuit *Beda*, intelliguntur Sancti Angeli, qui nunquam peccaverunt, super quibus gaudium est in cœlo, sed majus super unius peccatoris conversione, quia majus est impium justificare, quam justum creare, & conservare, utrumque tamen æqualis potentiæ est, sed illum majoris misericordiæ, & majoris gaudii, idest, applausus, & exultationis. Sed si Angeli ita gaudent de conversione unius peccatoris, quanto magis nos gaudere debemus, qui homines, & peccatores sumus. Et sicut dicit *Ambros.* Multum debet hoc nos accedere ad probitatem, ut agamus, quod illis gratum sit: quorum affectare patrocinium, & offensam timere debemus. *Origen.* Deo, & Angelis occasionem lætitiæ damus, cum in terris ambulantes conversationem habemus in cœlis. Et *supra*. Per Angelos, qui convertuntur ad Deum, festivitas oritur Deo, lætificat eum † infimus, cum sit summus. Nota ergo, quod secundum aliam *Gloss.* per nonagintanovem justos intelliguntur justi simpliciter, de quibus gaudium est Angelis Dei, sed majus de peccatore converso. Nec tamen est hoc generale, quod hic dicitur. Non enim de quolibet peccatore pœnitentiam agente majus gaudium est, quam de Sanctis. Nullus enim peccator est, de cujus conversione tantum esset gaudium, quantum est de Joanne Baptista, qui sanctificatus est ab utero. Intelligendum est ergo indefinite de quibusdam justis, & de quibusdam peccatoribus ad pœnitentiam conversis. Sunt enim multi in innocentia permanentes, pauca tamen bona facientes, qui rebus licitis libere utuntur, ab illicitis abstinentes, & quia videntur esse in tuto, quia non faciunt mala, pigri sunt ad bona. Est etiam peccator, qui ad pœnitentiam convertitur, & ideo conteritur, & tanto fervore charitatis accenditur, ut majus sit gaudium de eo, quam de multis hujusmodi justis, & conversus ad pœnitentiam, plura facit bona, quam tales multi. Sicut multi in prælio sunt, qui nec fugiunt, nec fortiter dimicant, unus est, qui fugit, sed post fugam strenue agit, ille magis diligendus est a duce exercitus, quam illi omnes. Sequitur. *l* Aut quæ mulier, &c.] Secunda pars cap. ubi ponitur parabola drachmæ contra avaritiam, & negligentiam Scribarum, & Pharisæorum, qui Dominum arguebant de hoc, quod peccatores ad convivium, & colloquium recipiebat. Et male. Si enim mulier aliqua drachmam perditam cum tanta diligentia quærit, & de inventione tantum gaudet, quod etiam ad congratulandum convocat amicas, & vicinas suas, multo fortius filius Dei hominem perditum debet summa diligentia quærere, & de inventione gaudere. Et sicut nemo murmurat contra mulierem quærentem drachmam perditam, sic nemo deberet murmurare contra Dominum quærentem hominem peccatorem, sed potius coagaudere inventori, & invento, sicut amicæ, & vicinæ congratulantur mulieri super inventionem drachmæ, &c.

Secunda pars.

Mystice. Mulier est Dei sapientia. De qua *Prov.* 14. Sapiens mulier ædificat domum suam. Drachma drachmæ secundum *Bedam*, est nummus habens certam quantitatem, & regis impressam imaginem, & superscriptionem. Drachma Drachmatis nomen est ponderis. Didrachma continet duo drachmata. Per drachmas autem significantur, hic Angeli, & homines, quia regis sui, i. Dei imaginem habent sibi impressam, sc. in ratione, differenter, quia Angeli alterum tantum habent, sc. imaginis impressionem, nos autem utrumque habemus, & imaginis impressionem, & nominis superscriptionem, nam a nomine regis nostri denominamur. A Christo enim Christiani dicimur. Unam igitur drachmam perdidit mulier, quando homo a Deo peccando recessit, sed mulier ad quærendam drachmam lucernam accendit, idest, Dei sapientia ad quærendum hominem in carne apparuit. Lucerna enim est lux in testa, idest verbum in carne. Tunc lucerna Ⓞ luxit, quando

Mystice.

l Aut, quæ mulier, &c.]

Moraliter.] Per mulierem significatur Prælatus propter tria. Primo propter sedulitatem. Unde *Prov.* 6. Si spopondisti pro amico tuo, incidisti in manus proximi tui, discurre, &c. Item *Prov.* 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Non enim habebis jugiter potestatem. Secundo, propter fecunditatem. Unde *Isa.* 16. dicitur de Prælato. Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? si ego, &c. quasi dicat, non ero sterilis.

Moraliter

Tertio propter pariendi difficultatem. *Joan.* 16. Mulier, cum parit, &c. Per drachmam vero significatur quælibet anima Dei imagine insignita, quæ etsi per peccatum deturpetur, non tamen annihilatur. Unde *Ps.* 38. In imagine pertransit homo. Quod autem dicitur *alibi*. Imaginem ipsorum ad nihilum rediges, intelligitur de imagine fictionis, quam fingit homo in corde suo, vel de imagine acquisitionis, sive adeptionis, quam male vivendo acquirit homo, non de imagine creationis, ad quam, vel in qua creatus est homo: 1. *Corinth.* 15. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis. Lucerna autem est verbum prædicationis. *Ps.* 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen, &c. Dicit ergo: (Quæ mulier,) idest, aliqua mulier, idest, * aliquis Prælatus,

al. † impudicus.

⊕ luxit, quando Christus inter homines claruit. *Matth.* 5. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed supra candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, Ibi *Gloss.* Sicut lucerna Christus, ita Candelabrum est Crux, super quam erat levandus. Et ita secundum hoc, idem est mulier, & lucerna, nisi quod mulier dicitur simplex Dei sapientia, lucerna vero dicitur sapientia incarnata. Aliter lucerna dicitur doctrina prædicationis. Unde *Prov.* 6. Mandatum lucerna est, & lex, lux. Hanc igitur lucernam accendit Jesus, quando legem exponendo illuminavit. Domum autem everrit, quando corda hominum prædicando de peccatis suis turbavit. Et sic drachma reperitur, dum similitudo Dei in homine reparatur. Amicæ, & vicinæ sunt supernæ, seu Angelicæ potestates, quæ de vicino Deum contemplantur, & ei amicabiliter famulantur. Quas ad congratulandum super drachma inventa convocat, quia de reparato homine ipsas lætificat. Unde dicit.

a lier *b* habens drachmas decem, si *c* perdiderit drachmam unam, *d* nonne accendit lucernam, *e* & everrit domum, *f* & quærit diligenter, donec inveniat? Et *g* cum invenerit, convocat amicas, & vicinas, *h* dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. *i* Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Ait *k* autem: *l* Homo quidam *m* habuit duos filios, *n* & dixit adolescentior ex illis

i Ita dico vobis, &c.] Decem autem drachmas dicitur habere mulier, quia Dei sapientia novem ordines Angelorum, & hominem ad imaginem, & similitudinem suam condidit. Sed unam perdidit, quando homo peccavit. Et hoc est.

a Aut quæ mulier,] quasi dicat, quævis mulier si amisisset unam de decem drachmis, diligenter quæreret eam, donec inveniret, & super inventione ejus gauderet. Sic Dei sapientia, idest, Christus hominem perditum diligenter quæsivit, donec invenit, & super invento gaudet, & Angelos gaudere facit. Unde *Isa.* 44. Jubilate extrema terræ, resonate montes laudationem, quia redemit Dominus Jacob, idest, hominem, & Israel gloriabitur, idest Angeli.

* aliquis Prælatus. *b* Habens decem drachmas] idest, decem animas sibi ad regendum commissas. *Mor aliter.*

c Si perdiderit drachmam unam,] idest, unam animam sibi commissam.

d Nonne accendit lucernam,] prædicationis, orando, meditando, sancte vivendo. Oratio enim, & sancta conversatio, ac pia meditatio, accensio est prædicationis. Unde *Psal.* 38. Et in meditatione mea exardescet ignis, idest varbum. *Jerem.* 23. Numquid non verba mea sunt quasi ignis? Idem *Jerem.* 5. Ecce dedi verba mea in ore tuo in ignem, & populum istum in ligna.

e Et everrit domum,] Ad litteram, ea, quæ sunt in domo.

Mor aliter. Moraliter, idest prædicando circuit parochiam suam. *Psal.* 47. Circumdate Sion, & complectimini eam, &c. *Cant.* 3. Surgam, & circuibo civitatem. *Gloss.* Domum everrit, quando conscientias hominum de reatu suo perturbavit, idest, comminatione pœnæ æternæ perterruit, quia plerique hominum non putabant se damnandos æternaliter pro peccatis, & sic deterriti pœnituerunt, & sic drachma est inventa, idest imago Dei in homine reparata. *f* Et quærit diligenter, donec inveniat?] drachmam perditam, idest reducat animam peccatoris. Hic describitur diligentia boni Prælati, qui pro una anima ita sollicitus est. Et quid mirum? Dominus pro ea sanguinem suum fudit. E contrario reprehenditur negligentia mali Prælati, qui non quærit perditas oves. *Ezech.* 34. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat, qui requireret, &c. *g* Et cum invenerit, convocat amicas, & vicinas,] idest, supernas potestates. *h* Dicens, congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. Ita dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.] Ista satis patent ex prædictis. *Gregor.* Pœnitentiam agere, est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Ex quo verbo volunt quidam dicere, quod vera pœnitentia non possit iterari, sicut nec Baptismus. Certum est autem, quia pœnitentia iteratur præter solemnem, & hoc in quibusdam Ecclesiis. Ideo sic intelligendum est, non perpetrare, idest non velle perpetrare. Sequitur. *k* Ait autem. Homo quidam, &c.] Tertia pars cap. Supra posuit Dominus duas parabolas. Unam ovis contra superbiam. Alteram drachmæ contra avaritiam. Hic ponit tertiam filii prodigi contra luxuriam. *Tertia pars.* Pastor ovem propriis humeris reportavit, quia Christus pœnam pro peccatis nostris in se suscipiendo nos ad unitatem fidei revocavit. Unde *Isai.* 53. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Mulier drachmam quærendo invenit, quia Ecclesia prędicatione, & oratione, & exemplo nos adjuvit. Filius prodigus per se rediens a patre honorifice recipitur, quia Deus peccatorem per pœnitentiam revertentem clementer suscipit, & honorat. *Matt.* 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Et tangitur hic triplex via revertendi ad Deum. Prima est pallio Domini, secunda merita, seu suffragia Ecclesiæ, tertia propria pœnitentia. Certe hæ sunt tres dietæ, de quibus dicitur *Exod.* 5. Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum, &c. Ovi nos comparat Dominus, ut sciamus nos esse hostiam immolandam. *Rom.* 12. Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. *Psal.* 43. Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oves occisionis. Item drachmæ nos comparat, ut recognoscamus nos esse pretium suæ Passionis. 1. *Cor.* 6. Vel ideo nos comparat drachmæ, ut sciamus nos habere pretium, quo possumus emere regnum cœlorum, sc. bona gratuita, & bona naturalia, secundum quæ facti sumus ad imaginem, & similitudinem Dei. Item filio nos comparat, ut sciamus nos fore hæredes regni cœlorum. *Rom.* 8. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, si autem filii, & hæredes. In duabus primis parabolis ostendit Dominus, quantum ipse cum Angelis gaudeat de salute pœnitentium. In hac tertia non solum gaudium ostendit, sed & murmur invidentium reprehendit. Item sic possunt ordinari istæ tres parabolæ adinvicem. Primus homo, quando peccavit, factus est ovis perdita, sive errabunda, & errando offendit. Et quia offendit, indigebat reconciliari Deo per sacrificium. Ideo primo ponitur parabola de ove. Et Christus factus est ovis in sacrificium propter hominem. *Isa.* 53. Omnes nos quasi oves erravimus, & Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, sicut ovis ad occisionem ducetur, &c.

Item, quando homo peccavit, vendidit se diabolo, & indiguit pretio, quo redimeretur, ideo Christus factus est pretium, sive drachma. Qui enim fecerat hominem ad imaginem suam, factus est & ipse ad imaginem hominis, quem quærebat. *Eccl.* 36. Innova signa, & immuta mirabilia. Ideo ponitur secunda parabola de drachma. Item, homo quando peccavit, factus est filius prodigus, dans seipsum pro modico, & gratiam Dei, & etiam ipsum Deum, propter quod filius Dei factus est filius hominis prodigus, dans seipsum pro homine prodigo. Unde 1. *Corinth.* 6. Empti estis pretio magno, &c. Et ideo tertio ponitur parabola de filio prodigo.

Mystice, autem in hac parabola exprimitur vocatio gentium, & reprobatio Judæorum. *Mystice.* Communiter significatur hic electio humiliter pœnitentium, & reprobatio arrogantium. *Jacob* 4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, &c. *Psal.* 137. Dominus humilia respicit, & alta a longe cognoscit. Homo autem iste, Deus est. Duo filii sunt duo populi. Major filius est Judaicus populus, vel justus superbus. Minor filius, gentilis populus, vel peccator humilis. Minore filio redeunte, major murmurat, quia de salute gentium Judæi indignantur, & de bono peccatorum hypocritæ offenduntur. Unde *Matth.* 9. indignantes Judæi, quod Dominus cum peccatoribus manducaret, dicebant. Quare cum publicanis, &c. Dicit ergo. *l* Homo quidam] idest, Deus, qui diligit, ut pater, omnes, quos creavit. *Sap.* 11. Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. *m* Habuit duos filios,] duos, scilicet populos, quos diligit pater, quasi filios. *n* Et dixit adolescentior patri,] idest, gentilis populus, vel peccator humilis.

▲ Pater, da mihi, &c.

Moraliter, *l* Homo quidam habuit duos filios,] qui sunt *Moraliter.*

* duo genera

a Pater, da mihi, &c.] substantia patris, quam distribuit filius, est quicquid boni habet homo, sive naturale, sive gratuitum. Sed bonum naturale est portio, quæ datur omnibus, de qua dicitur.

b Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit,] idest, dimitte me sensu proprio, & voluntate propria me regere.

c Et divisit illis substantiam,] omnibus bona naturalia concedendo. *Ecclesi.* 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. *Matth.* 5. Qui solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos, idest, beneficia sua tam temporalia, quam naturalia omnibus impertitur.

patri. *a* Pater, *b* da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et *c* divisit illis substantiam. Et *d* non post multos dies, *e* congregatis omnibus *f* adolescentior filius *g* peregre profectus est in *h* regionem longinquam, *i* & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. Et k postquam *l* omnia consummasset, *m* facta est fames valida, in *n* regione illa, & *o* ipse cœpit egere.

d Et non post multos dies,] ab institutione generis humani, imo fere statim post creationem hominis.

e Congregatis omnibus,] idest, consideratis propriis viribus, & in illis confidens.

f Adolescentior filius] idest, gentilis populus, vel quilibet malus.

g Peregre profectus est,] non locum, sed animum commutando, quia non locis, sed actionibus elongamur a Deo, qui ubique est.

Item (Peregre profectus est) per viam latam, & spatiosam, quæ ducit ad mortem, ut dicitur *Matth.* 7. *Osee* 2. Sepiam viam tuam spinis. *Ecclesiast.* 21. Via peccantium complanata lapidibus. *Sap.* 5. Lassati sumus, &c.

h In regionem longinquam,] idest, usque ad Dei oblivionem, quæ est regio peccatorum. De qua *Isa.* 9. Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis, *Prov.* 15. Longe est Dominus ab impiis. *Mich.* 4. Nunc egredieris de civitate, & habitabis in regione, & venies usque ad Babylonem, ibique liberaberis. Gentilis etiam populus in regionem longinquam abiit, idest, se a Deo elongavit, ad idola declinavit, opus manuum suarum adoravit, in quo deprehenditur mira temeritas gentilium. Mirum est enim, quod naturalis ratio potuit adeo excæcari, quod opus manuum suarum Deum potaret.

i Et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.] Acceptam a patre substantiam dissipavit, idest, ratione, memoria, & ingenio, ceterisque naturæ dotibus sibi traditis abusus est. Luxuria enim consumit omnia bona naturæ, quia naturales vires corporis enervat, rationem turbat, ingenium hebetat. *Job* 31. Ignis usque ad consumptionem devorans. *Prov.* 29. Qui nutrit scortum, perdet substantiam. *Prov.* 21. Qui diligit epulas, in egestate erit, &c.

k Et postquam consummasset,] idest, consumpsisset. *Sap.* 3. Nationes iniquæ diræ sunt consummationis.

l Omnia] *Gloss.* Ornamenta naturæ, idest, postquam abusus esset bonis naturalibus.

m Facta est fames valida,] bonorum operum, atque virtutum, & verbi Dei. *Amos* 8. Mittam famem in terram, &c. *Job* 30. Egestate, & fame steriles, &c. *Deut.* 8. Non in solo pane, &c. *Gloss.* Quod de terra est, terreno alitur cibo, anima vero verbo Dei. 4. *Reg.* 8. Vocabit Dominus famem, &c. Consumptis bonis naturalibus inutiliter, passus est populus gentilis inediam trium. Sustinuit enim famem Verbi Dei, famem virtutum, famem bonorum operum. Non enim fuit, qui insinuaret ei fidem unius Dei, vel qui reficeret eum cibo interiori, scilicet virtutum, vel exteriori exemplo bonorum operum. Vel potest exponi hoc de prodigo, & luxurioso. Qui enim prodigaliter, & luxuriose vivit, semper eget, quia naturæ modicum sat est, voluptati, nihil.

n In regione illa,] exilii dissimilitudinis. *Gloss. Prov.* 6. Paululum dormies, &c.

o Et ipse cœpit egere,] virtutibus, earum fonte relicto. Merito ergo eget, qui Thesaurum sapientiæ, divitiarumque cœlestium altitudinem reliquit. *Proverb.* 3. Egestas a Domino in domo impii. *Proverbiorum* 13. Egestas, & ignominia ei, qui deserit disciplinam. *Proverbior.* 19. Anima dissoluta esuriet. *Proverbior.* 14. Miseros facit populos peccatum. *Beda.* Omnis locus absente patre penuria

Moraliter. * duo genera hominum. Quidam enim occupantur circa studia contemplativæ, hi sunt filius major natu. Alii occupantur circa exercitium activæ: & hi sunt filius minor natu. Licet enim exercitia activæ priora sint, quam studia contemplativæ, unde & Jacob prius duxit Liam, quam Rachelem, tamen quoad ordinem dignitatis prior est contemplativa, unde Rachel prius fuit promissa. Et hoc est, quod dicitur *Prov.* 4. Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos, idest, cognitio actionem. Pater horum Christus est, qui dicitur virtus, & sapientia. 1. *Cor.* 1. Virtus pertinet ad activam, sapientia ad contemplativam. Iste solus proprie pater est, a quo omnis paternitas nominatur in cœlo, & in terra. *Ephes.* 3. Portio substantiæ, quæ contingit minorem filium, idest, activum, est donum scientiæ, quo regitur activa. Portio, quæ contingit majorem filium, idest, contemplativum, est donum sapientiæ, quo regitur contemplativa. Filiis ergo suis dividit pater substantiam, quando Deus hæc dona distribuit. Unde 1. *Corinth.* 12. Alii datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ per eumdem spiritum. Non est bonum istos fratres separare, quia væ soli, nam si ceciderit, non habet sublevantem se, & si dormierint duo, fovebuntur mutuo, *Ecclesiast.* 4. Et *Prov.* 18. Frater, qui juvatur a fratre, quasi civitas firma. Contemplativa enim est quasi oculus; activa quasi pes, vel manus 1. *Corint.* 12. Non potest dicere oculus manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarii. Quod autem filius adolescentior dicit patri, ut det ei portionem substantiæ, quæ eum contingit, significat, quod aptitudo uniuscujusque requirit, ut ipsi detur, quod ejus aptitudini congruit. Sic intelligitur illud *Matth.* 25. Divisit illis talenta unicuique secundum propriam virtutem, idest, secundum propriam aptitudinem. Sic patres spirituales debent imponere unicuique officium, quod magis ei congruit, assignantes ei, qui scit cantare officium cantandi, ei, qui scit prædicare, officium prædicandi, & sic de aliis, & illis, qui prudentiores sunt in agendis negotiis gerenda committantur negotia, illis, qui apti sunt contemplationi, committi debet studium contemplationis. Et hoc est quod *Genes.* 33. distinguuntur tabernacula ancillarum Rachel, & Liæ. Sed quam periculosa sit activa, apparet per hoc, quod dicitur.

d Et non post multos dies.] In activa enim duo sunt, sc. labor, & contagium. Unde Lia interpretatur laboriosa, & lippa esse describitur. Unde experti sordes activæ non libenter redeunt ad illam si semel fuerint separati, *Cantic.* 5. Lavi pedes meos, quomodo, &c. Exui tunicam meam, idest, exteriorem occupationem, quomodo induar illa? Odiosa est hæc tunica expertis, *Judæ* 1. Odientes eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam. Et nota, quod dicit. (Non post multos dies, &c.) Potest enim aliquis per aliquot dies gerere occupationem activæ, & quoquo modo peccatum effugere, sed non diu, sicut tunica non potest diu indui sine pollutione. Bene ergo dicitur. (Et non post multos dies adolescentior filius congregatis omnibus,) idest, applicitis omnibus viribus, & sensibus suis.

g Peregre profectus est in regionem longinquam.] Regio animæ est cœlum, a quo peregre proficiscitur, qui terrenis negotiis occupatur. De hac peregrinatione dicitur *Eccl.* 29. Minimum pro magno placeat tibi, idest, modico sis contentus, & improperium peregrinationis non audies.

i Et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.] Substantia patris dissipatur, quando quis dono scientiæ, quod datur ad bene vivendum, abutitur, vel in prudentiam carnis, aut mundi, aut diaboli commutatur. De qua dicitur *Jacob* 3. Non est sapientia ista de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Sequitur.

k Et postquam consummasset omnia, facta est fames, &c.] Hic ostenditur affectus peccati, & maxime luxuriæ, quæ omnia bona naturalia, gratuita, & temporalia consumit, per quæ subsistit anima, & ideo dicuntur substantia. Naturalia consumit corrumpendo, gratuita auferendo, temporalia annihilando.

o Et ipse cœpit egere,] omni bono ejus consumpto. Signanter dicit. (Cœpit egere,) quia semper renovatur fames luxuriæ, sicut viatoris labor post modicam quietem. *Osee cap.* 4. Comedent, & non saturabuntur, fornicati sunt, & non cessaverunt. Ibi *Gloss. Hieron.* Vires forni-

a sente patre peanila est. *a* Et abiit,] *Gloss.* & hoc sponse. *b* Et adhæsit] quasi invitus. *c* Uni civium regionis illius,] i. diabolo, qui excellentia pravitatis princeps mundi vocatur. *Joan.* 14. Nota, quod primo dicitur, (abiit,) postea (adhæsit.) Homo enim ex propria voluntate primo diabolo se subjicit. Diabolus enim non habet facultatem, ut hominem sibi subjiciat, nisi homo de propria voluntate ejus laqueo se astringat. Unde *Isai.* 51. dicitur ex persona diaboli. Incurvare, ut transeamus. Sed postquam

Et *a* abiit, & *b* adhæsit uni *c* civium regionis illius, *d* & misit illum in villam suam, ut *e* pasceret porcos. Et *f* cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, *g* & nemo illi dabat. † *h* Ipse autem in *i* se reversus dixit: *k* Quanti mercenarii in *l* domo patris mei *m* abundant panibus, *n* ego autem

laqueo diaboli astringitur, quasi invitus ab eo retrahitur. Postquam enim diabolus aliquem vinculavit, & quasi inviscavit pennas ejus, ne possit volare, quasi adhæret ei coactus. *d* Et misit illum in villam suam,] idest, mundi cupiditatibus subjugavit. Unde *supr.* 14. unus de vocatis se excusat dicens. Villam emi, & necesse habeo, &c. *e* Ut pasceret porcos,] idest, dæmones, qui more porcorum peccatorum sordibus delectantur. Quos pascit, qui ea in quibus gaudent dæmones operatur, quia qui sic operatur, immolat eis seipsum. *Habac.* 1. Immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo, &c. Item sicut porcos in cœno delectatur, sic dæmones in cruore idolis immolato, imo potius in morte offerentium. Misit ergo diabolus gentilem populum in villam, i. in servitio suo mancipavit, ut pasceret porcos, idest, reficeret dæmones seipsum eis immolando.

Porcus.
- Dæmon. Hic *Gloss.*
- Luxuria. *Psal.* 16. Saturati sunt porcina. *Alia littera.*
- Insidiator. *Matth.* 7. Nolite spargere margaritas vestras ante porcos, ne conversi discerpant vos.
- Cupidus. *Matth.* 8. Mitte nos in gregem porcorum.
- Sapientia sæcularis. *Prov.* 11. Circulus aureus in naribus suis, &c.
- Apostata. 2. *Petr.* 2. Sus lota in volutabro luti.

f Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant.] Siliqua genus est leguminis. Alibi habetur, quod est fructus arboris, & est legumen concavum habens folles, sicut faba, vel ipsa.

Mystice. Mystice. Per siliquas porcorum, cibus dæmonum, i. vitia, ut ebrietas, fornicatio, & hujusmodi, in quibus delectantur dæmones. Sæpe enim cibum dicimus, in quo delectamur. Unde in Evangelio. Cibus meus est, ut faciam voluntatem Patris mei. Et pœnitens *in Ps.* 41. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. *Gloss. Bedæ.* Cibus dæmonum est ebrietas, &c. Quæ blanda sunt, i. quibusdam blanditiis alliciunt. Sed eis non potest saturari, quia voluptas semper habet famem sui, i. voluptas semper expetit voluptatem. *Ambros.* Siliqua est genus leguminis sonoris follibus, & vacuis, quod magis ventrem onerat, quam reficiat. Unde etiam recte significat scientias sæculares, vel carmina Poetarum, suavitate sterili resonantes inflantes magis, quam reficientes. 1. *Cor.* 8. Scientia inflat. Vel divitias terrenas, quas porci, i. avari, & cupidi libenter manducant, nec tamen satiantur. *Eccles.* 5. Avarus non implebitur pecunia.

Joan. 4.

g Et nemo illi dabat,] quasi gentilis populus petebat a prophetis cibum salutarem, i. cibum fidei, & nemo eorum illi dabat. Vel aliter. (Nemo illi dabat) quia cum diabolus aliquem suum facit, ultra divitiarum abundantiam non procurat, sciens eum esse jam mortuum.

h Ipse autem] minor filius jam esuriens. *i* In se reversus dixit.] *Ambr.* Bene in se revertitur, qui a se recessit. *Isai.* 46. Redite prævaricatores ad cor, & recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum. *Act.* 12. Petrus ad se reversus, &c. *k* Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus,] q. d. gentilis populus. Multi ex Judæis pro mercede temporali serviunt, & bonis temporalibus affluunt. *Gloss. Bedæ.* Quanti ex Judæis ob præsentia bona tantum legem custodiunt, & non dilectionem. *g* Ego autem, &c.] in idololatria omni veritate destituor. Secundum *has Glossas*, mercenarii sunt omnes Judæi, pro temporalibus servientes, qui in domo Dei abundant panibus, i. rebus temporalibus, vel legalibus institutionibus. Aliter autem mercenarii sunt omnes tam clerici, quam prælati, qui non quærunt in Ecclesia salutem animarum, sed laudem popularem, vel commoditatem temporalem. De quibus dicitur *Joan.* 10. Mercenarius, & qui non est pastor, &c. *infr.* Et non pertinet ad eum de ovibus, sed de lana, & lacte bene pertinet ad eum. Unde *Ezech.* 34. Fili hominis propheta de pastoribus Israel. Lac comedebatis, &c. In hoc ergo differt pastor a mercenario, quia pastor salutem animarum quærit, non commodum temporale. Unde 2. *Cor.* 12. Non quæro, quæ vestra sunt, sed vos. Mercenarius autem non quærit animas, sed res, vel laudes, vel honores, licet aliquando simulet se quærere fructum animarum, & non curare de temporalibus. Unde *B. Bern.* ibi ostendit, quam difficile distinguatur inter bonos pastores, & mercenarios, dicit. Habent sanam doctrinam in ingressu, mundam conversationem in progressu, amant, & quærunt pacem Ecclesiæ utiliter, & viriliter Ecclesiasticis implicantur negotiis, non refugiunt gravedines oneris. Sed hæc omnia, quia ambiunt gloriam honoris. Sæpe etiam pascuntur pane lacrymarum. Juxta illud. Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus. Frequenter enim hoc accidit, quod mercenarii, i. mali in oratione etiam secreta lacrymantur, & filii, i. boni, siccis oculis, & arido corde orant. Unde magis operanda est in oratione attentio, quam lacrymæ & quam devotio, quia attentio sine devotione valet, devotio autem sine attentione nihil prodest. Hi mercenarii beneficia Ecclesiastica possideant, & tamen de animabus non curant. Alii vero, qui zelum habent ad litteram, nihil habent in Ecclesiis, quia prælati libentius dant Ecclesias, & præbendas illis, qui temporalia bene conservant, quam illis, qui salutem animarum procurant. Similiter canonici libentius eligunt in Episcopos illos, qui sapientia mundi pollent, quam qui sapientiam cœli habent, cum tamen dicatur *Sap.* 13. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest sapientia Dei. Dicit ergo aliquis de istis mercenariis. *k* Quanti mercenarii] idest, qui solam mercedem quærunt. *l* In domo patris mei] idest, in Ecclesia Dei. *m* Abundant panibus,] idest Ecclesiasticis redditibus. *n* Ego autem] qui vere

al. † In se autem.

*cantium deficiant, sed desideria inardescunt. Sequitur. *a* Et abiit, & adhæsit uni civium regionis illius.] In regione peccati tres sunt civitates, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ. In qualibet sunt multi cives. Quot sunt luxuriosi, & gulosi, tot sunt cives in prima. Quot autem sunt avari, & cupidi, tot sunt cives in secunda. Quot autem sunt superbi, & ambitiosi, tot sunt cives in tertia. De istis civitatibus dicitur *Jer.* 14. Relinquite civitates, & habitate in patria, idest, in Christo habitatores Moab. Uni ergo civium adhæret homo, quando plus uni vitiorum intendit, quam aliis. Primo dicit, (abiit,) postea, (adhæsit.) Abire est peccatum peccato addere, vel de specie una peccati ad aliam transire. De primo dicitur *Jerem.* 2. Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas. De secundo *Osee* 4. Sanguis sanguinem tetigit. Iteratio peccati inducit consuetudinem, consuetudo vero facit firmiter adhærere. Sequitur. *d* Et misit illum, &c.] Per hoc pater, cui civi adhæsit, scilicet spiritui luxuriæ, cujus villa est carnalis voluptas. In qua pascit porcos, qui motus nutrit immundos bene comedendo, & bibendo, diu dormiendo, molliter vestiendo, *Ephes.* 4. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *f* Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, &c.] Siliquæ quibus porci pascuntur, sunt temporalia in abundantia quorum immundi motus nutriuntur. *n* Et nemo illi dabat,] quod fuit ad bonum suum. Unde sequitur. *h* Ipse autem in se reversus dixit:] Hic describitur ordo revertendi ad Deum. Primum est reverti ad se, deinde videre defectum suum, & abundantiam aliorum, deinde arripere iter ad patrem, & tunc pater occurrit. Tunc autem revertitur peccator ad se, quando incipit cogitare de se, & considerare statum suum, in quo est, & in quo fuit. Ad quod monet Dominus per *Isai.* 46. Redite prævaricatores ad cor. *Eccles.* 32. Præcurre prior in domum tuam, & ibi age conceptiones tuas. Tunc autem videns turpitudinem suam, & indigentiam suam ait. k Quanti mercenarii, &c.] Mali mercenarii sunt, qui bona opera faciunt intuitu terrenæ mercedis, vel humanæ laudis, sicut avari, & hypocritæ. De quibus dicitur *Sapient.* 2. Excæcavit illos malitia sua, nescierunt Sacramenta Dei, neque mercedem justitiæ speraverunt, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. De his etiam dicitur *Matth.* 6. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Hi autem non saturantur in domo patris panibus, quia commodum temporale, & favor humanus,

Moraliter. Tres civitates in regione peccati.

a autem, qui vere filius. a Hic fame pereo:] in Scholis, nihil habens de Ecclesia. Vel hoc dicit Christus: [Ego autem hic,] idest, in Ecclesia, ubi sunt tales mercenarii, & non veri pastores. b Fame] idest, defectu verbi Dei, & boni exempli. c Pereo:] in membris. *Amos* 8. Mittam famem in terram, &c. Potest etiam exponi de bonis mercenariis, qui sc. futuræ mercedis intuitu Domino famulantur, quos Dominus in Ecclesia pascit gratiæ, & doctrinæ suæ alimentis. Filius vero prodigus est, qui circa vanitates Philosophorum vitam suam expendit, & ideo fame perit, quia scientia illa cum sit vana, non reficit. Dicit ergo talis se errasse cognoscens: [Quanti mercenarii in domo patris mei panibus abundant] gratiæ, & doctrinæ vere reficientis.] Ego autem hic,] idest, circa vanam philosophiam.

Aliter.

a hic b fame c pereo: d Surgam, e & ibo f ad patrem meum, g & dicam illi: h Pater, i peccavi in k cœlum, l & coram te, m & jam non sum dignus vocari filius tuus, n fac me sicut unum de mercenariis tuis. Et o surgens p venit ad patrem suum, Cum q autem adhuc longe esset, vidit r illum pater ipsius, s & misericordia motus est, & t accurrens u cecidit super collum ejus,

b Fame pereo:] idest, defectu gratiæ, & doctrinæ. *Prov.* 13. Multi cibi in novalibus patrum, & aliis congregantur absque judicio. d Surgam,] per pœnitentiam qui jacui per culpam, & ignaviam in grabato malæ voluptatis. *Matth.* 9. Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam: *Ephes.* 5. Surge qui dormis. e Et ibo] per affectum in operationem bonam. Vel [Et ibo] fide, & opere. f Ad patrem meum] idest, Christum, a quo longe recessi per malam vitam. *Cant.* 3. Surgam & circuibo civitatem quærens quem diligit anima mea.

g Et dicam illi: pater, &c.] Videtur temeraria deliberatio istius, qui deliberat se dicturum Deo, tanquam id Deo possit insinuari, vel notificari. Sed non temere deliberat, quia etsi præcedat in pœnitente motus contritionis, adhuc tamen expectat Deus vocem confessionis. h Pater] ex natura condita, & ex substantia aliquando habita. i Peccavi] male vivendo, inaniter studendo. k In cœlum,] quod amisi per culpam, quod non quæsivi per stultitiam meam. Vel [In cœlum,] idest, coram Angelis, & Sanctis, qui sunt in patria, quia Deus vult eos cognoscere.

l Coram te,] qui omnia vides. *Hebr.* 4. Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo. *Prov.* 16. Omnes viæ hominum patent oculis ejus. Vel [Coram te,] intus corde, ubi tu solus vides. 1. *Reg.* 10. Homines vident ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor. Vel

k In cœlum,] i. contra dona cœlestia, sc. dona Spiritus Sancti mihi collata, quæ per peccata imminuta sunt.

m Et jam non sum dignus vocari filius tuus,] quia offendi te patrem meum peccando, & homagium diabolo faciendo, & ita de filio factus sum servus, quia qui facit peccatum, servus est peccati. *Joan.* 8.

n Fac me sicut unum de mercenariis tuis.] non audet dicere, sicut unum de filiis tuis, quorum sunt omnia, quæ patris sunt, sed sicut unum de mercenariis, qui pro mercede futura serviunt, de quibus *Job* 7. Militia est vita hominis super terram, & sicut mercenarii dies ejus. Non dicit, fac me unum de mercenariis tuis, sed sicut unum, quasi testatur, se nec promeruisse, ut sit mercenarius, nisi dignetur eum pater facere mercenarium.

o Et surgens,] sicut deliberaverat, ita implet.

p Venit ad patrem suum,] idest venire cœpit.

q Cum autem adhuc longe esset,] in regione peccati. *Psalm.* 118. Longe a peccatoribus salus. *Isa.* 57. Creavi fructum labiorum pacem, pacem his, qui longe, & pacem his qui prope.

r Vidit illum pater ipsius,] oculis misericordiæ, *inf.* 22. Respexit Dominus Petrum, & flevit amare.

s Et misericordia motus est,] *Beda*: Dum pro homine redimendo verbum in carne misit, quod est maxima misericordia, per quam omnis miseria relevatur. *Thr.* 3. Misericordia Dei est, quia non sumus consumpti.

t Et accurrens cecidit super collum ejus,] *Amb.* Accurrit, ne quis impediat venientem. In occursu † præscientia, in amplexu clementia demonstratur. Accurrit autem Dominus per gratiam prævenientem, cecidit super collum per gratiam comitantem, osculatur per gratiam subsequentem. Brachium autem suum, idest, filium humiliavit Deus pater in amplexu filii revertentis. Et hæc humiliatio est filii glorificatio, & nostra exaltatio, & inimici dejectio. *Eccl.* 36. Glorifica manum, & brachium dextrum, effunde iram, extolle adversarium, & affige

al. † præscientia.

inimicum. *Gloss. Amb.* Pater super filii collum cecidit, dum leve jugum suæ dilectionis sibi posuit.

Δ a Et oscu-

* vor humanus, non est panis, sed ventus. *Osee* 12. Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum. Ideo dicitur *Isa.* 55. Quare appenditis argentum vestrum non in panibus. Boni autem mercenarii sunt, qui bona faciunt intuitu futuræ beatitudinis. Hi sunt Issachar, qui interpretatur merces: De quo *Genes.* 49. Issachar asinus fortis, vidit requiem, quod esset bona, & terram, quod optima, & supposuit humerum suum ad portandum. Filii autem sunt, qui tantum propter amorem Dei bona faciunt. Utrique abundant panibus in domo patris, sed filii magis: Ipsa enim opera panes sunt. Opera pœnitentiæ sunt panes subcinericii: De quibus 3. *Reg.* 19. Invenit Elias ad caput suum panem subcinericium, & vas aquæ. Opera misericordiæ sunt panes de simila, qui oleo consperguntur. *Lev.* 2. Seq.

Moraliter.

d Surgam, & ibo ad patrem meum,] Surgere est mentem ad cœlestia erigere. *Col.* 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite. Ire ad patrem, est bonum velle, & bonum facere propter Deum. Primus pes est voluntas, secundus operatio. De quibus *Ezech.* 1. Pedes eorum pedes recti.

g Et dicam illi, pater, peccavi in cœlum, & coram te,] Peccat in cœlum, qui terrena præponit cœlestibus, & transitoria æternis, quia quantum in ipso est ponit terram super cœlum, cum dicat Salomon *Prov.* 25. Cœlum sursum, & terra deorsum. De hoc dicit pœnitens. Quid mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram? q. d. cur reliqui tam magnum pro tam modico? Quia autem additur.

l Et coram te,] aggravat peccatum. Major enim contemptus videtur esse peccare libere coram rege, quam si occulte peccetur. Propter hoc dicit *Boetius*: Magna nobis, nisi dissimulare velimus, indicta est necessitas probitatis, cum omnia agamus ante oculos judicis cuncta cernentis.

Boetius de consol. lib. 5. prosa 6.

m Et jam non sum dignus vocari filius tuus,] quia deturpavi in me imaginem tuam, & ideo indignus sum hæreditate. *Eccl.* 10. Fili, in mansuetudine serva animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum. Tria notantur per ordinem, ex quibus integratur pœnitentia sc. contritio, confessio, satisfactio. Contritio per hoc quod dicit: [Surgam, & ibo.] Surgit, & vadit, qui de peccato conteritur, quia recedit a malo, & appropinquat bono. Unde *Eph.* 5. Surge, qui dormis, &c. *Cant.* 3. Surgam, & circuibo civitatem. Confessio notatur per hoc, quod additur: Et dicam illi, pater, peccavi. *Isa.* 43. Narra, si quid habes, ut justificeris, &c. Satisfactio notatur per hoc, quod sequitur:

n Fac me sicut unum de mercenariis tuis,] qui usque modo fui mercenarius diaboli, ut operando in vinea tua, & in agro tuo, merear æternam mercedem apud te. De hoc dicitur *Isa.* 16. In tribus annis quasi anni mercenarii auferetur gloria Moab, i. diaboli, cujus gloria est hominem opprimere servitute peccati. Sed hæc gloria auferetur in tribus annis, i. in tribus partibus pœnitentiæ, quæ sunt quasi anni mercenarii.

Nota tres personas. Servum, mercenarium, filium. Servus est, qui solo timore abstinet a peccato. Mercenarius est, qui intuitu mercedis servit. Filius est, qui solo amore servit, & cavet offensam. Dominus autem ordinate promovet suos. De servis facit mercenarios, de mercenariis facit filios. Unde sequitur:

o Et surgens, venit ad patrem suum,] jam factus filius.

q Cum autem adhuc, &c.] Hic notatur ordo, quo Deus venit ad peccatorem, secundum proprietatem, & similitudinem vulturis, qui primo videt cadaver a longe, deinde advolat, postea insidet, tandem incorporat: Ita facit hic Dominus: Cum adhuc longe esset filius prodigus in regione peccati.

r Vidit illum pater ipsius,] oculis pietatis.

s Et misericordia motus est,] i. miseria cordis ipsius pœnitentis. t Accurrens] ut vultur advolans alis misericordiæ, & veritatis, quia universæ viæ Domini, misericordia, & veritas. u Cecidit super collum ejus,] quasi vultur cadaveri insidians.

a Et osculatus, &c.] *Cant.* 1. Osculetur me osculo oris sui. *Beda*: Rediens osculum charitatis a patre accipit, dum per gratiam certificatur de indulgentia. *Gen.* 27. Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi. Accessit, & osculatus est eum, statimque ut sensit vestimentorum ejus fragrantiam, idest, famam bonorum operum, &c.

Collum {
- Scriptura. *Cant.* 4. Sicut turris David collum tuum, &c.
- Patientia. *Jer.* 27. Fac tibi vincula, & catenas, & pone in collo tuo.
- Prædicator. *Cant.* 1. Collum tuum, sicut monilia.
- Mens sub jugo diaboli. *Is.* 52. Solve vincula colli tui.
- Superbia. *Jos.* 10. Ponite pedes vestros super colla regum istorum, idest, quinque sensuum.
- Ambitio. *Lev.* 11. Cygnus, &c. quia quærit prædam de profundo. *Job* 15. Cucurrit adversus eum erecto collo, &c. Gracile collum habet, bene cantat. Leo habet grossum:
- Pœnitentia. *Job* 39. Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum, idest, confessionem circumstantiarum.

b Dixitque ei filius:] in Ecclesia constitutus, incipit confiteri peccata, quia confessio peccati initium est reconciliationis ad Deum. *Isa.* 43. Narra, si quid habes, ut justificeris, &c. c Pater peccavi, &c.] quia cœlestem Jerusalem reliqui. d Et coram te:] quia te deserto idola colui. e Jam non sum, &c.] quia gratiam, quæ facit filium, per culpam meá amisi. Non dicit, quod conceperat, sc.] Fac me sicut unum de mercenariis tuis.] Suscepto enim osculo patris, jam dedignatur fieri mercenarius, quia potest esse filius, multo magis dedignatur esse servus. Distat autem inter servum, & mercenarium, & filium. Servus enim est, qui timore pœnæ abstinet a peccato. Mercenarius est, qui spe remunerationis servit. Filius, qui solo amore patris facit bonum, & declinat a malo. f Dixit autem pater ad servos suos:] i. Angelos, vel Apostolos seu quoscumque prædicatores, qui sunt coadjutores ejus in excolendo vineam, i. Ecclesiam 1. *Cor.* 3. Dei adjutores sumus. g Cito proferte] i. proferendam, seu restituendam promittit. h Stolam primam,] Stola, ad litteram genus est longæ vestis. Primam. Argumentum, quod pœnitentia restituit innocentiam, & omnia.

Mystice. Mystice. In creatione duplici stola indutus est homo, sc. stola animæ, & corporis, idest, innocentia animæ, & immortalitate quodammodo corporis. Ab utraque exutus est per peccatum. Si ergo intelligitur de stola corporis, videns Dominus Gentilem populum, ita humiliari, & venire ad fidem, dicit servis suis, idest, prædicatoribus. g Cito proferte stolam primam,] idest, manifestate ei, quod immortalitatem corporis, in qua primus homo quodammodo conditus fuit, est habiturus. Si autem intelligatur innocentia animæ, idem est, ac si dicat eis, per pœnitentiam ei restituite innocentiam. i Et induite illum,] i. induendum immortalitate ostendite, q. d. certificate illum de gloria immortalitatis animæ, & corporis perpetuo possidenda. k Et date illi, annulum in manu ejus,] i. docete eum habere fidem in opere. Fides enim per se non sufficit, quia fides sine operibus mortua est: *Jac.* 2. Similiter opus sine fide non sufficit, quia sine fide impossibile est placere Deo: *Hebr.* 11. Nota, annulo desponsatio fit: integer, parvus, pretiosus, lucens, gemmatus, sigillat, digito fertur manus sinistræ secundum lapidarios, dextræ secundum Ecclesiam.

Versus.

Annulo desponsans pretiose, pusille sigillas;
Clare teres dextrum digitum gemmate venustas.

l Et calceamenta in pedes] i. Sanctorum exempla in affectum, & intellectum ejus. *Exod.* 12. Calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus. *Jer.* 2. Prohibe pedem tuum a nuditate. *Cant.* 7. Quam pulchri sunt gressus tui, &c. *Isa.* 33. Munimenta saxorum sublimitas ejus. *Gloss.* hic: Ne coluber invadat, ot super scorpiones eat. *Marc.* 16. Et *sup.* 10. Dedi vobis potestatem &c. Ut ei conveniat: Quam speciosi pedes, &c. *Is.* 52. m Et adducite vitulum saginatum, & occidite] i. prædicate eis Christi Passionem. *Beda*: Christus vitulus saginatus omni spirituali virtute opimus, ut pro totius mundi salute sufficiat 1. *Joan.* 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed & pro totius mundi. *Gen.* 18. Tulit Abraham vitulum tenerrimum, &c. n Et manducemus, & epulemur.] Pluraliter dictum est, in quo notatur, quia salus peccatorum refectio est Dei, & Sanctorum, *Beda*: Non solum filius, pro quo vitulus occisus est, reficitur, sed & pater, & servi ejus, quia refectio Dei, & Sanctorum est salus peccatorum. o Quia hic filius, &c.] per infidelitatem, vel quamlibet aliam iniquitatem. Peccatum enim mors est animæ. *Sap.* 1. Deus mortem non fecit. *Gl.* i. peccatum. q Et revixit,] per fidem. *Hab.* 2. Justus ex fide sua vivet. r Perierat,] recedendo a consortio justorum. s Et inventus est.] redditus matri Ecclesiæ.

a Et osculatus est eum. Dixitque b ei filius: Pater, c peccavi in cœlum, d & coram te: Jam non sum dignus e vocari filius tuus, Dixit f autem pater ad servos suos: g Cito proferte h stolam primam, i & induite illum, k & date annulum in manu ejus, l & calceamenta in pedes ejus, & m adducite vitulum saginatum, & occidite: Et n manducemus, & epulemur, o quia hic filius meus p mortuus erat, & q revixit, r perierat, s & inventus est. t Et cœpe-

* a Osculatus est eum.] quasi vultur cadaver incorporans sibi. In hoc, quod dicitur [Vidit] notatur gratia præveniens, qua respicit peccatores. *Job* 39. In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur. In hoc, quod dicitur [Accurrens] notatur gratia coadjuvans, sive cooperans, quæ non patitur moram, vel dilationem. Sicut enim cum nutrix videt puerum invalidum conari ad ambulandum, statim accurrit, ne cadat, ita Deus cum aliquis nititur per liberum arbitrium ambulare ad eum, statim Deus accurrit per gratiam. *Job* 14. Operi manuum tuarum porrige dexteram. In hoc, quod dicitur: [Cecidit super collum ejus,] notatur gratia conservans, qua fovet, & amplectitur pœnitentem duobus brachiis charitatis. Læva est dimissio culpæ, dextera promissio gloriæ. *Os.* 11. Ego quasi nutritius Ephraim in brachiis meis porto eum. *Isa.* 40. In brachio suo congregabit agnos, &c. In hoc, quod dicitur: [Osculatus est eum,] notatur gratia consummans, sive perficiens, quia osculum est signum perfectæ reconciliationis, & pacis, & dilectionis, & ideo ultimo ponitur, quia non habebitur, nisi post tres gratias prædictas. Quod bene figuratum est. 2. *Reg.* 14. Ubi legitur, quod Absalon non fuit admissus ad osculum patris, nisi post tres annos. In osculo conjunguntur labia osculantium. Duo autem sunt labia animæ pœnitentis, sc. confessio peccati, & confessio laudis. *Psal.* 74. Confitebimur tibi, Deus, confitebimur. Similiter duo labia Dei miserentis, sc. remissio culpæ, & promissio vitæ. Remissio culpæ conjungitur confessioni peccati, promissio vitæ confessioni laudis. Illud osculum desiderat anima. *Cant.* 1. Osculetur me, &c. Seq.

23. q. 7. c. quemadmodum.

f Dixit autem pater, &c.] Servi patrisfamilias sunt Angeli, qui dolent de lapsu filiorum. Unde *Is.* 33. Angeli pacis amare flebunt. Et gaudent de reparatione lapsorum, *sup. eod.* Gaudium est in cœlo, &c. Custodiunt etiam filios. *Isa.* 62. Super muros tuos Jerusalem, &c. Defendunt & ab Angelis malis. *Psalm.* 90. Angelis suis mandavit de te, &c. Et in omnibus his sunt servi. *Heb.* 1. Omnes sunt administratorii spiritus, &c. Servi etiam sunt ministri Ecclesiæ, de quibus. 3. *Reg.* 10. Beati viri tui, & beati servi tui, &c. Horum officium est, confitentes absolvere, idest absolutos ostendere, & hoc est proferre primam stolam. Non enim dicuntur dare primam stolam, sed proferre. Dare quidem primam stolam, est peccata dimittere, proferre vero, est ex officio absolutum ostendere. [Et date annulum in manum ejus,] per quam significatur gratia operandi, quæ recte sequitur stolam primam. Nam primo remissio peccati, deinde operatio boni *Is.* 1. Quiescite agere perverse, discite bene facere. l Et calceamenta, &c.] per quod significatur patientia in perferendo adversa, quia non sufficit gratia bene operandi, nisi adsit gratia mala perferendi. Unde comedentes agnum paschalem describuntur calceamenta habere in pedibus, & baculos tenere in manibus; *Exod.* 12. Calceamenta muniunt pedes contra duritiam viæ, & ideo recte significant patientiam, seu gratiam perferendi adversa, baculus vero significat gratiam, operandi bona. Seq. m Et adducite, &c.] In vitulo saginato notatur hilaritas, & jucunditas conscientiæ, quæ est ex pinguedine virtutum *Prov.* 15. Secura mens quasi juge convivium. Vitulus saginatus occiditur, ut comedatur, quod fit, quando de pinguedine gratiarum, nulla permittitur gloria dominari. Unde *Ps.* 28. Et confringet Dominus cedros Libani. Cedrus Libani est elatio de candore virtutis, quam confringit Dominus incutiendo timorem, vel infligendo dolorem. Unde sequitur: Et comminuet eas tanquam vitulum Libani, quod convenit cum eo, quod hic dicitur [occidite] scilicet vitulum saginatum. n Et manducemus, & epulemur] idest gaudeamus. o Quia hic filius] olim per gratiam, & semper per naturam. p Mortuus erat,] per peccatum. q Et revixit,] per pœnitentiam. r Perierat,] per infidelitatem. s Et inventus est.] per fidei restitutionem.

* a Et cœpe-

▲ *a* Et cæperunt] omnes, [epulari.] i. gaudere. Harum epularum festivitas non solum in terra, sed etiam in cœlo celebratur. *b* Erat autem, &c.] In parabola de duobus filiis jam tantum processum est, quod filius ille prodigus de regione longinqua venit ad patrem, i. Gentilis populus venit ad fidem, quem pater prima stola induit, ut immortalitatem animæ ei restituat, annulum dedit, i. fidem infudit, calceamenta dedit, i. ipsam fidem operibus munivit, vitulum saginatum occidit, i. Gentilis populus Eucharistiam in Sacramento suscepit. Hucusque prosecuta est parabola de filio juniore, prosequitur deinceps de filio seniore, per quem mystice Judaicus populus intelligitur. De quo *Exod.* 4. Filius meus primogenitus Israel. Hic non longe a patre recesserat, quia idola non colebat, tamen non in domo erat, quia interiora legis mysteria non penetrabat, solo sensu litterali contentus. Unde *Matth.* 12. Pater tuus, & mater tua, i. Judæus, & Synagoga foris stant, quærentes te. [Erat autem in agro,] idest, intentus terreno negotio, terrena operans, & terrena expectans. Nota tamen, quia in prosecutione parabolæ de Judaico populo, loquitur de eo, secundum diversa tempora, & secundum diversas personas, *secundum regulam Ticonii*: Modo enim loquitur de Judaico populo secundum statum quorumdam, qui sunt inter modernos Judæos, qui altius perscrutantur Prophetas, & ad spiritualem intelligentiam aliquatenus accedunt, modo secundum statum eorum, qui Christi adventum præcesserunt, nec idola coluerunt, modo secundum statum eorum, qui fuerunt tempore Christi, sc. Scribarum, & Pharisæorum, modo secundum finales, qui convertentur ad prædicationem Eliæ, & Henoch: Nec mirum, si secundum tot diversitates loquitur de eodem populo, quia sic etiam consuevimus de populo Romano loqui, scil. modo secundum eos, qui leges, & jura instituerunt, quod factum est sub Romulo, & Numa Pompilio, modo secundum eos, qui instituerunt consules, quod factum est sub Bruto, ubique tamen loquimur de eodem populo. Distingue ergo diligenter in prosecutione parabolæ, quando loquitur de Judaico populo secundum hunc statum, quando secundum illum, alioquin errares. Primo sermo est de Judæis, qui sunt in agro, idest, in cortice, & non in domo, i. in spirituali intelligentia, quorum tamen nemo idola colit, quia post incarnationem nemo idola coluit. Dicit ergo: [Erat autem filius ejus senior,] i. populus Judaicus. *c* In agro.] non in domo, quia interiora legis non penetrant: Et hoc quoad plures. *d* Cum veniret, &c.] Hoc legitur de Judæis secundum statum quorumdam de illo populo, qui aliquantulum ad spiritualem intelligentiam accedunt. Illi audiunt symphoniam, & chorum, i. prædicatores Evangelii, sibi consonantes, i. concorditer unum prædicantes. *g* Et vocavit unum de servis, & interrogavit, &c.] i. consulit aliquem

▲ de Prophe-

> Et *a* cæperunt epulari. *b* Erat autem filius ejus senior in *c* agro. Et *d* cum veniret, *e* & appropinquaret domui, *f* audivit symphoniam, & chorum, *g* & vocavit *h* unum de servis, *i* & interrogavit, quæ hæc

Secundum Chrysost.

b Erat autem filius ejus, &c.] Secundum *Chrysost.* Duo fratres sunt ordo clericorum, & cœtus laicorum. Senior, i. sapientior, & honorabilior est ordo clericorum. Minor frater est cœtus laicorum, qui virtutum suarum substantiam totam luxuriose vivendo consumpsit, sed pœnitentia ductus redit ad patrem, qui eum cum gaudio suscipiens, & amplexans ducit in domum, dona plurima eidem conferens. Unde frater senior, i. clericus, qui inde lætari debuerat, contristatur invidia concitante. De qua *Basil.* Invidia sæpe inter ipsa fraternæ germanitatis jura grassatur. Et sicut rubigo propria frumenti corruptio est, ita & amicitiarum propria corruptela pestis est invidiæ. Sic fratres Joseph servum fecerunt. Et *sup.* Invidus, quanto plura fuerit consecutus, tanto majoribus incendiis conflagrabit, &c. Sicut ærugo ferrum, ita invidia animam, in qua est, interimit, & consumit. Dicit ergo: Erat autem filius ejus senior, i. clericus. *c* In agro.] terrenæ negotiationis, quæ secundum *Aug.* damnabilis est in clerico, sicut usura in laico. Unde *Chrysost.* Qui voluerit esse mercator, projiciatur de Ecclesia: Dicente propheta: Quia non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini. Et 2. *Tim.* 2. Nemo militans Deo, &c. Sicut enim qui ambulat inter duos inimicos, sine obloquio esse non potest, quia necesse est, ut illi de illo, vel illi de isto male loquantur, sic qui emit, & vendit, sine perjurio esse non potest. *Eccl.* 25. Duæ species mihi difficiles, & periculosæ apparuerunt, difficile exuitur negotians a negligentia sua, & non justificabitur caupo a peccatis labiorum. Item *Eccl.* 27. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium emptionis, & venditionis angustiabitur peccatis. Item *Chrys.* Non potest ad bonum proficere, quod congregatur in malo. Sicut enim cum cribratur triticum, tandem nihil remanet in cribro, nisi pulvis, & stercus, sic substantia negotiatorum in emptione, & venditione perit, & nihil remanet, nisi peccatum. Unde *Eccl.* 27. Sicut in percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius. Ego ostendam, qui non sunt negotiatores, ut intelligas, omnes alios esse negotiatores. Quicumque rem comparat, non ut integram, ut immutatam vendat, sed ut opus faciat ex ea, ille non est negotiator, quia non tam rem vendit, quam artificium, ut faber non vendit ferrum, sed artificium. Hic est ille, qui *sup.* 14. agrum emit, & quinque juga boum, & duxit uxorem, propter quod non venit ad nuptias, ad quas fuerat invitatus. Et hic similiter non vult intrare ad convivium. Seq. *d* Et cum veniret,] senior filius. *e* Et appropinquaret domui,] i. Ecclesiæ, in qua videt peccatores ad pœnitentiam recipi. *f* Audivit, &c.] i. legis, & Evangelii prædicationem consonam. Ad litteram. Symphonia proprie dicitur concors melodia hominum cantantium. Unde & locus in quo cantant, chorus dicitur: *Hieron.* Symphonia est collatio quorumcumque sonorum, chorus vocum. Per symphoniam ergo legis prædicatio, per chorum vero Evangelii prædicatio figuratur. De hoc ergo indignantur clerici, quod lex, & Evangelium concorditer laicis prædicatur. *Act.* 13. Disseminabatur autem verbum Dei a Paulo, & Barnaba per universam regionem: Judæi autem excitaverunt persecutionem in Paulum, & Barnabam, & ejecerunt eos de finibus suis. 1. *Thes.* 2. Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos gentibus loqui, ut salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper. Potest etiam sic exponi. *d* Et cum veniret,] minor filius, i. laicus de regione dissimilitudinis pœnitens de peccatis. *e* Et appropinquaret, &c.] Ecclesiæ, incipiens esse de illa, numero, & merito per peccati detestationem, & virtutis amorem. *f* Audivit, &c.] sicut prius. *g* Et vocavit] senior frater, scil. *h* Unum de servis,] patris sui, i. unum de libris Sanctorum legendum accepit. *i* Et interrogavit, quæ hæc essent?] scrutatur in illo libro, quæ sunt festa Ecclesiæ de profectu laicorum.

▢ Vel

Moraliter

* *a* Et cœperunt] omnes [epulari.] idest gaudere. *b* Erat autem filius ejus, &c.] Sicut diximus, senior filius, sunt contemplativi, qui longo studio contemplationis intenti suæ fragilitatis obliti, aliquando erga lapsos, & infirmos plus debito inveniuntur austeri. Iste recte describitur esse in agro. Sicut enim ager dicitur exercitium actionis, ita & studium contemplationis dicitur ager. In primo, quidem affectus, in secundo vero excolitur intellectus. Et de primo dicitur *Prov.* 24. diligenter exerce agrum tuum. De secundo vero dicitur *Gen.* 24. exiit Isaac ad meditandum in agro. Sequitur: *d* Et cum veniret, &c.] Domus hæc est Ecclesia, in qua sunt, & fortes, & infirmi, & stantes & lapsi, sicut in Bethania dicitur fuisse Maria, & Martha, & Lazarus: *Joan.* 11. Ad hanc domum appropinquat, qui de studio contemplationis veniens in Ecclesia diversos status considerat. Videt enim ibi stantes, & lapsos reparatos Per † misericordiam, de quorum reparatione non modicum gaudet Ecclesia. Unde dicitur, quod ille audivit symphoniam, & chorum. Sonus symphoniæ fit in regyratione, chori autem sonus fit in concordia multarum vocum. Unde symphonia significat gaudium de reditu peccatoris, chorus vero significat gaudium de consono statu bonorum. Nonnulli autem videntes in Ecclesia gaudium esse, non attendunt causam gaudii, unde admirantur, & ex admiratione interrogant: unde sequitur: *g* Et vocavit] ille senior filius [unum de servis, & interrogavit, quæ hæc essent.] Hæc interrogatio magis est admirationis, quam dubitationis. In hoc autem est admiratio, quod Ecclesia magis videtur gaudere de reparatione lapsorum, quam de statu innocentium, cum majus bonum sit servare innocentiam, quam post lapsum reverti. Servus autem, qui super hoc interrogatur est ordo prædicatorum, seu cœtus doctorum, a quibus causa admirationis, & dubitationis quæritur *Mal.* 2. Labia sacerdotis, &c. Ideo autem magis gaudet Ecclesia de reparatione lapsorum, quia magis de lapsu eorum doluit. Sicut quando navis proxima fuit periculo, & postea salva recipitur, majus gaudium est de illa, quam de omnibus aliis, quæ prospere pervenerunt ad portum, licet aliæ plus valeant, & plus amentur. Sicut messores gaudent, cum evaserint pluvias, & grandines imminentes. Sic victores erepta præda hostibus, Unde *Isa.* 9. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, &c. Sed quia prædicator, aut doctor causam gaudii non ignorat, respondit servus. Unde sequitur:

al. † pœnitentiam.

essent. *a* Isque *b* dixit illi: Frater *c* tuus *d* venit, *e* & occidit pater tuus *f* vitulum saginatum, quia *g* salvum illum recepit. *h* Indignatus est autem, & *i* nolebat introire. Pater *k* ergo illius *l* egressus *m* cœpit rogare illum. At *n* illé respondens dixit patri suo. *o* Ecce tot annis servio tibi, & nunquam *p* mandatum tuum præterivi, *q* & nunquam dedisti mihi hœdum, ut cum *r* amicis meis epularer.

▲ de Prophetis, subtilius inspiciendo, ac si quætat ab eo, quid est, quod ita spiritualiter solennizat Ecclesia, quibus solenniis videt se non interesse. Vel per symphoniam, & chorum potes intelligere concordiam diversarum virtutum, & ætatum in Ecclesia. Et interrogat unum de servis, idest, unum de prudentibus Christianis, quid hoc sit: *a* Isque] idest, propheticus sermo. *b* Dixit illi, &c.] idest Gentilis populus. *d* Venit] ab extremis terræ, i. de longinqua regione peccati. *Isa.* 42. Laus ejus ab extremis terræ. *e* Et occidit pater tuus, &c.] i. Christum mori permisit. *g* Quia salvum illum recepit.] i. ut salvum illum reciperet. Ad hoc enim Deus pater filium morti tradidit, ut populus salvaretur. *Rom.* 14. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.

Secundum Chrysost. ○ Vel ad litteram, unus interrogat alium, quid sit hoc, quod ita modo publice prædicatur ubique. De hoc admirantur clerici, & dicunt, quod vilescit prædicatio, quia frequens, sed si vilescit, apud eos vilescit. Apud laicos enim non vilescit, sed proficit, quia multi convertuntur ad pœnitentiam, & cognoscunt peccata, quæ prius nesciebant. *a* Isque] i. liber assumptus, vel socius vocatus. *b* Dixit illi:] idest, clerico vocanti, & admiranti. *c* Frater tuus] idest, Gentilis, vel laicus. *d* Venit,] ad fidem, vel pœnitentiam de regione peccati. *e* Et occidit pater tuus] idest, Deus. *f* Vitulum saginatum,] i. Christum omni spirituali virtute optimum. *g* Quia salvum, &c.] sicut prius. *Sequitur secundum primam expositionem.* Sequitur secundum primam expositionem. *h* Indignatus est autem,] major frater de hoc, quod pater pro reditu minoris filii faciebat convivium. *i* Et nolebat introire] ad convivium ex invidia, & indignatione. Sic Judæi indignabantur, quod Jesus cum Gentibus manducaret. Specialiter intelligitur hoc de his, qui fuerunt tempore Christi, sc. Scribis, & Pharisæis, qui indignabantur, quod cum Publicanis, & peccatoribus manducaret. Adhuc etiam de salute gentium indignatur Judæus, nec vult in Ecclesiam intrare, vel ad spiritualem legis intelligentiam, sed semper foris in littera, & extra Ecclesiam manet usque ad finem, quando Christus per prædicationem Eliæ, & Henoch egredietur ad Judæos, & introducet in Ecclesiam, juxta quod dicitur *Mal. ult.* Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam, &c. Unde hæc clausula, quæ sequitur, exponitur de finalibus Judæis. *k* Pater ergo illius,] i. Christus pater Judæi, & Gentilis. *l* Egressus cœpit rogare illum,] sc. finales Judæos, quos rogabit Dominus in fine per prædicatores: Nam modernos Judæos non, quia nemo eis prædicat, nec vocantur modo ad fidem. Ad quod significandum in festo Epiphaniæ subticetur invitatorium, quia Psalmus ille pertinet ad vocationem fidei. Vel sic: *k* Pater ergo illius] idest Christus. *l* Egressus] de sinu patris in mundum.

m Cœpit rogare illum.] per se, & Apostolos, ut intraret ad nuptias. *Job* 19. Servum meum vocavi, & non respondit mihi, ore proprio deprecabar illum.

n At ille respondens dixit patri suo, ecce, &c.] Hoc de illis Judæis intelligitur, qui idola non coluerunt. Illi ergo indignantes de vocatione gentium, dicunt, quid est, quod ita Gentes recipis, quæ ad idola declinaverunt, nos autem abjicis, qui nunquam mandatum præterivimus de uno Deo colendo. Gloriantur ergo de justitia ad litteram executa, qui tamen apertæ justitiæ Dei obviabant, quia invidebant aliorum saluti, & immisericordes erant, quia colligentes ligna in sabbato lapidabant. Dicunt ergo.

o Ecce tot annis servio tibi,] justitiam legis sectando.

p Et nunquam mandatum tuum præterivi,] quod est de uno Deo colendo. Unde jactantia est, & non veritas. *Rom.* 2. Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. *Hieron.* Non mirum, si patri mentitur, qui fratri invidet, cum & in judicio impudentius mentientur dicentes: Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, &c. *Matth.* 10.

q Et nunquam dedisti mihi hœdum,] idest, te in sacramento ad refectionem nunquam mihi dedisti, quem hœdum, i. legis prophanatorem, & peccatorem reputavi. *Joan.* 9. Nos scimus, quia hic homo peccator est. Et intelligitur hoc de persona crucifigentium, sc. principum, & plebis. Vel: [Nunquam dedisti mihi hœdum,] i. peccatorum exprobationem. *r* Ut cum amicis meis epularer.] idest, cum Angelis, & Apostolis, qui de peccatorum conversione lætantur, *sup. eod.* Gaudium est in cœlo, &c. Vel sic, ac si dicant ea invidia. *q* Nunquam dedisti] i. Prophetam, vel sacerdotem aliquem, qui me morte sua a Romano Imperio liberaret, & pro gentibus idololatris tuum filium immolasti. *r* Ut cum amicis meis,] i. dæmonibus qui vitiis amicantur, epularer. Nota, [ut] consecutivum, non causativum, ac si dicat, tu nunquam dedisti mihi hœdum, & cum amicis meis epulabor: *Rom.* 5. Sicut dicitur: Lex subintravit, ut superabundaret delictum. Injuste conqueritur Judæus, quia non solum pro gentibus, sed & pro Judæis tradidit pater filium *inf. Joan.* 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed & pro totius mundi. Item potest hoc verbum esse viri justi, quasi de Domino conquerentis, qui aliquando peccatori compunctionis, & devotionis gratiam tribuit, & viro justo torpidis duritiam, & mentis ariditatem. Unde dicit:

o Ecce tot annis servio tibi,] in te, & in tuis. In te, adversa propter te æquanimiter, libenter, gaudenter sustinendo, sicut dicit *Psalm.* 43. Propter te mortificamur tota die, &c. In tuis, septem opera misericordiæ exhibendo, quæ sunt vestire nudos, potare sitibundos, cibare famelicos, visitare infirmos, redimere captivos, recipere peregrinos, sepelire mortuos. *Versus*:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

q Et nunquam dedisti mihi hœdum,] Hæc est altera pars justitiæ, quæ est declinare a malo, q. d. propter te declinavi a malo, & feci bonum: Et nunquam dedisti mihi hœdum, idest, peccatorum exprobationem, & cordis compunctionem. *r* Ut cum amicis meis epularer,] in cœlo, ▲ ubi omnes

Moraliter. * *a* Isque dixit illi, &c.] Et hoc est, quod dicitur *Eccl.* 43. Qui enavigant mare, enarrant pericula ejus. Seq.

h Indignatus est autem, &c.] Tales, quia videtur eis, quod de ipsis, i. de statu eorum magis esset gaudendum, aliquando indignantur, sicut ille.

i Et nolebat introire,] i. aliis congaudere. Intrare enim in domum gaudii, est gaudio aliorum communicare. Unde *Eccl.* 7. melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. Tamen ubi est bona causa gaudii, gerendus est mos aliis. Unde *Rom.* 12. Gaudere cum gaudentibus, &c. Indignatio autem hujusmodi solet provenire ex quatuor, scilicet ex consideratione sui status. Item ex consideratione fraterni lapsus. Item ex collatione meritorum. Item ex ignorantia divinorum judiciorum. Ex consideratione namque sui status, quandoque nascitur elatio mentis, & etiam jactantia oris. Unde Pharisæus dicebat: *inf.* 18. Gratias ago Deo, &c. Item ex consideratione fraterni lapsus oritur contemptus, ut patet in Pharisæo, qui dicebat *supr.* 7. Hic si esset Propheta, sciret, &c. Item ex collatione meritorum oritur invidia. Exemplum habemus *Matth.* 20. de operariis, qui murmurabant dicentes: Hi novissimi, &c. Item de ignorantia judiciorum Dei nascitur pura admiratio. Unde *Rom.* 11. O altitudo divitiarum, &c. Primis dicit Apost. 1. *Cor.* 10. Qui se existimat stare, videat, ne cadat &c. Secundis dicitur *Mich.* 7. Non læteris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam. *Eccl.* 8. Non despicias hominem avertentem se a peccatis. Tertiis dicit ipse Deus *Matth.* 20. Amice, non facio, &c. Quartis dicitur *Eccl.* 3. Altiora te ne quæsieris. Seq.

k Pater ergo illius, &c.] In hoc ostenditur officium boni prælati seu sollicitudo, qui tales debet blandis exhortationibus inducere ad ea, quæ sunt charitatis, & compassionis.

n At ille respondens dixit patri suo, ecce tot annis, &c.] Hic patet, qualiter collatio meritorum parit arrogantiam, & invidiam. Plus placuit Deo illa vox minoris: Pater peccavi, &c. Quod autem seq. *p* Et nunquam mandatum tuum præterivi,] falsitas est, & jactantia, quia non est sanctus, qui faciat bonum, & non peccet, ut dicit *Eccl.* 7. *Prov.* 20. Quis potest, dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato? q. d. nullus, quia in angelis suis etiam reperit pravitatem: *Job* 4. Unde 1. *Jo.* 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, &c. Seq. *q* Et nunquam dedisti mihi hœdum,] Nota, quibusdam dat Dominus hœdum, idest remissionem culpæ, quibusdam dat agnum, idest conservationem innocentiæ, quibusdam vitulum saginatum, i. abundantiam spiritualis lætitiæ. Primum magnum, secundum majus, tertium maximum, Ille ergo, quasi parum reputans secundum donum,

* & quod-

a Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam b cum meretricibus, c venit, d occidisti illi e vitulum saginatum. At f ipse g dixit illi: Fili, h tu semper mecum es: i & omnia mea k tua sunt.

▲ ubi omnes electi pariter epulabuntur. *Isa.* 65. Servi mei comedent, & bibent, & lætabuntur, &c. Seq. *a* Sed postquam filius tuus, &c.] Incipit accusare fratrem suum in sui excusationem, quod facit ex invidia. Unde *Basilius*. Vultures suaves odores transvolant, in tetris nidoribus resident. Item muscæ omisso sano corpore, sicubi vulnus est, conveniunt: Ita & invidi, si quid bene gestum est, illud non vident, nec retractant, sed quod male gestum est, hoc ventilant in notitiam aliorum. Dicunt ergo Judæi ex invidia: [Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam,] temporalem, & spiritualem. *b* Cum meretricibus,] carnalibus, vel spiritualibus, qui scilicet fornicatus est spiritualiter a vero sponso recedens, colendo idola: Interdum enim fornicatio pro quolibet peccato generaliter ponitur, ut in *Psal.* 72. Perdes omnes, qui fornicantur abs te.

c Venit,] per fidem, vel per pœnitentiam rediit ad te, secundum, quod sunt verba † viri justi.

a 2. † Judæi.

d Occidisti illi] i. occisum propter illum ostendisti.

e Vitulum saginatum,] i. Christum. Ecce quanta dementia, & cæcitas Judæorum, Christum venisse confitentur, & tamen salutem respuunt: Vel secundum quod sunt verba justi loquentis de peccatore.

d Occidisti, &c.] sicut prius.

e Vitulum saginatum,] idest Christum, dando illi compunctionem, & devotionem in recordatione Dominicæ passionis, quod non datur omnibus. Multi enim etiam justi recordantur corde sicco, & arido Dominicam passionem, dolentes, quod non possunt habere devotionem. Aliquando autem, qui fuerunt magni peccatores, statim ad memoriam Dominicæ passionis liquescunt in devotionem. *Thren.* 3. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Vel

d Occidisti illi] idest, ad illius utilitatem.

e Vitulum saginatum,] i. occidisti in illo totam lasciviam carnis, quod multoties non fit justis. Unde *Job* 30. Conquerendo dicunt: Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, sc. motus carnales, non dormiunt, & in multitudine eorum consumitur vestimentum meum, idest, caro mea. *f* At ipse] sc. Dominus. *g* Dixit illi:] idest, Judæo, vel viro justo de cordis ariditate, vel carnis lascivia conquerenti. Posset etiam pater ei dicere, mentiris, sed ex benignitate parcit ei, ad perseverantiam, & ad profectum invitando, dicens. *h* Fili, tu semper mecum es:] per observationem justitiæ, licet ego sim absens per subtractionem præsentiæ, vel quo ad defectum devotionis internæ.

i Et omnia mea] bona gratiæ, & gloriæ.

k Tua sunt.] quædam spe, quædam re. 1. *Cor.* 3. Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura. Omnia enim vestra sunt. Paulus, & Apollo ad magisterium. 1. *Cor.* 3. Ego plantavi, Apollo rigavit. Mundus in ministerium. *Deut.* 4. Quæ Deus creavit in ministerium cunctis gentibus. Vita ad laborandum. *Job* 5. Homo nascitur ad laborem. Mors ad humiliandum. 2. *Cor.* 4. Mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Præsentia ad sustentationem in servitio Dei. *Psalm.* Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Futura ad fruitionem in regno Dei. *Matth.* 25. Euge, serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, &c. *Rom* 8. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit? quasi dicat imo. Item quilibet sanctorum, qui sunt in patria, potest istud dicere alteri.

k Omnia mea tua sunt.] quia bonum Petri, Lini est ad gaudendum, quia tantundem gaudet de bono ejus, sicut de suo, quia bonum filii dicitur esse patris, quia ita gaudet de eo, sicut esset suum, & ita singula sunt omnium, & omnia singulorum. Vel ita, ut istud, omnia, colligat genera non singula, ut ita loquatur homini Deus, dicens: [Omnia mea tua sunt.] quia non sunt, nisi tria genera rerum, scil. superiora, & æqualia, & inferiora. Superiora sunt tres personæ, quæ nostræ sunt ad fruendum. Æqualia Angeli, qui nostri erant ad convivendum. Inferiora dœmones, qui nostri erunt ad dominandum. *Beda*: Sicut cupiditas, nihil sine angustia, ita nihil cum angustia charitas tenet. *Hieron.* sicut exponit in *Gloss.* [Omnia mea tua sunt,] pro majori parte dictum est, sicut dicitur. Omnes homines castri hujus currunt ad bellum, multi tamen remanent. Multa ponit de hoc exempla, ut in *Psalm.* 13. Omnes declinaverunt, &c. Certum est, quia non omnes Judæi declinaverunt, imo aliqui in fide remanserunt, ut Apostoli. *Joan.* 10. Omnes quotquot venerunt fures sunt, idest, fere omnes. 1. *Cor.* 9. Omnia omnibus factus sum, idest, fere omnia. *Phil.* 2. Omnes, quæ sua sunt, quærunt, i. fere omnes. A simili dicitur: [Omnia mea tua sunt.] quasi non Angeli, sed lex, & Prophetæ, quia legem, & Prophetas dedit ▲ Deus

* & quodammodo de eodem superbiens dicit: [Nunquam dedisti mihi hœdum] q. d. nunquam feci, unde debeam veniam impetrare. Certe magna jactantia est, sed major est ingratitudo. Oblitus enim est, quod majus dederit ei, scilicet agnum, idest, conservationem innocentiæ, quam modo amisit indignando contra fratrem, & contra patrem. Unde addit:

Mora titer

a Sed postquam filius tuus, &c.] In duobus videtur arguere patrem.

Primo, quod sibi digno non dederit, quod debuit. Unde dixit: [Nunquam dedisti mihi hœdum, &c.]

Secundo, quod fratri suo indigno dedit, quod non debuit. Unde dicit: [Sed postquam filius tuus, &c.] Ex hoc apparet, quod Dominus lapso, & per pœnitentiam humiliato, majorem gratiam cumulat quandoque, quam illi, qui nunquam cecidit, ut patet in Paulo, & Petro, & Magdalena. Unde *Rom.* 5. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia, &c. Hoc idem plerumque fit in monasteriis, quia Abbas illis, qui post lapsum commendabiliter conversantur, & quod male fecerunt, strenue emendaverunt, majora committit. Unde sæpe illi, qui videntur majores meriti, quia nunquam ceciderunt, murmurant contra Abbatem, sicut iste contra patrem. Hoc autem facit Abbas, quia sæpe contigit, quod illi, qui non ita ceciderunt, negligentes sunt, & alii, qui post lapsum redierunt, magis sunt studiosi. Unde *Gregor.* Quidam sunt justi, qui tanto minus se exercent in bonis operibus, quanto se minus obligatos sentiunt in malis gravioribus. In isto, & similibus ejus multa notantur reprehensibilia.

Primum est improperium servitii sui, cum dicit: [Ecce tot annis servio tibi,] quod non congruit bono viro. Unde *Eccles.* 20. Datum insipientis non erit tibi utile, oculi enim illius septemplices sunt. Exigua dabit, & multa improperabit, &c. Dominus e contrario. *Jac.* 1. Qui dat omnibus affluenter, & non improperat.

Secundo, jactantia, cum dicit: [Nunquam mandatum tuum præterivi.] Contra quod dicitur *Prov.* 18. Qui se jactat, & dilatat, jurgia concitat, &c.

Tertio ingratitudo, cum dicit: [Nunquam dedisti mihi hœdum.] Contra quod dicitur *Eccles.* 29. Bona repromissoris, &c.

Quarto, stulta indignatio, cum dicit:] Sed postquam filius tuus, &c.] Dedignatur vocare fratrem, quasi fraternæ charitatis oblitus, in quo valde ostenditur alienus a charitate, & humilitate Christi. De quo dicit Apostolus. *Hebr.* 2. Propter quam causam non confunditur vocare fratres, &c.

Quinto, contemptus, cum dicit: [Hic] quasi despective ostendens. Demonstratio enim ipsa notabilem facit illum, qui ostenditur. Propter quod dicitur *Isa.* 58. Si desieris digitum extendere, & loqui, quod non prodest, &c.

Sexto, stultum improperium, cum dicit: [Devoravit substantiam suam,] &c. Contra quod dicitur *Eccl.* 8. ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei, &c.

Septimo, invidia, cum dicit: [Occidisti vitulum, &c.] Videtur enim dolere de hoc, quod frater suus præfertur in hoc ei. Contra quod dicitur *Job* 5. Virum stultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia. Seq. *f* At ipse dixit illi, fili, tu semper mecum es:] In his verbis ostenditur differentia inter lapsos, qui reparantur, & semper stantes. Circa illos permutatur dolor in gaudium, quia sicut de lapsu novus dolor est, ita de reditu novum gaudium. Circa illos vero continuatur gaudium, quod notatur per hoc, quod dicitur: [Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.] Et licet de istis non sit novum gaudium, tamen plus diliguntur, & beatiores sunt. Unde 3. *Reg.* 10. Beati viri tui, &c.

a Deus justis. Isto modo potest dici, quod particularis enunciatio habet vim fere universalis, quamvis eo modo posset dici, quo dicitur ab Apostolo, Deus omnia nobis dedisse, quia filium suum unigenitum dedit pro nobis. *Rom.* 8. In hunc mundum nihil ei negat, quem ad esum vituli saginati invitat. u Epulari autem, &c.] in conviviis solemus gaudere. In hoc exprimitur gaudium, quod est in regno Dei, quia sicut in inferno erit fletus, & stridor dentium, & omnimoda angustia, sic in regno Dei omnimoda lætitia. Unde *Beda in Gloss.* Sicut enim cupiditas, &c.

b Quia frater tuus] licet peccaverit. *Mal.* 2. Nunquid non unus pater omnium nostrum est? Quare ergo despicit unusquisque vestrum fratrem suum. *c* Mortuus erat] per peccatum. *Sap.* 1. Deus mortem non fecit, &c. *d* Et revixit,] per gratiam.

e Perierat,] per seipsum. *Psalm.* 118. Erravi sicut ovis, quæ periit. *f* Et inventus est.] a meipso, *sup. eod.* Inveni ovem, quæ perierat. Hucusque expositio hujus parabolæ secundum *Gloss.* ubi etiam aliqua apposuimus.

Moraliter. Differentia inter epulari, & gaudere.

* *a* Epulari autem, & gaudere oportebat,] Epulari pertinet ad mensam, & significat interiorem animæ refectionem, gaudere ad musica instrumenta, & significat exteriorem exultationem. De utraque dicitur in *Psalm.* 41. In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis. Causam autem gaudii ponit, cum dicit:

b Quia frater tuus, &c.] Signanter vero dicit: [Frater tuus] non filius meus. Sic enim expressius commendat communionem gaudii, & magis invitat ad congaudendum. Sic Dominus dixit ad Moysen. *Exod.* 32. Descende, peccavit populus tuus. Et Moyses ad Dominum: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum. Sic uterque utrumque ad compassionem populi invitabat. In his autem duobus: [Mortuus erat, & perierat,] ostenditur, quod peccatum est & mors, & perditio. De primo dicitur *Rom.* 6. Stipendia peccati mors. De secundo: *Osee* 13. Perditio tua Israel, supple ex te est, & tantummodo in me auxilium tuum, &c.

u Epulari autem, & gaudere oportebat, *b* quia frater tuus hic *c* mortuus erat, *d* & revixit, *e* perierat, *f* & inventus est.

CAP. XVI.

Dicebat *g* autem & ad discipulos suos, *h* Homo quidam erat *i* dives, qui *k* habebat villicum,

EXPOSITIO CAP. XVI.

Dicebat autem, & ad discipulos suos, &c.] Quia Pharisæi superbi, & avari pœnitentibus veniam, & egentibus eleemosynam denegabant, ideo nunc de pœnitentia, nunc de eleemosyna sermonem conficit Dominus. In præcedenti autem cap. actum est de pœnitentia, ubi redarguit Dominus Pharisæos murmurantes de hoc, quod pœnitentes recipiebat ad colloquium, & convivium. In hoc cap. Pharisæis audientibus invitat discipulos suos ad eleemosynam faciendum. Et recto ordine post pœnitentiam agit Dominus de eleemosyna, quia per pœnitentiam est homo sibi propitius, per eleemosynam proximo. Et ordo charitatis requirit, ut quilibet primo se diligat. *Eccl.* 30. Miserere animæ tuæ placens Deo. Nam quomodo alteri bonus est, qui sibi nequam est, dicit *Eccl.* 14. nulli. Item per pœnitentiam culpa, per eleemosynam pœna relaxatur, & prius est culpa, quam pœna. Item pœnitens juste misericordiam expectat a Deo, qui misericordiam facit proximo, & ideo, ut pœnitentia sit fructuosa, post pœnitentiam agit de misericordia, seu eleemosyna. Ad quam faciendam, invitat duplici parabola. Unde de villico iniquo, altera de divite purpurato. Dividitur autem hoc cap. in tres partes. In prima monet ad misericordiam, & corripit avaritiam, docens amatores pecuniæ, Deum amare non posse. In secunda, quia disputando contra avaritiam videbatur contra legem multa dixisse, ubi multi divites Deo placuerunt, ostendit convenientiam, & differentiam legis, & Evangelii, ibi [Audiebant autem] In tertia ostendit per parabolam Lazari, & divitis fructum eleemosynæ: Nam si dives dedisset Lazaro eleemosynam, fuisset cum eo receptus in cœlo, sed quia non dedit, sepultus est in inferno, ibi [Homo quidam erat dives, &c.] Dicit ergo:

g Dicebat autem, & ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum,] idest, dispensatorem, sive œconomum. Villicus enim proprie dicitur custos villæ, œconomus vero familiæ dispensator.

h Homo quidam erat dives, &c.]

Mystice.

Mystice. Per villicum, qui est custos villæ, & pastor pecorum, intelligitur prælatus, qui est custos Ecclesiæ, & pastor animarum. Unde *Act.* 20. Attendite vobis, & universo gregi, in quo posuit vos Sp. Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Commendat autem Dominus illum in novem, in quibus imitandus est spiritualiter, non in fraude, quam fecit contra Dominum suum, & tamen multo plures imitantur eum in fraude, quam in illis novem. Primum est, in quo commendat eum Dominus, quia prævidit villicationem suam esse finiendam. Unde dixit: Dominus meus aufert a me villicationem. Sic quilibet Prælatus debet prævidere prælationem suam cito esse finiendam. *Prov.* 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Non enim habebis jugiter potestatem. *Eccl.* 10. Omnis potentatus vita brevis. Secundum est, quia præcogitavit, quomodo sibi succurreret in futurum. Unde dixit, [Quid faciam, &c.] Sic omnis prælatus deberet facere, idest, sibi imposterum providere. *Prov.* 6. Vade ad formicam, o piger, &c. quæ congregat æstate, quod comedat hyeme, sc. Tertium est, quia consideravit statum suum, & posse suum. Unde dicit: [Fodere non valeo, &c.] Sic Prælatus debet posse, & statum suum attendere. *Job* 5. Visitans speciem tuam, &c. *Gal.* 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, &c. Quartum est, quia amicitiam proximorum judicavit esse remedium malorum. Unde dixit; [Scio, quid faciam, &c.] Sic Prælatus contra mala sibi imminentia debet quærere amicitiam pauperum, sc. omnium. Unde *inf. eod.* Facite vobis amicos, &c. Quintum est, quia Dominum suum largum prædicavit, cujus bona largiter dedit, & debita condonavit. Unde dixit: Quantum debes, &c. Sic Prælatus non debet esse avarus in dando, vel condonando, cum Dominus suus, i. Christus in utroque sit largus. *Jac.* 1. Qui dat omnibus affluenter, & non improperat. *Sup.* 6. Dimittite, & dimittemini, date, & dabitur vobis. Sextum est, quia dedit exemplum aliis providendi, sibi in posterum, & considerandi statum suum. Unde dicit: [Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia, &c.] Unde statim infert: [Et ego dico vobis, &c.] Sic Prælatus debet aliis dare bonum exemplum. *Matth.* 5. Luceat lux vestra coram hominibus, &c. Septimum est, quia discrevit inter dona Domini. Plus enim de oleo, quam de tritico condonavit. Unde dixit:] Scribe quinquaginta.] Sic Prælatus discernere debet inter dona Dei, & ea discrete distribuere indigentibus secundum gradus, & necessitates eorum. *Psalm.* 111. Dispersit, dedit pauperibus, &c. Octavum est, quod cautionem, & scripturam receperat a debitoribus de bonis traditis eis. Sic Prælatus sub testimonio scripturæ debet tradere bona Domini sui. *Jerem.* 32. Appendi argentum in statera, & accepi librum possessionis signatum, &c. *Job* 31. Librum scribat ipse, qui judicat, ut in humero meo portem illum. Nonum est, quia scivit, & professus est se habere Dominum. Unde dixit: [Dominus meus aufert a me villicationem, &c.] Sic Prælatus licet aliis præsit, debet tamen scire se habere Dominum superiorem, cui reddet rationem villicationis suæ in die judicii, quando dicetur ei: Ubi est grex, qui datus est tibi, &c. *Jerem.* 13. Et ne intelligas de grege pecorum, dicit *Ezech.* 34. Vos greges mei, greges pascuæ meæ homines estis. Propter hæc novem laudat Dominus villicum, & tamen iniquum vocat, in quo docet nos non omnia debere vituperare, quæ sunt in homine vituperabilia, sed ita laudare, ut mala detestemur, & e converso. Dicit ergo: *h* Homo quidam erat,] idest, Christus unus, non multiplex, unde in modico hospitio potest recipi, quod est contra Prælatos pomposos, qui tantam pompam ducunt, quod vix inveniunt hospitium, quod capiat eos. *Amos* 6. Væ, qui opulenti estis in Sion, &c. Domum Israel, idest, Ecclesiam.

Nota novem, in quibus imitandus est villicus iniquitatis spiritualiter.

i Dives] non pecunia, quia de illa parum, aut nihil habuit. Unde: Pauper, & inops ego sum, sed misericordia, in qua multum abundavit. *Psalm.* 144. Patiens, & multum misericors. *Psalm.* 111. Gloria, & divitiæ in domo ejus. *Prov.* 3. In sinistra illius divitiæ, & gloria. *k* Qui habebat villicum,] idest, villæ suæ, idest, Ecclesiæ custodem scilicet, quemlibet Prælatum. Unde *Cant.* 1. Posuerunt me custodem

O in vineis,

A a Et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset] male congregando, vel stulte servando, vel infideliter expendendo bona ipsius. Unde *Gloss.* Dissipatio est, quando male congregatur, vel non bene expenditur. Per hoc potest haberi, quia de mystico est, non enim ad litteram dissipatur pecunia, si male congregatur. *b* Et vocavit illum,] ut redderet ei rationem villicationis suæ, & ut sciret ipse, an verum esset, quod audiebat de illo. In quo ostenditur, quod non est facile credendum dicenti malum de alio. *Gen.* 18. Descendam & videbo, &c. Et 1. *Joan.* 4. Nolite omni spiritui credere.

De accus. qualiter 2.

B

c Et ait illi, quid hoc audio de te, redde rationem villicationis,] i. dispensationis, [tuæ.]

a & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius, *b* & vocavit illum, *c* & ait illi: Quid hoc audio de te? *d* Redde rationem villicationis tuæ: *e* Jam enim *f* non poteris villicare. Ait *g* autem villicus intra se: *h* Quid faciam, *i* quia Dominus meus aufert a me villicationem? *k* Fodere non valeo, *l* mendicare erubesco. *m* Scio, quid faciam, ut *n* cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in *o* domos suas. *p* Convocatis itaque singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo? At ille dixit: *q* Centum cados olei. *r* Dixitque illi, *s* Accipe cautionem tuam, *t* & sede cito, *u* scribe quinquaginta.

e Jam enim non poteris villicare,] post redditam computationem. Ostendit, neminem esse puniendum prius, quam fuerit convictus, aut confessus,

g Ait autem villicus] timore perterritus, intra se.

h Quid faciam,] *Gloss.* ut pœnas evitem.

i Quia Dominus meus aufert a me villicationem, fodere non valeo, mendicare erubesco.] Incipit deliberare: Et est summa deliberationis, quia Domino nesciente dimittit debitoribus partem debitorum, ut amissa villicatione recipiant eum. Dicit ergo:

m Scio, quid faciam] tempore hujus villicationis.

n Ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas] illi, quibus misericordiam impendero.

p Convocatis itaque singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo, quantum debes Domino meo? At ille dixit, centum cados olei.] *Beda*: Cados Græce, Amphora Latine, continens urnas tres. Corus modiis triginta impletur. *Isid.* Urna mensura est, quam quartarium vocant: Proprie autem est vas ad cineres mortuorum. De coro: *Ezech* 45.

r Dixitque illi, accipe cautionem tuam,] i. chartam, in qua cautum, idest, scriptum erat debitum. Charta enim pro cautione dabatur. Et cautio a cavendo dicitur.

t Et sede cito, scribe quinquaginta,] dimidiam partem dimittit.

A Deinde

Mystice.

Θ in vineis, vineam meam non custodivi. *a* Et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius,] idest, populum sibi commissum malo exemplo corrupisset, & bona ejus violenter auferendo dispersisset. *Jer. cap.* 12. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam. Item *cap.* 50. Grex perditus, &c.

b Et vocavit illum,] Dominus villicum, timorem æternæ damnationis incutiendo, vel flagellis atterendo, vel beneficiis attrahendo, aut per prædicatores monendo. His enim quatuor modis vocat Dominus. *Prov. cap.* 1. Vocavi, & renuistis, &c. *Job* 19. Servum meum vocavi, & non respondit mihi.

d Redde rationem villicationis tuæ:] idest, dum vivis, cogita qualiter debeas operari, & regere gregem tuum, alioquin in die judicii oportet te reddere computum, & rationem vitæ, & administrationis tuæ. Tunc enim quæretur a quolibet Prælato triplex quæstio. Prima erit: Amice, quomodo huc intrasti, idest, in prælationem. *Matth.* 22. Quis te introduxit? Nummus, vel Christus. Ad quid venisti? Ad honores, vel ad onus. Per quam portam intrasti? Charitatis, aut cupiditatis. Ego enim sum ostium: *Joan.* 10. Et si per me intrasses, utique ego scirem. At ille obmutuit, quia non cogitaverat de ista quæstione, & non poterat respondere in tantis scholis improvisus. Secunda quæstio erit: Quomodo vixisti? sc. sicut Episcopus, aut sicut rusticus, sicut homo, vel sicut equus, sicut pastor, vel sicut pecus? Hanc quæstionem recitat *Isa.* 22. Quid tu hic, aut quasi, quis hic? *Zach.* 11. O pastor, & idolum. *Ezech.* 34. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nec ad istam quæstionem datur ibi responsio. *Job* 9. Si repente interroget, quis respondebit ei? Tertia quæstio erit. Quomodo rexisti? In quibus pascuis gregem meum

Triplex quæstio fiet Prælatis in die judicii.

pavisti, quomodo a lupis, & latronibus custodisti, quantas vigilias, & labores pro grege meo sustinuisti? Hanc quæstionem recitat *Jer.* 13. Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum, quid dices, cum visitaverit te Dominus? Quæret enim gregem suum. *Jer.* 33. Adhuc transibunt greges ad manum numerantis. Neque etiam ad hanc quæstionem ponitur responsio ibi, idest, in Jeremia. *Job* 9. Non possum metuens respondere. Hanc triplicem quæstionem fecerunt exploratores de Dan sacerdoti Michæ: *Jud.* 18. Dicentes: Quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob causam venire voluisti? Et satis competit responsio ejus Prælatis nostri temporis. Hæc, & hæc inquit præstitit mihi Michas, & mercede me conduxit, ut sim ei sacerdos. Pauci enim hodie gratis serviunt Deo in prælatione. Unde *Mal.* 1. Quis est in vobis, qui claudat ostia mea, & incendat altare meum gratuito? quasi dicat, vel nulli, vel pauci sunt.

e Jam enim] a tempore mortis.

f Non poteris villicare,] quia deinde cessabit omnis Prælatio 1. *Cor.* 15. Cum tradiderit Christus regnum Deo patri, & cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem. *Eccles.* 41. O mors, quam amara est memoria tua.

i Quia Dominus meus aufert a me villicationem,] idest, prælationis administrationem: Quam aufert Dominus in morte cujuslibet, & in judicio plenius auferet per ostensionem: Tunc enim deponentur Prælati, qui nunc ponuntur: Modo est tempus positionis, tunc dicetur, cedat tempus. *Eccl.* 32. Rectorem te posuerunt, noli extolli, &c.

k Fodere non valeo.] Tunc nemo valebit fodere, idest, operari salutem suam. Nunc est tempus operandi, tunc erit tempus recipiendi. *Eccl.* 9. Quodcumque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, &c. *Joan.* 9. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.

l Mendicare erubesco.] & tamen necesse erit ei tunc alienum suffragium implorare, qui non habebit suum, sicut fatuæ Virgines *Matt.* 25. *Pr.* 20. Propter frigus piger arare noluit. *Eccl.* 40. Fili, in tempore vitæ ne indigeas, melius est enim mori, quam indigere.

o In domos suas.] Oportet ergo, quod clerici, qui modo recipiunt multorum eleemosynas, multas habeant domos in cœlo, in quibus recipiant illos, qui bona illa, quæ habent, contulerunt. Sed quid faciet, qui ibi nullam ædificavit?

p Convocatis itaque, &c.] Sic Prælatus debet convocare singulos peccatores, qui sunt debitores Domini sui: Juxta quod dicitur *Matth.* 6. Dimitte nobis, &c. & eorum indigentiam ex parte aliqua revelare. Debet etiam interrogare singulos, quantum debeant Domino. *Prov.* 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui.

q Centum cados olei.] idest opera pietatis, quæ ministerio quinque sensuum exhibentur, vel pœnam pro omissione.

s Accipe cautionem tuam,] idest, S. Scripturam, in qua cavetur de contractibus inter Deum, & hominem *Deut.* 4. Cave, ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum.

t Et sede cito,] per tui humiliationem. *Isa.* 47. Descende, sede in pulvere.

u Scribe quinquaginta.] idest, fac, ut habeas debiti tui remissionem quæ per quinquaginta significatur, & scribendo acquiritur. Qui enim scribit, litteras propria manu facit. Unde scribere, est, scripturam opere adimplere. 1. *Cor.* 16. Salutatio mea manu Pauli. Item per hoc, quod dimidiam partem dimittit, instruimur, quod qui non poterit relevare necessitatem proximi ex toto, relevet saltem ex dimidia parte, vel in quinta. Per hoc etiam instruimur, quod justitia nostra debet abundare plus quam Scribarum, & Pharisæorum, ut cum ipsi dederint

a Deus justis. Isto modo potest dici, quod particularis enunciatio habet vim fere universalis, quamvis eo modo posset dici, quo dicitur ab Apostolo, Deus omnia nobis dedisse, quia filium suum unigenitum dedit pro nobis. *Rom.* 8. In hunc mundum nihil ei negat, quem ad esum vituli saginati invitat. a Epulari autem, &c.] in conviviis solemus gaudere. In hoc exprimitur gaudium, quod est in regno Dei, quia sicut in inferno erit fletus, & stridor dentium, & omnimoda angustia, sic in regno Dei omnimoda lætitia. Unde *Beda in Gloss.* Sicut enim cupiditas, &c.

a Epulari autem, & gaudere oportebat, b quia frater tuus hic c mortuus erat, d & revixit, e perierat, f & inventus est.

CAP. XVI.

Dicebat g autem & ad discipulos suos, b Homo quidam erat i dives, qui k habebat villicum,

A

b Quia frater tuus] licet peccaverit. *Mal.* 2. Nunquid non unus pater omnium nostrum est? Quare ergo despicit unusquisque vestrum fratrem suum. c Mortuus erat] per peccatum. *Sap.* 1. Deus mortem non fecit, &c. d Et revixit,] per gratiam.

e Perierat,] per seipsum. *Psalm.* 118. Erravi sicut ovis, quæ periit. f Et inventus est.] a meipso, *sup. eod.* Inveni ovem, quæ perierat. Huculque expositio hujus parabolæ secundum *Gloss.* ubi etiam aliqua apposuimus.

Moraliter. Differentia inter epulari, & gaudere.

* a Epulari autem, & gaudere oportebat,] Epulari pertinet ad mensam, & significat interiorem animæ refectionem, gaudere ad musica instrumenta, & significat exteriorem exultationem. De utraque dicitur in *Psalm.* 41. In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis. Causam autem gaudii ponit, cum dicit:

b Quia frater tuus, &c.] Signanter vero dicit: [Frater tuus] non filius meus. Sic enim expressius commendat communionem gaudii, & magis invitat ad congaudendum. Sic Dominus dixit ad Moysen. *Exod.* 32. Descende, peccavit populus tuus. Et Moyses ad Dominum: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum. Sic uterque utrumque ad compassionem populi invitabat. In his autem duobus: [Mortuus erat, & perierat,] ostenditur, quod peccatum est & mors, & perditio. De primo dicitur *Rom.* 6. Stipendia peccati mors. De secundo: *Osee* 13. Perditio tua Israel, supple ex te est, & tantummodo in me auxilium tuum, &c.

EXPOSITIO CAP. XVI.

Dicebat autem, & ad discipulos suos, &c.] Quia Pharisæi superbi, & avari pœnitentibus veniam, & egentibus eleemosynam denegabant, ideo nunc de pœnitentia, nunc de eleemosyna sermonem conficit Dominus. In præcedenti autem cap. actum est de pœnitentia, ubi redarguit Dominus Pharisæos murmurantes de hoc, quod pœnitentes recipiebat ad colloquium, & convivium. In hoc cap. Pharisæis audientibus invitat discipulos suos ad eleemosynam faciendam. Et recto ordine post pœnitentiam agit Dominus de eleemosyna, quia per pœnitentiam est homo sibi propitios, per eleemosynam proximo. Et ordo charitatis requirit, ut quilibet primo se diligat. *Eccl.* 30. Miserere animæ tuæ placens Deo. Nam quomodo alteri bonus est, qui sibi nequam est, dicit *Eccl.* 14. nulli. Item per pœnitentiam culpa, per eleemosynam pœna relaxatur, & prius est culpa, quam pœna. Item pœnitens juste misericordiam expectat a Deo, qui misericordiam facit proximo, & ideo, ut pœnitentia sit fructuosa, post pœnitentiam agit de misericordia, seu eleemosyna. Ad quam faciendam, invitat duplici parabola. Unde de villico iniquo, altera de divite purpurato. Dividitur autem hoc cap. in tres partes. In prima monet ad misericordiam, & corripit avaritiam, docens amatores pecuniæ, Deum amare non posse. In secunda, quia disputando contra avaritiam videbatur contra legem multa dixisse, ubi multi divites Deo placuerunt, ostendit convenientiam, & differentiam legis, & Evangelii, ibi [Audiebant autem] In tertia ostendit per parabolam Lazari, & divitis fructum eleemosynæ: Nam si dives dedisset Lazaro eleemosynam, fuisset eum eo receptus in cœlu, sed quia non dedit, sepultus est in inferno, ibi [Homo quidam erat dives, &c.] Dicit ergo:

g Dicebat autem, & ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum,] idest, dispensatorem, sive œconomum. Villicus enim proprie dicitur custos villæ, œconomus vero familiæ dispensator.

▲ Et hic

b Homo quidam erat dives, &c.]

Mystice.

Mystice. Per villicum, qui est custos villæ, & pastor pecorum, intelligitur prælatus, qui est custos Ecclesiæ, & pastor animarum. Unde *Act.* 20. Attendite vobis, & universo gregi, in quo posuit vos Sp. Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Commendat autem Dominus istum in novem, in quibus imitandus est spiritualiter, non in fraude, quam fecit contra Dominum suum, & tamen multo plures imitantur eum in fraude, quam in illis novem. Primum est, in quo commendat eum Dominus, quia prævidit villicationem suam esse finiendam. Unde dixit: Dominus meus aufert a me villicationem. Sic quilibet Prælatus debet prævidere prælationem suam cito esse finiendam. *Prov.* 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Non enim habebis jugiter potestatem. *Eccl.* 10. Omnis potentatus vita brevis. Secundum est, quia præcogitavit, quomodo sibi sucurreret in futurum. Unde dixit, [Quid faciam, &c.] Sic omnis prælatus deberet facere, idest, sibi imposterum providere. *Prov.* 6. Vade ad formicam, o piger, &c. quæ congregat æstate, quod comedat hyeme, sc. Tertium est, quia consideravit statum suum, & posse suum. Unde dicit: [Fodere non valeo, &c.] Sic Prælatus debet posse, & statum suum attendere. *Job* 5. Visitans speciem tuam, &c. *Gal.* 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, &c. Quartum est, quia amicitiam proximorum judicavit esse remedium malorum. Unde dixit; [Scio, quid faciam, &c.] Sic Prælatus contra mala sibi imminentia debet quærere amicitiam pauperum, sc. omnium. Unde *inf. eod.* Facite vobis amicos, &c. Quintum est, quia Dominum suum largum prædicavit, cujus bona largiter dedit, & debita condonavit. Unde dixit: Quantum, debes, &c. Sic Prælatus non debet esse avarus in dando, vel condonando, cum Dominus suus, i. Christus in utroque sit largus. *Jac.* 1. Qui dat omnibus affluenter, & non improperat. *Sup.* 6. Dimittite, & dimittemini, date, & dabitur vobis. Sextum est, quia dedit exemplum aliis providendi, sibi in posterum, & considerandi statum suum. Unde dicit: [Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia, &c.] Unde statim infert: [Et ego dico vobis, &c.] Sic Prælatus debet aliis dare bonum examplum. *Matth.* 5. Luceat lux vestra coram hominibus, &c. Septimum est, quia discrevit inter dona Domini. Plus enim de oleo, quam de tritico condonavit. Unde dixit:] Scribe quinquaginta.] Sic Prælatus discernere debet inter dona Dei, & ea discrete distribuere indigentibus secundum gradus, & necessitates eorum. *Psalm.* 111. Dispersit, dedit pauperibus, &c. Octavum est, quod cautionem, & scripturam receperat a debitoribus de bonis traditis eis. Sic Prælatus sub testimonio scripturæ debet tradere bona Domini sui. *Jerem.* 32. Appendi argentum in statera, & accepi librum possessionis signatum, &c. *Job* 31. Librum scribat ipse, qui judicat, ut in humero meo portem illum. Nonum est, quia scivit, & professus est se habere Dominum, Unde dixit: [Dominus meus aufert a me villicationem, &c.] Sic Prælatus licet aliis præsit, debet tamen scire se habere Dominum superiorem, qui reddet rationem villicationis suæ in die judicii, quando dicetur ei: Ubi est grex, qui datus est tibi, &c. *Jerem.* 13. Et ne intelligas de grege pecorum, dicit *Ezech.* 34. Vos greges mei, greges pascuæ meæ homines estis. Propter hæc novem laudat Dominus villicum, & tamen iniquum vocat, in quo docet nos non omnia debere vituperare, quæ sunt in homine vituperabilia, sed ita laudare, ut mala detestemur, & e converso. Dicit ergo: b Homo quidam erat,] idest, Christus unus, non multiplex, unde in modico hospitio potest recipi, quod est contra Prælatos pomposos, qui tantam pompam ducunt, quod vix inveniunt hospitium, quod capiat eos. *Amos* 6. Væ, qui opulenti estis in Sion, &c. Domum Israel, idest, Ecclesiam.

Nota novem, in quibus imitandus est villicus iniquitatis spiritualiter.

i Dives] non pecunia, quia de illa parum, aut nihil habuit. Unde: Pauper, & inops ego sum, sed misericordia, in qua multum abundavit. *Psalm.* 144. Patiens, & multum misericors. *Psalm.* 111. Gloria, & divitiæ in domo ejus. *Prov.* 3. In sinistra illius divitiæ, & gloria. k Qui habebat villicum,] idest, villæ suæ, idest, Ecclesiæ custodem scilicet, quemlibet Prælatum. Unde *Cant.* 1. Posuerunt me custodem

in vineis,

a & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius, b & vocavit illum, c & ait illi: Quid hoc audio de te? d Redde rationem villicationis tuæ: e Jam enim f non poteris villicare. Ait g autem villicus intra se: h Quid faciam, i quia Dominus meus aufert a me villicationem? k Fodere non valeo, l mendicare erubesco. m Scio, quid faciam, ut n cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in o domos suas. p Convocatis itaque singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo? At ille dixit: q Centum cados olei. r Dixitque illi, s Accipe cautionem tuam, t & sede cito, u scribe quinquaginta.

▲ a Et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset] male congregando, vel stulte servando, vel infideliter expendendo bona ipsius. Unde *Gloss.* Dissipatio est, quando male congregatur, vel non bene expenditur. Per hoc potest haberi, quia de mystico est, non enim ad literam dissipatur pecunia, si male congregatur. b Et vocavit illum,] ut redderet ei rationem villicationis suæ, & ut sciret ipse, an verum esset, quod audiebat de illo. In quo ostenditur, quod non est facile credendum dicenti malum de alio. *Gen.* 18. Descendam & videbo, &c. Et 1. *Joan.* 4. Nolite omni spiritui credere.

De accus. qualiter 2.

B

c Et ait illi, quid hoc audio de te, redde rationem villicationis,] i. dispensationis, [tuæ.]

e Jam enim non poteris villicare,] post redditam computationem. Ostendit, neminem esse ponendum prius, quam fuerit convictus, aut confessus.

g Ait autem villicus] timore perterritus, intra se.

h Quid faciam,] *Gloss.* ut pœnas evitem.

i Quia Dominus meus aufert a me villicationem, fodere non valeo, mendicare erubesco.] Incipit deliberare: Et est summa deliberationis, quia Domino nesciente dimittit debitoribus partem debitorum, ut amissa villicatione recipiant eum. Dicit ergo:

m Scio, quid faciam] tempore hujus villicationis.

n Ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas] illi, quibus misericordiam impendero.

p Convocatis itaque singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo, quantum debes Domino meo? At ille dixit, centum cados olei.] *Beda*: Cados Græce, Amphora Latine, continens urnas tres. Corus modiis triginta impletur. *Isid.* Urna mensura est, quam quartarium vocant: Proprie autem est vas ad cineres mortuorum. De coro: *Ezech* 45.

r Dixitque illi, accipe cautionem tuam,] i. chartam, in qua cautum, idest, scriptum erat debitum. Charta enim pro cautione dabatur. Et cautio a cavendo dicitur.

t Et sede cito, scribe quinquaginta,] dimidiam partem dimittit.

▲ Deinde

Mystice.

Θ in vineis, vineam meam non custodivi. a Et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius,] idest, populum sibi commissum malo exemplo corrupisset, & bona ejus violenter auferendo dispersisset. *Jer. cap.* 12. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam. Item *cap.* 50. Grex perditus, &c.

b Et vocavit illum,] Dominus villicum, timorem æternæ damnationis incutiendo, vel flagellis atterendo, vel beneficiis attrahendo, aut per prædicatores monendo. His enim quatuor modis vocat Dominus. *Prov. cap.* 1. Vocavi, & renuistis, &c. *Job* 19. Servum meum vocavi, & non respondit mihi.

d Redde rationem villicationis tuæ:] idest, dum vivis, cogita qualiter debeas operari, & regere gregem tuum, alioquin in die judicii oportet te reddere computum, & rationem vitæ, & administrationis tuæ. Tunc enim quæretur a quolibet Prælato triplex quæstio. Prima erit: Amice, quomodo huc intrasti, idest, in prælationem. *Matth.* 22. Quis te introduxit? Nummus, vel Christus. Ad quid venisti? Ad honores, vel ad onus. Per quam portam intrasti? Charitatis, aut cupiditatis. Ego enim sum ostium: *Joan.* 10. Et si per me intrasses, utique ego scirem. At ille obmutuit, quia non cogitaverat de ista quæstione, & non poterat respondere in tantis scholis improvisus. Secunda quæstio erit: Quomodo vixisti? sc. sicut Episcopus, aut sicut rusticus, sicut homo, vel sicut equus, sicut pastor, vel sicut pecus? Hanc quæstionem recitat *Isa.* 22. Quid tu hic, aut quasi, quis hic? *Zach.* 11. O pastor, & idolum. *Ezech.* 34. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nec ad istam quæstionem datur ibi responsio. *Job* 9. Si repente interroget, quis respondebit ei? Tertia quæstio erit. Quomodo rexisti? In quibus pascuis gregem meum

Triplex quæstio fiet Prælatis in die Judicii.

pavisti, quomodo a lupis, & latronibus custodisti, quantas vigilias, & labores pro grege meo sustinuisti? Hanc quæstionem recitat *Jer.* 13. Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum, quid dices, cum visitaverit te Dominus? Quæret enim gregem suum. *Jer.* 33. Adhuc transibunt greges ad manum numerantis. Neque etiam ad hanc quæstionem ponitur responsio ibi, idest, in Jeremia. *Job* 9. Non possum metuens respondere. Hanc triplicem quæstionem fecerunt exploratores de Dan sacerdoti Michæ: *Jud.* 18. Dicentes: Quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob causam venire voluisti? Et satis competit responsio ejus Prælatis nostri temporis. Hæc, & hæc inquit præstitit mihi Michas, & mercede me conduxit, ut sim ei sacerdos. Pauci enim hodie gratis serviunt Deo in prælatione. Unde *Mal.* 1. Quis est in vobis, qui claudat ostia mea, & incendat altare meum gratuito? quasi dicat, vel nulli, vel pauci sunt.

e Jam enim] a tempore mortis.

f Non poteris villicare,] quia deinde cessabit omnis Prælatio 1. *Cor.* 15. Cum tradiderit Christus regnum Deo patri, & cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem. *Ecclesi.* 41. O mors, quam amara est memoria tua.

i Quia Dominus meus aufert a me villicationem,] idest, prælationis administrationem: Quam aufert Dominus in morte cujuslibet, & in judicio plenius auferet per ostensionem: Tunc enim deponentur Prælati, qui nunc ponuntur: Modo est tempus positionis, tunc dicetur, cedat tempus. *Eccl.* 32. Rectorem te posuerunt, noli extolli, &c.

k Fodere non valeo.] Tunc nemo valebit fodere, idest, operari salutem suam. Nunc est tempus operandi, tunc erit tempus recipiendi. *Eccl.* 9. Quodcumque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, &c. *Joan.* 9. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.

l Mendicare erubesco.] & tamen necesse erit ei tunc alienum suffragium implorare, qui non habebit suum, sicut fatuæ Virgines *Matt.* 25. *Pr.* 20. Propter frigus piger arare noluit. *Eccl.* 40. Fili, in tempore vitæ ne indigeas, melius est enim mori, quam indigere.

o In domos suas.] Oportet ergo, quod clerici, qui modo recipiunt multorum eleemosynas, multas habeant domos in cœlo, in quibus recipiant illos, qui bona illa, quæ habent, contulerunt. Sed quid faciet, qui ibi nullam ædificavit?

p Convocatis itaque, &c.] Sic Prælatus debet convocare singulos peccatores, qui sunt debitores Domini sui: Juxta quod dicitur *Matth.* 6. Dimitte nobis, &c. & eorum indigentiam ex parte aliqua revelare. Debet etiam interrogare singulos, quantum debeant Domino. *Prov.* 17. Diligenter agnosce vultum pecoris tui.

q Centum cados olei.] idest opera pietatis, quæ ministerio quinque sensuum exhibentur, vel pœnam pro omissione.

s Accipe cautionem tuam,] idest, S. Scripturam, in qua cavetur de contractibus inter Deum, & hominem *Deut.* 4. Cave, ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum.

t Et sede cito,] per tui humiliationem. *Isa.* 47. Descende, sede in pulvere.

u Scribe quinquaginta.] idest, fac, ut habeas debiti tui remissionem quæ per quinquaginta significatur, & scribendo acquiritur. Qui enim scribit, literas propria manu facit. Unde scribere, est, scripturam opere adimplere. 1. *Cor.* 16. Salutatio mea manu Pauli. Item per hoc, quod dimidiam partem dimittit, instruimur, quod qui non poterit relevare necessitatem proximi ex toto, relevet saltem ex dimidia parte, vel in quinta. Per hoc etiam instruimur, quod justitia nostra debet abundare plus quam Scribarum, & Pharisæorum, ut cum ipsi dederint

a Deinde alio dixit: Tu vero, quantum debes? Qui ait centum *b* coros tritici. Ait illi: *c* Accipe litteras tuas, & *d* scribe octoginta. Et *e* laudavit Dominus villicum iniquitatis, *f* quia prudenter fecisset, *g* quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt: Et *h* ego vobis dico: *i* Facite vobis amicos de *k* mammona iniquitatis, ut cum *l* defeceritis, *m* recipiant vos in *n* æterna tabernacula. *o* Qui fidelis est in minimo, *p* & in majori *q* fidelis est;

▲ *a* Deinde alio dixit, tu vero quantum debes? qui ait, centum choros tritici: Ait illi: Accipe litteras tuas,] quod *supr.* dixerat cautionem, nunc dicit litteras.
d Scribe octoginta.] quintam partem dimittit. *e* Et laudavit Dominus villicum iniquitatis,] i. villicum iniquum, non de fraude, sed de prudentia, idest, de providentia. *f* Quia prudenter fecisset,] idest, quia sibi providerat in posterum. Et ideo probatio est a minori, & quasi in contrarium, nam si ille, qui sibi providit de re minima, commendatus est a Domino suo, longe amplius commendabitur, qui in re maxima, sibi provideat. Item, si fraudolentos, longe amplius commendabitur, qui sibi providet legitime. *g* Quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua] carnali, [sunt] *Beda:* Cujusquisque opera agit, ejus & filius dicitur. Unde filii sæculi dicuntur, i. tenebrarum, & filii lucis, idest, æternæ visionis.

C

O decimas, nos dare debeamus dimidia bona nostra.
b Centum choros tritici.] idest, prædicationem verbi divini, qua reficiuntur populi. Per oleum quippe opera pietatis designantur, quæ debent laici, qui bona temporalia a Domino receperunt, pauperibus ministrare. Unde *Matth.* 25. dicunt quinque fatuæ Virgines prudentibus. Date nobis de oleo vestro. Per triticum vero designatur verbum Dei, quo reficiuntur animæ. *Zach.* 9. Quid est bonum ejus, &c. Hoc debent clerici, qui scientiam receperunt a Domino, ut eam laicis prædicando ministrent, *sup.* 12. Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, &c. *Joel.* 1. Demolita sunt horrea, idest, libri, vel corda, dissipatæ sunt apothecæ, idest, scholæ, vel Ecclesiæ, quoniam confusum est triticum, idest, verbum Dei adulteratum. *Apoc.* 6. Bilibris tritici denario uno. 4. *Reg.* 7. Modicus similæ, &c. *e* Accipe litteras tuas, &c.] Litteræ sunt Decretales, quæ nihil aliud sunt, quam quædam compilatio litterarum, quas Dominus jubet accipi manu, & scribere octoginta, quia qui facit ea, quæ continentur in litteris istis, posset ad octo beatitudines pervenire. Multi sciunt, & audiunt litteras istas, sed pauci faciunt. Ideo dicit *Psalm.* 70. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. Alia translatio habet. Quoniam non cognovi negotiationem, quia illa litteratura hodie facta est negotiatio. Propter quod dicit Apostolus. 2. *Cor.* 3. Littera occidit. *Jos.* 15. Qui percusserit Cariathsepher, quæ civitas litterarum interpretatur, idest, Decretales, habebit Axam filiam meam uxorem, quæ interpretatur furor, vel furibunda, cepitque eam Othoniel, idest, respondens Deo, idest, Papa, qui revera percussit eas, quia omnes Decretales in unum redegit, unde multi, quasi furibundi, contra ipsum insaniunt. *Oseæ ult.* Tollite vobiscum verba, &c. *e* Et laudavit, &c.] Hæ sunt indulgentiæ Pontificum etiam malorum, quæ laudantur a Domino. Sed ei, qui debebat oleum, idest, laico, multum dimittitur, ei vero, qui debet triticum, idest, verbum Dei, parum, sc. clerico. Indulgentiæ enim parum prosunt clericis, quia contemnunt eas, nec quærunt, sed laicis multum prosunt, qui in eis confidunt. *g* Quia filii hujus sæculi.] Filii sæculi, sunt amatores sæculi, filii lucis sunt amatores cœli. Illi sunt prudentiores in generatione sua carnali, quam isti in sua spirituali. Diligentius enim, & ardentius student clerici ad prudentiam sæcularem, quam spiritualem. Sed quomodo vident clarius filii tenebrarum, quam filii lucis, cum nihil videri possit, nisi in luce? Resp. Bubo, & murilegus clarius vident in nocte, quam homines, non litteras ad legendum, sed mures ad capiendum. Sæcularia enim grossa sunt, & palpari possunt etiam de nocte, spiritualia autem subtilia sunt, & vix videri possunt etiam in luce. Sequitur: *h* Et ego vobis dico, facite vobis amicos] Angelos, scilicet & omnes Sanctos.
k De mammona iniquitatis,] i. de pecunia tam corporali, quam spirituali inæqualiter possessa, eam indigentibus distribuendo. Scientia enim, & virtus est pecunia, quæ quanto plus distribuitur, tanto amplius crescit. Et ipsa distributio acquirit amicitiam Angelorum Dei *Prov.* 11. Alii dividunt propria, & ditiores fiunt, alii rapiunt non sua; sed, & semper in egestate sunt. Et hanc pecuniam præcipit etiam Dominus ad usuram dari. *l* Ut cum defeceritis] a vita, vel a meritis propriis, recipiant vos in æterna tabernacula. Vel sic: *i* Facite vobis amicos] pauperes, scilicet: Et dicit *Gloss.* Non quoslibet pauperes, sed eos, qui possunt vos in æterna tabernacula recipere. Non ergo peccatores.
k De mammona iniquitatis,] iste locus aliquos subruit in gehenna, sc. male intelligentes, adhærent enim huic loco, rapientes, & de rapina eleemosynas facientes, cum habeat auctoritas, quia idem est eleemosynam facere de rapina pauperis, & mactare filium in conspectu patris: Non est ergo intelligendum, de mammona iniquitatis, idest, pecunia inique acquisita, & injusto titulo possessa. Sed intellige, de mammona iniquitatis, i. de divitiis, quæ solent facere iniquos, i. solent esse materia iniquitatis. Vel potest sic exponi: De mammona iniquitatis, i. de divitiis inique acquisitis, vel inique retentis, eas restituendo: *Aug.* Omnis dives, aut iniquus est, aut iniqui hæres. Vel: [Iniquitatis,] i. inæqualitatis. Simile *Eccl.* 42. Melior est iniquitas viri, i. activa, quam mulier benefaciens, i. contemplativa. Nota etiam, quod quandoque invenitur mammona mammonæ primæ declinationis, quandoque mammon mammonis tertiæ. Et volunt, quidam distinguere, ut mammona mammonæ, nomen sit divitiarum. Mammon mammonis, nomen sit dæmonis, qui præest divitiis, i. qui decipit, per divitias, quia singuli dæmones habent officia, sibi deputata. Et est magistralis distinctio. *Glos. Bedæ:* Mammona lingua Syrorum, divitiæ iniquitatis, quia de iniquitate collectæ sunt, i. quæ collectæ sæpe faciunt iniquos. *Beda in homil.* Mammon lingua Punica lucrum dicitur. Sequitur. *l* Ut cum defeceritis] sicut prius. *m* Recipiant vos] pauperes scilicet, i. sint causa, vel occasio, quare recipiamini.

14. q. 5. Qui habuerit.

n In æterna tabernacula.] *Chrys.* Si gloriosum est recipere pauperes corporaliter pauperes, quantu magis spiritualiter indigentes. De his tabernaculis dicitur *Num* 24. Quam pulchra tabernacula tua Jacob. Seq. *o* Qui fidelis, &c.] Loquens Dominus de pecunia egenis eroganda contra avaritiam Pharisæorum, dederat similitudinem in contrarium. Si enim commendatus est a Domino, qui sibi providit fraudulenter, longe amplius commendabitur, qui sibi legitime providebit. Quia ergo promiserat in parabola de dispensatione pecuniæ corporalis, subdit sine parabola de dispensatione pecuniæ spiritualis, i. de talentis scientiæ verbi Dei, quæ sunt eroganda subditis. Et est quasi Anthypophora, idest, responsio ad tacitam objectionem. Quia enim loquebatur de eroganda pecunia, posset dicere Petrus, vel aliquis aliorum: Nos non habemus pecuniam. Et ipsi revera poterant se excusare, quia nec etiam, quæ projiciebantur ad pedes eorum, dispensabant. Imo sicut habetur *in Actibus Apostolorum*, elegerant septem Levitas, qui ea dispensarent, ut ipsi prædicationi libere vacarent. Possent ergo dicere Apostoli. Nihil ad nos de pecunia eroganda. Imo multum ad vos dicit Dominus, ut per idipsum insinuetur vobis, quia si fideles fuistis in dispensatione munerum, &c. Unde *in ep. ad Timotheum, & ad Titum*, hoc præcipue consideratur circa Episcopum eligendum, an fuisset fidelis in dispensatione rei familiaris. Dicit ergo: [Qui fidelis est in minimo,] i. in carnalibus in usus fratrum bene expensis. *p* Et in majoribus fidelis est,] idest, in spiritualibus erogandis. *Matth.* 25. Ibi *Gloss. Gregorii*. Pauca sunt bona præsentis vitæ, quamvis multa videantur, quia non sine alicujus molestiæ admixtione sunt, multa autem bona æterna, quæ sunt sine omni corruptionis molestia. Vel sic, ut legatur, in, pro quo, quasi dicat Dominus Apostolis. Vere debetis laborare, ut fideliter dispensetis pecuniam spiritualem, quia: *o* Qui fidelis est in minimo,] idest pro minimo, idest, qui fidelis a Domino reputatur pro dispensatione minorum, amplius reputabitur fidelis pro dispensatione majorum. Unde *Gloss. Bedæ*. Si iniquitas bene dispensata vertitur in justitiam, quanto magis † epulæ divini sermonis, in quo nulla est iniquitas, bonum dispensatorem levant in cœlum. Et est sensus: Si prodivitiis, quæ solent facere iniquos, bene dispensatis, justus reputatur quis a Domino, quanto magis, &c. Item alia *Glos. Bedæ* de eadem expositione.

al. † epistolæ.

o Qui fidelis est in minimo,] idest, pro pecunia bene erogata, multo magis. *p* Et in majori,] i. pro majori.
q Fidelis est:] idest, reputatur a Domino. Item [Qui fidelis

delis est in minimo, &c.] idest, qui minimam Ecclesiam vel administrationem fideliter regit, & majorem fideliter reget, ad quam provehi meretur. *Isa.* 60. Minimus erit in mille, &c. 1. *Tim.* 3. Qui bene ministraverunt, gradum bonum sibi acquirent. Sequitur. *a* Et qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est,] idest, qui in scientia sæculari, vel philosophica est infidelis, & in spirituali scientia, seu Theologia erit infidelis. Vel qui in pecunia corporali pauperibus dividenda est infidelis, & in pecunia spirituali dividenda erit infidelis. Unde *Gl.* Qui non dat fratribus ad utendum, quod a Deo omnibus est creatum, iniquus erit in spirituali pecunia dividenda, ut non pro necessitate, sed pro personis in accipiendo personas Domini dividat doctrinam, quia qui non dat minus, quomodo libenter dabit majus? Nisi forte quis æstimet majus pecuniam corporalem quam spiritualem. Argumentum est, quod avarus non potest esse bonus prædicator, quia non habet viscera charitatis. Juxta illud, 2. *Joann.* 3. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum egentem, & clauserit, &c. *Greg.* Qui charitatem ad proximum non habet officium prædicationis assumere non debet. *Ambros.* Avaritia tentat, ut serviamus idolis. *Job* 24. Inter acervos eorum, i. pauperum meridiati sunt, qui, &c. Sequitur. *b* Si ergo in iniquo mammona,] i. in divitiis, in quibus præest iniquus mammon, ut de eis tentet homines, [fideles non fuistis.] *c* Quod verum est,] idest, veræ vitæ gaudia, vel virtutes, quibus ad vitam venitur, [quis credet vobis?] Sensus est, idest si in falsis divitiis non fuistis fideles, quis dabit vobis veras divitias? quasi dicat nullus. Unde *Gl.* Si divitias carnales, quæ labuntur, non bene dispensatis, veras, & æternas divitias quis dabit vobis.

& *d* qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. Si *b* ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, *c* quod verum est, quis credet vobis? Et si in *d* alieno fideles non fuistis, quod vestrum *e* est, quis dabit vobis? *f* Nemo servus potest duobus Dominis servire, *g* aut enim unum odiet, & *h* alterum diliget, *i* aut uni adhærebit, *k* & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & mammonæ.

d Et si in alieno fideles non fuistis.] *Beda*. Alienum est a vobis quicquid sæculi est, quia præter naturam, quia, ad hoc non sumus nati. Præter naturam, idest, præter id, ad quod natus est homo, idest, creatus scilicet ut Deum cognosceret, cognitum diligeret, dilectio frueretur. *e* Quod vestrum est.] *Beda*. Ea quæ proprie homini deputata sunt, scilicet bona spiritualia & æterna; [quis dabit vobis?] q. d. nullus. Sequitur. *f* Nemo servus, &c.] Continuatio. Ideo hortor ad liberaliter erogandum pecuniam egenis, ne apponatis cor divitiis, & ita sitis servi earum, & non sitis servi Dei, quia. [Nemo servus potest duobus dominis] inter se dissidentibus [servire,] quia duobus dominis, quorum alter sub altero esset, bene posset quis servire, sed omnino contrariis non potest. Deo scil. qui vult bonum, & diabolo, qui non vult nisi malum. Ecce quam contrarii sunt. *g* Aut enim unum] i. diabolum, [odio habebit.] *h* Et alterum] i. Deum [diliget] quia nihil medium. *i* Aut uni] scilicet diabolo, [adhærebit.] *k* Et alterum contemnet] scil. Deum, cujus mandata postponit, etsi diligat naturaliter. Et nota, quia non ait, aut unum diliget, & alterum odiet, quia nemo diabolum diligit, quia hostem generis humani non posset natura humana diligere. Item duo Domini sunt Deus, & pecunia. *Beda*. Corripiens avaritiam dicit amatores pecuniæ Deum amare non posse, qui ergo Deum amat, contemnit pecuniam. *Chrys.* Qui non facit eleemosynas, nec cor habet in cœlo, neque spem in Deo, neque mentem mundam, & spiritualem, nec potest corpus suum servare sine peccato. Nota, quia duo Domini, quibus non potest simul serviri, sunt vitia, & virtutes, cœlestia, & terrena, Deus & diabolus, vera gloria, & vana gloria, caro, & spiritus. Multi tamen sunt, qui utrisque servire laborant. De quibus dicitur 4. *Reg.* 17. Fuerunt gentes Deum timentes, & nihilominus idolis servientes. *Soph.* 1. Disperdam eos, qui jurant in Dominum, & jurant in Melchon *Eccl.* 2. Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. Illis dicitur 3. *Reg.* 18. Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus, &c. Si Baal, &c. Utrumque enim sequi impossibile est. *Isa.* 28. Coangustatum est stratum, &c. 1. *Cor.* 10. Non potestis mensæ Domini participes esse, & dæmoniorum. *Lev.* 19. Veste, quæ ex duobus texta est, non indueris. 2. *Cor.* 6. Quæ conventio Christi ad Belial? Et sicut nemo potest duobus dominis servire, ita nec duabus dominabus, idest, duabus præbendis, imo multo minus. Quis enim unus existens, diversorum corporum pars est? Una avis quomodo potest duobus nidis incubare simul? Una rota quomodo potest duobus curribus inservire? Unus bos quomodo portabit duo juga simul, quomodo arabit? Revocans ergo Dominus a curiositate, & sollicitudine hujus vitæ, dicit. [Nemo potest, &c.] Hujus autem impossibilitatis quatuor sunt rationes. Prima est contrarietas officiorum, quia Dominus vult sibi serviri dispergendo. Unde *Ps.* 111. Dispersit, dedit pauperibus. *Matth.* 19. Si vis perfectus esse, &c. Diabolus vero, & mundus vult sibi serviri congregando. Sicut patet in divite, *sup.* 12. qui dixit. Destruam horrea mea, &c. *Exod.* 5. Dispersus est populus per universam terram Ægypti ad colligendas paleas. Item servitium Dei est in exercitio virtutum, *sup.* 1. Serviamus illi in sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus nostris. *Ps.* 2. Servite Domino in timore. Servitium vero diaboli est in opere vitiorum, *sup.* 15. Filius prodigus adhæsit uni civium, i. diabolo, qui misit illum in villam suam, ut pasceret porcos, i. motus immundos, serviendo gulæ, & luxuriæ. Item diabolus præcipit statuas adorari. *Dan.* 3. Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream, &c. & præco, &c. Deus vero vult eas confringi. *Deut.* 12. Dissipate aras, & confringite statuas. Secunda ratio est diversitas locorum. Diabolus enim in loco immundo habitat. *Job* 40. Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus, sicut porcus. Dominus vero habitat in montibus, sicut cervus. *Psal.* 122. Qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra. *Cant.* 2. Ecce iste veniet saliens in montibus, transiliens colles. Unde Dagon, & Arca Domini simul esse non poterant. 1. *Reg.* 5. Arca Domini, Christus est. Nam in arca erat manna, & tabulæ, & virga, i. dulcedo charitatis, rectitudo justitiæ, discretio sapientiæ. 1. *Cor.* 1. Prædicamus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Tertia ratio est diversitas ministrorum: Dominus enim vult habere ministros unius compositionis. *Ps.* 67. Qui habitare facit unius moris in domo. *Prov.* 31. Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Unde Regina Saba super omnia mirata est officia ministrorum Salomonis, & vestimenta eorum. 3. *Reg.* 10. & 2. *Paral.* 9. Diabolus autem vult habere servientes diversorum habituum. Unde Rex filiorum Ammon præcidit servis David vestes usque ad nates, & rasit dimidiam barbam. 2. *Reg.* 10. Vult etiam diabolus servientes habere monoculos.

Unde 1. *Reg.* 11. Dixit Naas Jabitis. In hoc feriam vobiscum pactum, &c.

Quarta ratio est unitas temporis, quia uterque Dominus vult serviri toto tempore. De diabolo dicitur. *Jer.* 16. Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die, ac nocte. De Domino, *sup.* 1. Serviamus illi in sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus nostris. Sed multi conantur contra hanc impossibilitatem, volentes arare in bove, & asino, quorum alter est mundus, alter immundus contra legis prohibitionem. *Deuter.* 22. Non arabis in bove simul, & asino. *l* Non potestis.] Hic exponit, qui sint duo domini, dicens. [Non potestis Deo servire, & mammonæ,] idest, dæmoni, qui præest divitiis, non quia potestatem habeat dare illas, cui voluerit, sed quia aliquando permittitur tentare per ipsas. Servit autem quis divitiis avare acquirendo, quod est nequitia. *Eccl.* 10. Avaro nihil est scelestius: hic enim animam suam venalem habet, projecit enim intima sua in vita sua, idest, virtutes. Nam sicut amissis visceribus corpus deficit, sic amissis virtutibus anima non vivit. Et sicut uno viscere corrupto, omnia corrumpuntur, sic una virtute perdita, omnes perduntur. Item servit quis divitiis, cupide retinendo, quod est homicidium. *Proverbiorum* 28. Qui coacervat divitias usuris, & fœnore liberali in pauperes, idest, in mortem pauperum, vel contra pauperes congregat eas. Unde pauperes fame, & egestate afflicti clamant. *Apocal.* 6. Vindica, Domine, sanguinem nostrum de manu divitum, qui permittunt nos fame cruciari. *Psalm.* 9. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est, &c. Nec dicit, nemo potest servire Deo in divitiis, sed & divitiis. Potest enim quis servire Deo in divitiis, acquirendo propter Deum, ut habeat, unde subveniat,

Matt. 6.

D

Hebr. 5.

niat pauperibus. *Eph.* 4. Qui furabatur, jam non furetur, &c. Item servit quis in divitiis propter Deum, & proximum perdendo. *Eccl.* 29. Perde pecuniam, &c. Non ait, habere divitias, sed servire. Servit, qui divitias custodit, ut servus, sed qui servitutis excussit jugum, distribuit ut Dominus. Qui mammonæ servit, illi utique servit, qui merito suæ perversitatis rebus istis præpositus, Princeps a domino hujus mundi dicitur. *Joan.* 14.

a Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, *b* & deridebant illum. *c* Et ait illis. *d* Vos estis, qui justificatis vos *e* coram hominibus, *f* Deus autem novit corda vestra, *g* quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. *h* Lex, & prophetæ usque ad Joannem, *k* ex eo *i* regnum Dei *k* evangelizatur, *l* & omnis in illud vim facit.

Matt. 11. *Secunda Pars.*

a Audiebat autem omnia, &c.] Secunda pars, in qua ostendit Dominus convenientiam, & differentiam legis, & Evangelii. *Supra* autem 14. arguit eos Dominus de superbia, in proximo de avaritia. Intelligentes ergo prædicta esse dicta a Domino in suggillationem eorum, derident eum, & duplici de causa. Tum quia contra amorem divitiarum loquebatur, & quia contra legem loqui videbatur, quæ promittebat terrena. Tum quia inutiliter, & quasi superflue imperaret facere eleemosynas, cum sine ejus præcepto subvenirent proximis egentibus. Quia ergo disputans contra avaritiam, videbatur divitias reprobasse, quas lex suis observatoribus promittebat, ideo occurrens Dominus ostendit, quod lex amisit statum suum. Nam lex, & Prophetæ usque ad Joannem, qui est finis legis, & initium gratiæ, qui pœnitentiam, & vitæ austeritatem verbo, & exemplo docuit arripere propter cœlestia tantum. Unde Judæi indignantes deridebant eum. Ait ergo. [Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari,] & ideo dolebant, & indignabantur, quod contra divitias disputaret. Sicut modo indignantur multi contra illos, qui loquuntur contra multitudinem præbendarum, quia vel ipsi habent, vel habere volunt. *Greg.* Omnes suis vitiis favent.

b Et deridebant illum.] *Job* 12. Deridetur justi simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum. *c* Et ait illis, vos estis, qui justificatis vos,] quasi arguitis me de peccatorum susceptione. Sed magis vos arguendi estis de simulatoria abjectione, qui quasi sub specie recti peccatores abjicitis, ut videamini justi esse. *d* Coram hominibus.] Contra quod dicit Dominus. *Matt.* 6. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis. *Rom.* 10. Ignorantes Dei justitiam, &c. Hoc faciebant Pharisæi quasi ea quadam severitate, quæ comes est justitiæ.

e Deus autem novit corda vestra] 1. *Reg.* 16. Homines vident ea, quæ parent: Deus autem intuetur cor. *Prov.* 16. Spirituum ponderator est Dominus. *f* Quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.] *Prov.* 16. Abominatio Domini est omnis arrogans. *Ps.* 137. Alta a longe cognoscit. *Isa.* 2. Incurvabitur altitudo virorum. 1. *Cor.* 3. Sapientia hujus mundi stultitia est. 1. *Cor.* 1. Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, &c. *Ps.* 112. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, &c. *Prov.* 11. Ubi humilitas, ibi sapientia. *Bed.* Vestra altitudo displicet Deo, & in hoc nec defendatis vos per legem, quia lex vestra jam amisit statum. Unde subdit. *g* Lex, &c.] quasi vos arguitis, & deridetis me, quia prædico contemptum terrenorum, cum lex promittat, sed jam cessant legis promissa. Quia [Lex,] ubi, scil. temporalia dabantur, [& Prophetæ usque ad Joannem.] Potuit autem Dominus dicere, Lex, & Prophetæ usque ad me, quia ipse finis fuit legis, sicut dicitur *Rom.* 10. Sed æquipollenter ait. Usque ad Joannem, quia fuerunt contemporanei. Et est. [Lex usque ad Joannem,] quia usque ad Joannem locum habuerunt legis promissa. Sed Joannes primus statim in initio prædicationis suæ cœpit evacuare illa. Cujus prædicatio inchoat in hunc modum: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum, quasi de cetero non promittuntur terrena, sed regnum cœlorum. Et consonat Christus Joanni. Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Similiter usque ad Joannem prophetia, quia ceteri prophetæ ante Joannem prænunciaverunt Christum venturum, Joannes non prænunciavit: sed præsentem digito demonstravit, & ita usque ad Joannem prophetia. Nota, quia cessant in lege

Matt. 3. *Matt.* 5.

cæremonialia sacrificia. Item figuralia, ut circumcisio, & similia. Item prædicativa Christi. Item judicialia rigoris promissiones terrenorum. Non cessant autem historialia, moralia, significantia morum, & factorum, ut thus, vestis, &c.

- Altitudo bona
  - Dei
    - Potentiæ. *Ps.* 11. Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.
    - Sapientiæ. *Rom.* 11. O altitudo. *Psalm.* 143. Emitte manum tuam de alto.
    - Bonitatis, *Eph.* 4. Ascendens Christus in altum captivam duxit, &c.
  - Hominis
    - Nobilitas spiritualis. *Psal.* 81. Filii excelsi omnes, &c.
    - Virtus. *Ps.* 112. Quis sicut Dñs Deus noster, qui in altis habitat.
    - Sapientia. *Ecclesiast.* 7. Sapientia confortavit sapientem, &c. *Sap.* 8. Habebo propter hanc claritatem ad turbas.
    - Fortitudo. *Ps.* 90. Qui habitat in adjutorio Altissimi. *Isa.* 33. Munimenta saxorum sublimitas ejus.
- Altitudo mala
  - Diaboli. *Isa.* 14. Exaltabo solium. Et *inf.* Ero similis Altissimo.
  - Hominis
    - Prosperitas. *Psal.* 55. Ab altitudine diei timebo, &c.
    - Protervia. *Job* 39. Cum tempus fuerit in altum, alas erigit. *Prov.* 14. Qui impatiens est, &c.
    - Extollentia. *Abdiæ* 1. Si exaltatus fueris, &c.
    - Ambitio. *Jerem.* 49. Atrogantia decepit te, &c. *Exod.* 20. Non ascendes per gradus ad altare, i. dignitatem. Gradus sibi facit, qui pecunia, vel precibus, vel amicis progreditur.
    - Superbia. *Ps.* 74. Nolite in altum extollere cornu vestrum, &c.
- Altitudo indifferens.
  - Nobilitas carnis. *Isa.* 2. Incurvabitur.
  - Potentia prælationis, altitudo, &c.
  - Divitiæ. *Psalm.* 137. Alta a longe cognoscit.

Sequitur. *k* Ex eo,] idest, a tempore ejus. *i* Regnum Dei,] idest, vita æterna, gratia interna, Evangelica Scriptura. *k* Evangelizatur,] idest, prædicatur. *l* Et omnis] supple tendens, in illud vim facit, scilicet propriæ naturæ. Aliter enim nemo pervenit ad regnum cœlorum. *Phil.* 4. Omnia possum in eo, qui me confortat. *Chrys.* In gratia Dei omnia possumus, sine gratia nihil. Et est triplex vis facienda, scilicet in aggrediendo, in patiendo, in reprimendo. Quia arduum est, quod aggreditur, & supra hominem, & quia vix homo aggredi potest, ut faciat vim naturæ suæ, quia difficile terrenus aspirat ad cœlum. Postquam autem aggressus est, multos habet detractores, unde oportet ut vim faciat in patiendo, ut scilicet frontem suam induret contra detractores patienter sustinendo ipsos. Adhuc autem incumbit, ut sibi vim faciat in seipso reprimendo, idest, in carne propria, quia potius est timendum ab homine domestico, quia nulla pestis efficacior ad nocendum, familiari inimico. Hæc est caro, quæ nisi reprimatur, lascivit. Duplicem vim distinguit *Bed. in Gl.* dicens: Magna vis est, cum terra genitus cœlum quærit possidere per virtutem, quod non potuit tenere per naturam, cum linguas etiam deridentium contemnit, sicut Dominus irrisus a Judæis, vel Pharisæis. Tertia vis distinguit in illa *Gl. Ambr.* Omnis, qui vim facit, &c. Item expone sic. Vim facit sibi carnali, carnem spiritui subjugando. *Matth.* 11. Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Super quod verbum dicit *B. Bern.* Quatuor sunt genera hominum regnum cœlorum possidentium. Alii namque violenter rapiunt, alii mercantur, alii furantur, alii compelluntur ad illud. Rapiunt, qui relinquunt omnia, & sequuntur Christum, ut boni religiosi. Mercantur, qui dant in præsenti temporalia pauperibus, ut in futuro recipiant ab eis æterna, quæ non nisi per eos merentur habere. Unde *sub eod.* Facite vobis amicos, &c. Necesse est enim omnes, qui in futuro judicio examinandi sunt, vel esse judicis amicos, vel apud judicem habere amicos intercessores. Habent ergo primum locum beatitudinis, qui intercedunt, secundum vero hi, pro quibus intercedunt. Furantur, qui bona occul-

te fa-

▲ te faciunt, laudem humanam vitantes, solo divino testimonio contenti. Hic est latro, qui pendet cum Domino a dextris. Cui dicitur; Hodie mecum eris in Paradiso. Compelluntur intrare pauperes necessarii, quos hic ignis paupertatis Deo dispensante probat, ne in futuro ignis judicii damnabiliter premat.

Psal. 13.

> *a* Facilius est *b* autem, cœlum, & terram præterire, quam *c* de lege unum apicem cadere. Omnis, qui dimittit *d* uxorem suam, & *e* ducit alteram, *f* mœchatur, & qui dimissam a viro ducit, mœchatur, *g* Homo quidam

Matt. 5.

Hi nimirum variis necessitatibus, & oppressionibus afflicti compelluntur intrare. Unde *sup.* 14. Exi citu in vicos, &c. Item [vim facit, &c.] *Gl.* Non est regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu S. *Rom.* 14. Quod si non potes rapere, vel emere, saltem vim patere, & ingredere, vel compulsus. Ab Oriente enim portæ tres comparantibus regnum cœlorum, per opera misericordiæ, per exercitia justitiæ, per studia sapientiæ. Ab Occidente portæ tres, furantibus per occultas affectiones, per humiles confessiones, per secretas orationes. Ab Aquilone portæ tres, patientibus, dum subtrahitur, quod delectat, imponitur, quod affligit, quod terreat, intentatur. Ab Austro portæ tres † compulsis, dum pravitas voluntatis, longinquitas consuetudinis, naturæ fragilitas superatur. Pater itaque regnum cœlorum. Et similiter homines infernum mercantur, rapiunt, furantur, & compelluntur intrare. Pusillanimitas cogitur, intemperans animositas rapit, iniquitas comparat, fatuitas oleo carens furatur. Igitur in summa, quidam rapiunt, ut perfecti, vita & signo. De quibus *Gen.* 49. Catulus leonis Juda, ad prædam ascendisti, fili mi. *ibid.* Benjamin lupus rapax mane capiet prædam, & vespere dividet spolia. Alii furantur, ut qui latenter carnem suam macerant, & affligunt, & sub mollibus asperis induuntur. De quibus *Matth.* 6. Cum jejunas, unge caput tuum, &c. Alii emunt, ut illi, qui largas eleemosynas largiuntur, & abstinent a peccatis. De quibus *Isa.* 55. Omnes sitientes, &c. *Aug.* Venale habeo. Et quid? Regnum cœlorum. Quo emitur? Paupertate regnum, vilitate gloria, dolore gaudium, labore requies, morte vita. *Hilar.* Vel dicitur regnum cœlorum vim pati, quia gloria Domini Israel patribus debita, a Prophetis annunciata, a Christo oblata, fide gentium occupatur, & rapitur, dum per pœnitentiam, quam Joannes prædicavit, reviviscunt, ad cœlestem patriam quasi in alienum locum penetrantes.

al. † facientibus.

a Facilius est, &c.] Disputans Dominus contra avaritiam Pharisæorum persuaserat eis, ut facerent amicos sibi de mammona iniquitatis. Pharisæi autem avari deridebant eum tanquam legis ignarum, quæ observatoribus suis promittebat bona terrena, quæ ipse prohibebat congregare, unde videbatur, vel ignorare legem, vel præterire. Ad eorum irrisionem respondet Dominus dicens, lex utique promisit observatoribus suis bona temporalia, sed ad tempus, i. usque ad Joannem, Nam ibi legalia cessaverunt, i. terminum habuerunt, nec deinceps promittuntur temporalia, sed æterna. Et quia dixerat. Lex, & prophetæ usque ad Joannem, ne videretur ibi ponere terminum legis, & ita destructor esset legis, ostendit, se non solvere legem, sed adimplere: & quamvis figuræ legis cessaverunt, non ideo legem cessare, dicens, facilius esse hujus mundi maxima elementa petire, quam modica legis præcepta. Et hoc est. [Facilius est autem cœlum, & terram præterire, &c.] quasi vos arbitramini me destructorem, sed impossibile est legem destrui. *b* Aut] i. quia [facilius, &c.] Et potest dupliciter legi quod dictum est, [facilius, &c.] Si enim proprie accipiatur [præterire] pro desinere esse, tunc intelligitur hyperbolice dictum, sicut dicitur. Frigidus glacie pectus amantis erat. Si autem accipiatur [prævenire] sicut ibi. Cœlum, & terra transibunt, i. species eorum mutabitur, tunc ponetur comparativum abusive. Facilius] i. possibilius est hoc quam illud, i. hoc est impossibile, istud, non. Sicut dicitur. Iste est prudentior asino. *c* Quam de lege unum apicem cadere,] i. sine effectu completionis esse. *Matth.* 5. Amen dico vobis, donec cœlum, & terra transeat, jota unum, aut unus apex non præteribit a lege donec omnia fiant. Et nota, quia non ait, quam unam litteram, sed expressius ait, quam unum apicem, ut expresse ostenderet nec etiam minimum mandatum legis præteriri. Apex enim proprie dicitur summitas litteræ, quæ apponitur ad decorem ipsius litteræ, & est quasi minimum quiddam in littera. *Rab.* Cœlum, & terra transibunt per commutationem innovationis, deposita priori forma, manente priori substantia. Sed verba Domini sine effectu completionis nullo modo transibunt. *Ps.* 118. In æternum, Domine, permanet verbum tuum. *Matth* 24. Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. *Isa.* 51. Cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, salus autem mea in sempiternum erit, & justitia mea non deficiet. Sequitur. *d* Omnis, qui dimittit, &c.] Hic ostendit Dominus, quod non est contrarius legi, nec destructor ipsius, sed potius confirmator. Et continuatur sic. Quasi vos arbitramini me destructorem legis, sed in hoc præcepto apparet, quia legem non solvo, imo quæ in lege minus plene dicta sunt, superadditionibus Evangelii suppleo. Hoc enim præceptum est quasi minus plene in lege datum, & Moyses propter duritiam Judæorum permisit eis dimittere uxores dato libello repudii ob multa, sc. si invenirent eam corruptam, vel fœtidam, vel non bene sibi ministrantem: Dominus autem præceptum hoc in Evangelio plenius tradidit, omnino prohibens divortium ab uxore. Unde dicit. [Omnis, qui dimittit uxorem suam] *Matth.* 5. dicit. Excepta fornicationis causa. *e* Et ducit alteram, mœchatur, & qui dimissam a viro ducit, mœchatur] *Ambr.* aliter videtur exponere, q. d. *d* Omnis, qui dimittit uxorem suam] i. sibi congruam secundum legem, sc. uxorem ejusdem cultus. *e* Et ducit alteram] ut si Judæus ducat Christianam, vel e converso. *f* Mœchatur] spiritualiter, non enim est matrimonium in dispari cultu. *Gl. Ambr.* Non omne conjugium, i. non omnis conjunctio personarum est a Deo. Non enim gentilis Christianæ copulatur, cum lex prohibeat. *Deut.* 7. Ubi est impar cultus conjugum, lex Dei non est. Contra, 1. *Cor.* 7. Si quis frater habet uxorem infidelem, non dimittat eam. Sol. Ibi agitur de ante copulatis, hic de copulatis in impari cultu.

Matt. 5. & 19.

Moraliter. *d* Omnis, qui dimittit uxorem suam, &c.] scil. spiritualem, i. Ecclesiam, sive parochiam. *e* Et ducit alteram,] pinguiorem, quia pro pinguiori mœchatur. Ergo multi mœchantur, quia multi dimittunt Ecclesias pauperes, ut habeant ditiores, quia Moyses permittit hoc. *Matth.* 19. Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores. Sequitur. *g* Homo quidam, &c.] Tertia pars, in qua ostenditur virtus eleemosynæ, & damnum avaritiæ, exemplo seu parabola divitis, & Lazari. Ubi etiam perfectio Evangelii respectu legis demonstratur. In lege enim rapina damnatur non tenacitas. Nec etiam nomine expresso ibi prohibetur sed nomine furti intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ. Non enim rapinam concessit, qui furtum prohibuit. In Evangelio vero, qui sua non tribuit, condemnatur. Sic ergo supplet Dominus in Evangelio quod minus dictum erat in lege. Et hoc est quod dicitur *Matt.* 5. Non veni solvere legem, sed adimplere. Potest autem hæc parabola continuari tam ad litteram imminentem quam ad supra positæ parabolæ conclusionem. Dixerat enim in proximo. Lex, & prophetæ usque ad Joannem, ubi ostendit jam cessare statum legis, ubi promittebantur minora, & succedere statum Evangelii, ubi majora. Et quod majora promittebantur, ostendit per parabolam propositam de divite, qui cruciabatur in inferno, non quia rapuisset aliena, quod prohibitum est in lege, sed quia non dederat sua, quod præceptum est Evangelio. Unde patet majora præcipi in Evangelio, quam sub lege, quia majus est erogare sua, quam non rapere aliena. De hac continuatione *Glos. Bed.* In lege non tenacitas est, &c. Vel ad conclusionem supra positæ parabolæ potest trahi ad id quod dictum est. Facite vobis amicos. &c. quasi nisi feceritis, similiter continget vobis sicut contigit huic diviti. Unde *Glos. Bedæ*. Contra derisores avaros, &c. Ex hoc ipso etiam quod Lazarus nomine exprimitur, potius videretur esse narratio rei gestæ. Unde *in Gl.* Et magis videtur narratio quam parabola, supple tantum. Fuit enim parabola, quæ tamen fieri potuit. Dicit ergo. *g* Homo quidam, &c.] Non designatur ex nomine dives, sed pauper. Cujus quatuor assignantur rationes.

Moraliter.

Tertia pars.

▲ Prima ponitur

Mystice. *g* Homo quidam, &c.] Dives indutus purpura, & bysso, significat populum Judaicum exterius vitæ cultum habentem, & legis acceptæ divitiis, & deliciis utentem ad nitorem, non ad vilitatem. Lazarus ulceribus plenus, significat Gentilem populum, peccatis plenum. Cupit autem de micis cadentibus saturari, sed nemo illi dabat, quia Judaicus populus de lege superbiens non vult Gentilem populum ad legis cognitionem admittere. Canes lingentes vulnera, sunt prædicatores curantes prædicando peccata. Et sic canes in bono accipiuntur. Accipiuntur etiam in malo, scil. adulantes, qui peccatores in errore fovent, dum favent eis. Cetera inveniuntur *in Gloss.* Moraliter. *g* Homo quidam erat dives.] Nota, sunt divitiæ temporales. De

Mystice.

Moraliter.

* quibus. *Psal.* 61.

▲ Prima ponitur *in Gloss.* ad innuendum, scilicet, quod divites apud Deum sunt ignoti, & pauperes noti: *Jac.* 2. Nonne elegit Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide, & cohæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se? Secunda ratio est, ad ostendendum, quod ipse est contrarius mundo, qui non novit, nec reputat nisi divites. *Eccl.* 13. Sicut execratio est superbo humilitas,

a erat dives, qui *b* induebatur purpura, & bysso,

sic abominatio divitis pauper. Tertia ratio est, quia divites hujus mundi non quærunt nisi nomen. *Gen.* 11. Venite ædificemus nobis turrim cujus culmen pertingat usque ad cœlum, & celebremus nomen nostrum in universas terras. *Psalm.* 48. Vocaverunt nomina sua in terris suis. Et quia in hoc peccant, in hoc puniuntur, & ideo tacetur nomen eorum. *Sapient. cap.* 11. Per quæ quis peccat, &c. Quarta ratio est, ad significandum, quod divites nomen suum, quod hic habuerunt, amittent, & pauperes invenient. *Prov.* 10. Memoria justi cum laudibus, nomen impiorum putrescet, i. deficiet. *Isa. cap.* 56. Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus, & nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Sequitur.

a Erat dives.] Dupliciter dicitur dives habere, vel amare divitias. Primo modo non reprobat Deus divites. *Job* 36. Deus potentes non abjicit, cum & ipse sit potens. *Gen.* 13. Erat Abraham dives valde, non sibi sed pauperibus. Unde interpretatur pater multarum gentium, idest, pauperum, qui sunt multi. *Job* 29. Pater eram pauperum. Secundo modo reprobat Deus divites, & abjicit a regno suo. *Matth.* 19. Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum. 1. *Tim.* 6. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria vana, & inutilia, quæ mergunt homines in interitum. Signanter autem dicit mergunt, quia divites ad modum naufragantium, quod tenent, vix dimittont.

b Qui induebatur purpura, & bysso.] *Beda*. Purpura est color regii habitus e conchis marinis ferro circumcisis emissa. Soli enim Reges, vel Imperatores hoc genere vestis utebantur. Et licet piscis inter conchas marinas, de cujus sanguine tingitur purpura. Byssus, sicut dicit *Beda*, genus est lini candidissimi, & mollissimi, & tantum nascitur in Ægypto, sicut dicitur. Arguitur autem hic dives. Primo de avaritia, unde dicitur. [Dives] *Aug.* Omnis dives, aut iniquus, aut iniqui hæres. Item de luxu vestium, unde dicitur. [Induebatur purpura, & bysso.] Item de gula, unde dicitur. [Epulabatur quotidie splendide.] Item de immisericordia, unde dicitur. [Et nemo illi dabat.] Item de loquacitate, unde dicitur. [Ut refrigeret linguam meam.] Luxus vestium duo vitia comprehendit, scil. inanem gloriam, quod notat, [purpura,] & mollitiem carnis, quod notat [byssus,] genus lini candidissimi quod juxta carnem habetur, purpura vero exterius ostentatur. *Greg. in Homil.* Si cultus subtilium, pretiosarumque vestium in culpa non esset, nequaquam sermo divinus tam vigilanter exprimeret, quod dives purpura, & bysso indutus in inferno sepultus esset. Arguitur autem quis de luxu vestium, propter quinque, idest, sumptuositatem, multiplicitatem, curiositatem, indecentiam, ostentationem. Sumptuositas respicit pretium, unde dicitur vestis pretiosa. De qua *supra* 7. Quid existis in desertum videre hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in pretiosa veste sunt, & in deliciis, in domibus regum sunt. Indignum quidem est putridum cadaver pretiosa veste ornari, unde possent multi pauperes sustentari. *Eccl.* 11. In vestitu ne glorieris unquam. *Gregorius*. Nemo pretiosis vult indui, ubi a nemine possit videri. Plus diligunt alios quam se, qui tanto pretio pascunt oculos alienos. Excusatur tamen vestis multiplex pretiosa, propter consuetudinem, ut variorum Episcoporum in Teutonia, propter dignitatem personæ, ut grisium, & purpura Papæ, propter necessitatem, ut monachi non habentes aliam, propter cautelam, ut quando aliquis magnus vult pro bono latere, ut Sebastianus. Multiplicitas respicit numerum. Habent enim multi mutatoria vestium juxta numerum dierum, & de pauperum nuditate non curant. De quibus *Job* 24. Nudos dimittunt homines indumenta tollentes. Vere tollentes. *Hier.* Aliena rapere convincitur, qui ultra necessitatem sibi retinere comprobatur, Contra quos dicitur *Jacob* 5. Vestimenta vestra a tineis, &c. Curiositas respicit studium. Multi enim magis student ad ornatum vestium, quam virtutum. Contra quos dicitur *Matth.* 6. De vestimentis quid solliciti estis. Respicite, &c. *Gregorius super Luc.* 7. Nemo putet in luxu, & studio vestium deesse peccatum. Alioquin de asperitate vestium non laudaretur Joannes. Indecentia respicit ordinem, & statum personæ, quia non decet clericum vestiri, ut militem, non dicam meretricem, vel histrionem. Vestis enim militaris, aut meretrica, vel histrionalis aliena est a clerico. *Deuter.* 22. Non induetur mulier veste virili, neque vir veste feminea: abominabilis enim est, qui facit hoc. *Soph. c.* 1. Visitabo super viros indutus veste peregrina. Ostentatio respicit vanitatem, & laudem, cum potius sit vituperium. Oportet enim ovem de lana gloriari non te, & vermem de serico. *Greg.* Nemo vestimenta præcipua nisi ad gloriam quærit, ut honorabilior habeatur. *Boetius*. Gemmarum fulgor oculos trahit, sed si quid est in hoc splendore præcipuum, gemmarum est. Purpuram autem, & byssum nominat Dominus, non solum quia delicata, & sumptuosa sunt, sed propter latens mysterium. Purpura enim sanguine tingitur, & significat beneficia Ecclesiastica Christi sanguine comparata, vel de sudore pauperum acquisita. Multi enim ea unde pauperes deberent vivere, ponunt in vestibus suis pretiosis. *Jer. cap.* 2. In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum, & innocentum. Byssus vero propter candorem significat innocentiam, quam allegant

Boetius de consol. lib. 2. prosa 5.

* quibus. *Ps.* 61. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Item divitiæ spirituales, idest, dona, & virtutes, atque scientiæ. De quibus *Prov.* 8. Mecum sunt divitiæ, & gloria, scilicet, nitor conscientiæ, opes superbæ, & justitia. Superbæ, sancta superbia, quæ facit ire sursum, & indignari peccatis. Thesaurus istarum divitiarum est timor. *Isa.* 33. Divitiæ salutis sapientia, & scientia, timor Domini ipse est thesaurus ejus. Et sicut nullus debet superbire de temporalibus divitiis propter casus, qui de facili possunt contingere, nec pauperi insultare, quia qui modo est dives, cras erit pauper, & e converso. Similiter contingit in divitiis spiritualibus, quandoque, qui de virtutibus, & scientia extollitur, cadit in aliquod grave peccatum, ita quod postea nunquam resurgit, & alius, qui diu fuit in peccatis postea pœnitet, & perseverat in bono. Exemplum de Juda, & Paulo. Primi sunt præsciti, significati per Judam, secundi prædestinati, significati per Paulum. Primi significantur per divitem, secundi per Lazarum. Item per divitem significantur superbi prælati, per Lazarum subditi, vel quilibet peccatores peccata sua humiliter confitentes. Ideo Lazarus nominatur, & dives non, quia novit Dominus, qui sunt ejus. 2. *Tim.* 2. Bonos finaliter novit ex nomine. *Exod.* 33. Ego novi te ex nomine. Malos autem finaliter non novi.

Moraliter.

Unde *Matth.* 7. Quibusdam dicentibus: Domine, Domine, in nomine tuo prophetavimus, & virtutes multas fecimus, respondebit. Non novi vos. Signanter ergo dicitur. *a* Erat dives,] per præteritum imperfectum, quia talis, qui non est finaliter bonus, imperfecte est dives, quia ejus divitiæ prætereunt, & pereunt.

b Qui induebatur purpura, & bysso.] Purpura vestis est Regia, & sanguine tingitur, ideo significat justitiam, quam debent Prælati in viros sanguinum exercere, i. in peccatores. Unde *Cant. cap.* 7. Caput tuum ut Carmelus, comæ tuæ sicut purpura Regis juncta canalibus. Caput est mens, quæ debet prudenter circumcidi a pravis cogitationibus, & malis desideriis. Comæ, cogitationes sunt, & affectiones. Purpura Regis, rigor justitiæ. Canalis, quæ est vas aquæ, est humilitas, in qua sapientia continetur. *Prov. cap.* 11. Ubi humilitas, ibi sapientia. Et sicut purpura ponitur in canali, ut tingatur, ita justitiæ rigor debet misericordiæ sociari, ut justitia per misericordiam condiatur. Byssus, quia candida est, significat continentiam. *Apocal.* 19. Datum est ei, ut se operiat byssino splendenti, & candido.

Unde frequenter misericordia justitiæ sociatur in scriptura. *Proverbior. cap. vigesimo*, Misericordia, & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus ejus.

Er debent semper conjungi in illis, qui sunt reges, idest, in Prælatis, & confessoribus. Quia ergo quidam prælati confessores de continentia elati rigide objurgant, & exasperant peccatores, peccata sua confitentes, bene dicitur.

c Qui induebatur purpura, & bysso,] i. candore continen-

* tiæ, & rigore

ceotiam, quam allegant ad palliandam iniquitatem suam. Dicunt enim, quod ex causa rationabili hoc faciunt, ut innocentes videantur. Item Christo illusum est in purpura, & veste alba, ut legitur *Matth. cap.* 27. & *inf. cap.* 23. Similiter isti & sibi, & Christo illudunt in purpura, & bysso.

Sed certe purpura, quæ tingitur sanguine, convertetur illis in sanguinem, quia sanguis culpæ requirit sanguinem pœnæ. *Osee cap.* 4. Sanguis sanguinem tetigit. *Isa. cap.* 9. Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. Et candor byssi convertetur in obscuritatem abyssi. Nunc vestiuntur bysso, tunc vestientur abysso. *Exodi cap.* 15. Submersi sunt in mari, idest, in amaritudine peccatorum, abyssi operuerunt eos, idest, operient.

a & epulabatur quotidie splendide. Et *b* erat *c* quidam mendicus *d* nomine Lazarus, *e* qui jacebat ad januam ejus *f* ulceribus plenus,

a Et epulabatur quotidie splendide.] Ecce voracitas. Epulatio est comestio lætitiæ sociata vere, vel vane. Vere *sup.* 15. Epulari oportebat, & gaudere. Vane. *Jacob.* 5. Epulati estis, & in luxuriis enutriti. Et de ista dicitur hic. [Epulabatur quotidie splendide.] Veruntamen est splendor mensæ, quem non sibi, sed aliis, idest, pauperibus, facit misericordia. De quo *Eccl.* 31. Splendidum in panibus benedicent labia multorum, &c. Iste splendor consistit in faciei hilaritate, & eleemosynarum largitate. 2. *Cor.* 9. Non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim, &c. Item est splendor, quem sibi soli facit luxuria. *Zachar.* 7. Nunquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis? Iste splendor extenditur non solum ad fercula artificialiter præparata, sed etiam ad vasa argentea, & aurea, & supellectilia candida, ad luminaria multiplicata. De hoc loquitur *Lucanus*.

O quæsitorum terra, pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ.

Luc. lib. 4. *B. Bern.* Ceterum voluptas gutturis, quæ hodie tanti emitur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum. Hujus tam modicæ partis tam exigua delectatio, quanta paratur sollicitudine, quantam denique molestiam parit? Unde quidam peccator dixit. Utinam haberem collum gruis. Sequitur.

b Et erat quidam mendicus.] Diviti adjungitur pauper, quia uterque alteri confert, & uterque a Domino est. Voluit enim Dominus alios pauperes, alios divites esse, ut illi sustinendo, isti largiendo proficerent in virtute. *Proverb.* 22. Dives, & pauper obviaverunt sibi, utriusque operator est Dominus. Item *Prov.* 29. Pauper, & creditor obviaverunt sibi, & utriusque illuminator est Dominus. Lazarus est pauper, dives est creditor. Habebat enim, quod credere poterat Lazaro, si vellet.

Eccl. 31. *d* Nomine Lazarus.] *Glos.* Pauper humilis per approbationem ex nomine scitur.

Unde & Dominus ait Moysi. Novi te ex nomine. *Bern.* Quantos Lazaros hodie videtis, & plus de equorum phaleris, quam de proximorum miseria cogitatis. Pater Abraham dic sententiam. At ille, pro malis præsentibus nunc consolatur Lazarus, pro bonis præsentibus dives cruciatur. Aggravatur autem peccatum, & avaritia divitis. Primo in hoc, quod dicitur.

c Quidam mendicus,] idest, unus. Qui enim uni non dabat, multo minus daret multis, *inf. Joan.* 3. Qui habuerit substantiam, &c. *Eccl.* 4. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum. Secundo aggravatur peccatum divitis per hoc, quod dicitur, non pauper, sed [mendicus.] Sunt enim pauperes, qui non sunt mendici, quia non pulsant, & ideo non ita excitant pietatem. Clamor enim pauperis multum quandoque excitat pietatem divitis. Propter quod dicit *Eccl.* 4. Clamorem contribulati ne despexeris. Tertio aggravatur peccatum divitis per hoc, quod additur.

e Qui jacebat ad januam ejus.] Nam quomodo quæreret absentem, qui non respiciebat ante januam suam jacentem? O quam dissimilis erat, *Job cap.* 31. Foris non mansit peregrinus, & ostium meum viatori patuit. Quam dissimilis etiam Abraham, qui stabat in ostio tabernaculi, ut susciperet peregrinos. *Gen. cap.* 18. Et super illud, *inf. ultim.* Coegerunt eum, dicit *Greg.* Hospites, & peregrini non solum vocandi sunt ad hospitium, sed trahendi. Notatur etiam hic arrogantia divitis, qui non tantum mendicum non reficiebat, nec etiam eum videre sustinebat, & ideo non permittebat eum jacere intra januam, ne videret eum. Et dicit *Chrysost.* super hunc locum. Jacebat ante januam Lazarus, ut crudelitatem divitis in suo corpore demonstraret. Jacebat ante januam, ut dives dicere non posset, non vidi, in angulo fuit, aspicere non potui. Jacebat ante januam, ut dives eum videret exiens, & revertens. *Gl. Bed. Gregorius.* In una re duo judicia Dei explentur. Ex visione pauperis diviti non miserenti cumulus damnationis infertur, & rursum ex visione divitis tentatus quotidie pauper probatur, quem ad ipsius probationem paupertas simul, & ægritudo, & visa divitis copia, & nulla sibi adhibita consolatio, afficiunt. Unde multa erant hujus pauperis conflatoria, sicut & aliorum pauperum sunt multa. Quarto aggravatur peccatum divitis per hoc, quod dicitur,

f Ulceribus plenus.] Solent enim ulcera infirmorum visa magis provocare affectum intuentium. A quibus qui avertit oculos, impius est. *Eccles. cap.* 4. Oculos tuos ne transvertas ab ullo paupere. *Prov. cap.* 12. Viscera impiorum crudelia. Super hunc locum dicit *Petrus Raven.* Auribus divitis obduratis, nihil esset unius vox clamantis.

Unde Dominus ad aperiendum cor ejus, totum corpus pauperis vulneribus operuit, ut quot essent vulnera, tot essent ora clamantia. *Goss. Ambr.* Hujus ulcera, &c. Unguentatosque convivas, tangit consuetudinem quarumdam terrarum, in quibus pro balneis utuntur unguentis. Sequitur.

g Cupiens saturari.

Moraliter. * tiæ, & rigore justitiæ. *a* Et epulabatur quotidie splendide,] ante casum. Virtutes enim, & dona sicut sunt vestimentum, ita sunt cibus, & refectio animæ. Vestimentum enim exterius ornat, cibus interius reficit, & virtus exterius ornat per bonam conversationem, & sic est vestimentum, & interius reficit per devotionem, & sic est cibus.

Per primum placet homo hominibus, per secundum placet Deo. Utrumque est necessarium, propter quod dicit Apostolus 2. *Cor. cap.* 8. Providemus enim bona, &c. [Quotidie,] dicit, quia singulæ virtutes propriam illuminationem, & refectionem habent.

Unde *Job cap.* 1. Ibant filii Job, & faciebant convivia per domos unusquisque in die suo. Ibi *Gregorius*. Unusquisque in die suo convivium facit, dum unumquodque donum, mentem propria illuminatione pascit, & reficit. Unum diem habet timor, majorem diem pietas, & majorem scientia, adhuc majorem consilium, & sic de aliis.

Unde *Eccl. cap.* 33. Quare dies diem superat, & iterum lux lucem, &c. [Splendide] dicit, quantum ad exterioris exempli exhibitionem. *Matth.* 5. Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, &c.

b Et erat quidam mendicus nomine Lazarus.] Sicut diximus, Lazarus pauper, & mendicus, figura est peccatoris, tamen prædestinati.

Et dicitur mendicus, non solum pauper. Mendicus enim est, qui quærit ostiatim, & hic est peccator, qui quærit suffragia Sanctorum, & consilia peritorum, quibus exeat a peccato.

Unde *Eccles. cap.* 6. Si videris sensatum, evigila ad eum, & gradus ostiorum, &c. Quidam autem sunt pauperes, non mendici. Isti sunt pauperes superbi. De quibus *Eccl.* 34. Tres species, &c.

Item quidam sunt mendici, non pauperes, qui dicuntur trutanni. Isti sunt hypocritæ, & falsi claustrales, qui videntur pauperes spiritu, & rebus, & non sunt, sed habent proprium in rebus, in sensu, in voluntate.

Unde significantur per Achor. *Josue cap.* 7. qui furatus est de anathemate Jericho ducentos siclos argenti, & pallium coccineum, & auream regulam. Furtum siclorum pertinet ad proprietatem rerum. Furtum pallii coccinei pertinet ad proprietatem sensus, quo palliantur peccata, quæ per coccinum significantur. Juxta illud *Isa. cap.* 1. Si fuerint peccata vestra ut coccineum, &c. Furtum regulæ aureæ pertinet ad propriam voluntatem, quæ regulatur, quando ex toto subjicitur voluntati Prælati.

e Qui jacebat ad januam ejus.] Jacere ante januam alicujus, est coram eo, quem justum reputat, se humiliare.

Sicut de publicano legitur, *inf.* 18. qui non audebat etiam oculos levare in cœlum, &c.

f Ulceribus plenus,] & ideo misericordia indigens, & me-

* dici bonitate

> *a* cupiens saturari *b* de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & *c* nemo illi dabat. Sed & *d* canes veniebant, & lingebant ulcera ejus. *e* Factum est autem, ut *f* moreretur mendicus, & *g* portaretur ab Angelis in sinum *h* Abrahæ.

▲ *a* Cupiens saturari.] In hoc fames pauperis demonstratur, & peccatum divitis aggravatur. *Isa.* 58. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque, &c. *Eccl.* 4. Animam esurientem ne despexeris, & ne exasperes pauperem in inopia sua. *Gloss. Greg.* Si qua reprehensibilia videmus in pauperibus, non debemus despicere, quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, hos medicina paupertatis curat.

b De micis, quæ cadebant de mensa divitis.] Et in hoc etiam aggravatur peccatum divitis. Si enim peteret pauper delicias, non esset audiendus. *Prov.* 19. Non decent servum deliciæ, idest, pauperem. *August. de verbis Domini*. Non cogantur divites pauperum cibis uti, utantur consuetudine infirmitatis suæ, & doleant, se aliter non posse, quia si consuetudinem mutant, ægrotant, edant superflua, dent pauperibus necessaria, edant pretiosa, dent pauperibus vilia, & quidem pauperum sunt reliquiæ, non deliciæ, non oblectamenta, sed fragmenta. *Job* 22. Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem. O dives, e contrario, *Job* 31. Si negavi pauperibus quod volebant, & cor viduæ expectare feci?

c Et nemo illi dabat,] nec Dominus, neque famulus. Crudelis Dominus crudelem habet famulum. *Ecclesiast.* 10. Secundum judicem populi, & sic ministri ejus. *Chrysostomus*. Infœlix, & si Dei præcepta non consideras, saltem miserere conditionis tuæ, & time, ne tu talis efficiaris. *Job* 5. Visitans speciem tuam non peccabis.

d Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.] Hos nec ipse poterat removere a se, nec visitator erat, qui removeret. Tria notantur hic contra divitem, secundum *Petrum Raven.* Primum est, quod canes sunt mitiores pauperi quam dives. Unde dicit: canes pauperis ulcera curant magisterio naturæ, dives pauperem negligit natura accusante. Secundum est, quod dives est mitior canibus suis quam pauperi. Unde dicit: Dives miser, si pauperi micam non dedisti, saltem quare canes abigere neglexisti? Sed canes tui mitiores te, imo tu immitior eis, & mitior canibus tuis quam pauperi fuisti. Canes tui aliquando pinguia, sed nec micam de mensa tua pauper recepit. Tertium est, quod pauper largior fuit canibus divitis, quam dives ipsi pauperi. Unde dicit: Dives pauperem de micis cadentibus non pascit, & pauper canibus divitis de carnibus suis humanus existit, & miro modo pauper canes divitis suis vulneribus pascit in vulnus divitis. Sequitur.

e Factum est autem, ut moreretur mendicus.] Non dicit, mortuus est mendicus, quia talium mors, non est mors, sed transitus ad vitam.

Unde *Sap.* 3. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, idest, in sinu Abrahæ. Dicit autem. [Factum est, ut moreretur mendicus.] A quo factum est? A Deo vocante ad gloriam, & a miseria liberante. Unde potest dicere. *Ps.* 122. Anima nostra sicut passer erepta est, &c.

g Et portaretur ab Angelis,] quia forte non habuit alios portitores. *Petrus Raven.* Non dedignantur eum portare Angeli, cui prius ministrabant. *Hebr.* 1. Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, &c. *Baruch* 5. Exierunt a te pedibus suis ducti ab inimicis, adducet autem illos Dominus ad te portatus in honorem sicut filios Regum, *Petrus Raven.* Merito pauperi Angelica deputantur officia, cui tam crudeliter denegata sunt humanitatis obsequia.

h In sinu Abrahæ.] Tradunt Sancti ad litteram, quia in loco pœnarum est pars superior, quæ ora inferni dicitur, idest, extremitas, sicut oram vestimenti dicimus extremitatem. Tradunt etiam, quia pars illa superior aliquantulam modicam habet lucem. Cui tamen videtur obviare, quod ait *Job* 17. In tenebris stravi lectulum meum. Ibi enim quievit Job cum ceteris sanctis. Sed locum illum dicit tenebras non simpliciter, sed respectu visionis Dei. Locus ille sinus dicitur pro quiete, vel pro tranquillitate, ut sinum maris dicimus locum in mari secretum ventis, & tempestatibus minime pervium. Et licet ibi requieverint ceteri sancti, sicut Abraham, specialiter tamen dicitur sinus Abrahæ, eo quod Abraham fuit prima credendi via, & primus aperte prædicavit fidem unius Dei. Sed ad litteram sinus Abrahæ intelligitur pars superior inferni.

Mystice. Mystice autem sinus Abrahæ intelligitur requies beatorum, Unde oramus animas defunctorum collocari in sinu Abrahæ, idest, in requie beatorum. Dicit ergo: *h* In sinu Abrahæ,] idest, in loco quietis. In sinu quidem absconditur, & fovetur, res: sic animæ sanctæ in quiete absconduntur, ne diabolus tangat eas, vel videat ad nocendum. Ibi securæ sunt ab omni turbine, & tempestate, sicut res in sinu. *Isa.* 4. Super omnem gloriam protectio, & tabernaculum in umbra.

Moraliter. * dici bonitate, ulcera enim, quæ exterius in cute virus ostendunt, peccata sunt per confessionem aperta, & istorum maxime est miserendum, qui peccata propria confitentur. Illi enim sanati appetunt, qui vulnera detegunt, & ostendunt. Unde *Boetius*. Necesse est, ut vulnus detegas, si operam medicantis expectas. *Prov.* 28. Qui abscondit scelera, &c.

a Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis.] Fercula sunt plena divitum, sed micæ sunt pauperum, de quibus *Joann.* 6. Colligite, quæ superaverunt fragmenta, &c. *Matth.* 15. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt, &c. Mensa divitis est Scripturarum opulentia, & virtutum, de qua debent micæ, seu reliquiæ aliquæ ad infirmos, & pauperes redundare. Juxta illud Apostoli, 2. *Cor.* 8. Vestra abundantia, &c. *Jerem.* 31. Inebriabo animas sacerdotum, &c. Una mica hujus mensæ est affectus compassionis, quam omnis dives libenter debet dare pauperibus, sicut Apostol. 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur, &c. Alia est affectus congratulationis. De qua *Romanor.* 12. Gaudere cum gaudentibus. Tertia est verbum piæ consolationis, aut consilii, vel sustentationis.

De primo dicitur *Job* 29. Cum sederem quasi rex, &c. *Eccl.* 18. Nonne ardorem, &c. De aliis duobus dicit *Job* 29. Oculus fui cœco, quantum ad consilium, & pes claudo, quantum ad sustentationem. Quarta mica est verbum doctrinæ, & instructionis. Quinta est exemplum sanctæ conversationis. Sexta subsidium corporalis sustentationis. Et de his tribus dicitur Petro. *Joann.* 21. Pasce, pasce, pasce agnos, & oves, idest, majores, & minores.

Sed quia pauci sunt, qui istas micas fideliter dent pauperibus, ideo sequitur. *c* Et nemo illi dabat,] quod provenit vel ex nimia gulositate, vel nimia cupiditate. Nimis gulosus est dives, qui totum comedit, & de cujus copia nihil ad pauperes pervenit. De quo *Eccl.* 11. Inveni mihi requiem, & nunc manducabo de bonis meis solus. E converso *Job* 31. Si comedi buccellam meam solus. Avarus autem aut nullas micas facit, aut vendit eas, ideo nemo illi dabat. *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date, &c. 1. *Tim.* 6. Præcipe divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, &c. *d* Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.] Sicut dives significat Prælatos immisericordes, sic canes isti significant ministros mansuetos, quos aliquando contingit invenire in domo divitis, idest, in Ecclesia, seu monasterio duri Prælati. Hi ulcera pauperis lingunt, dum infirmis obsequium pietatis impendunt. Habet autem canis in ore latratum, in dentibus morsum, in lingua medicamentum. Sic bonus Prædicator, & bonus Confessor, & quilibet spiritualium bonorum administrator, debet habere hæc tria. Latratus est verbum exhortationis. *Tit* 2. Hæc loquere, & exhortare. Sed de malis canibus dicitur, *Isa.* 56. Speculatores, &c. Morsus est verbum objurgationis, seu increpationis, quod aliquando necessarium est. 2. *Tim.* 4. Argue, increpa, obsecra. Linguæ medicamentum est verbum consolationis. *Eccl.* 36. Si est lingua curationis, est & mitigationis, & misericordiæ. *Prov.* 12. Lingua sapientum sanitas. *Psalm.* 67. Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Ecce quod Lazarus invenit canes divitis meliores quam ipsum divitem. In quo significatur, quod infirmi, & pauperes spirituales, idest, peccatores in Ecclesia Dei aliquando inveniunt prædicatores, & confessores simplices meliores sibi, quam divites Prælatos. *Eccl.* 9. Melior est canis vivus leone mortuo. Canis vivus est prædicator bonus. Leo mortuus, prælatus superbus, & austerus. De quo *Eccles.* 4. Noli esse sicut leo in domo tua evertens domesticos tuos, &c.

e Factum est autem] a Deo. *f* Ut moreretur mendicus,] idest, peccator morte spirituali, qua quis moritur peccato, & incipit vivere Deo. Unde *sup.* 15. Mortuus fuerat, & revixit, *Coloss.* 3. Mortui estis, &c. *g* Et portaretur

* ab Angelis

a bernaculum in umbraculum diei ab æstu, & in securitate, & in absconsione a turbine, & a pluvia. *Col.* 3. Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Ps.* 30, Abscondes eos in abscondito faciei tuæ. Item ibi foventur animæ quasi prius confractæ. Unde Dominus se comparat gallinæ, quæ sub alis fovet pullos suos. *Matt.* 23. Unde & secundum *Damascenum*, Deus triplicem habet interpretationem. Interpretatur enim Currens, quod pertinet ad patris potentiam. Videns, ad filii sapientiam: Fovens ad Spiritus sancti bonitatem. Illa autem quies dicitur sinus Abrahæ, potius quam aliorum, quia sicut dictum est, primus prædicavit fidem, & etiam propter officium hospitalitatis. Unde *Petrus Raven.* Parum se beatum crederet Abraham, si in superna gloria a pio cessaret hospitalitatis officio. Est autem multiplex sinus, in quo male modo foventur, & ideo non merentur foveri in sinu Abrahæ. Primus est voluptatis, de quo *Proverbior.* 5. Quare seduceris, fili mi, ab aliena, & foveris in sino alterius? Aliena est caro, quæ animam, quæ de cœlo est, trahit ad terram, unde ipsa est, & sic alienat a Deo. Secundus sinus est cupiditatis: de quo *Prov.* 17. Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii. Tertius est sinus vanitatis, de quo *Ezech.* 43. In sinu ejus erat cubitus, & definitio ejus usque ad labium. Cubitus est mensura perfecta. Unde cubitus est in sinu ejus, qui opinione sua sibi videtur esse perfectus. Et definitio usque ad labium, quando verba jactantiæ de sua perfectione profert. *Exod.* 4. Cum misisset Moyses manum suam in sinu suo, protulit leprosam. Quartus sinus est impotentiæ, de quo *Job* 31. Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam. Quintus est negligentiæ, de quo 3. *Reg.* 3. Tulit filium meum de latere meo, & posuit in sinu suo, suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo. Per istas mulieres significantur prælati, qui in sinu negligentiæ filios suos, quos deberent fovere per diligentiam, opprimunt per negligentiam. Sextus sinus est malæ conscientiæ, de quo *Isa.* 65. Remetiar opus eorum primum in sinum eorum. De bona vero conscientia dicitur *Job* 19. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.

a Mortuus est autem & dives, & b sepultus est in inferno. c Elevans autem oculos suos, d cum esset in tormentis,

F

a Mortuus est, &c.] Præterito perfecto utitur Dominus, ad innuendum, quod dives perfecte est mortuus non una, sed triplici morte.

Prima est culpæ, qua Deus separatur ab anima. Hac mortuus fuit dives, dum viveret. De qua dicitur 1. *Tim.* 5. Vidua, idest, anima a Christo separata, in deliciis vivens mortua est.

Secunda est naturæ, qua separatur anima a corpore.

Tertia est gehennæ, qua separatur anima a gloria. De his duabus dicitur *Apocal.* 20. Infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis, hæc est mors secunda. Hoc est triplex væ, de quo *Apoc.* 8. Væ, væ, væ, habitantibus in terra. b Et sepultus est in inferno.] *Is.* 14. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum. *Job* 21. Ducunt in bonis dies suos, &c. scil. in inferno sepeliuntur. In hoc cœmeterio sepeliuntur parochiani diaboli, in cœlo vero sepeliuntur parochiani Christi. Cognoscitur autem de quolibet, cujus parochianus sit ejus, scil. a quo baptizatus est, & cui decimas, & primitias reddit, a quo audit missas, & horas. Qui baptizatur aqua pœnitentiæ, est parochianus Christi. *Jo.* 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. Qui autem baptizatur in aqua concupiscentiæ, parochianus est diaboli. *Exod.* 1. Præcepit Pharao omni populo dicens, quicquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite. Ibi character Christi imprimitur, de quo *Ezech.* 9. Omnem, super quem videritis Tau, ne occidatis. Hic vero imprimitur character diaboli, de quo *Apoc.* 13. Ne quis posset emere, vel vendere nisi, &c. Item, qui primitias, & decimas, i. initia operum, & consummationem reddunt diabolo, ejus parochiani sunt, ut dives iste. Item, qui missas diaboli audiunt, ejus parochiani sunt. In missa Christi panis transubstantiatur in Corpus Christi. Similiter in missa diaboli, panis transubstantiatur in corpus diaboli. Quis panis ille? *Isa.* 65. Serpenti pulvis panis ejus, i. homo levis, & dissolutus, qui transubstantiatur in corpus diaboli, dum peccando fit membrum ejus. Item horæ diaboli sunt vanæ cantilenæ: quas qui audit, parochianum diaboli se ostendit, & ideo in morte sepelietur in ejus, cæmeterio, i. in inferno. Sequitur. c Elevans autem, &c.] Prosequitur Dominus parabolam de divite, dicens; quia de loco pœnarum, i. de inferiori parte inferni, vidit Abraham, & Lazarum in sinu ejus. Quinque autem notantur hic ad litteram.

Primo status divitis, & Lazari permutatio, cum dicitur. [Elevans autem oculos suos.]

Secundo, tormentorum cumulatio, cum dicitur: [Cum esset in tormentis vidit Lazarum.]

Tertio, divitis vana præsumptio, cum dicitur:] Pater Abraham miserere mei.] Quarto stulta petitio, cum dicit. [Mitte Lazarum.]

Quinto, pœnæ ad culpam conveniens ordinatio, cum dicit. [Ut refrigeret linguam meam, &c.] Fuit autem permutatio status quoad tria, sc. quoad locum. Lazarus enim sursum erat, dives deorsum. E converso fuerat ante: Nam dives sedebat ad altam mensam: Lazarus jacebat ad januam. Et hoc est, quod dicit *Prov* 14. Jacebunt mali ante bonos, & impii ante portas justorum. Item *Prov.* 20 Superbum sequitur

* ab Angelis in sinum Abrahæ.] Hoc iterum factum est a Deo. Sinus Abrahæ est pax, & quies conscientiæ, vel tranquillitas vitæ contemplativæ. *Heb.* 1. Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, &c. Vel Angeli dicuntur Sacerdotes, qui ad hoc debent juvare. De quibus 1. *Cor.* 11. Mulieres velent caput suum propter Angelos, idest, propter Sacerdotes.

Moraliter.

Item Angeli sunt orationes, eleemosynæ, jejunia, disciplinæ, & omnia bona merita, quæ sunt quasi nuncii nostri ad Deum. Nam & ipse mittit aliquando nuncios suos ad nos, scilicet inspirationes, consolationes, gaudia, timores, desideria bona, & hujusmodi. Nuncii nostri sunt ascendentes, sui vero descendentes.

Unde Jacob vidit in scala Angelos ascendentes, & descendentes. *Gen.* 28. Ab his Angelis portatur mortuus in sinum Abrahæ, quia per hoc pervenit peccator pœnitens ad pacem conscientiæ, & aliquando ad tranquillitatem vitæ contemplativæ. Sinus autem non potest fieri nisi duo concurrant, scilicet ampla vestis, & cingulum, sic pax conscientiæ, vel tranquillitas vitæ contemplativæ, non potest fieri nisi duæ virtutes concurrant, scil. charitas, quæ est ampla vestis animæ, de qua *Matth.* 22. Quomodo huc intrasti? Et continentia, quæ est cingulum carnis, de quo *sup.* 22. Sint lumbi, &c. Verumtamen est sinus Moysi, & sinus Abrahæ. Sinus Moysi, qui fuit legislator, est latitudo intellectus, quam facit scientia. Sinus Abrahæ est latitudo affectus, quam facit virtus.

Non dicitur, quod Angeli portent in sinum Moysi, quia inde extrahitur manus leprosa, quæ sana intraverat. *Exod.* 4. In quo significatur, quod scientia inflat. 1. *Cor.* 8. In sinum vero Abrahæ portant Angeli, sed non nisi pauperem spiritu, & mortuum mundo. Moriatur ergo anima mea morte justorum, &c. *Num.* 23. a Mortuus est autem dives,] idest, justus, superbus, vel Prælatus austerus morte culpæ, de qua *Ps.* 33. Mors peccatorum pessima. b Et sepultus est in inferno,] i. in profundo peccatorum demersus. Nam peccatum talium gravissimum est, & vix, aut nunquam resurgunt. Quod significat casus Luciferi, de quo *Isa.* 14. Ad infernum detraheris in profundum laci. De hoc inferno dicit *Psalm.* 6. In inferno quis confitebitur tibi. Igitur non glorietur dives in divitiis suis, ut dicitur *Jer.* 9. idest, non superbiat continens de continentia sua, neque justus de justitia sua, quia cito potest mori. 1. *Cor.* 10. Qui se existimat stare, videat, ne cadat. c Elevans autem] dives depauperatus. d Oculos suos cum esset in tormentis,] idest, in flagello conscientiæ, quod fit ex tribus funiculis. Quorum primus est consideratio damni.

Tolerabilius enim ei esset, divitem, idest, justum non fuisse, quam a tantis divitiis cecidisse. Ex hoc, quod videt se tot divitias amisisse, magis affligitur, & torquetur.

Unde *Job* 3. Quare misero data est lux, i. cognitio suæ miseriæ. *Sap.* 5. Quid profuit vobis, &c. quasi dicat nihil nisi pœnam, & tormentum.

Secundus est condemnatio proprii judicii, quia conscientia ipsum accusat, & condemnat. *Roman.* 2. Testimonium reddente, &c. *Sapient.* 4. Venient in cogitatione, &c.

Tertius est timor periculi, certus est homo, cum ceciderit de pœna æterna, si in hoc deprehendatur. Unde dicitur *Sap.* 18. Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationi. Semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia.

* a Vidit

a bum sequitur humilitas, ideſt, dejectio, & humilem
ſpiritu ſuſcipiet gloria. Item quoad delicias. Solebat enim
Lazarus eſſe in tormentis, dives in deliciis, nunc autem
e converſo. Et hoc eſt, quod dicitur *Iſa.* 65. Servi mei
comedent, & vos eſurietis. Item quoad dignitatem. So-
lebat enim Lazarus
mendicare a divite;
nunc autem e contra-
rio. Et ſicut dives non
audiebat Lazarum, ita
nec ipſe modo auditur.
Prov. 21. Qui obtorat
aurem ſuam ad clamo-
rem pauperis, ipſe quo-
que, &c.

vidit *a* Abraham *b* a longe,
& *c* Lazarum in ſinu ejus, &
d ipſe clamans, dixit: Pater
Abraham, miſerere mei, &
f mitte Lazarum, ut intingat
extremum digiti ſui in aquam,
ut *g* refrigeret linguam meam,
h quia crucior in hac flam-
ma. Et dixit illi *i* Abraham,

Secundo, notatur
tormentorum ejus cu-
mulatio, cum dicitur.

a Cum eſſet in tormentis, &c.] *Gregor.* Dives tamen
Abraham fuerat, qui Lazarum in ſinu habebat. Et no-
ta, quod reprobi a longe ſunt ab electis, & loco, &
merito, quia ultra non poſſunt habere locum merendi.
Nec eſt hoc ad relevationem doloris, quod Lazarum
videt in gaudio, ſed magis ad cumulum damnationis,
ſicut non eſt ad diminutionem gaudii, ſed potius ad
augmentum, quod Lazarus videt divitem in tormentis.
Unde *Greg.* Credendum eſt, quod ante retributionem
extremi judicii injuſti in requie quoſdam conſpiciant, ut
eos videntes, & conſpicientes in gaudio, non ſolum de
ſuo ſupplicio, ſed etiam de illorum bono crucientur.
Juſti vero in tormentis ſemper injuſtos intuentur, ut
hoc eorum gaudium creſcat, quia malum conſpiciunt,
quod miſericorditer evaſerunt. Ut ergo peccatores in ju-
dicio amplius puniantur, & eorum vident gloriam, quos
contempſerunt, & de illorum pœna torquentur, quos
inutiliter amaverunt. De hoc etiam *Iſa. ult.* Egredien-
tur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati ſunt
in me. Cadavera dicit corpus, & animam reproborum,
quæ ſunt data vermibus corrodenda. *Eccl.* 10. Cum mo-
rietur homo, &c. Tertio notatur ejus præſumptio, cum
dicitur. *d* Et ipſe clamans, dixit: Pater Abraham, mi-
ſerere mei.] Hæc eſt illa ſera pœnitentia, in qua fatuæ
Virgines clamant: Aperi nobis; *Matth.* 24. Modo vocat
patrem, quem noluit imitari. *Petrus Raven.* Si pius, ſi
hoſpitalis in pauperem fuiſſes, filius Abrahæ eſſes. Qui
genitoris opera non facit, negat genus, dicente Domi-
no: Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. *Joann.* 8.
Quarto, notatur ſtulta petitio, cum dicit.

f Et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in
aquam.] *Petrus Raven.* Adhuc divitem ſua malitia non
deſerit, qui non ſe ad Lazarum duci poſtulat, ſed ad ſe
Lazarum vult deduci. Unde, & quo? Ad infernum de
gremio patris, ad profundum chaos de ſolio ſublimi, ad
ſtridorem tormentorum de ſancta quiete, & tanto ſilen-
tio beatorum. *Chryſ.* Quondam Lazarum videre dedi-
gnabaris, & nunc digitum ejus deſideras.

Item *Chryſoſt.* Qui in pretioſis exceſſit in culpa, vi-
liſſima petit in pœna. *Beda.* Qui micas panis de menſa
cadentes Lazaro non dedit, de extremo ejus digito
aquam in ore ſuo cupit diſtillari, & qui minima non
dedit, in inferno minima quærit.

Quinto, notatur pœnæ ad culpam conveniens ordina-
tio, cum dicit.

g Ut refrigeret linguam meam.] *Gloſ. Bed.* in qua am-
plius patior, [quia crucior in hac flamma.] Petebat
de digito Lazari madefacto diſtillari guttam aquæ in os
ſuum, ut eſſet refrigerium linguæ. Certum eſt, quia ani-
ma divitis erat in inferno, & cruciabatur dives iſte in
lingua, ſcil. pro loquacitate, quia in menſa loquacitati
operam dedit. In multiloquio autem non deeſt peccatum.
Unde *Bed.* In hoc nota, quia ſicut mos eſt, etiam inter
convivia loquacitati ſtudunt. *Aug.* Quomodo intelligitur,
lingua, flamma, ſinus Abrahæ, & hujuſmodi; vix a man-
ſuetis, a contentioſis nunquam invenitur. [Ut refrigeret
linguam meam, &c.] Hic dicit *Petrus Raven.* Si jam
te poſſidet totum ignis inferni, quare ſolius linguæ deſi-
deras æſtibus ſubveniri? An quia lingua magis uritur,
magis ardet, quæ pauperi inſultavit, quæ miſericordiam
denegavit? Hæc præcedit ad judicium, quæ præceſſit ad
peccatum. Hæc primo deguſtat cruciatus, quæ pretio-
ſos cibos, & odorata pocula deguſtavit. *Sapient. cap.* 11.
Per quæ peccat quis, &c.

Item, qui minima negavit, minima petit, & negan-
tur ei, Unde *Greg.* Dives ille, qui menſæ ſuæ mini-
ma dare noluit, in inferno poſitus uſque ad minima pe-
tenda pervenit. Nam guttam aquæ petiit, qui micam
panis negavit.

Et hoc eſt, quod dicit *Prov.* 28. Qui dat pauperi,
non indigebit, qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit pe-
nuriam. *Petrus Raven.* Quid eſt dives, ubi ſunt torcu-
laria tua, & horrea?

Item, quid eſt, quod dicis, ut intingat extremum di-
giti ſui in aqua, & non magis, ut afferat aquam? Ergo
juxta te eſt aqua, quare ergo non ſumis? quia vinctæ
ſunt manus tuæ. Et merito, quia ſolutis in debilitatem
manibus Lazaro ſubvenire contempſiſti. [Linguam.]
Jer. 48. Deſcende de gloria, ſede in ſiti, habitatio fi-
liæ Dibon, ideſt ſufficiens ad intellectum. Sequitur.

i Et dixit illi Abraham: Fili, &c.] Hunc divitem ap-
pellat Abraham filium: Unde patet, eum filium Abra-
hæ ſecundum carnem fuiſſe, ideſt, Judæum. Hinc etiam
habetur auctoritas, quod mali faciunt aliqua bona me-
ritoria temporalis præmii, ſed non æterni. E contrario
boni aliqua mala, quibus merentur pœnam temporalem,

a non æternam, ut iſte

* *a* Vidit Abraham,] i. Deum patrem omnium, & *Moraliter.*
receptorem bonorum.

b A longe.] quia peccatum longe facit hominem a
Deo. *Pſ.* 118. Longe a peccatoribus ſalus. *Iſa.* 59. Ini-
quitates veſtræ, &c.

c Et Lazarum in ſinu ejus.] Hoc additur ad augmen-
tum, & cumulum tormentorum ejus. Sicut enim in
inferno magis dolebunt reprobi, quia videbunt bonos
in gloria, ita peccator, qui per ſuperbiam cecidit a ſta-
tu felicitatis, & amiſit divitias, quas habebat, & vi-
det illum, qui prius fuit magnus peccator in ſinu Abra-
hæ, ideſt, in ſtatu gratiæ, in pace conſcientiæ, & tran-
quillitate vitæ contemplativæ, magis torquetur.

d Et ipſe clamans,] ore, tacens corde.

e Et dixit: Pater Abraham, miſerere mei] peccatum
dimittendo.

f Et mitte Lazarum, ut intingat extremum,] ideſt,
extremitatem [digiti ſui in aquam, &c.] ideſt, con-
cede mihi minimum meritum ejus ad meum refrige-
rium, nec orat dives, ut ducatur ad Lazarum, ſed quod
Lazarus ad ipſum veniat, in quo ſignificantur quidam
peccatores, qui cum in peccatis ſuis remaneant,
alios pro ſe orare implorant, & ipſi ſeipſos juvare no-
lunt.

Sed ſicut dives manens in inferno, nihil impetravit,
ita qui remanent in peccato, nihil impetrant apud
Deum, quia peccatores non exaudit Deus. *Joann* 9.
Illi ſunt ſimiles fatuis virginibus, quæ nolentes emere
oleum, dixerunt aliis: Date nobis, & dictum eſt eis:
Ite, &c. *Matth.* 25. quaſi dicat, ſi vultis juvari ab
aliis, vel a Deo, voſipſi coadjuvate. 1. *Corinth. tertio*,
Dei coadjutores ſumus.

Debet ergo dives laborare, ut veniat ad Lazarum,
non tantum rogare, ut Lazarus veniat ad ipſum. Cum
autem digitus ſit Spiritus ſanctus, ut dicitur *Exod.* 8.
Quid eſt extremum digiti, niſi gratia in extremis? Un-
de extremum digiti intingitur in aqua, & datur petenti,
cum peccatori datur finalis, ſeu in fine gratia. Ille qui-
dem digitus habet tres juncturas, ſive tres partes. Pri-
ma pars eſt gratia juſtificans, ſecunda eſt gratia confer-
vans, tertia eſt gratia conſummans, ideſt, finalis. Mul-
ti non multum curant de primis duabus, ſed tertiam
poſtulant, quantum poſſunt, ideſt, bonum finem, ſeu
finalem gratiam: Hoc enim eſt petere extremum digiti.
Sic petiit Balaam non pœnitens: Moriatur anima mea,
&c. *Num.* 23. Sed dicit *Aug.* Non poteſt bene mori,
qui male vixit.

g Ut refrigeret linguam meam,] quæ continuo motu
agitata quaſi rota inflammatur.

Unde *Jacob* 3. Lingua noſtra ignis eſt, &c. A ge-
henna, i. a diabolo, vel a propria concupiſcentia: ideo
bene indiget refrigerio.

h Quia crucior in hac flamma.] Eſt duplex flamma.
Una præſens, ſcil. flamma malæ concupiſcentiæ. Alte-
ra eſt flamma gehennæ. De quibus *Iſa.* 50. Ambulate
in flammis, quas ſuccendiſtis vobis, ligna, ideſt, pecca-
ta congerendo, & adipem voluptatum deſuper infunden-
do. *Jer.* 7. Filii colligunt ligna, &c. *Eccl.* 23. Homo
nequam in ore, &c. Ambulare in flammis eſt, de flam-
ma ad flammam tranſire, de flamma concupiſcentiæ ad
flammam gehennæ.

i Et dixit illi Abraham,] ideſt Deus, qui loquitur ho-
mini intus in conſcientia, & foris in Scriptura.

* *a* Fili, recepiſti

▲ non æternam, ut iste Lazarus. Unde *Bed.* Nota, quod dives iste aliquid boni habuit, ex quo bonum transitorium in hac vita recepit, & Lazarus aliquid mali habuit, sed ignis inopiæ purgavit. Hæc sententia videtur terribilis, & præcipue illis, qui in vita sua bona recipiunt, quia jucundius vivunt quam alii homines. Hanc enim videtur Abraham causam damnationis hujus divitis dicere, quia recepit bona in vita sua. Et nota, quia *Bed.* adhæret verbo [recepisti.] Proprie enim dicitur quis recipere, quod pro mercede capit. Ac si diceret Abraham diviti. Tu quidem fecisti aliqua bona, quibus temporalium affluentiam meruisti, & mercedem in vita tua recepisti. Item nota, quod in hoc, quod dicit.

a Fili, b recordare, quia c recepisti bona in d vita tua, & e Lazarus similiter mala. f Nunc autem hic consulatur, g tu vero cruciaris. Et in his h omnibus inter vos chaos i magnum firmatum est, ut hi, qui k volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

a Fili] incutit ei dolorem. Unde *Petrus Raven.* Tu vocas me patrem, & ego voco te filium: ut tu graviter doleas perdidisse, ad quod natus es, quod tibi gratia dederat, & natura, voco te filium, ut in me maneat patientia mea, & tua maneat in te pœna. O quantus erit dolor, quando delebitur nomen filii ab eis, quod in octava circumcisionis recipiendum erat, & transibunt a nomine, ad quod debuerunt transire. Sicut dicitur *Exod.* 30. Hoc dabit omnis, qui transit ad nomen. Item in hoc, quod dicit. *b* Recordare, quod recepisti bona in vita tua] auget afflictionem. Hoc est enim, quod maxime cruciat damnatos, scil. præteritarum deliciarum recordatio, quas mallent non habuisse. Unde *Boetius*. Infelicissimum genus infortunii est fuisse felicem. Item in hoc, quod dicit.

d In vita tua] renovat dolorem. Dolent enim reprobi in inferno, quia vixerunt sibi, non Deo. *Eccl.* 11. Ne laudaveris hominem in vita sua. Secundum *Glos. myst.* videtur posse mutari constructio, ut sic dicatur.

c Recepisti bona in vita tua,] q.d. recepisti bona tua, i. quæ putabas tuam beatitudinem. Sic mali recipiunt bona in vita, i. quæ videntur eis bona, sed justi non recipiunt bona, i. quæ reputent, vel quæ videantur eis bona, quia non recipiunt ea pro recompensatione meritorum. Leguntur enim quidam, & Abraham, & Isaac, & alii in bonis temporalibus abundasse, non tamen pro recompensatione meritorum sunt eis collata a Deo, sed gratis. Sequitur.

e Et Lazarus similiter mala.] Quia sicut dives ex aliquo merito bona in vita sua recepit, quæ cum vita transierunt, ita Lazarus ex aliquo demerito mala in vita sua recepit, quæ cum vita sua finita sunt.

f Nunc autem hic consolatur,] æterna consolatione pro brevi, & momentanea tribulatione. 2. *Cor.* 4. Id quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis, &c. Nunc sunt ei nuptiæ architriclini, in quibus aqua doloris versa est in vinum gaudii, & consolationis. *Jo. cap.* 2. Hoc est, quod dicitur *Jo.* 16. Tristitia vestra vertetur in gaudium, &c. *Chrys.* Si ægrotamus, si pauperes sumus, gaudeamus, accipiamus mala in vita nostra, ut postea recipiamus bona.

g vero cruciaris] æterno cruciatu pro modica voluptate. *Greg.* Momentaneum est, quod delectat, sed æternum est, quod cruciat. *Proverb.* 14. Risus dolore miscebitur & extrema gaudii luctus occupat. Ecce, qui fuit in deliciis temporaliter, nunc est in pœna æternaliter. Hæc mutatio miro modo figurata est. *Gen.* 48. ubi dicitur, quod Jacob manum dexteram posuit super minorem filium Joseph, qui erat ad sinistram suam, & e converso manum sinistram posuit super majorem filium, qui erat ad dexteram suam. Per dexteram in Scriptura significatur prosperitas, per sinistram vero adversitas, Et certe, qui sunt hic in adversitate propter Deum, erunt in futuro in prosperitate. Et e converso, qui sunt hic in prosperitate, erunt in futuro in adversitate. Nunc enim Dominus crucifixus stat ad Occidentem vocans peccatores ad pœnitentiam, sed tunc vertet se ad Orientem ducens suos ad gloriam, & ita, qui modo sunt in dextera, erunt in sinistra, & e converso. *B. Bern.* O quantos Lazaros, &c.

h Et in his omnibus, &c.] Nota, quia Abraham jam ostenderat eum talem esse, cui non deberet subveniri, modo ostendit, quia non potest ei subvenire, etsi vellet, quia forsitan adhuc dives instanter rogaret, nec clamare desisteret, q.d. Abraham: Recepisti bona in vita tua, in voluntate temporalium spem posuisti, dedisti operam ambitiosis, & superfluis ornatibus, & comessationibus, vaniloquiis, quia Epulones solent dare operam loquacitati, & ita multa sunt, quæ me excusant, ne subveniam tibi, quia talis es, cui non debet subveniri. [Et his omnibus,] i. inter hæc omnia, quæ me excusant, unum est, quod omnino me absolvit, scil. quia nullo modo possum tibi subvenire.

i Quia magnum, &c.] scil. impossibilitas commeandi, quia nemini de nobis est facultas commeandi ad vos, vel e converso. Notatur & hic distantia locorum secundum differentiam meritorum. Quod significatur *Exod.* 8. ubi dicitur: Ponam divisionem inter populum meum, & populum tuum. Hæc divisio fuit in terra Gessen, ubi erant filii Israel, ubi erat semper lux, & pax: In terra vero Ægypti semper erant tenebræ, & tumultus. Vel illud chaos dicitur ex una parte inflexibilis justitia Dei: ex altera parte immutabilis exigentia meritorum, scil. quia nec ibi possunt vitam æternam mereri, nec boni mortem æternam. Hæc confusio non est in hac vita. Nam & boni possunt fieri mali, & mali boni. *Ambr.* Inter pauperem, & divitem chaos est, quia post mortem nequeunt mutari merita. Unde sequitur.

k Ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare,] idest, si vellent non possent. Et nota, quia principium *Glos. Gregor.* Sicut reprobi, &c. innuere videtur, quod electi, qui vident reprobos in tormentis, compatiuntur eis. Quod stare non potest, quia idipsum eorum beatitudinem offuscaret. Non enim potest esse compassio miseri sine angustia animi.

Item si ex affectu compassionis condescenderent, non in omnibus voluntati Dei concordarent. Nota ergo, quia *Glos.* seipsam determinat, finis principium. Quia ergo dicitur in principio, volunt, sed non possunt, intelligendum est, volunt de natura, non tamen simpliciter volunt, sicut Angeli de natura possunt peccare, i. in ea natura creati sunt, in qua possunt peccare, nisi confirmarentur, ita electi ad reprobos de natura transire volunt, idest, in natura humana compassionem habuerunt: & adhuc haberent, nisi adeo Dei justitiæ astricti essent. Licet ergo electi naturaliter sint misericordes, & compassibiles, tamen erunt adeo conjuncti divinæ justitiæ, & conformes divinæ voluntati, ut nulla compassione ad reprobos moveantur. Modo potest esse transitus de malis ad bonos, & de bonis ad malos, tunc nullus erit transitus. Nunc enim dicitur Dominus transire percutiens Ægyptios. *Exod.* 12. Tunc immobilis erit censura justitiæ Dei. Unde *Isa.* 30. Erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum. Et de bonis dicitur. *Joann.* 16. Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

▲ Et ait dives ad Abraham

* *a* Fili, recepisti bona] fortunæ, bona naturæ, bona gratiæ. *d* In vita tua,] quibus male usus es superbiendo. *Moraliter.*

e Et Lazarus similiter mala] culpæ, quibus bene usus est pœnitendo, & confitendo, & mala pœnæ, quibus bene usus est se humiliando, & patienter sustinendo.

f Nunc autem hic consolatur] in sinu Abrahæ, i. in pace conscientiæ, vel tranquillitate vitæ contemplativæ, ad quem locum peccator peracta pœnitentia portatur ab Angelis, ut prædictum est. *Isa.* 61. Dabo oleum gaudii pro luctu, & pallium laudis pro spiritu mœroris.

g Tu vero cruciaris] in inferno, intus, scilicet conscientia flagellante. Et merito talis sine misericordia cruciatur, quia noluit ipse, cum posset, indigenti pauperi misereri. *Matt.* 18. Serve nequam, &c.

h Et in his, &c.] i. magna distantia præmiorum juxta distantiam meritorum. Dives, quia de bonis Domini superbivit, demersus est in infernum: Lazarus vero, quia de peccatis suis humiliter pœnituit, sublimatus est in cœlum. *Job* 28. Lapidem caliginis, & umbram mortis, idest, reprobos, in peccatis induratos, dividit torrens pœnitentiæ, vel divinæ sententiæ, a populo peregrinante, scil. ab electis, qui se reputant peregrinos in mundo. Unde 1. *Cor.* 5. Quamdiu sumus in hoc corpore, &c. *Hebr.* 13. Non habemus hic manentem, &c. Benedicit [Firmatum est, ut hi, qui volunt, &c.] quia non possunt post mortem merita permutari.

a Et ait. *b* Rogo ergo te, pater, ut *c* mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et *d* ait illi Abraham: *e* habent Moysen, & Prophetas, audiant illos. *f* At ille dixit: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. *g* Ait autem illi: Si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

a Et ait] dives ad Abraham. *b* Rogo ergo te, pater,] ex quo nemo ex vobis potest huc venire. *c* Ut mittas eum,] scil. Lazarum [in domum patris mei, &c.] Non est credendum, quod hoc dicat ex charitate, quam ante non habuit, & constat, quod nec modo habebat. Unde dicit Auctoritas, Non potest quis post mortem illum, quem prius habuit, immutate affectum. Hoc igitur dicebat ex timore pœnæ: Sciebat enim, quod ex consortio fratrum in pœna augeretur pœna sua. Unde *Bed.* Servatur diviti, & cognitio pauperis, quē despexit, & memoria fratrum quos reliquit, ut de visa gloria despecti, & de pena inutiliter amatorum amplius torquetur. Et notantur hic multa ad litteram. Primo, importunitas divitis respectu Abrahæ, quem iterum frustra sollicitat. Secundo, ejusdem divitis crudelitas respectu Lazari, quem petit exire de requie, qui semper fuit in labore. Nec est credendum, quod vellet Lazarus suscitari ad vitam mortalem, cum Dominus flevisse legatur, quando Lazarum suscitavit iterum moriturum. *Jo:* 11. Tertio, notatur in fratribus divitis conformitas culpæ, sicut naturæ, per hoc, quod dicit. [Habeo enim quinque fratres.] Ideo forsitan quinque, quia quinque sensuum voluptatibus intendebant fratres ejus, sicut ipse prius. Sic mulier Samaritana dicit se habuisse quinque viros. *Jo:* 4. Et quidem alius emisse quinque juga boum, *sup.* 14. Quarto, notatur, quod fratres divitis nondum emancipati erant a patre iniquo, per hoc, quod dicit [In domo patris mei.] Et quomodo mitteret Abraham ad tales servum Domini, qui non recipit non derelictos a patre? Unde *Ps.* 26. Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Quinto, notatur divitis fatuitas, qui non putabat eos fore socios in pœna, qui fuerant socii in culpa. Sicut enim socii passionom sunt, & socii consolationum, ut dicit Apostolus 2. *Cor.* 1. sic socii culpæ secundum justitiam Dei erunt socii pœnæ. *Eccl.* 13. Omnis caro ad similem sibi conjungetur. Sexto, notatur timor servilis adhuc esse in divite: non enim dixit, ut testetur illis, ne peccent, vel ut peniteant, se [ut testetur illis, ne & ipsi veniant in locum tormentorum:] Bene dicit locum tormentorum: ibi enim omnia genera tormentorum sunt congregata, sicut aquæ maris in alveo suo. *Eccl.* 1. Omnia flumina intrant in mare. Septimo, notatur cumulus supplicii, per hoc idem: Novum enim genus tormenti est sollicitum esse de parentibus suis. Unde præter propria tormenta, dupliciter torquebatur dives, & quia videbat Lazarum in gloriam, quem male despexit, & quia timebat de supplicio fratrum, quos male amavit. Istam pœnam portabunt secum in inferno Prælati, scilicet, sollicitudinem parentum, quos male amant. *Greg.* Ut peccatores in suppliciis amplius torqueantur, eorum videbunt gloriam, quos contempserunt, & de illorum pœna torquebuntur, quos inutiliter amaverunt. Sequitur de responsione Abrahæ. *d* Et ait illi Abraham, &c.] in qua primum notatur mansuetudo sua. Non enim respondit sicut iratus, post mihi molestus esse, sed utens mansuetudine sua docuit, quid deberent facere, dicens. *e* Habent Moysen, &c.] Nam Moyses docet moralia, quæ sunt facienda: Prophetæ traduat mystica, quæ sunt intelligenda. Per hoc idem notatur commendatio, & concordia legis, & Propheriæ. Unde & in transfiguratione Domini loquantur Moyses, & Elias *Matth.* 7. Sed adduntur Petrus, Jacobus, & Joannes, ut significetur Novi, & Veteris Testamenti concordia.

Item audit Moysen, qui implet mandata. Audit prophetas, qui credit prænunciata. Qui autem nolunt audire, nec eorum oratio audietur. *Prov.* 28. Qui declinat aurem suam, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. *f* At ille, &c.] Iste dives ex ingenio suo alios judicat, recolens, quia dum vixit, noluit audire Moysen, & prophetas, & putat fratres suos esse similiter obstinatos. Item notatur in hoc stultitia divitis, & omnium mundanorum. Putant enim plus esse credendum mortuis, quam vivis, vel quam Scripturis, similes Saul, qui per pythonissam petiit suscitari Samuelem, a quo requireret veritatem. 1. *Reg.* 28. Contra illud *Isa.* 8. Numquid non populus a Deo suo requirit visionem pro vivis, & mortuis, &c. *g* Ait autem, &c.] Per locum a majori terminat Abraham responsionem, quia major est auctoritas Moysi, & Prophetarum, quam alicujus mortui, & ideo si illos non audiunt, nec mortuum. Et quod verum dixerit Abraham, patet, quia aliquis ex mortuis imo primogenitus mortuorum, i. Christus resurrexit, & tamen non est creditum ei. Unde *Chrys.* Christus a mortis resurrexit, & quæ mala in inferno erant, nunciavit. Descendit, & de cœlo, & quæ bona ibi erant, prædicavit, nec est creditum ei. Introducitur etiam mortuus loquens. *Eccl.* 38. Memor esto judicii mei, sic erit & tuum, mihi heri, & tibi hodie. Narrantur etiam mortui apparuisse quibusdam Domino faciente. Ut magistro Selloni apparuit quidam discipulus suus indutus capa, de pergameno exterius scripto, & interius ardenti, & statim ivit ad religionem, dicens.

Versus.

Linquo croax ranis, cras corvis, vanaque vanis:
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Moraliter,

* *a* Et ait: Rogo ergo te pater, &c.] Dives depauperatus prius vocavit Abraham patrem: Nunc dicit se habere fratres in domo patris sui. In quo ostenditur peccator duos habere patres, scil. Deum, qui est pater omnium secundum generationem naturæ, ad quem quotidie clamamus: Pater noster, qui es in cœlis. *Matt.* 6. Et diabolum, qui est pater malorum secundum generationem culpæ. Unde *Jo:* 8. Vos ex patre diabolo estis. Omnes igitur boni sunt tantum, de una domo, & unius patris, scil. Dei, & omnes mali sunt, de duobus domibus, & duorum patrum. Sunt enim, de domo Dei patris, cujus sunt filii secundum naturam, non secundum imitationem. Et in utraque domo habet dives iste fratres multos. Omnes enim boni, qui sunt in domo Dei, fratres ejus sunt, secundum naturam. Item omnes mali, qui sunt in domo diaboli fratres ejus sunt, i. similes in culpa. *Eccl.* 24. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Sed cum plurimi sint fratres in hac domo, quare dicit quinque? Forte ad innuendum, quod ab operibur misericordiæ diminuti sunt, quæ per senarium designatur. *Matth.* 25. Vel ideo quinque, quia voluptati quinque sensuum dediti sunt, sicut ipse. *d* Et ait illi, &c.] Lex Moysi dat præcepta, & prohibitiones, Prophetæ faciunt promissiones, & commissiones. Igitur audire Moysen, est servare mandata legis, & prohibitiones cavere. Audire Prophetas, est timere comminationes, & amplecti promissiones. Sic Dominus discipulis euntibus in Emaus interpretabatur Scripturas incipiens a Moyse, & Prophetis, *inf. ult.* *f* At ille, &c.] Duo genera prædicatorum distinguuntur hic. Quidam sunt sæculares in mundo conversantes, & hi significantur per Moysen, & Prophetas. Sic enim per Moysen mandata, & prohibitiones, & per Prophetas comminationes, & promissiones significantur, ita & illi, qui prædicant, & docent ista. Alii sunt religiosi claustrales lege viventes, & hi significantur per mortuos. Primo misit Deus Moysen, & Prophetas, i. sæculares prædicatores. Sed mundus non credidit eis, dicens se potius velle credere factis, quam verbis, nolle audire prædicatores, qui non faciunt, quod docent, non attendens, quod Dominus dixit. *Matt.* 23. Super cathedram, &c. Volens ergo tollere omnem excusationem, & occasionem murmurandi, misit postea mortuos, i. fratres minores, & fratres prædicatores, qui sunt mortui mundo. Unde *Col.* 3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est, cum Christo in Deo. Hos periit mundus, & hoc est, quod dicit [Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.] Sed quia mundus etiam per istos mortuos parum proficit; ideo sequitur [Ait autem illi] Abraham, scil. [si Moysen, & Prophetas non audiunt, &c.] Et hoc est, quod dicit *Matth.* 11. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini; Hoc est, quod dives non vult audire Moysen, & Prophetas. Item venit Joannes non manducans, neque bibens, & dicunt, dæmonium habet. Per quem Joannem significantur illi mortui.

Unde omnes communiter dicunt, Domine, quis credidit auditui nostro, quasi dicat, nullus, vel rarus. *Is.* 53.

a Et ad

CAP. XVII.

Et ad *a* discipulos suos ait. Impossibile est, ut non veniant scandala. *b* Væ autem illi, per quem veniunt. *c* Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quam ut *d* scandalizet unum de pusillis istis. *e* Attendite vobis.

EXPOSITIO CAP. XVII.

Et ad discipulos suos ait, &c.] Dominus disputans de avaritia Pharisæorum, & de pecunia eroganda pauperibus, prædicavit eis contemptum terrenorum. Pharisæi autem, quos Dominus tangebat, irridebant eum, ex eo sumentes occasionem irrisionis, quia lex observatoribus suis divitias promittebat, quas ipse despiciendas esse docebat, quasi dicerent: quandoquidem lex ita magnificat temporales divitias, ut eas observatoribus suis pro mercede promittat, ergo tu arguendus es, qui ita vilipendis eas. In tantum autem irridebant eum, ut quidam de pusillis, qui aderant, scandalizarentur, & verba ejus vilipenderent, & ita mortaliter peccabant. Cum enim audimus aliquem nobis aliqua prædicantem, & videmus doctores, quos arbitramur peritos, doctrinam ejus irridere, & parvipendere, statim doctrina ejus in negligentiam cadit. Videns ergo Dominus pusillos scandalizatos irrisione Pharisæorum, imprecatur væ æternum Pharisæis, loquens specialiter Apostolis. Ideo autem specialiter dirigit sermonem ad Apostolos, loquens de scandalo infirmorum, ut quasi tacite exhortetur eos ad fortiter scandala sustinenda, q. d. permittite infirmos scandalizari, vos autem, ne hujusmodi irrisionibus blasphemantium moveamini, quas vobis incumbit tolerare, quia impossibile est, ne veniant scandala. Dividitur autem istud caput in sex partes. In prima imprecatur Dominus væ Pharisæis pusillos scandalizantibus. In secunda ostendit, quomodo potest scandalum evitari, ibi. [Si peccaverit in te, &c.] In tertia parte, quia dixerat *sup.* Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis erit, & Apostoli in minimo jam fuerant fideles, i. in contemptu terrenorum, ideo postulavit sibi fidem augeri, ut in majori fideles inveniantur, & Dominus determinat, qualem fidem debeant habere, ibi: [Et dixerunt Apostoli:] In quarta monet, ne quis de operibus suis glorietur, ibi: [Quis autem vestrum,] & ita invitat ad humilitatem, per quam fides augetur. In quinta reprehenditur ingratitudo novem leprosorum, qui sanati nullas gratias retulerunt, ibi: [Et factum est, dum irent.] In sexta determinat diem secundi adventus omnibus esse incertum, & qualis sit futurus status hominum, ostendit, ibi: [Interrogatus autem.] Dicit ergo. *a* Et ad discipulos, &c.] *Chrys.* Insusceptibile. [Ut non veniant scandala.] *Bed.* i. offendicula. *Chrys.* Si omnes correcti essent, numquid non argueretur sermo hic? Nequaquam, neque enim dictus esset. *Chrys.* Quid sunt scandala? Prohibitiones rectæ viæ. Et *inf.* Non quia prædixit hoc, fit; sed quia futurum erat, esse propter hoc prædixit. *Num.* 31. *Glos. Orig.* Scandalum est, ubi recte ambulanti deceptio ad peccandum subjicitur. Et *sup.* Longe gravius est causam peccati præbere, quam peccare. *Matt.* 18. Necesse est, ut veniant scandala. 1. *Cor.* 11. Necesse est hæreses fieri, ut qui probati sunt, &c.

b Væ autem illi.] Nota, quia scalon, vel scandalon Græce, Latine dicitur, vel obex, ad quem offendimus in via, non prævidentes, pedibus nostris, vel læsio ipsa qua in offendendo lædimur, vel ruina ipsa. Unde versus.

Scandalon æquivocum obex, impactio, casus.

Hic autem accipitur pro ruina, vel casu, ubi dicitur [Væ autem illi, per quem scandala veniunt,] idest, væ illi, qui proximum in mortale peccatum ruere facit. Si quis enim proximum faciat venialiter peccare, non propter hoc minatur ei Dominus væ æternum. *Hieronym.* Sicut ignem calere, nivem vero frigere, ita necesse est, ut iniquitas erroribus plena scandala pariat, perfectorum vero charitas pietatis operibus luceat. Veruntamen, quia nulla necessitas cogit humana corda esse iniqua, quæ tamen, quia iniqua sunt, scandala movent, ideo væ illi, cujus vitio veniunt. *Chrys.* Venire quidem scandala necesse est, perire autem non est necesse: sicut si dicat medicus. Sequitur. *c* Utilius est illi, &c.] Nota, quia lapis molaris non hic pro mola accipitur, sed pro quolibet grandi lapide, & significat hic comparativum idem, quod positivum sui contrarii, cum minus adverbio. Et loquitur juxta morem Palestinæ regionis, in qua infligebatur hæc pœna parricidarum, vel quibuslibet facinorosis. Non enim talis pœna infligebatur, nisi propter facinora, i. propter graviora scelera, quæ non esset fas dicere, vel cogitare. Et erit sermo de innocenti quasi minus inutile esset innocenti homini pœnam subire, & ita obire, quam fratris scandalo mortem æternam mereri. *Bed.* [Lapis.] Secundum ritum provinciæ, ubi erat ista pœna criminum, ut ligato saxo in profundum demergeretur. Et vere est utilius innoxium gravissima pœna vitam finire, quam lædendo fratrem mortem mereri perpetuam. Alia *Gl. Bed.* Utilius est illi, idest, multo melius pro culpa brevem recipere pœnam, quam æternis cruciatibus servari, quasi utilius est alicui subire temporalem pœnam sufficientem ad delendam culpam, quam pro scandalo fratris reservari ad æternam pœnam. Et ponitur comparativum elective, non sicut prius, quasi hoc est utile, sive bonum, illud non. *Chrys.* Si natura esset mala superflua esset custodia. *d* Quam ut scandalizet, &c.] *Bed.* Magnus enim moveri non potest, i. qui magnifici animi est, & robustus, de facili non movetur. Item [Utilius, &c.] Secundum *Hil.* sensus est. Melius est Christiano, per cujus scandalum fratres sui, vel subditi sibi pereunt, si paganus esset, quia non tantam pœnam pagani patiuntur in inferno, quantam falsi Christiani. *Rom. c.* 14. Malum est homini, qui per offendiculum manducat, bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. *Glos.* Offendit, qui a fide discedit, scandalizatur, qui tristatur, infirmatur, qui dubitare incipit. 1. *Corinth. cap.* 8. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum *Chrys.* Si membra abscindimus, cum incurabiliter se habuerint, & reliquis obfuerint, multo magis in amicis hoc facere oportet. *Chrys.* Nihil ita nocivum est, ut conversari cum perniciosis.

Item *Bed.* Nota, quod inquantum sine peccato potes vitare scandalum proximi, debes, quod si de veritate est, pro scandalis veritas relinqui non debet. Sensus est, Dominus expresse ostendit, quam mortale sit scandalizare proximum, scil. ei præbere occasionem ruinæ, i. mortalis peccati. Ergo summopere vitandum est scandalum proximi, inquantum sine peccato potest vitari. Si enim scandalizaretur proximus pro veritate, non propterea cessandum est a veritate. Est autem veritas triplex, scil. doctrinæ, vitæ, justitiæ. Si habeam veram vitam, & scandalizetur proximus, nisi furer, vel rapiam, non pro ejus scandalo cessare debeo a veritate vitæ. Item si sane doceam articulos fidei, & inde scandalizetur, non desistam a veritate doctrinæ. Item si sedeo Judex, & scandalizetur, quia non parco ei in judicio non desistam a veritate justitiæ.

Justitiæ, vitæ, doctrinæ scandala cedunt.

Item nota *Glos. Bed.* Vel per lapidem molarem sæcularis vitæ labor, & circuitus exprimitur, per mare damnatio extrema. Quicumque ergo speciem sanctitatis habens, verbo, vel exemplo ceteros destruit, melius esset ei, ut sub exteriori habitu, idest, sæculari ad mortem terrena acta constringerent, quia si solus caderet, tolerabilior eum pœna cruciaret. Nota ergo, mola semper in circuitu agitur. Per molæ ergo circuitum, sæcularis vitæ ambitum, sive rotam, i. volubilitatem, per projectionem in mare, i. æternam damnationem intellige. Et erit sermo de nocente, & ponetur comparativum sicut prius. Utilius, i. minus inutile. Et est summa, quia melius est, i. minus malum peccare mortaliter in sæcularis vitæ habitu, quam in religioso habitu. Qui enim peccat in habitu sæculari, damnabitur; qui autem in religioso habitu peccat, multos malo exemplo lædit, quia error talium facile trahitur in exemplum.

Item *Glos. Bed.* Pusillis non ætate, sed fide, & animo, qui occasiones quærunt quomodo, scandalizentur. Est enim familiare exemplum. Sæpe enim, qui in claustro est, quærit occasionem exeundi: Ideo oportet nos his consulere, ne occasione nostri recedant a fide, & salute. Sequitur.

e Attendite vobis,] quasi ex quo adeo damnabile est scandalizare proximos, ergo summa diligentia cavete, ne proximis scandala inferatis, vel potius scandala illata dimittatis. Unde sequitur.

A — *Matt.* 18. — *Cap.* 16. — *Matth.* 9. — *Versus.*

Secunda pars.

A *a* Si peccaverit, &c.] Secunda pars, in qua docet Dominus, quo ordine debeamus scandala vitare, scil. si neminem lædimus verbo, vel facto si peccantem zelo justitiæ corrigimus, si pœnitenti dimittimus, quod deliquit in nos. Ordinem autem corrigendi prætermittit Lucas, quem *Matth.* plenius docuit 10. tres ponens gradus correptionis. Primus est amore revocare peccantem, quod fit, quando conventus singulariter, & dulciter admonetur, ut cesset. Unde *Gal.* 6. Fratres si præoccupatus fuerit homo, &c. *Eccl.* 19. Corripe amicum tuum, ne forte non intellexerit, & dicat, non feci, aut si fecerit, ne iterum addat facere. Secundus gradus est timore revocare, quod fit, quando adhibentur testes. *Lev.* 19. non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue, ne habeas super illo peccatum. Tertius gradus est pudore revocare, quod fit, quando vitatur ut ethnicus. *Tit.* 3. Hominem hæreticum post primam, & secundam admonitionem devita, sciens, &c. Et ita tres species correctionis, prima est amoris, secunda timoris, tertia pudoris. Peccatur autem in correctione quatuor modis. Primo per indiscretionem, ut si quis manifestet crimen, quod probari non potest, vel incorrigibilem corrigat, vel cum sit ipse indignus, & in eodem vitio denotatus, quod significatur per Ozam. 2. *Reg.* 6. Secundo, per indignationem, quod significatur per Mariam, quæ ex indignatione corripuit Moysen: *Num.* 12. Tertio, per derisionem, quod significatur per Cham, qui patrem nudatum derisit: *Gen.* 9. Quarto, per inordinationem, ut si crimen manifestetur sine præadmonitione, quod significatur per Joseph, qui fratres suos de crimine pessimo accusavit. *Gen.* 27. Verumtamen non facit contra ordinem correctionis, quia tali revelat, qui potest prodesse, & non obesse, ut dicit *August. sup. Lev.* 5. *ibi*: Si peccaverit anima. Quando autem debeat fieri correctio, & quando non, & qualis, notatur his versibus.

Tres gradus correctionis.

B

Matt. 18.

> Si *a* peccaverit in te *b* frater tuus, *c* increpa illum, *d* & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si *e* septies in die *f* peccaverit in te, & *g* septies in die conversus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte illi. Et *h* dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem. Dixit autem Dominus: Si *i* habueritis fidem sicut granum sinapis, *k* diceretis huic

In correctione peccatur quatuor modis.

Versus de correctione.

Utilis, expediens, facilis, processus honestus.
Non spes, non testes, præsul scit, plebs, monachus sum.

Dicit ergo. *a* Si peccaverit in te,] i. contra te verbo, vel facto injuriando, & hoc, vel in persona tua, vel conjuncta, vel in fama, vel in rebus. *b* Frater tuus,] *i.* quicumque homo, qui potest scandali materiam ministrare, quia nec Deus, nec Angelus potest. Vel, [in te,] i. ex te sciente. Sic exponit *August. sup. Tim.* 5. Peccantem coram omnibus argue, qui debet, inquit, si in te peccaverit, & respondet, tu scis, quia peccavit. *c* Increpa illum] primo in secreto. *August.* Si publice argueris, non eris corrector, sed proditor. Ideo enim corripiendus est frater seorsum, ne si semel pudorem amiserit, permaneat in peccato, & si te audierit, lucratus es animam ejus, si autem non correxerit se, adhibe duos testes, vel tres, qui prodesse possint, & non obesse, & ad quorum notitiam pervenit peccatum illius, & si tunc non correxit se, dic Ecclesiæ, i. Prælato, vel publice coram omnibus arguatur, & si etiam tunc non correxerit se, vita eum ut ethnicum, & publicanum. Hunc ordinem docet Dominus. *Matt.* 18. Et certe sicut homo tenetur ad dilectionem proximi, ita & ad correctionem. Unde *Greg.* Si proximos nostros sicut nos diligere debemus, restat, ut eorum peccatis sicut nostris irascamur. Item *Beda*. Ita peccat, qui peccantem videns tacet, sicut qui peccanti non indulget. Ideo dicit *Eccl.* 4. Ne reverearis proximum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis. *Prov.* 9. Noli arguere derisorem, &c. 2. *Tim.* 4. Argue, increpa, obsecra cum omni patientia. *Chrys.* Oportet peccatoribus dicere, quæ fecerunt, sicut fit ebriis post ebrietatem. Ita fecit Abigail Nabal. 1. *Reg.* 25. Secundum quosdam quinque sunt casus, in quibus non habet locum hoc mandatum. Primus est, cum non est spes correctionis. Unde *Hier.* Frustra niti, & nihil aliud, quam odium quærere, extremæ dementiæ est. Secundus est, cum timetur defectus probationis. Tertius est, cum Prælato tanquam judici notum est idem peccatum. Quartum est, cum meliori operi vacat, vel æque bono. Quintus, cum multitudo, vel potestas est in causa. 2. *Cor.* 6. Exite de medio eorum. Ibi *August.* Exire de medio eorum, est facere, quod pertinet ad correctionem malorum, quantum licet pro gradu cujusque salva pace. Quantum licet, quia facta correctione in privato, licet non corrigatur correptus, sustinendus est quandoque. Pro gradu cujusque, quia correptor attendere debet, utrum prosit sua correptio erga personam corripiendam. Salva pace, quia tolerandi sunt mali pro pace Ecclesiæ. *d* Et si pœnitentiam, &c.] *Bed.* Ne, vel nimis difficilis venia, vel nimis remissa sit indulgentia, q. d. dimittendum est petenti veniam, & nonnisi petenti, quia si non dimitteres petenti, austeritas esset, vel severitas, si dimitteres non petenti, videretur esse remissio, i. dissolutio animi, & quodammodo alios ad peccandum incitares. *e* Et si septies in die.] *Chrys.* Non numerum ponit, sed quod infinitum continue, & semper est. *f* Peccaverit in te.] *Ambr.* Si enim in Deum, non erit nostri arbitrii. Unde 1. *Reg.* 2. Si peccaverit vir in virum, placari potest ei Deus: Si autem peccaverit vir in Deum, quis orabit pro eo? *g* Et septies in die, &c.] Septies: intellige, i. quocumque genere peccati, & quocumque tempore peccaverit in te. [Dimitte illi.] *Bed.* Solet universitas septenario designari. Præcipitur ergo, ut omnia peccata dimittantur. *Chrys.* Et si septuagies septies dimiseris, tamen gutta aquæ ad pelagus, imo magis deficit tua philanthropia ad infinitam bonitatem Dei. *Prov.* 24. Septies cadit justus, & resurgit. Septies in fratrem peccat quis, animæ intellectum seducendo, affectum corrumpendo, corpus affligendo, necessaria auferendo, sua non communicando, famam lædendo, malo exemplo corrumpendo. Sequitur. *h* Et dixerunt Apostoli.] Tertia pars capitis, in qua ostendit Dominus, cujusmodi fidem debeant habere, vel postulare Apostoli, scil. humilem, & ferventem. Nec continuatur illud proximo dicto, sed supra dicto. Cum enim supra dixisset Dominus: Qui in minimo fidelis est, & in majori fidelis erit. Apostoli, qui in minimo, i. in contemptu terrenorum fideles extiterant, sua derelinquendo, in majori postulant sibi fidem. *August.* idest, in dispensatione donorum spiritualium, quæ habebant. Unde dicitur: [Et dixerunt Apostoli Domino, Adauge nobis fidem. Dixit autem Dominus: Si habueritis, &c.] Dominus instruens Apostolos, imo in Apostolis eorum posteros docuerat, de duobus, de pecunia eroganda pauperibus, & de dimittendis injuriis. Quoniam autem Apostoli incidenter quæsierant augmentum fidei, instruit eos Dominus, quomodo poterit in eis fides augeri, scilicet, si sit humilis, & fervens. Fervor autem fidei in duobus consistit, scilicet, in tolerantia pressurarum, & perseverantia, quemadmodum in his duobus consistit strenuitas fortis athletæ, vel viatoris, sive agricolæ. Non enim judicatur strenuus in pugna, si postquam viriliter egit in duobus, vel tribus ictibus quiescat, sed pro duobus, scilicet, quia sustinet ictus viriliter, & quia perseverat finaliter, sic fides alicujus non judicatur fervens, nisi pro fide fortiter adversa perferat, & finalem habeat perseverantiam, ut semper continuando opus operi addat. Dicit ergo. *i* Si habueritis fidem sicut granum sinapis,] i. humilem exterius, & ferventem interius, quæ, scilicet, in facie hominum humilis appareat, & intus in pectore ferveat, & adversitatibus irrita ferventior fiat.

Tertia pars.

k Diceretis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis,] idest, quælibet impossibilia, & miraculosa facietis, quia talem fidem habenti, sæpe etiam inanimata obediunt. *Beda*. Species pro genere ponitur, quia fides consummata etiam elementis imperare potest. Non enim promittit eis specialiter posse arbores eradicare, vel montes transferre, quia hoc de paucis sanctorum legitur, quod transtulerint montes. De Gregorio Nazianzeno legitur, quia cum vellet ædificare basilicam in angulo maris, erat ei mons impedimento, & pernoctavit in oratione, & mane inventus est mons de loco proprio in tantum separatus, ut libera haberet spatia ad basilicam construendam. Etiam *in vitis Patrum* legitur de quodam Eremita, quod in medio horto ejus erat lapis pergrandis nocens oleribus, quem precibus amovit.

Et nota, quod Lucas continuavit hoc in loco suo. In Mattheo enim positum est post sanationem lunatici, qui oblatus est Apostolis, nec eum potuerunt sanare, præsentatus est Domino, & sanatus ab eo. Et Apostolis quærentibus quare non poterant ejicere dæmonem, Do-

minus

minus incepit in eis arguere fidei modicitatem. Et tunc dixit eis. Si haberetis fidem, sicut granum sinapis, diceris huic monti, &c. ibi dicit, huic monti, hic, huic arbori moro, & idem mystice intelligitur per montem, & morum, scil. diabolus. Per morum ergo mystice significatur diabolus, & sex rationibus. Primo, quia morus fructus prius virides, & rubeos habet, postea nigros, sic diabolus primo suggerit bona, & postea mala, more scorpionis. Sic etiam Hæretici, qui sunt membra diaboli, Jo. 2. Omnis homo, &c. Secundo, quia fructibus mori insidet multitudo muscarum, sic operibus diaboli multitudo immundarum cogitationum, quæ orationis suavitatem auferunt, & meotem maculant. Eccl. 10. Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Unde etiam princeps dæmonum Beelzebub appellatur, i. vir muscarum. Matt. 12. ubi dicitur. Hic non ejicit dæmonia nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Tertio, propter altitudinem. Morus enim alta est, & diabolus superbus. Isa. 14. Ascendam in cçlum, &c. Quarto, quia fructus mori manus tangentium inquinat, sic societas malorum, qui sunt fructus diaboli. Eccl. 13. qui tangit picem, &c. Quinto, quia vinum mori cito inebriat, sic suggestio diaboli. Ephes. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Prov. 20. Luxuriosa res est vinum, &c. Sexto, quia folia mori pascunt vermes, sic suggestiones diaboli terrenos, i. cupidos, & avaros pascunt. Job 24. Dulcedo illius vermes, non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum. Hanc morum merito fidei suæ leguntur sancti ab obsessis corporibus ejecisse ad litteram, & spiritualiter. Et hoc est, [& si habueritis, &c.] a Moro] i. diabolo. Matt. 17. & 21. dicitur. Dicetis huic monti, &c. Et idem est, sicut dictum est, mons, & morus, scil. diabolus. b In mare.] Per mare potest accipi amaritudo Inferni, vel cor peccatoris.

Morus significat diabolum sex rationibus.

C

arbori a more eradicare, & transplantare in b mare, & obedict vobis. c Quis autem vestrum d habens servum e arantem, f aut g pascentem boves, h qui regresso de agro i dicat illi statim, transi, & k recumbe, l & non dicat, para, quod cœnem, & m præcinge te, n & ministra mihi, donec manducem, & bibam, o & post hæc tu manducabis, & bibes? p Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit, quæ ei imperaverat? q Non puto. Sic r & vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi f inutiles su-

De primo Jos. 3. Aquæ, quæ inferiores erant in mare solitudinis, quod nunc mare mortuum vocatur, descenderunt.

De secundo. Isa. 57. Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Seq. c Quis autem vestrum, &c.] Quarta pars cap. in qua monet Dominus, ne quis de suis operibus glorietur. Et bene sequitur ad præcedens cap. ubi ad perfectionem fidei invitavit, per quam fiunt miracula, & ideo monet modo, ne quis de illis operibus quasi suis glorietur, sed quanto fides ast excellentior in virtutibus, tanto sit intus conscientia humilior in suis cogitationibus. 2. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur, &c. Dicit ergo. [Quis autem vestrum habens servum, &c. egresso de agro, &c. transi,] a labore. Greg. Nihil valet, quod laboras, si cessas.

Quarta pars.

k Recumbe] ad mensam. l Et non] potius, dicat, ei [para, quod cœnem, &c.] Jac. 5. Ecce agricola expectat, &c. Eccl. 20. Hodie feneratur quis. p Numquid habet gratiam servo illi, &c. imperaverat.] Intellige quasi de indebito, q. d. non habet gratiam dominus servo, quia non facit pro eo indebita. Gl. q. d. quid mirum, si facit servus, quod debet, cujus est laborare, & servire assidue. q Non puto.] Bed. Si homo ab homine servo non uniforme, sed multiplex ministerium exigit, nec gratum habet, quanto magis vos, qui sine me nihil potestis facere. Joan. 15. non unius usum operis, vel laboris exercere deberis, sed semper novis studiis augere priora. Phil. 3. Posteriorum, oblitus, &c. Nec jactetis vos, quod bene servistis. Unde sequitur. r Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, &c.] Docet ne mentiri? Absit. Ps. 76. Dixi nunc cœpi. Eccl. 18. Cum consummaverit, &c.]

f Inutiles] intellige Deo. Job 35. Si juste egeris, quid donabis ei? Vel, [inutiles, &c.] idest, insufficientes.

c Quis autem vestrum, &c. Mystice, Servus arans, vel pascens est prædicator, vel Prælatus, qui arat, dum confessat. Osee 10. Arabit Judas, & confringet sibi sulcos. Sup. 9. Nemo mittens manum ad aratrum, &c. Eccl. 38. Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in baculo, stimulo boves agitat. Pascit autem dum prædicat. Unde Petro dictum est: Pasce oves meas: Jo. ult. Ager est Ecclesia. De quo Cant. 7. Egrediamur in agrum. Servus in agro laborat, dum Prælatus, aut prædicator in Ecclesia prædicat, aut confessat. Postea vero de agro regreditur, quando intermisso opere prædicandi, vel confessandi, intus in conscientiam suam rediens, sua facta, & dicta pertractat. Ad hoc significandum, scil. quod prædicator, sive Prælatus de otio contemplationis debet egredi ad laborem actionis, baculus pastoralis in anteriora extenditur, idem in se redit, & in superiori parte reflexus est, ad significandum, quod de labore actionis debet reverti ad otium contemplationis. Et hoc est, quod dicitur Prov. 24. Diligenter exerce agrum tuum, i. Ecclesiam, postea ædifices domum tuam, i. conscientiam tuam. Unde Jacob postquam pavit oves Laban viginti annis cum omni labore, & sollicitudine, dixit. Justum est, ut aliquando provideam domoi meæ: Gen. 30. Regressus autem servus in domum, non statim jubetur a Domino suo recumbere ad mensam, sed prius ministrare, & parare, quod cœnet Dominus ejus, & postea jubetur manducare, quia prædicator aut Prælatus post laborem prædicationis, & confessionis, non statim interna, vel æterna, jucunditate fruitur, sed oportet prius, ut conscientiam suam mundet, & humiliet, in qua Dominus libenter cœnat. Unde Apoc. 3. Ego sto ad ostium, &c. Et nota, quod dicitur in Glos. Ad curiam conscientiæ, i. ad conscientiam, quæ est curia regis nostri, in ea enim sedet rex noster. Dicit ergo.

c Quis autem vestrum,] i. Christus: De quo Joan. 1. Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.

d Habens servum,] i. Prælatum Ecclesiæ sibi servientem, vel servire debentem.

e Arantem,] i. confessantem. Qui enim arat, laborat, & terram versat, postea seminat, ita qui confessat. Job 1. Boves arabant, & asinæ pascebantur juxta eos. Eccl. 6. Quasi is, qui arat, & qui seminat, accede ad sapientiam. Sed dicitur Prov. 20. Propter frigus piger arare noluit. Ad litteram, propter frigus multi Prælati nolunt audire confessiones. Sequitur. f Aut boves,] i. simplices, aut pigros.

g Pascentem] verbo doctrinæ, & exemplo bonæ vitæ. Zachar. 11. Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant occidebant. Et postea sequitur: Assumpsi mihi duas virgas, scil. vitam, & doctrinam, alteram vocavi decus, i. vitam, & alteram funiculum, i. doctrinam, quæ debet mensurari, & pavi gregem. Hic nota moralitatem de Doech. 1. Reg. 21. Erat autem in tabernaculo, &c. Doech, interpretatur motus, vel mortuus, vel sollicitus, & significat Episcoporum consanguineos, qui de ejus sanguine moventur, vel sapientes in temporalibus. Qui utique mortui sunt spiritualiter, & tamen potentissimi pastorum Saul. Hi pascunt mulas steriles, inutiles, scil. personas. Job 24. Pavit sterilem, &c. h Qui regresso de agro] activæ laboriosæ ad domum contemplativæ quietæ.

i Dicat illi statim,] scil. omnino cessa a labore.

k Recumbe] ad mensam internæ, vel æternæ refectionis.

l Et non dicat] ei potius, [para, quod cœnem,] cordis munditiam, humilitatem, justitiam. Eccl. 18. Ante orationem præpara animam tuam. Jac. 5. Ecce merces operariorum, &c. Sequitur.

m Præcinge te] interius cingulo fidei, exterius cingulo pœnitentiæ, seu justitiæ. Isa. 11. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides, &c. Job 38. Accinge sicut vir lumbos tuos, &c. Jerem. 1. Accinge, supr. 12. Sint lumbi vestri, &c. Prov. 30. Gallus succinctus, &c. 3. Reg. 18. Manus Domini facta est super Eliam, accinctusque, &c. n Et ministra mihi,] & meis verbum, exemplum, teipsum. Hæc tria debet quilibet prædicator ministrare Christo, quia ipse hæc eadem ministravit nobis. Unde Matth. 20. Non venit ministrari. Glos. idest, temporaliter dominari, sed ministrare. Glos. prædicando, miraculis admonendo, animam, quam pro vobis accepi, impendendo. Qui hæc tria ministraverit Christo in hac vita, & Christus ministrabit ei in gloria, supra 12. Beati servi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes: Amen dico vobis, quod præcinget se, &c. o Et post hæc tu

Mystice.

ſcientes. Unde *Beda*. Quia bonorum noſtrorum operum non indiget Deus, vel quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, &c. *Rom.* 8. *a* Quod debuimus facere, fecimus.] *Beda*. Qui venit miniſtrare, & non miniſtrari, nos debitores ſibi fecit, ne noſtris operibus confidentes, ſed ejus examen expaventes, omnibus, quæ præcepta ſunt, expleris, nos imperfectos eſſe cognoſcamus, quamdiu a Deo peregrinamur. 2. *Cor.* 5. *Iſa.* 64. Univerſæ

mus. Quod *a* debuimus facere, fecimus. Et *b* factum eſt, dum iret in *c* Jeruſalem *d* tranſibat per mediam Samariam, & Galilæam.

juſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ. *Greg.* Sæpe juſtitia noſtra ad examen divinæ juſtitiæ deducta, injuſtitia eſt, & ſordet in conſpectu diſtricti judicis, quod in oculis fulget operantis.

Myſtice. O manducabis, & bibes] ipſum Dominum. *Eccl.* 24. qui edunt me, adhuc eſurient, &c. *Bed.* Poſtquam tua prædicatione, & compunctione refectus ero, tunc tandem æternis meæ ſapientiæ dapibus reficieris [ſervi,] quia empti pretio magno. 1. *Cor.* 6. 1. Non corruptibilibus, &c. *a* Quod debuimus, &c.] Tria debemus facere, quæ pro nobis fecit Dominus. Omnia bona mundi contempſit, & ſic contemnenda eſſe oſtendit. Item omnia mala ſuſtinuit, & ſic ſuſtinenda docuit. Item in utroque perſeveravit, & ſic perſeverantiam docuit. *Matt.* 10. Qui perſeveraverit, &c. Hæc tria immediate ordinant ad regnum cœlorum, i. juſtitia, patientia, perſeverantia. De juſtitia quidem dicitur *Matt.* 6. primum quærite regnum Dei, & juſtitiam ejus. De patientia dicitur *Matt.* 5. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, &c. De perſeverantia autem dicitur *Matt.* 24. Qui perſeveraverit uſque in finem, &c. *b* Et factum eſt.] *Quinta pars.* Quinta pars, in qua poſt parabolam, quæ invitat ad humilitatem, & perſeverantiam, reprehendit Dominus ingratitudinem leproſorum, qui ſanati ab eo nullas gratias retulerunt. In prima parte oſtenditur, quod non ſolum fides, ſed fides ſimul, & opera ſalvant, unde *Jac.* 2. Quid proderit, fratres, ſi quis dicat ſe habere fidem, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum? q. d. non, quia fides ſine operibus mortua eſt. Littera plana eſt. Myſtice. *Myſtice.* Leproſi ſunt hæretici. Nam ſicut leproſi varios colores habent in eodem corpore, ſic hæretici varios errores miſcent in eadem prædicatione. Unde *Iſa* 1. Caupones tui miſcent aquam vino. Decem dicuntur, quia peccant contra Decalogum. Hi ſtant a longe, quia ſeparati ſunt ab unitate Eccleſiæ. Levant vocem clamantes: Jeſu præceptor, miſerere noſtri, quia neceſſe eſt, ut tales magno clamore interpellent, ut ad formam ſalutis redeant per cognitionem præceptoris. Quos videns Jeſus intuitu pietatis, præcepit, ut irent, & ſe oſtenderent ſacerdoti, proprium confitentes errorem. Qui dum irent, mundati ſunt, quia ſola contritio cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi mundat a culpa. Unde *Pſ.* 31. Dixi confitebor, &c. Unus autem regreſſus, gratias agit cadens in faciem ſuam, per quem deſignatur unitas Eccleſiæ, quæ ſola de perceptis beneficiis gratias Deo refert, in faciem cadens, i. de peccatis perpetratis prudenter erubeſcens. Qui enim in faciem cadit, prævidet, ubi cadat, qui autem cadit retro, non prævidet ruinam ſuam. Novem vero, qui non redierunt ad gratias peragendas, ſignificant ingratos beneficiorum Dei, qui bene dicuntur novem, quia per unitatem ſubtractam a decem, i. a perfectione Decalogi deficiunt. Horum ingratitudinem Dominus reprobat, dum alienigenam commendat, & hos ſibi ignotos oſtendit dum requirendo dixit. Et novem, ubi ſunt, &c. Moral. *b* Et factum eſt] *Moraliter.* Jeſus ſalutaris, vel Salvator interpretatur, & ſignificat unumquemque, qui ſuam, & aliorum ſalutem quærit, & operatur. Jeruſalem autem interpretatur viſio pacis, & ſignificat Eccleſiam triumphantem, ubi conſummata dilectio affectum, & immediata viſio pacificat intellectum, ex quibus naſcitur quoddam inæſtimabile gaudium mentis, quod dum intrinſecus præ ſui nimietate retineri non poſſit, exterius prorumpit in laudem. Unde *Aug. in fine de civ. Dei.* Ibi, vacabimus, & videbimus, videbimus, & amabimus, amabimus, & laudabimus. Ecce, quod erit in fine ſine fine. Samaria autem cuſtodia interpretatur. Galilæa vero tranſmigratio facta, ideo per mediam Samariam, & Galilæam tranſit Jeſus, dum vadit in Jeruſalem, quia quilibet volens pervenire ad cœleſtem beatitudinem, oportet, ut tranſmigrando mundum cuſtodiam cordis, & ſenſuum habeat. Unde *Prov.* 4. Omni cuſtodia ſerva cor tuum. Item Samaritani Dominum euntem in Jeruſalem noluerunt hoſpitio recipere *ſup.* 9. Item Deum timul, & idola coluerunt. Item Galilæi duxerunt Chriſtum in ſupercilium montis, ut eum præcipitarent, *ſup.* 3. Interpretatur etiam Galilæa rota. Eſt autem triplex rota. *Triplex rota.* Prima eſt ſollicitudo mundana, qua rotantur avari, de proſperis in adverſa, de ſummis ad ima, de lætis in triſtitiam, & econtrario relabentes. *Eccl.* 33. Præcordia fatui quaſi rota carri, & cogitatio illius quaſi axis verſatilis, qui ſtridet, niſi unctus fuerit pinguedine terrenorum. De hac rota *Prov.* 20. Diſſipat impios rex ſapiens, & incurvat ſuper eos fornicem. Ubi dicit alia littera: Ventilator eſt impiorum rex ſapiens, & immittit in eos rotam malorum, i. mundanorum ſollicitudinem, ut diſtendantur in ea. Iſti volventur in futuro rota ſuppliciorum, de pœna ad pœnam, ſicut modo volvitur rota negotiorum, de cura ad curam. 1. *Reg.* 25. Anima Domini mei David ſit cuſtodita quaſi in faſciculo viventium, & anima inimicorum ejus rotabitur quaſi impetu, & circulo fundæ. Quod autem Galilæa interpretatur revelatio, refertur ad hoc quod quidam peccata ſua ſine pudore denudant. De quibus dicitur *Iſa.* 3. Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt, nec abſconderunt. *Oſee* 7. Revelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ. Secunda rota eſt caro noſtra, quæ ad modum rotæ circulariter fertur. Nam ad terram regreditur, unde progreditur *Gen.* 3. Terra es, &c. De hac dicitur *Eccl. ult.* Conteratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper ciſternam, & revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Ciſterna, quæ continet aquas non naturales, eſt hujus ſæculi profunditas, de qua cum labore magno extrahuntur aquæ deliciarum, quæ antequam perveniat ad os putei, i. uſque ad perfruendum rota frangitur, i. caro moritur, & ſic omnis labor fruſtratur, & utinam ſpiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum. Tertia rota eſt dignitatum ambitio, quæ quanto magis elevatur a poſteriori, tanto amplius demergitur in parte anteriori. Unde *Pſ.* 72. Dejeciſti eos, dum allevarentur. *Job* 30. Elevaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me valide. De iſta dicitur in *Pſ.* 82. Deus meus pone illos ut rotam. Et *Iſa.* 19. Miſcuit Dominus in medio ejus ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius. Quid eſt ſpiritus vertiginis, niſi ambitio dignitatis, quæ errare facit totam Ægyptum, i. totum mundum ad modum ebrii: Bene ergo dicitur Jeſus tranſire per Samariam, & Galilæam, vadens in Jeruſalem, ut ad ejus exemplum, qui ad æternæ pacis viſionem venire deſiderat, conſortium peccatorum pertranſeat, & rerum temporalium volubilitati non ſe immiſceat. Et hoc eſt. [Et factum eſt, dum iret Jeſus,] i. homo quærens ſalutem. *c* In Jeruſalem,] i. in æternam beatitudinem. *d* Tranſibat per mediam Samariam, & Galilæam,] i. relinqueret mundi, & carnis concupiſcentiam, & ſæculi vanitatem. Signanter autem dicit [per mediam Samariam, & Galilæam] in quo oſtenditur, quod viri ſancti, etſi animo recedunt a malis, loco tamen, & corpore aliquando neceſſe habent habitare cum illis. Et hoc magni meriti eſt, ſcil. bene vivere inter malos. *Phil.* 2. Sitis ſimplices, & ſine querela filii Dei ſine reprehenſione, in medio nationis pravæ, & perverſæ. Sic Loth inter Sodomitas, & Abraham inter Chaldæos innocentes vixerunt. Moral. Etiam *Moraliter.* hic oſtenditur duplex via ad vitam æternam. Una communis, quæ eſt omnium, hæc eſt Samaria, i. cuſtodia præceptorum. Alia eſt ſemita, quæ eſt perfectorum, hæc eſt Galilæa, i. adimpletio conſiliorum. Interpretatur enim tranſmigratio facta, quod convenit perfectis, qui de præceptis ad conſilia ſervanda tranſmigrant. Per hæc duo ſiquidem itur in Jeruſalem. *Prov.* 3. Cuſtodi legem meam, atque conſilium meum, ecce Samaria, & Galilæa, & erit vita animæ tuæ, ecce Jeruſalem. Per primam vadunt activi, qui præcepta cuſtodiunt. *Prov.* 4. Cuſtodi præcepta mea, & vives. Per ſecundam contemplativi, qui de carne migrant ad ſpiritum, de ſpiritu ad Deum. Unde & Galilæa interpretatur revelatio, quia in tali tranſmigratione Deus revelatur. *Matt.* 16. Beatus es Simon-Barjona, quia caro, &c. Præponitur autem Samaria Galilææ, quia per exercitia activæ tranſitur ad ſtudia contemplativæ. *Eccl.* 1. Fili concupiſcens ſapientiam, ſerva juſtitiam. Ideo prius conjungitur Lia Jacob, poſtea Rachel: *Gen.* 29. Quod autem dicitur [per mediam] ſignificat, quod non tota vita ſtanda eſt activæ, nec tota contemplativæ, ſed medium inter utramque tenendum eſt. Sic Jacob nunc ad Liam, nunc ad Rachel declinabat, & Moyſes modo in valle cum populo, modo in monte cum Domino erat.

a Et

a Et cum ingrederetur quoddam castellum,] i. secretum conscientiæ. *b* Occurrerunt, &c.] i. decem transgressiones, quas vident, qui castellum conscientiæ intrant. Unde *Ex.* 38. ponitur in introitu tabernaculi labium æneum cum base sua de speculis mulierum. *c* Qui steterunt a longe,] in hoc significatur humilitas pœnitentis, qui se reputat indignum accedere ad Jesum. Sicut de publicano legitur, *inf.* 18. Publicanus stans a longe percutiebat, &c. *e* Et levaverunt vocem, &c.] in hoc significatur intentio doloris, de corde usque in vocem prorumpens *Ps.* 129. De profundis clamavi ad te, Domine, *Jud.* 21. Levaverunt filii Israel vocem, & magno ululatu cœperunt flere dicentes, quare factum est hoc malum, ut hodie una tribus auferatur a nobis. *f* Dicentes, Jesu præceptor,] in hoc, quod præceptorem vocant, de præceptorum transgressione se accusant, q. d. decem præcepta sumus transgressi, & propter hoc facti sumus leprosi. *g* Miserere nostri] curando a lepra peccati.

D

Et *a* cum ingrederetur quoddam castellum, *b* occurrerunt ei decem viri leprosi. *c* Qui steterunt a longe, *e* & levaverunt vocem *f* dicentes: Jesu præceptor, *g* miserere nostri. *h* Quos ut vidit, dixit: *i* Ite, *k* ostendite vos sacerdotibus. Et *l* factum est, dum irent,

Aliter.

Aliter. *a* Et cum ingrederetur quoddam castellum,] quod erat inter Galilæam, & Jerusalem, i. claustrum, seu religionem, quæ est media inter mundum, & paradisum, ubi paupertas est fossarum, quod quanto profundius est, tanto castellum fortius est. Item turris est humilitas, quæ quanto altior, i. profundior, tanto securior. Item est murus est patientia, quæ sustinet ictus. Sed, heu, quod dicitur: *Habac.* 1. Ipse, i. diabolus, super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam. Aggerem comportare, est temporalia multiplicari. Unde *Apocal.* 12. Draco post mulierem fugientem in solitudinem misit fluvium, i. abundantiam temporalium, ingredienti hoc castellum, occurrunt decem leprosi, ut sanentur. Per lepram, significatur peccatum. Lepra enim hominem fœtidum facit, & sanis intolerabilem, sic peccatum hominem fœtidum facit, & justis abominabilem. Unde *Osee* 9. ubi loquitur de peccatoribus dicit: Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt. Item lepra facit hominem æstuare, sic peccatum. *Eccl.* 23. Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat. Item lepra quanto reprimitur studiosius, tanto tandem ebullit turpius, sic peccatum quanto diutius occultatur, tanto turpius apparebit in die judicii coram Deo, & Angelis, & omnibus sanctis. Item lepra deformat hominem, & membrorum officio venustateque privat, sic peccatum deformat hominem interiorem. Una igitur lepra, unum peccatum, duæ lepræ, duo peccata. Specialiter autem decem lepræ sunt decem peccata specialia. Prima lepra est Simonia. Hæc est lepra Giezi 4. *Reg.* 5. Iste Giezi famulus Elisæi fuit, onde significat officiales, & collaterales Prælatorum. Sicut enim Giezi munera recepit Domino suo ignorante, ita socii prælatorum dominis ignorantibus sæpe recipiunt munera ab eis, quos faciunt promoveri. Secunda lepra est proprietas. Hæc est lepra Naaman Syri. De quo dicitur inter cetera notabilia, quod erat vir potens, & dives, sed leprosus, & quod per eum fecerat Dominus salutem in Syria, quia tales nonnumquam Ecclesias liberant ab usuris, & idcirco præficiuntur. Huic vero dicitur, ut in Jordane lavetur, & sanabitur, i. ad Christi exemplum depauperetur, & humilietur, qui non habuit etiam, ubi caput reclinaret. *Matt.* 8. *Jo.* 14. Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Tertia lepra est inobedientia. Et hæc est lepra Simonis, *sup.* 7. qui murmurat contra Prælatum, si quando infirmo, vel novitio se magis familiarem exhibeat, dicens. Hic si esset Propheta, &c. Quarta lepra est ambitio. Hæc est Oziæ regis. 2. *Par.* 26. Qui interpretatur videns Dominum, vel fortitudo Domini. In quibus tanguntur duæ causæ, propter quas solet aliquis dignitates ambire, scil. aut quia sciens, hoc est videns Dominum, aut quia potens, hoc est fortitudo Domini. Quinta lepra est murmuratio contra superiorem. Hæc est lepra Mariæ, quæ contra Moysen murmuravit. *Nu.* 12. Propter Æthiopissam, quod fit, quando subditus murmurat contra Prælatum propter gravem pœnitentiam, vel obedientiam sibi injunctam. Sexta lepra est inanis gloria, Hæc est lepra manus Moysi. *Exod.* 4. Quæ in sinu munda fuit, sed extracta apparuit leprosa, sic opus, dum est absconditum, est mundum, dum manifestatur frequenter contrahit lepram. Ideo dicitur *Matt.* 6. Nesciat sinistra tua, &c. Aliæ quatuor lepræ significantur 4. *Reg.* 7. Per quatuor leprosos, qui sedebant in introitu portæ Samariæ, i. claustri. Prima lepra est acedia, quæ quinque ulcera facit, i. somnolentiam, de *Prov.* 19. Pigredo immittit soporem. Item negligentiam, de qua *Jer.* 48. Maledictus, qui facit opus Domini negligenter. Contra quod dicitur. *Heb.* 6. Non segnes efficiamini. Item pigritiam. *Prov.* 26. Sicut ostium vertitur in cardine suo, sic, &c. Item otiositatem, quæ est origo omnis malitię. *Eccl.* 33. Multam malitiam docuit otiositas, &c. Item timiditatem. *Prov.* 18. Pigrum dejicit timor. Secunda lepra est peccatum gulę, quod quinque alia ulcera, sive vesicas facit. Primo egestatem. *Prov.* 21. Qui diligit epulas, in egestate erit, & qui amat, &c. Item fatuitatem. *Isa.* 28. Sacerdos, & Propheta nescierunt præ ebrietate. Item infirmitatem. *Eccl.* 37. In multis escis erit infirmitas. Item cordis gravitatem, *inf.* 21. Attendite, ne graventur corda vestra, &c. *Osee* 4. Vinum, & ebrietas auferunt cor, &c. Item sacræ orationis indignitatem. *Hebr.* 13. Habemus altare, &c. Tertia lepra est avaritia, quæ alia quinque ulcera facit. Primo invidiam. *Socrates*. Felicitas semper invidię subjecta est, sola miseria caret invidia. *Prov.* 28. Vir, qui festinat ditari, & aliis invidet, &c. Item rixam. *Gen.* 12. Erat substantia eorum multa nimis, &c. Item superbiam. 1. *Tim.* 6. Divitibus hujus sæculi pręcipe, &c. Ibi *Glos.* Vermis divitum superbia. Item luxuriam. *Eccl.* 47. Collegisti quasi aurichalcum aurum, & inclinasti, &c. Item iram divinam. *Osee* 12. Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis. *Isa.* 57. Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, & percussi eum. Quarta lepra est peccatum superbię, quæ septempliciter occupat, ut dicit *B. Bern.* Dupliciter in corde, dupliciter in ore, tripliciter in corpore. Duplex lepra cordis est propria voluntas, cui tecta fronte contraria est charitas, quæ Deus est, & proprium consilium, quod est illorum, qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, sequentes errorem suum, nullis acquiescentes consiliis, vanitatis derisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, magni in oculis sui, ignorantes Dei justitiam, & suam statuere volentes. *Romanor.* 10. Duplex lepra oris, est verbum jactantię, & verbum impatientiæ. Triplex lepra corporis est in proprietate possessionum, hæc est lepra domus, in gloria vestium, hæc est lepra vestis, in voluptate corporum, ut in balneis, vel unguentis, hæc est lepra cutis. Ab hac lepra septemplici mundat septena mersio in Jordane, idest, in Christi humiliatione: Nam paupertas ejus purgat avaritiam possessionum: panniculi ejus, gloriam vestium: passiones ejus, corporis voluptatem: mansuetudo, impatientiam: humilitas, jactantiam: obedientia ejus, propriam voluntatem: subjectio qua parentibus subditus fuit, & eorum consilio acquievit, lepram proprii consilii purgat. Et hoc est, qood dicitur Naaman leproso. 4. *Reg.* 5. Vade, & lavare septies in Jordane, &c. *c* Qui steterunt a longe,] quia longe a peccatoribus salus. Quod autem dicitur: [Steterunt,] in bono accipitur, i. peccatis suis finem imposuerunt.

e Et levaverunt vocem] ab imo cordis.

f Dicentes, Jesu, &c.] Jesum vocant, præceptorem, innuentes eum nihil, nisi salubria præcipere, & se velle obedire.

h Quos, ut vidit,] intuitu pietatis, sicut Petrum, *infra* 22. *Sapient.* 4. Respectu ejus in electos illius. *Hebræor.* 4. Omnia nuda sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.

i Dixit, ite] a contritione ad confessionem, & in illa. *k* Ostendite vos sacerdotibus] quorum est discernere inter lepram, & lepram: *Lev.* 14. Hic est ritus leprosi quando mundandus est, adducetur ad sacerdotem, &c. *Eccl.* 17. Cognosce justitiam, & judicia Dei, & sta in sorte propositionis. & orationis altissimi Dei, in partes vade sæculi sancti cum vivis, & dantibus confessionem Deo, & ne demoreris errore impiorum, ante mortem confitere, &c. *l* Et factum est, dum irent, mundati sunt,] quia in ipso proposito confitendi mundatur lepra peccati, &c. *Ps.* 31. Dixi confitebor, &c. & tu, &c. Tres partes pœnitentiæ tanguntur hic. Contritio cordis, per [ite] quia si anima a peccato recedit, ad Deum accedit. *Cant.* 4. Ibo ad montem myrrhæ. Confessio per [ostendite vos.] Satisfactio per [dum irent.]

Proprietates lepræ.

jrent.] Seq. *a* Unus autem ex illis,] unus non multiplicatus, a fructu frumenti, vini, & olei, i. abundantia temporalium, quæ iter ad Dominum intercludit, & laudem excludit, *Isa.* 58. Viam manus tuæ invenisti, propterea non rogasti. *Greg.* Qui felicitatem quæsitam in terris invenit, auctorem, qui eam tribuit, non requirit. *b* Ut

E

mundati sunt. Unus *a* autem ex illis, ut vidit, quia *b* mundatus est, *c* regressus est, cum magna voce magnificans Deum. Et *d* cecidit in faciem *e* ante pedes ejus, gratias agens: & *f* hic erat Samaritanus. *g* Respondens autem Jesus dixit, Nonne decem mundati sunt, & *h* novem ubi sunt *i* Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic *k* alienigena. Et *l* ait illi: Surge, vade: *m* quia *n* fides tua te salvum fecit. *o* Interrogatus autem a Pharisæis, quando venit regnum Dei? *p* Respondens eis, dixit: *q* Non venit regnum Dei cum observa-

vidit, &c.] non dicit, quia mundus esset, sed quia mundatus est, suæ mundationis recognoscẽs auctorem Jesum, & non a seipso habere munditiam, *Pr.* 20. quis potest dicere mũdum est cor meũ? q.d. nullus. *c* Regressus est, &c. Deum.]
Magna vox, magnitudinem gaudii, & gratiarum de magnitudine misericordiæ, & de sanatione magnæ miseriæ significat. *Ps.* 148. Magnus Dominus, & magna virtus ejus. *Eccl.* 43. Admirabilis magnificentia ejus, & quis magnificabit eum sicut est ab initio? *d* Et cecidit in faciem.] *Beda.* Cadit in faciem, qui de perpetratis malis erubescit, quasi ipso casu erubescentiam suam exprimit: ibi enim cadit homo, i. se cadere ostendit, ubi confunditur, i. in conscientia. Qui in faciem cadit, videt, quo cadat, ex quo prudentia notatur. Qui retro cadit, non videt. 1. *Reg.* 4. de Heli. Et Judæi. *Jo:* 18. Boni ergo in faciem cadunt, quia humiliant se in his visibilibus, ut ad invisibilia erigantur. Mali retro cadunt, quia cadunt in invisibilibus, ubi non vident, quid eos sequatur, i. non prævident suam ruinam. *e* Ante pedes ejus, gratias agens.] Ante pedes Jesu cadit, qui ejus divinitatem, & humanitatem credit, qui se infirmum recognoscit, qui nihil sibi attribuit, sed quicquid habet, ab eo se habere intelligit. *Deut.* 33. Qui appropinquat pedibus ejus, accipiet de doctrina ejus. Vel ante pedes cadit, qui beneficium suæ mundationis Christi Passioni attribuit. *f* Et hic, &c.] de illo populo ad litteram [Samaritanus,] i. custus donorum Dei, quæ bene custodit, qui totum Deo, & nihil sibi attribuit. Et talis potest dicere cum *Ps.* 58. Fortitudinem meam ad te custodiam. Tria legitur Dominus commendasse in Samaritanis. Primum est conversionis facilitas. *Jo:* 4. De Samaritana, quæ audito Domino reliquit hydriam. Secundum est compassionis pietas, *sup* 10. de Samaritano, qui infundit vinum, & oleum vulneribus sauciati. Tertium est gratificationis humilitas, ut ille, qui gratias egit. *g* Respondens autem Jesus dixit. Nonne decem mundati sunt.] Decem dicuntur, quia homo in operibus Dei est decima creatura. Unde significatur per decimam drachmam, quam invenit mulier, & per ovem centesimam *sup.* 15. novem autem primæ creaturæ, sunt novem ordines Angelorum, decima est homo, undecima creatura irrationalis, duodecima creatura insensibilis, ideo homo decimam præcipitur dare Deo, tam temporalem, quam spiritualem. *Mal.* 3. Inferte omnem decimam in horreum meum. Novem ergo leprosi sunt, qui decimas non persolvunt. *h* Et novem ubi sunt,] non quærit ex ignorantia, qui omnia, antequam sint novit, sed hoc ipso mystice insinuat, quia ingratos reputat ignotos. De baptizatis etiam hodie videtur hoc, quod quasi novem partes pereunt per ingratitudinem, & de pœnitentibus similiter. *Matth.* 20. Multi sunt vocati, pauci vero electi. *i* Non est inventus, &c.] Dominus quærit inter nos, si quis gratus est. *Jer.* 5. Quærite in plateis Jerusalem an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem. Nisi hic alienigena,] i. aliunde genitus, scil. de cœlo, non de terra. *Hebr.* 11. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti. Et *inf.* Confitentes quia peregrini, & hospites sunt super terram. *Ps.* 118. Incola ego sum in terra.

Item alienigenam vocat, quia de carnali ad spiritualem, de terrena ad cœlestem transivit generationem. *Jo:* 3. Quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ex hac generatione habet homo perseverantiam in bono, unde 1. *Jo:* 5. Scimus, quod omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tanget eum. Inter cetera, quæ in isto commendantur. Primum est, quod dicitur, unus, in quo duplicitas condemnatur, & laudatur simplicitas. Item condemnatur cupiditas, quæ unitatem cordis dispergit per multa, & commendatur charitas, quæ cor dispersum colligit in unum. Secundum est, quod regressus est, ut gratias referret de accepto beneficio. *l* Et ait illi: Surge, vade.] Surge, credendo: Vade operando. Vel, Surge incipiendo: Vade, proficiendo. Vel, Surge, per mali declinationem: Vade, per boni operationem. Vel, Surge, de peccato ad gratiam. Vade, de virtute in virtutem. *Eph.* 5. Surge, qui dormis. Surge, qui cecidisti: Vade, qui stetisti. Surge, confortare ad bona facienda. Vade, promovere ad meliora. *Bed.* Quia infirmitatem suã cognoscens, humiliter ante Deũ jacuit, divina consolatione surgere ad fortiora opera, & ire crescendo usque ad perfectionem jubetur. *m* Quia fides tua te salvum fecit.] *Beda.* Quæ fides, scil. ad agendas gratias inclinavit. Econtra perfidia illos damnat, qui de acceptis beneficiis sunt ingrati. *n* Fides tua] quasi non solum gratia mea. Sed quare alii ingrati non sunt puniti? Quia misericordia expectat ad pœnitentiam. *o* Interrogatus autem, &c.] Sexta pars cap. Nota, quia Dominus ad litteram ibat in Jerusalem, & quia ibi erat caput regni, putabant ad litteram Pharisæi, quod postquam venit in Jerusalem vellet manifestare se esse regem, & discipuli putabant, quod post resurrectionem statim manifestaret gloriam regni, & liberaret regnum Judæorum a servitute Romanorum, & a tributo: intelligebant enim quidam ex Pharisæis hunc esse Messiam in lege promissum, quem adhuc expectabant restituturum regnum, quia jam penitus erat destructum, & ad alienigenam translatum. Videntes ergo ascendentem eum in Jerusalem, ubi erat caput, & sedes regni, putaverunt ideo ascendisse, ut illud restitueret, & ideo ponunt ei hic quæstionem de restitutione regni. Nec solum Pharisæi, sed etiam hoc ipsum, de ipso sentiebant quidam de discipulis. Unde *inf. ult.* Nos autem sperabamus, quod ipse redempturus esset Israel. Sed hæc interrogatio, quæ hic fit, magis est de die judicii etiam secundum responsionem Domini. Unde est hic sexta pars, ubi ostenditur dies secundi adventus omnibus esse incerta. Unde *Hier.* Nulli sanctorum Angelorum, neque alicui sanctorum hominum hujus diei notitiam concessum est habere, quod solus Pater, & Filius, & Spir. S. i. unus Deus in sua scientia incognitum aliis servat. *Matt.* 24. De die illa, & hora illa nemo scit, neque Angeli cœlorum, &c. Quod ideo fit, ut quilibet se præparet, & vivat quasi quolibet die judicandus. Unde *Hier.* Quilibet dies vitæ nostræ ordinandus est ultimus. Væ enim illi, qui finem vitæ simul ponit, & luxuriæ. *Ambr.* Diem mortis suæ nemo scit, in qua, qui paratus invenitur, in die judicii paratus invenietur. *Greg.* Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Semper ergo diem extremum debemus metuere, quem nunquam possumus prævidere. Quia igitur Pharisæi credebant, ut veniente Domino in Jerusalem statim regnum Dei manifestaretur, ideo interrogant, quando veniet regnum Dei, i. dies judicii. Et hoc est, [Interrogatus autem a Pharisæis, quando venit regnum Dei,] i. dies judicii, in quo regnum Dei manifestabitur cunctis. Propter quod adventus Domini fulguri comparatur. *Matt.* 24. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, sic erit adventus filii hominis. Vel, Regnum Dei, dicitur Christus regnans, sicut dicit *Beda*, qui etiam tunc manifestabitur. Unde *Psalm.* 17. Cognoscetur Dominus judicia faciens. *B. Bern.* Qui modo ignoratur injuriam patiens. Hanc interrogationem faciunt discipuli, *Matth.* 24. Et idipsum ostendit Lucas, ubi ponit responsionem Domini ad discipulos. *Chrysost.* Viator libenter interrogat, ubi sit mansio. Mercenarius frequenter computat, quando annus completur. Agricola semper tempora messis expectat. Mulier prægnans semper, de decimo mense cogitat. Sic & servi Dei libenter de consummatione requirunt. *Job* 7. Sicut cervus desiderat umbram, & mercenarius finem operis sui præstolatur, sic ego habui menses vacuos, &c. *p* Respondens eis.] In hoc docet nos respondere etiam malis. *Prov.* 26. Respondens stulto juxta stultitiam suam, &c.

q Dixit, non venit regnum Dei cum observatione,] supple temporis, quia quando veniet, neque ab Angelis, neque ab hominibus potest observari, idest, sciri, quia omnes ignorant diem illum. 1. *Thessal.* 5. Dies

Sexta pars.

Inf. 21.

Domini,

Domini, ficut fur ita in nocte veniet. *Apoc.* 3. Veniam ad te ficut fur, &c. *Apoc.*16. Ecce venio, ficut fur. *Act.*1 Non eft veftrum noffe tempora, vel momenta, &c.nunquam enim determinatum eft, nec lectum de hora, vel die judicii, in qua manifeftabitur regnum Dei. *a* Neque dicent] i. dicere poterunt. *b* Ecce hic, aut ecce illic] q.d. non folum tempus adventus Domini ignoratur, imo & locus determinatus nefcitur. *Gloff.* Neque fcietur locus determinatus. Contra. *Joel.*3. Difceptabo cum eis in valle

tione; *a* neque dicent, *b* ecce hic, *c* aut ecce illic. *d* Ecce enim regnum Dei intra vos eft. Et *e* ait ad difcipulos fuos. *f* Venient dies, quando defideretis *g* videre unum *h* diem filii hominis, *i* & non videbitis. Et dicent k vobis. *l* Ecce hic, & ecce illic. *m* Nolite ire, *n* neque fectemini. Nam *o* ficut fulgur corufcans de fub coelo in ea, que fub cęlo funt,

Jofaphat. Sol. in aere judicabit, fed in qua parte aeris, non eft determinatum. Vel poteft dici, quod Jofaphat fumitur hic appellative, fc. pro fua interpretatione, i. judicium Domini. Unde fenfus eft. In valle Jofaphat, i. in valle judicii Domini. Myftice. *a* Neque dicent, ecce hic] eft Chriftus apud Donatiftas. *c* Aut ecce illic] apud Arrianos, aut quoslibet alios. *Matth.*24. Si quis vobis dixerit, Ecce hic eft Chriftus, aut illic, nolite credere. *d* Ecce enim regnum Dei intra vos eft.] Hoc poteft exponi de Pharifæis, Et tunc ponitur intra pro inter, q.d. Dominus, [regnum Dei intra vos eft] i. inter vos. Nam pauci fideles in quibus, & a quibus jam incipit regnum meum inter vos. Unde *Gl.* ecce enim non poterit obfervari, quia regnum meum non eft corporale, ut putatis, fed fpirituale, quod fide jam coepit. Vel [regnum Dei intra vos eft] i. Chriftus inter vos eft. *Jo.*1 Medius veftrum ftetit, quem vos nefcitis, vel de difcipulis poteft legi. Et fic ordinetur ad litteram [& ait ad difcipulos fuos,] *d* Ecce enim regnum Dei intra vos eft,] i. Deus in cordibus veftris regnat. *Bed.* Regnum Dei feipfum dicit intra ipfos pofitum, i. in cordibus eorum, qui crediderunt regnantem. *Aug.* Chriftus in corde tuo, fides in corde tuo. Item [regnum Dei,] i. bona confcientia, quæ habet tres civitates. *Rom.*14. Non eft regnum Dei efca, & potus, fed juftitia, & pax, & gaudium, in Sp. fancto, item regnum gratiæ habet alias tres civitates, gratiam operantem, cooperantem, confummantem. Item regnum Scripturæ habet alias tres civitates, allegoriam, tropologiam, anagogen. Hiftoria enim non eft civitas, fed fuburbium cujuslibet civitatis. Item regnum gloriæ habet tres civitates, apertam vifionem, confummatam dilectionem, fecuram apprehenfionem, Seq. *e* Et ait ad difcipulos, &c.] Nota, quod magis temperate refpondet difcipulis, quam Pharifæis, illis enim refpondet omnino negando, iftis affirmando, non tamen determinat horam adventus, ut incuteret omnibus timorem imminentis judicii. *Gl.* Quos etiam, fc. difcipulos intelligimus de adventu fuo quæfiffe, ut dicitur *Matth.* 24. Et ifti funt Petrus, & Jacobus, & Andreas, & Joannes, ut Marcus teftatur 13. Dicit ergo. *f* Venient dies] perfecutionis quadruplicis. Quarum prima tyrannorum, fecunda hæreticorum, tertia falforum Chriftianorum, quarta erit perfecutio Antichrifti conflata ex omnibus, De qua dicit. *Matth.* 24. Erit tribulatio magna qualis nunquam fuit ab initio mundi ufque modo, neque fiet, & nifi, &c. iftæ quatuor perfecutiones figuratæ funt *Dan.* 7. per quatuor beftias. Quarum prima eft fimilis leænæ, & fignificat Tyrannos propter crudelitatem.

Myftice.

Multiplex regnum.

Secunda fimilis urfo, & fignificat Hæreticos propter pilofitatem. Tertia fimilis pardo, & fignificat hypocritas propter varietatem. Quarta non habet nomen, & fignificat Antichriftum. De qualibet iftarum poteft exponi [venient dies, quando defideretis,] fc. cum eritis inter preffuras.

g Videre unum,] ideft, continuum.

h Diem filii hominis] fc. diem gloriæ, in qua nulla eft tenebrarum interpolatio, nulla miferiæ, vel doloris recordatio. De qua dicit *Pf.*83. Melior eft dies una in atriis tuis fuper millia. Et *Zach.* 14. Erit dies una, quæ nota eft Domino, neque dies, neque nox, & in tempore vefperi erit lux. Hujus diei præfentiam defiderant Sancti, qui hic tribulationes pro Chrifto patiuntur. De malis vero dicitur *Amos* 5. Væ defiderantibus diem Domini. Ad quid eam vobis? Dies Domini ifta tenebræ, & non lux. *Gl. Bed.* Vel fic poteft accipi, &c. Hæc *Gl.* innuit aliam fententiam, & exponitur aliter, quam fupra dictum eft. *f* Venient dies, quando defideretis, &c. hominis] i. filium hominis faltem in una die, quafi quando inficient Hæretici doctrinam fidei Catholicæ, & contaminabunt, ut iterum uno die Filius hominis defcenderet ad terram in carnem, & veritatem fidei demonftraret, defiderabunt fideles, fi fieri poffet ita defiderabunt, fed qui femel exhibuit præfentiam fuam, non amplius exhibebit, quia corufcatio Evangelicæ prædicationis, eft Evangelica prædicatio totum orbem ubique terrarum illuftrans, fufficit ad manifeftationem fidei. Unde feq. *o* Nam ficut fulgur, &c.] quafi in modum fulguris corufcantis per univerfum orbem fertur fama filii hominis per evangelicam prædicationem.

Matth. 24. Marc. 13.

i Et non videbitis] tunc, fed poftea diem gloriæ, quam defideratis. k Et dicent vobis] pfeudo-prophetæ in illa preffura tribulationis. *l* Ecce, &c.] *Chryfoft.* Venerunt multa verba mendacia dicentia, ego fum Dei verbum Chriftus, & hoc fuit fignum expugnationis Ecclefiæ, quod & factum eft fub Arrianis. Item *Chryf.* Venient in nomine fponfi. 1. *Theff.* 4. ut caftitas fponfæ probata tentetur. Matrona, quam nullus malus interpellat, nefcitur, an fit cafta. *If.*28. Qui crediderit, non feftinet. [Ecce hic, ecce illic.] *Gloff.* ideft, in hac perfona, vel in hoc tempore eft Chriftus. Ita dicent pfeudo-prophetæ tempore perfecutionis, de die illa incerta vos certificate promittentes. Et quoad hanc expofitionem eft illa pars *Interl.* fcilic. in hoc tempore eft Chriftus. Item multi hæretici fuerunt, & futuri funt, ficut dicit *Beda*, qui fe Chriftos afferent. Ita fuit ad litteram. Refert enim *Aug.* quod paucis diebus ante nativitatem fuam, quidam profeffus eft fe effe Jo: Baptiftam, & poftea deprehenfus eft, & profeffus eft fe effe Chriftum. De hac fententia eft alia pars *Interl.* fc. in hac perfona. Dicent enim, hæc perfona eft Chriftus. *Bed. in Gl.* Multi Hæretici fuerunt, & futuri funt, qui fe Chriftos affererent, quorum primus Simon Magus, ultimus Antichriftus. Primus, ideft, in primitiva Ecclefia præcipuus, ficut in finali Ecclefia erit Antichriftus maximus. Unde & hærefis Simoniaca in catalogo hærefum ponitur prima. *Hier.* Qui etiam fe magnam Dei virtutem dicebat: Hoc quoque inter cetera in fuis voluminibus fcriptum dimittens: Ego fum fpeciofus, ego fum Paracletus, ego fum omnipotens, ego fum fermo Dei, ego fum omnia Dei. Sequitur, *m* Nolite, &c.] Præmonuit eos Dominus, ut caveant fibi tempore perfecutionis, ne a pfeudo-prophetis decipiantur. Et continua fic. Ita dicent vobis, fed vos. [Nolite ire] cum illis, i, ne acquiefcatis eis, ut credatis, quod dicunt. *n* Neque fectemini] vitam eorum, fupple licet miracula faciant. *Matth.*24. Si quis dixerit vobis. Ecce hic eft Chriftus, aut illic, nolite credere, furgent enim pfeudo-Chrifti, & pfeudo-prophetæ, & dabunt figna magna, & prodigia. *Chryf.* Qui peccat, fenfus ejus, cum fit tenebrofus non intelligit, qui funt fervi Dei, & qui diaboli. a Nam ficut, &c.] q.d. nolite credere pfeudo-prophetis de fecundo adventu Domini, quia ille adventus repentinus erit, quia cito, & in ictu oculi fiet refurrectio mortuorum.

Item improvifus, ideft, nulli præcognitus, & cum erit, ita manifeftius erit, quod nullus poterit ignorare. Unde & fulguri comparatur.

Primo propter manifeftationem. *If.* 40. Videbit omnis caro falutare Dei noftri. *Chryf.* Corufcatio non indiget præcone, fed in momento, & in thalamis, & in domibus, & per univerfum orbem monftratur, ita erit ille adventus propter fulgorem gloriæ. Secundo, propter fubitationem. 1. *Th.* 5. Cum dixerint pax, & fecuritas, tunc repentinus eis fuperveniet interitus.

Tertio, quia nulli parcet. *Sap.* 6. Non fubtraher perfonam cujufquam Dominus, qui eft dominator omnium, nec verebitur magnitudinem cujufquam.

Quarto, quia fcindet, ideft, feparabit. *Matth.*25. Congregabuntur ante eum omnes gentes, & feparabit eos ab invicem, ficut paftor feparat hædos ab agnis. *Chr.* Dominus non hic hiftoriam pofuit, fed prophetico more prædixit, & non feparatim, quæ figna ad deftructionem Jerufalem, quæ ad confummationem mundi pertineant, ut eadem intelligantur. Hæc tria nota in fulgure, quia repente cadit, improvife, manifefte: [Nam ficut fulgur corufcans de fub cœlo in ea, quæ fub cœlo funt fulget, ita erit filius hominis,] fubditus, & corufcus, ut nullus in fua mente latere permittatur, quin judicis fulgore penetretur.

fulget, ita erit filius hominis in *a* die sua. *b* Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari *c* a generatione hac. Et *d* sicut factum est in *e* diebus Noe, *f* ita erit *g* & in diebus filii hominis. *h* Edebant, & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usque in *i* diem, qua intravit Noe in arcam, & *k* venit *l* diluvium, *m* & perdidit omnes,

penetretur. *a* In die sua] omnes dies sui sunt. Unde *Ps.* 73. Tuus est dies, & tua est nox, &c. Sed illa dies specialiter dicitur sua, i. sibi soli nota. Item suis desiderata. Item quia tunc omnino fiet ejus voluntas. Item quia tunc erit nota omnibus sua majestas. *Matt.*24. Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & majestate, *Chr* Homo circa mortem phantasias videt, sic & mundus in exitu suo multos patietur errores. *b* Primum autem, &c.] Nota, quod Dominus in prædicatione sua consuevit læta tristibus, & tristia lætis admiscere, ne prorumperent in nimiam tristitiam, & ita in desperationem, vel nimiam lætitiam, in qua sæpe prorumpunt homines videntes stabilem exultationem. Quia ergo prædixerat de majestate filii hominis, in qua apparebit, subdit de ejus humilitate. Unde *Bed. in Gl.* Loquens de gloria. Item *Beda*. Ita clarus veniet, sed ad hanc claritatem oportet venire per passionem, & si diligitis hanc gloriam, ne pro hac timeatis pati mortem. *Act.* 14. Per multas tribulationes, &c. *inf ult.* Nonne oportuit Christum pati, &c. Dicit ergo [primum autem oportet illum multa pati, & reprobari a generatione hac] Judæorum, sc. a qua debuit honorari pro multis beneficiis sibi impensis, inter quæ potissimum fuit, quod ex ea carnem sumpsit, *Deut.*33. Generatio prava, atque perversa est, & infideles filii. *Prov.* 30. Generatio, quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit, generatio, &c. Vel. *c* A generatione hac] idest, perversa, ut non fiat determinatio substantiæ, sed qualitas. *Bed.* Non tantum Judæorum, sed omnium reproborum, a quibus quotidie patitur Christus in suo corpore, quia semper usque ad tempus judicii erit Ecclesia inter malleum, & incudem. *Ps.*128. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. Et adhuc fabricant, & fabricabunt. Sequitur.

d Et sicut factum est, &c.] Supra ostendit Dominus diem adventus sui fore subitum, & incertum per fulguris similitudinem, adhuc ostendit per duas similitudines, unam sumptam a Noe, alteram a Loth. Legitur enim *Genes. 6.* quod Noe fabricante arcam, & prædicante futurum diluvium hominibus nolentibus credere, & vacantibus ludis, & voluptatibus, subito venit diluvium, & submersit omnes, quos reperit extra arcam, ita erit adventus Domini vacantibus hominibus ludis, & voluptatibus, subito veniet Dominus ad judicium, & quoscumque reperiet extra Ecclesiam, condemnabit. 1. *Thes.* 5. Cum dixerint pax, & securitas, &c. Similiter legitur *Gen.*19. quod in diebus Loth, dum homines Sodomitæ biberent, & ederent, & ædificarent, descendit ignis, & sulphur de cœlo, & perdidit omnes, sic erit adventus Domini, quando homines non advertent. Unde 2.*Pet.*2. Si originali mundo non pepercit Dominus. Sed nostra translatio habet. Si enim Deus Angelis, &c. Mystice. Noe significat Christum. Interpretatur enim requies, & in solo Christo vera requies invenitur. *Aug. in lib. confess.* Inquietum est cor nostrum, Domine, donec venerit ad te. *Matth.*11. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris, *Jo.* 16. In mundo pressuram habebitis, &c. In facto etiam suo Noe significat Christum. Noe enim per lignum, & aquam salvavit genus humanum, & Christus per Crucem, & Baptismum. *Sap.* 14. Exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt. Per arcam significatur Ecclesia, quia sicut tempore diluvii omnes, qui extra arcam inventi fuerunt, perierunt; ita in die judicii quotquot extra Ecclesiam invenientur, peribunt. Pactura etiam arcæ convenit Ecclesiæ. *Gen.* 6. Fac tibi arcam de lignis lævigatis, mansiunculas in ea facies, & bitumine extrinsecus, & intrinsecus linies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo. Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem ejus. Ligna lævigata, ex quibus fit arca, sunt viri sancti, ex quibus fit Ecclesia, plani sine omni offendiculo, ut ad tactum, vel visum eorum nemo possit offendi. Sicut dicit *B. Bern. de S. Malachia*. Prima fuit virtus corporis sui, quod ita composite semper agebat, ut nihil posset inveniri in eo, quod posset offendere intuentes. Sic Jacob lenis fuit, i. bonus: Esau vero hispidus, i. malus. *Gen.* 27. 1. *Cor.* 10. Sine offensione estote Judæis, & gentibus, sicut ego. Item quadrati, quadratura virtutum, & ideo difficile mobiles, sicut quadratum. Mansiunculæ sunt diversa genera hominum, vel diversa genera meritorum. *Jo.* 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Bitumen, quod ligna compaginat, est charitas sanctorum indissolubilis. *Cant.* 8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Extrinsecus liniens per operis exhibitionem; Intrinsecus vero per cordis compassionem. Istos duos modos charitatis distinguit *B. Bern.* sc. affectualem, & effectualem. *Is.* 58. Cum effuderis esurienti animam tuam, ecce affectualis; & animam afflictam repleveris bonis, ecce effectualis. Prior est melior, quia omnis gloria ejus filiæ regis ab intus *Psalm.* 44. Longitudo Ecclesiæ est a primo justo usque ad ultimum. Trecenti cubiti, sunt tria tempora, ante legem, sub lege, sub gratia. Latitudo est a primo malo usque ad ultimum justum. Quinquaginta cubiti, sunt injuriarum remissio. Altitudo est a primo activo usque ad ultimum contemplativum. Triginta cubiti, sunt fides Trinitatis utrique necessaria. Fenestra, per quam omne beneficium lucis veniebat in arcam, est Virgo Maria, per quam omne bonum venit in Ecclesiam. *Eccl.* 24. In me gratia omnis viæ & veritatis, &c. Ostium arcæ Christus est, vel certe vulnus lateris ejus, per quod egressus est pietatis suæ ad nos, & ingressus nostræ miseriæ ad ipsum, quo aperto apparuerunt viscera misericordiæ Dei nostri, & effluxit ad nos gratia salutaris. Unde *Beatus Bernardus*. Clavus penetrans, clavis reserans factus est mihi. *Joan.* 19. Unus militum lancea latus ejus aperuit, & effluxerunt sanguis, & aqua. Sed ne auctoritas hujus apertionis, & ejus utilitas penes impium fore credatur, dicit *Ecclesiastic.* 44. Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum, manus Excelsi aperuerunt illum. Cubitus consummationis est perfectio Christi, in qua consummatur Ecclesia. Dicit ergo.

d Et sicut factum est] incredulis.

e In diebus Noe] fabricantis arcam, & prædicantis diluvium. *f* Ita erit] impiis.

g Et in diebus filii hominis] ad judicium venientis. Quid ergo facerent homines in diebus Noe, & quid facerent in diebus Domini, determinat dicens:

h Edebant, & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias] idest, vacabant comessationibus, & ebrietatibus, & luxuriis, cum deberent jejunare, & lugere, quia appropinquat diluvii tempus, i. judicii, & nescitur, quando veniet. *Is.*22. Vacabit Dominus in die illa ad fletum, & ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum facci, & ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum, comedamus, &c. *inf.*21. Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, &c. Nota, quod hæc non fuerunt præcipuæ causæ diluvii, sed ponit minores causas, & tacet majores. Et nota, quod hæc licita sunt, sc. comedere, & bibere, uxorem ducere, nec licita arguuntur, sed illicitus usus licitorum. Sæpe enim in comedendo, & bibendo excedimus, & inter epulas per cachinnos, & risus effluimus. Quamvis etiam licitum sit uxorem ducere, potest tamen aliquis abuti vasculo uxoris suæ, & esse vehemens amator ejus, & ita quodammodo adulter. Sed licet grande peccatum sit illicitus usus istorum, tamen pravum est respectu flagitiorum, pro quibus maxime periit diluvio genus humanum. Sicut ergo faciebant in illis diebus, ita & facient homines tempore judicii. *Chr.* Hic ostendit, quod cum venerit Antichristus, inconvenientes voluptates apponentur iniquis, & de propria desperabunt salute, tunc erunt castrimargiæ, & crapulæ. Et quamdiu ita facient homines, ostendit dicens.

i Usque in diem, qua intravit Noe in arcam,] idest, usquequo Dominus ad judicium veniet.

k Et] tunc [venit] idest, veniet:

l Diluvium] ignis.

m Et perdidit omnes,] idest, perdet omnes, quos reperiet extra Ecclesiam. *Beda*. Noe arcam, &c. Et assignat *Gloss.* causam, quare Dominus tale exemplum specialiter induxerit, q.d. *Gloss.* Bonum est exemplum, quia hodie ita fit, sicut fiebat in diebus Noe: Nam Noe

modo

F Matth.24. Mystice.

modo fabricat arcam, i. Christus Ecclesiam, & ingredietur consummatam. Sed dum fabricatur arca, multi luxuriantur, qui peribunt diluvio, i. punientur æterno supplicio. Seq. *a* Similiter, &c. Loth.] Secundum exemplum ad idem. Primum sumitur de *Gen.6.* Istud sumitur de *Gen.19.* ubi legitur, quod Loth Sodomitas monente,

> *a* Similiter sicut factū est in *b* diebus Loth. *c* Edebant, & bibebant, *d* emebant, & vendebant, *e* plantabant, & ædificabant. *f* Qua die autem exiit Loth a Sodomis, *g* pluit *h* ignem, & sulphur de cęlo, *i* & omnes perdidit: secundum hæc *k* erit, *l* qua die filius hominis revelabitur. In *m* illa † die *n* qui fuerit in tecto, & *o* vasa ejus in domo, *p* ne descendat tollere illa, *q* & qui in agro similiter, *r* non redeat retro,

ut cessarent a sua stultitia, i. a suo peccato, videbatur illis quasi ludens loqui, & dum non adverterent, pluit Dominus sulphur, & ignem, & perdidit omnes Sodomitas, & civitates eorum. Sic faciet Dominus de mundo, & amatoribus ejus. Mystice. Sodoma est mundus, mutus ad confessionē peccati, & laudis. Interpretatur enim Sodoma muta. Loth vero interpretatur declinās, & significat populū electorū qui inter Sodomitas, i. reprobos ut advena moratur, & quantum valet, eorum peccata declinat, & ideo sine ipso pereunt Sodomitæ. Justum est enim, ut qui non fuit socius in culpa, non sit socius in pœna. *Is. ult.* Et erit mensis ex mense, i. defectus pœnæ ex defectu culpæ. Hoc autem notandum est in utraque similitudine, quod prætermissis magnis sceleribus sola illa commemorantur, quæ quasi nulla peccata, vel levia putantur, sc. edere, & bibere, & nubere, vendere, & emere, plantare, & ædificare, ut intelligas, quam gravi pœna punientur magna peccata, cum ista necessaria immoderatius acta, igne, & sulphure puniantur. Dicit ergo [similiter sicut factum est] Sodomitis incredulis. *b* In diebus Loth] monentis eos, ut cessarent a tanta nequitia. Et quid factum fuerit, determinat. *c* Edebant, & bibebant] indebite, hoc ad vitium gulæ pertinet, quod ideo magis periculosum est, quia ab humana necessitate sumit initium. Unde *Greg.* Omnes suis vitiis favent, & quod ob carnis voluptatem faciunt, ad necessitatis referunt actionem, & sub infirmitatis velamine vitium voluptatis excusant. Fit autem sex modis hoc vitium, ut dicit *B. Greg.* Primo, quando prævenitur hora, sc. tertia. *Eccl.10.* Væ terræ, cujus rex puer est, & cujus principes mane comedunt. *Is. 5.* Væ qui consurgitis mane, &c. *Act. 2.* Non sunt hi ebrii, cum sit hora diei tertia. Non enim licitum est, ante tertiam manducare, vel bibere, nisi cogente infirmitate. Sic peccavit Jonathas, qui ante terminum a patre constitutum mel comedit. *1. Reg. 14.* Secundo, fit cum nimis frequenter comedit, vel bibit aliquis. Semel in die comedere est vita Angelica, bis vita humana, pluries vita brutorum, quorum Deus venter est, & gloria in confusionem. *Phil. 3.* Qui seminat in carne sua, & ideo de carne metet corruptionem. *Gal.6.* Tertio fit, quando aliquis nimis ardenter comedit, sicut Esau, qui pro lenticula dedit primogenita. *Gen. 25.* *Aug.* Malo comedere agnum cum Christo, quam lenticulam cum Esau, non enim substantia cibi, sed aviditas sumendi est in culpa. Unde *Rom. 13.* Curam carnis ne feceritis in desideriis. Quarto fit, quando aliquis nimis delicata, vel nimis delicate præparata sumit cibaria, ut dives epulo. *sup.16.* De hoc *Pr.29.* Qui delicate a pueritia sua nutrit servum, &c. Quinto modo fit, quando nimis sumptuosa cibaria comedit quis. *Hier.* Non sit tibi curæ de quam pretiosis cibis stercora conficias. *Sen.* Non fames ventris magno constat, sed ambitio. *Eccl.6.* Omnis labor hominis in ore ejus, &c. Sexto modo fit, quando in nimia quantitate sumuntur cibaria. *Hier.* O infelices, qui intelligitis vos majorem famem habere, quam ventrem, *inf.21.* Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, &c. Seq. *d* Emebant, & vendebant] dolose, intelligendum est. Et hoc pertinet ad vitium avaritiæ. *Eccl. 26.* Difficile exuitur negotians a negligentia. Item *Eccl. 27.* Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium emptionis, & venditionis angustiabitur peccatis, intelligendum est negotiator. Seq. *e* Plantabant, & ædificabant] diu putantes vivere, cum mors esset juxta, *sup.12* Stulte, hac nocte, &c. Tales plantatores magis cogitant de filiis, quomodo relinquant eos divites, quam de anima sua, quomodo salvetur. *Eccl.2.* Ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos, &c. *Amb.5.* Domos quadro lapide, &c. *f* Qua die autem exiit Loth a Sodomis] i. justus de medio malorum. *g* Pluit] Dominus, i. Christus specialiter, quia naturam, quam assumpturus erat, polluerunt. *Gen. 19.* Pluit Dominus super Sodomam, & Gomorram sulphur, & ignem a Domino de cœlo, i. filius a patre. Idem est, quod hic dicitur [Pluit] i. abundanter emisit Dominus. *h* Ignem, & sulphur de cęlo] i. sulphureum ignem, qui ardet, & fœtet, sicut hoc peccatum, ut pœna respondeat culpæ. *Is. 27.* In mensura contra mensuram, &c. *Ezec.38.* Ignem, & sulphur pluam super eum, & exercitum ejus. *Apoc. 19.* Vivi missi sunt in stagnum ignis, & sulphuris. Talis est ignis inferni. Unde *B. Bern.* Flamma gehennalis moram non sustinens execrabilem istam prævenit tollere nationem, necnon etiam tellurem ipsam, utpote consciam tantæ confusionis absumpsit ignis, & spiritus procellarum. Et attende quatuor in hoc execrabili peccato, sc. ardorem immoderatum. Magis enim exardent in masculos, quam in feminas. *Ps.57.* Alienati sunt peccatores a vulva, &c. *Rom. 1.* Masculi relicto naturali usu feminæ exarserunt desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes. Item fœtorem. *Is. 34.* Interfecti eorum projicientur, & de cadaveribus eorum ascendet fœtor. *Joel.2.* Ascendet fœtor ejus, & ascendet putredo ejus. Ascendet dicit, quia in altis hominibus regnat hoc peccatum, propter quod magis dolendum est. Item tenacitatem: Dicitur enim, quod, qui semel inciderit, vix potest curari. Unde legitur *Gen.14.* quod vallis silvestris, ubi habitabant Sodomitæ habebat multos puteos bituminis, quod est glutinum tenacissimum. Item contagium, propter quod maxime declinanda est societas talium. Unde Loth egresso de Sodomis dixerunt Angeli, ne staret in omni circa regione, tanquam ex prava vicinitate infecta. *i* Et omnes perdidit.] *Is.33.* Projecit Dominus civitates, quia non reputavit homines. Quia revera non sunt homines, qui hanc turpitudinem operantur.

k Secundum hæc erit] i. ita subitum, & inevitabile. *1. Thess. 5.* Cum dixerint pax, &c. *Chr.* Non dixit, cum erit pax, sed cum dixerint, lascivia enim, & non pax erit his, qui insensibiliter depositi sunt. *l* Qua die filius hominis revelabitur] i. in die judicii, quando veniet in potestate magna, & virtute, ut dicitur *Matth. 24.* qui primo venit in humilitate multa, &c. *Phil. 2.* Exinanivit semetipsum formam servi accipiens. *m* In illa die, &c.] Non exponit hoc *Gl. ad litteram*, sed hic est sensus: Tam subitus erit adventus ad Judicium, quod Domino ad judicium veniente, si quis esset supra tectum domus, non haberet spatium descendendi, & asportandi sua. Secunda *Gl.* sic continua. [In illa die,] Hucusque ostendit Dominus, quod regnum Dei, i. Christus, non venit cum observatione, sed insperatus veniet, nunc ostendit a qualibus adventus ejus debeat expectari, scil. ab illis, qui mundum, & ea, quæ mundi sunt, carnemque, & ejus concupiscentias reliquerunt sine spe redeundi, ad quod invitat exemplo Loth, & uxoris ejus. Unde dicit [In illa die] non in ipsa die adventus, qua judex veniet, sed ante intelligendum est, quia superfluum esset monere, ut quis tunc descendat, quia tam repente fiet, ut nec etiam posset, si vellet. Est ergo sensus. [In die illa] sc. qua venturus est, i. modo ante illum diem.

n Qui fuerit in tecto,] i. qui carnem, & ejus concupiscentias excedit animo, ut omnes justi, qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis, ut dicitur *Gal.5.* Tectum superior pars domus est: Ergo, qui in illa die fuerit in tecto, i. supra carnem. *o* Et vasa ejus in domo] fuerint, supple, i. res, sc. divitiæ, & possessiones, quæ sunt in mundo, quem jam reliquit.

p Ne descendat tollere illa,] i. nec mente, nec corpore revertatur ad illa. Ad litteram prophetat, quod tam arcta erit obsidio civitatis Jerusalem obsessæ a Romanis, quod nemo volet se includere in civitate pro aliqua necessitate. Similiter imminente judicio futuro, necesse erit cuilibet, ut nihil de mundo secum tollat, ne quasi cum furto inveniatur. *Jo.14.* Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. *1. Jo.2.* Nolite diligere mundum, &c. *Gen.12.* Egredere de terra tua, i. affectu carnali, & de cognatione tua, idest, amore parentum, & de domo patris tui, idest, de mundo. *q* Et qui in agro] fuerit, supple. *r* Similiter non redeat retro.] In agro dominico est, qui est in Ecclesia, sicut Prælatus, aut prædicator, cujus officium est istum agrum excolere, malas herbas extirpare, & bonas plantare. Unde *Jer. 1.* Ecce constitui te super gentes, & regna, ut evellas &c. De isto dicitur *Prov. 24.* Per agrum hominis pigri, &c. Exempli geminatio, fugiendi celeritatem insinuat. *Proverb. 6.*

Eruere

Marginal notes: G — al. † hora. — Mystice. — Sex modis fit vitium gulæ.

Eruere, quasi damula de manu, & quasi avis de insidiis aucupis. *Zach.*2. O, o, o, fugite de terra Aquilonis. *a* Memores, &c. Loth] Exemplo confirmat, quod dixerat, sc. quod non est redeundum ad mundum semel pro Christo derelictum, uxor enim Loth egressa de Sodomis, quia retro aspexit, versa est in statuam salis, de quo sit condimentum, quia exemplo suo docet omnes, ne similia faciant. *sup.*9. Nemo mittens manum ad aratrum, &c. *Phil.*3. ea, quæ retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quæ priora sunt extendens meipsum ad destinatum, persequor ad bravium æternæ vocationis. Nota, Loth vacans, uxor verbositas, vita Sodoma vertitur in sal, i. reprehensionem, & accidit, quod vulgo dicitur,

Gen. 19. *Matth.* 16. *Marc.* 2. *Matth.* 24.

a Memores estote uxoris Loth. *b* Quicumque quæsierit *c* animam suam *d* salvam facere, *e* perdet illam. Et *f* quicumque perdiderit illam, *g* vivificabit eam. *h* Dico vobis, in *i* illa nocte *k* erunt duo in lecto uno, *l* unus assumetur, *m* & alter relinquetur. *n* Duæ erunt molentes in unum *o* una assumetur, *p* & altera relinquetur. *q* Duo in *r* agro, *s* unus assumetur, *t* & alter relinquetur. *u* Respondentes *x* dicunt illi: Ubi, Domine? *y* Qui dixit eis: *z* Ubicumque fuerit corpus, *a* illuc congregabuntur & Aquilæ.

totum perditum est propter sal. Seq. *b* Quicumque quæsierit, &c.] Hoc dupliciter exponit *Aug. super Jo.*12. Primo est sensus, ut fiat simplex relatio quicumque quæsierit, idest, voluerit. *c* Animam suam,] i. præsentem vitam. *d* Salvam facere,] i. quicumque tempore persecutionis negaverit Christum pro vita temporali servanda. *e* Perdet illam] non vitam corporalem, sed vitam simpliciter, sive animam ipsam, a qua est vita, q. d. quicumque voluerit salvare, sive servare vitam, perdet vitam, quicumque voluerit servare vitam temporalem, amittet æternam. Vel sic. *b* Quicumque quæsierit animam suam, &c.] salute æterna. *e* Perdet illam] i. perditioni exponet propter Christum. *Act.* 20. Vincula, & tribulationes Jerosolymis me manent, sed nihil horum vereor, non enim facio animam meam pretiosiorem, quam me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi a Domino, &c. *f* Et quicumque perdiderit illam,] i. perditioni, seu tribulationi propter Christum exposuerit. *g* Vivificabit eam] i. vita æterna dignam efficiet. Alius Evangelista addit: Propter me. *Matt.* 10. qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Propter me dicit, quia multi perdunt eam propter mundum, vel propter carnem, qui postea non inveniunt eam. *Pr.* 12. qui negligit damnum propter amicum justus est. Et *Gl. Bed.* supplet hic. Qui propter Christum perdiderit vitam, exurgente Christo, i. ad judicium prodeunte illic liberam inveniet. *Chr.* Neque enim si propter Christum mortuus non fueris, immortalis eris, neque si propter Christum non projeceris pecunias, ferens eas abibis, hoc expetit a te, quod & eo non expetente dabis. *h* Dico vobis] Præmisso de signis antecedentibus judicium, adjungit Dominus de consequentibus, & concomitantibus judicium. Ut autem præmuniat omnes, dicit de tribus generationibus, quosdam salvandos, quosdam damnandos in adventu Domini, & ideo nullus debet se reputare securum. *Pr.*28. Beatus vir, qui semper est pavidus. Per jacentes in lecto designantur contemplativi, qui in otio contemplationis, quasi in lecto quiescunt. Per molentes in mola, intelliguntur conjugati. Mola enim in circuitu volvitur, ideo per molam fortunæ volubilitas exprimitur. Sæpe enim conjugati in fortunæ rota, & volubilitate versantur. Nam juxta verbum Apostoli, conjugatus divisus est, ut partim serviat Deo, partim mundo, incumbit enim ei sollicitum esse de uxore, & liberis. Per laborantes in agro intelliguntur Prælati. Hi sunt Noe, Daniel, & Job, de quibus dicitur *Ezec.*14. si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job, ipsi, &c. Prædicit ergo Dominus hic, quia tempore finalis persecutionis de quolibet statu aliqui salvabuntur, aliqui damnabuntur. Et nota, quia auctores consueverunt appellare adventum judicis, diem unum. Unde *Soph.*1. Dies illa, dies iræ, &c. Et in Evangelio. De die illa nemo scit. Dies autem dicitur pro manifestatione, quia tunc omnia manifesta erunt, & conscientiæ singulorum patebunt singulis. Unde *Dan.*7. Antiquus dierum sedit, &c. Dominus hic vocat noctem pro horrore tribulationis, quæ judicis adventum præcedet. Tanta namque erit tribulatio tempore Antichristi, ut si fieri

Matth. 24.

posset, moverentur etiam electi. Dicit ergo. *i* In illa nocte] i. in illa terribili, & tenebrosa tribulatione.
k Erunt duo, &c.] i. in claustro, vel contemplationis otio. Duo vero, non dicit dualitatem personarum, sed diversitatem affectionum, seu intentionum. *l* Unus assumetur,] ad gloriam, ut sit pondus in verbo, talem Deus assumet, i. ad se sumet. *m* Et alter relinquetur] ad pœnam. Hi sunt duo passeres, quorum alter occiditur, alter avolare permittitur: *Lev.*14. *Chr* Mihi videtur, quod in nocte erit adventus. Item *Chr.* Monstrat, quod nec omnes divites pereunt, nec pauperes salvantur universi, sed ex his, & ex illis salvantur, & pereunt. *n* Duæ erunt molentes in unum.] *Matth.* 24. In mola una per quam significatur sollicitudo temporalis, quæ pertinet ad conjugatos, qui in feminino genere designantur, ut alius esse subjecti ostendantur vel propter infirmitatem, & fecunditatem vocat feminas. Ad hanc molam positus est Samson: *Jud.*16. In derisionem sui, & cæcæcationem. Interpretatur autem] Samson Sol eorum, & significat Theologum, vel virum religiosum, qui circa curas negotiorum temporalium excæcatur, imo occiditur. Unde legitur *Jud.* 9. quod mulier, i. cupiditas fragmen molæ desuper jaciens, Abimelech interfecit. Non autem omnes, qui ad hanc molam sunt, occiduntur, imo quidam salvantur, ut qui legitime utuntur Matrimonio, & temporalia possident quasi non habentes, ea bene administrando, & ad æterna suspirando, ut Abraham, Isaac, Jacob, Job, & consimiles. Ideo seq. *o* Una assumetur] ad gloriam. *p* Et altera relinquetur] ad pœnam æternam, illi, scil. qui in incerto divitiarum spem ponunt. Nota, est mola virtutis. *Deut.*24. Non accipies loco pignoris inferiorem, & superiorem molam, &c. Item status conjugatorum, ut hic. Item occupatio terrena. *Is.*47. Tolle molam, & mole farinam. Item oppressio. *Isa.* 3. Facies pauperum commolitis. Item pœna gravissima, *sup. eod.* Mola asinaria circa collum. Item effeminatio. *Jud.*16. Clausum in carcere molere fecerunt hæ, i. fornicariæ. Seq. *q* Duo] non homines, sed duo genera prælatorum, aut prædicatorum, quidam boni, quidam mali, erunt. *r* In agro,] i. in Ecclesia, quam ad modum agri oportet excoli, & arari aratro prædicationis, & seminari semine verbi Dei, & boni exempli. *Prov.* 31. Consideravit agrum fortis mulier, i. sapientia Dei, & emit illum pretio sanguinis sui 1. *Cor.*6. Empti estis pretio magno. In hoc agro crescunt lilia virginum, violæ confessorum, rosæ martyrum, obsequia obedientium. Et breviter extra hunc agrum nihil fructiferum crescit. *Gen.* 27. Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. *s* Unus assumetur] ad gloriam, qui propter Deum in agro fideliter laboraverunt. 1. *Tim.* 3. Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent. *Matth.*25. Euge, serve, bone, & fidelis, quia, &c.

Multiplex mola.

t Et alter relinquetur] ad pœnam æternam, ut qui male, aut negligenter administraverunt. *Jer.*24. Maledictus, qui opus Dei facit negligenter. *Pr.* 24. Per agrum hominis pigri, &c. *u* Respondentes,] Apostoli dubitantes de verbo Domini. *x* Dicunt illi: ubi, Domine.] *Bed.* Assumentur, supple, vel relinquentur. *y* Qui dixit eis, ubicumque, &c.] Discipuli duo quærunt, sc. ubi relinquentur, vel assumentur. Sed Dominus unus respondet, reliquum subticet, quia ex altero patet: Dicit enim electos assumendos in cœlo, dans intelligere reprobos relinquendos in inferno. Dicit ergo. *z* Ubicumque fuerit corpus,] Christus in corpore humano, Christus Deus, & homo, non umbra corporis, sed verum corpus.
a Illuc congregabuntur Aquilæ,] i. sancti, secundum utrumque statum Aquilæ comparabiles. Nam in præsenti statu carne Dominica reficiuntur, sicut Aquila carnibus vescitur, & in futuro statu renovabuntur, sicut Aquila post senium rejuvenescit. *Bed.* Ubi fuerit Dominus corpore, congregabuntur electi, qui ejus Passionem humiliter imitando, tanquam de carne ejus satiantur, quorum per resurrectionem renovabitur, ut Aquilæ juventus. *Job* 39. Ubicumque fuerit cadaver, statim adest. *Job* 6. Sicut Aquila volans ad escam. *Chr.* Aquilæ, Angeli, Martyres, Sancti. *Ambros.* Nonne tibi videntur Aquilæ circa corpus, Maria Magdalenæ, Maria Jacob, & Salome circa sepulchrum? Sed Sacerdotes moderni, tanquam milvi, aut vultures ad cadavera mortuorum congregantur. *Isidorus.* Vultur dicitur, quasi voltum habens torvum, in quo significatur prava intentio Sacerdotum. *Job* 28. Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis.

C A P. XVIII.

a Dicebat autem b & parabolam ad illos, quoniam c oportet semper orare, d & non deficere, e dicens: f Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, g & hominem non reverebatur, h Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum i dicens: k Vindica me de adversario meo: Et nolebat per multum tempus. l Post hæc autem dixit intra se: Etsi m Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quid molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, n ne in novissimo veniens suggillet me. Ait o autem Dominus: Audite, quid judex iniquitatis dicit. p Deus autem non faciet vindictam electorum suorum q clamantium ad se die, ac nocte:

EXPOSITIO CAP. XVIII.

Dicebat autem, &c.] Supra dixit Dominus de omni genere hominum, quosdam salvandos, quosdam damnandos. Unde nulli certa est salus sua: Juxta quod dicitur *Eccl.9.* Nemo scit, utrum amore, vel odio dignus sit, supple signale: Ideo quid faciendum sit in hoc dubio, & incerto, docet hic Dominus sc. semper orandum. Dividitur autem hoc cap. in quatuor partes. In prima docet orare perseveranter, per parabolam viduæ, & judicis. In secunda docet orare humiliter, per parabolam publicani, & Pharisæi, ibi [Dixit autem, & ad quosdam, &c.] In tertia ostendit, quales pertineant ad regnum suum, sc. pueri, & quales non sc. divites, ibi [Afferebant, &c.] In quarta ostendit viam, per quam venitur ad regnum, sc. passionem, per quam & ipsemet ivit, ibi [Assumpsit autem Jesus, &c.] Et notandum est, sicut dicit *Beda*, quod Dominus aliquando ponit parabolas secundum similitudinem, ubi persona personæ comparatur, ut *Matth.*21. De homine, qui habuit duos filios, qui Dei personam gerit. Aliquando autem ponit parabolas per similitudinem, ubi non persona personæ comparatur, sed magis negotium negotio, ut hic de iniquo judice, qui personam Dei nullatenus tenet, tamen per factum suum, factum Dei conjici potest. Vel sic dicamus, proponit Dominus parabolas quandoque per simile, quandoque per contrarium. Hic enim est probatio in contrarium, & a minori, ac si diceret, si judex injustus, ita precibus assiduis vincitur, longe magis Deus justus precibus devotis flectetur. Dicitur ergo, a Dicebat autem, &c.] Dominus. b Et parabolam ad illos] de judice, qua ad orandum invitabat.

c Quoniam oportet semper orare] ad declinanda prænunciata incommoda, sc. prædicandum judicium. *Hier.* Frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit 1. *Thes.*5. Sine intermissione orate. *Eccl.*18. Non impediaris orare semper, & non verearis usque ad mortem justificari. Contra *Eccl.* Non iteres verbum in tua oratione, *Matth. 6.* Orantes nolite multum loqui: Quomodo ergo diu orabimus, si nec multa dicimus, nec dicta iteramus? Sol. Semper ponitur hic pro numero universitatis, i. pro septenario, ut sit sensus: [Oportet semper orare,] i. septies in die. Septem namque horæ specialiter sunt institutæ ad orandum in die, & cum unaquæque specialem habeat causam suæ celebrationis, tamen hoc generaliter intuetur Ecclesia, ut quia non potest semper orare, saltem oret septies, ac si dicat, quia non possum semper orare, facio, quod possum, orabo saltem sub numero universitatis. Vel quod dictum est: Oportet semper orare, referendum est ad id, quod ait Apostolus: Sine intermissione orantes, Sine intermissione orat, qui bene operari non cessat. Oratio enim est quasi nuncius quidam, & interpres voluntatis nostræ, quem ad Deum dirigimus, & hoc semper facere debemus. Hos duos modos tangit *Bed. in Gl.* dicens. Semper canonicis horis quotidie secundum morem Ecclesiæ, i. ab Ecclesia regulariter institutis, vel quia justus secundum Deum omnia gerit, vel dicit. Semper orat, qui semper agit bona, nec desinit orare, nisi cum desinit justus esse. Seq. d Et non deficere.] *Eccl.3.* Qui diligit Deum exorabit pro peccatis, & continebit se a peccatis, & in oratione dierum exaudietur, i. diu, contra acidiam. *Eccl.35.* Qui adorat Deum in oblatione, suscipietur, & deprecatio illius usque ad nubes propinquabit.

e Dicens] Dominus, supple. Modo incipit parabola.

f Judex quidam erat, &c.] *Job* 21. Quis est omnipotens, ut serviamus ei? *Job* 22. Quasi nihil posset omnipotens æstimabant eum, &c. *Eccl.*8. Quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini. *Eccl.* 7. Qui timet Deum, nihil negliget. g Et hominem non reverebatur.] *Ezec.* 3. Omnis domus Israel attrita fronte est, & duro corde. *Jer.*3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Duo excluduntur ab isto judice, quæ maxime faciunt a peccato declinare, sc. timor Dei, & pudor hominum. De timore Dei: *Eccl.* 1. Timor Domini expellit peccatum. De pudore hominum dicit Philosophus, Erubuit, salva res est. Et *Eccl.* 26. Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata.

h Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum,] quia ad ipsum pertinet defendere personas miserabiles. *Is.* 1. Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.

i Dicens] vidua illa. k Vindica me de adversario meo, & nolebat per multum tempus.] *Is.* 1. Pupillo non judicant, causa viduæ non ingreditur ad eos. *Jer.*5. Causam viduæ non judicaverunt, &c. *Eccl.* 35. Nonne lacrymæ viduæ, &c. l Post hæc autem dixit intra se] victus improbitate viduæ. m Etsi Deum non timeo nec hominem revereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam.] Simile *sup.* 11. Et si perseveraverit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. n Ne in novissimo veniens suggillet me, &c.] In *Gl.* habetur apertius: Ne iterum, & iterum veniens suggillet me, &c. Et est alia littera. Et nota originem hujus verbi, suggillare. Nam quantum ad absolutionem vocabuli dicitur suggillare, quasi subgulare, & est tractum a lamiis, quæ parvulos, quos suffocant, sub gulis incidunt, & sanguinem sugunt, ut vere sit idem suggillare, quod suffocare, q.d. judex, ne suggillet me, i. ne clamore suo, & multitudine verborum suffocet me, & cogat obmutescere. Iste enim proprie suggillatur, qui verbis, vel rationibus hinc inde arctatur, ut obmutescere cogatur, ne possit, vel audeat verbum proferre. *Gl.* Suggillo a suggerto tractum est a lamiis, i. strangulo. *Chr.* Suggillare est quasi strangulare. Nota lamiæ sunt dæmones nocte strangulantes. *Thr.*4. Lamiæ nudaverunt mammas, lactaverunt catulos suos. Hæc vidua typum gerit cujuslibet animæ fidelis, vel Ecclesiæ generalis, quæ desolata a sponso videtur, qui tamen in secreto curam ejus gerit, præsentia corporis absens, sed virtute divinitatis, & gratiæ largitate præsens. De qua dicitur *Job* 24. Abstulerunt pro pignore bovem viduæ, i. Prælatum Ecclesiæ, quo habito securi sunt dæmones de habenda plebe. Item in *eodem*. Pavit sterilem, quæ non parturit, & viduæ non benefecit. Sterilem dicit carnem, & viduam animam. Vel sterilem dicit congregationem hominum inutilem, viduam dicit Ecclesiam, cui multi clerici, & canonici nihil boni faciunt, pascentes inutilem congregationem clericorum, & famulorum. In oratione istius viduæ, plane ostenditur virtus, & efficacia humilis, & perseverantis orationis. Impossibile enim est talem orationem non exaudiri. *Eccl.35.* Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat, & Dominus non elongabit, sed judicabit justos, & faciet judicium. [Ne in novissimo veniens, &c.] *B. Bern.* Venient, venient ante tribunal Christi, ubi erit pupillorum accusatio gravis, allegatio dura, quorum vixerunt stipendiis, nec diluerunt peccata. Sequitur.

o Ait autem Dominus, audite, quid judex iniquitatis dicit.] *Chr.* Non judex talis, fide dilectionis carens, tædio compulsus, sed actio ejus hic potest laudari, quia si iste quocumque animo ultus est viduam, Deus justus maxime ulciscetur suorum injuriam, imo pravorum malitiam. *Romanorum cap. duodecimo*. Mihi vindictam, & ego, &c.

p Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die, ac nocte,] q. d. imo faciet. *Ps.* 119. Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, & exaudivit me. *Apoc.* 6. Usquequo, Domine, sanctus & verus, &c. *Ps.* 78. Ultio sanguinis, &c. *Job* 35. Omnipotens singulorum causas intuebitur. *Item* 36. Judicium pauperibus tribuit, non auferet a justo oculos suos.

q Clamantium ad se die, ac nocte.] *Is. c.* 21. Ad me clamat ex Seir, custos, quid de nocte, custos, quid de nocte, & dixit, &c.

a & patientiam habebit in illis? *b* Dico autem vobis, quia cito faciet vindictam illorum. *c* Verumtamen filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? Dixit *d* autem & *e* ad quosdam, qui in se confidebant *f* tanquam justi, *g* & aspernabantur ceteros, *h* parabolam istam, dicens: Duo homines *i* ascenderunt in templum, ut *k* orarent, *l* unus Pharisæus, & alter Publicanus. *m* Pharisæus stans, hæc *n* apud se orabat: *o* Deus gratias ago tibi, *p* quia non sum sicut ceteri hominum *q* raptores, injusti, *r* adulteri:

a Et patientiam habebit in illis?] q. d. non, *Eccl.* 35. Dominus judicabit justos, & faciet judicium, & fortissimus non habebit in illis patientiam. Et *Gl.* objicitur hic. Cum justi moneantur orare pro persecutoribus, quid est, quod sancti viri orant in persecutores suos vindicari? Hoc rationabiliter potest quæri saltem de his, qui sunt in via, qui enim in patria sunt, astricti sunt justitiæ Dei. Sol. est, quod sancti viri salva justitia de ipsis postulant vindictam, ut pereant, i. impii esse desinant, Juxta quod dictum est. Verte impium, & non erit, *Pr.* 12. Vel salva justitia erant, ut flagellentur, & sic a nequitia resipiscant. *b* Dico autem, &c.] *Deut.* 32 Sanguinem servorum ulciscetur. *Bed.* Ut vel potestas malorum minuatur, ne tentationi succumbant, vel ipsi ita fortes efficiantur, ut pati non desistant, vel mali convertantur. *c* Verumtamen] q. d. vindictam faciam, cum venero judicare oppressores justorum, verumtamen illi, sc. electi pauci erunt, & tepidi tempore judicii, quia tunc refrigescet charitas multorum, & Dominus ad judicium veniens vix inveniet fidem in terra. Unde dicit [Verumtamen filius, &c.] De perfecta fide dicit, i. cum dilectione, q.d. pauci sunt boni, & tunc erunt pauciores. *Jer.* 7. Periit fides, ablata est ab ore eorum. *Ps.* 11. Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus. *Habac.* 1. Totum in hamo sublevabit. *Mich.* 7. Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit, &c. *Osee* 8. Devoratus est Israel, *Isa.* 17. Brachium ejus spicas leget. Et nota, quia [putas] non opinionem, aut dubitationem Dei notat hic, sed duritiæ, & infidelitatis hominum increpationem significat. Seq. *d* Dixit autem, &c. Secunda pars cap. in qua docet Dominus orare humiliter. Cum enim præcedentem parabolam Dominus terminasset in fide, videri posset alicui, quod sola fides sufficeret ad salutem, ideo ostendit in hac parabola plus valere apud Deum humilitatem orationis, quam habuit publicanus, quam fidei jactantiam, quam habuit Pharisæus. Unde dicit. [Dixit autem] Dominus, sc. *e* Ad quosdam, qui in se,] i. in suis meritis, confidebant. *f* Tanquam] non vere [justi] cum nullam haberent justitiam, quia non habebant humilitatem: sine qua nihil placet Deo. Unde *Greg.* Eam quippe, quam non invenit humilem, veritas fugit mentem. *Idem.* Qui virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat. *Pr.* 11. Qui confidit in divitiis suis corruet. *Hier.* 48. Pro eo, quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, &c. *Rom.* 10. Justitiam suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. *g* Et aspernabantur ceteros] cum tamen ipsi prava bona facerent, quia confidebant in se. Necesse est enim, ut qui in se confidit, alios contemnat. *Eccl.* 4. Ne reverearis proximum in casu suo. *Rom.* 14. Qui non manducat, manducantem non spernat.

Secunda pars.

h Parabolam istam dicens: Duo homines] nomen rei, sed non rem nominis æqualiter participantes. Uterque fidelis, sed unus verbo tenus, alius facto. *i* Ascenderunt in templum,] in monte situm. Unde septem erant gradus, per quos ascendebatur in templum, ut dicitur *Ezec.* 46. Per quos significantur septem dona Sp. Sancti, vel septem virtutes, tres Theologicæ, & quatuor cardinales, & septem opera misericordiæ.

Versus. *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

Per quemlibet istorum trium septenariorum ascenditur in cœleste templum. *k* Ut orarent] Ad hoc debet quilibet ascendere ad Ecclesiam, i. ad orandum, non ad videndum mulieres, vel prava, & vana colloquia faciendum, quod tamen multi faciunt. Unde conqueritur Dominus *Matth.* 21. Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem, &c. *Aug.* Nemo in oratorio aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde & nomen accepit. *Act.* 3. Petrus, & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. *l* Unus Pharisæus, & alter Publicanus.] Pharisæus dicitur quasi divisus. Erant enim Pharisæi divisi ab aliis propter traditiones proprias, quas faciebant, & propter arctiorem vitam, sive ob religionem quamdam, quam habebant. Habebant enim in manu & in fronte membranulas, in quibus erat scriptus decalogus. Habebant etiam spinas ligatas in fimbriis palliorum, ut cum pungerentur, statim recordarentur legis. Unde significant hypocritas, qui habent sacrarum exercitium litterarum, quod significatur in membranis, & divinorum memoriam præceptorum ad faciendum ea, quod significatur in spinis, qui cum appareant exterius sancti, interius sunt immundi, sicut dicitur *Matth.* 23. Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris apparent hominibus speciosa, intus vero sunt plena ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Publicani dicebantur exactores publicorum vectigalium, quæ officia sine peccato, aut vix, aut nunquam exerceri possunt. Unde hic publicanus significat aperte malos, qui facilius, & frequentius convertuntur ad Dominum, quam ficte boni, quos significat Pharisæus. *m* Pharisæus stans.] Ipse situs corporis exprimit elationem mentis, i. superbiam. *Is.* 49. Vultu in terra demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. *Is.* 60. Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum. *n* Hæc apud se orabat] tanquam sibi placens. *Gregor.* Oratio hominis placentis sibi non ascendit ad Deum. *Rom.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere, & non nobis placere. Contrarium faciebat Pharisæus, & adhuc faciunt hypocritæ, & tamen ibidem sequitur. Unusquisque vestrum placeat proximo suo in bonum ad ædificationem: Etenim Christus non sibi placuit.

o Deus gratias ago tibi, quia, &c.] *Greg.* Si reprehenditur, qui superbe gratias agit, quid ergo ille, qui impugnat gratiam? Duæ sunt partes justitiæ, sc. declinare a malo, & facere bonum. Iste Pharisæus, ut perfecte justus appareat, de utraque gratias agit. Et primo de prima, quæ est declinare a malo, dicens.

p Quia non sum sicut ceteri hominum,] i. sicut ceteri homines, q.d. ceteri homines sunt peccatores, ego solus sum justus. *Bed.* Quid est ceteri homines, nisi omnes præter ipsum, &c.

q Raptores, injusti.] Rapina attenditur in violenta occupatione rei alienæ, injustitia vero attenditur in propriæ rei detentione, & pauperibus non erogatione. De raptoribus vero dicitur *Lev.* 11. Haliæetum, & accipitrem non comedes juxta genus suum, idest, raptoribus non consenties, nec eos imitaberis. Juxta genus suum dicit, quia duo sunt genera accipitrum, silvestre, sc. & domesticum. Silvestris sibi soli, domesticus vero non sibi, sed domino suo capit. Sic sunt duo genera raptorum, quidam sibi solis rapiunt, ut avari, alii non sibi, sed dominis suis, ut officiales, & balivi. De primo dicitur: *Eccl.* 4. Unus est, & non habet secundum, non fratrem, non filium, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis. *Eccl.* 11. Est qui locupletatur parce agendo, &c. De secundo dicitur *Habac.* 2. Væ ei, qui multiplicat non sua. Quis autem sit amborum exitus, dicitur *Proverb.* 21. Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium. *Isa.* 14. Quomodo cessavit exactor, quievit tributum. Et *inf.* Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes, q. d. non cessavit exactor in culpa, ideo non cessabit tributum in pœna. Quamdiu durabit vestis, durabit tinea, quamdiu erit cadaver, erunt vermes, quamdiu erit anima, erit ignis, cujus ipsa est materia. De injustis vero, quia sua conservant, & pauperibus non erogant, dicitur *Eccl.* 5. Est alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, divitiæ conservatæ in malum domini sui. *Proverb.* 28. Qui congregat divitias usuris, & fœnore liberali, in pauperes eas congregat, idest, contra, vel per pauperes.

r Adulteri] Adulter est, qui dimissa uxore sua alii feminæ copulatur, vel si alterius uxorem cognoscat. Fit enim adulterium quandoque ex una parte tantum, quandoque ex utraque, & tunc est majus peccatum. Et de hoc dicitur *Eccl.* 23. Omnis homo, qui transgredietur lectum suum, contemnit in animam suam. Et *inf.* Mulier omnis relinquens virum suum peccabit, statuens hæreditatem ex alieno Matrimonio. Primo enim in lege Altissimi incredibilis fuit, secundo virum suum dereliquit, tertio in adulterio fornicata est, & ex alio viro sibi filios statuit.

s Velut

a Velut etiam hic publicanus. *b* Jejunio bis in sabbato, *c* decimas do omnium quæ possideo: Et *d* publicanus a longe stans *e* nolebat nec oculos ad cœlum levare, *f* sed percutiebat pectus suum dicens; *g* Deus propitius esto mihi peccatori. Amen *h* dico vobis, descendit hic justificatus in *i* domum suam ab illo, *k* quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, *l* & qui se humiliat, exaltabitur. *m* Afferebant autem ad illum & *n* infantes, ut eos tangeret,

a Velut etiam hic publicanus.] Ecce Pharisæus considerat, quæ habet, & quæ publicanus non habet: Hinc præcipue oritur in nobis superbia, quia consideramus, quæ nos habemus bona, & quæ alii non habent, cum e contrario fieri deberet. Et dicit [hic] despective, seu irrisorie. *Eccl.* 7. Ne irrideas hominem in amaritudine animæ, est enim, qui humiliat, & exaltat circumspector Deus. Sufficienter commendat se Pharisæus, qui dicit se nec apertum, nec occultum esse peccatorem: Contra hoc, quod dicit *Eccl.* 7. Non te justifices apud Deum, quoniam cognitor cordis ipse est, *Pr* 18. Justus prius accusator sui est. Item *Pr.*27. Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua. *Bed.* Meliorum virtutibus inspectis humiliemur, ut dicat unusquisque: Domine, non sum sicut ceteri servi tui, casti, sobrii. Vel per Pharisæum istum negotiatores sæculi designantur, qui sub specie negotiationis multa dolose, & injuste acquirunt. *Eccl.*26. Difficile exuitur negotians, &c.

b Jejuno bis in sabbato,] Hactenus egit gratias de prima parte justitiæ, i. quia malum non fecit. Nunc agit gratias de secunda, i. quod bonum fecit, dicens [Jejuno bis in sabbato,] i. in Hebdomada. Nomine sabbati septimana censetur, quæ tota secundum Hebræos a sabbato denominatur. A jejunio, sive abstinentia se commendat, quia jejunium pestem corporis sanat, ut dicit *Hier.* De quo dicit *Ambros.* Vide quanta sit virtus jejunii, ut sputo suo jejunus homo serpentem interficiat, multo fortius spiritualem. *Aug.* Eva quamdiu abstinuit, virgo fuit, & in paradiso permansit, sed quam cito præceptum abstinentiæ violavit, libidinis corruptionem sensit, & a paradiso ejecta fuit. Postea commendat se ab eleemosyna dicens, *c* Decimas do omnium, quæ possideo.] Do dicit, cum deberet dicere reddo, quia debentur ex præcepto Domini. *Malac.*3. Inferte omnem decimam in horreum meum, &c. *Aug.* Redde decimas, aliter deduceris ad partem decimam Angelorum, quæ de cœlo cecidit in infernum. Decimam debet homo dare, quia est decima creatura. Primæ enim novem creaturæ, sunt novem ordines Angelorum, decima autem creatura est homo. Est autem decima quasi census Deo debitus pro cœlesti hæreditate. Et certe qui non reddit censum, merito perdit agrum. Quantum autem Deo displiceat, qui non reddit ei decimas, dicit *Mal.*3. Si affiget homo Deum, quia vos configitis me. Et dixistis, in quo configimus te? In decimis, & primitiis, quas non redditis, supple. Unde sequitur: In penuria vos maledicti estis. Hic Pharisæus typus est superborum, qui se de bonis suis jactare consueverunt. Unde *Greg.* super hunc locum, quatuor species tumoris distinguit. Prima est, cum quis bonum, quod habet, a se habere æstimat, vel qui bonum, quod facit, sibi attribuit, ut Nabuchodonosor. *Dan.*4. Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi, &c. Contra hanc dicitur 1.*Cor.*4. Quid habes, quod non accepisti, &c. Secunda est, cum homo bonum, quod habet, a Deo quidem se habere confitetur, sed pro meritis suis, Contra quod dicit Apost. 1.*Cor.*15. Gratia Dei sum id, quod sum. Tertia est, cum homo simulat se habere bonum, quod non habet, quod est vitium hypocritarum, Et hæc jactantia rapina est, qui enim avidus est laudis, rapit opinionem sanctitatis. Unde *Job* 27. Quæ est spes Hypocritæ, si avare rapiat, & non liberet Deus animam ejus? Quarta est, cum despectis ceteris appetit homo singulariter videri habere, quod habet. Hac specie tumoris laborat hic Pharisæus. Qua etiam laborasse videtur Elias 3. *Reg.* 19. ubi dicit: Prophetas tuos occiderunt, & remansi ego solus, cum tamen plures remansissent, qui non curvaverunt genua sua ante Baal, ut *ibid.* dicit Dominus. Seq. *d* Et publicanus a longe stans] quod est signum humilitatis, quam operatur consideratio propriæ infirmitatis *Job* 5. Visitans speciem tuam non peccabis *Sup.* 5. Exi a me, Domine, quia homo peccator sum.

e Nolebat nec oculos ad cœlum levare.] Sicut cantatur de David 2.*Par. ult.* Peccavi super numerum arenæ maris, & multiplicata sunt peccata mea, & non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ. Hic dicit, *Bed.* Sicut humilis non audet appropinquare, ut Deus appropinquet, ita non aspicit, ut aspiciatur, &c. Summa est: Qui ad Deum ascendere formidat ex humilitate, Deus ad eum accedit, conscientiam premit, i. humiliat, sed spem sublevat, mentem ad Deum erigendo. *Job* 22. Qui declinaverit oculos suos, ipse salvabitur. *Bed.* Nolebat oculos ad cœlum levare, quod perfectum est, ut cœlum posset ad se inclinare. *De pœn. d. 1. c. quis aliquando.*

f Sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, &c.] Tria notantur in pectoris percussione. Est enim ibi læsio, per quam significatur contritio; & sonus, per quem significatur confessio; & manus appositio, per quam significatur satisfactio. Hæ sunt tres partes pœnitentiæ, quæ est via redeundi ad Deum: De qua *Exod.* 5. Deus Hebræorum vocavit, &c. Debet autem esse discreta tota pœnitentia. Unde per pectus discretio designatur. Propter quod præcipitur in lege, ut pectus cum armo cedat in partem Sacerdotis, qui debet præ ceteris discretione vigere. Præter hæc etiam in pectoris tunsione dimittuntur venialia, quæ octo modis, sive octo remediis dimittuntur, i. confessione oris, pectoris tunsione, aquæ benedictæ aspersione, cordis contritione, dominica oratione, Crucis signatione, sac. Communione, injuriarum condonatione. Unde. *Matth. 23. Sap. 14.*

> *Confiteor, tundo, respergor, conteror, oro:*
> *Signor, edo, dono,* [idest condono] *per quæ venialia pono.* *Versus.*

*Eccl.*28. Relinque proximo tuo nocenti te, &c.

g Deus propitius esto mihi peccatori.] Hæc est brevis oratio, & valde utilis [Deus] qui solus potes [propitius esto mihi peccatori.] *Bed.* Peccatum suum agnoscit, ut Deus ignoscat. Non dicit peccanti, sed peccatori, ut gravius se accuset.

h Amen dico vobis, descendit hic justificatus] nondum forsitan plene. Jam enim a culpa, sed nondum forsan a pœna. Argumentum, quod aliorum contumeliæ non justificant.

i In domum suam ab illo,] i. plus quam ille. Vel [ab illo] i. ad comparationem illius. Simile *Jer.* 3. Justificavit animam suam adversatrix Israel, comparatione prævaricatricis Judæ. *Ez.*16. Justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus. Et *inf.* Justificatæ enim sunt a te.

k Quia omnis, qui se exaltat, &c.] Posita Pharisæi, & Publicani controversia, ponitur judicis sententia, ut caveatur superbia. Et continua sic. Quare descendit hic justificatus, &c. [Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur,] *sup.*14. Idem & *Matt.*23. *Beda.* Ante ruinam exaltabitur cor, & ante gloriam humiliabitur. Ante ruinam, &c. quasi ruinam præcedit exaltatio. Vel potest exponi ante pro ad, quia cor hominis exaltatur, & intumescit ante ruinam, & ad ruinam, & tumor superbiæ quasi præsagium est ruinæ. Solet enim homo intumescere propinqua ruina. *Prov.* 16. Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltabitur spiritus.

l Et qui se humiliat, exaltabitur.] *Job* 22. Qui humiliatus fuerit, in gloria erit, & qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur, &c. *Eccl.* 20. Est propter gloriam minoratio, & est, qui ab humilitate levabit caput.

m Afferebant autem, &c.] Tertia pars. Data sententia Domini super controversia Pharisæi, & Publicani, offeruntur parvuli magistro humili ad benedicendum, ut ostendatur, quod tales pertinent ad ejus regnum, tamen illi, qui obtulerunt, putabant, quod continentia corporalis magis placeret ipsi, quam munditia mentis. Unde *Chrys.* dicit. Pueros castitate mundos obtulerunt, putabant enim, ut tantum corpore mundos laudaret, & non voluntate, cum tamen e contra sit. Unde *Ps.* 44. Omnis gloria filiæ regis ab intus, &c. per oblationem ergo infantium significatur, quod omnes illi, qui ad ejus regnum pertinent, sint infantes, non ætate, sed virtutis similitudine. Unde *Matth.*18. Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Et hoc est. [Afferebant autem ad illum] homines regionis illius. *Tertia pars.*

n Et infantes, ut eos tangeret.] *Jer.* i. ut manu, & voce eis benediceret. Nota vero, quod Dominus tribus modis tangit. Primo flagellando. *Job* 19. Misereminі mei, &c. *Dominus tribus modis tangit.*

Secundo

Secundo interius consolando. *Dan.* 8. Cum loqueretur ad me, prolapsus sum pronus in terram, & tetigit me, & statuit me in gradu meo. Tertio, beneficia conferendo. *Genes.* 27. Accede huc, fili mi, ut tangam te. Horum puerorum creditur Martialis unus fuisse. Seq.

† *a* Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. *b* Jesus autem convocans illos dixit: Sinite pueros venire ad me, & *c* nolite vetare eos. *d* Talium est enim regnum Dei. *e* Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, *f* non intrabit in illud. Et *g* interrogavit eum quidam princeps, dicens. *h* Magister bone, quid *i* faciens vitam æternam possidebo? Dixit autem ei Jesus:

al. † Quos, D

a Quod eum viderent discipuli, increpabant illos,] *Beda*. Non, quia nollent infantes manu, & voce Salvatoris benedici, sed quia putabant eum importunitate offerentium posse lassari. Unde videtur innuere. *Beda*, quod non poterat lassari Dominus. Contra *Joan.* 4. Jesus autem fatigatus ex itinere sedebat. Solutio. Fatigatus fuit, & lassus multoties, sed non ad similitudinem hominum, quia illi necessitate, iste sola voluntate, qua assumpsit talem naturam, qua posset fatigari. Vel lassabatur ut homo, non ut Deus. Secundum *Ambrosium*, & *Bedam*. Apostoli videntes parvulos de gentibus Domino offerri, intelligebant in hoc facto salutem gentium præfigurari. Increpabant ergo eos, per idipsum ostendentes, quia primo vellent populum suum salvari, & postmodum gentem introduci, utriusque enim salutem optabant. Unde & pro muliere Chananæa orasse leguntur, quæ gentilis erat: *Matth.* 15.

b Jesus autem convocans illos dixit: Sinite pueros venire ad me.] *Prov.* 9. Si quis est parvulus veniat ad me. *Is. ult.* Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu? *Prov.* 3. Noli prohibere benefacere eum, qui potest, &c. B. *Bern.* Herodiana crudelitas, & Ægyptiaca malitia est, nascentem persequi Salvatorem, & allidere parvulos Israel.

c Et nolite vetare eos.] *Aug.* Nemo prohibeat languidos venire ad medicum. *Chrys.* Si sancti futuri sunt, quid vetatis filios ad patrem venire? Si peccatores futuri sunt, ut quid sententiam damnationis profertis, antequam culpam videatis? Quales modo sunt, meum est, quales futuri sunt, ipsorum est. Quod meum est, honorate, quod ipsorum erit, miserebimini.

d Talium est enim regnum Dei.] Talium, idest, innocentiam puerilem imitantium. *Hieron.* Non ait, istorum sed talium, ut ostendat non ætatem, sed mores regnare, q. d. humilium est regnum cœlorum. *Matth.* 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: Sive regnum cœlorum dicatur gloria, sive gratia, sive sapientia. *Prov.* 11. Ubi humilitas ibi sapientia. *Prov.* 29. Humilem spiritu suscipiet gloria. *Jacob* 3. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Recte autem per pueros, humiles designantur, quia sunt paucis contenti. *Eccl.* 29. Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem. Item in imo, seu in pulvere sedent. *Isa.* 47. Descende, sede in pulvere. Item sine malitia sunt. 1. *Cor.* 14. Malitia parvuli estote. Item simplices sunt, idest sine duplicitate. *Proverb.* 3. Cum simplicibus sermocinatio ejus. *Sap.* 1. In simplicitate cordis quærite illum. Item innocentes sunt. *Job* 22. Salvabitur innocens, salvabitur autem munditia manuum suarum. Item verecundi sunt. *Seneca*. Verecundia bonum in adolescente signum, *Ecclesiast.* 26. Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata.

Proprietates puerorum.

Item sine sollicitudine sunt. *Matt.* 6. Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis. Item non servant iram. *Ephes.* 4. Sol non occidat super iracundiam vestram. Item largi sunt. *Prov.* 22. Victoriam, & honorem acquirit, qui libenter dat munera. *Galat.* 2. Tradidit semetipsum pro me. Item veraces sunt. *Apoc.* 14. In ore ipsorum non est inventum mendacium. *Ephes.* 4. Deponentes omne mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. Item non pudet eos mendicare panem. *Thren.* 4. Parvuli petierunt panem, &c. Item casti sunt 1. *Timoth.* 5. Teipsum castum custodi. *Matth.* 19. Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Item sunt obedientes. *Ephes.* 6. Filii obedientes estote parentibus vestris. *Eccl.* 3. Filii sapientiæ Ecclesia justorum, & natio illorum obedientia, & dilectio. Item promissionibus hilarescunt. *Num.* 14. Parvulos introducam in terram, quæ vobis displicuit. Item amant se mutuo. *Eccles.* 13. Omne animal diligit sibi simile. Item non confidunt in se. *Jerem.* 17. Maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem brachii sui. Item clamorem referunt ad parentes, ut vindicent eos. *Eccl.* 28. Qui vindicari vult a Domino, inveniet vindictam. Item homines personatos expavescunt. *Seneca*. Pueri hos amant, cum quibus ludere consueverunt. Item diligunt pulchra vestimenta *Eccles.* 9. Vestimenta tua omni tempore sint candida. Item cito plorant, & rident. *Eccles.* 3. Tempus flendi, & tempus ridendi. *Jo. c.* 16. Plorabitis, & flebitis vos, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Qui has viginti puerorum proprietates haberet, revera ipsius esset regnum cœlorum.

Matth. 19.
Marc. 10.

e Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer,] i. quicumque innocentiam, quam habet puer beneficio ætatis, sibi non comparaverit merito virtutis.

f Non intrabit in illud.] *Hebr.* 11. Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit. *Beda* exponit hoc moraliter, intelligens per regnum Dei doctrinam Evangelicam, per quam venitur ad regnum Dei. Hanc ergo jubemur accipere sicut pueri, idest, sine contradictione, & simpliciter, sicut puer non contradicit magistro suo, sed ex simplicitate acquiescit. *Eccles.* 5. Esto mansuetus ad audiendum. *Jacob* 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum.

g Et interrogavit eum quidam princeps dicens: Magister, &c.] Non est loco suo posita hæc principis interrogatio, & Domini responsio. Legitur *Marc.* 10. quia Dominus erat in domo, & docebat, cum egressus in via esset, accessit ad eum quidam, qui proposuit ei hujusmodi quæstionem. Et quem Lucas dicit principem, *Matth.* 19. dicit adolescentem. Lucas autem, licet hoc post præcedentia non sit secutus, eleganter tamen præcedentibus continuavit. In præcedentibus namque tradiderat doctrinam imperfectionis, post quam congrue sequitur doctrina perfectionis, ad quam pertinet, quod hic subditur: Unde congrue præcedentibus annexum est. Docuerat enim Dominus de fide, ubi dictum est de grano sinapis: Addidit etiam de modo orandi, & de humilitate, quæ omnia tenentur habere etiam imperfecti. Tenentur enim fidem habere, & orare, & humiles esse: Quod autem sequitur, solis congruit perfectis. De hoc principe, sive adolescente dissentire videntur *Amb.* & *Hier.* & *Bed.* *Amb.* enim & *Hier.* improbant eum, plane asserentes, quod accesserat animo tentandi, non discendi. Quod ex duobus astruunt, sc. ex verbo Domini ipsum arguentis, ubi dicit: Quid me dicis bonum, & in eo etiam, quod audito consilio Domini, contristatus est. *Bed.* vero approbat eum, dicens, quod simpliciter accesserit. Quod ex eo probat, quia *Marc.* 10. dicitur intuitus eum fuisse Jesus. Non enim dicitur Deus intueri, nisi quos respicit oculo misericordiæ, sicut dicitur intuitus Petrum fuisse Jesus, i. oculo misericordiæ respiciens. Plane ergo dissentire videntur. Sed potuit esse, ut in primis modo tentantis accessisset, postea ex verbis Jesu animum humiliasse, & sic uterque potest verum dixisse, secundum diversos status unius actionis. Vel forte fuerunt diversi: Nam *Hier.* videtur loqui de illo, de quo dictum est *Marc.* 10 de quo non agitur hic.

h Magister bone.] *Chrys.* Significat laudatores Sanctorum, non imitatores.

i Quid faciens vitam æternam possidebo?] Secundum *Ambr.* & *Hieron.* est hæc versuta interrogatio, & ideo subtiliter ei respondet Dominus, arguens eum de duobus, sc. & quia loquitur contra rei veritatem, & contra consuetudinem loquendi. Quia ergo iste vocaverat eum magistrum bonum, & non Deum, vel Dei filium, ostendit Dominus, quemlibet sanctum hominem comparatione sui non esse bonum. Unde *Job* 25. Nunquid justificari potest homo comparatus Deo? Item *Job* 4. Nunquid homo Dei comparatione justificabitur? q. d. non. Ibi enim dicit *Gl.* Humana justitiæ divinæ comparata injustitia est: Et hoc est,

a Quid me

a Quid *b* me dicis bonum? *c* Nemo bonus, nisi *d* solus Deus. *e* Mandata nosti? Non *f* occides, *g* non mœchaberis, non *h* furtum facies, non *i* falsum testimonium dices: *k* honora patrem tuum, & matrem. *l* Qui ait: Hæc omnia custodivi a juventute mea. *m* Quo audito *n* Jesus ait ei. *o* Adhuc unum tibi deest: *p* omnia, quæcumque habes, vende, *q* & da *r* pauperibus, *s* & *t* habebis thesaurum in cœlo, *u* & veni, sequere me. His *x* ille auditis contristatus est;

a Quid me dicis bonum,] i. quam rem bonam me dicis esse? q.d. non sum talis bonus, ut putas, aliquis bonus homo non Deus. In hoc ergo contra rei veritatem loquitur, appellans eum magistrum bonum, & non Deum, quia magistrum bonum dicit, putans eum purum hominem esse: Ideoque Dominus arguit eum dicens. [Quid me dicis bonum,] cum [nemo bonus] sit [nisi solus Deus,] i. nisi solus homo Deus, ut scil. per nemo excludantur soli homines, non Angeli. Solus namque Deus vere bonus est, i. Christus solus a conceptione immunis a peccato. Ita arguit eum Dominus, quia loquitur contra rei veritatem. Et secundum hoc iste potest esse sensus [Quid] i. cur. *b* Me dicis bonum] cum non credis esse Deum? De hoc ergo arguit eum, quia non credit eum esse Deum, *Matt.*19. dicit, Dominum respondisse. Quid me interrogas de bono. Et utrumque respondit Dominus, ut dicit *Aug. de concordia Evang.* ut alterum referatur ad illud: Quid boni faciam, alterum ad illud: Magister bone. Vel sic [Quid] i. cur [me dicis bonum,] quem non vis imitari in bono, vel quem bonum sentire non potes? q.d. bonus sum, sed non tibi, quia non sentis? *Ps.*33. Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus, i. dulcis 1. *Petr.*2. In eo crescatis in salutem, si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus. Et secundum hunc sensum loquitur contra loquendi consuetudinem, q.d. Dominus, quid me dicis bonum, cum non sim tibi. Nam secundum loquendi usum non consuevimus dicere bonum, vel malum, nisi in respectu. Unde dicimus, quia pœna æterna mala est, quia mala patientibus licet in se bona. Et secundum hanc expositionem erit hoc solum de reprehensione.

a Quid me dicis bonum,] nec quod sequitur annectetur sicut prius. Modo resume secundum. *Bedam*. [Et interrogavit, &c.] Reddit causam *Bed. in Gloss.* quare quæsierit iste. Et est summa, quia Dominus locutus fuerat parabolice dicens. Quicumque non acceperit regnum Dei, sicut puer, &c. Iste autem ex simplicitate non intellexerat, ideo quærit aperte sibi dici [Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?] Non dicit, quid dicens, vel quid audiens, sed quid faciens vitam æternam possidebo, quia non audiendo, vel loquendo, sed magis faciendo acquiritur regnum cœlorum, *Joan.*6. Quid faciemus, ut operemur opera Dei bona, *Jacob* 1. Non auditores verbi, sed factores, *Rom* 2. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, *Matth.* 19. Nosti mandata, hæc fac, & vives [quid me dicis bonum] Arguit eum, quia non confitetur eum Deum, vel Dei filium, non quia dicit eum bonum magistrum. Unde *Jo.* 13. Vos vocatis me magister, &c. Sequitur. *c* Nemo bonus] essentialiter, vel ex se, vel effective, vel perfecte. *d* Nisi solus Deus,] qui essentialiter, & ex se bonus est, quia sua bonitas est sua essentia, & non ab alio habet bonitatem, sed alii ab eo, & ideo ea se, & effective bonus est, & non alii, Item nihil mali, vel defectus, aut diminutionis est in ipso, & ideo perfecte bonus est, omnis autem creatura imperfectionem habet, & diminutionem, quare patet, quod solus Deus bonus est, ut diximus, essentialiter, ex se, effective, perfecte, & omne bonum ab ipso solo est tanquam rivulus a fonte, *Jac.*1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum.

e Mandata nosti,] enunciative, & interrogative potest legi. De notitia mandatorum quærit Dominus, ut satisfaciat interrogationi illius, quem interrogaverat. [Quid faciens vitam æternam possidebo?] q.d. notitia, & observantia mandatorum ducit ad vitam æternam. Unde *supr.* Hoc fac, & vives, *Prov* 4. Custodi præcepta mea, & vives. Et *inf.* Custodi ea in medio cordis tui, vita enim sunt invenientibus ea, & universæ carni sanitas. Hoc nescivit Hyppocrates. *Isa.*58. Scire vias meas volunt quasi gens quæ justitiam fecerit. In hoc etiam, quod quærit: Nosti mandata, innuit, quod debemus magis studere ad notitiam mandatorum, quam aliorum, quæ non sunt tam necessaria ad salutem, *Eccl.*3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutaris, sed quæ præcepit Deus, cogita illa semper.

f Non occides] manu, vel mente, vel beneficii subtractione. *Aug.* Pasce fame morientem, quem si non paveris, occidisti.

g Non mœchaberis] effectu, vel affectu. *Matth.*5. Dictum est antiquis. Non mœchaberis, ego autem, &c.

h Non furtum facies] rem alienam injuriose contrectando, non parentibus occulte subtrahendo, *Prov.* 28. Qui subtrahit aliquid a patre suo, vel a matre, &c.

i Non falsum testimonium dices,] *Prov.*19. Falsus testis non erit impunitus.

k Honora patrem tuum, & matrem] q.d. nosti hæc mandata? Vel remissive, [Honora patrem tuum, & matrem] reverendo, obediendo, subveniendo, *Eccl.*3. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore, & qui obedit patri, refrigerabit matrem. Item *eod.* Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi Dominis serviet his, qui se genuerunt. *Amb.* Primus gradus pietatis est iste: Nam hos auctores tibi voluit esse Deus, honora obsequiis, abstineas a contumeliis, quia nec vultu lædenda est pietas parentum. Est autem honor non solum honorificentiæ, sed & largitatis, quæritur, quare non hic ponit tria mandata † primæ tabulæ. Item quare non duo ultima de concupiscentia. Item quare converso ordine ponit hic quinque, quia primum de secunda tabula est: Honora patrem, &c. Ad primum dic, quod Dominus respondet ad interrogata quærentis. Quid faciendo, &c. non dicit: quid credendo, tria autem prima mandata plus sunt ad fidem, quam ad opera. Prætera, ut dicit *Matth.* 10. Iste adolescens erat, unde instruendus erat in activa. Ad secundum, quod duo ultima comprehendit sub secundo, & tertio posito, sc. Non mœchaberis, non furtum facies, &c. quia jam exposuerat *Matt.* 5. Qui viderit mulierem, &c. Ad tertium, quod lex vetus finaliter erat ad cohibendum manum servorum, nova principaliter ad informandum animum, & manum filiorum, & ideo hic ultimo ponit affirmativa mandata, quia & Matthæus ponit ultimo hoc: Diliges proximum tuum, &c. Et sic fit *Tob.* 4. Quod ab alio oderis fieri, &c. ut *Matth.*7. Omnia quæcumque vultis, &c.

l Qui ait: hæc omnia custodivi a juventute mea.] *Hier.* Mentitur. Si enim proximum suum diligeret sicut seipsum, non esset tristis, cum sua pauperibus dare juberetur. *Chrys.* Nativitas Judaici populi, exitus de Ægypto juventus ex tempore Moysis, in *Ps* 50. Deus docuisti me a juventute, & usque nunc, i. tempore Regum, & usque ad senectam. Et *infr.* donec annunciem brachium tuum, i. Christum.

m Quo audito,] i. ejus responsione accepta. *n* Jesus ait ei] Jesum congrue nominat, non Dominum, quia salvare vult. *o* Adhuc unum tibi deest] *Gl.* Ad perfectionem. Et distinguunt quidam hic perfectionem, sc. quæ congruit contemplativis, & claustralibus, & de hac dicitur hic. Sed Prælatis congruit animam pro ovibus ponere in articulo necessitatis, diaconibus, & sacerdotibus, qui non sunt Prælati, congruit, continentia, conjugatis habere vitam in patientia, & mortem in desiderio. Sed revera summa est perfectio, relinquere omnia, unde dicit. *p* Omnia, quæcumque habes] non partem. *q* Vende, & da pauperibus.] Da gratis, libere, libenter, non vende, non tarda, non tristare 2.*Cor.*9. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. *r* Pauperibus,] non divitibus, *Isa.* 58. Frange esurienti panem tuum *sup* 14. Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris. *s* Et] sic dando. *t* Habebis thesaurum in cœlo,] non in terra. *Chr.* Quid terræ tradis aurum? Videtur ne tibi terra dignior terræ dominatore? *Matt* 7. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi erugo, & tinea, i. invidia, & vana gloria demolitur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi, &c. *Isa.*45. Dabo tibi thesauros absconditos, *Deut.*33. Qui inundatione maris quasi lac sugent, &c. *Job* 22. Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos. *u* Et veni] credendo, sequere me] *Beda*. Non sufficit relinquere sua, nisi sequatur Dominum imitando. *x* His auditis contristatus est,] *B.Hilar.* Hæc est tristitia, quæ mortem operatur 2 *Cor.* 7. Hæ sunt spinæ, & tribuli, quæ semen Dei suffocaverunt, *Matth.*13. Lætitia cordis est, bonam conscientiam habere ad Deum, *Prov.* 15. Secura mens quasi juge convivium, &c. Et quare tristis erat.

Marginal notes: *Exod.* 20. *Matth.* 19. *Marc.* 10. — 14 q. 5. c. — al. † secundæ. — *Matth.* 19.

> *a* quia dives erat valde. *b* Videns autem Jesus illum tristem factum, *c* dixit: Quam *d* difficile, qui pecunias habent, in *e* regnum Dei intrabunt. *f* Facilius est enim camelum per *g* foramen acus *h* transire, quam *i* divitem intrare in regnū Dei,

a Quia dives erat valde,] *Beda*. Possidens cum amore. *Beda*. Facilius sacculus contemnitur, quam voluntas. Multi enim divitias relinquunt amore Dei, dolentes tamen, & flentes, licet enim proximum diligant, seipsos jure magis diligunt, & ideo suis usibus divitias potius † cupiunt quam aliis, quibus tamen totas distribuunt, monente Deo, quem sibi præferunt. Sic martyres carnem suam nimirum, quam diligunt, inviti martyrio tradunt, sed tamen propter Dominum tradere non dubitant. Unde: Euntes ibant, & flebant, &c. *b* Videns, &c.] ex responsione Domini, quam tamen quæsierat, & vera, & utilis erat. Sic multi consilium quærunt aliquando de statu suo, vel de vita, & cum datur eis sanum, & bonum consilium, contristantur, si non placet. De quibus dicit Salomon. *Prov.* 18. Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde suo. *Chrys.* dicit, quod iste adolescens significat laudatores Sanctorum, non imitatores. Multi enim commendant vitam justorum, sed nolunt vivere sicut justi. Sicut Balaam: *Num.* 23. Moriatur anima mea morte justorum, &c. *c* Dixit] Dominus, scil. *d* Quam difficile, &c.] i. cum amore possident, & in eis confidunt. *e* In regnum Dei intrabunt,] nec impossibile, sed difficile ait, quia difficulter divitiæ contemnuntur. Et si licitum sit divitias habere, sed non amare, tutius est tamen, & majus, nec habere, nec amare. *B. Bern.* Excusant se aliqui dicentes: Abraham, Isaac, & Jacob terrenas divitias habuerunt, sufficit esse sicut illi fuerunt. Quid respondebimus novis imitatoribus sanctorum veterum? Imponant vitulos super altare, & hircos immolent, hoc enim fecit Abraham, & patres, quibus meliores non sumus. Sed dicunt, ubi revelata est veritas, ista transiere. Quid igitur, si ipsas temporales divitias umbram fuisse dixerimus futurorum? Denique quid nisi terrena possident, quibus sola terrena promissa sunt? *Bed.* Difficile divitiæ contemnuntur, sed de omnibus tutius est, divitias nec habere, nec amare. Habere enim periculosum est, quia aditum regni reddit difficilem. Unde hic dicitur: [Quam difficile, &c.] Amare vero perniciosum est, quia aditum regni facit impossibilem. *Eccl.* 5. Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. 1. *Tim.* 6. Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli. Habere igitur, & amare divitias, malum est avari; non habere, & amare, malum est cupidi; habere, & non amare, bonum est sæcularium justorum: non habere, & non amare, bonum est claustralium perfectorum. Sequitur. *f* Facilius, &c.] hic [facilius] non ponitur comparative proprie, quia sic oporteret, ut res positivi conveniret utrique termino comparationis, sed alteri magis. Item non ponitur elective, quia sic oporteret, ut res positivi removeretur ab uno, & poneretur in alio. Ponitur igitur abusive. Unde sensus est [facilius,] i. minus difficile, i. minus impossibile. Unum enim impossibile aliquando videtur magis impossibile alio. Hoc enim potest ratione argui, ut cum magis impossibile sit hominem asinum esse, quam asinum esse equum, quia accommodatior est natura asini equo, quam natura hominis asino. Itaque cum impossibile sit camelum transire per foramen acus, & impossibile sit divitem, i. amatorem divitiarum, i. cum amore divitiarum in regnum Dei intrare, magis impossibile est hoc, quam illud, quia illud potest Deus facere, non lædendo justitiam, hoc nequaquam, imo non potest Deus facere, ut aliquis cum amore divitiarum intret, quia ad hoc, quod camelus intret per foramen acus, repugnat tantum natura, ad hoc autem, quod dives intret in regnum Dei, repugnat natura simul, & justitia, & culpa. Unde *B. Bern.* Camelus unum solum pondus habet, dives duo, unum terrenarum possessionum, aliud peccatorum. Primum in morte deponitur. Unde *Job* 1. Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. 1. *Tim.* 6. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. *Eccl.* 5. Divitiæ conservatæ in malum Domini sui, pereunt enim in afflictione pessima. Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic & revertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Exemplum de magno Saladino. Aliud pondus, velit, nolit, moriens retinetur, nisi ante mortem depositum fuerit per confessionem. Unde *Heb.* 12. Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, *Eccl.* 17. Ante mortem confitere, a mortuo enim quasi nihil perit confessio. Verumtamen hoc exponitur multipliciter. Est enim acus instrumentum, quo consuuntur vestes. Secundum hoc sensus est. [Facilius est, &c.] i. minus impossibile, ut prædictum est. Et dicit *Bed.* rationem *in Gl.* qui multiplicandis divitiis incumbunt, alterius vitæ gaudia contemnunt. *Greg.* Tum recte nos habuisse divitias ostendimus, cum ablatas æquo animo toleramus. *Chrys.* dicunt nobis Christiani, si noluisset nos Deus habere divitias, non creasset eas. Sol. Creavit ut haberentur, non ut haberent. *Ps.* 75. Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt, &c. *Chrys.* Dicunt nobis Judæi, si voluisset Deus legem contemni, non cum tanta diligentia tradidisset. Sol. Non vult contemni, sed intelligi spiritualiter. Item sicut dicunt quidam, & forte est verum, licet non sit authenticum, quod acus est quædam porta in Jerusalem, sic dicta propter parvitatem, & quia inferior erat omnibus, non poterant per eam cameli transire nisi exonerati. Et si vera est ista narratio, tunc proprie ponetur: Facilius.] Et est sensus. [Facilius est camelum per foramen acus,] i. per aperturam illius portæ [transire, quam divitem intrare in regnum Dei] facilius dicit, i. minus difficile, tamen possibile, quia camelus exoneratus, & inclinatus poterat transire per illam portam, oneratus nunquam: Sic dives deposito amore divitiarum, & humiliatus potest intrare in regnum Dei, aliter non. Et certe difficilius est divitem deponere amorem divitiarum, quam camelum exonerari. Item acus est Christus, ut dicit *Chrys.* Rectus ut acus, cujus prima pars subtilis est, & acuta, non perforata, sed perforans, & significat Divinitatem, quæ impassibilis est, posterior pars grossa est, & perforata, & significat humanitatem, quæ passa est. Hæc acus resarcivit tunicam nostræ immortalitatis, quæ in Adam scissa fuerat per peccatum, & dirupta. Hæc acus consuit carnem spiritui, & Judaicum populum gentili, & ruptam amicitiam Angelorum, & hominum copulavit. Unde *Exod.* 26. dicitur: quod cortinæ tabernaculi factæ erant opere plumario, i. acuali. Foramen hujus acus est passio Christi. Unde *Cant.* 2. Veni, columba mea; in foraminibus petræ. *Jer.* 48. Estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis. Et secundum hoc, sensus est.

f Facilius est camelum,] i. quemlibet se peccatis onustum reputantem. *g* Transire] in vitam æternam.

h Per foramen acus,] idest per fidem, & imitationem Passionis Christi. *i* Quam divitem,] i. spiritualibus divitiis se ambulare reputantem, vel de temporalibus superbientem, [Intrare in regnum Dei.] Juxta hanc expositionem per camelum intelligitur peccator, quia ei conveniunt proprietates cameli, quas ponit *Chrys.* In camelo enim gibbus videtur erectio, est autem depressio, *supr.* 14. Qui se exaltat, &c. Item dorsum est sella, & sarcinam tenet. *Ps.* 128. Supra dorsum meum fabricaverunt, &c. Item impossibile est collum erigere, cum vult, sicut possunt cetera animalia prona, *supr.* 13. Erat mulier, quæ habebat spiritum, &c. Item impossibile est erecto collo aspicere deorsum, &c. *Job* 6. Involutæ sunt. Item crura corpus excedunt in longinquum, & ita peccatores majora proponunt, quam sunt, & ita ut semper videantur esse majores, quam sunt, *Matt.* 24. Væ prægnantibus, &c.

Item semiplena est in eo munditia, quia ruminat. *Lev.* 11. *Job* 39. Terram ungula fodit. Item pes mollis est & amplectitur terram, non dissipat ut ungulata animalia, sed concordat, & sic per camelum potest intelligi quilibet peccator sicut dictum est, vel specialiter gentilis populus. Camelus enim habet membra enormia, & quandam gibbositatem, quæ in gentili populo vitiorum exprimit enormitatem. Foramen acus, arcta via, quæ ducit ad vitam. Unde secundum hoc est sensus. *f* Facilius, &c.] i. facilius est, gentilem populum se humiliare ad aggrediendum viam vitæ arduam, & angustam, [quam divitem,] i. Judæum de meritis gloriantem, vel divitem propter eloquia legis, & Prophetarum, ad salutem habendam humiliari. Item camelus in bono potest accipi. Illud enim animal humiliat se ad onera portanda, & si ponatur virgula super genu ejus, statim flectit genu. Camelus iste Christus est, sponte humiliatus ad suscipienda onera nostra. *Isa.* 53. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Foramen acus est angustia Crucis. Per acum enim pungitivam punctiones, & aculei passionis exprimuntur, per quam transivit Christus, ut nos transiremus post ipsum. *Mich.* 2. Dividet, & transibunt per portam, egredientur per eam, &

tran-

al. † rapiunt,

Matth. 19. Marc. 10 Psalm. 105.

E

transibit Rex coram eis. Juxta hoc sensus est. [Facilius est, &c.] i. facilius est, Christum pati, quam divitem converti ad Christum. Sequitur. *a* Et dixerunt, qui] hæc [audiebant] admirantes, & stupefacti. *b* Et quis potest salvus fieri?] Quia intelligunt Dominum divites appellare amantes divitias, aliter scientes plures esse pauperes, ideo hic quærunt: [Quis potest, &c.] cum fere omnes habent, vel amant divitias, *Aug.* Cum plures sint divites, quam pauperes, non hoc dixissent Apostoli, nisi in numero divitum intellexissent cunctos, qui divitias adipisci vellent.

Et *a* dixerunt, qui audiebant & quis potest *b* salvus fieri? Ait illis: *c* Quæ *d* impossibilia sunt apud homines, *e* possibilia sunt apud Deum. Ait *f* autem Petrus: *g* Ecce nos dimisimus omnia, *h* & secuti sumus te. *i* Qui dixit eis: Amen dico vobis; *k* nemo est, qui relinquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo futuro vitam æternam. *l* Assumpsit autem Jesus *m* duodecim, & *n* ait illis;

Matth. 19. Marc. 10.

c Ait illis, &c.] ut sc. per se a suis cupiditatibus divites convertantur. *d* Impossibilia.] *Chr.* Hoc dicit, ut bonitatis illius investigabile pelagus humana æstimatio non apprehendat, sed victa miretur. *e* Possibilia sunt apud Deum] cui nihil est impossibile, *sup.* 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. *Gen.* 18. Nunquid Deo quicquam est difficile? Sed objicitur. Divitem manentem, divitem salvari impossibile est apud Deum, & apud homines, divisim vero, impossibile est, & apud Deum, & apud homines. Sol. Apud homines impossibile est, ut dives pauper, & superbus humilis fiat, quia homo spiritus est vadens, & non rediens, sed apud Deum non est impossibile. Unde *Bed.* A cupiditate terrenorum ad charitatem æternorum Deus potest convertere, & superbos humiles facere, & sic potest divites salvare non manentes divites, sed qui fuerunt divites. *f* Ait autem Petrus, Ecce nos dimisimus omnia,] de divitibus dederat Dominus sententiam, quia facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitiarum amatores, regnum Dei intrare. Petrus e contrario, quia pauper erat, non de divitibus, sed de pauperibus vult audire sententiam, ut in utroque, i. in amatoribus divitiarum, & contemptoribus earum audiamus sententiam divinam. Sed quia Petrus quærit sententiam circa paucos, quia tantum circa discipulos, ideo de omnibus contemptoribus divitiarum pro Christo profert Dominus sententiam generalem, quia multo plura accipient in vita præsenti, & in futuro vitam æternam. Dicit ergo; *g* Ecce nos dimisimus omnia.] Quæ omnia? Navem, & retia tantum. Unde ergo jactat se Petrus? Respondeo, quia voluntatem habendi omnia dimisit, Unde confidenter dicit: Reliquimus omnia, quia cum pauca reliquisset Petrus, voluntatem omnium dimiserat. Unde *Greg.* Grandis fiducia, Petrus piscator erat, dives non erat, victum manu, & arte quærebat & tamen confidenter dicit: Nos dimisimus omnia. Super alium Evangelistam habetur in *Gloss.* Quod omnia reliquerat, & omnia sibi retinuerat. Illa omnia reliquerat, de quibus ait Salomon. Omne, quod est sub sole, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Illa omnia, sibi retinuerat, de quibus dicitur: quia Deus est omnia in omnibus. *Bern.* Recte, Petre, & non ad insipientiam tibi, quia currentem sequi non poteras oneratus, qui exultat ut gigas ad currendam viam. *Prov* 4. Currens non habebis offendiculum. Item *B. Bern.* Omnia reliquerunt Apostoli, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maxime. Plus enim mundi concupiscientia, quam substantia nocet. Et hæc fugiendarum divitiarum causa præcipua est, quia aut vix, aut nunquam absque amore valent possideri. Limosa enim, & glutinosa est substantia mundi, & cor humanum omnibus, quæ frequentat, facile adhæret. Felices tantum liquet esse, qui exonerati sunt, & sequuntur Dominum expediti. Arctissimum enim foramen nos expectat, & quem sequimur, si consequi volumus, per angustam portam ingredi necesse est, idest, per foramen acus, quod sarcinas non admittet. *h* Et secuti sumus te.] Hoc ideo additur, quia aliqui gentilium validius contempserunt terrena, quam Christiani, qui tamen non sunt Christum secuti, & ideo addit, quod est perfectius [Et secuti sumus te] i. gressu corporis, & affectu cordis, & imitatione operis, & assimilatione virtutis, quod perfectius est. Multi enim Philosophi divitias contempserunt, sed nihil profuit eis, quia non secuti sunt Christum, i. in virtutibus imitati. Ideo dicitur Petro: sequere me: *Joan. ult. Eccl.* 23. Gloria magna est sequi Dominum, *Jer.* 17. Ego non sum turbatus te pastorem sequens, *Joan.* 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Ideo dixit quidam *Matth.* 8. Domine, sequar te, quocunque ieris. *i* Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo, &c.] q. d. non tantum de vobis Apostolis loquor, sed de omnibus. Quia. *k* Nemo est, qui relinquit domum, &c.] Idest spiritualia, quæ plura sunt terrenis, non numero, sed merito, & dignitate. Est ergo sensus. Quicumque divitias temporales, & affectus carnales propter me dimiserit, multo plura recipiet in futuro, & etiam in præsenti. In præsenti quidem pro uno fratre carnali relicto recipiet multos fratres spirituales, qui verius diligunt, quam carnales, quia longe amplior est copula animarum, quam corporum, unde & liberius omnia sua sibi communicant, & ita pro una domu recipit multo plures, sicut patet in religiosis, quia omnia sunt justorum. Unde *Aug.* Habe charitatem, & omnia tua sunt. *1. Cor.* 3. Omnia vestra sunt, vos autem Christi. Item in præsenti recipitur pro temporalibus relictis prægustatio futuræ jucunditatis, quæ in centuplo plus valet, quam omnia temporalia. Unde *Marc.* 10. ait: Accipiet centies tantum nunc in tempore hoc. Et hoc est, quod dicitur *Gen.* 26. Seminavit Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum, benedixitque ei Deus, & locupletatus est. Item in futuro recipiet præmium gloriæ, multo majus merito, & melius omni re temporali, *sup.* 6. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam; & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. *Chrys.* Pater diabolus, mater ignorantia, fratres, & sorores socii, & sociæ erroris, hi relinquendi sunt, quia aliter non habetur vita æterna. *Matth.* 10. Qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus. Item *Chrys.* Allidne diabolus ex semine interdicti errores generat filios, & filias, & ita ager, professio, aut dignitas unde vivit. Sequitur. *l* Assumpsit autem, &c.] Quarta pars, in qua ostenditur, per quam viam venitur ad regnum, quia in præcedenti ostensum est, quales pertineant ad regnum, scil. pueri, idest innocentes. Via igitur, per quam venitur ad regnum, est passio Christi, per quam ipse ascendit. Unde *infr. ultim.* Nonne oportuit, Christum pati, &c. Hoc autem est generale in omnibus Evangelistis, post miraculorum magnificentiam, Passionis ignominiam, & post vitæ æternæ gloriam supponere, quod fit, ne discipuli subita Christi persecutione visa perturbati retro abirent. Et quia magis turbat dolor inopinatus animam, quam prævisus, & ideo sæpe eis prædicit. Sed quia idipsum sæpe dixerat generaliter discipulis, modo dicit specialiter duodecim, quos elegerat, tanquam secretarios. Dicit ergo [Assumpsit, &c.] idest, Salvator salvandi habens consuetudinem. *m* Duodecim] Apostolos, per quos universitas salvandorum designatur propter partes septenarii, idest tria, & quatuor, ex quibus surgunt duodecim, quibus Dominus revelat mysterium consilii sui, sicut dicitur *Joan.* 15. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus, vos autem dixi amicos, quia, &c. Unde sequitur hic. *n* Et ait illis] secreto, ut dicit *Matth.* 20. Propter quatuor. Primo propter vitandum scandalum pusillorum, qui de ejus passione cito possent scandalizari, sicut Petrus, qui audita ejus passione dixit ei: Absit, Domine, hoc a te: *Matth.* 12. Secundo propter exemplum, ut scil. tu veniens ad claustrum, non multis reveles, sicut insalutato, & ignorante Laban Jacob aufugit, *Gen.* 31. Unde *Eccl.* 37. Noli consiliari cum socero tuo, & a zelantibus te absconde consilium, omnis consiliarius prodit consilium, sed est consiliarius in semetipso. De hoc dicit *B. Bern.* loquens in persona mundi: Noli inquit præcipitanter agere, diu considera, diligenter intuere, magnum est, quod proponis, & opus habens magna deliberatione, experire, quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere contingat. Hæc est sapientia mundi, animalis, terrena, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis ejus, sc. quæ Deo solet vomitum provocare. Cum enim Dei verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus, quid ergo adhuc consilium præstolaris? Quis enim sapientior, & fidelior illo? Ab ore putei gehennæ eripior, & consilium petam? Amicum consular, qui non legit: Inimici hominis domestici ejus: *Mich.* 7. Tertio propter documentum, ut scilicet ostendat, quod non sint passim omnibus revelanda consilia. Unde *Eccl.* 6. Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi unus de mille. Quarto propter hypocrisim contemnendam, quæ cum vadit ad crucem, non secreto, sed publice hoc cunctis prædicat. Unde *Matth.* 6. Cum facis eleemosynam, &c. In hoc etiam, quod duodecim tantum hoc dixit, notatur, quod solis perfectis sunt

Eccl. 1. 1. Cor. 15.

18. q. 1. c. 1.

Matth. 20. Marc. 10.

Quarta pars.

a Ecce *b* ascendimus *c* Jerosolymam, *d* & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. *e* Tradetur enim *f* gentibus, & *g* illudetur, & *h* flagellabitur, & conspuetur. Et *i* postquam flagellaverint, occident eum, & *k* die tertia resurget. Et *l* ipsi nihil *m* horum intellexerunt. *n* Erat autem verbum illud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur: *o* Factum est autem, cum appropinquaret Jericho:

pandenda secreta. Per duodecim enim significatur perfectio. Est autem multiplex perfectio, sc. Prælationis, *Jo*: 15. Majorem hac dilectionem, &c. *Joan.* 10. Bonus pastor, &c. Item ordinis, *Exod.* 28. Feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ. Item professionis. *Heb.* 5. Perfectorum est solidus cibus. 1. *Cor.* Sapientiam loquimur inter perfectos. Item securitatis, *Phil.* 1. Cupio dissolvi, &c. *Pr.* 28. Justus, quasi leo confidens, &c. Item sufficientiæ, *Matth.* 5. Estote perfecti, sicut pater, &c. *Ps.* 10. Perfice gressus meos in semitis tuis, &c. Item cognitionis, 1. *Cor.* 13. Cum venerit, quod perfectum est, &c. Item comparationis, *Gen.* 6. Noe perfectus in generationibus suis. Item apprehensionis, *Job* 11. Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum omnipotentem reperies, *Psal.* 138. Imperfectum meum viderunt oculi tui, &c. Item naturalis, *Ezech.* 28. Perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti. *a* Ecce] In præsenti, contra differentes, *Eccl.* 5. Noli tardare converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.

Multiplex perfectio.

F

Matth. 20. Marc. 10.

b Ascendimus] spontanei, & sani, contra illos, qui differunt pœnitentiam usque ad mortem. *Eccl.* 39. Sapiens cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum. *Thren.* 3. Bonum est viro, cum portaverit jugum, &c. *In lib. Prosperi.* Remedia conversionis ad Deum nullis sunt cogitationibus differenda, ne tempus correctionis tarditate pereat. Qui enim pœnitenti indulgentiam promisit, dissimulanti diem crastinum non spopondit. *Chr.* Ascendimus, non trahimur, nemo enim vocat, nemo compellit. Igitur cum videris eum in Cruce pendentem, ne æstimes purum hominem, nam etsi posse mori est hominis, tamen velle mori non est hominis. *Isa.* 53. Oblatus est, quia voluit. *c* Jerosolymam,] quæ locus est Passionis, quam prædicit, ut ex præscientia intelligatur ejus divinitas, & minus timeatur prævisa adversitas. *Chrys.* Adversitas, quæ subito venit, nimium gravis est, quam vero præcognoscimus, & expectamus, levior invenitur. *d* Et consummabunt, &c.] *Isa.* 50. Corpus meum dedi percutientibus. *Jer.* 11. Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. Et arguuntur hic hæretici dicentes; Vetus Testamentum datum esse a Principe tenebrarum, judicantes auctorem Veteris Testamenti severum, & Moysen sanguinarium, & Christum, contrarium legi prædicasse, quia lex sine misericordia puniebat. Arguuntur etiam Pagani insultantes Christianis, & Deum eorum de temeritate arguentes, & si non peccaret, non veniret in Jerusalem, ubi occisus est, quasi non esset præscius suæ mortis. *e* Tradetur enim] a Judæis. *f* Gentibus,] Pilato, sc. & ministris Romanorum. *Gen.* 37. Fratres Joseph tradiderunt eum Ismahelitis. Et *Jud.* 16 Uxor Samsonis, idest, synagoga tradidit eum Philistæis. *g* Et illudetur,] *Chrys.* Deludunt verbum veritatis, qui simulant se sequi, & de eo disputant, sine timore Dei, non proposito inveniendæ veritatis, sed studio subvertendæ. Item *Chrys.* Traditus est Christus a Judæis gentibus, nunc etiam traditur ad deludendum. Christus enim verbum est veritatis. Et quando vides scripturas Prophetarum, & Evangelii traditas in manus falsorum sacerdotum, & scribarum, non intelligis, quia verbum veritatis traditum est Principibus iniquis, & Scribis? *Thren.* 3. Factus sum in derisum tota die, &c. *h* Et flagellabitur, & conspuetur,] *Isa.* 50. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. *Job* 30. *h* Longe fugerunt a me, & faciem meam conspuere non verentur. *i* Et postquam, &c.] *Chrys.* Verbum veritatis nisi statuat interficere cruce verbi mendacis. k Et tertia die resurget.] *Beda:* Ut tam cita resurrectio evacuet scandalum Crucis. *Os.* 6. Vivificabit nos post duos dies, & in tertia die suscitabit nos, i. suscitandos ostendet per resurrectionem. De hac materia habetur. *Matth.* 16. 17. 20. *Marc.* 8. 9. 10. *Supr.* 9. & hic. Et nota, quia dicuntur hic quinque illata Domino a Judæis, quæ usque hodie quasi continue inferuntur eidem in membris suis. Traditur enim, illuditur, flagellatur, conspuitur, occiditur, & hoc a summis Sacerdotibus. Traditur vero gentibus, cum regnum Ecclesiæ, seu gregis dominici traditur pueris, vel aperte malis. Unde conqueritur David. Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt, &c. Et Dominus ipse dicit: Traditus sum, & non egrediabar. Qui vero tradiderunt, dicit ipse Pilatus: *Joan.* 18. Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi. Postea illuditur, quia populus traditus eruditione fraudatur, & decipitur, non solum ab hæreticis, qui invitant Ecclesiam propter defectum, & negligentiam Prælatorum, sed etiam ab ipsis prælatis. *Jer.* 50 Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos, 2. *Pet.* 3. Venient in novissimis diebus illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes. *Prov.* 3. Illusores ipse deludet, &c. Deinde vero flagellatur Dominus, quia populus angariis, & injuriis opprimitur undique. Unde *Ps.* 37. Ego autem in flagella paratus sum, Et alibi. *Ps.* 72. Et fui flagellatus tota die, &c. Postea conspuitur, quia cultus ejus vilipenditur, & cultores ejus, si qui boni sunt, ubique confutantur, *Job* 30. Faciem meam conspuere non verentur. Ibi *Gloss.* Faciem ejus conspuere, est justos etiam in præsentia confutare, & in eorum contumelias verba fluxa, quasi fluentes salivas, mittere. Et postmodum occiditur, quia charitas populi per malum exemplum majorum perditur, & fides perverso dogmate corrumpitur. Deus autem charitas est, 1. *Joan.* 4. Et fides in corde tuo, Christus est in corde tuo, & ita Christus occiditur, cum charitas, & fides in populo perditur. *l* Et ipsi] sc. Apostoli,

m Nihil horum intellexerunt.] tunc: Et assignatur triplex causa in *Gloss.* quare non intellexerunt. Prima est, quia adeo tenerrime eum diligebant, ut nec eorum aures mortem ejus audire sustinerent. Secunda, quia Deum esse credebant, & ideo vix poterant credere eum moriturum. Tertia, quia putabant eum loqui parabolice, juxta morem regionis.

n Erat autem, &c.] Ubicumque enim aliquid de sua Passione loquebatur Dominus, ipsi putabant dictum allegorice, seu parabolice. Unde *Beda*: Quem maxime videre desiderant, ejus mortem audire non poterant. Judæi vero bene intelligebant eum, quia hoc dicebat, quod ipsi facere cogitabant. Sequitur: *o* Factum est autem, &c.] Hic prætermittit Lucas de petitione matris filiorum Zebedæi, quæ putans Dominum statim regnaturum in terra, petiit, ut duo filii ejus sederent juxta ipsum, unus ad dexteram, & alius ad sinistram. Hoc autem habetur. *Matth.* 20. Et *Marc.* 20. Qui e contrario prætermittunt ingressum Domini in Jericho, & cæci illuminationem, & progressum per Jericho, & Zachæi vocationem, seu conversionem, quod Lucas hic determinat. Prætermittit autem Lucas curationem duorum cæcorum in exitu de Jericho, quod, Matthæus, & Marcus ponunt. Marcus tamen de uno facit mentionem, quia famosior erat. In canone tamen Marcus, & Lucas conveniunt in illuminatione cæci. Sed hoc dicitur propter similitudinem operis, non propter identitatem. Quare autem Dominus venerit in Jericho, dicit *Hier.* quia scilicet multi latrones erant in Jericho, qui homines descendentes a Jerusalem in Jericho interficiebant, vel vulnerabant, & ideo Dominus venit Jericho, ut vulneratos sanaret, & multam turbam secum traheret, quod & fecit, sicut narrat *Matth.* 20. & *Marc.* 10.

Mystice.

Mystice. Per Jericho significatur mundus, qui sicut Luna mutatur 1. *Cor.* 7. Præterit figura hujus mundi. *Eccl.* 27. Stultus ut Luna mutatur, idest, mundus. Per cæcum significatur genus humanum, quod per peccatum Adæ utrumque oculum amisit, jacens in tenebris culpæ & ignorantiæ. Jesus autem venit Jericho, quando Christus factus est homo. Et tunc cæcus illuminatus est, quia genus humanum fidei cognitionem recepit. Unde *supr.* 2. Nunc dimittis servum tuum, &c. Et in hoc docuit Dominus Prælatum descendere usque ad defectus & miserias sustinendas pro salute infirmorum. Hoc autem notabile est, quod Dominus in introitu Jericho unum solum sanavit, in exitu vero duos, quia plures post ascensionem, & egressum a mundo sanavit, quam ante. Et hoc est, quod dicitur:

o Factum est autem, cum appropinquaret Jericho:] Jesus, scilicet, idest, veniret in mundum in se humanos suscipiens defectus, hoc enim sonat Jericho, i. Luna, quæ semper est mutabilis. Sic & tu appropinqua Jericho, idest, teipsum humilia, & annichila propter ipsum. *Phil.* 2.

Hoc

Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cum, &c.

a Cæcus quidam,] i. genus humanum, vel peccator quilibet veræ cognitionis lumine carens, & tenebras culpæ, & ignorantiæ patiens.

b Sedebat] terrenis amore inhærens. Cæcus vero dicitur proprie, aptus natus videre, non videns. Lapis enim non dicitur cæcus, etsi non videat, sic laicus proprie non debet dici cæcus, sed clericus. *Isa.* 42. Quis cæcus, nisi servus meus? *Matt.* 15. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum, 2. *Petr.* 1. Ministrate in fide virtutem, &c. Cui non præsto sunt hæc, cæcus est.

G *Matth.* 20. *Marc* 10. *De pend. ist. D. c. ...*

a cæcus quidam b sedebat c secus viam, d mendicans. Et e cum audiret turbam prætereuntem, f interrogabat, quid hoc esset. g Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. Et h clamavit dicens: i Jesu fili David, miserere mei. Et qui k præibant, increpabant eum, ut taceret. l Ipse vero multo magis clamabat, Fili David, miserere mei.

c Secus viam.] *Chrys.* Juxta veritatem. Unde *Bed* Cæcus sedet secus viam, dum incipit credere in ipsum, qui dicit: Ego sum via, veritas, & vita. *Joan.* 14.

d Mendicans,] i. rogans. Qui iden rogavit, quia cæcitatem, & paupertatem suam cognovit. Multi enim sunt cæci, & pauperes, & superbi, qui mendicare erubescunt, quia seipsos non cognoscunt, *Apocal.* 3. Dicis, quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, &c. *Eccl.* 25. Tres species odivit anima mea, & aggravor valde animæ illorum. *Joan.* 9. Si cæci essetis, i. vos esse cæcos cognosceretis, peccatum non haberetis, nunc autem, quia dicitis, videmus, peccatum vestrum manet. [Mendicans, &c.] Nota, quia antiqui pauperes non erant ita importuni, sicut moderni, qui ore silebant, & manu dicebant, unde dicebantur mendici, quasi manu dicentes.

e Et cum audiret turbam prætereuntem,] quæ sequebatur Jesum, quidam ut miracula nova viderent, idest curiosi, quidam ut observarent, ut malitiosi, quidam ut de panibus manducarent, i. mercenarii, quidam ut sanarentur, quorum alii boni, alii mali, quidam ut docerentur, ut discipuli, quidam ut obsequerentur, ut religiosi. Omnis autem hæc turba sequens, bonitati, & studiositati ejus attestatur. Unde *Chrys.* Testimonium studiosi agricolæ est messis foecunda, & assidui Doctoris signum Ecclesia plena. *Prov.* 14. Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est, ubi autem apparent plurimæ segetes, manifesta est fortitudo bovis. Item in *eod.* In multitudine populi dignitas Regis, &c.

f Interrogabat, quid hoc esset,] quia scire desiderabat, Multi sunt, qui nunquam interrogant. Quare? Quia scire non curant. Boni discipuli signum est libenter interrogare. *Eccl.* 6. In multitudine Presbyterorum prudentium sta, &c.

g Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret,] cujus odorem senserat, sed non viderat. Nazarenus enim interpretatur floridus, *Cant.* 2. Ego flos campi, i. rosa, quæ crescit in Jericho, *Eccl.* 24. Et quasi plantatio rosæ in Jericho. *Chrys.* Rosa antequam videatur, sentitur. Notandum autem est, quod dicitur Jesus transire. Et revera multis transit, quia tempus salutis, sine salute transit eis. Propter quod dicit Apostulus. *Cor.* 6. Ecce nunc tempus acceptabile, &c.

h Et clamavit dicens, &c.] *Chrys.* Nihil solutum habebat, nisi vocem, & ideo, qui pedibus non potest, voce sequitur:

i Jesu fili David, miserere mei.] *Ambr.* Homo pro hominibus factus, miserere hominis.

k Et qui præibant, increpabant eum, ut taceret, ipse vero multo] *Bed.* Qui Jesum venientem præunt, significant tumultus carnalium desideriorum, vel suggestionum dæmonum, vel turbam persecutorum. Secundum *Ambr.* Quæ mentem hominis sæpe perturbant, & orationem impediunt, ne a Domino audiatur. *Thren.* 3. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. *Isa.* 59. Peccata vestra diviserunt inter vos, & Deum vestrum, & absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. Et hoc est, quod dicitur hic [Increpabant eum, ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat.]

Moraliter. Moraliter etiam juxta litteram, præeuntes, & pauperem increpantes, sunt mundi sapientes, & collaterales magnatum, qui pauperes fugant, & prohibent, ne ante dominos suos appareant, vel aliquid ab eis petant. Unde

Chrys. Fatua sapientia hominum existimat injuriam pati magnos viros, si a pauperibus honorentur. Quis enim pauper audet divitem publice salutare?

l Ipse vero multo magis clamabat, Fili David, miserere mei.] *Chrys.* Talis est natura fidei, quanto plus vetatur, eo magis accenditur, propter quod servi Dei in persecutionibus non vincuntur. Et *inf.* Virtus fidei in periculis secura est, in securitate periclitatur. *Amb.* Oportebat tandiu clamare, donec resistentis sibi turbæ strepitum vinceret, idest, tam perseveranter orando, pulsando intendere, quousque consuetudinem desideriorum carnalium, & ipsorum hominum carnalium turbam, studia spiritualia impedientem, fortissima intentione superaret.

m Stans autem Jesus n jussit illum adduci ad se. Et o cum appropinquasset, interrogavit illum dicens: Quid tibi vis faciam? At p ille dixit: Domine, ut q videam: Et r Jesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit. Et s confestim vidit, & sequebatur illum t magnificans Deum, Et u omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

m Stans autem Jesus.] Nota, quia transeundo audit, stando sanat, per quod significatur, quia secundum naturam, quæ fuit in motu, & in transitu, i. naturam humanam, quæ fuit subjecta mutabilitati, nobis compassus est, secundum eam vero naturam, in qua manet stabilis, nos sanat, i. nobis gratiam præstat. Unde *Beda.* Jesus transiens cæcum audit, &c.

n Jussit illum adduci ad se.] *Hier.* Quia cæcus sequi non poterat, stat Dominus, & vocari jubet, ne turba prohibeant. Sic debent facere magnates, stare scilicet, & vocare ad se pauperes, ut audiant eorum querimonias, & faciant justitiam. *Eccles.* 4. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, idest, justitiam, vel eleemosynam, & responde pacifica in mansuetudine.

o Et cum appropinquasset, interrogavit illum, dicens, quid tibi vis faciam?] Non ex ignorantia quærit, sed ideo ut rogetur, ut mentem ad orationem excitet.

Item *Ambr.* Interrogat, ut credamus, non nisi confitentem posse salvari. Et est argumentum, quod non sufficit cordis contritio, nisi addatur oris confessio. Et verum est, si quis tempus habet. *Chrysost.* O Domine, quid interrogas, quod ipse oculis vides. Infirmitas clamat, quid vocem perquiris? Respondet: Non quæro propter passionem, sed propter fidem. Tu, Domine, occultorum es cognitor, & nescis? Scio, sed volo, ut procedat, & confiteatur, *Rom.* 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio, fit ad salutem.

p At ille dixit: Domine, ut videam.] *Chrys.* Modo non dicit: Fili David, sed Domine, q. d. filius David cæcos illuminare non potest, filius autem Dei potest. Ideo interrogo, quid vis? Tunc ille dixit, non fili David, sed Domine, volo, ut videam. Quamdiu dixerat, fili David, suspensa est sanitas, mox ut dixit: Domine, infusa est.

q Ut videam] lumen cœli, sine quo nemo gaudet, *Tob.* 5. Quale gaudium erit mihi, qui lumen cœli non video? *Eccl.* 11. Dulce lumen, & delectabile oculis videre solem.

r Et Jesus dixit ei: Respice, fides tua te salvum fecit.] *Act.* 15. Fide purificans corda eorum.

s Et confestim vidit, & sequebatur illum.] *Chrys.* Bonum munus obtulit Christo. Quale? Sequebatur eum.

t Magnificans Deum,] *Psalm.* 33. Magnificate Dominum mecum, *Ecclesiast.* 43. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis, major est enim omni laude.

u Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo] congratulans sanitati cæci. Unde patet, quod compatiebatur infirmitati illius. *Rom.* 12. Gaudere cum gaudentibus, &c. Vel etiam Deum laudabat pro magnitudine fidei sibi inspiratæ, cujus merito impetravit lumen, &c.

EXPOSITIO CAP. XIX.

ET ingressus, &c.] Historia continuatur, ut patet. Continentia vero cap. talis est. Tres sunt partes cap. in prima ostenditur, quod camelum transire per foramen acus, i. habentem divitias intrare in regnum cœlorum, est possibile apud Deum, licet impossibile sit apud homines, per exemplum Zachæi, qui recepto Domino in domo sua, divitias male acquisitas restituit, & residuum in eleemosynas dedit, & ita camelus gibbum deposuit. In secunda parte ostenditur per parabolam nobilis, & servorum plus placere Deo pœnitentia peccatorum, quam militia superborum, ibi [Hæc illis audientibus.] In tertia parte agitur de ascensu Christi in Jerusalem super asinam, quam sibi duo discipuli de itinere missi adduxerunt, & de ejectione ementium, & vendentium de templo, ibi [Et his dictis, &c.] In prima igitur parte hujus cap. divites ad restitutionem, & pœnitentiam invitantur, exemplo Zachæi, qui justus consilio, vel justificatus festinans interpretatur. Nam qui consilio Domini credit, festinat justificari. *Eccl.* 5. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Dicit ergo: *a* Et ingressus perambulabat,] In Græco transibat.

C A P. XIX.

ET *a* ingressus perambulabat *b* Jerico. Et *c* ecce vir nomine Zachæus, & hic erat Princeps Publicanorum, *d* & ipse dives. Et *e* quærebat videre Jesum, quis esset, & non poterat præ turba, *f* quia statura pusillus erat, Et *g* præcurrens *h* ascendit in arborem sycomorum, ut *i* videret illum, *k* quia inde erat transiturus. Et cum *l* venisset ad locum, *m* suspiciens Jesus vidit *n* illum, *o* & dixit ad eum: Zachæe, festinans descende, quia *p* hodie in *q* domo tua oportet me manere.

b Jericho,] i. per Jericho ambulabat. Est autem Jericho urbs, quam Jordane transgresso subverterunt Judæi, *Josue* 6. Rege ejus interfecto. Pro qua extruxit aliam Aniel de Bethel 3. *Reg.* 16. quam Dominus sua præsentia, ut hic dicitur, illustravit, quam etiam postea Romani subverterunt. Pro qua etiam ædificata est tertia, quæ usque hodie manet, ubi utriusque urbis destructæ vestigia cernuntur, & significat mundum, quem perambulavit Dominus, ut & tu perambules, non adhæreas per amorem. *Isa.* 52. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus. Si ita facerent salvatores, i. Prælati, & prædicatores mundi, divites sequerentur eos. Unde *Isa.* 45. Viri sublimes ad te transibunt, tuique erunt, & post te ambulabunt.

c Ecce vir nomine Zachæus, & hic erat princeps publicanorum.] Qui publica vectigalia recipiebant, & mundi lucra sectabantur per fas, & nefas.

d Et ipse dives.] Ergo iniquus. *Aug.* Omnis dives, vel iniquus, vel iniqui hæres. *Eccles.* 11. Si fueris dives, non eris immunis a peccato. Peccat enim omnis dives, vel male acquirendo, vel male retinendo, vel male erogando.

e Et quærebat videre Jesum, quis esset, & non poterat præ turba.] Nota turba impedit languidum, ne sanitatem recipiat, *Joan.* 5. Item increpat cæcum, ut taceat, *sup.* 18. *Matth.* 20. Item paralyticum excludit, ne ante Jesum veniat, *Marc.* 2. Item parentes retardat, ne Jesum adeant, *Marc.* 3. Item puellæ mortuæ suscitationem procrastinat, *Matth.* 9. Item cæci illuminationem prorogat, *Marc.* 8. Item Jesum in Regem rapere laborat, *Joan.* 6. Item Jesum affligit, & comprimit, *sup.* 8. Item Zachæo obstat ne Jesum videat, ut hic.

f Quia statura pusillus erat.] *Gl.* Non malitia, sed fide. 1. *Cor.* 14. Malitia parvuli estote, non sensu.

g Et præcurrens] *Eccl.* 32. Præcurre prior in domum tuam, & illic advocare, &c.

h Ascendit in arborem sycomorum.] Nota, quia sycomorus ficui similis est in trunco, in ramis, in omnibus, exceptis foliis, in quibus est ficui dissimilis, & moro similis. Unde sycomorus dicitur, quasi ficus morus. *Josephus* tamen dicit, quod & probabile est, quia arbor ista dicitur sycomorus, i. ficui, & moro similis, sed ex vitio Scripturæ inolevit, ut dicatur sycomorus, & Latine dicitur celsa. Nam sycomorus Græcum est, & interpretatur ficus fatua. Sycos Græce, ficus, moros, fatuus. Sycomorus autem moro similis est in foliis, sed altitudine præstantior, equos præservans, ne infundantur, mollis, & infructuosa, & interpretatur ficus fatua, & significat Crucem, quæ ut ficus dulciter pascit. Unde *Gal.* 6. Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, sed sicut ficus fatua deridetur. *Job* 12. Deridetur justi simplicitas. 1. *Cor.* 1. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis, quidem scandalum, &c.

Amos 7. Vel sycomorus est rubus afferens mora, quæ pastorum famem depellunt, & folia ovium pecorum.

Hanc sycomorum ascendit Zachæus pusillus, idest, humilis Christus. *i* Ut videret illum,] i. videri faceret, & nobis de fructibus ejus daret; *Cant.* 7. Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus. Item sycomorus pœnitentiam, vel religionem significat, quæ revera est ficus, quia dulcis, sed fatua reputatur. *Amos* 7. Armentarius ego sum vellicans sycomoros, *Isa.* 9. Sycomoros succiderunt i. humiles religiosos, sed Cedros immutabimus, i. nobiles, & superbos. Hanc autem immutationem facit abundantia temporalis. Unde 2. *Paral.* 9. Tantam copiam argenti præbuit Salomon in Jerusalem, quasi lapidum, & Cedrorum tantam multitudinem, velut sycomorum. Hanc sycomorum ascendit Zachæus pusillus, idest, religiosus humilis, ut inde videat Jesum, i. vitam consequatur æternam, quæ consistis tota in visione Jesu, *Joan.* 17. Hæc est vita æterna, &c. Ascenditur autem ad hanc sycomorum tribus gradibus. Quorum primus est abrenuntiatio propriæ voluntatis, quod facit votum obedientiæ. Secundus est abrenuntiatio proprietatis, quod facit votum paupertatis. Tertius est promissio omnimodæ castitatis, quod facit votum continentiæ. Sed hos præcedunt alii tres gradus, quos oportet prius ascendere. Quorum primus est contemptus sui. Secundus est oblivio parentum. Tertius est odium mundi. Unde Abrahæ dictum est. *Gen.* 12. Exi de terra tua, i. carne tua, hic est primus gradus, & de cognatione tua, hic est secundus, & de domo patris, tui, i. mundo, hic est tertius, & vade in terram, quam monstravero tibi, i. in religionem. Hi sunt sex gradus, quibus ascenditur ad thronum Salomonis, 3. *Reg.* 10. Tronum fecit sibi Rex Salomon de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus.

k Quia inde erat transiturus.] Forte arbor non erat in via, sed causa evitandi turbam, sicut sæpe facimus, divertis Dominus per agrum, & Zachæus hoc noveras. Hoc est: [Inde erat transiturus,] i. ex illa parte, ubi erat sycomorus. In quo significatur transitus de Judæis ad gentes, vel de mundo ad patrem per Crucem, seu pœnitentiam, seu religionem mediam. Hæc est scala, quam vidit Jacob, *Gen.* 28. quæ attingebat a terra usque ad cœlum. *l* Et cum venisset ad locum,] ad quem sæpe venit Jesus, quotiescumque sc. claustralibus, vel pœnitensibus sui præsentiam, vel prægustationem concedis. *Jo.* 18. Egressus est Jesus trans torrentem Cedron, ubi eras hortus, in quem introivit ipse & discipuli ejus: Sciebat autem Judas, qui tradebat eum locum, quia Jesus frequenter convenerat illuc cum discipulis suis. 4. *Reg.* 4. Animadverto, quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter, faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. Cœnaculum parvum est religio humilis, de quo *Act.* 1. Cum introissent in cœnaculum, ascenderunt superiora, ubi, &c. Lectulos est quies contemplationis, de quo *Cant.* 1. Lectulus noster floridus. Mensa est refectio lectionis, de quo *Ps.* 22. Parasti in conspectu meo mensam, &c. *Is.* 21. Pone mensam, contemplare in specula. Item in hoc lectulo cubat Dominus, & in hac mensa comedit. Unde *Cant.* 1. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi cubas, ubi pascas in meridie. Sella est discretio judicii. *Prov.* 20. Rex qui sedet in solio judicii, intuitu suo dissipat omne malum. Candelabrum est illuminatio fidei, de quo *Zach.* 4. Vidi, & ecce candelabrum totum aureum, & lampas super caput ejus, i. charitas, & septem lucernæ super illud, idest, septem opera misericordiæ. Ubi hæc quatuor sunt, illuc libenter, & frequenter venit, & manet Dominus. *m* Suspiciens Jesus,] idest, sursum aspiciens. *n* Vidit illum,] a terrenis elevatum, ad celestia suspensum. *Job* 7. Suspendium elegit anima mea. *o* Et dixit ad eum, Zachæe festinans descende] qui ascendisti a contemplativa ad activam. *Eph.* 4. Qui descendit ipse est, & qui ascendit, &c. Item descende a consideratione divinorum ad considerationem tui. *Jer.* 18. Surge, descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. *p* Quia hodie,] idest, tempore gratiæ. *q* In domo tua,] idest, in mente tua [oportet me manere.] Domine Deus meus, quam pulchre oporteret ornare, & præparare domum, in qua oportet recipi regem gloriæ, *Psalm.* 91.

Psal 91. Domum tuam, Domine decet sanctitudo, i. sanctitatis assuetudo. Sed quomodo recipiet talem hospitem in domo sua, qui nunquam habitat in ea? aut quomodo veniet hospes talis in domum non præparatam, aut in qua non est Dominus hospitii? Multi etiam recipiunt Dominum in domo sua, qui postea turpiter ejiciunt eum, vel nihil dant ei comedere, vel bibere; unde oportet eum exire. Unde *sup.*7. Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, &c.

Et *a* festinans descendit, & *b* excepit illum gaudens. Et cum *c* viderent, omnes murmurabant, dicentes: quod ad hominem peccatorem divertisset: *d* Stans autem Zachæus dixit ad † Dominum: *e* Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait *f* Jesus ad eum: Quia hodie *g* salus domui huic facta est, *h* eo quod & ipse *i* filius sit Abrahæ.

(*Mystice.* B) (a 1. † *Jesus.*) Mystice. Per Zachæum significatur populus gentilis, per domum ejus, Ecclesia de gentibus, in quam intravit Dominus synagoga relicta. Unde *Matth.* 23. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. *a* Et festinans descendit.]

(*Mystice.*) Mystice. Hujus descendere, & ascendere est gentilis populus, qui erat in arbore, i. in fide crucis, & a fide crucis ad fidem Resurrectionis, & Ascensionis venit; unde ait Apostolus 2. *Cor.* 5. Et si novimus Christum secundum carnem, i. passibilem, & mortalem, sed [pro tamen] jam non novimus, quasi ante Passionem passibilem eum novimus, & mortalem, sed post Resurrectionem immortalem, & impassibilem, & ita de fide Crucis processimus ad fidem Resurrectionis, de fide mortalitatis, ad fidem immortalitatis. *b* Et excepit, &c.] 2. *Cor.* 9. Hilarem datorem diligit Deus, &c.

(Recipitur Dominus in domum.)

- Materialem, in membris. *Matth.* 25. Hospes fui, &c. *Isa.* 58. Egenos, vagosque induc in domum tuam.
- Religionis. *Psal.* 92. Domum tuam Domine decet sanctitudo. Item *Psal.* 47. Deus in domibus ejus cognoscetur.
- Quomodo? per hospitalitatem. Domino non præsente nihil datur famulis, etiam per ministros ejus.
- Templum. *Isa.* 56. domus mea domus orationis vocabitur. *Ps.* 25. Domine, dilexi decorem domus tuæ.
- Cor hominis. 1. *Cor.* 6. An nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti?
- Animæ. *Sap.* 7. In animas sanctas se transfert, &c.
- Conscientiæ. *Prov.* 9. Sapientia ædificavit sibi domum, &c.
- De hac ejicitur litigiosa mulier, &c. *Prov.* 27. & 19.
- Gloriæ. *Joan.* 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt, &c.

c Et cum viderent, &c.] *Matth.* 9. Videntes Pharisæi, dicebant discipulis ejus, quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester? *August.* Unus malus numeratur inter Apostolos, ut discamus malos tolerare, ne corpus Christi dividamus. *Bed. in Gl.* Manifestum est, Judæos semper gentes odisse, vel non intellexisse salutem. Unde & adversus Petrum dicitur, quare introisti ad gentes præputium habentes? *Act.* 11. Hoc dictum est Petro a Christianis, qui conversi erant de Judæis. Ex hac *Gloss. Bed.* volunt quidam, quod Zachæus fuit gentilis.

d Stans autem Zachæus dixit ad Dominum. Ecce, &c.] Stans, i. in bono, quod cœperat firmiter, persistens, non turbatus ex calumnia Judæorum, qui eum vocaverunt peccatorem. Sic quilibet vere pœnitens non cadit, sed stat ad contumelias, imo gaudet ex ipsis. *Act.* 5. Ibant Apostoli gaudentes, &c. Sic David non cecidit ad verba contumeliosa Semei. Unde 2. *Reg.* 16. Dimittite, ut maledicat mihi: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David, &c. Et *infra*, Dimittite eum, &c. Nota *Gloss. Bed.* Aliis calumniantibus hominem peccatorem, ipse Zachæus stans, i. in ea, quam cœperat, fidei veritate persistens, non solum se ex peccatore conversum, sed etiam inter innocentes probat conversatum, cum etiam ante conversionem innocenter vixit, &c. Istud plane falsum videtur, & obloqui Glossis præcedentibus, sed de Zachæo dicitur, quia multos defraudavit, sicut ex Glossis præcedentibus haberi potest. Sol. Intellige duplicem conversionem Zachæi, scil. primam, quando dimidium bonorum, &c. & defraudata restituit. Secundam, quando Domino penitus adhæsit, inter quas aliqua mora intercessit. Quod ergo dicitur, ante conversionem innocenter vixisse, de omnimoda conversione intelligendum est. Antequam enim Domino penitus adhæreret, & in collegio discipulorum ambularet, innocenter vixit, scil. ex quo primo conversus est ad Dominum, & vovit, quod dimidium bonorum daret, & fraudata restitueret. In *Glos.* enim dicitur, quod relictis omnibus secutus est Christum.

e Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.] Ad litteram, dimidiam partem bonorum suorum pauperibus dedit, & ablata, sive defraudata secundum legem in quadruplum restituit, postea, ut tradunt, secutus est Dominum, & fuit in collegio discipulorum. Notatur autem hic quadruplex conditio pietatis, scil. utilitas, celeritas, largitas, dignitas. Utilitas per evidentiam demonstrationis significatæ per hoc adverbium. [Ecce] Debent enim opera pietatis, sic fieri propter Deum, ut sint in exemplum aliis. Unde *Matth.* 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Celeritas notatur per hoc, quod dicit. [Do] non dabo. *Prov.* 5. Ne dicas amico tuo, vade, &c. *Eccl.* 4. Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti. Largitas notatur per hoc, quod dicit [Dimidium bonorum meorum.] *Tob.* 4. Si multum tibi fuerit, &c. *Matth.* 19. Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.

Et nota, quod dicit [bonorum] contra illos, qui dant pauperibus deteriora.

Item [meorum] non aliorum, contra usurarios, & raptores, & clericos, qui etiam ea, quæ Christi sunt, nolunt ei dare. *Proverb.* 3. Honora Dominum Deum tuum de tua substantia, &c. dignitas pietatis notatur in hoc, quod dationem præponit redditioni: Prius enim est reddere male acquisitum, & deinde dare residuum pauperibus.

Item ut notet, pietatem excellere justitiam, prius dixit: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & postea addit: Et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. *Jacob secundo.* Misericordia superexaltat judicium. Quadruplum autem reddere se promittit, ponens finitum pro infinito, idest, multo plus.

In quo notatur, quod plura possidebat juste acquisita, quam injuste. Vel forte ideo dicit quadruplum, quia lex dicit: Si quis furatus fuerit ovem, reddat quatuor. *Exod.* 22. Sed dicitur *Proverb.* 6. Non est grandis culpa, si quis furatus fuerit, supple respectu adulterii, furatur enim, ut esurientem repleat animam, deprehensus quoque reddet septuplum. Sed glossandum est, septuplum, idest, perfecte. Vel forte secundum temporum, & morum varietates variæ dabantur leges. Tempore Moysi pro una ove jubentur reddi quatuor, sed quia fures invaluerunt tempore Salomonis, præcepit pro una re furata reddi septem.

(*Moraliter.*) Moraliter autem quadruplum reddit, qui a Deo petit veniam, orando, & confitendo, & læso satisfacit ablatum restituendo, & veniam postulando, & seipsum punit, atque justificat pro peccato, quod fecit, jejuniis, & vigiliis, & similibus affligendo.

Item proximum, quem facto suo scandalizavit, pacificat, & reducit per eleemosynas, & alia bona publice faciendo.

f Ait Jesus ad eum, quia hodie,] idest, in tempore gratiæ.

g Salus huic domui facta est.] Videtur esse pleonasmos in hoc, quod dicitur [quia] sed supple, & non erit pleonasmos, ut dicas verum, vel manifestum est, [quia hodie, &c.] propter hoc verbum legitur hoc Evangelium in dedicationibus Ecclesiarum. Unde Salomon in dedicatione templi, dixit: Si quis cognoverit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac, ut exaudies in cœlo. 3. *Reg.* 8.

h Eo quod & ipse,] sc. Dominus domus. Et est pondus in verbo, q.d. ipse qui fuerat peccator, ut intelligas per hoc, quod non solum perseverantes in justitia, verum etiam recenter justificati, filii promissionis sunt. *i* Filius sit Abrahæ.] *Bed.* Non carne, sed fide, quia sicut Abraham jussu Dei patriam ob spem futuræ hæreditatis deseruit: *Gen.* 12. Sic & iste, qui thesaurum in cœlo acquirit spe: *Matth.* 6. *Rom.* 9. Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes sunt filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen, idest, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii promissionis sunt, æstimantur in semine. *Joan.* 8. Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.

(*Mystice.*) Mystice. *Bed.* Salus, quæ olim domus Judæorum implebat, hodie, i. in tempore gratiæ populo gentium illuxit, eo quod & ipse populus credendo sit Abrahæ filius.

a Venit enim] *Bed.* Etiam murmurantibus sua mysteria non dedignatur exponere, qui propter pœnitentiam peccatorum suscipiendam maxime ipse venerit in terram, ubi & se appellat filium hominis, ut insinuet nobis dispensationem suæ pietatis. *Matth.* 9. Non veni vocare justos, sed peccatores.

a Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere, quod *b* perierat. *c* Hæc *d* illis *e* audientibus, *f* adjiciens dixit *g* parabolam, *h* eo quod esset prope Jerusalem, *i* & quia existimarent, quod *k* confestim regnum Dei *l* manifestaretur. Dixit ergo: Homo quidam nobilis *m* abiit in regionem longinquam *n* accipere sibi regnum, *o* & reverti. *p* Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas,

Dicit ergo: *a* Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere.] Ideo appellatur Jesus. *Matth.* 1. Et vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

b Quod perierat.] Hoc idem deberent facere vicarii ejus, idest, Episcopi. Hoc enim est officium eorum, scil. salvum facere populum, & ideo dicuntur Episcopi, i. superintendentes. Sed multi non faciunt hoc. Unde conqueritur Dominus. *Ezech.* 34. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrum, &c. Sequitur. *c* Hæc illis, &c.] Secunda pars, in qua suscepta, & commendata pœnitentia divitis publicani, docet Dominus per parabolam nobilis, & servorum plus placere sibi pœnitentiam peccatorum, quam justitiam superborum. Sic gentiles de ignorantia legis humiles magis placuerunt Christo, quam Judæi, de sua justitia præsumentes. Et quia discipuli audita Passione, & Resurrectione Domini, putabant ipsum mox regnaturum in terra, ideo hanc eorum ignorantiam illuminans, ostendit, quod fides regni sui primo prædicabitur per totum mundum, & postea regnabit in cœlo judicio consummato. Duplici ergo de causa introducitur hæc parabola, scil. ut Judæorum arrogantiam reprimat, ostendens se magis approbare gentium pœnitentiam, quam Judæorum falsam justitiam. Quorum reprobatio ostenditur in fine parabolæ, ubi præcipit, cives suos interfici, nolentes eum super se regnare. Item introducitur ad tollendam temerariam discipulorum opinionem, sicut dictum est: Dicit ergo: *c* Hæc,] i. quæ dicta. *d* Illis,] i. discipulis. *e* Audientibus,] utraque aure, i. corporis, & cordis, i. intellectu, & affectu. *f* Adjiciens] prædictis, quia adhuc ignorantes erant in multis. *g* Dixit parabolam.] Ideo parabolice loquitur illis, quia adhuc minus capaces erant. Unde indigebant parabolarum, i. similitudinum congruarum introductione. *Ps.* 77 Aperiam in parabolis os meum. *Eccl.* 39 Occulta proverbiorum exquiret sapiens, & in absconditis parabolarum conversabitur: Est autem parabola, ut dicit *Hier.* rerum in natura discordantium, sub aliqua similitudine facta comparatio. *h* Eo quod esset prope Jerusalem,] sc. in Bethania, in qua venerat de Jericho, & hoc fuit sabbato ante ramos palmarum, in domo Simonis leprosi. Vel in via, de Bethania in Jerusalem, & secundum hoc erat tunc dominica in ramis palmarum, quando misit de Bethphage duos discipulos, qui adducerent ei asinam, ut legitur *Matth.* 21. Sed quæ causa est hæc, quod erat prope Jerusalem, ut ideo loqueretur parabolice? Respondeo [Eo] non est causale, sed concomitativum, i. prope erat Jerusalem, & parabolice loquebatur. Vel ideo loquebatur parabolice, quia prope erat Jerusalem, ubi moriturus erat in proximo, & a discipulis dividendus, non amplius locuturus eis sic. Unde *Joan.* 16. Hæc in proverbiis locutus sum vobis, venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam. Vel ita ut is sit sensus, & forte verior. [Eo quod esset prope Jerusalem,] quia quanto amplius appropinquabant, tanto magis in hac opinione discipuli errabant, scil. quod post resurrectionem mox in terra regnaturus esset. Unde subjungitur. *i* Et quia existimarent] discipuli, scilicet. *k* Quod confestim regnum Dei manifestaretur,] quod statim post resurrectionem regnaret in aurea Jerusalem, quam dicunt Judæi futuram, in qua mille annis erunt in magna gloria, & postea vivi transferentur in gloriam. De qua dicitur. *Tob.* 13. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem, portæ Jerusalem ex saphiro, & smaragdo ædificabuntur, &c. In hanc Jerusalem putabant discipuli Dominum regnaturum statim post suam resurrectionem. Sed quia fabula est, & non veritas, quicquid ipsi Judæi de hac aurea Jerusalem dicunt, ideo Dominus discipulorum ignorantiam illuminat, ostendens prius fidem toto orbe prædicandam, & postea venire regnum suum, non in terrena Jerusalem, sed in cœlesti. Sequitur. *l* Dixit ergo Homo quidam nobilis.] *Eccl.* 10. Beata terra cujus Rex nobilis est, &c. *Pr. ult.* Nobilis in portis vir ejus.

Secunda pars.

Mystice.

Mystice. Homo ille nobilis, Christus est, secundum utramque naturam suam nobilis. Unde cæcus *supr.* 18. Jesum filium David vocavit, nobilitatem utriusque naturæ breviter comprehendens. Christus autem secundum naturam divinam, ubique est præsens, & ubique in sua proprietate, tamen quando venit in mundum, i. quando in carne assumpta in mundo apparuit, dicitur peregre profectus in regionem longinquam. Unde *Joan.* 1. In propria venit, & sui eum non receperunt. *Jer.* 14. Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum: Quare futurus es in terra vult vir vagus? Dicitur autem abiisse in regionem longinquam, i. ad gentes, quæ longe sunt ad litteram, quia Judæa in medio terræ habitabilis, & gentes ad litteram longe sunt a meditullio orbis. Item secundum humanam naturam, quasi peregrinus.

Matth. 15. *Marc.* 15.

m Abiit in regionem longinquam] in die Ascensionis, quando carnem de loco proprio, i. de terra sublimavit in cœlum, quod est proprie locus spirituum. *Prov.* 7. Non est vir in domo sua, i. Christus in Ecclesia visibiliter, seu corporaliter, abiit via longissima, scil. in cœlum, quod multum distat a terra, sacculum pecuniæ secum tulit, i. corpus suum glorificatum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter, i. vere in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam, i. in fine sæculi omnibus consummatis. *Chrys.* Si Christus præsens videretur, opus nostrum non videretur esse in fide, sed in oculis. Nam servus fidelis Domino absente probatur, Item *Chrys.* Ad patrem iturus peregre se iturum dicit propter charitatem Sanctorum, cum magis sit peregre esse in mundo, sicut ait: Incola ego sum in terra. Quare autem ivit, subjungit.

Col. 1.

n Accipere sibi,] & suis [regnum] quod sibi, & suis promeruit patiendo. Unde *supr.* 12. Nolite timere pusillus grex, quia, &c. *Matth.* 5. Beati pauperes spiritu, &c. Hoc est pretium hujus regni, scil. paupertas voluntaria. Unde *Aug.* loquens in persona Christi, ait. Venale habeo. Quid? Regnum cœlorum. Quo emitur? Paupertate regnum, labore requies, dolore gaudium, vilitate gloria, morte vita. *o* Et reverti.] In fine, quando omnis Israel salvus erit. *Rom.* 11.

p Vocatis autem decem servis, dedit eis decem mnas, &c.] *Matt.* 24. dicitur. Homo peregre proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit, quinque talenta, scil. scientiam exteriorum ministerio quinque sensuum comparatam, & exercendam. Et hæc triplex est, scil. val politica in civium, vel domestica in familiæ, vel privata in sui ipsius regimine. Alii duo, i. intellectum, & operationem. Alii unum, scil. intellectum. Secundum Matthæum ergo fuerunt octo talenta, & tres servi. Lucas vero mutat numeros, & pondera, dicens, quod vocavit decem servos, & dedit eis decem mnas, singulis scil. decem, vel cuilibet unam, non determinatur utrum, sed idem est mysterium, quia mna decem drachmas appendit secundum *Bed.* Dicit enim *in Gloss.* quia mna est pondus decem drachmarum. Alibi habetur, quia pondus est centum drachmarum. Sed secundum diversas gentes majus, & minus potest esse hoc pondus, sicut talentum legale majus est, quam forense, & talentum templi majus utroque. *Ezech.* 45. Quindecim sicli, & viginti quinque, & viginti, mnam faciunt. *Isid. lib.* 20. Mna in ponderibus centum drachmis appenditur. Item autem significatur per decem drachmas, quod per decem mnas, scil. spiritualis intelligentia legis, quæ decem mandatorum observantiam docet. Decem igitur mnas dat Dominus, quando legis intelligentiam administrat, sicut fecit Apostolis post resurrectionem.

Unde *supr. ult.* Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Qui etiam per denarium congrue significantur, quia de Judæis decalogo subjectis electi sunt ad prædicandum. Non enim aliquis legitur electus fuisse, nisi de Judæis. Et dedit decem mnas, in quibus sunt centum drachmæ. Per mnas, sive talenta, intelligitur notitia Scripturarum Apostolis data. Per centesimum perfectio vitæ exprimitur. Dedit ergo eis decem mnas, ut intelligerent Scripturas ad perfectionem vitæ æternæ invitantes.

Item per decem mnas observantia Decalogi designatur, ad quam ipsa intelligentia ordinatur. Nam propter observantiam datur intelligentia. Unde in *Ps.* 102. Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. Idem ergo intelligitur per mnas Lucæ, & per duo talenta Matthæi, scil.

intelli-

intelligentia, & peratio. Et per hæc duo intelliguntur scientia, & virtus, quorum altero, idest, scientia perficitur intellectus, altero, idest, virtute perficitur affectus. Per decem vero servos, universitas prædicatorum, & Prælatorum accipitur, qui dicuntur servi a serviendo, & a servando. A serviendo quidem, quia debent servire omnibus, & hoc est officium eorum, non dominari. 1. *Pet.* 5. Non dominantes in clero, *Matth.* 20. Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos, non charitatem. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. Item a servando dicuntur servi, quia debent servare gregem Domini sibi commissum. 3. *Reg.* 20. Custodi virum justum &c. 2. *Tim.* 1. Bonum depositum custodi per Spir. Sanctum, qui habitat in nobis. Hos servos vocat Dominus tripliciter, scil. interius per inspirationem, exterius per admonitionem, superius per officii impositionem. Aliter nemo debet exercere istud officium, nisi vocatus. *Heb.* 5. Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret. *Rom.* 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? q. d. non debent. Hoc est, quod dicitur hic [vocatus autem] illo triplici modo, qui dictus est [servis suis] idest, prædicatoribus, & Prælatis, ut servent, & serviant. *Rom.* 4. Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, i. indifferenter vocat magnos, & parvos, nobiles, & ignobiles ad officium prælationis, & prædicationis. Unde 1. *Cor.* 1. Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles [dedit illis] gratis, ut ipsi similiter gratis darent. *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date [decem mnas] idest, legis intelligentiam, ad operandum, & docendum. *Matt.* 5. Qui fecerit sic, & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum.

a Et ait ad illos: Negotiamini:] Eleganter dictum est, negotiatio enim est commutatio dati, & accepti: Ac si diceret, legem populo erogate, ab eo fidei confessionem accipite, necnon & morum probitatem quasi usuras exigite. Hæc est bona negotiatio, & bona usura, de qua *Prov.* 19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, sed multi per negligentiam peccant in ista. Unde *Eccl.* 26. difficile exuitur negotians, &c. Multi etiam istam negotiationem spiritualem commutant in temporalem. *Osee* 11. Circumdedit me Ephraim in negotiatione sua. *Nahum* 3. Plures fecisti negotiationes tuas, quam sint stellæ cœli.

b Dum venio.] i. donec reddam rationem quæsiturus ab unoquoque de talento sibi commisso. Nemo enim est, qui non habeat talentum Domini, i. aliquam gratiam, qua debet uti in obsequium Dei. Etiam familiaritas magnatum talentum Domini est, paupertas etiam, infirmitas, divitiæ, & quicquid est, in usum Domini datum est. *c* Cives autem ejus oderant eum, &c.] Cives sunt Judæi, ex quibus est Christus secundum carnem. *Rom.* 9. Qui Christum oderunt, non solum præsentem, sed etiam mortuum. Unde & sepulchrum custodiri fecerunt. Post resurrectionem etiam immortalem persecuti sunt in Apostolis. Cives etiam dicuntur omnes amatores mundi. Nam mundus dicitur civitas. *Osee* 6. Galaad civitas operantium idolum supplantata sanguine. Item *Os.* 11. Deus ego, & non homo, in medio tui sanctus, & non ingrediar civitatem. Et hi cives oderunt, & odiunt Christum, non enim simul potest amari Christus, & mundus, imo necesse est, qui amat unum, odit alterum. *Jac.* 4. Quicumque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur. *Jo.* 1. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. Unde dicit: *d* Nolumus hunc regnare super nos.] *Job* 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini. Sic multi nolunt Jesum regnare super se, scil. aliquem, qui salutem quærat animarum, dicentes: Nolumus habere Papelardum Prælatum. *Jo.* 19. Non habemus regem nisi Cæsarem. *e* Et factum est, ut rediret, accepto regno jussit vocari servos, quibus dedit] in potestate possidendi, & conferendi, cui voluerit. *Beda*: Hoc erit, quando ille, qui

& *a* ait ad illos. Negotiamini, *b* dum venio, *c* Cives autem ejus oderant eum, & miserunt legationem post illum, dicentes: *d* Nolumus hunc regnare super nos. Et *e* factum est, ut rediret accepto regno, *f* & jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut *g* sciret, *h* quantum quisq; negotiatus esset. *i* Venit autem primus, dicens. *k* Domine, mna tua *l* decem mnas acquisivit. Et *m* ait illi: Euge, bone serve, *n* quia in modico fuisti fidelis, *o* eris potestatem habens supra decem civitates.

humilis apparuit in manifestissima claritate, judicaturus advenerit. Redibit autem Dominus personaliter, idest, corporaliter in die judicii, & tunc multi, qui modo videntur magni doctores, propter negligentiam suam inter indoctos reputabuntur. Et econtrario multi simplices propter bonæ conversationis meritum inter doctores coronabuntur. Qui enim recepit Prophetam in nomine Prophetæ, idest, quia Propheta Domini est, mercedem Domini accipiet. *Matth.* 10. Quotidie etiam redit Christus spiritualiter, quia Ecclesiam peregrinantem in terra inspirando visitat, & uni pecuniam ad negotiandum tribuit, & ab altero de commissa rationem exigit, unum fideliter laborantem majori gratia donat, alium torpentem increpat, alium mundana sectantem, bonis traditis spoliat.

f Jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret.] *Beda*, idest, ut sciri faceret. Simile *Gen.* 22. Nunc cognovi, quod timeas Dominum, idest, cognoscere te feci. Qui enim omnia novit, non ideo vocat servos, vel *Matth.* 18. positurus est cum eis rationem, quod eum aliquid lateat, sed ut idipsum omnibus innotescere faciat. Hoc fiet in extremo examine, cum omnia, quæ fecerunt singuli, singulis erunt nota, exceptis peccatis mortalibus, ut tradunt Sancti quæ per convenientem satisfactionem sunt deleta. *Beda*: Tunc omnium opera, & cogitationes omnibus palam ostendentur. *Dan.* 7. Consilium sedit, & libri aperti sunt. 1. *Cor.* 4. Nolite judicare ante tempus, quoadusque, &c. Dicit ergo:

g Ut sciret,] idest, sciri faceret.

h Quantum quisque negotiatus esset.] *Beda*: Ut simul & de judicantibus judicaret, *supr.* 16. Redde rationem villicationis tuæ. *Chrys.* Gratia fidei talentum est, bonis quidem ad salutem, malis vero ad præjudicium, ubi inexcusabiles sunt.

i Venit autem primus, dicens: Domine, &c.] Venit *Greg.* idest, ad reddendam rationem se præparavit, vel qualiter computum redderet cogitavit, & ordinavit, scil. operibus misericordiæ intendendo. Unde *Psalm.* 111. Jucundus homo, qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in judicio. Ad respondendum. *Hab.* 2. Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem meam, & contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me. Certe dicetur tibi: Esurivi, sitivi, nudus fui, & hujusmodi. Et tu para, ut possis respondere: Et ego dedi tibi manducare, & bibere, & te vestivi, sicut *Job* 31. Si comedi *Matth.* 25. buccellam meam solus, &c.

k Domine, mna tua] tua dicit, non mea, contra inanem gloriam. 1. *Cor.* 15. Non ego, sed gratia Dei mecum.

l Decem mnas acquisivit,] i. multos ad custodiam Decalogi negotiando in tua mna, i. prædicando inclinavi. *m* Et ait illi: Euge, bone serve] *Bed.* Non tua quærens, sed quæ Dei. *Phil.* 2. Omnes, quæ sua sunt, quærunt. *n* Quia in modico fuisti fidelis.] Modicum est sicut dicit *Bed.* quicquid in præsenti recipimus donorum ad comparationem futurorum. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. 1. *Cor.* 13. *Beda*: Fidelis est servus, qui non adulterat verbum Dei, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquitur. Pauci sunt modo ita fideles. *Prov.* 20. Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet. *o* Eris potestatem habens supra decem civitates] idest, glorificaberis pro omnibus, quos prædicando ad custodiam Decalogi adduxisti, & illis quasi præpositus eris. Unde 1. *Thess.* 2. Quæ est spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ: Nonne vos ante Dominum Jesum? Hic etiam in præsenti meretur promoveri, qui bene utitur verbo Dei: *Isai.* 60. Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam. 1. *Timot.* 3. Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent. *Ecclesiast.* 7. Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatum. In *Matth.* 25. dona, sive commissa differentia sunt, & lucra, sed præmium idem, hic commissa non differunt, sed lucra, & præmia. Simile *Matth.* 13. Bona terra non fecit eumdem fructum seminatori, sed trigesimum, sexagesimum, centesimum,

cesimum. *Chrysost.* Hic ab uno capite diversi facti sunt quæstus, & ideo non eisdem præmiis potiti sunt, ibi e contrario, ideoque corona est æqualis.

Euge {
- Exultatorium. *Ezech.* 25. Pro eo quod dixisti. Euge, euge super sanctuarium meum, quia pollutum est.
- Insultatorium. *Ps.* 34. Dilataverunt super me os suum, dixerunt: euge, euge, &c.
- Adulatorium. *Ps.* 39. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge.
- Adjuratorium. *Ezech.* 26. Euge, contractæ sunt portæ populorum.
- Applausorium, sive commendatorium. *Matth.* 25. Et hic. Euge, serve bone, & fidelis, &c. Et hoc est contra quosdam, qui etiam post benefacta redar-

guunt, & increpant servientes *Eccl.* 7. Ne lædas servum in veritatem operantem, neque mercenarium dantem animam suam. *a* Et alter venit, dicens; Domine, mna tua fecit quinque mnas.] Minus lucratus est iste quam primus. Quare hoc? Dicit *Chrys.* Paterfamilias omnibus servis suis annonam præstat, sed non negotia sua. *Amb.* Ex una mna facit quinque, qui mosali scientia, quinque sensus corporis castificat, & informat. *b* Et huic ait: Et tu esto supra quinq; civitates.] *Bed.* Quinq; civitates, quinq; sensus. *Is.* 19. Quinq; civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan. *Gl.* hic, idest, earum animarum, quas imbuisti fide, & conversatione magnus sublimisque esto, & non tantum de tuis, sed de auditorum profectibus honoreris, quia propriis meritis redderur prędicatori aurea, pro subditorum profectu aureola. *c* Et alter venit, dicens. Domine, &c.]

Et *a* alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et *b* huic ait: Et tu esto supra quinque civitates. Et *c* alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui *d* repositam in sudario: *e* Timui enim te *f* quia homo austerus es, *g* tollis, quod non posuisti, & metis, quod non seminasti. Dicit *h* ei: De ore tuo te judico, *i* serve nequam: k Sciebas, quod ego homo austerus sum, tollens, quod non posui, & metens, quod non seminavi: Et *l* quare non dedisti pecuniam meam ad mensam,

Mystice. Mystice. Primus servus est ordo doctorum, seu prædicatorum missus prędicare Judæis, qui mnam negotiaturus accepit, quia unum Deum, unam fidem, unum Baptisma jussus est prædicare. Et decem acquisivit, quia populum Judaicum sub legis Decalogo constitutum in fide Christi sibimet sociavit. Alter servus est ordo prædicatorum missus ad gentes instruendas, & convertendas, qui similiter unam mnam accepit, quia idem quod primus prædicavit. Et ille quinque mnas acquisivit, quia gentilem populum, voluptati quinque sensuum deditum, ad fidem Christi vocavit. Hi duo servi, i. hi duo ordines prædicatorum sunt significati per duos discipulos, qui pullum, & asinum Domino adduxerunt. *Matth.* 21 Nam per pullum gentilis populus, per asinum Judaicus designatur: & dicit *Chrys.* Quod hi duo fuerunt Philippus, & Petrus. Nam Philippus postea Samariam. *Act.* 8. Petrus vero Cornelium quasi pullum asinæ adduxit. *Act.* 10. Primus super decem civitates constituitur, & secundus super quinque, quia utrique prædicatores de gratia conversorum a se remunerabuntur, & gloriabuntur. Et nota, quia cum decem missi sunt, tres tantum redeunt Domino redditur rationem. Tertius autem servus, qui pecuniam in sudario abscondit, significat modernos prædicatores, sive clericos, qui idonei ad prædicandum officium prædicandi, vel penitus suscipere renuunt, vel susceptum negligenter exercent carnis voluptati vacantes. De quibus *Jer.* 48. Maledictus, qui opus Dei negligenter facit. Magis maledictus est, qui omnino facere renuit, cum posset, & sciret. Unde *in eod. cap.* statim sequitur: Et maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine, idest, a peccati reprehensione. Causam autem utriusque subjungit *ib. Hier.* dicens statim: Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, requievit in fæcibus suis, & non est transfusus de vase in vas. Sicut Paulus, qui de vase persecutionis factus est vas electionis. *Act.* 9. Et hoc est: [Et alter venit dicens. Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario:] Mnam in sudario quasi in gausape reponunt, qui laboris immensitate deterriti, prædicationem omittunt, tantum conscientiæ suæ consulentes, in persona sua caste, & religiose viventes, & de aliis omnino sollicitudinem deponentes. Isti decepti sunt, quia quæretur ab eis: Ubi est frater tuus? Et certe quia abscondunt, ideo maledicentur in populis. *Prov.* 11. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. *Chrys.* Abscondit talentum suum in terra, qui accipiens notitiam Christi, contemnit vitam spiritualem, & terrenis actibus, vel deliciis obruit. Item *Chrys.* Qui peccat, non abscondit, sed corrumpit. Si ergo in tenebras exteriores mittitur, qui fructum non fecit, in quales tenebras sunt ituri, qui ipsum talen-

tum fidei peccando perdiderunt? *d* Repositam in sudario:] *Eccl.* 19. Perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum lucrandum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem. Item *Eccl.* 20. & 41. Sapientia absconsa, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Nulla. *Exod.* 16. Manna absconditum computruit. Mna in sudario, & frumentum in horreo non crescit, sed perit, seminatum autem crescit. *Prov.* 15. Labia sapientum disseminabunt scientiam, cor stultorum dissimile erit, idest, eversum, idest, acutum, sursum, & gracile.

e Timui enim te] *Chrysost.* Dum vult unum excusare peccatum, addit duo. *Ecclesiast.* 29. Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.

f Quia homo austerus es,] Mentitur. *Matth.* 11. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. *Chr.* Austeritas non contemnitur, sed timetur, qui autem timet, placare festinat. Et nota austeritatem in duobus, quæ sequuntur.

g Tollis, quod non posuisti, & metis, quod non seminasti.] *Matth.* 15. Dicitur: Metis ubi non seminasti. *Amb.* idest, præcidis falce judicii eos, quibus legem non commisisti, idest, aliquos de gentibus, quibus non est prædicatum, præcidis, & damnas. Et congregas, ubi non sparsisti, idest, salvas, & colligis in horreo tuo eos, quibus legem non dedisti, idest, aliquos de gentibus, quosdam enim de gentibus in regnum suum colligit, quos tamen per prædicationem in fide non plantavit, quia aliqui gentilium salvati sunt, quibus non est prædicatum, ut Job. *Chrys.* Si metit, ubi non seminat, ergo magis vult metere, ubi seminavit. Hic valde timendum est clericis, & maxime Theologis, qui tam frequenter, & tam diligenter seminantur semine verbi Dei, & in lectionibus, & in prædicationibus, & disputationibus forte perdunt tres partes seminis, sicut dicitur *Matt.* 13. utinam quarta fructificaret. *Hebr.* 6. Terra super se venientem sæpe bibens imbrem, &c. Metit etiam pœnam, ubi seminavit culpam, sed ipsi. *Osee* 8. Ventum seminabunt, & turbinem metent.

h Dicit ei, de ore tuo te judico,] *Job* 15. Condemnabit te os tuum, & non ego, & labia tua respondebunt tibi. *i* Serve nequam:] In duobus deprehenditur servus iste arguendus, scil. in transgressione, & in præsumptione. Nam & mandatum Domini præteriit, dicens: Negotiamini, dum venio, & Dominum superbe accusare præsumit, dicens eum austere, & importune usuras exigentem. Et hujusmodi temeraria excusatio, potius est accusatio. Dicit ergo Dominus arguens servum: [De ore tuo te judico, serve nequam:] Et vere nequam in duobus. *Beda:* Qui piger ad exercendum officium, superbus ad accusandum Domini judicium. *Prov.* 6. Usquequo piger dormis, & 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem. *Chrys.* Vere nequam, quia largitatem Domini quasi violentiam accusavit.

k Sciebas, quod ego homo austerus sum, tollens, quod non posui, & metens, quod non seminavi: Et quare, &c.] quod putaverat pro excusatione dixisse, vertitur ei in culpam, quasi si me ita durum, & crudelem noveras, quare ista cogitatio non incussit tibi timorem, ut scires me mea diligentius quæsiturum. *Greg.* Nota, quod piger servus inertiam non excusat, sed superbit calumniando Dominum, & dicit se prudenter fecisse, nedum lucra quæreret aliena, periclitaretur etiam de sorte propria. Et vocat eum durum, cui tamen non servit ad lucrum. Cui similes sunt in Ecclesia, qui melioris vitæ vias aggredi metuunt, & tamen jacere in ignavia non verentur, & cum se peccatores considerent, sanctitatis vias arripere timent, quorum Petrus adhuc infirmus speciem tenuit, cum, viso piscium miraculo, dixit: Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. Et addit *Greg.* Imo, si peccator es, Dominum non repellas a te. Quod faciant illi, qui videntes se infirmos, nolunt ad meliora progredi, peccatores quidem se fatentur, & Dominum repellunt. Verba sunt *Gregorii*. *Sup.* 5.

l Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?] *Bed* idest, Evangelicam prædicationem promptis, paratisque fidelium cordibus non intimasti? [Meam] dicit, non tuam; Non enim est verbum prædicatoris, sed

Dei

Dei. *Matth.* 10. Non vos estis, qui loquimini. Item 1. *Petr.* 4. Si quis loquitur quasi sermones Dei, idest, Dei sermonem, non suum se proferre fateatur. *Chrys.* Putas, quod in terribili judicio stabit peccator, & talia dicet? Absit, maxime cum non æstiment prudentes personale tunc fore judicium, ut per singulos Christus interroget, peccator autem respondeat, sed verius est, quod ait Apostolus. *Rom.* 2. Quia in cogitationibus suis judicabitur unusquisque testimonium reddente conscientia, & cogitationibus invicem accusantibus, aut defendentibus.

a Et ego veniens [sc. merita discutiens. Nosa, venit Dominus in mundum per carnis assumptionem ad salvandum. *Jo:* 12. Non veni ut judicem mundum, sed ut salvificem. Item in mentem per gratiæ infusionem ad justificandum *Job* 9. Si venerit ad me, non videbo eum. Item in fine sæculi per meritorum discussionem ad judicandum. *Jo:* 16. Cum venerit ille, arguet mundum. *Chrys.* Solet venire Dominus ad Christianos, quibus gratiam dedit suæ cognitionis, & ponit rationem cum eis *Matth.* 6. Judicium Domini cum populo suo, & cum Israel dijudicabitur. *Ezech.* 20. Educam vos in desertum populorum, & judicabor vobiscum ibi facie ad faciem. *Jerem.* 25. Judicium Domini cum gentibus, judicatur ipse cum omni carne. *Isa.* 44. Reduc in memoriam, & judicemur simul, &c. *Isa.* 41. Simul ad judicium appropinquemus.

b Cum usuria exegissem illum.] Bona usura est salus hominum. Hanc Dominus libenter exigeret de verbo prædicationis. *Eccl.* 29. Qui facit misericordiam, fœneratur proximo. *Jerem.* 15. Non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam, *sup.* 6. Peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Hic autem multo majora recipiuntur. Unde distinguit *Bed.* duplicem usuram in *Gloss.* pretium verbi Dei est fides, bona operatio usura. Vel usura dicitur quod per industriam suam, & laborem exercitii intelligit, præter illa, quæ a doctoribus accepit. *Chrysost.* Qui seminandi causa semen accipit, & tempore seminationis non seminat, damnum facit Domino: & si semen custodierit tantum, quantum poterat lucrum facere, si opportuno tempore seminasset.

c Et astantibus dixit, &c.] Posita duplici culpa inutilis servi, idest, torpore, & superbia, subdit de ejus duplici pœna. Una est in præsenti, sc. amissio talenti commissi, idest, intelligentiæ, quam amittit, quia nullum ex ea saporem percipit, nec virtutis meritum aliquod acquirit. Alia erit in futuro, quia projicietur in tenebras exteriores. Ideo dicitur *Apoc.* 3. Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam, idest, sine te habeat. *Prov.* 20. Tolle pignus ab eo, qui spopondit pro extraneo. Sic multi gratiam, quam habent, amittunt, quia ea uti negligunt, vel abutuntur. Contra quod dicitur 1. *Cor.* 15. gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit. Et hoc est. *c* Et astantibus] idest, Angelis, vel prædicatoribus. *d* Dixit: Auferte ab illo mnam] idest, auferendam intelligentiam propter abusum, vel negligentiam prædicit. *e* Et date illi, qui habet decem mnas] idest, intelligentiam illius augendam dicite, qui bene utitur illa intelligentia, quam habet. Sic spiritus Domini recedens a Saul, dirigitur in David. 1. *Reg.* 16. *Gloss. Bed.*

Mystice.

Mystice. Cum omnis Israel salvus erit, tunc omnis plenitudo spiritualis gratiæ, quam modo torpenter exercemus, doctoribus illius temporis abundanter conferetur. Nota, quia hæc *Gloss.* non exponit litteram, sed est quasi nota extrinsecus, quasi per illum, cui aufertur mna: intelliguntur fideles moderni, quibus modica gratia confertur: per habentem decem mnas, cui una dari præcipitur, intelliguntur finales fideles, quibus gratia cumulabitur, quia nisi eis gratiæ cumulus adderetur, tanto persecutionum impetu premerentur, quod nec possent resistere: Et si glossam de littera velis elicere, oportebit, ut ita construas: veniens cum usuris, cum prius diceretur: Exegissem cum usuris, q. d. Dominus, ego tunc veniam ad finales fideles cum usuris, idest cum multiplici gratia. *f* Et dixerunt ei, Domine, habet decem mnas.] ac si dicerent ad litteram, superfluum est dare, quia satis habet.

al. † illud. *Matth.* 25. *Marc.* 4. & *sup.* 8.

& *a* ego veniens cum *b* usuris utique exegissem † illam: Et *c* astantibus dixit: *d* Auferte ab illo mnam, & *e* date illi, qui decem mnas habet. Et *f* dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. *g* Dico autem vobis, quia omni habenti *h* dabitur, & abundabit, *i* ab eo autem qui non habet, & quod *k* habet, auferetur ab eo. *l* Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, *m* adducite huc, & interficite ante me. Et *n* his dictis *o* præcedebat ascendens Jerosolymam. Et *p* factum est, cum appropinquasset ad Betphage, & Bethaniam *q* ad montem, qui vocatur Oliveti,

g Dico autem vobis, quia omni habenti] *Bed.* idest, bene utenti eo, quod habet.

h Dabitur] idest, augmentabitur [& abundabit.]

i Ab eo autem, qui non habet,] idest, qui non bene utitur eo, quod habet, idest, scientia sibi a Deo data.

k Et quod habet, auferetur ab eo.] Ad litteram multoties contingit quod primo sapientes postmodum fiunt stulti, quia forte non bene usi sunt scientia sibi a Deo collata, nec in ea laboraverunt, prout oporteret, vel aliis communicaverunt. Hoc est talentum, quod potius multiplicatur erogatum, quam reservatum. Unde a quodam comparatur vomeri, qui repositus in domo rubiginatur, sed cum assidue exercetur in proscindendo terram, quasi examinatur, sic est de scientia. [Et quod habet] *Matth.* 25. Et quod videtur habere. *Chrys.* Multi videntur, aut mansueti, aut humiles esse, sed quia non sunt hoc propter Deum, videtur quidem esse bonum eorum, non autem est, quia quod non est ex fide, peccatum est. *Rom.* 14. *Hier.* Eleganter, inquit, quod videtur habere, auferetur ab eo: Quisquis enim sine fide Christi est, ei debet imputari, quod male eo usus est.

Item sic: [Habenti] desiderium audiendi, [dabitur] sensus intelligendi. *Eccl.* 6. Si dilexeris audire, sapiens eris.

Item [habenti] justitiam [dabitur] sapientia. *Eccl.* 1. Fili concupiscens sapientiam, serva justitiam, & Deus præbebit illam tibi.

Item [habenti] voluntatem benefaciendi, [dabitur] facultas perficiendi. *Phil.* 2. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.

Item [habenti] bona opera [dabitur] bona intelligentia. *Ps.* 110. Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Et alibi. *Ps.* 118. A mandatis tuis intellexi.

Item [habenti] gratiam [dabitur] gloria. *Psalm* 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Tunc [abundabit] in omni bono. *Job* 5. Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. *Ps.* 121. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. *l* Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se,] idest, Judæos, qui dixerunt, Regem non habemus nisi Cæsarem, & omnes nolentes converti ad Christum; de quibus *Job* 22. Qui dicebant Deo recede a nobis, & quasi nihil facere Omnipotens, æstimabant. *m* Adducite huc, & interficite ante me.] Argumentum contra hæreticos, qui dicunt quod non licet interficere quemquam aliquo casu. Per istum autem nobilem significatur hic Christus. Sequitur:

Tertia pars.

n Et his dictis, &c.] Tertia pars capitis ubi agitur de ascensu Domini in Jerusalem, in qua ejecit ementes, & vendentes de templo. Finita enim parabola, ivit Jerusalem, ut ostenderet præmissam parabolam de ejus, sc. Jerusalem eventu fuisse dictam, quæ ipsum noluit super se regnare, & etiam occidit, propter quod periit. Dicit ergo: [Et his dictis] in Jericho, vel in via.

o Præcedebat ascendens Jerosolymam.] ubi in proximo erat passurus. Iste fuit ultimus adventus in Jerusalem. Et sicut ad passionem præcessit suos, sic & ad gloriam. *Mich.* 2. Ascendit pandens iter ante eos. Sic bonus Prælatus debet præcedere populum per bonum exemplum, & populus sequi per imitationem. *Jo:* 10. Bonus pastor cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.

p Et factum est, cum appropinquasset,] Jesus [ad Betphage, & Bethaniam] Non facias vim in ordine. Primo autem venit in Bethaniam, scilicet, sabbato ante ramos, quando factum est ei solemne convivium, cui interfuit Lazarus, in crastino veniens Jerusalem, transivit per Betphage.

q Ad montem, qui vocatur] supple mons [Oliveti,] *Hieron.* Betphage viculus est Sacerdotum, in monte Oliveti, quia Sacerdotes extra civitatem jus habebant ad alenda pecora sua. Et interpretatur Betphage domus buccæ. Bethania villa est in latere ejusdem montis, & interpretatur domus obedientiæ. Has duas villas visitavit Dominus ascendens in Jerusalem, quia multi erant ibi

credentes

credentes in eum, & imitaturi ipsum. Hæ duæ villæ, scil. Bethphage, & Bethania bene in monte Oliveti sunt positę, quia pia confessio, & obedientia, quæ per illas mystice designantur, ab ipso Domino sunt in nobis, qui est mons Oliveti, idest, spirituali unctione nos recreans. Oleum enim tria facit, illuminat, recreat, & sanat. Sicut ergo oleum fatigatos recreat, sic Spir. Sancti gratia a laboribus confortat. Nota etiam, quod Dominus die illa, scil. Dominica palmarum, ut volunt alii, tres domos adiit, per quas significantur ista loca, quę frequenter invisit, & omnes discipuli ejus debent libenter invisere, & inhabitare.

misit *a* duos discipulos suos, dicens: *b* Ite in castellum, quod *c* contra vos est. In *d* quod introeuntes, *e* invenietis *f* pullum asinæ *g* alligatum, *h* cui nemo unquam hominum sedit,

Prima est Bethphage, idest, domus buccæ, idest, schola Theologiæ.

Matth. 21. Marc. 11. Secunda est Bethania, idest, domus obedientiæ, idest, claustrum.

Tertia est templum, idest, Ecclesia. In hac invenit Dominus ementes, & vendentes columbas, idest, dona Spirit. Sancti. *Matth.* 21. Domus mea, domus orationis vocabitur. Item sicut dicit *Gloss. Ambr.* Venit ad montem Oliveti, ut novellas Olivas in sublimi virtute plantaret, idest, se plantatorem ostenderet. Novella plantatio Olivarum mystice intelligitur conversio gentilium.

a Misit duos discipulos suos, dicens: Ite, &c.] *Chrys.* Petrum, & Philippum, quorum alter, idest, Philippus Samariam, Petrus Cornelium quasi pullum asinæ adduxit: Probabiliter ergo creduntur isti duo missi a Domino, qui post sunt ad prædicandum gentibus destinati. Incertum est tamen, an dicatur de Philippo Diacono, an de Philippo Apostolo. Creduntur tamen propter mysterium fuisse Petrus, & Philippus.

b Ite in castellum,] idest, in Jerusalem, quam despective, vel ex indignatione pro morte Christi vocat castellum, sicut *Is.* 22. dicitur vallis visionis. Vel dicitur castellum, idest, locus munitus viris, armis, escis, contra Deum.

c Quod contra vos est.] i. coram vobis ex opposito ad litteram, quia contra me esse dicitur, quod coram me est. *d* In quod introeuntes invenietis pullum asinæ alligatum.] Asina ista, ut dicunt quidam, erat communibus usibus pauperum deputata, forte ad portandum aquam, quia civitas arctabatur penuria aquæ, & erat extra civitatem in bivio alligata, quasi ante januam cujusdam, ut cuicomque esset necessaria, si ibi eam inveniret, inde assumeret, & qua die eam haberet ad usus proprios, ei daret victualia. Hæc asina habebat pullum, qui ad eosdem usus nutricbatur. Hunc jubet Dominus adduci. Et nota, quod solus *Matth.* 21. facit mentionem de asina, alii tres Evangelistæ, scilicet: *Luc.* hic: *Marc.* 11. *Joan.* 12. Solum pullum commemorant. Et dicit *Beda* rationem. Hi tres Evangelium Græce scripserunt, Matthæus vero Hebraice scripsit, qui asinam solutam, & adductam refert, ut Hebrææ genti, si pœnituerit, non desperandam monstraret esse salutem.

h Cui nemo unquam hominum sedit,] in *Glos.* adhuc adduntur duo, scil. quod nemo eum infrænaverat, nemo indumenta contulit. Ac si dicat, nemo eum straverat, idest, ei stramenta sive subsellia imposuerat.

A Solvite

Mystice. Mystice. *b* Ite in castellum, &c.] Castellum vocat Jerusalem, quia murata, & munita armis, & viris contra Jesum, & significat mundum, Christo, & discipulis ejus oppositum, armis, viris, escis, muris contra Deum munitum. Ad quem mittit Dominus duos discipulos, i. prædicatores, vita, & scientia decoros, charitatis vinculo conjunctos, charitatem geminam prædicaturos, duos populos ad Christum vocaturos, mente, & corpore mundos. Sed videte, unde missi fuerint. Certe de monte Oliveti. Oliva enim signum est victoriæ, & pacis. Unde columba ad arcam rediens in signum pacis, & reconciliationis, ramum Olivæ reportavit in ore, ut dicitur *Gen* 8. Mons igitur Oliveti est cumulus pacis, quam prædicatores debent in se habere, & aliis nunciare. Unde *Isa.* 57. Creavi fructum labiorum pacem, pacem his, qui longe, & pacem his, qui prope, & sanavi eum. *Is.* 52. Quam pulchri super montes pedes annunciantis pacem, &c.

Item per montem Oliveti significatur cumulus medicinæ spiritualis. Nam oleum medicinale est. Laudabilis est medicus, qui gratis sanat, laudabilior, qui inimicum propriis sumptibus sanat, superlaudabilis est, qui de suo sanguine conficit medicinam. Hoc fecit Jesus. Unde *Eccles.* 38. Altissimus creavit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.

Item per montem Oliveti significatur cumulus pietatis, quam habere debent super omnes homines prædicatores, & Prælati. Unde *sup.* 6. dicitur ei. Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.

Moraliter. Moraliter. Castellum est cor peccatoris, rationibus, & excusationibus, quasi muris, & propugnaculis munitum. Propter quod dicit Dominus per *Psalm.* 59. Quis deducet me in civitatem munitam. Ad hoc castellum mittit Dominus discipulos. *Is.* 50. Loquimini ad cor Jerusalem, & advocate eam. Duo discipuli, quos mittit Dominus, sunt timor, & amor. Timor solvit asinam, amor adducit. Asina est stulta anima, pullus, malus affectus. Dicit ergo: *b* Ite in castellum,] idest, in mundum.

c Quod contra vos est,] idest, contrarius vobis, quia vos prædicatis paupertatem, vilitatem, asperitatem, mundus vero prædicat divitias, honores, & delicias. Unde 1. *Joan.* 2. charissimi nolite diligere mundum, quia omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, quæ non ex patre, sed ex mundo est, &c.

d In quod introeuntes,] corpore, vel animi consideratione, non amoris affectione.

e Invenietis] quærendo diligenter.

f Pullum asinæ] populum peccatorem, sive specialiter populum gentium, ignobilem, immundum, & cetera, quæ supponuntur in notula sequente.

Chrys. hoc animal {
- Ignobile. i. humile propter Deum.
- Immundum est, idest, vile propter Deum.
- Præ ceteris jumentis irrationale, idest, simplex.
- Oneriferum, idest, patiens propter Deum.
- Stultum, idest, mansuetum propter Deum.
- Infirmum, idest, innocens.
- Tardum est, idest, maturum.
- Jacet in sterquilinio, idest, continens.
- Vescitur tardius, idest, abstinens.
- Horrendæ vocis est, idest, gemens.
- Crucem habet in pelle, i. pœnitens.
- Generat mulos mistus equabus alterius speciei. In quo laudabilior est quibusdam viris, qui non mutant speciem, scil. prædicans, seu docens.

Nota ista per hos versus.

Esca, cubile, pigrum, crux, vox, mens, sarcina, proles.
Immundus, retro fortis, lascivus asellus.

Chrys. 1. *Cor.* 1. Infirma mundi elegit Deus, & ignobilia, & contemptibilia, & ea, quæ non sunt. Et *infra* Inventa est irrationabilitas eorum esse simplicitas, & eorum stultitia mansuetudo: Nam simplicitas sine ratione irrationabilitas est, & mansuetudo, si non sit propter Deum, stultitia est: Et *inf.* Infirmitas, innocentia, ignobilitas, humilitas inventa est. Nam innocentia sine Deo infirmitas æstimatur, & humilitas non propter Deum ignobilitas judicatur. Et *infr.* Patientia irrationabilis onerifera æstimatur. *Chrysost.* Asina Judæa, quæ secundum D[illegible] magistra est gentium. *Isa.* 1. Alia lit. Vocaberis civitas justitiæ, & magistra civitatum.

g Alligatum,] funiculis peccatorum. *Prov.* 5. Iniquitates suæ capient impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. *Chrys.* Antequam peccemus, liberi sumus, sed si semel operibus diaboli nos obligaverimus, jam nostra virtute evadere non possumus, sed sicut navis fracto gubernaculo illuc fertur, ubi tempestas voluerit, sic homo perdito auxilio gratiæ Dei, non facit quod vult, sed quod diabolus vult.

Item exemplum de populo eligente, & rege electo:

Item pullus asinæ alligatus est affectus animæ triplici vinculo ligatus, quod est lascivia juventutis, sanitas corporalis, prosperitas mundialis. *Eccl.* 4. Funiculus triplex difficile rumpitur. Tamen duo dicti discipuli solvunt, idest, timor, & amor.

h Cui nemo unquam hominum sedit,] idest, nullus rationalis doctor frænum correctionis imposuit, quo gulam, & linguam restringeret, & in viam arctam reduceret, qua itur ad vitam. *Job* 11. Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri se liberum natum putat.

O *a* Solvite

a Solvite illum, *b* & adducite. Et si *c* quis interrogaverit, quare solvitis, sic *d* dicetis ei, quia *e* Dominus *f* operam ejus desiderat. *g* Abjerunt autem, qui missi erant & *h* invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum. *i* Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: *k* Quid solvitis pullum? At illi *l* dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet. Et duxerunt illum *m* ad Jesum. *n* Et jactantes *o* vestimenta sua supra † pullum imposuerunt Jesum. *p* Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via. *q* Et cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus, *r* dicentes: *s* Benedictus, *t* qui venit *u* rex in nomine Domini,

[al. † illum.]

Δ *a* Solvite illum, & adducite. Et si quis vos interrogaverit, quare solvitis, sic dicetis ei, quia Dominus operam ejus desiderat.] non propter equitandi voluptatem, sed propter mysterii significationem.

[Myst.] Θ *a* Solvite illum,] comminando. *Job* 39. Quis dimisit onagrum liberum, & vincula ejus quis solvit? *Matt.* 18. Quæcumque solveritis super terram, &c. *b* Et adducite.] consolando; *Isa.* 60. Auferetur a te fortitudo gentium, & reges earum adducentur. *c* Et si quis vos interrogaverit, quare solvitis,] i. si quis in prædicatione aliquod impedimentum opposuerit, non desistatis a prædicatione. Sed *d* Sic dicetis ei,] i. contradicenti. *e* Quia Dominus] omnium, cui omnes servire debent, quia sua sunt omnia, non solum asina, & pullus. Unde *Chrysost.* Ne dicatis, Dominus noster, vel Dominus jumentorum, sed Dominus simpliciter omnium. Nam peccatores conditione quidem mei sunt, voluntate autem sua diaboli. *f* Operam ejus desiderat.] sicut prius. Sequitur: *g* Abjerunt autem, qui missi erant,] discipuli scilicet, vel mystice prædicatores, non excusantes se, vel murmurantes, sed facile obedientes. *Job* 38. Nunquid mittes fulgura, i. prædicatores, & ibunt, & revertentia dicent tibi, adsumus? q. d. non, sed ego: *h* Et invenerunt sicut dixit illis, stantem pullum.] *Matth.* 20. Quid hic statis tota die otiosi. *Act.* 1. Viri Galilæi quid statis, &c. *i* Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos:] Pluraliter dicit, [domini] quia ad communes usus erat deputatus, sicut dictum est, Sed hoc non videtur verum, quia sic nullum haberet dominum, & propterea sine contradictione possent tunc accipere discipuli, sicut & alii pauperes. Sed forte non erat nisi pauperum illius civitatis. Vel sic expone, [Domini], idest, custodes, Per hoc autem quod multos dicitur habere dominos, significatur, quod populus, vel animus peccator non uni vitio, sed pluribus erat subjectus, antequam converteretur. *Is.* 26. Domine Deus noster, Domini possiderunt nos absque te. *k* Quid solvitis pullum?] *Prov.* 3. Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si vales, & ipse benefac.

l At illi dixerunt, quia Dominus eum necessarium habet. Et duxerunt illum] non contradixerunt domini. Et dicit *Chrys.* virtus Christi præparavit dominis cor ad dandum ignotis. *m* Ad Jesum] *Chrysost.* Quia vocati sumus, Dei est, quod autem digna vocatione vivimus, nostrum pariter, & Dei est. *n* Et jactantes] discipuli, quia de turbis nondum sermo præcesserat.

o Vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum,] *Chr.* Vestes, mandata. *Beda:* Doctrina virtutum. *Ap.* 16. Beatus, qui custodit, &c. *Eccl.* 9. Omni tempore sint vestimenta tua candida, &c. Hic potest fieri distinctio, ut dicatur jactantes vestimenta super pullum, vel imposuerunt Jesum supra pullum. Et utraque distinctio sana. *Chr.* Mansueti debent mansuetum portare. *Is. ult.* Secundum aliam translationem: Super quem requiescet spiritus meus, &c. Item *Chrys.* Vis cognoscere mansuetudinem venientis, considera speciem adventus ejus: Non sedet in curru aureo purpura fulgens, nec ascendit super fervidum equum discordiæ amatorem, qui pectus habet plenum gloriæ jactantia, qui procul odoratur bellum, & gaudet ad vocem tubæ, & cum viderit sanguineam pugnam, dicit, bene factum est, Non habet in circuitu splendentes gladios, aut cetera ornamenta terribilium armorum. Sed quid? Ramos frondentes testimonia pietatis. Venit ergo mansuetus, ut non propter potentiam timeretur, sed propter mansuetudinem amaretur. *Zach.* 9. Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce rex tuus veniet tibi justus, & Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Et *inf.* Et potestas ejus a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terræ: Tu vero in sanguine, &c. *Gen.* 49. Ipse erit expectatio gentium, ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam, Nunc autem vicarii ejus super palefredos nitentes, imo super dextrarios deauratos equitant. *B. Bern.* Dicite pontifices, in † fræno quid facit aurum? *Zach.* 14. In die illa erit, quod supra frænum equi est sanctum Domino. Sed si Heraclius non potuit intrare cum equo in Jerusalem terrenam, quomodo illi in cœlestem? Item *Chrysost.* Peccatores equi diaboli, Sancti dicuntur equi Christi. Diabolus sessor instigat per deserta facinorum, per fornicationes, per avaritias, &c. Christus dirigit per plana justitiæ, castitatis & humilitatis, &c. Ergo equitatus diaboli perditio est, equitatus Christi salus, unde *Hab.* 3. Qui ascendis super equos tuos, & equitatus tuus sanitatis *p* Eunte autem illo, substernebant vestimēta sua in via.] Alii etiam ramos de arboribus, secundum alios Evangelistas. Et nota mysterium. Per projectionem vestimentorum factam ab Apostolis, intelligitur martyrium: per projectionem vestimentorum factam a turbis, intelligitur mortificatio carnis, quia minores sive imperfecti, non exponunt propria corpora martyrio, sed in hoc sequuntur vestigia martyrum, quod carnem mortificant.

[Persius Sat. 2. al. sacro.]

[Matth. 21. Marc. 11. Joan. 12.]

[Mystice.] Mystice, ergo Apostoli vestes in via sternunt, idest, propria corpora martyrio exposuerunt, & sic abjecerunt vestimenta, quia caro quasi vestis est animæ. Unde *Glos.* Dum populus gentium, &c. In alia *Glos.* habetur, quod significetur per projectionem factam a turbis, Juxta alios Evangelistas, non discipuli, &c. Et caute intelligas, quod dicitur, non discipuli, idest, alii q. d. non est dictum de discipulis, & tamen factum est a discipulis, sed alii substituerunt quod iste pro compendio dixerat. *Chrys.* Apostoli posuerunt vestimenta sua super jumenta, ceteri sub pedibus, quia mandata Apostolorum veneramur, traditiones Judæorum, vel legis calcamus. Item vestimenta sua in via sternunt, qui per abstinentiam corpora sua domant, ut Domino iter ad mentem suam præbeant. *Isa.* 40. Parate viam Domini, &c. Item vestimenta sua in via sternere, est corpora sua martyrio exponere, & sic post Dominum, ad Dominum ire. *Eccl.* 23. Gloria magna est, sequi Dominum. Item vestimenta sua in via sternere, est sequentibus bona exempla relinquere. Sic Elias pallium suum reliquit Elisæo, i. charitas exemplum. 4. *Reg.* 2. Et de Eleazaro dicitur, 2. *Mach.* 6. Fortiter vitam excedendo, &c. adolescentibus exemplum forte relinquam. *q* Et cum appropinquaret jam ad descensum montis, &c.] usque ibi [super omnibus quas viderant virtutibus,] i. miraculis, & maxime de resurrectione Lazari, quæ nuper facta erat: Nam & propterea venit ei obviam turba, quia hoc signum factum audierant ab eo: *Joan.* 11. Laudant etiam de signis, & doctrina, quæ fecit, cum ascendit ad diem festum scenopegiæ, quod Joannes narrat, *cap.* 5. Tunc enim sanavit languidum, qui erat circa piscinam. *r* Dicentes] turbæ, scilicet:

s Benedictus] *Beda:* Ab omni peccato immunis singulariter, & immunes faciens. *u* Rex] Ecce vocant eum regem, qui tamen proxime sunt eum occisuri, & idipsum est in testimonium damnationis eorum. *t* Qui venit in nomine Domini,] i. in nomine patris, quod est filius, *Joan.* 5. Ego veni in nomine patris mei, i. ut verus filius, & non accipitis me, si alius venerit in nomine suo, sc. Antichristus, illum accipietis. Item. [In nomine Domini,] non sui, sic venit Christus, quia non suum, sed patris honorem quæsivit. *Joan.* 8. Ego honorifico patrem meum, vos autem, &c. Ego gloriam meam non quæro, &c. Item [In nomine Domini,] i. in virtute Domini, i. patris, in qua venit Christus, quia eadem est virtus patris, & filii, imo ipse est virtus patris 1. *Cor.* 1. Item [in nomine Domini,] i. ex nomine Domini, i. missus a Domino, ut

Δ servus,

[Mystice.] *q* Et cum appropinquaret, &c.] Mystice, ad descensum montis Oliveti appropinquavit Dominus, cum se usque ad nostræ carnis infirmitatem humiliavit ea misericordia. Et tunc turbę descēderunt cum eo, & eum pariter laudaverunt, i. humili confessione sub ejus voluntate se posuerunt: Secundum quod docet Petrus, 1. *Petr.* 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in die visitationis. Similiter si

Θ Prælati,

a servus. *Is.* 49. Servus meus es tu Israel, quia in te glorificabor. Revera magna est gloria Domini, talem habere servum. Et econtra, magna est gloria servi, talem habere Dominum. Unde postea sequitur. Parum est tibi, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israel convertendas? *a* Pax in cœlo, & gloria in excelsis.]

a pax in cœlo, & gloria in excelsis. Et quidam *b* Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister, *c* increpa discipulos tuos. *d* Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi *e* tacuerint, lapides clamabunt. Et ut *f* appropinquavit, videns *g* civitatem, *h* flevit super illam dicens: *i* Quia si cognovisses, & *k* tu quidem in *l* hac die tua, quæ *m* ad

Quædam *Gloss.* hic vult hæc specialiter esse dicta, sc. [Pax in cœlo, & gloria in excelsis.] In Matthæo autem, & in Marco bis dicitur, Osanna, & ad Osanna dupliciter potest referri, quod hic dicitur [pax in cœlo, & gloria in excelsis.] Sed melius est, ut intelligantur utraque a turbis dicta, quia utraque in Evangelio dicuntur, sed quod unus Evangelistarum dicit, alter subticet pro compendio. Et nota, quia Domino nascente, Angeli cantaverunt: Pax in terra, modo ad Passionem Domino eunte cantant homines: Pax in cœlo, quia tunc veniebat pax in terram, nunc autem vadit in cœlum per Passionem. Quare? Ut sic pacificaret homines, & Angelos. *Col.* 1. Pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. *Eph.* 2. Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Sed utrique tam Angeli quam homines dicunt: Gloria in excelsis, quia solum cœlum locus est gloriæ, & terra miseriæ. Et ideo sicut in cœlo non est miseria, ita in terra nulla debet quæri gloria. *Isa.* 42. Gloriam meam alteri non dabo, idest, terreno, sed tantum cœlestibus. *Jo:* 5. Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? Frequenter etiam ut dicit *Gl. Bedæ*, ingressus est Dominus civitatem Jerusalem, sed non cum his laudibus, non rex vocatus, quod semper fugerat. *Jo:* 6. Nisi modo, cum ascendit passurus. Quod ideo factum est, ut amplius illorum adversum se excitaret invidiam, quia jam tempus Passionis instabat. *Chrys.* Ergo si eos provocavit, fecit eos insanos. Absit, excitavit, non ut facerent, quod ante noluerunt, sed ut possent facere, quod prius volebant, facultas eis data est, non mutata voluntas. Vel excitaret, idest, excitari permitteret. Vel excitaret, idest, aliquid faceret, unde occasionaliter excitata fuit. Et intellige, ut consecutivum, non ut causativum. Nam si scienter, & ex industria eorum sibi suscitaret invidiam, excusabiles essent.

☉ Prælati, qui sunt in terra vicarii Christi descenderent per humilitatem, turbæ cum eis descenderent per imitationem. Ideo clamat. *Isa.* 64. Utinam dirumperes cœlos, & descenderes, a facie tua montes defluerent, i. Prælati se humiliarent. Sed certe ipse descendit, & adhuc montes non defluunt. Ideo imprecatur eis David 2. *Reg.* 1. Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia, &c. Notandum etiam, quod Dominus non legitur alibi equitasse nisi modo, nec etiam modo equitavit, sed asinavit, & tamen in eadem hebdomada ignominiosa morte est condemnatus. Quid ergo de vicariis ejus, qui cum tanta equorum multitudine equitant contra legis præceptum? *Deut.* 17. Cum fuerit constitutus rex, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equorum numero sublevatus. *Amos* 6. Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, idest, in Ecclesiam, & confiditis in monte Samariæ, idest, in prælatione Ecclesiæ, optimates capita populorum ingredientes pompatice domum Israel. Nota etiam, quod ideo Dominus voluit post gloriam transitoriam sibi exhibitam cito pati, ut ostenderet gloriam mundi viam esse ad passionem. *Prov.* 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat. Et econtrario passiones mundi via sunt ad gloriam. *Act.* 14. Per multas tribulationes, &c. Seq.

b Et quidam Pharisæorum de turbis,] idest, qui erant inter turbas, non ut Dominum laudarent, sed potius ut depravarent. Vel ita distingue [Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum:] scil. quod increparet eos. Unde dicunt:

c Magister, increpa discipulos tuos,] idest, turbas laudantes, vel Apostolos turbas ad laudandum instituentes. *Matth.* 21. dicunt: Audis, quid isti dicunt? *Chrys.* Et vos videtis, quæ ego facio. *d* Quibus ipse ait, dico vobis,] *Chrys.* q. d. esto, mea culpa est, quod isti clamant, nunquid mea culpa est, quod propheta hoc ante prædixit. Ex ore infantium, & lactentium?

e Quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.] Primo, ut legatur [si] temporale, ad litteram Apostoli omnes in monte Christi nec ausi sunt eum profiteri esse Deum, timentes mortem, & tunc lapides clamaverunt admirantes, & prædicantes mortem ejus, quia scissio petrarum, & apertio monumentorum mundi Dominum ostenderunt evidenter. Unde *Matth.* 27. Petræ scissæ sunt, & monumenta aperta. Vel quantum ad mysticum intellectum legetur [si] conditionale, q. d. si Apostoli tacebunt, lapides clamabunt, idest, si Judæi a laudibus Christi sileant, gentes lapideæ deposita cordis duritia, laudes ejus prædicabunt. Et ita factum est, quia mortuo Domino Judæi tacuerunt multi effecti a laude Dei, & lapides, idest, gentiles lapidei clamaverunt laudes, & prædicaverunt fidem. *Matth.* 3. Potens est Deus de lapidibus, &c. Sic modo clericis tacentibus, lapides, idest, laici, clamant per campos, per villas laudes Christi. *Rom.* 11. Cæcitas cecidit in Israel, idest, in clero scilicet, ut plenitudo gentium, idest, laicorum subintraret in locum ejus. *Is.* 23. Erubesce, Sidon, i. clerice, ait mare, i. laicus.

f Et ut appropinquavit, &c.] Dominus cum laudibus occurrentium intrans civitatem, prævidens eam in ultionem sanguinis sui funditus evertendam, cum in tanta gloria susciperetur, in medio exultationis interseruit lamentationem. Ideo Ecclesia in ramis palmarum in commemorationem hujus facti, post illam gloriosam profectionem eleganter interserit passionem. Nec solum introductum est hoc in Ecclesia propter dominici facti repræsentationem, sed etiam ut per ipsum moraliter nos instruat Ecclesia, quod in quantacumque gloria sit aliquis, non est, gaudendum, quia extrema gaudii luctus occupat. Prævidens ergo Dominus eversionem urbis imminentem, pietatis affectu flet super eam dicens, quia sic ipsa præscia esset suæ desolationis, & ruinæ, ipsa etiam fleret. Et hoc est, quod dicit [Et ut appropinquavit.] Jesus civitati, non solum corporis gressu, sed potius compassionis affectu. Sed inutiliter, quia civitas non appropinquavit illi per pœnitentiam. *Jac.* 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.

g Videns civitatem,] miserationis aspectu. *Sap.* 4. Gratia Dei, & misericordia in sanctos ejus, & respectus super electos illius.

h Flevit super illam, dicens: Quia, &c.] Ter legitur Dominus flevisse. Hic pro peccatis alienis, & hæ sunt lacrymæ compassionis. Item *Joan.* 11. pro incolatu hujus miseriæ, & hæ sunt lacrymæ compunctionis. Item *Heb.* 5. pro dilatione patriæ, & hæ sunt lacrymæ devotionis. Nos habemus quartum pro propriis, & hæ sunt lacrymæ contritionis. De primis *Jer.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum. De secundis, & tertiis. *Jud.* 1. Terram arentem dedisti mihi, dixit Axa Caleph, idest, anima Christo, deditque ei Caleph irriguum superius, & irriguum inferius. De quartis; *Psalm.* Lacrymis meis stratum meum rigabo. Hæc sunt quatuor flumina, quæ irrigant paradisum, idest, animam, vel Ecclesiam, quæ ab uno fonte exeunt, idest, a gratia Dei, *Gen.* 2. Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.

i Quia si cognovisses] ruinam, quæ imminet.

k Et tu] *Gloss.* supplet, quod minus est in littera, scil. flevisses, quæ modo exultas. Et potest esse pleonasmos, quod appositum est [quia] Vel supple aliquid ex continuatione, & non erit pleonasmos, quasi merito fleo [quia si cognovisses & tu] *Jer.* 8. Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit judicium Domini. *l* Et quidem] sive [equidem in hac die tua,] qua lætaris, & gaudes, & tibi, non Deo vivis, & ideo tua est dies, non Dei. In hac inquam die transitoria, supple habes, vel sunt tibi ea.

m Quæ ad pacem tibi,] temporalem, & transitoriam faciunt scilicet, divitiæ, deliciæ, & honores mundani, sanitas corporalis, & amicorum, atque parentum carnalium copia, & hujusmodi, quæ pacem temporalem faciunt, sed spiritualem auferunt. *Job* 21. Quare impii vivunt, sublimati sunt, confortatique divitiis semen eorum, &c. Et *inf.* Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Hæc est mala dies, & mala pax. De die dicit *Jer. cap.* 19. Diem hominis non desideravi.

desideravi. Item *Jer.* 20. Maledicta dies, in qua natus sum, &c. Idem habetur *Job cap.* 4. De pace vero ista, habetur in *Psalm.* 72. Zelavi super iniquos pacem peccatorum videns. *Ezech.* 13. Prophetæ deceperunt populum meum, dicentes, pax, pax, & non est pax, pax cum carne, pax cum mundo, & non est pax cum Deo.

pacem tibi, *a* nunc autem *b* abscondita sunt ab oculis tuis. Quia *c* venient dies in te, & *d* circumdabunt te inimici *e* tui *f* vallo, & *g* circumdabunt te, & *h* coangustabunt te undique, *i* & ad terram prosternent te, *k* & filios tuos, qui in te sunt. Et non *l* relinquent in te lapidem super lapidem, *m* eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Et *n* ingressus in

a Nunc autem] tempore lætitiæ tuæ.

b Abscondita sunt ab oculis tuis.] supple mala imminentia tibi, quæ sequuntur in littera, quæ si prævideres, non rideres, sed lugeres. Sicut dicere consuevimus his, quos in prosperis florere videmus, ac si dicamus, modo habetis diem vestrum, sed nescitis quid pariat crastina dies. *Eccl.* 41. Memento, quę ante te fuerunt, idest, peccata, quæ fecisti, & quæ superventura sunt tibi, idest, supplicia æterna, Abscondita sunt, inquam, ab oculis tuis, quæ sequuntur, scilicet: *c* Quia venient dies in te,] idest, contra te. *Beda*: Ecce pœnam, quam imminentem ignorat, *d* Et] pro, idest, [circumdabunt te inimici tui.] *Bed.* Romani principes.

f Vallo,] Ad litteram dicuntur Romani tres aggeres fecisse circa Jerusalem capiendam.

g Et circumdabunt te, & coangustabant te] quasi [undique,] eris obsessa.

i Et ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt,] idest cives tuos, alios occident, alios captivabunt, *l* Et non relinquent in te lapidem super lapidem,] quasi funditus everteris. Et subdit causam eversionis.

m Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ,] idest visitatorem tuum, *Jer.* 8. Milvus in cœlo cognovit tempus suum, &c. Vel, [Tempus visitationis tuæ,] *Beda*. Quo Deus visitat, vel miraculo, vel præcepto. Ad litteram factum est, sicut Dominus prædixit, quia Jerusalem funditus eversa est, non reædificanda in æternum, juxta vaticinium. *Is.* 5. Diripiam maceriam ejus, & erit in conculcationem. Post eversionem quidem Romanorum, postquam redierunt Romam Judæi, qui in speluncis, & silvis latuerant, redierunt ad civitatem suam, & cœperunt venerari loca sancta, & reædificare, quod audientes Romani, miserunt Ælium Adrianum, qui funditus eam evertit, ita, quod lapis super lapidem non remansit, & datum est edictum a Romanis, ne quis Judæorum intra marinas partes habitaret. Postea Ælius ædificavit modicam civitaticulam, ubi moderna civitas est sita, & a nomine suo Æliam denominavit, & longo tempore sic dicta est. Constat ergo primitivam urbem non esse reædificatam, cum in alio loco Ælius ædificaverit, & nomen mutaverit. Et quod in alio loco sita sit, quam illa primitiva, apparet ex hoc, quia locus, in quo crucifixus est Dominus, & hortus, in quo sepultus est, modo sunt in medio civitatis, & tunc erant extra, sicut & patibula furum, in quibus rei suspenduntur, modo sunt extra civitatem.

Mystice. Mystice, exponitur hoc. *d* Et circumdabunt te] O Ecclesia. *e* Inimici tui] *Gloss.* Romani principes.

f Vallo,] idest, avaritiæ profunditate. *g* Et circumdabunt te] muro malitiæ. De quo in *Ps.* 17. In Deo meo transgrediar murum. *h* Et coangustabunt te undique,] ex avaritia, & malitia, omnes opprimendo, tam majores, quam minores, hoc est undique. *Ezech.* 22. Principes ejus in medio ejus, scil. Jerusalem, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & perdendas animas, & avare sectando lucra. *i* Et ad terram prosternent te] calumnias faciendo. *Mich.* 3. Væ, qui ædificatis Sion in sanguinibus, &c. Et postea infert. Propter hoc causa vestri Sion, quasi ager arabitur, & Jerusalem quasi acervus lapidum erit, idest, sine cęmento charitatis, unus opprimens alium. Sed *Gloss. Bedæ* exponit hoc moraliter de anima. *Bede*: Quod Dominus secundum historiam, &c. Et est summa'. Quasi Dominus quotidie flet super Jerusalem, non in se, sed in membris suis, dum viri sancti plangunt peccata malorum, quia quasi frixoria sanctorum sunt peccata impiorum: Quia sicut cremium in patella frigitur, & arescit frixum, & desiccatur, ita charitas propter proximorum peccata miro modo angustiatur, qui tamen peccatores nesciunt cur plangantur, sed ducunt dies lætos in abundantia temporalium, quia promptuaria eorum plena, &c. Sed tali animæ dicit Dominus. *c* Venient dies] mortis, scilicet, [in te] quando demones animam a corpore extrahent, vel extractam rapient. Unde *sup.* 12. Stulte, &c.

d Et circumdabunt te inimici tui,] idest, dęmones.

h Et coangustabunt te,] idest, omnia peccata tua ante oculos tuos replicabunt in tuam condemnationem, & confusionem.

i Et ad terram prosternent te,] quia caro in pulverem redigetur, & anima in infernum detrudetur in societatem dæmonum, ut pariter cum eis damnetur.

k Et filios tuos,] idest, opera tua, vel imitatores tuos tecum adducent, ut sint socii in pœna, qui fuerunt in culpa. *l* Et non relinquent in te lapidem super lapidem,] idest, cogitationem super cogitationem, quæ contra te non adducatur. *Sap.* 4. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent ipsos ex adverso iniquitates illorum. Qui enim pravis cogitationibus alias superaddit, quodammodo lapidem super lapidem ponit. Sed omnis talis plantatio sive ædificatio, quia non plantavit eam Deus pater, eradicabitur. *Greg. in moralibus*: Quomodo angustæ viæ erunt undique reprobis. Superius erit judex iratus, subtus horrendum chaos, a dextris peccata accusantia, a sinistris infinita dęmonia ad infernum trahentia, intus conscientia urens, foris mundus ardens. Miser peccator sic deprehensus quo effugiet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Si quæris, quis te accuset? Dico totus mundus, quia offenso Creatore omnis creatura habet perditum odio. Ecce qualem obsessionem habebit peccator, & hoc ideo, quia non cognovit tempus visitationis suæ, quo, scil. Deus aliquando visitat, præcepto, scil. mittendo prædicatores, aliquando flagello, quia grandinat vineas malorum, & necat armenta, ut ita resipiscant, aliquando etiam miraculo, ut in primitiva Ecclesia,

Matth. 24. *Marc.* 13. *Joan.* 1.

Item: [Non relinquent in te lapidem super lapidem,] ruinam turrium, & domorum, atque castrorum, quæ faciunt clerici, & Prælati de patrimonio Crucifixi: Prophetat hic Dominus, & ita fiet sine dubio, quia verus Propheta est Dominus. *Amos* 3. Circumietur terra, idest, Ecclesia, & extrahetur fortitudo tua ex te, & diripientur ædes tuæ. Et postea dicit: Amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram, & percutiam domum hyemalem cum domo æstiva, & peribunt domus eburneæ, & dissipabuntur turres multæ dicit Dominus. Ubi dicit hoc Dominus? *Marc.* 13. Vides has omnes magnas ædificationes. Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruetur. Sed non sine malo eorum, qui ædificaverunt. *Habac.* 2. Lapis de pariete clamabit contra eos, qui posuerunt eum in muro, cum deberent dare pauperibus, quia erant de patrimonio Crucifixi, & lignum, quod est junctura ædificiorum, respondebit, væ, qui ædificat, idest, væ ei, qui me ædificavit. Sequitur:

n Et ingressus, &c.] *Beda*: Post enumerata mala, ingressus in templum eiicit vendentes, & ementes, per hoc innuens, quod ruina populi maxime ex sacerdotum culpa fuerit. Dum enim vendentes, & ementes percutit, ostendit, unde radix perditionis processit. Et hoc est [Et ingressus in templum.]

Moraliter. Moraliter. Primo declinavit ad Ecclesiam docens nos similiter facere. *Malach.* 6. Primum quærite regnum Dei. *Chrysostom.* Proprium erat boni filii, ut veniens primo ad domum curret patris. Et *infra*: Tu autem imitator Christi factus cum in aliquam ingressus fueris civitatem, primum ante omnem actum ad Ecclesiam curras.

Item *Chrys.* Bonus medicus ad originem Passionis intendit. Nam sicut de templo omne bonum egreditur, sic de templo omne malum procedit. Et ita cor, & stomachus in corpore Ecclesiæ sacerdotes intelliguntur. *Is.* 1. De regibus: Omne caput in dolore, de sacerdotibus autem: Omne cor in tristitia, qui si peccaverint totus populus convertitur ad peccandum. Unusquisque enim Christianus pro suo peccato reddet rationem, sacerdotes autem non tantum pro suis sed, & pro omnium subditorum peccatis. Quemadmodum enim videns arborem pallentibus foliis marcidam, intelligis, quod aliquam causam habeat circa radicem, ita cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quod sacerdotium ejus non est sanum.

a Cœpit

a Cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes,] *Hier.* Ardore Sp. Sancti concitatus. Unde *Ps.* 68. Zelus domus tuæ comedit me. Alia vice ejecerat similiter, quia post miraculum mutationis aquæ in vinum, pascha sequenti, quod solus Joannes narrat 2. De hac autem ultima ejectione, quæ fuit in dominica palmarum, loquuntur tres simul Evangelistæ. *Matt.* 21. *Mar.* 11.

templum, a cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes, dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea b domus orationis est, c vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat quotidie docens in templo. Principes d autem sacerdotum, & e Scribæ, & f principes plebis g quærebant illum perdere, & non b inveniebant, quid facerent illi. i Omnis enim populus suspensus erat audiens illum.

C A P. XX.

ET k factum est, in una dierum l docente illo populum in m tem-

Lucas hic: Ad litteram, in primo atrio templi stabant loca venalia, ubi venditores, & campsores erant, quod fecerant fieri sacerdotes ex cupiditate, ut, sc. advenientes haberent paratum, quod offerrent, sicut alibi parati sunt burgenses, qui mutuant ad usuras, ut advenientes paratum habeant, quod tribuant libenter accipientibus. Utrobique avaritia sacerdotum reprehenditur. Unde *Matth.* 21. Intravit Jesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes, & mensas nummulariorum. Ibi *Gloss. Aug.* Altaria Dei sic vocat propter avaritiam sacerdotum. Quæ tanta erat, ut dicit *Hieron.* quod ipsimet vendebant animalia, & columbas, quas pauperes emebant ad offerendum, ut venditas postea reciperent oblatas. Et quia aliqui non habebant, unde emerent, ideo posuerunt ibi nummularios, a quibus mutuo acciperent pecuniam, qui quoniam non audebant proximis commodare pecuniam cum superrogatione usurarum, saltem commodabant eis sub nomine collibiorum. Et dicuntur collibia, munuscula fructuum, Et hos etiam ejecit Dominus. Ista avaritia sacerdotum quotidie crescit, unde tota Ecclesia destruitur, & polluitur. *Jer.* 23. A Prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram. *Ezech. cap.* 22. Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam, quam fecisti. Loquitur ad Jerusalem, idest, Ecclesiam. Unde sequitur: Conjuratio Prophetarum in medio ejus, sicut leo rugiens, capiensque prædam animas devoraverunt, opus, & pretium acceperunt, Sacerdotes contempserunt legem meam & polluerunt sanctuaria mea, Principes ejus, quasi lupi rapientes prædam, Quia ergo volebat Dominus eiicere de Ecclesia sua omnem avaritiam, de templo mercatores, & nummularios eiicit. *Zach. ult.* Non erit ultra mercator in domo Domini. *Chrys.* Qui voluerit esse mercator, proiiciatur ab Ecclesia, dicente Propheta, Quia non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini. Sicut enim, qui ambulat inter duos inimicos, sine maliloquio esse non potest, quia necesse est, ut vel isti de illo, vel illi de isto male loquantur, sic qui emit, & vendit sine perjurio esse non potest. Unde *Eccl.* 26. Difficile exuitur negotians a negligentia sua, &c. *Beda*: In templa emunt, qui, quod facere debent, contemnunt, & a patronis peccata redimunt.

Isa. 56. *Jerem.* 7. *Matth.* 21. *Marc.* 11.

Mistice. Mystice vero, ementes, & vendentes in templo sunt simoniaci, qui Sacramenta, aut beneficia Ecclesiastica sub pretio ponunt emendo, vel vendendo, & isti ejecti sunt de Ecclesia, si non numero, tamen merito. Unde *Versus*,

Qui sacra venundant, vel pro sacro pretium dant.
Hos procul expello, facto de fune flagello.

Lev. 10. Arreptis Nadab, & Abiu filii Aaron thuribulis imposuerunt ignem, & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat, egressusque est ignis a Domino, & devoravit eos, & mortui sunt. *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. Dicit ergo:

a Cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes, dicens illis, Scriptum est] *Isa.* 56. [Quia domus mea] Hic aperte ostendit se Deum, quia templum solius Dei est, Et tradunt Sancti, quia quidam fulgor luminosus, quidam, sc. splendor inæstimabilis egrediebatur de oculis ejus, Ita ut nemo auderet eum intueri, ita ut omnes invitos eiiceret, nec auderent ei resistere.

b Domus orationis est,] *Chrys.* In Ecclesia Dei non debent esse nummi nisi spirituales, qui Dei imaginem habent, non qui portant imaginem terræ. *Aug.* Nemo in oratorio aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde & nomen accepit.

c Vos autem fecistis illam speluncam latronum.] *Beda*: Quia ad hoc residetis in templo, ut vel non dantes munera corporaliter persequamini. *Mich.* 3. Si quis non dederit in ore, &c. Vel spiritualiter dantes necetis. *Nehemiæ ult.* Recordare, Domine Deus meus, adversus eos, qui polluunt sacerdotium, jusque sacerdotale, & leviticum. *Jer.* 7. Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego, ego sum, ego vidi, dicit Dominus. *Osee* 6. Galaad civitas operantium idolum supplantata sanguine, & quasi fauces virorum latronum, &c. Et *inf.* In domo Israel, idest, in Ecclesia vidi horrendum, ibi fornicationes Ephraim, i. rapina, & usura, ex quibus ubertas. *Is.* 1. Principes tui infideles, socii furum. *Hier.* Caveamus ne ab illis accipiamus munera, qui de lacrymis pauperum congregant divitias, ne simus socii furti.

A

Moraliter. Moraliter, Secundum *Gloss. Bedæ*, domus Dei est conscientia fidelium, quam facit speluncam latronum, qui, relicta simplicitate sanctitatis, illud meditatur agere, unde proximum innocentem possit lædere. Sed e contra Dominus mentes fidelium ad cavenda mala erudit, sequitur: [Et erat quotidie docens in templo.]

d Principes autem sacerdotum,] scil. qui toti præerant Synagogæ.

e Et Scribæ,] qui doctores legis dicuntur.

f Et principes plebis] i. minores sacerdotes.

g Quærebant illum] scil. Jesum [perdere,] *Beda*: Quia quotidie docebat in templo, & eiiciebat latrones, & recipiebat laudem turbarum, & ideo certe non poterunt eum sustinere, quia arguebat opera eorum mala. *Sap.* 2. Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, &c. Isti etiam adhuc quotidie perdunt, & occidunt Christum, non semel, sed sæpius in cordibus hominum per mala exempla. *B. Bern.* O bone Jesu, totus mundus videtur contra te conjurasse & hi primi sunt, qui videntur regere populum, dirigere principatum, 1. *Esd.* 9. Non est separatus populus Israel, idest, Clerici, & sacerdotes, & Levitæ a populis terræ, idest, a laicis, & de abominationibus eorum, commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum, manus etiam principum, & magistratuum fuit in transgressione hac prima.

h Et non inveniebant, quid facerent illi.] idest, causam mortis non invenerunt in eo. *Beda*: Ideo non poterant illum perdere, quia timebant tumultum populi. Vel ideo volebant eum perdere, quia neglecto suo magisterio, totum populum videbant ad ejus doctrinam confluere. Unde sequitur.

i Omnis enim populus suspensus erat audiens illum.] idest, intente audiebat illum. *Job cap.* 7. Suspendium elegit anima mea, idest, sursum pendere non deorsum in cloaca. *Chrysostom.* Quando boni laudantur, mali invidia cruciantur. Et *inf.* Invidia sibi soli nociva est, alterum enim non gravat, sed commendat. Unde *Sen.* dicit; Utinam invidi oculos haberent in omni civitate, ut felicitatibus omnium torquerentur.

E X P O S I T I O C A P. XX.

ET factum est in una die, &c.] Hoc cap. totaliter est de Judæorum confutatione. Et dividitur in quinque partes. In prima versutam interrogationem eorum sua interrogatione elidit, ut sic vel suo silentio, vel sua sententia condemnentur. In secunda ponit parabolam vineæ, ubi Judæos impietatis arguit, & regnum a Judæis transferendum ad gentes ostendit, ibi [Cœpit autem dicere.] In tertia Pharisæos, & Herodianos missos a principibus sacerdotum ad observandum Jesum, ipsemet respondendo confutat, ibi [Et quærebant principes.] In quarta errorem Sadducæorum eorum interrogationi respondens elidit, ibi [Accesserunt autem quidam.] In quinta ostendit illum, quem Judæi Messiam expectant, non solum hominem, sed & verum Deum esse, ibi [Dixit autem ad illos.] Dicit ergo: k Et factum est in una dierum] vel in ipso die palmarum, vel in crastinum post maledictionem ficus, ut quidam dicunt. l Docente illo populum] Non sacerdotes, aut scribas, qui nolunt doceri veritatem, sed magis docere errorem. *Job* 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus. m In templo] non in occulto. *Joann. cap.* 10 8. Palam locutus sum mundo, ego

sen-

semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.

a Et evangelizante,] illo [convenerunt] non ut docerentur cum populo, sed ut docentem occiderent.

b Principes sacerdotes, & scribæ cum senioribus,] qui ei potissime invidebant, quia videbant se per illum contemni. Unde *Chr.* Dicebant sacerdotes apud se: Nos fuimus columnæ templi, & ecce super illum tota modo recumbit Ecclesia. Nos fuimus jacentium Scripturarum quasi lingua visibilis, & ecce ille resonat in medio templi, & nos contempti quasi cithara dissipata tacemus. Nos fuimus patres, modo ille generat filius, & nos steriles sumus. *c* Et ajunt, &c.] Ex hoc patet, quia dubitabant, an esset Dei filios. *Bed.* De Dei potestate dubitant, & subintelligi volunt diaboli esse. Unde dicunt. [In qua potestate.] *Chr.* An Beelzebub. *Matt.* 12. In Beelzebub principe dœmoniorum ejicit dœmonia. *d* Hæc facis,] *Chr.* q. d. tu de sacerdotali familia non es, senatos tibi hoc non donavit, nec Cæsar: Ergo. *e* Quis est, &c.] *Dan.* 7. Potestas ejus, potestas æterna, *Rom.* 13. Omnis potestas a Deo. Ipsi autem sciebant testante conscientia eorum, quod ipsi non ex Deo, sed magis ex diabolo faciebant, quod faciebant, & ideo eum consimilem sibi putant. Unde *Chr.* Omnis homo secundum se æstimat alterum, fornicarius neminem putat esse castum, castus non facile de fornicatione suspicatur, superbus neminem putat humilem, humilis neminem putat superbum: Sic qui non ex Deo sacerdos, nullius sacerdotium putat ex Deo. Unde putas fieri, ut invicem se contemnant sacerdotes, nisi quod per ambitionem facti sacerdotes, omnes tales æstimant, quales sunt ipsi. Sacerdos qui secundum Deum est, omnem sacerdotem timet offendere. *f* Respondens autem, &c.] quia non ad discendum, sed ad fallendum interrogaverant eum sacerdotes, ideo noluit eis respondere plane, sed eis prudenter respondendo silentium imposuit, judicans eos indignos fuisse sua responsione. Unde *Chr.* Quid prodest cæco monstrare pulchritudinem, interrogatorem oportet docere, tentantem retundere. Sic etiam Dominus respondit diabolo tentatori. Cum enim dixisset: Si filius Dei es, mitte te deorsum: Scriptum est enim, quoniam Angelis suis, &c. Ait illi Dominus: Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum, *sup* 4. Item non erat conveniens, ut sanctum daret canibus, & margaritas suas spargeret ante porcos, quia hoc prohibuit ipse *Matth.* 7. Unde *Chr.* Quia ipse dixit: Nolite sanctum dare canibus, non decebat, ut ipse transgrederetur præceptum, quod posuit. *Ps.* 148. Præceptum posuit, & non præteribit. Item secretum non est revelandum extraneis. *Is.* 24 Secretum meum mihi, secretum meum mihi. In hoc etiam instruit nos Dominus, potestatem nostram potius tacere, quam ostendere. *Prov.* 27. Laudet te alienus, & non os tuum. Item ideo non respondit eis, sed interrogavit, ut per eorum responsionem ipsos confutaret. Unde *Bed.* Poterat aperta ratione tentatorum calumniam confutare, sed prudenter interrogat, ut vel suo silentio, sicut factum est, vel sua sententia condemnentur, sc. si eam proferrent. Item ideo non respondit, quia minus capaces erant, & quia indigni erant. Unde *Gl. Bed.* Propter duas causas veritas quærentibus est abscondita: Vel quia minus capaces sunt ad audiendum. Unde dicitur: Multa habeo vobis dicere, &c. *Jo.* 16. Vel quia ex odio, vel contemptu quærunt. Unde dicitur: Nolite sanctum dare canibus. *Matt.* 7. Vel ideo non dixit in qua potestate hoc faciebat, quia Joannes hoc dixerat eis, quem sciebant esse Prophetam, & tamen ex invidia non credebant. Dicit ergo. *g* Respondete mihi, &c.] i. ex statuto Dei. *h* An ex hominibus?] i. ex hominum fictione. Ipsa opera, & verba Joannis ostendebant, quod de cœlo erat, quoniam tantum de cœlestibus loquebatur. *Jo.* 3. Qui de terra est, de terra loquitur, qui de cœlo venit, super omnes est. *i* At illi cogitabant] non invenientes responsionem pro se. *k* Intra se, &c.] mihi testimonium perhibenti? *Jo.* 5. Et revera ipsi non crediderunt Joanni.

plo, *a* & evangelizante, convenerunt *b* principes sacerdotum, & scribæ cum senioribus, & *c* ajunt dicentes ad illum: Dic nobis in qua potestate hæc *d* facis, *e* aut quis est, qui dedit tibi hanc potestatem? *f* Respondens autem Jesus dixit ad illos: Interrogabo vos & ego unum verbum. *g* Respondete mihi: Baptismus Joannis de cœlo erat, *h* an ex hominibus? At illi *i* cogitabant *k* intra se dicentes: Quia si dixerimus: De cœlo, dicet: Quare ergo non credidistis illi. Si *l* autem dixerimus ex hominibus, *m* plebs universa lapidabit nos: Certi sunt enim, Joannem Prophetam esse. Et *n* responderunt, se nescire, unde esset. Et *o* Jesus ait illis: Neque ego dico vobis, in qua potestate hæc facio. Cœpit *p* autem dicere ad plebem *q* parabolam hanc: *r* Homo

Matth. 11. Venit Joannes non manducans, neque bibens, & dicunt dœmonium habet. *l* Si autem, &c.] q. d. & ex invidia illius etiam Joanni derogaverimus. *m* Plebs universa lapidabit, &c.] imo fuit plus quam Propheta, & revera solus Joannes est Propheta. *Gregor.* Officium prædicandi assumere non debet, qui charitatem ad proximum non habet. Et *Bed.* Timentes lapidationem, sed magis timentes veritatis confessionem. *n* Et responderunt, &c.] *Chr.* Mendacia si non habent, quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur. Unde *Ps.* 26. Mentita est iniquitas sibi. *o* Et Jesus, &c.] *Bed.* Non dico vobis, quod scio, quia non vultis fateri, quod scitis. Sequit. *p* Cœpit autem, &c.] Dominus fleverat super civitatem prævidens ejus captivitatem, necnon & causam ruinæ subjunxerat, avaritiam, scilic. sacerdotum. Sed quia interserta quæstio ruperat ejus doctrinam, ideo per objectam quæstionem, cui non audent respondere, confutavit eorum interrogationem, imponens eis silentium. Finito ergo hoc incidenti, hoc enim quasi incidens fuit in doctrina Domini, scilic. proposita ab eis interrogatione, & dominica objectione, redit Dominus ad doctrinam propositam, subdens aliam causam ruinæ Jerusalem, scil. mortem suam. In ultionem enim sanguinis ejus destructa est a Romanis, & funditus eversa. Hanc autem causam eversionis per subjectam parabolam ostendit. Et hæc est secunda pars cap. in qua Judæos arguit impietatis. Hoc autem fecit Dominus, ut ipsi pœniterent de malo suo, & ipse de suo proposito similiter pœniteret, i. sententiam commutaret, secundum quod dicitur *Jer.* 18. Si pœnitentiam egerit gens illa de malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod locutus sum, ut facerem ei. Dicit ergo. [Cœpit autem, &c.] quæ eum libenter audiebat. *Eccl.* 32. Ubi non est auditus, non effundas sermonem. *q* Parabolam hanc:] i. similitudinem aliud significantem. Sed quare ad plebem, cum de ipsis principibus sacerdotum male loqueretur? nobis enim non licet, cum loquimur laicis, mala loqui de clericis, vel e converso, quia ex tali prædicatione nulla sequitur utilitas, sed potius scandalum. Resp. Principes sacerdotum populum corrumpebant, ideo ut caveret sibi populus, quales erant ipsi principes sacerdotum ostendit Dominus. Præterea ipsi principes præsentes erant in templo. *r* Homo quidam, &c.]

Mystice. Mystice. Iste homo, Deus pater est. Unde *Chr.* Nemo æstimet Christum ideo habuisse humanam naturam tantum, quia dictus est homo: Nam & pater dictus est homo, ut sic filius liberaretur a blasphemiis hæreticorum. Vinea est Ecclesia de multis hominibus, quasi de multis vitibus congregata. De qua *Is.* 5. Vinea Domini sabaoth domus Israel est. Hanc vineam pater plantavit, quando ad fidem homines congregavit. *Is.* 5. Facta est vinea dilecto meo in cornu filio olei, & sepivit illam, & elegit lapides ex ea, & plantavit vineam electam, & ædificavit turrem in ea, &c. Sepes est custodia Angelorum. Lapides quos elegit ex ea sunt Judæi, gentiles, hæretici, & omnes infideles quos projecit Dominus de Ecclesia. Turris est lex, de qua dicitur *Cant.* 4. Sicut turris David collum tuum, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Torcular est Crux, ubi pressus est botrus ille, quem duo viri in vecte detulerunt ad populum in deserto. *Num.* 13. *Is.* 43. Torcular calcavi solus. Coloni, quibus vineam locavit Dominus, sunt sacerdotes. Unde *Chr.* Coloni quidem sunt sacerdotes, qui curam populi susceperunt ad magnam gloriam, vel ad grande periculum. Ad gloriam si diligenter, ad periculum si negligenter egerint. Si enim qui procurationem suscipit terrenorum, debet timere periculum pro negligentia, cum servit potenti, quanto magis qui de manu Dei susceperunt animas sanctas. Et ne sacerdotes viderentur aliquid pro Deo fecisse, cum suscipiunt animarum curam, ideo addit *Chr.* Non sacerdotes præstant Domino docentes populum ejus, sed Deus sacerdotibus committendo populum. Mercedem enim doctrinæ acquirere non poteramus, nisi procuratio populi nobis commissa fuisset. Et sicut colonus

quamvis de suis obtulerit munera, non sic placat dominum suum, sicut si de vinea sua redditus offerat, ita Sacerdos non tantum placet Deo propter justitiam suam, quantum si populum sanctitatem Dei docuerit. Item *Chr.* Sacerdos non tantum placet Deo propter suam justitiam, quantum pro populi sanctitate, quia sua justitia una est, populi autem multiplex. Et hoc est. *a* Homo quidam,] idest, Deus pater. *b* Plantavit vineam] i. construxit Ecclesiam. *Jer.* 2. Ego te plantavi vineam electam, omne semen verum. *c* Et locavit eam colonis,] i. sacerdotibus colendam commisit: Quoniam quidam hora prima, alii hora tertia, alii hora sexta, & nona, alii undecima ad colendam hanc vineam sunt conducti, ut dicitur *Matth.* 20,

a quidam *b* plantavit vineam & *c* locavit eam colonis, & *d* ipse peregre fuit *e* multis temporibus. Et in *f* tempore illo misit *g* ad cultores *h* servum, ut *i* de fructu vineæ darent illi. *k* Qui cæsum *l* dimiserunt eum inanem. Et *m* addidit alterum servum mittere, Illi *n* autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem. Et *a* addidit tertium mittere, qui & illum vulnerantes ejecerunt,

d Et ipse peregre fuit] in cœlo secundum carnem, quæ de terra est. *e* Multis temporibus.] usque ad diem judicii, & tunc veniet quærere fructum vineæ suæ, *Is.* 5. Plantavit vineam electam, & expectavit, ut faceret uvas, & fecit labruscas. *Beda* dicit, quod peregre fuit, qui ubique præsens est, quia vinitoribus liberum operandi reliquit arbitrium. *Eccl.* 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. *Ambr.* Qui ubique præsens est, diligentibus se præsentior est, negligentibus abest, & longo tempore abfuit, ne propterea videretur exactio. Nam quo indulgentior libertas, eo inexcusabilior est pervicacia. *f* Et in tempore illo] vindemiæ colligendæ, non collectæ, quia nulla, vel modica fuit, ut dicit *Hier.* *g* Misit ad cultores] i. ad Sacerdotes, & alios Prælatos, qui sunt cultores vineæ Domini, i. Ecclesiæ, quam tamen non colunt. Unde *Aug. in lib. contra quinque hæreses.* Ubi estis, o boni agricolæ? quid agitis? quare vacatis? videtis, quo malo plena sit terra, hinc spinæ, hinc tribuli, hinc fœnum surgit? Spinas incendite, tribulos eradicate, fœnum siccate, semina bona spargite. Sed quibus hoc dico? O ubi estis fontes lacrymarum? Quibus agricolis loquar? Alii sunt mortui, alii sunt fugati, terra tradita est in manus impii, ut dicit *Job* 9. & *Prov.* 24. Per agrum hominis pigri, idest, per episcopatum, sive parochiam sacerdotis pigri, transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, i. peccata luxuriæ, & operuerunt superficiem ejus spinæ, i. peccata avaritiæ. Hoc autem totum est propter negligentiam, vel malitiam colonorum, idest, Sacerdotum, & Prælatorum, Unde *Jer.* 23. Egressa est pollutio a Prophetis Jerusalem super omnem terram.

h Servum,] i. prædicatorem aliquem, vel legatum, *Abdiæ* 1. Auditum audivimus a Domino, & legatum ad gentes misit, *B. Bern.* Eunt, & redeunt legati, quid autem boni fecerint, non audivimus. Forte audivissemus, nisi præ auro Hispaniæ salus hominum valuisset, Ad quid autem misit servum, dicit.

i Ut de fructu, &c.] Secundum *Hier.* fructus vineæ est obedientia Ecclesiæ, quam debet dare servo Domini, i. prædicatori, secundum quod legitur *Job ultim.* Venerunt ad Job omnes fratres sui, & universæ sorores ejus, & universi, qui noverant eum prius, & dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem unam, idest, vitæ innocentiam, & obedientiam.

k Qui cæsum] verbis, aut verberibus.

l Dimiserunt eum inanem,] idest, vacuum sine fructu, *Jer.* 14. Majores miserunt minores suos ad aquas, venerunt ad hauriendum, & non invenerunt aquam, reportaverunt vasa sua vacua, & confusi sunt contumeliis, & afflicti sunt injuriis. *Chrys.* Qui servis facit injuriam, Dominum inhonorat. *m* Et addidit alterum, &c.] Hic bonitas, & patientia Dei notatur, quia passus injuriam non cessit a beneficiis. Unde *Chrys* Homo si passus injuriam semel fuerit, minuitur ejus affectus, si iterum, magis minuitur amicitia, vel certe non crescit, Dei autem misericordia quanto amplius offendebatur a Judæis, tanto augebatur. *n* Illi autem, &c.] 1. *Cor.* 4. Puto, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Et *inf.* Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus. a Et addidit, &c.] *Hebr.* 11. Alii ludibria, & verbera experti sunt, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, &c. *sup.* 6. Beati eritis, cum vos oderint homines, &c. Aliter & magis secundum intentionem literæ potest hic sumi mysterium, ut per vineam intelligatur Synagoga ante adventum Christi. *Is.* 5 Vinea Domini sabaoth domus Israel est. *Ps.* 79. Vineam de Ægypto transtulisti. Hanc vineam, i. Synagogam plantavit Dominus. Unde sequitur: Ejecisti gentes, & plantasti eam, *Chrys.* Excidit primum infructuosas arbores, idest, Amorrhæos. Item posuit in ea colonos, i. Judæos, qui seipsos excolerent. Unusquisque enim debet esse colonus animæ suæ, & ei virtutes inserere, vitia extirpare. Tales coloni significantur in alia parabola per operarios conductos. Hora prima intelliguntur illi, qui seipsos excolere incipiunt in ætate primæva, sc. in pueritia: Alii differunt usque ad adolescentiam, alii usque ad decrepitam ætatem. Sed quia Dominus dicturus est in parabola, quia coloni cognoverunt hæredem, ideo per colonos necesse est intelligere ipsos etiam doctores synagogæ. Peregrinatur autem Dominus a nobis, vel ab ipsis Judæis, quandiu sustinet, nec peccata ulciscitur.

Mystice. Per vineam intelligitur Synagoga,

Primus autem servus quem misit Dominus ad cultores vineæ est Moyses legislator, qui vineam, i. synagogam quadraginta annis in deserto excoluit, nec tamen sub eo fructificavit, quem cæsum dimiserunt, i. ipsum exacerbaverunt usque adeo, ut cum Dominus promitteret se daturum aquam de petra, ipse Moyses dubitaret, & inanem dimiserunt. Unde *Ps.* 105. Irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.

Item: Vexatus est Moyses propter eos, i. Judæos & maxime propter majores, qui contra ipsum murmurabant. Unde *Num.* 16. Murmuravit omnis multitudo filiorum Israel contra Moysen, & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini.

Secundus servus est David psalmista, qui post Moysen colonos vineæ psalmodiæ modulamine, & citharæ dulcedine ad exercitium boni operis invitavit, vel distinguebat, sicut in psalmis exponitur, ut per modulationem psalmodiæ, quæ fit tactu manuum, intelligatur bona operatio, per citharæ dulcedinem carnis mortificatio, Sed etiam istum servum contumeliis affecerunt. Unde 2. *Regum* 16. Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial, reddidit Dominus sanguinem universum domus Saul, quoniam invasisti regnum pro eo. Item 2. *Regum* 20. Indignata est tribus Ephraim, quæ erat potentissima, & dixit: Non est nobis pars in domo David, neque hæreditas in filio Isai. Item 3. *Reg.* 12. Quæ nobis pars in David, vel quæ hæreditas in filio Isai? Ac si dicerent, cum filio cujusdam rustici. Et multis aliis contumeliis affecerunt eum, & inanem dimiserunt, quia nihil pro ejus admonitione fecerunt.

Tertius servus est chorus Prophetarum, qui populum Judaicum corripiebant, & quæ mala essent ventura vineæ, prædicebant. Sed & istum servum occiderunt. Isaiam enim serraverunt, Jeremiam lapidaverunt, Ezechiel excerebraverunt. Sed quid fecerunt isti servi sic afflicti, & affecti? Nunquid vineam dimiserunt, aut contra persecutores suos murmuraverunt, aut malum imprecati sunt eis? Certe non, imo pro vinea rogaverunt, & pro persecutoribus suis, nobis prædicatoribus dantes exemplum. De Moyse legitur *Exod.* 32. quod dixerit Domino: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti? Et iterum: Obsecro, Domine, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos alienos, &c. Et David similiter oravit pro vinea sua, dicens: Deus virtutum convertere, &c. Item Samuel Propheta. 1. *Reg.* 12. Absit peccatum, &c. Et tamen projecerunt illum a dominio suo. Sic etiam Paulus pro Judæis, qui eum persequebantur, orabat. Unde *Rom.* 9. Optabam anathema esse, &c. Moral. autem vinea est anima. Cultor vineæ est quilibet homo, qui debet esse cultor, & custos animæ suæ. Unde *Cant.* 1. Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. Tres servi a Domino missi, sunt, bona cogitatio, sanctum desiderium, bonum propositum. Sed hi servi occiduntur, cum per contraria suffocantur. Vel contumeliis afficiuntur, cum dæmonum suggestionibus, vel pravorum consiliariorum monitionibus retardantur, Filius autem qui ultimo mittitur, est gratia quæ facit filium. Sed occiditur, cum peccatum

Moral.

mortale,

mortale admittitur. *Jer.* 11. Mittamus lignum in panem ejus, idest, peccatum in gratiam, & eradamus eum de terra viventium. 1. *Thess.* 5. Spiritum nolite extinguere, Sequitur.

a Dixit autem Dominus vineæ.] Mystice, idest, Deus pater.

Dixit *a* autem Dominus vineæ. *b* Quid faciam? *c* Mittam filium meum dilectum, *d* forsitan, cum hunc viderint, verebuntur. *e* Quem cum vidissent coloni, *f* cogitaverunt intra se, *g* dicentes: Hic est hæres. *h* Occidamus illum, ut nostra fiat hæreditas. Et *i* ejectum illum extra vineam *k* occiderunt. *l* Quid ergo faciet illis Dominus vineæ? *m* Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. *n* Quo audito, dixerunt illi: Absit. *o* Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc, quod scriptum est: *p* Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

b Quid faciam] Non quærit, quia dubitet, sed ut me instruat in faciendis deliberare, & quærere consilium. De primo *Prov.* 4. Oculi tui videant recta, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. De secundo. *Eccl.* 32. Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.

c Mittam filium meum dilectum.] *Chrysost.* Non cum sententia ultionis, sed cum patientia veniæ. Mittam, inquam, ad vineam excolendam. *Is.* 5. Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? *Jo.* 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. 1. *Jo.* 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut nos vivamus per eum.

d Forsitan, cum hunc viderint, verebuntur.] Forsitan, non dicit hic dubitationem loquentis, sed libertatem eorum, de quibus fit locutio, quasi dicat, in eorum arbitrio est, utrum revereantur, vel non. Ex isto tamen verbo insultat *Augustinus* hæreticis, & suggillat eos, volentes arguere filium non esse scientem omnia, & ita non esse Deum, quia ipse ore proprio fatetur, se nihil de die illa. Hic ex persona patris dicitur: Forsitan verebuntur filium meum: Ergo pater fatetur ore proprio se dubitare: ergo non est sciens omnia, & ita non est Deus. Quidquid ergo dicit *Aug.* dicitur in defensionem, & excusationem patris: ego idipsum dicam in defensionem & filii: ita obviat *Aug.* hæreticis.

e Quem cum vidissent coloni,] i. principes sacerdotum, & Scribæ, & Pharisæi antiqui, & moderni, quibus commissa erat vinea excolenda.

f Cogitaverunt intra se,] non quomodo reciperent, & honorarent dominum suum, sed qualiter occiderent. *Joann.* 11. Collegerunt principes sacerdotum consilium adversus Jesum. *Chrys.* Hæc cogitatio est omnium sacerdotum carnalium, qui non sunt solliciti, quomodo populus vivat, sed quid in Ecclesia offeratur.

g Dicentes: Hic est hæres.] non patri mortuo succedens, sed cum patre immortali totaliter possidens vineam, quam pater plantavit per ipsum, & possidet cum ipso, non duo Domini, sed unus. *Is.* 5. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.

h Occidamus illum, ut nostra sit hæreditas.] idest, ut plebs nobis obediat, & nos dominemur in ea. Hoc enim quærebant principes sacerdotum, ut populus, qui post Dominum ibat, eis, & non Domino obediret. *Joann.* 11. Quid facimus, quia hic homo signa multa facit: si dimittimus eum, &c. Et apparet ex hoc loco, sicut etiam dicit *Beda*, quod Judæi non per ignorantiam, sed per invidiam tradiderunt Jesum. Contrarium tamen videtur. 1. *Cor.* 2. Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Item *Act.* 3. Nunc scio, fratres, quod per ignorantiam fecistis sicut & principes vestri. Sed dicimus, quod ibi est regula Ticonii, quidam per ignorantiam, quidam per invidiam occiderunt, cum scirent ipsum esse Messiam in lege promissum. De quibus *Genes.* 37. Ecce somniator venit: venite occidamus eum. *Sap.* 3. Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris, &c.

i Et ejectum, &c.] i. extra Jerusalem. *Hebr.* 13. Extra portam passus est, exeamus igitur, &c.

k Occiderunt.] *Marc.* 12. Mutat ordinem dicens: Occiderunt, & ejecerunt extra vineam. Et nec ipsa mutatio ordinis a mysterio vacat, sed in hoc pertinacia eorum ostenditur, quia etiam occisum a se ejecerunt, cum Apostolos ad gentes transire compulerunt. Secundum autem ordinem, qui hic ponitur, notatur, quia a cordibus Judæorum prius est ejectus, deinde Cruci addictus.

l Quid ergo, &c.] Ipse Dominus respondet.

m Veniet, & perdet, &c.] *Matth.* 21. dicitur, quod Scribæ, quibus Dominus loquebatur, dixerunt hoc, sc. malus male perdet. *Marc.* 12. & *Lucas* hic videntur velle, quod ipse Dominus dixit hoc. *August. de concordia Evangelistarum* dicit, quod hoc dixit Dominus, & quædam pars Judæorum non intelligens parabolam, Scribæ vero intelligentes parabolam, dixerunt: absit. *Chrysost.* aliter solvit dicens, quod Judæi ore dixerunt, absit, corde vero dixerunt, quod malos male perderet. Unde Lucas ponit responsionem oris: Matthæus vero ponit responsionem cordis.

n Quo audito dixerunt illi,] i. Scribæ intelligentes parabolam, [absit.] Hoc dixerunt ore, nec est intelligendum, absit, ut occidatur, sed absit, ut vinea aliis detur, intelligunt enim vineam ad gentes transferendam, & hoc calumniantur. Quod ergo dicitur in Matthæo, & dixerunt, accipiendum est pro cogitaverunt: Non enim verbo expresserunt, sed cogitaverunt; quod malos male perderet, veniens & vineam aliis daret. Et licet verum haberent in conscientiis, quia gravabat eos, expresse negaverunt, dicentes: Absit. Unde dicit *Chr.* Lucas responsionem oris posuit [absit.] Matthæus vero responsionem cordis. Et *inf.* Posuit Deus quemdam spiritum scientiæ boni, & mali in hominibus, ut quotiescumque peccamus, ille in silentio quasi factum nostrum accuset, & tacite loquatur ad animam dicens: malum est hoc, & hoc bonum. Et *inf.* Intus autem discussa conscientia per spiritum confitetur, quod fecit. Unde *Sap.* 1. In cogitationibus impii interrogatio erit. Ecce servus deprehensus in furto, si interrogas utrum dignus sit cædi, dicit: non, conscientia tamen confitetur. Et *inf.* Frequenter Scriptura cogitationes cordis exprimit quasi dicta sermonis. *Job* 21. Qui dicunt Deo, recede a nobis. *Ps.* 93. Pupillos occiderunt, & dixerunt, non videbit Dominus. *Eccl.* 23. Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Item *Chrys.* Super illud verbum: Malos male perdet, dicit: Claritas veritatis violentiam fecit, ne possent celare, sicut sole sub nube constituto non est dubium, quod dies est, sed virtus solis penetrantis. Et *inf.* Væ animæ, quæ sibi defensorem conscientiæ non præparat in diem judicii, datur enim nobis exemplum per hoc judicium, ut consideremus futurum. Seq. *o* Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est, &c.] q.d. si non datur aliis, i. gentibus, quomodo implebitur prophetia, quæ prædixit, Christum a Judæis reprobandum, & ad gentes transferendum, ut uniantur duo parietes in ipso quasi lapide angulari, q.d. oportet vineam transferri, & prophetiam impleri. *Chr.* q. d. Si non intelligitis parabolam, intelligite hanc scripturam. Et *infra*. In quo ponetur ædificio? Nunquid in vestro, a quo reprobatus est? Non. Ergo aliud ædificium futurum, vestrum autem contemnendum. Ad litteram istud prædixit prophetice? Non enim ipse ædificavit templum, nec tempore suo fuit ædificatum, sed cum ædificaretur a Salomone, fuit allatus lapis magnus a loco, ubi lapides poliebantur, nec est inventus ei locus in toto ædificio, & ideo quasi reprobatus ab ædificantibus dicitur. Sed tandem in summo inventus est locus idoneus in conjunctione duorum parietum, & ideo dicitur angularis. Unde per illum lapidem significatur Christus, qui duos populos, & duo testamenta, quasi duos parietes, in se uno conjunxit. Unde *Ephes.* 2. Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. De hoc lapide dicitur *Job* 38. Quis demisit lapidem angularem? *Is.* 28. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem, probatum, pretiosum in fundamento fundatum. *p* Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.] Quos supra vocavit colonos, hic vocat ædificantes, i. Scribas, & Pharisæos, qui videbantur ædificare plebem. Vel etiam Prælatos, qui Ecclesiam, seu plebem quasi agrum excolere deberent, ad serendos fructus bonorum operum, & construere quasi domum, ut inhabitet Deus. Ecclesia ager est in activis, domus in contemplativis. 1. *Cor.* 3. Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. *Chrysostomus*. Ædificatores lapides nodosos dolant, ut cohæreant, & conveniant aliis, ita doctores vitia quasi nodos increpationibus virtutis circumcidere debent. Unde putas

sites in Ecclesia, inimicitias, altercationes, nisi propter avaritiam, propter vanos honores? Item meliores lapides extra sunt in ædificio, & aspiciuntur, ita in Ecclesia debet esse.

Omnis, *a* qui ceciderit supra illum lapidem, conquassabitur: supra quem autem ceciderit, comminuet illum. *b* Et quærebant principes sacerdotum, *c* & Scribæ *d* mittere in illum manus illa hora, & *e* timuerunt populum. *f* Cognoverunt enim, quod ad ipsos dixerit similitudinem istam. Et *g* observantes *h* miserunt insidiatores, *i* qui se justos simularent, ut *k* caperent eum in sermone, & *l* traderent eum principatui, & potestati præsidis. Et *m* interrogaverunt illum dicentes: *n* Magister, scimus, quia recte dicis, & doces, & non *o* accipis personam: *p* sed viam Dei in veritate doces; *q* Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?

a Omnis, qui ceciderit, &c.] lapis, sc. [comminuet illum.] Differentiam peccatorum ostendit hic Dominus. Nam quidam cadunt super lapidem, super alios cadit lapis. Super lapidem cadit, qui peccat venialiter, nec tamen fundamentum evertit. Iste concutitur, idest, aliquantulum læditur, qui super fundamentum fidei ædificat lignum, fenum, stipulam. Super illum autem cadit lapis, qui fundamentum evertit mortaliter delinquendo. Hi conquassantur, & non penitus conteruntur, quia adhuc per patientiam expectantur. *Rom.*2. Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Hanc distinctionem non habetis ex *Gloss.* quæ tamen aliis duobus modis distinguit, ut per eum, qui cadit super lapidem intelligas fidelem peccantem, per eum super quem lapis cadit, infideles intelligas, sc. Judæos, paganos, hæreticos, Hi penitus conterentur, quia nihil boni habent, quo valeant remunerari. *Senec.* Qui fidem perdit, nihil retinet. *Chrysost.* Aliud est confringi, aliud comminui. Quod confringitur, aliquid de eo remanet, quod comminuitur, in pulverem revertitur. Item quod cadit super lapidem ipsum, se frangit ad lapidem. Et fortiter cadit propter duas causas, vel quia altum, vel quia ponderosum, i. vel propter magnitudinem peccati, vel propter magnitudinem dignitatis. Et *inf.* Christianus peccans non tantum perdit quantum potest perdere Christus, sed quantum se ipse per opera sua perdiderit. Et *infra.* Qui de alto cadit, ruina ejus ubique auditur. Et *inf.* Super eos, qui non crediderunt, cadet lapis. Et *inf.* Hi pereunt quantum potest perdere Christus. De quibus *Ps.*1. Non sic impii non sic, sed tanquam pulvis, &c. Item per eum, qui super lapidem cadit, intellige illum, qui in præsenti Deum offendit, & læditur, ne recte ambulet: per eum, super quem lapis cadit, intelligas fidelem illum, quem Dominus ad judicium veniens in gehennam obruet, unde tunc penitus conteretur. *Matt.*25 Ite maledicti in ignem æternum. *Is.*30. Subito dum non speratur, veniet contritio ejus, & comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, & non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea. Seq.

b Et quærebant, &c.] Tertia pars, in qua finita parabola vineæ probantur vera esse, quæ dixerat, sc. se esse hæredem, principes vero sacerdotum esse colonos, qui ipsum quærunt interficere, sed timore populi non audent per se, unde per præsidem tentant id facere, ut quasi immunes a morte Christi videantur. Miserunt ergo principes sacerdotum, & Scribæ quosdam Pharisæos, & quosdam milites Herodis ad Jesum, ut interrogarent eum, an Judæi deberent dare tributum Cæsari, & si diceret non, milites Herodis caperent eum quasi contrarium Cæsari, si diceret sic, quasi legi contrarius a populo condemnaretur. Sed Dominus prudenter respondendo ipsos confusos remisit. Unde dicit *Chrys.* Stulti sunt, qui Deum in verbo capere volunt. *Prov.*2. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Hoc est, quod dicit. [Et quærebant, &c.] quorum locum modo tenent Episcopi.

c Et Scribæ,] quorum locum tenent magistri.

d Mittere in illum manus illa hora,] quia dicebat veritatem de ipsis, quia nemo est hodie, qui velit audire veritatem de se, sed magni nullo modo sustinent hoc, & si forte aliquis dicat veritatem de ipsis, omnes conveniunt adversus eum quasi conjurati. *Psalm.* 2. Astiterunt reges terræ, &c.

e Et timuerunt populum,] qui, scilic. supervenerat ad solemnitatem illam, quem plus timebant, quam populum civitatis. Ecce perversio ordinis Ecclesiæ. Episcopi enim, & magistri dati sunt populo quasi doces, & rectores, unde populus debet revocari a malo, timore Episcoporum, nunc autem ipsi Episcopi revocantur timore populi a malo, nunc autem ab omni, quia multa mala adhuc faciunt, sed plura facerent, si populum non timerent. Sic vadit currus ante boves. Ideo dicit *Is.*23. Erubesce, Sidon, ait mare. Quare autem vellent mittere manus in illam, determinat.

f Cognoverunt enim, &c.] Hoc est, quod diximus, quia ideo movebantur contra ipsum, quia dicebat veritatem, de ipsis, *Amos* 5. Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfecte abominati sunt.

g Et observantes] principes sacerdotum, & Scribæ, i. occulte insidiantes.

h Miserunt insidiatores,] sc. Pharisæos cum Herodianis, ut dicitur *Marci* 12.

i Qui se justos simularent,] ut tanto liberius deciperent, quanto minus apparerent. *Job* 36. Simulatores, & callidi provocant iram Dei. *Pr.*11. Simulator ore decipit amicum suum, justi autem liberabuntur scientia.

k Ut caperent, &c.] idest, ut aliquid ab eo velut ignorante extorquerent, unde argui posset. De facili capitur homo in sermone. *Jacob* 3. Qui non errat in verbo, hic perfectus est vir. Hic est solus Christus, qui est verbum, & ideo non potest errare in verbo. *Jo.* 17. Sermo tuus veritas est.

l Et traderent, &c.] Herodes, sc. qui diebus illis erat Jerosolymis, ut purificaretur circa Pascha, & mundus interesset festivitati. Posset distingui, ut per principatum intelligeretur Pilatus, qui revera habebat principatum, sc. quamdam potestatem sibi commissam a Romanis. Erat enim procurator, non Tetrarcha. Sed *Gl. Interl.* tantum exponit de Herode, &c.

m Et] pertinaces in malitia [interrogaverunt illum, &c.] *Chrysost.* Malitia confunditur aliquoties, corrigitur autem nunquam. Et *infra.* Sicut qui vult claudere aquæ currentis meatum, aliunde semitam rumpit, ita malitia, Unde dicunt,

n Magister scimus, &c.] Primo laudant, & blandiuntur, ut tanquam a simplici, & idiota extorqueant ab eo secretum cordis sui, putantes, quod velit eos habere discipulos. Sed frustra, quia non quærebat laudes hominum. *Chrys.* Hæc est prima hypocritarum potentia, simulata laudatio. Sicut qui taurum non potest viribus subjugare, mollibus manibus fricat cervicem ejus, ut per blandimenta comprehendat. *Prov.* 27. Qui benedicit amico suo voce grandi, de nocte consurgens, maledicenti similis erit.

o Et non accipis personam,] hominis, i. non exorbitas a veritate pro persona. *Chrys.* Non times prælatam personam, sed indiscrete dicis veritatem majoribus, & minoribus. *p* Sed viam Dei] triplicem [in veritate doces.] Prima est virtutum rectitudo. *Prov.*3. Viæ ejus viæ pulchræ. Secunda, mandatorum custodia. *Ps.* 118. Viam mandatorum tuorum cucurri. Tertia pœnitentia. *Isa.* 30. Hæc est via, ambulate in ea. Primam docuit Dominus. *Matth.* 5. Beati pauperes spiritu. Secundam docuit. *Matth.*19. Si vis ingredi ad vitam, serva mandata. Tertiam. *Matth.*4. Cœpit Jesus prædicare, & dicere: Agite pœnitentiam. *q* Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?] Hæc quæstio emerserat inter Judæos, scilic. an solvendum esset Romanis tributum. Insinuaverant enim Pharisæi, & Scribæ, & specialiter Essæi, qui viri religiosi erant, indignum esse, quod populus peculiaris Domini deberet solvere tributa regi terreno, cum Dominus eis imposuerit sua vectigalia, scil. primitias, & decimas, & oblationes, & hostias. Et intantum hoc persuaserunt, ut negaretur tributum Romanis, & pro eo missi sunt specialiter Titus, & Vespasianus a Nerone ad evertendam Jerusalem. Super hoc emerserat quæstio in diebus illis, ut alii dicerent non esse solvendum tributum Romanis, alii dicerent esse solvendum, eo quod essent defensores totius orbis. Volunt ergo a Domino extorquere non esse solvendum tributum Romanis, ut sic videatur auctor hujus seditionis. Loquitur autem Lucas de tributo illo, quod dicitur census capitis, ad quod omnes tenebantur, quod primo inventum fuit sub præside Syriæ Cyrino, ut dicitur *supra* 2. Exiit edictum a Cæsare Augusto, &c. [Moraliter,] autem Cæsar interpretatur possessor principatus, vel possidens principes, vel saccus byssinus. Juxta primam interpretationem Cæsar signi-

Moral.

sar significat diabolum, qui quasi Deus voluit possidere principatum. Unde dixit *Is.* 14. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Juxta secundam interpretationem significat mundum, sive mundi gloriam, quæ hodie omnes fere principes possidet quasi servos.

a Considerans autem dolum illorum, dixit *b* ad eos: Quid me tentatis? *c* Ostendite mihi denarium. *d* Cujus habet imaginem, & inscriptionem? *e* Respondentes dixerunt ei: Cæsaris. Et *f* ait illis: Reddite ergo, *g* quæ sunt Cæsaris, Cæsari, *h* & quæ sunt Dei, Deo. Et non *i* potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe, & mirati in responso ejus k tacuerunt. *l* Accesserunt autem quidam Saducæorum,

Ideo occisus fuit Joannes, quia dixit uni principi, i. Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui, i. gloriam, quæ est solius Christi. *Is.*42. Gloriam meam alteri non dabo. Juxta tertiam interpretationem significat carnem, quæ dicitur saccus. *Aggæi* 1. Qui congregavit mercedes, misit eas in saccum pertusum. Et in *Ps.*29. Conscidisti saccum meum, &c. Huic triplici Cæsari multi solvunt tributa, & tamen non licet. Omnes superbi de feudo superbiæ, quod tenent a primo Cæsare, reddunt ei triplex tributum, sc. arrogantiam, jactantiam, indignationem. Secundo Cæsari sunt tributarii omnes avari, cui reddunt triplex tributum de feudo avaritiæ, quod tenent ab eo, sc. proditionem, inquietudinem, impietatem. Tertio Cæsari, i. carni sunt tributarii omnes luxuriosi, & golosi, cui reddunt quadruplex tributum de duplici feudo, quod tenent ab eo, i. gulæ, & luxuriæ, sc. ineptam lætitiam, inconstantiam, scurrilitatem, præcipitationem. Sed certe ab hoc triplici tributo nos liberavit Dominus. A primo quidem per exemplum humilitatis, a secundo per doctrinam charitatis, a tertio per virtutem castitatis. A primo nascendo humiliter, a secundo prædicando utiliter, a tertio moriendo viriliter. Unde 2.*Reg.*4. Tulit David frænum tributi de manu Philisthiim. *Is.*14. Quomodo cessavit exactor, quievit tributum, contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium cædentem populos.

a Considerans autem, &c.] quod aliud in corde habebant, aliud in ore prætendebant. Unde *Ps.*117. Circumdederunt me sicut apes, idest mel habentes in ore, aculeum, & venenum in dorso.

b Dixit ad eos: Quid me tentatis.] Increpatio est, non interrogatio. *Chrysost.* Respondet non secundum verba eorum blande, sed secundum conscientias aspere. *Prov.* 26. Responde stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.

c Ostendite mihi denarium,] qui pro censu solvitur, qui, sc. valebat decem usuales nummos, vel cursales, & habebat imaginem Cæsaris inscriptam, & nomen superscriptum. Ille proprie denarius dicebatur, nummus enim a numismate dicitur, sc. ab illa impressione, quæ fit inter cuneos.

d Cujus habet, &c.] *Bed.* Non de ignorantia interrogat, sed ut competenter ad eorum verba respondeat.

e Respondentes dixerunt ei: Cæsaris,] scil. Tiberii privigni Augusti Cæsaris, sub quo passus est Dominus, qui natus est sub Augusto. *Beda*: Decimo octavo anno Tiberii passus est Dominus, nunc ergo habebat denarius imaginem Tiberii Cæsaris inscriptam, qui tempore Augusti habebat ejus imaginem sibi impressam, sicut hodie rege defuncto mutatur moneta. *f* Et ait illis: Reddite ergo.] *Beda*, tributum, idest, vel pecuniam.

g Quæ sunt Cæsaris, Cæsari.] *Rom.*13. Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, &c. *Chrys.* Non est hoc dare; sed reddere. Item *Chrysost.* Cum audis: [Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari] illa scito eum solum dicere, quæ in nullo nocent pietati, quia si aliquid tale, non adhuc Cæsaris, sed diaboli est vectigal.

h Et quæ sunt Dei, Deo.] *Beda*: Decimas, & victimas. *Chrys.* Numisma Cæsaris est aurum, numisma Dei est homo. In solidis Cæsar videtur, in hominibus Deus agnoscitur. Vel per simile loquitur Dominus, quasi sicut Cæsari reddendus est nummus, sic anima Deo ejus imagine insignita. Secundum *Ambr.* Alia imago Dei, sc. anima, alia mundi, sc. pecunia: Quæ ideo imago mundi dicitur, quia per eam, quis amator mundi sit, agnoscitur. Omnis enim amator pecuniæ amator est mundi. Si ergo objectio est: Cum Christus non habuit pecuniam, quare solverit eam? Quia invenit eam in mundo, & oportebat, ut, quod suum erat, redderet mundo. Christus, quod mundi erat, retinere noluit: tu ergo mundana abjice exemplo Christi, & non eris obnoxius mundano principi. Et bene quidem, ipse ordo verborum instruit, scilicet: [Reddite, quæ sunt, &c.] Prius enim renunciandum est in mundo, ut expeditius adhæreatur Deo. Hoc est, quod dicit *Ambr. in Gloss.* Alia imago Dei, &c. Item *Ambr.* Omnes renunciamus verbis, sed non affectu: Nam cum Sacramenta recipimus, renunciamus. Quam gravia pericula promittere, & non solvere. Major est enim contractus fidei, quam pecuniæ. Item nota.

Moral. Moraliter. In denario sunt quatuor, scilicet veritas materiæ, gravitas ponderis, imago regis, superscriptio litteralis. Sic in anima sunt quatuor, materia, pondus, imago, superscriptio. Materia animæ est, ut ita dixerim, nihilum, pondus est affectio mentis, imago est bonitas naturalium, superscriptio bonitas gratuitorum. Ex primo habet anima humilitatem, ex secundo mutabilitatem, ex tertio operandi potestatem, ex quarto proficiendi facultatem. Est igitur anima denarius habens imaginem regis, idest Dei naturaliter sibi impressum. Unde *Eccl.* 17. Deus de terra creavit hominem, & secundum imaginem suam fecit illum. Sed quando peccat mortaliter anima, tunc superinducitur imago Cæsaris, i. diaboli. 1. *Cor.* 15. [Sicut portavimus imaginem terreni, ita portemus & imaginem cœlestis. In die judicii dicet Dominus de quolibet: Cujus est imago hæc, & subscriptio: Si superbus es, vel avarus, vel luxuriosus, necesse habebis respondere: Cæsaris, sicut dictum est, & statim dicetur sententia irrevocabilis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.

i Et non potuerunt, &c.] *Bed.* Qui credere debuerunt, mirati sunt, quod non habent locum tentandi.

k Tacuerunt.] *Chrys.* Non dicit, conversi sunt, sed tacuerunt.

Quarta pars. *l* Accesserunt autem, &c.] Quarta pars cap. in qua post confutationem Pharisæorum ponitur confutatio Saducæorum. Erant enim tres principales sectæ, sive hæreses in Judæis, sc. Pharisæi, Saducæi, Essæi. De duabus frequenter in Evangelio habetur, de tertia subticetur, quia non detrahebant Domino, nec in aliquo obviabant ei. Pharisæi præferebant justitiam traditionum, & observationum humanarum, quibus ab aliis dividebantur, unde & Pharisæi, i. divisi vocati sunt, quia non solum in victu, & habitu distincti erant, verum etiam in sententia. Hi credebant resurrectionem, tamen errabant circa illam, quia putabant, post resurrectionem se habituros uxores, & filios, & filias, & agros, & vineas, & auream Jerusalem de cœlo venturam, & post mille annos se in cœlum transferendos. Altera erat secta Sadducæorum, qui justitiam, & sanctitatem vitæ simulabant, unde Saducæi, i. justi appellati sunt a populo. Hi negabant resurrectionem, dicentes animas cum corporibus interire, solum pentateucum recipientes. Ideo ad confutationem Pharisæorum confixerunt fabulam de muliere, quæ habuit septem viros, quærentes cujus istorum esset post resurrectionem in illis mille annis. Et non poterant Pharisæi respondere. Unde pro irrisoria Pharisæorum opinione, elegans fuit Saducæorum objectio, quæ tamen nulla est Christiano. Unde Dominus respondit eis, ostendens eis veritatem resurrectionis probans ipsam resurrectionem per auctoritatem Veteris Testamenti. *Mystice.* Mystice, per Pharisæos, & Saducæos significantur duo genera hostium Ecclesiæ, i. hæretici, & hypocritæ. Hæretici fidem impugnant, hypocritæ mores corrumpunt. Isti sunt domestici inimici, quia intra Ecclesiam sunt, & ideo magis nocivi, sicut dicit *Gl.* 2.*Cor.* 7. Nulla pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. Unde *Mich.*7. Inimici hominis domestici ejus. Hæretici vero, quia divisi sunt ab Ecclesia, aliquo modo caveri possunt, sed ipsi non. Per Pharisæos ergo significantur hæretici, qui interpretantur divisi: Saducæi autem interpretantur justi, & ideo significant hypocritas, qui se justos simulant. Isti duo hostes Ecclesiæ impugnant eam incessanter. Illi extra, isti intus. Et de istis duobus dicitur *Deut.*32. Foris vallabit gladius hæreticorum, & intus pavor hypocritarum. *Jer.*14. Si egressus fuero ad agros, &c. *Ezec.*7. Gladius foris, &c. *Thr.* 1. Foris interficit gladius. 2.*Cor.* 7. Foris pugnæ, intus timores. De utrisque etiam dicitur *Matth.* 7. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt, &c. Dicit ergo.

l Accesserunt autem quidam Saducæorum.] *Hierony-*

a qui negant esse resurrectionem, *b* & interrogaverunt eum dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, & hic sine † liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, & suscitet semen fratri suo, c Septem ergo fratres erant, & primus accepit uxorem, & mortuus est sine filiis. Et sequens accepit illam, & ipse mortuus est sine filio. Et tertius accepit illam, similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt. Novissima omnium mortua est & mulier: In *d* resurrectione ergo cujus eorum erit uxor? Si quidem septem habuerunt eam uxorem. Et *e* ait illis Jesus: Filii hujus sæculi *f* nubunt, & traduntur ad nuptias, g illi vero, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, *h* neque enim ultra mori poterunt: *i* Æquales enim Angelis sunt, & filii k sunt Dei cum sint filii *l* resurrectionis:

nonym. Vel, ut per frequentiam vincerent. *Chrys.* Unus dies est, & multa certamina, ut si ratione non possent, frequentia vincerent. Et *infra*. Quemadmodum si inveniatur unus fortis pugnator, dum singuli viribus eum superare non possunt, circumveniunt omnes. O stulti, si quis corruptibili fonte utitur assidue, magis fonus illius vena laxatur, & vos putatis fontem vivum interrogando siccare? *Chrys.* Circumdederunt sicut multi canes unum leonem. Et *infra*. Non est virtus diaboli, quod homines mali sunt.

Matth. 12. Marc 12. [illegible]

a Qui negant esse resurrectionem,] *Chrys.* In omni re, aut actu, agendi virtus spes est futuri, qui enim arat, arat, ut metat, qui pugnat, pugnat, ut vincat. Et *inf.* Tolle ergo spem resurrectionis, & soluta est tota observantia pietatis. 1. *Cor.* 15. Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?

b Et interrogaverunt eum dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis, si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, &c.] *Deut.* 25. Quando habitaverint fratres simul, & unus ex illis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, &c. Modo prosequuntur interrogationem suam.

c Septem ergo fratres erant, primus accepit uxorem, &c.] *Beda*. Potuit autem fieri, ut in gente eorum hoc aliquando acciderit.

d In resurrectione ergo cujus eorum erit uxor: Si quidem septem habuerunt eam uxorem.]

Mystice.

Mystice. Frater noster est Christus. De quo *Cant.* 6. Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ: Uxor ejus est Ecclesia. Unde *Apoc.* 19. Nuptiæ agni venerunt, & uxor ejus præparavit se. Hic frater noster mortuus fuit, & reliquit uxorem sine liberis, & ideo frater ejus, qui superest, tenetur ei ex illa filios suscitare, alioquin frater non est. *Osee* 1. Sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum. Legitur *Gen.* 38. quod Thamar uxor filii Judæ fornicata est, quia frater viri sui defuncti nolebat eam accipere uxorem. *c* Septem ergo fratres, &c.]

Mystice.

Mystice. Septem fratres Christi sunt universitas Prælatorum, qui duxerunt uxorem Ecclesiam sponsam Christi, & tamen nullos, vel quasi nullos filios genuerunt Domino, unde videtur, quod omnes sint spadones, qui corrumpere possunt, sed non generare. *Eccl.* 20. Concupiscentia spadonis devirginavit juvenculam. Tales autem non deberent accipere Ecclesiam in uxorem, quia prohibetur *Deut.* 25. Non intrabit eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, & abscisso veretro Ecclesiam Domini. Testiculi sunt virtus, & scientia, in quibus est vis generativa. Veretrum est lingua, vel eloquentia, quæ est instrumentum generationis spiritualis. Unde sunt aliqui, qui habent tantum unum testiculum, hi non possunt bene generare: Alii sunt, qui habent duos, sed non habent veretrum, nec hi possunt generare: Alii sunt, qui habent testiculos, & veretrum, nec tamen generant, quia fundunt semen in terram, quia prædicationem, vel doctrinam convertunt ad terrenum lucrum, quod detestabile est apud Deum, & pœna dignum. Unde *Gen.* 38. dixit Judas ad Onam filium suum, i. Christus ad clericum, ingredere ad uxorem fratris tui, & sociare illi, ut suscites semen fratri tuo: Ille sciens non sibi nasci filios introiens ad uxorem fratris sui, fundebat semen in terram, & idcirco percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret. Hoc est ergo, quod dicit: [Septem, &c.] Novissima etiam omnium morietur Ecclesia, quia durabit usque ad consummationem sæculi. Sed ex quo nulli filii generantur in ea, videtur, quod cito moriatur, quia illi pauci, qui generantur, statim incipiunt rixari. *Gen.* 25. dedit Dominus conceptum Rebeccæ, sed collidebantur in utero ejus parvuli, quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Item *Bed.* Per istos septem, omnes reprobi designantur, qui tota hac vita, quæ septem diebus est, steriles ab omni bono opere sunt, quibus misere mortuis, ad ultimum mundana conversatio, quæ sine fructu est, transibit. 1. *Cor.* 7. Præterit figura mundi. 1. *Jo.* 2. Transit mundus, & concupiscentia ejus. *e* Et ait illis Jesus: Filii hujus sæculi.] *Gl.* Qui mori possunt. *f* Nubunt, & traduntur ad nuptias] *Gl.* reddit causam, quare nuptiæ contrahuntur, sc. propter mortuorum restitutionem. *g* Illi vero, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores,] Nota, quod cum resurrecturi sint omnes tam electi, quam reprobi, Dominus tantum facit mentionem de resurrectione electorum, ut amplius nos excitet ad gloriam resurrectionis. Unde *Gl. Bed.* Cum omnes boni, & mali resurrecturi sunt. 1. *Cor.* 15. Omnes quidem resurgemus, &c. & absque nuptiis mansuri, i. usu nuptiarum, Dominus tamen, ut ad gloriam resurrectionis excitet, de solis electis disserit. Si autem, &c. quasi cum hoc dictum sit a Domino, sc. neque nubent, neque nubentur, constat ergo, quod corpora resurgent, alioquin inutiliter videretur dictum. Nam si solæ animæ essent post mortem, ad quid diceret, neque nubent, neque nubentur: De animabus enim patebat etiam stultis, quia nubere non possunt. Seq. *n* Neque enim ultra mori poterunt] *Chrys.* In hoc sæculo, quia morimur, ideo nascimur, & quia nascimur, uxores ducimus, ut quod moriendo minuitur, nascendo suppleatur. Tolle moriendi necessitatem, & nascendi utilitatem, & nubendi causa soluta est. Nam iste mundus carnis est, ille animarum. Sicut anima in hoc mundo peregrina est, ita in illa caro. Unaquæque res in sua patria fortior est, & dominatur. Et *infr.* Hæc diximus secundum moralem rationem, alioquin in resurrectione ipsa caro mutanda est. *Cor. c.* 15. Seminatur corpus animale, surget spirituale. *Beda*. Cum connubia propter filios, filii propter successionem, successio propter mortem, ubi ergo non est mors, neque connubia. *i* Æquales enim Angelis Dei sunt,] supple, i. similes, i. incorruptibiles, & ingenerabiles. k Et filii sunt Dei.] *Beda*. Sine labe corruptionis visione Dei fruuntur. *l* Cum sint filii resurrectionis] gloriosæ. *Raban.* Spiritualis non promittitur conversatio. Sunt enim sicut Angeli in cœlis, qui gloria resurrectionis innovati absque ullo mortis metu, absque ulla labe corruptionis, absque ullo terreni status actu, perpetua Dei visione fruuntur, ad quam necesse est æqualitatem angelicæ dignitatis, quisquis ascendere desiderat, minimis fratribus pie agendo condescendat, Angeli sunt alati, in quo notatur velocitas obedientiæ *Hebræor. cap.* 1. Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, &c. Item sunt ingenerabiles, in quo munditia vitæ. *Is.* 52. Mundamini, qui fertis vasa Domini, &c. Item semper vident faciem Dei, in quo rectitudo intentionis, *Matth.* 18. Angeli eorum in cœlis semper vident. *Chrys.* Quare cum de jejuniis, aut eleemosynis, ceterisque virtutibus loqueretur, nunquam Angelorum similitudinem introduxit, nisi nunc? Quia omnes quidem virtutes spirituales res sunt angelicæ, præcipue autem castitas res est angelica: Per hoc enim solum singulariter homines Angelis assimilantur, & vincitur natura virtutibus. Et *inf.* Qui unius masculi, vel unius feminæ lege contentus est, mediam tenet viam, nec Angelus est, quia penitus non est separatus, nec animal est, quia una contentus, sed est homo. Et *inf.* Per alios sensus & si fiat malum, solet tamen multoties fieri bonum per eos, tantummodo sensus ille libidinis semper in malo est. Et *inf.* Solus libidinis sensus inter animam, & carnem non est communis, sed est carnis proprius, & privatus.

Matth. 22.

e Quia ve-

> *a* Quia vero resurgent mortui, & *b* Moyses *c* ostendit secus rubum, *d* sicut dicit Dominum Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob. *e* Deus autem non est mortuorum, sed vivorum, *f* Omnes enim *g* vivunt ei. *h* Respondentes autem quidam Scribarum *i* dixerunt: Magister, bene dixisti. Et amplius non audebant *k* eum quicquam interrogare. Dixit *l* autem ad illos: *m* Quomodo dicunt Christum filium esse David, & ipse *n* David dicit in libro Psalmorum: *o* Dixit Dominus *p* Domino meo, sede *q* a dextris meis,

a Quia vero, &c.] Satisfacto quæstioni Saducæorum, contra eorum infidelitatem agit Dominus, probans resurrectionem per auctoritatem Moysi, quem ipsi Saducæi recipiebant. Posset autem Dominus, si vellet, expressiora testimonia, & plura inducere de Prophetis, sed noluit, duplici ratione. Prima est, quia Saducæi non recipiunt Prophetas. Secunda est propter Manichæos, qui dicunt, legem Moysi non esse a Deo bono. Est autem probatio talis Dominus dixit Moysi, ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, sed non est mortuorum, sed viventium, ergo ipsi vivebant, & constat, quod mortui secundum corpus erant, ergo animæ eorum vivebant, quare patet, quod animæ non moriuntur. Constat ergo, animas post mortem esse, alioquin Deus esset nihil, si nihil eorum post mortem restaret, ut ipsi mentiebantur. Ex hoc sequitur, quod corpora resurgent, justum est enim, ut sicut animæ in corporibus meruerunt, vel demeruerunt, ita in corporibus remunerentur, vel puniantur. Unde 2 *Cor.* 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, &c. Ad probandum autem resurrectionem futuram sunt multæ auctoritates. Primo *Is.* 26. Vivent mortui tui, &c. Item *Ezech.* 37. Fili hominis putasne vivent ossa, &c. Item *Dan.* 12. Multi de his, &c. Item *Job* 10. In novissimo, die de terra surrecturus sum, &c. Item *Osee* 6. Post duos dies suscitabit nos. Item *Jo.* 5. *&* 6. *per tot. inf. Thess.* 3. *&* 4. *per totum*. Dicit ergo. *a* Quia vero resurgent mortui,] *Chrysost.* Calumniatoribus oportet respondere auctoritatem, post rationem, hic fit e converso.

[Exod. 3. Matth. 22. Marc. 12.]

b Et Moyses] cujus anima Deum sentit, & cognoscit.
c Ostendit secus rubum,] idest, ubi agit de visione rubi, *sc. Exod.* 3. Vel, [Secus rubum] ens supple, cum enim esset secus rubum, locutus est ei Dominus, de rubo dicens. Ego sum Deus Abraham, &c.
d Sicut dicit Dominum Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob.] *Exod.* 3. sic habetur. Dixit Dominus ad Moysen, hæc dices filiis Israel, Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob misit me ad vos. Sed quare potius istos, quam alios nominavit, cum sit omnium Deus? Propter tres rationes. Prima, quia istis tribus specialiter facta est promissio, de Filii incarnatione, & vita æterna habenda. Secunda, quia in his tribus commendantur, & significantur tres virtutes theologicæ, idest, fides, spes, charitas, per quas venitur ad resurrectionem. Per Abraham fides, per Isaac spes, per Jacob charitas, ut dicit *Gloss. super Matt. c.* 1. Tertio, quia isti magis famosi erant apud Judæos, & ideo specialiter placuerunt. *Chrys.* Arguit, quod non legebant. Et *infra*. Ex diligentia lectionum nascitur scientia Dei, ignorantia autem negligentiæ filia est. Item *Chrys.* Talis est scriptura nolenti vivere secundum Deum, quemadmodum si quis agricolæ non habenti voluntatem pugnandi exponat bellicam disciplinam.
e Deus autem non est mortuorum, sed vivorum,] quia non est Deus non existentium.
f Omnes enim] quorum Deus, & Dominus est.
g Vivunt ei.] *Beda*, vera vita. *h* Respondentes autem, &c.] Primo tentaverunt Pharisæi capere Dominum in sermone, postea Saducæi, & utrosque confutavit. Videntes ergo Scribæ, quod satisfecerat quæstioni Saducæorum, quæ impugnabat eorum sententiam, quia videbatur fovere partem illorum, cœperunt eum commendare, nihil amplius quærentes. Commendabant tamen sub dolo. Jam enim in eum conspiraverant, de morte ejus deliberantes. Unde patet invidos rationibus posse argui, & convinci, sed difficile ab invidia quiescere, & hoc est. [Respondentes autem quidam Scribarum] gaudentes, quod imposuisset silentium Saducæis, quibus ipsi nesciebant respondere. *i* Dixerunt: Magister bene dixisti, & amplius non audebant.] *Chrys.* Confusio multorum facta est disciplina cunctorum. *k* Eum quicquam interrogare.] Tamen ausi fuerunt ipsum comprehensum aperte tradere potestati Romanæ. Sic facit invidia, ubi non potest occulte, aperte nocet. *Chrys.* Per servos diaboli, actusque eorum, ipsius habitudinem describamus. In primis gravis, & insufferibilis est impetus ejus, quem si quis forti animo sustinuerit, postea inveniet eum debiliorem; in tertio magis infirmum. Unde puto in persecutionibus Christiani, si in primis non denegaverit, nullis poterit postea vinci doloribus, quia diabolus non tantum virtutis quantum terroris habet. Seq. *l* Dixit autem ad illos, quomodo, &c.] Probata resurrectione mortuorum, & imposito silentio Pharisæis, ne aliquid ultra objicerent, Dominus videns eos tacentes, objicit eis, de suo Messia, quem purum hominem expectant. Unde probat Dominus secundum eos, quod non potest stare prophetia David. Aut enim secundum opinionem eorum mentitus est, aut perperam locutus. Ad quod probandum inducit Dominus hunc versum: [Dixit Dominus Domino meo, &c.] Hoc enim ipsi exponunt, de Messia q.d. David. *o* Dixit] creator cœli, & terræ. *p* Domino meo,] i. Messiæ: Et ita mentitus est David, quando enim hoc dixit, non erat Messias, ergo non erat Dominus ejus. Item quando venit Messias, non erit David: ergo nunquam vel erit, vel fuit Dominus David. Item cum Messias futurus esset de semine David, & ita filius ejus, perperam loquitur David, i. contra loquendi consuetudinem, solent enim filii patres vocare Dominos, & non e converso. Ergo quantum ad intellectum eorum mentitus est, & perperam locutus, sed quantum ad intellectum Christianorum verum locutus est, David vocans Messiam Dominum suum: ergo Messias major erat David. Sed nullus homo purus fuit major David, qui erat rex totius Israel: ergo Messias non est purus homo: ergo est Deus, & homo: ergo mentiuntur Scribæ dicentes Christum, sive Messiam esse purum hominem. Hoc est ergo, quod dicit. *m* Quomodo dicunt] Scribæ, [Christum filium esse David,] tantum, & non Dei. *Chrys.* Hanc interrogationem non solum contra Judæos, sed etiam contra hæreticos posuit. Nam secundum carnem vere filius David erat. Dominus autem secundum divinitatem: & ita Dominus esse non potest, nisi qui nobiscum est, vel ante nos: Christus autem secundum carnem post David fuit, secundum divinitatem ante. *n* Et ipse David dicit in libro Psalmorum] quos edidit edoctus a Deo, ut ipse dicit: Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. *o* Dixit Dominus Domino meo,] i. Deus Messiæ, sive Christo. *q* Sede a dextris meis,] quasi æqualis mihi. Et ita per hoc, quod David vocat eum Dominum suum, & per hoc, quod Deus dixit ei: [Sede a dextris meis,] patet, quod ipse non est purus homo, quia nullus purus homo Dominus est tanti regis, ut erat David, maxime secundum opinionem Judæorum. Nec etiam purus homo sedet a dextris Dei: Unde etiam patet, quod verum dixit David, inquiens. a Dixit Dominus,] i. pater. *p* Domino Deo] i. Christo, qui revera tunc fuit Dominus, quia tunc erat, & Deus erat, & revera fuit filius David, & verus homo, de semine David, & ita, & verus Deus, & verus homo. Eleganter ergo Dominus doctrinam evangelicam consummaturus, ponit summam fidei nostræ, i. ostendit Christum verum Deum, & verum hominem. Unde *Gloss. Ambr.* Consummaturus præcepta Dominus, in fine testamenti sui fidem concludit, &c. Nota, quod dicitur. In fine testamenti, i. evangelicæ doctrinæ, quæ secundum Lucam hic consummatur, quia nihil de doctrina evangelica restat, nisi quod in proximo sequitur, de justitia. Statim enim sequuntur signa eversionis Jerusalem, & judicii, quæ non sunt de doctrina evangelicæ prædicationis, postea sequitur historia Passionis. Et nota, quod doctrina evangelica ideo testamentum dicitur, quia in ea hæreditas æterna promittitur, & velut in testamento quasi quædam filiis proponuntur. Dicunt autem Judæi, Eliezer servum Abrahæ fecisse hunc Psalmum, de victoria Abrahæ cum rediret de cæde quatuor regum, q.d. Eliezer. *o* Dixit Dominus,] i. creator.
p Domino meo,] i. Abrahæ. *q* Sede a dextris meis, &c.] quasi ego subjiciam tibi hostes tuos. Istud fabula est. Unde spiritualiter, & vere exponamus, quod dicitur hic. *o* Dixit Dominus Domino meo,] idest, pater genuit filium, qui est Dominus duplici dominio, idest, creato, & increato.
q Sede a dextris meis,] idest, genuit sibi æqualem.

[Matth. 22. Marc. 12.] [Ps. 109.] [Ps. 84.] [Gen. 14.]

a donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. *b* David ergo Dominum illum vocat, & quomodo filius ejus eſt? *c* Audiente autem omni populo, dixit diſcipulis ſuis: Attendite a Scribis, *d* qui volunt ambulare in ſtolis, & *e* amant ſalutationes in foro, & *f* primas cathedras in ſynagogis, & *g* primos diſcubitus in conviviis. *h* Qui devorant domos viduarum *i* ſimulantes longam orationem:

Verbum autem ſedendi tria notat circa illum, cui dicitur, ſede; ſcilic. poſt laborem quieſcere, poſt ſervitium conregnare, & in occulto eſſe, & judicem fore. *Joann.* c. 5. Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio. Lucifer ante laborem, & ſervitium, & antequam in publicum veniſſet, voluit ſedere dicens. Super aſtra cœli exaltabo ſolium meum, & ſedebo. *Iſ. cap.* 14. Ideo corruit in infernum. Unde *B. Bernard.* O impudens, & imprudens, millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei, & tu aliis ſtantibus, & miniſtrantibus ſolus ſedere præſumis. Sedet autem filius ad dexteram patris, ideſt, æqualis ei inquantum Deus. Item fruitur potiſſimis bonis ejus, & potiſſimo modo inquantum homo. [Dixit Dominus.] *Gloſſ.* Illud dicere eſt æqualem filium ſibi generare Domino, non ſecundum, quod de eo natus, ſed ſecundum, quod de patre fuit ſemper. Contra Chriſtus ſecundum quod homo Dominus eſt totius Eccleſiæ, & ita etiam Dominus David. Solutio: Dupliciter poteſt ſolvi. Poteſt enim dici, quod non tunc erat Dominus David ſecundum quod homo, quia non tunc erat homo. Vel poteſt accipi ſecundum pro quia, vere quidem, & proprie Dominus eſt ſecundum quod homo, quia ſecundum naturam humanam nos ſanguine ſuo redemit, & ſumus ſervi ejus emptitii, non tamen Dominus eſt, quia homo eſt, quia Dominus eſſet, licet non eſſet homo. Et quamdiu ſedebit?

a Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.] i. donec omnes rebelles, & inobedientes tibi ſubjugavero, vel bona ſubjectione, ut credant volentes te verum Deum, & hominem, vel mala, ut in die judicii puniantur, & credant inviti. [Donec ponam, &c.] Huic verbo adhærent hæretici, quod per ſe filius impotens ſit ſubjicere inimicos. *Beda* ſolvit in *Gloſſ.* Quia a patre, &c. Per pedes Chriſti ſignificatur humanitas ejus, & divinitas. Humanitas quidem propter inferioritatem, divinitas vero propter portationem, quia ſicut pedes portant corpus, ita divinitas omnia ſuſtinet, & portat. Unde *Hebræor. cap.* 1. Portans omnia verbo virtutis ſuæ. De hoc dicitur. 1. *Corinth. cap.* 15. Oportet illum regnare, donec ponat inimicos ſuos ſub pedibus ejus. Item *Hebr. cap.* 10. Sedet ad dexteram Dei de cetero expectans, donec ponantur inimici ejus ſub pedibus ejus. Sed nunquid poſtea non ſedebit? Reſpondeo. Donec, excluſive ponitur, non incluſive. Simile *Matth.* 1. Accepit Joſeph conjugem ſuam, & non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum, ideſt, nunquam. Per pedes etiam Chriſti ſignificantur prædicatores, qui portant eum per mundum. Unde *Nahum.* 1. Ecce ſuper montes pedes evangelizantis, & annunciantis pacem. His pedibus ſubjecit Dominus omnia. Unde *Pſ.* 8. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. *Iſa. ult.* Cœlum ſedes mea eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Sed in futuro ſubjiciet Dominus plenius omnia his pedibus, cum fuerint cum eo judices tyrannorum, qui modo opprimunt eos. *Mal. ult.* Egrediemini, & ſalietis ſicut vitulus de armento, & calcabitis ſuper impios, cum fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum. Seq.

b David ergo Dominum illum vocat, & quomodo filius ejus eſt?] ſi eſt purus homo? Ecce ad objectionem Domini nihil reſpondent. Non eſt ergo credendum Judæis, qui fabulantur de Eliezer, quia ſi in Hebræo eſſet hæc expoſitio, non ſilerent legiſperiti.

c Audiente autem omni populo, dixit diſcipulis ſuis, attendite a Scribis,] Duplici ratione jubet diſcipulos ſuos cavere a Scribis, pecuniæ, & vanæ gloriæ cupidis. Prima, ne eorum ſimulatione decipiantur. Secunda, ne eorum exemplo ad amorem temporalium inflammentur. *Eccleſ. cap.* 13. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicat ſuperbo, induet ſuperbiam. 1. *Corinth.* 15. Nolite ſeduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Sed quare præſenti omni populo mala dicebat de Scribis, qui erant doctores legis? Reſpondeo, quia Scribæ decipiebant populum, & quia ipſi Scribæ præſentes erant. Erant autem Scribæ omnes hypocritæ, ſanctitatem exterius ſimulantes, propter quod facilius decipiebant, quia melius credebatur eis a populo. Unde ſequitur.

d Qui volunt ambulare in ſtolis,] ideſt, volunt in publicum procedere in cultioribus indumentis, quia indumentum corporis ſignum eſt indumenti cordis. *Eccleſ.* 19. Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciant de illo. *Auguſtin. in regula*, Non affectetis veſtibus placere, ſed moribus. *Eccleſ.* 11. In veſtitu ne glorieris unquam. Et quare. *Eccl.* 42. De veſtimentis procedit tinea, i. vana gloria. Erant autem ſtolæ camiſiæ lineæ, & longæ, quibus Scribæ utebantur, ut ſanctiores viderentur.

e Et amant ſalutationes in foro,] i. volunt ſalutari in foro, ſc. in loco publico: prius tempore, altiori voce, inclinato capite. Unde in duobus arguit eos Dominus hic vel ex duobus,

Salutationes primæ { Tempore prius. / Voce alta. / Corpore flexo. / Inclinato capite. / Loco publico, &c.

Primo, quia hujuſmodi appetunt ad propriam gloriam, quæ tamen debentur eis ex ordine officii. Unde *Bed.* Non gradum, ſed animum redarguit. Secundo, quia litibus fori intererant, qui de lege populum docere debebant. Unde *Hier.* Non culpa caret eum in foro litibus intereſſe, intellige, niſi trahat eum neceſſitas, qui in cathedra Moyſi magiſter vult appellari: 1. *Cor.* 6. Sæcularia judicia ſi habueritis inter vos contemptibiles, &c.

f Et primas cathedras in ſynagogis,] *Chryſoſtom.* Qui male ſederit in ea, injuriam facit cathedræ. *Eccleſ.* 7. Noli quærere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris.

g Et primos diſcubitus in conviviis.] Sed quare primi ſedere volebant, ideſt, in capite menſæ? Ut domini viderentur, & primas appoſitiones haberent. Unde nec ſibi invicem deferebant, *ſupr.* 14. Intendens Jeſus quomodo primos accubitus eligerent, dicebat parabolam: Cum invitatus fueris, &c. Et *in eodem*. Non diſcumbas in primo loco. *Chryſoſt.* Quidam, qui in noviſſimo loco recumbunt, videntur ſibi mentis elatione, in cornu recumbere. Et *infra*. Sine cauſa loco ſe humiliat, qui corde ſe præfert. Et *ſupra*: Aliam jactantiam humilitatis acquirit. Et *infra*. Non ſolum corpore in noviſſimo jaceamus, ſed etiam animo, ut noviſſimos omnium nos judicemus. *Eccleſ.* 19. Eſt, qui nequiter ſe humiliat.

h Qui devorant domos viduarum,] quæ habent affectum religionis, & præ ſimplicitate feminea neſciunt ſibi præcavere. Unde *Chryſ.* Sexus mulierum incautus, & mollis eſt, virilis autem ſexus cautior, & durior; Ideo impoſtores ſanctitatis circa mulieres ſe conſtringunt, vel conſtituunt, maxime cum viduis propter duas cauſas, quia dare poſſunt, & decipi. 2. *Tim.* 3. In noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati. Et *infra*: Speciem pietatis habentes, virtutem autem abnegantes, & hos devita, ex his enim ſunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis. *Chryſoſtomus.* Dum Judaicos ſacerdotes confundit, Chriſtianos monet non permanere, cum viduis amplius, quam cum ceteris, quia ſi voluntas mala non eſt, ſuſpicio tamen mala eſt.

i Simulantes longam orationem:] ut ſanctiores appareant, & dona ampliora reciperent, & quaſi boni patroni laudarentur. De quibus dicit *Beda in Gloſſ.* Quorum oratio fit in peccatum, ut non ſolum pro aliis intercedere non poſſint, ſed nec ſibi ad ſalutem proficere, imo pro ipſis orationibus magis damnabuntur. Et intellige, ideſt, pro talibus, ut per nomen potius notetur qualitas, ſive modus orationis, quam eſſentia. Alii ſic dicebant, pro ipſis orationibus, ideſt, pro promiſſione ipſarum orationum, quia, ſcilicet, fraudulenter promittebant ſe pro ſimplicibus viduis oraturos. *Chryſoſtomus.* Avaritiam veſtram religionis colore depingitis, & diabolo Chriſti arma præſtatis, ut armetur iniquitas, dum pietas

Marc. 12. Matth. 22.

dum pietas æstimatur. *Osee* 4. Peccata populi mei comedunt Sacerdotes, & ad iniquitatem sublevabunt animas eorum. *Marc.* 12. dicit. Devorat domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis. Modo vero devorant sub obtentu nullius orationis, sed violentia, & apertæ prædationis. Unde *Isa.* 3. Vos depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra. *Mich.* 3. Audite, principes Jacob, & duces domus Israel, Episcopos, & Archidiaconos dicit: Qui violenter tollitis pelles desuper eos. Contra tales pastores dicit *Ezech.* 34. Non quæsierunt pastores greges meos, &c. *Zach.* 11. Pastores eorum non parcebant eis, & ego non parcam illis. 2. *Marc.* 4. Sacerdotes non jam circa officium altaris dediti, &c.

Hi *a* accipient damnationem majorem.

C A P. XXI.

RESpiciens *b* autem vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites. Vidit *c* autem & quamdam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo. Et dixit: *d* Vere dico vobis: quia vidua hæc pauper plus quam omnes misit. *e* Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei. Hæc autem, ex eo, quod deest illi, *f* omnem victum suum, quem habuit, misit. Et *g* quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus, & donis ornatum esset, dixit:

a Hi accipient damnationem majorem.] Comparatio non fit ad aliquid, quod præcesserit, sed ad id, quod dicitur in alio Evangelista, respicit, ubi dicitur, quod quidam orabant prolixe in angulis platearum solo intuitu favoris humani, & terrenæ utilitatis, & hi quidem damnationem merebantur, sed isti majorem, qui prolixe orant, & intuitu favoris humani, & terrenæ utilitatis. Unde [Hi accipient damnationem majorem.] quam illi, qui amant in angulis stantes orare, quia illi non quærunt nisi gloriam hominum, isti autem gloriam, & pecuniam quærunt. De quibus *Job* 36. Simulatores, & callidi provocant iram Dei.

E X P O S I T I O C A P. XXI.

REspiciens autem vidit, &c.] *sup.* probavit Dominus auctoritate David se esse Deum, & non purum hominem. Nunc ostendit idem per effectum scientiæ, quia cognovit corda, & intentiones offerentium in templo. Dividitur autem hoc cap. in tres partes. In prima ponitur viduæ pauperis commendatio, per quam Ecclesia de gentibus figuratur. In secunda prædicitur civitatis, & templi Jerusalem pariter, & mundi eversio, & signa præcedentia communiter assignantur *ibid.* ibi: [Et quibusdam dicentibus.] In tertia monet discipulos suos Dominus esse attentos contra mala imminentia, ibi: [Attendite autem vobis, &c.] Dicit ergo:

b Respiciens autem Jesus, vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium divites.] Dicitur autem gazophylacium arca foramen desuper habens, in quam templi donaria mittebantur, quæ 3. *Reg.* 16. dicitur Musach sabbati. *Matt.* 27. dicitur corbona, 4. *Reg.* 12. dicitur gazophylacium. Item gazophylacium dicitur porticus, in qua erat arca illa. Unde *Jo.* 8. Hæc locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo. Et dicitur gazophylacium a gazis, i. divitiis, & phylaxe, quod est servare. Item domus Levitarum, & Sacerdotum juxta templum in superiori parte ad Orientem dicebantur gazophylacia. *Ezech.* 42. Item locus ubi referebantur decimæ. *Nehem.* 10.

Moraliter autem gazophylacium Dei, est manus pauperis, vel Dei memoria, in qua omnium merita reponuntur in fine remuneranda. In hoc gazophylacium quidquid posueris, centuplum invenies. Juxta illud *Matt.* 19. Omnis, qui reliquerit domum, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. *Gen.* 26. Seminavit Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum. Modo pauci volunt seminare in hac terra, quasi sit sterilis. Unde conqueritur Dominus. *Jer.* 2. Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina. *c* Vidit autem & quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo,] quasi æra minuta, & erit minuta substantivum, vel æra minuta, i. minima æra, ut sit æra substantivum, quia utrumlibet potest esse substantivum. *d* Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quam omnes misit,] adverbialiter, i. copiosius, i. ex majori affectu, igitur plus in merito, vel plus proportione residui, & sic nominaliter. *e* Nam] non est casuale, sed ostensivum, quod scil. illa totum suum misit.

g Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei, hæc autem ex eo quod deest illi, i. quamvis deest illi: Et est forte idioma Hebræum.

f Omnem victum suum, quem habuit, misit.] *Chrys.* Nullus dicat: Non possum facere. Potes. Non es vidua illa pauperior, non es Petro, & Joanne rusticior. Et *sup.* Talenta sunt uniuscujusque virtus, sive præeminentia, sive in pecunia, sive in doctrina, sive in qualicumque tali negotiatione. Et *inf.* Nihil ita est Deo amicum sicut ad communem utilitatem vivere. Item *Chrys.* Dominus ait. Nondum dedisti quantum illa, quæ duos obulos submisit, neque dimidium. *Hier.* Non quantum, sed ex quanto desiderio dederis, considerat Deus. *Gen.* 4. Respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus. *Tob.* 4. Si multum tibi fuerit, &c. *Eccl.* 7. Ne dicas, in multitudine munerum meorum respicit Deus, &c. *Deut.* 32. Nonne hæc condita sunt apud me, &c. *Glos.* In judicio proferenda, *Job* 14. Signasti quasi in sacculo delicta mea.

Moraliter. Moraliter. Vidua est anima mundo quondam sociata per amorem, modo separata ab eo per contemptum. Et celebratum est divortium inter ipsos a summo Pontifice, idest Christo, & jam quasi mortuum sibi reputat, ut Paulus *Gal.* 6. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. De hac vidua dicit *Job* 24. Pavit sterilem, & quæ non parit, idest, carnem, & viduæ non benefecit, idest animæ. *Eccl.* 35. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam ejus descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas, idest, super eum, qui pascit sterilem, & ipsi non benefacit. Duo minuta, quæ ista vidua mittit in gazophylacium Dei, sunt affectus compassionis, & effectus miserationis. Vel verbum, & datum, quæ debentur pauperibus, & aliquando plus valet bonum verbum, quam magnum datum. *Eccl.* 18. Nonne ardorem, &c. Nonne ecce verbum, &c. *Eccl.* 4. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum, & responde illi pacifice. Hæc dicuntur minuta, si in humilitate sunt facta, & tunc Deo sunt accepta, & magna reputata. Unde sequitur.

d Vere dico vobis, quia vidua hæc, &c.]

Mystice. Mystice. Vidua est Ecclesia, cujus maritus est Christus adhuc peregrinatur in cælo. De qua dicitur *Psalm.* 131. Viduam ejus benedicens benedicam. Et *Job* 29. Cor viduæ consolatus sum. Duo minuta, quæ ipsa ponit in gazophylacium, sunt fides, & operatio. Vel Dei, & proximi gemina dilectio, quæ consideratione sui minuta sunt, sed in conspectu Dei magna sunt. Ideo dicitur *Matt.* 6. Nesciat sinistra tua, &c. Alioquin Dominus non videt. Martinus dedit dimidiam clamydem, & Dominus totam vestem sibi datam refert, dicens: Martinus adhuc cathecumenus hac me veste contexit. Mysterium satis patet in *Gl.* Sequitur, *g* Et quibusdam dicentibus, &c.] Secunda pars, in qua post oblationem, & commendationem viduæ, in qua Ecclesia gentium designatur, supponitur templi destructio futura, per quod Synagogæ reprobatio figuratur, sicut patet in *Glos.* Et hoc est: [Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus, & donis ornatum esset, dixit: Hæc quæ videtis,] supple, destruentur. 2. *Cor.* 4. Hæc, quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. Vel sic.

h Hæc, quæ

g Et quibusdam dicentibus, &c.]

Moraliter autem destructio templi, religionis, & Ecclesiæ desolatio, & dejectio est, quæ jam pro magna parte destructa est: Non quoad lapidum, & redituum multiplicationem, sed quoad morum sanctitatem, & fidei devotionem. Unde *Chrys.* Ædificium quidem templi stat, sanctitas autem cecidit. Sed templum hominum ædificium lapidum est, templum Dei congregatio electorum est. Unde 1. *Cor.* 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et quia hodie Prælati, & clerici fere omnes plus curant de lapidibus, quam de animarum ædificatione, ideo in brevi Ecclesia destruetur. Unde *Mich.* 3. Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem in acervum lapidum erit. Et hoc est, quod dicitur: [Et quibusdam dicen-

* tibus

Hæc *a* quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. *b* Interrogaverunt autem illum, dicentes: *c* Præceptor, quando hæc erunt, & quod signum, cum fieri incipient? *d* Qui dixit: videte, ne seducamini, *e* Multi enim *f* venient in nomine meo, dicentes: quia ego sum, & *g* tempus *h* appropinquavit. *i* Nolite ergo ire post illos, Cum *k* autem *l* audieritis prælia, & *m* seditiones, *n* nolite terreri. *o* Oportet enim primum hæc fieri, sed nondum *p* statim finis.

a Hæc, quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.] *Gl.* De signis docet, de tempore non putat intimandum. *Act.* 1. Non est vestrum nosse tempora, &c. Sic construe. [Venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem,] supple de omnibus his, [quæ vos hic videtis, &c. Quadragesimo secundo anno post Passionem Domini factum est hoc a Romanis.

† tibus de templo, quod bonis lapidibus, & donis ornatum esset.] In his duobus commendatur ornamentum Ecclesiæ, scil. magnitudine lapidum, & multitudine redituum. Unde ille bonus Prælatus dicitur, qui bene scit ædificare, & redditus multiplicare, & ideo non jam eliguntur Episcopi, vel Abbates, sed latomi, & negotiatores. Contra latomos prælatos dicitur *Jer.* 22. Væ, qui ædificat domum suam non in justitia, i. in injustitia, quia panem pauperum mutat in lapides. Hi sunt pejores diabolo, qui dixit Domino: Dic, ut lapides isti panes fiant. *Matt.* 4. Contra negotiatores, dicitur 2. *Tim.* 2. Nemo militans Deo, &c. *Ps.* 70. Quoniam non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini, i. in prælationes. Sed certe modo dicitur: Nihil scit de bonis sæcularibus, ideo non esset bonus Prælatus. Et de hoc conqueritur Dominus *Osee* 11. Circumdedit me Ephraim in negotiatione sua, & in dolo domus Israel. Ornamenta vero Ecclesiæ, quibus multiplicandis, & custodiendis deberent intendere Prælati, sunt morum honestas, fidei puritas, orationis devotio, hospitalitas, doctrina, confessio, & hujusmodi. Lapides vero sunt bonæ personæ, & religiosæ, quas non solum quærere, sed etiam magno pretio emere deberent Prælati, ut eas possent in suis Ecclesiis collocare. 1. *Pet.* 2. Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini in domos spirituales. *Apoc.* 21. Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis. Portæ sunt Prælati, margaritæ virtutes.

a Non relinquetur domus, &c.] Ruinam turrium, & palatiorum Clericorum minatur Dominus, quod & olim per prophetas prædixerat. *Amos* 3. Percutiam domum hyemalem, &c. *Isa.* 2. Dies Domini super omnes colles elevatos. Sequitur.

b Interrogaverunt autem illum, dicentes: Præceptor quando, &c.] *Beda*: Quia laudantibus ædificationes templi prædixerat omnia destruenda, discipuli, sicut Marcus ait *cap.* 13. scil. Petrus, & Jacobus, & Joannes, & Andreas separatim quærunt tempus, & signa prædictæ destructionis Jerosalem, & secundum *Matt.* 24. Signa ultimi adventus ad judicium. Dominus autem signa exponens, de tempore ambiguos relinquit, quia novit idipsum expedire eis. Sed quia noverat ante eversionem supervenire in Ecclesia Pseudo, qui falso dogmatizarent, & errores in Ecclesia disseminarent, prædicantes diem judicii imminere, ideo præmonet, & præmunit Dominus Apostolos, ut sibi præcaveant, ne falsis errorum dogmatibus acquiescant, quia primo præcedent signa, quæ ponuntur. Hoc est, quod dicitur.

c Præceptor, quando hæc erunt, & quod signum, cum fieri incipient?] 1. *Cor.* 1. Judæi signa petunt, & Græci sapientiam. Quasi discipuli non solum signum destructionis templi, sed & consummationis sæculi quæsierunt, ut dicitur *Matt.* 24. Sciebant enim, quod tunc fiet omnibus plena remuneratio. Unde *Chrysost.* Omnibus laborantibus dulcis est finis: Viator libenter interrogat, ubi est mansio, mercenarius frequenter computat, quando annus completur, agricola semper tempora messis expectat, mulier prægnans semper de decimo mense cogitat, sic & servi Dei libenter de consummatione requirunt, quia ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum. *Matt.* 6. *Job* 7. Sicut cervus desiderat umbram, &c. Sed de malis, & otiosis dicitur *Amos* 5. Væ desiderantibus diem Domini, ad quid, &c.

d Qui dixit: Videte ne seducamini,] i. ne quis persuadeat, quasi hæc mox sint futura. *Chrys.* Duo respondet, de futuro præmonet quasi præscius Deus, de præsenti monet quasi benignus magister. *Marc.* 13. Videte, ne quis vos seducat. 2. *Thess.* 2. Ne quis vos seducat, quoniam nisi venerit discessio. *e* Multi enim] ante contemplationem horum.

f Venient in nomine meo, dicentes: quia ego sum] Christus, supple. *g* Et] dicentes: quia [tempus] judicii, vel libertatis, & pacis. *h* Appropinquavit] quasi jam prope est. 1. *Jo.* 4. Multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. *Sap.* 4. Multigena impiorum multitudo non erit utilis. Imminente excidio civitatis, & etiam tempore Apostolorum multi fuerunt hæretici, & Pseudo, qui dixerunt se esse Christos, & tempus libertatis ac diem Domini appropinquare, & multas alias falsitates. Contra quos disputat Apostolus 2. *Thess.* 2. Quorum primus, idest maximus fuit Simon Magus, qui dicebat & in suis voluminibus reliquit scriptum, ut dicit *Hieron.* Ego sum speciosus, ego sum paracletus, ego sum omnipotens, ego Dei omnia, ego sum sermo Dei. Unde *Act.* 8. Vir quidam, nomine Simon, dicens se esse aliquem magnum, cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes: hic est virtus Dei, quæ vocatur magna, sicut Apostolus dicebat Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. 1. *Cor.* 1. Refert etiam *Josephus* alium Simonem fuisse in campis Jezrael, qui prædicabat se esse Christum, & in proximo liberaturum Judæam a tributo Romanorum. Legitur etiam, quod cum essent filii Herodis Romæ, & ibi disceptarent de regno, erant quatuor in Judæa, quorum unusquisque se esse Christum prædicabat. Sic circa finem mundi erunt multi hæretici. Multi dico, & numero hominum, & numero hæresum, plurimos seducentes, quorum princeps erit antichristus, sicut Simon primus fuit in primitiva Ecclesia. Unde in catalogo hæresum primo ponitur simoniaca hæresis. Sed quare imminente excidio civitatis, & mundi pullulant hæreses. *Chrysost.* Quando domus incendio corrumpitur, omnes latrones surgunt, & irruunt, ut rapiant, sic quando casus Judæorum specialiter, vel Christianorum generaliter fieri cœpit, omnes dæmones insurrexerunt per ministros suos quærentes, quid perdant. Unde *Psal.* 103. Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ. Item homo circa mortem phantasias videt, sic & mundus in exitu suo multos patietur errores.

i Nolite ergo ire post illos,] i. acquiescere illis. Tamen multi abibunt post illos. Unde *Marc.* 13. Multi venient in nomine meo, & seducent multos. Simon enim multos seducit: Pauci enim hodie sunt beneficiati nisi per Simonem, quia vel prece carnali, vel servitio temporali, vel intuitu sanguinis, vel timore Principis, vel spe temporalis emolumenti. Item Antichristus multos seducit, i. amor dignitatum Christo contrarius. Christus enim quæsitus ad regnum fugit. *Jo.* 6. Quæsitus ad Crucem, & mortem se obtulit. *Jo.* 18. Ambitiosus econtrario Christus in una persona duas, vel tres naturas habuit, ambitio in una substantia plures congerit personatus. 1. *Jo.* 2. Nunc Antichristi multi sunt.

k Cum autem, &c.] *Beda*: Hæc ad litteram a Passione Domini in Judæa abundaverunt, quibus ne territi Apostoli Jerusalem, & Judæam deserant, admonentur, quia non statim finis, sed post quadragintaduos annos. *Chrys.* Non potest esse signum, quod semper fuit in usu: Nam bella hæc corporalia semper fuerunt, & erunt, loquitur carnaliter de bello Judaico, spiritualiter autem de bellis Hæreticorum in fine. Dicit ergo:

k Cum autem] ante excidium.

l Audieritis prælia,] quæ ad hostes.

m Et seditiones,] quæ ad cives.

n Nolite terreri,] quasi ne propter ista de Judæa aufugiatis per quadragintaduos annos prædicaturi.

o Oportet enim, &c.] *Ambr.* De signis docet, de tempore non putat intimandum. *Matt.* 18. Necesse est, ut veniant scandala.

p Sed nondum statim finis,] idest, finalis eversio Judææ.

k Cum audieritis, &c.] Duo genera tentationum tangit hic Dominus. Bella sunt ad exteros hostes, seditiones ad domesticos cives. Hostes exteri sunt hæretici, cives domestici

Matth. 24. Marc. 13.

a Tunc dicebat illis: *b* Surget gens contra gentem, & *c* regnum adversus regnum, & *d* terræmotus *e* magni erunt per loca, & *f* pestilentiæ, *g* & fames, *h* terroresque de cœlo, *i* & signa magna erunt. k Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur tradentes in synagogas, & custodias, *l* trahentes ad reges, & præsides propter nomen meum.

mestici sunt falsi Christiani. Illi fidem, isti mores impugnant. Signanter autem dicit: [Cum audieritis] non videritis, aut senseritis. Auditus enim præliorum non multum terret, aut lædit, & Sancti sine terrore, & læsione suscipiunt, sive sustinent tentationes. Unde *Chrysost.* In auditione seu corporalium, seu spiritualium præliorum impetrabiles manent, quia ea, quæ fiunt in mundo, non possunt nocere eis, qui sunt extra mundum: Sicut qui est in taberculo, sonum quidem tempestatis audit, ipse autem flatum non sentit. Hoc est quod dicitur *Prov.* 28. Fugit impius nemine persequente, justus autem quasi leo confidens absque terrore erit. *Matth.* 10. Noli timere eos, qui corpus occidunt, &c. *Infra* 12. Nolite timere pusillus grex. *Prov.* 12. Non contristabit justum quicquid acciderit. Sequitur. *a* Tunc dicebat illis Surget gens contra gentem, &c.] Signa ponit communia destructionis Jerusalem, & consummationis sæculi, quorum alia sunt de cœlo, alia e terra, alia ab elementis, alia ab hominibus. Verbi gratia: [Surget gens contra gentem:] Ecce signum ab hominibus. [Et terræmotus magni erunt:] Ecce signum a terra. [Pestilentiæ, & fames:] Ecce signum ab elementis. [Terroresque de cœlo.] Hæc omnia finem sæculi præcedent, & destructionem Jerusalem præcesserunt. Unde dicit *Josephus*, quod imminente destructione Jerusalem, stella similis gladio per annum pependit super Jerusalem, & currus, & equites armati in aere pugnantes, & vitula inter manus immolantis peperit agnum. De hujusmodi etiam portentis legitur 2. *Machab.* 5. Dicit autem *Chrys.* quod non sunt omnia hæc signa ad manifestationem. Nam bella corporalia semper fuerunt, & fames, & terræmotus. Nec potest esse signum rei futuræ, quod semper est in usu, sed quod novum fit, illud dicitur signum. Sicut ergo fuit Jerusalem corporalis, quæ jam expugnata est, sic est & altera spiritualis, idest Ecclesia Christi, quæ tentatur quotidie, & in fine tentabitur. Unde signa, quæ Dominus dicit, sunt spiritualiter intelligenda, & carnaliter. Ergo ad utrumque porrige mentem, qui audis. Dicit ergo: *b* Surget gens contra gentem] laici contra clericos, canonici contra canonicos. *Isa.* cap. 3. Corruet populus, vir ad virum, unusquisque ad proximum suum, tumultuabitur puer contra senem, ignobilis contra nobilem. Item *Isa.* 9. Unusquisque carnem brachii sui vorabit, Manasses Ephraim, &c.

c Et regnum adversus regnum,] i. Ecclesia contra Ecclesiam, vel claustrum adversus claustrum. *Isa.* 19. Concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum. *Zachar.* 9. Divisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum. *Osee* 10. Divisum est cor eorum, &c. *sup.* 11. Omne regnum in se divisum desolabitur, &c. *d* Et terræmotus.] *Isa.* 24. Agitatione agitabitur terra, sicut ebrius, voment enim peccatores. *e* Magni erunt per loca.] *Greg.* Prius corda hominum, & post elementa turbantur, ut cum rerum ordo confunditur, ex qua re tribulatio veniat, monstretur. Terræ commotio est a vera fide separatio, vel a bonis moribus alienatio. Primum est in hæreticis, secundum in hypocritis. Vel certe terræ commotio est Ecclesiæ perturbatio, quæ fit per advocatos, qui pacem Ecclesiæ turbant. *Eccl.* 28. Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem. Et *inf.* Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat. 2. *Paral.* 15. Non erit pax egrediendi, vel ingrediendi, sed terrores undique in cunctis habitatoribus terrarum: Pugnabit enim gens contra gentem, & civitas contra civitatem, quia Dominus conturbabit eos in omni angustia, vos autem confortamini, & non dissolvantur manus vestræ: erit enim merces operi vestro. *Apoc.* 8. Accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus magnus. Quatuor autem sunt, quæ turbant Ecclesiam Dei modo. Hæretici, schismatici, hypocritæ, advocati. *Prov.* 30. Per tria movetur terra, & quartum, quod sustinere non potest. Per servum, cum regnaverit, per stultum, cum saturatus fuerit cibo, per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta, & per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ. *f* Et pestilentiæ,] i. mali exempli pernicies, & erroris pestifera prædicatio. *Ezech.* cap. 5. Famem congregabo super vos, & conteram in vobis baculum panis, & immittam in vobis famem, & bestias pessimas usque ad internecionem, & pestilentia, & sanguis transibunt per te. *g* Et fames audiendi verbum Dei. *Amos* 8. Mittam famem in terram, non famem panis, &c. *h* Terroresque de cœlo,] unde deberet esse consolatio. Ecce omnia elementa quasi in ultionem auctoris sui consurgunt. *Sap.* 5. Pugnabit pro eo orbis terrarum. *Sap.* 16. Vindex enim est orbis justorum. *i* Et signa magna erunt.] *Glos.* Constat hæc omnia contigisse tempore Judaicæ seditionis ante ultimam Provinciæ eversionem. Hæc *Glos.* innuit ea, quæ dicta sunt ad litteram, fuisse post Passionem Domini, quæ etiam erunt ante consummationem sæculi. *Chrys.* Quomodo facta est fames verbi in Christiano populo, quo modo comprehenderunt eos pestilentiæ vitiorum, quanti facti sunt terræmotus turbationum. Et *inf.* Gens, quibus odio sunt patres nostri, hæreses sunt. Et *inf.* Alii dicunt, se neque manducare, neque bibere, sed pendere in aere, alii vestiti ciliciis, circumdati catenis, socia sibi dæmonia commoventes, & quia gratiam Dei non habent, patrocinio dæmonum commendatur. Et *inf.* Quem ex parte non moveat Antichristus faciens opera Christi, & antichristiani officia explentes Christianorum, hæc sursum sunt signa, i. in eis, qui sunt sursum, i. supra alios. [Surget gens contra gentem, &c.] *Gl.* *Greg.* Horum alia e cœlo, &c. *Greg.* Omnia, quæ ad usum vitæ præsentis accipimus, vertimus ad culpam, tranquillitatem humanæ pacis in vanam securitatem, peregrinationem terræ pro habitatione dileximus patriæ, salutem corporum redegimus in usum vitiorum, ubertatis abundantiam non ad necessitatem carnis, sed ad perversitatem intorsimus voluptatis, serenitatem aeris cogimus nobis servire ad amorem delectationis terrenæ. Juste igitur nos omnia feriunt, quæ simul subjecta vitiis nostris serviebant, ut quot in mundo habuimus gaudia, tot postmodum sentiamus tormenta. *Sap.* 16. Omnis creatura tibi factori deserviens exardescit in tormentum adversus injustos, &c. *Inf.* Ecce perturbatio hominum, quia abusi sunt pace. *Gen.* 16. Hic erit ferus, manus ejus contra omnes: Ecce respectus iræ desuper, quia in hoc ostenderetur Deus iratus, quod movebit terram, quæ naturaliter est immobilis. Pestilentiæ, inæqualitas corporum, pestis est morbus late pervagans, omnes involvens, quasi a pastu nocivo herbæ. Ecce inæqualitas aeris. Sed nonne ex inæqualitate aeris proveniunt pestes, quare ergo sic distinguit. Solutio, quia sæpe a diabolo veniunt. *Nahum.* 3. Væ civitas sanguinum. *Gl.* Quandoque in morbo corporis flagellum diaboli sentitur. Immittitur enim aliquando, non a natura elementorum, sed a diabolo percutiente, vel regius morbus, vel hydropis, vel labor calculi, & hujusmodi. Sequitur.

k Sed ante hæc omnia.] Prædixit Dominus signa precedentia eversionem Judææ, hic ostendit causam, scilicet, quia post mortem suam precones nominis sui impia crudelitate vexabunt. Et hoc est, [sed ante hęc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur tradentes in Synagogas, & custodias.] Et ideo vos beati. 1. *Pet.* 3. Quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis, sed [si quid patimini propter justitiam, beati] *Matt.* 5. Beati estis, cum vos oderint homines, & persecuti vos fuerint. Sed non omnibus datum est hoc, scil. pro Christo pati persecutionem. *Phil.* 1. Vobis datum est pro Christo, &c.

l Trahentes ad reges, & pręsides propter nomen meum.] *Matt.* 10. Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, quod prędicatis. Et quod est illud nomen, quod prędicatis. *Gen.* 32. Cur quęris nomen meum, quod est mirabile: Est enim Tetragrammaton.

Quatuor sunt, quæ turbant Ecclesiam Dei.

a Con-

a Continget autem vobis in testimonium, *b* Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis, *c* Ego enim dabo vobis os, & *d* sapientiam, *e* cui non poterunt resistere, & *f* contradicere omnes adversarii vestri. *g* Trademini autem a parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & *h* morte afficient ex vobis. Et *i* eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et *k* capillus de capite vestro non peribit. In *l* patientia vestra *m* possidebitis animas vestras.

a Continget autem vobis in testimonium.] Quasi vos sustinebitis hujusmodi pressuras, sed ipsum vobis erit in testimonium damnationis eorum, & exemplum bonorum. Damnationis inquam illorum, qui vos persequuntur, vel eorum, qui vos audire noluerunt, vel videntes imitari noluerunt. Afflictio enim justorum, ut dicit *Gregor.* bonis est in adjutorium, malis in testimonium, ut inde reprobi sine excusatione pereant, unde exemplum bene vivendi capiunt electi. *Zach.* 3. Audi, sacerdos magne, tu, & amatores tui, qui secum sunt, quia viri portendentes vos estis. Vel [Continget vobis in testimonium,] idest propter testimonium veritatis, vel in testimonium meæ charitatis, & vestræ obedientiæ, & sollicitudinis, qui misi vos ad ipsos vocandos, & noluerunt venire. *Jer.* 7. Misi ad vos omnes servos meos Prophetas per diem consurgens diluculo, & mittens, & non audierunt me.

D

b Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari, quemadmodum respondeatis,] idest, qualiter, utrum ornate, vel inornate, ne videamini testes subordinati a sensu carnis, vel mundi. 1. *Cor.* 2. Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, &c. Contra hoc, quod hic dicitur *Isa.* 45. Annunciate, & venite, & consiliamini simul. *Glos.* Ut omnes per mundum euntes, idem annuntietis. *Exod.* 4. Ego ero in ore tuo. Unde sequitur hic.

c Ego enim dabo vobis os,] idest verba. *Isa. cap.* 45. Ego sum, qui loquor justitiam, &c. *Malach. cap.* 10. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, non enim, &c. *Beda*: Nolite terreri, vos ad certamen acceditis, sed ego prælior, vos editis verba, sed ego sum, qui loquor. *Exod. cap.* 14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Et sicut organum modulationem emittit, secundum quod temperatur ab artifice, sic prædicator loquitur, secundum quod temperatur a Christo. *Isa. cap.* 16. Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, quæ non sonat nisi secundum quod temperatur.

d Et sapientiam,] ut sapientia cordis os regat, & doceat, & os sapientiam cordis aliis manifestet, & communicet. *Eccl.* 21. Os sapientis, &c.

e Cui non poterunt resistere] verberibus.

f Et contradicere,] verbis [Omnes adversarii vestri.] Multi sunt adversarii veræ prædicationis verbi Dei, maxime autem detractores, & luxuriosi. De primis *Proverbior. cap.* 9. Noli arguere derisorem, ne oderit te. *Ibidem*: Qui erudit derisorem, ipse sibi injuriam facit. De aliis *Eccles. cap.* 21. Audivit luxuriosus, & displicebit illi, & projiciet illud post dorsum suum. De utrisque *Matth.* 7. Nolite sanctum dare canibus, &c.

g Trademini autem a parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis,] qui deberent juvare, & defendere. Hoc autem subdiiit ad exaggerationem pressuratum. Molestius est enim ab eo supplicium pati, a quo debuit accipere beneficium.

Unde major erit dolor, quam si extranei hoc facerent. *Psalm.* 54. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, &c. Tu vero homo unanimis, &c. *Beda*: Majus tormentum est, cum aliquis ab illis patitur, de quibus præsumebat, idest bene sperabat, quia cum damno corporis mala patitur amissæ charitatis, idest, præter damnum corporis, quod sustinet, dolet de amissa dilectione consanguineorum. *Michee cap.* 7. Omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum venatur ad mortem, &c. Et *Inf.* Nolite credere amico, &c. *Jer.* 9. Omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Sed quomodo est amicus, si fraudulenter incedet, aut quomodo fraudulenter incedit, si est amicus? Respondeo. *Eccl. cap.* 6. Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die tribulationis.

h Et morte afficient ex vobis.] *Glos.* Quosdam *Chrys.* Facientes persecutiones, quomodo hæc legere non erubescunt?

i Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.] Hominibus, idest, humanum sapientibus. Omnes amatores mundi oderunt Christum, & servos ejus, quia prædicant contemptum mundi. *Jac.* 4. Quicumque voluerit esse amicus hujus mundi, inimicus Dei constituitur. *Chrysost.* Mira virtus Christi, & fortitudo Apostolorum a gentibus habebantur odio, ut Judæi, a Cæsare abigebantur, ut seditiosi, a Judæis lapidabantur, ut legis inimici, contra Apostolos omnes præliabantur, princeps, dux, idiota, plebs, infinita millia Judæorum, tunc ceperunt Romani, & duodecim viros inermes non superaverunt. Duo sunt necessaria docenti, ut fide sit dignus, scilicet, ut diligatur ab his, quos docet, & ut tempus sit liberum a tumultu, omnia autem tunc contraria fuerunt.

k Et capillus de capite vestro non peribit,] idest quælibet particula, quæ erit de veritate humanæ naturæ; Et est probatio quasi a minori. Vel aliter potest exponi, & erit metaphora. [Capillus de capite vestro non peribit.] Quia dura sunt, quæ dixerat de afflictione, ideo hic subdit gaudium de resurrectione, quando fiet plena remuneratio. Est ergo sensus: [Capillus, &c.] quasi non solum facta vestra, & dicta Deus remunerabit, sed nec modica cogitatio in vobis irremunerata remanebit, unde *Psalm.* 75. Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi, idest, modicæ cogitationes, ut dicantur reliquiæ a modicitate, non a paucitate.

l In patientia vestra possidebitis animas vestras,] quasi dicat, hæc prædicta sustinebitis, sed in his, idest, inter hæc maxima patientia opus est. Unde in omnibus habete patientiam, quia in ea.

m Possidebitis animas vestras,] idest, eritis Domini, & possessores animarum vestrarum, ut si animæ vestræ passiones abhorreant, tamen eas rationis arbitrio regatis, & ad patiendum inducatis. *Roman. cap. secundo*. Testimonium reddente illis conscientia. Contra *Glos.* In illa die cogitationes accusabunt animas, vel defendent. Non utique illæ cogitationes, quæ tunc erunt, sed quæ nunc sunt. Nota, duæ virtutes maxime sunt necessariæ prædicatoribus, scilicet, sapientia, & patientia. Nam per sapientiam respondetur verbis, per patientiam verberibus. In his duobus interrogantur prædicatores, sicut & ipse Dominus. *Sapient. cap. secundo*. Contumelia, & tormento interrogemus eum, sic & tu. Hæ enim sunt duæ alæ, quæ datæ sunt mulieri, idest, Ecclesiæ, ut fugeret in desertum a facie draconis. *Apocal.* 13. Verumtamen, quia patientia radix est, & omnium virtutum custos, etiam sapientiæ. Unde *Proverb.* 19. Doctrina viri per patientiam noscitur: Ideo de ipsa dicit *Glos. Gregor.* Patientia est radix, & custos omnium virtutum. Contra. Imo fides, vel humilitas. Sol. Radix prima pars arboris est, & infima, & arborem firmam tenet, ne cadat. Fides prima, humilitas secunda, patientia tertia.

l In patientia vestra possidebitis animas vestras,] idest, custodietis. *Proverb.* 15. Qui acquiescit increpationibus, possessor est cordis. *Gregor.* Dum nobilipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere, quod sumus. *Proverb. cap.* 16. Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium. *Gregor.* Vera patientia est, quæ ipsum amat, quem portat: Nam tolerare, & odisse, non est virtus, sed velamen furoris. Quantum lata mens fuerit per amorem, tantum erit & patiens per longanimitatem. Tantum portat quisque proximum, quantum amat ipsum. *Hier.* Tripliciter exercetur patientia. A proximo enim sustinemus persecutiones, damna, & contumelias: Ab adversario, tentamenta: A Domino autem flagella. Sine ferro esse martyres possumus, si patientiam in animo servamus. Sequitur,

a Cum

a Cum autem videritis circumdari ab exercitu b Jerusalem, c Tunc scitote, quia appropinquavit desolatio ejus. d Tunc e qui in Judæa sunt, f fugiant ad montes, & g qui in medio ejus discedant, & qui in regionibus, non intrent in eam, quia h dies ultionis i sunt, ut impleantur omnia, quæ scripta sunt. Væ k autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Erit l enim pressura magna super terram, & ita populo huic. Et m cadent in ore n gladii, & o captivi ducentur in omnes gentes. Et Jerusalem calcabitur a gentibus, p donec impleantur tempora nationum.

a Cum autem, &c.] Hucusque dixit Dominus, quæ futura erant Jerusalem per quadraginta duos annos a sua Passione: Hic autem finalem desolationem, quæ facta est per Romanos, exponit, dicens: [Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem,] i. cum videritis Jerusalem obsessam.

c Tunc scitote, quia appropinquavit desolatio ejus,] i. instat eversio ejus.

d Tunc,] idest, in proximo tēpore ante obsidionem, dum adhuc fugere licebit, quia primo transiit Romanus exercitus per Judæam, & civitates multas evertit.

e Qui in Judæa sunt, fugiant ad montes,] quasi non veniant in Jerusalem.

g Et qui in medio ejus] sunt [discedant, & in regionibus, non intrent in eam.] *Hier.* Ad litteram tanta fuit urbis obsidio, & tam arcta, quod nulli erat licitum intrare, vel exire de civitate.

h Quia dies ultionis] sanguinis Domini.

i Hi sunt, ut impleantur omnia, quæ] inde [scripta sunt,] *Matth.* 5. Jota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. *Beda*: Ecclesiastica historia narrat, Christianos, qui in Judæa erant, imminente excidio ab Angelo monitos fuisse, & trans Jordanem in civitate Pella, donec desolatio Judææ impleretur, habitasse. Hæc omnia mystice intelliguntur de Ecclesia, quæ pro magna parte destruitur per Romanos. Unde & Petrus ad Clementem, abominationem desolationis exponit exercitum Romanorum, ut dicit *Chrys. super Matt.* 24. Dicit ergo:

Mystice. a Cum autem videritis circumdari ab exercitu] Romanorum.

b Jerusalem,] idest, Ecclesiam, quæ modo circumdata est satis a pueris Romanorum. Jam enim fere in omni Ecclesia sunt Romani constituti Canonici, & non solum Romani, quod tolerabile est, sed pueri Romanorum, quod execrabile est.

c Tunc scitote, quia appropinquavit desolatio eius,] i. Ecclesiæ. Nihil enim adeo destruit Ecclesiam Dei, sicut quod pueri in Ecclesiis dominantur. *Isa.* 3. Ecce Dominus dominator exercituum auferet a Jerusalem, & a Juda validum, & fortem, & robur panis, & omne robur aquæ, & fortem, &c.

d Tunc qui in Judæa sunt,] idest, in Ecclesia, ubi est confessio veritatis.

f Fugiant ad montes,] i. ad claustra, ut ibi salventur latentes. *Gen.* 16. Non stes in omni circa regione, sed in montem salvum te fac. *Isa.* 2. Venite, ascendamus ad montem Dei Horeb, & ad domum Dei Jacob, i. luctatorum.

g Quia dies ultionis.] *Isa.* 34. Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom, quia dies ultionis Domini annus retributionis judicii Sion, idest Ecclesiæ.

k Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.] De signis, quæ præcesserunt eversionem Jerusalem, quædam exposuit Dominus, & ultimo posuit evidenter judicium destructionis, scil. obsidionem: adhuc prosequitur de obsidione, dicens: quia tempore obsidionis erit væ prægnantibus, i. in utero habentibus, & nutrientibus parvulos jam natos, quia præ sarcina filiorum fugere non poterunt, & capientur. Vel per prægnantes, & nutrientes intellige quoslibet habentes qualibet fugæ impedimenta, ut sit sensus: Væ erit illi, qui aliqua impedimenta habebit, ne fugere possit. Littera patet.

Mystice. Mystice, autem k Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus,] i. mortis, vel judicii tempore propinquante. Prægnantes autem sunt omnes terrenas divitias concupiscentes, & nondum habentes, cum autem pepererint, idest habuerint, adjiciunt lac, ut crescat, *Amos* 1. Super tribus sceleribus filiorum Ammon, &c. *August. de verbis Domini*. Quando concupiscit quis rem alienam, anima sua quasi concepisse videtur, quam rem si per aliquam nequitiam potuerit obtinere, quasi natum filium osculari, & nutrire cognoscitur. Vis concupiscendo impregnari? Concupisce vitam æternam, & intus erit parvulus tuus. Item prægnantes sunt pondere peccatorum graves superbia turgentes. Item propositum bonum habentes, sed nondum perficientes. De quibus *Isa.* 37. Filii venerunt usque ad partum, & virtus non est pariendi. Nutrientes vero sunt omnes divitias habitas avare custodientes. Item peccata sua palliantes excusantes, defendentes. Item propositi, vel voti sui exitum differentes. Omnibus his væ in diebus illis. 4. *Reg.* 15. Percussit Manahen Thapsam, & omnes, qui erant in ea, & terminos ejus de Thersa: Noluerunt enim aperire ei, & interfecit omnes prægnantes ejus. Manahen interpretatur consulens, vel consolatio, i. Christus. Thersa pulchra, mundus. *Jer.* 31. Congregabo eos, inter quos erunt cæcus, & claudus, & prægnans, & pariens simul.

l Erit enim pressura magna super terram.] *Joann. cap.* 16. In mundo pressuram habebitis. *Anselmus*: O angustiæ, hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus judex, intus urens conscientia, foris ardens mundus, justus vix salvabitur, constrictus ubi latebo? quomodo parebo? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Illud desiderabo, & nusquam erit, illud execrabor, & ubique erit.

m Et cadent in ore,] i. in consumptione. n Gladii] sententiæ divinæ. *Job* 19. Fugite a facie gladii, quia ultor iniquitatum gladius est. *Deut.* 32. Gladius meus devorabit carnes. o Et captivi ducentur in omnes gentes, & Jerusalem calcabitur a gentibus.] Jam calcatur Jerusalem, i. Ecclesia a gentibus incircumcisis carne, & corde. *Ps.* 78. Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c. *Ezech.* 44. Hæc dicit Dominus Deus: Omnis alienigena incircumcisus carne, & incircumcisus corde non ingredietur sanctuarium meum.

p Donec impleantur tempora nationum.] *Beda*, idest, donec plenitudo gentium intraverit, ut sic omnis Israel salvus fiat. *Roman.* 11. & quasi ad solum propriæ nativitatis gavisurus redeat, idest, ad fidem. Vel ad litteram potest intelligi, quia tempore Antichristi sunt habituri Judæi Jerusalem, & reædificaturi templum unum, sicut dicunt quidam, & legitur Antichristus sessurus in templo. 2. *Thessal.* 2. Quid autem impletis temporibus nationum, & omni Israele salvato sequatur, Dominus ex ordine ponit: Nam & hoc secundum *Matt.* 24. Apostoli quæsierunt non solum tempus evertendi templum, sed etiam signum adventus ejus, & consummationis sæculi. Unde sequitur.

q Et erunt signa, &c.] Hucusque posuit Dominus signa eversionis Jerusalem, hic autem ponit propria signa adventus sui ad judicium, & consummationis sæculi. *Hieron.* vero dicit se invenisse in libris Hebræorum quindecim signa præcedentia diem judicii. Utrum autem dies illi, quibus fient illa, continui sint futuri, an interpolati, non exprimit. Prima die eriget se mare quadraginta cubitis super altitudinem montium, stans in loco suo quasi murus. Secunda, tantum descendet, ut vix intueri possit. Tertia, omnes marinæ belluæ apparentes supra mare, dabunt rugitus usque ad cœlum. Quarta, ardebit mare, & aquæ omnes. Quinta, herbæ, & arbores dabunt rorem sanguineum. Sexta, ruent ædificia. Septima, petræ ad invicem collidentur. Octava, generalis fiet terræmotus. Nona, æquabitur terra. Decima, exibunt homines de cavernis, & ibunt velut amentes, & non poterunt mutuo loqui. Undecima, surgent ossa mortuorum, & stabunt super sepulchra. Duodecima, cadent stellæ. Decimatertia, morientur homines viventes, ut cum mortuis resurgant. Decimaquarta, ardebit cœlum, & terra, idest, superficies aeris, & terræ. Decimaquinta, fiet novum cœlum, & nova terra, & resurgent omnes. Hæc eadem signa ponit *Magist. in histor.* Quædam illorum in Evangelio leguntur, ut hic duplici ex causa. Prima est, ut boni accelerent iter suum. Secunda, ut mali perterriti resipiscant, & redeant,

Dicit

Dicit ergo: *a* Et erunt signa in Sole, &c.] *Joel.* 2. Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem. *Isa.* 24. Erubescet Luna, & confundetur Sol, cum regnaverit Dominus exercituum, &c. q. d. confundetur ex rubore propter peccata vestra.

b Et in terris pressura gentium,] hoc tempore Antichristi.

c Præ confusione sonitus maris, & fluctuum,] quia mare confundetur, idest omnino peribit, & hoc cum fragore horrendo. Quod autem aquæ omnino pereant, habetur *Apocal.* 21. *Beda*: Prænunciat hoc, quod Joannes inter cetera sæculi miracula habiturum mare conspexit. *Apocal. vigesimoprimo*, idest admirandum, cum dicit: Et mare jam non est. *Greg.* Confusio maris, & fluctuum necdum nova exorta est, sed cum multa prænunciata completa sunt, dubium non est, quin sequantur etiam pauca, quæ restant, quia sequentium rerum certitudo est præteritarum exhibitio,

Isa. 11. Joel. 3.

> *a* Et erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, *b* & in terris pressura gentium, præ *c* confusione sonitus maris, , & *d* fluctuum;

A Arescentibus

Mystice.

Mystice. *a* Et erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis.] Sol Christus est. De quo *Malach. ult.* Vobis timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus, idest in brachiis in Cruce extensis. Luna est Ecclesia, quæ a Christo illuminatur, ut Luna a Sole. *Apocal.* 12. Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, idest, Ecclesia informata Christi conversatione. Stellæ sunt singuli fideles. *Jud.* 5. Stellæ manentes in ordine suo, & cursu pugnaverunt contra Sisaram. In hoc Sole Christo quatuor signa leguntur fuisse, scilicet, obscuratio, percussio, statio retrocessio. Obscuratio Solis fuit in Verbi incarnatione, tunc enim quasi sol sub nube latuit, & ita quodammodo obscuratus fuit. De qua *Apocal.* 6. Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus. Dicitur autem saccus, quia Deus pater omnes thesauros suos recondidit in eo, sicut bonus mercator in vili sacco reponit merces suas pretiosas. Cilicinus autem dicitur, propter vitæ asperitates, & vilitates assumptas. De quo dicitur in *Psal.* 29. Conscidisti saccum meum, non solum aperuisti, sed etiam conscidisti, ut thesauri in eo absconditi, & aromata ibi reposita largiter effunderentur nobis. Istum saccum consuerunt Angelus, & Maria, & ipse Christus. Primum punctum fecit Angelus, dicens: Ave gratia plena. Secundum addidit Maria respondens: Quomodo fiet istud. Tertium superaddidit Angelus quasi acum reddens Mariæ: Spiritus sanctus supervenit in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et ipsa illi acum rejiciens, apposuit quartum, dicens: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et statim Dominus apposuit manum uniens sibi saccum humanitatem, & consutus est saccus. Unde *Job* 16. Saccum consui super cutem meam. Non dicit sui, sed consui, idest inseparabiliter mihi univi. Divinitas enim nec a corpore in sepulchro, nec ab anima separata est in limbo. Percussio solis fuit in Christi Passione. De qua *Isa.* 53. Propter scelus populi mei percussi eum. Sunt autem in Christo tria, scilicet, deitas, anima, caro. Deitas, non fuit percussa, nec anima gladio, licet dolore, sola caro gladio fuit percussa, & ita quasi tertia pars solis fuit percussa. Unde *Apoc.* 8. Percussa est tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars Stellarum. Statio Solis fuit in Cruce, ubi Christus affixus stetit perseveranter propter tria, scilicet, ut plene de hostibus triumpharet. Unde *Josue* 10. Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Hailon, steteruntque Sol, & Luna donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Item stetit sol, ut Deum patrem placaret, & nos ei reconciliaret. Unde *Psalm.* 105. dixit Deus, ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus, &c. Sed quomodo stetit, si confractus fuit, aut quomodo confractus fuit, si stetit? Sed stetit in divinitate, confractus in humanitate. Item stetit Sol, ut diem duplicaret, idest, diem gratiæ dici gloriæ continuaret. *Josue* 10. Stetit sol in medio cœli, idest, in aere pendens, & non festinavit occumbere spatio unius diei, & non fuit antea, & postea tam longa dies. Et *Psalm.* 118. Ordinatione tua perseverat dies. Et *Psalm.* 95. Annunciate de die in diem salutare ejus. Quartum signum solis fuit retrocessio: Hoc fuit in resurrectione, & ascensione, quando Christus ad patrem redit, unde venerat. *Jo.* 16. Exivi a patre, & veni in mundum, & iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. *Eccl.* 1. Oritur sol, & occidit, & iterum ad locum suum revertitur, ibique renascens girat per meridiem, & flectitur ad aquilonem lustrans universa, in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos regreditur. *Ps.* 18. A summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus.

In Sole Christo quatuor signa leguntur fuisse.

De ista retrocessione solis dicitur *Isa.* 38. Reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat. Decem lineæ, quas descendens transierat sol, sunt novem ordines Angelorum, quos transivit, quia quodammodo illis se minorem fecit. Unde *Psalm.* 8. Minuisti eum paulo minus ab Angelis. *Hebr.* 2. Eum, qui modico, quam Angeli minoratus est videmus Jesum, propter passionem mortis gloria honoratum. Decima linea est homo, usque ad quam descendit sol. *Cant.* 2. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: En ipse stat post parietem. Secundum signum retrocessionis Solis fuit Ezechiæ, ad tria, scilicet, ad salutem recuperandam, ad prolem generandam, ad vitam prolongandam, ita erit & tibi, si tu es Ezechias, idest, auxilium Domini. Vult enim Dominus, ut juvemus eum ad salutem nostram recuperandam, & ad opera bona facienda, & ad vitam æternam habendam. Unde Apostolus 1. *Corinth.* 3. Auditores Dei sumus. Hæc eadem signa, quæ in sole facta sunt, fiunt quotidie in luna, idest, in Ecclesia, & in stellis, idest, in singulis fidelibus. Percutiuntur enim prius dolore in contritione, deinde obscurantur pudore in confessione, inde stant perseverantes in satisfactione, & tunc demum retrocedunt redeuntes ad statum gratiæ pristinæ. Item sol est Prælatus, qui debet esse fons totius caloris, & luminis. 1. *Mach.* 6. Refulsit sol in clypeos aureos, idest Prælatus in presbyteros, & resplenduerunt montes ab eis, idest principes sæculares, qui revera resplenderent, si sol luceret, & clypei essent aurei. Luna est Ecclesia sicut prius, stellæ sunt clerici, terra sunt laici. In his quatuor dicit Dominus, quod erunt signa appropinquare mundi consummatione. Signum in sole est obscuratio, in hoc notatur imperitia prælatorum. Signum in luna, est sanguis, in hoc notatur carnalis amor consanguineorum. Signum in stellis est casus in terram, in hoc significatur avaritia clericorum. Signum in terra est pressura, in hoc notatur mutua oppressio laicorum. Primum est causa secundi, & tertium quarti, ideo quartum destruit tertium, & secundum primum. De duobus primis dicitur *Joel.* 2. Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam, &c. De tertio dicitur *Matth.* 24. Stellæ cadent de cœlo. De quarto dicitur *Isa.* 24. Confractione confringetur terra, commotione commovebitur terra, contritione conteretur terra, agitatione agitabitur terra, quatuor innuit genera turbationum in mundo. De omnibus prædictis quatuor dicitur *Apocal.* 6. Factus est sol niger tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ ceciderunt de cœlo super terram, & omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt, & reges terræ. Cum igitur hæc signa facta sint, quid restat nisi præparare se ad adventum judicis? Dicit ergo:

a Et erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium.] Triplex invenitur pressura, & tribulatio generalis. Prima fuit tyrannorum contra martyres. Secunda hæreticorum contra confessores. Tertia est Advocatorum contra simplices. De quibus dicit Salomon. *Prov.* 30. Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, i. dentes pro gladiis, & commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra. *Jer.* 9. Docuerunt linguam suam loqui mendacium. *Psal.* 67. Dissipa gentes, quæ bella volunt. Quarta erit tempore Antichristi, contra omnes, & major aliis. Unde *Dan.* 7. Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in medio mari, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se. Prima quasi leæna, hæc est crudelitas tyrannorum. Secunda similis urso, hæc est versutia hæreticorum. Tertia quasi pardus, hæc est varietas, & dolus advocatorum. Quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, hæc est Antichristus.

c Præ confusione sonitus maris,] i. mundi. *Isa.* 57. Impii quasi mare fervens, quod, &c. *Psal.* 92. Mirabiles elationes maris, &c.

d Et fluctuum,] i. persecutionum. *Psal.* 92. Elevaverunt flumina fluctus suos, &c.

O *a* Arescentibus

a arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, *b* quæ supervenient universo orbi. Nam *c* virtutes cęlorum movebuntur. Et *d* tunc videbunt filium hominis venientem in nube, *e* cum potestate magna, & majestate. His *f* autem fieri *g* incipientibus, respicite, *h* & levate *i* capita vestra, *k* quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis *l* similitudinem: *m* videte

a Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ supervenient universo orbi.] Ariditatem appellat offuscationem, & terrorem, qua immineute judicii articulo singuli obstupescent, & turbabuntur. *Bed.* Hoc tempore Antichristi, quando erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet, ut dicitur *Matth.* 21. *c* Nam virtutes cœlorũ movebuntur,] i. horrebunt. Quia sicut aliquis manens in supercilio montis, si vicum, vel civitatem aliquam viderit perire incendio, vel absorberi terræ hiatu naturaliter horret, licet tamen sciat incendium ad se non posse ascendere, ita etiam electi videntes sub se reprobos cruciari naturali quodam horrore movebuntur. *Hieron.* Quid faciet virgula deserti, ubi concutitur cedrus paradisi? Vel etiam *Bed.* [Virtutes cęlorum,] i. angelicæ potestates tremunt, i. mirantur adventum ejus. Unde *Job* 26. Columnæ cœli contremiscunt, &c. *Joan. Chrys.* Si Rex terrenus processurus contra aliquem, expeditionem mandat in populo, dignitates omnes moventur, exercitus excitatur, tota civitas fervet, quanto magis rege cœlesti exurgenti judicare vivos, & mortuos, Angelicæ virtutes commoventur, terribiles ministri, terribiliorem Dominum præcedentes, Cherubim, & Seraphim præparator ad sedem vivus, & rationalis thronus, nec enim potest esse res mortua, quæ bajulat vitam. Ante ipsum pro candelabris fulgura viva proceduot, & pro nubis horrenda tonitrua, Vere magna vox, cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, vincula mortis dirumpit, &c,

Isa. 2.
Matth. 21.
Marc. 13.

Item *Joan. Chrys.* Nec ibi erit resistendi virtus, nec fugiendi facultas, nec pœnitentiæ locus, nec satisfactionis tempus, ex angustia omnium rerum nihil remanet nisi luctus. *Matt.* 24. & *Zach.* 12. Planget terræ familiæ. Tunc neque divitiæ divitibus, nec parentes pro parentibus intercedunt, nec Angeli sicut solebant pro hominibus faciunt verbum, quia non recipit natura judicii misericordiam.

d Et tunc videbunt filium hominis venientem,] ad judicium, [In nube,] i. in glorificata carne. *Dan.* 7. Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, &c. *Isa.* 19. Ascendet Dominus super nubem levem, Vel [In nube,] i. cum Angelorum, & Sanctorum multitudine, qui venient cum eo ad judicium. *Isa.* 3. Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui, & principibus ejus. *Prov.* 31. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Vel [In nube,] idest, in aere, ubi stans judicabit habens secum signa victoriæ, scil. clavos, lanceam, & coronam, & crucem. Unde *Joan. Chrys.* Crux apparebit Sole lucidior existens, & non erit necessitas tunc accusationis, cum viderint Crucem, & ipsum Christum habentem in corpore suo testimonia passionis, ut impleatur illud *Zach.* 12. Aspicient ad me, quem confixerunt.

e Cum potestate magna, & majestate,] qui primo venit cum humilitate magna, & infirmitate, & ita, qui se humiliat exaltabitur, ut dicitur *sup.* 18. & *Isa.* 2. Incurvabitur omnis sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur. *Ps.* 9. Tunc cognoscetur Dominus judicia faciens, qui nunc ignoratur injuriam patiens, dicit *B. Bern.*

Mystice.

O *a* Arescentibus hominibus præ timore, &c.] idest, ab humore gratiæ deficientibus. *Psalm.* 101. Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt: Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, &c.

b Quæ supervenient universo orbi.] *Jac.* 5. Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis.

c Nam virtutes cœlorum movebuntur.] Virtutes cœlorum possunt dici prædicatores: Juxta illud *Ps.* 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, &c. Et hæc virtutes tempore Antichristi movebuntur, idest, timore mortis a fide recedent pro majori parte. *Job* 26. Columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus. *Matt.* 24. Nisi breviati essent dies illi, &c. Sequitur.

f His autem fieri, &c.] Sermo est ad electos, quasi erigite corda vestra tanquam securi, quia post mundi ruinam sequetur beatitudo vestra. Et est etiam exhortatio bonorum, & consolatio, ut cum viderint mala mundi crebrescere, erigant capita, i. intentionem, & considerationem ad finem, ubi fiet eis æterna, & plena remuneratio pro modica, & brevi sustinentia tribulationum. 2. *Cor.* 4. Id quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum, &c. *Apoc.* 22. Tempus prope est, ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua. Et hoc est. [His autem,] quæ dicta sunt,

F

g Fieri incipientibus, respicite] ea, quæ fiunt, & finem eorum.

h Et levate,] ad Deum remuneratorem, & liberatorem.

i Capita vestra,] idest, cogitationem, & intentionem. *Hebr.* 12. Curramus ad propositum nobis certamen aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum. Item in *eod.* Recogitate eum, qui talem sustinuit adversus semetipsum a peccatoribus contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.

k Quoniam appropinquat redemptio vestra.] Ipsa enim mala, quæ hic sustinemus propter Christum, sunt redemptio nostra, & ad hoc mittit ea Dominus nobis, ut per illa nos redimamus. *Ps.* 110. Redemptionem misit Dominus populo suo. Suo, dicit: non alieno, quia non omnibus, sed amicis, & familiaribus mittuntur xenia. Sequitur.

l Et dixit illis similitudinem: Videte, &c.] Sub exemplo arboris docet cognoscere adventum consummationis. Nam sicut productio foliorum, & fructuum signum est vicinæ æstatis, ita commotio præliorum, & hæresum, indicium est propinquæ consummationis.

Item ruina mundi signum erit proximæ beatitudinis. Et bene ruina mundi fructui comparatur, quia fructus est bonorum. *Chrys.* Sicut homo circa mortem patitur phantasias, sic mundus in exitu suo multos patietur errores, Unde *Matth.* 24. Videte, ne quis vos seducat, multi enim, &c. Dicit ergo.

m Videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum, scitis, quoniam prope est æstas. *Joan. Chrys.* Quæ est hæc similitudo? Ficus bona verni temporis temperamento mollescit ad folia, Ecclesia autem cogitur miserabiliter ad mortem. Sol. Non retulit ad afflictionem temporalem, sed ad profectum animarum jucunditatis exemplum.

Mystice. Per arbores significantur homines. Unde & homo aotropos dicitur, idest, arbor conversa, habens sursum radices, idest, cogitationes, & desideria fixa in terra viventium, quod significator per capillos, qui superius in capite sunt quasi radices arboris. Unde omnes homines sunt arbores paradisi naturaliter: Ibi enim primo plantati fuerunt. Sed Adam, & Eva quasi insipientes hortulani de illa terra fertili, de illo horto irriguo eos eradicaverunt, & plantaverunt in hac terra sterili, & arida, i. in mundo, & ideo fructus acerbus est, & modicus. *Sapient.* 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt, etsi in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita a vento commovebuntur, & a nimietate ventorum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Per ficulneam vero, quæ sola nominatim exprimitur, significatur doctor Theologicus: Et hoc triplici ratione. Primo, quia folia fici viridia sunt, & ad similitudinem humanæ manus formata, sic verba doctoris Theologici semper virent spiritualitate, & veritate, quia nihil terrenum, nihil falsum est in eis. Nam qui de terra est, de terra loquitur, qui autem desursum venit, super omnes est, *Joann.* 3. Sunt etiam humanis manibus similia, quia quod dicunt, faciunt. *Osee* 10. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei. Si ita esset in omnibus, tunc fructus eorum essent in cibum aliorum, & folia in medicinam. Juxta quod dicitur *Ezech.* 47. Non defluet ex eo folium, &c. Nunc autem abundant folia in ficubus, & fructus nullus est, Unde *Matth.* 23. Super

per cathedram Moysi, &c. Dicunt enim, & non faciunt, quasi dicat, folia habent viridia, sed fructum putridum, aut nullum. Folia autem retinent, ut faciant inde sibi periaomata ad tegenda pudenda, sicut dicitur *Gen.* 3. Cum cognovissent, &c. Secundo, quia ficus, ex quo incipit fructificare, non cessat usque ad hyemem, Sic Theologus usque ad mortem. *Ps.* 103. Exibit homo ad opus suum, &c. Tertio, quia ficus cum bona est, optima est, cum mala est, pessima est. Unde *Jer.* 24. Quid tu vides, Jeremia? Et dixi: Ficus bonas bonas valde, &c. Quartam rationem ponit *Chrys.* dicens: Sicut impossibile est, arborem juxta viam fructus usque ad maturitatem servare, sic difficile est hominem juxta mundum viventem justitiam immaculatam usque ad finem tenere. Recede ergo de via, & plantare in loco secreto. Unde *Matth.* 21. Videns Jesus fici arborem unam secus viam, &c. Possent autem dicere doctores Theologi, quod ideo non faciunt, quia Jesus maledixit arborem, ideo dicit ibi *Chrys.* Non quia maledixit arborem, ideo fructum non dedit, sed quia non dabat fructum, ideo maledixit ei.

a te *b* ficulneam, & *c* omnes arbores, *d* cum producunt *e* jam *f* ex se *g* fructum, scitis *h* quoniam *i* prope est æstas. *k* Ita & vos, cum videritis hæc fieri, *l* scitote, quoniam prope est regnum Dei, *m* Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, *n* donec omnia fiant, *o* Cœlum, & *p* terra transibunt, *q* verba autem mea non transibunt. *r* Attendite autem vobis, *s* ne forte *t* graventur corda vestra in *u* crapula, *x* & ebrietate, *y* & curis hujus vitæ, & *z* superveniat in vos repentina dies illa. Tanquam *a* laqueus enim *b* superveniet in omnes, qui *c* sedent

a Videte,] non solum audite.
b Ficulneam] doctorem Theologum.
c Et omnes arbores,] i. omnes homines.
d Cum producunt,] i. procul ad aliorum informationem ducunt.
e Jam] quia tempus faciendi est.
f Ex se,] non solum ex aliis, ut faciunt hypocritæ.
g Fructum] bonorum operum, per quem venitur ad æternam fruitionem.
h Scitis,] idest, scire potestis.
i Quoniam prope est æstas,] i. futurum sæculum, in quo cum Deo regnetis, quando erit plena serenitas, quia tunc transibunt nubila mœroris, & doloris, & laboris quoad bonos, qui hic quasi hyeme tempestatem, & pluviam, atque grandines persecutionum patiuntur. *Apoc.* 21. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, &c. *Isa.* 25. Et auferet Deus omnem lacrymam ab omni facie, &c. Illi autem, qui hic habent æstatem terræ, transibunt in hyemem perpetuam. Talis enim est natura temporis, ut hyemi succedat æstas, & æstati hyems. *Gen.* 8. Æstas, & hyems, nox, & dies non requiescunt, *sup.* 6. Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram. Seq.
k Ita & vos cum videritis hæc fieri,] i. prælia, terræmotus, signa Solis, & Lunæ, & stellarum, hoc est ficulneæ vestræ, atque arborum fructificationem.
l Scitote, quoniam prope est regnum Dei.] Unde certi, & patientes expectate, quæ dico vobis: Sed de quo regno Dei dicitur? Est enim triplex regnum Dei, scil. sacra Scriptura, gratia, gloria. Sacra Scriptura dicitur regnum Dei, quia docet regnare, i. regere regnum animæ ad honorem Dei. De hoc dicitur *Matt.* 21. Auferetur a vobis, &c. Item gratia dicitur regnum Dei, quia facit regnare. De quo dicitur *sup.* 17. Regnum Dei intra vos est. Item gloria dicitur regnum Dei, quia in ea regnant omnes ad honorem Dei. De qua dicitur *Matth.* 4. Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum Dei. De quolibet istorum potest intelligi, quod dicitur hic, specialiter tamen de tertio.
m Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc,] i. genus humanum de mortalitate ad immortalitatem. Vel, idest omne genus Judæorum, quod non deficiet, donec veniat dies judicii. Et hoc est.
n Donec omnia fiant,] i. quæ dicta sunt, compleantur. *Chrys.* Duplex est generatio. Una facientium mala. *Prov.* 30. Generatio, quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit, &c. *Matt.* 12. Generatio prava, & adultera signum quærit, &c. Alia patientium mala. *Ps.* 23. Hæc est generatio quærentium eum, &c. de utraque dicitur *Eccl.* 1. Generatio præterit, & generatio advenit, &c.
o Cœlum] aereum, de quo *Matt.* 13. Volucres cœli, &c. non æthereum.

p Et terra transibunt.] *Beda*: Innovabuntur deposita priori forma, permanente autem substantia. Unde dicitur, terra in æternum stat. *Eccl.* 1. & *Isa.* 65. Ecce ego creo novos cęlos, & novam terram, & non erunt in memoria priora. *Apocal.* 21. Vidi cęlum novum, & terram novam. Primum enim cęlum, & prima terra abiit. 2. *Pet.* 3. Cęlos novos, & terram novam, & promissa ipsius expectamus, &c.

G

q Verba autem mea non transibunt.] *Rab.* Sine effectu completionis. *Aug.* Sermo Dei, qui non transibit, sententias exprimit permanentes. Unde *Matt.* 5. Unum jota, aut apex unus non præteribit a lege, donec omnia fiant. Nomine autem cœli, & terræ omnem creaturam intelligit Dominus. Sed hæc duo ponit, quia præ ceteris in rerum universitate magis stabilia, & durabiliora videntur, ea tamen dicit transitura, quæ autem numquam sunt nisi in transitu, i. verba, hæc dicit non transitura. Verba enim non sunt, postquam perfecta sunt, & ita non sunt, nisi dum transeunt, i. dum adhuc imperfecta sunt. Ergo quasi per antithesim insinuat, quia quod in rerum universitate videtur durabilius, respectu æternitatis quasi momentaneum est. Et e converso, quod apud homines transitorium, sive momentaneum videtur, fixum est, & firmum apud Deum. Nec tamen intelligendum est de verbis ipsis, quod dicitur, non transibunt, sed de intellectu verborum, quia non transibit incompletus, sicut etiam dicit *August.* & *Chrys.* Quia cęlum, & terra ad ministerium vestrum facta sunt, verba autem mea ad gubernationem vestram. *Ps.* 118. In æternum, Domine, permanet verbum tuum. Sequitur.

Rom. 13. 11. *dist.* 1. *c.* *Glos.* *Bed.* *continuat.* *Et verba mea, ita absque dubio sunt implenda. Videte ne cõtra contestationem verborum meorum facti dediti crapula, & secularibus curis sicut quidam onerati tempore comminatis judicii, de quibus dicitur. Cum dixerint, pax, &c.* 1. *Thess.* 5.

r Attendite autem vobis.] *Bed.* Si medicus vobis diceret, attendite, ne quis de succo illius herbæ avidius sumat, quia mox morietur, nonne mortem vitaretis? Nunc jubet Salvator custodiam animarum, & corporum, & non curatis, major insania esse non potest.
s Ne forte] libertatem arbitrii notat.
t Graventur corda vestra.] Non dicit corpora, quia aliquando gravatur corpus propter cibi grossitiem, non propter vitium comedentis.
u In crapula.] *Ecclesiastic. cap.* 37. propter crapulam multi perierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam.
x Ebrietate.] *Prov.* 20. Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas.
y Et curis hujus vitæ.] Et per hæc duo tanguntur, quæ dicit *Matt. cap.* 24. scilicet, orate, ne fuga vestra fiat hyeme, hoc quantum ad crapulam, vel sabbato, hoc quantum ad curas hujus vitæ. *Hebr.* 13. Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non, &c. *Phil. cap.* 3. Quorum Deus venter est, &c. 1. *Cor.* 6. Esca ventri, &c. 1. *Cor.* 8. Esca nos non commendat Deo. *Rom.* 13. Non in comessationibus. *Rom.* 14. Non est regnum Dei esca, & potus. *Rom.* 16. Hujusmodi Christo Domino non serviunt, sed ventri suo, scilicet, Archidiacono.
z Et superveniat in vos repentina dies illa,] *August.* Væ illi, qui finem habet luxuriæ, quando & vitæ. Ut dicit Apostolus 1. *Thess.* 5. Cum dixerint, pax, &c. *Ezech.* 26. In terra sedebunt, & attoniti super repentino casu, scil. animi.
a Tanquam laqueus enim,] i. inseparatus, & perpetuo retinens, quod semel cepit. *Jer.* 48. Pavor, & fovea, & laqueus, &c.
b Supervenient in omnes,] quibus placent illecebræ hujus mundi.
c Qui sedent super faciem omnis terræ.] Et qui sunt isti sedentes? *Eccl.* 50. Duas gentes odivit anima mea, tertia autem non est gens, quam oderim, qui sedent in monte Seir, & Philisthiim, & stultus populus, qui habitat in Sichimis. *Apoc.* 16. Quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ, & factum est regnum ejus tenebrosum, & commanducaverunt linguas suas. Quidam Theologi sunt in cęlo Scripturæ, ut sapiant terram † eligendo, i. facile. *Psalm.* 72. Posuerunt in cœlum os suum.

al † eligendo.

▲ a Vigilate

a *a* Vigilate itaque omni tempore.] *Bed.* Non quibusdam certis horis, vel diebus. *b* Orantes, ut digni habeamini, &c.] Duo monet, vigilare semper, & orare. Vigilate per sollicitudinem, orantes per devotionem: *Marc.* 13. addit: Et videte per discretionem. *Greg.* Illum diem fratres ante oculos cordis ponite, & quicquid grave creditur, ejus comparatione leviatur. 1. *Thes. ult.* Sine intermissione orate. *Eccl.* 18. Mementote iræ in die consummationis. Vigilandum est autem omnibus, qui habitant in regione latronum, quia sunt in medio serpentum, & leonum rugientium præparatorum ad escam, quia sunt in angustia castrorum undique obsessorum, quia expectant Dominum venientem, qui dormientes increpat, & vigilantes remunerat. De primo dicitur *Matth.* 24. Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non fineret perfodi domum suam, quod fit, quando suggestiones dæmonum surrepunt, & corrumpunt conscientiam, captivantes in peccatis animam dormitantem. Quod bene significatur 2. *Reg.* 4. ubi dicitur, quod Rechab, & Banaa ingressi sunt fervent die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie, & ostiaria domus purgans triticum obdormivit, & percusserunt eum in inguine, & mortuus est. Isboseth, vir confusionis interpretatur, idest quilibet piger, & somnolentus in sui custodia. Rechab autem interpretatur extendens, vel pater mollis, & significat diabolum vitium gulæ sub paternitatis specie prætendentem. Banaa filius ardoris, hic est luxuriæ appetitus, qui sequitur ex illo. Ostiaria domus est ratio, qua dormiente, non est mirum si latrones intrent, & occidant Isboseth dormientem, idest, spiritum negligentem.

super faciem omnis terræ. *a* Vigilate itaque omni tempore, *b* orantes, ut digni

Idem significatur per illum, qui descendens de Jerusalem in Jericho incidit in latrones, qui plagis impositis abierunt semivivo relicto, *supr.* 10. Idem significatur 4. *Reg.* 5. ubi legitur, quod latrunculi Syriæ captivam duxerunt puellam de terra Israel. Latrunculi Syriæ, sunt cogitationes, & affectiones, atque locutiones ambitionis occultæ. Puella est fidelis anima, quæ sæpe ab his latronibus captivatur, & abducitur de terra Israel. Ex prædictis patet, quod quidam ab his latronibus occiduntur, alii vulnerantur, alii captivantur. Primum facit consensus, secundum actus, tertium, consuetudo.

De secundo dicit *Hier.* Non est securum vicino serpente dormire, idest, in cœtu hominum mundanorum propter sibilum adulationis, aut venenum detractionis. De primo dicitur *Jud.* 5. Quare habitas inter terminos, ut audias sibilos gregum? De secundo *Eccl.* 10. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. *Eccl.* 21. Quasi a facie colubri fuge peccatum, etsi accesseris ad illa, suscipient te. De tertio dicitur 1. *Reg.* 26. Quod Saul dormiebat in tentorio, & reliquum vulgus totum, ideo amisit hastam, & scyphum aquæ. Quid est Saul dormiens nisi Prælatus negligens, qui dum voluptati vacat, ad idem subditos provocat? *Jerem.* 50. Effusi estis sicut vituli super herbam, & mugiistis sicut tauri. Tales ad litteram sæpe dormiunt etiam in scholis, & Ecclesiis, quia cibaria delicata calida sunt, & humida, in quibus viget sopor: Unde de sopore, idest, diabolo dicitur *Job* 40. Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus. Isti amittunt hastam, idest, orationis gratiam. & scyphum aquæ, idest, lachrymarum donum. Legitur *Jud.* 13. quod Holofernes jacebat in lecto nimia ebrietate sapitus, & amputatum est ei caput a muliere. Holofernes interpretatur vitulus saginatus, idest, Prælatus, cui mulier, idest, caro amputat caput, idest, rationem. De quarto dicitur *sup.* 12. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum.

Item *Matth.* 24. Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et beatus servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem, amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Et econtrario: Maledictus servus, quem cum venerit Dominus, invenerit dormientem. Heu quam plures inveniret hodie Dominus dormientes, si veniret, imo fere omnes. Unde *Matth.* 25. Moram autem faciente sponso dormitaverunt omnes, & dormierunt.

Item *Matth.* 26. Venit Jesus ad discipulos suos, & invenit eos dormientes, quibus tamen ante parum dixerat. Sustinete hic, & vigilate mecum. Mecum dicit: quia multi sunt, qui optime possunt vigilare per mediam, aut totam noctem cum diabolo ad peccata facienda, sed cum Christo nec ad modicum possunt. Unde ipse Dominus dicit *Matth.* 26. Non potuistis una hora mecum vigilare? Sunt autem quinque causæ, propter quas specialiter deberent Prælati vigilare.

Propter quinque causas, debent prælati vigilare.

Prima, quia sunt vigiles obsessorum.
Secunda, quia custodiunt tabernaculum Domini.
Tertia, quia ducunt navem per mare procellosum.
Quarta, quia pascunt gregem in medio luporum.
Quinta, quia custodiunt lectulum Salomonis.

De primo dicitur *Cant.* 3. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. *Isa.* 21. Clamavit leo, idest Prælatus: Super speculam Domini ego sum stans, &c. Sed quid fiet de speculatore, si per ejus somnolentiam civitas capiatur, aut aliquis occidatur? *Ezech.* 33. Si speculator viderit gladium venientem super terram, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, non dicit capiam, ille quidem in iniquitate sua captus est, &c. Et quid dicit *Isa.* 56. Speculatores ejus cæci omnes, &c. De secundo dicitur *Num.* 1. Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria. Item 2. *Paral.* 35. dicitur: Janitores per portas singulas observabant, &c. De tertio dicitur in *Psalm.* 106. Qui descendunt mare in navibus, &c. Mare mundus tumens superbia. Unde *Psalm.* 92. Mirabiles elationes maris. Item spumans luxuria. *Osee* 10. Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ. Item fervens avaritia. *Isa.* 57. Impii quasi mare fervens, &c. Hæc tria totum mundum occupent. Propter quod recte dicitur mare. 1. *Joan.* 2. Omne, quod est in mundo, &c. Navis est generalis Ecclesia, quæ est magna navis. Hæc est navis Petri, de qua dicitur *sup.* 5. Ascendens Jesus in unam navim, quæ erat Simonis, &c. De hac etiam *Matth.* 14. Naves minores sunt particulares Ecclesiæ. De quibus dicitur in *Psalm.* 47. In spiritu vehementi conteres naves Tharsis, idest, explorantes gaudium. Hoc fecit Herodes, gloria pellis. Rector magnæ navis est Dominus Papa. Rectores minores sunt alii Prælati, qui regunt Ecclesias particulares. Timeo, quod multis competit illud, quod dicitur *Prov.* 23. Eris sicut dormiens in medio mari, &c. Isti sunt significati per Jonam, de quo legitur *Jon.* 1. Jonas descendit ad interiora navis, & dormiebat sopore gravi. Quid est sopor gravis nisi voluptas carnis, aut negligentia, & torpor mentis, a quo evigilavit Jacob auditis rumoribus, de Joseph, & gloria ejus? Isti vero ad nullos sermones excitari possunt, quia nolunt, nec etiam auditis rumoribus de Christo, & gloria ejus, sed postillant quidquid audiunt. Sed certe si attenderent quantum malum fecit prima postilla, idest, Evæ postillantis verbum Domini. *Gen.* 3. Ipsi dimitterent postillas suas. Dominus dixerat Adam, & Evæ: Quacumque hora comederitis, &c. Et quando diabolus dixit Evæ: quare præcepit, &c. Respondit Eva, & addidit postillam suam: Ne forte moriamur. Dominus non dixerat, forte. De quarto dicitur *sup* 2. Pastores erant in regione, &c. Et ideo quatuor bona de ipsis specialiter objiciuntur ibidem, scilicet, Angelorum consortium, & allocutio, ibi: Ecce Angelus Domini stetit juxta illos. Item intelligitur clarificatio, sive illuminatio, ibi: Et claritas Dei circumfulsit illos. Item timoris magnitudo, ibi: Et timuerunt timore magno. Item salutis annunciatio, ibi: Ecce Evangelizo vobis gaudium magnum, &c. Quare? Quia vigilabant super gregem suum. Sic vigilabat Jacob, idest, bonus prælatus, qui dicit *Gen.* 31. Fugiebat somnus ab oculis meis quasi perterritus a suo contrario. De quinto dicitur *Cant.* 3. En lectulum Salomonis sexaginta fortes, &c. Lectulus Salomonis est Ecclesia, maxime quoad contemplativos, in quibus quiescit, & dormit Dominus, dum illos quiescere, & dormire facit somno contemplationis: De quo dicit sponsa *Cant.* 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. Hunc Dominum sic dormientem custodiunt prælati, cum pacem Ecclesiæ, & quietem custodiunt, & procurant. Sic enim fit, quod regem dormientem custodiunt famuli vigilantes. Alioquin rei sunt apud regem, si dormiunt, vel dormitant:

Unde 1. *Reg.* 26. dicit David ad Abner, & ad alios custodes regis, quos invenit dormientes. Vivit Dominus, quoniam filii mortis estis, &c. Propter istas quinque causas debent vigilare prælati.

Item, ut inimicum suum domesticum, idest, carnem humilient. *Eccles.* 31. Vigilia honestatis tabefaciet carnes. Item, ut cum aliis in Ecclesia Deum laudent. *Job trigesimo octavo.* Ubi eras cum me laudarent, &c. Item ut capiant prædam subditis, idest gratiam, vel veniam

a vigilando impetrent. *Job* 24. Quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum, vigilantesque ad prædam præparant panem liberis, idest, subditis. Ad vigilandum hoc modo nos admonet Dominus. *Marc.* 13. Vigilate: nescitis enim, quando Dominus veniet, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane, idest, an in senectute, an in juventute, an in adolescentia, an in pueritia, ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes.

habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, *a* & stare *b* ante Filium hominis. *c* Erat autem diebus docens in templo, *d* noctibus vero exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. Et *e* omnis populus mane ibat ad *f* eum in templo audire eum.

CAP. XXII.

Appropinquabat *g* autem *h* dies festus Azy-

Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Ad hoc etiam nos invitat, quod dicitur *Job* 30. in persona cujuslibet nostrum. Qui me comedunt, non dormiunt. Quomodo enim dormire possunt, qui assidue comeduntur? Exemplum de arbore, cujus radicem corrodebant duæ bestiæ, una alba, & altera nigra, idest, dies, & nox, & unicornis expectabat, ut homo, qui erat super arborem, inhians parvo favo mellis, qui erat in summitate ramorum, caderet in os ejus, vel in foveam profundissimam, quæ erat juxta arborem, ubi erant aliæ bestiæ expectantes eumdem hominem. Mirum esset, si homo ille dormiret. Sic est de illis. Ideo dicit *Psalm.* 101. Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Et *Eccl.* 39. Justus cor suum tradit ad vigilandum diluculo. Hoc est secundum, quod præcipit hic Dominus, scilicet, orare, dicens: [Vigilate itaque omni tempore orantes.] Instanter, ferventer, prudenter, humiliter, perseveranter, & pro aliis, & pro vobis. Talis enim oratio impetrat gratiam, & sibi, & aliis apud Deum. *Jac.* 5. Elias oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum. Impetrat etiam sanitatem, *Jac.* 5. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, & oratio fidei salvabit infirmum. *Eccl.* 38. Ora Dominum, & ipse curabit te.

Item valet ad declinanda mala tam præsentia, quam futura. Unde dicitur hic: [Orantes, ut digni, &c.] quando caveri non poterunt, nisi hic caveantur.

a Et stare,] idest, confidentes esse, vel securi. *Gloss.* Hæc est summa beatitudinis, in præsentia judicis sui securum consistere.

b Ante Filium hominis] judicantis, quando terribilis apparebit malis, ita ut mallent pati quamlibet pœnam, quam ipsum videre.

Unde *Apoc.* 6. Abscondent se in petris, & speluncis montium, & dicent montibus, & petris: Cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies iræ magnus ipsorum, & quis poterit stare? *Nahum* 1. Quis stabit, & quis resistet in ira furoris ejus, &c. *Mal.* 3. Quis poterit cogitare diem adventus ejus *Osee* 10. Dicent montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos.

c Erat autem, &c.] Ubi est locus communis, quia ibi omnes conveniunt. Quod est contra hæreticos, qui in locis occultis, & secretis prædicant, & docent. *Jo:* 18. Ego palam locutus sum mundo, ego semper, &c. Ita etiam præcepit discipulis suis loqui in publico, & aperto loco. *Matth.* 10. Quod dico vobis, in tenebris,] idest, in parabolis, dicite in lumine, &c.

d Noctibus vero, &c.] Invigilans orationi. In hoc ipso docens, & instruens nos, de die instare prædicationi, & aliis operibus misericordiæ, & de nocte vacare orationi, & contemplationi. *Ps.* 41. In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. *Tbr.* 2. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini, leva ad eum manus tuas. Locus autem ipse ostendit, qualis debet esse oratio, scilicet, erecta sursum per rectam intentionem, & devota, & compassione plena, hoc est enim orare in monte Oliveti. Sed non vocat, quod dicitur pluraliter, diebus docens, & noctibus orans, non die, & nocte singulariter, per hoc innuens, quod frequenter est prædicandum, & frequenter orandum. De primo dicit Apostolus. 2. *Tim.* 4. Prædica verbum, insta opportune, importune. De secundo 1. *Thes.* 5. Sine intermissione orate. Et notandum est, quod dicit [diebus erat docens, & noctibus orans,] quia tempore pacis, & tranquillitatis est prædicandum, tempore adversitatis est magis orandum. Sequitur.

e Et omnis, &c.] idest, accelerabat mane.

f Ad eum] venire [in templo, & audire illum,] quia certe talis doctor, & prædicator libenter auditur, qui habitat in monte Oliveti, & docet in templo, idest, qui vacat misericordiæ, & doctrinæ. Unde & Dominus ipse discipulos suos ad misericordiam invitat, *sup.* 6. Estote misericordes, sicut pater vester misericors est.

EXPOSITIO CAP. XXII.

Appropinquabat, &c.] Hic incipit quarta pars hujus libri. Siquidem totus hic liber divisus est in quatuor partes, præter prologum, quem ipsemet Lucas præposuit in libro suo more Prophetarum.

In prima parte agitur de conceptione, & nativitate præcursoris, & conceptione Salvatoris, & tenet unum capitulum.

In secunda agitur de nativitate, & Baptismo Salvatoris, & tenet duo capitula.

In tertia parte agitur de Christi tentatione, prædicatione, & miraculorum operatione, & tenet decem, & octo capitula usque huc.

Hic incipit quarta pars, in qua agitur de Passione, & Resurrectione, atque Ascensione ejus, & tenet tria capitula. Hoc autem primum capitulum dividitur in septem partes.

In prima præparatur Pascha Domino, cum discipulis celebrandum. In secunda describitur discipulorum contentio ibi. [Facta est autem & contentio.] In tertia prædicitur discipulis sua tentatio, ibi. [Ait autem Dominus.] In quarta ponitur ipsius Domini oratio, & discipulorum dormitio, ibi. [Et egressus ibat.] In quinta ponitur captio, ibi. [Adhuc eo loquente.] In sexta describitur trina Petri negatio, & ejusdem fletus, & reversio. ibi. [Comprehendentes autem.] In septima inchoata ejus illusio, ibi. [Et viri, qui tenebant eum.] In his septem completur istud capitulum. Dicit ergo. *g* Appropinquabat autem,] dum prædicta fierent a Domino quarta feria ante diem cœnæ, congregatis principibus Sacerdotum in domo Caiphæ, ut dicitur *Matth.* 26.

h Dies festus azymorum, qui dicitur pascha,] quod erat decimaquinta Luna Aprilis. Durabat autem hoc festum septem diebus, in quibus non licebat Judæis comedere fermentatum, sed solos azymos panes. Unde *Exod.* 12. Primo mense decimaquarta die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimumprimum ejusdem mensis ad vesperam. Hoc est contra Græcos, qui dicunt, quod Dominus confecit corpus suum de fermentato. Mentiuntur plane, quia tunc non licebat comedere fermentatum, scilicet in vespera decimæquartæ diei primi mensis, quando comedebatur agnus. Unde & *Lev.* 23. dicitur: Mense primo decimaquarta die mensis, ad vesperam Phase Domini est, & decimaquinta die mensis hujus solemnitas Domini est azymorum. Decepti autem fuerunt Græci, & sunt adhuc per æquivocationem hujus nominis Pascha, putantes Pascha ubique poni pro agno. Unde cum dicatur *Joan.* 18. Non introierunt Judæi in prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, & constat, quod tunc erat Parasceve, inde argumentantur Græci, quod die Parasceves erat decimaquarta Luna, quia tunc comedebatur agnus, quem dicunt vocari Pascha ibi, & ita quinta feria ante fuit decimatertia Luna, quando Dominus fecit Pascha cum discipulis suis: Sed in decimatertia Luna nondum erat azyma in domibus Judæorum, quare dicunt, quod Dominus non confecit de Azymo.

Unde dicunt nos hæreticos, qui conficimus de Azymo imo dicunt, quod non conficimus.

Item, quod Dominus fecerit Pascha suum decimatertia Luna, quando nondum comedebatur azyma, probant auctoritate *Joan.* 13. Ubi dicitur: Ante diem Paschæ sciens Jesus, &c. Ibi expresse dicitur, quod fecit cœnam ante diem Paschæ, sed dies Paschæ erant decimaquarta Luna, ergo Jesus comedebat Pascha suum decimatertia Luna, ergo confecit de fermentato. Hoc idem probant ratione sic. Veritas debet respondere umbræ, sed decimaquarta Luna ad vesperam immolabatur agnus typicus, ergo decimaquarta Luna fuit immolatus verus agnus, idest, Christus: ergo dies Parasceves fuit decimaquarta Luna. Ergo quinta feria ante fuit in decimatertia Luna, & tunc fecit Jesus Pascha suum, & ita videtur, quod de fermentato confecit, Item mulieres paraverunt unguenta in die Parasceves, ut dicitur *infr.* 23. Sed si esset tunc decima-

decimaquinta Luna, non liceret, quia dies illa celeberrima est, ut dicitur *Lev.* 2. Quare dicunt, quod dies Parasceves fuit decimaquarta Luna, & ita Dominus fecit Pascha suum decimatertia Luna. In hoc consistit totus error, sive deceptio Græcorum. Quod autem Græci errent, & mentiantur, patet per hoc, quod dicitur. *Marc.* 14. Primo die azymorum, quando pascha immolabatur, dicunt discipuli ad Jesum, quo vis eamus, & paremus tibi comedere pascha, sed constat, quod hoc dixerunt discipuli die Jovis, antequam captus esset Dominus, ergo tunc immolabatur agnus, & comedebatur azyma. Aliter non esset dies azymorum. Ergo ad minus erat decimaquarta Luna. Sic enim præcipitur *Exod.* 12. Primo mense decimaquarta die mensis ad vesperam comedetis azyma.

al. tem.

morum, qui dicitur pascha. Et *a* quærebant principes Sacerdotum, & Scribæ, *b* quomodo † Jesum interficerent. *c* Timebant vero plebem. *d* Intravit autem *e* Satanas in Judam, *f* qui cognominabatur *g* Scarioth, unum de duodecim, *i* & abiit, & locutus est cum Principibus Sa-

Item *inf. eod.* Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha, & misit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem, &c. Ergo tunc erat decimaquarta Luna, & inde ut prius, scilicet, quod die Jovis, quando Dominus fecit Pascha suum, fuit decima quarta Luna, quando non licebat comedere fermentatum, quare patet, quod confecit de azyma, unde manifeste errant Græci. Ad objectiones Græcorum respondetur per distinctionem æquivocationis hujus nominis pascha. Dicitur enim septem modis. Uno modo tota septimana azymorum, idest, a decimaquinta die Aprilis, usque ad vigesimam primam diem ejusdem mensis dicitur Pascha. Sic accipitur *Act. c.* 12. ubi dicitur: Volens post pascha producere eum populo.

Pascha dicitur septem modis.

Secundo modo dicitur hora unius diei, idest, vespera decimæquartæ Lunæ Aprilis. Sic accipitur *Exod. cap.* 12. & *Lev.* 23. Sic etiam accipitur *Joann.* 13. Ante diem festum Paschæ. Tertio modo dicitur prima dies azymorum, idest, decimaquinta Luna. Sic accipitur hic. Quarto modo dicitur pascha panes azymi, *Joann.* 18. Ne contaminarentur, sed manducarent pascha, idest panes azymos, vel paschales. Quinto modo dicitur pascha agnus paschalis. Sic accipitur *inf. eod.* Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. Sexto modo dicitur pascha festivitas epuli, 2. *Paralip.* 35. Non fuit phase simile huic. Septimo modo dicitur pascha ipse Christus, 1. *Corint.* 5. Pascha nostrum immolatus est Christus. Unde versus.

Versus.

Hebdomadas, hora, dies, epulæ, pecus, Azyma, Christus.

Ad rationem autem Græcorum dicimus, quod revera umbræ respondet veritas, quia in Pascha typico erant duo, scilicet comestio agni, & immolatio, seu occisio. Immolatio agni fiebat decimaquarta Luna ad vesperam, & immolatio Christi fuit inchoata decimaquarta Luna ad vesperam, quia tunc fuit captus Jesus. Et ita immolatio bene respondet immolationi. Comestio vero totaliter respondet comestioni, quia sicut decimaquarta Luna ad vesperam comedebatur agnus, ita Dominus corpus suum dedit discipulis manducandum, & ipsemet manducavit.

Ratio quadruplex quare Dominus corpus suum dedit discipulis.

Quare autem post pascha typicum dedit Dominus corpus suum discipulis manducandum, quadruplex solet assignari ratio. Prima est, quia per hoc ostendit, legalia esse finita, sicut tenebra finitur luce apparente. Secunda, ut mentibus discipulorum imprimeretur firmius. Domini corporis, & sanguinis Sacramentum. Tertia, ut umbræ veritas responderet. Quarta ratio est ad innuendum, quod cibus iste non est cibus corporis, sed mentis. Primum autem est, quod est corporale, deinde quod spirituale, ut dicitur 1. *Cor. c.* 17. Ad aliam rationem Græcorum est dicendum, quod licet die Parasceves esset dies festus azymorum, idest, decimaquinta dies, quæ est celeberrima, tamen licitum erat, secundum legem parare unguenta, quia hoc non est opus servile, sed misericordiæ, sicut circumcidere licitum erat etiam in sabbato, ut dicitur *Jo.* 7. & *Matth.* 12. Sequitur.

a Et quærebant principes Sacerdotum, & Scribæ,] idest, legisdoctores.

b Quomodo Jesum interficerent.] In bono die bonum opus volebant facere.

c Timebant vero plebem] quæ amat Jesum, & libenter audiebat eum, unde & liberaret eum, & auferret de manibus Sacerdotum. Nec timebant seditionem populi, sed quod in proprias eorum personas forte manum injicerent. Sic multi Principes etiam Sacerdotum, idest, Episcopi, & Scribæ, idest, doctores legis, appropinquante festo magno, quærunt Jesum interficere in se, & in aliis per excessus epulationum, & potationum.

Tunc fere omnes Principes faciunt festum Baal, idest, ventris, quod non placet Deo. Unde *Is.* 1. Iniqui sunt cœtus vestri, calendas, &c. Sed quid factum est in festo Baal? Certe ibi mortui fuerunt omnes Sacerdotes ejus.

Unde 4. *Reg.* 10. congregavit Jehu omnem populum, & dixit ad eos: Achab parum coluit Baal, ego autem amplius colam eum. Nunc igitur omnes Prophetas Baal, & universos servos ejus, & Sacerdotes ipsius vocate ad me, nullus sit, qui non veniat. Sacrificium enim grande est mihi Baal, & ingressi sunt templum Baal, idest, coquinam, vel domum refectionis, & repleta est domus Baal, &c. Et nullus evadat. Ita factum est, & ita fit hodie. Sed illi Principes Sacerdotum timebant plebem, isti vero nec plebem, nec Deum timent. Sequitur.

d Intravit autem,] non per essentiam, sed per suggestionem. *Joann.* 13. Cum diabolus jam misisset in cor. *Gloss.* Spirituali suggestione. Joannes dicit, quia post buccellam intravit Satanas in Judam, quod fuit longe post. Solut. est, quia & modo intravit, & post, sed prius plene, postea plenius.

Matth. 26. *Marc.* 14.

e Satanas in Judam] *Chrys.* Intravit non corpus Christi contemnens, sed vecordiam proditoria deridens.

Item *Chrys.* Si ille, qui cum Christo fuit, qui signa operatus est, qui tantam audivit doctrinam, a phylargyria in tantum deductus est barathrum, multo magis vos, qui neque Scripturas auditis, & possessionibus indesinenter affixi estis, facile ab hac passione capiemini, & ita non est hæc concupiscentia naturalis. Quæ enim naturæ sunt, omnibus communia sunt.

Et *inf.* Quos occupaverit, præter naturam vivere facit.

f Qui cognominabatur Scarioth.] *Chrys.* Quare dicit ejus cognomen. *Hier.* dicit, Scarioth interpretatur memoria mortis, quia non repente persuasus, sed diutius meditatus scelus peregit.

g Scarioth.] *sup. Matth.* 10. dicit *Gloss.* quod sic, &c. Sed *super Apoc.* quod de Tribu Dan. Item *Gen.* 49. in benedictione Dan. &c. Sed iterum contra *Isa.* 20. Væ coronæ ibi *Gloss.*

h Unum de duodecim.] *Chr.* quasi dicat, de primo choro erat. *Joan.* 6. Nonne duodecim vos elegi, & unus ex vobis diabolus est. *Job c.* 19. Quem maxime diligebam, aversatus est me.

i Et abiit] quasi spontaneus. *Bed.* Non a Principibus invitatur, nulla necessitate constringitur, sed propria sponte sceleratæ mentis iniit consilium.

k Et locutus est cum principibus Sacerdotum,] qui tunc congregati erant in domo Caiphæ. Et hoc constat quarta feria esse factum. Ita enim se habet processus rei, & veritas historiæ.

Dominus in sabbato ante ramos palmarum fuit Bethaniæ in domo Simonis leprosi, ubi parata est cœna solemnis, cui Lazarus interfuit.

In crastino, scilicet in prima feria sedens super asellum venit in Jerusalem, & intravit templum & vendentes, & ementes de templo ejecit, & circa vesperam rediit ad suum hospitium in Bethaniam.

Et in crastino, scilicet, secunda feria iterum rediens Jerusalem intravit in templum, & docebat in templo, & præsentata est ei adultera, & liberavit eam. De arefactione ficus, quando facta est, dubium est, sed dicatur ad præsens factum in secunda feria, est enim dubium in prima factum sit, an in secunda.

Tertia feria docens in templo confutavit Scribas, & Pharisæos. De quo *supr.* habuisti. Et eadem die cum ostenderent ei ædificia templi, ait: Non relinquetur lapis super lapidem. Et inter cetera verba doctrinæ suæ, ait. Amodo non videbitis me, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Et eadem secundum *Matth.* 26. dicitur: Scitis, quia post biduum pascha fiet, &c. Vespere exiit cum discipulis in montem Oliveti, & ibi prædixit ei signa exterminii, & futuri judicii, quæ præcesserunt. Quia ergo audierant principes Sacerdotum eum dicentem: Non videbitis amodo, &c. Putaverunt, quod vellet subterfugere manus eorum, ideo congregati sunt in atrio Caiphæ, deliberantes, quomodo eum possent capere, & occidere.

Matth. Cap. 21. 13.

Quos audiens Judas congregatos, veniet ad eos, & pactum iniit cum eis de tradendo Domino pro triginta

cerdotum, *a* & magistratibus, *b* quemadmodum illum traderet eis. Et *c* gavisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare. Et *d* spopondit. Et *e* quærebat opportunitatem: ut traderet illum sine turbis. *f* Venit autem dies azymorum, in *g* qua necesse erat occidi pascha. *h* Et misit *i* Petrum, & Joannem, *k* dicens: Euntes parate nobis pascha, ut *l* manducemus. At illi *m* dixerunt: Ubi vis paremus? Et dixit *n* ad eos. Ecce introeuntibus vobis in civitatem, *o* occurret vobis homo *p* amphoram aquæ portans, *q* sequimini eum in domum, in quam intrat, *r* & dicetis patri-

argenteis, quorum quilibet valebat decem denarios usuales. Et sic magistri sui pretio damnum de effusione unguenti super caput Domini compensavit. Et sic quarta feria ante Passionem facta est venditio, pro cujus compensatione eadem die ante epistolam legitur prophetia Isaiæ in qua de venditione agitur, ubi dicitur. Ecce merces ejus cum eo, *Isa. 3?*. Et agitur ad litteram de mercede, quam recepit Judas pro venditione. Hinc est etiam, quod quarta feria secundum post sextam feriam obtinet locum, in jejuniis, & afflictionibus. Nam sicut in sexta feria fuit crucifixus, ita in quarta fuit venditus. Et cum prædicto modo processerit ordo rei, quædam glossula videtur perturbare manifestam veritatem, ideoque sic debet intelligi. Hæc ante biduum, idest in ipso biduo, alioquin non constarent priora, Nam si ante biduum paschæ facta est venditio, ergo in tertia feria, cum constet factum esse in quarta feria secundum tenorem prædictorum.

Mystice. [Mystice.] autem Judas gerit typum Prælatorum, & judicum, qui Christum vendere non cessant, quia Sacramenta, & beneficia ejus, & judicia vendere non formidant. Unde & facto, & verbo frequenter dicunt, Quid vultis dare, & ego vobis eum tradam. De quibus dicitur *Mich.* 3. Principes ejus in muneribus judicabant, &c. *Isa.* 1. Quomodo facta est meretrix, quæ semper vult accipere, civitas fidelis plena judicii? Justitia habitavit in ea olim, idest, justi judices, nunc autem homicidæ, Argentum tuum, &c. Causa viduæ non ingreditur, idest, animæ vel Ecclesiæ, sed tantum causa de rebus temporalibus. Sequitur.

a Et magistratibus] locutus est supple. *Chrys.* idest ducibus exercitus, quos scilicet statuerant Romani propter seditiones frequentes Judæorum.

b Quemadmodum illum traderet eis,] quomodo potuit sic perveniri juxta Christum? *Chrysost.* Non est coactrix Dei vocatio, nec violentiam infert consilio humano. Et *infr. Eccles.* 10. Avaro nihil est scelestius. Ecce Judas vendit Joseph, *Genes.* 37. Et Absalon prodit patrem, 2. *Regum* 15.

c Et gavisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare] *Matth. 27.* quam acceperunt in corbonam, idest, in arca, ubi reponebantur oblationes sacerdotum. Unde quando Judas pœnitens retulit eis triginta argenteos, dixerunt: Non licet nobis mittere eos in corbona, quia pretium sanguinis est. *Zach.* 11 Appenderunt mercedem meam triginta argenteos, quasi dicat, tantum dedissent ipsi pro idolo uno, quantum pro me.

d Et spopondit,] scilicet illis vendere Jesum pro pecunia.

e Et quærebat opportunitatem, ut traderet illum sine turbis. Venit autem, &c.] Dictum est *sup.* quod quarta feria vendidit Judas Dominum, & deinde quæsivit opportunitatem, quomodo posset eum tradere sine turbis. Nunc incipit ostendere Lucas modum, & locum, & tempus, & seriem traditionis, dicens:

f Venit autem dies azymorum.] *Beda*, idest, quarta decima luna ad vesperam, quando præcipit lex ejici fermentatum a domibus, & solo azymo vesci, ut dicitur *Exod.* 12. & *Levit.* 23. & *Num.* 28. *Deuter.* 16.

g In qua necesse erat occidi Pascha] idest, agnum Paschalem. Sed posset aliquis dicere: Non illa, in qua immolabatur agnus, dicebatur pascha, quare ergo ea nocte non est immolatus verus agnus? Solutio est, Ea quidem nocte immolatus est, idest ejus immolatio inchoata est post cœnam. Nam & post propinatam discipulis Eucharistiam, egressus est in hortum, & ibi comprehensus, & sic Initiata est ejus Passio. Istud etiam, quod hic dicitur. [Necesse,] multum pro nobis est, contra Græcos, qui dicunt lunam fuisse quartam decimam in die Parasceves, & ita Dominum fuisse crucifixum quarta decima luna, pascha vero in tertia decima luna celebrasse. Quibus obviat, quod hic dicitur [necesse] Littera plana est,

Mystice. [Mystice.] Septem dies azymorum, sunt septem virtutes, quarum operationes sunt veteris hominis afflictiones, & novi hominis reparationes. Prima dies est timor. In hac configitur vetus homo. Unde *Psalm.* 118. *Psalm. 118.* Confige timore tuo carnes meas. Secunda est justitia, qua tentationi peccatorum resistitur. Unde *Eccles.* 2. Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & in timore, &c. Tertia est magnificentia, qua magna fiunt, *Psalm.* 95. Confessio, & pulchritudo, &c. Quarta est odium vitiorum, *Matth. 26, Marc. 14.* quo peccata abominantur. Unde iniquitatem odium habui, & abominatus sum. Et in istis quatuor diebus omnino occiditur vetus homo. In tribus sequentibus reparatur novus homo. Quarum prima est fides, qua incipit vivere novus homo, *Hab.* 2. Justus ex fide sua vivet. Secunda est donum scientiæ, in qua pascitur novus homo pane lacrymarum.

Scientia enim lacrymas generat. Unde *Eccl.* 1. Qui addit scientiam, addit & dolorem. Et *Augustinus in libro de doctrina Christiana*. Scientiæ donum non facit hominem exterius jactantem, sed interius lacrimantem. Tertia dies est spes veniæ, & gratiæ, & gloriæ, in qua conforratur, & roboratur, & perficitur novus homo, *Rom.* 8. Spe salvi facti sumus. Dicit ergo.

f Venit autem dies Azymorum] prima, idest, timor,

g In qua necesse erat occidi pascha,] quod passio vel transitus interpretatur, idest veterem hominem, quem timor occidit, *Eccl.* 1. Timor Domini expellit peccatum. Quo expulso moritur vetus homo.

h Et misit] Jesus, idest, quicumque quærit salutem, & suam, & aliorum.

i Petrum, & Joannem,] idest, cogitationes, quas generat notitia, & affectiones, quas gignit gratia.

k Dicens: Euntes parate nobis pascha,] idest, pastum, seu refectionem.

l Ut manducemus.] Non dicit, ut manducem solus, sicut avarus *Eccl.* 11. Inveni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus. Ita dicit avarus, & nescit, quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & moriatur. Exemplum *sup.* 12. dicebat dives, anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, &c. *Job* 31. Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea,

m At illi dixerunt, ubi vis paremus?] Bene quærunt isti duo nuncii, quia duo sunt loca in anima, & in utroque potest Dominus habitare, scilicet, intellectus, & affectus. Sed intellectus locus est tumultuosus, & quasi quoddam publicum consistorium judiciorum, ubi omnes eunt, & omnia judicia ventilantur, & ideo non est locus aptus refectioni maxime Domino, de quo dicitur in *Ps.* 75. In pace factus est locus ejus, &c.

Primo ibi volant passim muscæ morientes, idest immundæ cogitationes. Præterea ibi non comeduntur, nisi folia volatilium cogitationum. Affectus vero est alius locus magis aptus refectioni, quia secretior est. Ibi panis charitatis abunde comeditur, & vinum devotionis, & aqua compassionis bibitur, & ideo Dominus libenter hospitatur ibi, *Psalm.* 131. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam, 2. *Paralipom.* 7. Elegi mihi domum istam in loco sacrificii, Sequitur.

n Et dixit ad eos, ecce introeuntibus vobis in civitatem,] idest, in animam, vel in Ecclesiam, extra quam non facit Dominus pascha, in quam nesciunt ire stulti, *Eccl.* 10. Labor stultorum, affliget eos, *Ps.* 106. Viam civitatis habitaculi non invenerunt,

o Occurret vobis homo] idest, unus, non multiplex.

q Amphoram aquæ portans,] idest, cor devotione, & compassione plenum. *Chrys.* Simile signum dedit Samuel Sauli, 1. *Reg.* 10. Invenies, inquit, hominem ascendentem habentem utrem aquæ.

q Sequimini eum in domum,] animæ, vel Ecclesiæ, [In quam intrat.] Ad tales declinat libenter Dominus, qui portant amphoram aquæ, quia dant ei de aqua sua, quam libenter bibit. 2. *Reg.* 4. Desideravit David aquam de lacu, &c. *Joan. cap.* 4. Jesus fatigatus ex itinere, &c, Sequitur.

r Et dicetis patrifam. domus] i. rationi, sive libero arbitrio,

quod est pater

familias domus. Dicit tibi *a* magister? *b* Ubi *c* est diversorium, ubi *d* pascha cum discipulis meis, *e* manducem? Et *f* ipse ostendet vobis cœnaculum *g* magnum *h* stratum, *i* & ibi parate. *k* Euntes autem *l* invenerunt, sicut dixit illis, & *m* paraverunt pascha. Et cum *n* facta esset hora, *o* discubuit, & *p* duodecim † discipuli cum eo, *q* Et ait illis. *r* Desiderio desideravi hoc *s* pascha manducare vobiscum *t* antequam patiar. *u* Dico enim vobis, quia ex hoc *x* non manducabo illud *y* donec impleatur in regno Dei. Et *z* accepto calice *a* gratias egit, *b* & dixit: Accipite, & *c* dividite inter vos. *d* Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, *e* donec

a quod est pater, & rector familiæ domus, idest, conscientiæ. Familiam dico desideria, cogitationes, affectiones animæ, quæ omnia reguntur, & disponuntur libero arbitrio.

a Dicit tibi magister,] idest, Christus, cujus debes esse discipulus obediendo, & reverendo, & audiendo illum. *Matt.* 23. Unus est magister vester, &c.

b Ubi est diversorium, &c.] *Ambr.* Pauperis hospitium amplis nobilium ædibus anteferiur. *Matth.* 8. Vulpes foveas habent, &c.

Moraliter. Moraliter. *b* Ubi,] idest, in qua parte animæ.

c Est diversorium,] idest, locus secretus refectioni idoneus.

d Ubi Pascha cum discipulis meis,] qui sunt timoratæ mentis cogitationes, & sancta desideria.

e Manducem,] *Apoc.* 3. Ego sto ad ostium, & pulso, si quis, &c. Hoc idem quærit sponsa. *Cant.* 1. Indica mihi, ubi pascas ubi cubas, &c. Comedit autem Dominus nobiscum pascha duobus modis, scilicet de nostra pœnitentia gaudendo, & nos sibi incorporando. Et nos similiter comedamus cum eo dupliciter, scilicet, hœdum veteris hominis occidendo, & agnum novi hominis accipiendo.

f Et ipse ostendet vobis cœnaculum.] Ad litteram, propter æstum caloris immoderati fiebant cœnacula, idest, quædam mansiones in eminentiori parte domorum ad cœnandum aptæ, unde & nomen habent. In inferiori vero parte fiebant cubicula, idest, mansiones ad dormiendum aptæ, quia de nocte est ibi frigus.

Moraliter. Moraliter. *f* Et ipse ostendet vobis cœnaculum,] idest, affectum, qui est refectorium animæ.

g Magnum] latum charitate, longum spe, altum fide.

h Stratum] humilitate.

i Et ibi parate,] non alibi. *Deut.* 16. Non poteris immolare phase in qualibet urbium tuarum, idest, virium, seu potentiarum, sed in loco, quem elegerit Deus idest, in affectu sic parato, ut dixi.

k Euntes autem] duo prædicti nuncii, scilicet, Petrus, & Joannes, idest, cogitatio, & affectio.

l Invenerunt sicut dixit illis] Jesus, idest, spiritus suam & aliorum salutem quærens.

m Et paraverunt pascha.] *Chrys.* Miror, quomodo homo ille suscepit eum, non solum quia ignotus, sed quia existimans hic inimicitias sibi affuturas. *Chrys.* Contempsit multorum odium.

Moraliter. Moraliter. *m* Et paraverunt pascha,] idest, refectionem Domino, & sibi, immunditias domus ejiciendo per confessionem, & postea domum sic mundatam ornando bonis operibus, aquam lacrymarum, vinum compunctionis, agnum innocentiæ, lactucas pœnitentiæ, & cetera necessaria procurando.

n Et cum facta esset hora] manducandi.

o Discubuit,] scilicet, in vespera post solis occubitum, idest, præsentis prosperitatis occasum. Quamdiu enim dies est in anima, idest, lux mundanæ prosperitatis, non vult ibi Dominus manducare.

p Et duodecim discipuli cum eo,] discubuerunt ad cœnandum in eadem mensa, alii vero discipuli minores erant in alia mensa.

Moraliter. Moraliter. *p* Duodecim discipuli,] idest, universitas sanctarum cogitationum, & piorum desideriorum.

q Et ait illis] duodecim discipulis, idest, cogitationibus, & desideriis disciplinatæ mentis.

r Desiderio desideravi,] idest, duplici desiderio optavi.

s Hoc pascha manducare vobiscum,] scilicet, vetus, & novum. Unde alterum desiderium est propter veteris hominis consumptionem, alterum propter novi hominis reparationem. Sicut enim ibi novum pascha successit veteri, ita in pœnitentia novus homo successit veteri. Et utrumque desiderat Jesus, idest, salus, scilicet, veteris hominis destructionem, & novi reparationem.

t Antequam patiar,] idest, antequam moriar, quia postea non potest fieri phase, idest, transitus ad Dominum. *Eccl.* 17. Ante mortem confitere, a mortuo quasi nihil perit confessio, &c.

u Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud] scilicet, vetus pascha.

y Donec impleatur in regno Dei,] idest, Ecclesia. *Beda.* Non ultra Mosaicum pascha celebrabo, donec in Ecclesia, quæ est regnum Dei spiritualiter intellectum compleatur, &c. idest, donec Sacramentum Dominici corporis, & sanguinis in veteri pascha spiritualiter intellectum ab Ecclesia celebretur.

Moraliter. Matth. 26. Marc. 14. Moraliter. *u* Dico enim vobis, quia ex hoc,] idest post hanc vitam.

x Non manducabo illud,] idest non occidam veterem hominem, & assumam novum, nisi hic fiat ante mortem.

y Donec impleatur in regno Dei.] Tunc enim erit plenum gaudium de plena veteris hominis occisione, & novi restitutione. Usque tunc enim nec vetus homo plene destruetur, nec novus plene restituetur. Unde *Romanorum* 7. Condelector legi mentis meæ, &c. Et hæc pugna durabit inter novum, & veterem, quamdiu durabit vita ista. Unde clamat ibidem Apostolus. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Sequitur.

z Et accepto calice, &c.] Dominus celebrans pascha cum discipulis suis dixerat se non manducaturum illud pascha donec impleretur, idest, donec significatum ejus manifestaretur, & figura cessaret, quia hæc est impletio figurarum, scilicet, manifestatio veritatis. Sicut ergo prædixerat de agno paschali, quia non manducaret illum, donec impleretur, sic & de potu, idest, donec sub forma vini, & aquæ sanguis Christi ab Ecclesia generaliter sumeretur, sicut corpus sub forma panis, & sub utraque forma totus Christus sumeretur. De cibo quidem paschali ad litteram legitur *Exod.* 12. quia comedebant carnes agni, & azymos panes cum lactucis agrestibus, idest, cum succo de lactucis expresso, in quo intingebatur quasi in quodam jure. De potu autem non memini me legisse. Sed licet non legatur; tamen quia non poterant comedere sine potu. Et sicut cibus erat Sacramentum, ita & potus. Sicut etiam *Gloss. Bed.* videtur hic innuere. Quod autem de calice figurali hic loquatur, patet ex eo, quod ait. [Et dividite inter vos.] Constat vero quia verum calicem, idest, calicem sanguinis sui, ille, qui sanctificavit, singulis propinavit. Dicit ergo.

z Et accepto calice] veteri sive figurali non consecrato. Nam de novo consecrato dicetur postea.

a Gratias egit.] *Gloss.* supplet quod minus est in littera. Ostendit enim de quo ageret gratias, scilicet de transitu veterum, & de substitutione novorum. 2. *Corint.* 5. Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.

Item [Gratias egit] de sui officii consummatione, de humani generis liberatione, de hostis victi humiliatione. Hoc autem fecit, ut dicit *Gregorius*, ut ostenderet, quam æquanimiter unusquisque debet flagella propriæ culpæ sustinere, cum ipse lætanter sustinuerit flagella culpæ alienæ. Nos enim peccavimus, & ipse sustinuit pœnam. *Is.* 53. Vere languores nostros ipse portavit. Quicumque igitur flagellatur a Domino, libenter debet sustinere, imo lætanter, quia per hæc flagella temporalia, vitat æterna. *Mich.* 7. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum. *b* Et dixit, accipite & dividite inter vos,] ut quilibet parum bibat, non unus totum. In quo reprehenduntur divites hujus mundi qui totum comedunt, & nihil, vel parum dant pauperibus. Unde *sup.* 16. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur, &c.

d Dico enim vobis, &c.] Hoc exponitur quatuor modis. Primo modo ad litteram. Dederat enim Dominus discipulis suis bibere. Et possent dicere, vel forte dixerunt ei: Dedisti nobis bibere, tu quare non bibis? Et respondens Dominus ait. Nolo [Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis] idest, de vino materiali. *e* Donec veniat regnum Dei,] idest, usque

idest, usque post resurrectionem, quando ipse venit in regno suo, tunc bibit ipse, & comedit cum discipulis suis, ut dicit *Beda*, licet in Evangelio non inveniatur expressum, quod ipse biberit. Secundo modo exponitur mystice, secundum

Matth. 26 Marc. 14

quem modum vitis dicitur synagoga, generatio vitis legalium observantia. Et est sensus. Hucusque bibi de generatione hujus vitis, idest, accepta habui sacrificia legis, amodo non bibam, idest, de cetero non erunt mihi accepta. [Donec veniat regnum Dei,] idest, donec appropinquet finis mundi, quando regnum veniet ad regnū, tunc bibam de generatione illius vitis innovatæ per Baptismum.

al. † tradetur.

> regnum Dei veniat. *a* Et accepto pane gratias egit, *b* & fregit, & dedit eis *c* dicens. *d* Hoc est corpus meum, quod pro vobis † *e* datur. *f* Hoc facite in *g* meam commemorationem. *h* Similiter & calicem *i* postquam cœnavit dicens: Hic est calix *k* novum testamentum in *l* san-

Tertio modo secundum *Ambr.* Vitis est humana natura, generatio vitis humani generis mortalitas. De generatione hujus vitis bibit Dominus, quando humanam naturam mortalem assumpsit. Et est sensus. [Dico vobis, quod non bibam] amodo [de generatione] hujus [vitis,] idest, non resumam corpus mortale, & animam passibilem, [Donec veniat regnum Dei,] idest, donec resumam illa immortalitatis, & impassibilitatis gloria innovata, quod est regnum Dei. Quarto modo vitis populus est Judaicus, generatio vitis est inveterata malitia illius, de qua bibit Dominus calicem passionis, & in fine bibet de generatione ejusdem vitis gaudium de conversione illius. Unde sensus est. [Non bibam] amodo [de generatione vitis,] idest, non sustinebo amplius a populo Judaico angustias passionis. [Donec veniat regnum Dei,] idest, finis mundi, & tunc bibam de generatione hujus vitis gaudium suæ conversionis.

Moraliter.

Moraliter. Sic non est bibendum de calice donec venerit regnum Dei, idest, gratia Christi, quæ regnare facit. 2. *Paral. cap.* 30. Magna pars populi, quæ sanctificata non fuerat, comedit phase, non juxta quod scriptum est, & oravit, &c. *Eccles.* 14. Particula diei bonæ, &c. *Num.* 9. Quare fraudamur, &c.

a Et accepto pane, &c.] *Beda*. Finitis veteris paschæ solemniis, transit ad novum, quod in suæ redemptionis memoria Ecclesiam frequentare desiderat, ut pro carne, & sanguine agni suæ carnis, & sanguinis Sacramentum in panis, & vini figura substituat. Frangit, & porrigit, ut ostendat sui corporis fractionem non sine sua sponte futuram, agit gratias de veteribus terminatis, & novis innovandis, vel incipiendis. Dicit ergo. [Et accepto pane gratias egit.] *Chrys.* Erudit nos, quæcumque patimur, cum gratiarum actione ferre.

Quasi in eo quod ipse in propria persona frangit, putat, quod de propria voluntate corpus proprium fregit, idest passioni exposuit.

b Et fregit, & dedit eis,] gratis, non vendidit. *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. Judas vendidit eum adhuc mortalem triginta argenteis, multi sacerdotes vendunt eum jam immortalem pro uno denario. Sed Dominus ejecit vendentes, & ementes de templo. *Joan.* 2.

c Dicens hoc.] *Ambros.* quod sub specie panis apparet [est corpus meum.] Hic est solutio quæstionis. *Exod. cap.* 16. Manhu, idest, quid est hoc? [Hoc est corpus meum.] *Chrysostomus*. Quis pastor propriis membris nutrit oves? Et *infra*. Matres quando tradunt filios educandos, ipse hoc non tulit, sed quos genuit, per semetipsum nutrit. Hic solet quæri, quibus verbis Dominus panem transubstantiaverit in corpus suum, & quando, utrum scilicet, ante fractionem, aut post. Si dicatur quod his verbis confecit Dominus. (Hoc est corpus meum,) secundum hoc videtur, quod confecit post fractionem, quia hæc verba sequuntur verbum fractionis, & ita Ecclesia non tenet formam Domini, Si dicatur, quod aliis verbis confecit Dominus, ex hoc iterum habeo, quod Ecclesia non habet formam Domini in conficiendo, quod videtur inconveniens. Sol. super hac quæstione quadruplex est opinio, licet una sola sit vera. Quidam dicunt, quod Dominus bis dixerit hæc verba. [Hoc est corpus meum.] Primo dixit ea secreto, & tunc confecit, & postea iteravit eadem verba alte, & tunc tradidit Apostolis formam conficiendi. Secundum istos construitur littera hoc modo. Accepto pane gratias egit, secreto dicens. Hoc est corpus meum. Et deinde fregit, & dedit eis iterum dicens. Hoc est corpus meum. Alii dicunt, quod Dominus tantum semel dixit illa verba, & simul confecit, & tradidit Apostolis formam conficiendi. Secundum istos sic debet fieri constructio litteræ. Accepto pane gratis egit Dominus benedicens panem signum crucis: & fregit, & dedit eis, dicens: Accipite, hoc est corpus meum. Et hoc dicendo, simul confecit, & tradidit formam conficiendi.

Secundum hanc opinionem fractio panis præcessit confectionem. Alii dicunt, quod Dominus virtute divina sine aliquibus verbis confecit, idest, panem in corpus suum transubstantiavit, & postea tradidit Apostolis formam conficiendi, & virtutem verbis.

Secundum hos ordo litteræ planus est. Accepto pane gratis egit conficiens sola voluntate sine verbis, & fregit postea, & dedit eis dicens: Accipite, hoc est corpus meum.

Quarta opinio est, quod Dominus tantum semel dixit illa verba. Hoc est corpus meum, & quod simul confecit, & tradidit formam conficiendi, & tradidit virtutem verbis, & quod consecratio panis præcessit fractionem, & omnino sic fecit Dominus, ut Ecclesia facit. Et fit constructio litteræ hoc modo: Accepto pane gratias egit Dominus dicens. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, & fregit postea, & dedit eis. Hæc opinio magis placet mihi. In his igitur verbis solis. Hoc est corpus meum, est virtus conficiendi, tamen Ecclesia addit, enim, quod tamen non est de substantia verborum; tamen quia Ecclesia apponit, non est omittendum. Solet etiam quæri, quale corpus dedit, utrum passibile vel impassibile. Et dicendum, quod sicut modo tale dat, quale est, scilicet, impassibile, & immortale, ita tunc tale dedit, quale erat idest, passibile, & mortale, non tamen patiebatur, quando comedebatur.

Item solet quæri, utrum ipsemet comederit corpus suum, & biberit sanguinem suum. Et dicit *Chrys.* quod sic, quod etiam dicit Apostolus *Hebr.* 2. Pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem. Unde *Versus*.

Versus.

Rex sedet in cœna turba cinctus duodena;
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Nota ergo, quod tunc instituit Dominus hoc Sacramentum, & sic ea die instituta est Missa. Unde eadem die officium Missæ plane celebramus cum omnibus ornamentis, & ministris, ita quod nihil horum deest, quæ celebrationi Missæ solent adhiberi, quia incongruum esset de solemnitate Missæ aliquid ea die prætermitti, qua instituta est. Tamen in tribus illis diebus horas divinas, & matutinale officium semiplene celebramus, quia nec more solito incipimus, nec more solito terminamus, Prætermittimus enim psalmum; Venite, exultemus Domino, & benedicamus Domino. Nota etiam, quod ea die fit olei, & Chrismatis consecratio, ad repræsentandum, quod ea die facta est ab Hebræis postium linitio, quia sicut sanguine agni liniti sunt postes, ita Chrismate modo inunguntur frontes. Modo prosequere.

Hoc est corpus meum, quod pro vobis,] idest, vice vestri, qui peccastis, vel pro vobis habendis quasi pretio passionis meæ. *Ps.* 61. Pretium meum cogitaverunt repellere, &c.

e Datur,] *Job* 31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus ejus, ut saturetur. *Chrys.* Amabilis fuit sitis Job.

f Hoc facite.] *Gloss.* idest, accipite & date, ut ponatur [hoc] discretive, quasi hoc, & non illud.

g In meam commemorationem.] 1. *Cor.* 11. Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.

h Similiter & calicem.] *Beda*, scilicet, illis.

i Postquam cœnavit dicens, hic est calix.] Calix dico confirmans.

k Novum testamentum,] *Beda*, Novum dicit ad distinctionem veteris, quod sanguine hircorum, & vitulorum dedicatum est. *Exod. vigesima-quarta*, Sumptum sanguinem respersit Moyses in populum, & ait. Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.

l In sanguine meo,] *Gloss.* Quia impossibile est sanguine hircorum peccata tolli. *Hebr. cap.* 10. *Chrys.* Quomodo non horruerunt? Respondeo, quia prædixerat hoc sæpe, *Joann.* 6.

Item [In sanguine meo] quem do vobis in potum sicut corpus in cibum. *Joan. sexto*, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Sed Judas, & ei similes, idest, avari non satiantur hoc cibo. *Proverbiorum cap. decimo tertio*, Justus comedit, & replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis. Alii sic ordinant litteram. [Hic est calix

in sanguine

in sanguine meo,] idest, sanguis meus in calice, ut fiat hypallage. Sanguis dico confirmans. [novum testamentum.] *a* Qui pro vobis,] & similibus, imo pro omnibus quoad sufficientiam, pro fidelibus solum quoad efficientiam. 1. *Jo. c.* 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed pro totius mundi.

guine meo, *a* qui pro vobis † *b* effundetur. *c* Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. Et *d* quidem filius hominis, secundum quod *e* definitum est, *f* vadit: *g* Verumtamen væ homini illi, per quem tradetur. Et ipsi *h* cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. *i* Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Dixit k autem eis: Reges gentium dominantur eorum, *l* & qui potestatem habent super eos, *m* benefici vocantur. *n* Vos autem non sic:

al. † tradetur.

C

Matth. 26. *Marc.* 14.

b Effundetur] a patre permittente, vel exponente, a diabolo suggerente, a Juda vendente, a Judæo procurante, a Pilato post flagella tradente ad judicandum, & crucifigendum. Vel, [Qui pro vobis effundetur,] idest pro salute vestra fundetur. Sed tamen unus vestrum est, pro cujus salute non fundetur. Unde subditur.

c Verumtamen, &c.] Sicut de Passione prædixerat: ita prædicit de proditione. Hoc autem fecit triplici ex causa. Primo, ut ostenderet, se esse Deum, qui futura prævidit. Secundo, ut ostenderet se spontaneum pati, quia præcavere poterat. Tertio, ut Judas, videns se non posse latere, pœniteret propositi mali. Non tamen designavit eum Dominus ex nomine, ne manifeste correctus impudentior fieret, quod de plerisque contingit, & ut nobis exemplum daret. Tripliciter autem notavit Dominus proditionem, ut melius patet in textu Matthæi. Primo generaliter, quando dixit: Unus ex vobis me tradet. Secundo, specialiter, quando dixit: Manus tradentis me mecum est in mensa. Tertio singulariter, quando dixit: Tu dixisti. Item revocavit Dominus Judam quatuor modis, ut patet in littera. Primo per criminis expressionem, cum dixit: Qui pro vobis traderur. Secundo per pœnæ comminationem, cum dixit. Væ homini illi, Tertio, per corporis, & sanguinis sui communicationem. Nam Judæ sicut aliis discipulis, communicavit Dominus corpus, & sanguinem suum, ut dicit *Aug.* licet *Hilarius* contradicere videatur. Quarto per humilem responsionem, quando dixit, Amice, ad quid venisti? *Matth. cap.* 26. Mollis enim responsio frangit iram. *Prov. cap.* 15. Et *Eccl. cap.* 6. Dulce verbum multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Sed Judam non potuit mitigare. [Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.] Unde dictum est. Homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebit panes meos, magnificavit super me supplantationem. Ecce quia post datam Apostolis Eucharistiam, statim subdit de Juda, dicens quia præsens erat in mensa, aperte videtur velle Lucas, quod susceptioni Eucharistiæ interfuerit Judas, & ita suscepetit, & ita volunt fere omnes Sancti. Sed *Beatus Hilarius* hoc negat, & adhæret duobus verbis Domini. Ait enim Dominus loquens ad eos, quibus calicem propinaverat. Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei. Certum est autem, quia non bibit cum Juda. Adhæret etiam illi verbo. Qui pro vobis effundetur. Non enim loquebatur Dominus nisi de effusione efficaci.

Psalm. 40.

Moraliter.

Moraliter. *c* Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.] Hoc similiter posset dicere hodie de multis sacerdotibus in mensa altaris. *Psalm.* 40. Homo pacis meæ, &c. *Chrysostomus*. Qui tunc fecit illa in cœna, hic & nunc operatur ea. Hæc est illa mensa, & nihil minus habet, nullus adsit Judas, nullus avarus, qui est recedat, cum discipulis, inquit, facio pascha. Et *infr.* Quem multam sordem in ore ferentem non sineres sordidare aurum tibi commissum. Et *infr.* Sanguinem meum effundam prius, quam tradam Dominicum sanguinem præter id, quod dignum est. *Malac.* 1. Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & offertis super altare meum pollutum panem. Et *infr.* Mensa Domini contaminata est, & quod superponitur, &c. *Chrys.* Quali honoratus es honore, qua potiris mensa, quam Angeli videntes horrescunt, & neque sine timore respicere audent propter eam, quæ inde fertur, coruscationem. Sequitur.

d Et quidem filius hominis secundum,] hoc supple.

e Quod definitum est,] idest, ab æterno prævisum.

f Vadit] ad Passionem, & per Passionem ad gloriam, *infr.* Nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam?

g Verumtamen væ homini illi, per quem tradetur.] *Bed.* Exemplo Judæ filium hominis tradit, qui illud inviolabile Dominici corporis Sacramentum violare præsumit, vel indigne sumendo, vel indigne tractando. His enim duobus modis tradit aliquis Christum. Vendit, idest, alienat a se, qui ejus timore, & amore neglecto caduca amare convincitur, & criminosa.

Matth. 20. *Marc.* 10.

h Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.] Licet non haberent conscientiam hujus facti, tamen quærebant. Unde *Beda*. Noverant undecim, quod nil tale cogitaverant, sed plus credunt magistro quam sibi, & timentes fragilitatem suam anxii, quærunt de peccato, cujus non habent conscientiam. Sic & nos, cum peccatum confitemur, licet in nullo simus conscii, plus tamen de nobis debemus Deo credere quam nobis. Sequitur.

Secunda pars.

i Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.] Secunda pars capituli, in qua agitur de contentione discipulorum. *Beda* dicit, quod hæc contentio habuit ortum, ex eo quod Dominus secum duxerat in montem, Petrum, & Jacobum, & Joannem quasi aliquid secretum eis commissurus, ut dicitur *Matt. cap.* 17.

Item quia promiserat Petro se daturum claves regni cœlorum. *Matth.* 16. Et hoc audierant ceteri, unde putabant, vel Petrum omnibus, vel illos tres ceteris esse præficiendos. Et de hoc disputabant in via, ut dicitur *Marc. cap.* 9. Prius autem cogitaverunt. Unde *supr.* 9. dicitur. Intravit cogitatio in eos, quis eorum videretur esse major. Et post cogitationem fuit disputatio, quæ vocatur hic contentio. Postea accesserunt ad Dominum, & dixerunt ei suam disputationem, ut determinaret. Unde *Matth. cap.* 18. In illa hora, scilicet, post disputationem, accesserunt ad Jesum discipuli dicentes. Quis putas major est in regno cœlorum? Quæ autem fuerit causa contentionis, utrum, scilicet, ambitio dignitatis, vel amor humilitatis, qua tunc unus alium prævenire honore volebat, dicit *Beda*, non esse cognitum, quia potuit esse, quod inter se contenderent de exhibitione reverentiæ, quia quisque volebat alium sibi præferre, ac si diceret alteri. Vos primo sedebitis. *Chrysostomus*, videtur dicere, quod ambitio fuit causa. Unde dicit. Passi sunt aliquid humanum discipuli de principatu contendentes. Sed certe ista ambitio non fuit peccatum, quia non de principatu terreno fuit. Unde *Chrysostomus* dicit. Vide, quia de principatibus terrenis non contendunt, sed de spiritualibus in cœlo, hoc autem infirmitatis erat. Nos autem neque ad infirmitatem illorum pervenimus. Non enim quærimus, quis est major in regno cœlorum, sed quis est major, quis copiosior, quis potentior in regno terræ. Hoc autem prohibetur *Ecclesiastici* septimo. Noli quærere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris.

k Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum,] qui subditi sunt eis, per potentiam eos humiliantes.

l Et qui potestatem habent super eos.] *Gloss.* largiendi habet.

m Benefici vocantur,] idest, benefacientes. Vel, idest, beneficia conferentes.

n Vos autem non sic.] *Gloss.* Quia etiam eorum, quæ distribuistis, non auctores, sed dispensatores estis. 1. *Cor. cap.* 4 Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. *Chrysostomus* Principes mundi ideo fiunt, ut dominentur minoribus suis, principes autem Ecclesiæ, ut serviant minoribus suis, ut suas utilitates negligant, & illorum procurent, ut neque mori recusent pro salute eorum. Primatum sæcularem appetere, etsi ratio non est, vel causa est, principatum autem Ecclesiæ concupiscere, neque ratio est, neque causa, quia neque justum, neque utile est. Quis enim sapiens sustinet se subjicere servituti, & tanto periculo, nisi qui forte non credit Dei judicium, vel qui Deum non metuit impios punitorum. Item *Chrysostom.* Quia differentia facta est in hoc sæculo, non dico sanctitatis, sed dignitatis, ut alter sit Episcopus, alter sit clericus,

sit clericus, alter laicus, &c. contumacia carnis coegit, & perversitas mundi, & occulta operatio inimici. Et inf. Revera honores videntur esse, sed ministeria sunt. Sicut videtur honor esse oculi, quod illuminat corpus, non est autem, sed ministerium, ideo Dominus corporis non magis pedem contemnit quam oculum.

a Sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & b qui præcessor est, c sicut ministrator. d Nam quis major est, e qui recumbit, an qui ministrat? f Nonne qui recumbit? g Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat, h Vos i autem k estis, qui l permansistis m mecum in n tentationibus meis. Et o ego p dispono q vobis, r sicut disposuit mihi pater meus s regnum;

Item *Chrys.* Homo, quod membrum habear honorabile, & quod inhonestum cognoscit, ipsum autem membrum hoc de se non cognoscit, ne sit schisma in corpore, sic differentiam inter sanctos Christus cognoscit: cujus membra sumus omnes: ipsis autem sanctis non est concessum, ut cognoscat differentiam suam adinvicem.

a Sed qui major est,] in virtutibus, [in vobis, fiat sicut junior.] *Chr.* Quicumque desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem, quicumque autem desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo. *Prov. cap.* 29. Superbum sequitur humilitas, idest, dejectio, *Chrys.* Primatus fugientem desiderat, desiderantem se horret. *Eccl.* 11. Si secutus fueris, non apprehendes, &c. Est enim similis umbræ honor mundanus, & laus popularis. Unde *Versus*,

Si sequeris, fugiet, sed si fugieris, umbra sequetur:
Sic captata fugit laus, & contempta tenetur.

Eccl. 34. Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic qui, &c.

b Et qui præcessor est,] gradu dignitatis. Fiat.

c Sicut ministrator,] humili reputatione. *Eccles. cap.* 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. *Num. cap* 8. Erunt Levitæ ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis,

d Nam quis major est,] humano judicio,

e Qui recumbit, an qui ministrat?] quasi dicat, qui recumbit major est quoad judicium mundi, sed quoad judicium Dei aliter est. Nam qui ministrat sæpe major est apud Deum, ut patet in Christo, quem debemus sequi. Unde *Chr.* Non est verus discipulus, qui non imitatur magistrum, nec est vera imago, quæ similis non est auctori. Et *supr.* Domino paupertatem amante, qui divitiarum amator est, repellit a se Christi similitudinem. *B. Bern.* Age nunc sequere ducem tuum, scilicet Luciferum, multiplica præbendas, accelera ad Archidiaconatum, ad Episcopatum aspira paulatim ascendes, sed non paulatim descendes, videbam, inquit, Dominus Satanam sicut fulgur cadentem de cœlo, *sup.* 10.

f Nonne qui recumbit?] Ita videtur secundum judicium sæculi, quod judicat secundum faciem. Sed aliter est secundum judicium Dei, qui judicat secundum veritatem. 1. *Reg.* 16. Homo judicat ea, quæ pareat, Deus autem intuetur cor.

g Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat,] quasi dicat: Ego ministro vobis, qui tamen major sum vobis. Et potest specialiter intelligi de ablutione pedum. Nota etiam, quod graviter arguendi erant, quia talis ambitio dominii non debuit esse inter discipulos, qui venerant ministrare non ministrari, tamen pius, & mansuetus Magister eos, non arguit, sed eis formam humilitatis proposuit, Debet autem habere Prælatus maternam pietatem, & paternam severitatem, ne vel nimis austerus sit, vel nimis remissus, Ministrat autem Dominus in præsenti fercula gratiæ, & in futuro fercula gloriæ, *sup.* 12. Amen dico vobis, quod præcinget se Dominus, scilicet, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. *Matth.* 20. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.

h Vos autem, &c.] Dominus dixerat se ministrantem, nunc ostendit discipulos recumbentes, & supponit causam, quia scilicet permanserunt cum eo in tentationibus suis. Unde dicit: [Vos autem] quasi dicat, ego ministro, & vos recumbetis.

i Autem,] idest, quia.

k Vos estis, qui permansistis,] idest, perfecte mansistis.

m Mecum in tentationibus meis,] idest, quas propter me sustinetis. Quas Dominus dicit suas, juxta illud; Quod uni ex minimis meis fratribus fecistis, mihi fecistis. *Matth.* 15. Et *supr.* 10. Qui vos spernit, me spernit.

Octo faciunt convivium laudabile.

o Et] ideo, [ego dispono vobis, &c.] Octo notantur in hac auctoritate, quæ faciunt convivium laudabile.

Primum, est servitoris nobilitas, & compositio.
Secundum, est ferculorum ordinata positio.
Tertium, convivarum honestas.
Quartum, vultus hilaritas.
Quintum, invitantis auctoritas.
Sextum, loci amenitas.
Septimum, mensæ fecunditas.
Octavum, loci securitas.

Matth. 19.

Primum, notatur per [Ego.] Secundum, per [dispono.] Tertium, per [vobis.] Quartum, per [sicut,] Quintum, per [pater meus.] Sextum, per [regnum.] Septimum, per [edatis, & bibatis.] Octavum, per [super mensam meam.] Nihil ergo deerit illi convivio, & ideo gloriosum est interesse. Et ex hoc dicitur *Is. cap.* 25. Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. *Esther* 1. Tertio anno imperii sui fecit Assuerus grande convivium cunctis principibus, & pueris suis, &c. Dicit ergo.

h Vos autem,] discipuli mei, qui intratis scholas meas, & auditis lectiones meas.

k Estis,] quia veri esse participes.

l Qui permansistis,] idest, perfecte mansistis, affectu, scilicet, & effectu, seu mente, & corpore.

m Mecum,] cum quo permanere tunc non erat tutum, quia pauper erat, & odiosus principibus, & Judæis, & omnes eum persequebantur. Sed videtur quod non permanserunt cum Domino discipuli, quia fugerunt omnes ipso relicto. Unde *Job* 19. Noti mei quasi alieni recesserunt a me, dereliquerunt me propinqui mei. Item *Zach.* 13. Percute pastorem, & dispergentur oves. Et ipsemet exponit hoc *Matth.* 26. de dispersione discipulorum. Sol. Mulier in brevi reversa non dicitur divertisse. Unde in hoc apparet Christi liberalitas, qui dicit discipulos secum permansisse perfecte, quia cito redierunt. In quo etiam docet, non debere improperare peccatum alicui pœnitenti. *Eccl.* 8. Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei. Sequitur,

n In tentationibus meis,] idest, in tribulationibus, & angustiis, quibus Dominus tentat suos. *Eccl.* 27. Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. *Sap.* 7. Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, &c. Hæ tentationes sunt via, per quam venitur ad dictum convivium. Et per hanc intraverunt, quotquot pervenerunt ad illud. Unde 3. *Reg. cap.* 19. Cum surrexisset Elias, comedit, & bibit, & ambulavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Horeb: qui interpretatur mensa. Elias typum gerit hic pœnitentis, qui surgit a somno peccati per timorem, Unde *Eccl. cap.* 1. Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non potest justificari. Deinde comedit per peccatorum recordationem, Panis autem qui comeditur est dolor, *Ps.* 186. Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Postea bibit aquam lacrymarum *Prov. cap.* 5. Bibe aquam de cisterna tua. Cisterna est cor humile. Unde aqua de cisterna est lacryma de corde humili effusa. Postea ambulavit per satisfactionem operis, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, idest, toto tempore vitæ præsentis in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Horeb, ubi est jam dictum convivium. Sequitur.

o Et ego,] cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur.

p Dispono,] idest, præparo convivium.

q Vobis,] qui meruistis. *Joan.* 14. Vado vobis parare locum.

r Sicut disposuit mihi pater meus,] idest, hilariter, & largiter, & eodem ordine, & eodem pretio, *Matth. vigesimo*, Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum. s Regnum.] Hic est locus convivii securus, & amœnus, & omni bono copiosus. *Esther* 1. Jussit Assuerus septem diebus convivium præparari in vestibulo horti & nemoris, quod regio cultu, & manu consitum erat, & pendebant ex omni parte tentoria aerei coloris, & carbasini, ac hyacinthini sustentata, &c.

Isa. 32.

*Isa.*32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ in requie opulenta. Unde sequitur hic:

a Ut edatis,] panem vitæ, *supr.*14. Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. *b* Et bibatis,] vinum internæ, & æternæ lætitiæ *Cant.* 5. Bibi vinum meum cum lacte meo. *Prov.*9. Venite, comedite panem meũ, & bibite vinum meum, quod miscui vobis. *Cant.*5. Comedite, amici, & bibite, & inebriamini, charissimi. *Eccl.*24. Qui edunt me, adhuc esurient, &c.

ut *a* edatis, & *b* bibatis *c* super mensam meam in regno meo, & *d* sedeatis super thronos *f* judicantes duodecim tribus Israel. Ait *g* autem Dominus Simoni. *h* Simon, ecce *i* Satanas, *k* expetivit vos, ut *l* cribraret sicut triticum, *m* Ego autem rogavi pro te, ut *n* non deficiat fides tua. Et *o* tu aliquando conversus *p* confirma fratres tuos. *q* Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. Et *r* ille dixit: *s* Dico tibi, Petre, *t* non cantabit hodie Gallus, donec ter abneges nosse me.

Matth. 4. Beati, qui esuriunt, & sitiunt, &c. *c* Super mensam meam] quæ omnibus, & solis electis parata est. *Psal.*77. Nunquid, & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Mensa metaphorice intelligitur beatitudo æterna. Non enim ad litteram erit mensa in regno Dei, quia tunc non erimus animales, idest, ciborum alimonia egentes. In hoc enim erravit Cherintus.

d Et sedeatis,] ut judices, & assessores judicis.

e Super thronos,] duodecim super omnes fideles, qui vobis crediderunt. *Chrys.* Omnis Christianus, qui suscipit verbum Petri, thronus Petri est. *Psalm.* 121. Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David. *f* Judicantes duodecim tribus Israel,] idest, universos judicandos. Quatuor enim ordines erunt in futuro judicio. Duo salvandorum, & alii duo damnandorum. Salvandorum namque quidam judicabunt, & non judicabuntur, ut Apostoli, & imitatores eorum. Unde *Hieronym.* Omnes, qui ad exemplum Apostolorum sua reliquerunt pro Christo judicabunt cum eo. *Matth.* 19. Vos, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos judicantes duodecim tribus Israel. Alii judicabunt, & judicabuntur, ut illi, qui temporalibus suis bene usi sunt, quibus dicetur, Esurivi, & dedistis mihi manducare, &c. *Matth* 25. Similiter damnandorum quidam judicabuntur, & damnabuntur, ut mali fideles. *Joel.* 3. Congregabo omnes gentes in valle Josaphat, & disceptabo ibi cum eis, idest, cum aliquibus eorum. Alii damnabuntur, & non judicabuntur, quia jam judicati sunt, quia manifesta est eorum damnatio, ut infideles. *Joan.* 3. Qui non credit, jam judicatus est. *Psalm.* 1. Ideo non resurgent impii in judicio, idest, ut judicent, vel ut judicentur. Sequitur,

g Ait autem Dominus, &c.] Tertia pars capituli, in qua Dominus prædicit tentationem suam, duplici ratione. Primo, ne gloriarentur, quia soli de tot millibus hominum, cum Domino permansissent in tentationibus suis. Poterant enim procella tentationis concuti, sicut alii, nisi divina gratia eos protexisset, item ut timorem incuteret. *Eccl* 27. Si non in timore Dei tenueris te, instanter cito subvertetur domus tua. Secundo, ut redderet eos cautiores quia jacula prævisa minus lædunt, & facilius præcaventur. Et quia Petrus caput eorum erat, & magis audax, & plus confidens in se, ideo ad eum dirigitur sermo. Unde dicitur: [Ait autem Dominus Simoni,] idest, Petro, ut sibi videbatur in omnibus obediens. *h* Simon ecce,] idest, in proximo, & invidenti. *i* Satanas,] idest, diabolus, qui omni bono adversatur.

k Expetivit vos,] idest, petiit, & obtinuit potestatem tentandi vos. Nihil enim potest diabolus nisi permissus. *Isa.* 51. Incurvare ut transeamus, &c. *Job* 1. Extende paululum manum tuam, idest, da mihi potestatem sæviendi in Job. Nec etiam habuit potestatem in minimam oviculam Job, nisi permittente Domino,

l Ut cribraret sicut triticum,] idest, vos tentationibus infestaret, & ita vos concuteret, sicut triticum in cribro concutitur, & movetur. *Chrysostom.* Stetens remanet in cribro, sic Judas cum diabolo. *Amos* 9. Concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro, & non cadet lapillus super terram. *Ecclesiast.* 27. Sicut in percussura cribri remanet pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius. *Gloss. Bedæ*. Satanas, &c. Et est summa, quia non dicitur expetere bonos ad tentandum, quia hoc vocali sono pesat, sed quia ad hoc ferventi desiderio anhelet: interdum enim desiderium dicitur clamor, ut de Moyse, & Susanna legitur. Sequitur. *m* Ego autem rogavi,] quasi Satanas tentabit me permittente, sed non prævalebit, & hoc non erit ex vobis, sed ex me, qui hoc rogavi, scilicet, ut non deficiat fides tua. *Chrys.* Pro omnibus petiit. *Joan.* 17. Pater sancte, serva eos in nomine tuo. Sed quare hic de solo Petro? Sol. Ostendens quod difficilior est casus ejus, idest, prælati. Et *infr.* Quare non dicit non, sed ut non. *Rom.* 16. Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.

n Ut non deficiat fides tua.] *Chrys.* Qualiter ergo rogavit? Solutio. Non dixit Dominus, ut non neges, sed ut non deficiat fides tua, ut non finaliter periret. *Beda*. Non ait non tenteris, sed, ne deficiat fides tua, ut post lapsum negationis ad pristinum statum pœnitendo resurgas. Utile enim est Sanctis propter duo tentari, ut scilicet aliis appareat fortitudo eorum, & ut agnoscant infirmitatem suam. *Eccl.*34. Qui non est tentatus, &c. *Tob.* 12. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.

o Et tu aliquando conversus.] In hoc innuit, quod aliquando negaturus.

p Confirma fratres tuos.] Argumentum quod qui non est conversus, non potest alios confirmare. *Eccl.* 34. Ab immundo quis mundabitur, & a mendace quid verum dicetur?

q Qui dixit ei, &c.] Petrus in se considerat amorem, & fervorem, sed non attendit propriam infirmitatem. *Apocal. tertio*. Esto vigilans, & confirma ea, quæ peritura erant. *Chrysostom.* O Petre. modo timebas ne esses traditor, & cogebas Joannem interrogare quis esset: nunc Christo clamante toties contradicis? Unde hoc est? a multo amore. *Hier.* Avis implumis volare nititur,

Item *Chrys.* Duæ erant iaculationes, & quia aliis se præposuit, & quia Christo contradixit. Non ergo credebat, quod Dominus diceret verum. Præterea si credebat hoc, revelatus fuit ei casus suus. Sed *Genes.* 3. dicit *Gloss.* contrarium. Solut. Credebat, quod Dominus diceret verum, sed non quod pro hoc. Ad aliud potest dici, quod etsi spiritus pietatis non revelet alicui casum suum æternum, potest tamen revelare temporalem, & ejus revelationem, 1. *Esdræ* 2. ubi sacerdotes non invenerunt scripturam genealogiæ suæ. *Gloss.* Si ministri altaris in nefanda flagitia ceciderunt, non sunt digni, quod ad sacrum gradum restituantur. Ergo nec Petrus. Solut. *Ester c.*2. Nec habebat potestatem ad regem ultra redeundi, nisi voluisset Rex. Sanæ fidei casus descensum honoris meretur, & non habet potestatem ultra ad regem redire, nisi superna gratia visitatus in pristinæ statum dignitatis vocetur,

r Et ille dixit, Dico, &c.] *Chrys.* Non impulit ad negationem, sed auxilio desertum dimisit, redarguens humanam naturam.

s Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.] *Chrysostomus*. Permittit eum cadere, erudiens in omnibus credere Christo, plus etiam quam propriæ conscientiæ. *Chrysostom.* Non sufficit desiderium hominis, nisi nutu superioris potiatur. *Chrysostomus*. Qui sibi confidit, fortiorem se putat Petro. Videretur autem hoc falsum ad litteram, quod hic dicitur, quia non negavit eum Petrus ter ante gallorum cantum. Respondeo. Ante primum gallorum cantum, negavit semel Petrus, & postea bis ante secundum cantum, idest, inter primum, & secundum. Unde *Marc.* 14. Priusquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus. Quod ergo hic dicitur, sic debet exponi.

t Non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me,] idest, donec trinam negationem inchoaveris. Vel, [Non cantabit,] idest, non percantabit. Vel. [Non cantabit donec, &c.] idest, donec trinam negationem proposito voluntatis consummes, quia voluntate trina negatio in eo consummata est, antequam gallus cantaret. *Ambros.* Ita non reprehendo, quod negavit, ut laudo, quod flevit, aliud commune contradictionis est, aliud speciale virtutis, & ideo instruitur ad cavendum, non cogitur ad negandum. [Mystice.] Gallus est Christus: De quo *Proverb.* 30.

Matth. 26. *Marc.* 14.

Tertia pars,

Mystice.

Proverb. 30. Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum, gallus succinctus lumbos suos, & aries, nec est qui resistat ei: & qui stultus apparuerit postquam elevatus est in sublime, Leo, gallus, aries: Christus est, Stultus est Anti-Christus.

D

Item *Job c.*38. Quis dedit gallo intelligentiam? Ante cantum hujus galli: quid est in homine, nisi trina negatio, idest, trium vitium aversio? seu perversio?

Et dixit *a* eis: *b* Quando misi vos sine sacculo, & pera, & *c* calceamentis, *d* nunquid aliquid defuit vobis? At illi *e* dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc, *f* qui habet sacculum, tollat similiter & peram. Et *g* qui non habet, vendat tunicam suam, & *h* emat gladium. *i* Dico enim vobis: quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, *k* oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus est, *l* Etenim ea, quæ sunt de me, finem *m* habent. At illi *n* dixerunt: Domine, ecce gladii duo hic. At *o* ille dixit eis: Satis est.

a Et dixit eis, quando misit vos, &c.] Dominus misit discipulos binos, & binos ad prædicandum ante faciem suam, præcipiens eis ne tollerent necessaria, sed a subditis acciperent. Nunc autem aliter præcipit: in quo nos instruit, quia pro mutatione rerum, & temporum facienda est mutatio consiliorum, & dispositio negotiorum. Et hoc est,

b Quando misi vos sine sacculo, & pera.] Quare sic misit? *Chrys.* Maximam habet defensionem inopia. Inopem, & nudum neque centum possunt exuere. Et *infr.* Philargyrum universa contristant. Et non solum homines, sed & vermes, & tineæ militant contra eum. Et quid dico vermes? ipsum tempus maximum damnum facit tali. *Augustin.* Ostendit Dominus a fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. 1. *Cor.*9. Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. *Gloss.* Non eadem vivendi regula, &c. Persecutionis tempore: Tunc enim possent de rigore regulam relaxare, ut filii Jonadab, imminente tribulatione habitaverunt in Jerusalem, quibus prohibitum erat habitare in civitate? *Jerem.*36.

c Et calceamentis.] *Jer.* Plato dicit duas corporis summitates non esse velandas, nec assuefieri debere mollitiei capitis, & pedum, cum hæc habuerint firmitatem, cetera robustiora sunt. *Exod.* 3. Solve calceamenta de pedibus tuis. Locus enim, &c. Idem *Josue* 5.

d Nunquid aliquid defuit vobis,] 1. *Corinth.* 1. Divites facti estis in illo, ita ut nihil desit vobis in ulla gratia.

e At illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis, sed nunc,] scilicet, tempore persecutionis.

f Qui habet sacculum, tollat similiter & peram.] Per hæc duo intelliguntur necessaria. *Chrysostom.* Pullos de nido educens jubet propriis uti pennis. *Ecclesiast cap vigesimonono.* Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam oculi conservabit.

Item pera est memoria, in qua peccata reponuntur ad pœnitentiam, & humilitatem. *Judith cap. decimotertio.* Jussit ancillæ suæ, ut mitteret caput Holofernis in peram.

Item pera patientiæ 1. *Reg. cap. decimoseptimo.* In operam pastoralem, quam habebat secum.

g Et qui non habet, &c.] Dominus distinguens regulam vivendi tempore pacis, & tempore persecutionis, cum primo misit discipulos ad prædicandum, prohibuit eis sollicitudinem, ne tollerent necessaria, sed ea a subditis acciperent, imminente autem tempore suæ Passionis prævidens discipulis imminere tempus persecutionis, ut potius invenirent occisores quam ministratores, dedit eis licentiam tollendi necessaria. Sic quoque dat licentiam tollendi gladium, qui necessarius est tempore persecutionis. Et ad duo, scilicet, ad terroris incussionem, & proprii corporis defensionem. Et cum Dominus tantum ponat negativam, oportet præintelligi affirmativam, hoc modo: [Qui habet sacculum tollat similiter & peram, & qui habet gladium tollat, & qui non habet gladium,] scilicet, [vendat tunicam suam, & emat gladium.] Quia autem ita debeat præintelligi affirmativa, habes in principio *Gloss.* Gladium, vel habitum sumere, vel non habitum jubet emere, &c. Sed nota, quia cum specialiter loqueretur Dominus primitivæ Ecclesiæ, tamen primitiva Ecclesia non habuit gladium, nec ei congruebat in gladio decertare. Quamdiu enim Ecclesia fuit novella, oportuit eam plantari, per duo, scilicet, per passiones, & miracula. Postquam autem processu temporis provecta est Ecclesia, jam non sunt illa duo necessaria. Sed cum primitivæ Ecclesiæ non competat gladius, cur præcepit Apostolis tollere gladium tempore persecutionis? Ut appareret eis non defuisse facultatem defensionis, & sic Dominum sponte venire ad Passionem ostenderetur: & per idipsum misericordia ejus exprimeretur. Et hoc est, quod sequitur in *Gloss.* Ut sciant legentes, &c. *Ambrosius.* Cur gladium emere jubes, qui ferire prohibes? Cur habere præcipis, quem vetas promi, nisi forte, ut sit parata defensio, non necessario ultio, & videar potuisse vindicare, sed noluisse? Lex tamen referire me non vetat, & ideo fortasse Petro offerenti duos gladios, satis est dicit, quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio; item secundum aliam *Gloss.* sic exponitur;

Isa. 53. Matth. 26.

h Et emat gladium,] spiritualem, scilicet, verbum Dei. De quo *Ephes. c.6.* Gladium spiritus, quod est verbum Dei, &c.

Item, per gladium intelligitur passio martyrii, Unde *supra capitulo secundo.* Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Dicitur ergo cuilibet, ut emat gladium, idest, ut omnia exponat pro audiendo verbo Dei. Cuilibet etiam dicit, ut vendat tunicam, idest, carnem propriam, quæ est tunica animæ, martyrio exponat, ut ita coronam martyrii sibi emat. Et hæc duo nota in illa *Glossa.* Est gladius spiritualis ut, &c. Sequitur *infra in Gloss.* Denique ut scias, &c. Summa est, quod de gladio passionis hic loquitur Dominus, non de gladio verbi invitans eos ad tolerantiam martyrii. Sequitur,

i Dico enim, &c.] quasi ideo præcipio tollere necessaria, quia imminet tempus persecutionis vestræ. Et vere imminet persecutio vestra, quia ego, qui sum caput vestrum, in proximo sum passurus. Unde sequitur: [Dico enim vobis: quoniam adhuc hoc, quod scriptum est,] per *Isa.*50. & 53. maxime.

k Oportet impleri in me, & cum iniquis deputatus est,] localiter, & causaliter, quia putabant eum reum, sicut & latrones, in quorum medio crucifixus erat, *infra proximo.* Vel, [Cum iniquis.] *Beda*, idest, cum inferis, ad quos post mortem erat descensurus, ut educeret vinctos suos, idest, bonos de lacu, ubi non est aqua, idest, refrigerium aliquod,

l Etenim ea, quæ sunt de me] prædicta.

m Finem habent,] idest, implebuntur.

n At illi dixerunt, Domine, ecce gladii duo hic.] Materialis, & spiritualis est in Ecclesia. *Judic.*20. Habitatores Gabaa erant viri fortissimi, ita sinistra, ut dextera prælantes. *Chrysostom.* Dignum est quærere, cujus gratia gladios portabant. Et *infra.* Decens est ibi gladios, idest, cultellos esse propter agnum, & mensam. Hinc forte sumit Ecclesia materiam, & occasionem pugnandi gladio materiali. Nam aliter superflueret unus gladius. *Ecclesiast. nono*, Melior est sapientia, quam arma bellica. *Isa.* 2. *Michææ quarto*, Non levabit gens contra gentem. *Romanorum decimosecundo*, Non vosmetipsos defendentes charissimi. Et *infr.* Mihi vindictam, &c.

Item secundum *Ambros.* duo gladii significant duo testamenta quæ significantur per gladium bis acutum, *Apoc.* 1. *Eccl.*28. Lingua tertia multos commovit, & *Psal.*56 Lingua eorum gladius acutus.

o At ille dixit eis, satis est,] quasi dicat. Duo gladii, alter evaginatus, alter non evaginatus sufficiunt. Alter, scilicet, ad exprimendam spontaneam susceptionem passionis, & Apostolorum audaciam, & Domini misericordiam. Alter, scilicet, non evaginatus, ad ostendendum, quia non quantum possunt lacere sunt permissi. Nota, est multiplex gladius. Est enim gladius verbum Dei, quod habetur in manu, & in ore. De primo. *Psalm.* 159. Gladii ancipites in manibus eorum. *Hebræorum capitulo quarto.* Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum, &c. *Ephes. capitulo sexto.* Gladium spiritus. De secundo *Apocal. capitulo primo*, & *secundo*, & *decimonono.* De ore ipsius procedebat gladius ex utraque parte acutus. Item

Multiplex gladius.

potestas

Et *a* egressus *b* ibat secundum consuetudinem in montem † olivarum: *c* Secuti sunt autem illum & discipuli. Et *d* cum pervenisset ad locum, dixit illis: *e* Orate, ne intretis in tentationem. *f* Et ipse avulsus est ab eis, *g* quantum jactus est lapidis, & *h* positis gentibus *i* orabat, dicens: *k* Pater, si vis transfer calicem istum a me; Verum-

E

al. † oliveti

Psalm. 7. Matth. 26. Marc. 14. Joan. 18.

potestas temporalis. *Romanor. cap. decimotertio*. Non sine causa gladium portat. Et hic. Vendat tunicam, & emat gladium. Item potestas spiritualis. *Gen. cap.tertio*. Collocavit Dominus ante Paradisum Cherubin, idest, scientem, & flammeum gladium, scilicet, ut arceat peccatores. Item pœna temporalis, *supr.* 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius, Item æterna. *Deuteron. cap. trigesimosecundo*. Gladius meus devorabit carnes. Item. Si acuero ut fulgur gladium meum. Item comminatio. *Psalm* 44. Accingere gladio tuo. Alibi. Gladium suum vibravit. 1. *Paralip. cap. vigesimoprimo*, David vidit Angelum stantem inter cœlum, & terram, & evaginatum gladium in manu ejus. Item consolatio. *Josue cap. quinto*, Vidit virum contra se stantem evaginatum gladium tenentem. 2. *Machab. cap. decimoquinto*. Jeremias dedit gladium aureum. Item separatio a malis, *Matth. c. decimo*, Non veni pacem mittere, sed gladium. *Apocal. cap. 6.* de sessore equi rufi, ut sumeret pacem de terra. Et datus est ei gladius magnus.

Item studium. *Isaiæ secundo*, Conflabunt gladios suos in vomeres. Contra *Joel. cap. tertio*. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones in lanceas. Infirmus dicat, quia ego fortis sum. Item lingua. *Psalm. 56.* Lingua eorum gladius acutus. item increpatio. *Jerem. cap.* 48. Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine: item pœnitentia. *Ezech. cap.* 21. Duplicetur gladius, ac triplicetur gladius. Et *infra*, Lima te ut interficias, & fulgeas: item ipse Christus. 2. *Reg. cap.* 1, Gladius Saul non est reversus inanis. *Isa.* 55. Non revertetur ad me vacuus. Hic est filius fabri. *Matth.* 13. *Marc.*6. Item judicium. 3. *Reg.* 3. Afferte mihi gladium. *Daniel.* 13. Manet Angelus Domini gladium habens. Bene est armatus, qui habet duodecim gladios, tamen Dominus dicit satis esse duos. Sequitur.

Quarta pars.

a Et egressus, &c.] Quarta pars cap. ubi discipulis dormientibus, Dominus orare describitur, & discipulos ad vigilandum, & orandum excitare. Ne autem mortem timuisse videretur, & invitus venisse ad crucem, ideo locum consuetum adiit, ubi posset facilius inveniri, idest, montem Oliveti, unde post resurrectionem ascendit in cœlum. *Actor. prima*. In quo ostendit Dominus, quibus operibus ascendatur in cœlum, scilicet, per vigiliam, per patientiam, per orationem, per misericordiam. In illo enim monte vigilavit, & oravit Dominus, & captus fuit, atque ligatus, nec repugnavit, imo sustinuit patienter. Mons autem ipse quartam significat virtutem, idest, misericordiam. Unde *Hieronymus*. In monte Oliveti tenetur Jesus, & inde ascendit in cœlum, ut sciamus, quia inde ascendimus ad cœlos, unde vigilamus, & oramus, & ligamur, & non recalcitramus in terra. Recte autem post Communionem ascendit in montem Oliveti, ut sic ostenderet, quod virtute dominici Sacramenti ascenditur ad cumulum gratiæ, & inde ad cumulum gloriæ, quæ per oleum designatur. Nam in oleo sunt septem proprietates, per quas designantur septem partes gloriæ, idest, tres dotes animæ, & quatuor corporis. Oleum enim lucidum est in se, in hoc significatur lumen cognitionis, Item calidum est, & pabulum ignis, in hoc significatur ardor dilectionis.

Item unctuosum est, & glutinosum, in hoc significatur tertia dos animæ, idest, apprehensio: item oleum supernatat, in hoc significatur agilitas: item illuminat, in hoc claritas: item morbos sanat, in hoc impassibilitas: item penetrat, in hoc subtilitas. Unde *Isaiæ c.*61. Dabo eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu. Dicit ergo.

a Et egressus] de Jerusalem, & de domo, ubi Pascha fecerat.

b Ibat secundum consuetudinem in montem olivarum.] Consueverat enim singulis noctibus venire in montem Oliveti causa hospitandi, quia singulis diebus circa vesperam per montem Oliveti transibat in Bethaniam ad hospitiolum suum, Sed modo venit causa orandi transiens torrentem Cedron, & veniens in hortum ad radicem montis Oliveti, juxta villulam, quæ dicitur Getsemani. *Matth. c* 26. *Marc.* 14.

Moraliter.

Moraliter.] Mons olivarum est cumulus misericordiæ, ad quem Dominus discipulos suos ducit, imo illi sponte sequuntur illum. Unde *supr.6.* Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Item oliva signum est pacis. Unde columba rediens ad arcam in signum pacis ramum olivæ reportavit. *Genes.*8. Unde mons olivarum est cumulus pacis quam vult Dominus discipulos suos habere. Unde *Joan.*14. Pacem relinquo vobis. Item *Isa.*57. Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longe est, &c. *c* Secuti sunt autem illum & discipuli.] Alii nolunt sequi nisi discipuli. *Joan.* 10. Bonus pastor cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur. *Joan. cap.* 8. Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

Matth. 26. Marc. 14.

d Et cum pervenisset ad locum.] Secundum *Matth.* & *Marcum*. Juxta villam, vel prædium, quæ dicitur Getsemani,

Matth. 6. Sup. 11.

e Dixit illis, orate, ne intretis in tentationem.] Idipsum oratur in oratione Dominica, Ne nos inducas in tentationem. Et est tractum a venatoribus, qui inducunt feras in retia, ut ita capiantur. *Beda*. Non ait, ut non tentemini, sed ne intretis in tentationem, idest, ut tentatio vos non superet, nec teneat intra suos casses, quod facit oratio. Sicut enim fur clamore audito fugit, & vicini excitantur, & veniunt ad succursum, ita clamor orationis diabolum fugat, & Angelos, & Sanctos omnes ad succurrendum excitat. Unde qui in tentatione non orat, socius est furis, & proditor Domini sui, quia videt furem, & insidias, quæ parantur ad capiendum castrum ejus, & non denunciat ei, vel amicis ejus, ut veniant, & defendant castrum domini sui. 2. *Regum cap. undecimo*. Dixerunt seniores de Jabes Galaad, Concedite nobis septem dies, ut mittamus nuncios ad universos terminos Israel, & si non fuerit, qui defendat nos, egrediemur ad vos. Et sequitur, quod miserunt nuncios suos ad Saul, & liberati sunt.

f Et ipse avulsus est ab eis,] quasi non sponte reliquerunt eum. Simile *Marc. cap.6.* Coegit præcedere transfretum. *Chrysostomus*. Consuetudo erat ei, sine eis orare. In quo docemur, tempore orationis quærere secretum, & fugere tumultum. Unde *Matth. capitulo sexto*. Cum oraveris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito. Item orat secretus a discipulis, ut ostendat rationem suam distare a nostra, sicut & mortem. Ipse enim est, qui orat, & qui oratur, & ita idem est, qui orat, & ad quem oratio dirigitur. Non ita est de nobis. Ipse etiam mortuus est pro culpis alienis, nos autem pro propriis.

Mystice.

g Quantum jactus est lapidis,] idest, tanto spatio, quo possit lapis jaci usque ad ipsum. In quo significatus mystice, quod ipse, qui est lapis, erat separandus ab eis spiritualiter, sed in proximo reversurus ad eos, quod significat absconsio patenæ in missa, quæ primo parum absconditur, & postea revelatur. Item lapis significat legem, quia lex scripta fuit in lapide. *Exod.* 31. Jactus ergo lapidis est directio legis in Christum. In hoc ergo, quod jactu lapidis se elongat, docet, discipulos ad ipsum legis intentionem debere dirigere tanquam ad finem. *Rom.* 10. Finis legis Christus est ad justitiam omni credenti.

h Et positis gentibus,] *Beda*. Ut humilitatem mentis habitu corporis ostenderet. Et bene in oratione ostendit signum humilitatis, quia humilitas deducit orationem usque ante Deum. *Eccl.* 35. Oratio humiliantis se nubes penetrat, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat.

i Orabat dicens, pater, si vis, transfer calicem istum a me,] In hoc verbo exprimitur infirmitas humanæ naturæ in Christo, & datur nobis forma orandi, & exemplum, ut quantum possumus, cum Deo vitemus mortem, si non possumus, subjiciamus, voluntatem nostram divinæ voluntati. Exponitur autem multis modis. Primo sic: *k* Pater, si vis, transfer calicem istum a me,] idest, Passionem. Et est ista petitio infirmæ naturæ, expressio vero rationis, ad nostram eruditionem. Et nota, quia calix dicitur scyphus quo mensurate distribuitur vinum discumbentibus, Unde ele-

gantet

a tamen non mea voluntas, sed tua fiat. *b* Apparuit autem illi Angelus de cœlo *c* confortans eum. Et *d* factus in agonia *e* prolixius orabat. Et *f* factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis *g* decurrentis in terram. Et cum *h* surrexisset ab oratione, *i* & venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia,

ganter nomine calicis intelligitur passio, quam Deus sanctis mensurate distribuit, cuique pro modulo suo, neminem patiens affligi ultra quam sustinere possit. Secundo exponitur sic: [Transfer calicem istum,] idest, mortem. [A me] non ut non veniat, sed ut cito transeat. Tertio sic: [Transfer calicem istum a me,] i. dolorem, & tristitiam mortis muta in gaudium immortalitatis. Quarto sic: [Transfer calicem istum,] i. mortem istam. [A me,] i. a meis, sc. Judæis, idest, fac, ut ab eis non bibam calicem istum. Unde *Beda*, Orat non tam timore patiendi, quam misericordia prioris populi, ne ab illo bibat calicem propinatum. Quasi si est in beneplacito tuæ voluntatis, ut opereris salutem gentium sine excæcatione Judæorum [transfer a me calicem istum,] idest, a populo isto propinandum, ne peccato mortis meæ excæcetur. Unde quinto sic exponitur: [Transfer calicem istum,] idest, peccatum illatæ passionis, [A me,] idest, a meis Judæis, scilicet, ut non remaneat in eis finaliter, sed per pœnitentiam deleatur. Sexto sic: [Transfer calicem istum,] i. passionem, seu timorem passionis. [A me,] idest, a meis discipulis, ut, scilicet, non timeant mortem, sed audacter sustineant. Septimo sic: [Transfer calicem istum,] id est, scandalum Passionis meæ. [A me,] idest, a meis discipulis, idest, fac, ut non remaneat, sed cito transeat. Octavo modo sic: [Transfer calicem istum,] id est, timorem Passionis temporalis: [A me,] idest, ab omnibus, qui futuri sunt mei, ut, scilicet, transeat timor mortis, ita quod non cedant timore mortis. Juxta tres primas expositiones loquitur Christus homo pro se, ostendens in se veritatem humanæ infirmitatis. Unde *Chrysost.* Dicendo, transfer, monstrat, quod humanum est, dicendo, si vis, edocuit, quod virtuosum est, & philosophum erudivit etiam reluctante natura sequi Deum, *Ecclesi.* 23. Gloria magna sequi Dominum. Juxta quinque ultimas expositiones loquitur Christus pro membris. Unde *B. Bern.* Agnosco vocem ægrotorum in medico, considero charitatem, stupeo miserationem, expavesco dignationem, Sequitur,

a Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat,] *Hier.* In se reversus, quod ea hominis persona trepidanter renuerat, ex filii Dei potestate confirmat, Item *Hier.* Usque in finem non cessat nos docere, patribus obedire, & voluntatem eorum voluntati nostræ præponere. *Actu.* 9. Domine, quid me vis facere?

b Apparuit autem, &c.] Christus ex humana infirmitate horrens mortem, pro horrore mortis oravit a se transferri calicem Passionis. Sed naturalis ille horror non potuit rationem ab ordine suo exorbitare, idest, non fecit, quin ratio semper paternæ voluntati consonaret. Sicut aliquis in die jejuniorum ex natura humanæ fragilitatis summo mane esurit, & appetit, & vult comedere, idipsum tamen non vult de ratione, nec aliquo pacto id faceret. Sed quia tristi, & horrenti mortem jucunda est consolatio, ideo statim subditur consolatio Angeli confortantis eum. Et hoc est, [Apparuit autem illi Angelus.] *Chrys.* Propter futuros hæreticos Angelus apparuit.

c Confortans eum,] idest, ad modum confortantis se habens, assistendo ei, scilicet, vel forte aliqua verba consolatoria dicendo. Et nota, quia quamvis Christus verus homo esset, nulla tamen egebat consolatione angelica, vel humana, sed totum factum est propter nos. Propter nos enim tristis fuit, & propter nostram instructionem consolatus, ut per hoc sciamus, quod tribulatis pro Christo non deest divina consolatio, *Isa.* 43. Cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus, &c. *Psalm.* 90. Cum ipso sum in tribulatione. *Psalm.* Angelis suis mandavit de te, &c.

d Et factus in agonia.] Nota, quod agonia, sive agon Sanctorum dicitur quoddam certamen carnis, & spiritus, quo reluctatur caro spiritui, & spiritus carni. Sine hoc agone nunquam sunt viri sancti in hac vita. Unde Apostolus ad *Roman.* 7. Infelix ego homo quis, &c. Hujusmodi autem agonia quosdam facit retroire, vel exorbitare, in quibusdam ana prævalet, ut eos exorbitare faciat, sed aliquantulum retardat. Sancti enim dum in hac vita sunt, in via sunt, & ad patriam tendunt, sed caro reluctans spiritui quosdam facit peccare mortaliter, & hos de via facit exorbitare ad invium, alios facit peccare venialiter, & istos non facit deviare, sed morari. In Christo autem neutrum istorum fecit, ergo nec Christus in hujusmodi agonia fuit, ideo supple, quasi, ut dicas [Factus] quasi, [in agonia.] Vel legas sine, quasi, sic: [Et factus in agonia] certaminis inter sensualitatem, & rationem. Sensualitas enim timebat mortem, & volebat non mori, ratio autem volebat mori pro salute generis humani. Quid igitur potest in nobis sensualitas, quæ in Christo contradicit humanæ saluti? *Gregorius.* In agonia factus est, significans quod tunc anima merito terretur, quando in proximo invenit, quod in æternum mutare non possit,

e Prolixius orabat.] In hoc expresse ostendit in se certamen mentis nostræ, quia ita prolixe orabat, quasi esset in angustiis agoniæ.

f Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis] de corpore ejus defluentes in terram. *Chrys.* Ut non videretur hypocrisis prolixius orare, sudores insuper fluunt sicut nimbus sanguinis,

g Decurrentis in terram.] In terram decurrere voluit sanguinem suum, ut sic ostenderet quod pro terra, id est, pro Ecclesia & orabat, & patiebatur, ut ipsam suo sanguine irrigatam fecundaret. *Job* 16. Terra ne operias sanguinem meum, & non inveniat in te locum latendi clamor meus. Et nota, quod sanguis Christi quinquies legitur effusus.

Primo in circumcisione, *supr.* 2. Secundo, in oratione, idest, dum oraret, sicut habes hic. Tertio, in flagellatione, quando scilicet, alligatus est columnæ, & tantum flagellatus, ut de corpore ejus pretiosissimus sanguis emanaret: *Matth.* 27. Quarto, in crucifixione ante mortem, quando manus ejus clavatæ sunt, & pedes ejus clavati *Matth.* 27.

Quinto, in lanceatione post mortem, quando de latere ejus fluxerunt sanguis, & aqua. *Joan. c.* 19. Prima effusio facta est in exemplum nostrum, scilicet, ut noxia desideria carnis amputemus. Secunda in signum, idest, in significationem: Eo enim ipso, quod dum oraret, emanaverunt guttæ sanguinis de corpore ejus defluentes in terram, significavit, quod terrenitatem discipulorum, imo totius generis humani effusione sanguinis sui ablueret. Tertia, & quarta in remedium, scilicet, peccatorum nostrorum. Quinta in sacramentum, quia per eam commendavit nobis duo sacramenta. Sequitur.

h Et cum surrexisset ab oratione,] *Matth.* 26. Oravit tertio. *Gloss.* idest, tribus vicibus,

i Et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia.] *Hieronym.* Non solum corpore, sed & mente dormiebant discipuli. *Chrysost.* Qui cum eo mori elegerant, nec simul tristari, nec vigilare poterant. Languescebant enim oculi eorum negatione jam vicina, ut dicit *Beda.* Ipse etiam somnus corporis, vel tristitia erat quædam præfiguratio, quod in proximo gravandi erant somno infidelitatis.

Mystice. Mystice.] vero dormitio Apostolorum significat negligentiam, & somnolentiam Prælatorum. *Isa.* 56. Speculatores ejus cæci omnes, universi canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia. *Amos* 6. Væ, qui opulenti estis in Sion, idest, in Ecclesia, & confiditis in montes Samariæ, id est, in Prælatione Ecclesiæ, optimates capita populorum, qui dormitis, &c. *Prov.* 6. Fili, si spoponderis pro amico tuo, &c. Lucas causa brevitatis multa pertransit. Dominus enim ter oravit, & ter ad discipulos venit, & semper dormientes invenit. Unde *Raban.* Tribus vicibus oravit Dominus, ut & nos a peccatis præteritis veniam, & a præsentibus malis tutelam, & a futuris malis cautelam oremus. Item, ut omnem orationem nostram ad tres personas, idest, ad Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum dirigamus. Item, ut contra tentationem triplicis peccati, idest, luxuriæ, avaritiæ, superbiæ, clypeum orationis opponamus. Item, ut virtute orationis triplicem timorem, idest, mortis, vilitatis, paupertatis abjiciamus.

Item, ut tres vires animæ attentas esse in oratione doceret, ut, scilicet rationabilis solita sit in meditando, concupiscibilis fervens sit in desiderando, irascibilis fortis sit

A peccata abominan-

Et *a* ait illis, Quid dormitis? *b* Surgite, & *c* orate, ne intretis in tentationem. *d* Adhuc eo loquente, *e* ecce turba, & *f* qui vocabatur Judas, unus de duodecim antecedebat eos, & *g* appropinquavit Jesu, ut *h* oscularetur eum. *i* Jesus autem dixit illi: Juda, osculo filium hominis tradis? *k* Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod *l* futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? Et *m* percussit unus ex illis *n* servum principis sacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram, *o* Respondens autem Jesus ait: Sinite usque huc. Et *p* cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.

a peccata abominando. Item ter oravit Dominus, ut demonstraret tria esse petenda in oratione, scilicet, peccatorum remissionem, virtutum conservationem, gloriæ adeptionem. Seu veniam, gratiam, & gloriam. Item, ter oravit, ut tria genera hominum orare doceret, scilicet, Noe, Daniel, & Job, idest, Prælatos, continentes, & conjugatos. Omnibus enim necessaria est oratio. Unde & hi tres describuntur orantes. *Ez.* 14. Quod autem Dominus ter visitavit discipulos præ tristitia dormientes, significat, quod Dominus visitando tribulatos, tria bona in ipsa tribulatione operatur in eis. Primum bonum est illuminatio mentis ad cognoscendum se, *Eccl.* 34. Qui non est tentatus, quid scit? *Isa.* 28. Sola vexatio dabit intellectum auditui. *Psalm.* 138. Et nox illuminatio mea. Secundum bonum est corporis excussio. *Actor.* 12. In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus. Et ecce Angelus, &c. Tertium bonum est consolatio contra mœstitiam. *Tob.* 3. Post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem, & fletum exultationem infundis, &c. Sequitur.

Matth. 26. *Marc.* 14. *Joan.* 18.

a Et ait illis. Quid dormitis?] *Chrysostom.* Non increpat rursus, ut non stupefaciat stupefactos. *Prov.* 24. Usquequo piger dormies? usquequo de somno consurges?

b Surgite,] quia stando, non jacendo pugnandum est, & tentatio pugna est. *Ephes.* 6. State succincti lumbos vestros in veritate.

c Et orate, ne intretis in tentationem.] *Beda*, idest, ne in vos calix meæ passionis incumbat. Pondus est in verbo, q. d. videte, ne vos turbatio meæ passionis obruat. Item *Beda*. Apparet, quia pro illis oraverat, quos modo monet orationum suarum vigilando, & orando participes existere. Hæc *Gloss.* videtur consonare expositioni Hilarii, quia solus Hilarius præmissa verba in hunc modum exposuit. Transeat a me calix iste, idest, per breve tempus, & quasi in transitu sentiam mortem, ut post resurrectionem meam statim roboretur fides Apostolorum. Sequitur.

Quinta pars.

d Adhuc eo loquente, &c.] Quinta pars capituli, in qua describitur modus, & locus, & tempus, & ordo Dominicæ captionis, idest, quomodo, a quibus, ubi, & quando captus fuit. Captus enim fuit, ut dicitur *Jo.* 18. in horto trans torrentem Cedron. Traditus, & venditus a discipulo suo post osculum, vespere jam facto. Unde dicit. [Adhuc eo loquente,] idest, discipulos suos exhortante ad vigilandum, & orandum.

e Ecce turba,] cum turbine veniens, missa a principibus sacerdotum, ne posset Dominus fugere, aut rebellare.

f Et qui vocabatur Judas, unus de duodecim antecedebat eos,] quasi dux exercitus. Ecce venit Judas cum turba, quia solus familiariter consueverat venire ad Dominum, quia mutata mente, mutatus erat status ipsius Judæ. In reprehensionem Judæ dicitur, quod antecedebat turbam. Et si hoc in Juda proditore reprehenditur, quanto magis in Episcopis, qui locum illius tenent, secundum illud *Psalm.* 108. Et Episcopatum illius accipiat alter. Unde *Amos* 6. Væ, qui opulenti estis, &c. ingredientes pompatice domum Israel: *Sap. c.* 6. Audite reges, & intelligite. &c.

g Et appropinquavit Jesu,] corpore, sed mente se elongabat. *Psalm.* 37. Et qui juxta me erant, de longe steterunt, &c.

h Ut oscularetur eum.] Consuetudo erat, ut Judas, & alii discipuli undecumque venirent, accederent ad Dominum in osculo pacis, ut ita ostenderetur pacificus eorum accessus. Similiter & alii Judæi consueverant. Unde 2. *Corinth. ultim.* Salutate invicem in osculo sancto pacis. Quamvis ergo erat consuetudo, tamen dederat eis hoc signum, ut illum caperent, & tenerent, quem ipse oscularetur. Osculum autem signum dedit confisus de mansuetudine ejus, ut dicit *Chrysostomus. Hieronymus.* Miser Judas putabat signa, quæ fecerat Salvator, fieri magicis artibus, & quia forte audierat Dominum in monte transfiguratum, timebat, ne simili transfiguratione elaberetur de manibus ministrorum, dat ergo signum osculi. *Hieronymus.* Aliquid tamen habet de verecundia discipuli, quia non palam persecutoribus eum tradidit, sed per osculi signum. Sed quare suscepit Dominus osculum Judæ, & permisit os pollutum contingere labia sua? *Hieronym. Ambrosius, Bed.* Non ut doceat te simulare proditionem, sed ne proditionem fugere videretur, & ut prophetiam impleret, quæ dicit. Cum his, qui oderunt me, eram pacificus.

Psalm. 119. *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Joan.* 18.

i Jesus autem dixit illi, Juda osculo filium hominis tradis?] *Ambrosius.* Per interrogationem pronunciandum puto, quasi amantis affectu corripiat. *Hieronymus ad Rusticum monachum.* Judas de Apostolatus fastigio in proditionis barathrum labitur, & nec familiaritate convivii, nec intinctione buccellæ, nec obsequii gratia frangitur, ne quasi hominem tradat, quem filium Dei noverat. *Gloss. Ambros. Beda.* Instrumento pacis mortem irrogas, supple mihi, servus Dominum, discipulus magistrum prodis? quasi nunquid per osculum, quod est instrumentum pacis, perimis ipsam pacem, dum osculo machinaris proditionem? O quam fraudulentum osculum, quo traditur Jesus. Tale est osculum mundi. Illum enim solum prodit, quem osculatur. 3. *Regum capitulo vigesimo.* Dixit Joab ad Amasam. Salve, mi frater, & tenuit mentum ejus manu dextera quasi osculans eum, & percussit eum in latere, & effudit intestina ejus in terram, & mortuus est. *Proverbiorum capitulo vigesimoseptimo*, Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. *Ecclesiast. capitulo vigesimonono.* Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam, & in tempore seditionis postulabit tempus.

k Videntes autem hi, qui circa ipsum erant,] idest, discipuli.

l Quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio?] Quasi, nunquid licet nobis in gladio decertare; Modo sume litteram inferius.

o Respondens autem Jesus ait: Sinite usque huc,] quasi permittite eos ultra progredi, idest, implere voluntatem, nolite impedire. Modo revertere.

m Et percussit unus ex illis,] idest, primus inter eos, idest, Petrus, qui plus ceteris ardebat. Unde non expectavit responsum Domini. Sic Phinees zelo legis accensus, Judæum cum Madianitide coeuntem, pugione perfodit absque Moysi imperio. *Num.* 25. Unde & summum sacerdotium promeruit. Sic & Petrus percussit.

n Servum principis sacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram.] Istud fecit Petrus inter responsionem Domini, & discipulorum interrogationem. Vel etiam simul facta sunt, interrogatio, responsio, & percussio, sed simul dici non potuerunt. Unde quod sic faciendus sit ordo litteræ, innuit *Beda in Gloss.* Sed dicit *Interl.* Petrus velatus est sicut Phinees. *Num. c.* 25. Sed Phinees reputatum est ad justitiam, ergo & Petro, ergo non peccavit. Contrarium innuit *Beda in Gloss. marginali.* Solutio, In Phinees commendatur zelus, & opus, in Petro commendatur zelus, sed opus, sive indiscretio vituperatur, unde peccavit.

p Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.] *Ambrosius.* Jubere potuit, sed operari maluit, ut, cognosceremus ipsum esse, qui de limo terræ corporis nostri membra variis apta formavit officiis. Mystice. Servus principis est populus Judaicus, qui in Passione Domini dexteram aurem amisit, idest, spiritualem legis intelligentiam perdidit. Juxta quod Dominus dixerat. Auferetur a vobis regnum Dei. *Matth.* 21. Sinistra auris remansit servo, idest, utilitas litteræ remansit populo Judaico. Quod autem Dominus postea aurem restituit servo, significat, quod circa finem mundi restituetur spiritualis intelligentia populo Judaico. Unde *Isa.* 10. Si fuerit populus Israel quasi arena maris reliquiæ convertentur ex eo, *Malach. ultim.* Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, &c. Moraliter autem servus principis

Mystice. *Moraliter.*

a significat hypocritam,

a ſignificat hypocritam, qui cum ſit ſervus Malchus, ideſt, rex vult appellari. Sed odioſus eſt Petro, unde amputat ei aurem dexteram, non ſiniſtram, ideſt, auditum divinorum, non terrenorum, Dominus autem reſtituit dexteram volentibus credere. Sequitur a Dixit autem Jeſus ad eos, qui venerant ad ſe principes ſacerdotum, & magiſtratus templi, & ſeniores.] Nota, quia principes ſacerdotum, & magiſtratus non venerunt ad Jeſum, ſed miſerunt miniſtros, & ſedebant in atrio Caiphæ, quia vero eorum conſilio totum gerebatur, volens Evangeliſta exprimere eorum nequitiam, dixit eos veniſſe ad comprehendendum Jeſum. Tales autem jam veniunt ad capiendum Jeſum, principes ſacerdotum, ideſt, Epiſcopi, & magiſtratus, ideſt, magiſtri, & ſeniores, ideſt, conſiliarii, hi, qui deberent Jeſum ſervare, & defendere verbo, & exemplo, capiunt, & occidunt. *Dan. decimotertio.* Iniquitas egreſſa eſt de Babylone a ſenioribus judicibus, qui videbantur regere populum. *Jerem. capitulo vigeſimotertio.* A Prophetis Jeruſalem egreſſa eſt pollutio ſuper omnem terram. 1. *Eſdræ cap. nono.* Manus principum, & magiſtratuum fuit in tranſgreſſione hac prima.

Matth. 26. Marc. 14. Joan. 18.

a Dixit autem Jeſus ad eos, qui venerant ad ſe, principes ſacerdotum, & magiſtratus templi, & ſeniores. b Quaſi ad latronem exiſtis c cum gladiis, & fuſtibus. Cum quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me, d ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. e Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis ſacerdotum. f Petrus vero g ſequebatur eum h a longe. i Accen-

b Quaſi ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus; cum quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me,] Stultitiam ſimul, & malitiam ſacerdotum deprehendit hic Dominus, quia præſentem ſemper habuerunt eum, & modo quaſi fugitivum quærunt. Item de nocte quærunt, quem quotidie audiebant docentem. Sed factum eorum convenit tempori, & perſonis. Ipſi enim tenebroſi in tempore tenebroſo factum faciunt tenebroſum, *Joann. capitulo tertio*, Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim eorum mala opera. Omnis enim, &c. *Joann.* 12. Qui ambulat in tenebris, neſcit, quo vadat. *Joan.* 11. Si quis ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo.

c Cum gladiis, & fuſtibus.] Hæc non ſunt arma ſacerdotum, & magiſtrorum, ſed quæ dicit Apoſtolus, *Epheſ. cap. ſexto.* Accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, ſtate ſuccincti lumbos veſtros in veritate, induti loricam juſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis extinguere omnia tela ignea nequiſſimi, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei per omnem orationem, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu. Item nota, quia Dominus ſecurus fuit in templo, ſed in horto fuit captus, modo & in horto, & in templo crucifigitur, ideſt, inter clericos, & laicos. *Jerem. capitulo decimoquinto.* Omnes maledicunt mihi, dicit Dominus.

d Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.] Sic conſtrue. Sed hæc eſt hora veſtra, ſcilicet, hora tenebrarum, ideſt, congrua vobis, & facto veſtro, & hæc eſt poteſtas veſtra, ſcilicet, poteſtas tenebrarum, ideſt, dæmonum, quorum poteſtas maxima eſt. Sed tota expenditur in malum, ita principum ſacerdotum, & magiſtratuum templi. *Apocal. nono.* Poteſtas equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum, &c.

Sexta pars.

e Comprehendentes autem, &c.] Sexta pars cap. ubi trina negatio Petri deſcribitur, & ejus pœnitentia ſequens. Et primo oſtendit Lucas, quo Judæi duxerunt Jeſum comprehenſum, tamen non exprimit, quo primum duxerunt eum. Unde ſciendum, quod primo duxerunt eum ad domum Annæ, & ibi negavit Petrus ſemel. Deinde duxerunt eum ad domum Caiphæ, qui habebat filiam Annæ in uxorem. Ad domos iſtorum duxerunt Jeſum, quia iſti duo erant principes ſacerdotum ſibi per annos ſingulos ſuccedentes. Emerunt enim a Romano Præſide ſibi pontificatum. Unde nota, quod David inſtituit vigintiquatuor ſummos ſacerdotes, unus tamen erat ceteris excellentior dignitate, & redditibus. Poſtea cum Judæa facta eſt Romanis tributaria, per avaritiam emebatur ſacerdotium a Romanis. Et Annas adminiſtraverat anno præcedenti, Caiphas adminiſtrabat anno inſtanti. Ideo vero primo ad Annam

1. Par. 24.

duxerunt, quia ſocer erat Caiphæ, & quia domus ejus occurrit eis, & ne viderentur ei inferre contumeliam tranſeundo domum ejus. Tamen illo anno tenebat adminiſtrationem pontificatus Caiphas, ſicut dicitur *Joan. cap. undecimo.* Et ideo poſt aliquantas illuſiones, Annas miſit eum ad domum Caiphæ, ut ibi haberetur conſilium de Jeſu occidendo, ubi multipliciter eſt illuſus Dominus, & ubi Petrus bis negavit. Et hoc eſt. [Comprehendentes autem eum duxerunt ad domum principis ſacerdotum:]

Matth. 26. Marc. 14. Joan. 18.

Gloſſ. Caiphæ, qui pontificatum illius anni, vel in illis annis pretio ſibi emerat a Romano principe, prius tamen ad Annam, ut dicitur *Jo.* 19. qui erat ejus ſocer, & domus ejus, primo occurrit eis.

f Petrus vero.] *Beda.* In hoc diviſus a ceteris.

g Sequebatur eum.] *Beda.* Hoc eſt devotionis.

h A longe.] *Beda.* Hoc eſt timoris naturæ. Per idipſum quod a longe ſequebatur, ſignificatur, quod qui longe erat corpore, in proximo longe futurus erat & mente. Vel ſignificat Eccleſiam a longe ſecuturam, ideſt, longe aliter paſſuram, quia pro culpis propriis, ipſe pro alienis. *Chryſoſtom.* Si diſcipulus es, ſequere magiſtrum, ſi vero hic quidem per tribulationem venit, tu vero per quietem, non adhuc eamdem vadis viam.

i Accenſo autem igni in medio atrio.] Nota, quia atrium dicitur platea exterior ſub divo, ideſt, ubi erant miniſtri, & Petrus cum eis. Seniores erant intus accuſantes Dominum. *Beda ſuper Marc.* 14. Eſt ignis charitatis, de quo *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut ardeat? Hic deſcendit ſuper Apoſtolos Chriſti. *Actor.* 2. eorum ignorantiam illuminans, peccata incinerans, tepiditatem inflammans, fragilitatem conſolidans. Hæc enim quatuor facit hic ignis: Illuminat, purgat, inflammat, conſolidat. Eſt & ignis cupiditatis, de quo *Job.* 15. Ignis devorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt. Hic ignis deſcendet ſuper diſcipulos antichriſti, illo excæcans. *Pſalm.* 75. Supercecidit ignis, & non viderunt Solem. Hic ardet in domo Pontificis, ut dicitur *in Gloſſ.* inflammans eorum corda, qui erant in domo, *Mich.* 6. Adhuc ignis in domo impii, & theſauri impietatis, &c. Ad hunc ſedent miniſtri Pontificis, & Petrus in medio eorum, ubi negat Dominum. Hoc malum facit hic ignis, & multa alia mala facit Petro, & ſociis ejus ignis iſte. Primo quidem ſollicitudinem parit. *Eccleſiaſt.* 5. Saturitas divitis non ſinit eum dormire. Cunctis diebus, &c. Secundo, turbationem mentis operatur. *Proverbior. capitulo decimoquinto*, Conturbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam. Tertio, perditionem animæ inducit. *Proverbior.* 1. Averſio parvulorum, &c. Quarto, gravedinem mentis facit *Geneſ.* 13. ubi nos habemus. Abraham aſcendit de Ægypto dives valde, alia littera habet, gravatus vehementer. Quinto, inquinationem mentis facit. *Eccleſiaſt. decimotertio.* Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. *Habacuc cap.* 2. Væ, qui congregat non ſua, uſquequo, &c. Sexto facit inflammationem, *Job* 20. Cum ſaturatus fuerit arctabitur, & æſtuabit, &c. *Auguſt.* Dives extra plenus eſt, intus vacuus, carne crepat, corde mendicat. Septimo facit præcipitium. *Job cap.* 17. Arctabuntur greſſus virtutis ejus, & præcipitabit eum conſilium ſuum, immiſit enim in rete pedes ſuos, &c. Octavo, mentem lacerat ſicut ſpinæ. Unde Dominus divitias appellat ſpinas. *Matth. cap.* 13. & *ſupra* 8. Ubi *Gregorius.* Profecto ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum aculeis mentem pungunt. *Job* 30. Eſſe ſub ſentibus delicias computabant. *Proverbior.* 24. Per agrum hominis pigri tranſivi, &c. Nono, mentem excæcat. Unde & Tobias *cap.* 2. excæcatus eſt ſtercore hirundinum, ideſt, amore temporalium. Et Sedechias in Reblatha, quod interpretatur multa. 4. *Reg.* 25. *Pſalm.* 5. Mane aſtabo tibi; & videbo. Ibi *Gloſſ.* Non videt Deum, qui terrenis inhæret. *Gen. c.* 20. Saræ autem dixit Abimelech. Ecce dedi fratri tuo mille argenteos, &c. Decimo, ſpoliat virtutibus *Job* 26. Nudus eſt infernus coram eo, id eſt, avarus. *Apoc.* 3. Dicis, quia dives, &c. Undecimo, mentem evacuat omni bono, *ſup.* 1. Eſurientes implevit bonis, & divites

bonis, & divites dimisit inanes, *Isa.* 29 Somniat esuriens, &c. Duodecimo ligat hominem, & non sinit recte ambulare. 1. *Tim.* 6. Qui volunt divites fieri, &c. *Job* 6. Involutæ sunt semitæ gressuum eorum, &c. Tertiodecimo dolorem, & afflictionem generat. *Eccl.* 5. Est & alia infirmitas pessima, &c.

so *a* autem igne in *b* medio † atrio, & *c* circumsedentibus illis, *d* erat Petrus in medio illorum. *e* Quem *f* cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & *g* eum fuisset intuita, dixit: Et hic *h* cum illo erat. At *i* ille negavit eum dicens: Mulier, non novi illum.

al. † atrii.

G

Matth. 26. Marc. 14. Joan. 18.

Quartodecimo inviscat pennas animæ, & non sinit volare in cœlum per contemplationem. *Aug.* Amor rerum temporalium viscus est pennarum spiritualiũ. *Gen.* 14. Vallis silvestris, idest, mundus, multos habet puteos bituminis. Quintodecimo multa obstacula ponit in via cœli. *Ps.* 136. Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, &c. *Job* 18. Abscondita est in terra pedica ejus, &c. *Sen.* Munera, quæ fortunæ imputantur, insidiæ sunt. Hæc mala facit avaritia, & multa alia. Sed hæc ad præsens sufficiant. Versus.

Versus.

Sollicitat, turbat, damnat, gravat, inquinat, inflat.
Præcipitat, pungit, excæcat, nudat, inanit.
Obligat, affligit, inviscat, scandala tendit.

Dicit ergo. *a* Accenso autem igne,] cupiditatis. A quo? Certe a diabolo. *Job* 41. Halitus ejus prunas ardere facit, &c.

b In medio atrio] Caiphæ Pontificis. *c* Et circumsedentibus illis,] idest, ministris Pontificis, ut dicit *Marc.* 14. *d* Erat Petrus in medio eorum.] Bene dicit in medio, quia Petrus donis omnium communicat, certe verum est, & peccati,

e Quem cum vidisset ancilla.] Quærit *Beda*, quare ancilla primo prodidit Petrum, cum viri magis possent eum cognoscere? Et respondet, ut ostendatur etiam sexus femineus peccasse in morte Domini, & per passionem ejus redemptum esse, contra quosdam hæreticos, qui dicunt passionem Domini non profuisse feminis, Propter quod etiam post resurrectionem primo apparuit mulieribus, ut ostenderet Evæ prævaricationem esse abolitam per suam passionem. Recte etiam principem Ecclesiæ compulit ad negationem femina, quæ primum hominem compulit ad transgressionem *Joann.* 18. dicit, quod hæc ancilla erat ostiaria domus Pontificis. Et quid est hæc ancilla nisi cupiditas? Sine cujus nullus intrat ostium principis sacerdotum, Unde *Isa.* 59. Æquitas non potuit ingredi. Quare? Quia nihil donat. Hæc ancilla non jam famulatur in domo principis sacerdotum, sed exclusa domina, scilicet, charitate, omnibus imperat & dominatur. *Eccl.* 10. Pecuniæ obediunt omnia. *Genes.* 16. dixit Sarai, princeps mea, idest, charitas, Abrahæ viro suo, idest, principi sacerdotum, quia est pater multarum gentium, inique agis contra me. Ego dedi ancillam meam in sinu tuo, idest, concessi providentiam acquirendi, & conservandi necessaria vitæ, quæ videns, quod concepit filium, thesaurum magnum, despectui me habet, judicet Dominus inter me, & te. *Galat.* 4. Quid dicit scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus. *Prov.* 30. Per tria movetur terra, & quartum, quod sustinere non potest. Per servum cum regnaverit, idest, avarum, per stultum cum saturatus fuerit cibo, idest, hypocritam, & per odiosam mulierem, idest, superbiam quæ est odiosa Deo, & hominibus, ut dicitur *Eccl.* 10. & per ancillam cum fuerit hæres dominæ suæ, hæc est cupiditas. Quia autem hæc ancilla habitat in domo Pontificis, dicit. *Jerem.* 6. A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student. Dicit ergo.

e Quem,] Petrum, scilicet, principem Apostolorum.

f Cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen.] Hæc ancilla odit sedentes ad lumen. *Joann.* 3. Qui male agit, odit lucem. *Prov.* 17. Munera de sinu, idest, occulte accipit impius, ut pervertat semitas judicii, idest, compendium causæ ad minus.

g Et cum fuisset intuita.] Habet enim oculos acutissimos ubique terrarum porrectos. *Zach.* 5. Hic est oculus eorum in universa terra, & ecce talentum plumbi portabatur, idest, bulla, & ecce mulier sedens in medio amphoræ. *h* Dixit, & hic cum illo erat,] idest, cum Jesu, antequam intrasset domum principis, sed ibi negavit eum. Unde *Gloss. Ambr.* Non in monte, in quo scilicet, cum aliis electus est, non in templo, in quo sæpe oraverat, non in domo sua negat Petrus, in qua, scilicet, Dominum sæpe receperat, sed in prætorio Judæorum, in domo principis sacerdotum, ubi non est veritas, idest, in cujus prætorii, vel domus habitatoribus non est veritas, quia non sunt veraces. Erat quidem ibi veritas personaliter, sed in eis non habitabat.

i At ille negavit eum dicens. Mulier non novi illum.] Hoc est contra curiales. Item *Matth.* 2. Magi in curia caruerunt Stella. *Beda.* Quia negat obreptionis est, quod pœnitet fidei. *Eccl.* 34. Qui timet Deum, nihil trepidabit, *Job* 17. Pone me juxta te, &c. *Chrys.* Si ei adhæserimus, stabimus generose. Et *infra* Et si omnibus ventis vehementibus spiraverint tentationes, festuca nobis erit, & fulinm. *Beda in Gloss.* Non solum negat Christum, &c. quasi dicat aliquis, Petrus non negat Christum: ille enim negat Christum, qui dicit, Christum non esse Deum. Imo negat, qui enim negat se esse Christianum, dicens: Non novi Christum, satis negat Christum esse Deum. Nemo diceret, non novi Deum. Nota, quod quidam temere excusant Petrum piscatorem, & idiotam, volentes constituere sophistam, ita exponentes, quod dicitur, [non novi illum,] quasi dicat, Christus filius Dei est ab æterno genitus a patre, quomodo autem ab æterno genitus sit a patre, non novi. Adhuc etiam modum exponunt, quod in sequenti dicitur. Nescio, quid dicis, idest, non approbo.

Et *k* post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus vero ait, O homo, non sum. Et *l* intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat dicens: Vere & hic cum illo erat, *m* nam & Galilæus est. Et *n* ait Petrus: Homo, nescio, quid dicis.

k Et post pusillum alius videns eum dixit, & tu de illis es. Petrus vero ait. O homo, non sum.] *Aug.* Quia noxia sunt pravorum colloquia, quæ cogunt Petrum negare Deum, vel hominem se non nosse, quem inter condiscipulos confessus fuerat esse filium Dei. 1. *Cor.* 15. Corrumpunt mores bonos colloquia prava. Nota, quia de negatione Petri videntur velle tres Evangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas, quod tota facta fuerit in atrio Caiphæ, solus Joannes videtur velle, quod prima pars negationis facta sit in atrio Annæ, gemina negatio facta sit in atrio Caiphæ, & ita videtur verum esse secundum ordinem, & seriem Evangelii. *Joan.* 18. Unde quod alii dicunt, intelligitur, dictum præoccupando. Sed & expositores videntur dissentire. Nam *August. de concordia Evangelistarum*, & *super Joann.* videtur velle, quod omnes tres negationes Petri fuerint factæ in domo Annæ. Sed *Beda super Lucam*, & *Hieronymus super Matth.* innuunt, quod factæ sunt in domo Caiphæ. Sed intellige, Augustinum dixisse præoccupando, alios recapitulando.

l Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat dicens. Vere & hic cum illo erat. Nam & Galilæus est.] Sed nunquid & Galilæi, sicut & Jerosolymitæ, Hebræi sunt? Utique. Sed unaquæque provincia habet propria idiomata linguæ. Per istos duos, qui Petrum negare compellunt in domo pontificis, significantur ministri, & socii Prælatorum, qui detrahendo de aliis, & adulando ipsis, ipsos sæpe negare Christum faciunt. *Prov.* 29. Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. Sed nunquid tales sunt in domo pontificis? *Malach.* 11. Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Ibi *Gloss.* Ecce qui ponunt pulvinaria sub omni cubitu, qui vitam peccantium palpant, non pungunt, habitant in domibus regum. Sed vita rigida, & prædicatio vera debet declinare palatia, quæ frequentant mollibus induti. *Greg.* Joannes Baptista non fuit mollibus indutus, quia vitam peccantium blandimentis non fovit, sed aspere increpavit, & ideo habitavit in desertis.

m Nam & Galilæus est.] Alii non sunt cum Jesu nisi Galilæi, idest, transmigrati de vitiis ad virtutes.

n Et ait Petrus, homo, nescio, quid dicis.] Non est ista vox qualis illa. Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. *Prov. cap.* 17. Qui invertit linguam suam incidet in malum. *Prov. cap* 8. Os bilingue detestor. *Judic. cap.* 9. Ubi est nunc os tuum, quo loquebaris. quis est Abimelech, ut serviam ei? *Chrys.* Non ita fuit pigritiæ Petri negatio, quantum derelictionis Dei castigantis eum. Sed quare permisit Dominus Petrum negare, qui tantum diligebat eum? *Chrys.* Ut confundatur Marcion, ut nemo de se præsumat, ut Christo in omnibus credat, ut alii sibi caveant, ut confundatur ejus audacia, ut discat aliis misereri. *Ecclesi.* 31. Intellige: quæ, &c.

Marc. 14.

Gal. 6. Si

Galat.6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, &c.

Gregorius. Peccatur
- Ignorantia, sic Paul. *1.Tim.1.* Ignorans feci in incredulitate.
- Infirmitate, ut Petrus hic. Unde *Bed.* Quia Dominum Petrus negat, obreptionis est, &c.
- Industria, ut Judas, *Job 34.* Quasi de industria recesserunt a me, eo, &c.

Beda & Ambros. Quidam pio erga Petrum affectu locum hunc ita interpretantur, quasi bene dixerit, se illum non nosse, quem nemo perfecte novit. Iterum quod inquisitus dixerit, homo, non sum, interpretati sunt, quod maluit se negare, quam Christum. Quia autem ait, homo, nescio, dicunt, se sacrilegia eorum nescire, & reprobando damnare. Sed has expositiones & Dominus ipse frivolas contestatur, qui ter negandum se a Petro prædixerat, & ipse Petrus, qui se non de industria hoc locutum subsequentibus lacrymis manifestat. *a* Et continuo adhuc illo loquente gallus cantavit.]

Matth. 26. Marc. 14.

a Et continuo, adhuc illo loquente, gallus cantavit. Et *b* conversus Dominus *c* respexit Petrum. Et *d* recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, quia priusquam gallus cantet, ter me negabis. *e* Et egressus foras Petrus, *f* flevit amare. Et viri, qui *g* tenebant illum, illudebant ei *h* cædentes. Et *i* velaverunt eum, & *k* percutiebant faciem

Moraliter. Moraliter. Gallus est prædicator qui cantat. *1.Cor.15.* Evigilate justi, & nolite peccare. Ad cujus etiam cantum convertitur Dominus ad peccatorem, & tunc peccator flet amare. Proprietates galli, quæ conveniunt prædicatori, notantur his versibus.

Versus de proprietatibus galli.

Pugnat, calcar habet gallus, cristamque rubentem,
Se ferit ad cantum, scalpit, noctis docet horas.
Ova facit vetulus, quibus exoritur Basiliscus.
Insidet Ecclesiæ, rostrum quoque tendit in auras.
Caudam sustollens habet ista notanda magister.
Gignit, & ad pastum vocat, & sublime cubile.

De primo *Josue 1.* Transite armati note fratres vestros omnes fortes, & pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus vestris. De secundo *Eccl. ult.* Verba sapientum quasi stimuli, &c. De tertio *Job 39.* Pulli ejus, idest, Aquilæ lambunt sanguinem, &c. De quarto, *1.Cor.9.* Castigo corpus meum, &c. De quinto, *Philip. 3.* Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, &c. De sexto, *1.Cor.15.* Evigilate justi, &c. Item *Rom. 13.* Hora est jam nos de somno surgere. De septimo, *Isa.59.* Ova aspidum ruperunt, & telas aranearum texuerunt, qui comederit de ovis eorum, orietur, &c. De octavo, *Ezech. 3.* Fili hominis, speculatorem dedi te, &c. De nono, *Jerem.14.* Onagri steterunt in rupibus, &c. De decimo, *Eccl.11.* Sapientia humiliati exaltabit caput illius. De undecimo, *Isa.66.* Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? *Job 38.* Quis dedit gladio intelligentiam? duodecimo, *Matth. 22.* Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit, &c. De tertiodecimo, *Job 39.* Nunquid ad præceptum tuum elevabitur Aquila, &c. Sequitur. *b* Et conversus Dominus,] a justitia ad misericordiam. *Zach. 1.* Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.

c Respexit Petrum.] *August. de concordia Evangelistarum.* Quomodo hoc sit accipiendum, diligentius considerandum est. Fuit enim Petrus in exteriori atrio inter eos, qui se calefaciebant. Non est autem credibile, quod ubi corporaliter audiebatur a Judæis, ibi fieret illa respectio. Nam cum dixisset Matthæus. Expuerunt in faciem ejus, adjunxit: Petrus autem sedebat in atrio, quod non diceret, nisi illa cum Domino intus agerentur. Et sicut ex narratione Marci colligitur, non solum in inferioribus, sed in superioribus, domus agebatur. Nam posteaquam Marcus narravit, secutus adjunxit. Cum esset Petrus in atrio deorsum. Sic ergo per Marcum constat, quod in superioribus, per Matthæum, quod in interioribus partibus domus hæc cum Domino agebatur, quomodo ergo respexit Dominus Petrum facie corporali? Quapropter mihi videtur illa respectio divinitus facta, ut ei veniret in mentem, & quoties negasset, & quod Dominus prædixisset, atque ita Domino misericorditer respiciente Petrum salubriter flevit. Sicut dictum est. Respice, & exaudi me, & convertere, Domine, & ita dictum arbitror: Conversus Dominus respexit Petrum. Denique cum Evangelistæ in narrationibus suis frequentius soleant ponere Jesum, modo Lucas Dominum posuit dicens. Conversus Dominus respexit Petrum, Matthæus, & Marcus, quia de ista respectione tacuerunt, non verbi divini, sed verbi Jesu Petrum recordatum dixerunt, ut ex hoc intelligamus istam respectionem a Jesu non humanis oculis, sed divinitus factam. Ad hoc idem facit *Leo Papa* dicens: Dominus Jesus, qui intra pontificale concilium corpore tenebatur solo, trepidationem discipuli foris positi, divino vidit intuitu, & paventis animum mox, ut respexit, erexit, & in fletum pœnitudinis incitavit. Sic igitur volunt sancti, quod respectu misericordiæ respexit Dominus Petrum. De quo *Sap.4.* Gratia, & misericordia in Sanctos ejus, & respectus in electos illius.

Beda. Respexit Dominus, ut recordaretur Petrus, quia misericordia ad pœnitentiam vocat *Psalm. 41.* Abyssus abyssum invocat. *d* Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, quia priusquam Gallus cantet ter me negabis,] *Chrys.* Nihil ita curat delictum, ut memoria ejus continua. Et *infr.* Omnino est misericordia dignus, qui peccavit, & confessus est. *Prov. 28.* Qui abscondit scelera sua, &c. Et *supr.* Si nos ejus non meminerimus, Deus non obliviscetur. Et *infr.* Si hoc non irasceris, non sapies magna, non recidivabis. Et *infr.* Sed sustinet animo memoriam ita amaram, cogamus eam. Melius est eam moderari nunc, quam coram orbe universo. *2.Reg.12.* Tu fecisti in occulto, &c.

Psalm. 50. Matth. 26. Marc. 14.

e Et egressus foras Petrus.] *Victorinus.* Ut haberet locum liberum flendi.

f Flevit amare.] *Ambros.* Lacrymas lego, satisfactionem non lego, &c. Argumentum, quod contritio tollit omnem pœnam. *Victorinus.* Egreditur Petrus foras, ut ab impiorum concilio seclusus pavidæ negationis sordes liberis fletibus abluat. Sic qui vult vitare peccata, & emendare, quæ fecit, debet egredi de mala societate, cum qua peccavit. *Psalm.25.* Non sedi cum concilio vanitatis, &c. *Ambros.* Et veniæ fletus consulunt, & verecundiæ, lacrymæ sine horrore culpam sequuntur, lacrymæ veniam non postulant, & merentur. Sequitur.

g Et viri, qui tenebant illum, illudebant ei.] *Abd. 1.* Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi, invaluerunt adversum te viri pacis tuæ. *Prov. 3.* Ipse deludet illusores, &c.

Ost. vel pars.

h Cædentes,] eum. *Job 16.* Exprobrantes percusserunt maxillam meam, saturati sunt pœnis meis.

i Et velaverunt eum.] Velant Christi faciem, qui non permittunt sibi ostendi veritatem, neque pœnarum, neque judicii. Velant enim faciem Domini hypocritæ. *Is. 29.* Væ qui profundo estis corde, &c.

k Et percutiebant faciem ejus,] quam Moyses desiderabat sibi ostendi. *Exod.33.* Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos. Dixitque Dominus. Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi. Et David. Ostende faciem tuam, & salvi erimus. Et Jacob *Gen.32.* Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea. *Esther.15.* Valde mirabilis, es, Domine, & facies tua plena est gratiarum. Et tamen miseri Judæi hanc alapis, & sputis contaminaverunt. Quod ipse patienter sustinuit propter nos. Unde *Is. 50.* Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. *Septuaginta* dicunt. Dorsum meum posui ad flagella, & genas meas ad alapas, faciem meam non averti a conversione sputorum. *Thren. 3.* Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. *Mich. 5.* In virga percutient maxillam judicis Israel. *Hieron.* Voluit Dominus conspui, ut nos lavaret, voluit velari, ut velamen culpæ, & ignorantiæ a cordibus nostris auferret. In capite voluit percuti, ut caput nostrum, idest, Adam, restitueret sanitati. Alapis voluit cædi, & verbis derideri, ut nos ei labiis, & manibus, idest, verbis & operibus applaudamus, sicut docet *Psal. 46.* Omnes gentes plaudite manibus, &c.

Mystice. Mystice. Colaphi, & sputa Judæorum significant blasphemias, & opprobria falsorum Christianorum, quibus incessanter Deum inhonorant. Unde *Bed.* Qui tunc cæsus est colaphis Judæorum, nunc cæditur blasphemis falsorum Christianorum, & qui consputus est salivis infidelium, nunc vesanis opprobriis fidelium exhonoratur. Unde *Job 30.* Abominantur me, & longe fuerunt a me, & faciem meam conspuere non verentur. *Prov. 17.* Non est bonum damnum inferre justo, nec percutere principem, qui recte judicat. *August.* Non minus peccant, qui blasphemant Christum

blasphemant Christum regnantem in coelis, quam Judæi, qui crucifixerunt ambulantem in terris. *a* Et interrogaverunt eum dicentes, prophetiza, quis est qui te percussit?] quasi hoc objiciebant ei, quod dicebat se Prophetam. *Chryſ.* Divinum illud caput percoſſerunt viti inquinati, & abominabiles. Et *inf.* Quæ nobis erit cura de reliquo in contumeliis postquam Christus hoc passus est? *Heb.* 12. Recogitate ergo eum, qui talem sustinuit a peccatoribus, i. vilibus, adversus semetipsum, i. Dei filium, contradictionem, ut non fatigemini, &c. *Phil.* 2. Hoc sentite in vobis. *Heb.* 13. Mementote vinctorum, &c. *Iſa.* 57. Justus perit, & non est, qui recogitet in corde. *b* Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum.] *Iſa.* 1. Dereliquerunt Dominum blasphemaverunt sanctum Israel: Judæi dominatorem spernunt, majestatem autem blasphemant.

Matt. 26. Marc. 14.

Matt. 26. Marc. 14.

c Et ut factus est dies.] Præmisit Lucas de prima illusione, quæ facta est in atrio Principis ab eis, qui percutiebant faciem ejus velatam illudentes ei. Fuit enim ter illusus, non autem secutus est ordinem. Debuit enim præmittere causam illusionis, quam hic subdit dicens: [Et ut factus est dies] quia tunc major fuit frequentia, quam fuisset in nocte. *Gl.* Vide, quam solliciti in malo, tota nocte vigilaverunt, ut facerent homicidium. *Job* 17. Noctem verterunt in diem. *Jer.* 9. Ut inique agerent, laboraverunt. Nota, quia tota nocte laboraverunt, in quærendo falsos testes, nec testibus poterant eum convincere, & arguebant eum quærentes utrum esset Christus. Et præterit breviter Lucas, quia in alio Evangelista legitur, quod ipse Princeps Sacerdotum interrogavit eum, Tu es Christus filius Dei benedicti?

Matt. 26.

d Convenerunt seniores plebis,] *Act.* 4. Convenerunt vere in unum adversus Dominum, &c.

e Et Principes Sacerdotum, & Scribæ duxerunt illum in concilium suum] *Pſ.* 21. Concilium malignantium obsedit me, &c. *Eccl.* 16. In Synagoga peccantium exardebit ignis. *Jer.* 11. Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, &c.

f Dicentes, si tu es Christus, dic nobis.] *Sap.* 2. Contumelia, & tormento interrogemus eum. *Beda*: Non veritatem desiderant, sed calumniam parant, &c. Nota, quia secundum alium Evangelistam, prolixius accusabant eum & de blasphemia, & de calumnia. De blasphemia, quod se diceret filium Dei, quod Judæi dicunt blasphemiam. De calumnia, quod se diceret Christum, scil. Messiam in lege promissum, & ita regem Judæorum, quod calumniati sunt. Sed quia sciebant, quod de blasphemia non moveretur Pilatus, eum non haberet fidem unius Dei, sed idola coleret, ideo sub silentio prætereunt utrum esset verus filius Dei, quærentes an sit Christus, ut si hoc possent ab eo extorquere, statim traherent eum ad Pilatum tanquam derogantem Romano imperio: Intelligebant enim Christum purum hominem, sicut dicit *Beda*.

g Et ait illis.] Si vobis dixero, non credetis mihi, si autem interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.] Dixerat aliquando, se esse Christum, & non credebant ei, imo quadam die cum hoc diceret, tulerunt lapides, ut jacerent in eum. Interrogaverat etiam eos de Christo, *sup.* 20. nec responderunt, cum quæreret ab eis, quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Resp. David. Et ipse statim objecit eis. Quomodo ergo David, &c. Nec etiam eum, qui innoxius erat, dimittere volebant. *h* Ex hoc autem,] i. ex hac passione, & pro hac passione, ut sit, [ex] temporale, & causale simul. *i* Erit filius hominis sedens a dextris virtutis Dei,] secundum quod homo, i. in potioribus patris. Deus enim pater Christo, secundum quod homo, dedit potiora bona, quam alicui creaturæ. Vel secundum quod Deus est æqualis patri. *Hebr.* 12. Qui proposito, sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, &c. *Beda*: Ego, scil. quem ut hominem con-

ejus. Et *a* interrogaverunt eum, dicentes. Prophetiza, quis est, qui te percussit? Et *b* alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et ut *c* factus est dies *d* convenerunt seniores plebis, *e* & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, *f* dicentes: Si tu es Christus dic nobis. Et *g* ait illis: Si vos dixero, non credetis mihi, si autem & interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex *h* hoc autem *i* erit filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. *k* Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius Dei? Qui ait: *l* Vos dicitis, quia ego sum. At illi *m* dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi *n* enim audivimus de ore ejus.

C A P. XXIII.

o ET surgens omnis multitudo eorum *p* duxerunt illum ad Pilatum.

temnitis, per supplicium crucis ero exaltatus, & habens, i. apparens habere nomen, quod est super omne nomen *Phil.* 2. *k* Dixerunt autem omnes, tu ergo es filius Dei? Qui ait, vos dicitis,] Contra: Interrogabant, non enunciabant. Unde expone. [Dicitis,] i. dicere potestis, interrogatione mutata in assertionem. Vel potest dici, quod sermo comicus est, ut sumatur interrogatio pro enunciatione. Vel, [dicitis,] in cordibus. Unde *Gl.* Sua sententia damnantur, i. per id, quod sentiebant.

Matth. 26. Marc. 14.

l Vos] inquam, [dicitis, quia ego sum.] quamvis hic infirmus appaream. *Beda*: Ita temperat responsionem ut & dicat verum, & sermo ejus calumniæ non pateat. Maluit se Christum filium Dei probare, quam dicere, ut condemnandi causa tolleretur his, qui fatentur, quod objiciunt. De hoc verbo non poterant eum accusare, ac si diceret. Ego nec dico, nec nego, sed vos dicitis, probate ex miraculis. Fatentur, quod objiciunt, i. fatentur Christum esse filium Dei, quod tamen objiciunt, quasi pro crimine, scil. quod diceret se filium Dei.

A Matt. 27. Marc 1. Joan. 18.

m At illi dixerunt, quid adhuc desideramus testimonium?] quod se Christum, & filium Dei dicat?

n Ipsi enim audivimus de ore ejus.] Ipsi revera non audierant, sed de verbis ejus violenter traxerunt. *Job* 16. Suscitator falsiloquus contra faciem meam contradicens mihi. Isti etiam sunt, qui rapiunt verbum de ore simplicium, ut advocati. *Jud.* 12. Dixerunt Galaaditæ. Numquid Ephrataeus es, &c. 3. *Reg.* 20. Quod acceperunt viri pro homine, &c.

E X P O S I T I O C A P. XXIII.

ET surgens omnis, &c.] *sup.* ostendit Evangelista, quomodo captus est Jesus, & quo ductus, scil. in domum Principis Sacerdotum, ubi ipsi Sacerdotes multipliciter illuserunt ei. Deinde vero, ut se quasi alienos ab ejus nece ostenderent, tradiderunt eum Romano præsidi judicandum, & hoc ostenditur in hoc cap. Dividitur autem istud cap. in sex partes. In prima parte traditur Jesus Pilato, & erga eum multipliciter accusatur. In secunda mittitur Jesus ad Herodem, & ab eo illuditur, & ad Pilatum remittitur, ibi [Pilatus autem audiens.] In tertia accusatur iterum Jesus, examinatur, adjudicatur, & Barrabas liberatur, ibi, [Pilatus autem convocatis.] In quarta ducitur ad crucem, & destructionem Judææ prædicit, cum latronibus crucifigitur, illuditur, & orat, ibi [Et cum ducerent.] In quinta moritur, & signis factis Dei filius demonstratur: unde & Centurio confitetur, ibi [Erat autem fere hora.] In sexta, & ultima parte sepelitur Jesus, & mulieres, quæ secutæ fuerant eum, ut pararent aromata revertuntur, ibi [Et ecce vir nomine, &c.] Dicit ergo:

o Et surgens omnis multitudo eorum] de domo Caiphæ, mane facto, ut dicit *Matt.* 27. Quia tota nocte illuserant ei, & verberaverant. *Sap.* 4. Multigena impiorum multitudo non erit utilis. *Iſa.* 17. Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis. *Pſalm.* 53. Alieni insurrexerunt adversum me, &c. *Job* 30. In multitudine eorum consumitur vestimentum meum. *p* Duxerunt illum ad Pilatum,] ut judicaret eum, & ipsi quasi immunes viderentur. Unde hoc fecerunt sub umbra simulatæ innocentiæ, ut per alium videretur fieri, quod volebant. Et sicut vulgo dicitur. Fecerunt de fatuo malleum. *Gen.* 4. Sella genuit Tubalcain, qui fuit malleator. Sella interpretatur umbra ejus. Tubalcain, mistus vel conversus ad universa.

Malleator, hic est Pilatus, qui quasi perplexitate mistus erat, & ut multi, volebat facere, ad placitum singulorum, defendens Dominum verbo, & ad voluntatem Judæorum exponens tormento. Contra quem

a Cœperunt autem illum accuſare dicentes. Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe. *b* Pilatus autem interrogavit eum dicens: Tu es rex Judæorum? At *c* ille reſpondens ait: Tu dicis. Ait *d* autem Pilatus ad Principes Sacerdotum, & turbas: Nihil invenio cauſæ in hoc homine. *e* At illi *f* invaleſcebant, dicentes. *g* Commovet populum, *h* docens per univerſam Judæam, incipiens a Galilæa uſque huc. *i* Pilatus autem audiens Galilæam, *k* interrogavit, ſi homo Galilæus eſſet. Et ut cognovit, quod de Herodis poteſtate eſſet, *l* remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Jeruſolymis erat illis diebus. *m* Herodes autem viſo Jeſu, gaviſus eſt valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, *n* eo quod audiret multa de illo, & ſperabat ſignum, aliquod videre ab eo fieri. *o* Interrogabat autem illum multis ſermonibus,

Eccl. 7. Noli peccare in multitudine civitatis, nec te immittas in populum. [Duxerunt illum ad Pilatum,] *Gloſ.* Tradiderunt, &c. Inſania. Revera inſanus eſt, cujus conſilio aliquis occiditur, ſi ſe putat immunem a morte illius. Sed quare Judæi non ſuffocaverunt eum clam, aut lapidaverunt ſua auctoritate, ſicut Stephanum. *Act. 7.* Cum lex dicat: *Lev. 24.* Educ blaſphemum extra caſtra, & lapidet eum omnis populus? *Chryſ.* Quia volebant gloriæ ejus detrahere, ſed Chriſtus eorum nequitia e contrario uſus eſt. Poſſet etiam dici, quod non auderent, quia poteſtas trãſlata erat ad Romanos.

Matt. 27. Marc. 15. Joan. 18.

a Cœperunt autem illum accuſare dicentes: Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & [ideſt,] prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe.] Nota, quod in tribus conſiſtebat tota accuſatio, qua accuſaverunt, ſcil. quod diceret non eſſe ſolvendum tributum, quod diceret ſe Chriſtum, quod diceret ſe filium Dei. De duobus, habetur hic: De tertio *Joan. 19.* Vel ſecundum litteram Lucæ, dicamus quod in tribus accuſabant eum. Primo, quidem quod popolum ſubvertebat. Secundo, quod tributum reddi Cæſari prohibebat. Tertio, quia regem ſe faciebat. Sed omnia falſa erant, quia non ſubvertebat populum, ſed docebat, & dirigebat. Bona ſubverſione ſubvertebat, a malo, ſcil. in bonum. *Agg. 2.* Subvertam ſolium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium, & ſubvertam quadrigam, & aſcenſorem ejus *Iſa. 10.* Subvertentur condenſa ſaltus ferro.

Item non prohibebat reddi tributa Cæſari, imo conſuluit. *Matt 22.* Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, &c.

Item non ſe faciebat regem, quia ab æterno factus eſt rex. *Jo. 8.* Antequam Abraham fieret, ego ſum.

b Pilatus autem interrogavit eum dicens: Tu es rex Judæorum?] In tribus ſecundum Lucam accuſaverunt eum Sacerdotes, & Pilatus tantum de uno interrogavit, quod neſciebat, ſcil. an diceret, ſe eſſe regem Judæorum, quia aperte ſciebat alia duo eſſe falſa, & per malitiam fuiſſe objecta.

c At ille reſpondens ait, tu dicis.] Non dicit. Ego ſum, ne calumniandi daret occaſionem. Nec dicit: Non ſum, quia falſum diceret. Sic igitur temperavit reſponſum, ut utraque pars poſſet elici, ſcil. tu dicis, q. d. Ego non dico, ſed tu, & ego non nego. Vel tu dicis, ideſt, corde ſentis.

Unde *Matth. 27.* Sciebat enim, quod per invidiam tradidiſſent eum. Et notandum eſt, quod Sacerdoti reſpondens, eadem facta quæſtione, reſpondit: Tu dixiſti, ut legitur *Matt. 26.* Hic autem Pilato reſpondens dicit: Tu dicis. Quare ergo hoc? *Hilar.* Sacerdos legem viderat, quæ Chriſtum futurum prædixerat, ideo ei reſponderur. Tu dixiſti: Pilatus vero ſignificat gentilitatem, quæ legis ignara, per fidem præſentem conſecuta eſt ſalutem.

d Ait autem Pilatus ad Principes ſacerdotum, & turbas, nihil invenio cauſæ in hoc homine,] i. nihil, quare debeat mori invenio in eo. Imminente paſſione, dixerat Dominus. *Jo. 14.* Princeps mundi hujus non habet in me quicquam, i. diabolus, qui ante paſſionem erat Princeps mundi, non invenit in me peccatum. Vel poteſt referri ad Pilatum, quaſi dominus, Princeps mundi, i. Pilatus non habet in me quicquam, i. non invenit in me aliquam juſtam cauſam.

e At illi] i. Principes Sacerdotum, invidia, & malitia concitati. *f* Invaleſcebant, & condemnabant eum, quem Pilatus abſolvebat.

Unde *Chryſ.* Pilatus mollis erat, & invirilis, Principes autem Sacerdotum maligni.

g Dicentes. Commovet populum docens per univerſam Judæam, incipiens a Galilæa] Repete commovit [uſque huc.] Ecce dementia novi generis in Judæis poteſt argui, Dominum arguunt, unde laudandus eſſet.

Moraliter. Moraliter. *g* Commovet populum,] ab ignavia, & malitia ad pœnitentiam, & fidem. Unde *Pſ. 59.* Commoviſti terram, & conturbaſti eam. *Eccl. 43.* In conſpectu ejus commovebuntur montes, & in voluntate ejus aſpirabit Notus, vox tonitrui ejus verberavit terram. Fit autem talis commotio per doctrinam, & prædicationem. Unde dicit; *h* Docens per univerſam Judæam,] Torporem, & otium Prælatorum, & prædicatorum ſuggillans. *Prov. 6.* Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum. *Matt. 4.* Circuibat Jeſus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo, ut dicit *Rab.* Circumit, ut doceat doctorem eſſe expeditum, & non acceptorem perſonarum. Ibidem dicit *Chryſ.* Nos, qui ſumus unius † regionis paſtores, ſingulas populi paſſionum ſpecies circumire debemus, Studioſus enim medicus circumit graviter ægrotantes. Et nos ſimiliter facere debemus. His, qui avaritia laborant, aliquem ſermonem de morbo avaritiæ faciamus, ad medicamentum ſanitatis illius. His, qui ardentibus febribus libidinis anhelant, aliquod remedium de apotheca medicinali Apoſtoli proferamus. *1. Cor. 6.* Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Et poſtea ſubdit: Alii medicamentum eſt increpatio, alii conſolatio. Sequitur. *i* Pilatus autem audiens Galilæam,] i. mentionem de Galilæa.

al. † religionis.

k Interrogavit, ſi homo Galilæus eſſet. Et ut cognovit, quod de Herodis poteſtate eſſet,] i. de Galilæa, quæ erat de dominio Herodis, in qua nutritus fuit, non natus. Natus enim fuit in Bethleem, quæ eſt in Judæa, ſed nutritus in Nazareth, quæ eſt in Galilæa. Quod non ſine magno myſterio fieri voluit Jeſus, ut diximus in primo cap. libri.

l Remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Jeroſolymis erat illis diebus.] Sed quare non interrogat Pilatus Dominum ſuper hoc, unde accuſabant eum principes ſacerdotum? Quia ſciebat falſum eſſe. Unde quærens occaſionem liberandi eum, & abſolvendi ſe, audito, quod de Galilæa eſſet, miſit eum ad Herodem, qui tunc erat Jeroſolymis propter Paſcha credens, quod ſuum hominem injuſte traditum liberaret. Herodes autem non liberavit eum, ſed illuſit ei, & remiſit. Ita ducebant, & deducebant Jeſum, quod nos audivimus, & ſicco corde tranſimus.

Unde *Chryſoſtom.* Nos hæc audientes, neque ad famulos patientiam habemus, ſed ſilveſtribus aſinis plus ſaltamus, & pro his, quæ contra nos fiunt, crudeles, & inhumani ſumus; pro his vero, quæ contra Deum, non multam facimus curam. Sed dicis, ille irritavit. Quid hoc? Etenim cum nullus incitans fuerit, & feras videmus manſuetas, ita & nos tunc ſolum quieſcimus, cum nullus exacuit, quid hoc eſt plus?

m Herodes autem viſo Jeſu, gaviſus eſt valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum,] *ſup. 13.* Exi, & vade hinc, quia Herodes quærit te.

n Eo quod audiret multa de illo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri.] 1. *Cor. 1.* Judæi ſigna petunt. Sed non erat Chriſtus joculator, quia prohibuit *Act. 9.* qui fuerant curioſa ſectati.

Item nullum fecit miraculum coram Herode, quia indignus erat, & quia Dominus favorem non captat.

o Interrogabat autem illum multis ſermonibus.] *Prov. 7.* Irretivit eum multis ſermonibus. *Proverbior. cap. vigeſimo ſeptimo.* Cor iniqui exquiret mala. *Eccl. 13.* Ne credas multis verbis illius, ex multa enim loquela tentabit te, & ſubridens interrogabit te de abſcondi-

frondibus tuis. *a* At ipse nihil illi respondebat.] Ecce interrogatus multa ab Herode, nihil respondet. Nec tacet, eo quod respondere timeat, sed ut eorum accusationem indignam responsione ostendat. Unde *Glos. Amb.* Accusatur, & tacet, qui defensione non indiget. Ambiunt defendi, qui timent vinci. Nec accusationem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo, i. indignam responsionem judicando. Quasi responsio, est ad id quod posset objici, quia taciturnitas solet imitari confessionem. Quadruplici autem ratione noluit Dominus respondere Herodi.

At ipse nihil illi *a* respondebat. *b* Stabant autem Principes Sacerdotum, & Scribæ *c* constanter accusantes eum. *d* Sprevit autem illum *e* Herodes cum exercitu suo, & *f* illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.

Primo, juste, ut scil. ostenderet indignum sua collocutione. Secundo, misericorditer, scil. ne propter ejus responsionem pejores fierent. Tertio, propter exemplum, ut scil. nos doceret accusationes melius tacendo, quam respondendo vincere. Susanna enim tacuit, & vicit, *Dan. c.* 13. *Exod. c.* 14. Vos tacebitis, & Dominus pugnabit pro vobis. *Rom.* 12. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ *Job* 31. Si expavi ad multitudinem nimiam, &c. *Greg.* Boni non despecti sua aperiunt cum aliis, nec prosunt, quod esset se ostendere non prodesse. Ut Jesus Herodi non quærenti profectum tacuit, & inde passus est se irrideri. Quarto, ne Crucis aut passionis utilitas differetur. Si enim voluisset respondere, potuisset absolvi. *Thren. c.* 3. Ex ore Altissimi non egredientur, neque bona, neque mala. *Isa. c.* 53. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet. *Isa. c.* 42. Tacui, semper silui, patiens fui, ut parturiens loquar.

b Stabant autem Principes Sacerdotum, & Scribæ.] Sed nec his aliquid dicit: *c* Constanter accusantes eum,] quem debuerant excusare, quia de genere Sacerdotali erat. Sed invidia non cognoscit genus. *August.* Cum per omne vitium antiqui hostis virus humano cordi infundatur, in zelo invidiæ tota viscera serpens concutit. Hæc est, qua Cain contra fratrem suum Abel armatur, & filii Jacob contra Joseph, Babylonii contra Danielem, Judæi contra Christum. Hæc est vermis, qui hederam Jonæ consumit, dum aliorum prosperitati mordendo detrahit.

d Sprevit autem illum] qui neminem spernit, & in quo nihil erat spernendum. *Jo:* 14. Venit Princeps hujus mundi, & in me, &c.

e Herodes cum exercitu suo,] reputans eum stultum, qui nihil diceret potenti liberare se, 1. *Reg. c.* 21. Dixit Achis ad servos suos, vidistis, &c. *Job* 12. Deridetur justi simplicitas.

f Et illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.] Domini taciturnitatem reputavit Herodes fatuitatem, ideo illudens ei quasi fatuo, induit eum veste alba. Et forte hoc erat propter opprobrium, & indicium fatuitatis, & ideo sic indutum remisit ad Pilatum. De modo tamen, vel causa illusionis hujus nihil habemus expressum. Et nota, quia trina legitur illusio.

Prima facta in atrio Caiphæ, quando percutiebant faciem ejus velatam, dicentes: prophetiza, &c.

Secunda a militibus Herodis, & ab ipso Herode, quando missus est ad eum. Sed non habemus modum determinatum illusionis.

Tertia postquam traditus est militibus a Pilato ad crucifigendum, quando circumdederunt ei clamydem coccineam. Pro hac trina illusione recompensamus ei in die Parasceves trinam adorationem, ter dicentes cum geniculatione, ἅγιος ὁ θεός, Agios, o theos. Causa primæ illusionis, qua illudebant ei percutientes faciem ejus velatam, dicentes prophetiza, evidens est. Ideo enim sic illudebant ei, quia dicebat se Prophetam. Causa quoque tertiæ illusionis, quia illudebant ei facientes spineam coronam, induentes eum chlamyde coccinea, & dantes arundinem quasi pro sceptro in manu ejus nota est, scil. quia diceret se regem. Diadema enim capitibus regum solet superponi, & purpura solent indui, & sceptrum gestare. De causa autem hujus mediæ illusionis nihil habemus. Et notandum, quod quatuor sunt vestes Sacerdotales, in quibus illusum est Christo.

Una est amictus, hac velata fuit facies ejus, *sup.* 22.

Secunda vestis est alba, quasi camisia longa, hac illusum est ei hic.

Tertia est casula purpurea, hac illusum est ei. *Marc.* 15. Ubi indutus est purpura.

Quarta vestis est manipulos, & cingulum, & stola, quibus quasi quibusdam vinculis ligatur Sacerdos. Hac etiam veste illusum est Christo, quia ad columnam ligatus est vinculis *Matth.* 27.

Quinta, & sexta vestis est propria Pontificum, scilic. mitra, & sambuca, l. baculus pastoralis, in quibus etiam illusum est Christo. Nam pro mitra coronam spineam, pro sambuca habuit sceptrum in manu, i. baculum arundineum, quem Judæi in irrisionem dederunt ei. *Matt. cap.* 27. Et certe non minus illuditur ei hodie in his vestibus, quam tunc, imo plus, quia & longiori tempore, & majori multitudine, & modo fraudulentiore. Præterea, illusio non fuit, nisi figura istius, qua modo illuditur Christo a Sacerdotibus, & Episcopis. Unde *Job c.* 30. Nunc autem derident me juniores tempore, ad litteram, juvenes Episcopi, quorum non dignabar patres, i. electores, qui eos genuerunt Episcopos, vel potius, qui eos creaverunt, quia de nihilo fecerunt eos, ponere cum canibus gregis mei, quorum virtus manuum mihi pro nihilo erat, & vita ipsa putabantur indigni. Nunc autem, qualiter in his vestibus illudant Domino Sacerdotes, & Episcopi videamus. Has itaque vestes induunt, in signum, quod in corde habent fidem, & memoriam, & affectum illusionum Domini. Quando enim ponit amictum in capite, quid aliud facit, nisi quia fidem, & memoriam habeo, quod facies Domini mei velata fuit propter me? Et cum induit albam, quid aliud facit, nisi quia clamat ipso facto: sic fuit illusum Domino meo in veste alba? Quid clamat casula, nisi clamydem coccineam Domini? Quid manipulus, & cingulum, & stola, nisi vincula Christi significant? Quid mitra, nisi coroneam spineam? Quid ergo dicit mitra in capite Episcopi, nisi punctiones spinarum Domini esse in mente illius Episcopi, qui mitram habet? Quid est sambuca in manu Episcopi, nisi baculus arundineus in manu Christi? Ferentes ergo talia, quid ostendunt, nisi quod sentiunt in se, quod Christus sensit in se? Sicut dicit Apostolus *Phil.* 2. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu. Cum ergo ista habeant fere omnes exterius, & nihil sentiant interius, numquid non illusio est? Dicunt enim signo tibi compatimur, tuas illusiones in nobisipsis ostendimus, & eis communicamus. Quid autem chirothecæ in manibus, quid sandalia clamant in pedibus Episcoporum, nisi vulnera pedum, & manuum Christi, quibus se communicare ostendunt his signis? Unde *Osee* 12. Ego visionem multiplicavi, & in manibus Prophetarum assimilatus sum. *Zach.* 13. Dicetur ei, idest, Episcopo, quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Sicut dicit Episcopus, signo sibi ascribens, quod factum est Christo. Moraliter, autem amictus capitis significat spem, quam Apostolus vocat galeam salutis. *Eph.* 6. Spes autem æternorum contemptum facit terrenorum. Unde cum Sacerdos ponit amictum in capite, significat, & ostendit spe æternorum omnia terrena contemnere. Et si ita non est, revera illudit Christo, & ideo Christus illudet ei. Unde *Prov.* 3. Illusores ipse deludet, mansuetis autem dabit gratiam. Item alba longa, & lata, mentis, & carnis significat castitatem. *Apoc.* 7. Vidi turbam magnam, quam nemo dinumerare poterat, &c. Ubi igitur non castitas, alba illusio est oculorum. *Prov.* 13. Qui illusor est, non audit, cum arguitur. Item zona, manipulus, stola, & hujusmodi ligamenta significant præcepta, & consilia, & religionem, quibus se obligant, quando talem ordinem assumunt, & se obligatos ostendunt, quando hæc induunt. Qui ergo præcepta, atque consilia, & religionem Sacerdotalem non custodiunt, numquid hæc ferentes non Christo illudunt? *Jer.* 5. Ibo ad optimates, i. ad Sacerdotes, & ecce hi magis simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. Et ita illudunt Christo *Prov.* 9. Si sapiens fueris, servans, scil. præcepta, & consilia tibimetipsi eris, si autem illusor, solus portabis malum. Item casula significat tunicam Christi inconsutilem desuper contextam per totum, i. perfectam charitatem, quam debent habere maxime Sacerdotes, & Episcopi. Unde Petrus antequam curam de pascendis agnis suscipiat, ter interrogatur de charitate, & ter confitetur se habere. *Joann. ultim.* Qui igitur talem charitatem non habent, induentes

Moraliter.

caſulam Chriſto illudont, imo ſibi. *Prov.* 19. Parata ſunt deriſoribus ſupplicia. Item mitra Epiſcopi ſignificat ſcientiam duorum teſtamentorum, propter duo cornua, quam debet habere non tantum in corde per habitum, ſed etiam in manu, & in ore per uſum. Unde duæ lingulæ dependent ab ipſa ſuper humeros, quæ ſignificant duplex documentum, ſc. verbi & exempli. Modo apponunt Epiſcopi tertiam linguam, & abjiciunt iſtas. De qua dicit *Eccl.* 28. Lingua tertia multos commovit, & diſperſit illos de gente in gentem. Quid igitur vult, ſibi mitra in capite Epiſcopi, niſi quia dicit, iſte habet ſcientiam, & doctrinam legis Dei, & eminentiam ſanctitatis. *Eccl.* 45. Corona aurea ſuper mitram Aaron, expreſſa ſigno ſanctitatis, & gloria honoris. *Bar.* 5. Circumdabit te diploide Deus juſtitiæ, & imponet capiti tuo mitram honoris æterni. Item baculus paſtoralis in manu, ſignificat executionem officii paſtoralis. Quod conſiſtit in tribus potiſſime, quæ ſignificantur per triplicem partem ipſius baculi. Primum eſt vocatio peccatorum, ſecundum directio vocatorum, tertium exhortatio directorum. Unde

C

Verſus.

Atrahe per primum, medio rege, punge per imum.

Cum ergo hæc non faciunt Epiſcopi, numquid tenentes lambucam, non illudunt? *Bar.* 6. Sceptrum habet ut homo, ſicut judex regionis, qui in ſe peccantem non interficit, habet etiam in manu gladium, & ſecurim, ſe autem de bello, & latronibus non liberat. Igitur illuſores ſunt omnes Sacerdotes, & Epiſcopi, qui hæc ſigna habent ſine re. 2. *Pet.* 3. Venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores, juxta proprias concupiſcentias ambulantes. Seq. *a* Et facti ſunt amici Herodes, & Pilatus in ipſa die,] *In fine primi Poſteriorum.* Propter id amici ſunt, quia ejuſdem inimici. *b* Nam antea inimici erant adinvicem.] propter necem Galilæorum, quos Pilatus occiderat, *ſup.* 13.

Myſtice.

Myſtice. Per Herodem populus Judaicus, per Pilatum populus gentilis ſignificatur. Qui prius diſcordes, per mortem Domini facti ſunt concordes in fide. Unde *Eph.* 2. Vos, qui eratis aliquando longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum. Et miro modo, quia Pilatus primo miſit Jeſum ad Herodem, & Herodes poſtmodum remiſit ad illum, quia verbum fidei primo ſuſcepit gentilis, & enuntiavit Judæis, & in fine mundi Judæus iterum remittet ad gentilem, quando per Eliam, & Henoch multi convertentur. Unde *Mal. ult.* Mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Item concordia Pilati, & Herodis ſignificat concordiam Hæreticorum, qui ad invicem ſunt diſcordes, ſed contra Chriſtum concordes. Unde ſignificantur per vulpes Sampſonis, quæ caudas colligatas habent, ſed facies diverſas. *Jud.* 15. Item horum concordia ſignificat concordiam canonicorum in capitulis, qui ad omne bonum faciendum adinvicem ſunt diſcordes, ſed ad occidendum Jeſum, i. ad faciendum malum, amiciſſimi inveniuntur. *Eccl.* 16. In Synagoga peccantium exardeſcet ignis, & in gente incredibili exardebit ira. Synagoga peccantium ſunt hypocritæ, gens incredibilis ſunt advocati. Et hi duo omnia capitula turbant. Pilatus interpretatur os malleatoris, & ſignificat advocatos, per quos diabolus malleat totam Eccleſiam. De quo *Jer.* 50. Confractus eſt, & contritus malleus univerſæ terræ. Hoc dicitur, quando magnus advocatus moritur. Herodes interpretatur glorians in pelle, & ſignificat hypocritas, qui de attenuatione pellis, & vili veſte gloriantur. Hi duo ad invicem maxime deſſident, & contra bonum, vel in necem boni maxime concordant. *Iſa.* 9. Unuſquiſque carnem brachii ſui vorabit, Manaſſes Ephraim, & Ephraim Manaſſem, & ſimul ipſi contra Judam. Sequitur:

Tertia pars.

c Pilatus autem convocatis Principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos. Obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi avertentem populum, & ecce

Et *a* facti ſunt amici Herodes, & Pilatus in ipſa die, *b* nam antea inimici erant adinvicem. *c* Pilatus autem convocatis principibus Sacerdotum, & magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos. Obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans nullam cauſam invenio in homine iſto, ex his, in quibus eum accuſatis. *d* Sed neque Herodes. *e* Nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei, Emendatum ergo illum *f* dimittam. *g* Neceſſe autem habebat dimittere eis per diem feſtum unum. *h* Exclamavit autem ſimul univerſa turba, *i* dicens, Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. *k* Qui erat propter ſeditionem quamdam factam in civitate, & homicidium miſſus in carcerem.

ego coram vobis interrogans nullam cauſam invenio in homine iſto, ex his, in quibus eum accuſatis.] Et ideo non debet condemnari a me, qui ſum judex Romanus. *Act.* 25. Non eſt conſuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores locumque defendendi accipiat. *Exod.* 23. Inſontem, & juſtum non occides, quia adverſor impium.

Matt. 27. *Marc.* 15. *Joan.* 18. *Act.* 3.

d Sed neque Herodes.] ſupple invenit aliquam cauſam in eo.

e Nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei. Emendatum ergo illum] i. flagellatum.

f Dimittam,] i. judico dimittendum. *Act.* 3. Vos ſanctum, & juſtum negaſtis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. [Emendatum] flagellis, & ludibriis, quantum jubetis afficiam, dummodo ne ſitiatis innoxium ſanguinem. Ideo enim flagellavit, ut ex ſaturato eorum odio deſiſterent. *Chryſ.* q. d. Pilatus Si non vult innocentem dimittere, ſaltem ut condemnatum date feſtivitati.

g Neceſſe autem habebat dimittere eis per diem feſtum unum.] Non in quolibet feſto dimittebat eis præſes unum de vinctis, ſed tantum in feſto Paſchæ, in memoriam liberationis de Ægyptiaca ſervitute. Conſueverat enim præſes Romanus eadem die, qua egreſſi ſunt de Ægypto, & liberati a Servitute Pharaonis in commemorationem tanti beneficii, & ad honorem Dei ſui, qui liberaverat eos, dimittere unum de incarceratis. Et idipſum juvat nos contra Græcos. Conſtat enim, quod in quarta decima Luna ad veſperum congregati ſunt omnes in Rameſſe, & in caſtrino ſummo mane egreſſi. Ergo quinta decima Luna ſunt egreſſi, ergo quinta decima Luna erat in die Paraſceves, quia eadem die dimittebat eis vinculatum, qua egreſſi ſunt. Mentiuntur igitur Græci dicentes fuiſſe quartam decimam Lunam die Paraſceves. Nec hoc faciebat præſes ex ſtatuto aliquo regali, ſed propter annuam conſuetudinem, quam nolebat infringere Pilatus, ut placeret Judæis. Unde *Beda*: Non imperiali legis ſanctione ſed annua gentis, cui per talia gaudebat placere devictus conſuetudine. *h* Exclamavit autem ſimul univerſa turba,] excitata a Pontificibus, ut peterent Barrabam. *i* Dicens. Tolle hunc, & dimitte, &c.] *Jud.* 9. Ligna tandem elegerunt rhamnum. *Chryſ.* Sacerdotes cum propria malitia etiam plebem corrumpunt, ut & illorum deceptionis ultimam dent vindictam. *Prov.* 29. Viri ſanguinum oderunt ſimplicem, ideſt, Sacerdotes Jeſum. In duobus peccaverunt iſti, ſcil. quia reum petierunt dimitti, & quia juſtum petierunt damnari. *Prov.* 17. Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, uterque abominabilis eſt apud Deum. *Iſa.* 5. Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum. Ibi *Gloſ.* Hoc ſpecialiter contra Judæos, qui Barrabam elegerunt, & Chriſtum condemnaverunt, Generaliter ad omnes, qui injuſtum juſtificant, & juſtum condemnant. *k* Qui erat propter ſeditionem, quamdam factam, &c.] *Beda*: Qui pro Jeſu latronem, pro ſalvatore interſectorem, pro datore vitæ ademptorem elegerunt, merito ſalutem perdiderunt, & vitam, & latrociniis, & ſeditionibus in tantum ſe ſubdiderunt, ut & patriam regnumque, quod Chriſto prætulerant, perderent, & hactenus libertatem animæ, vel corporis, quam vendiderant, i. alienari a ſe meruerant, vel dicendo: Sanguis ejus ſuper nos, &c. *Matt.* 27. Non reciperent. Libertatem animæ recipient, quia Elias convertet corda patrum ad filios. *Mal. ultim.* Sed libertatem corporum nunquam. Unde *Pſalm.* 73. Et nos non cognoſcet amplius. Nota *Hieron.* dicit, quod idem nomen reputatur Barrabas per duo, r, & Barabbas per unum, r, & duo, b, propter ſoni convenientiam, & tamen diverſas habent interpretationes. Barrabbas enim interpretatur filius magiſtri. Bar enim filius eſt, & Rabi magiſter. Barabbas vero interpretatur filius patris. Nam bar, i. filius, abba pater. Et myſtice ſignificat Antichriſtum, quem Judæi præferent Chriſto. Unde *Joann. cap.* 5. Ego veni in nomine patris mei, & non accepiſtis me, ſi

Ad litteram a paſſione Domini uſque ad everſionem urbis factæ ſunt frequentes tumultus, & ſeditiones inter Judæos.

me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

Moraliter.

Mural. Barrabas latro est vetus homo. Jesus est novus homo. Uterque vinctus est in carcere, i. in carne, sed ille vinculis peccatorum. *Prov.* 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Ille vero vinctus est vinculis præceptorum. De quibus *Eccl.* 6. Decor vitæ est in illa, i. in sapientia, & vincula illius alligatura salutaris. Bonus judea laborat, ut novus homo absolvatur, & vetus condemnetur. Sed turba e contrario clamat pro veteri liberando, & novo condemnandu. Quæ est ista turba? Certe mala societas, amor parentum, pudor humanus, infirmitas carnis, timor pœnitentiæ, amor voluptatum, suggestio diaboli, contraria consuetudo. *Exod.* 23. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio sententiæ plurimorum acquiescas. *Matth.* 27. Dicit Barrabam vinctum insignem, & significat canonicum nobilem multis beneficiis ligatum, qui re vera latro est, quia quidquid habet supra unum beneficium, pauperibus furatur, imo etiam illud unum furatur, cum non facit pro illo servitium, quod debet. Unde furatur horas, & missas quas debet Domino, & eleemosynas, & quidquid male expendit, vel male retinet ultra necessitatem, furatur pauperibus. Unde *Isa.* 3. Rapina pauperis in domo vestra. Ibi *Glos.* Nostri principes pauperis in domo vestra. Ibi *Glos.* Nostri principes populum atterunt, cum pauperes delinquentes publice arguunt, & confundunt, divitibus autem pejura peccantibus nec nutum faciunt. In quorum domibus rapina pauperum est, dum Ecclesiæ opes sibi thesaurizant, & in deliciis abutuntur, quæ ad sustentationem pauperum dantur, quæ sibi reservant, vel propinquis distribuunt, & aliorum inopiam suas, vel suorum divitias faciunt. Hic etiam dicitur seditiosus, qui tales dissensiones, & schismeta faciunt in capitulis propter suam nobilitetem. Hunc latronem, quia insignis est & bellicosus, elegit turba in Episcopum, & virum justum pacificum derelinquunt quasi reum. Ita fit modo fere in omnibus electionibus, latrones nobiles eliguntur, & viri sapientes, & justi postponuntur. Et hoc facit constitutio, quæ dicit, ut major pars numero obtineat in electionibus. Christus enim semper habet minorem partem numero, quia stultorum infinitus est numerus. *Eccl.* 1. Hoc est illud malum, quod vidit Salomon. *Eccl.* 10. Nostris temporibus futurum. Est, inquit, malum sub sole, & quasi per errorem egrediens a facie principis, positam stultum in dignitate sublimi, & divites sedere deorsum. *Osee* 6. Galaad civitas operantium idolum supplantata sanguine, i. nobilitete, & quasi fauces virorum latronum. Item *Osee* 7. Fur ingressus est spolians, latrunculus foris.

D

a Iterum autem Pilatus locutus est ad illos, volens dimittere Jesum. At illi, *b* succlamabant, *c* dicentes: Crucifige, crucifige eum. *d* Ille autem tertio dixit ad illos. Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis invenio in eo. Corripiam ergo illum, & dimittam. At illi *e* instabant, *f* vocibus magnis postulantes, ut *g* crucifigeretur, & invalescebant voces eorum. Et *h* Pilatus *i* adjudicavit fieri petitionem eorum. Dimisit *k* autem illis eum, qui propter homicidium, & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant. *l* Jesum vero tradidit voluntati eorum. Et *m* cum ducerent eum, *n* apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem *o* venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post

a Iterum autem Pilatus locutus est ad illos, volens dimittere Jesum.] *Chrys.* Quare ergo non dimisit? Non erat ei tutum dimittere illum, cui imponebatur, quod se regem faciebat. Estu: Oportebat ergu opportunirates quærere, & conjecturas, puta si exercitum colligebat, si pecunias, si arma. Tamen multas quæsivit occasiunes Pilatus, ut cum populi benevolentia posset Jesum liberare, quæ tanguntur in textu, & *in Glos.* sed obscure. Prima est judicis mutatio, unde misit eum ad Herodem. Secunda est criminis amotio, unde diait: [Nullam causam mortis invenio in eo.] Tertia est pœnæ illatio, unde dixit: [Corripiam ergo illum, &c.] Quarta est personarum collatio. Contulit enim Barrabam latronem Christo innocenti, ut ex ipsa collatione ostenderet Christum potius dimittendum. Quinta est sententiæ dilatio. Sæpe enim interrogavit eos, quid vellent fieri de ipso, quasi de sententia hæsitaret. Utinam judices nostri ita curiosi essent pro pauperibus absolvendis, ubi causa eorum est justa. *Eccl.* 4. In judicando esta pupillis misericos, ut pater. *Job* 29. Peter eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam. *b* At illi succlamabant,] *Prov.* 15. Os fatuorum ebullit stultitiam. *Job* 41. Fervescere faciet quasi ollam profundum mare.

c Dicentes, Crucifige, crucifige eum.] Immanitas sceleris eorum deprehenditur, quod hujusmodi genere mortis ipsum quærunt occidere. Unde duo nota in genere mortis, scil. quod sit morosum, & opprobriosum. Unde *Beda*: Magna crudelitas, non solum occidere, sed etiam crucifigere quærunt, ut pedibus, & manibus ad lignum confixis morte vearetur producta. In hoc notatur morosum hoc genus mortis, ne dolor citius finiretur, & in cruce diu videretur. Hic notat, quia opprobriosum. Ideo enim volebant, ut ibi diutius penderet, ut esset ei in contumeliam. *Chrys.* *Deut.* 21. Maledictus e Deo est, qui pendet in ligno. Ideo nolunt decollari eum, vel aliter mori. *Gal.* 3. Factus pro nobis maledictum. *Sap.* 2. Morte turpissima condemnemus eum, [Crucifige, &c.] Similiter tu clamas, quotiescumque peccas mortaliter, imo quod plus est, tu ipse crucifigis. *Hebr.* 6. Rursum crucifigentes sibimetipsis Christum, & ostentui habentes. De hoc clamore dicitur *Isa.* 5. Expectavi, ut faceret judicium, & ecce clamor, & iniquitas. *d* Ille autem tertiu dixit ad illos.] Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortit invenio in eo. [Corripiam ergo illum,] i. flagellabo, [&] flagellatum [dimittam.] *Chrys.* Quare vult eum corripere? Vel illis gratiam facere volebat, vel judicii stemma componere, vel Romanis legibus servire, quæ crucifigendos jubent prius flagellari, ut sic extorqueatur ab eis, si quos in scelere socios habuissent, vel ut Judæi pœnis ejus saturati mortem illius ultra non sitirent. Ipse autem Christus flagellari voluit, ut nobis parceretur. *Isa.* 53. Disciplina pacis nostræ super eum. Sequitur.

Matt. 27. Marc. 15. Joan. 19. Matt. 27. Matt. 15.

e At illi instabant,] Ecce quanta est pertinacia sacerdotum in necem Christi. *Gen.* 49. Simeon, & Levi fratres, scil. Scribæ, & Sacerdotes, vase iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea, & in cætu eorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, &c. maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. *f* Vocibus magnis postulantes,] i. rogantes, videntes, quod aliter non possent obtinere. *g* Ut crucifigeretur, & invalescebant voces eorum.] *Jer.* 12. Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in silva, dedit contra me vocem. *h* Et Pilatus,] videns, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret. *i* Adjudicavit fieri petitionem eorum.] Valde reprehendendus est Pilatus, quia cum per industriam suam eos esse falsos testes convicisset, tamen precibus nefandis obtemperavit, sciens, & prudens faciens contra illud. *Exod.* 23. Non sequeris turbam ad faciendum malum. *Aug.* Judex nec invidiæ cedere debuit, nec timori. *Eccl.* 7. Noli quærere fieri judex. Et *inf.* Non pecces in multitudine civitatis, nec te immittas in populum, i. non sequaris voluntatem ejus. *k* Dimisit autem illis, &c.] usque ibi, [quem petebant,] scil. Barrabam. *l* Jesum vero tradidit voluntati eorum.] *Prov.* 25. Fons turbatus pede, & vena corrupta, justus cadens coram impio. *m* Et cum ducerent eum,] ad crucifigendum. Breviter præterit Lucas de finali illusione, de qua apud *Matth.* legitur, & de cruce e Domino portata, quod Joannes plene dicit: Cum enim duceretur Dominus ad locum patibuli, primo crucem suam portevit. Unde *Joan.* 19. Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur calvariæ locus. Sed postea Simoni Cyrenensi de villa venienti obviam eis, imposuerunt eam, qui portavit eam post Jesum usque ad locum crucifixionis. Prætermittit ergo Lucas, quomodo milites Pilati ei illuserunt, & quod Dominus portavit crucem transiens ad angariam Simonis. Sed principium *Glos.* supplet, quod prætermittit de Cruce a Domino portata. *n* Apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem] Natione gentilis erat, sed in Jerusalem habitabat. Cyrene civitas est Lybiæ. *Amos* 9. Numquid non Israel ascendere feci de Ægypto & Palæstinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene? *o* Venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Jesum.] Non ipse, sibi imposuit. *Matt.* 11. Tollite jugum meum super vos.

Quinta pars.

Jesum. *a* Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum, *b* Conversus autem ad illas Jesus, dixit: *c* Filiæ Jerusalem, *d* nolite flere super me, sed *e* super vosipsas flete, & *f* super filios vestros, *g* Quoniam ecce venient dies, in *h* quibus *i* dicent: k Beatæ steriles, *l* & ventres, qui non genuerunt, *m* & ubera, quæ non lactaverunt,

[*Mystice.*] Mystice. Dominus prior portat crucem, dans in hoc exemplum. Voluit enim prius pro nobis pati, & relinquere nobis exemplum pro se patiendi. Simon Cyrenæus significat gentilem populum, qui obediendo factus est hæres Dei, & cohæres Christi. Unde est Simon obediens, Cyrene vero hæres interpretatur. De quo *Ps.* 17. Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. Et recte dicitur de villa exire, & post Jesum crucem portare, quia populus gentilis, ritus gentilitatis reliquit, vestigia Dominicæ passionis imitatur. Unde 1. *Pet.* 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut, &c.

[E]

[*Moraliter.*] Moraliter, autem ut dicit *Hier.* In Christo significantur illi, qui sponte crucem Domini portant. In Simone vero illi, qui portant inviti, & cum murmure, qui sunt similes carro onusto fœno, & clamanti. Unde *Eccl.* 33. Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius. *B. Bern.* Væ portantibus crucem, non sicut Salvator suam, sed sicut iste Cyreneus alienam. Nota, aliquis crucem pœnitentiæ portat, ut latro dexter, qui, scil. sua peccata luit. *Gal.* 6. Unusquisque onus suum portabit, *sap.* 9. Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me *Matth.* 16. Item aliquis, ut latro sinister, Hypocrita, scilicet, qui de cruce vadit ad crucem, de tormento ad tormentum. *Jer.* 17. Duplici contritione contere eos, Domine Deus noster. Item aliquis, ut Simon Cyreneus, scil. acidiosus. *Eccles.* 6. Subjice humerum tuum, & porta illam, idest, sapientiam, & ne acidieris vinculis illius. Item aliquis, ut Christus, qui scilicet, aliena supportat mala. *Isa.* 53. Vere languores nostros ipse portavit. *Gal.* 6. Alter alterius onera portate, & sic, &c. Item aliquis ut plaustrum *Eccles.* 33. Præcordia fatui, quasi rota carri, idest, fortis murmurator. De virtute autem crucis dicit *Chrysostomus*. Si inflammatum videris cor tuum, signa pectus, impone crucem, recordare, quæ tunc contigerunt, & sicut pulverem projicies omnem furorem. Tollitur etiam crux tribus modis, scil. per carnis mortificationem, per proximi compassionem, per sanguinis effusionem. Sequitur:

a Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.] Non eadem mente sequebantur omnes Dominum bajulantem crucem, sed quidam, ut læti aspicerent morientem, quem viventem oderunt, & hi designantur nomine turbæ, quia turbati. Alii sequebantur, ut plorarent mortuum, quem vivum dilexerunt. Et licet multi viri dolerent de nece Domini, ut Nicodemus, & Joseph, tamen ita palam non audebant plorare, & ostendere dolorem suum coram sacerdotibus, sicut mulieres, quæ aperte coram omnibus lamentabantur, quod erat signum firmioris, & majoris amoris. Amor enim verus, sicut ignis, non potest abscondi, quin seipsum in necessitate manifestet. Unde ad ipsas solas conversus Dominus, quid flere debeant, ostendit; scil. se, & suos, qui in proximo erant a Romanis vastandi in ultionem Dominicæ Passionis. Et hoc est, quod sequitur.

b Conversus autem ad illas Jesus,] ex compassione, & pietate. Nam illæ Domino, & dominus eis compatiebatur. *Chrys.* Quem non flexisset turba, quæ sequebatur eum, & flebat. Item in quibus plangebant, alii in his gaudebant.

c Dixit: filiæ Jerusalem,] Ex hoc patet, quod non solum Galilææ mulieres, quæ cum Domino venerant, ei adhæserant, verum etiam quædam Jerosolymitæ erant in comitatu ejus.

d Nolite flere super me,] Contra: *Eccl.* 22. Super mortuum plora, defecit enim lux ejus, *sup.* 9. Nolite prohibere, &c. Ibi *Glos.* Docetur neminem, &c. dicunt, quod loquitur permissive. Vel dic: Nolite flere super me, quasi super purum hominem, vel quasi inutiliter occisum. Hinc fuit consuetudo quibusdam, quod in Parasceve gauderent sicut in festo Petri. Sed tunc magis compatiendum est Christo patienti pro nobis, & quia incertus est nobis fructus passionis ejus, non sic Petri, sed in resurrectione Christi est gaudendum. *Psal.* 2. Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. *Chrys.* Quidam contristati in peccatis sicut locrosum æstimant, sed id diabolica est methodia, & ostendit hoc Judas, qui se strangulavit. Propter hoc de Corinthio formidavit Apost. 1. *Cor.* 2. Ne forte ampliori tristitia absorbeatur. Et *inf.* Ut non circumveniamur a Satana: Non enim ignoramus cogitationes ejus. *e* Sed super vos ipsas flete,] i. cavete, ne habeatis aliquid criminis, quod vos involvat cum aliis in futura eversione urbis.

f Et super filios vestros.] i. pro cæcitate filiorum, quibus etiam Christus compatiebatur, pro quorum salute patiebatur. *Eccl.* 30. Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, & super omnem vocem turbabuntur viscera ejus. Multi sunt similes illis mulieribus, quæ alios plorant, & se magis miseros non plorant, peccatis aliorum compatiuntur, & de suis non curant, sicut dicit *August. in libro Confessionum* de seipso: Flebam quondam Didonem morituram, & meipsum mortuum non flebam. Et hoc provenit, ex eo quod curiosius perscrutantur facta aliorum quam sua, quod est omnino contrarium charitati. Charitas enim incipit a se. Unde *Eccl.* 30. Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate ejus. *Beda*: Ne lamentemini me moriturum, cujus cita resurrectio mortem solvere potest, cujus mors mortem, & ipsum mortis auctorem destruet, vos potius, vestramque progeniem dignis lacrymarum fontibus abluite, ne cum perfidis damnemini in ultione meæ Crucis, vel Passionis. Ecce filiæ Jerusalem, i. mulieres Jerosolymitæ secutæ sunt Dominum usque ad locum crucifixionis. Hanc eorum processionem repræsentat Ecclesia in processionibus rogationum, & processionibus, quæ fiunt pro peccatis suis, vel etiam proximorum repræsentantes id, quod Dominus ait filiabus Jerusalem. Flete super vos, & super filios vestros. Ideo in hujusmodi processionibus, qui bajulat Crucem, debet eam accipere de altari, quia Simon Cyrenæus accepit a Christo, qui in S. Scriptura significatur per altare. Si autem aliter fiat, de consuetudine, præter rationem fit.

[*Sap.* 1. *Isa.* 54. *Gal.* 4.]

g Quoniam ecce venient dies,] Romanæ obsidionis, quando tanta fuit calamitas Judæis, quod fugiebant, & in speluncis, & in cavernis montium latitabant, ubi siti, & fame affligebantur, ita ut mallent non esse, vel nunquam fuisse. Unde narrat *Josephus* se cum quadraginta comitibus fugisse in quamdam speluncam, ubi inventi a Romanis capti fuerunt.

h In quibus,] scilicet, quando fiet vindicta de morte.

i Dicent: beatæ steriles] *Isa.* 54. Lauda sterilis, quæ non paris, decanta laudem, &c.

k Et ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt,] Ad litteram imminente captivitatis articulo dicentur steriles, & non lactantes beatæ, quia ad fugam expeditæ, quia in captivitatis miseria prægnantes, vel lactantes aufugere non poterunt: Hæ pro onere ventris, illæ vero pro onere pectoris.

A Tunc incipient

Exponit ista *Beda*.

[*Moraliter.*] Moraliter in bono. *l* Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt,] i. qui propter Deum, sive regnum cœlorum se castraverunt, sive viri, sive mulieres possunt se castrare spiritualiter, licet non corporaliter. *Matt.* 19. Sunt eunuchi, qui seipsos propter regnum cœlorum castraverunt. *Isa.* 56. Non dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus, idest, quam si haberent filios, & filias.

m Et ubera, quæ non lactaverunt,] lacte adulationis. *Prov.* 1. Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas ei. *Thren.* 4. Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos. Tales enim, qui se castraverunt, i. carnem mortificaverunt, votum virginitatis fecerunt, quandoque tentatur, vel circa lapsum, quia in lubrico hujus vitæ nunquam secura est religio Christiana. Memores ergo suæ fragilitatis, ingruente articulo tentationum, montibus, & collibus petunt operiri, idest, meritis Sanctorum, & exemplis, vel etiam orationibus protegi. Et vocat Sanctos colles, & montes, propter eminentiam sanctitatis, & constantiam mentis. Et hoc est

*A Tunc] i. tempore

▲ *a* Tunc incipient dicere montibus, &c.] Ac si dicerent, præbete nobis tutum latibulum. Simile *Apoc.* 6. *Osee* 10. Ita exponitur ad litteram. Sed etiam exponitur hoc de reprobis, quia prolata in eos sententia damnationis, petent ad litteram hiatu terræ absorberi, quia vellent, si fieri posset, quod terra clauderet os suum. Unde illa calamitas, quam fecerunt Romani in Judæa, significat calamitatem, & miseriam, quæ erit reprobis in die judicii, vel etiam in die mortis. De qua dicitur *Amos* 9. Non erit fuga eis. Fugient, & qui fugerit non salvabitur, si descenderint in infernum, inde manus mea educet eos, & si ascenderint usque in cœlum, inde detraham eos, & si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos, & si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos, & ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum. *Greg. in moral.* Quomodo erunt angustæ viæ undique reprobis; Superius erit judex iratus, subtus horrendum chaos, a dextris peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia ad supplicium trahentia, intus conscientia urens, foris mundus ardens, miser peccator sic deprehensus, quo effugiet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Si quæris, quis te accusat? Dico, quod totus mundus, quia offenso creatore omnis creatura perditum habet odio. Ideo dicit *Sophon.* 1. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis, dies illa dies iræ, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris. Bonum est cogitare de die illa, ut timor ineutiatur. Unde *Hier.* Sive comedam, sive bibam, sive quid aliud agam, semper videtur auribus meis insonare illa vox terribilis: O vos mortui, qui jacetis in sepulchris, surgite, venite ad judicium. *Apoc.* 6. Reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus, & liber abscondent se in speluncis, & petris montium, & dicent montibus, & petris, cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare? Et hoc est, quod hic dicitur: [Tunc incipient dicere montibus, &c.] Ad litteram vellent, si fieri posset, quod montes, & colles caderent super eos, ut non viderent Christum iratum. *Mal.* 3. Quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. *Isa.* 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravis ad portandum, labia ejus repleta sunt indignatione, & lingua ejus, quasi ignis devorans, & spiritus ejus, quasi torrens inundans ex abundanti.

> *a* Tunc *b* incipient dicere *c* montibus: *d* Cadite super nos, & *e* collibus: Operite *f* nos. *g* Quia si in viridi ligno hæc *h* faciunt, *i* in arido quid *k* fiet? *l* Du-

Moraliter. * *a* Tunc] i. tempore tentationis. *b* Incipient dicere,] quia tribulatio aperit os. *c* Montibus] i. majoribus sanctis. *d* Cadite super nos,] i. vestris precibus nos defendite condescendentes nobis. *e* Et collibus:] i. minoribus sanctis, sive vivis, sive mortuis. *f* Operite nos.] orationibus, ne videat nos judex iratus. *Job* 24. Non habentes velamen ex se, scil. amplexantur lapides, i. sanctos. *Osee* 10. Lappa, & tribulus ascendet super aras eorum, i. tentatio vana super corda, & dicent montibus operite nos, & collibus cadite super nos. Seq. *g* Quia si in, &c.] Lignum viride Christus est omnium virtutum virore virens, nihil omnino ariditatis habens, quod esset dignum combustione, idest, punitione, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. *Isa.* 53. De hoc ligno dicitur *Prov.* 3. Lignum vitæ est his, qui apprehenderunt eam. Et in *Psalm.* 1. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. *Apoc.* 22. Ostendit mihi flumen, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menses singulos reddens fructum suum. De hoc etiam ligno. *Ezech.* 47. Hoc lignum igne passionis combustum est. Similiter omnes Sancti, qui sunt ligna viridia similiter igne tribulationis uruntur in mundo, quia omnes, qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur, ut dicitur 2. *Tim.* 3. *Eccl.* 27. Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio humiliationis.

Modo enim tempus est tribulationis justorum, 1. *Pet.* 4. Tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei. Continua sic: [Quia si in viridi, &c.] Quasi vere debetis flere super filios vestros, quia si ego, qui sum viride lignum, & fructuosum, patior tam gravia tormenta, ipsi patientur longe graviora, qui sunt lignum aridum, & infructuosum. Vel etiam si Sancti omnes per ignem tribulationis exeunt de mundo, quæ tormenta manent eos, qui omni bono sunt vacui, & peccatis pleni? Et hoc est [Quia si viridi ligno,] i. in Christo, vel quolibet viro justo. *h* Hæc faciunt,] iniqui.

i In arido] i. in peccatore ab omni gratia arefacto. *Job* 10. Pœnæ militant in me. In Christi curia non est miles gula, sed pœna.

k Quid fiet?] i. qualem, & quantam pœnam sustinebunt in futuro. 1. *Pet* 4. Si primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? Et si justus quidem vix salvabitur, impius, & peccator ubi parebunt. *Prov.* 11. Si justus in terra recipit, quanto magis impius, & peccator. Sequitur: *l* Ducebantur autem, &c.] Lucas causa brevitatis aliqua prætermittit, quæ alii plenius exequuntur. Duo tamen determinat, scilic. cum quibus, & ubi fuit Dominus crucifixus, dicens quod cum duobus nequam, & in loco Calvariæ est crucifixus, quæ non carent mysterio. Cum latronibus crucifigi voluit duplici ratione. Prima est, ut prophetia impleretur. *Isa.* 53. Et cum sceleratis reputatus est. Secunda est, ut sic ostenderet, pro quibus pateretur, i. pro peccatoribus. *Matt. c.* 9. Non veni vocare justos, sed peccatores. 1. *Pet.* 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis. In Calvaria vero crucifigi voluit, ut locus damnationis de cetero esset locus glorificationis. *Isa. c.* 60. Gloria Libani ad te veniet abies, & buxus, & pinus, simul ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo. Gloriam Libani dicit lignum crucis, quod de monte Libani fuit allatum, quando Salomon ædificavit templum, ut dicitur, & usque tunc non fuit in opes, aliquod positum. Hoc tamen non est multum authenticum. Alia ligna quæ hic tanguntur, forte fuerunt ibi.

Dominus cum latronibus voluit crucifigi duplici ratione.

Mystice. Duo latrones sunt duo populi, qui animas suas Domino furati fuerant, inter quos Dominus crucifixus est, quia pro utroque in cruce mortuus est. Dexter latro pœnitet, & confitetur, hic est gentilis populus, qui per fidem passionis salvatur. Latro sinister est populus Judaicus, qui adhuc blasphemus existit. Secundum *Aug.* per duos latrones significatur totum genus humanum, in cruce tribulationis, & miseriæ præsentis affixum. Sed altera pars a dextris est crucifixa. Hi sunt, qui pro celesti gloria patiuntur. De quibus dicitur *Rom.* 8. Filii Dei sumus, si autem filii, & hæredes.

Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & simul conglorificemur. Altera pars crucifixa est a sinistris. Hi sunt, qui pro mundi gloria, vel aliqua causa terrena patiuntur. De quibus dicit Dominus *Matt.* 6. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Et hoc est, quod dicitur *Matth.* 24. Duo in agro, unus assumetur, & alter relinquetur.

Moraliter. Jesus est spiritus humanus. Duo latrones, caro, & mundus. Quos secum debet spiritus crucifigere, sicut docet Apostolus *in Epist. ad Gal.* *Moraliter.*

De primo 5. *cap.* ubi dicit: Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.

De secundo dicitur 6 *cap.* Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Caro crucifixa est a dextris, cui dicit spiritus. Hodie mecum eris in paradiso. Latro sinister mundus est, qui omnibus pro Christo crucifixis insultare non cessat. Tres igitur sunt cruces, scil. crux carnis, crux mundi, crux spiritus. Crux carnis, i. in qua caro crucifigitur, est rigor disciplinæ. Cujus quatuor ligna, sunt quatuor partes disciplinæ, i. vigilia, abstinentia, labor manuum, disciplinario verberum. Crux in qua mundus crucifigitur, est paupertas spiritus. Quatuor brachia sunt, consideratio brevitatis mundi, contemplatio æternitatis, aspernatio terrenorum, assidua mortis cogitatio, hoc est principalius in hac cruce. Unde *Hier.* Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.

Crux spiritus, idest, in qua spiritus crucifigitur, est amor Dei. Brachium superius est obedientia. Brachium inferius est humilitas. Brachium dextrum est charitas. Brachium sinistrum est patientia.

In hoc etiam, quod in medio crucifixorum voluit Dominus crucifigi, docet, quod in medio pœnitentium est agenda pœnitentia, & inter disciplinatos est servanda disciplina, Aliter enim, nec scandalum aliorum, nec

▲ periculum proprium effugitur. Unde *Sen.* Nihil tam fugiendum est, quam dissimilium societas. *Eccl.* 13. Omnis caro ad similem sui conjungetur, & omnis homo simili sibi sociabitur. In hoc ergo condemnat Dominus quorumdam singularitatem, imo indiscretionem, qui aliis jejunantibus volunt manducare, & aliis manducantibus volunt jejunare.

Quando alii dormiunt volunt vigilare, & e converso. Tales necessario turbant societatem. Verumtamen in malo non est tenenda societas. *Sen. ad Lucil.*

cebantur *a* autem, & alii duo *b* nequam cum eo, ut interficerentur. Et *d* postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi *e* crucifixerunt eum, *f* & latrones *g* unum a dextris, & alterum a sinistris. *h* Jesus autem dicebat: Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.

Utrumque cavendum, neve similis malis fias, quia multi sunt, neve inimicus multis, quia dissimiles sunt, recede in teipsum, quantum potes, cum his conversare, qui te meliorem facturi sunt, illos admitte, quos tu potes facere meliores. Modo prosequere litteram.

a Ducebantur autem & alii duo] ut hic punctus fiat, Ipsi dico.

b Nequam] quia latrones ducebantur, inquam.

c Cum eo, ut interficerentur.] Hi sunt duo incarcerati cum Joseph. *Gen.* 40. Qui flagellabantur propter peccata, sed unus emendatur, alter ab emendatione destruitur. Hæc autem consuetudo educendi reos ab antiquo inolevit. Unde *Gen.* 38. Producatur Thamar, & comburatur.

Item *Lev.* 24. præcipitur blasphemus lapidari extra castra. Et *Num.* 15. colligens ligna in sabbato. Sed nonne deberet hoc potius fieri in medio castrorum, vel civitatis, cum ideo puniantur, ut alii terreantur? Unde *Lev. cap.* 20. de illo, qui revelaverit pudenda sororis: Occidentur ambo in conspectu populi sui. *Glos.* ut unius afflictio sit multorum correctio. Sol. Extra fiebat, ubi omnes confluere possent, & non esset impedimentum ad videndum, & ne locus publicus esset continuus vicino horrori, si in castris fieret. Fuit autem ista eductio Christi figurata ante legem, sicut dicit *Hier.* & in lege. Ante legem per Abel, quem eduxit Cain in agrum, ubi occidit eum: *Gen.* 4.

Item per Isaac, quem eduxit Abraham in montem, ut eum Domino immolaret: *Gen.* 22. Vel per Joseph, qui in deserto Dothaim projectum est a fratribus in cisternam: *Gen.* 37. In lege vero per serpentem æneum, quem Moyses in deserto suspendit in patibulo. *Nu.* 21. Prophetia etiam fuit. Unde *Deut.* 28. Erit vita tua quasi pendens ante te, timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. *Isa.* 50. & 53. Per totum *Jer.* 11. Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. *Dan. cap.* 9. Post hebdomadas sexagintaduas occidetur Christus & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. *Zach.* 13. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum: Et dicit: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me, idest, in domo Abrahami, Isaac, & Jacob. Sequitur:

d Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ.] 4. *Reg. c.* 9. Non invenerunt, nisi calvariam ejus, &c. Calvaria est caput hominis mortui a carne & capillis nudatum, scil. ipsum os capitis nudatum, quale solet circa sepulchra in cœmeteriis inveniri. Erat ergo locus extra civitatem deputatus morti damnatorum, & dicebatur locus Calvariæ, vel calvarium, ut nomine contenti continens designetur, quia ibi continebantur calvariæ damnatorum, qui ibi decollabantur, vel forte suspendebantur. Dixerunt autem quidam locum illum dictum calvariam propter calvariam Adæ ibi sepulti. Sed *Hier.* dicit tales mentiri. Unde dicit: Dicunt quidam locum calvariæ esse, in quo sepultus est Adam, & ideo sic appellatum, quia ibi conditum est corpus ejus, & hoc est, quod Apostolus ait: surge, qui dormis, & illuminabit te Christus. Favorabilis interpretatio, & mulcens aures populi, nec tamen vera, quia Adam sepultus legitur juxta Hebron. *Jos. cap.* 14. Sed dicit *Ambros. ad Rom.* quod hic sepultus est Adam, unde & depingitur sub cruce. Sed dicimus, quod est Ambrosii adoperti, & consentimus *Hier.*

Item *Hier.* Si Golgotha tumulus est Adam, & non damnatorum locus, & ideo crucifigitur Dominus, ut suscitet Adam, quare duo lattones hic crucifiguntur: Erat autem locus ille tunc extra civitatem, in quo significatur, quod passio Christi profutura erat, non Judæis, qui in civitate manebant, sed gentibus, quæ juxta erant. Similiter si volumus, ut nobis prosit, oportet, ut non habitemus in civitate mundi, sed extra simus mente, & desiderio, vel corpore, ut religiosi. *Hebr. c.* 13. Propter quod & Jesus, ut sanctificaret populum per suum sanguinem, extra portam passus est: Exeamus igitur ad eum extra civitatem, improperium ejus portantes: Non enim habemus hic manentem civitatē, &c. *e* Ibi crucifixerunt eum,] *Prov. c.* 22. Configet eos, qui confixerunt animam ejus. *Zach. c.* 12. Aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent. *Mal. c.* 3. Si affiget homo Deum, quia vos configitis me. Et *inf.* In decimis, idest, propter decimas. *Hab. c.* 3. Cornua in manibus ejus, &c.

f Et latrones] accusative sup. crucifixerunt.

g Unum a dextris, & alterum a sinistris.] ut communicaret Christus opinioni eorum. *Ambr.* Execrabilis in facto iniquitas Judæorum, quæ quasi latronem crucifigit omnium redemptorem, bonus tamen in mysterio latro, qui insidiatus est diabolo, ut vasa ejus auferret. Summa est, quia crucifigunt eum, quasi latronem, quem tamen nesciunt esse bonum latronem, quia quadam pia fraude surripuit vasa diaboli, sicut dicentes eum filium fabri, nesciebant se verum dicere, quia revera fuit filius fabri, qui fabricatus est Auroram, & Solem. *Apoc. cap.* 3. Veniam ad te quasi fur, *sup.* 12. Si sciret pater familias, qua hora fur veniret, i. judex. Bonus latro, qui coram oculis capit. *Job c.* 40. In oculis ejus quasi hamo capiet eum.

Jam multi claustrales volunt crucem suam figi in calvaria, i. in sterili, & arido loco. Isa. 35. Erit desertum in Camel. &c.

h Jesus autem dicebat: Pater dimitte illis: Non enim sciunt, quid faciunt.] Quod docuit Jesus, hoc facit, scil. orare pro inimicis. *Matth. cap.* 5. Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est. *Isa. cap.* 53. Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus oravit. Et non solum oravit pro inimicis, imo allegavit pro illis, scilic. non enim sciunt, quid faciunt. Sic & Stephanus *Act. cap.* 7. Lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum meum, &c. Domine ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt. A patris autem nomine inchoavit Jesus orationem suam, ut citius impetraret. *B. Bern.* Oratio, quæ paterno dulcescit nomine, omnium petitionum mearum impetrandarum mihi fiduciam præstat. Unde cum discipuli rogassent eum, ut doceret eos orare, dicentes: Domine, doce nos orare, sicut Joannes docuit discipulos suos. Ait illis: Cum oratis, dicite, Pater sanctificetur nomen tuum, *sup.* 11. Nota, quia Lucas in figura vituli merito pingitur, quia in principio libri sui de sacerdotio incipit, & hic quoque de sacerdotio Christi agit, ubi dicit Christum orare pro persecutoribus. Unde *Bed.* Quia Lucas sacerdotium Christi scribere disposuit, recte Dominus apud Deum pro persecutoribus jure sacerdotis intercedit, &c. *Jo.* 2. Advocatum habemus, &c. *Rom.* 8. Spiritus postulat, &c. Ex hac etiam *Glos.* est argumentum, quod Sacerdotes de jure debent orare pro persecutoribus suis. *Num.* 16. Moyses, & Aaron orant pro persecutoribus suis. Sed contra 2. *Paral.* 24. de Zacharia, qui cum moreretur, ait: Videat Dominus, & requirat. Sed hoc solvitur per *Gloss.* hic sequentem *Bed.* Non orat pro eis, qui per invidiam, & superbiam, quem filium Dei intellexerunt, negant, & crucifigunt, sed pro eis, qui zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam. *Rom.* 10. Nescierunt, quid fecerunt. Et exauditus fuit, quia uno die crediderunt tria millia, alio quinque. *Act. cap.* 2. Item 4. *Joann. cap.* 17. Ego pro eis rogo, non pro mundo, &c. Et *inf.* Non pro eis autem tantum rogo, sed pro eis, qui per verbum eorum credituri sunt in me. Contra principium *Glos.* est hoc, quod dicitur 1. *Cor.* 2. Et si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Solut. Intellexerunt, idest, vehementer suspicati sunt. Vel, idest, intellexisse reputantur *sup. duodecimo*. Qui cognovit voluntatem, &c. *Glos.* Cum possent ferre, si vellent studium adhibere, non nescientes sed contemnentes judicandi sunt. *Jerem. nono*. In dolo renuerunt me scire, Dicit Dominus. 1. *Joann.* 5. Est peccatum ad mortem, & non pro illo dico, ut roget quis. Sed contra *Psal.* 55. Pro nihilo salvos facies illos. *Gl.* Noli desperare, quem roges, attende non pro quo roges. Sol.

Δ Tim. 2.

*Tim.*2. Novit Dominus, qui sunt ejus, & ideo scit, pro quibus orandum sit, nos autem nescimus. Tamen sensus *Gl.* est, non orat, i. non dicitur orare, quia ipse convertit quandoque ex Basan, i. despetatissimos inquantum Deus, pro iisdem tamen orat inquantum homo. Seq. *a* Dividentes, &c.]

a dividentes vero vestimenta ejus miserunt sortes. Et *b* stabat populus expectans, *c* & deridebant illum principes cum eis *d* dicentes, alios salvos fecit, *e* se salvum faciat, si hic *f* est Christus Dei electus. *g* Illudebant autem ei & milites,

*Jo.*19. plenius, & expressius, narrat hanc historiam. Dicit enim, quod secundum numerum suum diviserunt sibi milites vestimenta Jesu, ita quod unusquisque habuit suam partem præter tunicam inconsutilem, quæ erat desuper contexta per tot. Erat enim reticulata, i. facta in modum retis, & ita non erat consuta acu, sed insuper homerali a manica in manicam panno in transversum desuper insuta, sicut pelliceis in superhumerali a manica in manicam subsuimus latam corrigiam ad robur ipsarum pelliciarum, Tunica ergo non fuit divisa, sed sortita. Hæc autem magnum habent mysterium. Sed litteram videamus primo,

Matth. 27. Marc. 15.

a Dividentes vero, &c.] Sic construe. [Dividentes vero vestimenta sua] supple alia a tunica [miserunt sortes] supple super tunicam, Vel potest dici, quod miserunt sortes super vestimenta sua divisa, quia factis inde quatuor partibus, potuit esse, quod jecerunt sortem, quæ pars in cujus sortem caderet, *Ps.*21. Diviserunt sibi vestimenta, &c. *Ambr.* Ascensurus crucem regalia deposuit ornamenta, ut scias quasi hominem passum esse, non quasi Deum regem, sed in judicio quasi victur assistit, ideo & tunc regali purpura indutus est, vel veste alba.

Chrysost. In latronibus hoc non fecerunt [Miserunt] *Aug. Marc.* 15. Mittentes sortem super eis. Tanquam super omnibus vestibus sors missa sit, sed brevitas facit obscuritatem. Ac si diceret Divisio omnium vestimentorum completa non esset, nisi forte accepisset quis tunicam, &c.

Mystice.

Mystice secundum *Bed.* Vestis Domini quadripartita est Ecclesia Christi, per quatuor mundi partes diffusa, Christi nuditate induta, Christi paupertate ditata, Christi morte vivificata. Unde *Ezech.* 37. A quatuor Ventis veni, spiritus, & insuffla super interfectos istos, & revivificant. 2. *Cor,* 8. Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. Quod autem Ecclesia sit vestis Christi, dicitur *Is.* 49. ubi loquitur pater ad filium dicens, Vivit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris.

Item *Gal.* 3. quotquot baptizati estis, Christum induistis, sicut tunica induit hominem. Tunica inconsutilis, & indivisa est unitas Ecclesiæ usque in finem sæculi duratura. *Act* 4. Multitudinis credentium, &c. *Cant.*6. Una est columba mea. Hæc unitas vinculo charitatis quasi glutino continetur, quia charitas est glutinum Ecclesiæ, significata per bitumen, quo linita est arca Noe intus, & extra. Sors autem, quæ hanc tunicam assignat, est gratia Dei, quæ hanc unitatem integram conservat. Recte autem nomine sortis gratia Dei significatur. Sicut enim sors de communi consensu mittitur, & super unum tantum cadit, omnibus tamen satisfacit, sic gratia Dei tantum uni datur, idest, unitati Ecclesiæ, & in unitate datur omnibus.

Item sicut sors nemini favet pro dignitate, vel personatu, vel primatu, sed occulto Dei judicio non meritis personæ cadit, sic gratia Dei nemini datur pro personatu, sed sola Dei dispositione, & occulta voluntate venit. *Jo.* 3. Spiritus, ubi vult, spirat, & nescis, unde veniat, aut quo vadat. *Prov.*16. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur. *Eccl.*14. In divisione sortis da, & accipe. Vel super tunicam Domini sortes mittuntur a militibus, quia bona Ecclesiæ casu, & fortuna assignatur nobilibus. *Abd.*1. Super Jerusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis. Secundum *B.Bern.* vestes Domini sunt misericordia, & veritas, &c. Unde *Job* 29. Justitia indutus sum, & vestivi me, sicut vestimento, & diademate, judicio meo. Tunica inconsutilis est Christi charitas indivisibilis. *Gen.*37 Israel diligebat Joseph, eo quod in senectute genuisset eum, fecitque ei tunicam polymitam.

Secundum *Hieron.* vestimenta Christi, sunt præcepta Dei, quibus tegitur corpus ejus, idest, Ecclesia. *Is.* 61. Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento justitiæ circumdedit me.

Quatuor milites, quibus divisa sunt vestimenta, sunt quatuor genera hominum, quibus data sunt præcepta, sc. conjugati, viduati, prælati, religiosi. Qui omnes dicuntur milites, quia omnes militant, vel Christo, vel diabolo. *Job* 7. Militia est vita hominis super terram. Item *Job* 25. Numquid est numerus militum ejus. 2.*Tim.* 2. Labora sicut bonus miles Christi, non diaboli. Et quomodo ipse determinat consequenter.

Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis, Per tunicam inconsutilem, intellige unitatem Ecclesiasticam; per sortes gratiam Dei, sicut prius. Seq. *b* Et stabat populus expectans.] Aliqui ut considerarent finem. *Soph.*3. Expecta me in die resurrectionis meæ. Aliqui ut deriderent. Unde seq. *c* Et deridebant illum principes] Sacerdotum [cum eis] i. cum populo. *Job c.* 12. Deridetur justi simplicitas. *d* Dicentes, alios salvos fecit] Verum dicunt, sed nolentes, quia multos salvos fecit a culpa, & pœna. Ad hoc enim venit in mundum.

Unde vocatus est Jesus, i. Salvator. *Matth.*1. Vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim, &c. Et in hoc verbo se damnabiles ostendunt nolentes, quia velint, nolint, fatentur, quod alios salvos fecerit, scil. quod ægros sanaverit, & mortuos suscitaverit. Hoc enim negare non poterant. Ubi ergo occidunt, quem fatentur alios salvos fecisse, se damnabiles ostendunt. *e* Se salvum faciat,] idest, a cruce liberet. Ac si probabiliter dicerent, apparet, quod cum alios salvos fecerit, in virtute Beelzebub hoc fecit, sicut nos dicebamus. Si enim propria virtute hoc faceret, modo seipsum salvaret.

f Si hic est Christus Dei electus,] q. d. si non liberat se, non est Christus Dei electus. *Chr.* O iniquitati, neque Prophetæ erant Prophetæ, neque justi justi: quia non liberavit eos Deus a periculis. *Sap.* 2. Tentemus, quæ ventura sunt illi, & sciemus, quæ erunt novissima illius. Si enim est verus Dei filius, suscipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Sequitur.

g Illudebant autem ei & milites,] jam crucifixo, cui etiam illuserant nondum crucifixo, induentes eum purpura, & coronantes eum spinis, & genua ante eum quasi ante regem flectentes, sicut narratur *Marc.*15. Quæ fuit tertia illusio Christi. Ter enim, & a tribus, & in tribus locis fuit Christo illusum, sicut prædictum est.

Primo a Sacerdotibus in domo principis Sacerdotum, quando velata ejus facie sputis, & alapis afficiebant eum, dicentes, prophetiza, &c.

Secundo, fuit Christo illusum ab Herode, & exercitu ejus in domo ipsius Herodis, quando induerunt eum veste alba, ut dictum est, *sup. eod.*

Tertio, fuit Christo illusum a militibus Romanis in prætorio Pilati, quam illusionem hic in parte tangit Lucas. Et propter hanc triplicem illusionem Christo illatam, triplex honor exhibetur ei in die Parasceve, trina genuflexione, & trina laudis decantatione. Significat autem hæc triplex illusio Christi triplicem illusionem, qua eidem, idest, Christo, illuditur quotidie.

Primo a Sacerdotibus in domo Pontificis. *Is.* 28. Audite verbum Domini viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Jerusalem, i. in Ecclesia.

Secundo, a principibus. *Psalm.*2. Astiterunt reges terræ, &c.

Tertio, a minoribus *Jer.* 15. Væ mihi mater mea, quare, &c. omnes maledicunt mihi. Attendendus est autem ordo illusionum, & dignitas illusorum.

Prima est illusio Sacerdotum, quos Dominus super omnes homines sublimavit, & honoravit, unde honorem Christi super omnes deberent quærere, & injurias vindicare, & ipsi e contrario priores sunt, & pejores in contumeliis, & illusionibus Christi.

Unde *Is.* 1. Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me, *Ps.*108. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi. Et tu quid, Domine? Ego autem orabam.

Secunda est illusio regis, & principum, quos Dominus secundo loco plus sublimavit, & honoravit in terra, & ipsi post Sacerdotes magis dehonorant ipsum.

Osee 7. Cœperunt principes furere a vino, extendebat manum suam cum illusoribus, idest, cum Sacerdotibus.

*Is.c.*37. Super quem lusistis? super quem dilatastis os, & ejecistis linguam? Numquid non vos filii scelesti, &c.

Tertia

a Tertia est illusio militum, quos Dominus tertio gradu, i. post principes plus honoravit in terra, quia eos libertati donavit, ut nulla servitute tenerentur obnoxii, sed magis essent domini aliorum: Et ipsi post principes magis offendunt, quia populum, quem deberent tueri, & defendere, opprimunt, & affligunt. Unde *Is.* 3. populum meum exactores sui spoliaverunt. Illudunt etiam aliter milites, & principes Christo quia dum orant in templo mi-

a accedentes; & *b* acetum offerentes, *c* & dicentes. Si tu es rex Judæorum, salvum te fac. *d* Erat autē & superscriptio scripta super eum litteris Grecis, & Hebraicis, & Latinis: Hic est rex Judæorum.

tæ videntur devotionis, sed tamen Dominum persequuntur, & derident in membris. *Prov.* 3. Illusores quoque, &c. *Is.* 37. Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem tuam, & levasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum Israel in manu servorum tuorum exprobrasti. *B. Bern.* Totus mundus contra te conjurasse videtur, bone Jesu, & hi primi sunt, qui videntur tegere populum, gerere principatum. 1. *Esd.* 9. Manus principum, & magistratuum fuit in transgressione hac prima. Nota, quod præterit Lucas de celebri illusione, quæ facta est Domino pendenti in cruce, quando insultabant ei dicentes. Si rex Israel es, descende de cruce, & credimus tibi. Et videbatur probabilis eorum illusio, q.d. non venisti, nisi ut Israel converteres ad fidem, ergo descende, & credimus tibi. Hæc illusio celebris facta est post tres supra dictas illusiones, pro quibus, ut dictum est, in die Parasceves recompensamus ei trinam adorationem ante revelationem Crucis. Pro hac autem celebri quarta illusione, revelata cruce, omnes occurrimus ad adorandum crucem. Seq. *a* Accedentes] ad Jesum corpore, sed recedentes corde. *Ps.* 37. Et qui juxta me erant, de longe steterunt. *b* Et acetum offerentes] ori ejus. Hic etiam præterit, quod apud Joannem legitur, quia Dominus pendens in Cruce ait: Sitio, & intinxerunt spongiam in aceto, & imposuerunt arundini, & ita propinaverunt ei acetum, ut maturius expiraret. Ajunt enim physici, quod si detur acetum posito in cruce, vel in alio patibulo, citius expirat. Ideoque propinaverunt ei, ne fatigaret eos diuturna expectatio mortis, quia milites crucifigentes non poterant reverti, donec obiisset. Vel acetum, i. vinum acetosum, quod forte ideo secum portaverant, ut inde potarent crucifixos, ut citius morerentur, sicut dictum est. Vel forte vinum, quod milites secum portaverant ad bibendum, propter calorem corruptum est, & acuerat, quia terra calida est, & illud propinaverunt ei, quando dixit. Sitio. *Matth.* 27. dicit. Dederunt ei vinum cum felle mixtum. Unde *Hab.* 2. Væ qui potum dat amico suo, & miscet fel. *Marc.* 15. dicit vinum myrrhatum. Et *Aug. de concordia Evangelist.* glossat, i. vinum amarissimum. Forte Judæi posuerunt ei fel, & myrrham, quæ amarissima sunt, quod fuit ea maxima malitia. Unde *Bern.* Amara vitis amarum vinum facit, & propinat Jesu. Et sumitur hoc de *Jer.* 2. ubi dicitur. Quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena. *Ps.* 68. Et in siti mea potaverunt me aceto. *Ambr.* Acetum bibitur, & vitium corruptæ per Adam immortalitatis abolετur. *Prov.* 10. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, &c. Mystice. Ipsi Judæi erant acetum, i. vinum acidum, quia vinea Soreth primo protulit vinum bonum in Patriarchis, sed vinum acidum in perversa medietate. Vel etiam vinum myrrhatum sicut dicit Marcus, significat amaritudinem peccatorum, quam Judæi obtulerunt Domino sitienti salutem eorum. Unde *Ps.* 68 Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Et adhuc multi idem faciunt. Christus enim sitit vinum charitatis, & ipsi offerunt ei vinum iniquitatis. De quo *Prov.* 4. Panem impietatis comedunt, & vinum iniquitatis bibunt, illi, *sc.* de quibus loquimur hic, sc. Sacerdotes, principes, & milites. Sed certe, qui modo potat Jesum tali vino, potabitur ab ipso vino iræ indignationis suæ. Unde *Apoc.* 16. Babylon magna venit in memoriam ante Deum, date illi calicem vini indignationis, & iræ ejus. Seq. *c* Et dicentes, &c.] Duo imponebantur Domino. Unum, quod faciebat se Christum promissum in lege, alterum, quod dicebat se regem Judæorum. Sacerdotes legem scientes Christo in lege promisso, & expresso illuserunt. Unde dixerunt, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus. Milites vero legis ignari regi Judæorum insultaverunt, quod magis videbatur esse contra Cæsarem. Unde dixerunt. [Si tu es rex Judæorum, salvum te fac] i. a morte te libera. Hoc suggerebat diabolus jam cognoscens mysterium Crucis, quod prius fuit ei occultum, quando mortem ejus persuasit. Sed Dominus non acquievit suggestioni, docens in tribulatione perseverantiam. *b* Erat autem, &c.] *Aug.* Corde, non carne: *Marc.* 15. dicit: Et erat titulus causæ ejus inscriptus, rex Judæorum: Et dicitur titulus causæ ejus, quia continet causam crucifixionis ejus, sc. rex Judæorum. Hæc enim fuit una de præcipuis causis suæ crucifixionis, quia scil. dicebat se regem Judæorum.

Item dicitur titulus causæ ejus, quia indicat triumphum Christi, & causam triumphi. Per hoc enim, quod dicitur Rex Judæorum, ostenditur, quod non in morte perdidit Dominus regnum, & dominium Judæorum, sed magis acquisivit. Verorum Judæorum dico. Unde & dicitur titulus triumphalis, ad differentiam aliorum. *Hier. sup. Ps.* 58. Eripe me de inimicis meis, distinguit triplicem titulum, idest, titulum memorialem, præconialem, triumphalem. Memorialis est, qui fit in memoriam, sicut epitaphia, quæ fiunt super sepulchra mortuorum, ut memoria eorum celebretur. Præconialis est, qui scribitur in portis nobilium civitatum, vel super limina domorum in laudem, & præconium eorum, ut civitas solis. *Is.* 19. vel domus Julii, & hujusmodi. Titulus triumphalis est, qui continet causam, & ordinem triumphi, qui antiquitus scribebatur in arcubus. Talis fuit hic titulus de quo *Is.* 19. Dixit prophetice, erit altare in medio Ægypti, idest, crux in medio mundi, & titulus Domini juxta terminum ejus. Erat autem scriptus tribus linguis, idest, Græca, Latina, Hebraica. Licet enim essent septuagintaduæ linguæ, tamen his tantum tribus scriptus est. Et dicit *Gloss.* causam, quia scilicet, hæ præ ceteris eminebant. Græca eminebat propter sapientiam Græcorum, Latina propter potentiam Romanorum, Hebraica propter religionem, & mansuetudinem Judæorum. Item ideo ut omnes, qui erant tunc Jerosolymis, possent legere, & intelligere causam mortis Domini.

Gl. Bed. titulus, qui Christum regem, &c. Et *inf.* Et credere volentibus pateat &c. Superpositus est ad hoc Deo procurante: Non tamen credo, quod Pilatus ad hoc intendebat superponere. Tamen quod Pilatus ad hoc intendebat superponere. Tamen quod Pilatus crederet in Christum, innuitur 3. *Reg.* 3. Postquam ego peperi, peperit & hæc. *Gl.* Si consideres Pilatum lavantem manus, & dicentem: Mundus ego sum, &c. Et Centurionem confitentem. Vere filius Dei erat iste: Et eos qui ante Passionem, per Philippum Dominum videre desiderant, non ambigis primam peperisse Ecclesiam, & postea natum populum Judæorum. Ergo Ecclesia peperit Pilatum. Sol. In mysterio significabat Ecclesiam primo parere gentes, &c.

Beda. Ut omnes lingua confiteantur, &c. Philip. 2. Matth. 27. Marc. 15.

Item ut pro omnibus pati, & omnibus dominari in perpetuum ostenderetur.

Unde cum Judæi dixissent Pilato: Noli scribere Rex Judæorum, &c. respondit. Quod scripsi, scripsi, quia titulus iste, quem apposui, indelebilis, & perpetuus est. In *Psalm.* 48. *in titulo August.* Tribus linguis, quasi tribus testibus, titulus est approbatus, quia in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum. *Deuter.* 19. Certum est autem hoc esse scriptum tribus linguis, scil. Rex Judæorum.

In Græco enim scriptum est, βασιλεὺς ἐξομολογούντων.

In Hebræo vero Malchus Judæorum. In Latino, rex confitentium. Quod autem præcedit, sc. Jesus Nazarenus, potuit tantum Hebraice scribi. Sciendum etiam, quod Crux Domini prius fuit tantum trium brachiorum similis litteræ Græcæ Tau, ita quod nihil erat super lignum transversum, & caput Domini retro penderet.

Unde & ait Dominus in Evangelio: Filius hominis non habet, ubi reclinet caput suum, idest, non habebit in Cruce.

Pilatus vero apponi fecit superius brachium, & in illo ex transverso posuit tabellam, in qua scripsit titulum. Et non est mirandum, si de diversis lignis inveniatur crux Dominica, quia de alio ligno fuit lignum transversum, & de alio lignum rectum, & de alio truncus terræ infixus, cui infixum est lignum longum. Et præter hæc ligna superposita est cavilla a Pilato, in qua posita est tabella, ubi scriptus est titulus. Hinc est, quod crucibus nostris superponuntur quasi quædam parvæ cruces, ut in una cruce videantur esse quasi duæ.

Moral. Crux quatuor brachiorum, significat quatuor virtutes, in quibus debet extendi, & crucifigi homo inte-

a rior;

a unus autem de his, qui pendebant, latronibus blasphemabat eum, dicens: Si *b* tu es Christus, salvum fac teipsum, & nos. *c* Respondens autem alter increpabat eum, *d* dicens: Neque tu times Deum, *e* qui in eadem damnatione es. Et *f* nos quidem juste, *g* nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit. Et *h* dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi *i* Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. *k* Erat autem fere hora sexta,

rior. Brachium inferius, est humilitas, quæ semper descendit. Brachium superius, est obedientia, quæ debetur superiori. Brachium sinistrum est patientia in adversis. Brachium dextrum, est pietas in prosperis. Et de hac cruce quadrimembri dicitur *Eph.* 3. In charitate radicati, & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, Seq.

Matth. 17. Act. 1

F

a Unus autem, &c.] *Chr.* Si quis solem tenebrosum æstimet, nunquid stellæ illi detraxit, vel sibiipsi? Ita qui malos bonos æstimant, vel e converso, seipsos confundunt. Sed *Matth.* & *Marc.* dicunt, quod ambo blasphemabant. Et *Hier.* solvit dicens, quod *Matth.* & *Marc.* ponunt plurale pro singulari. *Ambr.* vero, & *Bed.* & *Chr.* dicunt, quod uterque prius blasphemavit, sed visis signis dexter pœnituit, & sinistrum corripuit in blasphemia persistentem. Bene ergo potuit esse, quod dexter primo fuit iniquus: sed Deo inspirante conversus. Dominus autem non respondet sinistro latroni blasphemanti, sed dextro veniam postulanti respondit, concedens quod petebat, in hoc dans nobis exemplum patientiæ, & liberalitatis. In hoc autem quod crucifixorum unus blasphemat, alter supplicat, significatur, quod miserorum, & afflictorum alii patienter sustinent, alii murmurant. Unde *Matt.* 24. Duæ in mola, una assumetur, & altera relinquetur. Et hoc est. [Unus autem, &c.] Seq.

Taliter dicunt amatores mundani in gulositate, & per impassionem.

b Dicens, si tu es Christus, salvum fac teipsum, & nos] salute corporali, de spirituali non curat, sic multi plus de salute corporis quam animæ sunt solliciti. *Sap.* 2. Venite, & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura, &c. *Is.* 22. Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. Non respondit autem Dominus isti latroni. Et dicit *Chrys.* Mirabilius est videre hominem convicia passum, & non motum, quam hominem vulneratum, & percussum, & non cadentem.

c Respondens autem alter, &c.] Hic latro factus est magister, & orator. *Hier.* In ambobus latronibus uterque populus exprimitur, quorum gentilis adhuc blasphemat Judæum. Hæc etiam increpatio secundum *Amb.* figurabat dissensionem credentium.

d Dicens, neque tu times Deum] sup. quem deberes timere, eo magis. *e* Qui in eadem damnatione es.] Unde saltem hic deberes quærere liberationem, & non deridere. *f* Et nos quidem juste] patimur supple. *g* Nam digna, &c.] & tamen patitur. 1. *Pet.* 2. Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste. Quæ enim gratia, si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si benefacientes patienter suffertis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia Christus passus est pro nobis, &c. *h* Et dicebat ad, &c.] *Jo.* 18. Regnum meum non est hic. *Gen.* 40. Memento mei, cum bene tibi fuerit. *Prov.* 10. Memoria justi cum laudibus. *Chr.* Latro, qui in ultima nequitia putrefactus erat, qui in occisionibus, & parietum suffossionibus vitam consumpserat, tunc confessus est, & regni meminit. *i* Et dixit illi Jesus, &c.] i. in gaudio fruitionis, vel in aliquo loco amœno. Vel forte cum Christo in limbo.

Paradisus:
- Hortus. *Gen.* 2. Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio.
- Patria cœlestis. *Apoc.* 2. Qui vicerit, dabo illi edere de ligno vitæ, quod est in paradiso. 2. *Cor.* 12. Raptus est in paradisum.
- Scripturæ. *Cant.* 5. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.
- Ecclesia. *Gen.* 2. Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.
- Religio. *Gen.* 13. Regio Jordanis universa irrigabatur sicut paradisus Domini.
- Beata Virgo. *Eccl.* 24. Ego sicut aquæductus exivi de paradiso.
- Timor Domini. *Eccl.* 40. Timor Domini sicut paradisus benedictionis.
- Gratia. *Eccl.* 40. Gratia sicut paradisus in benedictionibus.

Aliqui sic distinguunt. Hodie mecum eris [ut hic fiat distinctio,] quod est esse [in paradiso,] i. in jucunditate, & quiete. Non enim est putandum, quod anima latronis translata sit in paradisum Adæ, vel ascenderit ad paradisum Angeli, ad quem nemo ascendit ante Christum. Et potuit esse quod per triduum illud fuit in limbo inferni, A resurrectione vero usque ad ascensionem fuit in extremis maris, i. infra amplissimos fines sæculi. Vel ita construe. [Hodie eris in paradiso.] quod est esse [mecum] *Amb.* *Gl.* vita est esse cum Christo, quia ubi est Christus, ibi est regnum. *Ambr.* Pulcherrimum affectandæ † conversationis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur, & uberior gratia quam precatio, Semper enim plus tribuit, quam rogatur. Ille rogabat. Memento mei cum veneris in regnum tuum, Dominus ait, hodie mecum eris in paradiso. Cito ignoscit Dominus, quia ille cito convertitur. Seq.

al. † conversionis.

Ps. 76. Voce mea ad Dominum clamavi, &c. *Gl.* Intendere Dei est dare totum, quod petitur, & plusquam petitur. Contra *Marc.* 5. Dæmones rogant, ut permittat eos intrare in porcos, quod eis tribuit, & non plus. Sol. Cum placatus dat, scil. ex misericordia, plus dat. Unde *sup.* 10. quærit legislator. Quis est meus proximus? Et Dominus eum docet, qui est proximus, & quomodo diligendus sit, *sup.* 1. Exaudita est deprecatio tua, &c. *Is.* 30. Item 3. *Regum* 3. De Salomone, &c.

k Erat autem fere hora sexta] Duo Evangelistæ conveniunt in hoc, sc. Joannes, & Lucas, quod Dominus crucifixum hora sexta, solus Marcus dicit crucifixum hora tertia. De historia horæ crucifixionis potius credimus Joanni, qui præsens affuit, & recedentibus aliis solus cum matre Domini remansit. Quod ergo dicit Marcus, non est intelligendum de crucifixione operis, sed de crucifixione clamoris, quia hora tertia crucifixus est linguis Judæorum inclamantium, sed hora sexta creditur elevatus in Cruce. Neuter tamen duorum Evangelistarum simpliciter dicit hora sexta, imo hic dicitur [fere sexta,] & in *Jo.* quasi sexta. Ideo probabiliter æstimari potest crucifixus inter tertiam, & sextam. Ideoque *Marc.* dicit factum hora tertia, alii hora sexta. Et locuti sunt secundum usum loquendi, ut si forte fiat seditio in civitate inter tertiam, & sextam, si quæratur ab eo, qui interfuit principio seditionis qua hora facta fuit seditio, dicet hora tertia, quia in ejus confinio facta est. Si idem quæratur ab eo, qui interfuit circa finem seditionis, dicet hora sexta. Ad hunc modum Evangelistæ locuti sunt de crucifixione Christi, quia facta est in confinio duarum horarum.

Et hanc opinionem approbat consuetudo Ecclesiæ, ut potius assertio sit, quam opinio. Cum enim missa repræsentatio sit Dominicæ crucifixionis, inter horam tertiam, & sextam consuevit Ecclesia celebrare missam, & hoc in majoribus Ecclesiis, hoc ipso insinuans inter illas duas horas factam esse Dominicam crucifixionem. Hinc est etiam, quod si quandoque pro necessitatis articulo Missa mane cantetur, ut in minoribus Ecclesiis prius debeat decantari hora prima, & tertia, ut si non repræsentet hoc Ecclesia ordine temporis, saltem repræsentet hoc ordine officii in canonicis horis. In diebus tamen jejuniorum hoc non observat Ecclesia, ut missam celebret inter tertiam, & sextam, imo differt usque post sextam, & in quadragesimali jejunio, quod vehementius est, differt post nonam. Ubi forte non est alia ratio quam castrimargia hominum, quia si ante Missa celebraretur, statim Missa celebrata vellent homines comedere.

Item nota, quod hora sexta, feria sexta, & ætate sexta passus est Dominus, quia illa hora peccavit Adam. Unde justum fuit, ut eodem tempore aperiretur janua paradisi Domino moriente, quo fuerat clausa Adam prævaricante. In hoc etiam demonstratur perfectio passionis. Unde *Thr.* 1. O vos omnes, &c.

Item fervor dilectionis. *Apoc.* 1. Oculi ejus tanquam flamma ignis, & pedes ejus similes aurichalcho, sicut in camino ardenti, & facies ejus sicut solis in virtute sua. Item tunc est sol in declinatione, in quo significatur, quod pro peccato, ad quod homo declinaverat, moriebatur, & oriente sole resurrexit, quia pro hominis justificatione surrexit.

Unde.

Unde Rom.4. Mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. *a* Et tenebræ factæ sunt] *Exod.*10. Extende manum tuam in cœlum, & sint tenebræ super terram Ægypti. *Sap.*17. Una catena tenebrarum omnes erant caligati. *b* In universa terra] *Orig. super Exod.* dicit, quod sicut per triduum factæ sunt tenebræ per totam terram Ægypti, non tamen in terra Gessen, ubi erant Hebræi, sic per spatium trium horarum factæ sunt tenebræ per totam Judæam, & non alibi.

Matth. 27. Marc. 15.

Et *a* tenebræ factæ sunt in *b* universa terra usque in *c* horam nonam, & *d* obscuratus est sol, & *e* velum templi scissum est medium. Et *f* clamans *g* voce magna *h* Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

Hoc ita visum est Origeni, quia si in terra gentium tam magnum, & mirandum aliquid contigisset, illud in Scripturis eorum relictum fuisset. In hoc autem non videtur acquiescendum Origeni. In historiis enim dicitur contrarium. Leguntur enim tenebræ factæ Athenis, ubi tunc temporis vigebat studium Philosophiæ, & Dionysius legebat magister in Areopago, qui erat vicus Athenis, in quo erant scholæ: Et quæsitum est ab eo a discipulis, unde tenebræ illæ contigissent, & probatum est, quod tunc non erat eclypsis, cum non esset Luna in synodo cum Sole. Item Luna plena erat, & eclypsis non fit nisi in novilunio. Prætera eclypsis non durat tantum. Unde *Chr.* Tribus horis permansit, eclypsis in una solet fieri temporis ieptatione.

Item in media die, quando ubique terrarum jam clarus dies est.

Item Luna fuitio opposita parte cœli. Item *Hier.* Nulli dubium est, Lunam fuisse plenissimam Paschæ tempore, & ne videretur forte umbra terræ, vel orbis Lunæ, Soli fuisse oppositus, & breves, & ferrugineas fecisset tenebras, trium horarum spatium ponitur, ut omnis causantium occasio tolleretur. Diligentius ergo perquirens Dionysius unde contingeret, dimetiens cursum Solis, & Lunæ, & aliorum Planetarum, inveniens omnia repugnantia, fertur respondisse. Aut elementa mentiuntur, aut Deus naturæ patitur, & creaturæ suæ compatiuntur ei: Inde Sol obscuratus est compatiens suo Creatori, Constituamus ergo aram illi Deo, dixerunt ipsi, & constituerunt. Cumque quærerent quid immolarent illi Deo, respondit, bonorum nostrorum non eget, sed facietis ante ejus aram genuculationes, & pectorum tunsiones. Post multum vero temporis cum venisset Paulus Athenas, & prædicasset unum Deum, quæsivit ubi esset ara ignoti Dei, de qua famam audierat, & dixit se prædicare illum Deum, cujus erat ara illa. Cum ergo Athenis factæ sint tenebræ illæ, constat, quod non tantum in Judæa. Sed *Gloss.* videtur hic esse contraria: Tenebræ effusæ sunt oculis perfidorum, ut fidei lumen resurgeret. Hæc *Gloss* videtur innuere, quod tenebræ tantum sunt super Judæos factæ, qui tunc dicebantur perfidi, sicut adhuc. Sed dic, quod *Gloss.* mystica est, quia mystice tenebræ istæ significabant excæcationem Judæorum, quam secuta est illuminatio gentium.

c Usque in horam nonam.] Sic duraverunt per tres horas, quæ repræsentantur tribus tenebris trium noctium. Vel potius in memoriam triduanæ sepulturæ tribus nocturnis celebramus exequias Christi mortui, quia officium tenebrarum improprie potest dici nocturnum, cum desit invitatorium.

Neque enim in exequiis mortuorum instituit Gregorius decantari invitatorium: imo de novo est introductum in quibusdam Ecclesiis, & in usum redactum. Unde etiam apparet, quod non fiunt nocturni, sed exequium, quia monachi, qui semper in nocturnis suis decantant duodecim lectiones, vel unam solam, ut in æstate, ibi conveniunt nobiscum, nec decantant nisi novem, quod nunquam faciunt nisi in exequiis.

d Et obscuratus est Sol,] *Jer.*15. Occidit Sol, cum adhuc esset dies. *Amos* 8. Occidet Sol Meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. *Job* 5. Per diem incurrent tenebras.

e Et velum templi scissum est medium.] *Chrys.* Prophetia futuræ desolationis. *Hier.* Compatiuntur elementa conditori suo. Refugit Sol, quia non potest videre mortem Christi, collaborat laboranti, & blasphemantibus suæ lucis beneficium retraxit. Omnis creatura compatitur Christo morienti: Nam Sol obscuratur, terra movetur, petræ scinduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur, solus miser homo non compatitur, pro quo solo Christus patitur. *Amos* 6. Et nihil patiebantur super contritione Joseph.

Hanc autem scissionem veli templi repræsentamus singulis annis, cum amovemus velum, & revelamus altaria, quæ per totam quadragesimam sunt velata cortina interposita. Et nota, quia duo fuerunt vela templi, sicut tabernaculi. *Exod.*26. Unum exterius in introitu Sanctorum, aliud interius in introitu Sanctisanctorum. Utrumque scissum fuit Domino moriente.

De interiori testatur *Hier.* de exteriori *Remigius*. Et dicit *Hier. ad Hedibiam q.* 8. In Evangelio, quod Hebraicis litteris scriptum est, legimus non velum templi scissum, sed superliminare templi miræ magnitudinis corruisse. Et *infr.* Mihi videtur in Passione Domini illud velum scissum, quod & in tabernaculo, & in templo positum fuerat, quod appellatur exterius, quia nunc ex parte videmus, & ex parte cognoscimus, &c.

Mystice.

Mystice ergo veli exterioris scissio est ænigmaticæ cognitionis evacuatio, quæ fit in morte justorum, qui transeunt ad gloriam. 1. *Cor. c.* 13. Cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.

Item veli interioris scissio est Judaicæ excæcationis terminatio, quæ in parte facta est jam, sed plenius fiet in fine, quando reliquiæ Israel convertentur ad Dominum, ut dicitur *Is.* c.10.

Item duo vela, duo testamenta sunt. Utrumque divisum est in duas partes, i. in sensum litteralem, & spiritualem, qui prius erant permixti, sed per Christum sunt divisi. Prius erat calix S. Scripturæ in manu Domini plenus mixto, sed Dominus inclinavit ex hoc, i. ex veteri novum, & ex figura veritatem, & ex littera occidente spiritum vivificantem expressit, sicut mel ex favo, & vinum ex acino: Fœcem, quæ adhuc non est exinanita, bibunt Judæi, & hæretici, vinum merum bibunt Catholici Christiani.

Item duo vela, sunt duorum peccatorum genera, sc. peccata spiritualia, & peccata carnalia, quæ velant faciem animæ, ut non possit videre veritatem. Unde clamat Ecclesia: Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Velum interius significat peccata spiritualia, velum exterius significat carnalia peccata. Utrumque dividitur in duas partes, i. in culpam, & pœnam. Culpa nostra fuit, Christus pœnam sustinuit. *Is. c.*43. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Nota *Gl. Bed.* Hoc expirante Domino gestum est, sed Lucas præoccupat volens miraculum Solis conjungere miraculo veli. Scinditur autem velum, ut arca Testamenti, & omnia Legis Sacramenta, quæ tegebantur, appareant, & ad gentes transeant. *Joseph.* ait: Virtutes Angelicas præsides quondam templi tunc pariter conclamasse: Fugiamus ex his sedibus. Sequitur.

f Et clamans] Hic dicit *Ambr.* Clamavit homo divinitatis separatione moriturus. Nam cum divinitas mortis libera sit, utique mors esse non poterat, nisi vita discederet, quia vita divinitas est. Sol. Discederet non ab unione, sed a liberatione mortis.

g Voce magna] præ nimio dolore. In quo & veritas humanitatis, & virtus divinitatis Christi ostenditur. Nisi enim esset verus homo, moriens non clamasset.

Item si esset purus homo, moriens tam fortiter clamare non posset.

Hoc enim est contra naturam aliorum morientium, qui in mortis articulo minime possunt aliquando vocem emittere, in quo innuit se voluntarie mori. *Heb. cap.*5. Cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia. *Ps.* 68. Laboravi clamans raucæ factæ sunt, &c. Et est forma pœnitentis expressa, qui moriens peccato, dolet per contritionem, clamat per confessionem, plorat per satisfactionem, & sic tradit spiritum in manus Dei. *Osee c.*12. Directus est Jacob cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus est, flevit, & rogavit eum, & in Bethel invenit eum, & ibi locutus est nobiscum.

h Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.] *Chrys.* Hæc vox velum scindit, monumenta aperit. Item *Chrys.* Usque ad horam ultimam testimonium perhibet veteri Testamento. *Beda*: Patrem invocans se filium Dei declarat, spiritum commendans non defectum virtutis, sed confidentiam ejusdem cum patre potestatis insinuat. Amat enim gloriam dare patri, in quo nos informat, ut demus gloriam Creatori.

Dicitur dixisse centū quinquaginta vers. Psalm.

Δ Com-

A Commendat autem animam, juxta quod alibi legitur: Lætatum est cor meum, & eaultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, &c. In his autem verbis docet nos moriens magister bonus Jesus, quid faciendum sit nobis in omni periculo tentationis, & in ipso articulo mortis. Tunc enim pater vocandus est, tunc filiali amore ei medullitus adhærendum est, tunc potissimum ei spiritus commendandus est, quia tunc maxime dœmones circumeunt quasi leones præparati ad escam, ut dicitur *Eccl.* 51. Sed quomodo, & qua fronte vocabit patrem, qui nunquam vixit ut filius? Nec tamen etiam nunc respuit Dominus audire clamantes ad ipsum. *Jer.* 3. Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere, sc. in vita tua, saltem amodo voca me pater meus, dux virginitatis meæ es tu, &c. In manus Dei patris commendat spiritum suum, qui se totum ponit in volantate ipsius, ut vere possit dicere cum Christo: Non sicut ego volo, sed sicut tu. *Matth.* 26. Sicut claustrales mundo morientes commendant Deo spiritum suum, i. voluntatem suam, & sensum in manus Prælati; Et exemplo Domini non habent illum resumere usque in diem resurrectionis. *Sap.* 3. Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Claustrales igitur, qui faciunt suam voluntatem, & sequuntur proprium sensum, aut nunquam deposuerunt, & mendaces inveniuntur, aut Christi præveniunt resurrectionem, & antichristi sunt. 1. *Jo.* 2. Sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc antichristi multi facti sunt, onde scimus, quia novissima hora est.

(Margin: C — Matth. 17. Marc. 15.)

Et hæc *a* dicens expiravit. *b* Videns autem Centurio, quod factum fuerat, *c* glorificavit Deum, dicens: *d* Vere *e* hic homo justus erat. Et *f* omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, *g* & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. *h* Stabant autem omnes noti ejus a longe, *i* & mulieres, quæ secutæ erant eum a Galilea, hæc videntes. Et *k* ecce vir, nomine

a Et hæc dicens expiravit.] non alios extorsit. In alio Evangelista habetur: Et inclinato capite emisit spiritum. Et hanc inclinationem capitis repræsentat sacerdos, ubi dicit: Supplices te rogamus, & inclinat caput ante altare.

b Videns autem Centurio, &c.] i. miracula facta, scil. Solis obscurationem, terræ motum, lapidum scissionem, sepulchrorum apertionem, audiens etiam Christi morientis clamorem, credidit Christum esse Dei filium. Unde: *c* Glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat.] *Matth.* 27. dicit: vere hic homo filius Dei erat. Ex remissione enim validæ vocis, quam non possunt proferre homines in articulo mortis, cognovit ipsum potestatem habere ponendi † hominem, & ita Deum esse. *Chrysost.* Semper error seipsum configit, & veritati non volens opitulatur.

(Margin: al. † animam,)

Item *Chrys.* Hoc est signum Jonæ, quod promiserat de cœlo. *Jo.* 8. Cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.

d Vere] *Chrysost.* Veritas a contrariis divulgata magis effulget.

e Hic homo justus erat.] Unde de ipso dixit *Ps.* 10. Justus Dominus, & justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. Et nota, quia *Gl. Bedæ* hinc plane vult, quod Centurio fuit unus de crucifixoribus. Dicebatur autem Centurio, quasi potestatem habens super centum milites sibi subditos. Unde alii dicuntur centuriones, alii decuriones, alii quaterniones.

(Margin: Moral.)

Moraliter autem significat iste Centurio nobiles, & potentes hujus sæculi, qui visa pœna, & tribulatione alicujus viri sancti, ad compunctionem, & pœnitentiam timore commoventur. Unde *Is.* 19. Erit terra Juda Ægypto in pavorem. *Habac.* 3. Domine, audivi auditum tuum, idest, clamorem istum, & timui: In medio duorum animalium cognosceris, idest, duorum latronum. Valde igitur surdus est, vel nimis durus, qui audita lectione Dominicæ Passionis, nec ad timorem movetur, nec ad Dei glorificationem. *Is.* 42. Surdi audite, & cæci intuemini. Notabile etiam est, quia Centurio iste confitetur eum Dei filium, sed non Judæi. Similiter laici auditis pœnis inferni, & passione Christi, compunguntur ad lacrimas, clerici vero non moventur, quia Balaam assuetus monstris non expavit ad vocem asinæ. *Nu.* 22.

f Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud,] Multi enim venerant de civitate, quia prope erat locus crucifixionis. Alii ex amore, & pietate, alii ex malitia, & impietate, alii ex sola curiositate. Sic & modo justi sunt spectaculum omnium. 1. *Cor.* 4. Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

g Et videbant, quæ fiebant, &c.] Hujusmodi percussio pectorum, & exclamatio vocis facta a centurione, in peccatoribus, & tundit pectus, & aliquantulum extollit, canone repræsentatur, ubi dicit sacerdos: Nobis quoque vocem suam. Et nota, quia alii percutiebant pectora dolentes eum injuste occisum: Alii quia timebant eum amplius morte glorificari, illi scil. qui consenserant in mortem ejus, & eam procuraverant, revertebantur domum, viso miraculo, territi. Alii non solum domum revertebantur, sed etiam ad cor pœnitendo, ut centurio, & similes. Unde: Timentes Dominum glorificant. Alii, ut Judæi percutientes pectora solum silentes domum redeunt, & tamen dolentes, & timebant eum in morte amplius glorificari.

h Stabant autem omnes noti ejus a longe,] *Ps.* 87. Elongasti a me amicum, & proximum, &c.

Item *Psalm.* 30. Qui videbant me, foras fugiebant a me, & oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde. *Job* 19. Fratres meos longe fecit a me, & noti mei quasi alieni recesserunt a me. *Job* 6. Necessarii quoque mei recesserunt a me. *Prov.* 19. Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper, & amici procul recesserunt ab eo. *Is.* 63. Et de gentibus non est vir mecum.

i Et mulieres, quæ secutæ erant eum a Galilæa.] stabant supple a longe [hæc videntes,] Sed quomodo mulieres stabant a longe, cum *Joann.* 19. Dicat eas stetisse juxta Crucem Jesu? Ad hoc dicit *Aug.* Tanto intervallo aberant mulieres, ut & juxta dici possent, quia præsto erat in conspectu earum, & longe comparatione turbæ propinquioris. Vel forte primo fuerunt prope cum B. Virgine existentes, quando Dominus commendavit eam Joanni, & postea longius recesserunt propter turbam, ut melius possent videre, quæ fiebant circa Dominum. *Chr.* Discipuli fugerunt, i. affuerunt, & omnia consideraverunt, qualiter clamavit, qualiter expiravit, qualiter petræ scissæ sunt. Et postea addit: Imitemur has mulieres, o nos viri.

(Margin: Moral.)

Moraliter vero istæ mulieres, quæ Christum sequebantur, & ei necessaria ministrabant, significant Prælatos Ecclesiæ, qui matrum, & nutricum spiritualium debent habere officium, & affectum, & sollicitudinem. Unde Paulus 1. *Th.* 2. Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. 1. *Corin.* 4. Sic nos existimet homo, &c. Debet etiam sequi Jesum euntem ad passionem, idest, imitari eum, ut sicut ipse pro toto populo, ita ipsi pro suo grege parati sint mori. 1. *Jo.* 3. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis posuit animam suam, & nos debemus pro fratribus animas ponere. *Jo. c.* 10. Bonus pastor animam suam, &c. Seq.

k Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio vir bonus, & justus, &c.] Jesus emissa voce magna expiravit, & in morte sua miracula fecit, quod centurio, & alii, qui aderant ad spectaculum videntes territi redierunt, & Joseph, & Nicodemus libere potuerunt accedere, & deponere corpus, & sepelire. Joseph iste nobilis erat, & dives, ut dicitur *Marc. c.* 15. Et decurio, ut dicitur hic, i. de curia, & officium curiæ tractans, sive administrans, & ideo potuit habere accessum ad præsidem Romanum, quod non potuisset, si esset pauper, & ignobilis. Erat autem discipulus Christi, sed occultus, ut dicitur *Matth.* 27. Sed circa funeris extrema manifestavit discipulatum. Hic accessit ad Pilatum, & audacter petiit sibi dari corpus Jesu, quo obtento sepelivit in sepulchro

Beda. Decurio est, qui de ordine curiæ est, & officium curiæ administrat. Tamen proprie decurio est, qui habet potestatem super decem, sicut decanus. Et est argumentum hic, quod religiosus in curia potest esse meritorie quamvis dicatur: exeat aulam, &c. Sic & Nehemias erat apud Artaxersem: *Nehem.* 2. *Act.* 5. Gamaliel Legis doctor. *Gloss.* Remanens apud Judæos consilio Apostulorum, ut pessima eorum destrueret consilia, & furorem eorum mitigaret. Sed ubi necessitas est, tunc se manifestat.

(Margin: Sextagam.)

a novo, quod sibi exciderat in petra, hora vespertina paraſceves cum Nicodemo, qui juvit eum. Ille Syndonem habuit, in qua corpus Domini depoſitum de cruce involvit. Nicodemus attulit myrrham, & aloes, quia hæc duo amaritudine ſua arcent vermes a cadaveribus mortuoram, & ea ſervant a putredine. Ideo judicantes illos duos reos pro officio Dominicæ ſepulturæ, apprehenderunt Joſeph, & poſuerunt eum in carcere, Nicodemus vero aufugit. Unde tradunt quidam, ſed non eſt authenticum Dominum primo apparuiſſe Joſeph incarcerato, quia ſolus de diſcipulis erat incarceratus pro eo, licet hoc in Evangelio non legatur. Sic conſtrue.

a Joſeph, qui erat decurio, vir *b* bonus & juſtus. Hic *c* non conſenſerat concilio, & actibus eorum: *d* ab Arimathia *e* civitate Judææ, qui *f* expectabat, & ipſe regnum Dei. Hic *g* acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu, & depoſitum, *h* involvit ſyndone, *i* & poſuit eum in

a Et ecce vir nomine Joſeph, qui erat vir bonus, & juſtus.] Modo ſume inferius litteram.

Gl. Amb. Non Apoſtoli, ſed ipſe Joſeph juſtus, & conſtans, quia ubi Apoſtoli defecerunt, ipſe ſtetit, & Nicodemus, in quo, &c. Medium hujus *Gl.* de myſtico intellectu eſt, ubi innuitur, quod juſtum debet juſtus ſepelire, *Iſ.* 52. Mundamini, qui fertis vaſa Domini; Ergo multo magis, qui tangunt membra ſancta. Unde *Aug. de cura pro mortuis.* Non ſunt contemnenda corpora defunctorum, maximeque juſtorum, in quibus tanquã organis, & vaſis ad omnia bona opera uſus eſt S. Sanctus.

g Acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu,] *Chryſ.* In mortem ſe tradidit, hoſtilitatem ad omnes ſuſcipiens. *Bed.* Si ignotus eſſet, ad principem non accederet, ut corpus impetraret. Et nota, quia idipſum, quod ſepultus eſt a Joſeph & non ab Apoſtolis, eſt ad robur fidei noſtræ contra Judæos: Si enim ſepeliſſent eum Apoſtoli, dicerent alibi aſportaſſe. Modo reſume litteram interpoſitam.

c Hic non conſenſerat conſilio, & actibus eorum:] Ideo tradunt quidam, ſed non eſt authenticum, quod primus Pſalmus, ſcil. Beatus vir, &c. de iſto Joſeph ſpecialiter ſcriptus ſit.

d Ab Arimathia civitate Judææ,] Nomen eſt civitatis, quæ olim dicebatur Ramatha in regione Thamitica juxta Decapolim. Decapolis regio eſt trans Jordanem. *Gloſſ. ſuper Marc.* 7. Qui expectabat, & ipſe regnum Dei.] i. gloriam æternam, vel dilatationem Eccleſiæ. Erat enim diſcipulus Jeſu ſed occultus vitans prius inimicitias Judæorum, ſed in hoc extremo officio minus curat de illis,

> *Hinc eſt, quod a-vus miles Jus habet deponendo ſuſpenſos.*

Gloſſ. Quia, & ipſe diſcipulus Jeſu, ſed occultus, &c. *Ambr.* Quo modo juſtus latebram periculi timore quæſivit? Puto, quod ideo occulte petierit, ut corpus impetraret, non ut periculum caveret, contra *Jo.* 19. Occultus autem propter metum Judæorum. Sol. Idem dicit *Amb.* q.d. plus timebat a propoſitu impediri, ſi aperte intraret ad Pilatum, quam mori.

g Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu.] Hucuſque, ſicut patet: eſt ſuſpenſiva conſtructio, & propter longam interpoſitionem appoſitum eſt hoc pronomen: [Hic.]

> *Myſtice.*

Myſtice Joſeph iſte eſt Prælatus, qui debet eſſe creſcens in virtutibus, & quantum ad ſe, & quantum ad alios: Juxta illud *Gen.* 49. Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu. Item debet eſſe nobilis, animi nobilitate. Unde *Prov. ult.* Nobilis in portis vir ejus, ſcilicet Eccleſiæ. Debet etiam eſſe Decurio, ideſt, officium curæ cœleſtis tractare, & adminiſtrare. Unde 1. *Cor.* 4. Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Vel etiam debet eſſe decurio per impletionem decem mandatorum. Debet etiam eſſe dives divitiis Cœli, ideſt, auro ſapientiæ, argento eloquentiæ, lapidibus pretioſis, ideſt, bonis operibus. Unde *Prov.* 3. Longitudo dierum in dextera ejus, & in ſiniſtra illius divitiæ, & gloria. Debet etiam eſſe diſcipulus Chriſti, ideſt, de ſchola ejus, ideſt, debet eſſe mitis, & humilis, quæ docentur in ſchola ejus. *Matth.* 11. Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Debet etiam eſſe ab Arimathia, quæ interpretatur vigilia donationis, ideſt, vigilans circa ſubditos ſibi datos ad cuſtodiam. Unde *ſup.* 2. Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Hic audacter poteſt petere corpus Jeſu a Pilato, i. a tyrannis liberare Eccleſiam, quam ipſi multis afflictionibus crucifigunt *Prov.* 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. *Exod.* 5. Ingreſſi ſunt Moyſes, & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto. Sed certe modo nullus eſt Joſeph, quia nullus Prælatus audet contradicere tyrannis. *Ezech.* 13. Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini. *Iſ.* 57. Perit juſtus, & non eſt, qui recogitet in corde ſuo, &c. *B. Bern.* Cadit aſina, & eſt, qui ſublevet, perit anima, & non eſt, qui curet. *Iſ.* 64. Cecidimus quaſi folium univerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos, & non eſt, qui invocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te. Et hoc eſt:

> *Arimathia ſuſcitans donum Domino a ſtatu aſtione.*

> *Matth.* 27. *Marc.* 15. *Jo.* 19.

a Ecce vir nomine Joſeph,] Vir debet eſſe Prælatus, ideſt, maritus Eccleſiæ, non adulter, quia debet quærere prolem, non voluptatem. 2. *Cor.* 12. Non quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos.

Item debet eſſe vir, ideſt, maſculus, non mulier.

Item adultus, non puer. Sed e contrario modo. *Iſ.* 3. Dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis.

Item debet eſſe vir, ideſt, virtuoſus, non timidus, aut puſillanimis. *Eccl.* 7. Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, &c.

Tempore, conjugio, ſexu, virtute, vir eſto. — *Verſus.*

b Bonus, & juſtus,] debet eſſe Prælatus, i. ſimplex, & rectus, benignus, & auſterus, pater, & mater: Juxta *Verſ. Verbera patris habes, ubera matris habe.*

Job 1. Vir erat in terra Hus, nomine Job, & erat vir ille ſimplex, & rectus, & timens Deum, ac recedens a malo.

> *Ubi non eſt mulier ingemiſcit æger. Eccl.* 36.

c Hic non conſenſerat,] malo. *Jac. cap.* 3. Bonis conſentiens.

d Ab Arimathia] quæ interpretatur vigilia donationis Domini. Hæc eſt recognitio ſuorum defectuum, quæ eſt munimentum virtutum, & producit confeſſionem. Unde ſequitur:

e Civitate Judææ, qui expectabat,] per deſiderium æternorum. *Jac.* 5. Ecce agricola expectat pretioſum fructum, & patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. Talis dignus eſt impetrare corpus Jeſu. Unde ſequitur:

g Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu, & depoſitum,] de Cruce ſcilicet:

h Involvit ſyndone,] munda. *Beda*: Ex ſimplici ſepultura Domini ambitio divitum condemnatur, quia nec mortui divitiis carere poſſunt, &c.

Sed quomodo ſimplici, cum dicatur *Joan.* 19. Quod ibi fuerunt mixturam myrrhæ, & aloes quaſi libræ centum.

Item eodem: Sicut mos eſt Judæis ſepelire. *Auguſtinus.* Non fruſtra ait, ſicut mos eſt, &c. Admonet enim, in hujuſmodi officiis morem cujuſque gentis eſſe ſervandum. Solut. Morem vocat moderatum uſum ſecundum eorum conſuetudinem.

Solus eſt, quia arguuntur divites dantes operam pretioſis ſepulturis, cum corpus Domini involutum ſit in ſimplici tela, non in ſerico, vel purpura. Unde inſtitutum eſt a Sylveſtro Papa, ut corpus Dominicum in altari io ſimplici tela involvatur, i. in panno lineo ſimplici, non in ſerico, vel purpura. Hinc eſt quod corporales illæ, quæ ſupponuntur, & quæ ſuſtinentur ex ſimplici tela fiunt: *Verſ.*

Ara crucis, tumulique calix, lapidiſque patena:
Syndonis officium candida byſſus habet.

> *Hinc eſt, quod corpus Domini non recondatur in vaſe aliâ uſui deputatû. Quid ergo de divitibus, qui dant cuſas ſuas ad reponendum illud? Sol. Hoc licet, ſed primo reponatur in pyxide alii uſui non deputata.*

Chryſoſt. Funeris pretioſitas violationis ſepulchrorum multoties cauſa fuit. Et *inf.* O vana gloria, quantam & in luctu tyrannidem monſtrat, *infr.* Si viventes nihil jubet aliud habere, quam tegmina, multo magis mortuos. Et *infr.* Viventes frigoris gratia egemus veſtimento, mortuus vero cur? *Hier.* & *Beda*: In ſyndone munda Jeſum involvit, qui pura mente eum ſuſcipit.

i Et poſuit eum in monumento exciſo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.] Hoc etiam fecit pro nobis. Si enim alius ſepultus fuiſſet in eodem monumento, diceretur eum reſurrexiſſe, non Chriſtum, Item ſi monumentum de pluribus lapidibus

a eſſet

a esset compactum, possent dicere, quod discipuli ejus suffoderant, & clam asportaverant. *Is.* 11. Et erit sepulchrum ejus gloriosum. *Chrys.* Contemne divitias, & eris dives, contemne gloriam, & eris gloriosus. Erat autem monumentum Christi quasi quædam domus rotunda in rupe excisa, tantæ altitudinis, ut homo extenta manu vix tangeret culmen, habens introitum ab Oriente. Locus autem corporis sepulti erat ab Aquilone, de ipsa rupe septem pedes habens longitudinis, tribus palmis a terra eminens, a parte Meridiana omnino patens, unde corpus inferebatur. Marmor autem, in quo monumentum erat excisum, erat colore rubeo, & albo permixtum, quod bene congruit innocentiæ, & martyrio Christi. *Cant.* 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus.

monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. *a* Et dies erat Parasceves, *b* & sabbatum illucescebat. *c* Subsecutæ autem mulieres, quæ cum ipso venerant de Galilæa, *d* viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus ejus. *e* Et revertentes paraverunt aromata, & unguenta, *f* & sabbato quidem

Item solus Dominus in tumulo includitur, idest, hic modo inclusus legitur, quia de sola ejus sepultura hic specialiter fit mentio, ut ostendatur differre a nostra. Unde *Beda*: Solus Dominus in tumulo includitur, ut sepultura illius, & resurrectio a nostræ fragilitate naturæ dissimilis monstretur. Sepultus est sed quamdiu voluit, resurrexit, sed quando voluit, non ita est de nobis. *Chrys.* Malorum sepultor est diabolus non dimittens hominem apparere, sed lignum siccum, ubi non est oculus, non manus, non pedes. Et *supr.* Videamus caput ligatum, cum inebriantur, manus videbis ventri ligatas, & constrictas avaritiæ vinculis, non enim dimittit ad eleemosynam extendi, pedes numquam potentes currere in domum Dei: Vermes eum comedunt, idest, animæ passiones. Et *infr.* Mortuorum oculi etsi aperti, nihil vident. Sequitur:

a Et dies erat Parasceves,] Parasceve Græcum est, non Hebræum. Judæi enim præter tres famosas captivitates, quæ leguntur, per particulares captivitates sunt dispersi, & inter Græcos diu conversati: Ideoque multa vocabula ab eis acceperunt. Quia autem per nationes gentium fuerint ubique dispersi, & inter Græcos diu conversati, habetur ex Actibus Apostolorum, ubi dicitur: *Act. 2.* Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est. Sonat autem Parasceve, Latine præparatio, quia ea die præparabantur necessaria sabbato, sc. coquebant panes, quos ederent in sabbato, quia hanc prærogativam habuit sabbatum præ aliis solemnitatibus, ut nec etiam in eo liceret coquere panes ad edendum in ipso, vel accendere ignem in domo. Et nota, quia hic objicit nobis Græcus, quia dicimus fuisse Lunam quintadecimam in die Parasceves. Præceptum est enim in lege, quartadecima Luna ad vesperum Pascha Domini est, & in crastino solemnitas Domini est Azymorum. *Lev.* 23. Ergo eadem die dicit Græcus, non præparantur necessaria, nec etiam mulieres præparant unguenta. Sed ad hoc jam responsum est, quia non propter aliquam solemnitatem præter sabbatum desisterent a præparatione necessariorum. Objiciunt quoque de eo, quod sabbatum illud dicitur fuisse magnus dies sabbati. Unde videtur, quod sabbatum illud fuit prima dies Azymorum, quæ erat præcipue solemnis, & ita in sabbato fuit quintadecima Luna. Sed vera est opinio, quod sabbatum Azymorum, vel pentecoste, vel Scenopegiæ magnum sabbatum dicebatur, non quod esset prima dies Azymorum, sed quia sabbatum per se magna erat solemnitas, & aliquantulum erat solemnius, quia erat una de diebus Azymorum, quorum revera prima, & ultima erant magis solemnes. Solet quæri, quare in die Dominicæ passionis non solemnizemus in exultatione, sed in passionibus martyrum, quia ea die videretur præcipue exultandum, in qua sumus liberati a diabolo. Duplex est ratio.

Prima est, quia recordamur Christum passum propter peccata nostra, quæ dolere, & flere debemus, & ipsi Domino patienti compati.

Secunda ratio est, quia Dominus ait Apostolis; Modicum & non videbitis me, & in illo modico, sc. triduo passionis meæ contristabimini, mundus autem gaudebit. Ideo in illa die lætitiam, & exultationem relinquimus Judæis. *Beda*: Parasceve est sexta feria, qua præparabant necessaria sabbato, & significat vitam præsentem, in qua oportet præparare necessaria vitæ futuræ. Unde *Prov.* 6. Vade ad formicam, o piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam, quæ cum non habeat, ducem nec præceptorem, nec principem, præparat æstate sibi cibum, & congregat in messe, quod comedat. Item *Prov.* 10. Qui congregat in messe, filius sapiens est, qui autem stertit erit filius confusionis. Et nota, quod Dominus sexta feria est crucifixus, septima sepultus, octava resurrexit: Sic & nos in præsenti vita, quæ est sexta ætas mundi, necesse est si volumus sequi Dominum, in cruce pœnitentiæ crucifigi, in septima ætate, i. post hanc vitam corpora in sepulchris, animas in cœlo quiescere, & tandem octava ætate in corpore simul, & anima conjunctis incorruptionem æternæ hæreditatis accipere. Nota etiam, quia in die Parasceves non conficitur corpus Domini in Ecclesia, sed in quinta feria duæ hostiæ consecrantur, & altera in crastinum reservatur. Quod eleganter fit. Congruum est enim, ut ea die, qua veritas est exhibita, cesset omnino figura: Sacrificium enim altaris figura est, & repræsentatio Dominicæ crucifixionis. Et sicut Joseph, & Nicodemus corpus Dominicum leguntur detulisse ad sepulturam, sic de jure corpus Dominicum a die cœnæ reservatum, debent duo sacerdotes deferre ad altare, ad repræsentationem ejus, quod factum est a Joseph, & Nicodemo. Seq.

b Et sabbatum illucescebat.] Contra: Erat vespera sabbati. Sol. Luna, & Stellis jam lucentibus incipiebat sabbatum. Vel potest dici: [Illucescebat.] idest, illucescere incipiebat, ut non facias vim in verbo, quia improprie positum est. Jam enim proprie erat vespera sextæ feriæ, in qua dicebant incipere sabbatum, quia præcepta est observatio sabbati in lege a vespera in vesperam. *August. super Matthæum.* Lucescit, i. terminatur. Unde dicit sic; Vesper principium est noctis: Ideo non ait: Qui lucescit, sed quæ lucescit, ad intellectum relationem faciens, scil. ad noctem, quæ in Aurora diei Dominicæ terminatur.

c Subsecutæ autem mulieres, quæ cum ipso venerant de Galilæa,] ut ei ministrarent necessaria.

d Viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus ejus,] *Chrys.* Compassibile est muliebre genus, & ad propitiationem receptabilius. *Beda*: Aliis notis Jesu post depositum corpus recedentibus, solæ mulieres, quæ arctius, idest, tenerius amabant, officium funeris inspiciebant, ut congruo tempore munus devotionis offerrent, expectantes, quod Jesus promiserat, scil. resurrectionem, & ideo primæ viderunt, idest, leguntur vidisse.

Moral. Moraliter, autem istæ mulieres, significant animas fideles, & devotas, ut ipsemet *Beda* dicit *super Marc. cap.* 15. Quæ quanto amplius recognoscunt suam fragilitatem, quæ per sexum femineum designatur, tanto ferventius adhærent Domino, & ordinem passionis ejus sedula intentione perquirunt, & pia diligentia pro suo modulo imitantur. 1. *Pet. cap.* 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. *Eccl. cap.* 23 Gloria magna est sequi Dominum, &c. *Chrys.* Fortassis vestrum aliquis vellet secundum illas effici mulieres, & pedes Jesu detinere: Potestis, & nunc quicumque vultis, non pedes, & manus solum, sed & caput sacrum detinere, terribilibus potientes mysteriis pura conscientia. Et *inf.* Et si volueritis esse misericordes, &c.

e Et revertentes paraverunt aromata, & unguenta.] Contra. Erat festivitas Paschæ, de qua *Exod. c.* 12. Nihil operis facietis in eo, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent, & observabitis Azyma. Ergo, &c. Sol. *Gloss.* Exceptis studiis sanctarum Scripturarum, & bonorum operum.

f Et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.] idest, quieverunt. *Beda*: Mandatum erat in lege. *Lev. c.* 23. Ut sabbati silentium, idest, otium servaretur a vespera usque ad vesperam, & ideo mulieres sepulto Domino revertentes domum, quamdiu licuit, paraverunt aromata, & unguenta, sc. usque ad solis occasum, & postea toto sabbato siluerunt usque ad alium solis occasum, & tunc recuperata licentia operandi, iterum emerunt alia aromata, quia non sufficiebant ea, quæ paraverant,

verant, & tota nocte illa inter sabbatum, & Dominicam paraverunt, ut venientes diluculo ad sepulchrum ungerent corpus Jesu. Sed quomodo possent ungere mulieres corpus Jesu, cum lapis grandissimus esset appositus ad ostium monumenti, & signatus, ut dicit *Matth.* 27. Et hoc ipsum viderant mulieres? Sed vis magni amoris non sinebat de hujusmodi cogitare.

siluerunt secundum mandatum,

C A P. XXIV.

UNA a autem sabbati, *b* valde diluculo, venerunt ad monumentum *c* portantes, quæ paraverant, aromata, *d* & invenerunt la-

A

Matth. 28.

Erant autem illæ mulieres tres, ut dicit *Marc.* 16. sc. Maria Magdalenæ, & Maria Mater Jacobi minoris, & Joseph, & Simonis, & Judæ, tertia fuit Salome, sic dicta secundum *Chrys.* vel filia Salome, secundum alios, mater Joannis, & Jacobi majoris.

Moral.

Moralit. autem per istas tres mulieres secundum *B. Bern.* significantur in unoquoque homine, mens, lingua, manus. Quarum quælibet habet unguenta sua valde pretiosa. Unguenta siquidem mentis, sunt contritio, compassio, devotio. Unguentum contritionis conficitur ex speciebus vilissimis, i. propriis peccatis, quæ crescunt in horto nostro. Unguentum compassionis conficitur ex speciebus amarissimis, i. omnibus miseriis proximorum, quæ crescunt in horto vicino. Unguentum devotionis conficitur ex speciebus pretiosissimis, i. omnibus Christi beneficiis, quæ crescunt in horto Dominico. Unguenta linguæ, sunt oratio devota, confessio integra, prædicatio vara. Herbæ quibus conficitur primum unguentum est, recta intentio, firma attentio, pia affectio. Herbæ, quibus conficitur secundum unguentum, sunt pudor commissi, dolor amissi, timor judicii. Herbæ quibus conficitur tertium unguentum, sunt fidei instructio, morum informatio, vitiorum increpatio. *Jer.* 1. Ecce posui te super gentes, & regna, ut ædifices, & plantes, & evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes. Unguenta tertiæ mulieris, i. manus, sunt septem opera misericordiæ, i. hospitari peregrinos, potare sitientes, cibare famelicos, redimere captivos, vestire nudos, visitare infirmos, sepelire mortuos.

Versus.

Collige, poto, cibo, redimo, tego, colliga, condo.

De istis unguentis dicitur. *Eccl.* 38. Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis. *Gen. ult.* Præcepit Joseph servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem. *Cant.* 1. Meliora sunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis. Optimis dicit, quia unguenta primæ mulieris bona, unguenta secundæ meliora, unguenta tertiæ optima. Secundum *Greg.* Mulieres sunt animæ fideles, quæ debent offerre Domino tria unguenta, sive aromata, i. odorem virtutum, opinionem bonorum operum, suavitatem sanctarum orationum. De quibus *Cant.* 4. Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.

E X P O S I T I O   C A P. XXIV.

UNa autem sabbati, &c.] Hoc est ult. cap. quod dividitur in tres partes. In prima probatur multis argumentis veritas resurrectionis. In secunda commendatur lex, & aperitur discipulis veritas prædicationis, ibi, [Et eum manducasset. In tertia agitur de gloria ascensionis, ibi [Eduxit autem, &c.] Notandum est autem in principio, quod resurrectio Domini nulli nota fuit, nisi post factum, in signum, quod nulli resurrectio spiritualis, quæ fit per gratiam, nisi soli Deo nota est. *Eccl.* 9. Nemo scit, an amore an odio dignus sit, &c. Fuit autem confirmata resurrectio Christi tribus miraculis.

Resurrectio Domini confirmata est tribus miraculis.

Primum est, quod clauso sepulchro, & integro signaculo exivit.

Secundum, quod in adventu Angeli terra tremuit. Unde *Ps.* 75. Terra tremuit, & quievit, cum exurgeret in judicio Deus.

Tertium est, quod Angelus terrificus apparuit. Quia autem de clauso sepulchro exivit, significat, quod de Virgine natus fuit. Unde *Aug. in lib. de symbolo.* Castitas uteri virginalis ornatur ex convenientia inviolabilis sepulchri. Terræmotus in adventu Angeli significat, quod totus mundus movendus erat in prædicatione Dominicæ resurrectionis. Angelorum autem aspectus, & habitus, ostendit, quales debeant esse nuncii Dominicæ resurrectionis, sc. malis terribiles, quod notatur in fulgore, & bonis mansueti, quod notatur in veste. Quia autem Lucas de duobus Angelis loquitur: Marcus de uno solo, significat, quod prædicatores Domini debent habere unitatem fidei, & binarium charitatis. Nunc autem vide litteram.

a Una autem sabbati,] i. prima die post sabbatum, sc. Dominica die, Simile *Gen.* 1. Factum est vespere, & mane dies unus, i. primus. Sicut etiam dicitur Luna quasi luminum, una, i. prima. Et nota, quod sicut Gentiles propter reverentiam Deorum suorum ab eis denominaverunt dies, sic Judæi a sabbato. *b* Valde diluculo venerunt ad monumentum,] mulieres. Idem dicit Marcus, sed aliis verbis, sc. valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum. Joannes dicit: Una sabbati Maria Magdalenæ venit ad monumentum, cum adhuc tenebræ essent. Matthæus dicit: Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalenæ, & altera Maria videre sepulchrum. Et licet verbis discordet Matthæus ab aliis, tamen sensu convenit, ut dicit *Aug.* Per vespere enim accipit Matthæus noctem, in cujus fine venerunt mulieres ad monumentum, quod innuit hoc verbum lucescit, quod est luce terminatur: Et ita in hora adventus mulierum ad sepulchrum conveniunt omnes Evangelistæ, & omnes expositores. De hora vero resurrectionis disputatio est apud Sanctos. Nam *Hier.* & *Amb.* videntur velle, quod media nocte surrexit Dominus. Quod probant dupliciter.

Gl. Una sabbati, &c. *inf.* Magnus fervor, &c. Contra *Jo.* 20. Nondum ascendi ad patrem meum. *Gl.* In corde tuo. Igitur non fuit fervor charitatis. Hic sumitur charitas pro naturali dilectione. Diluculo,] *Chrys.* Quotidie sæculum finire videmus, tanquam mali servi, jam albescit Aurora, & adhuc dormimus. *Rom.* 13. Hora est jam nos de somno surgere.

Marc. 16. *Jo.* 20.

Primo, quia Samson media nocte tulit portas Gazæ in supercilium montis. *Jud.* 16. Ubi figurata est resurrectio Christi.

Secundo, ex facto quodam Apostolorum, qui instituerunt in primitiva Ecclesia, ut media nocte Dominicæ resurrectionis celebraretur Missa. *Beda* vero & *Aug.* dicunt, quod surrexit diluculo Dominicæ diei, quod etiam probatur per hoc, quod quadraginta horis fuit Dominus in sepulchro, sc. quatuor horis diei Parasceves. Crucifixus enim fuit hora sexta, & hora nona mortuus, & ita oportuit, quod per diem sabbati integrum, & noctes sequentes integras fuerit in sepulchro. Et hoc ultimum modo tenet Ecclesia. Et quod objicitur de Sampsone, quod media nocte tulit portas Gazæ, hoc est, quod Christus surrexit nullo sciente. Simile *Matth.* 25. media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. Sed adhuc objicitur. Constat enim, quod mulieres summo diluculo venerunt ad monumentum, & invenerunt lapidem revolutum: Ergo Dominus jam surrexerat, ergo surrexit ante diem. Sol. Summo diluculo venerunt mulieres, i. venire cœperunt, & quando pervenerunt dies erat. Unde Marcus dicit: Ortu jam sole, intellige, i. emittente radios in hemisphærium nostrum. Et secundum hoc fuit Christus in limbo quadraginta horis. *Aug. de concor. Evang.* Orto jam sole, i. cum orbis ab Orientis parte jam illucesceret, quod non fuit utique, nisi solis Oriente vicinitate. Ejus enim vicinitate est ille fulgor, qui nomine Auroræ solet appellari. Seq.

c Portantes] secum, scil. mulieres, [quæ paraverant, aromata, &c.]

Mystice.

Mystice.] Per monumentum significatur hic corpus Dominicum, ad quod accedere nemo debet, nisi una sabbati, i. habens pacem pectoris. Et valde diluculo, i. discussis tenebris vitiorum, & per lucem pœnitentiæ fugatis, portans aromata, i. bona opera, & bonam famam. Qui aliter accedit, male accedit. Propter quod dicit Apost. 1. *Cor.* 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: Qui enim manducat indigne, judicium sibi manducat, & bibit. *Gen.* 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, i. tibi ad salutem dato. Item quod mulieres valde diluculo venerunt, fervorem magnum quærendi, & inveniendi Dominum indicat: *Is.* 55. Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est. *Matth.* 7. Omnis, qui quærit, invenit, & qui petit, accipit, & pulsanti aperietur.

d Et invenerunt lapidem revolutum a monumento.] *Beda.* Angelus enim Domini descendit de cœlo, & revolvit lapidem: *Matth. ult. Chrysost.* Post resurrectionem venit Angelus,

pidem revolutum a monumento, a & ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. Et factum b est, dum mente consternatæ essent de isto, c ecce duo viri d steterunt † juxta illas in veste fulgenti. Cum e timerent autem, & f declinarent vultum in terram, g dixerunt ad illas, h Quid i quæritis? viventem cum mortuis? k Non est hic, l sed surrexit.

δ a Et ingressæ] non invenerunt corpus Domini Jesu.

Mystice. Mystice. Supra diximus monumentum corpus Christi. Hic autem dicimus sacram Scripturam, in qua olim latuit Dominus quasi mortuus, & sepultus. Unde *Joan.* 5. Scrutamini scripturas, in quibus vos putatis habere vitam. Lapis superpositus est velamen litteræ, ac figurarum. Unde & lex in lapide scripta fuit. *Ex.* 31. Mulieres sunt scholares ad studium venientes, qui videntes sacræ Scripturæ dif- *al. † secus.* ficultatem, & sui fragilitatem, timent accedere. Unde dicunt *Marc.* 16. Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti, idest quis aperiet nobis difficultatem Scripturæ ad intelligendum? *Apoc.* 8. Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus, & nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, nec subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam, &c. Hoc est, quod *Thren.* 4. dicitur: Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Tamen hic dicitur, quod mulieres invenerunt lapidem revolutum a monumento. Et dicit *Gloss.* quod Angelus Domini descendit de cœlo, & revolvit lapidem, per quod ostenditur, qualis debet esse doctor, cujus officium est, lapidem revolvere, librum aperire, panem frangere, idest, occulta Scripturarum manifesta facere. Debet enim esse Angelus Domini, idest, purus vita, alatus obedientia, conspicuus scientia. *Mal.* 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus requirunt, quia Angelus Domini exercituum est. *Matth.* 18. Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est. Debet etiam doctor descendere de cœlo, idest, de altitudine Scripturæ, ita ut possit intelligi. *Ps.* 143. Domine, inclina cœlos tuos, &c. *Isa.* 94. Utinam dirumperes cœlos, &c. Sequitur: [Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu.] Sic Judæi, & Hæretici si scripturam ingrederentur per veram intelligentiam. Christum non purum hominem, sed verum Deum invenirent. *Joan.* 10. Ego sum ostium sacræ Scripturæ, per me si quis introierit, ingredietur usque ad contemplationem divinitatis Christi, & egredietur usq; ad considerationem humanitatis ejus, & utrobique pascua inveniet, idest refectionem spiritus. *Cant.* 2. Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Ideo Judæi, Hæretici, & etiam quidam clerici, nec refectionem spiritus inveniunt in scriptura, nec ordinem charitatis habent, quia non ingrediuntur sacram Scripturam, sed foris in littera semper manent. *Matth.* 12. Ecce mater tua, &c. ibi *Gloss.* Mater, & fratres populus Judæorum est, qui Jesu intus docente non possunt intrare, quia spiritualiter verba ejus negligunt intelligere. Ideo dicit *Psal.* 41. Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Sequitur: *b* Et factum est, &c.] idest de magni lapidis revolutione, & de corporis tam venerabilis amissione. De primo stupebant, & mirabantur, de secundo dolebant. Sed sicut tentato Domino post victoriam Angeli ministraverunt. *Matth.* 4. ita modo post mortem devictam venerunt Angeli, qui non solum verbo, sed etiam habitu fulgenti nunciaverunt gloriam triumphantis. Unde sequitur: *c* Ecce duo viri,] idest duo Angeli in specie virorum. *d* Steterunt juxta illas in veste fulgenti.] Apparuerunt etiam in facie fulgenti, & hoc ideo ut per candorem vestis triumphus Christi exprimeretur, & per igneam faciem custodibus terror incuteretur. In igne terrorem, in candore solatium. Ergo & in ignea facie, & in veste candida apparuisse leguntur, ut ignis terreret custodes, & candor liniret mulieres. Et quia Christus in morte triumphaverat, & sicut tunc astiterunt Angeli corpori posito in sepulchro, sic assistunt quotidie in altari corpori consecrato, & sacerdoti serviunt consecranti. Unde & in secretis non dicit sacerdos: Amen, quia angeli ibi respondent, ubi non audiunt clerici servientes. *Matt.* 24. Ubicumque fuerit corpus Domini, illuc congregabuntur & aquilæ, idest Angeli, solem in rota videntes, i. Christum in æternitate. Sed oritur hic quæstio de littera, quia Joannes dicit duos viros istos sedentes, Lucas autem dicit eos stantes. Et hoc solvit *Chr.* dicens, quod Angeli primo sedebant, sed mulieribus assurrexerunt, & steterunt juxta illas. Item quæritur, ubi erant isti Angeli, aut intus in monumento, aut extra? Videtur, quod intus per hoc, quod dicit Joannes, scilicet, quod unus sedebat ad pedes, & alter ad caput. Item quod extra per hoc, quod dicit Lucas: Steterunt juxta illas. Item Matthæus dicit, unum sedentem super lapidem revolutum, ergo extra. Marcus vero dicit, unum sedentem intus. Ad hoc solvit *Hieron.* dicens, quod monumentum dicitur apud Marcum, non locus corporis sepulti, sed quædam pars maceriæ ante speluncam, in quam intraverunt mulieres, & ibi repererunt Angelos sedentes in dextra parte sepulchri, qui videntes mulieres assurrexerunt eis, & ita conveniunt omnes Evangelistæ. *Marc.* 16. *Matth.* 28. Quia autem Matthæus, & Marcus dicunt utroque unum Angelum sedentem, & Joannes, & Lucas dicunt duos, potest dici, quod revera duo erant, vel plures, sed Matthæus, & Marcus unum dicunt propter unitatem, & similitudinem eorum. Dicentes autem unum, non negant plures fuisse.

Mystice. Mystice. Per istos duos viros custodientes sepulchrum, significantur doctores sacræ Scripturæ, qui debent esse viri, ut dicit *Hier.* non infantes amantes temporalia. *Prov.* 1. Usquequo parvuli diligitis infantiam, &c. Debent etiam esse duo propter officium geminæ charitatis. Unde *sup.* 1. Misit Dominus discipulos suos binos, & binos ante faciem suam. Debent etiam stare erecti in cœlum, non jacere in terra. Unde Angelus dixit *Josue* 7. Surge, cur jaces in terra? Item *Ezech.* 3. Ingressus est in me spiritus, & statuit me supra pedes meos, & locutus est mihi. Item debent stare juxta mulieres, idest proximi esse infimis per compassionem, & auxilium. *Rom.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere. Item debent habere vestem fulgentem, idest, conversationem laudabilem. *Phil.* 2. Sitis sine querela, & simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ, & perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes. 1. *Pet.* 2. Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo, &c. Si tales essent doctores, omnes timerent eos, & venerarentur. Unde sequitur: *e* Cum timerent autem,] mulieres scilicet. *f* Et declinarent vultum in terram,] præ timore, & reverentia Angelorum, quos videbant. *Lev.* 19. Honora personam senis. *Job* 29. Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum, verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum, si voluissem ire ad eos, sedebam primus, &c. Modo aliter est. *Eccl.* 10. Vidi servos in equis, & principes ambulantes super terram quasi servos. *Bed.* Exemplo mulierum cum appropinquamus mysteriis cœlestibus, cum gaudia supernorum civium contemplamur ad conspectum Angelorum debemus vultum in terram humiliter declinare, terram, nos, & pulverem esse recolentes. Sic Abraham vocavit se pulverem, & cinerem. *Gen.* 18. dicens: Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis, & cinis. *Dan.* 8. Cum loqueretur ad me Angelus, prolapsus sum pronus in terram. *Beda*: Nota, quod sanctæ mulieres, nec in terram cecidisse, nec aliquis sanctorum in resurrectione Domini prostratus in terram adorasse legitur, unde mos cœpit in Ecclesia paschali tempore non flecti genua in oratione, sed vultu in terram declinato orare. *g* Dixerunt ad illas,] Angeli scilicet. *h* Quid quæritis?] suppleatur [quæritis viventem cum mortuis?] Sic legitur sub duplici interrogatione. Vel sub una sic: [Quid,] idest, quare. *i* Quæritis viventem cum mortuis,] resuscitatum a mortuis, qui locus est propria mortuorum? Unde non redarguuntur, quia quærunt viventem, sed quia cum mortuis, quia vivens non est quærendus inter mortuos. *Augustin. in libro de symbolo*: Si amatur vita, quare non quæritur vera? Quæritur autem a quibusdam, sed non invenitur, quoniam ubi non est, quæritur. *Osee* 6. In gregibus suis, & in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient. *Prov.* 14. Ne insidieris, & quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem. Contra quosdam, qui bonos dicunt malos, & vivos mortuos. *Isa.* 5. Væ, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, &c. k Non est hic,] idest, in monumento præsentia corporis.

l Sed surrexit] die tertia. *Osee* 6. Vivificavit nos post duos dies, & die tertia suscitabit nos, quia resurrectio sua, causa est nostræ resurrectionis. Unde 1. *Corint.* 5. Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium. Vivit Dominus, juramentum fuit veterum. *Galat. secunda*.

a Recordamini qualiter locutus est vobis, cum b adhuc in Galilæa esset, dicens: c Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et d recordatæ sunt verborum ejus. Et e regressæ a monumento renunciaverunt hæc omnia illis f undecim, & ceteris omnibus. g Erat autem Maria Magdalenæ, & Joanna, i & Maria Jacobi, & ceteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et l visa sunt ante illos, sicut delyramentum, verba ista, & non cre-

♠ Vivo autem ego, jam non ego. Ideo autem duabus noctibus, & una die voluit in morte manere, ut ostenderet sua simpla morte, nostram duplicem esse destruendam. *Osee* 13. Ero mors tua, o mors. *Gl. Bed.* Die tertia, *inf.* Lucem suæ simplæ mortis. Mors enim dicitur lux, quia causa lucis nobis, & respectu nostræ. Quæ tantum in carne, idest in humana natura ejus. Cave, ne adhæreas adverbio, tantum, quasi habuerit in carne, & non in anima. Constat enim, quod anima ejus sensit tristitias, & dolores. Unde: Tristis est anima mea, &c. Quæ in corpore, quantum ad pœnam, & in animam, quantum ad culpam. *a* Recordamini, &c.] Angelus ideo monet mulieres recordari verborum Domini, ut eum præscivisse futura cognoscant, & verum Deum credant, & ideo vera esse, quæ prædixit, scilicet se tradendum Judæis, & occidendum, & tertia die resurrecturum. Et per hoc, quod mulieres juxta sepulchrum jubentur recordari verborum Domini, quæ de sua passione simul, & resurrectione prædixerat, docemur, quod inter mysteria passionis sunt recolenda gaudia resurrectionis, & e converso, ut fiat quædam mistura luctus, & gaudii. *Eccl.*11. In die bonorum ne immemor sis malorum, &c. Et hoc est: [Recordamini qualiter locutus est vobis,] idest, quam pie, quam vere, quam discrete. *b* Cum adhuc in Galilæa esset] mortalis. *c* Dicens, quia oportet filium hominis, &c.] *Matth.*20. Ecce ascendimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. Ibi *Chr.* Christus tunc illusus est, & nunc traditur Christus ad illudendum. Christus enim verbum veritatis est, Et cum vides scripturas Prophetarum, & Evangelii, & Apostolorum traditas esse in manu falsorum sacerdotum, & scribarum, non intelligis, quia Christus traditus est principibus iniquis, & scribis? Unde *Thren.*3. Factus sum in derisum omni populo. *g* Et recordatæ sunt, &c.] Nota, quia mulieres stantes ad monumentum reducunt ad memoriam, non solum quæ prædixerat de Passione, verum etiam de resurrectione. Hinc est, quod in sacrificio altaris, quod specialiter est repræsentatio passionis, fit etiam mentio resurrectionis, & ascensionis. Unde ibi dicitur: Memores Passionis, necnon & Resurrectionis, &c. e Et regressæ a monumento, &c.] Viderant, & audierant ab Angelis. *f* Illis undecim, &c.] *Chr.* Evangelista non privat mulierem laude, nec verecondiam putat ab ea didicisse. Voluit autem Dominus per mulieres nunciare viris suam resurrectionem, ut sicut a muliere ad virum venit mors, ita nunc a muliere ad viros veniat destructio mortis, ac per hoc mulierum opprobrium tolleretur, & sic per amoris privilegium deletum est antiquum opprobrium. *g* Erat autem Maria Magdalenæ] soror Lazari, & Marthæ, quæ unxerat pedes Domini unguento, *supr.* 7. *h* Et Joanna] uxor Chuzæ procuratoris Herodis. *i* Et Maria Jacobi] minoris mater, quæ fuit uxor Alphæi, de quo habuit quatuor filios, idest, Jacobum istum, qui dicitur Jacobus minor, non ætate, sed vocatione, quia vocatus posterior a Domino: Sicut & in monasteriis majores dicuntur, & digniora obtinent loca, non secundum ætatem, sed quia primi claustrum intraverunt. Item maximæ sanctitatis fuit iste Jacobus, quia & frater Domini appellatus est, quia ei similis, & quia cognatus ejus, & quia filius Joseph adoptivus. Alii tres fuerunt Joseph, & Simon, & Thaddæus. *Gl.* Maria Jacobi minoris, & Joseph soror matris Domini, unde & Jacobus frater Domini dicitur. Sed unde venit istud, unde, non continuatur sufficienter ex præmissis, nisi aliquid suppleas. Eadem enim ratione alter Jacobus frater Domini diceretur, quia consobrinus ejus fuit, sicut iste. Sol. Unde, non notat causam sufficientem, sed efficientem. Fuit enim simillimus in facie, ut dicunt, unde dictus est frater Domini. Alia causa patet in litteræ expositione. *k* Et ceteræ, quæ cum eis erant, &c.] Hinc habes, quod plures fuerunt, quam tres, Ecclesia tamen non repræsentat, nisi de tribus tantum. Utrum autem tres fuerint dictæ Mariæ, non satis certum habetur: Nec ex eo, quod in Marco habetur Maria Jacobi, & Salome, potest haberi, quod fuerint tres, quia una tantum est mater Jacobi, & filia Salome, scilicet Maria uxor Alphæi, quæ habuit quatuor filios, sicut dictum est, nisi intelligas de Jacobo majore dictum, quod dicitur Maria Jacobi, & sic alia erat mater Jacobi majoris, & alia filia Salome. Inter has tamen mulieres, primo apparuit Dominus Mariæ Magdalenæ, ut dicitur *Marc.*16. Et hoc quinque rationibus. Primo, quia ardentius diligebat. Unde *sup.*7. Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Secundo, ut ostenderet, quod pro salvandis peccatoribus mortuus est. *Matth.*9. Non veni vocare justos, sed peccatores. Tertio, ut ostenderet, quod meretrices præcedant sapientes in regno cœlorum. Unde *Matth.*21. Amen dico vobis, quia Publicani, & meretrices præcedent vos in regno Dei. Quarto, ut sicut mulier fuerat nuncia, seu ministra nostræ perditionis, ita esset nuncia nostræ redemptionis. Quinto, ut ubi abundavit peccatum, superabundaret & gratia. *Rom.* 5. Et hæc fuit prima apparitio Christi post resurrectionem, ipsa die resurrectionis, in qua quinquies apparuit. Primo Mariæ Magdalenæ, ut dictum est *Jo:* 20. Secundo, ipsi eidem cum aliis mulieribus in via redeuntibus a sepulchro. *Matt.ult.* Tertio Petro, ut *inf. eod.* sed nescitur ubi. Quarto duobus discipulis euntibus in Emmaus, *inf. eod.* Quinto discipulis congregatis absque Thoma. *Jo.*20. Istas quinque apparitiones repræsentat sacerdos in Missa, quinquies se vertens ad populum. Sed tertia versio est cum silentio, quæ significat apparitionem factam Petro, quæ nescitur ubi fuerit facta, vel quando, vel quomodo. Sexto apparuit octava die resurrectionis omnibus discipulis præsente Thoma. *Jo.* 20. Septimo ad mare Tyberiadis septem discipulis. *Jo. ult.* Octavo apparuit undecim discipulis in Galilæa. *Matt. ult.* Nono in cœnaculo in Jerusalem discipulis cœnantibus. *Marc.ult. Act.*1. Decimo in monte Oliveti, quando ascendit, *infr. eod. Act.*1. Plures apparuit Dominus ante Ascensionem, sicut Jacobo, & quingentis fratribus. 1.*Cor.*15. Et Joseph incarcerato, ut dicunt quidam. Sed istæ decem apparitiones leguntur expresse in Evangeliis, & ideo magis authenticæ sunt, Et sicut decies legitur apparuisse post resurrectionem, ita decima die post ascensionem misit Spiritum sanctum, in quo mystice monstravit, quod per observantiam decalogi ex hominibus erat restituendus decimus ordo. Unde *Matth.*20. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Hoc autem non est tacendum, quod Dominus post mortem non legitur apparuisse, aut locutus fuisse matri suæ. Quare hoc? Ut mortui mundo carnalem affectum non habeant ad parentes. *Deut.* 33. Qui dixerit patri suo, & matri suæ, nescio vos, & fratribus, ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum. Sequitur: *l* Et visa sunt ante illos, sicut delyramentum verba ista,] scilicet, quoniam Dominus resurrexisset a morte, quia contra naturalem Philosophiam erat. Unde Paulus Corinthiis, qui non poterant credere, quod mortui resurgent, dicit 1. *Cor.* 15. Dicit aliquis, quomodo resurgent mortui, aut quali corpore venient? Insipiens tu, quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. Sic est & hodie, quicquid dicitur divitibus de contemptu mundi, & ambitiosis de humilitate, & luxuriosis de castitate totum videtur eis delyramentum. *Eccl.*21. Audiet luxuriosus, & displicebit ei, & projiciet illud post dorsum suum. *m* Et non crediderunt illis,] nec tamen discrediderunt. Quod patet ex hoc, quod Petrus, & Joannes audito hoc cucurrerunt ad monumentum, in quo docemur non cito debere credere cuilibet, licet bona docenti. 1. *Joan.* 4. Charissimi nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus, si ex Deo sunt. *Eccl.*19. Qui cito credit, levis est corde, & minorabitur. *Senec.* Et omni, & nulli credere, utrumque vitium est. *Gloss.* Quia discipuli tarde credunt, non tam illorum infirmitas, quam nostra fuit futura firmitas. Nam illis dubitantibus Resurrectio multis argumentis demonstratur, quæ dum legentes agnoscimus, quid aliud, quam de eorum dubitatione solidamur? Summa est, quia quanto resurrectio discipulis difficilius est credita, tanto firmius est probata, & ita fides in nobis roborata.

Matth. 26. *Marc.* 14.

Dominus apparuit Mariæ Magdalenæ quinque rationibus.

B

Numerus apparitionum.

♠ a Petrus

a Petrus autem, &c.] & Joannes cum eo, qui etiam præcucurrit citius Petro, sed posterior introivit in monumentum. Unde *Joan.* 20. Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum, & cum se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina. Tunc ergo introivit ille alius discipulus, qui venerat prius, & vidit, & credidit. *c* Et procumbens vidit linteamina sola posita] sine corpore. *Chrysost.* Quod erat signum resurrectionis, non transpositionis. *d* Et abiit secum,] idest solus. *e* Mirans, &c.] Et tunc creditur, quod apparuit ei Dominus. *Beda.* Joannes commemorat, quod ipse, & Petrus simul cucurrerunt, & quod Petro introeunte in monumentum, & vidente linteamina, & sudarium, ipse Joannes se inclinans vidit linteamina, nec prior introivit. Sed intelligendum est, primo Petrum procumbentem vidisse, quod Lucas commemorat, Joannes tacet, post vero ingressum, ut diligentius interiora dignosceret, ingressum tamen antequam Joannes intraret.

diderunt illis. *a* Petrus autem surgens *b* cucurrit ad monumentum, *c* & procumbens vidit linteamina sola posita, *d* & abiit secum *e* mirans, quod factum fuerat. Et *f* ecce *g* duo *h* ex illis *i* ibant *k* ipsa die in *l* castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus. Et ipsi *m* loquebantur adinvicem de his omnibus, quæ acciderant. Et *n* factum est, dum fabularentur, *o* & secum quærerent, *p* & ipse Jesus appropinquans *q* ibat cum illis. *r* Oculi autem illorū *s* tenebantur,

Moraliter. Moraliter, *a* Petrus surgens,] a torpore, & ignavia. *Ephes.* 5. Surge, qui dormis, &c. *Cant.* 3. Surgam, & circuibo civitatem, &c. *b* Cucurrit, &c.] sic currendum est ad claustrum. Contra pigros. *Hieron. ad Paulinum:* (*In prolog. Bibliæ &c.*) Festina, quæso te, & hærenti in salo naviculæ funem magis præscinde, quam solve. *c* Et procumbens, &c.] sic aliquando in claustro sine re religionis potest videri solus habitus religionis, 1. *Reg.* 19. Cum venissent nuncii, qui quærebant David, inventum est simulacrum super lectum, & pelles pilosæ caprarum ad caput ejus. Sequitur: *f* Et ecce.] Dicunt aliqui, quod unus istorum fuit Lucas, & alter Cleophas, sed vitandæ causa arrogantiæ, de se tacet. Mos enim est scriptoribus sacræ Scripturæ præ humilitate nomina sua subticere. Unde Joannes de se loquens ait: Hic est discipulus ille, quem diligebat Jesus. *Ambr.* tamen dicit in quadam epist. quod alter socius Cleophæ fuerit Ammaon. Sed contra *In prol. mor. Greg.* Lucas dicit duos ivisse in Emmaus, unum nominat, scilicet, Cleopham, sed autem, qui reliquus fuit, non nominat. Sed contra *Exod.* 25. Duo circuli sunt in altero latere. *Gl.* Marcus, & Lucas, quia postea credentes discipuli Apostoli facti sunt. *Sol. Gregor.* dicit, quod Lucas fuit alter, sed secundum quod quidam dicunt. *i* Ibant ipsa die] resurrectionis. *l* In castellum, &c.] alio nomine dicitur Nicopolis. Unde *Hier. in epitaphio Paulæ.* Nicopolim, quæ prius Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus est Dominus Cleophæ, domum in Ecclesiam dedicavit. Dicitur autem stadium a stando, quia Hercules gigas ille legitur tantum sub uno anhelitu cucurrisse, & ibi stetisse. Continet autem stadium 125. passus. Quod probatur hoc modo. Stadium est octava pars milliarii, ut dicit *Bed.* Milliarium vero passus mille continet, unde & nomen accepit. Et dicitur milliare dimidia leuca, vel ut aliis placet tria milliaria faciunt duas leucas. Octava vero pars mille est 125. Unde patet, quod stadium 125. passus habet, & ideo 60. stadia septem millia passuum, & quingentos continent. Hoc est septem milliaria & dimidium. Et bene congruit hoc spatium illis discipulis. Jam enim transierant sextum miliare, quia certi erant de morte, quæ facta erat sexta die, transierunt & septimum milliare, quia Christum in sepulchro quievisse septima sabbati non dubitabant. Sed octavum milliare nondum perfecerant, quia resurrectionem, quæ octava die facta est, nondum credebant, imo adhuc ambigui erant aliquantulum, tamen ad fidem resurrectionis accedebant. Unde *Eccl.* 11. Da partes septem, necnon & octo, idest crede mortem, & sepulturam, crede & resurrectionem.

Emmaus ipsa est Metropolis civitas insignis Palæstinæ, quæ post expugnationem Judææ sub Marco Aurelio Antonino Principe restaurata cum statu mutavit, & nomen, & postea dicta est Nicopolis.

Mystice. Mystice, ostenditur hic distantia, & via ab Ecclesia militante usque ad triumphantem. Jerusalem enim visio pacis interpretatur, & significat Ecclesiam triumphantem, ubi ille, qui est vera pax, videbunt facie ad faciem. *Isa.* 33. Regem in decore suo videbunt, idest in Deitate. 1. *Joan.* 3. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Emmaus autem interpretatur mater festinans, vel desiderium consilii, quod bene competit Ecclesiæ militanti. Nam ipsa mater est omnium fidelium, quos generat prædicando. Unde 1. *Cor.* 4. In Christo Jesu ego vos per Evangelium genui. Item balneat baptizando. *Matth. ult.* Ite, docete omnes gentes, &c. Item educat, sive lactat informando, & instruendo, & consolando. 1. *Cor.* 3. Tanquam parvulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam. Item festinat ad patriam, quantum potest. *Heb.* 4. Festinemus ingredi in illam requiem. Dicitur autem Emmaus alio nomine Nicopolis, i. civitas victoriæ, Civitas civium unitas. *Act.* 4. Multitudinis credentium, &c. Et ideo victoriæ, quia omnis pugna unanimiter congressa parit victoriam. *Cant.* 6. Quæ est ista, &c. Sexaginta stadia ab Emmaus in Jerusalem significant perfectam, & integram observantiam mandatorum, per quam quasi per viam necesse est, de militante Ecclesia ad triumphantem venire. Unde *Matt.* 19. Si vis ad vitam ingredi, &c. *Ps.* Viam mandatorum tuorum cucurri. (*Marc.* 16. *Psalm.* 118.) Dicit ergo *f* Et ecce,] evidentiam boni exempli significat. *Matth.* 5. Sic luceat lux vestra, &c. *g* Duo] charitate conjuncti. *h* Ex illis,] sc. Christi discipulis. *i* Ibant] pedibus mentis, & corporis. *k* Ipsa die] resurrectionis, i. pœnitentiæ, quod est contra pigros, qui tardant facere pœnitentiam. *Eccl.* 5. Non tardes converti ad Dominum, &c. Sequitur *m* Et ipsi loquebantur, &c.] in Jerusalem de Christo, non de vanis, vel malis. *Eph.* 4. Omnis sermo malus non procedat ex ore vestro, &c. Et quia isti loquebantur de bonis, & de ipso, ideo Christus ipse apparuit eis. Unde sequitur. *n* Et factum est, &c.] Vulgare Romanum est, i. dum loqueretur adinvicem. *o* Et secum quærerent,] quomodo omnia facta fuissent, & quid possit esse, quod mulieres narraverunt. *p* Et ipse Jesus, &c.] corporaliter, & spiritualiter.

Peregrinus
- Christus.
  - Suis hic.
  - Cœlo. *Matth.* 25. Homo peregre proficiscens vocavit servos suos.
  - Mundo. *Psal.* Et peregrinus filiis matris meæ. *Joan.* 1. In mundo erat, & mundus eum non cognovit. *Ps.* 118. Incola ego sum in terra. *Job* 19. Quasi peregrinus fui in oculis eorū.
- Justus
  - Mundo. 2. *Cor.* 5. Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino. *Hebr.* 11. Confitentes, quia peregrini, &c.
  - Claustro. 4. *Reg.* 8. Vade, peregrinare, ubicumque repereris. Et *inf.* Peregrinata es in terra Philisthiim Sunamitis misera, vel captiva, vel mortificata.
  - Testamentis. *Eph.* 2. Hospites testamentorum, &c.
- In
  - Luxuria, *sapr.* 15. Filius prodigus inter porcos in regione peccati.
  - Negligentia. *Gen.* 15. Peregrinum futurum est semen tuum in terra Ægypti, idest ignorantiæ.
  - Avaritia. *Jud.* 17. Adolescens de Bethlehem peregrinari voluit, ubicumque sibi commodum reperisset.
- Peccator
  - Pusillanimitate. *Gen.* 47. Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta anni parvi, & mali.
  - Rapina. 2. *Reg.* 12. Cum autem peregrinus quidam, idest, diabolus venisset ad divitem, parcens ille, &c.
  - Ira. 1. *Petr.* 4. Nolite peregrinari, in fervore, &c.
  - Odio. Romipetæ *Exod.* 23. Peregrino molesto non eris.
  - Superbia. *Matth.* 27. Ager figuli emitur de pecunia maledicta in sepulturam peregrinorum. Sed Deus scit, quis est bonus peregrinus. Sequitur.

q Ibat cum illis.] Apparuit autem eis Dominus pro duobus, scilicet, ut resurrectionem suam eis intimaret, & ut adimpleret, quod promiserat. *Matth.* 18. Ubi sunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum. In hoc ergo veracem se ostendit, & licet de resurrectione ejus hæsitarent, tamen diligebant eum; ideo voluit in medio eorum corporaliter esse, & corporalem præsentiam exhibere. *r* Oculi autem illorum] interiores, & exteriores. *s* Tenebantur]

a tur] propria dubitatione. Unde *Greg.* Sicut ipsi intus amabant, & tamen dubitabant, sic ipse foris, & præsens adest, & quis sit non ostendit. De se ergo loquentibus præsentiam exhibet, & de se dubitantibus speciem cognitionis aufert. Unde sequitur: *a* Ne eum agnoscerent.] *Beda*: Non veritate fallente, sed ipsis non valentibus veritatem percipere. *Gen.* 19. dicit *Gl.* quod percussi sunt acrisia discipuli Domini, sicut Sodomitæ quærentes domum Loth. *Sap. ult.* Percussi sunt cæcitate, sicut illi in foribus justi. Item 4. *Reg.* 6. Seq.

C

b Et ait ad illos, &c.] Moraliter. Duplex est tristitia. Una bona de offenso Deo, alia mala, de damno sæculi. 2. *Cor.* 7. Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam operatur.

c Et respondens unus, cui nomen Cleophas.] *Ambr.* Alius vocabatur Ammaon filius Ruth. Alii dicunt, quod Lucas ipse.

d Dixit ei: Tu solus peregrinus, &c.] Ita lege: Nunquid tu solus es peregrinus, &c. quasi dicat, omnes alii noverunt præter te. Et nota, quod eo ipso, quod eum peregrinum putant, ad litteram falluntur. Mystice verum dicunt, quia vere peregrinus erat a mentibus eorum, qui in fide ejus dubitabant.

e Quibus ille dixit, quæ? Et dixerunt. De Jesu Nazareno, &c.] *Bed.* Prophetam, & magnum fatentur, filium Dei tacent, vel quia nondum perfecte credunt, vel si credunt, timent tradi in manus Judæorum, nescientes cum quo loquebantur. Judæi jam denunciaverunt supplicium omnibus confitentibus Christum filium Dei, ideo simpliciter dicebant Prophetam, non filium Dei.

f Potens in opere.] *Act.* 1. Cœpit Jesus facere, & docere. *Matth.* 6. Qui fecerit, & docuerit sic, magnus vocabitur in regno cœlorum. *g* Et sermone.] *Eccl.* 8. Omne, quod voluerit, faciet, & sermo illius potestate plenus est.

h Coram Deo, &c.] Coram Deo per rectam intentionem, coram populo per bonam operationem. *Greg.* Per hoc, quod egimus, laudem exterius non quæramus. Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut de bono opere proximis exhibeamus exemplum, & tamen pro intentione, qua soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum. *i* Et quomodo tradiderunt eum, &c.] *Joan.* 18. Gens tua, & pontifices tui tradiderunt te mihi. *k* Et crucifixerunt eum, &c.] *Prov.* 13. Spes, quæ differtur affligit animam. Se autem ipsos quodammodo temeritatis arguunt, quod ab eo sperabant redemptionem, quem mortuum viderant, nec credebant resurrecturum, & maxime dolent eum sine culpa occisum, quem innocentem noverant, & ex hoc tristes incedebant. *l* Et nunc super hæc omnia, &c.] quasi dicat, hodie deberet resurgere, juxta quod prædixit, tamen promissam resurrectionem tacent timentes eum, cui loquebantur. *m* Sed & mulieres, &c.] Quia resurrectionem nondum celebrabant, ideo de audita fama ejus potius sunt territi, quam gavisi. *Bed.* Merito dicuntur terruisse eos, quibus de non invento corpore plus mœstitiam addiderunt, quam denunciata resurrectione gaudium, quo recrearentur, afferunt. *n* Quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, &c.] scilicet Petrus, & Joannes. Supra singulariter dicitur de Petro, quod cucurrerit ad monumentum, hic de duobus pluraliter, & ita fuit: Sed Petrum solummodo primo commemoravit, quia primitus illi Maria nunciavit, sicut specialiter dictum fuerat ei. Dicite discipulis ejus, & Petro. *Marc. ult.* quia specialiter de eo dictum est, ne desperaret ex negatione. [Et ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt.] Sequitur. *o* Et ipse dixit ad eos: O stulti.] *Isa.* 32. Stultus fatua loquetur. Et *sup.* Cor stultorum intelliget sapientiam.

a ne eum agnoscerent. Et *b* ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis adinvicem ambulantes, & estis tristes? Et *c* respondens unus, cui nomen Cleophas: dixit *d* ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti, quæ facta sunt in illa his diebus? *e* Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt. De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, *f* potens in opere, *g* & sermone *h* coram Deo, & omni populo. Et *i* quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes, & principes nostri in damnationem mortis, *k* & crucifixerunt eum, Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel. Et *l* nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. *m* Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, *n* quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore ejus venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt. Et *o* ipse dixit ad eos: O stulti, & *p* tardi corde ad credendum in *q* omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. *r* Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in *s* gloriam suam? Et *t* incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Et *u* appro-

p Et tardi corde, &c.] *Eccl.* 5. Ne tardes converti ad Dominum. *Chr.* Quando contemnere mortem poterit, qui nec alium morientem potest videre? *q* In omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ.] *Rab.* Moyses Israeliticos postes sanguine agni obsignavit. *Exod.* 12. & *Ezech.* 9. dicit idem signum in frontibus dari. De duobus autem reprehendit eos Dominus, sc. de stultitia, & diestar pigritia. De stultitia quidem, quia scripturas, quæ plene continent mysterium passionis, & resurrectionis Domini, non intellexerunt. Unde ipse Dominus incipiens a lege, & Prophetis interpretatus est eis Scripturas. Audierunt autem scripturas multoties, sed nondum intellexerant, & ideo reprehensibiles erant, sicut & multi alii, qui multa audiunt, & pauca intelligunt, & pauciora faciunt. Unde miratur Dominus, *Is.* 33. Ubi est litteratus, ubi est verba legis ponderans, ubi est doctor parvulorum. Multi sunt litterati, & multi doctores, sed pauci ponderant verba legis justo pondere. Aliter enim viverent. *Isa.* 28. Ponam in pondere judicium, & justitiam in mensura. De pigritia vero, quia mulieribus credere noluerant, neque his, quæ a Christo audierant, vel in lege noverant, non poterant acquiescere. Sic est modo fere in omnibus, quia & pauca sciunt, & illa pauca, quæ sciunt, facere negligunt. Unde *Beda*: Hic gemina nobis humiliandi necessitas incumbit, qui nec in Scripturis quantum opportet edocti, nec ad implenda, quæ novimus, quantum decet sumus intenti. Nam si Moyses, & Prophetæ de Christo locuti sunt, & eum per passionem ad gloriam intraturum prædixerunt, quomodo gloriatur se Christianum esse, qui neque in Scripturis qualiter ad Christum pertinent, investigat, neque ad gloriam, quam cum Christus habere cœpit, per passionem contingere desiderat? Sequitur. *r* Nonne hæc oportuit, &c.] Oportuit, idest opportunum fuit propter sex. Primo, propter suam humilitatem, quia gloriam resurrectionis sic sibi meruit. *Phil.* 2. Christus factus est obediens, &c. Secundo, propter communem omnium utilitatem, quia per mortem ejus sumus reconciliati Deo. *Rom.* 5. Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus. Tertio, propter peccatorum immanitatem, seu debitorum quantitatem, quæ tanta erant, quod non poterant solvi minori pretio, quam sanguine Christi. 1. *Petr.* 1. Non corruptibilibus, &c. Quarto, propter Scripturarum indissolubilitatem, quæ hæc prædixerant, nec solvi possunt. *Isa.* 53. Tanquam ovis ad occisionem ducetur. Quinto, propter exemplum, ut scilicet, mors, sive passio propter Dei gloriam, & proximi utilitatem non timeretur. *Matth.* 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus. *Joan.* 13. Exemplum dedi vobis, &c. Sexto, ut ostenderet, qualis est via ad patriam, sive ad gloriam, scilicet passio, & ignominia, & miseria. *Act.* 14. Per multas tribulationes oportet, &c. *s* In gloriam suam.] Quam fatui sunt igitur, qui putant sine passione intrare in gloriam suam. Unde *Matt.* 20. Cum matertera Domini petiisset ab eo, ut duo filii sui, & cognati Domini sederent cum eo in regno gloriæ suæ, respondit Dominus eis: Nescitis quid petatis, potestis, &c. Ibi *Gl.* Nescitis, quia sedem gloriæ quæritis, quam nondum meruistis, delectat culmen honoris, quos nondum exercuit vis laboris.

Opportunum fuit, Christum pati propter sex.

D

t Et incipiens, &c.] *Bed Gl. inf.* Veritas melius operando, quam audiendo intelligitur. *Chr.* Postquam Scripturis non creditis, ab his, qui extra fidem sunt, cogimur allicere. Hoc & Deus fecit. *Jer.* 2. Transite ad insulas Cethim, &c. *u* Et appropinquaverunt castello, &c.] i. pretendit habitum longius abeuntis. Et pulchre se finxit ab eis elongandum corpore, qui ab eo erant elongati mente. Unde *Greg.* Talem se exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente, &c. Notat autem

Affictio, vel

pinquaverunt castello, quo ibant, & ipse se finxit longius ire. *a* Et coegerunt illum, *b* dicentes: Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies. *c* Et intravit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, *d* accepit panem, & benediait, ac fregit, & porrigebat illis. *e* Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, *f* & ipse evanuit ex oculis eorum. Et *g* dixerunt adinvicem: *h* Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et *i* surgentes eadem hora *k* regressi sunt in Jerusalem. Et *l* invenerunt congregatos undecim, *m* & eos, qui cum ipsis erant, dicentes, quod surrexit Dominus vere & apparuit *n* Simoni. Et *o* ipsi *p* narrabant, quæ gesta erant in via, & quomodo

fictio, vel fingere fragilitatem. *Psal.* 102: Ipse novit figmentum nostrum. Item sapientiam. *Psal.* 32. Qui finxit singillatim cordi eorum. *Eccl.* 19. Est justus, qui inclinat faciem, & fingit se non videre, quod ignoratum est. Item justitiam. *Psal.* 93. Qui fingis dolorem in præcepto. Item opus figuli. *Rom.* 9. Nunquid dicit figmentum figulo, &c. Item simulationem. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. *Sap.* 1. Hic autem notat fictio justitiam, & sapientiam. Ad hoc enim finxit, se velle ire longius, ut invitarent eum ad hospitium, & invitando mererentur, & post meritum cognoscerent eum. Simile *Marc.* 6. Circa quartam vigiliam noctis venit Jesus ad eos ambulans supra mare, & volebat eos præterire. Ibi *Gloss.* Ut ad horam conturbati, sed continuo liberati plus liberationis suæ miraculum stuperent, & ereptori suo gratias majores referrent. Item *August. de concordia quatuor Evangelist.* Quomodo intellexerunt Apostoli Dominum velle præterire eos, nisi quia in diversum ibat, quod ad eliciendum illum clamorem valebat, cui subveniri oportebat.
a Et coegerunt illum,] licet non cognoscerent. *Greg.* Hoc exemplo colligitur, quod peregrini ad hospitium, non solum sunt vocandi, sed etiam trahendi. *Hebr.* 13. Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis. *Chrys.* Propterea magna merces, quia nesciens eos Angelos esse hospitavit, quia si scivisset nil mirabile. *Bed.* Laicus si unum, vel duos recepit, hospitalitatis præceptum implevit. Episcopus si omnes non recipit, inhumanus est. *Sap. ult.* de Sodomitis. Juste patiebantur, etenim detestabilem hospitalitatem instituerunt. Et *infr.* Quoniam inviti recipiebant hospites, &c.
Moraliter. *b* Dicentes, &c.] Moraliter. *Eccles.* 12. Memento Creatoris tui diebus juventutis tuæ. Et *infr.* Antequam tenebrescat, &c. *Jerem.* 6. Væ nobis, quia declinavit dies, & longiores factæ sunt umbræ vesperi.
c Et intravit, &c.] Hoc contra Abbates, qui nunquam, vel raro recumbunt cum monachis refectorio. *Eccl.* 32. Rectorem te posuerunt, noli extolli, &c.
d Accepit panem, &c.]
Mystice. Mystice. Nota verbum, & ordinem verbi. Panis est verbum Dei. *Psal.* 103. Et panis cor hominis confirmet. Panem accepit Jesus in manu, quia legem implevit opere. *Matth.* 5. Non veni solvere legem, sed adimplere. Deinde benedixit orando, postea fregit exponendo, ad ultimum porrigebat illis prædicando. Hunc ordinem debet tenere prædicator, & doctor, ut primo accipiat panem addiscendo, & faciendo. *Eccl.* 18. Ante judicium, idest ante prædicationem, ubi judicium fit, para justitiam tibi, & antequam loquaris, disce. Secundo oret, & orare faciat, ut prædicatio sua officium, vel effectum habeat, & abundet in eo. *Esther* 14. Da mihi fiduciam, Domine, rex deorum, & universæ potestatis, tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis. *Coloss.* 4. Orationi instate vigilantes, &c. Item 2. *Thess.* 3. Fratres orate pro nobis, &c. Tertio frangat, idest minutatim exponat, ita ut parvuli possint intelligere. 1. *Cor.* 3. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. *Thr.* 4. Parvuli petierunt panem, &c. Post hæc potest prædicare. *Matt.* 14. Acceptis quinque panibus Jesus benedixit, fregit, & dedit discipulis suis. Si ita facerent doctores, tunc addiscerent auditores. Unde sequitur.
e Et aperti sunt oculi eorum, &c.] Quem non cognoverunt in expositione scripturarum, cognoverunt opere ipso, idest, in fractione panis. Et per hoc Mystice significatum est, quia non auditores legis, sed factores justificabuntur. *Rom.* 2. *Jacob* 1. Et veritas melius opere, quam verbo manifestatur. Unde: A mandatis tuis intellexi, agendis, scilicet, non dixit, mandata tua intellexi. *Psalm.* 118. *Eccl.* 1. Fili, concupiscens sapientiam, serva justitiam.
f Et ipse, &c.] *Bed.* subtrahitur carnalibus oculis species infirmitatis, ut mentibus incipiat apparere gloria resurrectionis, idest, quam infirmitate cognoscere non poterant. Sed quare evanuit? Ut tu non quæras laudes hominum, cum benefeceris. *Matth.* 6. Attendite, ne faciatis justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab illis. Item, ut subtracta specie infirmitatis mens eorum elevaretur in gloria resurrectionis. Unde sequitur. *g* Et dixerunt ad invicem,] jam certi eum resurrexisse. *h* Nonne, &c.] Nota, quod hi duo discipuli non cognoverunt Dominum duplici de causa, quia scilicet torpore a gemino frigore, scilicet, incredulitatis, & timoris. Erant enim increduli, & timidi. Dominus autem aperiens eis scripturas calida fecit corda eorum, quia verba sacræ Scripturæ sunt carbones, qui inflammant corda audientium. *Cant.* 5. Anima mea liquefacta est, &c. Item *Psal.* 147. Emittet verbum suum, & liquefaciet ea. Item eloquium Domini inflammavit eum. Item, ignitum eloquium tuum. Item, quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad, idest, contra linguam dolosam. Sagittæ potentis acutæ, idest prædicatores, qui sunt sagittæ pennatæ, cum carbonibus desolatoriis, idest, cum præceptis sacræ Scripturæ, quæ sunt carbones igniti. *Psalm.* 104. *Psalm.* 138. *Psalm.* 119. *Ardor multiplex.* *Beda*: Ex audito sermone cor prius torpore incredulitatis, & timoris frigidum igne Spiritus sancti est accensum, ut jam superno desiderio ardeat, & ad credendam veritatem se extendat, &c. Et nota, quia est multiplex ardor. Est enim charitatis ardor, *sup.* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, &c. *Is.* 6. Seraphim, idest, ardens. *Joan.* 5. Joannes erat lucerna ardens. Item naturalis dilectio. Hinc *Psalm.* 7. Sagittas suas ardentibus effecit, idest, istis duobus effecit, idest, exposuit, hoc est, extra fecit. Item ira. *Eccl.* 28. Nonne ardorem refrigerat ros? Item tentatio. *Eccl.* 43. Obvians ros, idest gratia ab ardore vehementi. Item gehenna. *Deut.* 22. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit. Item pœna pro peccato temporali. *Psal.* 2. Cum exarserit in brevi ira ejus, beati, &c. Item tribulatio. *Eccl.* 16. In Synagoga peccantium exardebit ignis ejus, &c. *Isa.* 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus.
Moraliter. Moraliter. Per hoc, quod Dominus in via docuit, insinuat, quod nunquam, & nusquam cessandum est a doctrina veritatis. *Deut.* 6. Meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere. *Matth.* 5. Esto consentiens cito adversario tuo, dum es in via cum eo. Sequitur.
i Et surgentes eadem hora,] scilicet die resurrectionis.
k Regressi sunt in Jerusalem,] 4. *Reg.* 7. Hæc dies boni nuncii est, si tacuerimus, & noluerimus nunciare usque mane, sceleris arguemur.
l Et invenerunt congregatos undecim.] Ergo Thomas aderat.
m Et eos, qui cum ipsis erant, dicentes, quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.] Quod apparuerit Dominus Petro, hinc habemus, de modo apparitionis nihil habetur. *Bed.* Primo omnium virorum apparuit Petro, quod etsi non dicit Evangelista, quando, vel ubi factum sit, tamen quia factum sit, non tacet. Et dicit *Beda*. Primo omnium virorum, quia certum est eum primo apparuisse mulieribus. Item *Beda*: Jam fama erat, quod resurrexerat Dominus ab illis mulieribus facta, & a Simone Petro, cui apparuerat, hæc loquentes supple discipulos invenerunt isti duo, hoc etiam ipsi prius audierant, quod surrexerat, sed timuerunt dicere in via, quando tantummodo Angelos dixerunt visos a mulieribus. Ignorantes enim eum, cum quo loquebantur, poterant timere, ne inciderent in manus Judæorum, si quid passim dicerent de Christi resurrectione.
n Simoni,] idest, obedienti claustrali apparet Dominus, sed noluit Simon illud narrare, nec tamen penitus tacerut. Sequitur. *o* Et ipsi,] scilicet duo discipuli.
p Narrabant, quæ gesta erant in via, & quomodo cognoverunt eum, &c.] Argumentum pro eleemosyna, & prædicatione. *Isaiæ* 58. Frange esurienti, &c. *Actor. secundo.* Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, &c. *Cantic. quarto.*

▲ Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, idest, prædicatores. *a* Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum.] *Matth.*18. Ubi sunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum ego in medio eorum. Nota, cum Dominus intravit, Thomas non erat cum eis, quando autem duo discipuli invenerant undecim congregatos, tunc erat cum illis. Intellige ergo, Thomam paulo ante exiisse, cum ipsi narrarent ea, quæ gesta erant, & interim Dominus aliis apparuit, & ipso recedente venit Thomas,

cognoverunt eum in fractione panis. *a* Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, *b* & dixit eis: *c* Pax vobis: *d* Ego sum, *e* nolite timere. *f* Conturbati vero, & conterriti *g* existimabant se spiritum videre. Et dixit *h* eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? *i* Videte manus meas, & *k* pedes, quia ego ipse sum. *l* Palpate, & videte, quia *m* spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.

sicut dicit *Joan.* 20. Clausis autem januis potuit Dominus intrare, cum haberet corpus glorificatum, qualia erunt corpora Sanctorum post diem judicii.

b Et dixit eis] Jesus. *c* Pax vobis] *Chrys.* Ideo Paulus continue dicit: Gratia vobis, & pax. ▲

- Pax
  - Bona
    - Christus. *Ephes.* 2. Ipse est pax nostra. *Mich.* 5. Erit iste pax Assyriis, cum venerit in terram nostram.
    - Æternitatis. *Joan.* 14. Pacem meam do vobis. *Psal.*147. Qui posuit fines tuos pacem. *Psalm* 75. Factus est in pace locus ejus. *Phil.* 4. Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum.
    - Pectoris. *Judic.* 6. Ædificavit Gedeon altare, & vocavit illud, Domini pax. *Psal.*118. Pax multa diligentibus legem tuam, ideo pax nulla diligentibus mundum.
    - Congregationis. *Rom.* 12. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, *sup.* 2. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, non malæ.
    - Mortis sacræ, *sup.* 2. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. *Psal.*4. In pace in idipsum dormiam, & requiescam.
  - Indifferens
    - Tempori. 4. *Reg.* 20. Sit tantum veritas, & pax in diebus meis. 4. *Reg.* 9. Pax est Jehu? At ille respondit: Quæ pax, &c.
  - Mala
    - Consensus iniquitatis. *Matth.* 10. Non veni mittere pacem, sed gladium. *Is.* 57. Non est pax impiis.
    - Prosperitas malorum. *Psal.*72. Zelavi super iniquos pacem peccatorum videns. 1. *Thessal.* 5. Cum dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.
    - Pacis simulatio. *Ezech.* 13. Deceperunt populum meum, dicentes pax, pax, & non est pax. *Jer.* 6. Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax, & non erat pax.

▲ Hinc est, quod Episcopus, qui specialiter est vicarius Christi, in primo ingressu ad populum, & in prima versione in Missa dicit: Pax vobis: sicut Dominus quando primo apparuit discipulis, legitur dixisse: Pax vobis. Secundo autem in Missa ante susceptionem Eucharistiæ dicitur: Pax Domini sit semper vobiscum, quia Dominus secundo intrans ad discipulos, scilicet, post dies octo secundo legitur eis dixisse: Pax vobis. Est & alia causa, quare in Missa dicatur: Pax Domini, &c. ut per hoc significetur, quia Passio Christi, cujus sit repræsentatio, pacem fecit inter homines, & Deum. Sed neutra istarum est specialis causa. Nota ergo, quia pro generali communione, quæ fiebat in primitiva Ecclesia, quæ signum erat pacis, & fraternæ dilectionis, introductum est in Missa osculum pacis. In primitiva namque Ecclesia omnes quotquot intererant canoni Missæ, singulis diebus communicabant, & si nollent communicare, egrediebantur post offertorium, scilicet, post Missam cathecumenorum. Post institutum est, ut singulis diebus interessent canoni Missæ, sed solis Dominicis diebus communicarent. Postea restrictum est ad tres festivitates, scilicet, ut non communicarent, nisi in Natali, & in Pascha, & in festo Pentecostes. Quis autem restrinxerit ad unam solam festivitatem, sicut fit temporibus nostris, nescio. Pro ista ergo generali communione, quæ fiebat in primitiva Ecclesia, quæ signum erat pacis, & fraternæ dilectionis, introductum est osculum pacis, & ideo specialiter dicitur: Pax Domini sit semper vobiscum.

d Ego sum,] *Exod.* 3. Ego sum, qui sum. *Joan.*8. Antequam Abraham fieret, ego sum. Item vox ejus nota erat eis.

e Nolite timere,] *sup.* 12. Nolite timere pusillus grex, complacuit enim patri vestro dare vobis regnum.

f Conturbati, &c.] Contra. *Joan.* 20. Gavisi sunt discipuli viso Domino. Solutio: Primo turbati sunt, sed postea gavisi. Unde *Ambr.* Lucas historice singula prosecutus est, Joannes finem expectavit, hic seriem.

g Existimabant se spiritum,] non carnem, [videre] spiritum scilicet, quem emiserat in passione, assumpto aereo corpore. Non enim videbatur eis, quod vera caro, quæ jacuit in sepulchro, tam cito surrexisset. Simile *Matth.*14. Videntes eum ambulantem supra mare turbati sunt, dicentes, quia phantasma est. *Act.* 12. Currens puella nunciavit Petrum stare ad ostium. At illi dixerunt ad illam: Insanis. At illa magis affirmabat sic se habere. Illi autem dixerunt: Angelus ejus est. Nota, quia pauci discipulorum adhuc credebant, scilicet Petrus, cui Dominus apparuerat, & duo discipuli, quibus apparuerat euntibus in Emmaus, alii nondum credebant. Ideo propter eorum conditionem poterant credentes turbari. Et licet Petrus crederet firmiter surrexisse, de hoc tamen poterat turbari, quoniam clausis januis corporaliter intraverat. Unde *Beda*: Credebant Apostoli, sed tamen turbabantur primo, quia opinione paucorum sententia majoris partis excludit, &c. quasi licet crederent, tamen quia plures turbabantur, quam crederent, non dicuntur credidisse propter pauciores, sed fuisse turbati propter plures.

h Et dixit eis, quid turbati estis, & cogitationes] falsæ, [ascendunt in corda vestra?] Bene dictum est, [ascendunt.] Pravæ enim cogitationes, quæ de superbia procedunt, in corde ascendunt. Bene autem a patre luminum descendunt, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum. *Jacob* 1. *Matth.* 9. Quid cogitatis mala in cordibus vestris?

i Videte manus meas, & pedes] meos, [quia ego ipse sum, palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.] *Gloss.* Post resurrectionem in corpore suo Dominus duo contraria ostendit, & corpus palpabile ejusdem naturæ, ut informet ad fidem, & incorruptibile alterius gloriæ, ut invitet ad præmium. Contra. Si duo contraria ostendit, ergo, vel falso, vel ex falsis. Sol. *Greg.* Duo mira juxta humanam rationem sibi valde contraria Dominus ostendit, quasi dicat, non fidei sunt mira, vel contraria, sed humanæ rationi.

Mystice, *i* Videte manus meas, & pedes] meos, id est opera, & affectus meos erga vos, & alios. Sic Prælati, & doctores alii deberent ostendere populo opera sua, & affectum suum. Sed non necesse, quod affectus omnium viderentur, & utinam opera multorum non viderentur. *Matt.*23. Quæ dicunt, facite, secundum autem opera eorum nolite facere. Aliter: *Mystice.*

i Videte manus, &c.] Sic boni manus perforatas per largitionem habent. *k* Pedes,] idest, affectus per compassionem. *Psalm.* 21. Foderunt manus meas, & pedes meos, terrena aliis dando, & cor humiliando. Hæc sunt signa resurrectionis gloriæ. *l* Palpate, & videte.] Quidam non permittunt se palpare, sed sunt, sicut rostrum, quod percutit levantem se. Alii abscondunt se, quia forte non habent manus bonas. *m* Spiritus carnem, & ossa non habet.] Mystice. Ossa Christi sunt Prælati, qui sustinent totum pondus Ecclesiæ super se. *Job* 9. Sub quo curvantur, qui portant orbem. 1. *Reg.*2. Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem. De his ossibus *Thren.*1. Ignem misit in ossibus meis, & erudivit me. Caro Christi sunt subditi, qui portantur a Prælatis. *Ps.*77. Recordatus est, quia caro sunt. *Job* 19. Quare persequimini me, sicut Deus, & carnibus meis saturamini? dicit Christus hæreticis, & tyrannis. Et *infra*: In carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Non dicit in ossibus. *Is.*40. Videbit caro salutare Dei. Sequitur. *Mystice.*

▲ *a* Et cum hoc

Et *a* cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes. *b* Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi *c* obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis. Et *d* cum manducasset coram eis, *e* sumens reliquias dedit eis. Et dixit *f* ad eos. Hæc sunt verba, *g* quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum,

a Et cum hoc dixisset, &c.] Certum est, quia corpus Christi surrexit sine omni deformitate, non ergo fuerunt cicatrices in eo. Sed hoc habendum est in miraculis divinæ potentiæ, quod in corpore immortali cicatrices ostendit miraculose. Quare autem Dominus in corpore glorificato voluerit reservare cicatrices, habentur quinque causæ in *Gl.* satis apertæ. *Bed.* Ut ostensa vulnerum cicatrice infidelitatis vulnus sanaret, quas cicatrices, & tunc servavit, & in judicio servaturus est. Primo ad fidem resurrectionis instruendam. Deinde, ut patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat. *Psal.* 83. Respice in faciem Christi tui. Tertio, ut sua morte redempti, quam misericorditer sint adjuti, propositis ejusdem mortis insinuet indiciis. Sed postremo, ut in judicio, quam juste damnentur impii, denunciet ostensa, quam ab illis accepit cicatrice. *Zach.* 12. Aspicient ad me, quem confixerunt. Et 13. Quid sunt plagæ istæ, &c. *Apoc.* 1. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Non ergo ex impotentia curandi cicatrices servavit. Sed, [ut est quinta causa] perpetuum victoriæ suæ circumferat triumphum. *Ambr.* addit sextam causam, dicens: In quo non solum fidem firmat, sed etiam devotionem acuit, quod vulnera suscepta pro nobis cœlo inferre maluit, ut patri nostræ præmia libertatis ostenderet. Nota, quod dicitur in *fine Gloss.* Ut perpetuum victoriæ suæ circumferat triumphum, quia hoc verbum videtur sumptum ab *Ambr.* qui per elegans simile hoc ostendit. Accedit medicus ad militem vulneratum multiplici vulnere, ponit in optione ejus, quomodo velit sanari potius, an ita, ut appareant sine omni deformitate cicatricum vestigia, an ita, scilicet, ut omnino deleantur, & nulla appareant. Si hoc, inquit, ponatur in optione militis strenui, puto, quod ipsa præeliget sanari, cum apparentibus cicatricum vestigiis, & sine omni deformitate, ut ipsa cicatricum ejus vestigia probitatis ejus sint indicia. Sic Dominus ad ostendendam victoriam suam, scilicet, quod in cruce triumpharet de diabolo, voluit reservare cicatrices in corpore glorificato. Sequitur.

b Adhuc autem illis non credentibus, &c.] Bonum fuit nobis, quod discipuli ita duri fuerunt ad credendum resurrectionem. Nam si cito credidissent, non ita probata fuisset. Unde *Greg.* super Joannem. Quod discipuli tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas, quam nostra firmitas futura fuit. Nam illis dubitantibus resurrectio multis argumentis monstratur. Præbuit enim se oculis videndum, manibus contrectandum. Unde 1. *Joan.* 1. Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ. Et non solum videri, & tangi voluit post resurrectionem, imo & convesci, quod est probatio veræ resurrectionis. Leguntur enim magi, arte magica mortuos suscitasse, ut facerent eos loqui, & deambulare, sed non poterant facere, ut comederent. Manducavit autem Dominus ante passionem cibum pro supplenda inopia, post passionem pro manifestanda potentia. Nec tunc transiit cibus in nutrimentum, sed consumptus est. Nam sicut terra arida aquam suscipit ad sui irrigationem, sic ante passionem Dominus cibum comedit ad naturæ humanæ sustentationem. Et sicut radius Solis naturali quadam potentia, & virtute caloris aquam consumit, sic potentia deitatis cibum a Christo post resurrectionem sumptum in comedendo desiccavit. Tradunt enim sancti, quia in comedendo cibus desiccatur. Sicut ergo Sol aliter absorbet aquam, aliter terra, quia ille potentia, ista indigentia, ita Christus ante resurrectionem cibum sumpsit ex necessitate, post resurrectionem consumpsit propria potestate. *Aug.* 13. *de civit. Dei c.*22. Non potestas, sed egestas edendi, ac bibendi gloriosis corporibus auferetur. *c* At illi, &c.] Mystice. Piscis assus est Christus passus in fluctibus mundi, sicut piscis in fluctibus maris, tenditur, igne passionis assatus in ara crucis. Ipse est & favus mellis. Favus enim est mel in virgine cera, & significat deitatem in carne corrupta. Piscis assus fuit Christus in Passione, favus mellis in Resurrectione. Piscem assum igitur, & favum mellis offert Christo, qui fidem Passionis, & Resurrectionis firmiter tenet. Sed quia discipuli nondum plene solidati erant in fide, ideo partem piscis, & non totum piscem offerunt Domino. Per hoc etiam, quod piscis assus, & favus mellis simul conjunguntur, significatur, quia illos, qui hic tribulationibus pro nomine ejus assantur, jucunditate æternæ beatitudinis satiabit. Item pisces in vivario, sunt religiosi in claustro, qui frequenter indigent aqua recenti, idest doctrina, & lacrymis, alioquin moriuntur. *Is.* 50. Ponam flumina in siccum, & computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti. *Exod.* 7. Versa est aqua in sanguinem, & pisces, qui erant in flumine, mortui sunt. Pisces in mari, vel in fluvio sunt homines in sæculo, qui liberi sunt, & vadunt, quo volunt. *Hab.* 1. Facies hominis quasi pisces maris. *Matth.* 13. Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Sed piscium quidam sunt mundi secundum legem, quidam immundi. *Lev.* 11. Omne quod habet pennulas, aut squamas tam in mari, quam fluminibus, & in stagnis comedetis, quiquid autem pennulas & squamas non habet eorum, quæ moventur in aquis, & vivunt, abominale vobis, execrandumque erit. Squama significat fidem, & spem, quia sicut squama piscem protegit a læsione, & munditia ejus attestatur, & antequam piscis comedatur, abjicitur, ita fides, & spes hominem protegunt a perditione, & munditiam operantur in mente. Unde *Act.* 15. Fide purificans corda eorum. Et antequam homo incorporetur Christo per gloriam, evacuatur fides, & spes. Unde 1. *Cor.* 13. Cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, id est, cum dabitur perfecta visio, evacuabitur fides, & spes. Pennula vero, quæ facit piscem saltabilem ad cœlum, significat charitatem, quæ sola facit desideria sancta, quibus saltatur in paradisum. Et dicit *Gl. super Lev.* 11. quod omnes pisces, qui habent pennulas, habent squamas, sed non e converso. Boni ergo sunt pisces squamosi, & pennati, mali vero sunt omnes alii. Hi sunt pisces, qui manducant Jonam, & volunt devorare Tobiam. Boni religiosi significantur per piscem, qui reddidit tributum pro Christo, & pro Petro, quia ipsi supplent in corpore suo, quæ desunt passionum Christi. Sicut dicit Apostolus de se, *Col.* 1. Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia, cujus factus sum ego minister. Sed quia omnis nostra passio, vel tribulatio minor est, imo nulla respectu passionis Christi, neque est sufficiens ad gloriam, sicut dicitur *Rom.* 8. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, &c. Ideo bene dicitur hic: [At illi obtulerunt ei partem piscis assi,] idest, seipsos super carbones charitatis, & passionis assatos. De quibus dicitur in *Psal.* 17. Carbones succensi sunt ab eo. Sunt autem boni etiam favus mellis, qui licet tribulentur exterius, dulcedine tamen æternæ jucunditatis, quam sperant, reficiuntur interius. Unde sponsa dicit *Cant.* 1. Nigra sum, sed formosa. Nigra exterius per æstum tribulationum, formosa interius per spem remunerationis, & internæ consolationis. Recte igitur post resurrectionem comedit piscem assum, & favum mellis, quia illos corpori suo unict in gloria, qui exterius tribulantur, & interius gloriantur de ipsa tribulatione, quam pro Christo sustinent. Sicut Paulus 2. *Cor.* 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Sequitur.

d Et cum manducasset coram ais,] quia passus est coram eis.

e Sumens reliquias, dedit eis.] Mystice. Reliquias passionis suæ, de quibus *Ps.* 75. Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. *Ps.* 36. Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. *Joan.* 6. Colligite fragmenta, ne pereant. *Psalm.* 20. In reliquiis tuis præparabis vultum eorum. *Psalm.* 56. Reliquiæ impiorum peribunt, idest, libri. *Psalm.* Diviserunt reliquias suas parvulis suis, idest, divitias, vel modicitatem. Item nota, quod dicit reliquias, ut saltem partem passionis Christi, vel suorum imitemur. *Tob.* 6. Cordis ejus particulam, &c. *Col.* 1. Adimpleo ea quæ desunt, &c.

f Et dixit ad eos: hæc sunt verba,] idest, res verborum. Similiter *Is.* 39. Non fuit verbum in domo, quod non ostenderet eis, &c.

g Quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum;] in eadem carne mortali. Nam & modo cum eis erat præsentia corporali.

Joan. 6. *Erant Domino quinque panes, & duo pisces, modo pisces sunt plures, quã panes. Non debent dari panes, qui carnibus tenuaverunt, & sua, & aliena. Num.* 11. *Pisces in Ægypto gratis comedebamus.*

4. dist. c. 3.

Secunda pars.

Mystice.

quoniam *a* necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. *b* Tunc aperuit illis sensum, ut *c* intelligerent Scripturas, *d* & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, *e* & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis die tertia, *f* & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in *g* omnes gentes, *h* incipientibus *i* a Jerosolyma. *k* Vos autem *l* estis *m* testes eorum. Et *n* ego mittam *o* promissum patris mei in vos, *p* vos autem *q* sedete in civitate, *r* quoadusque induamini virtute *s* ex alto. *t* Eduxit autem

a Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.] *Matthæi* 5. Unum jota, & unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. *b* Tunc aperuit, &c.] Lucas transibit brevius, quod *Joan.* 20. explicat diffusius, scilicet, quomodo insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum. Et hac inspiratione Spiritus sanctus aperuit eis, ut licet essent idiotæ, omnes scripturas intelligerent. Ideo autem specialiter inspiravit eis scripturarum notitiam, ut gentilium insaniam arguerent, & reprimerent calumniam*. Calumniantur enim adhuc gentiles Christum artibus magicis prophetasse, & miracula fecisse. Aperit ergo, ut intelligant, Christum, antequam natus esset, de seipso prophetasse per Isaiam, & alios Prophetas, quod arte magica facere non posset. Etsi enim arte magica posset prophetare, non tamen antequam natus esset. Aperuit ergo eis intelligentiam Scripturæ, ne posset eos turbare error gentilium. Judæi quoque fabulantur, Christum fecisse sibi sanguinem impollutum, & intrasse in Sancta sanctorum, & de propitiatorio asportasse nomen Dei ineffabile scriptum in quadam charta, & in virtute ejus fecisse miracula, sed non ita legitur de calumnia Judæorum, sicut de calumnia gentilium. Dicit ergo: [Tunc aperuit illis sensum,] contra præsumentes de suo sensu. *c* Ut intelligerent Scripturas.] *Beda*: Omnes ambages aufert, visus est, tactus est, manducavit. Et ne in aliquos sensus humanos ludificasse videretur, mittit manus ad scripturas, ut etsi magicis artibus videatur potuisse, quod voluit, sicut dicunt pagani, salutem eum vident prophetare non potuisse, antequam natus fuerit. *d* Et dixit eis, quoniam sic scriptum est,] scilicet, quod Christus erat passurus, & resurrecturus a mortuis die tertia. Et hoc est. *e* Et sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis die tertia.] *Osee* 6. Revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, & salvabit nos, percutiet, & curabit nos, & vivificabit nos post duos dies, in tertia suscitabit nos. *f* Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum.] *Beda*: Plus proficit ad prædicandum sancti amoris conscientia, quam sermonis exercitata scientia. Et nota, quia & prædicatio Christi, & Joannis incepit ab eodem, scilicet a pœnitentia. *Matth.* 3. & 4. Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum. Et commendat hic Ecclesiæ unitatem, ubi dicit, quia oportet prædicari pœnitentiam omnibus gentibus. Prædicari inquam. *g* In omnes gentes.] *Beda*: Non enim in una gente tantum Judæorum, vel in aliqua parte terrarum. *h* Incipientibus] supple vobis prædicare. *i* A Jerosolyma.] *Isa.* 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. Vel: [A Jerosolyma,] idest a Judæa. *Act.* 13. Vobis oportebat primum, &c. Et nota quia a Judæa incipiendum erat, non solum pro Judaici populi veneratione, sed etiam pro tollenda a gentibus desperatione, ut audientes, quod etiam Christus crucifigentibus se promitteret veniam, nullum haberent diffidentiæ locum. *Osee* 1. Dicetur eis filii Dei viventis. Hinc est etiam, quod cum dicimus: Gloria tibi, Domine, convertimus faciem ad orientem, quia inde venit Evangelium ad nos. *k* Vos autem,] qui vidistis, & audistis. *l* Estis,] idest, eritis. *m* Testes horum,] quæ prædicanda sunt, quæ vidistis, & audistis. Non enim sufficit testimonium de auditu. *Act.* 4. Non possumus, quæ vidimus, & audivimus non eloqui. Fuerunt autem in Apostolis omnia, quæ requiruntur in testibus. Primo examinati fuerunt a Christo multis tribulationibus. *Sap.* 3. Quasi aurum in fornace probavit illos, &c. & accepit, idest acceptos habuit ad testificandum. Item debent esse viri, non mulieres, quæ cito, & de facili corrumpuntur, vel flectuntur. Ideo dicit: [Vos] qui estis viri, idest virtuosi, non feminei. *Act.* 1. Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, &c. Item debent esse jurati, & rogati testificari. Unde qui nec juratus, nec rogatus testificatur, falsus testis est. *Prov.* 19. Falsus testis non erit impunitus. Item oportet, quod non sint infames. Unde de eo, qui Episcopatum desiderat, dicitur 1. *Tim.* 3. Oportet illum testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt. 2. *Cor.* 2. Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo. Item debent non esse surdi per inobedientiam. *Prov.* 28. Qui declinat aurem suam, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Item non pro se, sed pro alio debent testificari, alioquin pro se non valet testimonium. *Jo.* Tu de teipso perhibes testimonium, testimonium tuũ non est verum. Hæc omnia habuerunt Apostoli, & ideo veri testes fuerunt. Unde *Is.* 43. Vere vos testes mei, dicit Dominus. *Actor.* 10. Nos sumus testes omnium, quæ fecit in regione Judæorum. Sequitur.

Act. 17. — *Act.* 1.

n Et ego, &c.] Quasi ut sufficiatis ad testandum, [mittam] vobis auxilium. Et hoc est. [Ego mitto,] idest, mittam.

o Promissum patris mei in vos.] Promissum potest teneri masculine, & tunc debet suppleri, scilicet Spiritum sanctum. Sed *Gl.* vult, ut neutraliter legatur. [Promissum] *Gl.* Spiritus sancti gratiam, quam ipse promisit eis in nomine patris. *Joan.* 15. Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a patre meo spiritum veritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, &c. *p* Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.] Nota, quia hoc dictum est die Ascensionis, & forte hoc idem dixit die Resurrectionis. Vel probabilius est, quod Lucas tanquam breviloquus subito transit de die Resurrectionis ad diem Ascensionis. Quod autem sequitur: [Eduxit autem eos foras,] certum est factum esse in die Ascensionis. Et nota, quod poterat Dominus, si vellet, statim confirmare discipulos virtute Spiritus sanct. ex alto. Juxta illud *Eccl.* 11. Facile est in oculis Domini subito honestare pauperem. Sed distulit. Ut exemplum daret sequentibus, ne imperfecti, & ante tempus prædicare præsumant. Unde *Eccl* 3. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Ibi *Hier.* Nihil nobis rectum videatur, nisi quod discimus, ut post multum silentium de discipulis efficiamur magistri. Disciplinæ enim Pythagoricæ est, per quinquennium tacere, & post eruditos loqui. Docemus autem in Ecclesiis, quod nescimus, omnes artes absque doctore non discimus, sola hæc tam vilis, & tam facilis est, ut præceptore non egeat. *Prov.* 18. Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat. Ideo dicitur *Eccl.* 32. Audi tacens simul, & quærens, & pro reverentia accedat tibi bona gratia. Sedere autem in civitate, est. Mystice, in scholis diu audire, vel in claustro studere, vel intra cordis sui claustra tacitum residere, donec perfecte indutus sit scientia, & virtute, & tunc primo licet exire foras alios instruendo. Ideo dicit: *p* Vos autem,] qui debetis esse testes, idest, prædicatores veritatis.

Mystice.

q Sedete in civitate,] idest in scholis, vel in claustro. 3. *Reg.* 2. Semei stravit asinum suum, & ivit ad Achis in Geth, &c. Vel [In civitate,] idest intus in mente. *Bed.* In civitate sedet, qui intra mentis claustra se constringit, ne loquendo exterius evagetur, vel cum divina virtute perfecte fuerit indutus, tunc quasi ipse a se foris exeat alios instruendo. Unde subditur:

Semei interpretatur nomen meũ vel auditio mea.

r Quoadusque induamini virtute,] quæ est vestis animæ, *Judic. sexto.* Spiritus Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut sequeretur se. *Romanorum decimotertio.* Induimini Dominum Jesum Christum, & curam carnis ne feceritis in desideriis. *Job* 29. Justitia indutus sum, & vestivi me sicut vestimento, & diademate judicio meo. Unde autem deberent expectare hoc indumentum, determinat, subdens:

s Ex alto,] idest, a Deo. *Jac.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.

t Eduxit autem, &c.] Hic prætermittit Lucas omnia, quæ per quadraginta dies gesta sunt a Christo, quæ Joannes plenius narrat. Et ipsum primum diem resurrectionis conjungit Lucas diei Ascensionis, significans per hoc, quod nullus

Tertia pars.

ascendet

ascendet in cœlum, nisi qui a peccato resurrexerit. *Eph* 5. Surge, qui dormis: & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. In Bethaniam vero ascensurus, & benedicturus discipulos eduxit, ad significandum, quod nemo dignus est ascensione, vel Dei benedictione, nisi fuerit in obedientia. Unde *Philip.* 2. Christus factus est obediens, &c. Vel ideo ascensurus in cœlum eduxit discipulos in Bethania, ut ostenderet se ascendere propter eos, qui sunt in die obedientiæ: sicut enim, ut sanaret inobedientes: ita ascendit, ut secum traheret obedientes. Et nota, quia sicut Bethania in latere montis Oliveti est sita: sic Ecclesia in latere Christi fundata, quia de latere ejus fluxerunt Ecclesiæ fundamenta, idest, duo principalia Sacramenta, scilicet, Eucharistiæ, & Baptismatis, quibus simpliciter nascitur, & ita nutritur. Christus autem mons Oliveti, de cujus vertice, idest, altitudine deitatis spiritualis unctio † manat, idest, gratia Spiritus Sancti, suos etiam illuminat, & eis pacem præstat. Ramus enim olivæ pacem designat. Illud quoque non vocat a mysterio, quod Bethania quindecim stadiis distat a Jerusalem. Et potest esse triplex significatio, septem & octo. Possunt enim significare novum, & vetus Testamentum, vel etiam præsentem, & futuram, vel septimam ætatem, & octavam. Dicit ergo. *a* Eduxit autem eos,] idest, discipulos. *b* Foras] civitatem. Sic oportet exire de mundo, qui habere Dei benedictionem desiderat.

Marc. 16. Act. 1.

al. † Tangitur, quod ibi fructificant olivæ.

a eos *b* foras in *c* Bethaniam, & *d* elevatis manibus suis benedixit eis: Et *e* factum est, dum benediceret illis: recessit ab eis, & ferebatur in cœlum: *f* & ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem *g* cum gaudio magno. Et *h* erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum.

Explicit Evangelium secundum Lucam.

c In Bethaniam,] quæ interpretatur domus obedientiæ, quæ in monte Oliveti sita est: quia obedientia juncta debet esse misericordiæ, & paci, quæ duo per olivam designantur. *d* Et elevatis manibus suis benedixit eis:] confirmans eis, quam prius dederat potestatem benedicendi, & virtutem, *Eccl.* 36. Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut Prophetæ tui, idest, Prædicatores tui fideles inveniantur in sua prædicatione: & exaudi orationes servorum tuorum: secundum benedictionem Aaron de populo tuo. *Num.* 16. Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem: Ter dicitur Dominus, quia omnis benedictio a tota est Trinitate.

e Et factum est, &c. cœlum] bajulis nubibus, non ab Angelis, sed virtute propria, tamen cum Angelis comitantibus ipsum, & jubilantibus. Unde *Ps.* 46. Ascendit Dominus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ, 4. *Reg.* 2. Ascendit Elias per turbinem in cœlum. *f* Et ipsi, &c. Jerusalem,] ubi promissionem Patris jussi sunt expectare.

g Cum gaudio magno.] Gaudebant enim Apostoli propter Domini sui glorificationem, propter diaboli humiliationem, propter Judæorum confusionem, propter generis humani factam redemptionem, propter Angelicæ ruinæ reparationem. Nota, quia discipuli secuti sunt Dominum usque ad locum, unde ascendit; & quia processerunt cum eo sequentes crucifixum: ideo Ecclesia repræsentans hanc eorum processionem, singulis dominicis diebus præfert in processione vexillum Crucis, ac si dicat, sequar Crucifixum. Ecce quare vexillum Crucis præfert. Sed quare refert, cum Dominus cum Discipulis suis non redierit. Quia licet ascenderit in cœlum, nec redierit Dominus cum eis corporaliter; tamen ipse idem ait. Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. *Mat. ult.* *h* Et erant semper in templo, &c.] *Beda*. Quia Dominum post triumphum Resurrectionis cœlos vident penetrare, item expectantes Domini promissionem, *supra* 12. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. Nota, quia Lucas a Sacerdotio incepit, & in eodem terminat, scilicet, in laude, & benedictione Apostolorum, quod ad Sacerdotium pertinet, ergo in figura animalium sortitus est formam vituli, &c.

Postilla Domini Hugonis Cardinalis super Evangelium secundum Lucam explicit.

REVERENDISS: IN CHRISTO PATRIS, & Domini, D. Hugonis Cardinalis, &c.

In Postillam super Evangelium secundum Joannem.

PROLOGUS.

EGO ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam: Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem carnem: Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis. Verba sunt Sapientiæ, idest, filii *Eccl'siast.* 24. Ex quibus materia, & divisio hujus libri plenarie demonstratur. In hoc siquidem libro agitur de duplici processione: Una filii, altera creaturæ, a primo fonte omnium, idest, Patre, & de Resurrectione creaturæ rationalis ad ipsum Patrem per Christum mediatorem, secundum quod dicitur *Joan.* 14. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Et merito sic enim conveniebat, ut sicut per Verbum Pater omnia condiderat: ita per ipsum omnia restauraret, ut dicit *Augustinus*. In primo igitur, quod dicit sapientia: Ego ex ore Altissimi prodii, notatur filii generatio, & ejusdem a Patre distinctio. Per pronomen enim primæ personæ intelligitur manifeste persona filii de se loquentis. Per hanc propositionem, ex, notantur duo, scilicet, distinctio personalis, & identitas essentialis. Cum enim omnis præpositio sit transitiva, ex communi natura præpositionis notatur distinctio personalis inter Patrem, & filium. Sed iterum, quia hæc præpositio, ex, notat habitudinem causæ essentialis, quæ salvatur in causato: ex speciali natura hujus præpositionis, ex, notatur identitas essentialis inter Patrem, & filium. Per os autem Altissimi secundum propriam rationem intelligendi notatur Pater, penes quem residet auctoritas Principii, per quam ipse est ens a nullo, & principium aliorum. Nec per hoc ponitur ordo in Trinitate, ut Pater sit major, filius minor, Spirit. Sanctus minimus, ut mentiti sunt *Nestorius*, & *Arrius*, nisi forte ordo naturæ, sicut dicit *August.* Qui ordo non ponit gradus in personis secundum essentiam; sed tantum ordinem personarum secundum proprietates personales, quibus personæ adinvicem distinguuntur, ut persona Patris sit, quæ a nullo est, & a qua aliæ; persona filii, quæ est ab alio, & a qua alia; persona Spiritus Sancti, quæ est ab alia, & a qua nulla: Et secundum hunc ordinem proprietatis dicitur Pater altissimus, nec tamen filius, vel Spiritus Sanctus inferior illo, sicut dicit *Hilar.* Cujus ratio talis est: quia in Patre est propria notio notans dignitatem Principii, cui nulla per correlationem respondet in filio, vel Spiritu Sancto proprietas, quæ notet inferioritatem.

Item per hoc, quod ponitur ibi os, cum verbo prodeundi, cum dicitur: ego ex ore prodii, notatur divina natura, prout est in Patre, secundum quam considerationem ipsa est proprie effundens Verbum, quasi fons rivulum ejusdem naturæ. Sic enim probat *Anselmus* contra Græcos in libro de processione Spiritus Sancti, unitatem essentiæ in tribus personis, scilicet, per exemplum fontis, qui derivatur in rivum, & colligitur in lacum, & semper manet aqua ejusdem essentiæ, vel naturæ; cum tamen non possit dici fons est rivulus, vel lacus: vel rivulus est fons, vel lacus, vel lacus est fons, vel rivulus. Et bene dicit: Ex ore prodii, non ex natura, vel essentia, quia verbi, & Sapientiæ manifestatio proprie est ab ore. Per prodii autem notatur exitus verbi a Patre. Et ita in hoc verbo: Ego ex ore Altissimi prodii notatur expresse prima pars hujus libri, in qua agitur de æterna generatione filii a Patre. Per hoc, quod sequitur: Primogenita ante omnem creaturam, notatur quidam ordo, si tamen ordo debeat appellari, inter Verbi generationem æternam de Patre, & exitum creaturæ a Patre per verbum ab æterno genitum. Æternitas enim in ratione mensuræ prior est ævo, & tempore, sicut dicit *Boetius in libro de consolatione*. Est enim æternitas mensura sine principio, & fine. Ævum est mensura sine fine, non sine principio. Tempus est mensura habens finem, & principium. Et sic considerata æternitas in ratione mensuræ habet quemdam ordinem ad ævum, quod sua duratione includit & ævum, & tempus. Et hic ordo notatur per hoc nomen, primogenita: Non enim dicimus, quod notat ordinem filii procedentis ad creaturam procedentem; sed mensuræ generationis filii ad mensuram temporalis processionis creaturæ a Patre per verbum. Et hoc idem significat hæc propositio, ante. Non enim dicit tempus, sed æterni-

tatis

Qui existens (virgo.) Ita quod virginitas fuit aliqua ratio electionis temporalis. Et hoc dico: quia electio prædestinationis nec causam habet, nec rationem; temporalis vero potest aliquam rationem habere, sicut diximus virginitatem, vel aliquid tale, propter quod aliquis est idoneus, ut eligatur in discipulatum: vel potest notari tantum concomitantia virginitatis, & electionis: non causa, vel ratio. Vel potest sic legi, (qui electus a Deo) æterna, vel temporali electione (virgo,) idest, ut permaneret virgo. Et hoc modo electio causa est virginitatis. Et hæc expositio magis consonat ei, quod sequitur.

a quem *b* de nuptiis volentem nubere vocavit Deus. *c* Cui virginitatis in hoc *d* duplex testimonium in Evangelio *e* datur; quod *f* & præ ceteris dilectus *g* a Domino dicitur: *h* & huic Matrem suam pendens in Cruce *i* commendavit Deus, ut *k* Virginem virgo servaret. *l* Denique *m* manifestans in *n* Evangelio, quod *o* erat ipse *p* incorruptibilis Verbi opus inchoans, *q* solus Verbum *r* carnem factum esse, *s* nec lumen a tenebris comprehensum fuisse *t* testatur.

a Quem] scilicet, Joannem. *b* De nuptiis volentem nubere vocavit Deus.] Christus scilicet, interiori, & exteriori vocatione, homo exterius, Deus interius vocavit. Dicunt autem dupliciter nuptiæ, sicut vult. *August. in libro de bono conjugali.* Primo modo dicuntur nuptiæ contractus per verba de præsenti ante carnalem copulam celebratus. Secundo modo dicuntur nuptiæ festum, sive convivium, quod post contractum, & ante copulam celebrant conjugati. Hoc ultimo modo sumuntur hic nuptiæ. Unde dicunt quidam, quod Joannes fuit sponsus nuptiarum, de quibus dicitur *infra* 2. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Sed hoc non est authenticum. Sed si hoc, quomodo fuit virginitas ejus ratio, vel causa suæ electionis in discipulatum? Dicimus, quod pie potest credi, quod Joannes ita nupsit, sicut B. Virgo, scilicet commendans Deo suam virginitatem: quod satis videtur per hoc, quod Christus sibi B. Virginem commendavit. Decens enim erat, ut similis similem in virginitate, & voto custodiret, & ita non solum virginitas carnis fuit occasio suæ vocationis; sed virginitas carnis conjuncta voto mentis, tamen sub pia conditione. Sed tunc oritur quæstio, utrum Joannes habeat aureolam virginum, vel amiserit nubendo, vel nubere volendo. Et videtur: quod sic, quia si voluit nubere, corruptus fuit mente, & constat, quod aureola non debetur soli integritati carnis, se mentis, & carnis. Sed contra. Ergo eadem ratione, nec B. Virgo habet aureolam? Respondeo. Aureola virginum nihil aliud est, quam gloria de incorruptione, sive integritate carnis, & finali integritate mentis, secundum quam membrum capiti assimilatur excellenti similitudine. Unde credimus, quod Joannes si corruptus fuisset mente, etiam corruptione vitii, quod nullo modo verum est, si pœnitens decederet cum finali continentia mentis conjuncta carnis integritati haberet aureolam. Pœnitentia enim integrum restituit, & reparat statum mentis: integritas autem carnis irreparabilis est, ut dicit *Aug. in lib. de sancta virginitate*, ad id ergo, quod objicitur, quod aureola non debetur soli integritati carnis, sed carnis, & mentis, dicimus; quod Joannes utramque habuit, licet integritatem mentis aliquando amiserit; sed illa tamen per pœnitentiam fuit postea reparata.

c Cui] Joanni scilicet.

d Datur] a Domino.

e Duplex testimonium virginitatis] duplicis, idest, mentis, & carnis, & utriusque excellentis. *f* Quod & præ ceteris] discipulis. *g* Dilectus a Dominus dicitur:] *infra ult.* Sed tamen non expresse habetur in littera, quod præ ceteris fuerit dilectus. Sed ex hoc conjicitur, quod sæpe replicatur. Hic est discipulus, quem diligebat Jesus. Sed contra hoc videtur esse *quedam Gloss. super illud infr.* 21. Simon Joannis diligis me plus his? Dicit enim *Gloss.* Interrogat Dominus, quod sciebat. Ergo Petrus plus diligebat Jesum, ergo plus diligebatur; quia tantum, vel plus diligit Dominus, quantum diligitur. Juxta illud *Prov.* 8. Ego diligentes me diligo. Item cum dicitur: Deus diligit, verbum diligendi significat divinam essentiam, & connotat effectum in creatura. Sed constat, quod divina essentia non recipit magis, vel minus; ergo ex illa parte non est distinguere inter dilectionem Joannis, & Petri: ergo est ex parte effectus connotati; sed effectus ille est gratia, quæ fuit major in Petro, quia plus dilexit; ergo & Deus plus dilexit eum. Solutio. Ad hoc dicimus, quod revera ex parte Dei nulla est intentio, vel remissio dilectionis, sed ex parte connotati. Unde dicunt quidam, quod Petrus plus diligebatur a Christo, quia majorem gratiam habuit, sed Joannes familiarius diligebatur a Domino, quia majorem familiaritatem Christus ei exhibuit, unde & supra pectus ejus recubuit. Alii dicunt, quod Petrus plus diligebat Jesum, & melior fuit: & Joannes plus diligebatur, & felicior fuit. Alii dicunt, quod Petrus, & Joannes æqualiter diligebant, & diligebantur. Et quod dicitur Petrus plus diligere, & Joannes plus diligi, refertur ad duas vitas per illos designatas, quarum altera, idest, activa per Petrum designata ferventius diligit, cupiens liberari a curis, & miseriis, quibus implicatur, altera vero, idest, contemplativa per Joannem designata plus diligitur: quia status dignior, & melior secundum actualem boni participationem. Aliter etiam posset dici. Nam cum dicitur: Deus diligit Petrum, sensus est, Petrus habet gratiam Dei, quæ est effectus, vel signum increatæ dilectionis, a qua est. Est autem gratia duplex. Una ad opera activæ, altera ad opera contemplativæ, & utraque manifestat increatam dilectionem. Gratia movens ad opera activæ excellit in dilectione proximi, quod est diligere Deum in imagine sua, & potest esse magis meritorium. Et hanc habuit Petrus: Unde dictum est tertio. Pasce agnos meos. *Infr.* 21.

Item gratia movens ad opera contemplativæ, excellit in dilectione Dei in se, quæ est gratia dignior, quia materia ejus dignior est: Et hæc magis expressum signum est dilectionis increatæ, hanc habuit Joannes. Et ita quoad primam gratiam plus diligebatur Petrus, & plus diligebat, idest, ardentius: quoad secundam plus diligebatur Joannes, & plus diligebat, idest dulcius, & suavius. Et sumitur hæc *Gloss. ab Aug. super Gen. 4. lib.* Sequitur. *h* Et huic] scilicet, Joanni [Deus] Christus, scilicet. *i* Pendens in Cruce Matrem suam commendavit] specialiter custodiendam. *Inf.* 19.

k Ut Virginem virgo servaret.] Hoc enim fuit conveniens, ut Virginem, quam Magister virgo servaverat, idest, Jesus, discipulus virgo servaret, idest, Joannes. Unde conjicitur, quod Joannes conveniebat cum B. Virgine & in voto virginitatis, ut esset omnimoda convenientia inter virginem custoditam, & virginem custodientem. Et hoc non asserimus, quia non invenitur in dictis Sanctorum. Potest etiam sic intelligi. [Ut virgo Virginem servaret] mutua custodia, Mater Virgo Discipulus virgo Virginem Matrem. Et hoc satis consonat verbis Domini, qui dixit. *Infr.* 19. Mulier, ecce filius tuus; deinde dicit Discipulo, ecce Mater tua. Sequitur.

l Denique manifestans] Hæc est secunda pars Prologi, ubi Hieronymus commendat Joannem ab excellentia sapientiæ, & Scripturæ. Et tangit tria, quæ ponuntur in textu Evangelii: æternam generationem verbi, & temporalem, & significationem miraculi de mutationa aquæ in vinum, & per consequens aliorum miraculorum. Dicit ergo: [Denique] Joannes.

m Manifestans] ex modo scribendi, & ex natura materiæ.

n In Evangelio,] quod ipse scripsit. Quid manifestans? *o* Quod ipse erat] idest, qualis ipse erat, idest, cujus animalis figuram ipse gerebat de illis, quæ vidit *Ezech.* 1. Et ipsemet. *Apoc.* 4. Statim enim in principio libri loquitur Joannes de Sole æterno: per quod patet, quod per Aquilam figuratur, quæ irreverberato intuitu respicit radios solares. Vel sic. *m* Manifestans in Evangelio, quod ipse erat] idest, qualis ipse erat, scilicet, incorruptus carne, & mente. *p* Incorruptibilis verbi opus inchoans.] Per hoc enim, quod Joannes incipit Evangelium de Christo ex illa parte, ubi omnino incorruptibilis est, ostendit, quod & ipse incorruptus erat. Et per hoc quod dicit [Incorruptibilis verbi] confundit errorem Arrii, qui dicebat Christum puram creaturam, & corruptibilem simpliciter.

q Solus] Joannes inter quatuor Evangelistas. *t* Testatur Verbum] ab æterno a patre genitum. *r* Carne factum esse,] idest, hominem testatur, supple. *s* Nec lumen a tenebris comprehensum fuisse testatur] idest, testatur lumen, idest, Christum in mundo docentem: nec esse comprehensum, idest, receptum, a tenebris, idest, a

tenebrosis

tenebrosis Judæis. *a* Primum signum] eorum, quæ publice fecit, postquam cœpit prædicare.
b Ponens,] quod non alii. *c* Quod in nuptiis fecit Dominus,] *Infr.* 2.
d Ostendens,] Dominus, scilicet, in illo miraculo.

a Primum signum *b* ponens, quod in *c* nuptiis fecit Dominus, *d* ostendens, quod *e* ipse erat, ut *f* legentibus *g* demonstraret, quod *h* ubi Dominus invitatus est, deficere nuptiarum vinum debeat *i* & *i* veteribus immutatis, *l* nova omnia, *m* quę a Christo instituuntur, *n* appareant, *o* Hoc autem Evangelium scripsit in Asia, *p* postea quam in Pathmos insula Apocalypsim scripserat; ut *q* cui in principio canonis incorruptibile principium prænotatur in Genesi, ei etiam incorruptibilis finis per virginem, in Apocalypsi redderetur, *r* dicente Christo. *f* Ego sum alpha, & omega. Et hic *t* est Joannes, *u* qui sciens *x* supervenisse *y* diem recessus sui, *z* convocatis Discipulis suis in *a* Epheso, per *b* multa signorum experimenta † promens Christum, descendens *c* in *d* defossum sepulturæ suæ locum, *e* facta oratione, *f* positus est ad *g* patres suos, *h* tam extraneus *i* a dolore mortis, quam a corruptione carnis invenitur alienus, Tamen *i* post omnes *k* Evangelium scripsit: *l* & hoc virgini *m* debebatur. *n* Quorum tamen, vel Scriptorum temporis dispositio, *o* vel librorum ordinatio, ideo *p* a nobis per singula non exponitur, ut *q* sciendi desiderio † collocato, & *r* quærentibus *f* fructus laboris, *t* & Deo magisterii doctrina servetur.

Explicit Prologus Sancti Hieronymi.

e Quod ipse erat] idest, quid erat, scilicet, Deus. Ex ipso enim miraculo ostendit, se esse Deum, Vel sic.
d Ostendens,] ipse Joannes.
e Quod ipse erat] ille, ad cujus nuptias Dominus fuit invitatus.
f Ut legentibus] Evangelium hoc.
g Demonstraret,] Joannes, vel Jesus.
h Quod ubi Dominus invitatus est, deficere nuptiarum vinum debeat] idest, jucunditas temporalis, vel lex conjugalis, quasi dicat: In defectu vini materialis signatum fuit, quod in Joanne, qui Dominum invitaverat, defecit lex carnalis. Et sicut in ipso defecit lex ista; ita deficit in omnibus, qui Dominum invitat ad nuptias suas.
i Et veteribus] sacrificiis, vel figuris. k Immutatis,] idest, in melius mutatis. *l* Nova omnia,] scilicet, Evangelica Sacramenta in veteribus figurata.
m Quæ a Christo instituuntur.] Per se, & Apostolos.
n Appareant.] Per effectum. *Lev.* 26. Novis supervenientibus vetera projicietis.
a Hoc autem, &c.] Tertia pars, ubi ostendit *Hieron.* ubi, & quo ordine scripsit Joannes Evangelium suum, scilicet, in Asia, & ultimo inter libros suos. Unde dicit. [Hoc autem Evangelium scripsit in Asia,] ubi ante exilium prædicaverat Christum filium Dei æternum esse, & incorruptibilem. Sed hæretici, dum fuit in exilio, prædicaverant Christum incepisse in tempore, & omnino esse corruptibilem. Scripsit, dico.
p Postea quam in Pathmos Insula Apocalypsim scripserat] Joannes, scilicet, Pathmos est Insula, ubi Domitianus Joannem in exilium miserat, ubi Apocalypsim vidit, & scripsit propter eosdem hæreticos in parte, sed mortuo Domitiano, communi decreto Senatus Romani fuit revocatus in Asiam, ubi scripsit Evangelium.
q Ut cui in principio Canonis incorruptibile Principium prænotatur in Genesi, ei etiam incorruptibilis finis per virginem in Apocalypsi redderetur,] Sensus est. Ideo scripserat Joannes Apocalypsim, ut cui incorruptibile principium prænotatur in principio Canonis, idest, in Genesi, ubi dicitur. In principio creavit Deus cœlum, & terram. Eidem incorruptibilis finis redderetur in Apocalypsi per virginem, idest, per Joannem: Per hoc, quod dixit: Ego sum alpha, & omega, principium, & finis. Redderetur, inquam.

Gen. 1.

r Dicente Christo.] In hoc *Apoc. ult.*
f Ego sum alpha, & omega,] Idest, principium, & finis. Et per hoc non habens principium, neque finem.
t Et hic est Joannes.] Quarta pars, ubi ostendit *Hier.* prærogativam Joannis per modum migrationis a sæculo, quia alienus a dolore migravit ad Dominum. Dicit ergo: [Et hic est Joannes] Hæc conjunctio [&] copulat hanc prærogativam prædictis.
u Qui sciens] Domini revelatione.
x Supervenisse] idest, desuper a Deo venisse.
y Diem recessus sui,] a sæculo. In hoc etiam commendatur Joannes, quod præscivit mortem suam, quod paucis datur.
z Convocatis Discipulis suis] quibus usque ad mediam noctem sermonem fecit. *a* In Epheso,] civitate metropoli, quæ est in medio Asiæ, ut dicit *Chrysost.*
b Per multa signorum experimenta promens Christum] idest, manifestans, quia signa, & miracula, quæ ipse Joannes faciebat, faciebat in nomine Christi, & ideo per omnia promebat Christum, vel per signa, quæ potuit, Christum manifestavit. Aliqui libri habent [Promerens Christum] sibi, & aliis, quibus prædicabat, qui crediderunt signis, & miraculis per eum factis.

c Descendens] finito sermone suo ad Discipulos.
d In defossum sepulturæ suæ locum,] ubi nihil postea inventum est, nisi manna scaturiens, ut dicitur in legenda ejus.

al. † promeretur.

e Facta, oratione,] pro se, & populo.
f Positus est ad Patres, suos,] idest, ad Angelos, quorum incorruptionem est imitatus; & ideo Patres ejus fuerunt, secundum quod dicit *Greg.* in moralibus. Unusquisque patrem habet, quem imitatur. Vel:
g Ad Patres suos,] idest, Patriarchas, & Prophetas, quorum fidē, & mortem imitatus est.

al. † collato.

h Tam extraneus a dolore mortis, quam a corruptione carnis invenitur alienus.] Ex hoc, quod dicitur hic, & ex illo, quod dicitur in fine libri: Sic eum volo manere. Et quia in sepulchro non inventum est corpus ejus, arguunt aliqui, quod Joannes non fuit mortuus, sed vivus translatus. Sed *Gl. super illud*: Sic eum volo manere, dicit aperte ipsum accepisse mortis absolutionem, quod verum est, sed sine dolore. Conveniens enim fuit, ut cui non fuerat dominata concupiscentia, quæ mortem induxit non dominaretur effectus concupiscentiæ, idest, dolor mortis. Sed eadem ratione, imo fortiori, Christus alienus fuit a dolore mortis, quia magis fuit extraneus ab omni corruptione. Sed dicimus, quod incorruptio non fuit causa immunitatis a dolore, sed voluntas Domini, qui ipsum Joannem a dolore mortis immunem fecit in laudem virginitatis: & pro nobis dolorem mortis Dominus sustinuit in nostram redemptionem. Unde *Isa.* 53. Dolores nostros ipse tulit, &c.
i Tamen post omnes Evangelium scripsit.] Quinta pars, in qua ostendit *Hieron.* ordinem hujus Evangelii ad alia Evangelia, quia ultimo fuit scriptum. Licet enim præ ceteris dilectus fuerit, & tot habuerit prærogativas [tamen post omnes,] idest, alios tres Evangelistas.
k Evangelium scripsit:] istud.
l Et hoc] idest, ultimo scribere.
m Virgini debebatur.] Non per modum obligationis, sed per modum convenientiæ. Bene enim conveniebat, ut qui Christo fuit familiarior, & secreta ipsius plenius noverat, aliorum scripta ultimus scribendo, & approbaret, & omissa ab eis suppleret.
n Quorum tamen.] Sexta pars, ubi ostendit *Hieronym.* quare non exposuit hoc Evangelium, nec ostendit ordinem ejus ad alios libros suos, idest, Apocalypsim, & canonicas Epistolas. Unde dicit: [Quorum tamen] quasi dicat: *Hieron.* merito ita scripsit Joannes Apocalypsim, & Evangelium [Quorum tamen, vel scriptorum temporis dispositio,] idest, ratio, vel causa, qua prius scripta fuerint.
o Vel librorum ordinatio,] idest, ratio ordinationis librorum Joannis.
p Ideo a nobis per singula non exponitur,] expressa oratione. *q* Ut sciendi desiderio collocato, idest, in loco tali sito ut majori desiderio sciendi excitato.
r Et quærentibus] rationem, quare Apocalypsis ultimo ponatur, cum primo fuerit scripta: & Evangelium prius, cum ultimo fuerit scriptum. *f* Fructus laboris.] habiti in quærendo hanc rationem. *t* Et Deo magisterii doctrina servetur,] cujus solius est occulta revelare, quasi dicat: *Hieron.* non volui assignare rationem, quare Joannes ultimo inter Evangelistas scripserit: & quare libri sui ita ordinentur, ut Apocalypsis ultimo ponatur, & Evangelium

prius, cum

prius, cum alius fuerit ordo inſcribendo, duplici ratione, Primo, ut ſtudens in quærendo moveretur. Secundo, ut omnium occultorum magiſterium ſuli Deo tribueretur. Sed quis eſt ille locus, ubi ſciendi deſiderium collocatur? Reſpondeo. *Hieron.* Poſuit ea, quorum ratio debet haberi, & non dixit, quæ ſit ratio, & per hoc legentis deſiderium provocatur amplius ad quærendum, quam ſi poſita eſſet. Unaquæque enim virium animæ movetur naturaliter in ſuum objectum, verbi gratia. Rationabilis in verum, concupiſcibilis in bonum, iraſcibilis in arduum: & quanto ſuum objectum magis fuerit in alto, tanto vehementius accenditur, ut moveatur in illud. Et ita cum *Hieron* dixerit hoc habere rationem, & non poſuerit eam, quaſi in loco altiori collocavit, & ideo rationabilis vehementiori deſiderio movetur, ut rationem hanc inveniat. Tres *Gloſſæ* ponuntur in libro ſuper hanc prologum. Prima exponit illud. Quod ipſe erat. Secunda exponit, quare vinum nuptiarum defecit. Tertia exponit illud: Et hic eſt Joannes, &c.

al. † Joannis.

Item Prologus S. Auguſtini in Evangelium ſecundum Joannem.

OMnibus *a* divinæ Scripturæ paginis Evangelium excellit: *b* quia quod lex, & Prophetæ futurum prædixerunt, hoc completum dicit Evangelium. *c* Inter ipſos autem Evangeliorum Scriptores † *d* Joannes eminet in divinorum myſteriorum profunditate, *e* qui *f* a tempore Dominicæ Aſcenſionis per annos ſexagintaquinque verbi Dei, abſque adminiculo ſcribendi uſque ad ultima Domitiani prædicavit tempora. *g* Sed occiſo Domitiano, *h* cum, permittente Nerva, *i* de exilio *k* rediiſſet Epheſum, *l* compulſus ab Epiſcopis Aſiæ, de coæterna Patris Divinitate † Chriſti ſcripſit, *m* adverſus hæreticos, *n* qui eo abſente irruperant in ejus Eccleſias, *o* qui Chriſtum ante Mariam fuiſſe negabant. *p* Unde merito in figura quatuor animalium, *q* Aquilæ volanti comparatur, quæ volat altius ceteris avibus, *r* & Solis radios irreverberatis aſpicit luminibus. *ſ* Ceteri quippe Evangeliſtæ, qui temporalem Chriſti Nativitatem, & temporalia ejus facta, quæ geſſit in homine, *t* ſufficienter exponunt; *u* & de Divinitate pauca

al. † filii.

Explicit Expoſitio Prologi S. Hieronymi in Evangelium ſecundum Joannem.

EJUSDEM REVERENDIS. PATRIS, *Domini Hugonis Cardinalis, &c.*

Prologi Sancti Auguſtini in Evangelium ſecundum Joannem.

E X P O S I T I O.

OMnibus divinæ Scripturæ paginis, &c.] Hic eſt Prologus Auguſtini, in quo commendat Evangelium, eo quod impletum oſtendit illud, quod Prophetia futurum prædixit. Evangelium vero Joannis commendat ſpecialiter in profunditate myſteriorum ſuper cetera Evangelia. Dividitur autem in quatuor partes. In prima oſtenditur, quod Evangelium communiter excellit omnes alias Scripturas, & Evangelium Joannis alia Evangelia. In ſecunda redditur ratio, quare Joannes Aquilæ comparetur, ſcilicet propter materiæ altitudinem, & modum tractandi, ibi: (unde merito, &c.) In tertia oſtenditur, quare Joannes ſcripſit Evangelium, ſcilicet, ad ſupplementum aliorum, qui multa, & magna omiſerant, quæ Joannes ſupplevit, ibi: (legerat ſiquidem, &c.) In quarta, & ultima commendatur Joannes, ex eo quod fuit evocatus a nuptiis, & quod matrem Domini cuſtodiendam ſuſcepit, ibi: (Iſte ſiquidem eſt Joannes) Dicit ergo:

a Omnibus divinæ, &c. excellit] dicta, & geſta Chriſti continens, & recitans manifeſte. Et patet ratio hujus. Cum vetus Teſtamentum, & novum de eodem tractent, & loquantur: tamen vetus in figura, & in umbra, novum vero manifeſte. Item vetus Teſtamentum futuram veritatem prædicit: novum vero factam veritatem oſtendit: & ideo novum excellit. Sed nunquid majus eſt futura prædicere, quam monſtrare, vel narrare præſentia, vel præterita? Ita videtur, quia donum ſpeciale datur ad illud, ſcilicet, ſpiritus prophetiæ, & non ad hoc. Ad hoc dicunt quidam, quod novum ideo dicitur excellere propter certitudinem, quia præſentia, & præterita certiora ſunt, quam futura. Sed hoc non videtur, quia futura inquantum ſunt prophetata, vel prædicta a Spiritu Sancto, ſunt immobilis veritatis, nec ſolvi poſſunt, ut dicitur *Matth.* 5. Ideo dicimus, quod novum Teſtamentum in hoc excellit, quia vetus Teſtamentum ordinatur ad novum, in quo completur: & in hoc, quod licet eadem ſit veritas utriuſque; tamen nobilior eſt veritas in luce propria, quam in umbrarum obſuſcatione conſiderata. Item quod inter ſcripturas novi Teſtamenti excellat Evangelium, manifeſtum eſt, quia Evangelium agit de capite: Epiſtolæ vero, & Actus, & Apocalypſis de membris, & propter Evangelii explanationem hæc ſcripta fuerunt, & ideo inferiora ſunt reſpectu Evangelii. Subdens ergo *Auguſt.* rationem, quare Evangelium excellit Vetus Teſtamentum, dicit: *b* Quia quod lex, & Prophetæ futurum prædixerunt, hoc completum dicit Evangelium:] Et licet Vetus Teſtamentum tria contineat, ideſt, legem, Prophetas, & hiſtoriographa, quia geſta Patrum Chriſtum prophetaverunt. Sed quare non facit mentionem de libris aliis novi Teſtamenti, quos excellit Evangelium, ſicut & illos veteris Teſtamenti? Reſpondeo. Forte *Auguſt.* appellat Evangelium totum novum Teſtamentum, quod fuit editum tempore gratiæ revelatæ. Vel poteſt dici, quod Scripturæ non habent comparationem proprie, niſi quæ loquuntur de eodem, ſicut vetus Teſtamentum, & novum de Chriſto, illud in umbra, illud in luce: ideo hæc habent proprie comparationem. Aliæ vero Scripturæ novi Teſtamenti ab Evangelio, ſcilicet, Epiſtolæ, Actus, Apocalypſis, non de Chriſto, ſed de Eccleſia loquuntur: & ideo proprie non habent comparationem. Sequitur.

c Inter ipſos autem Evangeliorum Scriptores] ſive tantum tres ponantur, ideſt, Matthæus, Marcus, Lucas: ſive plures, ut Bartholomæus, & Nazaræi.

d Joannes] vel (Joannis) ſcilicet, Evangelium (eminet in divinorum myſteriorum profunditate.) Et reddit rationem, quare Joannes profundius ſcripſit, dicens.

e Qui] ideſt, quia ille: *f* A tempore Dominicæ Aſcenſionis per annos ſexagintaquinque verbum Dei abſque adminiculo ſcribendi uſque ad ultima Domitiani prædicavit tempora.] quaſi dicat, ex quo tempore tam longo ſine adminiculo prædicavit, probabile eſt, quod plenius novit facta Chriſti, quam alii, qui adminiculo Scriptorum, vel relatione aliorum noverunt facta Chriſti. Sicut Marcus, & Lucas.

g Sed occiſo Domitiano,] a Senatu Romano.

h Cum permittente Nerva] Imperatore. *i* De exilio] ubi miſſus fuerat.

k Rediiſſet Epheſum,] & Metropolim Aſiæ.

l Compulſus ab Epiſcopis Aſiæ, de coæterna Patris Divinitate Chriſti ſcripſit,] hoc Evangelium.

m Adverſus hæreticos,] prædictos. *n* Qui eo abſente irruperant in ejus Eccleſias,] prædicando errores ejus. Ejus Eccleſias dicit omnes Eccleſias Aſiæ, quarum ipſe erat Metropolitanus, & Apoſtolus.

o Qui Chriſtum ante Mariam fuiſſe negabant,] hic erat error Neſtorii, & Claudii. Unde merito.] Secunda pars, ubi aſſignatur nova ratio, quare Aquilæ comparatur Joannes, quaſi dicat, ipſe rogatus ſcripſit de Chriſti Divinitate, & coæternitate: Unde merito in figura quatuor animalium, quæ vidit *Ezech.* 1. & Joannes *Apocal.* 4.

q Aquilæ volanti comparatur, quæ volat altius ceteris avibus,) ſic Joannes ceteris Evangeliſtis altius inchoavit, ideſt, a verbi Divinitate, ceteri circa humanitatem magis verſati ſunt. *r* Et Solis radios irreverberatis aſpicit luminibus.] Sic Joannes ſubtilius vidit ſecreta Dei. Sed tamen Philoſophus dicit in libro de Animalibus, quod hoc non eſt verum, niſi de uno genere Aquilæ, quod ipſe vocat Herodium. Unde etiam narrat ibidem, quod pullos probat, cum adhuc parvi ſunt trahens eos contra rotam Solis: & ſi alicujus eorum oculi lacrymantur, ſtatim projicit illum extra nidum. Sequitur:

ſ Ceteri quippe Evangeliſtæ, &c.] uſque *ibi* [quæ geſſit in homine,] ideſt, exiſtens homo mortalis. *t* Sufficienter exponunt:] tamen aliqua omiſerunt, quæ Joannes appoſuit. *u* Et de Divinitate pauca dixerunt,]

dixerunt, *a* quasi animalia gressibilia cum Domino ambulant in terra. Hic *b* autem *c* pauca de temporalibus ejus gestis edisserens: sed Divinitatis potentiam sublimius *d* contemplans, cum Domino ad cœlum volat. *e* Qui enim supra pectus Domini in cœna recubuit, cœlestis haustum Sapientiæ ceteris excellentius de ipso Dominici pectoris fonte potavit, *f* Legerat siquidem Evangelium trium Evangelistarum, *g* & approbaverat fidem eorum, *h* & veritatem, in *i* quibus deesse vidit aliqua gestarum rerum historiæ, & ea maxime, quæ Dominus gessit primo prædicationis suæ tempore, scilicet, antequam Joannes Baptista clauderetur in carcere. Hæc *k* ergo quasi dimissa ab illis scribit Joannes, quæ fecit Jesus, antequam Joannes † claudaretur; *l* Sed maxime Divinitatem Christi, & Trinitatis mysterium commendare curavit. *m* Tres siquidem alii Evangelistæ dicta, & facta Domini temporalia, quæ ad informandos mores vitæ præsentis maxime valent, copiosius prosecuti, circa activam vitam sunt versati, in *n* qua laboratur, ut cor mundetur ad videndum Deum, *o* Joannes vero pauca Domini facta dicit; verba vero Domini, quę Trinitatis unitatem, & vitę æternę felicitatem insinuant, diligentius conscribit: & sic in contemplativa vita virtute commendanda intentionem suam, & prędicationem tenuit: in qua contemplativa vacatur, ut Deus videatur. *p* Iste siquidem est Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit: & cui Matrem Virginem virgini commendavit.

Explicit Prologus Sancti Augustini.

gl. † tradaretur.

dixerunt:] tamen omnia miracula, quæ ipsi narrant, sunt indicia Divinitatis Christi.

a Quasi animalia gressibilia cum Domino ambulant in terra,] idest, terrena, idest, humana ejus facta narrant.

b Hic autem] idest, Joannes.

c Pauca de temporalibus ejus gestis edisserens, sed Divinitatis potentiam sublimius,] quam alii.

d Contemplans, cum Domino ad cœlum volat,] idest, narrat secreta ejus cœlestia. Et quare Joannes altius ceteris intellexerit, subdit causam dicens.

e Qui enim supra pectus Domini in cœna recubuit, cęlestis haustum Sapientiæ ceteris excellentius de ipso Dominici pectoris fonte potavit.] Dicunt tamen quidam, quod non vere recubuit; sed cum propinquius sederet in cœna, inclinavit se ad Jesum, & quæsivit secreto, quis esset eum traditurus. Sed sive hoc, sive illud sit, certum est, quod Joannes non habuit ex ipso recubitu materiali illam prærogativam intelligentiæ, sed ex spirituali recubitu contemplationis, ubi caput animæ, idest, mens requiescit in jugi meditatione divinæ Sapientiæ, quæ in pectore designatur. *f* Legerat siquidem, &c.] Tertia pars, ubi ostendit *Augustinus*, quod Joannes ad supplementum aliorum scripsit hoc Evangelium. Unde quasi quis quæreret quare scripserit Joannes: respondet: Legerat siquidem Evangelia trium Evangelistarum] *Matth. Marc. Lucæ.*

g Et approbaverat fidem eorum,] scilicet, fidelitatem in scribendo.

h Et veritatem,] quia sine admistione falsitatis dixerant rei gestæ veritatem.

i In quibus deesse vidit aliqua gestarum rerum historiæ, & ea maxime, quæ Dominus gessit primo prædicationis suæ tempore, scilicet, antequam Joannes Baptista clauderetur in carcere,] ab Herode Tetrarcha, *Matth.* 14. *Marc.* 6. Hic distinguit *Augustinus* duo tempora Dominicæ prædicationis.

Primum a Baptismo suo usque ad Joannis incarcerationem, in quo non palam prædicavit Dominus, nec palam miracula fecit; sed paucos Discipulos vocavit, & hoc omiserunt alii Evangelistæ.

Secundum tempus fuit a carcere Joannis usque ad Passionem Domini, & hujus temporis facta alii plane narraverunt, sed præcipue ea, quæ pertinent ad humanitatem. Unde vult dicere *Augustinus*, quod in duobus supplevit defectum aliorum, scilicet, in miraculis primi temporis: & in his, quæ pertinent ad Divinitatem Christi. Unde sequitur.

k Hæc ergo, quasi dimissa ab illis, scribit Joannes, quæ fecit Jesus, antequam Joannes clauderetur,] idest, incarceratur.

l Sed maxime Divinitatem Christi, & Trinitatis mysterium commendare curavit,] quod hæretici corruperant.

m Tres siquidem alii Evangelistæ dicta, & facta Domini temporalia, quæ ad informandos mores vitæ præsentis maxime valent, copiosius prosecuti circa activam vitam sunt versati,] quia per hæc facta activa regitur, & informatur.

n In qua laboratur, ut cor mundetur ad videndum Deum.] Contra *Luc.* 10. Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Ergo activa non mundat cor, sed turbat.

Item *Genes.* 29. Lia lippa oculis describitur, per quam activa vita significatur. Solutio: Quidam dicunt, quod activa vita ratione operum mundat cor.

Unde *Augustinus super illud Psalm.* 118. A mandatis tuis intellexi, dicit: Nisi per obedientiam mandatorum non venitur ad sapientiam occultorum. Dicunt etiam, quod activa mundat a reliquis peccatorum, a multitudine iniquarum cogitationum, ab instantia Dęmonum, a vanitate phantasmatum, ab allectione creaturarum, quorum etiam merito revelantur secreta. Quod autem lippitudo, & turbatio est in activa, dicunt esse non ab ipsis operibus, sed a statu. Sed hæc omnia magis videntur effectus contemplativæ, ubi præcipue revelantur secreta.

Unde dicimus, quod aliud est mundatio cordis, aliud munditia cordis. Mundatio cordis est ab activa, quæ per opera virtutum excidit radices peccatorum, & sic mundat cor. Munditia cordis est in contemplativa, quæ videt Deum ad quod disponit ipsa munditia. Unde *Matth.* 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et ita in activa laboratur, ut cor mundetur ad videndum Deum in contemplativa. Sequitur.

o Joannes vero pauca Domini facta dicit: verba vero Domini, quæ Trinitatis unitatem, & vitæ æternæ felicitatem insinuant, diligentius conscribit, & sic in contemplativa vita virtute commendanda, intentionem suam, & prædicationem tenuit, in qua contemplativa vacatur, ut Deus videatur.

p Iste siquidem, &c.] Quarta pars, in qua commendatur Joannes a duobus, idest, a vocatione de nuptiis, & quia Matrem Domini custodiendam suscepit. Dicit ergo: (Iste siquidem est Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit, & cui Matrem Virginem virgini commendavit.)

Prologi Sancti Augustini in Evangelium secundum Joannem Expositio explicit.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRIS, & Domini, D. Hugonis Cardinalis, &c.

Postilla super Evangelium secundum Joannem incipit.

EXPOSITIO CAP. I.

a IN Principio, &c.] Quia Joannes rogatu Episcoporum Asiæ hunc librum composuit contra hereticos, coæternitatem, & substantialitatem filii destruentes. Ideo in prima parte libri sui ponit quatuor propositiones. Quarum prima est de Filii æternitate. Secunda de distinctione Filii a Patre. Tertia de consubstantialitate Filii cum Patre. Quarta de æqualitate Filii ad Patrem. Et in his quatuor terminatur intentio primæ partis. Per primam propositionem confutatur Nestorius, & Claudius, quorum uterque predicabat Christum initium habuisse. Per secundam confutatur Sabellius, qui confundebat personas Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ponens tantum differentiam nominalem. Per tertiam confutatur Arrius, qui dicebat Christum esse puram creaturam, & nullo modo consubstantialem Patri. Per quartam confutantur omnes simul, quia illa propositio dicit filium esse coæternum, & consubstantialem, & coæqualem, & personaliter distinctum a Patre. Prima igitur propositio est. (In principio erat verbum) quatuor sunt hic dictiones, quarum quælibet est ponderanda, & explananda. Et primo quæritur, quare sic incepit Joannes Evangelium suum; secundo, quid notet hæc propositio. (In) Ad primum dicimus, quod ideo sic incepit, ut ostenderet convenientiam Novi, & Veteris Testamenti, & quoniam sunt ab eodem Auctore, cum idem habeant principium. In quo confutatur Manichæus, qui dicebat Vetus Testamentum esse a malo Deo, idest, diabolo. Ad secundum dicimus, quod hæc præpositio. (In) ex generali ratione præpositionis notat differentiam aliquam inter principium, & verbum: ex speciali autem ratione notat quamdam continentiam mensurantis ad mensuratum, juxta unam expositionem. Juxta aliam notat distinctionem personalem, & identitatem essentialem. Tribus enim modis exponitur hæc prima propositio, Primo sic. (In principio erat verbum,) idest, in æternitate. Æternitas autem duo dicit, scilicet esse, & interminatum, idest, sine terminis, idest, sine principio, & sine fine. Quod potest dupliciter considerari, idest, secundum se, & sic non differt æternitas, sive interminatum esse a filio: vel respectu nostri intellectus, qui omnia recipit sub mensura quadam, eo quod sit materialis, ut dicit *August. sup. Gen. ad litteram in quarto libro*, unde non potest intelligere illam interminationem, nisi per modum mensuræ durantis, & mensurantis esse filii. Et hoc modo apprehendimus æternitatem per modum continentis secundum rationem. Et hanc continentiam, & differentiam notat hæc propositio. (In principio erat,) sic patet, quod ibi est identitas, quoad rem, diversitas quoad rationem. Et hoc accipitur a *B. Dionysio in libro de divinis nominibus*, ubi dicitur: Proprium æternitatis est secundum totum metiri. Sed oritur quæstio, cum idem sit in æternitate, & principio, quare non dixit. In æternitate erat verbum, sic enim videretur recta fronte elidere errorem Nestorii, & Claudii, qui dicebant filium habuisse initium. Ad hoc dicimus, quod magis expresse confundit hæreticos Joannes sic dicendo. Cum enim dicerent dicti hæretici, Filium cœpisse ex tempore, & non esse ab æterno: tamen dicebant esse principium omnium creaturarum, ut dicit *Chrys. & alii* forte dicebant ipsum fuisse ab æterno; non tamen esse principium omnium, sed solum Patrem, ideo non poterat elidi hic duplex error, nisi dixisset. (In principio erat Verbum.) Ponamus enim cum ipsis, quod pater aliquo spatio præcessit filium: illud spatium fuit ante filium, ergo filius non fuit in principio, nec fuit principium omnium: quia quod non est, nullius rei potest esse principium, quod aperte destruxit Joannes, dicendo. (In principio erat Verbum,) quod non fecisset ita aperte, si dixisset: In æternitate, quia possent dicere hæretici, quod licet Filius incepisset esse post Patrem, tamen adhuc fuisset in æternitate, secundum rationem qua æternitas consideratur, ut duratio quædam ipsius esset sine terminis. Et fulcitur hęc ratio a *Chrys. in quarta homilia supra hunc lib.* ubi dicit: Dic mihi, heretice, nonne sæcula per eum facta sunt omnia & spatium omne? Necesse est confiteri eum, qui non insanit, quare nihil est medium Filii, & Patris: Si nihil est medium, non posterior, sed coæternus est Filius. Sed objicit hereticus. Si principium ostendit hic æternitatem, ergo cum dicitur: In principio creavit Deus cœlum, & terram, ostendit æternitatem. Sed hoc falsum, ergo nec hic ostendit eam. Et est hæc objectio in eadem homilia. Responsio est ad hoc, quod omnis mensura, sive temporis, sive ævi, sive æternitatis non habet ex se interminationem, vel terminationem, vel permanentiam, vel successionem, nisi ab ipsis mensuratis, unde omnis mensura sequitur proprietates mensurati. Unde cum dicitur; (In principio erat Verbum,) quia statim adjungitur: Et Deus erat Verbum, restringitur principium ad æternitatem, quia ut dicit *Chrys.* Maxime proprium est Deo esse æternum, & sine successione. Cum vero dicitur *Gen.* 1. In principio creavit Deus cœlum, & terram, restringitur ad standum pro initio temporali, secundum unam expositionem. Item quæritur, quare dixit (erat) & non

Prima expositio.

Incipit Evangelium secundum Joannem,

C A P. I.

a IN principio erat Verbum

Secunda expositio est *Augustini* talis.

a In principio erat Verbum,] idest, in Patre erat Filius. Sed oritur quæstio satis difficilis, scilicet quare posuit Patrem sub nomine principii, & non sub nomine Patris, vel Dei? Item quid notet hæc præpositio [in] secundum hanc expositionem. Ad primum dicimus, quod pater in ratione Patris ignotus erat: Unde cum Joannes debuit ostendere Filium esse Deum æternum, & idem in substantia cum eo, qui est Pater, si posuisset Patrem, non fuisset intellectus. Similiter nomen Dei incognitum erat multis; sed nomen principii omnibus erat notum, sicut dicit *August.* & tangitur *in Gloss. super Epist. ad Rom.* 1. Ad secundum dicimus, quod hęc propositio [in] notat identitatem essentiæ inter verbum, & principium, idest, inter Patrem, & Filium, & personalem distinctionem, ut dicit *Chrys. & Origen. ad homilia super istum locum.* Unde sensus est: [In principio erat verbum] idest, filius erat unius substantiæ cum eo, qui dicitur esse principium, distinctus ab eo. Tertia expositio complectitur utramque præcedentem, & est multum subtilior, & magis propria. Principium enim duo dicit, scilicet ante quod nihil, & ex quo, vel post, quod aliud, vel alius. Propter primum dicit æternitatem, quæ caret principio ex parte ante, & etiam ex parte post. Propter secundum dicit fontalem plenitudinem, ex qua est, quicquid est ab alio. Et secundum hanc expositionem hęc prępositio (in) dicit triplicem habitudinem. Prima est æqualitas mensuræ, sive mensurantis, de qua dictum est in prima expositione. Secunda est identitas substantię filii cum Patre, de qua dictum est in secunda expositione.

Tertia expositio.

Tertia, est identitas principii cum Patre. Unde sensus est,

a In principio erat Verbum,] idest, verbum erat idem cum Patre principium; ita tamen quod propter transitionem prępositionis sit diversitas personalis, & propter continentiam ejusdem prępositionis sit identitas proprietatis, in qua communicant Pater, & filius. Et secundum hanc expositionem suggillatur error Gręcorum, qui timent dicere, quod verbum sit idem principium Spiritus Sancti cum Patre. Et hæc est expositio. *Chrys.* qui fuit Græcus quęrentis, quare non dixit Joannes? A principio erat verbum, sed in principio erat verbum, nonnisi ut ostenderet, quia Filius erat in Patre per identitatem principii, sicut per identitatem substantiæ. Dicit enim fides Romana, quod Pater, & Filius sunt unum principium Spir. Sancti; & unus fons Spiritus Sancti ita tamen, quod hoc ipsum filius habet a Patre, & ita Pater est principium sine principio: Filius vero est principium de principio, ut dicit *Glos. marginalis*. Sic igitur in universo per hanc propositionem [In principio erat Verbum] tripliciter expositam triplex error excluditur. In prima expositione monstratur verbi æternitas: Unde sensus est [In principio erat Verbum] idest, in æternitate erat Filius: Et sic excluditur error Nestorii, & Claudii. In secunda expositione monstratur Filii cum Patre consubstantialitas. Unde sensus est: [In principio erat Verbum,] idest, in Patre erat Filius ejusdem substantiæ cum eo: Et sic excluditur error Arrii. In tertia expositione monstratur proprietatis, sive potestatis identitas Patris, & Filii: Unde sensus est, [In principio erat Verbum,] idest, idem cum patre principium, non solum respectu creaturarum; sed etiam respectu Spiritus Sancti. Nestorius ponit, filium ha-

O bere

& non fuit, vel est. Et videtur, quod potius debuit ponere præsens tempus: eo quod similius est æternitati. Unde licet æternitas non habeat differentias illas, præteritum, præsens, & futurum, tamen si necesse est, cum significari sub aliqua differentia temporis, propter nos magis significabitur per præsens, quam per præteritum.

Sol. In æternitate duo sunt, scilicet, ipsum esse, & immutabilitas ipsius,

a & Verbum *b* erat apud Deum, *c* & Deus erat Verbum,

quantum ad ipsum esse bene procedit objectio. Unde quidam Expositorum ad hoc respicientes dixerunt, quod melius dicitur, filius semper nascitur, quam natus est. Alii respicientes ad immutabilitatem, dixerunt, quod melius dicitur, natus est, quam semper nascitur, Inter tempora enim præteritum solum habet rationem immutabilitatis. Unde *Ansel, in lib. de conc. præscientiæ, & liberi arbitrii* dicit, quod temporaliter præterita sunt ad similitudinem æterni præsentis, omnia enim immutabilia sunt. Et ita secundum hoc melius dicitur, erat, quam est. Ratio est *Chrysostomi in quarta homil.* In fine cujus ponit aliam subtiliorem rationem. Cum enim dictum sit, quod hæc propositio (in) notet continentiam mensuralem respectu intellectus nostri, non respectu verbi simpliciter, & hoc verbum (erat) dicat illam mensuram secundum id, quod est ante sumere, ut notaretur infinitas in antesumendo secundum intellectum nostrum melius dixit, erat, quam est, vel fuit. Cum enim intellectus noster accipit filium in esse, occurrit ei aliquod principium, & oportet ante illud principium filium fuisse; & iterum si occurrat aliud principium, oportet ante illud intelligere filium fuisse, & ita itur in infinitum. Unde dicit *Chrys.* Non dixit Joannes, principium habuit verbum; sed in principio erat verbum, per (erat) mittens te ad sine principio intelligendum Filium. Hanc eamdem rationem tangit quædam *Gl. Aug.* dicens, quod [erat] est temporis præteriti imperfecti, & ideo cum sit alicujus temporis determinati, melius potest notare infinitatem æternitatis, quam præsens. Juxta hoc idem potest sumi alia ratio magis propria. Nam præteritum imperfectum medium est inter præsens, & præteritum perfectum: unde aliquid habet præteriti, & aliquid præsentis. Præsentis habet essentiam: præteriti habet immutabilitatem. Unde ipsum complectitur illa duo, quæ supra diximus esse in æternitate, scilicet esse, & immutabile, sive interminabile. Postea quæritur, quare potius dixit Joannes. [in principio erat Verbum] quam in principio erat Filius, cum idem sit verbum, & filius? Resp. Multiplex est ratio hujus. Prima ad tollendam carnalis generationis concupiscentiam, quam filius quodammodo dat intelligere, & non verbum. Secunda est a proprio actu ipsius verbi, quod est exterius nunciare, quod erat occultum interius: & propter hoc venit filius, ut voluntatem Patris occultam prius mundo manifestaret. Unde *inf. eod.* Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Et 15. Omnia, quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Tertia ratio est, quia in hoc libro agitur de filio Dei, secundum quod per ipsum reducitur creatura rationalis ad Patrem, tanquam ad primam similitudinem, in qua fuit ante peccatum; sed verbum est prima similitudo intellectus, qui Patri attribuitur ut dicit *B. Ansel.* quare congruentius ponitur verbum, ut reductivum rationalis creaturæ ad similitudinem, a qua ceciderat per peccatum. Et hoc dicit aperte. *Aug. super Gen. ad lit.* Sed occurrit quæstio, quare Joannes non facit mentionem de Patre in prima propositione, cum quidam hæretici circa ipsum erraverint, dicentes: filium non coæternum Patri, nec consubstantialem: quare videtur, quod Joannes statim in prima propositione debuisset occurrere. Ad quod dicimus, quod omnis error illius erat de verbo, ponens ipsum non esse Deum: & ideo Joannes per id, quod maxime est proprium Deo, probat ipsum verbum esse Deum. Hoc est, sicut dicit *Chrys.* æternum esse, & sine principio esse, & sic rationabiliter satisfactum est utrique hæresi. Nam cum omnes posuerint unum esse Deum, cujus proprium est esse æternum, & sine principio, ostenso, quod verbum est æternum, & sine principio, ostensum est quod ipsum est Deus, idem Patri & coæternus. Et totum trahitur ex verbis *Chrys. in secunda homil.* ubi sic dicit: quoniam ille, idest, Pater omnibus manifestus erat, & si non ut Pater, sed ut Deus. Unigenitus autem ignorabatur, ideo decenter eam, quæ de illo est cognitionem confestim in initio studuit imponere his, qui nesciebant eum. Hæc est prima expositio, & est *Chrysostomi.*

Tertia expositio.

Habere principium Manichæus ponit dua principia: Arrius ponit filium creaturam: Sabellius confundit personas: Græci dicunt Filium non esse principium Spiritus Sancti. Omnes istos hæreticos prædictos per istam propositionem. In principio erat verbum, confundit. Sequitur. *a* Et verbum erat apud Deum,] Sicut dicit *Chrys.* primum, per quod cognoscibilis est Deus, est æternum, & sine principio, & principium omnium esse, quod totum dicitur de verbo per primam propositionem, quæ dicit: [In principio erat verbum,] ubi notatur etiam identitas substantiæ inter principium, & verbum, idest, inter Patrem, & Filium. Et ne crederet quis, quod ita esset ibi identitas quod nulla distinctio, ut dicebat Sabellius, adjunxit secundam propositionem, dicens: [Et verbum erat apud Deum:] Sic continuat *Chrys:* hanc propositionem præcedenti. Item quia dixerat: [In principio erat Verbum,] ne crederet aliquis, hoc dixisse Joannem de verbo prolatili, quod transit, & non manet, nec est apud aliquem, sed tantum ab aliquo: Ideo adjunxit. [Et Verbum erat apud Deum,] Hæc præpositio [apud] propter generalem rationem propositionis, quæ est transitio, notat distinctionem; & per hoc etiam cogit suum casuale supponere pro alia persona a verbo; verbum autem in ratione verbi significat, ut ab alio; & ita cum præpositio dicat habitudinem sui casualis ad præcedens verbum, necessario cogit præpositio suum casuale supponere pro persona Patris, ex qua est verbum. Et inde est, quod non potest converti propositio, ut dicatur Deus erat apud verbum. Et hoc innuit *Interl.* quæ dicit, Verbum erat apud Deum, ut alia persona apud aliam. Præter hoc etiam notat, [apud] permanentiam contra motum, vel transitum. Notat etiam vicinitatem, seu paritatem contra superioritatem, & inferioritatem; & ita notatur per præpositionem æqualitas verbi cum Patre, & coæternitas permanens. [Erat] autem significat essentiam ut actum propter verbi naturam, cujus proprium est significare, ut agere: Et ideo notatur, quod filius habet essentiam a Patre, & ita quod Pater sit principium Filii. Unde sensus est. *a* Et verbum] quod erat in principio. *b* Erat apud Deum,] idest, coæternum, & coæquale ipsi, & ens, & distinctum ab eo. Et ita primum [erat] primæ propositionis dicit esse filii infinitum ex parte ante. Secundum [erat] secundæ propositionis dicit esse ejusdem filii ut ab alio. Unde *Chrys. in 3. hom.* dicit. Primum [erat] de verbo essendi æternaliter solum est ostensivum, secundum [erat] apud aliquem essendi. Et quia maxime proprium Deo, est æternum, & sine principio esse, hoc primum posuit. Deinde ut non quis audiens hanc propositionem. [Erat in principio] ingenitum esse dicat, confestim hoc mitigavit, antequam diceret, quid esset, dicens: quoniam apud Deum erat; & non dixit, in Deo erat, sed apud Deum erat, eam, quæ secundum hypostasim est, æternitatem ostendens nobis. Et hoc est totum, quod diximus. Per hoc patet, quod intellectus primæ propositionis intelligitur in secunda: Sic dicimus de aliis, quod secunda propositio intelligitur in tertia quarta. Sic igitur per hanc secundam propositionem eliditur error Arrii, & Sabellii, quorum prior negabat Verbi cum Patre æqualitatem: alter negabat Patris, & Verbi distinctionem. Confunditur etiam Nestorius, qui dicebat filium habuisse initium, cum sit Verbum Patri coæternum. Sequitur. *c* Et Deus erat Verbum,] Hæc tertia propositio sequitur ex secunda. Nam si verbum est æquale Deo, & coæternum, cum nulla creatura possit ad tantam excellentiam elevari, ut sit Deo coæqualis, & coæterna, nisi sit Deus, sequitur, quod Verbum erat Deus, & Deus erat Verbum. Sed surgit quæstio gravissima: Nam in præcedenti propositione, ex qua nascitur hæc, notatur distinctio per naturam præpositionis, quæ etiam cogit hunc terminum Deus stare pro persona Patris, ut dictum est; ergo si verum est, quod diximus, scil. quod præcedens propositio intelligitur in sequenti, oportet de necessitate dicere, quod Deus apud quem erat Verbum, est Verbum: & ita quod Pater est verbum, & ita incurritur error Sabellii. Solutio: Ad hoc dicimus, quod in hoc termino, Deum, posito in secunda propositione, duo sunt secundum rationem intelligentiæ. Sicut enim alibi dictum est, hic terminus Deus significat essentiam, ut suppositum; suppositum vero secundum intentionem nominis sui, non dicit nisi positum sub aliquo; illud autem sub quo, duplex est secundum rationem, scilicet proprietas, & essentia, suppositum proprietatis est persona, suppositum essentiæ est Deus. Dico ergo, cum per secundam propositionem virtute propositionis significantis vicinitatem lateralem non superioritatis, vel inferioritatis notetur æqualitas Verbi ad Patrem, & æqualitas sit aliquorum in aliquo per hoc, quod est aliquorum, ponitur distinctio Patris, & Filii, per hoc autem, quod est in aliquo, ponitur identitas, & ita nihil impedit, quin Deus, apud quem erat verbum, ut distinctum ab eo, prædicetur de verbo, ut idem cum verbo. Sequitur.

Secunda propositio.

Tertia propositio.

a Hoc

a Hoc erat in principio apud Deum.] Hoc pronomen, [Hoc] refertur ad verbum, cum omnibus conditionibus prædeterminatis. Unde sensus est. [Hoc] sc. verbum, quod erat in principio per coæternitatem, & quod erat apud Deum per distinctionem, & quod Deus erat per substantiæ identitatem. [Hoc] inquam verbum. *b* In principio erat apud Deum,] q. d. nihil aliud erat. Et sic destruitur error, qui dicit, vel dixit, verbum semper fuisse, & distinctum a Patre; non tamen Deum esse, quia virtute discretionis, & identitatis pronominis non poterit hæc hæresis stare. Quæ etiam hæresis destruitur in prima, & secunda, & tertia propositione: Sed malum non potest nimis destrui. Sic patet, quod hæc quarta propositio colligit in se tres priores propositiones. Per pronomen enim [hoc] quod ad verbum refertur, supponitur persona Filii: Per, [Principio] notantur tria, sc. persona Patris, æternitas, a quo omnia. Per [in] notantur tria similiter, identitas essentiæ Patris, & Filii, convenientia in æternitate, & in natura principii, ut sc. omnis processus fluens a Patre fluat a Filio, præter illum, quo ipse Filius fluit a Patre. Per [apud Deum,] notatur æqualitas, i. convenientia personarum in eadem essentia. Unde est sensus.

Quarta propositio.

a Hoc *b* erat in principio apud *c* Deum : *d* Omnia

a Hoc] verbum sic determinatum. *b* Erat in principio,] i. idem principium, de principio cum Patre, qui est principium sine principio. *c* Apud Deum,] per æqualitatem, & distinctionem. Hic terminatur prima pars hujus libri. Quam tamen multæ quæstiones præcedunt, quarum quasdam hic ponimus. Prima est, quare Joannes incipit ab æterna generatione; & alii Evangelistæ a temporali? Secunda, cum ipse Joannes loquatur contra hæreticos, & contra ipsos scripserit librum istum, quare non procedit probando, & syllogysando, ut necessario convinceret ipsos? Tertia, quare ipse Joannes faciens mentionem de Patre, & Filio, nullam faciat mentionem de Spiritu sancto in prima parte hujus libri? Sol. Ad primam dicimus, quod creatura rationalis ceciderat in duobus, a Deo, sc. in his, quæ sunt fidei, & in his, quæ sunt moris: Et constat quod ea, quæ sunt fidei, magis remota sunt a creatura rationali vulnerata, quam illa, quæ sunt moris: quia hæc quodammodo sunt a natura; illa vero omnino sunt supra naturam, & ita vicinius est ægroto bonum moris, quam bonum fidei: & ideo prior fuit reductio creaturæ rationalis ad Deum per mores, quam per fidem. Unde cum alii Evangelistæ prius scripserint de temporalibus gestis Christi, quæ mores nostros informant, sufficienter nos ordinaverunt in moribus, & reduxerunt ad statum pristinum quoad partem istam: & ideo ordinatio in his, quæ sunt fidei, relinquebatur ultimo scribenti, i. Joanni. Hæc ratio de Glossis extrahitur, non una, sed multis invicem comparatis. *Chrys.* ponit aliam rationem in quarta homilia, dicens: Reliquis Evangelistis in his, quæ secundum carnem sunt morantibus sermonibus, timor erat, ne quidam propter hoc terrestres existentes in his remanerent solis dogmatibus. Ex hoc igitur terrestri zelo Joannes reducens eos, qui casuri erant, & ad cœlum attrahens, decenter desuper, & ab existentia æterna facit narrationis principium. Ad secundam dicimus, quod Joannes scripsit per modum Auctoris, cui etiam crederent ipsi hæretici: quia omnes hæretici credebant Christo, & Apostolis missis ab eo. Unde cum proprium sit Auctoris nulli inniti: sed ex ipsa sua auctoritate, & materiæ veritate, de qua loquitur, robur in dictis habere: ideo non debuit scribere Joannes probando, & syllogizando, sicut Philosophi, quorum unusquisque timebat ictus alterius sequentis se: & ideo necesse fuit confugere ad arma verborum, quæ consistunt in syllogismis, & argumentationibus. Et habetur hæc solutio a *Chrys. in 2. homil.* ubi dicit: Vides prolationem, & potestatem verborum multam, qualiter nihil dubitans, neque conjiciens, sed omnia enuncians, loquitur.

Hoc enim magnum non circumferri in his, quæ utique dicat.

Ad tertiam dicimus, quod Joannes agit in hoc libro de reductione creaturæ rationalis ad Patrem, & de reducente ipsam, & de dispositionibus, per quas fit reductio: & ideo necesse fuit facere mentionem de Patre, ad quem fit reductio; & de Filio, per quem fit reductio: & non de Spiritu sancto, quia omnes dispositiones, aut sumuntur ex parte illius, ad quem fit reductio; aut ex parte illius per quem: aut ex parte rei, quæ reducitur. Hoc autem non est silendum, quod in hac prima parte libri, quater positum est hoc verbum, [erat,] unde cum non sint nisi tres differentiæ temporis, sc. præsens, præteritum, & futurum: per hoc notavit Joannes, quod essentia Filii, quam copulat, [erat,] est super omne tempus, nec tempore variatur. *d* Omnia per ipsum facta sunt.] Hic incipit secunda pars hujus libri secundum nostram divisionem, in qua agitur de exitu creaturarum a Patre per verbum. Dividitur autem hæc pars in duas particulas. In priori ostenditur, quod omnia facta sunt per verbum. In secunda determinatur, qualiter omnia sunt in verbo, quæ incipit *ibi*. [Quod factum est, in ipso vita erat.] Et in his duobus continetur tota sententia hujus secundæ partis. Ordinatur autem hæc secunda pars libri ad priorem, ut rivus ad fontem, i. ut oriens ex illa. In illa siquidem parte, idest, in prima, ostensum, quod verbum habet rationem principii, quantum ad hoc, quod ante ipsum nihil, & ipsum ante omnia: ratio autem principii in plus est, sc. quod ab ipso omnia. Et hoc ostenditur hic, cum dicitur: [Omnia per ipsum facta sunt.] Et sic patet, quod hæc quinta propositio oritur a quarta, qua dictum est. [Hoc erat in principio apud Deum.] Nam ratio principii est, ut ab ipso omnia: & verbum erat in principio: non transiens, sed permanens apud Deum, necesse est ipsum verbum habere rationem principii: quare sequitur, quod omnia per ipsum facta sunt. Item filius venit in mundum Patrem manifestare, qui usque tunc mundo fuerat ignotus, sicut dicitur *infr.* Nemo Deum vidit unquam, sed unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, enarravit nobis. Et quia ad hoc venit, ideo verbum dicitur, cujus ratio est, secreta mentis exterius manifestare. Prima autem manifestatio Patris est in imagine prima, quæ est Filius. Secunda manifestatio est in vestigio ejus, quod est secunda imago, quæ immediate traducitur ab imagine prima, i. in creatura, quæ est a Patre per verbum. Cum igitur in prima parte sufficienter actum sit de prima manifestatione Patris, consequens fuit, ut in secunda parte ageretur de secunda manifestatione. Et hoc totum innuitur ab *Aug. in lib. de decem chordis, circa medium libri*, ubi dicit. Aliter imago tua est in Filio tuo, aliter in speculo.

Secunda pars.

In Filio tuo est imago tua, secundum æqualitatem substantiæ: In speculo autem, quam longe est a substantia, & tamen est quædam imago tua, quamvis non talis, qualis in Filio.

In Filio secundum substantiam in creatura non est hæc imago Dei, quæ est in Filio, quia hic est, quod Pater, i. verbum Dei, per quod omnia facta sunt. Et consequenter ponit satis elegans exemplum. Aliter, inquit, est imago Imperatoris in filio; aliter in solido aureo, i. in denario. Sic igitur patet ordo, & ratio ordinis hujus secundæ partis ad primam. Sed antequam exponamus sententiam hujus partis ad primam, oritur quomodo latis probabilis, videlicet, cum in hac parte agat Joannes de exitu creaturarum a suo principio, quare ipse non enumerat creaturarum species per ordinem, quo factæ sunt, sicut fecit Moyses in Genesi, ubi enumerat per ordinem opera septem dierum? Ad hoc dicimus, quod Moyses non intendit agere de verbo æterno, nisi prout est principium omnium: & ideo intendit principaliter agere de exitu creaturarum in esse per verbum: unde necesse fuit ipsum ordinem exitus determinare. Joannes autem agit principaliter de reductione creaturæ rationabilis ad Patrem, per verbum, per quod factæ sunt omnes creaturæ; & ideo non debuit hic tangi ordo exitus creaturarum a Deo, nisi in summa: sed reductionis ordo debuit seriatim ostendi, quoad dispositiones pertinentes ad ipsum reducentem; quæ dispositiones tanguntur, & aperiuntur in propositionibus primæ, & secundæ partis hujus libri. Et quod ita sit, habetur aperte a *Chrys.* in quinta homilia super librum illum, ubi dicit Moyses incipiens historiam, & conscriptionem, quæ est in veteri Testamento, de sensibilibus nobis loquitur, & hæc enumerat per multa. Evangelista vero hic omnia exercens uno verbo comprehendit, & illa, & ea, quæ his sunt superiora. Et dicit causam, quare sic facit. Decenter censuit, & cognita existentia auditoribus, & ad majorem festinans materiam, & totum hunc librum instituens, non de creatura, sed de conditore omnia producente dicere. Et ita, qui bene advertit verba *Chrys.* tres causas invenit, quare Joannes non enumerat hic ordinem creaturarum. Quarum prima est, quia notæ erant creaturæ factæ per verbum; & ideo non oportuit de novo enumerare. Secunda, quia majorem, & digniorem materiam volebat prosequi.

Tertia, quam diximus, sc. quia non intendit agere de exitu creaturarum a Deo; sed de reductione earum ad Deum per verbum: & ideo conditiones verbi, non ordinem creaturarum debuit prosequi. Dicit ergo.

a Omnia] visibilia, & invisibilia: spiritualia, & corporalia, naturam servantia: quod dicimus propter peccata, quæ naturam non servant, sed corrumpunt.

a nia *b* per ipsum *c* facta sunt, *d* & sine ipso *e* factum est nihil. Quod *f* factum est, in *g* ipso *h* vita erat:

b Per ipsum,] verbum, quod erat in principio apud Deum.

c Facta sunt,] a Patre, ut sic notetur per præpositionem ratio principii in Patre, respectu Filii, & identitas virtutis operantis principii in utroque. Nam Pater, & Filius unum sunt principium operans omnium. Et hoc aperte dicit *Anselmus in libro de Spiritu sancto contra Græcos*, ubi dicit: Pater fecit omnia per verbum, licet sit ejusdem essentiæ cum Patre, quia fecit omnia sua potentia, quæ est idem Filio. Sed cum dicat. [Omnia] nihil excipiens, numquid in hac universali distributione includitur Spiritus sanctus? Dicimus, quod non, quia sicut Pater, & Filius non sunt inter omnia, sed super ita Spiritus sanctus non est inter omnia, sed super omnia, sicut dicitur *Genes.* 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas, quare non est factus inter omnia, sed factor omnium. Solet etiam quæri, quid notet hæc propositio. [Per] cum dicitur: [Omnia per ipsum facta sunt.] Sed jam soluta est hæc quæstio per expositionem, quia diximus identitatem virtutis operantis in Patre, & Filio, ita ut virtus illa sit a Patre in Filio. Unde *Prov.* 8. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Sed oritur alia quæstio satis difficilis, sc. utrum vere possit dici, quod Pater omnia fecit per Spiritum sanctum, sicut per Filium: Ad hoc dicitur communiter, & bene, quod vere potest dici, quod Pater operatur per Spiritum sanctum, sicut per Filium; sed magis proprie dicitur Pater operari per Filium; quia Patri attribuitur potentia operandi: Filio vero ipsa operatio, Spiritui sancto conservatio operati. Pater proprie operatur per Filium, & in Spiritu sancto. Sic enim differunt hæ duæ præpositiones [per, & in] quia [per] dicit causam efficientem? [In] continentem, seu conservantem. Unde *Rom.* 11. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ibi *Gloss.* Ex ipso dicit propter Patrem, ex quo Filius; per ipsum propter Filium per quem facta sunt omnia: in ipso, propter Spiritum sanctum: quia sola dilectione creavit, & conservat omnia. Potest etiam addi ad hanc rationem, ut dicamus cum *August. sup. Gen. ad litter.* quod [per] præpositio non solum notat causam efficientem: imo etiam exemplarem, quod non proprie convenit Spiritui sancto, sed tantum Filio, qui est ars, in qua sunt omnium rationes; quia ipse est imago Patris perfectissime indicans substantiam Patris, quare patet quod non proprie potest dici Pater per Spiritum sanctum operari: tamen si reperiatur alicubi, debet dici, quod, per, non notat tunc nisi causam efficientem, quæ est ab alio. Quæritur etiam, utrum proprie possit dici Pater operari in Filio, sicut per Filium? Et dicimus, quod utrumque bene dicitur, & utrumque reperitur. *Hebr.* 1. Novissime locutus est nobis in Filio, per quem fecit & sæcula. In *Psal.* 103. Omnia in sapientia fecisti. *Col.* 1. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia ipso constant.

Et per utramque præpositionem, idest, per, & in, notatur identitas principii, sive virtutis operantis, A, vero & ab, præpositio, dicit auctoritatem principii in suo causali. Ideo non dixit Joannes: Omnia ab ipso facta sunt. Unde *Hilar.* Filius per se operatur, sed non a se. Sequitur.

d Et sine ipso] verbo omnia faciente.

e Factum est nihil] naturaliter subsistens. Peccatum vero non est natura subsistens, quare non est ab ipso, vel per ipsum. Tamen ipsum peccatum inquantum participat communem rationem entis, est a Deo: Inquantum vero deficit ab ente, non est a Deo, ut dicit *Anselmus.* Et probat hoc idem *Dion. in lib. de divinis nominibus in cap. de ente, ubi tractat de malo.* Sicut igitur artifex sine arte, & sapientia sua nihil operatur; imo omnia per artem, & sapientiam facit, & etiam prius in ipsa arte omnia, & consequenter in opere: sic Pater omnia fecit per Filium, qui est ars, & Sapientia ejus, & sine ipso nihil facit; sed prius omnia fecit in ipso, sicut in arte, & consequenter omnia fecit per ipsum in opere.

Notandum autem est hic, quatuor quædam dici de Filio, quæ sunt idem in re; sed differentia ratione, sc. Sapientia, ratio, ars, & alia duo, verbum, & imago. Sapientia dicitur, prout informat, & facit sapientem. Unde se magis tenet ex parte artificis habentis, & ideo non recipit plurale, ut dicatur, quod plures sapientiæ rerum sint in Filio, vel in Deo.

Similiter ars dicitur eadem sapientia prout est directiva operum. Unde licet aliqualiter respiciat pluralitatem operum: quia tamen omnia respicit in una ratione exitus sui, idest, ordinate, & sapienter: Ideo nec ipsa ars recipit plurale. Ratio vero respicit finem.

Unde magis tenet ex parte rerum, & ideo recipit plurale. Idea vero dicit speciem rei exemplarem in ipsa sapientia. Unde duplicem habet comparationem. Unam ad res, quarum est exemplar; aliam ad sapientiam cognoscentem res exemplatas. Secundum primam comparationem recipit plurale. Unde conceditur, quod multæ ideæ sunt in Deo. Secundum aliam comparationem non recipit plurale.

Unde a Sanctis dicitur, quod una sola idea est in Deo: Et necesse est dici. Cum enim idea sit quasi medium inter cognoscentem, & cognoscibilia, necessario sequitur conditiones utrorumque. Hæc quatuor nomina cum respiciant cognitionem, essentialia sunt, & conveniunt toti Trinitati; tamen Filio appropriantur. Verbum vero, & imago proprie dicuntur de Filio. Verbum enim, & imago dicitur Filius, inquantum perfectissime loquitur, seu repræsentat substantiam, & virtutem Patris, non solum respectu creaturarum, sed etiam respectu Spiritus sancti, cujus cum Patre est Filius unum principium, alioquin non esset verbum, vel imago ipsius: quia non totum Patrem loqueretur Filius. Sequitur. *f* Quod factum est in ipso, vita erat.] Hic incipit secunda particula hujus secundæ partis: Et oritur hæc propositio ex primis. Nam si verbum erat in principio, per quod facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, eo quod sit ars, & Sapientia Patris, sequitur, quod omnia, quæ facta sunt, prius fuerunt facta in eo, ut in arte, quam sint facta in opere. Et hoc est, [quod factum est,] i. omne factibile aliquando futurum in existentia. *g* in ipso vita erat,] idest, in verbo, quod est vita, erat ipsum vita.

Summus quidem Spiritus habet in se omnium rationes, quæ cognoscit. Sed est duplex cognitio, scilicet, practica, & speculativa. Speculativa cognitio est propria scientia, & hæc potest esse omnium possibilium, & quæ numquam erunt.

Multa enim possunt fieri, quæ numquam fient: & horum potest esse cognitio speculativa, quæ dicitur scientia. Practica autem cognitio est scientia beneplaciti: & hæc est tantum, eorum quæ fient aliquando, quæ supra diximus factibilia.

Ratio istorum factibilium in Deo dicitur vita, quia vita magis se tenet ex parte voluntatis secundum nominis rationem, & rei proprietatem. Unde etiam in nobis perfectio voluntatis dicitur vita animæ, idest, virtus, vel gratia; perfectio vero speculativi intellectus proprie dicitur veritas, non vita. Secundum hanc rationem similitudinis transumptum est nomen vitæ ad rationes rerum in Deo existentes, & est tantum eorum, quæ sunt in eo per approbationem, ut quandoque fiant in actu. Secundum hoc vita potest esse ablativi, vel nominativi casus. Et est idem sensus.

[Quod factum est.] in actu, [Erat in ipso vita] ab æterno, antequam esset, & postquam est, & postquam præterit, semper absque mutatione in ipso fuit vita.

Et quod ita debeat dici, sumitur *ab Augustino in 2. libro sup. Genes. ad litteram*, ubi dicit. Quia ergo nihil creari posset, sive ante tempora, quod quidem non est Creatori coæternum, sive ab exordio temporum, sive in aliquo tempore, cujus creandi ratio. Si tamen ratio recte dicitur, in verbo Dei, Patri coæterno coæterna vita viveret.

Propterea Scriptura priusquam insinuet unamquamque creaturam ex ordine, quo conditam dicit, respicit ad Dei verbum prius ponens: Et dixit Deus, fiat illud. Juxta hanc expositionem hæc præpositio, [In] notat continentiam effectus in causa exemplari extra.

Nam sicut dicit *Augustinus in eodem libro*, parum ante: Omnes creaturæ sunt in Deo creatrix essentia. Sic exponitur hæc præpositio, secundum *Augustinum*; Secundum *Hilarium* sic.

f Quod factum est in ipso] verbo, sc. idest, Incarnatio, Passio, Resurrectio, & cetera hujusmodi. *h* Vita erat] i. causa vitæ nobis. Unde *infr.* 11. Ego sum Resurrectio, & vita. Secundum *Ambr.* sic. *f* Quod factum est in

ipso

ipso vita,] i. per ipsum, qui est vita, *infr.* 14. Ego sum via, veritas, & vita. [Erat] antequam fieret. Erat enim in Dei præscientia, antequam fieret in existentia. Secundum *Orig.* & *Chrys.* sic exponitur, & punctatur littera. [Sine ipso factum est nihil, quod factum,] quod fit contra hæreticos, qui punctant litteram post [nihil] sicut *Aug.* Et dicunt si [nihil]

factum est sine ipso, & Spiritus sanctus est aliquid, factus est Spiritus sanctus per verbum. Et hoc narrat *Chrys. in* 5. *homil.* ubi dicit sine ipso factum est, nihil, quod factum est, si quid factibile est: hoc dixi per eum factum esse, pota, & si invisibile sit, & si incorporeum, & si in cœlis, propterea non dixit: omnia per ipsum facta, sed si quid factum est, idest, factibilia: Spiritus autem sanctus non est factibilis.

a & vita *b* erat *c* lux hominum

Sequitur secundum *Chrys.* [In ipso vita erat,] q.d. non est mirum, si sine ipso factum est nihil, quod factum, i. si per eum factum est omne factibile, quia. [In ipso vita erat,] i. providentia, res producendi, & conservandi in esse ex ipso primo fonte indeficiente, & omnibus sufficiente in faciando, & conservando. Unde dicit *Chrys. in* 5. *homil.* Deus antequam operatus esset, & postquam fecit, similiter indeficiens manet, in nullo minoratus est, nec invalidus factus ex multa conditione, sed & si quam plures oporteret factos esse mundos tales, & si infinitos, idem manet omnibus sufficiens non ad † inducendum eos solum, sed ad continendum eos post conditionem. Nomen enim vitæ non conditionis hic solum est: sed & providentiæ, quæ est secundum permanentiam. Secundum hanc expositionem oportet dicere, quod creaturæ non fuerunt ab æterno in Deo vita. Nam si vita respicit conditionem, & conservationem rerum, quæ ab æterno, nec conditæ, nec conservatæ sunt: sequitur quod nec ab æterno fuerunt vita in Deo. Sed tunc surgit quæstio, secundum quam rationem vitæ, quæ est apud nos, transumatur vita ad divinam sapientiam? Item quæritur, secundum quam differentem rationem vitæ accipiant Sancti has diversas expositiones. Item quæritur, utrum creaturæ magis sint vita in Deo, cum sunt actu, quam ante, vel postquam præterierint? Solutio.

al. † concedendum.

Ad primum dicimus, quod vita, secundum quod est in naturis apud nos, est primus actus, & continuus animæ in corpus organicum: Prima enim excitatio animati ad esse, secundum quod animatum est, est actus vivificus, continens ipsum animatum in esse per continuationem ipsius actus vivifici. Ad utrumque horum respexit *Chrys.* in sua expositione, dicens ipsam divinam sapientiam vitam omnium, tum quia continet in esse omnia. Et hoc est, quod dicit *Chrys. in* 5. *homil.* Nomen vitæ non conditionis hic est solum, sed & providentiæ, quæ est secundum permanentiam. Et ita cum divina sapientia non manifestetur nobis, nisi per actus suos, ut dicit *Chrys.* debuit dici vita, quæ est primus actus, & continuus animæ in corpus suum. Item ponatur, quod anima sit ante corpus: adhuc dicetur, quod anima vita corporis, non actum, sed potentiam hujus actus jam habet in se. Et juxta hanc similitudinem transumit *Augustinus*, & *Anselmus* vitam ad divinam Sapientiam. Unde dicunt: quod res antequam sint in natura, sunt vita in Deo, & cum sunt, & postquam esse desierint, eo quod exemplar eorum apud primam causam immobile perseverat. Et sicut non diceremus, quod anima esset vita corporis, si numquam vivificaret, ita non dicimus, quod in Deo sit aliquid, vita, si ipsum numquam erit, etiamsi possibile est ipsum fieri. Sic patet solutio ad duo prima. Ad tertium dicimus secundum *Augustinum*, & *Anselmum*, quod res quocumque modo varientur, æqualiter sunt vita in Deo. Vita enim nominat rationem æternam apud Deum immutabiliter permanentem: sed tamen Deus non semper æqualiter vivificat res; neque semper æqualiter vivunt in Deo, quia vivunt, & vivificat, dicunt vitam actu participatam: Hoc tamen dico sine præjudicio. Aliter etiam exponit hoc ultimum *Chrys.* [In ipso vita erat,] idest, ipsum, scilicet, verbum vita erat in se, sicut Pater in se. Unde *Inf.* 5. Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit Filio vitam habere in semetipso.

Nec per hoc ponitur aliqua compositio in Patre, vel Filio, cum non sint vita per participationem, sed per essentiam.

Per primam propositionem, idest, per hanc. [Omnia per ipsum facta sunt.] Confunditur Arrius, qui posuit filium esse creaturam: Non enim potest esse creatura, per quem omnis creatura facta est. Per secundam, idest, per hanc: [Et sine ipso factum est, nihil,] confunditur Manichæus, qui dicit corporalia sine ipso facta a malo Deo. Per tertiam, idest, per hanc: [Quod factum est, in ipso vita erat,] confunditur Nestorius, qui dicit Filium habuisse initium: nam si haberet initium, res non fuissent vita in eo, cum ipse non esset. Multa verba diximus de verbo, quia bonum est ab hoc verbo esse verbosum, cum non sit nisi vita, & veritas, & ratio, sapientia. Sequitur. *a* Et vita erat lux hominum.] Hic incipit tertia pars libri, in qua agitur de temporali verbi Nativitate. In prima siquidem parte actum est sufficienter de æterna verbi generatione. In secunda de exitu creaturæ a Patre per verbum: quare consequens, ut in tertia parte ageretur, de temporali verbi generatione, secundum quam facta est creatura. Habet autem hæc pars tres propositiones. Prima est de Verbi Incarnatione, secunda de Verbi Incarnati operatione; tertia de efficacia, & virtute Incarnationis, & operis. Dicit ergo: [Et vita erat lux hominum.] Secundum hoc respondet objectioni tacitæ, quæ fieri posset. Dixerat siquidem, quod verbum erat vita omnium factibilium, & in verbo idem est vita, & lux: quare videtur quod similiter sit lux omnium factibilium. Et respondet Joannes dicens, quod non omnium est lux, sed hominum. Et est ratio dicti hæc, quia sicut lux est prima, & universalis species omnium formarum corporalium, & principium omnis vivificationis corporalis; ita lux spiritualis est homini prima via vitæ, de tenebris erroris illuminans, & viam ad invisibilia demonstrans.

Tertia pars.

a Et] Ita [vita] omnium.

b Erat lux hominum] cum hominum naturam sibi in unitate personæ univit: ut infirmus oculus hominum radios sui fulgoris sustinere posset.

Ante Incarnationem vera lux erat in se, & etiam Angelorum: sed non hominum, qui non poterant Solem in rota intueri: & ideo Sol nube se induit, & sic factus est.

c Lux hominum,] quoniam Simeon videns Solem sub nube, cum gaudio dixit: *Luc.* 2. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei Salutare tuum: Quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

Item *Psalm.* 111. Exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors, & miserator, & justus Dominus. *Isaiæ* 9. Populus, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Quod autem Sol noster suo ortu temporali viam ad lumen æternitatis ostenderit, dicitur in *Psal.* 35. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. *Isaiæ* 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.

Item in *Psal.* 2. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Super nos dicit: non super Angelos, quia ut dicitur *Hebr.* 2. Nusquam Angelos apprehendit; sed lumen Abrahæ apprehendit.

Quia satis conveniens fuit juxta proprietatem rerum naturalium: In speculo siquidem corporali fit reflexio luminis corporalis: ideo conveniens fuit; ut in speculo spirituali, quod est mens humana, fieret reflexio luminis spiritualis. Quod factum est in Incarnatione verbi: Tunc enim signatum fuit lumen vultus Dei super speculum. Ante Incarnationem quasi non signata hoc lumine humana natura, trahebatur ad infernum: sed post Incarnationem tanquam insignita signaculo Regis, ascendit in cœlum. Et nota, quod dicit: [Vita erat lux hominum] generaliter; non Judæorum tantum, quia per verbi Incarnationem lex Moysi, quæ aliquod lumen erat, sed quasi clausum intra limites Judææ, transfusa est in omnes gentes per Christum.

Et hoc totum comprehendit *Chrysostomus*, uno verbo *in quinta homilia* dicens. Primum quidem de conditione nos edocuit; deinde dicit bona, quæ sunt secundum anima, quæ præbuit nobis veniens, & per unum verbum ænigmatice ostendit ea Evangelista dicens: [Et vita erat lux hominum.] Non dixit lux Judæorum; sed universaliter hominum. Non enim Judæi solum, sed & Gentiles ad hanc venerunt cognitionem: quia vera lux hominum erat, oportebat, ut tunc luceret, cum aliunde luminis auxilium haberi non poterat, & undique tenebrarum caligo involvebat. Et ideo subdit.

a Et lux in tenebris lucet,] idest, in medio erroris. Fuit enim tempore Incarnationis caligo idololatriæ, & infidelitatis, quasi in summo, & Judæi, qui olim Deum coluerant, tunc divisi erant per sectas erroris. Unde *Sap.* 8. Dum quietum silentium teneret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de cœlo a regalibus sedibus venit. Ad quod etiam significandum media nocte natus est. De hoc etiam dicitur *Isaiæ* 35. Ecce nos omnes, quasi oves erravimus: unusquisque in viam suam declinavit: & Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum.

a & lux in b tenebris lucet: c Et tenebræ eam non comprehenderunt. d Fuit homo e missus a f Deo,

Item [Et lux in tenebris lucet,] i. in medio desperationis. Jam enim expertus erat homo, quod lex naturæ non poterat liberare, neque lex Moysi: Unde nihil restabat nisi desperatio salutis; nisi oriens ex alto Dominus hominem visitasset, Unde *Ecclesiast.* 51. Vita mea appropinquans erat in inferno deorsum, circumdederunt me undique tenebræ peccatorum, sc. & non erat, qui adjuvaret, quia omne lumen extinctum erat. Aspiciens eram ad adjutorium hominum, idest, Moysi, & Sacerdotum, & non erat. Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, & cooperationis tuæ, quæ a sæculo sunt, quoniam eruis sustinentes te, Domine, & liberas eos de mano gentium. Item.

a Et lux,] idest, vita, & doctrina Christi. *b* In tenebris lucet,] idest, inter persecutiones, & tribulationes mundi, quæ tunc abundabant, & modo magis incipiunt abundare: tamen lux ista nihilominus lucet, & quasi ad tempus fuit pax in mundo, nato Domino. Unde dicitur 1. *Joan.* 2. Tenebræ transierunt, & verum lumen jam lucet. Item. *a* Et lux in tenebris lucet,] idest, lux in cordibus tenebrosis. *Genes.* 1. Tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas: dixit quoque Deus; fiat lux; & facta est lux. Item. *a* Et lux in tenebris lucet,] idest, Christus inter tenebrosos. *Ephes.* 5. Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Sed quia virtus hujus luminis invincibilis est, ideo competenter subjungit. *c* Et tenebræ eam non comprehenderunt.] Minus dicit, & plus significat, idest, lux omnes tenebras effugavit. Unde *Isai.* 42. Ponam tenebras coram eis in lucem: quia omnis idololatria cessit, [illegible] Synagogæ elanguit, nebula desperationis disparuit, persecutionum tempestas cessavit. Sed juxta ultimam expositionem oportet dicere: [Et tenebræ eam non comprehenderunt,] idest, Judæi tenebrosi lucem istam non perceperunt, quia non sunt illuminati, non propter defectum lucis; sed propter vitium eorum, qui noluerunt oculos aperire ad lucem. Unde *Chrysost.* Sicut solari radio non est frui non aperientem oculos: ita nec hac claritate participare, non vehementer expandentem animæ oculum. Ne claudas januas huic luci, & multa frueris voluptate. Sequitur. *d* Fuit homo missus a Deo.] Quarta pars hujus libri, in qua agitur de præcursore verbi, qui hic commendatur in sex.

Quarta pars libri.

Primo a mansuetudine, cum dicitur: [Homo.]

Secundo ab humilitate, cum dicitur: [Missus.] Tertio ab auctoritate mittentis, cum dicitur: [a Deo.] Quarto ab abundantia gratiæ, cum dicitur: [Cui nomen erat Joannes.] Quinto ab officii dignitate, cum dicitur: [Hic venit in testimonium.]

Sexto a laudabili fine, seu utili intentione, cum dicitur; [Ut omnes crederent per illum.] Ordinatur autem hæc pars competenter ad præcedentia.

In prima siquidem parte hujus libri actum est de æterna verbi generatione.

In secunda de exitu creaturarum a Patre per verbum, ibi. [Omnia per ipsum facta sunt.]

In tertia de Verbi Incarnatione, ibi: [Et vita erat lux hominum.] Et ita dupliciter notificavit nobis Evangelista verbum.

Primo in comparatione ad Patrem, in quo est.

Secundo in comparatione ad creaturas, quæ sunt ab ipso. Sed utroque modo incomprehensibile erat, ideo tertio notificavit eum, non jam ut factorem creaturarum, sed ut factum creaturarum, i. velatum creatura, i. carne humana; quia quod erat, permansit; & quod non erat, assumpsit, sc. hominem, quia verbum caro factum, ut *infra eodem*. Sed etiam sic non fuit comprehensum. Unde dictum est supra immediate. [Et lux in tenebris lucet; & tenebræ eam non comprehenderunt] licet nube carnis velatam; quia adhuc erat nimia claritas lucis, & oculi Judæorum infirmi: ideo necesse fuit aliquod lumen minus præmittere, quod assuefaceret, & præpararet oculos Judæorum ad susceptionem magni luminis: Sicut igitur Lucifer præcedit Solem, ita Joannes Salvatorem. Unde *Psal.* 131. Paravi lucernam Christo meo. Et *Job cap.* 38. Numquid producis Luciferum in tempore suo? Propterea, vox est prævia verbi, & quasi media inter ipsum verbum, & auditores verbi. Et Joannes est vox. Unde *infr. eodem*. Ego vox clamantis. Quare post verbi generationem, antequam posset audiri, necesse fuit præmittere vocem, idest, Joannem.

Et ideo tunc dicitur. [Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes.] Dividitur autem hæc quarta pars libri in tres particulas. In prima ostenditur utilitas, & necessitas testificationis Joannis.

In secunda ostenditur differentia verbi incarnati, & Joannis; & quod testimonium Joannis non fuit propter Christum, sed propter populum infirmum, qui aliter non suscepisset Christum venientem, nisi prius voce Joannis sibi cognita præconizatus fuisset, ibi, [Erat lux vera] In tertia prosequitur Joannes de ipsa testificatione, ibi. [Joannes testimonium perhibet de ipso, & clamat.] Dicit ergo. *d* Fuit homo,] mansuetus, & rationalis. *e* Missus] non se ingerens, quia quomodo prædicabunt, nisi mittantur? *Rom.* 10. *f* A Deo] ut ipsum adorandum prædicaret. *Genes. c.* 41. Fecit Pharao, idest, Deus Pater ascendere Joseph super currum suum secundum, idest, Christum carne indutum venire fecit in mundum præcone clamante, ut omnes flecterent genu coram eo, & præpositum scirent esse universæ terræ Ægypti.

Per hoc, quod dicit, [fuit homo] notatur naturalis convenientia Joannis ad populum, ad quem mittebatur. Per hoc, quod sequitur [Missus a Deo] notatur convenientia aliqua ejusdem cum Deo, a quo mittebatur; & ita participans cum utrisque, idest, Christo, & populo, aptus fuit, ut esset via Christi ad populum, & populi ad Christum: unde de ipso dicitur *Is.* 40.

Moraliter. *d* Fuit homo, &c.] Hic notantur quatuor, quæ sunt necessaria Prædicatori.

Moraliter.

Primum est auctoritas missionis, quod notatur, ibi [Fuit homo missus a Deo.] *Rom.* 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Si enim missio non esset necessaria, non diceret Dominus per *Jer.* 32. Non mittebam eos, & ipsi currebant. Secundum, est honestas conversationis, sive bona vita, quod notatur, ibi. [Cui nomen erat Joannes,] id est, in quo erat gratia vitæ, & veritatis, sicut dicit Sapientia de se, *Eccl.* 24. In me omnis gratia vitæ, & veritatis. Si talis non deberet esse Prædicator, non diceret Christus per *Ps.* 49. Peccatori autem dixit Deus: quare enarras justitias meas, &c. *Eccl.* 16. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Tertium est virtus discretionis, ut sciat quid, cui, quando, quomodo prædicandum; quod notatur, ibi. [Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.] Quidam non habentes discretionis lumen, perhibent testimonium de tenebris, ut qui prædicant divitias, & licitam esse pluralitatem beneficiorum. Prædicatio Christi debet esse lumen prædicationis nostræ: Ipse vero prædicavit paupertatem. *Matth. c.* 5 Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth. c.* 19. Si vis esse perfectus, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, &c. *Lucæ* 6. Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. *Matth.* 19. Facilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum.

Quartum, est rectitudo intentionis, quod notatur, ibi. [Ut omnes crederent per illum,] Hic enim est zelus animarum, qui debet esse in intentione Prædicatoris; non lucrum temporale, vel humanus favor. 2. *Cor.* 12. Ecce hoc tertio paratus sum venire ad vos; & non ero gravis vobis, non enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos. Dicit ergo. *d* Fuit homo] non leo. *Eccl.* 4. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos. *Gal.* 6. Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, *Eccl.* 31. Intellige, quæ sunt proximi tui ex teipso. Ideo tam frequenter dicitur Ezechieli, qui gerit formam Prædicatoris: Fili hominis. *e* Missus] non se ingerens. *Hebr.* 5. Nemo assumit honorem; sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. *f* A Deo] non a mundo. *Gal.* 1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum. Apostolus idem est, quod missus.

* *a* Cui

a cui nomen erat Joannes. Hic b venit in c testimonium, ut e testimoniũ perhiberet de lumine, ut f omnes g crederent per illum. h Non erat ille i lux, sed ut k testimoniũ perhiberet de lumine.

▲ *Isaiæ* 40. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. *Malach.* 3. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Et merito dicitur Joannes Angelus, quia non propriam, sed mittentis causam egit.

Unde *Chrysostomus in sexta homilia*. Tu audiens, quoniam a Deo missus fuit Joannes, nihil de reliquo humanum esse existima eorum, quæ dicuntur ab illo: non enim, quæ ejus sunt, sed quæ mittentis omnia loquitur, & ideo Angelus nuncupatur: Angeli enim virtus est nihil proprium dicere.

a Cui nomen erat Joannes] antequam mitteretur. *Isaiæ* 49. De ventre matris meæ recordatus est nominis mei, idest, in utero matris meæ recordatus est nominis mei, idest, gratiam. Ideo dicit: [Cui nomen erat Joannes.] Nomen, quia antequam conceptus esset, prænominatus est ab Angelo: *Luc.* 1. & antequam natus fuisset, habuit rem nominis, idest, gratiam, quia sanctificatus fuit in utero matris suæ.

Unde de ipso dicitur illud *Jerem.* 1. Prinsquam te formarem in utero, novi te, etiam ex nomine: & antequam exires, de vulva, sanctificavi te. *b* Hic,] idest, talis, scilicet, homo missus Joannes, idest, gratiosus.

f Venit] primo in mundum, deinde in desertum, ubi ab infantia vixit, baptizans, & prædicans Baptismum pœnitentiæ: deinde venit in deserto in Judæam, ut ibi populo prædicaret.

Unde *Luc.* 3. Factum est verbum Domini super Joannem filium Zachariæ in deserto: & venit in omnem regionem Jordanis prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Per hoc, quod dicitur: Factum est verbum Domini super Joannem, intelligitur hæc missio Joannis, qua missus est a Deo ad testificandum. Nec aliter prædicabat Joannes Baptismum, nisi quia baptizabat in nomine venturi post se ad baptizandum, & prædicandum, & in hoc ferebat ei testimonium, quod ipse solus dimittebat peccata, & gratiam conferebat. Et hoc est: [Venit in testimonium,] idest, ad testimonium perhibendum. Et quod dicit [venit] notat liberam voluntatem Joannis, quia id, ad quod missus fuit, libera voluntate peregit. Ideo autem vixit ab infantia in deserto, ut linguam suam ad tantum testimonium servaret impollutam, quod non potest fieri inter homines.

Unde *Isaiæ* 6. quando mittebatur in testimonium rei visæ, dicit: Væ mihi, quia tacui, quia vir polluti labii ego sum: & in medio polluti polluta labia habentis ego habito. Idcirco antequam mittatur, purgantur labia ejus calculi ardentis tactu. Similiter Jeremias purgatur, antequam mittatur, sed non calculi tactu, sed manus tantum: quia adhuc parum peccaverat in lingua, quia puer erat.

Unde *Jerem.* 1. Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo. Joannes vero nec manu, nec calculo tangitur, quia linguam suam in deserto servavit impollutam: & ideo idoneus fuit ad testificandum. De quo autem deberet ferre testimonium Joannes, ostendit Evangelista dicens.

e Ut testimonium perhiberet de lumine,] idest, de Christo nato de Virgine, sicut radius nascitur a Sole sine aliqua ejus corruptione, vel diminutione. Sed quid est, quod dicit: *infra* 5. Ego autem non ab homine accipio testimonium? Ideo hæretici forte dixerunt, quod Joannes non fuit homo, sed Angelus incarnatus. Sed hæresis ista eliditur per hoc, quod dictum est supra. Fuit homo missus a Deo. Dicimus ergo, quod in testimonio tres personæ sunt ad minus, scilicet, testificans, & cui testificatur, & pro quo testificatur. Testificans fuit Joannes: cui testificatur, populus Judaicus: pro quo, Christus. Testimonium igitur non propter Christi indigentiam, sed propter populi infirmitatem necessarium fuit: quia populus aliter non recepisset Christum, nisi Joannes, qui sanctitate vitæ omnes transcenderet, eum suo testimonio commendasset.

Unde illud: Ego ab homine non accipio testimonium, sic exponit *Chrysostomus*, idest, non indigeo propter me; sed condescendo in id humilitatis causa propter salutem vestram. Et hoc idem innuit Evangelista hic subjungens.

f Ut omnes crederent] in Christum [per illum,] idest, Joannem testificantem, q. d. non Christo fuit necessarium Joannis testimonium propter se; sed Judæis, qui splendorem ejus non possent ferre, si immediate, & nude venisset ad eos: ideo signanter dixit [de lumine] non de luce. Differunt enim lux, & lumen, sicut fons, & rivus. Lux enim est in propria natura existens: lumen actus lucis, idest, diffusio in aliquo susceptibili. Et ob hoc, ut notetur necessitas testimonii ex parte suscipientis, non ex parte lucis, dixit de lumine, non de luce. Et in hoc terminatur intentio primæ particulæ hujus quartæ partis libri. Sed quia apud homines dignior, & credibilior judicatur ille, qui perhibet testimonium, quam ille, pro quo perhibetur; ideo statim ponitur secunda pars, in qua ostenditur differentia Joannis, & Christi per proprietates utriusque: unde dicit.

h Non erat ille,] idest, Joannes testificans.

i Lux] quia lux est fons omnis luminis, & illuminationis; Joannes vero nihil habebat, nisi receptum: & ideo aliquem radium hujus lucis poterat habere; sed non erat ipsa lux naturalis; erat tamen lucis illius testis, & ideo lucens luce ipsa irradiante in eum.

Unde *Infr.* 5. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Sed quare non erat lux Joannes, cum de Apostolis dicatur *Matth.* 5. Vos estis lux mundi: Numquid ipsi majores fuerunt Joanne? Constat, quod non, *Matth.* 11. Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Respondeo: Proprie Joannes non fuit lux; tamen Apostoli fuerunt lux: Nam lucis est naturaliter splendorem ex se emittere, quod non convenit Joanni; sed tantum Christo, & Apostolis, quorum Baptismus gratiam conferebat: Baptismus vero Joannis non.

Item Apostoli officium prædicationis habuerunt, & miracula multa fecerunt, quod non Joannes.

Unde *infr.* 19. Joannes autem signum fecit nullum. Ideo supra in prologo, Soli Christum, Apostolos Lunæ, quæ irradiat, & Joannem Lucifero comparavimus, qui nullos ex se radios emittit, sed tantum fulget in se, & Solis præsentiam attestatur. Unde & hic sequitur.

k Sed ut testimonium perhiberet de lumine] q. d. Lucifer non est Sol, sed testimonium perhibet Soli: ita Joannes non erat lux; sed ideo venit, ut testimonium perhiberet de lumine, i. de incarnata Divinitate: Divinitas enim in se lux est. *Joan.* 1. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Divinitas in carne lumen. *infr.* 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Lux ergo incomprehensibilis erat, maxime Judæis infirmis, & carnalibus. Unde 1. *Tim.* 6. Lucem habitat inaccessibilem. Lumen vero aliquo modo incomprehensibile erat aliqua manuductione: ideo indigebant Judæi magisterio Joannis, quo paulatim sublevarentur ad lucis comprehensionem: Joannes vero, qui spiritualis erat, non indigebat hominis magisterio, sed tantum Dei.

Unde *Chrysost. in* 13. *homil.* Nimirum Joannes, qui omnibus se nudaverat sensibilibus, ipse quidem non indigebat magistris, sed de cœlis erudiebatur.

▲ Et hoc

Moraliter.

* *a* Cui nomen erat Joannes,] idest, te, & nomine gratiosus. *Isai.* 49. Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.

b Hic venit] propriis pedibus, non vectus equis, vel quadrigis. *Psal.* 19. Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri invocabimus.

d In testimonium] veritatis perhibendum, quod pauci faciunt. *Isai.* 59. Corruit veritas in plateis, & æquitas non potuit ingredi. *e* Ut testimonium perhiberet de lumine,] idest, de veritate, quia veritas est lumen.

f Ut omnes] non parentes, vel noti tantum. *g* Crederent per illum] non ditarentur per illum. Contra multos Legatos, qui magis intendunt ditare parentes in sua legatione, quam convertere peccatores ad fidem, & pœnitentiam. *B. Bern.* Eunt, & redeunt Legati: quid autem fecerint boni, non audivimus. Forte audivissemus, nisi præ auro Hispaniæ salus animarum voluisset. Sequitur.

h Non erat ille lux.] Hoc contra illos, qui seipsos prædicando ostendunt. De quibus *Matth.* 6. Amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Non sic Apostolus, 1. *Corinth.* 15. Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.

k Sed ut testimonium perhiberet de lumine,] i. de Christo, quasi non se, sed Christum debet prædicare. Sequitur.

▲ Et hoc est, quod dicitur. *Cor.* 3. Et ego, fratres, non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tanquam parvulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam: nondum enim poteratis. *Hebr.* 5. Facti estis, quibus lacte opus est, non solido cibo. Verbum incarnatum est lac, verbum in se, solidus cibus. Similiter prædicatio Joannis potus lactis fuit respectu prædicationis Christi, & ideo primo fuerunt nutriendi Judæi Joannis prædicatione, qua possent recipere Christi prædicationem. Sed quia lumen non est lux, sed a luce, ne crederet aliquis, quod Christus ita esset a Deo quod non Deus, ideo sequitur.

a Erat lux vera, *b* quæ illuminat *c* omnem hominem venientem in hunc mundum.

a Erat lux vera,] i. naturalis, & immutabilis, non per participationem, sed per essentiam. Veritas enim est, ut dicit *Augustinus in soliloquio*, quo est, id, quod est, sine indiviso esse, & quod est. Per hoc ergo, quod dicitur [Lux] notatur, quod ipsa est naturaliter fons totius luminis. Per hoc autem, quod dicitur, [vera] notatur, quod est immutabilis, & non per participationem; sed omnia illuminans. Unde sequitur.

b Quæ illuminat] quadruplici lumine, idest, naturæ, gratiæ, doctrinæ, miraculorum. *c* Omnem hominem venientem in hunc mundum] a principio mundi usque ad finem. Sicut enim dicit *Anselmus in libro*, Cur Deus homo: non est credendum, quod ea quo Deus hominem fecit ad participandum beatitudinem, unquam fuerit tempus, in quo in mundo isto non fuerint aliqui præparati, ad quod homo creatus est. Sed incidit quæstio: Si ipse illuminat omnem hominem, quomodo tot sunt non illuminati? Ad hoc respondetur multipliciter. *Chrysostomus in* 8. *homil.* respondet sic: Ille omnem hominem illuminat, quantum ad eum pertinet: Si autem quidam claudentes mentis oculos lucis radios suscipere noluerunt, non a lucis natura obtenebratio est illis: sed a malitia sua: sicut ab introitu omnibus aperto, & nullo prohibente, qui voluntarie foris remanent, a propria malitia pereunt. *Augustinus*, aliter respondet dicens: Ipse illuminat omnem hominem, idest, nullus illuminatur nisi per ipsum. Et ponit exemplum, Si in aliqua civitate esset unus solus Magister, qui doceret pueros, vere diceretur: iste docet omnes pueros civitatis, non quod omnes doceantur; sed quia omnes, qui docentur, per illum docentur. Item sic: [Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,] in quo ego sum, idest, in cœlestem conversationem, de qua dicitur. *Phil.* 3. Conversatio nostra in cœlis est. Quotquot illuc veniunt, sine dubio illuminantur a vera luce, quæ ibi abundanter irradiat, *Isa.* 18. Ego quiescam in loco meo, sicut meridiana lux clara est. Vel, [In hunc mundum,] idest, in superiorem partem animæ, ubi est imago Dei, ibi lucet lux vera: ideo quotquot illuc veniunt, illuminantur. Unde *Gloss.* Omnis homo dicitur illa natura in homine, quæ ad imaginem, & similitudinem Dei facta est: Alia omnia, quæ sunt in homine, inferiores partes sunt hominis, & quodammodo extra hominem sunt. In illa sc. anima superiori, velut in quodam mundo superiori, vera lux lucet: & in illum mundum venientes per gratiam renascentes illuminat. Item potest intelligi de lumine simpliciter in genere: & tunc vera est propositio, sicut jacet: quia lumen naturæ ad minus habet unusquisque: De quo dicitur *in Ps.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, idest, lumen naturalis judicii, quo per legem naturaliter nobis insitam scimus, quid faciendum, & quid non faciendum. Vel potest intelligi de illo lumine materiali: & tunc erit vera propositio, si fiat distributio pro generibus singulorum, quia illud lumen communiter datur bonis, & malis, magnis, & pravis. Unde *Matth.* 5. Qui facit Solem suum oriri super bonos, & malos. Ecce in ista propositione tanguntur proprietates Christi, sicut in præcedenti sc. Non erat ille lux, tangebantur proprietates Joannis; ut ex utrisque collatis ad invicem appareat, quis fuit, qui testimonium perhibuit, quia inferior: & quis fuit, cui perhibebatur testimonium, quia superior. Unde patet, quod non propter indigentiam ipsius; sed propter indigentiam Judæorum fiebat testimonium Joannis. Posita hac proprietate lucis, qua differt a Joanne: & ostenso beneficio, quod ab ea receperunt homines, ponit aliam lucis proprietatem, qua generaliter se habet ad omnes creaturas, dicens.

d In mundo erat] præsentia deitatis tanquam regens, & continens omnia, quæ creavit. Et hoc dicit contra Donatistas, qui dixerunt ipsum esse tantum in Africa. Contra quos est illud *Sap.* 8. Attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Item *Jer.* 23. Cœlum, & terram ego impleo. *Chrys.* In mundo erat, sed non ut mundi contemporaneus. Ideo subdit.

In *d* mundo erat, *e* & mundus *f* per ipsum factus est, *g* & mundus *h* eum non cognovit.

e Et mundus,] idest, universitas creaturæ. *f* Per ipsum factus est] quasi per sapientiam, & artem artificis, idest, Patris. Unde *in Ps.* 103. Omnia in Sapientia fecisti, &c. In, & per, hic notant quinque, ut supra diximus. Primo ratione propositionis distinctionem personalem. Secundo, ratione speciali identitatem virtutis operativæ in patre, & filio. Tertio auctoritatem in patre respectu filii. Quarto causam efficientem in filio respectu facturæ. Quinto causam exemplarem in filio respectu creaturæ factæ.

g Et mundus] idest, amator mundi. *h* Eum non cognovit] per approbationem, quia servivit creaturæ potius, quam Creatori, ut dicit Apost. *Rom.* 1. Quod revera mirum est, quia ipsius vestigium in creaturis relucet, per quod posset agnosci Deus. Unde *Sap.* 13. Si virtutem, & opera ejus mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis. A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterat Creator horum videri. De hoc dicit *Basilius super illud Ps.* 18. Cœli, inquit, enarrant gloriam Dei, non per vocis sonum, sed per operis sapienter dispositi confessionem. Non enim sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Sunt autem quidam sermones sapientiæ, & rationes, quæ ante omnia inserta sunt creaturis, idest, illa ipsa ratio, per quam unumquodque a sapientia procreatum est, & per quam etiam tacens clamat, & Creatorem suum Deum confitetur: & ideo quot sunt creaturæ, tot sunt libri, in quibus potest legi Creator. Unde verendum est, quod dicit: [Et mundus eum non cognovit.] Sed sicut dicit *Chrysost.* Mundus hic dicitur multitudo corrupta, & terrenis rebus liquefacta, vel labefacta, vulgaris ▲ & turbi-

Moraliter.

* *a* Erat lux vera] idest, scientia, & bona vita. Scientia enim sine bona vita lux est, sed vana; sed scientia conjuncta vitæ bonæ lux vera est, quæ debet esse in Prædicatore. *Matth.* 5. Vos estis lux mundi, *inf.* 5. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Ardens in vita, lucens in doctrina. Signum autem veræ lucis est, quod illuminat tenebras vicinas, idest, peccatores, *sup. eod.* Vita erat lux hominum. *Matth.* 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Unde & hic sequitur.

b Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,] quantum est in se, exemplo vitæ, & verbo doctrinæ. *Phil.* 2. Sitis sine querela, & simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravæ, & perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes. Sequitur.

d In mundo erat.] Hoc exponitur de Christo: Mundus autem hic accipitur pro divitibus, in quibus est per beneficiorum collationem; sed ipsi non cognoscunt eum per gratiarum actionem, & pauperum ejus sustentationem. Propter quod provocant Deum contra se. Unde *Job* 12. Abundant tabernacula prædonum: & ipsi audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Prædones dicit divites, qui divitias rapiunt, nec gratias dant Deo, nec eleemosynas pauperibus, quorum sunt ipsæ divitiæ, & eis missæ per manus divitum. Hoc est ergo: In mundo erat] Christus, & est adhuc in membris suis.

e Et mundus per ipsum factus est,] *sup. eod.* Omnia per ipsum facta sunt.

g Et mundus eum non cognovit.] *August.* idest, amatores mundi. Et quid mirum? Quia Dominus hujus mundi, idest, nummus excæcavit eos, ut dicitur 2. *Corinth.* 4. *Basilius* in quodam sermone dicit de quodam divite: Sicut hi, qui per insaniam mente translati sunt, non jam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident: ita mens avari semel vinculis cupiditatis astricta, semper aurum, semper argentum videt, semper redditus computat, gratius aurum intuetur, quam Solem. Ipsa ejus oratio, & supplicatio ad Deum aurum quærit, & vellet, ac optaret, ut omnia ei in aurum converterentur. Et ideo non est mirum, si non cognoscunt Deum: quia non habent tempus præ computatione reddituum.

* *Isa.* 1.

a & turbidus, & insipiens populus. Qui enim amici Dei fuerunt, omnes cognoverunt eum sicut *infr.* 8. dicitur de Abraham. Exultavi, ut videret diem ejus: vidit, & gavisus est. Et breviter *Act.* 3. dicit Petrus. Omnes Prophetæ a Samuele annunciaverunt dies istos. Sed contra hoc videtur, quod dicitur *Matth.* 13. Multi Prophetæ, & Justi cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Ex quo habetur, quod non omnes Prophetæ cognoverunt eum. Nec potest dici, quod Dominus loquitur de visione corporali: quia multi viderunt hac visione, qui non fuerunt Beati. Ad hoc dicimus, quod omnes prophetæ, & Justi viderunt diem ejus & cognoverunt eum, aliter enim non desiderarent eum. Unde *Chrysost.* Non utique nisi scissent, eum cupivissent. Nullus enim, quorum intelligentiam non habet, horum suscipere concupiscentiam potest. Quod autem objicitur, de illo verbo. Multi Prophetæ, & Justi cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: dicimus, quod non intelligitur de visione corporali solum, sed de visione corporali conjuncta spirituali: hoc multi desideraverunt, quibus non fuit concessum, & quoad hoc Beati fuerunt Apostoli, quibus hoc fuit datum. Et dicitur hic beatitudo quies desiderii ex præsentia Christi corporali simul, & spirituali. Mundus autem, idest, mundi amatores corporaliter eum viderunt, sed nunquam cognoverunt. Unde *infr.* 17. Pater Juste, mundus te non cognovit. Sequitur.

In *a* propria venit, *b* & sui *c* eum *d* non receperunt. Quotquot *e* autem *f* receperunt eum *g* dedit eis potestatem *h* filios Dei fieri

a In propria venit,] idest, in mundum, qui suus est, utpote ab eo factus, vel inter Judæos, qui sui proprii erant, ut populus peculiaris ipsius: vel in naturam humanam, quam condidit, & sibi univit, ut omnes salvaret.

b Et sui] quicumque homines ab eo conditi, præcipue Judæi ejus cognati. *c* Eum] Conditorem suum.

d Non receperunt,] per fidem, & obedientiam; qui tamen propter eos venerat eis sua daturus, non ab eis aliquid accepturus. *Chrys.* Venit non ut indigens, sed ut beneficus: & tamen sui non receperunt, sed occiderunt, & interfecerunt: & tamen eos a pœnitentia non excludit, ut patet in Paulo. De hoc conqueritur ipse *infr.* 5. Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, sc. Antichristus, illum accipietis. Sed quæret aliquis, quo venit Christus, qui ubique est, & nusquam deest? Respondeo. Venire dicit duo, sc. de loco ad locum transire, ubi non erat prius: vel præsentialiter apparere, qualiter non prius. Primo modo non potuit venire Christus, quia nusquam deest. Secundo modo venit, quia mundo visibilis apparuit, quod non prius. *Baruc.* 3. In terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Unde suum venire nihil aliud est, quam in carne visibili assumpta, mundo apparere, sicut dicit *August.* & *Chrys.* Et quia sic venit, non propter suam necessitatem, sed propter nostram utilitatem, sicut dicit Apostolus. 2. *Cor.* 8. Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi: quoniam cum esset dives, omnium propter vos egenus factus est, ut illius inopia vos divites essetis. Et ideo major est ingratitudo, quod sui, propter quos venerat, eum non receperunt. Sed numquid fuit in eis recipere? Videtur quod non, quia habere gratiam non est in homine. Respondeo. In justificatione duo sunt, unum ex parte justificantis, sc. gratiæ infusio, alterum ex parte justificari, vel justificandi, sc. parare se ad recipiendam gratiam, i. facere, quod gratia non inveniat in eo obicem resistentem, hoc est in potestate hominis. Hoc non fecerunt Judæi, quod notatur, cum dicit: Et sui eum non receperunt, i. gratiæ obicem posuerunt. Sed quare non coegit eos Dominus, cum posset? Respondet *Chrys.* Quia nullum vult invitum, vel coactum Dominus habere famulum: non enim indiget nostro famulatu. Præterea, nolli eorum, qui nolunt, vim imponit, neque necessitatem: ad utilitatem enim nostram aspicit solum; invitos enim trahi ad hanc servitutem par est cum eo, qui † ubique universaliter servit. Sed cur gehennam minatur? Quia & legislatores difficilia ponunt adversus peccantes supplicia: & tamen eos non despicimus propter hoc, sed honoramus. Sed ne crederetur, quod nulli recepissent eum, ideo subdit.

al. † neque.

e Quotquot autem] sive Judæus, sive Gentilis, sive nobilis, sive ignobilis, sive servus, sive liber, sive femina, sive masculus, sive puer, sive senex. *f* Receperunt eum,] per fidem, & obedientiam. *g* Dedit eis] æqualiter sine acceptione personæ. *h* Filios Dei fieri,] per gratiam adoptionis. Ex hoc enim, quod ipse, qui naturaliter est filius Dei, factus est naturalis filius hominis, decebat, ut sua potestate filios hominum faceret filios Dei. Unde *Galat.* 3. Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Item *Roman.* 8. Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei; si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et in hac hæreditate omnes facti sunt æquales, quos natura corrupta produxerat inæquales. Sed videtur, quod omnes naturaliter habuerunt hanc potestatem, & non a gratia datam, qua possent filii Dei fieri, quia dixit *Aug.* credere, gratia est fidelium; posse credere, natura est omnium. Respondeo. Aliud est possibilitas, aliud potentia, aliud potestas. Possibilitas dicit potentiam materialem dispositam, & remotam: secundum quam potest dici, quod homo modo habet possibilitatem ad immortalitatem. Potentia vero dicit aliquam dispositionem: Unde magis vicina est; sed tamen adhuc possibilis ad opposita. Potestas autem dicitur, quasi potentia stans, idest, determinata per speciem; sed tamen adhuc mobilem, & possibilem ad recessum. Unde potestas duo dicit, potentiam, & speciem. Potentia naturalis est, idest, in creatione data, sc. liberum arbitrium. Species autem est fides, sive gratia superaddita potentiæ naturali. Unde dando gratiam dedit potestatem, qua essent filii Dei; quibus debetur hæreditas; sed tamen quia adhuc habent homines usum liberi arbitrii ad bonum, & malum flexibilem, dum sunt in via, possunt amittere jus hæreditatis. Unde cum dicitur: [Dedit eis potestatem filios Dei fieri,] non per hoc notatur, quod non sint filii; imo ex quo habent gratiam, jam sunt filii, & hæredes. Sed quia possunt amittere jus filiationis, & hæreditatis dicit [Dedit eis potestatem filios Dei fieri] & non dicit. Fecit eos filios Dei. Et sic dicendo hortatur eos ad studium bonæ vitæ, & perseverantiæ in eo, quod receperunt. Unde *Chr.* dicit. Non dicit Evangelista: Fecit eos filios Dei, quia opus est studio nostro. Item notandum, quod potestas præter id, quod diximus, importat potentiæ fortitudinem. Unde proprie non dicitur potestas aliqua potentia, nisi quando ita fortis est ad aliquod operandum, quod non possit de facili impediri: secundum quod dicitur de Domino *Matth.* 7. quod loquebatur tanquam potestatem habens, & non sicut Scribæ, & Pharisæi. Unde in hoc, quod dicitur [Dedit eis potestatem filios Dei fieri,] notatur, quod nullus potest auferre hominibus donum gratiæ acceptæ, nisi ipsimet abjiciant. Nec etiam ipse Deus, sicut probat *Anselmus in libro de libero arbitrio*. Hoc etiam dicit *Chrysostomus, in decima homilia* dicens: Dixit potestatem, ostendens, quoniam potestatem hanc nullus potest auferre nobis, nisi præsumentes nosipsi auferamus. Si enim hi, qui ab hominibus dominium aliquarum rerum suscipiunt, tantum habent robur, quantum pene hi, qui dederunt, multo magis nos, qui a Deo hoc potimur honore, si nihil hac potestate indignum fecerimus, omnibus erimus potentiores: propterea quia omnibus est major, & melior, qui hunc nobis tribuit honorem.

Item adhoc est ratio alia, quare dixit [Dedit eis potestatem filios Dei fieri,] & non dixit. Fecit eos filios Dei: quia ut diximus, potestas est potentia stabilita per adventum † Spiritus. Unde patet, quod non est in aliquo potestas, in quo non fuerit prius potentia naturalis, quæ est in hominis voluntate, ut possit fieri potestas, si non ponat obicem gratiæ Dei.

al. † speciei.

Unde cum dicit [Dedit eis potestatem filios Dei fieri,] notatur, quod nulli datur hæc potestas nisi volenti. Unde *Chrysostomus*.

Moraliter.

Isa. 1. Bos cognovit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognovit. *a* In propria venit, & sui eum non receperunt.] Omnia sunt Dei ut auctoris, conservatoris, gubernatoris. Sed propria ejus sunt res Clericorum, & religiosorum, maxime qui proprie sunt sui. *Deut.* 7. Populus sanctus es Domino, idest, sanctificatus: & elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. Sed certe inter omnes hi minus Christum recipiunt; sed magis abjiciunt. *Isa.* 1. Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me. *Luc.* 10. Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit.

e Quotquot autem receperunt eum,] digne in Sacramentis; charitative in pauperibus.

g Dedit eis potestatem filios Dei fieri.] *Eccl.* 4. Esto pupillis misericors ut Pater; & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altissimi.

a Chr. Dicendo potestatem, ostendit, quoniam non simpliciter hæc gratia superadvenit; sed nobis volentibus, & studentibus: Etenim in nostra potestate, idest, in potentia nostra jacet, quod horum eligamus, idest, fieri filios, vel non fieri. Nisi enim elegerint ipsi prius, non supervenit donum Spiritus, neque operatur aliquid. Sed quia posset quæri, quibus data fuerit hæc potestas, addit. *a* His, qui credunt in nomine ejus,] i. in re nominis ejus. Et cujus nominis? *Gl.* Emanuel, quod est nobiscum Deus, q. d. his, qui credunt, Christum esse verum Deum, & verum hominem data est hæc potestas. Et licet multi sint alii articuli, quos credere oportet; iste tamen specialiter facit filios Dei, sicut prætactum est. Congruum enim est, ut qui credunt filium Dei esse filium hominis: ipsi propter dignitatem naturæ suæ, quam in illo adorant, fiant filii Dei per adoptionem. Posset etiam dici, quod gratia non facit simpliciter filios Dei; sed disponit ad hoc, ut sint filii Dei per gloriam, secundum quod dicitur *Matth.* 5. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Non dicit vocantur, cum tamen haberent gratiam. Secundum hoc ratio plana est, quare dixit: Dedit ei potestatem filios Dei fieri, & non dixit: Fecit eos filios Dei; quia gratiam conferendo dedit eis, quod possent fieri filii Dei, si velint conservare, & bene uti dono accepto. Quo autem ordine fiant homines filii Dei, & quomodo hæc generatio distet a carnali, ostendit Evangelista subjungens. *b* Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt;] q. d. hi, qui sunt filii Dei, non generantur sicut filii hominum, qui generantur ex commistione sanguinum viri, & feminæ, concupiscentia utriusque movente, vel concomitante actum generationis: secundum quod dicitur *Sap.* 7. Figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamento somni conveniente. Quomodo igitur generantur filii Dei per gratiam adoptionis in Baptismo? Unde *inf.* 3. Qui natus est ex carne, caro est: & qui natus est ex Spiritu, spiritus est. Et nota, quod hæc præpositio [ex] aliud notat, cum dicitur. Qui natus est ex carne; & aliud, cum dicitur: Qui natus est ex Spiritu. Primo quidem notat materiam, secundo virtutem. Nam virtute sola Spiritus sancti fit spiritualis generatio in aqua Baptismi. Similiter est, cum dicit [Qui non ex sanguinibus, [ex] notat materiam carnalis generationis. Cum autem sequitur [Neque ex voluntate carnis,] idest concupiscentia mulieris: Neque ex voluntate viri, hic notat [ex] causam moventem. [Sed ex Deo nati sunt,] hic notat virtutem, vel operationem. De hoc dicit *Chrys. in* 10. *homil.* Utilitatem, inquit, & humilitatem prioris partus, qui ex sanguinibus est, & voluntate carnis addiscentes, & altitudinem, & nobilitatem secundi, qui per gratiam est, cognoscentes, magnam quamdam hinc, de eo suscipiamus intelligentiam, & dignam dono illius, qui genuit, & multum post hoc demonstremus studium: timor enim non parvus est, ne quando bonam hanc contaminantes stolam, desidia, & delictis projiciamur ex thalamo, & sponsi cubiculo. Sequitur. *g* Et verbum caro factum est] *Aug.* dixerat, quod omnes, qui eum receperunt, potestatem acceperunt, ut essent filii Dei, & quod ex Deo nati sunt, quod incredibile videtur. Ideo ut secure hoc credatur, sc. homines ex Deo posse nasci, subdit, Deum ex homine nasci. Ex hac enim susceptione infirmitatis sanatur nostra infirmitas, ut possimus fieri filii Dei. Et hoc est [Verbum caro factum est.] Quod superius erat in id, quod est inferius, descendit, quid igitur mirum si id, quod est inferius, erat, in id, quod superius est, ascendit? q. d. filius Dei factus est homo: quid ergo mirum est, si homo factus est filius Dei? *Chrysost.* sic continuatur. Cum dixisset Evangelista. Quoniam ex Deo nati sunt, qui eum susceperunt; hujus ineffabilis Nativitatis, & honoris ponit causam dicens. [Et verbum caro factum est] Factus est enim proprius filius Dei hominis filius, ut hominum filios faciat filios Dei: Ex unione autem humanitatis, & Divinitatis in una persona nullo modo mutata est Divinitas, sed humanitas mirabiliter sublimata, in tantum, ut homo sit Deus; & omnes, qui fidem hujusmodi habent, fiant filii Dei. Et de hoc ponit conveniens exemplum *Chrys. in* 11. *homil.* Excelsum, inquit, humili adhærens, nihil læditur a sua gloria, illud vero a multa suscitat humilitate. Sicut Rex, si cum paupere benevole loquatur, in nullo se confundit pauperem autem ipsum apud omnes spectabilem, & præclarum facit. Et si hoc est in hominum dignitate multo magis in illa incorruptibili assumptione. Christus enim naturam suam in nullo ab hac minoravit descensione: & nos, qui semper in ignorantia sedebamus, & tenebris, ad gloriam ineffabilem reduxit. Quod autem dicit [verbum] notat assumentem naturam, quia non Pater, non Spiritus sanctus, sed tantum filius assumpsit humanam naturam, quæ nomine carnis hic designatur: Contra quosdam hæreticos, ut dicit *Chrys.* qui dixerunt Christum non veram naturam hominis, sed phantasticam habuisse. Unde ut veritatem humanæ naturæ in Christo exprimeret, & hanc hæresim extirparet, posuit carnem, quæ est major pars hominis. Phantasma enim carnem, & ossa non habet, sicut dicitur *inf.* 20. licet videatur homo. Item est alia ratio. Sicut enim dicit quidam Philosophus tactus est primus sensuum, propter quem animal est animal; hujus autem medium est caro. Unde ut ostenderet veritatem, & perfectionem sensibilis corporis in Christo assumptam, dixit: [Verbum caro factum est,] & non homo. Item tertia ratio. Inter membra hominis caro est pars defectibilior, & passibilior naturaliter, unde ut ostenderet naturam humanam naturaliter passibilem, & mortalem, dixit: [Verbum caro factum est.] Unde *Anselmus in libro de veritate*, dicit contra eos, qui dicunt Christum non fuisse naturaliter passibilem: Quid si secundum rerum naturam consideres, ut cum clavi ferrei fiat impressio in corpus Domini, an dices carnem fragilem non debuisse penetrari, aut acuto ferro penetratam non debuisse dolere? Et respondet ille, cui loquebatur: Contra naturam dicerem. Item quarta ratio. Sicut dicitur in alia facultate, quædam sunt formæ, quæ possunt considerari sine materia, ut magnitudo, corporeitas, & hujusmodi, quæ possunt per intellectum abstrahi a materia, & motu. Aliæ sunt, quæ non possunt abstrahi, ut simitas, & carneitas, quæ necessario subjacent mutationi, & contrarietati. Unde Joannes, ut ostenderet naturam humanam in Christo fuisse corruptibilem, & materialem, signanter dixit. [Et verbum caro factum est.] Item quinta ratio. Prima origo perditionis humanæ fuit a muliere formata ex costa Adæ, locum ejus replevit caro, ut dicitur *Genes.* 2. Ut igitur ostenderet Joannes, quod Christus ad restituendam naturam humanam in statum primum, venit in mundum, & factus est homo, maluit dicere: [Verbum caro factum est] quam verbum homo factum est. Item per hoc ostenditur Christi compassionis immanitas. Nam inter omnia caro passibilior est. Unde *Gen.* 6. Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est. Hic objicit hæreticus: [Verbum caro factum est.] Ergo decidit in carnem, per hoc probans, quod divina natura mutata est in carnem. Præterea dicit hæreticus. Deus omnia potest, quæ non sunt contra radicem potentiæ suæ, idest, essentiam suam; sed hoc esset contra essentiam suam: quia essentia sua nullo modo esset omnipotens, si esset mutabilis; nam mutans eam esset potentius ea.

B

De consecr. dist. 4. c. si quis.

his, *a* qui credunt in nomine ejus. *b* Qui non ex sanguinibus, *c* neque ex voluntate carnis, *d* neque ex voluntate viri; *e* sed ex Deo *f* nati sunt. Et *g* verbum caro factum

Item si esset mutabilis, cum nihil sit melius, vel æquale Deo, non posset mutari nisi in deterius: & ita esset pejoris conditionis, quam cetera materialia, quæ omnia possunt mutari in melius; quare patet, quod nullo modo est mutabilis. Sed adhuc objicitur. Omne tempus mensura est alicujus mutationis, & [factum est,] tempus connotat, & non nisi circa rem significatam: quare videtur, quod hypostasis verbi mutationem habuit. Ad hoc respondet *Chrysostom.* dicens, quod revera [factum est] ponit mutationem, non substantiæ

A divinæ

Moraliter.

* *a* His, qui credunt in nomine,] hoc addit, quia sine fide nihil placet Deo. Unde *Hebr.* 11. Sine fide est impossibile placere Deo. *b* Qui non ex sanguinibus,] i. intuitu consanguinitatis. *c* neque ex voluntate carnis,] idest, neque ex amore carnali. *d* Neque ex voluntate viri,] idest, neque jussu, vel prece Principis. *e* Sed ex Deo,] idest, propter Deum pure. *f* Nati sunt,] in beneficiis, & dignitatibus Ecclesiæ, 1. *Joan.* 3. Omnis, qui natus est ex Deo, non facit peccatum, 1. *Joan.* 5. Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum. *Mich.* 3. Audite Principes, qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Jerusalem in iniquitate. Quid audient? *Abac.* 2. Væ, qui ædificat Sion in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate. *Psal.* 15. Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea. *g* Et verbum caro factum est,] ut compati disceret humanæ infirmitati. *Hebr.* 4. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

* Et ut

a divinæ transmutationem, sed veræ carnis assumptionem, similiter *Gal.* 3. Christus factus est pro nobis maledictum, non substantia transmutata in maledictionem. Hoc enim neque Dæmones intelligerent; sed nostram maledictionem suscipiens non dimisit nos esse de reliquo maledictionem. Aliqui

est *a* & habitavit in nobis. *b* Et vidimus gloriam *c* ejus, *d* gloriam quasi Unigeniti a Patre, *e* plenum gratiæ, & veritatis.

volunt trahere verbum Joannis ad proprietatem dicentes, quod debet exponi [verbum, &c. est] i. factum est, ut verbum sit caro: & sic mutatio notatur circa carnem assumptam, non circa naturam assumentem. Sub hoc sensu ex unione carnis ad verbum fit, quod verbum est caro. Sed eadem ratione posset dici, caro facta est verbum. Ad hoc dicimus, quod in unione divinæ, & humanæ naturæ facta est exaltatio humanitatis, cujus causa est exinanitio divinæ hypostasis: sed per hanc, verbum caro factum est, notatur exinanitio verbi; per hanc vero, caro facta est verbum, notatur carnis exaltatio. Ut ergo Joannes ostenderet causam tantæ exaltationis humanæ naturæ melius dixit, verbum caro factum, i. Deus factus est homo, ut homo esset Deus, non per naturam, sed per gratiam. Juxta illud *Ps.* 81. Ego dixi: Dii estis, & filii Excelsi omnes. Quia vero distinctæ fuerunt duæ naturæ in persona una, non confusæ, nec altera conversa in reliquam: ideo subjunxit: *a* Et habitavit in nobis,] i. in nostra natura. Quod autem habitat in aliquo, necessario distinguitur ab illo. Et ita sicut per hoc [verbum, &c. est] destruxit Joannes errorem Manichæorum, qui dixerunt, Christum esse phantasticum hominem, & non verum: ita per hoc, & habitavit in nobis, destruxit errorem aliorum, qui dixerunt naturas in Christo permistas, sicut in electro miscetur aurum argento, ut fiat tertia substantia. Destruxit etiam errorem eorum, qui dixerunt naturam divinam conversam in humanam. Hoc tangit expressius *littera Græcorum*, quæ sic habet. [Et habitavit, &c. in nobis,] Tabernaculum est humana natura, quæ nisi remaneret distincta a divina natura, non habitaret in ea tanquam in tabernaculo. Unde *Chrys. in* 11. *homil.* Nullum inconveniens suscipiens ab hac dictione, factum est: Non enim versionem dicit illius invertibilis naturæ, sed habitationem: quod autem habitat, non utique idem est cum habitaculo, sed aliud: Aliud enim in alio habitat. Et ne crederetur, quod *Chrys.* per hoc vellet ponere distinctionem inter personam hominis, & personam verbi, & non potius inter naturam hominis, & naturam verbi: ideo addit. Aliud autem dixi non secundum substantiam. Unione enim, & copulatione unum est Deus verbum, & caro, non confusione facta, nec distinctione substantiarum. In hoc etiam, quod dicit, [habitavit,] notatur permanentia divinæ naturæ in humana: numquam enim facta est separatio naturarum, neque fiet in æternum. Unde *Aug.* Qui dixerit Christum, ex quo semel assumpsit, deposuisse hominem, anathema sit. Et hoc satis eleganter dicitur *in Ps.* 64. Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis. Atria dicit proprietates per modum atrii circumstantes filium Dei, in quibus semel collocatus numquam postea fuit expulsus. Unde *Chrys.* Considera metum, horribilitatem, & ineffabilitatem mysterii. Semper enim filius Dei hoc habitat tabernaculum. Carnem enim nostram circumdedit, non ut rursus eam relicturus: sed ut semper eam habiturus. De hoc habitaculo dicitur *Apoc.* 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Item *Lev.* 26. Ponam tabernaculum meum in medio vestri. Item *Ps.* 18. In Sole posuit tabernaculum suum. Item in hoc, quod dicit: [Habitavit in nobis,] notatur reparatio humanæ naturæ, ex communi modo loquendi. Cum enim videmus aliquas domos, vel civitates ruinosas, dicimus statim: nullus valens habitat ibi. Et a converso, eo ipso, quod videmus, vel audimus aliquem magnum habitare in aliqua domo, vel civitate, statim dicimus: quoniam ruinæ ejus, si quæ fuerunt, sunt reædificatæ per illum habitatorem. Ita hic cum audimus filium Dei habitare in natura humana, statim intelligere debemus ruinas ipsius naturæ humanæ per ipsum esse reparatas. Et hoc tangit *Int.* dicens: Habitavit in nobis: & per hoc sanati sumus. Per hoc etiam, quod dicit: [Habitavit in nobis,] notatur humana natura assumpta, ut habitus, qui mutatur ex assumptione, sed non mutat. Unde Apostolus *Phil.* 2. In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. *Magistri* aliter exponunt: Primo sic. *a* Et habitavit in nobis,] i. inter nos, unde *Baruch* 3. In terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Item sic: [Et habitavit in nobis,] per gratiam. Unde *Ps.* 2. Qui habitat in coelis, *Gloss.* i. in sanctis animabus. Item in hoc notatur humana natura, ut templum ejus, & ipse ut Sacerdos, vel sanctificator ipsius. Unde 2. *Cor.* 6. Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi mihi populus. Sequitur. *b* Et vidimus gloriam ejus.] Sicut supra diximus in principio hujus partis. Evangelista intendit hic distinguere inter veram lucem, quæ omnes illuminat: & luces alias, quæ ab ipsa illuminantur. Et multas jam assignavit differentias enumerans multa propria veræ lucis, quæ non conveniunt aliis, sicut est, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quod mundus per ipsum factus est, quod in propria venit, quod receptores suos facit filios Dei, quod non ex sanguinibus natus. Et quia vidit, quod non posset omnia enumerare, quasi summatim concludit, dicens: [Et vidimus,] q. d. quid plura? [Et vidimus,] i. cognovimus per miracula, per vocem elapsam de coelo, per ea, quæ facta sunt in Passione, & Resurrectione, & Ascensione, & sancti Spiritus missione, & Transfiguratione; *c* Gloriam ejus] non aliorum, quia ipsius solius est gloria. *Isa.* 42. Gloriam meam alteri non dabo. 1. *Tim.* 1. Soli Deo honor, & gloria. Et posset quærere aliquis: Qualem gloriam? & respondet: *d* Gloriam quasi Unigeniti a Patre] Et non est hic, quasi, nota similitudinis, sed expressio veritatis. Sicut communiter quando aliquis vult describere regalē gloriam alicujus dicit: Ipse incedit purpuratus, gemmatus, multis comitatus. Et ad ultimum omnia comprehendens: ut breviter dicam, ipse incedit quasi Rex, i. ut decet Regem. Ita hic: [Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre,] i. talem, & tantam, ut decet Unigenitum Patris. Non sic vidimus gloriam aliorum Prophetarum, quorum quilibet habuit gloriam in factis suis, & dictis, sed non talem, qualem decet unigenitum: quia illi nihil sua potestate faciebant; iste autem omnia propria virtute fecit. Notat etiam, [quasi] identitatem gloriæ Filii, & Patris, & per hoc superabundantiam respectu aliorum. Unde *Chr. in* 12. *homil.* Evangelista hic, quasi posuit in dissimilitudinem gloriæ omnipotentiæ, & superabundantiam super ceteros, qui omnes gloriosi hactenus apparuerunt incomparabiliter repræsentare volens. Nam alii quidem omnes, & Angeli, & Prophetæ jussi omnia faciebant: ipse vero potestate Regi, & Dominatori conveniente faciebat. Hæc autem gloria est veritatis, & gratiæ plenitudo, quæ in Christo integre fuit. Unde sequitur. *e* Plenum gratiæ, & veritatis] supple, vidimus eum, i. indeficientem naturaliter, & fontem omnis gratiæ, & veritatis, secundum quod ipse est Deus. Unde *Eccl.* 24. In me gratia omnis vitæ, & veritatis. Omnis vitæ, & veritatis dicit: quia vita naturæ, vita gratiæ, vita gloriæ. Et est veritas vitæ, veritas doctrinæ, & veritas justitiæ: & omnis est ab eo, inquantum Deus est. Secundum quod homo etiam plenus fuit gratiæ, & veritatis: quia in ipso universaliter, & perfecte fuerunt omnes gratiæ, & veritates. Omnes alii habuerunt Spiritum ad mensuram: ipse autem sine mensura: Omnes alii habuerunt Spiritum ad hoc vel ad illud: verbi gratia, Moyses ad mansuetudinem, David ad humilitatem, Loth ad hospitalitatem, & sic de aliis: ipse autem ad omnia plenus etiam fuit, quia cum omnis creatura rationalis sit creata ad cognoscendam Dei veritatem, & participandam ejus bonitatem, nulla potest, vel potuit unquam tantam capere: Christus autem totius Divinitatis perfectus est contemplator, etiam secundum quod homo. Unde *Isidorus*: Trinitas sibi soli nota est, & homini assumpto. Plenus etiam fuit gratiæ, & veritatis: quia interius, & exterius fuit universaliter gratiosus, & verax. Nulla gratia, nulla veritas fuit in eo diminuta, vel otiosa. Nihil gratiæ, vel veritati alicui contrarium fuit in eo: ideo dicit: [Plenum gratiæ, & veritatis.] Et bene dicit: [gratiæ, & veritatis:] duplicem enim defe-

Actum

Moraliter. * Et ut carnem sublevaret usque ad Divinitatis unionem. Propter quod dicitur *Ps.* 98. Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. *a* Et habitavit in nobis,] homo cum hominibus, ut exemplo suæ conversationis nos informaret ad vitam. *Baruch* 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus. *b* Et vidimus gloriam ejus;] i. Divinitatem in humanitate, in qua docuit, & miracula fecit, in qua transfiguratus est, & in qua surrexit: quoniam videre gloria est, *inf.* 17. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum. Ideo dicitur *Luc.* 10. Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Si autem ita gloriosum est videre eum infirmum, quid erit videre eum ad dexteram Patris sedentem? *d* Gloriam] ejus dico [quasi Unigeniti a Patre] quam nemo hominum potest videre, nisi bonus. *Isa.* 26. Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. *e* Plenum gratiæ, & veritatis.] Plenitudini gratiæ duo opponuntur, scil. vacuitas gratiæ, & plenitudo malitiæ. Multi habent gratiæ vacuitatem; non tamen malitiæ plenitudinem, quis-

* a peccatis

> *a* Joannes *b* testimonium perhibet de ipso, *c* & clamat, *d* dicens: *e* Hic erat, *f* quem dixi: *g* qui post me venturus est, *h* ante me factus est, quia prior *i* me erat. Et *k* de plenitudine ejus nos omnes *l* accepimus, & *m* gratiam *n* pro gratia: *o* quia lex per Moysen data est; *p* gratia, & veritas per Jesum Christum facta est, *q* Deum nemo vidit unquam:

ctum incurrerat homo propter peccatum Adæ, sc. culpam, & ignorantiam. Et ideo Christus, qui venitur Medicus, duplex remedium secum attulit; Contra defectum culpæ plenitudinem gratiæ: contra defectum ignorantiæ, plenitudinem veritatis. Et sic perficitur duplex pars animæ, intellectus, i. aspectus, in quo veritas, & affectus, in quo gratia. Item plenitudo gratiæ legis rigorem evacuat; plenitudo veritatis umbram legis exterminat. De hoc dicitur *Col.* 2. in ipso habitat plenitudo divinitatis corporaliter. *Esther* 15. Facies tua plena est gratiarum, vel [Gratiæ] propter gratuitam promissionem [Veritatis] propter promissionis impletionem, vel [plenum gratiæ] secundum humanitatem, quæ nihil meriti habebat [plenum veritatis] secundum divinitatem, quæ nihil vanitatis habet, aut falsitatis [plenum gratiæ] contra legis rigorem [Plenum veritatis,] contra legis umbram.

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

Moraliter. *a peccatis se continent, sed in operibus virtutum non se exercent, quod cavere monet Apostolus. 2. *Cor.* 6. videte, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Item 1. *Cor.* 15. Gratia Dei sum id, quod sum: & gratia ejus in me vacua non fuit. Alii habent utrumque, de quibus dicitur *Rom.* 1. tradidit illos Deus in reprobum sensum, repletos omni iniquitate. Plenitudini etiam veritatis opponuntur alia duo, sc. vanitas, & falsitas, sicut dicit *Anselmus in l. de veritate*, quæ in malis sunt. Unde *Psal.* 4. Filii hominum usquequo gravi corde, &c. Quatuor uno verbo excludit Evangelista a Christo, i. gratiæ vacuitatem, malitiæ plenitudinem, vanitatem, & falsitatem. *a* Joannes testimonium, &c.]

Requiras in littera.

In hac parte agitur de testimonio Joannis. Et primo ponitur testimonium ejus in communi, secundo in speciali. Unde dicit, [Joannes] Baptista, idest. *b* Testimonium perhibet de ipso] i. de Christo, non solum nos, qui sumus discipuli ejus. *c* Et clamat] aperte, & libere. *d* Dicens] ad eos, qui veniebant ad eum causa Baptismi. *e* Hic] qui inter nos præsens astat. *f* Erat, quem dixi] idest, de quo locutus sum vobis, cum adhuc esset absens, quod major me esset, & venturus ad prædicandum, & baptizandum, & ad moriendum pro populo. Sæpe enim veniebat Jesus ad Joannem, per quem debuit populo manifestari. Et sicut absenti perhibebat Joannes testimonium, quod esset major eo, & quod esset filius Dei, ita & præsenti. Quod ideo faciebat Joannes: quia si tantum præsenti perhiberet testimonium, videretur adulatio esse: si tantum absenti, nunquam crederent ipsum esse, quem Joannes prædicasset, cum esset in vili, & paupere habitu: & ideo præsenti perhibuit testimonium, quod absenti perhibuerat. *g* Qui post me, &c.] est] non in carnem, quia jam venerat, sed ad prædicandum, & baptizandum, & moriendum, & populum liberandum, & ad perficiendum, quod Joannes inchoaverat. Joannes enim Baptismo suo disponebat Judæos, Jesus vero Baptismo suo postea perfecit, & consummavit, peccata remittens, & gratiam conferens, quod non Joannes.

h Ante me factus est] idest, me dignior, & honorabilior, eo quod Dei filius naturalis; ego vero per gratiam tantum, & ideo ille Dominus est, ego servus: ille Rex, ego præco. Et quia [ante] dicitur multipliciter, sc. ordine, tempore, natura, dignitate, ut determinet hanc multiplicitatem, dicit. *i* Quia prior me erat.] idest honorabilior, q.d. Joannes [ante me factus est] idest præpositus mihi, ut dignior, & melior, etiam secundum quod homo: quia antequam fieret homo, erat prior, idest, honorabilior, & dignior, quia filius Dei, quam dignitatem non amisit.

k Et de plenitudine.] Hoc est verbum Evangelistæ, & respicit illud, supra [plenum gratiæ, &c.] cujus plenitudinis aliquam stillam habuit Præcursor, qui testimonium perhibuit de illo. Et non solum ipse Præcursor, imo & nos omnes discipuli de illa plenitudine aliquid habuimus: unde & ipsi testimonium dare potuimus. Et hoc est, quod dicit, [& de plenitudine ejus nos omnes,] discipuli, & etiam fideles omnes. *l* Accepimus] ipso largiente, sine sui diminutione, sicut de fonte pleno multa aqua accipitur, non diminuta ejus plenitudine. Sed non hoc omnino simile, quia aliquid asportatur a fonte, quod non relinquitur in eo, licet idem specie succedat. In Deo autem non est talis successio, quia ab eo nihil asportatur. Ideo ponit *Chr.* aliud simile, sc. de fonte luminis, a quo multæ candelæ accensæ non minuunt ipsius plenitudinem, sed sine diminutione sui omnibus lumen suum communicat. Unde si ita est in re corporali, ut possit dividi in multa sine sui diminutione: multo fortius illa natura divina sine omni mutatione, vel diminutione communicat suas illuminationes omnibus susceptibilibus earum. Quid autem acceperimus, & qua de causa, aperit dicens: *m* Et gratiam pro gratia,] i. gratiam accepimus gratis ab eo. Et est talis modus loquendi, sicut dicitur de aliquo prodigo largitore, quod dat dona pro donis, & i. in dando non habet rationem, nisi quia dare consuevit, unde dona præterita provocant ad futura. Vel sic. *m* Gratiam] cooperantem. *n* Pro gratia] operante. Vel [Gratiam,] i. augmentum gratiæ. [Pro gratia,] i. pro usu gratiæ, secundum quod dicitur *Luc.* 19. Habenti dabitur, & abundabit. Vel [Gratiam] patriæ. Pro gratia] vitæ, secundum quod dicitur *Zach.* 4. Exæquabit gratiam gratiæ. Vel secundum *Chr.* [Gratiam] novi Testamenti. [Pro gratia] veteris Testamenti. Quod autem vetus testamentum dicatur, vel sit gratia, probat *Chr.* ratione, & auctoritate. Ratio talis est. Lex naturalis fuit ante legem scriptam obligans ad hoc, ut observaretur. Cum igitur Judæi eam non servaverunt, non debebatur eis nisi pœna: quod ergo his, qui legem conscientiæ deleverant, eadem rursus in tabulis scripta data est, gratia fuit, non redditio meriti. Auctoritas autem hæc est. *Ps.* 147. Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis. Item *Ps.* 102. Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas. Quod autem novum Testamentum sit gratia, eadem ratione, & auctoritate probatur, & huic expositioni convenit, quod sequitur. *o* Quia lex per Moysen data est] q.d. revera accepimus gratiam pro gratia, quod patet. *o* Quia lex per Moysen data est] gratis non reddita meritis, & ideo fuit gratia. *p* Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est,] i. novum Testamentum, quod est secunda gratia. Et notandus est ordo testimoniorum, quomodo deducunt paulatim Christum ad altiora. Primo enim Joannes comparavit eum sibi præponendo eum, ubi dixit: Ante me factus est, quia prior me erat, comparavit autem Christum sibi, non quod crederet aliquam proportionem esse inter se, & ipsum; sed quia scivit, se esse magnum in opinione hominum, & intendebat Christum facere majorem in opinione eorum, sicut erat in veritate. Deinde venit Joannes Evangelista, & prætulit eum omnibus tanquam ab ipso haurientibus, quicquid boni habebant. Unde dixit: Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia. Tertio addit idem Joannes, & prætulit eum Moysi, cui nullus par, aut similis reputabatur apud Judæos, cum dicit: [Lex per Moysen data est,] tanquam per ministrum. [Et gratia, & veritas per Jesum Christum facta est] tanquam per Dominum. Et notatur ista prælatio in duobus. Primo in hoc, quod dicit: Lex per Moysen data est: quæ neminem ad perfectum ducit, ut dicitur *Hebr.* 7. Imo generabat in servitutem, sicut dicitur *Gal.* 4. Christus autem fecit gratiam remittentem peccata, & reconciliantem Deo, & veritatem solventem, quod umbra promittebat, & solvere non poterat. Secundo in hoc, quod dicitur Moyses dedisse, Christus autem fecisse: Facere enim majus est, quam dare. Sed incidit quomodo, sc. ratione cujus lex opponatur gratiæ, & veritati? Ad quod dicendum, quod in lege communiter accepta non erant nisi duo, sc. figuræ, sive umbræ futurorum, & quædam moralia, quæ manserunt, quæ communia sunt omni legi, sc. naturæ scriptæ, & Evangelicæ. Quoad umbram propter vacuitatem opponitur veritati, quoad Decalogum, qui erat moralis, opponitur gratiæ, non quod Decalogus contrarius sit gratiæ, sed quia in lege Decalogum per occasionem sequebatur prævaricatio, sicut dicitur *Rom.* 7. Occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sequitur. *q* Deum nemo vidit unquam.] Hoc est tertium testimonium Joannis Evangelistæ, in quo testatur, Jesum Christum esse Deum. [Deum nemo vidit unquam.] Poterant enim dicere Judæi, non est major Christus, quam † Moyses, quia nos utrumque vidimus, & audivimus. Et respondet Joannes Evangelista: Non est verum, quia [Deum nemo vidit unquam,] & Christus Deus est. Sed quærit *Chr.* Qualiter dicit Joannes: Deum nemo vidit unquam, cum multi patrum legantur eum vidisse? *Isa.* 6. Vidi Dominum. 3. *Reg. ult.* dicit Michæas: Vidi Dominum. Et multi alii. Et respondet *Chr.* dicens, quod multis modis videtur Deus. Videtur enim in intellectu per creaturas. Item per fidem. Item per donum prophetiæ. Item in raptu, ut Paulus, & Adam. Item per subjectam creaturam, ut Moyses, & Jacob.

De consecr. dist. 3. cap. 6. De pœn. dist. 3. c. lib. uter. De purg. post partum. c. unico.

al. † Joannes.

Deus videtur multis modis.

Jacob, & alii Patres, item in patria facie ad faciem. 1. *Cor.* 13. Nullo istorum modorum vester in substantia sua, sed ab actu suo cognoscitur. Quod enim Patres leguntur eum vidisse, condescensionis fuit visio, non nudæ substantiæ. Si enim ipsam vidissent substantiam, nequaquam eam differenter considerassent.

C

a Unigenitus filius, qui *b* est in sinu Patris, ipse enarravit. Et *c* hoc est testimonium Joannis. *d* Quando miserunt Judæi ab Jerosolymis *e* sacerdotes, & *f* Levitas ad eum, *g* ut interrogarent eum. *h* Tu quis es? Et *i* confessus est, *k* & non negavit. Et *l* confessus est quia non sum ego Christus,

Simplex enim quędam & infigurabilis, & incomposita est. Et postea addit. Sed neque Angeli, vel Archangeli vident eum. Si enim interrogaveris eos, audies quidem eos de substantia nihil respondentes, gloriam vero solum in excelsis cantantes. Et si a Cherubin, & Seraphin concupieris aliquid discere, musicam, & melodiam sanctimonii audies, & quoniam plenum est cœlum, & terra gloria ejus: si superiores investigaveris virtutes, nihil aliud invenies, quam quoniam unum opus est eis laudare Deum. Sed quid est, quod dicitur. 1. *Joan.* 3 cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est? Ad hoc dicendum, quod Joannes non intendit dicere, quod nos aliquo modo consideremus Dei substantiam in patria: quia hoc est impossibile omni creaturæ, unde *Chr.* quod creabilis naturæ est, qualiter videre poterit, quod increabile est, q. d. nullo modo. Intendit ergo Joannes speculum, & ænigma, quia in patria per immediatam acceptionem luminis aperte videbimus Deum, non tamen essentiam; sed ut gloriam, ut bonitatem, ut veritatem. Sed. *a* Unigenitus filius] i. Christus, qui est unicus a Patre genitus æternaliter, & a matre temporaliter. *b* Qui est in sinu patris] i. in secreto videns eum, ut cognoscens immediate. Sinus enim proprie est occultum sub vestimento: unde quod in sinu est alicujus, nemo novit, nisi sit valde familiaris, & magis conjunctus aliis, qui ea, quæ foris sunt, possunt videre. Neque aliquis præsumeret evertere signum Regis terreni, & scrutari, quid ibi est, nisi forte unicus filius ejus: vestes autem sinum faciunt: vestes autem Dei appello effectus, qui sunt ab eo. Et quanto quis subtiliores plicas harum vestium scrutatus fuerit, tanto amplius Deum cognoscit. Sed quid est in sinu, videre non potest, nisi qui omnes excedit, Christus sc. qui est ejusdem substantiæ cum Patre, & ideo videt substantiam ejus sub vestimento reconditam. Atque per hoc ostenditur esse filius naturalis Dei Patris, quia evertere sinum Patris nullus servorum auderet, nec etiam multorum filiorum, unus nisi unigenitus. Quod autem dicit [qui est in sinu Patris] & non qui fuit, vel qui erit, insinuatur æternitas filii impermutabilis ante incarnationem, & post Resurrectionem, & in medio. Si enim dixisset, qui fuit, vel qui erat: crederet aliquis, quod in incarnatione recessisset a sinu. Item si dixisset, qui erit, crederet, quod post Resurrectionem magis esset in sinu, quam prius. Et ideo dicit, [qui est in sinu, &c.] i. extra fidelibus narravit perfectius, & liquidius omnibus aliis, quasi ille, qui eum viderat, & videbat. Et per hoc probat Evangelista ipsum esse Deum, quia nemo, i. nullus purus homo, Deum videre potest. *Exod.* 33. Non videbit me homo, & vivet. *c* Et hoc est testimonium Joannis,] Hic agit de testimonio Joannis. Et ponit Evangelista tria testimonia legis. Primum est ad Pharisæos, secundum ad omnes, tertio reperitur idem testimonium sequenti die, quando Discipuli duo secuti sunt eum. Et satis caute procedit Evangelista. Sciebat enim quod Joannes Baptista opinatissimus erat apud Judæos: ideo ad ostendendam magnificentiam Christi, sæpe replicat ejus testimonium. Unde dicit [& hoc est testimonium Joannis] sicut priora de Christo. *d* Quando miserunt Judæi ab Jerosolymis, &c.] ubi consilium, & judicium habebatur: & ideo ibi erant homines sapientiores, & astutiores. Et quos miserunt? *e* Sacerdotes] sapientes in lege, & ordine priores. *f* Et Levitas] in minoribus ordinibus servientes. *g* Ut interrogarent eum] i. Joannem. *h* Tu quis es:] Putabant enim aliqui Judæi Joannem esse Christum in lege promissum. Alii putabant esse Eliam propter nimiam abstinentiam, & continentiam, & vitam solitariam, & liberam delictorum reprehensionem. Alii dicebant eum esse unum ea Prophetis resuscitatum propter gratiam prophetiæ. Unde omnes confluebant ad eum, & baptizabantur, etiam Scribæ, & Pharisæi. Et cum adhuc præsentes essent, fuit & Jesus inter alios. Unde & Joannes perhibuit ei tunc testimonium. Quod audientes Scribæ, & Pharisæi, scientes, quod de paupere parentela erat, & de vili regione, i. de Galilæa, & de vilissimo castello, i. de Nazareth. Scientes etiam Joannem esse de magno genere, utpote filium Pontificis, & maximæ vitæ, indignati sunt, quod tam vilis deberet eis præponi. Volebant enim Joannem magis sibi præponi, & ideo, ut deflecterent eum a testimonio Christi, miserunt Sacerdotes, & Levitas, qui blanditiis abstraherent eum a testimonio Christi. Joannes vero non respondit quęstioni eorum, sed intentioni, Ipsi enim intendebant facere, quod diceret se esse Christum, sed ipse aperte negavit se

Et *m* interrogaverunt eum: *n* Quid ergo? *o* Elias es tu? Et *p* dixit: *q* Non sum. *r* Propheta es tu? Et *s* respondit: Non, *s* Dixerunt ergo ei: *u* Quis es, ut *x* responsum demus his, qui miserunt nos: *y* Quid dicis de teipso? *z* Ait *a*: Ego vox *b* clamantis in deserto:

esse Christum. Et hoc est, quod sequitur: *i* Et confessus est] publice. *k* Et non negavit] veritatem; Et tantum valet, quantum illud, [& confessus est] Et tertio dicit: *l* Et confessus est, quia non sum ego Christus,] ut quidam vestrum opinantur, vel ad minus, ut hoc dicerem, machinantur. Et ita manifeste percutit corda eorum. *m* Et interrogaverunt eum] fraudati ab intentione sua. *n* Quid ergo?] Nec expectant responsum hujus quæstionis: sed statim supponunt aliorum opinionem, dicentes: *o* Elias es tu?] Secundum *Chr.* non fuit alia causa, quare supponunt Eliam, nisi quia Elias apud eos major ceteris habebatur. Secundum Latinos vero ideo fit, quia in illo præcesserat figura Baptismi quando diviso Jordane, ipse, & Elisæus transierunt. 4. *Reg.* 2. *p* Et dixit] Joannes: *q* Non sum.] Sed quomodo dicit [non] cum Dominus dicat de ipso *Matt.* 11. Si vultis recipere, ipse est Elias. Respondeo. Sicut dicit *Dionysius*, intellectus divini, i. allegorici in tria distribuuntur, in substantiam, virtutem, & operationem: similiter omnia alia. Joannes ergo negat se esse Eliam, quoad substantiam; Christus autem dicit ipsum esse Eliam quoad virtutem, & operationem. Sed quia adhuc posset esse Joannes aliquis de aliis eximiis Prophetis, supponunt tertiam quæstionem dicentes: *r* Propheta es tu?] Secundum *Chr.* quærunt de illo Propheta, quem parem Moysi expectabant, de quo dicitur *Deut.* 18. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, ipsum tanquam me audietis. Unde *littera Græcorum* habet articulum; O Propheta es tu, q. d. numquid tu es ille Propheta nobis in lege promissus? Secundum Latinos quærunt de Elisæo in quo figura Baptismi præcesserat, sicut in Elia. *s* Et respondit, non.] Secundum duas prædictas expositiones nulla est hic quæstio, Sed quædam *Gl.* generaliter accipiens Prophetam, movet quæstionem, qualiter se negat esse Prophetam, cum Christus dicat ipsum esse Prophetam, & plus quam Prophetam: *Matt.* 11. Ad hoc respondet una *Gl.* dicens: quod Joannes loquitur cum præcisione. Unde sensus est: Non sum Propheta, tantum, supple. Alia *Gl.* sic dicit: Non sum Propheta, quia non prænuncio futurum: sed ostendo præsentem. Et hæc *Gl.* proprie accipit nomen Prophetæ, sc. ad prædicentem futura. *t* Dixerunt ergo ei,] illi nuncii considerantes, quod nihil magnum diceret de se: volentes autem omnibus modis scire, quid sentiret de se, addiderunt adhuc. *u* Quis es?] Hanc quæstionem jam fecerant, sed dolus fecit reiterare, unde causam falsam subjiciunt. *x* Ut responsum demus his, qui miserunt nos.] In hoc obumbrant dolum, q. d. non causa alia quærimus, nisi ut habeamus aliquid certum, quod de te possimus respondere. Nec tamen hoc habebant in corde, quod patet: quia statim ut audierunt, quid dicebat de se, arguerunt eum, quare baptizaret. Unde adhuc subinferunt: *y* Quid dicis de teipso?] q. d. tibi omnia credemus testificanti de te.
z Ait,] Joannes. *a* Ego vox,] Non respondet Joannes propriam nominationem, neque genus, neque patriam, ut diceret: ego sum Joannes filius Zachariæ Pontificis de Jerusalem. Et quare hoc? quia ipsi Judæi volebant experimentum sumere de Christo, & qualiter se Joannes haberet ad ipsum. Et ad hoc non potuit melius respondere, quam sic: [Ego vox clamantis in deserto,] q. d. non sum quidem Christus, neque Elias, neque Propheta; sed sum præco ejus, qui præsens est, ostendens eum, sicut vox ostendit verbum. Vox cum verbo transit usque ad auditum, & postea perit vox, & remanet verbum, ita Joannes. Sicut ergo vox excitat auditum, ut verbum recipiatur: ita Joannes excitavit Judęos, ut Christum reciperent. Ideo bene dicit: [Ego,] sum, [vox,] verbi: *b* Clamantis] in me, manente, [in deserto.] Et quid clamantis? Hoc, scilicet.

a Dirigite

a Dirigite viam Domini, b sicut dixit Isaias Prophetas. c Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. d Et interrogaverunt eum, e & dixerunt ei: f Quid ergo baptizas, g si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? h Respondit eis Joannes, dicens: i ego baptizo in aqua; k medius autem vestrum stetit, l quem vos nescitis. m Ipse est, qui post me venturus est, n qui ante me factus est, o cujus ego non sum dignus, p ut solvam ejus corrigiam calceamenti. q Hæc in r Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. ſ Altera die vidit t Joannes u Jesum venientem x ad se, y & ait: z Ecce Agnus Dei,

a Dirigite viam Domini,] i. præparate vos, ut Deus veniat ad vos. b Sicut dixit Isaias Propheta] cap. 40. 2. Testimonium Isaiæ inducit, qui erat apud eos excellens Propheta, ut facilius persuaderet de Christo. c Et qui, &c. Pharisæis.] Verbum est Evangelistæ, quod inducit, ut evidentior sit Judæorum damnatio, quod non crediderunt in Christum: quia miserunt, quos putabant fide dignos, ad Joannem quem fide dignissimum æstimabant. Et ita nec ex parte nunciorum est eis excusatio, quia Pharisæorum secta certissima erat. Nec ex parte illius, ad quem miserant, quia Joannes erat fide dignus. d Et interrogaverunt eum,] idest, Joannem Pharisæi missi. e Et dixerunt ei] audito, quod nihil magnum de se dicebat. f Quid ergo baptizas] tanquam habens auctoritatem baptizandi. g Si tu non es, &c. Propheta?] Hic exclamat Chr. O de amentia! o de elatione! o de intemporanea investigatione! missi estis docendi ab eo, quis esset, & unde esset, non leges imposituri. h Respondit eis Joannes dicens] non indignans, vel offensus. i Ego baptizo in aqua,] exterius tantum lavans corpus, non interius cor: & ideo non debetis ponere spem salutis in Baptismo meo. k Medius autem vestrum stetit,] idest, inter vos quasi unus ex vobis humiliter. l Quem vos nescitis,] idest non cognoscitis vera cognitione. m Ipse est, &c.] perficiens, quod ego inchoo. n Qui ante me factus est,] idest dignior, & honorabilior. o Cujus ego non sum dignus] idest, sufficiens, vel idoneus. p Ut solvam ejus corrigiam calceamenti,] quod tamen est ultimum servitium, & ad minimos pertinens. Vel [non sum dignus, &c. solvam,] idest, ejus uxorem, ut sponsus accipiam, secundum morem legis. q Hæc,] idest responsio Joannis, & interrogatio Pharisæorum. r In Bethania, &c. Joannes baptizans] propter aquarum copiam, & loci secretum, in quo ipse consueverat commorari. Sed quærit Chrys. quare Evangelista determinat locum, ubi hoc factum est? Et solvit, ad hoc assignans duas rationes: Una est, ne credatur, quod Joannes in occulto, vel coram paucis testimonium hoc dixerit. Alia quia tempore hoc, quo Evangelista scripsit hæc, adhuc multi superant, qui interfuerant huic testificationi. ſ Altera die] hoc est speciale testimonium Joannis, quo Christum testificans omnibus, qui venerant ad Baptismum suum visibiliter demonstravit. Et est hoc testimonium quasi complementum omnium testimoniorum præcedentium. Nam in illis omnibus intendit Joannes paulatim sublevare Judæos, ut crederent Christum esse verum Dei Filium; nunc autem per hoc testimonium manifeste determinat: unde dicit, [altera die,] idest, sequenti, die postea quam facta fuit quæstio Judæorum per Sacerdotes, & Levitas.

t Vidit Joannes] intuitu mentis, & corporis. u Jesum venientem] non solum gressibus corporis, sed etiam interioris suæ contemplationis accessibus. x Ad se] ut Joannes eum amplius cognosceret secundum Divinitatem, quem præsentem videbat, & demonstrabat secundum humanitatem, & ut occasio daretur ipsi Joanni præconizandi ipsum Jesum. y Et ait] Joannes viso Jesu. z Ecce Agnus Dei,] i. Christus Dei Filius, qui dicitur Agnus, quia Paschali Agno præfiguratus. Nam sicut sanguine illius Agni domus linitæ, sunt liberatæ ab exterminatore, Exod. 12. ita omnes animæ fide Passionis munitæ liberantur a Dæmone. Dicitur etiam Agnus Christus Dei filius, secundum Chrys. quia excellentissimus Prophetarum, scil. Isaias eum Agno comparavit in multis locis, 16. cap. 1. Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ de petra deserti, idest, de Gentilitate, ad montem filiæ Sion, idest, ad Ecclesiam. Jer. 53. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet. Item dicit Agnus, quia innocens. Isa. 53. 1. Petr. 1. Peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus. Psal. 25. Ego in innocentia mea ingressus sum. Item quia hostia quotidiana. Nu. 28. Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis, Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum; unum offeretis mane, & alterum ad vesperum. Mane oblatus est in Abel, Apoc. 13. Quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi. Vespere fuit in seipso. Unde in Psal. 29. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia, de ejus Resurrectione. Item Agnus tria ministrat, scilicet, lac in potum, lanam in vestimentum, carnem in cibum. Sic Christus lac simplicis doctrinæ præbuit per se, & per suos. Per se, Matth. 4. Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum. Per suos, 1. Cor. 3. Lac dedi vobis potum, non escam. Item lanam dedit, i. indumentum virtutis, Luc. ult. Manete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Item carnem suam dat in cibum, infr. 6. Caro mea vere est cibus. His rationibus dicitur Christus Agnus, & multis aliis, quas postea ponemus in expositione morali. Sed quia nomen agni commune erat, & typico, & vero Agno, ad discernendum, de quo Agno intendit subjungit:

Matth. 10. Marc. 1. Luc. 3.

Δ a Ecce

Moraliter.

Moraliter. ſ Altera die vidit Joannes, &c.] Virtute sermonis datur intelligi, quod una dies præcessit, & altera vidit Joannes Jesum. Joannes interpretatur, in quo est gratia, & significat pœnitentem, in quo oritur prima dies in infusione lucis gratiæ, quæ lux obscuratur tenebris tentationum; sed postea oritur altera dies tranquillitatis, & pacis in victoria tentationum, & tunc videt Joannes Jesum venientem ad se, quasi ad succursum. Matth. 14. Quarta vigilia noctis venit Jesus ad eos ambulans supra mare. Ps. 41. In die, sc. gratiæ, mandavit Dominus misericordiam suam, i. peccati remissionem, & nocte tentationis canticum ejus: Non canticum canticorum, quod cantatur tandem post perfectam victoriam tentationum; sed canticum graduum, quod cantatur, dum de victoria tentationis gradatim ascenditur. Cant. 2. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Malac. 3. Ecce venit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus.

y Et ait] pœnitens viso Jesu, finita, vel declinante tentatione.

z Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,] q.d. in liberatione tentationum apparet bonitas, & pietas Dei. Matth. 14. Cum ascendisset Jesus in naviculam, cessavit ventus. Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Vere filius Dei es. Legitur in libro de animalibus, quod ad colorem venæ, quæ est sub lingua Agni, coloratur pellis ejus. Quod satis convenit Christo, quia secundum colorem prædicationis suæ coloravit vitam, & conversationem suam. Faciebat enim quod prædicabat, Act. 1. Cœpit Jesus facere, & docere. Matth. 7. Erat Jesus docens, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ, & Pharisæi. Luc. ult. Jesus, qui fuit vir Propheta, potens in opere, & sermone. Rom. 15. Habeo gloriam in Christo Jesu ad Deum: Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me efficit Christus. Gregorius super Gen. Ad hoc ut servetur veritas prædicandi, teneatur, necesse est, altitudo vivendi. Item legitur in eodem libro, quod cum natura alia animalia armaverit, vel armis corporalibus, idest, cornibus vel dentibus, vel unguibus, vel quadam speciali calliditate, quibus se defendant, & alia animalia impugnent: Agnus omnino sine armis lenissimus est: sic Christus innocenter, & sine læsione alicujus vixit. Unde nec in Passione, nec in Resurrectione sua alicui nocuit. 1. Pet. 2. Cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem se judicanti injuste. Ideo dicitur Isa. 53. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet. Item dicit Isidor. in lib. Ethymologiarum, quod Agnus dicitur ab agnoscendo: quia in magno grege matrem suam suo balatu agnoscit, & mater ipsum: Sic Christus inter Crucis angustias Matrem agnitam studiose Discipulo commendavit. Sic etiam animam tribulatam ad balatum piæ orationis interius consolando se cognoscere ostendit, Inf. 10. Ego cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Exod. 33. Ego novi te ex nomine, & invenisti gratiam coram me, Sequitur,

* b Qui

a ecce, qui b tollit c peccata mundi. d Hic e est, f de quo dixi: g post me venit h vir, qui i ante me factus est, quia k prior me erat, l & ego nesciebam eum. m Sed ut manifestetur o in Israel, p propterea q veni ego in aqua r bapti-

a Ecce qui, &c. mundi] non de loco ad locum mutando; sed ut non sint omnino: quod non poterat facere typicus Agnus. *Chr.* Non dicit, qui tollet, vel qui tulit, quasi semper hoc faciente ipso. Secundum hanc expositionem ponitur tollere pro auferre, vel pro delere. *Isa.* 43. Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me. Vel sic. b Qui tollit] super se. c Peccato mundi] i. omnium hominum, qui sunt vel fuerunt, vel futuri sunt in mundo quoad sufficientiam. *Isa.* 53. vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. 1. *Pet.* 2. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. 1 *Joan.* 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. *Chr.* Ille Agnus typicus nullius omnino peccatum suscepit; hic vero universi orbis terrarum. *Aliqui libri* habent [Peccatum mundi.] Et dicitur peccatum mundi, vel peccatum Adæ, propter quod totus mundus cecidit: vel peccatum originale, quod est commune totius mundi: quod virtute Passionis tollitur in Baptismo. Duplicis adverbii demonstratio, duplicis naturæ Christi cognitionem factam Joanni, & faciendam populo ostendit. d Hic] quem demonstro præsentem. e Est] immutabiliter. *Exod.* 3. Qui est, misit me ad vos. f De quo dixi] vobis, antequam esset præsens, istud, quod sequitur. g Post me venit] ad prædicandum, ad baptizandum, ad moriendum, ad liberandum captivos in Limbo. h Vir] idest, Christus virtute virtutum plenus. *Jerem.* 31. Novum faciet Dominus super terram: femina circumdabit virum. *Isa.* 4. In die illa, scil. Conceptionis Christi apprehendent septem mulieres virum unum, i. Christum. i Qui ante me factus est,] i. dignior me etiam secundum humanitatem. Et merito. k Quia prius me erat] secundum Divinitatem, i. honorabilior, i. majori honore dignior. *Chr.* Verecundentur, qui in Pauli † Samosathei insaniam successerunt, ad ita manifestam veritatem resistentem.

al. † Samosathani.

l Et ego nesciebam eum,] istud exponitur diversimode a Sanctis. Primo quærit *Chrysostom.* Si ipse nescivit eum, quomodo potuit eum ostendere aliis? Et respondet. Ipse quidem novit eum: sed hoc dicit, quod non novit eum nisi per eum, qui misit eum baptizare, ne putetur, quod ex amicitia carnali, vel familiaritate, & non potius revelatione Dei tulerit testimonium. Sed quia hæc solutio minus sufficiens videbatur, ei aggravat quæstionem dicens; Si ipse non cognovit eum, qualiter dixit ad eum; Ego opus habeo a te baptizari, & tu venis ad me? *Matth.* 3. Si enim eum non novit, quare eum potius, quam alios prohibuit? Et solvit dicens. Aliud est cognoscere simpliciter, aliud cognoscere hunc. Joannes siquidem per ea, quæ facta sunt circa ipsum in pueritia: & per ea, quæ facta sunt circa Christum, cognovit ipsum Christum venisse simpliciter, & etiam hunc esse Christum, sed propter longam moram, quam in eremo fecerat, scivit quidem venisse Christum: sed nescivit in particulari hunc esse Christum: & ideo necessarium habuit judicium ostendens, quis esset Christus inter tot, qui veniebant ad eum. Statim enim ut Christus venit ad Joannem baptizandus ab eo, descendit columba super eum, quod ut vidit Joannes, quasi experterritus Majestatem, perhibuit eum, & post Baptismum digito eum demonstravit, dicens: Ecce agnus Dei. Nihilominus tamen antequam cognosceret hunc esse Christum, sæpe perhibuerat de ipso testimonium in communi nullum demonstrans. Hæc solutio satis probabilis est; sed tamen adhuc objicit *Chr.* dicens. Si verum est, quod de infantia Salvatoris legitur, sc. quod fecit miracula in pueritia sua, quare non erat celebris fama ejus, ita ut ipse Joannes non posset nescire, & ipsi Judæi non indigerent aliquo testificante. Et solvit dicens, quod mendacium est, quod in illo libro scribitur: longe enim fuit a divina Sapientia, ut miracula in pueritia sua faceret Christus, & phantasiæ reputarentur. *Hier.* aliter dicit, sc. quod ipse Joannes sciebat ipsum esse Dei filium, & natum in carne, sed nesciebat mundum per Baptismum ipsius Christi esse redemptum. Sed incidit hic duplex dubium. Unum quomodo dubitavit de hoc Joannes, cum hoc sit articulus fidei, vel de articulis fidei? Aliud quia per Baptismum Christi non videtur esse redemptio mundi, sed magis per Passionem. Sol. Ad primum dicendum, quod in omni articulo proprium subjectum est Deus secundum aliquam rationem, qua præcipitur ejus bonitas. Unde in articulo illo de mundatione mundi, subjectum est Spiritus sanctus mundans Ecclesiam. Quod autem hæc mundatio fiat in aqua trahente virtutem a contactu Dominici corporis, accedit articulo ex parte inferiori, & ideo potuit dubitari, antequam fiat. Ad aliud dicimus, quod mundus est redemptus per Passionem Christi, quantum ad pretii solutionem, & januæ cœli reserationem, per Baptismum autem, quantum ad impedimentorum amotionem. *Aug.* aliter exponit, dicens, quod Joannes sciebat Christum esse Filium Dei, & Agnum Dei, & cetera, quæ de ipso testatus est: sed nescivit, quod potestatem Baptismi, quam aliis dare poterat, sibi retenturus esset. Et secundum hoc distinguitur triplex potestas Baptismi; sc. potestas auctoritatis, quam nulli puræ creaturæ dare potuit. Et potestas excellentiæ, qua ad invocationem nominis fiat mundatio peccatorum: Et hanc dare potuit sed noluit; duplici ratione, quæ ponitur *in Gl.* Prima est propter unitatem Ecclesiæ, quæ sequitur unitatem formæ Baptismi. Secunda est, quia si ad invocationem nominis alicujus fieret mundatio peccatorum, poneretur spes in homine. Contra illud *Jer.* 17 Maledictus, qui ponit spem in homine, &c. Tertia potestas est ministerii, quam dedit aliis. Unde secundum *Aug.* sensus est. [Et ego nesciebam eum] baptizaturum esse tantum, sicut *inf.* plenius dicetur. Expositio *Chr.* magis tangit veritatem litteræ, & ideo ipsum sequimur per totum. Unde. [Et ego nesciebam] i. in particulari, cum non cognoscebam, vel non sciebam ita plene sicut modo: Nam ea visu, & auditu corporali multum proficit cognitio Majestatis. Unde *Aug.* dicit: Ego nesciebam eum comparatione hujus cognitionis. m Sed ut manifestetur, &c.] Littera sic ordinatur. [Sed præterea,] ego Joannes præco. q Veni] missus a Deo, r Baptizans in aqua] tantum, non tollens peccata in spiritu. n Ut manifestetur] nisi baptizandi, & ostensione humilitatis. o In Israel] idest, in populo Judæorum. Joannes enim non fuit

præco

* b Qui tollit peccata mundi] *Chr.* Quinque modis Deus peccata remittit. Primo per accusatoriam confessionem. *Isai.* 43. Dic iniquitates tuas, ut justificeris, *Ps.* 31. Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. Secundo per injuriarum remissionem. *Eccl.* 28. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur. *Matt.* 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Tertio per eleemosynarum largitionem. *Dan.* 4. Redime peccata tua eleemosynis, & iniquitates misericordiis pauperum. *Eccl.* 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Quarto per continuam, seu assiduam orationem. *Jac.* 5. Multum valet deprecatio Justi assidua. *Marc.* 9. Hoc genus non exit nisi in oratione, & jejunio. *Ibi Gl.* Oratione sanantur pestes mentis, idest, peccata spiritualia. Quinto per jejunium. *Joel.* 2. Convertimini ad me in jejunio, &c. Sequitur. d Hic est, de quo dixi: post me venit, qui ante me factus est, quia prior me erat.] Hic gerit Joannes personam quorumdam Religiosorum, qui propter pigritiam, & negligentiam suam a novitiis superantur in observantia regulari, de quibus dicitur *Sap.* 15. Pedes eorum pigri ad ambulandum. Item *Ezech.* 1. Animalia ibant, & revertebantur. Ibant proficiendo tempore novitiatus, & revertebatur postea per desidiam tempore senectutis, cum deberent esse ferventiores. Unde merito significantur isti per filios Israel, qui spatio quadraginta annorum vix perfecerunt quinque dietas, & ultimo anno propinquiores fuerunt Ægypto, quam in primo. Et de his dicit *B. Bern. in* 2. *lib. de consider.* Quid poterant proficere, qui semper revertebantur dum ambularent? Hi igitur videntes novitium in servitio Christi ferventiorem, recte possunt dicere. g Post me vir] i. novitius, qui contra bifomes fortunæ insultus uniformi constantia mentis militat præmunitus. Hic enim est vir, ut dicit *Greg. in Moral.* i Qui ante me factus est] vitæ, & conversationis honestate, spiritualium consolationum experientia, & etiam prælationis dignitate, & merito. k Quia prior me erat] in servitio Dei prius veniens, prior in choro, prior in capitulo, prior in labore, posterior in mensa, posterior in lecto: & quid mirum si talis est prior, & sit ante te; quia tu stas; & ille currit? Unde in persona talis loquitur Propheta: Viam mandatorum tuorum cucurri, &c. *Psal.* 118. *Pr.* 4. Currens non habebis offendiculum *B. Bern.* in via Dei non progredi, regredi est. Sequitur. l Et ego nesciebam eum] i. non reputabam eum. m Sed ut manifestetur in Israel] idest inter videntes Deum per fidem, & contemplationem. p Propterea veni ego in aqua,] lacrymarum. r Baptizans] meipsum, quia

Moraliter. Quinque modis Deus remittit peccata.

* sæpe

a præco Christi, nisi ad Judæos. Sed quærit *Chr.* Quid necesse fuit, Joannem venire in aqua baptizantem, ut manifestaretur Christus, cum sine Baptismo Joannis per solum præconium suum potuerit eum manifestare Joannes? Et respondet, dicens: Poterat quidem eum manifestare Joannes suo præconio; sed eam, quæ est a comparatione, præeminentiam suo Baptisma manifestavit. Magnus enim habebatur Joannes in populo, qui tantæ auctoritatis fuit quod poterat baptizare; sed per præconium Joannis manifestatum est, quod Christus fuit major, qui baptizavit in Spiritu. Et quia posset aliquis quærere, si Joannes nescivit Christum, quomodo testimonium perhibuit de ipso? Et respondet Evangelista, dicens. *a* Et testimonium, &c. vidi] oculis exterioribus, & interioribus. *d* Spiritum descendentem, &c.] i. columbam in signum Spiritus sancti, non quod tunc primo descenderit Spiritus sanctus in eum: sed ut per hoc ostendatur Spiritum sanctum descendere super baptizatos: & ut per hoc Joannes Christum excellentius cognosceret. Et sic notatur motus localis in columba desuper veniente: & sanctificatio nova aquæ de novo profluens a Spiritu sancto per medium contactum sanctissimæ carnis Christi, non in Christo, qui a primo instanti conceptionis suæ plenissimus fuit omni gratia spirituali. Et sic patet solutio ad quæstionem, quæ solet fieri, sc. quare Spiritus sanctus non descendit immediate in aquam, quam sanctificavit, cum suus descensus non sit aliud, quam aquæ sanctificatio. Et patet solutio; quia Spiritus non sanctificavit aquam immediate, sed per medium contactum corporis Christi. Et ideo descendit super Christum, tanquam per quem profluit sanctificatio in aquam. Hanc autem aquæ sanctificationem nihil aliud intelligo, quam propinquam potentiam ipsius aquæ ad sanctificandum baptizatos, quæ perficitur actu, ut verbum accedat ad elementum sub debita forma: quia tunc fit actu Sacramentum, ut dicit *Aug.* Sed quæritur, quare in specie columbæ descendit Spiritus potius, quam alterius animalis? Item unde venerit, vel unde formata fuerit? Item quo pervenit illa columba? Ad primum dicimus, quod inter omnia animalia columba habet quamdam specialem sagacitatem effugiendi accipitres: ita etiam ut sit quoddam genus columbarum, sicut dicitur *in lib. de animalib.* quod cognoscit accipitres capientes in arbore, & illos vitat fugiendo in terram, vel in arborem, vel in aerem. Unde cum Baptismus sit prima evasio animæ de venatione Diaboli, recte in specie columbæ descendit Spiritus sanctus ad sanctificationem Baptismi. Hæc ratio est physica. Theologica autem ratio potest esse, quod legitur *Gen.* 8. sc. quod columba retulit ad arcam ramum virentis olivæ post decursum diluvii, in signum pacis, & reconciliationis: Ideo cum in Baptismo cesset universale diluvium peccati, recte descendit Spiritus super Christum in specie columbæ in signum pacis redditæ humano generi per Baptismum ejus. Item licet Spiritus sanctus multa dona tribuat: tamen omnia conjunguntur in bonitate, quæ est animi dulcedo, ut dicit *Aug. super Gal.* 5. Huic autem apponitur amaritudo animi. Unde cum columba felle careat, ad minus in epate; congrue Spiritus sanctus fons bonitatis in specie columbæ descendit ad sanctificandum Baptisma, ubi omnia dona donantur. Ad secundum dicit *Aug.* quod columbam illam creavit Deus tunc de nihilo, qui universam mundi machinam de nihilo fecit prius, & corpus suum sine viri ministerio in utero Virginis fabricavit. Ad tertium dicit *Beda*, quod sicut stella, quæ Magos duxit impleto officio suo, redacta est in nihilum, vel in primam materiam, unde facta fuerat: sic columba ista, quæ super Christum apparuit. Quod ideo factum est, ne homines adorent eam: sicut Judæi fecerunt serpentem æneum, quem fecerat Moyses in deserto. Sequitur. *e* Et manentem super eum] Quare manentem? Ad litteram, ut omnibus parenter ostenderetur: quia non phantasma, sed rei veritas fuit. Sed numquid viderunt eam omnes, qui aderant? Dicit *Chr* quod non omnes viderunt columbam super Christum: sed tantum illi, qui se dignos exhibuerunt tanta visione. Forte omnes viderunt visu exteriori, sed non interiori. Unde putabant phantasma esse non veritatem: & ideo testimonio alieno indignerunt. *f* Et ego nesciebam eum,] esse Christum, vel quod hoc signo cognosceretur. *g* Sed qui misit me,] habitantem in eremo. *h* Baptizare in aqua, &c.] tantum exterius lavante, non in spiritu interius sanctificante. *i* Ille mihi dixit] locutione interiori, qua Spiritus loquitur ad spiritum, cum multi veniunt ad Baptismum tuum: Ille. *k* Super quem videris [utroque visu, idest exteriori, & interiori. *l* Spiritum descendentem] motu locali, quoad speciem columbæ. *m* Et manentem super eum,] quoad virtutem purificantem, quæ semper mansit in Christo, & in aqua post Baptismum Christi. *n* Hic] non alius. *o* Est, qui baptizat] i. a peccato mundat. *p* In Spiritu sancto,] idest per gratiam Spiritus sancti, quæ confertur in Baptismo a solo Christo, non a Joanne, vel quocumque alio *Isa.* 43. Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me. *Chrysost.* Non indigebat Christus Baptismo; sed Baptismus indigebat virtute Christi: Non enim Joanis erat dare Spiritum. Unde baptizati ab eo dicunt: Neque si Spiritus sanctus est, audivimus: *Act.* 19. Sequitur.

E

al. & mansit.

zans. Et *a* testimonium *b* perhibuit Joannes *c* dicens: Quia vidi Spiritum *d* descendentem, quasi columbam, de cœlo † *e* & manentem super eum: *f* & ego nesciebam eum. Sed qui misit *g* me *h* baptizare in aqua; *i* ille mihi dixit: *k* Super quem videris Spiritum *l* descendentem, *m* & manentem super eum, *n* hic *o* est, qui baptizat in *p* Spiritu sancto, Et *q* ego vidi, *r* & testimonium perhibui: *s* quia hic *t* est Filius Dei. *u* Altera die iterum stabat Joannes, *x* & ex Di-

q Et ego vidi,] utroque visu signum, quo dixit mihi, quod ostenderetur Christus quod non omnes. *r* Et testimonium perhibui,] Judæis. *s* Quia hic] non alius. *t* Est filius Dei,] unicus, & naturalis, & ideo potest baptizare, idest intus a peccato mundare, quod est solius Dei. Sed quærit *Chr.* Ubi hoc testatus est Joannes? Et respondet: Hæc & multa alia reliquit Evangelista causa brevitatis, quod ostenditur in fine hujus libri.

Moraliter.

* sæpe ex visione talium novitiorum compunguntur antiqui, & confitentur se superatos ab illis. *a* Et testimonium] veritatis. *b* Perhibuit Joannes] antiquus claustralis. *c* Dicens, quia vidi Spiritum descendentem, quasi columbam de cœlo, & manentem super eum.] Tria notantur hic, quæ perficiunt claustralem. In columba simplicitas, in descensu humilitas, in permanentia stabilitas. Et hæc tria facit Spiritus sanctus veniens super novitios in religione ferventes. *Job* 26. Spiritus ejus ornavit cœlos, his ornamentis, & obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus. *Sap.* 12. O quam bonus, & quam suavis est Spiritus tuus, Domine, in nobis. *f* Et ego nesciebam eum] esse talem. *g* Sed qui misit me baptizare in aqua] lacrymarum. *i* Iste mihi dixit] interiori locutione. *k* Super quem videris Spiritum descendentem] per humilitatem. *m* Et manentem super eum] per stabilitatem. *n* Hic est, qui baptizat] seipsum Baptismo pœnitentiæ, & alios bono exemplo, idest a peccatorum sordibus mundat. *q* Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei,] per imitationem, & hæreditatis paternæ vindicationem. *Rom.* 8. Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei: si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *u* Altera die iterum stabat Joannes.] Hoc est ultimum testimonium Joannis, quod de Christo coram multis testificatus est: tamen duo tantum de Discipulis suis secuti sunt eum, idest, Christum. Qui autem sint illi duo, patebit infra. Dicit ergo: *u* Altera die iterum] immediate post præcedentem. Unde littera *Chrys.* habet. Itaque rursus in crastinum stabat Joannes, &c. Ubi stabat? In Bethania trans Jordanem in deserto. *x* Et ex Discipulis ejus duo,] imo plures: Sed hi duo tantum dicuntur stetisse cum Joanne, quia soli audierunt testimonium ejus de Christo. Alii enim, quia surda aure audierunt. Nam zelotype diligebant Joannem in tantum, ut ex invidia moverent quæstiones adversus Christum cum Discipulis

Ad litt.

a Pharisæorum,

Moral.

Moraliter. *u* Altera die, &c.] Per Joannem significatur Prælatus. Per duos Discipulos ejus significantur duo genera subditorum, idest, Clerici, & laici, unde recte dicitur: [Altera die stabat Joannes,] per jugem sollicitudinem gregis sui, & quasi paratus ad pugnam pro gregis defensione. *Abac.* 2. Super custodiam meam stabo, & figam gradum meum super munitionem. Tamen sunt aliqui, qui stant, sed otiosi, quos arguit Dominus. *Matt.* 20. Quid statis hic tota die otiosi. Et *B. Bernard. ad Eugenium.* Evigila ad curam, & non otio torpeas, ne & tibi dicatur: Quid hic stas tota die otiosus? Multo vero minus inveniri, aut deliciis resolutum, aut resupinum pompis. Sed notandum, quod dicit: [Stabat altera die, & iterum,] quia non continue vacandum est aliis: sed aliquando sibi, aliquando aliis. Unde 1.

* Tim. 4.

▲Pharisæorum, ut dicit *Chr.* *a* Et respiciens.] Joannes. *b* Jesum ambulantem,] cum aliis, qui veniebant ad ipsum. Frequenter enim veniebat Jesus ad Joannem, ut occasionem daret ei ferendi testimonium de ipso, quia per Joannem voluit Christus Judæis revelari, apud quos Joannes magnus erat. *c* Dixit] Joannes. *d* Ecce Agnus Dei] i. Christus simplex, innocens, immolandus. De quo *Isa.* 16. Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ. Sed quæritur, quare Joannes non admonuit secreto, ut sequerentur Christum? Ad hoc respondet *Chr.* dicens, quod si in secreto fecisset hoc, videretur machinatio esse. Item quæritur, quare non precando rogavit eos, ut sequerentur Jesum; sed tantum demonstrando laudavit? Ad hoc respondet *Chr.* quod Joannis intentio non fuit solum, ut sui Discipuli sequerentur Jesum; sed ut perseverarent cum eo; si autem rogasset eos, citius retrocessissent tanquam obsequentes alterius voluntati; nunc autem, quia sponte propria, & nullis precibus moti sequuntur, non ita de facili retrocedunt. Item quæritur, quare Joannes de Christo præsente loquatur, cum proprium sit Prophetis loqui de futuro? Ad hoc respondet *Chr.* dicens, quod tria sunt genera prædicantium. Quidam prædicaverunt futurum, ut puri Prophetæ: Quidam præteritum, ut Apostoli, & sequaces eorum: Joannes autem fuit in medio, & ideo prædicavit præsentem, quia fuit plus quam Propheta, & minus quam Apostolus. Item quæritur, quare ita parum loquitur Joannes Discipulis suis de Christo? Respondet *Chr.* quia intendebat tantum inducere eos ad hoc, ut audirent eum, sciens, quod postea non dimitterent eum. Item quæritur, quare non dixit Discipulis suis aliqua sublimia de Christo? Respondet *Chrys.* quod ante multa sublimia dixerat Joannes de Christo, & nullus secutus est eum; ideo nunc dicit humilia, in quibus nobis exhibuit bonitatem suam, dicens: [Ecce Agnus Dei:] Et addit *Chr.* Qui tollit peccata mundi, sicut prius, ut gravati peccatis hoc audientes confugiant ad Christum, ut infirmi ad Medicum. *e* Et audierunt] aure corde magis, quam corporis. *f* Eum,] i. Joannem, imo Christum in Joannem loquentem. *g* Duo Discipuli loquentem,] ratione deliberata. *h* Et secuti sunt Jesum,] gressibus utriusque hominis, i. interioris, & exterioris, non contemnentes Magistrum suum, sed ejus testimonio utentes. *i* Conversus autem Jesus] i. retro aspiciens ad illos duos, qui sequebantur eum. *k* Et videns eos sequentes se] adhuc a longe, non enim audebant ingerere se. *l* Dicit eis] Et in hoc audaciam accedendi contulit eis. *m* Quid quæritis.] Non ignorans quærit, sed ut audaciam accedendi daret illis: & ut illi respondendo aliquid lucrarentur. Sed quare non loquitur eis asserendo, dicens, vos quæritis hoc: venite, & sic satisfaciam vobis: quia per hoc ostenderet se magis. Ad quod respondet *Chr.* Curatio adulti hominis numquam fit sine usu liberi arbitrii. Unde non ostenderet, quod hanc suam curationem ipsi poterant rejicere, vel juvare ex propria voluntate, quærendo loquitur, ut ipsi melius aperiant causam sui adventus. Nec dixit Jesus, quem quæritis, sed [quid quæritis] ne se laudare, vel quæri videretur. *n* Qui,] sc. Discipuli audita tam benigna allocutione Jesu. *o* Dixerunt ei] concepta fiducia. *p* Rabbi] cujus jam nos profitemur Discipuli. Unde sequitur. *q* Quod dicitur interpretatur Magister] Nec est hoc verbum Evangelistæ, sed interpretis, quod patet, quia *Chr.* non habet hoc. Et præterea Rabbi Græcum est, & liber iste scriptus fuit in Græco. *r* Ubi habitas:] Non respondet ad interrogata. Interrogaverat enim Christus, quid quærerent, nec ipsi respondent: hoc quærimus, sed iterum interrogant: [Ubi habitas] Et hoc ideo, quia non in transcursu, nec in publico volebant Discipuli discere, sed in secreto, & magna deliberatione, ut Discipuli. Sed quomodo quærunt illi de habitaculo Christi, cum ipse dicat *Matt.* 8. Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet? Ad hoc respondendum est, quod revera Christus nullum habebat habitaculum; sed isti nesciebant. Vel secundum communem modum loquendi dixerunt: [Ubi habitas] i. ubi pernoctabis in hac nocte. *f* Dicit eis, venite, & videte.] Non dicit: ite, & cras revertimini, & tunc loquar vobis; sed hospitium, quale habiturus erat, communicat eis. *Prov.* 3. Ne dicas amico tuo: vade, & revertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare. *u* Venerunt, & viderunt, ubi maneret,] tanquam Discipuli parentes Magistro. *x* Et manserunt] ibi [die illo] illecti suavitate eloquii Jesu. *y* Hora autem] quando venerunt ad eum audito testimonio Joannis. *z* Erat quasi decima] Temperat se Evangelista propter temporis fluxibilitatem, propter quam vix potest hora certe distingui. Sed videtur, quod hoc tempus non competit testificationi, vel secutioni Discipulorum, quia tali hora sunt corpora gravata escis. Ad hoc respondet *Chr.* dicens, quod in tam sanctis viris, ut Christus, & Præcursor, & Discipuli ejus fuerunt, nihil tale suspicandum est, quia ipsi sobriores fuerunt in vespera, quam nos in mane: unde omne tempus fuit eis æquale. *a* Erat autem Andreas, &c.] Anticipatio est, quia nondum sic vocabatur, sed postea impositum est ei nomen Petri, ut patebit infra. *b* Unus ex duobus] Discipulis. *c* Qui audierant a Joanne,] testificante de Christo. *d* Et secuti fuerunt eum,] ad ipsius testimonium.

...scipulis ejus duo. Et *a* respiciens *b* Jesum ambulantem, *c* dixit: *d* Ecce Agnus Dei. Et *e* audierunt *f* eum *g* duo Discipuli loquentem, *h* & secuti sunt Jesum. *i* Conversus autem Jesus, *k* & videns eos sequentes se, dicit *l* eis: *m* Quid quæritis? *n* Qui *o* dixerunt ei: *p* Rabbi, *q* quod dicitur interpretatum Magister, ubi *r* habitas? Dicit *f* eis: Venite, *s* & videte. *u* Venerunt, & viderunt, ubi maneret, *x* & apud eum manserunt die illo. *y* Hora autem *z* erat quasi decima, *a* Erat autem Andreas frater Simonis Petri, unus *b* ex duobus, qui *c* audierant a Joanne, *d* & secuti fuerant eum.

Quinta pars libri. Prima pars de vocatione discipulorum.

▲Sed quæritur

Moraliter.

* *Tim.* 4. Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis. *Gen.* 3. dixit Jacob: Justum est, ut aliquando provideam domui meæ. *a* Et respiciens Jesum ambulantem, dixit: Ecce Agnus Dei] Respectus Joannis ad Jesum significat intentionem Prælati ad Deum, qui omnia facta, & dicta sua debet elevare ad Dei honorem, & salutem animarum. Unde præcipue prædictum est Prælatis. *Matth.* 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, &c. Dicit autem [Ecce Agnus Dei] Non dicit aliquid magnum, aut subtile de Trinitate, & Unitate; sed tale, quod capi potest ab omnibus. *Chr. in homil.* 18. Non ita multi adducuntur ad Jesum, cum aliquid magnum, & excelsum de Deo dicitur, sicut cum benignum, & amicum hominam, & ad salutem audientium pertinens 1. *Cor.* 14. Si venero ad vos linguis loquens, quid prodero vobis, nisi loquar, aut in revelatione, aut scientia, aut prophetia, aut doctrina: malo loqui in Ecclesia Dei quinque verba sensu meo, quam decem millia in lingua. *e* Et audierunt eum duo Discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum] quia talis facile persuadet, qui facilia, & utilia dicit, & facit, quod dicit *Job* 29. Qui me audiebant, expectabant sententiam meam, & intenti tacebant ad consilium meum. Sequitur. *i* Conversus autem Jesus, & videns eos sequentes se dicit eis] Conversio, & allocutio Jesu significat consolationem, quam sæpe Christus inspirat sequentibus se. Unde *Sap.* 4. Gratia Dei, & misericordia in Sanctos ejus, & respectus in Electos illius. *Luc.* 22. Respexit Dominus Petrum; & egressus foras flevit amare.

m Quid quæritis,] q. d. Dominus, paratus sum dare, si aliquid petatis. *Luc.* 11. Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis *infr.* 16. Usque modo non petistis quicquam: petite, & accipietis.

n Qui dixerunt ei, Rabbi, quod dicitur interpretatum Magister, ubi habitas?] Duo notantur hic. Primum quod se Magisterio Christi omnino supponunt. Unde dicunt [Rabbi] Secundum quod diu volunt cum eo manere. Unde dicunt [Ubi habitas?] In quo arguuntur duo genera hominum, qui nolunt in pœnitentia cum Christo diu permanere. Primi sunt procrastinantes pœnitentiam usque ad horam mortis: quia tales parum volunt morari in ea. Alii sunt, qui non volunt facere pœnitentiam perpetuam, sed temporalem. Contra primos dicitur *Eccl.* 5. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. De aliis dicitur. *Luc.* 8. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

f Dicit eis, venite] opere. *s* Et videte] mente. Et est rectus ordo, quia bona operatio dat intelligentiam. *Ps.* 118. A mandatis tuis intellexi. *Isa.* 2. Venite, ascendamus ad montem Dei Oreb, idest, ad eminentiam vitæ: & ad domum Dei Jacob: & docebit nos vias suas.

u Venerunt, & viderunt, ubi maneret, &c] Tria dicit, sc.

* quod veneruat,

* Sed quæritur, quare nominatur Andreas, & non alius Discipulus? Ad hoc respondet *Chr.* quod Andreas ideo nominatur, quia per ipsum vocatus est Petrus, de cujus vocatione dicturus erat statim Evangelista. Alius autem non nominatur, forte quia Joannes fuit ille alius; & ideo propter humilitatem tacuit nomen suum. Vel forte, quia fuit unus de minoribus Discipulis, & non comparabilis Andreæ, qui fuit Apostolus. *a* Invenit hic,] i. Andreas. *b* Primum,] i. antequam alios inveniret: in quo notatur, quod multos vocavit Andreas ad Jesum. *c* Fratrem, &c.] idest Christum in lege promissum. [Quod est, &c.] *Chr.* Hoc verbum consolati cordis est, quod ante expeditionem inventi turbatum erat: nunc autem facti alacris, postquam apparuit, quod expectabatur, & festinans aliis tradere hæc Evangelista, idest, bona nuncia, sc. invenisse Messiam. In quo arguuntur, qui inventa sua non communicant aliis: & qui non consolantur desolatos, cum fiat ipsi consolati, sicut dicitur 2. *Cor.* 1. Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus, & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt. *d* Et adduxit, &c.] sciens, quod si tantum posset facere, ut veniret Petrus ad Jesum, ipso audito de cetero non recederet ab eo. *e* Intuitus autem eum Jesus] ut ausum daret ei accedendi securius, & loquendi.

f Dixit, tu es, &c.] Hoc, quod erat occultum, & quod nullus sibi revelaverat, dixit, ut ostenderet se esse Deum, qui omnia novit, ne Petrus amplius fluctuaret de adventu Messiæ.

g Tu vocaberis, &c.] Cephas Hebræum est, Petrus Græcum, agnoscens Latinum. Sed quæritur, quare Dominus isti mutat nomen potius, quam Andreæ, vel alicui alii? Ad quod respondendum est, quod nominis mutatio signum est mutationis, quæ circa ipsum Petrum futura erat. Futurus enim erat Princeps Apostolorum, quod non alii. Unde & adhuc in ordinatione Papæ mutatur ei nomen, quod non fit aliis Episcopis. Nec etiam hic mutatur Petro nomen, sed prædicitur mutatio, sed *Marc.* 3. habetur de mutatione facta. *Matth.* 16. habetur de confirmatione mutationis factæ.

Moral. * quod venerunt, quod mansionem consideraverunt, quod manserunt apud eum. Primum est venire ad Christum, ut ad Medicum, qui sanat, & exonerat a sarcina laboris. *Matt.* 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Considerare autem mansionem est præparare hospitium cordis sui in habitaculum Dei. *Luc.* 19. Zachæe festinans descende, quia in domo tua oportet me manere. Manere apud Christum, est servare mandata ipsius: *inf.* 15. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. Cetera patent.

Secunda pars de vocatione discipulorum. *h* In crastino voluit, &c.] Hic incipit secunda pars de vocatione Discipulorum, in qua vocatur Philippus, & Nathanael frater ejus. Philippus sine medio, Nathanael vero mediante Philippo. Unde dubitatio, seu quæstio incidit hic. In primis, quare cum omnes alii Discipuli per aliquod medium sint vocati, solus Philippus sit vocatus immediate a Christo. Item alia quæstio est, quare Christus non vocavit aliquos Discipulos, primo, cum nullos habebat; sed tunc primo, cum per testimonium Joannis jam aliquos habuit. Tertia quæstio est, quare de Galilæa potius, quam de alia patria vocavit Discipulos. Ad primam respondet *Chr.* multipliciter. Prima responsio est, quia potuit esse, quod Philippus audierat a Joanne Baptista præconium de Christo, sicut & Andreas, vel a Petro, & Andrea, quorum concivis erat, unde notitia Petri, & Andreæ, quos vidit sequentes Christum, fuit sufficiens persuasio, ut & ipse sequeretur cum eis: & ita non immediate, sed mediate vocatus est Philippus sicut alii. Secunda responsio *Chr.* ad idem est, quod Christus per se vocavit Philippum, tanquam notum, & familiarem sibi, utpote compatriotam. Tertia responsio *Chr.* ad idem est, quod ad solam vocem Christi Philippus secutus est Christum divina gratia hoc operante: & ideo non est quærenda alia ratio, ubi sola gratia operatur. Ad secundam quæstionem dicendum, quod non conveniebat, Christum propriis factis, vel dictis innotescere primo, quia suspicabilis est laus in ore proprio. Unde *Prov.* 27. Laudet te alienus, & non os tuum. Sed cum fuit ab alio exaltatus, & notificatus: tunc potuit ipse de se vera testari: & ideo tunc primo post testimonia Joannis potuit ipse vocare alios Discipulos. Ad tertiam quæstionem dicendum, quod Christus in omnibus factis suis voluit evacuare sapientiam mundi: & ideo de Galilæa elegit Discipulos potius, quam de alia patria: quia inter omnes alias terras Judææ ipsa habet incolas rusticiores, & simpliciores, & incompositiores, ut dicit *Chr.* Et inter illos etiam viliores elegit, sc. piscatores, qui magis consueverunt † de captura piscium, & fabulis, quam de cælestibus tractare, ut dicit *Chr.* Ob hoc etiam voluit ipse in Nazareth educari, quæ fuit vilius castellum totius Galilææ; ut dicit *Chr.* ut non crederetur sermo suus esse in sapientia mundi, sed in doctrina Spiritus. Unde Apostolus 1. *Cor.* 1. Videte, fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes, secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. Dicit ergo [In crastinum] non postquam vocatus fuit Andreas, sed postquam vocatus fuit Petrus, de quo supra immediate habitum est.

al. † cum caecis piscium fabulari.

a Invenit hic *b* primum fratrem suum *c* Simonem, & dicit ei: Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus: Et *d* adduxit eum ad Jesum. *e* Intuitus autem eum Jesus, dixit: *f* Tu es Simon filius Johanna: *g* tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. In *h* crastinum *i* voluit *k* exire in *l* Galilæam, *m* & invenit *n* Philippum. Et dicit *o* ei Jesus: *p* Sequere me. *q* Erat autem Philippus a Bethsaida civitate

i Voluit] ipse Jesus.

k Exire] de Judæa, ubi fuerat cum Joanne, qui baptizabat ibi, sicut dicitur *Matth.* 3.

l In Galilæam,] terram suam, in qua fuerat educatus. Unde & primo voluit eam visitare. *m* Et invenit,] jam existens in Galilæa. *n* Philippum] qui sibi occurrebat. *o* Et dicit ei Jesus] idest, Salvator volens salvare Philippum. *p* Sequere me] non solum gressu corporis, sed cordis devotione, & operis imitatione. Et statim Philippus secutus est eum gratia Christi interius operante in illo, sicut & in Matthæo, de cujus vocatione dicitur *Matt.* 9. Vidit Jesus hominem sedentem in Telonio Matthæum nomine, & ait illi; sequere me, & surgens secutus est eum. In neutro fuit Levita, sed gratia occulte operans. Quia autem in Galilæa vocatur Philippus, significat, quod nemo dignus est vocatione Christi, nisi qui transmigraverit de vitiis ad virtutes. Unde & Galilæa transmigratio facta interpretatur. Unde *Marc. ult.* dicitur: Quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis. *q* Erat autem Philippus a Bethsaida civitate Andreæ, & Petri] Civitatem istorum nominat, ut ipso nomine ostendat officium, ad quod vocantur, i. ad venationem non ferarum, sed animarum. Bethsaida enim interpretatur domus venationis. *Jer.* 16. Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos: & post hoc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte superbiæ, & de omni colle avaritiæ, & de cavernis petrarum luxuriæ. Unde & statim subjungit Evangelista de venatione Philippi, qui fratrem suum Nathanael primo venatus est.

Δ Unde dicit.

Moraliter. Moraliter. *h* In crastinum voluit, &c.] Jesus Salvator interpretatur, & significat quemlibet virum sanctum, qui se, & alios salvare intendit. Qui [in crastinum] idest, transacta nocte peccati, & Sole gratiæ jam lucente. Sicut dicitur *Rom.* 14. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. *i* Voluit exire] mente, & corpore.

l In Galilæam] idest, in transmigrationem, quæ est de vitiis ad virtutes, & de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion.

m Et invenit Philippum,] i. os lampadis, i. vocem laudis humanæ, quæ transmigranti hujusmodi sæpe occurrit. De qua lampade dicitur *Job* 41. De ore ejus idest, Leviathan, lampades procedunt sicut tedæ ignis accensæ. Item *Gen.* 15. Apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones. Et loquitur de holocausto Abrahæ, quod hæc lampas consumpsit.

o Et dicit ei Jesus, &c.] qui salvare te desiderat.

p Sequere me] non præcede, q. d. & si laudes offerantur, nolo præcedant me, sed sequantur *inf.* 5. Claritatem ab hominibus non accipio.

q Erat autem Philippus a Bethsaida civitate Andreæ, & Petri] Bethsaida, domus venationis interpretatur: Andreas virilis: Petrus agnoscens: Unde Bethsaida est Ecclesia, vel Scriptura sacra: Andreas, & Petrus Prædicatores sunt viriliter operantes illud, quod intelligunt. Cum quibus habitat Philippus, idest, laus humana, quæ talibus sæpe offertur. Unde sequitur.

a * Invenit

Δ Unde dicit. *a* Invenit Philippus,] ut sapiens venator jam eruditus.
b Nathanael] fratrem suum in lege doctissimum. Et dicit ei:] volens communicare thesaurum inventum.
d Quem scripsit Moyses in lege] *Deut.* 18.
e Et Prophetæ] omnes: Sed potissime, *Is.* 7. *cap.* 9. 11. *Jerem.* 31. *Ezech.* 44. *Dan.* 9.
f Invenimus] studiose quærentes.
g Jesum.] De quo *Abacuch.* 3. Exultabo in Deo Jesu meo.
h Filium Joseph] non verum, sed putativum. Unde *Lucæ* 3. Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, & putabatur filius Joseph.

Andreæ, & Petri. *a* Invenit Philippus *b* Nathanael, & *c* dicit ei *d* Quem scripsit Moyses in lege *e*, & Prophetæ, *f* invenimus *g* Jesum filium *h* Joseph *i* a Nazareth. Et dixit *k* ei Nathanael. A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit *l* ei Philippus. *m* Veni, *n* & vide. Vidit *o* Jesus *p* Nathanael *q* venientem ad se, *r* & dicit de eo: *s* Ecce vere Israelita, in quo *t* dolus non est. Dicit *u* ei *x* Nathanael; *y* Unde me no-

i A Nazareth,] i. natum de Nazareth. Et hoc non est verum, imo fuit natus in Bethleem; nutritus vero in Nazareth. Sed Philippus putabat, quod fuisset natus in Nazareth. Nathanael vero peritissimus Scripturarum bene sciebat, quod non de Nazareth, sed de Bethleem venturus erat Messias. Unde *Michææ* 5. Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel. Cum autem duo contineat Philippi oratio, sc. Christum jam venisse, & ipsum in Nazareth natum esse: Nathanael ut doctissimus in lege, & Prophetis, videns ex una parte tempus jam impletum, quo Christus debebat venire: & ex alia parte scriptum esse, quod non a Nazareth, sed potius de Bethleem venit Christus, non potuit simpliciter contradicere orationi Philippi, nec simpliciter affirmare, unde temperando responsum interrogavit.
k Et dixit ei,] idest, Philippo [Nathanael:] A Nazareth potest aliquid boni esse? *Chrys.* Non dixit confestim Nathanael, mentiris, Philippe, qui de Bethleem oportet Christum venire; sed mitem fecit refutationem. Non enim dixit nullum bonum Galilæa fert, sed interrogative dixit [A Nazareth potest aliquid boni esse?] Verumtamen *quædam Gloss.* dicit, quod potest legi remissive, sine omni interrogatione. Ut autem omnis dubitatio tollatur, & omnis contrarietas, quæ videtur esse inter glossas, absolvatur, notandum, quod aliquis potest esse dupliciter a Nazareth, sc. educatione, vel natione. Unde quia *Is.* 11. dictum est de Christo: Quoniam Nazareus vocabitur, intelligit Nathanael hoc debere accipi de educatione, non de Nativitate. Et ideo, quia Philippus verbum dubium in sua oratione deposuerat, ipse dubie respondit. Unde quidam Expositorum considerantes hanc dubitationem, dicunt, quod debet legi interrogative. Alii vero respicientes intellectum Nathanaelis, quo ipse intellexit Christum esse a Nazareth educatione, dicunt; quod debet legi remissive.
l Dicit ei Philippus,] sciens, quod Jesus erat Christus, undecumque esset. *m* Veni] ad Jesum.
n Et vide] ipsum, quia ipsa visio, & auditio ejus homines attrahebat ad se. Et per hoc videtur, quod prædictus sermo magis interrogative, ut dicit *Chrys.* quam remissive, ut dicunt alii, intelligendus est. Philippus enim idiota nesciens respondere, nec multum curans de solutione quæstionis sibi factæ, misit eum ad fontem Sapientiæ, idest, Jesum, dicens.
m Veni] mente, & corpore.
n Et vide,] oculo interiori, & exteriori. Et statim venit Nathanael, quod tamen transit Evangelista causa brevitatis.
o Vidit Jesus,] visione salubri.
p Nathanael venientem ad se,] stimulatum videndi desiderio, & tractum a Philippo.
r Et dicit de eo] Christus de Nathanael, cum adhuc distaret, ita tamen quod audire poterat, ut dicit *Chrys.* Ecce vere Israelita,] idest, non solum carne ex Israel, sed fide, & imitatione. *Rom.* 9. Non omnes, qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitæ.
s In quo dolus non est] fraudis, aut simulationis. Nec per hoc negat eum Dominus esse peccatorem, sed commendat simplicitatem. Sed quare commendat eum Dominus potius, quam alios? Item quare adhuc distanti Nathanaeli locutus est? Item quare non fecit eum Apostolum suum, quem ita commendavit? Item quare non dixit ei: Non est verum, quod dixit tibi Philippus, scilicet, me esse a Nazareth? Item quare dixit ei? Ecce vere Israelita, in quo dolus non est, cum per hoc videatur innuere aliquem, vel aliquos esse falsos Israelitas, in quibus est dolus. Solut. Ad primum dicendum, quod propter duo Dominus laudavit Nathanael potius, quam alios. Primo propter ardens desiderium videndi ipsum Jesum, quod habuit Nathanael: quod commune fuit sibi cum aliis; sed forte ardentius fuit in eo, quia per Scripturas noverat tempus adventus Christi venisse, unde levi persuasione Philippi ivit videre ipsum. Aliud fuit, quod præ aliis habuit jugem meditationem legis, qua scivit Christum non nasci in Nazareth; nec tamen de sua scientia superbivit, nec Philippo falsum asserenti superbe respondit. Ad secundum dicendum, quod ideo adhuc distanti dixit secretum ejus, ut per hoc ostenderet se esse Messiam verum Deum, & verum hominem, qui nullo revelante cognoscit occulta. Ad tertium dicendum, quod ideo non fecit Dominus Nathanael Apostolum, quia doctissimus erat in lege, ut dicit *August.* quia prædicationis suæ fructus a pluribus magis Sapientiæ ejus, quam virtuti divinæ ascriberetur. Ad quartum dicendum, quod ideo non dixit Dominus Nathanael, non sum de Nazareth, sicut dicit Philippus, ne sermonem altercabilem poneret inter fratres. Ad quintum dicimus, quod ad differentiam Scribarum, & Pharisæorum, qui legem, & Prophetas noverant, nec tamen veri Israelitæ erant; sed pleni doli, fraudis, & simulationis, dixit: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Unde *Chrysostomus* dicit. Itaque est, & falsus Israelita, Scriba, scilicet, & Pharisæus, qui ab Herode requisitus, ubi Christus nasceretur, perhibuit testimonium ipsi, quem nondum viderat, dicens, in Bethleem Judæ, cum autem vidit ipsum miracula facientem, & audivit mira loquentem, negavit se nosse, unde esset *infra* 9. Nos scimus, quod Moysi locutus est Dominus; hunc autem nescimus, unde sit. Sed Nathanael ita absens, sicut præsens se habuit, hic semper scivit, & semper confessus est Christum in Bethleem nasci. Sequitur.
u Dicit ei. Christo. *x* Nathanael] audita commendatione sui ipsius ab illo, *y* Unde me nosti] in hoc ipso probat se Nathanael verum Israelitam, quia nec laudibus inclinatur ad consentiendum laudanti se; sed rectus Δ permanens

* *a* Invenit Philippus Nathanael] doctissimum in lege, & honestum in conversatione. *Moral.*
c Et dicit ei, quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth] Tales etiam quærit laus humana, bonos, & sapientes frequenter infestat. *August.* Cum cetera vitia in malis operibus exerceantur, ut fiant; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant.
k Et dixit ei Nathanael. A Nazareth potest aliquid boni esse?] Bona est interrogatio ad reprimendam laudem humanam oblatam. Nazareth enim interpretatur flos, & significat principium bonæ conversationis.
Unde licet homo sit Jesus, & filius Joseph, idest, licet sit perfectus, & se, & alios salvans; tamen debet reputare se esse in flore, i. in principio, & adhuc periculis patere. *Luc.* 17. Cum omnia benefeceritis, dicite: servi inutiles sumus.
l Dicit ei] Nathanaeli [Philippus.]
m Veni, & vide] bonum, quod habes, quod fecit diabolus, ut homo superbiat. Sequitur.
o Vidit Jesus,] idest, Prædicator.
p Nathanael] donatum Deo, idest, pœnitentiam.
q Venientem ad se,] idest, ejus consiliis, & monitis acquiescentem.
r Et dicit de eo, ecce vere Israelita, in quo dolus non est] Hic notantur tria, quæ debent esse in vere pœnitente. Primum est veritas confessionis, quod notatur per [vere] Secundum est rectitudo intentionis, quod notatur per [Israelita] Tertium est propositum consummationis, seu perseverantiæ, quod notatur *ibi* [in quo non est dolus] Ille enim in dolo pœnitet, qui in pœnitentia non perseverat. Et talem fugit Spiritus sanctus. Unde *Sap.* 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. *u* Dicit ei Nathanael. Unde me nosti?] Sic debet respondere vere pœnitens omni laudanti se, non statim acquiescere. *Ps.* 140. Oleum peccatoris non impinguet caput meum. *Proverb.* Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.

a permanens, utrum sit Christus occulta cognoscens, investigat. Et quia Christus non diu volebat eum fluctuare in dubio. *a* Respondit ei,] idest, Nathanaeli. *b* Jesus] volens ipsum salvare. *c* Et dixit ei] adhuc dubitanti, sed quærenti, & certificari volenti.

sti? *a* Respondit *b* Jesus, *c* & dixit ei: *d* Priusquam te Philippus vocaret, *e* cum esses *f* sub ficu, vidi *g* te. *h* Respondit ei Nathanael, & ait: *i* Rabbi, *k* tu es filius Dei: tu *l* es Rex Israel. *m* Respondit Jesus, *n* & dixit ei: *o* Quia dixi tibi: vidi *p* te sub ficu, *q* credis: *r* majus *f* his *t* videbis. Et dicit *u* ei: Amen, amen dico *x* vobis: *y* videbitis cœlum apertum, *z* & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis.

d Priusquam te Philippus vocaret] ut venires ad me.
e Cum esses sub ficu.] Ad litteram sub arbore fici, locum proprium, in quo inventus est, & genus arboris est, qua erat determinans, quod purus homo absens scire non posset. Vel.
f Sub ficu, i. in lumbis Adæ, quando comedit ficum. Vel. [Sub ficu,] i. sub littera legis.
g Vidi te,] i. novi te, qualis esses, & quid ageres, vel acturus esses. *h* Respondit ei Nathanael, & ait, Rabbi,] i. magister, & per hoc confitetur se discipulum. *k* Tu es filius Dei.] Per hoc ostendit se vere Israelitam, sicut dixerat Dominus supra. *l* Tu es rex Israel] cujus ego sum miles. Quærit autem *Chrys. inf.* 21. *hom.* quare Nathanael non beatificetur a Christo pro hac confessione, sicut Petrus *Matth.* 16. Et videtur, quod iste potius deberet beatificari, quam Petrus, quia Petrus post multa miracula visa confessus est filium Dei esse Christum; iste vero nullo viso miraculo. Respondet, & dicit, quod licet eadem verba dixerit uterque, i. Petrus, & Nathanael, non tamen ex eodem intellectu. Petrus enim intellexit ipsum esse Dei filium naturalem. Nathanael vero nonnisi per gratiam specialem. Unde Nathanaeli promittitur visio Angelorum descendentium super Christum, & ascendentium ad probationem divinitatis Christi, quod nullo modo fieret, si plene cognosceret divinitatem Christi; Petro vero nihil tale promittitur; sed super ejus perfectionem dicitur Ecclesia ædificanda. Posset & aliter solvi, quod licet eadem fuerit Petri, & Nathanaelis confessio; non tamen idem movens ad confessionem, sicut patet ex circumstantia litteræ. Hic certa signa Divinitatis exhibita fuerunt Nathanaeli, l. cognitio secretorum, obsequium Angelorum: In Matthæo vero magis fuit oppositum, quia cum quidam diceret ipsum esse Jeremiam, alii Eliam, alii Joannem Baptistam, aut unum ex Prophetis: Petrus nullo homine persuasus simpliciter confessus est ipsum esse filium Dei. Et ideo dictum esse ei: Beatus es, Simon Bar-jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, i. homo, vel ratio humana; sed pater meus, qui est in cœlis.
m Respondit Jesus] Nathanaeli.
n Et dixit ei] verum dicenti, sed non plenam veritatem cognoscenti.
o Quia dixi tibi, vidi te sub ficu,] cum esses absens.
q Credis] me esse filium Dei, & Regem Israel, q. d. ex quo hoc modicum movet te ad credendum.
r Majus] indicium meæ Divinitatis. *f* His] quæ jam vidisti. *t* Videtis] non solum oculis cordis; sed etiam oculis corporeis. Et statim subdit, quid sit illud majus. *u* Et dicit ei: Amen, amen,] i. vere, & absque omni dubio. *x* Dico vobis,] i. tibi, & aliis. Geminare tamen] proprium est Joannis, propter majorem scribendi certitudinem. *Gen* 41: Quod vidisti secundo, ad eamdem rem pertinens solidum firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Domini, & velocius impleatur.

Amen tenetur.
- Nominaliter. *Apoc.* 3. hæc dicit amen, testis fidelis, & verus.
- Verbaliter. In *Ps.* 40. Fiat, fiat. In Hebræo. Amen, amen.
- Adverbialiter. Hic: Amen, amen, dico vobis, &c.

y Videbitis cœlum apertum] sicut in transfiguratione, & in Baptismo.
z Et Angelos Dei ascendentes, & descendentes, &c.] obsequentes ei, ut Regi suo. Per ascendere, & descendere, notatur frequentia obsequii. Sæpe enim tale obsequium exhibuerunt ei Angeli, sicut dicit *Chrys.* Sicut post jejunium: *Matth.* 4. Et post orationem in monte Oliveti: *Luc.* 22. Sed Evangelista causa brevitatis prætermittit ista. Sicut Jacob Patriarcha vidit scalam attingentem usque ad cœlum, & Dominum innixum scalæ, & Angelos ascendentes, & descendentes. *Gen.* 28. Sed cum Angeli sint Spiritus invisibiles, nec videri possint oculis corporalibus, credendum est, quod in figura humana, & Jacob, & Nathanael viderunt Angelos.
* *a* Respondit Jesus, & dixit ei, priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.] Vocatio Philippi est laudatio peccatoris; ficus dulcedo peccati: Sub qua sæpe videtur peccator a Prædicatore, quæ sic sæpe est ei occasio sanitatis. Liberius enim peccant homines, cum credunt se a nemine videri.

Unde *Job* 24. Oculus adulteri observat caliginem, dicens: non me videbit oculus, & cooperiet vultum suum.
h Respondit ei Nathanael, & ait tu es filius Dei: tu es Rex Israel.] Responsio ista est gratiarum actio de hoc, quod pœnitens extractus est a peccato. Unde Dominus sæpe replicat Judæis, imo omnibus peccatoribus jam pœnitentibus, quod eduxerit eos de peccato. *Michææ* 6. Popule meus, quid feci tibi: aut in quo molestus fui tibi, responde mihi? quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo servitutis liberavi te, &c. Hæc autem gratiarum actio consistit in tribus. *Moral.*

Primo, ut nihil sit in opere pœnitentis dissonum disciplinæ Christi.

Secundo, ut sincera fides sit de Divinitate Christi.

Tertio, ut sit fides integra de humanitate Christi. Quidam enim decepti humilitate dispensationis, erraverunt in Christi Divinitate, ut Arriani. Alii delusi dignitate Divinitatis, erraverunt in humanitate ejus, ut Manichæi. Sed vere pœnitens utrumque confitetur. Unde dicit.
i Rabbi.] Ecce magisterium Christi, quod debet repræsentari in vita.
k Tu es filius Dei.] Ecce confessio veræ Divinitatis.
l Tu es Rex Israel.] Ecce confessio veræ humanitatis, in qua fuit Rex Ecclesiæ. *Apoc.* 19. Ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis, & verax, & habet in vestimento, & in fœmore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.
m Respondit Jesus, & dixit ei.] Istud respondere est pœnitentem ad altiora erigere.
o Quia dixi tibi: vidi te sub ficu,] idest, sub delectatione peccati.
q Credis] mihi [majus his videbis] in profectu virtutum, vel in perventione patriæ. Et quod sit illud majus, aperit. Unde sequitur.
u Et dicit ei: Amen, amen dico vobis: videbitis cœlum, apertum] ad vos recipiendos, si perseveraveritis in pœnitentia. *Matth.* 10. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.
z Et Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis.] Hic tangitur triplex gaudium de triplici visione. Primum est de visione cœli aperti, sive cœlum accipias sac. Scripturam, sive sanctam Trinitatem, quæ dicitur cœlum, secundum *Bedam*, pro sui dignitate elevatum, pro sui infirmitate a qualibet creatura cælatum, pro sui bonitate illuminativum. Hoc cœlum modo clausum est nobis; sed aperietur, & videbimus apertum, quod erat beatitudo nostra. 1. *Jo.* 3. Nondum apparuit nobis, quid erimus; scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est 1. *Corinth.* 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. De hac visione dicit Regina Saba 3. *Regum* 10. Beati viri tui, & beati servi tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt Sapientiam tuam. Et hæc visio est communis omnibus Brutis, sive hominibus, sive Angelis. Aliæ duæ propriæ sunt hominum collectæ ex unione divinitatis, & humanitatis in una persona Christi.

Prima est, quod videbimus cœlum apertum super filium hominis, i. videbimus totum secretum Trinitatis aperte, & perfecte cognosci ab homine Christo; Angeli autem non videbunt cognosci hoc ab Angelo. Illud. Tota Trinitas, sibi soli nota est, & homini assumpto. De hac visione dicitur *Is.* 33. Regem in decore suo videbunt. *Cant.* 3. Egredimini, filiæ Sion: & videte Regem Salomonem in diademate suo, quo coronavit eum mater sua. Hæc est gloria hominum specialis supra Angelos, videre hominem hominum Conditorem. Tertia visio est, quod videbimus Angelos ascendentes, & descendentes super filium hominis. Angeli autem non videbunt homines ascendere, & descendere super aliquem Angelorum. Istud autem

ascen-

ascendere, nihil aliud est, quam illum imitatione recepta a Christo, in motum admirationis, & laudationis assurgere; descendere vero est sub illa se humiliari. Hæc erit gloria singularis hominum respectu Angelorum, quod omnes Angeli erunt subditi homini; sed non omnes homines Angelo: nec videre Angelum erit gloria hominum; sed videre hominem erit gloria Angelorum. 1. *Pet.* 1. In quem Angeli desiderant prospicere.

[A]

C A P. I I.

ET *a* die tertio *b* nuptiæ factæ sunt in Cana Gali-

E X P O S I T I O C A P. I I.

[*Sexta pars.*] ET die tertio nuptiæ factæ sunt, &c.] Hic incipit sexta pars hujus libri, quæ continet 12. cap. Et dividitur communiter in duas partes, in miracula, & verba Christi. Sed istæ partes non separantur, quia in quolibet e. simul reperiuntur. Hoc autem cap. dividitur in tres partes. In prima parte agitur de mutatione aquæ in vinum. In secunda de descensu, & mansione ipsius in Capharnaum, ibi [Post hoc descendit.] In tertia de ascensu ipsius in Jerusalem, & ejectione ementium, & vendentium de templo ibi [Et prope erat] dicit ergo. *a* Et die tertio postquam exivit de Judæa, ubi fuerat cum Joanne. Vel sic [Et die tertio] i. tertio repetito, itaut tertio notet ordinem, & numerum factorum Christi in una, & eadem die, secundum trium annorum revolutionem. V gr. Tertia decima die Nativitatis Christi adoraverunt tres Magi Dominum: eadem die transactis annis triginta, baptizatus est Christus: eadem die, anno uno revoluto, mutavit aquam in vinum. Est ergo sensus. [Et die tertio] i. eadem die tertio repetita, i. in tertia repetitione ejusdem diei, sc. tertia decima a Nativitate. *b* Nuptiæ] i. solemnitas, & convivium desponsationis. *c* Factæ sunt in Cana Galilææ.] Quidam dicunt, quod sponsus istarum nuptiarum fuit Joannes Evangelista. Sed non est probabile: quia nuptiæ factæ fuerunt post vocationem Apostolorum, inter quos fuit Joannes, ut patet. *Matth.* 4. & *Luc.* 5. Unde non est credibile, quod postea retrocesserit, ut vellet uxorem ducere, qui usque tunc virginitatem servaverat. Cana nomen est villæ, in qua factæ fuerunt nuptiæ in Provincia Galilææ.

Δ Et erat

[*Moral.*] Moral. *a* Et die tertio] Cana interpretatur zelus, vel æmulatio, seu possessio. Galilæa, transmigratio facta, vel revelatio. Et competit utraque interpretatio diversis statibus hominum secundum nuptiarum diversitates. [*Multiplices nuptiæ sunt.*] Sunt enim multiplices nuptiæ. Primæ sunt inter Deum, & hominem, vel humanam naturam factæ, quando Christus quasi infatuatus amore nostro, nostram naturam, sibi copulavit: sicut aliquis dives homo infatuatus amore alicujus vilis ancillæ, eam assumit in conjugem. Istæ nuptiæ significantur per Osee, & Gomer, quæ assumpta interpretatur. *Osee* 1. In his nuptiis duo sunt in carne una, i. duæ naturæ in una Christi persona. Istæ nuptiæ, tertia die factæ sunt. Unde *Esth.* 1. Tertio anno imperii sui fecit Assuerus, qui interpretatur beatus, i. filius Dei grande convivium pro nuptiis Esther, quæ interpretatur exaltata. Hæc est caro nostra. Primus annus est tempus ante legem, secundus tempus sub lege, tertius tempus gratiæ. Istud etiam matrimonium significatum est *Gen.* 28. ubi dicit Isaac ad Jacob, i. Pater ad filium. Noli accipere conjugem de genere Canaan, sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ. Canaan interpretatur possidens domum, & significat Angelos, quorum naturam non assumpsit filius Dei. *Hebr.* 2. Non enim Angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehendit. Mesopotamia, interpretatur elevatio vocationis, & significat humanam naturam, quæ elevata est, & advocata, ut veniret in unitatem personæ filii Dei, quia maritari non potuit caro gloriosius. Hoc matrimonium initiatum fuit in Patriarchis per spromissionem, in Prophetis per præfigurationem, ratificatum per Angeli salutationem, consummatum per carnis assumptionem. Hæ nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, i. in Zelo revelationis, sive transfigurationis: quia per hoc ostensum est nobis, quantum zelum, & quantam charitatem haberet ad nos filius Dei, qui propter vilem ancillam assumendam, voluit a sede Majestatis in exilium transmigrare. 2. *Cor.* 8. Scimus gratiam Domini Dei nostri Jesu Christi, qui cum esset dives, propter nos egenus factus est: quia accepit naturam nostram, quę in omnibus egebat. Unde hanc gratiam admirans Propheta quærit, *Jer.* 14. Quare quasi colonus egenus factus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Et respondet alibi in persona Domini. *Jer.* 31. In perpetua charitate dilexi te: Ideo attraxi te miserans, q.d. quia infatuatus fui tuo amore: ideo te vilem, & abjectam mihi attraxi, i. univi. *Ps.* 67. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Ibi, i. in thalamo virginalis uteri, in quo consummatæ sunt istę nuptię. De isto amore dicit *Bern.* O amoris vis. Amore, quid violentius? Solus amor triumphat de Deo. In istis nuptiis sex hydriæ in vinum de aqua mutatæ sunt, videlicet, umbræ legalium operum in veritatem: varietas, & multiplicitas sacrificiorum in unitatem, & brevitatem: asperitas judiciorum in lenitatem: ænigmata dictorum in lucem, promissionem in adeptionem: servitus in libertatem. Et ita aqua timoris mutata est in vinum amoris; quia qui prius Decalogum implebant ex timore, modo implent ex amore. Secundę nuptiæ sunt inter Christum, & Ecclesiam. Unde *Eph.* 5 Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam. Item *ibid.* Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia *Jud.* 14. Descendit Samson in Thamnata, i. Christus in mundum, vidensque mulierem de filiabus Philistum, i. Ecclesiam de Gentibus, & ascendit, & nunciavit Patri suo, & matri suæ, i. Synagogæ, dicens, vidi mulierem in Thamna de filiabus Philistinorum, quam quæso, ut accipiatis mihi in uxorem. Istæ nuptiæ fuerunt initiatæ per Moysi sponsionem, ratificatæ per Angeli salutationem, consummatæ per verbi Incarnationem. Adducta autem fuit sponsa in domum sponsi in Ascensione Christi, quando humana natura introducta est in palatium cœli. *Cant.* 2. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem Sex hydriæ sunt sex Sacramenta gratię collativa. Nam etsi sint septem Sacramenta, sc. Baptismus, Pœnitentia, Confirmatio, Eucharistia, Ordo, Extrema unctio, & Matrimonium: septimum, s. Matrimonium non est proprie gratię collativum. Aqua istarum hydriarum mutatur in vinum, quando gratia prius data ad peccatorum ablutionem, postea mentem inebriat ad operum perfectionem. Et hę nuptię factę sunt tertio die, sicut priores, i. tempore gratię. De quo *Gal.* 4. Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum de muliere, natum sub lege. Factę etiam sunt in Cana Galilææ, i. in zelo transmigrantium de vitiis ad virtutes, de virtute in virtutem, de terra ad cœlum. Tertiæ nuptiæ sunt inter Deum, & animam, quæ quotidie celebrantur in conversione peccatorum. *Osee* 2. Sponsabo te mihi in justitia, & judicio, & in misericordia, & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, i. in fidelitate. Hæ nuptiæ sunt tertia die. Tres autem dies sunt, contritio cordis, confessio oris, satisfactio operis. De quibus *Gen.* 40. Tres dies adhuc sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum. In istis nuptiis convertuntur aquę tristitię in vinum spiritualis lętitię. Sex hydrię sunt sex causę tristitię de peccato venientes.

Prima est, quia sponsum suum offendit. Unde *Osee* 12. Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis. Secunda, quia dotem, quam assignaverat ei sponsus, i. dona, & virtutes amisit. *Ezech.* 16. Perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus, & habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in nomine tuo. Tertia, quia amisit amorem sponsi. *Ezech.* 16. Auferetur zelus meus a te, & quiescam, nec irascar amplius, eo quod non sis recordata dierum adolescentię tuę.

Quarta, quia amisit omnes amicos suos. *o* Omnes enim Angeli, & Sancti spreverunt eam, & non solum spreverunt eam, imo facti sunt ei inimici. *Thr.* 1. Omnes amici ejus spreverunt eam, facti sunt ei inimici. Quinta, quia amisit decorem suum. *Thr* 1. Egressa est a filia Sion omnis decor ejus. Sexta, quia amisit libertatem, & incidit in vilissimam servitutem, sc. diaboli, & peccati. *Infr.* 8. Qui facit peccatum, servus est peccati. *Thren.* 1. Migravit Judas propter afflictionem, & multitudinem servitutis. *Jer.* 16. Servietis ibi Diis alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. Ista sex damna, quæ facit peccatum, sunt sex hydriæ, i. sex causæ doloris significata per sex modios, quos dedit Booz Ruth, antequam eam duceret in uxorem. *Ruth.* 3. Vel aliter. Sex hydriæ sunt sex infirmitates ex peccato relictę, etiam post gratiæ recuperationem.

Prima est spiritualis gustus insipiditas, propter quam in principio conversionis etiam bona non sapiunt, unde nec mala male. *Proverbior.* 27. Anima satiata peccati acerbitate, calcabit favum spiritualis dulcedinis. *Isaiæ* 3. Væ, qui dicunt bonum malum, &c. Secunda visus spiritualis debilitas, propter quam homo de novo conversus non videt clare laqueos diaboli. Unde *Marc. octavo* dicit sanatus. Video homines velut arbores ambulantes.

a Et erat Mater Jesu ibi,] vocata ad convivium.
b Vocatus est autem & Jesus, & Discipuli ejus ad nuptias] non futuri, ut quidam dicunt, sed jam vocati in discipulatum. Sed quomodo vocati sunt Jesus, & Mater ejus, atque discipuli ad nuptias, cum essent pauperes, quales non solent ad convivia vocari? Resp. Crede, quod sponsus, & sponsa pauperes erant, & ideo pauperes invitabant, & forte alter conjugum erat de consanguinitate Mariæ. Christus autem voluit nuptiis interesse duplici de causa.

læ, & *a* erat Mater Jesu ibi. *b* Vocatus est autem, & Jesus, & Discipuli ejus ad nuptias. Et *c* deficiente vino dicit *d* Mater Jesu ad eum: *e* Vinū non habent. Et dicit *f* ei Jesus: *g* Quid mihi, & tibi est, mulier? *h* Nondū venit hora mea.

Prima, ut gloriam suam coram multis manifestaret.
Secunda, ut nuptias approbaret, contra Manichæos, qui nuptiis erant contradicturi. *c* Et deficiente vino,] in ipso convivio, quod est signum paupertatis.
d Dicit Mater Jesu ad eum,] idest, ad Jesum.
e Vinum non habent,] ministri convivii, vel sponsus, & sponsa. Et hoc est signum, quod Maria erat parentela alterius conjugum, vel amborum: quia alter non curaret de defectu vini: Et hoc movit B. Virginem, ut diceret filio [Vinum non habent] Noo quod ipse crederet ipsum nescire, sed ut ostenderet suam compassionem, & filii potestatem. Paupertas autem conjugum, & brevitas temporis, quo non potuit congrue mitti tunc ad vinum, movit Virginem, ut defectum vini indicaret filio suo, quem sciebat posse supplere omnem defectum.
f Et dicit ei] idest, matri suæ [Jesus] non offensus; vel corrigens, aut arguens matrem suam, cujus compassio grata erat ei.
g Quid mihi, & tibi est, mulier] de defectu vini, q. d. cognitio hujus defectus non pertinet ad me, vel ad te; sed ad illos, quorum sunt nuptiæ, qui debuerant sibi de omnibus necessariis providisse. Sufficit ergo, ut isti recognoscant defectum, & sic gratia miraculi, quod petis, ut faciam, sit acceptior illis. Et ponit exemplum. *Chr.* de Medico, qui si ultro se offerret ægroto, non multum curaret de eo ægrotus; sed cum multis precibus ægroti se exhibet ei, tunc multam reverentiam exhibet illi. Mulier autem in hoc loco non mollitiei, vel fractionis nomen est, sed sexus, seu conditionis. *Aug.* sic exponit.
g Quid mihi, & tibi est mulier,] commune, i. quid habeo a te, unde possit hoc miraculum facere? q. d. ex te habeo, unde pati, & mori possum, quod in Cruce recognoscam te Discipulo commendans; sed ex te non habeo, unde possem miracula facere: & ideo in hujusmodi te non recognosco.
h Nondum venit hora mea.] Hoc utrique expositioni bene coojungitur. Primæ sic [Nondum venit hora mea] i. hora, qua magis sit gratum, & utile miraculum illis, quibus postulas fieri. Non enim conditor temporum, & horarum Christus objicitur alicui horæ, imo omni tempore est hora sua operandi, quod vult, ut dicit *Chrys.* sed tamen quoad homines una hora competentior est alia, sicut hic utilior hora faciendi miraculum erat post recognitionem defectus, quam ante. Secundæ expositioni sic conjungitur. *h* Nondum venit hora mea,] idest, nondum est tempus recognoscendi illud, quod ex te habeo; sed erit in Passione Evangelio prædicato.

Δ Dicit ma-

Moral. * *Ps.* 37. Et lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Tertia, incertitudo sanitatis. *Eccl.* 9. Nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit 1. *Cor.* 4. Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum. Quarta animi debilitas tam in faciendo bona, quam in sustinendo adversa. *Ps.* 37. Dereliquit me virtus mea. Quinta, noxiorum appetitus. *Prov.* 1. Usquequo parvuli diligitis infantiam? & stulti ea, quæ sunt noxia, cupient. *N.* 11. Quis dabit nobis carnes ad vescendum: recordamur piscium, quos comedebamus gratis in Ægypto: in mentem veniunt nobis cucumeres, & pepones, &c. Hoc dixerunt filii Israel post exitum de Ægypto. Sexta, vanitas, atque contrarietas voluntatum. *Eccl.* 27. Stultus ut Luna mutatur. *Prov.* 15. Cor stultorum dissimile erit. Istæ sex hydriæ debent impleri aqua lacrymarum, quæ statim mutatur in vinum spiritualis lætitiæ. *Proverb.* 14. Cor, quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus. Hæ nuptiæ initiantur in inchoatione pœnitentiæ, ratificantur in profectu justitiæ, consummantur in morte, quando jam anima non potest separari a sponso. In his nuptiis sunt tria bona matrimonii, scilicet, fides, idest, fidelitas, ne Christo dimisso adulter, idest, diabolus admittatur ad thorum. *Isaiæ* 50. Juxta me discooperuisti te, & suscepisti adulterum.

Item proles bonorum operum 1. *Tim.* 2. Mulier seducta in prævaricatione fuit; salvabitur autem per filiorum generationem. Sed væ illis matribus, quæ proprios filios occidunt recidivando. *Thr.* 4. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos.

Item Sacramentum, idest, inseparabilitas, ut nunquam separetur a Christo. *Osee* 2. Sponsabo te mihi in sempiternum 1. *Corinth.* 7. Præcipio, non ego, sed Dominus uxorem a viro, non discedere. Quartæ nuptiæ sunt inter Christum, & virum religiosum. De quibus 2. *Corinthiorum* 11. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. *Osee* 12. Fugit Jacob in regionem Syriæ, & servivit Israel in uxorem, & in uxorem servavit. Bis dicit uxorem, quia utramque vitam, idest, activam, & contemplativam debet habere anima veri religiosi, quæ debet Christo per matrimonium copulari, sicut Jacob habuit Liam, & Rachelem. Hæ nuptiæ factæ sunt tertio die. Tres dies, tria vota, i. votum castitatis, votum paupertatis, votum obedientiæ. De quibus *Exod.* 5. Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, idest, in Religionem, & sacrificemus Domino Deo nostro.

Item *Josue* 2. Ad montana conscendite, idest, ad eminentiam religionis, ne forte occurrant vobis revertentes, ibique latitate tribus diebus. Istæ nuptiæ initiantur in mundi abrenunciatione, ratificantur in habitus assumptione, consummantur in professione.

Sex hydriæ sunt sex opera vitæ activæ, idest, instantia vigiliarum, fervor orationum, largitio eleemosynarum, continuatio jejuniorum, duritia disciplinarum, labor manuum. Sed in his Jesus adsit, & Maria, atque discipuli, idest, spes salutis, amaritudo contritionis, & disciplina conversationis. Aqua doloris convertitur in gaudium quietis, & contemplationis, & quanto plus ibi fuerit de aqua, tanto plus erit ibi de vino. Ideo dicit Dominus. Implete hydrias aqua. Hic enim est ordo, ut prius laboret homo in activa, & postea quiescat in contemplativa: prius doleat, & postea gaudeat, *Ecclesiast. tertio.* Tempus flendi, & tempus ridendi. Nec enim Rachel parit, donec Lia multos filios peperit. Istæ nuptiæ fiunt in Cana Galilææ, idest, in zelo, & transmigratione de mundo ad claustrum. De quibuslibet igitur istarum nuptiarum potest dici [Et die tertio nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ,] idest, in zelo animarum, & transmigratione de vitiis ad virtutes.
a Et erat Mater Jesu ibi,] idest, timor Dei, qui generat, & nutrit salutem *Is.* 26. A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis. Vel Mater Jesu est tenera, & pura conscientia, de qua *Tob.* 4. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus. Honor iste consistit in boni operatione, & mali declinatione. *Prov.* 4. filius fui tenellus patris mei, & unigenitus coram matre mea, & docebat me. Item dicitur pater, & mater, scilicet, conscientia; sed pater ratione regiminis, mater ratione castigationis.
b Vocatus est autem & Jesus, & discipuli ejus ad nuptias.] Vocatio Jesu est desiderium salutis. Unde *inf.* 4 Voca virum tuum. Discipuli, qui faciunt nos obtemperare Deo, sunt spes, & timor. De quibus *Matth.* 21. Misit Jesus duos Discipulos dicens: ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite, & adducite mihi. Ista tria de necessitate veniunt, ubi est Mater Jesu, i. puritas conscientiæ, sc. desiderium salutis propriæ, timor Dei, & spes veniæ. Seq.
c Et deficiente vino] spiritualis lætitiæ.
d Dicit mater Jesu,] idest, puritas conscientiæ [ad eum.]
e Vinum non habent] prædictarum nuptiarum convivæ, i. pœnitentes, vel Religiosi. *Prov. ult.* Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo: bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius *Eccl.* 41. Exultatio animæ, & corporis vinum moderate potatum. Moderate dicit, quia nimia lætitia dissolutionem inducit.
f Et dicit ei Jesus,] Ista repulsio significat, quod Deus aliquando non eaaudit, nec dat statim, quod petitur, ut avidius petatur, & cum eaaudierit, ac petitum dederit,

* diligentius

Δ *a* Dicit mater ejus,] Idest, Jesu, non turbata, vel irata de responsione filii; sed magis confidens de potestate, & pietate ipsius.
b Ministris,] idest, servitoribus convivii.
c Quodcumque dixerit vobis] filius meus [facite.] Ex hoc patet, quod B. Virgo sciebat, quid filius suus esset facturus: Et ideo fiducialiter dicit ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.
d Erant autem ibi.] idest, in domo convivii.
e Lapideæ hydriæ] i. vasa lapidea aquaria, ab hydor, quod est aqua.
f Sex positæ] Quare, vel ad quid? Ut si aliquis convivantium aliquam immunditiam incurrisse, lavaretur in eis, sicut mos est Judæorum. Unde sequitur.

B

Dicit *a* mater ejus *b* ministris: *c* Quodcumque dixerit vobis, facite. *d* Erant autem ibi *e* lapideæ hydriæ *f* sex positæ secundum *g* purificationem Judæorum, *h* capientes singulæ *i* metretas binas, vel ternas. Dicit k eis Jesus: *l* implete hydrias aqua, & *m* impleverunt eas usque ad summum. Et dicit *n* eis Jesus: *o* Haurite nunc, *p* & ferte Architriclino. Et *q* tulerunt. Ut *r* autem gustavit Architriclinus aquam vinum factum, *s* & non sciebat, *t* unde esset; ministri *u* autem sciebant,

g Secundum purificationem Judæorum,] idest, ideo positæ erant ibi, ut purificari possent immundi secundum morem Judæorum. Sex autem ideo erant, quia duæ, vel tres non sufficerent tantæ multitudini. Quærit autem *Chrys*. Quare non ibant ad fluvium? Et respondet, quia longe erat a domo: Palæstina enim paucas habet aquas. Quod autem dicitur, [secundum purificationem Judæorum] monstrat, quod illa vasa nunquam erant vini receptacula, ne aliquis posset calumniari, quod feces ex vino priori relictæ in illis vasis ex commixtione aquæ superfusæ effecissent vinum. Determinans autem Evangelista quantitatem hydriarum, subjungit.
h Capientes,] idest, capere valentes.
i Singulæ metretas binas, vel ternas.] Metreta dicitur a metron, quod est mensura centum sextariorum, ut dicunt 3. *Reg*. 7. Mare æneum duo millia batos capiebat; metretas autem tria millia.
k Dicit eis,] idest, ministris [Jesus] rogatus a matre, & forsitan a convivis, quorum aliqui præconium ejus a Joanne audierant.
l Implete hydrias aqua,] quærit. *Chrysost*. Quare non fecit signum ante impletionem? mirabilius enim esset ipsum vinum ex non entibus facere, quam qualitatem commutare. Item cur aquam non ipse deduxit, sed ministris jussit? Ad primum respondet *Chrysostomus* duas causas assignans.

Prima, quia etsi mirabilius esset de nihilo vinum creasse: non tamen ita credibile. Secunda, ut destrueret errorem Manichæi, quia dicturus erat mundum, & omnia, quæ mundi sunt, a malo Deo creata esse, & gubernari: qui est Christo contrarius. Unde ut Christus ostenderet, quod ipse mundum creavit, & elementa, utitur mundana creatura, mutans naturam ejus: si enim non esset sua, non obediret ei. Item ut ostenderet, quod ipse idem est, qui quotidie per temporum incrementa mutat aquam in vinum mediante natura vitis, & qui modo sine cooperatione naturæ mutavit. Ad secundum dicimus, quod ideo non ipse deduxit aquam in hydrias, sed ministris præcepit, ut imponerent: ut eos testes miraculi haberet.
m Et impleverunt eas,] ministris [usque ad summum] persuasi a B.Virgine, vel a testimonio Joannis præconizantis de Christo. *n* Et dicit eis Jesus] jam facta mutatione. *o* Haurite nunc] cum hora venerit.
p Et ferte Architriclino.] Secundum *Augustin*. Architriclinus est Princeps trium camerarum, vel trium ordinum mensarum a se altitudine distantium. Et dicitur ab Archos, quod est Princeps: & clinium, quod est domus, vel camera. Hic autem secundum *Chrys*. non dicitur Architriclinus Dominus, vel Princeps convivii, vel domus, in qua erat convivium: sed præpositus ministrantium, qui sc. fuerat constitutus, ut ordinaret servitores in mensis. Unde ponit in quæstione *Chrys*. quare Jesus præcipit vinum ferri potius Architriclino, quam alicui de convivis, vel sponso, aut sponsæ? Et respondet, quod ille, cui committitur cura, vel ordinatio convivarum, non comedit usque post alios; & ideo sobrior, discretior est ad judicandum de vino, quam convivæ, qui jam sunt repleti vino, & cibo, unde illi jussit ferri Dominus vinum ex aqua factum, ut veritatem cognitam aliis indicaret. *q* Et tulerunt] ministri secundum præceptum Domini. Sed quare non præcipit Dominus ministris, ut narrarent Architriclino, quod ipse converterat aquam in vinum; Respondet *Chr*. propter humilitatem, quia nemo humilis prædicat facta sua. Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factum,] i. vinum ex aqua factum: sed ita dicit Evangelista, quia secundum opinionem Architriclini aqua erat non vinum, tamen secundum veritatem vinum factum.
s Et non sciebat] Architriclinus. *t* Unde esset,] illud vinum.] Ministri autem sciebant, qui hauserant aquam.]

Δ Vocat Sponsum

Moral.

* diligentius custodiatur, & intensius diligatur. *Apoc*. 3. Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. *a* Dicit mater ejus ministris, &c.] Ministri sunt ratio, & voluntas, unus dirigens opus, alter exequens. His dicit puritas conscientiæ, ut faciant, quidquid dixerit Jesus, sciens, quod talis non potest non exaudiri ab eo. Unde *inf*.9. Si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit Deus. *Eccl*. 3. Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & in oratione dierum exaudietur. Seq. *d* Erant autem. &c.] Judæi, i. confitentes sunt pœnitentes, aut Religiosi. Purificatio eorum est ipsa pœnitentia, vel Religio. Sex hydriæ, sex prædictæ causæ tristitiæ, aqua est tristitia, vinum lætitia. Per lapidem autem significatur soliditas hydriarum. Et dicuntur positæ, quia quilibet debet has hydrias semper ponere ante se. *Jer*.31. Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam. Seq. *h* Capientes singulæ metretas binas, vel ternas,] hoc est, quia flere, & dolere debemus de duobus, & propter tria. De duobus quidam, i. de peccato transgressionis, & omissionis. Propter tria vero, i. propter damnum, quod habuimus: propter pœnam, quam incurrimus: propter Deum, quem offendimus. k Dicit eis Jesus,] i. ministris, scil. rationi, & voluntati. *l* Implete hydrias aqua,] hoc est, considerate sex damna peccati, & sex infirmitates relictas etiam post peccatum, & dolentes plorate. *Job* 16. Facies mea intumuit a fletu, & palpebræ meæ caligaverunt. *Ps*.6. Lavabo per singulas noctes lectum meum. *m* Et impleverunt, &c.] *Ps*.106. Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua, i. animam aridam, in exitus aquarum. *Ps*.118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. [Usque ad summum] dicit, quia nihil est in peccatore imploirabile. *Is*. 1. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. *n* Et dicit eis Jesus, &c.] Architriclinus est Deus Trinitas, cui debet ferri aqua lacrymarum, & pœnitentiæ, quia propter ipsum solum debet fieri pœnitentia. 1. *Cor*. 10. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, in gloriam Dei facite. Multi ferunt aquam istam mundo, sicut hypocritæ. Unde dicunt allophyli *Gen*.26. Nostra est aqua. Et notandum est, quod dicit. [Haurite nunc.] Non enim semper debet homo implere hydrias suas aqua, sed quandoque haurire per otium meditationis, sicut dicit *Bern*. Si quod vivis, & sapis, totum das actioni, considerationi nihil: laudo te; in hoc non laudo: puto, quod nemo, nisi qui a Salomone non audierit: Qui minoratur actu, percipiet sapientiam, certe nec ipsi actioni expedit consideratione privari. *q* Et tulerunt.] In hoc obedientia rationis, & voluntatis notatur, quæ a matre Jesu admonitæ, idest, a puritate conscientiæ, nunquam præcepta Domini contradicunt. *Joel. cap*.3. Per omnes rivos Juda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur. Vel Architriclinus est spiritus humanus, tribus ordinibus mensuram præpositus, idest, intelligentiæ, memoriæ, voluntati. Cui fertur aqua, quando ipse spiritus intelligit, & recolit causas fletus, idest, peccata sua, & postea vult abstinere a præteritis, & cavere a futuris. Seq.
r Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factum,] idest, ut spiritus percepit suavitatem gaudii post dolorem pœnitentiæ. *Prov. ult*. Gustavit, & vidit, quia bona est negotiatio ejus. *s* Et non sciebat, unde esset; ministri autem sciebant, &c.] Istud nescire nihil aliud est, quam non sentire laborem pœnitentiæ, cum jam aqua versa est in vinum spiritualis lætitiæ. Sed ministri, qui hauriunt aquam, antequam sit mutata in vinum, bene sciunt, quia adhuc sentiunt laborem, & dolorem, pœnitentiæ. Sed cum spiritus lætitia spirituali perfunditur spe veniæ, jam non meminit doloris, vel laboris

a Vocat sponsum Architriclinus] mirans vini bonitatem, quod secundum naturalem ordinem primo debuit propinari.
b Et dixit ei.] Architriclinus sponso, credens, quod, ipse ita fieri præcepisset.

qui hauserant aquam: *a* vocat sponsum Architriclinus, *b* & dicit ei: *c* Omnis homo primum *d* bonum vinum ponit: *e* & cum inebriati *f* fuerint, tunc *g* id, quod deterius est. *h* Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. *i* Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, & *k* manifestavit gloriam suam: & crediderunt in eum Discipuli ejus. *m* Post hæc *n* descendit Capharnaum ipse, & mater ejus, & fratres ejus, & *o* Discipuli ejus,

c Omnis homo primum, i. in principio convivii.
d Bonum vinum ponit,] in mensa.
e Et cum inebriati,] i. repleti.
f Fuerint] cibo, & potu boni vini.
g Tunc id, quod deterius est,] i. minus bonum, quia propter opilationem mediæ cellulæ, ex vapore vini non percipitur qualitas vini.
h Tu autem servasti bonum vinum, &c.] usque ad finem convivii contra generalem consuetudinem, & ordinem naturalem. Et ex hoc patet, quod optimum vinum fuit factum ex aqua. Unde *Chrys.* dicit, generale esse in omnibus miraculis Christi, quod semper ad nobilius terminatur, quam natura possit. Unde si restituit visum, vel auditum, vel aliud membrum: melius facit, quam natura fecerit prius, vel facere possit.
i Hoc fecit initium, &c.] Non dicit simpliciter primum, sed in Cana Galilææ primum.
k Et manifestavit, &c.] idest, Divinitatis suæ potentiam.
l Et crediderunt in eum, &c.] Quidam dicunt, quod intelligendum est de futuris: Sed Sancti magis volunt, quod de præsentibus, qui jam credebant; sed tunc viso miraculo magis crediderunt.

Moral. * Pœnitentiæ præ delectatione, quæ provenit ex gusto vini. *Eccl.* 1. Usque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio jucunditatis, *infra* 16. Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, idest, aqua in vinum. *Proverb.* 9. Bibite vinum, quod miscui vobis *infra* 16. Mulier cum parit, idest, anima dum facit pœnitentiam, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem peperit, jam non meminit pressuræ propter gaudium: quia natus est homo in mundum. Et quanto pleniores fuerint hydriæ, tanto plus erit ibi de vino lætitiæ *Psalm.* 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.
a Vocat sponsum Architriclinus,] idest, Christum spiritus humanus sentito gaudio spirituali.
b Et dicit ei; Omnis homo, &c.] Omnis homo dicitur hic homo mundanus, & carnalis, secundum quod dicitur 1. *Corinth.* 3. Cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Talis homo primo ponit sibi, & suis præsentes delectationes.
e Et cum inebriati fuerint] ipse, & sui, idest, repleti gaudio præsentis felicitatis.
g Tunc id, quod deterius est,] i. dolor gehennæ, & remorsus perpetuus gravatæ conscientiæ. *Prov.* 23. Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit color ejus in vitro, ingreditur blande, sed in novissimo mordebit, ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. *Prov.* 14. Risus dolore miscebitur, &c.
h Tu autem servasti bonum vinum, &c.] i. usque in finem 2. *Cor.* 4. Id quod in præsenti tribulationis nostræ est momentaneum, & leve, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Utrumque tangitur *Luc.* 16. In parabola divitis, & Lazari, ubi dicit Abraham: Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua: & Lazarus similiter mala, i. tu bibisti vinum, & ipse aquam: Nunc autem hic consolatur; tu vero cruciaris, i. ipse modo bibit bonum vinum æternæ jucunditatis; tu vero bibis aquam infernalis pœnalitatis.
i Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ.] Sicut diximus, aqua tribulatio est, sive tristitia.

Unde *Ps.* 68. Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Vinum autem est exultatio, sive lætitia.

Unde *Eccl.* 4. Vinum, & musica lætificant cor, signum autem idem est, quod manifestatio præsentiæ Christi. Unde cum tribulatio mutatur in exultationem, signum est, quod Christus est præsens.
k Et] in hoc [manifestavit gloriam suam,] quia nihil ita ostendit præsentiam Christi esse cum homine, sicut lætitia in tribulatione. Ideo ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. *Act.* 5.
l Et crediderunt in eum Discipuli ejus.] idest, illi, qui sunt de schola, & doctrina ipsius, qui sc. patientiam, atque lætitiam habent in tribulatione. *Matth.* 5. Gaudete, & exultate in illa die, scilicet tribulationis, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.
m Post hæc, &c.] Secunda pars hujus cap. in qua agitur de descensu Christi, & mora ejus in Capharnaum. Sed quæritur, quare descendit illuc, cum statim oporteret eum iterum ascendere in Jerusalem, eo quod prope erat Pascha? Ad hoc respondet *Chrys.* dicens, quia nolebat matrem diu circumducere, nec volebat eam solam dimittere, quam volebat in omnibus honorare: ideo descendit illuc cum matre, ut ea ibi relicta, ipse postea ascenderet in Jerusalem. Dicit ergo. [Post hæc,] quæ facta sunt in nuptiis. *n* Descendit Capharnaum, ipse, & mater ejus, & fratres ejus] idest, cognati ejus.
o Et Discipuli ejus,] qui non erant fratres ejus, ut eis ibi relictis, ipse ascenderet in Jerusalem, quia illos secum ducere non volebat modo, ideo dimisit eos Capharnaum, ubi cum matre manere consuevit. Unde seq.

p Et ibi

Moral. *m* Post hæc descendit Capharnaum, & mater ejus, & fratres ejus, & Discipuli ejus.] Juxta litteram instruit nos moraliter de honore parentum, & cura, & procuratione eorumdem; quia propter honorem matris, ut dicit *Chrys.* venit in Capharnaum. *Exod* 20. Honora patrem tuum, & matrem tuam, &c. *Tob.* 4. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus Memor enim esse debes, quæ, & quanta sit passa pericula propter te in utero suo *Eccl.* 3. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem; *Aug. in lib de decem chordis*: Ipse numerus septenarius secundæ tabulæ tanquam septem chordarum, incipit ab honore parentum. Ad parentes enim suos homo aperit oculos, & hæc vita ab eorum amicitia sumit exordium. Quisquis autem suis parentibus non defert honorem, quibus parcere poterit? Et valet etiam ad quæstionem de præceptis.

Item in hoc, quod Christus iturus ad prædicandum in Jerusalem, dimittit matrem, & fratres in Capharnaum, instruit Prædicatores, ut non circumducant mulieres, nec carnali affectu se onerent. *Deut.* c. 33. Qui dixerunt patri, & matri, nescio vos, & fratribus, ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum.

Unde *Exod.* c. 4. voluit Angelus occidere Moysen, quia ducebat secum filios, & uxorem. Aliter exponitur. Per Capharnaum potest intelligi status Virginum, & religiosorum. Notandum enim, quod in hoc capitulo.

Primo significatur status conjugatorum per nuptias; Postea significatur status Virginum, & Religiosorum per Capharnaum: Status Prælatorum, & Doctorum per Jerusalem, & templum, unde expulit ementes, & vendentes. Qui tres status significantur per Noe, Daniel, & Job. *Ezech. cap decimoquarto.* Et Petrum, & Jacobum, & Joannem. *Matth. cap.* 17. Et per lectum, & molam, & agrum. *Matthæi cap.* 24. Dicit ergo, quod Jesus descendit in Capharnaum, quod interpretatur villa pulcherrima, vel ager pinguedinis, sive ager benedictionis, & significat Religionem, vel statum Religiosorum, qui habent pulchritudinem operis in conversione, pinguedinem cordis in oratione, & contemplatione, & benedictionem in aliorum exhortatione, & prædicatione. Religio enim non solum munit suos, & custodit, & ideo illa dicitur; sed etiam fructificat aliis, & ideo ager potest dici. *Cantic. c. septimo.* Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Et loquitur proprie, quia villa contemplationis vult habere commorantem; ager autem prædicationis vult habere egredientem. *Ezech. cap primo.* Animalia ibant, & revertebantur. *Judic. cap.* 5. Stellæ manentes in ordine, & in cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt. Quia illi Prædicatores maxime vincunt diabolum, qui non tantum currunt ad prædicationem, sed stant etiam aliquando in ordine suo ad custodiam sui, & discussionem. Et talis anima est vere sponsa Christi,

* quia

a Et ibi manſerunt non multis diebus] tunc, ideſt, illa vice. Et quare tunc ita parvam moram fecit cum matre ſua, ſubdit cauſam.
b Et] ideſt, quia.
c Prope erat Paſcha Judæorum,] quando oportebat Judæos convenire ad diem feſtum ſecundum præceptum. *Deut. c.* 12.
d Et aſcendit Jeroſolymam Jeſus,] ut legem impleret, quæ hoc juſſerat: & ut multitudinem ad docendum inveniret, qui cauſa ſalutis omnium venerat. Unde *inf.* 18. Ego palam locutus ſum mundo: Ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt. Duo ergo ſignificat, quæ obſervanda ſunt prædicantibus, populus, & locus.

a & ibi manſerunt non multis diebus. *b* Et *c* prope erat Paſcha Judæorum, & *d* aſcendit Jeroſolymam Jeſus, & *e* invenit in templo, *f* vendentes boves, & oves, & columbas, & *g* nummularios ſedentes.

e Et invenit in templo.] Argumentum, quod primo veniebat ad templum, quod eſt locus orationis.
f Vendentes boves, & oves, & columbas.] Quia quidam de longe venientes ad templum in die feſto, ſecundum præceptum. *Deuter. c.* 12. Apta ad immolandum animalia ſecum deferre non poterant: ideo iſti talia animalia vendebant in templo: quia propter anguſtiam temporis, & multitudinem, quæ convenerat, carius tunc vendere poterant. Forſitan autem iſti Sacerdotes hoc procurabant, ut haberent multas oblationes, ſecundum illud *Ezech.*44. Poſuiſtis cuſtodes obſervationum mearum in Sanctuario meo vobiſmetipſis. Boves autem, & oves, & columbas potius vendebant; quia hæc animalia pertinent ad ritum ſacrificiorum. Sed quia non omnes divites erant, nec denarios præſto habebant ad emendas hoſtias: ideo alii pejori genere avaritiæ permoti fuerunt ibi, qui denarios non aperte ad uſuram commodabant, quia hoc prohibitum fuit. *Deuter. c.* 23. ſed aliqua munuſcula accipiebant facientes uſuram velatam. De quibus dicitur *Ezech. cap.* 13. Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis. Et illi dicuntur nummularii, quaſi largientes nummum. Et hoc eſt, quod ſequitur. *g* Et nummularios ſedentes,] ad tabulas, ubi denarii jacebant, ſicut mos eſt Campſorum

Moral. * quia eſt, Lia, & Rachel; Martha, & Maria. Et talis optimam partem elegit, quia bona eſt pars activorum; melior contemplativorum: optima eſt, quæ claudit utrumque, ſc. quæ fœcunditatem matris habet in prædicatione, & tamen puritatem virginitatis non amittit, ſed cuſtodit eam in contemplationem. Ad hunc locum deſcendunt cum Jeſu mater ejus, & fratres, & diſcipuli, quia in religione ſunt tria genera hominum. Majores, ut Prælati, & coæquales, & minores. Matres facit pietas compaſſionis, & ſollicitudo educandi, & nutriendi, quæ competit Prælatis. 1. *Theſſ.* 2. Facti ſumus parvuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos. Fratres facit communitas vitæ, & concordia in converſatione. Frater enim fratri debet per omnia aſſimilari, ſicut de Chriſto. *Hebræor.*2. Debuit per omnia ſimilari, ſicut dicitur de Chriſto. *Hebr.* 2. Debuit per omnia fratribus ſimilari. Et *Apocal.* 1. Ego Joannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno. Diſcipulos autem facit obedientia, & humilitas. *Matth. c.*11. Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Sequitur. *a* Et ibi manſerunt non multis diebus,] quia etſi diu maneant, quidam præ amore moras non ſentiunt. *Gen.*29. videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. *Bern.* Quod ſi plus una hora portavi pondus diei, & æſtus, præ amore non ſentio.
a Et prope erat Paſcha Judæorum, & aſcendit Jeroſolymam Jeſus.] Juxta litteram inſtruimur per hoc, quod intrantes villam, primo debemus petere Eccleſiam, ſi poſſimus, ut oremus.

Moraliter, autem per hoc, quod Chriſtus in Paſcha ſolebat aſcendere in Jeruſalem, ſignificatur, quod in illius mentem Chriſtus aſcendit, qui eſt in tranſitu de vitiis ad virtutem; vel de virtute in virtutem; & pacifice quantum ad alios vivit. *Sap. c.* 1. Non habitabit in corpore ſubdito peccatis. *Pſ.*75. In pace factus eſt locus ejus. Sequitur.
e Et invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios ſedentes.] Templum Dei eſt Eccleſia, in qua quidam vendunt, ut Giezi, 4.*Reg.*5. Alii emunt, ut Simon. *Actor.* 8. Et utrique maledicti ſunt.

Unde dicit Petrus ad Simonem: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Tangunt autem hic quatuor genera Simoniæ. Bos enim eſt animal ordinatum ad laborem, & ſignificat illos Simoniacos, qui promittunt, & exhibent laborioſa ſervitia pro præbendis. Quales ſunt quidam Advocatorum. Et hoc ſatis bene tangitur *Prov.*14. Ubi non ſunt boves, ideſt, talia ſervitia laborioſa promittentes, præſepe vacuum eſt; quia illi non habent præbendas multas; ubi autem plurimæ ſegetes, i. præbendæ plures; & pingues, manifeſta eſt fortitudo bovis, ideſt, labor, & ſollicitudo, quem habuerunt de habendis præbendis.

Quatuor genera Simoniæ.

Unde dicit *B. Bern.* Circuit ſedulus explorator, blanditur, ſequitur, obſequitur, ſimulat, & diſſimulat, miſeraque ſuffragia mendicare non erubeſcit, manibus, & pedibus repens, ſi quo modo tandem ſeſe ingerere valeat in patrimonium Crucifixi. De talibus dicitur *Job* 21. Bos eorum concepit, & non abortivit; quia præbendam obtinuit, quam concupivit. Tales boves ſunt cornupetæ, quia iſti Advocati omnes impetunt, & nemini parcunt: Unde magis deberent recludi, quam promoveri. *Exod.* 21. Si bos cornupeta fuerit ab heri, & nudiuſtertius, & conteſtati fuerint Dominum ejus, ideſt, Prælatum ejus, nec religaverit eum, occideritque virum, aut mulierem, & bos lapidibus obruetur, & Dominum ejus occident.

Unde patet multos Prælatos dignos occiſione, qui non tales coercent, ſed magis promovent, ſicut dicitur *Ez.*2 Poſuiſtis cuſtodes obſervationum mearum in Sanctuario meo vobiſmetipſis, i. propter ſervitia, & commoda vobis ab eis exhibita. De talibus etiam dicitur *Oſee* 12. Fugit Jacob in regionem Syriæ, & ſervivit Iſrael in uxorem, ideſt, pro uxore, & in uxorem ſervavit. Per Jacob curiales Clerici, & Advocati ſignificantur ſe invicem ſupplantantes, & luctantes, ut aliquid accipiant. Unde fugiunt a ſcholis in regionem Syriæ, i. ſublimis alicujus, & magni Prælati, ut uxorem, & uxorem habeant, i. præbendam, & præbendam. Iſti ſignificantur per illos, qui in templo vendunt boves, quia tales vendunt laborem ſuum, & ſervitium pro præbendis. Alii ſunt, qui vendunt ſimplicitatem, & innocentiam ſuam ſimulatam, quæ deſignatur per oves, ut hypocritæ, qui nihil habent de ove, niſi pellem. De quibus *Matth.* 7. Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, &c. Illud vitium intantum prævaluit, ut etiam in privatis confeſſionibus decipiant Prælatos. Et hoc ſignificatur *Gen. cap.* 27. ubi Jacob ſubornans ſe pellibus hœdinis, quæ deſignant habitum pœnitentis, ſurripuit benedictionem. Et *Joſ. c* 9. Gabaonitæ obumbraverunt ſe veteribus pannis, & panibus duris, ut haberent portionem cum filiis Iſrael. De his duobus generibus Simoniæ dicitur in *Pſ.* 143. Oves eorum abundantes in egreſſibus ſuis, boves eorum craſſæ, quia tales pingues obtinent præbendas. Et per vendentes columbas ſignificantur tertii Simoniaci, qui dona Spiritus Sancti, & gratias vendunt, ut illi, qui pro quæſtu prædicant, vel dant Sacramenta. Spiritus enim Sanctus ſignificatur per columbam.

Unde *Gen.*8. Columba ramum olivæ attulit in arcam, qui eſt ſignum reconciliationis, & pacis; quia Sp. Sanctus affert pacem in Eccleſiam, & in animam: & dona ejus reconciliant nos Deo. Per nummularios ſignificantur illi, qui vel mutuo, vel pretio emunt bona Eccleſiaſtica: vel illi, qui aliqua commutatione inhoneſta introducuntur. Sed nota, quod nummularius duobus modis poteſt etymologizari.

Primo, quaſi nummum largiens. Secundo, quaſi nummum juxta latem abſcondens. Secundum primum modum tanguntur illi, qui emunt redditus Eccleſiarum pretio.

Unde 2.*Mach.*4. Ambiebat Jaſon frater Oniæ ſummum Sacerdotium, aditoque Rege promiſit ei argenti talenta trecenta ſexaginta.

Item 2.*Par* 26. De Ozia, qui officium regale commutare voluit in Sacerdotale.

Secundum aliam etymologiam, qua nummularius dicitur quaſi nummum juxta latem abſcondens, tanguntur illi, qui licet canonice intronizati, tamen redditus Eccleſiarum non erogant pauperibus, ſed in theſauros accumulant, & abſcondunt.

De quibus *Apoc.*17. Vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Jeſu, i. de divitiis, ſanguine Chriſti, & Martyrum acquiſitis.

a est Camsforum. a Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis,] ad correctionem. Et ideo non gladium, vel fustem accepit: quia ista magis sunt ad vindictam, quam ad disciplinam.
b Omnes] qui prædicta faciebant.
c Ejecit de templo] i. de atrio templi. Fugerunt enim, vel propter percussionem, vel propter terrorem, quia forte homines non percussit de flagello: sed terruit; sed eis pecora percutiendo, & minando expulit. Unde sequitur.

Et a cum fecisset quasi flagellum de funiculis, b omnes c ejecit de templo, d oves quoque, & boves; e & nummulariorum effudit æs, & f mensas subvertit. Et his, g qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & h nolite facere domum Patris mei domum negotiationis,

d Oves quoque, & boves] ejecit. Dicitur autem, quod quidam radii claritatis exibant a facie ejus, quibus exterriti illi homines fugiebant a conspectu ejus, non valentes ei resistere.
e Et nummulariorum effudit æs. Et,] idest, quia.
f Mensas subvertit,] quia subversis mensis, æs, quod desuper erat, effusum est, Probabile enim est, quod in pecunias manus non extenderit.
g Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc] hic est punctus. Et nota, quod venditores columbarum levius tractat; quia columbas in templo circumferre non ita inhonestabat templum, sicut boves, & oves, qui faciebant stabulum de templo. Unde in littera Græcorum habetur, [Et ejecit stabularios, & mensalarios.] Hoc autem, quod sequitur. h Et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis,] refertur ad omnia præcedentia. Vel potest dici, quod tantum refertur ad venditores columbarum, quibus mansuetius loquitur, alios namque de flagello expulit. Et est hic argumentum, quod prohibendi sunt, qui in atriis faciunt negotiationes suas, ad litteram, & in templis. *Is.* 56. Domus mea domus orationis vocabitur. *Aug.* In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde & nomen accepit. *Zac. ult.* Non erit mercator ultra in domo Domini. *Nehem.* 13. Malum mihi visum est valde, quod A fecerat

Ytrat. * *Chrys.* Divitias non ideo accepisti, ut eas subfodias, sed ut eas distribuas. Si vellet Deus eas custodiri, nequaquam eas hominibus dedisset, sed dimisisset uriquein terra jacentes manere, Sequitur.
a Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit.] In hoc innuitur, quod Prælatos omnes tales debet amovere ab Ecclesia flagello correctionis, & animadversionis: quia omnis Christi actio, nostra est instructio. 1. *Mach* 4. Elegerunt Sacerdotes sine macula voluntatem in lege Dei habentes, & mundaverunt sancta, & lapides contaminationis projecerunt, i. non idoneas personas amoverunt ab Ecclesia, & bonas plantaverunt, ut de lapidibus vivis ædificetur domus Dei, sicut dicitur 1. *Pet.* 2. Narrat autem Josephus, quod quando Romani vendiderunt Sacerdotium, statim ignis perpetuus extinctus est, ut habetur 2 *Mach.* 1. Sic, quia tales hodie introducuntur in Ecclesiam; ignis Sp. Sancti jam non ardet in Ecclesia; sed refrigescit charitas abundante iniquitate, ut dicitur *Matth.* 24. Flagellum autem, quo tales debent ejici, debet habere triplicem funiculum.
Primus, est charitas diligens salutem proximi.
Secundus, est zelus irascens contra vitia proximi.
Tertius, est innocentia, sive serenitas conscientiæ, ne possit reprehendi de simili, de quo alium reprehendit. Hic triplex funiculus alligatur baculo auctoritatis: & fit flagellum, quo expelluntur minus idoneæ personæ ab Ecclesia Dei. De primo dicitur 2. *Cor.* 5. Charitas Christi urget nos. De secundo dicitur *Ps.* 118. Vidi prævaricantes, & tabescebam, &c.
Item *Ps.* 72. Tabescere me fecit zelus meus.
Item *Ps.* 72. Zelavi super iniquos, &c. De tertio dicitur 1. *Cor.* 4. Nihil mihi conscius sum. Et *Matth.* 7. Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Et 2. *Cor.* 5. Scientes timorem Domini, hominibus suademus; Deo autem manifesti sumus: spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse. Hic est triplex funiculus, qui difficile rumpitur. *Eccl.* 4. Quia si reprehensio Prælati sic sit disposita, nullus ei poterit resistere. *Osee* 11. In funiculis Adam traham eos &c. Vel aliter funiculi sunt peccata, sive perplexitates peccatorum. *Ps.* 118. Funes peccatorum circumplexi sunt me, quibus trahitur peccator ad infernum. Similiter perplexitatibus ligatur, ne possit facere bonum. *Prov. c.* 5. Funibus peccatorum suorum quisque constringitur. De his funiculis facit Dominus flagellum, quando peccatori peccata convertit in tormentum: ut sic ipsa peccata eum ejiciant a peccatis. Unde *Jer. c.* 2. Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te. Et 2. *Mach. c.* 9. De Antiocho dicitur, quod cum ipse fœtorem suum jam ferre non posset, ait; Bonum est, talem esse subditum Deo. Per illud flagellum ejicit Dominus de templo suo, idest, de corde alicujus peccatoris conversi ad pœnitentiam, oves, & boves, & columbas, & æs.
Per ovem intelligitur hypocrisis, & simulata innocentia.
Per bovem, pigritia, & immunditia. Per columbam, quæ volat, elatio, & superbia. Per æs intelligitur cupiditas, & avaritia. Hæc omnia debent ejici ab anima, quæ est templum Dei, ut dicitur 1. *Corinth.* 6. *Vel* aliter: Oves in Ecclesia sunt hypocritæ Sacerdotes, & ignari, quia amovendi sunt; quia si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt, ut dicitur *Matt.* 15. Tenentur enim Sacerdotes, ut sciant discernere inter lepram, & lepram. *Malach.* 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam.
Per boves intelliguntur illi, qui nimis inhiant terrenis laboribus, & negotiis sæcularibus. De quibus dicitur *Lucæ c.* 14. Juga boum emi quinque, & eo probare illa, idest, omnem sensum meum excitare in terreno labore. 2. *Tim.* 2. Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis. Omnes ergo tales ejiciendi sunt. Unde sequitur.
d Oves quoque, & boves] ejecit, supple.
e Et nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit.] Nummularii sunt, qui in Ecclesia quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, contra Apostolos ad *Phil.* 2. Æs eorum effundere, est quæstum eis subtrahere; Mensas subvertere, in quibus lucrati sunt, est beneficia eis auferre. *Job c.* 20. Divitias, quas devoravit, evomet, &c. Sed cavere debet Prælatus, ne illectus pecunia, accipiat ab eis partem, ut sinat eos permanere in vitiis suis, & inquinare domum Dei; quia Christus effudit æs eorum, non accepit.
Et de hoc dicit *Bernard. ad Eugen.* Tu flagellum tenes, timeant nummularii, nec fidant in nummis, sed diffidant: abscondant æs suum a te, scientes effundere, quam accipere paratiorem.
g Et his, qui columbas vendebant, dixit. Auferte ista hinc.] Columba non habet amaritudinem fellis in epate, & non multam constructionem faciens in nido, & gemit pro cantu.
Columbas ergo vendunt, qui gratiam mansuetudinis, vel asperitatis vitæ, vel gemendi, & plorandi, vel aliquam aliam gratiam ad oblectationem, & inanem laudem convertunt, ut hypocritæ. De quibus dicitur *Matt. c.* 23. Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, Unde *Augustin.* inducit hypocrisim loquentem, in libro de conflictu vitiorum, & virtutum; & dicit hypocrisis, quia nihil boni in absconditu facis, ne a cunctis cognitus deteſteris, finge te foris esse, quod intus non appetis. His dicit Christus. [Auferte ista hinc,] quasi dicat, in talibus intentionem vestram mutate, quia sic dicit *Aug.* Simulata æquitas, sed duplex iniquitas. Hoc est crimen pessimum, de quo accusabat Joseph fratres suos apud patrem secundum *Richard. de S. Victore Genes.* 37.
h Et nolite facere domum patris mei, &c.] Tribus modis fit domus Dei domus negotiationis.
Primo modo, quando personæ Dei tractant negotia. Et hoc est contra illos, qui in Ecclesia Dei, vel in religione maxime negotiationes exercent, & causas, & litigia tenent, & habent. *Psal.* 70. Quoniam non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini, 1. *Corinthior.* 6. Jam quidem omnino delictum in vobis est, eo quod judicia habeatis inter vos, *Bernardus ad Eugenium.* Qui dicunt, quod de celsitudine sedis, sit judicare, & ligantes audire, puto, quod non monstrabunt, ubi alicubi quispiam Apostolorum Judex sederit hominum, aut diversorum terminorum, aut distributor

* terrarum

▲ fecerat Tobias, & projeci vasa domus Tobiæ foras de gazophylacio. *Ps.* 70. Quoniam non cognovi negotiationem, introibo in domum Domini. Et nota, quod sicut dicit *Aug.* Si talia prohibet Deus fieri in loco orationis, quanto magis potationes, & cetera graviora. *Jer.* 7. Posuerunt offendicula sua in domo, in qua invocatum est nomen meum. Et *eod.* Numquid spelunca latronum facta est domus ista, dicit Dominus. Hic autem quæritur primo, quare in isto facto durius processerit Christus, quam alibi: Cum tamen durius videatur debuisse agere contra eos, quando contumeliam, & convicium passus est ab eis, qui Samaritanum, & dæmonium habentem eum dicebant, *ias.* 8. Ad hoc respondet *Chrys.* quod quia Christus in sabbato curaturus erat, & multa facturus, quæ videbantur Judæis contra legem esse; ideo in principio suæ prædicationis, ut removeat hanc suspicionem, zelum assumpsit pro domo Dei; quia qui sic zelat pro domo Dei, Dominatori domus non est contrarius. Sed ne aliquis crederet, quod illud faciendo simularet magis zelum, quam haberet; ideo non fecit illud simpliciter, sed periculose, quia non simpliciter ejecit, sed mensas subvertit, & argentum effudit. Si enim hypocrita fuisset, monuisset solum; in pericula vero non se immisisset inter caupones furentes, & plebem negotiatorum irrationabilem, quam damnificabat. Secundo quæritur, cum bis hoc factum fecerit, & de uno illorum dicatur hic, & de alio, *Matth.* 21, quod istorum fecerit prius? Ad hoc respondeo, quod secundum textum, & secundum *Chrys.* & secundum *Aug.* hoc quod dicitur hic, factum est in Pascha sequenti post Baptismum Christi in initio suæ prædicationis; illud autem, quod dicitur *Matth.* 21. factum est imminente tempore Passionis, quinta scil. die ante Passionem suam. Tertio quæritur de diversitate istius facti, & illius. Hic enim habetur: Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis: Ibi autem habetur. Fecistis illam speluncam latronum. Item hic dicit, quod fecit flagellum, ibi de flagello non loquitur. Ad hoc dicit *Chrys.* quod Christum docuit in initio suæ prædicationis mitius, & modestius arguere, Unde dicit: Domum negotiationis; postea vero durius. Unde dicit: Speluncam latronum. Ad aliud dico, quod potest esse, quod utrobique fecit flagellum, licet non legatur. Vel melius potest solvi, quia primo, & secundo fecit flagellum; sed flagellum non exprimit in secunda ejectione ad significandum, quod quosdam in præsenti percutit flagello disciplinæ, secundum illud *Heb.* 12. Flagellat omnem filium, quem recipit. Et *Apoc.* 3. Ego quos amo, arguo, & castigo. In futuro autem non percutit ad correctionem, sed ad perpetuam damnationem. Unde genus flagelli non exprimit, ad significandum, quod non potest exprimi. Vel aliter potest dici, quod in prima ejectione docuit, ut qui mansuetus fuit in verbo, esset durus in facto; ut simul essent misericordia, & veritas, quia & mansuete eis dicit: Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis, & tamen cum mansuetudine verbi adhibuit severitatem flagelli. *Ps.* 24. Universæ viæ Domini misericordia, & veritas. *Prov.* 3. Misericordia, & veritas non te deserant. In secunda autem ejectione, ubi durior fuit in verbo vocans eos quasi latrones, decuit ut mitior esset in facto, Unde ibi non fit mentio de flagello.

a Recordati vero sunt,] vel post mansuetudinem, vel tunc etiam, secundum *Chrys.*

b Discipuli ejus,] qui secum erant, non Pharisæi.

c Quia scriptum est] in *Ps.* 68. *d* Zelus domus tuæ comedit me,] Quod quidam exponunt, i. causa meæ Passionis fuit. Sed melius exponitur.

e Comedit me,] i. pungendo, ut ita facerem, impulit. Unde *Gl. Aug.* Bonus zelus est fervor animi, quo mens abjecto humano timore pro defensione veritatis accenditur, ab eo comeditur; qui quælibet prava, quæ viderit, corrigere satagit; si nequit, tolerat, & gemit. Sed cavendum est, ne attribuatur aliquid Christo imperfectum. Sicut enim in fide Christus perfectionem ipsius fidei habuit, & non imperfectionem, ita & in ira zeli non habuit turbationem, quæ imperfectionem reliquit in subjecto; sed essentiam ipsius virtutis habuit. Determinato autem, qualiter Discipuli devoti se habebant ad hoc, quod fecit, determinat qualiter se habuerunt Pharisæi indevoti, dicens:

▲ *a* Responderunt

Moraliter. * terrarum. Stetisse denique Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego, erit illud, non fuit. In hujus vitii detestationem respondit Christus cuidam. *Luc.* 12. Homo, quis me constituit Judicem, aut divisorem inter vos? Secundo modo faciunt domum Dei, domum negotiationis, qui res domus Dei ita expendunt, & dant parentibus, ac si eas negotiando acquisivissent. Contra quos dicit *Bern.* Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur: Sane patrimonia sunt pauperum, facultates Ecclesiarum, & sacrilega illius crudelitate surripitur, quidquid ministri, & dispensatores, non utique domini, vel possessores, ultra victum accipiunt, & vestitum. Tertio domum Dei faciunt domum negotiationis, quando ad litteram in Ecclesiis tractant negotia sæcularia, ubi deberent attendere spiritualibus. *Aug.* In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est. *Gen.* 28. Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli, q. d. non est domus mendaciorum, & nugarum, vel negotiationum. *August. in sermone quodam de tenendo silentio in Ecclesia*: Quanta sollicitudine observamus, quando nobis corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat: tanta sollicitudine observemus, ne verbum Dei, quid nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corpore nostro exeat. *a* Recordati vero sunt discipuli, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.] Boni subditi, quando vident dispositionem Prælati corrigentis, ex hoc ipso perpendunt, quo animo corrigat: utrum scilicet trahat eum zelus, vel furor, vel ostentatio dominii. Hæc enim tria consueverunt diversos Prælatos diversimode movere ad corrigendum. De furore dicitur *Job* 16. Collegit furorem suum in me, & comminans mihi infremuit contra me dentibus suis. Et *Psalm.* 57. Furor illius secundum similitudinem serpentis. Tales enim non sibilum levis correctionis, sed flatum furoris spirant in subditos. Et tales magis urunt, & consumunt virorem gratiæ, & boni operis in subditis flatu suo; sicut draco, qui flatu suo urit, & consumit, maxime herbas, idest novellas animas novitiorum. Contra illos autem, qui volunt ostentare Dominium, dicitur *Luc.* 22. Reges gentium dominantur eorum; & qui potestatem habent in eos, benefici vocantur: vos autem non sic. 1. *Petr.* 5. Non ut dominantes in Clero, sed forma facti gregis ex animo. Et *B. Bernard. ad Eugenium*: Planum est, inquit, Apostolis interdicitur dominatus: Igitur & tu tibi usurpare non aude, aut dominans Apostolatum, aut apostolicus dominatum, plane ab alterutro prohiberis. Si utrumque simul habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te exceptum putes de numero illorum, de quibus conqueritur Deus; Ipsi regnaverunt, & non ex me. *Osee* 8. De tertiis, qui ex zelo, non ex furore, vel dominio corrigunt, ut dicitur hic: [Zelus domus tuæ comedit me.] *Isa.* 11. Egredietur virga de radice Jesse, idest, correctio de incendio zeli, & charitatis, & flos de radice ejus ascendet, quia talis correctio fructifera, & utilis est. Et dicit;

a Recordati vero sunt *b* discipuli ejus, *c* quia scriptum est: *d* zelus domus tuæ *e* comedit me.

e Comedit me,] i. me, quasi consumpsit, sicut dicit *Psal.* 118. Tabescere me fecit zelus meus, quia istud mirabiliter cruciat, & extenuat. Ad litteram, bonos Prælatos. *Psalm.* 118. Vidi prævaricantes, & tabescebam. 2. *Cor.* 11. Præter ea, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum: quis infirmatur, & ego non infirmor: quis scandalizatur, &c. Et dicit *Gregor.* quod nullum sacrificium ita placet Deo, sicut zelus animarum. Vel aliter. Zelus domus Dei comedit illos, qui usque ad mortem zelant Ecclesiam Dei, qui pro Ecclesia morti, vel periculo mortis se exponunt, sicut Mathatias, & filii sui. 1. *Mach.* 2. Vidit Mathatias, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundum judicium legis, & insiliens trucidavit eum super aram. Simile habetur *Num.* 25. de Phinees. Sic etiam exponitur de Christo.

d Zelus domus tuæ,] idest, zelus, quo zelavi domum tuam, vel quo Judæi zelati sunt in me.

e Comedit me,] i. fuit causa meæ Passionis, quia Sacerdotes ex hac ejectione zelum invidiæ, & odium incurabile conceperunt in Christum, propter oblationes, quas amiserant pro hoc facto. *Zach.* 1. Zelatus sum Jerusalem, & Sion zelo magno. Sequitur.

▲ *a* Responderunt

a Responderunt ergo Judæi, & b dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? c respondit Jesus, & dixit eis: d Solvite e templum hoc, & in f tribus diebus excitabo illud. g Dixerunt ergo Judæi: h quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc: & i tu in tribus diebus excitabis illud?

a Responderunt ergo Judæi] non verbis, sed facto ipsius. b Et dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?] i. quod signum ostendis, ut per illud demonstres, te habere potestatem talia faciendi in domo Domini? Hic quæritur, quare ipsi ita patienter tulerunt, præcipue cum avari magis offendantur de effusione rerum, quam proprii sanguinis? Item, quare non sunt offensi de hoc, quod dixit se filium Dei, cum dixit: Nolite facere domum Patris mei, &c. cum *inf.* 8. etiam pro hoc solo voluerunt eum lapidare. Item *Matth.* 21. post hujusmodi factum exasperati fuor graviter in eum, & non hic? Ad primum solvit *Chrys.* quod isti pro turpi lucro suo intercisio dolentes simulaverunt avaritiam, & signum in dolo quæsierunt ab eo; ut eum sic cessare facerent a persecutione eorum, & ut in signo faciendo eum occuparent. Ad aliud respondeo, quod cum hic diceret, Deum Patrem suum non sunt offensi; quia credebant, quod hoc simpliciter diceret, non Patrem naturaliter, sed adoptione, vel creatione, secundum quod in *Ps.* 81. dicitur; Ego dixi: Dii estis, & filii excelsi omnes, sed *inf.* ubi innuit parilitatem, & Majestatem, intellexerunt, quod naturalem filium se esse diceret. Ad aliud dicendum, quod *Matt.* 21. post ejectionem negotiatorum curavit infirmos, & ideo magis invidia moti exasperati sunt, hic autem non ita, ubi tantum expulsi sunt, quia stupebant ad novitatem. Et quia sicut dicit *Chrys.* aliorum beneficia magis eos exacerbaverunt, quam propria convicia, quæ in ære superabundabant. c Respondit Jesus, &c.] q. d. vos quæritis signum, in qua potestate hoc faciam, sed ego non do vobis signum potestatis; sed dico vobis significationem hujus facti: quia sicut templum hoc materiale vos inquinatis, & ego emundo ita templum corporis mei, vos dissolvetis, & ego resuscitabo. Sic videtur continuare *Glos. Aug.* Vel aliter. d Solvite, &c.] q. d. vos quæritis signum potestatis; sed non dabo vobis signum nisi humilitatis, & passionis. Et habetur sicut *Matt.* 12. Generatio prava, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Dicit ergo, d Solvite,] i. solvetis sicut illud *inf.* 13. Quod facis, fac citius, i. facies. e Templum hoc,] i. significatum per templum hoc, sive corpus meum, quod est templum Divinitatis, quod præsens est vobis. f Et in tribus, &c.] a morte quasi a somno. Pars autem ponitur pro toto, quia non totis diebus tribus naturalibus jacuit in sepulchro; sed partem Parasceves; & illa ponitur pro tota die, & noctem, & diem sabbati, & noctem Dominicæ, & diluculo ejusdem diei resurrexit. Incidit autem dubitatio, quare Dominus non ostendit eis signum, quod petebant.

Item quare dedit eis non apertum, sed ænigmaticum responsum, quod neque Discipuli intellexerunt tunc? Respondeo: Non dedit eis signum, quia dolosam eorum mentem agnovit. Alia ratio est, quia simpliciter bonum erat eripere templum Domini a tanta inhonestate, & ideo signum super hoc non oportuit dare. Tertia ratio est, quia zelus sufficiens erat signum virtutis. Ad id, quod quæritur: quare eis obscure locutus est? Dicendum, quod ipse loquitur, secundum quod competit audienti: Ipsi enim imbecilles erant ad capiendum ardua, unde non aperte locutus est, ne nimis exasperarentur contra eum. Per hoc enim, quod dixit: [Solvite templum hoc] significat, quod Deitas habitabat in eo. Et per hoc quod dicit: [Excitabo] significavit virtutem Resurrectionis. Et si hæc duo aperte dixisset, quod scil. esset Deus, & quod a mortuis esset propria virtute resurrecturus, scandalizati essent. Ideo hoc ænigmatice significavit, ut post rei impletionem esset omnibus manifestum, quod dixerat obscurum. Hæc duo ostendit similiter Paulus de Christo. *Rom.* 1. Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex Resurrectione mortuorum.

g Dixerunt ergo Judæi,] quia quæ spiritualiter dixerat, carnaliter intelligebant. h Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc.] Sicut dicit *Chrys.* & *August.* loquuntur de ædificatione facta sub Zorobabel, non de illa, quæ sub Salomone. Illa enim in viginti annis completa fuit, ista in quadraginta sex, non quod continue per tot annos ædificaretur, sed quia tot anni fuerunt a die inceptionis usque ad diem consummationis.

i Et tu in tribus diebus excitabis illud?] quasi dicat, impossibile.

Moraliter.

a Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?] Discipuli boni pro bono habent correctionem sui Prælati; sed mali quando corriguntur, quærunt signum potestatis, vel sanctitatis, vel scientiæ. Et sunt duo genera talium, qui volunt reprehendi. Quidam enim non patiuntur se corrigi, nisi ab illis, qui potestatem habent prælationis, vel auctoritatem magnæ scientiæ, & sanctitatis. Unde *Exod.* 2. Quis te constituit Principem, & Judicem super nos, q. d. ubi est auctoritas potestatis, vel signum excellentis scientiæ, vel operum. Et *Genes.* 19. Ingressus es ut advena, numquid ut judices? q. d. advena es, & exul, nec notus auctoritate, vel scientia, vel sanctitate. Sed mirabile est, quod tales quærunt signum, cum nihil dicatur eis, nisi quod manifeste est verum, & bonum.

Unde *Chrysost.* O de ultima insania! signo ne opus erat, ut ea, quæ male fiebant, cessare faceret, & domum Dei eriperet a tanta verecundia? Alii sunt, qui in quibuslibet reprehensionibus quærunt, quod prælatus idem faciat, quod monet fieri: & nolunt facere, nisi ille faciat. Contra quos dicit Dominus *Matth.* 23. Quæ dicunt, facite; secundum vero opera illorum nolite facere. *Isa.* 50. Si non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem contra Prælatum tuum murmurando, & signum operis petendo: tunc delectaberis super Domino. Ista murmuratio contra Prælatum est solum illud, in quo invenitur Job locutus fuisse, sicut ipse dicit 39. Unum locutus sum, quod utinam non dixissem.

Exponit *Greg.* quod dixerat, quod injuste, & sine causa flagellaretur. Et ita dicunt incorrigibiles homines, quando disciplinantur.

c Respondit Jesus, & dixit eis,] d Solvite,] i. solvetis. e Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.] Nos sumus templum Dei, sicut dicitur 1. *Cor.* 6. & 1. *Cor.* 3. & *Lev.* 26. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea. Hoc templum solvimus, & profanamus per peccatum mortale. 1. *Mach.* 2. Templum ejus sicut homo ignobilis, vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt. Et 2. *Mach.* 6. Templum luxuria, & commessationibus erat plenum, & scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant. Sed hoc templum in tribus diebus excitatur, i. in triplici cognitione, scil. peccati, ad detestandum, & cavendum; proximi, ad subveniendum, & Dei, ad diligendum. Vel tres dies sunt, dolor pro delectatione peccati, pudor, pro turpitudine, timor ne recidivet iterum pro ipsius peccati tenacitate, & hominis debilitate. Unde *Ps.* 37. Cor meum conturbatum est, ecce dolor: dereliquit me virtus mea, inde timor; & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum, ecce pudor: quia verecundus homo præ verecundia non audet aliquem respicere, sed suffunditur facies, & oculi pudore. Vel tres dies, contritio, confessio, satisfactio. *Gen.* 40. Tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gaudium pristinum. *Jonæ cap.* 3. Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur, idest, a peccatis convertetur. Et sic spiritualiter reædificabitur, quia destructio peccati est ædificatio templi.

g Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?] Verbum est desperantium, qui non credunt, quod vitam bonam, quam longo tempore prius acquisierunt, & per peccatum sequens amiserunt, subito possit per pœnitentiam restaurari: qui duri sunt ad credendum Dei misericordiam, quæ excedit omnem culpam. *Eccl.* 3. Cor durum male habebit in novissimo; & qui amat periculum, peribit in illo. *Job* 22. Dicebant Deo: Recede a nobis, & quasi nihil possit facere Omnipotens æstimabant illum. Tales enim ideo omnino expellunt a se Deum, quia de venia obtinenda, & gratia restauranda non confidunt, sicut Cain. *Gen.* 4. Unde *August.* in *lib. de conflictu vitiorum, & virtutum*, ponens verba desperationis, dicit,

a Ille autem dicebat de templo corporis sui. *b* Cum ergo resurrexisset a mortuis, *c* recordati sunt discipuli ejus, *d* quia hoc dicebat, *e* & crediderunt Scripturæ, *f* & sermoni, *g* quem dixit Jesus. *h* Cum autem esset Jerosolymis in Pascha in die festo, *i* multi crediderunt in nomine ejus, *k* videntes signa ejus, quæ faciebat. Ipse *l* autem Jesus non credebat semetipsum eis, *m* eo quod ipse nosset omnes, & *n* quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse *o* enim sciebat, quid esset in homine.

impossibile est: & ideo multo impossibilius judicassent, si aperte aliquid spirituale dixisset eis.

a Ille autem, &c.] Hæc sunt verba Evangelistæ. Et occurrit hic multiplex quæstio de littera. Prima quæstio est, secundum quam rationem similitudinis loquitur de corpore suo tanquam de templo. Secunda quæstio est, quare ipse dat eis signum de Resurrectione, licet ænigmatice in facto, quod respicit honestatem templi potius quam in alio? Respondeo ad primum, quia templum est habitaculum Dei, in quo exhibet charismata devotis: ideo corpus Christi dicitur templum, cui Deitas unita est, & in Sacramentis corporis ejus, tanquam in materia quadam redemptionis nobis exhibentur duna gratiarum. Item secundum *Glos.* sumitur similitudo ex parte fabricationis templi, quia sicut templum quadraginta sex annis; ita corpus Christi quadraginta sex diebus, non dico organizatum, sed de exilibus organis, quæ habuit in instanti conceptionis ad notabilem quantitatem deductum est. Item sicut in templo acceptæ sunt oblationes; ita in Christo in Passione corporis ejus omnis nostra actio, & oratio est accepta. Unde & orationes finiuntur: Per Dominum nostrum Jesum Christum. Ad secundum dicendum, quod nihil ita ostendebat Deitatem, & Potestatem, sicut suscitatio sui ipsius, Hoc enim maximum est, cum creatæ virtutis nihil post mortem in corpore remaneat: & ideo cum immediatus auctor templi sit Deus, cum voluit ostendere se auctorem templi, ostendit hoc per id, quod maxime Deitatis est manifestativum, dicens. Solvite templum, &c.] q. d. vos quæritis signum meæ potestatis: & ego do vobis signum licet obscurum meæ Resurrectionis, per quod me Deum cognoscere poteritis, cum me resurrexisse videritis. Et habetur simile *inf.* 8. Quando exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, per Resurrectionem scil. Ad quid autem dixerit hoc, ostendit subdens.

b Cum ergo, &c.] de corpore suo, quod scil. a morte solvendum erat, & a se suscitandum. Propter hoc enim prædixerat illud, ut dicti ejus recordarentur, & crederent. Unde sequitur, *e* Et crediderunt Scripturæ] Prophetarum, qui prædixerant, Christum tertia die resurrecturum. *f* Et sermoni] ejus, huic scil. Solvite templum hoc, & in triduo excitabo illud.

g Quem dixit Jesus] prophetice. Unde cum prophetia habeat cognosci, cum evenerit, post Resurrectionem hoc intellexerunt, & crediderunt. Ante enim non intellexerant, quia adhuc imbecilles erant ad intelligendum, & infirmi ad credendum.

h Cum autem, &c.] i. in Paschali tempore festivo, vel in diebus Paschalibus festivis. Et sic ponitur singulare pro plurali. Vel dies festus specialiter dicitur dies primus, & septimus, *i* Multi crediderunt in nomine ejus] i. in virtute operante miracula per ipsum.

k Videntes signa ejus, quæ faciebat] quia Judæi signa quærunt; Græci autem sapientiam, 1. *Cor.* 1. Inter Judæos autem, ut dicit *Chrys.* quosdam rudiores signa trahebant; rationabiliores vero Prophetiæ. Et illi, qui a doctrina trahebantur, potiores erant illis, qui a signis, Unde *inf.* 20. Beati, qui non viderunt, & crediderunt, Unde dicitur de discipulis, quod crediderunt Scripturæ, & sermoni Christi: de aliis autem dicitur, quod crediderunt signis. Sed quia non est vera fides, quæ solum a probatione miraculorum pendebat: ideo sequitur.

l Ipse autem, &c.] i. non confidebat de eis, ita ut committeret eis secreta suæ instructionis, & ut acciperet eos in testes Resurrectionis, & hujusmodi. Vel secundum *Glos.* [Non credebat semetipsum eis] ut familiariter habitaret cum eis. *m* Eo quod ipse nosset omnes] tanquam Deus. *Psal.* 7. Scrutans corda, & renes Deus, *Prov.* 16. Spirituum ponderator est Dominus. 1. *Reg.* 16. Deus intuetur cor. *n* Et quia, &c.] quia plus scit de homine, quam homo de se.

o Ipse enim sciebat, quid esset in homine] i. quid est, vel esse potest in mente hominis. *Heb.* 4. Omnia nuda, & aperta oculis ejus, &c.

Moraliter. * Ecce ut cernis, mala semper consuetudine obligatus teneris, & conaris exurgere; sed peccatorum oneribus prægravatus relaberis: Quid ergo agendum est, quando de præteritis certa damnatio imminet, de præsentibus emendatio nulla succurrit, nisi ut admittantur rerum temporalium voluptates, dum consequi nequeunt futuri sæculi oblectationes.

a Ille autem, &c.] Optimum est remedium contra objectionem desperationis, quia quod Christus dicit de poenitente, hoc dicit de templo corporis sui, i. de membro corporis sui. Unde quando Christus reædificat penitentem, tunc reædificat, & restaurat templum corporis sui. Christo ergo non est difficile nos restaurare, cujus sumus corpus, & membra. Sed quia hoc peccator excæcatus non recogitat, vel intelligit, donec fuerit a peccato curatus: ideo seq. *b* Cum ergo, &c.] non in capite, sed in membris, quod fit in justificatione peccatorum. *c* Recordati sunt, &c.] imitatores, & disciplinati correptione ejus. *d* Quia hoc] de corpore suo [dicebat.] Post justificationem enim a peccatis considerat homo, quod Dei gratia potuit resurgere in unitatem corporis Christi. *e* Et] jam virtutum Dei experti [crediderunt Scripturæ] hoc promittenti, quia in prophetis promittit remissionem peccati *Ezech.* 18. Quacumque die ingemuerit peccator, &c. *f* Et sermoni, quem] quia etiam hoc promittit in Evangelio. Talis Discipulus fuit Paulus, qui dicit ad *Tit.* 3. Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Et *Ps.* 76. Et dixi: nunc cœpi, q. d. quod ante capere non poteram, cum eram in peccato, justificatus capio, & intelligo. *Ps.* 118. A mandatis tuis intellexi. *Isa.* 64. descendisti, & a facie tua montes defluxerunt, a sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt. Cum enim Deus descendit ad cor, & infundit gratiam, defluunt montes, i. peccatorum obstacula, vel motus superbiæ. Et tunc audit homo, & intelligit, & sentit quod numquam senserat, scil. dulcedinem, & requiem serenæ conscientiæ, & quam dulce sit servire Christo, & facile, *Matt.* 11. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Ideo peccatores decipiuntur, quia non credunt, nisi amaritudinem in servitio Christi. *Ps.* 30. Qui videbant me foras, fugerunt a me, Sed sicut dicit *Sap.* 8. Non habeat amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam, & gaudium. *Bern.* Multi vident nostras cruces: sed non vident nostras unctiones. Seq. *h* Cum autem esset Jerosolymis &c.] Quando Jesus est in Jerusolymis in die festo; tunc multi credunt propter signa, quia in tempore prosperitatis Christus se exhibet hominibus beneficum: tunc Deo serviunt, sed hoc propter signa, i. propter ipsa prospera, quæ videntur homini esse signa amoris, cum tamen magis sint e contrario, quia dicit *Greg.* quod continuus successus temporalium bonorum est quoddam æternæ damnationis indicium. Tales ergo credere videntur propter signa, qui & hic volunt habere lævam prosperitatis temporalis, & in futuro dexteram æternæ jucunditatis, sicut dicitur *Cant.* 2. *Psal.* 48. Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Sed in die turbulento, cum non exhibentur hæc signa, tunc recedunt, sicut dicitur: Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Dupliciter enim peccant, vel cum illecti prosperitate tentantur a suis concupiscentiis, vel cum tempore adversitatis tribulationibus franguntur.

Luc. 8. * Hi sunt duo insultus fortunæ, sicut dicit *Greg.* Et *Prov.* 1. Aversio parvulorum interficiet eos, i. tribulatio, & prosperitas stultorum perdet eos. *Jac.* 1. Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, ecce aversio: & illectus, ecce concupiscentia. Et quia tales temporales sunt, & non stabiles, ideo sequitur,

l Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis] quia tamen instabilibus Dominus magnam gratiam non confert, quia sunt in signis; quia non mittit novum vinum in utres veteres, ne rumpantur, & effundant illud, ut dicitur *Matt.* 9. *Eccl.* 21. Cor fatui quasi vas fractum, & omnem sapientiam non tenebit. *m* Eo quod ipse nosset omnes] qui novit abscondita cordis. *Prov.* 16. Omnes viæ hominum patent oculis ejus, & ideo non potest falli. *n* Et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: Ipse enim sciebat, quid esset in homine.] *Chrys.*

Chrys. Non indiget testibus, ut propriorum plasmatum mentes discat. Et nota, quod non est mirum, si Christus non credit se multis, quia in omnibus invenit standem, etiam in familiaribus suis. *Job.* 4. In Angelis suis, idest, in ministris Ecclesiæ, reperit pravitatem. *Phil.* 2. Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi. *Prov.* 20. Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet? *Bern.* Videtur, bone Jesu, adversum te conjurasse universitas Christianorum: & illi in persecutione tua primi sunt, qui in Ecclesia tua videntur primatum tenere, & gerere principatum. Christus enim in confœderatis sibi non invenit fidelitatem, nec in cognatis, nec in commensalibus. Et in tribus præcipue deberet inveniri fidelitas. Sed Christus in nullis invenit. Fœderati, & pacificati cum Domino sumus in sponsione baptismatis, vel in pacto Religionis, vel in promissione satisfactionis in confessione. Sed hæc omnia infringimus, & a fœdere Domini recedimus. *Jer.* 38. Seduxerunt te, & prævaluerunt adversum te viri pacifici mi.

Item fratres, & cognati Domini sunt, qui participes sunt hæreditatis ejus. *Cant.* 1. Filii matris meæ pugnaverunt contra me, qui scilicet patrimonium Crucifixi sibi condividunt.

Item commensales Domini sunt, qui mensæ Scripturæ, vel Altaris participant. *Psal.* 40. Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem, i. Theologi, & Sacerdotes.

CAP. III.

a ERat *b* autem homo ex *c* Pharisæis, *d* Nicodemus nomine, *e* Princeps Judæorum, Hic *f* venit ad Jesum nocte, & *g* dixit ei: *h* Rabbi, *i* scimus, quia a Deo venisti Magister. *k* Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

EXPOSITIO CAP. III.

ERat autem homo ea Pharisæis, &c.] Hic incipit tertium capitulum. Et dividitur in duas partes principales. Prima est de Nicodemo. Secunda est de reditu ipsius Christi in Judæam, & zelo discipulorum Joannis, *ibid.* [Post hæc venit Jesus, & discipuli ejus in terram Judæam. Prima pars dividitur in tres partes. In prima describit Evangelista Nicodemum. In secunda ponit adventum, & locutionem ejus ad Jesum, ubi dicit. [Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei: Rabbi, &c.] In tertia ponit responsionem Domini ad Nicodemum de tribus. Primo, de Baptismo ibi. [Nisi quis natus fuerit.] Secundo de passione, & Ascensione, ibi [Et nemo ascendit.] Tertio, de judicio, & redemptione, ibi. Sic enim Deus dilexit mundum, &c.] Aliam partem dividemus loco suo. Dicit ergo primo sic. *a* Erat autem homo.] Dixerat in fine præcedentis capituli, quod multi crediderunt in eum, videntes miracula, quæ faciebat, sed tamen debiles erant in fide: & ideo Jesus non credebat semetipsum eis, i. secreta doctrinæ suæ eis non committebat. Multi ergo eorum, qui crediderunt, non ulterius profecerunt in fide, sed revertebantur ad propria. *b* Autem] sed [erat homo] inter eos, qui sic crediderant. *c* Ex Pharisæis,] qui credunt resurrectionem, sed non ut expedit. *d* Nicodemus nomine princeps Judæorum,] i. unus ea Principibus. Notificat autem a natura. [Homo.] A professione, & secta. [Ea Pharisæis.] Ex nomine. [Nicodemus.] Ex dignitate, & magisterio. [Princeps Judæorum] Iste est Nicodemus, qui pro Christo loquitur, *inf.* 7. Lex nostra non judicat hominem, nisi prius audierit, &c. Et qui eum sepelivit, *inf.* 19. Sed quæritur, quare Evangelista ita notificat, & describit istum? Et ad hoc potest dici, quia *inf.* 7. debebat facere mentionem de ipso, ubi ipsi aliis principibus obstat, mittentes ministros ad detinendum Christum. Ut ergo ratio sciatur, quare hoc fecit, & qualiter potuit hoc facere, describitur hic; quia magnus fuit, & instructus a Christo. Vel aliter, & puto, quod melius. Infra enim dicetur, quod multi ex principibus crediderunt in eum; sed propter Judæos non confitebantur, ne extra Synagogam fierent, *inf.* 9. Et hoc ideo, quia cum magni essent secundum fastum mundi, gloriam ab homine quærebant: ut ergo innuat Evangelista, quæ fuerit occasio pusillanimitatis ejus in fide, quam per miracula accepit, describit eum, quia Princeps erat Judæorum, nec facile relinquens fastum principatus. Et ideo etiam sequitur. *f* Hic venit ad Jesum nocte,] quia in die non audebat propter Pharisæos, vel quia Magister erat, palam discere erubescebat. In hoc etiam, quod dicitur [nocte] significatur, quod adhuc erat in tenebris infidelitatis, & ignorantiæ, & adhuc tenebatur obscuritate litteræ legalis. Nox enim, ut dicit *Glos.* significat litteram legis, vel ignorantiam cordis, vel timorem de Judæis. Et quod adhuc esset in nocte ignorantiæ, ostenditur per verba ejus, quæ sequuntur. *g* Et dixit ei] non credens, quod Deus esset, sed aliquis magnus Propheta, & amicus Dei. Et ideo sic format locutionem.

h Rabbi.] Confitetur ipsum non esse Deum, sed Magistrum, & se esse discipulum. Et sic ordina litteram [Rabbi] *sup.* quod est [Magister.] *i* Scimus, quia a Deo venisti.] Non dicit, tu es Deus, sed sicut alii Prophetæ a Deo missus venisti. Et rationem dicti inducit. [Nemo enim potest, &c.] vel aliter. *i* Scimus, quia a Deo venisti Magister,] i. quia magisterium tuum a Deo est: vel quia a Deo missus es ad docendum, quia doctrinam confirmant signa. *k* Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo]

Item non dicit, nisi fuerit Deus, quia hoc non credebat; sed per signa, quæ vidit ab eo fieri in Pascha, eum quasi Prophetam a Deo missum credebat. Simile *inf.* 91. Nisi esset hic homo a Deo, non posset facere quidquam. Sed videtur, quod falsum dicit: Multi enim mali signa faciunt, *Matt.* 7. Domine, nonne in nomine tuo signa multa fecimus. Respondeo, quod nullus facit signa, nisi fuerit Deus cum eo: sed non sequitur propterea, quod ipsi sint cum Deo; quia hominem esse cum Deo, punit imitationem hominis ad Deum in aliquo, scil. in voluntate: Deum vero esse cum homine, secundum quod hic sumitur, nihil dicit, nisi virtutem Divinitatis ostensivam; & hanc potest etiam malus habere. * Et ideo

Moralitur. Moraliter. *a* Erat autem homo, &c.] Nicodemus interpretatur effluxio terrenitatis. In hoc notatur cupiditas terrenorum, qua cor effluit ad terram, secundum illud *Eccl.* 10. Nihil est iniquius, quam amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua. *e* Princeps Judæorum.] In hoc notatur ambitio honorum, vel complacentia in honoribus. *f* Hic venit ad Jesum, nocte.] In hoc notatur timiditas ad bonum aggrediendum. Homines enim illecti amore divitiarum, & honorum timent aperte venire ad Christum, quia pigri sunt secundum illud *Prov.* 26. Dicit piger, leo est in via, & leæna in itineribus. Et *Prov.* 22. dicit piger, leo est foris: in medio platearum occidendus sum, q. d. piger: ego bene vellem agere pœnitentiam; sed timeo diaboli tentationem, quæ significatur per leonem, vel mundanam insultationem, quæ significatur per leænam; vel carnis nimiam asperitatem, ne occidat ante tempus meum. Contra quos dicitur *Job* 6. Qui timet pruinam, irruet super eum nix. Et *Eccl.* 11. Qui observat ventum, non seminat; & qui considerat nubes, numquam metet. Vel aliter. *f* Venit ad Jesum nocte.] Per hoc significantur quidam, qui volunt habere Jesum, i. salutem; & tamen nolunt relinquere noctem vitiorum, & involutationem, & obscuritatem terrenorum; qui volunt gaudere cum mundo, & regnare cum Christo. De quibus dicit *B. Bern.* Quam pauci, bone Jesu, post te ire volunt, cum tamen ad te pervenire quisque velit, hoc scientibus cunctis, quia delectationes sunt in dextera tua usque in finem. Et propterea te volunt frui omnes, at non ita & imitari: conregnare cupiunt, sed non compati. Contra quos dicitur *Luc.* 16. Non potestis Deo servire, & Mammonæ.

Et *Act.* 14. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum. Quod significatur 1. *Machab.* 10. ubi dicitur, quod Alexander misit Jonathæ purpuram, & coronam auream, ut dicitur ibi. Ut quæ nostra sunt, sentias nobiscum, & serves amicitias ad nos. Talia enim mittit Christus, & dat amicis suis purpuram tribulationis cum spe futuræ retributionis, quæ significatur per coronam: Corona enim non est sine purpura. 2. *Tim.* 2. Si compatimur, & conregnabimus.

h Rabbi, scimus, quia a Deo venisti Magister: Nemo enim, &c.] Multi rationem discipulatus non trahunt, nisi ex signis, idest, ex apertis beneficiis. Unde ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, ut dicitur *Luc.* 8.

* Et *Job* 4.

▲ Et ideo dicit bene, Nisi fuerit Dominus cum eo, & non dicit, nisi fuerit cum Deo. *a* Respondit Jesus, & dixit ei.] Voluntati Nicodemi, qui venerat, ut doceretur a Christo, propter quod dixerat ei: Rabbi scimus, &c. Primo autem docet eum, quod secunda generatio necessaria est ad salutem, *ibi*: Nisi quis natus, &c. Secundo de modo secundæ nativitatis, *ibi*: Nisi quis renatus fuerit ex aqua. Tertio per oppositum carnalis generationis spiritualem manifestat, *ibi*: Quod natum est ex carne. Quarto per similitudinem virtutis Spiritus S. ostendit ei non esse mirandum, si aliquis nascitur ex Spiritu sancto, *ibi*: Non mireris, &c. Quinto adhuc admirantem, & non perfecte credentem arguit, & ad humilitatem invitat, *ibi*: Tu es Magister in Israel, &c. Dicit ergo. *a* Respondit Jesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, &c.] Et continuatur sic secundum *Chrys.* Nicodemus æstimabat se magna dixisse de Christo, quia vocaverat eum Rabbi, & a Deo missum. Christus autem ostendit ei, quod neque januam ingressus est docentis, & necessariæ cognitionis, & ideo docere eum incipit de primordiis fidei, i. de Baptismo. Vel aliter. *b* Amen, amen, dico tibi,] q. d. tu speras, & credis resurrectionem futuram, quia Pharisæus es, & vis intrare in regnum Dei, & ideo ad me venis: & ideo doceo te viam. Et hoc est: Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit. Et nota, quod bis dicit amen, ad majorem confirmationem. *c* Nisi quis] i. quilibet, vel quicumque. *d* Natus fuerit denuo.] In Græco est, desuper. Et dicit *Chrys.* quod hoc exponunt Græci dupliciter, quia quidam legunt, desuper, i. de cœlo. Alii legunt, desuper, i. insuper, sive iterum. Et secundum hanc lecturam habet nostra littera denuo, i. secunda generatione, quæ est per Spiritum vivificantem, & illuminantem. *e* Non potest videre regnum Dei.] Sed contra. Illi, qui sunt in inferno, vident Sanctos Paradisi usque ad diem judicii.

> *a* Respondit Jesus, & dixit ei: Amen, *b* amen dico tibi, nisi *c* quis *d* natus fuerit denuo, *e* non potest videre *f* regnum Dei.

Unde *Ps.* 111. Peccator videbit, & irascetur. Et *Proverb.* 14. Jacebunt impii ante portas Justorum. *Luc.* 16. dives vidit Lazarum. Sed dicendum, quod hic est transitiva constructio: Non potest videre regnum Dei, i. regnum, quod est Deus: Soli enim mundo corde videbunt Deum regnantem in Sanctis, ut dicit *Matt.* 5. Vel, videre, sumitur pro experiri, & frui gaudio regni Dei. *Sap.* 10. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Vel aliter potest legi, ut continuetur ad hoc, quod isti non Deum, sed Rabbi missum credebant. Unde dicit. *e* Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre] i. perfecta fide cognoscere.

f Regnum Dei,] i. Deum, qui est regnum. Et est sensus: Tu dicis: quia veni a Deo, & quia potestatem miraculorum habeo a Deo, & non mihi sufficio. Nec mirum, quia nec tu, nec alius perfectam de me vero Deo cognitionem habere poteris, nisi fueris prius per Spiritum regeneratus. Et hæc lectura est *Chrysost.* Et nota, quod generaliter loquitur: Nisi quis natus fuerit: non dicit particulariter, nisi tu natus fueris. Et hoc facit duplici ratione. Prima, ut ostendat se generalem Doctorem. Secunda, ne indignaretur Nicodemus, si sermo doctrinæ specialiter ad eum dirigeretur, quia factum magisterii nondum deposuerat. Obscure autem eum dicit de Baptismo, ne nudam doctrinam contemneret. Item ut obscuritas eum studiosum, & inquirentem redderet, quia sicut dicit *Chrysostom.* quod manifeste dicitur, multoties transcurrit auditorem; quod autem obscure efficit ▲ studiosum

Moraliter. * Et *Job* 4. Tigris periit, eo quod non haberet prædam, i. exhibitionem beneficiorum. *Ps.* 73. Signa nostra non vidimus, i. beneficia modo recepimus, jam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius, q. d. jam non credimus ei. *a* Respondit Jesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei] Ad litteram instruit Nicodemum de secunda generatione, quæ fit per Baptismum.

Unde nota, illa, quæ fiunt in prima generatione, proportionabiliter fieri in secunda. In prima enim primo descendit semen, sic in secunda generatione per exorcismum. Virtute enim exorcismi quodammodo separatur a membris Diaboli.

Unde in exorcismo dicitur: Exi ab eo, Spiritus immunde. *Jer.* 31. Seminabo domum Israel, & domum Juda semine hominum, ex quo, scil. spiritualiter generantur homines. *Aggæi* 2. Numquid semen jam in germine est: & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum olivæ non floruit? Ex die illa benedicam, &c.

Item semen coagulatur in embrione per Catechismum, maxime in adulto, qui instruitur, & firmatur in fide. *Job* 10. Nonne sicut lac mulsisti me, ecce exorcismus: & sicut caseum me coagulasti, ecce Catechismus, idest, confirmasti. Deinde embrio organizatur per characteris impressionem.

Unde *Joannes Damasc.* Baptismus est principium vitæ spiritualis, & sigillum, & custodia, & illuminatio mentis, quantum, scil. ad characterem, per quem aptatur anima ad suscipiendam gratiam: deinde infunditur anima, sive vita spiritualis per gratiæ infusionem.

Unde ad hoc innuendum, descendit Spiritus sanctus super Dominum in Baptismo. *Matt.* 3. *Ezech.* 36. Effundam super vos aquam mundam, &c. Et postea sequitur: Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in visceribus vestris.

Item puer animatus nutritur: sic anima per gratiam animata, & vivificata nutritur per doctrinam. *Cant.* 7. Umbilicus tuus, i. Prædicatores sicut crater tornatilis numquam indigens poculis.

Item puer in utero movet se: sic anima per opera ascendet de statu in statum, sive de virtute in virtutem. *Psal.* 85. Deduc me, Domine, in via tua, & ingrediar in veritate tua.

Item *Psalm.* 83. Ibunt de virtute in virtutem, &c. *Sap.* 10. Justum deduxit Dominus per vias rectas. Sed e contrario mali non movent se, quia sunt mortui. *Exod.* 15. Fiant immobiles quasi lapis. *Osee* 7. Ephraim quasi panis subcinericius, qui non reversatur.

Item puer in utero dum non movet se, dormit: similiter anima dum non movet se per operationem, debet dormire per contemplationem: sicut Jacob post laborem itineris dormivit, & vidit Deum in somnis. *Genes.* 28. Et nota, quod somnus dulcior est post laborem: ita contemplatio post operationem. *Eccles.* 5. Dulcis est somnus operanti, sive multum, sive parum comedat, de pane, scil. Scripturæ. *Eccles.* 31. Somnus sanitatis in homine parco. *Proverb.* 3. Si dormieris, non timebis: quiesces, & suavis erit somnus tuus. Et sicut in somno solet homo aliquando videre futura, & visiones, sed tamen obscure; ita in contemplatione. *Eccl.* 37. Anima sancti viri enunciat aliquando vera plus, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. Hæc ergo est Nativitas in utero, de qua jam diximus: quia hic omnes filii gratiæ sunt in utero matris Ecclesiæ. Est autem & alia nativitas in morte hominis, quando egreditur ab utero militantis Ecclesiæ, & ingreditur in triumphantem. *Deuter.* 32. Ego occidam, & ego vivere faciam. Ibi regenerati primo pascuntur lacte humanitatis Christi, & pane Deitatis. De lacte dicitur *Isa.* 66. Ut sugatis, & deliciis affluatis ab uberibus consolationis ejus.

Item *Isa. eod.* ubera portabimini, & super genua blandietur vobis. De pane dicitur *Isa.* 33. Panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. Et sequitur: Regem in decore suo videbunt oculi ejus, &c. Item investiuntur propria hæreditate; non tamen statim; sed omnino quantum ad utramque stolam, cum dicetur: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. *Matth.* 25. Sic ergo, ut dictum est, fit generatio spiritualis. Sed nota, quod multi sunt abortivi fœtus. Abortus autem contingit multipliciter. Aliquando per vitium, & defectum materiæ, quod fit spiritualiter, quando natus per Spiritum sanctum moritur per culpam propriæ voluntatis, antequam moveat se ad bonum opus. *Ezech.* 18. Quare moriemini, domus Israel? quasi dicat, nullus cogit vos. Item abortus fit per violentiam, quod fit spiritualiter per scandalum, & læsionem fraternam. *Exod.* 21. Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quid fecerit, sed ipsa vixerit; subjacebit damno, quantum expetierit maritus mulieris, & arbitri judicaverint. Si autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima. Hæc auctoritas potest exponi de muliere prægnante, idest, de anima aliqua tenera, bonum propositum habente, quod aliquando per rixam alterius prodit, idest, per mala verba, vel exempla alterius. Item abortus fit per vitium matris, sive matricis, i. per vitium Ecclesiasticarum personarum, vel oppressionem earum, quia op- * primunt

△ studiosum, & diligentem ad quærendum. Unde sequitur.

a Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex:] Non statim insurgit contradicens, quia non habuit impietatem invidiæ, ut Pharisæi alii; nec statim assentit, quia debilis in fide erat, nec obscura dicta intellexerat, & desiderabat juvari: & ideo modum generationis quærit. Sed cum supradixerit eum, Rabbi, & discipuli sit credere dictis Magistri, ut dicit *Philosophus* qualiter Nicodemus non assentit simpliciter dictis ejus, quem magistrum protestatus est? Sol. Interrogatio duobus modis fit. Uno modo, ut contradicatur Magistro: Alio modo, ut dubitatio discipuli elucidetur circa hoc, quod Magister docuit, & hoc fine proponit iste suam quæstionem. Et quia nihil nisi carnalem generationem noverat, ideo aggravat quæstionem, adducens inconveniens ex dispositione illius dicens. *c* Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?] Ecce qualiter istæ delirationes, & quæstiones derisibiles format, quia secundum naturalem consequentiam excelsum dogma intelligebat, sicut dicitur 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Notandum autem, quod sub dubio proponit manifestum inconveniens, propter reverentiam, quam habebat ad Christum: Et quia, ut dicit *Joann. Chrysost.* lucidiorem doctrinam inquirebat; Christus autem patienter sustinens ejus ignorantiam, non condemnans, secundum illud *Isa. cap.* 42. Calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet, benigne respondet, aperiens ei magis modum generationis, reducens eum, quod non de generatione carnali loquitur, sed de spirituali.

Dicit *a* ad eum Nicodemus: Quomodo *b* potest homo † nasci, cum sit senex? *c* Numquid potest in ventrem matris suæ † iterato introire, & renasci?

al. † renasci.

al. † rursus vel iterum.

Unde sequitur.

△ *a* Respondit

Moraliter.

* primunt foetus suos, sicut dicitur de Pellicano, quod occidit pullos suos rostro suo: ita Prælati subditos mala adhortatione occidunt, aut nimis dura objurgatione.

Item per velocitatem motus pueri quandoque rumpitur maceries matricis: & sic puer egreditur ante tempus: Sic multi per scandala, & schismata egrediuntur ab utero Ecclesiæ, & abortivi sunt. *Gen.* 38. Quare propter te divisa est maceria, idest, propter superbiam, & arrogantiam tuam factum est schisma, & discordia in Ecclesia tua.

Item *Gen.* 25. Collidebantur in utero ejus parvuli. Et ait Rebecca: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? vel aliter. Illi propter nimiam velocitatem exeundi abortivi fiunt, quia ita cito volunt nasci in æterna felicitate, quod omnino impatientes sunt in hac peregrinatione: quod non debet fieri, quia Sancti habent mortem in desiderio, & vitam in patientia. *Prov.* 20. Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit, hoc est contra illos, qui statim volunt sanctificari. Ille autem quasi homo naturaliter nascitur, qui patienter expectat in utero militantis Ecclesiæ, donec tempore suo educatur ad patriam retributionis æternæ. *Jacob.* 5. Patientes estote, fratres, usque ad adventum Domini: Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum. Nota, quidam omnino nascuntur denuo, l. spirituali generatione per pœnitentiam, ut sit prima generatio per Baptismum; secunda per pœnitentiam: isti sunt, qui remanent in peccatis omnino. Alii nascuntur, sed non complete; sed aliqua membra nascuntur, aliqua non: sicut illi, qui quantum ad quædam convertuntur a statu veteris vitæ; quantum ad quædam non 3. *Reg.* 18. Usquequo claudicatis in duas partes? Et *Ps.* 17. Claudicaverunt a semitis suis. Alii nascuntur monstruose, ut qui in nativitate habent duo capita, vel dentes, vel aliquid tale. *a* Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?] Isti difficile videtur senem in peccatis rursum provocari ad penitentiam, & difficile est in veritate quoad ipsum.

Unde *Jer.* 13. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietatem suam: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Propter hoc consuluit *Eccl.* 6. Fili, a juventute tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam. Sed in fine auctoritatis innuit Nicodemus, quod si debeat renasci, debet in ventrem matris introire, i. in considerationem suæ fragilitatis, & terrenitatis, & corruptionis, quæ est mater nostra, secundum illud *Job.* 17. Putredini dixi: pater meus es: mater mea, & soror mea vermibus. Vel in ventrem matris intrat, qui se Ecclesiæ per pœnitentiam reconciliat: vel qui ingreditur religionem, & committit se custodiæ, & sollicitudini bonorum Prælatorum, qui sunt matres sollicitudine, compassione, supportatione, & fecunditate. De quorum numero fuit Paulus, qui dicit *Gal.* 4. Filioli mei, quos iterum parturio, &c. Et *Act.* 20. Per triennium nocte, & die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum. Hodie non inveniuntur tales matres, & ideo pauci sunt filii: quia affectus filiorum conversus est in affectum terrenorum. Ideo duri sunt ad filios, sicut struthiones. *Job c.* 39. Duratur ad filios suos, quasi non sint sui. Vel aliter. *b* Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?] Est quædam nativitas, qua homo nascitur in prælationem, qua soli senes nasci deberent in Ecclesiam Dei, i. promoveri sapientes, & morigerati. *Job c.* 12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. *Sap. c.* 4. Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Ideo forte voluit Dominus nasci in utero perfectus sapientia, & virtute significans, quod tales debent nasci, i. promoveri in Ecclesia. *Jer. c.* 31. Novum faciet Dominus super terram: mulier circumdabit virum gremio uteri sui, i. Ecclesia. Ad litteram non est usitatum, quod senes, i. bonæ personæ, & maturæ promoveantur. Magis in Ecclesia nascuntur pueri, quam viri. Et sicut sunt aliquando in nativitate carnali: sic in ista. Dicit enim Solinus, quod quidam cum dentibus acutis natus est.

Item dicit de Crasso, quod in hora nativitatis suæ risit; sed postea numquam. Iterum dicit, quod Zoroastes in principio nativitatis suæ statim cœpit ridere. Sic quidam in Ecclesia cum dentibus acutis nascuntur, viventes, scil. de rapina, & pauperes opprimentes sua potentia, & violentia. Dicit enim *Aristot.* quod animalia habentia dentes acutos similes sunt foetui ursi, in quo non apparent nisi ungues: per quod intelligitur rapacitas, sicut dicitur *Dan.* 7. Dentes, & ungues bestiæ erant ferrei, comedebat, atque comminuebat, & reliqua pedibus suis conculcabat. Et *Ezech. c.* 16. Dicitur: Tulit unum de leunculis suis, Leonem constituit eum, qui incedebat inter Leones: & factus est Leo, & didicit prædam capere, & homines devorare.

Item quidam nati, idest, promoti, statim rident, idest, gaudent.

Unde *Prov. cap.* 17. Homo stultus plaudit manibus suis, cum spoponderit pro amico suo, idest, cum curam animarum susceperit.

Sed econtrario Elisæus inungens Azael cœpit flere, prævidens, quod multa mala facturus esset, sicut dicitur 4. *Reg. cap.* 8. Tales ideo flendi sunt, quia non flent seipsos; sed sicut phrenetici rident de vinculis, & gaudent in periculis.

Unde *Zachar. cap.* 11. Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus: divites facti sumus. Isti sic ridendo nascuntur, idest, promoventur: contra modum communem aliorum nascuntur: quia solent parvuli flere in nativitate, & sunt Prophetæ suæ miseriæ.

Unde *Sapient. cap.* 7. Similem vocem omnibus emisi plorans. Ad hoc significandum dicit *Job cap.* 3. Pereat dies, in qua natus sum. Et *Jer. c.* 20. Maledicta dies, in qua natus sum. Viri enim Sancti plorant statum suæ promotionis, quia miseria magna est, & sollicitudo, & angustia in statu prælationis.

Unde Apostolus 2. *Cor. c.* 11. Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, &c. Sequitur.

c Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?] Si hoc fieret, multum gravaret matrem, & moreretur: Sic Monachus quando factus est Abbas, vel Episcopus, deponitur, & revertitur ad Abbatiam suam, & maximos facit tumultus, & contentiones excitat: & sic occidit matrem, i. vitiat totam congregationem.

Vel in bono potest exponi, quia quando Religiosus factus est Episcopus, & videt tribulationem sibi imminere & tentationes, & potius cadit, quam vincat, bonum est, ut redeat ad ventrem matris, idest, ad religionis quietem.

* *a* Respondit

▲ *a* Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus, &c.] q. d. non de carnali generatione loquor; sed de nova quadam generatione, quæ est per aquam, & Spiritum S. Et nota, quod idem est, intrare, quod supra dixerat, videre, ut dicit *Gl.* Qui enim videt, intrat: & qui intrat videt. Exponitur autem istud sic.

a Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit *b* ex aqua, & † *c* Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod *d* natum est ex Spiritu, *f* spiritus est.

De consec. dist. 4. cap. Sicut, & cap. non dubito. de Bapt. & majores, & c. debitum, & cap. sequenti. † Spiritu sine sancto.

b Ex aqua] Baptismi exterius abluente. *c* Et Spir. S.] i. ex gratia Spiritus S. interius mundante: & intelligitur de illis, qui habent opportunitatem Baptismi. Vel. *b* Ex aqua, & Spiritu S.] i. consimili regeneratione, qua renascuntur ex aqua, & Spiritu S. *Aliqui libri* habent. Ex aqua, & Spiritu, sine sancto. Unde *Aug.* in textu non habet, sancto. Et sumitur spiritus pro gratia Spiritus S. ut prius. Sed surgit hic duplex quæstio: Una, utrum ex tunc necesse fuit salvandos baptizari, quod videtur expresse dicere littera: Alia, quæ fuit ratio, ut Christus hanc novam generationem institueret, & non potius sine hac homines redimeret. Ad primum dicendum, quod post hoc verbum multi bene poterant salvari sine Baptismo. Et quod dicit Christus: Nisi quis renatus fuerit, loquitur pro tempore illo, quando veritas esset manifesta, & mysteria nostræ redemptionis essent consummata, & Sacramenta suum plenum effectum essent sortita, scil. post Resurrectionem, & Spiritus S. missionem. Et loquitur etiam de habentibus opportunitatem Baptismi, quia quod futurum erat, revelavit Discipulo suo familiariter quærenti. Et hoc modo dicit Magister Hugo de S. Victore. Vel ut dictum est: Ex aqua, & Spiritu, i. eodem, vel consimili genere renascendi. Est enim triplex Baptismus, fluminis, flaminis, & sanguinis. Ad secundum dicendum, quod multæ causæ consueverunt super hoc assignari. Sed hanc modo dico, quod sicut determinat *Anselm. in lib.* 2. Cur Deus homo. Quatuor sunt modi generationis. Unus de terra hominem producere, sicut Adam. Secundus de viro sine muliere hominem producere, sicut Eva. Tertius est de viro, & muliere hominem propagare, sicut Abel, & hic est naturalis. Quartus est de Virgine muliere sine viro hominem producere: & hic fuit Christi. Modo dico sic: Primus generatus Adam de terra habuit generationem mirabilem, quæ de ipso fieret, quia Eva facta est de ipso. Ergo eadem ratione secundus Adam, i. Christus miraculose generatus, habebit generationem novam, quæ secundum aliquem modum de ipso fiat. Item quia primus terrenus erat, ideo consequebatur, quod generatum ex eo esset secundum dispositionem terræ. Ergo quia secundus spiritualis fuit, consequitur, ut generatio, quæ eum concomitatur, sit secundum dispositionem Spiritus. Et hæc est causa, quare Christo conveniebat spiritualem generationem fieri. Habito autem quare secundum spiritum, quæritur adhuc, ad quid fuit necesse fieri in aqua? Resp. cum *Joann. Damasc.* quod Christus regenerans fuit duplicis naturæ, sc. divinæ, & humanæ: & homo, qui regeneratur est duplicis substantiæ, sc. corporalis, & spiritualis. Unde conveniebat duo esse in Baptismo, quorum unum esset visibile, & corporale; aliud invisibile, & spirituale. Corporale autem fuit aqua potius, quam aliud elementum: quia illa propter naturam humoris lavare habet sordes. Et quia Baptismus non tantum vivificat per Spiritum, sed etiam lavat a crimine veteris vitæ: ideo conveniebat ex aqua fieri cum spiritu vivificante. Quia autem Nicodemus de carnali generatione mentionem fecerat, ideo abducit eum ab illa dicens. *d* Quod natum est ex carne, caro est,] i. carnale, & mortale. *e* Et quod natum est ex Spiritu,] i. ex virtute Spiritus. *f* Spiritus est,] i. spirituale, secundum quod dicitur *1. Cor.* 6. Qui adhæret Deo, unus spiritus est, propter convenientiam voluntatum in uno volito. Et est sensus: Tu, o Nicodeme, ea, quæ dixi de regeneratione, intelligis de carnali generatione, secundum quam caro a carne gignitur secundum modum suum: & ideo erras, quia ego non de illa loquor, sed de spirituali secundum quod spiritus, i. spiritualis homo generatur ex spiritu: quæ generatio quia spiritualis est, & ratio tua materialis est, nec perscrutationem suscipit nisi materialium; ideo modum hujus generationis inutiliter quæris, quia si etiam exponerem, capere non posses. Et hoc est, quod sequitur:

▲ *a* Non mireris

Quatuor modi generationis.

Moraliter.

* *a* Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis, &c.] Nota, quod licet iste textus non sit trahendus a propria significatione, quia dicit *B. Greg.* quod ubi determinatur de materia fidei expresse, illud non est trahendum ad aliquam impropriietatem propter hæreticos, & contradicentes articulis: tamen quia loquitur catholicis, ex superabundanti potest dici, quod aqua significat ablutionem pœnitentiæ, i. austeritatem. Sicut enim aqua Baptismi necessaria est ad salutem: ita post Baptismum peccati necessaria est aqua pœnitentiæ, & tribulationis, *2. Tim.* 3. Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur. Et *Act.* 14. Per multas tribulationes, &c. Et *Heb.* 12. Flagellat omnem filium, quem recipit. Et nota, quod aqua sine Spiritu S. non regenerat, i. tribulatio, vel asperitas pœnitentiæ sine charitate non beatificat; sed soli illi beati, qui propter justitiam, i. amore justitiæ, & cum voluntate patiuntur, 1. *Pet.* 3. Si quid patimini propter justitiam, beati, *Matth.* 5. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Non econverso. Item nota, qui nascuntur, i. qui promoventur, debent nasci ex aqua, & Spiritu S. quia cum aqua lacrymarum, & invocatione Spiritus S. deberent Prælati eligi; sed magis hodie contudendo, quam plorando, & implorando gratiam hominum & non Dei, eliguntur, & magis est ibi malus Spiritus, quam sanctus. *Osee* 8. regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi, *Jo.* 10. Qui non intrat per ostium, &c. *d* Quod natum est ex carne, caro est, &c.] Hic exprimitur duplex nativitas carnis, & spiritus, quia caro generat carnem, spiritus spiritum. Ita est in Ecclesia, & non mirum, si illi, qui promoventur a carnalibus, sunt caro: & qui promoventur a spiritualibus hominibus, sunt spiritus. Nativitas autem carnis potest intelligi tripliciter secundum moralitatem, ut sit natus ex carne, qui natus est ex carnalibus, vel qui natus est secundum revelationem carnis, vel qui natus est ad voluntatem carnis. Primo modo nascuntur prælati, qui eliguntur a carnalibus, i. a suis parentibus, vel a talibus personis, qui non intendunt nisi carnem. Et tales carnales eligunt similes sibi. Unde *Dan.* 14. dixit Nabuchodonosor Danieli: Nonne videtur tibi Bel esse Deus vivens? an non vides, quanta comedat, & bibat quotidie? Tales Prælati placent carnalibus, qui satis dant eis ad comedendum. *Isa.* 3. vestimentum tibi est, Princeps noster esto. De talibus 2. *Tim.* 4. Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros. Contra quos dicitur *sup.* 1. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis; sed ex Deo nati sunt, i. promoti. Et *in Ps.* 15. Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus. Secundi sunt nati ex carne, qui secundum revelationem carnis non Spiritus nascuntur, sicut nepotuli Episcoporum nascuntur, cum ab eis in præbendis, vel prælationibus instituuntur. Et de hoc habetur *Matt.* 16. Beatus es, Simon Bariona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi. Et ideo dictum est Petro: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Sed hodie non ædificatur in petra, sed in luto, & in sanguine. Unde *Abac.* 2. Væ, qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate. Et *Ps.* 16. dicit de talibus, qui introducunt nepotulos, vel etiam filios in Ecclesiam: Saturati sunt filii, & diviserunt reliquias suas parvulis suis. Bene dicit reliquias, quia Episcopi repleti, & suffarcinati magnis dignitatibus præbendas, quas deglutire, & sibi retinere non possunt, dant suis nepotibus. *Thr.* 4. Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos. Bene dicit nudaverunt, quia jam aperte, & sine fronte hoc faciunt. De istis etiam dicitur *Sap.* 19. Pro natione animalium eduxit terra muscas, & pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum. Per terram, & fluvium intelliguntur Prælati, terreni per cupiditatem, & fluidi per libidinem. Terra producit pro animalibus muscas, quando Prælatus pro bonis personis instituit malos, qui maculant totam Ecclesiam per suam libidinosam conversationem, & pungunt per dissensionem, & mel lambunt per divitiarum amorem, idest, Musca enim maculat pungit, & lambit mel, & dulcia. Item fluvius eructat ranas pro piscibus, quando a Prælatis loquaces, & garruli litigatores, & Advocati promoventur: Rana enim loquax est. Item rana linguam habet solutam ex parte ventris in canna, & ex parte orificii interioris habet eam ligatam ad fauces; & significat illos, qui non habent linguam ad loquendum, nisi de his, quæ ventris sunt; exterius autem vitia non reprehendunt. Tertii, qui ex carne nascuntur, idest, ex carnali voluntate, sunt, qui prælationes non desiderant, nisi ut per redditus Ecclesiarum possint luxuriose, & voluptuose vivere. Contra quos *sup.* 1. Qui non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis; sed ex Deo nati sunt. *d* Quod natum est ex Spiritu,]

*spiritus est

▲ a Non mireris.] Admiratio est stupor de magna visione, vel imaginatione, q. d. noli mirari tanquam rationem petens. b Quia dixi tibi] hoc verbum. c Oportet vos] te, scil. & omnes generaliter [nasci denuo.] Et ita sumitur hoc materialiter. Et bene dico, ne solliciteris super hoc,

a Non mireris, b quia dixi tibi, c oportet vos nasci denuo. d Spiritus ubi e vult, spirat: & f vocem ejus g audis; sed h nescis, i unde veniat, k aut quo vadat,

quasi sit impossibile: Quia. d Spiritus ubi vult, spirat,] i. operatur libere, cum sit omnipotens. f Et vocem ejus audis,] i. operationem aliquo signo aure interiori percipis. h Sed nescis, unde veniat] i. qua de causa hoc sanctificet. k Aut quo vadat,] i. ad quantum opus, vel beatitudinem gratiam conferat. Ita legunt aliqui. Sed *Chrys.* aliter legit, & dicit, quod Christus dixit ei, quod non deberet perquirere modum generationis spiritualis. Et hoc vult ei Christus ostendere in exemplo corporali; quod tamen, ratione subtilitatis, aliquantulum accedit ad naturam spiritus. Unde dicit; Non anxieris de modo generationis, quam dixi tibi, quia. d Spiritus] i. ventus. e Ubi vult, spirat] non quod habeat electionem, quæ est secundum voluntatem, sed naturalis motus ejus: hic voluntas dicitur, sicut econtrario dicitur *Rom.* 8. Vanitati subjecta est creatura non volens.
e Ubi vult, spirat] i. libere flat, & aperte.
f Et vocem] i. sonum [ejus audis] corporalibus auribus. h Sed nescis, unde veniat,] i. ex quibus thesauris, quia etiam apud Philosophos difficilis est quæstio, unde venti veniant. *Psalm.* 134. Qui producit ventos de thesauris suis.
k Aut quo vadat,] q. d. causam, & dispositionem flatus ejus ignoras, cum tamen certissimus sis de sono. Si igitur in re corporali sic deficis, quid de modo generationis spiritualis sollicitaris? quædam *Gl.* quæ sic incipit: Vox Spiritus est vox Christi, quam audivit Nicodemus, &c. aliter legit sic: Non mireris, si dico, quod jam senes existentes, iterum necesse est nasci, quia Spiritui nihil est difficile. Et hoc ideo, quia Spiritus ubi vult, spirat, idest, ubi vult, operatur: & quos vult, sanctificat, & regenerat, non distinguens, nec reputans quicquam difficile. Et puto, quod ibi sit affigendum punctum, & deinde nonus versus incipit.
f Et vocem ejus audis] q. d. ex hoc, quod ubi vult, spirat, cognoscis, quod possunt renasci senes: sed noli quærere modum generationis hujus: Quia [vocem ejus audis,] i. meam vocem ad te loquentem, quæ est vox ipsius Spiritus, quia ipse me misit, secundum quod sum homo: sic Spiritus supponit pro tertia in Trinitate persona; vel etiam secundum quod sum Deus: sic Spiritus supponit pro parte, quia utrumque potest intelligi, & rationabiliter.
g Audis] ad te probatam. h Sed tamen nescis] i. insufficiens es scire. i Unde veniat] ista, scil. vox mea, i. nescis, de qua generatione loquar, quia carnalem mihi objicis. k Aut quo vadat,] i. qua de causa dicam, quod necesse est nasci denuo. Hanc lecturam innuit *Gl.* circa principium sui, licet non ita directe prosequatur, Hoc autem quod sequitur,

▲ Sic est

Moraliter. * spiritus est] i. propter Deum, & a bonis promoti, Spirituales sunt. Optimum signum ponit spiritualis nativitatis: qui spiritus est post nativitatem, signum est, quod ex Spiritu natus sit. Tria autem sunt signa Spiritus Dei. Primum est nulla re temporali includi posse. Secundum nihil familiare habere cum carne. Tertium est spiritus contrarios fugare. Primum signum spiritus habent, qui in rebus temporalibus, vel in deliciis carnalibus non delectantur. De quo signo dicitur *Sap.* 7. Attingit ubique propter suam munditiam. Nihil enim valet resistere munditiæ illius, ut claudat per affectionem. Hoc est enim ita expressum signum; quod etiam filii Prophetarum, idest, subditi videntes hoc in Elisæo, quod superferebatur aquis Jordanis, idest, non mergebatur fluctibus temporalium delectationum, statim clamant sic: Quievit Spiritus Eliæ, i. Christi super Elisæum, i. super Prælatum. Et *Gen.* 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas, qua spirituales viri calcant, & suppeditant omnes divitias, & delicias. Secundum signum habent, qui carnalem affectionem ad parentes, & ad carnem propriam deposuerunt. De hoc signo dicitur *Luc. ult.* Spiritus carnem, & ossa non habet. Hoc signum ponit omnibus Discipulis suis *Matt.* 10. ubi dicit: Veni hominem separare adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam, & inimici hominis domestici ejus. Et *Deut.* 33. Qui dixit patri suo, & matri suæ: nescio vos; & fratribus suis: ignoro illos, & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum. Tertium signum habent, qui peccatores convertunt. Et de hoc *Exod.* 8. cum malefici deficerent, clamaverunt: Digitus Dei est hic, i. affectus expresse indicans Spiritum Dei. Et *Job* 26. Spiritus Domini ornavit cœlos, & obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus. Ista ergo sunt tria signa, quæ qui habet, manifeste ostendit, quod sit spiritus, & ex Spiritu natus. Seq. a Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo] Multi mirantur, quando dicitur eis, quod oportet eos spiritualiter renasci per aquam pœnitentiæ, & tribulationis, & spiritum charitatis. Signa autem hujus iteratæ nativitatis sunt proprietates parvuli. Et prima est, ut sapientiam, vel astutiam malitiosam non habeat. Unde *Matt.* 18. Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Secundum est, quod cibum parvulorum concupiscat, 1. *Pet.* 2. Sicut modo geniti infantes rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Hi sunt similes puero Jesu, de quo dicitur *Isa.* 7. Butyrum, & mel comedet, &c. Tertia, ut omnes diligat, & inter patrem, & hostem discernere nesciat. Dicit enim Philosophus, quod puer in principio vitæ suæ de omni viro, quem videt, æstimat, quod pater ejus sit: Ita nos debemus omnes inimicos etiam quasi patres diligere. *Matt.* 5. Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est. Seq. d Spiritus ubi vult, spirat] Nota, quod Spiritus S. spirat, & flat ad comburendum, & liquefaciendum cor hominis per amorem. *Job* 37. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra Austro? *Ps.* 147. Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, & fluent aquæ. Cor enim calefactum amore, & desiderio cœlestis patriæ resolvitur in aquas lacrymarum pro incolatu præsentis miseriæ. Item spiritus flat ad maturandum fructus animæ. *Cant.* 4. Surge, Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum: & fluent aromata illius, sicut fructus maturi defluunt. Item spiritus flat ad irrigandum, & humectandum, quia ventus adducit nubes, & pluvia doctrinæ, quibus irrigatur terra sanctæ Ecclesiæ. *Ps.* 147. Flabit spiritus ejus, & fluent aquæ *Job* 37. Flante Deo concrescit gelu, & rursum latissimæ funduntur aquæ. Item spirat ad animandum. *Gen.* 2. Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Item spirat ad intelligendum. *Job* 32. Spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Item spirat comminando ad terrendum. *Isa.* 2. Quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus ejus; quia excelsus reputatus est ipse. Item *Isa.* 58. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, quod non fit, nisi Spiritus S. insufflet, i. inspiret Prædicatori, qui per turbam designatur. Omnibus modis spirat Spiritus S. quando vult, & ubi vult: quia sicut dicitur 1. *Cor.* 12. Dividit singulis, prout vult. Et seq.
f Et vocem ejus audis,] i. prædicationem. *Matth.* 10. Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris, qui loquitur in vobis. h Sed nescis, unde veniat] i. a quibus recedat. k Aut quo vadat] i. qui interius convertantur: quia licet vox ejus audiatur exterius; nescitur quomodo, vel quando recedat ab homine, vel veniat ad hominem interius. Neque scit homo, qui in prædicatione vel deteriorantur, vel convertantur: quia aliquando homo credit multum in prædicatione profecisse, & parum profecit: & aliquando parum credit, & multum profecit. Hoc est, quod dicit Apostolus ad *Rom.* 11. O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. *Marc.* 4. Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille. Ita est ad litteram, quod prædicatio non statim videtur fructificare, cum auditur; sed postquam fructificat post multos dies, vel annos, Prædicatore nesciente. Vel. h Nescis, unde veniat,] quia nescitur tempus, vel causa adventus ejus omnino.
k Aut quo vadat,] quia nescitur causa, vel tempus recessus ejus omnino *Job* 9. Si venerit ad me, non videbo eum: & si abierit, non intelligam, *Mal.* 3. Quis cogitare poterit diem adventus ejus?

4. Reg. 2.

* a Sic est

△ *a* Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu,] refertur ad præcedens secundum omnes lecturas, uno modo, q. d. sicut spiritus occultus est, & invisibilis: sic omnis, qui natus est ex Spiritu, nascitur occulte, & invisibiliter. Sequitur. *b* Respondit Nicodemus, & dixit ei,] i. Jesu.

> Sic *a* est omnis, qui natus est ex Spiritu. *b* Respondit Nicodemus, & dixit ei: *c* Quomodo possunt hæc fieri? *d* Respondit Jesus, & dixit ei: Tu *e* es Magister in Israel, & hæc ignoras? *f* Amen, amen dico tibi: *g* quia quod scimus, *h* loquimur: *i* & quod vidimus, *k* testamur: & *l* testimonium nostrum non *m* accipitis. Si *n* terrena dixi vobis, *o* & non creditis, *p* quomodo si dixero vobis cęlestia, *q* credetis?

B

c Quomodo possunt hęc fieri,] scil. quod homo nascatur denuo? q. d. ex quo tu dicis, credo; sed modum inquiro. Sic B. Virgo nuncio angeli acquiescens, modum quo fieret, requisivit *Luc.* 1. Quomodo fiet illud. Sed tantum quia Nicodemus Magister legis erat, & hoc in lege debuerat scivisse: ideo Dominus quasi arguendo eum respondit. Unde sequitur. *d* Respondit Jesus, & dixit ei,] i. Nicodemo. *e* Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras? q. d. male scis legem, quam doces. Sed cum in lege modus generationis hujus non sit expressus, quare redarguit eum Dominus de ignorantia modi? Respondeo, quod non de ignorantia modi arguit eum; sed quia de veritate hujus generationis dubitavit, eo quod non posset capere modum. Sed quæritur, quare Dominus per modum interrogationis formavit redargutionem suam? Respondeo, propter reverentiam, quam Nicodemus habuit ad ipsum, temperavit Dominus suam redargutionem, utens interrogatione ad eum, ut ipse respondendo mereretur majorem certificationem. Unde subditur.

f Amen, amen dico tibi] adhuc inflato scientia legis.

g Quia quod scimus] veraciter.

h Loquimur,] utiliter, ego, scil. & Prophetæ, & Apostoli: vel ego, & Spiritus, cujus vocem audis.

i Et quod vidimus,] i. quod certissime scimus, sicut scitur res ex visu. Vel, quod vidimus, in abscondito Dei.

k Testamur] foris in mundo.

l Et testimonium nostrum] tam certum, tam verum, tam sufficiens.

m Non accipitis] licet vobis rationabiliter offeratur. Deus enim semper est paratus infundere gratiam, si non inveniret obicem. Unde licet in homine non sit habere fidem, tamen in libertate ejus est accipere oblatam, vel refutare. Sed quia Nicodemus semper habuit animum suspensum, ut audiret, unde ista generatio haberet tantam virtutem, quod inducat vitam æternam; ideo subdit Christus, dicens.

n Si terrena dixi vobis] adhuc carnalibus.

o Et non creditis] mihi per illa, quæ capere potestis.

p Quomodo si dixero vobis cęlestia,] quæ transcendunt intelligentiam vestram.

q Credetis] mihi per illa? q.d. nullo modo. Secundum *Chrysost.* terrena dicit exemplum de vento, secundum *Aug.* autem, terrena dicit corpus suum, quod de terra suscepit. De quo locutus est supra, ubi dixit: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Unde sensus est. *n* Si terrena dixi vobis,] idest, si terreno exemplo ostendi vobis meam potestatem.

o Et non creditis] his, quæ dico. *p* Quomodo si dixero vobis cęlestia, credetis?] idest qualiter crederetis, si posuissem exemplum cœleste, & non terrenum, q. d. nullo modo. Tamen quia ille Nicodemus ex corde desi-

△ derabat

Moraliter. * *a* Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu,] quod nescis, scil. unde veniat, aut quo vadat. Sancti quidem veniunt a contemplatione, & vadunt ad operationem, secundum illud *inf.* 10. Ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. Sed hoc Sancti per jactantiam non ostendant, imo potius occultant per humilitatem se, & sua bona. Unde *Is.* 50. Induam cœlos, i. cœlestes viros tenebris, & ponam saccum operimentum eorum. Vel aliter. [Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu] idest spiritus, sive spiritualis, sicut dicitur *sup. eod.* Quod natum est ex Spiritu, spiritus est.

b Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri?] sicut dicitur 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, i. non intelligit spiritualem generationem, quia vult eam comprehendere per rationem. Sicut dicitur de *Aug.* quod tumens de inani Philosophia volebat humana ratione comprehendere, quod pia mens vivacitate fidei nititur comprehendere. Sequitur.

d Respondit Jesus, & dixit ei.]

e Tu es Magister in Israel, &c.] Duobus modis attingit Magistrum appellari, & vituperabilem esse ex ignorantia. Primo, cum Prælatus est, & habet docere alios: & tunc primo incipit discere, cum dicitur 1. *Petr.* 3. Parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in vobis est, fide, & spe. *Greg.* Turpe est tunc incipere discere, cum debet quæstionem aliis enodare. Item *Chrysost. in Homil.* 17. Inconveniens est, Medicum quidem cum certitudine pro sua decertare arte, & coriarium, & textorem, & omnes simpliciter artifices; eum vero, qui Christianum se esse dicit, non posse rationem pro propria retribuere fide.

Item *Bernardus ad Eugenium*, tractans illud verbum *Gen.* 24. Egressus fuerat Isaac ad meditandum in agro. Et dicit sic: Tibi præcessisse jam meditatio debet tempus faciendi præ manibus: si nunc hæsitare incipias id, quod multo ante juxta consilium Salvatoris scire debueras, ante æstimasse opus, metiri vires, ponderasse sapientiam, & merita comparasse, sumptus computasse virtutum. *Luc.* 6. Noli quærere fieri Judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates. Alio modo debet esse Magister maxime Religiosus in via morum, qui diu fuit in Religione, vel in pœnitentia.

Unde turpe est valde, cum modum talis vivendi adhuc ignorat. De talibus dicitur, *Hebr.* 5. Cum deberetis Magistri esse secundum tempus, rursus indigetis, ut doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei, imo quod pejus est, quidam quanto magis in pœnitentia fuerunt, tanto tempore miserabili magis deficiunt.

Unde 3. *Reg.* 15. dicitur de Asa, quod multas fortitudines habuit, & fecit, & civitates extruxit, sed in senectute doluit pedes, idest, affectiones, quæ vitiantur per teporem, seu acidiam.

f Amen, amen dico tibi, quia,] nos [quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur.] Duobus modis docet Dominus testes suos, interius, scilicet, veritatem revelando: & exterius, exempla multa Sanctorum ostendendo. Prædicator ergo quod scit per revelationem, & videt per exemplorum ostensionem, debet loqui, & testari; Istis etiam duobus modis docuit Dominus Ecclesiam suam.

Primo per prophetias, & interiores revelationes tempore legis, & Prophetarum.

Secundo per apertas operarum ostensiones per ipsum Christum, & Apostolos in tempore gratiæ.

Unde *Jer.* 1. Olim loquens Deus patribus in Prophetis: novissime locutus est nobis in filio. *Isa. cap.* 52. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. *Ps.* 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. *l* Et testimonium nostrum non accipitis.] Magna est hujusmodi duritia, quando testibus præordinatis a Deo non creditur de scitis, & visis: maxime autem cum præcepta nobis testificantur, & articulos fidei: quæ quia non recipimus, majora non committuntur. Unde sequitur. *m* Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis?] idest, si prædicavero bis præcepta terrenitati vestræ congruentia, & non creditis ea fide operante per dilectionem: quomodo crederetis mihi, ut faceretis consilia? *Proverb.* 2. Despexistis omne consilium meum, & increpationes neglexistis, 4. *Reg.* 5.

Si rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras: quanto magis, quia nunc dixit tibi, lavare, & mundaberis; quia cum consilia Dei non sint despicienda, multo magis nec præcepta debemus contemnere.

Sed nos utrumque contemnimus, cum tamen grave non sit ei obedire. *Matth.* 11. Jugum meum suave est, & onus meum leve, 1. *Jo.* 5. Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus: & mandata ejus gravia non sunt. Vel aliter potest exponi de Religiosis, qui tendunt ad prefectionem contemplativæ; cum tamen segnes sint in operibus activæ. His ergo petentibus consolationem cœlestium, potest respondere Dominus.

n Si terrena dixi vobis,] idest, opera obedientiæ, quæ terrena sunt respectu illarum spiritualium consolationum.

o Et non creditis] fide operante.

p Quomodo, si dixero vobis cęlestia, credetis?] q. d. qui in modico fidelis est, & in majore fidelis erit; & qui in modico iniquus est, & in majore iniquus erit. Item *Matth.* 25. Euge

a derabat doceri a Christo, licet nondum regeneratus, meruit audire celestia. Unde sequitur. *a* Et nemo] q. d. tu ignoras, unde regeneratio hæc tantam habeat virtutem: & non solum hoc, sed multa alia majora, quorum unum est hoc, quod sequitur. [Et nemo,] i. nullus purus homo quantumcumque sanctus. *b* Ascendit in cœlum,] i. exaltatus fuit in tantum, ut esset naturaliter in dextera Dei sedentis in cœlo. *c* Nisi qui de celo,] i. de sinu Patris abscondito *d* Descendit] in carne assumpta visibilis apparendo. *e* Filius hominis, qui est in celo,] i. Patri æqualis, inquantum Deus. Et sic ostendit, quod idem est filius hominis, & filius Dei. Neque adhuc dicit de se, quod sit Deus expresse, sed paulatim elevat Nicodemi imperfectionem. Credito enim, quod idem est filius hominis, & filius Dei, facile erat credere, quod ipse erat ille filius hominis, & filius Dei, propter signa, quæ faciebat.

Ephes. 4.

Et a nemo *b* ascendit in cælum, nisi *c* qui de cœlo *d* descendit filius *e* hominis, qui est in cœlo, Et *f* sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: *g* ita exaltari *h* oportet filium hominis,

Unda & Nicodemus ipse dixit *sup. eod.* Nemo potest facere hæc signa, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo: & sic jam quodammodo certificatus est Nicodemus unde tanta virtus Baptismi, scil. ex Divinitate Christi in carne apparentis, & operantis. Sed quia Nicodemus ex verbis Jesu inciderat in aliud dubium: ideo per rationem jam dictam aggreditur Dominus solvere & illud, dicens. *f* Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto,] *Num.* 21. ad curandum filios Israel a morsibus serpentum igneorum.

g Ita exaltari,] i. in Crucis palo extolli.

h Oportet,] i. opportunum, & utile est.

i Filium hominis,] i. me, inquantum sum filius hominis, quia ex hoc habeo passibilitatem. Et est sensus totius verbi: O Nicodeme, dixi tibi, licet obscure, quod ego sum Deus naturaliter, virtute propria faciens miracula: nec est Deus mecum eo modo, quo est cum ceteris, qui magna operantur, & ideo virtute Passionis meæ per serpentem æneum figuratæ habet Baptismus talem virtutem, quod regeneret in vitam æternam, & liberet a morsibus Demonum: sicut serpens Moysis liberavit a morsibus serpentum. Et quia Nicodemus fuit

a Magister

Moraliter.

* Serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Qualiter autem tota anima, ita quod nihil ejus extra remaneat, intrat in gaudium cœlestium in contemplatione, quæratur ab expertis. Sequitur.

a Nemo ascendit in celum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis, qui est in cœlo.] In hoc datur nobis forma ascendendi in celum, videlicet, descendendo. *Prov.* 30. Quis ascendit in cœlum, atque descendit? *Eph.* 4. Qui descendit, ipse est, qui ascendit. *Eccl.* 11. Sapientia humiliati exaltabit caput illius. Et nota tria, quæ exiguntur ad hoc, quod aliquis ascendit in cœlum nunc spe, & in futuro re. Primum est, quod sit filius hominis, Secundum, quod sit in cœlo. Tertium, quod descendit de celo. Primo filius hominis debet esse per prudentiam in prosperis, & per mansuetudinem in adversis: vel prudentis in agendis, & mansuetudo in patiendis. Homo enim est animal prudens, & mansuetum natura. De primo dicitur *Prov.* 4. Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. De secundo *Matth.* 5. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Secundo debet esse in celo per desiderium charitatis, & honestatem conversationis. *Phil.* 3. Nostra conversatio in cœlis est. Unde nota, quod Philosophus distinguit, quod quædam sunt actu, i. operatione, & substantia in æternitate, sicut Deus: quædam vero substantia, & operatione in tempore, sicut homines terreni, quia de aliis ipse cognoscere non potuit. Inter hæc sunt duo media: Sed Philosophus non intellexit nisi unum, scil. quod substantia est in æternitate, & operatio in tempore, sicut Angeli administrantes, quos ipse vocat intelligentias. Sed quartum addimus, quod non intellexit Philosophus, scil. quod substantia est in tempore, & conversatione, i. operatione est in æternitate sicut sancti viri. Tertium est, ut post omnia descendat de celo contemplationis ad considerationem suæ fragilitatis secundum illud *Is.* 47. Descende, sede in pulvere. Vel descendere de cœlo debemus, ita quod omnia dicta, & facta, & cogitata descendant de cœlo, & mensurentur secundum ea, quæ fiunt in cœlo. *Apoc.* 21. Ostendit mihi Dominus sanctam civitatem Jerusalem, i. animam sanctam descendentem de cœlo a Deo paratam, habentem claritatem Dei. Quia qui de cœlo venit, debet habere signa cœli, sicut qui veniunt de aliqua peregrinatione, referunt signa peregrinationis suæ. *Exod. cap.* 25. Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Sequitur.

f Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis.] Et sumitur hoc de *Num.* 21. Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet. Christus dicitur serpens: quia sicut de serpente fit venenum, & de serpente fit tyriaca in veneni remedium: ita facto de veneno serpente, i. de diabolo, voluit Dominus fieri serpens, ut de eo fieret tyriaca contra venenum diaboli. Et hoc est, quod *Exod.* 7. serpens Moysi devoravit serpentes Magorum. Item serpens æneus non est vere serpens, nec venenum habet, & ideo significat Christum, qui habuit similitudinem carnis peccatricis, non carnem peccatricem. Habuit quidem veram carnem, sed non vere peccatricem, imo peccatrici similem, ut dicitur *Rom.* 8. Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum, i. per tyriacam venenum expulit, & de Christo, qui vocatur peccatum pro similitudine, damnavit diabolum, qui peccatum dicitur veritate, & origine, i. valde peccator, & origo peccati.

Numer. 21. & inf. 8. & 14.

Item Christus dicitur serpens, quia serpens cum magna diligentia custodit ova sua: cum enim non indigeant, quod foveantur; tamen fere semper est juxta ea, ne ab aliquo lædantur: ita Christus suos non dereliquit, sed semper custodivit, & custodit. *inf.* 13. Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, usque in finem dilexit eos. *Matth. ultim.* Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Et *inf.* 14. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.

Item serpens veterem pellem per arctum foramen deponit, ut novam accipiat: sic Christus per angustiam Passionis deposita pelle mortalitatis recepit stolam immortalitatis. *Job* 2. Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.

Item prudentis serpentis est, quod corpus exponit pro capite, sic Christus, qui est Dei Sapientia, factus est pro nobis, quasi stultus serpens, & caput exponit pro corpore. Sed tamen sicut dicit Apostolus 1. *Cor.* 1. quod stultum est Dei sapientius est hominibus. Quia dicitur *infr.* 11. Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota Gens pereat, idest, expedit, ut caput suum exponeret pro membris.

Item serpens obturat aures, ne audiat vocem incantatoris: ita Christus noluit audire vocem Demonis eum tentantis: *Matth.* 4. vel quotidie nos apud ipsum accusantis, imo projicit eum, non exaudit, secundum illud *Apocal.* 12. Projectus est accusator fratrum nostrorum, &c. His rationibus dicitur Christus serpens. Dicitur autem æneus propter tria.

Primum est, quia æs infabricabile est, nec potest domari tunsionibus malleorum; sed tamen poliri potest, & significat patientiam, & fortitudinem Christi, & invincibilitatem in Passionibus, quibus flecti non potuit, sed politi, & decorari, sicut dicitur *Heb.* 2. Videmus Jesum propter Passionem mortis, gloria, & honore coronatum. Et *Isa.* 63. Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua gradiens, &c. Ideo etiam de membris ejus cantatur.

Tunsionibus, pressuris
Expoliti lapides
Suis coaptantur locis.
Per manum artificis.

Secundum est, quod æs non est naturæ unius metalli, sed diversæ naturæ in unum conjunctæ. Et hoc convenit Christo, qui est Gigas geminæ substantiæ.

Tertium est, quod inter omnia metalla sonorius est, & convocat populum. Et competit Christo, qui prædicavit, & docuit, & etiam preces, & supplicationes ad Deum cum clamore valido, & lacrymis obtulit. *Hebr.* 5. Et clamans voce magna pretium pro nobis exolvit, ut dicitur *Matth.* 27. Iste serpens exaltatus est in deserto, idest, crucifixus est in patibulo, ubi desertus fuit a mundo, ab amicis, & etiam quodammodo a Patre suo. Unde *Isa.* 63. Torcular calcavi solus, & de Gentibus non fuit vir mecum. Item *Job* 6. Ecce non est mihi auxilium in me: necessarii quoque mei recesserunt a me. Et *Ps.* 21. Quoniam tribulatio proxima est: & non est, qui adjuvet, &c. Et *Matth.* 27. Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?

* a Ut omnis

magister in lege: ideo de lege inducit exemplum, ut ostendat, legem esse umbram hujus veritatis, & ideo cessare debebat patente veritate. Ratio autem similitudinis typi ad veritatem figuratam hæc est secundum *Chrys.* Quia sicut serpentes venenati nocebant; & serpens curans immunis erat penitus a veneno: ita & Dæmones, qui nocent veneno peccati, & malitiæ, pleni sunt; Christus autem omnino sine peccato. Serpens æneus fuit exaltatus in palo, ut aspicientes a serpentum morsibus sanarentur; ita ipsum Christũ oportuit exaltari in Cruce, ut omnes aspicientes eum aspectu fidei curarentur a morsibus Dæmonum. Unde sequitur.

Ut *a* omnis, qui credit in ipsum, *b* non pereat, sed *c* habeat vitam æternam. Sic *d* enim *e* Deus *f* dilexit *g* mundum, ut *h* filium *i* suum *k* unigenitum *l* daret: ut *m* omnis, qui credit in eum, *n* non pereat, sed *o* habeat vitam æternam.

a Ut omnis, qui credit in ipsum,] vera fidei, i. credendo vadit in ipsum, & ejus membris incorporatur.

b Non pereat] morsu serpentum, i. Dæmonum.

c Sed habeat vitam æternam] nunc in spe, tandem in re: sicut in deserto sanati intuitu serpentis vitam habebant temporalem. Unde sicut serpens erectus fuit figura Christi: sic vita temporalis figura est vitæ æternæ. *Chrys.* Cur non dixit manifeste: Ego debeo crucifigi? Respondeo. Quia ad veterem typum hoc transmittit, ut discas concordiam Testamentorum. Item ut scias, quod non invitus patitur. Item ut scias per hoc exemplum, quod Crux nulli nocet, sed salus est multis. Sed quia obscure locutus Dominus, ut palam idem faciat, replicat illud idem, assignans causam Passionis suæ effectivam, scil. Patris sui dilectionem ad genus humanum. Unde dicit. *d* Sic enim] *Chrys.* q. d. non mireris, quod ego debeo exaltari, ut vos salvemini. Etenim Pater ita dilexit mundum, ut pro servis inde vobis dederit filium, quod non faceret quis pro amico, aut pro Justo. Unde *Rom.* 5. Vix pro Justo moritur quis: Nam pro bono forsitan quis audeat mori. Oportet igitur exaltari filium hominis. *d* Sic enim] tam vere, tam fideliter. *e* Deus] Pater, vel [Deus] Trinitas. *f* Dilexit] dilectione gratuita. *g* Mundum,] i. hominem ad imaginem Dei factum. Vel, [mundum,] simpliciter, quia omnis creatura quodammodo refloruit per Christi Passionem, & Resurrectionem, absoluta ab obligatione corruptionis sibi dominantis per peccatum Adam, licet adhuc subjaceat servituti illius usque ad diem universalis Resurrectionis. Unde *Rom.* 8. Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat, Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc. *h* Ut filium] non servum. *i* Suum] non alienum. *k* Unigenitum] non de multis unum, sed unigenitum, ad quem tota spectat paterna hæreditas: qui totum Patris affectum possidet indivisum. Cum enim plures sunt filii, affectus Patris in plures divisus, minor est in singulis; sed quando est unigenitus, tunc totus affectus Patris manet indivisus in illum. *l* Daret] gratis in mortem, ut qui mortui sunt, reviviscant in æternam vitam. Unde sequitur. *m* Ut omnis, qui credidit in eum,] vera fide per dilectionem operante. *n* Non pereat] morsu serpentum. *o* Sed habet vitam æternam] per mortem Christi temporalem. *Chrysostomus*. Unaquæque † dilectio multam habet ostensionem. Nam

al. † dignit.

Moraliter. * *a* Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.] Hoc est, quod dicitur *Num.* 21. Qui percussus aspexerit in eum, vivet. Respicere in eum, est credere, vel Passionem ejus recolere ad imitandum, secundum illud *Hebr.* 12. Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta. Ideo crucifixus in alto loco ponitur in Ecclesiis, in signum recordationis, & excitationis, ut omnes aspiciente recolant Dominicam Passionem, & sanentur percussi a serpente ignito. De quo dicitur *Deut.* 8. Ductor tuus fuit in solitudine, ubi erat serpens flatu adurens. Et *Job* 41. Halitus ejus prunas ardere facit, & de ore ejus flamma egreditur. Sequitur. *e* Sic enim Deus dilexit mundum, &c.] Thema in Passione vel in natali Domini. Et his verbis commendatur dilectio Dei ad nos, & ostenditur, quanta fuerit per quinque. Primo ex dante, cum dicitur: [Deus.] Secundo ex donatione, cum dicitur: [Daret.] Tertio ex eo, cui dedit, quia mundo. Quarto ex dato, quia [Filium unigenitum.] Quinto ex eo, ad quod datus est filius. Ut omnis scil. quis credidit in eum, non pereat.] Primo ergo commendatur dilectio Dei, quia ipse Deus dedit. Quod enim homo homini det, multæ possunt esse causæ; vel quia indiget ejus auxilio, vel quia optat benevolentiam ejus, vel quia possit eum damnificare: sed Deus non indiget nostro auxilio. Unde *Psalm.* 15. Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. *Job* 22. Quid prodest Deo, si justus fueris; aut quid ei conferes, si immaculata fuerit vita tua? Item *Act.* 17. Deus non indiget aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia. Item nec damnificare eum possumus. *Job* 35. Si peccaveris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Et postea subjungit. Homini, qui tibi similis est, nocebit iniquitas tua, & filium hominis adjuvabit justitia tua. Patet ergo, quod ex pura liberalitate dedit Deus.

Thema de Passione, vel in natali Domini.

Dilectio Dei commendatur ex quinque.

Secunda causa commendationis dilectionis Dei est in hoc, quod dicit: [Daret] non redderet, non venderet, non mutuo concederet, quia nullus meruit, quod filius Dei incarnaretur. Unde 2. *Cor.* 8. Scimus gratiam Domini Dei nostri Jesu Christi, quoniam propter nos, cum esset dives, egenus factus est. Et *ad Titum* 3. Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum suam misericordiam nos salvos fecit. Dedit ergo, non reddidit. Item non vendidit. Si enim opera post Incarnationem Filii facta meruissent eam, vendidisset Filium suum nobis. Sed *Job* dicit 28. Nescit homo pretium ejus. Et *eodem* Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum pro commutatione ejus. *Isa.* 13. Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo. Item non concessit nobis Filium suum mutuo, sed omnino dedit. *Is.* 9. Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. Et dicit *Bernardus*. Totus siquidem datus mihi, & totus in usus meos est expensus. Unde & adhuc est in cœlo agens negotium nostrum, repræsentans se Patri pro nobis in ea natura, in qua datus est nobis: ita enim assumpsit naturam nostram, quod nunquam deposuit, nec deponet. Unde *Matth. ult.* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, quasi dicat, datus est nobis ad possidendum usque in sempiternum.

Item commendatur dilectio ex eo, cui dedit: quia mundo dedit, idest, peccatoribus & inimicis, & hominibus vilissimis. Unde miratur Propheta dicens. *Psal* 8. Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, &c. Item *Psal.* 143. Quid est homo, quia innotuisti ei, &c. *Jerem.* 12. Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ejus. Item *Rom.* 5. Commendat Deus charitatem suam in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Et *inf.* Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus. Et 1. *Joan.* 4. In hoc est charitas Dei, non quasi nos dileximus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos. Et *B. Bern. in libro de diligendo Deo*. Lex humana est, dilige me, & ego diligam te. Lex autem Dei est, dilige me, quia dilexi te. Hoc attendens David, dixit: *Psalm.* 17. Diligam te, Domine, fortitudo mea.

Quarto commendatur charitas Dei in eo, quod dedit: quia filium dedit, non servum, 1. *Joann.* 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis: quoniam Filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum. Et *Roman.* 8. Proprio Filio suo non pepercit Deus; sed pro nobis omnibus tradidit illum. In hoc autem apparuit abyssus dilectionis, quia non Filium tantum, sed unigenitum dedit.

Si enim commendatur obedientia Abrahæ, quod obtulit Filium suum Isaac, *Gen.* 22. quanto magis dilectio Dei commendabilis est, qui pro nobis dedit unigenitum. Ideo dicitur *Jerem.* 6. Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum: quia magis plangitur, & lugetur, qui magis amatur. Posset autem esse, quod aliquis haberet unigenitum, sed odio haberet eum: & tunc non esset mirum, si eum daret, sed Deus Pater diligebat eum. Unde dicitur: Filius dilectionis suæ: *Col.* 1. & *Matt.* 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.

Item si aliquis haberet unigenitum, sed stultum, & infirmum, ex eo gravaretur; unde non esset mirum, si eum daret; sed Christus Sapientia, & virtus Dei Patris est, ut dicitur 1. *Corinth.* 1. Et *Job* 9. Sapiens corde est, & fortis robore. Quinto commendatur ex eo, ad quod datus est, ubi dicit: [Ut omnis, scil. qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.] In quo

a Non enim misit Deus Filium b suum in mundum, ut c judicet d mundum; sed ut e salvetur f mundus g per ipsum. h Qui credit in eum, non i judicatur; k Qui autem non credit, jam l judicatus est: quia m non credit in nomine Unigeniti filii Dei.

Nam in dicendo: Ita Deus dilexit mundum, multa indicat amoris infectionem: Multum enim medium, & infinitum erat inter Deum, & mundum, qui immortalis, qui sine principio, qui magnitudo infinita, eos, qui de terra: eos, qui de cinere: eos, qui pleni erant peccatis: eos, qui indevoti erant, dilexit, & ita ut filium suum daret, non servum, non Angelum. Quis circa Filium tantum studium demonstravit, quantum Deus circa servum? Ipse enim neque Unigenito pepercit propter nos; nos autem & pecuniis parcimus adversum nos. Ipse dedit Filium pro nobis; non neque argentum pro eo, sed neque pro nobis. Et quid dico pecunias, si mille haberemus animas, nonne omnes pro eo ponere oporteret? Vestes in arca deponimus: & qui hæc, & alia dedit, circumquaque nudus vadit, & propter nos hoc sustinet: Esurit, ut tu nutriaris: nudus est, ut tibi tribuat indumenti incorruptionis mollitiam. Sequitur. a Non enim misit, &c.] q. d. vere ad hoc venit Filius, ut credentes in eum habeant vitam æternam, non ut pereant peccatores. Non enim venit quærere satisfactionem pro illatis contumeliis Patri suo; sed satisfacere Patri pro hominibus. In primo adventu non venit scrutari facta hominum, sed peccata dimittere: In secundo veniet, non peccata dimittere, sed facta scrutari. Unde *Soph.* 1. Scrutabor Jerusalem in lucernis. Modo autem non sic: [Non enim misit Deus] Pater in primo adventu. b Filium suum in mundum,] hac de causa.

c Ut judicet in mundum,] i. ut opera ejus discutiendo remuneret, vel condemnet modo,

e Sed ut salvetur] salute gratiæ primo, & postea salute gloriæ. f Mundus per ipsum] morte condemnatum, *inf.* 12. Non veni, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. Sed quia posset aliquis credere, quod redemptio facta per Filium nihil requireret ex parte redempti: ideo elidens hunc errorem subdit. h Qui credit in eum] fide operante per dilectionem, quæ est fides viva. i Non judicatur] judicio condemnationis, quia talis fides operit, vel removet causam judicii, i. peccatum. Quidam etiam de credentibus nullo modo judicabuntur, sed potius cum Christo Judice judicabunt, illi scil. qui propter Christum omnia reliquerunt. *Matth.* 19. Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim Tribus Israel. k Qui autem non credit] fide viva.

l Jam judicatus est,] idest, jam habet in se causam suæ condemnationis. Simile *Gen.* 2. Quacumque die comederis ex eo, morte morieris, idest, causam necessario moriendi habebis. Et quare hoc?

m Quia non credidit in nomine Unigeniti Filii Dei] in quo est salus. Unde *Act.* 4. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Nomen Dei semper ponitur pro ipso Deo nominabili: Et idem est credere in Deo, & credere in nomine Dei. Sed quia parum, vel nihil possumus capere de Deo: ideo nomen, quod inter omnia accidentia magis extrinsecum est, & minus tangit rem, ponitur pro ipso Deo. Posset etiam hoc totum intelligi de fide communiter formata sive informi, ut sit sensus. k Qui autem non credit,] idest, qui non habet fidem, qua creditur sive formate, sive informiter.

l Jam judicatus est,] idest, habet jam causam, quare non judicetur amplius judicio disceptationis, quia tales non

Moraliter. * notantur duo, ad quæ datus est, ad liberationem de morte, & damnatione, & acquisitione salutis vitæ æternæ. De primo dicit *Ps.* 114. Eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. Triplex ereptio notatur hic. A morte gehennæ, a lacrymis præsentis miseriæ, a lapsu culpæ, *Zach.* 9. Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua. De secundo, scil. de acquisitione vitæ æternæ dicitur *inf.* 10. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant, quæ consistit in visione Dei. Et *inf.* 17. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi. *Job* 33. Videbis faciem meam in jubilo. Hæc est visio pascens, ut dicit *Aug. in lib. de quantitate animæ*, quæ omnes medullas animæ interius egreditur, & in sua dulcedine reficit, & vitam indeficientem in ea conservat, & nutrit. Possunt etiam & alia assignari, ad quæ datus est, in medicinam, & in Medicum. Unde dicit *Aug.* Magnus ad nos missus est Medicus, quia ubique in mundo magnus jacebat ægrotus. *Eccl.* 38. Altissimus de terra creavit medicinam. *Isa.* 61. Ad annunciandum pauperibus misit me, ut mederer contritis corde, &c. Item missus fuit in redemptionem. *Ps.* 110. Redemptionem misit Dominus populo suo, &c. Item in expugnatorem pro causa nostri capituli, quæ periclitabatur: nec erat, qui pugnaret pro nobis. *Isa.* 59. Mittet eis propugnatorem, & Salvatorem, qui liberet eos. *Is.* 63. Ego, qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum. Item dedit eum in servum. *Is.* 43. Servire me fecistis in peccatis vestris. *Ps.* 80. Manus ejus in cophino servierunt. Quia in servum datus esset, ostendit, quando pedes Discipulorum lavit, *inf.* 13. Hoc enim servorum est. *Ps.* 104. In servum venundatus est *Joseph*. Item datus est in Advocatum, 1. *Jo.* 2. Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum.

De prodit. a s. ben. in Ecclesia Dom.

Item datus est in pretium, ut essemus sui, 1. *Cor.* 6. Empti estis pretio magno, & jam non estis vestri. *Aug.* Tanti emit, ut solus possideat. Idem datus est nobis in clypeum, & umbraculum. *Ps.* 90. Scapulis suis obumbrabit tibi, ut suscipiat, scil. ictus, qui super nos veniebant, secundum illud *Is.* 53. Disciplina pacis nostræ super eum. Item sic datus est Christus hominibus, ut sicut homo animal suum vel excoriat, vel occidit, vel invadiat, vel vendit pro voluntate sua: ita homines Christum excoriaverunt, ab amicis, a rebus, & vestibus in Cruce denudando: Unde potuit dicere illud *Job* 1. Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. Ita etiam & suspendentes occiderunt, & vendiderunt, & pro voluntate sua de eo fecerunt. Unde ipse dicit: Ut jumentum factus sum apud te, q. d. Christus, o homo, tu facis de me, quicquid vis, sicut de tuo jumento. Sed notandum, quod adhuc quidam spiritualiter vendunt Christum, qui peccant mortaliter, & pertinaciter, qui omnino sine spe Deum abnegant, & contemnunt. Unde *Amos* 2. Vendidit pro argento Justum, & pauperem pro calceamentis. Alii Deum invadiant, qui sic peccant, ut ad pœnitentiam aliquando suspirent, & gemant, qui omnino Deum finaliter amittere non proponunt. Alii Deum excoriant in membris, ut raptores & prædones, qui pauperes atterunt secundum illud *Isa.* 3. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? Alii Deum crucifigunt in seipsis, secundum illud *Hebr.* 6. Rursum crucifigentes filium Dei in semetipsis, & ostentui habentes. Sequitur.

Psalm. 72.

a Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet,] idest, condemnet. d Mundum,] i. homines in mundo. e Sed ut salvetur] salute gratiæ, & gloriæ. f Mundus,] i. homines in mundo. g Per ipsum] ut per Medicum. In primo enim adventu venit Dei filius, ut Medicus ad sanandum infirmos. *Matt.* 9. Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus: Non enim veni vocare Justos, sed peccatores. *Eccl.* 24. Ego quasi fluvius Dorix, quod interpretatur medicamentum generationis. In secundo autem adventu veniet judicare bonos, & malos. *Isa.* 3. Stat ad judicandum Dominus, stat ad judicandum populos. *Mal.* 3. Ecce venit dicit Dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem adventus ejus? Ideo primus adventus comparatur roti. Unde *Osee ult.* Ero quasi ros, & Israel germinabit quasi lilium. Secundus autem comparatur igni, & fulguri. Unde *Matt.* 24. Sicut fulgur exit ab oriente, & apparet usque ad occidentem: ita erit adventus filii hominis. h Qui credit, &c.] Posset autem aliquis dicere, quomodo salvat Christus? Respondet per fidem. Nam [qui credit in eum] fide operante per dilectionem. i Non judicatur,] judicio condemnationis, i. non habet in se causam judicii, i. damnationis, quia talis fides purgat omne peccatum mortale. Unde *Act.* 15. Fide purificans corda illorum. *Luc.* 7. Vade in pace, fides tua salvam te fecit.

k Qui autem non credit,] i. qui discredit. Simile *Marc. ult.* Qui vero non crediderit, condemnabitur. l Jam judicatus est,] i. jam reus est judicii, i. condemnationis, i. habet jam causam suæ damnationis, scil. peccatum infidelitatis. Vel [Jam judicatus est,] i. jam incipit sua damnatio. Nam sicut dicit *Chrys.* ipsum discedere impœnitentium supplicium est. Extra lumen enim esse secundum seipsum maximum habent supplicium. Unde *Tob.* 5. Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? m Quia non credidit in nomine Unigeniti filii

* Dei]

a tales non sunt digni, ut etiam ad eos dirigatur verbum Judicis. Unde super illum versum. Ideo non surgunt impii in judicio, distinguit *Gloss. Greg.* quatuor ordines hominum, qui in judicio apparebunt. Alii namque judicabuntur, & peribunt. Alii non judicabuntur, & peribunt. Alii judicabuntur, & regnabunt. Alii non judicabuntur, & regnabunt. Verbi gratia. Judicabuntur, & peribunt, quibus Dominica inclamatione dicetur: Esurivi, & non dedistis mihi manducare, &c. *Matth.* 25.

Psalm. 1.

> *a* Hoc est autem judicium, *b* quia lux *c* venit in *d* mundum *e* & dilexerunt homines *f* magis tenebras, quam *g* lucem: *h* Erant enim eorum mala opera. Omnis *i* enim, qui male agit, *k* odit lucem, *l* & non venit ad lucem: ut *m* non arguantur opera ejus.

Item non judicabuntur, & peribunt infideles. Ideo non resurgunt impii in judicio. Et *Rom.* 2. Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Et hic. Qui non credit, jam judicatus est. Hanc enim concordantiam inducit *Greg.*

Item judicabuntur, & regnabunt, qui vitæ maculas lacrymis, & eleemosynis deterserunt, quibus in dextra consistentibus Judex dicet; Esurivi, & dedistis mihi manducare, &c. *Matth.* 25.

Item non judicabuntur, & regnabunt, qui præceptis consilia addiderunt. De quibus *Isa.* 3. Dominus ad judicium veniet cum Senatoribus populi tui. Et *Prov. ult.* Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum Senatoribus terræ. Sequitur,

a Hoc est autem judicium,] idest, causa justæ condemnationis, cui jam subjacet omnis malus.

b Quia lux,] idest, Christus illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.

c Venit,] sponte sua, non tractus meritis, non compulsus viribus alienis.

d In mundum,] idest, mundo carne assumpta visibilis apparuit.

e Et dilexerunt homines,] propter quos venit.

f Magis tenebras,] idest, carnis delicias, & mundi divitias, rationem obtenebrantes.

g Quam lucem,] idest, quam Christi prædicationem peccata arguentem, & tenebras contemnentem. Et quare hoc?

h Erant enim eorum mala opera,] inquantum eorum. *Chrys.* Propterea torquebuntur, quoniam tenebras dimittere, & luci occurrere noluerunt. Nam si venissem, ait, judicans, & noxas expetens factorum, dicere haberent: propter hoc resiluimus; nunc autem veni eripere a tenebris: quis ergo miserebitur ejus, qui non vult ad lucem accedere? Nam qui in absentia lucis sedet in tenebris, fortassis habebit remissionem; qui autem in præsentia lucis tenebris adhæret, perversæ mentis, & litigiosæ defert testificationem adversus semetipsum. Et merito non diligunt lucem, quorum opera sunt mala.

i Omnis enim, qui male agit,] idest, qui voluptatur in malo. *Chrys.* Non dicit, qui male egit, sed qui agit, quia semper vult voluptari in gurgite.

k Odit lucem] mala opera manifeste arguentem.

l Et non venit ad lucem] quæ mala arguit.

m Ut non arguantur opera ejus,] mala autem diligit, in quibus voluptatur. [Arguantur,] dicit, idest, manifestentur, & manifestata reprehendantur. *Ephes. caput quinto*, Omnia, quæ arguuntur, a lumine manifestantur. Omne enim, quod manifestatur, lumen est. *Chrysostomus*. Qui malorum sibi conscius est, Judicem fugere consuevit, ignoscenti vero, qui deliquerunt, occurrere solent. Huic igitur occur- a rere decens erat,

Moraliter. * Dei, idest, in Unigenito filio Dei nominabili. Nomen autem filii Dei, in quo solo est salus, est Jesus, a in quo credere oportet. Unde *Act.* 4. Non est in aliquo alio salus. Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. *Jerem.* 14. Tu in nobis es, Domine: & nomen sanctum tuum invocatum est super nos. Hujus nominis effectum exprimit Angelus, *Matth.* 1. ubi dicit. Vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. *Cant.* 1. Oleum effusum nomen tuum.

a Hoc est autem judicium,] i. causa justæ condemnationis, cui jam subjacent infideles, qui jam patiuntur tenebras interiores.

b Quia lux venit in mundum,] idest, Christus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

e Et dilexerunt homines,] carnales humum sapientes.

f Magis tenebras] frigidas & obscuras, i. peccatorum illecebras, vel statum infidelitatis.

g Quam lucem,] sanctitatis, & veritatis. Dicitur autem Christus lux, quia tenebrosa illuminat, & tenebras infidelitatis, & ignorantiæ fugat, *infr.* 8. Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris. 1. *Joann.* 2. Tenebræ transierunt, & lumen verum jam lucet. Item lux infecunditatem frigiditatis sanat. Nam generatio fit per influentiam lucis. Unde *Isa.* 58. Implebit Dominus splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit: & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficiunt aquæ. Tria dicit fieri a luce gratiæ, scilicet, liberationem a peccato, fructificationem bonorum operum, irrigationem doctrinæ quoad alios.

1a q. 1 perniciosam. De offic. doles c. consuluis.

Primo enim duritiam solvit disgregando materiam peccati, & hoc est ossa liberare, deinde fecundat ad opera virtutum, tandem irrigat alios per doctrinam. Item lux, confusum, & inordinatum ordinat, & ornat; ut dicit *Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia*. Et ita tangitur, *inf.* 11. ubi dicitur: Qui ambulat in die, non offendit: quia lucem hujus mundi videt. Qui autem ambulat in nocte, offendit: quia lux non est in eo. Omnes hos effectus habet lux gratiæ veniens in cor humanum. Similiter Christus veniens in mundum per carnis assumptionem: & tamen homines magis diligunt tenebras, quæ oppositos habent effectus, & ideo inexcusabiles sunt. Quia sicut dicit *Chrys.* qui in absentia lucis in tenebris sedet fortassis remissionem habebit; qui autem in præsentia lucis tenebris adhæret, perversæ mentis, & litigiosæ argumentum secum defert. Posset autem aliquis quærere causam hujus perversionis, scil. quare homines magis diligant tenebras, quam lucem, cum lux tam utilis sit, & tenebræ tam nocivæ. Ideo in derisionem, & verecundiam eorum dicit Dominus.

h Erant enim eorum mala opera,] & ideo tenebras diligebant. Sed videtur, quod ideo deberent magis accedere ad lucem, & diligere eam, ut ab eis possent liberari, & ea cavendo vitare, sicut fecit Magdalena. *Luc.* 7. Quæ multas tenebras habebat, sed ad lucem accedens deposuit illas. Similiter multi Publicani. *Matth.* 9. Unde *Chrysostom.* Qui malorum sibi conscius est, Judicem fugere consuevit; ignoscenti vero, qui deliquit, occurrit. Si igitur ignoscens venit Christus, idest, ut ignosceret, huic maxime occurrere decens erat eos, qui multorum sibi conscii erant peccatorum? Respondeo. Revera debent accedere ad lucem, & sequi eam: sed perversi non faciunt, quod debent. Nam qui vero recipere vult lucem, debet abjicere tenebrarum amorem, & operationem.

Unde *Roman.* 13. Abjiciamus opera tenebrarum, idest, peccata, & induamur arma lucis, idest, opera virtutis. Dicuntur autem peccata opera tenebrarum propter tria.

Primo, quia in tenebris fiunt. Unde *Job* 24. Oculus adulteri observat caliginem.

Secundo, quia tenebras interiores efficiunt. Unde *Ps.* 39. Comprehenderunt me iniquitates meæ: & non potui, ut viderem.

Tertio, quia ad tenebras exteriores peccatorum impellunt, i. in infernum. *Matth* 22. Ligatis manibus, & pedibus projicite eum in tenebras exteriores.

i Omnis enim, qui male agit, odit lucem,] i. refugit doctrinam veritatis.

Unde *Job* 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini nescientes vias ejus.

l Et non venit ad lucem,] i. ad manifestationem.

m Ut non arguantur opera ejus] ab ipsa luce. Quando enim venit homo peccator ad lucem, i. ad Christi doctrinam, vel considerationem, videt in speculo suas feditates: & ideo non venit ad lucem. Sicut dicitur de muliere turpi, quæ nunquam se respicit in speculo, quia molestum est ei se videre.

Item ad lucem rationis, vel suæ discussionis, vel prædicationis, vel confessionis non venit peccator: quia ibi ejus malitia declaratur. Unde multi nolunt venire ad prædicationem, aut confessionem, ne peccata, quæ diligunt, vertantur eis in odium: sicut homines, qui non possunt malum audire de his, quos diligunt: nec amare eos, qui de ipsis mala dicunt. Unde *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominati sunt. *Eph.* 5. Omnia, quæ arguuntur, a lumine ma-

tere decens erat, qui venit peccata dimittere.

a Qui autem facit veritatem,] idest, stabilia, & recta opera, quæ jubet fieri veritas.

b Venit ad lucem,] non timens argui. *c* Ut manifestentur opera ejus,] in luce ad aliorum ædificationem.

d Quia in Deo] idest, secundum Dei jussionem, & voluntatem, cui placet omne bonum. *e* Sunt facta.] *Eph.* 5. Fructus lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate. Quærit autem hic *Chrysost.* quare Dominus cum Nathanael longum sermonem non extendit, sicut cum Nicodemo? Et respondet, quia Nathanael veniebat ad Jesum perfectiori animo, & mansurus cum illo, & ideo breviter persuasit illi, volens quod processu temporis plus disceret, quotidie potens quærere, quod vellet. Nicodemus vero animo imperfecto venit ad Jesum: & ideo necesse fuit ducere eum per ænigmata, ne statim prima fronte contradiceret. Nec etiam venit mansurus, sed eadem nocte recessit, & ideo multa conveniebat dici sibi.

a Qui autem facit veritatem, *b* venit ad lucem, ut *c* manifestentur opera ejus, *d* quia in Deo *e* sunt facta. *f* Post hæc *g* venit Jesus, & Discipuli ejus in terram Judæam, *h* & illic † *i* demorabatur cum eis, & *k* baptizabat.

al. † morabatur.

f Post hæc, &c.] Hæc est secunda pars hujus cap. quæ dividitur in duas particulas. In prima agitur de adventu Christi de Galilæa in Judæam. In secunda prosequitur de Joanne, & Baptismo ejus, *ibi*: [Erat autem Joannes, &c.] Dicit ergo:

secunda pars.

f Post hæc] quæ fecit Jesus in Galilæa, & Nicodemi disputatione.

g Venit Jesus, & Discipuli ejus in terram Judæam,] idest, in sortem Judæ, quæ erat circa Jerusalem. Similiter accipitur Judæa, scilicet pro terra sortis Judæ. 2. *Paral.* 20. Judæa, & Jerusalem nolite timere, idest, Tribus Juda, & Tribus Benjamin. Sed quomodo venit in Judæam post disputationem cum Nicodemo, cum disputatio illa facta fuerit in Jerusalem: tamen non legitur, quod in Jerusalem pernoctaverit? Unde dici potest, in Jerusalem, idest, in confinio, ut patet *eodem supra*. Item quare venit in Judæam tunc cum discipulis suis? Respondeo facta disputatione cum Nicodemo, descendit ipse in Galilæam videre matrem suam, postea iterum ascendit in Judæam, sicut innuit *Gloss.* in Judæam autem ideo venit, quia terra illa, & maxime circa Jerusalem erat populosa propter templum: & ideo dicebat, ut ille, qui omnibus prodesse venerat, locum, ubi erant plures multitudines, sæpius visitaret. Discipulos vero ideo ducebat secum, ut ipsi per verba, & exempla ipsius instruerentur.

h Et illic,] idest, in Judæa.

i Demorabatur cum eis,] idest, cum Discipulis, vel cum credentibus Judæis, qui erant ibi.

k Et baptizabat.] *Aug.* Suo Baptismo, non quo baptizatus est. Sed quomodo dicitur hic, quod baptizabat, cum in seq. cap. dicatur, quod ipse Jesus neminem baptizabat. Et dicit *Chrys.* quod Jesus neminem per se baptizabat, sed per Discipulos, quorum opus suum reputatur. Sed quæret aliquis, quare Christus non baptizat per se? Et dicit *Chrys.* quod nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Unde, quia Baptismus Jesu erat in Spiritu, decens erat, ut non batizaret, in illo Baptismo, in quo Spiritus sanctus nondum dabatur. Sed ex hoc videtur, quod Baptismo Discipulorum non dabatur Spiritus Sanctus, cujus contrarium dicit hic *Glos.* Ad hoc dicendum est, quod duplex fuit Baptismus Discipulorum. Primus fuit introductivus, & præparativus ad Baptismum Christi, sicut Baptismus Joannis: Et hoc Baptismo baptizabant modo Discipuli, sicut hic dicitur. Alius autem Baptismus Discipulorum fuit, quando Christus post incarcerationem Joannis misit eos baptizare. Dicimus ergo, quod in primo Baptismo non dabatur Spiritus sanctus, quia Discipuli non habebant tunc aliam rationem baptizandi, nec aliam formam, quam Joannes. Et quod ita sit, accipitur a *Chrysostom.* 29. *Homil.* ubi sic dicit: Si quis scrutetur, quid amplius habebat Discipulorum Baptisma baptismate Joannis? dicimus, quoniam nihil. Alterutra enim similiter, i. æqualiter ea, quæ ex spiritu erat, gratia expertia erant: & causa baptizandi una utriusque erat, scil. Christo adducere eos, qui baptizabantur. Et ideo dicimus, quod in primo Baptismo Discipulorum non dabatur Spir. Sanctus: in secundo vero, quo baptizaverunt post Joannis incarcerationem, & Christi prædicationem, dabatur Spir. Sanct. quia tunc utebantur forma tradita a Christo. Sed quæritur, quæ fuit necessitas, ut primo baptizarent Discipuli hoc Baptismo, in quo non dabatur Spir. Sanct. cum satis per Baptismum Joannis esset populus assuetus Baptismo? Ad hoc dicendum, quod decens fuit, ut discipuli aliquam reverentiam exhiberent Joanni Baptistæ, tenendo formam Baptismi ipsius: & utile etiam fuit populo, ne confunderetur videns subito contraria Baptismata, & ideo conveniens fuit, ut quamdiu Joannes vixit in mundo, non introduceretur nova forma Baptismi, maxime quia Christus nondum erat manifestus. Unde *Aug.* dicit *in Gl. quadam parum, inf.* Cessante Baptismo Præcursoris, aperte incipit Baptismus Christi. Sequitur

Joh. 7.

De consec. dist. 4. c. quando ab Jerosolymis.

Moraliter.

* nifestantur, Omne enim, quod manifestatur, lumen est.

a Qui autem facit veritatem,] i. opera vera stabilia, & permanentia.

b Venit ad lucem,] idest, ad Christum, vel rationis discussionem, vel manifestationem: ut alii exemplo ipsius ædificentur, & Deus glorificetur, juxta illud *Matth. c.* 5. Sic luceat lux vestra, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Quare venit ad lucem?

c Ut manifestentur opera ejus,] sibi utrum sint bona, Sic Paulus venit ad Petrum, & Joannem, & contulit cum eis de prædicatione sua, ne in vacuum currisset, ut dicitur *Gal.* 2. Vel.

c Ut manifestentur,] aliis in exemplum ædificationis.

d Quia in Deo sunt facta,] idest, in charitate, quia Deus charitas est, ut dicitur 1. *Jo:* 4. Vel. [In Deo sunt facta,] idest, secundum Dei voluntatem, & cooperationem. Vel aliter.

a Qui facit veritatem,] vitæ, justitiæ, & doctrinæ.

b Venit ad lucem,] gratiæ, & gloriæ.

c Ut manifestentur opera ejus,] i. auctorizentur.

d Quia in Deo sunt facta,] quod patet ex sanctitate, & auctoritate eorum. Ex sanctitate enim, & auctoritate *August.* patet, quod opera ejus fuerunt in Deo.

f Post hæc venit Jesus, & Discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.] Judæa interpretatur confessio, seu glorificatio, seu laudatio, & significat Ecclesiam, sive animam. Quæ tripliciter confitetur. Triplex enim est confessio. Prima de peccatis, secunda laudis, tertia gratiarum actio de perceptis beneficiis.

De prima dicitur *in Psalm.* 31. Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino. *Josue* 7. Fili, da gloriam Deo Israel, & confitere, atque indica mihi, quid feceris.

De secunda dicitur similiter *in Psal.* 117. Confitemini Domino, quoniam bonus. *Eccl.* 51. Confitebor tibi, Domine Rex, & collaudabo te.

De tertia dicitur *Tob.* 12. Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viventibus confitemini illi: quia fecit nobiscum misericordiam suam.

De his tribus simul dicitur *Isa.* 51. Gaudium, & lætitia invenientur in ea, idest, in anima post peccatorum confessionem, gratiarum actio, & vox laudis. In hanc igitur terram, idest, animam sic confitentem tripliciter venit Jesus, & moratur ibi cum Discipulis, & baptizat. Venit per gratiæ infusionem: Moratur ibi per bonæ vitæ continuationem: Baptizat per cordis compunctionem, & lacrymarum effusionem, quam aliquando dat Dominus post bonæ vitæ continuationem. Veniunt autem cum Christo Jesu Discipuli ejus, qui cum eo. & ipse cum eis moratur, idest, motus, & gestus, & actus, & sermones disciplinati, & ordinati. Aliter enim non manet Jesus, idest, salus in anima, nisi firmiter custodiatur exterior sensuum disciplina. Item per Judæam significatur Religio, in quam venit Jesus, i. homo, se, & alios salvare cupiens, & ibi moratur dicendo, & bene vivendo, & postea baptizat plorando, & prædicando, & bene vivendo. Prius enim debet homo in religionem venire, & morari, & discere tam vitam, quam scientiam, antequam baptizet per doctrinam. Unde *Dionysius*. Det mihi Deus primum quidem scire, deinde docere, quod expedit. Sic fecit Joannes Baptista. Primo mansit in deserto, deinde prædicavit Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, ut dicitur *Marc.* 1. Et hoc est, quod legitur *Eccl.* 18. Ante judicium, idest, antequam Judex aliorum fias, para justitiam tibi: & antequam loquaris,

* disce, *a* Erat

a sti. Sequitur. *a* Erat autem, &c.] Hic prosequitur Evangelista de Baptismo Joannis, determinans locum, ubi baptizabat, & quare ibi, quia scilicet, abundabat aquis, quæ necessariæ erant propter multitudinem populorum venientium ad se causa baptizandi. Dicit ergo:

a Erat autem & Joannes baptizans in Ennon *b* juxta Salim; *c* quia aquæ multæ erant illic, & *d* veniebant, & *e* baptizabantur. *f* Nondum enim missus fuerat in carcerem Joannes. *g* Facta est † ergo quæstio ex Discipulis Joannis cum *h* Judæis *i* de purificatione

Matth. 3. Luc. 3.

a Erat autem & Joannes baptizans in Ennon.] Sicut dicit *Beda*. Ennon hebraice idem est, quod aqua. Unde quasi nominis interpretationem aperiens subdit.

b Juxta Salim] civitatem, in qua regnavit Melchisedech. *Hebr.* 7.

al. † autem.

c Quia aquæ multæ erant illic,] in quibus baptizabatur populus veniens ad ipsum. Et nunquid veniebant tot ad ipsum? Ita dicit Evangelista.

d Et veniebant,] fere de tota Judæa.

e Et baptizabantur,] ab eo in aqua tantum: quia Baptisma ejus nullam gratiam conferebat. Et quia posset adhuc aliquis dubitare, quomodo, scilicet, Joannes baptizaret, Jesu baptizante: occurrit Evangelista dicens:

f Nondum enim missus fuerat in carcerem Joannes.] Ante cujus incarcerationem non incepit Jesus aperte baptizare Baptismo suo, vel prædicare. Unde *Chrysostom.* dicit, quod dispensatione Dei Joannes citius traditus est Herodi, ut Jesus liberius prædicaret, & aliam formam Baptismi institueret. Et iterum, ne populus amplius confunderetur duos sequens; sed ad verum Rectorem suum penitus converteretur. Sed ex hoc surgit dubitatio, quia secundum hoc videtur, quod Joannes statim debuit cessare a Baptismo, & prædicatione, cum Christus incepit baptizare, & prædicare. Ad hoc dicendum, quod tribus de causis baptizavit, & prædicavit Joannes cum Christo. Prima est, ne Discipuli Joannis invidia liquescerent: quia qui indignabantur de exultatione Christi, plus moti fuissent, si vidissent Magistrum suum penitus cessare. Secunda causa, & fortior est, quia Joannes majoris auctoritatis erat, quam Discipuli Christi: & ideo cum Christus nondum esset plene manifestatus, nec volebat Christus per se manifestari; expediens fuit, ut Joannes adhuc baptizando, & prædicando testimonium ferret ipsi Christo, cujus testimonium insuspicabilius erat, quia ipse Joannes non sequebatur Christum. Tertia causa est, & fortissima, quia Joannes testificatus fuerat de Christo. Unde si statim, Christo prædicante, cessasset Joannes, putarent esse ei in aliquo contrarius: ideo ut hanc suspicionem tolleret, adhuc baptizabat. Quare autem introduxerit Evangelista hoc de Baptismo Joannis, aperit subdens.

g Facta est ergo quæstio ex Discipulis Joannis,] defendentibus Baptismum Magistri sui, quem putabant esse majorem Christo: & Baptismum ejus meliorem Baptismo Christi.

h Cum Judæis,] qui erant baptizati a Discipulis Christi. Et de quo erat quæstio?

i De purificatione,] i. de Baptismo, quis, scilicet, esset melior, aut Baptismus Joannis: aut Discipulorum Christi. Narrat enim *Chrys.* quod quidam Judæus, vel forte plures fuerant baptizati a Discipulis Christi: ad quos venerunt Discipuli Joannis volentes persuadere illis, quod non essent baptizati bono Baptismo, & quod deberent iterum baptizari Baptismo Joannis: & illi non consenserunt eis. Et ideo facta est quæstio inter eos, Discipulis Joannis asserentibus, quod Baptismus Joannis esset melior; Judæis econtra dicentibus, quod Baptismus Discipulorum Christi esset melior. Et quia Discipuli Joannis moverunt litem, ideo considerate dicit Evangelista: [Facta est quæstio ex Discipulis Joannis cum Judæis,] non ex Judæis cum Discipulis Joannis.

i De purificatione,] illorum duorum Baptismatum. Et quia Discipuli Joannis non potuerunt persuadere Judæis; ideo venerunt ad Joannem invidia liquefacti, & accusantes Jesum de præsumptione, vel ut solveret eis quæstionem. Unde

Moraliter.

* disce. *a* Erat autem Joannes baptizans in Ennon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic.] In hoc loco gerit Joannes typum Prælatorum, qui habent officium baptizandi, prædicandi, confessiones audiendi, licet pauci adimpleant istud officium. Baptismus autem iste debet fieri in Ennon juxta Salim. Ennon enim interpretatur fons tristitiæ, in quo notatur abundantia, & continuitas doloris, per quam fit abductio a peccatis. Unde *Augustinus*: Semper de peccato doleas, & non doluisse doleas. Sed Ennon est juxta Salim, quæ interpretatur vulpes, quæ est cauta. In quo notatur, quod dolor de peccatis præteritis debet esse cum cautela de futuris, & talis pœnitentia recta est. Unde *Augustinus*. Sic describit pœnitentiam: pœnitentia est peccata præterita deflere, & flenda iterum non committere. Alioquin dicit *Augustinus*, inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Unde *Eccl.* 34. Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio illius? Sic igitur in Ennon juxta Salim, idest, in dolore continuo, & cauto proposito fit Baptismus, idest, peccatorum absolutio; quia ibi sunt aquæ multæ lacrymarum, & gratiarum, quibus peccata lavantur. *Psalm.* 6. Lavabo per singulas noctes lectum meum lacrymis meis, &c. *Ezech.* 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Non potest esse Ennon sine aquis multis, idest, dolor magnus sine lacrymis. Fons enim tristitiæ lacrymarum aquas stillat continue.

Unde *Job* 16. Ad Deum stillat oculus meus. *Jer.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte, idest, continue. Et *infra eodem*. Deducant oculi mei lacrymas, & palpebræ meæ defluant aquis. Quod autem in lacrymis sit gratia baptizans habetur ex eo, quod dicitur *Isa.* 38. Audivi orationem tuam, & vidi lacrymam tuam: & ecce ego super dies tuos adjiciam quindecim annos, & de manu Regis Assyriorum eruam te, & civitatem istam:

Tria notantur, quæ facit oratio, & lacryma.

Primum additio vitæ spiritualis.

Secundum protectio ab incursu Diaboli.

Tertium conservatio pacis ad cives. Istæ sunt aquæ, quæ quanto amplius crescunt, tanto magis arca Noe in sublime levatur. *Gen. c.* 7. Istæ etiam sunt, quæ fuerunt filiis Israel pro muro a dextris, & a sinistris. *Exod. cap.* 14. Sequitur.

d Et veniebant] Judæi ad Joannem in Ennon.

e Et baptizabantur] ab eo. Sic ad Prælatum, qui est in pœnitentia, multi veniunt, & baptizantur, & mundantur ab eo: quia talis doctrina libenter suscipitur.

Unde *Gregor. super Ezechiel.* Ad hoc, ut servetur veritas prædicandi, teneatur, necesse est, altitudo vivendi.

f Nondum enim missus fuerat in carcerem Joannes,] Joannes enim incarceratus non baptizat, idest Prælatus, aut Prædicator peccato subditus non mundat, vel sanctificat, imo potius exemplo malæ vitæ inquinat. *Eccl.* 34. Ab immundo quid mundabitur: & a mendace quid verum dicetur? *Gregorius*. In exemplum culpæ vehementer extenditur, cum reverentia ordinis peccator honoratur. *Beda super Exodum*.

Quia ad Sacerdotium, Magisteriumque populi Dei promovetur, primum ejus opera cognoscantur, ut dum hoc, quod foris patet, omnibus irreprehensibile patuerit, integritas cordis, & sinceritas fidei probetur, *infr.* 8. Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.

g Facta est ergo quæstio ex Discipulis Joannis cum Judæis de purificatione,] idest, de Baptismo Christi, & de Baptismo Joannis, quis esset melior. De hoc enim Discipuli Joannis zelo invidiæ moti contra Christum contendebant cum Judæis, qui erant baptizati Baptismo Christi, quibus sic opponebant. Christus baptizatus est a Joanne: ergo Joannes major est eo. Judæi vero illis e contrario opponebant, dicentes: Joannes Discipulos suos mittit ad Christum; ergo Christus major est eo.

Et in hac contentione significatur contentio, quam sæpe habent Discipuli de Magistris suis: vel homines de Regibus suis.

Quos redarguit Paulus 1. *Corinthiorum caput primo*, dicens: Significatum est mihi de vobis, fratres, quod contentiones sint inter vos: hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit. Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Mala est ista contentio; sed bona vita Discipuli probat bonitatem Magistri. Unde illi, qui zelant pro Magistris suis, non verbis, sed operibus

a quæstionem. Unde sequitur. *a* Et venerunt ad Joannem] Discipuli ejus, non Judæi.
b Et dixerunt ei,] invidia moti.
c Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui testimonium perhibuisti; ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.] Notanda sunt verba istorum Discipulorum Joannis: singula enim excitativa sunt ad indignationem. Dicunt enim.

Et *a* venerunt ad Joannem, *b* & dixerunt ei: *c* Rabbi, *d* qui erat tecum trans Jordanem, *e* cui tu testimonium perhibuisti, *f* ecce hic baptizat, & *g* omnes veniunt ad eum. *h* Respondit Joannes, *i* & dixit: k Non potest homo *l* accipere *m* quicquam, nisi *n* fuerit ei datum de cœ-

D

c Rabbi,] i. Magister, quod est nomen dignitatis, ut eo audito Joannes contra Christum accendatur zelo, quasi auferentem ei suam dignitatem.
d Qui erat tecum trans Jordanem,] non tu eum eo; sed ipse tecum, tanquam Discipulus tuus: & nihil amplius nobis habens.
e Cui testimonium perhibuisti,] i. qui non fuit cognitus, nisi per te: & ideo majorem reverentiam deberet tibi exhibere: nec ita esse præsumptuosius, ut te baptizante, baptizaret.
f Ecce,] i. manifeste, & evidenter, [hic baptizat.] Unde multum miramur de tanta ipsius præsumptione, quod audet similia tibi facere. Unde debes rationabiliter indignari contra eum, qui laborat ad perditionem famæ tuæ.
g Et omnes veniunt ad eum,] te contempto, quasi dicant, nullus jam venit ad te: & ita contemptus ab omnibus eris in confusione. Ecce quanta invidia movebantur Discipuli Joannis contra Christum, & Discipulos ejus. Sed quæritur, quare Evangelista ita superficialiter tangit eorum invidiam, & non potius invective loquitur contra eos? Ad hoc dicendum est, quod Evangelista mala aliorum leviter tangit, ne putaretur velle infamare alios, Hoc autem maxime debuit leviter pertransire, ne videretur ex amore carnali defendere cognatum, & ex zelo invidiæ contra Discipulos Joannis moveri, qui contra ipsummet Evangelistam, & alios Discipulos Christi movebantur. *h* Respondit Joannes,] Baptista Discipulis suis, videns zelum eorum.
i Et dixit] eis. k Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.] Sapienter, & modeste compescit Joannes zelum, & invidiam Discipulorum suorum. Primo enim ostendit, quod ipsi rebellantes Christo, repugnant Deo: ut sic perterriti desistant ab invidia. Est igitur sensus. Vos indignamini, quia Christus baptizat, & quod omnes veniunt ad ipsum; sed non debetis super hoc indignari, quia ego purus homo nihil habeo, nisi ab eo, qui est Deus. A me est infirmitas, ab illo gratiæ, qua baptizo & prædico, sublimitas. Et hoc est.
k Non potest homo,] purus quantumcumque magnus, sive ego, sive alius.
l Accipere,] idest, habere.
m Quicquam,] stabile, & magnum, vel etiam modicum.
n Nisi fuerit ei datum de cœlo.] Et ideo si Christus habet honorem, de cœlo habet eum: & ideo non potestis destruere. Insuper bellantes contra eum, rebellatis contra Deum, a quo habet honorem. Unde non debetis indignari contra eum, quem Deus honorat: neque enim quod Deus facit, potest homo dissipari. Simile dixit Gamaliel Judæis. *Act.* 5. Discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si ex hominibus est consilium hoc, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteris dissolvere, ne forte & Deo repugnare videamini. Sed quæret aliquis, quare Joannes a tanto terrore inchoavit responsionem contra Discipulos? Respondeo. Propter tyrannidem invidiæ, quæ non nisi magno timore invidie desistit. Quod patet in Saul, qui multoties monitus a Deo, & Samuele, nunquam destitit persequi David, nisi forte aliquando, quando tradebatur in manus David: tunc territus ad tempus quiescebat. Sed iterum quæret aliquis, quare Joannes ita paulatim certificat Discipulos suos, & non potius statim dixit eis: Quiescite ab invidia, quia ipse est Filius Dei: Si enim hoc dixisset, statim quievissent Discipuli ejus. Ad hoc dicimus iterum, quod natura invidiæ fuit in causa, quæ non potest subito curari, sed paulatim, nunc timore, nunc terrore, nunc blanditiis. Unde si Joannes dixisset eis statim, quod ipse esset filius Dei, & major eo, nimis exasperarentur, & nihil doctrinæ susciperent: & ideo necesse fuit paulatim eos abstrahere ab invidia. Ita solvit *Chrysostomus*. Ut autem magis pacifice eos abstraheret Joannes, hoc ipsum, quod ipsi adduxerant per a se, inflectit contra

Moraliter.

* bonis deberent certare. Et hoc est certamen bonum. De quo dicitur 2. *Timoth.* 4. Bonum certamen certavi. Sequitur.
a Et venerunt ad Joannem] Discipuli sui, scilicet.
b Et dixerunt] invidia concitati.
c Rabbi, qui erat tecum,] quasi Discipulus tuus.
e Cui tu testimonium perhibuisti] dans ei famam quasi ignoto, & imperfecto.
f Ecce hic baptizat,] te præsente, quod est ingratitudo, & præsumptio magna.
g Et omnes veniunt ad eum,] te contempto, quasi ad majorem, & meliorem Baptistam. Talia verba loquuntur aliquando Discipuli ad Magistros suos, ut acquirant gratiam apud eos, & concitent invidiam, atque discordiam inter illos. Quorum typum gerit Josue *Num.* 11. ubi sic legitur. Cum prophetarent vir in castris, cucurrit puer, & nunciavit Moysi dicens: Heldad, & Medad prophetant in castris, statimque Josue filius Nun minister Moysi electus e pluribus, ait: Domine mi Moyses, prohibe eos. Ecce quomodo invidi torquentur de profectu aliorum. Nam ipsi Discipuli Joannis torquebantur de multitudine venientium ad Christum. Sic multi hodie dolent, quod alii Magistri habent plures Discipulos, quam suos. Et certe hoc provenit ex eo, quod homo propriam gloriam quærit. Unde *Genes.* 37. dicitur, quod causa somniorum, atque sermonum, invidiæ, & odii fomitem ministravit. Quare? Quia per illa somnia ostendebatur exaltatio Joseph super fratres suos, *Augustinus in libro de conflictu vitiorum, & virtutum*, inducit invidiam sic loquentem: In quo minor es illo, vel illo? Cur ergo eis æqualis, vel superior non es? Quantum vales, quod ipsi non valent? Non ergo tibi æquales, vel superiores esse deberent. *Job* 5. Parvulum occidit invidia. Ibi *Gl.* Parvulus invidia occiditur: quia nisi inferior esset, de bono alterius non doleret. *Aug.* Cum per omne vitium antiqui hostis virus humanus cordi infundatur, in zelo invidiæ tota viscera serpens concutit. Hæc est enim, qua Cain contra fratrem suum armatur, filii Jacob contra Joseph, Judæi contra Christum, Babyloni contra Danielem. Hæc est vermis, qui Jonæ hederam consumit, dum alienum prosperitati mordendo detrahit. *Basilius in quodam sermone*. Sicut proprium boni Dei est liberalitas, & largitio, ita proprium est Diaboli livor, & invidia. Unde *Sap.* 2. Invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius, Inter omnia vitia hæc causam habet verecundiorem. Nam si quæras a Saule, quare persequatur David? quid respondebit? nisi quia induit illum Spiritus Domini, & a me recessit: vel quia Goliam inimicum meum interfecit, Similiter isti non haberent causam maledicendi Christum, nisi quia omnes veniunt ad Christum, & gratiam Baptismi ab eo percipiunt.
h Respondit Joannes] volens sanare Discipulos.
i Et dixit: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.] *Chrysostomus*, quasi dicat, Deo rebelles estis, non homini; quia quod omnes ad ipsum veniunt, donum Dei est, non hominis. Sic deberent Magistri respondere suis Discipulis detrahentibus de aliis Magistris, dicentes: quiescite; quod enim plures confluunt ad illum, & libenter audiunt eum, donum Dei est, cujus ordinationi nemo debet resistere, Similiter videtur respondisse Dominus Discipulis suis. *Lucæ* 9. ubi dixerunt: Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur te nobiscum. Et ait illis Jesus: Nolite prohibere eum: qui enim non est adversum vos, pro vobis est. Similiter respondit Moyses Josue pro ipso æmulanti *Numer.* 11. Quid æmularis, inquit, pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det ei Deus Spiritum sanctum suum? Sed heu mortuus est omnis Moyses: quia nullus talis Magister invenitur, qui tam sincere diligat Deum, ut æque gaudeat, si per alium laudatur, & prædicatur Deus, sicut per se. Quare? Quia omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi, idest, propriam gloriam, non gloriam Dei. Et ideo modo & Magister Discipulo, & Discipulus Magistro invidet de dono Dei. Dolet unus, si alius legit, aut prædicat melius ipso. Ita non

* fecit Elias, qui

a se inflectit contra eos. *a* Ipsi vos mihi testimonium perhibetis,] dicendo, cui testimonium perhibuisti.
b Quod dixerim, non sum ego Christus:] quando missi fuerunt ad me Pharisæi, & Sacerdotes, *sup.* 1.
c Sed] dixi, quia missus sum ante illum,] ut præco ante Regem, ut servus ante Dominum parare viam ejus,

lo. Ipsi *a* vos mihi testimonium perhibetis, *b* quod dixerim, non sum ego Christus; *c* sed † quia missus sum ante illum. *d* Qui habet sponsam, sponsus est; *e* amicus autem sponsi, *f* qui stat, & *g* audit eum, *h* gaudio gaudet *i* propter vocem sponsi,

Unde non debetis amplius indignari contra eum, cujus minister ego sum. Possent autem quærere discipuli Joannis: Si tu es missus ante illum, quis igitur es tu: & quis est ille? & respondet Joannes.
d Qui habet sponsam sponsus est;] sc. Christus, cui Ecclesia desponsata est per fidem: non mihi, qui sum purus homo. Unde *Osee* 2. Sponsabo te mihi in fide. Christus vero sponsus est, & ejus sponsa est Ecclesia, credens in eum, ut in Deum suum. *Ephes.* 5. Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, Et *inf.* Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum autem hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia.
e Amicus autem sponsi,] congaudens sponso, & sponsæ. *f* Qui stat] humilis, non cadit superbus.

Item, [qui stat,] idest, quiescit tradita sponsa sponso, qui laboravit prius, ut poneret sponsam cum sponso, idest, Ecclesiam cum Christo.
g Et audit eum] loquentem cum sponsa sua.
h Gaudio gaudet,] idest, duplex gaudium habet. Unum de honore sponsi, & alterum de utilitate sponsæ.
i Propter vocem sponsi,] qua sponsam alloquitur, & instruit per seipsum, ad quod amicus, qui modo stat, & quiescit, modis omnibus laboravit. Metaphorice loquitur Joannes, Christum vocans sponsum, & Ecclesiam sponsam, propter naturæ humanæ conformitatem, & amoris unitatem, quæ est inter Christum, & Ecclesiam.

Item propter regiminis auctoritatem, quæ est in Christo: & prolis fœcunditatem, quæ est in Ecclesia, quæ parit, & remanet virgo. Se autem dicit amicum sponsi, qui fideliter laboravit ad hoc, ut Christo conjungeretur sponsa sua vera fide. Et quia Ecclesia jam in parte credebat in eum, & Christus loquebatur per se ipsi Ecclesiæ, in hoc gaudebat

Moraliter. * Secit Elias, qui a Domino impetravit, ut ejus Spiritus duplex fieret in Elisæo Discipulo suo. 4.*Reg.* 2. Ubi est modo talis Elias, imo potius modo ad invicem æmulantur. Et quare hoc? Certe quia non sunt Prophetæ, sed homines, idest carnales. 1.*Cor.* 3. Cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? *Psalm.* 73. Signa nostra non vidimus: jam non est Propheta.
a Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim, non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum,] Non sufficit Joanni retundere invidiam Discipulorum, nisi etiam se humiliaret coram eis, dicens se non esse Christum, licet putaretur a multis, sed Christi nuncium, Unde *inf. eod.* Illum oportet crescere; me autem minui. Ponit autem Joannes in hac serie tres causas humiliationis suæ.

Prima, quia nihil habet a se, quæ notatur *ibi*: [Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.] Et de hoc dicitur. 1.*Cor.* 4. Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis.

Secunda, quia nuncius est, non Dominus, quod notatur *ibi*. [Non sum ego Christus, sed missus ante illum.] De hoc dicitur *Malach.* Ecce ego mitto Angelum meum: & præparabit viam ante faciem meam. Et *sup.* 1, Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes.

Tertia, quia est amicus sponsi, & non sponsus: quod notatur consequenter, cum dicitur. [Qui habet sponsam, sponsus est, &c.] Ista tria debet quilibet Justus, & maxime prælatus apud se recolere, cum Discipuli sui, idest, opera sua bona, & motus disciplinati volunt eum per occasionem extollere.

Primo debet cogitare, quia nihil boni habet a se, sed totum a Deo: *Jac.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum. Secundo debet considerare, quia famulus est, & non Dominus: & ita fur, & proditor esset, si bona Domini sui usurparet. *Luc.* 12. Quis, putas, est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram.

Item *B.Bern.* Fidelis es servus, si de multa gloria Domini tui, & si non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nil manibus tuis adhærere contingat.

Tertio debet considerare, quia amicus sponsi est, & non sponsus. Unde sequitur:
d Qui habet sponsam, sponsus est;] Sponsa Christi est gloria, quam sibi soli retinet, & nulli servorum vult communicare.

Unde *Isa.* 42. Gloriam meam alteri non dabo. 1.*Tim.* 1. Soli Deo honor, & gloria. Omnia alia bona communicat nobis Deus; gloriam vero sibi soli retinet.

Unde dicit Joseph. *Gen.* 39. Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua: nec quicquam est, quod in mea non sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? *Marc. cap.* 6. Non licet tibi habere uxorem fratris tui, scilicet, Christi gloriam, dicit Joannes Herodi. Vel aliter, sponsa Christi est Ecclesia, quam amat ut sponsam.

Unde *Eccl. cap.* 5. Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut sanctificaret illam. Hanc sponsam zelat Christus quasi zelotypus, ita ut nullum permittat ei loqui. *Zach. cap.* 1. & 8 Zelatus sum Jerusalem, & Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus sum eam. Hanc sponsam copulavit sibi Christus duplici copula.

Prima consistit in conformitate naturarum, de qua dicitur *Hebr. cap.* 2. Nusquam Angelos apprehendit: sed semen Abrahæ apprehendit. *Deuter. cap.* 10. Patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amavit eos, elegitque semen eorum.

Secunda consistit in unitate voluntatum. De qua dicitur 1. *Cor.* 6. Qui adhæret Deo, unus spiritus est. De hac sponsa generat Christus filios verbo prædicationis.

Unde *Jac.* 1. Voluntarie genuit nos verbo veritatis. Ideo verbum dicitur semen. *Luc. cap.* 8. Et sicut bonus sponsus exhibet sponsam suam honorabiliter in victu, & vestitu: ita Christus Ecclesiam.

Unde *Ezech.* 16. Vestivi te discoloribus, & calceavi te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus, & ornavi te ornamento, & ornata es auro, & argento, similam, & mel, & oleum comedisti. De hac ergo sponsa dicit.
d Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi,] Sponsus est Christus, ut diximus. Amici sponsi sunt Prælati, quibus commissa est custodia sponsæ, idest, Ecclesiæ.

Unde in persona eorum dicitur *Cant. cap.* 1. Posuerunt me custodem in vineis. Hi amici debent stare extenti ad superna per desiderium, & spem, & contemplationem.

Unde *sup.* 2. Altera die stabat Joannes, & ex Discipulis ejus duo. Debent etiam audire vocem sponsi, idest, præceptis Domini obedire, ut vere sint Jacob, & Israel.

Tertio debent gaudere propter vocem sponsi ad sponsam.

Unde *Cant.* 8. Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. Et de hoc debent gaudere Prælati, quia totum gaudium eorum debet esse de hoc, quod sponsus loquitur ad sponsam, idest, Christus ad Ecclesiam. Ad quam loquitur quatuor modis.

Primo per Prædicatores, secundo per beneficii largitionem, tertio per inspirationem, quarto per flagella. Et de his quatuor dicitur *Prov.* 1. Vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Huic quadruplici locutioni sponsi debet sponsa quadrupliciter respondere. Primæ per auditorum impletionem, secundæ per gratiarum actionem, tertiæ per consiliorum operationem, quartæ per vitæ emendationem. Unde *Job* 14. Vocabis me, & ego respondeo tibi. Sic auditur communiter vox sponsi, & sponsæ, & tunc gaudio gaudent veri amici. Unde *Jer.* 33. Ecce adhuc audietur in loco isto, quem vos dicitis esse desertū vox gaudii, & vox letitię, vox sponsi, & vox sponsę, vox dicentium: Confitemini Domino, quoniam

* bonus, quoniam

* clesiæ, in hoc gaudebat Joannes. Unde sequitur:

a Hoc ergo] scilicet, quod sponsus alloquitur sponsam, scilicet Christus Ecclesiam: & quod omnes ad ipsum veniunt.

b Gaudium meum impletum est.] quia ad hoc ego laboravi usque modo. Sed quærit *Chrys.* quomodo nunc dicat se amicum sponsi Joannes, qui supra dixit. Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus? Respond. *Chrys.* Ideo dicit modo se amicum sponsi, qui putabant eum morderi invidia erga Jesum; supra vero, ubi putabatur esse Christus, dixit se indignum solvere corrigiam calceamenti ejus, utrobique succurrens periculo aliorum. In hoc etiam gaudebat Joannes, quia Christus apud hominum opinionem crescebat: & ita gaudebat de sua humiliatione, & Christi exaltatione, quasi bonus, & fidelis nuncius. Unde sequitur,

Supra 1.

a Hoc ergo *b* gaudium meum impletum est. *c* Illum oportet crescere, *d* me autem minui. *e* Qui desursum venit, *f* super omnes est. *g* Qui est de terra, *h* de terra est, & de terra loquitur. *i* Qui de cœlo *k* venit, *l* super omnes est. Et *m* quod * vidit,

c Illum oportet crescere,] in notitia, & opinione populi.

d Me autem minui,] qui putabat esse Christus, oportet, ut cognoscat esse servus. Huic autem exaltationi Christi, & Joannis humiliationi attestatur genus mortis, utriusque, & tempus Nativitatis. Christus enim exaltatus fuit in Cruce; Joannes autem capite fuit truncatus.

Item Joannes diebus decrescentibus fuit natus; Christus vero diebus crescentibus, Et merito oportet illum crescere in notitia populi, quia ipse est major omnibus in natura sui. Unde sequitur:

Cum duplex sit nativitas, in utero, & ex utero. Si intelligatur de nativitate in utero, consideranda sunt æquinoctia: Si vero nativitas ex utero, consideranda sunt solstitia, Utrobique verum est.

e Qui desursum venit,] idest, de cœlo, quia cœlestis naturæ est, quoad Divinitatem.

f Super omnes est,] idest, incomparabiliter excellit omnes, Vel sic secundum *August.*

e Qui desursum venit,] idest, de altitudine humanæ naturæ, quæ fuit ante peccatum, de qua altitudine Christus assumpsit humanitatem suam, quoad immunitatem peccati, non pœnalitatis, seu passibilitatis; habuit enim humanam naturam naturaliter passibilem, sicut alii homines, sed omnino immunem a peccato omni, actuali, & originali, quod non alii homines. Et quod hoc.

f Super omnes est.] Angelos, & homines, & quoad dona virtutum, quia sine mensura recepit Spiritum; nos autem ad mensuram. Unde *Psalm.* 44. Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Quomodo autem descenderit Christus per patres, qui utraque infectione percussi erant, hoc magis pertinet ad disputationem. Sed hoc sciendum est, quod non descendit, ut quidam hæretici dixerunt, per quamdam partem naturæ humanæ, quæ remansit incorrupta, & non infecta in Adam. quæ semper descendit usque ad Christum in sua puritate, imo tota humana natura corrupta fuit in Adam, & infecta; sed in B. Virgine in abscissione particulæ, unde formatum est corpus Christi, fuit mundata omnino a corruptione, & infectione vitii, sed non pœnalitatis. Ostensa autem Christi excellentia, ostendit Joannes suam humilitatem. Unde sequitur:

g Qui est de terra,] natus, quoad corpus: quia anima non est de terra.

h De terra est, & de terra loquitur.] idest, ex se terrenus est, & ecce terrena sapit, & dicit; si vero divina sapiat, & loquatur, ex virtute divina illuminante est. Vel sic:

g Qui est de terra,] idest, de terrenis parentibus carnaliter natus, peccatum, & pœnam ab eis contrahens.

h De terra est, & de terra loquitur,] idest, ex se nihil sapit, nec loquitur nisi terrena. *Chrysost.* autem sic exponit.

g Qui est de terra,] idest, qui ex se infirmus est, & carnalis, ut ego, dicit Joannes.

h De terra est, & de terra loquitur,] idest, talia docet, qualia decet docere terrenam infirmitatem. Unde dicit *Chrys.* De terra se dicit loqui Joannes, comparans doctrinam suam doctrinæ Christi, q. d. doctrina mea nihil est respectu doctrinæ Christi. Et adhuc magis expresse subjungit:

i Qui de cœlo venit,] idest, de sinu Patris occulto in humanam naturam.

l Super omnes est,] Angelos, & homines, incomparabiliter omnes excellens, & ideo testimonium, & doctrinam ejus incomparabiliter excellit testimonium, & doctrinam meam. *m* Et quod

* vidit, Christus apud

* bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus, & vox portantium vota in domum Domini. Sequitur:

Moraliter.

a Hoc ergo gaudium meum impletum est,] in hoc, sc. quod Christus amat, & alloquitur Ecclesiam. Et in hoc debet esse totum gaudium amicorum sponsi, idest, prælatorum, sc. de honore, & profectu Ecclesiæ. Unde *Joannes in tertia canonica* dicit; Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare. Sed certe multi de amicis sponsi magis gaudent de augmento pecuniæ, quam de honora, & profectu Ecclesiæ. *Isa. c.9.* Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia. Quod patet ex hoc, quod multi recedunt ab Ecclesiis suis usque ad tempus messium; & tunc revertuntur, quando debent colligi messes, & impleri horrea. *Prov. c.7.* Non est vir in domo sua, abiit via longissima, sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ Lunæ reversurus. Seq.

c Illum oportet crescere,] fama; [me autem minui.] Et in hoc etiam gaudebat Joannes, quod fama Christi augebatur, & sua minuebatur. Modo autem pauci sunt, qui gauderent de sui diminutione pro Christi exaltatione, qui in membris suis, non in se exaltatur. Vel qui velint minui etiam in rebus suis, ut alii exaltentur in virtutibus: sed potius volunt omnes fere exaltari in rebus, & honoribus, ut alii diminuantur etiam in virtutibus. De quibus dicitur *Zach. cap.*11. Hæc dicit Dominus, pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant, & non dolebant, venundabant ea dicentes: benedictus Deus, divites facti sumus.

e Qui desursum venit,] idest, cujus conversatio in cœlis est, ducens vitam angelicam. *f* Super omnes est,] id est, ab omnibus honoratur, & major omnibus habetur. *I. Cor.* 2. Spiritualis homo omnia dijudicat: & ipse a nemine judicatur. Vel sic: *e* Qui desursum venit,] quem gratia desursum veniens illuminat. *f* Super omnes est,] idest ad cœlestia, quæ supra sunt, tendit, & aspirat. *Col.* 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, non quæ super terram. Sic est de aqua, tantum ascendit, a quanto descendit: similiter gratia, quæ de cœlo est, facit hominem salire in cœlum. Unde *inf.* Aquam, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

g Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur.] *i.* cujus est terrena affectio, & conversatio, ejus est terrena locutio, & operatio. Et a lingua cognoscitur, unde sit homo. *Matt.*26. Vere & tu ex illis es; nam & loquela tua manifestum te facit. Legitur *Jud.* 12. Quod dicebant quidam Galaaditæ: Nunquid Ephrateus es? Quo dicente: Non sum, interrogabant eum. Dic ergo Sebboleth, quod interpretatur spica. Qui respondebat, Chebboleth, eadem littera spicam exprimere non valens. Affectio enim trahit ad se linguam: & ideo libenter, & frequenter loquuntur homines de rebus, quas amant. *Is.* 29. Erit quasi Pythonis de terra vox tua, & de humo mussitabit eloquium tuum. *Hier.* Vanus sermo vanæ conscientiæ index est: quia ex abundantia cordis os loquitur *Matth.*12. Et *Basilius* dicit, quod avarus semper redditus computat. Unde *Luc.*12. legitur. Hominis cujusdam divitis ager uberes fructus attulit, & cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos. Et dixit: hoc faciam: destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. *i* Qui de cœlo,] contemplationis, vel S. Scripturæ, vel cœlestis contemplationis, vel Religionis. *k* Venit,] in mundum causa prædicationis, & ædificationis. *l* Super omnes est.] idest, honorabilior omnibus est. *Matth.* 11. Qui minor est in regno cœlorum, major est illo. *m* Et quod vidit, & audivit: hoc testatur.]

* Istud testimonium

h vidit, Christus apud Patrem:
a Et audivit,] a Patre in sinu ejus existens.
b Hoc testatur,] mundo in humanitate existens. Unde *inf.* 8. Quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. Secundum *Aug.* Nihil aliud vidit, & audivit a Patre filius, nisi se, qui est verbum ejus, & splendor figuræ substantiæ ejus.

vidit, & *a* audivit, *b* hoc testatur, & *c* testimonium ejus *d* nemo *e* accipit. *f* Qui autem acceperit, *g* ejus testimonium *h* signavit, *i* quia Deus verax est. *k* Quem enim misit *l* Deus, *m* verba Dei loquitur.

Verbum audit filius, & splendorem videt, & hoc idem testatur ipse mundo idest, seipsum mundo notificavit. Est igitur sensus, quod Christus seipsum, quem Pater loquitur, ipse mundo notificavit. Secundum *Chrys.* autem sensus est. Quod vidit, & audivit, hoc testatur idest, certissime scit: sicut certissime scitur res, quæ videtur pariter, & auditur ab aliis. Non enim Christus ignorans aliquid videndo, vel audiendo discit, quod doceat; sed quod audit, & videt testari dicitur, quia indubitatum est testimonium ejus. Et licet tam certum sit ejus testimonium, tamen nemo accipit illud. Unde sequitur:
c Et testimonium ejus nemo] idest, raros. Vel, Nemo, de populo sinistre, [accipit.] Hic tangit discipulos suos Joannes, ut dicit *Chrys.* qui non credebant testimonio Christi, sed potius invidebant ei, & indignabantur contra eum, stulte zelantes pro Magistro suo, sicut Josue pro Moyse. *Num. cap.*11. Cui Moyses. Quid æmularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet?
f Qui autem acceperit,] de populo dextere. *Chrysost.* ponit. Qui autem accepit: Et est littera verior.
g Ejus testimonium,] oblatum sibi gratis, rationabiliter.
h Signavit] idest, monstravit. Vel [signavit,] idest, signum in corde suo posuit.
i Quia Deus verax est,] idest, verus Deus est ipse Christus, scilicet, qui de cælo venit, & qui super omnes est, vere Deus est.
k Quem enim misit] in mundum ad salutem hominum,
l Deus] Pater, vel Deus Trinitas, quæ tota Incarnationem filii operata est,
m Verba Dei loquitur,] a quo missus est nihil proprium loquens, sicut fidelis nuncius nihil de se loquitur, nisi quæ injunxerit Dominus suus. Sic Prophetæ, & Apostoli locuti sunt, quæ injuncta fuerunt, nihil de suo addentes. Verba autem Dei dicuntur intellectus revelati a Deo ad dicendum: vel ipsi intellectus divini.

Primo modo Prophetæ locuti sunt verba Dei? utroque modo Christus. Qui igitur nuncio misso loquenti tantum verba mittentis contradicit, & mittenti contradicit, quod faciebant discipuli Joannes, quos Joannes in his verbis corrigere intendit. Quia ergo jam sufficienter ostendit a Joannes, Chri-

Moralit. * Istud testimonium certum est, quod fit ex visu pariter, & auditu. Ex visu, scilicet, operum, & auditu verborum, idest, ille verus testis est, qui quod vidit in factis Sanctorum, & audivit in verbis eorum.
b Hoc testatur,] aliis facto, & verbo, ut sicut recepit, ita reddat, idest, verbo, & facto, *infr.* 10. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, *Job* 42. Auditu auris audivi te, idest verba tua, nunc autem oculus meus videt te, idest, facta tua: idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere.
c Et testimonium ejus nemo accipit,] idest, nullus homo carnalis vult audire verba, vel attendere exempla spiritualis, & veri Prædicatoris. 1. *Corint.* 2. Animalis homo non percipit ea, quæ Spiritus Dei sunt. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur, *infr.* 10. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me; sed vos non creditis, quia non estis de ovibus meis. *Isa. cap.* 53. Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Duo dicit, auditum, & brachium, idest, verbum, & opus, quibus jam non creditur. Sic filii Israel in deserto noluerunt credere Josue, & Caleph de visis, & auditis, qui terram sanctam viderant, & lustreverant, antequam de ipsa testimonium perhiberent. *Num.* 13.
f Qui autem, &c.] in manu per operationem, & in corde per intelligentiam, & amorem.
h Signavit,] idest, signo certissimo demonstravit.
i Quia Deus verax est.] quia talem nuncium misit. Per hoc enim, quod aliquis recipit verba nunciorum ipsius tanquam vera, ostendit, quod ipse loquitur veritatem per illos. Et e contrario, qui non vult recipere verba nunciorum Dei, ostendit, quod Deus non sit verax. *Luc.* 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Vel: Rom. 3.
h Signavit,] idest, in corde suo signum posuit.
i Quia Deus verax est.] qui vera loquitur per suos nuncios. *Cantic. capit.* 8. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, id est signa me esse veracem per amorem cordis, & ostensionem. Vel:
g Signavit,] idest, signum habebit.
r Quia Deus verax est,] quia per hoc, quod aliquis recipit testimonium veritatis in manu bonæ operationis, venit in certiorem cognitionem veritatis Dei.

Unde *infr.* 7. Si quis voluerit voluntatem meam facere, cognoscet ex doctrina mea, utrum ex Deo sit. *Gregor.* Virtutes citius flendo, quam studendo discuntur. *Psalm.* 33. Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus

Quis enim credere posset, quod Deus verax esset dicens: Jugum meum suave est, & onus meum leve. *Matth. cap.*11.

Item Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei, *Lucæ cap.*6.

Nisi, qui gustasset, & experimento didicisset? *Ecclesiast. capitulo trigesimoquarta.* Qui non est expertus, qualia scit?

Item quis credere posset, quod tanta esset dulcedo in vigiliis nocturnis, psalmodiis, & disciplinis quotidianis, nisi qui gustavit? *B. Bern.* Multi vident nostras cruces, qui non sentiunt nostras unctiones. Idem: O pie Jesu, si tam dulce est flere de te, quid erit gaudere de te,
b Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.] idest, de Deo, & ex Deo, & propter Deum, non de mundo, non pro mundo: sicut illi, qui pro quæstu, vel pro laude humana prædicant, aut docent.

De quibus dicitur *Mich. tertio.* Principes ejus in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede, & pro mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant, & super Dominum requiescebant dicentes: Nunquid non Dominus in medio nostrum? Nunquid venient super nos mala? Hi sunt similes Balaam, qui amore muneris victus voluit prophetare contra populum Dei,

Quibus imprecatur Judas in canonica sua, dicens: Væ illis, qui in viam Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Chore perierunt.

Hi sunt in epulis suis maculæ convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuosæ, &c. *Isaiæ capitulo quinto.* Væ, qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam Justi aufertis ab eo.

Multi sunt Prædicatores, & Doctores, qui in lectionibus, & sermonibus, & disputationibus non loquuntur verba Dei, sed magis verba Philosophorum.

Tales, ut mihi videtur, magis quærunt ostentationem, quam ædificationem: volunt videri subtiles, non utiles. *Ephes. cap.* 5. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. 1. *Cor.* 14. Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero? 1. *Cor.* 2. Prædicatio mea, & sermo meus non in persuasibilibus verbis humanæ sapientiæ, sed in ostensione Spiritus, & virtutis: ut fides vestre non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. *Isa. c.* 19. Confundentur, qui operantur linum, plectentes, & texentes subtilia. *Jerem. c.*23. Assumunt linguas suas, & loquuntur in nomine meo mendaciter, cum tamen lingua hominis sit instrumentum solius Sp. Sancti. Unde *Ps.*44 Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis, idest, Sp. Sancti. *Hieronym.* Pretiosa est lingua, quæ non nisi de

* divinis novit

a Joannes, Christum incomparabiliter excellere omnes, tam homines quam Angelos, & testimonium ejus verius, & certius testimoniis omnium aliorum, causam, & rationem omnium istorum ostendit subdens.

c Non enim, &c] q. d. non est mirandum, si super omnes est: Non enim ad mensuram, idest, particulariter per divisionem,

a Non enim ad mensuram b dat Deus c Spiritum. d Pater diligit filium, & e omnia f dedit in manu ejus. g Qui credit in filium, h habet vitam æternam: i qui autem credulus est filio, k non videbit vitam, l sed ira Dei m manet n super eum.

Matth. 11. Marc. 10. & Joan. 5

sed universaliter per totalitatem.

b Dat Deus] Pater, vel Trinitas.

c Spiritum.] idest, dona Spiritus, Christo, scilicet cui dedit Deus totum Spiritum suum, idest, omnem gratiam, quam dare potuit, non solum quoad habitum, sed etiam quoad actum particularium gratiarum. Sic non dedit aliis hominibus; sed unus fulget in actu humilitatis, ut David: alius in actu mansuetudinis, ut Moyses; alius in actu obedientiæ, ut Abraham: alius in actu hospitalitatis, ut Loth: & sic de aliis, secundum quod de quolibet Sancto intelligitur illud *Eccl. capitulo* 44. Non est inventus similis illi. Hæc expositio est Augustini. *Chrysostomus* vero sic exponit.

a Non enim ad mensuram,] idest, ad proportionem aliorum.

b Dat Deus] Christo,

c Spiritum.] idest, dona virtutum, quæ sunt a Spiritu. Sed videtur hoc esse falsum: quia gratia Christi creata est, ergo finita, & mensurata: Juxta illud *Sap.* 11. Omnia disposuisti in numero, pondere, & mensura. Et si mensurata est, & finita, ergo proportionabilis gratiæ aliorum, cum sit ejusdem generis hæc, & illa. Respond. In hoc dicitur improportionabilis gratia Christi gratiæ aliorum, quia Christus habuit simul omnem actum cujuslibet virtutis in summo, quod nemo alius, vel secundum quod est animæ divinitati unitæ. Causa autem, quare tantam dederit Deus Christo, fuit sola charitas Dei. Unde subdit:

d Pater diligit filium,] suum unigenitum singulariter, & ineffabiliter.

e Et] ideo, [omnia] quæ habet.

f Dedit in manu ejus] idest, in potestate ejus, ut omnia possit, quæ potest Pater: & ut sit tantus, quantus est Pater. Gignendo enim æqualem sibi dedit ei, quicquid habebat. Unde *infr.* 17. dicit filius ad Patrem: Omnia tua mea sunt, & omnia mea tua sunt. Per hoc autem, quod dicitur: [Omnia dedit in manu ejus.] idest, Spiritum operantem omnia, notatur, quod filius eumdem Spiritum, quem a patre accepit, potest dare aliis: & si potest dare, dedit, cum sit benignissimus, & largissimus: & ita sicut a patre, ita & a filio est Spiritus Sanctus, quod negant Græci. Et quia Deus omnia dedit in manu filii, ideo:

g Qui credit in filium,] fide operante per dilectionem.

h Habet vitam æternam:] idest, pretium vitæ æternæ, scilicet, fidem operantem per dilectionem, cui succedit visio speciei, quæ est vita æterna.

Unde *inf.* 17. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum: & quem misisti, Jesum Christum; *Gloss.* autem sic exponit.

g Qui credit, &c.] idest, ipsum filium, qui est vita æterna *infr.* 14. Ego sum via, veritas, & vita 1. *Joan.* 5. Qui habet filium Dei, habet & vitam: & qui non habet filium Dei, non habet vitam.

i Qui autem, &c.] sicut vos.

k Non videbit vitam,] idest filium, qui est vita, vel quem videre, est vita æterna. Et non solum hoc incommodum habet incredulus.

l Sed ira Dei,] idest, mors æterna, quæ est signum iræ Dei.

m Manet] continue, & sine fine.

n Super eum,] opprimens, & suffocans eum. Vel iram Dei vocat peccatum originale, & debitum pœnæ, cum qua nascitur homo. Unde *Ephes.* 2. Omnes nascimur filii iræ. Et quia filius hanc iram non tollit ab eis, qui non credunt in eum: ideo non dicit: ira Dei venit in eum; sed ira Dei manet super eum. *Chrysost.* Non dicit, manet eum, sed super eum, quasi dicat nunquam desistet. Et nota, quod Joannes sermonem ad discipulos terminat in pœnam infidelitatis: similiter Christus sermonem suum terminavit ad Nicodemum. Cujus ratio est, quia tam Nicodemus, quam discipuli Joannis increduli erant Christo: & utrique vocantur ad fidem, &c.

* divinus novit construere sermonem. Aliqui loquuntur partim verba Dei, partim verba Philosophorum, facientes vanam prædicationem. De quibus dicit Apostolus. 2. *Cor.* 2. Non sumus, sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur. 1. *Petr.* 4. Si quis loquitur quasi sermones Dei, *Deut.* 4. Non addetis ad verbum, quod ego loquor vobis, neque auferetis ex eo. Sed quia bonus homo de bono thesauro cordis profert bona, ut dicitur *Matthæi decimo*. Ideo post locutionem sequitur de interiore repletione.

Moraliter.

a Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum,] idest, gratiam, a qua trahit efficaciam. Unde *Psalm.* 97. Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multa. *Eccl. cap. undecimo.* Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Exponitur autem istud tripliciter. Primo sic;

Deus non dat Spiritum ad mensuram, idest, non dat sicut avarus, sed abundanter. *Jac.* 1. Si quis vestrum indiget Sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Secundo sic;

Deus non dat spiritum ad mensuram.] Quia non ad mensuram meritorum dat munera beneficiorum, vel præmiorum. *Lucæ cap.* 6. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. *B. Bern.* Sume totum, quod sum, quod vivo, quod possum: totum debeo pro mea creatione; quid faciam pro mea recreatione? Nam etsi ego millesies respondere possem, quid sum ego respectu Dei? *Ps.* 115. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi. Tertio sic:

Deus non dat Spiritum ad mensuram,] idest, Deus non per mensuram passionum dabit mensuram consolationum. *Rom. cap.* 8. Non sunt condignæ, vel mensurabiles passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 2. *Cor.* 4. Id, quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublime æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis. *B. Bern.* Dic nobis, Domine, quid præpara nobis? Nunquid aurum, & argentum, aut lapides pretiosos? Sed hæc vidimus, & audivimus, & fastidimus; hoc quærimus, hoc petimus, hoc flagitamus, quod oculus non vidit, quod auris non audivit, quod in cor hominis non ascendit. *Isa.* 64. Sequitur;

d Pater diligit filium,] idest, filialiter servientem. *Ps.* 81. Ego dixi: dii estis, & filii excelsi omnes.

e Et omnia dedit in manu ejus.] *Luc.* 15. Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. 1. *Cor.* 3. Omnia vestra sunt; vos autem Christi.

g Qui credit in filium, habet vitam æternam,] quia filius Dei est vita æterna, *infr.* 14. Ego sum via, veritas, & vita. 1. *Joan. c.* 5. Qui habet filium Dei, habet vitam æternam.

i Qui autem incredulus est filio, non videbit vitam,] quia fides purificat oculum mentis ad videndum vitam. 1. *Joan. c.* 5. Qui non habet filium Dei, non habet vitam. Idem autem est habere vitam, & videre vitam. Unde *infr.* 17 Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum.

l Sed ira Dei manet super eum.] Duplex pœna exprimitur, scilicet pœna damni, quia non videbit vitam: & pœna sensus, quia ira Dei manet super eum, idest, vindicta. Per verbum autem [manendi] notatur pœnæ perpetuitas: Per [super eum,] notatur pœnæ gravitas. *Chrysost.* Non dicit manet eum, sed super eum, quasi dicat nunquam desistet. *Prov.* 19. Parata sunt derisoribus judicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.

EXPOSITIO CAP. IV.

UT ergo cognovit Jesus, &c.] Istud capitulum continet duas historias. Primam, sc. de mulieris Samaritanæ prædicatione. Secundam de filii Reguli sanatione, quæ incipit ibi. [Post duos autem dies, &c.] Prima pars dividitur, in quinque partes.

CAP. IV.

UT *a* ergo cognovit Jesus, *b* quia audierunt Pharisæi, quod *c* Jesus plures Discipulos facit, *d* & baptizat, quam Joannes: *e* quamquam *f* Jesus non baptizaret, sed *g* discipuli ejus, *h* reliquit Judæam, *i* & abiit iterum in *k* Galilæam.

Primo ostenditur causa adventus Christi in Galilæam.

Secundo ostenditur opportunitas, quæ fuit ex parte Christi, qualiter intravit in disputationem cum muliere, ibi: [Venit ergo in civitatem Samariæ.]

Tertio ostenditur opportunitas ex parte mulieris loquendi cum Jesu, ibi: [Venit mulier, &c.]

Quarto ostenditur opportunitas ex parte utriusque, quia & mulier sola erat, & Jesus solus: ibi [Discipuli enim ejus abierant, &c.]

Quinto prosequitur disputationem factam inter Jesum, & mulierem, ibi: [Dicit ei ergo mulier illa.] Continuatur autem sic ad præcedens. Dictum est supra, quod discipuli Joannis contendebant cum Judæis baptizatis a Christo de Baptismo ejus: & quia Christo invidebant, Christus cessit furori eorum. Discipuli enim Joannis quosdam Pharisæos excitaverant contra Christum, quia Pharisæi aliqui zelabant Joannem, quia erant baptizati ab eo, sicut dicitur *Marc. c.*1. Sunt autem aliqui, qui dicunt Pharisæos hic discipulos Joannis vocari. Sed quod non sit verum, patet ex textu, quia dicit: [Quia audierunt Pharisæi,] quod proprium eorum est, qui facto præsentes non assistunt: discipuli autem Joannis in quæstione illa, & de Baptismo discipulorum Christi præsentes fuerant, sicut patet ex supra dictis. Dicit ergo;

a Ut ergo cognovit Jesus,] sic, supple, ad continuationem. Ita facta est tina de Baptismo Christi, & multitudine discipulorum ejus convenientium ad ejus Baptismum: & nunciatum est hoc Pharisæis.

a Ut ergo cognovit Jesus,] idest, cognoscere se ostendit, vel cognovit per experientiam, per hoc, sc. quod persequebantur eum.

b Quia audierunt Pharisæi,] zelantes Joannem contra ipsum Christum.

c Quia Jesus, &c.] idest, quod Christum plures sequuntur, & veniunt ad Baptismum ejus, quam ad Baptismum Joannis. Et discipuli quidem dicuntur hic omnes credentes ei, etiam isti, qui non continue cum ipso circuibant.

d Et] quia, [baptizat,] plures, [quam Joannes.] Hoc narratum erat ipsis Pharisæis. Sed non erat verum. Unde subdit:

e Quamquam,] idest, quamvis,

f Jesus non baptizaret,] idest, non intingeret.

g Sed discipuli ejus,] in forma baptismi Joannis, sicut supra dictum est in præcedenti capitulo, secundum *Chr.* Sed hoc est aperte contra *Gloss.* Ut inquam, hoc audivit vincens in bono malum.

h Reliquit Judæam,] ad tempus.

i Et abiit iterum,] quia jam prius ierat: quando fecit de aqua vinum *sup.*2.

k In Galilæam,] quæ remota erat a Pharisæis. Recessit ergo Jesus ab eis, non timoris gratia, ut dicit *Chr.* sed abscindere volens eorum livorem, & mitigans invidiam.

Item cum posset secundum divinitatem se tueri, & defendere ab eis etiam præsens existens cum eis, voluit tamen secedere, ut ostenderet proprietates veri hominis, cujus est mortem fugere. Sic enim voluit credi, quoniam Deus erat: ita volebat credi, quoniam ens Deus, carnem ferebat. Hæ duæ rationes sunt *Chrys.* Tertia ratio est, quod fugit in templum, ut doceret nos fugere, & cedere furori, ubi personalis est persecutio. Sed ubi grea quæritur, debet se exponere pastor pro ovibus, & murum opponere pro domo Israel. Unde *infr.* 10. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

Item potest addi quarta ratio: quia jam in Judæa multi sequebantur eum, qui nondum firmiter adhæserant ei: & ideo expediens fuit recedere de Judæa, ne illis, qui nuper crediderant, suscitaretur contradictio. Voluit autem ire in Galilæam potius, quam alibi: quia ibi jam inceperat signa facere, & discipulos congregare: & quia mansionarius fuit ibi, & nutritus; & adhuc mater sua residere, & manere solebat in Capharnaum, ut dicit *Chrys.* Sed quæritur de hoc, quia dicitur in textu: [Ut ergo cognovit Jesus, &c.] Ipse enim omnia novit, etiam secundum quod homo: nihil ergo incepit cognoscere? Resp. [Ut cognovit Jesus, quia audierunt, &c.] i. ut factum est, ut audirent, quod quidem cognovit Jesus. Vel aliter potest solvi per quoddam verbum *Aug. in fine libri octavi super Genes. ad litteram.* Dicit enim, quod Christus est verbum apud Patrem; caro apud nos: verbum caro inter Deum, & nos. Et sicut ipse habuit geminam substantiam, sc. Patris, & matris: ita characteristica idiomata habuit utriusque, sicut dicit *Damascenus*, dicendum ergo, quod Christus inquantum Deus semper omnia scivit videndo seipsum, qui est causa omnium. Inquantum autem homo, habuit unionem cum verbo, & etiam ordinationem ad res extra. Inquantum habuit unionem cum verbo, scivit omnia per contemplationem causæ primæ. Inquantum habuit ordinationem ad res extra tanquam ad cognoscibilia quædam ab anima humana, sic didicit multa, quæ prius nescivit illo genere sciendi: & hoc per contemplationem causarum naturalium, & immediatarum. Sequitur;

Δ Oportebat autem

Moraliter. *a* Ut ergo cognovit, &c.] in hoc datur ad litteram nobis forma patienter sustinendi, & cautela cedendi furori. Sic Moyses fugit in terram Madian, cedens Pharaoni: *Exod.*2. Juxta illud: *Moraliter.*

Dum furor in cursu est, currenti cede furori.

Sic & David cessit Sauli. 1. *Reg.* 21. Et Absalon. 2. *Reg.* 15. Et Elias fugit a facie Achab, & Jezabel. 3. *Reg.* 19. *Matth. cap.* 10. Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Et hoc intellige, ubi est personalis persecutio. Et nota, quod Christus.

h Reliquit Judæam,] idest, Clericos, & religiosos, qui ad glorificandum, & laudandum Deum sunt instituti. Isti enim invidia, & contentione sua expellunt Deum a se: quia non potest pax in contentione manere. *Ps.* 75. In pace factus est locus ejus.

i Et abiit iterum in Galilæam,] idest, ad simplices laicos, qui sunt in rota, & volubilitate mundi. *Psalm.*76 Vox tonitrui tui in rota. Tales enim magis timent verbum Dei. Hoc figuratum est *Jer. cap.*13. Ubi dicitur, quod lumbare Jeremiæ computruit in Euphrate, idest, in divitiis, & deliciis computrescunt Clerici, & Religiosi. Unde oportet, quod assumat sibi aliud; sc. laicos. Facit enim Dominus, quod potest, sicut pauper homo. Unde *Mich. c.*7. Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.

Item alio modo exponitur, ut per Joannem, & Jesum significentur duo genera Prælatorum, vel Prædicatorum, & Doctorum. Quidam enim datum, & lucrum requirunt: quidam fructum animarum. Joannes est ille, qui ad gratiam hominum prædicat, vel docet, Joannes enim interpretatur gratiosus. Tales enim libenter audiuntur: quia sicut dicitur 2.*Tim. c.*4. Ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus, & a veritate quidam auditum avertent, ad fabulas autem convertentur *Isa. c.* 30. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. In risu faciunt panem: quia taliter docendo acquirunt, quod concupiscunt, sive satietatem favoris mundani, sive laudis, sive muneris temporalis. Jesus est ille, qui puram veritatem prædicat pro salute animarum. Discipuli autem Joannis cum vident, quod confunditur vanitas, & Jesu proficit in veritate prædicanda, invident, & persequuntur eum.

Unde conveniens est, cum odiosus sit prædicator ex assiduitate prædicandi veritatem, quod cedat furori, & de Judæa redeat in Galilæam, idest, de agro prædicationis redeat ad domum revelationis, de sæculo ad claustrum, de aliis ad seipsum, de exercitio prædicationis ad otium, & secretum contemplationis, ubi homini revelatur Deus, & sui ipsius status.

Galilæa enim interpretatur revelatio. Animalia enim ibant, & revertebantur. *Ezech* 1. Et *Job c.*38. Nunquid mittes fulgura, & ibunt: & revertentia dicent tibi: adsumus? *Jud.* 5. Stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt, &c. Sed notandum, quod sequitur:

* *a* Oportebat autem

A *a* Oportebat autem, &c.] Consequentia talis est. Præceperat Christus, vel præceptum sic erat discipulis: In viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis. Ne ergo aliquis legens hunc locum, reprehendat Christum, eo quod veniat contra præceptum, quod dedit: ideo prævenit Evangelista, & ostendit, quod per accidens attrahitur ad Samaritanos: Et hoc est, quod dicit: [Oportebat] q. d. ipse quidem, qui voluit ire in Galilæam, sed inter Galilæam, ad quam ivit, & Judæam, de qua exivit, erat media Samaria. Unde: *a* Oportebat] i. opportunior via erat,

a Oportebat autem eum *b* transire per mediam Samariam. *c* Venit ergo in civitatem Samariæ, *d* quæ dicitur *e* Sichar, *f* juxta prædium, *g* quod dedit Jacob Joseph filio suo;

b Eum transire, &c.] idest, per quamdam partem terræ Samariæ. Samaria autem civitas est metropolis, a qua & tota terra dicitur Samaria. Est autem Samaria civitas nuncupata a Samor monte quodam, in quo ædificata est. Qui mons Samor etiam dictus est a quodam possessore ejus, qui dictus est Somer, ut dicit *Chrys.* Et 3. *Reg.*16. Et *Isa.*7. Secundum aliam litteram: Caput Samorrhæorum Ephraim. Hæc autem civitas destructa est, & postea reædificata est in valle, quæ nunc Sebaste dicitur, & a quibusdam Cæsarea, ut dicunt quidam. Hic autem quæritur, quare non observaverit illud, quod Apostolis injunxit: In viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum &c. *Matth.* 10. Ad hoc potest dici, quod illud præceptum dedit sic, ut non ea proposito irent ad Gentiles, vel Samaritanos ad commorandum ibi; huc autem non venerunt nisi ex accidenti.

Item illud mandatum dedit ad tempus, & ex causa quadam ex parte Judæorum, ut sc. facilius reciperent prædicationem Apostolorum, si eorum legitima custodirent, & non commiscerentur Gentilibus, & Samaritanis, quos abominabantur, & ne murmurarent, quod relinquentes eos irent ad præputiatos. Hæc fuit causa præcepti ad tempus dati. Cum ergo præceptum hujusmodi non extendatur in plus, nisi quantum pertingit causas ipsius, evacuata causa, evacuatum est præceptum. Et hoc fuit; quando omnino repulerunt verbum. Unde excusantes se discipuli dixerunt. *Act.*13. Vobis erat necesse primum enunciare verbum Dei; sed quoniam indignos nos judicastis: ecce convertimur ad Gentes. Quando ergo omnino repulerunt verbum, omnino transierunt ad Gentes. In hoc autem loco, ubi non omnino repulsi sunt a Judæis, nec omnino conversi sunt ad Gentes; sed in parte, & ex accidenti: sicut etiam alibi in parte, & ex accidenti legitur Dominus fecisse, ut *Marc.*7. de muliere Syrophænissa. Item alia mystica ratio est, quare transivit de Judæa per Samariam in Galilæam, quæ iterum Judæorum terra erat ut significaret, quod de Judæis veniret fides ad Gentes, & quod Apostoli ad eos converterentur, & postea cum plenitudo Gentium intraverit, redibit in Galilæam fides Judæorum, quia reliquiæ Israel salvæ fient, ut dicitur *Rom.*9. *c* Venit ergo] q. d. cum oporteret transire de Judæa in Galilæam per Samariam, venit in quamdam civitatem regionis, Samariæ. *d* Quæ] civitas existens in regione Samariæ. *e* Dicitur Sichar] ab ipsis Samaritanis. Dicebatur Sichar corrupte, quia Chaldæi erant origine. Proprie autem secundum linguam Hebræam dicitur Sichem. Et est illa villa, in qua filii Jacob exercuerunt occisionem pro Dina sorore sua, sicut dicitur *Gen.* 34. Quæ civitas est. *f* Juxta prædium,] idest, agrum secundum *Gl.* vel villam, secundum *Chrys.* *g* Quod dedit, &c.] *Gen.*48. Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo. Et nota, quod prædium in possessione immobilium dividitur contra feudum. Feudum enim est, quod accommodatur alicui, secundum aliquod genus servitii ipsi accommodanti: & ideo subtracto servitio, de jure subtrahitur feudum. Prædium autem habetur, vel possidetur dupliciter, vel pretio, vel bello. Unde jam Jacob istam terram emerat pretio a filiis Emor patris Sichem centum agnis, ut dicitur *Genes.* *trigesimotertio*. Et in bello obtinuerit, ut di-

A citur *Gen.*48.

Moraliter. * *a* Oportebat autem, &c.] Per quod significatur, quod qui vult ire in Galilæam, idest in secretorum revelationem, oportet, quod transeat per mandatorum observationem. Samaria enim interpretatur custodia. *Ps.*118. A mandatis tuis intellexi. Ibi *Aug.* Nisi per obedientiam mandatorum non venitur ad intelligentiam occultorum. *Eccl.* 1. Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam. Sequitur: *c* Venit ergo, &c.] istud exponitur dupliciter, in bono, & in malo. In malo sic, ut per civitatem Samariæ veterem conversationem peccatorum intelligamus. Quæ bene Samaria dicitur, idest custodia, quia in ea anima obsessa a diabolo, & possessa custoditur. *Thr.* 3. Conclusit vias meas lapidibus quadris *Ps.*21. Circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me. De hac civitate dicitur *Nah.* 3. Væ civitas sanguinum universa mendacii dilaceratione plena. Hanc civitatem ædificat ipse peccator. Unde *Gen.* 4. Cognovit Cain uxorem suam, sc. concupiscentiam, & concepit & peperit filium. Concepit pravum propositum, & peperit opus perversum. *Ps.*7. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Quem vocavit Enoch, quod interpretatur dedicatio, quia per opus pravum dedicat se homo diabolo. Et ædificavit civitatem, quam vocavit nomine filii sui Enoch, i. veterem conversationem, quia a prava operatione dicitur prava conversatio. Ad hanc civitatem venit Dominus, quando dat homini gratiam aliquam gratis datam, per quam recognoscit statum suum. *e* Sichar] quod interpretatur humerus, i. labor, quia ut inique agerent, laboraverunt. Unde dicunt peccatores veterem conversationem amantes. *Sap.* 5. Ambulavimus vias difficiles, &c. *f* Juxta prædium, quod, &c.] i. juxta bonam, & novam conversationem justorum. Simul enim boni, & mali conversantur in hac vita. Et junctum est granum cum palea, donec in judicio separabuntur mali de medio justorum, ut dicitur *Matt.*13. Et comburentur

* paleæ igni inextingui-

In malo.

Aliter in bono. *e* Venit ergo, &c.] Aliter exponitur in bono, ut per civitatem Samariæ religio intelligatur, in qua custodiuntur claustrales, sicut pretiosus thesaurus Domini in forti loco, & munito. Unde 1. *Mach.*4. Ædificaverunt montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, nequando venirent Gentes, & conculcarent eam, sicut ante fecerunt. Muri, & turres sunt Prælati, & Angeli, qui muniunt subditos orationibus, & admonitionibus, & consolationibus, & prospiciunt, ne capiantur ab hostibus. Et nota, quod claustrum bene dicitur civitas, non solum propter munitionem; sed etiam propter legem, & Regem; quia habet unum modum vivendi sub una regula, & habent etiam communionem, quæ insurgit per orationes contra dæmones tentantes aliquem, *Prov.*18. Frater, qui juvatur a fratre, quasi civitas firma. *Eccl.*4. Melius est, duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ, &c. Hæc civitas dicitur Sichar, quod interpretatur conclusio: quia Religio clauditur, tanquam hortus Domini speciosus, & deliciosus. Unde *Cant.*4. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. *Is.*51. Ponent desertum quasi delicias, & solitudinem ejus quasi hortum Domini, Item intercluduntur in claustro tanquam vinum in dolio, ut ibi parentur, & abjiciant omnem sordem. & ad potum Domini reserventur, sicut solet dici de bono vino. Recludite id ad os Domini Regis. *Cant.* 7. Dicitur. Guttur tuum sicut vinum optimum dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus ejus ad ruminandum. Item sicut sponsa recluditur in thalamo cum sponso, quia eam zelat sponsus. *Deut.* 33. Benjamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo quasi in thalamo: tota die morabitur. Item sicut aves in caveis recluduntur, ut ibi spiritualiter loquantur, & cantent corde Domino, secundum illud *Ps.*83. Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum, 1. *Cor.* 14. Psallam spiritu, psallam & mente. *Eph.* 5. Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino. Sed nota, quod aves non delectat semper esse in caveis, quia semper cogitant de regressu; tamen multo melius habent ibi necessaria, quam cum erant extra. Sic est de multis claustralibus, maxime de illis, qui intrant claustrum propter paupertatem, quam in sæculo patiuntur. De quibus dicitur *Thr.* 1. Migravit Judas propter afflictionem, & multitudinem servitutis, i. propter inopiam transit ad religionem. Et sequitur ibi: habitavit inter Gentes, i. inter claustrales, nec invenit requiem: quia tali statim displicet religio. Sed timeant isti, qui cogitant de egressu: quia cattus, i. diabolus eis insidiatur sicut avibus, ut caput ad minus devoret. *Gen.* 4. Ecce ejicis me hodie a facie terræ: & a facie tua abscondar. Vel potest dicere, qui egreditur de claustro, Et ero vagus, & profugus in terra: omnis ergo qui invenerit me, occidet me. Quilibet enim diabolus talem percutit gladio alicujus peccati: quia tales exponunt se omni spurcitiæ, Prosequamur igitur textum. *e* Venit ergo Jesus, in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar] quia visitat claustrales in religione, in qua eos reclusit. *Job* 10. Visitatio tua custodivit spiritum meum.

f Juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo.] Prædium istud est ara contemplationis, juxta quam est conversatio regularis. Omnis enim alia conversatio licet bona, minus tamen vicina esse solet studio contemplationis. Unde

Θ *Osee* 2. Adducam

♠ citur *Gen.* 48 recte prædium dicitur. Sane autem intelligendum est hoc, quia primo emerat eam n Rege Emor centum agnis, sed cum pro nece Sichimitarum debuerat sibi auferri, potestative super ea obtinuit.

a Erat autem, &c.] idest, quem foderat Jacob in haustum familiæ suæ, & pecorum, sicut *infr.* dicitur. Ad litteram autem, ut dicit *Chrys.* ita diligenter determinat hic de loco isto, ut postea quando audieris mulierem loquentem, Jacob pater noster dedit nobis fontem hunc, melius intelligas, & scias, de quo fonte loquitur, & ubi situs. Fons autem ut dicit *Gl.* dicitur ubicumque aqua manat de terra. In ratione enim fontis non est plus, nisi quod fundat aquas, sed si in superficie terræ, tunc dicitur fons appropriate, ut dicit *Joseph.* si vero in profundo, tunc dicitur puteus. Et etiam fons generali vocabulo, ut hic dicitur fons Jacob, cum esset puteus profundus.

a Erat autem ibi fons Jacob: *b* Jesus ergo fatigatus ex itinere *c* sedebat sic *d* super fontem. *e* Hora autem erat quasi sexta. *f* Venit mulier de Samaria *g* haurire aquam.

b Jesus ergo fatigatus ex itinere] quia ultra vires velociter ambulaverat. Et causa hujus potest esse livor Pharisæorum, cui se cito voluit subtrahere, & est quasi causa impellens. Et ex alia parte salus illorum, ad quos tendebat, quibus se citius voluit præsentare, & est quasi causa trahens. Et tertia causa, ut daret nobis exemplum laboris in itinere, & opere prædicationis, ut dicit *Chrys.* *c* Sedebat sic,] idest, fatigatus.

d Super fontem,] in ora fontis propter revelationem lassitudinis, & refrigerationem caloris ex aqua recenti scaturiente de terra. Vel: [Sedebat, sic,] demonstrative, idest, ad hoc quod sequitur: Sedebat super fontem. Vel secundum *Chrysostomum*.

c Sedebat sic super fontem,] idest, non in throno, non in plumari, sed simpliciter, & ut contingebat super terram. Sessio autem hæc facta est propter laborem, quia fatigatus ex itinere: vel propter æstum, quia erat hora sexta, ut dicitur consequenter, Vel ut expectet Discipulos, qui intraverant civitatem, & ut daret occasionem, & opportunitatem, ut inveniretur a muliere ventura ad hauriendam aquam. Has quatuor causas notat *Chrysost.* Exprimens ergo causam sessionis pro æstu, subdit:

e Hora autem, &c.] Ex hoc patet, quod satis laboraverat, qui continue usque ad sextam, & velociter ierat. Item patet, quod calore confectus erat, quia tali hora jam ascendit Sol ad altiorem gradum nostri emisphærii.

f Venit mulier de Samaria,] idest, de civitate Samariæ regionis.

g Haurire aquam.] Nota qualiter describit omnes occasiones, & ea parte Christi, quia fatigatum conveniens fuit sedere, & ex parte mulieris, quæ necesse habebat aquam haurire; & ex parte loci, ubi erat fons, ad quem & Christum conveniens fuit sedere propter quietem, & refrigerationem, & mulierem ibidem propter potum venire. Et ita omnia concurrerunt opportune. Item nota, quod ubique Christus servat pacem, quia nec ex proposito, sed quasi ex accidenti venit ad Samaritanos: nec mulier venit mandata, sive vocata; sed a causa omnia dicit facta Evangelista, ut tollat occasionem murmuris a

♠ Judæis,

Moraliter. * paleæ igni inextinguibili. *Matth.* 3.

a Erat autem ibi fons Jacob,] idest, bona temporalia, vel naturalia, quæ simul participant boni, & mali.

b Jesus ergo, &c.] Jesus vadit circumiens, ut aliquos inveniat dignos se, secundum quod dicit *Eccl.* 24. In omnibus requiem quæsivi, Et 6. Dignos se circuit ipsa quærens, & in viis suis ostendet se illis hilariter, & in omni providentia occurret illis. Jesus fatigatur tripliciter: Onere, clamore, & itinere. Onere peccatorum nostrorum, portando, & expectando. Unde *Isa.* 1. Laboravi sustinens. Et 46. Audite me, domus Jacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva usque ad senectam: ego ipse, & usque ad canos ego portabo. Ego feci, & ego feram; ego portabo, & salvabo. Item fatigatur clamore, no vocando; Revertere, revertere, Sunamitis, &c. *Cant.* 6. *Psalm.* 68. Laboravi clamans: raucæ factæ sunt fauces meæ. *Prov.* 1. Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis, &c. Item fatigatur ex itinere, quia multas, & longas vias vadit; ut nos inveniat, & ad se convertat. Prosequitur enim fugientes, & amplectitur revertentes, ut dicit *Bern.* Viæ autem Domini, quibus vadit post nos, misericordia, & veritas. Aliquos enim revocat per opera misericordiæ; & amoris: alios per viam justitiæ, & timoris. *Psal.* 24. Universæ viæ Domini misericordia, & veritas, &c. Jesus veniens ad cor hominis residet super fontem, cum bona naturalia movet, petens a nobis, ut nos petamus eum, idest, ut suæ gratiæ, quæ præsens est, habilitemus nos, & liberum arbitrium applicemus. Vel fons est bonum temporale, quod Jesus petit, quia vult, ut eis bene utamur, & sibi in pauperibus ea erogemus. Christus ergo sedet ad fontem, sicut pauper dicitur sedere ad eleemosynam, quia petit, & pulsat, ut sibi, & bona naturalia applicemus, & bona temporalia distribuamus. *Isa.* 28. Hæc requies mea: reficite lassum, & hoc refrigerium meum: & noluerunt audire. *Matth.* 25. Esurivi, & non dedistis mihi manducare: Sitivi, & non dedistis mihi, &c. *e* Hora autem erat quasi sexta] quando Sol est in fervore suo, i. peccator in ardenti desiderio peccandi. Tunc enim quandoque visitat eum Dominus. Unde *Mich. cap.* 4. Venies usque ad Babylonem, ubi liberaberis. Et *Psalm.* 67. Dixit Dominus ad Basan, converram, convertam in profundum maris. *Psalm.* 15. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. *f* Venit mulier de Samaria haurire aquam,] idest, sensualitas ad hauriendam per haustorium omnium sensuum aquam divitiarum, vel delitiarum, & libidinis; cum tamen dicatur *Eccl. cap.* 1. Omnia flumina intrant mare. Et *Gen. cap.* 1. Congregationes aquarum appellavit maria. Et *Jos. cap.* 3. Aquæ inferiores descenderunt in mare mortuum. Hauritoria sunt sensus,

* & membra

Aliter. ☉ *Osee cap.* 2. Adducam eam in solitudinem, i. in claustrum: & ibi loquar ad cor ejus, sublevans eam in contemplatione ad intelligendum. *Thren. c.* 3. Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit, ecce disciplina claustralis; quia levabit se super se, ecce contemplatio spiritualis. *a* Erat autem ibi fons Jacob] quia in claustro solebat esse juge studium S. Scripturæ, unde solebant fluere rivuli doctrinæ. Fons enim est S. Scriptura. *Joel.* 3. Fons de domo Domini egredietur, idest, de claustro: quia omnes Magistri magni, & expositores S. Scripturæ fuerunt Religiosi, ut Hieronymus, August. Gregorius, Ambrosius, & alii multi. Et irrigabit torrentem spinarum; quia totum mundum spinosum sua doctrina foecundaverunt. Unde ex vicinitate fontium, qui erant in religionibus, solebant omnia loca propinqua esse virentia. Sed modo e contrario, omnes villæ propinquæ religionibus arefactæ sunt, & pessimæ. Olim de fonte domus Domini irrigabantur torrentes spinarum, quando ad prædicationem B. *Bern.* flebant, & convertebantur etiam illi, qui non intelligebant sermonem ejus, *Gen.* 2. Fons egrediebatur de loco voluptatis, i. de claustro ad irrigandum Paradisum, idest, ipsum claustrum, qui inde dividitur in quatuor capita, i. in quatuor mundi climata. Vel aliter. Per fontem intelliguntur divitiæ temporales Abbatiarum, & redditus annuales. Iste fons debet esse Jacob, quia ab hujusmodi divitiis debent exire opera activæ, sive opera misericordiæ, in quibus sunt quædam lucra. Propter hoc enim fuerunt eis dati tanti redditus, ut inde viverent, & misericordiæ opera facerent. Seq

b Jesus ergo fatigatus ex itinere, &c.] Hoc est, quod Christus in pauperibus suis fatigatus ea discursu, & labore, & fame venit ad eleemosynam Abbatiæ, ut de fonte bibat, idest, ut aliquid in solatium suæ paupertatis accipiat.

Unde *Eccl.* 24. In omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor. Ita facit Dominus in paupere, discurrit per multos vicos, & cum ibi non inveniat requiem, tunc venit ad hæreditatem Domini, idest, ad Abbatiam.

e Hora autem erat quasi sexta.] ut notetur ardor petendi in paupere, qui sitit, & esurit.

f Venit mulier de Samaria haurire aquam.] idest, procurator Abbatiæ, qui maxime sitit per cupiditatem; & nihil aliud intendit facere in Abbatia; quam trahere, & haurire aquam, idest, multiplicare terrenam substantiam.

Hæc est Dalila, quæ interpretatur situla; quia semper sitit, quæ decipit Samsonem, & excæcat, qui interpretatur Sol eorum: quia talis procurator excæcat suum Abbatem, dicens: sic, & sic debet fieri, & sic debet domus multiplicari, nec debent tot,

☉ & tanta

▲ Judæis. *a* Dicit ei Jesus: Da mihi bibere.] Quia simplex mulier erat, nec intelligere posset spiritualia dogmata, nisi per similitudines: ideo primo alloquitur eam de aqua. Quia autem ad litteram sitiebat, sed tamen hunc potum materialem non petebat, ut dicit *Gl.* sed ex hac occasione, quia videbatur sitire, venit ad talem locutionem, ut sub specie aquæ corporalis loquens, manuduceret mulierem in cognitionem aquæ spiritualis: Et ideo dicit ei: [Da mihi bibere.] Sed quæritur, qualiter hoc petat, cum hoc lex non permittat? Ad hoc potest dici, quod petebat hoc, non quia vellet bibere, sed quia hac occasione volebat in verba instructionis intrare. Vel propter mysterium, ut significaret, quod sitit salutem, idem Ecclesiæ, vel animæ illius; tamen si bibisset, contra legem non fecisset Dominus legis. Lex enim datur servis, non filiis, vel ipsis Dominis. *Chrys.* dicit, quo quidam dicunt ideo petivisse, quia sciebat eam non fuisse daturam. Sed objicitur contra hoc, quia secundum hoc in vanum petiit, nec ita petere oportuit. Unde solvit aliter, & dicit: quod jam indifferenter abjicit observationes legales: Qui enim alios inducebat ad solvendum legalia, multo magis ipse ea transcurreret, sive solveret. Hoc enim dicitur *Matth.* 15. Non quod intrat in os hominis, coinquinat hominem. Sed hæc verba *Chrys.* intellige sane, quia non omnino adhuc abjecit legalia, sed in hoc, quod aliquando solvit, aliquando observavit, ostendit paulatim esse evacuanda. Item potest aliter solvi, quod in necessitate licebat etiam tempore legis solvere illa legalia, sicut patet de David, qui comedit panes propositionis. 1.*Reg.*21. *Matt.*12. Unde & hic potuisse a Samaritana potum recipere in tanta necessitate, & calore. Sequitur:

b Discipuli enim ejus abjerant.] Sic continua. Posset aliquis quærere, quare petiit aquam a muliere, & non Discipulis jussit aquam haurire? Et ad hoc respondet, quod non petivit a Discipulis, quia Discipuli abjerant. Et sic continua. Possent Judæi audientes hoc factum murmurare, & quærere, quare ita sedit ibi colloquendo cum Samaritana muliere? Et ideo rationem ponit, sc. ipsam necessitatem quærendi cibaria ad victum. Quia

b Discipuli ejus abjerant, &c.] Et hæc fuit necessaria, & rationabilis causa suæ expectationis. Sed quæritur, quare cibos a Gentilibus emebant, cum essent illiciti secundum legem, maxime cum possent secum detulisse cibaria de Judæa? Ad hoc dicendum, quod nulli cibi fuerunt illiciti eis præsente Domino legis, & dispensante, & maxime in necessitate. Sed tamen non puto eos emisse cibos illicitos, quia forte emerunt panem, & fructus, vel tale aliquid leve, quod licuit viatoribus edere, apud qualescumque Gentes essent. Cibos autem secum non portabant: quia decuit eos, qui futuri erant Doctores mundi, esse attentos continue in doctrina Christi, & attendere his, quæ ab eo dicebantur, nec impediri cura, & sollicitudine mundi, nisi cum urgeret necessitas. Sed quæritur, quare emerunt, & non potius mendicaverunt? Respondendum est, quod non docuit eos mendicare, quia mendicantis est omnem cibum, qui offertur, recipere, & ipsi in suspicionem venissent Samaritanis tanquam desertores legis, si ab eis cibus illicitos recepissent.

Item, ne videretur sub pretio poni verbum salutis, quod prædicabat Jesus. Sed adhuc quæritur, quare solus remansit?

Respondemus ut omnem humilitatem ostenderet. Item ut mulieri fiduciam familiariter cum eo loquendi, & audacter quærendi exhiberet, quia cum multis non esset ita ausa loqui. Notandum autem, quod secundum seriem textus hic exemplo Christi monemur ad tria. Ad laborem, ad parcitatem, ad humilitatem.

De primo dicitur *Job* 5. Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum, quia qui vult volare ad cælum, primo oportet, quod sit homo ad laborandum. *Ps.*72. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ad istum laborem monemur primo, cum dicitur, quod [Jesus fatigatus erat ex itinere.] Sed quia multi post laborem nimias requirunt refocillationes, & refectiones, qui plus exigunt in feudo, quam impendant in servitio: qui etiam quod fecerunt parum, multum æstimant & quod mutuo dederunt Domino, statim cum usuris exigunt, secundum illud *Eccl.* 20. Hodie feneratur quis & cras expetit, & odibilis est homo hujusmodi. Secundo Dominus post laborem monet nos ad parcitatem, & sobrietatem in hoc, quod fatigatus sedit supra fontem, & petit aquam ad potum, & de cibo adhuc sibi hora sexta non fuerat provisum. Unde dicit *Chrys.* Christus subtilem, & humilem, idest, cum labore delitiosam semper abjiciens vitam; laboriosam vero constrictam, & cum labore parcam inducit. Non enim subjugalibus utitur, sed ita valide incedit, ut etiam frangatur ex itinere. Ex hoc utique erudit, sc. per se operatorem esse, & post laborem non superflua petere. Ita enim vult a superfluis alienos nos esse, ut etiam ipsorum necessariorum multa abscindamus. Propterea dicebat *Matth. c.* 8. Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Propterea, & in montibus plerumque conversatur, non in die solum, sed etiam

Dicit *a* ei Jesus. Da mihi bibere, *b* Discipuli enim ejus abjerant in civitatem, ut cibos emerent.

de nocte, & in desertis. Hoc & David dicit: De torrente in via bibet. Sic ergo Christus post laborem invitat nos ad parcitatem, & vitæ austeritatem in hoc, quod domum non petiit, sed super fontem simpliciter sedit. In hoc etiam, quod non vinum, sed aquam petiit.

Item in hoc quod de cibariis præparandis non curavit, sed adhuc hora sexta erant imparati. Unde *Chrys.* dicit: Ex hoc loco discimus Christi circa itinera validitatem, & circa cibaria negligentiam æqualiter supervacue hac te utitur, ita nimirum, & discipuli eruditi erant, ea, quæ ad seipsos pertinebant, disponere. Non enim deferebat viaticula, quod patet per hoc, quod dicitur *Matth. c.* 16. Ubi dixit eis Dominus. Cavete a fermento Pharisæorum, & Saducæorum: At illi cogitabant inter se dicentes, quia panes non accepimus.

Item per hoc, quod dicitur *Matth. cap.*12. quod vellebant spicas ad comedendum. Item *Matth.*21. dicitur, quod propter esuriem venit ad ficum. Et dicit super hoc *Chrys.* Nihil aliud per hoc nos erudit, quam contemnere ▲ ventrem, & non studiosam.

* & membra. *Eccl.* 1. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Et *Moraliter.*

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. *Ovid. 1 v. Fastorum.*

a Dicit ei Jesus, &c.] q.d. cito convertere, & me potabis, q.d. tu sitis ad culpam; & ego sitio te ad gratiam. Tu sitis tuam damnationem; & ego tuam salutem: Tu sitis divitias; & ego eleemosynas sitio, & alia bona opera. *Aug.* Mirum est, quod panis esurit, & fons sitit, via lassatur: Sed hæc omnia propter nos.

Unde *infr.* 19. Sitio salutem, sc. peccatorum. *Genes. cap.*27. Cum Isaac cibos oblatos comedisset, obtulit Jacob & vinum. Quo hausto, dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi. Accessit, & osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum ejus fragrantiam, benedicens illi, ait; Ecce odor filii mei. Hic notantur quinque. Cibus, potus, osculum, fragrantia, & benedictio. Cibus boni operis, *infr. eod.* Meus cibus est, &c. Vinum compunctionis, osculum contemplationis, fragrantia bonæ opinionis; quæ omnia merentur benedictionem æternæ retributionis.

b Discipuli enim, &c.] Discipuli Christi sunt Prædicatores disciplinati, habentes zelum animarum, quo nullum est Deo placidius sacrificium, ut dicit *Greg.* Qui ingrediuntur civitatem Ecclesiæ, vel mundi, ut cibos emant, idest, peccatores ad Christum convertant.

De qua civitate dicit *Psal.*68. Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem. Hi sunt custodes, qui circumierunt civitatem. *Cant. c.*5. Et sunt exploratores. *Jos.*2.

Et nota, quod Dominus dicitur portare eos, qui de facili convertuntur ad eum; eos autem comedit, qui cum difficultate. In hoc autem, quod Dominus dicitur potare, vel potum sitire, & Discipuli cibos emunt, notatur, quod isti, qui immediate convertuntur a Domino, de facili, & magis subito convertuntur, ut patet de Paulo. *Act.*9. Nescit enim tarda rerum molimina Sp. Sancti gratia. Qui autem per alios convertuntur, cum difficultate majori convertuntur: quod facit Dominus, ut convertentes eos majorem mercedem recipiant.

* Dicit ergo ei

⊙ & tanta pauperibus distribui.

a Dicit ei Jesus. Da mihi bibere,] Hoc est quod pauper petit solatium alicuius eleemosynæ a procuratore Abbatiæ.

b Discipuli enim ejus abjerant in civitatem, ut cibos emerent.] quia ille pauper, qui petit eleemosynam, aliquando

⊙ oneratus est

A ventrem, & non studiosam ejus æstimare esse ministrationem. Itinere equidem Discipulos hæc, neque deferentes, quod secum, neque quia non portabant viaticum, ideo ab initio dici de hoc sollicitos esse, sed secundum tempos, secundum quod omnes communiter pulmentum capiunt, scilicet, in hora sexta, escas tunc primo comparant. Sed non sic facimus nos: quia mox ex lectulo surgentes præ aliis de cibo solliciti sumus, cocos, & mensæ positores vocantes, & cum multo hoc scrutantes studio. Tertio post laborem, & parcitatem

Dicit *a* ergo ei mulier illa Samaritana: *b* Quomodo, tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? *c* Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.

B munemur ad humilitatem, ne pro prædictis erigamur; sed cum omnia bene fecerimus, nos servos inutiles reputemus, secundum quod habetur. *Luc.* 17. Et *Eccl.* 18. Cum consummaverit homo, tunc incipiet. *Eccl.* 43. Luminare, quod minuitur in consummatione. Ad hanc virtutem nos invitat, ut dicit *Chr.* non solum in laborando, vel in sedendo in via; sed etiam in eo, quod derelinquebatur solus, & quod discipuli ejus abierant, & nimirum licebat, si vellet, aut non omnes emittere, aut abeuntibus illis alios ministros habere, sed noluit: Etenim discipulos suos ita assuefecerat omnem timorem conculcare. Sequitur.

a Dicit ergo ei mulier illa Samaritana,] a qua Christus potum petierat. *b* Quomodo tu Judæus cum sis bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana?] Sicut dicit *Glos.* novit eum esse Judæum ab habitu. *Chrys.* autem dicit, quod a Schemate, & locutione, idest, a figura, & a lingua. Sequitur versus.

Versus. *Verba, locus, tempus, habitus, caro, cultus, & esus Gentibus ex reliquis discernunt Israelitas.*

Verba, idest, lingua: locus, idest, patria: tempus, idest, festa temporum, quæ celebrabant. Habitus, quia utebantur palliis quibusdam quadratis, in quorum extremitatibus erant fimbriæ, ut dicitur *Num.* 15. Nec utebantur variis vestibus, vel stragulatis. Caro circumcisa. Cultus, idest, ritus sacrificiorum. Esus, idest discretio ciborum. Et nota sapientiam mulieris, & benignitatem: Sapientiam in hoc, quod quærit, cupiens instrui. Benignitatem in hoc, quod non statim intrat in altercationem contentiosam, ut dicat: Væ mihi fiat, tibi dare homini præliatori, & Allophylo, & inimico Gentis meæ. Et forte in hoc trahebatur amore, & benignitate Christi aquam petentis ab ea. Ut autem innueret sapientiam in interrogando subdit. *c* Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.] Secundum *Glos.* verbum est exponentis, quare mulier prædictum verbum dixerit Christo. Sed secundum *Chr.* verbum est mulieris, quæ reddit rationem sui dicti. Et nota, quod mulier, secundum *Chrys.* hoc dicebat, quia nolebat, quod Christo aliquis posset obviare, & improperare ei, quod frangeret legem. Pro se enim non quærebat ipsa; quia non erat prohibitum Samaritanis couti Judæis; sed e contra. Et ideo dicit: [Non enim coutuntur Judæi Samaritanis,] & non e converso. *d* Respondit Jesus, & dixit ei.] Notandus est ordo responsionum Christi ad interrogationes mulieris.

Primo enim, quia mulier simplex erat, habens tamen secundum aliquid fidem patrum, licet diminute, & indistincte, ideo Christus accepit materiam loquendi cum ea ab aqua sensibili. Sensibilia enim rudibus sunt via brevior in intelligibilia. Deinde, quod sapienter, & benigne respondit mulier per aquam sensibilem, manuducit eam ad aliquid altius, scilicet, ad aquam vivam, & per consequens in cognitionem veram sui ipsius. Ipsa enim primo non novit eum, nisi tanquam Judæum quemdam: & ideo dicit.

e Si scires donum Dei,] idest, quam vicinum, & magnum est donum Dei, scilicet, gratia Spiritus sancti, quam paratus est dare.

f Et quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere,] idest, quam magnus est ille, qui potum petit a te, quasi dicat, si scires vicinitatem, & magnitudinem doni, & me esse datorem ejusdem doni. *g* Tu forsitan] quia non cogeris, in quo notatur libertas arbitrii.

h Petisses ab eo,] recognoscens tuam indigentiam, & meam abundantiam, qui videor a te petere aquam.

i Et dedisset tibi,] non inveniens obstaculum doni sui in te.

k Aquam vivam,] idest, Spiritus sancti gratiam abluentem a peccatis, refrigerantem a concupiscentiis, fœcundantem in operibus bonis, vivificativam in virtute,

A regenerativam. Moraliter.

* *a* Dicit ergo ei mulier Samaritana. Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana?] Ita quandoque dicit peccator, si converterem me ad Deum, quomodo acceptaret ipse servitium meum, qui tam magnus peccator sum, secundum quod

d Respondit Jesus, & dixit ei: Si *e* scires donum Dei, & *f* quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere, *g* tu forsitan *h* petisses ab eo, & *i* dedisset tibi *k* aquam vivam.

dicit Petrus, *Luc.* 5. Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. Et *Luc.* 18. Publicanus nec oculos audebat ad cœlum levare. *c* Non enim coutuntur Judæi Samaritanis,] quasi dicat, quæ societas luci ad tenebras: quæ conventio Christi ad Belial? 2. *Corinth.* 6. Non curat Christus, & Sancti de peccatoribus, *infr.* 9. Deus peccatores non audit. Sed sicut dicit ibi *Glos.* Vox est hæc non uncti. Unde sequitur, *d* Respondit Jesus, & dixit ei. Si scires donum Dei,] idest, Spiritum sanctum, sive benignitatem Spiritus sancti, dicit Dominus in corde peccatoris.

f Et quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere,] idest, quam benignus est, qui a te tuam fidem, & tuam salutem dignatur sitienter petere. Ad nos enim dicit, Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere,] quasi dicat, si scires, quam paratus est ad dandum, & quam fervens, & importunus est ad rogandum te de his, quæ sunt ad profectum tuum.

g Tu forsitan petisses ab eo,] idest, fiduciam petendi concepisses. Quis enim desperet, ubi offert se gratia, imo ubi cognovit sua petitione importuna. De prima dicitur *Proverbior.* 1. Extendi manum meam ad dandum, scilicet. *Hebræorum* 12. Tanquam filiis se offert nobis Deus. De secundo, quomodo, scilicet, rogat, dicitur *Matth.* 11. Venite ad me, omnes, qui laboratis, &c. *Isa.* 30. Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis.

i Et dedisset tibi aquam vivam,] idest, gratiam, quæ lavat sordes. Unde *Ps.* 50. Amplius lava me, Domine, &c. *Ezec.* 36. Effundam super vos aquam mundam. *Eccl.* 16. Lavi te aqua. Et *Zac.* 13. Erit fons patens domus David, &c. Fructificare facit. Unde *Isa.* 45. Rorate cœli desuper & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem. *Osee* 14. Ero quasi ros, & Israel germinabit quasi lilium. Item ardorem peccati, & sitim extinguit, *Eccl.* 18. Ardorem refrigerabit ros. Item *Eccl.* * 43. Obvians

O oneratus est filiis ita, quod oportet eos per civitates Aliter. discurrere, ad literam, ad petendas eleemosynas, vel emendas pro suo servitio, & labore.

a Dicit ergo ei mulier illa Samaritana. Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana?] quasi quomodo tu, qui es sæcularis, & extraneus petis a me denarium, vel aliquid hujusmodi, qui sum Religiosus?

c Non enim coutuntur Judæi Samaritanis,] quasi ego sum Religiosus, nihil possum dare: & tu es Judæus, idest, tu es extraneus, tu non es mihi notus, tu non es de cognatione mea.

Unde si cognatus suus ab eo peteret, procul dubio daret, nec se de religione excusaret. Sed tamen iterum dicit Dominus.

e Si scires donum Dei,] qui omni danti dat, secundum illud: Date, & dabitur vobis. *Luc.* 6. Et *Jac.* 1. Dat omnibus affluenter, & non improperat.

f Et quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere,] quia non pauper petit, sed Christus in paupere: & Christo datur, non pauperi. Unde *Matth.* 25. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Unde *Ambr.* super *Luc.* dicit, quod pauperes exorandi sunt ut patroni. Unde *Luc.* 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Unde dicitur hic.

g Tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam,] idest, orationem, vel eleemosynam, quæ extinguit peccatum, idest, tu petisses, quod pauper reciperet a te eleemosynam, & sic daret tibi eam, quia tuus esset fructus, licet pauperis esset usus. Vel. [Aquam,] idest, gratiam, vel gloriam, quam sua oratione tibi impetraret. Hic terminatur ista moralitas, quæ est de superabundanti. Cetera, quæ sequuntur, jam exposita sunt in alia expositione morali usque ad illum locum.

Dicit a ei mulier; b Domine, c neque in quo haurias, habes: & d puteus altus est: e unde ergo habes aquam vivam? f Nunquid tu major es patre nostro Jacob, g qui dedit nobis puteum, & h ipse ex eo bibit, i & filii ejus, & pecora ejus. k Respondit Jesus, & dixit ei: Omnis, qui bibit ax aqua hac, l sitiet iterum.

*a regenerativam in spem vitæ æternæ. Sequitur a Dicit ei mulier. b Domine, &c.] Mulier simplex, & devota ad intellectum altiorem suspenditur, & quem prius Judæum simplicem putabat, nunc amplius veneratur. Unde dicit, [Domine,] in quo patet ejus reverentia, & devotio, & sui ipsius erga Christum humiliatio. Sed tamen, quia adhuc infirma erat, & minus capax excelsorum. Ideo interrogando dicit.
c Neque in quo haurias, habes, &c.] Sic & Nicodemus infirmus adhuc, & dubitans interrogabat, *sup.3.* Quomodo possunt hæc fieri? Item. Qualiter potest homo nasci, cum sit senex? Item: Nunquid potest in ventrem matris iterato introire, & renasci? Ista autem reverentius loquitur. b Domine, neque in quo, &c.] Item nota, quam sapienter, & benigne respondet. Audierat enim, quod posset dare aquam vivam, & cum haberet materiam dicendi aliquid perversum, scilicet, si haberes aquam vivam, non bibere a me peteres: & hujusmodi, nihil tale facit, sed benigne quærens dubietatem suam exponit, dicens. c Neque in quo haurias, habes] quasi non est hic aqua nisi putei hujus; & tu non habes hauritorium. Item. d Et puteus altus est,] & sic aliter, nisi per hauritorium non poteris habere. Et cum ex his optime posset inferre, quantum ad habitudinem sumptam ex rebus: ergo non habes aquam vivam: non hoc facit; sed benigne quærit. e Unde ergo habes aquam vivam?] Et quia nihil habitudinis videt ex parte rerum concurrentium convertit se ad potentiam, & dignitatem loquens. Et dicit. f Nunquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum] hunc, quia supple promittis aquam vivam, quam ille dare non potuit. Et quia posset dici, quia altum dedit fontem, & alio meliore usus est ipse, vel quia posset dici, quod potuit dare meliorem aquam, sed noluit, prævenit hæc mulier, dicens. h Et ipse ex eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus,] quasi dicat, meliorem non potuit dare, quia non habuit: si enim habuisset, non est probabile, quod ipse, & filii ejus bibissent ex isto. Sed nunquid mentitur mulier, dicens patrem suum Jacob? Absit. Sicut enim vult *Chr.* ipsa ingerit se in nobilitatem Judaicam, & totam gentem suam. Et potest esse triplex ratio ad hoc; prima, quia Deum Judæorum colebant. Alia, quia beneficia Jacob experti erant, cujus terram, & habitationem subintraverant. Tertia, quia ipsi de Chaldæa venerant, a qua orti sunt, sicut Abraham pater Hebræorum fuit Chaldæus, & venit de Chaldæa, & per Abraham dicit, & Jacob patrem Gentis suæ, tanquam nepotem existentem. Unde sicut dicitur dupliciter frater uterinus, & consanguineus: ita & pater, scilicet, a quo directe procedit linea Genealogiæ, vel qui est de consanguinitate patris. Et hoc modo loquitur ista mulier, dicens Jacob patrem Gentis suæ. Et nota, quod ubi nos habemus, [pecora ejus,] ibi ponit *Chr.* & nutritii ejus. Quia autem mulier ad altiora est elevata per aquam vivam, ideo adhuc adjungit alias proprietates aquæ, quam ipse dat, ut altius trahat intellectum ejus, & ideo sequitur.
k Respondit Jesus, & dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac] visibili, & præsenti, de qua intelligis.
l Sitiet iterum, &c.] Et nota sapientiam Christi, qualiter paulatim instruit mulierem: Non enim in primis dixit mulieri: Si scires, quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere, &c. sed expectavit mulierem loquentem, & eum quasi Judæum reputantem, & ita occasionem dedit ei mulier, ut significaret se esse plus quam Judæum, & diceret. Si scires quis est, &c. Et per hoc, quod magnum promittit, coegit eam meminisse Patriarchæ Jacob, qui non talem aquam dedit, qualem iste promittit.

Unde in quæstionem eam inducit, ut quærat: Nunquid tu major es patre nostro Jacob, &c. Et ad hoc non respondet Christus, quod major sit, ne gloriari videretur; sed per ea, quæ sunt utriusque hoc astruit occulte, dicens: quod Jacob dedit aquam præsentem, & non satiantem; ipse autem dat aquam satiantem, & indeficientem. Et nota, quod comparationem facit non ab accusatione, & detractione; sed a supereminentia suæ aquæ ad illam. Non enim dicit, quod aqua, quam dedit Jacob, nihil est: vel quod vilis, & contemptibilis est; sed id, quod & natura testatur, ponit hic, sed, l Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum.] Et hoc est contra illos, qui sine vituperatione aliorum nesciunt comparationes facere.

Moraliter.

* 43. Obvians ros ab ardore venienti humilem efficiet eum, idest, ardorem.

Item spiritualiter vivere facit. Unde *Ezec. 47.* Omnia, ad quæcumque venerit torrens, vivent. Ideo hæc aqua viva dicitur, quia vivere facit. Item aqua cibos decoquit, ita ut sint esibilea: ita gratia opera præparat, ut Deo placita sint, & etiam Sanctos facit Deo placentes. *Sap. cap. 7.* Amicos Dei, & Prophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat, idest, cum gratia.

Item in aqua, idest, in gratia submergitur hostis, idest, Diabolus, & peccatum. *Ps. 135.* Qui excussit Pharaonem & virtutem ejus in mari rubro, idest in amaritudine de peccatis.

Item in aqua calida lacrymarum comburitur diabolus, & depilatur sicut porcus. Ibi enim amittit suos pilos, idest, suos servos, vel suas suggestiones, quæ ibi frustrantur. *Gen. cap. 36.* Invenit Anan aquas calidas in solitudine.

Item aqua facit transglutire, & transire suaviter durum morsellum: ita gratia omne opus durum emollit, & cum suavitate implere facit.

a Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias, habes.] Hauritorium est cooperatio gratiæ, quia etsi gratiam Dominus paratus sit dare, sicut habetur *1. Petr. 1.* Sperate in ea, quæ vobis offertur, gratia: tamen cor ad suscipiendum, & hauriendum eam oportet habere. Quia dicit *Aug.* Qui te creavit sine te, non te justificat sine te, idest, nisi cooperetis. Unde *Psal. 80.* Aperi os tuum, & implebo illud. d Et puteus altus est,] quasi difficilis est tractus gratiæ, & occultus.
e Unde ergo habes aquam vivam?] quasi ex quo in me, non habeo voluntatem cooperandi gratiæ: & gratia difficulter, & occulte datur: & de profundis cordis oportet surgere: quomodo ergo poteris eam mihi dare. f Nunquid tu major es patre nostro Jacob, qui] luctando, idest, cooperando extorsit benedictionem, idest gratiam. g Qui dedit nobis puteum,] & sic obtinendi gratiam, vel luctando nobis reliquit exemplum.
h Et ipse ex eo bibit,] quia gratiam habuit.
i Et filii ejus, & pecora ejus,] quia motus rationabiles, sive opera contemplativæ, & opera activæ gratia reformavit. Vel melius.

Nunquid tu major es patre nostro Jacob?] Ita respondet peccator, quando movetur, ut sitiat aquam gratiæ fontem aquæ vivæ, & relinquat puteum concupiscentiæ, vel temporalis abundantiæ. Nonne antiqui Patres, Abraham, Isaac, & Jacob habuerunt divitias? nunquid tu melior es eis, qui nobis abjicere eas suades? Et hoc est. [Nunquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum,] idest, reliquit nobis exemplum habendi eas.
h Et ipse ex eo bibit,] quia divitias habuit.
i Et filii ejus, & pecora ejus,] quia omnes, & boni & mali habebant divitias: sapientes, & simplices, omnibus erat commune habere divitias.

De talibus, qui sic se excusant, dicit *Bern.* Excusant se aliqui dicentes: Abraham, Isaac, & Jacob cæterique Sancti, numquid non terrenas divitias habuisse leguntur; quid respondemus novis imitatoribus Sanctorum veterum? præponant certe vitulos super altare Domini, mactent arietes, hircos immolent, quia & hoc Abraham fecit.
k Respondit Jesus, & dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac,] idest, qui temporali abundantia impleri voluerit.
l Sitiet iterum.] Ita dicit Deus in corde peccatoris, ut dimittat voluptates, & divitias, quia.

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. — *Ovidius lib. 1. de fastis.*

Eccl. c. 5. Avarus non implebitur pecunia. *Osee cap. 4.* Comedent, & non saturabuntur: fornicati sunt, & non cessaverunt. Ibi dicit *Hier.* Voluptas insatiabilis est: & habita famem, non saturitatem parit: dumque sitim sedare cupit sitis altera crescit. *Jerem. 51.* In calore eorum ponam potus eorum. Sitis est in febricitantibus, qui quanto plus bibunt in calore, tanto plus sitiunt: & in Hydro-

* picis

▲ parationes facere, quod non est faciendum. *a* Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum,] quia omnem sitim cupiditatis extinguit, & nullum defectum habet. Per hoc autem significat, quod melior sit hæc aqua, quam aqua Jacob: & quod spiritualis sit, & non sensibilis. Prius enim per aquam viventem intelligebat mulier adhuc carnalis aquam perennem, & semper scaturientem. Et propter hoc hic addidit de hac aqua, [non sitiet in æternum,] ut non intelligat de aqua sensibili. Et etiam propter hoc subdit. *c* Sed aqua,] idest, gratia. *d* Quam dabo ei, fiet in eo fons,] idest, continue fundens, quia semper manat, nec est otiosa. [Fons] dico. *f* Aquæ salientis,] idest fons, qui est aqua salire faciens, in vitam æternam. Gratia enim, quæ desursum datur sursum ascendit, & ascendere facit: quia per gratiam venitur ad gloriam. *Psalm.* 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Sed quæritur de hoc, quod dicitur: [Non sitiet in æternum.] Contra *Matth* 5. Beati, qui esuriant, & sitiunt justitiam. *Eccl.* 24. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Sol. Sitis est appetitus frigidi, & humidi ex indigentia utriusque. Et sic proprie sumpta siti, qui semel potatus est Spiritu, nunquam sitiet amplius, nisi Spiritum abjiciat, sicut qui fontem habet intus nunquam absumetur a siti, sicut dicit *Chrys.* Quandoque sitis dicitur appetitus frigidioris, & humidioris: vel appetitus continuandi potum in frigido, & humido. Et secundum hanc rationem potest transumi ad sitim spiritualem, & quanto plus bibit aliquis in via, tanto magis sitit. In patria autem erit appetitus permanendi in illa satietate gloriæ, secundum illud. Fruuntur, nec fastidiunt, quo frui magis sitiunt.

a Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, *b* non sitiet in æternum; *c* sed aqua, *d* quam dabo ei, *e* fiet in eo fons aquæ *f* salientis in *g* vitam æternam. Dicit *h* ad eum mulier. *i* Domine, *k* da mihi *l* hanc aquam ut *m* non sitiam, *n* neque veniam huc haurire. Dicit *o* ei Jesus: *p* vade, voca virum tuum, & *q* veni huc. *r* Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum.

h Dicit ad eum mulier.] Nota, mulier audiens tantam promissionem, non est alterata, neque scandalizata: sicut Judæi scandalizati sunt ad consimilem promissionem *inf.* 6. Qui comederit ex carne mea, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet. Nec est dubia, sicut Nicodemus *sup.* 3. sed ex delectatione doni continuo credidit. Sed adhuc tamen pulsatur cogitatione carnali, & dicit. *i* Domine.] In hoc exhibet reverentiam, & confitetur potentiam dandi. *k* Da mihi,] qui potes.

l Hanc aquam,] quæ tantæ virtutis est, ut perenniter fluat, & sitim extinguat, & vitam continuet in perpetuum. *m* Ut non sitiam,] de siti materiali. Adhuc carnaliter intelligit, & cupiens exonerari laboribus tot itinerum, dicit.

n Neque veniam huc haurire.] Quia sicut dicit *Aug.* ad laborem eundi propter aquam quotidie indigentia aquæ cogebat, quia indigentiæ illa per aquam reficiebatur, non extinguebatur. Tantum autem laborem infirmitas recusabat: & ideo petit talem aquam: nondum enim intelligebat. Volens ergo, ut intelligeret. *o* Dicit ei Jesus, vade, voca virum tuum, & veni huc.] Secundum *Aug.* Quid est, quod dicit, [voca virum tuum?] An per virum suum volebat ei aquam illam dare: an quia non intelligebat, per virum suum eam volebat docere? forte quemadmodum dicit Apostolus de mulieribus. Si quid autem discere volunt, domi viros suos interrogent, 1. *Cor.* 14. Sed ibi dicitur, domi viros suos interrogent, ubi non est Jesus, qui doceat. Denique dicitur mulieribus, quas prohibebat Paulus loqui in Ecclesia. Cum vero ipse Dominus aderat, & præsenti præsens loquebatur, quid opus erat, ut per virum ejus et loqueretur. Per virum enim non loquitur Mariæ sedenti ad pedes ejus. *Luc.* 10. Est ergo sensus secundum *August.* *p* Vade, voca virum tuum,] idest, intellectum tuum, o mulier, ad te revoca: & mihi præsenta, ut intelligas, quæ dico spiritualiter, non sentias carnaliter.

q Et veni huc,] idest, adesto præsens, & prope per spiritualem cognitionem, quæ absens es, & remota, dum præsentis veritatis non intelligis vocem. Sed mulier adhuc carnem sapiens, carnaliter respondet: Unde sequitur.

r Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum.] Ad litteram intelligas istam mulierem non habuisse tunc virum; sed utebatur tunc nescio quo non legitimo viro, sed adultero potius, quam viro.

▲ Dicit ei Jesus, bene

Aliter. Aliter legitur sic ab illo loco. *o* Dicit ei Jesus, vade, voca virum tuum.] Et continuatur sic: Mulier adhuc carnaliter intelligens petit aquam, ut non sitiat. Christus autem non increpat aspere, sed instruere vult benigne, & ideo divertit se ad loquendum de viro ejus; ut per occulta, quæ ei narraturus est, intelligat eum esse prophetam, & verba ejus esse spiritualiter intelligenda, tanquam verba Prophetæ. Vel secundum *Chr.* sic continuatur. De dono erat sermo, & de gratia superexcedente humanam naturam: quia igitur instabat mulier quærens accipere donum hoc. *o* Dicit ei Jesus, vade, voca virum tuum] quasi ostendens, quem virum oportet esse participem istius doni. Et est sensus. [Virum tuum,] idest, virum, quo tunc uteris tanquam tuo. Illa autem festinans accipere hoc donum, simul & occultans rei turpitudinem, & adhuc æstimans ad hominem loqui, quem posset latere, ait: [Non habeo virum.] Et hoc dicebat secundum *Chrys.* quasi volens occultare adulterii turpitudinem, & mentiens. Ideo Christus eam arguit, & priora, & præsentia ostendit: nam, & priores omnes numeravit, & præsentem, qui nunc occultabatur,

△ redarguit

* picis. *a* Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei,] quia apud me est fons vitæ. *b* Non sitiet in æternum.] Ideo, Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur. Et hæc est ratio secundum *Hier.* quia substantia justitia est, quæ sanat: iniquitas autem, vel voluptas non habet substantiam: & ideo ventres devorantium vacuos relinquit. *Prov.* 13. Justus comedit, & replet animam suam; venter autem impiorum insaturabilis. Et nota, quod non dicit simpliciter, non sitiet; sed, non sitiet in æternum: modo enim habentes tantum stillam gratiæ, sitimus; sed in æternum, idest, in futuro in æterna vita, quando torrente voluptatis suæ potabit nos, non sitiemus. Unde *Apoc.* 7. Non esurient, neque sitient amplius. *Psal.* 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Ibi tamen erit cum satietate esuries: & sitis non defectus, sed appetitus, secundum illud: Fruuntur, nec fastidiunt, &c. Sequitur.

Moraliter. Matth. 5. *Psalm.* 35.

c Sed aqua, quam ego dabo ei,] idest, gratia, quam ego infundam in ejus justificatione, sive conversione. *e* Fiet in eo fons aquæ,] idest, crescet semper in eo in conversione. *f* Salientis,] idest, salire facientis.

g In vitam æternam,] in morte, quia mors Sanctorum est via ad vitam. *Hebr.* 11. Fide Enoch translatus est, ecce magnus saltus. Proprietas autem aquæ est, quod tantum ascendere potest a quanto descendit. Unde cum gratia desursum sit, sicut dicitur *Jac.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, &c. in tantum ascendit. Pisces autem semper sequuntur libenter aquam ascendentem: ita Sancti gratia ducente ad cœlestem patriam rapiuntur.

h Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam.] Sic dicit homo, quando videt effectum, & utilitatem gratiæ; sed tamen adhuc sine principio semiplene petit, dicens cum Propheta: Concupivit anima mea desiderare, &c. *m* Ut non sitiam,] hic removetur cupiditas cordis. *n* Neque veniam huc haurire,] hic removetur sollicitudo, & discursus, & labor inanis: quæ duo tollit aqua gratiæ, cupiditatem interiorem, & laborem exteriorem acquirendi. *o* Dicit ei Jesus, vade, voca virum tuum,] quasi si vis recipere gratiam, recollige cor tuum ad te, revoca rationem, ut perfecte desideres, & cum deliberatione petas. 2. *Reg.* 7. Invenit servus tuus cor suum, ut oraret oratione hac: Nunc ergo, Domine, &c. *Ecclesiastic.* 30. Contine, & congrega cor tuum. Item *Ecclesiastic.* 32. Præcurre prior in domum tuam, & illic advoca te, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis, & verbo superbo. *Thren* 3. Scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum. *r* Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum.] Sic dicit, quando cognoscit rationem subjectam sensualitati; quando videt, quod recessit animus suus a se discurrens per vanitates. Tria enim faciunt exire hominem a domo, fumus, stillicidium, & mala uxor. *Isa.* 46. secundum aliam litteram. Audite me, qui perdidistis cor, qui longe estis a justitia. *Psalm.* 94. Dixi semper: hi errant corde, &c. *Prov.*

Psal. 118

* 10. Cor

Dicit *a* ei Jesus: Bene dixisti, quia non habeo virum, *b* Quinque enim viros habuisti: & *c* nunc quem habes, non est tuus vir: *d* hoc vere dixisti. Dicit *e* ei mulier: *f* Domine, video, quia Propheta es tu: *g* Patres nostri in monte hoc adoraverunt: & *h* vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet. Dicit *i* ei Jesus: Mulier, crede mihi, quia *k* veniet hora, *l* quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis patrem,

A *a* Dicit ei Jesus. Bene dixisti, quia non habeo virum.] Et ne forte putaret mulier, quod Christus, quod prius dixerat de viro, modo correxerit propter dictum ipsius mulieris dicentis se non habere virum, idcirco addit: *b* Quinque enim viros habuisti: & nunc quem habes,] ut adulterum, [non est tuus vir.] Hoc autem non didicerat a muliere; & ita patet, quod & praecedens sciebat, non a dicto mulieris, sed a sua Divinitate. Haec lectura est *August.*

Aliter.

A redarguit, idest, aperuit. Unde sequitur, *a* Dicit ei Jesus. Bene dixisti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus vir.] Et qualiter bene dixerit in hoc, exponit, dicens. *d* Hoc vere dixisti,] idest, vere, & proprie dicendo, virum, verum fuit, quod dixisti; licet secundum quod mulier intellexerit, mendacium dixerit. *e* Dicit ei mulier,] correcta, & humiliata, & erudita. *f* Domine, video, quia Propheta es tu,] quia dicis mihi occulta, & absentia, quasi praesentia essent cognoscis. Hoc enim Prophetarum est. Unde 4. *Reg.* 5. Nonne cor meum in praesenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tibi? Et nota, quod in hoc quod hic dicitur, monemur ad recipiendam correctionem cum benignitate, exemplo hujus mulieris. De qua dicit *Chr.* Papae, quanta est mulieris prophetia, qualiter humiliter redargutionem suscipit, non anxiata ad argutionem, neque dimittens Christum fugit, neque contumeliam rem hanc aestimavit esse; sed admiratur magis eum, & minoratur amplius apud eum.

Ideoque dicit. Domine, contemplor, quia Propheta es tu. Quod est contra illos, qui vel oderunt corripientes, vel minus diligunt, vel fugiunt. Haec autem mulier laudat, & extollit arguentem se. *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominati sunt. *Prov.* 15 Non amat pestilens eum, qui se corripit, nec ad sapientes graditur. Item *in eodem*. Qui increpationes odit, morietur. Et talis similis est diabolo, qui est incorrigibilis. Incorrigibilitas enim peccatum sathanicum est. Unde *Eccl.* 21. Qui odit correctionem, vestigium est peccatoris. Habet enim characterem bestiae, idest, diaboli, sicut dicitur *Apoc.* 13. Unde Judaeis incorrigibilibus dicitur, *infr.* 8. Vos ex patre diabolo estis: quia incorrigibiles erant, quia cum Dominus eos corriperet *sup.* 7. dicens: Quid me quaeritis interficere, non solum non admirantur, sicut haec mulier, sed & conviciantur, & injuriantur. Et tamen sicut dicit *Chrysost.* minus debebant injuriari ei, quam haec mulier.

Primo, quia Deum se ostendebat, cum mentem eorum, qua cogitabant eum occidere, se scire ostendebat: quod non facit hic in muliere: sed rem, quae jam facta erat, licet occulte, & paucis scientibus, dixit aperte.

Item illi plura alia signa in Christi viderant: haec autem nulla. Item illos Christus redarguit in communi, & de communi peccato; Istam autem singulariter Christus arguit, & de peccato speciali. Non autem ita solent offendi homines communibus argui rationibus, sicut propriis. Item illos arguit Dominus de honorabili peccato, quia magnum aestimabant, si Christum possent occidere; hanc autem arguit de turpi adulterio; & ideo magis poterat offendi, & non est offensa; sed magis stupuit, & admirata est. In quo notatur ejus patientia, & voluntas correctioni parata, quia non solum amat correctionem; sed extollit, & laudat correctorem, dicens: [Video, quia Propheta es tu.] Nondum Deum credit, sed Prophetam, qui occulta noscit. Supponens autem, quod sit Propheta, non interrogat aliquid mundanum; neque de sanitate corporis, nec de pecuniis, vel divitiis: sed de dogmatibus quaerit statum, & praecipue de hoc, de quo erat dubitatio, & contentio inter Judaeos, & Samaritanos: scilicet, de loco orationis. Unde dicit, *g* Patres nostri in monte hoc adoraverunt,] scilicet, Abraham, & sui, quos appellat Patres, eo modo, quo dictum est superius de Jacob. Et dicit *Chrys.* quod ille locus fuit, ubi ajunt Abraham filium suum obtulisse. *Gen.* 22. Secundum Magistrum in historiis, loquitur hic de monte Garizim, in quo antiqui Patres adoraverunt, Simeon, Judas, Levi. *Deut.* 11. Secundum alios montem accipit generaliter pro montibus, quia in montibus adoraverunt, & obtulerunt sacrificia Domino, Abraham, Isaac, & Jacob, & ceteri Patriarchae. Ostensa igitur, quod Patres in montibus adoraverunt, proponit mulier id, quod Judaei objiciebant, includens Christum inter Judaeos, dicens. *h* Et vos dicitis, &c.] *Chr.* ponit sic. Et quomodo vos dicitis, quia Jerosolymis, &c.] & sacrificare, supple. Et sapienter, antequam proponat objectionem Judaeorum, fortificat suam ea auctoritate Patrum. Samaritani enim opponebant auctoritatem Patrum, qui in monte adoraverunt: Judaei vero opponebant e contrario auctoritatem legis dicentis. *Deut.* 12. Cave, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo, quem elegerit Dominus in una Tribuum tuarum, &c.

Deut. 27.

Item 3. *Reg.* 8. dicit Salomon. Quocumque miseris eos adorabunt te contra viam civitatis, quam elegisti: & contra domum, quam aedificavi nomini tuo. Christus autem audiens utramque objectionem non statim solvit, neque a proposito propter quaestionem abscedit; sed ex ipsa quaestione materiam sumens non cessat mulierem adducere ad altius, & instruere. Et ideo sequitur.

i Dicit ei Jesus. Mulier, crede mihi, quia veniet hora,] qua cessabunt in proximo legalia. *l* Quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis patrem.] Et nota, sapientiam responsionis, quia & veritatem dixerat; & in hoc cavit, ne mulierem ipsa veritate offenderet. Si enim praefinisset locum orationis in templo, utpote, quia Deus praecepit ibi orare, hoc ipso mulier fuisset offensa; si autem dixisset, quia in monte esset orandum potius quam in templo, veritati videretur pepercisse, & suum propositum, scilicet, manifestationem sui ad mulierem non per hoc fuisset consecutus; sed neutrum facit, sed ad id, quod valebat ad propositum, vadit, dicens utraque cessare in suo adventu, & nihil esse in comparatione doni, quod futurum erat. Utrumque enim fuit umbra futurae veritatis. Est igitur sensus. *k* Quia veniet hora, &c.] q. d. hucusque controversia est inter vos de loco orationis.

Moraliter.

* 10. Cor impiorum pro nihilo. *Psal.* 39. Cor meum dereliquit me. *Eccl.* 16. Qui minoratur corde, cogitat inania.

a Dicit ei Jesus. Bene dixisti, quia non habeo virum.] Multum enim placet Deo, cum homo recognoscit peccatum suum, & cordis sui discursum intelligit, & recessum. *Prov.* 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Prov.* 18. Justus prior accusator est sui. Cum autem incipit homo discutere se, & peccatum suum confiteri; tunc Dominus ei aperit, & ostendit clarius statum suum. Unde sequitur.

b Quinque enim viros habuisti,] idest, dilectioni quinque sensuum succubuisti. *Jerem.* 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis. *c* Et nunc, quem habes, &c.] error, scilicet, quem sequeris, in quem cadit homo ex praecedentibus peccatis.

Moraliter. Aliter.

e Dicit ei mulier, Domine, video, quia Propheta es tu.] In hoc juxta litteram instruimur, ut cum sanctitatem in homine videmus, eam confiteamur, & non ex invidia impugnemus. *Eccl.* 14. Nequam est oculus invidi, & avertens, faciem suam, quia scilicet, non potest videre bona alterius. *Sap.* 2. Gravis est nobis etiam ad videndum. Item *Eccl.* 31. Nequius oculo quid creatum est? Ideo ab omni facie sua lacrymabitur, cum viderit: quia dolet invidus de bonis alterius, quando ea videt. Sequitur. *g* Patres nostri in monte, &c.] In hoc instruimur, ut cum Sanctis, & sapientibus viris libenter colloquamur, & consilium de spiritualibus, non de temporalibus requiramus. Sicut de illa muliere dicit *Chr.* Nihil, inquit, mundanum quaerit; non enim de corporis sanitate, non de pecuniis, non de divitiis, sed de dogmatibus interpellat. *Eccl.* 8. Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientium, & in proverbiis eorum conversare. Ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus. Sic Salomon petiit sibi dare sapientiam, non divitias, vel longitudinem vitae. 3. *Regum* 3. Hoc est, quod dicitur *Matth.* 6. Primum quaerite regnum Dei, & justitiam ejus: & haec omnia adjicientur vobis. Sequitur. *i* Dicit ei Jesus; Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte

hoc

a tionis, sed modo in januis est tempus, quando ubique erit orationis locus, & adorationis, secundum illud *Malach.* 1. In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus. Et licet, dicat utrumque locum cessandum, tamen Judæos præfert Samaritanis dicens. *a* Vos.] Samaritani, adoratis, quod nescitis, idest, Deum quidem adoratis, sed ex ipso modo adorandi ostenditis vos nescire eum: quia putabant eum esse localem, & particularem Deum,

a Vos adoratis, quod nescitis: *b* nos adoramus, quod scimus: *c* quia salus *d* ex Judæis est. Sed *e* venit hora, *f* & nunc est, *g* quando veri adoratores *h* adorabunt Patrem in *i* spiritu, & *k* veritate.

& non totius orbis Dominatorem, & sic eum colebant, sc. in loco particulari, in monte, sc. quasi non haberet alibi eamdem potestatem exaudiendi. Et quod putarent Deum localem, patet, quia Persis mittentes annunciaverunt, quoniam loci hujus Deus nobis molestus est. 4. *Reg.* 17. secundum aliam litteram. Vel [adoratis, quod nescitis:] quia idola cum Deo colitis, vel quia Prophetas a Deo missos non recipitis, sed tantum legem. Sed. *b* Nos] Judæi, [adoramus, quod scimus:] quia Deum totius orbis credimus, licet ex speciali causa in loco speciali eum colamus: & idola non recipimus, nec Prophetas spernimus, sicut vos. Et numerat se cum Judæis, secundum *Chr.* propter mulierem, quæ eum nihil amplius putabat esse, quam Prophetam quemdam de Judæis. *c* Quia salus ex Judæis est,] q. d. bene dico, quod nos Judæi bene adoramus, quia salus, i. vera fides, per quam est salus, sc. scire Deum, & detestari idola. *d* Ex Judæis est,] i. prodiit toti orbi terrarum ex ipsis Judæis: quia illinc principium habuit: quia Judæis credita sunt eloquia Dei, per quæ venitur ad fidem, & salutem, ut dicitur *Rom.* 3. Vel *c* Salus,] i. spes salutis per Messiam venturum, ex Judæis est, q.d. non est mirum, quod dico, quod nos Judæi adoramus, quod scimus: quia etiam filius Dei promisit se nasciturum ex Judæis ad salvandum Gentes. Unde *Ps.* 86. Homo natus est in ea. Et *Rom.* 9. Quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem. Et *Mic.* 5. 2. Et tu, Bethleem, terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet, &c. Postquam autem docuit, quod Judæi excellebant, quantum ad modum adorationis, ostendit, & hoc nihil esse respectu adorationis venturæ, quando locus adorationis ampliabitur, & in corde veraciter erit Deus adorandus. Unde dicit. *e* Sed venit hora.] Hoc dicit, quia jam incipiebant cessare legalia. *f* Et nunc est,] q.d. ne æstimes, quod in longa tempora prophetem, sicut alii Prophetæ: quia nunc est hora, i. in januis est, secundum *Chr.* Sed secundum *Aug.* simpliciter potest legi, quia aliqui jam tota mentis sinceritate crediderant, sicut forte Machabæi, & Anna Prophetissa, & Simeon, & isti Spiritu adoraverunt *g* Quando veri adoratores] fideles Christiani, qui dicuntur veri respectu Judæorum simul & Samaritanorum, quorum utrique in typo adoraverunt, & in umbra: quia etiam locus orationis eorum erat Typus. Vel, [veri,] quia illi pro temporalibus orabant, quæ falsa sunt; isti pro spiritualibus, & æternis, quæ vera sunt. *h* Adorabunt Patrem,] i. Deum Trinitatem, qui est Pater omnium. *i* In spiritu, & veritate,] i. spiritualiter, & veraciter, contra hoc, quod Judæi carnalia, & umbratilia, faciebant in adorationibus suis. Unde nota, sicut *sup. eod.* quando dicit: [Veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis, &c.] Ibi significat locum orationis legalem cessandum: ita hic cum dicit: [Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores, &c.] dicit carnalem cultum templi, & figuralem commutandum in verum, & spiritualem. Vel. *i* In spiritu,] i. in corde, non ore tantum: quia nil valet strepitus labiorum, ubi mutum est cor. *Isa.* 29. Populus hic labiis, &c. *Job* 54. Non parcam ei verbis, potentibus, & ad deprecandum compositis. *k* Et veritate,] i. non ficte, quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. *Sap.* 1. Vel. *i* Spiritu,] i. voluntate. *k* Et veritate,] i. intellectu, ut, sc. voluntarie, & spontanee, & ut intelligat homo, quod petit. 1. *Cor.* 14. Psallam spiritu psallam & mente. Ubi dicit *Gl.* i. Voluntate, & intelligentia. Vel. *i* Spiritu,] i. spiritualiter. Contra illos, qui orant Deum carnalia petentes, & carnaliter de Deo sentientes, ut filii Zebedæi, qui petunt sedere ad dexteram, & sinistram. Quibus respondet Dominus: Nescitis, quid petatis. *Matt.* 20. *k* Et veritate,] i. vere, & perseveranter. Contra illos, qui ad tempus petunt, & statim deficiunt. Et tales non veri sed vani sunt, quia nihil habent soliditatis. Vel. *i* In spiritu,] i. pro spiritualibus donis, i. virtutibus, quæ Dominus dat in præsenti. *k* Et veritate,] i. pro veris, & æternis bonis. *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei, & justitiam ejus. Quod autem talis oratio, vel adoratio Deo placeat, patet per hoc, quod sequitur.

Moraliter

a Nam, & O hoc est, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. Ex hoc patet, quod locus non est ex substantia orationis: sed in omni loco licet orare, secundum illud *Mal.* 5. In omni loco sanctificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Et 2. *Mal.* 5. Verum non propter locum Gentem, sed propter Gentem locum Dominus elegit. Unde *Tullius de offic.* Non Dominus domo, sed domus Domino est decoranda. Notandum tamen, quod locus secretus Deo, & benedictus aptior, & utilior est ad orandum. Primo, quia ibi magis excitatur devotio, & ferventior fit oratio. *Ps.* 25. Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Item benedictio Episcopalis, & oratio ejus majorem efficaciam confert orationi ad impetrandum, quia associatur orationibus Ecclesiæ generalis. Unde Salomon orans dixit. 3. *Reg.* 8. Respice ad orationem servi tui, & ad preces ejus, Domine Deus meus. Audi Hymnum, & orationem, quam servus tuus orat coram te hodie: ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte, ac die.

Item quia Dominus domum sibi dicatam, & habitantes in ea quadam speciali gratia custodis, & visitat. *Ezec.* 43. Fili hominis, locus solii mei, & locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum. Item locum benedictum Dæmones magis horrent, & Angeli fovent, & habitantes, & psallentes in eo. *Psal.* 69. Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus. Et *Chr.* dicit, quod domum, ubi positum fuerit Emius †, timet Diabolus, nec audet accedere, multo magis, ubi reponitur corpus Christi, & celebrantur divina mysteria. *a* Vos adoratis, quod nescitis] hoc dicit contra illos, qui Deum localem, & particularem putant, nec audire nisi in loco, quod falsum est. Unde 3. *Reg.* 8. Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi. *b* Nos adoramus, quod scimus.] Argumentum, quod nihil est orandum indifferenter, contra illos, qui illusiones Dæmonum pro visionibus recipiunt: & ossa mortuorum quorumlibet pro reliquiis venerantur. 2. *Cor.* 55. Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Ille adorat, quod scit, qui colit, & confitetur illum, in quem vera fide credis. *Rom.* 10. Corde creditur ad justitiam; ore autem fit confessio ad salutem. Et hæc est salutifera adoratio. Unde sequitur. *c* Quia salus ex Judæis, est.] Soli enim confitentes Deum, & peccata, salvantur. Et notandum, quod de istis, qui contendunt de loco orationis, vel adorationis, significantur quidam æmuli, & zelatores in invicem, qui sanctitatem loci, & habitationis suæ, & ordinis sui aliis præferunt. Quidam enim suam religionem vocant montem per eminentiam operum. Et dicunt; [Patres nostri in monte hoc adoraverunt,] quasi multi Sancti antiquitus fuerunt in ordine nostro. Alii dicunt. [Quia in Jerosolymis est locus orationis,] i. in visione pacis, ubi pax est pectoris, ubi studium viget lectionis, & contemplationis. Tales enim dicunt, quod sua religio, & ordo majorem habet pacem, & unitatem, & studium, & contemplationem. Et *Ps.* 75. dicit, quod in pace factus est locus ejus, i. Dei. Sic est contentio inter æmulatores non spirituum, sed laudum. Et habetur simile *sup.* 3. Facta est quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione. Quibus respondet Dominus, quod neque iste, neque ille locus facit verum adoratorem, sed devotio mentis, & maceratio carnis. Unde sequitur. [Veri adoratores, &c.] *i* In spiritu,] i. in devotione mentis interius. *k* Et veritate,] i. severitate, & justificatione propriæ carnis exterius. Sic homo adoras Deum de toto se, scilicet de spiritu, & carne. De primo dicitur *Rom.* 5. Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo. *Psal.* 158. Anima mea in manibus meis semper, ut, scilicet, offeram eam Deo. De secundo. *Roman.* 12. Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. De utroque simul dicitur in *Psal.* 15. Cor meum, & caro mea, &c. Vel. In spiritu] quantum ad opera spiritualia contemplativæ. *k* Et veritate,] bonorum operum, quæ debent fieri sine Hypocrisi, & simulatione quantum ad activam, ut simul homo habeas Lyam, & Rachel in matrimonium sicut Jacob *Gen.* 29. *Oseæ* 12. Servivit Israel in uxorem, & in uxorem servivit. Vel. *i* In spiritu, & veritate,] idest, in spiritu vero, & non ficto: quia talis spiritus est verum templum, in quo habitas Deus. Unde *Sap.* 5. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Si vis ergo orare veraciter, intra in templum verum, idest, ad

al. † Thau

△ *a* Nam, & Pater tales, quærit,] idest requirit, scilicet, [qui adorent eum in spiritu, & veritate,] quia non sacrificia carnalia placuerunt ei. Unde *Psal.* 49. Non in sacrificiis tuis arguam te. Et super *Isa.* 1. dicit *Glos.* quod Deus nunquam voluit illas victimas. *Psal.* 39. Holocaustum & pro peccato non postulasti, &c. *Psal.* 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c. *Chr.* Veri adoratores sunt, qui nec loco circumcludunt culturam; & Deum in spiritu colunt, sicut & Paulus ait. *Rom.* 1. Cui culturam exhibeo in spiritu meo in Evangelio filii ejus. Et rursus *Rom.* 12. Deprecor vos repræsentare corpora vestra hostiam viventem, bene placentem Deo, rationabilem culturam vestram, idest, spiritualem, & discretam. Et convenientiam hujus adorationis ostendit ex dispositionibus ejus, qui adoratur, dicens. *b* Spiritus est Deus,] idest incorporeus. Oportet igitur ei id, quod in nobis incorporeum est, offerri, idest, animam, & intellectus puritatem. Unde sequitur. *c* Et eos, qui adorant eum in spiritu, & veritate, oportet adorare,] ut spiritus, idest, anima offeratur, & veraciter, idest spiritualiter, non carnaliter, ut olim in sacrificiis colebatur. Sic exponit *Chrys.* Vel aliter. [Spiritus est Deus.] Potest etiam hic plus intelligi, secundum quod valet ad propositum. Unde intelligendum est, quod sicut dicit *Boetius in princip. libri de Trinitate*, alteritas est causa pluralitatis: & quantum aliquid recedit ab appenditiis materialibus, tantum recedit a coarctatione loci: & cum aliquid non est susceptibile accidentis alterantis secundum locum, impossibile est, quod ipsum individuetur hoc accidente, quod est locus; & ideo non est in loco aliquo ita, quod determinet illum. Et talis est natura omnis spiritus. Non tamen nego, quin deffiniat locum. Deffinitur non locus proprie per operationem, sicut dicit *Damascenus*, determinatur autem per distractionem partium in situ. Item spiritus inter † entia solus est, qui nullam habet materiam. Dicit autem Philosophus, quod talia non subjacent mutabilitati, eo quod omnis mutatio est super materiam, & quantum elongatur aliquid a mutabilitate, tantum recedit a vanitate. Item spiritus est immixtus, & separatus a phantasmatibus, & nebulis concupiscentiarum. Et omnia hæc tria clauduntur in hoc, quod dicit: [Spiritus est Deus.] Et primum est contra adorare Samaritanorum, secundum contra adorare Judæorum, tertium convenit cum adoratione ipsius Ecclesiæ. Et ideo sequitur. [Et eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate, oportet adorare.] Si enim intellexisset tantum incorporeum Deum per hoc, quod dixit, spiritum, non debebat inferre, nisi quod oportet adorare spiritu: nunc autem duo infert, quorum alterum, scilicet, veritas duobus opponitur, sicut patet ex supra dictis. Sed videtur, quod superflue addat, [& veritate,] si intelligitur, in eo, quod dicit, [in spiritu.] Respondemus. In eo, quod dico, crede, intelligis locum, & si apponitur, non intelligitur, eo modo hic. Ratio autem est, quare apponit, quia licet cum de Deo dicatur, spiritus omnia tria includit; non tamen omnino, & totaliter ea includit, cum de creatura dicitur, quia tunc aliquam patitur vanitatem ex principio nihil, & ideo cum conveniens fuit apponere, [& veritate.] Et hoc est, quod dicit *Chrys.* per incorporeum colendus est Deus, & non jam per typum, sed per veritatem. Ne igitur oves, & carnem immoles, sed totum teipsum holocaustum fac. Hoc non est hostiam viventem offerre. *Rom.* 12. Et quia ipse mulieri tam alta dicere proposuit, sicut jam patuit, ideo fidem ab ea supra poposcit, idest, ut eum fide dignum crederet. Sequitur. *d* Dicit ei mulier] stupens ad ea, quæ dicta sunt, & altitudine eorum sagittata, *e* Scio] vel novi: secundum *Chr.* [quia Messia venit,] idest cito venturus est. Hæc sunt verba mulieris. Et exponit intentionem vocabuli ipse Evangelista in Græco, dicens. [Qui dicitur Christus.] Et sic redit ad verba mulieris subinferens. *f* Cum ergo venerit ille, &c.] q. d. quæstioni quidem meæ rationabiliter satisfecisti; sed alta sunt, quæ dicis, & de talibus nos oportet expediri per Messiam, qui venit, idest cito venturus est, & ipse de omnibus nos docebit, cum venerit. Et nota, quod quando audivit, quod adorarent in proximo sine sacrificiis, & non in eodem loco, statim credidit, quod hoc fiendum esset tempore Messiæ, & ideo dicit: [Scio, quia Messias venit.] *Chr.* autem quærit hic, unde Samaritanis hoc, idest, expectare adventum Messiæ? & solvit dicens, quia Samaritani suscipientes legem Moysi ab ipsis litteris Moysi noverant de venturo Messia. Etenim ipse Moyses primus filium revelavit. Hoc enim. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ad filium dictum est. Et Abrahæ in tabernaculo, hic est, qui loquebatur, filius, scilicet, *Gen.* 18. Et Jacob de eo prophetans dixit, *Gen.* 49. Non deficiet Princeps ex Juda, neque Dux de femore ejus, donec veniet, qui mittendus est, &c. Item *Deut.* 18. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, ut me & eum audietis. Et quæ secundum serpentem. *Num.* 21. Et quæ secundum virga Aaron. *Num.* 17. Et quæ secundum Isaac, qui natus est miraculose. *Gen.* 18. Et quæ secundum ovem, quæ oblata est pro eo, *Gen.* 22. Et multa alia adventum Christi præsonant. Sed cur non dixit Christus mulieri aliquid horum de Scripturis eam instruens, sicut Nicodemo de serpente? Sol. quia mulier indocta erat, & inexperta Scripturarum. Sequitur. *g* Dicit ei Jesus.] Quia mulier in omnibus expedita erat, si cunstaret ei, quis esset Christus, ideo ad ultimum determinat ei dicens: *h* Ego sum, qui loquor tecum;] q. d. ego sum Messias, quem tu credis venturum, qui loquor tecum instruens te, quod tu dicis, pertinere ad Messiam, & illa statim credidit. Sed duplex occurrit dubium, scilicet, quare non a principio dixit ei aperte hoc, quod in fine dixit ei post multa, scilicet, quod ipse erat Messias: & quare non sic aperte loquebatur Judæis etiam petentibus: Si tu es Christus, dic nobis palam? Ad primum dicendum est, quod optimus est ille modus doctrinæ, qui procedit ex notioribus ipsi discenti: & ideo paulatim per sensibilia, & per affationem oportebat mulierem venire in familiaritatem, & veritatem, ut fide dignum crederet, & ex sibi convenientibus certificaretur, unde quia rudis erat, non per Scripturas Prophetarum eam instruit, sed per exemplum aquæ, & per revelationem occultorum, scilicet, de quinque viris, quos habuerat, & tunc deinde convenienter seipsum Messiam dicit: si enim prima fronte dixisset se Messiam esse, videretur delirare, & ad inanem gloriam loqui, ut dicit *Chr.* Ideo paulatim eam ita docuit. Ad aliud etiam respondet *Chr.* sic. Devotior erat mulier Judæis, & illi quidem non pro discendo quærebant, sed pro injuriando; hæc autem ex simplici, & devota mente quærebat, quod patet ex sequentibus, quia audivit, & credidit, & alios in hoc piscata est, quia concives suos ad credendum △ vocavit,

* cor tuum, & ibi clauso ostio ora Patrem tuum. *b* Spiritus est Deus.] Et tales adoratores requirit, *Prov.* 23. Fili, præbe mihi cor tuum in hospitium, scilicet, & in templum, in quo me adores. Unde *Aug.* Si forte quæris aliquem locum altum, aliquem locum sanctum ad orandum, intus te exhibe templum Deo. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. 1. *Cor.* 3. In templo vis orare, in te ora, sed prius esto templum Dei, quia ille in templo sancto suo exaudiet orantem. Item etiam dicitur *Jer.* 7. Contra illos, qui gloriantur de loco, sancto, & nihil curant de animo mundo. Bonas, inquit, facite vias vestras, & studia; & habitabo vobiscum in loco isto; & nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: templum Domini, templum Domini est. Sequitur: *d* Dicit ei mulier: Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus.] Nota, quod mulier postquam instructa est, ut adoret Patrem in spiritu, & veritate, cognoscit Messiam venisse: sic anima spiritualiter, & veraciter orationi incumbens, statim sentit Spiritus sancti unctionem adesse. Messias enim idem est, quod unctus, vel unctio: Christus enim animam, ad quam venit, ungit, *Psal.* 44. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, &c. Unxit enim infirmos. Unde *Eccl.* 38. Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis. Ungit etiam Reges, & Sacerdotes. *Apoc.* 5. Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes. Ungit etiam nos, ut pugiles suos pro causa sua defendenda, 1. *Reg.* 18. Esto vir fortis, & præliare bella Domini.

f Cum ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia.] Quia unctio docet de omnibus, 1. *Joan.* 2. Et *in eodem* Vos unctionem habetis a Sancto, & nostis omnia. Sequitur. *g* Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum,] muliere, idest, anima optante adventum Jesu ad ungendum, & illuminandum se, statim ostendit se Jesus, & respondet testimonium conscientiæ ejus, quod ipse præsens est, qui loquitur inspirando in corde. *Bern.* Cum aliquid virtutis in me sentio, Deum virtute adesse non ambigo. *Isa. quinquagesimooctavo*, Tunc invocabis; & Dominus exaudiet. clamabis: & dicet: Ecce adsum, quia misericors

* sum

D

Nam *a* & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus *b* est Deus, & *c* eos, qui adorant eum in spiritu, & veritate, oportet adorare. Dicit *d* ei mulier: *e* Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus. Cum ergo *f* venerit, ille nobis annunciabit omnia. Dicit *g* ei Jesus. *h* Ego sum, qui loquor tecum.

1. *Cor.* 3. 24 q. 3 *cap. quidam ver. Anthropomorphita.*

al. *materia*.

Gen. 1.

Inf. 10.

Moraliter.

a vocavit, sicut postea sequitur. Sed Evangelista interponit de reditu Discipulorum, sequens ordinem gestorum secundum tempus, & dicens. *a* Et continuo venerunt discipuli ejus,] de civitate, ad quam iverant cibos emere. *b* Et mirabantur, quia cum muliere loquebatur.] Et quid mirabantur? Dicit *Chr.* quod mirabantur mansuetudinem, & humilitatem superabundantem: quoniam ita perspicuus existens sustinuit cum tanta humilitate mulieri loqui inopi, & Samaritanæ. Idem dicit *Aug.* quod non malum suspicabantur, sed clementiam mirabantur, qua gentilem erroneam docet. Quædam *Glos.* aliter dicit: quod non mirabantur, quod cum muliere loquebatur, cum quibus loqui consueverat, sed quia cum alienigena, ignorantes mysterium Ecclesiæ de Gentibus futuræ. Et licet mirarentur. *c* Nemo tamen,] ipsorum discipulorum. *d* Dixit:] ei.

> Et *a* continuo venerunt Discipuli, ejus, *b* & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. *c* Nemo tamen *d* dixit, quid quæris, aut quid loqueris cum ea? *f* Reliquit ergo hydriam suam mulier, & *g* abiit in civitatem, *h* & dicit illis hominibus: *i* Venite, & videte hominem, qui dixit mihi *k* omnia, quæcumque feci. *l* Nunquid ipse est Christus?

e Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?] Non audebant enim interrogare, ut dicit *August.* timentes, ne ab eo reprehendantur, si incaute interrogaverint. *Chr.* dicit: Ita erant eruditi discipulorum ordinem observare, ut formidarent, & venerarentur. Etsi enim nondum dignam de eo opinionem habebant, tamen habebant eum pro admirabili aliquo, & magno magistro, & ideo multum reverebantur eum. Sed quæritur de hoc, quod alibi inveniuntur interrogare, sicut *Matth.* 18. Quis major est in regno cœlorum? Et quando filii Zebedæi deprecantur, ut unus a dextris, alius a sinistris sedeant, *Mat.* 20. Et Joannes recumbens supra pectus Domini quærit, quis est, qui tradet te, *infr.* 13. Ad hoc respondet *Chrys.* quod prædicta omnia tanquam ad eos pertinentia necesse erat scrutari; hic autem nil eis intantum intererat, quod fiebat; ideo ibi quærunt, non hic.

Item Joannes post longum tempus, & in ipso fine hoc fecit, scilicet, interrogare, quando jam familiaris erat effectus, & confidebat in amore Christi. Modo autem non quærunt, tum propter novitatem discipulatus, tum quia nihil ad eos pertinebat de hoc, tum propter reverentiam Magistri. Hoc interposito de reditu discipulorum, redit ad historiam Samaritanæ, dicens. *f* Reliquit ergo hydriam suam mulier.] Ita enim ab his, quæ dicta sunt a Christo, accensa est, ut & hydriam relinqueret, & necessitatem, propter quam venerat, & currens in civitatem omnem plebem traheret ad Jesum. Et hoc est. *g* Et abiit in civitatem.] Scivit enim, quod ipse erat Christus, & quod acceptum erat ei, ut etiam aliquos adduceret ei.

h Et dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi,] nullo sibi persuadente. *o* Omnia quæcumque feci,] idest, de omnibus majora, quia enim ei occulta dixerat: omnia posse dicere credebat. Vel [Omnia,] idest, totam seriem vitæ meæ, diu enim vixerat cum illis quinque viris. Et nota, quod ista mulier accipit signum evidentius deitatis, quod fuerat in locutione, qua locutus fuerat ei Christus, ut sic alios trahat ad fidem. Et nota sapientiam ejus. Dicit enim: [Venite, & videte,] levissimum quid persuadens eis, non dicit, venite, & credite. Sciebat enim, quia si venirent, eodem potirentur fonte, quo ipsa. Nec dicit: Venite, & videte Prophetam, sed hominem. Didicerat enim ex allocutione Christi secum facta, qualiter paulatim, & quiescibiliter eos deberet adducere, sicut & ipsa ab homine in Prophetam est elevata, & a Propheta in Messiam. Et quia vehementer, ardor ipsius ipsam astrinxerat, nihil reputat etiam cunctis confiteri turpitudinem vitæ suæ, hoc solum intendens, ut signum deitatis Christi omnibus manifestaretur. Et attende prudentiam mulieris, quia posita ratione, qualiter debeant in admirationem venire, nihil definit de eo, sed sub interrogatione proponens, judicium eis relinquit dicens.

l Nunquid ipse est Christus,] quia hoc ipso, quod relinquebat eis judicium propositis his, quæ circa ipsam fuerant ▲ magis

Moraliter. * sum Dominus Deus tuus. *a* Et continuo, &c.] Ubi enim Jesus habitat in corde per gratiam, oportet, quod

veniant discipuli per conversationem disciplinatam. Discipuli enim sunt motus, & gestus, & respectus disciplinati. Vel discipuli Christi, ad litteram, sunt Prælati, & Prædicatores verbi divini. De quibus subditur.

b Et mirabantur, quia cum muliere loquebatur.] Mirabantur forte præ novitate, ad litteram. Mirabantur discipuli de hoc, quod cum muliere inopi, & Samaritana loquebatur. Ita hodie multi mirantur, & indignarentur, si auderent de hoc, quod vident Dominum revelare secreta sua simplicibus, cum tamen dicatur *Proverbiorum* 9. Si quis parvulus, veniat ad me, & insipientibus locuta est, &c. Et *Matth.* 11. Confiteor tibi, Pater Domine cœli, & terræ, quia hæc abscondisti a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Et nota, quod dicit *Chrys.* quod mirabantur discipuli mansuetudinem, & humilitatem, quod tam perspicuus existens sustinuit loqui mulieri inopi, & Samaritanæ. Hoc est contra illos, qui libenter loquuntur cum divitibus, & pauperes, & viles personas respuunt. *Eccles.* 4. Congregationi pauperum affabilem te facito. Et *in eodem*. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam & redde debitum tuum, & responde illi pacifica in mansuetudine.

c Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea.] In hoc instruimur, ut nos trepide, & reverenter habeamus ad magistros, & Prælatos nostros ne passim, & indifferenter eorum dicta, vel facta mordeamus. Unde eum discipuli nihil interrogaverunt. Ita enim erant eruditi discipulorum ordinem observare, scilicet, formidare, & revereri Magistrum. Hoc est contra illos, qui ponunt audacter os in cœlum, nec verentur ferire Christum Deum innocentem, cum tamen David hoc vereatur. 1. *Reg.* 26. Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.

Item in *eodem* 24. Percussit cor suum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.

f Reliquit ergo Hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus, &c.] Hæc mulier conversa alios vult convertere: & sic cortina cortinam trahit. Et, qui audit, dicat: veni, *Apoc. ult Chr.* Ita accensa erat, ut & hydriam suam, & necessitatem, propter quam venit, derelinqueret, & currens in civitatem omnem plebem traheret ad Jesum. A vero enim fonte hauriens fontem sapientiæ, & intellectus, contempsit sensibilem, docens nos; etsi per parvum exemplum in auditione spiritualium omnia despicere sæcularia. Quod enim Apostoli fecerunt, hæc fecit. Illi retia; hæc Hydriam: Et Evangelistarum opera facit, & non vocat unum vel duos, sicut Andreas, & Philippus *supr.* 1. sed integram civitatem.

Moraliter,] Hydria est temporalis sollicitudo, & cura, quam debet Prædicator relinquere, quia nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis, 2. *Tim.* 2. Unde *Exodi* 4. Moyses remisit uxorem. *Psalm.* 31. In diluvio aquarum multarum ad Deum non approximabunt. Vel Hydria ab Hydra serpente, qui semper bibit, & sitit: & eos, quos mordet, sitire facit. Hæc est cupiditas, quam relinquere debet Prædicator. Quia dicit *Greg.* Qui contemptum temporalium prædicat, necesse est, ut ipse prior contemnat. Et ideo Diaconus, quando vadit ad legendum Evangelium, non fert pulvinar, sed alius fert ei: quia alius debet esse sollicitus pro eo in necessitatibus corporis. Unde *Cant.* 2. Læva ejus sub capite meo, &c. *Moraliter.*

i Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci.] Sic prædicator debet invitare ad eum, qui scrutatur renes, & corda.

l Nunquid ipse est Christus?] Sic sub dubitatione debent multa proponi, quia si affirmarentur, statim eis in principio contradiceretur. Et nota, quod Prædicator de propria verecundia non debet curare: sicut hæc mulier non verecundatur dicere statum suum, quia ei dixerat Christus, quæcumque fecerat. *Chrys.* Poterat hæc mulier dicere: Venite, & videte hominem prophetantem, sed non verecundatur dicere. Dicit mihi omnia, quæcumque feci. Cum enim ignita fuerit anima igne divino, ad nihil eorum, quæ sunt in terra, de cetero inspicit, non ad gloriam, non ad verecundiam; sed unius solius ejus, scilicet, qui detinet eam flamma amoris. Hoc est, quod dicitur 1. *Joan.* 4. quod charitas foras mittit omnem timorem. *Eccl.* 4. Pro anima tua non confundaris dicere verum.

Item *in eodem* Non confundaris confiteri peccata tua,

A magis allexit eos. a Et exierunt de civitate,] cives audientes excellentiam eorum, quæ dicebat mulier. b Et veniebant ad eum.]

Unde cum sic voluntarie venirent, non decebat bonitatem Christi eos repellere, nec eos, qui sicut canes semper in rabiem convertebantur, semper attrahere, scilicet Judæos. Sed quod factum est, interim, dum mulier esset in civitate, narrat Evangelista, in omnibus sequens ordinem temporis magis, quam narrationis. Et ideo sequitur. c Interrogaverunt,] vel, [interrogabant, &c.] Interrogatio ista non est per modum dubitationis, nisi dicitur in topicis, quod dialectica propositio est interrogatio probabilis, non quod sub dubio proponatur quantum, ad inhærentiam prædicati cum subjecto: sed quia quærit consensum a respondente: ita istud nihil plus habet de natura interrogationis, nisi quia petebant, quod comederet, & relinquebant ejus arbitrio, an vellet. Nisi forte vellemus sequi compositionem vocabuli, ut dicamus: [Interrogaverunt,] idest, inter verba habita cum muliere, & illos venientes de civitate rogaverunt [eum discipuli,] ut tantum, valeat, quantum interim rogaverunt. *Aug. in Originali* habet, Interea rogaverunt. *Chr.* autem habet, interrogabant. Et exponit sic. [Interrogabant] hoc est, rogabant, vulgari eorum voce, idest, quia sic loqui consueverunt, unum accipientes pro alio. Videntes enim eum fatigatum ex itinere, & ex incendio æstus, quod non jacebat, rogabant eum, neque hoc temeritatis erat, scilicet precari pro cibariis; sed amoris, & custodiæ circa Magistrum. e Ille autem dixit eis, &c.] *Int.* dicit, idest, conversionem Samaritanorum. Et est tropus locutionis, eo quod cibus transit in naturam comedentis, & fit in speciem corporis nutriti: sic unus spiritus cum Deo efficiuntur conversi, non natura, sed charitatis copula: & fiunt etiam de corpore mystico ipsius Christi, quantum ad vegetationem.

Unde *Act.* 10. Macta, & manduca.

Item gaudet in conversione peccatorum, sicut comedens in cibo delectatur.

Unde peccatores dicuntur Dei venatio, *Prov.* 28. Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.

f Dicebant ergo discipuli adinvicem, &c.] *Aug.* Quid mirum, si mulier illa non intelligebat aquam: ecce discipuli nondum intelligunt escam, adhuc enim carnales erant. Et nota, quod sicut dicit *Chrys.* non quærunt a Magistro, sed inter se pro reverentia, & honore Magistri, non audentes interrogare, sed tamen cupientes interrogare. Sed quia Christus præsensit cogitationes, & interrogationes eorum, sequitur. g Dicit eis Jesus.] *Aug.* Aperte eos docens, non per circuitum, ut mulierem docuerat. h Meus cibus est, ut faciam, &c.] videlicet, ut convertam peccatores ad eum, & hoc est opus ejus, idest, ab eo mihi injunctum. Unde sequitur. k Ut perficiam opus ejus,] idest, Patris, idest, a Patre mihi injunctum, *sup.* 3. Non misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. *Chrys.* Hominum salutem hic cibum dicit, ostendens, quantum desiderium habet nostræ salutis. Sicut enim nobis concupiscibile est comedere: ita ei salvare nos, 1. *Tim.* 2. Qui vult omnes homines salvos fieri, &c. *Aug.* Quod hic esuriit, hoc prius in muliere sitiebat. Ideo dicebat. Sitio, da mihi bibere. *Glos. quædam* exponit sic. h Meus cibus est, ut faciam voluntatem, &c.] Voluntas Patris est, ut credatur in eum, & in filium, quem ipse misit. Opus Patris est nostra salus. Christi ergo cibus est, nostra fides, & nostra salus. Facit ergo voluntatem Patris docendo credere in se in prædicatione, facit opus Patris maturando mysterium Redemptionis in passione. Est ergo sensus. h Meus cibus est,] idest, mea refectio, & delectatio. i Ut faciam voluntatem ejus, qui misit me,] idest, Patris prædicando erudiens hominem ad fidem. k Ut perficiam opus ejus,] patiendo redimens ad salutem. Sed quare non dixit hoc discipulis, antequam dicerent sibi, quod manducaret? Ad hoc respondet *Chrys.* quod hoc fecit, ut susceptibilior esset responsio per metaphoram sumptam de cibo. Quod autem sit voluntas Patris, de qua mentionem fecerat in

al. † Interrogabant.

E

a Exierunt de civitate, & b veniebant ad eum. † c Interrogaverunt d eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille e autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis, f Dicebant ergo discipuli adinvicem; Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit g eis Jesus: h Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, k ut perficiam opus ejus. l Nonne vos dicitis, quod m adhuc quatuor menses sunt, & n messis venit?

genere, specificat, dicens. l Nonne dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt; & messis venit?] Iterum hic consuetis nominibus reducit eos ad contemplationem rerum excellentium, sicut dicit *Chry.*. Messis autem dicitur hic aptitudo Samaritanorum ad credendum. Et hoc volens eis ostendere, accipit similitudinem a messe materiali, dicens: [Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit.] Et nota, quod tempus messis computatur dupliciter. Uno modo secundum numerum dierum consuetum in quolibet anno, sicut dicimus, quod a Pascha, vel a Pentecoste sunt tot, vel tot menses usque ad messem. Alio modo computatur ex consideratione segetum possibilium ad maturationem in tanto, vel tanto tempore, & sic loquitur hic, quasi dicat: considerate segetes, & videte, quod vix in quatuor mensibus erunt maturæ. Et secundum hoc patet Hyemis tempore hoc factum esse in Novembri, scilicet, vel Decembri, vel circa hoc, quia in Pascha offerebantur primitiæ frugum maturarum. Et ex hoc perpenditur, quod hoc non sit factum immediate post illa, quæ dicta sunt de ejectione ementium, & vendentium in templo, quæ facta est in Pascha. Vel potest legi, aliter, ita quod ly, [sunt,] dicat præsens confusum. l Nonne vos dicitis,] idest, soletis dicere. m Quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit,] q. d. homines semper solent dicere, qui desiderant tempus messis: ecce messis venit. Et dicunt hoc quatuor adhuc mensibus intermediis, sicut modo communiter dicitur in quolibet anno circa Pascha, vel Pentecoste: ecce parum deest usque ad Augustum.

A

* Sequitur. a Exierunt de civitate,] idest, de vana conversatione, & mundana sollicitudine, *Psal.* 54. Vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate. Et alibi. Accipiant in vanitate civitates suas. Ideo dicitur *Jerem.* 48. Relinquite civitates, & habitare in petra, idest convertimini ad Christum. Et hoc est, quod sequitur.

Moraliter. Psalm. 131.

b Et veniebant ad eum,] idest, Jesum. Istæ sunt duæ partes justitiæ. Relinquere malum, & converti ad bonum, sicut e contrario peccatum est averti a bono, & converti ad malum. Sequitur.

c Interrogabant,] idest, rogabant.

d Eum discipuli dicentes: Rabbi,] idest, Magister, [manduca.] Et loquebantur de cibo corporali.

e Ille autem dixit eis, &c.] In hoc dat nobis formam, quod solliciti debemus esse de cibo spirituali, idest, de conversione peccatorum, pro eo dimittentes corporalem, sicut legitur *Gen* 24. de Eliezer. Dicitur enim ibi, quod appositus est in conspectu ejus panis, & ait: Non comedam, donec loquar sermones, meos. Item *Tob.* 7. Cumque Raguel hortaretur eos discumbere ad prandium, Tobias ait: Hic ego hodie non manducabo, nisi prius petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam, 2. *Cor.* 12. Non quæro vestra, sed vos.

f Dicebant ergo Discipuli adinvicem. Nunquid aliquis attulit ei manducare?] Ita murmurant Clerici, & familia Prælatorum, quando vident Dominos suos tardare a comestione, & occupari in prædicatione, vel in confessionibus audiendis. g Dicit eis Jesus. Meus est cibus, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.] In hoc instruimur, ut delectationem non in temporalibus, sed in spiritualibus quæramus. In faciendo Dei voluntatem, quantum ad nostram custodiam. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio, vestra, ut dicitur 1. *Thes.* 4. Et in perficiendo opus ejus quantum ad aliorum conversionem. Hoc enim est opus Dei, scilicet, salvare.

Unde 1. *Timot.* 2. Vult omnes homines salvos fieri.

Item *Psal.* 75. Operatus est salutem in medio terræ. Hæc duo dicit Apostolus. 1. *Tim.* 4. Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis: hoc enim faciens & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt. Sequitur.

l Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt,] idest, quatuor defectus prius sunt in Prædicatore supplendi. n Et,] tunc, [messis venit,] idest fructus prædicationis. Quatuor enim defectus, quos Dei est supplere, debet homo in se cognoscere, maxime quando mittitur ad prædicandum. Unde de tribus illorum dicit Jeremias, cum mitteretur a Domino ad prædicandum.

* dum.

a Ecce dico vobis: *b* levate oculos veſtros, *c* & videte *d* regiones, *e* quia albæ ſunt jam ad meſſem. Et *f* qui metit, *g* mercedem accipit, & *h* congregat fructum in *i* vitam æternam, ut, & *k* qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit. In hoc enim *l* eſt *m* verbum *n* verum: *o* quia alius eſt, qui ſeminat: & *p* alius eſt, qui metit,

▲ guſtum. Facta autem mentione de meſſe, adaptat ſimilitudinem, dicens. *a* Ecce dico vobis,] quaſi dicat vos computatis quatuor menſes uſque ad meſſem; ego autem vobis aliam meſſem albam, & paratam oſtendo, *b* Levate oculos veſtros,] mentis, & corporis, quia jam videbat civitatem venientem ad eum. *c* Et videte,] ideſt, diſcutite, & cogitatione penſate. *d* Regiones,] ideſt, plebes regionum. *e* Quia albæ ſunt jam ad meſſem,] ideſt, quia aptæ ſunt recipere fidem.

Item cujus fructus congregantur in horreum Eccleſiæ. Quærit autem *Chryſoſt.* quare ſic loquitur eis per ſimilitudines? Et ad hoc aſſignat duas cauſas. Prima quia mens facilius recipit, & manifeſtius intelligit ſermonem ſimilitudine conſueta firmatum, eo quod legat intentionem ſermonis in ſimilitudine, tanquam in Scriptura quadam, & ſicut in Scriptura videns res magis detinet. Secunda cauſa eſt, quia dulcoratur enarratio, & permanentior fit eorum, quæ dicuntur memoria ex conſonantia ſimilitudinum congruarum. Poſito autem exemplo, invitat eos ad metendum, ideſt, prædicandum dicens.

f Et qui metit,] falce prædicationis, a terrenis, ſeparat, & in faſciculo viventium per charitatem, & Eccleſiaſticam unitatem colligat, [mercedem accipit.] Et ut magnitudinem præmii indicet, ſubdit.

g Et congregat fructum] ideſt, gaudium de contemplatione Dei remunerantis laborantem in ſe, & in alio: quia videbimus ibi Deum in ſe, & in eis, qui juxta nos. Et illi maxime dicuntur fructus alicujus, de quibus gaudet tanquam per prædicationem ſuam converſis. Fructum, dico, congregat, *i* In vitam æternam] non tranſitoriam. Sed ne quis crederet meſſores tantum habere mercedem, & non ſeminatores: ideo ſubdit.

k Ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, &c.] Prophetæ ſeminaverunt, Apoſtoli meſſuerunt, & utrique mercedem habent, & par gaudium. Hoc autem in rebus ſenſibilibus non contingit, quin potius triſtatur ſeminans, cum in labores ejus metens ſubintrat alius. Et quia duorum fecerat mentionem, ſcilicet, ſeminatoris, & meſſoris, adaptat ſermonem proverbialem dicens. *l* In hoc enim] caſu, in quo loquor. *m* Eſt verbum] ideſt, proverbium. *n* Verum,] quod a multis dicitur, hoc eſt. [quia alius eſt, qui ſeminat, & alius, qui metit.] Et eſt proverbium, quod ſolet dici, quando aliqui labores ſuſtinuerunt, & alii fructum recipiunt. Hoc ergo & nunc dicit: quoniam iſte ſermo bene competit huic materiæ: quia laboraverunt Prophetæ; vos autem fructus, qui ex illorum laboribus apti ſunt, metitis. Unde ſubdit: Ego miſi vos metere, &c. Alii legunt ſic ſecundum *Gloſ.* *l* In hoc eſt verbum verum] q. d. Deus habet ſuos ſeminatores, & ſuos meſſores, & hoc idoneum eſt, & neceſſarium, quia. *l* In hoc,] ideſt, per hoc. *m* Et] ideſt, apparet. *n* Verbum,] Evangelii [verum] quod vos Apoſtoli prædicatis. In hoc, inquam, apparet verum. *o* Quia alius eſt, qui ſeminat] ideſt, prædicationem inchoat, & fidem, ut prophetæ. *p* Et alius, qui metit,] ideſt, prædicationem conſummat, & populos ad fidem convertit, ut Apoſtoli. Et per hoc probatur veritas Evangelii, quaſi per duplex teſtimonium Prophetarum, & Apoſtolorum, quorum concors eſt doctrina. Prophetæ ſeminaverunt Judæos, & Samaritanos: Apoſtoli autem meſſuerunt eos, ideſt, a terrenis ſeparaverunt, & ad cœleſtia erexerunt.

Unde ſequitur: [Ego miſi vos, &c.] Tertio legitur ab illo loco. *f* Et qui metit, mercedem accipit,] gratiam in præſenti. *h* Et congregat fructum] i. in futuro cumulat ſuum gaudium, & præmium duraturum.

i In vitam æternam] non tranſitoriam. Sed quia poſſent dicere Apoſtoli: Non nobis gaudium reponitur de fide credentium: Alii enim ſunt, ſcilicet, Prophetæ, qui ſeminaverunt, & fruitiari gaudio non poſſunt, ſicut videmus in meſſe materiali, quod ſi aliquis metit, & alius ſeminavit, fruſtratur gaudio meſſis, qui ſeminavit. Si ergo illis gaudium repoſitum eſt certum, nobis poteſt aliquod reponi. Removet Chriſtus opinionem iſtam dicens: [Ut & qui ſeminat ſimul gaudeat, & qui metit.] Et determinans, quod objectum eſt, ſubdit. *l* In hoc enim,] ideſt, pro tanto. *m* Eſt verbum,] ideſt, proverbium, verbum, quod ſolet dici: (Quia alius eſt, qui ſeminat; & alius eſt, qui metit.) Et eſt proverbium, quod dicitur de avaris in ſeminatione materiali, quia ſæpe contingit, quod non metunt: ſed aliquis alius nihil pertinens ▲ ſeminadum.

Moraliter. * *Jerem.* 5. A a a, Domine Deus, &c. Ter dicit a, pro triplici defectu, ſcientiæ, eloquentiæ, & vitæ. Quartus defectus eſt ſpecialis gratiæ, qua indiget, ut libenter audiatur, & ei credatur. Quia dicit *Gregorius*: In vanum laborat exterius lingua Prædicatoris, niſi intus coadjuvet gratia Salvatoris. Hoc quartum non eſt in nobis: quia quandoque deficit propter peccata audientium: Aliquando tamen deficit propter malam vitam ipſius prædicantis. *Amos* 4. Ego prohibui a vobis imbrem, cum adhuc tres menſes intereſſent uſque ad meſſem, ideſt, cum deficeret Prædicator in tribus. Sed nota, quod Dominus illos defectus citius ſupplet, quos homo humiliter agnoſcit. Unde ſequitur. *a* Ecce dico vobis, levate oculos veſtros] ad orationem ſecundum illud *Pſalm.* 122. Ad te levavi oculos meos, &c. *c* Et] poſtmodum (videte regiones, quia albæ ſunt ad meſſem.) Primo debet Prædicator oculos levare ad cœlum in oratione, & poſtea ad populum reſpicere convertendum in prædicatione, & merito orationis videt eum ad recipiendum prædicatorem, *Joel.* 3. Mittite falces, quia maturavit meſſis. *f* Et qui metit, mercedem accipit,] ideſt, qui prædicat, multam habet remunerationem, quia valde magna eſt meſſis, & pauci ſunt meſſores, & ideo eis major labor, & major eis fructus incumbit, *Luc.* 10. Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Nota, quod dicit, operarii, non locutorii. Manu enim non lingua colligitur meſſis, niſi forte miraculoſe. Falcem non prædicationis debet meſſor tenere in manu operationis. Illi ergo, qui prædicant, & non habent opera, falcem tenent in lingua. Et qui ſic volunt metere, præſumunt, quod Dominus pro eis faciat miracula: quia hoc non poteſt fieri, niſi miraculoſe. *g* Mercedem accipit,] augmentum gratiæ in præſenti. *h* Et congregat fructum in vitam æternam,] gloriæ in futuro. Vel poteſt notari duplex præmium: Auræ, & aureolæ. De hac mercede dicitur *Ruth. cap.* 2. Dixit Booz meſſoribus ſuis, Dominus vobiſcum. Booz interpretatur fortis: vel in robore, & ſignificat illum, de quo *Pſalm.* 23. Dominus fortis & potens. Hic dicit meſſoribus, ideſt, Prædicatoribus ſuis: Dominus vobiſcum, ideſt, ego ipſe merces veſtra ero. Ipſum etiam gaudium, quod habent de converſione peccatorum, eſt quædam merces eorum. *Pſalm.* 125. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. Conſtat, quod Paulus veniet cum multis manipulis, unde & multam mercedem accipiet, *Iſa.* 17. Et brachium ejus ſpicas leget, 1. *Theſſ.* 2. Quæ eſt noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in adventu ejus? Vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium. *k* Ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit.] Quod eſt, quando aliquis prædicat peccatoribus, qui tunc non convertuntur; ſed poſtea ad prædicationem alterius, recolentes priorem prædicationem. Tunc talis meſſis communis eſt utriſque, ſcilicet, illius, qui ſeminavit, ideſt, qui converſionem inchoavit, & meſſoribus, ideſt, qui perfecit, & conſummavit. Seminent ergo omnes, quia quandoque meſſem facient. *Iſa.* 6 Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe. *Eccl. cap.* 11. Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua, *Amos ult.* Comprehendet arator meſſorem, ideſt, Prædicator Prædicatorem. *l* In hoc enim eſt verbum verum,] ideſt, in hoc apparet veritas Evangelii, & firmitas. *o* Quia alius eſt, qui ſeminat; & alius eſt, qui metit] quia magis creditur duobus, quorum unus inchoat prædicationem, & alius perficit, quam uni crederetur, *Deut.* 19. In ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Vel,

l In hoc eſt verbum verum, quia alius eſt, qui ſeminat, &c.] ideſt, veritas eſt in hoc verbo, quod ſolet dici, quod alius ſeminat, & alius metit; quia aliud eſt hoc, & illud: Ita aliud eſt inchoare converſionem hominum, & aliud conſummare. Vel ſeminare eſt bona opera facere in præſenti, metere eſt fructum recipere in futuro.

* Aliud autem eſt hoc, & aliud illud, quia unum in labore fit, & lacrymis, aliud in gaudio, *Pſalm.* 125. Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. 1. *Cor.* 9.

* Qu

▲ seminatori], Hoc etiam in proposito verum est. Sed quod amplius est, non est simile. Et hoc ideo, quia Prophetæ non proprios agros seminaverunt, sed alienos: Et bene potest esse, quod gaudeant de remuneratione unius agri, non sui, sed alterius, simul & seminatores, & messores diversi. Ut autem etiam ex facilitate laboris accendat eos, inducit adhuc amplius. *a* Ego misi vos metere, quod vos non laborastis] quasi dicat, Prophetæ seminaverunt, & præparaverunt, plebem ad fructum, in quo multus labor est, & non tanta delectatio; sed vos Apostolos servavi ad messem, ubi multa est delectatio, & quies, & non tantus labor. Quod apertius subinfert. *b* Alii laboraverunt] Prophetæ, scilicet multa enim fatigatione indigebat hoc, scilicet, submittere semina, & animas indoctas inducere in cognitionem Dei.

a Ego misi vos metere, quod vos non laborastis. Alii *b* laboraverunt; & *c* vos in labores eorum introistis. Ex *d* civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum *e* propter verbum mulieris testimonium perhibentis; quia dixit mihi omnia, quæcumque feci. Cum *f* venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et *g* mansit *h* ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter sermonem ejus. Et *i* mulieri dicebant, quia jam non propter tuam loquelam credimus: Ipsi enim *k* audivimus, & *l* scimus, quia hic est vere Salvator mundi, *m* Post

c Et vos in labores, &c.] quia jam præparatos per instructionem Prophetarum in horreum Domini colligitis: in quo non tantus labor est. Et hoc sicut dicit *Chrys.* ne turbentur Apostoli, quasi ad rem laboriosam missi, quia videbatur eis laboriosa res esse orbem terrarum circuire, & prædicare, & ideo ostendit eis, quod imo Prophetæ ad gravia missi sunt; ipsi autem ad levia. In messe enim cum facilitate fructus congregatur, & in uno momento area manipulis repletur, ubi non expectantur temporum versiones, idest, revolutiones, vel mutationes, & hyems, & ver, & imber: & ita in messe facilitas est, & securitas, & jucunditas de præsentia fructus. In semine autem multus labor, diutina expectatio, periculosa mora propter mutationes temporum, & incertitudinem aurarum. Hanc autem facilitatem, & festinationem messis ipsa opera clamant.

Unde subdit Evangelista.

d Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum,] quos supra notaverat, dicens: videre regiones, quia albæ sunt jam ad messem. Et subdit causam trahentem eos dicens.

e Propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia, quæcumque feci:] Simul audierunt mulierem, & crediderunt, ut dicit *Chrysost.* Conspiciebant enim, quoniam nequaquam admirata esset ad gratiam mulier eum, qui redarguerat ejus delicta, neque ut gratificaret alii, suam divulgasset vitam. Et nota, quod laudantur Samaritani in comparatione Judæorum, præcipue in duobus. Unum est, quia illi Christo ex Judæis nato, & contribuli suo ad eos specialiter misso non crediderunt: isti autem Judæum eum scientes, quod genus hominum eis fuit maxime contrarium; tamen eum susceperunt credentes. Aliud est, quia illi multa signa videntes, etiam eum, qui inter eos erat a civitatibus suis abegerunt; isti autem non habentes, nisi unum verbum pauperis mulieris cum multa instantia precum sibi attraxerunt, quod patet per hoc, quod sequitur:

f Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret.] *Chrys.* Volebant quidem continue eum apud se detinere. Hoc enim ostendit Evangelista in dicendo, quod rogabant eum manere apud seipsos. Ipse autem non eos a petitione sua omnino defraudavit, nec omnino consensit, parcens scandalo Judæorum. Unde sequitur. *g* Et mansit ibi duos dies] tantum, ne Judæi haberent quid dicere, quod cum alienis sordidatus esset. Sed quantum profecerint ex verbis ipsius fontis aquæ vivæ, qui una stilla in muliere percepta sic profecerunt, ostendit Evangelista ex sequentibus, dicens. *h* Et multo plures crediderunt propter sermonem ejus,] supple, quam ante per verbum mulieris crediderunt. Sed nunquid steterunt in fide illa semper, quæ est ex auditu, & juvatur per suasionem? Absit. Et ideo subdit. *i* Et mulieri dicebant,] illi, qui ad verbum mulieris crediderant: [Quia,] jam non propter tuam loquelam credimus. Et commendantur in hoc, quod nec signa petierunt, nec propter Gentem suam sibi odiosam eum minus susceperunt, sed ad verbum ejus securati dicunt. *k* Ipsi enim audivimus,] idest, efficaciam doctrinæ ejus percepimus.

l Et scimus,] certitudinem fidei, quæ major est in infinitum, quam certitudo scientiæ: (Quia hic est vere Salvator mundi.] Nota, quod dubitando non loquuntur: Non enim dicunt quasi dubitantes sicut mulier: Nunquid hic est Christus? Nec dicunt, suspicamur, vel æstimamus; sed [novimus, vel scimus.] Nec præcludont aliis salutem, ut Judæi; sed omnibus largiter Salvatorem salutem attulisse denunciaut, dicentes: [Hic est vere Salvator mundi,] non Judææ tantum. In hoc autem, quod vocant eum Salvatorem, confitentur se, & omnes alios in mundo sine ipso perditos, & non nisi per ipsum salvari, sicut dicit Apostolus. *Rom.* 3. Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, &c. E contra Judæi dum suam statuere volunt justitiam, justitiæ Dei non sunt subjecti. *Roman.* 10.

Item in hoc, dicunt, (vere Salvator,) discernunt eum ab aliis figurativis Salvatoribus, qui etiam salvare venerunt, sicut Patriarchæ, & Prophetæ. Omnes enim sub illo, & adminiculando Salvatores fuerunt; hic autem solus vere Salvator est.

m Post duos autem dies, &c.] Hæc est secunda historia hujus capituli, quæ habet tres partes in genere. Prima est de his, quæ sunt de adventu Christi in Galilæam a Samaria. Secunda est de his, quæ ordinantur ad sanationem filii Reguli, & incipit, ubi dicit: [Et erat quidam Regulus, &c.] Tertia est de effectu miraculi in eo cui fuit exhibitum, scilicet, de fide, & conversione domus Reguli, *ibi*: (Jam autem eo descendente servi occurrerunt, &c.) Prima pars habet quatuor particulas. Prima continet adventum ejus in Galilæam. Secunda causam adventus, quare, scilicet tunc potius, quam alio tempore venit, & incipit: (Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, &c.) Tertia continet, qualiter susceperunt eum cives, patriæ, & qua de causa in adventu, & incipit. Cum ergo venisset in Galilæam, &c. Quarta continet nomen villæ, ubi demoratus est, & qua de causa in adventu, & incipit: (Venit ergo iterum in Caana, &c.) Cum igitur supra dictum sit, qualiter Samaritani volebant eum detinere assidue; sed ipse Judæis deferens, non multum ibi mansit, determinat Evangelista primo spatium temporis, quo fuit cum eis, dicens:

▲ Post quos

Moraliter.

* Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. *Galat. c.* 6. Quæ seminaverit homo, hæc & metet: quoniam, qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem, &c. Bonum igitur facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Et nota, quod boni seminatores solent duabus manibus seminare. Ideo dicitur *Eccl.* 9. Quodcumque potest manus tua, instanter operare.

a Ego misi vos metere, quod vos non laborastis. Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.] Hoc potest dici nobis Clericis, & Religiosis. Apostoli enim & Martyres, & Confessores, isti laboraverunt, qui Ecclesiam in sanguine suo fundaverunt; nos autem in laboribus eorum luxuriamur, *Deuteronom.* 6. Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua juravit patribus tuis, & dederit tibi civitates, quas non ædificasti: domos præclaras cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas, quas non effodisti, vineta, & oliveta, quæ non plantasti, cave, ne obliviscaris Domini Dei tui.

Item *Josue cap. ult.* Dedi vobis terram, in qua non laborastis. Sequitur.

d Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia, quæcumque feci.] Nota, quod Dominus dedit virtutem verbo mulieris, quia verecundiam omnem contempsit, & se vilificavit, nec vitam suam divulgare timuit, ita si nos contemneremus nosmetipsos, credo, quod nos proficeremus. Humilibus enim datur gratia, 1. *Petr.* 4.

f Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret,] propter prædicationem, quam ab eo audierant sine quæstu, & sumptu. Ideo non rogantur Prælati nostri ad manendum, quia raro prædicant, &

▲ *a* Post duos autem dies exiit inde,] idest, a Sichar Samariæ.

b Et abiit in Galilæam,] sicut ordinaverat, cum exiret de Judæa, sicut patet in principio capituli. Sed quia multum honorem habuerat in Judæa, intantum, ut etiam Judæi litigarent cum Discipulis Joannis de purificatione, & in die festo, & iterum in Samaria pauco tempore manens multos attraxit; in Galilæa autem ubi magnum signum fecerat, pauci crediderunt: posset aliquis quærere, quare nunc venit in Galilæam? Et subdit causam Evangelista, dicens.

Matt. 13. Marc. 6. Luc. 4.

> *a* duos autem dies exiit inde, *b* & abiit in Galilæam. *c* Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia *d* Propheta in sua patria honorem non habet. *e* Dum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, *f* cum omnia vidissent, quæ fecerat Jerosolymis in die festo. Et ipsi *g* enim *h* venerant ad diem festum. *i* Venit ergo iterum in Chana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et *k* erat quidam Regulus, *l* cujus filius infirmabatur Capharnaum.

c Ipse enim Jesus testimonium perhibuit] idest, asserendo dixit.

d Quia Propheta in sua patria honorem non habet,] quasi dicat: verum quidem est, quod objici potest; sed nunc viderunt signa, quæ feci in alia patria; & ideo non tanquam compatriotam, sed tanquam aliquem, quem magnum alibi cognoverunt, habent honorare; & ideo nunc venio. Et hæc lectura sumitur *ex Gloss.* & concordat textui sequenti. Aliter legit *Chrys.* sic.

h Et abiit in Galilæam,] idest, in partem Galilææ, scilicet, in Chana, non in Capharnaum, ubi conversatus est, nec in Nazareth, ubi nutritus est: Et subdit causam.

c Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, &c.] *Chrys.* Ideo non abiit illuc, ut non majus eis fieret in odium. Ego autem patriam suam eum hic æstimo dicere Capharnaum, secundum dispensationis rationem, ut in qua videtur plus conversans, & quod ibi non sit potius honore. Audi eum dicentem; *Matth.* 11. Et tu Capharnaum, quæ usque ad cœlum exaltata es, usque ad infernum descendes. Sed quæritur de hoc, quia nos videmus aliquando aliquos magis honorari in sua patria, ubi noti sunt, quam in aliena, ubi peregrini sunt. Ad hoc respondet *Chrysostom.* quod hoc raro contingit; & a raro contingentibus non oportet tale quid generaliter pronunciari. Si autem quidam in patria propria honorantur, multo magis in aliena: consuetudo etiam facile contemptibiles facere assuevit. Sed aliter potest dici, ut videtur, quod alius est honor prophetæ, & alius honor hominis: Honor hominis consideratur ex rebus hujus mundi, sicut ex nobilitate geniture, & ex divitiis, & iste major est in patria quam in exilio. Honor autem Prophetæ est ex his, quæ occurrunt naturæ, & actibus miraculosis: & hic minor est in patria, quam alibi, quia compatriotæ semper habent respectum ad progenitores ejus, & secundum illos judicant. Ubi autem ille respectus non est, cessat judicium illud; & judicant tunc secundum ea, quæ ab aliquo vident fieri, & secundum magnitudinem illorum impendunt honorem majorem, vel minorem. Quia autem ipse venit nunc, ideo quia Galilæi eum in alia patria magnificum viderant, & ideo ei facilius credituri erant, ostendit Evangelista ex sequentibus. Dicit enim.

e Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi,] supple, honorifice. Et nunquid propter nobilitatem generis? Non, sed.

f Cum omnia vidissent, quæ fecerat Jerosolymis in die festo:] Sicut quando aliquis in magno honore habitus est alicubi, ut magnus Clericus veniens in patriam suam, propter hoc honoratur. *Chrysost.* tamen dicit, quod hic Galilæam non dicit patriam suam, imo dicit, quod isti Galilæi viles, & extranei susceperunt eum: sic & prius Samaritani.

g Et ipsi enim,] Galilæi, sicut & ceteri Judæi.

h Venerant ad diem festum,] curiositate miraculorum, non voluntate audiendi prædicationem, ut dicit *Gloss.* Vel forte, ut adorarent in die festo secundum præceptum legis: *Exod.* 23. Quia vero Christus miraculum vini fecerat in Chana, & illud non multum divulgatum fuerat.

i Venit ergo iterum, in Chana Galilææ ubi fecit aquam vinum,] idest, de aqua vinum, ut secundum miraculum ibidem faceret, ut concurrentibus miraculis, & quæ viderant in festo, & quæ fecerat, ut facturus erat in Chana, unum per aliud divulgaretur, & per consequens etiam miraculum facilius crederent in eum homines patriæ illius, qui minus crediderant prius. *Chrys.* tamen, qui aliam facit hic lecturam, dicit sic. In Galilæam venit fugiens Judæam propter livorem Judaicum. Sed in Chana propter quid potius venit? Mihi videtur eam, quæ a miraculo, fidem innatam fortiorem faciens propter præsentiam suam, & magis eos attrahens ad fidem miraculi, & ad amorem sui in sponte veniendo ad eos, & in propriam quidem dimittendo patriam, illos vero præhonorando. Sed prima lectura respondet litteræ sequenti, ubi dicitur.

k Et erat quidam Regulus,] sic dictus, ut dicit *Chrys.* aut quia de genere esset regali, aut quia haberet dignitatem aliquam principatus, ita vocatam. *l* Cujus filius infirmabatur Capharnaum.] Et dicit *Joannes Chrysostomus*, quod quidam putant hunc esse illum Centurionem, de quo habetur *Matt.* 8. quod patet esse falsum. Primo, quia ille ▲ Christum * multa expendunt. Reliqua satis patent secundum primam expositionem usque ibi.

Moraliter.

k Et erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum, &c.] Summa hujus Evangelii dividitur in quatuor; quæ hic notanda sunt. Quis infirmatur, ubi infirmatur, qua infirmitate teneatur, quomodo sanatus fuerit, & quando: Quis ostenditur, cum dicit: [Cujus filius infirmabatur.] Ubi [In Capharnaum?] Qua infirmitate, *ibi*. [Reliquit eum febris] Quando, [Hora septima?] Unum ergo quemlibet designat iste Regulus, qui spiritualiter debet esse Rex. Unde *Psalm.* 2. Et nunc Reges intelligite. Duo enim faciunt Regem: Unctio, & diadema. Christianus autem omnis unctus. Unde 1. *Joan.* 2. Et vos unctionem habetis a sancto. Et ungitur, ad innuendum, quod debet pugnare pro se, & pro regno suo. Unde *Job* 9. Militia est vita hominis super terram.

Item diadema debet habere. Diadema autem dicitur quasi duo demens, principium & finem. Principium, ad innuendum, quod nulli subest. Finem ad innuendum, quod perpetuo non ad horam erit Rex, sicut potestates, quæ quasi quolibet anno renovantur. Unde nec sunt, nec dicuntur Reges. Nulli ergo subest homo nisi velit, quia cor habet in libera potestate, ita quod a nullo cogi potest. *Eccl.* 17. Dedit homini potestatem eorum, quæ sunt super terram: posuit timorem illius super omnem carnem, idest, super motum, vel actum carnalem, & dominatus est bestiarum, & volatilium, idest, motuum carnis & mentis carnalium, & spiritualium, ecce libertas, sive libera potestas hominis, cui regnum suum subest. Et postea sequitur: Testamentam æternum constituit cum illis, ecce regni æternitas. Hæc duo notantur in diademate: Demit enim duo, servilitatem, & temporalitatem, sive brevitatem. Sed istud regnum violatur per peccatum, & diminuitur: Unde jam homo non Rex, sed Regulus dicitur, quod est diminutivum quasi parvuli, vel pueri, & hoc propter parvitatem regni, propter parvitatem potentiæ, propter parvitatem sapientiæ. Propter parvitatem regni dicitur, quia modicum est, sola, scilicet, longitudo hominis, quæ est septem pedum. Unde *Ecclesiast. cap.* 9. Civitas parva, pauci in ea viri, idest, virtutes. *Philosophus*. Omnia mea mecum porto. Item propter parvam potentiam. Unde *Isa.* 1. Erit fortitudo vestra quasi favilla stupæ. *Nahum* 3. Omnes munitiones vestræ quasi ficus cum grossis suis, si concussæ fuerint, cadent in os comedentis. Ex parvitate autem potentiæ accidit, quod occupant alieni regni regnum illud, idest, Dæmones, vel motus carnales, *Isa.* 1. Regionem vestram coram vobis alieni devorant. Item dicitur Regulus propter parvitatem sapientiæ. Sumus enim pueri sensibus, non malitia: & ideo non Reges, sed Reguli sumus. *Ecclesiast. cap.* 10. Væ tibi terra, cujus Rex puer est, idest, ratio puerilis sequens puerilia, & vana. *Proverb. cap.* 1. Usquequo parvuli diligitis infantiam; & stulti ea, quæ sibi noxia sunt, quærunt? Væ ergo tali terræ, cujus Rex puer est, quia tunc a suis, qui deberent eum defendere, dissipatur regnum ejus. Hi sunt quinque sensus. Unde 1. *Machabæorum cap.* 1. Obtinuerunt pueri ejus regnum unusquisque in loco suo, & imposuerunt sibi diademata, & multiplicata sunt mala in terra. Hoc fit quando quinque sensus

* regnant

a Chriſtum volentem ad ſe venire, rogat manere dicens: Non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum. Iſte autem ad Chriſtum dicit: Deſcende, antequam moriatur filius meus. Secundo, quia illic de monte deſcendens Chriſtus in Capharnaum dicitur intraſſe; hic autem a Samaria in Chanam. Tertio, quia illius puer detinebatur paralyſi; hujus autem filius febre.

Hic a cum audiſſet, quia Jeſus adveniſſet a Judæa in Galilæam, abiit b ad eum, & rogabat eum, ut deſcenderet, & c ſanaret filium ejus: d Incipiebat enim mori. Dixit e ergo Jeſus ad eum; Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.

a Hic cum audiſſet, quia Jeſus adveniret a Judæa in Galilæam.] Notatur modicitas, & tarditas fidei, quia non multum laboraſſet, ſi eſſet longe Chriſtus. Ideo, quia parum confidebat, quod poſſet ſanare; ſed tamen cum prope erat propter famam.

b Abiit ad eum, & rogabat eum, ut deſcenderet,] corporaliter, quia non credebat, quod ſecundum præſentiam Deitatis eſſet ubique: non enim credebat eum eſſe Deum.

c Et ſanaret filium ejus,] ſi poſſet. Et ſubdit cauſam precum.

d Incipiebat enim mori.] Sed quia Chriſtus vidit debilitatem fidei ejus, prædicit ei paſſionem cordis, quam patiebatur, hoc ipſo increpans eum, ut ſalubriter confundatur, & elevans eum in cognitionem Deitatis ipſius, cujus ſolius eſt talia ſcire: Et ideo ſequitur.

e Dixit ergo Jeſus ad eum: Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.] Signa dicit miracula minora, prodigia majora. Vel ſigna dicit miracula facta; prodigia autem prophetica dicta. Prodigium enim, ut dicit *Auguſt.* dictus quaſi proditum, quod, ſcilicet, porro dicat: vel porro ſignificet, & aliquid futurum eſſe portendat. Vel aliter, ſignum reſpicit excellentiam virtutis operantis; prodigium autem contrarietatem eminentem a curſo naturæ, nobis conſueto. Et per hoc dicit: quod neceſſe fuit eos inducere in fidem, quod ipſe eſſet naturæ divinæ, & ſupra naturam aliorum hominum. Sed quæritur de hoc, quod dicit: [Non creditis,] quia nonne fidei fuit, quod rogavit eum, qualiter ergo dicit: [non creditis?] Ad hoc dicit *Auguſt.* quod rogavit tentando. Dicit enim ſic: Arguit hominem in fide tepidum, aut frigidum, aut omnino nullius fidei, ſed tentare cupientem de ſanitate filii ſui, qualis eſſet Chriſtus, & quis eſſet, & quantum poſſet. Aliter ſolvit *Gloſ.* dicens: quod aliquam fidem habuit, quod poſſet ſanare, eum venit ad eum, & rogavit; ſed infidelis fuit, dum abſentem poſſe eum ſanare non credidit. *Chryſoſtomus* autem ſolvit multis modis, dicens: quod hoc non dixit, ſcilicet, [non creditis] in comparatione Samaritanorum, qui ſine ſignis crediderant. Aliter, quia hoc dicit non propter Reguli perſonam; ſed propter civitatem, unde erat, ſcilicet, Capharnaum, Tertio ſolvit, & melius, quod ſicut ille, qui dicit *Marc.* 9. Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam; in parte credebat, & in parte nihil credebat: ita & hic credidit, ſed non integre, neque ſane. Et hoc oſtenditur ex eo, quod interrogavit ſervos, qua hora dimiſit eum febris, volebat enim ſcire, utrum caſu, vel præcepto Chriſti hoc factum ſit, & tunc primo perfecte credidit, quando pueri dixerunt ei, non quando Chriſtus. Si autem venit ad Chriſtum, & rogavit Chriſtum, licet parum crederet, nil mirabile eſt: aſſueverunt enim patres ob nimium amorem filiorum, etiam viles, de quibus non confidunt, Medicos rogare, nihil omittere volentes eorum, quæ ad procurationem & ſalutem filiorum pertineant.

a Si enim

Moraliter. * regnant in anima, tunc diſperditur regnum: *Eccleſiaſt.* 10. Rex inſipiens diſperdet populum ſuum. Et nota, quod inſipientia Regis eſt in tribus. Primum, quando non exercet juſtitiam de malefactoribus. Secundum, quando munitiones ſibi aptas non ædificat, vel ædificatas non conſervat.

Tertium, quando divitias ad pugnandum ſibi non congregat. De primo, ſcilicet, de faciendo juſtitiam dicitur *Proverb.* 20. Diſſipat impios Rex ſapiens, & incurvat ſuper eos fornicem. Ergo e converſo, inſipiens non diſſipat impios, ſed multiplicat. *Iſa.* 26 Juſtitiam non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores orbis.

Item *Prov.* 20. Rex, qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo. Secundo inſipiens eſt, quia non ædificat ſibi munitiones: De quibus dicitur 2. *Reg.* 9. quod ſeptem munitiones ædificavit Salomon. Prima munitio, ſive præſidium fuit Mageddo, quod interpretatur fructus cœnæ, & ſignificat jejunium, ſive parcitatem in cibo. Parca enim cœna valde fructuoſa eſt contra vitium gulæ, & exercitum ejus, *Eccl. c.* 31. Vigilia, & cholera, & tortura homini infrunito; ſomnus autem ſanitatis in homine parco. Secundum præſidium eſt Mello, quod interpretatur plenitudo, ſive adimpletio. Hæc eſt eleemoſyna, & eſt contra avaritiam, & exercitum ejus. *Prov.* 3. Honora Dominum de tua ſubſtantia: & de primitiis frugum tuarum da pauperibus: & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia redundabunt. Tertium eſt Gazer, quod interpretatur robuſte conſurgens, vel fortiter vigilans. Hæc eſt ſtrenua operum multiplicatio, & eſt contra acidiam, *Prov.* 4. Currens non habebis offendiculum tædii, ſcilicet, tui, qui es ſtrenuus in multiplicatione operum. Unde præcipitur illis, qui timent de paralyſi, ut ſemper moveant membrum illud. Unde *Eccl.* 6. Subjice humerum, & porta illam operando, & non acidieris in vinculis ejus: Quartum eſt Bethoron, quod interpretatur domus iræ, vel domus Magiſtri, & ſignificat diſciplinam: & eſt contra luxuriam, & exercitum ejus, *Proverb.* 22. Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam.

Item *Proverb.* 26. Flagellum equo, & chamus aſino, & virga in dorſo imprudentium. Quintum eſt Palmira, ſive Emath, quod idem eſt, & interpretatur formidans eos: & ſignificat pavorem de propriis operibus: & eſt contra ſuperbiam, & inanem gloriam. *Prov.* 28. Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus, *Job* 9. Verebar omnia opera mea, ſciens, quod non parceres delinquenti. Ibi dicit *Gregorius*. Oportet bona agere, & ab eis ſe in mente ſollicite cuſtodire. In bonis enim operibus duo timenda ſunt, deſidia, & fraus. Deſidiam facit minor amor Dei; fraudem proprius amor ſui. Fit autem fraus tribus modis, cum pro bene actis, vel tacita hominum gratia, vel favoris aura, vel commodum aliquod temporale deſideratur. Et qui hoc facit, eſt maledictus, *Jerem.* 48. Maledictus, qui opus Dei facit fraudulenter, vel negligenter, alia littera. Sextum præſidium eſt Balath, vel Balad, quod interpretatur lugens eos, & ſignificat miſericordiam, & compaſſionem de damnis proximorum: & eſt contra invidiam, quæ ridet de damnis proximi, *Job* 30. Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Septimum eſt Ezer, quod interpretatur fortitudo, & ſignificat patientiam, vel manſuetudinem, quæ omnia fortiter vincit: & eſt ſpecialiter contra iram, & exercitum ejus, *Prov.* 16. Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium: quia talis habet pugnam contra ſeipſum, & vincit familiarem inimicum. Balivi autem in his præſidiis ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti: Et redde ſingula ſingulis. Quia autem iſta præſidia non habemus, patet, quod inſipientes Reges ſumus. Tertium, quod oſtendit inſipientiam Regis, eſt, quando divitias ad pugnandum congregat. De quibus dicitur *Iſa.* 33. Divitiæ ſalutis ſapientia, & ſcientia timor Domini ipſe theſaurus ejus eſt.

Item *Prov.* 13. Redemptio animæ viri, divitiæ ſuæ. Quis ſit filius hujus Reguli videamus. Animus, ſive anima poteſt dici filius, cujus ſollicitudinem debet gerere pater ejus, ut hæreditatem ei acquirat, 2. *Cor.* 12. Non debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis. Igitur theſaurizemus theſauros in cœlis, ſicut dicit *Matth.* 6. Item pater debet filium corrigere: ſic ratio animum. *Heb.* 12. Quis filius, quem non corripit pater? Item debet eum inſtruere: quia qui docet filium in zelum mittit inimicum, ut dicitur *Eccleſiaſt.* 30. Sic jam per prædicta patet primum, quod diximus hic conſiderandum, ſcilicet, quis ſit ille, qui infirmatur filius, ſcilicet Reguli. Secundum, quod notandum eſt, ubi infirmatur, [in Capharnaum,] quod interpretatur villa conſolationis, vel pinguedinis. Et in hoc notatur cauſa morbi, ideſt, peccati abundantia, ſcilicet, temporalis ſanitas, & fortitudo corporalis, & cetera hujuſmodi bona naturalia, quæ Dominus dat ad conſolationem, & gratiarum actionem; ſed nos vertimus in corruptionem. *Pſalm.* 82. Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, *Luc.* 6. Væ vobis divitibus, * qui ha-

▲ Si enim multum confidisset, decebat eum in Judæam ad Christum venire: vel etiam cum in Galilæam venisset; non expectare, donec juxta domum venisset; sed in primis finibus illi occurrere. Et quod ista lectura, & solutio ultima verior sit, patet per id, quod sequitur.

Dicit *a* ad eum Regulus: Domine, descende, prius quam moriatur filius meus. Dicit *b* ei Jesus: vade: filius tuus vivit. *c* Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, *d* & ibat. *e* Jam autem eo descendente servi occurrerunt *f* ei, & nunciaverunt dicentes, quia filius ejus viveret. *g* Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius † habuerat. Et *b* dixerunt ei: quia heri hora septima *i* reliquit eum febris. *k* Cognovit ergo pater, *l* quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: filius tuus vivit. Et *m* credidit ipse, & domus ejus tota. Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, *n* cum venisset a Judæa in Galilæam.

al. † habuerit.

a Dicit ad eum Regulus: Domine, descende prius, quam moriatur filius meus.] Correctus necdum credit, sed loquitur, quasi non absens possit eum sanare, nec absens possit scire ea, quę circa puerum erant, & quasi non post mortem possit eum suscitare. Sed utrumque simul, patrem, & filium sanans.

b Dicit ei Jesus, vade, filius tuus vivit,] quasi dicat, tu dicis: descende, quasi non possim absens sanare: ideo statim sano filium tuum sine descensu meo. Et ex efficacia verbi elevatus in fide.

c Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus.] Jam incipit credere, ut dicit *Gloss.* quod sermone sanet, & sic meruit ille salutem filio. *Chr.* & *Aug.* volunt, quod nondum omnino habuit certitudinem fidei, quia postea scrutatus est horam, scire volens, utrum a casu, vel ab ipso Jesu facta sit sanitas. Sed tamen.

d Et ibat,] confidens, quod sanatus esset filius. Libenter enim credit homo, cum sibi dicitur, quod cupit. Hic quærit *Chrys.* quare ad servum Centurionis sponte venit; *Matt.* 8. hic autem neque vocatus abiit. Ad hoc respondet, quod a Centurione fides confirmata erat, idcirco & promisit ire, ut discamus viri devotionem; hic autem Regulus imperfectus erat: & ideo Dominus absens sanavit filium ejus, ut sic eum ad fidem Divinitatis adduceret. Alia ratio est in *Gloss.* quæ dicit. Ad filium Reguli non vadit etiam rogatus, ne divitias honorare videatur: ad servum Centurionis ire promittit, qui naturam hominis non despicit: In quo superbiam destruit, quæ in hominibus non pensat naturam, sed quæ extra parent. *e* Jam autem eo] idest, Regulo [descendente servi occurrerunt ei.] *Gloss.* dicit, quod veniebant credentes. *Chrys.* videtur velle dicere, quod ideo occurrerunt, ut nunciarent, quod superflua esset præsentia Christi de reliquo. Et utrumque potest esse verum: quia enim subito viderant convaluisse eum, & sciebant patrem ob hoc ad Jesum ivisse, arguebant ex virtute Christi sanatum esse, eo quod naturalis sanitas non fiat subito, & præcipue in eo, qui laborat in extremis.

f Et nunciaverunt dicentes: quia filius ejus viveret.] Non dicunt, quod sanatus esset, cum tamen & hoc verum fuit; sed quia viveret, innuentes per hoc magnitudinem morbi, quod quasi de morte esset resuscitatus.

g Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuesat.] *Interl.* dicit, quod hoc interrogat non diffidens de misericordia Dei; desiderat vero, ut virtus divina servorum confessione plurimis innotesceret. Et hæc *Gloss.* satis videtur dicere probabiliter, quia ex magnitudine scire poterat, quod naturaliter non potuisset filius, ita cito fuisse sanatus, sed miraculose. *Chrys.* tamen dicit, & *Aug.* quod nondum perfecte credebat, sed interrogavit horam, volens experiri, utrum casu, vel præcepto Christi sanatus sit.

h Et dixerunt, quia heri hora septima,] scilicet, inter sextam, & nonam.

i Reliquit eum febris.] *Chrys.* Non simpliciter, ut contingit, sed repente dimisit, ut appareret, non esse naturalis consequentia, quod fiebat. Hoc etiam famulos suscitavit ad fidem. Et nota, quod illum, quem supra vivere dixerunt, hunc sanatum a febre dicunt: Et ita patet, quod nihil aliud per vitam intelligebant, nisi quod magnitudinem morbi volentes innuere sic locuti sunt.

k Cognovit ergo pater,] idest, discutiendo intellexit, comparans horam nunciantium horæ Christi prænunciantis.

l Quia illa hora erat, in qua dixit Jesus, filius tuus vivit.] Et tunc ipse a difficiliori morbo ereptus est. Unde sequitur.

m Et credidit ipse, & domus ejus tota,] visa, & probata magnitudine miraculi. Ut autem innuat Evangelista, quod ideo jam secundum miraculum fecit in Chana, ut etiam primum per istud suscipiat divulgationem, subdit: (Hoc iterum secundum signum fecit Jesus.) Et dicit tempus. *n* Cum venisset a Judæa in Galilæam,] quia etiam primum a Judæa veniens fecit. *Chrys.* tamen aliter dicit: scilicet, quod Evangelista vult per hoc extollere Samaritanos, & commendare, qui nullum signum suscipientes, crediderunt: Galilæi autem jam secundum signum suscipientes, non crediderunt, nisi tantum Regulus, & domus ejus, sicut innuit textus, &c.

Moraliter.

* qui habetis hic consolationem vestram; Tertium est, quia infirmitate laboret [febri,] scilicet, quæ est immoderatus calor circa cor interius. Et ideo in exterioribus sentit frigiditatem tantam, ut non possit manus extendere ad pauperes: vel membra ad alia bona movere. Hæc est cupiditas, quæ vehementer accendit cor. Ignis enim est, qui nunquam dicit sufficit, ut dicitur *Prov.* 30. Et sicut est de febre, ita est de cupiditate. In accessu enim febrili calor est immoderatus interius circa cor: & in exterioribus sentit frigus, & interius non sentit: ita in principio sic cupidus intra se ardet igne cupiditatis; nec tamen sentit illum calorem, quia non intelligit suam avaritiam; sed frigus exterius, quia semper credit fame mori, & semper credit parum habere, & ea, quæ habet, amittere: Unde & manus habet frigidas, & quasi contractas ad eleemosynas, & alia membra ad bona opera, *Job* 15. Sonitus terroris semper in auribus illius, &c. Interius tamen totus ardet. Unde *Eccl.* 23. Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat; *Apoc.* 16. Æstuaverunt homines æstu magno. Et nota, quod lates omnes febricitantes solus fœnerator habet continuam: Alii avari, ut raptores, & fures non habent, nisi de die in diem: vel aliquando ab anno in annum: sicut est quædam febris, quæ est a quadragesima die in quadragesimam. Gulosi habent febrem quotidianam. Quartum est, quando sanatur: [Hora, inquiunt,] [septima reliquit eum febris,] quia per septem ab hac febre sanatur homo. Primum est difficultas peccandi, quæ procedit ex amotione occasionis peccandi, & opportunitas. *Osee* 2. Sepiam viam tuam spinis. Secundum est amaritudo in peccando; *Judic.* 1. Arctavit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, ut ad planitiem descenderent; idest, ad latam viam, quæ ducit ad mortem. Tertium est tædium peccandi, *Sap.* 2. Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ. Quartum est horror peccandi, *Isa.* 21. Horrui, cum audirem: turbatus sum, cum viderem; *Sap.* 18. Timore percussi illius, quæ non videbatur, faciei, & æstimabant deteriora esse, quæ videbantur. Quintum est confusio de peccato, *Eccl.* 4. Est confusio adducens gloriam. Unde *Philosophus*: Erubuit: salva res est. Sextum est abominatio hominum, quando peccator fit opprobrium hominum, & abjectio plebis propter peccatum suum. *Prov.* 29. Abominantur justi virum impium. Septimum est adversitas, quando ei semper male accidit, ex quo incepit peccare: Adversitas enim retrahit ad Deum, *Osee* 2. Revertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis, quam nunc. Sicut e contra prosperitas avertit a Deo *Prov.* 1. Prosperitas stultorum perdet eos. Unde *Augustinus in libro de doctrina Christiana*: Nihil infelicius felicitate peccantium. Vel septem horæ possunt dici illa septem, quæ dicit Apostolus 2. *Cor.* 7. Secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. Vel septem horæ, septem mundi considerationes. Prima est consideratio brevitatis, secunda mutabilitatis, tertia infidelitatis, quarta dolositatis, quinta malignitatis, sexta, quod tibi adversatur, septima, quod tibi inimicatur.

EXPO.

C A P. V.

Post *a* hæc *b* erat dies festus Judæorum: & *c* ascendit Jesus Jerosolymam. Est *d* autem Jerosolymis probatica piscina.

EXPOSITIO CAP. V.

Post hæc erat dies festus Judæorum.] Istud capitulum potest dividi in duas partes. Intendit enim Evangelista hic de quadam persecutione, qua persequebantur Judæi Dominum. Unde in prima parte ponitur causa persecutionis. In secunda vero responsio Christi, sive disputatio de causa illa, quæ incipit, *ibi*: [Pater meus usque modo, &c.] Prima pars dividitur in quinque partes. Prima continet id, quod factum est inter Christum, & Paralyticum. Secunda, disceptationem Judæorum cum paralytico; & incipit *ibi*: [Dicebant ergo Judæi, &c.] Tertia, admonitionem, qua admonuit Christus paralyticum, ne de cetero peccaret. *ibi*: [Postea invenit eum Jesus, &c.] Quarta, nunciationem paralytici ipsis Judæis, quod Christus eum sanaverit, *ibi*: [Abiit ille homo, &c.] Quinta continet verbum Evangelistæ dicentis, quod ideo Judæi Christum persequebantur, ubi dicit: [Propterea persequebantur, &c.] Prima pars primæ partis dividitur in plures partes, quæ ex ordine litteræ patebunt, ne nimis multiplicetur divisio. Ordo ad præcedens unus est secundum tempus. Tempus dico festorum: & tunc non ordinatur ad præcedens immediate, sed ad illum ascensum, de quo *supra* 2. habitum. Ibi enim, ascendit in Pascha: hic autem ascensus fuit in Pentecosten, quod habetur tum ad auctoritatem, tum per rationem. *Chrysostomus* enim dicit, quod istud fuit in Pentecoste. Ratio est ad idem. Supra enim ascendit in Pascha, *Infr.* 7. In scenopegia, *Infr.* 10. narratur quod ibi fuit in encæniis. Cum ergo per ordinem festorum, Pentecoste sit media inter Pascha, & Scenopegiam, probabile est, quod hoc festum fuit Pentecostes. Vel melius potest dici, quod cum in Pascha, & Scenopegia legatur ascendisse, & eodem modo præceptum sit in lege ascendere in Pentecoste: probabile est, quod hæc ascensio, de qua loquitur hic, fuit facta in Pentecoste: quia alias non legitur in hoc Evangelio ascendisse ad hoc festum, nisi hic. Aliter ordinatur ad immediatum superius. Supra enim immediate habitum est de sanatione filii Reguli in Galilæa facta ab ipso veniente de Samaria, & sicut habitum est supra in principio capituli præcedentis, propter invidiam Pharisæorum recesserat a Judæa, donec majori testimonio operum ora eorum obstrueret. Cum igitur in Galilæa, quæ est provincia adjacens Judææ famosum miraculum celebratum sit, consequebatur, ut in Judæam ad manifestationem sui rediret, ut jam omnis excusatio tollatur Judæis tanquam convictis a testimonio operum illorum, quæ facta sunt in partibus adjacentibus. Dicit ergo:

a Post hæc,] quæ supra narrata sunt.

b Erat dies festus Judæorum,] Pentecoste.

c Et] hac de causa, [ascendit Jesus Jerosolymam.] Et quod festivitas causa fuit ascensus, nunc patet per *Chrysostomum* sic dicentem: Continue diebus festis vadit in civitatem ob hoc quidem, ut videatur cum eis dies festos facere: Ecce una causa. Item ut multitudinem † erudiat simplicem, idest, ad se trahat; maxime enim diebus festis hi, qui † vicinius erant dispositi, concurrebant: Ecce alia causa, quia propter multitudinem simplicium modo venit, qui calumniari nescierunt. Sequitur narratio cujusdam, quod erat in Jerusalem, sive cujus narratione non poterat scire miraculum perfecte. Unde dicit.

al. revelet. al. † sollicitius.

d Est autem Jerosolymis probatica piscina, &c.] Probatica dicitur a probaton, quod est ovis, quia ibi lavabantur oves ad immolandum. Piscina vero idem est, quod cisterna quædam ampla non multæ profunditatis, sed tamen non habens omnino aquam tangentem superiores partes litoris, vel ripæ. Et dicitur piscina per antiphrasim, eo quod minimos pisces habebat, sicut sorores Diaboli parcæ dicuntur, eo

▲ quod nulli

Moraliter. *a* Post hæc erat dies festus Judæorum: & ascendit Jesus Jerosolymam.] In fine præcedentis capituli habetur de sanatione infirmi; hic agitur de die solemni. Primo igitur fit sanatio a peccato, postea sanatus debet festum agere, idest, gratias agere, & de cetero feriare, & vacare, ne de cetero agat opus servile, idest, peccatum. Unde *Infra eod.* Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Et tunc Jesus ascendit Jerosolymam: quia tunc in anima ponit mansionem suam. *Sap. cap.* 1. In malevolam animam non introibit sapientia, &c. Item in die festo, idest, in otio lectionis, vel contemplationis intrat ad animam Jesus, idest, Sapientia salutaris, *Ecclesʃ. c.* 38. Sapientiam scribe, idest, tibi imprime, in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, sapientiam percipiet, quia sapientia replebitur.

Mystice. Dies festus est tempus gratiæ, in quo ascendit Jesus Jerosolymam, quia tunc visitavit Ecclesiam, & exaltavit nostram naturam.

d Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur hebraice Bethsaida quinque porticus habens.] Thema in quadragesima in qualibet die, vel quando invitantur homines ad pœnitentiam. Unde notanda sunt hic quatuor: Quæ sit hæc piscina, quæ porticus, quis Angelus, quia languidus.

Moraliter. Piscina est sacra Scriptura. Quinque porticus sunt quinque libri Moysi. Angelus Dei filius. Languidus humanum genus.

Moraliter, etiam piscina est pœnitentia. Sicut enim nihil erat dignum offerri Domino, ad litteram, nisi prius in ea lavaretur: ita nullus est dignus offerri Domino spiritualiter, nisi prius sit lotus per pœnitentiam. Hoc significatum est per mare, sive labium æneum, quod idem est: *Exod.* 30. Facies labium æneum cum basi sua ad lavandum, ponesque illud inter tabernaculum testimonii, & altare, & missa aqua lavabunt in eo Aaron, & filii ejus manus suas, ac pedes. Quod potest exponi de pœnitentia, quæ dicitur mare pro amaritudine contritionis, labium pro confessione. Dicitur etiam æneum pro constantia, & fortitudine in labore satisfactionis. Basis est restitutio. Labium ergo cum basi est pœnitentia cum restitutione: quia aliter non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Istud labium ponitur inter tabernaculum, & altare. Altare est Ecclesia militans, in qua debemus nos offerre Deo, prius lotos per pœnitentiam. *Romanor.* 12. Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, &c. Tabernaculum est vita æterna, sive cœlestia patria, quod nequaquam transferri poterit, ut dicitur *Isa.* 33. Qui ergo a militante Ecclesia volunt ire ad triumphantem, oportet, quod per mediam transeant pœnitentiam. Hæc enim est via. Unde *Matth.* 3. Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum. Aqua ponitur in labio, quando pœnitentia fit cum lacrymis, vel cum gratia. Tunc Aaron, & filii debent lavare in eo manus, & pedes; idest, peccata operis, & affectionis per pœnitentiam diluere, maxime quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur. Ideo dicit Sacerdos: Confiteor, antequam accedat ad altare. Ita & nos oblaturi, & reddituri Deo animas nostras in morte, tanquam thymiama redolens suave, debemus prius animam a peccatis omnibus abluere.

Item hæc piscina significata est per luterem, 3. *Reg.* 7.

Item *Ecclesiast. cap.* 48. Ezechias munivit civitatem suam, idest, Christus Ecclesiam, & induxit in medium ejus aquam doctrinæ, gratiæ, & lacrymarum, & fodit ferro rupem, & ædificavit ad aquam puteum. Aqua, quæ est in fossa rupe, plus durat, & melior est: sic donum lacrymarum gratius est Deo, & placidius, & diutius durat in corde duro, defosso clavis, & lancea, & Passionis Christi memoria. Hæc piscina erat Jerosolymis, quia tantum in Ecclesia facta pœnitentia est fructuosa, *Job capitulo vigesimo octavo* Aurum locus est, in quo conflatur. Locus est Ecclesia, aurum fidelis anima, conflatorium pœnitentia. Et nota, quod piscina aquam non habet a se; sed a pluvia, & ut cadat pluvia, homo non potest facere, sed tantum a Domino impetrare, *Jacob cap.* 5. Oravit Elias, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum. Sic pœnitens a se non habet aquam lacrymarum; sed precibus potest impetrare, *Deuteronom.* 11. Terra, ad quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ; sed montuosa est, & campestris de cœlo expectans pluviam, quam Dominus Deus tuus semper invisit. Aliqui dum sunt in Ægypto vitiorum,

* multas

a quod nulli parcant. *a* Quæ,] ſcilicet, piſcina [cognominatur Hebraice Bethſaida,] Latine domus venationis, vel domus frugum, vel pecudum, ut ex ſignificatione vocabuli daretur intelligi ipſam pertinere ad ritum ſacrificiorum. De omnibus enim illis tribus fiebant ſacrificia; pecudes autem ibi lavabantur.

quæ *a* cognominatur Hebraice Bethſaida, *b* quinque porticus habens. In his *c* jacebat *d* multitudo magna *e* languentium, *f* cæcorum, *g* claudorum, *h* aridorum, *i* expectantium aquæ motum.

b Quinque porticus habens.] Porticus eſt proprie umbraculum, quod paratur reſidentibus juxta domum, ubi communitas populi congregatur, ſicut juxta Eccleſiam, vel palatium, ſive conſiſtorium. Et hic ſimiliter iſta piſcina propter virtutem curandi, quam habuit in deſcenſu Angeli, & propter ritum ſacrificiorum, quorum utrumque communitatem populi tangebat, habebat porticus, in qua defenſi ab æſtu, & pluvia advenientes diſcumberent. Et nota, quod tres erant piſcinæ in Jeruſalem. Una, quæ dicitur ſuperior, quæ erat extra Jeruſalem, quæ dicitur exterior, ſive ſuperior, in quam deſtuebat aqua pluvialis deſcendens in campo. Alia, quæ dicitur inferior, quæ erat inter ſepta civitatis, in quam deſtuebat exterior, & etiam aqua deſcendens in civitate. Tertia erat circa templum, de qua hic loquitur: in quam deſtuebat pluvia ibidem deſcendens: Propter montuoſitatem enim terræ, & petroſitatem erat penuria aquæ ibi, & ideo oportebat multiplicari piſcinas.

c In his jacebat.] Verbum jacendi notat manſionem, quia non omnes jacebant; qui enim poterant, probabile eſt, quod ſedebant, vel ſtabant, parati ſemper ad deſcenſum: [Multitudo magna languentium.] Et ne putetur, quod piſcina tantum erat ordinata ad curam unius infirmitatis, ſicut ſunt balnea naturalia, ſubdit.

f Cæcorum,] quibus nulla eſt ſanitas naturalis, quia a privatione ad habitum, ubi deſtructa eſt potentia recipiendi, non eſt regreſſio curſu naturæ.

g Claudorum] qui vitiata, ſive diſtorta habebant membra.

h Aridorum,] quibus in muſculis membrorum non tantum eſt obſtructus meatus ſpiritus; ſed etiam meatus nutrimenti. Et poſuit iſta tria, quia in omnibus nulla eſt cura naturalis.

i Expectantium aquæ motum.] Hoc enim erat ſignum, quod collata erat virtus tunc ſanandi unum. Motus autem aquæ accipitur pro motu cum ſtrepitu magno, ita ut omnes infirmi perpenderent, etiam cæci, qui videre non poterant. *Chryſ.* Claudi illum motum videre poterant; ſed cæci quomodo ſciebant? Fortaſſis a tumultu. Ne autem putaretur, quod aqua piſcinæ hoc virtutis habuerit per ſe, ſubdit:

k Angelus

Moraliter. * multas habent lacrymas, maxime quando jacitur ſemen in eis ad fructificandum quaſi in hortum, ideſt, quando eis prædicatur. In prædicationibus enim plorant, quando volunt, ſed quando converſi ſunt perfecte, & ſiunt montuoſi per opera contemplativæ, & campeſtres per opera activæ. tunc aquam lacrymarum non habent ad libitum, ſed oratione impetrant. Et hæc eſt vera gratia. *Job* 38. Quis eſt pluviæ pater, vel quis genuit ſtillas roris? Item notandum, quod piſcina dicta eſt per Antiphraſim, quia piſcibus caret: ſic pœnitentia curioſos, & avaros non continet, quia omni curioſitate carere debet: Contra quoſdam, qui in pœnitentia nimis ſunt curioſi, facientes peccata, ubi non ſunt. Unde non habent piſcinam, ſed ſtagnum: & ideo timendum eſt eis, ne immundos piſces, ideſt, curioſitatem malam, & immundam habeant. Et nota, quod piſcis nunquam offerebatur Domino, licet aliquis eſſet mundus. Et hoc, quia licet ſit bona curioſitas aliquando; cito tamen poteſt degenerare in pravam.

a Quæ cognominatur Hebraice Bethſaida.] Græce dicebatur probatica, quod interpretatur pecualis, ſed Hebraice dicebatur Bethſaida, quod interpretatur domus frugum. Per Græcos, qui Gentiles erant, peccatores intelliguntur, qui pœnitentiam reputant pecualem, ideſt, ſtultitiam; ſed Judæi veri confitentes Deum, & peccata ſua, ſive Hebræi, qui non habent manentem civitatem, ut dicitur *Hebr.* 13. pœnitentiam vocant domum frugum, ex quibus vivet homo in futuro: Hoc eſt, quod dicitur. 1. *Cor.* 1. verbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, his autem, qui ſalvi ſiunt, ideſt, nobis, virtus Dei eſt,

b Quinque porticus habens.] Hæc ſunt quinque, per quorum recognitionem debet peccator aggredi pœnitentiam.

Primum eſt, quia pœnitentia omnia ablata reſtituit, *Gen.* 40. Tres adhuc dies ſunt, poſt quos recordabitur Pharao miniſterii tui, & reſtituet te in gradum priſtinum. Tres dies, tres partes pœnitentiæ, contritio, confeſſio, ſatisfactio. Pharao Deus Pater. Pincerna in carcere, peccator in peccandi conſuetudine. Hunc ergo reſtituit Dominus in ſtatum gratiæ. Unde *Luc.* 15. Cito proferte ſtolam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus, *Pſalm.* 34. Domine, quando reſpicies, reſtitue animam meam, &c. Secunda porticus eſt cogitatio, quod poſt mortem non eſt locus pœnitendi. *Eccleſiaſtic.* 9. Quodcumque poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt apud inferos, quo tu properas. *Infra* 9. Operamini, dum dies eſt: quia veniet nox, in qua non licet operari. Tunc mali pœnitebunt, ſed pœnitentia eorum non habebit fructum. Erunt enim ſicut arbores autumnales, bis mortuæ, quæ in autumnu florent, ſed nunquam faciunt fructum, *Sap.* 5. Gementes præ anguſtia ſpiritus, dicentes intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, &c. Tertia porticus eſt cogitatio, quod niſi pœnituerit in præſenti, pœnas exolvet æternas in futuro pro omnibus peccatis, *Hebr.* 10. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, *Sap.* 6. Horrende, & cito apparebit vobis. Tunc reſpondere non poterimus unum pro mille, ſicut dicitur *Job* 9. Vere ſcio, quod ita ſit, & quod non juſtificetur homo comparatus cum Deo: ſi voluerit contendere cum eo, non poterit reſpondere ei unum pro mille. Ideo bonum eſt hic pacem cum Deo facere: quia non poterimus cum eo in judicio contendere. *Luc.* 14. Quis Rex iturus committere bellum contra alium Regem, non prius ſedens cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe, alioquin illo longe adhuc agente legationem mittens, cogitat quæ pacis ſunt, ideſt, pœnitentia, quæ reformat pacem inter Deum, & peccatorem. Quarta porticus eſt cogitatio, quod fructuoſius eſt; & levius agere pœnitentiam ſtatim, quam in fine vitæ, vel quam in purgatorio. Unde *Ezech.* 4. Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. Repetirio confirmatio eſt, *Eccleſiaſt.* 5. non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, quia ſubito veniet ira illius, & diſperdet te. Quinta porticus eſt cogitatio, quod pœnitentia prolongat vitam temporalem, quam continuatio peccati abbreviat. Unde *Pſalm.* 54. Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Et *Job* 15. Antequam impleantur dies ejus, peribit, & manus ejus areſcent. Sed e contra per pœnitentiam prolongantur, *Iſa.* 38. Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce ego adjiciam ſuper dies tuos annos quindecim, *Pſalm.* 60. Dies ſuper dies Regis adjicies, &c. Qui iſta vere conſideraret, libenter ingrederetur piſcinam pœnitentiæ. Sed in his jacent quidam pigritantes, ſcilicet, & timentes converti ad Dominum, qui cogitant de pœnitendo; ſed tamen differunt, ſecundum illud *Iſa.* 37. Venerunt filii uſque ad partum, & virtus non eſt pariendi. Unde dicitur hic.

c In his jacebat] ideſt, pigritabatur.

d Multitudo magna,] quia pigrorum, & ſtultorum infinitus eſt numerus, ut dicitur *Eccl.* 1.

e Languentium,] per torporem, & ignaviam, *Eccl.* 10. Languor prolixior gravat Medicum.

f Cæcorum,] per ignorantiam, *Iſa. cap.* 56. Speculatores tui cæci omnes, *Iſa. c.* 42. Quis cæcus, niſi ſervus meus?

g Claudorum,] per vacillationem, & titubationem. Faciam, non faciam, dicit piger. Unde *Prov.* 13. Vult, & non vult piger, *Jacob* 1. Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Quia claudicat. 3. *Reg.* 18. Uſquequo claudicatis, &c.

h Aridorum,] per cordis duritiam, quando indevoti ſunt, & incompatientes ad opera miſericordiæ.

i Expectantium aquæ motum,] quia ipſi volunt, quod gratia cogat eos, & moveat ſine ſuo conamine. Sed dicit *Auguſtinus*. Qui creavit te ſine te, non te juſtificat ſine te. Tales ſunt pigri, & procraſtinantes, qui jacent in torpore. Contra quos dicitur, *Eccleſiaſt.* 5. Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Hi ſignificantur 1. *Regum c.* 29. Per

Juda 1.

* Etiam

a Angelus autem Domini b descendebat secundum c tempus in piscinam.

a Angelus autem Domini, &c.] Antequam hoc bene intelligatur, necesse est quædam dubia supponere. Et primum dubium est, unde venerit vis curativa ipsi piscinæ ad descensum Angeli, & quando habuerit principium. Secundo dubitatur, an fuerit omnium membrorum cura in illa, ut etiam includantur mortui, & etiam hi, qui defectum materiæ habebant in membris, sicut cæci, qui nati: vel orbati dicuntur, & manci, & loripedes, & hujusmodi. Tertio quæritur, an cura illa fuerit ratione alicujus existentis in aqua, vel ratione Angeli descendentis. Quarto, quæ fuerit necessitas convenientiæ, quod illud fuerit in Jerusalem tempore Incarnationis, & non ante. Quinto, quem ordinem habeat ad miraculum, quod hic recitatur, cura, quæ exhibebatur in piscina. In solutione autem omnium horum procedam conjiciendo magis, quam asserendo. Ad primum ergo dicendum, quod vis curativa morborum spiritualium collata est aquæ in Baptismo Christi: & hoc in conjunctione ad virtutem nominis ipsius Trinitatis, secundum formam Baptismi, ad quem Baptismum assuefecit Baptismus Joannis ex parte convenientiæ in materia, & etiam in quadam forma. Tradebatur enim in nomine venturi, quæ forma ordinatur ad illam, quæ fuit post Resurrectionem, qua baptizabatur in nomine Christi. Et hoc ulterius ordinem habet ad hanc: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, secundum quod probat *Ambrosius*. Quia igitur aqua vim curativam in potentia accepit in Baptismo Christi, sed oportet adhuc adduci homines a legalibus ad illum: puto, quia sicut incepit illa manuductio, quæ fuit per Joannem circa tempus, quo Christus debuit baptizari: ita incipit alia manuductio ex parte effectus Baptismi in tempore, quo Christus baptizatus est. Et sicut ibi notatur ordo quidam formæ ad formam in eadem materia: ita hic notatur ordo effectus ad effectum in materia transeunte ab umbra ad veritatem. Unde cum in Baptismo Christi notetur effectus curationis animarum, cui subest effectus curationis corporum tanquam minoris potentiæ existens: ita materiæ transeuntis ab umbra ad veritatem est effectus curandi corpora: materiæ autem ejusdem existentis sub veritate est effectus curandi spiritum. Et sicut materia sub veritate non habet actum curationis, nisi invocata virtute increata, & operatione illius: ita consequebatur, ut materia transiens ab umbra fieret in actu curationis per virtutem substantiæ, quæ immediate supponitur substantiæ increatæ, & ita per descensum Angeli. Et quod ita sit, probabiliter videtur ex hoc, quod hoc non fiebat in qualibet aqua, sed in illa, quæ umbræ serviebat, scilicet sacrificiis, ideo enim dicitur piscina probatica. Hoc etiam accipitur ex verbis *Chrysostomi in homil. 36.* ubi sic dicit: Primum quidem inquinamenta corporum, deinde & infirmitates diversas per aquam facit solvi. Volens enim nos Deus propius ducere Baptismatis dono, non adhuc inquinamenta simpliciter solvit, sed & ægritudines sanat. Propiores enim veritati imagines, & in Baptismate, & in Passione, & in aliis magis antiquis manuducere possunt. Sicut enim, qui prope Regem, his, qui a longe armigeris, sunt clariores: ita utique, & in typis fit, & sanativam imponebat virtutem: ut discant Judæi, quoniam multo magis Angelorum Dominator omnes ægritudines animæ sanare potest. Sed sicut hoc non simpliciter sanabat aquarum natura, vere enim utique semper hoc fieret, sed in Angeli descensione: ita & in nobis non simpliciter aqua operatur; sed cum spiritus acceperit gratiam. Ex hoc patet fere totum, quod dixi, Conveniens enim fuit, ut esset transitus a virtute mundante sordes æstimatas, quæ non veræ erant, sicut tactus morticini ad virtutem mundantem ægritudines, & deinde ad virtutem mundantem peccata. Notandum autem, quod sicut dicit *Magister in historiis*, de hac motione aquæ, quando inceperit, determinare incertum est; sed probabile est, quod proximo ante adventum Domini, sive circa adventum, forte circa tempora Machabæorum. Nam si ante fuisset factum, non ita esset in præcedentibus historiis prætermissum. Et fuit hoc apertum signum de adventu Christi. Sicut enim quædam proxima signa præcedent secundum adventum Christi: ita & quædam præcesserunt primum. Et vide, quia non erat hora descensus Angeli in piscinam determinata, alioquin non jacerent languidi in porticibus, nec venirent, nisi circa horam determinatam, Tradunt autem quidam, sed non est authenticum, quod Regina Saba vidit in spiritu in domo Nechota, idest, pigmentaria, lignum quoddam, & nunciavit Salomoni, cum jam recessisset ab eo, quia præsentialiter ei dicere timuit, se vidisse quoddam lignum in domo saltus, in quo suspendendus erat quidam, pro quo occiso perirent Judæi, & perderent locum, & Gentem: Et certis indiciis indicavit illud Regi. Quod timens Salomon in profundissimis terræ visceribus occultavit illud, ubi facta est postmodum piscina. Appropinquante autem tempore Christi, supernatavit lignum, quasi prænuncians Christum, & exinde cœpit motio prædicta, ut dicunt. Ad secundum potest dici secundum quosdam, quod non fuit omnium, sed illorum tantum, qui sine opere creationis perfici poterant. [Textus autem videtur dicere contrarium, quia, scilicet, sanus fiebat primus a quacumque detineretur infirmitate. Et textus dicit, quod ibi jacebant cæci.

Item dicit *Chr.* Et ibi sanabantur claudi, & truncati.] In illis enim est quasi motus de subjecto ad subjectum virtute fortiori, quam sit virtus naturæ: In illis autem, in quibus est creatio, sicut in orbatis, & mancis, ubi necesse est producere materiam de nihilo: & in mortuis, ubi est destructio complexionis, omnino oportet operari virtutem infinitam, qualis fuit virtus Christi: Ibi enim est quasi motus de non ente simpliciter ad entitatem: quæ cum distent infinita distantia, necesse est, quod virtute infinita producantur. Talis autem non fuit virtus aquæ ad descensum Angeli, eo quod ipsa ordinabatur ad fortiorem, sicut patet ex dictis. Et ex hoc etiam solvitur ad tertium, quia virtus fuit in aqua ratione contactus ad carnem Christi cum descensu Angeli, ut tradunt quidam. *Chrysostom.* tamen non dicit, nec alii Sancti, quod illa aqua haberet virtutem aliquam ex contactu carnis Christi, nec ego credo; sed sicut *Chrysost.* Angelus descendens turbabat aquam, & vim sanativam imponebat aquæ, nec simpliciter sanabat aquarum natura; quia tunc semper hoc fieret; sed in Angeli descensione. *Unde* potest dici, quod in aqua erat quædam potentia sanativa materialis, & passiva; in Angelo autem quasi activa, & completiva. Illam autem virtutem materialem habebat aqua a voluntate divina, sive a contactu carnis Christi, sive a contactu ligni Dominici, nescio, Deus scit: quia non est scriptum: nec esset bonum somniare aliquid novum. Quare autem unus tantum sanabatur, hæc est ratio secundum *August.* ut unitas fidei, & Baptismi commendetur, in cujus figura præcessit hæc piscina. Ad quartum patet solutio per auctoritatem *Chrysostom.* Potest etiam dici, quod natura nostra secundum corpus in defectus corporales, & mortem inciderat per Adam, & facta est passibilis ad claudicationem, & cæcitatem, & alias pravitates membrorum; Christus autem Reparator naturæ universaliter omnes defectus curavit, & hanc potentiam universalis curationis ostendit in miraculis, quæ fecit. Consequebatur ergo, ut esset potentia particularis curationis, quæ introduceret universalem, & hæc fuit in piscina tempore Incarnationis. Ad quintum dicendum est eodem modo, quod Christus juxta piscinam voluit curare, ut ostenderet virtutem curandi omnem morbum, & spiritualem, & corporalem esse in seipso introductam, cujus typus immediatus præcessisset in motu piscinæ ab Angelo. His habitis facilis est litera. Dicit enim. a Angelus autem Domini,] reducens ad actum potentiam piscinæ.

b Descendebat,] de cœlo assumpto corpore, quo commotionem illam peragebat.

c Secundum tempus in piscinam] quia particularis fuit ratio: Et, [secundum tempus,] quia non semper; & secundum ægritudines, quia non omnes curabat, ut videtur: & secundum personas, quia non omnes, qui descendebant, curabantur.

Δ Si vero

Moraliter. * Eliam, qui projecit se, & obdormivit sub umbra Juniperi. Per Juniperum enim significatur caro, sive corpus nostrum, sub cujus umbra pigritamur. Sed Angelus, idest, gratia excitat nos, & invitat ad manducandum panem subcinericium, idest, ad pœnitentiam, in cujus fortitudinem debemus ire usque ad montem Dei Oreb, idest, usque ad mensam æternam. Sed statim iterum obdormivit. Sic multi, qui in Quadragesima pœnituerunt, statim in Pascha iterum in morte peccati obdormiunt.

a Angelus autem Domini secundum tempus descendebat, &c.] Hæc est gratia, quæ informat pœnitentem, quæ dicitur secundum tempus descendere *indeterminate*,

* quia

Si vero quæritur, quo tempore descendebat? Dicimus, quod incertum erat de descensu Angeli, & motu aquæ. Quod inde perpenditur, quia languidi semper erant ibi qui ad certam horam convenirent tantum, si scirent.
a Et movebatur aqua] commotione sonora ab omnibus perceptibili. *b* Et qui prior, &c. aquæ] tactam per Angelum. *c* Sanus fiebat, a quacumque, &c.] sed quare potius sanabatur prior, quam posterior? Puto, quod typus veritati non tantum in facto debet respondere, sed etiam in dispositionibus.
Unde cum prioritas descensus notet sperationem, & aviditatem sanitatis, & certitudinem fidei de sanitate in descendente: hæc respondent fidei sanitatis, & desiderio spirituali in adulto venire in Baptismum, sine quibus sanitatem non consequitur baptizatus. Sequitur:
d Erat autem, &c.] Ex prædictis patet ordo hujus ad præcedens, quia præcedens fuit introductivum hujus, tanquam typus vicinus. Unde dicit: [Erat autem ibi,] scil. in uno porticu piscinæ.
e Quidam homo] non ponit nomen ejus, ut innuat humilitatem ejus, & paupertatem.
f Triginta & octo annos habens in infirmitate sua,] Ecce describit eum a patientia in longitudine infirmitatis. Et hæc omnia faciebant eum approximare saluti, quæ est per Christum.
g Hunc cum vidisset Jesus jacentem.] Visio hic compassionem notat ex consideratis circumstantiis infirmitatis, & patientia ægroti.
h Et cognovisset] cognitione illa, quæ nascitur ex sensibus via experientiæ.
i Quia jam multum tempus haberet,] in infirmitate, nec præteritorum adversitas ad impatientiam frangeret, nec futurorum incertitudo eum faceret desperare de salute, sed cum patientia expectaret. *k* Dicit ei,] non ignorans, sed ut etiam mansuetudo infirmitatis in molli responsione appareret, & ut etiam ipse ægrotus magis familiaris Christo fiat, & sic citius credat, unde quæstio est quasi via ad fidem per familiaritatem, & ideo dicit. *l* Vis sanus fieri?] Non dicit, vis, te curabo, quia nihil magnum adhuc de Christo suspicabatur, sed in universali erigit eum ad fidem, & spem salutis. Quod & ille percipiens, non quicquam æstimat de salute, quæ est per Christum; sed de ea, quæ est de piscina, ait:
n Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam,] q. d. vellem utique sanus esse, sed indigentia ministri, & defectus propriarum virium impediunt me a salute. Et primum, scil. indigentia ministri notatur per verba, quæ dicta sunt. Secundum per hoc, quod sequitur. [Dum venio enim ego, alius ante me descendit.] Et nota quanta devotione captus est ad benignitatem sermonis Christi. Statim enim eum honorans Dominum dicit, quem etiam, ut ad compassionem moveat, inducit

Moraliter. * Quia non semper datur, & quando datur, datur occulte. *Job* 9. Si venerit ad me, non videbo eum. *Eccl.* 9. Nescit homo, utrum sit dignus amore, vel odio.
a Et movebatur aqua,] Angelus movet aquam, quando gratia compellit exire lacrymas, & movet, & excitat in homine devotionem. Sicut enim lotrices, quando bene volunt lavare pannos, movent aquam, & pannos revolvunt per eam, ita gratia facit, quæ est optima lotrix. *Jud.* 2. Cum loqueretur Angelus Domini ad filios Israel, elevaverunt vocem suam, & fleverunt. Ecce motio aquæ. Et sunt ibi quinque, quæ Angelus eis improperat. Primum est, a quibus, & quantis malis eos Dominus liberaverit, quoniam a servitute Ægypti. Secundum, quæ bona eis tribuerit. Tertium ostensio eorum ingratitudinis, qui post tot beneficia non custodierunt ejus mandata. Quartum offensio Domini, eo quod adoraverunt idola. Quintum est comminatio pœnæ æternæ, quam meruerunt. Per hæc quinque movetur aqua, & lavatur, & sanatur anima. Sequitur: *b* Et qui prior descendisset in piscinam post motionem, &c. fiebat, a quacumque detinebatur infirmitate.] Qui vult sanari, oportet, quod post motionem aquæ descendat in piscinam, i. quod post devotionem, & lacrymarum effusio-

a & movebatur aqua. *b* Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, *c* sanus fiebat, a quacumque detinebatur infirmitate. *d* Erat autem ibi *e* quidam homo, *f* triginta & octo annos habens in infirmitate sua. *g* Hunc cum vidisset Jesus jacentem, *h* & cognovisset, quia *i* jam multum tempus haberet, dicit *k* ei: Vis *l* sanus fieri? *m* respondit ei languidus: *n* Domine, hominem non habeo, ut *o* cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. *p* Dum venio enim ego, *q* alius ante me descendit.

nem magis, quam ante se humiliet ad pœnitentiam. Non enim ille sanatur, qui de gratia data, vel de dono gratiarum superbit; sed qui se humiliat, ut cum consummaverit homo, tunc incipiat. *Eccl.* 18. Et cum omnia bene fecerimus, dicamus: servi inutiles sumus. *Luc.* 17. Item *Eccl.* 1. Omnia flumina intrant in mare, i. gratiæ ad cor humile: & mare non redundat per ostentationem, & jactantiam. Et noat, quod qui prior descendit, ille sanatur, quia qui magis se humiliat, ille magis exaltatur. Item in hoc, quod unus, & primus sanatur, commendantur nobis duo in pœnitentia strenuitas, & unitas; ut homo sit strenuus in se, & velox, & unus, idest, concors ad alios. De primo dicitur *Eccl.* 31. In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi. De secundo *Actuum* 4. Multitudinis credentium erat cor unum, &c. Item 1. *Cor.* 9. Unus accipit bravium. Sequitur:
d Erat autem ibi quidam homo triginta & octo annos habens ab infirmitate sua,] i. duo minus de quadraginta, qui numerus constat de quater, & significat perfectionem operum in decem præceptis legis, & quatuor Evangeliis. A quo duos minus habet, qui charitate Dei, & proximi caret. Et ita secundum *Aug.* ille languidus significat quemlibet peccatorem: Specialiter tamen significat inveteratum in peccatis. De talibus enim profundis peccatoribus sanat Dominus aliquando, & ad pœnitentiam vocat. Unde *Ps.* 67. dicit Dominus ex Basan: convertam, &c. Unde sequitur:
g Hunc cum vidisset Jesus jacentem,] i. pigritantem, oculo misericordiæ ad sanandum.
h Et cognovisset, quia jam multum tempus haberet.] Dominus enim respicit ad gratiam, licet sciat, quod homo sit inveteratus in culpa. *Psalm.* 6. Inveteravi inter omnes inimicos meos.
k Dicit ei: vis sanus fieri?] Requirit Dominus voluntatem hominis, quia non justificat invitum: non vult enim Deus coacta servitia. *Eccl.* 15. Ante hominem vita, & mors: bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Et nota, quod Deus primo requirit ab homine, utrum velit sanari, ut sic hominem accendat ad amorem sanitatis. Et in hoc ostendit abundantiam suæ charitatis, & benignitatis. Sicut dicit *Dionys.* Benignissimus Jesus primus est in accessu, & ultimus in recessu. In nobis ergo est, si volumus recipere ejus salutem, quæ præsto est, & quam offert Deus. 1. *Pet.* 1. Sperate in eam, quæ in vobis offertur, gratiam. Ideo dicitur *Ezech.* 18. Quare moriemini, domus Israel, quasi ea quo præsto est vita, & Deus non vult vos mori etiam inveteratos in peccatis, sed adhuc expectat, & ad pœnitentiam vocat. *Isa.* 30. Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri. *Bar.* 3. Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? q. d. quare ibi moraris, ex quo Deus paratus est eripere? inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum. Et licet Dominus instet nos de salute rogando, tamen non nos respondemus ei, nos excusando. Unde sequitur:
m Respondit ei languidus, Domine, hominem non habeo.] Ita respondet peccator, Doctorem; vel Confessorem non habeo.
o Ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.] Aliquando enim contingit, quod ad motum alicujus gratiæ homo turbatur in corde, & si haberet hominem, i. rationabilem, & mansuetum exhortatorem, descenderet in piscinam pœnitentiæ, & sanaretur ab infirmitate culpæ. Unde patet, quod multi pereunt præ defectu boni Doctoris. *Zachar.* 10. Idcirco abducti sunt, quasi grex affligentur, quia non est pastor eis. Item *Zachar.* 13. Percute pastorem, & dispergentur oves. *Jerem.* 51. Collidam in te pastorem, & gregem ejus. Sequitur: *p* Dum venio enim ego,] idest, dum ad gratiam me præparo, licet exiliter, & pigre non habens ductorem.
q Alius ante me descendit,] qui, scil. habent instructorem, i. ad pœnitentiam se humiliat per alterius admonitionem. Vel potest esse verbum illorum, qui conqueruntur

moreat, inducit duplicem suam indigentiam, quæ prætacta est. Christus autem ostendens, quia non jam locum habet salus particularis in Typo; sed ipse fons salutis, & veritas accessit. *a* Dicit ei, &c. Et ambula,] & primum quidem in facilitate præcepti notatur infinitas virtutis incutante. Et hoc notat *Chrys.* in his verbis: Non Angelus est, qui turbat; sed Angelorum Dominator, qui omnia operatur. Non est nunc dicere: Laborantem hominem non habeo: non est dicere, in quo venio descendere, alius ante me descendit. Et sicut solares radii unamquamque illuminant diem, & non consumuntur, nec a multa largitione minor ejus fit lux: ita & multo magis spiritus actio in nullo minuitur a multitudine eorum, qui potiuntur ea. Infinitas autem virtutis signum infallibile est substantiæ divinæ. Item notatur, quod ipse est, qui cum Patre, & Spiritu S. a sæculis omnia dixit, & facta sunt, cujus verbo tam facile cuncta obediunt. Hæc duo igitur videntur notari in his verbis inquantum proferuntur a Christo, & ex modo proferendi. Tria vero notantur in ipsis, inquantum comparantur ad ægrotum illum. Primum est restitutio sanitatis integræ, quod notatur, ibi: [Surge, &c.] Secundum est contestatio virium in potestate, quod notatur, ibi: [Tolle grabatum] Per hoc enim examinata, & contestata est tanta esse virtus, quæ sufficiebat ad magnitudinem operis tanti: quæ virtus sic perfecta propter potestas dicitur: Grabatum est lectus tantum habens cervical ad reclinationem capitis. Et dicitur a graba, quod scil. est caput. Tertium est ordinatio virtutis super harmoniam membrorum, quod notatur ibi: [Et ambula.] Hæc enim tria exiguntur ad perfectam sanitatem, & non plura. Primum, ut virtutem habeat. Secundum, ut sit virtus confirmata, & perfecta. Tertium, ut corpus debite moveat in organis. Et his tribus respondent tria sequentia per executionem operis, [& statim sanus factus est homo] Ecce primum: [Et sustulit grabatum suum] Ecce secundum: [Et ambulabat] Ecce tertium. Sed incidit dubium, quare Christus, non ab ipso requirit fidem, sicut consuevit a quibusdam aliis? Secundo, an iste sit paralyticus, de quo agitur *Matt.* 9. Tertio, quare Dominus voluit in Sabbato curare eum, & etiam præcipere portare lectum, cum Sabbatum per hoc violaretur, & Judæi turbarentur contra eum. Ad primum respondet *Chrys.* quod ab isto fidem non quærit, quia nihil magnum adhuc de eo audierat, unde ad credendum induceretur. Ad secundum bene dicit *Chrys.* quod a multis perpenditur, quod non est idem, quæ ego relinquo lectori consideranda ex dispositionibus, & historia illius, & istius, quia facile est. Ad tertium dicendum est, quod sicut patet ex prædictis, illud miraculum fuit continuatio veritatis ad typum majorem. Major enim fuit typus, qui ægritudines corporales curabat, quam ille, qui potatas solvebat tantum immunditias. Cum igitur ille dignior typus sua veritate sit impletus consequenter debebat etiam transitus legis in cæremonialibus ostendi, per veritatem Christum, qui apparuit. Hic autem transitus maxime attenditur in Sabbati violatione. Judæi enim observabant Sabbatum tanquam unum de eminentioribus legis. Et ideo sequitur:

Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5.

Chrys. Non solum sanat, sed & lectum levare jubet, ut & quod fiebat, credibile faceret miraculum, & nullus æstimet imaginationem, i. phantasiam esse id, quod factum est. Neque enim utique nisi certissime, & vehementer ei compacta essent membra, lectulum ferre posset. Facit autem hoc, ut obstruat ora detrahentium miraculo. Sicut *inf.* 6. de panibus facit multas reliquias panum, ne dicatur fuisse phantasticum miraculum. Item *Matt.* 8. Vade, ostende te Sacerdoti. Item *supr.* 2. Ferte Architriclino, &c.

b Erat autem, &c.] cum curavit, & quando lectum por-

Δ tari,

Moraliter. * de Confessoribus, qui alios recipiunt, & se repellunt, vel aliter, significantur hic quidam, qui aliis multis intrantibus religionem retardantur præ multitudine, quia vellent singulares videri in suo facto. Seq. *a* Dicit ei Jesus, surge, tolle grabatum tuum, & ambula.] Aliquando ubi homo deest, vel ubi non potest, Deus supplet. Unde & hic sanat illum. Sed notanda sunt tria, quæ dicit: *b* Surge,] a peccatis recedendo. *c* Tolle grabatum tuum] delectationem peccati in onus pœnitentiæ aperte convertendo. *d* Et ambula] ad anteriora per rectam intentionem se, & omnia opera sua dirigendo. De primo dicitur *Eph.* 5. Surge qui dormis, & exurge a mortuis, i. recede a peccatis. *Gen.* 4. Alia littera: Peccasti, quiesce. De secundo, scil. de onere dicitur *Eccl.* 33. Cibaria, & virga, & onus asino; panis, & disciplina, & opus servo. De tertio dicitur *Phil.* 3. Posteriorum oblitus in anteriora me extendo, i. ad cœlestia per rectam intentionem. Hæc tria simul habentur *Matt.* 9. Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et in *Ps.* 33. Declina a malo: Ecce primum, & fac bonum: ecce secundum: & pro his duobus inquire pa-

Dicit *a* ei Jesus, *b* Surge, *c* tolle grabatum tuum, *d* & ambula. Et *e* statim sanus factus est homo, † *f* & sustulit grabatum suum, & *g* ambulabat. *h* Erat autem Sabbatum in illa die.

al. † ille,

cem, & persequere eam, pacem, scil. æternitatis: ecce tertium. Item *Matt.* 16. Qui vult venire post me abneget semetipsum, peccata abjiciendo, & tollat crucem suam, pœnitentiam assumendo: & sequatur me, intentionem ad Deum dirigendo. Vel aliter per illa tria: [Surge, tolle, &c.] notantur tria, status, onus, & progressus. Debet enim surgere, ut stet erectus in gratia, per constantiam, ne velit resilire in illecebram, secundum illud 1. *Cor.* 10. Qui se existimat stare, videat, ne cadat. Debet esse oneratus per pœnitentiam. Debet progredi de opere in opus, de virtute in virtutem, donec perveniat ad cœlestem patriam, Primum, scil. status respicit præsentia: secundum præterita, quia de præteritis agitur pœnitentia, tertium futura. Et notandum, quod debemus surgere a terra prosperitatis, cui adhæremus per avaritiam, secundum illud *Ps.* 43. Conglutinatus est in terra venter noster. Et alibi. *Ps.* 118. Adhæsit pavimento anima mea. *Thr.* 2. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion. Item debemus surgere a cathedra prælationis, cui adhæremus per ambitionem, & superbiam. *Ps.* 93. Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis? Item *Ps.* Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, &c. Item a lecto carnis, cui adhæremus per carnalem concupiscentiam, sicut puer matri adhæret per umbilicum. De hoc lecto dicitur hic: [Surge, tolle grabatum tuum,] vel lectum. Sed differentia est, quia in lecto quiescunt membra, in grabato caput. Utrumque ergo debemus tollere, & ab utroque surgere, scil. delectationes membrorum, & cordium, & ut opus vitemus, & consensum. De hoc lecto dicitur *Amos* 6. Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris. Item 2. *Par.* 16. dicitur de Asa, quod posuerunt eum super lectum suum plenum aromatibus, & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum, i. Dæmonum arte confecta, Item *Prov.* 7. dicit mulier fornicaria ad juvenem: Intexui funibus lectum meum, i. voluptatibus ligantibus, *Jud.* 16. Hi sunt funes nervicii, quibus ligatur Samson, primo quidem molles, sed postea siccati fortiter stringunt. *Job* 40. Hi sunt nervi testiculorum Leviathan, qui ita ligant, ut non possit homo se solvere. Stravi tapetibus ex Ægypto, i. diversis varietatibus vanitatum ipsa vincula decoravi, scil. lusibus, jocis, verbis, & hujusmodi, quæ omnia sunt de Ægypto, quia pertinent ad mœrorem. Juxta illud: *Væ vobis, qui nunc ridetis, quia lugebitis, & flebitis.* *Luc.* 6. Dicit tamen, quia asperti non solum lectum, sed cubile myrrha, & aloe, i. diversis amaritudinibus, quæ quidem sunt multæ in ipsis delectationibus, scil. vigiliæ, labor, sollicitudo, remorsus conscientiæ in duplo, quam de gaudio; ideo ponit duo amara, tertium dulce, scil. cinnamomum, Veni ergo, inebriemur uberibus, &c. Vere major pars mundi jacet in isto lecto, in tantum ut dicatur: Computruerunt jumenta in stercore suo, i. in lecto suo stercorato. *Joel.* 1. *e* Et statim sanus factus est homo] a peccatis per contritionem. *Jer.* 17. Sana me, Domine, & sanabor. *f* Et sustulit grabatum suum] per pœnitentiæ satisfactionem. *g* Et ambulabat] in anteriora se extendens per amorem cœlestium.

h Erat autem Sabbatum in die illa.] In die gratiæ, cum sanatur homo, est Sabbatismus. In quo notantur tria. Primum est spes æternæ quietis, & quies pectoris. In Sabbato enim quiescebant. *Isa. ult.* Erit Sabbatum ex Sabbato, quia quies æternitatis erit ex quiete pectoris. Hæc quies est in Christo, non in mundo, animæ, quæ prius sanata est a peccato, *inf.* 16. In me pacem; in mundo autem pressuram habebitis. *Psal.* 114. Convertere anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Item in Sabbato notatur festivitas, & jucunditas spiritualis, quæ sequitur ex hoc, quod anima fiduciam, & quamdam securitatem habet de peccatis remissis. *Pr.* 15. Secura mens quasi juge convivium. Tertium est immunitas debiti repetendi. In Sabbato enim non repetebantur debita; ita in die gratiæ, in qua sanatur homo

* a culpa,

tari præcepit. *a* Dicebant ergo, &c. fuerat.] Quia enim apertum erat miraculum de sanitate, & quia ipse tantum verbis operatus fuerat sanitatem, audent forsitan Christo nihil dicere. Obstructa enim sunt eis ora veritate rei; sed ex invidia convertuntur ad paralyticum, & nullam mentionem facientes de beneficio, tantum id, quod videbatur reprehensibile, prætendebant dicentes. *b* Sabbatum est; non licet tibi tollere grabatum tuum, &c.] Sed ipse paralyticus fortis factus in fide sanantis auctoritatem certissime supponebat, & ideo quasi arguens Judæos, quod auderent eum reprehendere, eo quod obediret Christo præcipienti. *d* Respondit eis,] qui me sanum fecit, ille mihi dixit: [Tolle grabatum tuum, & ambula,] q. d. insanitis. Tanta enim potestas sanantis me, quod omnia hæc, quæ vos observatis, supergreditur, & non clauditur legis observantiis; sed & alios liberat a lege; & ideo solum dictum illius, scilic. quia ipse dixit, est mihi ratio obediendi. Nec quæro quicquam aliud: nec vobis obedio aliud suadentibus. Non puto, quod quasi se excusans ista dixerit paralyticus, ut scil. intenderet culpam violationis Sabbati refundere in Christum; sed tamen ipsi Judæi videntes, quod alii obediens hæc faceret. *g* Interrogaverunt ergo eum, &c. & ambula?] Magna insania invidiæ, linitos habebant oculos, ut paralyticum sanum astare viderent, & tamen nihil dicentes de beneficio, sanantem tanquam putum hominem quærerent. *Chryf.* Non dixerunt, quis est, qui te sanum fecit; sed hoc bonum tacuerunt, quod eos torquebat, & eam, quæ æstimabatur, transgressionem in medium ducunt. Quis est, inquiunt, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula. Invidorum est semper, quod malum æstimatur, propalare. Hoc enim dicunt non pro transgressione legis tristantes, sed sanatione paralytici invidentes. *h* Is autem, &c. esset.] Sed cum dicatur in *Glof. super Matthæum*, quod omnes, quos sanavit in corpore, sanavit & in anima. Et idem dicit *Chryfoft.* qualiter dicit, quod eum nesciebat, sine cujus fide sanari non poterat. Ad hoc puto esse dicendum, quod fides formata indistincta sufficit ad justificationem simplicium. Licet igitur crederet Incarnationem Filii Dei, non tamen oportebat, ut hunc & nunc crederet esse Filium incarnatum; & ideo non observabat eum, sed tantum scivit ex beneficio, quod virtute divina supergrediebatur legalia. Et quia forte aliquis crederet, quod etiam præsentem non nosceret, Ideo subdit Evangelista.

i Jesus autem declinavit a turba, &c. in loco, ubi sanatus fuerat propter spectaculum enim confluxerant ibi. Sed quare declinavit turbam? Respondens ad hoc *Chryf.* assignat tres causas. Prima est, ut magis insuspicabile fieret miraculum, si eo absente divulgaretur. Secunda est, ut minus exasperarentur invidia, eum non videntes, cui invidebant. Sicut enim dicit *Chryf.* & verum est, novit visus solus ejus, qui invidia habetur, non parvam invidentibus immittere scintillam. Tertia est, ut etiam ipsi Judæi nolentes interim divulgent miraculum, & attestentur veritati, an sit perfecte curatus, vel non,

Ab aliis autem sanandis alibi fidem requirit, quia jam viderant signa, ideoque non in initio signorum Matthæus inducit Christum dicentem, hoc scilic. *Matt.* 9. Creditis, quia possum hoc facere; sed quando jam multos curaverat, tunc requirit. In *Matth.* deinque, & fidem hujus paralytici potes videre. Audiens non quoniam cum potestate, & jubendo diceret ei: Surge, tolle grabatũ tuum, & ambula, non detrisit, neque dixit, quid est hoc: Angelus descendit, & turbat aquam, & unum curat solum. Tu autem homo existens in precepto nudo, & verbo speras magis Angelos posse. simul sunt hæc, † (al. relatio.) & elevatio, & derisio; sed horum nihil dixit, neque recogitavit; sed credidit, & fecit, quod injunctum est ei, & sanatus est. Igitur mirabile quidem est hoc, quæ autem post hoc multo majora erunt, insanientibus, sc. Judæis, & undique instantibus, & accusantibus non solum despicere insaniam eorũ, sed etiam cum propalatione in medio theatro benefactorem, qui se sanum fecit, &c. prædicare, & inverecũdam obstruere linguam. Multæ ergo deinde fortitudinis esse dico hoc. Simul enim instantibus Judæis, & dicentibus increpative, & cum temeritate ei: Sabbatum est: non licet tibi tollere grabatum tuum. Audi, quid ait. Ille, qui fecit me sanum, ipse mihi dixit, &c. q. d. deliratis, & insanitis jubentes me eum, qui a longa, ita & difficili me eripuit ægritudine, non æstimate Magistrum, neque in omnibus suaderi, quæ jubeat.

Libentius enim reprehendisset miraculum, quam violationem Sabbati, si potuissent, sed quia paralyticus ab infirmitate sanatus non ingratus fuit de cætero, non abdita vadit, sed ad templum. Et ideo sequitur:

k Postea

* a culpa, dimittitur etiam pœna æterna, & etiam aliquando temporalis tota.

a Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat: *b* Sabbatum est, *c* non licet tibi tollere grabatum tuum. *d* Respondit eis: Qui me sanum fecit, *e* ille mihi dixit: *f* tolle grabatum tuum, & ambula. *g* Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum, & ambula? Is *h* autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset, *i* Jesus autem de-

Moraliter.

a Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.] Homo conversus ad Deum, statim invenit obstaculum. Ideo dicitur *Eccl.* 2. Fili, accedens ad servitutem, &c. Statim insurgunt tentationes Dæmonum, quia Pharao contemptus surgit in scandala, vel detractiones hominum, vel adulationes. Unde hic Judæi, qui interpretantur laudantes, significant adulatores, qui adulantur in aperto, & detrahunt in occulto, simul & adulatores, & detractores ut dicit *Hieronymus*, ad modum scorpionum, qui blandiuntur, & pungunt. Isti Judæi adulando dicunt alicui converso ad religionem, vel ad pœnitentiam, vel ferventi in operibus pœnitentiæ.

b Sabbatum est] dies remissionis est, dies otii, dies jucunditatis.

c Non licet tibi tollere grabatum tuum,] i. non oportet te onerari ita operibus pœnitentiæ: Deus jam remisit omnia: non est ita durus: non delectatur in pœnis nostris. Et ita talibus verbis aliquando dissolvuntur manus bellatorum fortium. Contra quos dicitur *Isa.* 3. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. *Isa.* 35. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.

Item *Hebr.* 12. Remissas manus, & soluta genua erigite. Egestatem enim operata est manus remissa, ut dicitur *Proverbiorum* 10. Unde & qui vere sanatus est, non consentit talibus persuasionibus blandis. Unde sequitur.

d Respondit eis: qui me sanum fecit] Deus.

e Ille mihi dixit,] vel interius inspirando, vel exterius per vicarios suos docendo.

f Tolle grabatum tuum, & ambula,] i. assiduus sis in onere pœnitentiæ, & semper ad meliora ferventer tende: Quia sicut dicit *Bern.* In via virtutis non progredere, retrocedere est.

g Interrogaverunt ergo eum, quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum, & ambula?] Ita dicunt, quis est ille, qui injunxit tibi, vel consuluit tantam pœnitentiam agere, & sic vivere, vel sic: Nec ego dico, quin discretione valde sit moderanda pœnitentia, secundum illud *Rom.* 12. Rationabile obsequium vestrum: Sal enim ponitur in omni sacrificio, & cibus insipidus est sine eo. *Lev.* 2. Sed hoc dico contra quosdam enervatores operum pœnitentiæ, qui statim Sabbatum, i. otium arduæ contemplationis suadent, cum magis expediret in principio studere ad vitam propriam considerandam, & deflendam.

Item sunt quidam, qui ad studium, vel lectionem omnino suadent, & opera pœnitentiæ negligunt, quod malum est maxime in novitiis.

h Is autem, qui sanus fuerat effectus nesciebat, quis esset.] Noviter enim conversus parum scit de Jesu, & de his, quæ sunt suæ salutis; sed postmodum per experientiam dicit: Quia qui non est expertus, quid scit? *Ecclef.* 34. *i* Jesus autem declinavit a turba constituta in loco.] Jesus, idest, salus recedit a turba, idest, a turbatis sollicitudine, & tumultu curarum: vel ab illis, qui sunt de turba illa malorum, quorum infinitus est numerus. *Ecclef.* 1. Accedit autem ad solitarios. Est autem triplex solitudo. Animi, eremi, & claustri. *Osee* 9. Adducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus. *Bernard.* Solus es, in quantacumque hominum converseris multitudine, tantum, si alienæ conversationis non sis curiosus perscrutator, aut

▲ a Postea invenit eum Jesus in templo.] In quo duo notantur scil. amor religionis, & orationis: & quia volebat inter multos prædicare gratiam Dei sibi factam. In templo enim multi confluebant, & etiam templum est locus religionis, & orationis. b Et dixit illi,] non arguens eum de hoc, quod faciebat, sicut quidam putabant, scil. quod accusaret Christum, sed expressius volebat sibi innotescere, & evidentius signum Deitatis ostendere per hoc, quod dicit.

C
De pœn. d. 2. § 1.
De jur & re c. cum infirmitas.

c Ecce,] quasi omnibus patet, & contradici non potest. d Sanus factus es,] non virtute piscinæ, sed misericordia mea.

clinavit a turba constituta in loco. a Postea invenit eum Jesus in templo, b & dixit illi: c Ecce d sanus factus es: e jam noli peccare, f ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit g ille homo, h & nunciavit Judæis, quia i Jesus esset, qui fecit eum sanum. k Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in

e Jam noli peccare, &c.] de cetero. Et primum quidem in his verbis notatur duplex signum Deitatis Christi. Unum, quia sciebat occultum, quod soli Deo possibile est scire, scil. infirmitatem illi accidisse ex peccatis. Aliud vero, quia causa non soluta impossibile est effectum destrui, ostendit, quia & causa infirmitatis destruxerat, scil. peccatum, quod etiam testimonio Pharisæorum soli Deo est possibile.

Item notatur in his verbis, quod infirmitas sua licet esset pœna pro peccato, non tamen fuit sufficiens ad deletionem; & ideo necessarium habuit beneficium Christi.

Item notatur, quod pœna non infligitur pro peccato secundum tempus durationis ipsius peccati, nec etiam secundum tempus durationis ipsius voluntatis peccati: quia multi peccant proponentes pœnitere, licet hoc videantur dicere *sancti Greg. & Bern.* sed secundum naturam ipsius peccati. Et hoc alibi, & illa vice dixi; sed auctoritatem non habui; & ideo hic pono, quod dicit *Chrys. in 38. homilia super hunc locum*. Ubi sunt, inquit, qui dicunt, quoniam in hora una occidi, & in brevi temporis momento adulteratus sum, & immortaliter crucior, Ecce enim, & hic non in tot peccavit annis, in quot cruciabatur; & tamen integram hominis vitam consumpsit in longitudine supplicii. Non enim in tempore peccata judicantur, sed in ipsa natura delictorum. Qualiter autem intelligam verba *sancti Greg. & Bern.* alibi dixi; quia per modum adaptationis loquuntur.

Item notatur, quia si justificatus a peccato patitur recidivum, majorem vindictam solvit, quam si non peccasset prius. Et hoc habetur per id, quod sequitur.

f Ne deterius tibi aliquid contingat, &c.] Non enim dicit: Ne tibi aliquid mali eveniat, sed deterius. Et hoc valet ad quæstionem de reditu peccatorum, & causa est ingratitudo beneficii percepti. Et hoc patet per verba *Chrys.* in his verbis est discere, quoniam etsi difficilem demus vindictam pro prioribus peccatis, deinde si in eadem inciderimus, multo magis difficiliora patiemur rursus, & valde decenter: qui enim neque supplicio factus est melior, ut insensibilis de reliquo, & contemptor ad majus ducitur tormentum. Sed hic surgit quæstio, utrum omnes ægritudines sint ex peccato? Deinde si non omnes, quare quædam, & quædam non? Ad primum dicendum, quod non omnes infirmitates, sicut dicit *Chrys.* sunt ex peccato patientis, licet ordinationem habeant omnes infirmitates, & passiones hominis ad peccatum primi parentis aliquo modo. Secundum quem intellectum dicit *Hier.* quod quicquid patimur, peccata nostra meruerunt. Ad secundum videtur mihi impossibile sufficientem ponere solutionem, quia nec etiam Sancti hoc determinant, nisi quod dicunt, quod diversimode, & diversis causis accidunt infirmitates, sicut patet in distinctione usitata. *Job* probat *c.* 2. Inclinat Paulum, 2. *Cor.* 12. Purgatque Mariam. *Nu.* 12. Sed tamen potest dici, quod Sapientia divina ordinans infirmitatem ad peccatum, duo considerat in patiente, infirmitatem, scil. & obstinationem, & tunc vult alios emendari. Vel emendationem: tunc vult ipsum patientem emendari, sicut hic, & primum exemplum fuit in Antiocho, & Herode. Quicquid enim pœnæ est in via pro peccatis inflictum, debet aliquo modo tendere ad remedium peccati, vel in se, vel in alio. † Natura enim

al. † naturale enim me est, dolere peccata.

viæ est delere peccata, sicut patet. Sed tamen fateor me nescire, nec assero, quod dico. Et nota humilitatem Christi. Non enim dicit: Sanum te feci, quasi sibi aliquid attribuens, sed, [Ecce sanus factus, &c.] Et in hoc nos instruit, cum aliquid magnum Deus per nos operetur, nihil nobis attribuere. Propterea voluit, ut ipse paralyticus non ex sui gratia, sed ex veritate rei testimonium curationis ferret, & ideo non sibi attribuens, sed quasi de re facta loquens, dicit: [Ecce sanus factus es, &c.] Sed & ipse paralyticus non insensibilem se reddidit ad admonitionem, sed cum prius prædicaret in universali se esse curatum, nunc ipsum curantem in singulari omnibus divulgat. Et ideo sequitur. g Abiit ille homo,] scil. paralyticus sanus effectus. h Et nunciavit Judæis,] non ut accusator, sed ut Prædicator volens eos ad beneficium ipsum converti. i Quia Jesus esset, qui fecit eum sanum,] & non dicit quis, vel qualis Jesus magis describendo, quia ex sola nominatione propter excellentiam multorum operum, & miraculorum, & doctrinæ omnibus erat notus. Sed cum converti haberent ad Christum, & admirari, & laudare in gloriosis operibus; ibi econtra mordent ex invidia, quod innuens Evangelista subdit. k Propterea persequebantur Judæi Jesum, qui hæc faciebat in Sabbato,] quasi contrarius esset Deo, qui requievit in die Sabbati. Ideo etiam alius quidam eorum dixit, quod sex sunt dies, in quibus oportet operari: in his venite, & curamini, & non in die Sabbati.

Luc. 13.

▲ Sed

Moraliter.

* temerarius Judex. a Postea invenit eum Jesus in templo.] Ecce, qui in turba, l. in sollicitudine temporalium perditur, in templo, in oratione, & in conscientia propria invenitur, sicut Maria, quæ Christum in turba amisit, invenit in templo. *Luc.* 2. Notandum est tamen, quod non dicitur, quod invenerit Jesum; sed Jesus eum invenit. Jesus enim sollicitior est in requirendo nos, & revocando. Unde *Ps.* 88. Inveni David servum meum, q. d. quia quæsivi. Unde *Ezech.* 34. Ecce ego ipse requiram oves meas. b Et dixit ei: ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.] Tria dicit: Commemorat præcedens beneficium, prohibet peccatum, comminatur supplicium. In primo allicit ad amorem, in secundo cautum reddit ad gratiæ conservationem, ne amittatur per peccatum, in tertio incutit timorem. Dicit ergo: c Ecce sanus factus es.] Simile *Exod.* 13. Mementote diei hujus, in qua egressi estis de Ægypto, & de domo servitutis. Item *Deut.* 16. Memento diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. e Jam] ergo [noli peccare,] noli recidere in priorem culpam. f Ne deterius tibi contingat,] i. ne recidas in majorem pœnam. Et nota, quod prohibet non solum actum, sed etiam voluntatem peccandi. Sicut *inf.* 8. Vade, & amplius noli peccare. Qui enim recidivat, & revertitur, sicut canis ad vomitum, fiunt novissima ejus pejora prioribus, ut dicit *Matt.* 12.

Chrys. Hoc signum maximæ religionis, non enim secessit ad nundinas, & circumitiones; neque voluptati, & remissioni dedit seipsum, sed in templo conversabatur, licet sentiret se sustinere Judæorum impetum, & ab omnibus abigi inde.

Item nota, quod Christus dicit: [Ecce sanus factus es,] non dicit, sanum te feci, in quo monet nos fugere jactantiam de bonis operibus: contra illos, qui dicunt illud *Isa.* 10. In fortitudine manus meæ ego feci, & in sapientia mea intellexi. Item non dixit: Ne te deterius torqueam, sed [ne deterius tibi contingat] impersonaliter, in quo instruit nos ne interrogantes loquamur, nec nostras injurias vindicare velimus. *Rom.* 12. Mihi vindictam, &c. Sequitur:

g Abiit ille homo, & nunciavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.] Sic & nos sanati a peccatis nostris nobis non debemus salutem nostram attribuere, sed Judæis, idest, adulatoribus debemus respondere, quia Jesus est, qui omnia in nobis operatur. *Isaiæ* 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis. *Philip.* 2. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. 2. *Corinth.* 3. Non quod sufficientes simus aliquid cogitare a nobis, &c. *Rom.* 9. Non est volentis, &c. k Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in Sabbato.] Nota invidiam malorum. In hoc enim, quod persequuntur bonos, persequuntur Jesum, secundum illud *Luc. decimo*. Qui vos spernit, me spernit. Et *Actor.* 9. Saule, Saule, quid me persequeris. Ad litteram autem hic Judæi invidebant Christo, non dolebant tantum de viola-

tione

A Sed numquid aliquid dixerunt de hoc, quod curavit eum in die Sabbati, an tantum instabant paralytico, quia portabat lectum? Ad hoc est dicendum, quod sine dubio ore persequebantur eum, quia præcepit portare lectum, sed corde magis, quia curabat in die Sabbati, sed tamen ex invidia nolebant hanc causam persecutionis hic dicere, ne cogerentur etiam confiteri beneficium. Sed Evangelista malitiam eorum detegens aperit corda eorum.

Sabbato. *a* Jesus autem respondit eis, *b* Pater meus usque *c* modo operatur, & *d* ego

a Jesus autem respondit eis.] Hic incipit secunda pars, ubi Christus disputando convincit eos, quod hoc non tanquam Deo contrarius, sed tanquam unius virtutis cum Patre fecit. Et dividitur hæc pars in tres partes. In prima ostendit Christus, quia non hoc facit contrarius Patri, sed tanquam unius virtutis cum eo. In secunda convincit eos, Judæos, scil. ex testimonio Joannis, & testimonio operum, & testimonio Patris. Et hæc incipit, ubi dicitur, [Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.] In tertia arguit Judæos de incredulitate, & de causa incredulitatis, scil. vanagloria, ubi dicit: [Claritatem ab hominibus non accipio, &c.] Prima pars dividitur in duas partes. In quarum prima demonstrat unitatem virtutis operantis, in Patre, & in seipso secundum formam Dei. In secunda ostendit, sibi esse collatam dignitatem judicandi, sive potestatem judiciariam in forma servi. Et hæc incipit, ubi dicit: Neque enim pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit filio.] Prima pars primæ partis dividitur in duas partes. In quarum prima ostendit unitatem operationis ipsius, & Patris, propter identitatem essentiæ. In secunda ostendit distinctionem sui respectu Patris propter proprietatem hypostaseos: ita tamen, quod unitas virtutis operantis maneat, quæ unitatem essentiæ concomitatur necessario. Et hæc incipit ibi: [Respondit itaque Jesus, & dixit eis: Amen, amen dico vobis, non potest filius a se facere quicquam, &c.] Difficilis est hæc littera, & difficilior continuatio. Et ideo necesse est ponere plures divisiones, ut facilius habeatur sententia. Prima pars igitur ordinatur ad præcedens, tanquam contradictio, & convictio eorum, qui calumniantur factum, quod fecerat. Sed quia ipsi primam occasionem calumniandi sumebant ex sanctificatione Sabbati, quæ consistit in hoc, quod in ipso cessavit Deus ab operibus sex dierum. Ideo primo in illa parte convincit eos, quod Deus non requievit simpliciter ab opere in septimo die, sed ab opere sex dierum, dicens: *b* Pater meus,] quem vos Deum vestrum dicitis.

c Usque modo operatur] in natura, quia sicut dicit Philosophus in libro de causis, causæ secundæ, quod sunt, & quod causæ sunt, habent a causa prima, & nisi ipsa esset in eis continendo, & movendo ad causationem, nec essent, nec causæ essent. *d* Et ego operor,] i. ex quo ipse operatur, cum sim ejusdem essentiæ ego cum ipso operor; & quod ego operor, & ipse operatur. Et est sensus: Patrem non reprehenditis, qui Solem movendo, & partes mundi producit in esse. Ipso enim movente mulieres pariunt in Sabbato, sicut in alio die, segetes crescunt, flumina fluunt, & sic de aliis. Quid ergo me accusatis, si & ego operor salutem hominis in die Sabbati? Sed quare appellat eum Patrem, cum sciret eos ex hoc magis morderi?

Item quæ sunt illa opera, a quibus requievit in die Sabbati, ut sic videantur etiam illa, a quibus non requievit?

Ad primum dicendum, quod Judæi imponebant ei, quod esset discordans a Deo; & ideo, ut amorem suum ad Deum ostendat, & quia omnia facit secundum illius voluntatem, Patrem ponit, sicut & est in rei veritate. Veritas enim doctrinæ propter nullius scandalum est occultanda, quando urget necessitas, sicut hic: quia calumniam faciebant ei pro bono opere. Ad secundum dicendum, quod sunt quædam opera, quæ exiguntur ad opus naturæ, sicut productio materiæ, & ordinatio causarum, & quod ipsæ causæ sint, & hujusmodi. Et hæc sunt opera sex dierum, si quis bene considerat *primum capitulum Gen.* Et ab his requievit Deus in die Sabbati. Alia sunt opera, quæ currunt secundum cursum rerum in sæculo, sicut dicit *Aug. in* 8. *super Gen.* ad litteram, scil. quæ habent produci de materia virtute divina. Et hoc dupliciter, scilicet, in natura operante, sicut naturalia, vel etiam præter naturam, sicut opera miraculorum. Et ab his non requievit, quia illa non sunt

A opera

Moraliter. * tione Sabbati, quantum de beneficio ægri, quia invidi erant. Unde nota malitiam hujus peccati. Invidus enim excæcatur de Sole, unde deberet illuminari. Unde *Isa.* 59. Impegimus in meridie. Esurit ad cibum, unde deberet saturari. *Job* 6. Numquid mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?

Item invidi mali fiunt de bono, moriuntur de sanitate, & vita, contristantur de gaudio, & lætantur de dolore: unde perversi, & subversi sunt, & sicut dicitur *Eccl.* 1. Perversi difficile corriguntur. De istis dicit *Chrys.* Invidi feris sunt deteriores. Feræ enim, aut cibo indigentes, aut a nobis prius exacerbatæ armantur adversus nos; invidi vero etiam benefactoribus non parcunt. Igitur feris quidem hi deteriores, Dæmonibus pares, fortassis autem & illis deteriores. Dæmones enim ad nos homines inexpiabilem habent inimicitiam; his autem, qui ejusdem generis sunt, i. Dæmonibus non insidiantur, sicut dicit Dominus *Luc.* 11. Invidi vero neque communione naturæ verecundantur, neque etiam sibi ipsis parcunt. Prius enim suas ipsorum animas torquent, & occidunt. Et nota in hoc peccato crudelitatem, inexcusabilitatem, universitatem, excæcationem. Crudelitatem, ut dictum est, quia nemini parcit, nec sibi, nec fratri, nec amico: Hæc enim interfecit Cain fratrem. *Gen.* 4. Esau Jacob odivit. *Gen.* 27. Et Joseph fratres eum occidere voluerunt. *Gen.* 37. Inexcusabilitas autem hujus peccati in hoc apparet, quia sicut dicit *Chrys.* per hoc privatur venia hoc peccatum. Nam adulter, quidem habet pro excusatione, quamcumque concupiscentiam dicere, fur inopiam, & homicida furorem; tu vero, qui invides, quam excusationem dices Deo, dic mihi? Nullam. Nusquam enim aliunde, quam a malitia invides sola. De universitate hujus peccati dicit idem *Chrys.* Hæc passio fornicatione, & adulterio multum est deterior, Nam hæc quidem in eo, qui egit, stat; invidiæ vero tyrannis Ecclesias integras evertit, & orbem terrarum universum læsit. Hæc homicidii mater est, hæc interfecit fratrem Cain, Esau Jacob odivit, Joseph fratres, & homines universos diabolus occidit. *Sap.* 2. Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum, &c. Quartum, quod est in hoc peccato, deterius, est excæcatio, & insensibilitas, quia non reputatur hoc peccatum. Unde *Chrys.* Hoc omnibus est difficilius, quod indifferens æstimatur hoc peccatum esse, & nimirum aliis est difficilius. Etsi enim miserearis, etsi vigiles, etsi jejunes, omnibus sordidior factus es invidens fratri. Et hoc manifestum est: Fornicatus est quis apud Corinthios quandoque. 1. *Cor.* 5. sed incusatus est, & cito est emendatus: Invidit Cain Abel, sed non curatus est, sed & Deo incantante, & mederi volente, ulterius magis dolebat. Sequitur:

a Jesus autem respondit eis.] Licet sævirent, Dominus tamen benigne, & pacifice respondit eis. Unde *Chrys.* Non anxie respondet, docens nos, cum ad aliquos loquimur, non sævire, neque clamose loqui. Materia enim iræ clamor est. *Isa.* 42. Non clamabit, nec accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. *Prov.* 10. Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. Et aquæ Siloe fluunt cum silentio, ut dicitur *Isa.* 8.

b Pater meus usque modo operatur, & ego operor.] Nota, quod Deus omnia operatus est creando. *Eccl.* 18. Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.

Item quotidie creat novas animas. Unde *Isa.* 57. Spiritus a facie mea egredietur, & flatus ego faciam. Item *Isa.* 42. Dans flatum populo, qui est super terram, & spiritum calcantibus eam.

Item operatur semper ea, quæ fecit gubernando. *Sap.* 11. Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod a te vocatum non esset, conservaretur. *Jer.* 1. Vigilabo ego super gregem meum conservandum, scil. *Sap.* 8. Attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.

Item operatur omnia sustentando. *Hebr.* 1. Portans omnia verbo virtutis suæ. Et *Plato*. Natura quidem dissolubilia; mea autem voluntate indissolubilia.

Item operatur inveterata, & occidua revocando. Unde *Sap.* 7. Et cum sit una, omnia potest, & permanens in se omnia innovat. *Psal.* 103. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, &c.

Item propagando, & similia ex similibus procreando. *Is.* 66. Qui aliis generationem tribuo, sterilis ero dicit Dominus. Item operatur id justificando. *Rom.* 8. Deus est,

operor. *a* Propterea ergo magis *b* quærebant eum Judæi interficere: *c* quia non solum solvebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, *d* æqualem se fa-

A opera nova, cum secundum aliquem sui modum jam præcesserunt in causis rationabilibus, in operibus sex dierum, sicut dicit *August.* Et nota, quod non dicit: Pater operatur per me, ne putarent Judæi ipsum esse minorem Patre; sed quod attribuit, bene attribuit; & sic nomen Patris tantum præponit, ut ostendat auctoritatem apud Patrem residere. Secundum *Hilarium* debet exponi, & melius, qui dicit, quod Pater operatur a seipso per se, unum retorquens ad privationem originis, quantum ad proprietatem personalem; alterum ad sufficientiam ipsius virtutis essentialis, sive naturalis; filius operatur ab alio, scil. a Patre propter relationem secundum proprietatem originis, qua ad Patrem refertur; sed per se operatur propter indivisionem virtutis naturalis, quæ una est in tribus personis. Secundum hoc ergo is sensus est. Me accusatis de opere, in quo virtus ostenditur potentior, quam sit virtus naturæ, [sed Pater meus operatur,] idem opus per se, & a se, [usque modo,] i. semper, quantum enim est de opere, pure activo, quodlibet opus est æternum, non interruptum, passivum tamen, quod habet admistum de nihilo, incipit sub illo tempore, [& ego operor,] supple [usque modo,] i. sine interruptione, & æterne; sed tamen ab illo, & sic non sum ei contrarius, sed & per meipsum, ut maneam secundum essentiam indivisus ab ipso. Si igitur ab ipso, & unum cum eo existens operor omnia, frustra arguitis esse contrarium, & quod ejus sancta contemnam: Judæi autem quamvis inviti, tamen virtute sermonis intellexerunt, quod non se filium adoptivum diceret, ut dicebant Arriani quidam, sed naturalem: & ideo magis accenduntur. Et hoc manifestans Evangelista, subjungit.

a Propterea ergo magis, &c.] quam propter violationem Sabbati. *b* Quærebant eum Judæi,] non tamen persequi, ut ante, sed [interficere.] Et subdit causam. *c* Quia non solum solvebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum,] & non adoptive, vel ea gratia; sicut alii filii Dei dicuntur, sed naturaliter. Et hoc notatur per id, quod sequitur.

d Æqualem se faciens Deo.] Alii enim non sunt æquales. Sed qua voce colligebant Judæi, quod Christus se æquaret Patri. Per hoc, quod dicit: [Pater meus] non poterant, quia hoc nomen, [Pater,] etsi teneatur personaliter, tamen Judæi non habent notitiam personarum; sed Deum Patrem vocant creatione, non proprietate personæ; ergo idem erat secundum eorum acceptionem, Pater meus, & Creator meus; per hoc autem non æquabat se Patri. Solut. *August. in Originali* dicit: Non irascebantur, quia Deum diceret Patrem; sed quia longe alio modo, quam homines, & quod commune erat omnium, sibi quasi proprium vindicabat, dicens: [Pater meus] non Pater vester: & ex eo, quod attribuebat opera æqualiter sibi, & Patri. Hæc est sententia litteræ veræ. Sed quidam volunt, quod non solverit Sabbatum, sed secundum opinionem Judæorum, quod est contra *Chrys.* quia dicit, quod verissime solvebat, quia aliter & ipse Christus habebat eis respondere, scil. ut diceret: decepti estis; non enim solvi Sabbatum; sed vobis ita videtur: nunc autem nihil tale facit, sed astruit, quia ipse non legem transgrediens operatur in die Sabbati, sed supergrediens tanquam auctor legis unum cum Patre. Contra id vero, quod dicit Evangelista [æqualem se faciens Deo] insurgunt Arriani, dicentes: Non dixit Evangelista: Æqualis erat Deo, sed se faciens æqualem. Sed convincuntur ex his, quæ necesse est eos concedere. Dicit enim Petrus, quod peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Inveniri non poterat nec majus peccatum in eo, quam illud genus superbiæ, quod æqualem se Deo faceret, cum non esset, si fuit, habetur propositum. *Chrys.* etiam arguit contra eos in hunc modum, vere persequebantur eum Judæi.

1. Pet. 2.

Item hoc verum est, quod propter hoc solvebat Sabbatum.

Item hoc etiam verum est, quod Patrem proprium dicebat Deum, quare, & ea, quæ sunt deinceps, eidem consequentiæ adhærent, scil. quod vere est æqualis Patri.

Item hoc patet per antedicta: Non enim dixit: Pater meus usque modo operatur, & ego ministro; sed & ego operor, in omnibus ostendens parilitatem.

Item si Christus non intendisset, quod vere esset æqualis Patri, correxisset utique malam eorum suspicionem, & ostendisset, quod male intellexissent: nunc autem nihil tale facit. De minori enim suspicione correxit Discipulos. *Matth. 16.* scil. quod non loqueretur de fermento panum, sed de fermento doctrinæ pestilentis ipsorum Pharisæorum.

Item ipse Evangelista correxisset, si non hoc intendisset, sicut *sup. 2.* cum dicit, quod hoc dixit de templo corporis sui. Hæc tria ultima inducit *Chrysostom. in Originali.*

A Respondit

* qui justificat, *sup. 1.* Illuminat omnem hominem, &c. *Sap. c. 7.* Per nationes in animas sanctas se transfert. *Moraliter.*

Item operatur redimendo. *Psal. 110.* Redemptionem misit Dominus populo suo.

Item operatur glorificando, sive salvando. *Isa. 46.* Ego feci, & ego feram: ego portabo, & salvabo.

Item operatur condemnando. Sed istud non est proprium opus ejus. Secundum illud *Isa. 28.* Peregrinum est opus ejus ab eo. His omnibus modis, & aliis, quibus operatur Pater, operatur & Filius. Unde bene dicit: [Pater meus usque modo,] i. semper, [operatur & ego operor] cum eo. Possumus autem hæc verba, & sequentia, quæ in prima expositione exposita sunt proprie de filio Dei naturali, quodammodo quantum ad moralitatem transferre ad filium adoptivum, qui debet operari ad exemplum Dei, ut filius imitatur Patrem, & dicere: Pater meus operatur opera misericordiæ, & ego operor similiter. In operibus enim misericordiæ debemus eum imitari. Unde *Luc. 6.* Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

Item in charitate. *Eph. 5.* Imitatores Dei estote, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit vos. Maxime autem in dilectione inimicorum, quæ est magna perfectio. Unde *Matth. 5.* Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.

Item in *eodem*: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, & ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos.

Item in patientia, & tribulationum sustinentia. *1. Pet. 2.* Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. *Job 23.* Vestigia ejus secutus est pes meus: viam ejus custodivi, nec declinavi ex ea: In mari enim via ejus, & semitæ ejus in aquis multis, ut dicit *Ps. 76.* Unde sequitur;

a Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat Sabbatum, sed Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.] Malos, & invidos gravant & vita justorum, & verba. Vita, scil. dissimilis. Unde dicunt, quod solvit Sabbatum. Mali custodiunt Sabbatum in hac vita, quia nil quærunt, nisi otiari, & festivari: & boni non cessant laborare. Mali enim hanc vitam vocant Sabbatum, quia putant eam datam ad lusum, & luxum. Sicut dicitur *Sap. 15.* Æstimaverunt lusum vitam nostram, & conversationem vitæ compositam ad lucrum. Ideo dicunt *Sap. 2.* Venite, & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Et postea sequitur: Quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra. Dissimilis ergo vita Sanctorum eos ad iram, & invidiam provocat. Unde *Sap. 2.* Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ ejus.

Item *2. Cor. 2.* Aliis sumus odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam. Secundum est, quod eos offendunt verba bonorum. Unde *Sap. 2.* Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris: Ecce dissimilis vita. Et sequitur ibi: Et improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ, promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Hoc est, quod dicitur: [Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.] Sancti enim pressi tribulatione malorum coguntur se commendare, & ad spem æternæ hæreditatis recurrere. Unde dicunt invicem Sancti illud. *1. Joan. 3.* Charissimi, nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit nobis, quid erimus. Scimus autem, quod cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est. Sequitur.

* *a* Respondit

▲ a Respondit itaque Jesus, &c.] Hæc est secunda pars hujus primæ partis, in qua intendit Christus destruere hanc ultimam occasionem persecutionis. Unde ostendit, quod ipse diversus in persona a Patre, in unitate virtutis essentialis operatur omnia cum Patre, non tanquam ei contrarius. Et enim hoc patebit, simul probatum erit, quia ipse est naturalis Filius Patris. Dividitur igitur hæc pars in tres partes, quæ seinvicem concomitantur, & sufficiunt ad probationem propositi.

ciens Deo. a Respondit itaque Jesus, & dixit ei: b Amen, amen c dico vobis, d non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod e viderit Patrem facientem.

In prima certificatur, quod Filius habet virtutem acceptam a Patre per generationem. In secunda, quod virtus illa licet per generationem participetur a Filio, tamen manet indivisa in Patre, & Filio propter indivisionem essentiæ, ubi dicit: [Quæcumque enim ille fecit, &c.] In tertia probatur, quod hæc virtus est omnipotentia in Filio, sicut est omnipotentia in Patre, ibi: [Pater diligit Filium, &c.] Hæc enim tria, & non plura exiguntur ad probationem æqualitatis Filii cum Patre. Si enim æqualis est, necesse est diversum esse in persona, quia nihil est sibi æquale, sicut dicit *Boetius in libro de Trinitate*: Omne æquale æquali æquale est, & simile simili simile, & idem ei, cui est idem. Secundum quod exigitur ad æqualitatem, est participatio ejusdem quantitatis, quæ in natura spirituali ad potestatem refertur, quia sicut dicit *Anselmus*, quæcumque comparantur secundum æquale, vel excellens, necesse est, quod comparentur secundum aliquid unum existens in utroque: quia vero æqualitatis comparatio est in participatione ejusdem potestatis per omnia; ideo oportebat omnipotentiam etiam probari esse hanc potestatem in Filio, sicut est in Patre; & ideo nec plus, nec minus inducit, quam quod sufficienter convincit propositum. Et sic patet ordo partium, & sufficientia. Ordo autem patet ad præcedens. Prima enim occasio persecutionis fuit ex Sabbato, secunda est ex æqualitate ad Patrem. Et secundum occasionem persequendi ordinantur disputationes contra Judæos. Dicit ergo: b Amen, amen,] i. vere, vere. Et confirmationem notat geminatio.

De consecr. d. 1. c. fin.

c Dico vobis, non potest Filius a se facere quicquam, &c.] Hoc exponitur de Filio inquantum Deus, & inquantum homo. Primo ergo exponamus breviter de filio, inquantum Deus.

d Non potest filius a se facere quicquam,] i. nihil contrarium Patri, vel alienum, sive externum a Patre potest facere, in quo ostenditur æqualitas, & parilitas, & concordia. Unde per hoc ostendit, se non esse contrarium Patri, sicut dicebant Judæi, quia non observabat Sabbatum; sed ostendit, quod imo concors est; quia a se nihil facit, idest, nil facit separatum, & alienum ab opere Patris.

e Nisi quod viderit Patrem facientem,] i. nisi quod certissime scit scientia, quæ ipse est, Patrem secum operantem, q. d. nihil operatur Filius sua sapientia, quod non Pater operetur eadem sapientia: vel nihil potest facere, nisi illa scientia, quam habet a Patre per generationem. Vel aliter exponitur.

d Non potest filius a se facere quicquam, i. nullam habet Filius potestatem, nisi quam accepit a Patre per generationem; sed a Patre habet posse, & facere, a quo habet & esse. Et ita liberi arbitrii dicit auctoritatem, secundum *August.* & *Hilar.* Unde sequitur.

e Nisi quod viderit Patrem facientem,] i. nihil potest a se, vel per se facere, nisi habeat a Patre, secundum modum loquendi, secundum quem dicitur. Iste puer nihil scit facere, nisi quod videt Magistrum suum facere. Et ita loquitur Dominus condescensive, ut ex humilitate verborum compescat animos Judæorum, qui scandalizabantur contra eum, quasi se efferret, & extolleret. Et licet condescensive loquatur, tamen loquitur vere. Per hoc enim vult significare, quod quicquid est, & habet, habet a Patre. Unde in hac serie vult duo ostendere de se, alta & humilia. Alta, cum dicit; [Pater meus usque modo operatur, & ego operor, &c.] Humilia, cum dicit, [Non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.] Alta iterum, cum subdit: [Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.] Humilia, cum postea dicitur: [Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, &c.] Volebat enim, ut sic eum Patri æqualem, & coomnipotentem, & cooperatorem crederent, ut tamen auctoritatem principii in Patre crederent, & sic personas distinguerent. Vel alia ad Divinitatem: humilia ad humanitatem possunt referri. Et nota, quod in illo verbo præcedenti: [Non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.] Tria dicuntur, quæ secundum hæreticos videntur derogare dignitati, & potestati Filii.

Primum est, quod dicit: [Non potest.] Secundum, quod dicit, [A se.] Tertium, quod dicit: [Nisi quod viderit.] In his tribus insistit *Chrys.* ostendens, quod hoc verbum: [Non potest,] non est verbum imbecillitatis, sed virtutis, sicut etiam de Patre dicitur *Hebr. 6.* Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, &c. Item 2. *Tim.* 2. Negare seipsum non potest. Hoc enim impossibile, non est ostensivum imbecillitatis, sed virtutis, & virtutis ineffabilis, sicut cum dicimus: Impossibile est Deum peccare, non imbecillitatem accusamus, sed virtutem testamur. Ita & hic, cum dicit: [Non potest Filius, &c.] i. impossibile est, & incontingibile facere contrarium Patri. Et hoc ostenditur per sequentia: [Quæcumque enim ille fecerit: hæc & Filius similiter facit,] i. concorditer, & æqualiter ea eadem potestate. Unde per hoc patet, sicut dicit *Chrys.* error hæreticorum, qui male intelligunt id, quod dicit, [a se] quasi Filius sua potestate non operetur, vel libertate. Quod enim libere, & potestative operetur, patet per hoc, quod alibi dicit *inf.* 10. Potestatem habeo ponere animam meam, & potestatem habeo iterum sumere eam.

Item *Philipp.* 2. Semetipsum exinanivit, &c. Est ergo sensus:

d Non potest a se facere,] idest, nihil contrarium Patri, vel separatum potest facere, ut non privetur potestas, vel libertas faciendi in Filio, sed contrarietas, vel separatio, secundum *Chrysostom.* Sed secundum *Hilar.* & *August.* privatur principii auctoritas. Quia autem sequitur.

e Nisi quod viderit Patrem facientem] sensus est: Nisi ea scientia, quam habet a Patre: quia si intelligitur verbum sicut sonat, absurdissimum est, ut dicit *Chrysost.* Non enim dicit, quoniam quæ videt Patrem facientem, facit; sed nisi viderit Patrem facientem, non facit, omni coextendens tempori hunc sermonem; & ita semper oportet eum discere, quod absurdum est: quia quis ita miser est, & infelix, ut dicat Filium secundum unamquemque diem discere, quæ oporteat facere? Qualiter enim esset illud verum. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Et qualiter illud. Omnia per ipsum facta sunt? [Quæcumque enim ille fecerit,] q. d. bene dico, quod nihil a se, idest, nihil separatim, vel contrarie facit, sed potius, [quæcumque ille,] i. Pater [fecerit, hæc Filius similiter facit,] i. ex eadem mente, & potestate, & virtute. Unde adhuc notatur indissimilitudo, & parilitas. Si enim Pater a se, i. sua potestate operatur; ergo & Filius, & e converso; aliter non similiter operarentur.

Psal. 101. Sap. 1.

d Non potest Filius a se facere quicquam.] Hæc præpositio [a] secundum *Hilar.* notat distinctionem originis. Et est sensus: Filius non habet potestatem a se, sed a Patre, sed tamen apponit verbum facere; propter audientes. Secundum enim nostrum comprehendere nobis innotescit potentia per actum ipsius, & essentia per potentiam, quia actus sunt prius potentiis secundum rationem. Declarat ergo, quia Filius non agit a se, & sic per consequens nec potentiam habet a se: & inde ulterius, nec essentiam habet a se, quæ est radix potentiæ. Nec tamen hoc dico, quia hæc tria differant in Deo, prout omnia ibi sunt, imo fides mea est, quod unum sunt; sed tamen differunt in ratione intelligentiæ. Et hæc diversitas necessaria est apprehensioni intellectus materialis, quia nihil in tanta simplicitate accipit. Quia vero determinavit, quod quicquid habet per generationem accepit a Patre, consequenter determinat modum hujus acceptionis, scil. quia

▲ Pater est

* a Respondit itaque Jesus, & dixit eis: Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.] Ita & nos nihil debemus facere proprium, nec auctoritate nostra; sed ad exemplar, quod nobis in monte ostensum est, i. in Christo, vel in ejus Scriptura, *inf.* 13. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum

Moraliter.

Δ Pater est principium, & auctor omnium horum, quæ sunt Patris, & Filii. Et hoc est, quod dicitur a plerisque, quod penes Patrem est principii auctoritas. Unde subdit: [Nisi quod viderit Patrem facientem.] Hic caute ambulandum est in via veritatis inter duos errores, qui vix declarari possunt. Unum præcavet *Chrys.* dicens: Christus non dicit istud, ideo quod ipse semper nova discat, quæ nescivit ante

> *a* Quæcumque *b* enim ille fecerit: *c* hæc & *d* Filius similiter *e* facit. *f* Pater enim diligit filium, & *g* omnia demonstrat ei.

hoc, sed condescendens Judæis dicit. Alius error non minor isto est, quod dicitur, quod nullam veritatem habet filius, sed tantum propter furorem Judæorum mitigandum dictum sit, quod dicitur hic. Iterum cavendum est, ne aliquis putet, quod loquar quærens diversitatem rei, sed tantum secundum rationem volo procedere, distinguendo videre, quod hic dicit audire, quod infra ponit. Dico ergo, quod sicut dicit *Anselmus in libro de processione Spiritus sancti*, quod essentia Patris est in Filio per generationem Filii a Patre: essentia autem secundum diversitatem attributorum accipit diversitatem rationum intelligendi, secundum intellectum nostrum. Sed quia nos essentiam secundum se non apprehendimus, sed secundum quod accipit rationem substantiæ in persona; ideo oportet etiam dicere, & magis proprie, quoad nos, quod substantia est illud, quod propter diversitatem effectuum cadit sub ratione diversorum attributorum. Item, quia substantia in persona, prout consideratur, ut agens, induit rationem potentiæ; ideo necesse est, intellectum nostrum quærere diversitatem potentiæ secundum rationem penes diversitatem effectuum, & diversitatem attributorum ipsius substantiæ penes diversitatem potentiæ comparatæ ad actus diversos, ut potentia operans in nobis donum sapientiæ sit intellectus divinus in prima Sapientia, quæ fons est nostræ sapientiæ formatus, & donum pietatis sit potentia voluntatis in bonitate primo formata, nec dico diversificans formam a potentia secundum rem, sed secundum rationem. Sicut etiam dicit *Damasc.* quod quædam nominant substantiam, ut est quædam assequentia substantiam, ut sapientia, bonitas, & hujusmodi. Substantia ergo prout est affluens donum sapientiæ proprium attributum habet, sapientia, prout est affluens pietatem nominatur bonitas. Substantiam autem quoad omnia attributa trahit Filius a Patre, quia quicquid habet persona procedens, accipit ab ea, a qua procedit. Sed quia duo sunt iterum sensus disciplinabiles, sicut dicit *Philosophus*, scil. visus, & auditus: constat, quod uterque illorum, quorum diversitatem notat, minus pertinet ad hoc attributum, quod est sapientia. Sed distinguendum, quod sapientia prout est in nobis, habetur per inventionem, & per doctrinam. Visus ergo magis deservit potentiæ inventivæ ipsius sapientiæ, ut liceat loqui; auditus autem magis ei potentiæ, quæ per doctrinam perficitur; & ideo etiam aliquid citius docetur per vocem, quam per Scripturam, licet idem scribatur, quod dicitur. Dicendum ergo, quod substantia secundum hoc attributum, quod est sapientia, duo habet, secundum quod est in Filio. Primum est, quod ipsa est sibi sufficiens nullo indigens ad sciendum, & quoad hoc est visio; quoad hoc autem, quod est in Filio ab alio, scil. a Patre, est quasi extrinsecus adveniens; & sic sapientia est auditio. Sed sive sic, sive sic consideretur sapientia: semper auctoritas remanet in Patre, secundum quod comparatur ad aliquid operandum in creatura. Et ideo substantia secundum quod est in Patre, agens est quasi exemplar secundum rationem intelligentiæ, juxta quod eadem substantia, & eumdem effectum operatur Filius. Et quoad hoc loquitur hic, dicens: [Nisi quod viderit Patrem facientem.] Infra autem loquitur, secundum quod refert Filius ad Patrem in accipiendo sapientiam operantem per modum cujusdam auditus, non prout substantia Patris operans auctoritate, quasi dirigit eamdem substantiam in Filio operantem. Hæc autem non asserendo, sed tamen rationem intelligentiæ sumptam ex intentionibus vocabulorum sequens dico. Fides enim mea est, nullam esse in substantia diversitatem. Est ergo sensus: [Non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem,] i. vane arguitis me de contrarietate ad Patrem, & inæqualitate: quia nullam habeo potentiam, nisi quam ab illo accepi per generationem, & quæ illius est. Nec hac ipsa potentia operor, nisi secundum quod auctoritas sua æterne operando, quasi exemplariter generando me ostendit mihi. Sed cum fides Catholica non admittat ibi aliquam diversitatem inter substantiam operantem exemplariter: & illam, quæ eadem est, & operatur idem opus sub auctoritate, quasi cujusdam exemplaris, quare Christus posuit verba, ad quæ videtur sequi diversitas, & non potius probavit simplicitatem? Ad quod dicendum, quod licet substantia non sit indivisibilis, tamen effectus operati sunt multi; & cum ipsa non cadat in intellectum audientium, nisi per effectum; ideo necesse fuit, quod secundum diversitatem effectuum diversitatem poneret attributorum in substantia: quia aliter non intelligeretur ab illis, qui nihil nisi materialiter intelligere possunt, ut dicit *Aug. super Gen. & Dion. in lib. de cælesti Hierarchia*. Seq.

a Quæcumque enim ille fecerit, &c.] Secunda pars. Dixit qualiter per generationem accepit potentiam operandi, & modum accipiendi, secundum quod poterat comprehendi ab audientibus, determinavit: nunc ostendit, quod indivisa manet virtus in utroque, licet in Filio sit ab alio; in Patre non ab alio, dicens: [Quæcumque enim,] q. d. nihil facit, nisi quod illum viderit facere. *b* Enim,] quia *a* Quæcumque ille facit,] i. omne opus, quod agit Pater.

c Hæc] eadem numero. *d* Et Filius] diversus in persona. *e* Similiter facit,] i. ex eadem potentia, sive virtute in numero, si tamen numerum habet aliquem: sed dubitatur, quia hoc convenit etiam duobus, qui non eadem potentia in numero operantur. Possum enim dicere, si ego sum æqualis virtutis tecum, quod quæcumque tu poteris, & ego possum. Igitur ex sententia ista non habetur, nisi quod Pater, & Filius sint ejusdem virtutis in specie, non in numero. Ad hoc dicendum, quod impossibile est, quod si aliqua duo sint diversæ virtutis, quicquid faciat unus, idem in numero possit facere reliquus, sed verificatur pro actibus similibus in specie, ut sit sensus: Ego possum loqui, & tu loqui, ego currere, & tu currere, sed impossibile est, quod locutio mea, sit eadem locutioni tuæ, nisi fuerit potentia eadem, & organa voces formantia. Unde propria intellecta hæc propositio: [Quæcumque enim ille fecerit, &c.] nullis diversis personis convenit, nisi illis tantum, in quibus manet identitas virtutis, & essentiæ, i. divinis. Sed adhuc intelligendum est, quod similiter facere dicitur, quando est convenientia in modo agendi, sicut æque potenter, & sapienter. Dicit ergo [Similiter facit,] quia dixerat, quod suam potentiam acceperat per generationem, ita quod auctoritas respectu omnium attributorum remansit penes Patrem. Quia igitur aliquis ex hoc posset credere, quod non æque potenter, & sapienter operatur Filius, ut Pater dicit: [Similiter facit] ut hanc destruat perniciosam suspicionem. Sed quia adhuc restat ad probationem æqualitatis, sicut supra ostendimus, ut ostendatur hæc potentia esse omnipotentia in Filio, sicut omnipotentia in Patre, infert id probans per hoc, quod sequitur. *f* Pater enim diligit filium.] Dilectio enim filii a Patre causa est, quare communicat ei omnem suam potentiam. Unde seq.

g Et omnia demonstrat, &c.] sicut prius dictum est, auctoritas est in Patre respectu omnis operis.

Δ Item omne * feci & vos faciatis. *a* Quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit.] Ita & nos præcepta Patris nostri filialiter impleamus, sicut & ipse Patri in omnibus obedivit, *Jo.* 14. Si diligitis me, mandata mea servate. *f* Pater enim diligit filium,] quem licet diligeret, pro nobis flagellavit, ut dicitur *Isa.* 53. Disciplina pacis nostræ super eum. Unde exemplo ejus debemus libenter sustinere flagella. *Heb.* 12. Quem diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. *Chrys.* Si omnem filium flagellat, ergo qui non flagellatur non est filius: *Eccl.* 30. Qui diligit filium, assiduat illi flagella. Item *Glos. super Hebr.* dicit: Flagellat omnem filium etiam unicum, qui sine omni peccato fuit. Si ergo aliquis exceptus est a passione flagellorum, exceptus est a numero filiorum, Unicus ille de Patris substantia natus, æqualis Patri in forma Dei, verbum, quo facta sunt omnia, non habebat, unde flagellaretur: ad hoc autem carne indutus est, ut sine flagello non esset. Qui ergo filium flagellat unicum sine peccato, relinquet adoptivum, qui est cum peccato? Unicus sine peccato, non tamen sine flagello, exemplum dedit nobis patiendi.

Moraliter

g Et omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.] Loquitur secundum illum modum, secundum quem dicitur, quod

* Magister

▲ Item omne opus divinum regulatur Sapientia essentiali, cujus etiam auctoritas est in Patre. Demonstrare igitur opera Filio, nihil aliud est quam Filium agere eadem opera, & eadem sapientia cum Patre: ita tamen, quod principii auctoritas sit in Patre, ratione cujus principii Patri convenit quasi primo loco per modum exemplaris, non ab alio traducti, demonstrare facienda, sicut patuit supra. Sed quia quantum est ex parte operis operati, operatio Trinitatis non tota est simul, nec ab æterno; ideo supponens; quod quædam ea illa parte demonstravit in præterito, sicut curationem paralytici. Infert etiam de futuro dicens.

quæ ipse facit, *a* & majora his *b* demonstrabit ei opera, ut *c* vos *d* miremini. *e* Sicut enim Pater suscitat mortuos, *f* & vivificat: sic & *g* Filius, quos vult, vivificat. *h* Neque

a Et majora] opera [his] quæ vidistis.

b Demonstrabit ei] modo supra dicto. Et subjungit rationem, non causam finalem.

c Ut vos miremini,] & per admirationem credatis mihi. Tamen aliter legit *Interl.* dicens.

c Ut vos] qui non creditis, & sicut videtur vobis inconveniens.

d Miremini.] quia tunc miramur, cum aliquid inconveniens accidisse videmus. Secundum autem quod admiratio est stupor de magno phantasmate, vel apprehensio: sic admiratio est fidelium, & infidelium, & ordinatur ad facilius credendum ipsi operanti. Hoc autem quod dixi: quod subdit rationem, non causam finalem: ideo dico, quia quod est æternum, nullam causam habet temporalem, vel in tempore, quamvis rationem aliquando possit habere in tempore. Secundum quod exponitur ista, quod Deus elegit Jacob propter merita. Ratio autem illa finia est, qui terminus dicitur, non causa finalis. Vel sic legatur, & melius, ut distinguamus, quod opus quodammodo est in agente tanquam in causa: & actio ipsa, inquantum est ex parte agentis, æterna est, nec habet aliquam causam in tempore. Sub illa autem actione activa pure, & æterna est actio passiva, quæ se tenet ex parte operis, & incipit in tempore, & hæc potest habere causam in tempore. Quia igitur dicitur [Majora demonstrabit ei opera, &c.] dividatur, ut [majora] & hoc, quod dicit. [ut vos miremini] referatur ad actionem operis passivi, & incipientis in tempore: demonstratio vero, secundum quod abstrahitur ab omni tempore, referatur ad actionem pure activam, & æternam; secundum vero quod contrahitur ad tempus futurum, etiam ipsa teneat se ex parte actionis passive incipientis, & sub tempore currentis. Et continue determinat illud opus, quod est majus, dicens. *e* Sicut enim Pater suscitat mortuos,] idest, vitam primo mortuis influit.

f Et vivificat:] i. suscitatos in vita continet. Vita enim est continuus actus animæ in corpus, sicut dicit *Philosophus*.

g Sic & filius,] i. ex eadem potentia, & æquali sapientia, sicut supra expositum est, similiter [quos vult, vivificat.] Mirabiliter concludit, omnipotentiam. Ad omnipotentiam enim exigebatur, ut omnia posset, & libere, non coacte, posset. Cum ergo dixit, quod omnia demonstrat ei pater, habuit: quod omnia posset; nunc vero quia [quos vult, vivificat] habet, quod hæc potentia sequitur voluntatem, & per consequens libertatem, quia liberrima potentiarum, & quæ non potest aliquo cogi, est voluntas. Et loquitur secundum quosdam Sanctos de suscitatione Lazari, sicut videtur dicere *Chrys.* Sed quia per sequentem litteram videtur debere legi de generali resurrectione: ideo intelligendum, quod loquitur de suscitatione Lazari, prout est figura quædam, vel typus universalis resurrectionis. Sed quare non dicit: Ita & Filius, quos vult, suscitat, & vivificat, sicut utrumque præmiserat de Patre? Sol. Sicut de filio dicit [Quos vult, vivificat] & supplendum est similiter de Patre, ita de filio supplendum est [suscitat] quod dicitur de Patre. Vel aliter, ut sic exponatur.

e Sicut enim Pater suscitat mortuos [omnes bonos] & malos. *f* Et vivificat:] ad gloriam bonos tantum.

g Sic & filius, quos vult, vivificat.] resuscitat, supple. Quædam lectura jacet *in Gl.* quæ distinguit de resurrectione animarum, & resurrectione corporum: quæ non videtur mihi pertinere ad litteralem sensum; sed magis tangit mysterium, & ideo huic supersedeo.

h Neque enim Pater, &c.] Sequitur pars illa, ubi loquitur de collocata sibi potestate judiciaria in forma servi. Et hæc pars habet quatuor particulas. In prima determinat sibi collatam esse potestatem judicandi, & finem hujus collationis. In secunda docet, qualiter sententia illa durissima a se promulganda in judicio vitari potest modo, ubi dicit: [Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, &c.] In tertia ostendit modum, qualiter possibile est, quod habeat potestatem judicandi omnem carnem simul, licet nunc videatur defluxa in mortem, scil. quia habet potestatem suscitando vocare eos ad judicium, ubi dicit: [Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, &c.] In quarta, & ultima determinat dispositiones judicii illius secundum ordinem, & animam Patris, & justitiam causæ. Hæc tria enim ad rectum judicium exiguntur, ut patebit infra. Et hæc incipit, ubi dicit: [Non possum ego a meipso facere quicquam, &c.] Ad potestatem enim judiciariam rectissimam non exiguntur nisi quatuor, scil. ut judicans potestatem habeat, & ut judicantibus lex detur secundum quam habent judicare: & ut ipsi judicandi possibiles sint ad judicium: & ultimum ut ordo judiciarius observetur in executione judicii. Nec plura, nec pauciora exiguntur. Et secundum horum sufficientiam est sufficientia in partibus hujus partis, quæ est de potestate judiciaria, primum in prima, secundum in secunda, tertium in tertia, quartum in quarta determinatur. Et qualis est ordo in his, quæ ad judicium exiguntur, talis est ordo in partibus litteræ hujus. Ad ea, quæ prius dicta sunt, ordinatur hoc modo: Dixerat, qualiter demonstrando Pater omnia, contulerat sibi omnipotentiam: & hoc secundum quod erat in forma Dei. Sed quia ipse formam servi accepit, ut esset caput Ecclesiæ, imo totius humanæ naturæ: consequebatur, ut secundum hanc formam haberet aliquam potestatem. Quia igitur ipse secundum hanc formam fuit nobis mediator, & dans formam vivendi: competebat, ut etiam ipse inter observantes legem, & viam ostensam dijudicaret: & ideo hujus potestatem etiam accepit a Patre. Aliter etiam est manifestum, quia Judex ejusdem debet esse naturæ cum eo, qui judicari habet, ut ex seipso causam possit agnoscere, & statuta judicandorum: & ideo iterum patet, quare Filius Dei homo ens judicat. Sed nec intendo dicere, quod Christus, inquantum purus homo, judicandi habeat potestatem, nisi illam, quam dicunt in ministerio. Et de hac nec ipse Christus hic loquitur, licet quidam hoc dicant: Nec ego volo loqui; sed de judicio auctoritatis respectu creaturæ; quod nihil prohibet Christum habere a Patre: sicut nihil prohibet ipsum esse principium, & auctorem de auctore. Qui autem vult rationem hujus intelligere, videat, quid dicat *Aug. in f. 8. sup. Gen.* ad litteram, ubi loquitur de motu universali per providentiam, qualiter, scilic. ipsa providentia quædam movet in natura, quædam in voluntate rationalis naturæ, quædam etiam seipsa. Ex his argui potest sic: Constat, quod ea, quæ sunt bonorum morum, & fidei per voluntatem humanam, gubernantur a providentia divina, quia illa non sunt nisi voluntariorum, licet voluntas non sit efficax in illa per se sine gratia. Cum igitur ista sint deposita, & ordinata in mundo isto secundum statum prælationis, & subjectionis, ut conservetur ordo vivendi: satis liquide apparet, quod ille, qui summus mundi Prælatus est, horum habebit exquirere rationem. Sicut enim Prælatus ad Prælatum, sic officium ad officium. Unde cum ▲ ipse sit

* Magister docet Discipulum, quæ ipse debet facere. Et habetur simile *Is.* 50. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam, quasi Magister Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico. Per quod vult significare, quod ex voluntate Patris patiebatur, & prædicabat in mundo. *a* Et majora his demonstrabit ei opera,] præcipiens, ut pateretur in patibulo. Vel secundum litteralem sensum expone, ut prius, [Omnia demonstrat ei, quæ ipse facit] i. ab eo habet, quod sanat, & facit curationes corporales, [Et majora his] i. quam sint curationes corporales, quas vidistis. *b* Demonstrabit ei opera] sc. animarum resuscitationem, vel corporum, vel potestatem judicandi. Ita. *c* Ut vos miremini] i. possitis mirari. Vel mirati sunt post Resurrectionem, ad litteram de tanta potestate miraculorum, quæ fiebant in nomine ejus. Vel mirabuntur in judicio de gloria Christi, & exaltatione Justorum, ut dicitur *Sap.* 5. Sequitur. *e* Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius, &c.] Nota in summa, quod duo dicit hic de Filio, quod * resuscitat,

Moral.

a ipse sit superior Prælatus, tanquam Prælatus Prælatorum, & Prælatorum, sc. Apostolorum, & successorum eorum est ordinem huoc dispensare, Christi erit secundum ordinem hanc exquirere rationem. Et sicut nec formam vivendi dedit, inquantum purus homo, nec redemit: ita nec inquantum purus homo judicabit, nisi forte illo judicio, de quo dixi. Sed de hoc nihil hic intendo; sed tamen non intendo excludere, & Sp. Sanctum ab hac potestate judicii: quod enim per appropriationem Filio convenit, Patri non tollitur, nec Spiritui Sancto. Ratio autem appropriationis patet ex rationibus inductis, & ex quibusdam, quæ infra dicentur. Jam veniendum est ad litteram, quia patet ordo, & divisio, & sufficientia partium, & sententia. Dicit ergo.

a enim *b* Pater judicat quemquam: *c* sed judicium omne dedit Filio: ut *d* omnes honorificent Filium, sicut *e* honorificant Patrem. *f* Qui non honorificat Filium, non *g* honorificat Patrem, *h* qui misit illum,

b Neque enim Pater, &c.] Sic continua, quasi dicat, non est mirum, quod dixi, quod Filius suscitat mortuos.

a Enim,] idest, quia [neque Pater judicat, &c.] Vel sic: Bene dixi, quod majora demonstrabit ei, ut vos miremini, quia judicium ei dabit. Et hoc est [Neque enim Pater, &c.] *Chrys.* non habet [enim] sed sic habet. Pater meus non judicat quemquam. Et respondet ei, quod supra dixerat: Filius non potest a se quicquam facere, q.d. superius dixi: Filium nihil posse sine Patre: hic dico Patrem nihil posse sine Filio, quia Pater non judicat quemquam per se, scil. sine Filio, vel contrarie judicio Filii.

c Sed judicium omne dedit Filio;] idest, genuit eum Judicem secum. Et hoc dico.

d Ut omnes honorificent, &c.] i. eumdem honorem, & cultum exhibeant, ut æqualis potentiæ, substantiæ, sapientiæ, & ejusdem voluntatis credant. Et notatur per [sicut] distinctio personalis contra Sabellium, sicut dicit *Chrys.* Qui enim Filium Patrem dicit, non Filium sicut Patrem honorificavit, sed totum confudit.

f Qui non honorificat Filium,] sicut Patrem, supple.

g Non honorificat Patrem,] i. dehonorat eum, & Filium. Si duobus Regibus existentibus, unus convicium patitur, simul & alius convicium patitur, & maxime si qui convicium patitur, filius fuerit. Nam convicium etiam patitur in armigero contumeliam passo, sed non similiter tamen, ut in filio; sed utrobique per medium dehonoratur; sed hic non per medium, imo contemptus filii est directe sine medio contemptus Patris, quibus idem numero cultus, & honor est exhibendus.

h Qui misit illum,] idest, genuit eum aptum missioni. Vel, [Misit] in carnem. Nec per hoc intelligas motionem, vel mutabilitatem in Filio Dei, sed novam assumptionem carnis. Unde hoc grossiori vocabulo utitur duplici ratione secundum *Chrysostomum*. Prima, ut ostendat, quod ab alio est Filius, contra Sabellium, qui totum confundit. Secundo, ut ostendat, quod non sit Deo contrarius, ut æstimabant Judæi, qui dicebant. Hic non est a Deo, hic non venit a Deo. Secundum *Gloss.* sic exponitur. *Infr. 9.*

f Qui non honorificat Filium,] idest, qui non credit æqualem Patri.

g Non honorificat Patrem,] i. dehonorat, quia eum de impotentia, vel de invidia notat.

h Neque enim Pater judicat] q. d. ita dixi, quod sicut Pater suscitat: ita & Filius, quos vult, vivificat: & in hoc comparo me Patri secundum æqualitatem omnipotentiæ: quia quod ipse agit, & ego ago. Sed sunt quædam, quæ mihi sic dedit, quod aliquo modo ea agam, quo ipse non agit, ne minorem me eo putetis.

a Enim] quia.

b Neque Pater judicat quemquam,] i. aliquem hominem proferendo sententiam.

c Sed judicium omne] i. omnis hominis judicium, & omnem rationem judicii [dedit filio] *Chrys.* dicit, quod [dedit] ponitur pro genuit. Unde dedit ei judicium, i. genuit eum Judicem. Sed intelligendum est, quod sicut dicit *August. super*: Dixit Deus: Fiat lux, *Gen.* 1. Et *in* 1. *libro super Gen.* idest, verbum genuit, in quo erat, ut fieret. In verbo enim omnia fecit; & ipsum verbum est operativum, sicut dicit *Damascen.* Ita intelligendum est hoc, quod Pater genuit Filium, qui secundum generationem æternam, quia ab alio est, habet rationem ad missionem in carnem, & per consequens ad omnia, quæ filium incarnatum consequuntur, sicut quod sit redemptor, quod sit Judex. Unde dico, quod quantum ad hunc modum, æterna generatione dedit ei judicium, licet filius incarnatus sit Judex. Finem autem, qui non proprie potest appellari causa finalis, sicut supra patuit, determinat consequenter, cum dicit: [Ut omnes honorificent filium.] Nota diligenter definitionem honoris, quæ ponitur a *Philosopho in Ethica*. Honor est exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis. Reverentia autem est resilitio a Majestate ejus, cui exhibetur in parvitatem exhibentis. Reverentia igitur exhibetur tribus personis æqualiter, sicut una est Majestas, & honor universaliter; sed tamen filio Judici appropriate; quia filii virtus circa nos fuit magis manifesta: ipse enim alligavit fortem, & vasa ejus diripuit: & ipse torcular calcavit solus, sicut dicitur *Isaiæ*. Et ideo virtus ejus magis habet testificari a nobis, quia nobis amplius est exhibita. *Is. 36. Matth. 12.* Quia vero Judex est, ubi par Majestas nobis ostenditur, & æqualis Majestati Patris, licet visus sit infirmus, & judicatus in carne: ideo convenit ei par honor, quantum ad exhibitionem reverentiæ cum Patre. Quantum autem ad illam partem definitionis, in testimonium virtutis, inquantum a nobis fit hoc testimonium, amplius convenit filio, & magis appropriate. Et quod non loquatur, nisi quoad primam partem definitionis, patet ex sequentibus, cum dicit:

e Sicut honorificant Patrem,] idest, æqualem Majestatem filii, & Patris profitentur ex admiratione celsitudinis, & subjectione sui, utrique æqualiter. Hæc enim

a duo habet

* resuscitat, & quod judicat. Resuscitat in præsenti justificando per gratiam. Secundum illud *Rom.* 3. Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. *Moral.*

Item *Rom.* 8. Quos vocavit, hos & justificavit. Et hæc est resurrectio prima, de qua *Apoc.* 20. Beatus, qui habet partem in resurrectione prima, *infr.* 11. Ego sum resurrectio, & vita. Item judicabit in futuro, omnibus secundum merita tribuendo. Unde sequitur.

c Judicium omne dedit filio, &c.] *Jer.* 29. Ego sum Judex, & testis, dicit Dominus. *Eccl. ult.* Cuncta adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum. *Chrys.* Multo nobis opus est studio in omnibus, o Dilecti. Etenim rationem dabimus & verborum, & rerum. Omnes enim ait *Apost.* repræsentari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria prout gessit, sive bonum, sive malum, 2. *Cor.* 5. Hoc igitur judicium excogitemus semper: & ita per omne tempus poterimus esse in virtute. Sic enim qui expellit ab anima diem illum, sicut equus scindens frænum, qui fertur ad præcipitia. Unde *Ps.* 9. Contaminatæ sunt viæ illius in omni tempore. Et causam ponit. Auferentur judicia tua a facie ejus. Qui autem habet timorem, semper sobrie incedet. Unde *Eccl.* 7. Recordare ultima tua: & in æternum non peccabis. *Hier.* Sive comedo, sive bibo, sive quid aliud ago, semper videtur auribus meis insonare vox illa terribilis: Surgite mortui, venite ad judicium Salvatoris. Ibi judicabitur non secundum allegata, sed secundum merita. Nullus enim poterit ibi allegare, vel dilationes petere. *Is.* 11. Non secundum visionem oculorum judicabit, &c. *Bern.* Venient, venient ad tribunal Judicis, ubi plus valebunt pia corda, quam astuta verba. Seq.

d Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem] Filius Salvator est, ut diximus, quia resuscitat per gratiam, & Judex est. Quæ duo notantur *Hebr.* 1. Purgationem peccatorum faciens, ecce primum: sedet ad dexteram Majestatis ejus in excelsis, tanquam Judex vivorum, & mortuorum, ecce secundum. Quia ergo Salvator est, debemus eum honorare per gratiarum actionem: quia Judex, per reverentiam, & timorem. De primo dicitur *Coloss.* 3. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi gratias agentes Deo Patri per ipsum.

Item 1. *Tim.* 1. Regi sæculorum immortali, & invisibili soli Deo honor, & gloria. *Isa.* 42. Gloriam meam alteri non dabo. De secundo, sc. de reverentia, & timore dicitur *Is.* 8. Dominum Deum exercituum, ipsum timete, & ipse timor vester.

f Qui non honorificat filium, non honorificat, &c.] quia

* honor

a duo habet reverentia, ut scil. ex resilitione in suam parvitatem profiteatur magnitudinem Majestatis. Sed quare dicit, quod ad hunc finem dedit ei judicium facere? Nonne idem honor ei deberetur, si tantum esset Redemptor, & non Judex? Resp. quod non: quia sicut dictum est, duo sunt in honore, & primum respicit professionem Majestatis; redemptio autem non directe est opus respiciens potestatem; sed vel sapientiam, vel bonitatem. Cum igitur potentia Patris nobis innotuerit in Creatione, cum mundialem machinam de nihilo eduxit: & ratione hujus sibi reverentia debeatur, & honor, ad hoc ut filio exhiberetur, non dico, deberetur æqualis honor, quantum ad hanc partem honoris, & necesse fuit, ut † conferretur ei opus, vel potestas operis, quæ esset declarativa ipsius Majestatis filii, & hæc est potestas judiciaria. Et ideo ratione hujus dicit: [Ut omnes honorificent Filium] i. metu, & reverentia Majestatem profiteantur: [Sicut honorificant Patrem] Sicut notat æqualitatem Majestatis professæ in utroque, sc. in Patre, & Filio. Et consequenter determinat connexionem hujus honoris, dicens: [Qui non honorificat filium] inquantum est missus ordinare mundum secundum formam, quæ requiretur in judicio: [Non honorificat Patrem, qui misit illum] quia missus, & mittens unius sunt voluntatis, & operis, & in misso mittens ipse contemnitur. Et *Chrys.* dat exemplum de duobus Regibus, quorum unus sit filius, alter pater: ubi non potest contemni filius, quin contemnatur & pater. Sed contra. Ad discretionem apprehensorum intellectu sequitur discretio motuum in affectu: sed Pater poterat discerni a Filio ab ipsis Judæis: ergo poterat discrete honorari etiam filio non honorato: ergo videtur non bene procedere contra eos. Ad hoc est responsio: quia Pater non potest discerni a Filio, nisi secundum id, quod ad alterum est, i. secundum relationem, quæ est proprietas personalis: & in omnibus aliis pater est in filio, & e converso. Unde cum ipse loquatur Judæis de se, inquantum per actus miraculorum eis innotuit, & doctrinæ excellentiam, & hæc ambo ad substantiam referantur, patet, quod unus est contemptus utriusque, & par honor. Sed quia ipse *sup.* 3. dixit, quod Pater in isto adventu non misit eum judicare mundum, sed salvare: ideo competenter ante illum adventum, quando veniet judicare mundum, docet effugere judicii illius severitatem, dicens.

al. sua scit.

al. † conferretur.

> a Amen, amen dico vobis, b quia qui verbum meum c audit, d & credit e ei, qui misit me, f habet vitam æternam, g & in judicium non venit, sed † transit h a morte i in vitam,

a Amen, amen dico vobis,] propter imbecillitatem audientium, utitur verbo confirmationis, & etiam geminat, ut facilius suscipiant.

b Quia qui verbum meum audit:] Necesse est enim fidem esse ex auditu verbi Christi, sicut dicit Apost. *Rom.* 10. Audire enim est prima præparatio ad fidem: secundum quod fides habet adjuvari, & adminiculari per quædam præparamenta: Unde consequenter subdit.

d Et credit] fide, quæ virtus dicitur, sc. quæ formata est. De hac enim loquitur, quia ad hanc invitat verbum Christi; non ad illam, quæ etiam Dæmonibus est communis. *Jacob* 2. Dæmones credunt, & contremiscunt. Credit, dico, hac fide.

e Ei qui misit me] in legatione, qua missus sum ab eo, hoc est, qui † suscipit ea, quæ ego dico in nomine Patris mei, sc. me esse verum filium Dei, & venisse pro salute mundi, & cetera quæ prædico.

al. † credit.

f Habet vitam æternam] Magnam dat remunerationem, ut facilius trahantur. Vitam autem proprie secundum indeficientiam æternitatis trahimus a filio, sicut dicit *Aug. suf.* 9. *sup. Gen.* Sapientia enim Dei Patris Jesus Christus Filius Dei, figuratus est per signum vitæ: *Gen.* 2. quod Adæ in primo statu contulisset vitæ perpetuitatem, nisi fuisset transgressus præceptum. Nec tamen consistit istius retributio in adeptione præmii; sed etiam in declinatione duplicis mali, pœnæ, sc. quia,

g Et in judicium non venit,] Terribile enim erit videre Judicem in forma servi: & ideo dicent montibus: Cadite super nos: *Apoc.* 6. *Mal.* 3. Quis stabit ad videndum eum? Et multo terribilius erit venire ad judicium disceptationis cum eo. Sed nonne quidam salvandi judicabuntur? Respondet *B. Bern.* ex hoc textu sumens occasionem dicti sui, quod judicium illud non est vocale, sed mentale. Unde bene concedit, quod Sancti quidam, qui in vita imperfectorum Deo placuerunt, non judicabunt; sed nec proprie loquendo judicabuntur, nisi appelletur judicium salus, secundum rationes æquitatis mente expressas: Salvabuntur enim dictante eis conscientia rationem salutis eorum, quæ exprimitur in sex operibus misericordiæ: *Matth.* 25. Aliter potest dici, nisi prima solutio esset ita antiqua, sc. quod fides formata, secundum quod vita ejus perpenditur in operibus, gradus habet, & in quibusdam vivit in operibus præceptorum tantum, hi judicabuntur, & salvabuntur: in quibusdam in operibus præceptorum, & consiliorum, hi salvabuntur, & non judicabuntur, & etiam hoc secundum majus, & minus, secundum quod diversificantur consilia. Dicendum ergo, quod qui credit secundum virtutem fidei viventis in opere vel præceptorum, vel consiliorum, effugit judicium, quia si perfecte vivit, perfecte effugiet; si imperfecte vivit, imperfecte effugiet. Et hæc est ratio illius divisionis, quæ consuevit poni, quod quidam salvantur, & judicant: quidam salvantur, & judicantur, &c. Secundi mali evasio notatur per id, quod seq. h Sed transit a morte in vitam.] Per hoc enim innuitur, quod qui non credit, transit a morte in mortem. Et hoc vel a morte pœnæ, quæ est in sententia condemnationis, in mortem gehennæ. vel a morte mortalitatis hujus in mortem condemnationis, & gehennæ. Sed qui credit, transit a morte; quia non proprie moritur, qui obdormit in spe resurrectionis gloriosæ; sed transfertur, sicut dicit *Chrys.* a mortalitate animalitatis hujus. i In vitam.] Indeficientem, quæ influitur animabus ab ipsa contemplatione affectiva Sapientiæ divinæ, & per animas ipsis corporibus post resurrectionem.

a Amen

* honor unus debetur utrique. Et nota, ille dehonorat eum, qui a proprio hospitio eum ejecit, i. a corde suo, 1. *Cor.* 3. Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Item 1. *Cor.* 6. An nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi: Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Talis ipsum mutilat, & ita eum dehonorat, non solum expellendo ab hospitio, sed etiam mutilando. Item pedibus conculcando, i. affectionibus vilipendendo. Secundum illud *Heb.* 10. Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione moritur, quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, &c.

Moral.

Item dehonorat Dominum, qui eum a proprio dominio, & feudo proscribit, *sup.* 1. In propria venit, & sui eum non receperunt. *Galat.* 3. O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? Ante quorum oculos Christus Jesus proscriptus est, & in vobis crucifixus. Duplex jus habet Christus in nobis, hæreditarium, & emptitium, 1. *Cor.* 6. Empti estis pretio magno. *August.* Tanti emit, ut solus possideat. Seq.

a Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum] interius inspiratum, vel exterius prædicatum,

c Audit,] aure utraque.

d Et credit] per auditum.

e Ei qui misit me,] quia fides ex auditu. *Rom.* 10.

f Habet vitam æternam,] i. habet Deum in se per gratiam, qui est vita æterna. Vel, [Habet] causam vitæ æternæ, idest, gratiam. Et habetur simile *inf.* 12 Mandatum ejus vita æterna est, idest, observatio mandati est causa meritoria vitæ æternæ. Secundum illud: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Vel, [Habet vitam æternam] per spem, *Rom.* 8. Spe salvi facti sumus. Vel, idest, certitudinem promissionis: Simile *Matth.* 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Non dicit, erit, sed est. Et nota, quod verbum Dei auditum, & creditum fide operante per dilectionem, dat vitam æternam; quia medicina est, non solum quæ sanat a morbo, sed a morte. Unde *Ps.* 118. Eloquium tuum vivificabit me. Item *Ps.* 106. Misit verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. Item *Sap.* 16. Non herba, neque malagma sanavit eos; sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. Ideo bonum est audire sermones, & prædicationes.

g Et in judicium non venit,] quia talis se dijudicat per verbum, quod audit: & ideo non judicatur a Deo, 1. *Cor.* 11. Si nosmetipsos dijudicaremus, &c.

h Sed transit a morte in vitam,] i. a culpa in gratiam. Hoc est bonum Phase. Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Iste est transitus Domini.

* Amen

G

a Amen, amen dico vobis: quia b venit hora, & c nunc est, d quando mortui e audient vocem Filii Dei: f & qui audierint, g vivent. h Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic i dedit & Filio vitam habere in semetipso. Et k potestatem dedit ei judicium facere, l quia filius hominis est. m Nolite mirari hoc: n quia venit hora in o qua omnes, qui in monumentis sunt, p audient vocem filii Dei;

a Amen, amen dico vobis:] Determinata forma, secundum quam quidam judicabuntur, & quidam judicium effugient, determinat modum qualiter ex parte judicandorum possibile est, quod ipse sit Judex omnis carnis, scilicet, quod omnes resurgent, & astabunt tribunalibus ejus. Et habet hæc pars tres partes. In prima ostendit rationem mortuorum. In secunda ostendit sufficientiam suiad suscitationem mortuorum, & ad continendum ipsos suscitatos in vita, ut possint digna recipere pro meritis: ubi dicit. [Sicut enim Pater habet vitam, &c.] Sed quia dixerat habere vitam per se, & sic esse fontem vitæ: quia aliquis poterat dicere, quod non erat verum, cum esset mortalis: ideo ad hoc respondet in tertia parte dicens, [Nolita mirari hoc, &c.] Non enim plura exigebantur ad possibilitatem judicii ex parte judicandorum mortalium, quam quod illi possibiles sint ad vitam, & ipse sit potans dare vitam, quam per se habere non poterant. Et quia in forma humana judicabit, necesse fuit, ut in hac forma a mortalitate reliquorum se exciperet. Et secundum hoc accipitur sufficientia partium, & ordo. Primo enim est possibilitas recipiendi vitam, secundo possibilitas dandi, tertio removere errorem, qui posset esse de natura dantis vitam. Dicit ergo, [Amen, amen dico vobis] Geminat, ut certiorem faciat sermonem.

b Quia venit hora,] Communiter hora sumitur pro ultima parte temporis, secundum quod totum dividitur in octo ætates. Jam enim est septima, quæ currit cum octava. Et magis restringit, cum subdit: [Et nunc est.] Primum debet referri ad resurrectionem generalem, secundum ad suscitationem demonstrantem ipsam resurrectionem generalem, sicut dicit *Dan.* idest, ad resurrectionem Lazari in figura generalis.

d Quando mortui audient vocem Filii Dei:] *Chrysost.* Sicut in Resurrectione, ita & nunc erit, ait. Etenim, & tunc vocem audientes præcipientem suscitabimur. In jussione enim, & buccina ait Dei, mortui in Christo suscitabuntur, 1. *Thess.* 4. De ista voce, & buccina sufficiat hoc tantum dicere, quod vox Filii Dei nihil aliud est, quam virtus causæ primæ, quo annuit causis secundis, & intelligentiis, quæ sunt motrices causarum secundarum: & quo annuit causis particularibus, ut sistant cursum naturalem, & currant ad innovationem ejus, quod generando produxerant, & ad innovationem sui in principiis, licet non in omnibus principiatis. Et hoc est, quod dicitur *Job* 14. Antequam atteratur cœlum, non resurget. Et est sententia B. *Gregor. ibid. in Gloss.* Sed quia vox illa est vox virtutis, habebit efficaciam suscitandi mortuos. Et ideo sequitur.

f Et qui audierint, vivent.] Licet *Gloss.* aliquantulum videantur aliter exponere, tamen videtur mihi, quod respiciunt magis mysterium, quam litteram. Unde dico, quod vita hic communiter sumitur pro vita omnium resurgentium sive in pœnam, sive in gloriam: quia aliter non video, qualiter ordinetur ad hoc, quod per illud probetur, quod Christus sit Judex vivorum, & mortuorum. Sed quia non tantum exigitur, ut mortui surgant; sed etiam ut ipse, cujus voce suscitantur, sit talis, ut possit suscitare, & in esse continere, subdit.

h Sicut enim Pater habet vitam in semetipso.] Vita ad essentiam refertur. In semetipso autem habere vitam, est, quod a nulla alia essentia habeat vitam, & quod ipsa sua essentia sit vita tantum differens ratione ab essentia. Et quod ita debeat exponi, probatur ex ordine vitalium rerum. Vita enim, sicut dicit *Philosophus*, communiter inventa est in animalibus, & plantis. Sed constat, quod in utrisque est per participationem, ita, sc. quod non vivit organum ipsorum a seipso, sed ab anima: quod autem dat vitam, necesse est, quod habeat vitam: & sic anima habet vitam, & Angelus similiter. Sed in hoc differt ab Angelo: quia anima communicat vitam corpori; Angelus autem non. Sed nec Angeli substantia, nec animæ est sua vita. Cum igitur in altiori natura inveniatur adhuc vita, sc. in Deo, digniori modo est ibi, ut scil. seipso vivat, & a seipso: & quod ipsa substantia divina sit sua vita: Sequitur.

i Sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.] Hoc ipsum [sic] æqualitatem notat. Hoc autem, quod dicit [dedit] notat eum per generationem vitam hanc accepisse. Quoad substantiam autem in semetipso habet, i. non ab alia substantia, & quod ipse est sua vita: nec inducit ulterius, relinquens nobis ex hoc arguere, quia ipse sit fons omnis vitæ sufficiens omne vivum in vita continere per hanc dignitatem, quæ per se nota est cuilibet: quia si aliquid habet aliquid essentialiter omnibus modis, non per participationem, ipsum est principium illius in omnibus habentibus illud, & sufficiens ipsum in esse continere, non dubito, quod nullus unquam de hac dubitavit, qui rationem habet, & ex hac apertissime concluditur resurrectio, sicut patet per antedicta, quod & Christus † subjiciens conclusionem immediate sequentem ponit propositum dicens, (al. † subiiciens.)

k Et potestatem dedit ei judicium facere,] q.d. ex quo sic sufficientem ad vivificandum Pater genuit filium, & iterum habitum est, quod ipsi mortui possunt vitam recipere, cum forma sit eis posita, secundum quam habent judicari, constat, quod ipse filius habet potestatem judicandi. Secundum Latinorum Sanctos aliter punctatur littera, sed non ita bene, ut puto, ut totum, scilicet, legatur sub uno puncto usque illuc [Quia filius hominis est] Sic [Et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est,] Et secundum eos legendum, ut nihil mutetur de hoc, quod diximus. Et quasi rationem, quare Pater judicium dedit filio, ostendit, cum dicit. [Quia filius hominis est.] Et quidam glossant, quia in hac forma judicatus est, & satis congruit. Et etiam sicut dicit *Gloss.* quia in hac forma Judex videbitur a judicandis. Species enim Divinitatis solis mundis corde promittitur: *Matth.* 5. Secundum *Chrys.* sic est legendum, & punctandum, ut in prima lectura dictum est: Et post incipit versus ibi,

l Quia filius hominis est, nolite mirari hoc:] quasi dicat, licet dixerim, quod habet filius hominis vitam in semetipso, non vobis videatur hoc incredibile, ideo quia videtis esse hominem de homine natum, & sic mortalem, quia non secundum eamdem † naturam ista Filio conveniunt. Non vos hoc, inquam, perturbet. (al. † substantiam.)

n Quia venit hora,] *Interl.* In fine sæculi.

o In qua omnes, qui in monumentis sunt,] qui formati fuerunt anima rationabili.

p Audient vocem filii Dei:] Hic dicit filii Dei: quia virtutem suscitandi habet a natura divina, licet in utraque
Δ natura

(Moral.) * a Amen, amen dico vobis, quia venit hora] gratiæ.
c Et nunc est,] non post aliam vitam. Tunc enim non licebit operari, ut dicitur *infra* 9. Et *Eccles.* 9. Nec opus, non ratio, nec scientia est apud inferos.

d Quando mortui] in peccatis. e Audient vocem filii Dei:] credendo. f Et qui audierint,] obediendo.

g Vivent.] & nunc, & in futuro. *Ps.* 67. Dabit voci suæ vocem virtutis. *Ps.* Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Sed nota, quod hodie pauci sunt filii Dei: quia ad eorum vocem multi mortui resurgerent. Pauci sunt Elisæi: omnes sunt Giezitæ, & ideo in mortuo non est vox, neque sensus, sicut legitur 4. *Reg* 4. Non est vox confessionis, neque sensus contritionis, & doloris. Giezita est ille, qui in prædicatione aliquid proprium quærit, vel laudem vel favorem, vel muneris aliud: qui non sincere prædicat, sed adulterat verbum Dei. Non est, qui incumbat super puerum mortuum per sollicitudinem, neque qui conformet se ei, & incurvet se per condescensionem, & compassionem, neque qui calefaciat per beneficiorum largitionem: nullus vult dare, sed dari: pascere, sed pasci.

h Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit, & filio vitam habere in semetipso, & potestatem dedit ei judicium facere, &c.] Ecce iterum dicit illa duo, quæ supra dixerat de filio, quod vivificat, & judicat. *Is.* 42. Dedi Spiritum meum super eum: judicium Gentibus proferet. *Idem eod.* In veritate educet judicium. m Nolita mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, &c.] De voce ista habetur *in Ps.* 67. Dabit voci suæ vocem virtutis. Et dicit *Gl.* Virtutem resuscitandi corpora, 1. *Cor.* 15. In momento, in ictu oculi in novissima tuba. Et 1. *Thes.* 4. Ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo.

* Et proce-

natura eajdens resuscitet. a Et procedent,] de monumentis cum corporibus suis.
b Qui bona fecerunt,] finaliter, secundum formam a me statutam.
c In resurrectione vitæ,] quia illi a morte, qua detinebantur merito primi peccati, vitam, quam in Adam amiserant, in Filio Dei recuperaverunt, a cujus meritis valorem accepit, & hoc ipsum, quod boni fecerunt.
d Qui vero mala egerunt] finaliter.

a & procedent, b qui bona fecerunt, in c resurrectionem vitæ, d qui vero mala egerunt, in e resurrectionem judicii. f Non possum ego g a meipso facere quicquam. h Sicut audio, i judico: k & judicium meum

e In resurrectionem judicii.] Ecce quod judicium pro damnatione posuit etiam supra, sicut & hic. Hic incidit duplex dubium. Unum, quare tantum insistit ad probandum resurrectionem? Aliud quare hoc fecit potius post miraculum de sanatione paralytici, quam post aliud aliquod? Ad primum satis bene respondet *Chrysostomus* dicens, *in 39. homilia*. Continue vertit judicium, & vitam, & resurrectionem: quoniam hæc maxime omnium sunt, quæ inducere possunt & inflexibilem auditorem: qui enim persuasus est, quoniam & resurget, & huic dabit noxas eorum, quæ deliquit, & si nihil aliud vidit, signum hoc suscipiens curret omnino mitem constituens sibi judicem. Ad aliud dicendum, quod paralysis majorem convenientiam habet cum altero terminorum resurrectionis, quam alia infirmitas: terminus enim resurrectionis unus est, cineres ipsi; paralysis autem est infirmitas faciens distare partes compaginis, & sic accedit ad dissolutionem omnimodam & ideo cura ejus, quæ est per conglutinationem partium distantium, typus est quidam expressus resurrectionis, quando ipsi cineres dispersi conglutinabuntur; & sic patet probabilis ratio quæsiti.
f Non possum, &c.] Sequitur pars ultima secundum hunc modum divisionis, in qua ipse determinat dispositiones rectitudinis judicii, quod exercebit in die judicii. Et consistit hæc rectitudo in tribus.

Primum est, quod habeat potestatem judicandi, scilicet, quod sit ordinatus Judex a Patre: & hoc primo determinat.

Secundum est, quod ipse procedat secundum justitiam causæ: Et hoc determinat, cum dicit: [& judicium meum justum est.]

Tertium est, quod judicium suum concordet judicio illius, qui sibi dedit, ut esset Judex: Et hoc determinat ibi, [Quis, &c. voluntatem meam.] In primo conservatur ordo judicii, quia Filius est judex a Patre judice. In secundo justitia, quæ est executio Judicis. In tertio satisfit animo judicis, penes quem residet prima judicii auctoritas. Et ex his patet ordo, & divisio, & sufficientia partium. Dicit ergo, [non possum, &c.] Sic continua secundum *Chrys.* Quia Prophetæ omnes judicium Deo patri attribuerunt; & ipse hoc dixerat, quia Pater non judicat quemquam: ideo erant turbati Judæi. Et ut hoc mitiget, dicit, [non possum ego] filius hominis, vel etiam Filius Dei.
g A meipso facere quicquam.] idest, quicquid possum, & facere, & judicare, ab ipso possum, & ab eo per generationem accepi. Et ideo licet mihi hoc attribuam; tamen ipsum ab eisdem non removeo: quia, ipse in me facit omnia hæc, & ego sine Patre nihil possum a meipso. Græci habent: [Non possum ego ipse facere quicquam.] Et quasi discretive legitur, ut sit sensus. Ego ipse ita quod non Pater, non possum facere quid; sed omnia illi concordantia non contraria facio. Prima lectura verior est, ut puto. Et statim subdit modum, qualiter a patre judicat dicens. Sed.
h Sicut audio] a patre [judico:] Audire est sapientiam judicii ab aliquo accipere, sicut supra satis rationabiliter ostensum est. Tamen *Interl.* dicit, [audio,] unitatem substantiæ, idest, scio: quia non est aliud audire, quam scire, vel esse. Hoc quidem est verum secundum rem; sed aliud est secundum rationem sumptam ex diversitate attributorum, ut supra patuit.
i Et] ex quo vero judico, sicut audio.
k Judicium meum justum est,] quia & secundum opera judicandorum procedo, & secundum sapientiam æquissimi judicis, quam a patre audivi, idest, per generationem accepi,

* n Et procedent, &c. resurrectionem judicii.] Ecce iterum loquitur de resurrectione & bonorum, & malorum remuneratione. *Dan.* 12. Qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, &c. Hœdi enim ad pœnam, agni ad gloriam resurgent. *Job* 28. Lapidem caliginis, & umbram mortis dividet torrens a populo peregrinante: quia torrens divini judicii separabit malos a bonis, qui hic sunt peregrini, & hospites super terram, *Matth.* 5. Tunc separabunt malos de medio justorum. Hoc significatum est *Josue* 3. quando aquæ superius ascenderunt, & inferiores descenderunt in mare mortuum. *Matth.* 24. Duo erunt in lecto, in agro, in mola: unus assumetur, & alter relinquetur: quia de quolibet statu hominum erunt aliqui salvi, & aliqui damnati, continentium, conjugatorum, & Prælatorum. De resurrectione autem mortuorum habetur hic expresse. Et *Matth. c.*22. ubi Dominus disputat contra Saducæos.

Moral.

De consecr. dist. 5. c. 1.

Item *Luc.*3. Videbit omnis caro Salutare Dei. Et sumitur de *Isai.* 40.

Item 1. *Cor.* 16. per totum. Et *Thess.* 4. Et *Roman.* 8. Qui suscitat Jesum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra.

Item *Job* 14. Lignum habet spem, &c. Et 29. Scio, quod Redemptor meus vivit, &c.

Item *Ezech.*37. Item *Ps.* 103. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, &c. *Joel. c.* 3. Consurgant, & ascendant Gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes Gentes in circuitu.

Item *Isai* 26. Vivent mortui tui, &c.

Item *Soph.*3. Expecta me in die resurrectionis meæ in futurum, &c.

Item 2. *Mach.*7. Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Item *in eod.* 12 Judas facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri, &c.

Moral.

Moral. In prædicto verbo notatur, quod si qui essent veri filii Dei per imitationem, & filialem dilectionem, vocem eorum audirent etiam illi, qui sunt in monumentis, i. profundi peccatorum, qui jam sunt sepulti in consuetudine peccati. Potens est enim Deus de lapidibus, i. de obstinatis peccatoribus suscitare filios Abrahæ, ut dicitur *Matth.*3. Multi autem sunt tales sepulti cum Lazaro, & jam quatriduani effecti, & fœtentes, quos Dominus suscitaret; sed non est hodie Maria, & Martha, quæ clament ad Deum cum lacrymis pro morte fratris. Non est, qui fleat cum Jeremia, qui dicit *Jer.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum: & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei? Et *in eod.*14. Deducant oculi mei lacrymam per noctem, & diem, & non taceant: quoniam contritione magna contrita est filia populi mei, plaga pessima vehementer: Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio: si introiero civitatem, ecce attenuati fame: pro talibus est plorandum, & orandum, ut reviviscant, quia ad vocem Angeli, vel filii Dei fit resurrectio mortuorum, idest, ad orationem, vel prædicationem justi fit aliquando justificatio peccatorum.

Unde *Ezec.*37. Vaticinare, fili hominis, prædicando, sc. vaticinare ad Spiritum, i. orando, sc. voca Sp. Sanctum, sive gratiam Sp. Sancti, & dices ad Spiritum; Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni, Spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant. Mundus iste est quasi campus plenus ossibus mortuorum, i. duritia peccatorum, qui sunt aridi, sine gratia Dei, & sine carnibus sanctæ affectionis, & benignitatis, & sine nervis concordiæ, & charitatis, & sine cute honestæ conversationis. Pro talibus ossibus vaticinandum ad Spiritum, i. orandum ad Deum, si quis esset verus Propheta, ut a quatuor ventis Spiritus veniret, i. gratia Sp. Sancti: Quæ provenit, & ortum habet quodammodo ex quadruplici consideratione: nativitatis, ecce oriens, & mortis, ecce occidens: prosperitatis, ecce auster: & adversitatis, ecce aquilo. Sequitur.
f Non possum ego a meipso facere quicquam.] Hoc est contra præsumptuosos, qui omnia a se ipso, i. proprio consilio, & nutu volunt facere. *Eccl.*32. Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. Sed.
h Sicut audio, judico,] Hoc est contra præcipites in judiciis, & sententiis dandis. 1. *Tim.* 5. Sine præjudicio nihil facias. *Job c.* 29. Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam. i Et judicium meum justum est.] Hoc est contra illos, qui munere, vel amore corrumpuntur, & corrumpunt judicia. *Isa.* 1. Principes tui
* infideles

justum est, a quia non quæro voluntatem meam; b sed voluntatem ejus, qui misit me. Si c ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. d Alius est, qui testimonium perhibet de me; e & scio, quia verum est testimonium ejus, quod perhibet de me. f Vos misistis ad Joannem, g & testimonium perhibuit veritati. h Ego autem non ab homine testimonium accipio; i sed hæc dico, ut k vos salvi sitis.

Δ accepi. Et adhuc melius patet. a Quia non quæro voluntatem meam.] Discretive legatur [meam] i. ita non quæro meam quod non quæram Patris voluntatem, i. non habeo illi voluntatem contrariam. b Sed] quæro facere [voluntatem ejus, qui misit me Patris.] Sua enim una est cum voluntate mea: nec discordare possumus in judicio. c Si ego, &c.] Sequitur pars illa, quæ agit de testimonio ab aliis facto de Christo. Et secundum numerum testimoniorum est divisio partis hujus. Et primo agit de testimonio Joannis. Secundo de testimonio operum, quod majus est, ubi dicit: [Ego autem habeo testimonium majus Joanne.] Tertio de testimonio Patris, quod iterum majus est, quam illa duo, ubi dicit: [Et qui me misit, Pater ipse testimonium perhibuit de me.] Quarto de testimonio Scripturæ Moysi, & prophetarum, quod licet non fuerit majus simpliciter, quam testimonium Patris, fuit tamen majus quoad Judæos, quia plus innitebantur Scripturis illorum, quam voci Patris. Et incipit, ibi. [Scrutamini Scripturas, &c.] Ex his etiam patet ordo partium inter se: Ordinantur enim ordine rhetorico, qui fortius testimonium, & magis convincens adversarium, semper versus finem allegationis collocant, ut arctius memoriæ infigatur. Ad præcedens sic reducitur. Dixerat excelsa, & magna de seipso: Judæi vero audientes, sicut dicit *Chr.* jam mente conceperant, quod volebant ei objicere, sed quod alibi dicunt: Tu de teipso testimonium perhibes, testimoniũ tuum non est verũ. Hanc igitur objectionem præveniens tanquã verus Deus, qui corda intuetur, dicit.

ofr. 8.

h Ego autem non ab homine testimonium accipio,] i. testimonio hominis non indigeo. Aliter legit *quædam Gl.* dicens: Non sum contentus testimonio Joannis, sed etiam alia induco, sed quidem non pro me induco Joannem, vel aliud testimonium, sed propter vos. Unde sequitur.

i Sed hæc dico, ut vos salvi sitis] i. vestram salutem construo per testimonia. Unde *Chrysost.* Quod dicit, tale est, Ego quidem non indigebam hujus testimonio humano, Deus ens, quia vero magis ei attenditis, & omnibus digniorem fide putatis, & illi ut Prophetæ occurristis: etenim civitas ad Jordanem effusa est; mihi autem neque mirificati credidistis, propter hoc vos recolo testimonii illius. Sed ne dicant, quia ille quidem testatus est; nos autem non suscepimus, nec fide Δ dignum ju-

* infideles socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos.

e Si ego testimonium, &c.] Ita in multis locis sibi ipsi testatus est, ut *sup.* 4. dicit Samaritanæ: Ego sum, qui loquor tecum. Et cæco dicit, *infr.* 9. Qui loquitur, tecum ipse est. Et Judæos increpans dicit, *inf.* 10. Vos dicitis, quia blasphemat, quia dixi Filius Dei sum. Et aliis locis similiter testatur sibi, quid est igitur, quod dicit: [Testimonium meum non est verum?] ubi inveniemus veritatem, quoniam ipsa veritas dicit: testimonium meum non est verum? Contrarium dicit *Inf.* 8. Et si ego testor de me, testimonium meum verum est. Sol. Sicut dicit *Chrys.* ad intelligentiam Scripturæ opus est non immorari nudis verbis, sed considerare intentionem dicentis, & habitum audientium, sive mentem auditoris, & tempora, & loca, alioquin multa sequuntur inconvenientia. Ideo enim hæretici errant. Videamus igitur hic, ad quid hæc dicta, quia magna de se dixerat Christus, debebant Judæi subinferre: Si tu testaris de teipso, testimonium tuum non est † verum,

† verum. Propter hoc præassumens dixit, q.d. hoc cogitatis, & dicere mihi proponitis, quod non est credendum mihi, quia testor de meipso.

Unde sensus est: [Testimonium] meum non est verum,] vobis, sive secundum suscipionem vestram. Secundum *Gl.* aliter solvitur. [Si ego] homo solus [testimonium] perhibeo de meipso, i. gloriam appetam purus homo. [Testimoniom meum non est verum] quia omnis homo mendax, i. omnino homo, i. purus homo, q. d. ego non habeo veritatem ab homine, sed a Deitate. Sed secundum *Chrys.* ut diximus, loquitur secundum suspicionem Judæorum: [Non est verum] vobis, sc. in hoc, primum dissolvit eorum altercationem, dicendo, sc. quod erant dicturi: & in ostendendo, quoniam novit eorum ineffabilia mentis. Et in hoc ostendit primo virtutem suæ Deitatis, quia secreta cordis eorum intelligit: Deinde alias demonstrationes subdit manifestas, tres inducens testes eorum, quæ dixerat, sc. opera, quæ ab ipso facta sunt, Patris testimonium, & Joannis prædicationem. Et primo ponit minorem, scilic. eam, quæ Joannis, dicens: [Alius est, qui testimonium perhibet de me] scilicet, Joannes.

c Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.] supple, sicut vos iniqui cogitatis: quia etsi ferrem testimonium de meipso, adhuc verum esset, licet non secundum vestram malam suspicionem. Et quod ita legendum sit, patet, quia dicit *inf.* 8. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est: ibi enim attendit veritatem rei; hic autem suspicionem audientium Judæorum. Sed quia Joannes fuit in admiratione apud eos, ideo ejus testimonium inducit. d Alius est, qui testimonium perhibet de me.] sc. Joannes. Sed tamen *Gloss.* legunt hoc de testimonio Patris, sed non puto, quoad litteram bene legant, licet posset aptari testimonio Patris. e Et scio, quia verum est testimonium ejus, quod perhibet de me:] & ideo etiam ego cum veritate de me possum dicere, quæ ille testificans vobis respondit. Et ut magis convincat eos, ostendit, qualiter ipsum Joannem dignum fide reputabant dicens.

f Vos misistis ad Joannem,] sicut habitum est, *supra* 1. nullo vos cogente, & constat, cum quæreretis ab eo, dignum fide habebatis, vel stulte misistis. g Et testimonium perhibuit veritati.] licet iatis institerunt nuncii vestri, ut eum a veritate deflecterent. Et cum deberet addere: igitur debebatis ei credere, non infert hoc, sed ostendit, quod ipse non pro Christo testabatur, sed pro ipsis Judæis, ut sic magis credant ei. Et ideo subdit.

Chr. f Vos misistis] q. d. non utique misissetis, si non dignum fide opinaremini & adhuc majus est, quod miserunt ad eum non de Christo, sed de se interrogantes; quem autẽ in his, quæ sunt pro seipso, dignum fide reputaverunt, multo magis in his, quæ pro alio. Homines enim non ita credunt his, quæ de seipsis dicunt, ut his, quæ de aliis dicunt.

Moral.

a Quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.] Hoc est contra inobedientes, & homines propriæ voluntatis. Et dicit *Bern.* quod sola propria voluntas ardet in inferno: tolle eam, & jam non est infernus. *Matth.* 26. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. *Is.* 46. Vocans ab oriente avem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ, i. qui omnem voluntatem meam faciet. c Si ego testimonium perhibeo de meipso, &c.] Hoc est contra gloriosos, & arrogantes, qui se jactant, & commendant. *Prov.* 18. Justus prius accusator est sui, non commendator. 2. *Cor.* 10. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat. *Prov.* 28. Qui se jactat, & dilatat, jurgia concitat. d Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio, quia verum est testimonium ejus, quod perhibet de me;] Hoc est, quod dicitur *Prov.* 27. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. f Vos misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati; ego autem non ab homine testimonium accipio;] Hic instruimur, etsi laudemur ab aliis; tamen propter nos hoc non affectemus. Unde bene dicit: [Non ab homine testimonium accipio] quia omnis homo mendax, Deus autem verax, cujus testimonium, & laudem debemus nobis quærere. *Chr.* Si laudes amamus, eas, quæ a Deo sunt, quæramus. Nam quæ quidem ab hominibus laus est, simul & apparuit, & periit. 1. *Mach.* 2. Gloria hominis stercus, & vermis est, hodie extollitur, & cras non invenietur: quia conversus est in terram suam, & cogitatio ejus periit. Item *Chr.* Si videri, & laudari a turbis amas, attrahe plebem Angelorum, & fias terribilis dæmonibus, & humanarum laudum nullam habebis curam; sed omnia clara hujus mundi ita conculcabis, ut gurgitem, & lutum: & videbis tunc manifeste, quoniam nihil ita animam deformat, sicut gloriam amare: Non enim est possibile, qui hanc amat, vitam vivere crucifixam. i Sed hæc dico,] de mea commendatione. k Ut vos salvi sitis.] Nota, quod per textum in hoc loco instruimur, quando, & cui commendare

* nosipsos, vel

dignum judicavimus. Ideo subdit. *n* Ille erat lucerna ardens, & lucens.] Ardens quantum ad veritatem vitæ, & fervorem exequendi suum officium. Lucens vero quantum ad splendorem famæ, & opinionis, quæ de ipso erat. Hæc lucerna fuit accensa in sanctificatione, exposita in prædicatione, extincta in decollatione, de qua dicit *Ps.* 131. Paravi lucernam Christo meo, &c.

a Ille erat lucerna ardens, *b* & lu-

Δ Vos

Moral. * nosipsos, vel commendari velle, & testimonium habere possumus. Primum est, quod laudem, vel testimonium non quæramus nisi a bonis, & de veritate, & sine placentia vana, vel corrupta affectione, & pro utilitate aliorum, ut alii salvi fiant. De primo dicit *Senec.* Tantum sit tibi laudari a turpibus quantum ob turpia. *Prov.*1. si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. *Eccl.*28. Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam. De secundo sc. quod nisi de vero debemus velle laudari, dicitur. 2.*Cor.*12. Veritatem dicam; porro autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut audit ex me. De tertio dicitur. 1.*Cor.*4. Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die. Item. *Galat.* 1. An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. De quarto dicitur 2. *Cor.* 12. factus sum insipiens, vos me coegistis. Et postea dicitur, omnia autem, charissimi, propter ædificationem vestram. Sequitur.

a Ille erat lucerna ardens,] charitate.

b Et lucens] exemplo vitæ, & apertione doctrinæ. *Eccles.*48. Surrexit Elias quasi ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat. Prius oportet, quod homo sit ignis, ut in se ardeat, antequam verbum ejus alios comburat. *Bern.* Qui non ardet, non accendit: nusquam carbone mortuo accenduntur alii carbones. Nota, quod Joannes dicitur lucerna, non ignis. Fuit enim quasi radius Solis, non erat Sol. *sup.*1. Non erat ille lux, sed lucerna, supple, quæ habet lumen ab igne: Ita Joannes a Christo. *Deut.* 4. Deus noster ignis consumens est, *sup.*1. Non sum ego Christus. Item Joannes dicitur lucerna: quia sicut lucerna debet præire Dominum; ita Joannes Christum. *Ps.*131 Paravi lucernam Christo meo. *Luc.* 2. Præibis ante faciem Domini parare vias ejus. *Malac.*3. Ecce mitto Angelum meum ante faciem meam, &c.

Item lucerna oleo nutritur, vel alio fomento; sic Joannes gratiam Dei proficiebat, & confortabatur, ut dicitur *Luc.*1. Puer autem crescebat, & confortabatur Spiritu, i. gratia Sp. Sancti, quæ est nutrix Sanctorum.

Unde *sup.*16. Omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebant. Econtra dicetur de malis *Bar.* 4. Contristastis nutricem vestram, i. repulistis gratiam. Item hæc lucerna fuit accensa in nativitate, & in utero; sicut dicitur *Luc.*1. Et Sp. Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. Posita fuit super candelabrum in prædicatione, abscondita fuit, & recondita in carne, emuncta fuit in decollatione, non extincta. Lucerna enim licet videatur extingui, cum emungatur, tamen clarior redditur: sic Sancti licet tribulationibus premantur, vel morte etiam, tamen lucidiores redduntur. Unde *Jud.*7. Fractis lagunculis magis resplenderunt lampades, & territi sunt hostes. *Exod.* 1. Quanto magis filii Israel opprimebantur, tanto magis crescebant, & multiplicabantur, *inf.* 12. Nisi granum frumenti, &c. Ideo fides Sanctorum comparatur grano sinapis, quod tritum majoris est virtutis. *Matth.*13. *Greg.* Qualis unusquisque apud se lateat, illata contumelia declarat. Et nota, quod ista lucerna, sc. B. Joannes fuit ardens interius per charitatem, & lucens exterius dupliciter, quantum ad conversionem, & prædicationem. Unde dicitur Lucifer. *Job* 38. Nunquid producis Luciferum in tempore suo? In vita enim, & doctrina alios illuminavit. Quantum ad vitam ejus, & conversationem exteriorem notantur tria, locus solitarius: asper vestitus: insipidus, & parcus cibus. In his dedit nobis exemplum ista lucerna. De primo dicitur *Luc.* 1. Puer crescebat, & confortabatur Spiritu, & erat in desertis usque ad diem ostensionis suæ ad Israel. Et in hymno.

Antra deserti teneris sub annis
Civium turmas fugiens petisti,
Ne levi saltem maculare vitam crimine posses.

Thr. Sedebit solitarius, & tacebit. De secundo dicitur *Matth.*3. Ipse Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. In quo confundimur de mollitie, & gloria vestium. *Matth.* 11. Quid existis in desertum videre, hominem mollibus indutum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. *Chrys.* Omne vestimentum ad tres causas pertinet. Ad speciem visionis, tale servis Dei habere non convenit. Ad delectamentum corporis, tale servientibus Deo non est aptum. Ad tegumentum nuditatis, tale fuit Joannis, non de lana, sed de pilis.

Item *Chrys.* Si is, qui tam purus erat, ad tam asperam vitam se cogebat, quam excusationem habebimus, qui peccatorum onera portantes nos mollificamus? *Luc.* 16. Induebatur purpura, & bysso, &c. Contra quod dicitur *Eccle.*12. In vestitu ne glorieris unquam. 1.*Tim.*6 Habentes alimenta, & quibus tegamur, &c. *Is.*20. Vade, & solve saccum de lumbis tuis, &c. *Jon.*3. Surrexit Rex de solio, & abjecit vestimentum suum, & indutus est sacco, &c. De tertio, sc. de parco victu, & insipido; dicitur *Matth.* 3. Esca autem ejus erat locustæ, & mel silvestre, *Dan.*10. Panem desiderabilem non comedi, &c. *Ps.*101. Cinerem tanquam panem manducabam. *Ezec.*4. Sume tibi frumentum, & hordeum, & fabam, & lentem, & milium, & viciam: & mitte in vas unum, & facies tibi panes. *Eccl.*29. Initium vitæ hominis aqua, & panis: ista pertinent ad victum, & vestimentum: hoc ad vestitum: & domus protegens turpitudinem, hoc pertinet ad locum. Ita fere in omnibus religionibus fuit in initio, quod habuerunt victum tenuem, & vestitum asperum, & vilem, & locum, sive domum pauperem, & humilem, sed procedente tempore, convalescente iniqua consuetudine, mutantur omnia ista, & redeunt ad formam sæcularem. In vita B. *Bern.* legitur. Prima facie ab introeuntibus Claramvallem, per descensum montis Deus in domibus ejus cognoscebatur, cum in simplicitate & humilitate ædificiorum simplicitatem, & humilitatem inhabitantium pauperum Christi vallis muta loqueretur. Sic B. Joannes fuit lucerna lucens per vitam. Fuit etiam lucens per doctrinam. Docebat enim nescientes, qui erant in tenebris ignorantiæ. *Ps. cr.*

Unde habetur *Luc.*3. quod docebat turbas, publicanos, milites, quid debebant facere. Item arguebat peccantes, ut Herodem. Item corripiebat obstinatos, & rebelles: ut Pharisæos. *Matth.* 3. Progenies viperarum quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? Comminabatur enim eis de præsenti dicens: Jam securis ad radicem arboris posita est. Et de futuro dicens: Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, &c. Item erudiebat in via justitiæ pœnitere volentes. Unde *Marc.*3. Pœnitentiam agite, &c.

Item facite fructus dignos pœnitentiæ. Hæc quatuor debet facere Prædicator: Docere, arguere, corrigere, erudire: Secundum illud *Tim* 3. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, Docuit autem constanter, & humiliter, & prudenter. Constanter, sine timore, *sup.* 1. Joannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens: Hic erat, quem dixi, &c. Ibi dicit *Chr.* Quid est, clamat? Cum fiducia, cum libertate, sine subtractione prædicat, Hoc est, quod dicitur 2. *Tim.*4. Insta opportune, importune, &c.

Item dicit Paulus *Act.* 20. Contestor vos hodie, quia mundus sum a sanguine omnium; non enim subterfugi, quo minus annuntiarem vobis omne consilium Dei.

Item docuit humiliter sine elatione, quia cum tantus esset, ut etiam Christus putaretur: tamen dicit, non sum Christus, non sum Elias, non sum Propheta, non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamentorum ejus. Talis est fidelis dispensator. *Bern.* Fidelis minister es, si de multa gloria Domini tui, & si non exeunte ex te; tamen transeunte per te, nihil manibus tuis adhærere contingat. Item prudenter, quia cuilibet distribuit secundum quod competebat turbis, militibus, publicanis, Pharisæis, ut dicitur *Luc.* 3. &c. Talis est dispensator prudens. *Prov.*14. Acceptus est Regi minister intelligens. Sic potest illud verbum exponi de B. Joanne, de quo specialiter dixit Dominus: [Ille erat lucerna ardens, & lucens:] Quod etiam debet prædicatoribus convenire. *Aug.* Sancti prædicatores lucernæ sunt: quia accensi sunt lumine veritatis, & fervent spiritu charitatis, & suppetit eis oleum gratiæ Dei. Si non essent lucernæ, non diceret illis Dominus: Vos estis lux mundi: *Matth.* 5. Item lucerna quandoque accenditur, quandoque extinguitur; sed Sol semper manet in suo lumine, & calore: Ita Sancti non habent semper gratiam prædicandi, vel illuminandi, sed amittunt etiam aliquando

* gratiam

▲ *a* Vos autem voluistis exultare ad horam in luce ejus] Hoc, quod dicit: [Voluistis exultare in luce ejus] ostendit, quod susceperunt testimonium ejus, & eum dignum fide reputabant. *Unde* etiam non qualescumque miserunt ad eum, sed Sacerdotes, & Levitas. Hoc autem, quod dicit, [ad horam,] demonstrat, quod cito ab eo recesserunt, cum non possent eū inclinare ad id, quod volebant.

> cens. *a* Vos autem voluistis exultare ad horam in luce ejus, *b* Ego autem habeo testimonium majus Joanne. *c* Opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut *d* perficiam, ea *e* ipsa opera, *f* quæ ego facio, *g* testimonium perhibent de me, *h* quia Pater me misit, Et qui misit me *i* Pater, ipse testimonium perhibuit de me. *k* Neque vocem ejus unquam audistis, *l* neque spe-

Statim enim calumniā inferebant, dicentes: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? *sup.* 1. Sed si testimonium Joannis, a quo cito recessistis, non movet vos. *b* Ego autem habeo testimonium majus Joanne,] q.d. ita quidem Joannes testatus est: [Ego autem habeo testimonium majus Joanne,] idest, quod efficacius vos cogit credere me esse verum Filium Dei. Quia sicut dicit *Chrys.* non poterant quidem dicere, quod nihil esset de testimonio Joannis, quia ad eum miserant, & negare non poterant: sed possibile erat eos dicere, quia gratia testatus sit; hoc autem de operibus nullus dicere poterat, quia ipsi, qui sanabantur, etiam quemlibet insanientem convicissent. Et ideo inducit, *c* Opera enim, quæ dedit mihi Pater,] Per opera intelligit miracula, quibus nullus contradicere poterat. Per hoc, quod dicit: [Quæ dedit mihi Pater,] per generationem, supple, intendit probare, quia ista opera non erant possibilia alicui potentiæ creatæ, cum ipsa fuerint supra omnem cursum naturæ. Per hoc, quod sequitur, *d* Ut perficiam ea,] notatur, quod miracula data sunt ad instruendum ad fidem. Fides autem ex illa parte, qua est per auditum, juvatur miraculis, & doctrina, & hujusmodi adminiculantibus non causantibus ipsam. Et ideo subdit ultra. *e* Ipsa opera,] miraculorum. *f* Quæ ego facio,] per meipsum, quod non faciunt alii Sancti. Ideo enim dicit. [Quæ ego facio,] cum ante dixerit. [Quæ dedit mihi Pater.] Sancti enim non faciunt proprie miracula, sed propter merita eorum fiunt a Deo.

g Testimonium perhibent de me,] & hoc fortius est, quam testimonium Joannis. Nihil enim fortius est, & incontradicibilius veritate, quæ sumitur ex parte rerum. Et hæc veritas est in testimonio operum; in testimonio vero Joannis non fuit nisi veritas opinionis bonæ. Cujus rei vero testimonium perhibeant opera, & etiam Joannes aperit, cum subjungit. *h* Quia Pater me misit] Et si ipse me misit, ut talia opera perficiam, frustra vos calumniamini, quod sim contrarius Patri talia opera faciens in die Sabbati, quæ nonnisi ab ipso possum perficere, Sed incidit hic duplex dubium. Primum est, quia ipse non dicit, quod opera testentur, quod sit Filius Dei, sed quod Pater misit eum. Secundum est, quare non probat, quod par, vel æqualis sit Patri; sed tantum usque ad hoc ratiocinationem deducit, quod non sit Patri contrarius, subjiciens id, quod ulterius sequitur ex his, quæ præposuit. Ad primum dicendum, quod sicut patet ex supra dictis, nihil ita Judæos incitabat contra eum, sicut quod se dicebat, naturalem Filium Dei esse, cum viderent eum hominem esse mortalem, & illud nulla vi sustinere poterant; & ideo, ut condescendat eis, non id ponit in voce; sed relinquit eis hoc arguere ex his, quæ ipse dixit, & quæ jam susceperant. Ad secundum respondet *Chr.* & bene, dicens, utraque erat ab operibus discere, & quoniam nihil contrarium facit, & quoniam par est ei, qui genuit, quod & præcedens construit *inf.* 10. dicens. Si mihi non creditis, operibus credite, ut sciatis, & credatis, quia ego in Patre, & Pater in me est. Sed quia majus & dignius testimonium erat testimonium Patris, quam utrumque istorum, & minoris suspicionis: ideo consequenter transfert se ad illud dicens, *i* Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me.] Et in Baptismo, *Luc.* 3. Et in monte. *Matth.* 17. Sed illud quidem, quod in monte fuit, non audierunt; illud vero, quod in Baptismo, non attenderunt: & ideo non curaverunt, & nihilominus tamen ipsum testimonium in se fortissimum fuit, Sed quia poterant dicere, etiam Moysi locutus est Deus, quid tu de voce ista gloriaris? prævenit hanc eorum suspicionem dicens. *k* Neque vocem ejus unquā audistis,] quia nullam habet: vox enim pertinet ad indigentiam materialis naturæ. *l* Neque speciem ejus]

* gratiam, & resurgunt per pœnitentiam, sed Christus non, *Unde sup.* 1. Super quem videris Sp. Sanctum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat. *Moral.* Item lucerna, cum emungitur, tunc videtur extingui; sed fortius accenditur: & quod mortuum est in ea, aufertur: sic Sancti. Unde 2. *Cor.* 12. Cum infirmor, tunc potens sum. Item *ie ead.* Virtus in infirmitate perficitur. Item lucerna est lux intra vas: & si volumus, quod luceat extra, oportet, quod vas sit lucidum, & mundum, non obfuscatum, vel deturpatum: sic lux doctrinæ fulget in honestate vitæ, quia non est speciosa laus in ore peccatoris. *Eccl.* 15. Item dicit *Aug.* quod lucerna oleo nutritur, vento extinguitur, & extincta putet: sic Prædicator nutritur oleo gratiæ; sed extinguitur vento superbiæ, & putet, sive fœtet aliis per exemplum malæ vitæ. *Infr.* 2. Et nota, quod patiuntur abortum prægnantes animæ. Vel potest dici, quod lucerna est candela in vitrea, i. fides, spes, & charitas in anima. In candela enim tria sunt, lichnus, & cera, & ignis. Lichnus, qui est ex multis filis, est fides, quæ est ex pluribus articulis. Iste debet esse excussus ab aristis, sc. ne credat sortilegiis, & documentis vetularum. Et nota, quod lichnus quanto est intra candelam profundior, tanto est candela melior: sic fides, quanto de occultioribus est, & quæ sunt *sup.* rationem, tanto magis meritoria est: Quia dicit † *Greg.* Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. *al.* † *Aug.* Cera, quæ est ex melle, est spes, quæ procedit ex puritate conscientiæ. Sevum fœtens est spes in carnalibus, & terrenis. *Jer.* 17. Maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Ignis est charitas. *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram, &c. Et sicut ignis superior est in candela; ita major horum est charitas. 1. *Cor.* 13. Hunc ignem, sive hanc lucernam extinguunt tria. Ventus superbiæ, sive flatus adulationis humanæ, aqua luxuriæ, & gulæ, profunda obscuritas avaritiæ, sicut qui candelam in pixide poneret, statim extingueretur. [ut ergo ardeat, & luceat lucerna nostra, ab illis caveamus. [Erat] inquit [lucerna ardens, & lucens.] Ardere debet homo charitate, lucere discretione. *Bern.* Charitas sine discretione errat: discretio sine charitate jacet. *In prolog. Bibliæ, c.4.* Vel ardere in nobis, ut boni simus: lucere, ut aliis simus utiles, & proficui. *Bern.* Lucere vanum, ardere sanctum, lucere, & ardere perfectum. Quidam volunt ardere tantum in se. Et de talibus dicit *Hier.* Sancta rusticitas tantum sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat. Isti sunt pigri, sicut ille, qui abscondit in sudario pecuniam Domini sui. *Luc.* 19. Alii sunt, qui tantum volunt lucere, ut hypocritæ, & ficti. Lux enim, quæ est sine ardore, non est lux vera, sed ficta, sive picta. Tales sunt sidera errantia. *Can. Judæ.* Utrumque autem debet habere sanctus Prædicator. Unde *Tim.* 4. Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis: sic enim teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt. Seq.

a Vos autem voluistis exultare ad horam in luce ejus] Ita est de hominibus hujus mundi, quando audiunt aliquem magnum Prædicatorem, cujus fama lucet: omnes sequuntur, sed ad horam. Talis enim est gratia mundana, & favor popularis, statim decidit: quia non gratia moventus, sed curiositate. Sicut dicitur *inf.* 6. quod sequebantur Christum propter signa quæ faciebat, i. pro curiositate signorum. Unde significantur hic in luce ejus, non in ardore. Seq. *b* Ego autem habeo testimonium majus Joanne: opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea: ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.] Majus est testimonium operum, quam hominum, etiam Sanctorum. Unde fatuissimus est, qui credit magis de se mendacibus, & falsis hominibus, quam propriis operibus: Et talium tamen infinitus est numerus, quos conscientia accusat; & tamen adulatio lenit, & justificat, ita ut contra opera propria, quorum conscii sunt, credant falsis testibus: Tales fascinati sunt. *Sap.* 4. Fascinatio nugacitatis obscurat bona. Seq. *h* Quia Pater misit me: & qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me, &c.] Nota in summa moralitatem, ut facilius nos expediamus. Hic per ordinem ponuntur quinque testimonia, Joannis, Operum, Patris, Scripturæ, & Moysi. Hæc quinque si habeamus, securi esse possumus de causa nostra, & de hæreditate recuperanda: quia non solum in ore duorum, vel trium, sed etiam quatuor, vel quinque stabit nostrum verbum. Primus testis Joannes, idest, gratia perhibet nobis testimonium de culpæ remissione. Unde dicit illud. *Sapien.* 1. Ecce

* Agnus De

ciem ejus] ideſt, divinitatem. *a* Vidiſtis.] quia inviſibilis eſt omni creato. Et quod legitur in *Exodo*, & in *aliis locis*, totum peractum eſt in ſubjecta creatura, ſicut vult *Chryſ.* & *Auguſt.* *infr.* 12. *ſuper Geneſ.* Unde dicit hic *Chryſ.* Sicut dicens, quoniam, [neque vocem ejus audiſtis,] propter hoc non dicit; quoniam, habet quidem

ciem ejus *a* vidiſtis. Et *b* verbum ejus non habetis in vobis manens: *c* quia quem miſit ille, hunc vos non creditis. *d* Scrutamini *e* Scripturas, † in *f* quibus vos putatis vitam æternam habere. Et *g* illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me: *h* & non vultis venire ad me, ut *i* vitam habeatis. k Claritatem *l* ab hominibus non accipio: ſed *m* cognovi vos: quia *n* dilectionem Dei non habetis in

vocem; ſed non audibilem, ita dicens, [neque ſpeciem ejus audiſtis:] non hoc dicit, quoniam ſpeciem quidem habet, non autem conſiderabilem; ſed quoniam horum nihil circa Deum, & ideo neceſſe eſt Gloſare ſpeciem pro Deitate. Et infra parum continuat *Chryſ.* id, quod ſequitur cum præcedente, ſic dicens: Et quod dico hoc, ait, non ſolum, neque vocem ejus audiſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis, imo quod plus eſt, licet præcepta ejus credatis vos ſuſcepiſſe, & detinere; tamen dico vobis, quod ea non habetis in vobis. Et hoc eſt. *a* Et verbum ejus non habetis in vobis manens:] hoc eſt conſtitutiones, legem, & Prophetas. Etſi enim Deus hæc conſtituit, tamen apud vos non ſunt.

al. † quia vos putatis in ipſis.

c Quia quem miſit ille, huic vos non creditis:] Si enim ſurſum, & ubique deorſum docent Scripturæ, ut mihi credatis, vos autem non creditis, manifeſtum eſt, quoniam ſermo ejus deſtitit a vobis. Sed quia habebant dicere: Si Moyſi non eſt locutus Deus, quia vocem non habet: ergo eadem ratione, nec tibi teſtatus eſt. Ideo inducit.

d Scrutamini Scripturas,] q.d. in illis Pater teſtatur mihi, ſi eas intus legatis. Et ideo, [ſcrutamini,] id eſt, diligenter inveſtigate intellectum, contenti ſola littera. *e* Scripturas] illas.

f In quibus vos putatis vitam æternam habere.] Putatis, dicit, ut oſtendat, quia nihil faciebant in Scripturis, niſi tantum legebant litteram, & ideo non habuerunt ſcientiam de vita æterna, ſed opinionem debilem, ſive putationem.

g Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.] q.d. quas vos putatis vitæ cauſas, illæ de me teſtantur. Unde patet, quod ſolum impedimentum, quod non credatis, eſt in mala veſtra voluntate, quia ratio Scripturarum mihi credere ſuadet. Et hoc eſt, quod ſequitur:

h Et non vultis venire ad me,] q.d. Scripturæ teſtantur de me, & tamen per illas non vultis venire ad me, ideſt, credere in me. Et quanta ſit malitia, oſtendit per id, quod ſequitur:

i Ut vitam habeatis] quia nec magnitudo præmii poteſt vincere magnitudinem malevolentiæ, quæ ex invidia naſcitur. k Charitatem ab hominibus non accipio:] Iſta eſt ultima pars, in qua arguit eos de incredulitate. Et dividitur in quatuor partes. In prima oſtendit, quod amore ſolius veritatis, & Patris arguit eos. In ſecunda annunciat eis pœnam, in quam juſto judicio Dei traditi ſunt, quia eum non receperunt, ſcil. quod recipient operatorem erroris, ſc. Antichriſtum. Et hæc incipit, ubi dicit: [ego veni in nomine Patris mei, &c.] In tertia oſtendit eis cauſam obſtinatæ incredulitatis eorum, ubi dicit, [quomodo poteſtis vos credere,] in quarta annunciat eis duriſſimam accuſationem, qua accuſabuntur apud Patrem ab eo, in quo maxime confidunt, ſc. a Moyſe, ubi dicit, [nolite putare, quia ego, &c.] *Chryſ.* ſic continuat ad præcedens. Ne putetur, inquit, hæc omnia dicere propter amorem laudis, vide, quid inducit, [claritatem,] ideſt, laudem, vel gloriam. *l* Ab hominibus non accipio:] ideſt, non indigeo. Non eſt, ait, natura mea talis, ut indigeat ea, quæ ab hominibus eſt, gloria. Si enim Sol a lucernali lumine nequaquam ſuſcipit adjectionem, multo magis ego humana non indigeo gloria.

m Sed cognovi vos quia dilectionem, &c.] q.d. non ut me exaltem, iſta dico vobis. Si enim tantum zelatis Deum Patrem, ut dicitis, cum ex teſtimonio Joannis, & operum, & Patris, & Scripturæ convicti ſitis me non eſſe contrarium Patri; nunc mihi debebatis occurrere, & cum admiratione ſuſcipere, [Sed] ego, [cognovi vos,] quia non eſt ita, ut dicitis. *n* Quia dilectionem, &c.] ſed omnia facitis, ut timorem cordis veſtri, & invidiam conveletis: & ideo juſto judicio trademini alii, qui

a ſeducet

* Agnus Dei. Gratia enim dicit, & oſtendit nos innocentes, facit enim redire ad ſtatum innocentiæ. Opera laborioſa, quæ facimus, perhibent nobis teſtimonium de pœnæ dimiſſione, quia labore operum ſatisfacimus. *Apoc.* 12. Opera illorum ſequuntur illos ad teſtandum pro ipſis: ſicut opera malorum ad teſtandum contra ipſos.

Moraliter.

Unde *Sap.* 4. Ex iniquis omnes filii, qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ adverſus parentes ſuos. Tertius teſtis, ideſt, Pater teſtimonium perhibet de dilectione, & devotione, quando homo fervidus eſt in oratione, & meditatione, & quaſi transfiguratur in novam formam altioris vitæ. Unde dicit Pater ad eum *Matth.* 3. & 17. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Cum talibus enim deliciatur Dominus. *Proverb.* 8.

Quartus teſtis, ideſt, Scriptura teſtimonium nobis perhibet de jugi ſtudio, & lectione ipſius legis divinæ: Secundum illud *Pſalm.* 1. In lege Domini voluntas ejus: & in lege ejus meditabitur die, ac nocte.

Quintus teſtis, ſcil. Moyſes teſtimonium perhibet de præceptorum impletione. *Eccl.* 15. Si volueris mandata conſervare, & conſervabunt te. Seq.

d Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me:] Quidam non ſcrutantur Scripturas, non quærunt medullam Scripturæ, ſed ſuperficiem, & ideo non inveniunt Jeſum, non inveniunt ſapientiam, quæ eſt in profundo. *Pſalm.* 118. Beati, qui ſcrutantur teſtimonia ejus. *Prov. c.* 3. Beatus homo, qui invenit ſapientiam: quæ invenitur in profundo Scripturæ. Scriptura enim eſt quaſi regio metallica, ubi invenitur aurum, ut dicit *Chryſ.* *Prov. c.* 2. Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies. *Job c.* 28. Trahitur ſapientia de occultis *Matth. c.* 13. Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro. Ager eſt Scriptura, theſaurus eſt ſapientia Dei, vel vita æterna, quæ ibi invenitur. Unde dicitur:

f In quibus vos putatis vitam æternam habere.] In Scripturis legendis, & ſcrutandis ſolum, non eſt vita; ſed in faciendis. *Pſal.* 18. In cuſtodiendis, ideſt, pro cuſtodiendis illis retributio multa, *infr.* 13. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. Ideo duo dicuntur in *Pſalm.* 118. Beati immaculati in via, qui ambolant in lege Domini: Ecce opus. Et ſequitur: Beati, qui ſcrutantur teſtimonia ejus, &c.

Item alibi *Pſal.* 1. In lege Domini voluntas ejus, ad faciendum, ſcil. & in lege ejus meditabitur, ecce ſtudium. Ideo errabant Phariſæi, qui in Scripturis legendis ſolum vitam putabant habere.

Unde Jeſum non inveniebant, licet ad Jeſum ducerent Scripturæ. Unde ſequitur:

h Et non vultis venire ad me,] per fidem operantem.

i Ut vitam habeatis,] quia ego ſum vita, *infr.* 14. Sequitur:

k Charitatem ab hominibus non accipio, ſed cognovi vos: quia dilectionem Dei non habetis in vobis.] Hæc eſt bona conſideratio contra laudem humanam, ut homo non quærat laudari a peccatoribus, quos ſcit eſſe inimicos Dei, & non habere ejus dilectionem.

Ideo dicit *Pſalm.* 140. Oleum peccatoris non impinguet caput meum. *Sen.* Tantum ſit tibi laudari a turpibus, quantum ob turpia.

Et nota, quod dicit: Claritatem ab hominibus non accipio.

Laus enim hominum non eſt claritas, ſed obſcuratio. *Sap.* 4. Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona. Homines ſunt tenebroſi, vel tenebræ: & ideo claritatem non poſſunt conferre; ſed Deus, qui eſt Sol, claritatem confert conſcientiæ, cui teſtimonium reddit. *Sap.* 6. Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia. *Malach.* 4. Vobis timentibus Deum orietur Sol juſtitiæ. Iſte Sol eſt in homine cauſa generationis, quia generat in anima prolem virtutum, & bonorum operum, & illuminat conſcientiam.

Unde *Sapient.* 4. O quam pulchra generatio cum claritate. Cum generatione enim bonorum operum eſt claritas conſcientiæ, quia Spiritus reddit teſtimonium conſcientiæ, quod ſumus Filii Dei, ſicut dicitur *Romanor.* 8. Et hæc eſt gloria, quæ a ſolo Deo

a seducet vos. Et hoc est, quod sequitur: a Ergo veni in nomine Patris mei,] sicut probatum est ex omnibus mihi testimonium perhibentibus. b Et non accepistis me.] per devotionem fidei. Et ideo justum est. c Si alius venerit] sc. Antichristus. d In nomine suo,] quod false usurpabit [illum accipietis.] Ita legitur hæc littera secundum expositores Latinos. Secundum Græcos jacet littera sic: [Ego veni in nomine Patris mei, & non suscepistis me; si alius venerit in nomine suo illum susci.] Et Chr. legit sic: Antichristum hic ænigmatice ostendit, quem irrefragabilem eorum indevotionis ponit demonstrationem: si enim sit, ut amante Deum me persequamini, multo magis in Antichristo facere vos hoc oporteret. Illa enim nihil tale dicit, neque missum esse a Patre, neque secundum voluntatem venire illius; sed contrarium omne tyrannice ea, quæ in nullo sibi congruunt, rapiens, & super omnia Deum seipsum esse dicens, sicut Paulus ait 2. *Thes.* 2. Super omnia dictum Deum, vel culturam ostendentem seipsum, quoniam ipse est Deus. Hoc enim est in nomine proprio venire, ego autem non ita; sed in nomine Patris mei veni. Et consequenter causam obstinationis eorum arguit dicens: f Quomodo potestis vos credere, qui gloriam abinvicem accipitis] i. qui omnia agitis propter vanam gloriam: & tamen dicitis, quia hoc amore Dei facitis? Et hoc expressius patet per id, quod sequitur: h Et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis?] q. d. si hanc veram gloriam quæreretis: tunc amore Dei faceretis, quod facitis, sed tunc mihi crederetis. Et ostendens, quod omnino sunt privati venia, inducit etiam Moysem accusaturem eorum dicens: k Nolite putare, quia ego] discretive debet legi, i. ego, ita quod non alius. l Accusaturus sum vos apud Patrem] cujus obsequio vos facere hoc dicitis. m Est, qui accusat vos, Moyses] qui ante me testificatus injuriam passus est in his, quæ fecistis mihi. Et ut magis percutiat, eos inducit. o In quo vos speratis,] quod, supple, intercessorem habeatis. Sed unde constat hoc, quod Moyses accusabit eos, præcipue cum Christus solverit Sabbatum, quod Moyses præcepit observari? Ad hoc respondet *Chrys.* sic dicens: Nimirum omnia hæc desuper habent constructionem. Cum enim in confessionem deductum sit, quoniam a Deo venit, & ab operibus, a voce Joannis, a testimonio Patris, manifestum est, quoniam Moyses eos accusabit. Quod enim ille dixit *Deut.* 18. de nomine, quoniam si quis venerit signa faciens, & ad Deum ducens, & futura prædicens cum veritate, cum omni obedire ei oportet persuasione? Et ideo inducit ulterius. p Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi.] Et hoc quod dicit, [forsitan,] est strisio increduli, non dubitatio Dei. Potest etiam dici, quod in fide sunt duo, sicut dicit *Aug.* sc. cogere, & assentire. Ad primum poterat cogi ratio Judæorum. Si enim Moyses idem dicit cum Christo, necesse est, quod si ratio Judæorum inclinatur in dictum Moysi, quod etiam inclinetur in dictum Christi, assensio vero illa, quæ est ex parte voluntatis, cum voluntas impossibilium sit, sicut dicit Philosophus, bene poterat inclinari ad Moysen ita, quod non inclinarentur ad Christum, & hanc libertatem, quæ est in illo credere, quod inducit ex parte voluntatis non rationis, notat hoc, quod dicit forte, quia dubium erat secundum comparationem ad causam immediatam, non dico secundum comparationem ad causam primam: & ideo simul erat dubium, & certum. q De me enim ille scripsit.] *Deut.* 18. Et in multis aliis locis. r Si autem illius litteris non creditis] in quo speratis, & in summa veneratione est apud vos, tanquam legislator vester, & Dux, & per quem liberati estis de Ægypto, s Quomodo verbis meis credetis] cum me odio habeatis, & quæratis interficere, & dicatis Deo esse contrarium? Et ex hoc patet ratio, & causa evidens, quare ipsi Judæi præ omnibus recipient Antichristum, sc. quia ille odit Christum, & Christo omnino erit contrarius. Unde cum & ipsi odiant Christum, & nihil omnino possint suscipere amicabiliter de Christo, facillime ad contrarium ipsius devolventur. Et nota malitiam eorum: quia cum Christus dicit, quod Moyses de eo scripsit, si aliquid benignitatis haberent, deberent quærere locum Scripturæ. Sed non cupiunt discere, sed victi testimoniis multis, quia contradicere non valebant, obmutescunt. Sicut enim dicit *Chrys. in hom.* 41. in fine. Talis est nequitia, quodcumque quis dicat, vel faciat, non erigitur, sed manet proprium venenum observans.

vobis. a Ego veni in nomine Patris mei, b & non accepistis me. Si c alius venerit in d nomine suo, illum e accipietis. f Quomodo potestis vos credere, qui g gloriam ab invicem accipitis: h & gloriam, quæ a solo Deo est, s non quæritis? k Nolite putare, quia ego l accusaturus sum vos m apud Patrem: est, qui n accusat vos, Moyses, in o quo vos speratis. Si p enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. q De me enim ille scripsit. Si r autem illius litteris non creditis, s quomodo verbis meis credetis?

* est & non ab homine. a Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me] in affectu per amorem, in intellectu per fidem, in manu per operationem. c Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.] Alius, sive alienus est diabolus, qui recipitur contempto, & repulso Christo. Unde *Isa.* 57. Juxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus. Et subdit causam, quare Dominus repellitur, quia gloria mundana appetitur. Et hoc est. f Quomodo potestis vos credere] i. ad humilitatem fidei vos inclinare. g Qui gloriam abinvicem accipitis,] idest, acceptam habetis. Ad litteram, qui credebant Christo, despiciebantur ab aliis, & extra Synagogam fiebant, & ideo pauci volebant ad Christum converti, quia amabant ab aliis honorari. Ita hodie gloria mundi omnes retrahit a servitio Dei: & tamen maxima gloria est sequi Dominum, sicut dicitur *Eccl.* 23. Et hoc est, quod subditur. h Et gloriam, quæ a solo Deo est] i. gloriam conscientiæ in præsenti, & gloriam æternam in futuro, [non quæritis.] Hæc est magna insania, gloriam hominum, quæ stercus, & vermis est quærere, & gloriam Dei repellere. 2. *Cor.* 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et idem dicitur *Jer.* 9. *Chrys.* Si laudes amamus, eas, quæ a Deo sunt, quæramus laudes. Nam quæ quidem ab hominibus est laus, qualiscumque fuerit, simul & apparuerit, & perit. Unde *Ps.* 9. Periit memoria eorum cum sonitu: & Dominus in æternum permanet. De hoc habes *supr. eod.* Ego ab homine testimonium non accipio. k Nolite putare, &c.] Quia multa dixerat de se, & non credebant, poterat credere quis, quod esset accusaturus, vel quod venerit in mundum, non ad salvandum sed ad perdendum, quod falsum est: quia venit quærere, & salvum facere, quod perierat, ut dicitur *Luc.* 19. Et *sup.* 3. Non misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Ideo dicit: [Nolite putare, quia ego accusaturus sum vos,] idest, quia venerim ad accusandum vos [apud Patrem: est, qui accusat vos, Moyses,] q. d. ego non accuso vos, sed vestra transgressio. Moyses enim dicitur accusare, idest, transgressio mandatorum legis per Moysen datæ. Vel; k Nolite putare, &c.] q. d. non accuso vos solus, sed Moyses mecum, idest, non accusabimini in judicio solum pro contemptu mei, sed pro contemptu Moysi. Nota, quod Christus non est modo accusator, sed excusator apud Patrem; secundum quod dicitur *Hebr.* 7. Semper vivens ad interpellandum pro nobis. Et 1. *Joann.* 2. Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. *Bern.* Magnum habes, o homo, accessum ad Deum, ubi habes Filium ante Patrem: Matrem ante Filium. Filius ostendit Patri latus, & vulnera; Mater ostendit filio pectus & ubera. Nec potest fieri ulla repulsa, ubi tot charitatis concurrunt insignia. n Est qui accusat vos, Moyses, in quo vos speratis.] Per Moysen intelligitur hic Scriptura, sive lex, quæ data est a Moyse. Unde notandum, quod quinque habebunt mali in judicio accusatores, sive testes contra ipsos. Primus est Creator. Unde *Jer.* 29. Ego sum Judex, & testis, dicit Dominus. Secundum est creatura. *Sap.* 5. Armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Item *in eod.* Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Item Scriptura, ut dicitur hic: Est, qui accusat vos, Moyses, &c. Item conscientia est testis. *Rom.* 2. Testimonium perhibente illis conscientia ipsorum, & inter se cogitationum accusantium, aut etiam defendentium in die, cum judicabit Deus occulta hominum. Item culpa. Secundum illud *Jer.* 2. Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te.

p Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi,] Qui enim crederet Scripturæ, crederet inspirationi divinæ, qua Deus loquitur in corde. Unde patet, quod qui repellunt gratiam, qua cor movetur a Deo, non credunt veraciter Scripturæ Dei: [De me enim ille scripsit, &c.]

Moraliter.

Mali in judicio habebunt quinque accusatores.

EXPO-

EXPOSITIO CAP. VI.

POst hæc abiit Jesus, &c.] Ex his, quæ tradunt Auctores ordinantes Evangelicam historiam, cogimur dicere, quod istud, quod hic dicitur, sit recapitulatio. Tempus enim Dominicæ prædicationis a Baptismo scil. ejus usque ad suam Passionem solet dividi in tres annos, & dimidium. Primus annus computatur istud spatium, quod fuit a baptismo Christi, usq; ad Incarcerationem Joannis, ubi est annus: & quantum est ab Epiphania, usque ad Pascha, pro anno dimidio computatur: secundus ab incarceratione Joannis usque ad mortem ejus: tertius a morte Joannis usque ad Passionem Domini. Tradunt itaque auctores, ut habes in *quadam Gloss. circa principium Marci*, quod tres Evangelistæ, facta primi anni omnino prætermiserunt. Facta quoque tertii anni fere omnino, de eis enim paucissima tetigerunt. Facta vero medii anni sufficienter prosecuti sunt. Joannes autem, qui pro supplemento scripsit Evangelium de factis medii anni, quæ alii plene tractaverant, omnino siluit: quæ autem de primo, vel tertio, fuerant ab aliis prætermissa, supplevit. Supplevit itaque jam de primo anno mutationem aquæ in vinum, & primam ejectionem vendentium, & alia quædam. De tertio autem anno jam supplevit sanationem paralytici, qui languidus steterat diu ad piscinam. De qua supra proximo. Et illuminationem cæci, de qua habebis in sequentibus, *inf.* 9. Et suscitationem Lazari, *inf.* 11. Unde potest colligi, quod recapitulatio est, quod hic dicitur de refectione quinque millium. Si enim præmissa sanatio paralytici juxta piscinam facta est in tertio anno, certum est factam esse post hanc refectionem, & non ante. Certum est etiam, quod in principio tertii anni circa Pascha facta est decollatio Joannis, cui continuata est utraque refectio quinque millium, quam hic habes, & *Matth.* 14. & *Marc.* 6. *Luc.* 9. Et quatuor millium de qua habes *Matth. c.* 15. & *Marc.* 8. Decollato enim Joanne, fama Jesu ascendit statim ad Herodem, & putavit esse Joannem, quem decollaverat, dicens: Surrexit a mortuis, & ideo virtutes operantur in illo, & quærebat illum videre, quis esset. Et hoc audiens Christus, abiit trans mare Galilææ, & secuta est eum multitudo, quam refecit, sicut dicitur hic, & *Matth.* 14. Cum ergo constet hanc refectionem factam esse in principio tertii anni statim post decollationem Joannis, manifestum est, quod præcessit sanationem paralytici juxta piscinam, quæ facta est in eodem tertio anno in Pentecoste, ut dictum est: & ita quod hic dicitur, est recapitulatio. Alii dicunt, & forte verius ut credo, quod tres Evangelistæ licet sufficienter prosecuti sint facta medii anni, tamen aliqua præmiserunt. Dicunt ergo præmissam sanationem paralytici medio anno factam ab aliis tacitam, & a Joanne suppletam. Et secundum istos non est recapitulatio, sed recta historiæ prosecutio, quia secundum hoc præmissa sanatio paralytici facta est in secundo anno, in Pentecoste, sc. & refectio, de qua hic sequitur, facta est in tertio anno in principio, scilicet, ipsius anni tertii, circa Pascha, scilicet sequens. Istud capitulum dividitur in tres partes principales.

A

C A P. VI.

POst *a* hæc *b* abiit Jesus trans *c* mare Galilææ, quod est Tyberiadis. Et *d* sequebatur eum multitudo

Primo agitur de miraculo panum.

Secundo, de transitu super aquas, ibi. [Ut autem sero factum est, &c.]

Tertio, reprehendit Dominus † Discipulos, & instruit de cibo permanenti, ibi. [Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, &c.] Et hæc pars protenditur usque ad finem capituli de instructione eorum. Dicit ergo:

† turbas.

a Post hæc abiit] & continuatur secundum ordinem temporis, quia prædictum signum factum est in festo Pentecostes; istud autem circa Pascha sequens. *Gloss.* aliter continuat. Quia per superiora verba Christus Deitatis suæ, & humanitatis arcana monstravit: Ideo Evangelista post hæc agit de isto miraculo, in quo quod Deus esset, ostendit, non verbo, sed facto. *Chrys.* videtur sic continuare. Supra offensi erant Judæi de verbis ejus: ideo mitigat nunc eorum furorem per suam secessionem. Unde dicit, [post hæc,] quæ facta sunt.

b Abiit Jesus] Et sicut patet *Matth.* 14. ubi agitur de hac refectione, ipse secessit de Judæa, quia Herodes quærebat eum, credens quod ipse esset Joannes, qui a mortuis resurrexisset. Unde patet, quod jam decollatus erat Joannes, circa illud Pascha, ante illud miraculum.

c Trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis.] Stagnum erat dulcis aquæ, quod influitur a Jordane, sed Hebraico idiomate dicitur mare, quia congregationes aquarum appellantur maria. Dicitur autem mare Galilææ a regione adjacente. Dicitur Tyberiadis, a civitate, quæ supra stagnum sita est. Dicitur Genesareth a natura loci, quia ex se undis crispantibus generat auras. Dicitur stagnum, quia stat aqua. Et nota, quod in hoc moraliter instruimur, ut dicit *Chrysost.* ut furori cedamus, sicut ipse facit. Et *supr.* 4. Ut cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quod Jesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Joannes, reliquit Judæam, & ivit in Galilæam. Veruntamen in Galilæam modo abiens, non ad eadem vadit loca, ad quæ prius. Non enim in Chana ivit, ut *sup.* 4. sed ultra mare.

d Et sequebatur eum multitudo magna,] populorum. Et subdit causam.

▲ Quia

Mystice. *a* Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, &c.] Christus dicitur abire trans mare, quia semper in transitu fuit in mari hujus mundi. In via enim peccatorum non stetit, vel sedit, ut dicit *Psal.* 1. sed per mare crucis transivit mare sæculi præsentis, & venit ad gloriam Resurrectionis. Secundum illud *Matth. c.* 9. Ascendens Jesus in naviculam transfretavit, & venit in civitatem suam.

Mystice.

d Et sequebatur eum multitudo magna,] quia per prædi-

⊖ cationem

Moraliter. *a* Post hæc abiit Jesus, &c.] Per Jesum intelligitur Prædicator, qui seipsum salvare debet per bonam vitam, & alios per sanam doctrinam: Secundum illud 1. *Tim* 4. Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis: sic enim & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt. Et *Jac. cap.* 5. Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam a morte, &c. Hic prædicator refecturus plebem verbo prædicationis, primo mare hujus sæculi transire debet, & elongare. De quo *Psalm.* 103. Hoc mare magnum, & spatiosum: Et ascendere in montem vitæ eminentis, & tunc sequitur eum, idest, imitabitur, multitudo magna plebis. Unde *Gen. c.* 12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui: & veni in terram, quam monstravero tibi, faciamque te crescere in Gentem magnam. *Exod. c.* 3. Legitur, quod Moyses pavit gregem, postquam egressus est de Ægypto, & non ante. Similiter Jacob. *Genes. cap.* 19. Nec legitur habuisse filios, nec pavisse gregem, donec egressus est de terra sua. Hoc est, quod dicitur.

Moraliter.

d Et sequebatur eum multitudo magna.] Similiter qui egressus esset de amore mundi, multi peccatores sequerentur ejus doctrinam, & vitam.

Unde *Ezech.* 3. Assumpsit me Spiritus, & audivi post me vocem commotionis magnæ: benedicta gloria Domini de loco suo.

Ibi dicit *Gregor.* Prophetam vox commotionis magnæ sequitur, quia post verbum prædicationis conversorum, atque pœnitentium luctus audiuntur. Qui enim prius quieti jacebant in vulnere, tacti postmodum manu medicinæ, ad salutem redeunt cum dolore. De qua commotione dicit *Psalm.* Pedes ejus steterunt, & mota est terra.

Et nota, quod dicitur hic: [Multitudo magna,] quia multa sunt peccatorum genera.

Ipse etiam peccator multiformis est, quia habet diversas formas, sive facies deformitatum: Secundum illud *Psalm.* 71. Et facies peccatorum sumitis. Induit enim lupi formam per rapacitatem, leonis, per superbiam, ursi, per crudelitatem, & ita de aliis. Sunt etiam multiformes, quantum ad diversitatem, & multitudinem voluntatum, & affectionum. *Prov.* 13. Vult, & non vult piger.

Item *Prov. cap.* 15. Cor stultorum dissimile erit. Et secundum diversos affectus, diversas habent linguas, & confusas. Et hæc est confusio labiorum. de qua habetur *Gen.* 11.

Item secundum diversa genera peccatorum, obtinent diversa nomina nationum. Ammonites dicitur avarus populus, sc. turbidus. Conturbat enim domum suam, qui sectatur avaritiam, ut dicitur *Prov.* 15. Moabites, idest, ex patre diabolo dicitur superbus: Secundum illud, *infr.* 8.

magna, *a* quia videbant signa, quæ faciebat *b* super his, *c* qui infirmabantur. *d* † Subiit ergo in montem Jesus, *e* & ibi sedebat cum Discipulis suis. *f* Erat autem proximum pascha dies festus Ju-

▲ *a* Quia videbant signa, quæ faciebat] idest, miracula.
b Super his, idest, de his.
c Qui infirmabantur.] Isti enim curiosi, non veri sequaces. Unde dicit *Chrys.* Non erat firmæ mentis ista secutio plebis. 1. *Cor. c.*14. Signa infidelibus data sunt, non fidelibus. Alii sequebantur propter doctrinam, ut boni, ut *Matth. c.*7. Stupebant omnes in doctrina ejus, quoniam docebat eos, ut potestatem habens. Alii propter sanitatem habendam, ut infirmi. Unde *Marc. c.* 6. Percurrentes universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse: & quocumque introibat in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos. Alii propter invidiam, ut caperent eum in verbo, ut Pharisæi. *Lucæ cap.* 14. Ipsi observabant eum. Alii ut pascerentur ab eo. Unde *infra eodem*. Quæritis me, non quia vidistis signa; sed quia ex panibus manducastis, & saturati estis.

al. † Abiit.

Quidam sequebantur,
- Ut viderent nova miracula: Hi curiosi.
- Ut comederent de panibus ejus: Hi gulosi.
- Ut sanitatem recuperarent: Hi infirmi.
- Ut eum in sermone caperent: Hi Pharisæi.
- Ut doctrinam ejus acciperent: Hi discipuli.

Sed hic quærit *Chrys.* Propter quod non dicit Evangelista illa signa, quæ sequebatur multitudo? Et ad hoc respondet, quod ille Evangelista plus studuit enarrare sermones Domini, & verba ad plebem, quam signa. Unde de signis unius anni integri non ponit nisi de paralytico, *supr.*5. Et de filio Reguli, *supr.*4.
d Abiit] vel [subiit.] *Chrysostom.* [Abiit autem.] *Aug.* [Subiit ergo in montem Jesus.] *Chrys.* Propter quid ascendit in montem, & illic sedet cum Discipulis? Et respondet, propter id, quod debebat fieri signum.

Item ut per hoc erudiat tumultos, & turbationes fugere: Aptum enim quid est ad Philosophiam solitudo. Ideo sæpe solus pernoctat, & orat. *Luc.* 6. Docens eum, qui ad Deum vadit locum a tumultu purum inquirere. Unde *Eccl.*38. Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, sapientiam percipiet, &c.
e Et ibi sedebat cum discipulis suis.] Per hoc accusatur turba de pigritia, quia discipuli soli sequuntur.
f Erat autem proximum Pascha dies festus Judæorum.] Et quidam dicunt, quod post hoc Pascha decollatus sit Joannes. Sed per ea, quæ dicuntur, *Matth.* 14. De ista refectione, patet, quod jam erat decollatus. Propter hoc alii dicunt, quod alia refectio est ista, de qua loquitur hic: & alia de qua loquitur *Matth.* 14. Quia ista facta ante Pascha, ut dicitur hic; illa autem facta est post decollationem Joannis, qui post Pascha decollatus fuit, ut dicitur communiter.

Sed quærit hic *Chrys.* quare Christus non ascendit modo ad diem festum in Jerosolymam? Et respondet, quod per hoc solvit, & docet paulatim solvenda esse legalia. Occasionem autem secedendi sumpsit a Judæorum nequitia, qui ei invidebant.

▲ Cum sublecationem Apostolorum multitudo Gentium conversa est.

Aliter.

d Subiit ergo in montem Jesus,] quia post transitum hujus maris subiit in cœlum die Ascensionis.
e Et ibi sedebat cum Discipulis suis.] cum Angelorum & sanctarum animarum turmis, cum quibus ascendit; Secundum illud *Psalm.* 67. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus. *Exod.* 15. Introduces eos, & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine. *Gen.* 32. In baculo meo transivi Jordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior. *Isa.* 63. Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra. *f* Erat autem proximum Pascha dies festus Judæorum.] Per Ascensionem enim Domini fit proximus, & propinquus transitus in terram promissionis Sancti, qui Pascha, idest, transitum habent pro festo, qui scilicet, gaudent de morte, & lugent de exilio. Secundum illud *Phil. cap. primo*. Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. *Job cap. tertio.* Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint sepulchrum.

Ideo dicitur dies festus Judæorum, idest, vere confitentium. Tales enim confitentur, quia peregrini sunt, & hospites super terram, ut dicitur *Hebræor. capit.* 11.

Moraliter.

* Vos ex patre diabolo estis, & desiderium patris vestri vultis facere. Philisthæus dicitur gulosus, scil. potione cadens. Et sic de aliis.
a Qui videbant signa, quæ faciebant super his, qui infirmabantur.] Talis enim prædicator cæcos illuminat, claudos erigit, mortuos resuscitat, & cetera signa, secundum illud *Marci ult.* In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, &c. Item *Isa. cap.*11. Super foramina aspidis, & in caverna Reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Et *Job cap.* 26. Spiritus Domini ornavit cœlos, & obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus. Primo enim oportet prædicatorem a lacte consolationis mundanæ retrahi, & virtutibus ornari, quod idem est, quod mare Galilææ, quod dulce est, transire, & in montem secedere, & post per eum potuerunt serpentes, idest, peccata a cordibus hominum evelli, & morbi sanari.
d Abiit] vel, [subiit ergo in montem Jesus,] quod fit, quando prædicator, sicut dictum est, ascendit in eminentiam vitæ.

Secundum illud *Isaiæ* 40. Super montem excelsum ascende, &c.
e Et ibi sedebat cum Discipulis suis.] Sedere in monte, est de altitudine vitæ non retroducere. Secundum illud *Job* 27. Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram. *Rom.* 8. Quis nos separabit a charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an fames, &c. In hunc montem quidam ascendere volunt, quibus dicitur in Loth. *Gen.* 19. In monte salvum te fac; sed non audent: *Deuter.* 5. Timuistis ignem, & non ascendistis in montem. Hi sunt, quos terret sonitus folii volantis: qui timent pruinam: qui trepidant, ubi non est timor: qui fingentes sibi tentationes venturas, non audent pœnitentiam aggredi.

Sed nota, quod Jesus in monte sine Discipulis non sedet: quia sic prædicator, vel Prælatus debet studere ad vitam propriam, quatenus alios non deserat, sed cum eis sit per sollicitudinem, & curam. *Actorum capitulo vigesimo.* Attendite vobis, & universo Gregi, in quos vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam.

Vel aliter. Mons est altitudo contemplationis, in quem debet Prædicator ascendere cum Discipulis suis, quia in oratione, & meditatione debet omnia interiora sua colligere a vanitate sæculi, & præparare se, antequam audeat prædicare verbum Dei. *Gregorius.* In contemplatione hauriunt, quod aliis per prædicationem effundunt. *Apocal. capitulo octavo.* Angeli septem, qui habebant septem tubas, præparaverunt se, ut tuba canerent.

Per quos intelligitur universitas Prædicatorum, qui licet habeant omnem scientiam, quæ per septem tubas intelligitur, debent tamen se præparare ob reverentiam verbi Dei.
f Erat autem proximum Pascha dies festus Judæorum.] Tunc enim præcipue confluunt homines ad confessionem, & transeunt de vitiis ad virtutes, cum prædicator prius montem vitæ eminentis, vel arcem contemplationis ascenderit. Merito enim Prædicatorum convertuntur multi ad Deum.

Et dicitur Pascha dies festus Judæorum, quia soli Judæi, idest, confitentes peccata sua, faciunt istum transitum de membris diaboli in corpus Christi, de culpa ad gratiam, de vitiis ad virtutes, de servitute diaboli in libertatem regni, de exilio vitæ præsentis ad patriam æternæ felicitatis.

Talis dies est dies festus Judæorum. Homo enim, qui veraciter ore confitetur peccata sua, & quantum ad cor transit, idest, recedit a peccato, Deo, & Angelis, & sibi, & toti Ecclesiæ facit festum, & gaudium. *Luc. c.*15. Gau-

* dium est

a Cum sublevasset ergo oculos Jesus,] sursum, vel quia prius circa suos Discipulos habebat.
b Et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum,] quæ stabat inferius.
c Dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?] Ecce patet, de quibus tractabat cum Discipulis, de operibus, sc. misericordiæ *Chrys.* Hic ostenditur, quod nunquam inaniter sedebat cum Discipulis suis, sed diligenter loquens quid ad eos, & docens, & convertens eos ad seipsum, & consedebant fortassis, quasi in corona, adinvicem se videntes; in quo apparet ejus procuratio, & sollicitudo, & ejus humilitas, & condescensio. Dicit ad Philippum. Unde ememus panes, ut manducent hi?] Contra: Alii Evangelistæ dicunt, ut *Matt. c.* 14. *Marc. c.* 6. & *Luc. c.* 9. Quod Discipuli venerunt dicentes Jesu, ut dimitteret turbas ire ad emendas escas: hic autem inducitur Philippus primo interrogatus a Jesu. Ad hoc respondet *Chrys.* Mihi videntur utraque esse vera; sed tamen non in eisdem facta temporibus: sed illa, quæ alii Evangelistæ dicunt esse, esse antiquiora his, quæ dicit Joannes, quasi dicat *Chrys.* primo dixerunt Apostoli ad Jesum, ut dimitteret turbas, ut dicunt alii Evangelistæ: postea autem ipse allocutus est Philippum, ut dicit iste Evangelista.

[...]dæorum. a Cum sublevasset ergo oculos Jesus, & b vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit c ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? d Hoc autem dicebat, e tentans eum: f Ipse enim sciebat, quid esset facturus. g Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei h unus ex Discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri:

Et nota, quod Christus potius alloquitur Philippum: quia novit quis Discipulorum magis indigebat doctrina: Hic enim est, qui dicit *infr.* 14. Domine, ostende nobis patrem, &c. Propterea eum interrogando erudit, dicens. [Unde ememus panes, &c.] Nam si statim miraculum fecisset, non tantum appareret, ideo cogit eum prius confiteri inopiam, ut cognoscens, in qua necessitate erat, certius discat ejus, quod debebat fieri, miraculi magnitudinem. Et habetur simile *Exod. c.* 14. Quia Dominus non prius fecit signum, quam interrogaret, quid est in manu tua? Quia enim inopinabilia, quando repente, & subito contingunt, in oblivionem eorum, quæ erant apud nos, prius inducunt: ideo eum in confessione præsentis necessitatis illigavit, ut stupore facto ex miraculo memoriam eorum, quæ confessus est, non possit abjicere: & præterea ut a comparatione prioris status discat magnitudinem signi. Istæ sunt rationes, quare interrogavit. Tertia ratio est ad probationem ipsius; unde sequitur:
d Hoc autem dicebat tentans eum,] idest, probans, non ignorans tamen, quid erat responsurus. Et habetur simile *Gen. c.* 22. Tentavit Deus Abraham: & dixit: Accipe filium tuum amabilem, quem amasti Isaac, &c. Et loquitur: humano modo, ut dicit *Chrys.* Sicut enim cum dicitur: Scrutans corda Deus, non ignorare scrutationem ostendit, sed certissime cognitionis: Ita utique, & cum dicitur, quoniam tentavit, nihil aliud significat, quam quoniam sciebat certissime; sed & aliud est dicere scilicet, quoniam approbatorem eum faciebat. Est ergo sensus.
e Tentans,] idest, probans, & in certissimam sui cognitionem per hoc inducens. Et ne propter † dictionis infirmitatem inspiceris aliquod inconveniens: ideo Evangelista subdit:

al. † intellectus.

f Ipse enim sciebat, quid esset facturus.] Eodem modo sciebat, quid ille responsurus. Unde non ignorando quæsivit, sed probando.
g Respondit ei Philippus, ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat,] q.d. nescio, unde emantur panes, vel unde reficiantur plebes: quia si haberemus tot panes, non sufficerent; multo minus possumus, cum nihil habeamus.

Et est verbum infirmi adhuc in fide, quia non credebat paucis tot refici posse.

Determinato igitur hoc de Philippo, determinat de alio Discipulo, qui aliquantulum in fide perfectior erat. Unde sequitur:
h Dicit ei unus ex Discipulis ejus, &c.] eadem simplicitate, qua & Philippus, idest, consimili, quia uterque adhuc infirmus in fide.

Et notificat istum a disciplinatu, cum dicitur [ex Discipulis ejus,] a nomine. [Andreas,] a genere, [frater Simonis Petri:] Per quod innuitur, quod

Petrus

* dium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. *Esther cap.* 8. Judæis, idest, confitentibus nova lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium, apud omnes populos, urbes, & provincias quocumque Regis jussa veniebant mira exultatio, epulæ, atque convivia, & dies festus, intantum, ut plures alterius Gentis, & sectæ eorum religioni, & cæremoniis jungerentur: Grandis enim cunctos Judaici nominis terror invaserat. Sequitur:
a Cum sublevasset ergo oculos Jesus,] Primo in † prædicatione debet Prædicator oculos ad Deum dirigere: Secundum illud *Psalm.* 122. Ad te levavi oculos meos, &c. Et postea se ad considerandum fructum subditorum convertere. Unde sequitur:

al. † oratione.

b Et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum.] In hoc enim instruimur, ut nec ea, quæ Dei sunt, negligamus: nec ea quæ proximi.

Unde 2. *Cor.* 5. Sive mente excedimus Deo, sive sobrie sumus, &c.
c Dicit ad Philippum, unde ememus panes, ut manducent hi?] Quod est, quando Prædicator videns multitudinem plebis expectantem pastum prædicationis, convertitur ad seipsum, disquirens, quid habeat in intellectu suo, quo possit populum satiare.

Philippus enim interpretatur os lampadis, & significat intellectum, qui est quasi os, & janua cordis. Quia sicut homo primo cibum recipit in ore, & masticat, & postea transmittit in stomachum, & inde nutritur: sic primo recipitur verbum in intellectu per cogitationem, quasi in ore, & postea decoquitur in stomacho affectus per amorem, & demum transmittitur ad omnia verba per operationem. Prædicator ergo loquitur ad Philippum, unde emat panes, quando homo cogitat, quod de intellectu, & studio suo non habet, unde alios satiet, quasi dicat, hoc modo: non sufficit studium meum, vel ingenium, unde hoc possem habere, quod sufficiat tantæ turbæ.
d Hoc autem dicebat tentans eum,] idest, probans, quia hoc debet dicere homo, non per desperationem; sed propter probationem, & elationis depressionem, ne sibi attribuat, quod non habet ex se.
f Ipse enim sciebat, quid esset facturus,] ex Dei munere, cujus est panes multiplicare: sicut & Christus non habuit ab homine, quod multiplicaret panes, sed ex Deitate.

Et in hoc significatur, quod licet non satis confidat, quod habeat donum prædicandi, debet ingenium suum, & intellectum scrutari, ut videns suum defectum confiteatur. Unde sequitur:
g Respondit ei Philippus, ducentorum denariorum, &c.]

Ita respondet intellectus hominis sibiipsi, idest, hoc intelligit homo, & cognoscit, quod non sufficit ad prædicationem perfectio duorum talentorum, scilicet, scientiæ, & eloquentiæ, nisi etiam adsit donum gratiæ divinæ.

Unde *Infra decimoquinto.* Sine me nihil potestis facere. *Proverbiorum* 22. Super aurum, & argentum gratia bona.

Quia magis necessaria est gratia, quam scientia, & eloquentia: & ideo super hoc esse potest accumulativum, quia scientiæ, & eloquentiæ necessaria est additio gratiæ. *Gregor.* In vanum laborat exterius lingua prædicatoris, nisi intus operaretur gratia Salvatoris.

Isti sunt tres panes, quos petere debemus ab amico. *Luca* 11. Amice, accommoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me: nec habeo, quod ponam ante eum. *Isa.* 3. In domo mea non est panis, neque vestimentum.
h Dicit ei unus ex Discipulis eius: Andreas frater Simonis Petri:]

Petrus interpretatur agnoscens, & significat fidem, cujus frater est Andreas, qui interpretatur virilis, & decorus statione, & significat spem, quæ semper viriliter agit, & sursum se erigit.

Quando igitur videt homo: quod per scientiam, & eloquentiam non sufficit, & de se diffidit, sperare debet, & confidere de Deo, quod si affectuose ad

▲ Petrus senior erat ætate, sicut dicit *Gloss. sup.* 1.
a Est puer unus hic.] *Gloss.* Iste puer, vel unus ex Discipulis fuit, vel aliquis de turba.
b Qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces:] Sicut dicit *Chrys.* excelsior Philippo erat in fide Andreas sed non perfectus. Æstimo autem, quod non simpliciter dixit hoc ex se, sed quia audierat Prophetarum miracula, & signum quod fecerat Elisæus de panibus. 4. *Reg.* 4. Unde & aliquantulum credens hoc commemoravit. Sed quia non ad perfectionem fidei venerat, subdit:

Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9.

Est *a* puer unus hic, *b* qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: *c* sed hæc quid sunt inter tantos? *d* Dixit ergo Jesus. *e* Facite homines discumbere. *f* Erat autem fœnum multum in loco;

c Sed hæc quid sunt inter tantos?] Hoc imbecillitatis fuit. Credebat quod a paucioribus pauciora, a pluribus plura faceret, qui mirificabat, quod non erat verum. Similiter enim erat ei facile, & pluribus, & a paucioribus facere manere panum naturam. Non enim materie subjecta indigebat; sed ipsis creaturis utitur ad materiam miraculorum, ut ostendat se esse auctorem eorum, contra Marcionem, & Manichæum. Ideo etiam sicut diximus *sup.* 2. non creavit novum vinum, sed de aqua fecit, & hic similiter non novos panes creat, sed multiplicat jam procreatos. Et est notabile hic, quantum ad instructionem nostram, quod Discipuli dicuntur habere tales, & tam paucos panes.

Unde dicit *Chrys.* Discamus hinc nos, qui voluptati attendimus, quæ comedebant mirabiles viri, & magni, Christus scil. & Apostoli: & quantitatem eorum, quæ inferebantur ad mensam magnam, quia quinque tantum: & qualitatem, quia hordeacei, vilitatem mensæ eorum videamus, imitemur.

d Dixit ergo Jesus.] Continuatur sic: Sic desperaverat uterque Discipulus, ut dictum est. Quia ergo sic desperaverant, idcirco mirificaturus dicit;

e Facite homines discumbere.] quasi comesturos. Idcirco enim prius quæsierat ab eis, ut prius confessi rei difficultatem, postea cum factum fuerit, magis discant Dei virtutem. Et quia posset quis quærere de aptitudine loci ad recumbendum, ideo determinans subdit:

f Erat autem fœnum multum in loco;] illo, licet hoc factum sit ante Pascha,

▲ In terra

Moraliter.

* Deum convertatur, dabit ei Dominus verbum, & verbo affectum ad populum pascendum. Remittit ergo Andreas, idest, spes hominem ad puerum, idest, ad purum affectum, dicens:

a Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces,] iste puer est affectus, qui semper debet recurrere ad Deum, sicut puer ad matrem. Unde *Psalm.* 130. Sicut ablactatus est super matre sua, &c.

Item *Psalm.* 122. Sicut oculi ancillæ, &c. *Psalm.* 24. Oculi mei semper ad Dominum, &c. Affectus etiam debet esse [puer,] idest, purus in se sine macula per innocentiam, vel pœnitentiam.

Et debet esse, [unus,] quantum ad proximum per concordiam fraternam. Vel [unus] idest, non divisus, non discurrens per vanitates, & insanias falsas, quia mens divisa non impetrat. Et debet esse plenus, ut habeat quinque panes hordeaceos in memoriam Passionum Domini. Qui panes, quia reficiunt, & dicuntur quinque, propter numerum vulnerum, & hordeacei propter asperitatem tormentorum. Suadet ergo spes recurrere ad affectum, & de affectu compassionis ministrare plebi panes, idest, verba de passionibus, & vulneribus Christi: Sicut Apost. 1. *Cor. cap.* 2. Nihil me judicavi scire inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Isti panes sunt hordeacei, quia cum asperitate quadam, & amaritudine mentis debet recoli passio Christi.

Unde *B. Bernard.* Væ tibi, o amaritudo peccatorum meorum, propter quam tollendam, tantam, bone Jesu, oportuit te pati amaritudinem. *Cant. cap.* 1. Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

Sed nota, quod cum panibus adduntur pisces: quia non est amaritudo sine consolatione. *Psalm.* 93. Secundum multitudinem dolorum meorum, &c. Et 2. *Cor. c.* 1. Sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra.

Et nota, quod nos sumus sicut pueri, qui datis sibi pane, & pisce, panem rejiciunt, & piscem comedunt; ita nos, quod dulce est, retinemus; quod amarum est, rejicimus. *Prov. cap.* 1. Mane consurgent, & non invenient me, eo quod exosam habuerunt disciplinam, q.d. non habebunt piscem, idest, consolationem in me: quia noluat habere panem disciplinæ.

Duo autem pisces sunt spes, & charitas. Spes quidem piscis marinus est, quem Petrus trahit hamo suo de mari, idest, de tribulatione. *Matth. c.* 17. Quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem. *Rom. c.* 5. Charitas vero piscis est aquæ dulcis, & piscis mundus secundum legem, qui habet pennulas benignitatis: quia benigna est in subveniendo miseris: & squammas patientiæ, quibus munitur. Unde 1. *Cor.* 13. Charitas patiens est benigna est. De his dicit *Psal.* 88. Ponam in mari manum ejus sinistram, scilicet spem in tribulationibus, & in fluminibus dexteram ejus, scil. in bonis charitatem, ut sit læva sub capite, & dextera in amplexu. *Cant.* 2.

Et nota, quod plus debet homo comedere de pane, & utilius est ei, quam de pisce. Ita Dominus in præsenti plures dat tribulationes. Modo enim est tempus tribulationis. *Isa. c.* 37. Dies tribulationis, & angustiæ dies hæc.

Item raro, & non quotidie, sed in festivis diebus dat pauper homo pisces familiæ suæ: ita Christus suis non semper dat consolationes, sed raro, & in claris festis. Unde *Bern.* Rara hora, & parva mora. Et hoc est, ut avidius quæratur delectatio æterna.

Unde *Cant. c.* 1. dicitur. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Sed non dicitur hoc de Botro Cypri.

Secundum *Bern.* Quinque panes:
- Utilitas vestrum.
- Maturitas seniuum.
- Temperantia gulæ.
- Custodia linguæ.
- Labor manuum.

Vel: Quinque pane:
- Cognitio sui.
- Pudor commissi.
- Dolor amissi.
- Timor inferni.
- Cognitio mundi.

Duo pisces:
- Fides.
- Pœnitentia.

Duo pisces:
- Fides.
- Spes.

c Sed hæc quid sunt inter tantos? Ita dicit homo sibi ipsi: Præsto sunt panes, idest, passiones Christi; sed hæc parum prosunt multis; non sufficit eis prædicatio pœnitentiæ, volunt subtilia sibi prædicari. 1. *Cor. primo.* Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Sed *Isaiæ decimonono* dicitur: Confundantur omnes, qui operantur linum, plectentes, & texentes subtilia. Vel aliter: Hæc quid sunt inter tantos, q. d. non valet prædicatio mea: quantumcumque sit de bonis, nisi adsit gratia Salvatoris, quæ verba multiplicet, & efficaciam satiandi donet. *d* Dixit ergo Jesus, facite homines discumbere.] Sic homo spe confortatus, & habens fiduciam in Domino licet se insufficientem videat, tamen intellectum, & ingenium suum, & affectum, & omnes sensus, & membra applicat, & præmittit quasi ministros ad parandam mensam, sperans de Domino, quod cibum apponet, & multiplicabit, secundum illud *Psal.* 67. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. *Marc. cap.* 8. Accepit Jesus septem panes gratias agens, & fregit, & dedit Discipulis suis, ut apponerent turbæ. Sic Dominus prædicantibus dat septem panes, idest, universam refectionem Scripturæ. Et frangit, quia Scripturam eis aperit: Et hoc facit, non ut abscondant, sed ut turbæ apponant: quia qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. *Prov.* 11. *Tob.* 4. Si multum tibi fuerit, &c.

f Erat autem fœnum multum in loco;] Per fœnum intelliguntur homines carnales, vel carnalitas hominum, quia omnis caro fœnum. Ibi ergo est prædicandum, ubi sunt carnales homines, & peccatores, & qui non habent panes.

Contra illos, qui nolunt nisi in locis religiosis, vel Parisiis prædicare, ubi nimis abundant panes. Contra quos dicitur. *Isa. c.* 61. Ut mederer contritis corde, & prædicarem

Isa. 40.

5 captivis

▲ In teria enim illa circa Pascha habentur nova grana, & præcipiuntur offerri in Pascha. *Levit.* 23. Et postea ponebant falces in messe. Unde cum collectio fœni antecedat messem, non est mirum, si tunc erat fœnum in loco, & etiam propter vicinitatem aquæ. *Chrysost.* Discipuli cum desiderio discumbere fecerunt turbas.

a Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Accepit b ergo Jesus panes, & cum c gratias egisset, distribuit discumbentibus.

E
Marc. 6. Matth. 14. Luca 9. 30. dist. c. qui enle-Jastius.

a Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.] Numerus virorum ponitur ab Evangelista ob stuporem magnitudinis miraculi. Et nota, quod discubuerunt secundum ordinationem Apostolorum, quibus hoc injunxerat Dominus. Apostoli enim confestim obedierunt, & non tumultuati sunt, neque dixerunt, quid est hoc, qualiter jubet turbam recumbere, nullo adhuc cibo parato; sed ante visum signis credere inceperunt, qui in initio discrediderant, & dixerant. Unde ememus panes, &c. Hoc autem secundum *Chrys.* lucrati sunt ex interrogatione Domini priori, & ex eo etiam, quod ita secure nondum fractis panibus jussit eos recumbere, ac si essent omnia parata, mentes eorum suscitaverat ad fidem.
b Accepit ergo Jesus panes,] Jam eos multiplicaverat secundum *Chr.* Dicit enim sic: Nondum panibus apparentibus miraculum fecit: ut discas, quoniam non entia, ut entia ei subsistunt, secundum illud Apost. *Rom.* 4. Qui vocat non entia, ut entia: sive qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, &c. c Et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.] per se & per Apostolos. Hic quærit *Chr.* Quando paralyticum curat, non orat, *sup.* 5. nec quando mare compescit. *Matth.* 8. Nec quando mortuum erigit. *Matth.* 9. Cur ergo in panibus hoc facit? Et hoc solvit *Chrys.* tripliciter.

Primo, quia per hoc vult ostendere, quod qui comestionem incipiunt, gratias agere Deo oportet.

Secundo, quia in minoribus miraculis maxime hoc facit: ut dicamus, quoniam non indigens auxilio, sed condescendens hoc facit: Si enim indigens in majoribus maxime hoc fecisset, onde ex hoc, quod majora facit cum auctoritate, ostenditur, quod quando erat in minoribus, hoc facit, non ex indigentia, sed condescensive.

Tertio solvit, quia coram turbis orat: ut ostendat, quoniam Deo non est contrarius, & per gratiarum actionem destruat suspicionem populi. Quando vero sine turbis facit aliquod signum, non ita oportet orare.
d Similiter & ex piscibus, quantum volebat.] *Chrys.* Ex subjectis piscibus tunc factum est miraculum, post resurrectionem vero non de materia subjecta, sed de nihilo, *inf.* 21. ut scias, quoniam neque modo indignit materia; sed ut obruat hæreticorum ora.

Item alia ratio, quare ex subjecta materia non facit: ut non phantasia esse credatur, quod factum est. Hujus etiam gratia voluit fieri reliquias, & præcepit colligi, & reponi. Unde sequitur:
e Ut autem impleti sunt,] idest, saturati.
f Dixit Discipulis suis,] non turbis: quia Discipulis erant servitores.
g Colligite, quæ superaverunt, fragmenta, ne pereant.] Hoc autem non ad ostentationem, & gloriam suam fe-

▲ cit

Moraliter. S

* captivis indulgentiam, & clausis apertionem. Et *Ps.* 59. In Idumæam extendam calceamentum meum, &c. *Matth.* 9. Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus. a Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.] Per quod significatur, quod qui verbo Dei audiendo volunt attendere, & mensæ Domini participare, debent sensus suos arcere, & eis dominari perfecte, ut dicit *Gloss.* Contra illos, qui veniunt ad sermones, ut videant, & videantur, & concupiscant, & colloquantur cum mulieribus. *Isa. c.* 28. Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. b Accepit ergo Jesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.] Primo accipiendi sunt panes, post cum gratiarum actione distribuendi, ut prius habeat verbum in manu, quam in lingua. *Act.* 1. Cœpit Jesus facere, & docere. Et bene distribuendo, debet prius gratias agere, i. orare pro bonis habendis, vel gratias referre pro habitis, sicut Paulus dicens in Epistolis suis, frequenter incipit a gratiarum actione. Et nota, quod dicit, distribuit, idest, diversis tribuit, unicuique secundum modum, & statum suum, non uni tantum. *Matth. c.* 24. Quis putas, est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super fami-

liam suam, ut det illis cibum in tempore. d Similiter, & ex piscibus, quantum volebat.] Contra illos, qui initio prædicant, & tædio afficiunt auditores præ nimietate. *Esther* 1. Vinum abundans, & præcipuum ponebatur: nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum. Et nota, quod dicit, [similiter & ex piscibus.] Non solum panes, sed etiam pisces debet Prædicator offerre, ut aliquando dura, & cum duris consolatoria intermisceat. Possunt autem plures panes assignari,

Nota plures panes.

d Similiter, & ex piscibus quantum e volebat. Ut autem impleti sunt, dixit f Discipulis suis. g Colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereāt.

qui proponendi sunt in mensa Domini spirituali. Primus est memoria mortis. *Psal.* 101. Cinerem tanquam panem manducabam, idest, incinerationem. Iste panis satiat esuriem terrenorum.

In prologo Biblia c. 8.

Unde *Hier.* Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.

Secundus, est cognitio, vel cogitatio miseriæ præsentis, qua reficitur anima, quando cogitat, quod hoc sustinet propter peccata sua. *Job c.* 6. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. Iste panis expellit famem vitæ longioris. Unde Job satiatus hoc pane dicit: Tædet animam meam vitæ meæ. *Job c.* 10. Et *Gen. c.* 27. Tędet me vitæ meæ propter filias Heth.

Tertius est recordatio vitæ præteritæ cum dolore, sive recordatio peccatorum, quam vilia, quam damnosa, quam gravia. *Psal.* 41. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte. Et hic panis proprie est hordeaceus, repellens esuriem peccandi. *Nah. c.* 3. Omnis, qui viderit te, resiliet a te.

Quartus panis est pœnitentia, sive labor pœnitentiæ: De quo dicit *Ezech. c.* 4. Cibus tuus, quo vesceris, erit in pondere, quia secundum pondus culpæ debet esse pondus pœnitentiæ.

Item *Isa. cap.* 27. In mensura contra mensuram, &c. Vel in pondere, quia pœnitentia debet fieri cum discretione. *Rom. c.* 12. Rationabile sit obsequium vestrum. *Ezech. c.* 4. Panem suum comedent in pondere, & sollicitudine, ut nec nimis, nec parum. Iste panis expellit esuriem voluptatis carnalis. *Eccles. cap.* 11. Malitia unius horæ oblivionem facit luxuriæ maximæ.

Quintus panis est recognitio ignorantiæ vilitatis, & fragilitatis propriæ. Hunc panem offert Melchisedech, idest, Christus Abrahæ, idest, cuilibet Justo redeunti de victoria quinque Regum, idest, de subjectione quinque sensuum, qua, ne homo superbiat de victoria peccati, dat ei Dominus recognitionem sui. *Mich. c.* 6. Humiliatio tua in medio tui. Duo pisces sunt exempla Sanctorum, quæ proponuntur, & præmia Beatorum, quæ promittuntur. His duobus condiantur prædicti panes, & dulciores fiunt. *Greg.* Facta præcedentium recolamus, & gravia nobis non erunt, quæ sustinemus.

Gen. 14.

Quinque panes { Contritio. Confessio. Satisfactio. Obligatio. Oratio.

Quinque panes { Dolor de omisso. Pudor de commisso. Timor judicii. Horror inferni. Timor Dei.

Pisces { Elixus, exempla Sanctorum. Assus, exempla Martyrum.

Pisces { Propositum melioris vitæ. Spes veniæ.

Item *Greg.* Consideratio præmii minuit vim flagelli. Istos panes, & pisces debemus comedere, & turbæ proponere ad comedendum.

Secundum *Gloss.* Quinque panes sunt quinque libri Moysi.

Sed de his prætermitto, quia mysterium planum est in *Gloss.* Sequitur:
e Ut autem impleti sunt, dixit Discipulis suis: Colligite, quæ superaverunt, &c.] Discipuli Jesu, sunt Apostolici

* viri Prælati,

Aliter exponitur.

Aliter.

f Dixit Discipulis suis: Colligite, quæ superaverunt, fragmenta, &c.] Jesus est Prædicator, ut diximus, qui postquam pavit alienos, debet pascere proprios Discipulos, idest, virtutes suas, & affectiones bonas, vel operationes, vel sensus spirituales cibo spirituali nutrite: ut quæ dixerit aliis, & ipse faciat; nec saturatis aliis jejunus maneat.

Ita enim est de dispensatoribus, quod postquam

a fecit, sed ad fidei confirmationem, ut fragmenta credi faciant non fuisse phantasiam.

Ideo dicit *Psal.*20. In reliquiis tuis præparabis vultum eorum idest, mentem eorum aptabis ad fidem.

Item in hoc dat exemplum non calcandi, vel respuendi reliquias post ventrem repletum. *Prov.*27. Anima satiata calcabit favum.

a Collegerunt ergo, b & impleverunt duodecim cophinos fragmẽtorum ex c quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus, d quæ superfuerunt his, qui manducaverant. Illi e ergo homines cum vidissent, f quod † fecerat, signum, g dicebant: quia hic h est vere Propheta, i qui venturus est in mundum. k Jesus ergo cum cognovisset, l quia venturi essent, ut m raperent eum, n & facerent eum Regem, o fugit iterum in monte ipse solus.

al. † Jesus.

a Collegerunt ergo] quia sic est eis injunctum. b Et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum] i. de fragmentis, quæ residua erant. c Ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus] multiplicatis. d Quæ] fragmenta, [superfuerunt his, qui manducaverant.] Et quærit *Chrys.* cur Discipulis, & non turbis dedit cophinos portare? Et respondet. Quoniam hos maxime erudire volebat, & certificare de miraculo, qui orbis terrarum debebant esse Magistri. Multitudo enim nihil magnum fructificare debebat ex miraculis interim, sicut patet, quia confestim obliti sunt & petebant aliud miraculum. Et quod hoc fieret in eruditionem Discipulorum, patet, quia eis hoc commemorat, dicens: *Matth.* 16. Nondum intelligitis, quot cophinos sumpsistis? Hac etiam de causa tot fuerant cophini, quot erant Apostoli, ut essent ipsis omnibus in eruditionem, Judæ vero soli in condemnationem.

e Illi ergo homines cum vidissent,] idest, cum experimento cognovissent, non solum visu, sed gustu & tactu. f Quod fecerat signum,] idest, quam magnum, & apertum, & utile, & opportunum. Vel, cum vidissent illud signum, quod fecerat, non solum in multiplicatione panum, sed etiam in reliquiis fragmentorum.

g Dicebant, quia,] idest, quod.

h Hic est vere Propheta,] idest, verus Propheta, qui promittitur in lege. *Deut.* 18. Prophetam suscitabit tibi Dominus, &c. In cujus typo alii præcesserunt. Unde in Græco habetur. O Propheta, cum articulo, scilicet:

i Qui venturus est in mundum,] per manifestationem, quia jam venerat per carnis assumptionem. *Gloss.* [Venturus est,] idest, magnæ salutis mundo præco est futurus. Vel loquuntur pro tempore ante adventum. Et habetur simile *Marc. cap.* 11. Tu es, qui venturus es, an alium expectamus: idest, tu es ille, qui prædictus est venturus Messias in lege. *Chrys.* Ex hoc manifestum est, quoniam Prophetam quemdam præcipuum expectabant. Ideoque alii dicebant *infr.* 7. nunquid hic est Propheta. Et hi ideo dicunt in hoc loco. Hic est Propheta. Et nota, quod post saturitatem confitentur ei secundum illud. Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.

Unde *Chrys.* O de castrimargiæ superabundantia infinita operatus est mirabilicta, & nusquam hoc confessi sunt nisi quando impleti sunt!

k Jesus ergo cum cognovisset,] quia omnia novit, ut Deus.

l Quia venturi essent,] idest, venire proponerent, & deliberarent.

m Ut raperent eum,] idest, ad se violenter traherent.

n Et facerent eum Regem,] pro miraculo panum, volentes sub hoc esse, sub quo videbantur non egere, ut dicit *Gloss.*

o Fugit iterum in montem ipse solus,] a quo descenderat pascere turbas. *Chrys.* Pave! quarta est castrimargiæ tyrannis: quanta mentis est facilitas: non ultra legem vindicant, non ultra eis Sabbati transgressionis cura est, non ultra zelantur pro Deo; sed omnia ejecta sunt ventre repleto, & Propheta erat apud eos, & Regem intronizare debebant.

Et nota, quod Christus fugit propter exemplum, *Gloss.* docens nos prospera mundi fugere, & contra ea orare: ideo fugit ad locum orationis, in montem, sc. qui postea occurrit crucifixoribus *infr.* 18. *infr.* 8. Ego gloriam meam non quæro.

Item. Gloriam ab homine non accipio. *Chr.* Quid utique fugit? Erudiens nos mundanas contemnere dignitates, & ostendens, quoniam nullo indiget eorum, quæ in terra sunt. Qui enim omnia vilia elegit matrem, & domum & civitatem & educationem, & vestimentorum stolam: non debebat postea ab his, quæ in terra sunt, clarus apparere. Nam quæ quidem a cœlis erant, & clara erant & magna, & Angeli, & stella, & Pater clamans, & Spiritus testans, & Prophetæ a longe prædicantes. Quæ vero in terra omnia vilia elegit, docens nos contemnere ea, quæ hic sunt, & nunquam horrere, neque stupere ob ea, quæ in hac vita sunt clara, sed deridere omnia hæc, & futura amare. Qui enim admirantur ea, quæ hic sunt: non admirantur ea, quæ sunt in cœlis. Ideo & Pilato dicebat: Regnum meum non est hinc. *Jos.*18. Ideo ergo Christus fugit gloriam, in exemplum, sc. ut nos similiter faciamus. *Matth.*10. Si vos persecuti fuerint, &c. Quia eligi in Regem, vel in Prælatum, persecutio est.

Unde Philosophus. Quæ fortunæ munera putamus, insidiæ sunt. *Is.*31. Pavebunt Principes ejus fugientes.

Item fugit in montem, propter mysterium Ascensionis, ut dicit *Gloss.* ut significet Ascensionem suam in cœlos, ubi semper vivens interpellat pro nobis, ut dicitur *Heb.*7 Et dicitur solus ascendere: quia nullus ascendit, nisi ejus virtute, membrorum scilicet, cum capite.

Item ascendit in montem, propter Sacramentum significans, quod ejus altitudo non potest intelligi, ut dicit *Gloss. Psalm.*63. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. *Cant. capitulo* 6. Averte oculos tuos a me, &c. Et nota, quod fugit ipse in montem, multis rationibus,

Primo, ut ostendat solitudinem orationi, & contemplationi competere. *Thren. cap.* 3. Sedebit solitarius, & tacebit, &c.

Item fugit solus Discipulis nescientibus, ut ostendat, quod qui magis sunt familiares, magis persuadent honores. Ideo non consultis Discipulis fugit gloriam regni. *Mich.*7. Inimici hominis domestici ejus.

Alias duas,

Moraliter.

* viti, Prælati, quorum est fragmenta colligere, idest, subtiliora Sacramenta capere, quia grossos panes, idest, doctrinam debent simplicibus ministrare, ut dicit *Gloss.* Fragmenta autem, idest, subtiliora & altiora, debent cophinis tradere, idest, abjectis, & despectis mundo, perfectis, scilicet:

Vel aliter, ut per Discipulos Christi intelligantur simplices homines, & humiles, qui ferunt jugum, & disciplinam Christi. Secundum illud *Matth.*11. Discite a me quia mitis sum, & humilis corde. Fragmenta sermonis sunt quædam modica in sermone, ut forte aliqua exempla Sanctorum, vel aliqua verba bona devote prolata, quæ colligere debent simplices, qui magna recolere nesciunt. Unde dicit *Ruth* 2. quæ deficiens interpretatur, vel simplices homines significat, ad socrum suam: Vadam in agrum, & colligam spicas, quæ fugerint manus metentium. Quod faciunt simplices homines, quando subtilitatem sermonis dimittunt, & verba levia, quæ vix prædicator visus est avertere, attendunt, & recolunt. Et istud est valde utile homini, ut semper habeat apud se, & recolat verbum bonum quasi cibum, unde vivat, & morti, idest, peccato, vel tentationi resistat: Secundum illud *Psal.* 118. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. In corde dicit, quasi in sacculo, abscondi eloquia tua, quasi viaticum. *Psal.* Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, &c.

Aliter.

Θ aliis pabulum ministraverunt, pascunt seipsos. Unde *Eccl.*32. Curam illorum habe: & sic considera, & omni cura tua explicita recumbe.

Duodecim cophini, qui implentur ex fragmentis panum, sunt duodecim fructus qui reportantur ex sermonibus, sive prædicationibus, quos Paulus enumerat. *Gal.*5. Fructus Spiritus est charitas, pax, gaudium, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Vel in futuro reportabuntur duodecim utilitates.

Tres quantum ad tres dotes animæ; quatuor ad dotes corporis; quinque quantum ad repletionem quinque sensuum, qui hic non possunt repleri. Unde *Eccl.* 1. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur: Sed ibi replebuntur.

Unde *Phil.* 4. Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum. Et 1. *Cor.* 2. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec, &c.

Vel possunt hic poni duodecim fercula in mensa Dei, qui

Q sunt duo-

▲ Alias duas rationes ponit *Chryſ.* Prima, ut oſtendatur: quam gravis eſt, & damnoſa ejus derelictio. *Pſ.* 72. Mihi adhærere Deo bonum eſt: Ergo derelinquere, vel derelinqui malum: *Jerem.* 2. Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt dereliquiſſe te Dominum Deum tuum. Secunda, ut majorem amorem operetur in eis amplius deſiderantibus, & avidius requirentibus amiſſum, & ſolicitius cuſtodientibus inventum. Sequitur.

a Ut autem ſero factum eſt, *b* deſcenderunt Diſcipuli ejus *c* ad mare, Et *d* cum aſcendiſſent navim, venerunt *e* trans mare in Capharnaum: Et *f* tenebræ jam factæ erant: *g* & non venerat ad eos Jeſus. *h* Mare autem *i* vento magno flante *k* exurgebat,

a Ut autem ſero factum eſt,] ea die, qua clam Chriſtus ſugerat ab ipſis Diſcipulis, & turbis.

b Deſcenderunt diſcipuli ejus] a Magiſtro relicti.

c Ad mare] Tyberiadis. Cum enim cognoverunt ſe amiſiſſe Magiſtrum, ad mare Tyberiadis deſcenderunt, & uſque ad veſperam, i. uſque ad noctem expectaverunt eum ibi, ut dicit *Chryſ.* venturum eum eſſe putantes ad ſe. Facta autem nocte non ultra ſuſtinent, ſed navim aſcenderunt, putantes trans mare eum invenire in Capharnaum, vel in media via. Unde ſequitur:

d Et cum aſcendiſſent navim, venerunt] navigio, id eſt, venire cœperunt.

e Trans mare in Capharnaum] ubi credebant eum invenire, vel in media via, quia in Capharnaum manſionarius fuerat, & habitabat frequentius, & mater ejus, & fratres. Vel ſecundum *Auguſt.* [Venerunt,] dicit: per prolepſim, ſive per anticipationem Summatim enim proponit, quod poſtea explicabit, unde poſtea exponit, quid in veniendo contigit. Secundum *Chryſ.* plana eſt littera, quæ habet [veniebant,] ideſt, in veniendo erant, ſive veniendo tendebant in id, quod ultra mare erat, ſcil. ad Capharnaum.

Sed quia horam aſcenſus navis non determinaverat, ſubdit.

f Et tenebræ jam factæ erant] quando, ſcilic. aſcenderunt navim: quia uſque ad obſcuram noctem expectaverant Chriſtum, putantes eum ad ſe venturum.

g Et non venerat ad eos Jeſus,] quem expectaverant uſque ad noctem. Et nota fervorem diſcipulorum in quærendo Magiſtrum, ſicut dicit *Chryſ.* Facta veſpera non ultra ſuſtinent, ut quærant eum, tantus eos detinebat amor: Nec enim dixerunt: veſpera nunc eſt, nec aſſumpſit nos: ubi nunc abibimus? periculoſus eſt locus, & fallax tempus: ſed ab amore igniti aſcenderunt in navim. Neque enim inaniter Evangeliſta tempus deſignat; ſed ut per hoc calidum, & ferventem eorum amorem oſtendat. Quid autem in navigando eis contigit, ſubdit.

h Mare autem vento magno flante exurgebat,] i. intumeſcebat, cum jam eſſent in via.

▲ Cum remi-

Aliter. ⊙ ſunt duodecim panes propoſitionis, *Levit.* 24. Sequitur.

a Ut autem ſero factum eſt, deſcenderunt diſcipoli ejus ad mare, &c.] Myſterium planum eſt ſecundum *Gloſſ.* Et incipit hic novum miraculum, & ſimiliter novum myſterium. Sero mundi eſt poſt Aſcenſionem Chriſti: quia tunc lux de mundo receſſit ad cœlum: vel quia nos ſumus, in quos fines ſæculorum devenerunt, ut dicitur 1. *Corinth.* 10. In hoc ſero deſcenderunt diſcipoli ad mare, ideſt, ad laborem mundi, & regunt navem, ideſt, Eccleſiam, ut ducant eam in villam conſolationis, & pinguedinis, ideſt, in cœleſtem patriam.

f Et tenebræ jam factæ erant,] quia quanto accedit finis mundi, tanto charitas frigeſcit, *Matth.* 24. creſcunt errores, & crebreſcunt mala.

g Et non venerat ad eos Jeſus.] Boni enim etiam ſunt in præſenti in tenebris ignorantiæ, & miſeriæ: quia nondum venit Jeſus, i. ſalus, quæ veniet eis in morte.

h Mare autem,] ideſt, mundus.

i Vento magno flante,] i. omni genere tentationum, & perſecutionum.

k Exurgebat,] contra navem Eccleſiæ, quæ dicitur navis, quia in principio tempore Martyrum arcta fuit, & in fine; ſed in medio eſt lata, quantum ad pacem, & proſperitatem: ſed in medio tamen eſt ſentina per cupiditatem. De iſta navi dicitur *Prov. ult.* Facta eſt quaſi navis inſtitoris de longe portans panem ſuum. Mare autem dicitur mundus, quia tumet per ſuperbiam, fervet per invidiam, tempeſtat per iracundiam, ſubmergit per acidiam, candet per avaritiam, abſorbet per caſtrimargiam, ſpumat per luxuriam.

Item in mari, ideſt, in mundo major piſcis devorat minores. *Habacuch primo*, Quare taces, impio conculcante juſtiorem ſe, & facies homines, ſicut piſces maris?

Item in mari eſt cetus, ideſt, diabolus. Dicitur de ceto, quod eſuriens aperit os ſuum, & odorem emittit, quo odore piſces delectati, & decepti ſequentes odorem currunt in os ceti: Sic diabolus, delicias, divitias beatitudinem, odorem ſpirat delectabilem; ſed mendacem, & ſic multos abſorbet hoc odore deceptos, nec revomit niſi Jonam, qui interpretatur dolens, ſive donatus Deo. *Job* 7. Nunquid mare ſum ego, aut cetus; Vel navis, qua tranſitur mare, eſt pœnitentia: hæc eſt navis Simonis; altera navis Joannis eſt innocentia, de quibus habetur *Luc.* 5.

Per alteram iſtarum oportet tranſire ad patriam cœleſtem. *Pſalm.* 83. Non privabis eos bonis, qui ambulant in innocentia: Sed nec eos; dicit *Bernard.* qui in pœnitentia.

Hæc navis pœnitentiæ nobis neceſſaria eſt, ſi in ſero, ideſt, in tenebris hujus vitæ volumus tranſire mare, ideſt, pericula hujus mundi, & venire in Capharnaum, ideſt ad conſolationem, & pinguedinem Paradiſi. *Sap.* 14. Exiguo ligno credunt homines animas ſuas, ideſt pœnitentiæ, quæ parva eſt reſpectu peccatorum noſtrorum, quæ fecimus: & tormentorum, quæ meruimus, & laborum, quos pro mundo, vel diabolo ſuſtinuimus: & præmiorum, quæ expectamus.

Et ſequitur ibi: Et tranſeuntes mare, per ratem liberati ſunt.

Et *in eodem*; Spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remiſit ſæculo ſemen nativitatis: quia per pœnitentiam reditur ad ſtatum innocentiæ prioris, quæ fuit ſemen nativitatis ſpiritualis. *Sap.* 10. Cum aqua deleret terram, ideſt, cum delectatio ſubverteret terrenos, ſanavit ſapientia per contemptibile lignum Juſtum gubernans: quia per pœnitentiam, quam multi contemnunt, ſanatur quilibet, & fit juſtus.

Vel Juſtus antonomaſtice, & ſingulariter Chriſtus, qui ſanavit terram per contemptibile lignum Crucis, & ipſe ligno directus, & gubernatus eſt uſque ad littus Reſurrectionis, *Lucæ ultim.* Nonne oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? Crux enim Chriſti fuit ſua navis, arcta in principio, & in fine, ideſt, circa caput, & pedes, & in medio ampla: ita navis noſtra eſt crux noſtra, ideſt, pœnitentia. Hæc navis indiget remis, & remige, ſive rectore. Remi ſunt bona opera. Manus ad remos mittit, qui manus ad bona opera extendit. Rector eſt diſcretio, *Eccleſiaſt.* 9. Ego dicebam ſapientiam, ideſt, diſcretionem, meliorem eſſe fortitudine. Sed non ſufficiunt nobis remi: quia hoc mare nimis magnum, & ſpatioſum manibus; ſed indigemus vento, ideſt, gratia Dei, & tractu, ideſt, exemplo Chriſti, & Sanctorum.

De primo dicit *Pſ.* 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. De ſecundo, *Cant.* 1. Trahe me poſt te, &c. *inf. eodem* Nemo venit ad me, niſi Pater meus, qui miſit me, traxerit eum. Item navis quanto latior eſt, & longior, tanto ſecurior: ſic pœnitentia. Ideo ſtulti ſunt, qui cum poſſint habere bonam, & magnam navem, intrant in modicam, & periculoſam. Sicut Loth: *Gen.* 19. Eſt civitas hic juxta, ad quam poſſum fugere, parva: & ſalvabor in ea. Item navis, ideſt, pœnitentia, vel anima pœnitens debet eſſe clauſa ad aquas inferiores, & ad ſuperiores aperta. *Deut. c.* 11. Terra, ad quam ingrederis, montuoſa eſt, & campeſtris, de cœlo expectans pluviam, Item navigantes aliquando aſcendunt, aliquando deſcendunt: ſic pœnitentes aliquando aſcendunt ad ſuperna, aliquando deſcendunt ad inferna per timorem. *Pſ.* 105. Aſcendunt uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos.

Item navis quando ducitur velo, & vento ſine labore manuum, non timet piratas; ſed quando cum labore, & fatigatione: ſic quando pœnitentia cum faſtidio agitur, timendum eſt a Dæmonibus *Oſee* 7. ſecundum aliam litteram. Fortitudo tua viri piratæ tui. Item in navi eſt fœtor: ſic pœnitentibus debet fœtere, & diſplicere peccatum ſuum *Iſ.* 3. Et erit pro ſuavi odore peccati, ſcil. fœtor ejuſdem. Item qui in navi ſunt, viliſſimas aquas bibunt, & cibos aridos comedunt, & ad menſuram: ſic qui in navi arctæ pœnitentiæ ſunt. Unde Dominus in Cruce, per quam pœnitentia ſignificatur, aceto potatus, noluit bibere, cum guſtaſſet, *Matth.* 27.

a Cum remigassent ergo,] idest, remis navim impellerent.
b Quasi stadia vigintiqninque, aut triginta] & sic jam longe erant a terra.
c Vident Jesum ambulantem supra mare,] non tamen statim cognoverunt, quia Jesus esset, sed putabant phantasma esse, ut dicitur *Matt.* 14.

a Cum remigassent ergo b quasi stadia vigintiquinque, aut triginta, c vident Jesum ambulantem super mare, d & proximum navi fieri, e & timuerunt. f Ille autem dicit eis: g Ego sum: nolite timere.

C

Matth. 14. *Marc.* 6.

d Et proximum navi fieri.] Ita quod ex propinquo potuerint discernere, quod non erat unda maris, vel aliquid aliud, nisi forma hominis. e Et timuerunt,] *Matth.* 14. dicitur: quod turbati sunt, & clamaverunt. Turbati autem sunt, ut dicit *Chrys.* propter quatuor. Propter tempus, tenebrosum enim erat, idest, nox tenebrosa. Et propter tempestatem, mare enim erigebatur. Et propter locum, quia in mari erant, & longe a terra stadiis vigintiquinque. Et propter inopinabilem visum: viderunt enim eum supra mare ambulantem.
f Ille autem dixit] vel [dicit eis] ita turbatis,
g Ego sum: nolite timere] me esse phantasma, quasi dicat, non sum

Moraliter, * Ostendens, quod parum debet sumere pœnitens etiam de erbis aridis, *Is.* 30. Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam brevem.

Item navis contra ventum, & tempestatem duobus maxime indiget, videlicet, ancora, & saburra, idest, pondere, ne fluctuet: Sic pœnitentia contra insultationes diaboli indiget ancora spei, & saburra, idest, pondere timoris. Spes enim est ancora mentis.

Unde *Hebr.* 6. Firmissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut ancoram habemus animæ tutam, ac firmam. *Chrysost.* Hanc ancoram si non habuissemus olim, utique submersi essemus, *Act.* 27. Timentes, ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes ancoras quatuor, optabant diem fieri. Aspera sunt loca inferna: puppis est finis vitæ: quatuor ancoræ sunt spes de misericordia præveniente, cooperante, consummante, glorificante. Non enim in spiritualibus solum, sed in temporalibus, in militia, scilicet, in agricultura, nisi quis spem proponat, non tanget opera.

Et nota, quod ancora figitur in salo, & in arena, & non videtur multum firma: sic spes Sanctorum in paupertate, & tribulatione stabilitur, & ideo a malis infirma videtur. *Sapient.* 3. Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In arenis est absconditus thesaurus salutis. *Deut.* 33. Thesauros absconditos arenarum. *Matth.* 5. Beati pauperes spiritu, &c. Prosperatur Justus in morte sua, id pro mortificatione sua.

Ventus superbiæ {
Charybdis, idest, vertigo aquæ, quæ comparatur invidiæ.
Scilla, idest, rupes, vel scopuli, quæ comparatur iræ, & odio.
Ventus mollis, & lentus, & Gallice Bonage, qui comparatur acidiæ.
}

Saburra etiam indiget, idest pondere timoris, contra ventum elationis, & ne elevetur nimis ad flatum laudis, & adulationis. *Eccl.* 25. Timor Domini super omnia se superposuit. *Prov.* 16. Spirituum ponderator est Dominus.

Item nota, quod navis aliquando periclitatur: in mari enim sunt multa pericula, secundum illud *Eccl.* 43. Qui navigant mare, enarrant pericula ejus. In eo sunt obices scandalorum. *Matthæi* 18. Væ mundo a scandalis.

Item vertigines perplexitatum, sive voragines. Unde *Isai.* 19. Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis.

Item in eo sunt Sirenæ allicientium voluptatum *Gen.* 14. Vallis silvestris habebat multos puteos bituminis. *Is.* 13. Sirenæ in delubris voluptatis. Istæ Sirenæ sunt filiæ Moabitarum, quæ venerunt ad illudendum populum Israeliticum, *Num.* 25.

Item ibi sunt ceraunia, quotidianorum defectuum. Ceraunia enim sunt pericula, ubi utrinque est arena, & non potest se movere navis: Et ex hoc accidit tristitia sæculi, quæ mortem operatur, ut dicitur 2. *Cor.* 7.

Item ibi sunt collisiones ventorum, idest, diversitates tentationum, quæ impellunt navem pœnitentis. Unde *Job* 1. Cum comederent filii Job in domo primogeniti, irruit ventus a regione deserti, &c. Job dolens, idest, pœnitens: filii ejus, boni motus, & voluntates: domus, conversatio bona. Hæc omnia ventus tentationis destruit aliquando, & ipsum pœnitentem facit ruere in peccatum. *Ezech.* 1. Ecce ventus turbinis ab Aquilone, idest, a diabolo. *Job* 27. Tollet eum ventus urens, idest, tentatio, quæ urit virorem, & flores pœnitentiæ. Et sicut cito venit ventus, & nescitur unde: sic est de tentatione diaboli.

Sed nota, quod qui fundatus est super petram, non dejicitur a vento.

Unde dicitur *Matth.* 7. Venerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Sunt autem quatuor venti principales: Sic quatuor genera tentationum, quæ habentur *in Ps.* 90. Non timebis a timore nocturno; A sagitta volante, &c. Possunt autem alio modo sumi, quam distinguantur ibi *in Gl.* Tentat enim diabolus pœnitentem in experiendo non expertum, dicens: Nescis quanta, vel qualis est delectatio in hoc, vel in hoc: Si tentavit Evam de pomo vetito, & inexperto. *Prov.* 9. Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.

Genes. 3.

Item tentat de dimittendo bonum inceptum, dicens: Illud melius est, & debes facere: & hoc dimittere. Contra quod dicit Apostolus. 1. *Cor.* 7. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.

Item sollicitando de pusillanimitate, & timore, si homo velit mutare vitam suam in melius, & multa pericula † fugiendo.

al. † *fingendo.*

Unde dicit Rapsaces, *Is. c.* 36. Quæ est ista fiducia, qua confidis: aut quo consilio, vel fortitudine rebellare disponis?

Item *in eodem* Ut comedant stercora sua, & bibant urinam pedum suorum.

Item *Proverb.* 26. & 22. Leo est foris, leæna in itineribus.

Item tentat de differendo in posterum bonum propositum. *Sophon.* 2. Vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari. Corvus enim cantat cras, cras. *Isa. c.* 37. Venerunt filii usque ad partum, &c. *Matth.* 24. Væ prægnantibus, & nutrientibus, &c. Nota autem, quod super omnes ventos ille, qui dicitur mollis, periculosior est: sic tentatio in prosperitate. Contra istas autem tentationes facienda sunt ea, quæ fecerunt nautæ. *Jonæ* 1. ubi dicitur, quod vasa projecerunt in mari, deinde Jonam; tertio voverunt vota, quarto immolaverunt hostias. Vasorum projectio est eleemosynarum largitio, & temporalium abjectio. Projectio Jonæ in mare est filium Dei nobis in tribulatione associare, ut quando dicimus Domino, quod propter eum orta est tempestas: & quod propter odium quod habet diabolus contra Dominum, insurgit contra nos.

Unde *Ps.* 43. Propter te mortificamur tota die. Vovere vota, est recurrere ad beneficium orationis. Immolatio est beneficium devotionis. Felix, qui potest prædicta pericula evadere, & per navem pœnitentiæ transire usque ad Capharnaum, i. usque in Paradisum, quæ est villa pulcherrima ad videndum. Unde *Ps.* 25. Domine, dilexi decorem domus tuæ. Et est villa consolationis. Unde *Is.* 25. Absterget Deus omnem lacrymam ab omni facie. Et *Is.* 66. Quomodo si cui mater blandiatur, ita consolabor vos. Sequitur.

a Cum remigassent ergo quasi stadia vigintiquinque, aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, & proximum navi fieri.] Nota, quod non statim viderunt Jesum, quando inceperunt navigare, contra quosdam præsumentes, qui statim in principio pœnitentiæ suæ consolationes quærunt. *Proverb.* 20. Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.

e Et timuerunt.] Timuerunt esse phantasma, ita & Sancti timent in principio illusiones Diaboli: quia Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis. Hæc est differentia inter illusiones diaboli, & revelationes Dei, sive apparitiones bonorum Angelorum; quia boni Angeli, quando apparent, primo reddunt timorosos, & circumspectos, & in fine reddunt securos post apparitionem; mali Angeli e converso in ipsa apparitione solent quasi certos reddere, sed post incertos, & dubios mittere.

2. *Cor.* 11.

Unde & hic dicitur primo, timuerunt, sed securi facti sunt a Domino, qui dixit eis.

g Ego sum: nolite timere.] Sic & Maria primo turbata est in sermone Angeli, vel in Salutatione, & post certificata, *Luc.* 1. Et nota, quod sequitur:

* Voluerunt ergo

h non sum phantasma. Et non dicit, quis sit, quia ex voce poterant eum agnoscere, ut dicit *Hier. sup. Matt.* 14. Vel ut significet se esse illum, qui dicit: *Exod.* 3. Qui est, misit me ad vos. *a* Voluerunt ergo accipere eum in navim,] agnoscentes eum, scil. ex voce, & gaudentes de securitate. Vocem enim Christi statim tranquillitas secuta est secundum *Chrysost.* Unde etiam sequitur.

a Voluerunt ergo accipere eum in navim, & *b* statim navis fuit ad terram, qua ibant. *c* Altera die *d* turba, quæ stabat trans mare, *e* vidit, quia *f* navicula alia non erat ibi, nisi *g* una: *h* & quia non introisset cum Discipulis suis Jesus in navim; sed *i* soli Discipuli ejus abiissent. Aliæ k vero supervenerunt naves a Tyberiade l juxta locum, ubi manducaverunt panem gratias agentes Deo. *m* Cum ergo vidisset turba, quia Jesus non esset ibi, *n* neque Discipuli ejus, *o* ascenderunt in naviculas, *p* & venerunt Capharnaum quærentes Jesum. Et cum *q* invenissent eum trans mare, *r* dixerunt ei: *s* Rabbi, quando huc venisti? Respondit *t* eis Jesus, *u* & dixit: *x* Amen, amen dico vobis, *y* quæritis me, non quia vidistis signa; *z* sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.

b Et statim navis fuit ad terram, qua ibant,] quia tranquillatus est ventus, qui prius erat contrarius. Quærit autem hic *Chrys.* cur in navim non ascendit? Et respondet, ut miraculum majus faceret, & Deitatem eis revelaret apertius, duplici, scil. miraculo, & quia supra mare ambulabat, & mare præcepto suo sedabat. In hoc etiam fuit majus miraculum, quia extra navim existens potestatem usque ad eos, qui in ea erant, ostendebat. Hoc autem facit, ut ostendat eis, quod cum gratias egit in miraculo panum, non hoc fecit indigens auxilio, sed condescendens eis, ne crederent cum Judæi contrarium Deo. Ideo permisit tempestatem fieri, ut eum inquirerent: & rursus quietavit, ut virtutem suam eis ostenderet.

Item quærit *Chrysost.* quare solus, & solis Discipulis apparuit supra mare? Et ad hoc respondet, quod propter imbecillitatem turbarum, quæ non caperent tam magna, & propter eruditionem Discipulorum, ut specialiora viderent, qui erant futuri Doctores totius orbis,

Unde seorsum Discipulis multa dicebat in doctrina, & signa specialia ostendebat, sicut in transfiguratione. *Matth.* 17. Et hic in mari, Et post Resurrectionem *Inf. ult.* & per hæc etiam de aliis conjicimus.

Item solus eis apparuit, & tunc, ut ostendat, quod ipse solus est, qui tempestatem solvit; nec alii attribuatur, nec casu factam esse credatur.

Item quæritur, utrum hoc miraculum sit idem cum illo, quod habetur *Matth.* 14. De ambulatione supra mare, & tranquillitate venti facta. Ad hoc respondet *Chrysostom.* opinando magis, quam asserendo, quod non est idem, sed simile. Multoties enim eadem facit signa, idest, consimilia, ut minus stupeant ex frequentia, & plus credant. Et quod non sit idem, multipliciter patet. Hic enim statim suasi sunt, postquam dixit eis: [Ego sum, nolite timere] Ibi vero non ita, sed dicit Petrus: Domine, si tu es, jube me venire ad te, &c.

Item tunc post vocem Christi tempestas permansit, quam & Petrus timuit; hic autem cum voce Christi statim tranquillitas venit.

Item ibi dicitur ascendisse in navim. Cum ascendisset, inquit, in naviculam, cessavit ventus; hic autem non dicitur ascendisse in naviculam; sed ad primam vocem ejus videtur cessasse ventus. Istæ sunt rationes *Chrysost.* Sed tamen communiter dicitur ab aliis, quod idem fuit miraculum hic, & ibi, sed quod ibi narratum est, non oportuit Evangelistam hic omnino totum ponere. Sequitur. *c* Altera die, &c.] Nota, quod in sequenti mane turbæ viderunt, & consideraverunt, quod in litore, a quo Discipuli intraverant mare, non erat in præcedenti vespera, nisi una navis tantum, in qua Discipuli transfretaverunt, & quod Jesus non intraverat cum eis: unde cum transfretassent turbæ in Capharnaum, & invenissent Jesum cum Discipulis suis, mirati sunt, & quæsierunt ab eo, quando, & quomodo illuc venerat. Et hoc, quod dicitur hic: [Altera die,] idest, crastina, secundum *Chrys.*

d Turba, quæ stabat trans mare] turba, scil. quam paverat Dominus, quæ adhuc stabat in loco illo, ubi Discipuli mare ascenderant.

e Vidit,] idest, consideravit, & attendit.

f Quia navicula alia non erat ibi.] In præcedenti vespera. *g* Nisi una] in qua scilicet, ascenderant Discipuli. *h* Et [vidit, supple, [quia non introisset cum Discipulis suis Jesus in navim,] illam, quæ sola erat ibi tunc. *i* Sed soli Discipuli ejus abiissent] sine eo, scilicet, & propter hoc turbæ remanserunt in loco illo circa mare, tum quia non habebant naves, tum quia Jesum videbant non ire trans mare cum Discipulis, sed circa remanere.

k Aliæ vero supervenerunt naves a Tyberiade,] In crastina die, & ita habuerunt facultatem transfretandi, quam prius non habebat per defectum navium.

l Juxta locum, ubi manducaverunt panem gratias agentes Deo] adhuc enim circa locum illum erant turbæ.

m Cum ergo vidisset turba, quia Jesus non esset ibi,] idest, circa locum illum citra mare [neque Discipuli ejus] q. d. Cum haberent facultatem navium, pro quarum defectu prius remanserant citra mare, nec haberent Jesum, quem prius crediderant citra mare secum remanere. Illis ergo duabus causis more eorum evacuatis.

o Ascenderunt in naviculas] illas, quæ venerant a Tyberiade,

p Et venerunt Capharnaum quærentes Jesum.] Illuc enim sciebant Apostolos ivisse, sed de Jesu nesciebant; suspicabantur tamen, ne & ipse mare pede transiens illuc advenisset. Et hoc dat intelligi Evangelista, sicut dicit *Chrys.* per hoc, quod ita diligenter recitat, quod turba consideravit de navi illa, in qua transierunt Discipuli, & quod sola erat, & quod non intraverat cum Discipulis. Et hæc fuit causa admirationis. Unde sequitur.

q Et cum invenissent eum trans mare,] in Capharnaum, scilicet. *r* Dixerunt ei] blandiendo.

s Rabbi, quando huc venisti] *Gl.* qui navem non intrasti. Et dicit *Chrys.* quod post miraculum tam magnum transivit super aquas; licet suspicarentur, vel possent suspicari, quod transierat eas pede; non tamen scrutati sunt de hoc, neque quæsierunt, qualiter pertransiit, vel qualiter advenit; sed quando, nisi forte quis dicat [quando] positum hic pro qualiter. Et vide facilem, & levem eorum mentem. Qui enim paulo ante dicebant. Hic est Propheta, & volebant eum rapere, & facere Regem, modo invenientes eum nihil tale consiliantur; sed ut æstimo, non ultra de prioribus admirabantur; sed alia inquirebant, volentes rursus mensa potiri, quasi & prius. Unde mentem eorum aperiens.

t Respondit eis Jesus,] non ad quæstionem eorum, sed ad intentionem. *u* Et dixit,] increpative.

x Amen, amen dico vobis] cum determinatione, & certitudine loquitur, ut ostendat, quod certissime sciat mentes eorum,

y Quæritis me, non quia vidistis signa,] quibus potuistis me cognoscere.

z Sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis,] idest, manducastis usque ad saturitatem, q. d. non propter spiritum quæritis, sed propter carnem, ne oporteat vos laborare. In hoc moraliter instruimur, ut non semper blande, sed aliquando increpative loquamur. Secundum illud 2. *Tim.* 4. Argue, obsecra, increpa. Unde *Chr.* Mansuetudo, & lenitas, non ubique utilis est, sed quandoque percussione opus est Magistro, & stimulo uti oportet, maxime cum deses fuerit, & grossus Discipulus. *Eccles. ult.* Verba sapientium quasi stimuli, & quasi clavi in altum defixi, &c. Et nota tres causas suæ responsionis talis, ut eos corrigat per redargutionem.

Item ut eos in fidem suæ Deitatis inducat per secretorum mentis suæ indicationem. Item ut blandientibus, & adulatoribus nostris nos dure respondere doceat per suam responsionem. Secundum illud *Prov.* 1. Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Item *Eccl.* 28.

A Sepi aures

Moraliter

* *a* Noluerunt ergo accipere eum in navim, &c.] Ita multi, quando sciunt Jesum, volunt eum rapere sibi, sed non possunt plene, donec veniant ad terram, idest, ad æternam patriam. In navi enim pœnitentiæ nondum est perfecta salus æternæ gloriæ, sed proxima est; uno tantum gradu distant, sive uno pariete, qui rumpitur in morte. *Cant.* 2. En ipse stat post parietem nostrum. Reliqua patent usque ibi. Omne, quod dat mihi Patet, &c.

▲ Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Ita Christus fecit eis, qui voluerant eum facere Regem, & modo blande loquebantur ei, [Rabbi, quando huc venisti,] Respondit increpative ostendens, quoniam honorem, qui est ab hominibus, non concupiscit, sed unam inspicit, scil. salutem eorum. *Sup.* 5. Ego testimonium ab homine non accipio. *Inf. c.* 8. Ego gloriam meam non quæro. Sed notandum, quod cum increpatione miscenda est mansuetudo.

a Operamini non cibum, qui perit; sed qui permanet in vitam æternam, *b* quem Filius hominis dabit vobis. *c* Hunc enim *d* Pater signavit *e* Deus,

Secundum illud *Gal.* 6. Vos, qui spirituales estis, corripite in spiritu lenitatis. Unde *Chrys.* Pace eos redarguit, non abusive. Non enim dixit: O gulosi, & ventris servi, tot mirificavi, & nunquam secuti estis, neque admirati estis, sed mansuete loquitur, & quiescibiliter. [Quæritis] inquit [me non quia vidistis, &c.] q. d. non vos stupidos fecit miraculum, sed venter plenus. Et hoc probatur ex responsione eorum. *Inf. eod.* Patres nostri manna manducaverunt, rursus ad cibum trahentes carnalem, quod erat accusatio, & criminatio maxima. Et nota, sicut dicit *Gloss.* Tales hodie multi sunt in Ecclesia, qui quærunt Jesum, non propter Jesum, ut *Greg.* in horum persona eos detestatur, qui in Ecclesia per sacros ordines non virtutum merita, sed vitæ præsentis subsidia requirunt, Tales namque non pro signis, sed pro panibus Deum quærunt, *Psalm.* 48. Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. *Eccl.* 6. Est amicus socius mensæ, *Prov.* 19. Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. *Aug.* Quam multi hodie non quærunt Jesum, nisi ut illis bene sit secundum tempus: alius negotium habens quærit intercessionem Clericorum: alius premitur a potentiore, & fugit ad Ecclesiam: alius vult pro se interveniri apud illum, apud quem parum potest, ille sic, ille sic. Impletur quotidie Ecclesia talibus: vix quæritur Jesus propter Jesum. Tales sicut vulpes, quæ latent in sabulo pœnitentiæ, & simulant se mortuas, ut possint aliquam avem rapere, idest, aliquod commodum temporale, *Ezech.* 13. Quasi vulpes in deserto Prophetæ tui erant: Sequitur:

a Operamini non cibum, qui perit, &c.] Sicut dicit *Aug.* Quoniam prius satiavit panibus ventres, vult satiare sermonibus mentes.

Unde eis quærentibus Jesum, non propter sermones, sed propter panes, primo respondet redarguendo, hic autem instruendo. Sapientis enim est non solum eradicare vitium, sed plantare virtutem. *Chrys.* Post reprehensiones enim adjicit doctrinam, dicens: Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam,] idest, operam date, & sollicitudinem, & curam impendite ad cibum spiritualem habendum, non corporalem, quem requiritis, q. d. non ad panes, sed ad sermones meos attendite, qui sum cibus non periens, sed permanens, idest, permanere faciens in gratia usque in vitam æternam. De hoc cibo dicitur. *Matth.* 4. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *Thren.* 4. Parvuli petierunt panem, &c. *Is. c.* 58. Frange esurienti panem tuum, &c. *Eccl. c.* 31. Splendidum in panibus benedicent labia multorum, &c. Vel cibus, qui permanet, sunt bona opera.

Unde *sup.* 4. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. Opera enim bona reficiunt: Quia in custodiendis illis retributio multa.

Secundum hoc exponitur sic: [Operamini non cibum, qui perit, &c.] idest, operamini opera, non quæ ducunt in perditionem, sed quæ ducunt in salutem. Vel cibus permanens est ipse Christus.

Sicut ipse dicit: *Inf. eod.* Ego sum panis vivus, &c. Et secundum hoc exponitur sic secundum *Gloss.* [Operamini, &c.] idest, quærite me, non propter aliud, sed propter me. Ego enim sum cibus permanens in vitam æternam.

Vel, i. præparate vos ad recipiendum corpus meum. Sed quia possent se excusare de impossibilitate habendi hunc cibum, subdit. *b* Quem Filius hominis dabit vobis.] Quod potest exponi de omni cibo & sermonis, & operis, & corporis sui. Cibum enim sermonis dabit prædicando, cibum operis boni exemplum, & adjumentum ad bonum operandum conferendo, cibum etiam sui corporis dat Christus, non alius per Sacerdotes, secundum illud *Ps.* 110. Escam dedit timentibus se.

Deinde autem, quia tam magna dixerat de se, ne scandalizentur, ad Patrem recurrit: & per hoc sermonem suum credibilem reddit, dicens:

c Hunc enim,] idest, Filium hominis, qui hoc vobis promittit.

d Pater signavit] non qualiscumque Pater, sed.

e Deus,] idest, signum ei posuit, idest, proprio signo eum a ceteris filiis hominum discrevit, sicut dicit *Ps.* 44. Unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.

Et est sensus. Nolite me contemnere, quia filius hominis sum; quia sic sum filius hominis, ut non sim unus ex vobis; sed signatus a Patre, & discretus a vobis: & ideo quærite a me cibum, non qui perit, sed qui permanet, quia possum illum dare: hæres enim sum, & filius: & ideo dona mea sunt stabilia. Hæc lectura est *Aug. Chrys.* legit sic: Filius hominis dabit vobis hanc escam. *c* Hunc enim Pater sigillavit Deus,] i. ad hoc misit, ut hanc daret vobis escam: unde quasi nuncius Patris habet sigillum Patris, Vel sic. Credere debetis, quod Filius hominis possit dare vobis hanc escam, quia [hunc sigillavit Deus Pater,] i. demonstravit, & revelavit per suum testimonium, quod ipse est Filius Dei. *Matth.* 3. & 17. Et habetur simile *sup.* 3. Qui audit sermones meos, sigillavit, quoniam Deus verax est, i. demonstravit incontradictive, & irrefragabiliter.

Et notandum, quod sicut dicit *Chrys.* quidam eorum, qui volunt pigre nutriri, abutuntur hoc verbo: [Operamini non cibum, qui perit, &c.] quasi Christus operationem abscindat: & ideo opportunum est contra eos dicere: Tali enim detrahunt Christianismo, & in pigritia convitium pati præparant Christianos. Prius autem dicamus pro eis. *Luc.* 10. Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima, porro unum est necessarium.

Item *Matth.* 6. Nolite solliciti esse, quid manducetis, &c.

Item nolite solliciti esse in crastinum. Necessarium est nunc omnia hæc solvere, non solum ut quiescere faciamus pigritantes, sed ut contrarium ostendamus per eloquia Dei. 1. *Thess.* 2. Memores facti estis fratres laboris nostri, & fatigationis, nocte, & die operantes, ne quem vestrum gravaremus.

Item 2. *Thess.* 3. Non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & fatigatione nocte, & die operantes, ne quem vestrum gravaremus, non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos: Nam & cum essemus apud vos, hoc denunciavimus vobis: quoniam si quis non vult operari, non manducet. Dicitur enim 1. *Thess.* 4. Rogamus vos superabondare, & largiri, silere, & agere, quæ propria.

Item *Ephes.* 4. Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret manibus suis, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.

Item *Act.* 20. Quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Item 1. *Corint.* 9. Quæ igitur est mihi merces, ut evangelisans non sumptuosum ponam Evangelium. Item *Actor.* 18. Manebat apud aquilam, & Priscillam, & operabatur: Erant enim tabernaculorum factores arte. Hæc secundum seriem repugnantiam ostendunt. Quid igitur dicemus ad hæc? Dicimus, quod hoc, idest, non sollicitos esse, non est idem, quod non operari, sed hoc significat, i. non affligi nimis sæcularibus rebus: Non idem est sollicitudo, & operatio, sollicitudinem nimiam prohibet, operationem jubet. Propterea quod ad Martham increpative dicitur: Martha, Martha, sollicita es, &c. hoc idem dicit, quia non oportet audientiæ tempus ad carnalia consumere, q. d. Martha, ego doctrinans accessi; tu vero relinquens audientiam, circa pulmentum studuisti: Non ergo hospitalitatem prohibet; sed quod non oporteat in audientiæ tempore circa talia occupari. Docet itaque & hic dicendo: [non operamini cibum, qui perit, &c.] non propter hoc dicit, quod oporteat pigritari, sed operari magis, & tradere: Pigritari enim maxime cibus periens est: multam enim malitiam docuit otiositas, sive pigritia. *Eccl.* 33. Præterea notandum est, quod isti non ad sermones intendebant, sed ad panes: nec solliciti erant discere, quis erat, qui hoc operaretur, & qua virtute; sed unum solum volebant, ventrem scil. voluptuose replere, nihil laborantes. Ideo talem escam convenienter vocavit cibum pereuntem, dicens [Non operamini cibum, qui perit, &c.] q. d. nutrivi corpora vestra, ut ab hoc aliam quæreretis escam, quæ manet, & nutrit animam; vos autem

rursus

A rursus ad terrenam curritis. Sequitur. *a* Dixerunt ergo ad eum,] quia intellexerunt, quod per cibum intelligebat opus Dei.

b Quid faciemus, ut operemur opera Dei?] i. quid observando poterimus implere illud præceptum, quod dicis de operando cibo, qui non perit? Vel [quid faciemus, &c.] i. quid operabimur; ut opera nostra sint Deo placentia, & mereamur illum cibum, qui non perit. Et nota, quod sicut *Chrys.* dicit, quod castrimargia excæcaverat eos, quia enim ad castrimargiam inhiabant, & toti sæcularibus intenti erant: ideo Christus eos multis modis ad spiritualia revocaverat, primo arguendo, quæritis me, non quia vidistis signa, &c.

D

Matth. 16. Marc. 8.

Exod. 16. Psalm. 77. Sap. 16.

indigens virga, sicut ipse, neque oratione; sed omnia faciens a meipso, quod non fecit Moyses: sed hoc non dixit, ne eum notarent de jactantia; sed magis eos studet inducere in intellectum spiritualis escæ, dicens.

l Non Moyses dedit vobis panem] verum, sed typicum, & figurativum veri panis.

a Dixerunt ergo ad eum: *b* Quid faciemus, ut operemur opera Dei? *c* Respondit Jesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut *d* credatis in *e* eum, quem misit ille. *f* Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, ut *g* videamus, & credamus tibi? Quid operaris? *h* Patres nostri manducaverunt manna in deserto, *i* sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare. Dixit *k* ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis, *l* non Moyses dedit vobis panem *m* de cœlo, *n* sed Pater meus dat vobis panem *o* de cœlo verum. *p* Panis enim verus est, *q* qui de cœlo descendit, *r* & dat *s* vitam mundo. *t* Dixerunt ergo ad eum: *u* Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit *x* autem eis Jesus: *y* Ego sum panis

m De cœlo,] Empyreo, sed de cœlo aereo, secundum quod dicitur: Volucres cœli comederunt illud, *Matth.* 13. Et *in Psalm.* 17. Intonuit de cœlo Dominus. *n* Sed Pater meus dat vobis panem verum] Filium suum figuratum per illud manna. *o* De cœlo,] missum in mundum, ut cibus Angelorum fieret cibus hominum. Ideo enim Verbum caro factum est, sicut dicit

De consecr. dist. 2. c. non Moyses.

Postea docendo, quem oportet cibum quærere, ibi. [Operamini cibum, qui non perit.] Posuit etiam eis bravium dicens: Sed qui manet in vitam æternam, & id, quod obstabat eis, curat, dicens: se esse missum a Patre. Quid igitur illi? Ac si nihil audissent, dicunt. [Quid faciemus, ut operemur opus Dei?] Hoc autem dicebant, non ut discant, & agant, sicut patet ex sequentibus, ubi manna requirunt, sed ad cibi exhibitionem tendunt, & ut saturet eos, imitari volunt. Christus vero ad fidem, & cibum spiritualem inducit. Unde sequitur.

c Respondit Jesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei,] i. Deo placitum, vel a Deo datum, sive dandum: quia hoc non habet homo a se, sed a Deo.

d Ut credatis,] fide operante per dilectionem. *Gal.* 5.

e In eum; quem misit ille,] i. in Filium. Non dicit, ut credatis ei, vel eum; sed in eum.

f Dixerunt ergo ei: quod ergo tu facis signum, &c.] *Gl.* Quia ad fidem sui invitabat, quærunt signa, quibus inducantur ad credendum.

Unde 1. *Cor.* 1. Judæi signa quærunt. Dicunt ergo. [Quod facis signum, ut videamus] q. d. multa promittis, sed fac aliquid.

g Ut videamus;] illud, [& credamus tibi, quid operaris,] q. d. tu promittis magna, imo majora, quam Moyses, cibum, scil. qui permanet in vitam æternam. Moyses autem promisit terram fluentem lacte, & melle, & hujusmodi temporalia. *Deut.* 11. Tu vero non facis tanta, quanta Moyses. Moyses enim dedit panem de cœlo; tu vero panes hordeaceos.

Item ille quadraginta annis; tu vero una die. Quasi ergo pro minimo habentes, quod fecerat Christus, quia majora promittebat, quærunt. [Quid facis? quid operaris?] Iteratio autem quæstionis est infidelitatis eorum expressio.

h Patres nostri manducaverunt manna in deserto.] Hic aperte ostendunt, se comparare miraculum Moysi, miraculo Christi quasi minori.

i Sicut scriptum est.] *Exod.* 15. Et *in Psalm.* 77. Panem Angelorum manducavit homo. Et hoc est. [Panem de cœlo dedit eis manducare.] Notandum, quod signum quærentes, & dicentes. [Quod facis signum, &c.] non volunt, ut ipse eligat signum, quod faciat, sed in necessitatem putant eum mittere, ut nullum aliud faciat, quam tale, quale factum est in progenitoribus. Propter hoc dicunt. [Patres nostri manducaverunt manna in deserto:] per hoc æstimantes eum irritare, ut tale faciant signum, quod eos nutrire possit carnaliter. Multa enim alia signa facta sunt in Ægypto, & in mari, & in deserto; sed hujus solum meminerunt, quod valde concupiscebant, propter ventris tyrannidem. Et nota, quod non dixerunt: Moyses fecit signum in deserto; tu quod facis: æstimantes perculi eum, & offendi, si ei aperte comparent Moysen. Item non dicunt; Deus fecit signum in deserto; & tu quod facis; ne videantur eum exæquare Deo. Neque Moysen inducunt, ut non videantur Christum humiliare; sed simpliciter dicunt, quod factum est in deserto, ut similia faciat. [Patres] inquiunt, [nostri manducaverunt, &c.]

k Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis, &c.] Poterat dicere, quoniam majora Moyse feci nunc, non

Greg. ut cibus Angelorum fieret cibus jumentorum. Omnis quippe caro fœnum dicitur. *Isa.* 40. Et dicit *Aug.* quod verbum: quod est panis Angelorum, conversum est in lac parvulorum, dum descendit in carnem.

p Panis enim verus est,] cor vivificans, & confirmans.

q Qui de cœlo descendit.] Ille enim typicus fuit panis, non verus, qui de aere pluit, non quod falsum fuerit miraculum de manna; sed quia figurativum istius panis. Ideo de ipso dicitur. *Sap.* 26. Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.

r Et dat,] iste panis, vel pater per hunc panem.

s Vitam mundo] quod non manna. (Mundo,) non Judæis solum, sed orbi terrarum. Nec dicit dat cibum simpliciter, sed dat vitam aliam, scil. quamdam, & alteratam. Vitam autem dicit, quia omnes erant mortui. Dat, quia gratis. Item dum dicit, [dat vitam mundo,] in zelum eos mittit: ut saltem dolentes, quod nisi potiuntur dono, non maneant foris.

t Dixerunt ergo ad eum,] non intelligentes, de quo pane diceret, quia intelligebant de sensibili, & gustabili pane, ventrem lascivire expectantes. Ad hoc enim venerant, ut dicit *Chrys.* Et propter hoc honorando, & blandiendo dicunt.

u Domine, semper da nobis panem hunc] sic & mulier Samaritana dicit *sup.* 4. Domine, da mihi hanc aquam. Et nota, quod non dixerunt: roga, ut Pater det, sed da nobis; & tamen non dixerat: quoniam ego do; sed Pater meus dat.

Ea concupiscentia enim cibi tracti eum fide dignum æstimaverunt ad exhibitionem panum. Facile enim credit homo de his, quæ placent, & conferunt sibi. Sed quia errabant, Christus eos corrigit: de quo pane dixerat, aperit. Unde sequitur.

x Dixit autem eis Jesus.] Inceperat eos instruere de pane spirituali: sed quia ipsi intelligebant de materiali, aperit, quod imo de spirituali intelligendum est, qui longe melior est eo, quod reficit æternaliter. Unde dicit.

y Ego sum panis vitæ.] *Chrys.* Incipiens eos docere de mysteriis, primum loquitur de Deitate sua. Ego sum panis vitæ. Neque enim de corpore suo dictum est hoc. De illo enim *inf. eod.* dicetur. Panis, quem ego dabo, caro mea est. Etenim illa propter Domini verbum panis est.

Et nota, quod non utitur hic testibus, sicut *supr.* 5. quia ibi accusabant, & contradicebant; hic vero fingebant propter panes, quos sperabant.

Item quia potens erat musculum panum quasi testans. Et dicitur panis vivus ab effectu, quia vivificat. *Ps.* 118. Vivifica me secundum verbum tuum. *Gen.* 49. Aser pinguis panis ejus præbebit delicias Regibus. Aser interpretatur beatus, & significat Christum, qui est beatitudo Sanctorum. De quo dicitur in *Ps.* 1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, &c.

Et dicitur pinguis ab effectu, quia impinguat pinguedine charitatis, & devotionis. Et ipse est deliciæ Regum, idest, virorum spiritualium. De quibus dicitur *Proverbior.* 21. Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Dei. De hoc pane dicitur *Isa.* 20. Panis frugum terræ

tuæ

eum erit uberrimus, & pinguis. Et exponitur hæc auctoritas de corpore Christi, quod ex frugibus terræ conficitur in altari. *Sap.* 16. Panem de cœlo præstitisti eis sine labore, &c. quod de manna non potest intelligi bene, quia oportebat, quod illud colligerent, & coquerent, quod sine labore fieri non poterat.

vitæ. *a* Qui venit ad me, *b* non esuriet: *c* & *d* qui credit in me, non sitiet in æternum. *e* Sed dixi vobis: *f* quia vidistis me, & non credidistis. *g* Omne, quod dat mihi Pater, *h* ad me veniet: & *i* eum, qui venit ad me, *k* non ejiciam foras: quia *l* descendi de cœlo, *m* non ut

a Qui venit, &c.] Possent respondere. Tu dicis, quod dabis nobis panem de cœlo, videlicet, te ipsum, sed te quomodo possumus manducare? Ideo ostendit modum comestionis. (Qui venit ad me,) passibus fidei, & charitatis, i. qui credit in me.

Unde *Aug.* Ut quid paras dentem, & ventrem: crede, & manducasti. [Non esuriet,] Et exponit, quod dixerat.

c Et,] pro idest.

d Qui credit in me, non sitiet in æternum.] Idem dicis, non esurire, & non sitire: utroque enim verbo significatur æterna satietas. De quo *Ps.* 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Et hoc est. [Non sitiet in æternum,] i. in æterna vita. In præsenti enim non sedatur omnino sitis, sed in futuro, *sup.* 4. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. *Apoc.* 7. Non esurient, neque sitient amplius. Et *Isa.* 55. Ecce servi mei comedent, & vos esurietis. Sed contra *Eccl.* 24. Qui edunt me, adhuc esurient. Sol. Esuries, & sitis duos important, defectum, & desiderium. Hic sumitur in semiplena significatione, scilicet, pro defectu in Ecclesiastico vero sumitur pro desiderio, sive appetitu, sine defectu.

e Sed dixi vobis.] Dixerat se esse panem, & modum comedendi. Sed possent dicere; quare hoc dicis nobis. Et respondet, Non quia manducaturi sitis, [sed dixi] hoc [vobis,] ad improperium vestræ incredulitatis.

f Quia vidistis me, & non credidistis,] q. d. coram vobis habetis panem, & non comeditis credendo. Sed quid est, quod dicit: (Vidistis me, & non credidistis, &c.) Cum fides non sit apparentium, ut dicitur *Heb.* 11. Sol. Vidistis me per miracula ad fidem ducentia; & tamen non credidistis. Et nota, quod quidam nec viderunt, nec crediderunt, sicut illi, de quibus dicitur *Matth.* 11. Si in Tyro factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim egissent pœnitentiam.

Item quidam viderunt, & crediderunt, sicut Thomas, cui dicit Dominus. *Inf.* 20. Thoma, quia vidisti me, & credidisti.

Alii non viderunt, & crediderunt, ut Gentiles. De quibus *Psal.* 17. In auditu auris obedivit mihi. Non dicit in visu oculi. Et *inf.* 20. Beati, qui non viderunt, & crediderunt.

Alii viderunt, & non crediderunt, sicut isti, de quibus dicit: Vidistis me, &c. [Dixi vobis, quia vidistis me,] i. signa, & Scriptura, quæ testimonium perhibent de me, & vidistis me, & tamen non credidistis, *sup.* 5. Scrutamini Scripturas: illæ enim sunt, quæ testantur de me, & non vultis venire ad me, *sup.* 3. Quod novit, loquitur: & quod vidit, testatur: & testimonium ejus nemo accipit.

Et *in eod.* Quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur, & testimonium nostrum non accipitis.

g Omne, quod dat mihi Pater.] Sic continuatur. Quasi dixi vobis prædicta exprobrando incredulitatem vestram; tamen alii credunt in me, quibus datum est a Deo Patre. Quis [omne, quod dat, &c. *Gl.*] sic continuat. Dixi vobis, quod non creditis, sed etsi vos non creditis, non ideo inutiliter veni, non ideo alios perdo, sed venientes recipio, Et hoc est. [Omne, quod dat, &c.] *Chr.* Omnia scit Christus propter Electos, qui salvantur, ideo ne videatur inaniter loqui, ait. (Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet,) i. nullus de illis est, quos dedit mihi Pater, qui non veniat ad me per fidem: per hoc significat, quod nullus prohibet, vel impedit venire eum, quem pater dederit Filio.

Item per hoc significat, quod non contingens res est fides; sed dono Dei, & voluntate, & nutu ejus indiget. Et per hoc tangit incredulitatem illorum, eo quod ipsi increduli Filio erant, & transgressores voluntatis Dei Patris, & quod indigni erant dono Dei, sine quo nemo venitur ad Filium. *Inf. eod.* Nullus potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Dat Pater, sive trahit, gratiam infundendo, quod licet Filius, & Spiritus sanctus faciant: Tamen quia hoc a Patre habent, potius dicitur de patre. *Inf.* 18. Serva eos, quos dedisti mihi. *Matth.* 16. Beatus es, Simon Bar-Jona: quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus.

h Ad me veniet,] passibus fidei, & bonæ operationis, ut dicit *Gl.* Vel peccata relinquendo, & justitiæ fidei adhærendo. *Is.* 60. Filii tui de longe venient, &c. Et subdit præmium venientium. *Infr.* 13.

i Et eum, qui venit ad me,] idest, qui per fidem mihi unitur.

k Non ejiciam foras,] idest, non expellam a me, qui sum refugium, & hospitium, & umbraculum Justorum. *Ps.* 103. Petra refugium herinaciis. 1. *Jo.* 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, quasi in proprio hospitio. *Eccles.* 34. Protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegmen ardoris, & umbraculum Meridiani. Vel (non ejiciam foras,) a merito, vel consortio, vel beatitudine Sanctorum, sed potius salvabo. Ad hoc enim carnem assumpsi, & formam servi subintravi. Unde sequitur.

l Quia descendi de cœlo,] idest, incarnatus apparui mundo.

m Non ut faciam voluntatem meam,] i. meæ sensualitatis, quæ vult non mori

g Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.] Nota, quod Dominus ejicit foras hominem ab Ecclesia, scilicet, militante duobus modis.

Uno modo a merito per gratiæ subtractionem, vel non appositionem. Ejicit autem, i. ejici permittit, sicut dicitur *Apocal. ult.* Foris canes, & venefici, & impudici.

Alio modo a numero per excommunicationem, sive a consortio. Secundum illud *Num.* 5. Ejice omnem leprosum extra castra. *Prov.* 22. Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium.

Et Apostolus. 1. *Cor.* 5. Cum hujusmodi nec cibum sumere.

Item 2. *Jo.* Nolite eum recipere in domo, nec ave ei dixeritis. Ejicit etiam ab Ecclesia triumphante per extremam sententiam judicialem. De qua *Matt.* 25. Ite maledicti in ignem æternum.

De prima, quæ est a merito, habetur significatum *Matth.* 21. quando ejecit ementes, & vendentes de templo.

De secunda habetur *sup.* 2. quando similiter ejecit ementes, & vendentes de templo.

Et nota, quod de illis, qui ejecti sunt *Matth.* 21. non habetur, quod murmuraverunt, neque quod Dominus fecerit flagellum ad ejiciendum eos. Sed de aliis *sup.* 2. habetur, quod murmuraverunt dicentes: Quod signum ostendis, quia hæc facis, &c. & quod flagellum fecerit de funiculis. Per hoc autem significatur, quod nullus murmurat, quando ejicitur aliquis ab Ecclesia merito per gratiæ subtractionem, & quod non cogitur quis exire, imo exit propria voluntate, sed quando ejicitur aliquis per excommunicationem, statim murmurat, & conqueritur. Et est ibi coactio, quod notatur in flagello facto. De tertia habetur *Matth.* 22. In illo, qui ejectus est a nuptiis. Et *Matth.* 25. Clausa est janua fatuis virginibus.

De prima etiam habetur *Gen.* 3. Emisit eos de Paradiso voluptatis. Et subditur. Et collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium. Talis enim licet sit adhuc in Paradiso Ecclesiæ, quantum ad Sacramentorum perceptionem; tamen non est in Paradiso voluptatis, quia non sentit delicias spirituales, sed modo ejectus est. Si autem vult redire, oportet, quod redeat per Cherubim, idest, per plenitudinem scientiæ, idest, charitatem, & flammeum gladium, idest, per zelum pœnitentiæ procedentem ex charitate. De secunda habetur *Gen.* 4. Ecce ejicis me hodie a facie terræ, & a facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me. Excommunicatus enim exponitur dæmonibus, quia est extra custodiam Ecclesiæ. Et horum verborum sententiam deberet cogitare homo, quando videt, quod debet excommunicari. *Jerem.* 15. Ejice illos a facie tua, & egredientur. Quia si dixerint ad te, quo egrediemur, dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus, qui ad mortem, ad mortem; & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famem, & qui ad captivitatem, ad captivitatem. Sed venientibus ad se dicit Dominus. (Non ejiciam foras.) Sequitur. *i* Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam; sed voluntatem ejus, qui misit me.] Hoc deberet esse verbum Religiosorum, qui

*debeat esse stellæ

a vult non mori hominem, Unde *Matt.* 26. Tristis est anima mea usque ad mortem.

a Sed voluntatem ejus, qui misit me,] idest, Patris, qui vult me mori pro hominis redemptione. *Matth.* 66. Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Et quæ sit illa voluntas Patris determinat; dicens.

b Hæc est autem, &c.]

faciam voluntatem meam, *a* sed voluntatem ejus, qui misit me: Hæc *b* est † autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut *c* omne, quod dedit mihi, non perdam *d* ex eo, *e* sed resuscitem illud in novissimo die. Hæc *f* est autem voluntas Patris mei: qui misit me, ut *g* omnis, qui videt Filium, & credit in eum, *h* habeat vitam æternã: *i* & ego resuscitabo eum,

† al, enim.

Chryf. hic quærit, quid est quod dicit [Non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me?] Ergo alia est voluntas Filii, & alia Patris. Et respondet quod non, imo communis. Unde sensus est, quod non aliud quid venit acturus Filius, quam quod vult Pater, non propriam quamdam, & separatam a Patre habens voluntatem. Ne autem suspiceris aliam esse voluntatem Filii, & aliam Patris, quia dixerat: (Non ut faciam, &c.) Ideo subdit. (Hæc est enim voluntas, &c.) Et determinat voluntatem Patris duplicem.

Unam de futuro, ut salvemur per Filium; alteram de præsenti, ut credamus in Filium. Et cum constet hoc idem velle Filium, patet, quod communis est voluntas utriusque, scilicet, ut nos credamus, & salvemur. Et hoc idem dicit Filius. *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi ut accendatur?

Item *Sap.* 5. Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat; sic & Filius, quos vult, vivificat. Ergo eadem est utriusque voluntas.

Et nota, quod dicit: (Hæc est voluntas ejus, qui misit me, Patris) non dicit. Hæc est voluntas mea. Si enim hoc dixisset, utique despexissent quasi pro jactantia. Dicit ergo. Quoniam hæc est voluntas Patris, ut ostendat Patrem concordare suæ voluntati, & se cooperari patris voluntati, & in hoc ostendit se non ei contrarium, sed potius, illos repugnare, & exprobrare Patrem, qui non credebant Filio. *c* Ut omne, quod dedit mihi ad custodiendum] idest, cui gratiam dedit in me credendi.

d Non perdam ex eo.] *Matth.* 18. Non est voluntas Dei, ut pereat unus de pusillis. Contra *Infr.* 17. Nemo ex illis periit, nisi filius perditionis. Solutio. Quosdam dat Deus per præsentem justitiam: & illi possunt perire; alios per prædestinationem, & illi non pereunt. Vel signanter dicitur. (Non perdam ex eo,) quia si aliquis perditur, non ab eo perditur, sed a se.

e Sed resuscitem illud in novissimo die.] Per primum notatur vitatio mali, idest perditionis gehennæ; per istud notatur collatio boni gloriæ. Loquitur enim de resuscitatione gloriosa, quod patet, sicut dicit *Chryf.* per id, quod præcedit, & quod sequitur. Sequitur enim de vita æterna, cum dicit. (Ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.)

Præcedit enim de ejectione, & perditione removenda, cum dicit. (Non ejiciam foras,) & (non perdam ex eo,) quod de bonis intelligitur.

Mali enim ejicientur de societate bonorum in tenebras exteriores, *Matth.* 22. & 25. Et ibi perdentur, secundum illud *Matth.* 10. Timete eum, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam.

Sed quia ad resurrectionem gloriosam venitur per fidem, ideo subdit.

f Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me,] quasi non solum vult Pater, ut salvemur per Filium; sed etiam vult de nobis, ut illam salutem mereamur credendo in Filium. Et hoc est,

g Ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum.] In præsenti.

h Habeat vitam æternam] in futuro quantum ad animam, cui datur cognitio, & fruitio Dei.

i Et ego resuscitabo eum in novissimo die,] gloriose, ut cum anima remuneretur, & corpus. Sed videtur, quod male dicat. (Qui videt Filium, & credit.) Imo potius, qui credit, & videt, quia dicitur *Is.* 7. Nisi credideritis, non intelligetis.

Solutio. Loquitur de visione corporali, [qui videt Filium] miracula facientem, (& credit,) per hoc ductus ad fidem. Vel (Qui videt Filium, & credit) idest, qui quamvis videat in carne patientem, tamen credit in eum. Vel (qui videt, & credit,) idest, qui videt credendo, sive per fidem. Vel aliter continuatur.

f Hæc est autem voluntas.] Dixerat, quod voluntas Patris erat, ut id, quod dederat Filio, non periret, quantum ad animam, sed resuscitaretur etiam quoad corpus: & quia hoc non expresserat, neque apparuerat, quid sit Patrem dare Filio, ideo explanando prædicta dicit. [Hæc est voluntas Patris, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum,] q. d. hoc est Patrem dare, a Patre datum esse credere Filio. *b* Habeat vitam æternam,] & sic non pereat. *i* Et ego resuscitabo eum,] sicut prius. Sed quæritur *Chrysost.* Cur iterat, & ponit toties resurrectionem? Et respondet. Ut non præsentibus rebus coarctent Dei providentiam; sed in futurum eam extendant. Item, ut hi, qui præsentibus bonis non potiuntur, pigriores non sint, nec desperent; sed futura bona expectent.

Item, ut mali, qui hic non torquentur, aliam sciant vitam, in qua torquebuntur. Ideo ergo repetit de resurrectione, ut sciamus futurum judicium. *Chrysost.* Si avari esse voluerimus, & si rapere, & si inconveniens quid agere: confestim diem illam in mentem mittamus, & omni fræno vehementius detinebit inconvenientem impetum hæc cogitatio. Dicamus ergo adinvicem, & ad nosipsos: resurrectio est, & judicium nos expectat terribile. Et si aliquem viderimus elatum, & in præsentibus bonis inflammatum, & si alium dolentem, & si pigritantem alium viderimus, & dissolutum: semper id dicamus, quoniam judicium est, & resurrectio. Sufficiens hoc verbum omni formato magis nostram curat animam. Etenim est resurrectio, & resurrectio præest ostiis non longe, neque procul. Adhuc enim modicum quantulumcumque, qui venit, veniet, & non tardabit. *Abac.* 2. Et omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, & bonos, & malos. 2. *Cor.* 5. & *Rom.* 14. Hos quidem, ut ante omnes verecundentur: illos, ut ante omnes clariores efficiantur.

Item *Chryf.* Sed fortassis dicet quis. Et quando erit consummatio; quando autem erit resurrectio: ecce quantum factum est tempus; & nihil tale contingit. Sed enim credite: etenim, qui ante diluvium erant, talia dicebant, & deridebant Noe; & similiter tempore Loth, sicut dicitur 2. *Petr.* 2. & *Matth.* 24. ita & resurrectio erit. 1. *Thes.* 5. Cum dixerint: pax, & securitas, tunc repentinus eis a superveniet

Moraliter.

* debent esse stellæ, & luminaria in cœlo, idest, in claustro ad illuminandum eos, qui sunt in terram Ecclesiæ. Et notandum, quod quidam cadunt de hoc cœlo, quidam expelluntur, quidam descendunt. Cœlum enim dicitur claustrum, quasi casa helios, vel a celando scandalum, si accidat inter eos. Cadunt autem de hoc cęlo, qui sponte exeunt. *Apocal.* 6. Stellæ ceciderunt de cœlo super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur, idest, cum tentatione concutitur. Et nota, quod unum signum finis mundi est, casus stellarum, sicut *Matth.* 24. Et ita etiam dicit *Jer.* Alii expelluntur propter facinora sua. *Apoc.* 12. Projectus est ille draco magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Sathanas.

Et nota quatuor causas, propter quas aliquis ejicitur de claustro, & ejiciendus est: quæ notantur per quatuor nomina diaboli, quæ ponit ibi. Per hoc enim, quod dicitur draco, quia sitit sanguinem Elephantis, notatur unus casus, sive una causa, propter quam ejicitur, hoc est homicidium. Alius casus est furtum, quod notatur in eo, quod dicitur serpens. Diabolus enim accepit alium habitum, idest, serpentis, sicut fur, & furatus est homini virtutes, & Paradisum. Item ejicitur propter vitium Sodomæ, quod notatur in hoc, quod dicitur diabolus, qui interpretatur deorsum fluens.

Item propter suscitationem discordiæ, & schismatis quod notatur in hoc, quod dicitur Sathanas, qui interpretatur adversarius, sive criminator. *Levit.* 19. Non eris criminator, neque susurro in populis. Alii descendunt ab hoc cœlo, qui exeunt per electionem, & descendunt a monte contemplationis ad vallem actionis, & sollicitudinem prædicationis, sicut legitur *Exod. cap.* 13. Qui descendit de monte, scilicet ad docendum populum. Et isti debent descendere, ut ducant ad locum, ubi est Jesus, sicut *Matth. caput* 2. Stella duxit Magos ad Jesum, & per suum descensum notificavit domum, quia propior fuit terræ omnibus aliis. Alia patent usque ibi. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, &c.

a superveniet interitus, &c. Hoc autem fit, ut semper simus solliciti, & in ipsa securitate non confidamus. Quid dicis, o incredule, non expectas resurrectionem futuram esse: non expectas futurum judicium esse? Dœmones confitentur hoc: & tu inverecundus sis. Venisti, ajunt, ante tempus torquere nos. *Matth.* 8. Qui vero torsionem dicebant futuram esse, & judicium sciunt, & noxas, & supplicia.

Matth. 13. *Marc.* 6. *Luc.* 4.

Item sicut in aliis Christus antecessit nos: ita & in hoc. Etenim primogenitus propter hoc dicitur ex mortuis. *Col.* 1. Si enim resurrectio non esset, ubi justitia Dei salvaretur, tot quidem iniquis prosperantibus; tot vero bonis contribulatis, & in tribulatione vitam dissolventibus? Sequitur,

a Murmurabant ergo Judæi de illo,] i. de Christo, i. contra Christum.

b Quia dixisset: ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.] Hinc manifestum est, quod Paulus de Judæis dixit. *Phil.* 3. Quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum. Quando enim audierunt, quod non manducarent panem carnalem, murmurant; quandoquidem panem dedit eis, & ventrem implevit: tunc eum Prophetam dicebant esse, & Regem facere volebant, modo autem scandalizantur, & fabri filium vocant, & prætendunt incredulitatis velamen, excelsum scil. sermonem, quia scil. dixerat: [Ego sum panis, qui de cœlo descendi.] Hinc occasionem sumebant murmuris, hic videbantur anxiati: verum non ea hoc erat; sed quia non sunt potiti mensa corporali. Si enim vere anxiarentur de hoc verbo, oportebat interrogare, & quærere, qualiter panis vitæ est, & qualiter de cœlo descendit; nunc autem non hoc faciunt. Et quod hoc non scandalizaret eos, patet per hoc, quia non cœperunt murmurare, quando audierunt verbum, sed quando viderunt, quod non repleret ventres eorum.

Item postquam dixerat: *sup. eod.* Pater meus dat vobis panem verum de cœlo: Panis enim verus est, qui de cœlo descendit, non murmurant, sed dicunt: Domine, semper da nobis hunc panem, non dixerunt, roga, ut Pater det: victi enim concupiscentia eius eum dignum fide esse æstimaverunt ad exhibitionem. Quæ igitur causa scandali eorum, & murmuris post modum, nisi quia audierunt, quod manducare non est, rursus decrediderunt,

Et nota, quod dicit [murmurabant] non aperte contradixerunt, sed murmurabant ad invicem. Adhuc enim reverebantur propter recens signum panum.

c Et dicebant.] *Gl.* indignantes, & ejus opprobria quærentes, in humilitate generis offendunt. Unde dicitur lapis offensionis. *Is.* 8.

d Nonne hic est Jesus filius Joseph,] despective loquuntur.

e Cujus nos novimus patrem] Joseph, sicut dicitur *Luc.* 3. Ut putabatur filius Joseph.

f Et Matrem,] Mariam. Simile habetur *Matt.* 13. & *Marc.* 6. & *Luc.* 4. & 1. *Reg.* 10. Quænam res accidit filio Cis? Et *inf.* 8. Ubi est pater tuus?

g Quomodo ergo dicit hic: quia de cœlo descendi,] ex quo nos scimus generationem ejus terrestrem.

Et nota, quod a duobus collaris sumunt occasionem murmuris, ex altitudine sermonis Christi, & vilitate generis.

Posset eis dici: Valde igitur mali estis, si ideo malus est, quia eum cognoscitis. Sed certe hoc, quod ipse Jesus dixit *Luc.* 4. Nemo Propheta acceptus est in patria sua. Ibi *Gl.* Propemodum naturale est cives civibus invidere; non enim præsentia viri opera, non virtutem; sed teneram recordantur infantiam, quasi non & ipsi per eosdem ætatis gradus ad maturam ætatem pervenerint.

h Respondit ergo Jesus] quem nihil latet, qui abscondita cordium intuetur, sicut dicitur 1. *Reg.* 16. & ideo scit murmur eorum occultum.

i Et dixit eis: nolite murmurare in invicem] occulte, quod non sim panis, qui de cœlo descendit, quod vera sum, sed sciatis, quod nemo potest venire ad me, nisi a Patre tractus, & ideo vos non creditis me esse panem, quia non estis tracti a Patre. Et hoc est.

k Nemo potest venire ad me,] idest, credere in me.

l Nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,] idest, nisi gratia Dei illum prævenerit, nisi Pater revelaverit: quæ revelatio est attractio.

tabo eum in novissimo die. a Murmurabant ergo Judæi de illo, b quia dixisset: ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Et c dicebant: d Nonne hic est Jesus Filius Joseph, e cujus nos novimus patrem, f & matrem? g Quomodo ergo dicit hic: quia de cœlo descendi? h Respondit ergo Jesus, i & dixit eis: Nolite murmurare in invicem. k Nemo potest venire ad me, nisi l Pater, qui misit me, m traxerit eum: n & ego o resuscitabo eum in novissimo

Et quærit *Chrys.* cur eis dicentibus, quod sit filius Joseph, non respondet: Non sum filius Joseph? Et respondet, quia nondum audire poterant mirabilem partum secundum carnem, multo magis nec superiorem, & ineffabilem intelligerent.

Item *Chrisost.* Vehementer eos scandalizabat ex vili esse patre, & contingente; sed tamen non revelavit, ne unum scandalum destruens aliud faciat.

His ergo rationibus omisit respondere his, quæ dicebant de ejus generatione: & convertit se ad confirmandum ea, quæ dixerat de dono Patris, quo venitur ad Filium: & quomodo venientes reficit, quia ipse est panis,

Unde dicit: [Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.] Hoc est, quod dixerat, *sup. eod.* Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, &c. Et est sensus. Nolite murmurare contra me de hoc, quod dixi, sed potius contra vos, quorum incredulitas obstinata meretur non trahi a Patre. *Chrys.* Hic insiliunt Manichæi dicentes: Quoniam nihil in nobis positum est, idest, in nostra potestate.

Solutio. Non facias vim in verbo trahendi, non enim notat violentiam, quia dicit *August.* Cetera potest homo nolens; credere autem non potest nisi volens. Unde *Chrys.* Non quod in nobis est, destruit; sed ostendit nos auxilio indigentes: non enim tractum dicit invitum; sed multa potitum eum pugnatione, idest, auxilio, ut sit sensus.

m Nisi traxerit,] idest, adjuverit. Et ne putes sensibilem tractum, dicit *inf. eod.* Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui a Deo est, &c.

Et nota, quod dicit, trahit, propter duplex pondus, quod est in nobis, scilicet, pondus culpæ, de quo *Heb.* 12. Deponentes omne pondus circumstans nos peccatum,

Item pondus pœnæ, de quo *Sap.* 9. Corpus, quod corrumpitur, &c. Et quia hoc trahere est magnæ potentiæ ideo Patri attribuitur tractus, qui tractus non est violentiæ, sed misericordiæ.

Unde *Aug.* Si Poetæ licuit dicere.

——— *Trahit sua quemque voluptas.*

non necessitas, sed voluptas: non obligatio, sed delectatio: quanto magis nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur virtute, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur vita æterna, quod totum est Christus? Da amantem, & sentit, quod dico. Nota, quod Dominus trahit ad ortum producendo *Psal.* 21. Tu es, qui extraxisti me de ventre matris meæ. Item trahit inspirando. *Is.* 7. Sibilabit Dominus muscæ, &c. *Gloss.* idest, inspirabit. Item trahit flagellis quasi cogendo. *Psalm.* 77. Cum occideret eos quærebant eum. *Isa.* 59. Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit. Item promittendo. *Isa.* 1. Si audieritis me, bona terræ comedetis. Item de his duobus insimul dicitur *Osee* 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Item trahit ostendendo bona sua, & prægustatione æternæ dulcedinis alliciendo, sicut trahitur musca per dulcedinem mellis. *Cant.* 1. Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum curremus. Item trahit gratiam conferendo. *Jerem.* 31. In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans, idest, dans misericordiam, & gratiam. Item trahit nobis inhærendo. *Inf.* 12. Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Sed multi sunt sicut equi restivi, vel retrogradi, qui quanto plus trahuntur, tanto plus retrocedunt. *Ps.* 108. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi. *Jerem.* 7. Facti sunt retrorsum, & non ante, *Zach.* 7. Averterunt scapulam recedentes. Et subdit, quod bonum sit venientium ad se.

Dominus trahit multipliciter.

n Et ego] æqualis Patri.

o Resuscitabo eum in novissimo die.] *Gl.* Faciam eum videre, quod credidit, manducare quod esurit, habere, quod amavit, & desideravit: quod non potest esse in præsenti, ubi trahitur tantum. Et nota, quod dixerat Patrem trahere ad se, & neminem venire ad se, nisi per Patrem: ne propter hoc crederetur filius, non idem facere,

cere, tanquam minor: ideo de se subdit: [Et ego resuscitabo eum, &c.] *Chr.* Non parva filii dignitas, si Pater ducit, & ipse resuscitat. Hoc autem dicit non dividens opera sua ab operibus Patris, sed paritatem ostendens virtutis. Inculcat autem sermonem de resurrectione propter quosdam, qui de ipsa dubitabant, ut Saducæi. Et iterum ne crederent aliqui, quod non mererentur, qui de illo pane comederent, quia diaerat de tali, non esuriet in æternum, & quater repetitur propter quatuor dotes corporis [in novissimo die,] cui non succedit nox. Unde *Abac.* 3. Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo.

Matth. 11. *Luc.* 10. *De pan. d.* 4. *c. bone di... stus supr. eod. dist. De consf. d.* 2. *c. revera.*

die. Est *a* scriptum in Prophetis. Et *b* erunt omnes docibiles Dei. Omnis, *c* qui audivit a Patre, & didicit, *d* venit ad me. Non *e* quia Patrem vidit quisquam, nisi is, *f* qui est a Deo, hic vidit *g* Patrem. *h* Amen, amen dico vobis, qui credit in me, *i* habet vitam æternam. *k* Ego sum *l* panis vitæ. *m* Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic *n* est panis de cœlo descendens, ut si *o* quis ex ipso manducaverit, *p* non moriatur. *q* Ego sum panis vivus, *r* qui de cœlo descendi. Si *s* quis manducaverit ex hoc pane, *t* vivet in æternum. Et *u* panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, *x* Litigabant ergo Judæi

a Est scriptum in Prophetis.] Quod dixerat de tractu patris probat, & sermonem suum fide dignum reddit per Prophetas: & ostendit etiam, qualiter trahit docendo, scilicet, ne sensibilem tractum intelligas. Unde dicit, [Est scriptum in Prophetis] de prædicto tractu Patris, sic.

b Et erunt omnes docibiles Dei.] i. docebuntur a Deo, quod est trahi. Et sumitur hoc de *Jer.* 31. Non docebit ultra vir fratrem suum, quia omnes cognoscent me, &c. Et *Is.* 54. Ponam universos filios tuos doctos a Domino. Et de *Joel.* 2. ut dicit *Gloss.* ubi dicitur. Dedit vobis Doctorem justitiæ. *Chr.* Si omnes erunt docibiles Dei, qualiter quidam non credunt? Sol. Omnes, i. plures. Vel omnes ait, eos, qui volunt. Magister enim præsidet omnibus Discipulis paratus effundere omnibus doctrinam. Simile *supra* 1. Illuminat omnem hominem, &c. Vel. [Omnes,] i. aliquos de omnibus, sive de omni generatione hominum. Vel [Omnes sunt docibiles,] i. doctrinæ Dei capaces naturaliter. Sed nonne ante erant homines docibiles Dei? Resp. secundum *Chrys.* Tunc per homines discebant, quæ Dei erant? nunc autem per Unigenitum, & Spiritum docet Pater.

Unde *Hebr.* 1. Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis; novissime diebus istis locutus est nobis in filio. Vel. [Omnes docibiles Dei,] quia etsi homines foris loquuntur; tamen solus Deus intus sensum aperit.

c Omnis, qui audivit a Patre, & didicit,] idest, qui audiendo didicit, idest, divina illustratione credit in Patrem, vel cui Pater dedit gratiam, quod est trahi a Patre.

d Venit ad me.] Filium per fidem, & amorem, sicut dixit *sup. eod.* Omne, quod dat mihi pater, ad me veniet. Sed ne quis se eacuset, dicens: Numquam vidi patrem, quomodo ergo disco ab eo? Ideo subdit.

e Non quia patrem vidit quisquam,] quasi non dico hoc quod pater visibilis sit alicui, vel audibilis, sed quia docet per Filium, qui eum novit perfecte. Unde subdit.

f Nisi is, qui est a Deo.] *Chr.* Non secundum causæ rationem dicit hic [ex Deo] sed secundum modum substantiæ: quia si hoc non diceret, omnes ex Deo sumus.

g Hic vidit patrem] i. perfecte novit, sicut est *Matth.* 11. Nemo novit Filium nisi pater, &c. Et nos docet patrem, & ideo credite, quia.

h Amen, amen dico vobis, qui credit in me] Filium, qui novi patrem, & sum ab eo.

i Habet vitam æternam,] per causam, i. per gratiam, pro qua datur vita æterna, *Rom.* 6. Gratia Dei vita æterna. Vel [Habet] jam in spe. *Rom.* 8. Vel promissionis certitudine. *Matth.* 5. Vel [Habet vitam æternam] idest, me, qui sum vita æterna. *Gen.* 15. Ego merces tua magna nimis. *Gloss.* potuit dicere, habet me, sed revelat, quid ipse sit, idest, vita æterna. Et bene dico, quod habet vitam æternam, quia.

k Ego sum panis vitæ,] qui pasco, donec pastos jungam vitæ æternæ.

l Panis vitæ] intransitive, i. panis vita, *infra* 14. Ego sum via, veritas, & vita. Vel transitive, vel effective, idest, panis vitam mundo conferens in præsenti vitam gratiæ, in futuro vitam gloriæ. Vel sic.

k Ego sum panis vitæ,] i. carnem meam in passione mortificatam, in Resurrectione vivificans, quæ caro digne sumpta est cibus vitæ. Unde *Inf. eod.* Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. *Chr.* Panem vitæ se dicit, quia nostram continet præsentem, & futuram.

m Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt.] Confirmat responsionem, quam fecerat supra eis quærentibus signum de cœlo, quale fecerat Moyses de manna: & dicit, quod plus dat: quia iste panis dat vitam; ille non dabat. A fine ergo utriusque eibi differentiam facit.

De consf. d. 2. *c. forte, & c. revera de consf. d.* 2. *c. Christus, & c. utrum, & c. omnis.*

Item [in deserto] dicit, q.d. non extensum in multum tempus, neque simul cum eis venit in terram promissionis. *Jer.* 2.

Item ille non descendit de cœlo, sed de aere: hic autem de cœlo. Unde seq.

n Hic] idest, in loco [est panis, &c.] Vel [Hic panis,] quem do, [est de cœlo descendens] quem manna præfiguravit. *Chr.* Quia petebant panem de cœlo, continue dicit de cœlo descendi.

o Ut si quis ex ipso manducaverit,] credendo, & amando, vel digne carnem ejus, & sanguinem sumendo.

p Non moriatur.] sicut mortui sunt, qui manna comederunt. Non moriatur, dico quia.

q Ego sum panis vivus,] idest, vivificans comedentem, quantum in me est.

r Qui de cœlo descendi.] ut essem panis hominum, qui prius eram Angelorum. *Aug.* Quomodo sit panis determinat, non solum secundum verbum, quo vivunt omnia; sed etiam secundum carnem assumptam pro mundi vita. *Chr.* dicit: Sufficit dicere. [Ego sum panis vivus] i. ego dabo vobis panem vivum, quare addit. [Qui de cœlo descendi?] Respondet, quia Judæi facientes mentionem de manna, quærebant cibum de cœlo, propterea continue dicebat. De cœlo descendi.

s Si quis manducaverit ex hoc pane,] scil. si quis Eucharistiam digne sumpserit, vel si quis Christum fide, & amore sibi junxerit, & verba ejus, & exempla in nutrimentum sui converterit.

t Vivet in æternum.] si in hoc perseveraverit. Et quia adhuc vacillabant de hoc, quomodo diceret se panem, & ad panes materiales vacillabant; ideo aperte dicit.

u Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.] *Bernard.* Bonus minister, qui carnem in cibum, & sanguinem ministrat in potum. Unde *Chrysostom.* Unde qualiter eos paulatim ad seipsum ducit. Hic enim seipsum ait dare non Patrem: superius autem dixerat, quod Pater dat.

x Litigabant ergo Judæi, &c.] Semper crescit infidelitas in eis. Prius dicuntur murmurasse; hic dicuntur litigare. Sed sicut dicit *Chr.* Extranea quædam erat doctrina, potest quis dicere, & alterata: & ideo non fuit mirum, si litigabant.

Cui respondeo, quod hoc Joannes ænigmatice insinaaverat, Agnum eum vocans, *supra* 1. Sed neque ita nnoverunt, dicis. Et ego respondeo, quod nec Discipuli nnoverunt, quid diceretur: & tamen suasi sunt, & sequebantur, & confitebantur, verba vitæ æternæ eum habere.

Hoc enim boni Discipuli est, non circumscrutari ea, quæ Magistri sunt, sed audire, & suadeti, & congruum tempus expectare solutionis: ita & Judæos facere oportebat.

Et quod Discipuli nescirent, quid diceret de comestione carnis suæ, patet, quia nescierunt de resurrectione, *supra* 2. Solvire templum hoc, &c. & tamen Scripturæ loquuntur, & prophetæ de resurrectione; sed quoniam hominis carnem quis manducaverit, nusquam quis dixit eorum. Item quærit hic *Chrysostomus*, quare Dominus hæc verba dixerit Judæis, qui ea his scandalizantur, ex hoc enim abierunt retro, cur ergo non solus hoc tradidit Discipulis, sicut *Marc.* 4. dicitur. Seorsum autem loquebatur eis. Sol. Multa utilitas fuit horum verborum, & necessitas: quia enim instabant petentes eibum corporalem, & magnificantes manna: idcirco osten-

dit, quod manna typus erat, & umbra: Veritas autem hic præsens, ideo meminit cibi spiritualis. Tempus enim erat mysteriis loqui, quia commendabat umbram.

Item quia quærebant cibum de cœlo, ideo se ostendit cibum esse de cœlo. Propterea obscuritas eorum, quæ dicuntur, semper erigit auditorem, & attentiorem operatur. Non ergo oportebat scandalizari, sed interrogare, congruum erat, & inquirere. Si enim Prophetam eum putabant, oportebat credere, non recedere: quare illorum amentiæ scandalum erat, non quia essent indissolubilia ea, quæ dicebantur a Christo, si solutionem quæsissent in fide. Causa autem litigationis eorum erat infidelitas. Unde dicitur: [Litigabant ergo Judæi adinvicem dicentes: quomodo] vel [qualiter potest hic] despective, [nobis carnem suam dare ad manducandum?] In quo patet eorum infidelitas: quia credebant, quod loqueretur de carne sua comedenda dentibus, & dilanianda. Nec dicunt hoc quærendo, ut discant, sed desperative. *Chrysostomus*. Cum quæstione hujusmodi, idest, qualiter intraverit, simul intrat & infidelitas. Ita *supra* 3. de Nicodemo. Quomodo potest homo nasci, &c. Sed si hoc, qualiter dicis, quare in panibus hoc non dixisti, qualiter, scilicet quinque panes in tot extendit? Quoniam saturationis solum erant servi, non miraculosæ visionis, Sed dicis, quod experientia eos tunc erudivit. Et ego respondeo, quod ex illa experientia oportebat illos credere eis, quæ nunc dicebat de carne sua, ideo enim prius mirificavit, ut per illud edocti non ultra decrederent his, quæ dicerentur.

adinvicem dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit *a* ergo eis Jesus: *b* Amen, amen dico vobis, nisi *c* manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, *d* non habebitis vitam in vobis. *e* Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet

a Dixit ergo eis Jesus.] Quia dubitabant, vel potius decredebant, quæ dixerat, magis affirmat, quod si non eis, tamen nobis profuturum erat.

Item quia dicebant impossibile, ideo asserit necessarium esse dicens.

b Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis,] quasi & si ignoratis, quis sit modus dandi, vel manducandi. Tamen.

c Nisi manducaveritis,] per fidem, secundum illud *Augustinus*: Crede, & manducasti. Vel [Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.] Vitam gratiæ, vel gloriæ. Nota tria esse in Sacramento Eucharistiæ, Speciem panis, Corpus Christi verum, Corpus Christi Mysticum.

Tria sunt in Sacramento Eucharistia.

Primum est signum tantum: Secundum signum, & res.

Tertium res tantum. Primum sumitur tantum sacramentaliter, secundum sacramentaliter, & spiritualiter, tertium tantum spiritualiter. Primum, & secundum potest sumere communiter bonus, & malus; sed malus ad mortem; bonus ad vitam. Tertium non potest sumere, nisi bonus: Nam Corpus Christi mysticum manducare nihil aliud est, quam fide, spe, & charitate unitati Ecclesiasticæ incorporari. Seq.

e Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet,] Jam in spe, [vitam æternam.] Hic aperit de qua vita dixerat, ne de temporali intelligerent. Superius autem dixerat de futuro: Vivet in æternum. Hic dicit, quod plus est de præsenti. [Habet vitam æternam,] quia jam habemus arram. Secundum illud *Rom. c.*8. Spe salvi facti sumus. Vel [Habet vitam æternam,] nunc secundum animam, cujus est vita Deus. Sed nec caro fraudabitur suo tempore remuneratione. Unde seq.

Δ Et ego resuscitabo

Moral.

c Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.] Quod exponitur tripliciter. [Nisi manducaveritis] spiritualiter scilicet, per fidem. Vel ut sumatur antecedens pro consequenti. [Nisi manducaveritis,] idest, nisi uniti fueritis per charitatem Filio Dei, qui est Filius hominis, quod fit digne manducando carnem ejus sub specie panis.

d Non habebitis vitam in vobis.] quia membra separata a corpore non possunt vivere. Tertio exponitur de illis, quæ se non præparant ad hoc, ut digni sint accipere Corpus Christi tempore suo, ut sit sensus.

c Nisi manducaveritis] i. ad manducandum digne præparaveritis, &c. Unde *Num. c.*9. Si quis mundus est, & in itinere non fuerit, & tamen non fecerit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis. Per hoc duo genera tantum excluduntur a communicatione, & omnes alii peccant mortaliter, si non communicant tempore suo. Per immundos intelliguntur infideles, qui non sunt de Ecclesia. Per illos, qui in itinere, catechumeni, qui sunt in via ad suscipiendum Sacramentum Baptismi, & fidem. Neutri peccant, si non communicent, quia præceptum non extenditur ad eos. Ex hoc etiam sumitur argumentum, quod propter aliquam immunditiam, & etiam quando homo est in via, ad literam potest differre communionem: ita tamen, ut postea non omittat eam.

Item *Exod. c.* 12. Tollat unusquisque agnum per domos, & familias suas, & nullum excludit Hebræum, idest, Christianum.

Et propter quinque causas peccant, qui non communicant tempore determinato ab Ecclesia.

Quinque modis peccant non communicantes statutis temporibus.

Prima est, quia quantum in ipsis est, scindunt unitatem Corporis Christi mystici, idest, Ecclesiæ *Primo Corinthior. decimo*. Quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus, qui de uno pane, & de uno calice participamus.

Secunda, propter contemptum, quia vocati sunt ad cœnam Domini, & nolunt venire: unde est ibi contemptus. Unde *Matth.* 22. Perdidit Rex homicidas illos, sc. qui venire contempserunt vocati. Homicidis ergo comparantur, qui se non præparant ad communicandum tempore suo. Tertia causa est, quia in hoc, quod nolunt Corpus Christi recipere, faciunt injuriam ipsi, qui semel in anno nolunt reddere procurationem Domino, quam debent ei in hospitio suo.

Unde conqueritur *Matth.*25. Hospes fui, & non collegistis me. Vere enim hospes est sub speciebus istis, quasi sub veste peregrina. *Matth.* 8. Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi reclinet caput suum.

Quarta causa est, quia sunt violatores Testamenti Domini, qui nobis corpus suum tradidit sumendum in commemorationem suæ Passionis. 1 *Cor.* 11. Hic est calix novi testamenti in meo sanguine, &c.

Quinta causa est, quia tales a fonte plenitudinis gratiarum se dividunt: & ideo non est mirum, si arescunt. *Job* 8. Nunquid virere potest scirpus absque humore: aut crescere carectum absque aqua.

e Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam,] *Infra eodem*: Qui manducat me, vivet propter me, qui scilicet, sum vita vivens, & vivificans. *Infra* 14. Ego sum via, veritas, & vita. *Osee* 11. Memoriale tuum, idest, corporis, & sanguinis Sacramentum, quod in commemorationem Passionis est institutum, ut dicitur *Luc.*22. & 1. *Corinth.*11. Et sicut vinum de uvis, quod est medicina, & potus: quia sanat, & satiat, & vitam conservat, & dat, & restaurat.

Unde 1. *Regum* 13. Cum comedisset, reversus est in eo Spiritus ejus, & refocillatus, qui scilicet, panem, & aquam, & massam caricarum, & uvam passam comedit. Panis significat Corpus Christi, qui corroborat, & dat virtutem resistendi peccato. *Psalmus* 103. Panis cor hominis confirmat *Gen. c.* 18 Ponam buccellam panis coram vobis, & confortetur cor vestrum. Sed *Threnor.* 1. dicitur: Facti sunt velut arietes non invenientes pascua: abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

Item dicitur aqua, quia sitim cupiditatis, & peccati extinguit.

Hæc est aqua, quæ fluxit de petra Christo, 1. *Corinth. cap.* 10. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra.

Item significatur Corpus Christi per massam caricarum, quia mentem delectatione respergit. *Deut.*32. Ut sugeret mel de petra, &c. Item significatur per ligaturam uvæ passæ, quia compunctione mentem inebriat. Uva enim passa, caro Christi est passa. *Canticorum cap.* 1. Botrus Cypri Dilectus meus mihi. Cyprus interpretatur

* mœror,

a Et ego resuscitabo eum in novissimo die.] *Chrys.* Quia dixerat *sup.eod.* Non morietur in æternum: & hic similiter habet vitam æternam, ne objiciant sicut *inf.*8. Abraham mortuus est, & Prophetæ, solvens hoc ponit resurrectionem. Et ne putent ænigma esse, vel parabolam, quod dictum est, addit & hoc.

b Caro enim mea vere] quasi non parabolice.

vitam æternam : *a* & ego resuscitabo eum in novissimo die. *b* Caro enim mea vere *c* est cibus, *d* & sanguis meus vere est potus. *e* Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in *f* me manet, & ego in illo : *g* Sicut misit me vivens Pater, *h* & ego vivo propter Patrem : *i* & qui manducat me, & ipse vivet propter me. *k* Hic est panis, qui *l* de cœlo descendit. *m* Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt :

c Est cibus,] animæ. Vel. [Vere] ad differentiam typici cibi, scilicet manna, quod in figura hujus præcessit. [Et sanguis meus vere est potus. Vel. [Vere] dicitur quia vera caro Christi, & verus sanguis sumitur sub speciebus panis, & vini in Sacramento. Contra hæreticos, qui dixerunt, quod id, quod sumitur, non est verum Corpus Christi, sed repræsentativum. Et exponunt illud verbum. Hoc est Corpus meum, idest, hoc significat Corpus meum, sicut illud 1. *Cor.* 10. Petra autem erat Christus. Contra istos dicitur : quod caro vera, & sanguis verus sumitur, idest, vere est cibus, quia tamem pellit, & veram satietatem facit; cibus autem corporalis non naturam satiat, sed potius resocillat: Ideo non est vere cibus: Seq.

De conf. d. 2. c. quia corpus, & c. in quibus, & Amplius ... rum, & ... in Christo.

e Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.] *Chrysost.* Hoc videtur incompactum; habet tamen multam harmoniam, idest, convenientiam ad prædicta. Quia enim sæpius dixerat: [Habet vitam æternam, &c.] probat hoc sic. [In me manet] vivo autem ego, ergo & ille vivet. Quod autem vivat filius, ostendit, quia & vivit Pater, in quo manet. Unde subdit.

g Sicut misit me vivens Pater: & ego vivo propter Patrem] idest, sicut vivit Pater meus, qui misit me : ita ego vivo. *Chr.* Hoc [sicut] comparativum est, & assimilativum, q. d. vivo ego, sicut Pater. Quod autem adjecit [propter Patrem] hoc dicit, ut non ingenitum æstimes filium, sed a Patre habere vitam. Unde *sup.* 5. Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio, &c. *Gloss.* exponit de vita, qua vivit Christus homo; sic, [sicut misit me vivens Pater,] idest, me hominem fecit.

h Et ego vivo propter Patrem,] idest, sicut me hominem fecit: ita vitam in me conservat gloriosam, & ad ipsum refero vitam meam.

i Et qui manducat me, & ipse vivet propter me,] quasi sicut ego homo vivo propter Patrem vivum, cui unior: sic qui manducat me, & mihi unitur, ex me vivit, sicut membrum junctum corpori vivit, & separatum non vivit.

k Hic est panis, &c.] hic filius hominis, ad cujus esum carnis invito.

l Est] ille [panis, qui de cœlo descendit,] idest, filius Dei, & ideo habet efficaciam vivificandi, quod non manna. Unde sequitur.

m Non sicut manducaverunt] Dico qui manducat me, sed [non sicut manducaverunt patres vestri manna] ventre, & dente, quasi dicat, non sic comedor; sed fide, & Sacramenti perceptione. Vel, [Non sicut quantum ad efficaciam.] Unde sequitur. [Et mortui sunt] sed potius.

A Qui manducat

Moral.

* mœror, vel tristitia, tamen compunctio illa, quæ confertur in perceptione corporis Domini, plus habet dulcedinis, quam amaritudinis, vel acetionis, sicut uva passa: & sic reversus est spiritus Ægyptii, idest, peccatoris. Sed quid est, quod toties dicitur, quod iste cibus vivificat, quomodo ergo Sacerdotes, qui quotidie comedunt hunc panem, moriuntur spiritualiter, & vivunt. Et dicendum, quod propter quatuor causas.

Quare plures Sacerdotes, qui quotidie communicant, non salvantur.

Prima est, quia non masticant ipsum cibum per considerationem pretiositatis, & sanctitatis ejus naturæ; quemadmodum debent sumere ipsum, & vas ejus esse, cum tamen dicatur *Prov.* 23. Quando sederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ sunt apposita ante faciem tuam cum Principe, i. cum Deo Patre, ut comedas etiam ipsum Principem. *Prov.* 21. Thesaurus desiderabilis quiescit in ore sapientis, i. in corde per diligentem considerationem; stultus autem transglutit illud,

Alii non nutriuntur, quia non sapit eis dulcedo hujus panis: & hoc, aut quia habent affectum ad carnalia : & sic habent palatum infectum: aut quia jam impleti, & satiati aliis cibis, cum deberent facere, sicut illi, qui prægustant vinum jejuni, vel postquam parum comederunt, & de his etiam, quæ faciunt ad habendum saporem, & appetitum vini, & ideo illis, qui infecti sunt, vel satiati, quia solum dulce nutrit: & ipsi non sentiunt dulcedinem, non nutriuntur isto cibo. De primis dicitur *Numer. cap.* 11. In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, cepæ, & allia. Hoc dicebant fastidientes manna. De secundis habetur. *Prov. cap* 27. Anima satiata est : calcabit favum : & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. Alii non nutriuntur, quia non habent vim retentivam; sed totum rejiciunt, & evomunt. Et hoc contingit ex duobus. Ex debilitate stomachi, vel ex nimia impletione. *Is. c.* 28. Coangustatum est stratum, i. cor, ita ut alter decidat : & pallium breve utrumque operire non potest. *Job c.* 20. Divitias, i. Corpus Christi, quas devoravit, evomet, &c. quia non vult Dominus manere in sentina diaboli. Alii non nutriuntur, quia non habent virtutem assimilandi; sed degenerat cibus in putredinem, & humorem corruptum. Hæc assimilatio debet esse in virtutibus exemplaribus, & exemplatis Christi, & animæ. Diversæ enim virtutes diversa sunt membra spiritualis hominis. *Job c.* 20. Panis ejus in utero ejus vertetur in fel aspidum. 1. *Cor.* 11. Judicium sibi manducat, & bibit.

De conf. d. 2. c. in Christo sit eadem d. c. invitat & c. qui manducat.

a Et ego resuscitabo eum in novissimo die.] quasi non solum anima habebit vitam : sed & corpus resurget in gloriam.

b Caro enim mea vere est cibus, &c.] idest, habet efficaciam cibi, quia satiat spiritualiter, sicut cibus corporaliter. De hoc pane dicitur *Dan. cap.* 10. Ego lugebam trium hebdomadarum dies, & panem desiderabilem non comedi: & caro, & vinum non introierunt in os meum. Tres hebdomadæ ab Adam usque ad legem : & a lege usque ad Christum : & a Christo usque ad ejus Passionem, quando instituit Sacramentum hoc. *Levit. c.* 26. Vetustissima veterum comedetis, & novis supervenientibus, &c. Vetustissima veterum sunt corpus, & sanguis Christi sub specie panis, & vini, quæ in oblatione Melchisedech figurata sunt. *Genes. c.* 14. Vetera autem sunt legalia. *Genes. cap.* 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo.

e Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet,] tanquam membrum in corpore.

f Et ego in illo,] sicut Dominus in hospitio. Sacerdos in templo, sicut sponsus in thalamo sponsæ: Et nota, quod utile est talem hospitem recipere honeste in domum suam: quia solvit omnes expensas totius familiæ, & dat singulis munera. *Sap. c.* 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. *Prov. c.* 4. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. Per sumptionem enim Eucharistiæ confirmatur, & radicatur, & multiplicatur in nobis gratia.

Unde 6. *Regum* 6. Nunciatum est David Regi, quod benedixisset Dominus Obeth Edom, eo quod recepisset arcam Domini, idest, Corpus Christi, in hospitio, idest, in corde suo. *Ecclesiast.* 4. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt, & qui introibit, benedicet Deus, id est, ditabit, & multiplicabit. *Hebræorum* 13. Hospitalitatis nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt Angelis hospitio receptis. Ergo qui Deum suscipiet, multo magis placebit ei. *Infra c.* 11. Dominus Lazarum suscitavit, qui erat hospes ejus : & de longinquo venit, ut eum resuscitaret.

Idem ergo speret, qui se mortuum fuisse per peccatum timet : & non propter hoc dimittat sumere, dummodo non sit in voluntate, vel conscientia mortalis.

Item 3. *Regum cap.* 15. Elias filium hospitis sui suscitavit.

Et similiter Elisæus 4. *Reg.* 4. Cetera satis exposita sunt in prima expositione, &c.

a Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. *b* Hæc dixit in *c* Synagoga *d* docens in Capharnaum. *e* Multi ergo audientes ex Discipulis ejus, *f* dixerunt. *g* Durus est hic sermo. Et *h* quis potest eum audire? *i* Sciens autem Jesus k apud semetipsum: *l* quia murmurarent de hoc Discipuli ejus, dixit *m* eis: *n* Hoc vos scandalizat. Si *o* ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius. *p* Spiritus *q* est, qui vivificat, *r* caro non *s* prodest quicquam. *t* Verba, quæ ego locutus sum vobis, *u* Spiritus, & vita sunt. *x* Sed sunt quidam ex vobis, *y* qui non credunt. *z* Sciebat enim ab initio Jesus, *a* qui essent credentes, *b* & *c* quis traditurus esset eum. Et *d* dicebat; propterea dixi *e* vobis, quia *f* nemo potest venire ad me,

a Qui manducat hunc panem, vivet in æternum] in me, qui sum vita. *Inf.* 14. *Chrys.* Eadem sæpe circumvoluit verba, ut infigat mentibus auditorum. Ultima enim, quædam erat doctrina de his: idest, Eucharistia, & de resurrectione, & de vita æterna facere credere. *Philip.* 3. Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. Item toties promittit vitam, quia hoc desiderabile hominibus, & nihil ita delectabile. Unde & in veteri Testamento erat promissa longitudo vitæ, & multi dies. *Exod.* 20. Christus autem promittit non longitudinem, sed vitam finem non habentem. Item sic promittendo ostendit se revocare sententiam mortis datam in Adam. *Gen.* 2. Et nota, quod ne intelligerent de vita præsenti semper duranda, ideo ponit simul resurrectionem. Seq.

24. q. 1. c. audivimus. De pœn. d. 4. c. fin. ex bono. De pœn. d. 2. c. ultimo.

b Hæc] prædicta.

c Dixit in Synagoga] *Chrys.* In Synagoga sæpe, & in templo docet, propter duo. Multitudinem venari volens. Item ostendere, quod non est Patri contrarius.

d Docens in Capharnaum,] ubi plurimas fecit virtutes: & ideo oportebat eum ibi maxime audiri, & credere ei.

e Multi ergo audientes ex Discipulis ejus,] carnaliter sapientes, quasi particulatim carnem, qua indutus erat, se eis distributurum promitteret.

f Dixerunt.] inter se.

g Durus est hic sermo,

Durus ad. { Audiendum hæreticis. / Credendum infirmis. / Faciendum perversis. / Intelligendum cunctis.

Chrys. Quid est durus, asper, laboriosus, anxietatem habens? Non quia nihil tale dixerat: Neque enim de republica loquebatur, sed de dogmatibus, & fide. Quid igitur est durus sermo? Quoniam vitam promittebat, & resurrectionem, quoniam dicebat de cœlo se descendisse, & quoniam salvari impossibile eum, qui non manducat ejus carnem? Hæc igitur, dic mihi, sunt dura? Et quis utique hoc dicet? Quid igitur est durus? Resp. Durus, idest, difficile credibilis, supereacedens eorum imbecillitatem, & sapiens tumorem, & elationem. Æstimabant enim eum supra seipsum loqui?

h Et] ideo dixerunt [quis potest eum audire?] idest, ei obedire, cum sit contra naturam carnes hominis comedere. Vel. [Quis potest eum audire,] idest, sustinere loquentem tam alta de se, & magna super se. Dicit enim se date vitam, & de cœlo descendisse. *Chr.* Pro seipsis dicebant excusantes, quia debebant resilire.

i Sciens autem Jesus] quem nil latet: *Hebr.* 4. & 1. *Regum* 16.

k Apud semetipsum:] idest, nullo dicente.

l Quia murmurarent de hoc Discipuli ejus. [Murmurarent] dicit: quia sic illa dixerant, ut ab aliis non audirentur.

m Dixit eis:] quod fuit signum suæ Deitatis, occulta scil. eorum in medium ferre.

n Hoc vos scandalizat.] quod dixi de carne mea, & sanguine.

Item de vitæ datione, & de descensu de cœlo. Et ad hoc respondet sic.

o Si ergo videritis, &c.] quid dicetis, supple? Quasi vos scandalizamini de hoc, quod dico magna de me, & quod descendi de cœlo: quid ergo dicetis, quod videbitis me in cœlum ascendere, quod majus videtur? Et nota, quod de duobus scandalizabantur. Unum erat altitudo verborum: & ad hoc respondet primo. Aliud erat absurditas de carne sua comedenda: & ad hoc respondet secundo, dicens: [Spiritus est, &c.] Sed quærit *Chrys.* quare sic respondet de ascensu suo in cœlo Judæis scandalizatis? Videtur enim dubitationem, & scandalum magis augere, quam sedare. Et ad hoc respondet, quod imo, dicendo unum solum magnum de se, magis scandalizasset: nam qui unum quid magnum de seipso loquitur, suspicabilis fit, quasi fingens: qui autem tot dicit magna per ordinem, omnem tollit suspicionem. Ideo non simpliciter dixit: quia de cœlo descendi; sed addidit, quia est panis vitæ, & quod caro ejus vita est mundi, & sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & nunc ultimo dicit descensu in cœlum. Et dicit: [Si ergo videritis, &c.] quasi dicat, non fingo, quæ dico, quia vos videre poteritis, & videbunt quidam vestrum majus de me, scilicet, ascensum in cœlum. Sic respondit Dominus Nathanaeli *sup.* 1. Quoniam dixi tibi: quia vidi te sub ficu, credis: majora his videbis, &c. Et Nicodemo *sup.* 3 Nullus ascendit in coelum, nisi filius hominis, &c. *Aug.* legit sic.

21. q. 4. c. Nabuchodonosor.

n Hoc vos scandalizat,] quod dixi de carne mea.

o Si ergo videritis filium hominis ascendentem, &c.] Et est oratio suspensiva, & defectiva, quasi, tunc intelligetis, quia non do corpus meum per partes dilaniandum, ut putatis: quia me integrum ascendere in cœlum poteritis videre: & sic videbitis vos carnali intellectu deceptos. Seq.

p Spiritus est, qui vivificat,] idest, spiritualis intellectus confert vitam, quasi dicat, spiritualiter oportet de me audire. Qui enim carnaliter audit, nihil proficit. Unde sequitur.

r Caro non prodest quicquam,] i. carnalis sensus. Sed objicit *Chr.* Quia *sup. eod.* dicitur. Qui manducat carnem meam, habet vitam æternam.

Item. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. qualiter igitur non prodest, sine qua vivere non est? Solut. Non de carne sua dixit: sed de carnali audientia, q.d. qui hæc carnaliter acceperit, in nullo ei prosunt, sed obsunt. Aliter solet exponi.

p Spiritus est, qui vivificat,] idest, spiritualis sumptio, & mystica.

r Caro non prodest quicquam] i. sacramentalis sumptio tantum, imo obest sine spirituali. Vel [Caro non prodest quicquam] sic sumpta, ut vos putatis. Vel.

p Spiritus] idest, est Deitas.

q Est, qui vivificat;] animam.

r Caro] Christi, quamvis munda, & sancta.

s Non prodest quicquam,] sine Deitate. *Prima expositio* magis respondet textui, seq.

t Verba, quæ ego locutus sum vobis,] de carne mea.

u Spiritus, & vita sunt,] idest, spiritualia, & vitalia sunt: sive spiritualiter intellecta vivificant? sed carnaliter intellecta mortificant, sicut patet in vobis. Unde subdit.

x Sed sunt quidam ex vobis,] *Chr.* Dicendo, [quidam] quosdam Apostolos excepit.

y Qui non credunt] & ita spiritualiter non intelligunt, quia dicitur *Is.* 7. Nisi credideritis, non intelligetis. Et ne credatur Jesus tunc primo, quando murmurabant scivisse eorum infidelitatem, subdit Evangelista.

z Sciebat enim ab initio Jesus,] idest, ab æterno, vel a principio locutionis.

a Qui essent credentes;] Apostoli, scilic. qui non sunt scandalizati: & similiter, qui erant infideles, alii scilic. [Sciebat, &c.] *Chr.* Qui non essent credentes: vel qui sunt, qui non credunt:

b Et] de Apostolis etiam sciebat.

c Quis traditurus esset eum,] sc. Judas, qui & tunc inter scandalizatos erat, ut dicit *Aug.* & *Beda*, & *Chr.* Et nota, quod non inaniter dicitur: [ab initio] quasi non postquam murmuraverunt, non postquam scandalizati sunt, sciverat; sed ante, quod erat Deitatis. Unde & a principio locutionis dixit eis *sup. eod.* Dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis mihi, per quod ostendit se scire occulta eorum, & futura: & quod non loquebatur eis propter gratiam, & gloriam eorum: quia sciebat se loqui non credituris.

d Et dicebat, propterea] quia quidam non credunt.

e Dixi vobis,] idest, prædixi.

f Quia nemo potest venire ad me] i. credere in me;

Nisi

a Nisi fuerit, &c.] per quod significavit, quod non omnes veniebant. Et reiigit incredulitatem eorum: quia non meruerant, ut eis esset datum a Patre *Chr.* Cum audieris [datum] non destructionem, vel fatum æstimes: sed illud crede, quoniam qui seipsum dignum tribuit, ut accipiat, ille suscipit.

nisi *a* fuerit ei datum a Patre meo. Ex *b* hoc *c* multi *d* Discipulorum *e* abierunt retro, *f* & jam non cum illo ambulabant. Dixit *g* ergo Jesus ad duodecim: *h* Nunquid & vos *i* vultis abire? *k* Respondit ergo ei Simon Petrus: *l* Domine, ad quem ibimus? *m* Verba vitæ æternę habes: & *n* nos credimus; & *o* cognovimus, quia *p* tu es Christus Filius Dei. Respondit *q* eis Jesus. Nonne *r* ego vos duodecim elegi? & *f* ex vobis unus diabolus est?

Per hoc autem, quod dicit: [Nisi fuerit ei datum a Patre meo] suadet eis patrem ejus æstimare Deum, non Joseph, & ostendit, quoniam non contingens est hoc, scil. credenti in eum; sed indiget Dei munere.

23 q. 4. c. [illegible]

b Ex hoc,] i. post hoc, postquam, sc. hoc dixerat. Vel. [Ex hoc] verbo, i. occasione verbi, quod dixerat, scilicet, de comestione carnis suæ.

c Multi] non pauci. *d* Discipulorum ejus] qui videbantur discipuli, & vere non fuerant.

e Abierunt retro] non post Christum, sed post Satanam, non Christum imitantes, sicut Petrus, cui dicitur *Matt.* 16. Vade retro Satana, & *Chr.* Bene Evangelista, non dicit recesserunt, sed [abierunt] ad ea, quæ retrorsum, i. ab auditione, quæ secundum virtutem est, abscissi sunt, & quam habebant olim, fidem perdiderunt, ad statum infidelitatis primæ reversi: sic caro non prodest. [Abierunt retrorsum.] *Greg.* Mentes carnalium bona pensare non valent, nisi quæ carnaliter vident. *Prov.* 18. Non recipit stultus verba prudentiæ, &c. In hoc adimpletum fuit illud *Is.* 8. Erit vobis credentibus in sanctificationem; in lapidem autem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israel. Et nota, quod quandoque propter scandalum multorum dimittenda est prædicatio, etiamsi sit ibi salus aliquorum, videlicet, si alias poterit fieri ita commode: si autem alias non, & imminet salus paucorum, non est dimittendum propter scandalum multorum. Hæc causa fuit hic, quia nisi hoc dixisset Dominus, aliqui, qui ibi erant, alias non crederent.

f Et jam non cum illo ambulabant] quia non solum mente, sed corpore recesserunt. Sed non Duodecim hæc passi sunt, unde merentur divinam allocutionem specialem. Unde sequitur.

g Dixit ergo, &c.] inter quos erat, & Judas, qui quidem de scandalizatis erat, sed corpore cum aliis remansit ad insidiandum, & tradendum Christum.

h Nunquid & vos] sicut alii [vultis abire?] Et quærit *Chr.* quare illos modo non laudavit, quia non recesserant, neque admiratus est? Et ad hoc respondet, ut dignitatem servet magistralem, cui non competit rogare, sed rogari. Item, ne videantur ei in morando gratiam facere. Item ne patiantur quid humanum ex laude, i. gloriam inanem. Item quia convenientior fuit modus iste trahendi ad se. Ostendit enim se non indigentem assecutione eorum, detinuit magis. Item nec istis blanditus est, nec recedentes accusavit manifeste ostendens, qualiter nos oportet philosophari in talibus: ut nec exultemus inaniter de accessu discipulorum, nec tristemur de secessu, quod est contra nos, ut dicit *Chrys.* Qui a propria possessi gloria omnia propter hanc agimus, ideoque minorari æstimamus nos, vel nostra per recessum discipulorum. Et nota, quod dicit, [Nunquid & vos vultis abire] non dixit: abire: hoc enim expellentis esset, sed [vultis] quasi tollens vim, & necessitatem, & verecundiæ coarctationem: Necessitate enim detineri, par est cum hoc, idest, abire.

k Respondit ergo ei Simon Petrus,] unus pro omnibus *Chrysostomus*. Vide fratrum amatorem, amicitiæ conservatorem, pro omni respondit collegio: non enim dixit, cognovi, sed cognovimus.

l Domine, ad quem ibimus?] q. d. non est similis tibi, ad quem ire velimus, *Exod.* 15. Quis similis tui in fortibus, Domine, *Ps.* 70. Deus, quis similis sit tibi. *Is.* 46. Cui similem me fecistis. *Aug.* Si vis me recedere a te, da mihi alium te, ut a te fugiam ad te. *Chrys.* Multæ verbum hoc amicitiæ est ostensivum: [Domine, ad quem ibimus,] quoniam omnibus est eis Christus honorabilior, & patribus, & matribus, & aliis omnibus: ut desistentes ab eo non reputent se alibi refugium invenire. Et ne putes dicere, non habemus, qui vos suscipiat, subdit.

m Verba vitæ æternæ habes:] ideo non possumus recedere. *Chr.* Et enim si non dixisset de carne sua, scandalizati essent utique, & non acquievissent, cibo attendentes semper corporali, & terræ affixi. [Verba vitæ, &c.] ideo beati sunt, qui te audiunt. *Luc.* 11. Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. *Eccl.* 48. Beati sunt, qui te audierunt, & in amicitia tua decorati sunt. 3. *Reg.* 10. Beati viri tui, & beati servi tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. *Chrys.* Vides, quoniam non verba illos, qui abierant, scandalizabant; sed negligentia, & indevotio: Ecce enim illi cum illis audierunt, & contraria enunciaverunt. Illi cum argumentationibus humanis, & carnaliter omnia audiebant; hi vero spiritualiter & fidei omnia concedebant. Ideoque dixit, *supra eod.* Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt, idest, spiritualiter intelligenda sunt: & sic vivificat non secundum consequentiam humanam.

De conf. d. 2. c. forte, Matth. 16.

n Et nos credimus] Hi enim jam susceperant fidem.

o Et cognovimus] per fidem, scilicet. *Isaiæ* 7. Nisi credideritis, non intelligetis. Vel per certissima signa scimus.

p Quia tu es Christus Filius Dei.] *Chrysost.* habet hic. [Filius Dei, qui vivit,] q. d. scimus, quod potens es dare vitam, quam promittis: quia Filius es Dei viventis. Et nota secundum *Chrys.* quod non eadem sentit, vel dicit cum Judæis. Nam illi dicebant: Tu es filius Joseph: hic vero dicit: Tu es Christus filius Dei viventis. Et quoniam verba vitæ æternæ habes, per quod ostenditur, quod omnia detinet memoriter, quæ dicta sunt a Magistro ipsorum recolens verborum. Dixerat enim Magister, & ego resuscitabo eum, & habebit vitam æternam.

q Respondit, ergo] eis [Jesus,] causa probandi, & examinandi eos.

r Nonne ego vos duodecim elegi, &c.] *Chrysost.* Quia dixerat pro omnibus. [Nos credimus, &c.] excipit a collegio Judam. *In Matthæo* autem 16. laudatur Petrus, ubi non associavit discipulos confessioni: hic autem, quia de omnibus dixerat. [Nos credimus,] decenter non dimittit Judam in eorum collegio dicens. [Nonne ego vos duodecim elegi, &c.] idest, in Apostolatum assumpsi.

f Et ex vobis unus diabolus est?] Judas, scilicet *Chrysostomus*. Aliis recedentibus, & istis confitentibus, non blanditur Christus istis, quasi dicat, ne putetis, quod debeam vobis blandiri, malos arguam, etiam in his, quos elegi; neque timeo redargui quasi insipiens elector. Neque enim electio vi, & necessitate facit bonos: neque enim electio violenta est causa eorum, quæ futura sunt; sed conversiva, idest, hortativa: quia enim vim non infert vocatio, multos contingit vocatos perire. Unde manifestum est, quod in nostra mente positum est hoc, idest, salvari, & perire. *Matthæi* 20. Multi sunt vocati; &c. [Et unus ex vobis, &c.] *Chrysostomus*. Communem tunc rem constituit, dicens: [Unus,] scilicet. Sed cur modo non quærunt Discipuli, sicut *Matthæi* 26. Et *infra* 13. Nunquid ego sum, Domine, &c. Solutio. Petrus adhuc non fuit increpatus, sicut *Matthæi cap.* 16. Vade retro me Satana: ideo hic de se non timuit: & ideo non quæsivit. Item non dicitur hic: Unus ex vobis me tradet, sed unus Diabolus est, quod ex qualibet ita alicui solemus dicere: ideo nescierunt, quid diceret per hoc, nisi quod malum alicujus illorum æstimabant vituperare solum. Et nota, quod a longe ante malitiam percutit proditoris, dicendo hic [Unus ex vobis, &c.] sciens tamen, quod nihil proficeret ei, sed quod suum est agit corripiendo. Et vide sapientiam, neque manifestum eum fecit, nec latere omnino permisit hoc, ne inverecundum faciat, & litigiosior fiat. Hoc autem ne putans latere, sine timore operetur audaciam, ideo paulatim plus, & plus arguit. Primo enim eum cum aliis numerando arguit dicens. Sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Et quod Judam connumeraret eum eis, subdit Evangelista dicens. Sciverat enim a principio Jesus, qui sunt, qui non credunt: & quis est, qui tradet eum. Qui vero mansit incorrectus, vehementiorem inducit redargutionem dicens: [Unus ex vobis Diabolus est.] Et in hoc communem omnibus timorem constituit illum connumerare volens. Et de quo dixerit, aperit Evangelista, dicens.

a Dicebat autem de Juda.

a Dicebat autem de Juda] filio [Simonis Iscariothis.] Dicitur enim Iscariothes a loco.
b Hic enim erat traditurus eum,] idest, jam dispositus ad tradendum. *c* Cum,] idest, quamvis.
d Esset unus ex duodecim] Apostolis.

a Dicebat autem de Juda Simonis Iscariothis: Hic *b* enim erat traditurus eum, *c* cum *d* esset unus ex duodecim,

CAP. VII.

Post *e* hæc autem *f* ambulabat Jesus in Galilæam: *g* Non enim volebat in Judæam ambulare, *h* quia quærebant eum Judæi interficere. *i* Erat autem in proximo dies festus Judæorum Scenopegia,

EXPOSITIO CAP. VII.

Post hæc, &c.] In præced. cap. posuit Evangelista disputationem Domini ad Judæos, propter quam multi discipulorum abierunt retro, & Judæi indignantes contra eum murmurabant, & litigabant dicentes: Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum, &c. In hoc autem cap. subjungit Evangelista, primo de descensu Domini de Judæa in Galilæam, ne interficeretur a Judæis, in quo docet nos fugam cautelæ. Secundo adjunxit de incredulitate cognatorum Domini, in quo docet nos semper veritatem dicere, ibi: [Dixerunt autem, &c.] Tertio loquitur de ascensu Domini a Galilæa in Judæam, & in templum, & de disputatione ejus cum Judæis, & Judæorum cum eo, ibi: [Ut autem ascenderunt fratres, &c.] Quarto adjungit de dissensione turbæ, cujus quædam pars dicebat ipsum esse bonum, & alia pars seductorem, ibi: [Ex illa ergo turba, &c.] Et licet hæc dictio [post] dicat ordinem, & consequentiam; non tamen consequenter se habent ea, quæ dicuntur in hoc cap. ad ea, quæ dicta sunt in præced. imo multum tempus fuit medium inter hæc, & illa, sc. quinque menses. Quod probat *Chrys.* hoc modo. Ea enim quæ prædicta sunt, facta sunt prope Pascha, ut dicitur *in princ.* 6. hæc autem facta sunt prope Scenopegiam, ut dicitur hic. Et de factis istorum quinque mensium nihil narrat Evangelista, nisi signum panum, & locutionem Christi ad turbam: nihilominus ante ipse indesinenter faciebat signa, & miracula, & disputabat cum Judæis die, ac nocte frequenter, ut dicit *Chr.* Quæ tacet Evangelista, tum quia omnia non posset enarrare, tum quia ea dixit in consimilibus, tum quia illa maluit dicere, ex quibus quærela, aut contradictio sequebatur, ut est incredulitas cognatorum Jesu. Dicit ergo. *e* Post hæc] quæ facta sunt supra, non tamen immediate, sed post quinque menses. *f* Ambulabat Jesus in Galilæam] fugiens de Judæa. Et subjungit, quare. *g* Non enim volebat &c.] Non omnes, sed majores, ut Scribæ, & Pharisæi invidia concitati, sicut fratres Joseph ex invidia vendiderunt eum. *Gen.* 37. Et Cain Abel occidit, *Gen.* 4. Et Saul David persecutus est ad mortem, 1. *Reg.* 19. Et Diabolus hominem seduxit, & occidit, non ferens prosperitatem ejus, & honorem. Unde *Sap.* 2. Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. Nihil invidia deterius, & livore, quo mors in mundum venit. Fugit autem Jesus, non timore mortis, cujus habet potestatem, ut dicit *Aug.* sed dat infirmis exemplum, ne eis objiciatur latibulum, i. quia latuerint. Unde *Matth.* 10. Si vos persecuti fuerint in unam, &c. Et secundum hanc doctrinam Paulus dimissus est per fenestram in sporta, ut dicitur 2. *Cor.* 21. Sed objicitur contra *Gl. Aug.* de littera Græcorum, quam ponit *Chrys.* quæ talis est. [Post hæc ambulabat Jesus in Galilæam: non enim habebat potestatem in Judæam ambulare, si vellet.] Sed hoc solvit *Chrysost.* dicens, quod Evangelista alia dicit de Jesu, quæ sunt Deitatis, ut cum stare dicit eum in medio persecutorum; & non teneri, alia, quæ sunt humanitatis, ut cum dicit, eum non habere potestatem. Sequitur.

i Erat autem, &c.] idest, fixio tabernaculorum, quod festum faciebant Judæi singulis annis in memoriam beneficiorum, quæ Dominus eis contulerat in deserto, ubi quadraginta annis fuerunt in tabernaculis. De quo festo habetur *Levit.* 24. & *Numer.* 28. & 29. Et dicitur Scenopegia dies festus singulariter, non quod tantum uno die fieret, imo septem; sed quasi unus dicuntur, propter unam festivitatem. Simile *Numer.* 8. Obtulerunt Duces in dedicationem altaris die, qua unctum est, oblationem suam. Item in *eodem.* Hæc in dedicatione altaris oblata sunt in die, qua consecratum est. In die, dicit singulariter, cum tamen essent duodecim dies.

k Dixerunt autem

Moral. Moral. *e* Post hæc, &c.] Galilæa, quæ interpretatur rota, vel transmigratio, significat ærumnas, & miserias, in quibus rotantur, & affliguntur in hac vita Sancti, qui in ea sunt exules, & peregrini. *Psalmus* 118. Incola ego sum, &c. Per Jesum intelligitur aliquis volens se, & alios salvare.

Unde *Phil.* 2. Cum metu, & tremore vestram salutem operamini. Judæa interpretatur glorificatio, & significat adulationem, sive curiam Principum, ubi sunt adulationes. *Matth.* 11. Ecce, qui mollibus vestiuntur, &c. Bonum est ergo homini quærenti salutem, ut magis quærat rotam tribulationis, & dejectionis, quam Judæam adulationis. Melius est enim habere exprobratores, quam laudatores.

h Quia quærebant eum, &c.] i. adulatores. *Is.* 3. Popule meus, qui te beatum dicunt, &c. *inf.* 20. Cum sero esset die una Sabbatorum, & fores essent clausæ propter metum Judæorum, &c. *Eccl.* 28. Sepi aures tuas spinis.

i Erat autem, &c.] quod est fixio umbrarum, sive tabernaculorum, per quod significatur gaudium mundiale. De quo *Is.* 22. In die illa vocabit Dominus Deus exercituum ad fletum, & ad planctum, & ad calvitium, & ad cingulum sacci: & ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Hoc est festum Judæorum, i. adulatorum, qui mollia quærunt in alimentis, & pinguia in cibis. *Matth.* 11. Qui mollibus induuntur, &c. *Eccl.* 10. In risu faciunt panem, & vinum. Et nota, quod Scenopegia dicitur fixio umbrarum. Umbræ enim sunt temporalia, & transeuntia. *Eccles.* 24. Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur æstum: sic qui attendit ad visa mendacia, idest, ad temporalia.

Unde fatuissimi, & insani sunt, qui volunt ea figere, vel qui fixa credunt. *Sap.* 5. Transierunt omnia velut umbra. *Job* 20. Gaudium hypocritæ ad instar puncti. *Item* 21. Ducunt in bonis dies suos, &c. Et nota, quod umbra dicuntur solatia temporalium rerum, quia imaginem bonitatis habent, & non veritatem.

Unde *Prov. ult.* Fallax gratia, &c. Item pueri sequuntur umbram, & volunt apprehendere, & ludunt cum ea: sic insensati, & pueri sensibus temporalia. *Prov.* 1. Usquequo parvuli diligitis infantiam: & stulti ea, quæ sibi noxia sunt, quærunt? *Hebr.* 13. Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Item umbra longior est vespere: sic amor temporalium Sole gratiæ occidente crescit, vel quia cupiditas major est in senili ætate.

Unde *Jer.* 6. Væ nobis, quia declinavit dies: quia longiores factæ sunt umbræ vesperi.

Item umbra sequitur fugientem, & fugit sequentem, sic temporalia. *Eccl.* 11. Si secutus fueris, non apprehendes: & non effugies, si præcucurreris. *Gregorius.* Gloria hujus mundi umbræ similis est, quæ fugientem sequitur, & fugit sequentem. *Prov.* 13. Substantia festinata minuetur. Et nota, quod umbræ illæ ad litteram fiebant de salicibus infructuosis, per quas bene significantur temporalia: Secundum illud *Ps.* 136. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Prædicatio enim, & doctrina, & oratio, & contemplatio propter curam, & sollicitudinem temporalium suspenditur frequenter. *Job* 40. Protegunt umbræ umbram ejus, & circumdabunt eum salices torrentis. Salices fructum non habent, sed virorem: unde quasi fructum promittunt, sed non solvunt. Sic divitiæ. *Eccl.* 5. Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.

Item bibentes succum suum redeunt steriles a bono opere. Bibere enim est, cum aviditate sibi per amorem conjungere divitias. *Num.* 5. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumescente putrescat femur. Item *in eod.* Putrescere faciat femur, & tumens uterus tuus dirumpatur. Item salices frigidum reddunt: sic crescente cupiditate frigescit charitas. *Matth.* 24. Abundavit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. Item salices dantur infirmis in solatium: sic temporalia dat Dominus infirmis in solatium, sed a sanis, i. a spiritualibus retrahit. Unde populo Judaico infirmo dicit *Is.* 1. Si audieritis me, bona terræ comedetis, &c. Sed populo Evangelico dicit *Matth.* 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, &c. Ad hoc festum invitant amatores mundi. Unde seq.

* *a* Dixerunt

a Diaerunt autem ad eum,] ideſt, ad Jeſum.
b Fraires ejus:] *Gloſſ.* i. conſanguinei ejus, & ideo faſtidientes eum. Inter quos erant Jacobus, & Judas, ut dicit *Chr.* qui miraculo vini interfuerant in Chana Galilææ, *ſup.*2. Unde ergo eis tanta infidelitas? *Chryſ.* Ex uptione, & invidia, i. ex electione voluntatis propriæ. Cognatio enim conſuevit in invidia eſſe, apud proximos: & quia iſti cognati ejus erant, ideo fiducialius loquebantur. c Tranſi hinc] i. de Galilæa.

a Dixerunt autem ad eum b fratres ejus: c Tranſi hinc, d & vade in Judæam, ut e & Diſcipuli tui f videant opera tua, quæ facis. g Nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipſe in palam eſſe. Si hæc b facis, manifeſta teipſum mundo. i Neque enim fratres ejus k credebant in eum. Dicit l ergo eis Jeſus. m Tempus meum nondum advenit, n tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. o Non poteſt mundus odiſſe vos; p Me autem odit, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala ſunt.

d Et vade in Judæam,] ubi eſt principatus Gentis, & civitas caput regni, ſc. Jeruſalem. e Ut & Diſcipuli tui,] i. turba ſequens, & tibi credens: Non enim dicit Diſcipulos hic duodecim Apoſtolos, ſed turbam ſequentem, ut dicit *Chr.* f Videant opera tua, quæ facis.] in occulto, ſc. Hæc autem dicebant, putantes eum cupidum, vel amatorem eſſe laudis humanæ, quales ipſi erant.

Chryſ. Quia verbum incredolitatis locuti ſunt, rogantes eum mirificare: Ergo multæ quidem incredulitates erant audacia, & intemporanea propalatio. Æſtimabant enim a cognatione oportere eos cum propalatione loqui. Et videtur, quidem initium ſermonis eſſe [Tranſi hinc, &c.] Multæ vero amaritudinis erant, quo dicebatur: Hic enim eum & formidinis, & amoris gloriæ vituperant: Nam hoc quidem, i. dicere [Nullus quippe in occolto facit] formidinem incuſantium erat ſimul, & ſuſpicantium, quę fiebant, ut non vere facta; hoc autem, i. quærere in manifeſto, eſſe gloriæ amorem.

Unde ſequitur ſecundum eorum opinionem.

g Nemo quippe, &c.] q. d. nemo debet occulte operari bona, qui vult ab hominibus laudari. Ideo.

b Si hæc facis,] vere [manifeſta teipſum mundo] miſericordiam omnibus faciendo, quæ facis in occulto. Duplici vitio ſe ſubjacere oſtendunt illi fratres Domini. Primo enim oſtendunt ſe gloriæ amatores, cum dicunt, [Nemo quippe, &c.] Secundo monſtrant ſe eſſe incredulos, cum dicunt. [Si hæc facis, &c.] Unde ſeq. i Neque enim fratres ejus] i. conſanguinei ejus.

k Credebant in eum.] cujus ſignum eſt audacia, intemporanea propalatio, ut dicit *Chr.* Qui exponit hoc de propinqois cognatis Domini, inter quos ponit Jacobum, & Judam. Tamen alii Sancti exponunt hoc de remotis cognatis.

l Dicit ergo eis Jeſus,] corripiens eos gloriæ cupidus, & incredulos.

m Tempus meum nondum advenit,] i. tempus gloriæ meæ manifeſtandæ, quale fuit tempus Reſurrectionis, & Aſcenſionis. *Chr.* Hic mihi videtur aliquid ænigmate inſinuari, fortaſſis enim volebant eum prodere, & tradere Judæis. Et ad hoc dicit [Tempus meum nondum advenit,] ſc. Tempus Crucis, & mortis. n Tempus autem, &c.] i. vos, etſi ſemper ſitis cum Judæis, non interficient, eadem cum ipſis zelantes; me vero ſtatim vellent interficere: quare vobis quidem ſemper eſt tempus coexiſtendi cum eis non periclitantibus; mihi autem tunc tempus erit, cum Crucis tempus inſtiterit, cum mori me oportuerit. Notanda eſt blanda Chriſti reſponſio, ut dicit *Chr.* Non enim reſpondit: Vos, qui eſtis, qui docetis me? Sed manſuete reſpondit: Tempus meum nondum advenit, & in hoc docemur, non indigne ferre, etſi viles exiſtant, qui conſiliantur nobis. Si enim Chriſtus humiliter ſuſtinuit conſiliantes, quæ non oportebat, qua fruemur venia nos terra, & cinis ad eos, qui conſiliantur utilia graves exiſtentes? Sicut multi, de quibus dicitur *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominati ſunt. Seq.

o Non poteſt, &c.] i. Judæi amatores, qualiter enim odirent vos, qui eadem cum eis vultis, & pro eiſdem curritis?

p Me autem, &c.] Unde *Sap.*2. Dixerunt impii cogitantes apud ſe non recte: Circomveniamus Juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nobis peccata diſciplinæ noſtræ. Sequitur.

Marah * a Diaerunt ad eum, &c.] Unde *Iſ.*22. Comedamus, & bibamus, &c. *Sap.*2. Venite, & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter, vino pretioſo, & onguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra: nemo veſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ: ubique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Ita invitant multi, & maxime fratres, quia inimici hominis domeſtici ejus: *Michea* 7. Ipſi enim magis perſuadent divitias, & honores tenere, vel acquirere. Sed Chriſtus non acquievit carni, & ſanguini. Unde & nos ſimiliter faciamus, ſicut & Chriſtus fecit: Aſcendamus ad hoc feſtum die feſto mediante, ut ſubſidium temporalium accipiamus tantum ad neceſſitatem corporis; anima vero non ioeis, ſed in cœleſtibus quærat ſuam delectationem. Quod ſignificatur per claudicationem Jacob: *Gen.* 32. Quia uno pede poſſumus hærere terræ, ſcilicet quantum ad neceſſitates corporis, ſed alium debemus ſublevare, ideſt, affectum mentis. Sed peccatores omnino volunt terræ hærere, & toti, non ſolum pedibus, ſed & ventre, & corpore. *Gen.* 3. Pectore, & ventre repes. *Pſalmus* 43. Conglutinatus eſt in terra venter noſter. *Pſ.* 118. Adhæſit pavimento anima mea, &c. Mali hoc feſtum Scenophegiæ totum celebrare volunt, ideſt fixionem umbrarum, quantum ad cupidos: vel fixionem tabernaculorum, quantum ad illos, qui carnem ſuam volunt procurare, & nutrire, ac ſi eſſet ſemper duratura, hoc eſt figere tabernaculum vitam corporis velle ſtabilire, & ſolidare carnem ſuperfluis cibis, & potibus, & aliis delectabilibus. Sed recto Dei judicio tanto citius cadit paries, ſicut dicit *Ecclеſ.* 37. Propter crapulam multi obierunt, &c. *Pſalm.* 54. Viri ſanguinum, & doloſi, &c. *Job* 15. Antequam impleantur dies ejus, peribit. *Eccleſiaſtic.* 31. Vigilia, & cholera, & tortura viro infrunito. Item *Eccleſiaſtic.* 37. In multis eſcis erit infirmitas, &c. Ita enim eſt de carne noſtra, ſicut de luto, vel latere, qui tunſione, vel igne ſolidatur, & aqua reſolvitur. Unde *Nahum* 3. Intra in lutum, & calca, ſubigens tene laterem. *Hebr.* 13. Optimum eſt gratia ſtabilire cor, &c.

l Dicit ergo eis Jeſus, tempus meum non advenit, &c.] Multi habent modo tempus ſuum, & Sabbata ſua; ſed in futuro jejunabunt, & vigilabunt. Pervertunt enim ordinem. Unde *Amos octavo*. Dies feſti veſtri convertentur in luctum. Idem *Tob.* 2. Et 1. *Machab.*1. *Thren.*1. Viderunt eam hoſtes, &c. *Iſ.* 1. Neomeniam, & Sabbatum, & feſtivitates alias non feram, &c. Tria dicit, quæ referuntur ad tria prædicta. Neomeniam enim obſervant, ideſt feſtum Lunæ, qui gaudent de abundantia temporali, quæ ſignificatur per Lunam. *Eccleſ.*27. Stultus, ut Luna mutatur. Sabbatum, ideſt otium colunt delitioſi. Feſtivitates alias, ideſt dignitates, & honores ſuperbi. *Sapient.*15. Æſtimaverunt luſum vitam noſtram, hoc ad delicioſos. Et converſationem vitæ compoſitam ad lucrum, hoc ad avaros. Et poſtea ſubdit de ſuperbis. Omnes inſipientes, & infelices ſupra modum animæ ſuæ ſuperbi ſunt. *Proverb.* 14. Extrema gaudii luctus occupat. Ecce vigilia poſt feſtum. Ad hoc ſignificandum, quod Chriſtus per gloriam venit ad Paſſionem, ut dicit *B.Hier.* in ramis palmarum Evangelium gaudii legitur ante Paſſionem. Sancti autem e contrario faciunt hic vigiliam; & in futuro habebunt tempus ſuum feſtivum. Ideo dicit Chriſtus. [Tempus meum nondom advenit.] *Sap.* 3. Tanquam aurum, &c. & erit in tempore terminus eorum. Hic jejunant vigiliam, ſed in futuro comedent in feſto pinguia. *Pſ.* 35. Inebriabuntur, &c. *Matth.* 5. Beati, qui eſuriunt, &c. Dominus vult nos hic jejunare, ut famelici melius comedamus in menſa ſua. *Iſ.* 65. Servi mei comedent, & vos eſurietis, &c. *Zach.*8. Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi erit domui Juda in gaudium, & lætitiam, & in ſolemnitates præclaras: veritatem tantum, & pacem diligite, *ſupr.*2. Implete hydrias aqua. Item, *inf.*16. Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.

o Non poteſt mundus odiſſe vos; me autem odit.]

* Simile, *inf.*15. Si mundus

a Vos ascendite ad diem festum hunc. *b* Ego autem *c* non ascendam ad diem festum istum: *d* quia meum tempus *e* nondum impletum est. Hoc *f* cum dixisset, *g* ipse mansit in Galilæa. Ut *h* autem ascenderunt *i* fratres ejus: tunc *k* & ipse ascendit ad diem festum *l* non manifeste; sed quasi in occulto. *m* Judæi ergo quærebant eum in die festo, & *n* dicebant: Ubi est ille? Et *o* murmur multus erat de eo in turba. *p* Quidam enim dicebant, quia bonus est; *q* alii autem dicebant, non, sed seducit turbas,

a Vos ascendite, &c.] Dominus dat hic nobis exemplum sustinendi justam correctionẽ, qui ita benigne sustinuit injustam. *Chrys.* Discamus ex his mansuetudinem, & humilitatem *Matth.* 11. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Etsi inardeat quis injurians, & conviciens: non moveamur, non ulciscamur. Etenim feta est † furia, feta, sc. acuta, & calida, a fulminis. Incantemus igitur supra eam eas, quæ a divinis Scripturis sunt incantationes, & dicamus; Quoniam terra es, & cinis. *Gen.c.3.* Et quid superbit terra, & cinis. *Eccl. c.* 10. Et quoniam ubi turibundus, non est boniformis: Nihil enim turpius viso furente, nihil deformius. Si vero viso, multo magis animo. Item *Chrys.* Sed non possum ferre, ait quis, eam, quæ ab amicis est, contumeliam. Cujus gratia? Nam siquidem vera fuerint, & ante illum debuisse compungi, & gratiam habere ei comprehensionum. Si vero falsa, deride: dixit inopem, deride, dixit: pauperem: deride. *Eccl.* 28. Despice ignorantiam proximi. Et dixit ignobilem, vel insipientem, geme, non prote, sed pro illo, qui petit. *Matth. c.5.* Qui dixerit fratri tuo: fatue, obligatus erit in gehennam ignis. Item cum quis conviciatus fuerit, intellige supplicium, quo torquetur, & non solum non habebis irã, sed & lacrymas emittes. Neque enim adversus febrientem injuriantem quis exacuitur, neque adversus inflammatum: sed miseretur omnium talium, & lacrymatur. Tale enim quid est anima irascens. *Jerem.* 9. Quis da-† bit capiti meo, &c. *Ps.* 118. Exitus aquarum, &c. Item *Chrysost.* Si vindicare vis, sile: & funestam dedisti ei plagam; si vero convicio convicium copulas, accendisti ignem. *Eccl.* 28. Homo iracundus incendit litem. Item *in eodem*. Ori tuo facito ostia. Item *Chrys.* Sed imbecillitatis ait, qui me accusabant, qui adsunt, si siluere. Non est ita, sed Philosophiam tuam admirabuntur. Item si ad convicium non mordearis: tunc magis convicianti conviciaris; morsus autem cogit vera æstimari, quæ dicuntur. Propter quid enim dives audiens quoniam inops est, ridet: quoniam non cognoscit, sibi esse inopiam. Si igitur ridebimus in conviciis, demonstrationem maximam tribuemus, quod non conscientiam habemus in his, quæ dicuntur. *Actor.* 5. Ibant Apostoli gaudentes, &c.

al. † furor

Δ nostræ. Sequitur. *a* Vos ascendite ad diem festum hunc.] ubi quæritis humanam gloriam, & carnalia gaudia. Nec est præceptum, quod dicit [ascendite] sed permissio, vel potius indictio, quasi dicat, vos ascendite, idest, ascenderis, qui non estis odiosi Judæis.

b Ego autem] qui sum eis odiosus.

c Non ascendam ad diem festum istum:] supple sicut vos quærens gloriam: quia tempus gloriæ meæ nondum est. Vel, [Non ascendam ad diem festum istum,] idest, primum, vel secundum, vel tertium; sed in quarto die festivitatis ascendit. Vel, [Non ascendam] modo ad patiendum, sed magis ad erudiendum. *Chrysost.* Non dicit simpliciter. Non ascendam ad diem festum, sed [non ascendam ad diem festum hunc,] idest, vobiscum, ostendens se non indigere eis, neque blandiri volens, sed concedens Judaica facere. Causa autem, quare non ascendit cum eis, subjungit dicens.

d Quia meum tempus,] i. meæ crucifixionis.

e Nondum impletum est,] usque in futurum Pascha, in quo crucifixus fuit. Ante quod volebat miracula plura facere, & beneficia sanitarum pluribus conferre, & Discipulos suos solidiores reddere, & doctrinam suam plus manifestare, & turbæ crederent ampliores. Sed si tempus suæ crucifixionis nondum aderat, quare ergo non ascendit secure? Respondit *Chrys.* quod Dominus ascendit, sed latenter, ut ostenderet dispensationem suæ humanitatis, quæ naturaliter formidat mortem. Consequenter autem, quando ascendit, ostendit fiduciam, quam habebat ex Deitate.

f Hoc cum dixisset] quod præmissum est.

g Ipse mansit in Galilæa] fratribus ascendentibus in Judæam ad diem festum, quibus dederat licentiam ascendendi sine eo, ne videretur eorum præsentia indigere.

h Ut autem ascenderunt, &c.] Hæc est tertia pars, in qua agit de ascensu Domini in Judæam, non ad patiendum quidem, sed ad docendum: in quo erudimur, & nos posse formidare mortem: sed ita ut propter hoc non dimittamus facere, quod debemus.

Unde *Chrysostomus*. Quæ humane a Christo dispensantur, non propter hoc solum dispensantur, ut incarnationem certiorem reddant; sed ut nos erudiant ad salutem. *Matth.* 10 dicitur: Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Et iterum *in eodem*. Si persecuti fuerunt, &c. Dicit ergo: [Ut autem ascenderunt,] de Galilæa in Judæam, quæ in montibus est.

i Fratres ejus:] i. consanguinei.

k Et ipse ascendit] postea [ad diem festum] quarta scilicet die.

l Non manifeste,] idest, non quærens favorem hominum, sed salutem, *Greg.* Sic sit actio in publico, quatenus intentio maneat in occulto. *Chrysost.* Non dicit in occulto, sed quasi in occulto: videbatur enim, & publice loquebatur; sed non est par venire in statu solemnitatis, & solemnitate soluta. Ponit autem *Chrysost.* duplicem rationem, quare Dominus tantum tardavit venire ad festivitatem.

Prima est, quia sua tardatione Judæos attentiores fecit, qui enim, primis diebus quæsierunt, repente videntes attentius audierunt.

Secunda ratio tardationis suæ est, ut furor Judæorum remitteretur.

In occulto.
- Propter mysterium, quia in festis legalibus figuratus est.
- Propter exemplum fugiendi malos, ut dicit *Gloss.* &c.
- Fugiens laudem.
- Ostendens suam humanitatem. Seq.

m Judæi ergo quærebant, &c.] quia non ascenderat cum fratribus, sed postea quarta die festivitatis.

n Et dicebat, ubi est ille?] scilic. Christus. *Chrys.* Sed ea multo odio; & inimicitia nolebant eum proprio vocabulo nominare.

o Et murmur multus erat de eo in turba.] proveniens ea diversitate opinionum.

p Quidam enim dicebant, quia bonus est.] Et hæc opinio vera est.

q Alii autem dicebant, non; sed seducit turbas.] Et hæc opinio erat falsa. Prima opinio erat simplicium, & minorum hominum; secunda erat Principum, & Sacerdotum.

Unde *Chrysost.* Æstimo illam quidem opinionem esse multorum; hanc vero Principum, & Sacerdotum, qui non tantum propter præteritum signum de quinque panibus offensi erant; sed timebant, ne adhuc ibi tale operaretur. Bonum igitur dicebant a signis; malum vero a dogmatibus.

Δ Nemo tamen, qui esset Moral.

* Simile, *inf.* 15 Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem odio habuit. *Prov.* 29. Viri sanguinum oderunt simplicem; Justi autem quærunt animam ejus. Et nota, quod multiplex est causa odii. Una est dissimilis vita. Unde *Sap.* 2. Gravis est nobis ad videndum: quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ ejus. Item, *inf.* 16. Si de mundo essetis, mundus quod suum erat, diligeret. Secunda causa est de perversitate sua correctio. *Prov.* 15. Non amat pestilens, &c. *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, &c. *Philosophus*. Veritas odium parit. *Sap.*2. Improperat nobis peccata legis, &c. Ideo dicitur. [Me autem odit, quia testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt] *Exodi cap.* 1. Oderant Ægyptii filios Israel, & affligebant illudentes eis. In quo notantur tria. Odium cordis, angaria operis, illusio oris. Tertia causa est contrarius sensus, sive contraria opinio: quia multi putant temporalia utilia, & suavia; sed boni reputant stercora. *Phil.* 3. Item multi reputant bonos, fatuos, viles, insensatos. *Sapien.* 5. Vitam illorum æstimabamus insaniam, &c.

a Nemo tamen *b* palam loquebatur de illo propter metum Judæorum. *c* Jam autem die festo mediante, *d* ascendit Jesus in templum, & *e* docebat. Et *f* mirabantur Judæi, *g* dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? *h* Respondit ei Jesus, & *i* dixit: Mea doctrina *k* non est mea, sed ejus, qui misit me. Si quis *l* voluerit voluntatem ejus facere, *m* cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit: an *n* ego a meipso loquar. *o* Qui a semetipso loquitur, *p* gloriam propriam quærit. *q* Qui autem quærit gloriam ejus, qui misit illum: hic *r* verax est, & *s* injustitia in illo non est. *t* Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? *u* Quid me quæritis interficere? *x* Respondit turba, & *y* dixit: *z* Dæmonium habes: *a* Quis te quærit interficere? *b* Respondit Jesus,

A *a* Nemo tamen,] qui esset primæ opinionis. *b* Palam loquebatur de illo propter metum Judæorum,] i. Principum, & Sacerdotum, qui non solum Christum, sed omnes adhærentes ei persequebantur.

c Jam autem die festo mediante,] i. ad medietatem veniente.

d Ascendit Jesus in templum,] i. in atrium templi, ubi populus poterat convenire, scilicet, in medio quartæ diei, sive in quarta die, quæ erat media dies illius festi: Nam illud festum septem diebus agebatur.

e Et docebat,] utens auctoritate Scripturæ.

f Et mirabantur Judæi,] audientes eum litteraliter, & sapienter loquentem.

g Dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?] Hoc bene sciebant, scil. quod non habuerat Magistrum, quia cum eis educatus fuerat. *August.* Omnes admirabantur, sed non convertebantur. Sed cum Judæi prius quærerent eum, quare non capiebant eum modo in medio eorum existentem, maxime cum nullus auderet de eo loqui bonum? *Chrys.* dicit, quod ipse tenebat impetum eorum; sed quia ut dicit *Aug.* admiratio insinuandæ veritatis est occasio, ideo sequitur.

h Respondit eis Jesus,] salvare eos volens, & docere, quomodo sciat litteras, cum non didicerit.

i Et dixit: Mea doctrina,] i. quam doceo.

k Non est mea,] i. mei hominis, sed mei Dei, q. d. quod scio illud, quod non didici, non est humanum, sed divinum. Deus enim nihil potest addiscere, quia nihil potest ignorare. Vel [Mea doctrina non est mea,] i. istud quod scio, & doceo, non habeo a meipso, sed a Patre, a quo sum. *Chrys.* Ex hoc, quod litteras sciebat, quas non didicerat, poterant cognoscere, quod hoc non erat humanum; sed quia ipsi stupent, & nolunt hoc revelare, ipse respondens eorum suspicioni, mittit eos ad Patrem, dicens: [Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me] in carnem, vel in mundum, vel ad prædicandum. De hoc dicitur *Prov.* 30. In persona ipsius Christi: Non didici sapientiam, & novi scientiam Sanctorum. Quærit autem *Chrys.* quare non dixit: Doctrina hæc non est mea, sed prius dicens: quoniam mea est, & suam propriam faciens: tunc induxit, non est mea: qualiter ergo idem potest esse ejus, & non ejus? Et respondet. Ejus quidem erat, quoniam non edoctus sciebat, non ejus autem, quoniam Patris erat doctrina, i. a Patre. Filius quidem scit omnia, sed nihil discit a Patre, quia discere nescientiam ponit. Sed rursus opponit *Chrys.* qualiter hic dicit Jesus: [Mea doctrina non est mea] sed Patris, cum alibi dicat: Omnia, quæ Patris sunt mea sunt; & quæ mea sunt, Patris sunt. Si enim, quia Patris est doctrina, propterea non est mea, falsum est illud: Omnia, quæ Patris sunt, mea sunt; & quæ mea sunt, Patris sunt: propterea enim, quia Patris est, deberet esse tua. Ad hoc est summa responsionis, quod per hanc propositionem; [Doctrina mea non est mea, sed Patris,] ostenditur una esse doctrina Patris, & Filii, sed diversæ Personæ. Una Patris, a quo habet Filius, quicquid habet, & quicquid est. Et idem ostenditur per illam: Omnia, quæ sunt Patris, mea sunt; & quæ mea, Patris sunt. Unde sequitur:

Inf. 17.

l Si quis voluerit voluntatem ejus facere,] i. credere in eum, & credere per virtutem.

m Cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit,] i. sciret virtutem eorum, quæ dicuntur: Et si quis attenderit prophetiis, sciet, utrum ego loquar secundum eas, vel non. Et hoc est, quod sequitur.

n An ego a meipso loquar,] q. d. si quis est amator virtutis, & volt vivere secundum voluntatem Dei, perpendet, quod in doctrina mea nihil est dissonum voluntati Dei. *o* Qui a semetipso loquitur,] idest aliquid proprium, & separatum.

p Gloriam propriam quærit,] non Dei gloriam, nec salutem hominum, q. d. propriam volt habere doctrinam, propriam quærit gloriam. Sed quia ego non quæro propriam gloriam, sed Patris; ideo doctrina mea non est mea propria, sed communis Patri. *Aug.* Ego ex Deo loquor, & gloriam Dei quæro, non meam.

q Qui autem quærit gloriam ejus, qui misit illum,] sicut ego.

r Hic verax est,] in ore.

s Et injustitia in illo non est,] i. in opere illius. q. d. illius doctrina vera est, & vita justa, qui missus ab aliquo, quærit ejus gloriam, & non propriam: Sicut Christus missus a Deo, non sui hominis, sed Dei in omnibus operibus suis gloriam quæsivit. Christus igitur fere ubique humilia de se loquitur, & raro sublimia.

Inf. 8.

Unde sæpe vocat se filium hominis; raro autem Filium Dei. Et ideo super locum illum, ponit *Chrysostom.* quinque causas, quare Christus de se humilia loquitur: & unicam, quare sublimia. Prima causa, quare de se humilia loquitur, est, ut ostendat se non ingenitum esse. Secunda, ut ostendat se non esse contrarium Deo. Tertia, ut ostendat se esse verum hominem, qui naturaliter debet esse humilis. Quarta, est imbecillitas audientium, qui non possunt capere alta. Quinta est, ut doceat homines moderata de se sentire, & nihil de se dicere magnum. Alta vero de se loquendi unam inveniet quisque causam, scilicet naturæ magnitudinem, idest Deitatem.

Quinque causæ, quare Christus de se humilia loquitur. Unde causa, quare Christus de se sublimia loquitur.

Unde & dixit *infra* 8. Antequam Abraham fieret, ego sum, Et tunc fuerunt Judæi scandalizati: quid igitur facerent homines, si sæpe fuisset de se magna locutus? Sequitur.

t Nonne Moyses dedit vobis legem, &c] *Chrysost.* Dominus consuevit malas suspiciones, quas Judæi habebant in mente, auferre. Duo autem objiciebant ei. Unum, quod Sabbatum violaret, *sup.* 5. Et aliud, quod faciebat se parem Deo, Paritatis suspicionem destruere noluit, quia verum erat, sed confirmavit per ea, quæ dicta sunt in *sexto capitulo*, ubi dixit; Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius quos vult, vivificat; Hic autem de Sabbato inducit solutionem, ostendens, quod non solvit eum secundum Moysi intellectum, sed ipsi potius solverunt. Unde dicit; [Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem] Quia lex dicit *Exod. cap.* 20. Non occides: vos autem quæritis me occidere, & multos alios contra legem occidistis. Unde etsi ego solvi Sabbatum sanando hominem secundum judicium vestrum; vos magis solvitis, hominem occidendo. Et ita transgressio mea est in salutem; vestra autem in perditionem: Ideo non potestis, qui magnam facitis transgressionem, me judicare minus transgredientem. Unde *supra cap. octavo.* Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.

u Quid me quæritis interficere,] idest, qua de causa?

x Respondit turba] turbans, & turbata.

y Et dixit] furore agitata.

z Dæmonium habes.] *August.* Non pertinentia ad ordinem, sed ad turbationem respondit. Hoc enim non dicerent, nisi Dæmonium haberent. Unde & *Matt.* 12. Dixerunt: in Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.

a Quis te quærit interficere?] Negare conantur, quod tamen volebant, unde & blasphemi, & mendaces sunt. Blasphemi quidem dicentes: [Dæmonium habes.] Mendaces vero dicentes: [Quis te quærit interficere.] Omnes enim quærebant eum interficere, ut dicit *Chrys.* ad minus omnes majores. Quia vero Dominus dixerat, quod ipsi solvunt legem, quoniam illud idem posset ei objici, ostendit, quod sanando hominem non solvit ipse legem, ponens ad hoc plures rationes. Unde sequitur:

b Respondit Jesus] non perturbatus, ut illi, sed tranquillus, non reddens maledictum pro maledicto.

A *a* Et dixit

A *a* Et dixit eis,] pacificus furiosis. *b* Unum opus feci,] sanando paralyticum in Sabbato, *sup.* 5.
c Et omnes miramini,] idest, tumultuamini, qui magis deberetis congaudere sanato, & laudare sanantem Deum. Hic dicit *Chryf.* Ubi excusare oportet, & crimen suscipere de hoc, quod factum est, non meminit Patris; sed suam personam inducit, dicens: [Unum opus feci.] Dimittit autem hic redarguere eos, ne faciat inverecundiores, sed rursus pro Sabbato ponit excusationem a lege, syllogizans hoc modo. Circumcisio fit in Sabbato sine Sabbati violatione; sed curatio totius hominis est melior circumcisione; ergo potest fieri in Sabbato sine Sabbati violatione, vel si propter circumcisionem vos solvitis Sabbatum; ego propter totius hominis curationem possum solvere Sabbatum. Sicut ergo nemo vestrum arguitur, si circumcidat in Sabbato: ita nec ego debui a vobis judicari, quia totum hominem in Sabbato sanavi. Et hoc sic *Chrysost.* punctat: [Et omnes miramini, propter hoc Moyses dedit, &c.] *Augustin.* sic.
d Propterea,] i. propter causam consimilem, i. propter hominum curationem.
e Moyses dedit vobis circumcisionem,] i. legem, in qua est mandatum de circumcisione facienda.
f Non quia ex Moyse est,] i. a Moyse incepta.
g Sed ex patribus,] quia Abrahæ prius data est a Deo. *Gen.* 17. Triplici ea causa, ut dicit *Glos.* Primo in signum magnæ fidei Abrahæ. Secundo; ut per hanc a cæteris nationibus Judæorum natio distingueretur. Tertiò, ut facta in virili membro, per quod creatura mortalium generatur, castitatem mentis debere observari indicet.
h Et in Sabbato circumciditis hominem] si occurrat octava dies: quod tamen jubet lex servari. Ex hoc format syllogismum suum Dominus, dicens.
i Si circumcisionem,] quæ est tantum signum veræ salutis.
k Accipit homo in Sabbato,] quo vacare jubemini.
l Ut non solvatur lex Moysi,] quæ jubet octava die puerum circumcidi.
m Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato] i. totum genus humanum innovo. Vel ad litteram, paralyticum corporaliter, & spiritualiter sanavi, q. d. vos non dicitis, quod lex solvatur, si circumcisio fiat in Sabbato; ergo non debetis dicere, quod ego solverim legem, quia sanavi totum hominem in Sabbato. Vel si circumcisionem patimini rumpere legem Sabbati, quia principalior est Sabbato; ergo & curationem totius hominis debetis pati rumpere legem, cum sit ipsa circumcisione principalior, & melior: quia illa partis est, hæc totius hominis salus est.
Item illa signum est; hæc est res. Unde si sustinetis solvi Sabbatum, ut homo accipiat signum, i. circumcisionem, multo amplius debetis sustinere solvi Sabbatum, ut homo accipiat rem signi, i. integram sanitatem. Hæc autem Sabbati solutio non est legis prævaricatio, sed confirmatio, quoniam lex præcipit hæc. Unde *Chrysostom.* Vides, quoniam Sabbati solutio servatio est legis, ut si non solveret Sabbatum, necesse erat legem solvi, quæ præcepit hominem Sabbato circumcidi. Iniquum enim est judicare, quod lex præcipiat hominem Sabbato circumcidi, & prohibeat hominem totum sanari. Unde sequitur:
n Nolite judicare secundum faciem.] *August.* i. personaliter. Et quis est, qui non judicat personaliter, nisi qui diligit æqualiter? *Chryf.* [Nolite judicare secundum faciem,] i. secundum visum. Quid est autem, secundum visum nolite judicare? Hoc est non a dignitate personarum, sed a rerum natura ferre sententiam. Non enim in judicio debemus respicere personam, sed justitiam, quam habet persona. *Exod. cap.* 23. Non declinabis in judicium pauperis. *Deut. c.* 1. Ita parvum, sicut magnum audietis: nec accipietis personam cujusquam: quia Domini judicium est. *Chryf.* Hoc non his, qui tunc erant, dictum est solum; sed & nobis, ut nulla re corrumpamus justitiam; sed omnia pro hac faciamus, sive inops, sive dives fuerit quis, non attendamus personis. Sed quia non sufficit declinare iniquitatem in judicio, sed oportet facere, & servare æquitatem. Ideo sequitur,

a & dixit eis: b Unum opus feci: & c omnes miramini. d Propterea e Moyses dedit vobis circumcisionem: f non quia ex Moyse est, sed ex g patribus. Et in h Sabbato circumciditis hominem. Si i circumcisionem k accipit homo in l Sabbato, ut non solvatur lex Moysi, mihi m indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato. n Nolite judicare secundum faciem; sed o justum judicium judicate. p Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis: q Nonne hic est, quem quærunt interficere?

D

o Sed justum judicium judicate.] *August.* i. secundum veritatem rerum, qua cognita, nec me, nec Moysen damnabitis: nec me illi contrarium diceris: Justum judicium est, quod solo intuitu æquitatis omnibus æqualiter secundum uniuscujusque meritum exhibetur: quod nec amore, vel odio, vel timore personæ, vel munerum cupidine pervertitur, vel differtur.

Deut. 1.

Unde Jethro dixit Moysi. *Exod, c.* 18. Elige tibi viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis Tribunos, &c. Potentes, & timentes Deum, dicit, ne timore hominum corrumpant judicium. *Eccl. c.* 7. Noli quærere fieri Judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates: ne extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua, i. timiditate tua.
Item, in quibus sit veritas, dicit, ne amore, vel odio corrumpant scientiam.
Item, qui oderant avaritiam, ne cupidine munerum abstrahantur a veritate.

Est multiplex judicium:
- Temeritatis. De quo *Matt.* 7. Nolite judicare, & non judicabimini.
- Præsumptionis. De quo *Rom. cap.* 14. Tu quis es, qui judicas alienum servum?
- Præcipitationis. De quo 1. *Corinth. cap. quarto*. Nolite ante tempus judicare.
- Discussionis. 1. *Corinth. cap.* 11. Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.
- Disceptationis. *Joel. cap.* 3. Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & ibi disceptabo cum eis.
- Condemnationis, *sup.* 3. Qui non credit, jam judicatus est.
- Contentionis, *sup. cap. quinto*. Habet vitam æternam, qui in judicium non venit.
- Excitationis, *infra* 9. In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, &c.
- Discretionis. *Psal* 42. Judica me, Deus, & discerne causam meam, &c.
- Approbationis. *Matt.* 9. Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel.
- Comparationis. *Matth.* 12. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.
- Definitionis. *Joel.* 3. Consurgant, & ascendant Gentes in vallem Josaphat: quia ibi sedebo, ut judicem omnes Gentes in circuitu.

Sequitur: *p* Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis,] quibus plura beneficia contulerat, & qui sapientiores inter aliquos videbantur. *q* Nonne hic est, quem] Judæi [quærunt interficere,] quasi dicant: quærebant absentem: quare ergo non tenent præsentem? *Chryf.* Nihil in divinis Scripturis inaniter positum est, Spiritu enim sancto dictæ sunt, idcirco omnia cum diligentia scrutemur. Etenim ab una dictione licet invenire integrum intellectum, ut hic. Cur enim adjectum est, [ex Jerosolymis?] Quia per hoc ostendit Evangelista, quoniam qui maxime potiti sunt signis, hi omnibus erant miserabiliores. Jerosolymitæ siquidem Deitatis ejus maximum signum viderant: & tamen ea omnia judicio principum corruptorum permittebant. An non magnum signum erat, quod insanientes circumeuntes quærebant eum, ut occiderent: & modo tenentes in manibus, quiescunt? Quis extinxit insaniam eorum? Vide qualiter seipsos accusant,

A & nihil

▲ & nihil ei dicunt. *a* Ecce palam loquitur,] & contra ipsos.

b Et nihil ei dicunt.] *Aug.* Et si occultus ad festum ascendit; tamen palam loquitur: & apparet potestas, quæ putabatur timiditas. Mirantur aliqui, qua potentia non tenetur, cujus mors tantopere quærebatur, & nondum plene intelligentes ejus esse potentiam, putant esse scientiam Principum, quia cognoverunt eum esse Christum. Sed non est hoc verum: Unde ipsi Jerosolymitæ sibimet objiciunt, dicentes.

a Ecce palam loquitur, & nihil; *b* ei dicunt. *c* Numquid vere cognoverunt Principes, *d* quia hic est Christus? *e* Sed hunc scimus, unde sit; *f* Christus autem cum venerit, nemo scit, unde sit. *g* Clamabat ergo Jesus in *h* templo docens, & *i* dicens: Et me scitis, *k* & unde sim, scitis, *l* & a meipso non veni; sed *m* est verus, *n* qui misit me, *o* quem vos nescitis. *p* Ego scio eum: *q* & si dixero, quia nescio eum, *r* ero similis vobis mendax: Sed *s* scio eum, quia *t* ab ipso sum,

Inf. 8. *c* Numquid vere cognoverunt Principes] Sacerdotum, qui tenebant primum locum in Synagoga. Quia hic est Christus,] q. d. Jerosolymitæ, vere Principes cognoverunt, quoniam hic est Christus: & ideo non tenent eum.] *e* Sed] nos [hunc scimus, unde sit] scil. de Nazareth, unde & Nazarenus vocatus est.

f Christus autem cum venerit, nemo scit, unde sit.] Unde *Isa.* 53. Generationem ejus quis enarrabit? Sed miseri contradicunt sibi, *inf.* 9. ubi dicunt: Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit. *Chrys.* O de nequitia, o de contradictione, neque Principum sequuntur sententias; sed aliam proferunt corruptam, & propria amentia dignam.

g Clamabat ergo Jesus] quia surdi erant.

h In templo docens,] quia stulti erant. *Isa.* 42. Surdi, audite; & cæci, intuemini. *Prov.* 1. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite omnium turbarum clamitat. Contra *Isa.* 42. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Sol. *Isa.* loquitur de clamore commotionis; hic autem agitur de clamore prædicationis.

i Et dicens: Et me scitis,] *Aug.* i. effigiem vultus mei cognoscitis.

k Et unde sim, scitis,] i. parentes meos carnales cognoscitis: quod est secundum carnem me nostis; non secundum Divinitatem. Unde sequitur.

l Et a meipso non veni.] Et, ponitur pro quia. Nesciebant enim ipsum esse Dei filium, nec a Patre missum. *m* Sed est verus,] genitor meus.

n Qui misit me,] in mundum:

o Quem vos nescitis.] Contra *inf.* 8. Quem dicitis, quia † Deus noster est. Solutio. Sciebant Deum Patrem essentialiter, sicut *inf.* nesciebant autem Patrem personaliter, sicut hic. Sed unde possent cognoscere Patrem, ostendit subdens. (al. † Pater.)

p Ego scio eum,] q. d. si vos vultis eum scire, potestis: quia ego scio eum, qui libenter docebo vos, *sup.* 6. Patrem non vidit quis, nisi is, qui a Deo est. *Matt.* 11. Nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui Filius voluit revelare.

q Et si dixero, quia nescio eum] quod est impossibile.

r Ero similis vobis mendax,] idest, ero mendax, sicut vos, quod iterum est impossibile: quia veritas non potest mentiri.

s Sed] ego [scio eum,] quod patet.

t Quia ab ipso sum,] æternaliter genitus.

u Et ipse me misit,] temporaliter in mundum. *Isa.* 61. Spiritus Domini super me, eo quod unxit me Dominus, ad annunciandum mansuetis misit me. *Michææ* 5. Ex te egredietur, qui sit Dominator in Israel, & egressus ejus ab initio a diebus æternitatis.

x Quærebant ergo eum apprehendere,] irritati per hoc, quod dixerat eis, quod nesciebant Patrem, & quod mendacea erant. Sed qui? Non multitudo, quæ principatum non concupiscebat, neque livore capi poterat, sed Sacerdotes quærebant eum apprehendere.

y Et,] tamen, [nemo misit in illum manus] quia invisibiliter furorem eorum refrenavit.

z Quia nondum venerat hora ejus,] i. opportunitas patiendi, sive hora mortis a se disposita, & ordinata. Simile *sup.* 2. *a* De turba autem] licet Principes persequerentur, ut dictum est. *b* Autem] pro sed.

u & ipse me misit. *x* Quærebant ergo eum apprehendere, *y* & nemo misit in illum manus, *z* quia nondum venerat hora ejus. *a* De turba *b* autem multi crediderunt in *c* eum, & dicebant, Christus *d* cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit? *e* Audierunt Pharisæi turbam murmurantem *f* de illo *g* hæc, *h* & miserunt Principes, & *i* Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum. Dixit *k* ergo eis *l* Jesus. *m* Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & *n* vado

c Multi crediderunt in eum,] moti prædicatione, & miraculis. Intuere, quantum est humilitatis verborum lucrum, quia dixerat humiliter: [Ab ipso sum, & ipse me misit: multi crediderunt in eum, & dicebant:] Non solum credebant, sed confitebantur ore. *Rom. cap.* 10. corde creditur ad justitiam, &c. (*Inf.* 8.)

d Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit?] Quia dicunt, [cum venerit] est dubitationis signum, & non adhuc perfectæ fidei, quasi dicat: si venerit Messias, non faciet majora, quam iste: quia omnia, quæ dicuntur de Messia, facit iste. *Isa.* 35. Deus ipse veniet, & salvabit nos: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet, sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum, &c. Item *Isa.* 32. Ecce in justitia regnabit Rex, & Principes in judicio præerunt: & erit sicut vir, qui absconditur a vento, &c. Et sequitur: Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auscultabunt, & lingua balborum velociter loquetur, & plane. Vel aliter.

d Christus cum venerit] Per synæresim, quasi dicat turba Principibus: ponatur, quod iste non sit Christus, sicut dicitis, [numquid Christus plura signa faciet?] Sed quæritur, quæ signa dicunt eum fecisse? Evangelista enim nondum narravit, nisi pauca de vino, *sup.* 2. Et de paralytico, *sup.* 5. Et de filio Reguli, *sup.* 4. Et de quinque panibus, & duobus piscibus, *sup.* 6. Solutio. Sicut dicit *Chrys.* hinc manifestum est, quod multa signa, quæ facta sunt, prætermittunt Evangelistæ: & de his loquuntur, de quibus Principes malignabantur. Unde sequitur.

e Audierunt Pharisæi turbam murmurantem] i. murmurando contra Principes dicentem.

f De illo,] i. Christo.

g Hæc:] Christus cum venerit, numquid plura signa faciet?]

h Et] ideo magis moti invidia contra eum [miserunt Principes,] sæculares, vel potius Principes Sacerdotum.

i Et Pharisæi ministros] suos, [ut apprehenderent eum.] Non enim audebant per seipsos subire periculum propter turbam. *Chrysostom.* O de tyrannide, & insania Principum; magis autem, o de amentia populi, multoties conati sunt apprehendere eum, & nequeuntes, famulis hanc rem commiserunt, simpliciter furorem suum quiescere facientes. Et certe multa alibi locutus est, & in piscina, *sup.* 5. Et nihil tale fecerunt, sed quæsierunt quidem, non autem tentaverunt apprehendere: hic autem non ultra ferunt, turbam videntes attendere. Et nota, quod supra Sabbati violationem prætendebant, quasi velamen invidiæ, sed hic non possunt aliquid arguere, neque in dictis, neque in factis. Unde patet, quod sola invidia movebantur, quia scilicet, turba laudabat eum.

k Dixit ergo eis,] idest, ministris ad apprehendendum missis.

l Jesus] potens loqui dure, potius humilia loquitur.

m Adhuc modicum tempus vobiscum sum.] Ac si diceret, quid festinatis me interficere, & persequi? parvum expectate tempus: & tunc sine festinatione vestra detineri sustinebo. Et nota, quod non dixit simpliciter: Hic sum, sed [vobiscum sum,] idest, ad utilitatem vestram, quasi dicat; etsi persequamini me: parvo tamen tempore non cessabo docens, & monens utilia.

n Et] postea, vel tunc [vado ad eum, qui me misit.] Per quod ostendit, quod non extingueretur in morte; sed per mortem ivit ad Patrem. Et in hoc ostendit, quod indigebunt ejus auxilio ad Patrem. In hoc

▲ autem,

Δ autem, quod dicit: [Vade,] ostendit, quod voluntaria moritur, & quod nulla facta est ei, vel fienda violentia, vel læsio ab insidiis eorum. Item in hoc etiam ostendit suam Deitatem, quia non est humanæ mentis suum obitum prædicare, vel prædicere, quia nec etiam Psalmista sciebat. Unde *Ps.* 30. Notum fac mihi, Domine, finem meum, & numerum dierum meorum quis est, ut cognoscam, quomodo deficio ego. Item in hoc ostendit se Deum, quod respondet ad intentionem eorum,

Inf. 13.

F

ad eum, qui me misit: *a* Quæretis me, & *b* non invenietis: & *c* ubi *d* ego sum, *e* vos non potestis venire. *f* Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos: *g* Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? *h* Numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes? *i* Quis est hic sermo, quem dixit, quæretis me, & non invenietis, & ubi sum ego, vos non potestis venire. In *k* novissimo autem die magno festivitatis *l* stabat Jesus, & *m* clamabat, dicens: Si quis si-

& significat se scire causam adventus eorum. [Adhoc modicum tempus vobiscum sum,] & tunc [vado ad eum, qui me misit,] q. d. expectate parumper, & erit, quod quæritis, scil. mors mea. Et nota, quod sicut dicit *Chrys.* quod per hæc verba simpliciores flexit ad misericordiam, cum dicebat: [Adhuc modicum, &c.] Studiosiores ad audientiam animavit, quando [modicum tempus;] doctrinæ dixit. Audaciores vero terruit per id, quod sequitur.

a Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego sum, vos non potestis venire.] Sed ubi quæsierunt eum Judæi? Secundum *Glos.* & *Act.* 2. Quando compuncti sunt de scelere mortis ejus. Vel secundum *Chrysostom. Luc.* Quando mulieres plangebant, & lamentabantur. Per hoc etiam conjicitur de multis aliis. Item in destructione civitatis a Romanis credendum est, multos meminisse ejus, & miraculorum suorum, & præsentiam ejus optasse, ut diceret eis ventura, & oraret pro eis.

b Et non invenietis,] in carne vobiscum, vel propitium in tribulatione, vel per gratiam in præsenti. *Proverb.* 5. Mane consurgent ad me, & non invenient me. Alia littera: Quærent me mali, & non invenient, quia exosam habuerunt disciplinam. Ita etiam multi hodie quærunt Jesum, sed non inveniunt: quia non quærunt Jesum propter Jesum: vel quia quærunt Jesum Nazarenum idest, floridum. *Cant.* 3. In lectulo meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi, & non inveni. Duo enim impediverunt quærentem. Lectulus voluptatis, & nox ignorantiæ, & infidelitatis. Item quæretis in judicio sero pœnitentes: & non invenietis, gloriam adipiscentes. *Matth. cap.* 25. Domine, Domine, aperi nobis. Et sequitur ibi: & clausa est janua. *Prov.* 1. Tunc invocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non invenient me, &c. Et subdit, quare non invenient.

c Et,] idest, quia.

d Ubi ego sum,] idest, ad eamdem incommutabilitatem, vel ad bonum gloriæ, in qua jam sum, qua fruebatur ille homo: Vel [sum,] idest, in proximo ero secundum hominem, vel propter unionem verbi ille homo dicitur esse in cœlo. Unde *sup.* 3. Filius hominis, qui est in cœlo. Ideo melius dicit [sum,] quam ero, ut dicit *Glos.*

e Vos non potestis venire.] Non dicit, poteritis, sed [non potestis,] tales, scilicet, quales nunc estis. Simile *inf.* 13. de Petro: Non potes me modo sequi, &c. Et nota, quod per hoc, quod dicit: [Ubi ego sum, vos non potestis venire,] ostendit, quod non manebit in morte. Si enim maneret in morte: tunc omnes possent ire ad eum: Omnes enim illuc ibimus, 2. *Reg.* 14. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, &c.

f Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos] i. intra se, vel inter se, non ad ipsum, more suo, sicut dicit *Glos.* verba Domini carnaliter intelligens.

g Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum,] quasi dicant, nescimus, de qua via loquitur. Et licet nescirent; tamen aliquid, quod futurum erat, nescientes pronunciaverunt, scil. quod per Apostolos doceret Gentes. Unde dicunt.

h Numquid in dispersionem Gentium,] vel in disseminationem, [secundum *Chrys.*] iturus est, & docturus Gentes? Quod quidem futurum erat. Sed quod hoc nesciendo dicerent, manifestant, cum prædictam quæstionem replicant, dicentes.

i Quis est hic sermo, quem dixit, quæretis me, & non invenietis: & ubi ego sum, vos non potestis venire,] q. d. quod vadat ad Gentes, non vult dicere, quod illuc bene possemus ire. Eo enim tempore, quo Christus hæc verba dicebat, Judæi ubique terrarum erant dispersi, ut dicit *Chrysostom.* Et est notandum, quod dispersionē sive disseminationem vocabant Judæi ipsas Gentes, quia ubique disseminatæ erant, & ad invicem mistæ imperterrite, quia enim gens Judæorum antiquitus in unum collecta erat, & non erat alibi Judæum invenire, quam in Palæstina, ideo Gentes vocabant disseminationem, exprobrantes, & magna gloriantes in semetipsis, sed modo opprobrium idem sustinebant: Erant enim disseminati, quia ubique dispersi. Sed nota, quod quærunt: [Numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes:] Non dixerunt lædere, vel seducere Gentes, sed docere, per hoc patet, ut dicit *Chrys.* quod jam quidam eorum submiserant iram; & his, quæ dicta erant, crediderant. Nisi enim credidissent, nequaquam ita sollicite quæsissent, quo esset iturus, & quis esset sermo, quem dixerat. Illos enim, qui desiderabant eo carere, non oportebat hoc quærere, sed dicere, libenter hoc volumus, scil. quod tu vadas, & quando hoc erit. Sed hoc non dicunt, quia qui prius oderant, flexi sunt ad misericordiam, quando dixit: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & ideo quo iturus erat, quærebant. Sequitur.

k In novissimo autem die magno festivitatis,] *idest*, in ultima die.

Prima enim dies, & ultima magnæ erant, ut dicitur *Lev. cap.* 23. Et dicitur ibidem, quod dies octavus hujus solemnitatis erat celeberrimus quoad opera servilia: & hoc, quia tunc fiebant collecta ad sartatecta templi, & ad necessitates ministrorum, qui offerebant sacrificia, & ad emenda sacrificia. Sed utrum novissimus dies dicatur hic septimus, vel octavus, non est certum; sed probabilius, quod octavus.

l Stabat Jesus] erectus, ut omnes viderent.

m Et clamabat,] ut omnes audirent, sicut dicit *Chrysostom.* Clamabat, propter turbam multam, ut omnes audirent.

Item propter præsentiam suam omnibus ostendendam, ne dicerent, quod se occultaret. Tertia ratio potest esse, ut affectum suum ostenderet. *Hieronym.* dicit *super Jonam tertio.* Quod omnis sermo Christi clamor dicitur; quia de magnis agit. Quod autem dicitur *Isa.* 42. Non clamabit, &c. intelligitur tumultuose, idest, non erit clamosus, & contentiosus. Unde ibi dicit *Glos.* Non clamabit mitis, & mansuetus.

Et nota, quod licet prima dies, & ultima essent solemnes; tamen prima die non prædicavit Christus, nec secunda, nec tertia: quia nondum venerat ad festum; sed furorem eorum quiescere aliquantulum sinebat. In quarta autem die cœpit prædicare; ut se venisse ostenderet, & tunc objicientibus respondit. Aliis autem diebus siluit usque ad diem ultimum solemnitatis, & tunc publice, & generaliter prædicavit omnibus, in die, scilicet, magno festivitatis, & ultimo. Et sunt ad hoc plures rationes. Prima, quia tunc omnes feriabant, & adesse poterant. Secunda, quia sicut dicit *Chrysostom.* medios dies magis ad voluptatem consummabant; non ergo locutus est eis debentibus ire ad voluptatem; sed jam recessuris viatica dat ad salutem. Et est hic argumentum, quod non est bonum hominem arguere, vel monere, quando est in furore voluptatis suæ. Contra illos Prædicatores, qui volunt prædicare ad choreas, & ludos cum quadam violentia. *Isa. cap.* 2. Quiescite ab homine, &c. Sed dicitur *Ecclesiast. cap. octavo.* Omni negotio tempus est & opportunitas. Et *Ecclesiast. capitulo tertio.* Tempus tacendi, & tempus loquendi. Item *Ecclesiast. capit. vigesimo.* Est tacens non habens sensum loquelæ: & est tacens, sciens tempus apti temporis: [Clamabat,] inquam, [dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat,] Non omnes vocat ad potum, sed sitientes. Unde

Δ *Isa.* 55.

a *Isa.* 55. Omnes sitientes venite ad aquas, q. d. nullum necessitate, aut vi traho; sed si quis habet desiderium multum, & exardet cupidine verbi: hunc ego voco. *Esther* 1. Non erat, qui nolentes cogeret ad bibendum, *sup.* 6. Ex piscibus quantum volebat. *Chrys.* Eos, qui accedunt ad prædicationem, vel fidem sitientium, desiderium oportet in eis esse: Ita enim poterunt ea, quæ dicuntur, cum multa detinere custodia, nec laborabunt ebibendo, i. non fastidio fatigabuntur in audiendo. *Matt.* 5. Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam. *Isa.* 21. Occurrentes sitienti ferte aquas. Aqua autem est doctrina. Unde *Eccl.* 15. Aqua sapientiæ salutaris potabit illum. *Prov.* 10. Vena vitæ os justi. Item aqua est gratia, quia communis, quia potus pauperum. 1. *Pet.* 5. Humilibus dat gratiam. Item fluit ad valles. *Psal.* 103. Inter medium montium, &c. Item trahit levia, non aurum. Item sitim sedat. Et alias proprietates habet, *sup.* 4. Qui biberit de aqua, quam ego dabo ei, &c. Item in hoc, quod dicit: [Si quis,] excluditur acceptio personarum. *Act.* 10. Nunc comperi, quia non est acceptor personarum Deus, &c.

Item nota, quod dicit: [Si quis sitit,] quod potest intelligi dupliciter. Uno modo per, [quis,] notatur paucitas, & legitur de siti justitiæ. *Luc.* 1. Esurientes implevit bonis, &c. Alio modo notatur multitudo eorum, qui sitiunt. Et hæc significatio haberi potest ex modo pronunciationis: & legitur secundum hoc de siti beatitudinis. Omnes enim sitiunt beatitudinem. *Eccles. ult.* Animæ vestræ sitiunt vehementer.

a Veniat ad me] recedendo ab amore mundi, & se ad gratiam præparando.

b Et bibat,] credendo. Vel.

a Veniat ad me,] per fidem.

b Et bibat,] per dilectionem, vel per Spiritus sancti receptionem.

c Qui credit in me.] *Chrys.* Ostendens, quod de spirituali potu loquatur, non de corporali, dicit: [Qui credit in me,] q. d. credere, est bibere. Tamen secundum *Aug.* credere est venire ad eum. Et dicit, [in me,] non mihi, vel me.

d Sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.] Hoc sumptum est de proverbiis, ut dicit *Jer.* & forte de illo loco. *Prov.* 5. Deriventur fontes tui foras. Vel de *Prov.* 10. Vena vitæ os justi. Vel potest sumi de *Isa.* 58. Eris quasi hortus irriguus, & quasi fons, cujus non deficient aquæ. *Chrys.* tamen aliter exponit, dicens: Ubi dicit Scriptura hoc, quod dicitur hic: [Flumina de ventre ejus fluent, &c.] Nusquam. Quid igitur? [Qui credit in me, sicut dicit Scriptura] credendum; supple, in me. *Isa.* 7. Nisi credideritis, hic distinguere oportet. Quia autem sequitur.

e Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ,] sive [fontis viventis] verba sunt Christi, non Scripturæ. Et lege sic litteram: [Flumina] doctrinæ.

f De ventre ejus fluent,] i. de memoria, vel de corde. [Flumina] dico, [aquæ vivæ] ut sit nominativi, vel potius genitivi, secundum *Chrys.* qui habet, [fontis viventis.] Et nota, sicut dicit *Chrys.* quod ubertatem gratiæ, & indeficientiam doctrinæ significat per hoc, quod dicit, fontem, & flumina, non unum flumen, sed ineffabilia.

Item per hoc designat violentiam, & impetum doctrinæ. *Psalm.* 45. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. *Chrys.* Videbis manifeste, quod hic dicitur impletum esse, si ad Stephani sapientiam, & ad Petri linguam, & ad Pauli fluxum inspexeris: nihil enim eis resistebat, non plebis furor, non Tyrannorum insurrectiones, non dæmonum insidiæ, non mortes quotidianæ, sed sicut flumina multo strepitu delati omnia secum trahentes abibant. *Act.* 6. Non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur.

f De ventre,] i. de mente, vel de corde. *Chrys.* Ventrem cor ait, sicut alibi *Psalm.* 39. Et legem tuam in medio ventris mei, i. cordis.

Item *Jer.* 4. Ventrem meum doleo, i. mentem. *Ezech.* 3. Venter tuus comedet; & viscera tua replebuntur volumine isto, *Job* 32. Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus uteri mei.

g Fluent,] q. d. qui crediderit, non solum bibet, sed etiam aliis infundet. *Prov.* 5. Bibe aquam de cisternis tuis, & fluenta putei tui, deriventur fontes tui foras, &c.

h Aquæ vivæ] vel [viventis,] i. vivere facientis, hic per gratiam, & in futuro per gloriam. *Ezech.* 47. Omnia vivent, ad quæ venerit torrens. *Interl.* i. evangelica doctrina. Simile *supr.* 4. Qui biberit de aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. In quo videtur ubertas gratiæ per fontem, & æternitas gloriæ. Vel [viventis,] secundum *Chrys.* i. semper agentis, & scaturientis, & currentis. Spiritus enim sancti gratia cum in mentem intraverit, omni fonte magis manat, & neque deficit, neque evacuatur, neque stat. *Prov.* 18. Aqua profunda verba ex ore viri. Et *Matt.* 12. *Luc.* 6. Ex abundantia cordis os loquitur. i Hoc autem,] quod dixit, flumina de ventre ejus, &c.

k Dixit] Christus [de Spiritu sancto] scilicet.

l Quem accepturi erant credentes in eum,] in die Pentecostes, *Act.* 1. & 10. Quando post Resurrectionem eis insufflavit, *inf.* 20. Et est verbum Evangelistæ, qui exponit, quid per flumina Dominus intellexerit, & quando esset ille fluxus.

m Nondum enim,] q. d. bene dico accepturi, quia [nondum erat Spiritus datus,] ad modum fluminis, supple, sed ad modum stillæ, vel guttæ: vel nondum sub signo visibili, ut in flatu post Resurrectionem: vel in igne post Ascensionem: vel non ad robur, vel ad constantiam fidei, & revelationem secretorum, & notitiam omnium linguarum. n Quia Jesus nondum erat glorificatus,] Resurrectione, & Ascensione, q. d. ante Resurrectionem, & Passionem, quando Christus cum Apostolis erat in carne, minus capaces erant spiritualis intelligentiæ. Item decuit, ut cum deesset Christus, & non ante Spiritum sanctum eis mitteret loco sui. Unde *inf.* 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. Item decuit, ut non in tempore miseriæ suæ, sed gloriæ tanquam Rex in sua coronatione diversa dona distribueret familiæ suæ, & militiæ suæ. *Ps.* 67. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, dedisti dona hominibus. Item Christus noluit, quod prædicaretur ab Apostolis ejus gloria usque post Resurrectionem, sicut dicitur *Matt.* 17. Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat. Et ideo non oportuit, ut ante daretur eis Spiritus S. qui post datus est eis ad loquendum. Duæ autem morales rationes tanguntur in *Glos.* Prima, ut significetur, quod charitatem non habemus, nisi a vitiis resurgamus. Ideo ergo post resurrectionem dat Spiritum, ut in resurrectione nostra flagret charitas. Secunda ratio est, ut significet, quod qui Spiritum sanctum habent, vitam hanc præsentem habent in contemptu, & vitam futuram in spe, & desiderio. *Chrys.* sic exponit. n Jesus nondum erat glorificatus,] i. crucifixus. Gloriam enim vocat crucem, quia enim inimici eramus, & peccantes, & Deo odibiles; donum autem non inimicis, sed amicis datur: oportebat prius offerri eam, quæ erat pro peccatis, oblationem, i. Christum in Cruce, & inimicitiam in carne ejus dissolvi. *Eph.* 1. Et factos esse Dei amicos, & tunc suscipere donum, idest Spiritum sanctum. o Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones ejus dicebant.] Aliqui, scilic. Cum enim Christus prædicta loqueretur, nata est de illo in turba dissensio, quia aliqui dicebant.

p Hic est vere Propheta,] hi cœperant bibere, sed non plene.

q Alii dicebant, Hic est Christus,] hi prædictis concordabant, sed perfectiores erant.

r Quidam autem dicebant] contrarii prædictis, qui nondum bibere inceperant.

s Numquid a Galilæa venit Christus?] Simile *supra* 1. A Nazareth potest aliquid boni esse? Non intelligebant enim, quod dictum erat: quoniam Nazarenus vocabitur,

---

tit, a veniat ad me, & b bibat. Qui c credit in me, d sicut dicit Scriptura e flumina f de ventre ejus g fluent h aquæ vivæ. i Hoc autem dixit k de Spiritu, l quem accepturi erant credentes in eum. m Nondum enim erat Spiritus datus: n quia Jesus nondum erat glorificatus. Ex o illa ergo turba, cum audissent hos sermones ejus, dicebant. Hic est p vere Propheta. Alii q dicebant: Hic est Christus. r Quidam autem dicebant: Numquid s a Galilæa venit Christus?

cabitur, sed quod de Bethlehem dictum erat. *Mich.* 5. Attendebant. Unde sequitur:

a Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David,] sicut dicitur in *Psalm.* 131. Juravit Dominus David veritatem, &c.

Item *Psal.* 88. Semel juravi in Sancto meo, &c. Item *Jerem.* 23. Suscitabo David germen justum.

b Et de Bethlehem castello, ubi erat David] frequentius.

Mich. 5. *Matth.* 2.

c Venit Christus] sicut dicitur *Mich.* 5. Duo dicunt, & genus & locum. Et nota, quod quia noverant in Nazareth fuisse nutritum, locum nativitatis non attendebant, & ideo errabant.

a Nonne scriptura dicit, quia ex semine David, *b* & de Bethlehem castello ubi erat David, *c* venit Christus? *d* Dissensio itaque facta est in turba propter eum. *e* Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum, *f* sed nemo misit *g* super illum manus. *h* Venerunt ergo ministri *i* ad Pontifices, & Pharisæos, & k dixerunt eis *l* illi: *m* Quare non adduxistis eum? *n* Responderunt ministri: *o* Numquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur. *p* Responderunt ergo eis *q* Pharisæi: *r* Numquid & vos *s* seducti estis? *t* Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? *u* Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.

d Dissensio itaque facta est in turba propter eum, i. de eo. Alii enim dicebant, quod erat Propheta, vel Christus: alii, quod non de Galilæa, sed de Bethlehem venit Christus. Alii dicebant, quod Christus cum venerit, nescimus unde sit, sicut dicitur *sup. eod. Chrys.* Diversa erat mens eorum, tanquam in multitudine non ordinata. Neque enim diligenter attendebant his, quæ dicebantur a Christo, neque discendi gratia venerant, vel quærebant, propter hoc eis quærentibus: Numquid a Galilæa venit Christus? nihil respondet, nec docet, Nathanaelem vero, qui magis despective, & ironice dixit, *sup.* 1. A Nazareth potest aliquid boni esse? non solum respondit, sed & laudavit, quia ipse veritatis concupitor hoc dicebat. Illi vero dicebant non volentes discere, sed evertere intendentes, quoniam Christus est; ideo ipse non revelavit eis Scripturas, quæ de se erant. Qui enim etiam sibiipsis contraria dicebant, quia quandoque dicebant, nullus scit, unde venit Christus, quandoque autem, quia a Bethlehem, quia manifestum est, quoniam etsi Christus eis Scripturas disseruisset, adversarentur ei.

e Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum] pejores prædictis, quia non solum credere nolebant, nec verbo persequi sufficit, sed opere persequi volebant.

f Sed] tamen [nemo misit,] i. mittere potuit.

g Super illum manus,] quia nondum ipse voluit. In quo apparet malitia eorum obstinata, quia sicut dicit *Chrys.* Etsi nihil aliud esset, hoc solum sufficiens erat in compunctionem eos ducere. Sed non sunt compuncti, sicut ait Propheta: discissi sunt, & non sunt compuncti. Tale quid est enim nequitia: nulli vult credere ad unum conspicit solum, ut eum, cui insidiatur, interficiat.

h Venerunt ergo ministri.] Redit Evangelista ad narrandum de ministris, qui missi fuerant ad capiendum Christum. Et dicit, quod conversi ad sermonem Domini, redierunt.

i Ad Pontifices, & Pharisæos,] qui eos miserant.

k Et dixerunt eis,] i. ministris.

l Illi] Pontifices, & Pharisæi.

m Quare non adduxistis eum,] qui ad hoc missi estis?

n Responderunt ministri] ostendentes causam suæ conversionis.

o Numquam sic locutus est homo,] purus, [sicut hic,] homo [loquitur,] q. d. aliquid habet ultra hominem. Simile *sup.* 4. Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci. Item 1. *Reg.* 19. Misit Saul lictores, ut raperent David, &c. *Chrys.* Nihil veritate manifestius, nihil simplicius, nisi malignemur nos, quemadmodum malignantibus nihil difficilius. Ecce enim Sapientes, Scribæ, & Pharisæi, qui signa viderant, & Scripturas legerant, veritate læsi sunt, & excæcati; ministri vero, qui nihil horum viderant, ab una locutione manucapti sunt, & abeuntes, ut eum ligarent, redière ligati admiratione doctrinæ: nec signis eguerunt; sed ex doctrina sola capti sunt. Unde non dixerunt: numquam sic mirificavit homo, sed [numquam sic locutus est.] Sed quæritur, cur non remanserunt cum Christo, sicut dicitur 4. *Reg.* 9. Transi, & sequere me. Vel, cur non manserunt in aliquo loco, ut non venirent ad Pharisæos? Et respondetur: Majus fecerunt: pretiosiores enim effecti sunt Christi sapientia, cum multa fiducia loquentes ad Pharisæos, qui Christum impugnabant. Unde nota, quod laudant doctrinam, dicentes: [Numquam sic locutus est homo.] Non dixerunt: quoniam non potuimus eum adducere propter turbam; quamvis per hoc possent excusari; sed suam rectam mentem ostendunt. In hoc enim non solum Christum admirabantur, sed & eos accusabant, qui miserant talem ligare, quem audire oportebat. Et nota, quod isti non audierant longum sermonem, sed brevem: quia sicut dicit *Chrysost.* cum mens incorrupta fuerit, non opus est longis sermonibus: Tale quid enim est veritas. Potest autem exponi sic.

a Numquam sic locutus est homo,] i. ita potestative. Unde *Marc.* 1. Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ. Vel, [Numquam sic,] i. ita doctrinaliter. *Marc. c.* 1. Stupebant omnes super doctrina ejus. *Matt. c.* 5. Aperiens os suum docebat eos. In apertione oris videtur facultas doctrinæ. *Prov.* 14. Doctrina prudentium facilis. Vel: Numquam sic,] i. ita suaviter. Unde *Luc. c.* 11. Mulier audito sermone ejus, coacta est præ dulcedine dicere: Beatus venter, qui te portavit. Unde dicit ei Sponsa. *Cant.* 4. Mel, & lac sub lingua tua. In melle dulcedo, in lacte facultas. Unde: [Numquam sic,] i. ita utiliter, *sup. cap.* 6. Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Vel: [Numquam sic,] idest, ita discrete, & sapienter, quia cum omnes insidiabantur ei, numquam poterant capere eum in verbo.

p Responderunt ergo eis,] i. ministris.

q Pharisæi] cum congruum esset eos compungi, contrarium faciunt reaccusantes eos.

r Numquid & vos,] sicut alii de turba.

s Seducti estis,] qui delectati estis sermonibus ejus, & creditis ei? Probant autem eos seductos, quia majores non credunt. Unde sequitur:

t Numquid ex principibus] Sacerdotum, [aliquis credit in eum, aut ex Pharisæis,] q. d. nullus, aut pauci. Et nota, sicut dicit *Chrys.* quando dicunt: [Numquid & vos seducti estis?] Propter quid nullus Principum credidit in illum: nisi quia malus est: eis adhuc blandiuntur, nec duro utuntur sermone, timentes ne prorsus abscindantur a se sequentes Christum.

Item cum congruum esset quærere: quid locutus est, & admirari ea, quæ dicta sunt: hoc non faciunt: noverant enim, quoniam caperentur a sermone. Sequitur.

a Sed turba hæc,] despective, [quæ non novit legem, maledicti sunt,] quia credunt isti seductori, q. d. Principes non credunt; sed isti fatui, & idiotæ; & ideo maledictione sunt digni. Sed dicit *Augustinus*, In me fit hæc maledictio. *Chrysostomus*: Hæc est vestra major accusatio: quoniam turba quidem credidit, quæ legem nescivit; vos autem scientes eam non credidistis: & nimirum ea, quæ sunt eorum, qui cognoscunt legem, faciebat turba: qualiter igitur maledicti sunt, vos magis maledicti, qui non observatis legem, nec ei creditis. *Deuteronom. cap.* 27. Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit; ideo Prophetæ eos maxime accusabant. *Isa. cap.* 1. Audite Principes Sodomorum. Et in *eodem*. Principes tui infideles, &c. Alia littera: Principes tui non obediunt.

Item *Mich. c.* 3. Numquid non vestrum est cognoscere judicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum. Ita etiam in Ecclesia & fuit, & est, quod simpliciores sunt meliores frequenter. *Isa. cap.* 1. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognovit. 1. *Corinth. cap.* 1. Videte vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, &c. Unde *August.* Surgunt idiotæ, & rapiunt regnum cœlorum, & nos cum doctrinis

nostris,

nostris ad inferos demergimur. Sequitur. *a* Dicit Nicodemus ad eos,] Principes, & Pharisæos, qui se de scientia legis extollentes, turbam, quasi nescientem, vituperaverant.

b Ille, qui venit ad eum,] i. Jesum, *sup.* 3.

Dicit *a* Nicodemus ad eos, *b* ille, qui venit ad eum *c* nocte, *d* qui unus erat ex ipsis: *e* Numquid lex nostra judicat hominem, nisi *f* prius audierit ab ipso, & *g* cognoverit, quid faciat? *h* Responderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu *i* Galilæus es? *k* Scrutare † Scripturas, *l* & vide, *m* quia a Galilæa Propheta non surgit.

c Nocte] ad litteram, timens sciri, & volens illuminari doctrina Christi.

Sup. 3. *Inf.* 9. *d* Qui unus erat ex ipsis,] Principibus, & Pharisæis; non tamen incredulus cũ ipsis, & quia ex ipsis erat, ausus est, & potuit loqui. Et nota, quod quia dixerant, quod nullus Principum credidit in eum; ideo Evangelista designat, quod iste unus erat ex Principibus, qui & credidit: & alii etiam aliqui, si auderent confiteri, *inf.* 12. Ex Principibus autem multi crediderunt in eum. *Sup.* 5.

al. non habet † Scripturas.

e Numquid lex nostra judicat, &c.] Et nota, quod quia dixerant: [Numquid ex Principibus, &c. quasi scirent legem, & turba nesciret: Ideo tangit eos primo, & mordet, dicens: [Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso,] ostendens per hoc, eos neque scire legem, neque facere, qui in Christum capiendum, & occidendum impetum fecerant, antequam audissent, & examinassent eum. Hoc enim non ita aperte dicit, quia adhuc timidus erat, & ut posset eos sedare. *Chrys.* Vide, qualiter cum parcitate, & modestia reprehendit eos. Non enim dixit: Vos autem vultis eum interficere, & sine judicio condemnatis hominem, ut seductorem; sed mitius loquitur, ne ferociores faciat, & impetum eorum abscindat. Propter hoc ad legem mittit sermonem, dicens:

f Nisi prius audiat] vel [audierit] ab ipso diligenter, scilicet. Unde sequitur:

g Et cognoverit.] *Chrys.* quasi neque audientia opus est nuda, sed diligenti. Hoc enim est: [Et cognoverit, quid faciat,] i. quid vult, & propter quid, & in quo, utrum in eversione reipublicæ, & ut inimicus facit aliquid. *Job* 29. Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam. *Act.* 25. Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem prius, quam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad absolvenda crimina, quæ ei objiciuntur. 1. *Timoth.* 5. Testor coram Deo, ut hæc custodias, sine præjudicio nihil faciens in alteram partem declinando. *Deuteron.* 13. Quære sollicite, & diligenter rei veritate perspecta: si inveneris certum esse, quod dicitur, statim percuties habitatores urbis, &c.

h Responderunt, & dixerunt ei] i. Nicodemo.

i Numquid & tu Galilæus es,] a Galilæo seductus. Galilæus enim dicebatur Jesus, quoniam de Nazareth erant parentes ejus mansione, scil. non originis stirpe.

k Scrutare Scripturas] cum sis Doctor legis.

l Et vide,] i. intellige.

m Quia a Galilæa Propheta non surgit.] Non legitur surrexisse, vel esse, tamen Dominus Prophetarum inde surrexit, qui dicitur Nazareus. *Isa.* 11. *Chrys.* Quia dixerant, quod nullus Principum credidit, magis anxiantur contra illum Nicodemum, qui Princeps erat, & credebat; ideo vehementer invehuntur in eum, & quasi nescienti litteras sic ei loquuntur injuriose. [Interroga, & vide, &c.] *Chrys.* non habet in suo libro, [Scripturas.]

Item *Aug*, non habet pro textu, sed supplevit de expositione, q. d. vade, & disce; & tunc cognosces, quod Propheta a Galilæa non surgit. Et nota, quod rustice, & sine ordine, & cum furore loquuntur. Respondent enim ad ea, quæ non dixerat Nicodemus. Non enim dixerat, quod Propheta esset, sed quod lex non judicat quemquam sine examinatione.

Item non respondent ad ea, quæ dixerat. Quam enim consequentiam habent, dicente illo: Lex nostra non judicat quemquam, &c. dicere illos: Numquid & tu Galilæus es? Nullam. Poterant tamen satis se excusasse, & dixisse: Nos recte misimus ministros ad capiendum eum, ut sic seorsum possemus examinare secundum legem. Vel poterant dicere, non est examinandus, sed puniendus tanquam apertus, & notorius criminosus, & nefarius. Sed hoc non dixerunt, sed rusticius, & iracundius utuntur contradictione adversus Nicodemum, dicentes: [Interroga, & vide, &c.] Sequitur.

n Et reversi sunt] nullo peracto negotio.

o Unusquisque in domum suam,] ad litteram, vel secundum *Gl.* ad malitiam suam conversi sunt.

Et *n* reversi sunt unusquisque *o* in domum suam.

CAP. VIII.

JESUS *p* autem *q* perrexit in montem Oliveti, & *r* diluculo *s* iterum venit in templum, *t* & omnis populus venit ad eum, & *u* sedens *x* docebat eos.

EXPOSITIO CAP. VIII.

A

JESUS autem perrexit, &c.] In præc. capitulo determinavit Evangelista, qualiter quidam voluerunt comprehendere Jesum; sed propter stuporem admirabilis doctrinæ ipsius non miserunt in eum manum: Quia vero Pharisæi redarguentes ipsos ministros, induxerunt, quod nemo Principum, & scientium legem crederet in eum, & super hoc latenter falsificati sunt ab uno Principum, scil. Nicodemo: Ideo nunc non audent ipsum Jesum ad eos publice venientem tenere, sed dolis iterum, sicut antea, insistunt. Unde patet, qualiter istud octavum capitulum post immediatum præcedens ordinetur. Dividitur autem in duas partes, sicut fere totus liber, scil. in factum de adultera, & in disputationem, quam habuit cum Judæis. Sic enim modus est Evangelistæ fere in omnibus capitulis, facta disputationi præmittere. Primo ergo ponitur de judicio adulteræ. In secunda parte ponuntur verba Christi, & objectiones Pharisæorum plures, quæ incipit, ibi: [Iterum ergo locutus est eis Jesus, &c.] Prima pars dividitur in quatuor partes. Primo ostenditur, quod Jesus vespere exiens de Jerusalem, in mane ad docendum redierit, & locus prædicationis, & multitudo populi audientis, & habitus docentis describitur. Secundo quæstio Pharisæorum de adultera recitatur, ibi: [Adducunt autem Scribæ, &c.] Tertio quid egerit Dominus, & quam sententiam protulerit, respondens ad tentatores demonstratur, ibi: [Jesus autem inclinans se.] Quarto, quam benigne, & misericorditer locutus sit mulieri, & de absolutione ipsius mulieris, ostenditur, ibi: [Erigens autem se Jesus, &c.] Dicit ergo: *Luc.* 21.

p Jesus autem,] postquam prædicaverat in Jerusalem de die. *q* Perrexit in montem Oliveti] in Bethaniam in domum Lazari, ubi devitavit strepitus hominum. In hoc docens Apostolos, & alios Doctores, ut post prædicationem quietem contemplationis quærant. *r* Et diluculo,] i. diei lucido, i. parva luce, scilic. in mane ante plenum ortum Solis. *s* Iterum venit in templum,] quia ibi multitudo congregabatur, & quia ibi erat locus docendi, & ut palam se Pharisæis ostenderet, quasi ipso facto de pertinacia arguat, quod sibi insidiantur; cum tamen non possint eum capere, nisi velit; & sic per consequens probat se esse Deum per omnipotentiam. Mos autem erat ei, ut dicit *Glos.* de die docere in templo; vespere autem reverti in Bethaniam, quæ est in monte Oliveti. *Matt.* 21. Et dicit, [diluculo,] in quo notatur Christi sollicitudo, & impigritia prædicandi, & opportunitas temporis ad docendum, quia magis sobrii sunt in mane. Unde *Luc.* 21. Omnis populus manicabat ad eum, i. mane veniebat. Unde sequitur hic.

t Et omnis populus venit ad eum] tali hora, & ad talem locum, ut audirent eum docentem. Tam magnifica enim fuerant, quæ ultimo docuit, quod etiam ipsos animos ministrorum ceperant, qui venerant ad capiendum eum; ideo adhuc populus recolens libenter eum audit. Vel potuit esse causa, quare venit ad eum populus, scilicet disceptatio, quæ fuerat inter eos: quia alii dicebant, quia bonus est, alii vero, quia malus. Ut igitur ex verbis ejus, qualis sit, perpendant, currunt ad eum.

u Et sedens] in cathedra, sive in loco ad prædicandum, vel exponendum legem deputato. Et in hoc notatur ipsius docentis benignitas, quia familiarius se habet Doctor ad eos, quos sedens docet, quam ad eos, quos stans docet. Vel:

u Sedens,] idest assiduus existens.

x Docebat eos.] *Chrys.* Docebat, & non tenebatur, quia nondum pati dignabatur.

Adducunt *a* autem Scribæ, & *b* Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & *c* statuerunt eam in *d* medio, *e* & dixerunt ei: *f* Magister, hæc *g* mulier modo *h* deprehensa est in adulterio. In lege *i* autem Moyses *k* mandavit nobis hujusmodi lapidare: *l* Tu ergo *m* quid dicis? Hæc *n* autem dicebant tentantes eum, ut *o* possent accusare eum. *p* Jesus autem, *q* inclinans se deorsum digito scribebat in terra.

a Adducunt autem, &c.] Hæc secunda pars dividitur in duas partes. Primo enim dicitur, qualiter accusatur mulier a Pharisæis. Secundo dicit causam, quare hoc faciebant, ibi: [Hæc autem dicebant tentantes eum, &c.] Nota, quod historiam istam de adultera, & a principio capituli usque ad finem ipsius, dicunt quidam esse anticipationem. Hoc enim factum fuit, ut dicunt, in una dierum inter receptionem Christi in ramis palmarum, & Passionem ejus. Alii conjungunt hoc ad præcedentia, & sequentia, sicut etiam facit *August.* & *quædam Glos.* & sicut textus etiam videtur sonare. *Chrys.* autem totum hoc, quod dicitur de adultera prætermittit: nec aliquid tangit de hac historia in originali, & continuat id, quod *inf. eod.* dicitur: Ego sum lux mundi, ad finem præcedentis capituli. Causam autem hujus prætermissionis assignat *Burgundio Judex Pisanus, qui translatit librum Chrysostomi in prologo ejusdem libri.* Dicit enim, quod ista historia in libris antiquis in Græcia non invenitur; sed nec in Ecclesia Græcorum legitur, quia putatur a quibusdam apposita, sicut tabula draconis, & Susannæ ad Danielem. Unde Græci judicant historiam hanc apocrypham. Sed quia Sancti Latini exponunt, & quia in Ecclesia Latinorum legitur, nos etiam exponemus, respondentes Græcis, quod potuit esse, quod post perfectionem libri a Joanne Evangelista est addita, & ideo non universaliter est in omnibus libris inventa: Quis enim tantæ temeritatis esse credatur, ut tanto Evangelistæ aliquid audeat addere? Dicit ergo: [Adducunt autem] dum docebat.

Lev. 20.

b Scribæ, & Pharisæi,] quia hi regebant populum. Scribæ propter scientiam, Pharisæi propter fictam vitam. Sed cum ante dictum sit, quod miserant ministros ad capiendum ipsum: quare non statim in eum miserunt manus, cum eum viderunt? Respondeo, potuit esse, quod timuerunt populum: & ideo publice voluerunt eum convincere, quod contra legem faceret, ut haberent excusationem, præcipue quod Nicodemus improperat eis, quod contra legem facientes juberent eum detineri. Sed quia Christus in multis locis mansuetudinem docuerat: Ideo talem casum inveniunt, in quo vel sibi inveniatur contrarius, vel legi. Et ideo, [adducunt Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio] per testes, [deprehensam] recenter. Non enim fecerat expiationem, propter quam dimittenda esset, quia ita cito post adulterium fuerat deprehensa, quod non licuerat ei se purgare, quia res erat evidens. De qua purgatione habetur *Num.* 5. Vir, cujus uxor erraverit, maritumque, &c. Nota, adulterium est violatio fidei mutuæ castitatis, qua sibi maritus, & uxor vi matrimonii obligantur. Vel adulterium est divisio corporis a suo in non suum. *c* Et statuerunt eam in medio,] scil. populi, i. in publico coram omnibus quasi judicandam. Sed quare statuerunt eam in medio? Numquid ut servetur forma judicii? Sed hoc non potest esse, quia Dominus non erat Judex: sed tanquam sententiam, vel consilium ab ipso quærebant. Ideo forte hoc faciebant, quia videbatur eis quæstio perplexa, & insolubilis; & ideo ut aperte convincant, in medio statuerunt. Vel legatur sic.

d In medio,] scilicet ipsorum, & tunc causa fuit, ut omnes quasi in circulo astantes omnibus responsis ejus obviarent, sicut dicit *Psal.* 118. Etenim sederunt Principes, &c.

e Et dixerunt ei,] scilicet, Christo deprecantes, sed per malitiam blanditiis, & adulationibus cooperientes, Unde dicunt:

f Magister,] qui pietatem doces. Adulantur ei, ut non caveat sibi ab eis.

g Hæc mulier modo,] i. recenter, ita quod non se potuit purgare, unde adhuc ita est.

h Deprehensa est in adulterio,] quasi dicat, non est purgata. Et supposita culpa, statim adjungunt auctoritatem legis, & faciunt etiam mentionem ipsius latoris, dicentes:

i In lege autem Moyses,] i. Dominus per Moysen.

k Mandavit,] i. mandatum dedit, [nobis hujusmodi lapidare.] *Lev.* 20. Si mœchatus quis fuerit cum uxore proximi sui, morte moriatur, & mœchus, & adultera. Et *Deut.* 22. Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque moriatur. Supposita autem allegatione legis, quærunt ab eo sententiam, dicentes:

l Tu ergo,] qui mansuetudinem doces.

m Quid dicis] super hoc, i. quid consolis nobis, quid determinas faciendum? Sed quare primo allegabant legem, & etiam Legislatorem, cum intentio eorum esset eum capere in lege: & hoc melius facerent, si ei dictum legis non ostenderent? Respondeo, quia firmiter supponebant ex doctrina præcedente, quod non condemnaret mulierem. Ut igitur aperte contra legem dicentem deprehendant, & quod etiam se latori legis præferat, primo supponunt auctoritatem legis, & legislatoris, præcipue propter populum astantem, qui legem nescivit. Qua autem mente hæc dixerint, Evangelista aperit, dicens:

n Hæc autem dicebant tentantes eum,] i. tentantes capere eum in alloquio.

o Ut possent accusare eum] apud eum, cui captum offerrent, scilicet, Pilatum: vel etiam apud populum, quem timentes non audebant capere eum, nullam accusationem adversus eum habentes [Ut possent,] inquam, [accusare eum,] vel de immisericordia, si juberet lapidari, vel de injustitia, & violatione legis, si juberet dimitti. Unde *Augustinus*: Animadverterunt eum nimium esse mitem, & mansuetum. De illo quippe ante fuerat prædictum: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: Specie tua, & pulchritudine tua, intende prospere, procede, & regna: Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Attulit enim veritatem, ut Doctor: mansuetudinem, ut liberator: justitiam, ut cognitor. Cum loqueretur, veritas agnoscebatur: cum contra inimicos non moveretur, mansuetudo laudabatur. Cum ergo de duobus istis, idest, de veritate, & mansuetudine ejus inimici livore, & invidia torquerentur, in tertio, idest, in justitia scandalum posuerunt. Dixerunt enim apud seipsos: verax putatur, mansuetus videtur: de justitia illi quærenda est calumnia: Offeramus illi mulierem deprehensam in adulterio; dicamus, quid de illa in lege præceptum sit. Si eam jusserit lapidari, mansuetudinem non habebit: si eam dimitti censuerit, justitiam non tenebit. Ut autem, inquiunt, mansuetudinem non perdat, in qua jam populis amabilis factus est: sine dubio eam dimitti debere dicturus est: & sic eum dicemus hostem legis, & reum mortis, cum ipsa etiam adultera lapidandum.

p Jesus autem,] ostendens, quod populi meditati sunt inania.

q Inclinans se deorsum digito scribebat in terra.] Noluit statim proferre sententiam, ne levem eum in judiciis arguerent: & ut doceret, quod prius deliberanda est, & etiam scribenda sententia, antequam proferatur.

Item, ut det eis tempus resipiscendi a quæstione tali.

Item, ut quasi animatum se respondere ostendat ad confusionem.

Item scribebat in terra, ad significandum, quod ipsi, & omnes mali in terra scribuntur, non in cœlo. *Jerem. cap. decimoseptimo.* Recedentes a te in terra scribentur. *Ps.* 48. Vocaverunt nomina sua in terris suis. Vel in terra scripsit, ad significandum, quod terra in judicio Domini afferet suum libellum conquerendo de malis, & terrenis, & testificabitur contra eos. *Sap. c.* 5. Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. *Job c.* 31. Si adversum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci ejus deflent, &c. *Jer. cap. vigesimosecundo.* Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. Hæc dicit Dominus. Scribe virum istum sterilem. *Septuag.* Scribe viros istos abdicatos.

Item per hoc, quod digito scribit in terra, antequam proferat sententiam, significat, ut dicit *Glos.* quod debemus nos prius digito discretionis discutere, antequam alios præsumamus judicare. Unde etiam dicit: [Qui sine peccato est vestrum, primus in illam, &c.] Item digito scribit, ut dicit *Aug.* ut ostendat se datorem legis, quæ digito

a Dei scripta est, sicut postea ostendit custodem ipsius legis, cum dat sen entiam non contra legem, sicut illi putaverunt, sed secundum legem. In hoc etiam, quod in terra scribit, ostendit, quod sicut legem scripserant in lapide, idest, in lapideis Judæis; ita scriberet Evangelium in terra, idest, in Gentibus, quæ fructum redderent boni operis. Quid autem scripserit, ad litteram, non est determinatum in Scriptura, sed quidam dicunt & credo, sicut *Aug.* quod scribebat id, quod erat responsurus. Qui sine peccato est vestrum, &c. *Ambr. in quadam Epistola ad Studium*, videtur velle eum scripsisse. Terra, terra, terra, absorbe hos viros abdicatos, idest, digne judicandos, & sumitur de *Jer.* 22. Vel in Epistola ad Iienæum. Terra terram accusat. *Gl.* dicit, quod scribebat peccata eorum. Quidam dicunt, quod scribebat quamdam figuram, quam videntes recordabantur omnium peccatorum suorum.

a Cum ergo † perseverarent interrogantes, b erexit se, c & dixit eis: d Qui sine peccato est vestrum, e primus in illam lapidem mittat. Et f iterum se inclinans scribebat in terra. g Audientes autē hęc, unus h post unum exibant, i incipientes a senioribus, & remansit solus Jesus, & l mulier in m medio stās.

al. † autem. 1. q. 7. c. qui sine, & cap. pollutatus 32. q. 8. in princip. de pæn. dist. 1. c. si cuim, §. rursus.

Alii volunt dicere, quod scripsit quasdam litteras, in quibus unusquisque legit peccatum suum, ratione cujus ipse erat judicandus.

Et licet hæ litteræ essent unius significati; figuræ tamen respectu hujus, & illius habuerunt virtutem repræsentandi universaliter unicuique suum peccatum, secundum quod comparabantur ad diversos legentes, sicut etiam dicitur de voce Apostolorum, quod tantum fuit Hebraica; & tamen secundum quod proferebatur ad diversos audientes, habuit virtutem immutandi auditum secundum diversa genera linguarum.

Et hoc videtur trahi ex hoc, quod dicit, quod unus post unum exibant, quasi verecundantes, quia aliter bene potuissent respondisse Christo, se non esse in peccato criminali, quod secundum legem puniri debeat pœna mortis, quare autem scripsit, præter prædictas causas potest hæc assignari ratio: quia noluit voce prodere peccata eorum; sed voluit, ut scripta latenter legerent, præcipue cum scriptura illa non fuerit communis, ut unus ex ea legere posset peccatum alterius, sed tantum unusquisque suum.

Et in hoc docet corripientes, quantum cavere debeant, ne peccatum latens publicent, ne infament personas. Sequitur.

a Cum ergo perseverarent interrogantes eum,] eo magis instantes, quod credebant eum non audere respondere.

b Erexit se,] forte indicans eis, ut legerent, quod scripserat.

c Et dixit eis. Qui sine peccato est vestrum,] idest inter vos.

e Primus in illam lapidem mittat,] quasi dicat, puniatur peccatrix secundum legem; sed non a peccatoribus, in qua servat & justitiam legis, & mansuetudinem. *August.* Perversitas rectitudini insidiatur, falsitas veritati, corruptum cor cordi recto, stultitia sapientiæ. Sed quando illi laqueos præpararent, in quos non prius ipsi caput injicerent. Ecce Dominus justitiam servat, & a mansuetudine non recedit, dicens.

d Qui sine peccata est, &c.] Hæc vox omnino justitiæ est, puniatur peccatrix, sed non a peccatoribus. Et est hic argumentum, quod peccator in simili crimine non potest esse judex.

Unde *Glos.* [Qui sine peccata est, &c.] quasi prius sitis justi, ut post ream puniatis.

Item argumentum est, quod qui cum peccata est manifesto, non digne, & decenter alium lapidat, scilicet, objurgat. *Rom.* 2. In quo alium judicas, teipsum condemnas. Quod est contra quosdam objurgatores aliorum, & sibi parcentes 1. *Paral.* 17. Non ædificabis mihi domum, quia vir sanguinum es. Ubi dicit *Greg.* Non pure maculam in membro considerat oculus, quem pulvis gravat. *Ibidem* Superjectas sordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. *Ibidem*. Qui carnalibus actibus adhuc incubat, vitam aliorum spiritualiter instruere necesse est, erubescat. *Item ibidem*. Mundus debet esse a vitiis, qui curat aliena corrigere. Quod significatum est 4. *Reg.* 2. ubi dixit Elisæus, ut poneretur sal in vas novum. Per sal, cujus est arcere putredinem, intelligitur increpatio, quæ non competit nisi vasi innovato, idest, Justo. Unde *Is.* 6.

Primo purgata sunt labia ejus; & postea statim cœpit increpare, dicens: Incrassatum est cor populi hujus.

Item *Sap.* 1. Diligite justitiam in vobis, qui judicatis terram, idest, terrenitatem in aliis. *Prov.* 28. Vir pauper calumnians pauperes similis est imbri vehementi, in quo paratur fames. Ex eo autem, quod nihil dixerunt, patet, quod ex lectione scripturæ convicti erant, ut non possent aliquid dicere. Sed quare non dixit aperte, quod ipse esset major Moyse, vel quod tentantes eum talia quærerent? Respondeo. Sicut *sup.* habitum est *quinto*. Majus testimonium fuit, quod sumebatur ab operibus, & cum non possit alicui convenire secretum conscientiæ nosse, nisi Deo: ideo non verbo, sed opere ostendit se nosse cogitationes cordium, & sic esse Deum, ut veritas sit incontradictibilis.

Et nota, qualiter victi sunt, in quo vincere voluerunt, quia volentes ostendere Christum contrarium legi, ipsi legis destructores sunt probati.

Ne autem nimiam verecundiam faciat eis, si eos respiciat, & ut eis det locum recedendi tanquam confusis: ideo

f Iterum se inclinans scribebat in terra.] Unde non est eadem causa secundæ scripturæ, & primæ. *Aug.* Dominus cum illos telo justitiæ percussisset, nec dignatus est eos cadentes attendere, sed averso ab eis obtutu rursus digito scribebat in terra.

Secundum hoc ergo illa aversio fuit justitiæ, sed secundum aliam *Glos.* fuit misericordiæ, quia dicit *Glos.* quod data sententia justitiæ, qua ibi conscii malorum percussi sunt, iterum scribit in terra ex amore vultum alio vertens, ut illis liberum sit exire, quos prævidebat citius exituros, quam plus interrogaturos.

Docet autem nos per hoc, sicut & ante correctionem alterius, ita & post nosipsos investigare humiliter, ne idem, vel aliud simile in nobis sit, vel etiam majus. *Is.* 46. Redite prævaricatores ad cor. *Ezech.* 1. Animalia ibant, & revertebantur.

g Audientes autem hæc,] quæ dixit Christus. Qui sine peccato est vestrum, &c. & supple, videntes, quod scripserat.

h Unus post alium exibant,] vel, [abibant,] secundum quod successive forte legerant Scripturam. Simul venerunt, sed dispersi recedunt. *Deuteronom. vigesimo octavo*, Per viam unam egrediaris, & per septem fugias.

i Incipientes a senioribus,] quia primi fuerunt in fuga, qui primi fuerunt in culpa. Et dicit *Aug.* quod divina voce, quæ plena erat justitia, quasi trabali telo percussos se inspicientes, & reos invenientes, ita confusi recesserunt.

k Et remansit solus Jesus,] absque Pharisæis, non tamen discipulis. Dictio exclusiva non excludit nisi contrarios Jesu, scilicet, Scribas, & Pharisæos.

l Et mulier in medio.] *Glos.* discipulorum, [stans.] *Augustinus*. Relicti sunt duo, miseria, & misericordia, Vel.

m In medio,] populi, qui forte remansit Pharisæis, & Scribis recedentibus.

Vel medium dicitur locus, qui prius erat medius, quando accusatores astabant.

Vel. [In medio,] idest, in dubio. Nesciebat enim adhuc, quid de se esset judicaturus. *Aug.* Plus credo territa erat illa mulier, quam ante, cum audisset a Domino. Qui sine peccato est vestrum, &c.

Relictam enim se cum grandi peccato videbat ei, qui erat sine peccato: & ideo ab ipso se puniendam timebat.

Sed quæritur, an Judex debeat omnino immunis a peccato esse, vel etiam testis, qui accusat, vel reprehendit aliquem?

Hoc enim videtur ex hoc, quod hic dicitur: & tamen ita non tenetur hodie.

Respondeo, quod tenetur esse sine notorio criminali. Si autem non sit, nihilominus tenetur exequi officium suum.

Etsi non faceret, adderet peccatum peccato. Peccata autem istorum criminalia erant, & de quibus ex lege poterant condemnari ad mortem. Et forte Scriptura illa etiam testes aliquos repræsentavit; & sic planum est, quod dicitur.

Iste autem, qui adversarios ejus expulerat lingua justitiæ, levat in eam oculos mansuetudinis suæ. Unde sequitur.

a Erigens autem se Jesus, dixit *b* ei: Mulier, ubi sunt, qui te accusabant? *c* Nemo te condemnavit? *d* Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit *e* autem Jesus: Nec ego te condemnabo. *f* Vade, & jam amplius noli peccare. *g* Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens. *h* Ego sum lux mundi.

a Erigens autem se Jesus,] de scriptura. *b* Dixit ei. Mulier, ubi sunt, qui te accusabant,] de adulterio? Non ignorando quærit, sed quasi, vide, quod nullus te accusat, cum sint in consimili culpa tecum.

c Nemo te condemnavit,] idest, nemo se ad condemnandum obtulit. Sciebant enim se similiter inquinatos, unde confusi abierunt.

d Quæ dixit. Nemo, Domine.] Patet, quia credidit, quæ Dominum professa est, quasi dicat, tu solus, qui es sine peccato me poteris damnare, vel absolvere.

B

e Dixit autem Jesus. Nec ego te condemnabo,] a quo te forte damnari timuisti: quia in me peccatum non invenisti. Vel. [Non condemnabo,] plus importat, & debet exponi per affirmationem, secundum *Gloss.* idest, absolvo, Et ut ostendat plenitudinem potestatis esse apud se, non injungit pœnitentiam, sed tantum cavere præcipit a futuris dicens.

f Vade,] libera, (& jam amplius noli peccare) quia per peccatum sequens secundum aliquem modum redeunt peccata præcedentia.

Et nota, quod sicut dicit *August.* Sicut supra servavit justitiam: ita hic mansuetudinem, & misericordiam. Et forte, sicut dicunt quidam, quod supra in terra scripsit sententiam justitiæ, antequam proferret eam, ideo secundo scripsit sententiam misericordiæ. Vel, sicut dicunt alii, quod prius scripsit peccata eorum, ideo secundo scripsit pœnitentiam mulieris. Non est tamen certum, quid scripserit. Sed dicit *Aug.* super hoc. Nec ego te condemnabo.) Quid est, Domine? Faves ergo peccatis? Non plane. Ita attende, quod sequitur. (Vade, & jam amplius noli peccare.) Ergo & Dominus damnavit, sed peccatum, non hominem. Nam si peccatorum fautor esset, diceret, nec ego te condemnabo, vade, vive ut prius, & de mea liberatione esto semper secura: ego, quantumcumque peccaveris, te ab omni pœna etiam gehennæ, & inferi tortoribus liberabo. Non hoc dixit. Intendant ergo, qui amant in Domino mansuetudinem, & timeant veritatem. Etenim dulcis, & rectus Dominus. Amas, quod dulcis est; sed time, quod rectus est. Tanquam mansuetus dixit, tacui? sed tanquam justus addit, numquid semper tacebo? Qui enim modo sustinet peccantes judicaturus est contemnentes, & obstinatos. *Rom.* 2. An divitias longanimitatis, &c. Ignoras, &c. Tu autem secundum duritiam cordis tui, &c. Mansuetus Dominus, longanimis Dominus, misericors Dominus; sed & justus Dominus, & verax Dominus, largitur tibi spatium correctionis, sed tu plus amas dilationem, quam emendationem.

Item *Aug.* In illo Propheta, in quo mihi legis, quia promisit Deus correcto indulgentiam, non mihi legis: quia promisit tibi Deus longam vitam.

Item *Aug.* Duplici morbo homines periclitantur, & sperando nimis, & desperando pro nimiis peccatis.

Primis dicit *Eccl.* 5. Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, &c. Secundis dicit *Ezech.* 18. In quacumque die iniquus conversus fuerit, &c. Propter illos, qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portam: propter illos, qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Non enim scis, quid pariat tibi crastina dies. Ideo duo dicit mulieri. Contra desperationem dicit: (Nec ego te condemnabo,) Contra præsumptionem dicit (Vade, & jam amplius noli peccare.) Sequitur.

h Iterum ergo locutus est eis Jesus, &c.] Secunda pars capituli, in qua ponitur doctrina Christi, & controversia Judæorum. Et dividitur in tredecim partes.

In prima parte dicente Christo, quod sit lux mundi, arguunt eum de falsa gloriatione, quibus ostendit testimonium sui, & Patris, & quærentibus, ubi sit Pater, neque se, neque Patrem scire eos asserit.

In secunda parte Evangelista locum, ubi hæc dicta sunt, determinat: & quod eum capere non potuerunt, affirmat, ibi. (Hæc verba locutus est Jesus, &c.)

Tertio dicente Christo se iturum, & quærendum, & istos in peccatis morituros, ipsi æstimant eum se interfecturum, ibi, (Dicit ergo iterum eis Jesus, &c.)

Quarto dicit, unde sit ipse, scilicet, de cœlo: & unde sint ipsi, scilicet, de mundo: & ideo ipse in cælum vadit, & ipsi in mortem, ibi. (Et dicebat eis. Vos de deorsum estis, &c.)

Quinto quærentibus eis quis sit? dicit se Principium, & Judicem, & Doctorem, ibi. (Dicebant ergo ei. Tu quis es?)

Sexto prædicit suam mortem, & quibusdam credentibus promittit veritatis cognitionem, & libertatem, ibi. (Cum exaltaveritis, &c.)

Septimo, quia de libertate, & genere se jactabant, ostendit eos esse servos peccati per operationem, licet sint filii Abrahæ secundum carnem, ibi. [Responderunt, ei, semen Abrahæ sumus, &c.] *Infr. 9. & 12.*

Octavo eis iterum de patre Abraham gloriantibus ostendit, quod non faciunt opera Abrahæ, &c. sed alterius patris, ibi [Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham, &c.]

Nono se jactantibus, quod sint filii Dei per cultum, ostendit, quod sunt filii diaboli, non Dei, per homicidium, & quia mendacio credunt, & veritatem verborum Dei non recipiunt, [Nos ex fornicatione non sumus nati, &c.]

Decimo convertentibus se ad convicia respondet Christus, se non curare de sua, sed de Patris gloria, ibi. [Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, &c.]

Undecimo Christus, sicut prius promiserat credentibus veritatem, & libertatem: ita hic promittit mortis evasionem, ibi. [Si quis sermonem meum servaverit, &c.]

Duodecimo convicia replicant, & mortem Abrahæ, & Prophetarum opponunt, & de gloriatione arguunt, ibi. [Nunc cognovimus, &c.]

Tertiodecimo Christus se non suam, sed Patris, quærere gloriam replicat: & sic respondet ad convicia eorum, & ad id, quod objecerant de Abraham, respondet Abraham suum adventum desiderasse, & vidisse, & se ante Abraham fuisse: unde, & propter hoc voluerunt eum lapidare, ibi. [Si ego glorifico meipsum, &c.] Aliter possumus videre hanc secundam partem. Et dividitur primo in duas partes, quæ sumuntur penes numerum eorum, quibus loquitur.

In prima parte disputat cum Judæis in templo generaliter.

In secunda cum his, qui jam aliqualiter crediderunt, sed non permanserunt, ibi. [Dicebat ergo ad eos, qui crediderunt ei, &c.] Prima duas habet partes. In prima disputat de sua Deitate. In secunda de sua gloriosa Resurrectione, ibi. [Dixit ergo eis iterum Jesus, ego vado, &c.]

Prima duas habet partes. Primo enim ostendit, quod doctrina sua vivificativa est, sicut Dei. In secunda vero probat, quod ipse sibi sufficiens est ad vivificandum testimonium suum tanquam verus Deus, ut dicit. [Dixerunt ergo ei Pharisæi. Tu de teipso testimonium perhibes, &c.]

Prima iterum habet duas partes, quia primo innotescit beneficium luminis esse apud se. Secundo ostendit evasionem periculi, & adeptionem salutis in accedentibus. Dicit ergo Evangelista.

g Iterum ergo locutus est Jesus, dicens: Ego sum lux mundi.] Secundum *Chrys.* qui non ponit historiam de adultera, continuatur ad sidem præcedentis capituli, ubi dicebant, quia Propheta a Galilæa non surgit. Quia ergo toties Galilæum, & Prophetam replicabant, volens Christus eos eripere ab hac aliena suspicione, ostendit, quod non est unus Prophetarum, sed Dominus orbis terrarum. Unde dicit. *h* Ego sum lux mundi,] non Galilææ tantum, non Palæstinæ. Vel potest sic continuari ad immediatum præcedens. Immediate dictum est: qualiter ex scriptura sua veritas patuit fraudulentiæ Pharisæorum: ut igitur ostendat, quod ipse est fons hujus radii, secundum quod verus Deus, dicit. [Ego sum lux mundi.] Secundum *Gl.* autem continuatur sic. Repulsis tentatoribus, sanata culpa mulieris, appetitus subdit, quid ex Divinitate possit. Et respondet Antypophoræ. Posset enim aliquis quærere, quis est hic, qui etiam peccata dimittit, qui adulteram absolvit; Ideo respondet, quia [Ego sum lux,] & ideo fugo tenebras peccati ratione lucis, idest, Divinitatis, *inf.* 12. Ego lux veni in mundum: ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Item *infr.* 9. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. 2. *Corinth.* 6. Quæ conventio lucis ad tenebras? *Habacuch* 3. Ante faciem ejus ibit mors, quasi ante præsentiam ejus per gratiam recedit peccatum, sicut te-

nebræ,

nebræ, ad litteram, fugiunt lucem. Item. (Ego lux,) qua ficut orto Sole feræ fugiunt: fic Dęmones nato Chiisto fugerunt de mundo, *inf.* 12. Nunc Princeps mundi hujus ejicitur foras.

Item orta luce hic per gratiam in anima, fugiunt Dęmones, & peccata *Ps.* 103. Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus fuis collocabuntur.

Item lux colores deperditos restaurat: fic lux gratiæ similitudinem Dei in anima. *Ps.* 4 Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, &c.

a Qui fequitur me, *b* non ambulat in *c* tenebris, *d* fed habebit lumen vitæ. *e* Dixerunt ergo ei Pharifæi: *f* Tu de te ipso testimonium perhibes, *g* testimonium tuum non est verum. *h* Respondit Jesus, *i* & dixit eis: Et si *k* ego *l* testimonium perhibeo de meipso, *m* verum est testimonium meum: quia *n* fcio, unde veni, & quo vado. *o* Vos autem *p* nefcitis, *q* unde venio, *r* aut quo vadam.

Item lux viam veritatis, & justitiæ ostendit. *Psal.* 88. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt *infr.* 12. Ambulate, dum lucem habetis.

Item maculam peccati ostendit, quæ nocte latet, *sup* 3. Omnis, qui male agit, odit lucem: & non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus.

Item mercatores dolosi vendunt in obfcuro, ut decipiant simplices: fic diabolus vendit cattum in facco. *Job* 24. Oculus adulteri obfervat caliginem. Propter has rationes dicitur Christus lux. Dicit ergo. [Ego fum lux mundi,] non Judææ tantum, vel Aphricæ tantum, fed mundi totius, illuminans, fcilicet, mundum luce naturæ, fortunæ, doctrinæ, gratiæ, fecundum illud. Illuminat omnem hominem. (Ego) inquit, (lux,) idest, Sol justitię, licet tegar (nube carnis, ut fit hominibus lux tolerabilis, *Ezech.* 32. Solem nube tegam, *Isa.* 45. Vere tu es Deus abfconditus. Habitat enim lucem inacceffibilem, ut dicitur 1. *Timot.* 6. Non poterat videri Sol in rota; ideo venit ad nos Divinitas calceata, vel obumbrata. *Luc.* 1. Virtus Altiffimi obumbrabit tibi. Et fubjungit beneficium, quod confequentur accedentes ad ipfum, dicens.

Supr. 1.

a Qui fequitur me, non ambulat in tenebris.] Duplex erat tenebra, quæ fugata est præfentia Christi, fcilicet, tenebra peccati, quia ficut dicit *Damafcenus*, peccatum nihil aliud est, quam tenebra intelligibils. Secunda tenebra est obfcuritas figurarum veteris Testamenti. Est ergo fenfus.

a Qui fequitur me,] lucem † jussis, fcilicet, & exemplis obediendo.

al. † visu.

b Non ambulat,] greffibus affectionum. Vel (non ambulat,) idest, non vivit.

c In tenebris,] ignorantiæ, vel peccatorum. Vel fic.

a Qui fequitur me,] idest, adventum meum in carnem credendo, & doctrinam, quam doceo.

b Non ambulat,] per obfervantias legales.

c In tenebris,] idest, obfcuritatibus figurarum. (Sequitur,) inquam, non, qui præcedit, quafi ficut dicit B. *Greg.* Sancti, qui ante Incarnationem fuerunt, lucem defideraverunt, fed non viderunt.

Et de his dicitur *Job* 3. Qui concepti non viderunt lucem.

Et est fimile de his, qui præcedunt lumen: quia hi licet lumen aliqualiter videant; tamen in tenebris umbrarum ambulant; qui vero lumen fequuntur, non ambulant in tenebris, fed in lumine. Sed quia non fufficit evadere periculum, ideo infert de adeptione boni, dicens.

d Sed habebit lumen vitæ,] nunc gratiam, & in futuro gloriam. *Ps.* 35. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Doctrina enim Christi duo facit, fcilicet, illuminat intellectum, & ratione eorum, quæ docet, reficit affectum.

Et dicit *Chryf.* quod per hoc, quod dicit, [Qui fequitur me, &c.] ministros laudat, & Nicodemum, qui lucem fequebantur.

Item per hoc notat Pharifæos, qui in tenebris dolos complicabant.

Item Nicodemo recolit verborum eorum, quæ dixerat ei, *sup.* 3. Qui male agit, odit lucem.

e Dixerunt ergo Pharifæi,] hæc audientes, fcilicet, quod fe lucem mundi diceret, in quo Deum fe fignificavit, vel aliquem magnum. [Pharifæi,] quia hi propter fictionem vitæ lux mundi effe voluerunt.

f Tu de teipfo testimonium perhibes,] idest, laudem tuam prædicas, & manifestas.

Et legitur interrogative, & fic est indignatio, vel remiffive, & fic est ironia, & derifio, quafi dicant, tu habes malos vicinos: quia non perhibent tibi testimonium, fed tuipfe tibi.

g Testimonium tuum non est verum,] idest, fufpectum est, & non pro vero habendum: quia te laudas, in tua caufa non est tuum testimonium recipiendum. *Prov.* 27. Laudet te alienus, & non os tuum, &c. Ratio dicti eorum est, quia cum aliquis laudat feipfum, non confuevit ei credi, eo quod natura corrupta proclivis fit ad appetitum fuæ laudis. Hic exclamat *Chryf.* dicens: O de infipientia, fuperius eos ad Scripturas miferat, & testimonia plura adduxerat *sup.* 5. & tamen non dicunt. [Tu de teipfo, &c.]

Et dicit *Aug.* quod jam obliti erant præmifforum testimoniorum. *Chryf.* dicit, quod hoc dicunt objicientes ei, quod *supr.* 5. dixerat. Si ego testimonium perhibeo de meipfo, testimonium meum non est verum. Quid igitur Christus? Evertens id, quod dixerat fuperius, & oftendens, quoniam illud ad eos, & fufpicionem eorum locutus est, qui eum nudum hominem fufpicabantur.

h Respondit Jefus, & dixit eis: Etfi ego, &c.] Sed quare non inftat eis Christus per Joannem? Videtur enim, quod poffent confutari per hoc, quia *sup. in principio libri* miferunt ipfi ad Joannem, ut testimonium ferat de feipfo. Refpondeo, quia intendebat manifestare ei, quod effet verus Deus, & ideo altius incipit difputationem. Et hoc est.

i Et,] idest, etiam.

k Si ego,] fecundum quod Deus.

l Testimonium perhibeo de meipfo,] idest, fi fic effet, quod ego tantum ferrem, cum tamen, & Joannes ferat, ad quem mififtis.

m Verum est testimonium meum,] idest, infufpicabile a me, & de me perhibitum. Et hujus caufam fubjungit.

n Quia fcio, unde veni, & quo vado.] Et hoc exponit *Chryf.* dicens, quia Deus ex Deo fum, & Dei Filius: Deus autem ipfe fibi fide dignus testis est. Sed ipfe non totum dicit, quod est in verbis illis, & ideo accipiendæ funt duæ *Gl. Int.* [Unde veni,] fcilicet, a Patre, [& quo vado,] fcilicet, ad Patrem, quafi dicat, Pater me mifit in mundum, & inquantum ab eo venio, non loquor, nifi quod ab eo per generationem æternam audivi: inquantum autem ad ipfum vado, non loquor, nifi quod est de ejus voluntate reducente rationalem naturam ad fe per redemptionem in me difpofitam.

Cum igitur fic inter hos duos terminos omnis mea doctrina verfetur, impoffibile est, non effe verum meum testimonium. *August.* Prima veritas fibi testatur, ficut & lux feipfam, & alia demonstrat. Vel aliter fecundum *Gloff.*

m Verum est testimonium meum,] idest, pro vero habendum.

n Quia fcio, unde veni, & quo vado,] idest, quia Patris testimonio confirmatur, a quo miffus fum in carnem, & ad quem vado per mortem.

Vel aliter. Ideo pro vero est habendum, (quia fcio, &c.) idest, quia non perhibeo testimonium, nifi de fcitis. Scio enim, a quo fum; & ideo testimonium poffum prohibere de mea Deitate. Item fcio, quo vado: & ideo poffum prædicere de mea Afcenfione, ficut etiam dicit *infr. eod.* Ego vado, & quæritis me. Vel aliter.

m Testimonium meum verum est: quia fcio unde veni, aut quo vado,] q. d. non dicerem mendacium, & illinc veniens, & illuc vadens, fcilicet, ad Deum verum.

o Vos autem nefcitis, unde venio, aut quo vadam,] idest, fimulatis vos nefcire me effe Christum, quia voluntarie malignamini. Vel.

p Nefcitis,] idest; difcreditis.

q Unde venio,] idest, quod a Patre miffus fum.

r Aut quo vadam,] ad Patrem, fcilicet, & in cęlum afcendo. Vel. (Nefcitis.) idest, ignoratis, quia damnabilis fuit eorum ignorantia. Unde dicit *Chryf.* Voluntarie ait, malignamini, & fcientes fimulatis vos nefcire. Sed contra hoc est, quod dicit Apostolus. Si cognoviffent, &c.

1. *Cor.* 2.

Et *Anf.* in 2. *lib.* Cur Deus homo dicit, quod nullus unquam fcienter potuiffet feciffe tantum nefas? Refpondeo, Est ignorantia voluntaria dupliciter, fcilicet, quando est affectata, & hæc non est talis: & quando est vincibilis

a de facili, sive persuasibilis, & hæc ignorantia est damnabilis, sed tamen diminuens peccatum sequens, sicut habetur *ex libro Anselmi*, quia facile scire poterant ex doctrina, & miraculis. De hac ignorantia loquens ait. [Vos autem nescitis, unde venio, aut quo vado] quia invidia ex parte eorum, & caro ex parte Christi impediverunt cognitionem eorum, aliquo modo nescierunt.

a Vos secundum carnem judicatis,] quasi, quia nescitis, unde venit, aut quo vado, ideo secundum carnem judicatis,

a Vos secundum carnem judicatis, *b* ego non judico quemquam. Et si *c* judico ego, *d* judicium meum verum est: quia *e* solus non sum, sed ego, & qui me misit, Pater. Et in *f* lege vestra scriptum *g* est, quia duorum hominum testimonium verum est. *h* Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso: & *i* testimonium perhibet de me, qui me misit, Pater.

hoc est, hominem purum putatis, cui in laude sua credendum non sit, & etiam damnatis. *Chrys.* (Vos,) nescitis Deum, propter hoc (secundum carnem judicatis,) scilicet, carnaliter, idest, male. Sicut enim secundum carnem vivere, male vivere est, ita secundum carnem judicare, injuste judicare est, quasi dicat, nihil plus eo, quod videtis, vultis intelligere.

Item, (secundum carnem judicatis,) i. secundum personarum acceptionem. *Chrys.* Qui enim tot audierunt conjecturas, & redargutiones, adhuc dicunt, non est verus; & Moysen dignum fide in his, quæ de se, & in his, quæ de aliis dicunt, æstimabant; Christum autem non adhuc, hoc secundum carnem judicare est.

b Ego non judico quemquam.] Possent dicere, si injuste judicamus, ut dicis, propter quid non accusas propter quid non convincis, propter quid non condemnas? Et respondet, quia, [non judico quemquam,] idest, ad hoc non veni modo in primo adventu *sup.* 3. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum; sed ut salvetur mundus per ipsum.

c Et si judico ego,] vel, (judicem,) idest, etsi vellem nunc judicare, & condemnare, possem quidem, quia, (judicium meum verum est.) Potius videtur debere dicere. Judicium meum rectum est. Sed hoc solvitur per *Anselmum in libro de veritate*, ubi dicit in fine, quod veritas est rectitudo sola mente perceptibilis. Unde dicendum, quod secundum hanc definitionem bene judicium est verum, & est ejus veritas rectitudo ipsius. Vel sic legatur.

c Et si judico ego,] vel (judicem,) idest, quando judicabo in secundo adventu.

d Judicium meum verum est,] idest, justum, & infallibile. Et ita hæc dictio, (si,) est temporalis; & hæc dictio, (judico,) habet consignificationem temporis confusam ad futurum judicium: secundum quod dependet ex meritis eorum in præsenti: secundum quod dicitur de aliquo, quod judicatur etiam ante sententiam, quando agit aliquid, unde judicare habet. Vel sic secundum *Gloss.* *b* Ego non judico quemquam,] secundum carnem, idest, injuste, sicut vos.

b Et,] idest, quia, (si judico, ego, judicium meum verum est,) idest, non secundum personarum acceptionem, sicut vestrum: nec ex dubiis, vel fallis procedens, *Is.* 11. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Et subdit causam veritatis judicii,

e Quia solus non sum,] supple, in judicio, vel in judicando vos, quasi dicat, si condemnarem vos, juste hoc facerem, quia & Pater vos condemnat.

Vel ideo verum est judicium meum, (quia non sum solus,) quia verus Dei Filius sum unum cum Patre, quasi dicat: Etsi hic sum, ut videtis; Patrem tamen non deserui, & si missus per carnem; tamen ego, & Pater simul per Deitatem.

Et hoc est, quod dicit. (Solus non sum; sed ego, & qui me misit, Pater,) idest, qui me incarnari constituit, me non deserit. Vel sic.

e Quia solus non sum; sed ego, & qui me, misit Pater,] quasi dicat sicut nunc communia, quæ ago, illius voluntate ago tanquam mittentis: ita vos tunc mecum judicabit una voluntate: ideo quia eum, quem ille misit, abjecistis.

Et in hoc percutit eos: quia ipsi gloriabantur, se obsequium præstare Deo in persecutione ejus. Unde etiam id, quod supra dixit, si potest exponi.

b Ego non judico quemquam,] ut sit sensus, Pater est, quem vos Deum vestrum dicitis, qui judicat pro me: (Ego) autem (non judico) nisi eodem judicio secum, sequitur.

f Et in lege vestra scriptum est.] Hic incipit aliud argumentum. Dixerat suum judicium esse verum de ipsis: & quia non solum Judex erat eorum, sed & testis contra eos, ostendit, quod verum est testimonium ejus contra ipsos, quia duorum est, ipsius, scilicet, & Patris.

Deut. 17. & 19. *Supr.* 5. *De testibus c. in omni.*

Vel aliter dixerat, quo verum est testimonium suum de se, & quod verum erat judicium suum de ipsis; ostensio ergo, de judicio suo, quoniam verum sit, redit ad ostendendum de testimonio suo, quod probat esse verum auctoritate legis, dicens. (Et in lege vestra) vobis a Deo data.

g Scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est,] idest, pro vero recipiendum, non quin aliquando fallat.

Et sumitur *de Deuteronom.* 17. & 19. In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum, idest, non paucorum.

h Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso] quasi dicat, ego sum Judex, & testis; sed nunc etsi differo judicium, non differo testimonium.

i Et testimonium perhibet de me, qui me misit, Pater] in Baptismo.

Vel etiam Pater testatur indiviso opere, operans cum Filio opera miraculorum, sicut ipse *supr.* 5. dixit. Ego habeo testimonium majus Joanne. Opera, quæ ego facio testimonium perhibent de me, &c. Si ergo duobus hominibus creditur, qui possunt falli, & mentiri quare non mihi, & Patri, ubi est stabilis veritas? Sed contra hoc objicitur, quia lex non intelligit de duobus, quorum alter sit in causa, quia ut dicit *Chrysost.* cum duo etiam alienæ rei testantur, hoc etiam duos testari. Videtur ergo, quod Christus male probet testimonium suum verum esse, quia erat in causa. Sol. Pater in voce, in Scripturis testimonium perhibebat de ipso; Filius vero secundum Deitatem faciens opera, quæ nemo alius fecit; & docendo tam efficaciter, sicut nemo unquam docuit, testimonium perhibuit sibi homini. Homo enim in causa erat, & Deitas testabatur. Sed opponunt hic hæretici, quod Pater, & Filius duo sunt numero, sicut duo homines, duo sunt numero. Solut. Duo sunt in hoc testimonio, idest, duæ personæ, ut sit ibi dualitas personarum, non substantiarum.

Unde propter hoc præmisit. (Non sum solum, &c.) quasi Pater est in me, & ego in ipso, ut notetur substantialis identitas. Sed quare non dixit eis expresse: Ego sum Deus? Ad hoc dicit *Chrys.* quod propter humilitatem fecit *Chrys.* aliter legit ab illo loco.

b Ego non judico quemquam,] ut ponatur Ly, (ego,) discretive, absque Patre, scilicet, vel contrarium, vel separatum a judicio Patris. Simile *sup.* 5. Pater non judicat quemquam, judicio, scilicet, separatu a judicio Filii. Et hoc est.

d Et,] idest, quia, (si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum; sed ego, & qui me misit, Pater,) quasi dicat: commune est judicium quorum communis est substantia: Et per hoc etiam ostendit auctoritatem judicii sui. Non enim æstimabant dignum fide esse filium, nisi testimonium Patris assumpsisset.

f Et in lege vestra scriptum est,] quia duorum hominum testimonium verum est. Per hoc ostendit auctoritatem suam, ostendens se non indigere alio testimonio: & ostendens, quod nihil minus habet a Patre, quasi dicat, apud homines duo testes requiruntur, nec alicui creditur in sua causa; sed in me non est ita. Unde sequitur. *h* Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso,] quasi dicat, non indigeo alio testimonio, sicut alii homines: sed possum testari mihi ipsi. Et ne dicerent, incompetens esse testimonium, dicit, quod imo a Patre approbatur. Unde sequitur.

i Et testimonium perhibet de me, qui me misit, Pater] quasi dicat, idem est testimonium utriusque, in quo se ostendit consubstantialem Patri, & æqualem: & ideo suum testimonium præponit, ut ostendat coæqualitatem honoris. Sequitur.

a Dicebant ergo

a a Dicebant ergo ei,] Scribæ, & Pharisæi, quia hi amplius ceteris imminebant ei.
b Ubi est Pater tuus?] Secundum *August.* secundum carnem judicantes, Patrem Christi carnaliter acceperunt: sed erat homo in aperto; verbum Patris in occulto. Sed ab alia parte stupora doctrinæ, & miraculis præfocati trahebantur ad cogitan. dum aliquid majus, de Patre, quam esset Joseph.

Supr. 7. Unde secundum *Chr.* scientes ut nescientes interrogabant & ut tentantes eum. (Ubi est Pater tuus?) quasi te videmus, sed non Patrem tecum.

a Dicebant ergo ei: Ubi b est Pater tuus? c Respondit Jesus: d Neque me scitis, neque e Patrem meum. Si me f sciretis, g forsitan & Patrem meum sciretis. Hæc h verba locutus est Jesus in Gazophylacio i docens in k templo, l & m nemo apprehendit eum: n quia necdum venerat hora ejus. Dixit o ergo iterum eis Jesus: p Ego vado, & q quæretis me, & r in peccato f vestro t moriemini. u Quo ego vado, vos non potestis venire. x Dicebant ergo Judæi: Nunquid y interficiet semetipsum, quia dicit: quo ego vado, vos non potestis venire?

c Respondit Jesus,] meuri, non sermoni eorum.
d Neque me scitis,] quasi dicat, putatis me noscere, quia noscitis hominem de foris; sed tamen, quod in occulto sum, nescitis. Et ideo.
e Neque Patrem meum,] scitis, cujus, & mei eadem est substantia.
f Si me sciretis, &c.] *Chrys.* Causam ponit nesciendi Patrem, nolle scire Filium, quasi dicat, non potestis scire Patrem sine me. Unde etiam dicit. (Si me sciretis,) prædicto modo.

al. † temptativum. Li forsitan non est dubitativum, sed † tentativum, vel notat facultatem liberi arbitrii, quia fides non est, nisi volentis, ut dicit Augustinus. Vel secundum *Gl.* irrisivum est, & reprehensivum, sicut Dominus dicit servo, forsitan tuus Dominus sum.

g Forsitan, & patrem meum sciretis.] Hoc autem dicit, ut vel ita eos attrahat ad sui cognitionem; quia enim dimittentes eum semper Patrem quærebant discere, dicit: non potestis Patrem scire sine me.

Item in hoc significat, quod non sit alterius substantiæ a Patre *inf.* 14. Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.

Unde *Chrys.* Si filius solum docuisset Patrem, alterius autem substantiæ esset, possibile esset eum ignorantes scire Patrem, nec sequeretur; quod scientes eum omnino scirent & Patrem. Non enim, qui hominem scit, novit Angelum, neque qui creaturas novit, novit & Deum: multi enim creaturas noverunt; & Deum non viderunt. Sequitur.
h Hæc verba, &c.] Hic determinat locum, ubi hæc prædicta dicta sunt, ut ostendat impotentiam Judæorum, qui in publico existentem tenere nequiverunt.

Unde dicit. [Hæc verba,] prædicta, & subsequentia, [locutus est Jesus in Gazophylacio.] In quo notatur magna ejus confidentia: quia intrepidus verba Divinitatis coram inimicis aperte loquitur, & docet.

Et nota, quod gaza, lingua Persica idem est, quod opes, philaxe vero Græce servare dicitur. Gazophylacium ergo dicebatur arca quædam desuper foramen habens, posita ad dextram ingredientibus circa altare holocaustorum: in quam mittebantur pecunia offerentium ad sarta tecta templi reparanda, & servabatur. Et de hoc habetur. *Luc.* 21. quod divites mittebant munera sua in Gazophylacium. Erat autem ibi quædam specialis arca, in qua soli Sacerdotes mittebant donaria sua, quæ vocabatur corbonan, ut habetur *Matt.* 7. Erat & ibi tertia, in qua Rex, vel Principes Tribuum mittebant: quæ dicebatur Musach. Tamen quidam aliter distinguunt, quia quandoque legitur Musach Sabbati, ut 4. *Reg.* 26. Et dicunt in illa arca tantum reponi oblationes solemnium dierum; unde dicitur Musach Sabbati, in arca festivitatum. Et quia corban votum sonat, dicunt in corbonan reponi votiva: In Gazophylacio vero aliorum dierum munera, & spontanea. Tamen quælibet earum generali nomine Gazophylacium dicebatur, & etiam locus, in quo erant positæ, ut hic, [hæc verba locutus est Jesus in Gazophylacio,] idest, in illo loco, in quo sitæ erant prædictæ arcæ. *In Ezechiele* autem Thalami Sacerdotum dicuntur Gazophylacia. *Ezech.* 40.
i Docens in templo,] idest in atrio templi. *Chrys.* In templo loquebatur, & in ordine Magistri: quod sufficiens erat eos erigere in iram, maxime quia hæc loquebatur, super quibus mordebantur, scilicet, quia inferebat se auctoritati Patris, ut associando sibi eum quasi socium in testando, & de seipso.

Unde hoc designans Evangelista dicit: [Hæc verba locutus est Jesus,] prædicta, scilicet, in quibus se æquabat Patri.
k In templo,] in loco publico, & in quo solebant Doctores loqui & Magistri: & ideo magis indignabantur.
l Et,] licet in medio eorum doceret; tamen.
m Nemo apprehendit eum,] idest apprehendere potuit, etsi vellent. Quare?
n Quia necdum venerat hora ejus,] scilicet, in qua voluit crucifigi. *Chrysostom.* idest quia nondum erat tempus aptum, secundum quod voluit crucifigi. Simile *supr.* 7. Quærebant eum apprehendere. Hoc autem dicit Evangelista, sicut dicit *Chrysost.* ut sciamus, quia & tunc non illorum virtutis factum est opus, sed dispensationis ejus. Ipsi enim & olim voluerunt; non autem prævaluerunt. Non igitur, neque tunc prævaluissent utique, nisi ex eis concessisset.

Item *Chrysost.* O de amentia Judaica, ante Pascha quærentes eum, deinde in medio accipientes, & moltoties tentantes detinere, & per seipsos, & per alios, & nequeuntes, neque ita ejus virtutem admirabantur, nec a malitia desistebant.
o Dicit ergo iterum eis Jesus,] ad hoc, quod intendebant eum capere, & occidere, respondet.
p Ego vado,] quasi dicat: quæritis me ad occidendum, sed [ego vado,] idest, sponte moriar, non vestra coactione *infr.* 10. Animam meam ponam. Et ideo vos frustra laboratis.

Item in hoc terret eos de sua Resurrectione, quasi dicat: non moriar, ut putatis, ita quod a morte detinear; sed [ego vado,] idest, per mortem ad Patrem tendo. Et dicit, [vado] idest, in proximo est, ut vadam. Vel quia futura sunt ei, quasi præsentia, ut dicit *Int.* Vel quia jam præsens erat mors ejus, quantum ad iniquas machinationes Pharisæorum: quia jam conceperant mortem ejus, dicit; [ego vado, & quæretis me] odio persequentes assumptum in cœlis, in Apostolis scilicet, non ut amici habere cupientes. Unde eis pœnam prædicit.
r Et in peccato vestro,] permanentes, peccato, scilicet infidelitatis, & crudelitatis in Sanctos.
t Moriemini,] morte æterna. Vel.
q Quæretis me,] tempore destructionis per Romanos *Amos* 8. Circumibunt quærentes verbum Domini, & non invenient. Vel quæretis me,] in judicio sero pœnitentes.
r Et in,] idest, pro.
f Peccato vestro moriemini,] idest, morte æterna trademini. Super hoc dicit *Chrys.* Qui non deponit in lavacro veterem hominem, & jam judicatus est, non solum quia non credit, sed etiam quia prima peccata habens abit *sup.* 7. Quæretis me, & non invenietis. Et est hic argumentum, quod potest revelari alicui sua damnatio. Sed solvendum est, quia prophetia comminationis est hic, & est conditionalis. Vel aliter. Non revelat alicui suam damnationem, quia loquitur multis in simul: & de quibusdam eorum dicebat, non de omnibus: & propterea ipsi non credebant ei.
u Quo ego vado, vos non potestis venire,] quasi dicat moriemini in inferno: quia ad gloriam meam non potestis venire tales, quales estis.

Vel vos detinemini in morte, nec ad resurrectionem ibitis per mortem: sicut ego, & tunc securus sum a vobis. Et hoc maxime turbavit eos, cum audirent, quod nec morte ei nocere possent; Christus autem hoc dixit, ut faceret eos aliquid magnum de se imaginari, & verum Deum esse credere: quia illius solius est sua virtute morte non detineri, etiam cum in morte existat. Sed quia obscure locutus est, ideo non intelligentes, & pariter malignantes ex ipso, quia non debebant detinere.
x Dicebant ergo Judæi,] ex conturbatione, vel omnia carnaliter sapientes, & quod dixit non intelligentes.
y Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit: quo ego vado, vos non potestis venire.] *August.* Stulta verba & omnino insipientiæ plena, quasi si de morte diceret non possent,

A non possent eum sequi ad mortem. Dicebat ergo non de morte, sed de gloria, ad quam ibat per mortem. Vel potest dici, quod quia homo sui conservationem desiderat naturaliter, natura prohibente, seipsum interficere non potest: & sic verum dicunt. Sed quia carnales erant, & carnaliter sapiebant.

Et a dicebat ei: Vos de deorsum estis; b ego de supernis sum: c Vos de mundo hoc estis; d ego non sum de hoc mundo. Dixi e ergo vobis, f quia g moriemini in peccatis vestris. Si h enim non credideritis, i quia ego sum, k moriemini in peccato vestro. l Dicebant ergo ei: m Tu quis es? Dixit n eis Jesus: Principium, qui & loquor vobis,

a Et dicebat eis Jesus: Vos de deorsum estis,] idest, carnales, & terreni estis: quod patet ex judicio vestro: & ideo terram sapitis, quia sicut serpens terram manducatis. *Gen.* 3. Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. *Is.* 65. Serpenti pulvis panis ejus. *Mich. ult.* Lingent pulverem sicut serpentes. Vel sic (Non potestis venire, quo ego vado, quia de deorsum estis,) idest, quia corda vestra premuntur onere peccatorum.

Unde *Ps.* 37. Sicut onus grave, &c. *Exod.* 15. Submersi sunt quasi plumbum, &c. *Chrys.* sic continuat, destruens eorum suspicionem: & ostendens, quoniam hæc res peccatum est, scilicet, interficere se ait; (Vos ex inferioribus estis,) quasi dicat, carnales estis: & ideo nihil mirabile est vos talia cogitare. Sed non agam quid tale, quia.

b Ego de supernis sum,] idest, Deus sum, vel a Deo missus in carnem, vel, idest, Justus sum. Et repetit, quod dixerat aliis verbis: vel exponit, quomodo sint de deorsum, dicens.

c Vos de mundo hoc estis,] idest, de numero mundanorum, & amantium mundum. *Chrys.* Mundum hic mundanas cogitationes, & carnales ait. Simile 1. *Jo.* 2. Quicquid est in mundo, &c.

d Ego non sum de hoc mundo,] & ideo non afficior, ut vos, scilicet, concupiscentia, & invidia. Hæ duæ passiones impellebant Pharisæos, ut Christum persequerentur. Vel (non sum de hoc mundo,) idest, non hæreo mundanis per amorem; vel non sum de numero talium, qui sequuntur mundialia: vel non sum de mundo communi lege nascendi. Sed objicit Manichæus, quod si non est de hoc mundo, ergo non vere habuit naturam humanam, quia illa est de hoc mundo; ergo non vere fuit homo, Responsio, quod mundus nomen est malæ affectionis, secundum quod dicitur 1. *Jo.* 5. quod mundus totus in maligno positus est. Et *eadem* 2. Quicquid est in mundo, *Chrys.* Per hoc non dicit, se carnem non suscepisse, ut hæretici dicunt; sed per hoc ostendit se procul esse a mundi nequitia.

Unde & de discipulis ait *infr.* 17. De mundo non sunt, non quod carnem non haberent; sed sicut Paulus dicit. Vos in carne non estis; sed in Spiritu. *Rom.* 8. Et nota, quod debemus esse de cœlo, non de mundo: Quod pluribus signis ostenditur:

Primo per sedulam meditationem, & contemplationem cœlestium. Sicut ad litteram dignoscitur, quod aliquis est de civitate aliqua, quando in magnis festivitatibus vadit illuc cum familia sua. Sicut anima in solemnitatibus maxime vacans contemplationi ascendit in cœlum cum familia bonarum cogitationum, & sanctarum affectionum. 2. *Cor.* 3. Nos revelata facie gloriam Dei speculantes, &c. *Job* 7. Suspendium elegit anima mea.

Item per saporem, idest, per amorem cœlestium probamus nos esse in cœlesti territorio: sicut de vino ostendit sapor, in qua terra creverit. *Colos.* 3. Quæ sursum sunt sapite, &c. *Philipp.* 1. Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, &c.

Item per linguagium *sup.* 3. Quem misit Deus verba Dei loquitur. *Matth.* 12. Ex abundantia cordis os loquitur. *Matth.* 27. Vere & tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit.

Item *Marci* 14. Vere ex illis es, nam & Galilæus es.

Item mores. *Philip.* 3. Nostra conversatio in cœlis est, idest, cœlestis, quia in carne præter carnem vivere Angelica vita est. 2. *Corinth.* 10. In carnem enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Eodem modo cognoscitur per hæc quatuor, si homo est de mundo.

Primo per studium, & excogitationem mundanorum. *Baruch.* 3. Filii Agar, qui exquisierunt sapientiam, quæ de terra est. *Lucæ* 16. Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua.

Secundo per saporem. *Philip.* 3. Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Sicut vinum sentit territorium, vel dolium: vel sicut vas vinarium dicitur sapere vinum: ita qui terrena continent, odorem eorum, & saporem reddunt. Et similiter de spiritualibus: quia.

Quod nova testa capit, inveterata sapit.

Roman. 8. Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt, qui vero secundum Spiritum sunt quæ sunt Spiritus, sentiunt.

Tertio per linguam. Loquitur enim Azotice. *Nehemiæ* 13. Et filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, *sup.* 3. Qui de terra est, de terra loquitur. *Is.* 29. Et erit quasi Phytonis de terra vox tua.

Quarto per mores, 4. *Reg.* 17. Usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum, non timent Deum, neque custodiunt cæremonias ejus, atque judicia, & legem, & mandatum. Sequitur.

e Dixi ergo vobis,] quia estis de mundo, idest, peccatores infideles, terrena sapientes, depressi in peccatis.

f Quia,] idest, quod.

g Moriemini in peccatis vestris,] infidelitatis, & crudelitatis.

Unde causam exponens subdit. (Si enim non credideritis, &c.) Vel sic. Quia dixerat, (moriemini in peccatis vestris,) ostendit, quod hæc est prophetia comminationis, non determinationis. Unde subdit.

h Si enim non credideritis,] cum sufficientem habeatis persuasionem.

i Quia ego sum,] verus Deus, idest, si finaliter discredideritis.

k Moriemini in peccato vestro,] Antonomastice, infidelitatis, idest, pro eo damnabimini. Per quod innuit, quod si vellent credere, salvarentur. Significat etiam inter eos fuisse aliquos, qui credituri erant. Infidelitatem sequitur mors, sicut fidem vita. *Habac.* 2. Justus ex fide vivit.

Et nota, quod dicit. [Moriemini in peccato vestro,] vel [peccatis,] quasi sepulti in eis, & in veteri homine absorpti. *Ezech.* 32. Descenderunt ad infernum cum armis suis: & fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, sicut gutta inossata.

l Dicebant ergo ei,] carnaliter sapientes æternæ essentiæ ignari.

m Tu quis es?] q. d. quem facis teipsum, ut talia commineris? *Aug.* Quia dixisti: ego sum: & non addidisti, quis: dic ergo quis es, ut credamus. Et nota, quod ad hanc quæstionem fit responsio, *Exod.* 3. Ego sum, qui sum; vel qui est, misit me, ad vos. *Bern.* Verum esse est, quod nec ab esse præsciuditur, nec ab erit expungitur.

n Dixit eis Jesus,] respondens ad quæstionem eorum.

o Principium,] sum, supple, idest, æternus, ab æterno primogenitus ante omnem creaturam. *Eccl.* 24. Principium viarum Dei, idest, creaturarum secundum Deitatem.

p Qui & loquor vobis,] ex tempore factus homo ad vestram docens instructionem. *Gl.* Factus homo propter vos, ut possitis me intelligere.

Unde duas naturas hic ostendit in se, divinam, & humanam dignitatem. Et dignationem suam aperiens. *Hebr.* 1. Multifarie, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula. Per hoc, quod ultimo dicit, tangit rationem principii. Vel aliter secundum *August.*

o Principium,] credite me, supple esse. In Græco enim potest esse accusativum, & feminini generis, ac si diceret: veritatem, scilicet, credite me esse, qui & loquor vobis. Vel aliter, ut referatur ad superiora sic. [Nisi credideritis me,] scilicet [esse principium, &c.] Sed videtur incompetenter respondere ad quæstionem, quia dicebant, (quis,) quod quærit de propria nominatione, & persona: & non quid, quod quærit de essentia. Principium autem significat divinam essentiam.

Unde *Aug.* super hoc. [Principium, &c.] dicit.

Ecce quod, vel quid est esse. Sol. Quis non quærit semper propriam nominationem; sed quandoque speciem in comparatione ad proprium actum. Unde cum principium dicat divinam essentiam in comparatione ad actum, proprie respondet: unde nec ipsi postea interrogant.

A Multa

a Multa habeo de vobis loqui, *b* & judicare: *c* sed qui misit me, *d* verax est: & *e* ego, quæ audivi ab eo, hæc *f* loquor in mundo. Et *g* non congnoverunt, *h* quia *i* Patrem ejus *k* dicebat Deum. Dixit *l* ergo eis Jesus, Cum exaltaveritis Filium hominis, *m* tunc *n* cognoscetis, *o* quia ego sum, & *p* a meipso facio nihil, *q* sed sicut docuit me Pater, hæc *r* loquor. Et *s* qui *t* me misit, *u* mecum est, & non *x* reliquit me solum: quia *y* ego, quæ placita sunt ei, facio sēper.

a Multa habeo de vobis loqui,] i. vos habeo in multis accusare. *b* Et judicare,] i. de multis habeo vos punire. Aliqui habent (multa habeo vobis loqui,) quasi loquor vobis: & multa habeo loqui vobis, i. ad instructionem vestram, & utilitatem, si volueritis, in præsenti. (Et judicare) in futuro, i. condemnare, si non pœnituerD sitis, q. d. doctor sum, & judex. Sed quia posset aliquis dicere, quare ergo non judicas modo: Respondet. *c* Sed qui misit me, verax est,] quasi ideo non judico vos modo: quia Pater promisit in Prophetis, quod mitteret me ad salvandum, non ad condemnandum in primo adventu. *Isa.* 61. Ad evangelizandum mansuetis misit me; ut mederer, &c. *e* Et ego, quæ audivi ab eo,] scil. Patre, i. quæ commisit Pater mihi homini verba, scil. salutis, non condemnationis, (hæc loquor in mundo,) Secundo legitur sic secundum *Gl.* *a* Multa habeo vobis loqui,] docendo, si credideritis; vel accusando, & arguendo si non credideritis, & hoc in præsenti. *b* Et judicare,] in futuro. Sed non habeo hoc ex me, quod sum Doctor, vel judex. *c* Sed, qui misit me,] in carnem, vel qui genuit me missibilem, *d* Verax est,] ex se. *e* Et ego, quæ audivi ab eo,] i. veritatem, quam habeo ab eo per generationem. *f* Hæc loquor in mundo,] idest, meipsum qui sum a Patre mundo manifesto. Idem enim est Filium audire a Patre, quod esse ab eo. Vel sic. *c* Qui misit, &c.] Pater sc. *d* Verax est,] in judicando: & quia ipse verax est, judicabit vos de hoc, quod non me auditis. *e* Et,] i. quia (ego, quæ audivi ab eo,) per generationem æternam, &c. sicut prius. Quarto modo legitur sic secundum *Chrys.* (Dicebant ergo ei. Tu quis es?) In quo apparet eorum amentia, quod post tantum tempus, & signa, & doctrinam interrogant. (Tu quis es.) Quid igitur Christus? (A principio, quod & loquor vobis,) q. d. indigni estis audire, quis ego sum: quoniam a principio est superfluum, vel inutile, quod loquitur vobis, quia non attenditis, sed omnia tentantes loquimini. *Eccl.* 22. Cum dormiente, &c. Vel sic. (A principio, quod loquor vobis,) i. semper iterandum est, & reincipiendum, quod dicitur (vobis) quia non attenditis. Sicut dicitur servo negligenti, quod quicquid præcipitur ei, semper est recipiendum, & reiterandum. Et quia tales estis, de multis possem redarguere vos. Et hoc est, quod sequitur. a Multa habeo de vobis loqui] redarguendo vos. *b* Et judicare,] puniendo, q. d. non solum possem arguere, sed cruciare. *c* Sed, qui misit me, verax est,] q. d. Pater meus, non vult hoc. Non enim misit Filium suum in mundum, ut judicet mundum, &c. *sup.* 3. Si autem, qui misit me, ad hoc non misit, ut judicem: verax autem est, quia nec fallit nec fallitur decenter nullum judico nunc. *e* Et ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo,] i. quæ ad salutem pertinent; non quæ ad redargutionem judicialem. Dicit autem hoc. non æstimeos ex imbecillitate esse, quod tot audiens contumelias ab eis non judicat eos.

Verba Evangelistæ. [Et non cognoverunt, &c.] Hic clamat *Chrys.* dicens: O de amentia, non deficiebat de eo loquens, & non cognoverunt sic. *g* Et non cognoverunt] ex tantorum auditu. *h* Quia,] i. quod. *i* Patrem ejus,] i. Christi. *k* Dicebat Deum.] *Gl.* quasi cum diceret, qui misit me, verax est, & quæ audivi ab eo, &c. non intellexerunt, quod de Patre diceret: adhuc habebant oculos clausos: & ideo subdit eis. *l* Dixit ei Jesus: Cum exaltaveritis Filium hominis] in Cruce. *m* Tunc] inquam, virtute Resurrectionis, & signorum, quæ apparebunt. *n* Cognoscetis,] i. cognoscibiliora, quam modo, signa percipietis. *o* Quia ego sum] sup. Filius Dei. Et sic potest legi universaliter. Tamen *Gl.* legit particulariter sic. *m* Tunc cognoscetis,] aliqui ex vobis, non omnes. *o* Quia ego sum] quasi prius implenda est Passio per manus vestras, post ex vobis aliqui credent. In quo ostendit, aliquos ibi esse, qui post † Resurrectionem suam essent credituri sicut ad prædicationem Petri. *Act.* 2. & unus etiam militum clamavit post mortem ejus: Vere Filius Dei erat iste.

al † passionem.

o Quia ego sum,] qui sum, i. vere, & immutabiliter. *Exod.* 3. *Aug.* Esse est immutabilis divinæ substantiæ. Sed ne ipse, qui loquitur, intelligeretur esse Pater, subdit. *p* Et a me ipso facio nihil,] quia a meipso non sum, sed a Patre. *q* Sed sicut docuit me Pater,] me hominem (hæc loquor.) Vel. (me,) Filium pro æterna generatione. Et tunc idem est docere, quod scientem generare. Vel aliter. *l* Cum exaltaveritis, &c.] Secundum *Chrys.* quia signa faciens, & docens eos non attraxit, de Cruce loquitur de reliquo dicens (Cum exaltaveritis Filiũ hominis) in Cruce. *m* Tunc cognoscetis,] *inf.* 12. Cũ exaltatus fuero a terra, omnia trahã ad meipsum: passio enim est fortissimum vinculum attrahendi. *Os.* 11. In funiculis Adam, &c. *Jer.* 31. In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans. Sed videtur, quod debuit dicere: Cum humiliaveritis Filium hominis, sicut *Phil.* 2. Semetipsum exinanivit, &c. Sol. In hoc, quod dicit, (Exaltaveritis) ostendit genus mortis, scil. quia in ligno suspensus, & elevatus fuit, sicut dicitur *sup.* 3. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, &c. Vel proprie dicitur exaltari, quando coronatur. Dicitur enim proprie rex exaltari, quando coronatur, & sceptrum ponitur in manu ejus. In Passione enim est coronatus. Unde *Cant.* 3. Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Item Crux sceptrum regale. *Is.* 9. Factus est principatus ejus super humerum ejus. Sceptrum enim significat, quod Rex debet, & habet corripere, & compescere, & coercere subditos: & Christus per Crucem Dæmones coercuit. *m* Tunc cognoscetis, quia ego sum.] *Chr.* q. d. putatis interficiendo me liberari a me: ego autem dico, quia tunc maxime scietis, quia ego sum gratia signorum, & Resurrectionis, & captionis: quia propter mortem ejus capti sunt a Romanis (Tunc cognoscetis.) *Chrysost.* q. d. qui curam noluistis cognoscere, cruciati scietis. Et nota, quod non dixit: Scietis, quis ego sum; sed, (quia ego sum,) Christus, scilicet, & Filius Dei: & qui omnia fero, & ago, & non contrarie illi. Unde propter hoc subdit. *p* Et a meipso facio nihil, &c.] q. d. utrumque cognoscetis, & fortitudinem meam, quia nihil a morte patiar, & unanimitatem meam ad Patrem. Hoc est, quod dicit. (A meipso facio nihil,] i. nihil contrarium Patris, sed auctoritate ejus, & voluntate: quod patebit ex hoc, quod Pater ulciscetur me de vobis. Si enim contrarius essem Deo, non tantam iram adversum vos misisset. Unde *Isa.* 53. Dabit perniciosos pro occisione ejus. Et David *Ps.* 3. Tunc loquetur ad eos in ira sua. Et ipse etiam dicit *Matth.* 23. Derelinquetur domus vestra, i. civitas deserta & 21. Malus male perdet. Et *Luc.* 19. Inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. *q* Sed sicut docuit me Pater, hæc loquor,] quasi Patri Deo non sum contrarius, nec in doctrina, nec in opere, *sup* 5. Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quę ipse facit. Quia vero dixerat, quia a se nihil operatur, & quia Pater docuit eum, crederet aliquis, quod esset separatio inter Patrem, & Filium: & hoc cavens subdit. *s* Et qui,] scil. Pater. *t* Me misit,] incarnari. *u* Mecum est] per Deitatem, vel per substantialem unitatem, q. d. hoc scietis tunc, quia in nullo sui contrarius Patri, sed ei concors, & consubstantialis. *Chrys.* Quia dixerat *sup.* (Qui misit, &c.) ne putetur hoc, quod dicit: (qui me misit) minorationis esse, subdit, (mecum est.) Nam hoc, i. mitti, dispensationis est; hoc autem, i. mecum Deitatis. *x* Et non reliquit, &c.] idest, non habeo substantiam solitariam, vel singularem a sua. Vel. (Non reliquit me) hominem (solum,) sed semper fuit mecum per gratiam ad omnem actum. *y* Quia ego, quæ placita, &c.] in salutem humani generis, quæ est voluntas Patris, quasi dicat, ideo nunquam a me recedit gratia, quia nunquam subintrat culpa. Ideo dicitur *Is.* 11. Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, &c. Et exponitur multis modis sic. (Quæ placita sunt ei, &c.) Vel ego semper) ens (facio.) Vel, ego semper facio,) i. ego solus, sicut dicitur. Canonici semper celebrant ad magnum altare, idest, soli Canonici. *Ps.* 13. Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Et nota hic quantum ad moralitatem, quatuor. Deus enim erat cum Christo, & cum homine justo in opere. Unde. (A meipso facio nihil.) Item in locutione, ibi. (Sed sicut docuit me, &c.)

Chrys. Inalternabilitatem substantiæ manifestat, & quoniam nihil loquitur extra paternales intelligentias.

Sup. 3. *Rom.* 8.

Supr. 3. *Infr.* 12.

Matth. 27.

Item in corde, ibi, [mecum est.] Item in tribulatione, ibi, [non reliquit me solum.] Et hoc quamdiu homo vult facere ejus voluntatem, nec repugnat voluntati divinæ. De primo dicitur. *Is.* 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine, *Infr.* 15. Sine me nihil potestis facere *Philip.* 2. Operatur in nobis velle, & perficere, &c. De secundo. *Ps.* 67. Dominus dabit verbum, &c. Item *Ps.* 44. Diffusa est gratia in labiis tuis. De tertio. 1. *Corint.* 15. Gratia Dei mecum. De quarto *Ps.* 90. Cum ipso sum in tribulatione. Seq.

Hæc a illo loquente, *b* multi *c* crediderunt in eum. *d* Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si *e* vos manseritis in *f* sermone meo, *g* vere Discipuli mei eritis, & *h* cognoscetis veritatem: & *i* veritas *k* liberabit vos. *l* Responderunt ei *m* Semen *n* Abrahæ sumus, & *o* nemini servivimus unquam: *p* Quomodo tu dicis liberi eritis? *q* Respondit ei Jesus: Amen, *r* amen

a Hæc illo loquente,] idest, Christo. (Hæc,) scilicet, quæ prædicta sunt. *b* Multi,] non omnes.

c Crediderunt in eum,] sed nondum perfecte. *Chrysost.* Quando ad humilem sermonem duxit, maxime de passione sua, & quia Patri omnia attribuit, tunc multi crediderunt. Et hanc causam designat hic Evangelista, quare humilia loquitur, cum dicit, quod multi crediderunt, quasi dicat, ne turberis auditor, si humiliter loquitur, qui enim post tantam doctrinam non suasi sunt, quoniam a Patre est, decenter humilia audierunt, ut suadeantur. Et est argumentum, quod humilis prædicatio, maxime de passione, magis prodest, quam subtilis, vel alta. 1. *Cor.* 2. Nihil judicavi me scire, &c. Item 1. *Cor.* 1. Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Item 1 *Cor.* 2. Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus, &c. *Is.* 2. Conflabunt gladios suos in vomeres. Item Sangar interfecit sexcentos vomere uno. *Jud.* 3. Et Samson mille Philistæos prostravit in mandibula asini. *Jud.* 16. *Chrys.* [Crediderunt in eum.] Crediderunt quidem, sed non ut oportebat, quod patet, quia *infr. eod.* injuriantur ei. Et quod illi sint idem, ostendit, quod sequitur. *d* Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei Judæos.] Continua sic. Supra immediate narravit Evangelista, quod quidam crediderunt, sed debiliter, & ideo indigebant admonitione. Et hoc est. [Dicebat ergo, &c.] Si vos manseritis in sermone meo,] idest, in fide, quæ in vobis per sermonem cœpit esse, quia fides ex auditu. *Rom.* 10. Vel in me, qui sum sermo. *g* Vere Discipuli mei eritis,] idest, vos esse veros, idest, firmos, & vero nomine Discipulos ostendetis. Per quod ostendit, quod non erant vere Discipuli, idest, solide. Propter hoc etiam dicit. [Si manseritis,] ostendens, quod nondum susceperant doctrinam perfecte, sed solum attendebant his, quæ dicebantur. Item tangit eos, qui *sup.* 6. abierunt retro non veri Discipuli propter obscuritatem sermonis de Sacramento corporis, & sanguinis. Et quia sciebat corda illorum debilia adhuc, ideo magna eis promittit, scilicet, discipulatus honorem in præsenti, & in futuro veritatis cognitionem quantum ad animam, & liberationem a corruptione quantum ad corpus. Dicit ergo. [Vere Discipuli mei eritis,] scilicet, bonitatis, & justitiæ, & veritatis. Et hoc magnum est esse Discipulum summæ veritatis. *Luc. cap.* 10. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis: multi enim Prophetæ, &c. 3. *Reg.* 10. Beati viri tui, & beati servi tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. *Matth.* 13. Vestri autem beati oculi, qui vident, &c.

h Et] vos [cognoscetis veritatem,] summam *Gl.* sicuti est. 1. *Joan.* 3. quam modo creditis, quia nisi credideritis in præsenti, non intelligetis in futuro, ut dicitur *Is.* 7. *Augustinus*. Fides est credere, quod non vides: veritas videre, quod nunc credidisti, *infr.* 17. Hæc est vita æterna, &c.

i Et veritas liberabit vos,] a servitute corruptionis, qua omnis creatura ingemiscit. *Rom.* 8. *Chrysost.* dicit, quod per hoc percussit eos, & humiliavit, qui tunc tumebant de libertate, & generositate. Ideo enim promittis eis cognitionem veritatis, idest, sui cognitionem, qui est veritas. Judaica enim Typus erant, & per hoc libertatem gratiæ contra culpam: & per hoc significat, quod sine eo non habebant eam: & ideo offenduntur, & insaniunt statim, sicut dicitur postea. Ideo etiam Dominus in principio dixit eis.

e Si vos manseritis,] stabiles.

f In sermone meo,] audito, licet duro.

g Vere Discipuli mei eritis,] quasi profundam daturus sum vobis incisionem, quasi Medicus: manete tamen semper, & non concutiamini, quia per hoc volo a mente auferre tumorem, & percussibilibus sermonibus fodere animam, ut non in superficie sit fides, sed figatur in profundum.

h Et cognoscetis veritatem,] idest, me, qui sum veritas umbrarum legis, quasi dicat, vestra sunt Typus, & per hoc significat, quod ignorantes erant, licet se de scientia legis jactarent: & in hoc percussit eos, & humiliavit.

i Et veritas,] idest, ego, qui sum veritas.

k Liberabit vos] a peccatis.

Per hoc significat eos servos, & in hoc etiam percussit eos. Unde cum deberent magis humiliari, sæviunt ostendentes, quod non erant veri Discipuli. Unde indignati.

l Responderunt ei,] illi, qui prius crediderant, secundum *Chrys.* sed secundum *August.* alii in turba, qui non crediderant, qui audito verbo indignati sunt se vocari servos, putantes dixisse de carnali libertate.

m Semen,] idest, filii.

n Abrahæ sumus,] qui fuit liber libertate carnis. Genus efferunt superbi,

o Et nemini servivimus unquam,] Duo dixerat Dominus, cognitionem, & libertatem. Ad primum non respondent, sed ad secundum. Unde quærit *Chrys.* Cur non respondent ad primum, & dicunt. Nunquid nunc non cognoscimus veritatem legis, & mandatorum? Solutio. Non erat eis cura magna, nisi mundanorum. Unde & maxime de servitute indignabantur. Unde dicunt [Semen Abrahæ sumus,] quasi dicant, servos nos vocasti, qui de semine Abrahæ sumus, & ingenui. Sed quid est, quod dicunt, [Nemini servivimus unquam,] mentiuntur secundum consuetudinem suam. Unde *Gl.* Mentiuntur. Joseph servivit in Ægypto, *Gen.* 39. Et patres servierunt in luto. *Exod.* 1. Et isti iidem Cæsari in tributo. *Matth.* 22. Idem dicit *Chrysostom.* Mentiuntur, quia in Ægypto servierunt quadringentis annis, in Babylone septuaginta, sub diversis etiam Judicibus, modo viginti annis, modo septem, modo duobus, & nunquam servire desierunt. Tamen ideo forsitan hoc dicunt, quia nunquam servierunt sine reclamatione, nec de jure, sed per violentiam ad tempus. Videbatur enim eis, quod non servirent, quia lex promiserat eis libertatem. *Lev.* 25. Servus, & ancilla sint vobis de nationibus, quæ in circuitu vestro sunt. Et postea sequitur. Fratres autem vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam. Ibi habet alia littera. Non erit vectigal pendens in Israel. Potest ergo dici. [Nemini servivimus unquam.] idest, nullius servi fuimus unquam, & secundum hoc verum est. Si autem servivimus, notet servitutem per coactionem, sic servierunt Pharaoni in Ægypto, & aliis etiam, & secundum hoc mentiuntur. Sed tamen Dominus non redarguit eos de mendacio: quia aliud erat in proposito, scilicet, persuadere se esse verum Dei Filium, cujus solius etiam secundum confessionem est peccata dimittere.

Chrys. Sunt & nunc multi, qui in indifferentibus quidem verecundantur, ut in servitute hac; in servitute vero peccati non erubescunt, & eligerent utique millies illa vocari servitute servi, quam hac semel. Tales quidem & erant illi Judæi, & neque noverant aliam servitutem, nisi hanc.

Item *Chrysost.* Tales sunt Judæorum gloriationes. Semen Abrahæ sumus, Israelitæ sumus, nusquam propriarum directionum meminerunt: ideo ad eos clamabat, dicens: Non opinemini dicere, quoniam patrem habemus Abraham: *Luc.* 3.

p Quomodo tu dicis, liberi eritis.] Ex tollentes generationem in nobilitate Abrahæ: ideo quasi admirando inconvenientiam dicti Christi submiserunt. [Quomodo tu dicis: liberi eritis,] quasi quomodo tu promittis libertatem, cum eam habeamus.

Et nota, quod non dixerat Dominus, [liberi eritis] sed veritas liberabit vos: in quo tamen verbo non intellexerunt, nisi libertatem carnalem, cum Dominus intelligeret de spirituali.

Ex hoc patet, quod libertas opponitur servituti.

q Respondit eis Jesus, &c.] exponens, quæ sit servitus, & quæ libertas, quam promisit, & ostendens, quia est alia servitus, cui subjacebant, cui non subjacuit Abraham. *r* Amen, amen,] idest, vere, vere. Bis dicit, [amen,] propter confirmationem, & ut attentiores

tiores faciat. *a* Dico vobis quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati,] ex amore, non ex languore naturæ, dicit *Gl.*

a dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum? *b* servus est peccati. *c* Servus autem non manet in domo in æternum.

b Servus est peccati,] quasi dicat, vos intelligitis male, quod dixi de servitute carnali, quia loquor de alia: quia qui facit peccatum, servus est peccati, idest, diaboli, vel ipsius peccati. Simile 2. *Pet.* 2. A quo quis superatus est, hujus & servus effectus est. *Rom.*6. & 2. *Pet.* Et nota, quia facere sumitur generaliter pro omissione, & commissione, & pro facere exteriori, & interiori; sicut etiam accipit *Amb.* in illa deffinitione peccati. Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.

B

Sed hic sumitur generaliter facere ad dicere, & concupiscere, & pro privationibus horum, tum ex parte intellectus, tum ex parte potentiæ operativæ, ubi fuerunt privationes debiti.

b Servus est peccati.] *Anselm.* dicit, quod homo habet, unde sit servus peccati; sed peccatum non habet, unde dominatur homini: Et hoc satis explanat *Dion.* in *l. de divinis nominibus in tractatu de malo*, ubi dicit, quod malum, sive peccatum nihil aliud est nisi defectus naturalis harmoniæ, modi, & commensurationis. Unde ista servitus non occupat nisi volentem.

Necesse est enim, ut rationalis creatura, quia libertatem habet conditionis, quam quidam libertatem a coactione eppellant, submittat se libera voluntate servituti peccati, si servire debet, sicut dicit *Anselm. in lib. de libertate arbitrii.*

Peccatores sunt servi peccati.

Quod autem peccatores sint servi peccati, & diaboli, patet multis rationibus.

Et primo, quia servorum est multum laborare. Unde *Jer.* 16. Servietis diis alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. Unde *Exod.* 5. Aggravata est manus Pharaonis super Judæos in tantum, ut de nocte coquerent lateres, & de die colligerent paleas, quia de nocte vult serviri libidini, & de die cupiditati. *Jer.* 9. Ut inique agerent, laboraverunt. Secundo, quia peccatores tanquam servi vilissimis cibis vescuntur. Unde *Luc.* 15. de filio prodigo dicitur, quod cupiebat implere ventrem de siliquis porcorum. *Thr.* 4. Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Item *Job* 30. Radix juniperorum cibus eorum. Radix juniperi mollis est, sed producit fruticem spinosum, sic peccatum habet mollitiem in delectatione; sed profert spinas, idest, amaritudinem mentis, & remorsionem conscientiæ, & mortem gehennæ. *Greg.* Radices spinarum molles, sed ex ipsa molitie proferunt, unde pungunt.

Tertia ratio, quia nihil, quod lucratur servus, suum est; sed totum Domini sui: sic peccator nihil facit sibi utile ad vitam æternam: quia diabolus dominus suus semper apponit aliquid de suo, propter quod totum sibi calumniatur, scilicet, malam intentionem, si facit opus bonum. *Os.*8. Culmus stans non est in eis germen, non facit farinam: quod si fecerit, alieni comedent eam. Culmus genus spicæ est, quæ est sine grano. Sic tales, unde non intrabunt in horreum Domini. Item bona naturalia, & corporalia, & temporalia sua omnino dant diabolo ad consumendum. *Os.* 7. Comederunt alieni robur ejus. Quarta ratio, quia tanquam servi reputantur viles, opprobrium hominum, & abjectio plebis. *Jer.* 2. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas. 3. *Reg.* 1. Ego, & filius tuus Salomon erimus peccatores, idest, reputabimur viles. Quinta ratio, quia non possunt contrahere; sed si quandoque faciunt pactum ut in confessione: iterum diabolos retrectat per malum opus. Sexta ratio, quia non possunt condere Testamentum. Unde videmus de multis peccatoribus, & maxime Clericis, aut moriuntur intestati, aut committunt dispensationem rerum suarum aliis. *Job* 27. Dives, cum dormierit, nihil secum defert: quia nihil dat pro anima. *Psalm.* 75. Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis: quia nihil posuerunt in manibus pauperum.

Septima ratio est, quia vilissima opera faciunt, & laboriosissima. Unde *Psal.* 80. Manus ejus in cophino servierunt.

Multi de manibus suis faciunt Cophinos colligentes stercora temporalium. Sed etiam Clerici, & Religiosi, quorum os debet esse consecratum Domino, de ipsis linguis suis faciunt cophinos, dum aliis detrahunt, vel mala dicunt.

Alii de auribus, alii de oculis, &c. *Bern.* Inter sæculares nugæ sunt, in ore Sacerdotum blasphemiæ: interdum tamen si incidant, ferendæ fortassis, referendæ nunquam. *Bern.* Consecrasti os tuum Evangelio: nugis jam aperire illicitum; assuescere sacrilegum est: *Mal. c.*2. Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam: & legem requirent de ore ejus, non nugas profecto, vel fabulas. Verbum scurrile, quod facitis, urbanive, nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore; procul & ab aure relegandum. Fœde ad cachinnos moveris, fœdius moves: porro detrahere, an detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. Tales ergo faciunt cophinos de linguis suis, & ita serviunt in vili opere: quia sordes aliorum portant in ore.

Nota, Pharao, idest, diabolus, facit servire suos in tribus. In luto, & latere: *Exod. c.*1. Et paleis. *Exod. c.*5. Per lutum intelligitur vanitas in divitiis. Inquinant enim divitiæ sicut lutum. *Abac. c.*2. Væ ei, qui multiplicat non sue: Usquequo aggravat contra se densum lutum? In opere lateris intelligitur nimia cura carnis. Later enim quanto plus lavatur, tanto magis sordescit. *Nahum. c.*3. Subigens tene laterem. Per paleam intelligitur vanitas superbiæ. *Matth. c.* 3. Paleas eutem comburet igni inextinguibili.

Item in tribus oppressi sunt generibus operum, secundum *Josephum*. In labore ædificandi, quod est superborum, qui ædificant in memoriale sui, ut *Gen. c.*11. Venite, ædificemus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum.

Item *Isa. c.* 22. Quid tu hic, aut quasi quis hic, quia excidisti tibi sepulchrum? Excidisti in excelso memoriale, diligenter in petra tibi tabernaculum.

Item in exportatione luti, & sordium, ut cupidi. Tot enim cophinos luti, vel sordium habes, quot præbendas. Unde & clerici divites sunt vasa stercoraria. *Osee c.*8. Devoratus est Israel: nunc factus est in nationibus quasi vas immundum. *Isa. c.*52. Mundamini, qui fertis vasa Domini. Item in divisione fluvii. Fluvius est concupiscentia carnis, quam dividunt luxuriosi per quinque sensus, vel per diversa genera voluptatum. Ergo jam duo prima pudorem perdiderunt, ut sine rubore etiam cophini stercorum, idest, beneficia congregentur. Bene ergo dictum est: [Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati,] idest, diaboli, vel ipsius peccati. Sequitur de littera.

c Servus autem non manet in domo in æternum.] *Gen.* 21. & *Gal. c.*4. Ejice ancillam, & filium ejus.

Et nota, quod hic vult ostendere, quod illi non sunt de domo Dei, sicut se jactabant, idest, de consortio Prophetarum, & Patriarcharum, & cognatione sanctorum Patrum, qui fuerunt domus Dei, ut dicitur *Isa.* 5.

Item per hoc significat, quod ipsi, qui erant servi peccati, per hanc servitutem amittebant jus cœlestis hæreditatis, quæ est domus Dei. De qua *inf.* 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Item per hoc significat, ut dicit *Chrys.* quod Judæi, qui in servitute præcepta Dei non fecerant, repellerentur a domo Dei, & gentes eis succederent.

Unde dicit *Chr.* Per hoc paulatim legem submittit, idest, evacuat, ne enim dicant: habemus immolationes, quas injunxit Moyses: illæ nos possunt eripere a servitute peccati.

Ideo hic dicit; [Servus non manet in domo in æternum,] idest, non potest in ea manere, quasi dicat, omnes homines peccaverunt, & ita servi sunt, & ideo egent gloria Dei, idest, libertate per filium: *Rom.* 3. Etiam ipse Sacerdos pro se offerre debet, eo quod circumdatus est & ipse infirmitate. *Hebr.* 5. Ergo non potest alios liberos facere, cum sit servus. Nota ergo hic summatim expositiones plures.

c Servus non manet in domo in æternum,] idest, vos, qui estis servi peccati, non estis de familia Dei, ut Abraham & ceteri boni.

Vel. [Non manet in domo,] idest, vos non habebitis partem in regno Dei. Vel [servus non manet in domo in æternum,] idest, servitus legis evacuabitur: & filiatio per filium inducetur; quia lex vetus non fuit imposita, nisi usque ad tempus correctionis, sicut dicitur *Hebræorum* 9.

Vel secundum *Chr.* [Servus non menet in domo in æternum,] i. servus, qualis fuit Moyses, vel Abraham, non habet potestatem largiendi libertatem. Hoc enim est, non

manet

manet, idest, non potest largiri, sicut Dominus domus, sive lex data a servo non liberos facit. Unde in hoc ostendit honorem filii, respectu Moysi, & Evangelii, respectu legis.

Unde & ad *Heb.* 3. dicitur. Moyses quidem fidelis in tota domo ejus, tanquam famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant; Christus vero tanquam Filius in domo sua. Et loquitur ibi Apostolus de differentia Moysi, & Christi, quemadmodum & hic ipse Christus. Unde sequitur hic.

a Filius autem *b* manet in æternum. Si *c* ergo Filius vos liberaverit, *d* vere liberi eritis. *e* Scio, quia filii Abrahæ estis; *f* sed quæritis me interficere, quia *g* sermo meus non *h* capit in vobis. *i* Ego, quod vidi *k* apud Patrem, *l* loquor, & *m* vos, quæ vidistis apud Patrem vestrum, *n* facitis. *o* Responderunt, & dixerunt ei: *p* Pater noster Abraham est. Dicit *q* eis Jesus: si filii *r* Abrahæ estis, *f* opera Abrahæ facite.

a Filius autem,] idest, ego, qui sum veritas antiquæ umbræ.

b Manet,] in domo, [in æternum,] Nota immobilitatem novi Testamenti. Vel sic.

a Filius manet] in domo [in æternum,] idest, Filius verus Dominus est domus, & ita potest libertatem dare. Unde sequitur.

c Si ergo Filius vos liberaverit] hic a servitute peccati, & a corruptione in futuro.

d Vere liberi eritis,] quod non poteratis habere per servum. Stabile enim est donum Filii, qui est verus hæres. Et licet servus dederit hostias placationis non tamen perfectæ reconciliationis; sed hoc datur per me, qui sum Filius. *Chrys.* Per hoc ostendit consubstantialitatem sui ad Patrem, & quod eamdem habeat potestatem. Si enim Filius liberaverit, nullus est, qui contradicat; sed certissima est libertas. Deus enim, qui justificat, quis est, qui condemnet? *Rom.* 8. Item in hoc ostendit se purum, & liberum a peccatis, qui se liberatorum alios promittit.

Item per hoc dicit. [Vere liberi eritis, &c.] insinuat libertatem, de qua gloriabantur, non esse veram, sed nuncupativam tantum. Hanc enim homines dant: illam Deus: & propter hoc non amplectendam. Et per hoc etiam persuadet non confundi in servitute hac terrena. Unde 1.*Cor.* 7. Servus vocatus es? non sit tibi curæ.

e Scio, quia filii Abrahæ estis] secundum carnem, & ita liberi esse creditis. Sed non estis filii per imitationem, & ideo non estis liberi secundum mentem. Quia. [Quæritis me interficere, &c.] *Chr.* Quia poterant dicere: Nos peccatum non habemus, & ita servi non sumus, etiam servitute, de qua dicis. Ideo respondet Dominus, ostendens eos esse peccatores. Et alia peccata eorum dimittens, hoc, quod præ manibus erat, quod adhuc agere volebant, adducit in medium, & ait. [Scio quia filii Abrahæ estis; sed quæritis me interficere,] quasi dicat, si cognatione gloriamini, & vitam ostendere oporteret.

Quiescibiliter, & paulatim projicit illos a cognitione illa, & non dicit statim, non estis filii Abrahæ justi; vos homicidæ; sed concorditer interim loquitur. [Scio quia filii,] vel semen Abrahæ estis,] Sed hoc est, quod quæritur, unde addit redargutionem, quam intendit.

f Sed quæritis me interficere] & ita degeneres vos probatis. Sed ne posset dici, quoniam juste hoc quærebant: ideo subdit causam.

g Quia sermo meus non capit in vobis.] *Chrysostomus.* Qualiter igitur ait, *supra eodem* quod credebant in eum?

Sol. Transpositi erant rursus, ideo & valde eos tangit: non dixit, non capitis sermonem meum; sed, non capit meus sermo in vobis. Per hoc altitudinem doctrinæ suæ ostendens, quasi dicat, vos quæritis me occidere, quia alta dico de me, cum potius honorare me, & colere oporteret; ut vos illa alta possetis dicere. Sed quia poterat dicere: Tu a temetipso loqueris: ideo non capit in nobis sermo tuus. Ideo subdit.

i Ego, quod vidi apud Patrem] meum [loquor] non a memetipso fingo.

m Et vos, quæ vidistis, &c.] quasi dicat, sicut ego & a verbis, & a veritate ostendo Patrem: ita & vos a rebus. Non enim eamdem substantiam habeo solum, sed eamdem veritatem habeo Patri. *Aug.*

g Sermo meus non capit in vobis,] quia non capitur a corpore vestro. Sermo enim Dei est, ut hamus, qui capit, dum capitur.

Unde *Job* 40. Nunquid poteris extrahere Leviathan hamo? Item sermo Domini rete est, unde deberet omnes capere. Et ideo mirum est, quod illi non capiebantur, sed nimis inhærent luto. *Jer. cap.*16. Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos. *Thr.* 1. Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum, idest, ad ea, quæ polueram retrorsum. *Matth.* 13. Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, &c. Item *Luc.* 4. Duc in altum & laxate retia in capturam *Inf.* 21. Mittite in dexteram navigii rete, &c. Vel,

h Non capit in vobis,] idest, non convenit, vel congruit vobis. Et sic sumitur *Luc.* 13. Non capit prophetam perire extra Jerusalem. *Gl.* idest, non convenit. Vel. [Non capit] secundum communem modum loquendi, quod dicitur: Res ista non potest capi in arca ista. *Eccl.* 21. Cor fatui quasi vas confractum omnem sapientiam non continebit. Et tamen bene deberet capere, quia [Ego, quod vidi apud Patrem] meum [loquor,] idest, veritatem, quæ ego ipse sum, manifesto. Vel sic.

i Ego, quod vidi, &c.] quasi dicat, ita dicitis, quod vos filii Abrahæ; sed signum filiationis non habetis, scilicet loqui ea, quæ filius discit a Patre.

i Ego, quod vidi] per æternam generationem recipiendo naturam sibi ipsi in sapientia sufficientem.

k Apud Patrem] meum. Præpositio notat æqualitatem, & distinctionem filii a Patre.

l Loquor] in mundo.

m Et vos, quæ vidistis apud patrem vestrum] diabolum, cujus filii estis imitatione, & quod ejus suggestione in mentem concepistis, & revolvistis.

n Facitis,] idest, opere implere disponitis. In hoc jam innuit alium patrem, quam Abraham, cujus filii sunt non natura, sed imitatione. Unde propter hoc magis adhæreant, ut se dicant filios Abrahæ. Et hoc est.

o Responderunt, & dixerunt ei.] *Aug.* Quia arguit eos facere mala opera patris, fatentes patrem suum Abraham, provocant aliquid mali dicere contra Abraham, ut sit eis occasio faciendi, quod volebant. Unde dicunt.

p Pater noster Abraham est,] quasi quid contra istum dicis? Sed Dominus, & Abraham laudat, & istos degeneres probat, ostendens de qua filiatione intelligat.

Unde sequitur. *q* Dicit eis Jesus: Si filii Abrahæ estis,] ut vos jactatis.

f Opera Abrahæ facite, idest, factis probate vos esse filios veros, non verbis. Vel si filii estis ejus secundum carnem, sitis per imitationem,

Δ Credidit

r Si filii Abrahæ estis, &c.] Moraliter. Notandum, quod Dominus ostendit superius per opera eorum, quod non erant filii Abrahæ, neque filii Dei. Quia filiatio probatur per operationem. Unde dicit: [Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.] Primum opus Abrahæ, & filiorum promissionis, est egressus de terra, cognatione, & domo. *Gen.* 12. Egressus est Abraham, sicut præceperat ei Dominus. Hoc autem est, dimittere peccatum. *Moraliter.*

Unde *Jer.* 51. Recedite de medio Babylonis. Et *Isa.* 52. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere. Sed *Mich.* 1. Non est egressa, quæ habitat in exitu, quasi dicat, licet in exitu vitæ suæ sit, idest, in senectute; tamen non recedit a peccatis.

Unde *sap. eod.* In peccato vestro moriemini. Secundum opus est, quod nomen Dei invocat, & altare ædificat. *Gen.* 12. quia debet orare, & interpellare misericordiam Dei, ut eum coadjuvet ad egrediendum, & gratias agere de bono proposito dato.

Unde *Gen.* 8. Noe postquam evasit diluvium, hostias immolavit Domino. Tertium est, quia Sarai dissimulat esse uxorem suam, & habet pro sorore: *Gen. c.* 12. Sarai est affectio, quæ omnia vult trahere ad se. Sed hanc debemus habere pro sorore; & non eam cognoscere, ut sequamur affectionis voluntatem, nec fœcundemus eam operibus carnis. *Ecclesiastici* 18. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Quartum est, quod Loth declinat: *Gen.* 13. idest, consortia malorum vitat, quia qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicaverit superbo, induet superbiam: *Eccl.* 13. *Ps.* 105. Habitaverunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum. 1. *Cor.* 15. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Quia ex convictu trahuntur mores. *Psalm.* 17. Cum sancto sanctus

eris, &c.

Credidit enim Abraham Deo. *Gen.* 15. *Rom.*4. *a* Nunc autem quæritis, &c.] quasi contraria opera ei faciatis, in quo probamini non esse filii Abrahæ. Et dicit [quæritis] in quo notantur studium eorum. *Psal.* 13. & 52. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. Hic etiam tangit corda eorum, ut ex hoc experimentū habeant, quia ipse est verus Deus, qui solus corda intuetur. *b* Hominem] cui compati deberetis. Et ne dicant, quia propter hoc, quod violat legem, & sabbatum quærunt occidere, subdit. *c* Qui veritatem, &c. sum,] ideo debuistis grati esse, & pro veritate, & utilitate, quia [vobis,] idest, ad utilitatem vestram loquor, in quo notatur malitia, & ingratitudo. *Psal.*108. Pro eo, ut me diligerent, &c. *Psal.*37. Retribuebant mihi mala pro bonis. *Jerem.* 17. Nunquid redditur pro bono malum, &c. patet etiam hic, quod expresse veritatem impugnabant, & peccabant peccato in Spiritum sanctum, secundum illam speciem, quæ est impugnatio veritatis agnitæ. Sed ne dicant, quod a se fingit, quæ dicit, quod non sua, sed Patris auctoritate. Et hoc est.

a Nunc autem quæritis me interficere *b* hominem, *c* qui veritatem vobis locutus sum, *d* quā audivi a Deo: *e* Hoc *f* Abraham non fecit. *g* Vos facitis opera patris vestri. *h* Dixerunt itaq; ei:

d Quam audivi a Deo,] idest, quam nascendo accepi a Patre. *Chrys.* Quam veritatem? Quoniam par est Patri, propter hoc eum volebant interficere, vel [veritatem] quia eos arguebat. *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, &c. *Prov.*15. Non amat pestilens, &c. Tullius de amicitia. Obsequium amicos, veritas odium parit. *e* Hoc] idest, consimile.

f Abraham non fecit,] cujus filios vos dicitis. Etsi enim aliquos interfecit; non tamen innocentem, & justum. Sed est vobis alius Pater, cujus opera facitis. Unde sequitur.

g Vos facitis opera Patris vestri.] Non dicit cujus patris, sed significat, quod diaboli, & non Abrahæ. *Chr.* Quæ sunt opera Abrahæ; Mansuetudo, humilitas, obedientia, fides. Vos e contrario estis immisericordes, crudeles, infideles.

Moraliter. Moraliter. Nota, quod isti gerunt personam quorumdam gloriantium de genere suo; cum tamen habeant mores, & opera Dæmonum, non suorum parentum. De quibus dicitur *Os.*9. Gloria eorum ab utero, quia a tali matre: & a conceptu, quia a tali patre: & partu, quia in nativitate mea fuit ille Episcopus, & consimilia. Vel a partu, idest, a consanguinitate. Sed contra tales dicit *Orig.* Vilis nobilitas, quæ in locis turpibus generatur. *Job* 17. Putredini dixi, &c.

Et propter hoc dicit Dominus per *Malach.* 2. Nunquid non Pater unus omnium nostrum? Nunquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque vestrum fratrem suum, violans pactum, &c. Et *Sen.* Nobilitas nihil aliud est, quam divitiæ inveteratæ. *Deut.* 33. Qui dixerit patri suo, & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, &c. His etiam dicit Dominus [si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite,] quasi dicat, si ingenui estis carne, ingenui sitis mente. Hoc etiam debet dici nobilibus, quod habeant memoriam bonorum antecessorum suorum. *Isa.*51. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram matrem vestram: quia unum vocavi eum, & benedixi, & multiplicavi eum: *Hieron.* Nihil aliud video in nobilitate appetendum, nisi quod quadam nobilitate astringat, ne a majorum probitate degeneret. *Ecclesiast.*40. erubescite a patre, & a matre de fornicatione, idest, propter honorem patris, & matris. Vel ne degeneretis. Unde *Exod.* 28. Portabitque Aaron nomina eorum, idest, duodecim Patriarcharum super humerum ob recordationem, videlicet, ut non degenerent a factis eorum bonis. Hæc est tota utilitas generositatis. Sequitur de littera.

h Dixerunt itaque ei,] jam intelligentes non de origine carnis, sed de vita hominum loqui.

▲ Nos

Moraliter. * eris, &c. Quintum opus est, quod de Regibus quatuor triumphat. *Gen.*14. idest, dæmonibus, vel tentationibus quatuor, quas habes super *Psal.* 90. A sagitta volante in die, &c. Diabolus enim justos impugnat. *Eccl.* 2. Fili, accedens, peccatum relinquendo, ad servitutem Dei, orando, sta in justitia, carnis concupiscentias refrænando, & in timore cautelæ cavens, scilicet, a malorum consortio, & præpara animam tuam ad tentationem, hoc est quintum: *Ezech.*3. Assumpsit me Spiritus, & audivi post me vocem commotionis magnæ.

Sextum opus est, quod decimas dedit Melchisedec post victoriam, ut dicitur *Gen.* 14. & *Heb.* 7 Sic nos debemus attribuere Deo victoriam tentationum.

Unde filii Israel post victoriam Ægyptiorum cecinerunt. Cantemus Domino, &c. *Exod.* 15. *Psal.* 113. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Deut.*32. Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum, & dicerent: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Septimo, offert aves, & animalia. *Gen.*15. quia debet habere promptam voluntatem serviendi Deo, & corpore, & anima post victoriam. Corpore.

Unde *Rom.* 12. Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam Deo. Et anima. Unde *Psal.* 118. Anima mea in manibus meis semper, idest, parata, ut offeram eam. *Sap.* 3. Justorum animæ in manu Dei sunt, sicut oblatio in manu Sacerdotis. *sup.*4. Spiritus est Deus, &c.

Octavo, spem prolis concipit, & Ismaelem generat: *Gen* 16. Per quam significatur timor, qui concipitur per hæc prædicta. Et bene per Ismaelem significatur timor, quia de eo dicitur *Gen.* 16. Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum: quia filios Dei per adoptionem timere debet omnia, tam bona, quam mala opera, secundum illud *Job* 9. Verebar omnia opera mea. Ideo dicitur *Eccl.* 1. Initium sapientiæ timor Domini, & cum fidelibus in vulva concreatus est, & cum electis feminis graditur, &c.

Nono circumcidit se cum tota familia sua: *Genes.*17. quod fit per circumspectionem: quia qui timet Deum, nihil negligit. *Eccl.*7.

Item *Ecclesiastic.* 15. Qui timet Deum, faciet bonum. *Jerem.*4. Circumcidite Domino præputia cordium vestrorum viri Juda.

Decimo, cum Domino epulatur, quando invitat Angelos ad convivium. *Genes.*18. quod est, quando incipit delectari in Domino post hæc prædicta. *Prov.* 15. Secura mens quasi juge convivium. In hoc convivio mutatur aqua in vinum. *sup.*2. Hoc convivium parat Assuerus: *Esther.* 1. Item *Luc.*15. Hoc epulari oportebat, & gaudere, &c. Undecimo, duo ei secreta revelantur, videlicet subversio Sodomorum, & quod haberet filium Isaac. Per quod intelligitur, quod Dominus Sanctis apertius declarat, & pœnas malorum, & gaudia sua, & suorum. Et propter hæc duo dicit *Isa.*24. Secretum meum mihi, &c. Et *inf.* 15. Jam non dicam vos servos, sed amicos: quia omnia, quæ audivi, &c. scilicet præmia bonorum, & tormenta malorum. Duodecimo, Saram uxorem suam adhuc fingit sororem, quia timet Abimelech, & in occulto jocatur cum ea. *Gen.* 20. quia non debemus tantum abstinere ab operibus concupiscentiæ, sed etiam a bonis coram hominibus, ne amittamus ea per inanem gloriam: sed in occulto debemus ea facere, & tunc nascitur ei Isaac, idest, risus, idest, spes æternorum, & desiderium, & dilectio, & Ismael, idest, timor ejicitur, quia charitas foras mittit timorem. 1. *Joan.*4. *Gal.*4. Ejice ancillam, &c. *sup. eod.* Servus non manet in domo in æternum. Præcipitur autem Isaac, i. risus spiritualis immolari, idest, reprimi, ne inaniet per præsumptionem. *Gen.* 22. Unde *Eccl.* 7. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii, &c. Tamen non immolatur Isaac, sed aries: quia quod spirituale est, in gaudio remanet; sed carnalitas, quæ aliquando admiscetur, & levitas, vel ineptitudo præsumptionis mactatur. Et ita impletur, quod dicitur *Prov.*14. Cor, quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur alienus, vel extraneus. Et tunc moritur Sara, i. concupiscentia ex toto extinguitur, secundum illud *Gal.* 2. Vivo ego, jam non ego. Et deinde conjungitur Isaac cum Rebecca, i. cum patientia, ut sit voluntaria sustinentia, & expectatur in spe vita æterna, secundum illud *Jac. ult.* Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, i. dotem animæ, & serotinum, i. dotem corporis, quod sero datur, i. in fine. Ad ultimum jungitur Abrahæ Cethura, quæ interpretatur copulata, & significat contemplationem, quæ tantu vinculo viro contemplativo, conjungitur, ut nunquam recedat ab eo, sicut nec ista ad Abraham. Unde *Luc.*10. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Et tunc moritur Abraham carni, animo, secundum illud *Gal.*3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

a Nos ex fornicatione non fumus nati. Unum *b* patrem habemus Deum. Dixit *c* ergo eis Jesus, Si Deus Pater vester esset, *d* diligeretis utique me. *e* Ego enim ex Deo processi, & *f* veni: *g* Neque enim a meipso veni, sed ille me misit. *h* Quare loquelam meam non cognoscitis? *i* Quia non potestis *k* audire sermonem meum. *l* Vos ex patre diabolo estis, *m* & *n* desideria patris vestri vultis facere. *o* Ille homicida *p* erat ab initio, *q* & in *r* veritate non *f* stetit, quia veritas non est in eo. Cum *u* loquitur mendacium, *x* ex propriis loquitur,

A *a* Nos ex fornicatione non sumus nati,] quasi dicat, tu dicis, quod non sumus imitatores Abrahæ. Sed hoc falsum est, quia non sumus ex idololatris nati; sed unum colimus Deum, sicut Abraham. Vel sic, secundum *Int.* Etsi non simus omnino similes Abrahæ; tamen idololatræ non sumus, & semper unum Deum colimus. Et hoc est.

b Unum Patrem habemus Deum,] non plures Deos. Et nota, quia usu Scripturarum sciebant fornicationem spiritualiter dici, cum anima falsis diis subjicitur, sicut habetur *Sap. c.* 14. Initium fornicationis &c. Et *Jer. c.* 3. Mœchata est cum ligno, & lapide. Et quia Dominus nihil dixerat contra Abraham, modo dicunt se Patrem habere Deum, ut per hoc aliquam occasionem contra ipsum inveniant. *Gloss.* Sicut præostendit de Abraham: ita nunc ostendit Deum non esse eis Patrem, quia non cognoscunt Filium, quem misit, nec diligunt. Unde subditur,

c Dixit ergo eis Jesus: Si Deus Pater vester esset,] id est, si eum tanquam Patrem honoraretis, & amaretis.

d Diligeretis utique me,] cum sim omnino idem Deus cum illo.

Vel sic arguit. Si Deus Pater vester esset: diligeretis eum: & ita cum idem omnino sim cum eo; & diligeretis me:

Sed non diligitis eum, quia non diligitis me, qui sum idem illi: Ergo non colitis eum. Et subdit duas causas, quare deberent eum diligere. Quia ejusdem substantiæ est cum Patre,

e Ego enim ex Deo processi] per generationem æternam, habens eamdem essentiam ab eo.

Item per missionem temporalem in carnem. Unde subdit.

f Et veni] in mundum, in carnem, quasi dicat, si diligeretis Dominum, diligeretis & nuncium, secundum quod solet dici vulgariter, Qui me diligit, & canem meum diligit.

g Neque enim a meipso veni] tantum, idest, non sum sine genitore, secundum quod Deus: nec inquantum homo, sine mittente, [sed ille me misit.] Sed quia possent dicere: hoc nescimus; ideo ostendit, quod per verba ejus deberent cognoscere, sed nolunt. Unde dicitur.

h Quare loquelam meam non cognoscitis,] idest, non intelligitis ea, quæ dico? Et subdit causam.

i Quia non potestis.] *Chr.* idest, non vultis.

k Audire,] idest, cum perscrutatione intelligere, [sermonem meum,] quasi dicat, invidia vestra, & voluntas maligna, & terrena, est causa, quare non cognoscitis cœlestia verba.

Isa. 6. Audite audientes, & nolite intelligere. Et subdit: Incrassatum est cor populi hujus, per carnalem intelligentiam.

Item simile *Act.* 7. ubi dicitur, quod contiuuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. Et *supr.* Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum, scilicet, Stephanum. Vel. [Non potestis] tales, quales nunc estis. [Audire,] idest credere. Vel aliter, ut sit sensus, quod non intelligebant ea, quæ dicebantur: quia nec audire ea poterant, sed cum gravitate ea audiebant. Gravis enim erat eis & ad videndum, & ad audiendum. *Sap. c.* 2. Et non possunt libenter homines discere, nisi libenter audiant, & diligant Magistrum. Et nota, quod sermo Domini requirit, ut audiatur intelligendo, & obediendo. De primo *Ecclesiast. cap.* 5. Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, ut intelligas. De secundo *infr. cap.* 10. Oves meæ vocem meam audiunt. Quia vero sine contradictione probavit, quod non sunt filii Abrahæ, nec etiam Dei, & quia jam invenerat alium eos patrem habere, quam Abraham, vel Deum: ideo consequenter acrius eos arguens tanquam obstinatos aperte determinat, de quo patre intelligat, dicens: *l* Vos ex patre diabolo estis, &c.] quasi dicat, ideo me non auditis, quia ex diabolo estis, filii ejus, non nascendo, ut Manichæi dicunt, sed imitando. Unde & alibi Judæis dicitur: Pater tuus Amorrhæus, &c. *Ezech. capit.* 16. *Chrysostom.* [Vos ex patre diabolo estis, & desideria,] non Dei, non Abrahæ, ut vos jactatis, sed diaboli filii estis. Et hoc probat argumentando. *m* Et,] idest, quia.

n Desideria patris vestri vultis facere] me scilicet, occidere. Hoc enim, idest, occisiones meditari, diabolicæ malitiæ est. Item mentiri diabolicum est.

Item odire eum, qui non læsit; diabolicum est: quæ omnia facitis, sicut postea ostenditur. Et nota, quod non dicit, opera ejus; sed desideria ejus vultis facere ostendens, quoniam & ille, & hi vehementer ab occisionibus possidentur, & vehementer nocere volunt. Et quoniam invidia erat causa, neque enim habens aliquos inculare, Adam interfecit, sed invidens solum, ita & isti Christum: Unde & ostendit, quæ sunt desideria diaboli, & eorum, scilicet, homicidium, mendacium, & odium veritatis. Et ut ostendat, quod illum imitantur, aperit qualis est diabolus, dicens.

1. Joan. 3.

o Ille homicida] spiritualis.

p Erat ab initio] hominis, scilicet, sive ex quo fuit, qui posset occidi. 1. *Joan.* 3. Ab initio diabolus peccat. *August.* Nota homicidam, non solum qui ferro, sed & qui verbo occidit, ut diabolus primos parentes. Unde *Ps.* 56. Lingua eorum gladius acutus. Vel. [Ab initio,] idest, in septenario dierum, quod dicitur quasi initium mundi, & temporis. Vel [Ab initio,] idest, initiali plaga mundi, & orientali.

Simile *Gen.* 2. Plantaverat Dominus Deus Paradisum voluptatis a principio. Vel [Ab initio] creationis suæ dictus est homicida sui ipsius, quia dicitur homo: *Matt.* 13. Inimicus homo hoc fecit. Dicitur enim homo ab homine devicto, sicut Paulus sic dictus est a Paulo Sergio. *q* Et in veritate non stetit,] quasi dicat, sicut homicida, ita & mendax est, quia hominem, quem occidit, mendacio seduxit, dicens: Eritis sicut dii, &c. *Gen.* 3. Et ostendit radicem mendacii.

t Quia veritas non est in eo,] quasi dicat, in veritate non stetit; sed in falsitate, quam homini suasit, quia falsus erat in se. Ex falsitate enim concepta in se falsitatem protulit, loquens homini per serpentem. Unde sequitur. *u* Cum loquitur mendacium] suadendo, sicut tunc homini.

x Ex propriis loquitur] quia non aliunde habet, sed a se concepit. Vel sic lege.

r In veritate non stetit,] idest, in innocentia, vel in rectitudine naturæ non permansit, vel in Deo, qui est veritas. Et hoc: *t* Quia veritas non est in eo,] idest, quia ipse Deus, qui est veritas, non fuit in eo, idest, quia eum repulit, & ab eo discessit, quasi dicat, ideo rectitudinem naturæ amisit, quia a Deo, qui est veritas, recessit: perdidit suam veritatem, quia a summa veritate recessit: & quia a sua veritate ceciderat, homini in rectitudine naturæ existenti invidit, & occidit. Unde hoc ordo verborum ostendit.

o Ille homicida erat ab initio,] & ideo homicida.

q Et,] idest, quia. *r* In veritate] in qua fuit conditus.

f Non stetit,] quia nec diu fuit in cœlo. Et quare non stetit? Quia veritas non est in eo.] *August.* Recedendo a veritate, non habet veritatem. Vel sic.

r In veritate non stetit,] idest, a via recta, vel a Deo cecidit, ut sit lapsus. Et quod hoc verum sit, patet quotidie.

t Quia veritas non est in eo.] Semper enim decipit, quantum potest. Et bene dico, quod non est veritas in eo, sed. *u* Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur,] quia non aliunde habet, sed a se, postquam cecidit

Vel sic. *o* Ille homicida,] hoc quantum ad alios; quantum ad se autem. *r* In veritate non stetit,] quam perceperat, secundum illos, qui dicunt, quod creatus erat in gratuitis. Vel percepturus erat secundum horum contrarios. *f* Non stetit,] idest, non perseveravit. Ne autem putetur, quod ideo non stetit, quia Deus sibi non dedit causam ex parte ipsius diaboli.

Alim.

t Quia veritas in eo non est] idest, in eo fuit causa defectus a veritate, non in Deo. Et sumitur hic veritas large pro rectitudine vitæ sola mente perceptibili. Et quia defectus veritatis fuit ex parte sua: ideo suum proprium fuit mendacium. Et ideo.

u Cum loquitur mendacium] defraudando hominem. *x* Ex

O propriis

a cecidit a veritate, unde subditur: *a* Quia mendax est,] Et non solum mendax, sed.

b Et pater ejus] idest, mendacii. *August.* Mendacii, quod loquitur, pater est: quia ipse genuit mendacium suum, & hoc est de propriis loqui, [& pater ejus,] *Chrysostom.* Ille enim parturivit mendacium primus, *Gen.* 3. Quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii. Et ipse primo usus est mendacio, ut proprio, nam homines utuntur quidem, non ut proprio, sed ut alieno.

2. q. 7. c. teste, de hæreticis, c. aumen ex insancto.

a quia mendax est, *b* & pater ejus. *c* Ego autem si veritatem dico, *d* non creditis mihi. *e* Quis ex vobis arguet me de *f* peccato? *g* Si veritatem dico, *h* quare vos non creditis mihi? *i* Qui ex Deo est, *k* verba Dei audit. *l* Propterea vos non auditis, *m* quia ex Deo non estis. *n* Responderunt igitur Judæi, & dixerunt ei: *o* Nonne bene dicimus nos, *p* quia Samaritanus es tu, *q* & Dæmonium habes? *r* Respondit Jesus: Ego Dæmonium non habeo,

Augustin. Diabolus mendax est, & pater mendacii. Nam tu forte mendax es, quia mendacium loqueris, sed non es pater ejus. Si enim quod dicis, a diabolo accepisti, & Diabolo credidisti, mendax es, sed pater mendacii non es. Ille vero, quia non aliunde accepit mendacium, quo mendacio tanquam veneno serpens hominem occideret, pater est mendacii, sicut Deus Pater est veritatis.

Aliter.

O propriis] adinventionibus, scilicet, loquitur.

a Quia mendax est,] Habitum notat: quia rectitudinem veritatis, quam semel abjecit actu, semper abjicit voluntate.

b Et pater ejus,] scilicet, mendacii, quia ipse primo adinvenit illud. Sequitur.

c Ego autem, &c.] Per contrarium probat dictum suum: quia qui amant mendacium, secundum quod hujusmodi, odiunt veritatem, & ideo dicit: [Ego autem si,] idest, quoniam [veritatem dico, &c.] Et non habetis aliam causam non acquiescendi.

d Non creditis mihi,] quia, scilicet, inimici estis veritatis, & ita probatis vos esse filios Diaboli mendacis, non Dei. Ne autem possint dicere, quod licet veritatem dicat; tamen non est speciosa laus in ore peccatoris, ideo præveniens hoc subdit.

Eccl. 15.

e Quis ex vobis arguet me de peccato] vel sic continua, quia possent dicere se non esse homicidas, neque mendaces, sed ideo eum persequi, quia peccator erat, & facinorosus: ideo dicit: [Quis ex vobis arguet me de peccato,] q. d. quare vultis me interficere, ex quo non potestis me de peccato arguere? Vel. [Quis ex vobis arguet me de peccato,] sicut ego arguo vos, & patrem vestrum? & cum nullus possit arguere vitam, quare non recipitis doctrinam? Et hoc est.

g Si veritatem dico,] idest, me veritatem manifesto, vel veram doctrinam, ut homo.

h Quare vos non creditis mihi,] veritati, nisi supple, quia estis filii Diaboli mendacis? Unde non ignorat, sed manifestat malitiam eorum, ut saltem confusi redeant ad veritatem, & liberentur. *i* Qui ex Deo est] non natura, sed fide, & gratia. *k* Verba Dei audit,] idest, amat, & eam devotione recipit. Secundum quod solet dici: Qui diligit Regem, diligit ejus legem. Et ex hoc includit, quod intendit, scilicet, quod sint filii Diaboli. *l* Propterea vos non auditis,] idest, auditui tradere, vel obedire contemnitis. *m* Quia ex, &c.] idest, quia ex Diabolo estis, non per naturam, sed per malitiam. Et hoc non ex parte Dei, sed ex parte vestra, qui non vultis esse ex Deo: quia ejus gratiam, & quem ipse misit, abjicitis. *Eccl.* 3. Auris bona cum omni concupiscentia audit sapientiam. Nota, quod hic quasi subit Dominus judicium cum homine, dicens. *e* Quis ex vobis arguet me, &c.] Unde *Job* 31. Si contempsi judicium subire cum servo meo, &c. *Isa.* 5. Judicate inter me, & vineam meam, &c. *Isa.* 43. Reduc in memoriam, & judicemur simul. *Psalm.* Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum judicaris. Christus enim non potest argui de peccato, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, 1. *Petr.* 2. *Job* 25. Nunquid justificabitur homo comparatus Deo?

Psalm. 50.

Item *Job* 21. Quis arguet coram eo vias ejus?

f De peccato] avaritiæ, a quo Doctor debet se excutere, sicut Samuel 1. *Reg.* 12. & Moyses *Num.* 16. *Job* 15. Ignis devorabit tabernacula eorum, &c. Vel de peccato superbiæ, vel concupiscentiæ. Contra superbiam, & honorem dicit postea. [Inhonorastis me.] Contra delectationem carnalem dicitur: Tulerunt, &c. in eum. [Contra] copiam, & avaritiam dicitur: [Nunquid tu major es patre nostro Abraham,] qui, scilicet, habuit aurum, & boves. Nota, quod Prædicator primo debet ostendere vitam bonam. Unde: [Quis ex vobis arguet me, &c.] Et postea debet ostendere sanam, & veram doctrinam. Unde sequitur: [Si veritatem dico, &c.] Sicut *Job* 24. Quis me potest arguere? Item *Job* 6. cum nullus ex vobis sit, qui possit arguere me.

h Quare vos non creditis mihi?] Propter tres rationes non credunt, quia nutriti sunt in mendaciis. Unde sicut rusticus libentius comedit fabas, quam gallinas: sic ipsi audiunt libentius mendacium, quam veritatem. Unde per contrarium dicitur *infra* 18. Qui est ex veritate; audit vocem meam. Item *Numer.* 11. Judæi repudiabant manna dulcissimum cibum, quia nutriti erant de aliis Ægypti. Secunda ratio est, quia eorum affectus est ad aliud inclinatus, & ad idem inclinat rationem, & intellectum, & ita non recipit veritatem. Unde *Job* 31. Per contrarium: Si secutus est oculus meus cor meum, idest, intellectus affectum. Tertia ratio est, quia veritas contraria est eis. Accusat enim eos de malis. Unde *supra* 3. Qui male agit, odit lucem, &c. *Matth.* 5. Esto consentiens adversario tuo, idest, Scripturæ. Sequitur.

De præsum. Pt. 2. Munt. Sup. 7. & Infra 10.

n Responderunt igitur Judæi, & dixerunt ei.] *August.* Quia convicti sunt non esse filii Abrahæ, vel Dei, sed Diaboli, ingerunt convicia. Et hoc est.

o Nonne bene dicimus nos,] idest, vere, & juste.

p Quia Samaritanus es tu.] Samaritanus, idest, odiens nos, tanquam Samaritanus, & ideo talia dicis nobis.

q Et Dæmonium habes,] idest, insanus es: & ideo talia dicis de te, te exæquans Deo, quod est insanum, & absurdum. Vel. *p* Samaritanus,] idest, peccator, & inscius in lege. Et hoc dicunt, quia videbatur obloqui legi.

q Et Dæmonium habes,] i. arrogans es, sicut diabolus. Et nota, quod dicitur. [Bene dicimus:] *Chr.* Nusquam dicit Evangelista superius, quod eum vocaverunt Samaritanum: Sed intelligendum hoc est ab eis multoties dictum esse. Item nota, quod quasi quærendo hoc maximum convicium dixerunt, quasi supponentes certum esse, & ideo quærunt per, [Nonne,] cui consuevit semper affirmativa responderi. Sed humiliter & patienter.

Chrys. accipit pro eodem Samaritanũ, & dæmoniacum dicere, idest, insanum.

r Respondit Jesus,] dicens: [Ego Dæmonium non habeo.] Ad primum non respondet, attendens interpretationem, & significationem nominis, quia Samaritanus interpretatur custos, & ipse custos est. Unde *Psal.* 120. Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Et *Isa.* 22. Custos, quid de nocte, &c. Aliud autem, ut falsum negat, sed ut patiens convicium non reddidit, secundum illud *Rom.* 12. Nulli malum pro malo reddentes, &c. Unde hic in duobus nos instruit. Primo, scilicet, quia cum crimen nobis imponitur, non debemus levi excusationes nos expurgare, ne pereat fama, quæ necessaria est propter proximum. Secundum est, quia injuriam Dei debemus omnibus modis vindicare; nostram autem patienter tolerare. Et ideo dure reprehendit eos, cum dicebant se esse filios Dei; hic autem remisse loquitur. Unde *Chrysostom:* Cum dicerent *supr. eod.* Patrem habemus Abraham, & Deum, vehementer eos tetigit, & increpavit; hic autem quando vocant eum Dæmonium habentem, remisso utitur sermone, & humili, per hoc erudiens nos, quæ ad Deum sunt, vindicare: quæ vero ad nos, despicere, & non curare. Unde *Matth.* 16. Vade retro, Satana, in prioribus non increpavit. Item in hoc, quod unum negat, aliud non negat, dat nobis formam, quod si improperetur nobis paupertas, vel vilitas, non debemus defendere, nec tanquam contumeliam reputare; sed si peccatum imponatur, possumus nos simpliciter, & humiliter, & benigne excusare, & defendere. *Chrys.* Si dixerit te inopem, deride: si dixerit te pauperem, deride: si dixerit te insipientem, geme, non pro te, sed pro illo. Item Dominus non negavit se esse Samaritanum: quia omnes bene sciebant, qui Judæus erat. Nec de hoc dubitabant, licet hoc contumeliose dicerent. Item non reputavit hoc opprobrium, nec negavit, ne significare videretur, quod ipsi essent despiciendi, sicut Judæi putabant. Neminem enim despicit Christus, qui dicit: Non veni vocare Justos, sed peccatores, *Matth.* 9.

a Sed

a sed honorifico Patrem meum, b & vos inhonorastis me. c Ego autem non quæro gloriam meam. d Est, qui quærat, e & judicet. f Amen, amen dico vobis, g si quis sermonem meum servaverit, h mortem non † videbit in æternum. i Dixerunt ergo Judæi. Nunc cognovimus, k Quia Dæmonium habes, l Abraham mortuus est, & Prophetæ; m & tu dicis: n si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. o Nunquid tu major es patre nostro Abraham, p qui mortuus est? Et q Prophetæ mortui sunt, r quem te ipsum facis? s Respondit Jesus: Si t ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est, u Est Pater meus qui glorificat me, x quem vos dicitis, y quia Deus noster est;

a l. † gustabit.

G

a Sed honorifico Patrem meum,] quasi dicat, non curo de vestra contumelia, quia non curo de mea gloria, sed Patris. *Hieron.* Qui non quærit gloriam, non sentit contumeliam. Vel sic: Licet reputetis me dæmoniacum, quia Patri me comparo, Sabbata ejus violans, & me ei exæquans, & in eum blasphemem, ut dicitis; tamen non est ita, [sed honorifico enim,] auctoritatem ei in omnibus attribuens.

b Et vos inhonorastis me] q. d. facio, quod debeo, Patrem honorans, ne arrogans vobis videar; sed vos non facitis, quod debetis, quia inhonorastis me per falsa opprobria, qui me deberetis honorare, saltem propter hoc, quod honoro Patrem. Minus dicit, & plus significat, (inhonorastis me,] idest, contumelias intulistis. Vel aliter,

a Sed honorifico Patrem meum.] *Chrys.* in hoc, scilicet, quod dicebat non decere eos Deum Patrem vocare, homicidas existentes, Patrem honorabat.

b Et vos inhonorastis me,] quia, scilicet, honorifico Patrem, quasi dicat, Patri debetis noxas hujus contumeliæ, quia pro illo hæc audio. Et ut omnimodam humilitatem prætendebat, dicit.

c Ego autem non quæro gloriam meam,] supple, nunc in præsenti, quasi dicat, licet contumelias inferatis; ego tamen non vindico eas, sicut homines gloriam amantes, qui contumeliis illatis malum reddunt, sed Patri reservo, secundum illud *Rom.* 12. Mihi vindictam, & ego retribuam. Et hoc est, quod dicitur.

Deut. 32.

d Est, qui quærat] gloriam meam, Pater, scilicet.

e Et judicet,] idest, vindicet suo tempore meam contumeliam. Et hoc dicit, vel prædicendo, vel justitiæ Patris concordando. Punivit enim Pater peccatum eorum, in captivitatem eos tradendo, & justam pœnam excæcationis eis infligendo. Vel secundum *Aug.*

d Est, qui quærat, &c.] Duæ sunt tentationes. Una probationis, de qua *Deut.* 13. Tentat vos Deus, &c. alia deceptionis, de qua *Jacob* 1. Deus intentator malorum est. Sic & duo timores. Unus, quem charitas foras mittit. 1. *Joan.* 4. Alter, qui permanet in sæculum sæculi, de quo *in Psal.* 18. Sic & duo judicia. Unum damnationis, quo non judicat Pater; sed omne judicium dedit filio, *sup.* 5. Alterum discretionis,

Unde *Psal.* 42. Judica me, Deus, & discerne causam meam. Secundum hoc dicit.

d Est] Pater (qui quærat) gloriam meam.

e Et judicet,] idest, discernat eam a vestra: quia vos secundum sæculum gloriamini, ego non; sed ea gloria, quam habui apud Patrem, antequam mundus esset, quæ est ab humana inflatione discreta.

f Amen, amen dico vobis, &c.] *Chrys.* q. d. ergo non quæro gloriam meam, sed Pater, pro quo mihi infertur contumelia. Propter hoc ego omittens torquere vos modo, ad admonitionem convertor, & consilior hæc facere, ex quibus non solum supplicium effugiatis, sed & æterna vita fruamini. Quia.

g Si quis sermonem meum servaverit] corde per sinceram fidem, ore per intrepidam confessionem, opere per devotam conversationem. *Chrysostomus*: Non solum fidem, ait, sed & vitam puram. Hoc est enim servare, in memoria recondere, & in opus transformare, secundum illud *Psalm.* 102. Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.

h Mortem non videbit,] vel (gustabit in æternum,) idest, non experietur. Et loquitur de morte secunda, & æterna, quæ est vera mors. De qua *Apocal. capitulo vigesimo.* Beati, & Sancti, qui habent partem in resurrectione prima, in his non habet potestatem secunda mors.

Nota, quia mors æterna, dum nunquam transglutitur, semper necans, semper quasi est in gustu, & nunquam in digestione: per contrarium loquitur de bonis, quia mortem non gustabunt spiritualem. Et licet boni semper vitam gustent; tamen hoc non dicit, quia mali non ita habent oculum ad adeptionem boni, sicut ad evasionem periculi. Et constat, quod mali erant, quibus loquebatur. Sed Judæi vere mortui non intelligentes mortem æternam, putant dici de morte hac: unde irascentes respondent. Et hoc est.

i Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus,] quasi hoc tuum dictum nobis signum est.

k Quia Dæmonium habes,] idest, quia insanus es. Sed si Dæmonium habet, ut dicit *Chrys.* satis seipsos reprehendunt, qui dæmoniaco tam studiose attendunt.

l Abraham mortuus est, & Prophetæ.] Provocant eum, ut contra Abraham aliquid dicat.

m Et tu dicis, &c.] Naturalem mortem intelligunt, non de alia cogitantes. *Chrys.* sic legit.

n Si quis sermonem meum servaverit, mortem non considerabit.] *supr.* 5. dictum est. Vitam æternam habebit: hic autem dicit: (mortem non considerabit.) in quo notatur adeptio vitæ, & evasio pœnæ.

Simul autem, & per hoc ænigmatice insinuat, quoniam nihil possunt ei facere. Si enim qui sermonem ejus servat, non moritur, multo magis ipse. Hoc denique non intelligentes, & ipsi dicunt.

(Nunc cognovimus, quia Dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ mortui sunt, & tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.) Hoc est, qui sermonem Dei audierunt, mortui sunt: & qui tuum audiunt, non morientur?

o Nunquid tu major es patre nostro Abraham,] qui tantus fuit, ut sibi daretur primitus circumcisio, & facta est promissio terræ promissionis, & semini, in quo benedicentur omnes Gentes. p Qui mortuus est] licet tantus fuerit.

q Et Prophetæ mortui sunt,] quibus Deus locutus est per seipsum. *Chr.* O vana gloria! cursus ad cognationem Abrahæ defugiunt, & nimirum consequens erat dicere: Nunquid tu major es Deo, aut qui te audiunt, majores sunt, quam Abraham, cui scilicet, locutus est Deus. Sed non dicunt hoc, quia minorem esse, quam Abraham eum reputabant.

r Quem te ipsum facis,] idest, fingis, vel prætendis, qui dicis ex tuo sermone non mori, cum Abraham, & Prophetas scias mortuos. *Chrysostomus*: Superius dixerat, quod mortuos erigit. *Supra quinto*, sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius, quos vult vivificat.

Hic autem dicit, quod non considerabit mortem qui credit, quod multo majus erat, quam non concedere teneri a morte, ideo magis sæviebant. Quid igitur illi?

r Quem te ipsum facis,] & hoc injuriose, quasi dicat, tu gratificas tibi ipsi, & te laudas. Ad hoc igitur.

s Respondit Jesus,] referens gloriam suam ad Patrem, de quo etiam est, quod Deus est.

t Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est,] id est, si privatam gloriam quæro separatam a Patre, gloria mea peccatum est.

Vel aliter secundum *Chrys.* sicut illud *supr.* 5. Testimonium meum non est verum, ad illorum suspicionem dictum est, ita & hoc, (nihil est,) quoad vos, idest, pro nihilo reputatis.

u Est Pater meus, qui glorificat me] q. d. vos arguitis me de insania, & de jactantia, & arrogantia; sed ego non jacto me; sed Pater meus me ostendit in Baptismo: *Matth.* 3. In monte: *Matth.* 17. In operibus, & signis, & in Scripturis.

x Quem vos dicitis, idest, de quo vos dicitis.

y Quia Deus noster est,] quasi non recentem Deum annuncio; sed illum, de cujus cognitione gloriari soletis.

Et percutit eos hic, quasi dicat, vos dicitis, vos Deum colere, & persequendo me, cum ipse me glorificet, inter vos persequimini

quimini

qoimini eum : Et non cognovistis eum] Patrem, vel Deum in operibus suis, quia de alia cognitione non reprehenduntur, [Non cognovistis] inquam, per fidem, quasi dicat, jactatis vos de eo, quod Deus vester sit; sed eum ignoratis, quia ei, qui omnia pro eo & dicit, & facit, ut ipse glorificetor, injuriamini, & missum ab eo non recipitis.

Supra 7.

b Ego autem novi eum] per unitatem notitiæ, & sapientiæ, & essentiæ. Et quia novi, ideo a me ad discere potestis, si vultis. *Matth.* 11. Nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Et ne videatur esse gloriatio, quod dicit, se eum noscere, subdit.

a & non cognovistis eum, b Ego autem novi eum : c Et si dixero, quia non scio eum : d ero similis vobis mendax. e Sed scio eum, f & sermonem ejus servo. g Abraham pater vester h exultavit, ut videret i diem meum : k vidit, l & gavisus est. m Dixerunt ergo Judæi ad eum : n Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti ? o Dixit eis Jesus : p Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, q ego sum. r Tulerunt ergo lapides, s ut jacerent in eum. t Jesus autem abscondit se, & exivit u de templo.

c Et si dixero, quia noo scio eum,] cum sciam.

d Ero similis vobis mendax,] qui dicitis scire, cum nescitis, quasi dicat, hoc, quod dico, non dico præ gloriatione: sed quia hoc negare mendacium esset. *August.* Sic caveatur arrogantia, ut veritas non relinquatur. Unde adhuc sequitur.

e Sed scio eum,] ideo me nescire non possum dicere. Ergo videtur, quod Christus potuit mentiri. Responsio, quod consecutio est ex impossibili, quia impossibile erat eum dicere contra conscieotiam. Tameo *Anselmus* solvit, quod si proferret orationem in se falsum significantem, quod eo ipso, quod ipse proferret, aliquam veritatem significaret.

f Et sermonem ejus servo,] idest, in carnem missus sum ex ejus præcepto: & ejus voluntatem io salute generis humani facio. Per hoc autem ostendit, quod de scientia informata loquitur, quando dicit eos nescire quia opere repugnabant illi cognitioni. Sequitur.

g Abraham Pater vester, &c.] Supra dixerat Christus: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum. Contra quod apposuerant, dicentes: Nunquid tu major es patre nostro Abraham? Ad quod respondit, se non dixisse illud propter jactantiam, vel inanem gloriam. Hic autem ostendit se nihilominus esse majorem Abraham, quia [Exultavit, &c.] Item sicut dicit *Chrys.* quia gloriabantur de Abraham: Nunquid tu major es patre nostro Abraham. Et *alibi*: Nos filii Abrahæ sumus. Ideo eos alienos ab Abraham esse, quia in quibus ille lætabatur, hi doleot. Unde dicit.

h Exultavit, ut videret diem meum,] idest, cum exoltatione desideravit. Exultans per spem, desiderans per rem. i Diem meum.] *August.* Incertum est ao diem temporalem, quo erat venturus io carnem, an diem æternitatis. Sed utrumque Abraham vidit. Unde sequitur.

k Vidit] per fidem diem Incarnationis, vel per spiritum Prophetiæ, quod significavit *Gen.* 24. ubi præcepit Eliezer, quod poneret manum subter femur suum, & juraret, &c. In hoc enim significavit, quod aliquid sacrum in femore suo latebat, per quod jurabat, scilicet, Christus. Item per hoc, quod subter femur præcepit manum ponere, significavit, quod Christus, qui de eo erat nasciturus, esset super omnem carnem. Hoc etiam vidit *Gen.* 18. ubi tres Angelos vidit, & uoum taotum adoravit, quia Filium incarnandum io illo intellexit, per alios duos Angelos, legem, & Prophetas, prædicentes Incarnationem ejus. Unde.

h Exultavit, ut videret] per speciem.

i Diem meum] diem æternitatis, quæ est ipse Christus: quia hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum, *Joan.* 17.

k Vidit] per fidem.

l Et gavisus est] per spem. *Chrys.* dicit: Hic mihi videtur dicere eum, qui Crucis, quam in arietis, & Isaac oblatione præfiguravit. Et in hoc significavit se majorem Abraham. Primo, quia dicit: [Exultavit, ut videret,] quasi studiosus fuit ad hoc pro beneficio.

Item, [Diem meum,] tanquam majoris. Quia enim semper dicebant: Hic est filios fabri, *Matth. c.*13. *Marci c.*6. & nihil plus de eo imaginabantur, paolatim eos inducit ad aliam mentem, quasi ad alta seotiendum da se.

k Vidit,] vel [scivit, secundum *Chrys.* idest, intellexit in oblatione arietis diem Passionis.

l Et gavisus est] pro redemptione sua, & humani generis. Per hoc ostendit Christus, quod non invitus venit ad Passionem, quia, scilicet, laudat Abraham, qui lætatus est io Cruce: hoc enim salus orbis terrarum erat. Similiter Paulus *Gal* 6. Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, &c.

m Dixeruot ergo Judæi ad eum, &c.] Irati, solam io eo ætatem carnis pensantes, & divinam naturam non considerantes.

n Quinquaginta aonos nondum habes, & Abraham vidisti ?] Videtur, quod debuerunt dicere. Et Abraham vidit te, vel diem tuum. Sed tamen satis bena dicunt, [vidisti,] secundum communem modum loquendi, idest, fuisti in tempore ejus, aliter enim non vidisset eum Abraham, ut putabaot.

7.q.1. c. adversitas 23 qu. 1. post prim.

Item nota, quod per hoc, quod dixerat, Vidit diem meum, significaverat se majorem.

Unde verbum illud non sustinentes dicunt, [Abraham vidisti,] quasi dicant, tibi non competit, ut dicas Abraham vidisse te, sed e cooverso.

Item nota, quod dicunt: [Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti, &c.] Mirum est, quod tantum annorum numerum proferunt. Sed dici potest, quod Dominus multum laboraverat, & terra calida est valde, & ita consumpserat, & labor, & calor, & inopia naturam ejus delicatissimam, unde & apparebat multo majoris ætatis, quam esset. *Chrysostomus*: [Quadraginta annos nondum habes, & cetera,] quia quasi prope quadragiota aonos jam erat Christus.

o Dixit] ergo [eis Jesus,] ab intuitu carnis ad Divinitatem trahens.

p Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret,] non dicit, esset, sed (fieret,) quia creatura.

q Ego sum,] Non dicit, factus, sed (sum :) quia Creator, cujus est esse, non fieri. *Chrysostom.* quærit, cur non dicit, ego eram, sed (ego sum ?) Respondeo, sicut Pater ejus utitur hac dictione, sum: *Exod. cap.* 3. Ego sum, qui sum: Ita & ipse. Continue enim essendi est significativa ab omni eruta tempore, propterea, & blasphemum eis videtur hoc verbum. Unde sequitur: (Tulerunt ergo lapides, &c.) Vel sic.

g Ego sum,] idest, æternitate illum præcedo, (Sum) autem dicit, non fui, quia præsens tempus solum est, quod est in esse, præteritum autem fluxit in non esse, & ideo præsens magis convenit cum æternitate, & cum immobilitate substantiæ divinæ. Quod ipsi non sustinentes.

r Tulerunt ergo lapides] ipsi duri, ut lapides. Et quia defecerunt verba.

s Ut jacerent io eum,] quia putabant eum dixisse blasphemiam, & quia comparabat se Abrahæ. *August.* Ad lapides currunt. Tanta enim duritia quo curreret nisi ad similes?

t Jesus autem abscondit se] ut homo humilis: quia vel commendanda erat patientia, noo exercenda potentia, quia nondum erant impleta omnia.

u Et exivit de templo,] idest, de loco, ubi illi sæviebant. *Chrysostom.* Fugit humane, & occultatur, & cum sufficientem eis doctrinam jam tradidisset, & quæ sua erant, complesset, exivit de templo, & recessit ad sanationem cæci, per omnia credi faciens, quoniam ante Abraham est.

Item per hoc, quod exivit de templo, & ivit ad cæcum sanandum, significat, quod de figuris Judæorum veniret ad sanationem Gentium, ut dicit *Gloss.* Item per hoc significat, quod Deus a lapideis cordibus recedit. Unde *Augustinus*. Tanquam homo a lapidibus fugit: sed væ illis, a quorum lapideis cordibus Deus fugit.

EXPOSITIO CAP. IX.

ET præteriens Jesus, &c.] Hoc capitulum continet miraculum de cæco illuminato. Et dividitur in novem partes. Primo ponitur quæstio Discipulorum de causa suæ cæcitatis, & responsio Domini. Secundo ponitur ejus illuminatio, & modus illuminationis, ibi: [Hæc cum dixisset, &c.] Tertio admiratio, & quæstio populi, ibi: [Itaque vicini, &c.] Quarto ad Pharisæos adducitur, & fit dissensio inter eos de eo, ibi: [Adducunt eum, &c.] Quinto a cæco requiritur, quid de Christo sentiat, ibi: [Dicunt ergo cæco, &c.] Sexto a parentibus ejus requirunt: ibi: [Non crediderunt ergo, &c.] Septimo iterum vocant cæcum, ut pervertant, & eo veritatem respondente, & eos arguente, maledicunt ei, & ejiciunt, ibi: [Vocaverunt ergo rursum, &c.] Octavo ejectum Christus invenit, & instruit, ibi: [Audivit Jesus, &c.] Nono Pharisæos de cæcitate reprehendit, & eis reclamantibus pro eo, quod de cæcitate carnali intelligebant, ipse eis cæcitatem peccati ostendit, ibi: [In judicium ego in hunc mundum veni, &c.] Dicit ergo,

CAP. IX.

A (al. non habet † Jesus.) ET *a* præteriens † Jesus *b* vidit *c* hominem cæcum a nativitate:

a Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate.] Nota, quod ea, quæ dicuntur in hoc capitulo, non post prædicta facta sunt, sed ante, ut dicunt quidam: quia sicut diximus in principio præcedentis capituli, dicta sunt per anticipationem. *Gloss.* autem & *Chrysostom.* continuat ista ad præcedentia, quasi eo ordine facta sint, quo dicta. Unde nota ordinem. In superiori capitulo multa dixerat; in hoc autem capitulo dicta signis confirmat. Item superius furebant in eum Judæi, ideo secedit ab eis, & convertit se ad operationem signi. Duo autem erant in Judæis, furor sæviendi, & duritia credendi. Et sicut dicit *Chrys.* absentatione furorem eorum mitigat, & operatione signi duritiam mollit. Item his, quæ dicta sunt, fidem facit per signa, & ideo facit signum non contingens, sed tunc primum veniens, ut dicitur *inf. eod.* A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nam cæci forte oculos aperuit quis; nati autem cæci non adhuc. *b* Vidit,] *Chrys.* idest, studiose respexit, ut & Discipulis sensum tribueret. Ab hoc enim respectu studioso ad interrogationem venerunt.

c Hominem cæcum a nativitate.] Hoc dicit ad differentiam aliorum, qui orbantur lumine.

A *a* Et interrogave-

Mystice. Mystice. *a* Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate.] Cæcus iste significat genus humanum, vel specialiter Gentilem populum, quem Christus exiens de templo, idest, de figuris Judæorum illuminavit. Et dicitur cæcus a nativitate: quia omnes nascimur filii iræ: *Ephes.* 2.

Moraliter. Moraliter. Per hoc, quod Christus exiens de templo, venit ad sanandum cæcum, significatur, quod de templo ad agrum, idest, de loco contemplationis, & orationis veniendum est ad actionem, & prædicationem, ut illuminetur peccator. *Gregor.* In contemplatione hauriunt, quod

Multiplex excæcatio. aliis per prædicationem effundunt, *Ezech.* 1. Animalia ibant, & revertebantur, *infr.* 10. Ingredietur, & egredietur. Et nota, quod quidam excæcantur de ortu, & genere suo, unde significari possunt per hunc, qui erat cæcus a nativitate. Quidam excæcantur abundantia temporalium, qui significantur per Tobiam, *Tob.* 2. qui stercoribus hirundinum excæcatus est, idest, temporalibus, quæ reputantur stercora ab hirundinibus, idest, Sanctis, *Philippens.* 3. Et nota, quod de stercoribus calidis, quod est, quando inhærent per amorem. Et propter hoc dicit *Ps.* 61. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Pelvis enim frigida non excæcat ursum, sed calida. Quidam excæcantur honoribus, unde *Psal.* 48. Homo cum in honore esset, non intellexit, quasi quia in honore non intellexit. Et tales significantur per Eli, 1. *Reg.* 3: Caligaverunt oculi ejus, nec poterat videre lucernam Domini, idest, honorem mundi, donec extingueretur, idest, donec amitteretur. *Deut. ult.* dicitur in præconiis Moysi, quod non caligaverunt oculi ejus. Quidam excæcantur longa peccatorum consuetudine, & significantur per Isaac, *Gen.* 27. Senuit autem Isaac, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat. Unde de hujusmodi senio peccati dicit *Ps.* 6. Inveteravi inter omnes inimicos meos. Et *alibi* *Psalm.* 39. Comprehenderunt me iniquitates meæ: & non potui, ut viderem; Item *Baruch c.* 3. Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena? Quidam excæcantur diversis curis, & sollicitudinibus temporalium, & significantur per Sedechiam, qui excæcatus est in Reblata, quæ interpretatur multa hæc. 4. *Reg. c. ult.* & *Jer. c.* 52. Quidam excæcantur hæresi, vel errore, de quibus *Prov. c.* 30. Oculum, qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ, suffodiant eum corvi de torrentibus, idest, hæretici.

Unde 1. *Regum cap.* 11. Naas voluit facere pactum cum filiis Israel, qui erant in Jabes Galaad, ita ut erueret oculos eorum dextros. Naas, serpentinus, idest, hæretici, qui serpunt velut cancer, qui litteratos libenter excæcarent. Jabes enim, civitas litterarum, Galaad, acervus testimonii. Quidam excæcantur scientia sua quasi vento, quia nimis præsumunt de ea. *Jer. cap.* 10. Stultus factus est omnis homo a scientia sua. Et *Roman. cap.* 1. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Quidam excæcantur nimiis perscrutationibus, sicut qui sufflant in pulvere proprio flatu. *Roman. c.* 1. Evanuerunt in cogitationibus suis, obscuratum est insipiens cor eorum. Ideo dicitur *Ecclesiastici c.* 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne perscrutatus fueris. *Proverbior. c.* 25. Perscrutator Majestatis opprimetur a gloria. *Isaiæ cap.* 38. Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelso. Quidam excæcantur per zelum, qui non est secundum scientiam, sicut dicitur *Rom. c.* 10. significantur per Paulum, *Act.* 9. Quidam excæcantur per iram, quia impedit ira animum, ne possit cernere verum, & significantur per Lamech: *Gen. c.* 4. Qui interpretatur percussus, vel percutiens: Primo enim percutitur, qui alium vult percutere. Et hoc competit irato, quia sicut dicitur *Matth.* 5. Super illud: Qui irascitur fratri suo, &c. Ira est motus animi ad vindictam. Iste autem cæcus a nativitate potest notare cæcos per ignorantiam innatam.

Peccatores cæci sunt multis rationib. Multæ autem rationes sunt, per quas manifestum est, quod peccatores cæci sunt: Primo quia nesciunt dirigere gressus suos.

Unde *Psal.* 106. Erraverunt in invio, & non in via. Et *alibi:* Erraverunt in solitudine, viam civitatis habitaculi non invenerunt.

Unde Diabolus de peccatore servum facit, & capit stultum. Nobis enim positus est terminus, vita æterna, ad quam qui magis approximat, effugit illusionem Diaboli.

Secundo, quia non cavent ab offendiculis, vel præcipitiis mundi, & peccati, quæ si viderent, fugerent. *Nahum c.* 3. Omnis, qui viderit te, resiliet a te. Sed non vident, ideo cadunt per ea. Unde offendenti dicitur: Nunquid habes oculos? *Threnor.* 4. Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum. Ita est de cæco, etiam in via plana offendit: ita peccator in Dei creatura. *Sapient. c.* 14. Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, &c. *Prov. cap.* 14. In itinere contemptorum vorago. *Isaiæ c.* 24. Formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terræ: & erit, qui fugerit a facie formidinis, cadet in foveam: & qui se explicuit de fovea, tenebitur laqueo. Sed *Prov. cap.* 1. Dicitur: Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Non enim cæci, nec habitatores terræ, sed cœli; ideo non capiuntur a terrenis, *Philip. c.* 3. Nostra conversatio in cœlis est.

Tertio, quia audaces sunt mali ad modum cæci equi, qui audacter impingunt in gladium peccati, quia non vident. Sic Balaam audacter ibat contra gladium Angeli; sed asina, quæ vidit periculum, restitit. *Num.* 22. *Job* 4. Tigris periit, eo quod non haberet prædam. Cum enim deficit ei præda, exponit se periculo, & impingit in venabulum amore fœtuum suorum.

Quarto, quia unus sequitur alium in peccato, sicut cæci invicem se sequuntur, & aliquando cadunt in præcipitium, *Matth.* 15. Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt. *Thren.* 4. Erraverunt cæci in plateis. Et postea sequitur: Tenuerunt lacinias suas, idest, conversationem peccatorum. Unus peccator adhæret malo exemplo alterius.

Quinto, quia dicunt dextrum sinistrum, & e converso. Et sursum deorsum, & e converso.

Unde *Isai.* 5. Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, &c. Sexto, quia volentes baculo percutere porcum, homines percutiunt: sicut fit in aggregatione porcorum. Dominus enim dedit arma ad impugnandum porcum, i. Diabolum, vel peccatum in peccatore. Sed multi quando debeat in se, vel in aliis percutere peccatum,

* percutiunt

a & interrogaverunt eum discipuli ejus: *b* Rabbi, † *c* quis peccavit; hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? *d* Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus, *e* sed ut manifestentur opera Dei in *f* illo. *g* Me oportet operari opera ejus, qui misit me, *h* donec dies est. *i* Venit nox, *k* quando nemo potest operari,

a *a* Et interrogaverunt eum discipuli ejus] non tentantes, sed discere volentes, unde & Magistrum vocant.

b Rabbi, quis] i. in quo, [vel quis peccavit, hic cæcus, aut parentes ejus,] ut cæcus nasceretur? Quia *sup.* 5. dixerat sanato: Ecce sanus factus es, jam amplius noli peccare, intellexerunt peccatum esse causam infirmitatis propter hoc requirunt, pro quo peccato iste puniatur, suo, an propinquorum. Vel aliter etiam secundum *Chrysost.*

† quid. 24.q.1.c.1.

c Qui peccavit, &c.] dicit enim *Chrysost.* quod sicut cum videmus puerum mala facientem, dicimus, quid fecit puer, non interrogantes, sed aporiantes, idest, compatientes: ita & hic discipuli, non solum interrogantes, sed aporiantes loquebantur.

d Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus.] Repete, ut cæcus nasceretur, sicut vult *Chrysost.* & *Aug.* q.d. peccaverunt quidem; sed non illorum peccato factum est, ut cæcus nasceretur.

e Sed] hæc est causa [ut manifestentur opera Dei,] idest potentia Dei ad operandum.

f In illo,] i. in ejus illuminatione operum manifester esse Deus, qui hoc operor. *Chrys.* habet hanc litteram: [Sed ut manifesteiur gloria Dei in illo.] *Chr.* De se ait, non de Patre. Illius enim gloria manifesta, quia enim audierant, quoniam Deus hominem de pulvere terræ fecit, propter hoc & hic de luto eum illuminavit. Dicit ergo, [Gloria Dei,] idest, mei. Unde de se subdit.

g Me oportet, &c.] *Chrys.* Ajunt autem quidam, quod hoc, [ut,] non est causativum, sed eventus, sicut *inf. eod.* In judicium veni in mundum, ut qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.

Item *Rom.* 5. Lex subintravit, ut abundaret delictum: Item *Rom.* 1. Deus illis manifestavit, ut inexcusabiles sint. Nota tamen, quod ly, [ut,] potest esse causativum finale. Nec facta est injuria illa puero, si cæcus natus est propter gloriam Dei. Unde *Chr.* quærit: Numquid sine hujus supplicio non licebat manifestari gloriam Dei? Licebat utique. Quid igitur multa passus est propter gloriam Dei? Solut. Quam dicis injustitiam, si enim omnino producere voluisset? Ego autem & beneficium eum accepisse ajo a cæcitate. Interioribus enim oculis aspexit, quod non Judæi. Sed objicimus de hoc, quod dicitur: [Neque hic peccavit, &c.] Secundum hoc enim videtur, quod pœna cæcitatis non venerit ei ex peccato. Contra quod est illud *Jer.* 4. Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi. Et dicit ibi *Hieron.* Quicquid nobis accidit mali, vitii nostri est, non Dei: Intellige de malo pœnæ.

Item super illud *Jerem.* 5. Percussisti illos, & non doluerunt, dicit *Greg.* Omnis divina percussio, aut purgatio est nobis vitæ præsentis, aut initium pœnæ sequentis. Sed constat, quod pœna, quæ est ad purgationem, est ex peccato, & alia similiter, quæ est ad damnationem, ergo omnis pœna est ex peccato. Tamen contrarium videtur *Beda* dicere *sup. illud Marc.* 2. Dimittuntur tibi peccata, dicit enim sic: Quinque de causis affliguntur homines molestiis carnis: Aut propter merita augenda, ut Job, & Martyres. Aut propter humilitatem conservandam, ut Paulus, 2. *Cor.* 12. Aut ob peccata intelligenda, & corrigenda, ut Maria soror Moysi, *Num.* 12. & paralyticus, *Marc.* 2. Aut ad gloriam Dei, sicut cæcus hic, & Lazarus *inf.* 11. Aut ad initium æternæ damnationis, ut Herodes, *Act.* 12. Ergo isti cæco est malum inflictum propter gloriam Dei, & non propter peccatum suum, quod quidem verum est, sicut dicit textus. Ad illud ergo *Hier.* Quicquid nobis accidit, vitii nostri est, i. peccati originalis, non merito illius, quia nihil eo demeremur, sed corruptione, vel vitii nostri est: quia nisi nos, vel Adam, peccassemus, nullam pœnam sustineremus. Ad illud *Greg.* Omnis divina percussio, &c. dicendum, quod omnis pena in hac vita est ad purgationem, quantum est de intentione percutientis: & intelligitur de purgatione a quocumque peccato, vel corruptione, quæ est in quolibet justo, sed ex voluntate hominis perversa fit ei ad damnationem. Ad divisionem *Bedæ* dicendum, quod ipse assignat secundarias causas inflictionis pœnæ: *Greg.* autem primas, & principales: & ideo non est contrarietas inter illos. Sequitur.

g Me oportet operari opera ejus, qui misit me,] idest, opera ad gloriam patris, q.d. iste cæcus natus est, ut gloria Dei Patris in eo ostendatur: decet enim me talia operari, in quo glorificetur Pater.

h Donec dies est,] idest, dum ego sum in mundo.

i Venit nox,] i. persecutio Apostolorum, vel persecutio Antichristi. Vel [nox,] i. mea mors, & turbatio Apostolorum.

k Quando nemo potest operari,] quia in tempore Passionis Apostoli nihil fecerunt prædicando, vel miraculando; sed tantum latuerunt. *Chrys.* sic legit.

e Ut manifestetur gloria Dei,] i. mei, qui sum Deus. De se enim dicit, non de Patre. Unde subditur.

g Me oportet operari opera ejus, qui misit me,] idest, me oportet manifestare meipsum, & facere ea, quæ possunt me ostendere eadem cum Patre facientem, non talia, sed eadem, quod melioris est inalterabilitatis, in quo ostendit se parem Patri, & consubstantialem. Non enim plasmavit oculos in cæco, sed neque aperuit; sed & videre largitus est, quod argumentum est ejus, quod & animam insufflaverat. Anima enim non agente in oculo, oculus etsi expletus fuerit, nequaquam videbit: Sed quia non solum tunc, sed quotidie operatur, ut credamus, subdit.

h Donec dies est,] idest, vita præsens, quasi dicat, donec licet hominibus credere in me, donec vita hæc consistit, oportet me operari.

i Venit nox,] idest, futurum tempus.

k Quando nemo potest operari,] idest, credere. Non dicit, quando non possum operari, sed quando nemo

Chrys. Ne enim aliquis dicat, quoniam, ut laudetur, hoc facit, ostenditur, quoniam ignoscens eis omnia operatur, idest, providens illis, ut crederent, quamdiu tempus est credendi.

Moraliter.

* percutiunt naturam. Quod significatum est in Lamech, *Gen.* 4. qui credens interficere feram, interfecit Cain. Sed vitia extinguenda sunt, non natura. Unde Abraham ex præcepto Domini arietem mactavit; sed filium reservavit, *Gen.* 22.

Item quidam sunt, qui in se, & in aliis deberent damnare peccatum, & malam voluntatem: & damnant naturam, & per consequens in auctorem refundunt culpam. *Psal.* 140. Non declines cor meum in verba malitiæ, &c.

Item dicit alibi 2. *Reg. ult.* Ego sum, qui peccavi, ego inique egi. Septimo, quia nesciunt discernere, sicut in comestione cæcorum, quando cæcus debet ponere in ore alterius, tunc ponit in aure. Sic faciunt multi in prædicatione, qui quando debent prædicare ad pastum cordium, prædicant ad pruritum aurium, & ad favorem. *Isa.* 30. Loquimini nobis placentia, &c. 2. *Tim.* 4. Ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus; & a veritate quidem auditum avertent; ad fabulas autem convertuntur. Sed *Isa.* 40. dicitur: Loquimini ad cor Jerusalem, non ad aures. Ridiculum est ponere cibum in aure, & non in ore: ita ridiculum est ad favorem prædicare, & non ad utilitatem. Sequitur.

a Et interrogaverunt eum discipuli, &c. neque hic peccavit, neque parentes ejus.] Per istos Judæos, qui cæci hujus cæcitatem peccatis suis, vel parentum attribuebant, significantur quidam, qui ignorantiam aliorum peccatis eorum attribuunt. Vel illi, qui simplices, & idiotas ita vilipendunt, ac si essent peccatores, vel in hoc culpabiles. Sed Dominus dicit, quod non peccavit, neque parentes ejus.

e Sed ut manifestentur opera Dei in illo.] Quandoque enim videmus, quod per tales, qui quamdiu fuerunt in scholis, fuerunt obtusi, facit Dominus magnum fructum.

Unde 3. *Petr.* 2. Correptionem habuit suæ vesaniæ subjugale mutum animal in hominis voce loquens prohibuit prophetæ insipientiam, 1. *Cor.* 1. Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes: non multi nobiles, &c. Sequitur. *g* Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est,] idest, quamdiu est præsens vita.

l Venit nox,] idest, mors, vel futura vita.

k Quando nemo potest operari,] i. mereri. Præsens vita dicitur dies, & mors dicitur nox, vel futurus status,

A do nemo, quia non altra fides eſt, nec labores, nec pecunia. *Eccl.* 9. Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtar operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas. Fides autem dicitur opus, ſicut *ſup. cap.* 6. Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille. Modo autem tempus eſt operandi, quia modo lux eſt. Unde ſequitur.

Sup. 8. Inf. 12. De mul dif. q. c. ante Baptiſmum.

a Quamdiu ſum in mundo, *b* lux ſum mundi. *c* Hæc cum dixiſſet, *d* expuit in terram, & *e* fecit lutum ex ſputo, & *f* linivit lutum ſuper oculos ejus;

a Quamdiu ſum in mundo,] ideſt uſque ad conſummationem ſæculi.

b Lux ſum mundi,] monens bonos, & terrens malos dicit *Gloſſ.* Sicut lux monet bonos operarios ad ſurgendum ad opus, & terret fures. Unde *Pſalm.* 130. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam. *Eccl.* 43. Sol in aſpectu annuncians exitum, vas admirabile, opus Excelſi, in meridiano exurit terram: & in conſpectu ardoris ejus quis poterit ſuſtinere?

a Quamdiu ſum in mundo, &c.] *Matth. ult.* Vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi, *inf.* 12. Dum lucem habetis, credite in lucem.

b Hæc cum dixiſſet,] ut probaret per ſignum, quod dixerat.

d Expuit in terram,] vel [deorſum, & fecit lutum ex ſputo,] ideſt, per admiſſionem ſputi fecit de pulvere lutum. Et dicit *Gl.* collyrium.

f Et linivit lutum ſuper oculos ejus,] ideſt, ſuper locum oculorum ejus. *Chryſoſt.* Oſtendit Evangeliſta, quomodo ſermonem, quem Chriſtus dixerat [Ut manifeſtentur opera Dei in illo, &c.] credi per opera fecit, oſtendens ſe Deum ex operibus. Quia enim Deus lutum de pulvere terræ fecit, faciens hominem: ideo Chriſtus lutum facit, q. d. ego ſum, qui feci Adam de luto. Hoc autem non per verba dicit, ſed per opus oſtendit, ne videatur ſe inaniter jactare.

Unde ſignificare ſe maluit auctorem facto, quam dicere verbo. Per hoc autem, quod oculum reſtauravit, ſe totius hominis Conditorem probavit, ſicut dicit *Chryſoſt.* ut a parte totum credatur. Etenim quæ de majori eſt fides, etiam quod minus eſt, certiorat. Creatorum enim honorabilior eſt homo: & eorum, quæ in nobis ſunt, membrorum honorabilior eſt oculus: ideo illo modo oculos condidit in alto, ſcilicet, ſuper alia membra & ſenſus. Etſi enim parvum eſt magnitudine membrum hoc: in toto corpore magis neceſſarium eſt. Et hoc oſtendens Paulus *prima ad Corinthios*, *cap.* 12. Si dixerit auditus, quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore.

Item *Chryſoſt.* Omnia noſtra membra Dei ſapientiæ ſunt demonſtratio. Hoc enim totum gubernat corpus, hoc omni corporali pulchritudini operatur, hoc ornat viſum, hoc lucerna eſt omnium membrorum. Quod enim Sol in orbe, hoc oculus in corpore. Si extinxeris Solem, omnia perdis & turbas: ſic ſi extinxeris oculos, & pedes inutiles ſunt, & manus, & anima. Diſcedit enim cognitio, excæcatis oculis. Inviſibilia enim Dei a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. *Roman. cap.* 1. Non igitur corporis lucerna ſolum eſt oculus, ſed & animæ: Idcirco ut in quodam regali loco collocatur, ſuperiorem quietem ſentiens, & aliis ſenſibus præſidens.

Item nota, quod dicit: [Fecit lutum ex ſputo] *Chryſoſtomus*. Cur non aqua utitur, ſed ſputo ad lutum faciendum? Reſpondeo: Debebat mittere ad Siloam, ut igitur nihil inſcribatur fonti, ſed diſcas, quoniam hæc, quæ ex ore exivit, virtus plaſmavit, & aperuit oculos cæci, ideo expuit in terram. Item ne videretur empla-

Moraliter. * quia dies dati ſunt ad operationem, & noctes ad quietem. Ita in præſenti vita debemus operari, ut poſtea in alia vita quieſcamus, & læti dormiamus. *Apoc. c.* 14. Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.

Item bonus operarius de die parum comedit, & multum operatur, ut de nocte poſſit, & melius comedere, & lætius quieſcere, *Pſal.* 127. Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit. *Eccl.* 5. Dulcis eſt ſomnus operanti, ſive parum, ſive multum comedat.

Item *Proverbior. cap.* 3. Quieſces, & ſuavis erit ſomnus tuus. *Eccleſiaſt. cap.* 31. Somnus ſanitatis in homine parco. *Jerem. cap.* 31. Somnus meus dulcis mihi.

Et nota, quod non eſt ſalubre dormire de die infirmis, ideſt, in præſenti vita non eſt bonum torpere, nec quietem quærere, ſed operari. *Prov. cap.* 10. Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, &c.

Item *in ead.* Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt; qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis eſt. Modo ergo tempus eſt operandi, quia dies eſt, naturæ, vitæ, gratiæ, doctrinæ. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, *Gal. c. ult.*

Item *Eccl. c.* 9. Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare. Et dicit: [Opera ejus, qui miſit me:] non opera noſtra debemus agere, ſed mittentis, & ad honorem ejus. Omnes enim miſit, & maxime litteratos in vineam ſuam: *Matth.* 20.

a Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.] *Sup.* 8. Ego ſum lux mundi. Ibi require effectus lucis.

c Hæc cum dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus.]

Myſtice. Myſtice: Deus in terram expuit, cum in mundum Divinitas deſcendit: & ſic de ſaliva lutum fecit, quando verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Saliva enim eſt Dei Sapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodivit, *Eccleſiaſt. cap.* 24. Terra eſt caro Chriſti. Lutum ex ſputo, & terra, eſt Chriſtus in utraque natura, Deus, ſcilicet, & homo. In hujus fide cæcus, ideſt, humanum genus, vel Gentilis populus a cæcitate infidelitatis, & peccati liberatur. Lutum ergo ſuper oculos habet, qui utramque naturam in Chriſto credit, ſicut catechumeni. Sed non ſufficit fides ſine Baptiſmo; ideo mittitur, ut lavetur in Siloa, ideſt, in miſſo, ideſt, in Chriſto, ideſt, in Baptiſmo tradito a Chriſto: quia in Baptiſmo non aqua lavat, ſed Chriſti gratia. Propter quod & nomen piſcinæ interpretatur Evangeliſta.

Moral. Moraliter. Cæcus a nativitate, ideſt, ille, qui excedit per ſuperbiam de nobilitate ſtirpis ſuæ, illuminatur per duo, per ſputum, & lutum, ſi apponat ad oculos ſuos. Conſiderare enim debemus vilitatem noſtram, quæ ſignificatur per ſputum: & fragilitatem, quæ ſignificatur per terram. Hæc duo ſunt collyrium oculorum, ut homo ſe videat, & cognoſcat. Vel aliter: Per ſputum intelligitur expuitio, ſive exprobratio peccati. *Deuteron. cap.* 25. Qui ducebat repudiatam, ſpuebat in faciem repudiantis. Et *Numer. capit.* 12. Si pater ejus ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? Quia exprobrationem peccati debet ſequi rubor pœnitentiæ, de quo dicitur *Eccleſiaſt. capit.* 4. Eſt confuſio adducens ad gloriam, & gratiam, *Eccleſiaſt. capit.* 20. Quam bonum eſt correptum manifeſtare ad pœnitentiam. Indicium pœnitentiæ eſt rubor verecundiæ. *Philoſophus*: Erubuit, ſalva res eſt. Per terram intelligitur peccatum, quia ponderoſa eſt, & frigida, & mari circumdata.

Sic peccatum ponderoſum eſt, & ad imum trahit, ideſt, ad infernum. *Iſa. capit.* 24. Verumtamen in profundum detraheris uſque ad fundamentum laci. *Job capit.* 17. In profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea.

Ideo dicitur, *Hebræorum capit.* 12. Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, &c.

Item frigidum eſt peccatum. *Jerem. cap.* 6. Sicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam: ſic frigidam fecit malitiam ſuam.

Item mari circumdatur, quia peccatum multis amaritudinibus reſpergitur. *Job cap.* 17. Peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. *Oſee capit.* 12. Ad iracundiam provocavit me Ephraim in amaritudinibus ſuis.

Terra autem dum eſt arida, videtur munda; ſed admiſta ſputo ſordidatur. Sic quando peccatum exprobratur, apparet ſordidum. Dicit ergo.

d Expuit in terram,] quod eſt, quando Prædicator deteſtatur peccatum.

e Et fecit lutum ex ſputo,] quando ex ipſa exprobratione peccati apparet ipſa immunditia peccati.

f Et linivit lutum ſuper oculos ejus,] quod eſt, quando ipſa vilitas peccati cum diligentia magna oſtenditur peccatori.

* *a* Et dixit

▲ retur emplastrum de terra hanc sanitatem conferre, & ne crederetur indigentiæ gratia usus materia luti; sed magis ut ostenderet se esse Conditorem eumdem, qui in principio usus est luto, jussit lavare. Unde sequitur:

a Et dixit ei: Vade, & lava,] vel lavare, quasi lutum, ablue, & remove, ut videas: quoniam non luto indigeo ad faciendum oculos. *c* In natatoria Siloe] i. in piscina, quæ dicitur Siloe. Et nota, quod fons est in Jerusalem cunctis horis ebulliens, cujus aqua ita recipiebatur in quadam piscina, quæ dicta erat natatoria per antiphrasim, quia nihil natabat in ea: sicut & piscina dicitur, quia caret piscibus. Sed quæritur, cur eum non curat statim, sed mittit ad Siloam? Sol. *Chrys.* ut discas cæci fidem, & ut destruatur Judæorum invidia semper derogantium miraculis. Decens enim erat, omnes videre abeuntem, lutum habentem super oculos unctum. Inopinabili enim unctione omnes convertit ad seipsum respiciendum. Quia enim non est facile cæcum cognoscere, postquam illuminatus est, multos facit prius fieri testes per longam viam, & diligentes inspectores inopinabilitate considerationis, ut attentiores facti non possint dicere: hic est: non est hic. Item per hoc vult ostendere, quod non est alienus a lege mittens ad Siloam. Etenim multi solebant illuc mitti ad ablutionem; sed nullo potiti sunt dono. Unde per hoc ostenditur, quod non in fonte erat virtus; sed a Christo, cujus virtus ibi operabatur. Propter hoc Evangelista interpretationem adjecit.

B

a Reg. 5.

& *a* dixit ei: Vade, *b* & lava *c* in natatoria Siloe, *d* quod interpetatur missus. *e* Abiit ergo, & lavit, *f* & venit videns. *g* Itaque vicini, *h* & qui viderant eum prius, *i* quia mendicus erat, dicebant *k* Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat?

d Quod interpetatur missus,] q. d. ibi misit Christus virtutem suam. Vel Christus fuit illa Siloa, idest, missus, qui ibi eum curavit. Vel Christus missus in mundum ibi eum curavit, sicut Paulus ait: Bibebant omnes de spirituali consequente eos petra: Petra autem erat Christus, *1. Cor.* 10. Sicut enim spiritualis petra erat Christus: ita spiritualis Siloa erat.

e Abiit ergo, & lavit.] *Chrysost.* Vide cæci mentem obedientem, & credentem, non excogitavit lutum imponere, hoc magis excæcare est, nec dixit: non potuit prius præsens curasse, & tunc misisse ad Siloam: si quam virtutem haberet, præsens curasset, quod & Naaman ad Elisæum dixit 4. *Reg. cap.* 5. Nec cogitavit, multoties ibi lavi, & nullo potitus sum beneficio. Nec iterum dixit: si sputum, vel lutum tribuit videre, quid opus est Siloa? vel si opus est Siloa, quid opus est luto? sed in omnibus obedivit, & nihil scandalizabat.

Chrys. Mihi videtur repentina aquæ Siloæ præsentia insinuare mysterium nobis ineffabile, quale utique hoc inopinabile Epiphaniæ, idest, manifestationis, & præter spem omnem, i. Incarnationem Christi: Nulli enim tunc nativitatem sperabant.

f Et venit videns.] Non solum fecit in eo oculos Christus, sed & visum dedit in oculis, & venas, & arterias, & sanguinem, & visum: quæ argumentum sunt, quod Creator est animarum. *Chr.* Si quis quærit, qualiter respexit lutum deponens, nihil audiet a nobis, quam quoniam modum nescimus; neque enim Evangelista novit; sed ipse, qui curatus est: sed quod quidem est, noverat; modum autem comprehendere non potest. Hoc autem & interrogatus dixit *inf. eod.* Lutum superposuit super oculos meos: & lavi, & video. Qualiter autem hoc factum est, non poterat dicere, etsi infinite interrogaverint.

g Itaque vicini] qui eum ex cohabitatione noverant. Sed quia aliunde magis erat notus, quam ex cohabitatione, subdit.

h Et qui viderant eum prius] cæcum, scilicet.

i Quia mendicus erat,] & ideo a multis notus.

k Dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat,] i. sedens ad ostium templi mendicabat. *Chr.* Non eorum pauperum, qui circumibant; sed eorum, qui sedebant ad ostium templi erat iste: & ideo magis notus. Sed quare sanavit Dominus plures pauperes, quam divites? Quia aliam habent gratiam divites, i. opes. Unde *Chr.* Papæ! de Dei clementia, ad quas descendebat, in hoc Judæos obstruens, quoniam non præclaros, neque insignes, neque Principes eligens, sed & ignobiles eadem dignabatur providentia. Etenim in salutem omnium venerat, non divitum tantum.

Δ Alii dicebant

Moraliter.

* *a* Et dixit ei: Vade] a peccato recedendo.

b Et lava te in natatoria Siloe] cum dolore, & lacrymis peccatum confitendo. Aqua enim lacrymarum est natatoria Siloe, quæ per intervalla datur a Deo, & raro, non quotiescumque volumus, & secreto, sicut aquæ Siloe, quæ fluunt cum silentio. *Isa. c.* 8. Unde & dicuntur aquæ Siloe, quia mittuntur a Deo: *Jer. c.* 4. Lava a malitia cor tuum, Jerusalem. *Isa. c.* 1. Lavamini, mundi estote.

Unde Naaman leprosus septies lavit se in aquis Jordanis, idest, in aquis gratiæ, quæ ad humiles descendunt, secundum illud *Psalm.* 103. Inter medium montium pertransibunt aquæ, 1. *Petr. capit.* 5. Humilibus dat gratiam.

Et nota, quod super hoc, quod prædictum est hic: [Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, &c.] dicit *Chrys.* quod propter alias proprietates dici, & noctis, ut dicit Apostolus *Rom. cap.* 14. Nox præcessit dies autem appropinquavit. Diem enim vocat futuram vitam, ubi erunt omnia merita clara, ubi nihil absconditum, quod non reveletur. Noctem autem vocat tempus præsens, propter illos, qui in præsenti versantur in tenebris malitiæ, & infidelitatis, vel pro comparatione ad illam diem, idest, ad æternam diem.

Et loquitur hic *Chrys.* de gloria, sicut nunc pro habendo lucidas domos in mundo, & bene aeri patulas, infinitas consuevimus pecunias fabricantes afflicti dare. Excogita, qualiter oportet nos non solum pecunias, sed & corpora ipsa consumere pro ædificando nobis præclaras in cœlis domos, ubi lux ineffabilis. Et ponit plures rationes, quare ibi potius, quam hic debemus ædificare.

Primo, quia ibi non est invidia, neque livor, neque altercatio de terminorum positione; hic autem bella, & rixæ circa terminos, & parietes. Unde *Gen.* 13. Erat substantia eorum multa, & non quibant habitare communiter: unde & facta est rixa inter pastores gregum Abraham, & Loth. Et *Gen.* 26. Philistiim rixati sunt pro puteis aquæ.

Item *Osee cap.* 5. Facti sunt Principes Juda quasi assumentes terminum.

Secunda ratio, quia præsentes domos, & mansiones relinquere necesse est; illa autem semper remanet homini. *Deuter. cap.* 28. Domum ædifices, & non habitabis in ea. *Ezech.* 26. Domos præclaras tuas subvertent.

Tertia ratio, quia præsens habitatio marcescit; illa autem manet insenescibilis. *Michææ* 1. Transit vobis habitatio pulchra, confusa ignominia, 2. *Cor.* 5. Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam; sed æternam in cœlis, 1. *Petr.* 1. Secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem conservatam in cœlis.

Quarta ratio *Chrysost.* est, quia hanc inops non est poteas fabricare, illam vero per duos obolos est fabricare, sicut vidua *Luc. cap.* 24. Propterea suffocor, quoniam tot nobis propositis bonis pigritamur, & desides sumus: & qualiter quidem hic claras possideamus domos, omnia agimus: qualiter autem in cœlis saltem parvum habeamus domicilium, non curamus, neque solliciti sumus.

Quinta ratio, quia in loco bono, & in bona, & famosa civitate bonum est ædificare, non in deserto, idest, in mundo.

Unde *Chrys.* Dic mihi, non velles habere domum hic, vel in deserto, vel in una parvarum civitatum? Æstimo, quod in regalissimis civitatibus, & ubi major est copia. Ego autem te in civitatem duco talem, cujus fabricator, & conditor Deus est, *Hebr. cap.* 11. Illic domum puræ fabricant manus.

Sexta ratio est, quia ibi est bonus Rex, & bona lex, & boni vicini, & inhabitatores. Unde *Chrys.* Artifex est optimus, & valde curat de his, quæ tibi prosunt, nemo tibi ædificanti invidet. Illic vero cives habes omnes Martyres, plebem Angelorum, & Archangelorum. Propter hoc igitur omnia in pauperes evacuemus, ut illis fruamur tabernaculis, *Luc.* 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.

a Alii dicebant, quia hic est,] qui sedens mendicabat. *b* Alii autem] dicebant, sc. [nequaquam, sed similis est ejus.] *Chryſ.* Inopinabilitas in incredulitatem ducebat. Et sicut dicit *August.* quia oculi aperti vultum ejus mutaverant. *c* Ille vero dicebat, quia ego sum,] ille cæcus sc. [Vox grata, ne damnaretur ingratus,] i. per ingratitudinem, sicut Ezechias fuit ingratus: *Iſa. 39. Chr.* Non verecundatus est iste de priori cæcitate, neque formidavit furorem plebis, neque ostendere seipsum, ut prædicet benefactorem.

C

d Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?] i. quomodo vides?

e Respondit,] nesciens modum, sed factum.

f Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit, &c.] *Chryſ.* Quid dicis, homo talia operatur? Sed nihil magnam interim noverat de eo, ideo hominem vocat. Et nota, quod iste non noscebat Christum, sicut nec paralyticus, *ſup.* 5. Hoc autem fiebat, quia semper recedebat curans Jesus, ut omnis suspicio signorum tolleretur. Qui enim ignorabant eum, non prædicarent, neque laudarent eum, nisi per facta miracula.

g Lutum fecit, & unxit oculos meos] *Chryſ.* Vide quam verax est, non dicit, unde fecit lutum: quod enim non noverat, non dicit: neque enim scivit, quod in terram expuerit, sed quod unxit, tactu didicit.

h Et dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloe, & lava.] Et hoc auditu testatus est. Sed unde cognovit ejus vocem? Disputatione, quæ fiebat ad discipulos, quando quæsierunt, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, &c. *i* Et abii, & lavi] secundum præceptum ejus, [& video:] Ecce factum dicit, non modum.

k Et dixerunt ei: Ubi est ille?] *Chryſ.* Hoc autem dicebant jam occisionem meditantes adversus eum.

l Ait: Nescio.] Ecce qualiter omnia cæcus veraciter respondet, non enim noverat eum. Christus enim recesserat, cum ei lutum imposuisset, propter quod redditur insuspicabile testimonium cæci, qui etiam ignoto testabatur.

Item *Chr.* Christus non aderat his, qui curabantur in morando; non enim gloriam fructificare volebat, neque turbam sanatorum ducere secum, neque ostentari, in quo docet nos, vanam gloriam fugere.

m Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat] ut eorum judicio factum probaretur, ut dicunt quidam. Sed verius est, quod ut reprobaretur iterum. Unde *Chryſoſt.* Volebant Christum invenire, & capere, ut ducerent eum ad Sacerdotes, unde & quæsierunt: [Ubi est ille?] Sed quia hoc non sunt potiti, ducunt ipsum cæcum ad Pharisæos, quasi vehementius interrogaturos. Propterea & Evangelista dicit: *n* Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Jesus, & aperuit oculos ejus] per hoc ostendens perniciosam eorum mentem, & causam, propter quam quærebant Christum, qui habebant occasionem reprehendendi, & detrahendi miraculo per æstimatam legis prævaricationem. Et quod calumniari occasione Sabbati vellent, patet, quia Pharisæi videntes eum, statim quærunt, qualiter aperuerit oculos ejus. Unde sequitur.

o Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset] jubentes respondere, quid egisset in eo, ut sic occasionem sumerent detrahendi ab operatione.

p Ille autem dixit eis: Lutum posuit mihi super oculos, & lavi, & video.] Succinctius loquitur illis, quam prius plebi: quia jam audierant, unde neque nomen Jesu dicit, neque præceptum. *Chr.* Coram turba prius sine periculo interrogabatur, non ita magnum erat veritatem dicere: sed mirabile est, quod nunc coram Pharisæis in ampliori timore constitutus neq; negat, neq; contrarium dicit prioribus. Ad hoc enim adduxerant eum coram Pharisæis, ne negaturum coram eis. Contrarium autem passi sunt, quia quod nolebant, certius didicerunt per iterationem.

a Alii dicebant: quia hic est, *b* alii autem: nequaquam, sed similis est ejus. *c* Ille vero dicebat: quia ego sum. *d* Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? *e* Respondit: Ille *f* homo, qui dicitur Jesus, *g* lutum fecit, & unxit oculos meos, *h* & dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloe, & lava. *i* Et abii, & lavi, & video. *k* Et dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: *l* Nescio. *m* Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. *n* Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Jesus, & aperuit oculos ejus. *o* Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset? *p* Ille autem dixit eis: Lutum posuit mihi super oculos, & lavi, & video. *q* Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: *r* Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit. *ſ* Alii autem dicebant: *t* Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? *u* Et schisma erat inter eos. *x* Dicunt ergo cæco iterum: *y* Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? *z* Ille autem dixit, quia Propheta est. *a* Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat.

q Dicebant ergo ex Pharisæis quidam.] *Gloſ.* non omnes, quia quidam inungebantur; sed isti nec videntes, nec inuncti erant.

r Non est hic homo a Deo,] vel [ex Deo, qui,] i. quia, [Sabbatum non custodit:] Maligne loquebantur, quia factum silentes, eam, quæ æstimabatur, legis prævaricationem in medium ferunt. Non enim dicunt, quoniam in Sabbato curat: sed quoniam Sabbatum non custodit.

D

ſ Alii autem dicebant] quasi opponentes prædictis.

t Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?] Imbeciliter respondent: A signis enim solum inducebantur, non a doctrina. Adhuc enim hominem æstimabant purum: quia nisi purum hominem crederent, haberent aliter respondere, sc. quod Sabbati Dominus erat, & quod Sabbatum fecerat; sed nondum hanc habebant mentem, quod Deus esset. Item nullus eorum audebat ea, quæ credebat, manifeste dicere, neque in enunciatione, sed cum ambiguitate, & sub interrogatione. Unde dicunt. [Quomodo potest, &c.] Majores quidem propter amorem principatus, ne, scilicet eum amitterent, & ejicerentur de Synagoga, & publice notarentur.

u Et schisma erat inter eos,] i. dissensio. *Chryſ.* Hoc schisma primum incepit a populo, deinde in Principibus. Et hi quidem dicebant: quoniam bonus est: alii vero: nequaquam, sed seducit turbas, *ſup.* 7.

x Dicunt ergo cæco iterum,] quærentes calumniam, ut ille de Synagoga pelleretur, ut dicit *Gl.* Sed secundum hoc exponitur de incredulis Pharisæis, & Magnatibus. Sed secundum *Chryſ.* illi loquuntur, qui dixerunt: [Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?] Non audentes enim ipsi defendere Christum verbo suo, eum, qui virtutis experientiam susceperat, in medium ducunt, & interrogant: ut ipse testetur, non ipsi: Unde dicunt.

y Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos?] Non dicunt, sicut alii: Qui Sabbatum non custodit.

z Ille autem dixit] eis [quia Propheta est.] Constanter exprimit, quod sentit: tamen nondum instructus, ut crederet filium Dei, ut dicit *Gloſſ.*

a Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus esset, & vidisset, donec parentes ejus vocaverunt, qui viderat,] i. ejus, qui cæcus fuerat, & viderat. Et vide, quot modis tentant miraculum obumbrare, & destruere. Etenim conati sunt per modum illuminationis subvertere cæcum, dicentes: qualiter aperuit oculos tuos, numquid præstigio aliquo? Alibi enim in facto nihil habentes detrahere, conantur detrahere modo curationis, dicentes: Non ejicere eum Dæmonia nisi in Beelzebub, *Matt.* 12. Et hic similiter nihil aliud habentes dicere, ad tempus designant, dicentes: Quoniam solvit Sabbatum, & ideo peccator est, & non ex Deo. Sed quia hoc inane apparuit crimen quibusdam, qui aderant, undique compediti ad aliud veniunt stultius, & inverecundius, ut dicant eum non fuisse cæcum, & vidisse. Et hoc est, quod dicit Evangelista: [Non crediderunt, &c.] Sed si non credebant eum fuisse cæcum, & illuminatum, qualiter incusabant, quod Sabbatum non observat, quia in Sabbato curabat? Ecce mendacium ubique sibiipsi obviat, & per ea, quæ nocere veritati videntur, ipsam clariorem ostendit, quod utique & nunc factum est. Prius enim a vicinis, & qui eum viderant, inquisierant. Et quia posset aliquis dicere, vicini de eo

Chr. Hæc veritatis est natura, per quæ putatur ab hominibus insidias pati, per hæc fortior fit: per hæc claret, per quæ obumbratur. Si enim non hæc facta essent studia eorum, saltem in suspicionem, quod non esset cæcus prius, non venisset apud multos miraculum; nunc autem, ut studentes denudare veritatem omnia agunt, & nequaquam aliter fecissent, si demum pro Christo omnia facerent.

forte

forte erant decepti similitudine, sicut & quidam dixerunt: Nequaquam, sed similis ejus est, *sup. eod.* ducunt in medium pareates ejus. A parentibus quidam volentes abortivum facere miraculum. Sed ex hoc magis est confirmatum, quia confessi sunt, quod filius eorum erat, & cæcus natus. *a* Et interrogaverunt eos.] *Chrys.* Vocantes, & statuentes in medium, ut agoniam, & timorem immitterent eis, cum multa vehementia, & furore inducunt interrogationem.

B

b Dicentes: Hic est filius vester, &c. est] Non dicunt, qui quandoque cæcus fuit [sed quem vos dicitis, &c.] q.d. vos ita fingitis malignantes contra nos, & Christo applaudentes. Nec dicunt, quem vos fecistis cæcum; sed dicitis, quasi providistis ubique sermonem hunc. *Chr.* O inquinati, & quis utique eligeret pater talia mentiri de filio?

De consf. dist. 4. c. cum pro parvulis.

a & interrogaverunt eos, *b* dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est: *c* quomodo ergo nunc videt? *d* Responderunt eis parentes ejus, & dixerunt: Scimus, quia, hic est filius noster, & quia cæcus natus est. Quomodo autem nunc videat, nescimus: *e* aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus: *f* ipsum interrogate. *g* Ætatem habet, *h* ipse de se loquatur. *i* Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos. *k* Jam enim conspiraverant Judæi, *l* ut si quis eum confiteretur Christum, extra Synagogam fieret. *m* Propterea *n* parentes ejus dixerunt, quia ætatem habet, ipsum interrogate. *o* Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, *p* & dixerunt ei: *p* Da gloriam Deo. *q* Nos scimus, quia hic homo peccator est. *r* Dixit ergo ille? Si peccator est, nescio: *s* unum scio, quia cæcus cum essem, modo video. *t* Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? *u* Respondit eis: Dixi vobis jam, & audistis: Quid iterum vultis audire? *x* Numquid & vos vultis Discipuli ejus fieri? *y* Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu Discipulus illius sis; *z* nos autem Moysi Discipuli sumus,

c Quomodo ergo nunc videt,] si cæcus ut dicitis, natus est? *Chrys.* Duobus his eos in negationem inducere conantur, in dicendo, scilicet [Quem vos dicitis:] & in dicendo: [Qualiter igitur videt modo.]

d Responderunt eis pareates,] ejus, [cæci, & dixerunt: Scimus, quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est. Quomodo antem nunc videat, nescimus,] Mentiuntur forte pro timore Judæorum, vel quia nesciebant modum.

e Aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus,] bene sciebant; sed dicere non audebant.

f Ipsum interrogate,] ut instruamini ab eo. *Josue 7.* quasi quid nobis calumniamini.

g Ætatem habet,] & ideo.

h Ipse de se loquatur,] quasi non est opus nos loqui pro eo, quasi pro infante. *Chrys.* Tribus interrogationibus factis, si filius eorum esset, si cæcus natus, & qualiter respexerit. Duas illas confitetur, sc. quod filius eorum esset, & quod cæcus natus, tertiam vero non adjiciunt, sc. qualiter videt. Sed & hoc pro veritate factum est, ut nullus alius, quam is, qui curatus est, & dignus fide erat, hoc confiteretur.

i Hæc dixerunt, &c. Judæos.] Hic Evangelista opinionem eorum, & mentem in medium ducit, quia, sc. propter timorem hoc dixerunt. Et subdit causam timoris.

k Jam enim conspiraverant Judæi,] i. conspirando statuerant. *l* Ut si quis eum confiteretur Christum, extra Synagogam, &c.] quasi ethnicus, & publicanus.

m Propterea] scil. ne extra Synagogam fierent.

n Parentes ejus, &c. interrogate,] q. d. non est puer, neque imperfectus, sed sufficiens sibi testari.

Nam parentibus quidem dicere: Negate, quia filius vester est, & quoniam cæcum genuistis, valde videbatur derisibile esse; ipsi vero cæco rursum dicere; hoc manifesta erat inverecundia, ideo hoc quidem non dixerunt; aliter autem illud idem argumentantur.

o Vocaverunt, &c. cæcus] quasi, quia pareates miserunt eos ad eum qui curatus fuerat, rursus vocaverunt eum. Et nota perversitatem istorum. Supra enim quia cæcum attonitum, & timidum facere nequiverunt; sed videbant eum propalatione benefactorem prædicantem, venerunt ad quærendum ad parentes ejus putantes per ipsos abortivum facere miraculum: & quamdiu putabant parentes renuere, & negare, nihil cæco dicebant; quia vero viderunt nihil eis plus ea colloquio parentum factum esse, ad cæcum rursus venerunt.

p Et dixerunt ei, &c.] *Chr.* Manifeste quidem, & inverecunde non dicunt: nega, quoniam Christus te curavit, sed sub velamine, & prætextu religionis hoc idem constituere volunt, dicentes: [Da gloriam Deo.] Et est sensus, i. confitere, quoniam hic nihil operatus est, sed solus Deus. Vel aliter:

p Da gloriam Deo,] i. dic te mentitum fuisse de hoc, quod dixisti eum Prophetam esse, & te curasse: & sic cognosce peccatum tuum, quod est dare gloriam Deo. Et habetur simile *Josue 7.* Da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum. *q* Nos scimus, quia hic homo peccator est:] q. d. potes secure dicere, quod hic non curavit te, sed Deus.

r Dixit ergo ille: Si peccator est, nescio,] i. non deffinio modo. Et hoc dicit, ut nec os pateat calumniæ, nec veritatem celet. Unde subdit:

F

s Unum scio, &c.] Sed quærit *Chrysost.* Numquid timuit cæcus? Absit. Qualiter ergo, qui supra dixerat, propheta est, modo dicit, si peccator est, nescio? Sol. q. d. nihil pro eo dico: nunc ipsum beneficium vos condemnat, & eum non esse peccatorem probat. Unde dicit: [Unum scio, quia cæcum cum essem, modo video,] q. d. de me dico; sed ipsum opus, quod scio eum fecisse, ostendit, quod non est peccator.

Unde per hoc insuspicabilem seipsum fecit, & testimonium incorruptum, ut non gratificans, sed a re testans.

t Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi?] *Chr.* Quia nequiverunt evertere, neque destruere, quod factum est, miraculum: rursus ad prius veniunt, secundum modum curationis circumscrutantes, quemadmodum quidam canes venatici fallaciter conclusam bestiam undique investigantes: & nunc quidem huc, nunc autem illuc circumcurrentes, ad priores redeunt sermones, & dicunt: [Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos,] quasi, num præstigio aliquo? Sicut dicebant *Matt.* 12. In Beelzebub Principe dæmoniorum, &c.

u Respondit eis: Dixi vobis jam, & audistis: Quid iterum vultis audire?] q. d. non respondebo non attendentibus, & inaniter interrogantibus, non pro discendo, sed pro cavillando. *August.* Stomachatur jam contra duritiam eorum, & cæcos jam non ferens.

x Numquid & vos vultis Discipuli ejus fieri,] qui ita inquiritis de eo? Et supplendum est, sicut & ego volo Discipulus ejus fieri, per hoc enim quod dicit, [& vos,] seipsum in Discipulorum cætu ordinat.

Item in hoc versu conviciatus est eis, & percussit sufficienter: quia enim noverat, quoniam hoc eos valde percutiebat, tangere eos cum superabundantia voluit.

Chrys. Quod erat animæ propalantis, & recto contemplantis eorum insaniam & ostendentis Christi magnam dignitatem, in qua vehementer confidebat.

Chr. Vides propalationem † mendici ad omnes Scribas, & Pharisæos, ita forte & parens quid est veritas, ita imbecille mendacium. Nam veritas etsi contingentes, idest, viles assumpserit, claros eos victores ostendit: Mendacium vero etsi cum fortibus fuerit, qui tuentur illud, imbecilles eos monstrat.

al. † mendacii.

y Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu Discipulus illius sis.] Et secundum cor suum, idest, secundum opinionem suam maledixerunt ei in hoc, quod dixerunt: [Tu Discipulus illius sis,] ut dicit *Gloss.* Vel aliter secundum litteram.

y Maledixerunt ergo ei.] Et hoc etiam dixerunt ei: [Tu Discipulus, &c.] Hic dicit *August. in originali*: maledictio hæc super nos veniat, & super filios nostros, *Gen.* 27. In me sit hæc maledictio, fili mi.

z Nos autem Moysi Discipuli sumus.] In hoc volunt ostendere, quod Christus contrarius sit Moysi, & cæcus, si Christo adhæret: sed mentiuntur, quia si Discipuli Moysi essent, Christo crederent, quem Moyses nunciavit, *Deuteronom. cap.* 18. Unde *sup.* 5. Si crederetis

crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. Causam autem subdunt, quia potius adhærendum est certo, quam incerto. Unde dicunt. *a* Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus,] i. quod Moyses docuit, a Deo accepit. *b* Hunc autem nescimus, unde sit,] i. cujus auctoritate dicit, & facit hæc, quæ dicit, & facit *sup.* 7. dixerunt: Hunc scimus, [unde sit:] hic dicunt se nescire. Sed nescire dicimus, quæ abjicimus. Vel nesciebant ejus Divinitatem, vel mittentis auctoritatem dicebant se nescire: cum tamen noscerent ejus ortum secundum carnem. Unde *Chrys.* Quomodo scitis, quoniam Moysi locutus est Deus? A progenitoribus ait: vos ea, quæ ex auditu sunt,

Chrys. Nos novimus, &c. non dicunt audivimus: & tamen ea audierunt, non noverunt.

a Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus; *b* hunc autem nescimus, unde sit. *c* Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis, unde sit, *d* & aperuit meos oculos. *e* Scimus autem, quia peccatores Deus non audit, *f* sed si quis Dei cultor est, *g* & voluntatem ejus facit, *h* hunc exaudit.

ut scientes certificatis; ea vero, quæ a visu, minora putatis, & nimium illa quidem novistis; sed non audistis, hoc autem non audistis, sed videtis. Unde de hoc irridet eos cæcos, sicut statim dicitur. *c* Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis, unde sit,] i. nescire vos dicitis. Vel [nescitis,] i. non creditis, vel approbatis, quod a Deo sit, vel quod Deus. *d* Et] tamen [aperuit oculos meos.] *Chrys.* Ubique signum circumvertitur, quia hoc falsificare non poterant. Ad hoc syllogizat, q. d. mirum est, quod vos non novistis, unde sit, cum tot, & talia signa facit, quæ nemo quantumcumque insignis, vel illustris, & glorificatus apud vos, facere potest, vel potuit. *e* Scimus autem, quia peccatores Deus non audit,] i. merita eorum non exaudit *Chrys.* Quia dixerant supra: Qualiter potest homo peccator talia signa facere, illorum assumit judicium propriorum reminiscens verborum, q. d. opinio hæc, & mea, & vestra est communis: in hoc permanere. *f* Sed si quis Dei cultor est,] vel [in Deum pius est] per fidem. Et quia in Deum se esse pios Judæi dicebant, adjecit: *g* Et voluntatem ejus facit,] quia non sufficit fides sine operibus, *Jac.* 2. *h* Hunc exaudit.] Ex hoc intendit concludere, sed reliquit eis conclusionem, quod ex quo eum Deus exaudivit, non est peccator. Ad hoc facit illud *Prov.* 15. Longe est Dominus ab impiis; & orationes Justorum exaudiet. Item *Psal.* 33. Oculi Domini super Justos, & aures ejus in preces eorum. Item *Eccl.* 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Item *Psal.* 65. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Sed contra 4. *Reg.* 13. Deprecatus est Joachaz faciem Domini, & audivit eum Dominus. Et *inf.* dicitur: Verumtamen non recessit a peccatis Jeroboam. Item 2. *Paral.* 6. Si peccaverint, & oraverint, dimittas populo tuo, quamvis peccatori: Tu es enim Deus meus. Item *Interl.* dicit hic: Deus peccatores, &c. Adhuc junctus, quia peccatores audit, ut Publicanum confitentem, *Luc.* 18. Sol. Deus peccatores pœnitentes audit; sed peccatores manentes non audit, i. merita eorum non exaudit; nec enim merentur exaudiri, licet aliquando Dominus eis tribuat sua gratia, quod petunt. Sequitur; *i* A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.] Cæci forsitan aperuit quis, sed non cæci nati, q. d. res magna est, & nova. Unde. *k* Nisi esset hic a Deo] missus, vel aliquid divinum habens. [Non poterat facere quicquam] tale, quale sc. nemo alius unquam fecit. Simile *sup.* 3. Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Nec obest, quod dicitur de malis, *Matt.* 7. Nonne in nomine tuo prophetavimus, &c. Christus enim in potestate, & propria auctoritate faciebat miracula, qualia nemo fecit; sed mali miracula faciunt ministerio. *m* Responderunt, & dixerunt ei.] *Chrys.* Donec expectabant eum negaturum, fide dignum reputabant, & semel, & secundo vocantes eum; quia vero veritatem locutus est in nullo confusus, quando eum maxime admirari oportebat, tunc condemnant dicentes? *n* In peccatis natus es totus,] i. natus es cæcus pro peccatis parentum, ut dicit *Gloss.* secundum quod illi putabant. *o* Et tu doces nos] quasi indignum est, ut tu peccator, & a peccatoribus doceas nos. *Chr.* Quid est, in peccatis natus es totus. In hoc cæcitatem exprobrant tremisse ac si dicerent, a prima ætate in peccatis es tu, ostendentes, quoniam propterea factus est cæcus, quia rationem non habeant, Et vide qualiter illo de arrogantia eum notant, dicentes. [Et tu doces nos.] Quid enim dicit homo? Non eum propriam mentem exposuit, nonne commune judicium scrutatus est, dicens: quasi novimus, quoniam peccatores Deus non audit? nonne ea, quæ ab eis dicta sunt, in medium duxit? *p* Et ejecerunt eum foras,] quasi non solum conviciati sunt, sed & persecuti sunt turpiter expellentes. *Chr.* Videa præconem veritatis, qualiter inopia Philosophiæ prohibitus non fuit, vel facta est prohibitio quanta audivit, quanta passus est, & per verba, & per opera; & qualiter nihilominus testatus est. Hæc autem scripta sunt, ut nos imitemur. *q* Audivit Jesus, quia ejecerunt eum foras,] extra templum. *r* Et cum invenisset eum] quasi quæsitum. Hoc enim verbo innuit Evangelista, quoniam propter hoc venit, ut sc. ei loqueretur.

Chrys. Elevat, & extollit miraculum, dicens: [A sæculo, &c.] Si ergo confitemini, quod Deus peccatores non audit; hic autem miraculum fecit, & miraculum tale, quale nullus hominum fecit: manifestum est, quod omnia vincit virtute, & quod major est, quam secundum hominē virtus.

i A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. *k* Nisi esset hic a Deo, *l* non poterat facere quicquam. *m* Responderunt, & dixerunt ei: *n* In peccatis natus es totus, *o* & tu doces nos. *p* Et ejecerunt eum foras. *q* Audivit Jesus, quia ejecerunt eum foras, *r* & cum invenisset eum, *s* dixit ei: Tu credis in filium Dei?

Inf. 11.

s Dixit ei: Tu credis in filium Dei?] *Chr.* Qui propter veritatem

Moralitas

Item loquitur *Chrys.* de studio Scripturæ, & de resistendo adversariis fidei super illum locum. *p* Et ejecerunt eum foras] dicens. Vides præconem veritatis, qualiter inopia Philosophiæ facta est prohibitio, vides quanta audivit ex initio, & quanta passus est, & per verba, & per opera, & qualiter testatus est. Hæc autem scripta sunt, ut & nos imitemur: Si enim qui mendicus erat, & cæcus, qui neque viderat Christum, tantam continuo propalationem ostendit ante Christi consolationem adversus totam plebem stans occisionem meditantem, & dæmonium habentem, & insanientem, ab ipsius voce volentes condemnare Christum, & non cessit, neque recessit, sed cum propalatione omni eos obstruxit, & voluit ejici foras magis, quam non prodere veritatem: quanto magis nos, qui tanto tempore in fide viximus, qui infinita miracula per fidem vidimus, qui majora illo beneficia suscepimus, & in tantum vocati sumus honorem, omnem propalationem ostendere oportet adversus adversarios nominis Christiani, & obstruere eos. Poterimus autem hoc facere, si audaciam habuerimus, & Scripturis attenderimus, Et loquitur hic *Chr.* super illos, qui non veniunt ad sermones, dicens: Si citharœdus, vel saltator nos vocaverit, omnes quidem currunt cum studio, & gratiam ei de vocatione sciunt, & diei integri dimidiam partem consumunt illi soli attendentes. Deo vero per Prophetas, & Apostolos loquente oscitamus, scalpimus, & multus æstus videtur esse. Item *Chr.* Plures multis imbribus delatis, & vento aquam in oculos projiciente, stant insanientes in foro, vel in theatro, & frigus, & pluviam, & lutum, nec & longitudinem viæ contemnunt, & nihil eos detinet, neque illuc ire prohibet; huc autem & sub tecto, & in calore tardant, & non concurrunt, & hoc in lucro animæ. Qualiter hæc tabernacula sunt dic mihi? In vanitatibus fortes existentes, in necessariis pueris sumus imbecilliores. Item *Chr.* Hæc volebam continue dicere ad vos; vereor autē, ne inaniter odio habear, & absque lucro. Video n. insanientem non juvenes solum, sed & senes, super quibus maxime verecundor, quando video virum a canitie reverendum confundentem canitiem, & filium ad ludum videndum supertrahentem. Quid enim derisione *hæc deterius;

Chrys. Quis diligenter ad Ecclesiam conveniat auditurus, & si domi non legat, attendat autem his, quæ dicuntur, sufficiet & annus unus in experientiam, vel peritiam seipsum constituere multam. Non enim nunc quidem has, cras autem alias legimus Scripturas, sed semper & continue easdem.

Chrys. Si aliquis aurigam, vel saltatorem revocaverit, doles, & quasi opprobrium abjicis; si autem ad viles ludos traxerit te, non sedilis; & cujus nomen fugis artis, hanc sequeris fere universam: hic autem & nomen, & rem habere debes, & esse, & vocari Christianus; nec quid est, novisti.

a veritatem, & Christi confessionem opprimuntur, hi maxime honorantur: Sicut eum, qui divitias perdit, ille invenit: & qui animam odit, ipse est, qui amat: ita qui convicio opprimitur, hic maxime est, qui honoratur. Quod & in isto cæco factum est. Ejecerunt enim eum Judæi ex templo, & invenit cum Dominator templi. Ejectus est a consistorio pestilentioso, & potitus salutari. Forte dehonoratus est ab his, qui Christum dehonoraverant: & honoratus est ab Angelorum Dominatore: talia sunt præmia veritatis. Sed quærit *Chr.* quomodo interrogat

lium Dei? *a* Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? *b* Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, *c* & qui loquitur tecum, ipse est. *d* At ille ait; *e* Credo, Domine. *f* Et procidens adoravit eum. *g* Et dixit ei Jesu: In *h* judicium ego in hunc mundum veni, *i* ut qui non vident, *k* videant: *l* & qui vident, *m* cæci fiant. *n* Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, *o* & dixerunt ei: Numquid nos cæci sumus? *p* Dixit eis Jesus: *q* Si cæci essetis, *r* non haberetis peccatum: *s* Nunc vero dicitis, quia videmus, *t* peccatum vestrum manet.

eum, an credat post tot verba fidei ad Judæos? Et solvit, quod non ignorans quærit de fide ejus, sed laudans, & volens seipsum notum facere, & ostendens, quoniam multum approbat ejus fidem, q. d. conviciata est mihi plebs tanta; sed nulla mihi cura illorum: unius mihi cura est, sc. ut tu credas: melior est enim unus faciens voluntatem Domini, quam mille iniqui: [tu,] inquit, [credis in Filium Dei,] ut præsens, & acceptans, quæ dicta sunt? Ita eum interrogat. Et nota, quod in hoc trahit eum ad amorem sui ipsius. Non enim dicit, Crede, quod servis dici potest; sed interrogando, Credis in Filium Dei? quod amicis dici solet. *a* Respondit ille, &c. eum.] Secundum *Aug.* iste adhuc inunctus his verbis ostendit se jam dudum cor ad credendum paratum habuisse; sed in quem credere deberet, ignorasse. *Eccl.* 2. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua. Secundum *Chr.* videtur, quod crederet prius eum esse Deum, & Messiam missum; sed non noverat eum secundum faciem. Cæcus enim erat, antequam veniret ad Christum: & postquam sanatus est in Siloa, trahebatur a Judæis, ita quod usque modo non viderat Christum: ideo dicit: [Quis est, Domine?] *Chrys.* Desiderantis, & valde inquirentis animæ est verbum: pro quo tot disputavit, hunc ignorat: ut per hoc discas ejus amorem veritatis, qui sic pro ignorato disputabat. Non enim viderat eum. *b* Et dixit ei Jesus: & vidisti eum.] *Chr.* personaliter. Sed quia hoc adhuc immanifestum, & indeterminatum erat, manifestius inducit. *c* Et qui loquitur tecum, ipse est.] Non dixit: ego sum, sed medie loquitur. *d* At ille ait: Credo, Domine.] Non dixerat ei Dominus: ego sum qui curavi te, qui dixi tibi: vade, lavare in Siloa; sed omnia illa tacens ait: Credis in Filium Dei. Et ille ad hoc respondet. *e* Credo, Domine] in Filium Dei, in te, sc. unde qualem credidit, talem adorando indicat. Unde sequitur. *f* Et procidens adoravit eum] ut Deum, & ut Filium Dei. *Chrys.* Ne quis æstimet verbum solum esse, quod dictum est a cæco, & non rem, adjecit & opus sc. adorationem. Item quia dixerat, [credo, Domine,] & non determinaverat in quem, adoratione determinat. Adorante autem eo. *g* Dixit ei Jesus] respondens fidei ipsius cæci, & infidelitati Pharisæorum. *h* In judic. &c. mundum veni,] i. ad discernendum humiles a superbis: credentes humiles ab infidelibus superbis. Sic sumitur in judicium in *Ps.* 42. Judica me, Deus & discerne causam meam, &c. Judicium enim damnationis in fine fiet: unde *sup.* 8. ego non judico quemquam, vel [in judicium,] secundum *Chrysost.* in majus supplicium, i. in causam supplicii occasionaliter. *i* Ut qui non vid.] i. humiles cæci, qui se non videre putant.

Chrys. in judicium, i. in majus supplicium dixit, ostendens, quoniam, qui condemnaverunt eum, ut peccatorem: ipsi sunt, qui condemnati sunt. Hic autem dixit duas responsiones, & duas cæcitates, & sensibilem, & intellectualem.

k Videant,] i. illuminantur per me lumen. *l* Et qui vid.] sapientes superbi, ut Pharisæi, i. qui per se videre putant, & Medicum non quærunt. *m* Cæci fiant] sua infidelitate excæcentur. Unde hic [ut] dicit eventum, non causam. *Chrys.* In hoc & cæcum vehementiorem circa fidem operatus est: & eos, qui sequebantur eum, notavit. Etenim sequebantur eum Pharisæi, de quibus subditur, & audierunt quidam, &c. Sed nota, quod illud, quod dicitur hic de Domino, [ut qui non vident, &c.] dicitur *Isa.* 6. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, &c. Item *Isa.* 26. Domine, exaltetur manus tua, ut non videant, &c. *Jerem.* 5. Audi, popule stulte, qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis, & aures, & non auditis. Item *Isa.* 42. Quis cæcus, nisi servus meus. *Ps.* 68. Obscurentur oculi eorum, ne videant. *Chrys.* Hoc & Paulus dicit ad *Rom.* 9. Gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam; Israel vero sectando legem justitiæ in legem justitiæ non pervenit. Item *Rom.* 11. Israel non est consecutus; electio vero consecuta est: ceteri vero excæcati sunt, sicut scriptum est. *n* Et audierunt] hoc [quidam ex Pharisæis,] illi sc. [qui cum ipso erant.] Erant enim quidam superficie tenus sequentes, & facile in contrarium transmutati, sicut & illi, qui prius crediderunt, *sup.* 6. & postea abjerunt. *o* Et dixerunt ei: Numquid & nos cæci sumus,] sicut & alibi dixerunt *sup.* 8. Nemini servivimus unquam, & ex fornicatione nati non sumus: ita hic de cæcitate corporali intellexerunt, & in hac verecundantur solum. *p* Dixit eis Jesus] ostendens, quoniam melius est cæcos esse, quam videntes. *q* Si cæci essetis,] i. cæcos, & insipientes vos reputaretis: *r* Non haberetis peccatum,] quia curreretis ad Medicum, qui venit tollere peccata mundi. *s* Nunc vero dicitis, qui videmus,] i. de sapientia vos jactatis, & justitia. Et ita. *t* Peccatum vestrum manet,] i. cæci permanetis in infidelitate. *Chrys.* Non dixit, videtis, sed dicitur, quia videtis, sicut *sup.* 8. Quem dicitis, quia Deus noster est. Hic autem, quod æstimabant laudem esse magnam, hoc ostendit eis supplicium ferre: & de priori cæcitate consolatus est eum cæcum, q. d. ad bonum tuum fuisti cæcus; & illi ad detrimentum suum videntes.

Moraliter. *Chrys.* Mordent vos verba mea hæc, & ego volo vos detineri a dolore, qui per verba, ut ab ea, quæ per res est, deformitate eruamini.

* hæc deterius? quid opere hoc turpius? Filius a patre docetur deformare seipsum. Item *Chrys.* Sed ajunt, quæ jactura est, vel quod nocumentum est ludos videre? Propterea gemo, quoniam neque damnum æstimatis rem hanc, neque sensum accipitis malorum: dedit tibi vitæ terminum Deus ad currendum eum? tu vero inaniter consumis eam, & vane, & in nullo utili. Scrutaris adhuc, quod est damnum? Et si argentum paucum consumpseris, simpliciter damnum revocas; dies autem tuos consumens in integros in sathanicas pompas, nullum putas facere inconveniens, congruo existente in Litaniis, & orationibus consumere vitam tuam omnem: Tu vero in clamoribus, & tumultibus, & turpibus verbis, & pugna, & jucunditate intemporanea, & operibus lascivis vitam tuam consumis, & in malo tuo: & post hæc omnia interrogas, quod est damnum, nesciens, quod nulli rei magis parcere oportet, quam tempori. Item *Chr.* Aurum si consumpseris, poteris rursus recuperare; tempus vero si perdideris, difficile id resumes; parvum enim tempus est nobis vita præsens. Sequitur. *h* In judicium ego in hunc mundum veni, &c.] In judicium discretionis, i. ad discernendum humiles a superbis, *Jac.* 4. Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam. Dominus enim discernit bonos a malis, his dando gratiam, illis non: sicut mulier discernit oves per signationem quarumdam tantum. Unde *Ps.* 42. Judica me, Deus, & discerne causam meam, &c. Item *Ps.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Sic sumitur hic. [In judicium veni,] i. dando gratiam discretionis. Unde subdit. *i* Ut qui non vident,] i. se non videre reputant, videant lumina gratiæ illuminari.

Unde 1. *Cor.* 1. Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes. Et hoc est: *l* Et qui vident,] i. videre se reputant: Cæci fiant. *Isa.* 22. Aperiet, & non erit, qui claudat, claudet, & non erit, qui aperiat. Aperit enim humilibus, & claudit superbis. Item *Isa.* 8. Erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali, &c. *Luc.* 10. Confiteor tibi, Domine Pater cœli, & terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus, & revelasti ea parvulis. *Psal.* 118. Declaratio sermonum, &c. *Prov.* 9. Si quis est parvulus, veniat ad me, &c. Est autem multiplex judicium, de quo habes *sup.* 7. Nolite judicare secundum faciem; sed rectum judicium judicate. Ibi require. Sequitur: *q* Si cæci essetis, peccatum non haberetis.] Cæci, i. simplices, & per ignorantiam peccantes non habent tantum peccatum; quia scientia multum aggravat peccatum. *Ps.* 54. Descendant

dant

dant in infernum viventes, i. scientes, 2. Pet. 2. Melius esset eis viam veritatis non cognoscere, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod eis traditum est sancto mandato. Unde Gregor. Ubi majus est donum scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ.

EXPOSITIO CAP. X.

A [margin: dinatur. 1. q. 1. § 50. 33. q. 4. c. tres personas. De furepat. & relatum.]

AMen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium, &c.] Istud capitulum dividitur in duas partes principales. In prima agitur de Pastore. In secunda de dedicatione templi. Prima pars dividitur in tres partes. Primo ponitur metaphora Pastoris, & furis, ostii, & ovilis ovium.

CAP. X.

AMen, a amen dico vobis, b qui non intrat per ostium in c ovile ovium, d sed ascendit aliunde: e ille fur est, & latro. f Qui autem intrat per ostium, g Pastor est ovium,

Secundo aperit, quod ipse est ostium, & Pastor: & ponit proprietates Pastoris, & furis, & mercenarii, *ibi*: [Ego sum ostium, &c.]

Tertio ponitur dissensio populi, *ibi*: [Dissensio iterum facta est, &c.] Et sic terminatur hæc prima pars: Alia suo loco subdividetur. Dicit ergo:

a Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium, &c.] Et continuatur sic: supra arguerat Pharisæos de cæcitate, qui ipsum non cognoscebant; ne ergo dicerent ipsi Pharisæi, non est hoc a nostra cæcitate, quod ad te non accedimus; sed te ut erroneum, & seductorem fugimus; ideo ponit differentiam Pastoris, & laceratoris, sive furis: & concludit per hoc, quod non est erroneus, sive fur, sed Pastor. Dicit ergo.

b Qui non intrat per ostium in ovile,] vel [in atrium ovium,] i. qui non Scripturis utitur.

d Sed ascendit aliunde,] hoc est, per aliam, & non legitimam incedit viam.

e Ille fur est, & latro.] *Chrys.* Ostium est Scriptura; atrium autem, vel ovile ovium est earum providentia. Scripturas autem vocat ostium; Hæ enim adducunt ad Deum, & Dei cognitionem aperiunt; hæ oves faciunt: hæ custodiunt oves, & lupos arcent, i. hæreticos. Per hoc ostium, i. per Scripturas cognoscimus eos, qui Pastores: & eos, qui non Pastores. Unde adhuc subdit.

f Qui autem intrat per ostium,] i. per Scripturas in ovile ovium, & quasi ad oves, & earum providentiam, i. qui Scripturis utitur, & secundum eas vivit, & docet.

g Pastor est ovium,] q. d. ego sum Pastor, qui secundum Scripturas venio ad docendum.

Unde propter hoc dicit *sup.* 5. Scrutamini Scripturas, &c. Et nota, quod cum dixit: [Qui non intrat per ostium, &c.] duas posuit ostensiones latronis. Primam, quoniam aperte non intrat. Secundam, & quoniam non secundum Scripturas, hoc est, non per ostium. Item in hoc, quod dicit: [Sed ascendit aliunde,] servat metaphoram furis. Furis enim est supersalire, & cum periculo omnia agere. Per hoc autem ænigmatice insinuat eos, qui ante eum fuerunt, & qui post eum futuri erant Antichristum, & pseudochristos.

[margin: Alia expositio.]

Aliter. a Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium, &c.] Pharisæi jactabant se esse sapientes, & scientiam legis habere; & propter hoc dicebant se dignos esse Pastores aliorum: Sed Dominus ostendit, non esse Pastores nisi illos, qui intrant per ostium, i. per se, in quo percutit tam Judæos, quam Gentiles, & Hæreticos, qui gloriantur de magisterio: quia nec sapientia, nec observantia legis, nec bona vita valet quicquam præter Christum in quocumque fuerit, sive Philosopho, sive Pharisæo, qui docent beate vivere: sive Hæretico sub nomine Christi prædicante: sed omne sine eo rapiunt, & occidunt. Dicit ergo:

b Qui non intrat per ostium,] i. per me, in fide, scilicet, & charitate.

c In ovile ovium,] idest, ad curam, & providentiam ovium. Duplex est ingressus in ovile Domini, sive in Ecclesiam.

Unus est ovis, ut scil. fit de Ecclesia. Alter est Pastoris ad culmen prælationis, & regiminis, de quo loquitur hic.

d Sed ascendit aliunde,] quoquo modo præter Christum, vel non bene de eo sentiendo, vel non ejus gloriam quærendo, sed suam.

e Ille fur est, & latro.] Fur, quia quod alienum est, suum dicit, i. oves Dei suas facit, & commodum proprium de eis quærit, non Dei honorem. Latro, quia quod furatus est, occidit. *Os.* 7. Fur ingressus est spolians, latrunculus foris. *Isa.* 1. Principes tui infideles socii furum. Et nota, quod dicit, [ascendit:] Quærunt enim ascensum, ut alto casuri gravius. *Chrys.* Furis est supersalire, & omnia cum periculo agere. *Hier.* Lætamur ad ascensum, timeamus lapsum: Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris est de excelso cecidisse. *Job* 30. Elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valide. *Greg.* Fugitivæ prosperitatis aura sublevat, ut deterius in infimum sternat. *Ps.* 72. Dejecisti eos, dum allevarentur. *Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.* *Ps.* 36. Vidi impium superexaltatum, &c. *Isa.* 14. Ascendam in cœlum, &c. verumtamen in infernum detraheris. *Abdiæ* 1. Si exaltatus fueris ut aquila, &c.

d Aliunde,] non propter Christum, neque a Christo vocatus. *Hebr.* 5. Nemo assumit sibi honorem, &c. *Matth.* 22. Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem, idest, quem non introduxit mea charitas, sed propria cupiditas. *Philip.* 2. Omnes, quæ sua sunt, quærunt.

f Qui autem intrat per ostium,] i. qui recte de Christo sentit, & non sua, sed Christi quærit.

g Pastor est ovium] ab officio pascendi oves: Contra illos, qui se, non oves pascunt, sicut dicitur *Ezech.* 34. Nota, quod Christus est ostium. *Ps.* 117. Hæc porta Domini: Justi intrabunt in eam, idest, per eam. Hæc porta, sive hoc ostium humile est, ideo repelluntur ab eo superbi. Unde *Jac.* 4. Deus superbis resistit.

Item angustum est, ideo arcet divites divitiis sarcinatos. *Matth.* 19. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare, &c.

Item arctum est, ideo arctat carnales & delitiosos. *Matth.* 7. Angusta est porta, & arcta est via, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam.

e Ille fur est, & latro.] Sed mercenarius aliunde ascendit: ergo fur est latro. Sed contra super illud *inf. eod.* Mercenarius autem, & qui non est Pastor, &c. dicit *Gl.* Mercenarius tolerandus est; fur vero cavendus: ergo mercenarius non est fur. Solutio. Nomen furis large sumitur, & stricte. Large dicitur fur omnis ille, qui quærit suum commodum, & pervertit per malum exemplum, & sic sumitur hic. Stricte vero dicitur fur, qui infert damnum, & pervertit per doctrinam, & exemplum: sic hæreticus est fur, & non mercenarius, & sic sumitur in *Gl.* inferius.

f Qui autem intrat per ostium] Christum, [Pastor est ovium.] *August.* Omnes, qui veritatem tenent, & docent, & in Christo Pastore sunt unus Pastor. Unde nota, quod loquens de Pastoribus, loquitur in singulari: quia ⊖ omnes

[margin: Moraliter.]

f Qui autem intrat, &c.] Item nota, quod quatuor personæ hic distinguuntur a Domino: Pastor, fur, mercenarius, lupus. Pastori autem bono se comparans Christus, formam officii sui præbet omnibus Pastoribus. Et tangit sex, in quibus consistit perfectio Pastoris.

Primo, [intrat per ostium,] in quo distinguitur a fure, qui ascendit aliunde.

Secundo, proprias oves cognoscit: Unde & cognosco oves meas, &c.]

Tertio, quia oves educit, & antecedit: Unde. [Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit.]

Quarto, ad pascua ducit, & reducit: Unde [per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.]

Quinto, vitam suam ponit pro ovibus: Unde [Bonus Pastor animam suam, &c.] & in hoc distinguitur a mercenario, qui fugit. Sexto, gregem suum congregat, sociat, & conjungit: Unde dicit. [Alias oves habeo, &c.] in hoc distinguitur a lupo, qui rapit, & dispergit. Primum igitur est, quod bonus Pastor [intrat per ostium,] idest, per Christum, qui dicit: Ego sum ostium: Qui ergo non intrat per Christum, nec per ostium intrat. Item, Christus spiritus est: qui ergo intrat per carnem, & sanguinem, i. per preces carnales, vel carnale obsequium, vel aliquo modo carnaliter, non intrat per Christum. Tales significantur per Petrum, *infr.* 18. quem introduxit ancilla ostiaria in atrium Pontificis, i. in prælationem, vel beneficium: & hi nesciunt generare in Ecclesia Dei nisi similes.

Unde *sup.* 3. Quod natum est ex carne, caro est, quia nepotes suos, & cognatos inducunt in Ecclesiam. Sed dicitur *Michææ* 3. Væ qui ædificatis Sion in sanguinibus. Propter hoc *Exod.* 12. præceptum est, ut postes domus liniantur sanguine Agni, quia per Agnum debent intrare, idest, non

*per alienum

Christos, & Judam, & Theodam. *Act.* 5. Item in hoc quod dicit [ascendit aliunde] insinuat Scribas, & Pharisæos, qui docebant mandata, & doctrinas hominum, & legem prævaricabantur, ut dicitur *Matth.* 15. *a* Huic] i. Pastori. *b* Ostiarius aperit:] *Chryſ.* Nihil prohibet ostiarium hic vocari Moysen, illi enim tradita sunt eloquia Dei. *Rom.* 3.

a Huic ostiarius *b* aperit: & *c* oves vocem ejus audiunt. *d* Et proprias oves vocat nominatim, & *e* educit eas.

Hic aperit Pastori, quia Christum ostendit, & recipit. *c* Et oves vocem ejus audiunt,] i. Pastoris, quia qui ex Deo est, verba Dei audit, *sup.* 8. Per hoc significat, quod non sunt de ovium ordine ipsi Scribæ, & Pharisæi, qui eum non audiunt. *d* Et proprias oves vocat, &c.] i. vocat ad gratiam, quos elegit. Et per hoc insinuat cecum, quem quasi oviculam suam vocaverat ad se de Judeis. Unde sequitur. *e* Et educit eas,] ad pastum verbi. Et nota, quod in hoc, quod dicit, [proprias oves,]

A ostendit

Alia expositio.

Θ omnes gerunt typum Christi, de ovibus autem in plurali, quia duo sunt genera ovium. Quidam enim sunt oves Ecclesiæ tantum per præsentem justitiam; quidam per prædestinationem. *a* Hic ostiarius aperit:] i. Christus, qui se aperit, vel Scriptura, quæ ducit ad Christum, vel Spiritus Sanctus, qui ducet omnem veritatem, *infr.* 16. *Aug.* caveamus, ne ostiarium faciamus majorem ostio. Ostiarius idem est, & ostium, sc. Christus, ipse se nobis aperit, & Scripturam, & cœlum. *Isa.* 22. Dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet. *Apoc.* 5. Vicit leo de Tribu Juda, radix David aperire librum, &c. *c* Et oves vocem ejus audiunt] a quocumque proferatur vox, Christi est. Unde *Matth.* 10. Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus, &c. *Chryſ.* Quæ est vox Christi? Beati pauperes, &c. *Matth.* 5. [& oves, &c. audiunt] quia Christo non solum viventi obediunt, sed & mortuo. Et nota, quod dicit oves audire, quia simplices libenter audiunt verbum Dei, & obedientes sunt. *Psal. Prov.* 3. Cum simplicibus sermocinatio ejus. Et quia dixerat [audiunt] subdit, quomodo loquitur vocando. Et hoc est: *d* Et proprias, &c. nominatim] Tria dicit hic per ordinem de Pastore. Vocat ad præmia, educit, vel emittit a culpa, & ignorantia ante eas vadit, ostendens exempla. Item vocat, quasi de peccato ad gratiam revocat per pœnitentiam. Educit de gratia ad ampliorem gratiam, secundum illud *Psal.* 83. Ibunt de virtute in virtutem, &c. Ante eas vadit præparando in cœlo mansionem æternam secundum illud, *inf.* 14. Vado vobis parare locum. Item Christus vocavit oves in vita sua prædicando, secundum illud *Psal.* 94. Laboravi clamans, raucæ, &c. *Cant.* 6. Revertere, revertere, &c. Eduxit eas in morte redimendo de lacu miseriæ, & de luto fæcis, secundum illud *Zach.* 9. Tu, Domine, in sanguine Testamenti, &c. Ante ovis fuit in Ascensione, iter in cœlum pan-

Θ dendo,

Moraliter.

* per alienum sanguinem, sicut illi, qui per cognatos, & consanguineos habent accessum ad patrimonium Crucifixi. Contra quod dicitur *Gal.* 1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem; sed per Jesum Christum. Sunt autem quidam, qui se Spirituales esse simulant: unde spirituales in principio vocantur; sed postea convertunt se ad carnem, & sanguinem, idest ad nepotes. Contra quos dicitur *Gal.* 4. sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini. Sed revera numquam spirituales fuerunt, sed carnales fuerunt. Unde nunc primo, quales ante fuerunt, ostendunt. Unde *Eccl.* 14. in novissimis manifestant malitiam suam. *Jer.* 17. In novissimis suis erit cupiens. Similes quibusdam monstris marinis faciem humanam pretendentibus; sed in pisces desinunt, sicut & Simia, quæ habet faciem similem homini; sed non posteriora. Item Christus Spiritus, & spirituale, i. subtile corpus habet, spiritus autem, & corpus spirituale sine omni læsione, & violentia, & corruptione ingreditur, sicut Dominus januis clausis ad discipulos, *inf.* 20. & sicut lux per vitrum: si ergo corrumpant vitrum Ecclesiæ, ostendunt, quod non sunt lux, nec per Christum ingrediuntur, si per violentiam introducuntur, & significantur per Sodomitas. *Gen.* 19. Jam prope erat, ut infringerent fores Loth. Et hoc ad polluendum Angelos, qui propter spiritualitatem significant Sacerdotium, vel ipsos Sacerdotes. *Mal.* 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem de ore ejus requirent, quia Angelus Domini exercituum est. Item 1. *Cor.* 11. Debet mulier velamen habere super caput suum propter Angelos. Illi volunt ostium infringere, qui per suam, vel suorum potestatem, prelationem, vel aliquod beneficium Ecclesiasticũ sibi volũt usurpare. Hi Angelos pollnere volũt, qui dignitatem Sacerdotii non verẽtur infamare: & hęc vera Sodomia est. Cũ enim gratia non sit gratia, nisi quia gratis data: quid magis cõtrarium est gratię, quã id, quod gratis accipiendũ, & gratis concedendũ est per violẽtiã carnis, vel carnaliter rapere, vel emere? Quidã enim rapiunt, ut Choritę, de quibus *Nu.* 16. Idcirco fecit te accedere ad se Dominus, & omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiã Sacerdotiũ vendicetis, & omnis globus tuus stet contra Dñm. Quidã usurpãt, ut Rex Ozias, qui ideo in fronte lepra percussus est, & expulsus a regno. 4. *Reg.* 15. & 2. *Par.* 26. Quidã per potestatem intruduntur, ut Alchimus per Bacchidẽ cõstitutus est in Sacerdotiũ 1. *Mach.* 7. Quidã per servitium corporale, vel pecuniale, sicut Jason, qui ambiebat summum sacerdotium, & a dicto Rege promisit ei talẽta argẽti trecenta sexaginta, ut dicitur 2. *Mach.* 4. Unde hodie solent dicere Episcopis, si concedatis illi Decanatum illum ruralem, magis serviet vobis, quam iste. Et sic fecisse legitur Menelaus Jasoni. 2. *Mach.* 4. Jason commendatus Regi, cum magnificasset faciem potestatis ejus, in semetipsum retorsit summũ sacerdotium superponens Jasoni talenta argenti trecenta. Itẽ Christus charitas est, quæ non quærit, quæ sua sunt, ut dicitur 1. *Cor.* 13. Quicumq; ergo non quærunt lucrum animarum, sed proprium, per Christum non ingrediuntur. *Phil.* 2. Omnes, quæ sua sunt, quærunt. Isti potius sunt tonsores, quam Pastores; Jacob Pastor erat; Laban tonsor. Unde Jacob, i. Christus fugit, cum Laban ad tondendas oves ivit: *Gen.* 31. *Matt.* 22 Amice, quomodo huc intrasti, &c. *Bern.* Ter dictum est Petro, pasce, sed nec semel dictum est, tonde, vel munge. Item Christus est veritas. Qui ergo intrat per simulationem, non intrat per Christum: sicut hypocritæ, qui simulant religionem habitu, & conversatione, ut promoveantur. *Eccl.* 37. O præsumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia, & dolositate illius? *Zach.* 13. Confundentur Prophetę unusquisq; in visione sua cum prophetaverint, nec operientur ultra pallio saccino, ut mentiãtur. Alii per alios quasi per litteras commendatitias intrant, vel impetrant beneficia. 2. *Cor.* 3. Numquid indigemus commendatitiis Epistolis, sicut quidam. Itẽ alii per literas precatorias intrant, ut curiales per preces Magnatorũ. *Ps.* 77. De post fœtantes accepit eum. Non dicit, de post Reges, vel post Episcopos. Item aliqui eliguntur propter pulchritudinem suę personę 1. *Reg.* 16. dixit Dominus ad Samuel: Ne respicias vultum ejus, neq; altitudinem ejus; quoniã abjeci eum, nec juxta intuitũ hominis ego judico. Et postea seq. Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves. Item alii, quia largi sunt in donis, & superflui in conviviis. Unde *Dan.* 14. Nonne videtur tibi Bel esse vivens Deus, an non videns quanta comedit, & bibit quotidie? Item quia dant vestes, & equos, & talia. Unde *Is.* 3. Vestimentum est tibi. Princeps noster esto. Item alii propter alios comprimendos, ut filii Israel elegerunt Jeroboam, ut conculcaret Roboam 3. *Reg.* 12. Itẽ aliqui eligunt alios propter societatẽ, vel subjectionẽ: quia credunt eos futuros sibi sociales, vel subjectos, sicut elegerunt Abimelech spuriũ *Jud.* 9. Itẽ quandoq; tales eligunt, per quos promoveantur ipsi, vel eorum parentes, ut *Jud.* 17. Implevit unius filii sui manũ, & factus est ei Sacerdos, i. ad utilitatẽ suã. Omnes isti non intrant per ostiũ: & ideo fures sunt rẽ alienã invito Domino contrectantes. Sed utinã saltẽ uxores inde pascerẽt, sicut Judas. Sed ipsi pascunt cõcubinas de bonis Christi raptas ab ovibus: De quibus *Mich.* 3. Qui violenter tollitis pellẽ, &c. Et hoc est, quod dicitur: Fur non venit, nisi ut furetur pelles, i. temporalia, & mactet corpora, & perdat animas. Secũdũ est, quod bonus Pastor cognoscit oves suas, ut diximus, quod tangitur ibi: *d* Et proprias oves vocat nominatim.]

Eccl. 20. Est propter gloriam minoratio. Item *Eccl.* 12. si humiliatus vadat curvus, abjice animum tuum, & custodi te ab illo. *Prov.* 26. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius. *Ezech.* 13. Quasi vulpes in deserto, &c.

Item Christus est unitas, qui ergo per scissuram, vel dissensionẽ obtinet prælationem, vel beneficia, per Christum non intrant, sed dividunt vestem Christi inconsutilem, dum sibi partes faciunt, quod non fecerunt milites. Ideo Ecclesia significatur per Thamar. *Gen.* 38. Quæ interpretatur amaritudo: & Ecclesia in amaritudine est, in cujus utero luctantur contendentes fratres, qui prior nascatur, & plerumque prior egreditur, de quo non erat opinio, cui dicitur: Quoniam propter te divisa est maceria. Phares enim prior natus est, i. illi, qui dividunt unitatem Ecclesiæ, postea Zaram, cui obstetrix ligat filum coccineum in manu: quia qui Passionem Domini opere imitantur, tardius promoventus.

* Et iterum

Δ ostendit se omnia possidentem cum Patre. *a* Et cum propiias oves emiserit,] De nvili legis, & figurarum ad lumen Evangelii, & pastum verbi divini, vel de consortio malorum, vel de massa perditorum. *b* Ante eas vadit:] dans exemplum, vel ad regnum, vel primus contra lupum, primus ad patibulum. *c* Et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus,] sicut coecus audivit

Et *a* cum proprias oves emiserit, *b* ante eas vadit: *c* & oves illum sequuntur, *d* quia sciunt vocem ejus. *e* Alienum autem non sequuntur, sed *f* fugiunt ab eo: quia *g* non noverunt vocem alienorum,

ejus vocem, & cognovit. Et nota, quod contrarium ejus faciunt, ad litteram Pastores, quia sequuntur oves, non præcedunt. Unde per hoc, ut dicit *Chrys.* ostendit, quod de spirituali pastu loquitur, sicut dicit *Matth.* 10. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Oves enim ad lupos non solent mitti. *e* Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum,] i. non recipiunt pro voce Pastoris. Hoc autem dicit propter eos, qui circa Theodam, & Judam fuerunt: Omnes enim, quicumque crediderunt eis, dispersi sunt ab eis, ut dicitur *Act.* 5. Aut propter illos, qui post hoc futuri erant, & pseudo Christi. Ut enim non dicerent, quod ipse Christus esset unus talium, propter hoc seipsum ab illis dividit. Et primam Δ quidem po-

Alia expositio.

Θ dendo, secundum illud *Mich.* 2. Ascendet iter pandens ante eos. Et *Heb.* 6. Ubi præcursor pro nobis introivit Jesus secundum ordinem Melchisedech. Et nota, quod dicit, [proprias oves,] quia eas creavit, redemit, & reformavit. *Isa.* 46. Ego feci, & ego feram. *Psal.* 94. Nos autem oves pascuæ ejus. Alia littera: Oves manus ejus: 1 *Pet.* 1. Non corruptibilibus, &c. 1. *Cor* 6. Empti estis pretio magno, *August.* Tanti emit, ut solus possideat. [Vocat nominatim.] Dominus dicitur Justos vocare ex nomine, quia eos novit per approbationem. Unde *Ps.* 146. Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Unde *Luc.* 16. Dives non nominatur, sed pauper Lazarus. *Psal.* 15. Nec memor ero nominis eorum per labia mea: quia vocaverunt nomina sua in terris suis, & ideo non vocantur in cœlis. *Gregor.* In populo plus solent nomina divitum, quam pauperum sciri, quid est ergo, quod Dominus in Evangelio nomen pauperis, & non divitis dicit, nisi quod Deus humiles novit, atque approbat, & superbos ignorat. Unde *Luc.* 13. Nescio vos, unde sitis, &c. At e contra Moysi dicitur: Novi te ex nomine. *Exod.* 33. Item *Exod.* 35. Vocavit ex nomine Beseleel, &c. Et 2. *Tim.* 2. Novit Dominus, qui sunt ejus. *Luc.* 10. Nomina vestra scripta sunt in libro vitæ. Item *Phil.* 4. & *Apoc.* 13. Et educit eas de peccato ad gratiam, de virtute in virtutem, de exilio in patriam. *Psalm.* 76. Deduxisti sicut oves populum tuum.

Item *Psalm.* 141. Educ de custodia animam meam, alia littera, de carcere.

a Et cum proprias oves emiserit] de Ægypto, i. de tenebris ignorantiæ, & culpæ, ad lucem fidei, & gratiæ. *b* Ante eas vadit] in columna ignis, & nubis. *Exod.* 13. Ad illuminandum contra ignorantiam, & refrigerandum contra æstum peccati. [Ante eas vadit] dans exemplum, faciens, quod docuit. *Act.* 1. Cœpit Jesus facere, & docere. Vel ad regnum præcedit. *Mich.* 2. Ascendet iter pandens ante eos. Vel, [Ante eas vadit] primus ad tormentum, dans exemplum pœnitentiæ, vel patientiæ. Unde 1. *Pet.* 2. Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum. *Greg.* Prior bibit Medicus, ne medicinam abhorreret ægrotus. Unde *infr.* 19. primo Crucem suam bajulavit, deinde alter.

c Et oves illum sequuntur] quocumque ierit. *Ap.* 4. Et perseverando usque in finem. *Matth.* 10. & 24. Ita & hodie si Pastor præiret, grex sequeretur, & Ducem sequeretur miles, & caput membra. Unde 1. *Mach.* 5. Transfretavit Judas prior, & omnis populus post eum.

d Quia sciunt vocem ejus] Populus enim sequitur vocem scitam, non auditam. Scitur autem per visum, cum transformatur in opus. *Exod.* 20. Populus videbat voces. *e* Alienum autem non sequuntur,] furem, sc. qui alienus est a Deo vita, & doctrina, ut hæreticus, vel Antichristus, vel Doctor malus.

f Sed fugiunt ab eo,] i. ab ejus suasione, & imitatione. *g* Quia non noverunt vocem alienorum,] notitia approba- Θ tionis. Hoc

Moraliter. Ovid lib. 2. Met.

* Et iterum ibi [Et cognosco oves meas] Sed multi sunt sicut stultus auriga Phaeton, de quo dicitur: *Nec retinere valet, nec nomina novit equorum*. Sic ne ipsi nisi sint in martyrologio pro commemoratione alicujus beneficii. Sed si dispensator domus summas rerum tenetur scire, quanto magis Sacerdos animarum, cum ei dicatur illud. 3. *Reg.* 20. Erit anima tua pro anima illius.

Item *Prov.* 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, omnesque greges tuos considera: non enim habebis jugiter potestatem, q. d. erit quando dicetur tibi: Redde rationem villicationis tuæ. *Prov.* 12. Novit Justus animas jumentorum suorum: quod non tantum dicitur de exteriori notitia; sed magis de interiori, i. de conscientia, cujus est videre. Sed multi Sacerdotes faciem exteriorem magis intuentur, cum nihil ad eos de illa. Contra quos dicitur *Eccl.* 9. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. Sed de interiori notitia intelligitur, ut secundum qualitatem animorum sciat se conformare. Alii enim indigent increpatione, alii consolatione, alii comminatione simpliciorum, alii dulcedine promissorum. Unde *Zach.* 11. Sume tibi vasa Pastoris stulti, &c. Ibi *Gloss.* Peram, baculum, fistulam, & sibilum. Vasa ista prudentis, & boni Pastoris sunt. Sed tunc dicuntur esse stulti, cum quis dignitatem habet, & ejus officium non exercet. Usus istorum vasorum explanat Apost. 1. *Thess.* 5. Corripite inquietos, increpatione S. Scripturæ: Et hoc ad pœnam pertinet. Unde David quinque lapides limpidissimos tulit de torrente in peram, quibus Goliam prostravit. 1. *Reg.* 17. Consolamini pusillanimes: Hoc pertinet ad sibilum. Unde *Zach.* 10. Sibilabo eis, & congregabo eos. Suscipite infirmos: Ecce baculus, quo senes, & itinerantes, & infirmi appodiantur, & fulciuntur. Non sit ergo arundineus, quia maledicti, qui baculum arundineum ponunt in Ecclesia Dei, qui sustentare non potest, sed manum perforat innitentis. *Isa.* 36. Hic est Sacerdos, vel Prælatus carne fragilis; quia caro est, & non os, vel spiritus, virtute, & scientia vacuus. Manum perforat, dum corrumpit subditorum opera, dum per tales Ecclesiastica dignitas diffamatur. Unde *Rom.* 2. Nomen Dei per vos blasphematur inter Gentes. Et sumitur hoc de *Isa.* 52. & *Ezech.* 20. & 36. ut dicit *Gloss.* Patientes estote ad omnes: Ecce fistula, cujus solatio labores relevantur. Fistula ergo est patientia, vel spes in patientia, quæ omnes tribulationes cum gaudio sustinet, ut Isaac copuletur Rebeccæ. Unde *Rom.* 12. Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Hæc fistula sonat pastorale carmen, & amatorium. Unde *Psalm.* 137. Et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Dei. Et *alibi*: *Psal.* 41. In voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis, quod est, dum vitam æternam promittit. Per sonum hujus fistulæ copuletur illud. Ipseque balantum grex obliviscitur esum. Ipsa sonuerat in auribus Apostolorum, quando obliti sunt accipere panes, idest, delectationes, vel necessitates etiam corporales pro æternorum meditatione. *Matth.* 16. Tertium est, quia oves præcedit, quod tangitur ibi.

Luc. 16.

a Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit:] quod est, quando vita, & doctrina præcellit, sicut & dignitate. Unde 1. *Reg.* 10. Stetit Saul in medio populi, & altior fuit universo populo ab humero, & sursum. Item *in eod.* Ecce videtis, quem elegerit Dominus, quoniam non sit ei similis in omni populo. Hinc dicitur Gadditis. *Jos.* 1. Vos transite armati ante fratres vestros. Item *Gen.* 49. Gad accinctus præliabitur ante eum. Sed heu hodie, qui debent præcedere, subsequuntur, imo & persequuntur. Et sicut dicit *Hieron.* Nihil intantum destruit Ecclesiam Dei, sicut Clericos laicis esse deteriores. *Isa.* 24. Erit sicut populus, sic Sacerdos. Et dicit *Bernard.* Et utinam sic, & non pejor populo Sacerdos. Imo jam est proverbium populi: Nonne possum hoc facere, cum hoc faciat Sacerdos meus? Unde *Jer.* 44. Quod si nos sacrificamus Reginæ cœli, & libamus ei libamina, numquid sine viris nostris faciemus ei placentas ad colendum eam? Cœlum est Ecclesia, vel Clerus, Regina cœli prudentia carnis, & mundi, & Diaboli, quæ hodie in Clero, sicut in foro damnatur. Quid ergo est Reginæ placentas libare, nisi quæ carni, mundo, Diabolo placent, facere? Sed mulieres, idest infirmi laici dicunt, numquid sine viris nostris hæc facimus, q. d. a Prælatis hujusmodi exemplum sumimus, hi sunt mercenarii, qui non præcedunt armati, nec exponunt se pro ovibus: hi sunt Sacerdotes conducti mercede, falsas nuptias facientes, Sacramenta vendentes, a faucibus lupi, idest, Diaboli oves non

*entrahunt

quidem ponit ad differentiam, eam, quæ a Scripturis doctrinam, Nam ipse quidem per eas eos adducebat; illi vero non hinc eos attrahebant. Secundam ponit differentiam, ovium obedientiam. Nam ejus vocem oves audierunt, quia non solum viventi: sed & mortuo omnes crediderunt, alios antem confestim reliquerunt, sicut Judam, & Theodam. *Act.* 5. Tertia differentia est, quia illi, ut Tyranni, omnia faciebant; iste vero, ut Pastor, non Tyrannus, vel dominium quærens. Unde fugit, ne fieret Rex, *sup.* 6. Et jussit dari censum Cæsari, *Matt.* 22. Et dedit ipse, *Matth.* 17. Quarta differentia est: quia ipse pro salute ovium venit: ut vitam habeant, & superabundanter habeant, ait: illi vero, & præsenti eos privaverunt vita. Unde dicitur postea: Fur non venit, nisi ut mactet. Unde ipsi prodiderunt eos, qui crediderunt eis, & fugerunt; ipse vero ita stetit generose pro suis, ut animam suam daret. Unde dicit: Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Item hi quidem inviti, & coacti, & fugientes passi sunt, quæ passi sunt; hic vero voluntarie, & desideranter. Et has differentias inferius dicit in textu.

B

a Hoc proverbium dixit eis Jesus: Illi *b* autem non cognoverunt, quod loqueretur eis. Dixit ergo *c* eis iterum Jesus: Amen, *d* amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. *e* Omnes, quotquot venerunt, *f* fures sunt, & *g* latrones, *h* sed non audierunt eos oves. *i* Ego sum ostium. *k* Per me si quis introierit, *l* salvabitur, *m* & ingredietur, & *n* egredietur, & *o* pascua inveniet,

a Hoc proverbium] idest, hunc obscurum sermonem, vel hunc communem sermonem, sive hanc metaphoram Pastoris, [dixit eis Jesus.]

b Illi autem] Pharisæi [non cognoverunt, quid loqueretur eis.] In quo ostendunt, se non esse oves. *Chrys.* Cujus gratia obscure loquitur eis hoc? Solnt. Per hoc attentiores facere volens. Vel secundum *Gloss.* ut convincat eos esse cæcos, qui se videre jactabant, *sup.* 9.

c Dicit ergo eis iterum Jesus:] ea, quæ dixerat obscure, & immanifeste, aperiens.

d Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.] *Chr.* Ne turberis, si se dicit ostium; sed & ovem dicit se, & Pastorem. Cum adducit nos ad Patrem, ostium vocat: cum provocat, Pastorem. Item supra diximus Scripturam esse ostium; hic autem dicit se ostium, quia ipse est, in quo impletæ sunt Scripturæ. Vel Scriptura est ostium Christi, quia per Scripturam, quasi per ostium receptus est, & introductus ad oves. Christus autem est ostium ovium, quia per Christum habent introitum ad fidem, vel Ecclesiam, vel Patrem.

Item ostium dicit se, quia omnes per eum, idest, per ejus fidem, & voluntatem debent intrare ad ovile ovium, idest, ad curam animarum, & ad prælationem, sicut Apostoli fecerunt.

e Omnes quotquot venerunt] & non per me.

f Fures sunt, & latrones] quia venerunt ad rapiendum, & occidendum.

h Sed non audierunt eos oves,] idest, non secuti sunt eos. *Chrys.* Non de Prophetis hoc, sicut dicunt hæretici. Illos enim audierunt, & per illus crediderunt Christo, quotquot crediderunt, sed de Theoda, & Juda loquitur, & de aliis seditiosis. Item Christus laudando dicit hoc, [& non audierunt eos oves.] Nusquam autem videtur laudasse eos, qui non obedierunt Prophetis; sed magis redarguisse. Unde patet, quod hoc dicit non de Prophetis, sed de seditiosis.

i Ego sum ostium.] Repetit, quod dixerat, ut addat.

k Per me si quis introierit, salvabitur] q.d. illi furantur, & occidunt, sed ego salvo. Unde hic ostendit differentiam sui, & illorum a fine. Ipse enim est ostium, per quod intrant oves ad salutem tutam. Unde subdit:

m Et ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.] *Chr.* Hoc in Apostolis factum est, qui cum otio, & securitate introierunt, & exierunt, ut totius Domini facti orbis terrarum.

terrarum,

Alia expositio.

Q tionis. *a* Hoc Proverbium dixit eis Jesus, &c.] idest, hanc parabolam, sive hunc obscurum sermonem, vel communem de Pastore, Et nota: proverbium est locutio generalis, & brevis, aliud in sententia, aliud in superficie verborum continens. *Basilius.* Proverbium est moralis eruditio, & emendatio vitiorum, vitæ probabilis regula, humanos actus linea dirigens cautiore. Et postea dicit: Proverbiorum nomen in verbis vulgaribus habere consuetudo hominum solet, idest, ea, quæ ex traditione antiquitatis loquuntur.

Sed hæc vulgi est opinio, & communis; nobis autem proverbium est sermo utilis habens aliquid utilitatis in aperto; plurimum autem sensum contegens in occulto.

b Illi autem non cognoverunt, quod loqueretur eis.] quia cæci erant.

c Dixit ergo eis iterum Jesus:] quia cæci erant, exponens quod dixerat.

d Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium,] idest, per quod intrant oves, per fidem, sc. vel per quod intratur ad oves, ad curam, sc. ovium, & prælationem.

Item ad ostium tabernaculi offeruntur hostiæ: *Lev.* 1. Ita ad Christum vota, & orationes. Unde finiuntur orationes: Per Dominum nostrum.

e Omnes, quotquot venerunt,] Respondit ad id, quod possit ei objici: Nunne fuerunt boni Doctores, Patriarchæ, & Prophetæ, per quos multi intraverunt, & ita fuerunt ostium? Et ad hoc dicit, quod si boni fuerunt, ab eo habuerunt. Unde dicit: [Omnes quotquot venerunt,] præter me, idest, præter fidem meam.

f Fures sunt,] rerum, vel bonorum.

g Et latrones,] idest, occisores animarum, & pseudoprophetæ, & alii seductores. *Jerem.* 14. Falso Prophetæ vaticinantur in nomine meo; non misi eos, & non præcepi eis.

Item *in eod.* Visionem mendacem, & divinationem fraudulentam, & seditionem cordis sui prophetant vobis.

h Sed non audierunt eos oves] vere, idest, non crediderunt eis veri fideles. Et nota, quod ex hoc textu objiciunt hæretici, quod Moyses fuit fur, & latro, & Prophetæ: & ideo nec legem, nec Prophetas recipiunt. Sed de istis non loquitur, quia isti venerunt per ostium Christum.

i Ego sum ostium.] Repetit, ut addat:

k Per me si quis introierit] Ecclesiam, & in ea perseveraverit:

l Salvabitur,] in futuro.

m Et] interim [ingredietur,] per contemplationem:

n Et egredietur,] per bonam operationem.

o Et pascua inveniet,] per studium, & lectionem, vel audiendo prædicationem. Vel [pascua] gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Vel secundum *Gloss.*

m Et ingredietur] credendo, operando.

n Et egredietur,] ad pugnam contra hæreticos. Vel [Ingredietur,] intus bene cogitando. [Et egredietur] extra exemplo aliorum operando. Vel [Ingredietur,] in Ecclesiam, ut hic vivat per fidem. Unde post dicit: Ut vitam habeant. [Et egredietur,] de ista vita ad æternam. Unde post: Et abundantius vitam habeant.

o Et pascua inveniet,] ingrediens. *Ps.* 22. In loco pascuæ ibi me collocavit. *Ezech.* 34. In Pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum,

Moraliter.

* extrahunt clamorem prædicationis. Quartum est, quod ad pascua ducit, & reducit, unde & dicit. *m* Et ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.] Prodest enim plurimum gregibus mutare pascua. Ad hæc ducit, & reducit, quando verbo, & exemplo instruit, vel quando diversa Sanctorum exempla, quasi diversa fercula proponit. Unde Petro dictum est *inf.* 21. Pasce oves meas, idest majores verbo. Item Agnus, idest infirmiores exemplo, quia pueri solent dicere, da exemplum, quia in eo, qui habet verba sine vita, completur illud *Prov.* 14. Ubi plurima verba, ibi frequenter egestas. Verba sunt folia, opera, fructus. *Matth.* 12. Ficus habuit folia, & non fructum. Et quilibet nutritur suo simili; magis autem simile est factum facto, quam verbo, & ideo facilius ad factum invitatur homo per factum, quam per verbum. *Eccl.* 4. In lingua sapientia dignoscitur, & doctrina in verbo, & firmamentum in operibus justitiæ. Melius etiam invitat Medicus ad bibendum amaram potionem, cum ipse prior bibit, quam cum dicit: bibe. Et vulgariter dicitur alicubi hospitibus: Bibite prius, & assecurate hospites vestros. Et ad eumdem melius invitat, qui dicit: veni: quam qui dicit, vade. Unde *Ps.* 33. Magnificate Dominum mecum, q.d. ego sum socius. *Ap.c.* 1. Ego Joannes particeps, & socius in tribulatione, & regno, Et *Exod.* 3. dicitur, quod Moyses mina-

* bat

terrarum ; & nullus eos ejicere potuit. *a* Fur] autem [non venit, nisi ut furetur] dominatum, & honorem.
b Et mactet] corporaliter.
c Et perdat,] quantum ad animam. Quod tunc factum est in Juda, & Theoda, omnibus occisis, & perditis. *Act.* 5. Quasi dic. ipsi sunt fures, & latrones: ego sum ostium, i. munimentum ovium. Item ipsi furantur, & occidunt, & corporaliter, & spiritualiter hic, & in præsenti ; ego vero salvo & hic, & in futuro. Unde adhuc subdit: *d* Ego veni, ut vitam habeant,] in præsenti. *e* Et abundantius habeant,] in futuro. *Chrys.* Dic mihi, quid est abundantius vita? Si regnum cœlorum, sed nondum dicit hoc, imo nomen vitæ circumvolvit, quod erat eis notum.

a Fur non venit, nisi ut furetur, & *b* mactet, & *c* perdat. *d* Ego veni, ut vitam habeant, & *e* abundantius habeant, *f* Ego sum Pastor bonus, *g* Bonus Pastor animam suam † *h* dat *i* pro ovibus suis. k Mercenarius autem, *l* & qui non est Pastor,

f Ego sum Pastur bonus, &c.] Supra posuerat differentiam sui, & furis: hic ponit differentiam sui, & mercenarii. Et sicut primo ostendit se Pastorem, & ostium a fine, & utilitate ovium: ita ostendit hic se Pastorem a prompta voluntate standi pro ovibus. Unde dicit:
g Bonus Pastor animam suam] i. vitam temporalem.
h Dat] vel [ponit] non invitus sed libens, & spontaneus.
i Pro ovibus suis,] pascendis, & vivificandis, & eruendis a lupo, vel aliter potest continuari etiam secundum *Chrysost.* Superius promiserat: [Ut vitam habeant & abundantius habeant,] sed quia hoc in futuro erat implendum: & ideo non credebatur ei, idcirco ponit alterum, sc. Crucem, & mortem suam, quod cito futurum erat, ut credatur unum ab altero, idest, ut credatur daturus vitam in futuro, qui sponte dabat vitam temporalem, & prædicebat mortem suam, quod non est puri hominis. Tertio continuatur sic: Dixerat, [ut vitam habeant, &c.] sed quia vitam dedit nobis per suam mortem, ideo subdit de morte sua.
g Bonus Pastur animam suam dat pro ovibus suis] a morte liberandis.
k Mercenarius autem, & qui non est Pastor, &c.] *Chr.* Ponens ostensiones veri Pastoris, duos ponit laceratores. Unum, qui fur est, de quo jam dixit. Alium, qui mercenarius est, de quo modo agit. Fur rapit, & mactat ; mercenarius autem nihil horum facit, sed facientibus non resistit. Per furem Judam, & Theodam, & similes seditiosos, per mercenarium Judæorum, Magistros designat. Ab utrisque se Christus distinguit. A fure, quia venit, ut vitam habeant, & abundantius habeant. A mercenario, quia oves non deserit, sed pro eis vitam ponit. Licet enim consiliarentur eum interficere ; tamen neque a doctrina cessavit, neque eos, qui credebant, deseruit, sed stetit, & elegit mori. Propter hoc nomen toties repetit: [Ego sum Pastor bonus.]
k Mercenarius autem, & qui non est Pastor,] licet videatur, sed idolum Pastoris.

Δ Cujus non

Θ earum. *a* Fur] autem [non venit, nisi ut furetur] alienam rem sibi usurpando. *Alia expositio.*
b Et mactet,] a fide retrahendo, quia fides est vita. *Abac.* 2. Justus in fide sua vivet.
c Et perdat] in æterna damnatione. *Jerem.* 50. Grex perditus factus est populus meus. Vel, [Furetur] res: [Mactet] corpora: [Perdat] animas. Et nota, quod in aliis locis habetur de Pastoribus malis, quos vocat fures. *Zach.* 11. O pastor, & idolum, &c. *Ezech.* 34. per totum. *Jer.* 23. Væ pastoribus Israel, qui dispergunt. *Jer.* 4. Quasi custodes agrorum facti sunt. *Jerem.* 10. Non est, qui extendat ultra tentorium meum, & erigat pelles meas: quia stulte egerunt Pastores. *Jer.* 12. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, *Jer.* 12. Ubi grex, qui datus est tibi, &c. *Ezech.* 13. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis, &c. *Jer.* 60. Grex perditus factus est populus meus. Pastores eorum seduxerunt eos, &c.
d Ego veni, ut vitam habeant,] in præsenti vitam gratiæ.
e Et abundantius habeant,] in futuro vitam gloriæ. *Psal.* 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus, *sup.* 1. De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. *Zach.* 4. Exæquabit gratiam gratiæ ejus, *infr.* 14. Pacem relinquo vobis, idest, pacis reliquias do vobis in præsenti, pacem scilicet, pectoris, pacem meam do vobis, idest, dabo in futuro pacem æternitatis.

f Ego sum Pastor bonus.] Sicut aperuit, quid sit ostium: quia ipse est ostium, ita hic aperit, quid dixerit Pastor, quia ipse est Pastor.

Item prius posuit differentiam sui, & furis: hic ponit differentiam sui, & mercenarii, dicens:
g Bonus Pastor animam suam ponit] vel [dat pro ovibus suis.] *Chrys.* Maneamus sub Pastore tali, & securi a lupo erimus. Pastorem enim habemus, ita amantem nos, ut animam pro nobis det. Cum igitur & potens sit, & nos tantum diligat, quid prohibet nos salvari? Nihil, nisi nosipsi destruerimus, *Rom.* 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus, qui justificat, quis est, qui condemnet, *infra* 15. Majorem hac dilectionem nemo habet, &c. *Isa.* 53. Pro eo, quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis deputatus, & ipse peccatum multorum tulit. *Jud.* 9. Si recte, & bene egistis cum Jerobaal, & cum domo ejus: & reddidistis vicem beneficiis ejus, qui pugnavit pro vobis, & animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian, hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis: Sin autem perverse, egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem, & oppidum Mello. *al. ponit.*

[Ego sum Pastor bonus.] *Petr.* 2. Conversi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum. *Isa.* 40. Sicut pastor gregem suum pascet. 1. *Petr. ult.* Cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem vitæ æternæ coronam.

k Mercenarius autem] qui quærit, quæ sua sunt.
l Et qui non est Pastor] licet videatur. *Zach.* 10. O pastor, & idolum. Vel ita dicit: [Mercenarius autem, & qui non est pastor,] ut per hoc significetur ; quod est quidam mercenarius, qui vere est Pastor. Etenim duplex mercenarius. Unus bonus, qui servit pro mercede æterna. De quo dicitur *Luc.* 15. Quanti mercena-

Θ rii in do-

* bat, idest, manuducebat oves ad interiora deserti. *Moraliter.* Duplex est desertum. Exterius, & interius, quia dupliciter deseritur peccatum, & dupliciter agitur pœnitentia ; vel superficialiter, quantum ad verba ; vel intime, & veraciter, quantum ad cogitata, & facta. Oves ergo ad interiora deserti ducere, est non solum verbo, sed etiam exemplo subditos informare, & in veram pœnitentiam cordis, & operis, non solum oris inducere. Et hoc est, quod dicitur: Et ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. Ingrediuntur per factum, & egrediuntur per verbum, & pascua inveniunt, tam verbi, quam facti. *Actar. primo.* Cœpit autem Jesus facere, & docere. *Luc. ultim.* Potens in opere, & sermone. Vel triplex est pastus, secundum *Beatus Bernardus*. Prædicationis, operis, & orationis. Unde Petro dictum est ter, pasce, exemplo, scilicet conversationis, verbo prædicationis, fructu orationis. Quartum est, quod pastor debet animam pro ovibus suis ponere, & lupo se exponere pro eis, quod tangitur ibi.
g Bonus pastor animam suam dat, &c.] idest, vitam temporalem pro salute animarum.

Sed quomodo hoc faciunt, qui pro lucro temporalium ponunt, & animas proprias, pro quibus se exponunt? Debent etiam esse canes ad arcendos lupos: sed canes muti sunt non valentes latrare, ut dicitur *Isa.* 56. Imo quod pejus est, facti sunt lupi vespertini, qui in vespere non distinguuntur a canibus. Unde temporibus nostris, non est distinguere inter lupum, & canem: & ideo magis damnosi, quia creduntur esse canes, & sunt lupi. *Ezech.* 22. Principes ejus in medio ejus, quasi lupi rapientes prædam. *Sophon.* 3. Judices ejus lupi vespere non relinquebant in mane. *Hab.* 1. Velociores lupis vespertinis.

Et secundum *Augustinum*, dicitur lupus Aphricanus, qui simulat vocem canis pastoris, & sic rapit oves.

Similiter isti habent vocem Jacob, sed manus Esau ad rapiendum. *Genes.* 27.

Item ipsi deberent esse gallinæ ad fovendum pullos, & sunt vulpes. Unde *Ezech.* 13. Quasi vulpes in deserto prophetæ tui Israel erant, *Threnor. ultim.*

* Obtenebrati

Δ a Cujus non sunt oves propriæ,] per curam, & sollicitudinem, & amorem.

b Videt lupum venientem,] idest, Tyrannum, vel damnum, vel aliquod incommodum imminens.

c Et dimittit oves,] idest, expositas malo relinquit [& fugit. Et [eo fugiente] lupus rapit, & dispergit oves.] Et subdit rationem, quare fugit docens:

f Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est,] idest, quia quærit, quæ sua sunt. *Phil.* 2.

g Et non pertinet ad eum de ovibus,] idest, quia non curat de damno ovium, vel morte, vel non sunt suæ tanquam veri Pastoris. Per quod innuit oves esse suas, & sollicitudine, & curatione.

a cujus non sunt oves propriæ, b videt lupum venientem, c & dimittit oves, & d fugit: e & lupus rapit, & dispergit oves. f Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, g & non pertinet ad eum de ovibus. h Ego sum Pastor bonus, i & cognosco meas, k & cognoscunt me meæ. l Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, m & animam meam pono a pro ovibus meis. Et o alias oves habeo, p quæ non sunt q ex hoc ovili.

h Ego sum Pastor bonus,] non fur, neque mercenarius: hoc concludit ex prædictis. Deinde, quia dixerat, *sup. eod.* Et oves vocem ejus audiunt, & sequuntur, ne quis dicat, quid ergo de his, qui non crediderunt? Ideo induxit.

i Et cognosco meas] idest, scio, qui a me sunt prædestinati.

k Et cognoscunt me meæ] idest, in proximo est, ut convertantur, & credant multi. Vel loquitur de illis, qui jam crediderant, ut Apostoli, & cæcus, & alii. Hoc etiam & Paulus ait: *Rom.* 11. Non expulit Deus populum suum, quem præcognovit. Cognovit enim Dominus eos, qui sunt ejus. 2. *Tim.* 2. Et sumitur hoc de Numeri, ut dicit ibi *Gloss.* Vel secundum *Chrys.* de *Deut.* 31. ubi dicitur: Scio cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum. Sed quia dixit [Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ,] ne parem esse mensuram cognitionis æstimes, ideo hoc corrigit, dicens:

l Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem,] q. d. non est in illis, & in me par cognitio, sicut in me, & in Patre, quia nisi vellet nos super hoc instruere, cujus gratia hoc induxisset.

Item quia in multis locis Christus seipsum ponit in ordine multorum, idest, aliorum hominum communiter, ne quis æstimaret, quod ut homo purus ita cognosceret, ideo hoc inducit [Sicut novit me Pater, &c.] & ita certissime, unde scio eum, sicut ipse me. Propterea & dixit *Matth.* 11. Nemo cognoscit Filium nisi Pater: & Patrem nisi Filius, separatam quamdam cognitionem dicens: Et talem, qualem nullus alius habere potest.

m Et animam meam pono] Idest, depono a carne, non tamen a verbo. Vel [animam meam pono,] idest vitam expono.

n Pro ovibus meis.] *Chrys.* Continue, idest, sæpe: hoc dicit, ut ostendat, quod non est erroneus, sed verus Pastor: quia & Apostolus quando voluit se ostendere idoneum Magistrum, comparans se ad pseudo-Apostolos, a periculis, & mortibus seipsum constituit, & probavit idoneum. 2. *Cor.* 11. In plagis superabundanter, in mortibus frequenter. Ita & hic Christus. Nam dicere, quoniam lux sum, vita sum, putaretur livoris apud insipientes. Dicere ergo, mori volo, idest, animam pono, nullum livorem habet, neque invidiam: ideo non dicunt ei modo. Tu testaris de te ipso: testimonium tuum non est verum. Multis enim ostendebat verbis procurationem, idest, sollicitudinem, & amorem pro ovibus, qui pro lapidantibus volebat tradere seipsum: propterea, & opportune eum, qui de Gentibus est, inducit sermonem dicens:

Sup. 8.

o Et alias oves habeo,] prædestinatas de Gentibus.

Chrysostom. sic dicit [Non ex atrio hoc sunt] non turberis, differentia enim circa legem sola est, sicut Paulus ait *Galat.* 5. Neque circumcitio aliquid valet, neque præputium;

p Quæ non sunt ex hoc ovili, &c.] q. d. quid miramini, si hi me debeant sequi, & oves vocem meam audire, quando enim & alias videbitis me sequentes, & vocem meam audientes, tunc stupebitis magis.

q Ex hoc ovili,] idest de populo, vel de ritu, & cultu regali.

Δ Et illas

Alia exempl.

Θ rii in domo Patris mei abundant panibus, Et *Job* 7. Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi. Item *Job* 7. Sicut mercenarii dies ejus. Alius est mercenarius malus, qui quærit mercedem temporalem tantum, de quo dicimr hic. Et 1. *Tim.* 6. Æstimantes quæstum esse pietatem. *Osee* 2. Corrumpam vineam ejus, & ficum ejus, de quibus dixit, mercedes hæ meæ sunt. *Ezech.* 44. Posuistis custodes observationum mearum vobismetipsis. *Jer.* 12. Seminaverunt triticum, idest, verbum Dei, & messuerunt spinas, idest, divitias, quia pro lucro docent, & prædicant. *Eccl.* 10. In risu faciunt panem, & vinum.

Matth. 19. Luc. 10. De pœn. dist. 6. § hanc solitarum.

a Cujus non sunt oves propriæ,] sc. qui non amat oves, nec commodum ovium tanquam proprium. Lanam, & lac habent pro suis, & non oves, idest, animas. *Ezech.* 34. Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. b Videt lupum venientem,] Diabolum, vel Tyrannum, vel hæreticum.

c Et dimittit oves,] idest, negligit earum salutem, vel localiter.

d Et fugit:] *Gregor.* Non occurrit resistendo, vel peccata arguendo, quod est fugere. *Jer.* 46. Mercenarii ejus, qui versabantur in medio ejus, quasi vituli saginati versi sunt, & fugerunt simul, nec stare potuerunt. *Ezech.* 13. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel. Cum tamen hoc sit officium prælati, & opponere se lupo, i. hæretico, vel Tyranno, vel Diabolo, vel peccato. *Jer.* 1. Dedi te in civitatem munitam. *Eccl. cap.* 7. Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, &c. Unde nota, quod Aaron se opposuit igni. *Num.* 16. & *Sap.* 18. Sed notandum, sicut dicit *Gloss.* Pastores non dicuntur fugere, si cedunt persecutioni, & servant se ovium utilitati, sicut Paulus 2. *Cor.* 11. Quibus etiam corporaliter absentes, spiritu præsentes sunt, idest, spirituali sollicitudine. 1. *Cor.* 5. Nam etsi corpore absens sum; sed spiritu vobiscum sum.

e Et lupus rapit, & dispergit oves.] duo dicit, rapinam, & dispersionem. Diabolus enim aufert bonum, & dispergit ad malum. Ad diversa mala spargit dividens ab incommutabili bono. Hæ sunt duæ partes injustitiæ, projicere bonum, & adhærere malo. Vel secundum *Gloss.* lupus est Tyrannus, qui corporaliter vastat, & quantum ad hoc dicit (rapit) vel diabolus, qui spiritualiter dissipat, & quantum ad hoc dicit (& dispergit oves) Subdit autem, quare fugiat mercenarius,

Ezech. 22. Principes ejus quasi lupi rapientes prædam. *Soph.* 3. Judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane.

dicens: f Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est,] idest, quia quærit sua commoda.

g Et non pertinet ad eum de ovibus,] i. non amat utilitatem earum. *Greg.* Fugit, quia timuit, quia temporale plus æterno amavit. *Jerem.* 6. A minori usque ad majorem omnes avaritiæ student. Tamen dicit Apost. 2. *Cor.* 12. Non quæro vestra, sed vos. 1. *Cor.* 10. Non quæro, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Seq. h Ego sum Pastor bonus, & cognosco meas, &c.] Ab hoc loco non mutamus expositionem. Sed potest hic sumi thema in Synodo. Unde nota tria, in quibus præcipue attenditur bonitas Pastoris. In solertia pascendi, in diligentia custodiendi, in audacia defendendi. Solertia pascendi consistit in novem. Primum est in dubiorum apertione: ut manifeste doceat, & aperte ad intelligendum. *Proverbior.* 14.

Θ

* Obtenebrati sunt oculi nostri propter montem Sion, quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo. Sextum est, quod oves sociat, & conjungit. Unde dicit:

o Et alias oves habeo, &c.] Sic debet Abbas conjungere invicem per amorem, & pacem Monachos, & conversos activos, & contemplativos. Episcopus vero, Clericos, laicos, sæculares, & scholares per pacem sociare, ut impleatur illud. *Os.* 1. Congregabuntur filii Israel & filii Juda pariter, & ponent sibi caput unum. Cetera omnia patent per primam expositionem.

a Et illas oportet me adducere,] per Apostolos: Passionem enim Domini secuta est vocatio Gentium per Apostolos. *Chrys.* hic, (oportet) non est necessitatis; sed ejus, quod omnino erat demonstrativum. Item per hoc, quod dicit, (adducere) significat illos dispersos utrosque sc. & Judæos, & Gentiles, & sine pastore. Unde & prædicit copulationem futuram sub uno pastore, dicens.

& *a* illas oportet me adducere, & *b* vocem meam audient, *c* & fiet unum ovile, & *d* unus pastor. *e* Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam & iterum sumam eam. *f* Nemo tollit eam a *g* me; sed *h* ego pono eam a meipso. *i* Potestatem habeo ponendi eam, *k* & potestatem habeo iterum sumendi eam.

D

b Et vocem meam audient,] in Apostolis. Nec dicit meorum, quia in ipsis ipse loquitur: *c* Et fiet unum ovile,] i. una Ecclesia de Judæis, & Gentibus. Et unde sit illa unitas, subdit:

d Et unus pastor,] q.d. sub uno pastore erit unus grex. Quod & Paulus ostendit. *Eph.* 2. Ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem. Item in *eod.* Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Seq. *e* Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam,] idest, voluntarie depono vitam, vel animam a carne, sed non a verbo; ita tamen.

f Ut iterum sumam eam,] i. ut resurgam. Sed opponitur. Quia eadem ratione bonum opus est causa quare dicitur Deus nos diligere; sed hoc falsum est, imo e converso, quia nos diligit, bonum facimus. Item quærit *Chr.* quid hoc verbo potest esse humilius, si propter nos Dominator noster amari debet, quia pro nobis moritur? Quid igitur, dic mihi? Prius non amabatur, sed nunc amorem incepit, & nos facti sumus amoris ejus causa? Sol. Quia Deus diligit Petrum, bene operatur: & quia bene operatur, dum habet gratiam, magis diligitur a Deo, i. major ei gratia datur a Deo, & major gloria ei præparatur. Sed quia charitas Christi ab instanti conceptionis suæ fuit in summo, non dilexit eum Deus magis propter aliquod opus. Dicimus ergo, quod ly, (quia, & propterea,) utrumque est ostensivum dilectionis, vel ita quod ly, (diligit) dicat effectum, quantum ad accelerationem Resurrectionis, quam Christus meruit humilitate Passionis, ut dicitur *Phil.* 2. Propter quod & Deus exaltavit, &c.

(Unum ovile, & unus pastor.) Hoc prophetatum. *Ezech.* 27. Ubi dicitur, quod duo ligna conjuncta sunt, &c. Et in *Psal.* 117. Lapidem, quem reprobaverunt, ædificantes, &c. *Eph.* 2. Qui fecit utraque unum. Item in *eod.* Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu. Item *Gen.* 49. Ligans ad vineam pullũ suum, i. Gentilẽ populum sibi per fidem annectens. Christus enim est vinea, *inf.* 15. Ego sum vitis vera. Et ad vitem asinam suam, i. plebem Judaicam. *Os.* 1. Congregabuntur filii Israel, & Juda pariter, & ponent sibi caput unum.

Vel sic intellige.

e Propterea me Pater diligit,] i. valde ei placet oblatio, quam ego ei offero, sc. Unde *Chrys.* sic solvit dicens, quod condescensive loquitur, quia enim alienum dicebant a Patre, & seductorem, & in perditionem illorum venisse, dicit: & si nihil aliud esset, hoc saltem mihi suasit amare vos, quia vos ita amamini a Patre, ut ego etiam propter hoc diligar ab eo, quia pro vobis morior. Item per hoc intendit construere, & ostendere, quod non invitus ad hoc venit: si enim invitus, non esset amoris factivum quod fiebat. Item per hoc vult ostendere, quod Patri cum superabundantia hoc placet. Si vero ut homo loquitur, ne mireris: multoties enim hujus diximus causam, & rursus eadem dicere superfluum est, & onerosum. Et nota, quod duo dicit: (Pono animam meam, & iterum sumam eam,) mortem voluntariam, & Resurrectionem. Et ex priori secundum construit, a morte Resurrectionem, a depositione animæ resumptionem, qui enim potest ponere, vel non ponere animam, potest & resumere. Quia autem in sua potestate, & voluntate sit mori, ostendit, dicens:

f Nemo] enim (tollit) idest, potest tollere.

g Eam a me.] Hoc dicit, quia bene sciebant, quod multoties insidiati ei non valuerunt eum detinere: Etenim exivit de manibus eorum millies. Unde nota, quod a principio suæ prædicationis non dixit, quia tunc non crederent, sed quando ab ipsis rebus susceperat testimonium, quia multoties insidiati nihil potuerant dicere, tunc hoc dixit.

h Sed ego pono eam a meipso,] i. mea voluntate. *Isa.* 53. Oblatus est, quia ipse voluit. *Job* 7. Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea. Ergo electum est crux, non coactio, sed ne aliquis dicat: Tu dicis, quod tu ponis animam a teipso: ita facit & ille, qui se interficit: ideo subdit: *i* Potestatem habeo ponendi eam,] idest, ego solus Dominus sum dimittendi animam, vel non dimittendi: quod non est ille, qui interficit se, quia & alius similiter posset eum occidere. Item licet posset se occidere, non tamen resurgere. Unde subdit:

k Et potestatem, &c.] in Resurrectione. Et ne putent eum in hoc Patri contrarium, & ut ostendat apud Patrem residere auctoritatem, subdit:

Alia expositio.

Δ Hoc mandatum accepi a Patre meo.] ⊖ *Prov.* 14. Doctrina prudentium facilis. *Eccl.* 20. Sapiens in verbis producit seipsum. *Aug. in lib. de doctr. Christiana.* Quid enim prodest locutionis integritas; quam non sequitur intellectus audientis: cum loquendi omnino nulla sit causa; si quod loquimur, non intelligunt, propter quos, ut intelligant, loquimur:

De doct. christ. c. in quadam.

Item *Aug.* Quid enim prodest clavis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? & quid obest ligno, si potest, quando nihil quærimus nisi patere quod clausum est. 1. *Cor.* 14. Si incertam vocem det tuba, quis præparabit se ad pugnam.

Secundo, consistit in cognitorum brevissima tractatione. Unde *Aug.* Sicut ingratus est, qui incognita obnubilat: sic onerosus est, qui cognita inculcat. Unde 2. *Mach. ult.* legentibus si semper exactus sit sermo, non erit gratus.

Tertio consistit in sententiarum pondere. *Eccles.* 28. Verbis tuis facito stateram.

Item *Eccl.* 21. Verba sapientium statera ponderabuntur.

Quarto consistit in ornatus verborum vitatione, contra illos, qui involvunt sententias sermonibus imperitis. *Job* 38. Et *Eccl.* 4. Ne abscondas sapientiam tuam in decore ejus. *Aug. de doctr. Christ.* Cavendum est, ne divinis, gravibusque sententiis dum additur numerus, pondus detrahatur. Numerus est proportio syllabarum, & metrorum, & hujusmodi rethorici colores.

Item *Aug. ibid.* In doctoribus nostris hoc mihi plus placet, quod ibi rarissime invenies eos numeros. Satis enim est ei, propter quod agitur, ut verba congruentia non oris eligantur industria, sed doctoris sequantur ardorem.

Quinto consistit in compendiositate. Unde *Isa.* 10. Consummatio abbreviata inundavit justitiam.

Sexto in dulcedine, & suavitate loquendi, & in flectendo cum mansuetudine. *Eccl.* 6. Verbum dulce multiplicat amicos. *Psal.* 89. Supervenit mansuetudo, & corripiemur. *Aug.* Sicut delectatur, si suaviter loquaris; ita flectitur, si amet, quod pollicetis: timeat, quod minaris: oderit, quod arguas: quod approbas, amplectatur: quod dolendum, exaggeras: quod lætandum prædicas, gaudeat, misereatur eorum, quos miserendos ante oculos docendo constituis: fugiat eos, quos cavendos terrendo proponis.

Septimo consistit in electione pascuorum. *Exod.* 3. Cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Oreb, quod interpretatur mensa, quia in mensa Scripturæ reficiuntur animæ, vel in mensa gratiæ, vel gloriæ. *Ezech.* 34. In locis uberrimis pascam eas in montibus Israel. *Isa.* 30. Pascentur in possessione sua in die illa. Possessio nostra est Paradisus, idest, in sermonibus de dulcedine paradisi. Sed quidam sunt similes fratribus Joseph, qui pascunt gregem Domini in Dothaim, quod interpretatur defectio, idest, in mandanis. *Gen.* 37.

Octavo, consistit in temporanea eductione ad pascua. Non enim semper est aptum ducere eos ad pastum. *Luc.* 12. Quis putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dñs super familiam suam, ut det illis in tẽpore tritici mensuram.

Nono, consistit in congrua adaquatione, quod est, quando cum lacrymis, & compassione prædicat, vel hortatur. Tunc greges adaquantur, & tunc concipiunt bonum propositum, videntes virgas in aqua, i. correctionem in lacrymis, & in compassione: sicut oves conceperunt, quando adaquabantur in aspectu virgarum. *Gen.* 3. Secunda bonitas pastoris boni in diligentia custodiendi, quæ consistit in novem. Primo infirmos consolando. 1. *Thess.* 5. Consolamini pusillanimes. Secundo, in ægrotos sanando, quod fit pœnitentiam injungendo, & confessiones audiendo. Tunc enim sanatur morbus. *Eccl.* 44. Medicinam omnium in festinatione nebulæ. Pœnitentia dicitur nebula, quia magna videtur, sed statim disparet, & a longe videtur spissa, sed a prope quasi nulla: sic pœnitentia videtur pœnitenti. Tertio in confractorum alligatione: quod fit prohibitiones addendo, ne eas ad occasiones peccatorum. *Ecclesiast.* 6. Vincula illius alligatura salutaris. Quarto, in abjectorum reductione, quod fit per excommunicatorum, & schismaticorum reconciliationem.

⊖ Unde

A *a* Hoc mandatum] de omnibus prædictis, & ponendi, & sumendi animam, ut dicit *Gloss.* *b* Accepi a Patre meo,] i. hoc habeo a Patre, a quo habeo esse. Secundum *Chryf.* *a* Hoc mandatum] sc. mori pro mundo [accepi a Patre meo.] Qualiter igitur dicit, *sup. eod.* Ego pono animam meam a meipso? Solut. Bonus pastor non indiget incitante, vel mandato. Si vero in hominibus hoc est, multo magis in Deo. Est ergo a meipso, i. a mea voluntate, quia mihi placet, quod autem dicit hic [Mandatum accepi a Patre meo,] sensus est, i. ei placet, quod facio. Sicut enim *sup. eod.* Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam: per hoc significavit voluntatum processum, & contrarietatis distinxit suspicionem, i. placet Patri, quod animam pono: ita & hic mandatum se suscepisse a Patre, dicens, nihil aliud ostendit, quam quod illi placet hoc, quod ego facio, ut cum eum interfecerunt, non æstiment ut derelictum, & proditum a Patre interfecisse eum. Neque exprobrent, quæ exprobraverunt. Alios salvavit, seipsum non potest salvare. Et iterum: Si Filius Dei es, descende de Cruce. Et notandum, quod ne nos audientes [hoc mandatum accepi] putaremus inferioritatem, vel aliquam voluntatis diversitatem, & coactionem obedientiæ, ideo præmisit. Ego sum pastor bonus, quasi idem cum Patre, & animam meam pono pro ovibus meis voluntarie. Suas oves dicit & suum actum, & per hoc ostendit se Deum, & voluntarium, & non indigentem mandato. Unde per hoc, quod dicitur; [Hoc mandatum accepi] nihil aliud vult significare, quam concordiam ad Patrem. Et loquitur ita humiliter, & humane, propter imbecilles auditores. Seq. *c* Dissensio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos,] i. occasione prædictorum, quia tenebræ lucem non comprehendunt, & aliis fuit odor mortis, aliis odor vitæ. Et ostendit, qualis erat dissensio. *d* Dicebat autem] vel [quidem] secundum *Chryf.* *e* Multi ex ipsis.] Isti sunt tenebræ. *f* Dæmonium habet, & insanit.] Quia enim majora erant, quam secundum hominem, ea quæ dicebantur & non communis consuetudinis: ideo dicebant eum dæmoniacum, & insanum. *g* Quid eum auditis?] quasi insanum loquentem. Et nota, quod quarto jam dicunt hoc ei, sc. quod dæmonium habet. Magis autem non quarto, sed multoties, quod patet *sup.* 8. Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & Dæmonium habes? *h* Alii dicebant:] istorum oculi jam incipiebant & aperiri. *i* Hæc verba non sunt dæmonium habentis,] i. insani, quia utilia dicit, & ordinata, & secundum Scripturas. Sed quia per verba non poterant os obstruere, demonstrationem faciunt, quod non est dæmoniacus per opera. Unde subdunt: *k* Numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?] q. d. si non suademini verbis, saltem operibus moveamini. *Chryf.* Vides syllogismum Si dæmonium habentis, non sunt, majora autem sunt, quam secundum hominem: manifestum est, quoniam rectæ cujusdam, & divinæ sunt hæc virtutis. Quod autem non sint dæmonium habentis, ostendunt per ipsa opera. Quod autem sint majora quam secundum hominem, habent ex verbis illorum, qui dicebant; quoniam Dæmonium habet: ideo enim dicebant, quia secundum hominem non erant ea, quæ dicebat. Sed quæritur hic, quare Christus nihil respondet hic? Nam *sup.* 8. respondit: Ego dæmonium non habeo, hic nihil respondet. Sol. *Chryf.* Quia Christus per res, i. signa tribuerat demonstrationem, cæcum enim &c. Efficacior enim erat responsio per opera, quam per verba. Item neque digni erant responsione, qui dæmonium habentem eum vocabant pro his, pro quibus eum admirari, & Deum æstimare oportebat. Item non erat opus ipsum respondere, & eos redarguere ipsis adinvicem stantibus, & arguentibus se invicem: propterea silebat, & mansuete omnia ferebat, non propter hoc solum, sed & nos erudiens mansuetudinem, & longanimitatem omnem.

> *a* Hoc mandatum *b* accepi a Patre meo. *c* Dissensio iterum est inter Judæos propter sermones hos. *d* Dicebant autem *e* multi ex ipsis, *f* Dæmonium habet, & insanit. *g* Quid eum auditis? Alii *h* dicebant: Hæc *i* verba non sunt dæmonium habentis. *k* Numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? *l* Facta sunt autem encænia in *m* Jerosolymis, *n* & hyems erat.

E *Sup. 9. & 8.*

Alia expositio. ⊖ Unde hic: Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, &c. Et *Ezech.* 34. Congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam. *Matth.* 12. Qui non colligit mecum, dispergit. Et tales sunt similes diabolo. Quinto, in ovium quæ perierant, requisitione, quod at peccatores retrahendo a peccatis suis, & ab inferno; secundum illud *Prov.* 24. Libera eos, qui ducuntur ad mortem.

e Et *Eccl.* 4. Libera eum, qui injuriam patitur, de manu superbi, idest, diaboli. De his habetur *Ezech.* 34. Quod infirmum erat non consolidastis: quod confractum est, non alligastis: & quod abjectum est, non reduxistis: & quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis, & cum potentia. Sexto bonum proponendo. *Ezech.* 34. Quod pingue, & forte custodiam. Per contrarium ibidem. Quod crassum erat, & pingue occidebatis. Septimum est in vigilantia sollicitudinis. *Gen.* 31. Ego damnum omne reddebam tibi: quidquid furtive perierat, a me exigebas, die, noctuque æstu urgebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Octavum est in subditorum diligenti examinatione. *Prov.* 12. Novit justus animas jumentorum suorum. *Eccl.* 7. Pecora tibi sunt: attende illis, & si sint utilia, perseverent apud te. Nonum consistit in augmenti, & diminutionis subditorum diligenti computatione. *Jerem.* 33. Adhuc transibunt greges ad manum numerantis. Pauci curant de numero subditorum; tamen Dominus requiret. Unde *Jerem.* 13. Ubi est grex, qui datus est tibi? Tertia bonitas pastoris, quæ est audacia in defendendo, consistit in quinque. Primum in hæreticos expugnando. 1. *Reg.* 17. Dixit David ad Saul. Pascebat servus tuus gregem patris sui, & veniebat leo, & ursus, idest, tyrannus, vel hæreticus: & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant adversum me: & apprehendebam mentum eorum, idest, imponebam silentium hæreticis. Secundum est, ut principibus se audacter opponat, sicut Elias opposuit se Achab pro Naboth. 3. *Reg.* 21. Et *Eccl.* 48. Dejecisti reges ad perniciem, & confregisti facile potentiam ipsorum.

De eod. dist. 4. c. Solemn. 1.

Item in *eod.* In diebus suis non pertimuit principem, & potentia nemo vicit illum. Tertium est litigantes, & discordes comprimendo. *Job* 29. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. *Matt.* 5. Beati pacifici, &c. Quartum consistit in damnum temporale, & periculum corporale pro subditis negligendo. *Cant.* 8. Si dederit homo communem substantiam suam, &c. *Prov.* 12. Qui negligit damnum propter amicum, justus est. Quintum est, infamiam malorum contemnendo pro justitia inimicorum, 2. *Cor.* 6. Per infamiam malorum, & bonam famam.

l Facta sunt autem encænia.] Hæc est secunda pars hujus capituli, quæ dividitur in quatuor partes. Primo agitur de dedicatione templi, & tempore ejus. Secundo de quæstione Judæorum subdola, & responsione Domini, ibi [Quousque animam nostram tollis.] Tertio, de voluntate Judæorum lapidandi Christum, & qualiter ostendit se non esse dignum lapidatione, neque blasphemum, ibi: [Sustulerunt ergo lapides, &c.] Quarto, qualiter quæsierant eum apprehendere, & fugit trans Jordanem, & accedentes quidam crediderunt, ibi: [Quærebant ergo eum apprehendere, &c.] Dicit ergo:

l Facta sunt encænia] i. festa dedicationis templi.

m In Jerosolymis.] Et dicit pluraliter, quia per octo dies festum protendebatur.

n Et hyems erat.] Hoc dicit ad differentiam aliarum dedicationum quæ non hyeme, sed in Autumno in mense Septembri: vel in Vere, in Martio, sc. fiebant. Dicit autem *Aug.* Encænia erat festivitas dedicationis templi. Græce enim cænon dicitur novum, & quandocumque novum aliquid fuerit dedicatum, encænia vocatur. Jam & usus habet hoc verbum, si quis nova tunica induatur, encæniare dicitur. Vel encænia dicuntur, quasi encænea, ancos, quod est novum, & sonat innovationes, & est [en] ibi intensivum. Unde dicitur ab, en,

> *Gloss.* Hyems commemoratur, ut significet Judæos frigidos, qui non accedunt ad ignem, idest, non credunt in Christum. *Deut.* 4. & *Hebr.* 12. Deus ignis consumens est.

A quod est

Moraliter. Moral. *l* Facta sunt enim in Jerosolymis,] Thema in dedicatione, vel reconciliatione Ecclesiæ. *n* Et hyems erat,] i. gelicidium peccatorum: per quod innuitur, quare debeant fieri

dedicationes

n quod est in, & neos novum, & ce est ibi syllabica adjectio. Hoc autem festum non ad primam, vel secundam templi dedicationem spectabat, sed ad tertiam.

Prima enim fuit in Autumno, quando Salomon dedicavit templum decima die Septembris. *3. Reg.* 8. & *2. Par.* 5. & 6. Et usque ad templi illius subversionem fiebant singulis annis duo festa eodem die, dedicatio, sc. & expiatio. De qua *Lev.* 23. Cum autem reædificatū fuit templum a redeuntibus a Babylone, dedicatum est in Vere, duodecima die Martii, duodecima Luna. *1. Esd.* 6. Cum Antiochus Epiphanes polluisset templum sordibus idolorum, & profanasset utensilia ejus, Judas mundavit templum, & restituit utensilia ejus in locis suis, & quasi dedicavit illud vigesimaquinta die casleu, i. Decembris, ut dicitur *1. Mach.* 4. Et hæc dedicatio in diebus Domini Jesu observabatur in hyeme: quia & Judas præcepit, & instituit, ut celebraretur singulis annis per octo dies. *1. Mach.* 4. Et inde sumptum est, quod dedicatio Ecclesiæ quolibet anno octo diebus servatur. Ipse autem dies festus agebatur tempore, quo hæc dicta sunt, & facta, quæ sequuntur. *a* Et ambulabat Jesus] dicitur in Judæa frequentabat Christus, quia Passio in jannis erat. *b* In templo] i. in loco mundorum, ubi ibant ad orationem. Similiter *sup.* 2. Ejecit vendentes, & ementes de templo, i. de atrio illo. Unde magis determinat locum illum, cum subdit: *c* In porticu Salomonis.] Sicut dicit *Gloss.* sæpe notantur porticus templi, ut hic, in templum enim non ascendebant, nisi ministri. Porticus autem illa dicebatur Salomonis, in qua solebat Salomon stare ad orandum: in qua porticu die dedicationis erexit columnam æneam. *2. Paral.* 6. Super quam adoravit flexis genibus. *3. Reg.* 8. Cum tamen Judæi soleant stare, cum orant. Simile *Act.* 3. & 5. Erant in porticu Salomonis. Sed contra in fine. *4. Reg.* & *Jer.* in *fine* habetur, quod totum fuit destructum. Sol. Porticus Salomonis dicitur locus, in quo fuit porticus illa; in qua erexit columnam, & forte ibi erat aliquid post destructionem Babylonicam in reparatione templi de novo fabricatum. *d* Circumdederunt ergo eum Judæi] *Gloss.* Ecce hyems in Judæis. In quo adimpletum est illud. *Psal.* 21. Circumdederunt me sicut apes. Item Tauri pingues obsederunt me. *e* Et dicebant ei. Quousque animam nostram,] i. animas nostras. *f* Tollis] i. suspendis, cum incertos nos relinquis, nec palam dicis, utrum tu sis Messias? Vel secundum *Bern.* *f* Tollis] i. perdis, dum non dicis nobis palam, utrum sis Salvator, ut credamus.

> Et *a* ambulabat Jesus in *b* templo in *c* porticu Salomonis. *d* Circumdederunt ergo eum Judæi, & *e* dicebant ei: Quousque animam nostram *f* tollis?
>
> *A* Si tu es

Moraliter. * dedicationes, quia ad purificandum spiritum a sordibus hyemis, & calefaciendum. *Cant.* 2. Hyems transiit, imber abiit, &c. Et nota, quod in principio sunt peccata frigida. Unde *Jer.* 6. Sicut frigidam facit cisterna aquam, sic frigidam fecit malitiam suam. In consuetudine autem congelantur. *Eccl.* 43. Gelavit chrystallus ab aqua. Et *Eccl.* 6. Sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. Et loquitur facienti eleemosynas. Et bene comparatur hyemi status peccatorum propter novem causas. *Status peccatorum comparatur hyemi.* Prima est propter pigritiam hominum in hyeme. *Prov.* 20. Propter frigus piger arare noluit. Secunda propter sterilitatem bonorum operum. *Eccl.* 42. Gelu sicut salem effundet super terram, i. gelicidium peccatorum, super terram liberi arbitrii, ut non fructificet, sicut nec terra salita. Tertia, quia generata mortificantur in hyeme; sic bona opera per peccatum. *Jer.* 8. Non est uva in vitibus, nec ficus in ficulnea, i. nec exercitatio corporis, nec dulce opus pietatis est in eis, folium defluxit: quia nec etiam bonum verbum habent. Quarta, quia æstatis præteritæ vestigium non apparet in hyeme. *Eccl.* 63. Excussit desertum, & extinxit viride, quasi ignis, i. exemplum bonæ conversationis. Quinta, quia in hyeme sunt innundationes aquarum, & torrentium: sic abundantia iniquitatum. *Psal.* 17. Torrentes iniquitatis conturbaverunt me. *Os.* 4. Maledictum, furtum, homicidium innundaverunt. *Isa.* 8. Ibit per Judam innundans, & transiens usque ad collum veniet. *Psal.* 31. Verumtamen in diluvio aquarum multarum, &c. Sexta, propter frequentes tribulationes & instantes tentantes, sicut in hyeme est commotio venti, & intemperies aeris. *Isa.* 32. Et erit vir, sicut qui absconditur a vento, & celat se a tempestate. Septima propter facilitatem cadendi, propter lubricum, & gelu. *Jer.* 38. Demerserunt te in cœno, & in lubrico pedes tuos. *Psal.* 34. Via illorum tenebræ, & lubricum. Octava propter congregationem heterogeneorum. Gelicidium enim peccati congelando animam congregat, & conglutinat eam cum temporibus. *Ps.* 118. Adhæsit pavimento anima mea: Et *alib.* Conglutinatus est in terra venter noster. *Jer.* 15. Si separaveris pretiosum a vili, &c. Sicut quandoque forte gelu res adhæret terræ, & aqua in laguncula non potest exire, nisi frangatur per mortem suam. *Isa.* 10. Dominus Deus exercituum confringet lagunculam in terrore, i. divitem faciet evacuare divitias suas in terrorem mortis alterius, vel propriæ, quia tunc, velint, nolint, relinquet eas. Sicut enim vestes terræ adhærentes per gelu non possunt trahi, nisi rumpantur: ita nec avari a divitiis.

Unde *Job* 20. Divitias quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus, non per clysterium, sed sicut dicitur *Osee* 13. Dirumpam interiora jecoris eorum. Nona, quia in præsenti vita congregant, & multiplicant temporalia, sicut vestes solent in hyeme multiplicari, & ligna, hyems enim est eis.

Unde nullus est, qui præ calore abjiciat vestes, sicut Petrus, qui dicit *Marc.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, &c. Et sponsa. *Cant.* 5. Expoliavi me tunica mea, idest, sollicitudine acquirendi temporalia. *Gen.* 13. Descendit Rebecca de camelo, & induit se teristro, quod est vestis æstivalis, hæc est charitas, quæ omnia fere temporalia abjicit.

His igitur novem rationibus comparatur status peccatorum hyemi. In hoc ergo hyeme, ut sc. expellatur ab anima, debent fieri encænia, idest, templi dedicatio, quæ primo facta est sub Salomone, secundo, sub Esdra, tertio sub Juda. Templum est fidelis anima. *1. Cor.* 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Primo ædificatur, & dedicatur in Baptismo. Secundo, in pœnitentia. Tertio in gloria, vel etiam in mundatione venialium quotidiana.

Primo fuit templum ædificatum a Salomone: sic in Baptismo anima accipit a Christo materiam sanctæ conversationis, idest, gratiam, sive virtutes. *1. Cor.* 3. Dei ædificatio estis. Et hoc significatum est. *4 Reg.* 6. Ubi dicunt filii Prophetarum: Eamus usque ad Jordanem, qui significat Baptismum, & tollant singuli singulas materias, & ædificemus nobis domum per bonam conversationem. Sed hoc templum destructum est a Nabuchodonosor, idest, diabolo; & ideo debet reædificari per Esdram, idest, per pœnitentiam. *Ezech.* 36. Civitates inhabitabuntur, & ruinosa instaurabuntur. Sed quia astra non sunt munda in conspectu Dei, ut dicitur *Job* 25. Ideo oportet quotidie innovari nos per Judam, idest, per confessionem propter venialium instantiam. Unde *sup.* 2. Erant autem hydriæ lapideæ sex positæ secundum purificationem Judæorum.

Innovari debemus multis modis:
- Pelle, ut serpens, idest, conversatione. *Matth.* 10. Estote prudentes sicut serpentes.
- Plumis, ut accipiter, i. desideriis: *Job* 39. Numquid per sapientiam, &c. Et mutatio ejus acceleratur per venenosas carnes *Threnor.* 3. Saturabitur opprobriis.
- Rostro, idest, verbis, ut Aquila. *Ps.* 102. Renovabitur, ut Aquila.
- Ad petram Christum. *Isa.* 6. Labia ejus mundantur calculo. *1. Pet.* 4. Si quis loquitur.
- Carnibus, ut cervus, idest, viribus. *Isa.* 40. Mutabunt fortitudinem, &c. *Psal.* 41. Sicut cervus, &c.
- Spiritu, ut homo. *Ezech.* 11. Spiritum novum tribuam in visceribus eorum. *Inf.* 13. Mandatum novum. *Eph.* 4. Renovamini spiritu mentis vestræ, &c. *Thren. ultim.* Innova dies nostros sicut a principio.

Sequitur.

a Et ambulabat Jesus in templo in Porticu Salomonis,] i. in Religiosis, & Clericis. Sed propter quid dicitur ibi ambulare: quia non potest ibi sedere, sicut dicitur, quare jacet bos in prato. Unde *Gen.* 3. Ambulabat ad auram post meridiem, significans, quod jam non habebat requiem in Adam. *Eccl.* 24. In omnibus requiem quæsivi. *d* Circumdederunt ergo eum Judaei, & dicebant ei. Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.] Isti teneat typum quorumdam, qui de novo intraverunt religionem, vel de novo resilierunt a peccatis, qui tentantur aliquando, & dicunt:

▲ *a* Si tu es Christus,] i. Messias venturus, quem hominem putabant, sed præ omnibus regnaturum. *b* Dic nobis palam.] *Gloss.* Non veritatem, &c. Si hoc diceret, statim caperent eum, quasi contra Augustum facientem. Si non diceret, non ergo crederetis ei. Ideo ipse responsum temperat.

Unde sequitur. *c* Respondit ei Jesus. Loquor vobis] verba doctrinæ, quæ nemo alius unquam locutus est, & ideo potestis me per ea cognoscere.

e Et] tamen [non creditis] verba, & non

Si *a* tu es Christus, dic *b* nobis palam. *c* Respondit eis Jesus: *d* Loquor vobis, *e* & non creditis. *f* Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc *g* testimonium perhibent de me: sed *h* vos non creditis, quia non *i* estis ex ovibus meis. k Oves meæ vocem meam audiunt, *l* & *m* ego cognosco eas, & *n* sequuntur me. Et *o* ego vitam æternam do eis,

solum verba, sed & *f* Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei,] i. ad gloriam Patris, non meam propriam, & separatam. *g* Hæc testimonium perhibent de me,] quoniam sum Deus, & Messias. Unde *inf.* 15. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Unde etiam quidam ipsorum dixerunt, *sup.* 9. Quomodo potest homo peccator talia signa facere? Et *sup.* 3. Nemo potest facere hæc signa, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. *h* Sed vos non creditis] q. d. doceo secundum Scripturam, facio opera supra naturam: & tamen non creditis mihi. Unde superfluum esse, si dicerem vobis, quod quæritis. Scio enim, quod tentando quæritis. Et subdit, cur non credant. *i* Quia non estis ex ovibus meis.] *Chrys.* q. d. omnia complevi, quæ Pastorem facere oportebat; vos autem non sequimini, non quia non sum Pastor, sed quia non vultis esse oves. Hoc autem dicebat, ut studerent fieri oves. Et nota secundum *Chrys.* ab illo loco: Circumdederunt ergo eum Judæi. Corrupta erat eorum mens, & callida, quia enim non poterant inferre calumniam operibus, insidiantur, ut capiant eum in sermonibus, ideo interrogant, ut possint capere. Et vide perversitatem, & altercationem eorum, quando concionabatur, & per sermones erudiebat: tunc dicebant, quod signum ostendis, *sup.* 6. Quando alia signa facit, dicunt tunc ei. [Si tu es Christus, dic nobis palam.] Operibus clamantibus, verba requirunt: & verbis docentibus, ad opera defugiunt, ad contrarium semper stantes. Et nota, qualiter malitiam cooperiunt; præmittunt enim verba adulationis, [Quousque animam nostram tollis.] Videbatur enim amoris discendi verbum, & dilectionis esse cujusdam, sicut *Matth.* 22. Magister, scimus, quia verax es, &c. Et de septem viris mulieris. *Ibid.* Eodem modo, *sup.* 8. quando quærunt de judicio mulieris adulteræ.

a Si tu es Christus, dic nobis palam,] hoc dicunt, ut eum de jactantia accusent, velut Cæsari contrarium. *Chrys.* Sed & modus interrogationis plenus erat odio.

b Dic nobis palam.] Et nimirum, cum propalatione omnia dicebat in festivitatibus assistens semper, & nihil occulte loquebatur, *infr.* 18. Ego in abscondito locutus sum nihil. Quod autem non discendi, sed tentandi gratia quærerent, ipsa lapidatio secuta monstravit. Quem enim ita fide dignum esse æstimabant, unde de seipso testantem susciperent, parva quædam locutum, confestim lapidaverunt. Item patet; quod tentando quærebant, quia multoties hoc eis significaverat, & verbis, & operibus, sc. quod esset Christus, *sup.* 4. Ego sum, qui loquor tecum, dixit Samaritanæ. Et *sup.* 9. Et qui loquitur tecum, ipse est: & hoc dixit cæco. Et illis etiam dixit idem, & si non ita, sed per tanta verba, & per opera. Unde patet, quod tentando quærunt. *c* Respondit eis.] *Matth.* 22. illis quærentibus dolose: Magister, scimus, quia verax es, &c. arguit eos dure, dicens quid me tentatis, hypocritæ? Per hoc ostendens, quoniam novit abscondita mentis eorum. Hic autem nihil loquitur per hoc erudiens nos de omnibus arguere eos, qui insidiantur, sed præ mansuetudine, & humilitate multa dissimulare. Unde etiam *Prov.* 26. utrumque dicitur. Et responde stulto, &c. Et non responde stulto. Quia ergo dementiæ erat operibus ipsum ostendentibus sermonis quærere testimonium, audi, qualiter eis respondit, simul insinuans, quoniam hoc superflue quærebant, & non pro discendo, & ostendens, quoniam voce, quæ est per verba, manifestiorem dedit vocem, sc. eam, quæ est per opera. Unde dicit: *d* Loquor,] vel [dixi vobis] multoties, sc. me esse Christum. [Et non creditis.] Et hoc per opera dixerat. Unde subdit, quia sc. *f* Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei,] non ei contraria ut mihi imponitis.

g Hæc testimonium perhibent de me,] quasi dicat, patet, quod superflua, & subdola est vestra interrogatio: quia si operibus non creditis, qualiter verbis crederetis, in quo aperit malitiam eorum, qui simulabant tunc a nudo ejus verbo suaderi, qui tot non sunt suasi operibus? Et subdit cur non credunt.

h Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis,] quasi dicat, non est culpa in me, qui feci omnia, quæ sunt Pastoris, sed in vobis, qui non vultis esse oves.

k Oves meæ vocem meam audiunt] per fidem.

l Et ego cognosco eas] per approbationem, vel prædestinationem: Sicut e contra dicitur malas nescire. *Matth.* 7. & 25.

n Et sequuntur me,] per imitationem, & beatitudinem, ut dicit *Gloss.* De qua beatitudine ostendit.

o Et ego vitam æternam do, vel [dabo eis] audientibus fide, & sequentibus operis imitatione. *Chrys.* His promissis scalpit eos, ut eos erigat, & in desiderium sui commutet. Et nota, quod ista quatuor possunt referri ad illa quatuor. *Roman.* 8. Quos prædestinavit, illos & vocavit, justificavit, & magnificavit: ut prædestinatio referatur ad cognitionem, & vocatio ad auditum, & justificatio ad secutionem, & magnificatio ad vitæ æternæ dationem. Et secundum hoc exponitur.

k Oves meæ vocem meam audiunt,] qua voco eas. Et bene dico vocem. *l* Et,] idest, quia.

m Ego cognosco eas,] idest, ab æterno præeligens: unde & voco, quia quos prædestinavit, voco.

n Et sequuntur me] in justitia. *o* Et ego vitam æternam do eis,] in magnificentia. Sed quia præmium non solum est in adeptione boni: sed in evasione mali, subdit:

▲ Et non

Moral.

a Si tu es Christus,] idest, si ita dulcis es, & tantæ consolationis, ut dicunt prædicatores.

b Dic nobis palam,] per effectum. Sic enim, qui de Ægypto exierant, murmurabant. Contra quos dicitur 1. *Cor.* 10. Neque murmurantes, sicut quidam murmuraverunt, & a serpentibus perierunt.

c Respondit eis Jesus: Loquor vobis] interius per inspirationem, exterius per Scripturas, & beneficiorum largitionem. *e* Et non creditis] adhuc dulcedinem mellis non sentitis, quia adhuc palatum infectum habetis.

Quatuor modis non credimus verbis Christi.

f Opera, quæ ego facio, &c.] i. miraculum, quod feci in dimittendo peccata tua, debent esse testimonium, quod consolationes confero. Vel aliter, ut sit hic prothema. *d* Loquor vobis, & non creditis.] Non credimus autem verbis Christi propter quatuor, vel quinque. Quia nobis displicent. *Eccl.* 21. Audivit luxuriosus, & displicebit ei, & projiciet illud post dorsum suum. Item, quia sunt contraria sapientiæ nostræ. 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia est illi, & non potest intelligere. Item, quia de talibus non cogitamus. *Prov.* 18. Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde ejus. Item, quia fingimus ea dicta de terrorem, non ad veritatem. Unde *Jer.* 38. De industria dissolvit manus virorum bellatorum. Item, quia non videmus pœnas, quas comminatur. *Jer.* 20 Factus sum in derisum tota die, quia omnes subsannant me, quia jam olim loquor vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito: & factus est mihi sermo Domini in opprobrium, & in derisum. *f* Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc, &c.] q. d. non loquor tantum verba, sed ago bona, & intentione recta; & ideo recipere deberetis tale testimonium, quia hi duo, vel tres sufficiunt. *Deut.* 19. [In nomine] Domini, &c. *Act.* 1. Cœpit Jesus facere, & docere. *h* Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis,] *sup.* 8. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Ibi require de hoc.

k Oves meæ vocem meam audiunt.] *Psal.* 92. Nos autem populus ejus, & oves pascuæ ejus: *infr.* 20. Maria audita voce Christi dicentis: Maria, recognovit eum, & respondit; Rabboni. *Job* 14. Vocabis me, & ego respondebo tibi. Et nota, quod oves non respondent, sed fugiunt ad ululatum luporum. Ululatus autem sunt tentationes dæmonum, vel cantilenæ, & lenocinia malorum, & hujusmodi. Non sunt ergo oves, qui ad hæc currunt, sed qui verbum Dei libenter audiunt. Cetera non mutantur

F

(a a Et non peribunt in æternum,] etsi videantur hic perire. Per quod etiam innuit, quod illi peribunt in æternum, qui non sunt de ovibus, & qui videntur hic perire.

Job 17. Libera me, Domine, & pone me juxta te: & cujusvis manus pugnet contra me. *Isai.* 50. Juxta est, qui justificat me, quis contradicet mihi? Stemus simul: quis est adversarius meus? accedat ad me.

b Et non rapiet eas quisquam.] Fur, vel latro non rapit, quos Dominus novit. *c* De manu mea,] idest, potestate, vel conversatione, quasi dicat, non in futuro peribunt per pœnitentiam, nec in præsenti rapientur ad culpam. *Chrys.* Quia Judæi infinita faciebant insidiantes, & extra Synagogam facientes, & expellentes illos, qui Christum confitebantur, & erant de ovibus, ideo dicit eis, quod omnia inaniter, & vane machinantur, quia in manu ejus sunt oves. Et ne pro nihilo hoc reputent, ostendit eamdem esse manum suam, & Patris: & ita oves sunt in manu Patris, sicut dicit Propheta. *Isai.* 49. In manu mea pinxi tuos parietes, alia littera. Item *Sap.* 3. Justorum animæ in manu Dei sunt, &c. Dicit ergo. *d* Pater meus, qui dedit mihi] ipsas oves.

est Creatori attribuitur, vel e converso. Ipsi vero credebant eum esse puram creaturam. Unde exponunt, quomodo sit blasphemia.

n Et] pro idest.

o Quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum,] idest fingis, vel dicis. *August.* intellexerunt non posse dici: (Ego & Pater unum sumus) nisi ubi est æqualitas Patris, & Filii, quod Arrius non intellexit. Christus autem, quia vidit eos tardos, & non ferre splendorem veritatis, temperavit eos in his verbis.

p Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra,] idest, *Psal.* 81. Large Psalmi dicuntur lex.

q Quia ego dixi: Dii estis.] Tribus enim modis dicitur Deus, ut dicit *Gregor.* Natura, ut *Matth.* 4. Dominum Deum adorabis. Et *Deuteron.* 6. Diliges Dominum Deum tuum. Adoptione, ut: Ego dixi: dii estis, &c. Falso, vel nuncupative, ut Dæmones, vel idola. *Jerem.* 10. Dii, qui non fecerunt cœlum, & terram pereant. *Psal.* 96. Omnes Dii Gentium Dæmonia.

24. q. 3. cap. quidam vir. Arcani.

e Majus omnibus est,] idest, potentior est omnibus ad protegendum, quam vos ad impugnandum, vel quam dæmones. Vel.

d Pater meus, quod dedit mihi, &c.] idest id, quod Pater dedit mihi, idest potestas, quam generando dedit, vel quam habeo per generationem ab eo, est super omnia.

& *a* non peribunt in æternum, & *b* non rapiet eas quisquam *c* de manu mea. *d* Pater meus, quod dedit mihi, *e* majus omnibus est, *f* & nemo potest rapere de manu Patris mei. *g* Ego & Pater unum sumus. *h* Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. *i* Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo. *k* Propter quod eorum opus me lapidatis? *l* Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te; sed *m* de blasphemia: & *n* quia *o* tu homo cum sis, facis teipsum Deum. *p* Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego *q* dixi: Dii estis? Si *r* illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & *s* non potest solvi Scriptura, *t* quem Pater sanctificavit, & misit in *u* mundum, *x* vos dicitis: quia † blasphemas: quia dixi: Filius Dei sum? Si *y* non facio opera Patris mei, *z* nolite credere mihi: Si *a* autem facio, *b* & si mihi non vultis credere, *c* operibus credite, ut *d* cognoscatis, & credatis, quia in me est *e* Pater, & ego in Patre. *f* Quærebant ergo eum apprehendere, & *g* exivit de manibus eorum,

r Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est,] idest, per gratiam revelatus, & per fidem informatus.

s Et non potest solvi Scriptura] idest, falsitatis argui. *t* Quem Pater sanctificavit,] idest, sanctum genuit.

al. † blasphemo.

u Et misit in mundum,] idest, cum sanctitate, & sine macula originali Incarnari constituit. Vel. *t* Sanctificavit,] idest, quem specialiter ostendit in Baptismate. *u* Et misit in mundum] idest a se missum specialiter per opera demonstravit. Quomodo.

f Et] ideo (nemo potest rapere de manu Patris mei,] idest de potestate, quæ est una mihi, & Patri vel de me, qui sum manus Patris. *Chrys.* Consequens esset dicere: (Pater meus, qui dedit mihi, majus omnibus est,] idest, (nemo potest rapere de manu mea] sed hoc non dixit, sed (de manu Patris mei,] ut ostendat se non esse Patri contrarium. (Dedit mihi] loquens condescensive. Unde & ne propter hoc crederetur fortificatus a Patre, quasi prius existens imbecillis, subdit:

g Ego & Pater unum sumus,] quasi dicat, non ideo dixi, quod nemo potest de manu mea propter virtutem Patris, quasi ego imbecillis sim. (Ego] enim, (& Pater unum sumus,) secundum virtutem, idest pares in virtute. De virtute enim erat sermo universas? si vero virtus eadem, manifestum est, quoniam & substantia.

h Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum,] quasi pro blasphemia, quia dicebat æqualem se Deo. *Chrysostom.* Si minor erat Filius Patre, multæ hoc audaciæ, & temeritatis verbum. (Ego & Pater unum sumus,] nihil enim aliud quam virtutis parilitatem ostendit: quod & intelligentes Judæi lapides in eum jaciebant. Sed neque ita destruit opinionem hanc parilitatis. Et nimirum si male suspicati essent illi, oportebat eum corrigere hanc eorum suspicionem, & dicere, cujus gratia me lapidatis, non parem dixi virtutem mihi, & Patri; nunc autem omne contrarium facit, & statuit magis, & confirmat parilitatem. Et ostendit primo per opera, quod non est dignus lapidatione. Et postea dicit, quod non est blasphemus in verbo, quod dixerit se unum cum Patre. Unde dicit:

i Respondit ais Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo.] Bona dicit, quia omnia ejus miracula celabant ad utilitatem, quod non miracula seductorum: (Ex Patre meo) dicit, ut mitiget eorum furorem, qui blasphemum eum dicebant. Et dicit contrarium.

k Propter quod eorum opus me lapidatis,] idest, lapidibus projicitis, quasi pro nullo debetis.

l Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te] *Gloss.* Non possunt negare se bona accepisse; sed non possunt ferre, quod Filius Dei dicatur. Unde subdunt:

m Sed de blasphemia,] quæ est, quando quod creaturæ

x Vos dicitis, quia blasphemo, &c.] Sic ordina litteram: (Quomodo) vel (qualiter vos dicitis, quia blasphemo) Ego, inquam, (quem Pater sanctificavit, & misit in mundum.) Quia blasphemo, inquam, (quia Filius, Dei sum.) *Chrys.* Quod dicit tale est. Si illi, qui per gratiam hoc acceperunt, non incusantur Deos se vocantes, qui a natura hoc habet, qualiter dignus est increpari? Sed ita expresse quidem non dixit; postea vero id construxit, prius condescendens eis, & remittens sermonem, & dicens: (Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum,) & in hoc mitigans furorem eorum. Et primo inducit manifestam hanc materiam parilitatis. Nam interim quidem, ut susciperetur sermo ab eis, humilius locutus est: postea vero ad majus, & altius sermonem reduxit, ita dicens; *y* Si non facio opera Patris mei] eamdem, quæ Pater. *z* Nolite credere mihi] quasi si solis verbis prædico, ne credatis. *a* Si autem facio] Illa opera. *b* Et si mihi non vultis credere,] idest, verbis, & innocentiæ vitæ. *c* Operibus credite,] idest operibus fidem adhibete. *d* Ut cognoscatis, & credatis,] idest ut per fidem cognoscatis hoc, quod sequitur. Vel secundum *Gloss.* ut merito fidei amplius cognoscendo opera, veniatis ad fidem Divinitatis, *Chrys.* Vides, qualiter hoc, quod dixit, construit, scilicet quod in nullo est minor Patre; sed ubique par; quia enim substantiam ejus videre erat impossibile, ab operum parilitate, & identitate, demonstratione indivisibilis virtutis, & quod credamus, dicit: *e* Quia in me est Pater, & ego in Patre] q. d. nihil aliud ego, quam quod Pater, manens tamen Filius: nihil aliud Pater, quam quod ego, manens tamen Pater: & si me cognoscit quis, Patrem cognovit, & e converso, sicut dicitur alibi. Qui videt me, videt & Patrem meum, *inf.* 14. Per hoc ergo ostendit distinctionem personalem, & unitatem essentialem. & est idem quod id, quod prius dixerat: Ego & Pater unum sumus, sed expressius hoc dixit modo, & ex iteratione confirmavit, & ex probatione propterea Unde & Judæi sicut prius deſæviunt. Et hoc est quod subditur. *f* Quærebant ergo, &c.] non per fidem, sed ut occidant, ut dicit *Gloss.*

g Et exivit, &c.] ad litteram, vel (manu,) i. potestate (eorum) vellent, nollent: in quo ostendit se Deum.

a Et abiit

a Et abiit iterum trans Jordanem.] Per quem transitum significavit recessum de Judæis ad gentes.
b In eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum,] *supra* 3. Decollatus erat jam Joannes, ut dicitur *Matth. cap.* 14.
c Et mansit illic] docens, & miracula faciens, ubi prius Joannes docuerat. Et nota, quod sicut dicit *Chrysostomus*, cum Christus magnum quid, & excelsum de se locutus fuerat, velociter recedebat, ut remitteretur eorum furor, & sedaretur, & quiesceret passio invidiæ per absentiam ejus: quod & nunc fecit, sicut habetur *supra* 8. & 9. & ibi dicitur, quod exivit de templo, & præteriens vidit cæcum, &c. Sed quæritur, cur, locum, quo ivit, determinavit Evangelista? Et dicit *Gloss.* quod per hoc ostendebat, se esse impletionem ombræ jam cessantis. Joannes enim, cujus locum prædicationis intravit, legem significat. *Chrysostom.* aliter solvit ad litteram, dicens, quod locum designat Evangelista, ut discas, quoniam, propterea abiit illic, ut reminisceretur eorum, quæ illic facta sunt, & dicta a Joanne Baptista, & testimonii ipsius Joannis de Christo: Ecce agnus Dei.

Et *a* abiit iterum trans Jordanem in *b* eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum, *c* & mansit illic. Et *d* multi venerunt ad eum, & dicebant: quia Joannes quidem signum fecit nullum. *e* Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant: & *f* multi crediderunt in eum.

Unde & venientes illic, statim meminerunt Joannis, sicut dicitur hic.
d Et multi venerunt ad eum, & dicebant, quia Joannes quidem signum fecit nullum,] idest, nullum miraculum, ut dicit *Gloss.* Et quicquid dicebat, testimonium perhibebat huic. Ergo huic credendum, tanquam majori Joanne, quia signa facit, & tanquam testificato a Joanne. Et hoc est: [Omnia autem quæcumque, &c.] Vel secundum *Chrysostomum*: [Joannes quidem signum fecit nullum.] Vide qualiter complicant syllogismos indubitabiles. Joannes quidem nullum facit signum; hic autem facit: quare & hic ejus præeminentia ostenditur ad Joannem. Si igitur illo nullum signum faciente crediderunt, multo magis huic credendum. Et quia Joannes testatus fuerat Christo, ne propter hoc, quia nullum signum fecerat, putaretur indignus ad testimonium enunciandum, subdunt.
e Omnia autem, quæcumque dixit Joannes de hoc, vera sunt,] vel [erant,] quasi etsi signum nullum fecit; tamen omnia veraciter dixit, & per hoc eos attrahebant ad Christum. Meminerunt enim verborum, quæ dixerat Joannes, ipsum esse fortiorem se, & lucem, & vitam, & veritatem, & reliqua omnia, quæ dixit: Meminerunt etiam vocis, quæ desuper delata est in Jordane: & Spiritus, qui in columbæ specie apparuit, quæ & ostendit eum omnibus, & cum his etiam eam, quæ miraculis ipsius Christi erat, demonstrationem conspexerunt, & sic certiorabantur syllogizantes sic. Si Joanni credere oportebat, multo magis huic cum Joannis testimonio, & signorum. Unde sequitur:
f Et multi crediderunt in eum,] sic persuasi, sicut dictum est.

EXPOSITIO CAP. XI.

Erat *g* autem quidam Lazarus, &c.] In hoc capitulo primo agitur de resuscitatione Lazari. Secundo, de quorumdam Judæorum fide, viso miraculo, & de quorumdam aliorum machinatione in Christum, ibi: [Multi ergo ex Judæis venerant.] Tertio, de prophetia Caiphæ, ibi: [Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, &c.] Quarto, de fuga Christi, & secessu, & qualiter in Jerusalem requirebant eum ante diem festum, ibi: [Jesus ergo jam non palam ambulabat, &c.] Dicit ergo. *g* Erat autem quidam] nobilis, & magnæ opinionis, & domus ejus. Et notificat eum a fama, cum dicit: [Quidam] Et a nomine, cum dicit: [Lazarus.] Et ab infirmitate, cum dicit: [Languens:] Vel secundum *Chrysostomum*: [infirmans.] Multum enim diffunditur rumor, quando magni infirmantur. Et a loco, cum dicit: [A Bethania.] Et quia duplex fuit Bethania. Una circa Jordanem, de qua habetur *supra* 1. Alia prope Jerusalem, ideo determinando subdit: *i* De castello Mariæ, & Marthæ sororum ejus.] Et ista erat prope Jerusalem stadiis quindecim, ut dicitur *infra eodem*. Et nota, quod quia istæ mulieres familiares erant Christo, & notiores erant in Evangelio, quia alii Evangelistæ agunt de eis; ideo Joannes Evangelista notificat hic Lazarum per eas. Unde subdit: *k* Maria autem erat: quæ unxit Dominum unguento.] *Lucæ cap.* 7.
l Et extersit pedes ejus capillis suis,] sicut habetur in *eodem Luc. capit.* 7. Quia enim multæ erant hujus nominis, ne erremus pro nominis similitudine, ostendit Evangelista, quæ sit ista ex novissima actione.

CAP. XI.

Erat g autem quidam languens Lazarus *h* a Bethania, *i* de castello Mariæ, & Marthæ sororum ejus. k Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & *l* extersit pedes ejus capillis suis, ▵ Cujus frater

Moraliter.

Moraliter. *g* Erat autem quidam languens, &c.] Tres tanguntur personæ in Bethania: Lazarus, Martha, & Maria, quæ significant tria genera hominum in Ecclesia, Infirmos, sive incipientes, proficientes, & perfectos. Vel Prælatos, conjugatos, & Deo dicatos, qui significantur per Noe, & Job, & Daniel. *Eccl.* 14. Et per Petrum, Jacobum, & Joannem, qui interfuit resuscitationi puellæ. *Marc.* 5. Et transfigurationi. *Matth.* 17.
Item significantur per illos, qui sunt in agro, & mola, & lecto. *Matth.* 24.
Et nota, quod Lazarus infirmatur, & moritur: Sic Prælati frequentius magis torpent in bono, & moriuntur in malo. Unde Loth inebriatur. *Gen. cap.* 19. Et Petrus negat. *Matth. cap.* 26. Et nota, quod sorores ejus rogant pro eo resuscitando, & resuscitatur: Sic debent plebes rogare pro Prælato suo. Quarum duo sunt genera, ut virgines, aut conjugati, vel activi, & contemplativi, quas Prælatus debet habere pro sororibus, ut sorores, & caste eas diligat, & se non extollat; sed quasi coæqualis sit, secundum illud *Ecclesi. capit.* 32. Rectorem te posuerunt, &c. Vel aliter.
g Erat autem quidam languens] per torporem ignaviæ, & acidiæ, ut aliquis claustralis. De quo languore dicitur *Eccl. cap.* 20. Languor prolixior gravat medicum, idest, Priorem, sive Prælatum. *Apocal. cap.* 3. Utinam frigidus esses, aut calidus, &c. *Proverb. cap.* 18. Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Lazarus quidem interpretatur adjutus Domini, sive auxiliatus a Domino. Et ideo mirum est, quod claustrales torpent, cum præsto sit eis Dominus auxiliari. *Psalm.* 90. Clamavit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, &c. *Isai.* 49. In tempore placito audivi te, idest, quando intrasti religionem. *Psalm.* 68. Tempus beneplaciti Deus: Et in diebus salutis auxiliatus sum tui. Unde Dominus talibus commemorat, quod pluries Abrahæ recitat: Ego sum Dominus, qui eduxi te de Hur Chaldæorum, idest, de igne ferocium, idest, dæmonum. Unde significantur per pueros. *Dan.* 3. *Genes.* 15.
h A Bethania,] quæ interpretatur domus obedientiæ, & significat claustrum.
i De castello Mariæ, & Marthæ sororum ejus.] In claustro sunt quidam contemplativi, quidam activi. Maria enim, quæ sedet ad pedes Domini, & audit verbum ejus, ut dicitur *Luc.* 10. significat contemplativos. Martha autem, quæ satagebat circa frequens ministerium, significat activos, qui olim conquerebantur de contemplativis. Et sicut dicit *Bernard.* Felix illa domus, in qua Martha conqueritur de Maria; sed hodie fere infelices sunt omnes, quia Maria conqueritur de Martha. Et nota, quod Lazarus est de domo: quia in omni domo est aliquis infirmus supportandus inter bonos: & iste debet esse frater Mariæ, & Marthæ, quia boni infirmos, & pusillanimes debent diligere fraterne, & pro eis orare. *Gal.* 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, &c.
k Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento.] Contemplativi ungunt triplici unguento, contritionis, devotionis, & compassionis, sive pietatis.
l Et extersit pedes ejus capillis suis,] quod est quando divites sua superflua dant pauperibus, qui sunt membra Christi.

a cujus frater Lazarus infirmabatur. b Miserunt ergo sorores ejus ad eum, c dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. d Audiens autem Jesus, dixit eis: e Infirmitas hæc non est ad mortem, f sed pro gloria Dei, ut g glorificetur Filius Dei per † eam. b Diligebat autem Jesus Martham, & i sororem ejus Mariam, & k Lazarum. Ut ergo l audivit, quia m infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco n duobus diebus;

▲ a Cujus frater Lazarus infirmabatur.] Maria famosior erat, ideo sine Martha hic ponitur. Et nota, quod de ista Maria communiter habet Ecclesia, quod sit illa peccatrix, de qua habetur *Luc.* 7. quæ unxit pedes Jesu. Et de qua etiam habetur *Matth.* 26. Et hoc vult *Augustin.* & *Rab. Chrysostom.* tamen super hunc locum dicit: Hic quidam dubitant, qualiter Christus sustinuit mulierem ungentem eum, & capillis tergentem. Igitur primum quidem illud necessarium est discere, quoniam non hæc fuit meretrix illa, quæ in *Matth.* 26. neque illa, quæ in *Luc.* 7. Etiam illæ quidem meretrices fuerunt mulieres, & multis plenæ malis: hæc autem honesta, & studiosa: Etenim & circa susceptionem studuit Christi. Igitur quoniam quidem non fuit hæc illa, manifestum est: sed cujus gratia, aut quis illam, quæ *Matth.* 26. vel *Luc.* 7. suscepit Christus, ut ungeret se, ut solvat malitiam ejus, ut ostendat misericordiam suam, ut discas, quoniam non est ægritudo vincens ejus bonitatem. *Hieron. super Matth.* 26. dicit: Nemo putet eamdem esse, quæ super caput effudit unguentum, *Matt.* 26. & quæ super pedes. *Luc* 7. Illa enim & lacrymis lavit, & crine tersit, & manifeste meretrix appellatur. De hac autem nihil tale scriptum est. b Miserunt ergo sorores ejus ad eum,] ut se a dolore liberarent, & fratrem ab ægritudine. Sed *Chrys.* quærit, cur non ipsæ relicto fratre venerunt, sicut Centurio. *Matth.* 8. & Regulus *sup.* 4. sed mittunt? Respondemus, quia confidebant vehementer de Christo, & multam ad eum familiaritatem habebant.

Item quia mulieres erant infirmæ, & a luctu detinebantur. Quia enim ex contemptu hoc non fecerunt, postea ostenderunt. Tertia ratio est, quia non debent mulieres discurrere, nec vagari. Sed quo miserunt? *Augustinus* dicit, quod trans Jordanem in locum, ubi fuerat, sicut dicitur *supra* 1.

c Dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur.] *Augustin.* non dixerunt: veni. Amanti enim tantummodo nunciandum fuit: non ausæ sunt dicere: veni, & sana, sicut & regulus: nec ausæ sunt dicere ibi: jube, & hoc fiet, sicut Centurio. *Matth.* 8. cujus fides commendatur. Nihil horum istæ dixerunt, sed tantumodo. [Domine, ecce quem amas, infirmatur,] sufficit, ut noveris, non enim amas, & deseris. *Chrys.* Non dixerunt: Ecce Lazarus infirmatur, sed [ecce quem amas, infirmatur] in propitiationem volentes attrahere Christum per hæc verba. Adhuc enim ei, ut homini attendebant. Quod patet ex hoc, quod dicunt *inf. eod.* Domine, si fuisses hic; &c. d Audiens autem Jesus dixit, eis,] idest mandavit eis per nuncios. Vel [eis,] idest nuncus, e Infirmitas, &c.] *Chrys.* Quia debebat illic duobus diebus manere, interim nuncios remisit hæc annunciantes; [Infirmitas hæc non est ad mortem] ita, scilicet, ut remaneat in morte.

f Sed pro gloria Dei,] idest, ipsius Christi, ut manifestetur esse Deus. Unde sequitur: g Ut glorificetur Filius Dei per eam] infirmitatem, vel mortem, a qua suscitavit eum. *Gloss. Aug.* [Dei.] Cujus Dei? Ut scilicet glorificetur Filius Dei. Ecce se Deum dicit, contra illos, qui dicunt Filium Dei non esse Deum. *Chrys.* Istud [ut] non est causale, sed eventus, nam evenit quidem aliunde infirmitas. Usus est autem ea in gloriam Dei. *Chrys.* Unam gloriam dicit ejus, & Patris. Dicens enim, [Dei,] & Patris induxit, ut glorificetur Filius Dei. In hoc autem admirandæ sunt sorores ejus, quoniam audientes, quod non est ad mortem, & videntes eum mortuum non scandalizatæ sunt ad contrarium re facta, sed accesserunt ad Dominum, & non æstimaverunt eum esse mentitum. b Diligebat autem Jesus Martham, & sororem ejus Mariam] quas tamen permisit tristari, k Et Lazarum,] quem voluit infirmari, & mori. *Chrys.* Hoc dicit Evangelista erudiens nos non tristari, si qua infirmitas facta fuerit circa studiosos viros, & Deo amicos. Multi enim cum viderint aliquos ex his, qui Deo placent, pati adversa, ut infirmitatem, vel inopiam, vel aliquod tale scandalizantur, nescientes, quod eorum, qui Deo maxime sunt amici, hoc est, idest pati, quia & Lazarus ex amicis erat, & infirmatus est. Unde *sup* [Ecce quem amas, infirmatur.] l Ut ergo audivit] a nuncus, m Quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco,] ubi nuncii eum invenerunt trans Jordanem, scilicet. n Duobus diebus] nuncios interim remittens, qui dicerent [infirmitas hæc non est ad mortem.] Sed quare mansit. Respondet *Aug.* Distulit tunc sanare, at posset resuscitare. *Chrysostom.* plenius dicit: Mansit Christus, ut expiraret interim Lazarus, & sepeliretur, ne quis dicere possit, quoniam stupor fuit, idest epilepsia: vel quoniam dissolutio fuit, idest paralysis, vel subductio fuit, idest apoplexia, & non mors: propterea tantum mansit, ut dicant, quoniam foetet.

2. Tim. 3. Omnes, qui volunt pie vivere, &c. Et Tob. 12. Et quia acceptus eras Deo, &c.

al † eum

▲ Deinde

Moraliter

* a Cujus frater Lazarus infirmabatur] peccato, vel corpore. b Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.] Similiter & boni claustrales pro fratre, qui est in acedia, vel peccato debent mittere nuncium ad Dominum, idest devotam orationem, quia sicut dicit *Cassiod. super illud Psal.* 87. Intret in conspectu tuo oratio mea. Magna est virtus puræ orationis, quæ quasi quædam persona ad Deum intrat, & mandata peragit, quo caro pervenire nequit. *Eccl.* 5. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. *Jacob.* 5. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum. *Eccl.* 38. Ipsi enim Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum, & sanitatem propter conversationem eorum. Pro se etiam debet orare acidiosus. Unde *Jacob.* 5. Tristatur aliquis vestrum? oret: æquo animo est? psallat. Item *Eccl.* 38. Fili, in tua infirmitate, ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te. Et nota, quod dicunt: [Ecce quem amas, &c.] Dominus enim etiam peccatorem latentem diligit. *Matth.* 9. Non veni vocare justos, sed peccatores. *Luc.* 15. Gaudium erit in coelo super uno peccatore, &c. *Sap.* 12. Nihil odisti eorum, quæ fecisti, &c. Et nota, quod est triplex amor maximus, & quolibet eorum major est amor, quem habet Deus ad peccatorem. Est enim amor sponsi ad sponsam, sed major Dei ad nos. Unde *Jer.* 3. vulgo dicitur: Si dimiserit vir, &c. tamen revertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiam te. *Isai.* 30. Erunt aures tuæ audientes verbum post tergum monentis. Item est amor matris ad filium, quo etiam major Dei ad nos peccatores. Unde *Isa.* 49. Nunquid potest oblivisci mater, &c. *Psal.* 86. Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me, idest illi, qui me cognoscunt, hoc sciant. Per Rahab intelliguntur peccantes ex fragilitate, per Babylonem illi, qui ex certa malitia. Item est amor corporis ad animam, quo major est amor Dei ad peccatorem. Unde *Jer.* 12. Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum meorum. Item *supr.* 10. Animam meam pono pro ovibus meis. *Rom.* 5. Commendat Deus suam charitatem in nobis: quia cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est. d Audiens autem Jesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.] Item Dominus dat spem orantibus pro peccatoribus, quod eis cooperatur infirmitas in bonum, sicut dicitur *Rom.* 8. Omnia eis cooperantur in bonum, &c. Et dicit *Gl.* Etiam casus mortalis peccati. b Diligebat autem Jesus Martham,] i. activos. i Et sororem ejus Mariam,] i. contemplativos. k Et Lazarum,] i. peccatores, & infirmos, ideo Dominus libenter bonos exaudivit pro eis rogantes. l Ut ergo audivit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.] Auditis nunciis, i. orationibus non statim liberat Dominus peccatorem, vel tentatum; sed differt quandoque, ut ipsa dilatio stimulet peccatorem ad conversionem. *Roman.* 2. An ignoras, quia benignitas ad poenitentiam te adducit. *Bar.* 2. Populus enim duræ cervicis est, in terra captivitatis suæ redibunt ad cor suum. *Psal.* 15. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum.

Item, quia gratior est sanitas post longam infirmitatem. *Psal.* 106. Statuit procellas ejus in auram & siluerunt fluctus ejus, idest tentationes, & lætati sunt, quia siluerunt.

Item, ut homo alias sit cautior contra casum, quia facilitas veniæ incentivum est delinquendi. *Is.* 26. Misereamur impio, & non discet facere justitiam. Item in *eod.* Indulsisti, Domine, Genti, indulsisti Genti. Nunquid glorificatus es?

* a Dein-

a Deinde post hæc dicit *b* discipulis suis: Eamus in Judæam iterum. *c* Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc *d* quærebant te Judæi lapidare: & iterum *e* vadis illuc? Respondit Jesus: *f* Nonne duodecim sunt horæ diei? Si *g* quis ambulaverit in die, non *h* offendit: quia *i* lucem hujus mundi videt. Si *k* autem ambulaverit in *l* nocte, *m* offendit: quia lux non est in eo. Hæc *n* ait, *o* & post hęc dicit eis; *p* Lazarus amicus noster dormit: *q* sed vado, ut a somno excitem eum. *r* Dixerunt ergo discipuli ejus: *s* Domine, si dormit, salvus erit. *t* Dixerat autem Jesus de morte ejus; illi autem putaverunt, quia de dormitione somni di-

A *a* Deinde post hæc,] idest, post duos dies.
b Dicit discipulis suis: eamus in Judæam iterum,] Eos invitat ad eumdem, quia timidi erant discipuli, quia eum ibi paulo ante lapidaverunt.
c Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc,] idest paulo ante.
d Quærebant te Judæi lapidare: & iterum vadis illuc?] Sic loquuntur, ac si pro ipso formidarent: tota autem formido erat pro seipsis, nondum enim erant

B firmati.
e Respondit Jesus] confortans eos, & audaces constituere volens.
f Nonne duodecim sunt horæ diei?] Quod sic exponitur secundum *Aug.* quia se diem dicit, illos autem horas diei, quæ diem sequuntur, non illas dies, quasi dicat, dies continet horas, non horæ diem: ita & vos mihi non detis consilium, sed me sequimini, & in me ambulate, & non offendetis. Vel aliter: (Nonne duodecim sunt horæ diei) artificialis in æquinoctio? quasi dicat, variæ, & mutabiles sunt horæ diei, sic & affectus hominum, & etiam sæpius in die mutatur cor hominis, quam horæ, sic & Judæi possunt esse mutati a voluntate me lapidandi, & sicut possum tempora mutare, ita & Judæorum corda. Eamus ergo securi. Quia:
g Si quis ambulaverit in die,] idest, in pace, sicut ego, & vos
h Non offendit,] aliquem; & ideo securi sumus. *Chrys.* legit sic.
f Nonne duodecim sunt horæ diei] ad litteram, & in illis secure vadunt homines, & sine offensa, ad litteram. Lux enim illuminat, & securos reddit.
g Si quis ambulaverit in die] ad litteram, (non offendit:) dies enim pellit tenebras, & latrones. Et hoc est,
i Quia lucem hujus mundi videt.] Per quod vult significare, quod eodem modo, qui nihil sibiipsi est conscius nequitiæ, sed ambulat in luce conscientiæ bonæ, nihil patietur versutum.
k Si autem ambulaverit in nocte, offendit: quia lux non est in eo,] idest, si male egerit, mala patietur, quasi dicat, non oportet nos formidare: nihil enim gessimus dignum morte. Secundo exponit *Chrys.* sic:
g Si quis ambulaverit, &c.] q. d. si ille, *i* qui lucem hujus mundi videt, in cautela est, & secure incedit: multo magis, qui mecum est, nisi forte se subtraxerit.
n Hæc ait] ad securandum eos.
o Et post hæc dicit eis,] ut ostendat causam necessariam sui adventus.
p Lazarus amicus noster dormit; sed vado, ut a somno excitem eum.] In quo etiam confortat eos: quia non in Jerosolymam, sed in Bethaniam significat se iturum, quasi dicat, non vado rursus in Jerusalem disputaturus contra Judæos, sed in Bethaniam amicum excitaturus; & ideo non est timendum vobis. Mortem autem Lazari vocat somnum, sicut *Matth.* 9. Non est mortua puella, sed dormit. Mortuus enim erat hominibus, sed sibi dormiebat. Simile 1. *Thess.* 4. Nolumus vos ignorare de dormientibus. *r* Dixerunt ergo discipuli ejus,] ad id, ut intellexerunt respondentes.
s Domine, si dormit, salvus erit.] *Augustin.* Quia solet somnus esse ægrotantium salutis indicium. *Chrysost.* Hoc dixerunt volentes eum detinere, ne iret illuc, quasi si dormit, non oportet ire.
t Dixerat autem Jesus de morte ejus; illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret.] *Chrysostomus.* Sed unde putaverunt Discipuli, quod de somno diceret? Ab eo, quod dixit: vado, ut excitem eum. Etenim amentię, idest, stultitiæ erat, si putabant stadia quindecim eum Δ ire, ut excitaret illum.

Moraliter. * *a* Deinde post hæc dicit Discipulis suis: Eamus in Judæam iterum.] In quo commendatur frequentia confessionis. Unde *Ps.* 74. Confitebimur tibi, Deus, confitebimur. Bis dicit, quia sæpe eundum est ad confessionem. Unde & ad hoc monet hic Dominus discipulos, ne debeant timere: quia Dominus semper socius est eorum in via.
c Dicunt ei Discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc?] Ita multi sunt, qui timent ire ad confessionem propter dilapidationem Judæorum, i. adulatorum, vel detractorum, qui adulando, vel detrahendo bonos impugnant.
e Respondit Jesus: nonne duodecim sunt horæ diei? si quis ambulaverit in die,] idest, in me, sive mecum.
h Non offendit,] quasi dicat, non timeatis alios; quia ego vobiscum sum.
i Quia lucem hujus mundi videt,] *sup.* 8. Ego sum lux mundi, &c. Christus est dies, vel lux, de qua dicitur in *Psal.* 117 Hęc dies, quam fecit Dominus. Ante adventum ejus erant tenebræ in mundo. Unde in Nativitate ejus cantatur: Dies sanctificatus illuxit nobis. Et solet quæri, quare ergo in Nativitate noo cantatur: Hæc dies, quam fecit Dominus, sed in Resurrectione? Solutio: quia in Nativitate illuxit quasi Aurora, sed in Resurrectione quasi magna dies, & præclara. De hac dicitur *Joel. ult.* In die illa stillabunt montes dulcedinem. Duodecim horæ sunt duodecim Apostoli, quos illuminavit, & per quos etiam mundum illuminavit. Hi sunt duodecim fontes Elim. *Exod.* 15. De quibus *Isai.* 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Hi sunt duodecim boves. 3. *Reg.* 7. deferentes mara, idest Baptismum, in quo oportet lavari eos, qui volunt intrare Ecclesiam. Hi sunt duodecim portæ civitatis de singulis margaritis. *Apoc.* 21. Per doctrinam enim Apostolorum, & exemplum lucidum vitę eorum ingredimur Paradisum.
k Si autem ambulaverit,] idest vixerit, vel operatus fuerit.
l In nocte] in tenebris ignorantiæ, vel peccatorum.
m Offendit, quia lux non est in eo,] i. ego, vel gratia mea. *Psalm.* 34. Via illorum tenebræ, & lubricum. Et alibi. *Ps.* 81. Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant, *inf.* 12. Qui ambulat in tenebris, nescit, quo vadat. *Prov.* 4. Via impiorum tenebrosa. *n* Hæc ait, & post hæc dicit: Lazarus amicus noster dormit.] Ita conquetitur Dominus de peccatoribus: quia dormiunt somno peccati, vel torporis: vocat enim eos, nec audiunt. *Eph.* 5. Exurge, qui dormis. *Prov.* 6. Usquequo, piget, dormis. Dormiens sibi fingit multa mirabilia, divitias, potestates, & honores; sed omnia somnia sunt, ita peccatur. Unde *Psal.* 75. Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt, &c.
q Sed vado, ut a somno excitem eum.] In hoc potest percipi, qui verum amicum habent, si eos a peccatis excitet, in quibus dormiunt cum Diabolo. Unde & Christus venit excitare amicum suum Lazarum. Et nota, quod multipliciter excitatur peccator a somno peccati. Quandoque ad strepitum, idest turbationem, & tribulationem mundi. *Psal.* 106. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius. Item clamore, idest, exhortatione, & prędicatione. *Isa.* 58. Clama, ne cesses. Sic David excitavit Saul, 1. *Regum* 16. clamans Abner: Nunquid non vir tu es? & quis alius similis in Israel? quare ergo non custodisti Dominum tuum Regem? Clamor est prędicatio, quæ debet fieri ab Abner, qui interpretatur pater lucernæ, idest, ad rationem, quæ debet redargui, quia non custodit Dominum suum, idest, spiritum. Tertio excitatur in pulsu flagellorum, vel punctione. *Act.* 12. Percussoque latere Petri excitavit. *Psal.* 31. Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Sed multi sunt lethargici, de quibus dicitur *Proverbior.* 23. Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo, & dices: verberaverunt me, & non dolui; traxerunt me, & ego non sensi. Tales somnum morti sociant, idest, peccatum usque ad supplicium continuant.

Multipliciter excitatur peccator a somno peccati.

r Dixerunt ergo Discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit.] Sicut dicunt quidam de Magnatibus, quando dormiunt in peccatis. Nolite ita dure increpare Dominum meum de præbendis suis, quia si dormit, salvus erit, idest, ex quo quiescit in hoc, nec malam conscientiam habet, non erit ei ad damnationem. Tales significantur per Abner, qui dicit ad David. 1. *Reg.* 26. Quis es tu, qui clamas, & inquietas Dominum meum Regem? Dicunt enim. Multi fuerunt apud Dominum meum, qui non imputabant ei hoc ad peccatum. Tales sunt servi Diaboli, custodientes, ne quis eum excitet

a ire, ut excitaret illum. Utique vel itaque dicemus, quod æstimabant hoc ænigma esse, quia multa loquebatur.

a Tunc ergo dixit eis Jesus manifeste: Lazarus mortuus est.] Et diaerat obscure, vado, ut eacitem eum propter docendam humilitatem. Noluit enim se laudare aperte, quasi de potentia resuscitandi. Sed quia illi rudes, & tardi erant, nunc aperte dicit.

b Mortuus est, & gaudeo,] de morte ejus.

c Propter vos,] idest, propter utilitatem vestram.

cerer. a Tunc ergo dixit eis Jesus manifeste: Lazarus b mortuus est, & gaudeo c propter vos, d ut credatis, e quoniam non erat ibi. f Sed eamus ad eum. Dixit g ergo Thomas, qui dicitur Didymus h ad Condiscipulos: i Eamus & nos, ut moriamur cum eo. k Venit itaque Jesus, & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. l Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham, & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

filii Zebedei, qui volunt honorem, & non dolorem.

k Venit itaque Jesus, & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.] Quatuor dies mortis sunt quatuor ætates, in quibus peccant atiam in decrepita ætate. Unde *Isai.46.* Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo. Vel quatuor dies, peccatum cordis, oris, operis, & consuetudinis. Vel, quatuor dies sunt secundum *Gl.* contractio peccati originalis. Omnes enim nascuntur filii iræ. *Eph.* 2. Transgressio legis naturalis, Mosaicæ, & Evangelicæ.

d Ut,] scilicet, (credatis,) amplius, & robustius me esse Deum, quem nihil latet. Credatis, dico, propter hoc, vel occasione hujus.

e Quoniam non eram ibi,] tamen scio, & prædico, quoniam mortuus est: & ita per hoc potestis credere me esse Deum, quia absens prædixi ejus mortem.

f Sed eamus ad eum,] quia modo tempus est, ut videatis miraculum, per quod firmius credatis.

g Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus,] idest, geminus.

h Ad condiscipulos: eamus & nos, ut moriamur cum eo.] *Gloss.* Ecce veros amantium affectus, vel cum eo vincere, vel cum eo mori. *Chrysostomus* tamen dicit, quod iste Thomas infirmior erat ceteris, & infidelior. Formidabant quidem omnes Judæorum insultum; magis autem Thomas, idcirco & dicebat.

i Eamus & nos, ut moriamur cum eo.] Quidam quidem ajunt, quoniam cupiebat & ipse mori. Non est autem verum. Formidinis enim fuit verbum hoc. Sed non increpatus est: supportabat enim adhuc Christus ejus infirmitatem; postea vero omnibus fortior factus est, & irreprehensibilior, & calidior: tanti est virtus Christi. Qui enim cum Christo in Bethaniam non audebat abire solus, postea totum orbem percurrit, & in mediis plebibus occisionem meditantibus volvebatur.

k Venit, &c.] *Chrysostomus*: Venit, non per se, ultro ivit, ut non quis suspicetur, quod factum esset: & neque ipsæ accesserunt, quæ diligebantur; sed alii mittuntur ad vocandum eum. (Venit itaque Jesus, & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.) Illa enim die, qua nuncius venerat ad Christum, mortuus fuit; postea vero per duos dies mansit, & in quarta die venit. Una autem die potuit venire in Bethaniam, quia parum distat a Jerusalem. Unde subdit:

l Erat autem Bethaniam juxta Jerosolymam, quasi stadiis quindecim,] quæ sunt duo milliaria minus uno stadio. *Chrysostomus*. Hic ostenditur, quoniam multos a Jerosolymis congruum erat adesse ibi. Unde consequenter subdit Evangelista.

m Multi autem ex Judæis,] Jerosolymitanis, (venerant ad Martham, & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.) Hoc dicit Evangelista, credere faciens, quoniam Lazarus erat mortuus, cujus mortis testes fuerunt tot Judæi, qui aderant. Sed quæritur, quomodo consolabantur Judæi dilectus a Christo, & nimirum conspiraverant, ut extra Synagogam fierent confitentes eum? Respondemus, aut propter necessitatem charitatis, aut propter nobilitatem earum revertentes: aut quia non mali erant Judæi, qui aderant: multi enim ex ipsis credebant.

a Martha ergo, ut

Moraliter.

* dormientem in cordibus taliam. *Job* 40. Sub umbra dormit in secreto calami. Sed e contra boni excitant eum. Vide *Job* 3. Qui parati sunt suscitare Leviathan. Sequitur.

a Tunc ergo dixit eis Jesus: Lazarus mortuus est.] Sic debet dici aperte magno peccatum suum. Sequitur.

i Eamus & nos, ut moriamur cum eo.] Pauci hoc dicunt: Sed tamen Paulus hoc dicit 2.*Cor.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? Item Petrus dicit *Luc.* 22. Domine, tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. *Apoc.* 1. Socius in tribulatione, & regno. 1. *Tim.* 2. Si commortui fuerimus, & convivemus. Sed multi sunt sicut

l Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim.] Per hoc significatur, quod obedientia est prope pacem. Soli enim obedientes habent pacem pectoris, & expectant pacem æternitatis. Vel per hoc significatur, quod claustralis vita propinqua est, & similis cœlesti, & Angelicæ vitæ, sicut dicit *Hieronymus*: In carne præter carnem vivere, Angelicæ vitæ potius est, quam humanæ. Quindecim autem gradus, per quos itur de Bethania in Jerusalem, idest, de mundo; vel claustro ad cœlum, sunt quindecim virtutes, quæ per quindecim Psalmos graduum designantur, videlicet, septem donis, de quibus habetur *Isa.* 11. Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, &c. Et quatuor Cardinalibus, de quibus habetur *Sap.* 8. Sobrietatem, & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem. Deinde tribus Theologicis, fide, spe, & charitate, de quibus habetur 1.*Cor.* 13. Et ita habemus quatuordecim virtutes. Et quindecima est humilitas, quæ est caput, & custos omnium, ut dicit *Ambrosius super Ps.* Et *Gregorius super* 1. *Regum* 15. Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi pulverem in ventum portat. Vel quindecim stadia sunt Veteris, & Novi Testamenti observantia. *Eccles.* 11. Da partes septem, necnon & octo. Vel quindecim stadia, septem opera misericordiæ, quantum ad activam, & octo opera spiritualia quantum ad contemplativam, quorum quatuor pertinent ad intellectum, scilicet, cognitio, meditatio, contemplatio, revelatio, & quatuor ad affectum, scilicet, mentalis oratio, laudatio, contritio, delectatio, sive gustatio, quæ paucis conceditur. De qua dicit *Psalm.* 33. Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.

m Multi autem ex Judæis venerant ad Martham, & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.] Per Martham, & Mariam significantur boni activi, & contemplativi, qui lugent de morte peccantium, & nolunt consolari, nisi resurgant, & habeant signum Tau in frontibus. *Ezech.* 9. De his dicitur *Jer.* 31. Vox in Rama audita est, ploratus, & ululatus multus, &c. *Osee* 13. Consolatio abscondita est ab oculis meis. *Jer.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, &c. Judæi, qui volunt eas consolari, sunt adulatores, qui consolationes vanas proponunt justis.

Aliter.

Vel aliter. Per Martham, & Mariam significantur duo, quæ sunt in anima etiam peccatoris. Martha, interpretatur Dominus, & significat animositatem, sive generositatem animæ, qua dedignatur quasi naturaliter esse sub servitute diaboli; & vilitate peccati. Maria stella maris, & significat rationem, sive sinderesim remurmurante contra peccatum, ad quam recurrens anima scit, utrum erraverit, sicut nautæ per stellam. Hæc rogat Deum. Unde *Rom.* 8. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Per istos Judæos significantur adulatores, & consolatores mundi, & quædam vanæ cogitationes. Quando enim plangit, & dicit generositas: Tu facta es ad imaginem Dei: tu habes hæreditatem cœli. Conscientia enim dicit: Tu offendisti Deum: tu meruisti pœnam inferni, & hujusmodi. Tunc e contra dicunt vanæ cogitationes. Non oportet ita terreri: quia multi majores peccatores, quam tu, fuerunt: & ita enervantur comminationes Dei, & leniuntur timores cordis. Sed *Gen.* 37. dicitur: Congregatis autem cunctis liberis ejus, ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere. Tales significantur per consolatores Job, de quibus habetur *Job* 2. Ipse tamen dixit: Hæc sit consolatio mea, ut affligens me dolore non parcat *Job* 6. *Ps.* 76. Renuit consolari anima mea.

* Martha ergo, ut

a Martha ergo, ut audivit, quia Jesus venit, occurrit illi.] Sed cur non assumit secum sororem ad obviationem Christi vadens? Respondemus: Vult, scilicet, sine turba, quod non posset, si sororem duxisset, quæ in domo tenuit turbam, singulariter Christo loqui, & quod factum est annunciare; quando vero in spem bonam eam duxit, dicendo: Resurget frater tuus: tunc abiit, & vocat Mariam.

b Mariam autem domi sedebat.] *Chrys.* Non quia pigrior esset, vel Martha calidior ea; sed non audierat Maria Christum advenire. Quare enim infirmior esset Martha, patet quia post tot audita, dicit: Domine, jam fœtet. Maria autem nihil tale locuta est, sed credidit. Hæc est Maria, de qua dicit *Luc.* 18. Maria optimam partem elegit, &c.

a Martha ergo ut audivit, quia Jesus venit, occurrit illi. *b* Maria autem *c* domi sedebat. Dixit ergo *d* Martha ad Jesum, *e* Domine, si fuisses hic, *f* frater meus non *g* fuisset mortuus. Sed *h* & nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo, *i* dabit tibi Deus. Dicit illi *k* Jesus: Resurget frater tuus. Dicit *l* ei Marta: Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die. Dicit *m* ei Jesus: *n* Ego sum *o* resurrectio, *p* & *q* vita: *r* Qui credit in me, *s* etiamsi mortuus fuerit, *t* vivet: *u* & omnis, qui *x* vivit, *y* & credit in me, non *z* morietur in æternum. *a* Credis hoc? Ait illi: Utique, *b* Domine. *c* Ego credidi, quia tu es Christus *d* Filius Dei vivi, *e* qui in hunc mundũ ve-

d Dixit ergo Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.] Idem dicit Maria, *inf. eod. Chrys.* Vide quanta Philosophia mulierum, quamvis infirma adhuc sit mens earum. Nos enim in luctu, cum aliquos notos viderimus, clamamus, ploramus, incidimus; sed non istæ mulieres ita, sed confestim Magistrum admirantur. Et nota, quod istæ credebant in Christum, sed non ut oportebat. Nondum enim cognoscebant, quod esset Deus: quod patet, cum dicunt: (Si fuisses hic, &c.) Nec quod propria virtute, & auctoritate faceret signa, quæ faciebat, quod patet ibi. (Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus,) ut de virtuoso enim quodam homine, & approbato loquuntur, quod oratione possit obtinere suscitationem fratris. Christus autem utrumque eas docet, scilicet, quod tanquam Deus sit ubique, & quod propria virtuta omnia faciat. Unde sequitur.

k Dicit illi Jesus: resurget frater tuus.] Illud evertit, quod dixerat: (Quæcumque poposceris,) &c. Non enim dicit, petam, sed (resurget frater tuus.) Nec dicit ei in prima fronte, o mulier, adhuc deorsum vides: non indigeo adjutorio alio: a meipso omnia facio: non ita expresse dicit, ne obstaret illi adhuc hominem tantum credenti, sed medium sermonem facit. Primo, scilicet, nec nimis altum, vel nec nimis humilem, hoc scilicet: (Resurget frater tuus.) Postea vero apertius suam Deitatem, & auctoritatem insinuat, cum dicit: (Ego sum Resurrectio, & vita, &c.) Et nota, quod ambigue dixit, (resurget) non enim determinavit quando. Et ideo respondens.

l Dicit ei Martha, scio, quia resurget in Resurrectione,] quę erit (in novissimo die,) q.d. de illa certa sum, sed de hac de qua peto, incerta. *Chrys.* Unde noverat resurrectionem mulier? Respondens, audierat de hoc Christum loquentem, vel Prophetas audierat, & opinioni eorum adhæserat.

m Dicit ei Jesus, ego sum resurrectio, & vita.] Per hoc manifestius ostendit suam auctoritatem, & quod non indiget alio adjutorio ad suscitandum: quia ipse vita. Dicit ergo:

n Ego sum resurrectio,] idest, causa resurrectionis, quasi dicat, possum eum resuscitare sine adjutorio.

p Et,] i. quia. *q* Vita] sum omnia vivificans. Hoc autem non ita expresse dixit, sed insinuavit his verbis. Vel.

n Ego sum resurrectio,] i. causa resurrectionis omnium.

p Et vita] bonorum. Vel. *o* Resurrectio,] quia reddo esse.

p Et vita,] quia conservo in esse. Vel.

a Resurrectio,] corporum.

p Et vita] animarum. Et est argumentum, quod resurrectio non erit omnino naturalis, nec pure opus naturę, sed divinæ potentiæ. Et subdit, quomodo est vita animarum, dicens: *r* Qui credit in me] vitam.

s Etiamsi mortuus fuerit,] ut modo est Lazarus.

t Vivet,] ut vivit Abraham, Isaac, & Jacob, quorum Deus dicitur. *Matth.* 22. Et ne intelligant hoc solum de Lazaro, subdit de omni.

u Et omnis, qui vivit] carne.

y Et credit,] & ita vivit mente. Vel.

x Vivit, & credit,] idest, credendo vivit. *Abacuch.* 2. Justus ex fide sua vivit.

z Non morietur in æternum,] etsi ad tempus moriatur secundum carnem. Et notatur duplex fructus fidei. Adeptio vitæ, cum dicitur: (Vivet.) Et evasio pęnæ, cum dicitur: (Non morietur.) Et nota, quod Dominus ad id, quod mulier dixerat: (Scio, quia resurget, &c.) respondet: (Ego sum resurrectio,) q.d. etiam modo per me potest resuscitari. Ad id autem, quod dixerat: Quicquid petieris a Deo, & respondit: (Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet,) q.d. ego sum tributor bonorum, a me oportet petere, & in me credere; non me petere ab alio, ut tu credis. Item errabat mulier in duobus, ut dictum est. In hoc, quod ipsum non esse ubique tanquam Deum æstimabat. Et ad hoc dicit: Ego sum resurrectio, & vita, Si enim resurrectio est, & vita, non loco circumcluditur; sed ubique assistens potest sanare. Item errabat in hoc, quod non credebat, quod propria virtute, & auctoritate faceret signa, vel posset resuscitare fratrem, sed oratione. Et ad hoc respondet, dicens: (Qui credit in me, &c.) Item nota, quod Dominus dedit mulieri spem de futuro, cum dixit: (Resurget,) sed pleniorem, cum dixit: (Ego sum resurrectio,) quia per hoc innuit, quod & tunc posset suscitare. Item dedit ei consolationem de facto, cum dicit: (Etiamsi mortuus fuerit, vivet) q.d. non turberis, si mortuus est frater tuus; non est enim hæc mors, sed vita. Spem enim dans de futuro, interim in eo, quod contigerat, consolatur. Sequitur.

a Credis hoc?] *Aug.* Sciens fidem ejus, quærit confessionem. *Rom.* 10. Corde creditur ad justitiam, &c.

b Ait illi: utique, Domine,] q.d. omnia illa, quæ dixisti, credo: Quia. *c* Ego credidi, quia tu es Christus,] Messias promissus. *d* Filius Dei] ab æterno.

e Qui in hunc mundum venisti] ex tempore missus ad salutem mundi. Ecce utramque naturam confitetur, divinam, & humanam. *Chrys.* tamen dicit. Vide mulierem adhuc deorsum involutam. Audiens enim: (Ego sum resurrectio, & vita,) non dixit; ergo resuscita, vel vivifica. Sed quid (Credo, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.) Videtur mihi non intellexisse mulierem, quod dictum est; sed quoniam magnum quid erat intellexit; non tamen cognovit quid: propterea aliud interrogat, aliud respondit. Interim quidem hæc lucrata est, scilicet, dissolvere luctum. Talis enim Christi sermonum virtus: devotio enim, quę erat ad Magistrum præsentem, dolorem non valde sentire concedebat. Oblita est ergo luctus propter devotionem, propter sermonum virtutem, & propter spem datam de fratre. Unde sequitur:

h a Et cum hæc

Moraliter.

* *a* Martha ergo, ut audivit, quia Jesus venit, occurrit illi.] Animositas occurrit Jesu, cum audit, quod præsto sit Jesus, idest salus. Spes enim hos rumores affert ei. *b* Maria autem,] i. synderesis, sive ratio. *c* Domi sedebat,] quia domum cordis circumspicit, conquerens, & lugens.

d Dixit ergo Martha ad Jesum.] Animositas enim proponit verbum. *e* Domine, si fuisses hic] per gratiam.

f Frater meus,] idest spiritus.

g Non fuisset mortuus,] quia tu es

Vel secundum *Gloss.* Activa vita primo occurrit per misericordiæ opera. Maria autem domi sedet, quia contemplativi quietem desiderant.

vita, *inf.* 14. Ego sum via, veritas, & vita: *Isa.* 43. Cum transieris per aquas, tecum ero: & flumina non operient te, idest prospera, & flamma non ardebit in te, idest, adversa non nocebunt. *Ps.* 65. Transivimus per ignem, &c. Item *Dan.* 3. Pueri illæsi remanserunt: quia quartus erat inter eos similis Filio Dei. *h* Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo] i. feceris poscere. *i* Dabit tibi Deus,] quasi etiam mortuos in peccatis potest resuscitare, *sup.* 5. Sicut Pater suscitat, &c. *k* Dicit illi Jesus, resurget frater tuus,] quod est, quando Dominus dat peccatori aliquam spem veniæ, & melioris vitæ. *l* Dicit ei Martha, scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die,] i. in senectute, vel decrepita ætate, quod est, quando anima sperat ad ultimum penitere. Sed non sufficit ei hoc, sed vult statim resurgere. Unde sequitur. *m* Dicit ei Jesus, ego sum resurrectio, & vita,] idest, causa sum resurrectionis, & vitæ spiritualis, quæ est per fidem. Unde sequitur. *r* Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.] *Abacuch* 2. justus ex

* fide vivit,

a Et cum hæc dixisset, abiit,] jam spe exhilarata.
b Et vocavit Mariam sororem suam silentio,] idest, soppressa voce, ne alii audirent, & recederent propter odium Christi.
d Dicens; Magister adest, & vocat te.] *Augustinus*; Hoc, quod prius causa brevitatis subticuerat Evangelista, hic supplet, scilicet, quod Dominus Mariam vocaverit.
f Illa, ut audivit, surrexit cito, & venit ad eum.] *Chrysostomus*: Solent lugentes hunc honorem accipere, ut ad ipsas veniant consolantes, sed hæc non expectat venire ad se Magistrum, neque dignitatem servat, neque a lectu detenta est.

nisti. Et a cum hæc dixisset, abiit, b & vocavit Mariam sororem suam c silentio, d dicens: Magister adest, e & vocat te. f Illa, ut audivit, surrexit cito, g & venit ad eum. h Nondum enim venerat Jesus in castellum, i sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. k Judæi igitur, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit, l & exiit, secuti sunt eam, m dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. n Maria ergo cum venisset, ubi erat Jesus, videns o eum, cecidit ad pedes ejus, p & dixit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. q Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea plorantes, r infremuit spiritu, ſ & turbavit semetipsum, t & dixit: Ubi posuistis eum?

h Nondum enim venerat Jesus in Castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.] Vacantius enim, & morosius ibat, ut non videatur se injicere signo, sed rogari ab eis. Vel hoc dicit Evangelista, ut insinuet fervorem Mariæ, quod scilicet, cito currebat, ut anticiparet eum venientem. Venit autem non sola, sed omnes trahens Judæos, & valde prudenter. Propterea & occulte dixit ad eam soror, quod Magister eam vocabat, ut non perturbaret concilium consistentium. Sed neque causam ipsa dixit, quare iret: in veritate enim multi recessissent; nunc vero, ut ploraturam ad monumentum omnes prosequebantur eam, & per hoc credibilius factum est miraculum, & mors ipsius Lazari certior. Et hoc est, quod sequitur.
k Judæi igitur, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit,] de loco suo.
l Et exiit] de domo, (secuti sunt eam, dicentes, quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.) Ex hoc autem videtur, quod hæc Maria non fuit illa, de qua *Luc.* 8. quia si fuisset meretrix, non tot sequerentur eam.
Item illa non de Bethania, sed de illa erat civitate, sicut ibi scriptum est. *Luc.* 7. Communior tamen opinio est, quod eadem, & verior, ut puto.
n Maria ergo cum venisset, ubi erat Jesus,] multis comitata.
o Videns eum, cecidit ad pedes ejus.] Hoc non fecerat soror. *Chrysostomus*: Calidior hæc sorore, quia non ob turbam verecundata est ad pedes cadere, nec dimisit propter suspicionem, quam habebant Judæi de Christo. Multi tamen aderant inimicorum, qui dicerunt *inf.* *eodem* Non potuit hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut & hic non moreretur? sed omnia projecit humana, præsente Magistro.
p Et dixit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus,] quasi dicat, te præsente, nulla infirmitas ausa esset apparere. Et nota, sicut dicit *Chrysostom.* quod nihil loquitur ei Christus, sicut ad sororem: turba enim aderat, & non erat tempus verborum illorum, sed condescendit, & humiliatur lacrymans, humanam naturam denudans. Quia enim miraculum magnum facturus erat, condescensione testes attrahit, ut non venationem perdat. Si enim magna dixisset tunc de se, omnes abiissent; & sic signum non vidissent. Monstrat ergo interim humanam naturam. Unde sequitur.
q Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu,] idest, interius doluit, non ficte exterius dolorem simulavit. Vel, (spiritu,] idest, voluntate, quia scilicet voluit.
ſ Et turbavit semetipsum,] quem alius turbare non potuit. Et intellige de turbatione pro passione. Nam de turbatione passionis dicitur, *Isai.* 42. Non erit tristis, neque turbulentus. *Chrysostomus* dicit, quod fremuit, sive rugiit spiritu, idest, tenuit; sive cohibuit confusionem, sive lacrymationem. Hoc enim sonat in Græco, ἐνεβριμήσατο Cohibuit enim se, ut non cum luctu fieret interrogatio, de qua subditur.
t Et dixit, ubi posuistis eum?] Sed cur interrogat? Respondemus secundum *Chrys.* quia non vult se injicere miracula faciendo; sed omnia ab illis discere, & rogatus facere, ut ab omni suspicione eripiat signum. *Aug.* dicit, quod non

Moraliter. a ignorantes quærit, * fide vivit. Cetera non mutatur usque ibi.
b Et vocavit Mariam sororem suam.] Animositas enim, sive generositas animæ excitat synderesim, vel rationem.
c Silentio,] quia nemo novit hæc, nisi spiritus hominis. Unde dicitur:
d Dicens: Magister adest,] idest, presto est gratia, & eruditio divina. *Hebr.* 12. Tanquam filiis vobis offert se Deus. *Apoc.* 3. Ecce sto ad ostium, & pulso, &c.
e Et vocat te,] beneficiis, flagellis, doctrinis, creaturis, & aliis modis. *Ps.* 68. Laboravi clamans, &c.
f Illa, ut audivit, surrexit cito,] declinando a malo.
g Et venit ad eum,] faciendo bonum. Et dicit: (Cito,) quod expedit, quia sicut dicit *Prov.*4. Currens non habebis offendiculum. *Ecclesi.* 5. Ne tardes converti ad Dominum.
h Nondum enim venerat Jesus in castellum,] idest, in mentem per gratiam gratum facientem: quando enim dat gratiam gratis datam, tunc vadit synderesis ad eum quadam voluntate imperfecta.
i Sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.] Donec Maria venit, Christus non procedit: ita donec amando venerit, non intrat Christus ad cor, donec amor venerit. Per Martham enim, quæ significat timorem, paratur via, sed per amorem adducitur Deus in animam.
k Judæi igitur, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit, & exiit, secuti sunt eam.] Sic carnalia homini sequuntur spiritualia, & obedit caro spiritui, quando spiritus velox, & promptus fuerit ad eundem ad Deum. Sic etiam carnales homines; & adulatores, qui volunt retrahere a bono, & vane consolari in malo, aliquando convertuntur, quando vident alacritatem bonorum.
m Dicentes, quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.] Ad monumentum debet anima, vel conscientia ire, & alios docere, idest, ad memoriam peccatorum, vel mortis etiam corporalis, & lugere ibi pro peccatis, & pro præsentibus miseriis. *Jer.* 6. Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum, quia repente veniet vastator super vos. *Exod.* 12. Ortus est clamor maximus in Ægypto: quia non erat domus, in qua non erat mortuus primogenitus, idest, anima. *Sap.* 18. Omnes uno genere mortis mortuos habebant innumerabiles: quia per peccatum omnia bona, & præsentia, & præterita moriuntur, vel mortificantur.
n Maria ergo cum venisset, &c.] Hoc patet usque ibi.
r Infremuit spiritu. ſ Et turbavit semetipsum.] in hoc ostenditur compassio Domini erga peccatores. *Ezech.* 18. Nolo mortem peccatoris. *Jer.* 31. Adhuc recordabor ejus, idcirco turbata sunt viscera mea. Vel aliter. Dominus dicitur fremere, & turbari, & lacrymari in peccatore, quando facit eum fremere pro horrore peccati, turbari pro domo, & lacrymari pro macula, vel pro Dei offensa. Vel fremere toto corpore, turbari mente, lacrymari oculis. t Et dixit, ubi posuistis eum. (Ubi,) dicit, quod significat, quia nescit peccatorem. *Matth.* 7. & 25. Non novi vos. Vel, (ubi posuistis eum,) idest in quo vili loco, quasi considera, in quantis flagitiis posuisti cor tuum. Similiter *Gen.* 3. Adam, ubi es? *Jer.* 3. Vide, ubi nunc prostrata sis meretrix. Vel: (Ubi posuistis eum) quasi ego quæro; & ideo dic mihi, Dominus enim quærit nos quasi ovem perditam. *Ps.* 118. Quære servum tuum, &c. Vel. (Ubi,) dicit plangendo, sicut mater requirit de filio unico: & sponsa de marito mortuo. Unde sequitur, quod lacrymatus est. Vel (Ubi,) dicit, commissum exigendo. Nobis enim commisit custodiam fratris, idest, cordis. *Prov.* 4. Omni custodia serva
* cor tuum, &c.

E

a ignorans quærit, sed propter mysterium. Unde *Gloss.* Qui absens scivit mortuum esse, scit, ubi sepultus sit; sed sic quærens significat se quasi nescire perditum hominem. Unde dicitur. Non novi vos. *Matth.* 7. & 25. Et *Gen.* 3. Adam, ubi es?

a Dicunt ei:] Judæi, qui aderant.

b Veni, & vide,] non trahentes eum ad locum, quasi resuscitaturum. sed quasi ploraturum. Unde sequitur,

a Dicunt ei: † *b* veni, & vide. Et *c* lacrymatus est Jesus. *d* Dixerunt ergo Judæi: *e* Ecce quomodo amabat eum, *f* Quidam autem ex ipsis dixerunt: g Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut & hic non moreretur? *h* Jesus ergo rursum fremens in semetipso, *i* venit ad monumentum. k Erat autem spelunca *l*, & lapidis superpositus erat ei. Ait *m* Jesus: *n* Tollite lapidem. Dicit *o* ei Martha soror ejus, qui mortuus fuerat: Domine,

al. † Domine.

c Et lacrymatus est Jesus.] humanitus, ut dicit *Augustinus*, idest, ex humana compassione. Vel ut significaret, quantum peccator pro se debet plorare. Vel secundum *B. Bernardum*, ideo plorat, quia revocaturus erat eum ad ærumnas præsentis vitæ.

d Dixerunt ergo Judæi:] benigniores.

e Ecce quomodo amabat eum,] pro quo ita plorat.

f Quidam autem ex ipsis dixerunt,] maligniores.

Aug. 9.

g Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, &c.] *supr.* 9. Et nota, sicut dicit *Chrysostomus*. Nondum aliquod Resurrectionis a se faciendæ signum monstraverat Christus. Neque enim ita venit ad monumentum tanquam resuscitaturus; sed tantum lacrymaturus, quod significat Evangelista, cum dicit, quod quidam dixerunt. (Ecce quomodo amabat eum.) Alii autem. (Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut & hic non moreretur.) *August.* Potuit quidem, sed noluit: quia plus est mortuum resuscitare, quam, ne moreretur, facere. *Chrys.* Hi neque in calamitatibus malitias remittebant. Et mirum, multo mirabilius, & majus est ingressam, & dominantem abigere mortem, quam sistere venientem. Et nota, quod confitentur, quod aperuit oculos cæci, & congruo existente pro illo admirari inde detrahunt, ut neque ullo facto signo. Item nota, quod evangelista corruptos eos esse ostendit, quia antequam Christus ostenderet se resuscitaturum eum, præveniunt eum accusationibus non expectantes rei finem. Christus autem non respondet eis per verba, sed per opera Divinitatis, ut malignis majorem verecundiam inferat, & alios ad fides convertat. Unde sequitur.

h Jesus ergo rursum fremens in semetipso,] ex compassione, & ut ostendat veritatem humanæ naturæ. Vel, (fremens,) idest, luctum refrænans & reprimens, secundum *Chrysostomum*.

i Venit ad monumentum,] ostensurus per miraculum veritatem divinæ naturæ.

k Erat autem spelunca,] ipsum monumentum.

l Et lapis superpositus erat ei,] idest, speluncæ.

m Ait Jesus: tollite lapidem.] Sed cur non absens vocavit eum?

Item cur non lapide injacente fecit resuscitari; etenim sola voce valuit lapidem amovere, qui corpus mortuum potuit movere. Sol. Hoc fecit, ut eos testes faceret miraculi, ut non hoc dicant, quod & in cæco dixerant. Quoniam hic est, non est hic, *supr.* 6. Manus enim levantes lapidem, & ipse accessus eorum ad monumentum, testabantur, quoniam ipse est Lazarus, non alius. Nam illi quidem phantasma existimassent, aut aliud quid pro illo; nunc autem hoc, quod accesserunt ad locum & lapidem levaverunt, & fasciatum exire viderunt, & vincula solverunt, & vestimenta, cum quibus sepultus erat, recognoverunt, & quod sorores semper aderant, quarum una dixit: Domine, jam fœtet; quatriduanus enim est; omnia hæc sufficientia erant probare signum, & obstruere ora indevotorum. Propterea dicit eis.

n Tollite lapidem,] a sepulchro, sc. per hoc ostendens, quoniam eum suscitabit veraciter. Ideo etiam supra interrogat: Ubi posuistis eum: ut illi, qui responderunt: Veni, & vide: & duxerunt eum ad monumentum, non possent dicere, quoniam alium suscitavit. Vox enim & manus, auditus, & visus simul, & odoratus testantur miraculum. Vox quidem dicens: Veni, & vide, Manus autem tollentes lapidem, & fascias solventes Auditus, qui vocem audivit. Lazare, veni foras. Visus, qui videt exeuntem de monumento. Odoratus, qui sensit fœtorem quatriduani. Sequitur.

o Dicit ei Martha soror ejus, qui mortuus fuerat, Domine, jam fœtet, quatriduanus enim est,] *Anselmus*. Timebat re-

A moto lapide

* cor tuum, &c. Vel ad litteram, etiam custodiam proximi *Ecclesiastic.* 17. Unicuique mandavit de proximo suo.

Moraliter.

Ubi vox est.
- Nescientis.
- Improperantis.
- Rem sollicite quærentis.
- Plangentis.
- Rem commissam instanter exigentis.

a Dicunt ei, veni, & vide.] Ita debemus Dominum vocare ad cor, ut veniat per gratiam; & videat, idest, videre faciat per scientiam, vel fidem.

c Et lacrymatus est Jesus.] Ter legitur Dominus flevisse. Flevit super civitatem. *Luc.* 19. Et in Passione. *Hebr.* 5. Et hic flevit. Ergo ter, propter ter causas. In Cruce flevit, quia eramus ingrati ejus beneficiis, & maxime beneficiu Passionis. Super civitatem, quia incauti. Unde ibi: Si cognovisses & tu. Super Lazarum, quia damnati. Vel ter flevit. In Cruce, nostram culpam: super civitatem, nostram ignorantiam: super Lazarum, nostram miseriam. Similiter & nos pro mortuis in peccato flere debemus, & pro nobis, & pro aliis. Pro nobis, quia amisimus Christum, qui est vita: Unde Roben flevit, quando non invenit puerum Joseph. Ruben filius visionis, i. intellectus, ut quolibet circumspiciens, & rediens ad cor suum, flevit, quando videt se verum Joseph amisisse. *Gen.* 37. Et *in eodem* dicit Jacob. Fera pessima devoravit filium meum Joseph, & scidit vestimenta sua, & flevit sine consolatione. Flendum est etiam pro aliis, sicut & David flevit pro Saul, & Jonatha. 2. *Reg.* 1. Pro Saul inimico, & pro Jonatha amico. Item flet pro Absalon fratricida. 2. *Reg.* 12. Absalon, fili mi.

d Dixerunt ergo Judæi, ecce quomodo amabat eum.] Christus intantum nos peccatores dilexit, quod amore nostro non solum lacrymas, sed & vitam dedit, *infr.* 13. Majorem hac dilectionem, &c. *Matth.* 9. Non veni vocare Justos, &c.

f Quidam autem ex ipsis dixerunt: non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut & hic non moreretur?] Ita dicunt quidam blasphemi: Non poterat Deus facere, quod homo non peccatet, qui fecit, ut lucem, & vitam haberet? Sic etiam dicunt multi, quando vident aliquem discretum peccare. Ille illuminabat alios spiritualiter, & quomodo se, & alios non custodivit a peccato? Unde Balaam de se dicit, *Numer.* 24. Dixit homo, cujus obscuratus est oculus, & omnipotentis visiones videt, & cadens apertos habet oculos. Sic multi Theologi gressus suos non dirigentes, sed quasi cæci de colore disputantes.

g Jesus ergo, rursum fremens in semetipso venit ad monumentum,] i. ad cor peccatoris venit per duplicem fremitum. Bis enim fremit, significans, quod bis fremere facit. Primo dans gratiam gratis datam, qua fremimus per attritionem. Secundo dans gratiam, qua fremimus per contritionem. *Job* 3. Quasi inundantes aquæ sic rugitus meus. Et *Psal.* 37. Rugiebam a gemitu cordis mei. Vel duplex fremitus est duplex horror, de culpa & de pœna: vel duplex refrenatio, carnis, & mentis.

k Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei.] Spelunca est ipsum peccatum, quod est profundum per desperationem, vel culpæ magnitudinem, angustum per conscientiæ remorsionem, fetidum per pravi exempli corruptionem, clausum est per consuetudinem, & obfirmatur per excusationem: quod est, quando lapis excusationis, & defensionis superponitur. *Threnor.* 3. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. *Dan.* 9. Adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum Leonum, idest, peccatorem in profunditatem peccatorum, allatusque est lapis unus, & positus est super os laci.

m Ait Jesus, tollite lapidem,] idest, onus legis removete, & gratiam prædicate. Ita dicit Dominus Apostolis. Vel lapidem, idest, obstinationem cordis, vel excusationem oris, quasi dicat, accusate vos per confessionem.

o Dicit ei Martha soror ejus, qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet; quatriduanus enim est.] Ita dicit animositas conversa in pusillanimitatem ex magnitudine peccati, qua-

* si impos-

a moto lapide potius fœtorem excitari, quam fratrem resuscitari. *Chrysost.* Quasi impossibile æstimabat de cetero fratrem resuscitari propter tempus quatridui. Et ex hoc patet, quod non intelligebat ea, quæ dixerat ei Christus, *supr. eodem.* Unde.

a Dicit ei Jesus:] prædicta commemorans?

b Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?] idest gloriosam operationem Dei, quæ ut Deus operabor. Sed ubi dixit ei hæc? Respondemus, intelligendum est ei supra dixisse, & Evangelistam causa brevitatis prætermisisse, sicut & de vocatione Mariæ. Vel intelligitur in hoc, quod dixerat *supra.* Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.

Gloriam Dei,] idest, resurrectionem fratris. Gloriam autem Dei de Patre ait: Discipulis autem dixit *supra eodem.* Ut glorificetur Filius Dei. Infirmitas enim eorum, qui audiebant, causa fuit. Noluit autem Dominus durius increpare Martham, ne turbaret inspectores; sed quæ dixerat, commemorat, tanquam non reminiscentem.

c Tulerunt ergo lapidem,] ut jusserat.

d Jesus autem elevatis sursum oculis] in cœlum, scilicet.

e Dixit: Pater gratias ago tibi, &c.] *Chrys.* Interrogemus hæreticum, utrum Christus ab oratione virtutem suscitandi acceperit? Si hoc dixerit, qualiter igitur alia miracula sine oratione fecit, dicens: Dico tibi, Dæmonium, exi ab eo. *Marc.* 1. Et Volo, mundare. *Matth.* 8. Et surgens tolle grabatum tuum, & dimittuntur tibi peccata tua. *Matth.* 9. & *Marc.* 2. Et mari dixit: sile, & compescere. *Matth.* 8. Item quid habuit Christus plus Apostolis, si & ipse oratione indiguit, sicut ipsi. Magis autem, neque ipsi cum oratione omnia faciebant, sed & sæpe sine oratione mirificabant nomen Jesu invocantes. Si autem nomen ejus tantam habebat fortitudinem in Apostolis, qualiter ipse oratione indigebat? Videamus autem, & quæ sit oratio.

f Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.] Quis ita oravit unquam, antequam roget quid, ut fiat? Gratias ago, ait, per hoc ostendens, quod non indiget oratione, quia omnia facit Pater, quæ vult Filius, quorum una est mens. Unde sequitur.

h Ego autem sciebam, quia semper me audis,] quasi dicat, oratione non indigeo ad hoc, ut fiat mea voluntas, quia una est tibi, & mihi voluntas. Et hoc est.

i Quia semper me audis;] idest, nihil est contrarium mihi ad te. Quare ergo formam orationis assumit? Audi, quid dicat.

k Sed propter populum, qui circumstat, dixi,] hæc, idest, propter imbecilliores, & infirmiores.

l Ut] scilicet, (credant, quia tu me misisti,) i. ideo oro ad te, ne credant, me esse contrarium tibi, vel ne credant, quod opus, quod facio, non sit ex Deo. Hoc enim dicere soliti erant. Non est hic homo ex Deo, &c. *supra nono* Et nota, quod non dicit: ut credant, quoniam ego minor sum: vel quod ego non possim illud per me facere sine oratione, nec dicit, ut credant, quod tu me misisti imbecillem, sed simpliciter, misisti: ut per hoc significet non esse contrarium ei. Ostensa ergo humilitate per verba, ostendit potestatem per opera. Unde sequitur.

m Hæc cum dixisset, voce magna clamavit,] ut omnes audirent.

n Lazare, veni foras.] *Chrysostomus.* Propter quid non dixit. In nomine Patris mei veni foras? Item cur non dixit, resuscita eum, Pater. Respondemus? Hoc Sapientiæ suæ est, per verba condescensionem; per res vero potestatem ostendere.

Item non dixit sic: resurge; sed, (veni foras) ut viventi enim loquitur ei, & loquitur potestative. Quid enim huic potestati par est? Unde sequitur.

q Et statim prodiit, qui fuerat mortuus.] Ecce opus attestans ei auctoritatem. Hoc est, quod dicit *Psalm.* 67. Dabit voci suæ vocem virtutis. Hoc est, quod dicitur *supra quinto* Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent.

r Ligatus pedes, & manus institis,] secundum morem Judæorum. Sed quomodo ligatus potuit ire, vel surgere? Respondemus: In hoc miraculum fuit.

s Et facies illius sudario erat ligata,] idest, panno involuta. Et sicut illam involutionem vocat ligationem; ita forte institas vocat illos pannos, quibus involuti erant pedes, & manus. *t* Dicit eis Jesus: solvite eum, &c.] Ne putaretur phantasma esse res ista: nam hoc, idest, exisse ligatum non minus videbatur esse, quam resuscitare: ideo jussit, ut solvant eum, ut tangentes, & prope eum accedentes certissime cognoscant, quoniam vere ille est.

u Et finite abire,] ut ex gressu probetur vere resuscitatus. Vel hoc dicit, ut doceat fugere gloriam. Unde *Chrysostomus.* Vide inglorationem, non ducit eum, neque jubet secum ambulare, ut monstretur: facto vero miraculo aliis quidem est odor vitæ, aliis odor mortis.

jam fœtet: quatriduanus enim est. Dicit *a* ei Jesus: *b* Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? *c* Tulerunt ergo lapidem. *d* Jesus autem elevatis sursum oculis *e* dixit: *f* Pater, gratias ago tibi, quoniam *g* audisti me. *h* Ego autem sciebam, *i* quia semper me audis; sed *k* propter populum, qui circumstat, dixi: ut *l* credant, quia tu me misisti. Hæc *m* cum dixisset; voce magna clamavit: *n* Lazare, *o* veni *p* foras. Et *q* statim prodiit, qui fuerat mortuus, *r* ligatus pedes, & manus institis, *s* & facies illius sudario erat ligata. Dicit *t* eis Jesus: solvite eum, & *u* sinite abire.

▲ Unde sequitur.

* si impossibile est, spiritum resurgere, cum jam peccatum fœteat aliis per manifestationem, & quatriduanum sit per consuetudinem. De hoc fœtore dicitur *Joel.* 2. Ascendet fœtor ejus & ascendet putredo ejus: quia superbe egit. *Amos* 4. Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras, & non redistis ad me. *Zacharie* 5. dicitur, quod iniquitas deferebatur, ut ædificetur ei domus in terra Senaar. Senaar enim interpretatur fœtor dentium.

11. qu. 3. c. tunc vera. De pœn. dist. 1. §. hoc idem probatur, & c. quem pœnit. De sent. excom. c. A nobis 2.

a Dicit ei Jesus, nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?] Sic erigitur pusillanimitas peccatoris, quando per fidem promittitur visio gloriæ Dei. Gloria autem Dei ejus misericordia, per quam redditur famosus, & laudabilis. Gloria enim est frequens fama cum laude. In hoc ergo apparet gloria ejus, quia qui ita liberalis est, quod inimicos suos convertit ad pacem. *Isaie* 42. Gloriam meam alteri non dabo.

c Tulerunt ergo lapidem,] quod est, quando mollitur cor per attritionem.

d Jesus autem elevatis sursum oculis.] Per hoc docet nos, quod in omnibus debemus gratias agere, postquam exauditi sumus de aliquo. Unde dicit. *g* Quoniam audisti me, &c.] *Psalm.* 33. Oculi Domini super Justos, & aures ejus in preces eorum.

m Hæc cum dixisset, voce magna clamavit.

n Lazare veni foras.] Per hoc docet nos, quod antequam clamemus ad mortuos per prædicationem, clamare debemus ad Deum per operationem, vel gratiarum actionem. Et nota, quod Dominus clamat voce magna, idest, affectuosa per Prædicatores suos. Vel magnus clamor magna gratia ad excitandum cor. Et ideo vox magna est necessaria, quia surdi sumus. Unde *Isa.* 58. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, &c.

o Veni] bona faciendo. *p* foras,] de peccatis exeundo. Vel.

o Veni foras,] peccatum confitendo.

q Et statim prodiit, qui fuerat mortuus,] *Aug.* Dum peccator contemnit, quasi sepultus jacet: quando pœnitet, surgit; quando confitetur, prodit quasi de occultis exeundo manifestus. Sed adhuc. *r* Ligatus] est (pedes, & manus institis,) idest, difficultatibus bene operandi, & bene volendi. *Proverbior.* 5. Funibus peccatorum suorum constringitur. *Psal.* 118. Funes peccatorum circumplexi sunt me.

s Et facies illius sudario erat ligata.] Per quod intelligitur obscuritas intelligendi: & cognoscendi. Ponitur enim velamen super oculos peccatoris. 2. *Corinth.* 3. Velamen positum est super cor eorum.

t Dicit eis Jesus: solvite eum, & sinite abire.] Sicut dicit *Bernardus*, & *Augustinus*. Christus per se vivificat Justos; ministris autem potestatem solvendi tribuit. Unde *Matth.* 18. Quæ solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Hæc autem sufficiant, quantum ad moralitatem hujus capituli.

A Unde sequitur. *a* Multi ergo ex Judæis, &c.] Secunda pars capituli. *a* Multi ergo ex Judæis,] non omnes. *b* Qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Jesus, crediderunt in eum,] & hi boni.
c Quidam autem ex ipsis, &c.] Dixerunt autem, ut dicit *Gloss.* sive annunciando, ut crederent: sive prodendo, ut sævirent. Sed quomodo hoc factum sit.

d Collegerunt ergo, &c.] In hoc impletum est illud *Gen.* 49. Simeon, & Levi, vasa iniquitatis bellantia in consilium eorum, &c. De Simeon Pharisæi, de Levi Sacerdotes, sicut dicit *Hieron. supra Isa.* 8. Duabus domibus Israel. Item *Jerem.* 11. Cogitaverunt super me consilia, dicentes, mittamus lignum in panem ejus, &c. Hoc dixerunt derisorie, quia dixerat *supra* 6. Ego sum panis vivus, &c.

d Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium,] adversus eum, *Chrysostom.* Cum oporteret stupere, & admirari audito miraculo, cogitant interficere eum, qui mortuum suscitavit. O de insania, eum, qui in aliorum corporibus mortem superavit, morti tradere æstimabant. Et nota, quod dicitur resuscitatio Lazari facta nono die ante Ramos Palmarum, scil. in feria sexta: & Sabbato tractaverunt de morte ejus: & propter hoc tunc incipit Domini Passio, & dicitur Dominica in Passione.
e Et dicebant,] ad invicem.
f Quid facimus,] quasi, cur pigritamur, cur nobis non providemus?
g Quia hic homo multa signa facit] *Chrys.* Hominem adhuc vocant, qui tantam susceperant Divinitatis ejus demonstrationem; sed invidia nihil videt, sed excæcat animam.
h Si dimittimus eum sic,] idest, viventem, & signa facientem.
i Omnes credent in eum,] & adhærebunt ei, & sequentur eum, quasi Regem, & Messiam.
k Et venient Romani,] Audientes enim hoc dicent, quod fecimus eum Regem contra eos.

Moraliter. *l* Tollent locum, &c.] Nota, quod propter oppressionem, quam faciebant Romani Judæis, facta est dissensio: ita etiam timendum est, ne fiat dissensio ab Ecclesia propter districtionem.

l Et tollent, &c.] idest, civitatem, & templum destruent.
m Et Gentem,] idest, populum occident, vel captivos ducent, vel vendent. Vel aliter. Ipsi conspiraverant jam se negaturos tributum Romanis. Dixerat autem Dominus tributum reddendum Cæsari. *Matth.* 22. Item dixerat *Matth.* 5. Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei & alteram. Et si quis abstulerit tibi tunicam, præbe ei & pallium, ideo timebant, ne venientibus contra se Romanis propter negationem tributi, nullus auderet se defendere, & sic tollerent locum, & gentem. Aliter dicit *Aug.* Sciebant, quod Christus dicebat templum destruendum, & cæremonialia evacuanda; & ideo timebant, ne si omnes crederent in Christum, nemo remanere: zelator templi, & legis, qui contra Romanos civitatem, & templum defenderet. *Chrys.* dicit, quod hoc dixerunt Judæi: Venient Romani, &c. non hoc æstimantes, sed invidentes, & per hoc populum concutere, & commovere volentes quasi debentem periclitari a Romanis propter suspicionem tyrannidis. Si enim ajunt, viderint eum Romani turbam ducentem, suspicabuntur nos erigi in tyrannidem, & destruent nostram civitatem. Sed cujus gratia, dic mihi, suspicarentur hoc Romani? Non desistentiam a Romanis docuit: non rebellionem prædicavit: non pecunias, & arma paravit: Nonne censum dari Cæsari concessit? *Matth.* 22. Nonne Regem facere voluistis, & fugit? Igitur hæc quidem dixerunt Judæi non æstimantes, sed invidentes. Sequitur. *n* Unus autem ex ipsis,] Pontificibus, qui dicitur unus, quia inverecundior erat reliquis, & in malitia singularis.
o Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius,] & ita audacior fuit, & primus in loquendo, & majoris auctoritatis fuit verbum ejus.
p Dixit eis, &c.] qui de hoc hæsitatis, vel remedium apponere tardatis: Certum est consilium.
q Quia expedit vobis, ut unus moriatur,] idest, occidatur.
r Homo pro populo, & non tota Gens pereat,] a Romanis per ipsum, si vixerit. *Chr.* Quod ceteri sub hæsitatione, & in ordine consilii proposuerant: dicebant enim: Quid facimus, quia hic homo, &c. hoc iste inverecunde, & nudo capite, & cum crudelitate diffinitive clamavit: (Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, &c.)

Et est sensus: Vos sedetis, & adhuc rem segnius attenditis, & nescitis unius hominis salutem contemnere pro communitate. Hoc autem perniciosa mente dixerat, quantum ad ea, quæ intellexit in verbis: sed verba in ore ejus Spiritus sic ordinavit, ut ad alium intellectum essent congrua. Unde sequitur.

a Multi ergo ex Judæis, *b* qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. *c* Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecit Jesus. *d* Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium, & *e* dicebant; *f* quid facimus, quia hic *g* homo multa signa facit? Si *h* dimittimus eum sic, *i* omnes credent in eum. Et *k* venient Romani, *l* & tollent nostrum locum, *m* & Gentem. *n* Unus autem ex ipsis, *o* Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit *p* eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, *q* quia expedit vobis, ut unus moriatur *r* homo pro populo, & non tota Gens pereat. *s* Hoc autem a semetipso non dixit; sed cum esset Pontifex anni illius, *t* prophetavit: quia Jesus moriturus erat pro Gente: Et *u* non tantum pro Gente: *x* sed ut filios Dei, *y* qui erant dispersi, *z* congregaret in unum. Ab *a* illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum. *b* Jesus autem jam non in palam ambulabat apud Judæos.

s Hoc autem, &c.] idest, quod dixit, prophetia fuit, licet non ipse propheta in hoc, quia non intellexit. *Chrysostomus*: Vides, quanta pontificalis potestatis est virtus; quia enim qualitercumque dignus effectus erat pontificali, & si indignus existens re, prophetavit nesciens, quod dicebat. Ore enim ejus solum usa est gratia, sive Spiritus Sanctus, contaminatum autem cor non tetigit. Multi denique, & alii indigni existentes futura dixerunt, ut Nabuchodonosor *Dan.* 3. Pharao *Genes.* 41. Balaam *Numer.* 24. Orietur stella, &c. Item vides, quanta Spiritus Sancti virtus a mente perniciosa valuit verba proferre prophetiæ plena magna, & mirabilia. Non parvum autem hoc erat, & inimicum prophetare hæc. Hoc & alios attrahere poterat, quando viderunt, quod prophetaverat evenisse, aliter tamen quam intellexerat: quia enim mortuus est Christus, propterea a futuro supplicio eruti sunt fideles. Et hoc est, quod dicitur. *t* Prophetavit, quia Jesus moriturus erat pro Gente:] Judaica. *Gloss.* Hoc tantum dixerat Caiphas. Sed quia noverat Evangelista fore alias oves, addit.

2.q.1.c. dictum est. Nota simile sup Exod. 5. Foetere fecistis nomen nostrum coram Pharaone, dicit Ol. Verum dicunt quamvis nescientes.

u Et non tantum pro Gente;] idest, pro Judæis.
x Sed ut filios Dei,] prædestinatione, idest, Gentiles.
y Qui erant dispersi,] per varios errores, vel voluptates, vel nationes. *z* Congregaret in unum,] ovile, *sup.* 10. sub uno Pastore. *Chrys.* Filios Dei gentes vocat Evangelista, eo quod futurum erat, sicut ipse ait, *sup.* 10. Et alias oves habeo, &c. Quid est autem quod dicit: (ut congregaret.) Respondemus, idest, eos, qui prope, & eos, qui longe unum corpus fecit. *Eph.* 2. *Isa.* 57. Unde & qui Romæ sedet, Indos membrum esse sui ipsius æstimat. Ecce unio incomparabilis, & omnium caput est Christus. Sequitur. *a* Ab illo ergo die cogitaverunt,] vel consiliati sunt, secundum *Chrys.* (ut interficerent eum,) animati prædicto verbo Caiphæ. Sed contra *supr.* 7. dicitur. Propter hoc quærebant eum interficere. Et *supr.* 8. dicit eis Christus. Quid me quæritis interficere: non ergo modo primo. Sol, *Gloss.* Ab illo die, &c. Non quin, & prius, sed modo diffinite. Item dicit *Chrys.* Prius quidem quærebant; nunc autem & sententiam firmaverunt, & ut proprio opere usi sunt. *b* Jesus autem jam non in palam apud Judæos] ambulabat. *Gloss.* Non quod hoc non posset; sed docet suos cedere furori persequentium.
Item occultat se, ut ostendat se verum hominem. Si enim cum eis moraretur, & vi divina ab eis eriperetur, solum Deus, & non homo putaretur. Item aliquando fugit, ut credatur homo; aliquando manens se divina virtute ab eo protegit, ut Deus credatur.

A *a* Sed

a Sed abiit in regionem juxta desertum in civitatem, quæ dicitur Ephrem.] *Chrysostomus*. Ephrata, sed in Græco tamen habetur Ephrem.

Moraliter. a Sed abiit, &c.] Per hoc significatur, quod Judæi, idest, Clerici, & Religiosi Christum persequuntur; sed recipitur in laicis, qui sunt inculti, idest, deserti. Et dicuntur Ephrem, idest, fructuosi in operibus bonis. *Psalm.* 131. Audivimus eam in Ephrata.

Chrysost. Multi autem ea regione ascenderant Jerosolymam,] purificare seipsos, cohibere, scilicet, se a mulieribus, vel ab aliis. Per hoc moraliter significatur, quod illi, qui non purificant se in Pascha, pejores illis Judæis videntur. Et nota etiam, quod ante Pascha ascenderunt, in quo confonduntur illi, qui differuntur confiteri usque in Parasceven.

Matth. 26. *Marc.* 14.

b Et ibi morabatur cum Discipulis suis,]solum. Ipsi enim permanserunt secum in tentationibus suis, ut dicitur *Luc.* 22. Turbæ autem convenerant ad diem festum. Unde sequitur.

c Proximum autem, &c.] Judæorum, i. de tota Judæorum provincia, vel de regione, in qua erat Jesus juxta desertum. Ter enim in anno veniebant, secundum præceptum. *Exod.* 23. & *Deut.* 16.

d Ante Pascha,] ideo, ut sanctificarent seipsos, idest, sanctos, & mundos custodirent a cohabitatione mulierum. Vel purificarent se ab immunditiis, quas contraxerant, vel ex contactu menstruatæ, vel morticini, vel aliibus, sicut præceptum erat. *Num.* 9. ut sic mundi comederent Pascha. Vel secundum *Gloss*. (Ut sanctificarent seipsos,) idest, ut illius diei celebratione sanctificarentur.

e Quærebant ergo Jesum,] male & maxime Pontifices, & Pharisæi, *Chrysostomus*. Mirabilis purificatio, cum contaminata voluntate, cum homicida mente, cum sanguinolentis manibus.

f Et colloquebantur, &c.] Maxime custodes templi, & Sacerdotes, & ita patet, quod templum fecerant speluncam homicidii.

Unde *Jer.* 7. Nunquid non spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum, &c. Idem *sup.* 2. *Augustin*. Obliti sunt sanctificationis tractant de nece Agni.

g Quid putatis,] idest, quam causam putatis.

h Quia non, &c.] quasi dicat, quæ est causa moræ ejus, scit ne ipse, quod adversus eum sit firmata sententia? *Chrys*. ponit aliam literam. (Putatis, quoniam non venit in festo?) Per pascha insidiabantur, & tempore festi tempus faciebant occisionis, quasi hic in festo occidi eum, & cadere oportet, tempore vocante eum. O de impietate, quando ampliori opus erat religione, quando noxios oportebat dimittere: tunc innocentem venari conantur, idest, capere.

i Dederant enim,] vel (autem Pontifices, & Pharisæi mandatum,) sive (prononciatione,) idest, sententiam, vel edictum.

k Ut si quis, &c.] ad occidendum. *Chrysostom*. O de insania, & omnium, olim onde apprehendere volentes non solum non profecerunt, sed & derisibiles facti sunt. Sæpe enim incidens in manus eorum effugit, & volentes eum occidere, detinet, ita ut nocere non possint, & aporiari facit virtutis demonstratione eos compungere volens, & ut cum ceperint eum, discant, quod non captus sit ex ipsorum fortitudine; sed ex sua concessione. Neque enim tunc capere potuerunt, cum prope esset, scilicet, in Bethania; sed & quando comprehenderunt, projecit eos tasupinos.

EXPOSITIO CAP. XII.

JESUS ergo, &c.] Istud capitulum dividitur in octo partes.

Primo ponitur adventus ejus in Bethaniam. Secundo adventus ejus in Jerusalem, ibi. (In crastinum autem turba, &c.)

Tertio agit de desiderio Gentilium videndi Christum, & da responsione Christi ad Andream, & Philippum, in qua prædicit vocationem Gentium, & præmium, ibi: (Erant autem quidam Gentiles, &c.) Quarto de oratione Christi ad Patrem, & voce facta de cœlo: non propter se, sed propter populum, ibi. (Pater, clarifica, &c.) Quinto prædicit judicium mundi, & tractum populi, ibi. [Nunc judicium est mundi, &c.] Sexto eis objicientibus, quod Christus non moritur, eos da tenebris arguit, ibi: [Respondit ei turba, &c.]

Septimo, narrat Evangelista, qualiter se abscondit ab eis, significans, quoniam absconsa erat veritas ab eis per infidelitatem, sicut prædixit Isaias, ibi: [Hæc locutus est ei Jesus, &c.]

Octavo ponit Evangelista verba Christi] quibus se dicit lucem, & Salvatorem, & non Judicem, & quod a se non loquitur, sed a Patre, ibi: [Jesus autem clamavit, &c.] Continet autem prima pars hujus capituli adventum Jesu Bethaniam, & cœnam factam, Mariæ devotionem in unctione, & Judæ malitiam simul, & responsionem Domini, dicit ergo.

a sed abiit in regionem juxta desertum in civitatem, quæ dicitur Ephrem, b & ibi morabatur cum Discipulis suis. c Proximum autem erat Pascha Judæorum, & ascenderunt multi Jerosolymam de regione d ante Pascha, ut sanctificarent seipsos. e Quærebant ergo Jesum, f & colloquebantur adinvicem in templo stantes: g Quid putatis, quia h non venit ad diem festum? i Dederant autem Pontifices, & Pharisæi mandatum, ut si k quis cognoverit, ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

C A P. XII.

JESUS l ergo ante sex dies Paschæ m venit Bethaniam, ubi n Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. o Fecerunt autem ei cœnam ibi,

l Jesus ergo ante sex dies Paschæ,] idest, sexto die ante Pascha, sive per sex dies ante Pascha in sabbato, scilicet, ante Ramos Palmarum.

m Venit Bethaniam,] *Augustin*. Sciens eos conspirasse, venit quasi Agnus ad victimam. *Jerem*. 4. Ut verum Pascha habeamus. Tunc enim erat plenitudo temporis. *Gal*. 4.

n Ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus.] *Raban*. Ideo prius in Bethaniam venit, ut resuscitatio Lazari altius memoriæ omnium traderetur, & inexcusabiles Judæi confunderentur tractantes da morte tanti suscitatoris.

o Fecerunt autem ei cœnam ibi,] idest, in Bethania, & in domo Lazari. *Chrysostomus*. Manifestum est, quoniam in domo Lazari pulmentum erat: quasi enim amici, & dilecti suscipiunt Jesum in hospitio. Quidam autem ajunt, quoniam in aliena domo hoc factum est. In *Matth*. autem 26. habetur. Cum esset in Bethania in domo Simonis, accessit ad eum mulier habens alabastrum. Sed *Chrysost*. videtur velle, quod alia sit unctio hic, & in *Matth*. 26. Communis autem opinio, quod eadem sit.

Nota, quod Joannes quantitatem exprimit, cum dicit: [Libram:] Et materiam, cum dicit, [nardi.] Et sinceritatem, cum dicit [pisti,] i. non adulterati. Et pretiositatem, cum dicit [pretiosi.] *Matth*. 26. Exprimit vas alabastrum, &c. Et est genus marmoris candidi, & perlucidi variis coloribus interducti, quod incorrupta servat unguenta. Nardus autem est frutea aromatica crassa radice, sed brevi, spissa, nigra, & fragili, cypressini odoris folio parvo, densoque, cujus acumina in aristas se spargunt, pigmentarii autem spicas,

A & folia nardi

Moraliter. m Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus.] Per hoc significatur, quod ubi est obedientia, vel obediens anima, est Jesus, ibi est gratia, ibi mortuus suscitatur.

Moraliter.

Item per hoc, quod Christus prius venit in Bethaniam, antequam iret in Jerosolymam, significatur, quod via cœlorum est custodia mandatorum.

Unde *Matth*. 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

o Fecerunt autem ei cœnam ibi,] Martha, & Lazarus. Per Martham, boni, qui non fuerunt in mortali intelligi possunt; per Lazarum, illi, qui fuerunt in magnis flagitiis.

Martha facit ei convivium in recordatione beneficiorum. Lazarus autem in contritione peccatorum. *Luc*. 5. Fecit ei convivium Levi in domo sua. Dominus autem affert etiam ibi bona sua, & partem suam in symbolo. *Sap*. 7. venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, &c. Dominus enim affert cum Martha gratiam proficiendi, cum Lazaro gratiam remissionis. *Apoc*. 3. Ecce ego sto ad ostium, & pulso.

* *Luc*. 15. Pater

▲ & folia nardi celebrant. Unde ad commendationem ungueati, ait Marcus. Spicati pretiosi.

a Et Martha ministrabat :] non Maria, ut etiam dicitur *Luc.* 10.

b Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo.] *Chrysostomus*. Hoc sinceræ resurrectionis signum est, post multos dies & vivere, & manducare. Hoc idem dicit *Gloss.* Et dicit *Augustin. in lib. de verbis Domini* de isto Lazaro, qui Lazarus & Biathanatos dicebatur, & multa de locis pœnalibus referebat convivantibus, & de tristitiis inferni.

a & Martha ministrabat : *b* Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. *c* Maria ergo accepit libram unguenti *d* nardi pistici pretiosi, *e* & unxit pedes Jesu, *f* & extersit capillis suis pedes ejus, *g* & domus impleta est ex odore unguenti. Dicit *h* ergo unus ex Discipulis ejus *i* Judas Scariothis, qui erat eum traditurus: *k* Quare hoc unguentum *l* non veniit trecentis denariis, & datum est egenis? Dixit *m* autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat,

c Maria ergo accepit libram unguenti] quasi dicat una soror ministerio intendebat, altera unctioni.

d Nardi pistici pretiosi.] Pretiosum enim unguentum fit de nardo, maxime de spicis. Unde dicit *Marc.* 14. spicati, hic autem dicitur pistici a loco. Vel (Pistici,) idest, fidelis, non adulterati.

e Et unxit pedes Jesu,] Hoc autem factum est in sabbato ante Ramos Palmarum.

Ideo Dominus Papa in illo Sabbato lavat pedes pauperum: nec facit stationem, sed intendit operibus misericordiæ.

Ideo etiam sabbatum illud non habet proprium officium, sed de illo scribitur: Sabbatum vacat; quia tunc nostra communicare debemus, & operibus misericordiæ intendere.

f Et extersit capillis suis pedes ejus,] de suo digniori honorans ejus humiliora, quia quod infirmum est Dei, fortius est omnibus hominibus, 1. *Cor.* 1. Et sicut dicit *Chrys.* quia credebat eum Deum. Hoc fecit.

g Et domus impleta est ex odore unguenti.] In quo ostenditur vis unguenti. De cujus etiam pretiositate subditur postea.

h Dicit ergo unus ea, &c.] in superficie, vel aliquando etiam in re. *i* Judas Scariothis, &c.] quia jam erat dispositus ad tradendum, & in proposito tradendi. Iste moritur bono odore unguenti, de quo alii vivunt, ut dicit *Gloss.* & *August.* Noli invidere, & te non occidet bonus odor, 2. *Corinthior.* 2. Christi bonus odor sumus, aliis vitæ, &c. *Gregor.* Idem sibilus equos mitigat, canes instigat.

h Unum] *Chrys.* Qualiter Matthæus, dicit quod omnes hoc dixerunt? Solutio. Et omnes, & ille, sed reliqui alia mente.

k Quare hoc unguentum.] Hoc, idest; tale, sive tam pretiosum.

l Non venit] vel venditur (trecentis denariis, & datum est egenis.) Ecce sub prætextu, & figura religionis eam increpavit, & sub forma pietatis. *m* Dixit autem hoc, non quia, &c.] *Gloss.* Ne cura pauperum hæc putaremus eum dixisse, determinat Evangelista, cur hæc dixerat: sed quia fur erat: & ostendit, quomodo fur.

▲ *a* Et,] idest, quia

Moraliter. * *Luc.* 15. Pater facit convivium filio prodigo. Et Joseph fratribus, *Gen.* 43. *Esther.* 9. Dies epularum, atque lætitiæ, & mittent adinvicem partes. Quod fit, quando unus gaudet de conversione, alterius, vel quando subvenitur pauperibus per eleemosynas.

a Et Martha ministrabat: Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo.] *Luc.* 22. Quis major est, qui ministrat, an qui recumbit? Nonne qui recumbit. Ergo major est in convivio Domini Lazarus, quam Martha: quia peccator de magnis flagitiis conversus magis fervet in bonum. Unde *Romanor.* 5. Ubi abundavit delictum, &c. Et quot peccata fecit, tot habet fercula, dolens de eis, & gaudens quia liberavit eum Dominus. Unde *Ecclesiast.* 43. Qui navigant mare, enarrant pericula ejus.

c Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesu.] *Matth.* 26. Habetur, quod unxit caput ejus? In quo significatur, quod & devotio habenda est, & circa Incarnationem ejus, quæ significatur per caput: & circa finem, sive mortem. *Exod.* 12. Caput cum pedibus, & intestinis vorabitis. Vel caput est Deitas, pedes humanitas. 1. *Cor.* 11. Caput Christi Deus. Hic autem significatur per unguentum, devotio mentis, sive opera devotionis. In quibus attendenda sunt quatuor. Mensura, unde dicitur; (libram.) Et humilitas, cum dicitur, (nardi.) Et sinceritas, cum dicitur, (pistici.) Et charitas, cum dicitur (pretiosi.) Dicit enim *Bern.* quod rara hora, & parva mora. Unde & aquæ Siloe non continue fluunt, sed raro, & cum silentio, ut dicit *Gloss. supra* 9. De hoc unguento satis habetur super *Matth.* 26. & *Marc.* 14. Vel pedes horum sunt pauperes, de quibus subditur.

f Et extersit capillis suis pedes ejus,] *Lucæ* 7. habetur, quod rigavit pedes Domini: Qui significant pauperes, *Isa.* 46. Locum pedum meorum glorificabo, idest, cœnobia ditabo, in quibus principio fuerunt pauperes. *Isa.* 41. Semita in pedibus ejus non apparebit, idest, nec minima peccata. Apostolus bene dicebat se pedem Domini esse, quia Dominum vehebat. 2. *Cor.* 4. Mortificationem Domini in corpore nostro circumferentes. Sunt ergo pedes rigandi lacrymis compassionis, ungendi suavitate consolationis, tergendi capillis, idest, fovendi eleemosynis, & operibus pietatis.

De primo dicitur *Isa.* 58 Si effuderis esurienti animam tuam, &c. compatiendo.

De secundo, idest, de unctione, habetur *Ecclesiast.* 18. nonne ardorem refrigerabit ros: sic & verbum melius, quam datum?

De tertio dicitur *Luc.* 11. Quod superest, date eleemosynam: per capillos enim designantur temporalia. Unde *Nahum* 8. præcipitur Levitis, ut radant pilos capitis, & barbæ; ut non remaneant eis nisi radices. Habent enim redditus renascentes.

g Et domus impleta est ex odore unguenti.] Apostolus, 2. *Cor.* 2. Bonus odor sumus in omni loco.

h Dicit ergo unus ex Discipulis ejus Judas Scariothis, qui erat eum traditurus: quare hoc unguentum, &c.] Ita multi murmurant contra contemplativos, & devotos: & æstimant totum tempus perditum, quod impenditur devotioni. Unde *Matth.* 26. Ut quid perditio hæc unguenti facta est? *m* Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat.] Ita & multi Sacerdotes plus loquuntur de eleemosynis faciendis pro sua cupiditate, quam pauperum utilitate. Et nota de isto Juda, quod fuit fur, & proditor, & comedens cum Domino, confessus est, desperavit, retulit denarios ad Sacerdotes, suspensus crepuit medius. Sicut autem per Judam, idest, per bonam confessionem fratres sui Joseph sunt reconciliati: sic e contrario per malam confessionem multi damnantur. Fures ergo sunt in confessionibus, qui subticent quædam peccata, vel circumstantias, quæ aperte aggravant peccatum, ne nimis mali appareant; cum tamen dicatur *Isa.* 14. perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem, & germen, *Gen.* 31. dicit Jacob ad Laban: Apud quemcumque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus suis. Per Laban, qui interpretatur dealbatus, significatur diabolus, qui sub specie boni tentat per idola peccata: & ille, in quo invenientur idola in judicio, cum scrutabitur Dominus Jerusalem in lucernis, necabitur coram omnibus. *Psalm* 7. Scrutans corda, &c.

Idem Judas prodit Dominum, quando veniens ad confessionem non habet propositum dimittendi peccatum. Et tales significantur *Matth.* 27. per illos, qui genuflexi illudebant Dominum, & spuebant in faciem ejus, quod est, quando respuunt justitiam pœnitentiæ.

Item Judas confessus fuit, licet falso, cum habebat manum in catino cum Domino, dicens: Nunquid ego sum, Rabbi?

Quod fit, quando usque ad parasceven, vel sabbatum vel etiam diem paschæ differunt confiteri, quando debent communicare. Et tales quoad hoc pejores videntur Herode, qui per aliquos dies ante pascha venit, ut purificaret se, & comederet Pascha. *Luc.* 23. Et *supra* 11. Ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante pascha, ut sanctificarent seipsos. Item Judas desperavit, cui similis est ille, qui ostensa sibi a Sacerdote enormitate peccati sui, & quod oportet eum dimittere peccatum,

* & agere

a Et] idest, quia. b Loculos habens,] idest, Domini loculorum custos.

c Ea, quæ mittebantur,] in loculos, portabat. *Augustinus*. Non solum portat ministerio, sed & tollebat furto, idest, asportabat. Habebat enim uxorem, & filios, sicut scriptum est de eo: Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua. Uxori ergo, & filiis dabat ea, quæ furabatur. Et nota, quod dicit *Augustinus*: Cui Angeli ministrabant loculos, habet in sumptus pauperum condescendens infirmis.

Hic autem quærit *Chrysostomus*, quare furi commisit loculos pauperum, & dispensare fecit avarum existentem? Illud utique dicemus; quod ineffabilem rationem novit Deus: Si vero oportet, & nos conjicientes dicere, hoc respondebimus: Ut omnem abscidat occasionem: Non enim habebat dicere, quoniam propter desiderium pecuniæ feci perditionem; habebat enim ex loculo sufficientem concupiscentiæ mitigationem.

Item *Chrysostom.* Volens detinere nequitiam Judæ, commisit ei loculos, auferens ab eo omnem excusationem. d Dixit ergo Jesus, sinite illam, &c.] *Chrysostom.* Cur non arguit discipulum pro muliere, vel cur non dixit saltem id, quod dicit Evangelista, scilicet, quod propter proprium furtum increpabant mulierem? Solutio. Multa longanimitate convertere eum volebat: Noverat, quod proditor erat, & ideo sæpe, & occulte corripuit, ut *supra 6. Augustin.* Novit furem; sed non prodit, docens tolerare malos. Tantum obsequium Mariæ commendat, ostendens, quod esset moriturus, & ad sepeliendum aromatibus ungendus. Unde dicit.

e Sinite illam,] idest, dimittite.

f Ut in diem sepulturæ meæ servet illud,] unguentum, de quo Dominum unxerat. De illo enim unguento forte reservabat; nec tamen de illo Dominum unxit. Vel [servet illud,] idest, consimile: Vel illud, idest, memoriam hujus facti conservet, ut si non rem impleat; tamen devotionem post meam mortem. Vel, (servet illud,) idest, effundat, quod est servare: Tunc enim servatur, & reponitur thesaurus, cum bene erogatur. Et hoc dicit; quia dixerat Judas: [Ut quid perditio hæc, &c.] Dominus enim dicit, quod est servatio, non perditio. *Chrysostomus*, ponit apertius. Dimitte eam: in diem enim sepulturæ meæ hoc fecit: Quod etiam & *Marc.* dicit 14. Quod habuit, idest, quod potuit, hoc fecit: Prævenit enim ungere corpus meum in sepulturam ponendum, subaudi, vel in signum, & officium sepulturæ, quasi dicat: Sinite, ut faciat vivo, quod volet facere mortuo, sed non poterit. Et forte a Spiritu Sancto, licet nesciens sic præoccupavit unctionem sepulturæ mulier. Et nota, quod dicit. [In diem sepulturæ.] *Chrysostom.* Sepulturam dicens, proditorem rememoratus est, sed non scalpit eum redargutione, neque emollitur hoc verbo: & tamen sufficiens erat hoc verbum in propitiationem eum immittere, quasi dicat: O Juda, onerosus tibi sum, expecta parum, & abibo. Sed nihil horum ferrum flexit, ipsa nocte, qua eum prodidit, ejus pedes lavit mensa cum eo, & sale participavit, quod latrocinales etiam animos consuevit detinere, & verba alia locutus est sufficientia etiam lapidem emollire.

g Pauperes enim semper habetis vobiscum.] Dominus ostendit mulierem esse sinendam propter pietatem, & compassionem. Hic ostendit per rationem, quia pauperes semper sunt futuri, quibus eleemosyna potest impendi.

Unde *Deuter.* 15. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. Ipse vero parvo tempore erat in terris mansurus. Et hoc est. h Me autem non semper habebitis.] *Gloss.* Corporali præsentia, & visibili.

Vel: [Non habebitis.] O tu Juda, & qui hujusmodi estis, quia si modo communicant mali Sacramentis, postea non habebunt Deum, ut boni. Sequitur.

i Cognovit ergo turba multa ex eis.] Illud continuatur ad id, quod dicitur in principio capituli: venit Jesus Bethaniam.

[Cognovit ergo turba multa ex Judæis,] Jerosolymitanis, quia prope erat Jerusalem, & rumor de Jesu cito diffundebatur.

k Quia illic esset,] idest, in Bethaniam.

l Et venerunt non propter, &c.] *Augustinus*. Curiositas hos non charitas adduxit. Vel turba simplex, quæ credebat miraculis, veniebat propter devotionem miraculi videndi.

Moraliter. ✠ a Cogitaverunt & agere pœnitentiam, desperat, dicens: Quis posset hoc facere; Tales sunt formidolosi, & timidi, qui non sunt apti in bello Domini, sicut dicitur *Deuteron.* 20. & *Jud.* 7. & 1. *Machab.* 3.

Item retulit denarios Sacerdotibus, dicens: Peccavi. Ita & aliqui dant Sacerdotibus, & pauperibus pecuniam, credentes emere impunitatem peccati. *Ecclesiast. septimo.* Ne dicas in multitudine munerum meorum respiciet Deus, & offerente Deo altissimo munera mea suscipiet.

B *Matth.* 26.

a & b loculos habens, c ea, quæ mittebantur, portabat. Dixit d ergo Jesus: e Sinite illam, f ut in diem sepulturæ meæ servet illud. g Pauperes enim semper habetis vobiscum; h me autem non semper habebitis. i Cognovit ergo turba multa ex Judæis, k quia illuc esset, l & venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.

Item suspensus crepuit. Sic aliqui in pœnitentia sua per elationem suspenduntur, & crepant, & interiora bona perdunt. Et de talibus dicitur: *Deuteronom.* 25. maledictus omnis, qui pendet in ligno.

a Et loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat,] idest, asportabat. Per quem significantur officiales in religionibus, qui bona communia convertunt in proprios usus, vel parentum suorum.

Item Clerici, & Sacerdotes, qui custodiunt loculos Domini, quia sunt ministri patrimonii Christi, nec sunt possessores bonorum Ecclesiæ, sed custodes: unde fures sunt, & latrones, si ea in superfluis expendant. *Bernardus*. Sane patrimonia sunt pauperum facultates Ecclesiarum: & sacrilega eis crudelitate surripitur, quicquid sibi ministri, & dispensatores non utique domini, vel possessores ultra victum accipiunt, ac vestitum: Nec enim ordinavit Deus his, qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere delicias, vel ornatum, sed vivere, ait Paulus ex eo.

d Dixit ergo Jesus, sinite illam, &c.] ita dicit Dominus, noli illum contemplativum impedire in administratione, sed dimitte eum in contemplatione, & devotione: quoniam veniet tempus, quando abscondar ab eo, ut non habeat † delectationem in me.

al. † dilectionem.

Vel: [In diem sepulturæ meæ,] idest, in memoriam Passionis meæ. Dominus enim vult, quod semper unguentum habeamus paratum in sepulturam ejus, idest, ut semper devotionem habeamus in recordatione suæ mortis.

g Pauperes enim semper, &c.] idest, opera activæ.

h Me autem non semper habebitis,] idest, meas consolationes spirituales, & visitationes. Et ideo quandiu homo potest esse cum Rachel, sit cum ea, quia multo tempore emitur & labore, & parvo tempore tenetur, & cum difficultate impregnatur.

Lia vero, idest, activa semper est parata, & fœcundatur cito. Vel, [pauperes,] idest, quinque sensus, qui semper mendicant. Unde *Ecclesiast.* 1. Non satiatur oculus visu, &c.

i Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illuc esset,] idest, in anima pœnitente, & obediente.

l Et venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.] Sic facit Dominus, quia quando videt homines duros ad conversionem, suscitat aliquando aliquem, qui diu fuit in magnis flagitiis, ut exemplo illius alii attrahantur.

Sicut auceps avem ponit in decipula, quæ cantat, & movet alas, & volitat, ut aliæ videant, & veniant, & præcipue aves instabiles ibi ponuntur, per quas significantur peccatores, qui totum sæculum amplexati erant. Sic etiam venatores in nemore porcum vivum capiunt, & faciunt eum clamare, & ad ejus clamorem alios venientes capiunt. Ita Dominus peccatores quandoque ponit in magna pœnitentia, vel in religione, quod admirantes alii, convertuntur ad Dominum.

Et tales per Samaritanam significantur, *supra quarto* Ad cujus clamorem plures occurrerunt ad fidem. Et significantur per Abner, de quo dicitur *secundo Regum tertio* Pugna erat inter David, idest, Christum, & Isboseth, idest, virum confusionis, idest, diabolum.

* Et Abner

a cogitaverunt autem *b* Principes Sacerdotum ; ut & Lazarum interficerent : quia multi propter illum *c* abibant ex Judæis , & credebant in Jesum . In *d* crastinum autem *e* turba multa , quæ venerat ad diem festum , cum *f* audissent , quia venit Jesus Jerosolymam , acceperunt ramos palmarum *g* & processerunt obviam ei , *h* & elamabant . O *i* sanna *k* benedictus, *l* qui venit in nomine Domini *m* rex Israel .

a Cogitaverunt autem] quia scilicet , propter Lazarum veniebat turba.
b Principes Sacerdotum , &c.] non solum Jesum.
c Quia multi , &c.] *Augustin.* Quia miraculum non poterant occultare , vel negare , stolte volunt occidere , quasi non possit resuscitare occisum , qui suscitavit defunctum. Et nota , quod turba credente Principes sæviunt . Unde *Chrysost.* Sicut divitiæ collum erigere faciunt ; ita & principatus . Sed illæ quidem in avaritiam ; hi vero in amentiam ducunt . Vide denique Judæorum plebem sanam ; Principes autem corruptos . De plebe enim dicitur frequenter ab Evangelistis : Multi crediderunt in eum . De principibus autem contrarium. Unde *sup.* 7. De turba multi crediderunt in eum . Et in *eod.* dicunt ipsi principes : Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum , aut ex Pharisæis? sed turba hæc , quæ non novit legem , maledicti sunt . Eos , qui credebant , maledictos dicebant ; se autem , qui interficere studebant , prudentes . Sed & hic turba credit ; Principes autem non contenti propriis malis , etiam Lazarum occidere conantur . Unde dicitur . (Cogitaverunt autem , &c.) *Chrysostom.* Ergo: Christum volebant occidere , vel quia seipsum Patri æqualem faciebat , vel propter Romanos ablaturos civitatem ; sed Lazarum quare ? Nunquid crimen est a Christo beneficium suscepisse ? Vides igitur , qualiter eorum principium occisiva est optio , idest , voluntas . Hic autem quæritur , quare cum alia multa signa fecerit Christus , nullum eos ita sævire fecit , neque paralytici , neque cæci , sicut illud ? Solut. Istud natura mirabilius erat . Item quia post multa alia factum est istud. Item quia magis inopinabile erat mortuum quatriduanum videre ambulantem , & loquentem . Et si enim alios mortuos suscitaverat ; sed non sepultum , & quatriduanum.

De pan. dist. 5. c. quantumlibet.

Matth. 11. Marc. 11. Luc. 19.

Item alibi incusabant de transgressione Sabbati , ut in cæco , & paralytico , & hoc modo avertebant turbas a Christo : hic autem non poterant criminari Sabbatum , quia tunc non erat Sabbatum , neque quoniam Deo adversabatur , poterant dicere . Oratio enim eos obstruebat : oravit enim ad Patrem in resuscitatione ejus . Quia igitur & quod semper incusabant , ablatum erat , & signum præclarum erat , ad occisionem ejus , qui curatus est , prorumpunt . Ita & in cæco hoc utique fecissent , nisi haberent incusare de Sabbati transgressione . Item alia ratio . Cæcus quidem ignobilis erat , & ejecerunt eum de templo ; hic vero Lazarus insignis , & nobilis , quod patet ex eo , quod multi venerunt in consolatione sororum ejus . Item quia omnibus videntibus factum est miraculum Lazari.

Item hoc maxime Principes mordebat , quia instante solemnitate Paschæ , omnes dimittentes Jerosolymam ad Bethaniam concurrebant . Sequitur . *d* In crastinum autem] in Dominica die in Ramis Palmarum . *e* Turba multa , &c.] secundum legis præceptum . *Exod* 23.

f Cum audissent , &c.] significantes eum victorem esse & regem . *g* Et processerunt obviam ei ,] *Chrysostom.* Alius Evangelista dicit , quod vestimenta etiam sternebant pedibus ejus , & quod omnis civitas concussa est , cum tanto intraret honore . Sed quæritur , quomodo qui prius non palam in Judæam ambulabat , sed secessit in desertum , ut dicitur *sup.* 10. nunc in Jerusalem , cum tanta intrat audacia ? Solut. Cum extinxisset furorem eorum recessione , nunc sedatis revertitur . Vel melius . Multitudo , quæ præcedebat , & quæ sequebatur , in timorem emisit principes , ut non auderent insurgere modo in Christum ; Nullum enim signum ita traxit turbam sicut Lazari . *h* Et clamabant .] Ecce patet , quod multis modis honorant eum turbæ . Et manibus , quia afferunt ramos . Et vestibus , quia sternunt vestimenta . Et pedibus , quia occurrunt . Et vocibus , quia laudant dicentes . *i* O sanna benedictus , &c.] Vox eorum duo continet , orationem , & laudem . Primo erant dicentes : (O sanna ,) idest , salva , obsecro . O sanna enim , ut dicit *Hieron.* Hebræum verbum est , compositum ex integro & corrupto , quasi . O si Anna . O si enim salva , vel salvifica . Anna autem est interjectio obsecrantis , sicut Pape admirantis . Quæ quia in Latino eloquio non habetur , pro ea posuisse *Hieronym.* videtur , obsecro . Dicit enim *Hieronym.* quod O sanna , idem est , quod O si Anna , idest , salva , obsecro . Et est una dictio , ut diximus , vel duæ per eclypsim , idest , per elisionem , idest , per subtractionem unius litteræ prolatæ . *Augustin.* videtur velle , quod O sanna sit una dictio : & quod sit interjectio obsecrantis . Dicit enim sic : Vox obsecrantis est , O sanna , sicut nonnulli dicunt , qui Hebræam linguam noverunt , magis effectum indicans , quam rem aliquam significans : sicut etiam in lingua Latina interjectiones , ut cum dolentes dicimus , heu ! vel cum delectamur , dicimus : vah ! vel cum miramur , dicimus o rem magnam ! tunc enim , o nihil significat nisi mirantis affectum . Quod ideo credendum est ita esse : quia neque Græcus , neque Latinus hoc interpretari potuit , sicut & illud *Matth.* 5. Qui dixerit fratri suo Racha . Nam & hæc interjectio esse perhibetur , affectum indignantis ostendens . *Chrysost. super Matthæum* dicit : O sanna alii interpretantur gloriam , alii redemptionem , alii salvifica : Nam & gloria illi debetur , & redemptio illi convenit : qui omnes salvavit . *Gregorius* dicit , quod O sanna idem est , quod salus ; quasi tibi convenit salus mundi . Hoc autem dicebant dirigendo sermonem filio David , sicut habetur *Matth.* 21. O sanna filio David . Et post convertendo sermonem inter se dicebant . *k* Benedictus ,] sit , vel est . *l* Qui venit in nomine Domini ,] idest , Dei Patris missus a Deo , scilicet , & ideo patet , quod est. *m* Rex Israel ,] idest , Messias . *Chrysostomus* . Hoc enim maxime coegit eos credere , quoniam esset Christus , quia Deo non erat contrarius ; sed se ab eo missum dicebat . Potest etiam his verbis designari laus utriusque naturæ . Humanæ , cum dicit : [Benedictus , qui venit in nomine Domini .] Divinæ , cum dicit : [Rex Israel .] Sequitur . *a* Et invenit Jesus

Moraliter.

* Et Abner Princeps erat militiæ . Isboseth , idest , aliquis magnus peccator .

Et iste conversus ad David reduxit totum exercitum Isboseth ad David .

Unde dixit ad David . Surgam , & congregem ad te Dominum meum omnem Israel : quia per tales multi reconciliantur ad Christum . *a* Cogitaverunt autem , &c.] Sic & diabolus , & diabolici homines talem peccatorem conversum , & jam alios convertentem nituntur interficere . Sicut etiam habetur 2 *Reg.* 3. quod quando audivit Joab , qui interpretatur inimicus , idest , diabolus , quod Abner reconciliatus est David , interfecit eum . Sequitur . *d* In crastinum autem turba multa , quæ venerat ad diem festum , cum audissent , quia venit Jesus Jerosolymam , acceperunt ramos Palmarum .] Per quos significantur bona opera , quæ offerre debemus Domino , quorum fructus non hic , sed in futuro expectatur . Ideo dicit *Psalm.* 91 Justus ut palma florebit , sicut cedrus Libani multiplicabitur . *Matth.* 21. habetur , quod sternebant vestimenta , &c. Et de hoc habetur ibi .

g Et processerunt obviam ei ,] cum ramis palmarum . Per quod significatur , quod cum bonis operibus debemus occurrere Christo venienti ad judicium . De quo occursu dicitur 1. *Thess.* 4. Rapiemur in nubibus obviam Christo in aera . *Amos* 4. Præparare in occursum Dei tui , Israel . Sed e contra quidam fugiunt a Domino , illi , scilicet , qui scienter peccant . De quibus *Job* 21. Qui dixerunt Domino Deo : recede a nobis , scientiam viarum tuarum nolumus *Zachar.* 6. Verterunt scapulas recedentes , & aures suas aggravaverunt , ne audirent .

Alii credunt ire recta via ; sed alia via vadunt , & ideo eum non inveniunt . Et hi sunt , qui peccant ignoranter , vel non recto itinere ad eum vadunt , qui bona non bona intentione faciunt . Ideo dicitur *supra* 1. & *Isa.* 40. Dirigite viam Domini .

h Et clamabant , O sanna benedictus , qui venit in nomine Domine Rex Israel .] Iste clamor duo continet . Orationem , cum dicunt : [O sanna ,] idest , O si Anna , idest , salva , obsecro . Et laudem , cum dicunt : [Benedictus , qui venit in nomine Domini , &c.] Ita & nos clamare debemus ad Dominum orando , & laudando ,

* sive

Et *a* invenit Jesus asellum, *b* & sedit super eum, *c* sicut scriptum est. *d* Noli timere, filia Sion. *e* Ecce Rex tuus venit tibi sedens super pullum asinæ. *f* Hæc *g* non cognoverunt *h* Discipuli ejus primum. *i* Sed quando glorificatus est Jesus: *k* tunc recordati sunt, *l* quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei. *m* Testimonium ergo perhibebat turba, quę erat cum eo, *n* quando Lazarum vocavit de monumento, *o* & suscitavit eum a mortuis. *p* Propterea & obviam venit ei turba, *q* quia audierunt eum fecisse hoc signum. *r* Pharisęi ergo *s* dixerunt ad semetipsos. *t* Videtis, quia nihil proficimus. *u* Ecce mundus totus post eum abiit.

a Et invenit Jesus asellum, &c.] Dixerat, quod Jesus venit Jerosolymam: Ideo redit hic ad ostendendum, quomodo venit in asello, &c. Sed quæritur, qualiter alii Evangelistæ dicunt, quod misit duos Discipulos, & dixit: solvite asinam, & pullum; hic autem nihil tale dicit, sed quoniam inveniens asellum sedit super eum. Solut. Utrumque factum est; sed hic breviter dicit, quod alii latius quomodo factum sit, narrant. *b* Et sedit super eum.] *Matth.* 21. & *Luc.* 19. & *Joan.* non dicunt eum sedisse, nisi super pullum. *Matth.* dicit eum sedisse super asinam secundum prophetiam *Zach.* 9. in qua utrumque dicitur: Ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Et dicunt quidam, quod licet esset brevis via; tamen fieri potuit, ut primo insedisset pullo, & forte quia nondum domitus, & lascivus erat, descendit, & insedit asinæ. Alii dicunt, quod potest esse, quod super utrumque non sedit; sed utrumque ibi affuit, & *Matth.* utrumque posuit pro mysterio Judæi, & Gentilis. *Chrys.* videtur velle, quod primo insedit asinæ, & postea pullo.

Matth. 21.

c Sicut scriptum est.] Huic facto adhibetur propheticum testimonium. *d* Noli timere,] vel secundum *Chrys.* Lætare filia Sion. Et potest esse ly, (Sion,) vocativi casus, i. o Sion, vel genitivi, o filia, quæ es Sion, i. Jerusalem. In reprobo enim populo erant aliquæ filiæ, animæ, sc. sanctæ oves, quæ devote occurrunt venienti, quibus divinitus dicitur per prophetam: (Noli timere,) vel (lætare,) quasi agnoscite, quem laudatis, & ne timeatis, cum pati videritis, quod est redemptio vestra. Quia. *e* Ecce Rex tuus venit, &c.] ad redemptionem, sc. non ad debellationem. *Chrys.* Quid est: Lætare valde, filia Sion? Quia omnes alii Reges Judæorum perversi, & valde injusti erant, & avari, & populum pervertebant, & delinquere faciebant, & per hoc tradi inimicis. Sed confide ait, Propheta, hic non est talis, sed mitis, & mansuetus, quod ab asino ostenditur. Non enim exercitum trahens, ut tyrannus intrabit Jerosolymam, sed asinum habens solum. Vel. *d* Noli timere, filia Sion,] ut veniant Romani, & tollant locum, & Gentem. *e* Ecce Rex, &c.] quasi non venit regnaturus in regno mundi, ut per hoc debeant ei invidere, & contra se insurgere Romani. Et nota, quod *Zach.* 9 secundum nostram litteram habetur: Exulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem; ecce Rex tuus venit tibi justus, & Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Dicit autem hic *Chrys.* quod idem factum fuit finis, i. completio unius prophetiæ, & principium alterius. Nam implevit prophetiam Zachariæ, & præfiguravit rem futuram, scil. quod immundum Gentium genus debebat subjici jugo Christi. Unde etiam dicit *August.* Pullus, in quo nemo sederat, populus est Gentium, qui legem non acceperat. Matthæus autem, qui scripsit Judæis, posuit de asina, per quam significatur Synagoga. Sequitur. *f* Hæc non cognoverunt,] vel, hoc, sc. quod in pullo sedit.

g Non cognoverunt] fieri, sc. per prophetiam. *h* Discipuli ejus primum,] sc. per resurrectionem, *Chrysost.* Noverant quidem, quoniam scriptum erat; sed quod propter eum scriptum esset, non noverant.

i Sed quando, &c.] Resurrectione.

k Tunc recordati sunt,] recolentes, quæ viderant, & conferentes.

l Quia hæc, &c.] idest, non alia, quam quæ erant scripta de eo. Et dicit *Chrysostom.* quod ex hoc patet, quod dicitur hic, quod plura ignorabant Apostoli: Neque enim omnia revelabat eis. Unde *sup.* 2. quando dixit, solvite templum hoc. &c. nescierunt Apostoli, quod de Resurrectione corporis sui loqueretur. Et *Luc.* 18. Erat verbum absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur, de Resurrectione, scilicet ejus. Ideo semper dolebant, cum audiebant de Passione sua, & erant in mœstitia, quia non noverant ea, quæ de Resurrectione sua dicebat. Hoc enim eis occultabat Jesus, quia rudes erant, & eorum intellectum excedebat. Sed quare non aperuit eis prophetiam de asino. Solut. Quia scandalizaret eos, si Rex existens talia deberet pati, scilicet, sedere in asino, & postea tradi a Discipulo, & mori. Vel aliter: ideo eis occultavit, quia si dixisset eis: Ego sum ille Rex, de quo Propheta prædixit, non intellexissent de illo regno, cujus erat Rex, sed de terreno. Sequitur.

m Testimonium ergo] vel (autem,) secundum *Chrys.* (perhibebat turba, quæ erat cum eo) in Bethania. *n* Quando Lazarum vocavit de monumento,] idest, voce, & præcepto suo exire fecit, *sup.* 11.

o Et suscitavit eum a mortuis.] Et continuatur hoc ad præcedens sic: Jesus venit in Jerosolymam. (Testimonium ergo, &c.) Vel sic. Turba occurrit ei de Jerosolymis acclamans, & laudans. Sed quare? (Autem,) pro quia, (testimonium perhibebat turba, &c.) Unde sequitur.

p Propterea & obviam venit ei turba,] ad exercitationem, & testimonium illius turbæ, quæ Resurrectioni interfuerat. Et hoc est.

q Quia audierunt eum fecisse hoc,] idest, tam apertum, & notabile, & demonstrabile signum. *Chrysostom.* Nequaquam enim tot ita repente conversi essent ad credendum, nisi per signum.

r Pharisæi ergo] vel, (vero,) inde turbati, quia læ-tabantur in eo populi.

s Dixerunt ad semetipsos,] idest, inter se, quia forte non audebant coram turba.

t Videtis, quia nihil proficimus.] Simile dicit Caiphas *supr.* 11. Vos nescitis quicquam, neque cogitatis. *u* Ecce mundus totus post eum abiit.] *Gloss.* Omnino prophetant nescientes. *August.* Quid mirum, si post eum vadit mundus, per quem factus est mundus: Secundum hoc ergo videtur, quod isti malitiose hoc dicebant. Sicut vult *Aug.* Sed *Chrys.* dicit: videtur mihi, quod sani erant, qui hęc dicebant, sed non audebant propalare, sed ab eventu cohibebant alios

A quam impossibilia

* sive gratias agendo. De primo *Psal.* 101. Domine, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Item *Psal.* 129. De profundis clamavi ad te, Domine, Domine, &c. De secundo *Eccl.* 43. Glorificantes Deum quantumcumque poteritis, supervalebit adhuc. *a* Et invenit Jesus, &c.] Dominus equitavit asellum, & asellam, i. illos, qui infirmi sunt corpore, & ętate, & parvam habent scientiam sicut asella. Quod significatum fuit 3. *Reg.* 1. ubi pręcepit David, quod Salomon poneretur super mulam. Infirmi enim, & idiotę portant Dominum. 1. *Cor.* 1. Videte vocationem vestram, fratres, &c. Dominus enim facit semper, sicut pauper homo, qui non potest habere dextrarium, i. aliquem magnum dignitate, & scientia, & vita: & ideo accipit, quos potest. *Mich.* 7. Vę mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in Autumno racemos vindemię. Tales enim dextrarii dedignantur trahere ad quadrigam Domini, sed si rubeum pallium Episcopatus eis superponitur, colla submittunt. *d* Noli timere, filia Sion,] i. fidelis anima, quę debet esse speculatrix sui ad humiliandum, mundi ad contemnendum, Dei ad amandum, & desiderandum: De primo dicitur *Nahum* 3. Intra in lutum, & calca, subigens tene laterem. De secundo *Nahum* 3. Omnis, qui viderit te, resiliet a te. De tertio. *Esther* 15. Facies tua plena gratiarum. Vel, (Sion,) dicitur, quia speculari debet anima statum pręsentem, pręteritum, & futurum. *Bern.* Vide, o homo, unde sis: & erubesce, ubi sis: & ingemisce, quo vadis, & contremisce.

Moraliter.

e Ecce Rex tuus venit tibi sedens super pullum asinę.] *Matth.* 21. dicit, quod etiam super asinam sedit: in quo notatur, quod ipse lapis angularis utrumque populum sibi conjunxit: Gentilem, qui designatur per pullum: & Judęum, qui significatur per asinam. Vel & hoc etiam designatur per hoc, quod dicitur *infr. eod.* de Gentibus, qui venerant ad diem festum cum Judęis. Vel per hoc significatur, quod Dominus in nostra natura veniet ad judicium, quam ascendisse dicitur. Sicut habetur *Isa.* 19. Ascendet Dominus super nubem levem, &c. Sequitur.

* *a* Erant

Δ quasi impossibilia tentantes. Seq. *a* Erant autem quidam Gentiles] ibi, scil. in Jerusalem. *b* Ex his,] i. de numero eorum. *c* Qui ascenderant, ut adorarent in die festo,] quia proselyti erant, & eadem lex erat indigenis, & proselytis adorandi ter in anno. Vel secundum *Chrys.* Prope existentes, ut proselyti fiant, erant ad festum. Et nota, quod per hoc vult Evangelista significare vocationem Gentiū, & quod totus mundus post eum vadit, sicut dixerant Pharisæi nescientes. *d* Hi ergo] fama Christi audita. *e* Accesserunt ad Philippum.] Forte, quia notus erat eis aliquo modo: vel quia minor, faciliorem habuerant accessum, vel a casu.

D

a Erant autem, quidam Gentiles *b* ex his, *c* qui ascenderant, ut adorarent in die festo. *d* Hi ergo *e* accesserunt ad Philippum, *f* qui erat a Bethsaida Galilææ, *g* & rogabant eum dicentes: Domine volumus Jesum videre. *h* Venit Philippus, & dicit Andreæ: *i* Andreas rursum, & Philippus dixerunt Jesu: *k* Jesus autem respondit eis, dicens: *l* Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.

f Qui erat a Bethsaida Galilææ,] de qua & Petrus, & Andreas, ut dicitur *sup.* 1. *g* Et rogabant eum, dicentes, Domine, volumus Jesum videre.] In quo præfiguratur conversio Gentium per prædicationem Apostolorum. *h* Venit Philippus, & dicit, vel dixit Andreæ] *Chrys.* Philippus cedit Andreæ, ut ipse dicat Jesu tanquam ante se existenti, ut rem ei communicet. Item quia audierat Dominum dicentem: In viam Gentium ne abieritis. *Matt.* 10. Ideo timens, ne faceret contra præceptum prius cum discipulo communicans refert Magistro verbum, quod uterque istorum dixerunt ei. Unde seq. *i* Andreas rursum, & Philippus dixerunt Jesu. Andreas tamen principalius loquebatur. Unde & *sup.* 6. loquitur ipse Andreas pro Philippo. *k* Jesus autem respondit eis, dicens: venit hora, ut clarificetur Filius hominis.] *Gl.* de Judæis erant, qui prius clamabant: Benedictus, qui venit in nomine Domini, modo Gentiles quærunt videre. Ecce duo concurrunt parietes. *Ephes.* 2. Sic totus mundus post eum vadit. Dicit itaque lapis angularis. *l* Venit hora, ut clarificetur Filius hominis,] i. manifestetur in Gentibus, vel per resurrectionem. Non est autem hæc clarificatio de istis volentibus videre, sed per eos præfiguratur, & occasione eorum annunciat futuram plenitudinem Gentium, Christo in cœlis glorificato; sed hanc altitudinem glorificationis præcedit humilitas Passionis. Humilem enim spiritu suscipiet gloria. *Prov.* 29. Ideo sequitur: [Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti, &c.] *Chrys.* sic legit.

l Venit hora, ut clarificetur Filius hominis,] i. patiatur, & crucifigatur. Crucem enim gloriam vocat, ac si dicat, ut omnem tollerem indevotionis occasionem a Judæis, dixi vobis prius: In viam Gentium ne abieritis. *Matt.* 10. ne scil. Judæi scandalizarentur, si viderent vos ire ad Gentes; sed quia illi permanent insuasi; Gentes vero volunt accedere: tempus est ad Passionem venire omnibus. Item *Chrysost.* Indignum est volentes non suscipere, & insuasi assistere: quia ergo tempus erat mittendi Discipulos ad Gentes, & hoc non ante Passionem erat futurum, dicit: tempus est, ut glorificetur Filius hominis, idest, crucifigatur. Non enim prius voluit eos dimittere, sed prius dimiserunt eum: donec enim crucifixerunt eum, non dixit: Euntes docete omnes Gentes, *Matth. ult.* Prius recusaverunt eum, dicentes: Non habemus Regem, nisi Cæsarem, *infra* 19.

Δ Quia

Moraliter. * *a* Erant autem, quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo] Per hoc significantur laici peccatores, qui aliquando veniunt, ad sermones: vel ad Ecclesiam, vel ad confessionem. *d* Hi ergo accesserunt ad Philippum, &c.] Tales si habent voluntatem videndi Jesum, i. veniam, & gratiam obtinendi, debent venire ad Philippum, i. ad discretum Sacerdotem, & exhortatorem: qui sciat illos illuminare verbo, & doctrina. Philippus enim interpretatur os lampadis. *Psal.* 75. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis. *Exod.* 20. Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Tales volunt, ut instruantur in præsenti ad pœnitentiam per Sacerdotes: ne Dominus loquatur eis in judicio ad pœnam: sic loquetur malis: *Matth.* 25. Esurivi, & non dedistis mihi manducare: &c. Sed nota, quod Philippus adjunxit sibi Andream, qui interpretatur virilis: unde per eam intelligitur strenuitas bene operandi: scientia enim intelligitur per Philippum. Hæc duo necessaria sunt prædicatori volenti alios adducere ad Jesum, quod significatum est *Exod.* 3. quando Moyses adjunxit sibi Aaron: in quo celsitudo vitæ significatur, qui interpretatur montanus. Bona enim vita prolocutrix est prædicatoris: sicut Aaron Moysi. *k* Jesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis] per Passionem, scil. & mortem. Unde & eodem modo habent glorificari alii filii hominum, qui obscurati sunt: & denigrati per peccatum, *Rom.* 1. Obscuratum est insipiens cor eorum. *Thr.* 4. Denigrata est super carbones facies eorum. *Isa.* 13. Facies combustæ vultus eorum. Debemus ergo clarificari, sicut olla: vel ferrum rubiginatum per confricationem, i. per correctionem, & argutionem: quod fit, si patienter sustinemus. *Prov.* 25. Aufer rubiginem de argento, &c. Item per fornacem tribulationis, & ægritudinis clarificamur, sicut aurum, & argentum. *Eccl.* 2. In igne probatur aurum, & argentum; homines vero receptibiles in camino humiliationis. Item speculum sputo clarificatur: sic Christus sputis Judæorum; qui tamen est speculum sine macula: *Sap.* 7. Similiter contemptus, & contumelia hominem clarificant: Ideo dicit *Isa.* 50. Faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Volebat enim clarificari. Item panni clarificantur lotione, & conculcatione: Ita clarificatur anima per lacrymas, per cinerem humilitatis, vel memoriam mortis colatas, depuratas. *Ps.* 6. Lavabo per singulas noctes, &c. Item conculcatio est carnis depressio, & maceratio, & indebita hominum dominatio, & oppressio. *Malach.* 3. Ipse enim quasi ignis conflans, &c. *Marc.* 9. Vestimenta ejus facta sunt splendida, & candida nimis, velut nix, qualia fullo super terram non potest candida facere. Vestimenta Domini, sicut ibi dicit *Beda*, sunt Sancti. Unde *Gal.* 3. Quotquot baptizati estis, &c. *Isa.* 49. Omnibus his velut ornamento vestieris.

Nullus ergo remurmuret contra clarificatores, i. contra oppressores, sed patienter sustineat.

Item clarificatur vinum per quietem, & residentiam, quod turbatur per motionem: sic anima in contemplatione. *Thren.* 3. Sedebit solitarius, &c. *Psal.* 106. Turbati sunt, &c. idest, quia moti sunt. Item clarificatur moneta per usum: sic Justus per opus bonum in consuetudine deductum. *Matt.* 5. Sic luceant opera vestra coram hominibus, &c. *Eccl.* 9. Quodcumque potest manus tua, &c. Sic redditur homo clarus per bonam famam. *Seneca*. Gloria est, quæ multorum judiciis constat, claritas, quæ bonorum.

Item clarificatur homo per doctrinam apertam, & evidentem, *Prov.* 14. Doctrina prudentium facilis. *Eccl.* 4. Ne abscondas sapientiam, &c. *Job* 38. Quis est iste involvens, &c. [Amen, amen dico vobis, nisi granum, &c.] Prius dicto de clarificatione, subdit de Passione, quia sicut dicit *August.* ad altitudinem glorificationis itur per humilitatem Passionis. *Prov.* 29. Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria. Christus autem comparatur grano frumenti, quia melius est inter grana: ideo dicitur etiam, sicut malus inter ligna silvarum, &c. *Cant.* 2. Et dicitur Sanctus Sanctorum, *Dan.* 9.

Item aliæ proprietates grani conveniunt Christo, & Justo etiam.

Granum {
- Ponderosum per humilitatem, in vento superbiæ non rapitur, sicut palea. *Eccl.* 22. Sicut paleæ in excelsis, & cæmenta, sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt. *Job* 28. Qui fecit ventis pondus.
- Fixum per geminam dilectionem, & in idem redit contra invidiam.
- Modicas aristas habet, & habet dulcedinem similem per mansuetudinem, & patientiam in persequentibus, contra iram. *Matt.* 5. Beati, qui persecutionem patiuntur, &c. *Exod.* Orate, &c. *Jac.* 1. Omne gaudium existimate, fratres mei, &c. Econtra, iracundi habent longas aristas, sicut hordeum.
- Forte, & nutritivum, contra acidiam. *Prov.* 30. Leo fortissimus, &c.
- Modicum, & exutum a paleis per paupertatem contra avaritiam, *Matt.* 19. Facilius est, camelum, &c. 1. *Reg.* 18. Ego sum pauper, & tenuis, &c.
- Siccam debet esse, alioquin putresceret, per abstinentiam, contra gulam. *Joel.* 1. Computruerunt jumenta, &c.
- Rubicundum exterius per pœnitentiam, vel martyrium; sed album interius, per munditiam, contra lu-

▲ Quia enim dimiserunt eum, propterea dicit: Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti: *Matth. cap.* 23.

a Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram,] i. seminatum. *a* Mortuum fuerit,] i. putrefactum.

a Amen, amen dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram *a* mortuum fuerit, *b* ipsum solum manet: *c* Si autem mortuum fuerit, *d* multum fructum affert. *e* Qui amat animam suam *f* perdet eam: *g* Et qui odit animam suam in hoc mundo, *h* in vitam æternam custodit eam. *i* Si quis mihi ministrat, *k* me sequatur, *l* Et ubi sum ego, illic & minister meus erit,

b Ipsum solum manet.] *Chrysost.* De Cruce loquitur. Ut ergo non turbentur excogitantes, quando accesserunt Gentes, tunc interfectus est, dicit se granum, q. d. imo hoc ipsum maxime, faciet advenire Gentes, & prædicationem augere.

Item quia sermonibus non tantum eos persuadebat, sed etiam a rerum experimento methodo id tractat, quoniam & frumentum magis fert fructum cum mortuum fuerit. Si igitur hoc est in semine, multo magis in me. Hunc sermonem etiam Paulus movet, disputans de resurrectione. 1. *Cor.* 15.

c Si autem mortuum fuerit] in infidelitate Judæorum.

d Multum fructum affert] in fide populorum. *August.* Cum sint multa grana seminum, nulli se comparat, nisi frumento: unde mos cœpit Ecclesiæ, de hoc solo grano confici corpus Domini. Sequitur.

e Qui amat animam suam, &c.] Prædixit suam passionem præviam fructui; sed quia non prodest ejus Passio, nisi compatientibus, & imitantibus: ideo prædicta Passione subdit exhortationem ad idem, dicens: [Qui amat animam suam,] vero amore, idest, qui diligit commodum animæ suæ. *f* Perdet eam,] i. animam, i. vitam. Et est simplex relatio, i. libenter morietur cum Christo. Vel. *e* Qui amat animam suam,] i. vitam in præsenti contra Christum. *f* Perdet eam] in futuro. Quod magis congruit ei, quod sequitur.

g Et qui odit animam suam in hoc mundo,] i. exponit eam morti potius, quam in Deum peccet.

h In vitam æternam custodit eam.] *Isa.* 49. Hæc dicit Dominus ad contemptibilem animam, &c. Ibi habent *Septuag.* Sanctificate eum, qui despicit animam suam. *Chrys.* Quis est, qui odit? Qui, scil. non credit ei nociva jubenti. Et nota, quod non dixit, qui non cedit; sed qui odit. Sicut enim eorum, qui odio habentur, neque vocem sustinemus delectabiliter, neque visum: ita animam, cum injungit contraria, cum vehementia avertere oportet. Animam autem vocat animalitatem, sive sensualitatem. Et quia sic custoditur anima, cum perditur, sicut granum multiplicatur, cum projicitur: ideo.

i Si quis mihi ministrat,] idest, si quis meum ministerium profitetur.

k Me sequatur,] i. opere imitetur. *Chrys.* De morte dicit, & eam, quæ per opera est, assecutionem expetit. Decet enim ministrum sequi eum, cui ministrat. *Inf.* 13. & 15. Non est servus major suo Domino, si me persecuti sunt, & vos persequentur. *Eccl.* 23. Magna gloria est sequi Dominum. Vel. *i* Si quis mihi ministrat] in dispensatione verbi. k Me sequatur] imitatione facti, ne dicatur ei: Qui prædicas non furandum, furatis: *Rom. c.* 2. Vel, [Si quis mihi ministrat] in operatione exteriori: [Me sequatur] intentione interiori propter Deum faciens. *Matth.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Vel, [Si quis mihi ministrat,] idest, servit in prosperitate; [me sequatur,] in adversitate. *Isa. c.* 21. Venit mane, & nox si quæritis, quærite. Et quo præmio? Ecce. *l* Et ubi sum ego [caput] illic & minister meus erit.] Si capiti membrum adhæserit ei, quia onerosa dixit, ideo præmium ponit. *Matt.* 24. Ubi fuerit corpus, congregabuntur, &c. *Infra* 14. Accipiam vos ad meipsum. *Job* 17. Pone me juxta te. *Augustin.* Pretium operis, quo illi ministratur,

Moraliter. ▲ xuriam. *Cant.* 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus. Granum autem multiplicatur per putrefactionem; sic Sanctorum gloria, & fama crevit per eorum afflictiones, & mortes. *Psalm.* 140. Singulariter sum ego, donec transeam. *Exod.* 1. Quanto plus opprimebant filios Israel, &c. Christus cecidit in terram in sepulchro, mortuus est in patibulo. Justus cadit in terram per humilitatem, & sui considerationem, moritur per carnis mortificationem, & tunc fructificare potest in aliis per prædicationem. Dominus autem jurat; & tamen nolumus ei credere [quod nisi granum frumenti, &c.] Theologi econtra jurant; Nisi granum frumenti elevetur a terra per pompam, ipsum solum manet. Item dicit usurarius, quod nisi granum positum fuerit in arca, non fructificat. Et Dominus dicit, quod nisi datum terræ, i. pauperibus, non multiplicatur. *Eccl.* 11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, &c. Sequitur.

Matt. 16. *Marc.* 8. *Luc.* 9. & 17.

e Qui amat animam suam,] i. vitam in præsenti.

f Perdet eam] in futuro. Unde *Chrys.* Animam amare, dicit desideria animæ convenientia facere, & ei plus quam oportet, deferre. *Eccl.* 18. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, &c. Vel.

e Qui amat animam suam,] i. vitam, multiplices curas pro ea corpori adhibendo.

f Perdet eam] ad litteram etiam in præsenti, quia ad litteram propter cibos, fomenta, & vitia multa perditur vita, *Eccl.* 37. Propter crapulam multi obierunt, & qui abstinens est, adjiciet vitam. *Mich.* 1. Ponam Samariam, i. illos, qui custodiunt corpus suum, quasi acervum lapidum in agro. Quanto enim plures lapides ponuntur ex una parte acervi, tanto plures ruunt ex alia: Sic quanto plus quis custodit se in oculis, tanto plus deterioratur in aliis membris. Caro enim sicut later, qui ad ablutionem sordidatur: & sicut vestimentum, quod ad repositionem a tineis comeditur. Unde *Psalm.* 101. Omnes sicut vestimentum veterascent. Eo enim ipso, quod non utitur quis vestimento, generat ipsum vestimentum tineas, & vermes: & sic in seipso, per seipsum consumitur in otio. *Job* 13. Qui quasi putredo consumendus sum, &c.

g Et qui odit animam suam in hoc mundo,] idest, vitam temporalem, qui paratus est mori pro Christo nec reputat damnum pro ipso. *Jud.* 5. Cor meum diligit Principes Israel: qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino. Item *in eodem* 5. *capitulo, parum ante.* Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino. Item *Isa.* 49. Dominus ad contemptibilem animam, &c. Ibi habent *Septuag.* Sanctificate eum, qui despicit animam suam. Vel, [Qui odit animam,] i. sensualitatem. *Chrysost.* Qui odit animam, i. qui non cedit ei nociva jubenti, vel appetenti. Et nota, quod non dixit: Qui non cedit, sed qui odit. Sicut enim eorum, qui odio habentur, nec vocem sustinemus delectabiliter, nec visum: ita animam, cum injungit contraria, cum vehementia avertere oportet, *Rom.* 13. Curam carnis ne feceritis in desideriis. *Job* 39. Vocem exactoris non audit.

h In vitam æternam custodit eam,] i. animam. Et est simplex relatio. Et ideo.

i Si quis mihi ministrat,] i. si quis profitetur se esse meum ministrum.

k Me sequatur,] i. probet hoc per effectum. *Chrys.* De morte dicit, & eam, quæ per opera est, assecutionem expetit: Decet enim ministrum sequi eum, cum ministrat. *Eccl.* 23. Gloria magna est sequi Dominum. Vel, i Si quis mihi ministrat] per operationem.

k Me sequatur] per rectam intentionem. Et nota, quod quadruplex est via Domini, per quam oportet nos sequi eum. Prima de cœlo in Virginis uterum, quando exinanivit se. *Philip.* 2. Hæc fuit via humilitatis contra superbiam. Secunda fuit de utero Virginis in mundum, quando de ea natus est in vili tugurio, in paupere diversorio, & pannis involutus in præsepio. Et hæc fuit via paupertatis contra avaritiam. Tertia in præsenti vita per multas tribulationes ad Crucem, & mortem. Hæc fuit doloris, & asperitatis contra luxuriam. *Psal.* 18. Exultavit enim ut Gigas ad currendam viam hanc, scilic. triplicem, a summo cœlo egressio ejus, &c. Quarta fuit de Cruce ad inferos, unde Adam, & sanctos patres reduxit ad patriam amissam. Et hæc via fuit charitatis, & misericordiæ. *Zachar.* 9. Tu autem in sanguine Testamenti, &c. His ergo viis peractis, rediit tandem ad Patrem in cœlum. Et hæc via fuit gloriæ, & honoris, de qua *Ps.* 138. Deduc me in via æterna. Qui ergo Christum per hanc vitam quadruplicem sequitur in præsenti, ultima via ab ipso deducetur, in qua sequetur Agnum, quocumque ierit; *Apoc.* 14. Unde sequitur hic de præmio.

Quadruplex est via Domini.

l Et ubi ego sum, illic & minister meus erit.] Ecce magnum præmium. *Sap.* 3. Bonorum laborum gloriosus est * fructus.

▲ ſtratur, eſt eſſe cum illo, ſine quo nuſquam eſt bene eſſe: & cum quo nuſquam eſt male eſſe. Unde & apertius ſubit: *a* Si quis mihi miniſtraverit] vere imitando. *b* Honorificabit eum Pater meus,] ut ibidem ſit adoptatus, ubi eſt unicus Filius. *Chryſ.* Cur non dixit: Ego honorificabo eum? Reſpondemus, quia opinionem majorem habebant de Patre. *Aug.* Quia dixerat: [Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit,] hoc intelligitur expoſuiſſe, cum dicit: Honorificabit eum Pater meus,] nam quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quam ut ſit, ubi eſt unicus, non æqualis factus Divinitati; ſed conſociatus æternitati: Sequitur.

Matth. 16. Marc. 14.

> *a* Si quis mihi miniſtraverit, *b* honorificabit eum Pater meus. *c* Nunc anima mea turbata eſt. *d* Et quid dicam? *e* Pater, ſalvifica me *f* ex hac hora. *g* Sed *h* propterea *i* veni in horam hanc. *k* Pater, clarifica nomen tuum.

c Nunc anima mea turbata eſt.] Prædicta Paſſione, ut ad eam ſuppoſita exhortatione quaſi data voce fortitudinis, ſubdit affectum noſtræ infirmitatis, quem vere ſuſcepit; ſed ex voluntate pro nobis, ne de hac infirmitate deſperemus. Unde dicit: [Nunc anima mea turbata eſt,] quaſi tunc honorificabit eum Pater meus mecum; ſed nunc turbatur anima, i. ſenſualitas. Simile *Matt.* 27. Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.

d Et quid dicam,] i. quid reſpondebo, vel opponam turbationi? Ecce ſcio, quid dicam, hoc ſcilicet.

e Pater, ſalvifica me ex hac hora,] i. reſuſcita me: In quo docet nos, quid dicere debeamus in tribulatione: & quo confugere, ſcil. ad Patrem per orationem, ſecundum illud *Pſal.* 119. Ad Dominum, cum tribularer, clamavi. Nec debemus petere non tribulari; ſed in tribulatione ſalvari. Unde ſubdit.

g Sed propterea veni in horam hanc,] quaſi ſalvationem quæro, ſed Paſſionem non recuſo. Quia.

h Propterea,] i. ad patiendum.

i Veni in horam hanc,] i. in hanc vitam, ſive in mundum, vel in hanc opportunitatem. Et ideo.

k Pater, clarifica nomen tuum,] i. me ſuſcitando, ſcil. quod eſt gloria nominis tui, vel me, qui ſum nomen tuum. Vel ſic legitur d. Quid dicam,] i. quo fugiam, quem invocem, in quem ſperem? In Patrem, qui ſalvat. Unde: [Pater ſalvifica me ex hac hora.] Vel ſic.

d Quid dicam,] ad ereptionem, vel remedium: Dicam ne hoc.

e Pater ſalvifica me ex hac hora,] i. petram ne. Pater, ſimpliciter, tranſeat a me calix, & Paſſio iſta? Non.

g Sed] pro quia:

h Propterea] ut patiar. *i* Veni in horam hanc. Sed hoc dicam. *k* Pater, clarifica nomen tuum,] in mea reſuſcitatione, vel Gentium converſione, q. d. non petro non mori: ſed reſurgere, & prædicari Gentibus. *Chryſ.* ſic legit.

c Nunc anima mea turbata eſt.] Hoc quidem non videtur cohortatio Diſcipulorum ad mortem ſuſtinendam; ſed magis fugiendam. Eſt autem maxime, ne enim dicant, ipſe ut Deus exiſtens extra dolores humanos facile de morte philoſophatur, & ſine ſuo periculo de noſtro nos admonet: ideo oſtendit, quod & in agonia eſt ipſe propter noſtram utilitatem; tamen non renuit mortem. Hæc autem diſpenſationis ſunt, non Divinitatis: ideo dicit: [Turbata eſt,] & ita turbata eſt, ut eripi quærat, ſi demum liceret fugere. Hæ ſunt naturæ humanæ imbecillitates.

d Et quid dicam?] Loquitur ad modum turbati, & tribulati, qui dicit quærens remedium: quid faciam, quid dicam? Vel.

d Quid dicam] i. quid petam.

e Pater, ſalvifica me ex hac hora] Paſſionis, q. d. im turbatur anima, i. ſenſualitas, ut petat eripi. Sicut etiam alibi dicit: *Matt. c.* 26. Pater, ſi poteſt fieri, tranſeat a me calix iſte. Et eſt petitio ſenſualitatis, quam ratio poſtmodum dirigit. Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, &c. Sic & hic dicitur.

g Sed propterea veni in hanc horam, ut patiar. Et ideo peto: *k* Pater, clarifica, vel glorifica nomen tuum.] *Joannes Chryſoſt.* ideſt, adduc me ad Crucem: Gloriam enim Dei vocat mortem ſuam. Poſt Crucem enim, & ▲ per Crucem.

Moraliter. * fructus. Ecce, ſcil. cum Chriſto, *Matt.* 24. Ubi fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ. *Inf.* 14. Accipiam vos ad meipſum. *Apoc. c.* 3. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus. *Job* 17. Pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me.

a Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.] 1. *Reg. c.* 2. Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, ignobiles erunt. Hanc gloriam videns Regina Sabba, non habuit ultra ſpiritum. 3. *Reg. c.* 10. Sabba, interpretatur incenſum. Regina ergo Sabba eſt anima contemplativa, quæ in contemplatione quaſi fumus incenſi extenuatu deſiderio, & defectu intelligendi ea, quæ ſunt in patria, cadit in pſalmum.

Unde alia littera habet extaſim. Et nota, quod ad illam gloriam itur per miniſterium. Miniſtrare ergo debemus Chriſto, quia ipſe prior miniſtravit. *Luc.* 22. *c.* 22. Ego autem ſum in medio veſtrum, ſicut qui miniſtrat. Miniſtravit autem nobis ſua, ſuos, & ſeipſum. Sua tripliciter, quia bona temporalia, ſpiritualia, & cœleſtia ſuis confert. *Jac. c.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum, &c. *Luc. c.* 12. Et tranſiens miniſtrabit illis. Suos etiam miniſtrat Angelos.

Unde dicit Apoſtolus *ad Hebr. c.* 1. Nonne omnes adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem ſalutis accipiunt?

Item Angelos, i. Prædicatores ſuos miniſtrat. *Jer. c.* 7. Miſi ad eos ſervos meos Prophetas de nocte conſurgens, & non audierunt eos. 3. *Eſdr. c.* 1. Miſit Angelos ſuos revocare eos; & ipſi ſubſannabant eos.

Item miniſtravit ſeipſum. *B. Bern.* Bonus miniſter, qui carnem in cibum, ſanguinem in potum, animam miniſtravit in pretium. Similia ergo nos oportet ei miniſtrare. *Prov. c.* 23. Quando ſederis, ut comedas cum Principe, &c. Ei ergo miniſtremus noſtra pauperibus erogando, *Luc. c.* 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c. Noſtros, pro Chriſto eos relinquendo, & contra Chriſtum non amando. *Matth. c.* 19. Omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, &c. *Deut. c.* 33. Qui dixerunt patri, & matri: neſcio vos, &c.

Item nos ipſos debemus ei offerre. Eſt enim quaſi Gigas, qui homines comedit. Duo autem habemus: Cor, & corpus. Hæc duo paremus ei, & ſufficit ſibi. Cor autem a te petit in cibum, ſicut avis nobilis cor prædæ ſuæ. *Prov. c.* 23. Fili, præbe mihi cor tuum. *Eccl. c.* 30. Splendidam cor bonum in epulis, i. ad comedendum. Effunde ergo de corde tuo ſanguinem totius ſuperbiæ, invidiæ, & rancoris. Nam caro cum ſanguine comedi prohibita eſt. *Gen. c.* 9. & *Thr.* 2. Effunde ſicut aquam cor tuum. *Jer. c.* 5. Lava a malitia cor tuum.

Item, & coque ipſum, & in aqua contritionis, & igne charitatis: ſecundum illud *Pſalm.* 107. Paratum cor meum, Deus. Corpus etiam para Domino, ut ſanguinem totius carnalis voluptatis de eo auferas, & ipſum decoquas laboribus, ſudoribus, vigiliis, jejuniis, & diſciplinis. Hi ſunt duo hœdi, optimi, quibus Iſaac libenter veſcitur; ſi tamen a Rebecca, ideſt, gratia præparentur, *Gen. cap.* 27. Primo enim effundit ab eis Rebecca ſanguinem, ideſt, peccatum per confeſſionem: deinde aufert pellem, ideſt, veterem converſationem, vel mali ſpeciem. *Epheſ. c.* 5. Exuite veterem hominem. Et decoquit per charitatem. Sic ergo quilibet debet Chriſto miniſtrare hæc tria, ſua & ſuos, & ſe: Quæ Abraham miniſtravit Deo hoſpitio recepto: *Geneſ. cap.* 18. Lac, & butyrum, & vitulum. Per lac intelligitur ſubſtantia temporalis, vel amor carnalis, quantum ad ſuos: per butyrum devotio mentis: per vitulum immolatio carnis.

c Nunc anima mea turbata eſt.] Tunc honorabitur anima Juſti, ſed hic turbatur, *inf.* 16. In me pacem; in mundo preſſuram habebitis. Et nota, quod licet ſenſualitas turbetur; tamen non vincuntur Sancti.

Unde *Matth.* 26. Spiritus quidem promptus eſt; caro autem infirma.

d Et quid dicam, Pater, ſalvifica me ex hac hora.] Per hoc docet nos, quod in turbatione recorrere debemus ad orationem. *Pſ.* 119. Ad Dominum, cum tribularer, clamavi. Non debemus autem petere, ut amoveatur tentatio; ſed ut anima non vincatur, ſicut *Matt.* 6. Et ne nos inducas in tentationem. Ideo dicit; [Salvifica,] non eripe.

f Ex hac hora,] i. in præſenti vita plena miſeriis, & laqueis, & præcipitiis. *g* Sed præterea veni in hanc horam,] ad patiendum, & laborandum. *Job c.* 5. Homo naſcitur ad laborem, *k* Pater clarifica nomen tuum;]

△ per Crucem hoc evenit, quod orbis terrarum cognovit nomen Dei, non solum Patris, sed & Filii. Sic ergo sensualitas appetebat non mori: ratio deliberabat mori, & ita sensualitas in Christo appetebat contrarium E illi, quod deliberabat ratio; non tamen contraria erat ipsi rationi: hoc enim volebat ratio, scil. quod sensualitas appeteret hoc. Unde dicitur *supr.* 11. quod turbavit semetipsum. Et hoc duplici ratione. Primo, ut ostenderet, quod non erat extra humanas passiones. Unde *Chrysost.* Habebat naturam Christus non volentem mori, sed præsenti adhærentem vitæ. Quemadmodum enim esurire, vel dormire non est crimen: ita neque præsentem vitam appetere. Christus autem corpus habebat a peccatis liberum; sed non a naturalibus necessitatibus erutum: quia nequaquam aliter corpus esset. Secundo, quia per hoc erudit nos, quod & si turbemur in agone constituti, & formidine; non tamen resiliamus a propositis. *a* Venit ergo vox de cœlo] in aere formata. *b* Et clarificavi] antequam mundus esset, idest, clarum genui secundum Deitatem. *c* Et iterum clarificabo] in mundo secundum humanitatem, per Resurrectionem, & Ascensionem. Vel secundum *Chrys.* [Glorificavi] in his, quæ antea facta sunt, miraculis. [Et glorificabo] post Crucem. *d* Turba autem, quæ stabat, & audierat] illam vocem. *e* Dicebat, tonitruum factum esse.] Hic visum est forte remotis, & minus attentis, qui tantum audierant sonum. *f* Alii dicebant: Angelus ei locutus est.] Isti propinquius erant forte, & perceperunt, quod vox quidem esset, non sonus tantum; sed quid significaret, non noverunt: Discipuli, qui magis erant attenti, & vocem, & significationem vocis noverunt. *Chrys.* Unde noverunt tonitruum esse, vel Angelum ei locutum, nonne aperta, & bene significativa erat vox illa? Ita, sed cito ab eis avolavit tanquam a grossioribus existentibus, & carnalibus, & desidiosis. Et hi quidem sonitum, quasi tonitrui detinuerunt. Alii autem, qui dixerunt, quod Angelus ei locutus est, quoniam articulata quidem erat vox, noverunt; quid autem significaret, non noverunt. *g* Respondit Jesus, & dicit: non propter me vox hæc venit: sed propter vos,] i. propter salutem vestram, non meam. *Aug.* Ostendit illam vocem non sibi iudicasse, quod sciebat: sed eis, quibus indicare oportebat. Sicut autem vox illa non propter eum; sed propter alios Divinitate facta est: sic anima ejus non propter eum, sed propter alios voluntate turbata est. Vel secundum *Chrys.* legitur tripliciter: [Propter vos,] scil. ut credatis, quia ea Deo sum. Qui enim a Deo glorificatur, qualiter non esset a Deo? Hoc autem dicit contra hoc, quod semper dicebant, quod, scil. non esset a Deo. Vel, [Propter vos,] q. d. vos putatis tonitruum factum, & nescitis, quid sit dictum: quare ergo non quæritis, quid est, quod dictum est, cum ad vos pertineat: quia vox facta est propter vos, ut scil. sciatis me esse a Patre glorificandum. Vel sic, Propter vos, minus capaces. Humilia enim propter eos facta sunt, non ut Filio indigente auxilio. Sequitur. *h* Nunc judicium est mundi.] *Chrys.* Quam habet hoc consequentiam? Multam, & valde consonantem. Quia enim dixerat: [Et glorificabo eum,] ostendit & modum gloriæ. Quis est modus? Judicabitur mundus, i. vindicabitur, quia Princeps mundi mittetur deorsum. Unde dicit. *h* Nunc,] i. per meam mortem instantem. *i* Judicium est mundi,] i. pro mundo, quia vindicabitur mundus de Diabolo. *Chrys.* Ac si judicio constituto, dicatur ad diabolum: Esto, alios interfecisti propter peccatum: Christum autem propter quid? Manifestum est, quod injuste: quo circa per eum vindicabitur mundus. Exemplo faciam hoc manifestius: Esto, quidam Præses Tyrannus, qui omnes affligit vi manus ejus infinitis malis: hic si injuste Filium Regis interfecerit, hujus mors, & alios vindicare poterit. Item, esto, quis debitores expetens, & feriens, & in vincula mittens, si ex eadem dementia eum, qui nihil debet, in eumdem carcerem ducat: huic, & eorum, quæ in alios fecit, dabit vindictam. Sic & in Christo factum est: Eorum enim, quæ in nos fecit Diabolus per ea, quæ in Christum ausus est, expetetur vindicta. Unde ad idem subdit, *k* Nunc Princeps hujus mundi,] i. perniciosorum. *l* Ejicietur foras,] vel secundum *Chrys.* [Mittetur deorsum,] i. subjicietur, qui prius dominabatur, & torquebitur. Et ne dicat aliquis; qualiter mittetur deorsum, si & te superabit, & morti tradet? Ideo respondet, & dicit. *m* Et ego si exaltatus fuero a terra,] in Cruce. *n* Omnia traham ad meipsum,] q. d. etsi moriar, non tamen superabit. Qualiter enim eum, qui alios trahit, superaret? Quasi dicat; non detinebor morte, sed ipsa morte vincam. Unde non dicit: resurgam, sed omnes traham, quod resurrectione plus est. Si enim dixisset; resurgam, non per hoc manifestum esset, quod traheret; dicens autem, [traham] utrumque declarat. Omnes autem [traham,] a Tyranno detentos, & nequeuntes per se effugere. *Zachar.* 9. Tu autem in sanguine, &c. Alibi autem vocat rapinam, quod hic vocat tractionem. *Luc.* 11. Diripiet spolia ejus. Secundum *August.* sic legitur. *h* Nunc judicium est mundi] q. d. nunc patior, nunc turbor, & per hoc est judicium mundi, judicium scilicet discretionis, quod est ante ultimum judicium damnationis: quia nunc per Passionem jure diaboli destructo multi liberabuntur. De quo judicio dicit *Ps.* 42. Judica me, Deus, & discerne causam meam, &c. Et quomodo? Quia.

al. Idleens. De consecr. dist. 3. c. fin.

k Nunc Princeps hujus mundi,] i. Diabolus, qui dominatur in malis mundo deditis. *l* Ejicietur foras,] de cordibus hominum per Passionem, & prædicationem Apostolorum. *Isa.* 11. In foramine aspidis, & in caverna Reguli, &c. Et non solum ejicietur ab eis: sed & mihi unione fidei unientur. Unde subdit. Et ego si exaltatus fuero a terra] in Cruce pro signo, & remedio, *Nu.* 21. *n* Omnia traham ad meipsum,] idest, ad

△ unitatem

Sup. 3. & 8.

* Per hoc docemur duo petere: Salvificationem a culpa in præsenti, & claritatem in futura vita. Et de hac clarificatione habes *sup. eod.* *a* Venit ergo vox de cœlo, &c.] Per hoc significatur, quod Justo oranti dat Dominus gratiam, & promittit gloriam. *Ps.* 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. *d* Turba autem, quæ stabat, & audiebat, dicebat tonitruum factum esse.] Sic dicunt multi, quando audiunt verba Domini de judicio Domini, dicunt ad terrorem esse dicta. Tales erant illi, de quibus *Gen. c.* 19. Videbatur eis quasi ludens loqui. Sed dicit Dominus *per Ps.* 88. Verba mea non faciam irrita.

Moraliter.

f Alii dicebant, Angelus ei locutus est.] Ita dicunt etiam multi: Iste homo spiritualis est, & loquitur cum Angelis, & ideo nescit condescendere nobis peccatoribus, ideo ita strictus est in consiliis suis. Vel in bono, dicunt multi, quod gratia docet eum, licet alii dicant, quod hoc fingat ad terrendum.

g Respondit Jesus, & dixit: non propter me vox hæc venit, sed propter vos,] ut credatis, quæ dicuntur de pœnis, ne eas incurratis: & de præmiis, ut ea habeatis. *Rom.* 15. Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. [Non propter me:] Quia bonorum nostrorum non eget. *Job* 22. Quid prodest Deo, si justus fueris.

h Nunc judicium est mundi,] i. judicium fiet pro mundo liberando, scil. ab oppressore. Unde sequitur.

k Nunc Princeps hujus mundi] i. Diabolus, qui dominatur malis mundo deditis.

l Ejicietur foras] de cordibus hominum: vel potestate sæviendi pro parte privabitur per Passionem, & prædicationem meam: vel per gratiam, quæ diffundetur faccu perforato carnis meæ in Passione. *Isa.* 11. Super foramina aspidis, & in caverna Reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet, i. Christus. *Job* 40. An extrahere poteris Leviathan hamo? In quo hamo Crux est quasi virga: clavi, quasi linea: Divinitas ferrum: caro Christi vermis, *Ps.* 21. Ego sum vermis, & non homo. *Ezechielis cap.* 29. Extraham te de medio fluminum tuorum. *Job cap.* 26. Obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus.

m Et ego si exaltatus fuero a terra] in Cruce, vel in cœlo. *n* Omnia,] genera hominum, i. de omni genere hominum aliquos. *Supra* 1. Illuminat omnem hominem. Vel, [Omnia,] quæ sunt hominis, idest hominem in corpore, & anima. In anima per gratiam, in corpore per glorificationem extremam. *o* Traham ad meipsum,]

* idest,

A unitate fidei, vel corporis mei, ut fim cadut, & illi membra. *Aug.* Non dicit, omnes, ut de universitate hominum accipias; sed omnia de integritate naturæ, scil. animam, & corpus. Sic ergo legitur: [Omnia] quæ sunt hominis, idest, hominem in corpore, & anima. In anima per gratiam; in corpore per glorificationem: quia nec capillus peribit. *Matt. c.* 10. & *Lucæ cap.* 12. Vel, [Omnia,] prædestinata ad salutem. Vel, [Omnia] genera hominum, five in linguis omnibus, five in ætatibus omnibus, five in gradibus honorum omnibus, five in artium licitarum, & utilium profeſſionibus omnibus, five in aliis omnibus.

F

meipſum. *a* Hoc autem dicebat, ſignificans, qua morte eſſet moriturus. *b* Reſpondit ei turba: *c* Nos audivimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum: *d* Et quomodo tu dicis: oportet exaltari Filium hominis: Et *e* quis eſt iſte Filius hominis? *f* Dixit ergo eis Jeſus: *g* Adhuc modicum *h* lumen in *i* vobis eſt. *k* Ambulate, dum *l* lucem habetis, *m* ut non vos tenebræ comprehendant. *n* Et *o* qui ambulat in tenebris, *p* neſcit, quo vadat. *q* Dum lucem habetis, *r* credite in lucem, *ſ* ut filii lucis ſitis. *t* Hæc locu-

a Hoc autem dicebat ſignificans, qua morte eſſet moriturus,] ſcil. Crucis. Unde.

b Reſpondit ei turba,] quia ſuam mortem inſinuabat.

c Nos audivimus ea lege, quia Chriſtus manet in æternum.] *Iſa.* 9. Super regnum David ſedebit amodo, & uſque in ſempiternum.

Item *Iſa.* 9. Et pacis ejus non erit finis. *Mich.* 5. Egreſſus ejus ſecundum dies æternitatis. *Dan.* 7. Poteſtas ejus poteſtas æterna.

d Et quomodo tu dicis: oportet exaltari Filium hominis,] quaſi dicat, contraria videntur hæc. Sed quia nondum eſt contrarietas omnino, ſcil. manere Chriſtum, & mori Filium hominis, quia non eſt de eodem: ideo ſubdnot.

e Quis eſt iſte Filius hominis?] quaſi dicant, ſi ille Filius hominis de quo loqueris, eſt Chriſtus, tunc plane contraria ſunt, quæ dicis, & quæ lex dicit. Dicis enim Chriſtum mori, & lex dicit, quod manet. Et nota, ſicut dicit *Auguſt.* quod Dominus non dixerat in hoc oportet exaltari Filium hominis; ſed dixerat: Si exaltatus fuero a terra, &c. Sed frequenter dicebat ſe Filium hominis, & memoriter hoc tenebant, & *ſup. eod.* dixerat: Venit hora, ut glorificetur Filius hominis. Hoc ergo in animo retinentes, & per hoc, quod nunc ait: Si exaltatus fuero a terra, mortem Crucis intelligentes quæſierunt, & dixerunt.

e Nos audivimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum: & quomodo tu dicis: oportet exaltari Filium hominis, quis eſt iſte Filius hominis? Si enim Chriſtus eſt, inquiunt, manet in æternum: & ſi manet, quomodo exaltabitur, ideſt, crucifigetur? Hoc enim dixiſſe intelligebant, quod facere cogitabant, † non ergo eis verborum iſtorum obſcuritatem aperuit inſuſa Sapientia.

al. † tunc.

Unde nota, quod Dominus dixit diſcipulis de morte, & *Luc.* 18. non intellexerunt, quia amor retrahebat eos ab hoc intellectu, ſed Judæi intelligunt, quia malitia eos ad hoc inſtigabat.

f Dixit ergo eis Jeſus: adhuc modicum lumen] fidei, i. non plenum.

i In vobis eſt] quaſi cum intelligitis, quod Chriſtus manet in æternum. hæc pars fidei, & veri luminis per ſe non ſufficit.

k Ambulate] ergo, i. proficite, & totum intelligite, ſcil. & Chriſtum moriturum, ut redimat, & victurum in æternum in cœlo, quo perducat.

l Dum lucem habetis,] i. dum Chriſtum vobiſcum habetis, qui vos plenam fidem doceat.

m Ut non vos tenebræ comprehendant] ignorantiæ, vel mortis perpetuæ, quod eſt, ſi ita intelligitis Chriſti æternitatem, ut negetis ejus mortem. Ambulate ergo in luce.

n Et,] ideſt, quia.

o Qui ambulat in tenebris,] ideſt, qui vivit in tenebris infidelitatis, & erroris: & vos, qui mortem Chriſti non creditis. Vel ſicut Gentiles, qui omnino ſunt in errore.

p Neſcit, quo vadat,] i. neſciens vadit ad tenebras damnationis. Sed vos.

q Dum lucem habetis] præſto, ſcil. gratiæ, & doctrinæ, vel præſentis vitæ. Vel, [Dum lucem habetis,] ideſt, dum aliquid veritatis jam intelligitis de Chriſti æternitate.

r Credite in lucem,] ideſt, in me veritatem perfecte credite, addendo æternitati Paſſionem ſecundum hominem.

ſ Ut ſic filii lucis ſitis,] per imitationem, & amorem. *Eph.* 5. ut filii lucis ambulate. *Chryſ.* dicit, quod poſtquam malitioſe oppoſuerunt ei: [Nos audivimus ea lege, quia Chriſtus manet in æternum, &c.] ſubdunt: [Quis eſt iſte Filius hominis?] & hoc etiam malitioſe, q. d. ne putes, quod de te hoc dicamus, & dicas, quoniam propter odium adverſamur. Ecce enim non novimus, de quo dicis; & tamen enunciamus veritatem legis, quæ videtur contraria ei, quod dicis, quod Filius hominis debeat exaltari, i. crucifigi. Quos obſtruens Dominus dicit.

g Adhuc modicum,] i. modico tempore. Et ſic ſumitur adverbialiter, ly modicum.

h Lumen in vobis eſt,] vel [modico tempore lux vobiſcum eſt,] per hoc oſtendens, quod Paſſio non eſt prohibitio manendi in æternum. Ac ſi diceret, mors mea transfiguratio eſt, non deſtructio. Etenim lux ſolaris nocte non interimitur, ſed paululum recedens rurſum apparet.

k Ambulate] ergo, i. in lumine fidei vivite.

l Dum lucem habetis,] i. me, vel vitam præſentem. *Jo: c.* 9. Operamini, dum dies eſt.

m Ut non vos tenebræ comprehendant] mortis, vel erroris poſt meam mortem. Multi enim, imo fere omnes, poſt mortem ejus omnino excæcati ſunt, licet quidam propter ineffabilem clementiam ejus ad fidem vocati ſunt.

n Et qui ambulat in tenebris, neſcit, quo vadat] *Chryſ.* Quanta Judæi nunc agunt: & neſciunt, quid agunt? Putant rectam incedere viam, & contrariam vadunt, Sabbata, & eſcas obſervantes. Ideo.

q Dum lucem habetis,] i. me præſentem.

r Credite in lucem, ut filii lucis ſitis, & efficiamini,] i. mei. Superius autem dixit, quod non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis; ſed ex Deo nati ſunt, i. ex Patre; hic autem dicitur eos generare, ut diſcas, quod una, & eadem eſt actio Patris, & Filii.

Sup. 9.

t Hæc locutus eſt eis Jeſus, & abiit,] ut eſſet longe ab eis corporaliter, ſicut erat ſpiritualiter.

Δ *a* Et abſcondit

* ideſt, ad unitatem corporis mei, ut ejecto Diabolo mihi jungantur, & ſim caput, & ipſi ſint membra. Vel, [Ad meipſum,] in cœlum, ut ubi ego ſum, illic ſit, & miniſter meus. *Sap. eod.* Vel, [Ad meipſum,] i. ad fidem, & amorem meum. Vel, [Ad meipſum,] i. ad Paſſionem, ſive ad patibulum. Chriſto enim aſcendente in Crucem, alii poſtea aſcenderunt. *Cant.* 7. Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus. Et nota, quod ſi Chriſtus omnia trahit; ergo qui non eſt tractus, non eſt de numero entium tantum. *Boetius:* Mali homines non ſunt. Trahit autem Chriſtus per Crucem. Crux enim ejus eſt ſicut inſtrumentum, ſive machina, quo ſubvehuntur, & trahuntur ligna, & lapides ad alta ædificia. Funes autem ſunt Chriſti Paſſiones in Cruce pro nobis. *Oſee* 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Paſſiones ejus dicuntur funiculi Adæ, quia propter Adam, & genus ſuum trahendum factæ ſunt. *Jer.* 31. In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miſerans.

Moraliter.

Item Crux Chriſti fuit quaſi ſtatera, in quam Chriſtus aſcendens in una lance ſe poſuit, & pœnam ſuam; in alia autem poſuit genus humanum, & peccata ejus. Quod autem ponderoſius fuit, minus ponderoſum elevavit.

Unde Chriſtus deſcendit in mortem: & genus humanum elevatum eſt ad vitam, & ad cœlum. *Job* 6. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas, quam patior, in ſtatera, &c. *Iſa.* 40. Qui libravit montes in pondere, & colles in ſtatera. Hæc ſufficiant ad Moralitates hujus capituli.

Moraliter.

a Et abscondit se ab eis,] significans per hoc, quod in mentibus eorum erat ignotus. Vel, [Abscondit se,] & exivit de templo. *Aug.* In hoc infirmitati nostræ consuluit, non potestati suæ derogavit. *Chrys.* Cur absconditur, neque enim lapides levaverunt, neque blasphemaverunt; sicut ante?

videre Seraphin, & coruscationem a throno salientem, Sed nota, quod dicit: [Gloriam ejus:] Cujus? Patris secundum Isaiam, qualiter ergo Joannes hæc de Filio dicit hic; Paulus autem de Spiritu sancto? Respondemus. Non ut confundentes hypostases, sed unam dignitatem ostendentes hoc dicunt.

G Sol. Corda noverat, & furorem intus sævientem, & non expectavit in opus, ut exiret. Quod insinuans Evangelista dicit.

b Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum,] sed sæviebant, supple. Sed quæ tanta, vel tot, quæ dimisit Evangelista: Pauca enim de multis dixit.

c Ut sermo *Isaiæ* [*cap.* 53.] impleretur,] ly [ut] non dicit causam, sed eventum.

al † Prophetæ. *Isa.* 53.

...tus est Jesus, & abiit, a & abscondit se ab eis. b Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, c ut sermo Isaiæ † impleretur, d quem dixit: Domine, quis e credidit auditui nostro: f & brachium Domini g cui revelatum est? h Propterea non poterant credere, i quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, k & induravit cor eorum: l ut non videant oculis, m & intelligant corde, n & convertantur, & a sanem eos. p Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & q locutus est de eo. r Verumtamen ex Principibus multi crediderunt in eum, s sed propter Pharisæos non confitebantur, ut de Synagoga non ejicerentur. t Dilexerunt enim gloriam hominum u magis, quam gloriam Dei. x Jesus autem clamavit: & dixit: y Qui credit in me, non z credit in me, a sed in eum, qui misit me. b Et qui videt me, videt eum, qui misit me. c Ego lux in

q Et locutus est de eo.] Quid? Hoc, quod ibi dicitur: Vidi Dominum super solium excelsum sedentem, &c. Vel id, quod sequitur: Quoniam audivi vocem dicentem: Quem mittam, & quis ibit nobis? Ecce ego sum: mitte me. Et dixit Dominus: Auditu audietis, & non intelligetis: excæcavit enim eorum oculos, &c. Sequitur.

Isa. 6. *Matth.* 13. *Marc.* 14. *Luc.* 8. *Act.* 28.

d Quem dixit, Domine, quis.] Et sumitur quis pro raritate, vel difficultate.

e Credidit auditui nostro,] i. his, quæ audivimus a te, vel quæ audierunt a nobis annunciantibus de te. Sed bene dicit: [Quis credidit auditui:] Fides enim ex auditu, *Rom.* 10. Et quis fuit auditus? Ecce.

f Et brachium Domini,] i. Filius, quem prædicavimus exterius.

g Cui revelatum est] per fidem interius? Paucis humilibus, scil. non superbis Judæis.

h Propterea non poterant credere, &c.] *Chrys.* Non poterant, pro non voluerunt, positum est, sicut *Matth.* 19. Qui potest capere, capiat, i. qui vult. Item *Chrys.* Multis in locis potentiam dicit electionem, vel voluntatem. Ut cum dicit quis: Non possum amare illum. Et *sup.* 7. Non potest vos odisse mundus. Item *Chrys.* Vehementiam voluntatis potentiam dicit, sicut *Jer.* 13. Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietatem suam: & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.

i Quia iterum dixit Isaias, excæcavit oculos eorum.] Ex hoc videtur, quod infidelitatem dicat Evangelista esse a prophetia, & non e converso. Unde *supr. eod.* Non credebant in eum, ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur. Sol. Proprietates tales loquendi habet Scriptura, & oportet legibus credere: & per hoc non vult aliud, nisi repræsentare infallaciam Scripturæ: & quoniam non aliter evenit, quam dixit. Vel sic lege, & ordina litteram. [Propterea quia non poterant,] i. nolebant aliquo modo [credere, iterum dixit Isaias, &c.] quasi quia prævidit eorum duritiam, & ideo prædixit. Vel sic: [Non poterant credere, i.] moveri motu fidei; [quia excæcavit oculos eorum, sicut iterum prædixit Isaias,] q. d. obfirmatio cæcitatis fuit non credendi causa. Et nota, quod dicit: [Excæcavit,] deserendo eos, vel permittendo, oculos eorum, mentales.

k Et induravit cor eorum,] i. indurari permisit. Et dicit duo: Cæcitatem rationis, & duritiam affectus: Unde redde, vel responde singula, quæ sequuntur singulis præcedentibus.

l Ut non videant oculis] per fidem.

m ut intelligant corde,] intellectui jungendo amorem, quia videre oculis, est intelligere nudam veritatem? intelligere corde, est veritati applicare cor per studium, & amorem veritatis.

n Et] sic omnino [convertantur,] i. simul vertantur ad Deum & intellectu, & affectu.

o Et sanem eos] remittendo peccata. Et resume, ut non, vel ut aliquando sic confusi convertantur, & sanem eos, quod impletum est in quibusdam, qui in profundis malorum pœnituerunt. Unde *Ps.* 15. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, &c. Et in *Ps.* 67. Dixit Dominus ex Basan, convertam, &c. Et determinat Evangelista tempus, quo hæc dixit Isaias, dicens.

p Hæc dicit Isaias [*cap.* 6.] quando vidit gloriam ejus,] quasi quando prædicebat Incarnationem Christi, quæ in illa visione significata est. Item etiam prædixit excæcationem Judæorum. *Chrys.* Gloriam ait visionem illam, & summum, & audire mysteria, ineffabilia, &

r Verumtamen,] & si alii non crederent, [ex Principibus multi crediderunt in eum:] Et quia dixerat Evangelista Judæos simpliciter non credidisse, excipit hic quosdam. Vel possunt distingui duo genera malorum Judæorum. Quidam enim erant pejores, qui omnino non credebant, ne confitebantur; alii erant, qui credebant, sed timore confiteri non audebant. Unde dicit.

Sup. 1. & 9.

s Sed propter Pharisæos non confitebantur, ut de Synagoga non ejicerentur.] *Sup. c.* 9. Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis confiteretur Christum, extra Synagogam fieret.

t Dilexerunt enim gloriam hominum] quæ est in mundanis.

u Magis quam gloriam Dei,] quæ est in confessione veritatis, vel quæ est in Cruce. Unde dicit Apostulus *ad Gal. c.* 6. Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri. *August.* Ideo Crux in fronte credentium, ubi est sedes verecundiæ, figitur, ut de nomine Christi nullus erubescat, & magis gloriam Dei, quam hominum quærat. *Chrys.* Ecce hi a fide alieni sunt per vanæ gloriæ desiderium. Ideo *sup.* 5. dicit: Quomodo potestis credere, qui gloriam abinvicem recipitis, &c. Iste autem timor solutus est. *Act.* 6. quando multa turba Sacerdotum obediebat fidei.

x Jesus autem clamavit, & dixit:] Hucusque interpositio est verborum Evangelistæ de infidelitate Judæorum: nunc redit ad verba Domini, quæ dixit rediens, postquam absconderat se: Eis enim sedatis sua recessione, redit, & loquitur humilia, dicens.

y Qui credit in me, non credit in me, &c.] Vel sic continua: Quia timor prohibebat eos credere: ideo dicit: [Qui credit in me, non credit in me [tantum] sed in eum: qui misit me,] Patrem, q. d. quid formidatis in me credere, in Deum pervenit fides per me, quemadmodum, & infidelitas? Per hoc autem, quod dicit: [Qui credit in me, &c.] ostendit indissimilitudinem substantiæ sui, & Patris. Unde non dicit: Qui credit mihi, ne quis dicat, quod verborum gratia hoc dixit, quod & in hominibus potest dici. Qui enim Apostolis credit, Deo credit. Et ne de homine dictum putes. [Qui credit in me:] ideo subdit:

b Et qui videt me, videt eum, qui misit me.] Pater enim non est corpus, unde loquitur de visione, quæ est per intellectum. Et in hoc etiam consubstantialem ostendit. Unde ad hoc subdit: c Ego lux,] i. ego, qui sum lux secundum Deitatem æqualis Patri: Quia enim Pater dicitur lux ubique in veteri Testamento: propterea se vocat etiam lucem, ut Patri credamus æqualem. Ideo etiam Paulus dixit eum splendorem. *Hebr.* 1. Vel aliter secundum *Aug.* y Qui credit in me, &c.] Quia enim homo apparebat, & Deus in homine latebat, ne putarent eum hoc tantum esse, quod videbant, vult se credi talem, & tantum, & qualis, & quantus est Pater, ideo dicit: [Qui credit in me, &c.] i. qui perfectam habet fidem de me. z Non credit in me,] i. in hoc, quod videt tantum.

a Sed in eum, qui misit me,] i. in Patrem, Et si Pater est, habet Filium; ergo credit in filium. Sed ne quis crederet Patrem tanquam multorum filiorum per gratiam, & non per naturam, subdit. b Et qui videt me, videt, &c. [

quasi

quasi dicat, usque adeo nihil distat inter me, & eum: ut qui videt me, videat eum. Hæc autem visio non carnalis, sed intellectualis est mundo corde: *Matt. c.* 5. Et, ac si quæreretur, quis es tu, ut credamus in te? Respondet: [Ego lux, &c.] Vel sic: misit me. Et ad quid? Ad illuminandum, ad salvandum, non ad judicandum. Et hoc est: [Ego lux veni in mundum,] i. ad lucendum missus sum, & illuminandum.

Unde subdit effectum lucis.

a Ut omnis, qui credit in me,] aperiens oculos ad lucem doctrinæ, & gratiæ.

mundum veni, *a* ut omnis, qui credit in me, *b* in tenebris *c* non maneat. *d* Et si quis *e* audierit verba mea, *f* & non custodierit, *g* ego non judico eum. *h* Non enim veni, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum, *i* Qui spernit me, *k* & non accipit verba mea, *l* habet, qui judicet eum. *m* Sermo, quem locutus sum, *n* ille judicabit eum in novissimo die. *o* Quia ego ex meipso non sum locutus; *p* sed qui misit me, Pater, *q* ipse mihi mandatum dedit, *r* quid dicam, *s* & quid loquar. *t* Et scio, quia mandatum ejus *u* vita æterna est. *x* Quæ ergo ego loquor, *y* sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

b In tenebris,] ignorantiæ, vel culpæ, in quibus inventus est.

c Non maneat] amplius; modo fide, postea vero plena visione illustretur. *Ephes. c.* 5. Fuistis aliquando tenebræ, &c. Sed quia audiunt, & credunt, & non faciunt: Ideo subdit.

d Et si quis audierit verba mea,] exterius. *f* Et non custodierit] intus ea. Vel. *e* Audierit] credendo. *f* Et non custodierit] faciendo. *g* Ego non judico eum] modo, licet mihi Pater omne judicium dederit, *Sup.* 5. Et cur non modo? *h* Non enim veni, ut judicem mundum; sed ut salvificem mundum] quia primus adventus non judicii, sed misericordiæ est. *Chrys.* Ne putent, quoniam propter imbecillitatem eos, qui se contemnunt, transcurrit, & non judicat, ait: [Non veni, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum:] Et nota, quod supra dixit, quod venit lux in mundum, ad illuminandum, scilicet, hic dicit, quod venit ad salvandum. Illuminat enim ignorantias nostras, & sanat infirmitates.

Sed ne propter hoc, quod dixerat, credat peccatum impunitum, ideo subdit.

i Qui spernit me,] idest, qui non credit me Deum esse, sed contemnit, quia videt hominem pauperem, & mendicum.

k Et ideo non accipit verba mea] in intellectu per fidem, in affectu per amorem; in manu per operationem. *l* Habet, qui judicet eum,] de futuro judicio dicit. Vel, [Habet, qui judicet eum,] i. habet causam judicii evidentem, *Jo. c.* 3. Qui non credit, jam judicatus est. Et quis erit Judex? *Chrys.* Si Pater nullum judicat. *Jo.* 5. & Filius non venit, ut judicet, ut dicitur hic, quis ergo judicat; *m* Sermo, quem locutus sum.] *Aug.* i. ego qui sum sermo Patris, qui etiam me sermonem loquor, i. manifesto mundo.

n Ille judicabit eum in novissimo die,] quasi tunc ero Judex, qui modo sum Salvator: & ideo judicare poterit, quia ego Filius ex Patre. Et hoc est.

o Quia ego ex meipso non sum locutus.] Non autem loquitur Filius ex se, quia non est ex se.

p Sed qui misit me, Pater,] i. incarnari voluit.

q Ipse mihi mandatum dedit,] non quod nescirem ante, sed, i. me Sapientiam, in quo sunt omnia mandata, genuit. Mandatum, inquam, dedit.

r Quid dicam, & quid loquar,] i. a Patre habeo, quod dico de credendis: & quod loquor de præceptis. Vel. [Quid dicam,] prohibendo mala.

s Et quid loquar] præcipiendo bona. [Vel quid dicam,] tutus familiaribus, quantum ad consilia.

Et [quid loquar,] exterius omnibus, quantum ad præcepta.

t Et scio, quia mandatum ejus,] i. ego, [vita æterna est.] *Aug.* Cum dicat mandatum Dei esse vitam æternam, & ipse sit vita æterna, *Jo.* 17. aperte se dicit mandatum Dei, q. d. sicut sum Judex, & damnator malorum, sic sum vita æterna bonorum.

x Quæ ergo ego loquor,] quasi ut omnes credant, & currant in hanc vitam, ideo loquor.

Vel sic, Ego sum mandatum Patris: [Ergo] cum ab ipso sum, [quæ ego loquor,] i. qui me ipsum verbum annuncio.

y Sicut dixit mihi Pater, sic loquor,] i. sicut verax me veritatem genuit: sic veritas me veritatem annuncio.

Et sicut Pater loquitur Filio sine sono, i. gignit: sic loquitur timentibus sine sono Filius. *Chrys.* sic legit ab illo loco: *m* Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die,] q. d. verba, quæ locutus sum nunc in ordine stabunt accusatoris redarguentia, & omnem abscindentia excusationem. Unde dicit *Jo.* 15. Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Et bene dico, quod judicabit, & juste, quia contempserunt, non solum me, sed & Patrem in me loquentem. Et hoc est.

C A P. XIII.

A Nte *z* diem festum Paschæ

o Quia ego ex meipso non sum locutus.] Hoc dicit, non potestatem, sibi auferens; sed contrarietatem destruens, quasi nihil contrarium Patri locutus sum. *p* Sed qui misit me, Pater] in carnem.

q Ipse mihi mandatum dedit] i. placet patri quod facio, q. d. sicut qui mandatum suscipiunt, non aliud faciunt, vel dicunt, vel transmutant: ita nec ego. Mandatum, inquam, dedit. *r* Quid dicam,] de refugiendis peccatis. *s* Et quid loquar] de bonis agendis, q. d. totum consonat ei, quod dico, & placet.

t Et scio, quia mandatum ejus,] i. observatio mandati, quod & meum est, & suum.

u Vita æterna est,] i. ad vitam ducit, *Matth.* 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Chrysostom.* Hoc dicit contra eos, qui dicebant eum in perniciem hominem venisse, non in salutem. Et ex quo est tanta utilitas sermonis mei, vel ex quo mandatum mihi dedit.

x Quæ ergo ego loquor vobis, sicut dixit mihi Pater, sic loquor,] i. nihil permuto, nihil est in verbis meis, quod non placet Patri, & quantum ad ipsa verba, & quantum ad intentionem dicendi *Chrys.* Ut omnia habens a Patre, in his, quæ humilia sunt, concludit sermonem, qui ad Judæos, ut possit dicere in die judicii, hanc vobis posteriorem commisi vocem.

E X P O S I T I O C A P. XIII.

ANte diem festum Paschæ, &c.] In præcedenti capitulo narravit Evangelista ea, quæ acta, & dicta sunt in Jerusalem Dominica in Ramis Palmarum: Hic transit ad ea, quæ acta sunt in quinta feria proxima ante Passionem Domini. Et dividitur hoc capitulum in quinque partes.

Chrys. Ante diem festum Paschæ videos, quoniam venit hora ejus, ut transeat ex mundo hoc ad Patrem, amans proprios usque in finem mundi amavit eos.

Primo agit de cœna cum Discipulis, & ablutione pedum.

Secundo de admonitione Domini ad eamdem humilitatem, & promissione beatitudinis facientibus, *ibi*. [Postquam ergo lavit, &c.]

Tertio excipit Dominus Judam ab aliis; & notat eum multoties, & verbo, & signo, non intelligentibus aliis Discipulis, *ibi*: [Non de omnibus vobis dico, &c.]

Quarto exeunte Juda Christus clarificatur, & Discipulos consolatur, & præceptum dilectionis commendat, *ibi*: [Cum ergo accepisset ille buccellam, &c.]

Quinto Petrus quærit, quo vadat, & offert se ad sequendum; Christus autem respondet eum se negaturum, *ibi*: [Dicit ei Simon Petrus, &c.] Dicit ergo.

z Ante diem festum Paschæ,] i. diem festum Paschalem, idest, ante quintam decimam Lunam, quarta decima, scilicet, Luna.

a Sciens

Moraliter.

Moraliter. *z* Ante diem festum Paschæ, &c.] Christus in die festo patitur, & transit, & pridie cœnam facit: in quo datur forma ante obitum communicandi, & viaticum sumendi.

Pascha autem, ut dicit *Aug.* in Græco Passionem, in Hebræo transitum sonat: Dies ergo festus debet nobis esse, cum patimur in hac peregrinatione, vel cum transimus in morte, Hæc est dies festus Paschæ, i. tribulatio,

a Sciens Jesus] non tunc primum, sed ab æterno. c Quia venit hora ejus,] i. a se ordinata. c Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem] per Crucem Ecce veritas illius figuræ: Pascha enim legale significabat istum transitum, secundum *Aug.* & est Hebræum, non Græcum. Sed secundum *Ambr.* hoc nomen Pascha, Græcum est, & sunat passionem, qui enim patitur, Græce paschin dicitur. Secundum *Hieron.* vero Phase Hebræum sunat trāsitū.

a sciens Jesus, b quia venit hora ejus, c ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, d cum dilexisset suos, e qui erant in mundo, in f finem dilexit eos. g Et cœna

d Cum dilexisset suos,] in vita sua, suos autem dicit secundum familiaritatis rationem. e Qui erant in mundo,] ideo ejus dilectione, & conversatione indigebant. Vel secundum *Chrys.* hoc addit ad differentiam Abraham, Isaac, & Jacob, & aliorum, qui erant sui etiam extra mundum. f In finem dilexit eos,] quasi quos dilexit in vita, dilexit in morte. *Chrys.* Quid est, in finem mansit? scil. amans continue, & semper, quod est argumentum veri amoris. *Prov. c.* 17. Omni tempore diligit, qui verus amicus est. Vel, in finem dilexit eos, i. omnino, nihil derelinquens eorum, quæ facere decens esset eum, qui valde amat. *Isa. c.* 5. Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? Vel, [In finem dilexit,] i. majora in fine dilectionis signa demonstravit, & vehementiorem amorem ostendit in ablutione pedum, & traditione sui corporis.

Unde quærit *Chrys.* Cur hoc a principio non fecit? Et ad hoc respondet, quod ea, quæ majora sunt ultimo adjecit, ut Discipulorum intendat familiaritatem in se, & multam eis det consolationem contra ea, quæ supervenire debebant adversa. *Aug.* sic legit.

f In finem dilexit eos,] i. in se, qui est finis consummans, & fecit eos transire sua dilectione. Vel, [In finem,] i. in mortem, non quod morte terminetur ejus dilectio, sed in tantum dilexit, quod usque ad mortem eum dilectio perduxit, *Inf.* 14. Majorem hac dilectionem nemo habet, &c. *Canticorum cap.* 8. Fortis est ut mors dilectio: Imo fortior morte. Et nota, quod prædicta verba Joannis: [Ante diem festum Paschæ, &c.] ministraverunt Græcis fomitem erroris. Dicunt enim in Parasceve Lunam fuisse quartam decimam, & ita vespera ipsius fuit Pascha. Dominus autem sciens se passurum ea die in vespera antecedenti, anticipavit comedere Pascha, idest, Agnum, ut dicunt, Et quia ea nocte licet potuit Dominus comedere fermentatum, quia Luna erat tertiadecima, ut dicunt; ideo de fermentato conficiunt corpus Domini. Quod si etiam verum sit, credibile est, Dominum comedisse Agnum, ut præceptum erat in lege, *Exod c.* 12. & azyma comedisse, & sic etiamsi constet, quod dicunt, errant consecrando fermentatum.

Item *Num. c.* 9. habetur casus, in quo posset differri Pascha usque in secundum mensem, & nunc etiam fiebat in quartadecima Luna esus agni. Casum autem non invenimus, in quo posset anticipari Pascha. Ergo probabile est, quod Dominus non anticipavit horam a lege statutam. Item sapientes Græcorum dicunt, quod Christus suo tempore fecit Pascha.

Unde *Chrys.* qui fuit maximus inter Græcos, dicit *super Matt. c.* 26. Judæi tenuerunt secundum ipsam noctem, secundum quam Pascha comedere debebant. *Idem.* Neque utique Christus prævaricatus est tempus Paschæ: Sed illi, qui omnia audebant, tunc non comederunt Pascha, sed altera die comederunt, & legem prævaricati sunt.

Item per tabulam computi, si recto curratur, potest hoc probari.

Item hoc probatur per verba *Marc. cap.* 14. Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabatur, dixerunt Discipuli ad Jesum: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Ergo quando Jesus comedit Pascha, erat prima dies, idest, prima dies, quando comedebatur Azyma, Ergo Luna erat quartadecima. Sic enim dicitur *Exod. cap.* 12. Quartadecima die ad vesperam comedetis Azyma.

Item *Lucæ cap.* 22. Venit dies Azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Joannem, dicens: Euntes, &c. Ergo quando fecit Jesus Pascha, necesse erat occidi Pascha: ergo Luna erat quartadecima.

Item Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & magistra, conficit de Azyma, quæ hoc habuit ab Apostolis, qui fuerunt cum Domino, quando fecit Pascha, ergo conficiendum est de Azymo.

Istæ rationes sunt contra Græcos, qui in tantam insaniam versi sunt, quod non erubescunt dicere, Evangelistas illos esse mentitos, qui dicunt Dominum communiter cum aliis Pascha comedisse: Joannem vero Evangelistam dicunt correxisse eos, tanquam qui ultimo scripsit, unde adhærent verbis Joannis. Quorum opiniones habentur in historiis, & super quartum sententiarum: Et ideo hic prætermitti possunt. Magister in historiis; Quidam dicunt, quod tertiadecima Luna, quarta feria, scil. cœnavit Dominus cum Discipulis suis, & lavit pedes eorum, quod narrat solus Joannes, & in quartadecima Luna, scil. in quinta feria comedit agnum paschalem, & dedit Discipulis corpus suum, de quo alii agunt, Sed usus Ecclesiæ contra est, quæ ante Parasceven pedes pauperum lavat: Sequitur.

g Et cœna facta.] *Aug.* i. parata, nondum transacta,

h quia

Moraliter. * tio, vel mors festina. *Jac. c.* 1. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. *Psal.* 126. Cum dederit dilectis, & cetera. *Job c.* 3. Gaudent vehementer, cum invenerint sepulchrum. *Proverb. c.* 14. Sperat Justus in morte sua. *Philip. c.* 1. Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, *Jonæ c.* 4. Nunc, Domine, quæso tolle animam meam a me: quia melior est mihi mors, quam vita. Item 3. *Reg.* 13. Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam. *Tob. cap.* 3. Fac mecum misericordiam, & præcipe in pace recipi spiritum meum, 2. *Cor.* 5. Audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Deum.

a Sciens Jesus, quia venit hora ejus,] idest, a se ordinata [ut transeat.] Ordinavit enim mori in die festo Paschæ, ut veritas responderet umbræ.

Item, ut in patiendo doceret nos gaudenter, & festive agere.

Item, ut ostenderet Passionem suam esse nostrum gaudium, & redemptionem. *Psal.* 110. Redemptionem misit Dominus populo suo, &c. Item, ut ostendat, quod festivitas convertitur in luctum, ideo patitur in festo. 1. *Machab.* 9. Conversæ sunt nuptiæ in planctum & vox Musicorum in luctum.

Item ad litteram, in die festo, ut magis, haberetur in spectaculo, & ludibrio: & hoc pro loco, quia in Jerusalem Metropoli, & umbilico terræ, & pro festo, ad quod omnes convenerant. *Ps.* 73. Operatus est salutem in medio terræ.

c Ut transeat,] quia non est morte detentus [ex hoc mundo ad Patrem.] *Aug.*

Qui transit cum mundo, transit ad hostem; qui transit de mundo, transit ad Patrem. Ideo Sancti desiderant mortem, *Philipp.* 1. De hoc transitu dicitur *Gen. cap.* 32.

In baculo meo transivi Jordanem istum, &c. i. solus in Cruce.

Via enim fuit ita stricta, i. Passio tam acerba, quod nullus potuit cum eo transire, nec eum sequi, *Ps.* 140. Singulariter sum ego, donec transeam. *Isa. cap.* 63. Torcular calcavi solus. *Eccl. ult.* Respiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat. *Matt. c.* 26. Tunc relicto eo omnes fugerunt.

d Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.] In finem, idest, in consummationem, quia perfecta dilectione dilexit eos. *Psalm.* 118. Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis, quasi dicat, consummatio est charitatis dilatatio etiam ad inimicos, *infra* 15. Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Bernard.* Majorem, tu Domine, habuisti, &c. Aurum enim terræ Evilath optimum est, *Genes. cap.* 1.

g Et cœna facta, cum Diabolus jam misisset in cor, &c.] Dominus præsciens suum obitum, cœnavit cum Discipulis, sicut quando homines debent peregrinari, faciunt convivium amicis.

Unde *Eccl. c.* 29. Transi, hospes, & orna mensam. Et bene dicitur cena, triplici ratione, quia in vespere facta, quia specialissimis amicis exhibita, & quia delicatissimo cibo refecta. Christus enim in vespere temporis, & legis, & ætatis mundi, & etiam suæ ætatis, i. circa finem suæ vitæ hanc cœnam fecit; & nobis in vespere prosperitatis, & jucunditatis repræsentandam reliquit,

* *Ps.* 55.

Δ quia postea recubuit, & buccellam Judæ dedit. Vel, [Cœna facta,] quantum ad Agnum Paschalem, quia jam comederant Agnum, ut dicunt quidam.

Unde nota ordinem eorum, quæ tunc facta sunt in vespera, scilicet, ante Parasceven.

Primo enim comedit Agnum Paschalem cum Discipulis.

Secundo surrexit a cœna, & lavit pedes omnium Discipulorum, & tersit.

Tertio recubuit, & docuit eos. Item & tradidit eis corpus suum in Sacramento, etiam Judæ.

Quarto surrexit Judas, & ivit ad Principes Sacerdotum, ut venderet eis Dominum: & dum esset in via, Dominus fecit aliis sermonem illum, qui sequitur postea & durat usque ad principium decimiseptimi capituli: & in decimoseptimo capitulo incipit oratio illa gloriosa, quam fecit ad Patrem. Quia vero in die cœnæ dedit Discipulis potestatem conficiendi, & eos ordinavit, inde inolevit consuetudo in Ecclesia, quod illa die conficitur chrisma, & benedicitur, unde inunguntur ordinandi in Sacerdotes, & baptizandi. Et quia post ordinationem Discipulorum fecit sermonem: ideo Episcopi post ordines faciunt sermonem ordinatis, vel admonitionem loco sermonis, ut digne se custodiant, & administrent:

Et quia Dominus post sermonem fecit orationem: ideo faciunt similiter prædicatores post prædicationem. Dicit ergo.

a Et cœna facta, cum diabolus jam misisset] spirituali suggestione. *Ps.77.* Immissiones per Angelos malos.

c In cor] Judæ consentiens iniquitati. *d* Ut traderet eum Judas] Filius Simonis Scariothis, qui non credebat eum esse Deum, ut dicit *Augustinus*.

Quidam dicunt, quod diabolus immittit mala non proprie, sed immittere dicitur imaginationes imprimendo in vi imaginativa.

Item loquendo ad spiritum suo modo, & sic suggerendo mala. Et tertio modo immittendo quædam fomenta corpori, dum dormit homo ad calefaciendum, & frigefiendum: unde quandoque subito reperit se homo, dum evigilat, calidum, aut frigidum.

e Sciens] Jesus [quia omnia dedit ei Pater in manus,] idest, omnia habentem, sive omnipotentem genuit. Vel [ei] hoc secundum illud *Matth. c.*11. Omnia mihi tradita sunt a Patre. Et dicit [omnia.] *August.* etiam traditorem; quo utitur, ut vult, & de malo facit bonum: omnia enim tradita sunt in usum, mala in effectum bonum.

f Et quia a Deo exivit] non eum deserens.

g Et ad Deum vadit] non suos relinquens. Vel, [A Deo exivit] missus in carnem. [Et ad Deum vadit,] per Crucem, & mortem. Vel, [A Deo exivit] per æternam generationem. [Et ad Deum vadit,] per gloriosam Ascensionem.

h Surgit a cœna, & ponit vestimenta sua,] i. deponit, ut expeditius serviret. Et est sensus: Quamvis Christus sciret proditoris malitiam, suam omnipotentiam, & quod æternus est Filius Patris secundum Deitatem, & secundum hominem in proximo glorificandus per Resurrectionem, & Ascensionem; nihilominus se humiliavit ad pedum ablutionem.

k Et cum accepisset linteum, præcinxit se,] ad modum servientis.

l Deinde misit aquam in pelvim,] & ostendit, & quid utrumque fecerat: dicens:

Δ *a* Et cœpit

Moral. * *Ps.55.* Ab altitudine diei timebo. *Job c.3.* Pereat dies, in qua natus sum: & nox, in qua dictum est: conceptus est homo. *Jer. c.20.* Maledicta dies, in qua natus sum: dies, in qua peperit me mater mea, &c. *Luc.ult.* Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies, Cœnam ergo istam debemus sumere in tali vespere, & postea ad somnum orationis, & contemplationis ire, non ad locutiones, & dissolutiones, vel ad alia etiam peccata majora, quod pejus est. Sicut conqueritur Dominus *Osee cap.* 11. Declinavi ad eum, ut vesceretur, non revertetur in terram Ægypti. Tales significantur per Judam, qui post cœnam ivit, ut proderet Dominum. Secunda ratio, quare benedicitur cœna, est, quia servatur specialissimis amicis. Ad prandium enim, in quo dantur grossa cibaria, idest, bona temporalia, vocantur a Domino omnes, & boni, & mali. *Matth. c.5.* Qui Solem suum facit oriri super bonos, & malos.

Sed ad hanc cœnam vocantur tantum digni, & amici. *Cant. c.5.* Comedite, amici, bibite, & inebriamini, charissimi. Unde inebriatus fuit Joannes in ista cœna, quando nescivit ire ad lectum suum, sed super pectus Domini recubuit. *Gen.c.43.* dicitur, quod Joseph invitavit fratres suos in meridie: sic Christus in fervore charitatis ad hanc cœnam Discipulos vocavit.

a facta, *b* cum diabolus jam misisset in *c* cor, *d* ut traderet eum Judas Simonis Scariothis: *e* Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, *f* & quia a Deo exivit, *g* & ad Deum vadit, *h* surgit a cœna, *i* & ponit vestimenta sua, k Et cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde *l* misit aquam in pelvim,

Unde dicitur: Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, per hoc etiam significans, quod in fervore charitatis debet agi hæc cœna a nobis, quia panis est filiorum, non canum. *Matth. c.* 15. Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. Tertia ratio, quare dicitur cœna, est, quia cibo delicatissimo est refecta, cibo filiorum, cibo Angelorum. *Ps.47.* Panem Angelorum, &c. *Gen. c.49.* Aser pinguis panis præbebit delicias Regibus: quia iste panis est Regum, non rusticorum.

Item iste cibus sanus est, sed sanis. *Eccl.* 15. Cibavit illum pane vitæ, & intellectus, quia illuminat intellectum, & vigorat affectum.

b Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Scaiiothis.]

Unde nota, quod Jodas antequam reciperet Corpus Christi, in ipsa receptione habuit propositum tradendi eum. Ita multi communicant cum proposito peccandi. *Psalm.* 49. Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos, &c. Item *Ps.*54. Qui simul mecum dulces capiebas cibos, &c.

e Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia a Deo exivit, & ad Deum vadit, surgit a cœna.] Per hoc dans exemplum, quod quanto major est homo in potestate, quia omnia data sunt ei: & auctoritate, quia a Deo exiit, & in sanctitate, quia ad Deum vadit: tanto debet se humiliare. *Eccl. c.* 3. Quanto magnus es, humiliare in omnibus. *Eccl.* 32. Rectorem te posuerunt, &c. *Is.*44. Ego primus, & ego novissimus. *Apoc.*1. Ego sum alpha, & omega.

h Surgit a cœna.] Hoc est contra Sacerdotes, qui nolunt surgere a cœna, vel prandio suo, quando habent, vel confessiones audire infirmorum, vel viaticum eis præbere. *i* Et ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, &c.] Mysterium patet in *Gloss.*

Moral. In cœna Dominus quinque fecit. Moral. autem nota, quod in hac cœna fecit Dominus quinque, quæ debemus imitari, sicut Ipse dicit postea: [Exemplum dedi vobis, &c.]

Prima est, quod surrexit a cœna: secundum, quod deposuit vestimenta sua: tertium, quod præcinxit se linteo: quartum est, quod aquam misit in pelvim; quintum est, quod lavit pedes Discipulorum.

Et hæc facta sunt ante institutionem Sacramenti Eucharistiæ, & ante sumptionem, in signum, quod nos debemus hoc facere, antequam sumamus Eucharistiam.

Primo enim debemus surgere a cœna nostra, i. relinquere peccata, & quantum ad actum, & quantum ad voluntatem faciendi; aliter non possumus esse commensales Domini. 1. *Cor.* 10. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum. Quod significatum est *Exod.*16. ubi dicitur, quod datum est eis manna, per quod corpus domini significatur. Et dicitur, quod non habuerunt manna, quousque defecit farina, quam asportaverant de Ægypto, idest, peccatum, sicut dicit *Josephus*. Sunt autem in mensa diaboli diversa fercula. Quidam ibi comedunt latum, & feces proprias, scilicet, carnes putridas, ut luxuriosi. *Prov.* 5. Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in novissimis, quando consumpseris carnem, & corpus tuum. Alii ibi comedunt ferrum, æs, argentum, & aurum, & ideo mirabile est, quod dentes eorum non confringuntur. *Thren.* 4. Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Iracundi, ibi pascuntur proprio corde, & visceribus suis: *Isa.* 9. Unusquisque carnem brachii sui vorabit. Odiosi, & detractores pascuntur stercoribus humanis. Unde obsessi in Samaria vescebantur stercoribus columbarum, * 4. *Reg.*6.

♁ *a* Et cœpit lavare pedes Diſcipulorum] incipiens a Petro, ut dicit *Auguſt.*

b Et extergere linteo, quo erat] præcinctus] Nota Chriſtus in Incarnatione accepit formam ſervi, *Philip.* 2. In cœna formam ſervuli: in Paſſione formam latronis.

Unde *Iſa.* 53. Et cum ſceleratis reputatus eſt. *Chr.*

a & cœpit lavare pedes Diſcipulorum, *b* & extergere linteo, quo erat præcinctus. *c* Venit ergo ad Simonem Petrum:

Vide humilitatem, non lavit, antequam recumberet, ſed illis ſedentibus ille ſurgit, nec ſimpliciter lavat, ſed veſtimenta deponit nec hoc ſufficit ei, ſed & linteum præcinxit, & ipſe pelvim implevit, non alii implere præcepit, per hæc omnia docens, quod non execrabiliter, ſed cum omni deſiderio oportet facere, cum bene fecerimus.

c Venit ergo ad Simonem Petrum,] q. d. cœpit lavare pedes Diſcipulorum, ut dictum eſt, & quando cœpit t venit ad hunc, a quo cœpit: vel quod dictum eſt ante, per anticipationem dictum eſt.

Unde ſic legatur: [Venit ergo ad Simonem Petrum, & cœpit lavare pedes Diſcipulorum, &c.] Incipiens a Petro, ut dicit *Auguſt.*

Unde nota, quod ſecundum *Auguſt.* incepit lavare a primo Apoſtolorum: ut ei, qui major erat, præcipue daret exemplum humiliandi ſe: Secundum illud *Eccl. c.* 3 Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Secundum *Chr.* incepit a Juda proditore, ut nobis oſtenderet etiam inimicis officium humilitatis, & humanitatis exhibendum. Dicit enim *Chr.* ſic: Mihi videtur proditoris primo laviſſe pedes: Incepit enim lavare ab ultimis, & tunc venit ad Petrum: Nam quod aliquem ante Petrum laverit, videtur per hoc, quod dicit: [Venit ergo ad Simonem Petrum.] Nam præmiſerat, cœpit lavare.

Unde per hoc inſinuat Evangeliſta, quod alium aliquem ante lavit, ſcilicet Judam: Sed non eſt vehemens

♁ accuſator

Moral.

* 4. *Regum c.* 6. *Thr. c.* 4. Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Sed Ezechiel noluit cibum ſuum deſpdari ſtercore humano. *Ezech.* 4. Iſti etiam detractores comedunt carnes humanas *Jer.* 19. Unuſquiſque carnes amici ſui comedet in obſidione, & anguſtia, in qua concludent eos inimici eorum, & qui quærunt animas eorum. *Prov. c.* 23. Noli eſſe in conviviis potatorum, neque in comeſſationibus eorum, qui carnes conferunt ad veſcendum. *Job cap.* 31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur? Invidi paſcuntur alienis afflictionibus, & damnis, quaſi ſpinis, & tribulis.

Unde *Job c.* 30. Radix juniperorum cibus eorum. Superbi, & guloſi paſcuntur ibi vento. *Oſee c.* 12. Ephraim paſcit ventum. Sed ſolus acidiolus ibi tabeſcit jejunus, *Job* 30. Egeſtate, & fame ſteriles, qui rodebant in ſolitudine ſqualentes calamitate, & miſeria. Ab hac ergo cœna ſurgendum eſt: quæ recte cœna dicitur, quia debet eſſe ultimum prandium, ut amplius non redeat homo ad peccatum.

Secundum eſt, quod depoſuit veſtimenta ſua: ſic nos mali ſpeciem, vel veterem hominem, & primam converſationem, & conſuetudinem. 1. *Theſſ.* 5. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. *Eph. c.* 4. Deponite vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem. *Jonæ c.* 3. Pervenit verbum ad regem Ninive, verbum, ſcilicet, communicationis ad rationem, & ſurrexit Rex de ſolio ſuo, ideſt, de peccato, in quo prius gloriabatur, & lætabatur, & abjecit veſtimentum ſuum a ſe, ideſt, peccati ſpeciem, vel conſuetudinem. Et *in Canonica Judæ.* Odientes eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam. Et *Gen. cap.* 41. Protinus ad Regis imperium, ideſt, ad gratiam Dei, eductum de carcere peccati totonderunt Joſeph, ideſt, peccatum dimiſit, ac veſte mutata obtulerunt ei, ideſt, conſuetudine, vel converſatione mutata. *Zach.* 3. Auferte ab eo veſtimenta ſordida: Et dixit ad eum, ecce abſtuli a te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis. Sed quidam induunt ſe conſuetudine prava, non ſicut veſtimento, quod poteſt auferri; ſed ſicut pelle ſua, quæ vix poteſt exui. *Jerem.* 13. Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, & pardus varietates ſuas: & vos poteritis bene facere, cum didiceritis mala. Tales raro exuunt pellem, aut nunquam, niſi ponant ſe in arcto religionis, vel pœnitentiæ, ut ſint, ſicut dicitur *Matth.* 10. Prudentes ſicut ſerpentes, &c. Et ſicut accipitres, qui ponuntur in mutatorio, i. in clauſtro, & datur eis cibus venenoſus? quia tales ideo intrant religionem, quia vident, quod in ſæculo non poſſunt bene deponere malam conſuetudinem, & ibi utuntur fabis, & piſis, quæ prius reputabant venenoſa.

Unde *Job* 6. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.

Tertium eſt, quod depoſitis veſtimentis, debet ſe præcingere linteo, i. depoſita veteri conſuetudine, debet indui nova, & candida. *Gloſſ.* 3. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum eum, qui renovatur in agnitione Dei: Aliter enim non agnoſcit Deus hominem, niſi nova veſte indutum. *Matt.* 22. Amice, quomodo huc intraſti, &c. Hæc veſtis candida eſt innocentia in his, qui non peccaverunt, vel pœnitentia in aliis. Hac debemus ex omni parte cingi, & indui. *Pſ.* 17. Qui præcinxiſti me virtute ad bellum. Linteum enim tergit, & tegit: ſic pœnitentia tergit maculam peccati, & tegit offenſam Dei, ne Deus memoretur, & videat ad puniendum. *Pſ.* 31. Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, ideſt, quorum abſterſæ ſunt ſordes per pœnitentiam.

De tegimento autem ſubdit: Et quorum tecta ſunt peccata. *Ezech.* 10. habetur, quod vir indutus lineis, i. pœnitentia, accepit prunas in manibus ſuis de medio quatuor rotarum, ideſt, iram, & indignationem contra peccatum, de quatuor Evangeliſtis, & projecit ſuper civitatem, & ſuccendit eam, i. ædificium diaboli, quod eſt deſtruendum.

Sed nota, quod ibi erant etiam ſex alii *viri*, qui interficiebant, ſicut dicitur *Ezech.* 9.

Per quos ſignificantur ſex opera miſericordiæ, vel ſex opera diſciplinæ, jejunium, diſciplinæ, vigiliæ, peregrinatio, ſive deambulatio laborioſa, opera manualia, & compunctio lacrymoſa, quæ veterem hominem interficiunt. Quarto miſit aquam in pelvim, i. compunctionem interiorem de peccatis in exteriori confeſſione. Et ſicut pelvis ſine aqua parum, aut nihil valet e converſo: ſic nec confeſſio ſine compunctione vel e converſo. *Thr.* 2. Effunde ſicut aquam cor tuum. Et nota, quod ſicut urſus excæcatur, quando ponitur pelvis calida, & candens ante oculos ejus: ſic diabolus, quando confeſſio fervens, & ſicut pelvis eſt calida, & aqua: ita confeſſio, & compunctio lacrymoſa, per quam excæcatur diabolus.

Unde hanc aquam maxime timet diabolus: Quod ſignificatum eſt 3. *Reg.* 18. Junge currum, & fuge, ne te occupet pluvia, dicitur ab Achab, per quem diabolus, *Job* 28. Lapis ſolutus calore in æs vertitur, i. cor ſolutum dolore, & lacrymis convertitur ad confitendum peccatum, vel revolvitur in confeſſione, ſicut aqua in lebete. Ecce aqua in pelvi, lacryma in confeſſione.

Quinto lavit pedes, quia poſt pœnitentiam peractam, & confeſſionem lacrymoſam ploranda ſunt etiam quotidiana peccata. *Jer.* 4. Lava a malitia, &c.

Item *Jer.* 31. Et erit anima eorum quaſi hortus irriguus, & ſicut fons, cujus non deficiunt aquæ.

Et nota, quod dicitur, quod lavit pedes, minorem vim facit quis de pede, ſi inquinetur, quam de alio membro: per quod ſignificatur, quod etiam minora peccata, de quibus parum a multis curatur, lacrymis ſunt delenda. Pedes enim Diſcipulorum contrahunt ſordes, quia etiam diſciplinati motus mentis aliquando inquinantur, vel in extremitate intentionis aliquo pulvere vanitatis ſurripientis. Vel aliter poſſunt hæc quinque exponi, ut per cœnam intelligatur ſtudium Sacræ Scripturæ. Ille ergo ſurgit a cœna, qui de ſtudio aſſumitur ad prælationis culmen, vel prædicationis officium. Deponit veſtimenta, cum mutat mores, & converſationem, ſecundum quod exigit officium. Præcingit ſe linteo, ideſt, per continentiam ſe reſtringit. Deinde ponit aquam in pelvim, quod eſt quando Prædicator compaſſionis lacrymas in prædicatione fundit. Per aquam enim intelligitur compaſſio: Per pelvim humilis, & diſtincta prædicatio, & de æternis. Pelvis enim habet rotunditatem, & vacuitatem in forma, & æs pro materia: ſic prædicatio debet eſſe pro æternis, & in humilitate, & diſtincte, & aperte facta: æs enim ſonorum eſt. Vel aqua in pelvim, eſt doctrina transformata in exempla. Hac aqua abluere debet Prælatus, vel Prædicator pedes Diſcipulorum, i. ſordes ſubditorum, *infra* 15. Vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Unde dicit.

a Et cœpit lavare pedes Diſcipulorum,] aqua, ſcilicet, doctrinæ, vel lacrymarum. *b* Et extergere linteo, quo erat præcinctus] Aliter aqua parum valet doctrinæ

* niſi

a lator proditoris Evangelista, ideo non nominat eum hic, sed dicit communiter. Cœpit lavare pedes Discipulorum. Item *Chryſ.* Etsi Petrus prior erat dignitate, tamen decens erat proditorem ante verticem, idest, Petrum recubuisse: Etenim aliunde ejus stultitia ostenditur, cum intingat cum Magistro, *Matt.* 26. Et cum redarguitus, i. notatus a Christo, qui & intingit, &c. non compungitur: sed Petrus quidem semel increpatus, *Matth.* 16. De cetero timuit interrogare: unde & atitur alio ad interrogationem, sc. Joanne *inf. eod.* Iste autem continue correctus, non sentiebat. Secundum hoc ergo legitur sic: [Cœpit lavare pedes Discipulorum, &c.] ab ultimo, scil. a Juda, & post Judam [venit ad Simonem Petrum] ut ablueret ejus pedes.

B

a Et dicit ei Petrus: b Domine, c tu mihi lavas pedes? d Respondit Jesus, & dixit ei: quod ego facio, tu nescis modo, e scies autem postea. f Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. g Respondit ei Jesus: h Si non lavero te, i non habebis partem k mecum. l Dicit ei Simon Petrus: Domine: m non tantum pedes meos, n sed & manus, o & caput. p Dicit ei Jesus: q Qui lotus est, r non indiget, nisi ut pedes lavet, f sed est mundus totus.

a Et dicit ei Petrus:] *Aug.* expavescens, quod Deus lavat pedes homini.

Aug. Quid est [tu] quid est, mihi? Cogitanda sunt hæc potius, quam dicenda, ne forte quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua.

b Domine, tu mihi lavas pedes,] idest, vis lavare? q.d. non lavabis. *Chr.* Multam habet ostensionem hoc [tu] nec opus fuit ei plus dicere, q.d. tu meos pedes lavas manibus, quibus cæcos illuminasti, leprosos mundasti, & mortuos suscitasti. Sed quæritur, cur non alius prohibuit; sed solus Petrus? Respondemus. Hoc signum erat magni amoris, & verecundiæ, & venerationis.

Item *Chr.* Mihi videtur primo proditorem lavisse, & ille tanquam arrogans non renuit: deinde ad Petrum venisse, & per eum alios castigatos. Qualiter autem Petrus castigatus sit, subditur.

d Respondit Jesus, & dixit ei: quod ego facio, tu nescis modo] idest, mysterium hujus rei, sive lucrum, & utilitatem hujus ablutionis.

e Scies autem postea] quasi postea dicam tibi, sicut postea habetur. Exemplum dedi vobis, &c. Vel, [Scies postea,] cum a spiritu didiceris in Pentecoste.

f Dicit ei Petrus: non lavabis mihi pedes in æternum] idest, nunquam. Et nota, quod non dixit Petrus: Doce me, ad quid facis, & sic dimittam te; sed neque dicere sustinuit.

g Respondit ei Jesus] terrens de periculo salutis.

h Si non lavero te] idest, tuos pedes. *Aug.* Te enim pro solis pedibus dicit per synecdochen.

i Non habebis partem mecum] in regno, scilicet si ex contemptu, & rebellione, vel inobedientia, & pertinaciter recusaveris hanc ablutionem. In quo mystice notatur, ut dicit *Gloſſ.* quod, qui non est lotus per Baptismum, & confessionem pœnitentiæ, non habet partem cum Jesu. Hic quærit *Chryſ.* quare Dominus non dixit Petro, cujus gratia faciebat hoc, sed minas imposuit? Et respondet ad hoc, quia Petrus persuasus non fuisset: Si enim dixisset, ego ideo facio, ut vos humilia sapiatis, promisisset se utique Petrus humiliter sapere, ut non per hoc lavaret; nunc autem hoc dicit, quod maxime timebat Petrus, scil. separari ab eo: Ideo ipse quærit, *Inf. eod.* Domine, quo vadis. Et *Luc.* 22. Paratus sum tecum in carcerem, & in mortem ire. Et *sup.* 6. Domine, ad quem ibimus, &c.

l Dicit ei Simon Petrus. Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.] *Aug.* Territus de Domini responsione totum se offert ad abluendum, turbatus amore, & timore, i. turbatus timore separationis, quæ est ex amore, & desiderio conjunctionis. *Chr.* Quid hic respondet calidus, & ardens, & in refutatione vehemens, & in concessione vehementior, alterutra enim ex amore.

p Dicit ei Jesus: qui lotus est] a peccatis per Baptismum, vel ab errore erutus per fidem.

r Non indiget, nisi ut pedes lavet] in quo tangit mysterium suæ ablutionis, q.d. ideo lavo pedes, ut significem, quod abluti a gravibus peccatis per Baptismum, opus habent lavare pedes, i. affectus a venialibus. Pulvis enim adhæret pedibus Apostolorum, ut dicitur *Matt.* 10. Excutite pulverem pedum vestrorum. *Thr.* 1. Sordes ejus in pedibus ejus. De Christo enim solum potest vere dici illud *Iſ.* 41. Semitæ in pedibus ejus non apparebit. Et hoc modo exponitur secundum illam *Gloſſ.* *Aug.* Qui lotus est, scilicet, Baptismo, &c. Ex his autem verbis intelligimus baptizatos Apostolos; etsi non legamus, ubi, vel quando.

f Sed est mundus totus] præter pedes, quibus terram tangit. Vel Mundus totus, a peccatis mortalibus, in quo innuit, quod alia immunditia non facit simpliciter immundum. [Et vos mundi estis] toti, scil. per Baptismum. [Sed non omnes] quia Judas fictus erat, & ideo non mundatus. *Chr.* sic legit.

q Qui lotus est] illa lotione, de qua dicitur *Iſ.* 1. Lavamini, mundi estote, auferte iniquitates ab animabus vestris.

r Non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus,] quasi dicat: non abluo vos in signum ablutionis a peccatis, quia jam mundi estis; sed in exemplum humilitatis: ideo non totum corpus abluo, quia mundi estis a peccatis, cujus signum est ablutio corporis: Sed ad illam partem descendo, quæ dehonorabilior esse putatur, idest, ad pedes, ut commendem vobis opera humilitatis. Unde sequitur.

a Et vos

Moral.

* nisi sequatur exemplum mundæ vitæ. Pedes enim abluti, & non tersi magis vicini sunt inquinationi.

c Venit ergo ad Simonem Petrum.] Hoc fit, quando prædicatur Clericis, vel Religiosis, qui sunt agnoscentes, & litterati, & magnæ scientiæ.

a Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes?] Ita dicit Religiosus litteratus contra Abbatem simplicem: vel nobilis contra ignobilem: vel Clerici magni contra simplices Correctores.

c Tu mihi lavas pedes] quasi, tu me doces? Ita etiam dicunt laici aliquando Sacerdotibus: Qui prædicas non furandum, furaris, sicut dicitur *Rom.* 2. Simile *ſupra* 9. In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et *Eccl.* 34 Ab immundo quid mundabitur?

d Respondit Jesus, & dixit ei: quod ego facio, tu nescis modo] idest, modo nescis fructum, & mysterium correctionis.

e Scies autem postea.] Correctio enim est sicut palma, cujus fructus dulcis editur post centum annos. *Hebræor.* 12. Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris, &c.

f Dicit ei Petrus: non lavabis mihi pedes in æternum.] Sic dicunt, qui obstinati in malitia abominantur correctiones, *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem. Petrus erat oculus, & interpretatur agnoscens: Sic illi, qui sunt oculi aliorum quantum ad scientiam, minime se permittunt tangi: sicut nec oculus permittit se tangi. Caput etiam in animalibus est membrum difficilius ad excoriandum in quo significatur, quod majores isti sunt difficiliores ad recipiendum correctionem. Sed tamen eis dicitur.

h Si non lavero te, non habebis partem mecum] correctione, flagellatione, infirmitate, vel tentatione: quia sicut dicitur *Iſ.* 35. Non transibit per eam pollutus, & immundus: Et *Apoc. ult.* Foris canes, & venefici, &c.

k Mecum] in hæreditate æterna. De temporalibus habent, sed non est pars, quia non est hæreditas, sed mobile.

l Dicit ei Simon Petrus; Domine, non tantum pedes, &c.] Ecce iste non fuit pertinax. Et utinam tales essemus ad correctionem. Et dicit tria.

m Non tantum pedes meos] idest, affectiones mentis.

n Sed & manus] idest, operationes.

o Et caput] i. intelligentiam, vel sensus; quia sedes omnium sensuum est in capite. Unde triplicem significat munditiam, mentalem, corporalem, & sensualem.

p Dicit ei Jesus, qui lotus est,] i. mundas quantum ad munditiam sensuum, & operationum.

r Non indiget, nisi ut pedes lavet] i. affectiones, quia adhæret pulvis etiam pedibus Apostolorum, & prædicantium; quia sicut dicit *Aug.* veritas sine periculo auditur, sed sine periculo non prædicatur. Ideo dicitur *Jac.* 1. Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram. Item *Jacob* 3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.

f Sed mundus est totus,] quia talis immunditia, quæ surripit, non facit immundum simpliciter.

a Et vos

a Et vos mundi estis, *b* sed non omnes: *c* Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum. Propterea dixit: non estis mundi omnes. *d* Postquam ergo lavit pedes eorum, *e* accepit vestimenta sua. *f* Et cum recubuisset, iterum dixit *g* eis: *h* Scitis, quid fecerim vobis; *i* Vos vocatis me: Magister, *k* & Domine; *l* & bene dicitis. *m* Sum etenim. *n* Si ergo ego *o* lavi pedes vestros Dominus, & Magister, *p* & vos debetis alter alterius lavare pedes. *q* Exemplum enim dedi vobis, *r* ut quemadmodum ego feci vobis: *s* ita & vos faciatis. *t* Amen, amen dico vobis: *u* non est servus major Domino suo: neque Apostolus major est eo, qui misit illum.

A *a* Et vos mundi estis,] Jam enim Apostoli omnem iniquitatem abjecerant ab anima, & cum sinceritate cordis erant cum eo, non quod hostia esset oblata pro peccatis; sed quia jam fidem susceperant per Christi sermonem. Unde *inf.* 15. dicit: Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis, non per hostiæ oblationem adhuc.

b Sed non omnes] quia Judas eum Deum esse non credebat, quem hic notat, ut convertatur, & erubescat. Quare autem hoc dixerit Dominus, exponit Evangelista.

c Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum: propterea dixit: non estis mundi omnes.] *Chr.* Difficile est in profundum malorum venisse: de cetero enim anima quasi incorrigibilis fit. Vide enim quando Judas potitur auxilio, & tamen non erigitur, ut *sup.* 6. Unus ex vobis diabolus est. Hic etiam notat eum, ut erubescens confundatur, & resipiscat. Sequitur.

d Postquam ergo lavit pedes eorum,] deponens lintheum.

e Accepit vestimenta sua] idest, resumpsit, quæ prius deposuerat.

f Et cum recubuisset iterum] ad mensam cum discipulis.

g Dixit eis.] Sicut prius exemplo, sic etiam nunc verbo instruens eos Magister veritatis.

h Scitis, quid fecerim vobis] i. mysterium, vel lucrum ejus, quod feci? Et hoc quærit non nesciendo, sed invitando ad sciendum, quod prius nesciebant.

i Vos vocatis me Magister] ab efficacia, & sapientia docendi.

k Et Domine] a potentia, & virtute miraculandi.

l Et bene dicitis] quia verum est.

m Sum etenim.] *Chr Matth.c.*23. dicit: Patrem nolite vocare super terram. Et *in eod.* Ne vocemini Magistri. Si ergo Magistrum solum dicit Patrem, qualiter dicit: Sum etenim? Solut. In hoc ostendit se Patri consubstantialem. Et nota, quod primo dicit: [Vos vocatis me, Magister, & Domine, & bene dicitis.]

Primo enim judicium eorum assumit. Sed ne putetur gratiæ illorum esse verba, subjungit: [Sum etenim.]

Item per hoc, quod ab eorum sententiis inducit sermonem, facit non esse eis onerosum? quod autem inductum sermonem a se firmat, facit insuspicabilem.

n Si ego lavi pedes vestros Dominus } quia Deus.

o Et Magister] quia veritas.

p Et vos debetis alter alterius lavare pedes] ad litteram vel alter alteri officia humanitatis, & humilitatis impendere.

Vel secundum *Gloss.* alter alteri peccata dimittere, & pro invicem orare. Hoc enim Deus fecit in exemplum humilitatis, & in typum dimittendi injurias, & mutuo subveniendi peccantibus orando pro eis.

Unde & subdidit: [Beati eritis, si feceritis ea] quod de sola ablutione pedum non dixisset.

Et nota, quod sicut dicit *Chr.* consequens erat dicere: Si ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister, quanto magis vos, qui servi estis, debetis alter alterius lavare pedes; sed hoc commisit conscientiæ auditorum.

q Exemplum enim dedi vobis] imitandæ humilitatis. Unde subdit.

r Ut quemadmodum ego feci] humiliter, & humilitatis opus.

s Ita & vos faciatis.] *Aug.* manu, vel corde. *Matth. c.*12. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. 1. *Cor. c.* 5. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Et nota, quod humilitatem cordis excitat frequenter humiliatio corporis.

Unde *Aug.* Qui ad pedes inclinatur, humilitas ei in corde excitatur. *Chr.* Ubi sunt, qui despiciunt conservos? ubi sunt, qui honores capetunt? Proditoris Dominus pedes lavit sacrilegi, & furis, & in tempore proditionis: & tu magna sapis, & supercilia erigis? Pedes igitur lavemus invicem etiam famulorum.

Item *Chr.* Quem tumorem non destruet, quod qui sedet super Cherubim, pedes lavit proditoris? Tu vero homo, lutum, pulvis, & cinis teipsum extollis, & magna sapis. Sed quid est, quod dicit: [Ita & vos faciatis.] Non enim idem est: Nam ipse Dominus, & Magister; nos autem conservi invicem. Solut. Ita, i. cum eodem studio secundum modum vestrum. Propterea a majoribus rebus accipit exempla, ut saltem, quod minus est, operemur. Etenim Magistri scriptores pueris litteras cum multa pulchritudine scribunt, ut saltem ad discendum veniant imitatione.

t Amen, amen dico vobis, non est servus major Domino suo: neque Apostolus major est eo, qui misit illum,] quasi dicat: ideo debetis facere, quod ego, quia.

u Non est servus major Domino suo: neque Apostolus major est eo, qui misit illum,] quasi dicat, ego Dominus, vos servi: ego Doctor habens auctoritatem, vos Discipuli missi, vel mittendi a me: & ideo sicut patior, sic & patimini: & sicut me humilio, ita vos humiliamini. *Matth. c.*10. Non est Discipulus super Magistrum, neque servus super Dominum. Et respondet ad hoc, quod prædixit: Vos vocatis me, Magister, & Domine, *Chrys.* Qui commissurus erat eis mundum regendum,

A & unus

* *a* Et vos mundi estis, sed non omnes.] Nota, quod olim Ecclesia fuit munda in capite, & in membris, nisi quod in pedibus, idest, in infirmis habuit aliquam immunditiam. *Moral.*

Unde *Thr. c.* 1. Sordes ejus in pedibus ejus; sed modo in capite, & in membris multis videtur habere immunditiam. *Is. c.* 1. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. *Jerem. c.* 6. A minori usque ad majorem omnes avaritiæ student.

c Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum: propterea dixit: non estis mundi omnes,] Familiares enim Domini, qui ei in mensa Scripturæ, & in mensa pascuæ uberrimæ, idest, Eucharistiæ, & in mensa fortunæ participant: quia habent patrimonia Crucifixi, illi sunt frequenter proditores Domini, & vendunt eum pro pecunia.

Unde *Bern.* Malus: qui suscipit reconciliationis officium, & nomen mediatoris, proditoris scelere inimicitias cumulat: ut merito jam non hostis, sed ut traditor judicetur, ut Judas utique, non ut Saulus.

d Postquam ergo lavit pedes eorum, accepit vestimenta sua.] Per hoc: quod Christus post lotionem induit se, & recubuit iterum, significat, quod prædicatores post prædicationem ad necessaria corporis possunt descendere, & vestitum, & victum a subditis sumere, *Timoth. c.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.

f Et cum recubuisset, iterum dixit eis: scitis, quid fecerim vobis, &c.] Per hoc, quod Christus recumbens eos iterum docet, significat, quod etiam in mensa Prædicatores debent loqui de Deo, & ædificatione animarum, non de trufis, & de frivolis: Contra illos, qui ranas habent in reliquiis suis. *Exodi cap.* 8. *Petri* 4. Si quis loquitur quasi sermones Dei, *Eph. c.* 4. &. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, &c.

i Vos vocatis me, Magister, & Domine: & bene dicitis: sum etenim.] Prædicator, vel Prælatus debet esse Magister verbo, & Dominus facto: Aliter enim non est Dominus Discipulorum, nisi faciat, quod dicit.

n Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, &c. } Hæc patent secundum priorem expositionem, ubi satis habetur de humilitate. Sequitur.

t Amen, amen dico vobis] quasi vere dico vobis, quod ad exemplum meum debetis prædicta facere, quia.

u Non est servus major Domino suo, &c.] Et licet sic juret Dominus, vix possumus credere, quod hoc sit verum: quia omnes volumus esse majores aliorum, qui nolumus in verbis habere contradictores, nec in factis persecutores; ipse tamen cum Magister esset, & Dominus, voluit habere utrumque. Pauper fuit, & in laboribus, & nos volumus ditari, & deliciari.

* Sed

▲ & unus quidem majorem accepturus erat potestatem; alius vero minorem: ideo hic docet eos verbo, & exemplo humilitatem: Sicut *Luc.*22. Cum quærerent, quis eorum esset major, omnium eorum submisit minorem.

a Si hæc scitis, b beati eritis, si c feceritis ea. Non d de omnibus vobis dico: e Ego scio, quos elegerim: f Sed ut g impleatur Scriptura. h Qui manducat mecum panem, i levabit contra me calcaneum suum. k Amodo dico vobis: priusquam fiat, ut cum factum fuerit, l credatis, quia ego sum. m Amen, amen dico vobis: qui n accipit: si quem misero, me o accipit: qui autem me p accipit, q accipit eum, qui me misit.

a Si hæc scitis] quæ feci, & doceo, idest, spiritualiter intelligitis, & benigne recipitis.

b Beati eritis] dummodo scientia non sit otiosa. Unde subdit. *c* Si feceritis ea] *Jac.*1. Estote factores verbi, & non auditores tantum fallentes vosmetipsos, &c. Ideo non jungit beatitudinem cum nuda scientia, sed cum operosa. Scientia enim potius aggravat, si non fiat. *Jacob* 2. Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari. *Luc.*12. Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis. *Eccl.* 1. Qui apponit scientiam, &c. *Greg.* Ubi majus est donum scientiæ, ibi transgressus majori subjacet culpæ.

d Non de omnibus vobis dico] idest, non omnes vos beatos dico, nec omnes vos acturos, unde beati sitis. *Chr.* O de innocentia, nusquam palam proditorem redarguit, sed obumbrat rem, dans ei pœnitentiæ locum. Et ne in multis circumsistat timorem, quasi plures sint proditores, ideo subdit.

e Ego scio, quos elegerim] ad permanendum, vel ad sequendum me.

f Sed ut impleatur Scriptura, &c.] Et lege sic. [Scio, quos elegerim] ad sequendum me. [Sed] unus sequentium.

h Qui manducat mecum panem] non plures; sed unus singulariter, in quo submittit suspicionem pluralitatis.

i Levabit contra me calcaneum suum] i. conculcationem meam, & mortem machinabitur. Et hoc.

g Ut impleatur Scriptura] idest, in hoc implebitur prophetia David. [Ut] enim ponitur consecutive. Est ergo sensus.

i Levabit contra me calcaneum,] i. me calcabit, sicut equus subito levans calcaneum percutit. *Chrys.* Ideo ita aperte dicit [Qui manducat meum panem, &c.] ut sciat Judas, quoniam non ignorat Christus ejus proditionem, quod maxime sufficiens erat eum detinere a proditione, & convertere. Et non dixit, tradet me, sed [levabit super me recalcitrationem] vel [calcaneum] dolum, & fraudem, & occultationem insidiarum repræsentare volens. Et sumitur hoc *de Ps.* ubi alia littera habet: Dolose aget contra me.

k Amodo dico vobis prius quam fiat] quasi hucusque toleravi, & tacui; sed jam noto proditorem, antequam fiat, quod mox faciendum est.

l Ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum] ille, de quo Scriptura illa prædixit.

m Amen, amen dico vobis, qui accipit,] Vel [suscipit, si quem misero,] idest, recipit in hospitio, vel credit ei.

o Me accipit] vel [suscipit] secundum *Chrysostomum*. *Mtch. cap.* 25. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi &c. In quo unitas Christi, & Ecclesiæ commendatur, non naturæ, sed gratiæ. Et ne hoc parvum credatur, subdit de Patre.

p Qui autem me accipit] in membris.

q Accipit eum, qui me misit.] In quo unitas substantiæ commendatur.

Item dicitur, ut *supra* 12. & *Matth.* 10. *Chrys.* Sed quæ consequentia horum ad præcedentia? Multa quidem. Dixerat enim superius: Beati eritis, si feceritis ea, meo, scilicet, exemplo humiles fueritis, & patientes ad malos, sicut ego, qui proditorem patior. Quia enim debebant ire ad prædicandum per mundum, & multa mala pati: ideo eos consolatur duobus modis. Uno quidem modo per suum exemplum, quod proposuerat; alio modo per aliorum beneficium, quasi dicat, si Passionem meam semper habebitis in memoria, & mea exempla circumferentes, facile sustinebitis mala. Præterea etiam ab aliis multam invenietis procurationem, qui vos suscipient pro me.

▲ Ideo dicit.

Marg. * Sed non sic Urias, qui ait ad David. 2. *Regum* 11. Arca Dei, & Israel, & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab, & servi Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? non faciam rem hanc, quasi dicat, non debet esse servus major domino suo. Ideo dicitur *Judic. c.*9. de Abimelech, idest, Christo, qui accepta securi præcidit arboris ramum, idest, Crucem, impositamque ferens humero, dixit ad socios: quod me vidistis facere, cito facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur Ducem.

a Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.] *Psal.* 110. Intellectus bonus omnibus facientibus eum. *Jacob primo.* Estote factores verbi, & non auditores, &c. *Gregorius.* Auctoritas vocis perditur, quando vox opere non adjuvatur.

d Non de omnibus vobis dico,] quod facturi sint ea: Operarii enim pauci, sed multi locuturi.

e Ego scio, quos elegerim] paucos, scilicet, *Matth.* 20. Multi sunt vocati, pauci vero electi. 2. *Tim.* 2. Cognovit Dominus, qui sunt ejus. Pauperis enim est numerare pecus: quia pauca habet pecora, ut *supra* 10. Ego cognosco oves meas.

f Sed ut impleatur Scriptura, qui manducat meum panem, levabit contra me calcaneum suum.] Hoc est, quod maxime offendit, & constringit hominem: sic & Deum, quando in domesticis suis non invenit fidum. *Mich. cap.* 7. Inimici hominis domestici ejus. *Proverb. cap. vigesimo.* Virum fidelem quis inveniet; Duo sunt genera hominum, qui specialiter manducant de mensa Domini, illi, scilicet, qui vivunt de patrimonio Crucifixi, ut Clerici, & Religiosi, & qui vivunt de mensa Scripturæ, & Eucharistiæ, ut Magistri, & Sacerdotes. De his conqueritur Dominus hic, & *in Psalm.* 40. Et *Osee capit.* 7. Ego erudivi eos, & confortavi brachia eorum, & in me cogitaverunt malitiam, reversi sunt, ut essent absque jugo, facti sunt, quasi arcus dolosus. Item *Jerem. cap.* 5. Saturavi eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Item *Jerem. cap.* 5. Magnificati sunt, & ditati, & incrassati sunt, & impinguati: & præterierunt sermones meos pessime. Laici enim dum peccant, male prætereunt mandatum Domini: qui de patrimonio Christi vivunt, pejus: sed qui scientiam, & patrimonium Christi habent pessime. Sequitur.

n Qui accipit, si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.]

Item *Matth. c.* 10. ut *sup.* 12. necessaria ministrando, & libenter audiendo. De 1. *Matth.*25. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Et dicitur vulgariter: Qui me amat, & canem meum amat. De secundo dicitur. *Lucæ c.*10. Qui vos audit, me audit. *Ezech.* 3. Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Sed forte respondebunt, qui eos deberent recipere, quomodo cognoscemus eos, qui missi sunt a Domino amice? Per litteras Domini, & sigillum, & scutum. Verus enim Apostolus, qui vita, & fide imitatur Dominum suum, habet hæc tria. Habet litteras, idest, scientiam fidei, & doctrinam morum, quas mittit Dominus per eum ad sponsam suam. Habet & sigillum imitationis, i. impressionem conversationis, & vitæ bonæ. Et scutum patientiæ. Sed de sigillo dicitur: Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta, i. Doctor fidei, & scientiæ. De scuto patientiæ dicitur *Thren.* 3. Dabis eis scutum laborem tuum. In isto scuto bene custodiuntur litteræ: quia per patientiam robur habet scientia, & doctrina. Unde *Psalm.* 91. Bene patientes erunt, ut annuncient. Sed nota, quod scutum debet habere signum Regis, cujus sunt litteræ. Scutum cum signo regio, est patientia pro Christo. Unde 1. *Petr.* 4. Nemo vestrum patiatur tanquam fur, &c. quasi nemo habeat scutum sine signo. Et *in eodem*. Si exprobrabimini in nomine Christi, beati eritis. *Lucæ* 6. Beati eritis, cum vos oderint homines, &c. Propter Filium hominis. De his tribus insimul habetur *in Psalm.* 118. Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Bonitas est dulcedo animi, ut dicit *Gloss. super Galat.* 6. Hæc est, in qua debemus pati: quia cum dulcedine animi pati debemus: & hoc refertur ad scutum, disciplina ad sigillum, scientia ad litteras.

Mandatum

a Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, & *b* protestatus est, & *c* dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet, *d* Aspiciebant ergo adinvicem Discipuli, hæsitantes, de quo diceret. *e* Erat ergo recumbens unus ex Discipulis ejus *f* in sinu Jesu, *g* quem diligebat Jesus. *h* Innuit ergo huic Simon Petrus, & *i* dixit ei: k Quis est, de quo dicit? *l* Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, *m* dicit ei: Domine, quis est? *n* Respondit Jesus: o Ille est, cui ego intinctum panem porrexero, *p* & cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotis.

A Ideo dicit. [Qui accipit, si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit] Vel aliter. Supra promisit beatitudinem in futuro: Beati eritis, si feceritis ea. Hic autem de præsenti etiam dat consolationem dicens, & quasi jurando affirmans. [Amen, amen dico vobis, qui accipit, si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.] Unde *Chrys.* Omnium, cis aperuit domos, ut & ex morum Philosophia, quod tangit, cum dicit. [Si feceritis ea,] & ex eorum, qui procurant eos providentia, quod tangit hic. [Qui accipit, si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit,] duplicem habeant consolationem. Sequitur.

a Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu,] idest, non fictive, sed vere. Vel [Spiritu,] idest, voluntarie, non coactus. Voluntarie enim assumpsit turbationem, ne desperet servus turbatus necessitate. In hoc etiam, quod turbatur spiritu, significat, quod etiam aliquando spirituales turbantur. Vel quod etiam spiritualiter turbari debemus, i. pro spiritualibus damnis, non temporalibus, cum sc. zizania a tritico ante messem cogitur Ecclesia separare, ut dicit *Gloss.* Causam autem suæ turbationis dicit *Aug. in Gl.* quod turbavit eum imminens Passio, & proximum periculum proditoris: Sicut & *sup.* 12. dixit: Nunc anima mea turbata est, propinquitate; sc. Passionis. *Chr.* dicit, quod quia his quæ promiserat Discipulis proditor Judas privaretur: hæc cogitans Christus turbatus est. Et quod propter illum turbatus sit, ostendit Evangelista subdens.

b Et protestatus est] quod occultum fuerat.

c Et dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis.] *Gloss.* casurus, secundum illud 1. *Joan.* 2. Ex nobis exierunt. Vel [unus ex vobis.] *Gloss.* numero, non vinculo spiritus [me tradet.] In hoc autem, quod dicit. [Unus ex vobis me tradet,] in omnes constituit timorem, eo quod non nominatim dixit. Unde *Chrys.* Quod dicit. [Unus] timorem minuit: quod dixit [ex vobis] omnes conturbavit. Unde seq.

d Aspiciebant ergo adinvicem discipuli hæsitantes, de quo diceret.] Sicut dicit *Aug.* Quia etsi cuique nota esset sua conscientia; alterius tamen erat ignota. *Chrysost.* dicit. Quod licet nullius conscii essent mali; propriis tamen cogitationibus Christi enuntiationem credibiliorem putabant: Ideo hæsitabant adinvicem respicientes. 1. *Corinth.* 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Hic autem prætermittit Joannes quæstionem Apostolorum: Nunquid ego sum, Domine? Et qualiter etiam Dominus respondit Judæ, quod alii Evangelistæ dixerunt.

e Erat autem] vel [ergo recumbens unus ex Discipulis ejus] De se quasi de alio dicit, ut gestarum rerum Scriptor, non sui prædicator, ut dicit *Gloss.*

f In sinu Jesu.] Dicit *Magister in historiis*, quod hic non aliter creditur recubuisse, nisi quia discumbebat inclinatus ante pectus Domini. Vel secundum *Interlinearum* per sinum significat secretum. Dicitur ergo recumbere in sinu, idest, Secretarius ejus esse, secundum illud *Michææ capit.* 7. Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui, &c. idest, quæ familiaris est tibi. Et *supra* 1. Unigenitus, qui est in sinu Patris, idest, Secretarius Patris. *Chrysostomus* dicit, quod omnibus aliis Apostolis agoniam, & timorem patientibus, & trementibus, & Petro vertice etiam formidante, Joannes velut voluptuans recumbit in sinu Jesu, & non solum recumbit, sed & pectori incidit. Et ut significet, quod ex familiaritate erat ille recubitus, subdit.

g Quem diligebat Jesus] familiarius. *Aug.* Diligebat non plus omnibus, sed familiarius, ut per pacem exiret de vita, non per Passionem. Cujus causa fuit, ut dicit *Hier.* prærogativa virginitatis.

h Innuit ergo huic] Joanni [Simon Petrus, &c.] *Chr.* Alii invicem aspiciebant hæsitantes; sed Petrus, qui ubique fervens erat, innuit Joanni. Quia enim increpatus fuit, ut *supra eodem.* In ablutione pedum: Et *Matth. cap.* 16. Et ubique invenitur ab amore impetum faciens, & criminatus est, hujus gratia formidans: neque siluit, quia innuit Joanni: neque locutus est ad Christum vel aperte, sed per medium Joannem vult discere, quis sit proditor. Dicit ergo. [Innuit ergo huic Simon Petrus.] *Augustinus.* Non loquendo, sed prius innuendo motu corporis, sed post idem sono vocis. Unde sequitur.

i Et dixit ei] submissa voce, ut quæ rat.

k Quis est, de quo dicit] Christus, id est, quis est proditor.

l Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu.] Hoc est, quod supra dixit sinum.

m Dicit ei: Domine, quis est,] qui scilicet, te tradet?

n Respondit Jesus] Joanni submissa voce.

o Ille est, cui ego intinctum panem porrexero] *Chrysostomus.* Nunc primum notabiliter redarguit Dominus Judam, sed neque nunc nominatim. Et est modus redargutionis conversivus, sive hortativus: quoniam neque per mensam verecundatus est, eodem pane secum communicans. Unde non solum auditis pluribus redargutionibus Jesu, non volens averti a traditione; sed etiam assumpsit porrectum panem r idcirco & Satanas tunc intravit in eum. Unde sequitur.

p Et cum intinxisset panem dedit Judæ Simonis Iscariotæ.] *Augustinus.* Non ut quidam putant tunc corpus Christi Juda accepit. Sciendum enim est, quod omnibus jam distribuerat Dominus Sacramentum Corporis sui, & sanguinis, inter quos & Judas fuit. Deinde per bucellam intinctam exprimitur traditor, non tamen aperte. Panis autem intinctio significat fictionem Judæ, qui fictus amicus venit ad cœnam. Sed quæritur quia videtur secundum hoc, quod Dominus prodiderit Judam: ergo & nos similiter possumus prodere malos. Sed contra est illud *Matth.* 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum, &c. Sed ad hoc solvitur secundum quosdam: quia in hoc, quod panem porrexit ei, non prodidit eum, quia aliis similiter fecit. Vel dicendum est, quod sive dederit aliis intinctum panem, sive non, non prodidit eum, quia cum Deus esset, bene sciebat, quod Apostoli factum illud non attenderent; hoc autem nescimus, & ideo non debemus simile facere. *Chrysostomus* dicit quod latenter dixit Joanni illud. [Ille est, cui ego intinctum panem porrexero,] ideo alii nescierunt: Etenim Joannes propterea ad pectus recidens interrogat quasi ad aurem silenter, ut nullus audiret, & non heret proditor manifestus. Præterea Joannes etiam, cui Dominus dixerat, hoc non intellexit, nisi quod Dominus dicebat, quod aliquis eorum, cui erat ita beneficus, ut panem porrigeret ad comedendum, eum esset proditurus. Joannes autem nequaquam putavit, quod discipulus in tantam iniquitatem exiret: quia enim procul a tali iniquitate erat, neque de aliis talia suspicari poterat. Et quia sæpe dixerat Dominus talia, ut ibi. Non de omnibus vobis dico. Et unus ex vobis Diabolus est, ut *supra* 6. Et nusquam Judam a collegio abscideerat; ideo & hic æstimaverunt de alio dici. Præterea quando dixit Joanni. [Ille est, cui ego intinctum panem porrexero,] non dixit, quando porrigeret: nec statim post hoc verbum forte porrexit, nec soli illi, sed aliis etiam.

Item nota, quod comedere cum homine, signum est amoris, & familiaritatis; sed buccellam ei scindere, & porrigere majoris; buccellam autem intinctam, & paratam offerre maximi. Unde per hoc, quod Dominus buccellam intinctam porrexit Judæ, voluit eum attrahere, & aliis Discipulis voluit proditionem occultare per signum dilectionis. Et nota, quod quia buccellam intinctam Judæ porrexit, inde est, quod Eucharistia non datur intincta, & etiam pro hæresi tollenda, quæ dogmatizavit Christum esse sub utraque *specie* totum simul

eum simul, ita quod sub neutra tantum. Sequitur.
a Et post buccellam introivit in eum Sathanas,] idest, magis instigavit, ut Dominum traderet, quia jam habebat in proposito. *Interl.* Tunc introivit, ut plenius possideret, in quem prius intraverat, ut deciperat, ut deciperet.

Et *a* post buccellam introivit in eum Sathanas. Et *b* dicit ei Jesus: *c* Quod facis, fac citius. *d* Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei. *e* Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod *f* dixisset ei Jesus: *g* Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, *h* aut egenis ut aliquid daret. Cum *i* ergo accepisset ille buccellam, *k* exivit continuo. *l* Erat autem nox *m* Cum ergo exisset, dixit Jesus: *n* Nunc clarificatus est Filius hominis. *o* & *p* Deus clarificatus est in eo. Si *q* Deus clarificatus est in eo, & *r* Deus clarificavit *s* eum in semetipso, & *t* continuo glorificabit eum.

Aug. dicit, quod hoc dicitur, quia beneficio Domini male usus est, & hæc præsumptio auxit peccatum. *Chrys.* dicit, quod quia ad tantum signum amoris, idest, ad porrectionem buccellæ non est conversus a proditione: ideo, Sathanas tunc intravit in eum, deridens eum ob inverecundiam; Donec enim fineret collegium, non audebat Diabolus insilire in eum, sed extrorsum immittebat.

b Et dicit ei Jesus: quod facis] idest, quod proponis facere, vel habes facere.

Aug. *c* Quod facis, fac citius.] O verbum libentius parati, quam irati! O verbum non tam pœnam exprimens proditoris, quam mercedem significans Redemptoris.

c Fac citius.] *Aug.* Non præcipit, sed prædicit Judæ malum; nobis bonum: quia hoc vult cito fieri, non tam festinando in illius pœnam, quam in salutem fidelium. *Chr.* Non est præcipientis, neque consiliantis; sed exprobrantis, & ostendentis: quoniam ipse quidem volebat eum corrigere; sed quia incorrecte se habebat, dimittit eum.

Item nota, quod secundum *Chr.* hoc dicit. [Quod facis, fac citius,] significans, quod sine suo consensu non poterat eum Judas morti tradere, sicut *supra* 10. dixit: Nemo tollit animam meam a me. Quando vero voluit, tunc, facile fuit: unde & Judas tunc potuit, qui prius proposuerat, & non poterat. Unde & nunc dicitur Diabolus intrasse in eum, quia nunc propositum perduxit ad affectum. Et nota, quod hic apertius notavit Judam, & alie etiam dixit verba; & tamen non intellexerunt alii. Noluit enim manifestum eum fieri, fortassis enim eum quantum fecisset Petrus, & divulsisset, Unde sequitur.

d Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei] Neque Petrus, neque etiam Joannes, ut dicit *Chr.* notaverunt Judam de proditione.

e Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas] in custodia, ut dicitur *supra duodecimo*. In quibus oblata servabantur suorum necessitatibus, & aliis indigentibus.

f Quod dixisset ei Jesus,] idest, per illa verba significaret hoc, scilicet.

g Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum,] i. ad usum nostrum in die festo.

h Aut egenis ut aliquid daret.] *August.* Habebat enim Dominus loculos, & a fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc autem primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ubi intelligeremus, quod præcepit non cogitandum esse de crastino. *Matth. cap.* 6. non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servetur a Sanctis, sed ne Deo pro ista serviatur, & propter inopiæ timorem justitia deseratur. Nam & Apostolus in posterum providens ait: Si quis fidelis habet viduas, sufficienter tribuat eis, ut non gravetur Ecclesia, quo veris viduis sufficere possit, 1. *Tim.* 5. Sequitur.

i Cum ergo accepisset ille buccellam,] & Diabolus subintrasset fortius instigando, & Dominus dixisset: Quod facis, fac citius, permittendo explere, quod ante non poterat.

k Exivit continuo] de collegio. *l* Erat autem nox.] Tempus autem dicit Evangelista, ut discas Judæ temeritatem, quoniam neque nox eum detinuit ab impetu; sed neque hoc, quod sic nocte exivit, manifestum eum fecit aliis: Etenim timore detenti, & agonia multum tunc turbati fuerant; ideo nesciebant veram causam eorum, quæ dixerat Jesus, scilicet. Quod facis, fac citius. Nec advertebant, ad quid exiret tali hora. Noluit enim Dominus etiam usque ad ultimam diem eum traducere, & propalare: hoc & nos facere oportet, nec divulgare, nec diffamare coexistentium nobiscum peccata. Etenim, & venienti ad tradendum osculum dedit, & amicum vocavit.

Aug. *l* Erat autem nox.] Nox congruit Sacramento: Erat enim, qui exiit filius tenebrarum faciens opera tenebrarum. *inf.* 17. 1. *Thess.* 5.

m Cum ergo exisset] non [dixit Jesus] lux. *n* Nunc clarificatus est Filius hominis] Clarificatur quis, quando macula aufertur ab eo. Ideo ergo dicit se clarificatum, quia Judas maculatus labe peccati, ab eo erat separatus. Unde *Aug.* Nunc clarificatus, quasi absente palea, jam triticum quodammodo est purgatum. Vel [Nunc clarificatus est Filius hominis,] i. nunc figuratur clarificatio ejus, in qua separatis malis manebit in æternitate cum Sanctis: Nec dicit: Nunc figurata est ejus clarificatio, sed [Nunc clarificatus est] quia talis est modus Scripturæ, quod res significantes, quasi significatas appellat, ut 1. *Cor.* 10. Petra erat Christus, non dicit, figurat Christum *Matth. c.* 13. Bonum semen sunt filii regni. De illa autem clarificationa futura dicit. [Nunc clarificatus est Filius hominis] prophetica certitudine. Et loquitur de clarificatione cum Sanctis in æternitate, separatis malis. Vel de gloriosa Resurrectione, quæ cito erat futura: ideo dicit, quia mox erat futurum. Et subdit.

o Et] idest, quia.

p Deus clarificatus est in eo] qu. d. ideo clarificabitur Filius hominis in æternitate, vel in proxima resurrectione, quia Deum Patrem clarificavit in sua conversatione. Quod quasi exponens subdit.

q Si Deus clarificatus est in eo] quia non quæsivit voluntatem suam, vel gloriam, sed Patris.

r Et Deus clarificavit] idest, clarificabit.

s Eum in semetipso] ut natura humana, in qua est Filius hominis, quæ a verbo æterno suscepta est, etiam immortali æternitate donetur. Et hæc clarificatio continua est.

t Et continuo clarificabit eum,] q. d. non differetur Resurrectio in finem, sicut aliorum. De qua claritate, vel gloria dicitur, ut *supra* 7. Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Jesus glorificatus. Vel aliter secundum *Chrys.*

n Nunc clarificatus,] vel [glorificatus est Filius hominis] Hoc dixit, postquam exiverat Judas ad tradendum, per hoc volens eos consolari de morte sua, & suadens non solum non tristari, sed & lætari: ideo & mortem suam gloriam vocat, q. d. mors mea erit gloria: quia morte superate mortem, gloria magna est. Et hoc est, quod dixit, ut *sup.* 8. Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.

o Et Deus clarificatus est in eo,] i. sua Deitas apparebit in ejus morte, cui prævalebit ex Deitate. Vel [Deus clarificatus est in eo,] quia Pater per Filium missum in carnem innotuit. Unde *sup.* 1. Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.

q Si Deus] Pater [clarificatus est in eo] i. per Filium, ut dictum est.

r Et Deus clarificavit] vel secundum *Chr.* [glorificavit eum in semetipso.] *Chr.* idest, per seipsum, non per alium. Et ne tædeat dilatio subdit. *t* Et continuo,] vel [confestim glorificabit eum] idest, simul cum Cruce, idest, in ipsa Cruce, q.d. nec differetur Resurrectio. Nec etiam solum in Resurrectione clarificabitur, sed etiam in ipsa Passione clara apparebunt. Sol namque obscuratus est, petræ scissæ sunt, velum scissum est, & multa corpora eorum, qui dormierant, surrexerunt. *Matth. c.* 27. Sepulchrum etiam signacula habebat, & custodes assidebant, & injacente corpori lapide suscitatum est corpus. Item post quinquaginta dies Spiritus traditus est: & tunc omnes statim eum præconizati sunt, Hoc est, quod dicitur. [Clarificabit eum in semetipso, & confestim glorificabit eum,] non per Angelos, & Archangelos, neque per aliam aliquam virtutem; sed per seipsum, Omnia enim egit, quæ sunt ad gloriam Filii Dei.

Filii Dei. Sed contra. Filius ipse hoc egit, & se resuscitavit, quare ergo dicit de Patre hoc? Solut. Patri auctoritatem attribuit, a quo est. Seq.

a Filioli, *b* Adhuc modicum vobiscum sum. *c* Quæretis me, & *d* sicut dixi Judæis, *e* quo ego vado, vos non potestis venire: & *f* vobis dico modo. *g* Mandatum novum do vobis, ut *h* diligatis invicem, sicut *i* dilexi vos, ut k & vos diligatis invicem. In *l* hoc *m* cognoscent omnes, quia

a Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.] Quia dixerat, quod Deus cito clarificaturus est eum, ne putarent, quod non ultra jungeretur eis conversando in terra, addit. *b* Adhuc modicum vobiscum sum,] i. in infirmitate carnis, sicut vos. Simile *inf.* dicit post Resurrectionem: Cum essem vobiscum, in carne mortali: Vel sic continua. Dixerat se cito clarificandum in Resurrectione: ideo subdit de antecedenti, sc. de ejus Passione cito futura. Unde dicit. [Adhuc modicum vobiscum sum,] i. cito moriar. Vel [modicum vobiscum sum,] & si non in eadem qualitate corporali; tamen in terrena conversatione post Resurrectionem quadraginta diebus, scilicet. Et postquam abiero.

c Quæretis me] volentes sequi etiam moriendo. Vel [Quæretis me] ad sepulchrum.

d Et sicut dixi Judæis] ut *sup.* 7.

e Quo ego vado, vos non potestis venire.] Sed Judæis dixi, quod nunquam venient ad immortalitatem gloriosam, ad quam vado.

f Et vobis dico modo,] quasi idem dico vobis, quod Judæis, nisi quod addo [modo.] Nunc enim corruptibiles, non potestis venire modo ad corruptionem. Vel [Modo] idest, adhuc non confirmati, non potestis me sequi, idest, pro justitia mori; sed postea poteritis. Ideo enim dicit [modo] ne desperent de futuro. Quomodo autem idonei possunt esse, & pergere, quo ille præcessit, docet. [Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem] *Chr.* sic legit ab illo loco.

a Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.] Hoc idem dixerat Judæis, ut *sup.* 7. Ideo præmisit hic. [Filioli] ut audientes sicut dixit Judæis, non æstiment sibi similiter dictum esse. Judæis enim hoc dixit ad terrorem; istis autem ad consolationem, ut inopinabilia male ventura non vos conturbent.

c Quæretis me,] i. cum fuero mortuus, positi in tribulatione desiderabitis me vobiscum habere, & optabitis. *d* Et sicut dicit Judæis, quo ego vado, vos non potestis venire.] In quo ostendit, quod mors ejus translatio quædam est, & transpositio melior ad locum, corpora non suscipientem corruptibilia. Hoc autem dicit, ut amorem Discipulorum in se ardentiorem faciat. Cum enim videmus dilectissimos longe discedentes, maxime exardescimus: & cum videmus eos abeuntes in locum, in quem non possumus abire. Judæos ergo terrens hoc dixit, ut *supra* 7. Discipulis autem dicit ad amorem accendens.

a Quo ego vado, vos non potestis venire,] q. d. talis & tam arduus est locus, ut non solam illi, sed neque vos, qui estis dilectissimi mei, possitis ire, in quo etiam altitudinem loci, & sui dignitatem designat. Sed quare dicit hoc. [Et sicut dixi Judæis?] Respondemus, ac si diceret: Non credatis, quoniam meum recessum prædico modo vobis conjecturando ea malis imminentibus: jam enim longe ante hoc Judæis prædixi, vobis audientibus.

f Et] sicut dixi, tunc eis; ita [vobis dico modo] commemorando, quod alias dixi, quia modo instat, & in proximo est futurum. Vel [Vobis dico modo] i. cum aliis, sed aliter illis, & aliter vobis, & alia de causa. Illis propter infidelitatem, vobis in consolationem: ut non improvisa superveniant mala. Illis ad terrorem, vobis ad amorem.

g Mandatum novum do vobis] Quia audientes se desesi turbabantur, consolatur eos, charitatem omnium bonorum radicem, & immunitionem inducens, q.d. doletis abeunte me; sed si amaveritis invicem, fortiores eritis. Ideo dicit. [Mandatum novum do vobis] in consolationem.

h Ut diligatis invicem,] & sic omnia vincetis. Fortis enim, ut mors dilectio. *Cant. c.*8. Dicitur autem charitas mandatum novum, secundum *Aug.* non quia non sit in antiqua lege datum. *Lev. cap.* 19. Dilige proximum tuum tanquam teipsum; sed quia facit hominem novum, & expellit vetustatem. Sed ne intelligatur de dilectione naturali, quæ est inter conjuges, patres & filios, & hujusmodi: vel de turpi, quæ est inter amatores, addit. *i* Sicut dilexi vos] sincera, & gratuita dilectione. Quæ dilectio Christi facit nos invicem diligere. Unde subdit. *k* Ut & vos diligatis invicem,] quia sua dilectio caussat nostram. *Chr.* Mandatum in veteri Testamento positum ipse fecit novum modo, quia induait. [Sicut dilexi vos] quasi non debitum vobis reddidi; sed ipse incepi. 1. *Jo.*4. Prior dilexit nos. Ita & nos facere oportet etiam inimicis. Unde seq. *l* In hoc,] i. per hoc signum, non per alia, quæ & mali habent vobiscum. *m* Cognoscent

* *g* Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem] Hæc est via, qua imus ad Christum, & post Christum sicut dicit *Augustin.* 1. *Corinth.* 12. Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Et nota, quod hic sumitur antiphona, quæ cantatur in lotione pedum in principio: & ideo ipsa lotio dicitur mandatum. Dicitur autem mandatum novum, quia facit de veteri homine novum, non quia de nova datum, ut dicit *August.* Unde 1. *Joann.* 2. Non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus. Et postea: Mandatum novum scribo. Est ergo vetus, quia ab antiquo datum. *Lev.* 19. *Diliges* proximum tuum sicut teipsum. Novum, quia innovat. Unde *Psalm.*103. Emitte Spiritum tuum, idest, charitatem, & creabuntur, & renovabis faciem terræ? Quæ inveteratur in hyeme propter frigus, sed in fervore æstatis, idest, charitatis renovatur. Et hoc multipliciter. Renovari enim dicitur terra, quando herbæ pullulant. Unde *Psalm.*146. Qui producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum. Per herbam, voluntas faciendi opera misericordiæ: per fœnum, ipsa opera. Herba enim est propositum bonum: fœnum ipsum opus misericordiæ, quod ministratur jumentis, idest, pauperibus in pabulum. Item renovatur per flores, idest per orationes, & operationes contemplativæ. Unde *Cantic.* 2. Flores apparuerunt in terra nostra. Item quando folia scientiæ, locutionis, & prædicationis apparent. *Proverb.* 11. Justi quasi virens folium germinabunt. Item per virorem fidei, & aliarum virtutum. *Isaiæ* 35. In cubilibus, in quibus habitant dracones, viror calami, & junci orietur. Item renovatur, quando gelicidium peccati resolvitur in aquas, idest, in lacrymas, flante austro. *Psalm.* 147. Flavit spiritus ejus, & fluent aquæ. Item renovatur, quando aquæ occupantes agros desiccantur: aquæ, idest, delectationes carnales. *Genes* 8. Adduxit Dominus spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ. Illas, scilicet, innovationes habes, ut *supra* 20. Facta sunt autem encenia, &c. Item dilectio dicitur mandatum novum: quia semper innovari debet, & semper esse initio. Unde *Romanorum* 13. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Ubi dicit *Augustin.* Sola charitas est, quæ etiam reddita semper detinet debitorem. Ad idem facit illud, quod dicit *in libro de doctrina Christiana*: Omnis res: quæ dando non deficit, dum habetur, & non datur, nondum habetur, quomodo habenda est: Talis autem res est charitas, doctrina, & scientia. Et ponit exemplum de panibus multiplicatis a Domino. Illi, inquit, panes quinque erant, aut septem, antequam inciperent dari esurientibus: quod cum fieri incepit, duodecim cophinos, vel sportas satiatis hominum tot millibus impleverunt. Eodem modo charitas, statim, ut reddi inceperit, incipit & augeri. Hoc est maximum debitum, in quo omnia alia debentur: sicut ipsa est donum, in quo omnia alia debentur. Vel etiam ideo dicitur [mandatum novum,] quia de novo facit, quod debitum sit donum; & e converso, quod est novum, & mandatum secundum naturam. Primum enim donum, in quo alia dantur, est charitas. Ex hoc ergo, quod charitas sit præceptum, sit debitum donum, & e converso. Item dicitur [mandatum novum,] quoad modum diligendi, ut dicit *Chrysostomus*, qui est [sicut dilexi vos.] Iste modus non fuit expressus in veteri Testamento, ut poneretur vita pro proximo. *primo Joann. tertio.* In hoc cognoscimus charitatem Dei: quoniam ille animam suam posuit pro nobis: & nos debemus animas pro invicem ponere. Et de hoc præcepto habetur, *infra decimoquinto.* Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, idest intense, gratis, sincere, affectuose: non verbo tantum sed opere, & veritate, ut dicitur 1. *Joan.* 3. *m* In hoc cognoscent

Morat.

Terra renovatur multipliciter.

* gnoscent

Δ omnes, *a* quia Discipuli mei estis,] qui vos docui, & commendavi hanc doctrinam dilectionis. *b* Si dilectionem habueritis adinvicem.] *August.* Hic est enim fons, cui non communicat alienus, ut dicit *Salomon Prov.* 5. Et non dicit, si miracula fecerint, magis enim ædificavit Ecclesiam charitas Apostolorum quam miracula. (In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis,) quasi universi vos laudabunt, cum viderint vos imitantes meum amorem, *Matt.* 7. Nonne in nomine tuo Dæmonia ejecimus, &c. *Luc.* 10. Ne læremini, quoniam Dæmonia vobis obediunt. Unde sequitur. *c* Dicit ei Simon Petrus, Domine, quo vadis?] Respondet ad hoc, quod dixerat Dominus. Quo ego vado, vos non potestis venire. Multum enim movit Petrum, quod dixerat. Unde *Chrysost.* Magnum quid est amor, & igne ipso vehementius, & ad ipsum reducit cælum: & nulla est prohibitio, quæ ejus promptum impetum detinere possit. Ardentissimus denique Petrus audiens, quoniam: Quo ego vado, vos non potestis venire, quid ait? (Domine, quo vadis.) Hoc autem dixit, non tam discere volens, quo iret, quam sequi concupiscens; non est tamen ausus dicere aperte. Venio tecum, sed ait. (Quo vadis.) Christus autem non ad verba, sed ad mentem respondit. Unde sequitur. *d* Respondit Jesus, quo ego vado, non potes me modo sequi,] corruptibilis ad incorruptionem, vel adhuc infirmus ad passionem sustinendam. *Gloss.* quasi dicat, non festines modo, quia non es indutus virtute ex alto. *Luc. ult.* *e* Sequeris autem postea,] quasi ne tamen desperes, quia postea sequeris. Sed hoc non suffecit Petro, nisi sequeretur modo. Unde subditur. *f* Dicit ei Petrus, quare non possum te sequi modo? [quasi non stabit in me, quia.

gnoscent omnes, *a* quia Discipuli mei estis, si *b* dilectionem habueritis adinvicem. Dicit *c* ei Simon Petrus; Domine, quo vadis? *d* Respondit Jesus: Quo ego vado, non potes me modo sequi; *e* sequeris autem postea. Dicit *f* ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? *g* Animam meam pro te ponam.

g Animam meam pro te ponam,] quasi imo possum sequi: quia paratus sum pro te, & tecum mori. *Chrys.* Quia audierat a Christo, quoniam majorem hoc amorem nemo habet, insiliit, confestim insanabilis existens, & ad extremitatem, & ad consummationem amoris devenire volens. Item nota, quod sicut vehemens erat in amore, quod licet Dominus bonam spem sequendi ei dedisset; tamen neque ita desiderium potuit refrænare. Audacior etiam fuit ad loquendum, quia Dominus excusserat ab eo timorem proditionis, cum dixerat. (Sequeris autem postea.) Per hoc enim significavit,

Moraliter. * gnoscent omnes, &c.] q. d. per hoc mandatum servabitis bonam conscientiam ad me, quia facietis, quod præcipio, & bonam famam ad illos, qui (in hoc cognoscent omnes,) etiam Ethnici, & Gentiles. *a* Quia Discipuli mei estis, &c.] *Isa.* 61. Omnes, qui viderint eos, cognoscent eos: quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Est bonum Thema ad claustrales, vel quando est discordia inter aliquos. (In hoc,) signo. Hoc est enim signum, de quo dicitur *Apocal.* 7. Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Et 2. *Tim.* 2. Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc. Novit Dominus, qui sunt ejus: quomodo nescit dilectione, quia eos signavit (*Ezech.* 9. soli salvati sunt, qui signum Tau habebant in frontibus. Tau idem est, quod consummavit. Hæc est charitas, de qua. 1. *Tim.* 1. Finis præcepti est charitas. *Gloss.* Finis, idest, consummatio. *Rom.* 13. Qui diligit proximum, legem implevit. Et *in eodem*. Plenitudo legis est dilectio. Hoc signum debet esse in fronte. Vult enim Dominus, quod exterius ostendatur signum dilectionis, quæ est in corde. Contra illos, qui dicunt: Ego diligo eum, sed nolo loqui ei. *b* Si dilectionem habueritis adinvicem.] Non dicit. Si jejunatis, quia nec Dæmones comedunt, nec damnati. Unde *Isa.* 65. Servi mei comedent, & vos esurietis, &c. Nec dicit: Si vigilaveritis, quia nec Diabolus dormit, sed semper circuit quærens, quem devoret, sicut dicitur. 1. *Petr.* 5. Nec dicit. Si afflicti fueritis, quia nec illi quiescunt, & mali etiam: ut inique agant, laborant, ut dicitur *Jerem.* 9. Ideo dicitur 1. *Cor.* 13. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Item nec dicit. Si miracula feceritis, quia & hoc mali faciunt. Unde *Matth.* 7. Nonne in nomine tuo Dæmonia ejecimus, &c. *Chrysostom.* Dimittens dicere miracula, quæ erant facturi, ab amore eos designat. Hoc enim maxime est, quod ostendit homines Sanctos: omnis enim virtutis materia amor est: per hunc maxime salvamur omnes. Hoc enim est, ait, esse Discipulum, ita vos universi laudabunt, cum viderint vos imitantes meum amorem. Item *Chrysostom.* Miracula facere, hoc orbem terrarum induxit ad fidem, quia & amor præerat; si vero amor non esset, neque & hoc permansisset, scilicet, miracula facere. Hoc denique confestim fecit bonos sine miraculis, & optimos, scilicet, esse omnium cor unum, & animam unam. *Actor.* 4. Si vero abinvicem discessissent, odio animæ periissent. Non illis autem hoc dicebat solum, sed & omnibus, qui debebant credere in eum: quia & nunc nihil aliud est, quod scandalizat Gentiles, quam quod non est amor inter Christianos. Sed ubi amorem adinvicem ostenderunt Apostoli? Respondemus. Vides Petrum, & Joannem inseparabiliter se habentes adinvicem ad templum ascendentes. *Act.* 3. & 4. Vides & Paulum, ita ad eos dispositum, cum venit, ut videret Petrum, & Jacobum, & Joannem. *Gal.* 2. Si enim alia habebant Apostoli, multo magis habebant matrem omnium bonorum amorem. Ab anima enim virtuosa hæc res vegetatur, scilicet, amor. Ubi enim est nequitia, exsiccatur hæc planta. Cum enim multiplicata fuerit iniquitas, frigebit amor. *Matth.* 24. Sed & Ethnicos non ita inducunt signa, ut vita; vitam autem nihil ita facit claram ut amor. Miracula enim facientes multoties seductores nominaverunt; vitam autem puram reprehendere non habent. Item *Chrys.* Nihil ita convertit Gentiles, ut virtus: nihil ita scandalizat, ut malitia. Cum enim viderint avarum rapientem contra Deum, qui contraria jubet: & his, qui ejusdem Tribus sunt, tanquam feris utentem contra eum, qui jubet, & inimicos amare, & dicunt hoc irrationabile esse. Cum autem viderint trementes, qualiter suscipient eos, qui de immortalitate sunt sermones? Cum viderint nos diligere principatum, & aliis servientes passionibus vitiorum, firmius in suis remanent dogmatibus. Nos enim sumus causa manendi eos in errore: nam dogmata sua olim contempsissent, sed & nostra admirarentur; ex vita autem nostra prohibentur: nam verba quidem philosophari facile est. Multi enim & apud eos hoc fecerunt; inquirunt autem eam, quæ per opera demonstratio est. Ostende mihi, ajunt, fidem tuam per opera tua. *Jac.* Cum autem magis, quam fera divellimus proximorum substantias, jacturam nos vocant orbis terrarum. Nos ergo vindictam dabimus, non solum pro quibus male agimus, sed & quia nomen Domini per nos blasphematur. *Rom.* 2. & *Isa.* 52.

De pœn. dist. 2. cap. qui vult.

c Dicit ei Simon Petrus, Domine, quo vadis?] Sic quærit anima Justi, ut sciat viam, qua sequatur Dominum. Unde *Psalm.* 23. Vias tuas, Domine, demonstra mihi. Et est, ac si dicat. Domine, trahe me post te, & ad te. *Cant.* 1.

d Respondit Jesus, quo ego vado, non potes me modo sequi,] quasi dicat, per tuam contemplationem non potes pervenire ad plenam fruitionem in præsenti. *Exod.* 33. Non videbit me homo, &c. Non videntur enim hic, nisi ejus posteriora, quia exempla videmus; sed ad præmium non pertingimus. In contemplatione quidem prægustatur, sed parva est refectio in respectu, & rara hora, & parva mora. *Cant. quinto.* Pessulum ostii mei aperui Dilecto meo, quod est quando præparat se ad contemplationem, & habet aliquam delectationem. At ille declinaverat, & transierat, cum anima mea liquefacta est, ut Dilectus locutus est, quæsivi, & non inveni eum, idest, delectationem, quam habui in eo in principio, modo non invenio. Unde dicit illud *Job* 30. Mutatus es mihi in crudelem. Tunc dicunt adolescentulæ. Quo abiit Dilectus tuus, o pulcherrima mulierum: & quæremus eum tecum? *Canticorum quinto.*

e Sequeris autem postea,] idest, post hanc vitam, perfecte comprehendens. *Canticorum* 2. En ipse stat post parietem.

f Dicit ei Petrus, quare non possum te modo sequi,] idest, in præsenti tuam suavitatem plenius experiri? *g* Animam

a significavit, quod Petrus non esset ille traditor, de quo dixerat. *a* Respondit Jesus, animam tuam pro me pones?] quasi non. Vel remissive. [Pones,] quandoque sed non modo, quia. *b* Amen, amen dico tibi.] Jurat, ut credat, quod tamen quasi impossibile reputabat Petrus. *c* Non cantabit gallus,] bis, ut dicit *Marc.* 14. In hac nocte. *d* Donec ter me neges,] vel, [negabis] i. nunc confessim negabis. Non enim multum spatium ab hora, qua Christus dixit hoc, usque ad galli cantum. Intempesta enim hora noctis disputabat cum eis, & prima, & secunda custodia erat transiens. Vel. *c* Non cantabit Gallus, &c.] idest, donec trinam negationem inchoes. Et hoc dicunt *Matth.* & *Luc.* Antequam gallus cantet, ter me negabis. Sed *Marc.* dicit apertius. Priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. Post primam enim negationem Petri, statim gallus cantavit; sed ante secundum galli cantum iterum bis negavit. Et ita Trina negatio Petri ante primum galli cantum inchoata est; ante secundum completa.

Matth. 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22.

A

Beda. Potest esse quod ante primum galli cantum totum in ejus animo fuit.

a Respondit Jesus: Animam tuam pro me pones? *b* Amen, amen dico tibi, *c* non cantabit gallus, *d* donec ter me neges.

CAP. XIV.

ET *e* ait Discipulis suis. Non *f* turbetur cor vestrum. *g* Creditis in Deum, & in me credite. In *h* domo Patris mei *i* mansiones multæ sunt. Si *k* quo minus *l* dixissem vobis, quia *m* vado parare vobis locum. Et si *n* abiero, *o* & præparavero vobis locum, *p* iterum venio, *q* & accipiam vos ad meipsum: *r* ut ubi sum ego, & *s* vos sitis.

Moraliter. * meam pro te ponam,] quasi paratus sum deponere sensum, & rationem, & intellectum in contemplatione tui: & tunc est quasi non esse. Tunc enim deficit anima in Salutare Dei. *Aug.* Quasi animam deponit, qui perfecte desiderat. *c* Non cantabit gallus,] i. gratia, quæ cantat, quando monet hominem ad opus, excitat. *d* Donec ter me neges.] Prima negatio post contemplationem est per negligentiam, secunda per torporem, & ignaviam, tertia per implicationem sæcularium, & curam: & tunc Dominus depressam animam, quam dimisit ad sui humiliationem, revocat gallo cantante, idest, gratia eam excitante, vel aliquo excitatore.

EXPOSITIO CAP. XIV.

e ET ait Discipulis suis, &c.] Facta digressione Dominus a sermone inchoato Discipulis ad prædicendum negationem Petri, redit hic ad propositum, ut consoletur Discipulos, & instruat. Vel sic continuat. Prædixerat eis Passionem suam supra. Adhuc modicum vobiscum sum, &c. Et Petri negationem. Ex his autem possent turbari, & propter hoc duplicem ponit consolationem dicens. *f* Non turbetur cor vestrum,] pro mea morte, [neque formidet,] pro Petri negatione. Tamen secundum *Aug.* & *Chrys.* non est de textu hoc. Neque formidet: Et subdit consolationem contra turbationem de sua Passione, promittens. *g* Creditis, &c.] quasi, si creditis in Deum, consequitur, ut in me, quia ego sum Deus: & ita poteritis me resulcitare. *Aug.* & *Chrys.* habent in textu. (Credite in Deum, &c.) Et est idem sensus: Deinde subdit consolationem contra Petri negationem, vel contra Judæ proditionem dicens. *h* In domo Patris mei, &c.] quasi, quæ vobis paratæ sunt. Possent enim dicere, si Petrus te negaturus est, qui major est omnibus, quid ergo faciemus, si omnes damnabimur. Ad quod respondendum, quod etsi ad tempus turbentur; tamen paratæ sunt eis æternæ mansiones. Et sicut dicit *Chrys.* sicut *supr.* 13. dedit spem Petro, cum dixit. Sequeris autem postea: ita hic omnibus spes datur, ne putetur soli Petro facta promissio, & ut auferatur ab eis timor, quem habebat quilibet de se, quia dixerat Dominus: Unus ex vobis me tradet. Et exponitur sic, (In domo Patris mei,) idest, in cælo Empyreo, ad litteram. *i* Mansiones multæ sunt,] ad litteram. Unde in Hymno. Patriarcharum cunei, &c. Vel. *h* In domo Patris mei,] idest, in eodem præmio increato quasi denario omnibus communi. *i* Mansiones multæ sunt,] i. diversæ participationes; sive fruitiones, qui plus, & minus fruentur eadem beatitudine increata. Erit enim in dispari claritate par gaudium, & in pari gaudio dispar claritas. Secundum quod dicitur. *1. Cor.* 15. Stella differt a stella in claritate. Vel sic. *h* In domo Patris mei, &c.] i. in Justis, qui sunt domus Dei. Secundum illud. *Sap.* 7. Secundum aliam literam, anima Justi sedes est sapientiæ. *i* Mansiones multæ sunt] i. Diversa præmia meritorum, sive diversæ differentiæ meritorum. Alius enim sic; alius sic ibat. *Aug.* Multæ mansiones in domo Patris diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates. Alia enim gloria Solis, alia gloria stellarum. *1. Cor.* 15. Tanquam stellæ Sancti diversas mansiones diversæ claritatis tanquam in cælo, sortiuntur in regno; sed propter unum denarium nullus separatur a regno: atque ita Deus erit omnia in omnibus: ut quoniam Deus charitas est, per charitatem fiat: ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero, quod in se non habet: non erit itaque aliqua invidia imparis charitatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis. De illa domo dicitur *in Psal.* 83. Beati, qui habitant in domo tua, Domine. Ergo ibi sunt habitacula, quia quilibet est ibi in suo ordine. Hæc sunt habitacula servorum Salomonis, & ordines ministrantium, quæ videns Regina Saba, non habebat ultra spiritum 3. *Reg.* 10. Et 2. *Par.* 9. *Psal.* 83. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. *Num* 24. Quam pulchra sunt tabernacula tua, Jacob, & tentoria tua, Israel: ut valles nemorosæ: ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus: ut cedri prope aquas. *Bar.* 3. O Israel, quam magna domus Dei, &c. Sequitur. *k* Si quo minus, i. si in aliquo minus esset, scilicet, si non ita esset, quod in domo Patris mei mansiones multæ essent, in quibus prædestinassem vos mansuros. *l* Dixissem vobis quia,] i. quod, (vado vobis parare locum,) i. prædestinarem eos vobis modo. Sed hoc est impossibile, quod aliquid de novo prædestinetur: ergo restat, quod in domo Patris mei mansiones multæ sunt. Secundo exponitur sic. *k* Si quo minus dixissem vobis,] idest, si non dixissem vobis, supple, dicere modo quod. *m* Vado parare locum,] idest, aperire januam, & vos tales facere, ut sitis in illis locis, sive mansionibus. Tertio modo legitur, & verius. *h* In domo Patris mei mansiones multæ sunt,] ut *supr.* *k* Si quo minus,] i. si non essent, ibi. Minus enim positum est pro non. Ego. *l* Dixissem vobis,] idest, non celassem vobis, imo dixissem, quia non sunt ibi, sed subaudi, sciatis, (quia vado parare vobis locum.) Vel sunt ibi, quod patet, quia vado eas parare. Jam paratæ erant, ut dixerat prædestinatione; sed tamen adhuc parandæ erant januæ apertione, & meritoria operatione. *Hieron.* autem contra Jovinianum hæreticum legit totum supra unam distinctionem. Si non mansiones multæ essent apud Patrem, dixissem vobis, quia vado vobis parare locum. Hoc est, si non unusquisque præpararet sibi mansionem propriis operibus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum; meum autem non est parare, sed vestrum. Et est dictum secundum illud *Matth.* 20. Sedere a dextris meis, vel a sinistris non est meum dare vobis. *n* Et si abiero,] i. cum abiero per mortem. *o* Et præparavero vobis locum,] per januæ apertionem. *p* Iterum venio,] ad vos in morte, vel in extremo judicio, Et dicit, (venio,) de præsenti, quia Judex jam ante januam assistit. *Jacob.* 5. *q* Et accipiam,] vel, (accipio vos ad meipsum,) in cælesti habitatione. *r* Ut ubi sum ego,] caput. *s* Et vos sitis,] membra. *Matt.* 14. Ubi fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ. Simile *sup.* 12. Ubi ego sum, illic & minister meus erit. De quo loco dicitur 1. *Reg.* 7. Ponam locum populo meo Israel, & plantabo eum, & habitabo cum eo, non turbabitur amplius. Vel aliter.

De pœn. dist. 4. *c. in domo.*

Moral. *f* Non turbetur cor vestrum, &c.] Et subdit consolationem. [Quia in domo, &c.] quasi dicat si terret tribulatio, mulceat retributio *Rom.* 8. Non sunt condignæ passiones, &c. 2. *Corint.* 4. Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis, &c. *Gr.* Consideratio præmii minuit vim flagelli 1. *Mach.* 10. Alexander mittit purpuram, & coronam auream Jonathæ, &c. *h* In domo Patris mei, &c.] Hortor, ut adjiciaris civibus illius patriæ, ubi lex est veritas, lex est charitas, sanctitas, dignitas, pax, felicitas, vita, æternitas.

n Si abiero,] in Ascensione. *o* Et præparavero vobis locum] in Spiritus sancti missione, quia Spiritus sanctus eos aptavit ad merendum, & parandum illam mansionem. Vel. *n* Si abiero, & præparavero,] idest, abeundo, & corporalem præsentiam subtrahendo

a do præparavero, quia per hoc amorem carnalem expulit ab eis, & occasionem credendi tribuit. Unde *August.* subtrahit se, & latet, ut si fides, quæ non est de re visa: & inde est meritum fidei. *Greg.* Fides non habet meritum, &c. *Hebr* 11. Fides est substantia rerum, &c. Ex hac fide vivit justus.

*Abac.*2. Et cor mundatur, & hæc est præparatio mansionis. Item abeundo præparavit desiderium excitando. *Cant. ult.* Euge dilecte mi, assimilare capreæ, &c. Item pro nobis apud Patrem intercedendo

Aber. 15. Fides purificans corda, & c. 5. dist. cap. si non veraciter, & c. se. De pen. dist. 2. c. si enim.

tis. a Et quo ego vado, scitis b & viam scitis. Dicit c ei Thomas: Domine, nescimus, quo vadis, & d quomodo possumus viam scire? Dicit e ei Jesus: f Ego sum via, g veritas, & vita: h Nemo venit ad Patrem, nisi per i me Si k cognovissetis me, l & Patrem meum utiq; cognovissetis. Et m amodo cognoscetis eum, & vidistis n eum. Dicit o ei Philippus: Domine, p ostende nobis Patrem: q & sufficit nobis.

Hebr. 6. Ubi Præcursor noster pro nobis introivit, &c. Item *Hebr.*7. Superviveus ad interpellandum pro nobis. Item præparavit locum in cælo, per causam in Baptismi institutione, per pretii solutionem in passione, per effectum in Ascensione. *Mich.*2. Ascendet iter pandens ante eos. Sed ne quærant, ubi sit hoc, subdit. a Et quo ego vado, scitis,] idest, ad Patrem. b Et viam scitis,] idest, me, qui sum via, vel meam passionem, per quam vado ad Patrem. c Dicit ei Thomas, &c.] idest, terminum viæ. d Et quomodo possumus, &c. qua itur? Dominus dixit, eos scire viam, & terminum viæ: quomodo ergo dicit Thomas eos nescire? Item *inf. eod.* dicit Christus. [Si cognovissetis me, &c.] ergo neutrum cognoscebant, ergo nec viam, nec terminum viæ sciebant. Sol. Quidam erant qui sciebant Patrem, & Filium, & credebant distincte, & de his dicit Christus. [Quo ego vado scitis, &c.] Alii nesciebant, ut Thomas forte & Philippus, vel aliter potest dici, quod etsi scirent tamen nesciebant se scire viam. Licet enim scirent Patrem, & Filium & Divinitatem, & humanitatem Filii crederent; tamen nesciebant quod hoc vocaret viam, & terminum viæ: Christus autem ostendit quomodo sciunt, & viam, & quo vadit. Unde sequitur. e Dicit ei Jesus,] q. d. me scitis: ego sum via: ergo viam scitis.

Moral. Per Thomam qui viam sciebat; & tamen quærebat, significantur quidam scientes viam ad Deum & tamen semper quærentes, & nunquam in ea currentes. De quibus Apostolus 2. *Timot.* 3. semper discentes, & nunquam ad cognitionem veritatis pervenientes. Et *Isaia* 58. Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, &c. sed *Jerem.*6. dicitur. State super vias vestras, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona: & ambulate in ea.

g Et veritas, &c.] q. d. si me scitis, & ego sum veritas, & vita: tunc scitis veritatem, & vitam, ad quam vado. Ipse enim Christus ut dicit *Aug.* per se viam ad se veritatem, & vitam & ad Patrem quia cum Patre una est veritas & vita, vadit, vel sic. f Ego sum via,] per quam itur. g Et veritas, & vita,] ad quam pervenitur, ut veritas sit premium rationis, & vita affectionis: vel via non errans *Psal.*10. Erraverunt in invio, & non in via. Item. Viam civitatis habitaculi non invenerunt. [Veritas] non fallens *Prov.* 25. Dens putridus, & pedes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ. [Vita] non deficiens. *Matth.* 25. Ibunt hi in vitam æternam. Hæc pars, quam elegit Maria, quæ non auferetur ab ea. *Luc.* 10. Item est via ducens, *Prov* 4. Ducet te per semitas æquitatis. [Est veritas] lucens. *Mal. ult.* Vobis timentibus Deum orietur Sol justitiæ. [Est vita] pascens. *Ps.*36. Delectare in Domino, &c. Item inhabita terram, & pasceris in divitiis ejus. Item [est via in exemplo *sup.* 13. Exemplum dedi vobis, &c.] Veritas in promisso. *Psal.*88. Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. [Vita,] in præmio. *Rom.*6. Stipendia peccati mors; gratia autem Dei vita æterna. *Gen.*15. Ego protector tuus, & merces, &c. Item missus est Christus, ut esset errantibus via, illusis veritas, mortuis vita.

Item via est, qua itur: veritas, ad quam itur: vita, in qua statur. *Act.*17. In ipso enim vivimus, quia est vita: & movemur, quia via: & sumus, quia veritas. Item sicut dicit *Aug.* via est sine errore quærentibus, & veritas sine falsitate invenientibus, vita sine morte permanentibus. *Deut.*30. ipse est vita tua, &c. Et cum sim via.

h Nemo venit ad patrem,] cum quo sum veritas, & vita. i Nisi per me,] viam. Exempla sui hominis sunt via ad se Deum. *Job* 32. Vestigia ejus secutus est pes meus? viam ejus custodivi, nec declinavi ex ea. Via enim dicitur ferrata pro clavis Crucis, dicitur signata pro ipsa Cruce, ut omnibus appareat, sicut ponuntur in cruce in capitibus viarum: dicitur etiam calceata, sive lapidea pro lapidibus, quos in Christum projecerunt. k Si cognovissetis me, &c.] Quia dixerat, nullum venire ad Patrem nisi per se, quia est inseparabiliter idem cum Patre, ne quærerent, quis est Pater, ostendit quod se noto cognoscit Pater, quod nondum quidam cognoverant, quos arguit dicens. [Si cognovissetis me.] *Chr.* idest, si scitis meam substantiam, & dignitatem. l Et Patrem meum utique cognovissetis,] i. substantiam Patris, & dignitatem. Noverant quidam eum, sed non ita ut oportebat, nam Deum quidem noverant: Patrem autem nondum; Postea enim Spiritus sanctus superveniens in perfectam eos induxit cognitionem. *Aug.* dicit quod quidam eorum, sicut Philippus, etsi scirent illum Filium, & illum Patrem meliorem. [Et amodo cognoscetis.] Vel aliter.

B

h Nemo venit ad Patrem,] i. ad Patris cognitionem, idest, nemo cognoscit eum. i Nisi per me,] idest, nisi meo dono, vel nisi me cognoscat. Sed me cognito, eum cognoscit: unde subdit. k Si cognovissetis me,] qui idem sum cum Patre. l Et patrem meum utique cognovissetis.] In quo innuit, quod neutrum perfecte cognoscebant. Sed ne de hoc contristentur, dat spem cognoscendi.

m Et amodo cognoscetis eum, idest, plenius in Spiritus sancti adventu, qui inducet vos in omnem veritatem. *infr.*

n Et] jam [vidistis eum] idest, cognovistis pro parte. Sed quando cognoverunt eum. Respondemus. Filius frequenter dixerat eis de Patre. Vel secundum *Chrysost.* [Vidistis eum] idest, Patrem cognovistis loquentem per Filium incarnatum. Sicut enim dicitur, quod visus est Angelus, non ipsa Angeli substantia; sed ut illis possibile erat videre: ita hic qui Filium vidit, & Patrem novit. Viderunt autem eum non nuda substantia; sed carne indutum. Sed quare dicit cognoscetis de futuro, & vidistis de præterito? Respondemus. Hæc est differentia inter videre, & cognoscere: quia eos qui videntur, possumus videre, & ignorare: eos autem qui cognoscuntur, non possumus cognoscere, & ignorare.

Quia ergo jam viderant Filium, & Patrem in Filio, & ignorant: ideo dicit, [vidistis] de præterito. Quia vero sine ignorantia erant cognituri, ideo dicit, [cognoscetis] de futuro. Et nota, quod dicit. [Vidistis eum,] idest, Patrem. Vidistis enim solvi peccata, quod solius Dei est, vidistis signa, audistis doctrinam: Et per hoc cognovistis Dei potentiam, quæ eadem est in Patre & Filio. Unde in illis operibus, sicut videbatur Filius, ita & Pater. o Dicit ei Philippus, Domine, ostende nobis Patrem.] Sicut male intellexit Thomas, quando Dominus dixit: Quo ego vado, scitis, & viam scitis: & ideo quæsivit, quo iret, ita iste male intelligens quod dixerat Dominus: Et vidistis eum, idest, Patrem, stupefactus est, cum se Patrem vidisse nesciret, quærit.

p Ostende nobis Patrem, &c.] Vel continua sic. Dixerat Dominus. Amodo cognoscetis Patrem. Iste ergo desiderans hoc statim impleri dicit: [Ostende nobis Patrem. *Chrys.* sic continuat. Dixerat Dominus: Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis. Utique & per seipsum patrem dicebat manifestari; hic autem Philippus convertit ordinem, & ait [patrem ostende,] ac si jam Filium nosceret certissime. Sed Christus non assentit ei; sed ad viam reducit eum dicens: Qui videt me, &c. quasi per me cognoscitur pater. Et nota, quod Philippus oculis carnis volebat patrem videre. Forte, quia a prophetis audierat: vidi Dominum. *Isa.* 6. Sed condescensio erat hæc, o Philippe. Unde *sup.* 1. Deum nemo vidit unquam. Et *Exod.* 33. Et *supr.*5. Neque vocem ejus audistis, neque speciem ejus vidistis unquam. *Aug.* [Ostende nobis patrem,] quasi qui major est te. q Ostende nobis,] quasi in eo sufficientia erit nobis, patrem enim credebat meliorem eo, & quod major sufficientia esset in patre, quam in filio. Vel. [Sufficit nobis,] si ostendis patrem, quia jam te bene cognoscimus, & ita totum cognoscimus. Vel secundum *Chrysost.* qui quærit, unde in hoc dicendum venit Philippus. Et respondet: dixerat Dominus. Si me cognovissetis, &c. Et Judæis multoties dixit hoc idem. Quia igitur

Dicit *a* ei Jesus: *b* Tanto tempore vobiscum sum, *c* & non cognovistis me? *d* Philippe, qui videt me, videt & Patrem. *e* Quomodo *f* tu dicis: ostende nobis Patrem? *g* Non credis, *h* quia ego in Patre, & *i* Pater in me est? k Verba, quæ ego loquor vobis; a meipso non *l* loquor. *m* Pater *n* autem in

a interrogavit eum Petrus multoties: Quia est pater, & Judæi similiter, interrogavit & Thomas: & nullus tamen quid esset Pater, didicit manifeste; sed adhuc ignorabatur ab eis; quæ dicebantur a Christo: ideo Philippus, ut non videatur onerosus esse, & molestare eum, post tot interrogationes eadem interrogans, dicens. [Ostende nobis Patrem] induxit (& sufficit nobis,] q. d. nihil plus quæremus. *a* Dicit, &c.] increpative. *b* Tanto tempore vobiscum sum] docens, quæ nemo docuit: ita & faciens, quæ nemo alius fecit, in quo ostendit meam Deitatem. *c* Et non cognovistis me, quia nec Filium novit, qui Patrem meliorem credit. Et vere me non novistis: quia si nosceretis, & Patrem nosceretis. Unde sequitur. *d* O Philippe, qui videt me, videt & Patrem.] Non quia alius sit Pater, & alius Filius; sed quia omnino similes: & id de duobus similibus dicitur. Si istum vidistis, & illum vidistis.

Unde *Heb.* 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, &c. *Eccl.* 24. Ego ex ore Altissimi prodii, idest, simillimus ei. Et cum omnino sim similis.

e Quomodo,] idest, qua mente, vel quo animo.

f Tu dicis, ostende nobis Patrem?] q. d. video, quo animo dicis, non quæris alterum similem, sed putas Patrem meliorem.

g Non credis,] etsi nondum videas.

h Quia ego in Patre, & pater in me est,] idest, non credis consubstantialitatem mei, & Patris. (In) enim significat identitatem substantiæ, & ita eadem sufficientia est in utroque. Et hoc est contrarium, sicut illud *sup. eod.* (Qui videt me, videt & Patrem.) Sed ne propter hoc credatur esse una persona, sicut una substantia: ideo subdit contra Sabellium.

k Verba, quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor, quia a meipso non sum: qui loquor, q. d. sic est alter æqualis alterius; ut tamen alter sit ex altero. Vel aliter dixerat. (Non credis, quia ego in, &c.) Quod ergo ipse sit consubstantialis patri, & pater in eo maneat, probat per verba sua, & opera, dicens: (Verba, quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor,] idest, a me homine: quia nunquam sic locutus est homo, *sup.* 7. Ergo constat, quod a Deitate; nec opera supple, quæ facio a me. *n* Autem,] pro sed.

m Pater in me manens,] idest, mihi consubstantialis. *o* Ipse facit opera,] quasi dicat, Deitas, quæ est eadem mihi, & patri, operatur. Et cum hoc sit, quod sic Deitas, operetur in me.

p Non creditis, quia ego in patre, & pater in me est.] Si enim separati essemus, nullo modo inseparabiliter operaremur. Et in hoc quod dicit. Creditis pluraliter, ostenditur, non solus Philippus arguendus.

q Alioquin,] idest, si non creditis propter verba.

r Propter opera ipsa credite,] me esse Deum, & patri consubstantialem. *supr.* 10. Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me. Secundum *Chrysostomum* legitur ab illo loco.

Aliter. *b* Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me, Philippe,] q. d. tanta potitus es doctrina, vidisti signa cum auctoritate, & omnia, quæ Deitatis erant propria, & quæ pater solus operatur, scilicet peccata soluta, secreta cordium in medium producta mortem, ut in Lazaro recedentem, *sup.* 11. linitionem a terra factam ut in cæco, *sup.* 9.

Chrysost. per hoc, quod dicit. (Non cognovisti me,) ostendit consubstantialitatem; deinde dividens hypostases ait. (Qui videt me, &c.) ne quis dicat, quod ipse pater sit & filius. Si enim ipse esset pater, nequaquam dixisset: qui videt me, illum videt.

c Et non cognovistis me,] idest, meam Deitatem non intellexisti. Nec dicit, non vidisti me, quia eum viderat in carne, sed patri æqualem non credebat. Sed quare respondet Dominus ita Philippo? Philippus enim quæsierat; Ostende nobis patrem; & ipse arguit eum de hoc, quod non cognoscit se, cum videatur secundum consequentiam potius debere arguere eum de hoc, quod non novit patrem.

Respondemus, quod bene dicit. (Et non cognovisti me) ut ostendat consubstantialitatem sui, & patris; præterea, quia dixerat Philippus (Ostende nobis patrem, & sufficit nobis,) & per hoc signaverat, quod bene cognoscebat Filium: ideo respondet Dominus, quod neque ipsum Filium cognovit, neque vidit ejus Deitatem,

me manens *o* ipse facit opera. *p* Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? *q* Alioquin *r* propter opera ipsa credite. Amen, *s* amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & *t* majora horum faciet: *u* quia ego ad Patrem vado. Et *x* quodcumque petieritis †

licet viderit carne indutum: quia si filium cognovisset, vel vidisset, & patrem, ideo subdit. (Qui videt me) vel (qui vidit me, videt,] vel vidit & patrem,) q. d. neque me, neque illum possibile est videre, Philippus enim eam, quæ per visum est, quærebat & cognitionem: & quia ipsum quidem Filium vidisse se æstimabat, volebat & patrem ita videre: ideo ostendit, quod neque ipsum Filium vidit. Si vero aliquis dixerit visum hic cognitionem, ego non contra dico; sed est sensus secundum hoc. (Qui videt me, &c.) idest, qui cognovit, & vidit meam substantiam, vidit & substantiam patris, in quo ostendit, quod est consubstantialis patri. Sed contra *Rom.* 1. Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur: ergo qui noscit creaturas, noscere potest Deum.

Infr. 14. al. † patre.

Sol. Philippus hic quærit scire, non sapientiam, aut potentiam, aut bonitatem patris: hanc enim sciebat per Scripturas, & creaturas; sed ipsam substantiam Dei. Ad hoc respondet Christus. [Qui videt me, &c.] i. meam substantiam, videt & substantiam patris. Non autem qui creaturas videt, videt substantiam Dei. Unde nota, quod expressionem dicit. [Qui videt me.] Non dicit cognoscit ut ostendat se loqui de visione nudæ substantiæ, non de cognitione per effectum.

e Quomodo tu dicis, ostende nobis patrem,] me excepto, quasi sine me posset videri, vel quasi me jam videas sine ipso.

h Non credis, quia ego in patre,] idest, in illa substantia, appareo, vel cognoscor. *i* Et pater in me est,] idest, in eadem substantia. Ostendit autem consubstantialem per operum indivisionem, dicens. *k* Verba, quæ ego loquor vobis a meipso,] idest, separatim a patre. *l* Non loquor,] sed pater mecum. Unde subdit. *n* Autem) pro sed.

m Pater in me manens ipse facit opera.] Consequens erat, ut diceret a meipso non loquor, sed pater ipse loquitur verba. Sed duo ponit, ut de doctrina simul, & signis intelligatur, vel quia ipsa verba opera sunt, sicut etiam vult *Gloss.* Et nota, hic patrem operari, alibi dicit se operari, ut *sup.* 10. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: per quod ostendit, quod idem, & simile uterque operatur. Unde *sup* 5. pater meus usque modo operatur, & ego operor. Deinde sequitur secundum *Chrys.* Credite, quoniam ego in patre, & pater in me est, alioquin propter opera ipsa credite, q. d. oportebat vos audientes patrem, & filium, nihil aliud quærere ad repræsentationem ejus, quæ secundum substantiam est cognitionis. Si vero vobis non sufficit hoc ad ostendendum consubstantialitatem, & identitatem honoris, saltem ab operibus discite identitatem. Sequitur.

s Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet,] idest, similia in genere: prius ostendit suam Deitatem, & æqualitatem cum patre per opera, quæ ipse fecit; modo ostendit idem per opera, quæ aliis facere contulit, vel collaturus erat.

t Et majora horum faciet,] quia si ipse fimbria. *Matt.* 9 Petrus umbra sanavit. *Act.* 5. In quo ostenditur potestas ejus, quod per servos tanta potuit post mortem conferre, ut facerent in nomine ejus. Et bene dico, quod majora his faciet.

u Quia ego ad patrem vado] q. d. vestrum de cetero erit miracula facere, ego enim abeo. Item ideo dicit [Ad patrem vado] q. d. non pereo per mortem; sed in propria manebo dignitate, & in cælis ero. Hoc autem dicit consolans eos, quia enim tristabantur de ejus morte, ostendit, quoniam manet semper, & non solum manet; sed & majorem per eos ostendet virtutem. Vel sic. [Ad Patrem vado,] ut mittam vobis Spiritum sanctum ad roborandum, & miraculandum, ad docendum, quid petatis.

x Et] tunc, [quodcumque &c.] eo suggerente, &c. vel, quodcumque petieritis in nomine meo.] Quia dixerat, quod majora facerent

ta facerent, ne intelligeretur, quod ipsi sua auctoritate facerent, ostendit, quod imo oratione, & ministerio. Ideo dicit. (Quodcumque petieritis.) Aliqui libri habent (patrem in nomine meo,) sed neque *Aug.* neque *Chryf.* habet, idest, in invocatione nominis mei, sicut quando dicebant *Act.* 3. In nomine Christi Jesu surge, & ambula.

al. † clarificetur. *Matth.* 21. *Marc.* 11.

in nomine meo *a* hoc faciam, ut † *b* glorificetur pater in Filio. Si *c* quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis *d* me, mandata mea *e* servate: *f* & *g* ego *h* rogabo Patrem, *i* & alium paracletum k dabit vobis, ut *l* maneat vobiscum in æternum, *m* Spiritum veritatis, *n* quem mundus non potest accipere, *o* quia non videt eum, *p* nec scit eum: *q* Vos autem cognoscetis eum quia *r* apud vos manebit, *s* & in vobis erit. *t* Non relinquam vos Orphanos, *u* veniam

a Hoc faciam.] Non dicit: rogabo patrem ut faciat, sed faciam: in quo ostendit, quod habet potestatem. In me) idest, per ea, quæ ego faciam per meos servos, sive quæ ipsi facient in nomine patris mei. *b* Glorificetur pater.] *Chryf.* Cum enim ostendetur Filius magna potens, glorificabitur ille, qui genuit. Nos habemus communiter in nostro textu.) (Ut glorificetur pater in filio,) idest, ut ostendatur potestas patris in operatione filii, a quo habet esse, & operari. Et bene dico, quod glorificabitur pater filium: quia si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. *Chryf.* Quare id secundo dicit propter certificationem promissionis, & ut ostendat, quoniam ea, quæ dixit patrem facere, vel dare ei, ut faceret, condescensionis erat: ideo repetit verbum auctoritatis dicens. (Hoc faciam.) Vel secundum quosdam superius habetur. (Quodcumque petieritis patrem in nomine meo.) hic autem habetur. (Si quid petieritis me, &c.) In quo ostendit etiam coæqualitatem, quod sicut orandus est pater: ita & filius. De hoc habetur *Matth.* 7. & *Luc.* 11. petite, & accipietis. Et in his promissionibus, petite, & accipietis, intelliguntur quatuor conditiones, quod petatur ad salutem, pro se pie, & perseveranter. Et de hoc habebitur *inf.* 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Sequitur. *d* Si diligitis me, &c.] Quia dixerat: quodcumque petieritis, hoc faciam, ne æstiment sine operibus orationem valere, ideo induxit (Si diligitis me, mandata mea servate,) q. d. tunc faciam, quod petetis, si quod jussero, feceritis. *Jac.* 5. Multum valet oratio justi *sap.* 9. Deus peccatores non audit.

Vel aliter. Dixero. Vado ad patrem, quia ergo hoc audito turbati sunt, dicit. (Si diligitis, &c.) q. d. turbari tunc non est amare; sed mandata mea servare, hoc est amoris. Et loquitur secundum *Chryf.* specialiter de illo mandato. *sup.* 13. Mandatum novum do vobis, ut diligatis, &c. Et exponitur sic. *e* Servate] in memoria, scilicet, ut in lingua, & in vita. *Chryf.* Dicere, & promittere omnia hujusmodi facile est; agere vero, & non similiter est facile. Multi nunc sunt dicentes se & amare Deum, & timere; contraria autem operibus ostendunt: Deus autem eum, qui per opera amorem inquirit, *Tit.* 1. Confitentur se nosse Deum, &c. 1. *Joan.* 3. Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.

f Et] si hoc feceritis.

g Ego rogabo patrem,] vel ut hoc facere possitis. [Ego rogabo patrem,] *Aug.* Inquantum homo rogat; sed inquantum Deus dat.

i Et alium paracletum,] idest, consolatorem, qui erit alius in persona. Unde ly, [alium] tenetur substantive, non adjective.

k Dabit vobis.] *Chryf.* Alium paracletum dabit vobis,] idest, alium, ut me: Verecundentur ergo Sabelliani, & Arriani.

Etenim mirabile sermonis hoc est, quia eas, quæ ex diametro, idest, contradictorie stant hæreses, uno ictu sustulit.

Nam hoc quod dicit (alium) ostendit hypostaseos differentiam contra Sabellium. Hoc autem, idest, paracletum, substantiæ identitatem contra Arrium. Notandum autem quod cum dicit, [Rogabo patrem,] vel pater dabit vobis, condescensionis est sermo. Si enim dixisset, mittam, non similiter credidissent. Rogare ergo se dicit patrem, ut fide dignam faciat promissionem. Nam quod ipse Filius etiam Spiritum mittat, & det sicut pater, habetur *inf.* 20. ubi dicit: Accipite Spiritum sanctum. Et *sup.* 1. De plenitudine ejus, idest, Filii, omnes accepimus. Item ipse Christus vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne. Item cum dicitur mitti Spiritus sanctus, non derogatur ejus potestati. Nam de potestate ejus dicitur. 1. *Cor.* 12. Dividens singulis prout vult.

Non ergo minor. *Act.* 14. dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.

Et nimirum Deo ministrabant, antequam hæc diceret Spiritus sanctus; sed tamen eum auctoritate in proprium opus vocavit eos, non quoniam in aliud opus, quam Dei vocabat; sed ut potestatem ostendat, & auctoritatem. Vel sic legitur.

h Rogabo Patrem,] idest, me offeram ei in hostiam in passione, quæ obtinebit vim orationis.

i Et alium Paracletum dabit vobis.] Donec enim purgati fuerint per sacrificium Crucis, non missus est Spiritus sanctus, ut dicitur *sup.* 7. Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Jesus glorificatus, idest, passus.

Sed sicut dicit *Chryf.* quando fuit sacrificium oblatum, & peccatum solutum, & ipsi Apostoli ad pericula mittebantur, & ad agones exuebantur, oportebat eum Spiritum, qui ungebat palestrantes, venire. Sed quare non est datus statim post Resurrectionem? Ut in multo ejus constituti desiderio cum multa gratia susciperent. Quamdiu enim erat cum eis Christus, non erant in tribulatione: & ideo non desiderabant Spiritus adventum, quando vero abiit, denudati, & in timore multo constituti, cum multo desiderio Spiritum susceperunt.

l Ut maneat vobiscum in æternum,] q. d. neque etiam post mortem abiisset. *Aug.* [In æternum.] Hic ad quædam, ut instruat, & alia hujusmodi faciat, post ut ad videndam speciem introducat.

m Spiritum veritatis,] non figuræ Typos, qui in veteri Testamento per hoc designans, quasi dicat, ubi umbra, hic veritas.

Sed ne audientes Paracletum, aliam Incarnationem suspicentur, subdit.

n Quem mundus non potest accipere,] idest, attractare, ut corpus.

o Quia non videt eum,] nec scit eum, idest, nesciet per visum, quasi dicat, non erit ita vobiscum, sicut ego, sed in vestris habitabit animabus, sicut postea dicit, & in vobis erit. Vel aliter.

n Quem mundus non potest accipere,] ut mundum vocet perniciosos mundi. *Gloss.* [Mundus] remanens amator mundi, cum quo nunquam est amator Dei, non potest accipere: quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. *Sap.* 1. nec habitabit in corpore subdito peccatis.

o Quia non videt eum,] per fidem, non enim habet spirituales oculos: & ideo sequitur.

p Nec scit eum,] idest, non intelligit. Quia *If.* 7. Nisi credideritis, non intelligetis. *Chryf.* [Non videt eum, quod exponendo subdit pro i. [neque cognoscit eum.]

Quia enim sensuum apertior est visus; ideo Scriptura per visum certissimam cognitionem designat.

q Vos autem cognoscetis eum] fide.

r Quia apud vos manebit,] non ut hospes apud alium visibiliter, ideo subdit.

s Et in vobis erit,] i. in animabus vestris. Vel [Apud vos manebit] adjutor in tribulationibus exterioribus [Et in vobis erit,] sanctificator interius, q. d. & exterius muniet, & interius custodiet. Vel. [Apud vos manebit] signo visibili, & in linguis, & in signis. [Et in vobis erit,] invisibiliter illuminans intellectum, & accendens affectum. Per hoc etiam, quod dicitur manere, significat, ut dicit *Chryf.* quod nihil patietur, neque abibit per mortem sicut ipse. Sequitur.

t Non relinquam vos Orphanos.] Supra consolatus est eos de suo recessu, promittens donum præcipuum, scilicet; Spiritum.

Unde in consolationem eorum multa dixit de Spiritu sancto: quoniam alius est, ut ego: & quoniam ad vos solos veniet, quemadmodum & ego: & quoniam in vobis manebit, sed neque ita tristitiam eorum abjecit, ipsum enim Christum volebant adhuc, & consuetudinem ejus, hoc denique mitigans ait. [Neque] ego [relinquam vos orphanos.] *Aug.* q. d. non ita dabitur Spiritus pro me, ut ultra non sim vobiscum. Orphani autem Græce, pupilli Latine.

Et per hoc commemorat eis etiam quod dixerat in principio sermonis hujus eos filiolos *supr.* 13.

u Veniam ad vos,] vel [venio] post Resurrectionem

a carne, vel præsentia Deitatis semper juvans. *Matt.ult.* Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Vel sic continua, & secundum *Chrys.* Dixerat. [Venio ad vos,] in quo ostendebat suam præsentiam: ne ergo eamdem rursus quærant qualem, & prius dicit. Adhuc parum est, & mundus me considerat.] Et inducit. [Vos autem considerabitis me, ac si dicat. Veniam quidem ad vos, non tamen similiter, ut prius continue vobiscum conversando, sed aliquoties me ostendendo vobis. Et ne opponant: qualiter igitur dixisti Judæis. A modo non videbitis me? Solvit oppositionem, dicens.

ad vos. *a* Adhuc modicum, & *b* mundus me jam non videt. *c* Vos autem videtis me, *d* quia ego vivo, *e* & vos vivetis. In *f* illo die *g* vos cognoscetis, *h* quia ego sum in patre meo, *i* & vos in me, & *k* ego in vobis. *l* Qui *m* habet mandata mea, *n* & servat ea : *o* ille est, qui diligit me. *p* Qui autem diligit me, *q* diligetur a patre meo. *r* Et ego diligam eum, & *s* manifestabo ei meipsum. Dicit *t* ei Judas, non ille Scariotes. *u* Domine, quid factum est, *x* quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?

C

a Adhuc modicum est,] idest, restat usque ad mortem meam.

b Et] tunc [mundus me jam non videt] quasi non ero visibilis mundo, vel mundanis. Non enim legitur malis post Resurrectionem apparuisse.

c Vos autem videbitis me,] soli, quia ad vos solos veniam, sicut ad vos solos Spiritum sanctum mittam.

d Quia ego vivo] idest, potero apparere, & videri, quia resurgam. *Aug.* Præsenti autem utitur, quia mox futura erat ejus Resurrectio.

e Et vos vivetis,] ideo poteritis videre. Vel ideo dicit. [Vos vivetis,] quasi dicat, etiam viventibus vobis apparebo, ne intelligerent tantum de visione post mortem. Vel ideo dicit. [Et vos vivetis,] quia timebant, ne eo mortuo, ipsi etiam interficerentur.

f In illo die,] idest, in illo tempore, cum scilicet resurrexero.

g Vos cognoscetis,] qui modo hæsitatis. *h* Quia ego sum in Patre,] quasi cum videritis me resurrexisse, & vobis apparere: tunc scietis, quod non sum abscissus a Patre, sed eamdem habeo virtutem. *Chrys.* Quare dicit, [tunc cognoscetis, &c.] Quoniam tunc viderunt eum resurrexisse, & esse cum eis: tunc certissimam fidem didicerunt: magna enim Spiritus sancti virtus erat, quæ omnia eos erudiebat. *i* Et] scietis quia [vos in me, & ego in vobis,] per unanimitatem, & charitatem, q.d. scietis me esse vobiscum rebus ipsis prædicantibus id, quod circa vos auxilium a me factum, inimicis subtractis, vobis propalantibus, malis superatis, prædicatione florente, unaquaque die omnibus cedenti sermoni pietatis, idest, fidei.

Et nota, quod cum dicitur Filius esse in Patre, [in] dicit consubstantialitatem; cum vero dicitur esse in eis, dicit unanimitatem. Sed ponit Arrius, quod secundum consequentiam videtur univoce sumi. Et ad hoc adducit illud, quod alibi dicit *inf.*17. ut sint unum, sicut & nos unum sumus.

Ad quod respondetur, quia hic est mos Scripturæ multoties eisdem verbis in Deo, & hominibus positis non similiter uti; quia homines dicuntur Dei, & filii Dei; & vocantur eodem nomine, quo & unigenitus, non tamen similiter.

Item imago dicitur Filius, & gloria Dei; & nos similiter. Et Apostolus dicit 1 *Cor.*3. Vos autem Christi, Christus autem Dei, non tantum similiter est Christus Dei, & nos Christi. Item *inf.*20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. ly, sicut, non sumitur uniformiter. Vel aliter potest legi de futuro.

a Adhuc modicum,] totum tempus præsens.

b Et mundus me non videt,] quia in futuro tolletur impius, ne videat gloriam Dei. *Isa.*26. *c* Vos autem,] justi [videbitis me] facie ad faciem. *Matth.*5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

d Quia ego vivo] vita gloriosa.

e Et vos vivetis] mecum in gloria.

f In illo die] quando vivetis.

g Vos cognoscetis,] aperte, quod modo creditis. 1.*Cor.* 13. Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum.

h Quia ego in Patre meo,] ut radius in Sole unum cum ipso in natura.

i Et vos in me] ut palmes in vite. *inf.*15.

k Et ego in vobis] ut simus unum charitate, & concordia. Deinde sequitur secundum istam expositionem.

l Qui habet mandata mea,] q.d. non solum vos Apostoli vivetis, & cognoscetis, sed & quicumque. *m* Habet mandata mea] in memoria. *n* servat ea, in vita. Secundum illud *Psal.*102. Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. Vel, habet, in faciendo, & servat, in perseverando. Unus enim accipit bravium, idest, perseverans, *Matth.*10. Qui perseveraverit, &c. Vel, Qui habet in sermonibus, & servat in moribus. Secundum illud *Roman.* 15. Nihil audeo loqui eorum, quæ per me non efficit Christus. Vel. [Habet] audiendo [servat] faciendo. Secundum illud *Jacob.* 1. Estote factores verbi, & non auditores tantum.

De confess. dist. 1. cap. Ipenes.

o Ille est, qui diligit me.] Hoc enim opere probatur dilectio. Et quis fructus hujus? Ecce.

p Qui autem diligit me,] dilectione operosa, [diligetur a Patre meo.] Et ne credatur Pater a Filio separatim diligere, subdit.

r Et ego diligam eum,] gratiam scilicet, augmentando, & in ea conservando in præsenti.

s Et manifestabo ei meipsum] in futuro, quasi ad hoc diligam, ut ei manifestem meam Deitatem. Per hoc autem quod dicit, meipsum, improbat *Hieronymi* opinionem, vel potius errorem quorumdam dicentium, quod nullus videbit Deum, sed claritatem ejus; sed Dominus dicit contrarium.

Item *Is.*33. Regem in decore suo videbunt.

t Dicit ei Judas, non ille] Judas filius Simonis Iscariotes, sed ille, qui dictus est etiam Thadæus.

u Domine, quid factum est, idest, quæ causa est.

x Quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo.] Audito enim, quod mundus non videbit eum, & quod Spiritus sanctus non esset mittendus mundo, quærit Judas causam hujus discretionis.

Δ Respondet

Aliter.

Vel aliter ab illo loco secundum *Chrys.* *m* Qui habet mandata mea, & servat ea : ille est, qui diligit me.] Illud continuatur ad mentem eorum. Quia enim timebant, & a timore turbabuntur, ideo Dominus frequenter talia verba interserit.

Unde *sup.eod.* Si diligitis me, mandata mea servate. Et *inf.eod.* Qui diligit me, sermonem meum servabit. Et post. Qui non diligit me, sermones meos non servat. In hoc autem insinuat tristitiam Discipulorum de ejus decessione. Dominus enim eis multa dixerat de morte sua, & ipsorum etiam: ut cum dixit *sup.*12. Qui odit animam suam in hoc mundo, &c.

Et *Matth.*16. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Debebat etiam & alia plura dicere de morte sua: quia ergo videbat eos turbari inconsolabiliter, & præsciebat turbandos; ideo exprobrando, & arguendo eos, toties interserit hujusmodi verba. Qui habet mandata, &c.] quasi dicat, vos æstimatis vos ex amore me pati tristitiam; sed non tristari magis esset amoris. Vos enim turbati estis ex formidine, & trepidatione: & iste timor non est signum, quod mandata mea recolatis. Sermo enim meus admonet vos non timere ab his, qui occidunt corpus, *Matth.*10. unde non debetis tristari de mea morte, nec etiam de vestra. Sicut enim *inf.eod.* Si diligeretis me, vere scilicet, gauderetis utique.

p Qui autem diligit me.] tali dilectione, qua se morti exponat pro me. *q* Diligetur a Patre meo, & ego diligam eum,] q.d. tristitia, qua tristamini de meo recessu, non facit vos amabiles mihi & Patri, sed mandatorum custodia, quæ sunt de morte toleranda.

s Et manifestabo ei meipsum,] q.d. etsi ad tempus; tamen non in æternum coarctabitis me visione, si dilexeritis me.

t Dicit ei Judas non ille Scariotes, Domine, quid factum est,] idest, quæ causa est, vel quid est dictum, quod tu dicis.

x Quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?] Vides a timore oppilatam animam eorum confusam, & turbatam. Æstimavit enim Judas, quod sic mortuos videmus in somno, ita eum debere videri. Et vide, qualiter turbatus est Discipulus, & non audet manifeste dicere, quod dicere cupiebat. Non enim dixit: væ nobis, quoniam morieris, & tanquam mortuus nobis debes assistere in somnis; sed dixit. [Quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo,] idest, quid est hoc dictum, vel quæ est causa hujus.

Θ *a* Respondit

a respondit Jesus, & dixit ei, si quis diligit, &c.] q. d. prædictæ discretionis causa est dilectio: non excludit alias virtutes, quia omnes per charitatem connexæ sunt, quæ observantia mandatorum

Aliter. a Respondit Jesus, & dixit ei] causam hujus. b Si quis diligit me, sermonem meum servabit.] Ne enim æstimarent esse phantasma, cum apparuerit eis, pro-

Respondit a Jesus, & dixit ei: Si quis diligit b me, sermonem meum servabit,

pterea prædicit eis & suam apparitionem, & causam, scilicet, apparitionis, scilicet, mandatorum custodiam. Propterea etiam simul comedit cum eis post Resurrectionem, *inf.*21. ne putarent eum phantasma. Et nimirum eo adhuc existente mortali æstimaverunt esse phantasma; quando scilic. apparuit eis super aquas. *Matth.*14. Ideo ergo prædicit hic, quod apparebit eis & causam apparitionis, ut cum apparuerit, non putent phantasma esse; sed recordentur quod eis prædixerit. Item in hoc quod dicit causam apparitionis ad eos, excludit falsam opinionem Judæ, qui putabat eum astiturum eis in somnis. Unde

Moraliter. Moraliter, b Si quis diligit me, sermonem meum servabit, &c.] Istud Evangelium legitur in die Pentecostes, ideo prosequimur. Servatur autem sermo Domini in corde, ore, & opere. Unde *Deut.* 6. Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, ecce primum, Et narrabis ea filiis tuis, ecce secundum. Et sequitur: Et ligabis ea quasi signum in manu tua, ecce tertium, scilicet operatio.

Item *Is.*44. Iste dicet: Domini ego sum per prædicationem: & ille invocabit me in nomine Jacob per orationem, ecce eos: & ille scribet in manu sua Domino, ecce opus: & in nomine Israel assimilabitur, ecce cor.

Item *Pr.*6. Conserva, fili mi: præcepta Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Et subdit, quomodo: Liga ea in corde tuo jugiter, ecce primum: Et circunda gutturi tuo, ecce secundum: Cum ambulaveris, gradiantur tecum, ecce tertium, scilicet, iter operis. *Ezec.*1. Cum ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ. In corde autem servatur sermo Domini per amorem, & jugem meditationem. Unde *Ps.*1. In lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die, ac nocte. *Deut.* 6. Meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Vel in intellectu servatur per cognitionem sine errore, in affectu per amorem sine contradictione. Hæ sunt duæ tabulæ cordis. *Pr.*3. Misericordia, & veritas non te deserant, circunda eas gutturi tuo, & describe eas in tabulis cordis tui. Debet autem in corde suscipi, sicut surculus in trunco ad fructificandum. *Jac.* 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum. Item sicut thesaurus in abscondito, ne rapiatur. Diabolus enim rapit semen, quod seminatum est in corde hominis, ut abscondatur sub terra humilitatis, ut dicitur *Matth.*13. Et quod verbum sit thesaurus, dicitur *Pr.*20. Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo justi: & imprudens homo dissipabit illud.

Item sicut vinum in cellario. Verbum enim Domini vinum dicitur, quia inebriat. *Cant.* 7. Guttur tuum sicut vinum optimum. Hoc vino erant inebriati Apostoli, quando ad unum verbum denudabant se, & relinquebant omnia, ut dicit Petrus, *Matth.*19. Ecce nos reliquimus omnia.

Item verbum debet servari in corde, quasi liquor pretiosissimus in vase, ne effundatur per oblivionem, vel neglectum. *Luc.*2. Maria conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. E contra *Eccl.*21. Cor fatui quasi vas confractum, &c.

Item ne includatur per indiscretam taciturnitatem. *Eccl.* 20. Sapientia absconsa, & thesaurus invisus: quæ utilitas in utrisque? *Matth.*25. Serve male, & piger, &c. oportebat te pecuniam meam committere nummulariis: & ego veniens recepissem utique, quod meum est cum usuris.

Item ne corrumpatur, vel confundatur per vasis immunditiam, idest, per cordis pravitatem. *Eccl.*15. Non est speciosa laus in ore peccatoris.

Item cor debet servare verbum, sive doctrinam, & sapientiam, sicut sponsus nuptam, ut eam præ omnibus diligat, ut etiam nulli abusioni subigat, ut ancillas, & pedissequas ejus ipsi non præponat. Sapientiam enim Theologiæ debet esse quasi sponsa. *Sap. c.*8. Hanc amavi, & exquisivi eam a juventute mea, & quæsivi sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius. Sed quidam non diligunt eam, sed abominantur: quia non est fuco colorum ornata, sed sufficit sibiipsi sua pulchritudo: *Eccl.*4. Non abscondas sapientiam in decore ejus. Quidam autem abutuntur ea.

Unde 2.*Cor.*2. Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei. Quidam ancillas ejus, i. alias scientias ei præponunt, quod multum displicet Deo. Unde narrat *B. Jeron. in ep. quad.* Miser ego lecturus Tullium jejunabam post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatione peccatorum ex intimis visceribus fluebant. *Boetius*. Quis has scænicas meretriculas ad hunc ægrum permisit accedere, quæ dolores ejus, ut videtur nullis remediis foverunt, verum dulcibus insuper alerent venenis.] Plato sumebatur in manibus, si quando in memetipso reversus Prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus: & quia lumen cæci oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed Solis, dum ita me antiquus serpens illuderet, in media ferme Quadragesima medullis infusa febris corpus invasit exhaustum.

Interim parabantur exequiæ, cum subito raptus in Spiritu ad tribunal Judicis pertrahor, interrogatus conditionem, Christianum me esse respondi. Et ille qui præsidebat, mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus: Ubi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. *Matth.* 6. Illico obmutui, & inter verbera, nam cædi me jusserat, conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum versiculum repetens: In inferno autem quis confitebitur tibi: Clamare autem cœpi, & ejulans dicere: Miserere mei Domine, miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua provoluti, qui astiterant, precabantur, ut veniam tribueret adolescentiæ, & errori locum pœnitentiæ commodaret, exacturus deinde cruciatum, si Gentilium litterarum libros aliquando legissem: Ego quidem in tanto constrictus articulo vellem etiam majora promittere, degerare cœpi, & nomen ejus obtestans dicere: Domine, si unquam habuero codices sæculares, si legero, te negavi. Inter hæc Sacramenti verba revertor ab inferis, & mirantibus cunctis oculos aperui, tanto lacrymarum imbre perfusos, ut etiam incredulis fidem faceret ex dolore. Neque enim sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur: Non enim livoribus habuissem læsas scapulas, & plagas sensissem post somnium.

Item verbum servatur in ore, sicut fons fluendo.

Nam vitium capiunt, ni capiantur aquæ.

Ita corrumpitur scientia, si non aliis erogetur. *Is. c.*58. Eris sicut fons irriguus, cujus non deficiunt aquæ, *sup.* 7. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ. *Prov.* 5. Deriventur fontes tui foras.

Item servatur, sicut granum seminando. *Eccl.*11. Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua. *Jerem. c.*31. Seminabo domum Israel, & domum Juda semine hominum, & semine jumentorum.

Item servatur in opere multis modis. Sicut vitis per culturam. *Jac.*2. Fides sine operibus mortua est. Sicut vitis arescit sine cultura, & deperit. *Os.* 10. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei, idest, opera respondent sermonibus. Alias enim non est, nisi sonus. 1. *Cor.* 3. Factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.

Item servatur, sicut vita per cibum, opus enim cibus spiritualis est.

Unde *supr.* 4. Meus est cibus, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. *Gen.* 30. Da mihi liberos, alioquin moriar.

Item debet servari verbum Dei, sicut ignis servatur. Et hoc tripliciter. Primo minus circum applicando per bonam operationem. *Luc.*12. Lucernæ ardentes in manibus vestris. *Pr.*6. mandatum lucerna est, & lex lux. *Ps.*118. Lucerna pedibus meis, &c. 2.*Pet* 1. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco. Secundo ligna subministrando per crucis Christi, & aliorum beneficiorum recordationem. *Luc.*12. Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi ut accendatur? *Lev.*6. Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos abjiciens ligna mane per singulos dies. Tertio sufflando per orationem, & meditationem. *Ps.*38. In meditatione mea exardescit ignis. Item nota singula verba prædictæ orationis. b Si quis diligit me, &c.] Per hoc quod dicitur. [Si quis] notatur amicorum verorum raritas, ut sit sensus. [Si quis] quasi rarus est secundum quod expositum est. *sup.* 7. Si quis sitit, veniat ad me. Item amoris communitas, ut sit sensus. [Si quis] quasi omnibus commune est dili-

△ datum probatur. *a* Et] ideo (Pater meus diliget eum,) ita ut in eo habitet. Unde sequitur. *b* Et ad eum veniemus,] per gratiæ collationem. *c* Et mansionem apud eum faciemus,] per gratiæ conservationem. Vel (Veniemus) in præsenti inhabitando per gratiam. (Et mansionem apud eum faciemus) in futuro. Et hæc mansio est visio Dei, quando manifestabit seipsum diligentibus, sed non malis, △ de quibus subdit:

Aliter. ☉ Unde adhuc subdit.

a & Pater meus diliget eum, & *b* ad eum veniemus, & *c* mansionem apud eum faciemus.

a Et pater meus diliget eum,] q. d. non solum ego diligam eum, sed & Pater. *b* Et ad eum veniemus,] ego, & Pater, q. d. non solum apparebo vobis exterius: sed & ego, & Pater veniemus ad eum per gratiam interius. *c* Et mansionem apud eum faciemus,] q. d. non ad horam, sed semper adjutores aderimus, & consolatores. Vel ut legatur de apparitione Christi post Resurrectionem visibiliter.

a Et Pater meus diliget eum,] quasi ego diligam eum, & apparebo ei visibiliter; & pater similiter diliget, & manifestabit se invisibiliter. Et hoc est.

b Et ad eum veniemus,] ego, & Pater: sed Pater invisibiliter, & ego etiam visibiliter.

c Et mansionem apud eum faciemus, quia Filius per dies quadraginta apparuit eis, & semper cum Patre, cum eis mansit invisibiliter. Secundum illud *Matth. ult.* vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Et sicut dicit *Chrys.* Dicens se manere, destruxit suspicionem somniorum ☉ quia

Moraliter. * gere, & omnibus præponitur. Item amoris nobilitas, ut sit sensus: (Si quis) i. si aliquis nominabilis, qui sit quis. *Is.* 22. Quid tu hic, aut quasi quis hic? Raritas est amoris Dei, sive verorum amicorum est, quia omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu-Christi: *Phil.* 2. Rarus ergo est in fastidiosis, in quibus regnat amor propriæ excellentiæ. Unde 2. *Tim.* 3. Erunt homines seipsos amantes. Item in ambitiosis, qui amant pecuniam. *Matth.* 6. Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *Thr.* 1. Effusum est in terra jecur ejus, i. amor ejus. *Eccl.* 10. Projecit intima sua. *Jer.* 6. Omnes avaritiæ student.

Item rarus est in luxuriosis, 2. *Tim.* 3. Voluptatum amatores magis, quam Dei. *Chr.* Argento, & voluptate inhonorabilior nobis Deus. Etenim pro illis sustinemus pericula, insidias, vigilias, peregrinationes, & infinita mala; nos autem propter Deum nec verbum asperum possumus sustinere; *Phil.* 3. Quorum Deus venter est, Item communitas amoris notatur, cum dicitur: (Si quis) omnibus enim se communicat, pusillis & magnis, infirmis & sanis, divitibus & egenis: Non enim proprietas, nec personarum acceptio apud charitatem. *Sap.* 6. Dignos se circuit quærens, 1. *Cor.* 13. Non quærit, quæ sua sunt.

Item ejus nobilitas notatur, cum dicitur: (Si quis:) Est enim filia Dei cognata Angelorum, & Sanctorum. *Sap.* 6. Generositatem illius glorificat, &c. Et etiam nobilitas, ejus attenditur, quia est illæsibilis. 1. *Petr.* 3. Et quis est, qui vobis noceat, &c. *Rom.* 8. Scimus, quoniam diligentibus Deum, &c. *Deut.* 33. Benjamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo quasi in thalamo, &c.

Item interminabilis, 1. *Cor.* 13. Charitas nunquam excidit.

Item irreprehensibilis. 1. *Cor.* 12. Adhuc excellentiorem &c. [Diligit,] dulciter, sapienter, fortiter. *Deut.* 6. & *Matth.* 22. Diliges Dominum Deum tuum, &c. [Me,] non mea. *Aug.* Væ illis, Domine, qui diligunt nutus tuos pro te. Sed multi sunt tamen. *Psalm.* 48. Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Item *Psalm.* 103. Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate; avertente autem te, turbabuntur, auferes spiritum eorum, &c. [Sermonem meum] creatum, vel me, qui sum sermo increatus, [servabit.] Qui sermo corrigit in detestatione peccatorum, dirigit in viam præceptorum, erigit in ostensione supernorum, colligit in societate Beatorum. Dicitur autem sermo, quia serit mores in terra proscissa in contritione, comminuta in confessione, complura in lacrymarum effusione, bene stercorata in jugi peccatorum recordatione. [Servabit.] *Greg.* Unusquisque nostrum requisitus, an diligat Deum: tota fiducia & secura mente respondet: diligo. Veritas autem dicit: Si quis diligit me, sermones meos servabit.] Probatio ergo dilectionis exhibitio est operis. Unde 1. *Joan.* c. 5. Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, qui dicit: quia diligo Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est. Nam qui per illicita desideria defluit, profecto Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit. Sequitur.

a Pater meus diliget eum.] *Prov.* 8. Ego diligentes me diligo.

Et nota multiplex signum dilectionis Patris. Unum est in Filii missione. 1. *Joan.* 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam unigenitum filium suum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. *Isa.* c. 43. Propter vos emisi Babylonem.

Multiplex signum dilectionis patris.

Secundum in nostra anticipatione. Unde 1. *Joan.* c. 4. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos.

Tertium in nostra attractione, & coactione, quia tot inculcat beneficia, vel infert flagella, & remedia, ut quasi cogat nos pigros venire ad se. Unde *supr. cap.* 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum. *Jerem.* 31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.

Quartum, est in nostra adoptione. 1. *Joan.* 3. Videte, qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.

Quintum, in cohabitatione, quia inhabitat animam tota Trinitas; unde 1. *Cor.* 3. & 6. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et de hoc subditur.

b Et ad eum veniemus,] *Int.* Ego, & Pater, & Spiritus sanctus. Pater venit fortem faciendo, quia ei attribuitur potentia. Filius illuminando, quia ipse est Sapientia. Spiritus sanctus charitate inflammando, quia ipse est charitas, & benignitas.

c Et mansionem apud eum faciemus,] gratiam confirmando, roborando, augmentando, perseverantiam tribuendo. *Greg.* Pensate, fratres charissimi, quanta sit ista solemnitas, habere in cordis hospitio adventum Dei. Certe si domum vestram quisquam dives, ac præpotens amicus intraret, omni cum festinantia domus tota mundaretur, ne quid fortasse esset, quod oculos amici intrantis offenderet. Tergat ergo sordes pravi operis, qui Deo præparat domum mentis.

Ideo dicitur *Isa.* 1. Levamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, 1. *Reg.* 7. Auferte deos alienos de medio vestrum, idest, de corde, quod est in medio Baalim & Astaroth, ecce mundatio hospitii: & præparate corda vestra Domino, & servite illi soli, ecce ornatus domus duplex, scilicet, virtutis, & operis; virtute enim cor præparatur; opere servitur.

Et nota, quod in templo Domini, idest, in anima sunt tria, mensa, & candelabrum, & altare. Pater enim in anima reficit animam, & confortat sua potentia, Spiritus sanctus in altari ignem accendit charitatis, & descendit odor thymiamatis, & fumus incensorum, quæ sunt desideria, & orationes Sanctorum, ut dicitur *Apoc.* c. 5. Et nota, quod dicitur.

Et mansionem apud eum faciemus,] idest, manebimus ibi per gratiam. Contra illos, qui Dominum aliquando recipiunt, sed cito expellunt. Tria enim expellunt hominem de domo: Fumus, & stillicidium, & mala uxor.

Item templum Domini primo violavit Nabuzardam, idest, gula. 4. *Reg. ult.*

Secundo Antiochus, idest, silentium paupertatis, id est, avaritia. 1. *Mac.* c. 1.

Tertio, Titus Rex Romanorum, scilicet, superbia destruxit funditus. *Ps.* 79. Singularis ferus depastus est eam.

De hoc dicit *Greg.* In quorumdam corda venit Dominus, & non mansionem facit: quia per compunctionem quidem Dei respectum percipiunt; sed tentationis tempore hoc ipsum, quod compuncti fuerant, obliviscuntur, sicque ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minime planxissent.

Qui ergo Deum vere diligit, & ejus mandata custodit, in ejus corde Dominus & venit, & mansionem facit; quia sic eum Divinitatis amor penetrat, ut ab hoc amore tempore tentationis non recedat.

Ideo dicitur *Thr.* c. 1. De cælo misit ignem in ossibus meis, quasi inossavit, & firmavit in me charitatem.

Ideo etiam dicit sponsa, quia amore langueo: *Cant.* c. 5. Quia amor in ea permanebat sine recessu, sicut & languor non recedit.

Vel [Mansionem apud eum faciemus,] quia tota Trinitas ipsam mansionem, idest, mentem, quam inhabitat, ædificat. *Prov. cap.* 9. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.

Prima columna, est voluntatis divinæ cognitio *Romanorum capitulo duodecimo.* Ut probemus, quæ sit voluntas Dei bona, bene placens, & perfecta. Secunda est ejusdem voluntatis cognitæ executio.

* *sup.* 13.

▲ e quibus subdit. *a* Qui non diligit me, sermones meos non servat,] & supple, non manebo in eo, nec manifestabo me ei. Et ne credatur parvus esse contemptus, si se, vel suos sermones contemnerent, subdit auctoritatem, dicens.

▲ *a* Et sermonem

Aliter. ⊙ quia somnii non est manere.

a Qui non diligit, &c.] idest, qui non servat mandata, ostendit se non diligere me.

⊙ *a* Et sermo

* *sup.* c 3. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. *Ps.* 110. Intellectus bonus omnibus facientibus. *Prov. ul.* Laudent eum in portis opera ejus. Portas appellat diem judicii, pluraliter, quia bonis erit porta salutis, malis autem porta damnationis. *Luc.* 12. Servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis.

Moraliter. mus. *a* Qui non diligit me, sermones meos non servat,

Tertia columna est in ipsa executione divina voluntatis expressio murmuris, ut fiat cum hilaritate, & fervore mentis. *Sap.* 1. Custodite vos a murmuratione, quæ nihil prodest: & a detractione parcite linguæ. 1. *Cor.* 10. neque murmuraveritis, &c. 2. *Corint.* 9. Non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus. Et quod fervor exigatur, patet per illud *Apoc.* 3. Utinam calidus esses, aut frigidus, &c.

Quarta columna est celeritas alacritatis, & strenuitas. *Prov.* 4. Currens non habebis offendiculum. *Prov.* 18. Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.

Quinta est discretio in agendo. *Prov.* 4. Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. *Rom.* 12. Rationabile obsequium vestrum. *Proverb.* 1. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.

Sexta est in operando bona humilitas, *Eccl* 11. Sapientia humiliati exaltabit caput illius.

Septima est perseverantia, quæ consummat ædificium. *Mat.* 10. & 24. Qui perseveraverit, &c. In hoc cubito consummata est arca: *Gen.* 7. Alias septem columnas require super illum locum. *Prov.* 9. Sapientia ædificavit sibi domum, &c. Si ergo ædificatur domus Dei. Sed nota, quod multa sunt etiam in domo Dei.

Unde per plura signa possumus scire in nobis, utrum simus hospitium, & templum Dei, an Diaboli. Domus enim Dei habet Crucem desuper exterius, & Crucifixum, & imagines Apostolorum interius, lampadem, altare, & aquam benedictam: & dicuntur ibi orationes, & psalmodiæ. Crux desuper est exterius signum pœnitentiæ. Crucifixus interius, memoria Passionis Dominicæ impressa in corde. Imagines Beatæ Virginis, & Apostolorum, sunt exempla Sanctorum impressa in mente ad imitandum: Lampas est fides: Altare spes, in qua offerimus sacrificium cordis contribulati: In spe enim veniæ conterimus. Ignis in altari est charitas. Aqua benedicta est devotionis lachryma, vel compunctionis. Sic cognoscitur Deus esse in nobis, si hæc habemus. *Psal.* 67. In templo sancto tuo. *Apoc.* 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. *Lev.* 26. Ponam tabernaculum meum in medio vestrum, idest, in corde, & non abiiciet vos anima mea. Non abiiciet, dicit, quia ultimus est in recessu. 1. *Petr.* 2. Tanquam lapides vivi superædificamini in domos spirituales. *Psalm.* 47 Deus in domibus ejus cognoscetur. Quomodo per prædicta signa, primo, scilicet, quando crux, idest, jugis pœnitentia est superposita in corpore proprio, quando homo habet exterius signa humilitatis, & sobrietatis. Et sicut in guerris raptores non audent violare domos, super quas vident cruces: ita Demones timent accedere, ubi vident signum pœnitentiæ.

Unde *Exod.* 12. Erit vobis sanguis in signum in ædibus, in quibus eritis: & videbo sanguinem, ac transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens. *Ezech.* 9. Super quos videritis Tau, ne occidatis. Hoc est signum, quod dedit Dominus Pastoribus. *Luc.* 2. Hoc vobis signum: invenietis infantem.

Unde in quibus nullum est signum pœnitentiæ, signum est, quod non habent signum in se. Diabolus enim in suis ponit signa sua. In aliquibus ponit Aquilam.

Unde *Osee* 8. Aquila super domum Domini, idest, signum capacitatis. Super alios ponit porcum, idest, luxuriæ signum, sicut est superfluus ornatus in mulieribus, quæ sunt phanum Diaboli.

Unde *Ps.* 143. Filiæ eorum compositæ circumornatæ, ut similitudo templi. Ideo conqueruntur viri sancti, & Angeli custodes animarum per *Ps.* 73. Signa nostra non vidimus, q. d. Demones posuerunt sua signa, & per hoc sibi vindicaverunt possessionem. Sed hoc non advertunt miseri, si enim scirent vere, & crederent, quod per hoc acquirunt in se dominium Demones, ipsi nunquam sustinerent, sicut non sustinerent aliqui, quod hospitalarii ponerent crucem super domum suam, quia per hoc possent eam vindicare. Et hæc est etiam ratio, quam Demones non sustinent prout possunt, quod Dominus ponat signum suum, idest, signum pœnitentiæ super suos, quia per hoc sciunt se eos amittere. Crux autem Domini non solum debet esse exterius super domum Dei per carnis macerationem, sed & interius debet crux esse, vel crucifixus per compassionem. *Cant.* 8. Pone me ut signaculum super cor tuum, &c. *Gal.* 6. Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.

Item imagines, idest, exempla Sanctorum debent esse ibi depicta, & descripta.

Unde *Isaiæ c.* 49. In manibus meis descripsi te, vel depinxi muros tuos, secundum aliam litteram. Econtra Diabolus in templo Domini depingit abominationes, lampadem fidei, & doctrinæ extinguit, altare destruit, & sacrificium ejus, & omnia subvertit suggerendo, & nos ipsi faciendo. *Ezech. c.* 8. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, 1. *Macb. cap.* 2. Templum ejus, sicut homo ignobilis, idest, plenum sordibus. *Dan. c.* 11. Polluent Sanctuarium fortitudinis, idest, cor hominis, quo nihil fortius, si habeat charitatem, & auferent juge sacrificium, idest, contritionem. *Ps.* 50. Cor contritum, & humiliatum, Deus, non despicies.

Vel juge sacrificium est confessio, quia jugiter debemus confiteri, & conteri. Sed multi sunt, in quorum templo non fit sacrificium, vel officium, nisi semel in anno tantum confitentur, & redeunt ad se. Sed dicitur *Dan. c.* 11. Quod quando juge sacrificium deficiet, tunc destruetur templum.

Item quorumdam templum videtur esse interdictum, vel excommunicatum, quia non fiunt ibi orationes. *Ps.* 136. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Sed econtra dicit *Ps.* 5. Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Item quidam videntur excommunicati, quia nusquam sunt in templo, idest, in corde suo; etiam quando fiunt ibi orationes, non est ibi animus: quia nesciunt, quid dicunt. *Matth.* 15. Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.

Item nota, quod quorumdam templum sordidatur, & prophanatur multis modis, 4. *Reg. decimo* legitur, quod Jehu violavit templum Baal, & fecit ex eo cloacas.

Nusquam aliquis sic fuit iniquus, ut hoc faceret de templo Domini materiali; sed nos quotidie hoc facimus de templo Domini spirituali, idest, de nobis per gulam, vel per malevolentiam: sicut detractores, & invidi, qui stercora aliorum, idest, peccata recipiunt per aures, & reponunt in corde, & reddunt per ora, sicut scabrones semper habent os in stercoribus. *Osee* 8. Factus est Israel in nationibus quasi vas immundum.

Item narrat Josephus, quod Pompejus fecit de templo Dei stabulum equorum: & nos facimus de nobis stabulum Demonum per luxuriam. *Joel.* 1. Computruerunt jumenta in stercore suo.

Idem etiam Josephus narrat, quod Ælius Adrianus posuit idolum Jovis in templo: quod nos facimus, quando similitudinem Diaboli ponimus in nobis, idest, superbiam, & invidiam. *Ezech.* 7. Universa idola domus Israel depicta erant in circuitu per totum, quæ sunt diversa signa superbiæ, tam in gestibus, & ornatibus exterioribus, & mentibus interioribus.

Item *Jer. ult.* & 4. *Reg. ult.* Legitur, quod Nabuzardan succendit templum, quod nos facimus per avaritiam. *Mich.* 6. Adhuc ignis in domo impii, & thesauri impietatis, vel iniquitatis. Multi ergo sunt incendiarii Ecclesiarum Domini, idest, animarum suarum. *Ps.* 73. Incenderunt igni Sanctuarium tuum, &c. Sequitur.

a Qui non diligit me, sermones meos non servat.] *Greg.* Ad vosmet ergo, fratres charissimi, introrsus redite, & si Deum vere amatis, exquirite: nec tamen sibi aliquis credat quicquid sibi animus sine † operis attestatione responderit de selectione Conditoris, lingua, mens, & vita requiratur: nunquam est Dei amor otiosus: operatur etenim magna, si est: si vero renuit operari, amor non est.

al. † ostia.

▲ *a* Et sermo.

A a Et sermonem] vel, sermo quem audistis, a me, non est meus, idest, mei hominis: vel ego, qui sum verbum, & sermo Patris, non sum a me.

b Sed ejus, qui misit me Patris,] quia sum a Patre. Et ne dicant: nos nescimus, quos sermones diaeris: ideo dicit, quod imo bene scitis,

D

al. † sermo.

quia jam audistis eos a me: & postea Spiritus Sanctus docebit eosdem, & communicabit. Et hoc est, quod subdit.

c Hæc locutus sum vobis apud vos manens,] corporali prælentia; hæc, scilicet, mandata, quæ volo, ut servetis. e Paracletus autem Spiritus Sanctus] quasi ne oblivioni tradatis: Paracletus, &c. Vel sic. Etsi auferatur præsentia mea corporalis, ne timeatis: quia Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater, quia apud eum est auctoritas principii. Sed ne propter hoc æstimetur minoritas in Filio, subdit.

al. q.i cap. [illegible]

g In nomine meo,] idest, ad nomen, & gloriam meam, vel mittet vobis ad invocationem mei nominis.

h Ille vos docebit omnia] a vobis non intellecta.

k Et suggeret vobis omnia] oblita.

l Quæcumque dixero vobis,] idest, commemorabit vobis, sive ad memoriam revocabit. Quædam enim intellecta oblivioni tradiderunt, quæ Dominus dixerat, quædam autem nec dicendo intellaaerunt: Et ideo dicit: Docebit, & suggeret. Vel.

i Docebit,] ut sciatis.

k Et suggeret,] idest excitabit, & monebit, ut faciatis.

m Pacem relinquo vobis] quasi sic vado ad Patrem, ut Spiritum Sanctum missurus sim: Sed interim etiam pacem relinquo vobis. *August.* Iturus ad Patrem, pacem, scilicet, pectoris in præsenti.

n Pacem] etiam, meam pacem æternitatis. o Do vobis.] *Aug.* per ducturus ad Patrem. Et ne intelligant de pace temporis, & prosperitatis mundialis, subdit.

p Non quomodo mundus dat, ego do vobis.] Mundus enim dat pacem turpiter: quia improperat, & sæpe eam violat. Et illa etiam pax, quam dat, non est pax.

q Non turbetur,] quasi cum Spiritum Sanctum vobis promittam; tamen pacem etiam relinquam: Non turbetur cor vestrum, interius.

r Neque formidet] cum exterius, q. d. si vadam, non turbemini: quia non vos deseram, sicut alias dixi vobis. Et hoc est.

A Audistis,

Aliter.

O a Et sermo, quem audistis non est meus; sed ejus, qui misit me, Patris,] q. d. non me solum non amat, sed neque Patrem amat, qui hunc non audit sermonem. Si enim augmentum amoris est servare mandata, hæc autem mandata etiam Patris sunt: Igitur qui servat ea, non solum Filium, sed & Patrem amat: & qui non servat, non solum Filium, sed & Patrem non amat. Sed nota, quod dicit primo: Sermones meos, & post dicit: Non est meus: Qualiter igitur suus est, & non suus? Respondemus. Suus est, quia loquitur. Non suus, idest, non proprius, quia nihil proprium, & separatum, & alienum a doctrina Patris loquitur.

c Hæc,] mandata Patris.

d Locutus sum vobis apud vos manens,] sed vos omnibus capaces non estis.

f Autem,] pro sed:

e Paracletus Spiritus Sanctus; quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vos,] q. d. manifesta fuar vobis nunc ea, quæ dicta sunt a me, sed Spiritus Sanctus eorum erit manifestus Magister. Hoc autem dicit præparans animas eorum, ut ferant generose recessionem, ut magnorum causam futuram eis bonorum: quia nihil magnum, & excelsum poterant scire, donec, eo recedente, Spiritus veniret. Spiritum Sanctum autem vocat Paracletum, idest, consolatorem propter continentes eos tunc tribulationes. Et quia adhuc turbabantur excogitantes odia, & prælia, & recessionem ejus, audi, quod subdit.

m Pacem relinquo] vel, dimitto vobis, q. d. quid lædimini a mundi turbatione, quamdiu pacem habueritis ad me? Vel sic continua. Promitto Spiritum venturum, sed interim sciatis vos habituros pacem, quia non lædent vos, nec occident interim Judæi.

n Pacem meam do vobis.] Repetitio est confirmatio, vel repetit, ut significet, quod habebant interim pacem exteriorem, & interiorem.

Et † a sermonem, quem audistis, non est meus, b sed ejus; qui misit me, Patris. c Hæc d locutus sum vobis apud vos manens e Paracletus f autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in g nomine meo, h ille vos i docebit omnia, k & suggeret vobis omnia, l quæcumque dixero vobis. m Pacem relinquo vobis, n pacem meam o do vobis. p Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non q turbetur cor vestrum, r neque formidet.

p Non quomodo mundus dat, ego do vobis.] Pax enim mundana in malo fit multoties, & inutilis est: & his, qui habent, nihil profuit eis; ego autem talem do pacem, ut adinvicem pacifici sitis, & sic omnia vincetis. Et quia dixerat: Pacem dimitto vobis, quod erat recedentis, & hoc poterat eos turbare, ideo subdit. q Non turbetur cor vestrum] de mea recessione. r Neque formidet] de vestra morte, vel tribulatione. Partim enim ab ejus dilectione, partim a præliorum formidine patiebantur.

O Et ideo debetis

Moraliter.

* a Et sermonem, quem audistis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris] quasi non mihi hujusmodi attribuo, quod loquor, sed Deo. Et hoc dicit, quia lætatur homo in sententia oris sui, ut dicitur *Prov.* 15. ne ergo credatur, quod ideo vult sua mandata servari quasi sua, & quasi inde quærens gloriam propriam; ideo ea non sibi; sed Deo attribuit. Sic & Prædicator debet facere, secundum illud *Ps.* 113. Non nobis, Domine, non nobis, &c. Unde adhuc subditur.

c Hæc locutus sum vobis apud vos manens, Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit, &c.] Quia sicut dicit *Gregor.* nisi Spiritus Sanctus cordi adsit audientis, otiosus est sermo Doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ea ore docentis intelligit: quia nisi intus sit, qui doceat, Doctoris lingua exterius in vanum laborat. Et nota, quod dicit: Docebit, & suggeret. Docet veritatem: suggerit, idest, monet ad bonum, erudit intellectum, accendit affectum.

Unde *Bernard.* Spiritus Sanctus instar apis mel, & ceram portantis habet, unde illuminet intellectum, & accendat affectum. Et nota, quod dicuntur tria verba: Paracletus, Spiritus, Sanctus, in quo notantur diversi ejus effectus. Dicitur enim Paracletus, idest: Advocatus, ut dicit *Gregor.* Quia pro errore delinquentium apud justitiam Patris intervenit, idest, intervenire facit: Secundum illud *Rom.* 8. Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Non enim dicitur postulare tanquam minor; sed postular, quia ad postulandum eos, quos replevit, inflammat. Dicitur etiam Paracletus, idest, consolator, quia de peccati perpetratione mœrentibus, dum spem veniæ præparat, ab afflictione tristitiæ mentem levat.

Unde cantatur: Consolator optime, dulcis hospes animæ, &c. *Prov.* 31. Dare siceram mœrentibus, &c. *Bern.* Delicata est Spiritus Sancti consolatio, nec datur admittentibus alienam. Dicitur ergo Paracletus, idest, consolator, contra tentationem, & tribulationem. Dicitur Spiritus, quia spirituales facit contra carnalitatem. Dicitur Sanctus, quia firmat contra pusillanimitatem. Sequitur.

m Pacem relinquo vobis,] idest, pacis reliquias do in præsenti. *Psalm.* 20. In reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

n Pacem meam do vobis,] in futuro. *Gl.* Hoc est, quod dicit Propheta: Pacem super pacem. Et sumitur forte de *Is.* 57. Ubi dicitur: Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longe est, & qui prope. Vel de *Is.* 27. Pacem faciet mihi, pacem faciet mihi. Vel de *Isa. ult.* Erit Sabbatum æternitatis ex Sabbato pectoris. *Eph.* 2. Ipse est pax nostra. Et nota, quod tria reliquit, vel legavit Dominus specialiter Discipulis suis. Humilitatem, *supra* 13. Exemplum dedi vobis, &c. Non est servus major Domino suo, & cetera. Dilectionem *supra* 13. Mandatum novum do vobis, & cetera Pacem, ut hic, cum dicit: Pacem relinquo vobis. Hæc tria reliquit eis, ut nullo indigerent, sed in omnibus abundarent, ut humilitas, idest, humilis opinio sui esset in rationabili: charitas, sive dilectio in concupiscibili: pax in irascibili.

Tria Dominus specialiter reliquit Discipulis.

p Non quomodo mundus dat, ego do vobis.] Dominus enim dat abundanter, & non improperat: *Jacob. cap.* 1. Sed econtra de mundo dicitur *Ecclesiast.* 20. Datum insipientis non erit tibi utile, pauca dabit, & multa improperabit.

q Non turbetur cor vestrum] ad interiores dolores.

r Neque formidet, ad exteriores afflictiones. Unde in consolationem subdit,

* a Audistis

p a Audistis, quia ego diai vobis: *supra eod.* 2.
b Vado, & venio ad vos,] quasi, si ut homo vado, ut Deus semper præsens visito, & cito veniam in morte, vel in judicio. Et quia adhuc remanebant in turbatione, arguit eos ostendens, quod hæc turbatio non est ex pura dilectione, sed magis ex formidine: Unde subdit.

a Audistis, quia ego dixi vobis b vado, c & venio ad vos. Si d diligeretis me, e gauderetis utique, quia vado f ad Patrem, g quia Pater major me est. Et h nunc dixi vobis: i priusquam fiat, k ut cum factum fuerit, credatis. l Jam non multa loquar vobiscum. m Venit enim Princeps mundi hujus, n & in me non habet quicquam, o Sed ut p cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & q sicut mandatum dedit mihi Pater, sic r facio.

d Si diligeretis me,] pura dilectione, & abstracta ab omni carnalitate.
e Gauderetis utique, quia vado,] idest, de hoc, quod vado.
f Ad Patrem,] idest, ad Patris immortalitatem, vel ad optiora bona Patris. g Quia Pater major me est,] homine, a quo habeo immortalitatem. Patrem enim dicit majorem se secundum illam naturam, secundum quam ibat ad ipsum. Sed ne quærerent: quare prædicis nobis toties tuum recessum, cum scias non inde contristari? ideo subdit.
h Et nunc dixi vobis,] scilicet, quod vado ad Patrem per mortem.
k Ut cum factum fuerit, credatis] ex præscientia mea factum esse, & me volente: & sic credatis Deum.
l Jam non multa, &c.] Dixerat, quod vado ad Patrem, & ne quærerent, quando determinat, & dicit, quod cito, & hoc est: Jam non multa loquar vobiscum, idest, in mortali carne vobiscum degens. Unde subdit.
m Venit enim Princeps mundi hujus,] idest, peccatorum Diabolus scilicet, *Gloss.* ut me tradat in manus Judæorum.
n Et] tamen, in me non habet quicquam dignum morte, nullum omnino peccatum, q. d. suggestione Diaboli trador ad pœnam, licet non habeam culpam, 1. *Pet.* 2. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Sed quia posset quæri: cur ergo morieris, si non habes culpam? Respondet, quod propter amorem Patris, & obedientiam. Et hoc est.
o Sed,] ideo morior, ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem.
p Et] quia, sicut mandatum dedit mihi, homini, ut morerer.
r Sic facio] idest, voluntarie moriens.
Aliter. ⊙ Et ideo debetis non turbari: Quoniam.
a Audistis, quia ego dixi vobis: vado] ad Patrem.
c Et venio ad vos,] idest, ad vestram consolationem veniam ad vos: ideo non timeatis de imminente tribulatione: quia veniam in auxilium, & solatium.
Item vado ad Patrem; ideo non turbemini de mea recessione, & morte, quia vado ad Patrem, & hoc est, quod subdit.
d Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est,] q. d. si de me formidatis, tanquam insufficiens sim mihi opitulatis; saltem audientes, quia ad Patrem vado, oportet vos lætari, quoniam ad majorem vado, & qui omnia potest solvere versuta, idest, adversa vestra. Et loquitur condescensive. Apostoli enim adhuc infirmi erant, nec noverant Resurrectionem, nec habebant opinionem de eo, qualem oportebat; sed Patrem magnum esse æstimabant, ideo secundum opinionem eorum loquitur, consolans eos, quia ad Patrem, qui major est, vadit. Sicut etiam *Matth.* 26. dicit. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum? Hoc autem locutus est ad suspicionem eorum, qui audiebant. Non enim Angelis indigebat, sed sibipsi poterat auxiliari, sicut patet *Infra* 18. Quando ad solum verbum projecit omnes retrorsum. Vel aliter potest dici, Pater major Filio, qui Pater: non enim contradicimus Patrem esse causam Filii per generationem.
h Et nunc diai vobis:] quia vado ad patrem per mortem.
i Priusquam fiat, ut cum factum fuerit: credatis,] quasi non sciretis, nisi ego prædicerem. Nequaquam autem prædicerem, nisi confiderem, & scirem me morti prævalere. Hoc est etiam, quod dicit *sup. eod.* Audistis, quia ego dixi: idest, prædixi vobis; vado, &c. q. d. ita vehementer confido in his, quæ fiunt malis; ut etiam prædixerit, & ita omnino parum curo de morte, & sine formidine sum, quod præsciam eam, & non tamen caveam. Hoc autem dixit in consolationem eorum, ut & ipsi infirmi darent post consolatoria. Ergo sursum dicit tristitia. l Jam non multa loquar vobiscum.] Propter quid. m Venit enim Princeps mundi hujus] idest, Diabolus Princeps eorum, qui se ei tradunt, non cœli, & terræ: quia olim evertisset omnia; sed Princeps tenebrarum sæculi hujus, scilicet: Princeps malorum, ut dicitur, venit, ut suggerat me interfici.
n Et,] tamen, in me non habet quicquam, idest, causam mortis, scilicet, peccatum, ecce hic tristitia dicit. Postea subdit mitigatoria.
o Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, scilicet, & sicut, &c. q. d. propter amorem, & obedientiam morior voluntarie, non propter necessitatem, vel coactionem. In hoc autem Discipulorum animos resuscitat. Et nota, quod non sufficit semel dicere: Adhuc modicum vobiscum sum, sed continuo revolvit tristia, ut ex frequentia facile susceptibile apud eos faciat.
Moraliter, * a Audistis, quia ego dixi vobis: vado,] vobis parare locum.
c Et venio ad vos,] ut assumam vos ad meipsum. Simile habetur *supra eodem in princ.* Non turbetur cor vestrum. Et subdit, quare non debent turbari, quia in domo Patris mei multæ mansiones sunt, quia consideratio præmii minuit vim flagelli. Et subdit: Si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipio vos ad meipsum.
d Si diligeritis me, &c.] Hæc satis exposita sunt superius. Sed quia hoc Evangelium in die Pentecostes legitur, quando missus est Spiritus Sanctus, qui est amor, ideo in summa possunt in hoc Evangelio notari decem signa amoris. Primum signum est, quando homo audit libenter de illo loqui. Secundum, quando libenter, & frequenter de illo loquitur. Hæc duo exprimuntur, *ibi*: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, memoriter tenendo, & libenter loquendo de illo: & audiendo. *Nota decem signa amoris.*
Unde *Bernard.* Christus est mel in ore, idest, libenter loquitur de eo, melos in aure, idest, libenter audit, jubilus in corde, idest, libenter recolit.
Unde *Cant.* 5. Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Et *sup.* 3. Amicus sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Tertium signum est, quando frequentat locum, & libenter est cum amico, *ibi*; Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Deut.* 33. Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo morabitur. *Cant.* 3. Tenui eum, nec dimittam. Quartum est, quando assidue cogitat de illo: Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *Matth.* 6. Quod notatur *ibi*: Qui non diligit me, sermones meos non servat, idest, non sæpe de me cogitat, qui non diligit.
Unde *Ps.* 49. Projecisti sermones meos retrorsum.
Item. *Ps.* 87. Posuerunt me abominationem sibi. Quintum, quanto magis diligit datum propter illum, qui dedit, quam propter valorem dati, quod notatur *ibi*; Et sermonem, quem audistis, non est meus, &c. q. d. non debetis sermonem diligere propter ipsius utilitatem sermonis tantum, sive propter se, sed propter dantem. Sextum est secretorum revelatio, *ibi*; Paraclitus autem Spiritus Sanctus ille docebit omnia, &c. *infr.* 15. Jam non dicam vos servos, sed amicos, &c. Vos autem dixi amicos, quia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Septimum est munusculorum largitio, *ibi*: pacem relinquo vobis; &c. Sicut quando vadit sponsus in peregrinationem, & dat annulum sponsæ; dicens. Ob memoriam mei servabis hoc. Octavum est tristitia de amici sui recessu, quod notatur, *ibi*; Non turbetur cor vestrum, quia recedo, neque formidet, quia cito redibo. Nonum signum est lætitia de exaltatione Dilecti, quod notatur ibi: Si diligeritis me, gauderetis, &c. quia Pater major me est, ad cujus potiora bona vado. Decimum signum est, quando parum sibi videtur, quantumcumque fuerit diu Dilectus cum eo, quod notatur, *ibi*: Jam non multa loquar vobiscum, quasi dicat parum mihi videtur, & vobis etiam.

EXPO-

EXPOSITIO CAP. XV.

Surgite, eamus hinc.] Hic incipit decimumquintum caput. Et melius est, ut hic incipiatur, quam infra, quia ibi incisus est sermo Domini. Prædicta enim discumbens dixerat, & discumbentibus, sed modo ad alium locum iverunt, ubi sermonem consummavit, & orationem fecit ad Patrem, & dividitur hoc cap. in sex partes. In prima parte eos ad alium locum traduxit. Secundo metaphoram vitis proponit, intendens eos monere, ut maneant, & non recedant a se, *ibi*: Ego sum vitis, &c. Tertio dat præceptum charitatis, & ostendit signa suæ dilectionis, ibi: Hoc est præceptum meum, &c. Quarto exhortatur eos multis rationibus ad sustinenda odia, & persecutiones mundi, *ibi*: Si mundus vos, &c. Quinto agitur de peccato Judæorum inexcusabili, *ibi*: Si non venissem, &c. Sexto de testimonio Spiritus Sancti contra Judæos, *ibi*: Cum autem venerit, &c. Dicit ergo. *a* Surgite, &c.] Et continuatur secundum *Aug.* sic: Dixerat: Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; ut ergo hoc cognoscat mundus. *b* Eamus hinc,] ad locum, scilicet, ubi sum tradendus ad mortem. Sed *Chrys.* quærit, cur locum mutavit? an timebat, ne illic veniret Judas, & Judæi, antequam finire potuisset suum sermonem: & ideo fugit in alium locum? Absit, sed populum respirare dat Discipulis, tremebant enim, & formidabant, & pro tempore, quia nox erat: pro loco, quia in villa manifesta. Unde & timore stupefacti non attendebant his, quæ dicebantur a Christo; sed semper imaginabantur eos, qui aggressuri erant ipsos, & maxime, qui vos Magistri expectare faciebat mala. Dixerat enim: Adhuc modicum vobiscum sum: *sup.* 13. Et *sup.* 14. Jam non multa loquar vobiscum, venit enim Princeps, &c. Quia igitur hæc, & alia audientes turbabantur, ducit eos in alium locum, ut quasi in tuto se esse æstimantes, cum otio audiant, & animo attendant: Etenim debebant magna auditari esse dogmata, & ideo dicit; Surgite, eamus hinc. Et cum duxisset eos in alium locum, ait. *c* Ego sum vitis vera] Quia iturus erat ad Passionem, ne scandalo Passionis separarentur a fide, & dilectione ejus; ideo monet eos per similitudinem vineæ, ne separent se, sed maneant in eo, sicut palmes in vite. Vel secundum *Chrys.* Ne dicant: omnibus nos inimicos constituisti, & tunc nos deseris, & recedis, ostendit, quod non dimittit eos: sed ita conglutinatus eis est, ut palmes in vite, si voluerint.

Item, quia rudes erant ad intelligendum, ideo parabolam proponit, & per ipsam parabolam vult ostendere, quod eis, qui non attendunt his, quæ dicuntur, non est vivere, sicut nec palmes sine vite. Item, quia dixerat *supr.* 14. Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, &c. ideo ostendit hic, quod signa, quæ facturi erant, sua virtute facerent, sicut palmes habet fructum ab humore vitis. *c* Dicitis ergo: [Ego sum vitis.] *Aug.* Vitis dicitur per similitudinem, non per proprietatem, quemadmodum dicitur ovis, agnus, leo, petra angularis. Dicitur etiam Christus vitis, & discipuli palmites, secundum quod est caput Ecclesiæ, nosque membra ejus, unius, scilicet, naturæ cum palmitibus.

CAP. XV.

a Surgite, *b* eamus hinc: *c* Ego sum vitis *d* vera

d Vera] ad differentiam illius umbraticæ vineæ, quæ conversa est in amaritudinem vitis alienæ. *Is.* 5. & *Jer.* 2.

Δ *a* Et Pater

Moraliter. *a* Surgite, eamus hinc.] Surgite de fecibus peccatorum, eamus per viam mandatorum. Surgite de cœna, eamus ad cœlum. *Ps.* 126. Surgite, postquam sederitis. Vel; Surgite, de sæculari conversatione ad claustralem. *Mich.* 2. Surgite, & ite: quia non habebitis hic requiem. Labor enim est in peccato. Unde *Jerem.* 9. Ut inique agerent, laboraverunt. *Eccl.* 10. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. *Sap.* 5. Ambulavimus vias difficiles. Item in mundo, *infr.* 16. In me pacem; in mundo pressuram habebitis. *Jer.* 8. Quare sedemus? venite, ingrediamur civitatem munitam, religionem, scilicet, vel pœnitentiam: & sileamus ibi, idest, in claustro, vel in pœnitentia, sine murmure simus: quia Dominus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis. Alia littera habet: Et projiciamur ibi; quia in claustro debet proprium velle abjici, & non extolli. Unde *Ps.* 83. Elegi abjectus esse, &c. *Jerem.* 4. Congregamini, & ingrediamur civitates munitas, nolite stare. Sed de malis *Exod.* 15. Fiant immobiles quasi lapis. Sequitur. *c* Ego sum vitis vera] quasi dicat: eis, qui surrexerint, & fuerint, dabo vinum. Viatores enim solent bibere vinum. *Matth.* 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. *Cant.* 5. Comedite, amici, bibite, & inebriamini, charissimi. *Eccl.* 24. Venite ad me omnes, qui concupiscitis me: & a generationibus meis adimplemini. Ipse enim dicit se vitem, ibidem: Ego quasi vitis fructificavi. Dicitur autem Christus vitis multis rationibus. Prima est, quia sicut mediante vite, mutatur aqua in vinum: sic per Christum factum est ad litteram, *supra* 2. Sic etiam per ipsum aqua carnalis sensus mutatur in vinum spiritualis intellectus; Sic etiam per ipsum aqua tribulationis, & angustiæ convertitur in vinum jucunditatis, & lætitiæ.

Christus dicitur vitis multis rationibus.

Unde *infra* 16. Tristitia vestra vertetur in gaudium. *Ps.* 93. Secundum multitudinem dolorum, &c. 2. *Cor.* 1. Sicut abundant Passiones Christi in nobis; ita & per Christum abundat consolatio nostra. De hoc vino dicit *Psalm.* 103. Vinum lætificat cor hominis. *Esther* 1. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat abundans, & præcipuum ponebatur. *Isa.* 55. Venite, emite absque ulla commutatione vinum, & lac. Secunda ratio, quare dicitur vitis, est abundantia suæ liberalitatis; vitis enim totum dat palmiti, & nihil ab eo recipit. Sic Christus dat nobis gratis humorem gratiæ, & nihil recipit a nobis.

Unde dicit *Interl. infra eodem*. Ego sum vitis, totum vobis dans, nihil a vobis accipiens. *Psalm.* 15. Bonorum meorum non eges. *Job* 22. Quid prodest Deo, si justus fueris.

Tertia ratio est, quia sine ipso non possumus fructum facere. Vel sicut dicit *infra eodem*. Sine me nihil potestis facere. Et de hoc habebitur postea.

Quarta ratio est, quia sicut de vite vinum; sic de latere Christi sanguis, qui sub specie vini conficitur in altari, sicut dicitur *infra* 19. Ideo non solum dicitur vitis, sed etiam uva. Vitis enim dicitur, secundum quod ex ipso nascitur Ecclesia, & propagatur spiritualiter. Dicitur uva, sive racemus, secundum quod natus est de Synagoga secundum carnem, quia & ipsa dicitur vinea. *Is.* 5. Vel melius dicitur uva, secundum quod Beata Virgo dicitur vinea, ex qua ortus est secundum carnem. Hæc uva pressa est in torculari Crucis a Judæis, sua autem voluntate, secundum quod ipse dicit *Isa.* 63. Torcular calcavi solus. De isto torculari habetur *Judic.* 7. Quod Gedeon duos reges Madian, Oreb, & Zeb interfecit. Oreb in petra, & Zeb in torculari. Per istos duos significatur Diabolus. Dicitur enim Oreb, idest, tentans; & Zeb, idest, rapiens, sive devorans. Tentat enim ad culpam, & rapit ad pœnam. Gedeon, idest, Christus in petra, & in torculari Diabolum occidit. In petra notatur Christi patientia, in torculari ejus angustia. Per patientiam vicit tentatorem, per angustiam deprædatus est raptorem. Ad hæc duo venit ad eum Diabolus, ut tentaret eum de errore mortis, vel forte, ut impatientem redderet, & ut raperet animam ejus; si quid juris in eo habere possit.

Unde ipse dicit *supra* 14. Venit Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Sed Christus ex patientia resistit tentationi.

Unde dicentibus membris Diaboli: Si filius Dei es, descende de Cruce, *Matth.* 27. & *Luc.* 23. Ipse non descendit, sed patiens perstitit, & ea angustia raptorem expoliavit, quia ex angustia, sive pressura Crucis exivit sanguis redemptionis, quo redempta est præda, quæ a prædone tenebatur captiva: Secundum quod dicitur 1. *Petr.* 1. Pretioso sanguine Agni. Et 1. *Cor.* 6. Empti estis pretio magno, &c. Et nota, quod ex una parte corporis exivit vinum tantum, ut a pedibus, & a manibus; ex alia parte exivit vinum, & aqua, scilicet, a latere, idest, sanguis, & aqua. Et per hoc spiritualiter notatur, quod Dominus quibusdam exhibet vinum: quibusdam vero vinum, & aquam, quia duæ sunt partes Ecclesiæ; ut dicit *Gloss. super illud Matt.* 12. Viri Ninivitæ, &c. Una, quæ peccare nescit; altera, quæ peccare desistit. Primi sunt innocentes, secundi pœnitentes. Primi designantur per Reginam Austri, de cujus peccato non legitur, secundi per Ninivitas. Primi bibunt vinum purum, quod Dominus talibus infundit, & confert spiritualibus, & puris gaudium. Talibus dicit; Inebriamini, charissimi. Aliis autem dat vinum cum aqua: quia sicut debent gaudere de venia, ut tamen semper doleant, & recogitent præterita mala acta.

Cant. 5.

Unde *Eccl.* 5. De propitiatu peccatorum noli esse sine metu. Talibus dicit; Bibite, amici. *Cant.* 5. *Ps.* 74. Calix in manu Domini vini, meri, quoad primos; plenus misto, quoad secundos. Sequitur,

* *a* Et pater

> Et *a* Pater meus agricola est. Omnem *b* palmitem in me non ferentem fructum tollet eum;& *c* omnem, qui fert fructum, *d* purgabit eum,ut *e* fructum plus afferat : *f* Jam vos mundi estis *g* propter sermonem, quem locutus sum vobis. *h* Manete in me, & *i* ego in vobis. k Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi mãserit in vite: sic *l* nec vos, nisi in *m* me manseritis. *n* Ego sũ vitis; *o* vos palmites, *p* Qui manet in me, & *q* ego

A *a* Et Pater meus agricola est] cum quo ipse Filius est idem agricola, inquantum Deus. Sed de Patre dicit condescensive, de quo majorem habebant opinionem, in quo dat eis fiduciam, cum Pater habeat eorum curam, & diligentiam. Et cum Pater habeat eorum curam, & quod faciant ipsi, quod in se est, & non resupini fiant, pigris comminatur præcisionem, dicens.

b Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum] ut agricola. In quo insinuat, quod sine operibus non possunt manere in eo; sed oportet, quod manentes in se mandata ejus faciant, & adversa sustineant.

Item in hoc notat Judam, quod pro infructuositate sua sit abscissus. Et quia in hoc terruerat, in sequenti mulcet, dicens.

c Et omnem, qui fert fructum,] operum adhærens viti per fidem, & charitatem.

d Purgabit eum] vel, purgat, idest, excolit, & germinabiliorem fecit circumcidendo superfluitatem. Vel, Purgabit, hoc quantum ad tribulationes eorum, dictum est. *Aug.* Purgabit mundando corda Spiritum veritatis, & charitatis infundendo.

e Ut fructum plus afferat.] Ecce utilitas purgationis, idest, tribulationis, in quo consolatur eos, ostendens, quod tribulatio eorum fructuosa. Et nota, quod non dicit purgandam vitem, sive radicem excolendam; sed, eum, idest, palmitem, & tamen radices etiam vinearum solent excoli, & terra circumfodi : quare ergo non dixit hoc de vite? Solut. Per hoc ostendit, quod ipse sibi sufficit; Discipuli vero indigent purgatione, & agricolæ auxilio. Unde Christus non se dixit vitem, quia indigeret cultura; sed propter hoc tantum, ut sciant, quoniam sine ejus virtute nihil operari possunt: & quoniam eos, ita unitos esse oportet fidei ejus, ut palmites viti. Sequitur.

f Jam vos mundi estis, &c.] Quia dixerat metaphoram, & non expresserat, de quibus diceret : ideo non dicant, de quibus hoc dicis: & ita in sollicitudinem mittantur: ideo metaphoram ad eos aptat, dicens; Jam vos mundi estis, &c. quasi vos estis palmites, de quibus dixi. Vel ita continua. Dixerat se vitem, & agricolam Patrem: ne ergo crederetur Filius indigere cultura, sicut vitis: & non esse agricola, sicut Pater.

f Jam vos mundi estis,] idest, purgati in Patre, sicut palmes.

g Propter sermonem, quem locutus sum vobis] q. d. si Pater est agricola, & purgator: & ego purgo, qui idem Deus sum cum eo. Tertio continuatur sic. Dixerat, quod quidam palmites abscinduntur, quidam purgantur: ne ergo credant se esse de abscissis, dicit.

f Jam vos mundi estis] quasi vos estis illi purgati, & fructificantes: qui tamen purgamini adhuc, propter sermonem, quem locutus sum vobis, idest, eruti estis ab errore Judaico, & ab iniquitate per meam doctrinam, secundum *Chrys.* & secundum *Aug.* loquitur de mundatione Baptismi, quæ fit per sermonem. Non dicit aquam, quia & ipsa sine verbo est aqua solum; sed per verbum fit Sacramentum.

h Manete in me,] idest, facite, quod in vobis est, non abscindamini a me per timorem.

i Et ego in vobis,] q. d. vos estis palmites, & potestis tolli, vel dimitti in vite, si vultis; sed ego semper maneo sicut stipes manet. *Chrysost.* Ut non pro trepidatione abscindantur ab eo, laxatam eorum timore animam restringit, & sibi ipsi coaglutinare intendit; & ideo benignam ostendit spem, dicens; Et ego in vobis, q. d. radix quidem manet, tolli vero, & dimitti palmitum est. Vel. *h* Manete in me,] q.d. feci, quod in me est; facite ergo quod in vobis. Ego vos purgavi; vestrum est de cetero fructificare. Sed ut hoc possitis, oportet in me manere.

h Manete] ergo, in me, idest, mihi adhærete per fidem, & ne recedatis per tribulationem.

i Et ego in vobis,] idest, vobis adhærebo, & subministrabo humorem. Et hoc oportet, quia.

k Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite,] quia per adhæsionem recipit a stipite, & radice vitis humorem.

l Sic nec vos] potestis fructum facere.

m Nisi in me manseritis,] fide, & amore. Et hoc patet, quia. *n* Ego sum vitis] idest, ad similitudinem vitis, quæ totum dat palmitibus, & nihil ab eis accipit.

o Vos palmites.] Hoc dicit, ut dicit *Chrys.* ne crederent Discipuli, quod eorum ministerio Christus indigeret.

Item ut sciant, quod miracula non faciant, nisi ejus virtute, nec alia bona. Ideo etiam quod dixerat superius se esse vitem, repetit propter impressionem in mente eorum, & explanatione.

Unde adhuc subdit, idem, sed aliis verbis confirmat in eis, quod dixerat.

p Qui manet in me,] q. d. non solum vos specialiter, sed & generaliter, quicumque manet in me, faciendo quod in se est, ut a me non disjungatur. *q* Et ego in eo,] faciendo, quod in me est, & persi-

A

Moraliter. * *a* Et Pater meus agricola est.] Ager Christus. Hunc agrum coluit Pater, *Gen.* 27. Ecce odor Filii mei, sicut odor agri pleni, benedixit Dominus. Iste ager, sive hæc vinea præcepto, & dispositione Patris fuit fossa in Passione, secundum illud *Ps.* 21. Foderunt manus meas, & pedes meos, &c. *Is.* 2. Ingredere in petram, abscondere in fossa homo, 4. *Reg.* 3. Facite alveum torrenti hujus in fossas, & fossas.

Item paxillata fuit, quando Christus ligatus est ad palum, sive ad columnam.

Item putata fuit in palmitibus, idest, Discipulorum recessione ab eo. Ideo dicitur *Cant.* 2. Tempus putationis advenit. *Matth.* 26. Tunc Discipuli relicto eo omnes fugerunt. *Job* 6. Necessarii mei recesserunt a me. Et 19. Noti mei, quasi alieni, recesserunt a me.

Item flevit hæc vinea in sudore, vel ad litteram, in Cruce, sicut dicuntur flere vineæ. *Heb.* 5. Cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est.

Item propagines emisit in manuum extensione.

Unde *Is. cap.* 63. Tota die expandi manus meas ad populum incredulum, quia graditur in via non bona.

Item floruit in sanguinatione. Fructum tulit in animæ emissione. Emisit enim spiritum quasi nostræ redemptionis pretium, & fructum, de quo fructu dicit Apostolus 1. *Cor.* 1. Factus est nobis Sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.

b Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; & omnem, qui fert fructum, purgabit eum] Quidam enim per tribulationem tolluntur, & abscinduntur; quidam vero purgantur : sicut vas reprobum in igne crepat; sed vas bonum ibi consolidatur. *Malach.* 3. Purgabit filios Levi. Non dicit filios Babylonis, quia bonos probat, & examinat. *Proverb.* 3. & *Hebr.* 12. Flagellat omnem filium, quem recipit. Sicut ancilla lavat vas integrum, sed non confractum, imo projicit; & sicut agricola curam habet terræ fructiferæ, & non sterilis.

e Ut fructum plus afferat] quia in tribulatione crescit fructus. Unde *Is.* 27. secundum aliam litteram. Tribulatio super tribulationem, spes super spem. *Jacob.* 1. Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. Et subdit fructum; Scientes, quoniam probatio fidei vestræ patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habeat.

f Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.] illi igitur, qui non possunt agere magnas pœnitentias, saltem debent libenter audire verbum Dei, & facere pro posse; quia si non possunt ferre purgationem tribulationis, possunt mundari per verbum prædicationis. Sermo enim Dei est aqua. Unde *supr.* 7. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Sed quare non sunt mundi illi, qui tot audiunt sermones, maxime Theologi? Apostoli enim non nisi per tres annos ad plus audierunt. Sed ipsi sicut panni, in quibus ponuntur cineres, qui sordidantur, unde alii lavantur. Item nota, quod quantumcumque sit bona lixivia, nunquam propter hoc lavantur panni, nisi ponantur in ea, & moveantur, & fricentur. Similiter, quia cor, idest affectionem non ponunt in verbis Domini, nec confricant ibi, ideo non lavantur. *h* Manete in me, & ego in vobis,] 2. *Joann.* 4. Deus charitas est, & qui manet in charitate, &c.

k Sicut palmes, &c. sic nec vos, nisi in me manseritis,] quia aliter humorem gratiæ non recipitis. *Is.* 59. Peccata vestra diviserunt inter vos, & Deum vestrum. Ideo dicitur *Ephes.* 3. In charitate radicati, & fundati. *n* Ego sum

* vitis, &c.

in eo: hic *a* fert fructum multum, *b* quia sine me nihil potestis facere, Si *c* quis in me non manserit, *d* mittetur foras, *e* sicut palmes, *f* & arescet, *g* colligent † eum, *h* & in ignem mittent, *i* & † ardet. Si *k* manseritis in me, & *l* verba mea in vobis manserint, *m* quodcumque volueritis, petetis, *n* & fiet vobis. In *o* hoc clarificatus est Pater meus, ut *p* fructum plurimum afferatis, & *q* efficiamini mei Discipuli. *r* Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.

al † eos. al. † ardent.

a est, & perficiendo quod sibi deest. *a* Hic fert fructum multum] per me subministrantem humorem gratiæ.
b Quia sine me nihil potestis facere] nec parum, vos etiam Apostoli, qui tanti estis, multo magis nec alii: & hoc est magnum damnum carere fructu. Sed ne credatur hoc sufficere in pœnam non manentium in eo, ideo ulterius produxit sermonem ad supplicium dicens.
c Si quis in me non manserit,] quod est in libertate arbitrii, idest, si non fecerit, quod in se est, ut maneat in fide.
d Mittetur foras] idest, non excoletur ultra manu agricolæ, & cura ejus, & diligentia carebit.
e Sicut palmes abicissus proiicitur.
f Et arescet.] *Chrysost.* [siccatur] idest, si quid habebat radicis, deponit, idest, gratiam, & denudatur ea. Et quis ultimus finis? Ecce.
g Et colligent eum. *Gloss.* messores Angeli, ut dicitur *Matth.* 13.
h Et in ignem mittent] gehennæ.
i Et ardet] vel, ardebit. *Gl.* vel in vite sunt, vel in igne. Et nota, quod intentio Domini est hortari Discipulos, ut non recedant ab eo tempore tentationis. Unde ponit exemplum vitis, monet eos blandis, & tristibus. Promittit enim fructum manentibus; recedentibus vero comminatur carentiam fructus, cum dicit. Sicut palmes non potest facere fructum, &c. Et ibi. Sine me nihil potestis facere. Comminatur etiam ignis supplicium, ut *ibi:* In ignem mittent, & ardet. Et quia dixerat manendum in se, ostendit, quid sit in se manere, dicens. k Si manseritis in me,] pro, idest, si verba mea in vobis manserint.] Quærit enim Dominus eam, quæ per opera, ostensionem, quia sponte. *Aug.* Tunc verba dicuntur manere in nobis, quando facimus, quæ præcipit: & diligimus, quæ promittit, qui non facit, eum tangit, sed non cohæret. *m* Quodcumque volueritis, petetis,] quia tales inquantum tales, non volunt, nisi quæ sunt salutis.
n Et fiet vobis,] etsi non aliis, pro quibus oratis. Et nota, quod præmisit meritum, sicut etiam *sup.* 14. dicens. Quoniam quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, induxit: Si diligitis me, mandata mea servate. Item nota ad continuationem, quod supra terruerat, dicens. Si quis in me non manserit, mittetur foras, &c. Ideo hic consolatur statim, subdens: Si manseritis in me, &c. Item in prædicto verbo notavit Judam, & Judæos insidiatores, q. d. illi ardebunt; sed vos manebitis in me, & fructificabitis. Illi ergo timere debent, & formidare: non vos, qui estis in me: Vos enim estis inexpugnabiles, quia Patri placetis. Unde ait.
o In hoc clarificatus est] vel, glorificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis. *Chrys.* Sermonem, quem fructum prius dixerat: Quodcumque volueritis, petetis, & cetera, dignum fide facit per hoc, quod subdit. In hoc glorificatus est Pater meus, & cetera. Si enim fructificare pertinet ad gloriam Patris, non contemnet Pater gloriam suam; sed faciet, quod petitis utile ad fructum. *Nehem.* 8. Gaudium Domini est fortitudo vestra. Et est sensus: In hoc glorificatus est Pater meus, &c. idest, lætatur; si in me maneatis, & fructum feratis: & amat vestrum fructum. Si ergo amat vos, confidite; si est Patris gloria fructificatio vestra, nihil suspicemini, vel timeatis malitiosum.

Item nota, quod quia dixerat superius: Manete in me. Et iterum; Qui manet in me, & ego in eo. Et iterum: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, &c. & non expresserat, manete in Patre, ne propter hoc crederent eum Patrem excludere, & minus considerent in Filio tanquam minus forti eos sine Patre continere, ideo dicit: [In hoc glorificatus est Pater meus,] idest, in hoc apparet gloria Patris.
p Ut fructum plurimum afferatis.] Ejus enim gloria, cujus gratia vos fructum habetis: in quo ostendit, quod sicut a se, ita & a Patre habent, unde fructificent. Per hoc etiam ostendit, quod non opera Judæorum gloria sunt Patris; sed ea, quæ facturi erant ipsi Discipuli.
q Et efficiamini mei Discipuli,] q. d. fructum facere, hoc est Discipulum esse. Et sicut est gloria Patris vester fructus; ita est gloria Magistri, idest, mei, cujus est donum. *Ephes.* 2. Dei donum est ex operibus, ut ne quis glorietur: ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis. Sed ne dicant, cecidimus a paternis auxiliis, derelicti sumus nudi, & deserti ab omnibus facti sumus: ideo subdit.
r Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos,] quasi dicat, in a me aspicite, * vitis, &c.] Hoc patet.

Moraliter. Matth. 26. Marc. 14.

b Quia sine me nihil potestis facere,] nec etiam bene cogitare.

B

Unde 1. *Cor.* 4. Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Item 2. *Cor.* 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

Item, nec loqui bene est a nobis. *Prov. c.* 16. Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam. Et *Ps.* 44. Lingua mea calamus scribæ. *Matth.* 10. Non enim vos estis, qui loquimini.

Item, nec bene operari. *Is.* 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis. *Jerem.* 10. Scio, Domine, quia non est in homine via ejus: nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos.
c Si quis in me non manserit, in præsenti per fidem, & constantiam in pœnitentia, vel tentatione.
d Mittetur foras] in futuro a Sanctorum societate. Erit enim cum hœdis, non cum agnis in judicio. *Matth.* 25.

Item *Apoc. ult.* Foris canes.
f Et arescet,] idest, omni bono deficiet.
g Et colligent eum] vel, eos, per fasciculos.
h Et in ignem mittent, & ardet, secundum illud *Is.* 33. Spinæ congregatæ igni comburentur. *Matth.* 25. Ite, maledicti, in ignem æternum. Et nota, quod collecti dicuntur mitti in ignem: quia corpore, & anima suscitati damnabuntur. Vel collecti dicuntur, quantum ad consimiles pœnas, & culpas.

Unde *Matth.* 13. Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Ibi dicit *Gl.* Non in unum fascem, quia pro modo perversitatis suæ unusquisque punietur.

Item *Isidorus*. Consimilis culpæ reos, consimilis cruciatus constringet. *Matth.* 3. Paleas comburet igni inextinguibili. De quo igne habetur *Isaiæ* 66. Ignis eorum non extinguetur. Hoc est ergo judicium vitis inutilis, ut ardeat, idest pravorum Christianorum, & maxime pravorum Theologorum, qui deberent ferre vinum bonæ doctrinæ, & meliores deberent esse ceteris, & sunt pejores.

Unde *Gloss.* Sarmenta præcisa ceteris lignis viliora sunt: quia nullis usibus deputantur, sed; ignis, vel in igne sunt, vel in vite. *Ezec.* 15. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis? Et postea dicitur. Quomodo lignum vitis inter ligna silvarum, quod dedi igni ad devorandum, sic tradam habitatores Jerusalem, & ponam faciem meam in eos. De igne egredientur, & ignis consumet eos.

Mali dicuntur comburendi, sicut. {
- Spinæ, propter avaritiæ asperitatem, & compunctionem.
- Paleæ, propter superbiam, & levitatem.
- Naphta, propter invidiam, & iræ, & odii discordiam.
- Sarmenta, propter sterilitatem, & acediosam fructuositatem.

k Si manseritis in me,] per amorem.
l Et verba mea in vobis manserint,] per operis expletionem.
m Quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.] Quia ergo nihil impetramus a Deo, ex hoc est, quia non manemus in eo, nec verba sua in nobis. Multum enim valet deprecatio Justi, non dicit injusti. *Jacob.* 5. *Is.* 1. Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis; & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, *sup.* 9. Deus peccatorem non audit.
o In hoc clarificatus est Pater meus, ut plurimum fructum afferatis, & efficiamini mei Discipuli,] q. d. Deus lætatur de fructu vestro, & disciplinatu, idest, de gloria vestra in futuro, & disciplina in præsenti. *Nehem.* 8. Gaudium Domini est fortitudo vestra.
r Sicut dilexit me Pater, & ego, &c.] Hoc patet atque ibi.
* Hoc est præceptum

a me aspicite, qui amatus sum a Patre; sed tamen patior Neque enim quod interficior, argumentum est, quod non amor a Patre: neque si vos pati, vel etiam mori permittam, argumentum est, quod non amem vos, vel Pater; sed potius signum est amoris. *Prov.* 3. & *Heb.* 12. Flagellat omnem filium, quem recipit. Ex quo ergo diligo vos.

a Manete in *b* dilectione mea. Si *c* præcepta mea servaveritis, *d* manebitis in *e* dilectione mea: *f* sicut & ego præcepta Patris mei servavi, *g* & manebo in *h* ejus dilectione. *i* Hæc *k* locutus sum vobis, ut *l* gaudium meum in *m* vobis sit, *n* & gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem,

a Manete] etiam inter adversa.

b In dilectione mea] idest, a me amando non recedatis. Qualiter autem hoc fit, subdit.

c Si præcepta mea servaveritis] adversa sustinendo, mortem non timendo, sicut dixi vobis, *Matt.* 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus.

d Manebitis,] idest, ostendetis vos manere.

e In dilectione mea] idest, mei, ut me ametis.

f Sicut & ego præcepta Patris mei servavi,] voluntarie patiendo, & moriendo.

g Et] per hoc, maneo, idest, manere me ostendo.

h In ejus dilectione] sicut dicit *supra* 14. Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem. Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. *Chrysostom.*

h Si præcepta mea, &c. manebitis, &c.] Per hoc ostendit, quod si vitam ostenderit puram, nullus eos superare poterit. Et nota, quod humane loquitur. Non enim Legislator sub mandato debebat poni; sed ad imbecillitatem, & suspicionem audientium multa dicit: ideo ne credatur propter verba condescensionis esse inferior, auctorabilius loquens præmisit: Manete in dilectione mea, non dicit Patris. Secundum *Aug.* sic legitur ab illo loco.

r Sicut dilexit me Pater, & Ego dilexi vos,] q. d. ecce plurimus fructus est vobis ea dilectione. Sed unde dilectio? Quia prius dilexi vos, sicut dicitur 1. *Joan.* 4. Sicut dilexit me Pater, non quod ly, sicut, dicat æqualitatem nostræ naturæ, & suæ, sicut est in Patre, & in Filio; sed conformitatem gratiæ. Et quia dilexi vos.

a Manete in dilectione mea] quia diligo vos, idest, perseverate in gratia, quam dedi vobis, quæ fuit effectus vestræ dilectionis. Et quomodo? Ecce.

c Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea,] idest, ostendetis vos manere in gratia per bona opera, vel ipsa opera habentibus gratiam, augmentant in eis gratiam, & conservant, sicut cibus ignis sunt ligna.

f Sicut & ego præcepta Patris mei servavi, & maneo in ejus dilectione,] idest, per hoc ostendor diligi a patre meo ego homo. Sequitur.

i Hæc locutus sum vobis] exhortando, & docendo.

l Ut gaudium meum in vobis sit] idest, gaudeam de vobis, quod est, quando gratiam præstat, q. d. hæc dixi vobis, ut maneatis in gratia in præsenti.

n Et gaudium vestrum impleatur,] in futuro, dum per gratiam venietis ad consortium, & gloriam meam, secundum illud *Matth.* 25. Intra in gaudium Domini tui.

Item *infra* 16. Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit. Et ut hoc impleatur.] Hoc est præceptum meum, &c. *Chrys.* legit sic.

i Hæc locutus sum vobis, &c.] Discipuli antequam scirent appropinquare Passionem Domini, gaudebant in eo, & exultabant in doctrina, & miraculis ejus. Sed audita morte ejus tristati sunt, & amplius etiam tristandi in ejus morte; ideo Dominus in consolationem eorum, & ut prædictam tristitiam amoveret, plura locutus, ut lætitiam in eis restitueret. Et hoc est, quod dicit.

i Hæc] prædicta consolatoria, & mitigatoria.

k Locutus sum vobis, ut gaudium meum,] idest, gaudium in me habitum, sive quod habebatis prius in me, & de me.

m In vobis maneat,] idest, persistat, & non interrumpatur per tristitiam, nec abscindamini a me per pusillanimitatem.

n Et gaudium vestrum impleatur,] in futuro, gaudium in retributione, quod erit, si continuetur hic a nobis gaudium in tribulatione. *Chrysost.* Omnia bona tunc habent mercedem, cum in finem venerint decentem, si vero intercidantur in medio, naufragium fit: quemadmodum navis onusta infinitis divitiis, si ad portum non pervenerit, sed in medio submersa fuerit pelago, nihil profuit ex multis divitiis; sed & tanto majorem facit calamitatem, quanto & plura habuit, & ampliores sustinuit labores: ita est de animabus, quæ in mediis excoluntur agonibus. Propterea Paulus gloriam, & honorem, & pacem dixit obviatura esse his, qui secundum patientiam bonorum operum currunt. *Roman.* 2. Reddet unicuique secundum opera sua: his quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærentibus vitam æternam.

Et *Matth.* 10. & 24. Qui perseveraverit usque in finem, &c.

Et 1. *Corinth. cap.* 9. omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium; ille, scilicet, qui non interrumpit cursum.

Ut autem melius continuent gaudium in tribulatione, & sic perveniant ad gaudium gloriæ, monet eos, habere concordiam, & charitatem inter se, per quem omnia vincent, & contemnent adversa. Et hoc est, quod sequitur.

o Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem,] in quo intelligitur dilectio Dei, sicut etiam prædixerat. Manete in dilectione mea.

Unde *Chrys.* Vides Dei amorem nostro amori velut catena copulatum. Ideo quandoque duo dicuntur mandata, quandoque unum. Non est enim possibile, habentem primum, non habere secundum mandatum. Nam quandoque quidem ait: In hoc pendet lex, & Prophetæ. *Matth.* 22. Quandoque vero dicit. Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite eis.

Hæc est enim lex, & Prophetæ. *Matth.* 7. *&* *alibi*. Plenitudo legis est dilectio. *Rom.* 13. *Item*. Omnis lex in uno sermone impletur. *Galat. cap.* 5. Quod & hic dicit: (Hoc est præceptum meum ut) tunc (diligatis invicem,) quasi in isto complebitis omnia præceptum, 1. *Timoth. cap.* 1. Finis præcepti est charitas, idest, consummatio.

Et non simpliciter amorem, sed & modum ostendit, dicens.

a Sicut dilexi vos, }
* *o* Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. } *Moraliter.*

Dominus mittens Apostolos in exercitu contra diabolum, in quo necessaria est concordia, ne unus prodat alium, & ut concorditer, & unanimiter aggrediantur pugnam: tradidit eis præceptum dilectionis, quæ est mater concordiæ, & per consequens victoriæ: quia omnis pugna unanimiter aggressa victoriam parit. Ideo Ecclesia dicitur terribilis, ut castrorum acies ordinata. *Cantic.* 6. De qua dilectione dicitur. *Coloss. caput* 3. Super omnia hæc charitatem habentes, quæ est vinculum perfectionis. Ad quam tenentur specialiter, & principaliter claustrales, & Religiosi. Quæ est in tribus, de quibus *Matth.* 16. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, &c. Et *alibi*, &c. *Luc.* 14. Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, &c. Se enim, & sua, & suos debet abnegare homo: quia tria facit dilectio Dei, dilectio sui, dilectio proximi. Dilectio Dei facit negare sua. Unde 2. *Cor.* 8. Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi: quoniam cum dives esset, propter nos egenus factus est. Sed unum beneficium petis aliud consimile.

Unde si eum diligimus, justum est, ut & nos propter dilectionem ejus nostra relinquamus. Quod significatum est, 1. *Reg.* 24. ubi habetur. Abiit David, & fugit in speluncam Odollam, quod cum audissent fratres ejus, & omnis domus patris ejus, descenderunt ad eum illuc.

Unde propterea exhæredaverunt se cum eo. Odolla autem interpretatur testimonii probatio. Quando enim homo sequitur Christum, & exhæredat se pro eo, testimonio probat, quod ipse diligit Deum. Sicut enim mulier habens munuscula ab adultero proiicit ea, ne displiceat viro suo; sic munera mundi proiicere debet, ne Christo displiceat, & maxime Religiosi hoc facere debent: quia sicut dicitur 2. *Machab.* 12. Invenerunt sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Janniam fuerunt, a quibus lex prohibet Judæos. Et sequitur ibi, quod omnibus manifestum factum est, eos ob hanc causam corruisse. Jannia interpretatur mare, & significat mundum, cujus donaria sunt Judæis, idest Religiosis mortifera. Unde per istos significantur illi, qui

* morientur in

a sicut dilexi vos. b Majorem hae dilectionem nemo habet, quam ut c animam suam ponat quis pro amicis suis. d Vos amici mei estis, si e feceritis, quę ego pręcipio vobis. f Jam non dicam vos servos: g quia servus nescit, quid faciat Dominus

A a Sicut dilexi vos,] idest, gratuito, & sancto, & affectuoso amore, non sicut homines invicem se diligunt, vel naturaliter, vel carnaliter, vel vocaliter. Unde Aug. Definit plenitudinem mutuæ dilectionis, quam nos habere præcipit, dicens.

b Majorem hac dilectionem nemo habet,] idest, majus signum, vel effectum dilectionis.

De poenit. dist. 2. c. qui vult. De renunt. c. nisi ... (marginal note)

c Quam ut animã suam ponat quis pro amicis suis,] idest, pro illis, quos amant. Aug. q. d. hanc habui, & volo vos habere, ut sicut posui animam pro vobis: ita vos pro fratribus, ut me imitemini, sed non mihi comparemini. Chrysost. Per hoc ostendit, quod hæc recessio non est odii, sed amoris, q. d. admirari, & laudare oporteret, non tristari, vel tremere: quia pro vobis est, quod posuit animam, supr. 10. bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.

d Vos amici mei estis.] Sic continua. Dixerat, quod animam suam ponit pro amicis suis, possent ergo dicere: nos sumus servi, non amici, ideo dicit: Vos amici mei, &c. Vel sic.

Pro amicis pono animam, quia sua Passio erit utilis amicis tantum, & illis, qui voluerunt ad amicitiam meam reverti: sitis ergo amici, idest, amantes me, & hoc per mandatorum observationem. Et hoc est, quod dicit.

d Vos amici mei estis] idest, vos esse ostenditis.

e Si feceritis, quæ ego præcipio vobis.] Probatio enim dilectionis, exhibitio est operis, sup. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Vel sic.

d Vos amici mei estis] idest, ego amo vos.

e Si feceritis, quæ ego præcipio vobis,] idest, si ametis invicem: & alia, quæ jussero, feceritis. Et quia jam fecerant mandata, & facere proponebant, subdit signa suæ dilectionis ad eos.

f Jam non dicam vos servos] vel, dico, sicut Judæi, qui serviliter fecerunt mandata Dei. Et loquitur de Apostolis pro tempore, quo fuerunt a Spiritu Sancto inflammati ad amorem.

g Quia servus, nescit quid faciat Dominus ejus,] idest, secreta Domini sui, Rom. 8. Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, &c.

A Vos autem

Moraliter. * moriuntur in proprietate. Et habetur de hoc Josue 7. de Achor, scilicet, quod tulit de anathemate Jerico. Et dicitur in eodem 7. quod tulit pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulam quoque auream.

Per quæ designantur tria genera proprietatum in Religiosis, in vestibus inordinatis, in pecunia, in libris. Dilectio ergo Dei faciat hujusmodi abnegare. Dilectio sui facit, ut abneget se: sicut quando aliquis castrum habet, quod non tenet de aliquo: & diligit illud, & timet perdere: quando non potest illud defendere per se, accipit illud ab aliquo Potentiore faciens ei homagium, ut juvet eum.

Dicit autem communiter, bonum castrum custodit, qui corpus suum custodit. Dico autem, quod multo melius castrum custodit, qui voluntatem suam, & cor custodit, quam si non habeat, inimicus noster diabolus nihil potest contra nos.

Unde Ps. 118. Me expectaverunt peccatores, ut perderent me num. 21.

ignis egressus est de Eseboa, qui interpretatur cogitatio mœroris, & flamma de Seon, quod interpretatur germen voluntatis. Ponat ergo claustralis castrum voluntatis in manu alterius: nunquam enim peccabit, quamdiu habebit castrum illud in alterius custodia; sed diabolo tentanti dicere poterit: vade ad Prælatum meum, qui castrum illud possidet, & clavem habet. Sed quidam sunt, qui statim quando commiserunt suum castrum alii, & fecerunt homagium, volunt illud rehabere.

De quibus Beatus Bernardus. Quid semel vos nobis commisistis? quid iterum de vobis vos intromittetis? Dilectio proximi facit suos abnegare, sicut quando guerram habet aliquis, & timet, ne amici sui aliquid amittant, si se cum eo teneant, abjurat eos: vel facit, quod sui se abjurent. Quod significatum est, 1. Reg. 22. ubi dicit David ad Regem Moab. Maneat oro Pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam, quid faciat mihi Deus. Et reliquit eos ante faciem Regis Moab. Sic debet relinquere suos, qui vult salvari: quia amici sunt impedimento fugientibus.

Unde Exod. cap. 4. quando Moyses secum tulit uxorem suam, & filios suos, cum esset in itinere in diversorio, occurrit ei Dominus, & volebat eum occidere: & ideo remisit eos.

Unde Dominus, infra 19. Dimisit matrem, & suos Discipulos, quando ascendit in Crucem: sic debet facere, qui Crucem pœnitentiæ, vel religionis ascendere vult. Et hoc est, quod addit.

a Sicut dilexi vos] quia propter nos semetipsum abnegavit, & sua, & suos. Semetipsum. Philip. c. 2. Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.

Item sua. 2. Corinth. cap. 8. Propter nos egenus factus est.

Et super illud, supra cap. 14. Venit Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam, dicit Gloss. Noluit Dominus habere, quod perderet: pauper enim venit, ne haberet diabolus, quid auferret. Matth. c. 8. Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Suos etiam reliquit, & quasi abnegavit propter nos. Matth c. 12. Quę est mater mea, & qui sunt fratres mei? De his dicitur Jerem. c. 12. Reliqui domum meam, idest, cogitationem meam, meos, scilicet, dimisi hæreditatem meam, meam, scilicet, dedi dilectam animam in manus inimicorum ejus, idest, vitam. De quo.

b Majorem hac dilectionem nemo habet,] Et ponuntur in hac serie signa plura dilectionis Christi ad nos, sicut in prima expositione diximus.

Hoc etiam debemus facere pro Christo, ut animam, idest, voluntatem propriam deponamus pro eo, quod inter omnia difficillimum est.

In hoc enim tertio signo defecerunt Magi, idest, magni, & sapientes in claustro. Exod. cap. 8. Et 1. Reg. cap. 7. Tulit ergo David unum lapidem, & funda jecit, & circumducens percussit eum in fronte.

Per quinque lapides quos accepit David, intelliguntur quinque, quæ sunt principaliter in religione. Tres primi sunt abrenunciatio trium in voto.

Quartus lapis est cultus divini diligens observantia ad quod pertinet, quicquid constitutum est in religione de officio divino.

Quintus est conversationis cauta, & superabundans honestas, ad quod pertinet quicquid est in victu, vestitu, receptione hospitum, & hujusmodi. His lapidibus debet armari David, idest, qui intrat claustrum pugnaturus contra diabolum. Sed uno istorum, idest, abrenunciatione propriæ voluntatis occiditur Philisthæus, idest, diabolus ipse.

d Vos amici mei estis] si feceritis, quæ ego præcipio vobis.

De hoc dicitur satis, supra cap. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, &c. Et nota etiam, quod hic ponuntur tria signa dilectionis. Primum est animæ dispositio, ibi. Majorem hac dilectionem. Secundum præceptorum observatio, ibi: Vos amici mei, &c. Tertium est secretorum Domini participatio, ibi. Vos autem dixi amicos: quia omnia, &c. Primum est in patientia, & sustinentia malorum, etiam mortis pro amico. Secundum in operatione bonorum. Tertium est in receptione spiritualium consolationum.

De primo dicitur. Luc. 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Judic. 5. Qui sponte obtulistis animas vestras periculo, benedicite Deo. Is. cap. 49. secundum aliam litteram. Sanctificate eum, qui despicit animam pro amico suo. Et hæc est vera amicitia. Unde Eccl. c. 22. A facie amici non me abscondam: & si mala mihi evenerint, per illum sustinebo. Ecce primum, scilicet, mala pati, etiam mortem pro amico. Eccl. c. 7. Mortuo non prohibeas gratiam. Secundum est mandata ejus agere. Charitas enim non solum patiens est ad sustinendum; sed benigna ad agendum. Hoc requirit Dominus, dicens.

1. Cor. 13.

d Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego, &c.] 1. Joan. 3. Non diligamus verbo, & lingua; sed opere, & veritate. Tertium est secreti amici participare.

Prima duo pertinent ad meritum: hoc tertium est prægustatio præmii, quando Dominus in oratione revelat secreta sua, & dat consolationes suas. Osee 2. Et ducam eam in solitudinem: & loquar ad cor ejus. De hoc dicitur,

* a Vos autem

a *a* Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audivi a Patre meo,] ego homo ad opus hominum.
c Nota feci vobis.] Vera enim amicitia apparet in revelatione secretorum.

Unde *Amos 3.* Num faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. *Gen.* 18. Num celare potero quicquam Abraham? Sed quid est, quod dicit: Omnia quæcumque, &c. Contrarium enim videtur illud *inf.16.* Multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Sol. Sicut dicit. *Chr.* nihil aliud per hoc, i. [omnia] & per hoc, i.[audivi] constituit, quam quoniam nihil alienum a Patre loquitur, sed quæ sunt Patris: quia vero hoc maxime videtur esse discipulorum, & amicorum, sc. ineffabilia, idest, secreta dicere, & hac ait digni effecti estis communione. Omnia, autem cum dicat, quæcumque eos audire oportebat, dicit. *Aug.* dicit: Omnia, quæcumque audivi, &c. loquitur pro tempore futuro. Dicit enim se fecisse, quæ scit se facturum in Resurrectione, ubi beati erunt in anima, & in corpore. Et est sensus.

ejus. *a* Vos autem dixi amicos: quia *b* omnia, quæcumque audivi a Patre meo, *c* nota feci vobis. *d* Non vos me elegistis; sed *e* ego elegi vos, *f* & posui vos

b Omnia, quæ audivi a Patre meo, nota feci,] i. nota faciam, vobis, i. meipsum, qui sum a Patre, & in me omnia vobis revelabo. *Interl.* sic legit.
b Omnia, quæ audivi] ego homo ad opus hominum, i. omnia necessaria vobis. Solet etiam sic exponi.
b Omnia, quæcumque audivi,] i. omnia, quæcumque vobis nota feci, audivi a Patre. Deinde ponit aliud signum, sive argumentum dilectionis suæ, dicens.
d Non vos me elegistis,] prius diligendo.
e Sed ego elegi vos,] idest, dilectioni vestræ præcucurri, 1. *Joann. cap.4.* Prior dilexit nos. *f* Et posui vos] id est, plantavi in me. Et servat adhuc metaphoram

a vitis. *a* Ut eatis]

Aliter. Vel. *e* Ego elegi vos] de peccato, vel de massa malorum, vel de Synagoga Judæorum separando. *f* Et posui vos] in gratiam,

a vel in Apostolatum.

Moral. * *a* Vos autem dixi amicos: quia omnia, quæcumque audivi, &c.] Dominus enim seipsum, & omnia in se necessaria revelat. In hoc statu amicitiæ erat *Is.* cum dicebat. *Is.14.* Secretum meum mihi, &c. *Ps. 147.* Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua, &c. *Amos 3.* Non faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. *Genes. 18.* Num celare potero Abraham, & *Baruc.4.* Beati sumus, Israel: quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. Sed maxima ingratitudo, & proditio est, quando aliquis prodit secreta amici.

Ita faciunt illi, qui divinas consolationes in oratione recipiunt, & statim aliis ad ostentationem produnt. Contra quod dicitur *Prov.25.* Gloria Dei est celare verbum. Ideo dicebat *Is.* Secretum meum mihi retinebo, sc. *Eccl.* 22. Est concordatio ad amicum, excepto convicio, & improperio, & superbia, & mysterii revelatione, & plaga dolosa, *Prov. 20.* Et, qui revelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.

Vel aliter possunt hæc tria assignari: ut mandatorum observatio pertineat ad incipientes, & est satis de decem præceptis. Consiliorum revelatio, ad proficientes, & dicantur consilia Domini, quæ abscondita erant in veteri lege, quæ dicit Dominus *Matth.5.* Beati, pauperes spiritu, &c. Beati, qui lugent, &c.

Hæc enim secreta ignoravit mundus, & adhuc ignorant mundani.

Tertium, idest, animæ expositio, ad perfectos, & pervenientes.

Et nota, quod circa istum locum loquitur *Chrys.* de amore Domini, & per contrarium de avaritia, & amore mundi dicens: Quia magnum quid est, & inexpugnabile amor, & non verbum nudum ostendamus. Per opera enim ipse Christus inimicos existentes reconciliavit: nos amici facti in amore ejus: ipse incepit; nos saltem sequamur ipsum: in proprium locum amat nos; nos saltem in id, quod expedit nobis, amemus eum: ipse inimicos existentes dilexit; nos saltem amicum existentem amemus. Sed nos contraria facimus. Propter nos enim blasphematur Deus: propter rapinas, & avaritias nostras orbem terrarum assumpsit universum hæc ægritudo avaritiæ, & omnium detinet animas. *Jer.9.* A minori usque ad majorem, &c. A Christo redempti sumus, & auro servimus: Christi damnationem profitemur; & mammonæ omni desiderio obedimus: & genus, & delectationem, & naturam, & leges, & omnia ignoramus propter aurum.

Si concupiscibile aurum honoratos facit, multo magis coelum. Sed dicet aliquis, deridetur inops, etiamsi virtuosus fuerit. Sed non apud homines deridetur; sed apud insensibiles, & irrationales. Ideo neque enim si deriderent quidem te asini, & acclamarent æolii, sapientes vero omnes laudarent, curares; si Rex terrenus te laudaret, parvam curam haberes de hominibus vilibus, si te deriderent. Si ergo Dominator te laudat, cur cachadorum, & caponum laudationes inquiris?

Item usquequo in gurgite vertimur; usquequo stultos, & gulosos statuimus nostros Judices, & consideratores? Tales, scil. gulosi, & stulti eos, qui in alea ludunt, & ebrios, & eos, qui ventri vivunt, examinare possunt; virtutem autem, & malitiam neque somno imaginari possunt? Quomodo ergo tales facimus examinatores virtutis? Propterea nunquam perveniemus ad arcem virtutis, quia inexpertis, & indoctis concedimus nostra judicare. Illi vero non secundum rationem, sed secundum propriam indisplicibilitatem examinant, & judicant.

Chr. Forte aliquis vestrum dicet, per unamquamque diem de avaritia disputas? Utinam & secundum unamquamque noctem possem hoc facere: utinam, & in forum assequentem, & in mensam, & uxores & amicos, & filios, & famulos, & agriculas, & rusticos, & ipsum pavimentum, & parietes esset possibile hanc semper resonare vocem: ut saltem parum ita remitteremus avaritias.

Item *Chr.* Sapientiæ, & patientiæ, & omnis Philosophiæ magistra nobis est inopia, quia & Lazarus cum inopia vivebat, & coronatus est. *Luc. 16.* Et Jacob pane solo potiri cupiebat. *Gen.28.* Et Joseph in ultima inopia factus est; sed non solum servus erat, sed & vinctus: & propterea magis eum admiramur: & non ita eum laudamus, cum frumentum distribuat; ut cum carcerem habitabat: non cum diadema circumferebat; sed cum catenam: non cum in throno sedebat; sed cum insidias patiebatur, & vendebatur. Sequitur.
d Non vos me elegistis,] prius diligendo.
e Sed ego elegi vos,] idest, a culpa separavi.
f Et posui vos,] idest, in statu gratiæ plantavi.

* *a* Ut] sic, eatis, bene

Aliter. Vel aliter. *e* Sed ego elegi vos, &c.] Prædicatores enim debent esse electi, ut cunctos in vita transcendant: & positi, idest, plantati, & firmi in adversis: ut omnia in patientia superent, & vincant.

De primo dicitur 1. *Reg.* 10. Stetit Saul in medio populi, & altior fuit universo populo ab humero, & sursum. Et ait Samuel ad omnem populum, certe videtis, quem elegit Dominus, quod non sit similis ei in omni populo. De secundo habetur 1. *Thes. 3.* Nemo moveatur in tribulationibus istis. Ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus. Locus ergo Justorum est tribulatio. *Eccl.10.* Locum tuum ne dimiseris, recedendo, sc. ab eo, vel cadendo in eo, sicut malus

O miles est, qui

Aliter. Item potest hoc esse thema in electione. *e* Ego elegi vos, & posui vos, &c.] Eligitur quis per communem assensum; ponitur per confirmationem. Et nota, quod quidam non eliguntur a Domino; sed a seipsis, vel se ingerunt, & violenter intrudunt in prælationem, qui dicunt *Amos 6.* Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? Alii ab homine propter commodum temporale. Unde *Is.3.* Vestimentum tibi est: Princeps esto noster. Et *sup.6.* Voluerunt eum rapere in Regem, quia saturaverat eos panibus. Alii eliguntur a diabolo, ut qui ex invidia eliguntur, ut alius expellatur: Sicut Jeroboam electus fuit, & Roboam expulsus, 3. *Reg. 12.* Alii eliguntur a carne, quia nepos, vel cognatus: Et talis fuit Abimelech. *Judic.9.* Considerate, quia os vestrum, & caro vestra sum. Alii eliguntur a mundo: sicut Saul, 1. *Reg.8.* dicitur, quod quærebat asinas patris sui, & electus est in Regem. Ita multi dicunt, iste bene custodiet jura Ecclesiæ nostræ, & bene procurabit negotia nostra, bene quæret asinas, non animas: & nostra defendet, quia potens est, vel nobilis, vel magnus placitator. Hi licet non directe a Domino eligantur; tamen aliquando a Domino ponuntur, quando, sc. confirmantur ab aliis bona intentione. Aliunde autem a Domino eliguntur aliqui, quando ab aliis electi bona intentione, ipsam electionem habent in patientia. Sed tamen quandoque non ponuntur a Domino, ut quando confirmantur timore, vel precibus, quæ secundum Deum pejus est muneribus. Sed quidam a Domino & eliguntur, & ponuntur. De quibus *Ps.64.* Beatus, quem elegisti, &c. Et de his dicit. *f* Et posui vos,

Δ vitis. *a* Ut eatis,] idest, crescatis in virtute, sicut dicitur planta ire, idest, crescere, & propagines mittere. Unde *Osee* 14. Ibunt rami ejus ut Libani. *b* Et fructum afferatis,] vel secundum *Chr.* feratis, in operatione, sc. *c* Et fructus vester maneat] in cœlesti retributione.

Aliter. Δ Vel in Apostolatum, ut *a* eatis, *b* & fructum afferatis, *c* & fructus vester maneat,

a Ut eatis,] i. extendamini per orbem universum, secundum illud *Ps.* 79. Extendit palmites suos usque ad mare,

b Et fructum afferatis,] per conversionem hominum.

c Et fructus vester maneat,] i. inde habeatis gaudium, & præmium æternum. Vel secundum *Chrysost.* idest, stabilis sit fides eorum, quos convertitis, q.d. non solum dilexi vos; sed etiam ubique terrarum benefici palmitibus vestris, & stabiles faciam. Confidita ergo, quia si Δ fructus vester manet,

Moral. * *a* Ut] sic, eatis, bene volendo.

b Et fructum afferatis,] bene operando,

c Et fructus vester maneat,] perseverando. Istud autem potest dici Prædicatoribus, in quo notatur, quales debent esse, & quid debeant agere. Quales debeant esse, quia debent esse electi, & positi, sive plantati. Electi, i. separati ab omni carnalitate, & unitate, plantati, & firmati in veritate. Electi a malo, positi in bono; separatum esse a peccato oportet, qui prædicat peccata vitanda.

Unde *Rom.* 2. Qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis. Item,

Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Item, qui prædicat bonum faciendum, debet & ipsa facere, & in hoc positus esse. *Act.* 1. Cœpit Jesus facere, & docere: *Is.* 42. Qui vides multa, nonne custodies,

Item *Is.* 48. Infrænabo te laude mea, idest, prædicatione, ne intereas, idest, ne facias oppositum ejus, quod prædicas. *Job* 39. Circumdabis collo ejus hinnitum, idest, prædicationem, quæ ligat hominem. *Prov.* 6. Illaqueatus es verbis oris tui. *Rom.* 5. Nihil audeo loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.

Aliter. ⊙ miles est, qui dejicitur ad ictum mollis casei. Sic ergo patet, quales debent esse. Quid autem debeant agere, subditur. *a* Ut eatis, scilicet, prædicando,

b Et fructum afferatis] per confessiones audiendo.

c Et fructus vester maneat] q. d. facite, ut stabilis sit fructus conversorum pro eis intercedendo. Et nota, quod dicit, eatis, in mundum, sc. ad prædicandum, sicut Jacob misit filios suos in Ægyptum propter frumentum, *Gen.* 42. Audivi, quod triticum venumdetur in Ægypto: quare negligitis? descendite, & emite. Sicut etiam Moyses misit exploratores in terram Chanaan, *Nu.* 13. Confortamini, & afferte nobis de frugibus terræ. Et nota, quod Beniamin non ivit, quia juvenis, & ei timebatur a patre.

Item nota, quod nunquam Isaac ivit in Ægyptum; sed Jacob ivit: in quo notatur, quod ad prædicandum non debent mitti, nisi maturi ætate, & moribus, sive conversatione.

Unde & per Benjamin, qui non mittitur, sed domi tenetur, significantur juvenes ætate. Per Isaac, qui interpretatur risus, significantur dissoluti moribus, & conversatione,

Item nota, quod unus e fratribus in Ægypto retinetur, aliis redeuntibus, & referentibus frumentum: per quem significantur quidam Prædicatores, qui convicta sæcularium maculantur, & non revertuntur, sicut corvus ad cadaver illectus non rediit ad arcam. Sic ergo habes tria genera filiorum Jacob. Unus domi retinetur, alii missi fructum deferunt, quidam ab Ægyptiis detinetur. Ille, qui domi retinetur, significat illos, qui officio divino, & contemplationi relinquuntur: illi, qui vadunt, & fructum afferunt, bonos Prædicatores: ille, qui remanet in Ægypto, Prædicatores sæcularibus irretitos. Hi significantur per illos tres, *sup.* 11. Mariam, Martham, & Lazarum. Per Mariam significantur pœnitentes, vel contemplativi. Per Martham, quæ ministrat, Prædicatores boni. Per Lazarum infirmum, vel ligatum institis in sepulchro carnalis voluptatis Prædicatores infructuosi. Dicit ergo: Posui vos, quod est contra illos, qui officio prædicationis se ingerunt. *Jer* 23. Ipsi narrabant, & non misi eos. *Rom* 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur; *Hebr.* 5. Nemo assumit sibi honorem; sed qui vocantur a Deo tanquam Aaron. *Job* 38. Nunquid mittes fulgura, & ibunt, &c.

a Ut eatis,] quod est contra illos, qui in locis propinquis, & civibus, ubi sunt, prædicare volunt: nec extra procul, ubi sunt ignota hospitia.

Quod est contra illud *Matth.* 9. Circumibat Jesus civitates, & castella. *Jer.* 31. Annunciate in Insulis, quæ procul sunt: & dicite, &c.

b Et fructum afferatis] vel secundum *Chr.* feratis.

Quidam enim afferunt fructum, sed non ferunt, qui Deum laudant de alienis bonis.

Quidam autem ferunt, sed non afferunt, qui de bonis suis Deum non laudant; sed propriam gloriam quærunt.

Et sunt sicut pavo, omnia ova sua, & fœtus suos comedit, quando potest; ita faciunt, qui mercedem suam statim quærunt de suis operibus.

Unde *Matth.* 6. Amen dico vobis: receperunt mercedem suam. Debemus ergo ferre fructum operando, & alios pro posse ad pœnitentiam convertendo, & fructum afferre ex omnibus laudando. *Ezech. cap.* 1. Animalia ibant, & revertebantur.

Vel aliter. Quidam mittunt fructum Domino; sed non afferunt, illi, sc. qui alios salvantes detrimentum sui faciunt. Sed ille affert fructum, qui se, & alios salvat, *Gen* 4. secundum aliam litteram. Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti. *Gen.* 24. Affer mihi de venatione tua, Qui enim affert, cum re venit, quam affert. Sic docet Apostolus fructus afferre. 1. *Tim.* 4. Attende tibi, & doctrinæ insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.

c Et fructus vester maneat] Contra illos, qui fructum, quem fecerant, statim amittunt per ostentationem, & gloriationem,

Unde *Ps.* 77. Dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ. *Osee* 7. Comederunt alieni robur ejus.

Item *Deut.* 28. Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedet populus, quem ignoras.

Aliter. ⊙ sui vos, ut eatis,] non dicit sedeatis, vel jaceatis; sed eatis. In quo notatur labor, ad quem eliguntur.

b Et fructum afferatis,] in quo notatur, quod debet esse labor eorum fructuosus. *Sap.* 3. Bonorum laborum gloriosus est fructus.

c Et fructus vester maneat.] In quo notatur, quod debet esse labor perseverans, & assiduus. Ad laborem ergo fructuosum, & continuum vocantur, qui præficiuntur, & eliguntur a Deo. Ad fructuosum, contra illos, qui laborant in litibus, & causis, vel in lucris, vel in peccatis. *Exod.* 10. Stulto labore consumeris tu, & populus iste, &c. *Eccl.* 10. Labor stultorum affliget eos.

Item *Eccl.* 6. Omnis labor hominis in ore ejus: & anima ejus non implebitur bonis.

Item ad continuum laborem vocantur, contra remissos, & desides,

De quibus dicit *Ps.* 75. Dormitaverunt, qui ascenderunt equos, idest, postquam dignitates obtinuerant, cum tamen alibi dicatur. *Ps.* 120. Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. *Act.* 13. Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. In opus dicit, non in otium

Item 1. *Tim.* 3. Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat,

Et dicit *Greg. in Pastorali*, Notandum, quod illo tempore hoc dictum est, quod plebibus quisquis præerat, primus ad martyrii tormentum ducebatur: tunc ergo laudabile fuit Episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. *Judic.* 11. Veni, & esto Princeps noster, & pugna contra filios Ammon. Ad pugnandum enim assumuntur, non ad pausandum.

b Et fructum afferatis] animarum, non temporalium, *Osee* 8. In telis aranearum erat vitulus Samariæ.

Item, [Fructum afferatis,] non auferatis, vel colligatis, quia subditis deberent dare, non auferre. Sed multi sunt tonsores, non Pastores, cum tamen dicatur Petro: Pasce oves meas, non tonde, *inf.* 12.

Unde Prælatis nostri temporis potius debet poni in manu falx, quam baculus pastoralis: quia ad metendum sunt electi, subditos metunt.

Vel] Fructum afferatis,] bona opera faciendo. Sed multi sunt, qui nec alios facere permittunt bona. *Matthei* 23. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

c Et fructus vester maneat,] contra quosdam, qui in primo anno prælationis boni sunt, & ferventes, & solliciti circa gregem suum; sed in secundo tepescunt, in tertio autem omnino tepidi facti sunt. Et tunc invadit diabolus gregem. *Daniel cap.* 1. Anno tertio Joachim

⊙ Regis Judæ venit

Δ fructus vester manet, multo magis vos. *a* Ut quodcumque petieritis, &c.] q.d. dico, ut fructum afferatis: ut sic merito operum, & laborum exaudiamini. Et hoc est. Ut quodcumque petieritis Patrem, apud quem principii auctoritas.

b In nomine meo] Hoc dicit, ne credatur in Filio minoritas.

c Det vobis,] vel secundum *Chr.* Idem vobis. Unde dicit *Chrys.* Ejus, qui petitur est facere, vel dare: si ergo petitur Pater, qualiter Filius dat, vel facit? Respondemus: ut discas, quoniam non minor Filius, sed æqualis. Et habetur simile *sup.*13. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Et nota, quod per multa ostendit Dominus amorem suum ad eos.

ut *a* quodcumque petieritis Patrem in *b* nomine meo, *c* det vobis. Hæc *d* mando vobis, ut diligatis invicem. Si *e* mundus vos odit, scitote, *f* quia me priorem vobis odio habuit. Si *g* de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret. *h* Quia vero de mundo non estis; sed *i* ego elegi vos *k* de mundo: *l* propterea odit vos mundus. *m* Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. *n* Non est servus major Domino suo. Si *o* me persecuti sunt, & vos persequentur. Si *p* sermonem meum *q* servaverunt, & *r* vestrum servabunt.

[*Sup. 13. Matth. 10. Luc. 6.*] Primo in patiendo pro eis, quæ patiebatur tunc, *ibi* Majorem hac dilectionem, &c.

Secundo in dicendo secreta Patris, *ibi*. Omnia, quæcumque audivi, &c.

Tertio in præcurrendo ad amicitiam, *ibi*: non vos me elegistis, &c.

Quarto in largiendo eis magna bona, & conservando fructum eorum, & propagando, *ibi*: Posui vos, ut eatis, & fructum, &c.

Quinto in exaudiendo eorum preces, & desideria, *ibi*: Ut quodcumque petieritis, &c. Ostensa ergo sua dilectione, & modo diligendi nos, exigit nostram, dicens.

d Hæc mando vobis, ut diligatis invicem] sicut ostendi vobis me diligere vos. *Chrys.* ponit hanc litteram. Hæc locutus sum vobis, ut ametis vos invicem, q. d. hæc, quæ dico vobis, quod, scilicet, animam meam pono pro vobis: & quod ad vos primus cucurri, & alia signa dilectionis: non dico exprobrando; sed magis, ut in dilectionem vos inducam.

e Si mundus vos odit, &c.] *Aug.* Cur ergo se membrum supra verticem extollit? Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum capite. Vel: Si mundus vos odit, &c.] q.d. dico, ut diligatis invicem: etiam inimicos diligite, & sufferte, scientes, quia & ego mundum dilexi, a quo tamen odia sustinui. Et hoc est; Si mundus, &c. Vel aliter. Prius monuit eos, ut se diligerent; hic monet, ut inimicos lætaoter exemplo suo tolerent. Vel sic. Prius monuit eos ad dilectionem; sed quia charitas patiens est, & benigna: ideo monet eos [*1. Cor. 13.*] hic ad patientiam. *Chr.* Prius ad dilectionem induxit: deinde quia persecutionem pati a multis, & exprobrari difficile erat, & sufficiens, ut animam excelsam humiliaret: & pauci existentes turbabantur plebis tantæ debentes prælium suscipere, præliniens, & refriciens animas eorum, dicit. *e* Si mundus vos odit, scitote,] i. recogitate. *f* Quia me priorem vobis odio habuit] q.d. non oportet dolere, sed lætari de hoc, quod oderunt vos Judæi, quia per hoc communicatis Passionibus. Et est argumentum amoris, sc. quod me amatis, & amo vos; & e contrario dolere vos oportebit, si diligeremini a mundo: quia hoc esset signum amoris, & conformitatis mundi. Unde subdit. *g* Si de mundo fuissetis, mundus] utique, quod suum erat, i. sibi conlonum, diligeret: quia simile applaudet suo simili, & diligit. Itaque si diligeremini a mundo, per interiora offerretis signum, & ostensionem, diligeret, falsa dilectione, qua se falso diligit; sed vere odit, quia odit naturam, diligit vitium. Simile *supra* 7. Non potest vos odisse mundus: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo.

h Quia vero de mundo non estis,] idest, non estis mundanis in malitia conformes.

i Sed ego elegi vos] gratis separavi.

k De mundo,] de quo aliquando fuistis.

l Propterea odit vos mundus,] q. d. justitia vestra est mundani odii causa.

m Mementote sermonis mei.] *Aug.* Quia exemplo sui, quo alius melior non est, monuit ad ferenda odia mundi: subdit, quare eum in hoc debeant imitari: quia, sc. ipse est Dominus, illi servi: ideo commemorat, quod a principio sermonis ejus dixerat, dicens: Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, *sup.*13. Et sicut tunc dixi invitando ad humilitatem; ita & modo dico invitando ad sustinendam persecutionem. Et quis est ille sermo? Ecce non est servus, &c. Vel Sermonis mei, illius, sc. superioris, scitote, quia me priorem odio habuit. Et subdit causam, quia. *n* Non est servus major Domino suo.] Et ita, si me Dominum, persecuti sunt: & vos servos, persequentur, in quibus etiam me persequuntur. *Chr.* Ostendit eos zelotes sui; i. imitatores maxime esse in hoc. Quamdiu enim fuit Christus in carne, prælium habuerunt ad eum Judæi; quia vero translatus est ad eos, rursus venit bellum, tanquam ad hæredes, & imitatores ejus. Et non solum persequentur factis; sed & insidiabuntur verbis. Unde subdit. *p* Si sermonem meum,] qui sum Magister. *q* Servaverunt,] idest, observaverunt, ut scilicet caperent me in sermone: *r* Et vestrum servabunt,] qui estis Discipuli, idest, observabunt, secundum illud *Psalm.* 36. Observabit peccator Justum. Hoc enim de Christo dicitur, *Marci* 3. & *Luc.* 14. Et Δ illi observabant

O Regis Judæ venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Jerusalem, & obsedit eam. [*Aliter.*] *a* Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Qui fructuosus esset in operibus, exaudiretur de facili in orationibus. *Jac.*4. Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. Et require *sup.eod.* de hoc. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. *d* Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.] *Chr.* Cujus gratia, ubi amorem ita extollit, quoniam in hoc est ostensio Discipulorum, hoc est, quod applaudit virtuti. Propterea & Paulus tot de eo, idest, de amore ait, 1. *Corinth.* 13. Tanquam Discipulus existens naturalis Christi, & experientiam ipsius accipiens. Seq. *e* Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit] Nota, quod mali odiunt bonos multis de causis. Prima, quia sunt eis dissimiles. *Sap.*2. Dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ ejus. E contrario enim simile diligit sibi simile. [*Mali odiunt bonos multis de causis.*] *Eccl.*13. Omne animal diligit sibi simile: sic & omnis homo proximum sibi. Et 27. Volatilia ad similia aggregantur. Et hæc causa notatur, *ibi*. *g* Si de mundo essetis, &c.] dissimiles mundanis. Secunda causa est, quia odiunt Deum eorum. Et hæc causa notatur, *ibi*. Et hæc omnia facient vobis propter nomen meum. Et *ibi*. Me priorem vobis odio habuit, 2. *Reg.*3. Facta est longa concertatio inter domum David, & domum Saul, i. inter familiam Dei, & familiam mundi, tertia causa est, quia corripiuntur ab eis. Unde *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem. *Prov.*15. Non amat pestilens, qui se corripit. *Tullius*. Obsequium amicos, odium veritas parit. Quarta causa est, quia mundus videt se deseri, & despici a bonis: Ideo indignatur contra eos. *Phil.*3 Omnia arbitratus sum ut stercora. *Ps.*61. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Et hæc causa notatur, *ibi*. Quia vero de mundo non estis. Non sunt enim de mundo, sed mundum despicientes relinquent. Item qui mundum dicunt esse illusorem, & præstigiatorem, 1. *Cor.* 7. Præterit figura hujus mundi. Et 1. *Jo.* 2. Transit mundus, & concupiscentia ejus. Præstigiose ergo prætendit mundus stabilitatem. Item quia mundum ostendunt proditorem. Unde *Luc.*22. Juda, osculo Filium hominis prodis? Quod est, quando mundus amplectitur aliquem promovendo ad honorem. Quod significatur 2. *Reg.*20. Joab interfecit Amasam osculando. Item, quia ostendunt esse mendacem in promissis. *Prov.*25. Nubes, & ventus, & pluviæ non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens. Propter hoc igitur, sicut canes domestici extraneos dilacerant: sic mundus bonos. *Phil.*3. Videte canes, videte concisionem. Mali enim sunt domestici mundi; boni autem peregrini. Unde *Ps.*38. Advena ego sum apud te, & peregrinus. Seq.

n Non est servus major Domino suo] idest non decet membrum esse delicatum sub capite spinato.

o Si me persecuti sunt, &c. Si sermonem meum servaverunt, &c.] Hoc est, quod dicitur 2. *Reg.* 10. Tulit Anon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit vestes eorum medias usque ad nates, & dimisit eos, Anon, qui interpretatur gratis iniquus, i. mundus radit dimidiam partem bonorum, quia capit eos in verbis, * Vestimenta eorum

a illi observabant eum. Et subdit illam consolationem dicens. *a* Sed hæc omnia] odia, sc. cordium, persecutionem factorum, observationem verborum.

b Facient vobis propter nomen meum,] i. propter odium nominis mei, q.d. me in vobis odibunt, & persequentur sermonem vestrum,

a Sed hæc omnia *b* facient vobis propter nomen meum, *c* quia nesciunt eum, qui misit me. Si *d* non venissem, & *e* locutus fuissem eis, *f* peccatum non haberent. *g* Nunc autem *h* excusationem non habent de peccato suo. *i* Qui me odit, k & Patrem meum odit.

quia meus est, contemnent, & observabunt. Tanto igitur miseriores, qui propter hoc nomen ista faciunt: quanto beatiores, qui propter hoc nomen ista patiuntur. Sicut alibi ipse dicit. *Matt.* 5. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Secundum hoc sic exponitur.

b Facient vobis propter nomen meum,] idest, propter amorem nominis mei, idest, quia me amatis, ideo vos persequentur. Sed quare oderunt ipsi nomen tuum: vel quare non amant te? Ecce.

c Quia nesciunt eum, qui misit me] i. non credunt me, missum a Patre, nec habent veram fidem de Patre: quia si haberent, Filium non odirent. Et hoc dicit in consolationem Discipulorum, quod non solum Filius; sed & Pater contumeliam patitur cum eis. Nec solum Filio, sed & Patri injuriantur Judæi; unde & venia eos, & excusatione privans, subdit etiam aliam mitigationem, dicens. *d* Si non venissem, &c.] quasi carent venia, & excusatione, quia scienter persequentur veritatem in vobis. Vel sic continua: Misit me, dico; sed si non venissem, &c. Vel sic dixerat generaliter. Odit vos mundus. Item vos persequentur; sed non specificaverat de Judæis: ideo specialiter hic determinat Judæos, ad quos missus est ipse Christus, dicens: *d* Si non venissem,] carnem assumendo. *e* Et locutus fuissem eis,] docendo, tam signis, quam verbis, & beneficiis.

f Peccatum non haberent.] Non quod non haberent peccatum, antequam venisset; sed peccatum dicit antonomastice illud peccatum, quod non crediderunt in Christum. Vel, peccatum tantum.

g Nunc autem,] quia veni, & locutus sum eis.

h Excusationem non habent de peccato suo,] infidelitatis. Et nota, quod multis modis consolatur Discipulos contra odia; & persecutiones mundi. Primo exemplo sui, *ibi*. Scitote, quia priorem me odio habuit. Secundo, quia signum est iniquitatis diligi a mundo, *ibi*. Si de mundo fuissetis, &c. Tertio, quia signum est virtutis odiri ab eo, *ibi*. Quia vero de mundo non estis, &c. Quarto, quia de jure pati debet servus cum Domino, *ibi*: Non est servus major Domino suo. Quinto, quia amore sui patiuntur, *ibi*. Propter nomen meum. Sexto, quia etiam in hoc injuriantur Patri, *ibi*. Quia nesciunt eum, qui misit me. Septimo, quia venia carent, & excusatione, *ibi*. Si non venissem, &c. Non enim parva erat consolatio præsonare eorum supplicium, ut dicit *Chr.* Unde adhuc subditur. *i* Qui me odit, & Patrem meum odit.] Ne enim dicerent, licet non credant in te, nec diligant; tamen credunt, & diligunt Patrem: & ideo excusabiles sunt: zelantes enim Patrem te persequuntur: ideo destruens eorum excusationem, dicit.

i Qui me odit,] sicut Judæi.

k Et Patrem meum odit.] i. ad modum odientis se habet, i. cum offendit, qui me offendit. Unde inexcusabiles

a sunt, quia & me

Moral. * Vestimenta eorum scindit, quia persequitur eos in factis, expolians, scilicet, eos rebus suis.

a Et hæc omnia] prædicta, scilicet, odia cordium, persecutiones verborum,

b Facient vobis propter nomen meum.] Hæc tria habentur *Luc.* 6. Beati eritis, cum vos oderint omnes homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis. Simile *Matth.* 5. 1. *Pet.* 4. Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum concupitor: si autem ut Christianus, non erubescat. Item *in eod.* Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod honoris gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescet.

c Quia nesciunt eum, qui misit me] Patrem. In hoc est consolatio Justorum, quod propter Filium, & Patrem patiuntur: etiam bona causa inducit constantiam. Unde *Chr.* Sufficiens erat erigere eos, & confortari causa eorum, quæ in ipsos fiebant: propterea eam sæpe revolvit, dicens: Non cognoverunt me, & quoniam propter me facient, & propter nomen meum, & propter Patrem. Et postea subdit: Hæc & nos intentionibus revolvamus, cum a perniciosis aliquid patimur hominibus, ad Principem nostrum respicientes, & consummatorem fidei. *Hebr.* 12. Et consideremus, quoniam a malis hominibus, & quoniam propter virtutem, & quoniam propter eum patimur; si hæc cogitemus, omnia facilia erunt, & portabilia. Si enim pro amabilibus, quos patiens etiam gloriatur, propter Deum si quis patiatur quid, quem suscipiet sensum? Nullum, sc. malorum. Si enim ipse Christus rem exprobrabilissimam, videlicet, Crucem gloriam vocabat, multo magis nos ita disponi oportet. Unde *Gal.* 6. Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini, &c. *Rom.* 5. Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus. *Eccl.* 23. Magna sequi Dominum.

Item *Chr.* Cum quid patimur indelectabile, non laborem, sed & coronam oportet cogitare. Sicut negotiatores non solum pelagus, sed & lucra reputant: sic & nos cœlum in tribulatione: si onerosum fuerit inopibus dare, traduc mentem ad messem ex semine: si dura videtur tibi virtus, opponas ejus voltui premissorum magnitudinem.

Item *Chr.* Qualiter non inconveniens est nos quidem ad mensas sedere ridentes, & voluptantes; pauperes vero per bivia transeuntes audire ululantes: neque nos convertere ad eorum ululatum; sed & gravari, & indignari contra eos, & deceptores vocare: quid dicis, o homo, propter panem unum quis deceptionem complicat? Utique ait. Propter hoc ergo maxime misericordiam consequatur, & ab hac necessitate eripiatur. Si vero non vis dare, saltem ne convicieris: si non vis solvere ejus naufragium, ne impellas in baratrum; excogita, quod cum eapuleris inopem, qualis erit tibi Deus. Qua enim mensura mensuraveritis, remetietur vobis. *Luc.* 7. Excogita, qualiter pauper contritus abit, inferius incurvatus lugens cum inopia etiam tuo convicio percussus. Si enim etiam mendicate maledictionem vos ponitis, petentem eleemosynam non suscipere, & contumeliam suscipientem abire, intuere quantam tempestatem, & dolorem facit, nisquequo feris assimilati sumus, & naturam ipsam propter avaritiam ignoramus? Excogita diem illam, quando præsentabimur ante tribunal Christi, & cum deprecabimur misericordiam: quando & in medium ducens pauperes suos Christus dicet ad nos: quoniam propter panem unum, & obolum unum tantam in animabus ipsorum pauperum fecistis angustiam, & fluctuationem. *Matth.* 25. Quod uni ex minimis meis non fecistis, &c. Item *Chr.* Quam excusationem habemus, cum quidem nobis cœlum promittit[nos autem neque ei panem tribuimus: cum ipse quidem tibi Solem oriri faciat, & omni creaturæ tribuat ministrationem; tu vero neque vestimentum ei des, etiam vestimentum superfluum, neque tectam. Et quid dico, tectum, Solem, & creaturam, imo & corpus proprium tibi apposuit, & sanguinem pretiosum dedit: tu vero neque calicem aquæ das ei. Sed dedi semel, ait quis. Sed non est hoc misericordia, sc. dare semel, donec enim habens aliquid ejus non suffeceris: nondum omne complesti, quia & virgines lampades habentes habebant oleum, sed non copiosum: *Matth.* 25. Item *Chr.* Oportet, etiamsi ex tuis tribueres, neque ita parcum esse; nunc autem ea, quæ sunt Dominatoris dans, cujus gratia pusillanimis es. 1. *Par.* 29. Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Item *Chr.* Dicam causam hujus inhumanitatis, avaritia hæc est. Qui enim ab avaritia didicit lucrari, consumere, & largiri, non novit. Qui enim aliena rapit, qualiter sua erogabit? Etenim canis meditans carnes gustare, custodire non ultra potest gregem. Propterea tales etiam interficiunt Pastores. Sequitur.

d Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, &c.] Hoc est, contra litteratos, ad quos venit Dominus per beneficia, & loquitur eis per Scripturas.

Unde improperat eis. *Prov.* 1. Extendi manum meam in largiendo redditus, quos habetis. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, in Scripturis, sc. Sed timeant, quod sequit. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, &c.

g Nunc autem excusationem non habent de peccato suo] quia peccata litteratorum convertuntur quasi in peccatum in Spiritum sanctum, eo quod videntur peccare ex certa malitia, *Luc.* 12 Servus sciens, &c. 2. *Petr.* 2. Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti.

* *a* Si opera non fecissem

a sunt, quia & me, & in me Patrem offendunt. Et adhuc ostendit, quod ex malitia eum oderunt: quia non solum verba dixit; sed opera fecit, quæ nemo alius fecit. Unde dicit:

a Si opera non fecissem in eis.] *Gloss.* Non inter eos, vel coram eis, sed in eis: quia eos sanavit, pro quibus debuerant eum amare, non odisse.

b Quæ nemo alius fecit,] ut quod pavit tot millia de panibus paucis, *sup.* 6 quod super aquas ivit, & Petrum ire fecit. *Matth.* 14. & alia hujusmodi, quæ propria auctoritate fecit.

c Peccatum non haberent.] Illud magnum infidelitatis est. *Chrys.* Destruit excusationem eorum: a sermonibus enim tribuit doctrinam. Et nunquam sic locutus est homo, *sup.* 7. Adjecit & eam, quæ est ab operibus secundum legem Moysi: *Deut.* 18. Qui ab illo, qui hoc facit, & dicit, persuaderi universos jussit, cum ad pietatem ducat, & miracula tribuat maxima, & non simpliciter signa; sed quæ nullus alius fecit. Et de hoc etiam ipsi fuerunt testes, dicentes: Nunquam sic apparuit in Israel. Et etiam: A sæculo non est auditum, ut quis aperueris oculos cæci nati, *sup.* 9. Item de Lazaro, *sup.* 11. Et mirificationis modus novus est.

> a Si opera non fecissem in eis, b quæ nemo alius fecit c peccatum non haberent. d Nunc autem & viderunt, e & oderunt & me, & Patrem meum. f Sed ut impleatur sermo, g qui in lege eorum scriptus est: h quia odio habuerunt me gratis. i Cum autem venerit k Paracletus, l quem ego mittam vobis m a Patre n Spiritum veritatis, o qui a Patre procedit: p ille testimonium perhibebit de me. Et q vos r testimonium perhibebitis: s quia ab initio t mecum estis,

Deut. 18. Si tacita cogitatione responderis: quomodo possum intelligere verbum, quod non est locutus Dominus? hoc habebis signum. Quod in nomine Domini ille Propheta prædixerit, & non evenerit: hoc Dominus non est locutus. *Matth.* 9.

d Nunc autem & vider.] illa opera.

e Et] tamen [oderunt me, &c.] quia impugnant veritatem, quæ est eadem in me, & Patre, vel in quo offenditur Pater, & Filius. Confirmat autem, quod dixerat per Scripturas, dicens.

f Sed ut, &c. Et ponitur ly [ut] consecutive, sive eventus.

g Qui in lege eorum scriptus est, idest, in lege eis data, vel, idest, in Psalmis.

h Quia odio, &c.] idest, sine culpa mea, vel sine causa, vel sine utilitate sua. *August.* Gratis odit, qui nullum ex odio commodum quærit, vel incommodum fugit. Sic impii oderunt Christum. Sic Justi diligunt gratis, non propter aliud, sed propter ipsum. *Chrys.* dixit causam odii, scilicet, nequitiam eorum. Sed neque in hoc stat, sed & Prophetam inducit hoc idem antiquitus resonantem, & dicentem: quoniam, scilicet, oderunt me gratis. Sic & Paulus facit. *Roman.* 11. Multis enim admirantibus, quare Judæi non crediderunt. Prophetas inducit prædicentes antiquitus, & causam ostendentes, quoniam nequitia eorum, & despectio infidelitatis fuit eis causa. Sequitur.

i Cum autem venerit Paracletus, quem ego, &c.] *Chr.* Poterant dicere Discipuli, si sermonem tuum servaverunt, & nostrum servaverunt, ut tu dicis: si te persecuti sunt, & nos persequentur, si signa viderunt in te, quæ nullus fecit: si verba audierunt, quæ nullus dixit, & nihil profecerunt: si patrem tuum oderunt, & te cum illo: qualiter igitur nos immittis ad eos? qualiter nos fide digni erimus? qualiter attendent nobis, qui ejusdem sunt Tribus, & generis nobiscum? Ut igitur non hæc cogitantes turbentur, vide, quam inducit consolationem [cum venerit Paracletus, quem ego, &c.] quasi dicat, ille dignus fide testis erit: ideo vocat eum Spiritum veritatis, non Spiritum sanctum. Ideo etiam dicit: [qui a Patre procedit,] quasi qui omnia certissime novit, sicut ipse dicat, quoniam novi, unde venio, & quo vado. Et nota verba singula.

t Cum autem venerit] sponte, ut Deus non credatur minor, quia missus.

k Paracletus,] idest, consolator. Hoc dicit: ut sit fiducia consolationis, vel Advocatus: ut sciant, quod vincens in causa contra Judæos.

l Quem ego mittam vobis.] Ecce quod filius mittit Spiritum sanctum, sicut Pater. Unde etiam dicitur Spiritus filii. *Galat.* 4. Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, &c. Item 1. *Petr.* 4. Qui est ejus Spiritus, super vos requiescet. Item *Rom.* 8. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.

m A patre.] Filius dicitur mittere a Patre, a quo habet, & esse. *Chrys.* non habet, a Patre, & dicit: Ecce non adhuc Pater solus, sed & Filius est, qui mittit Spiritum sanctum.

n Spiritum veritatis.] Hoc dicit, ut sit fiducia prædicationis. Vel, veritatis, contra umbras legales. Vel, veritatis, quasi non vos decipiet.

o Qui a Patre procedit.] Ecce quod & Pater mittit.

p Ille testimonium perhibebit de me] q. d. eadem dicet vobis, quæ ego. Per quod patet, quod non dico hæc blandiens vobis, vel pro gratia vestra. Ille autem erit fide dignus, quia Spiritus veritatis & a Patre procedet, & ita non fallet. Item, testimonium perhibebit de me, non solum apud vos, sed apud Judæos, sive contra eos manifestatione signorum, quæ in adventu Spiritus sancti facietis in nomine meo. Unde subdit.

q Et vos] Apostoli per eum illustrati, & confortati.

r Testimonium perhibebitis] de me, quod modo non auderetis. *Is.* 43. Vere vos testes mei, dicit Dominus. Et bene poteritis testimonium perhibere de me: quia audistis meam doctrinam, & vidistis vitam.

s Quia ab initio] meæ prædicationis.

t Mecum estis.] *Chrys.* q.d. vos habebitis credulitatem, & fide digni eritis, & per adventum Spiritus, & quia mecum morati estis: quia non ab alio, sed a me ipso audistis. Ex hoc enim & ipsi Discipuli certificant, & confirmant sermonem suum, dicentes: quia manducavimus, & bibimus cum illo, sicut dicit Petrus *Act.* 10. Dedit eum manifestum fieri non omni populo; sed testibus præordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus, & bibimus cum illo. Item *Act.* 4. Non possumus, quæ audivimus, & vidimus, non loqui. Item 1. *Jo.* 1. Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, &c. Item *Lucas in Prologo*: Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.

Moral. * a Si opera non fecissem in eis, &c.] *Deut.* 4. En populus sapiens, & intelligens, Gens magna: nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Item *Deut.* 1. Portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via, qua ambulasti. Litteratos enim quasi tenendo manus eorum portat: quia sine labore habent bona Ecclesiæ. Alii enim laboravit, & nos in labores eorum introimus, *supra* 4. Et ideo subdit.

h Quia odio habuerunt me gratis,] idest, sine causa, quia in nullo possunt conqueri de Domino. *Is.* 5. Quid est, quod amplius debui facere, &c.

i Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a patre, &c.] Hic notantur quædam in adventu Spiritus sancti. Venit enim ad consolandum: ideo dicitur Paracletus. Venit etiam ad docendum: ideo dicit Spiritum veritatis. Venit etiam ad perhibendum de Filio Dei testimonium. ideo dicit, iste testimonium perhibebit de me. Consolatur autem nos in tribulationibus nobis assistendo. Unde *Ps.* 90. Cum ipso sum in tribulatione. *Is.* 43. Cum transieris per aquas, tecum ero, &c. Item cum ambulaveris in igne, non combureris. Per aquam, & ignem intelligitur tentatio prosperitatis, & adversitatis. Item, *supra* 14. Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. Et postea: Apud vos manebit, & in vobis erit. Item consolatur in tribulationibus refrigerium præstando. *Daniel.* 3. Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Item mentem dulcedine cœlesti inebriando. *Eccl.* 24. Spiritus meus super mel dulcis. Item ipsas tribulationes dulcedine respergendo. *Deut.* 33. Inundationes maris quasi lac suget. Item utilitatem ipsarum tribulationum interius ostendendo, sicut ille, qui dicebat: Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo, *supra eodem*. Purgabit eum, ut fructum plus afferat. Item audaciam, & fortitudinem præbendo, *Job* 39. Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum?

EXPOSITIO CAP. XVI.

HÆc locutus, &c.] In prima parte cap. dicit Dominus, quod hæc, quæ dixerat, sit locutus in consolationem malorum, quæ instant: & ponit rationem, quare non ante dixerit eis. Secundo adhuc intendens eorum consolationi, dicit, quod expedit eis, ut vadat: & ponit rationes, quare expediat: quia mittet, qui arguet mundum pro eis, qui consoletur eos, & instruat: qui futura dicat, & clara miracula agat, ibi: Sed ego, &c. Tertio post consolationem redit ad tristia, quæ obscure dicta non intelligunt, sed eis aperit per exemplum mundanum, ibi: Modicum, & jam, &c. Quarto promittit eis, quod exaudientur in omnibus, ibi: Sed quid, &c. Quinto dicit se occulte, & in proverbiis fuisse locutum, sed postea palam loquetur: & ostendit amorem Patris ad eos, ibi: Hæc in proverbiis, &c. Sexto consolati discipuli per prædicta exultant in fide ejus, & sermones ejus commendant: quibus Dominus e contra ostendit dispersionem eorum futuram, ibi: Dicunt ei, &c. Dicit ergo.

A — Matth. 24.

CAP. XVI.

HÆc *a* locutus sum vobis, *b* ut non scandalizemini. *c* Absque Synagogis facient vos. *d* Sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. *e* Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me: *f* Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, *g* reminiscamini, *h* quia ego dixi vobis. *i* Hæc autem vobis ab initio non dixi, *k* quia vobiscum eram. *l* Et nunc vado ad eum, qui me misit;

a Hæc locutus, &c.] Postquam exemplo suo docuit ferre odia, in quo sciunt, quid debeant facere, sed non possunt: postquam promisit etiam Spiritum, quo poterunt resistere, addit: Hæc locutus sum vobis, de odio mei, quod est exemplum: & de Spiritu sancto, quia est firmamentum.

b Ut non, &c.] idest, ut charitate diffusa in cordibus vestris per Spiritum sanctum sit vobis multa pax, & non scandalum in his, quæ patiemini a Judæis. Et subdit, quæ.

c Absque Synagogis facient vos,] idest, extra Synagogas. *Chrysostom.* Jam enim composuerant, ut si quis eum confiteretur Christum, absque Synagogis fieret, *sup.* 9. Jam enim conspiraverant Judæi, &c. Et non solum hoc facient.

d Sed venit, &c.] quasi dicat, vestram occisionem opinabuntur rem piam, & Deo placentem. Deinde consolationem inducit.

e Et hæc facient, &c.] Filium, q.d. sufficit vobis in consolationem propter me, & Patrem hæc pati: propter me enim, & Patrem, quos ignorant, vos persequentur. Simile *Matth.* 5. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter nomen meum gaudete, & exultate, &c. Hæc facient [enim] vobis, quia non noverunt, &c. quasi ex stulta ignorantia hoc facient. Et hoc dicit, ut minus lædat eos persecutio illata ab eis ignorantibus.

f Sed hæc, &c.] malorum, i. cum fient ista mala.

g Reminiscamini, quia ego dixi vobis,] i. prædixi, ne ignoretis. Hæc enim visa turbarent; sed prævisa patienter ferantur. *Chr.* habet hanc litteram.

f Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora] i. opportunitas. Vel hora, i. tempus, quo hæc implebuntur.

g Reminiscamini] horum, ut ab his etiam cetera credibilia æstimetis. Non enim poteritis dicere, quando blandiendo, & adulando vobis dixerim vobis placentia, & ad gratiam locutus fuerim solum: nec quoniam deceptoria vobis dixerim. Si enim deceptor essem, non prædixissem vobis hæc, quæ, i. adversa avertunt a me: propterea igitur prædixi, ut non inopinata accidentia vos perturbent. Item propter aliam causam, ut sc. non dicatis; quoniam non prævidi futura hæc. Mementote igitur.

h Quia ego dixi vobis,] i. prædixi, ut sc. credatis me esse Deum, qui hæc præscivi, & ut sit vobis consolatio ea præscivisse, & causam eorum. *i* Hæc autem vobis ab initio non dixi,] q.d. modo prædico mala ventura; sed hæc non prædixi ab initio meæ prædicationis: non quia non noveram; sed. *k* Quia vobiscum eram,] q.d. quia in tuto eratis, quamdiu aderam: & licitum erat interrogare me, quando volebatis, & super me prælium omne projiciebatur: ideo superfluum erat prædicere hæc a principio. *l* Et nunc] vel [nunc autem vado ad eum, qui me misit] & ideo modo tempus est prædicandi.

Aliter. Δ *a* Et nemo ex *August.* dicit. *i* Hæc autem vobis ab initio non dixi:] non de passionibus, sed [hæc] consolatoria de adventu Spir. sancti, & consolatione. *k* Quia vobiscum eram.] *Augustinus:* Et consolabar vos mea præsentia corporali exhibita humanis sensibus vestris; quam parvuli capere poteratis: ideo non oportuit, ut prædicarem vobis adventum alterius Consolatoris. *l* Nunc] autem [va- ☉do ad eum, qui

Moral. In præsenti cap. dicitur. *l* Et nunc vado ad eum, qui me misit.] Homo peregrinaturus familiæ suæ prædicit suum recessum, & consolatur eam lugentem, & maxime tribus modis: Aut promittit se non sine lucro venturum, aut per aliquem probum virum illis in omnibus provisurum, aut per seipsum in continenti reversurum. Christus est iste homo peregre proficiscens, *Matt.* 25. Homo quidam peregre proficiscens, vocavit servos suos. Ibi dicit *Greg.* Quis est iste homo, qui peregre proficiscitur, nisi Salvator noster, qui in ea carne, quam assumpsit, in cœlum ascendit? Carnis namque locus proprie terra est, quæ quasi ad peregrinandum ducitur, dum per Redemptorem nostrum in cœlo collocatur. Recessurus ergo Christus suos consolatur hoc triplici modo. De primo ibi: Si abiero, &c. De secundo ibi: Arguet mundum, &c. Et ibi: Docebit vos, &c. q. d. bonus tutor vobis erit contra mundum, & Doctor, & educator. De tertio, ibi: Modicum, & videbitis me, quasi dicat, cito redibo. Christus ergo valefaciens, dicit.

l Vado ad eum, qui, &c.] Vadit ad Patrem primo, quasi de triumpho gratias acturus. Unde *sup.* 11. Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me; In quo docet nos, quod missi in vineam Domini ad operandum, vel prædicandum semper debemus redire per gratiarum actionem ad fontem omnium bonorum. *Eccl.* 1. Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant. E contra: corvus non revertitur ad arcam; sed columba deferens in ore ramum olivæ. *Gen.* 8. Ramus olivæ est verbum gratiæ, & misericordiæ, quod debemus habere in ore, & ad arcam, i. ad cœlum, ad Noe, i. ad Deum referre, & dicere: Misericordia Domini, quod non sumus consumpti. *Thr.* 3. quia non defecerunt miserationes ejus. Omnia enim debemus ejus misericordiæ, & gratiæ, non nobis attribuere, sicut Apostol. Gratia Dei sum id, quod sum, 1. *Cor.* 15. Et *in eod.* Non ego autem; sed gratia Dei mecum.

Secundo vadit ad Patrem, quasi amicos curiæ recommendaturus, & petitiones nostras delaturus, & causam nostram defensurus. Unde 1. *Jo.* 2. Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum Justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Et *Hebr.* 7. Salvare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis. Tertio vadit ad Patrem loca nostra præparaturus. Unde *sup.* 14. Vado vobis parare locum: & si abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum. Ibi require de hoc. Quarto vadit mentes nostras ad superna elevaturus. *Matth. c.* 6. Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Ex quo ergo Christus, qui est thesaurus Sapientiæ, & gratiæ, est in cœlis, debemus illuc mente & desiderio elevari, *sup.* 12. Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. *Matth. c.* 24. Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ. Unde in vigilia Ascensionis dicit Collecta. Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut nostræ mentis intentio, quo solemnitatis venturæ gloriosus Auctor ingressus est, semper intendat: & quo fide pergit, conversatione perveniat. Quinto, vadit inimicos apud Patrem accusaturus, nisi pœnituerint. Quid dicit? Hoc quod dicitur *Os.* 7. Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacium. Et illud *Ps.* 108. Pro eo, ut me diligerent, &c. Et *sup.* 12. Sermo, quem locutus sum, ille judicabit in novissimo, *sup.* 8. Si judico ego, judicium meum verum est, *sup.* 5. Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem. Ego, scilicet, solus, vel sine culpa vestra. Unde subdit *ibidem*; Est qui accuset vos Moyses, in quo speratis. Sexto, vadit quasi de victoria mercedem accepturus. *Philippens. cap.* 2. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem; mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, &c. *Ps.* 109. De torrente in via bibet,

* propterea

▲ *a* Et nemo ex vobis interrogat me: quo vadis] q. d. ex his, quæ prædico vobis ventura, ita tristamini, ut nihil mihi loquamini. Unde subdit.

b Sed quia hæc locutus sum, &c.] In extasim enim devenerunt Apostoli, audita recessione Christi, & ventura eis tanta tribulatione: nescierunt enim, si possent viriliter ferre. *Chrys.* Magna tristitiæ tyrannis violentia, & multa nobis virilitate opus est, ut resistamus huic passioni nobiliter: & quod utile est in ea fructificantes: quod superfluum est, dimittamus.

> *a* & nemo ex vobis interrogat me: quo vadis. *b* Sed quia hæc locutus sum vobis, *c* tristitia † implevit cor vestrum. *d* Sed ego veritatem dico vobis: *e* expedit vobis, ut ego vadam. *f* Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.

vl. † implebit.

Habet enim quid etiam utile: Nam cum quidem peccaverimus nos, vel alii: tunc solum tristari bonum est; cum autem in humanas necessitates inciderimus, inutilis est tristitiæ usus. Quia igitur & Discipulos nondum perfectos existentes hujusmodi tristitia impugnabat, vide qualiter eos dirigit per increpationem; qui enim pluries ante hoc interrogabant, sicut Petrus: Domine, quo vadis, *sup.* 13. & sicut Thomas: Domine, nescimus, quo vadis, &c. *sup.* 14. & Philippus: Ostende nobis Patrem, &c. hi nunc audientes, quoniam absque Synagogis vos facient, & quoniam odient vos, & quoniam, qui interficiet vos, opinabitur culturam se offerre Deo: ita ceciderunt, ut amissiore locutionis detinerentur, & nihil ei loquerentur: quod eis improperans Dominus, dicit: Hæc autem vobis, &c. In quo etiam consolatur eos dicens eis rationem, quare hoc antea non prædixit, & occultam eorum aperiens tristitiam: Non enim parva erat mitigatio scire eos, quoniam sciverat Christus tristitiæ eorum superabundantiam.

d Sed ego veritatem dico vobis,] quasi dicat, tristitia implevit vos ea auditis; sed etsi decies millies contristemini, quod confert, audire oportet.

e Expedit vobis, ut ego vadam,] quasi aliud est, quod vobis placet, sc. me adesse: & aliud quod confert, i. me abire. Procurantis autem est in his, quæ prosunt, non parcere, quin dicat: in quo etiam Dominus consolatur, & mitigat eos: non enim, quæ ad gratiam vestram sunt, dico, ait; sed quæ ad profectum. Sed quæritur de hoc, quod dicitur *sup. eod.* Hæc autem vobis ab initio non dixi, &c. Imo *Matth.* 10. Dixit eis in initio missionis Apostolorum: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et *ibid.* Tradent vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides, & Reges ducemini propter me. Sol. secundum *Chr.* Flagella prius prædixerat, sed quod mors eorum esset ita studiosa, ut putaretur Dei cultura, non dixerat: Hoc enim poterat eos maxime attonitos facere; sed debebant, ut impii, & nocivi judicari. Vel aliter: Illic quæ a Gentibus debebant pati, prædixit hic, & Judaica adjecit cum ampliori superabundantia. Iterum: Illic prædixit futura, hic quoniam in januis est, edocuit.

Aliter. O do ad eum, qui me misit,] ideo modo opus est prædicere de consolatore alia.

a Et nemo ex vobis interrogat me: quo vadis,] quasi ita palam vadam, & nullus interroget, quod visu corporali fieri cernet. Viderunt enim in nube ascendentem certi de gloria, qui prius prædicta Passione quæsierant: Domine, quo vadis, *supra* 13.

b Sed quia hæc locutus sum vobis] me iturum a vobis.

c Tristitia implevit cor vestrum,] q. d. tunc quando videbitis ascendere, non quæretis, non dubitabitis; sed modo tristamini. *Aug.* Contristabatur in eis humanus affectus, quia carnalis desolabatur aspectus. Noverat autem Christus, quid eis potius expediret: quia visus interior ipse est utique melior, quo eos consolaturus erat Spiritus sanctus non cernentium corporibus ingesturus corpus humanum: sed seipsum credentium pectoribus infusus. Unde subdit.

d Sed ego veritatem dico vobis,] idest, vere dico vobis. Et est quasi juramentum.

e Expedit vobis, ut ego vadam.] *Aug.* Expedit vobis, ut hæc forma servi auferatur a vobis, nolo, ut semper adhuc me carnaliter diligatis, & isto lacte contenti semper infantes esse cupiatis.

f Si enim non abiero, &c.] i. non eritis idonei eum recipere. *Aug.* Si tenera alimenta, quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esurietis: vel si carni hæseritis, carnaliter esurietis, & capaces Spiritus non eritis.

▲ Si autem abiero

Moral. * propterea exaltabit caput. *Hebr.* 1 Videmus Jesum Christum propter Passionem mortis gloria, & honore coronatum. Septimo vadit militibus suis stipendia collaturus. *Ephes.* 4. Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Et *inf. eod.* Si abiero, mittam eum ad vos.

a Et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis.] Nos debemus quærere a Domino, & quo vadit, ut perveniamus: & qua vadit, ut imitemur. Et ad hanc quæstionem respondet Dominus *supra capit. decimoquarto.* Ego sum via, qua itur: & veritas, & vita, ad quam pervenitur. Sed multi sunt, qui non quærunt de gaudio Paradisi, nec de via mandatorum Dei. De quibus dicitur *Job capit. vigesimoprimo.* Qui dixerunt Domino Deo: recede a nobis: scientiam viarum tuarum nolumus. Alii sunt, qui utrumque quærunt? Sed non ad ædificationem, imo ad curiositatem. De quibus dicitur *Isaiæ capit. quinquagesimo octavo.* De die in diem me quærunt, & scire vias meas volunt. Quidam autem volunt scire, quo vadit; sed non curant de via, qua vadit, sicut Philippus, *supra cap. decimoquarto.* Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, &c. *Bernardus.* Quam pauci, Domine, post te ire volunt, cum tamen ad te pervenire nemo est, qui nolit. Quidam autem utrumque volunt scire propter ædificationem: De quibus *supra* 14. Et viam scitis, & quo ego vado, scitis.

b Sed quia hæc, &c.] Per hoc significantur quidam pusillanimes, qui modicum quærunt de patria, quo Dominus ivit, eo quod modicam spem habent: & ideo nimis tristantur, & quasi tristitia absorbentur in seipsis in verbis Domini, quia timent. *Psalm.* 41. Ad meipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui. Ideo bonum est cogitare, & quærere de patria, ne absorbeamur abundantiori tristitia, 2. *Cor.* 2. Consolemini magis, ne abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est. Vel in bono.

b Sed quia, &c.] dolor, scil. de peccatis: In sermone enim Domini debemus concipere dolorem, & parere confessionem, & satisfactionem. *Abacuch.* 3. Audivi, & conturbatus est venter meus, &c. De hac tristitia dicitur 2. *Cor.* 7. Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.

d Sed ego veritatem dico vobis] quasi dicat, etsi contristemini; tamen veritatem dico vobis. In quo notatur, quod veritas nemini parcit, nec est omittenda, etsi displiceat audienti, servato tamen modo, & tempore, & loco in dicendo, *Psalm.* 39. Ecce labia mea non prohibebo a veritate, scilicet, dicenda, Domine, tu scisti; justitiam tuam non abscondi in corde meo, &c. Sed quia quidam veritatem dicunt non ad ædificationem aliorum, sed propter ostentationem, vel indignationem: ideo subdit.

e Expedit vobis, &c.] quasi dicat, de expedientibus ego loquor: Prædico enim vobis recessum meum, qui expedit vobis.

Expediebat Christum abire, ut
- Nos in hæreditatem introducere, *Michææ c.* 2. Ascendet pandens iter, &c. *Exod.* 15. Introduces eos *sup.* 11. Expedit, ut unus homo moriatur pro populo.
- Amorem carnalem amputaret, *sup.* 6. Caro non prodest.
- Desiderium accenderet. Unde viri

Jericho sublatum Eliam ardentius quæsierunt, 4. *Regum cap.* 2. *Cantic.* 3. In lectulo meo per noctem quæsivi, quem, &c. *Isaiæ* 26. Anima mea desideravit, &c. Et subdit, quare expedit.

f Si enim] ego, [non abiero, Paracletus non veniet ad vos.] *Bernardus.* Nisi carnis præsentia subtrahatur, spiritualem gratiæ plenitudinem mens occupata non admittit. Si ita est, quis audiet de cetero carnis illecebris phantasticis deditus Paracletum expectare? Quid huic sterquilinio, & illi consolationi? *secunda ad Corinth.* 6. Quæ societas lucis ad tenebras: aut quæ conventio Christi ad Belial?

Et nota, quod carnalis affectus, & turpis, gratiam expellit, sed † carnalis, & naturalis impendit, ideo ablactari, nos oportet, *supr. c.* 6. Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quicquam. *Is.* 28. Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.

al. † charitas Dei gratiam.

▲ *a* Si autem abiero, mittam eum ad vos,] i. faciam vos idoneos ad recipiendum. *Aug.* Hoc est: non potestis capere Spiritum, nisi secundum carnem nosse desistatis Christum. 2. *Cor.* 5. Etsi noverimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus. *Chr.* Mittam, i. præparabo vos ad susceptionem illius: Qualiter enim, qui ubique est, mittitur? Aliter autem, & differentiam hypostaseos ostendit, & quæ sit utilitas ejus adventus, vel quis effectus, subdit.

a Si autem abiero, mittam eum ad vos. *b* Et cum venerit ille, *c* arguet *d* mundum *e* de peccato, *f* & de justitia, *g* & de judicio. *h* De peccato quidem, *i* quia non crediderunt in me.

b Et cum venerit ille, arguet,] i. redarguet. *d* Mundum,] Judæos specialiter mundanos.
e De peccato,] suo.
f Et de Justitia,] mea. *g* Et de judicio] Diaboli. Et exponens, quod dixerat, subdit.
h De peccato quidem,] arguet, [quia non crediderunt in me.] *Chr.* q.d. non impune agent Judæi, quæ agent in me: quia redarguet eos Spiritus, cum venerit, idest, omnem excusationem eorum abscindet, & ostendet peccasse irremissibiliter. Sed quomodo redarguet? Cum replens Apostolos, signa faciet per eos in nomine meo, cum ipse Spiritus dabitur ab Apostolis me invocato. Patet enim testatus est de me, ut in baptismo, & in transfiguratione; testabitur autem & Spiritus sanctus.

Matth. 3. & 17.

▲ De justitia vero

Aliter. Secundum *Aug.* sic legitur. *e* Arguet mundum de peccato,] quod fecerunt. *f* Et de justitia] quam omiserunt, vel imitati non sunt. *g* Et de judicio,] quod non timuerunt. Et exponendo subdit. *h* De peccato quidem, quia non crediderunt in me.] Ponit hoc peccatum infidelitatis specialiter, quia hoc manente, cetera manent,

⊙ hoc decedente

Moral. * ab uberibus. *Hebr.* 5. Qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ. Sequitur.

a Si autem abiero, mittam eum ad vos.] Hoc est, quod dicitur *Luc.* 5. Date, & dabitur vobis. Date Christum secundum carnem, & dabitur vobis secundum Spiritum. Et *Ps.* 80. Sumite psalmum, i. Spiritum sanctum, & date tympanum, i. carnalem affectum. *b* Et cum venerit ille, arguet mundum.] Dicto, quod mittet Sp. sanctum, determinat ad quid mittat eum, quia ad arguendum. Sed quare non dicitur hoc potius, de Filio, cui attribuitur Sapientia? Sapientis enim proprie est arguere. Unde *sup. c.* 5. Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Ergo Filius est Judex, & Judicis est arguere. Item *sup. c.* 13. Vos vocatis me, Magister, & Domine, & bene dicitis. Ergo ipse est Magister, & Magistri proprie est arguere. Item cum arguere videatur esse justitiæ, & severitatis, non videtur competere Spiritui, cui attribuitur benignitas. Solut. hujus quæstionis est, quia & Filio, & Sp. sancto convenit, & quia dictum erat de Filio, & non de Sp. sancto: ideo dicitur hic de eo. Item potest esse solutio hujus moralis. Spir. sanctus enim dicitur arguere, ad innuendum, quod & misericordia, & pietate, & benignitate debemus arguere. Unde *Eccl. c.* 20. Quam bonum est arguere, quam irasci. Et *Is. c.* 11. Egredietur virga de radice Jesse, i. correctio de charitatis incendio. Et *Exodi c.* 31. Ponat vir gladium super femur suum. Ita, & redire de porta usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum, idest arguat ex amore, sicut argueret fratrem. 2. *Thess c.* 3 Nolite æstimare, ut inimicum; sed corripite, ut fratrem, *Bern* Sic interdum opus est correctione paterna, sed non tyrannica. Alia ratio ponitur in *Gloss.* Quia Sp. sanctus facit nos tales, ut possimus arguere. Tria enim impediunt, ne aliquis habeat auctoritatem arguendi alium, videlicet, immunditia, ignorantia, & timor. Hæc amovet Spiritus sanctus: quia purgat, illuminat, & corroborat. Et ideo super Apostolos descendit in specie ignis, qui facit hæc tria. *Act.* 2. Quia autem immunditia retrahat ab arguendo, sive a correctione, dicit *Greg.* Superjectas sordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. 1. *Mach. c.* 4. Elegit Judas Sacerdotes sine macula voluntatem habentes in lege Dei sui, & mundaverunt sancta. *Eccl. c.* 34. Ab immundo quid mundabitur? *Matt. c.* 7. Quomodo dicis fratri tuo: frater, sine, ejiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabes est in oculo tuo? De secundo dicitur *Rom. c.* 2. Qui ergo alium doces, teipsum non doces? *Ezech.* 22. Inter pollutum, & mundum non habuerunt distantiam. *Matth.* 15. Si cæcus ducatum præbeat, &c. De tertio dicitur *Eccl.* 7. Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis *Jer.* 1. Ne timeas a facie eorum: quia ego tecum sum. Item Spirit. sanctus dicitur arguere: quia ille maxime se redarguit, in quo est gratia Sp. sancti. Arguit ergo mundum, i. facit hominem arguere in se, quod mundi est, *Job ult.* Auditu auris audivi te; nunc autem oculus meus videt te: idcirco ipse me reprehendo. Ibi *Greg.* Quanto quis majoris gratiæ lumen recipit, tanto reprehensibilem se esse cognoscit. Sicut pulvis apparet in radio Solis, qui non apparet in umbra. Item Spiritus sanctus, cui attribuitur benignitas, & amor, dicitur arguere, ad significandum, quod magnæ misericordiæ, & amoris est, quando Deus arguit nos, & corripit. *Hebr.* 12. Flagellat omnem filium, quem recipit. *Apoc.* 3. Ego, quos amo, arguo, & castigo. *Ezech.* 16. Zelus meus recessit a te, &c. Dicit ergo.

Quare Sp. sanctus dicitur arguere.

Tria impediunt argumentum.

c Arguet,] per rationes irrefragabiles, per personas viles & fragiles, per Diaboli pœnas interminabiles.
d Mundum,] quia veritati incredibilis. Unde dicit.
e De peccato,] quod fecerunt. Item quia vitæ Sanctorum dissimilis. Unde dicit.
f Et de justitia,] quam imitati non sunt. Item quia nec per pœnam alterius corrigibilis. Unde dicit.
g Et de judicio,] quod non timuerunt. Et formatur sic argumentum Spiritus sancti. Peccatum fecit, justitiam omisit: ergo judicium damnationis incurrit. Vel aliter formari potest, ut de justitia sit major propositio. Dominus enim justitiam Sanctorum proponit, vel justitiam mandatorum, & assumit transgressorem: & ex hoc concludit æternam damnationem. Et hoc est, quod dicitur. *Ezech.* 2 Quod in libro erant lamentationes, carmen, & væ. Dominus enim lamenta proponit: & nos sequimur carmina, & mundi gaudia: & ideo concludit væ æternum. *Ezech.* 7. Fili hominis, fac conclusionem: quoniam terra plena est judicio sanguinum, & civitas plena iniquitate. Spiritus sanctus ergo arguit de peccato jam commisso. Unde dicit per *Psalmum* 49. Arguam te, & statuam contra faciem tuam, quod est, quando venit in cor per gratiam: vel quando movet ad arguendum Prædicatoris linguam. Arguit autem de peccato, & bene, propter sex causas. Prima, propter rupturam fœderis in Baptismo, de quo *Isaiæ cap.* 55. Feriam vobiscum pactum sempiternum, quod, scilicet, nunquam debemus frangere. Et nota, quod sicut quando Gentiles faciebant pactum, dividebant porcum, vel aliud animal, transeuntes per medias divisiones, & dicentes, ita dividetur, qui infringet pactum istud: sic Christus divisus fuit in Cruce ad confirmandum hoc pactum. Unde Pater loquens ad eum dicit *Isaiæ* 42. Dedi te in fœdus populi. Et *Romanorum sexto.* Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Sed *Isaiæ* 33. Irritum factum est pactum. Et ideo sequitur: Projecit civitates, non reputavit homines. Item arguit propter inobedientiam, idest, de inobedientia, & contemptu in peccato. *Isaiæ cap.* 24. Væ mihi prævaricatores prævaricati sunt, & prævaricatione transgressorum prævaricati sunt. *Proverbiorum cap.* 29. Servus verbis erudiri non potest: quia quod dicis, intelligit, & respondere contemnit, per operis executionem.

Sp. sanctus arguit de peccato propter sex causas.

Item arguit, propter ingratitudinem. Unde dicit per *Psalm.* 37. Retribuebant mala pro bonis, & detrahebant mihi, &c. Et *Judic. c.* 9. Nunc ergo si bene egistis cum Jerobaal, & cum domo ejus, & reddidistis vicem beneficiis ejus, qui pugnavit pro vobis, & animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian, &c. cogitate, supple. Quarto arguit de vilitate peccati. *Romanorum cap. sexto.* Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis. Quinto de immisericordia sui, quia per quodlibet mortale interficit se homo. *Eccl. cap.* 10. Peccantem in animam suam quis justificabit. Sexto arguet de contristatione Spiritus sancti, *Ephes. c.* 4. Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis. *Hebr.* 10. Spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Sic ergo arguit.
h De peccato quidem] commisso, sed quare fecerunt peccatum.
i Quia non crediderunt in me.] Qui enim vere crederet pœnam peccantis, non peccaret. 1. *Jo ult.* Qui credit in Deum, non peccat. *Is. c.* 21. Qui incredulus est, infideliter agit.

* De justitia.

a De justitia vero,] mea redarguet eos. Dixerunt enim me injustum, & Deo contrarium. Unde etiam dixerunt. Non est hic homo ex Deo. Sed Spiritus sanctus ostendet me Justum, & ita confundet eos de justitia mea, i. per manifestationem justitiæ meæ. Et per quod argumentum?

Aug. 6.

Per hoc.

a De justitia vero, b quia ad Patrem vado, c & jam non videbitis me, d De judicio autem

C

b Quia ad Patrem vado,] quia ostender Spiritus sanctus meam Ascensionem ad patrem. Ad Patrem enim ire, argumentum est irreprehensibilis vitæ. Et non solum vado illud ad horam, sed manebo. Unde subdit.

c Et jam non videbitis me,] quia semper ero in celis, & in mundum ultra non redibo visibilis. *Chrys.* Vide per duo hæc interemptam suspicionem perniciosam Judæorum, scilicet, per operationem signorum, unde dicit: Arguet mundum de peccato. Et par esse cum Patre. Unde. De justitia vero, quia vado ad Patrem, &c. Neque enim signa facere peccatoris est; non enim potest peccator signa facere. Neque apud Deum esse, & manere semper, est peccatoris. Unde per hoc obstruit ora Judæorum dicentium: quoniam peccator est, & quoniam non est ex Deo. d De judicio autem

Mor.

(hoc) decedente, cetera remittuntur. a De justitia vero,] credentium, quam non imitantur. Et conversus ad Apostolos, quibus loquebatur, ostendit, quæ sit ista justitia, per quam, vel de qua mundus arguitur, dicens. b Quia ad Patrem vado, &c.] *Augustinus*. Mundus de peccato quidem suo, de justitia vero arguitur aliena, sicut arguuntur de lumine tenebræ. Quantum enim malum sit eorum, qui non credunt, non solum per seipsum, verum etiam ex bono potest apparere eorum, qui credunt. Et quoniam ista vox infidelium esse consuevit: quomodo credemus, quod non videmus? Ideo credentium justitiam sic oportuit definiri, [quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me,] vos Apostoli, & tamen credetis. Et

Moraliter.

* a De justitia vero, &c.] quam scilic. non fecerunt, vel omiserunt: quod fit in præsenti, quando illuminatus aliquis per gratiam arguit in se, quod non fecit opera justitiæ. Vel in futuro, quando ponet rationem cum servis suis de talento commisso, quando dicet villico: Redde rationem villicationis tuæ. *Luc.* 16. Tunc non solum arguentur peccata commissa, sed bona omissa. Justitia autem dicitur opus pœnitentiæ, sive justificatio, uno modo. Justitiam enim debemus facere de latronibus Chaldæorum, qui interpretantur feroces, & significant avaritiam. *Eccl.* 10. Nihil est iniquius, quam amare pecuniam, de quibus 4. Reg. 24. Immisit Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon, &c. Syria interpretatur sublimis, & significat superbiam. Et Moab, qui interpretatur ex patre, significat carnis concupiscentiam, quam trahimus a primo parente. Ammon, qui interpretatur nutriens, vel populus parcens, significat mollitiem carnis, quantum ad victum & vestitum. Isti duo cognati, & fratres, Moab, & Ammon, i. luxuria, & gula. *Hieron.* Venter mero æstuans despumat cito in libidinem. *Psalm.* 105. Fecerunt vitulum in Horeb, &c. quod interpretatur mensa, quia in mensa excitatur carnis lascivia, & concupiscentia, quæ designatur per vitulum. *Jer.* 5. Saturavi eos, & mœchati sunt. De his latronibus debet fieri justitia in rebus, in patria, in corporibus. Unde 1. *Esdr.* 7. Omnis, qui non fecerit legem Dei tui, & legem Regis diligenter, judicium erit de eo, sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certe in carcerem. Vel. a De justitia,] fidei, quam ad exemplum Sanctorum non habent, de qua *Habac.* 2. Justus autem in fide sua vivet. *Rom.* 3. Arbitramur hominem justificari per fidem. Vel justitiam vocat opus cujuslibet virtutis generaliter. Arguit ergo de justitia, quam non fecerunt, & juste propter sex causas. Primo; quia opera justitiæ consona sunt naturæ. Unde *Job* 31. Ab infantia crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum. Dominus enim facit nos Judices in hac causa. Unde, *sup. cap.* 4. quando Dominus exigebat a Samaritana potum, i. opera justitiæ, & instruebat eam, dixit ei: Voca virum tuum, i. rationem, i. judica secundum rationem tuam, utrum debeas facere, Secundo, quia facilis est justitia. *Prov. cap.* 3. viæ ejus viæ pulchræ, &c. Ergo faciles secundum communem modum loquendi. *Sap. ult.* Ex aqua, quæ ante erat, terra apparuit arida, & in mari rubro via sine impedimento. Opera enim, quæ homini, dum erat in mortali peccato, erant difficilia, fiunt ei facilia, quando dimittit peccatum. Gratia enim, sive charitas omnia suffert, & supportat, 1. *Cor.* 13. Tertio, quia in dulcedine reperta est justitia, & iniquitas amaritudine. *Eccl.* 6. Sapientia doctrinæ secundum nomen ejus est, quia sapida est bonis. Sapientia enim a sapore dicitur. *Ps.* 18. In custodiendis illis retributio multa.

Quarto, quia ad faciendum opera justitiæ plures, & fortiores coadjutores habemus, quam ad faciendum malum. Unde 4. *Reg.* 6. Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. *Rom.* 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quinto, quia multis, & apertissimis Sanctorum exemplis manifestata est nobis justitia. Unde *Coloss.* 1. Mysterium, quod absconditum est a seculis, & generationibus; nunc autem manifestatum est Sanctis ejus. Et *Ezech.* 40. Cælatura palmarum in fronte illius hinc, & inde. Per palmam, cujus fructus in anno centesimo colligitur, justitia significatur, cujus fructus in vita æterna habetur, quo coronabuntur victores spirituales. Illa palma ante Passionem Domini fuerat depicta; sed postea celata est, & sculpta: quia multi pro Christo exposuerunt corpora sua. Sexto, quia justitia fructuosa est. *Osee c.* 10. Seminate in veritate justitiam, & metite in opere misericordiæ. Et 2. *Cor.* 9. Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem. *Hebr. cap.* 12. Omnis quidem disciplina in præsenti videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Recte ergo propter has causas dicit: Arguet mundum, idest, amatores mundi.

a De justitia] quam non fecerunt. Et nota, quod subditur.

b Quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me.] Et ostenduntur duæ rationes, quare arguendi sunt de justitia omissa. Prima est propter exemplum. Unde dicit: Quia ad Patrem vado, per Passionem, & Crucem viam faciens ad glorificationem. Ibi enim fecit, & docuit justitiam nobis. Unde *Sapient. decimaquarta*: Benedictum lignum, per quod fit justitia. 1. *Petr.* 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, &c. *Jacob.* 5. Finem Domini vidistis. Secunda est propter præmium, ad quod ivit per justitiam. Unde dicit.

c Et jam non videbitis me,] q.d. jam glorificabor, & ultra non ero visibilis, & mortalis.

d De judicio autem,] quod non timuerunt; cum tamen dicat *Hier.* Quotiescumque diem judicii intueor, toto corpore contremisco. *Habac.* 3. Audivi, & conturbatus est venter meus, a voce contremuerunt labia mea. *Isa.* 21. Corrui, cum audirem: turbatus sum, cum viderem. Deberemus autem timere judicium, quia certum est nobis tribus modis.

Primo, quia pluries est nobis prædictum, & comminatum. *Deuter.* 32. Ignis succensus est in furore meo, ardebit usque ad inferni novissima, &c. *Job* 19. Fugite a facie gladii. *Eccl.* 12. Cuncta adducet Deus in judicium. *Isa.* 22. Dies interfectionis, & conculcationis, & fletuum, &c. *Et* 30. Præparata est ab heri Tophet. Unde dicit *Psal* 118. Judicia tua non sum oblitus, quia toties recitantur.

Secundo, quia menti cujuslibet est impressum, quod Deus justus est. Ergo exequetur judicium. *Heb.* 11. Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator est.

Tertio, quia illud jam experti sumus in parte. Quot enim tribulationes, quot infirmitates patimur, tot stillas de judicio Dei sentimus. Si ergo tanta est illa, quanta erit abyssus ipsius? *Psalm.* 35. Judicia Domini abyssus multa. *Job cap.* 26. Cum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri? His ergo tribus modis est nobis certum judicium Dei, scilicet, per auctoritates Scripturarum, per rationis ductum, per experimentum: ideo nobis timendum.

Secundo, timendum est, quia occultum nobis. Nihil enim certius judicio, & nihil incertius hora judicii, vel mortis, 1. *Thessalon. cap. quinto*. Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet, cum enim, &c. *Nahum cap.* 1.

* Dominus

'a ein autem, quia Princeps mundi hujus jam judicatus est.] *Chryf.* Rursus hic eumdem de justitia reiterat sermonem, q. d. per judicium Diaboli confundet Judæos, dicentes me injustum. Argumentum enim contra eos est expugnatio adversarii, nequaquam enim peccator existens expugnassem eum, quod neque Justus, qui hominem facere valuit. Sed quomodo potuit esse judicatus Diabolus? Respondemus. Per ejus Resurrectionem, quam Spiritus sanctus ostendit. Non enim valuit detinere in morte Diabolus, sed eum spoliavit, suos educens de limbo inferni. Unde *Zach. 9.* Tu autem in sanguine Testamenti, &c.

a autem, quia Princeps mundi hujus *b* jam judicatus est. *c* Adhuc multa habeo vobis dicere, sed *d* non potestis portare modo. *e* Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, *f* docebit vos omnem veritatem.

Item potestas ejus extenuata fuit: quod sciunt, qui conculcant eum, sancti viri. Et nota, quod quia ipsi dicebant, Dæmonium habet, & quod seductor est: ideo dicit, quod de hoc confundentur, & redarguantur, cum viderint eum expulisse, & superasse Diabolum, & condemnasse.

Aliter. O credetis. Et hæc est vera justitia fidei, credere, quod non videtur. Tunc enim Justus ex fide vivit, si non videt, quod credit. *Habac. c. 2. Hebr.* 11. Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, *inf. c.* 20. Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Nam & in Apostolis, qui viderunt Christum, non ex hoc laudata est fides eorum, quia credebant, quod videbant, i. Filium hominis, sed quia credebant, quod non videbant, i. Filium Dei.

a De judicio autem,] quod non timuerunt, & tamen timere debuerunt.

b Quia Princeps mundi hujus jam judicatus est,] *supra cap.* 12. Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. Proponit ergo causam timendi judicium: quia Diabolo, qui erat pretiosissima creatura, non pepercit. Unde 2. *Pet.* 2. Si Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in judicium cruciandos reservari, &c. exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens. Et nota *Gl. August.* Arguitur de peccato, qui in Christum non credit, &c. Sequitur.

c Adhuc multa habeo vobis dicere, &c.] Dixerat Dominus: Expedit vobis, ut ego vadam, quia mittam vobis Paracletum, i. Advocatum, qui arguet adversarios vestros: & non solum hoc, sed & consulet vobis, & docebit vos. Et hoc est, quod dicit hic: Docebit vos, &c. Ista enim debet facere Advocatus, hostes confutare, & suis consulere in causa sua. Vel aliter continua. Dixit, quod Spiritus sanctus arguet mundum, i. faciet ipsos fortes, & audaces ad arguendum, hic dicit, quod facit eos prudentes. Et hoc est, quod dicit.

c Adhuc multa habeo vobis dicere,] quasi dicat, adhuc indigetis instructione, & non quia insufficiens Doctor sim.

d Sed non potestis portare modo,] idest, non estis adhuc capaces.

e Cum autem venerit ille Spiritus veritatis,] quem promitto vobis.

f Docebit vos omnem veritatem.] *Aug.* Vel sicut in nonnullis codicibus legitur: [Deducet vos in omni veritate,] vel [docebit vos omnem veritatem,] quasi dicat confert, & expedit me abire, si demum debetis portare, cum abiero, quæ modo non potestis. Sed quam dicit veritatem? Respondemus. [Omnem veritatem,] de me, quasi dicat, de meipso magna non loquor. ▲ ille autem dicet

Moraliter. * Dominus in tempestate, & turbine viæ ejus. In turbine, quia non videtur ejus adventus. *Malach.* 3. Quis poterit cogitare diem adventus ejus? *Isa.* 29. Erit repente, confestim visitabitur a Domino in tonitruo, &c. Et *cap.* 30. Subito dum non speratur, veniet contritio ejus. Tertio, quia est proximum, vel vicinum cum hoc, quod est occultum. *Deut.* 32. Juxta est dies perditionis. *Abdiæ* 1. & *Sophon.* 1. Juxta est dies Domini magnus, &c. *Jacob.* 5. Ecce Judex ante januam assistit. Quarto, quia generale & omnibus, & de omnibus peccatis. Judicium enim nemini parcit, nec aliquod peccatum impunitum, vel indiscussum transcurrit. *Roman.* 14. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. *Sap. 6.* Non accipit personam cujusquam Deus, &c. Etiam Sancti hic timebunt. *Job* 36. Columnæ cœli contremiscunt. Generale enim erit, quantum ad omnia tam cogitata, quam dicta, quam facta. *Eccl. ult.* Cuncta adducit Deus in judicium. *Matt.* 12. De omni verbo otioso, &c. *Rom.* 1. Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominum. Quinto, quia erit irrevocabile, & inevitabile. Non enim flectetur Judex nec precibus, nec muneribus, nec allegationibus. *Prov. 6.* Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet precibus cujusquam, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Sexto, quia erit infallibile. Non enim decipitur divina Sapientia, *Hebr.* 4. Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus. *Job* 26. Nudus est infernus coram eo. Septimo, quia omnibus erit evidens causa judicii. *Job* 12. Qui revelat profunda de tenebris. *Daniel.* 7. Judicium sedit, & libri aperti sunt, *Eccl.* 11. In fine hominis denudatio operum illius. Et *c.* 16. Non dicas, a Deo abscondar, &c. *Matt.* 10. Nihil opertum, &c. 1. *Cor.* 4. Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniet Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, 2. *Cor.* 5. Omnes nos manifestari oportet, &c. Octavo, quia horrendum erit, & terribile. *Hebr.* 10. Terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Erit autem terror, & horror undique: quia desuper erit Judex justus iratus. *Sap.* 6. Horrende, & cito apparebit vobis. *Hebr.* 10. Horrendum est incidere, &c. *Amos* 3. Leo rugiet, quis non timebit? Inferius autem videbitur infernus accensus, & præparatus. *Isa. cap.* 30. Præparatus est ab heri Tophet, *Matth. cap.* 25. Qui paratus est Diabolo. Exterius mundus ardens, *Psalm.* 96. Ignis ante ipsum præcedet.

Item: Montes sicut cera fluxerunt, 2. *Petr. ultim.* Per quem cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent. Interius autem conscientia mordens, & rodens. *Isa. ultim.* Vermis eorum non morietur, &c. *Sap.* 4. Venient in cogitationem peccatorum suorum timidi.

b Quia Princeps mundi hujus jam judicatus est,] i. Diabolus. Ostendit unam causam timendi judicium: quia Diabolo non pepercit, qui erat pretiosissima creatura, 2. *Pet.* 2. Si peccantibus Angelis non pepercit, &c. *Ezech. cap.* 28. In terram projeci te, & ante faciem Regum dedi te. *Psal.* 59. Dedisti metuentibus te significationem, &c. Dominus enim punivit Diabolum, ut nos cogitaremus judicium, & timeremus eum. Et hoc valde utile est nobis. *Eccl. c.* 11. Si multis annis vixerit homo, & in omnibus his lætatus fuerit: meminisse debet tenebrosi temporis, &c. *Eccl. c.* 28. Memento iræ, & desine inimicari. *Eccl.* 18. Memento iræ in die consummationis, & tempus retributionis in consummatione faciei. Et *cap.* 31. Cogitatus præscientiæ avertit sensum. *Isaiæ cap.* 41. Prope facite judicium vestrum dicit Dominus. *Jerem.* 15. A facie manus tuæ solus sedebam. *Psal.* 17. Omnia judicia ejus in conspectu meo. Econtra dicitur de malis: Auferuntur judicia tua a facie ejus. *Proverb.* 28. Viri mali non cogitant judicium; qui autem requirunt Dominum, animadvertunt omnia. Sequitur.

c Adhuc multa habeo vobis dicere,] quæ nemo habet determinare. *Isa.* 64. Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti, &c. *d* Sed non potestis portare modo,] quia ita sunt, & ideo non estis capaces, sed debiles sensu ad capiendum tantam justitiam, & intelligendum. *Hebr. cap.* 5. Imbecilles facti estis ad audiendum. Et postea dicitur: Omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ, 1. *Corinth.* 3. Non potui vobis loqui tanquam spiritualibus, sed quasi carnalibus. Et *infra*: Nondum enim poteratis intelligere, sed necdum quidem potestis, 1. *Cor.* 2. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, &c. Vel, [Non potestis portare,] quia onerosa videntur, & gravia: & vos estis debiles, & mammotrephi, *sap.* 6. Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Vel, [portare,] in corde immundo, vel fracto non reportatur, nec continetur Sapientia. Unde *Sapient.* 1. In malevolam animam non introibit Sapientia. Et *Eccles.* 21. Cor fatui quasi vas confractum, & omnem Sapientiam non tenebit.

e Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,] doctrinæ, justitiæ, & vitæ

* 1. *Joan.* 2.

ille autem dicet excelsa, modo creditis humilia de me tunc magna. Non est contrarium, quod dicitur, *sup.* 15. Omnia quæcumque audivi a Patre meo, &c. Est enim sensus, quod omnia, quæ expediebant eis dicere tunc, vel quod nihil dixit contrarium Patri. Vel, [omnem veritatem] viæ, & patriæ. *Aug.* Promittit totum, quod facturus erat Spiritus, non quod in hac vita totum sit implendum. Simile 1. *Jo:* 2. Unctio docebit vos de omnibus. Et bene dico, quod docebit vos veritatem, non falsitatem.

De consecr. d. 5. c. fin.

a Non enim loquetur a semetipso; *b* sed quæcumque audiet, loquetur: *c* & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. *d* Ille me clarificabit, *e* quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. *f* Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. *g* Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis,

a Non enim loquetur a semetipso, i. non finget doctrinam novam, meæ scil. contrariam, & a mea separatam, *sup.* 7. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. *Chrys.* Quia dixerat de spiritu; Ille vos docebit omnia, & rememorabit, & in tribulationibus vos consolabitur: quod ipse Christus non fecit: & quoniam expedit, ut ego vadam & illum venire: & tunc quidem non potestis portare; tunc autem poteritis: & quoniam ducet vos in omnem veritatem: ne hoc audientes majorem Filio Spiritum æstiment, & majorem, & perfectiorem operationem ejus, quam Filii, ideo subdit *inf. eod.* De meo accipiet. Et hic: Non loquetur a semetipso, i. nihil contrarium, nihil proprium præter mea, sicut de ipso dicitur, *sup.* 14. A meipso non loquor, i. nihil separatum, nihil proprium, & nihil alienum a Patre loquor.

b Sed quæcumque audiet, loquetur,] i. certa, & vera loquetur,

Per hoc enim nihil aliud significat, nisi in fallaciam Spiritus, sicut *sup.* 3. dicitur de Filio: Quod vidit & audivit, hoc testatur, i. quod certissime novit, *sup.* 8. Quod vidi apud Patrem meum, hoc loquor.

Sicut enim certiora habemus, quæ audivimus a veris Doctoribus, quam quæ fingimus: ita dicit, quod Spiritus sanctus audita loquetur, non ficta, vel nova. Et est sensus, quod ea quæ certissima sunt, loquetur: & eadem quæ filius, a quo accipiet. In quo etiam notatur secundum *Aug.* quod Spiritus sanctus non est a se, sed a Patre, & Filio. Et quia dixit; Non loquetur a semetipso, propter hoc, ne crederetur non esse æqualis Patri, & Filio, ideo subdit.

c Et quæ ventura sunt, annunciabit vobis.] Per quod patet, quod Deus est, Dei enim proprium est maxime dicere futura. *Chrys.* Per hoc elevavit Christus eorum mentes. Ad nihil enim ita avidum est genus humanum, sicut ad discendum futura.

Ideo continue interrogabant eum: quo vadis, quæ est via, *sup.* 14. Et ideo ab hac eruens eos sollicitudine, dicit, quoniam ventura eis prædicet, quasi dicat, præmuniet vos etiam contra futura pericula, ut cavere possitis. Et non solum prædicet futura, sed & faciet signa, Unde subdit.

d Ille me clarificabit,] per signa, quæ faciet fieri in nomine meo. Vel aliter continua: Futura annunciabit ut Deus, & quia non tot futura dixerat eis Filius; sed & majora signa debebant facere adveniente Spiritu, propterea ne credatur esse major Filio Spiritus, sed æqualis rursus inducens, ait.

d Ille me clarificabit,] i. clarum esse, sive clarificatum ostendet, inquantum sum homo; vel inquantum sum Deus ostendet me æqualem sibi, & Patri. Vel, me clarificabit, i. verba mea, quæ nunc occulta sunt, vobis manifestabit. Unde *sup.* 14. Docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. *Aug.*

d Ille me clarificabit,] quia spirituales vos faciendo declarabit, quomodo Patri Filius est æqualis, quem secundum carnem, ut hominem noverant. Vel, clarificabit, i. timorem tollendo faciet vos declarare me, & gloriam meam toti mundo annunciare, *Chrys.*

d Ille me glorificabit,] i. gloriam meam ostendet. Qualiter? Quia in nomine meo dabit operationes miraculorum. Hoc est, quod *sup. eod.* dicit: Docebit vos omnem veritatem de me. Nam ipse quidem Filius ratione, qua carne indutus erat, & ne videretur se jactare, & propter imperfectionem Discipulorum, & quia nondum ipsi Resurrectionem sciebant manifeste, ideo etiam neque a lege manifeste destitit, & insidias Judæorum humiliter de se, & condescensive loquebatur: ideo convenienter Spiritui sancto magna de eo dicere reservatum est. Et bene dico, quod me clarificabit, veritatem dicendo de me, & meam doctrinam confirmando.

e Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis,] i. consona meis dicet. Hoc enim est, quod dicit: De meo accipiet, i. a cognitione mea, quam & ego habeo, accipiet non ut indigens, ut discens, sed ut una, & eadem existente cognitione. Hoc est etiam, quod *sup. eod.* dicit: Quæcumque audiet, loquetur, i. eadem, quæ ego. *Chrys.* Nam quod non indigeat doctrina Spiritus sanctus: neque discat ab alio, sicut nos, audi Paulum dicentem. 1. *Cor.* 2. Quis scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Sicut igitur spiritus hominis non discens ab alio novit, quæ sunt ipsius: ita & Spiritus sanctus de meo accipiet, i. consona his, quæ mea sunt, dicet. Hoc autem dicit, ut ostendat, quod Spiritus sanctus non est major eo, sed ab eo.

Matt. 11, Luc. 10.

Et quia possent dicere, tu dixisti nobis, quod ipse est Spiritus veritatis, qui a Patre procedit: non ergo a te accipiet, ideo subdit. *f* Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt,] q. d. consona est Patris & mea potestas, & doctrina. *g* Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis,] q. d. cum eadem sit doctrina mea, & Patris, & Spiritus dicit ea, quæ sunt Patris, dicit & mea. Vel, omnia, quæcumque habet Pater; mea sunt, i. communis est potentia, & essentia mei, & Patris. Communicamus etiam in spiratione Spiritus. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis, i. de me, a quo habet esse, & habet annunciare.

Per hoc significat, quod sicut Spiritus sanctus est a Patre, ita est & a Filio. Nec propter hoc est minor Spiritus sanctus Filio, quia est ab eo, nec Filius minor a Patre, quia est ab eo.

Ideo etiam Filius non fecit tot miracula, nec tanta, quot & quanta Spiritus sanctus fecit per Apostolos, ne minor crederetur Filio si minora fecisset. Et ne propter majoritatem etiam miraculorum crederetur Spiritus major: ideo omnia in nomine Christi fiebant.

Et nota, quod de potestate Patris nullus altercatur: ideo non oportuit in hoc insistere, sed ubique potestas Filii, & Spiritus sancti ostenditur. Ideo dicitur de Filio specialiter. Omnia per ipsum facta sunt: non de Patre, quia de Patre nullus dubitat. *Ps.* 103. Omnia in Sapientia fecisti, i. in Filio. Et *Ps.* 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus. Hic fit mentio specialiter de Filio, & Spiritu sancto, ideo etiam in Baptismo nomen Filii, & Spiritus sancti assumitur, cum dicitur: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut in communione largitionis ineffabilem illorum bonorum, quæ in Baptismate conferuntur, communionem dignitatis noscamus in personis.

Sup. 1.

Matt. 28.

Quod enim Filius possit per seipsum facere id, quod in baptizante operatur cum Patre, scil. remissionem peccatorum; Similiter & Spiritus sanctus, audi manifeste *Matth.* 9. Ut autem sciatis, quoniam potestatem habet Filius hominis in terra dimittendi peccata, &c.

Item *sup.* 10. Ego vitam æternam do eis. Et *eod.* Ego veni, ut vitam habeant, & superabundantius habeant.

Item *sup.* 5. Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat; sic & Filius, &c. Idem dicitur de Spiritu. 1. *Cor.* 12. Unicuique datur manifestatio Spiritus, ad id, quod confert, sive ad utilitatem, &c. Et *sap.* 6. Spiritus est, qui vivificat, &c. Et *Rom.* 8. Vivificabit per inhabitantem Spiritum in vobis. Et iterum *Rom. c.* 8. Spiritus vivificat propter justitiam. Et *Gal.* 5. Si Spiritu ducimini, non estis sub lege. Et item *Rom.* 7. Non accepistis spiritum servitutis in timore; sed accepistis Spiritum adoptionis. Item 1. *Cor.* 6.

* 1. *Joan.* 2. Unctio docebit vos de omnibus.

a Non enim loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet, loquetur.] In quo arguitur præsumptio illorum, qui nolunt audire, sed jactant se de propria inventione. *Eccl.* 18. Antequam loquaris disce.

c Et quæ ventura sua annunciabit vobis,] gaudia Paradisi ad inflammandum amorem, & supplicia inferni ad incutiendum terrorem, & pericula futura ad cautelam, & discretionem.

d Ille me clarificabit, &c.] De clarificatione, quam facit Spiritus sanctus, require *sup.* 13. Nunc clarificatus est Filius hominis, &c. Sequitur.

* *a* Modi-

Δ Item 1. *Cor.* 6. Sed abluti estis, sed sanctificati estis, in nomine Domini nostri Jesu-Christi, & in Spiritu Dei nostri. Sic ergo patet, quod Filius, & Spiritus sanctus æquales sunt cum Patre.

Item nota, quod quia de Patre multa audierant, nec de eo dubitabant, sed & Filium jam viderant multa operatum; de Spiritu autem nondum quid manifeste viderant, ideo Spiritus sanctus convenienter miracula facit, & futura prædicit, & in omnem veritatam inducit; & hoc promittit Filius. Sed ne propter hoc rursus major æstimetur: ideo dicit, quod quæcumque audiet, loquetur. Et iterum: de meo accipiet, &c.

D *a* Modicum *b* & jam non videbitis me: *c* & iterum modicum, & videbitis me, *d* quia vado ad Patrem. *e* Dixerunt ergo ex Discipulis ejus adinvicem: *f* Quid est hoc, quod dicit nobis, modicum, & non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem? *g* Dicebant ergo *h* Quid est hoc, quod dicit nobis modicum? Nescimus, quod loquitur. *i* Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, *k* & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia

Item quia Dominus dixerat eis: Unus est Magister vaster Christus. *Matt.* 23. ne propter hoc recuset magisterium, dicit: De meo aceipiet, & annunciabit vobis, quasi dicat, una est mea, & illius doctrina, & idem magisterium. Sequitur. *a* Modicum, & jam non videbitis me.] Promissa consolatione Spiritus sancti, redit ad tristia de discessione sui. *Chrys.* Dolentem animam nihil ita cruciat, ut verba tristia continue revoluta: cur ergo Christus toties eadem revolvit?

Hoc enim dixit *sup.* 13. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.

Et iterum *sup.* 14. Adhuc modicum, & mundum jam me non videt. Et in *eod.* Jam non multa loquar vobiscum. Et hic dicit: Modicum, & jam non videbitis me. Cur toties hoc dicit?

Respondemus. Per hoc examinat eos, & probat, & assuefacit eos bene in tristium auditione nobiliter ferre ejus separationem. Quæ enim prædicuntur, facilius sentiuntur, cum evenerint. Præterea si quis etiam diligenter scrutetur, videbit, quod hoc, quod dicit; vado ad patrem, consolationis est. Per hoc enim ostendit, quod non perit, sed translatio est ejus mors. Præterea aliam etiam mitigationem adjecit. Non enim dixit: Modicum, & jam non videbitis me. Quod exponitur primo sic.

a Modicum,] i. parvum tempus restat usque ad hoc, quod patiar, & claudar sepulchro. *b* Et jam non videbitis me,] i. incipietis me non videre. Et ne credatur diu teneri ibi, subdit. *c* Et iterum modicum, & videbitis me,] i. parvum tempus erit, scil. triduum usquequo resuscitatum videatis. Secundo sic. *a* Modicum, & non videbitis me,] i. modico tempore abscondar ab oculis vestris, scilicet per triduum. *c* Et iterum modicum, & videbitis me,] i. rursum modico tempore apparebo vobis, scil. per quadraginta dies usque ad Ascensionem. Unde subdit quare modicum. *d* Quia vado ad Patrem,] in Ascensione, scil. ad potiora bona Patris. Vel, ad patrem, i. ad Patris immortalitatem. *e* Dixerunt ergo ea Discipulis ejus adinvicem,] quia obscure dixerat, adinvicem, forte cum non audebant interrogare. *f* Quid est hoc, quod dicit nobis: modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem?] *Aug.* Illis, antequam impleretur, hoc obscurum fuit, quod nobis manifestum est, antequam impletum est. *g* Dicebant ergo,] vel illi iidem, vel forte alii hæc audientes responderunt similiter.

h Quid est hoc, quod dicit nobis modicum? Nescimus quid loquitur.] *Chrys.* Mirum videtur, qualiter Discipuli multoties hæc audientes, ac si nihil audissent, ita ambigunt.

Unde igitur erat, quod non intelligebant? Respondemus. Aut propter tristitiam, ut ego demum æstimo: tristitia enim auferebat a mente eorum, quæ dicebantur. Aut propter immanifestationem eorum, & obscuritatem, quæ dicebantur. Videbantur enim eis contraria, quæ dicebantur, scil. videbitis me, & non videbitis me. Si enim videbimus te, ajunt, quo vadis? Si vero vadis, qualiter videbimus te? Propterea dicunt: Nescimus, quid loquitur. Nam quoniam quidem abire debebat, sciverant; ignorabant autem quoniam post parum veniret ad eos, & appareret eis. Propter hoc increpat eos: Unde seq. *i* Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare.] *Aug.* In hoc autem ostendit se Deum, cum sine verbis eorum intellexit dubitationem eorum. *Jer.* 17. Scrutans corda, & probans renes Deus. 1. *Reg.* 16. Deus intuetur cor. *k* Et dixit eis: De hoc quæritis Δ inter vos

Et nota: *Aug.* aliter legit dicens: Melius æstimo sic intelligi, scil. ab illo loco, *a* Modicum, & jam non videbitis me,] i. modicum est hoc totum spatium præsentis vitæ vestræ in quo privabimini mea visione, non quia non viderint eum post Resurrectionem, sed non talem, qualem viderant mortalem, scil. & secum conversantem. Vel me, secundum Deitatem. Et dicitur modicum hæc vita præsens cujuslibet, secundum illud, 1. *Pet.* 1. Modicum nunc si oportet contristari, &c. Item 2. *Cor.* 4. Id quod in præsenti est momentaneum, &c. Modicum etiam dicitur tota vita præsens, secundum illud 1. *Jo.* 2. Novissima hora est. — *Aliter:*

c Et iterum modicum, & videbitis me.] Post vitam enim præsentem veniunt Sancti ad visionem Dei. 1. *Cor.* 13. Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum. *d* Quia vado ad patrem.] Hoc autem refertur ad primum, non ad secundum: secundum *Aug.* quasi non videbitis me post hanc mortalem, quia vado ad patris immortalitatem.

Primum autem dicit specialiter Apostolis: secundum autem communiter eis, & omnibus bonis. Et nota, quod dicit modicum, & videbitis me, quia modico tempore, quia modicum est id, quod pro illa visione patimur. *Gen.* c. 29. Videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine. *Rom.* 8. Non sunt condignæ passiones hujus temporis, &c. *Aug.* Hoc modicum nobis longum videtur, quoniam adhuc agitur: sed cum finitum fuerit, tunc sentie- Θ mus, quam

Moraliter. * *a* Modicum, & jam non videbitis me,] quasi modico tempore estis in tenebris hujus exilii, quo abscondor a vobis.

c Et iterum modicum, & videbitis me,] idest, modicum est, usquequo pervenietis ad gaudium paradisi, quasi dicat, & modicum est incolatus præsentis miseriæ, & modicum est dilatio cœlestis patriæ. 1. *Pet.* 1. modicum nunc si oportet contristari, &c. ponitur modicum quasi brevitas temporis, & modicitas ipsius tribulationis. *Isa.* 26. Abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. *Isa.* 54. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te: in momento indignationis meæ abscondi faciem meam parumper a te.

Hoc est quod dicitur hic: Modicum, & jam non videbitis me: quia hic absconditur nobis facies ejus, quia videmus per speculum in ænigmate. 1. *Cor.* 13. Dicitur autem, modicum, quod patimur, & re, & tempore respectu gloriæ æternæ. *Rom.* 8. Non sunt condignæ, &c. *Cor.* 4. Id quod in præsenti est momentaneum, &c. *Greg.* Minus tentat probatio, quam remuneratio consolatur: & retributionis merito pondus percussionis levigatur.

Item modicum, respectu consolationis admistæ. *Psal.* 90. Cum ipso sum in tribulatione. *Dan.* c. 3. Angelus Domini descendit in fornacem, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem. *Ps.* 93. Secundum multitudinem dolorum, &c. 1. *Cor.* 10. Facit cum tentatione proventum. 2. *Cor.* 1. Sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra. *Isa.* 61. Ut consolarer omnes lugentes Sion. *Et* 66. Quomodo si cui mater blandiatur, &c.

Item modicum, respectu pœnæ debitæ. *Ezech.* 4. Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. Item modicum respectu pœnæ Christi, & Sanctorum. *Greg.* Facta præcedentia recolamus: & gravia non erunt, quæ sustinemus. *Hebr.* 12. Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes, nondum enim usque ad sanguinem restitistis. 1. *Mach.* 6. Ostenderunt elephantis sanguinem uvæ, & mori. *e* Dixerunt ergo ex, &c.] Ita multi mirantur de hoc, quod dicitur, quod modicum est, quod patiuntur: videtur enim eis longum, & reputant magnum. Unde *Aug.* Hoc modicum longum nobis videtur,

* quoniam

a inter vos, quia dixi: modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.] Nota, quod de tribus hæsitabant: De contradictione verborum, videbitis, & non videbitis. Et de hoc, quod dixerat, modicum. Et de consequentia ejus, quod dicebat: quia vado ad patrem.

dixi: modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. a Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos; b mundus autem c gaudebit; d Vos autem contristabimini: e sed tristitia vestra vertetur in gaudium. f Mulier cum g parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus.

Dominus autem non repetit nisi primam dubitationem: quia ea soluta, solvuntur aliæ. Unde exponit, quod dixerat, scil. se moriturum, & resurrecturum, dicens. a Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos.] Hoc refertur ad ejus mortem, quæ instabat, quando eum non erant visuri.

Jer. 31. Jac. 4. E Homil. cap. primum. De cons. d. 5. c. his duo.

b Mundus autem,] i. Judæi. c Gaudebit] de mea morte. d Vos autem contristabimini] non solum de mea morte, sed & de eorum exaltatione. *Chrys.* Hic est prædictio suæ mortis, & crucis, quam vult infigere in eorum mentibus. Quia enim nolebant eum mori, cito inclinabantur ad credendum, quod non moreretur: unde & audientes, quoniam moreretur, ambigebant, nescientes, quid est hoc, i. modicum: ideo primo infigit menti eorum de morte, deinde subdit. e Sed tristitia vestra vertetur,] vel [erit in gaudium,] in Resurrectione, quando eum videbitis, vel in Ascensione. *Jer. cap.* 31. Convertam luctum eorum in gaudium. Volens autem ostendere, quoniam tristitia parit gaudium, & quoniam hæc quidem brevis est, lætitia vero infinita, ad exemplum venit mundanum, quod competebat illis adhuc rudibus, dicens.

f Mulier, cum parit] vel parturit, tristitiam habet. Et utitur parabola, qua & Prophetæ sæpe utuntur. Comparat enim dolorem Apostolorum dolori parturientis propter brevitatem, & acerbitatem, & propter lætitiam continuam sequentem. h Quia venit hora ejus] pariendi, vel patiendi. Hora enim pariendi, vel parturiendi Δ est determinus quam modicum fuerit. Quantum autem ad hanc expositionem, sequitur. f Mulier,] i. anima vel Ecclesia. g Cum parturit, tristitiam habet, &c.] *Aug.* Totius laboris sui fructum Ecclesia nunc parturit desiderando; tunc est paritura cernendo: nunc parturit gemendo; tunc paritura lætando: nunc parturit orando; tunc paritura laudando. Et ideo masculum dicit, non feminam: quia ad istum fructum æternæ contemplationis cuncta officia referuntur actionis, non ad mollitiem ʘ hujus sæ-

Aliter.

Moraliter.

* quoniam adhuc agitur, sed cum finitum fuerit, tunc sentiemus, quam modicum fuerit. Istis ergo Dominus respondet.

a Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos; mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini,] quasi illic agent festivitatem primo, & vos vigiliam solemnitatis.

e Sed tristitia vestra vertetur in gaudium,] & eorum lætitia, supple, in luctum. Sic fit de aqua vinum, *sup.* 2. *Ps.* 29. Ad vesperam demorabitur fletus. *Jer.* 31. Convertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo a dolore suo. Item *in eod.* In fletu venient, & in misericordia reducam eos, *in eod.* Quiescat vox tua a plorato, & oculi tui a lacrymis: quia est merces operi tuo. *Bar.* 5. Jerosalem exue te stola luctus, & vexationis tuæ, & indue te decore, & honore. Econtra dicitur de malis. *Prov.* 14. Extrema gaudii, &c. Et *Job* 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto, &c. *Amos* 8. Convertam omnes festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum.

tristitia vestra
- De sponsi subtractione. *Luc.* 22. Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes.
- Ex Judæorum induratione. *Rom.* 9 Tristitia est mihi, & continuus dolor, *Jer.* 31. Rachel plorans filios suos, &c.
- Ex patriæ dilatione, & hostium insultatione. *Ps.* 119. heu mihi, quia incolatus, &c. Et alibi. *Ps.* 42. Dum dicitur mihi per singulos dies, &c.
- Ex peccatorum recordatione. *Eccl.* 7. Cor sapientis, ubi tristitia.

vertetur in gaudium
- Resurrectionis, unde *inf.* 20. Gavisi sunt Discipuli.
- Gentium conversionis. *Isa.* 54. Lætare sterilis, quæ non paris. *Eccl.* 61. darem eis coronã, &c.
- Remunerationis. *Isa.* 51. Gaudium, & lætitia invenietur in ea.
- Veniæ, & remissionis. *Prov.* 14. Cor, quod novit, &c.

f Mulier cum parit, tristitiam habet. Mulier dicitur Ecclesia, vel anima fidelis, multis rationibus.

Quia
- Compatiens. *Jer.* 31. Rachel plorans filios suos, &c.
- *Rom.* 12. Flere cum flentibus, &c. *Job* 30. Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, &c.
- Verecunda. *Luc.* 1. de verecundia Mariæ. *Eccl.* 26. gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata.
- Ferax, sive fecunda. *Ps.* 127. Uxor tua sicut vitis, &c.
- Speciosa. *Cant.* 4. Tota pulchra es, &c.
- Cupida, & amabilis. 1. *Reg.* 1. Helcana diligebat Annam. 2. *Reg.* 1. Amabilis super amorem mulierum.
- Subdita per obedientiam. *Gen.* 3. Sub viri potestate eris.
- Clausa silentio, & sensuum custodia. *Eccl.* 26. Mulier sensata, & tacita, &c.
- Timens. *Esther* 13. Viso Assuero Regina corruit, & in pallorem colore, &c.
- Sedula. *Eccl.* 26. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum.
- Mollit Herum, i. Christum orationibus placat.

g Cum parit, tristitiam habet.] Tristitia animæ, vel Ecclesiæ comparatur angustiæ parturientis, propter acerbitatem, & doloris magnitudinem. Unde *Thr.* 2. Magna velut mare contritio tua. *Jer.* 6. Luctum onigeniti, &c. *Apoc.* 12. Mulier cruciatur, ut pariat. Item propter brevitatem doloris, 1. *Pet.* 5. Modicum nunc si oportet, &c. Item propter fructum continue sequentem. *Ps.* 126. cum dederit dilectis suis, &c. *Prov.* 20. Malum est, malum est, &c. Dicitur autem Ecclesia parere in prædicatoribus, in penitentibus, in bene operantibus, in fideliter morientibus. Illa enim quatuor genera sunt matres in Ecclesia suorum fetuum. Prædicator enim, sive Prælatus, habet dolores parturientis pro his, qui in utero moriuntur perpetuo ejulando. Unde *Jer.* 4. Ventrem meum doleo, &c. Unde *Ambr.* Ventrem meum doleo, ut prophetico loquar eloquio: quia quem regeneraturus eram, amisi.

Item pro his, qui in utero colliduntur. Unde *Gen.* 25. Dedit Deus conceptum Rebeccæ, sed collidebantur in utero ejus parvuli. Quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Item pro his, qui jam nasci incipiunt fortius clamando. *Job* 39. Incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt. *Gal.* 4. Filioli mei, quos iterum parturio, &c. *Apoc.* 12. Mulier in utero habens, & clamabat, parturiens, & cruciatur, ut pariat. Item pro his, qui a partu retrahuntur graviores angustias tolerando. *Isa.* 37. Venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi. *Greg.* Pensandum est, quantum sit sanctis prædicatoribus dolor de cadentibus, quantus de stantibus timor, quantus fervor de convertendis, quanta etiam sollicitudo: quam fortes oporteat esse in præceptis, terribiles in minis, compatientes infirmis, blandos in exhortatione, humiles in magisterii ostensione, infirmos in valetudine, in contemptu temporalium damnantes. Item anima pœnitens parturit in dolore contritionis, in emissione confessionis. Tunc enim emittitur peccatum, & tunc paritur salus, & venia: sicut est consuetudo in quibusdam partibus, quod mulieres non pariunt fœtum, nisi busones emittant similiter. Item gratia non paritur, vel opus gratiæ sine peccati emissione per confessionem. *Job* 26. Obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus. Et cum hoc pariter Spiritus salutis. Unde *Is.* 26. A facie tua, vel a timore tuo Domine, concepimus, & parturivimus Spiritum salutis. Item educatur partus i. in labore satisfactionis, & sollicitudine circumspectæ conversationis. Item parturit anima fidelis cum clamore orationis, cum incurvatione pietatis, & compassionis, cum dolore diruptionis carnis. Oportet enim, quod caro dirumpatur per disciplinas, & macerationem: & tunc apta est ad producendum conceptum, i. bonum propositum in operatione. Non enim patitur naturæ corruptio parere quicquam boni sine cruciatu, unde *Gen.* 3. In dolore paries filios. *Apoc.* 12. Cruciatur, ut pariat, sed multi cruciantur ut pariant. *Jer.* 9. Ut inique agerent, laboraverunt. *Eccl.* 10. Labor stultorum affliget eos. Item parit fideles moriens, Deum, & Sanctos ejus invocando. *Ps.* 16. In tribulatione mea invocavi Dominum. Item partum suum, & animam Angelis obstetricantibus commendando. *Ps.* 30. In manus tuas, Domine, &c. Item post puerperium sine fine cum Domino lætando, *Is.* 51. Gaudium, & lætitia invenietur in ea. S] h Quia

* venit hora

♠ est determinata secundum tempus conceptus, secundum quod dicitur *Luc.* 1. Elisabeth impletum est tempus pariendi, &c. *a* Cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ præcedentis. *b* Propter gaudium, quia natus est homo, i. puer, [in mundum.] Et non dicit de femina, sed de masculo, in quo majus est gaudium. Unde: Cum peperit puerum] masculum, scil. *Chrys.* Non dicit, quod non erit tribulatio ei; sed nec meminit ejus, tantum erit id, quod succedit gaudium. Ita & Apostolis fuit: ita & Sanctis erit. Unde adaptat similitudinem, dicens. *c* Et vos igitur nunc quidem,] i. imminente mea morte.

al. † rogabitis.

> *a* Cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ *b* propter gaudium, quia natus est homo in mundum. *c* Et vos igitur nunc quidem *d* tristitiam habetis: *e* Iterum autem videbo vos, *f* & gaudebit cor vestrum, & *g* gaudium vestrum nemo tollet a vobis. *h* Et in illo die *i* me non † interrogabitis quicquam. *k* Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

d Tristitiam habetis] magnam, sed brevem, sicut parturiens, & fructuosam. Unde subdit. *e* Iterum autem videbo vos,] i. apparebo vobis resuscitatus. *f* Et gaudebit cor vestrum] cum me videbitis. *g* Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.] *August.* Quia gaudium eorum est Christus, qui jam non moritur. *Chrys.* Per hoc ostendit, quod Christus non ultra morietur. *Rom.* 6. Et nota, quod dixit. Quia natus est homo in mundum: & tamen non propter hoc lætatur mulier, quia venit homo in mundum; sed quia natus est ei puer: quia si propter hoc lætaretur, nihil prohiberet in alia muliere pariente lætari: quare ergo ita dixit? Respondemus, quoniam ad hoc solum assumpsit exemplum, ut ostenderet temporalem quidem esse tristitiam; continuum vero gaudium, & quod mors translatio est ad vitam, & quod magnum est pressurarum lucrum, & non dixit: quoniam natus est puer, sed [homo] per quod insinuat Resurrectionem suam, quando natus est in regno perfectæ ætatis per pressuram transiens mortis. Item *Chrys.* Per hoc credibilem fecit Resurrectionem, ostendens, quoniam hinc abire simile est a matrice exire ad præclarum lumen.

☉ hujus sæculi. Et quis est ille fructus, scil. perpetuus subdit. *e* Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.] *August.* Ibi ergo finis, qui sufficit nobis æternus erit: neque enim nobis sufficit finis, nisi cujus nullus est finis. *h* Et in illo die] æternæ visionis.

i Me non rogabitis quicquam,] i. nec petetis pro insufficientia, nec interrogabitis pro ignorantia, quia tunc erit plena cognitio, & sufficientia. Verbum autem Græcum, unde hoc translatum est, scilic. rogabitis, ambiguum est ad petere, vel interrogare. Et quocumque modo sumatur, non videtur posse exponi de Apostolis, quantum ad diem, sive ad tempus post Resurrectionem; sed quantum ad futurum: quia nunc legimus, Dominum & interrogatum, & rogatum. Nam interrogaverunt eum Discipuli. *Actor.* 1. Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel. Cum autem jam esset in cœlo, rogatus est a Stephano. *Actor.* 7. Domine, suscipe Spiritum meum, &c. *Chrys.* tamen exponit sic.

h In illo die post Resurrectionem [non interrogabitis quicquam.] Et exponit hoc de illis quæstionibus, quas solebant facere rudibus, & carnalibus, quasi dicat: non dicetis sicut prius: Domine, quo vadis? *sup.* 13. & 14. Ostende nobis Patrem, quoniam per Spiritum sanctum omnem scietis cogitationem. Illa autem interrogatio. *Act.* 1. facta est ante Spiritus sancti adventum. *Chrys.* Vel. Non interrogabitis me, visibilem sicut modo: sed nomen meum invocabitis solum.

Unde subdit: Si quid petieritis, &c. Vel. Non interrogabitis, me visibilem, i. per intermedium, vel mediatorem non rogabitis: sicut illi, qui non audent accedere ad rogandum Dominos, sed habent mediatores, q. d. sufficiet vobis nomen meum invocare, & in ejus invocatione omnia accipietis, vel scietis. Vel. Non rogabitis quicquam, ut rogare dicat assiduitatem pro difficultate impetrandi, q. d. non oportebit vos diu rogare sed cito impetrabitis ad solam invocationem mei nominis. Unde subdit.

k Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo,] idest, nomine meo invocato, statim [dabit vobis.] *Chrys.* Ostendit Christus nominis sui virtutem: sed demum non ipse visus, neque rogatus; sed nominatus solum apud Patrem facit mirabiles, ut statim exaudiantur ab eo. Et ubi hoc factum est. *Actor. quarto*, ubi petierunt, respice Domine ad mi- ☉ nas eorum

Aliter. Aliter legitur ab illo loco secundum *Aug.* *k* Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis,] q. d. in futuro non rogabitis, sed modo petite, & dabitur vobis, quod ad vos pertinet, etsi non omnibus illis, quibus petitis: & ideo dicitur [vobis.] De hoc habetur *Matt.* 7. & *Luc.* 11. & *sup.* 14. Et nota quatuor conditiones, quæ intelliguntur in his promissionibus. Quod ad salutem petatur, quod notatur ibi. [Si quid] & per hoc quod dicitur: [In nomine meo] æternum. Temporale enim quasi nullius subsistentiæ est. Et pie, unum dicit patrem, quia filius debet esse, qui petit. Et perseveranter quod notatur per verbum subjunctivum, petieritis. Et pro se, ideo dicit vobis *Matt.* 21. *Marc.* 11.

♠ Sed *a* Us-

Moraliter. * venit hora ejus.] Hora prædicantiom est infatigabiliter prædicandi opportunitas, *sup.* 4. Videte regiones quoniam albæ sunt jam ad messem. *Matt.* 9. Messis quidem multa. Hora est penitendi pro temporis indulti brevitate. *Job* 14. Breves dies hominis sunt. Hora bene agendi est pro beneoperandi irreparabili licentia. Ut *Eccl.* 9. Quodcumque potest manus tua, &c. Hora in pace moriendi est pro malorum, & periculorum instantia. *Philipp.* 1. Cupio dissolvi, & esse cum Christo, &c.

Exod. 23. *Deut.* 7. *a* Cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium.] Parere ergo debemus, quia maledicta sterilis in lege, & maledicta ficus, in qua non invenitur fructus. *Matt.* 21. Parere autem debemus masculos non feminas, i. non fluxa, & mollia, & effeminata opera; sed fortia, quæ significantur per duodecim filios Jacob. Primus est Ruben, qui interpretatur visio, & significat fidem, & Dei cognitionem. 1. *Cor.* 13. Videmus nunc per speculum, &c. *Jer.* 9. In hoc glorietur, qui gloriatur scire, & nosse me. Hæc visio debet coarctari in Deum secundum limites Sanctorum, non extra effundi, & extendi ad errores, & sortilegia; alioquin maledicitur. *Gen.* 49. Effusus es sicut aqua, non crescas. Secundus filius est Simeon, qui interpretatur audiens mœrorem, i. timor. Auditus enim mœroris, & fletus infernalis incutit timorem. *Abac.* 3. Audivi, & conturbatus est venter meus, &c Ibi enim est fletus, & stridor dentium, *Matt.* 3. Tertius est Levi, qui interpretatus datus & donum, i. amor, qui antonomastice dicitur donum, quia gratuitum mere. Et primo datur, & in eo omnia donantur. Habet enim omnia bona annexa: charitas enim patiens est, benigna est, &c. 1. *Cor.* 13. Et *Sap.* 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Hic amor est Sol gyrans ad meridiem; timor autem est Sol reflectens ad Aquilonem. Huic partui amoris maxime insidiatur draco, sicut habetur. *Apoc.* 12. Persecutus est draco mulierem, i. animam fidelem, quæ peperit masculum, i. amorem Dei fortem, & insuperabilem: & misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut ea faceret trahi a flumine. Hoc est, quando Diabolus homini exuto a peccatis suggerit præteritas voluptates carnales, honores sæculares, divitias temporales. Sic Laban, i. candor mundi persequitur Jacob fugientem. *Gen.* 31. Sed dicitur ibi, quod terra adjuvit mulierem, & aperuit os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco. Terra, i. consideratio mortis, quia terra sumus, & in terram revertimur. *Jer.* Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. *Eccl.* 7. Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. *Et* 11. Malitia unius horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ. *Eccl.* 11. Meminisse debet tenebrosi temporis, &c. *Isa.* 13. Non ponet ibi tentoria Arabs, i. occidentalis: quia qui cogitat de morte, non fingit quietem suam in Babylone. Quartus filius est Judas, i. confessio, qui primus intravit mare rubrum, & fecit alios intrare. *Gen.* 49. quia per confessionem intramus laborem penitentialem. Hujus manus est in cervicibus inimicorum: quia confessio destruit peccatum, & humiliat conceptum, secundum illud *Ps.* 31. Dixi. Confitebor injustitiam meam Domino, &c. Quintus est Dan, qui interpretatur judicium. De his filiis Jacob, vide *Gen.* 49. Sequitur. *k* Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *In prolog. Biblia.*

Nota, quatuor consideranda sunt hic: Quales debeant petere, quid, a quo, & quomodo, sed prætermittit Amen,

*amen, quod

D[illegible] eorum, & da servis tuis cum omni propalatione loqui, & facere in nomine tuo signa, & concussus est locus, in quo erant, &c. *a* Usque quo non petistis, &c.] q. d. me præsentem petebatis, sed non Patrem in nomine meo. *b* Petite] ergo amodo in nomine meo [accipietis, q. d. ne putetis vos derelictos, etsi non coexistam vobis, nomen enim meum majorem dabit vobis propalationem. Accipietis, dico, ita. *c* Ut gaudium vestrum sit plenum,] quia obtinebitis, quod petetis. *Chrys.* Hinc ostendit rursus, quoniam expedit eum abire, si demum hucusque nihil petierunt, sed de cetero accipiunt, quæcumque petierint.

Matt. 21. Marc. 11. Sup. 14. Joan. 6.

a Usque modo non petistis quicquam in nomine meo. *b* Petite, & accipietis, *c* ut gaudium vestrum sit plenum.

Et quia umbrata, & obscura erant, quæ dixerat, subdit.

Aliter. ▵ Sed *a* Usque modo non petistis quicquam] quod aliquid sit comparatione rei permanentis, carnales enim erant. Nunc autem petite, hoc, sc. ut gaudium vestrum, &c. *Bern.* Non est plenum gaudium, quod fletu miscetur, sicut præsens gaudium. Unde *Prov.* 14. risus dolore miscebitur. Sed in futuro erit verum, & plenum gaudium. *Prov.* 14. Cor quod novit ama[ritudinem]

Moraliter. * amen, quod est juramentum, ut de impetratione certi simus, quia dubitatio impedit orationem. *Jac.* 1. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Et postea: Non æstimet autem homo ille, quod accipiat aliquid a Deo. Bis autem dicit, amen, propter duplicem certitudinem. Homines enim in promissis solent dupliciter decipere. Aut omnino non reddendo promissum, aut diminuendo. Sed Dominus, quod promittit, solvit.

Unde *Ps.* 88. Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Et etiam ultra promissum reddit. Unde *Isa.* 37. nam dicit Dominus de Rege Assyriorum. Non intrabit civitatem hanc, & non faciet ibi sagittam, &c. sed cum his addidit, quod centum octogintaquinque millia occisi sunt de exercitu ejus. Similiter *Num.* 17. Quem ex his elegero, germinabit virga ejus, sed cum hoc etiam fronduit, & floruit, & fructum fecit. Et *Luc.* 1. dum Zacharias orat, pro populo additum est ei de filio nascituro. Unde dicitur ibi: Exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium.

Item Salomon petiit sapientiam, & addidit divitias, & gloriam. 3. *Reg.* 3. *Jac.* 1. Qui dat omnibus affluenter *Eph.* 3. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus secundum virtutem, quæ operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Jesu [Vobis] Apostolis, scil. & imitatoribus vestris. In hoc ostenditur, quales debent petere, credentes, scil. & diligentes. *sup.* 9. Scimus, quia Deus peccatores non audit; sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit, *sup.* 14. Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Et subdit statim: Si diligitis me, mandata mea servate. *Matth.* 15. Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus Panem, i. gratiam, vel vitam æternam. Si quid, i. aliquod. In quo ostenditur, quid sit petendum, scil. vita æterna, quæ est quid: non temporalia: quæ nihil sunt, *Jer.* 4. Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihili vacua, quia nihil terreum implet. Nihili, quia cito transit.

Unde *Bern.* Si quid soliditatis haberent, implerent. Nec est mirum, quia sunt umbra, & ventus. *Eccl.* 34. Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, &c. Et ideo dicitur *inf. eod. a* Usque modo non petistis quicquam.] Debemus ergo petere illud, quod est aliquid, de quo dicitur *Exod.* 3. Ego sum, qui sum: & qui est, misit me ad vos. A quo sit petendum, ostenditur, cum dicit: Patrem non dicit, meum, ut intelligatur Pater omnium nostrum. Et hoc dicit ad innuendum, quod de facili impetrabimus a Patre, & quod non dabit nisi utile filiis. Unde 1. *Jo.* 3. Fiduciam habemus ad Deum, ut quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Et *Luc.* 11. Si quis petierit patrem panem, numquid lapidem dabit illi? Aut si piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? At si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se.

Nota, per panem intelligitur charitas, sine qua vacua est mensa. Per piscem autem fides, quæ nutritur in aquis Baptismi, & Scripturarum. Per ovum spes, quæ producit ex se rem quasi pullum. Ista dat Dominus: diabolus vero dat lapidem, i. cordis duritiam. Et panes convertit in lapides. *Matt. c.* 4. Dic, ut lapides isti panes fiant, &c. Dominus autem lapides convertit in panes. Unde *Ezech.* 11. & 36. Auferam a vobis cor lapideum, &c.

Item dat serpentem erroris, & hæreticæ pravitatis pro pisce fidei, & scorpionem, i. fiduciam vanam temporalium pro ovo spei æternorum. Incedit enim mundus blande ut scorpio, sed cauda pungit. *Prov.* 11. Qui confidit in divitiis, corruet. A Patre ergo Deo petendum est, qui libenter dat, & bona dat. Ideo in oratione Dominica præmittitur nomen Patris. *Matt.* 6. *B. Bern.* Ubi est illud, quod antiquitus tam frequenter, & tam terribiliter intonare solebat. Ego Dominus, ego Dominus, mihi omnino dictatur oratio, cujus principium nomen dulce paternum, sequentium petitionum obtinendarum præstat fiduciam. Quomodo sit petendum, scil. pie & perseveranter, & ad salutem, & pro se. Pie, sicut filii corde simplici, & intelligenti, ut cognoscamus, quod petimus per fidem, & attentionem, ne dicatur nobis illud *Matt. c.* 20. Nescitis, quid petatis. Item ut speremus nos impetraturos, & diligamus tanquam filii patrem, a quo petimus. Hæc autem fiunt Fide, Spe, & Charitate: & hæc importat hoc, quod dico, pie, quia dicit *August. in principio Enchyridion*, quod Theosebia, sive pietas in his tribus consistit. Hoc autem notatur per hoc, quod dicitur, [Pater,] quia filius debet esse, qui petit. Item oportet, quod perseveranter: quod notatur, cum dicitur, petieritis] quod est verbum subjunctivi præteriti perfecti. *Jac. cap. ult.* Multum valet deprecatio Justi assidua. Item 1. *Thess. c.* 5. Sine intermissione orate. *Eccl. c.* 18. Non impediaris orare semper. *Eph. c.* 6. Orantes omni tempore in Spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia. Et hoc oportet, quia semper habemus in curia accusatores, & contradictores. Unde *Zach. c.* 3. Et Sathan stabat adextris ejus, ut adversaretur ei. Propter hoc dicit *Isa. c.* 62. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium. Et quare instanter clamandum, & petendum sit, dicitur *Luc. c.* 11. Si perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi, quotquot habet necessarios. Item petendum est ad salutem, ea, scil. quæ expedientia sunt ad vitam æternam, quod notatur ibi: In nomine meo, &c. quod est Salvator. Multi enim petunt, quod impedit salutem eorum. Sicut illi, qui petunt amotionem paupertatis, vel tentationis, sicut Paulus 2. *ad Cor. c.* 12. Vel qui petunt divitias, quæ magis sunt fomentum peccati frequenter, sicut aqua frigida febris. *Jer.* 51. In calore eorum ponam potus eorum. *Prov. c.* 26. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis. Propter hoc Dominus dat quandoque paupertatem, & ægritudinem quasi emplastrum mordax contra morbum peccati. Unde *Greg.* de B. Benedicto, qui tentatus projecit se in spinas, dicit, quod ibi diu volutatus toto corpore vulneratus exiit, & per cutis vulnera vulnus sanavit mentis, quia voluptatem traxit in dolorem. Item quando homo petit potestatem, vel honorem, petit quasi gladium, sicut phreneticus. *Luc. c.* 22. Ecce duo gladii hic.

Per quos significatur duplex potestas, sæcularis, & spiritualis. *Roman. cap.* 13. Non sine causa gladium portat.

Cum ergo potestas sit gladius, non expedit phrenetico, vel puero.

Multi tamen sunt sicut Herodes, qui cultello se occidit. Et sicut pueris non dandus est cultellus: ita nec istis potestas, & maxime spiritualis, quæ quanto est subtilior, tanto est periculosior. Sed pueri libenter habent hujusmodi.

Ideo dicitur *Prov. c.* 1. Usquequo parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi noxia sunt, quærunt? Et sicut quando aliquis multos portat culellos, signum est, quod sit fur, & homicida. Sic ille, qui habet plures dignitates, vel beneficia, videtur esse fur, & homicida, *sup. c.* 10. Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdet.

Alii autem sunt, qui petunt directe contra salutem, ut habeant copiam, scil. alicujus peccati, sicut 3. *Reg. c.* 2. Adonias petiit Abisac.

Unde dixit Salomon: Contra animam suam petiit Adonias, & statim fecit eum occidi.

Item petendum est pro se. Unde dicit, dabit vobis.

Unde non est exauditus Samuel pro Saul, 1. *Reg.* 16.

'A tat subdit. *a* Hæc in proverbiis, &c.] l. obscure, & quæ non intellexistis. Et loquitur vel de omnibus, quæ obscure ei dixerat: vel de illis specialiter, quæ dicta fuat eis in hoc sermone, *sup.* 10. Hoc proverbium dixit illis Jesus; illi autem non cognoverunt, quid loqueretur eis. Ibi require, quid est proverbium.

b Venit hora, &c.] q. d. erit tempus, quando scietis omnia manifeste. Et loquitur de tempore Resurrectionis: Tunc enim per quadragintadies apparens eis, disputavit cum eis congregatis, & dicens ea, quæ de regno Dei sunt, ut dicitur *Act.* 1. Et est, ac si dicat, modo in timore positi non attenditis his, quæ dicuntur, sed vobis sunt obscura; tunc autem resuscitatum videntes, & mecum existentes, poteritis palam omnia discere: in quo ostendit etiam, quod expedit eum abire. Et quia occulta tunc erunt aperta, & quia obtinebunt omnia petita, sicut dictum est, & adhuc repetit ad confirmationem, dicens. *c* In illo die in nomine meo petetis,] i. nomen meum invocabitis petendo. Et ne dicerent, in nomine Patris, non tuo petendum est, ostendit, quod ipse sufficit eis. Unde dicit. *e* Et non dico vobis, &c.] q. d. sufficit amor meus patrocinari vobis. Hoc autem dicit, ne credant Filium minorem Patre: & eos indigere, ut rogaret Patrem pro eis. *f* Ipse enim Pater amat vos, &c.] Continuatur autem sic: Annunciabo vobis in Patre meo palam hoc, quia scil. ipse amat vos: vel annunciabo de Patre vobis, quasi de amico, & benevolo vobis: Ipse enim, &c. Vel sic lege. *c* In illo die in nomine meo petetis,] Patrem scil. Et ut fiduciam obtinendi habeant, subdit: *e* Et non dico vobis, &c.] q. d. non oportet eum rogari de vobis, quasi de inimicis: Ipse enim Pater amat vos. Et loquitur secundum quod dicitur vulgariter, quod non oportet multum rogare pro amico. *g* Quia vos me amastis,] q. d. ipse diligentes me diligit, i. in amicitia conservat, & in gratia augmentat. *b* Et credidistis, quia ego a Deo exivi,] i. quod missus sum a Deo, & non sum ei contrarius, sicut credunt alii Judæi. Hæc autem duo exigit a nobis Pater, amorem, & fidem, affectum, & intellectum. Vel, A Deo exivi, i. ab eo sum per generationem. Credidistis, dico, & hoc est verum, unde. *i* Exivi a Patre] per generationem. *k* Et veni in mundum] per carnis assumptionem. *l* Iterum relinquo mundum,] per mortem, & Crucem. *m* Et vado ad Patrem,] in Ascensione, i. ad potiora bona Patris, vel ad Patris immortalitem. Et nota, quod multum mitigabat eos sermo Resurrectionis: ideo dicit eis Jesus: Vado ad Patrem. Per hoc enim sperabant se etiam resurrecturos in fine. Per hoc etiam in tuto erant in tribulatione, cum scirent adjutorem in cœlo se habere. *n* Dicunt ei Discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.] Nota, quod Dominus dixerat eis tria, unde valde exhilarati sunt, scil. quod Pater amabat eos, & quod a Deo erat, & quod ad Patrem ibat. Hoc autem maxime inter alia respirare fecit, scil. quod erant Patris amici. Unde quia per hoc ad id, quod erat in mente eorum respondit, ideo dicunt, quod palam loquitur. Facile enim intelligit homo id, quod diligit audire, ideo commendando eum dicunt: Ecce. *p* Nunc scimus, quia scis omnia] quia scis etiam, quæ sunt in mente nostra. *q* Et non opus est tibi, ut quis te interroget,] quia scis, antequam interroget, quæ velit. Antequam enim audias, scis, quæ scandalizant nos. Quod patet, quia remedium apposuisti, & requiescere nos fecisti. *r* In hoc, i. per hoc, quod ita scis occulta, nos interrogatus, credimus, quia a Deo existi. Et quia ista fides adhuc erat debilis, & velut quamdam gratiam tribuentes ei dixerant: Nunc scimus, quia scis omnia, &c. Ideo ostendit fidem eorum adhuc esse debilem, & imperfectam. Unde seq. *t* Respondit eis Jesus: Modo creditis] i. cum dico vobis placentia, & nondum sustinetis adversa, creditis quoquo modo, sed non perfecte, ut putatis. *u* Ecce venit hora, i. appropinquat. *x* Et jam venit] i. in januis est. *y* Ut disper-

O gamini unusquisque

al. jamais.

num. *a* Hæc in proverbiis locutus sum vobis. *b* Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annunciabo vobis. *c* In illo die in *d* nomine meo petetis. *e* Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. *f* Ipse enim Pater amat vos: *g* quia vos me † amastis, *h* & credidistis; quia ego a Deo exivi; *i* exivi a Patre, *k* & veni in mundum, *l* iterum relinquo mundum, *m* & vado ad Patrem. *n* Dicunt ei Discipuli ejus: *o* Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. *p* Nunc scimus, quia scis omnia, *q* & non opus est tibi, ut quis te interroget, *r* In hoc *s* credimus, quia a Deo existi: *t* Respondit eis Jesus: Modo creditis: *u* Ecce venit hora, *x* & jam venit, ut *y* disper-

a novit amaritudinem animæ suæ, &c. Et quia illud gaudium nesciunt petere nisi illuminati, & edocti: ideo subdit, quia edocebuntur palam, dicens. *a* Hæc in proverbiis locutus, &c.] i. obscure, quia animales estis. Animalis autem non percipit, quæ sunt Spiritus Dei: Proverbia enim solent homines audire, sed non intelligere. *b* Venit hora, &c.] q. d. dato spiritu faciam vos spirituales, ut certissima intelligentia mentis, etsi non ut in futuro Deum videatis, & patrem ejusdem substantiæ mecum revelabo, & sic apti eritis ad petendum. Unde subdit.

Aliter.

G

Matt. 26. *Marc.* 14. *Zach.* 13.

c In illo die] dato spiritu ad illuminationem vestram. *d* In nomine meo petetis] quia me æqualem patri credetis. Et ideo nomen meum invocabitis, quia si ut homo rogo patrem modo, ut Deus exaudio cum patre. Unde subdit. *e* Et non dico vobis, &c.] tanquam inferior, scil. non rogabo.

f Ipse enim pater amat vos,] quasi ita exaltabimini, & palam scietis, & exaudiemini, quia pater amat vos: quod inde patet.

g Quia vos me amastis,] ita quod ly [quia] non dicat causam, sed signum. Ejus enim dilectio est causa nostræ, & non e converso. 1. *Jo.* 4. Prior dilexit nos. *h* Et credidistis, quia a Deo exivi.] Hoc non mutatur. *i* Et veni in mundum] visibiliter. Iterum relinquo mundum] corporali discessione, non gubernatione præsentiæ. *m* Et vado ad Patrem,] idest, patris immortalitatem.

n Dicunt ei Discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis] Dixerat Dominus: Hæc in proverbiis locutus sum vobis: Et venit hora, &c. Et loquitur de tempore post Resurrectionem, quando edocti sunt a Spiritu sancto: Illi autem credentes jam se intelligere, quæ dicebat, dicunt.

o Ecce nunc palam loqueris, &c.] quasi jam impletum est, quod promittis. Hoc autem dicunt, quia nesciebant se non intelligere ea. Unde *Aug.* Illa, quæ Dominus, scil. non intelligentibus esse proverbia, i. occulta, illi usque adeo non intelligunt, ut nec saltem se non intelligere intelligebant. Parvuli enim erant, & nondum spiritualiter dijudicabant, quæ de rebus, non ad corpus, sed ad spiritum pertinentibus audiebant. Ecce enim dixerat Dominus: vado ad Patrem, quod sic intelligebant, ut eum esse cum Patre nescirent, nec discessisse ab eo, ergo hoc erat eis proverbium. Vel sic lege. *o* Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis,] q. d. tu promittis, quod palam loqueris postea, & nunc occulte, quid est ergo, quod modo etiam palam loqueris? Videbatur autem eis, quod palam loqueretur, quia de his maxime agebat, quæ eos audire delectabat, [ut dicit Bernardus] & quæ ipsi interrogare volebant, hoc ipse præveniens ultro proferebat. Et ideo dicunt.

Dicit Aug. quod intelligenti est verbum, non intelligenti est proverbiū.

p Nunc scimus, quia scis] & noscis omnia, tanquam Deus. *q* Et non opus est tibi, ut quis te interroget.] *August.* Videtur potius dicendum, quia novi omnia, non est opus ut quemquam interroges, non ut quis te interroget. Qui enim scit omnia, interrogari debet, non interrogare necesse habet. Respondemus. Bene dicitur: Non opus est tibi [etsi alii] ut quis te interroget, q. d. per interrogationem non est necesse ut aliquis exprimat suam dubitationem, quia tu præscis, quid quæsiturus velit. Aliis autem opus est interrogare, quia aliter nescirent, quid quæsitor velit.

r In hoc,] i. per hoc, quod scis omnia.

s Credimus, quia a Deo existi] i. quod filius Dei es, vel quod a Deo missus es, & non es ei contrarius, quia non revelasset tibi secreta. Aliter. *t* Respondit eis Jesus: Modo creditis] ut parvuli, quia non estis solidati. Unde ostendit, quod fides eorum non est solida, nec est integra. Et primo, quod non sit solida, dicens. *u* Ecce venit hora] captionis, secundum *Chrys.* Vel passionis, secundum *August.*

x Et jam venit,] i. prope est, & in januis. Vel sic. *y* Venit hora] passionis. *x* Et jam venit] captionis. *z* Ut disper-

O gamini

a gamini unusquisque in propria, q. d. vos dicitis, quod creditis, & fidem perfectam vos habere putatis; sed multis indigetis aliis, ut ad perfectionem veniatis. Nunc autem nihil perfectum est in vobis, quia statim ad flatum modicum absciodemini. Et nota, quod dicit [dispergamini unusquisque] q. d. interim dominabitur vobis timor ut neque simul ad invicem possitis manere, nec simul recedere; sed quilibet fugiet in propria, idest ubicumque poterit quilibet via sua, vel (in propria) idest, in vestræ infidelitatis timorem, vel (in propria) idest ad salvationem propriam sui. *Job 6.* Fratres mei recesserunt a me. *a* Et me solum relinquatis] quasi sine adjutorio, vel solatio vestro. *b* Et] tamen (non sum solus, quia Pater mecum est) quasi adjutor. *Jer.* 20. Dominus mecum est, quasi bellator fortis. Et loquitur condescensive adhuc, ac si indigeret auxilio Patris. Et ideo subdit rationem condescensionis dicens. *c* Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis,] idest, requiem, ut scilicet, non abjiciatis me a mente vestra, sed suscipiatis. Quia enim multa dixerat condescensive: ideo in fine hujus sermonis dicit causam hujus, q. d. hæc dicuntur in vestram consolationem, & amorem, non enim trahantur in dogmatis perversitatem (hæc) adversa (locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis) idest, ideo ea prædiat vobis, ut contra ea muniti sitis, & a me non recedatis.

gamini unusquisque in propria, & *a* me solum relinquatis, & *b* non sum solus, quia Pater mecum est. Hæc *c* locutus sum vobis, ut in *d* me pacem habeatis. In *e* mundo pressuram habebitis; sed *f* confidite: *g* ego vici mundum.

e In mundo pressuram habebitis] q. d. non solum mala patiemini tempore meæ mortis, quando dispergemini; sed & semper quamdiu eritis in mundo. *f* Sed confidite] de victoria & a lapsu resurgite, quia. *g* Ego vici mundum] *Chr.* q. d. Magistro superante inimicos non oportet Discipulos anxiari. Qualiter autem vicisti, dic mihi, mundum? Dixi quidem jam, quoniam Principem ejus submisi deorsum, *sup.* 12. Scietis autem & postea, quod vicerim eum omnibus, & cedentibus, & locum dantibus vobis: hucusque debet protendi homilia, quia hic terminatur sermo.

Aliter. O mini unusquisque in propria,] i. ad propriam infidelitatem redeatis, q. d. jam prope est; ita ut quod modo creditis, relinquatis, non solum corpore me relinquentes, sed & mentis fide. Unde, nos sperabamus, quod esset redempturus Israel. *Luc. ult.* Et me solum relinquatis] *Is.* 63. De Gentibus non est vir mecum. *Matth.* 26. Tunc Discipuli relicto eo, &c. & *Job 6.* Necessarii mei recesserunt a me. *Et 19.* fratres meos longe fecisti a me, &c.

b Et] tamen (non sum solus, quia pater mecum est.) Hic perficit fidem eorum imperfectam, q. d. vos dicitis, quia a Deo exivi; sed hoc parum est, ad majus volo vos perficere: ut sciatis, quod Pater mecum est, ne sic putetis a Deo exisse, ut putetis etiam recessisse.

c Hæc locutus sum vobis] non solum quæ in cœna, sed quæ ab initio vocationis. Specialiter tamen intelligitur de his, quæ pro eis moriturus tanquam verba novissima dixit. *d* Ut in me pacem habeatis] hic pectoris, & post æternitatis. *Aug.* Recte in hoc sermonem suum mirabilem, & prolixum consummat, in quo causam, & finem, propter quem locutus est eis, commendat, & commemorat, ut idest, habeant pacem in ipso, propter quam totum agitur. Et postea dicit, hac pace in pressuris omnibus consolamur, & hac a pressuris omnibus liberamur: propter hoc omnem tribulationem fortiter sustinemus, ut in hac feliciter sine ulla tribulatione regnemus, & ideo merito ta haac conclusit verba.

e In mundo pressuram habebitis] q. d. in me habebitis pacem æternitatis, sed hic in præsenti pressura sustinebitis. Vel sic (in me pacem habebitis.) Et ne intelligerent de pace temporis, subdit (in mundo, &c.) q. d. in me est pax pectoris interius, sed (in mundo) turbabimini exterius.

f Sed confidite,] non in vobis, sed in me, quia. (Ego vici mundum,) *Jer.* 17. Benedictus vir, qui confidit in Domino, &c. *Aug.* Spiritu dato, factum est in eis, quod nunc dictum est. Confidunt enim, & vicerunt. In quo nisi in illu? Non enim vicisset ille mundum, si membra ejus vinceret mundus. Unde ait Apostolus. 1. *Cor.* 15. Gratias ago Deo, qui dat nobis victoriam. Continuoque subjecit. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Qui dixerat suis. Confidite, ego vici mundum, *Apoc.* 5. Vicit leo de Tribu Juda. 1. *Jo:* 5. Hæc est victoria, &c.

EXPOSITIO CAP. XVII.

HÆc locutus est Jesus, & sublevatis, &c.] Dominus, ut fidelis, & bonus Pastor instruxit Discipulos suos in prædicto sermone, & consolatus est eos: modo incipit orare: postea ponet animam suam pro eis. Et dividitur hoc capitulum in duas partes principales. Primo enim orat pro se ad Patrem, ut clarificetur secundum humaná naturam. Item ut clarificetur secundum divinam. Et hoc justum esse ostendit: quia Patrem clarificavit, & manifestavit nomen ejus. Secundo orat pro membris. Sed nota, quod primo orat pro præsentibus, ut servet eos, ut habeant suum gaudium impletum, qui hic sustinent pro eo mundi odium, & ut sanctificet eos in veritate, ibi: (Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo.) Postea orat pro futuris, sive pro crediturís in eum, ut scilicet, unum sint in charitate: & ut secum sint, ubi erit in sua claritate. Et hæc pars incipit, ibi: (Non pro eis autem rogo tantum, &c.) Dicit ergo.

A

C A P. XVII.

HÆc *h* locutus est Jesus, & *i* sublevatis oculis in cęlú,

h Hæc locutus est Jesus] ad Discipulos.

i Et sublevatis oculis, &c.] q. d. prius ad Discipulos, post ad Patrem loquitur: prius docuit, post oravit. In quo docet, post sermonem redire ad se, & ad orationem. Sed videtur, quod oratio minus conveniat Filio, quia videtur per hoc minor, & indigere. Sol. *Chrysost.* Quia dixerat: [In mundo pressuram habebitis,] & per hoc animos eorum concussit, per orationem resuscitat eos rursus: tanquam homini enim interim et attendebant, & imbecillem credebant, ideo & orat Patrem, sicut & in Lazaro fecit, *sup.* 11. Et dicit ibidem causam: Sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti. Item nota, quod neque orationem vocat Evangelista rem istam, sed allocutionem ad Patrem magis esse, ait: Quid enim dicit? (Sublevatis oculis, &c.) Vel aliter potest dici, quia minor Patre secundum humanitatem, orat ad Deum pro hominis clarificatione: vel orat imminente Passione, non pro se quasi indigens; sed ut nobis det exemplum orandi in tribulatione.

Unde dicit *Ps.* 116. Ad Dominum, cum tribularer, clamavi. *Osee 6.* In tribulatione sua mane consurgent ad me. Unde *Chrysost.* Post prædictam admonitionem in orationem convertitur, erudiens nos in tentationibus omnia dimittentes ad Deum resurgere, secundum illud *Ps.* 31. Tu es refugium meum a tribulatione, &c. *Proverb.* 18. Turris fortissima nomen Domini, &c. Ideo cum prædixisset eis passiones venturas: in mundo pressuram habebitis: postea orat: ut per hoc doceat, quid agere debeant in pressuris.

Unde *Matth.* 26. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. *i* Et sublevatis oculis in cœlum,] ut ex gestu ostendat, quod Patrem oret, & ut nobis formam orandi daret. *Chrys.* Ut stantes sursum aspiciamus, non oculis carnis solum, sed & mentis. *Thr.* 3. Levemus corda cum manibus ad Deum, & ut curvemus genua, & terentes cor nostrum. Venit enim Christus, non seipsum ostendere solum; sed virtutem erudíturus ineffabilem. Eum autem, qui erudit, non per verba solum, sed per res erudire oportet. Unde *Matth.* 5. Qui fecerit, & docuerit: hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Et valde convenienter. Nam per verba, quidem philosophari facile est; quæ vero per opera demonstratio, generositatis est, & magnitudinis. Sed quod sublevavit oculos, videtur contra illud *Job* 22. Qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur. Et *Lucæ* 18. Publicanus stans a longe, nolebat oculos ad cœlum levare. Solutio. In elevatione oculorum Domini intelligitur devotio diligentis, & instruimur ad appetitum, & desiderium regni cœlestis: quia ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum: *Matth. 6. Lucæ* 18. in depressione oculorum Publicani intelligitur erubescentia pœnitentis, & cognitio suæ fragilitatis: & hæc inclinatio commendatur in Job. Et sicut est vitium nimis deprimere se per desperationem: ita est vitium nimis elevare se per præsumptionem. Et hæc elevatio prohibetur: *Isaiæ secundo*. Oculi sublimis hominis humiliati sunt. Et *Proverb.* 6. Sex sunt, quæ odit Dominus, &c. Oculos sublimes, &c. Sicut & depressio mala culpatur. *Psalm.* 16. Oculos suos statuerunt declinare in terram,

> *a* dixit: *b* Pater, *c* venit hora: *d* clarifica Filium tuum, ut *e* Filius tuus clarificet te. *f* Sicut dedisti ei *g* potestatem omnis carnis, ut omne, quod *h* dedisti ei, *i* det eis vitam æternam. Hæc est *k* autem vita æterna, ut *l* cognoscant *m* te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum.

A *a* Dixit] *Aug.* Poterat silentio orare, nisi quod voluit eos etiam in orando docere, & notam facere orationem in præsentium, & futurorum ædificationem.
b Pater] in quo docet, quis sit orandus, & quod fidenter orandum est, quia Pater. *c* Venit hora] *August.* Non urgente fato, sed disponente Deo, sine tempore ordinavit omnia, quæ & fiunt per tempora ordine congruo.
c Venit hora] quam ad patiendum constitui tecum mea volontate, non necessitate ordinata. Simile *sup.* 13. Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo, &c. *Sup.* 12. Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. *Et* 8. Nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus. *Et* 7. Nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus. Et *in eodem* Tempus meum nondum advenit. Et *supr.* 2. Nondum venit hora mea.
d Clarifica Filium tuum.] Præmittens meritum Passionis, petit claritatem Resurrectionis. *Aug.* Humilitas in Passione, charitas in Resurrectione cœpit, quasi dicat, venit hora passionis seminandæ humilitatis, non differas gratiam Resurrectionis.

Clarifica Filium tuum.
- Malos ab ejus consortio segregando. Unde post Resurrectionem nunquam fuit cum malis, *sup.* 13. Nunc clarificatus est Filius hominis recedente, scilicet, Juda a collegio.
- Immortalitatem, & gloriosam Resurrectionem tribuendo, *sup.* 13. Et Deus clarificavit eum in semetipso: & continuo clarificabit eum. *Psalm.* 103. Amictus lumine, idest, luminoso corpore.
- Nomen ejus dilatando, quod factum est per prædicationem Apostolorum, *sup. cap.* 12. Pater, clarifica nomen tuum.
- Passioni me exponendo secundum *Chr.*

sup. 12. Venit hora, ut clarificetur Filius hominis, idest, crucifigatur.
e Ut Filius tuus clarificet te] in cognitionem hominum, & conversionem Gentium per Apostolos. Dicitur enim Pater non in se major, sed cum nobis innotescit. Et est sensus? Resuscita me, ut per meam Resurrectionem innotescas hominibus. Et bene dico, quod clarificet te, idest, notum faciat te omni carni per Apostolos.
f Sicut dedisti ei] homini.
g Potestatem omnis carnis,] idest, omnis hominis a parte totum: sicut nomine animæ intelligitur totus homo. *Rom.* 14. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, quasi dicat, sicut a te habet omnium potestatem, ita te omnibus notificabit, quantum est in se, *Is.* 40. Videbit omnis caro Salutare Dei *sup.* 1. Illuminat omnem hominem. Vel [Clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis] idest, omni homini te manifestet, quem tu dedisti ei. Et sic legitur tantum de bonis, qui specialiter dicuntur esse sub potestate, & regimine Christi. *Joelis* 2. Effandam de Spiritu meo super omnem carnem. Sic autem dedisti, vel ad hoc.

Luca 3.

h Ut omne, quod dedisti ei] idest, præcipuum.
i De eis] scilicet, (vitam æternam.) Vel sic continua.
d Clarifica Filium tuum] & qualiter?
f Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis,] idest, declara, & manifesta per meam Resurrectionem, qualiter mihi dederis omnium potestatem. *Matth.* 27. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, *sup.* 13. Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus. *Psalm.* 94. In manu ejus sunt omnes fines terræ. *Chrys.* sic legit.
b Pater venit hora,] idest tempus, & opportunitas patiendi.
d Glorifica nomen tuum,] quasi dicat, peto mortem.
e Ut Filius tuus glorificet te] per eamdem mortem. In quo ostendit, quod non invitus ad Crucem venit, qui gloriam vocat rem hanc, & orat, ut fiat. Nec solum glorificatus est Filius per Crucem, sed & Pater. Nam ante Crucem quidem neque Judæi Patrem sciverant.
Unde *Isa.* 1. Israel me non cognovit. Post Crucem vero orbis terrarum omnis cucurrit. Deinde ostendit & modum gloriæ, & qualiter eum glorificabit.
f Sicut dedisti ei] idest, Filio.
g Potestatem omnis carnis] non tantum Judæorum, sed & Gentium, quasi dicat, non solum prædicabitur Judæis, sed in toto orbe glorificabitur: quia sicut Dominus est omnium: sic & prædicabitur omnibus. In quo innuit conversionem Gentium. Quia enim prius dixerat. *Matth.* 10. In viam Gentium ne abieritis.

De pœnit. dist. 2. c. §. ex hoc.

Debebat autem & postea dicere: Euntes docete omnes Gentes. *Matth* 28. Ideo præostendit hic & Patrem hoc volentem, cum dicit. [Dedisti ei potestatem omnis carnis] vocandæ, & convertendæ per Apostolos, q. d. Patri placet hoc. Hoc autem ideo dicit Patri placere, ut sedet eorum scandalum futurum: quia hoc vehementer scandalizabat Judæos, & etiam Discipulos, scilicet prædicare Gentibus.
Unde etiam vix Petrus potuit criminationes eorum effugere, dicens visionem de linteo. *Act.* 11. Sed quid est, quod dicit [Dedisti ei potestatem, & cetera.] Ergo aliquando non habuit, si ei dedit.
Item in hoc videtur minor. Solatio [Dedit ei] Filio Dei, idest, eum omnipotentem genuit. Simile *supr.* 5. Sicut Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio, & cetera. Vel [Dedit ei] homini ab instanti suæ conceptionis. Vel [Dedit ei] post Resurrectionem per declarationem. Et secundum illud *Matth.* 28. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Et habetur simile *Philipp.* 1. Dedit illi nomen, quod est super omne nomen, &c. *Chrysostomus* sic solvit [Dedit ei potestatem omnis carnis,] idest, Patri placet, & Pater vult, quod non tantum trahat ad se Judæos, sed & Gentibus dominetur per gratiam, & fidem. Quia enim eos missurus erat ad Gentes, ut non existiment, quod hoc faciat nova, & propria voluntate, maxime, cum dixerit eis. Non sum missus nisi ad oves, &c. *Matt.* 15. Ideo ostendit, quod Patri hoc placet. Si autem ita viliter, & humiliter de se loquitur, non est mirum, quia sic eos ædificabat. Magnum autem dicere ad se magis obstabat, quia nihil magnum de eo interim imaginabantur. Item *Augustinus*.
e Ut Filius tuus clarificet te, &c.] Si ergo eo modo te glorificat Filius, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis; & sic dedisti, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam: & hæc est vita æterna, ut cognoscant te. Sic igitur filius glorificat, ut omnibus, quos dedisti ei, te cognitum faciat.
Item quid est, quod dicit [omnis carnis] Non enim omnes crediderunt. Solut. Quantum ad eum pertinet, omnes crediderunt. Si vero quidam non attenderunt his, quæ dicebantur, non ejus, qui docebat, est criminatio, sed eorum, qui non susceperunt.
h Ut omne, quod dedisti ei] quasi sic te clarificet, vel ad hoc dedisti, ut det eis vitam æternam. Et quid est vita æterna, vel quid est causa vitæ æternæ meritoria, subdit.
k Hæc est autem vita æterna] idest, causa meritoria vitæ æternæ.
l Ut cognoscant] per fidem. Vel hæc vita æterna, cognoscere per speciem.
m Te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum.] Sed objicitur. Si Pater solus est Deus verus; non ergo Jesus Christus? Respondemus secundum *Chrys.* Solum verum Deum dicit, ad differentiam idolorum, quia dicuntur Dii, sed non sunt vere Dii. Ideo autem hoc dicit, quia ad gentes eos mittebat, qui colebant idola. Unde secundum hoc non excluditur Filius, nec Spiritus sanctus. Vel secundum *Aug.* hoc ordine legitur littera. [Ut te, & quem misisti, Jesum Christum cognoscat solum verum Deum.] Consequenter autem & Spiritus sanctus intelligitur: quia Spiritus est Patris, & Filii tanquam

A charitas

Vel aliter potest legi, ut cum dicit. *l* Ut cognoscant te solum Deum verum] istud dicatur de tota Trinitate. Et quod sequitur. [Et quem misisti Jesum Christum] de Filii humanitate: quia illa terra viventium fluit lac, & mel. Item quæritur de hoc. *l* Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum, &c.] Ergo cognoscere Deum est vita æterna. Ad idem facit illud, quod dicitur *super Ps.* 90. Ostendam illi salutare meum. *Gloss.* idest, Christum in Majestate. Hæc visio est tota merces.

Sed contra.

a Ego te clarificavi super terram: b opus consummavi, quod c dedisti mihi, ut faciam. Et d nunc clarifica me tu, Pater, e apud te metipsum f claritate, g quam habui, priusquam mundus fieret apud te. b Manifestavi i nomen tuum k hominibus, l quos dedisti mihi m de mundo. n Tui erant, o & mihi eos dedisti,

a charitas substantialis, & consubstantialis amborum, quia tota Trinitas est unus solus verus Deus. Sed adhuc potest quæri, quare non exprimit personam Spiritus Sancti? Si enim dicatur, quod per extrema intelligitur in oquam medium: hoc nihil videtur esse, imo potius e converso; quia medium non potest intelligi sine extremis; extrema autem intelliguntur bene sine medio. Potius ergo debuit dicere, ut cognoscát Spiritum sanctum, quam Patrem, & Filium. Sol. Sicut dicit *Aug. in lib. de Trinitate*, sive verbo andiamus: ostende nobis Filium; sive audiamus: ostende nobis Patrem; tantumdem valet, quia neuter, sine altero ostendi potest. Unum quippe sunt, sicut ipse ait: Ego & Pater unum sumus, *sup.* 10. & 1. *Joan.* 3. Videbimus eum, sicut est, in propria, scilicet, essentia, quæ una est trium personarum. Unde unam videndo eodem visu numero videmus aliam; sed modo non eodem motu numero movemur in omnes personas. Dicendo ergo, ut cognoscant te, & Jesum Christum, intelligitur etiam cognitio Spiritus Sancti. De Patre tamen specialiter exprimit, quia hujus cognitionem vehementer desiderabant. Unde *supr.* 14. dicitur: Ostende nobis Patrem. De Filio etiam exprimit, quia de ipso erat multa contradictio. De Spiritu sancto autem non exprimit, quia nondum noverant Spiritum Sanctum; sed de eo plenius cogniturі erant per ipsum Spiritum Sanctum.

Aliter. O Sed contra *Augustinus in primo libro de doctrina Christiana* dicit; Hæc autem summa merces est, ut ipso perfruamur; Ergo fruitio est summa merces: Non ergo visio est tota merces. Item super illud *Psal.* 146. Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus. Ibi dicit *Gloss.* laudis causam: dicit. Quoniam bonum est psalmus: Hæc est tota merces laudantium, quasi dicat: ideo laudate, quoniam bonum est laudare: ipsa enim laus Dei est nostra beatitudo. Item *super Psalm.* 103. Psallam Deo meo, quamdiu sum, dicit *Gloss.* Psallam, quamdiu sum, idest, sine fine, quia in illo sine fine sum. Hoc ideo dicit, ne putetur alius actus esse illius vitæ, quam psallere. Solut. Visio est merces, & beatitudo nostra: similiter & dilectio, & fruitio; sed quia habita visione, de necessitate ex hoc sequitur dilectio, & fruitio; ideo dicitur potius visio merces tota. Nec excluduntur per hoc dilectio, & fruitio: quia ubi unum propter alterum, ibi utrobique tantum. Ad illud. Hæc visio est tota merces; dicendum, quod totum sonat ibi in perfectionem, non in integritatem. Integritas enim mercedis complectitur visionem, dilectionem, fruitionem. Et eodem modo solve, de fruitione, & de laude. Fruitio enim dicitur summa merces, quia summæ bonitatis est fruitio. Et laus dicitur tota merces, idest, perfecta, quia ex prædictis surgit, nec ea excludit. Unde *Augustinus*. Videbimus, amabimus, laudabimus. *August. 22. de civ. Dei c. ult.* Sed quæritur, quare non sit dos sicut alia, cum dicatur merces sicut alia: Ad hoc dicendum est, quod habitus charitatis dos est; motus autem ex eo procedens est merces, quia vivit anima; sicut mulier ex dote sua habet, quod vivat. Similiter visio habitus est dos, motus ex eo præcedens est merces, & fruitio habitus hoc modo. Quia ergo laus non habitus, nec habet specialem habitum, & separatum; sed est motus habitus, qui est visio. Cognito enim Deo, habilitati sumus ad Deum laudandum, quasi ex necessitate. Quia, inquam, ita est, laus non est dos, sed quasi proventus dotis: unde dicitur merces, sed non dos.

a Ego te clarificavi super terram] prædicando, & miracula faciendo in nomine tuo, quasi dicat, dia r ut Filius tuus clarificet te plenius post Resurrectionem, vel plenissime in æterna visione. Tunc enim perfecta erit clarificatio, vel glorificatio Patris in Sanctis suis. Sed interim etiam nunc jam clarificavi te, idest, clarificabo in mea Resurrectione, & Apostolorum prædicatione. Vel, [clarificavi] in mea prædicatione, & conversatione, & miraculorum operatione. *Chrysostomus* [Glorificavi in terra.] Bene dixit, in terra: In cœlo enim glorificatus est, ut in natura sua gloriam habens, & ab Angelis adoratus, sed in Gentibus erat ignotus. Gloriam ergo hic vocat, quæ est per hominum culturam. Unde subdit, quomodo clarificabit.

b Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.] *Aug.* Idem est, ac si aperte dicat: Clarificabo te Gentibus prædicando, opus consummando Passionis, quod jam factum est in prædestinatione, & pro jam facto est habendum, quia certissime est futurum. Vel secundum *Chrys.* opus sibi datum a Patre notat clarificare ipsum in Gentibus. Sed quomodo tunc dicit: [Opus consummavi] vel [finivi] cum nondum esset inchoata prædicatio Gentium? Et ad hoc respondet sic: [Opus finivi] idest, quæ & mei ipsius sunt, omnia feci. Vel præteritum pro futuro dicit more Prophetarum. Vel verius, quia jam omne erat factum in radice. Radix enim bonorum submissa erat, ex qua omnino debebant sequi fructus.

c Quod dedisti mihi, ut faciam] sicut dicitur *If.* 42. Dedi te in lucem Gentium. Et loquitur condescensive, idest, placet Patri. d Et nunc clarifica me] q. d. ego te clarificavi, idest, clarificabo in Gentibus, & ut clarificem te, (clarifica me, tu Pater.) Vel, (glorifica me) quia sum obscurus, & ingloriosus in terra, glorifica me in cœlo: & hoc est. e Apud temetipsum] resuscitatum scilicet, ad dexteram tuam collocando. f Claritate] *Chr.* incorruptione, & ut in throno sedeam regali.

g Quam habui, priusquam mundus fieret apud te] quia ab initio præordinatum est, quod Deus sic hominem illum exaltaret. Vel potest dici, quod petit glorificari, vel clarificari secundum Deitatem, idest, ut manifestetur ejus gloria, qua ab æterno est Patri æqualis. Et est sensus. d Clarifica me, tu Pater] idest, ostende me clarum, & gloriosum.

e Apud temetipsum] idest, tibi esse æqualem.

g Quam habui, &c.] secundum illud *Philip.* 2. Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, &c. Vel sic.

d Clarifica me] secundum hominem.

f Claritate, quam habui, &c.] secundum Deitatem, idest, sicut decet Filium Dei hominem factum clarificari, vel eamdem gloriam da homini, quæ est Filii Dei. Et hoc dicit propter unionem: Ille enim homo dicitur Deus, dicitur Creator, sicut & Filius Dei. Et ostendit meritum clarificationis suæ secundum hominem, quia Patrem clarificavit. Unde dicit.

b Manifestavi nomen tuum hominibus] Apostolis, scil. & Judæis, quibus prædicavi tunc. Vel aliter continuatur, secundum *Chr.* Dixerat: [Ego te glorificavi, opus finivi, &c.] ideo hic explanat, quale opus. Hoc scilicet, [manifestavi nomen tuum,] & per verba, & per res, idest, per miracula.

k Hominibus, quod dedisti mihi de mundo] quod potest intelligi de omnibus credituris. Et dicit factum, quod erat futurum certissime. Vel specialiter loquitur de Discipulis hic, qui jam crediderant, & per quos alii erant credituri. Et legitur.

b Manifestavi] jam in parte, sed postea plenissime manifestabo per Spiritum sanctum.

i Nomen tuum] non quod diceris Deus, quod erat notum in Judæis prius: sed quod diceris Pater meus, quod sine Filio non noscitur. l Quos dedisti mihi] ut *supr.* 6. Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Et tamen ipse est via sicut ipse dicit *supr.* 14. Sed [dedisti,] dicit, per hoc construens duo, quod non est contrarius Patri: & quod vult Pater credi Filio.

l Quos dedisti mihi] instruendos.

m De mundo] separatos tuo munere. n Tui erant] potestate, creatione. o Et mihi eos dedisti] ad docendum ut mihi subditi sint obedientia, & fide. *Chr.* Rursus hic unanimitatem Filii, & Patris ostendit, & quoniam valde amatus est a Patre: Qui enim eos fecit, & procurat, qualiter indiguit eos accipere a Patre? Omnia enim per ipsum facta sunt. Si vero humane hoc vis investigare, & sicut sonat verbum intelligere: ridiculosum sequetur, & inconveniens, scilicet, quod Pater dans Filio desiit Dominus esse. Item quod inconvenientius etiam est, sequetur, scilicet, quod cum erant Patris, tunc imperfecti erant: cum vero ad Filium venerint, tunc facti perfecti: quia, scilicet, tunc sermonem servaverunt, & cognoverunt omnia, quæ ante non cognoverunt. Vel sic.

n Tui erant] per prædestinationem. o Et mihi eos dedisti] per præsentem † vivificationem. Vel. n Tui erant] secundum Deitatem, & mei similiter. o Et mihi eos dedisti] mihi homini, ut in me crederent. Et non solum hoc, imo.

al. † justificationem.

a Et sermonem tuum servaverunt] idest, in fide permanserunt sermonis tui. Vel (servaverunt) per operationem. Vel secundum *Chrysostom.* a Servaverunt tuum sermonem) quia mihi crediderunt, & non attenderunt Judæis, *sup.* 3. Qui credit, signavit, quia Deus verax est, qui scilicet, permisit per Moysen me venturum. *Deut.* 18. Et. b Nunc cognoverunt] quod non ante.

Aug. [Cognoverunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt] idest, cognoverunt, quia abs te sum. Simul enim Pater omnia dedit, cum genuit, qui haberet omnia.

c Quia omnia, quæ dedisti mihi] idest, omnia, quæ doceo.

d Abs te sunt,] idest, tua sunt, & tibi placent, q. d. cognoverunt, quod nihil alienum a te doceo. Et unde hoc cognoverunt? A verbis meis: ita enim docebam eos. Et hoc est, quod sequitur. e Quia verba] mea (quæ dedisti mihi) homini, vel mihi Filio gignendo.

f Dedi eis] nihil mutando. Unde, *supr.* 12. Quæ ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor. g Et ipsi acceperunt,] *Aug.* idest, intellexerunt, atque tenuerunt. Tunc enim verbum accipitur, quando mente percipitur.

h Et] sic (cognoverunt vere, quia a te exivi) quod exponendo subdit (Et crediderunt,) vere, supple (quia tu me misisti) *Aug.* Cum dixisset (cognoverunt vere) ne quis putaret illam cognitionem, tanquam per speciem factam, non per fidem, exponendo addidit (Et crediderunt) ut subaudiamus vere. Id autem, quod dixerat (A te exivi) exponit dicens (Quia tu me misisti) in carnem. *Chrysost.* Hoc per totum studebat construere Evangelium, ut crederent, quoniam consona est Patri sua doctrina, & non contraria: & quoniam ab eo missus est, non a Principe Dæmoniorum, ut Judæi dicebant. Vel (A Deo exivi) per æternam generationem (Tu me misisti] temporaliter in carnem. Sed quid est, quod dicit (Cognoverunt vere) Nondum erant firmi in fide. Solut. Loquitur pro tempore illo, quo illa verba, quæ Christus ad aures Discipulorum exterius formaverat, Spiritus sanctus in mentibus interius spiritualiter impressit. Unde quod dictum est (manifestavi) exponitur de futuro, idest, manifestabo, & alia hujusmodi. Unde dicit *Aug.* Cognoverunt vare, & crediderunt vere, non eo, scilicet, modo, quem significavit paulo ante, cum dixit. Modo creditis: venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, &c. Sed crediderunt vere, idest, quomodo credendum est inconcusse, firme, stabiliter, fortiter. Adhuc ergo Discipuli tales non erant, sed prænunciant, quales futuri essent. Sequitur.

l Ego pro eis rogo] Hic incipit orare pro membrorum suorum servatione. Et rogat, ut homo, ad Patrem. Orat autem primo pro præsentibus, deinde pro futuris. Et continuatur sic. Primo oravit pro se: consequenter orat pro suis. Vel ita. Jam in parte crediderunt mihi, & sermonem tuum servaverunt: ideo (ego pro eis rogo) Vel sic. Mihi eos dedisti de mundo, ideo (ego pro eis rogo, non pro mundo) idest, pro mundo deditis.

m Sed pro his, quos dedisti mihi] homini: & ideo debes me audire pro ais.

n Quia tui sunt] in quo significat, quod non sunt sic dati Filio, ut recesserint a Patris dominio. Unde & aperiens, quomodo utriusque sunt, subdit.

o Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.] In quo ostendit æqualitatem honoris, & potestatis conservandi, & gubernandi omnia, & justificandi, quos vult, & conservandi in gratia justificatos. *Chrysost.* Quia sæpe dixerat. Tui sunt, & mihi eos dedisti, ne quis existimet recentero esse Filii principatum, & nunc eos primo suscepisse a Patre: ideo dicit (Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt) q. d. cum audieris, quoniam mihi eos dedisti, ne existimes alienos esse a Patre; mea enim ejus sunt: Neque audiens, quoniam tui erant, existimeut alienos tunc fuisse a me, quæ enim Patris, mea sunt. Hoc & alibi ostendens dicit, *sup.* 16. Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt, de cognitione loquens: hic autem loquitur de potestate. Quia ergo dicit (dedisti) condescensionis est sermo. Et per hoc vult construere, quoniam non ut alienos a Patre venientes eos abstulit, sed ut proprios suscepit, & quod Patri hoc placet: Deinde probationem hujus, scilicet, quod sui sunt per gratiam, ponit, subdens. p Et clarificatus] vel, (glorificatus sum in eis) idest per eos, quia ipsi glorificant me credentes in me, & moriendo pro me, sicut & pro Patre, & prædicando me, ut Patrem. Et sicut in nomine ejus dicunt omnia fieri; ita & in nomine Filii. q Et jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt] q. d. etsi non appaream secundum carnem; tamen per hos glorificatus sum. *Chr.* Vel sic. q Et jam non sum in mundo, &c.] quasi, quia dimitto eos: ideo eos tibi commendo, & rogo pro eis, Qualiter autem non sit in mundo; subdit. r Et,] i. quia, s Ego ad te venio,] i. ad immortalitatem, & invisibilitatem. *Aug.* sic.

& a sermonem † tuum servaverunt. b Nunc cognoverunt, c quia omnia, quæ dedisti mihi, d abs te sunt, e Quia verba, quæ dedisti mihi, f dedi eis. Et ipsi g acceperunt, & h cognoverunt vere, quia a te exivi: & crediderunt, quia tu me misisti. i Ego pro eis rogo. k Non pro mundo rogo, m sed pro his, quos dedisti mihi, n quia tui sunt. Et o mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, p & clarificatus sum in eis. Et q jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, r & s ego ad te venio. t Pater sancte, u serva eos in x nomine tuo, y quos dedisti mihi, ut sint z unum, sicut

† al. meum.

i Ego pro eis rogo] quos elegisti de mundo, i. pro illis, qui vivunt per verbum meum vocasti. k Non pro mundo rogo) idest, deditis mundo. Et ne credatur dedisse, & non sibi retinere, sed amisisse, subdit: (Quia tui sunt.) Et ostendit, quomodo hoc sit. o Et,] idest, quia (mea omnia tua sunt, & tua mea sunt,) idest, etiam omnis creatura rationalis, quæ non nisi Deo subditur, æqualiter est Patris, & Filii. Unde nota, quod cum dicit Pater ad Filium majorem, *Luc.* 15. Fili, tu mecum es semper, & omnia mea tua sunt; illud dictum est de his omnibus creaturis; quæ infra creaturam rationalem sanctæ sunt, quæ utique subduntur Ecclesiæ Justorum, secundum illud 1. *Cor.* 3. Omnia vestra sunt. Hoc autem, quod dicitur hic: (Mea omnia tua sunt, &c.) dicitur etiam de creatura rationali, quæ non nisi Deo subditur. Hæc ergo cum sit Dei Patris, non simul esset, & Filii, nisi Filius esset æqualis Patri. Specialiter autem omnes Sancti ejus sunt, a quo creati, & sanctificati sunt. Illud autem, quod dicitur *sup.* 16. Omnia, quæ habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, intelligitur de his, quæ ad ipsam Patris pertinent Divinitatem, in quibus, & illi Filius est æqualis. Ideo dicit: De meo accipiet, idest, ejusdem substantiæ mecum est, p Et clarificatus sum in eis,] idest, clarificabor, idest, innotescam eis, ac per ipsos aliis. Dicit enim factum, quod erat prædestinatum, & mox futurum. Unde & sub hoc modo loquendi, subdit. q Et jam non sum in mundo.] Quod cito futurum erat, dicit jam factum. *Aug.* Loquitur humano usu, sicut quotidie dicimus: Jam non est hic, de aliquo quantocius abituro, & maxime hoc de moritura solet dici. *Aug.* Quoniam, & ipse Dominus tanquam prævidens, quid lecturos movere posset, adjecit. s Ego ad te venio] sic exponens, quodammodo cui dixerit: (Jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt) quasi dicat, ideo egent tua consolatione, quia tristes manebunt in mundo diutius me abeunte. (Et ego ad te venio) sic exponit, quodammodo cur dixerit, (Jam non sum in mundo.) Commendat ergo eos Patri, quos corporali absentia relicturus est, dicens.

De celebr. Miss. cause Martha.

t Pater sancte] sine terra, & sine culpa.

u Serva eos in nomine tuo,] idest, ad honorem nominis tui. Vel secundum *Chrys.* x In nomine tuo] idest, per tuum adjutorium. y Quos dedisti mihi,] idest, quos verbis meis credere fecisti, q. d. Serva eos in gratia, & in fide, in quam eos vocasti. Et bene dicit [serva] quia cito bonum perditur, quod a largitore non custoditur. Unde *Ps.* 126. Nisi Dominus custodierit civitatem, &c. Et alibi. *Ps.* 102. Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. *Is.* 21. Custos, quid de nocte, custos quid de nocte, &c. Sic autem serva.

z Ut sint unum, sicut & nos.] Sed sunt unius essentiæ: ergo & ipsi Discipuli erant unius essentiæ. Unde ex hoc verbo habuit ortum hæresis, quæ dicebat, quoniam omnia unum: & ideo mittebant sibi invicem ejusdem verbi salutem. Solutio. Ut sint unum, fide, & dilectione, sicut eo quod Pater, & Filius idem sunt, omnino in nullo dissentiunt, neque in voluntate, neque in opere. Vel sicut nos unum sumus, idest, unius es-

unius essentiæ: ita ipsi sunt unum participatione illius essentiæ, quæ Deus est. Vel ut sint unum participatione unius, idest, Spiritussancti, qui corpus Ecclesiæ compaginat, & facit unum, & vivificat. 1. *Cor.* 10. Unus panis, & unum corpus multi sumus. *Cant.* 6. Una est columba mea, una est perfecta mea. *Aug.*

C

non ait, ut nobiscum sint unum, aut ut sint unum ipsi, & nos, sicut unum sumus nos; sed ait (Ut sint unum, sicut & nos) ipsi utique in natura sua sint unum, sicut & nos in nostra unum sumus, idest, in divina natura, de qua alibi dicit. Ego, & Pater unum sumus. *Supr. 10.*

& nos. a Cum essem cum eis, b ego servabam eos in c nomine tuo. d Quos dedisti mihi, ego custodivi ? & e nemo ex eis periit, nisi f filius perditionis, ut g Scriptura impleatur. h Nunc autem ad te venio, & i hæc loquor in k mundo, l ut m habeant gaudium meum impletum n in semetipsis. o Ego dedi eis sermonem tuum, p & mundus eos odio habuit: quia q non sunt de mundo, r sicut & ego non sum de mundo.

a Cum essem cum eis] corporali præsentia.

b Ego servabam eos] ego homo eram eis instructor, & consolator. Sed non sine te. Unde subdit.

c In nomine tuo] idest, tuo adjutorio, vel tua potentia, vel ad honorem tuum, quasi dicat, ideo serva eos modo, cum recedo in nomine tuo, in quo prius eos servabam. Sed hic possunt quæri multa. Primo, quomodo competat ei, ut roget Patrem, cum Patri sit æqualis. Item quare ita distinguit, pro eis rogo, non pro mundo, Et ad hoc respondetur, quod rogat Patrem, inquantum est minor Patre, idest, secundum hominem, ut dicit *Aug.* Sed adhuc quærit *Chrys.* Ad quid etiam secundum quod homo rogaverit Patrem, quasi nescientem, cum non indigeret ejus desiderium scire per vocalem orationem. Item quid sibi vult illa divisio. Pro eis rogo, non pro mundo? Respondemus secundum *Chrys.* Propter nihil aliud facit orationem, nisi ut discant amorem, quem habet ad eos. Qui enim non solum, quæ a seipso sunt, amico tribuit; sed & alium in hoc rogat, ampliorem ostendit amorem. Ideo etiam divisionem facit in oratione, ut notet specialitatem ad Discipulos, sive specialem amorem. Si autem objicitur, quod pro mundo oravit, cum in Cruce pro transgressoribus oravit, ut dicitur *Is.* 53. & *Luc.* 23. Respondendum est [Non pro mundo rogo] idest, pro mundanis finaliter non rogo efficaciter. Item quæritur, quid est, quod dicit [Pater sancte, serva eos] & postea subdit [Cum essem cum eis servabam eos,] q. d. quia vado, tibi eos commendo. *Chrys.* Ex hoc videtur, quod abiens non possit eos servare. *Aug.* Item videtur significare, quod vicissim eos servent Pater, & Filius: & quasi succedat alius, quando discesserit alius. Ad hoc respondet *Aug.* dicens. Simul nos custodiunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui est unus verus Deus, sed Scriptura sic loquitur, quia nos non levat, nisi descendat ad nos: sicut verbum caro factum descendit, ut levaret; non cecidit, ut jaceret. Si descendentem cognovimus, cum levante surgamus, & intelligamus. Cum ita loquitur, debemus personas distinguere, non separare naturas. Quando ergo servabat Discipulos suos Filius præsentia corporali, non expectabatur Pater ad custodiendum succedere Filio discedenti; sed eos ambo servabant potentia spirituali. Et quando ab eis abstulit Filius præsentiam corporalem, tenuit cum Patre custodiam spiritualem: quia & quando eos custodiendo Filius homo accepit, custodiæ paternæ non eos abstulit: & cum Pater Filio custodiendos dedit, non dedit sine ipso Filio, cui dedit, sed dedit homini Filio, non sine Deo, eodem ipso utique Filio. *Chr.* etiam de hoc apertius dicit, quod loquitur humane, & quasi homo nudus propter eorum imbecillitatem. Quia enim totum credebant amittere in absentia ejus corporali: ideo dicit (Pater sancte, serva eos) ut scilicet, parum respirent audientes hæc eum dicentem, & Patri commendantem. Quia enim multas ab eo consolationes audientes, non persuasi erant, ideo de reliquo Patri loquitur, eamque ad eos dilectionem ostendens, ac si diceret, quia ad teipsum me convocas, illos serva, idest, constitue in cautela. Ego enim venio ad te. Non hoc dicit, quin abiens possit servare; sed loquitur secundum mentem eorum, qui magis confidebant de Patre. Hoc modo etiam dixit illud [Et jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt] Hoc enim suspicabantur illi, Interim igitur eis condescendit. Si dixisset: Quoniam ego servo eos, non ita credidissent, ideo ait (Pater sancte, serva eos in nomine tuo) idest, per tuum adjutorium. Et cetera similiter condescensive dicit, sicut etiam per Prophetas Deus Pater humano modo loquitur. Sequitur. *d* Quos dedisti mihi, ego custodivi] instruendo, consolando præsentia corporali.

e Et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis,] idest, Judas ad perditionem prædestinatus, ut dicit *Aug.* Et expone, idest, præscitus. Vel. *f* Filius perditionis] idest, imitator Diaboli, per quem perditio venit in mundum. *Sup 15.* Vel (Filius perditionis,) idest, perditus, idest damnatus. Et dicitur sic ad expressionem, sicut & illud. 2. *Thes.* 2. Nisi revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c. *Job* 21. In diem perditionis servatur malus. Sed objicitur de hoc, quia dicitur *sup.* 6. Omne quod dedisti mihi, non perdam ex eo. Ibi neminem excipit. Sol. *Chrysostomus*. Ibi intelligitur, non perdam, quantum in me est, quod & manifestus dicit alibi, scilicet, *supr.* 6. Non ejiciam eum foras, idest, non a mea causa, neque me impellente, neque derelinquente; si vero a seipsis exiliunt, & recedunt, ex necessitate non traho.

g Ut Scriptura impleatur] quæ hoc de illo prophetavit, *in Psalm.* 108. Deus, laudem meam ne tacueris, &c. Et ponitur ly [ut] consecutive, non causaliter. Unde *Chrys.* Proprius hic Scripturæ est modus, ut causam ponere ea, quæ ex eventu contingunt: & oportet omnia diligenter investigare: & modum ejus, qui loquitur, & materiam, & leges Scripturæ, si demum non debemus paralogizari.

h Nunc autem ad te venio] per mortem, unde desolabuntur Discipuli mei. *Aliter.*

i Et] ideo, quia recessurus sum corporali præsentia in consolationem eorum (hæc loquor) eis adhuc existens.

k In mundo] cum eis.

l Ut] scilicet; [habeant gaudium meum impletum] vel (plenum) secundum *Chrys.*

n In semetipsis,] idest, ut gaudium de me habitum semper habeant, & tristia a me non recedant. *Chrysostomus*. Cujus gratia prædicta condescensive dixerit, hic aperit, scilicet, propter illorum gaudium, & requiem, & ut tumultuentur imperfectiores existentes. Vel sic.

h Nunc ad te venio] quasi ego custodivi eos, sed nunc peracta obedientia [ad te venio,] idest, in proximo est, ut vadam.

i Et] interim [hæc loquor] adhuc existens in mundo. Et ad quid [Ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis] *August.* Hoc gaudium est, de quo superius ait. Ut sint unum, sicut & nos. Hoc gaudium suum, idest, a se in eos collatum, in eis dicit implendum propter quod se locutum dicit in mundo. Hæc est illa pax, & beatitudo in futuro sæculo. *Philip.* 4. Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum. Propter quam consequendam temperanter, & juste, & pie vivendum est in hoc sæculo. De hoc dicitur *sup.* 16. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. Et lege sic. *Sup. eod. & inf. eodem.*

l Ut gaudium meum,] idest, quod jam contuli eis per arram, idest, gratiam,

m Habeant impletum] in adeptione gloriæ.

n In semetipsis] non tantum in anima, sed etiam in corpore redundans, & inundans. *Job* 19. Quem visurus sum ego ipse, & non alius. Et quia dixerat [Serva eos] dicit causam, propter quam digni sunt diligentia Patris: quia propter sermonem ejus odio habiti sunt. Et hoc est.

o Ego dedi eis sermonem tuum,] idest, quod docui eos tibi placuit, & tuum fuit.

p Et] ideo [mundus eos odio habuit,] idest mundani, & maxime Judæi. Et loquitur, ut dicit *Aug.* de futuris passionibus eorum, & odiis. Et cur odio habuit, adhuc subdit. *q* Quia non sunt de mundo] quantum ad actus malos. *r* Sicut & ego non sum de mundo,] idest de numero, vel de consortio malorum, quasi dicat ideo eos odiunt, sicut & me odio habuerunt, *supr.* 15. Si vos odit mundus, scitote quia me priorem vobis odio habuit. *Chrysostomus*. Cum virtuosi facti persecutionem patimur a malis, ne anxiemur, neque tristemur. Talem enim virtus habet naturam, ubique odium parere assuevit apud perniciosos. Sed ne doleamus. Hoc enim virtutis est signum. Propterea Christus ait. Si de mundo essetis, mundus, quod suum erat, diligeret, *supra* 15.

Et alibi rursus. *Luc. 6.* Væ vobis, cum benedixerint vobis homines. Et *sup. 7.* Non potest vos odisse mundus; me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo. Sed etsi mundus eos odit. *a* Non] tamen (rogo, ut tollas eos de mundo) ubi necessarii sunt adhuc, etsi non de eo sint.

b Sed ut serves eos a malo] mundi. Orat vero Christus pro suis contra odia mundi. Et quare oduntur? Quia. *c* De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo] Repetit eamdem sententiam quam dixerat ad confirmationem, & ut ostendat

Non *a* rogo, ut tollas eos de mundo, *b* sed ut serves eos a malo. *c* De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. *d* Sanctifica eos in *e* veritate. *f* Sermo tuus *g* veritas est. *h* Sicut tu me misisti in mundum: ita & *i* ego misi eos in mundum. Et *k* pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & *l* ipsi sanctificati in *m* veritate. *n* Non pro eis autem rogo tantum, sed & *o* pro eis, qui credituri sunt *p* per verbum eorum in me, ut *q* omnes unum sint:

amorem suum in commendatione eorum ad Patrem. Et est sensus. Ad nihil aliud respiciunt, nisi ad te, nihil commune ad terram habentes, cœlestium facti sunt cives. *Chrys.* Longam eorum componit laudationem, scilicet, quod non sunt de mundo: & quoniam ipse eos dedit: & quoniam sermonem ejus servaverunt: & quoniam propter eum odio habentur. Item quod dicit [sicut] ne tumultueris. Hoc enim non similitudinem parilitatis, vel expressionis, sicut cum dicitur in ipso, & Patre, sed dicit quamdam conformitatem imitationis; in qua tamen multa differentia est ad nos: quia ipse peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. 1. *Petr.* 2. Quomodo autem dixerit [serves eos a malo] exponit dicens.

d Sanctifica eos in veritate] *Chrysost.* Serva eos, non solum de periculorum ereptione ait, sed de ea, quæ in fide permanentia. Ideirco & inducit (Sanctifica eos in veritate) tua, idest, sanctos fac per Spiritus dationem, & recta dogmata, idest, erudi eos, & doce veritatem, & firma eos in veritate audita. Et ne quis quæreret, de qua veritate dicat, subdit.

f Sermo tuus] idest, doctrina, quam docui ex te.

g Veritas est, i. nullum mendacium est in eo, omnino evenire oportet, quæ dicta sunt in eo. Vel [veritas est] non umbra, non typicum quid, neque corporeum. Hæc veritas, sive iste sermo sanctificat, idest, purgat. Unde *sup.* 5. Vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis. Et *Eph.* 5. dicitur de Ecclesia, quod sanctificavit eam in verbo. Vel aliter. *d* Sanctifica eos in veritate] prædicanda, idest, segrega eos ad veritatem prædicandam, vel munda, vel firma. Segregatos enim oportet esse, & mundatos, & firmatos ad hoc, ut veritas prædicetur. De segregatione habetur *Act.* 13. Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. *Gal.* 1. Cum autem placuit ei, qui me segregavit de utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus, continuo non acquievi carni, & sanguini. De utero matris debet Prædicator segregari, idest, a concupiscentia abstrahi, vel ab amore carnali. *Ps.* 26. Pater meus, & mater mea dereliquerunt me. *Eccl.* 47. Quasi adeps separatus a carne: sic David a filiis hominum. Vel resurrexit Propheta in diebus David, quasi adeps separatus a carne. Ideo *Lev.* 10. in die promotionis Aaron, mortui sunt filii ejus, in signum, quod debet in Prædicatore mori carnalis affectus. Sed econtratio dicitur *Ezech.* 16. In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus. Item sanctificatos, idest, mundos, & purgatos oportet esse Prædicatores, quia non est speciosa laus in ore peccatoris. *Eccl.* 15. *Is.* 6. Purgata sunt labia ejus. Item sanctos, idest, firmos oportet esse in veritate prædicanda. Unde *Ecclesiast.* 7. Noli quærere fieri Judex, &c. Ideo Spiritus sanctus in Apostolos descendit in linguis ignis, ut scirent se purgatos, & fortificatos ad loquendum veritatem. *Ezech.* 2. Fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas: Et *in eod.* Verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides. Et idem dicitur 3. *ejusdem*, & *Jerem.* 1. Et *Isa.* 51. Quis tu, ut timeas ab homine mortali? Dicit ergo.

Eph. 5. Dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.

Act. 13.

d Sanctifica eos] idest, firma, vel munda, vel segrega.

e In veritate] prædicanda. Et qua veritate? Sermonis tui, idest, Evangelii. Unde subdit.

f Sermo tuus veritas est,] i. sine mendacii deceptione. Unde cum veritas sit in se, non debemus illud nostris mendaciis admirare. *Job* 13. Numquid indiget Deus nostro mendacio? 2. *Cor.* 2. Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei. Item 2. *Cor.* 1. Sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo: est, & non, idest, falsitas. Vel. *g* Veritas est,] i. stabilis. Unde *Prov.* 12. Labium veritatis firmum est in perpetuum. *Matth* 24. Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Vel [Veritas est] est ad differentiam umbrarum in lege. *Heb.* 10. Umbram habens futurorum lex non ipsam imaginem rerum. Sequitur.

Ez. q. 10. s. t. De cole. miss. cum Martha.

h Sicut tu me misisti in mundum] ad docendum veritatem. *i* Ita & ego misi eos in mundum] ad docendum, scilicet, q. d. ideo sanctifica eos in veritate prædicanda, quia ad hoc mittuntur in mundum eis inimicum, & periculosum. Quod autem dicit [misi] futurum, ut factum dicit. Vel. *g* Sicut tu me misisti] ad reconciliandum mundum, *i* Ita & ego misi eos] ad idem. Nec dicit ly [sicut] parilitatem, sed remotam similitudinem. *k* Et ego] antequam mittam eos [pro eis sanctifico meipsum] idest, hostiam offero tibi me in Cruce. Hostiæ enim omnes in lege sanctæ dicebantur, sed præcipue illa dicebatur sancta, quæ Deo reponebatur. *l* Ut sint & ipsi sanctificati] idest, vere & plene mundati a peccato per affectum Passionis. *m* In veritate] non in umbra, vel typo, sicut olim per ovem, vel vitulum sanctificabantur figuraliter, sed [in veritate] idest, per verum Agnum. Vel sic. *k* Ego me sanctifico,] idest offero me. *l* Ut & ipsi sunt sanctificati in veritate,] idest, ut exemplo meo etiam ipsi sanctificent se, idest, offerant in veritate, non umbratilia sacrificia, secundum illud *Rom.* 12. Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam Deo. *Ps.* 43. Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, &c. Loquitur autem de oblatione mortis, vel macerationis, quia non sine morte hostia suos effectus operatur, & oblationem. Sequitur.

Chr. Ex quo sensu dixerit [Sanctifica, &c.] aperit, cum dicit.] Sicut tu me misisti.

Moraliter. [In veritate] non in simulatione, ut hypocritæ, qui se macerant vane. *Matt.* 6. Exterminant facies suas. *Ephes.* 6. Succincti lumbos vestros.

n Non pro eis, &c.] Superius oravit pro præsentibus, hic orat pro credituris. Vel secundum *Chr.* sic continua. Dixerat [Pro eis ego sanctifico meipsum] idest, morior. Sed ne quis putet, quod pro Apostolis solum moritur, induxit. *n* Non pro eis, &c.] idest morior, & offero me, quia oblatio vicem tenet orationis. Vel [rogo] *Gl.* ut serventur a malo, & ut sanctificentur, idest firmentur in bono. *o* Sed & pro eis qui, &c.] usque ad finem scilicet mundi, quia fides est in reprobis per verbum Apostolorum. Unde. In omnem terram exivit sonus eorum. *Rom.* 10. Fides ex auditu. Vel [Credituri sunt] *Gloss.* usque ad finem mundi, vel jam credunt, ubicumque sunt; non tamen tam perfecte, ut post credituri sunt post Resurrectionem. Ecce magna fiducia, quod Christus pro omnibus nobis orat. *Heb.* 7. Semper vivens ad interpellandum pro nobis. *Rom.* 8. Christus Jesus, qui mortuus est; imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 1. *Job* 2. Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum. Sed quid est, quod dicit [Per verbum eorum] quia objicitur de latrone, & de Paulo, qui non crediderunt per verbum Apostolorum; & ita videtur, quod hic non oraverit pro eis? Respondemus sicut dicit *Aug.* *p* Per verbum eorum] i. per verbum fidei, quod eorum est, non quod per eos tantum sit prædicatum; sed & per Paulum, & alios quoslibet; sed quia eis primitus, & principaliter commissum est ad prædicandum. Hoc est verbum fidei verbum Dei, per quod, vel in quod credidit latro, *Luc.* 23. Credidit & Paulus. *Act.* 9. & quicumque credidit. *Chr.* In hoc rursus restauravit animos Discipulorum, & confortavit, ostendens multos futuros Discipulos: unde quod habebant præcipuum ostendit commune futurum. Et in hoc consolatur eos, ostendens ipsos salutis aliorum fieri causam. Et quid rogat? *q* Ut omnes unum sint] idest unanimes. Quod autem *sup.* *eod.* de solis Apostolis; hic de omnibus simul orat.

a Sicut tu

a Sicut tu Pater in me] es (& ego in te,) idest, sunt unum suo modo, i. fide, expectatione, dilectione Spiritus sancti participatione: sicut nos sumus unum nostro modo, *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor unum, &c. *Chrys.* (Sicut) non certissimæ parilitatis est, sed ut omnibus possibile est, sicut cum dicit: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. *Matth.* 5. & *Luc.* 6. *b* Ut & ipsi in nobis unum sint] q. d. unum sint, i. concordes sint invicem, ut sic nobis uniti sint, quod aliter fieri non potest. Non enim possunt nobis uniri, si invicem discordaverint. Vel aliter continua, ut sequens sit explanatio præcedentis, q. d. rogo, ut unum sint, i. concordes, non in malo: sed [ut & ipsi in nobis unum sint,] *Chrys.* Quid est [in nobis] In fide, quæ ad nos est, & dilectione. *c* Ut mundus credat] per eorum unanimitatem. *d* Quia tu me misisti.] Hoc est, quod dixit, *sup.* 13. In hoc cognoscent omnes, quia mei Discipuli estis, si dilectionem habueritis adinvicem. Sed qualiter huic credit mundus, quod a Deo sit missus. Quoniam pacis est Deus. 1. *Cor.* 14. Si ergo servaverint, quæ didicerint a me, cognoscetur ab auditoribus Magister in Discipulis; si vero altercentur, non dicent pacifici Dei esse Discipulos. Non pacificum vero, non confitebuntur missum a te. Ecce patet, qualiter Dominus semper intendit ostendere se esse ad Patrem eisdem concordiæ. *e* Et ego charitatem] sive (gloriam) secundum *Chrysost.* (quam tu dedisti mihi dedi eis) q. d. ut mundus credat per eos, dedi eis potestatem miracula faciendi, & efficaciam docendi, quam & tu dedisti mihi, insuper & concordiam amoris, sive unanimitatem. *Chrys.* Gloriam dicit eam, quæ per signa, & dogmata, & ut unanimes sint. Hæc est gloria scilicet, unanimitas, de qua subdit. *f* Ut sint unum, sicut & nos unum sumus.] Hæc gloria major est signis, & miraculis. Sicut enim & Deum admiramur, quoniam non est contentio, neque discordia apud naturam illam divinam, & hæc est maxima gloria: ita & hi, ait ea unitate efficiantur clari. Sed qualiter Patrem petiit hoc eis dare, & ipse dicat hic se eis hanc dare claritatem? Sol. Consolationis, & condescensionis gratia petitio fit. Qualiter autem dedit gloriam in eis, scilicet, existens, & patrem secum habens, ut eos contineat. Et hoc est.

a sicut tu, Pater in me, & ego in te; ut b ipsi in nobis unum sint, ut mundus c credat, quia d tu me misisti. Et e ego claritatem, quam tu dedisti mihi, dedi eis: ut sint f unum, sicut & nos unum sumus.

g Ego in eis] per gratiam eos uniens. Et ne insufficientem credant Filium eos continere, subdit.
h Et tu] Pater (in me) per identitatem naturæ. Et ita Pater est in eis. *i* Ut sint consummati in unum,] vel secundum *Chrysostom* (perfecti in unum) idest, ut sic per me, & Patrem inhabitantes perfecti fiant in concordia. Superius enim dixit (ut sint unum) sed hic plus dicit (Ut sint consummati) sive (perfecti in unum) ut non solum habeant charitatem, & concordiam; sed perfectam habeant, & continuam, & perseverantem. Et nota, quod ad hoc inchoavit sermonem, *sup.* 13. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Et in hoc determinavit etiam sermonem, *sup.* 16. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In hoc etiam terminat istam orationem ad Patrem, *inf. eod.* Ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit. Et in hoc dicit consummationem, & perfectionem. Hoc est, quod dicit Apostolus. *Col.* 3. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Et 1. *Tim* 1. Finis præcepti est charitas, idest, consummatio. k Et] vel (ut cognoscat mundus) per eorum unanimitatem, ut dictum est. *l* Quia tu me misisti] quod dixerat, hic repetit: ut per repetitionem certissime ostendat, quod plus potest pax apud homines, quam signa. *m* Et] vel (ut cognoscat,) quod (dilexisti eos, sicut & me dilexisti) in hoc, quod eis speciale donum suum dedisti, scilicet dilectionis. Vel (Dilexisti eos, sicut & me dilexisti) quia sicut ego unigenitus flagellatus sum; ita & ipsi. *Heb.* 12. Flagellat omnem filium, quem recipit. Hoc autem (sicut) non dicit parilitatem, sed similitudinem quamdam, secundum quod hominibus competit. Vel aliter legitur ab illo loco secundum. *Aug.* *c* Ut mundus credat, quia tu me misisti] quasi dicat, peto, ut sint unum per charitatem, & peto etiam, ut mundus credat, idest, ut ipsi habeant fidem. Mundum enim hic dicit illos eosdem quos uniendos petit, & vocat eos mundum, vel quantum ad statum præteritum, vel quia sunt de mundo, idest, viventes in hoc sæculo, quasi dico, peto, ut des eis charitatem, & fidem.

e Et ego claritatem, quam tu dedisti mihi, dedi eis] quasi dicat, pro eis, ut homo, rogo: & ut Deus facio, quod rogo (claritatem) immortalitatis (dedi eis) idest, dabo tecum, ut Deus. *f* Ut sint unum] in claritate, sicut supra in fide, & charitate. (Sicut & nos unum sumus.] Et per quem erunt unum, determinat, dicens. *q* Ego in eis] per gratiam, & quos me misisti. *h* Et tu in me] mundum reconcilians tibi per me. 2. *Cor.* 5. In quo ostendit se esse mediatorem. Neque enim hoc ita dictum est, ut tanquam Pater non sit in nobis, aut nos in Patre non simus, cum & in alio loco dixerit. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, *supr.* 14. Quia ergo nunc ait, (Ego in eis, & tu in me) ita dictum est ex persona mediatoris, sicut & illud. 1. *Cor.* 3. Vos Christi; Christus autem Dei. Quod vero addidit. *i* Ut sint consummati in unum] ostendit eo se perducere ad reconciliationem, quæ fit per ipsum mediatorem, ut perfecta beatitudine, cui nihil jam possit adjici, perfruamur. Unde nota, quod supra dixit (uti sint unum) sed hic addit (ut sint consummati in unum,) i. per charitatem. Vel ibi (unum) i. in nos, qui sumus vere unum 1. *Cor.* 6. Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo. Sed quia ibi non solum erit perfecta unio charitatis, sed & perfecta cognitio veritatis. *Chrysost.* & *Aug.* *m* Ut cognoscat] subdit. Vel (ut & cognoscat mundus) idest, ipsi consummati de mundo cognoscant ibi per speciem, quod modo per fidem. Unde quod supra dicitur: Ut credat mundus, hic autem dicitur, ut cognoscat. Hic enim credimus: ibi cognoscemus. 1. *Corint.* 18. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. *Sap.* 15. Nosse te sensus est consummatus. Cognoscat, dico, tunc, quod credit, tunc scilicet.
l Quia tu me misisti,] idest, cognoscat ineffabilem charitatem, qua me misisti. Unde sequitur.
m Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti,] idest, ut condividerem eis hæreditatem, quam mihi dedisti. Unde *Rom.* 8. Hæredes quidem Dei; cohæredes autem Christi. Vel (Dilexisti eos) quia in Filio membra etiam ejus diligit Pater. *n* Sicut & me dilexisti.] Non quod æqualiter. Non enim (sicut) semper æqualitatem significat; sed quia me, & illos, vel propter me illos, sicut dicitur, *supr.* Sicut tu me misisti in mundum: ita & ego misi eos, idest quia tu me misisti, misi illos. Ita & hic dicitur (dilexisti eos sicut me,) idest, propter me, sive quia me dilexisti. Non enim membra filii non diliget, qui diligunt Filium: & quia eos dilexisti, vel quia me dilexisti: ideo. *o* Pater, quos dedisti mihi [consummandos,] idest quos traxisti ad me, *sup.* 6. Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum. Non quod Filius non trahat etiam, sicut pater, sicut dicitur *sup.* 12. Omnia traham ad meipsum. Et 15. Ego elegi vos de mundo; sed loquitur inquantum homo. Vel quia in patre est auctoritas principii.
p Volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum] quasi dicat, dilexisti eos, ut me: recipe eos mecum.
q Ut ibi sum ego] idest, in cœlo, ubi in carne mox futurus sum: vel hoc dicit, quia jam fruebatur. Et habetur simile *sup.* 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo. Dicit enim Filium hominis esse in cœlo: vel propter unitatem personæ, in qua Deus homo est, & homo Deus: vel quia ille homo fruebatur. Vel pro certitudine dicit factum, quod erat futurum de eo, quantum ad hominem. Nec est mirum, quia & hoc etiam dicit Apostolus de membris suis propter spei certitudinem. *Eph.* 2. Deus, qui dives est in misericordia propter multam dilectionem, qua dilexit nos: & cum essemus mortui peccatis, vivificavit nos in Christo, cujus gratia salvati sumus, & suscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu. Ita & hic dicitur: [Ut ubi ego sum,] i. in cœlo, ubi mox ero secundum formam servi. Vel [ubi ego sum] secundum Deitatem. Et non quæratur, ubi, quia ubique est Deitas: cum quo tamen bonus quisque est, etsi non ubique, sicut ille, sicut latroni dicit: Hodie mecum eris in paradiso, &c. *Luc.* 23. Unde & hic non satis fuit dicere (volo, ut ibi sum ego, & illi sint) sed addidit (mecum) quia & miseri possent esse, ubi & ille est, unde *Psal.* 138. Si ascendero in cœlum, tu illic es, &c. Quoniam quicumque

g Ego in eis, h & tu in me: ut sint i consummati in unum, k & cognoscat mundus, quia l tu me misisti, & m dilexisti eos, sicut & n me dilexisti. o Pater, quos dedisti mihi, p volo, ut ubi sum q ego, & illi sint mecum,

ut *a* videant *b* claritatem meam *c* quam dedisti mihi, *d* quia dilexisti me ante constitutionem mundi. *e* Pater juste, *f* mundus te non cognovit: *g* Ego autem te cognovi: *h* & hi *i* cognoverunt, k quia tu me misisti. Et *l* notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, *m* qua dilexisti *n* me, in ipsis sit. *o* & *p* ego in ipsis.

ubicumque fuerint, & ille est, sed beati soli sunt cum illo, qui non sunt beati nisi ex eo, cum illo, qui fruuntur illo, vident illum, sicuti est. 1. *Jo:* 3. Mali autem non cum illo sunt; & tamen ubi est, sunt. Et sumamus qualecumque de re visibili exemplum, quantum ad hoc, cęcus etsi ibi sit, ubi lux est; non est tamen ipse cum luce, sed absens est a pręsenti: ita impius etsi esse non possit, ubi Christus non sit, tamen non est cum ipso: nec boni etiam ita nunc sunt cum eo, scil. per speciem, etsi sint aliquo modo cum eo, scil. per fidem. Et quod loquitur de illa societate, quæ est per speciem, aperte, cum subdit. *a* Ut videant claritatem meam] vel gloriam (meam) secundum *Chr.* Et loquitur de claritate, qua Deus est, quam soli mundo corde videbunt. *Matt.* 5. *Is.* 26. Tolletur impius, &c. Nam in forma servi clarificata videbunt judicantem bonos, & mali. *c* Quam dedisti mihi,] cum me genuisti. *Chr.* dare dicitur generare *Aug.* [Ut videant] dicit, non ut credant: quia fidei merces est illa, non fides. Si enim fides. *Heb.* 11. recte definita est cognitio rerum, quæ non videntur, cur non merces fidei definiatur visio rerum, quæ creditæ sperabantur? *Chr.* Cur non dixit, ut participent claritatem, vel gloriam meam; sed, ut videant, vel considerent? Respondemus. Insinuat: quod omnis requies illius vitæ hæc est considerare † in Filium Dei: hoc & glorificari facit, sicut & Paulus dicit 2. *Cor.* 3. Nos autem revelata facie gloriam Dei speculantes in eamdem imaginem transformamur. Ut videant, dico claritatem meam. *d* Quia dilexisti me ante constitutionem mundi.] In illo enim dilexit nos ante constitutionem mundi, & tunc prædestinavit, quod in fine futurum est mundi, q. d. quia me diligis, caput diligis, & membra mea, quæ prædestinavi ad videndum gloriam meam. Vel sic lege. *a* Ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi] i. gloriam æqualem, quam ego habeo a te per generationem. Et videant. *d* Quia dilexisti me, &c.] i. videant amorem, quo ab æterno me amasti, i. videant Spiritum sanctum. Vel. *a* Ut videant] delectabiliter. *b* Claritatem meam,] i. me clarificatum secundum hominem, *c* Quam dedisti mihi] homini. Quia sicut dicit *B. Bern.* plenum prorsus omnis suavitatis dulcedine; videre hominem hominis. Conditorem. *Is.* 33. Regem in decore suo videbunt. Et 40. Revelabitur gloria Domini. Et 52. Vox speculatorum tuorum servaverunt vocem ad prædicandum, vel laudandum. Et quo merito, vel quo fine. Quia oculo ad oculum videbunt. *Eccl.* 44. Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus. Sequitur. *e* Pater juste, &c.] Hic discernit credituros a non credituris, q. d. dico, ut credant ut cognoscant, ut videant, mundus enim te non cognovit. Vel sic contraria. Ideo hoc eis specialiter volo, & non mundo, quia hi soli de mundo cognoverunt te, & non mundus. *e* Pater juste,] quem nullus habet accusare. *f* Mundus te] justum (non cognovit.) *Chr.* Quid sibi vult hoc: quam habet consequentiam? Respondemus. Quia dicebant Judæi se Deum scire; Christum vero nescire. Ideo ostendit neminem scire Deum Patrem, nisi qui Filium cognoverit. Ipse enim Filius cognoscit Patrem, & non illi. Unde dicit. *g* Ego autem te cognosco.] *Matt.* 11. Nemo novit Patrem, nisi Filius. *h* Et hi] per me mediatorem. *i* Cognoverunt] te. Per hoc inquam, cognoverunt te. k Quia tu me misisti.] in carnem. *l* Et notum feci eis nomen tuum] scil. quod Pater es: nam quod Deus est, noverant. Notum autem feci per fidem, quæ est ex auditu. *m* Et notum faciam] per speciem, vel Spiritus sancti infusionem. *n* Ut dilectio, qua dilexisti me] inquantum sum homo. Vel (me) in membris: quia diliguntur membra propter eum. *o* In ipsis sit,] i. ut gratiam habet in se, & concordiam. Iste enim est effectus dilectionis Dei ad nos. *p* Et] sic (ego) sum (in ipsis) meis, ut in templo, ideo habitem per gratiam *Aug.* *n* Ut dilectio, quam dilexisti me] Usitatius diceret (dilectio qua dilexisti me.) De Græco autem hujusmodi locutio translata est. Sed simile est & Latine, sicut dicimus fidelem servitutem servivit, strenuam militiam militavit. Et *Apost.* Bonum certamen certavi. Usitatius tamen, licet non rectius diceretur, bono certamine certavi. Quomodo autem dilectio, qua dilexit Pater Filium, est & in nobis, nisi quia membra ejus sumus, & in illo diligimur, cum ipse diligitur totus, idest caput, & corpus? Ideo subjungit. *p* Et ego in ipsis] tanquam diceret: quoniam ego sum & in ipsis. In nobis enim tanquam Deus in templo suo: & aliter etiam tanquam caput in membris: quia & nos ipsi sumus, cum secundum hominem ejus capitis corpus sumus. Ipse enim inquantum homo, caput est, *Aphor.* 1. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.

Matth. 13. Luc. 10.

al. † infinitum Deum.

Rom. 12.

1. Tim. 4.

C A P. XVIII.

Hæc cum dixisset *q* Jesus, egressus est cũ discipulis suis *r* trans *s* torrentem *t* Cedrõ,

EXPOSITIO CAP. XVIII.

Hæc cum dixisset Jesus] Finita est Salvatoris oratio, incipit Passio. Unde dicit. *q* Hęc cum dixisset Jesus] instruendo Discipulos, orando pro eis ad Patrem. *r* Egressus est cum Discipulis suis, &c.] Non quod statim post hæc, sed quia non ante illa, ut dicit *Aug.* vel secundum *Chrys.* [Hæc locutus est eis] Sed quid dicis, o Joannes, nonne Patri loquebatur, & orabat? Propter quid igitur non dicis, quod cessans ab oratione venit illuc? Respondemus, quoniam oratio non fuit, sed loquela propter Discipulos facta. *r* Egressus est cum Discipulis suis trans torrentem Cedron,] idest, Cedrorum. Et nota, quod Jesus venit in villam, quæ dicitur † Gethsemani, quæ est ad radicem montis Oliveti, & est trans torrentem Cedron. Cedron autem genitivus est pluralis græcus, qui latine dicitur Cedrorum. Et dicitur torrens Cedrorum pro multitudine Cedrorum circa illum locum. *In lib.* 1. *Mac.* 15. Mandavit ei ædificare Cedronem. Ibi dicit *Gloss. Rab.* quod Cedron vallis est, vel torrens juxta Jerusalem ad Orientalem plagam. Secundum hoc sic legitur. *s* Trans torrentem Cedron] idest, qui dicitur Cedron. Δ Ubi scilicet trans

A

al. † Gethsemani.

Moraliter. *q* Hæc cum dixisset Jesus, egressus est, &c.] Post verba debent sequi opera. Et nota, quod dicitur. *r* Egressus est cum Discipulis suis] quia grex sequitur pastorem. *Jud.* 9. Dixit Abimelech ad socios: quod me videtis facere, cito facite, igitur certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur ducem. *s* Trans torrentem Cedron, ubi erat hortus] volens ire in hortum, per quem paradisus intelligitur, transit per torrentem, idest, per tribulationem, & Crucem; quia hæc est via, unde Martyres pertransierunt. Ut in *Ps.* 122. Torrentem pertransivit anima nostra, &c. *Is.* 28. Flagellum mundans cum transierit, non veniet super nos, idest, tribulatio dicitur torrens, quoad bonos: quia cum impetu, & cito transit per eos, & quasi ad momentum. Quoad malos dicitur fluvius: quia perennis est in abundantia, *Is.* 30. Erit transitus virgæ fundatus in malis. Unde *Is.* 28. Flagellum inundans cum transierit pro bonis eritis in conculcationem vos mali. *t* Cedron] idest, Cedrorum ab effectu, quia torrens tribulationis facit, & nutrit Cedros, idest, odoriferos.

Moraliter.

Unde *de B. Andrea* cantatur. Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis. Et magnus fuit odor Domino de B. Laurentio, qui combussit antemurale suum, ut custodiret castrum animæ suæ, & bonum odorem carnium suarum super ignem faceret Domino. Unde 2. *Corint.* 2. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, idest, facit triumphare in tribulationibus, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo. Et *Gen.* 8. post diluvium odoratus est Dominus odorem suavitatis de Sacrificio Noe. Item tribulatio facit cedros, idest, imputribiles, per sanctimoniam: quia carnem arcet a putredine, sicut virga expellit tineam, & vermem de veste. Et sicut myrrha servat a corruptione, unde signantur per myrrham. *Cant.* 5. Manus meæ distillaverunt myrrham primam. Prima myrrha est martyrium, secunda est mortificatio per pœnitentiam.

Item signantur per salem, qui arcet vermes, & putredinem, & fetorem. Ideo in omni sacrificio ponendum est sal, quia caro nostra nunquam est apta Domini sacrificio, nisi sit ibi salis incorruptio. *Rom.* 12. Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra, &c. *Eccl.* 43. Gelu sicut salem effundet super terram. Item tribulatio facit altos: quia sustinentes elevat ad cœlum, & ad Deum. *Greg.* Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. *Mich.* 2. Surgire, & ite: quia non habetis hic requiem. *Gen.* 7. Multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt arcam in sublime a terra. Vel [Torrens Cedron] quod interpretatur, secundum *Gl.* obumbratio eorum: quia tribulatio umbraculum est homini contra æstum divini furoris. Unde *Psalm.* 139. Obumbrasti super caput meum in die belli.

Lev. 2.

* *a* Ubi erat

a ubi *b* erat hortus, in *c* quem introivit ipse, *d* & Discipuli ejus. *e* Sciebat autem & Judas, *f* qui tradebat eum, *g* locum; *h* quia frequenter Jesus convenerat illuc cum *i* Discipulis suis. k Judas ergo *l* cum accepisset cohortem, *m* & a Pontificibus, & *n* Pharisæis ministros *o* venit illuc *p* cum laternis, & facibus, & *q* armis. *r* Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, *f* & dicit eis *t* Quem quæritis? *u* Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit *x* eis Jesus: Ego sum. *y* Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis.

a Ubi] scilicet trans torrentem, villa scilicet, Gethsemani. *b* Erat hortus, in quem introivit ipse, & Discipuli ejus] *August.* Hoc, quod narrat, Dominum ingressum cum Discipulis suis in hortum, non continuo factum est, cum finita esset ejus oratio, de cujus verbis ait: [Hæc cum dixisset] sed alia quædam sunt interposita, quæ ab isto prætermissa, apud alios Evangelistas leguntur. *Chrys.* Sed quare Dominus egressus est, & introivit in hortum? Respondemus. Media nocte vadit, & flumen pertransit non fugiendo mortem: sed properandum ad locum proditori cognitum venire, abscidens his, qui insidiabantur, laborem, & ostendens Discipulis, quoniam voluntarie venit ad mortem, quod maxime sufficiens erat consolari eos. Unde & in horto quasi in carcere se constituit. *Gbr.* Sed quomodo ausi sunt eum Discipuli sequi? Respondemus. A timore eos per verba eripuerat, ut non contradicerent intrare de reliquo, sed intrarent in hortum.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

e Sciebat autem.] *Chrys.* Ut non audiens hortum, occultari eum æstimes, addit: [Sciebat autem & Judas] sicut alii Discipuli. *f* Qui tradebat eum,] idest, qui in opere traditionis jam erat. *g* Locum] illum. Et unde sciebat? *h* Quia frequenter Jesus convenerat illuc, cum Discipulis suis.] *Gloss.* Ubi ipse lupus Judas, scilicet inter oves locum prænotaverat. *August.* Ibi lupus ovina pelle contectus, & inter oves alto patris familias consilio toleratus didicit, ubi ad tempus exiguum dispergeret gregem insidiis appetendo Pastorem. *Chrys.* Huic manifestum est, quod Christus multoties extra pernoctabat. Non enim si domi degeret, in eremum Judas profectus esset, scilicet, ad domum putans eum illic invenire dormientem. Nota, quod dicit [frequenter] non semel.

i Cum Discipulis suis] singulariter [illuc] in hortum. *Chrys.* Multoties eum eis convenerat singulariter de necessariis loquens, & quæ non erat fas audire alios. Facit autem hoc in montibus, & in hortis, maxime purum a tumultibus inquirens semper locum, ut non mens eorum impediatur ab auditione. Et de hoc habetur *supra* 10. abiit iterum trans Jordanem in eum locum, ubi erat Joannes baptizans, &c. k Judas ergo] sciens locum. [Cum accepisset cohortem] a Præside. Cohors enim non Judæorum, sed militum. *Chrys.* Sed qualiter suaserunt cohorti? Respondemus. Viri milites erant, & pecuniarum gratia omnia facere meditantes: Secundum illud *Isa.*1. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. *m* Et a Pontificibus] idest, principibus Sacerdotum. *n* Et Pharisæis ministros] Judæos. *o* Venit illuc cum laternis, & facibus] quia nox erat. *q* Et armis.] Sed *Chrys.* Propter quid cum armis? Quia formidant eos, qui Christum sequebantur; propterea & intempesta nocte insiluerunt. Unde notandum, qualiter se munierunt, sicut dicit *Aug.* A Præside acceperunt cohortem, tanquam ad tenendum reum, servato ordine legitimæ potestatis, ut nullus eis tenentibus Christum auderet resistere. Præter hoc etiam tanta fuit manus congregata ministrorum, & sic armata veniebat, ut vel terreret, vel etiam repugnaret, si quisquam Christum defendere auderet. *r* Jesus ita sciens omnia, quæ ventura erant super eum processit, & dicit eis: quem quæritis?] Hoc est, non a propalatione eorum expectavit ea discere; sed imperturbate, ut qui omnia sciverat, hæc ita dicebat, & faciebat. *f* Processit] ut paratus mori. *Isa.* 53. Oblatus est, quia ipse voluit. *infr.* 14. Animam meam pono, &c. *f* Et dicit eis: Quem quæritis:] Non ignorans quid vellent, sed ut scirent eum esse, quem quærebant. In hoc significat, quod debemus nos offerre periculo, & tribulationi, non honori. Unde hic offert se, sed *supr.* 6. ne fieret rex, se abscondit. *r* Responderunt ei: Jesum Nazarenum] Ex hoc patet, quod non cognoverunt eum tunc. *Chrys.* Vides virtutem ejus inexpugnabilem, in medio eorum existens excæcavit oculos eorum, ut non viderent. Quod enim tenebræ causa non erant hujusmodi, indicavit Evangelista, dicens: quoniam lampades habebant. Sed etsi lampades non essent, a voce saltem poterant cognoscere, maxime Judas, qui fuerat continue cum eo. Etenim & ipse stabat cum eis, & nihil plus sciebat eis; sed & cecidit cum eis resupinus. Fecit autem hoc Jesus, ostendens; quoniam non solum comprehendere; sed nec videre possunt eum in medio eorum existentem sine ejus concessione. Et hoc etiam patet per hoc, quia multoties alias miserunt comprehendere eum, & non valuerunt ut *sup.*7. & 10. Unde manifestum est, quod & nunc volens se dedit. *x* Dicit eis Jesus: ego sum] quem quæritis, ecce non abscondit se, sed se ostendit. *y* Stabat autem, & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis.] *Gloss.* quasi nescius facti eorum, a vel potius.

Moraliter.

* *a* Ubi erat hortus] post torrentem tribulationis venitur ad hortum cœlestis amœnitatis. Unde *Gloss.* Qui in deserto tentatus vicerat. *Matth.* 4. in horto suos coronat. Unde dicit latroni. Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso. *Luc.* 23. De cruce ivit latro ad Paradisum. Hoc est, quod dicitur hic per torrentem ite ad hortum. *Act.* 14. Per multas tribulationes, &c. *Psal.* 65. Transivimus per ignem, & aquam, &c. *Is.* 51. Ponam desertum quasi delicias, & solitudinem quasi hortum Domini. Desertum enim convertit Dominus in Paradisum ad quem invitatur sponsa. *Cant.* 5. Veni in hortum meum, soror mea sponsa. Ingredimur autem hortum illum duobus modis. In præsenti per sanctum desiderium, & contemplationem, sicut Apostolus. *Phil.* 3. Conversatio nostra in cœlis est. Post hanc vitam per apertam visionem, & fruitionem. *Matth.* 25. Intra in gaudium Domini tui. *c* In quem introivit ipse] primus. *d* Et Discipuli ejus] postea. *Mich.* 2. Ascendet iter pandens ante eos. *Hebr.* 6. Ubi præcursor noster introivit Jesus secundum ordinem Melchisedech, Pontifex factus in æternum. Item *Hebr.* 10. Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, & viventem. *e* Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum.] Diabolus autem, & mali homines sciunt, quod boni properant ad Paradisum. Sed unde sciunt? *h* Quia frequenter Jesus convenerat illuc cum Discipulis suis] Ex hoc, quod boni frequenter visitant cœlum, scitur, quod cœlestes sunt. Sicut consuetudo est, quod homines vadunt, & maxime in solemnitatibus ad civitates suas, unde sunt oriundi. Ideo dicitur *Col.* 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, sapite, &c. Et nota, quod etiam Judas est cum eis in conventu, quia inter filios Job convivantes affuit, & Sathan. *Job* 1. Per Judam enim, qui interpretatur laudans, vel glorificans, bene significatur diabolus, in cujus persona dicitur *Isa.* 10. In fortitudine mea ego feci, & in sapientia mea intellexi. Ipse vult prodere, & capere Christum in membris suis, & habet multos complices. Unde sequitur. k Judas ergo cum accepisset cohortem] a Præside [& a Pontificibus & Pharisæis ministros] i. familiam Principum, & Prælatorum Ecclesiæ, & Claustralium, qui designantur per Pharisæos. *o* Venit illuc] per tales insurgit diabolus contra Christum, & membra ejus. *p* Cum laternis, & facibus, & armis] quia tribus modis impugnat diabolus bonos. Armis indebitæ impugnationis per potentiam. Secundum illud *Sapient.* 2. Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec veterano, nec vereamur canos multi temporis, sit autem fortitudo nostra lex justitiæ, quod enim infirmum est, inutile invenitur. [Cum laternis] proditionum per dolositatem. Laterna enim dicitur quasi lucerna [Cum facibus] per mali exempli manifestationem. Vel arma pertinent ad superbos. Secundum illud *Proverb.* 22. Arma, & gladius in via superbi. Laterna ad prosperitatem mundalem, quæ est, quasi lux in testa, quia fragilis est, & caduca, licet & lucida. Item faces pertinent ad luxuriosos, sive ad carnis concupiscentiam. Vel per ista tria notantur tria, quæ sunt in quolibet peccato, lux, & ardor, & defensio. Lucet enim, & quasi resplendet, antequam fiat, quando scilicet in delectatione placet. Sed ardet in operatione, & comburit hominem. Sed defenditur post perpetrationem, quando excusatur peccatum. *Psal.* 140. Non declinet cor meum in verba malitiæ, &c. *r* Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit.] Sic justus prævidens adversa ventura, vel tentationes per prudentiam occurrit per constantiam, & offert se ad mala sustinenda per obedientiam paratam. Unde sequitur. *t* Et dicit ad eos. Quem

* quæritis

a vel potius ut signo osculi eum traderet. *Matth.* 26. vel secundum *Chrys.* hoc ideo dicit, ut significaret, quod & Judas nesciebat eum, sed eum eis eccidit resupinus. Unde sequitur. *a* Ut ergo dixit eis, &c.] i. quasi resilierunt ab eo ad vocem territi. *b* Et ceciderunt in terram.] *Aug.* Ubi nunc militum cohors, & ministri principum, & Pharisæorum? Ubi terror, & munimea armorum? Nempe una vox dicentis: ego sum, tantam turbam odiis ferocem, armisque terribilem sine telio ullo percussit, repulit, stravit. Deus enim latebat in carne, & sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut laternis, &

sis. Ut *a* ergo dixit eis: ego sum, abierunt retrorsum, *b* & ceciderunt in terram. *c* Iterum ergo interrogavit eos. Quem quæritis? *d* Illi autem dixerunt Jesum Nazarenum. *e* Respondit Jesus: Dixi *f* vobis, quia ego sum. Si *g* ergo me quæritis, sinite hos abire. Ut *h* impleretur sermo, quem dixit, quia *i* quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. *k* Simon ergo Petrus *l* habens gladiũ, eduxit eum, & percussit Pontificis servum, & *m* abscidit ejus auriculam dextram. *n* Erat autem nomen servo Malchus. Dicit *o* ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. *p* Calicem, *q* quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibã illum *r* Cohors autem, *s* & Tribunus, & *t* ministri Judæorum *u* comprehenderunt Jesum, & *x* ligaverunt eum:

facibus quæreretur occidendus a tenebris. Ego sum, dicit, & impios dejecit. Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? *Job* 26. Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, &c. *c* Iterum ergo, &c.] Ut bene eum cognoscant, ne aberrent in ejus captione. *d* Illi autem dixerunt, &c.] sicut prius. *Chrys.* O de amentia, verbum ejus misit eos resupinos, & neque ita, conversi sunt tantam ejus experti virtutem; sed rursus instant eisdem, quæ prius. Quia igitur, quæ sua sunt, omnia complevit, ut converterentur, eis tunc seipsum tradit. Unde sequitur. *e* Respondit] eis Jesus, dixit, &c.] Ne quis enim dicat, quod ipse eos ad hoc induxit, & quasi coegit eos capere se, occurrens eis, & manifestans se eis, & in manibus eorum se tradens, ideo ostendit prius, signa, quæ sufficientia erant eos revocare. Sed quia permanebat in malitia, tunc tradidit se ipsum in manibus eorum, dicens. *f* Dixi vobis, quia ego sum] Jesus Nazarenus. *g* Si ergo me quæritis, &c.] *Chrys.* Usque ad ultimam horam dilectionis conservantiam ad Discipulos demonstrat, sicut dicitur *supr.* 13. In finem dilexit eos. Si enim mei indigetis, ait, nihil vobis sit ad hos commune: Ecce enim meipsum trado. Hoc est, quod *sup.* 10. dixit Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis, idest, se exponit pro eis, ut occidatur: *h* Ut impleretur, &c.] *supr.* 17. *i* Quia quos dedisti, &c.] Perditionem autem non hanc dicebat Christus, quæ est mortis; sed illam æternam. Evangelista vero etiam de præsenti morte id accepit. Vel sicut dicit *Aug.* de perditione æterna potest intelligi: quia si tunc morerentur corporaliter, perderet eos æternaliter: quia nondum sic in eum credebant, quomodo credunt, qui non pereunt. Et nota, quod *sup.* 17. fit exceptio. Nemo ex eis perit, nisi filius perditionis; hic autem non fit exceptio, quia loquitur de illis, qui remanserant. Vel quia dicit (perdidi) ut notetur, quod nec etiam Judam perdidit; sed seipso periit. Hic intellige, quod tunc ceperunt eum, & ligaverunt osculo accepto a proditore, sicut dicunt Evangelistæ. *k* Simon ergo Petrus] ardentior ceteris Discipulis. *l* Habens gladium eduxit eum] volens liberare Magistrum suum. Sed quomodo ita fuit audax Petrus? Confidebat in illa voce, quam dixerat: quoniam nullus ex eis perit: & in his, quæ jam facta erant, quia, scilic. projecti erant in terram. *m* Et abscidit ejus auriculam dexteram] *Chrys.* Non inaniter mihi videtur auriculam dexteram exprimere Evangelista; sed mihi videtur impetum significare Apostoli in ipsum caput volentis percutere. Sed hic quæritur, quare non comprehenderunt Apostolos cum eo, neque interfecerunt, & maxime Petro irritante eos per ea, quæ in servum fecit? Quis igitur eos detinuit? Nullus alius, nisi illa virtus, quæ projecit illos resupinos. Quod ostendens Evangelista, scilicet, quod non illorum meritis fuerit, sed ejus, idest, Christi, qui comprehensus est, virtutis, & enunciationis, induxit, ut sermo impleretur, quem dixit. Quoniam nullos ex eis perdidit. Sed iterum quæritur: qualiter Petrus, qui jussus est peram non habere, neque duo vestimenta. *Matt.* 10. gladium habet? mihi videtur, quod eos hostes formidans eum dudum præparaverat. Si vero dicis, qualiter qui jussus erat alapam non dare. *Matth.* 5. homicida fit? Respondemus, quod maxime, quidem se non ulcisci jussus est; hic autem non seipsum ulciscebatur, sed Magistrum. Vel aliter. Nondum fuerant perfecti Apostoli, neque consummati. Si vero vis videre Petrum philosophantem, videbis post hæc vulneratum, & non irritatum, *Act.* 4. infinita mala patientem, & humiliter ferentem. Et nota, quod sicut dicit alius Evangelista: *Luc.* 22. Dominus sanavit auriculam illius abscissam. Per hoc quidem, & virtutem suam revelans, & quod malefacientibus benefacere oportet ostendens. Unde *Matt.* 5. Benefacite his, qui oderunt vos. *n* Erat autem nomen servo Malchus.] *Aug.* Nomen istius ponit iste Evangelista, quod alii tacuerunt, sicut & Lucas ponit solus de sanatione auriculæ ejus. *Chr.* Istum autem nomine designat Evangelista: quia multum magnum fuit, quod factum est miraculum: non quoniam curavit solum; sed quoniam inimicum, qui super eum venerat, & paulo post etiam alapam daturus ei erat: & quoniam sedavit bellum, quod ex hoc Petro, & Discipulis imminebat. Quia igitur hoc ita magnum erat, propterea & nomen sanati posuit Evangelista: ut illis, qui tunc legerent, vel audirent, hoc liceret quærere, & investigare, si demum ita vere facta sunt hæc. *o* Dicit ergo Jesus Petro, &c.] quasi non est opus defensionis, sed patientiæ. Et primo terruit eum, sicut dicit alius Evangelista, dicens. *Matt.* 26. Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit, per minas fervorem ejus humilians, quod & in lotura pedum fecit, *supr.* 13. Nisi lavero te, non habebis partem mecum. Sed non minus solum impetum ejus detinet; sed & aliis verbis mitigat, dicens. *p* Calicem] Passionis. *q* Quem dedit mihi Pater, &c.] Quasi cum resistis voluntati Patris, non sapis ea, quæ Dei sunt. *Chrys.* Per hoc autem ostendit, quoniam non illorum mentis erat, quod fiebat; sed suæ concessionis, & paternæ voluntatis. Et per hoc ostendit etiam, quod Deo non est contrarius, sed obeditur usque ad mortem patri. *August.* quod sibi dicit datum a Patre calicem passionis, hoc est, quod dicit Apostolus *Rom.* 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos, qui filio proprio non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum. Sed & Filius etiam se tradidit. *Eph.* 5. Christus dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis, &c.

r Cohors autem] Gentilium militum. *s* Et Tribunus] qui præerat eis. *Gloss.* Mos enim erat Judæis, ut quem morte dignum judicarent, vinctum Præsidi traderent. *t* Et ministri Judæorum] qui additi erant propter fulcimentum [comprehenderunt Jesum.] Hic autem prætermittitur de osculo proditoris, de quo habetur *Matth.* 26. *u* Et ligaverunt eum] ut impleatur illud *Isa.* 53. Sicut ovis ad occisionem ducetur, &c. Solent enim ligari tonsura. *Augustin.* Comprehenderunt illum, ad quem non accesserunt, quoniam

a dies ille

Moraliter.

* quæritis,] quasi dicat, paratus sum. *Psal.* 107. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, &c. Unde nota, quod sequitur. *a* Ut ergo dicit eis, &c.] quia quando homo paratus est sustinere injurias pro Christo, tunc magis vincit: & hostis incidit in foveam, quam fecit. Sequitur. *g* Si ergo me quæritis, sinite hos abire.] In hoc forma datur Prælatis, ut tempore persecutionis se exponant pro ovibus suis, sicut fecit Beatus Thomas Cantuariensis, *supr.* 10. Bonus Pastor animam suam ponit, &c. E contra *Ezech.* 13. Non ascendistis ex adverso.

h Ut impleretur sermo, quem dixit: quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.] Felix pastor, qui sic sollicitus est de omni grege, ut neminem perdat. *k* Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum] per quem designantur quidam prælati habentes zelum, non secundum scientiam, qui videntes Christum capi in membris, statim educunt gladium excommunicationis, & amputant subditis aurem dexteram, idest, obedientiam aliquantulam, quam prius habebant. Ideo. *o* Dicit] eis Dominus (mitte gladium, &c.] idest, revoca sententiam excommunicationis suo tempore non datam. Unde habetur, quod aspere dixit Dominus Petro: *Matth.* 26. Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit. *Jerem.* 47. Usquequo concideris mucro Domini: usquequo non quiescis: ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile. *Ezechiel.* 21. Mucro, mucro, evagina te ad occidendum: lima te, ut interficias,

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 3. q. 1. c. 8. Petrus 11. q. 1. cap pro membris.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

A diet ille; illi vero tenebræ permanserunt. Nec audierunt illud. Accedite ad eum, & illuminamini. Sed cum comprehenderunt; tunc longius ab illo recesserunt, & ligaverunt eum, a quo solvi potius velle debuerant: & erant forsaitis, qui tunc imposuerunt Christo vincula sua, atque ab eo postea liberati dixerunt. Dirupisti vincula mea. *a* Et adduxerunt, &c.] i. primo antequam ad Caipham. Sed propter quod ad Annam? *Chr.* Præ delectatione: Gloriabantur enim in his, quæ fiebant, quasi trophæum statuentes. Vel secundum *Aug.* ponitur ratio in textu, cum subditur. *b* Erat enim,] vel [autem socer Caiphæ] ideo intelligendum est hoc fieri Caipham voluisse.

Psalm. 31. Psalm. 115. al. autem. Sap. 11. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

D

Dominus enim non dixit Petro, Discipulum meum te negabis; sed me negabis. *Chr.* Quid dicis, o Petre? Nunne prius dixisti: Quoniam etsi oportuerit etiam me animam pro te ponere, ponam. *Sup.* 13. Quid igitur factum est, quoniam neque ostiariæ fers interrogationem?

& *a* adduxerunt eum ad Annam primum. *b* Erat † enim socer Caiphæ, qui *c* erat Pontifex anni illius. *d* Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis: quia expedit unum hominem mori pro populo. *e* Sequebatur autem *f* Jesum Simon Petrus, *g* & alius Discipulus. *h* Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introivit cum Jesu in atrium Pontificis. *i* Petrus autem stabat ad ostium foris. *k* Exivit ergo Discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dicit *l* ostiariæ, & *m* introduxit Petrum. *n* Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid & tu ex Discipulis es hominis istius? Dicit ille; Non sum, *o* Stabant autem servi, & ministri ad prunas, *p* quia frigus erat, & calefaciebant se. *q* Erat autem cum eis, & Petrus stans, & calefaciens se: *r* Pontifex ergo † interrogabat Jesum de Discipulis suis, & *f* de doctrina ejus.

Nunquid enim miles erat, qui interrogabat? Nunquid aliqui eorum, qui detinebant Magistrum? Sed ancilla erat ostiaria vilis, & abjecta, & neque interrogatio erat pavenda. Non enim dixit seductoris, & nocivi Discipulus es, sed hominis hujus, quod miserentis magis, & flectentis ad misericordiam, scilicet, filius, sive compatientis erat. Sed nihil horum sustinuit Petrus. Hoc autem, quod dicit [Nunquid, & tu] propterea dictum est, quia Joannes intus erat, ita mansuete loquebatur mulier. Sed nihil horum sensit Petrus, neque in mentem suscepit, neque primo neque secundo, neque tertio; sed cum gallus cantavit, sensit se errasse. Sed neque tunc, donec Christus aspexit: & tunc flebit amare. Et ipse quidem stabat calefaciens se cum servis Pontificis; Christus autem detinebatur intro ligatus. Hoc autem dicimus, non Petrum accusantes; sed veritatem eorum, quæ a Christo dicta sunt, ostendentes.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

al. † interrogavit.

c Qui] Caiphas [erat Pontifex anni illius.] *Gloss.* Erant enim illo tempore duo Principes Sacerdotum, ut *Luc.* 22. ait: Annas, & Caiphas, qui vicissim annos suos agebant; sed tunc erat annus Caiphæ, & voluntate ejus primum ductus est Jesus ad Annam, non quia collega, sed quia socer erat, idest, non pro jurisdictione, sed pro familiaritate. Item alia ratio, quia domus eorum sic erant positæ, ut non deberet Annas a transeuntibus præteriri, quia turpe esset, si domum Annæ interpositam præterissent. Item Caiphas voluit Christum primo ad Annam duci, ut minoris culpæ videretur, si alterius quoque Sacerdotis damnaretur sententia. *d* Erat autem, &c.] *sup.* 11. Expedit unum hominum mori pro popolo. *Chrys.* Cur reminiscitur Evangelista prophetiæ Caiphæ? Respondemus. Quoniam pro salute populi hæc fiebant, & tanta veritatis est superabundantia, ut & inimici ea præsonent. Ne enim vincula ejus audiens auditor tumultuetur, recolnit prophetiæ illius: quia salus orbis terrarum mors ejus fuit. *e* Sequebatur autem] ex devotione. *f* Jesum Simon Petrus] qui ceteris amabat, ardentius. *g* Et alius Discipulus] *Aug.* Quinam sit iste Discipulus, non temere asfirmandum est, quia tacetur: solet tamen iste Joannes sic se significare. *Chrys.* Hic est ille Discipulus, qui scripsit hæc; sed occultat se nunc eadem de causa, qua & *supr.* 13. quia magna narrat, scilicet quoniam omnibus aliis exilientibus; ipse sequitur. Ideo etiam Petrum sibi præponit in hoc, ut vitet jactantiam, sed & sui ipsius coactus est meminisse nunc, ut discas, quoniam certius aliis narrat ea, quæ in atrio gesta sunt, quasi intus existens. Et vide, qualiter succidit propriam laudem dicens. *h* Discipulus autem, &c.] q. d. nullus miretur me, nec extollat, si aliis recedentibus, & Petro non intrante secutus sum Christum, non fuit hoc ex virilitate, vel virtute mea; sed quia notus Pontifici. Sed quoniam & Petrus intrasset, utique si licuisset, per ea, quæ deinceps dicit, indicavit: quia ab ostiaria introductus est. *i* Petrus autem stabat ad ostium foris] Foris stabat, quia negaturus erat. *Chr.* Venisse illuc amoris, non intrasse vero agoniæ fuit, & timoris: Ideo Evangelista excusando Petrum dicit se intrasse, quia notus erat, ad significandum, quod non ideo intravit, quia virtuosior Petro simpliciter sed Petrus timidior fuerat, quia ignotus erat. *k* Exivit ergo Discipulus alius, qui erat, &c.] ut introduceret Petrum. *m* Et] illa [introduxit Petrum.] Sed quare ipsemet non introduxit, sed dixit ostiariæ? Respondemus. Christo adhærebat, & sequebatur eum, propterea mulieri jussit introducere illum. Sed quid fecit mulier? Ecce quid sequitur.

n Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: nunquid & tu ex Discipulis es hominis istius? dicit ille, non sum?] Ecce prima Petri negatio. Et nota, quod dicit. Non sum, Discipulus, scilicet ejus. *Aug.* Petrus negat Christum, cum se negat ejus Discipulum: ita & nunc non solum negat Christum, qui dicit eum non esse Christum; sed etiam, qui negat se Christianum.

Aug. Ubi sunt verba illa, quando ait. Quare non possum te modo sequi? animam meam pro te ponam. Hoccine est sequi Magistrum, se negare Discipulum. Siccine pro Domino anima ponitur, ut hoc ne fiat, vox ancillæ formidetur? Sed quid mirum? Respondemus. Deus vera prædixit; homo autem falsa præsumpsit.

Supr. 13.

o Stabant autem servi] Gentilium [& ministri] Judæorum [ad prunas.] Et subdit causam [Quia frigus erat, & calefaciebant se] *Aug.* Non hyems erat; sed tamen frigus erat, quod solet etiam æquinoctio verno aliquando contingere. Frigus autem dicit Evangelista, ut etiam notet qualitatem mentis eorum, idest, infidelitatem.

q Erat autem cum eis, & Petrus stans, & calefaciens se] insensibilis ad ea, quæ fiebant Magistro, qui intus detinebatur: & forte, vel non poterat, vel non audebat intrare. Sed prætermisso de Petro, prosequitur Evangelista de his, quæ facta sunt circa Jesum.

r Pontifex ergo interrogabat Jesum de Discipulis suis] idest, quos, vel quales haberet Discipulos?

f Et de doctrina ejus,] i. quæ, vel qualis esset doctrina ejus. *Chrys.* O de nequitia, continue audiens eum in templo concionantem, & palam docentem, nunc vult discere, quia nullum crimen habebat ei inferre. De Discipulis interrogabat forsassis, ubi erant, & cujus gratia eos collegit, & quid volens, & in quibus? Hoc autem dicebat quasi seditiosum, & novarum rerum factorem redarguere volens: & quasi nullus ei attenderet, nisi soli illi sui Discipuli, quos tanquam collegium aliquod perniciosum reputabat, qui latenter pravam doctrinam ▲ sectarentur.

* ficias, & fulgeas, revertere ad vignam tuam. Sed dicunt multi Prælati illud *Jerem.* 48. allegantes. Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine. Sed ibi dicitur gladius verbum Dei.

Moraliter.

Et *Hebr.* 4. Vivus est sermo Dei, &c. Deinde nota moraliter, quod inferius dicitur.

l Dixit ostiariæ, & introduxit Petrum, &c.] Non est mirum, si Christum negat in curia, qui introducitur ab ancilla.

Ingressus enim in atrium Pontificis est ingressus ad dignitates ecclesiasticas. Ancilla introducens est caro, vel carnalis parentela: & qui sic per carnem intrant, fures sunt, & latrones, ut dicitur *supr.* 10. Qui non intrat per ostium, &c.

Ipsi enim non per sanguinem Christi, quo linitum debet esse ostium, intrant; sed per sanguinem proprium, cum tamen præcipiatur: *Exod.* 12. quod postes liniantur sanguine Agni.

Et ideo quia male intrant, non est mirum, si Christum post introitum negant. *Bern.* qui infideliter intrat, quid nisi infideliter agit? Ter autem negant sicut Petrus. Primo dignitate sua oberrando. Secundo molles, & effeminatas personas in Ecclesia collocando. Carnales enim generant, quales & ipsi sunt. Unde *supr.* 3. Quod natum est ex carne, caro est. Tertio negant curam subditorum negligendo.

*Sequitur.

sectarentur. Unde hoc evertens. *a* Respondit ei Jesus, ego palam, &c.] *Chrys.* Non Discipulis singulariter in loco, scilicet occulto: Unde subdit. *d* Ego semper docui] in Synagoga, & in aliis civitatibus. *e* Et in templo] in Jerusalem. *f* Quo omnes Judæi conveniunt] id est, convenire solent.

E

a Respondit ei Jesus: *b* Ego palam locutus sum *c* mundo. *d* Ego semper docui in Synagoga, & in *e* templo, *f* quo omnes Judæi conveniunt; *g* & in occulto locutus sum nihil: *h* Quid me interrogas? *i* Interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt: quæ dixerim ego. Hæc *k* autem cum dixisset, unus assistens ministrorum, dedit alapam Jesu *l* dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit *m* ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis? Et misit *n* eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. *o* Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. *p* Dixerunt ergo ei: *q* Nunquid & tu ex Discipulis ejus es? Negavit ille, & dixit: Non sum. Dicit unus *r* ex servis Pontificis cognatus ejus, *s* cujus abscidit Petrus auriculam. *t* Nonne ego te vidi in horto cum illo?

g Et in occulto locutus sum nihil.] Ad illud est idem *Is.* 45. Non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso. Sed contra *Matth.* 10. Quod dixi vobis in tenebris, prædicate super tecta. *Item* 13. Dimissis turbis edisserebat parabolas. Item *supr.* 6. Hæc in proverbiis locutus vobis, &c. Ergo non palam.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. q. 1. Aug. cap. Dominus 2. q. 1. c. pra sumpsit.

Item *Marc.* 4. Sine parabolis non loquebatur eis. Respondemus secundum *Chr.* [Nihil locutus est in occulto] eo modo, scilicet, quo illi æstimabant, tanquam, scilicet, seditiones faciens, vel palam loqui trepidans; sed tunc secreto loquebantur, sicubi quæ dicebantur, majora erant capacitate auditorum. [Vel Palam locutus sum] quantum locum publicum, & multitudinem auditorum, licet non palam, quantum ad docendi modum, vel quantum ad intelligentiam audientium. Unde dicit *Aug.* Ita intelligendum est eum dixisse [Palam locutus sum] idest, multis audientibus, non quod, quæ dixit palam, essent cognita turbis. Quod enim dicebat, & palam erat uno modo, & alio modo non erat palam. Palam erat, quia multi audiebant; & rursus non erat palam, quia non intelligebant. Illud etiam, quod Discipulis seorsum loquebatur, non in occulto loquebatur, cum plures essent, cum scriptum sit. In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum, *Deut.* 19. Et maxime quia ad hoc loquebatur paucis, ut per eos innotesceret multis, & prædicaretur in tectis, ut dicit *Matth.* 10. Sic ergo & palam loquebatur, & non palam. Ideo dicitur. *Marc.* 14. Ut videntes non videant, & audientes non audiant. *h* Quid me interrogas?] a quo veritatem audire non desideras. *i* Interroga eos, &c.] q. d. Interroga magis eos, de quorum dictis non habeas invidiam. Et nota, quod ita temperavit responsionem, ut nec veritatem taceret, nec se defendere videretur. *Chrysost.* *h* Quid me interrogas] de doctrina mea. *i* Interroga eos, &c.] etiam inimicos. Non præsumentis sunt hæc verba; sed confidentis in eorum, quæ dicta sunt, veritate *supr* 5. Sicut enim superius dixit, si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum: Ita & nunc dicit. Quid me interrogas de discipulis meis? Non credas mihi; sed interrogas inimicos meos, qui insidiantur mihi: eos, qui me ligaverunt: hi dicant. Hæc enim est veritatis inalterabilis demonstratio, cum hostes quis vocat in testes. Quid ergo Princeps Sacerdotum fecit, cum congruum esset ita admirari hanc investigationem? Hoc quidem non fecit ille. Sed. *k* Hæc cum dixisset] Jesus [unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu] Sic impletur illud *Thren.* 3. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. *Mich.* 5. Percutient maxillam Judicis Israel. *Isa.* 50. secundum aliam litteram: Dorsum meum posui ad flagella, & genas meas ad alapas. Et *Sybilla Erythræa* dicit de hoc: In manibus infidelium veniet: dabunt Deo alapas incestis manibus, ore expuent venatos sputos. Dabit autem ad verbera simpliciter sanctum dorsum, & colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat, quod verbum sit Dei. Item *Job* 16. Exprobrantes percusserunt maxillam meam. Unde sequitur, & de opprobrio. *l* Dicens, sic respondes Pontifici?] *Chrys.* Quid responderat indecens? Nihil. Neque enim tanquam refutans respondere dixit: qui me interrogas; sed omnem volens tollere indevotionis materiam. *Chrys.* Quid hac alapa stultius, & indevotius? Horreat cœlum, excessum mentis patiatur terra in damnatoris longanimitate, & servorum indevotione. Sed quid fecit Christus, potens omnia concutere, & dispergere alapa percussus? Magis loquitur verba humilia, & potentia omnem feritatem illorum exsolvere, Unde sequitur.
m Respondit ei Jesus, si male, &c.] q. d. si autem deliqui in verbo, demonstra in quo; si vero non habes in aliquo reprehendere me, quid me cædis? *Aug.* Quid ista responsione verius, mansuetius, justius? De eo enim prædixerat Propheta. Intende, prospere procede, & regna, propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. *Psalm. 44.*

Si cogitemus, quis accepit alapam: nonne vellemus eum, qui percussit, aut cælesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum Dæmonio voluptari, aut alia qua hujusmodi qualibet pœna puniri?

Et quid horum jubere per potentiam non potuisset per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere maluisset, qua vincitur mundus? *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.*

n Et misit eum Annas, &c.] quia Princeps Sacerdotum erat in illo anno, & ad eum in principio ducebatur secundum *Matth.* 26. Prius tamen ad Annam secundum Joannem, non quia collega, sed quia socer ejus erat. *Chrys.* Vides judicium sine judicio, tumultus quidem plenum, & turbationis, & furoris, & confusionis. Interrogavit eum Pontifex fraudulenter, & dolose: respondit Christus ex directo, & ut oportebat: consequens igitur erat, aut redarguere, aut acceptare, quod dictum est. Sed hoc non fit. Servus autem alapam dedit. Ita non judicium erat, sed tyrannis, & seditio. Deinde non invenientes, quod plus, mittunt eum ligatum ad Caipham. *o* Erat autem, &c.] Dicto, quod Annas misit Jesum ad Caipham, redit ad locum narrationis, ubi reliquerat Petrum: ut explicet, quid in domo Annæ de trina Petri negatione contigerat. Unde dicit [Erat autem Simon, &c.] in domo Annæ. *Gloss.* Hoc & ante dixerat *sup. eod.* sed quæ secuta sunt, adjungit. *p* Dixerunt ergo ei] quidam astantes. *q* Nunquid & tu, &c.] *Chrys.* Papæ, quanto stupore detinebatur Petrus, qui fervidus, & furens adductoque Jesu, post tot neque movetur de reliquo; sed adhuc calefit: ut discas, quanta est humanæ naturæ imbecillitas, cum Deus dereliquerat: unde & interrogatus secundo negat. Deinde. *r* Dicit unus ex servis Pontificis cognatus ejus] idest, illius servi. *s* Cujus abscidit Petrus auriculam] dolens in eo, quod factum est.
t Nonne ego te vidi in horto cum illo.] Sed neque hortus Petrum in memoriam duxit eorum, quæ dicta sunt a Christo,

A neque multa

* Sequitur. *b* Ego palam locutus sum] non in angulis. *c* Mundo] idest, peccatoribus. Contra illos, qui nolunt prædicare nisi Clericis, vel Religiosis, & bonis. Unde nota, quod in hoc dedit nobis formam, ut non prædicemus in locis suspectis, sicut hæretici, *supr.* 3. Qui male agit, odit lucem. *Isa.* 45. Non in abscondito locutus sum, &c. Item in hoc significat, quod nullus debet erubescere, vel timere veritatem prædicare. quam credit: ideo signum Crucis in fronte facimus. *Rom.* 1. Non enim erubesco Evangelium. Sequitur. *Moraliter.*
h Quid me interrogas, interroga eos, qui audierunt, &c.] Iste Pontifex nolebat hoc scire, nisi a Christo: sic multi dedignantur ab hominibus discere, omnia volentes invenire, quasi Dominus debeat eis omnia inspirare. Sed Dominus non vult per seipsum docere omnia, neque per Angelos, sed per homines. Et hoc propter tres causas, quas dicit *August. in primo lib. de doctrin. Christiana* Prima est, ne humana natura vilescat: Unde dicit: Et poterat utique per Angelum docere; sed abjecta esset humana conditio, si per homines Deus verbum suum hominibus nolle ministrare videretur. Secundam causam subdit. Quomodo enim verum esset, quod dictum est 1. *Cor.* 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos: si Deus de humano templo suo responsa non redderet, & totum, quod discendum hominibus tradi vellet, de cœlo, atque per Angelos personaret? Hæc ergo causa est, ut ostendatur, quod templum Dei vere est mens humana. Tertiam subdit: Deinde ipse charitas, quæ sibi homines invicem nodo unitatis astringit, non haberet aditum refundendorum, & commiscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent.

a neque multa dilectio, quam illic per verba illa osten. derat. Si oportuerit me mori tecum, &c. sed omnia timor ejecit, & Christum negavit. Unde sequitur. *a* Iterum, &c.] Petrus tertio. *b* Et statim gallus cantavit] secundo, secundum *Marc.* 14. *August.* Ecce completa est prædictio Christi, & convicta est præsumptio Petri. Sed quæritur. Cur omnes Evangelistæ ita concorditer Petri negationem scripserunt. Respondemus. Non Discipulum accusantes, sed erudire nos volentes, quantum malum est non omnia Deo concedere, sed in seipso confidere. Sed solet quæri, in quo loco Petrus negaverit: & ad hoc potest dici, quod secundum odinem textus illius videtur trina negatio Petri inchoata in atrio Annæ, & consummata in atrio Caiphæ. Secundum alios Evangelistas, qui non faciunt mentionem de Anna, videtur tota facta in atrio Caiphæ. *Aug. in l. de concor. Evang.* & etiam super illum locum asserit, totam factam in atrio Annæ, & quæ dicta sunt, inde post missum Jesum ad Caipham recapitulando dicta. *Hier. in Matth.* & *Beda in Luc.* videntur velle, quod Petrus in atrio Caiphæ negaverit. *c* Adducunt ergo Jesum,] ab Anna ad [Caipham in Prætorium,] quod nihil aliud vult intelligi, quam ubi Præses Pilatus habitabat. Sed si ad Caipham, quomodo in Prætorium? Respondemus. Forsitan aliqua causa urgente de domo Annæ, quo ad audiendum Jesum ambo convenerant, Caiphas perrexit ad Prætorium Præsidis, & socero suo Jesum reliquit audiendum. Vel in domo Caiphæ Pilatus prætorium acceperat, & tanta domus ejus erat, ut seorsum habitantem Dominum suum, seorsum Judicem ferret Pilatum. Vel verior littera est secundum Græcum. *c* Adducunt ergo Jesum a Caipha,] ad quem ductus fuerat ab Anna, *d* In prætorium] ad Pilatum. Et ita ad tertium Judicem ducitur. *e* Erat autem mane] tunc dum ductus est ad Pilatum. *Chryſ.* Antequam gallus cantaret ad Caipham ducitur, mane vero ad Pilatum, per quæ monstrat Evangelista, quoniam medium noctis totum a Caipha interrogatus in nullo redarguit: ideo & misit eum Pilato. Ea autem, quæ a Caipha interrogata sunt, tacet Evangelista iste, quia alii dixerunt. Et prosequitur ea, quæ apud Pilatum facta sunt. *f* Et ipsi] Judæi, qui ducebant Jesum, & accusaturi erant eum.

g Non introierunt in prætorium] idest in habitaculum Pilati, vel in locum judicii. Et quare hoc? *h* Ut non contaminarentur, &c. Pascha] idest, mundi manducarent in festo Paschali. Vel, [Pascha,] idest, panes Azymorum. *Aug.* Quæ diebus Azymorum contaminatio erat illis in alienigenæ habitaculum introire? O impia cæcitas, habitaculo contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio. Alienigenæ Judicis prætorio contaminari metuebant, & fratris innocentis sanguinem fundere non timebant. *Chryſ.* Intuere Judæorum derisibilitatem, comprehendentes innocentem, & arma portantes in prætorium, non ingrediuntur, ut non contaminarentur, ait. Et nimirum, dic mihi, quæ inquinatio est ascendere judicium, idest, locum judicii? Vindictam dant, qui justitiam faciunt. Sed qui decimabant Mentham, & Anethum, *Matth.* 23. occisionem meditantes injuste, non existimabant ex hoc contaminari, judicium vero, idest, prætorium ascendentes contaminare seipsos putabant. Sed quid est, quod dicit, [sed manducarent Pascha.] Ipse enim ante unam diem id fecerat. Respondemus. Aut totum festum dicit Pascha, aut illi tunc faciebant Pascha. Christus vero ante unam diem id fecit, observans suam occasionem parasceve, idest sextæ feriæ, quando verus fiebat Pascha. Hic loqui videtur *Chryſ.* secundum opinionem Græcorum. Sed super *Matt.* dicit plane, quod Christus suo tempore fecit Pascha, sed illi, qui omnia audebant, suo tempore non fecerunt, sed intenti captioni Christi in crastinum facere reservaverunt. *i* Exivit ergo Pilatus ad eos foras] quia nolebant intrare ad eum: Christus autem erat in prætorio. *k* Et dixit: quam accusationem affertis, &c. hunc] quem judicatis reum mortis. *Chryſ.* Vide, qualiter, Pilatus non est particeps livoris eorum. Videns

al. † a Caipha in prætorium.

a Iterum ergo negavit Petrus; & *b* statim gallus cantavit. *c* Adducunt ergo Jesum † ad Caipham in *d* Prætorium. *e* Erat autem mane, *f* & ipsi non *g* introierunt in Prætorium, *h* ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha. *i* Exivit ergo Pilatus ad eos foras, *k* & dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? *l* Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo *m* eis Pilatus, *n* Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum. *o* Dixerunt ergo ei Judæi: *p* Nobis non licet interficere quemquam; ut *q* sermo Jesu impleretur, *r* quem dixit, *ſ* significans, qua morte esset moriturus. *t* Introivit ergo iterum in Prætorium Pilatus, *u* & vocavit Jesum, & dixit ei: Tu es Rex Judæorum? Respondit *x* Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Respondit *y* Pilatus: Nunquid ego Judæus sum? *z* Gens tua, & Ponti-

enim eum ligatum, & a tot ductum, non æstimabat eos habere redargutionem inalrercabilem accusationis adversus Christum; sed interrogat, quam accusationem affertis adversus hominem hunc: inconveniens quidem esse dicens judicium eos rapuisse, supplicium vero sine judicio concedere illi. *l* Responderunt, & dixerunt ei, si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.] Ecce coumbrabant accusationem, non exprimebant aliquid mali, quia nesciebant aliquam directam accusationem. *m* Dicit ergo eis Pilatus,] quia videbat, quod per invidiam tradiderunt eum, & quod non juste posset eum condemnare. *n* Accipite eum vos, & secundum legem vestram, &c.] q.d. si vos accusatis eum de peccato legis, vel quia se Filium Dei fecit, vel quia dixit, possum destruere templum Dei, *ſup.* 2. judicare eum secundum legem vestram: quia de hoc non intromitto me. *o* Dixerunt ergo ei Judæi, nobis non licet interficere quemquam] Contra *Ex.* 22. Maleficos non patieris vivere. Et *Num.* 31. Cur feminas reservastis, Et *Deut.* 13. præcipitur, ne parcant malefactoribus, præsertim seducentibus a Deo suo, qualem Christum esse putabant. Respondemus secundum *Aug.* Hoc dicunt propter diei festi sanctitatem, quam celebrare jam cœperunt, propter quem etiam de ingressu prætorii contaminari metuebant. Item *Chryſ.* Hoc dicunt secundum tempus Paschæ. Quod enim interficiebant, monstrat Stephanus ab eis lapidatus. *Act.* 7. *q* Ut sermo Jesu impleretur] idest, & sic impletus est sermo Jesu. *r* Quem dixit] idest, prædixit, ut eum a Judæis traditum Gentes interficerent. *Matth.* 20. *Marc.* 10. Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. *ſ* Significans, qua morte esset moriturus] *Aug.* Non quod mortem Crucis hic vellet intelligi, sed quod eum Judæi Gentibus essent tradituri. Vel aliter *p* Nobis non licet interficere quemquam] pro hoc scelere, idest, pro crimine læsæ Majestatis, quia negat tributa dari Cæsari, & usurpat sibi regnum dicens se Regem. Unde per hoc volebant innuere, quod morte turpissima deberet mori, i. crucifigi. Unde dicunt: [Nobis non licet, &c.] q. d. hoc excedit potestatem nostram. Nobis enim non licet eum crucifigere pro tanto scelere; sed pertinet ad majorem potestatem. *q* Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans, qua morte esset moriturus,] scilicet morte Crucis, *ſupr.* 12. Ego si exaltatus fuero a terra, &c. *Chryſ.* Crucifigi eum cupiebant, ut & modo mortis diffamerent eum, sicut dicitur *Sap.* 2. Morte turpissima condemnemus eum. Hic autem intelligendum est, quod accusaverunt eum, sicut dicitur *Luc.* 23. de duobus, quod prohiberet tributa dari Cæsari, & quod diceret se Christum Regem. Et ideo dixerunt:

p Nobis non licet interficere quemquam,] i. non secundum nostram legem peccavit, sed commune est crimen in Imperatorem: ideo non debet judicari secundum nostram legem, i. lapidari, sed secundum Romanorum mortem pro crimine læsæ Majestatis puniri, idest, crucifigi. *t* Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus] quia noluerunt eum Judæi recipere, ut judicaretur secundum legem suam, intrat, ut adhuc causam discutiat, & si posset, eum liberet. *u* Et vocavit Jesum, & dixit ei: tu es Rex Judæorum?] *Gloſſ. super Marc.* 27. Primam accusationem nullam reputavit, quia forte audierat Jesum dixisse: Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. *Marc.* 22. *Chryſ.* Sed de alia quærit, tanquam timens periclitari; si non inquireret diligenter de crimine læsæ Majestatis. *x* Respondit Jesus, a temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?] *August.* Sciebat utique Dominus, & quod interrogavit ipse, & quid responsurus erat ille: sed tamen dici voluit, non ut sciret, sed ut scriberetur, quod nos scire voluit. *Chryſ.* Non ignorans Christus interrogat, sed volens a Pilato Judæos accusari. quod & factum est. Unde sequitur. *y* Respondit Pilatus, nunquid ego Judæus sum,] ut hoc a me dixerim, sicut Judæi, quasi dicat, a me hoc non dixi; sed a Judæis accepi, qui ideo tradiderunt te mihi. Et hoc est, *z* Gens tua, &

Matth. 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23.

Pontifices

Pontifices, tui] idest, minores, & majores, *a* Tradiderunt te mihi] dicentes te dicere, quod Rex sis. Oportet ergo te interrogare: *b* Quid fecisti,] q.d. ex quo tradiderunt te mihi, mei officii est quærere causam hujus: [quid] ergo [fecisti?] i. in quo peccasti, ut te traderent mihi: vel sic, [quid fecisti,] q.d. te tradiderunt mihi, objiciente pro crimine, quod te dixeris Regem esse: quod si non est, quid ergo aliud fecisti? *c* Respondit Jesus.] *Chrys.* Ad hanc quæstionem, quid fecisti, nihil respondit; sed ad primam, quia & de hoc maxime Pilatus scire desiderabat, scilicet, de regno ejus. Unde dicit. *d* Regnum meum, &c.] Et quod formidaverat interim Pilatus, dissolvit, scilicet, Tyrannidis suspicionem, q.d. scilicet Rex quidem sum, sed non talis, qualem suspicaris, sed multo clarior. Et per hoc ostendit, quod nullum ab eo factum est malum. Et per hoc etiam, quod subdit: [ego in hoc natus sum.] Qui enim in hoc a nativitate est, nullum malum operatus est. Et simul respondet etiam ad quæstionem, quam fecerat Pilatus, [quid fecisti?] q.d. nihil mali feci. Sic ergo Christus respondens,] regnum meum, &c. satisfacit desiderio petentis, aufert suspicionem tyrannidis. Item innuit suam Deitatem, & quod non est purus homo, sed Deus, & Dei Filius, & ostendit regni sui incorruptibilitatem.

G

fices tui *a* tradiderunt te mihi. *b* Quid fecisti? Respondit *c* Jesus: *d* Regnum meum non est *e* de hoc mundo. Si *f* ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis. Nunc *g* autem *h* regnum meum non est hinc. *i* Dixit itaque ei Pilatus. Ergo Rex es tu? Respondit *k* Jesus. *l* Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in *m* hoc natus sum, *n* & ad hoc *o* veni in mundum, ut *p* testimonium perhibeam *q* veritati. Omnis, qui *r* est ex veritate, audit vocem meam. Dicit *s* ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum *t* exivit ad Judæos, & *x* dicit eis. *x* Ego nullam invenio in eo causam. Est *y* autem consuetudo, ut unum dimittam vobis in Pascha: *z* Vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum? *a* Clamaverunt rursum omnes dicentes: Non hunc, sed Barrabam: *b* Erat autem Barrabas latro.

f Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis.] *Chrysost.* Hinc ostendit regni terreni imbecillitatem, quoniam in ministris habet fortitudinem. Regnum vero supernum sufficiens est sibiipsi, nullo indigens ministro.

g Nunc autem] apparet ex hoc, quod nullus defendit me, quod.

h Regnum meum non est hinc] *Chrys.* Ex hoc hæretici accipientes occasiones alienum esse Christum a † commercio mundi, ajunt. Quid igitur est, dicit *supr.* 1. in propria venit: & sui eum non receperunt? Et *ibidem*. Omnia per ipsum facta sunt. Sicut ergo eum dicit, *supr.* 17. non sunt de mundo hoc, sicut ego non sum de mundo hoc, sensus est, idest, non sunt mundanis dediti, sicut nec ego: vel tendunt ad incorruptibilem, & cœlestem habitationem, sicut ego. Ita & hic [regnum meum non est hinc,] i. non est humanum, neque corruptibile. Non enim hoc dicit mundum privans a sua providentia, & præsistentia, sive dominatione. Vel si exponatur de regno illo præsenti, & spirituali, quod regnat per fidem in fidelibus, sic exponitur.

al. † commotione.

d Regnum meum] idest, credentes in me, in quibus Rex, & Dominus sum. *e* Non est de hoc mundo,] i. mundanis non hæreo. Non dicit, non est in hoc mundo, sed ex hoc mundo: quia in mundo exulant, *supr.* 17. Non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo. Et *supr.* 15. De mundo non estis; sed ego elegi vos de mundo. *f* Si ex hoc mundo esset regnum meum, &c.] quasi dicat, per patientiam ostenduntur fideles esse de regno meo: sicut alii ostendunt regnum suum per violentiam, & vindictam. *g* Nunc autem regnum meum non est hinc.] Non dicit hic, sed hinc: quia fideles in mundo sunt, sed non de mundo. *i* Dixit itaque ei Pilatus: ergo Rex es tu?] ex quo regnum tuum est alibi. *k* Respondit Jesus, &c.] *Aug.* Non dicit Rex sum ego, non quia se Regem confiteri timuit: sed, [tu dicis, quia Rex sum ego:] ita enim libratum est, ut neque se Regem neget. Rex enim est, cujus regnum non est de hoc mundo, neque Regem talem se esse fateatur, cujus regnum putaretur de hoc mundo. Talem quippe sentiebat Pilatus, cum dicebat, [ergo Rex es tu:] Cui responsum est. *l* Tu dicis] ac diceret, carnalis carnaliter dicis. Unde excludens, quod de regno carnali intelligebat, subdit. *m* Ego in hoc natus sum] idest, ad hoc, non in hoc, idest, in hac re natus sum, ut intelligatur de æterna nativitate; sed [in hoc,] i. ad hanc rem, non est ambiguum, ut intelligatur de temporali nativitate, de qua subdit. *n* Et ad hoc veni in mundum,] q.d. propter hoc natus, sive incarnatus veni in hunc mundum. *p* Ut testimonium perhibeam veritati] q.d. veni, ut doceam veritatem, non ut regnum temporalem usurpem, & quæram terrenam dominationem, ut tu putas. *q* Veritati,] i. mihi, qui sum veritas, *supr.* 14. Ego sum via, veritas, & vita: ego testimonium perhibeo de me. Vel. [Veritati,] i. Patri, sive promissis ejus: prædico factum, quod Pater in Prophetis promisit futurum de me, *supr.* 17. Sermo tuus veritas est. Sed quia non omnium est fides, addit. *r* Omnis, qui est ex veritate] i. qui est ex Deo Patre, vel qui amat veritatem.

Matth. 27. Marc. 15.

s Audit vocem meam] i. credit in me, qui sum veritas, *supr.* 8. Qui ex Deo est, verba Dei audit, *Eccl.* 3. Auris bona audit cum omni concupiscentia sapientiam. Vel sic. *r* Qui est ex veritate.] *Aug.* idest, cui a veritate donatum est, idest, a me. *s* Audit vocem meam] idest, credit in me. In quo commendatur gratia, quia secundum propositum vocat. Et est sensus, quod donante Christo, creditur in Christum. Vel secundum *Chrys.* *l* Tu dicis, quia Rex sum] & ita est, quia.

m Ego in hoc generatus sum] ab æterno, q.d. regnum, & dominationem ab æterno accepi per generationem. *Chrys.* Si igitur Rex generatus est, ergo nihil accipiens de novo habet regnum. Cum igitur audieris: Dedit Filio vitam habere, & hujusmodi, *supr.* 5. nihil aliud quam generationem æstima.

n Et ad hoc] idest, propter hoc. *o* Veni in mundum] secundum hominem. *p* Ut testimonium perhibeam veritati] idest, ut hoc ipsum dicam, & doceam, & suadeam omnibus. *r* Et omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam] idest, si quis est verax, & veritatem diligit, audiet omnino me. Per hoc autem attrahit Pilatum, & suadet fieri eorum, quæ dicuntur, auditorem. Ita denique & eum cepit his verbis, ut quæreret: quid est veritas? Unde sequitur. *s* Dicit ei Pilatus, qui est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, &c.] *Aug.* Non expectat responsum quæstionis, quam fecerat, quid est veritas, ne mora fieret. Subito enim, ut æstimo venit in ejus mentem consuetudo, quia unus per Pascha posset dimitti. *Chrys.* Sciebat quidem, quod indigebat mora interrogatio facta de definitione veritatis: oportebat autem eum eripere ab impetu Judæorum: idcirco omissa quæstione, ad id quod properabat, insilit. *u* Exivit ad Judæos] de Prætorio. *x* Et dixit eis, ego nullam invenio in eo causam] mortis. *Chrys.* Intuere, qualiter sapienter allegat pro eo. Non enim dixit, quia peccavit, & dignus est morte, donate eum de festo; sed primum eum eruens a causa omni, tunc rogat ex superabundanti, & si nollent ut innocentem dimittere, saltem ut obnoxium donarent tempori. Ideoque & inducit. *y* Est autem consuetudo, ut unum dimittam vobis in Pascha.] *Aug.* Quia in Pascha a servitute liberati sunt. *Exod.* 12. in Pascha consuetudo dimittendi fuit eis. *Chr.* Deinde hortative dicit. *z* Vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum,] *Aug.* Non potuit evelli a corde ejus Jesum esse Regem Judæorum: sicut & in scribendo titulum Jesu, tanquam ipsa veritas hoc ei fixerit, de qua quid esset, interrogavit.

Vel quia tunc in illo Pascha primogenita Ægypti sunt occisa, sed primogenita Israel salvara in hujus rei signum, unum liberabant, & alium occidebant in pascha.

a Clamaverunt rursum omnes, dicentes, non hunc] dimittas, [sed Barrabam. Rursum,] hoc dicit, quia prius clamaverant accusando. Si non esset hic malefactor, &c. Vel, [Rursum,] quia forte vocem iteraverant eamdem. *b* Erat autem Barrabas latro,] sicut dicitur *Luc.* 24. Qui propter seditionem quamdam factam in civitate, & homicidium missus in carcerem erat. Et nota, quod dicitur, vel Barrabas, idest, Filius magistri, vel Barrabas, idest, Filius Patris, sed communius dicitur Barrabas.

EXPO-

CAP. XIX.

TUNC *a* ergo *b* apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit. *c* Et milites *d* plectentes coronam de *e* spinis *f* imposuerunt capiti ejus, & veste *g* purpurea *h* circumdederunt eum, & *i* veniebant *k* ad eum & dicebant: Ave, Rex Judæorum. Et *l* dabant ei † alapas. *m* Exivit iterum Pilatus foras, & *n* dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. *o* Exivit ergo Jesus portans spineam coronam, & *p* purpureum vestimentum, & *q* dicit eis: Ecce homo. Cum *r* ergo vidissent eum Pontifices, *s* & ministri, *t* clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis *u* Pilatus: *x* Accipite eum vos, & crucifigite. *y* Ego enim non invenio in eo causam. *z* Responderunt ei Judæi. *a* Nos legem habemus, & secundum legem debet mori.

A
Matth. 21. Marc. 15.

al. † palmas.

B

EXPOSITIO CAP. XIX.

TUnc ergo apprehendit Pilatus, &c.] Nota, quod plura præterit Joannes, quæ alii Evangelistæ dicunt, ut illud. Quoniam Pilatus audito, quod Galilæus esset, misit eum ad Herodem: & cum Dominus nollet ei respondere, indutum eum veste alba, & illusum in ea remisit ad Pilatum. *Luc.*23. Sed quæ narrat iste Evangelista, exponamus. Dicit enim. *a* Tunc ergo] postquam audivit, quod instanter petebant Barrabam. *b* Apprehendit, &c.] per milites, quia enim verbis laboraverat, ut eriperet Christum, & non potuit, modo tentat eum liberare flagellis. Unde *Chr.* Flagellavit eum Pilatus fortassis absolvere eum volens, & mitigare Judaicum zelum, quia enim per priora eum non salvavit: ideo nunc flagellavit: & si quæ facta sunt a militibus dissimulat, scilicet, chlamydem, & coronam circumponere, ut eorum molliat iram; propterea & coronatum eduxit eum ad eos, ut convicium, quod a militibus factum erat in eum videntes, paululum respirarent a passione iræ suæ, & invidiæ, & evomant venenum. Et nota, quod dicit, (flagellavit,) permittendo, vel etiam jubendo, ut dicit *Aug.* In hoc autem impletum est illud, quod dicit per *Psal.*34. Congregata sunt super me flagella, & ignoravi causam. Item *Psal.* 37. Ego in flagella paratus sum. Et illud *Psalm.*72. Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. Item *Aug.* Impletur, quod de se prædixit, *Matth.*20. Tradent eum ad flagellandum. Occultata potentia commendatur patientia, qua Martyres informantur. Mane enim fuit, cum adductus est Prætorium, ut dicitur *supr.*18. & *Isa.*53. Disciplina pacis nostræ super eum, & 50. Dorsum meum posui ad flagella, & genas meas ad alapas. Per quos autem flagellavit, subdit. *c* Et milites plectentes] idest, punientes. Vel sic. *d* Plectentes coronam] idest, componentes. *e* De spinis] idest, de juncis marinis acutis, & ad modum spinarum pungitivis, (imposuerunt capiti ejus.) Primum habuit pœnam, & dolorem, scilicet flagellatio: secundum habuit pœnam pro spinis, & derisionem pro corona: tertium habuit solum derisionem, & ludibrium, de quo subditur. *g* Et veste purpurea] idest, simili purpuræ. Unde *Matth.* 27. habetur: Vestem coccineam. *h* Circumdederunt eum] *Gloss.* irrisorie, quia se Regem dicebat esse. Purpura enim signum est Regis, ut dicitur. 1. *Mach.*8. Unde in alio Evangelista dicitur, quod posuerunt in manu ejus arundinem loco sceptri, ut in tribus signis regalibus illuderent ei, in corona, in purpura, in sceptro. Et tunc adimpletum est illud *Cant.* 3. Egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, idest, Synagoga, quia de Salomone ad litteram non potest intelligi: quia non legitur, quod fuerit coronatus, sed inunctus in Sion. 3. *Reg.*1. *i* Et veniebant] milites, idest, accedebant. *k* Ad eum, &c.] non solum signis, sed verbis illudentes. *l* Et dabant ei alapas] vel, (palmas,) in signum, quod pro fatuo Rege eum habebant, sicut solent fatui cædi alapis. Et in hoc impletur illud *Thren.* 3. Dabit percutienti se maxillam. *Aug.* Dabant ei alapas. Sic implebantur, quæ de se prædixerat Christus, sicut Martyres informantur ad omnia adversa perferenda: si paulisper occultata tremenda potentia commendabatur, prius imitanda patientia. *m* Exivit iterum Pilatus foras] extra Prætorium, scilicet, ut saltem modo post flagella, & ludibria satiati cessent ab eo. Et idem quod prius allegavit, iterum allegat, scilicet, ejus innocentiam. Unde sequitur. *n* Et dicit eis, &c.] vosipsi, (quia nullam invenio in eo causam] mortis q.d. jam examinavi eum intus: volo ergo, ut & vos sciatis exterius. Et quia sciebat eorum invidiam non parcere innocentiæ, voluit eos, & flagellis ejus, & opprobriis saltem satiare, & sedare, ideo sequitur. *o* Exivit ergo Jesus portans spineam coronam] in capite, *Aug.* Non clarus imperio, sed plenus opprobrio. *Thren.*3. Saturabitur opprobriis. *p* Et purpureum vestimentum,] in corpore. *Cant.* 3. Egredimini, & videte Regem, &c. *q* Et dicit eis] Pilatus (Ecce homo] qui se Regem dicit ut dicitis, q.d. sufficiat vobis pro tali verbo talis contumelia, & afflictio. Ecce, inquit, homo flagellatus, & despectus, q.d. jam parcite, etsi non sit innocens, tamen quia satis punitus. Vel sic(Ecce homo,) *Aug.* q.d. si Regi invidetis: jam parcite, quia dejectum videtis. Flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis cæsus est: fervet ignominia, frigescat invidia: sed non frigescat, inardescit potius, & increscit. Vel sic, (Ecce homo,) de quo nescitis, ne Rex fiat, q.d. patet, quod non potest esse Rex, ut dicitis, qui sic, ut homo, flagellatur vilis. Et nota, quod in hoc, quod dicit (Ecce homo,) significatur, quod hominis est pati, non deliciari. Et tunc impletum est illud: *Job* 5. Homo nascitur ad laborem, quia tunc erat in agonia Passionis: & avis ad volatum, quod fuit in die Ascensionis. *Psal.*86. Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus, q.d. homo est, & Deus. Item *Isa.*13. Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo. Item *Isa* 2. Quiescite ab homine, cujus spiritus, &c. *Jer.* 17. secundum aliam litteram. Homo est, quis cognoscet illum? *r* Cum ergo vidissent eum Pontifices] quorum præcepto adductus erat. *s* Et ministri,] Judæorum, qui eum ligatum adduxerant, ex visu ejus non compassi, sed magis instigati. Secundum illud *Sap.* 2. Gravis est nobis etiam ad videndum. *t* Clamabant dicentes: crucifige, crucifige eum.] In iteratione notatur fervor occidendi. *Sap.* 2. Morte turpissima, &c. *Jer.*11. Mittamus lignum in panem ejus, &c. Et dicit: (clamabant:)ut non solum iteratione, sed clamore vincerent. In quo adimpletum est *Psalm.*21. Aperuerunt super me os suum. Et *Thr.*3. Aperuerunt super me os suum inimici omnes. Et *Isa.*5. Expectavi, ut faceret judicium, absolvendo me, scilicet, & ecce iniquitas: & justitiam, & ecce clamor. Ibi *Interl.* Crucifige, crucifige eum. Item *Jer.*11. Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea. *Et* 12. Facta est mihi hæreditas mea quasi Leo in silva, dedit contra me vocem: ideo odivi eam. *u* Dicit eis Pilatus,] quia sic instabant, ut crucifigeret. *x* Accipite eum vos, & crucifigite] Et dicit hoc ironice, q.d. facinus est hoc facere: & vos qui soletis talia facere, facite, si vultis. Unde hoc dicit, non volens, ut occiderent, sed confundens eos: Unde subdit. *y* Ego enim non invenio in eo causam] quare mori debeat. *Chrys.* Videns Pilatus omnia inaniter fieri, ait. *x* Accipite eum vos, & crucifigite.] Unde manifestum est, quod etiam priora concessit super illorum insaniam, scilicet, flagellari, & illudi. *y* Ego enim] ait (nullam causam invenio in eo,) Vide per quot, & quoties excusat eum Judex; sed canes nihil horum in verecundiam convertit. Etenim hoc, quod dicit: Accipite, & crucifigite, execrantis verbum est, & ad rem illicitam impellentis quasi cum ironia. *z* Responderunt, &c.] *Chrys.* Ipsi quidem adduxerant eum, ut cum Præsidis judicio damnaretur; contigit autem contrarium a judicio, scilicet, præsidis eum absolvi magis. Deinde quia confusi sunt. *a* Nos] ajunt (legem habemus, &c.) idest, finxit, vel dixit mendaciter, q.d. blasphemus est, & pseudo propheta. Unde dicunt, (secundum legem,) *Lev.*24. de blasphemo. *Aug.* Ecce alia major invidia; quia parva videbatur illicita affectatio regni: ideo imponitur ei, quod facit se Filium Dei: & tamen utrumque erat Christus, & Rex, & Filius Dei. Item nota, quod in principio voluerunt eum judicari secundum legem pro peccato legis; sed crucifigi secundum Romanorum morem pro crimine læsæ Majestatis. Sed quia Pilatus accusationem illam repulit: ideo ad legem redeunt hic dicentes: [Nos habemus legem, &c.] *Chrys.* Qualiter igitur dicente Judice; Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate, *supr.* 18. respondistis: Nobis non licet interficere quemquam; hic autem ad legem vestram confugistis? Et vide accusationem eorum.

a Quia

a quia Filium Dei se fecit. Cum b ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et c ingressus est Prætorium iterum, d & dixit ad Jesum: Unde es tu? e Jesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei f Pilatus: Mihi non loqueris: Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, g & potestatem habeo dimittere te? h Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi esset i datum k desuper. l Propterea qui m me tradidit tibi, majus peccatum habet. n Exinde o quærebat Pilatus dimittere eum. p Judæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: Omnis enim, q qui se Regem facit, contradicit Cæsari. r Pilatus autem cum audisset hos sermones, s adduxit foras Jesum, t & sedit pro tribunali in u loco, qui dicitur Lithostratos, x Hebraice autem Gabba-

a Quia Filium Dei se fecit, (se fecit.) Hoc igitur dic mihi, crimen est ea, quæ Filii Dei sunt, agentem dicere seipsum Filium esse Dei? Quid igitur egit Pilatus? Timuit. Quid Christus? Siluit. Unde sequitur. b Cum ergo, &c.] pro importunitate eorum, quia post verba suasionis, & flagella, per quæ crediderat eos sedare, tamen adhuc sæviebant: timuit ergo magis, sed nondum consensit, ut dicit *Interl.* Vel melius secundum *Chrys.* Audiens ab eis Pilatus, quoniam Filium Dei seipsum fecit, timuit, & formidavit, ne forte verum esset, quod dicebatur, & videbatur sibi, quod inique agerent contra eum: unde & timebat favere eis in hoc; ipsi vero Judæi, qui hoc & per verba, & per signa noverant, scilicet, quod esset Filius Dei, non horruerunt, neque timuerunt, sed interficiunt: Gentilis autem timuit. Item Pilatus timuit, quia cor cœpit ei dictare, quod revera erat Filius Dei. Unde de Pilati confessione habetur in altercatione Simonis, & Petri coram Nerone quando Petrus dixit ad Neronem: Si vis scire, bone Imperator, quæ gesta sunt in Judæa de Jesu, accipe litteras a Pontio Pilato missas ad Claudium. Exemplum autem Epistolæ erat. Pontius Pilatus Claudio suo salutem. Nuper accidit, quod ego probavi, Judæos per invidiam se, suosque posteros crudeli condemnatione punisse. Denique cum promissum patres eorum haberent, quod illis Deus eorum mitteret de cælo Sanctum suum, qui eorum Rex merito diceretur, & hunc promiserit per Virginem missurum ad terras. Istum itaque me Præside in Judæam Hebræorum Deus cum misisset, & vidissent eum cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paraliticos curasse, Dæmones ab hominibus fugasse, mortuos etiam suscitasse, imperasse ventis, ambulasse siccis pedibus super undas maris, & multa alia mirabilia fecisse, cum omnis populus Judæorum hunc Dei Filium diceret, invidiam contra eum passi sunt Principes Sacerdotum, & tenuerunt eum, & tradiderunt eum mihi, & alia post alia mihi mentientes de eo dixerunt eum Magum, & contra legem eorum agere; ego autem credidi ita esse, & flagellatum tradidi illum arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, & sepulto eo custodes adhibuerunt; ille vero militibus meis custodientibus tertia die resurrexit. Iterum autem exarsit invidia eorum, ut darent pecuniam eis dicentes: dicite, quia Discipuli ejus corpus ipsius rapuerunt. Sed cum accepissent pecuniam, quod factum fuerat, tacere non potuerunt: nam & illum testati sunt se vidisse, & a Judæis pecuniam accepisse. Hoc ideo ingressi, ne quis aliter mentiatur, & æstimet credendum esse mendaciis Judæorum. c Et ingressus est Prætorium iterum] ut secretius inquireret ab eo. d Et dixit ad Jesum, unde es tu?] *Chrys.* Non ultra interrogat eum, sicut prius, quid fecisti? sed timore concussus desuper facit interrogationem, q.d. si tu es Christus, dic. e Jesus autem, &c.] Et quare non respondit? Ne Passio ejus impediretur. Item ne Pilati peccatum aggravaretur, si eum postea traderet. Item ut omnem mansuetudinem ostenderet, ut prophetias de se dictas impleret. Tunc enim impletum est illud *Thren.* 3. Ex ore Altissimi non egredientur neque bona, neque mala. *Isa.* 54. Quasi Agnus coram tondente se obmutescet. *Jer.* 51. Ego quasi Agnus mansuetus, qui ducitur ad victimam. *Chrys.* ponit duas rationes hujus. Unam, quæ jam dicta est, scilicet, ut impleret illam prophetiam. *Isa.* 53. Non aperuit os suum in humilitate sua, judicium ejus sublatum est. Aliam, quia Pilatus, ut non responderet, meruit, quia prius ei dixerat, & responderat de hoc *supr.* 18. Ego in hoc, idest, in regno natus, & ad hoc veni in mundum, & quoniam regnum meum non est hinc. Debens igitur eum omnino eripere, & Judæis resistere: hoc non fecit: ideo responsione indignus fuit. f Dicit ergo, &c.] idest, crucifigendi te per me, vel ministros, vel per sententiam. g Et potestatem, &c.] id est dimittendi. *Chrys.* Vides qualiter & seipsum præcondemnavit Pilatus. Si enim in te totum positum est, quare nullam causam in eo inveniens non absolvis? Quia igitur & adversus se sententiam protulit, & de potestate etiam se jactavit; ideo. h Respondit Jesus. Non haberes potestatem adversus me ullam,] idest, quantulamcumque. i Nisi tibi, &c.] In quo humiliavit ejus jactantiam de potestate, & ostendit, quod mors ejus non est secundum aliorum morientium consequentiam: qui velint, nolint, moriuntur, sed sua voluntate, & Dei ordinatione. Et quia Pilatus se condemnaverat, dicens: Potestatem habeo, &c. ideo subdit. l Propterea,] quia potestatem habes dimittere, & non dimittis. m Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet,] idest, propterea tu peccatum habes, etsi non tantum, quantum Judæi. Vel sic. i Nisi tibi esset datum] idest, concessum, vel permissum. k Desuper] idest, a Deo, a quo potestas datur; sed abusio potestatis non datur, sed permittitur. *Rom.* 13. Non est potestas, nisi a Deo: Sed ne, quia dixit ei datum, credas a crimine, erutum, subdit. l Propterea, qui me tradidit tibi, majus peccatum habet] q.d. tibi a Deo datum est hoc, idest, concessum, non præceptum, sed suasione Judæorum abuteris potestate: & ideo tu peccas; sed ipsi magis: ita oportet suppleri. Vel sic. i Nisi tibi datum esset desuper] idest a Superiore, idest, a Cæsare, q.d. ex timore hoc facis Superioris: & ideo minus habes peccatum, quam qui tradidit me tibi, scilicet Judæorum, & Pontificum cætus, vel quam Judas traditor. *Aug.* Majus peccatum est Judæo, qui tradidit eum invidendo, quam Pilato, qui exercet potestatem metuendo, non tamen Pilatus sine peccato. n Exinde] idest, ex illo tempore, Vel secundum *Aug.* [Exinde,] i. ex hac causa, scilicet, ne haberet peccatum occidendo innocentem, etsi minus illis invidis. o Quærebat Pilatus dimittere eum] *Aug.* Non quod tunc primum quæreret; sed si prius volebat, modo quærebat, & plus laborabit. *Chrys.* Stupefecit Christus Pilatum per hæc verba, & magnam tribuit excusationem non occidendi se: unde & quærebat amplius eum absolvere ille. p Judæi autem] e contrario, [clamabant dicentes: si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.] *Chrys.* Obstructi præcedentibus accusationibus ad publicum crimen reducunt sermonem. q Omnis enim, &c.] Quia enim crimina suæ legis adducentes nihil profecerunt, ad forinsecas leges Romanas convertuntur malitiose. *Aug.* Superius legem suam proposuerant, secundum quam debet mori, quia Filium Dei se fecit; sed quia legem Gentis alienæ non timet, sed magis timet occidere Filium Dei, terrent eum a Cæsare, quem non potest, ut auctorem potestatis suæ contemnere. r Pilatus, &c.] timens sibi, ut dicit *Aug.* & *Chr.* nondum tamen consentiens, sed adhuc eripere volens. s Adduxit foras Jesum,] ut adhuc visu flagellati moveantur, & flectantur. *Chrys.* Et ubi hic a tyrannide captus est? Sed & unde haberis demonstrare hoc? A purpura, & diademate, a curru, & militibus? Nonne solus semper cum duodecim Discipulis incedebat, per omnia viliter, & humiliter transiens, & quantum ad cibum, & stolam, & habitationem? t Et sedit pro tribunali,] quasi scrutaturus rem hanc, & diligenter examinaturus: non enim audebat præterire sine examinatione saltem simulata, cum illi clamarent crimen læsæ Majestatis sine intermissione. Tribunal autem est sedes Tribuni, vel Judicis *Gloss.* sicut thronus, vel solium Regum, & cathedra Doctorum. Dicitur autem tribunal, quia ibi præcepta vivendi, & jura tribuuntur, vel a Tribubus denominatum est, quia ad illud Tribus convocantur. Et est sensus: [Sedit pro tribunali.] Pro, idest, in judiciaria, scilicet, sede, sive in tribunali. Vel quandoque ipse Judex dicitur tribunal. Et tunc est sensus, idest, sedit ut Judex, vel pro Judice.

u In loco, qui dicitur Lithostratos] Græce, idest, judicium vel judiciale. x Hebraice autem Gabbatha] id est, collis, sive sublimitas. Tamen secundum *Isaiam*, ut dicunt, sonat varietatem pavimenti, vel varium pavimentum, non quod talis sit interpretatio, sed quia talis erat locus, in quo fiebant judicia. Et sicut

locum

C

Act. 4. [illegible]

Epistola Pilati ad Claudium de morte Christi.

tha. *a* Erat autem Parasceve Paschæ, *b* hora quasi sexta, *c* & dixit Judæis: Ecce Rex vester. *d* Illi autem *e* clamabant: *f* Tolle, tolle, *g* crucifige eum. Dicit *h* eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? *i* Responderunt Pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem. Tunc ergo *k* tradidit eis *l* illum, ut crucifigeretur. *m* Susceperunt autem Jesum, *n* & eduxerunt eum. Et *o* bajulans sibi Crucem, *p* exivit in *q* eum, qui dicitur Calvariæ locum, *r* Hebraice autem Golgotha, ubi *s* crucifixerunt eum, *t* & cum eo alios duos hinc, *u* & hinc; medium autem Jesum.

locum determinavit, sic determinat feriam, & horam subdens. *a* Erat autem Parasceve Paschæ,] sexta feria in festo Paschali, sive in diebus Azymorum. *b* Hora quasi sexta,] erat, sc. Vel ablative [Hora] dico existenti [quasi sexta] Nec vacat a mysterio. Sexta enim die, & sexta hora redemit hominem, sexta die factus est, & quasi sexta hora peccavit. Et nota, quod Græcis admixti Judæi Græcis crebro utebantur vocabulis. Parasceve enim Græce, præparatio latine, vel parasceve, parans cœnam. Sic dicebant feriam sextam, quia in ea præparabant necessaria Sabbato, sicut in deserto duplum præcepit colligere manna *Exod.* 16 Sed quæritur de hoc, quod dicitur, quod hora erat quasi sexta. Dicitur enim *Matth.* 27. quod hora sexta tenebræ factæ sunt usque ad horam nonam. Quomodo ergo viderunt milites ad crucifigendum, vel quomodo est verum, quod dicitur hic, quod hora sexta judicatus est, si hora sexta tenebræ factæ sunt? Item *Matth.* 15. dicitur: Erat autem hora tertia, quando crucifixerunt eum. Solvitur hoc dupliciter secundum *August.* ut intelligatur, quod post quintam horam diei in principio sextæ sedit Pilatus pro tribunali, & dum duceretur Jesus, & cetera gererentur, completa est sexta hora, ex qua completa tenebræ fuerunt usque ad nonam, ut dicitur *Matth.* 25. & *Marc.* 27. Ad id autem, quod objicitur de Marco. Hora tertia crucifixerunt eum. Solvit *Aug.* quod tunc crucifixus est linguis Judæorum: quia tunc clamaverunt, crucifige, crucifige eum, & hoc expressit Marcus propter Judæos, qui facinus interfectionis Christi in Pilatum, & milites transferre conati sunt. Vel potest solvi sic, sicut dicit idem *August.* quod hora sexta Parasceve, i. hora sexta a præparatione Passionis Christi: Christus enim dicitur verum Pascha, ut dicit *Apostolus*: Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Præparatio autem Passionis ejus incepit hora nona noctis: tunc enim videtur Principes Sacerdotum pronunciasse Domini immolationem, dicentes: Reus est mortis, in hora sc. nona noctis, unde remanserant tres horæ usque ad diem: & tertia hora diei crucifixus est secundum *Marcum*: & sic fuerunt sex horæ a præparatione Passionis, ut dicitur hic, & tres horæ tantum diei, ut dicit *Marc.* *Hieron.* autem videtur magis cum ista ultima expositione convenire. *Beda* autem cum prima. Tertio solvit, quod in medi tullio tertiæ, & sextæ Dominus fuit crucifixus; sed tamen magis juxta tertiam. Et ideo dicit *Marcus*, quod hora tertia. Joannes autem dicit quasi sexta, non dicit simpliciter sexta; ideo in Ecclesia inter tertiam, & sextam celebratur Missa.

Aug. Harum duarum solutionum hujus difficilis quæstionis eligat lector, quam velit: vel si aliæ potuerint inveniri, cumulatius Evangelistæ veritatis constantia defendetur:

Sequitur. *c* Et dicit Judæis: Ecce Rex vester.] Vult adhuc eos flectere per pœnam ejus ad misericordiam, unde dicit, tanquam scrutaturus, & examinaturus Christum, sedit pro tribunali; sed non erat hæc ejus intentio, nullam enim fecit scrutationem, sed ostendit eum, existimans movendos eos ad compassionem. *d* Illi autem] intelligentes, quod vellet eum liberare. *e* Clamabant, tolle, tolle] ab oculis, & visu nostro. *f* Tolle,] præsentiam ejus, [tolle] memoriam. Et quomodo? [crucifige.] Vel: *f* Tolle] i. perde, de mundo aufer ejus memoriam. Unde subdit: *g* Crucifige eum.] *Chrys.* Continue clamabant: crucifige, crucifige plebis inordinata Principibus corrupta. Sed cur Crucem petebant: Quia exprobrabilissima mors erat. Formidantes enim ne aliqua ejus post ipsum fiat memoria, student eum ad supplicium ducere maledictum. *Gal.* 3. Quia enim timerent futura de eo, patet per ea, quæ dicunt Pilatu. *Matth.* 27. Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: post tres dies resurgam: jube ergo custodiri sepulchrum, &c. *h* Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam?] *August.* Adhuc terrorem, quem de Cæsare ingesserant, superare conatur, de ignominia eorum volens eos frangere, dicendo: Regem vestrum crucifigam, quos de ignominia Christi mitigare non potuit. Sed nec sic vincuntur, nec verecundantur canes impudentes. Unde sequitur. *i* Responderunt Pontifices: non habemus Regem nisi Cæsarem. Tunc ergo] timore victus. *k* Tradidit eis] i. voluntati eorum. *l* Illum] innocentem, [ut crucifigeretur,] non ut crucifigerent. Nolebant enim eum crucifigere Judæi, ut sic immunes viderentur a scelere. Unde *sup.* 18. Nobis non licet interficere quemquam &c.

Aug. Et nota, quod timore tradidit eum Pilatus. Quia enim profitebantur Cæsarem, apertissime contra Cæsarem venire videretur, si alium Regem vellet intelligere dimittendo impunitum, quem propter hoc ausus tradiderant occidendum. Nec tamen excusatur Pilatus a crimine, quia debuit inquirere, si quam fecerat tyrannidem; sed timore Cæsaris statim sententiam protulit, quamvis Christus nec hoc pateretur: prædixit enim; regnum meum non est hinc, præterea somnium uxoris debuit eum stupefacere; sed terram magis, quam cœlum respexit. *m* Susceperunt autem Jesum,] apparitores sc. præsidis. Vel potest etiam de Judæis intelligi; milites enim susceperunt facto, Judæi voto, qui totum fecerunt, quicquid, ut fieret, extorserunt. *n* Et eduxerunt eum] ad mortem. *o* Et bajulans sibi Crucem] *Gloss.* idest suo humero, ut eum commendaret imitaturis. Hic autem præterit, quomodo angariaverunt quemdam Simonem Cyrenæum. *Matth.* 27. *Chrys.* Imposuerunt ei Crucem tanquam condemnato, non ipsi tulerunt. Etenim lignum, ut profanum vitabant, & neque tangere sustinebant. Ita autem, & in typo factum est. Etenim Isaac ligna portavit. *Genes.* 22. Et impletum est illud *Isa.* 22. Dabo clavem David super humerum ejus. Et *Isa.* 9. Factus est principatus ejus super humerum ejus. *p* Exivit] extra civitatem. *q* In eum, qui dicitur Calvariæ locum,] i. decollatorum. Calvaria autem dicebatur, quia ibi decalvabantur capita damnatorum. Calvaria enim ad litteram dicitur os capitis a carne nudatum, secundum *Hier.* Secundum *Ambr. in Epist. ad Rom.* sic dicitur: A Calvaria Adæ ibi sepulti. *Hieron.* autem *super Matth.* 27. hoc improbat, quia Adam legitur sepultus juxta Hebron. *Josue* 15. *r* Hebraice autem Golgotha,] *Hieron.* Golgotha est Syrum, & interpretatur locus Calvariæ. Et nota, quod calvities proprie est hominis vivi, calvaria mortui. Item dicit *Hieron.* Tradunt Judæi, quod in hoc loco immolatus sit aries pro Isaac. *Gen.* 22. *Chrys.* Quidam ajunt Adam ibi mortuum esse, & sepultum: & Jesum in loco, ubi mors regnavit, illic & trophæum statuisse. Etenim trophæum exivit portans, i. Crucem suam adversus mortis tyrannidem. Et sicut victores, ita & ipse in humeris portavit victoriæ notam, i. signum: quod enim, etsi alia mente hoc agebant Judæi. Item nota, quod in hoc quod exivit in Calvariam, impletum est illud *Num.* 19. de vitula rufa, quæ ducebatur extra castra. Et illud 4. *Reg.* 2. Ascende, calve. Per Elisæum enim designabatur Christus in Calvaria passurus. Ideo & Psalmi plures intitulantur pro filiis Chore. *Aug.* super hunc locum: [Bajulans sibi Crucem exivit, &c. dicit:] Grande spectaculum; sed si spectetur impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium: si spectetur impietas, grande ignominiæ documentum; si pietas, grande fidei munimentum; si spectetur impietas, ridet Regem pro virga regni lignum sui portare supplicii: si pietas, videt Regem bajulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat in frontibus Regum, in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum. Dicturo enim Paulo: Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi. *Gal.* 6. Ipsam Crucem suam suo gestans humero commendabat: & lucernæ ardentæ, quæ sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat. *Matth.* 5. & *Luc.* 13. Nemo accendit lucernam.

s Ubi crucifixerunt eum,] milites facto; Judæi lingua, & voto.

t Et cum eo alios duos,] qui latrones erant, ut dicunt alii Evangelistæ.

u Hinc, & hinc: medium autem Jesum.] *Chrysostomus*: Crucifigunt eum cum latronibus, inviti in hoc prophetiam implentes: Quæ enim conviciantes inferebant, hæc veritati conferebant, ut discas, quanta est ejus virtus. Prædixerat enim hoc Propheta: Quoniam cum iniquis

Marc. 15. Luc. 23.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

1. Cor. 5.

Sup. 18.

Scripsit *a* autem, & titulum Pilatus, & posuit super Crucem. *b* Erat autem scriptum: *c* Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Hunc *d* ergo titulum multi legerunt Judæorum, quia *e* prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum, Hebraice, Græce, & Latine. *f* Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: *g* Noli scribere Rex Judæorum, *h* sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum. *i* Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. *k* Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, *l* & fecerunt quatuor partes, *m* unicuique militi partem, *n* & tunicam. *o* Erat autem tunica inconsutilis *p* desuper contexta per totum.

iniquis reputatus est. *Isa.* 53. Hoc autem procuravit etiam Diabolus, quia inter latrones coumbrare voluit, quod fiebat, sed non valuit. Nam crucifixi sunt tres; claruit vero solus Jesus. *a* Scripsit autem, &c.] in tabula quadam. Crux enim non habebat super lignum transversum aliquid, sed habebat formam Tau, sed Pilatus superposuit cavillam, & tabulam affixam ei, & in tabula erat titulus. Tunc impletum est illud *Isa.* 29. Erit altare Domini in medio terræ Ægypti, i. Crux, & titulus Domini juxta terminum ejus. Dicuntur autem in Cruce Domini fuisse quatuor diversa ligna, & lignorum quatuor genera. Lignum sc. erectum, & transversum, & tabula superposita, & truncus quidam, cui infixa erat Crux, qui in rupe diffossus fuit. Invenitur enim lignum Dominicæ Crucis, & palmæ, & cypressi, & ut quidam tradunt, olivæ, vel pini, & cedri. *b* Erat autem scriptum] i. scriptura tituli talis. *c* Jesus Nazarenus, &c.] In quo notificatur nomine, & patria, & dignitate.

D

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Ovid. l. 2. metamorph.

Titulus {
Triumphalis, qui de triumpho inscribitur, ut in arcu vel fornicibus, ut hic: Jesus Nazarenus Rex Judæorum.
Præconialis, quia ad laudem inscribitur in domo ut hujusmodi
Ut rosa flos florum, sic est domus ista domorum.
Memorialis, mortuorum in sepulchro, ut hujusmodi;
Hic situs est Phaeton currus auriga paterni.
}

Sed quare hoc scripsit Pilatus? *Gloss.* dicit, quod operabatur divina vis in corde nescientis. Secundum *Chrys.* scripsit titulum Pilatus, simul & de Judæis ulciscens, & pro Christo respondens. Quia enim Christum ut nequam tradiderunt, & hoc per consortium latronum certiorare conabantur, ut nulli eorum liceat de cetero perniciosas inferre causas, & accusare, ut nequam, obstruit ora eorum Pilatus per titulum, & aliorum similiter detractorum, q. d. sciatis, quod iste crucifixus est non pro facinore, sed quia Rex est Judæorum, eum Judæi interfecerunt, in quo etiam accusat Judæos, quod proprio Regi insurrexerunt. Item sicut in trophæo aliquo, ita litteras imposuit claram emittens vocem, & victoriam ostendens, & regnum, etsi non integrum, quia dicit Judæorum tantum, & hoc non una lingua, sed tribus. Quia enim multi aderant propter festum, ut nullus ignoraret, omnibus, i. potioribus vocibus Judæorum turpem occisionem Domini sui intitulavit. Unde sequitur. *d* Hunc ergo titulum multi legerunt Judæorum] & habuerunt legendi facultatem. *e* Quia prope civitatem erat, &c.] *Aug.* Ideo & Judæi, & aliæ Gentes legere potuerunt. *Aug.* addit: Rex Judæorum. Tribus autem linguis, quasi tribus testibus scribitur, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. *Deut.* 19. & *Matth.* 18. *August.* Hæ quippe tres linguæ ibi præ ceteris eminebant. Hebræa propter Judæos in lege Dei gloriantes. *Rom.* 2. Græca propter Gentium sapientes. Latina propter Romanos jam tunc pene omnibus Gentibus imperantes. Sed nota, quod utrum principium tituli scriptum fuerit tribus linguis, incertum est, sed finis hic, scil. Rex Judæorum, sic scriptus est Hebraice: Malachus Judæorum. Græce: *Βασιλεὺς ἐξομολογούντων.* Latine: Rex confitentium. *Aug.* videtur velle, quod tantum finis tituli scriptus fuerit tribus linguis. Et nota, quod sicut dicit *Chrys.* Magnum bonum dispensatur ex hoc titulo. Fideles enim, qui tunc fuerunt, non ausi sunt rapere lignum propter timorem Judæorum: & quia aliis intenti sunt, sc. prædicationi gentium, unde & suffossum est lignum Crucis cum lignis aliorum latronum. Debebat autem postmodum Crux inquiri: ut ergo inter alias cruces Crux Domini cognosceretur, dispensatione Dei factum est, ut intitularetur. Unde duplex signum dicit hic *Chrys.* Unum sc. quia media fuit, quod Evangelista non prætermisit. Aliud, quia intitulata. Aliis autem signis, & miraculis probata est, sicut habetur in legenda de Crucis inventione. Sed hæc duo tangit hic *Chrys.* *f* Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum:] *Gloss.* Qui prius dixerant. Non habemus Regem nisi Cæsarem. *g* Noli scribere, Rex Judæorum,] ne nobis objiciatur in culpam, & ignominiam. *h* Sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum,] ut ei ascribatur hoc in petulantiam, & excellentiam. *Chrys.* Non solum viventi, sed & crucifixo invidebant. Et nimirum, quid vos hic titulus lædebat? Si enim mortalis erat, & imbecillis, & extingui debebat, quid litteras formidatis, dicentes: quoniam Rex est Judæorum. Sed volebant, ut petulantiæ, & extullentiæ ostenderetur crimen esse. Sed non consensit Pilatus, imo in priori mente stetit. Unde sequitur. *i* Respondit Pilatus, &c.] q. d. non mutabo, vel immutabiliter scripsi. Sicut dicit *Aug.* Illud occulta vox quædam Dei Pilato intus, quodam clamore silentio personavit, quod multo ante in psalmorum litteris prophetatum est. Ne corrumpas tituli inscriptionem. *Psal.* enim 56. 57. & 58. habent pro hoc titulo: Ne corrumpas tituli inscriptionem. *Aug.* Quid loquimini insani [Quia ipse dixit, &c.] Quid fieri contradicitis, quod mutare nullo modo potestis? Numquid enim propterea non erit verum: quia Jesus ait: Rex sum Judæorum? Si corrumpi non potest, quod Pilatus scripsit; corrumpi potest, quod veritas dixit? Sed quæritur, quare Dominus voluit, quod scriberetur, Rex Judæorum tantum, numquid enim & Gentium Rex est? Et solvitur, quod Pilatus hoc scripsit specialiter in confusione Judæorum, *Aug.* autem dicit, quia quod missus est specialiter ad oves domus Israel regendas, & oleaster factus est particeps pinguedinis oleæ, non olea particeps amaritudinis oleastri, ideo specialiter dicitur Rex Judæorum, & ut significet, quod veri confitentes sunt de regno, & quod omnes Gentes fuerint Judæi, & filii Abrahæ per fidem. Non enim filii carnis, sed filii promissionis æstimantur in semine. Quod enim Judæorum, & Gentium sit Rex, patet per illud *Joan.* 10. alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, &c. Et in *Psal.* Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion, &c. 2. Et post subditur: Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. *Aug.* Subdit autem Evangelista ea, quæ gesta sunt juxta Crucem, cum crucifixus esset, dicens: *k* Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus,] sicut faciunt, qui latrones, & damnatos suspendunt. Unde patet, quod milites tunc erant bedelli.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Rom. 9.

l Et fecerunt quatuor partes,] i. diviserunt in quatuor partes. *m* Unicuique militi partem,] *August.* Hinc apparet quatuor milites fuisse, qui crucifixerunt eum.

n Et tunicam,] acceperunt, sc. similiter, sed non similiter diviserunt, sed sortem miserunt. *o* Erat autem tunica inconsutilis] Hæc fuit causa, quare sortem miserunt, non diviserunt [Inconsutilis] i. non acu consuta, sed reticulato opere facta, & ideo scindi non poterat. Vel [Inconsutilis,] i. non erat consuibilis, quia non erat ad modum aliorum pannorum texta, sed reticulata.

p Desuper contexta per totum,] i. per totam partem superiorem. Habebat enim pannum aliquem ex transverso super humeros positum ad modum corrigiæ in pelliciis. Ita exponunt quidam. Vel melius dicitur [Inconsutilis,] quia non habebat plures suturas, sicut in aliis vestibus, ut melius aptentur, fiunt plures suturæ. Erat enim de duabus partibus, vel peciis panni tantum desuper erat contextum illud indumentum, sive consutum, sicut sunt scapularia nostra, sed forte majus erat in longitudine, & latitudine. Et hoc videtur velle *Chrys.* Dicit enim sic, quod vestis Domini dicitur contexta desuper non inaniter additum est; sed quidam quidem ajunt allegoriam per hoc ostendi, quoniam sc. non solum homo erat, qui crucifixus est, sed & desuper Divinitatem habebat quasi humanitati contextam, & unitam, quidam ipsam speciem tunicæ ad litteram per hoc volunt designari, quia in Palæstina duos pannos committentes ita subtexerunt indumenta. Et hoc ostendit Joannes, sc. quoniam talis erat tunica Christi, per hoc, quod dicit eam desuper contextam. Hoc autem mihi videtur dicere insinuans utilitatem vestimentorum ejus, & quoniam sicut in omnibus aliis, ita & in stola partium dedit † schema, idest paritatis, & utilitatis formam, & exemplum. Mysterium hujus tunicæ patet in *Gloss.* Sequitur.

al. † stemma

a Diserunt

a Dixerunt ergo, &c.] quia scissione nimis deterioraretur, & dirumperetur. *b* Sed sortiamur, &c.] *Chrys.* Vide ubique per ea, quæ malignabantur prophetias completas. Etenim hoc ante fuerat prophetatum de ipso. Et nimirum tres erant crucifixi, sed prophetiæ in ipso complebantur. Quare enim non in aliis hoc fecerunt, sed in hoc solo? Ut ostendatur, quis sit ipse; tu autem attende Prophetæ. Dicit enim, quod sunt partiti, & quod non sunt partiti. Et hoc est, quod seq. *c* Ut Scriptura impleretur, dicens: partiti sunt,] non sortiti. *d* Vestimenta mea sibi] quod intelligitur de aliis a tunica. *e* Et in vestem meam,] sc. tunicam inconsutilem, [miserunt sortem.] Unde seq.

Psal. 21.

al. † hoc.

Dixerunt *a* ergo adinvicem: Non scindamus eam, sed *b* sortiamur de illa cujus sit. Ut *c* Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt *d* vestimenta mea sibi, & *e* in vestem meam miserunt sortem. Et *f* milites quidem † hæc fecerunt. *g* Stabant autem juxta Crucem Jesu Mater ejus, & *h* soror matris ejus *i* Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Cum *k* vidisset ergo Jesus *l* Matrem, *m* & discipulum stantem, quem diligebat, dicit *n* Matri suæ: mulier, ecce filius tuus: *o* Deinde dicit Discipulo: ecce mater tua. Et *p* ex illa hora *q* accepit eam Discipulus in † sua. *r* Postea sciens Jesus, *s* quia † omnia consummata sunt, *t* ut consummaretur Scriptura, dicit: *u* sitio: *x* Vas autem positum erat aceto plenum, *y* Illi ergo *z* spongiam plenam aceto *a* Hyssopo circumponentes *b* obtulerunt ori ejus. Cum *c* ergo accepisset Jesus acetum, dixit: *d* Consummatum est:

al. † sua.

al † fam.

f Et milites quidem hæc fecerunt] sicut fuerat prophetatum, licet nescirent. Post crucifixionem, & vestimentorum divisionem factum est, quod seq. *g* Stabant autem juxta Crucem Jesu mater ejus,] quæ semper stetit, quia verius ceteris, quæ in se facta fuerant, agnovit. *h* Et soror, &c.] hæc est mater Jacobi, quam determinat a patre, subdens: *i* Maria Cleophæ,] filia scilic. *Chrys.* Mulieres tunc Cruci assistebant, & imbecillius genus virilius tunc apparuit. [Et Maria Magdalenæ.] *k* Cum vidisset ergo Jesus Matrem, &c.] Vel sic continua secundum *Chrys.* Milites quidem hoc faciebant. Ipse vero dum crucifigeretur, Matrem Discipulo commendat. Et hoc [cum vidisset] oculo carnis, & intuitu pietatis.

l Matrem] quam filialiter diligebat. *m* Et Discipulum stantem, quem diligebat,] *Glos.* Præ ceteris familiarius. Vel [Quem diligebat] more suo se occultat humiliter sapiens, si enim vellet gloriam, causam utique adjecisset tanti amoris. Etenim credenda est magna quædam esse, & mirabilis. *n* Dicit Matri suæ, &c.] q.d. confide in eo, ut in filio, ipsum tibi pro me procuratorem, & tutorem dimitto, in quo consolatur Matrem, & honorat ipsum Joannem, quia Dilecto Dilectam, Virgini Virginem commendavit. *Chrys.* Per hoc erudit nos usque ad ultimam respirationem, omnem habere diligentiam eorum, qui nos genuerunt. Item *Chrys.* [Vide filius tuus.] Pape! de honore, quanto Discipulum honoravit honore. Quia enim ipse abibat, de reliquis Matrem Discipulo tradidit, seu Matrem existentem in dolore, & procurationem quærere, decenter eam committit ei, qui diligebatur. Et huic ait: Vide mater tua: Hoc autem dicebat copulans eos in amorem. *o* Deinde dicit Discipulo, &c.] q. d. serva eam, & procura, ut matrem, & assiste. *Chrys.* Quare alia non loquitur Discipulo, neque consolatur eum de morte sua lugentem? Resp. Non tempus erat tunc hujusmodi verborum, scil. consolationis. Præterea hoc fuit ei magna consolatio. Non enim modicum erat honorari cum honore tali, i. cum matre affectionis accipere mercedem. *p* Et ex illa hora, &c.] quasi suam habens matrem. *Int.* [in suam matrem.] *Chrys.* In propriam, vel in sua quasi potestate, & procuratione, & custodia, vel communione rerum suarum, tamen creditur nihil habuisse proprium; sed cum esset B. Virgo cum Apostolis, specialem curam ejus habebat. De hoc dicit *August.* super illum locum. Quid est in sua? Nonne Joannes de illis erat, qui dixerant: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, &c. *Matt.* 19. Et *Act.* 4. Nullus aliquid suum dicebat: An forte quia ibidem dicitur: Distribuebatur unicuique, sicut cuique opus erat, intelligendum est distributum sic fuisse Discipulo, quod opus erat, ut illic etiam B. Mariæ tanquam matris ejus portio poneretur? Magisque sic debemus accipere. *q* Accepit eam in suam] ut ad ejus curam, quicquid esset ei necessarium, pertineret. Suscepit ergo eam in sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat; sed officia, quæ propria dispensatione curabat exequenda. Sed hic quærit *Chrys.* quare aliis mulieribus, quæ astabant, nihil dixit? Resp. Docens nos plus aliquid præbere matribus. Sicut enim adversantes genitores circa spiritualia neque nosse oportet; ita quando nihil impediunt, omnia decet eis præbere ante alios: quia genuerunt, quia decem millia pro nobis sustinuerunt versuta, i. mala. Ita etiam, & Marcionis hæretici obstruit inverecundiam. Si enim genitus non est secundum carnem, neque matrem habuit, cur tantam circa eam solam fecit providentiam? *Aug.* Exemplo suo nos instruit, ut a piis filiis impendatur cura parentibus, tanquam lignum illud, in quo fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit Magistri docentis. Et qua doctrina didicit Paulus, quod dicit 1. *Tim.* 5. Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negat & est infideli deterior. *r* Postea sciens Jesus,] quia omnia disponit, quæ per nescientes agit.

F

Matt. 27.
Marc. 15.
Luc. 23.

s Quia jam omnia, &c.] quæ prædicta erant de eo. Præterit scil. quod sequitur. *Aug.* [Omnia,] quæ oportebat fieri, antequam acciperet acetum, & traderet spiritum. *Chrys.* Omnia consummata, vel completa, scilic. quoniam nihil deficit dispensationi. Vel [omnia] tormenta, quæ ad ejus Passionem pertinebant, quia omnia membra flagellata erant præter os, & linguam. *t* Ut consummaretur Scriptura,] & ejus similiter membrorum pœna. *u* Dicit sitio.] Hoc dicit, ut ostendant desiderium nostræ salutis. Item [Ut consummaretur Scriptura] quæ dicit: Et in siti mea potaverunt me aceto. In hoc autem, ut dicit *Chrys.* ostendit mortem hanc novam esse, sicut per omnia conatur ostendere. Ostenditur enim, cum dicitur: [Sciens, quia jam omnia consummata.] Item, [ut consummaretur, &c.] quod in potestate ejus erat mori: & quod non prius veniret mors, quam ipse volebat. Volebat autem quando omnia complesset: ideo dixit *Jo.* 10. Potestatem habeo ponendi animam meam. *x* Vas autem positum erat] ibi [aceto plenum.] *y* Illi ergo] milites, vel Judæi, secundum *Chr.* *z* Spongiam plenam aceto] quia primò spongiam infuderunt aceto. *a* Hyssopo circumponentes,] i. circumligantes arundini. *b* Obtulerunt ori ejus] per arundinem. *Aug.* In arundine factum est, ut in spongia talis potus ad Crucis sublimia levaretur, ut alius dicit Evangelista. *Matt.* 27. Fuerunt, qui dicerent, crucifixos citius mori, si acetum biberent cum felle: & ideo milites secum portasse, ut citius possent liberari a custodia, si citius morerentur, quos crucifixerant. Et hoc videtur insinuare *Chr.* qui dicit: Spongiam deferentes aceti, ita eum potabant, sicut condemnatis solet fieri: ita acetum offerentes, quia & Hyssopus propterea appositus erat. Potuit esse, ut alii dicunt, quod vile vinum secum tulerant ad bibendum, & ex calore quasi acetum factum est. Unde ad notandum ejus acredinem, alius Evangelista dicit vinum myrrhatum. *Marc.* 15. Alius cum felle mistum. *Matt.* 27. Beda dicit in *Gl.* quadam, quæ est *sup. Marc.* 15. Potuit esse, ut & felle, & myrrha amarissimum redderent vinum. *c* Cum ergo accepisset Jesus acetum,] i. cum gustasset. Non enim accepit bibendo, ut dicit *Marc.* sed accepit gustando, ut dicit hic: Et *Matt.* 27. Cum gustasset, noluit bibere. *d* Dixit, consummatum est,] in quo ostenditur ejus potestas, & quod voluntarie moritur, qui sic moriens loquitur: [consummatum est,] quicquid scil. fieri oportebat, antequam moreretur. Vel [consummatum est,] quod prophetia prædixerat in *Ps.* 68. Dederunt in escam meam fel, &c. vel [consummatum est] peccatum, sive humanæ corruptionis vitium, i. consumptio. Vel: [Consummatum est,] ut ultra non procedat. *Isa.* 53. Vere languores nostros ipse tulit. Vel: [Consummatum est,] tormentum, quia modo in omnibus membris erat tortus. *Ps.* 68. Super dolorem vulnerum meorum addiderunt, acetum scil. Vel: [Consummatum est,] Testamentum, quia sicut dicitur *Hebr.* 9. Testamentum in mortuis confirmatum est, &c. Vel: [Consummatum est,] quia liber Scripturæ modo primo miniatus est sanguine Christi. Non enim dicitur liber perfectus, donec rubricatus est, & miniatus. *Hebr.* 9. Ipsum librum, & populum aspersit sanguine, dicens: Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit, &c.

Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.

a & inclinato capite b tradidit Spiritum. c Judæi ergo, quoniam Parasceve erat, ut non d remanerent in Cruce corpora e Sabbato: f Erat enim magnus dies ille Sabbati, g rogaverunt Pilatum, ut frangerentur h eorum crura, i & tollerentur: k venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad l Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lancea latus ejus aperuit, m & continuo exivit sanguis, & aqua: Et n qui vidit, testimonium perhibuit, o & verum est ejus testimonium. Et p ille scit, quia vera dicit: ut q & vos credatis. r Facta sunt enim hæc, s ut Scriptura impleretur: Os t non comminueris ex eo. Et u iterum alia Scriptura dicit: x Videbunt, in quem

a Et inclinato, &c.] quia jam nihil restabat, quod ante mortem fieri oporteret. Et nota, quod dicit: [Tradidit Spiritum,] i. animam ipsemet deposuit. *Chrys.* i. seipsum exinanivit, non Angelis tradidit. In quo illud ostendit *sup.* 10. Potestatem habeo ponendi, &c. [Inclinato capite,] non enim erat assiatum. b Tradidit Spiritum] i. emisit. Vel [tradidit,] i. Patri commendando emisit. Sicut dicitur *Luc.* 23. Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. Et nota, quod sicut dicit *Chr.* nos prius expiramus, & postea caput decidit, sed Christus primo inclinavit caput sua voluntate, post expiravit ostendens, quoniam omnium erat Dominus, quæ fiebant. In hoc autem moraliter instruimur ad humilem obedientiam in adversis. Ideo dicitur: [Inclinato capite,] q.d. inclino caput, quia propter obedientiam morior. *Phil.* 2. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, &c. *Hebr.* 5. Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. Sicut dicit *Bern.* Didicit in corpore ea his, quæ passus est in capite. *Isa.* 50. Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, &c. Sic ergo nos debemus inclinato capite ad obedientiam promptam emittere Spiritum, idest, voluntatem propriam, vel seosum proprium.

Item. [Inclinato capite] ad crucifixores, ad peccatores, ut ostendat eis paratam indulgentiam. Ideo dixit, ut dicitur *Luc.* 23. Pater, ignosce illis: quia nesciunt, quid faciunt. *Isa.* 53. Pro transgressoribus rogavit, ut non perirent.

Item. [Inclinato capite,] ut ostendat, quod porrectas aures habet, & inclinatas ad audiendum preces humilium. Unde *Ps.* 85. Inclina, Deus, aurem tuam mihi, & exaudi me: quoniam inops, & pauper sum ego.

Item. [Inclinato capite,] ex parte matris suæ, q.d. per ipsam veniam venite, ipsa est oraculum misericordiæ. *Bern.* Nihil boni nos habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret.

Item, [Inclinato capite,] quasi supponens humerum ad portandum nos, & onera nostra, ac si dicat, caput inclino, ut videatis me paratum ad onera vestra portanda & ponatis ea super me. *Osee* 11. Ego quasi nutricius Ephraim in humeris meis portabam eos. Sequitur: c Judæi ergo, quoniam Parasceve erat,] i. feria sexta, in qua præparabantur necessaria Sabbato. d Ut non remanerent in cruce corpora,] i. cadavera eorum. e Sabbato] proximo, ne defœdaretur festum. f Erat enim magnus dies ille Sabbati,] & quia Sabbatum, & quia dies Azymorum. Quandocumque enim in Sabbato concurrebat aliud festum, dicebatur magnus dies Sabbati, præcipue cum, & ipsum Sabbatum per se solemnius esset omni alio festo, & strictius observaretur. In omni enim alio festo parabantur cibaria, sed non in Sabbato. g Rogaverunt Pilatum, ut frangerentur] ejus præcepto. h Eorum crura] ut morerentur cito. i Et] mortui, [tollerentur] de ligno, ne pendentes usque in crastinum, vel usque ad vesperum magnum diem sui diuturni cruciatus horrore fœdarent. Et præcipue præceptum erat. *Deut.* 21. Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, *Chrys.* Qui camelum transglutiebant, & culicem transcolabant, audentes interficere innocentem, de die festo diligenter ratiocinantur. Et vide, quam validum quid est veritas, per ea, quæ illi student adversus Christum, per hæc prophetia impletur, quia aliorum crura fracta sunt; Christi vero non adhuc, sicut fuerat prophetatum. Unde sequitur:

Matth. 27.

k Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo,] quia ambo adhuc vivebant.

l Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed] tamen. [unus militum lancea latus ejus,] dexterum [aperuit.] *Chrys.* Quia mortuus erat, ejus crura non fregerunt; sed tamen placere volentes Judæis, aperuerunt ejus costam lancea etiam mortuo corpori conviciantes: O de nequam, & scelerata mente. Sed ne tumultueris, neque tristeris, Dilecte: quæ enim illi a perniciosa agebant mente: hæc pro veritate decertabant. Etenim ex hoc prophetia implebatur, dicens: *Zach.* 12. Videbunt, in quem confixerunt. Et non solum hoc; sed & his qui decredituri erant, ut Thomæ, & similibus fiebat fidei demonstratio. Præterea etiam mysterium ineffabile Sacramentorum perficiebatur. Seq.

De consecr. dist. 2. cap. non oportet, & c. iteratura, & c. in calice. De celeb. Missa cap. cum Marthae, & cap. in quadam.

G

Exod. 12. Num. 9.

m Et continuo exivit sanguis, & aqua.] Non enim inaniter hi provenerunt fontes; sed quia ea his utrisque est constituta Ecclesia, sicut sciunt, qui Ecclesiæ mysteria noverunt Christiani. Per aquam quidem regenerati; per sanguinem vero, & carnem nutriti: principium illic suscipiunt mysteria, ut cum accesseris horribili calici, ut ab ipsa bibens constanter accedas. Et nota, quod in hoc ostendit, quod purus homo non erat per sanguinis, & aquæ emanationem post mortem. Fuit enim miraculum & de sanguine, & de aqua, maxime quia fuit vera aqua, & non humor aquosus. Unde ne hoc incredibile videatur, Evangelista testatur, dicens:

n Et qui vidit, testimonium perhibuit,] q. d. non ab aliis audivi, sed ipse præsens vidi.

o Et verum est ejus testimonium,] & pro vero habendum quia de re scita.

p Et ille] qui vidit, [scit, quia vera dicit:] Et ad quid dicit? q Ut & vos credatis.] Non dicit sciatis, scit ille, qui vidit, credit ille, qui non vidit. *Chrys.* Non tam propter magnitudinem miraculi hoc ita enarrat Evangelista; sed ut exprimat magnitudinem convicii, & ut præcludat ora hæreticorum, & futura præsciret mysteria, & eum, qui jacebat, in eis ostenderet thesaurum, & ut ostendat completionem Prophetarum. Unde subdit: r Facta sunt enim hæc] prædicta, de quibus testimonium perhibeo.

s Ut Scriptura impleretur] quæ dicit *Exod.* 12.

t Os non comminueris ex eo,] i. Agno. Hoc autem pertinet ad hoc, quod dixit: [Non fregerunt crura ejus.] *Chrys.* De eo, quod apud Judæos Agno hoc dictum est, sed propter veritatem typos præcurrit, propterea & Moysen in medium duxit;

Num. 9.

Quia enim ubique se in medium ducens non videbatur dignus fide, inducit Moysen, dicens; quoniam non hoc inaniter factum est; sed ab antiquo præscriptum, & præfiguratum: & hoc facit, ut credatur. Unde [ut & vos credatis, &c.] & per meum testimonium, & per convenientiam typi ad veritatem. Sed nota, sicut dicit *Chrysostom.* Quantum facit studium, ut credatur, quod apparet exprobabilissimum esse, & verecundum. Etenim in mortuum conviciari corpus militem multo deterius fuit, quam crucifigi, sed tamen & hæc, ait, dixi, & cum multo studio testimonium perhibui, ut credatis. Nullus igitur decredat, neque verecundus inspiciat, quæ nostra: quæ enim maxime exprobabilissima videntur esse: hæc sunt fundamenta bonorum nostrorum. Et nota, quod *Exod.* 12. habetur. Nec os ejus confringetis. Quæritur autem contra Judæos, quare Dominus hoc eis præceperit? Dicitur enim *ibid.* Sic autem comedetis illum, renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter, ad innuendum, quod erat in procinctu itineris. Sed constat, quod citius decoquitur quando confracta sunt ossa; ergo nisi intelligeretur ibi aliquid mysticum, potius debuit dicere, & præcipere, ut confringerent ossa. u Et iterum alia Scriptura] prophetica dicit *Zachar.* 12.

Exod. 12.

x Videbunt, in quem transfixerunt.] Hoc enim pertinet ad hoc, quod dixit: [lancea latus ejus aperuit. Videbunt,] quia poterant videre foramina lateris ejus.

Vel, [videbunt] in judicio, quia in ea carne est venturus, in qua crucifixus. *Act.* 1. Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, &c. *Matth.* 24.

Videbunt

Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœlis, &c. Sequitur: *a* Post hæc autem] idest, post Christi expirationem, & lateris perforationem, audito, quod jam expirasset. *b* Rogavit Pilatum Joseph] & notificat istum nomine primo, & post a loco.

c Ab Arimathia,] quæ est Ramatha, civitas Helcanæ patris Samuelis. 1. *Reg.* 1. Et a fide, vel disciplina. *d* Eo quod esset Discipulus Jesu. *Chrys.* Non unus de Duodecim sed de Septuaginta.

e Occultus autem propter metum Judæorum;] Hoc est, quod dicitur *sup.* 12. De Principibus multi credebant in eum; sed propter Judæos non confitebantur. Et quid rogavit? *f* Ut tolleret corpus Jesu,] idest, ut tolli permitteret Pilatus & sepeliri. Vel, [Tolleret,] ipse Joseph, idest, tollere liceret.

Matth. 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Sup.* 3. & 7.

transfixerunt. *a* Post hæc autem *b* rogavit Pilatum Joseph *c* Ab Arimathia, *d* eo quod esset Discipulus Jesu, *e* occultus autem propter metum Judæorum; ut *f* tolleret corpus Jesu. Et *g* permisit Pilatus. *h* Venit ergo, *i* & tulit corpus Jesu. Venit autem & Nicodemus, *m* qui venerat ad Jesum nocte primum, *n* ferens misturam Myrrhæ, & Aloes, *o* quasi libras centum. *p* Acceperunt ergo corpus Jesu, *q* & ligaverunt eum linteis cum aromatibus, *r* sicut mos est Judæis sepelire. *f* Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum *t* novum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi *u* ergo propter Parasceven Judæorum, *x* quia juxta erat monumentum, *y* posuerunt Jesum.

g Et permisit Pilatus.] idest, concessit, ut tolleret. Et sicut dicit *Matth.* 27. jussit reddi corpus. Sed quomodo concessit? Quia Christo, ut innocenti condolebat: Judæis autem indignabatur: & quia dives erat Joseph, ut dicit *Matt.* 1. Et erat nobilis Decurio, ut dicit *Marc.* 15.

h Venit ergo] ad crucem accepta licentia a Pilato, quia notus erat ei tanquam dives, & nobilis, & Decurio, idest, unus de ordine curiæ. Vel sicut dicit *Beda sup. Marc.* officium curiæ administrans.

i Et tulit] idest, asportavit de cruce ad monumentum (corpus Jesu.) Sed quia non solus fuit in hoc; sed ex socio Principe Pharisæorum audacior fuit, ideo subditur: *l* Venit autem & Nicodemus,] cum eo ad Crucem, non ad Pilatum, quia non ita erat forte. Et determinat de isto, quis sit, Princeps, scil. Judæorum.

m Qui venerat ad Jesum nocte primum,] *Gl.* Non quia nocte solum venerit, sed quia nocte primum venit, *sup.* 3. In quo ostenditur, jam audacior factus in Discipulo, qui modo accedit ad eum sepeliendum. Et ad quid venerit, subdit, ut inungerent, & sepelirent. Et hoc est, quod dicitur. *n* Ferens misturam Myrrhæ, & Aloes,] idest, unguentum confectum ex Myrrha, & Aloe, per quod patet, quod dives erat, sicut Joseph, & devotus, a pretiositate, scil. unguenti & sepulturæ. Determinata autem materia, vel pretiositate materiæ, subdit de quantitate.

o Quasi libras centum,] idest, circiter libras centum parum plus, vel minus. Illa autem amaritudine sua vermes arceat a corporibus mortuorum. *Chrys.* Multum pretiosam faciunt funerationem: adhuc enim ut hominem nudum eum reputabant, & ferunt aromata, quæ maxime apta sunt corpus a corruptione servare, eo quod non erant imaginati ejus Resurrectionem, multam tamen dilectionem demonstrabant. Unde adhuc sequitur:

p Acceperunt, &c.] de Cruce deponentes.

q Et ligaverunt ipsum] corpus, linteis cum aromatibus, quia & ipsa lintea forte inunxerant, non solum corpus. *Marc.* 15. Dicitur, quod Joseph mercatus Syndonem deponens eum involvit cum in Syndone. Et potest esse utrumque, quia involutum Syndone, quam emerat Joseph, ligaverunt eum linteis aliis, quæ creditur attulisse Nicodemus. *r* Sicut mos est Judæis sepelire. *Chr.* quasi dicat, non ut condemnatum sepelierunt; sed sicut consuetudo est Judæis valde honorifice ut magnum quemdam & mirabilem *Aug.* Non frustra, ait, [sicut mos est Judæis sepelire,] sed admonet in hujusmodi officiis morem cujusque Gentis servare. Determinata autem unctione, & involutione, determinat de loco sepulchri.

f Erat autem in loco, ubi crucifixus est] Christus, hortus, (& in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat.) *Aug.* Sicut in utero Mariæ nemo ante eum, nemo post illum conceptus est: ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est. *Chrysostomus.* *t* Novum in quo, &c.] Ne alterius Resurrectio facta putetur, vel dicatur.

u Ibi ergo, &c.] idest, propter vicinitatem Sabbati, ne vesperasceret. *x* Quia juxta, &c.] idest, prope locum Passionis, vel prope civitatem.

y Posuerunt Jesum.] *Chrysost.* Quia breve erat tempus: non enim erat hora, cum moreretur Christus: Deinde ad Pilatum accedentibus, & corpus deponentibus decens est vesperam accedere, in quo fas non erat operari: & ideo ponunt in proximum monumentum.

Item ut Discipuli facile possent accedere, & inspectores esse eorum, quæ futura erant in Resurrectione, & non solum ipsos; sed etiam inimicos, qui aderant tunc, testes sepulturæ fore. Hac enim de causa dispensatum est a Deo, ut & lapis superponeretur & milites custodirent in testimonium sepulturæ. Hoc enim volebat, cum dixit, non minus quam Resurrectionem: quia & sine hoc Resurrectio nõ creditur.

▲ Item ideo prope sepultus est, ut falsus ostenderetur, qui erat de furto, sermo. *Matth. ult.* Quia enim prope erat locus, non poterat de facili accedere fur, & maxime militibus custodientibus. Sed quæritur hic, quomodo Nicodemus, & Joseph soli sepelierunt Jesum, & nullus alius ex duodecim, neque Petrus, neque Joannes: Si enim timebant, & illi Judæos, timebant & isti. Nam & de Joseph dicitur hic, quod erat occultus Discipulus propter metum Judæorum, & quod Nicodemus formidans esset, habetur *supra* 4. accessit tamen: Joannes autem, qui præsens erat & videns eum expirasse, nihil tale ait: quæ igitur causa hujus est? Solut. Mihi videtur, quod isti divites erant, & insignes, quod patet per funerationem, & per notitiam, & gratiam Pilati, quam habebat saltem Joseph. Unde dicitur *Marc.* 13. quod audacter introivit ad Pilatum: Pilatum enim non timuit; sed Judæos timuerunt; sed tamen hoc ausi sunt, & quia nobiles, & quia fortassis æstimaverunt extinctum esse furorem Judæorum in ejus morte. Legitur autem in Evangelio Nazaræorum, quod tunc fuit captus Joseph, & positus in carcerem: unde primo apparuit ei Dominus post Resurrectionem in carcere, Nicodemus vero fugit in villam Gamalielis.

Matth. 28. *Marc.* 16. *Luca* 24.

C A P. XX.

UNA *z* autem Sabbati *a* Maria Magdalenæ *b* venit mane, cum adhuc tenebræ essent, *c* ad monumentum, *d* & vidit lapidem † sublatum

al. † revolutum.

EXPOSITIO CAP. XX.

UNA autem Sabbati, &c.] In fine præcedentis capitis actum est de sepultura Dominici corporis, prætermittens interea, quæ facta sunt inter sepulturam, & mane Resurrectionis: agit nunc de illis, quæ facta sunt in illo mane.

z Una Sabbati] idest, prima die post Sabbatum, scilic. Dominica. Unde *Matth. ult.* Prima Sabbati.

a Maria Magdalenæ,] quæ ardentior ceteris erat.

b Venit mane, cum adhuc tenebræ essent,] idest, summo diluculo, statim, scil. cum tempus operandi rediisset.

c Ad monumentum,] Dominicum. *Chrys.* Quæ multum amavit, postquam transiit Sabbatum, quiescere non sustinuit; sed venit diluculo, a loco sepulchri volens aliquam invenire mitigationem.

d Et vidit lapidem revolutum,] vel [sublatum a monumento.] Jam enim Dominus resurrexerat, sed in jacentibus & lapide, & signaculis resurrexerat.

Sed quia oportebat alios certificari de ejus Resurrectione: ideo & aperitur monumentum, quod factum est ab Angelo, qui revolvit lapidem ab ostio monumenti.

De hora autem suæ Resurrectionis diversæ sunt opiniones inter Sanctos. Quia dicit *Hieron.* quod surrexit in vespere Sabbati, ut dicit. *Matth.* Et ex hoc fuit institutum in primitiva Ecclesia, quod vigilarent usque ad mediam noctem in vigilia Paschæ, & tunc cantaretur Missa; sed propter fragilitatem humanam cantatur modo in vigilia Paschæ circa nonam de Resurrectione. *Ambros.* dicit, quod non vesperascente die; sed noctis vespere Dominus surrexit. Græcus enim sermo pro vespere habet sero: sic ergo Dominus non vespertino tempore; sed sero, idest, profunda nocte surrexit. Unde

a & mulieres ad monumentum potuerunt accedere custodibus quiescentibus: & Principes Sacerdotum dicerunt, quia Discipuli ejus nocte venerunt. Et pro hac opinione facit illud. *Jud.* 16. Quod Samson in typo Resurrectionis media nocte surgens tulit portas Gazæ. *Augustinus* autem dicit Dominum diluculo surrexisse, cui contenit auctoritas illa super *Matth.* quæ dicit, Dominus quadraginta horis fuisse mortuum, & totidem diebus ante Ascensionem fuisse moratum in terra: quia quatuor horis vespertinis Parasceves, & triginta sex duarum noctium, & unius diei scil. Sabbati. Huic opinioni Ecclesia assentire videtur, quæ matutinas laudes pro Domini Resurrectione celebrat. Et per Prophetam dicitur: Exurgam diluculo. Et *alibi*: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. De diversitate autem adventus mulierum ad monumentum, quæ videtur esse in Evangelistis, unde & Porphyrius irridet eos, & de apparitionibus, & numero Angelorum *Glos. Aug. sup. Matth.* plene definit. Ibi require.

al. † amabat.

B

Psalm. 56.
Psalm. 29.

tum a monumento. *a* Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum & ad alium Discipulum, quem † diligebat Jesus, & dicit eis: *b* Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus, ubi posuerunt eum. Exiit *c* ergo Petrus, & ille alius Discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo *d* simul, *e* & *f* ille alius Discipulus præcucurrit citius Petro, *g* & venit primus ad monumentum. Et *h* cum se inclinasset, vidit *i* posita linteamina, *k* non tamen introivit. *l* Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum. Et vidit *m* linteamina posita, & *n* sudarium, quod fuerat super caput ejus, *o* non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. *p* Tunc ergo introivit & ille Discipulus, qui venerat primus ad monumentum, *q* & vidit, & *r* credidit. *s* Nondum enim sciebant Scripturam, *t* quia oportuit eum a mortuis resurgere. *u* Abierunt ergo iterum Discipuli *x* ad semetipsos. *y* Maria autem stabat *z* ad monumentum foris *a* plorans.

sed simpliciter sicut corpus invenissent, sic asportassent. Propter hoc & prædixit Evangelista, quod cum mirrha sepultus est multa, quæ plumbo non minus conglutinat corpori linteamina, ut cum audieris, quoniam sudaria jacebant singulariter, non decipiaris ab his, qui dicunt eum furto sublatum: non enim ita insensatus esset, qui furatur, ut circa rem superfluam tantum consumeret studium. Cur enim sudaria dimitteret? qualiter autem milites latuisset hæc faciens? Etenim multum tempus oporteret consumere in separando, & sic tardantes manifesti facti essent custodibus. Cur autem & linteamina seorsum jacent, & sudarium seorsum involutum, & plicatum? Ut discas, quoniam non hoc factum est a latronibus, qui ea, qui ex festinatione relinquunt non plicant, neque cum diligentia reponunt. Sequitur.

al. † intimidus.

a Cucurrit ergo ad Simonem, &c.] *Aug.* Cucurrit nunciare Discipulis, aut ut secum quærerent, aut secum dolerent. *Chrys.* Videns lapidem elevatum non intravit, neque prospexit, sed ad Discipulos cucurrit, a multo amore, cum multa enim velocitate discere volebat, quid factum est de corpore. Hoc enim, & cursus ostendit, & verba, quæ sequuntur.

Hoc agebat ... [illegible] ... sublatum.

b Tulerunt Dominum de monumento, &c.] *Aug. in Græcis codicibus* additur, meum, propensiore scilicet charitatis & famulatus affectu. *Chrys.* Vide, qualiter, nondum de Resurrectione noverat aliquid manifestum, sed putabat corpus non resurrexisse, sed sublatum: & vide, qualiter Evangelista non privavit mulierem laudatione, neque verecundum putat ab ea didicisse, quæ prior etiam pernoctavit, ita ubique venditum clarificat modum.

c Exiit ergo Petrus, &c.] *Greg.* Illi præ ceteris cucurrerunt, qui præ ceteris amarunt, videlicet Petrus, & Joannes. Quomodo autem venerunt, regressus narrat Evangelista: Currebant autem duo simul.

e Et] pro sed.

f Ille alius Discipulus præcucurrit citius Petro] quia junior erat, & ad currendum aptior. Sed si præcucurrit, quomodo ergo simul? Respondemus.

d Simul] in principio cursus. Vel [simul,] idest, uterque cucurrit. Vel: [Simul,] idest, simili affectu, etsi non pari gressu.

g Et venit primus ad monumentum.] Mysterium hujus pater in *Gloss.*

h Et cum se inclinasset,] ut videret, quid erat in monumento.

i Vidit posita linteamina] ibi, & forte sic vidit, ut non discerneret linteamina a sudario, sed a longe album quid ibi percipit.

k Non tam introivit,] licet prior venisset, intrare non præsumpsit; sed Simonem expectavit.

l Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum] unde & diligentius ea vidit, & cognovit quæ a longe Joannes viderat. Unde seq.

m Et vidit linteamina posita,] quibus fuerat involutum corpus Dominicum.

n Et sudarium, quod fuerat super caput ejus] quo, scil. facies, & caput fuerant involuta, sicut modo dicitur sudarium pannus, qui ponitur super mortuum a capite usque ad pedes.

o Non cum linteaminibus] aliis [positum, sed separatim involutum in unum locum.] Hæc autem omnia erant Resurrectionis signum, scil. quod ibi remanserant linteamina, & distincte, & quæ cum diligentia essent separata. Si enim quidam corpus furati essent, non hoc fecissent, ut corpus denudarent, neque Sudarium levarent & involverent, & ponerent in unum locum seorsum;

p Tunc ergo, &c.] & vidit aperte, & distincte, quod prius viderat a longe, & indistincte. *Chrys.* Vide, quam intimidus est Evangelista: diligentiam enim investigationis Petro testatur: ipse enim præveniens Petrum, & videns linteamina jacentia nihil plus percunctatur: Petrus vero, qui fervidus erat, intrans monumentum omnia inspexit diligenter, & plus vidit: & tunc Joannes per considerationem Petri consolatus est: post illum enim intrans funebria vidit jacentia, & divisa, sicut & Petrus viderat. Et sicut dicit *Chrysostomus*. Tunc ambo per illa signa consolati sunt de Resurrectione. Et hoc, quod sequitur:

q Et vidit, &c.] resurrexisse, non sublatum furto, propter linteamina relicta, & separatim ordinata, quod non fecissent fures. Credidit, dico, tunc primo: [Nondum etiam sciebant, &c.] Quod autem seq.

u Abierunt ergo, &c.] expone, idest, ad sua hospitia credentes eum resurrexisse, & ideo non perstiterunt quærentes quasi sublatum, sed abierunt credentes; nondum tamen certi, sed stupefacti. *Aug.* aliter exponit.

q Et vidit] linteamina, & sepulchrum vacuum a corpore Dominico. *r* Et credidit,] non resurrexisse, sed sublatum esse, ut mulier dixerat. Et unde hoc:

s Nondum enim sciebant, &c.] hanc scilicet.

t Quia oportuit eum, &c.] Sed nonne eis prædixerat Dominus Resurrectionem. *Matth.* 20. Et die tertia resurget. Resp. Licet aperte a Domino audissent; tamen propter consuetudinem audiendi ab ipso parabolas, non intelligebant de morte, & Resurrectione: præterea etiam rudes erant. *u* Abierunt ergo] quasi desperati, eum crederent sublatum. *x* Ad semetipsos.] i. ad suos socios, vel ad locum, ubi habitabant. *y* Maria autem stabat] i. persistebat. *z* Ad monumentum foris] i. ad ostium, scil. monumenti, vel extra septa horti.

a Plorans] ejus mortem, & sublationem. Sed quid est, quod ista stetit, & alii recesserunt, & abierunt ad sua? Respondemus secundum *Aug.* Viris recedentibus, infirmiorem sexum fortior figebat affectus: & oculi, qui Dominum quæsierant, & non invenerant, lacrymis jam vacabant, amplius dolentes, quod fuerat ablatus de monumento, quam quod fuerat occisus in ligno: quoniam Magistri tanti, cujus vita eis subtracta fuerat, nec memoriam videbant. *Gloss.* vel nec memoria remanebat: & iste dolor ibi eam retinebat. *Aug.* Hujus mulieris mentem major vis amoris accenderat, quæ a monumento Domini Discipulis recedentibus non recedebat. *Chrys.* sic solvit. Hæc diutius stetit plorans: magis enim compassibile est quodammodo muliebre genus, & ad propitiationem aptius: Illi considerantes linteamina abierunt, credentes Resurrectionem, & stupefacti; hæc autem a sudariis non intellexit Resurrectionem: ideo plorans stetit. Illi quidem consolationem habuerunt in linteaminibus sic inventis: illa autem non hoc intelligens stetit, ut saltem aliquam mitigationem haberet in visione monumenti. Unde sequitur:

a Dum ergo fleret, *b* inclinavit se, & prospexit in monumentum. Et vidit *c* duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum erat corpus Jesu. *d* Dicunt ei illi: *e* Mulier, *f* quid ploras? Dicit eis: *g* quia tulerunt Dominum meum; & *h* nescio ubi †posuerunt eum. *i* Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, *k* & vidit Jesum stantem, & non sciebat, quia Jesus est. Dicit *l* ei Jesus: *m* Mulier, *n* quid ploras? *o* Quem quæris? *p* Illa existimans, quia hortulanus est, dicit *q* ei: Domine, si tu *r* sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit *s* ei Jesus: Maria. *t* Conversa illa dicit ei: Rabboni, *u* quod dicitur Magister.

a Dum ergo fleret,] quasi sublatum. *b* Inclinavit se, &c.] Sed quare hoc, cum jam sciret ibi non esse? Hoc enim nunciaverat Discipulis *sup. eod.* Tulerunt Dominum meum, &c. & propter hoc etiam plorabat, quia sublatum credebat. Resp. Arctabat eam dolor, & amor, sicut dicit *Aug.* quia nimis dolet, nec suis oculis, nec oculis † aliorum credendum putat; vel potius divino instinctu hoc factum est, ut scil. videret Angelos, prospexit enim, & vidit. Vel secundum *Greg.* fecit secundum consuetudinem humanam; quia licet non inveniatur res, ubi esse credebatur; tamen pluries ibi quæritur. Vel secundum *Chrys.* magnum videbatur ei ad mitigationem doloris stare ad monumentum, sed ut plus requiesceret, inclinat se volens videre interius locum, ubi corpus latuit. Unde & propter hoc tantum studium assidendi monumento mercedem non parvam accepit: quod enim non viderunt Discipuli, hoc vidit mulier prima. Unde sequitur:

al. † oro-cam.

D

al. † nescimus.

c Et vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.] Convenienter apparent in albis, qui nunciaturi erant gaudium resurrectionis. *Chrys.* Schema alacritate multa plenum erat, & gratia: quia enim non erat ita excelsa mens mulieris, ut a sudariis intelligeret Resurrectionem, sicut Petrus, fit ei aliquid plus, & videt Angelos in alacri schemate: ut ipsa interim respiret, & mitigetur a passione tristitiæ. Sed nihil tamen adhuc dicunt de Resurrectione; Sed primo cam per schema præclarum, & vocem compatibilem consolantur. Unde sequitur: *d* Dicunt ei illi: mulier, quid ploras?] lacrymabili interrogatione eam consolantes, & per hoc intrantes paulatim in sermonem de Resurrectione interrogando, & etiam assidendo juxta sepulchrum, ostendebant, quod sciverant, quod factum erat. Propterea neque simul sedent, sed distantes a se invicem. Quia enim mulier non ausa esset eos interrogare: ideo & præclaro schemate, & gratioso & pia interrogatione, & modo sessionis ducunt eam in allocutionem. Sedebant enim, & non stabant, ut notaretur, quod aliquid sciebant de Christo, qui residebant. Item sedebant separati, unus ad pedes, alius ad caput: ut notaretur, quod quasi compatientes astabant, non insidiantes.

Item ex pia interrogatione dant fiduciam respondendi. Dicunt enim.

e Mulier, quid] i. cur [ploras?] Quod exponitur secundum *Aug.* sic: Mulier, quæ nondum credit, adhuc mulier est, adhuc corpori sexus appellatione signatur.

f Quid ploras,] quasi noli plorare: prohibent lacrymas quodammodo nunciantes gaudium. At illa putans interrogare nescientes, prodit causam lacrymarum.

g Quia tulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum.] *Chrys.* tamen vult, quod credens eos aliquid scire de Domino suo, respondit. Ita *August.* Dominum vocat corpus Domini sui exanime, a toto partem significans, sicut ipsum Dei Filium Jesum Christum confitemur crucifixum, & sepultum, quamvis ejus tantum sepulta sit caro.

h Et nescimus,] nec ego, nec Discipuli, ut putabat, & forte ita erat. Tamen *Aug.* habet, [nescio.] *Chrys.* vero: [Non novi, ubi posuerunt eum.] *Aug.* Hæc erat major causa doloris, quia nesciebat, quo iret ad consolandum dolorem. Et nota, quod non nominat, sed dicit: Tulerunt Dominum meum. Et loquitur more amantium, qui sic loquuntur, ac si omnes sciant, & diligant illud, quod ipsi diligunt.

Item nota in hoc, quod dicit: [Et nescio, ubi posuerunt eum,] exprimit quod needum Resurrectionem novit, quæ sublationem, & positionem imaginatur, ut dicit *Chrys.*

i Hæc cum dixisset,] vel hæc [dicens, conversa est retrorsum.] *Chrys.* Quæ consequentia est ad illos loquens, nec quicquam audiens ab eis, adhuc convertitur retrorsum. Respondemus: Mihi videtur, quod hæc ea dicente, silenter apparens Christus post eam, obstupefecit Angelos, & illi considerantes dominatorem, & schemate, & inspectione, & motu assurrectionis, insinuaverunt, quoniam Dominum viderunt: & hoc mulierem vertit, sive verti fecit retrorsum ad intuendum. Sed Angelis quidem ita apparuit, ut eum noscerent ex venerabili schemate; mulieri vero non ita, ut non eam ex prima stupefaceret visione, sed in viliori, & communi schemate aliorum hominum, unde & putat hortulanum. Et hoc est, quod dicitur. *k* Et vidit Jesum stantem, &c.] sed hortulanus. *l* Dicit ei Jesus:] vel redarguens eam, ut dicit quædam *Int.* Vel interrogans causã doloris, ut augeatur desiderium. [Mulier, quid ploras?] Vel secundum *Chrys.* ideo interrogat, ut innuat se scire, quem & cur plorat, & quem quærat, & ut in responsionem eam inducat. Unde duo dicit: Quid ploras, quem quæris, q. d. ploras pro aliquo perdito, quem quæris? Hoc & mulier intelligens non nominando Jesum quærit, sed ut sciente eo, qui interrogabat, de quo interrogatur, ait: [Si tu sustulisti eum, dicito mihi, &c.] Vel secundum *Aug.* *m* Mulier] quasi adhuc fragilis. *n* Quid ploras?] Arguendo eam alloquitur, q. d. non lacrymas nudas, sed fidem exigo: bonæ lacrymæ si Jesum agnoscas. *o* Quem quæris?] non quod dubitet, quem requirat; sed illa, quem quærat, ignorat, non enim quærit Christum, sed quem putat raptum.

p Illa existimans, quia hortulanus est,] *Aug.* Non penitus fallo, quia in ejus mente fidem seminabat. *q* Dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, &c.] *Aug* Nemo calumnietur, quod hortulanum vocat Dominum, & Jesum Magistrum. *Inf. eod.* Hoc enim dicebat honorando hominem, a quo beneficium postulabat, nec si dicit eum Dominum, sicut illum, quem quærit sublatum. Tulerunt, inquit, Dominum meum; Jesum vero agnoscens vocat Magistrum: quia recolit eum, a quo discernere humana, & divina discebat. *r* Si tu sustulisti eum.] *Gl.* non dicit quem: quia hoc in animo gerere solet vis amoris, ut quem semper cogitat, nullum alium ignorare credat. *Chr.* quod ex interrogatione ejus conceperat, quod aliquid sciret de eo, ideo non nominat. Est est sensus. [Si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam,] vel levabo, i. si propter timorem Judæorum levasti eum hinc, dic mihi, & ego accipiam eum audacter. In quo ostenditur multa devotio, & conservatio dilectionis, etsi adhuc non habeat fidem Resurrectionis. Propterea & quod ei deerat, Dominos adjicit nominatione ejus, & voce sua in cognitionem sui eam inducens. Unde seq. *s* Dicit ei Jesus, Maria.] Postquam communi nomine, eam vocavit, cum dixit: Mulier, & non est agnitus: vocat ex nomine, ac si dicat, recognosce eum, a quo cognosceris. Et nota, quod sicut dicit *Chrys.* prius & visu, & voce occultaverat se mulieri, sicut & Judæis, quando volebat, præsens, & loquens se occultabat. Unde *sup.* 18. quando dixit: Quem quæritis; nec visum, nec vocem agnoverunt, donec voluit. Hic autem, quando dixit, Maria; voce, etsi non visu se ostendit, quasi tangens eam, & increpans, vel exprobrans, quod tam vilia de eo, qui vivebat, imaginabatur, scil. quod furto esset sublatus. *t* Conversa illa,] ad vocem, [dicit ei: Rabboni.] *Chrys.* non visus fuit, sed vocis recognitio. *u* Quod dicitur,] i. interpretatur, [Magister.] Verbum est Evangelistæ, verbum Hebræum exponentis per verbum Græcum, quia scripsit in Græco; sed translator Latinus posuit verbum Latinum, Magister. Sed quæritur, quare dicitur, [conversa,] cum ad eum loqueretur prius mulier, & ipse ad eam? Resp. secundum *Aug.* Prius corpore conversa, putavit, quod non erat, scil. hortulanum; nunc conversa corde, quod erat, agnovit, scil. Magistrum. Sed *Chrys.* solvit litteraliter sic. Mihi videtur, cum dixisset mulier, dic mihi, ubi posuisti eum, conversam eam ad Angelos, ut interrogantem quid stupefacti sunt, deinde Christum vocantem eam, convertisse ad seipsum ab illis, & per vocem manifestum seipsum fecisse. Si vero dixerit quis, unde manifestum est, quoniam Angeli stupefacti sunt, & propterea conversa est mulier? Et ipse dicat, unde manifestum

manifestum est, quod tetigerit eum, & prociderit. Sed sicut hoc manifestum est a dicendo, ne me tangas: ita & illud a dicendo, quoniam conversa est. Et sicut per hoc, quod dicitur: Noli me tangere, intelligimus, quod procidit, & voluit tangere Jesum; ita per hoc, quod dicit: conversa intelligimus, quod prius se verterat ad Angelos stupefactos.

Dicit *a* ei Jesus: *b* Noli me tangere: *c* Nondum enim ascendi ad Patrem meum. d Vade autem ad fratres meos, & dic eis: *e* Ascendo *f* ad Patrem meum, & g Patrem vestrum, *h* Deum meum, *i* & Deum vestrum, *k* Venit Maria Magdalenæ annuncians Discipulis; l quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. *m* Cum ergo sero esset die illo *n* una Sabbatorum, *o* & fores essent clausæ, *p* ubi *q* erant Discipuli congregati propter metum Judæorum, *r* venit Jesus *ſ* & stetit in medio, & dixit eis: *t* Pax vobis,

Unde sequitur.

a Dicit ei Jesus, &c.] *Gl.* hinc intelligitur, quod pedes ejus tangere voluit, Et subdit caussam prohibitionis.

c Nondum enim ascendi, &c.] Sed quæ causa est hæc? Ergo non erat tangibilis ante Ascensionem, sed post? Quia ridiculum est dicere, quod stans in terra non tangatur, & sedens in cœlo tangatur. Item, nonne Discipuli palpaverunt eum. *Luc. ult.* Palpate, & videte. Et Thomas intulit digitum in locum vulnerum, *inf. eod.* Sed & ipsæ mulieres accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, ut dicitur *Matt.* 28. Quid est, quod dicitur hic? Respondemus secundum *August.* Ut per tactum intelligatur fides: tactus enim maximam habet certitudinem, nec decipitur. Tangere ergo est credere. Est ergo sensus. *b* Noli me tangere] i. noli in me sic credere, quemadmodum adhuc sapis. Et quomodo? *(Luc. 24.)*

c Nondum enim ascendi, &c.] in corde tuo, i. nondum me æqualem Patri meo credidisti. Vel

b Noli me tangere,] i. non es in tali statu, ut possis tangere per certam fidei cognitionem: ideo repello te a tactu corporis, quia non tangis tactu mentis.

c Nondum enim ascendi, &c.] i. ad Patris æqualitatem in corde tuo, scil. Hoc non mutatur: Aut mysterium volens exprimere ita dixit. *b* Noli me tangere, &c.] ut in illa femina figuraretur Ecclesia de Gentibus, quæ in Christum non credidit, nisi cum ascendisset ad Patrem. Vel sic ut dicit *Chrys.* quidam sic intelligunt: [Noli me tangere, &c.] Procidere, & tangere pedes, aliquid petentis est: Petebat ergo mulier gratiam spiritualem & donum promissum, de quo dixerat Apostolis: Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, *sup.* 14. Sed quia non erat mittendus usque post Ascensionem; Ideo respondit Dominus ei: [Noli me tangere,] i. procidendo ad pedes hoc donum modo petere. *c* Nondum enim ascendi ad Patrem meum,] q. d. nondum est tempus complendæ promissionis. Sed hanc expositionem non multum approbat *Chrys.* & quia non aderat cum Discipulis, quando Dominus eis promisit Paracletum, *sup.* 14. Et quia nondum erat tam excelsæ mentis mulier, ut talia cogitaret. Unde sic exponit: Mihi videtur, quod sic procidebat mulier petens, & volens adhuc esse cum eo, sicut & ante mortem; nec cogitabat quid magnum adhuc de eo, scilic. quod esset Deus & Patri æqualis, etsi crederet per Resurrectionem meliorem eum esse factum secundum carnem. Ab hac denique cum avertens intelligentia, ut cum multa formidine ei loquatur, & reverentius ei attendat, dicit; *b* Noli me tangere] i. non accedas ad me, ut prius: non enim in eisdem est res; neque similiter debeo vobiscum esse, & conversari.

c Nondum enim ascendi ad Patrem meum,] q. d. etsi nondum ascenderim; tamen illuc propero, & vado, Eum autem, qui illuc vadit, & non ultra cum hominibus debet conversari, non oportet eum eadem videre, quæ & prius. Et quoniam hoc est, scil. quod vult ad Patrem ascendere, manifestatur per id, quod deinceps dicitur. *d* Vade autem ad fratres meos, & dic ei: ascendo, &c.] Et nimirum non debebat abire confestim, sed post quadraginta dies: qualiter igitur hoc ait? Quia erigere vult mulieris mentem, & suadere, quoniam ad cœlos abiit. Et nota, quod dicit: [Vade ad fratres meos] naturæ, scil. conformitate, familiari dilectione, hæreditatis comparticipatione. Ecce verbum pietatis, & misericordiæ. Hoc est quod dicit per *Ps.* 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis: *Rom.* 8. Hæredes quidem Dei, &c. *Bern.* Verbum fiduciæ est, quod Resurrectio non solum Discipulis, sed fratribus nunciatur.

e Ascendo ad Patrem,] i. faciam, ut credant me æqualem Patri esse. Vel: [Ascendo,] i. ascendo, cito inquantum homo.

f Ad Patrem,] in cœlum sub potioribus bonis Patris. Et loquitur de præsenti, ut erigat ad fidem mentem mulieris. [Ad Patrem meum,] natura. *g* Et Patrem vestrum,] gratia. *h* Deum meum,] quia & ego homo, *i* Et Deum vestrum,] quia vos ab errore liberavit. *August.* Non dicit communiter nostrum, sed meum, & & vestrum, quia differenter Deum meum sub quo & ego homo sum; Deum vestrum, inter quos, & ipsum mediator sum. 1. *Tim.* 2. *Gal.* 3. *Chr.* quia dixit: dic fratribus meis, ne ex hoc paritatem imaginentur, differentiam ostendit, cum dicit [Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.] Ideo enim singulariter dicit Patrem meum, & secundum hominem: quia debebat sedere in trono paterno; illi vero astare. Si enim secundum carnem frater est, sed honore multum differt.

k Venit Maria Magdalenæ annuncians Discipulis;] sicut præceptum est ei. *l* Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi] prædicta, quæ per me vobis mandavit, *Chrys.* Ecce quam bonum est accessio, & immoratio.

Illa enim meruit ex immoratione Discipulis prima annunciare: Annunciavit autem & visum: & quia, scil. [vidi Dominum:] & verba, quia [hæc dixit mihi,] quæ sufficientia erant eos consolari.

Et quia hæc audientes Discipuli possent aut decredere mulieri, aut credentes dolere, quod visu suo non fuesint digni, & maxime cum eis promisisset, quod eis in Galilæa appareret: ne igitur hæc recolentes anxiarentur, ideo neque unum diem dimisit pertransire, quin appareret eis, scil. sero. Unde sequitur: *m* Cum ergo sero esset die illo,] quo resurrexit. *n* Una Sabbatorum,] i. una inter dies Sabbatorum, i. solemnium, quia tunc erant dies Azymorum. *o* Et fores essent clausæ,] domus, scil. *p* Ubi] i. in qua.

q Erant Discipuli congregati propter metum Judæorum] ut ex ostiorum clausione, & plurium congregatione solatium haberent contra metum. *r* Venit Jesus] hoc ipso die Resurrectionis. *ſ* Et stetit in medio Discipulorum & dixit eis: pax vobis] intrans januis clausis. In quo ostendit, quod corpus habebat glorificatum, quod transire poterat per corpus non glorificatum. Et habebat alias dotes corporis, ad quas innuendas Completorium habet quatuor Psalmos. Et Nunc dimittis, quatuor versus. Et *Luc.* 6. ponuntur quatuor, quæ respondent quatuor dotibus ad mensuram bonam, &c. *Sap.* 2. Fulgebunt justi, &c. *Aug.* Moli corporis, ubi Divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non ostiis apertis intrare potuit, quo nascente Virginitas Matris inviolata permansit? Et nota, quod quinquies apparuit Dominus illo die Resurrectionis.

In die Resurrectionis Dominus quinquies apparuit.

Primo Mariæ Magdalenæ flenti ad monumentum, quod habitum est, *sup. eod.*

Secundo duabus mulieribus, dum irent nunciare Discipulis. De quo *Matth. ult.*

Tertio Simoni Petro.

Quarto duobus Discipulis euntibus in Emaus. Et de his duabus apparitionibus habetur. *Luc. ult.*

Quinto ipsis Discipulis congregatis in sero, de quo hic dicitur: [Cum sero esset die illo, &c.] Sed quare usque in vespere distulit? Respondemus secundum *Chrysostom.* ut omnes inveniret: in die enim congregatos simul non invenisset. Item per hoc in desiderium eos induxit, & ea dilatione, & ex timore, maxime cum hoc accenderet eorum desiderium, quod jam eum e lintheaminibus, & a verbis mulierum sciebant resuscitatum. Item quia in vespere decens est magis eos timere: ideo & tunc consolatur videre eum sitientes, & timidos existentes. Sed qualiter non putaverunt phantasma esse: januis enim clausis intravit, & repente? Resp. Ex verbis mulieris erant jam præparati. Mulier enim multam fidem in eis operata est. Præterea, mansuetum, & mitem visum eis ostendit, & quia etiam multi erant, non sunt ita stupefacti. Ex voce etiam pia, & nota firmavit mentem eorum fluctuantem, dicens. *t* Pax vobis,] hoc est, ne tumultuemini, nec turbemini: ego sum, qui vobis pacem promisi, Unde & verbi rememorat, quod ante Crucem eis dixerat;

dixerat. Pacem meam dimitto vobis; *sup.* 14. & iterum 16. in me pacem, in mundo tribulationem habebitis.

a Et cum hoc dixisset, &c.] ne putarent esse phantasma. Non solum auditum: sed etiam visum certificat *Aug.* Ad dubitandum corda sananda, vulnerum sunt servata vestigia. Et expone.

a Et cum hoc dixisset, ostendit eis *b* manus, & latus. *c* Gavisi sunt ergo Discipuli viso Domino. *d* Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. *e* Sicut misit me *f* Pater, *g* & ego mitto vos. *h* Hæc cum dixisset, *i* insufflavit, *k* & dicit eis. *l* Accipite Spiritum sanctum: *m* Quorum remiseritis peccata, *n* remittuntur eis: *o* & quorum retinueritis, *p* retenta sunt. *q* Thomas autem *r* unus ex duodecim, *s* qui dicitur Didymus, *t* non erat cum eis, quando venit Jesus. *u* Dixerunt ergo ei alii Discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, *x* & mittam digitum meum in locum clavorum, *y* & mittam manum meam in

b Manus, & latus] i. cicatrices in manibus, & latere. Et sicut dicit alius Evangelista, etiam per tactum vult eos probare. *Luc.* 24. Palpate, & videre: quia spiritus carnem, & ossa non habet.

F

c Gavisi sunt ergo Discipuli, &c.] & cognito per vocem, & visum, quod Dominus esset. In quo implet facto, quod prædixerat verbo, *sup.* 16. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, &c. Hæc ergo omnia ad fidem eos inducebant certissimam. Sed quia homines erant, & Judæos timebant, adhuc confirmat eos. Unde seq.

Matth. 27.

d Dixit ergo eis iterum, pax vobis.] *Aug.* Iteratio, confirmatio est. Ipse quippe dat per Prophetam promissam pacem super pacem. *Is.* 27. Unde nota, quod Dominus dicit bis: [Pax vobis,] ad significandum pacem pectoris in præsenti, & pacem æternitatis in futuro. Et ideo etiam Episcopus in Missa bis dicit: [Pax vobis,] Et quando primo dicit, vertit se ad populum: quia pax pectoris Episcoporum in ministerio quandoque nobis datur; quandoque autem secundo dicit, non vertit se ad populum, ad innuendum, quod Domini est, & non sui dare pacem æternitatis. *Chr.* ponit duas rationes, quare dicit: [Pax vobis.] Primo est, quia prælium implacabile habebant ad Judæos: ideo non semel, sed bis inducit hoc: [Pax vobis,] adversans prælio, dans consolationem. Et quia hoc primum post Resurrectionem dicit verbum Discipulis: ideo & Paulus ubique fere ait: Gratia vobis, & pax: Mulieribus autem gaudium evangelizat Christus: *Matth. ult.* Averte, quia in tristitiis genus muliebre illud erat, & quia hanc suscepit primum maledictionem, *Gen.* 3. In tristitia paries, &c. Alternatim igitur viris quidem propter prælium pacem; mulieribus vero propter tristitiam gaudium evangelizat. *e* Sicut me misit Pater, &c.] Postquam lætificavit eos per pacis pronunciationem, & securavit, dicit eis, ad quid mittendi sunt: [Sicut misit me,] i. ad id, ad quod misit me, ad Passiones. *f* Pater,] qui me amat; ideo confidite, q. d. ea charitate vos mitto ad mala, qua Pater misit me, *Matth.* 10. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Vel. [Sicut misit me Pater,] me hominem.

g Et ego mitto vos,] i. ille me misit, & ego mitto vos, & ad idem, i. prædicandum. *Chr.* Hic elevat eorum animos, & ostendit eos dignos fide, qui opus Filio commissum debeant & ipsi suscipere. Item in hoc, quod dicit: [Sicut misit me Pater,] & tunc dat fiduciam, q. d. sicut missus a Patre omnia superavi: ita & vos missi a me. Et loquitur cum auctoritate: [Et ego mitto vos.] Et quia missi ad prædicandum indigent Spiritu ad solvendum, vel ligandum: ideo subditur. *h* Hæc cum dixisset, insufflavit,] in eos, ostendens hoc signo, quod sicut flatus erat ab eo: ita & Sp. sanctus, qui dabatur in flato, quod est contra Græcos, qui dicunt, quod Sp. sanctus non est a Filio. *k* Et dicit eis,] quod ostenderat signo, exprimens verbo. *l* Accipite Spirit. sanctum] *Chr.* Non adhuc deprecatio fit ad Patrem: ut prius. Et ego rogabo Patrem, &c. sed auctoritate dat eis virtutem. *i* Insufflavit] enim [& dixit, accipite Sp. sanctum, quorum remiseritis, &c.] Sicut enim aliquis Rex Principes mittens dat eis potestatem, & mittere in carcerem, & dimittere: ita & hic. Sed quid est, quod dicit: Accipite Sp. sanctum: ergo dedit Spiritum ante Ascensionem? Contra *sup.* 16. Nisi ego abiero. Paracletus non veniet. Respondemus secundum *Chr.* Quidam ajunt. Quoniam nunc quidem non Spiritum dedit; sed aptos eos ad susceptionem per insufflationem construxit: si enim Angelum videns Daniel excessum mentis passus est, *Dan.* 10. qui ineffabilem illam gratiam suscipientes in die Pentecostes, non utique passi essent, nisi prius construxisset, & fortificasset, propterea non dixit: Accipite Spiritum sanctum, sed accipite Spiritum. Et secundum hoc non est

Sup. 14.

hic de textu [Sanctum.] Et postea dicit *Chr.* Nequaquam tamen peccabit, qui dicit Discipulos, nunc suscepisse potestatem quandam spiritualem, & gratiam; sed non ut mortuos suscitent, & virtutes faciant; sed ut dimittant peccata: diversa enim sunt charismata Sp. sancti: ideo induxit.

m Quorum remiseritis peccata, &c.] per hoc ostendens, ad quid eis Spiritus dabatur prius, post Ascensionem autem eis dictum est: Accipietis virtutem supervenientis Sp. sancti in vos; & eritis mihi testes. *Act.* 1. Testes autem per signa fiebant, unde ibi determinatur species illius dationis. Sed adhuc quæritur: Nonne hoc datum erat jam Apostolis in Petro. *Matth.* 16. Quodcumque ligaveris super terram, &c. Respondemus. Potest dici, quod ibi fuit promissio, sive prædictio hujus, vel hoc illius est confirmatio. Sed tamen adhuc videtur hoc contrarium ei, quod dicitur *Is.* 43. Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Ibi *Interl.* Propter me tantum. Non ergo Apostoli remittebant peccata. Item *Os.* 13. Perditio tua, Israel: tantum ex me auxilium tuum. Sed *Gl.* hic solvit sic: [Quorum remiseritis peccata] i. quos dignos remissione judicaveritis, duabus, videlicet, clavibus, i. potestatis, & discretionis. *n* Remittuntur eis.] Tunc enim Dominus approbat remissionem.

o Et quorum retinueritis] i. non remiseritis, vel per vos, vel successores. *p* Retenta sunt,] i. remissa non sunt. Et nota, quod ex hoc quidam erraverunt, dicentes: neminem posse solvere, vel ligare, nisi habeat Sp. sanctum, quo auctore hoc faciat; & hoc volunt habere ex ordine verborum. Ad quod dicimus, quod & ante Resurrectionem dedit eis Dominus eamdem potestatem sine insufflatione, nec tunc legitur etiam dedisse eis Spiritum, *Matth.* 16. hic autem eam confirmavit. Præterea bene concedo, quod qui non habet Sp. sanctum, non potest remittere peccata, idest, qui non habet Spiritus sancti donum, scil. ordinis, & jurisdictionis, quod est a Spiritu sancto. Vel sicut dicit *Aug.* Quia sola charitas, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris participum suorum peccata dimittit; eorum autem, qui non sunt ejus participes, tenet. Ideo postquam dixit: Accipite Spiritum sanctum, continue de peccatorum remissione, ac detentione subjecit. Sequitur.

q Thomas autem unus ex duodecim,] Sed quomodo erant duodecim, cum Judas jam suspendisset se? *Matth.* 27. Et *Act.* 1. Suspensus crepuit medius? Respondemus.

r Unus ex duodecim,] qui fuerant, vel, ly, [duodecim,] refertur ad numerum prædestinationis, quia in numero duodenario prædestinati erant Apostoli. Vel [unus ex duodecim,] erat, licet non essent tot, sicut aliquis dicitur esse de duodecim paribus Franciæ, licet non sint omnes, quot debent esse.

s Qui dicitur Didymus.] Nomen competit qualitati mentis. Dicitur Didymus, idest, geminus, quia dubius, dicitur Thomas, idest, abyssus, quia dubitando profundius novit, & firmius stetit.

t Non erat cum eis, quando venit Jesus,] in die, sc. Resurrectionis in sero. *Chrys.* Sed qualiter iste deerat? Forte post dispersionem, & fugam, de qua dicitur *Zach.* 12. Percute Pastorem, &c. nondum redierat. *Greg.* Non casu, sed divina dispositione defuit Thomas, & audita non credidit. Unde palpando se ei Dominus tribuit: quia ejus dubitatione, & facta sibi probatione, nullis relinquitur jam dubitare.

u Dixerunt ergo ei alii Discipuli: vidimus Dominum; ille autem dixit eis: nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum,] idest, signa, sive cicatrices vulnerum, ut probem visu: & non solum hoc, sed etiam tactu. Unde subdit. *x* Et mittam digitum meum in locum clavorum,] & in manibus sc. *y* Et mittam manum meam in latus ejus, non credam.] *Chr.* Sicut simpliciter, & cito credere facilitatis, & levitatis est *Eccl.* 19. Qui cito credit, levis corde est; ita ultra modum circumscrutari, & multum investigare, grossissimæ mentis. Propter hoc Thomas accusatur: quoniam Apostolis dicentibus. Vidimus Dominum, non credidit, non tamen illis decredens, quan-

cum rem

tum rem putans impossibilem esse, scil. Resurrectionem. Non enim dixit: quoniam non credo vobis: sed nisi videro, non credo. *a* Et post dies octo, &c.] ut prius. *b* Et stetit in medio, &c.] *Chr.* Cum videris decredentem Discipulum, excogita Dominatoris clementiam qualiter, & pro una anima ostendit seipsum vulnera habentem: & accedit, ut salvet unum, nimirum aliis grossiorem: quia enim grossissimus fuit, idcirco eam, quæ per sensum grossissimum quærebat, fidem, & neque oculis credebat: nondum enim dixit tantum: nisi videro: sed nisi rimatus fuero, ne qualitercumque phanthasma esset, quod videbatur: Sed quare non statim apparet; sed post dies octo? Respondemus, ut per illos dies a Discipulis audiens, in amplius accendatur desiderium, & interim per verba eorum præpararetur ad credendum. Sed unde sciverat, quod costa ejus aperta ei fuerat? A Discipulis id audierat. Qualiter igitur hoc credidit; Resurrectionem autem non? Quoniam hoc multum inopinabile, & mirabile erat. *c* Et dixit: pax vobis.] In prima visitatione in die Resurrectionis dixit bis pax vobis; hic autem semel; Quare hoc? Quia per illam visitationem significatur visitatio præsens per gratiam, in qua dat pacem pectoris, & promittit pacem æternitatis, & prægustare facit: hæc autem apparitio significat apparitionem, vel visitationem, quæ erit in octava resurrectionis, in qua non erit distinctio, inter pacem, & pacem; quia una pax erit tantum in solutione. *d* Deinde dicit Thomæ; infer, &c.]Obtulit primo pacem omnibus; sed infirmo specialiter loquitur, ut inducat sanitatem. *Chr.* Unde, qualiter non expectat a Thoma prius rogare, nec audire quid tale, quale aliis dixerat; non credam nisi videro; sed præoccupat eum, ostendens per hoc, quoniam & cum hoc loquebatur ad Condiscipulos, ipse aderat; etenim verbis usus est eisdem. Dicit enim. *e* Infer digitum, &c.] ut cognoscas per tactum. *f* Et vide manus meas,] idest, etiam considera per visum. Vel, [Vide,] i. tange. Visus enim pro quolibet sensu sumitur. *g* Et affer manum tuam] idest, applica. *h* Et mitte in latus meum.] In replicatione istorum, quæ dixerat Thomas, contundit eum, & ostendit se audisse. In hoc, quod sequitur, arguit eum valde increpative.

G

i Et noli esse, &c.] *Chrysostomus.* Vides, quoniam infidelitatis fuit ambiguitas; sed hoc antequam Spiritum sanctum recepisset. Et nota, quod dicit *Chr.* Dignum est, inquit, hic quærere, qualiter corpus incorruptibile typos ostendebat clavorum, & tangibile erat mortali manu. Sed ne tumultueris, condescensionis erat, quod enim ita subtile, & leve erat, ut clausis intraret januis, a grossitie omnium erutum erat; sed ut crederetur Resurrectio, hæc ostenduntur a Christo, scilicet & ut discant, quoniam ipse erat, qui crucifixus erat; & non alius pro eo surrexit, propterea resurgit habens signa Crucis, & comedit; propter hoc & Apostoli hoc signum Resurrectionis ubique revolvunt, dicentes; Qui comedimus, & bibimus cum eo, *Act.* 10. Sicut igitur in procellis ambulantem ante Crucem, non dicimus alterius naturæ corpus illud. *Matth.* 10. sed nostræ; ita post Resurrectionem, eum videntes typos clavorum habentem, non dicemus id corruptibile esse de reliquo. Propter Discipulum enim hæc monstrabat, ut crederet, de quo subditur. *k* Respondit Thomas, & dixit ei, &c.] inquantum homo. *l* Et Deus meus,] to es te. Et confitetur non solum humanitatem, sed & Deitatem, quam credidit per Resurrectionem. *m* Dicit ei Jesus; quia vidisti me, [Thoma,] credidisti.] *Aug.* [Vidisti,] non ait, qui tetigisti, sed vidisti; quia visus est quodammodo generalis sensus, qui de aliis quatuor dici solet. Vel forsitan non fuit ausus tangere, sed aspiciendo tantum etiam tangendo credidit. *Chr.* Non per primum tantum increpatus est Thomas; sed & per hoc etiam eum respirasset, certioratus dicit ei Christus. *n* Quia vidisti me, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt.] Hoc enim est fidei, ea, quæ non videntur, suscipere. Est enim fides sperandarum substantia rerum redargutio non visarum. *Hebr.* 11. Hic autem non solum beatificavit Discipulos; sed eos, qui post illos credunt. Et nimirum Discipuli viderunt, & crediderunt; sed nihil tale petierunt; sed a Sudariis statim eum de resurrectione susceperunt sermonem: & antequam corpus considerarent, fidem ostenderunt omnem. Cum igitur dixerit quis: vellem secundum tempora illa esse, & videre Christum mirificantem, excogitet; quoniam beati, qui non viderunt, & crediderunt. Sed quæritur de hoc.

latus ejus, non credam. *a* Et post dies octo iterum erant Discipuli ejus intus, & Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, & *b* stetit in medio, & *c* dixit: Pax vobis. *d* Deinde dicit Thomæ: *e* Infer digitum tuum huc, *f* & vide manus meas, *g* & affer manum tuam, *h* & mitte in latus meum; *i* & noli esse incredulus, sed fidelis. *k* Respondit Thomas, & dixit, Dominus meus, *l* & Deus meus: *m* Dicit ei Jesus: *n* Quia vidisti me, credidisti: *o* beati, qui non viderunt, & crediderunt. *p* Multa quidem, & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. *q* Hæc autem scripta sunt, ut *r* credatis, quia *f* Jesus est Christus Filius Dei. *t* & ut credentes vitam † habeatis in *u* nomine ejus.

o Beati, qui non viderunt, & crediderunt.] Ex hoc videtur, quod difficilius est non videre, & credere, & ideo dicit beati. Sed contrarium videtur, *sup.* 16. Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos. Ibi *Interlin.* Quia non sunt idonei Spiritum accipere, nisi eum secundum carnem desistant nosse. Item ibidem *alia Gl.* Paracletus non veniet, ut sc. me spiritualiter noscatis. Difficilius ergo erat eis spiritualiter nosse, i. credere, eo quod eum videbant: & ita videtur procedere hic a superiori ad inferius affirmando. Sol. Facilius fuit Thomæ credere, quia vidit eum, & ante Passionem, & modo vidit, & palpavit. Facilius, inquam, quantum ad hoc, quod crederet eum resurrexisse, & per Resurrectionem crederet ejus Deitatem. Ad illud, quod dicitur; Nisi ego abiero, &c. dicendum, quod alii articuli sunt de rebus invisibilibus; ut quod Deus unus, & Trinus; quod æqualis Patri: quod ejusdem substantiæ, & hujusmodi; & ad hoc præsentia ejus corporalis, & conversatio mortalis impediebant, ne illa crederent de ipso. Sequitur. *p* Multa quidem, & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc,] q. d. hæc, & alia fecit. *Chrys.* Quia pauciora aliis Evangelistis narravit signa hic Evangelista; ideo dicit, quod neque reliqui omnes omnia dixerunt; sed quæ sufficientia sunt ad attrahendum ad fidem audientes. Unde subdit. *q* Hæc autem scripta sunt, &c.] q. d. sufficientia sunt ad fidem. Sed quare non omnia scripserunt? Propter multitudinem; quia ut dicitur *inf.* 21. Nec totus mundus capere potuisset. Propterea hoc excogitaverunt Evangelistæ: quoniam, qui non credit his, quæ dicta sunt, neque pluribus attenderet: qui vero hæc suscipit, sufficiunt ei; nec aliquo alio indigebit in fidei rationem. Mihi autem videtur, quod hic specialiter loquitur de signis post Resurrectionem: ideo dicit. [In conspectu Discipulorum suorum.] Sicut enim ante Resurrectionem multa fecit, ut credant, quoniam Filius Dei est; ita & post Resurrectionem, ut credant, quoniam resurrexit, propterea addidit, In conspectu Discipulorum suorum; quia cum solis eis apparuit post Resurrectionem, sicut eis prædixerat, *sup.* 14. Adhuc modicum, & mundus jam non videt me; vos autem videbitis me. Sed quia licet coram Discipulis facta sunt; sed non propter Discipulos tantum; ideo subditur; [Hæc autem scripta sunt,] q. d. facta sunt coram Discipulis; sed scripta sunt pro vobis. *r* Ut credatis] vos omnes. Communiter enim loquitur ad eos.

f Quia Jesus est Christus Filius Dei,] Messias, sc. in lege promissus, & per miracula Dei Filius probatus. Et potest hic tangi intentio hujus operis specialiter, & generaliter omnium aliorum librorum sacræ Scripturæ.

t Et ut credentes vitam habeatis,] æternam. Hic est finis ultimus.

u In nomine ejus.] *Chrysostomus.* Hoc est per eum. Ipse enim est vita, *sup.* 14. Et salus. Unde *Act.* 4. Non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri. Sed quare interserit hoc in hoc loco, cum videatur pertinere ad finem libri? Respondemus, sicut dicit *Chrys.* Loquitur hic de signis specialiter, quæ fecit post Resurrectionem coram Discipulis, & quia plura eorum fecit intermedio tempore prædictæ apparitionis, quæ facta est coram Discipulis prima die Resurrectionis, & octava: & sequentis, quæ facta est ad mare Tyberiadis, ideo illud interserit: dicens; [Multa quidem, &c.] quasi dicat, ego prætermitto multa, quæ interim facta sunt: & ad aliam vado apparitionem, quæ interim facta est ad mare Tyberiadis, secundum *August.* solvitur mysterium. Et patet in *Gloss.*

Qui non viderunt.] *Aug.* Commendat fidem Gentium; sed pro certitudine, & pro fidei Gentium velocitate dicit factum, quod erat futurum. *Ps.* 17. Populus, quem non cognovi, servivit mihi.

Inf.

al. † æternam.

EX-

EXPOSITIO CAP. XXI.

POstea manifestavit se, &c.] Superius narravit Evangelista apparitionem factam in prima die Resurrectionis: & eam, quæ in octava. Hic narrat aliam apparitionem factam in die alia a prædictis, sed quota die, non est certum. Præterea aliæ apparitiones factæ sunt in Jerusalem; ista autem juxta mare Tyberiadis in Galilæa. Item priores factæ sunt omnibus congregatis, & intus; ista facta non omnibus, sed pluribus positis ad opus scilicet, ad piscationem. Dicit ergo. *a* Post hæc,] vel postea manifestavit se iterum,] idest alias Discipulis. *Chr.* Quid est hoc, manifestavit se? Ex hoc manifestum, quoniam non videbatur, neque cum descenderet, quia incorruptibile erat corpus, & inviolabile, Discipulis adhuc existentibus in timore, sicut & prius.

A

CAP. XXI.

POstea *a* manifestavit se iterum Jesus *b* ad mare Tyberiadis. *c* Manifestavit autem sic: Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, *d* & Nathanael, qui erat a Chana Galilææ, *e* & filii Zebedæi: *f* & alii ex Discipuli ejus duo. *g* Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. *h* Et exierunt, *i* & ascenderunt in navim, & illa nocte nihil prendiderunt. *k* Mane autem jam facto, stetit Jesus in littore; *l* non tamen cognoverunt Discipuli, quia Jesus est. *m* Dicit ergo eis Jesus: Pueri, *n* nunquid pulmentarium habetis? *o* Responderunt ei: non. *p* Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. *q* Miserunt ergo, *r* & jam non valebant illud tra-

Luc. 5. *b* Ad mare, &c.] vel [in mari] i. eis existentibus in mari, & piscantibus. *Chrys.* Vides, quoniam non continue cum ipsis incedit, ut antea. Apparuit enim in vespera, & avolavit; deinde rursus post octo dies, & rursus avolavit: deinde post hoc in mari, ut dicitur hic. Dicitur autem mare, quamvis sit aqua dulcis, more Hebræorum, qui omnem congregationem aquarum vocant mare. Dicitur Tyberiadis, a civitate Tyberiade, quæ sita est juxta lacum. Dicitur mare Galilææ, a regione adjacente. Dicitur Genesareth a natura laci, quia ex se generat auras. *Chrys.* Cujus gratia, & loci apparuit, meminit Evangelista? Ut discas, quoniam jam magnam partem timoris eorum abstulerat, ut auderent exire de domo, & extra adeant, non enim ultra in domo conclusi erant, ut prius; sed in Galilæam iverant, unde erant periculum declinantes Judaicum, quod adhuc erat timoris, & cautelæ. *c* Manifestavit autem, &c.] De cujus dubitatione habetur *sup. eod.* *d* Et Nathanael, &c.] De quo habetur *sup.* 1. Frater Philippi.

e Et filii Zebedæi,] Joannes, & Jacobus major. Isti simul erant: quia notiores forte erant inter se, & familiares, quia erant de eadem regione, vel villa propinqua, vel patria, scil. Galilæa: vel propinqui sibi loco, & habitatione. Item, quia ejusdem artis piscatoriæ, sc. erant Petrus, & Nathanael, & filii Zebedæi: sed de Thoma non est certum. Item plurium nomina hic recitantur, ut per ipsos testes probetur apparitio. Præterea pro mysterio forte recitantur eorum nomina, & numerus, quia septem fuerunt. *f* Et alii ex Discipulis ejus duo] quorum nomina tacentur. Et sicut videtur velle *Chrys.* alii nominantur, qui ierunt ad piscationem; alii vero, quorum nomina tacentur, sequebantur eos, eo quod colligati erant subinvicem Discipuli, simulque volebant considerare piscationem bene disponi. *g* Dicit ei Simon, &c.] vel ad piscandum simul cum eo, quantum ad quosdam; vel ad videndum, quantum ad alios.

h Et exierunt] de domibus, & loco habitationis.

i Et ascenderunt in navim, & illa nocte nihil prehendiderunt,] quod Dei dispositione actum est, ut miraculum sequens magis clarescceret. *Chrys.* Quia neque Christus cum eis continue erat: neque Spiritus Sanctus datus erat adhuc, ut dandus erat, neque quid eis tunc commissum erat, neque quid habebant agere; ideo ad piscationem ierunt: & in nocte hoc faciebant, quia formidolosi erant. Sed unde habuerunt navem? Vel a propinquis suis: vel forte ante, cum secuti sunt Dominum, sic reliquerant sua omnino, & subito, ut venditionem suorum utensilium non attenderent. Sed hic dicit *August.* Quæri solet de hac piscatione Discipulorum, cur redierunt Petrus, & filii Zebedæi ad id, quod fuerunt, antequam a Domino vocarentur. Erant autem piscatores, quando dixit eis: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum; & relictis omnibus Magistro adhæserunt. *Matth.* 4. Item *Matth.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, &c. Quid est ergo, quod nunc ea, quæ dimiserant, repetunt, cum audierant a Domino. *Luc.* 6. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno coelorum. Quod si hoc fecissent defuncto Jesu ante Resurrectionem, putaremus eos hoc fecisse ex desperatione illa, quæ animos eorum occupaverat. Nunc vero post eum sibi de sepulchro redditum vivum, post oblatam suis oculis, & manibus videndam, & palpandam carnem veram, post inspecta vulnerum loca, post acceptum ejus insufflatione Spiritum Sanctum post verba etiam ejus. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Item subito fiunt, sicut fuerunt, non hominum, sed piscium piscatores. His ergo, quos hoc movet, respondendum est, non eos fuisse prohibitos arte sua licita, sc. atque concessa victum necessarium quærere, & tunc, & postea sui Apostolatus integritate servata, idest, prædicatione non omissa, si quando, unde viverent, aliud non haberent. Sicut & Paulus neque ab Evangelio prædicando cessabat; & tamen non de Evangelio, sed de labore suo vivebat: ideo dicebat 1. *Cor.* 15. Plus omnibus laboravi. Item 1. *Cor.* 10 Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est; si vestra carnalia metamus? Si alii potestatis vestræ participant, non magis nos? Sed non sumus usi hac potestate. Item *in eodem*, Ego autem nullius horum usus sum. Si ergo Paulus artem, quam noverat, didicit, ut dum suis manibus transigitur Doctor, nullius gravaretur auditor, quanto magis Beatus Petrus, qui jam piscator fuerat, quod noverat, ante, facere potuit, si ad præsens tempus aliud, unde viveret, non invenit.

B

Supr. 10.

Sed adhuc forte quæret aliquis: cur non invenit, unde viveret, cum Dominus promisit dicens. *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis? Respondemus. Etiam hoc modo laborantibus Dominus adjecit, quæ promisit; Ipse enim pisces, qui caperentur, apposuit: nec ab alio credendus est eis ingessisse penuriam, qua compellerentur ire piscatum, nisi dispositum volens exhibere miraculum, ut simul & Prædicatores Evangelii sui pasceret, & Sacramentum de numero piscium commendaret. Et nota mysterium *in Gloss.* Sequitur.

k Mane jam autem facto, stetit Jesus in littore.] *Chrys.* Laborantibus, & jam afflictis assistit Jesus, & non mox ostendit seipsum. Unde sequitur.

l Non tamen cognoverunt Discipuli, quia Jesus est;] voce enim, & visu se occultavit. Loquitur enim quasi aliens, sicut patet per sequentia.

m Dicit ergo eis Jesus; pueri, nunquid pulmentarium] vel [pulmentum habetis?] *Chrys.* Interim humanius loquitur, tanquam habens quid emere ab eis; ut autem innuerunt se nihil habere, jussit mittere in dexteram navigii rete, & mittentes ceperunt: sic ergo paulatim intrat in miraculum faciendum, & se ostendendum. Et nota, quod pulmentarium dici solet quodcumque panis condimentum, sive in carnibus, sive in piscibus. *Isidorus.* Pulmentum vocatur a pulte: sed sive sola plus, sivo quid aliud ejus permistione sumatur, pulmentum dicitur.

n Nunquid pulmentarium habetis,] quasi habetis pisces ad comedendum, vel pisces comestibiles habetisne venales, secundum *Chrys.*

o Responderunt ei, non,] q. d. nihil adhuc cepimus. Ideo consequenter.

p Dicit eis; mittite in dexteram navigii rete, & invenietis.] In quo videtur, quod prius ad sinistram miserant rete.

q Miserunt ergo rete,] quia crederent Dominum esse, qui hoc jusserat; sed quia tandiu laborantes nihil ceperant, nescientes quid possent agere, volebant, quod diceat ille, qui loquebatur, experiri.

r Et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.] Pisces autem paraverat ibi Christus, qui eos, ut sic mitterent, docuerat.

a Dicit ergo, &c.] quia vidit impletum, sicut dixerat, cum recognovit, hoc & Petrus cognovit, sed ad vocem Joannis. Sequitur.

b Simon

here præ multitudine piscium. a Dicit ergo Discipulus ille, qué diligebat Jesus, Petro: Dominus est. *b* Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est, c tunica succinxit se, erat enim nudus, *d* & misit se in mare. *e* Alii autem Discipuli navigio venerunt. *f* Non enim longe erant a terra, *g* sed quasi cubitis ducentis *h* trahentes rete pisciũ. *i* Ut ergo descenderunt in terram, k viderunt prunas positas, *l* & piscem superpositum, *m* & panem. *n* Dicit eis Jesus; Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. *o* Ascendit Simon Petrus, & traxit *p* rete in terram plenum magnis piscibus *q* centum quinquaginta tribus. *r* Et cum tanti essent, *ʃ* non est scissum rete. *t* Dicit eis Jesus: Venite, prandete. *u* Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: tu quis es, scientes, quia Dominus est. *x* Et venit Jesus, *y* & accepit panem, *z* & † dabat eis, a & piscem similiter: *b* hoc jam tertio manifestatus est Jesus Discipulis suis, cum surrexisset a mortuis. c Cum ergo prandissent, *d* dedit Simoni Petro Jesus: *e* Simon Joannis, diligis *f* me *g* plus his? *h* Dicit ei: *i* Etiam, Domine, tu scis, quia amo te

b Simon Petrus, &c.] *Chrys.* In hoc idiomata propriorum indicant modorum Discipuli, Petrus sc. & Joannes: Nam quidem Petrus ferventior; Joannes vero excelsior, idest, subtilior erat. Et hic quidem † accensior, i. ferventior, ille vero perspicacior, propterea & primus cognovit Jesum; Petrus vero ivit primus ad eum. Etenim non modica facta erant signa. Et quæ erant? Primum, quia multi capiuntur pisces, secundum quia non est rete scissum, tertium invenisse carbones accensos, & piscem superjacentem, & panem, sicut postea dicetur. Sed priorem textum prosequamur: [Simon Petrus cum audisset,] quia Dominus est, audisset, sc. a Joanne, & contulisset per verbum Joannis miraculum captionis.

al. † acutior.

C

Luc. ult.

c Tunica succinxit se, &c.] Et nolebat sic coram Domino apparere. *d* Et misit, &c.] ut natando veniret. *e* Alii autem Discipuli navigio venerunt,] quia non ita festinaverunt ut Petrus. Sed quomodo ausus est aggredi mare natando? Imo [non enim longe erant a terra, &c.] Vel sic. Discipuli navigio venerunt, & satis sine anxietate potuerunt expectare navigio venire ad Magistrum, quia prope erant. Et hoc est: [Non enim longe a terra, &c.] Vel sic; Petrus misit se in mare. Et ne quæreret aliquis, quare non retinuerunt eum secum, ut juvaret eos ad regendum navem, & trahendum rete, quod ita erat plenum? Respondet quod imo, quia [non longe erant a terra,] & ita trahendo rete, & regendæ navi satis suffecerunt alii. Et hoc est. *g* Sed quasi cubitis ducentis] erant, scilicet, a terra: ipsi dico.

h Trahentes rete piscium.] *Chr.* Ut cognovit Petrus, quia Dominus est, omnia ejecit, pisces, & retia, & præcinctus est Petrus. Vides ergo & verecundiam ejus ex præcinctione, & afflictionem ex dilatione. Et nimirum a ducentis cubitis erant, sed neque ita sustinuit navi ad eum venire, sed natans accessit, tantus erat ejus ardor.

i Ut ergo descenderunt] de navi, [in terram,] i. ad litus. Et loquitur eo modo, quo solemus dicere de intrantibus navem, quod ascendunt navem, & de exeuntibus, quod descendunt.

k Viderunt prunas positas,] i. carbones accensos.

l Et piscem superpositum] prunis.

m Et panem,] juxta paratum. Omnia autem de novo creaverat Christus. Unde *Chrys.* Non adhuc ex materia subjecta operatur, ut *sup.6.* Sed ad mirabilius ducit signa, ut ex nihilo faceret creaturas, per hoc ostendens, quoniam & cum eis materia subjecta faciebat ante Crucem, non ex insufficientia sua, sed propter quamdam dispensationem faciebat, ut scil. ostenderet se fecisse ipsi visibilia, quibus utebatur ad miracula facienda. De hoc habetur *supr.6.* contra hæreticos.

n Dicit eis Jesus, &c.] ut coquantur, & comedantur. *Chrys.* Ne crederetur phantasma esse, quod videbant panem, & piscem: ideo jubet etiam de piscibus captis afferre. Et quia jubebat Magister, ut pisces pararentur capti: ideo.

o Ascendit Simon Petrus, & traxit,] non solus, sed auxiliantibus aliis.

p Rete in terram, &c.] Ecce unum miraculum.

q Centum quinquaginta tribus.] Ecce mysterium, ut dicit *Aug.* Sicut patet in *Gloss. Isid.* Piscium omnium, qui in aqua vivunt, centum quinquaginta tria esse genera Philosophi enumerant.

r Et cum tanti essent.] *Gloss.* numero, & quantitate, idest, tot, & tam magni.

ʃ Non est scissum rete.] Ecce aliud miraculum. Et hoc facto, & piscibus, ut jusserat, allatis, & paratis.

t Dicit eis Jesus, &c.] *Aug.* prandium fecit illis septem Discipulis de pisce, quem viderunt super prunas, & de pane addens, & de piscibus, quos eo jubente attulerunt. Et hoc est aliud miraculum, & Resurrectionis, & quod verus homo erat, non phantasma: argumentum, quia, scil. comedit cum eis. Hoc etiam dicit *Greg.* scil. quod comedit. Unde *Gl.* Hic dicitur manducasse Jesus cum pisce panem, in alio Evangelio cum pisce favum mellis. *Luc.ult.* Tamen sicut dicit *Chrys.* hic non dicit Evangelista expresse, quod comederit; sed Lucas hoc expresse ait. *Luc.ult.* Qualiter autem comederit, non est nostrum dicere: modo enim quodam inopinabiliori hoc fecit, non ut natura indigente cibis sicut ante Crucem, sed condescensione ad demonstrationem Resurrectionis facta, verba sunt *Chrys.* *u* Et nemo audebat discumbentium interrogare eum, tu quis es.] Et quare? [Scientes quia Dominus est.] *Aug.* Tanta erat evidentia veritatis, quod Jesus erat, ut nullus coram auderet, non solum negare, sed nec dubitare; & ideo non interrogare. *Chrys.* Non adhuc eamdem audaciam, quam ante habebant, neque ita confidebant ei loqui, ut ante, sed cum silentio, & formidine, sive reverentia multa sedebant attendentes in eum; nam sciverant quidem, quia Dominus est: propterea non interrogabant eum, tu quis es? formam autem alteratam, i. clariorem videntes, & multa stupefactione ex claritate, sc. plenam, valde erant stupefacti, & volebant aliquid de ea forma interrogare; sed formido, & scire eorum, quod non alter erat, sed ipse detinebat eos ab interrogatione, sed solum comedebant, quæ eis Dominus paraverat. Sequitur. *x* Et venit Jesus,] i. accessit. Et refertur hoc ad præcedens. Dixit eis: venite, & prandete. Et dicendo hoc, & eos vocando, etiam ipsemet venit, i. accessit ad mensam. *y* Et accepit panem,] quem creaverat.

D

Luc. 24. al. † dat.

z Et dabat eis,] per ministerium accendens in eis amorem, etiam per hoc insinuans, quoniam ipse erat, qui ante eis in cœna ministraverat, & qui invicem ministrare monuerat, *sup.* 13. a Et piscem, &c.] eis dabat, supple. Quoniam autem non continue conversabatur cum eis, neque similiter, ut ante Crucem dixit. *b* Hoc jam tertio, &c.] Et expone, [tertio,] i. tertia vice, secundum narrationem ipsius Evangelistæ, q.d. pluries manifestavit se Discipulis; sed alia prætermittens, hanc tertio dixit. Sed contra. Imo quarta videtur apparitio etiam secundum ejus narrationem. Primo enim dicit apparuisse Mariæ Magdalenæ, secundo Discipulis, tertio post octo dies, & quarto hic. Sol. Quarta est hic apparitio simpliciter, sed tertia est, qua apparuit Discipulis. Et intellige secundum ejus narrationem. Vel secundum *Aug.* [Hoc jam tertio] die, non quantum ad ordinem feriarum; sed tertio die, ut computetur prima dies apparitionis dies Resurrectionis, quotiescumque in illa apparuit: secunda dies, quando post octo dies apparuit Thomæ; & tertia ut hic. Et est incertum, quota die hoc factum sit. Sequitur. *c* Cum ergo, &c.] vel [pransi essent] Discipuli, scil. cum Jesu. *d* Dicit Simoni Petro Jesus,] in quo dat exemplum, quod post prandium non debebat dissolvi lingua, nisi ad utilia. Et nota, quod specialiter loquitur Petro soli, alios prætериens. Cur hoc? Respondemus. Eximius Apostolorum erat Petrus, & os Discipulorum, & vertex collegii. Ideo & Paulus ascendit videre Petrum præ aliis; *Gal.1.* Item in hoc, quod primo eum alloquitur, & interrogat, dat ei fiduciam de negotiatione dimissa: & ostendit, quoniam oportet eum audire de reliquo.

e Simon Joannis,] vel [Joanna,] secundum *Chrysost.* filius supple. Unde & dicitur Bar-Jona. *Matth.* 16.

f Diligis me, &c.] i. quam hæc visibilia, & terrena: Vel. *g* Plus his] idest, magis, quam isti diligant, demonstratis Discipulis, qui ibi erant.

h Dicit ei, etiam, Domine, tu scis, quia amo te.] Non est ita distinguendum.

i Etiam, Domine,] ut, scilicet dixisset se diligere plus his; Hoc enim nesciebat; sed abundat etiam idiomate Hebræo. Tacens ergo, quod ignorabat, respondit, quod sciebat. De se enim dixit, de aliis tacuit, ut dicit *Augustinus*

a Dicit ei: Pasce agnos meos. *b* Dicit ei iterum: *c* Simon Joannis diligis me? Ait illi: *d* etiam, Domine, tu scis, quia amo te, *e* dicit ei iterum: Pasce agnos meos. *f* Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? *g* Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me, *h* & dixit ei: Domine, tu omnia nosti, *i* tu scis, quia amo te. *k* Dicit ei: Pasce oves meas. *l* Amen, amen dico tibi, *m* cum esses junior, *n* cingebas te, & ambulabas, ubi volebas. *o* Cum autem senueris, *p* extendes manus tuas, *q* & alius te cinget, *r* & ducet, quo tu non vis: *ſ* Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus *t* esset Deum. *u* Et cum hoc dixisset, dicit ei: *x* Sequere me. *y* Conversus Petrus, *z* vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus, *a* sequentem, *b* qui & recubuit in cœna super pectus ejus, *c* & dixit: *d* Domine, quis est, qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus,

stinat. Vel, ita, Domine, amo te: & etiam tu scis, quia amo te, q. d. etiam te testem invoco, quia amo te. *Chr.* Deum testem invocat, qui scit ineffabilia cordis. Et nota, sicut dicit *Aug.* Interrogans Petrum de amore, & non alibi, vocat eum sic, Simon Joannis, obediens, sc. filius gratiæ, ad innuendum, quia quod ardentius ceteris diligit, & obedit, non est nisi ex gratia Sp. sancti.

E

a Dicit ei, &c.] *Aug.* q.d. si diligis me, non te, pasce agnos meos, ut meos, non ut tuos: gloriam meam in eis quære, non tuam: mea lucra, non tua. Hæc est probatio dilectionis. 1. *Cor.* 13. Charitas non quærit, quæ sua sunt. 1. *Pet. ult.* Pascite, qui in vobis est, gregem Domini. Sed contra dicitur *Ezech.* 33. Pascebant semetipsos. *b* Dicit ei iterum,] ut ex iteratione fiat impressio, quod præcipit, ut custodiendi inferatur sollicitudo. *c* Simon Joannis, diligis me. Nec [addit,] plus his,] quia jam discretionem Petri probaverat in responsione super hoc: vitavit enim arrogantiam, & te veritatem judicandi de aliu ignoto. *d* Ait illi etiam, Domine, tu scis, quia amo te.] Expone, ut prius. e Dicit ei iterum, pasce agnos meos,] ut prius. *f* Dicit ei tertio, Simon Joannis, amas me,] *Aug.* Interrogat, quod sciebat, non semel, sed iterum & tertio: & tertio audit a Petro se diligi, & tertio jubet pascere oves. Trinæ negationi respondet trina confessio, ne minus amori lingua serviat, quam timori. Et sicut fuit judicium timoris negare Pastorem: sic officium amoris pascere Domini gregem. *Chr.* Tanquam trina negatione deleta, committit ei præsidentiam fratrum, sed negationem non exprobrat, sed dicit: Si diligis me, præsiste fratribus, & ferventem amorem, quem per omnia demonstrasti, hic ostende: & animam, quam dixisti te donaturum pro me, nunc da pro ovibus meis. Tertio autem interrogat, & tertio eam injungit, ostendens quanti appretiatur ovium suarum diligentiam, & quoniam hoc maxime amoris Christi signum. Per hoc ergo erudit nos, quomodo eum maxime amare oportet. Et nota, quod dicitur.

g Contristatus est Petrus, quia dixit, & tertio amas me.] *Chryſ.* Semel interrogatus, & secundo, ipsum, qui occulta cordis novit, testem vocavit. Deinde interrogatus & tertio, conturbabat rursus formidans priora. Cum se fortem dicens ad commoriendum, corripitur, *sup.* 13. & quia suam infirmitatem passus est: ideo & nunc timet, & ideo ad ipsum refugit.

h Et dicit ei: Domine, tu omnia nosti,] q.d. & præsentia, & futura; sed ego nescio de futuris, sed.

Matth. 26. *i* Tu scis, quia amo te,] in præsenti? Et vide, qualiter factus est melior Petrus, & magis sobrius, non temerarius, neque audax contradictor, sicut prius, cum dixit: Etsi oportuerit, me mori tecum, non te negabo. Propter hoc enim turbatus est, timens ne forte æstimaret se diligere, & non diligeret.

k Dicit ei pasce oves meas,] & exemplo, & verbo, & orationis suffragio. Sequitur.

l Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, &c.] Sic continuatur. Requisita dilectione, commisit ei curam ovium; hic autem prædicit ei suum martyrium: ut ostendat, quod in his duobus probabit amorem suum ad Christum. Vel sic, Pasce oves meas, & scio, quod pasces, quia animam pro eis pones. Et hoc est: Cum esses junior, &c. Vel sic, secundum *Chr.* Cum quæsisset a Petro de eo, qui in ipsum est, amore, quia Petrus conturbatus est, prænunciat ei & martyrium, quod debebat sustinere; per hoc ostendens, quod non decredens hoc ei dixerat toties amas me; sed & valde credens, & ejus, qui in eum Petrum amoris ostensionem monstrare volens, & volens etiam erudire, quo utique modo maxime eum amare oportet, scilicet pascendo oves, & pro ipsis moriendo; ideo ait: Cum esses junior, ætate, & moribus.

n Cingebas te, & ambulabas, ubi volebas,] idest, ad libitum te cohibebas, & ad libitum te effrænem reddebas, q. d. faciebas, quod volebas. *o* Cum autem senueris, &c.] q. d. quæ non es passus juvenis, oportet te pati senem. *Chr.* Dicit, cum esses junior: & postea, cum autem senueris: per hoc ostendit, quod Petrus non erat tunc juvenis, sed neque senex adhuc, sed vir consummatus. Sed quare meminit eum prioris ætatis, vel vitæ? manifestum est enim, quoniam sic est in juvene; nam in sæcularibus quidem juvenis utilis est, & strenuus; senex vero inutilis: in meis autem non ita est, ait, sed cum supervenerit senectus, tunc virtus clarior, tunc virilitas illustrior apparebit in nullo ab ætate prohibita senili. Hoc autem dixit Christus, non obstupefaciens eum, sed magis erigens. Sciverat enim ejus dilectionem. Et quoniam hoc olim parturiebat, & desiderabat bonum, sc. pro eo moriendi. Unde *sup.* 13. Quare non possum te sequi modo? Et *alibi*: Tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire. Et non solum mortem, sed & genus mortis ostendit. Quia enim Petrus semper volebat esse in eis, quæ sunt pro eo, periculis, confide, ait: ita enim implebo desiderium tuum, ut quæ non passus es juvenis, hæc te oporteat pati senem. Et hoc est: Cum autem senueris, ad litteram.

F

Luc. 22.

p Extendes manus tuas] in Cruce, i. crucifigeris.

q Et,] ad hoc [alius te cinget,] idest, compellet, vel vinculis, ad litteram, te ligabit.

r Et duces te, quo tu non vis,] i. ad mortis molestiam *Chr.* quod dicit: quo tu non vis, naturæ dicit compassionem, & carnis necessitatem. Et quoniam invite separatur a corpore anima: nullus enim impassibiliter corpus deponit hoc, Deo utiliter hoc dispensante, ut non multæ fierent mortes violentæ; Si enim his existentibus, prævaluit diabolus, infinitos ad præcipitationes, & suffocationes ducere, nisi tanta esset concupiscentia animæ, & corporis, pro qualibet tristitia, cito utique multi imperiam ad hoc fecissent: Alias quatuor rationes habes in *Gl.* quare relicta est pœna hujusmodi in Sanctis, quibus dimissa est culpa, sc. ad demonstrationem debitæ miseriæ, ad emendationem labilis vitæ, ad exercitationem necessariæ patientiæ. Et quarta est in alia *Gl.* quia si nulla esset, vel parva molestia mortis, non esset tam magna gloria martyrii. Quod autem dixerat Dominus de Petro, exponit Evangelista, dicens.

ſ Hoc autem dixit, &c.] sc. martyrio, & quo genere martyrii; sc. manuum extensione in Cruce.

t Clarificaturus,] vel [glorificaturus esset Deum.] Hoc dicit, quia propter fidem ejus mortuus est: *Aug.* Quia hac morte ostendit, quantum colendus, & amandus sit Deus. *Chr.* Non dixit, qua morte morietur, sed glorificabit, ut discas, quoniam pati pro Christo gloria, & honor est patientis.

u Et cum hoc, &c.] q.d. ne timeas mori pro me, cum ego prius pro te. *Eccl.* 23. Magna est gloria, sequi Dominum. Item.

x Sequere me,] eodem genere mortis. Vel secundum *Chr.* Sequere me, i. me imitare in procuratione gregis, q.d. te dimitto ut sis loco mei, ut sis vicarius, & imitator, & successor meus, *Chr.* Si vero dixerit quis, qualiter igitur Jacobus thronum assumpserit Jerosolymorum? Illud utique dicam, quoniam hunc, idest, Petrum orbis terrarum intronizavit Magistrum.

y Conversus Petrus vidit, &c.] *Aug.* His dictis a Domino, cœpit Jesus abire, & nondum intellecto, quod audivit: Sequere me, cœpit Petrus incessu pedum sequi. Secutus est autem & Joannes, qui sciebat se diligi. Et hoc est, quod dicitur hic.

z Vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus] familiarios donavit potiori dulcedine sui amoris.

a Sequentem] post Jesum, & Petrum, ad litteram. Et determinat privilegium quoddam amoris sui.

b Qui & recubuit in cœna super pectus ejus,] *sup.* 13.

c Et dixit ei] i. quæsivit ab eo silenter, suadente Petro.

d Domine, quis est, qui tradet te? Hunc, &c.] sequentem.

e Dicit Jesu,

a Dicit Jesu, Domine, hic autem quid,] sustinebit scilicet, pro te? Intellexerat enim Petrus, quod de sua morte ei dixisset, *Beda*. Quia audierat Petrus se crucifigendum, voluit etiam fratris cognoscere finem. *Chrys.* Cujus gratia, vel qua de causa meminit hic Evangelista illius accubationis super pectus Domini? Respondemus. Non inaniter neque sine causa, sed ostendens quantam modo Petrus habebat audaciam post negationem. Qui enim tunc non audebat interrogare, sed Joanni suasit huic & præsistentia credita est fratrum, & non solum de se, sed & de aliis Magistrum audet interrogare. Et Joannes quidem silet; ille vero loquitur. Et sicut in cœna non audens interrogare, hunc, scil. Joannem præmittit ad interrogandum: ita & nunc reddens ei retributionem, & existimans eum libenter velle interrogare de seipso, & non audere, ipse suscepit interrogationem pro eo, dicens: [Hic autem quid.]

al. † ad Joann.

Item per hoc ostendit Petrus amorem, quem ad Joannem habebat: Etenim valde amabat eum. Et hoc ostenditur, & per hoc, quod dicitur hic, & per totum Evangelium ostenditur horum colligatio. Et in actibus Apostolorum. *Act.* 3. Petrus, & Joannes ascendebant in templum, &c. Quia igitur magna Petro Dominus, & orbem terrarum commisit, & martyrium prælonavit, & amorem testatus est ampliorem aliis: ideo volens & hunc Petrus habere socium, & communicatorem præsulatus, & martyrii, ait.

b Hic vero quid,] quasi dicat, non eadem nobis via eveniet? Valde enim amabat eum Petrus, & nolebat ab eo divelli.

c Dicit ei Jesus: sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?] Et loquitur increpative. Quia enim quasi procurans eum, & nolens ab eo divelli, dixerat hoc Petrus: ideo ostendit, quod quantumcumque amaverit, amorem tamen ejus non excedit. Et hoc est.

d Sic eum volo manere, quid ad te] pertinet scilicet, de eo, imo ad me, quasi dicat etsi valde amas eum; tamen plus ego.

Item. [Quid ad te,] per hoc erudit nos, non anxiari, neque nimis investigare, neque ultra ea, quæ Deo placent, quærere.

Unde: In supervacuis rebus noli perscrutari multipliciter. Quia enim semper Petrus fervidus erat, & præsiliebat, abscindens ejus fervorem, & erudiens etiam nos, nihil perscrutari ultra, quam saluti necesse est, hoc ait: [Quid ad te? tu me sequere,] quasi dicat, opus tibi commissum attende, & perfice, & exerce, & certa: quid enim ad te, & si volo eum manere hic, & non mittere per orbem terrarum; tu ea, quæ tui ipsius sunt, attende, & de his sollicitus sis. Hoc autem dicebat, sicut dicit *Chrysost.* ab intemporanea compassione, quæ ad se invicem erat dividens eos: quia enim debebant orbis terrarum procurationem accipere, non oportebat complexos esse de reliquo ad se invicem: profecto enim hoc magnum esset damnum orbi terrarum. Vel secundum *August.*

d Sic,] idest, in pace.

e Eum volo manere,] idest, senium finire.

f Donec veniam] ad eum remunerandum, & recipiendum in æterna beatitudine.

g Quid ad te] de hoc pertinet.

a dicit † Jesu, Domine, b hic autem quid? c Dicit ei Jesus: d Sic e eum volo manere, f donec veniam, g quid ad te? h Tu me sequere. i Exiit ergo sermo ille inter fratres: k quia Discipulus ille non moritur. l Et non dixit ei Jesus: non moritur; sed sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Hic m est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Et scimus, quia verum est testimonium ejus. n Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

Explicit Evangelium secundum Joannem.

h Tu me sequere,] in Crucis Passione.

i Exiit ergo sermo ille inter fratres,] idest, inter Discipulos.

k Quia Discipulus ille non moritur.] Putaverunt enim Discipuli, quod Dominus diceret eum sic debere manere, idest, semper vivere & non esse moriturum, donec Christus veniret ad judicium. *Aug.* Sed non erat magnum dare dilecto non mori, cum melius sit dissolvi, & esse cum Christo, *Philip.* 1. *Beda*.

Unde quod non esset ita intelligendum, ipse Joannes admonet; dicens.

l Et non dixit ei Jesus non moritur; sed sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te.] *Chrysostomus*. Dicens Evangelista opinionem Discipulorum, corrigit eam tanquam non intelligentibus, neque conspicientibus eis, quod dixerat Christus.

m Hic est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus, quia verum est testimonium ejus. *Beda*. Hic aperte designat suam personam ex officio, quam noluit designare ex vocabulo.

n Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror, &c.] Hic in fine ponit rationem de hoc, quod tam pauca signa scripsit: Magis enim intendit verbis Christi, quam signis.

Et dicit, quod nec etiam alii omnia scripserunt, quia infinita fuerint. Vel secundum *Chrysostomum*, sic continuatur. Quia dixerat se testimonium perhibere Christo de prædictis, ne aliquis diceret: tu enim gratificando Magistro tuo hoc dicis, non pro veritate: ideo ad ultimum dicit de signis, dicens: [Sunt autem & alia multa, &c.] quasi dicat, ex hoc manifestum est, quoniam nequaquam gratificatus sum Magistro, neque per gratiam testimonium perhibui, sed propter veritatem. Qui enim de tot signis pauca scripsi, nec & tot, quot & ceteri; sed insidias Judaicas, & lapidationes, & contumelias, odium, convicia in medium proposui, & alia humilia de eo, & quoniam eum dæmonium habentem vocabant, manifestum est, quoniam nequaquam gratificatus sum eum. Eum enim qui gratificaretur, contrarium oportebat facere, exprobrabilissima, scilic. occultare, & clara proponere.

Et nota, quod dicit: [Nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt,] vel scriberentur, idest, scribi possent, [libros.] *Augustinus*. Non spatio locorum credendum est mundum capere non posse, quæ in eo scribi, si possent, scripta non ferret, sed capacitate legentium comprehendi fortasse non possent, quamvis salva rerum fide, plerumque verba excedere videantur fidem, quod non fit, quando aliquid, quod erat obscurum, vel dubium causa, & ratione reddita exponitur, sed quando id, quod apertum est, augetur, vel extenuatur; nec tamen a tramite significandæ veritatis erratur, quoniam sic verba rem, quæ indicatur, excedant, ut voluntas loquentis, nec psallentis appareat, qui novit quousque credatur a quo ultra quam credendum est, vel minuitur loquendo aliquid, vel augetur. Hunc loquendi modum Græci, & Latini hyperbolem vocant, qui & in aliis Scripturæ locis invenitur, ut est illud *Ps.* 72. Posuerunt in cœlum os suum, & verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Explicit Postilla D. Hugonis super Evangelium secundum Joannem.